UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, & antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

urn:nbn:de:hbz:466:1-74526

Visual Library

Th. 470a

M
VII 6

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

D.D. EMANUELIS

GONZALEZ TELLEZ,

IN INCLYTA SALMANTICENSI ACADEMIA Collegii Majoris Conchensis Alumni, & antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ Inquisitionis Tribunali Inquisitoris Apostolici, & in supremo S. Inquisitionis Senatu Consiliarii;

COMMENTARIA PERPETVA

In singulos Textus quinque Librorum

DECRETALIUM GREGORII IX.

TOMUS TERTIUS

COMPLECTENS LIBRUM TERTIUM,

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia.

NUNC SECUNDA VICE IN LUCEM PRODIT OPUS

Ab innumeris mendis, quibus scatebat Lugdunensis editio, magnâ curâ repurgatum.

Cum Privilegio S. Cæsareæ Majestatis.

Collegii Societatis Jesu Paderbornae 1691

FRANCOFURTI AD MOENUM,
Sumptibus Johannis Davidis Zunneri.

ANNO M. DC. XC.

TABELLA
TITVLOS OMNES

Libri tertii Decretalium Gregorii IX. ordine Alphabetico indicans.

Prior numerus Titulum, postremus verò paginam Libri indicat.

B.

BAptismo, & ejus effectu. 42. 902.

C.

CApellis monachorum, & aliorum religiosorum. 37.754
Celebratione Missarum, & Sacramento, Eucharistiæ, & divinis officiis. 41. 855.
Censibus, exactionibus, & procurationibus. 39.793
Clericis conjugatis. 3.81
Clericis non residentibus in Ecclesia, vel præbenda. 4.96
Clerico ægrotante, vel debilitato. 6.184
Cohabitatione clericorum, & mulierum. 2.62.
Commodato. 15.290
Concessione præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis. 8.198
Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris. 40. 832.
Conversione conjugatorum. 32.678
Conversione infidelium. 33.699
Custodia Eucharistiæ, Chrismatis & aliorum Sacramentorum. 44.926

D.

DEcimis, primitiis, & oblationibus. 30. 582.
Depositi. 16.295
Donationibus. 24.426

E.

ECclesiis ædificandis, & reparandis. 48. 959.
Emptione, & venditione. 17.301

F.

FEudis. 20.347
Fidejussoribus. 22.395

H.

HIs quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli. 10.225
His quæ fiunt à majori parte Capituli. 11. 239.

I.

IMmunitate Ecclesiarum, cæmeterii, & rerum ad eas pertinentium. 49.968
Institutionibus. 7.189
Iurepatronatus, & Ecclesiis à laicis concessis. 38.760

L.

LOcato, & conducto. 18.325

N.

NE clerici, vel Monachi secularibus negotiis se immisceant. 50.1000.
Ne Sede vacante aliquid innovetur. 9. 221.

O.

OBservantia jejuniorum. 6.945

P.

PArochiis, & alienis parochianis. 29. 572.
Peculio clericorum. 25.441
Pignoribus. 21.353

Præbendis, & dignitatibus. 5.121
Precariis. 14.277
Presbytero nondum baptizato. 43.922
Purificatione post partum. 47.956

R.

REbus Ecclesiæ alienandis, vel non alienandis. 13.250
Regularibus transeuntibus ad religionem. 31.629.
Religiosis domibus, ut Episcopis sint subjectæ. 36.742
Reliquiis, & veneratione Sanctorum. 45. 936.
Rerum permutatione. 19.337

S.

SEpulturis. 28.534
Solutionibus. 23.408
Statu monachorum, & Canonicorum regularium. 35.723
Successionibus ab intestato. 27.523

T.

TEstamentis. 26.449

V.

VIta & honestate & clericôrum. 1.1
Voto, & voti redemptione. 34.703
Ut Ecclesiastica beneefiia sine diminutione conferantur. 12.247

INDEX
CAPITVLORVM OMNIVM,
Quæ in tertio Libro Decretalium Gregorii IX. continentur.

Prior numerus titulo adjunctus ordinem capituli, secundus titulum, tertius tandem paginam designat.

A.

ABOLENDÆ, *de sepultur.* 13. 28. 504.
Accedens, *de præb. & dign.* 24. 5. 161.
Accedens, *de concess. præbend.* 14. 8. 219.
Accedens, *de conversi. conjugat.* 17. 42. 697.
Acrapula, *de vit. & hon. cleric.* 14. 1. 46.
Ad Apostolicæ, *de decimis*, 20. 30. 614.
Ad Apostolicam, *de regular.* 16. 31. 664.
Ad Apostolicam, *de conversi. conjugat.* 13. 32. 693.
Ad audientiam, *de reb. Eccles. alien. vel non* 9. 13. 272.
Ad audientiam, *de cler. non resid.* 15. 4. 119.
Ad audientiam, *de decimis.* 12. 30. 604.
Ad audientiam, *de capell. monachor.* 4. 37. 759.
Ad audientiam, *de Eccles. ædif.* 3. 48. 965.
Ad audientiam, *de Eccles. ædif.* 5. 48. 967.
Ad aures, *de reb. Eccles. alien. vel non* 7. 13. 269.
Ad decorem, *de instit.* 5. 7. 194
Ad hæc, *de præbend. & dign.* 13. 5. 145.
Ad hæc, *de testam.* 8. 26. 479
Ad hæc, *de decim.* 15. 30. 607
Ad hæc, *de consecrat. Ecclesiar.* 1. 40. 832.
Ad hoc, *de solut.* 1. 23. 408
Ad nostram, *de reb. Eccles. alien. vel non.* 11. 13. 274.
Ad nostram, *de emption. & vendition.* 5. 17. 315.
Ad nostram, *de regular.* 8. 31. 649
Ad quæstiones, *de rer. permutat.* 8. 19. 345.
Adversus, *de immunit. Eccles.* 7. 49. 996.
A nobis, *de cohab. cleric. & mul.* 9. 2. 79.
A nobis, *de decim.* 24. 30. 618.
Apostolicæ, *de donat.* 9. 24. 437
Apostolicam, *de presbyt. nondum bapt.* 2. 43. 922.
Aqua, *de consecr. Eccles.* 9. 40. 853
Avaritiæ, *de præb. & dignitat.* 10. 5. 142.
Auctoritate, *de instit.* 4. 7. 193
Auctoritate, *de censib.* 27. 39. 831
Audivimus, *de reliq. & vener. Sanct.* 1. 45. 936.

B.

BOna fides, *de deposit.* 2. 16. 297

C.

CÆmeteria, *de consecr. Eccles.* 7. 40. 843.
Cæterùm, *de donat.* 3. 24. 428
Causam quæ, *de præbend. & dignit.* 36. 5. 181.
Causis, *de depos.* 1. 16. 295
Certificari, *de sepult.* 9. 28. 553
Charissimus, *de conversi. conjugat.* 11. 82. 692.

Index Capitulorum,

Clerici, *de vit. & honeſtat. cleric.* 2. 1. 8.

Clerici officia, *de vit. & honeſtat. cleric.* 15. 1. 50.

Clericis, *ne cleric. vel monach.* 5. 50. 1009.

Clericos autem, *de cohab. cler. & mul.* 3. 267.

Clericos, *de cleric. non reſidentib.* 17. 4. 121.

Clericus, *de vita, & honeſt. cleric.* 5. 1. 20.

Clericus, *de vita, & honeſt. cleric.* 7. 1. 24.

Clericus, *de vita, & honeſt. cleric.* 6. 1. 23.

Clericus, *de fidejuſſor.* 1. 22.395

Commiſſum, *de decim.* 4. 30.588

Concilio, *de ſucceſſ. ab inteſtat.* 2. 27. 527.

Congregato, *de capell. monachor.* 1. 37. 754.

Conjugatus, *de converſ. conjugat.* 5. 32. 687.

Conquerente, *de cleric. non reſident.* 6. 4. 109.

Conſenſus, *de reb. Eccleſ. alien. vel non.* 3. 13. 257.

Conſilium, *de celebrat. Miſſar.* 4. 41. 870.

Conſilium, *de obſerv. jejun.* 2. 46.951

Conſtitutis, *ne Sed. vac.* 3. 9.224

Conſtitutus, *de conceſſ. præbend.* 11. 8. 215.

Conſtitutus, *de fidejuſſor.* 3. 22.401

Conſtitutus, *de relig. domib.* 6. 36.747

Conſultationibus, *de cler. & ægrotant.* 6. 6. 187.

Conſultationibus, *de donat.* 4. 24.432

Conſultationibus, *de jurepatron.* 19. 38. 780.

Conſulti, *de regular.* 20. 31.672

Conſuluit, *de converſ. conjugator.* 10. 32. 691.

Conſtitutus, *de converſ. conjugator.* 15. 32. 695.

Conſuluiſti, *de celebrat. Miſſar.* 3. 41. 867.

Conſuluit, *de jurepatr.* 15. 38.778

Continebatur, *de his, quæ fiunt à Præl.* 2. 10. 230.

Cùm ab omni, *de vit. & honeſt. cler.* 10. 1. 31.

Cùm ad hoc, *de cleric. non reſidentib.* 16. 4. 119.

Cùm ad noſtram, *de inſtit.* 8. 7.198

Cùm ad monaſterium, *de ſtatu monachor.* 6. 35.734.

Cùm Apoſtolica, *de his, quæ fiunt à Præl.* 7. 10.235.

Cùm Apoſtolus, *de cenſib.* 6. 39.800

Cùm autem, *de jurepatr.* 24. 38.788

Cùm canonicis, *de cenſib.* 26. 39.828

Cùm cauſa, *de empt. & vendition.* 6. 17. 317.

Cùm clerici, *de cenſib.* 11. 39.810

Cùm conſtet, *de pignor.* 8. 21.387

Cùm contingat, *de decim.* 29. 30.621

Cùm contra, *de pignor.* 6. 21.372

Cùm creatura, *de celebrat. Miſſar.* 11. 41. 891.

Cùm decorem, *de vita, & honeſtat. cler.* 12. 1.39.

Cùm decorem, *de cleric. conjugat.* 8. 3. 93.

Cùm dicat, *de Eccl. ædif.* 2. 48 963

Cùm dilecta, *de conceſſ. præbend.* 16. 8. 220.

Cùm dilecto, *de ſucceſſ. ab inteſtat.* 3. 27. 532.

Cùm dilecti, *de empt. & vendition.* 3. 17. 307.

Cùm dilecti, *de donat.* 6. 24.434

Cùm dilecti, *de relig. dom.* 8. 36.751

Cùm dilectus, *de cleric. non reſident.* 14. 4. 118.

Cùm dilectus, *de jurepatr.* 28. 38.791

Cùm Eccleſia, *de imminut. Eccleſ.* 5. 49. 985.

Cùm eſſes, *de teſtam.* 10. 26.481

Cùm ex eo, *de reliq. & vener. Sanct.* 2. 45. 941.

Cùm gratia, *de commod.* 1. 15.290

Cùm homines, *de decim.* 7. 30.594

Cùm jamdudum, *de præb. & dignitat.* 18. 5. 150.

Cùm in cunctis, *de his, quæ fiunt à major.* 1. 11. 239.

Cùm in officiis, *de teſtam.* 7. 26.477

Cùm inſtantia, *de cenſib.* 17. 39.815

Cùm in tua, *de decim.* 30. 30.622

Cùm laicis, *de reb. Eccleſ. alien. vel non.* 12. 13.276.

Cum liberum, *de ſepult.* 6. 28.546

Cum Marthæ, *de celebrat. Miſſar.* 6. 41. 875.

Cum non ignores, *de præb. & dignitat.* 15. 5. 146.

Cum non ſit, *de decim.* 33. 30.628

Cum nos, *de his, quæ fiunt à Prælat.* 3. 10. 231.

Cum noſtris, *de conceſſ. præb.* 6. 8.208

Cum nuper, *de cenſib.* 25. 39.828

Cum olim, *de cler. conjug.* 6. 3.92

Cum olim, *de præb. & dign.* 38. 5.183

Cum olim, *de rer. permut.* 6. 19.345

Cum

Cum olim, *de cenſib.* 19. 39.821
Cum percuſſio, *de cler. ægrot.* 1. 6.184
Cum propter, *de jurepatr.* 27. 38.790
Cum pro quæſtione, *de conceſſ. præb.* 8. 8. 212.
Cum ſeculum, *de jurepatr.* 13. 38.777
Cum ſecundum, *de præbend. & dignit.* 16. 5. 147.
Cum ſicut, *de conſecrat. Eccleſiar.* 8. 40. 849.
Cum ſimus, *de regular.* 14. 31.660
Cum ſint homines, *de decimis*, 18. 30. 609.
Cum ſis, *de converſ. conjug.* 4. 32.686
Cum ſis, *de conſcr. Eccl.* 5. 40.843
Cum ſuper, *de ſepult.* 8. 28.549
Cum teneamur, *de præbend. & dignitat.* 6. 5. 138.
Cum tibi, *de teſtam.* 13. 26.490
Cum venerabilis, *de relig. domib.* 7. 36. 749.
Cum venerabilis, *de cenſib.* 12. 39.823
Cum venirent, *de inſtit.* 6. 7.196
Cum virum, *de regular.* 12. 31.654
Cum univerſorum, *de rer. permut.* 7. 19. 343.
Cura paſtorali, *de jurepatronat.* 11. 38. 776.

D.

Debitum, *de baptiſm.* 4. 42.917
De cætero, *de cleric. non reſident.* 7. 4. 109.
Decimam, *de decim.* 1. 30.582
De clericis, *de regular.* 1. 31.629
De his, *de teſtam.* 20. 26.518
De his, *de ſepult.* 4. 28.544
De homine, *de celeb. Miſſ.* 7. 41.882
De jure, *de jurepatr.* 16. 38.779
De monachis, *de præbend. & dignitatib.* 12. 5.145.
De multa, *de præbend. & dignitatib.* 28. 5. 166.
De peregrinationis, *de vot. & vot. red.* 1. 34.703.
De precariis, *de precar.* 2. 13.283
De quibus, *de bapt.* 2. 42.905
De Rectoribus, *de cleric. ægrotant.* 3. 6. 186.
De uxore, *de ſepult.* 7. 28.546
De terris, *de decim.* 16. 30.607
Deus qui, *de vit. & hon. cler.* 11. 1.38
De Xenodochiis, *de relig. domib.* 3. 36. 744.
Dilecti, *de decim.* 8. 30.600
Dilecto filio, *de præbend. & dignitat.* 25. 5. 161.
Dilectus, *de præb. & dign.* 19. 5.153
Dilectus, F. G. *de præbend. & dign.* 34. 5. 179.
Dilectus, *de præb. & dign.* 27. 5.166
Dilectus filius, *de conceſſ. præbend.* 12. 8. 217.
Dilectus filius, *de capell. monachor.* 2. 37. 757.
Diverſis, *de cler. conjug.* 5. 3.90
Dolentes, *de celebr. Miſſ.* 9. 41.885
Dudum, *de decim.* 31. 30.623
Dudum, *de converſ. conjugat.* 20. 32. 698.

E.

Eam te, *de jurepatr.* 22. 38.782
Ea noſcitur, *de his, quæ fiunt à Præl.* 6. 10.232.
Ea quæ, *de ſtatu monach.* 8. 35.740
Ea quæ, *de cenſib.* 12. 39.810
Eccleſiæ, *de immun. Eccl.* 9. 49.998
Eccleſiis, *de cenſib.* 9. 39.807
Epiſcopi, *de reb. Eccleſ. alien. vel non.* 4. 13. 258.
Epiſcopus, *de præbend. & dignitat.* 4. 5. 131.
Et menſuræ, *de emption. & vendit.* 2. 17. 304.
Etſi membra, *de his, quæ fiunt à Prælat.* 10. 10. 238.
Eum pro quo, *de fidejuſſor.* 5. 22.406
Ex frequentibus, *de inſtit.* 3. 7.192
Ex inſinuatione, *de jurepatron.* 14. 38. 777.
Exhibita, *de rer. permut.* 9. 19.346
Ex literis, *de vit. & honeſtat. cleric.* 16. 1. 60.
Ex literis, *de pignor.* 5. 21.366
Ex literis, *de converſ. infid.* 2. 33.700
Ex literis, *de jurepatr.* 7. 38.772
Ex multiplici, *de decim.* 3. 30.587
Ex ore, *de his, quæ fiunt à major.* 3. 11. 244.
Ex parte, *de cler. conjug.* 9. 3.94
Ex parte, *de cler. non reſid.* 8. 4.113
Ex parte tua, *de cleric. non reſident.* 13. 4. 117.
Ex parte, *de cler. ægrot.* 5. 6.186
Ex parte, *de conceſſ. præb.* 10. 8.214
Ex parte, *de his, quæ fiunt à major.* 4. 11. 247.
Ex parte tua, *de feud.* 2. 20.349
Ex parte, *de ſepult.* 5. 28.545
Ex parte, *de ſepult.* 11. 28.554
Ex parte, *de decim.* 10. 30.602
Ex parte, *de decim.* 21. 30.616
Ex parte, *de decim.* 27. 30.620

Ex parte, *de regular.* 22. 31.673
Ex parte, *de converſ. conjugat.* 9. 32. 691.
Ex parte, *de converſ. conjugat.* 14. 32. 694.
Ex parte, *de capell. monach.* 3. 37.758
Ex parte, *de cenſib.* 18. 39.816
Ex parte, *de celebr. Miſſ.* 5. 41.871
Ex parte, *de obſerv. jejun.* 1. 46.945
Explicari, *de obſerv. jejun.* 3. 46.953
Expoſuiſti, *de præbend. & dignitat.* 33. 5. 178.
Ex præſentium, *de pignor.* 3. 21.363
Ex publico, *de converſ. conjugat.* 7. 32. 689.
Ex reſcripto, *de locat. & conduct.* 1. 18. 325.
Exſtirpandæ, *de præb. & dignitat.* 30. 5. 174.
Ex transmiſſa, *de decim.* 23. 30.617
Ex tenore, *de conceſſ. præbend.* 13. 8. 218.
Ex tua, *de cleric. non reſidentib.* 11. 4. 114.

F.

Filius noſter, *de teſtam.* 5. 26.467
Fraternitatem, *de donat.* 2. 24.427
Fraternitatem, *de ſepult.* 3. 28.540
Fraternitati, *de cleric. non reſidentib.* 5. 4. 108.

G.

Gaudeamus, *de converſ. conjug.* 19. 32. 698.
Grave nimis, *de præbend. & dignitat.* 29. 5. 173.
Gravis, *de cenſib.* 15. 39.813

I.

Illa devotionis, *ne Sed. vacant.* 2. 9. 222.
Illos vos, *de pignor.* 4. 21.364
Immunitatem, *de immun. Eccleſ.* 10. 49. 999.
In aliquibus, *de decim.* 31. 30.624
Indicante, *de teſtam.* 4. 36.494
In Dominicis, *de paroch.* 2. 29.573
In Eccleſia, *de inſtit.* 2. 7.191
Indicatum, *de immun. Eccleſ.* 3. 49.974
Inhibendum, *de cohab. cler. & mul.* 1. 2. 62.
Injuſtum, *de rer. permut.* 4. 19.339
In Lateranenſi, *de præb. & dignitat.* 31. 5. 175.
In noſtra, *de ſepult.* 10. 28.553
Innovamus, *de cenſib.* 10. 39.808
In quodam, *de celebrat. Miſſ.* 8. 41. 883.
Inquirendum, *de pecul. clericor.* 4. 25. 445.
In ſingulis, *de ſtatu monachor.* 7. 35. 738.
Inſinuatione, *de feud.* 1. 20.347
Inter alia, *de immunitat. Eccleſ.* 6. 49. 988.
Inter cætera, *de præb. & dignitat.* 17. 5. 149.
Inter cæteras, *de jurepatr.* 10. 38.775
Inter dilectos, *de donat.* 8. 24.436
Inter quatuor, *de cleric. non reſident.* 10. 4. 114.
Inter quatuor, *de religioſ. domib.* 5. 36. 747.
Interdicimus, *de decim.* 35. 30.629
Inveſtigandum, *de pecul. clericor.* 1. 25. 411.
Ioannes, *de cler. conjug.* 7. 3.93
Ioannes, *de teſtam.* 19. 26.517
Ioannes, *de regular.* 5. 31.644
Irrita, *de his, quæ fiunt à Prælat.* 1. 10. 225.
Is qui, *de ſolut.* 4. 23.423

L.

Lator, *de pignor.* 2. 21.357
Laudabilem, *de converſ. infid.* 1. 33. 699.
Leo III. *de cleric. non reſidentib.* 2. 4. 96.
Licèt ad ea, *de religioſis domib.* 4. 36. 744.
Licèt de benignitate, *de decim.* 11. 30. 603.
Licèt Græcos, *de bapt.* 6. 42.920
Licèt multùm, *de cenſib.* 4. 39.799
Licèt quibusdam, *de regularib.* 18. 31. 669.
Licèt univerſis, *de vot. & vot. red.* 6. 34. 713.
Licèt vobis, *de præbend. & dignitat.* 32. 5. 175.
Ligneis, *de conſecr. Eccl.* 6. 40.843
Literarum, *de vot. & vot. red.* 6. 34. 708.
Literas veſtras, *de conceſſ. præbend.* 9. 8. 213.
Literas tuas, *de celebrat. Miſſar.* 14. 41. 896.

Magnæ

M.

MAgnæ devotionis, *de vot. & vot. red.* 7. 34. 716.
Majores, *de bapt.* 3. 42.907
Majoribus, *de præbend. & dignit.* 8. 5. 139.
Mancipia, *de rer. permut.* 3. 19.339
Monachi, *de statu monach.* 2. 35.725
Monasteria, *de vita, & honest. cler.* 8. 1. 24.
Mulier, *de convers. conjug.* 21. 32.699

N.

NE nimia, *de religios. domib.* 9. 36. 752.
Ne rebus, *de religios. domib. ut Episc.* 2. 36. 743.
Ne religiosi, *de regular.* 24. 31.674
Nisi essent, *de præbend. & dignit.* 21. 5. 155.
Nobis fuit, *de jurepatr.* 25. 38.787
Non ampliùs, *de institt.* 1. 7.189
Non est, *de decim.* 22. 30.617
Non est vobis, *de regularib. transf.* 7. 31. 648.
Non est, *de vot. & vot. redempt.* 5. 34. 712.
Non liceat, *de cleric. non resident.* 1. 4. 96.
Non liceat, *de præbend. & dignit.* 2. 5. 129.
Non liceat, *de reb. Eccles. alien. vel non.* 1. 13. 250.
Non magnoperè, *ne cler. vel monach.* 3. 50. 1006.
Non minus, *de immun. Eccles.* 4. 49. 977.
Non ut apponeres, *de baptism.* 5. 42. 918.
Non instituta, *de sepult.* 1. 28.534
Nos quidem, *de testam.* 3. 26.461
Novit ille, *ne Sed. vac.* 1. 9.221
Novit plenius, *de his, quæ fiunt à Præl.* 4. 10. 231.
Novum genus, *de decimis*, 2. 30. 585.
Nulla ecclesiastica, *de concess. præb.* 2. 8. 199.
Nulli liceat, *de reb. Eccles. alien. vel non.* 5. 13. 261.
Nullus Episcopus, *de parochiis*, 3. 29. 579.
Nullus laicus, *de jurepatr.* 17. 38.779
Nunc ad hanc, *de relig. domib.* 1. 36. 742.
Nuntios, *de decim.* 6. 30.594
Nuper Abbates, *de decimis*, 34. 30. 628.

O.

ODoardus, *de solut.* 3. 23.413
Officii, *de testam.* 14. 24.409
Olim causam, *de censib.* 20. 39.821
Omnis anima, *de censib.* 2. 39.796.

P.

PArochianos, *de decimis*, 14. 30. 606.
Parocho, *de sepult.* 14. 28.569
Pastoralis, *de his, quæ fiunt à Præl.* 9. 10. 237.
Pastoralis, *de donat.* 7. 24.435
Pastoralis, *de decim.* 28. 30.620
Pastoralis, *de jurepatr.* 29. 38.792
Per nostras, *de jurepatr.* 26. 38.790
Per tuas, *de donat.* 5. 24.432
Per tuas, *de vot. & vot. red.* 10. 34. 722.
Pernicioſus, *de celebrat. Missar.* 13. 41. 893.
Pervenit, *de præbend. & dignitat.* 3. 5. 129.
Pervenit, *de emptione, & vendit.* 4. 17. 312.
Pervenit, *de fidejussor.* 2. 22.396
Pervenit, *de decim.* 5. 30.593
Pervenit, *de censib.* 5. 39.799
Pervenit, *de immunit. Ecclesiar.* 2. 49. 972.
Placet, *de conversione conjugator.* 12. 32. 693.
Placuit, *de empt. & vend.* 1. 17.301
Porrectum, *de regular.* 13. 31.658
Possessiones, *de reb. Eccles. alien. vel non.* 10. 13. 274.
Post electionem, *de concess. præb.* 7. 8. 210.
Postulasti, *de regular.* 21. 31.673
Postulasti, *de jurepatr.* 30. 38.792
Postulastis, *de concess. præbend.* 15. 8. 219.
Postulastis, *de vot. & vot. red.* 11. 34. 723.
Potuit, *de locat. & cond.* 4. 18.333
Præterea, *de præb. & dignitat.* 14. 5. 145.
Præterea, *de conversion. conjugator.* 1. 32. 678.
Præterea, *de jurepatr.* 4. 38.767
Præterea, *de jurepatr.* 23. 38.782

Præterea

Præterea, *de cenſib.* 8. 39.807
Precariæ, *de precar.* 1. 14.277
Precarium, *de precar.* 3. 14.284
Presbyter, *de pecul. cler.* 2. 25.444
Presbyter, *de celebrat. Miſſar.* 1. 41. 855.
Presbyterium, *de cleric. ægrotant.* 2. 6. 185.
Procurationes, *de cenſib.* 23. 39.826
Prohibemus, *de decim.* 19. 30.611
Prohibemus, *de cenſib.* 7. 39.804
Pro illorum, *de præbend. & dign.* 22. 5. 159.
Propoſuit, *de conceſſ. præb.* 4. 8.204
Propter ejus, *de donat.* 10. 24.440
Propter ſterilitatem, *de locat. & cond.* 3. 18. 327.
Propoſuiſti, *de conſecrat. Eccleſ.* 4. 40. 842.
Providendum, *ne cler. vel monach.* 1. 50. 1000.
Prudentes, *de donat.* 1. 24.426

Q.

Quæcunque, *de jurepatronat.* 2. 38. 761.
Quæſitum eſt, *de cohab. cler. & mul.* 10. 2. 79.
Quæſitum, *de rer. permutation.* 5. 19. 342.
Quæſivit, *de his, quæ fiunt à major.* 1. 11. 242.
Qualiter, *de cleric. non reſidentib.* 9. 4. 113.
Quamvis grave, *de decimis*, 17. 30. 609.
Quamvis, *de jurepatr.* 8. 38. 773
Quartò, *de his, quæ fiunt à Prælat.* 5. 10. 231.
Quantò, *de cenſib.* 16. 39.814
Quærimoniâ, *de jurepatr.* 9. 38.774
Quia clerici, *de jurepatr.* 6. 38.772
Quia diverſitatem, *de conceſſ. præb.* 5. 8. 206.
Quia in tantum, *de præb. & dignitat.* 5. 5. 137.
Quia ingredientibus, *de teſtam.* 2. 26. 454.
Quia nonnulli, *de cler. non reſident.* 3. 4. 1000.
Quia nos, *de teſtam.* 9. 26.481
Quia plerique, *de immun. Eccleſ.* 8. 49. 997.
Quicumque, *de Eccleſiis ædificand.* 1. 48. 959.
Quicumque, *de Eccleſ. ædif.* 4. 48.967
Quidam, *de converſione conjugat.* 3. 32. 685.
Quidam, *de celebr. Miſſ.* 2. 41.863
Qui in virorum, *de conceſſ. præbend.* 1. 8. 198.
Qui res, *de reb. Eccleſ. alien. vel non.* 2. 13. 253.
Quod autem, *de jurepatr.* 5. 38.769
Quod Dei timorem, *de ſtatu monach.* 5. 35. 732.
Quod in dubiis, *de conſecrat. Eccleſ.* 3. 40. 841.
Quod quibusdam, *de fidejuſſor.* 4. 22. 404.
Quod ſuper his, *de vot. & vot. red.* 8. 34. 720.
Quod te, *de cler. conjug.* 3. 3.60
Quoniam, *de vit. & honeſt. clericor.* 9. 1. 30.
Quoniam, *de decim.* 13. 30.604
Quoniam, *de jurepatr.* 3. 38.766
Quorundam, *de teſtam.* 1. 26.449

R.

Raynaldus, *de teſtam.* 18. 26.516
Raynuntius, *de teſtam.* 16. 26.504
Recolentes, *de ſtatu monachor.* 3. 35. 726.
Referente, *de præbend. & dignit.* 7. 5. 138.
Relatum, *de cleric. non reſidentib.* 4. 4. 101.
Relatum, *de præb. & dign.* 9. 5.140
Relatum, *de conceſſ. præb.* 3. 8.203
Relatum, *de teſtam.* 11. 26.482
Relatum, *de teſtam.* 12. 26.489
Relatum, *de ſepult.* 2. 28.539
Relatum, *de jurepatr.* 1. 38.760
Relatum, *de jurepatr.* 21. 38.781
Relatum, *ne clerici, vel monach.* 7. 50. 1016.
Relinqui, *de cuſtodia Euchariſt.* 2. 44. 933.
Requiſiſti, *de teſtam.* 15. 26.503

S.

Sacerdotibus, *ne cler. vel monach.* 2. 50. 1003.
Sacris eſt, *de ſepult.* 12. 28.559
Sancitum, *de cenſib.* 1. 38.793
Sanè, *de cler. conjug.* 2. 3. 89
Sanè ſacerdotes, *de cleric. conjug.* 4. 3. 90.
Sanè, *de regular.* 10. 30.653
Sanè, *de converſ. conjug.* 6. 32.688

Sanè, *de celebr. Miſſ.* 10. 41.887
Scientes, *de cenſib.* 3. 39.798
Scripturæ, *de vot. & vot. redempt.* 4. 34. 710.
Sed & hoc, *de ſucceſſ. ab inteſt.* 1. 27. 523.
Sed nec, *ne cleric. vel monach.* 4. 50. 1009.
Secundum, *ne cleric. vel monach.* 6. 50. 1012.
Sententiam, *ne cleric. vel monach.* 9. 50. 1018.
Si autem, *de cohab. cler. & mul.* 6. 2. 70.
Sicut ad, *de cohab. cleric. & mulier.* 4. 2. 69.
Sicut nobis, *de regular.* 17. 31.666
Sicut regiminis, *de regular.* 6. 31.645
Sicut te, *ne cleric. vel monach.* 8. 50. 1016.
Sicut tenor, *de regular.* 15. 31.661
Si Eccleſia, *de conſecrat. Eccleſ.* 10. 40. 855.
Si Epiſcopus, *de paroch.* 1. 29.572
Significante, *de pignor.* 7. 21.380
Significaſti, *de jurepatr.* 18. 38.779
Significatum, *de præbend. & dignitat.* 11. 5. 143.
Significatum, *de regular.* 11. 31.653
Significavit, *de paroch.* 5. 29.581
Significavit, *de converſ. conjugat.* 18. 32. 697.
Significavit, *de cenſib.* 13. 39.811
Si hæredes, *de teſtam.* 6. 26.473
Si Princeps, *de rer. permutatione.* 1. 19. 337.
Si quis, *de cler. conjug.* 1. 3.81
Si quis, *de vit. & honeſt. cleric.* 4. 1. 15.
Si quis ante, *de regular.* 2. 31.636
Si quis presbyterorum, *de reb. Eccl. alien.* 6.13. 267.
Si quis ſanè, *de pecul. cler.* 5. 25.446
Si quis, *de bapt.* 1. 42.902
Si quis, *de presbyter. nondum bapt.* 1. 43. 922.
Si quispiam, *de cohab. cler. & mul.* 2. 2. 67.
Si quorundam, *de ſolut.* 2. 23.411
Si verò, *de jurepatr.* 12. 38.777
Si venditori, *de empt. & vendit.* 7. 17. 317.
Sopitæ, *de cenſib.* 14. 39.812
Statuimus, *de regular.* 23. 31.674
Statuimus, *de cuſtodia. Euchariſt.* 1. 44. 926.
Suggeſtum, *de decim.* 9. 30.601
Suggeſtum, *de jurepatr.* 20. 38.780
Super eo, *de cohab. cler. & mul.* 5. 2. 69.
Super eo, *de paroch.* 4. 29.580
Super eo, *de regular.* 9. 31.650
Super eo, *de cenſib.* 22. 39.824
Super inordinata, *de præbend. & dignitat.* 35. 5.180.
Super quodam, *de ſtatu monachor.* 4. 35. 728.
Super ſpecula, *ne cler. vel monach.* 10. 50. 1019.

T.

TE referente, *de celebr. Miſſar.* 12. 41. 891.
Theodoſius, *de ſtatu monachor.* 1. 35. 723.
Transmiſſæ, *de jurepatr.* 31. 38.793
Tuæ fraternitatis, *de cler. non reſid.* 12. 4. 117.
Tuæ fraternitatis, *de præb. & dign.* 20. 5. 154.
Tua fraternitas, *de conſecr. Eccleſ.* 2. 40. 840.
Tua nobis, *de teſtam.* 17. 26.516
Tua nobis, *de decim.* 25. 30.618
Tua nos, *de cohabit. cler. & mul.* 8. 2. 78.
Tua nos, *de cler. ægrot.* 4. 6.186
Tua nos, *de Eccl. ædif.* 6. 48.967
Tua nuper, *de his, quæ fiunt à Prælat.* 8. 10. 236.
Tuis quæſtionibus, *de præb. & dignitat.* 23. 5. 161.

V.

VAcante, *de præbend. & dignitat.* 26. 5. 165.
Venerabilis, *de præbend. & dignitat.* 37. 5. 181.
Venerabili, *de cenſib.* 24. 39.827
Veniens, *de regular.* 19. 31.672
Veniens, *de converſ. conjugator.* 16. 32. 695.
Veniens, *de presbyt. nondum bapt.* 3. 43. 923.
Venientis, *de vot. & vot. redempt.* 2. 34. 707.
Verùm, *de converſ. conjugator.* 2. 32. 681.
Veſtra devotio, *de cohab. cler. & mul.* 7. 2. 78.
Veſtra nobis, *de locat. & cond.* 2. 18. 326.

Vidua, *de regular.* 4. 31.640
Volens, *de purif. post part.* 1. 47.956
Ut clerici, *de regular.* 3. 31.638
Ut clericorum, *de vit. & honest. cleric.* 13. 1. 45.
Ut commutationes, *de rer. permut.* 2. 19. 338.
Ut consultationi, *de cler. conjugat.* 10. 3. 95.
Ut in domibus, *de immun. Eccles.* 1. 49. 968.
Ut laïci, *de vit. & honest. cler.* 1. 1.1
Ut nostrum, *de Ecclesiast. benef.* 1. 12.247
Ut nullus, *de præbend. & dignitat.* 1. 5. 121.
Ut nullus, *de pignor.* 1. 21.353
Ut quisque, *de vit. & honest. cler.* 3. 1. 13.
Ut super, *de reb. Eccles. alien. vel non.* 8. 13. 270.
Ut unusquisque, *de pecul. cleric.* 3. 25. 445.
Uxoratum, *de convers. conjugator.* 8. 32. 690.

D. D. EMANUELIS GONZALEZ TELLEZ COMMENTARIA IN LIBRUM TERTIUM DECRETALIUM GREGORII IX.

TITULUS PRIMUS.

De vita, & honestate Clericorum.

CAPUT PRIMUM.

Ex Concilio (a) *Maguntino.*

VT Laici secus (b) altare quando sacra (c) mysteria celebrantur, stare, vel sedere inter clericos non præsumant; sed pars illa, quæ (d) cancellis ab altari dividitur, tantùm (e) psallentibus pateat clericis; ad (f) orandum verò, & communicandum laicis, & fœminis (sicut mos est) pateant sancta (g) sanctorum.

NOTÆ.

(a) *Maguntino*] In prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. tribuitur textus hic Concilio Africano; à Decretistis verò, Ivone Carnot. *p.* 2. *Decreti, cap.* 137. Burchardo *lib.* 3. *Decreti, cap.* 102. citatur ex Concilio Maguntino; sed cùm in Conciliis excusis à Surio non reperiatur, Paez *in repet. ad textum in cap. Missas, de consecr. distinct.* 1. *num.* 49. Cenedus *ad Decret. collect.* 45. *num.* 1. Barbosa *in præsenti, num.* 1. & Garranæus 3. existimarunt verba hujus textus esse Concil. Turonensis 2. in cujus canone 4. leguntur similia verba. Sed licèt in quatuor Conciliis Maguntinis editis à Surio, & Binio non reperiantur verba in præsenti à Raymundo compilata, credo tamen esse alicujus Concilii Maguntini ex jam excusis, temporumque injuriâ omissa, vel neglecta fuisse verba hujus textus, vel in eis referri canonem Concilii Moguntini longè celeberrimi, quod anno Christi 846. celebratum fuit, ubi plura ad decorem ecclesiastici ordinis statuta fuerunt, teste Abbate Trithemio *in chronico monasterii Hirsaugiensis*, quod hactenus editum non esse, nec ad Surii manus pervenisse, ipse conqueritur *tom.* 3. *Concil. pag.* 428. Iuvatur hæc conjectura, tum ex eo, quia à veteribus Decretistis tribuitur textus hic Concil. Mogunt. tum quia inter capitularia Caroli, cujus tempore priora Concilia Moguntina edita fuerunt, reperitur hic textus *lib.* 7. *capit.* 203. in hæc verba: *Ut laici secus altare, in quo sancta mysteria celebrantur, intra clericos, tam ad vigilias, quàm ad Missas stare penitus non præsumant; sed pars illa, qua* a can-

à cancellis versus altare dividitur, choris tantùm psallentium pateat clericorum: ad orandum verò, & communicandum, laicis, & fœminis, sicut mos est, pateant sancta sanctorum.

(b) *Altare.*] Quia plerunque in una Ecclesia olim plura altaria erigebantur, ut probat Baronius *tom.* 1. *anno* 57. Unde tredecim in una Ecclesia altaria erecta fuisse, refert Divus Gregorius *lib.* 10. *in dist.* 14. *epist.* 5. ideò PP. Concil. Mogunt. ut faciliùs exprimerent de quo altari agebant, adjecerunt ea verba: *In quo sacrà mysteria.*

(c) *Sacra mysteria.*] In Concil. Turon. 2. *can.* 4. & Capitul. Caroli additur, *tam ad Vigilias, quàm ad Missas*; & rectè, ut explicetur quid per sacra mysteria PP. intellexerint. De vigiliis, & quomodo primis Ecclesiæ sæculis in Ecclesia tenerentur, tam à clericis, quàm laicis, plura congessi *in can.* 36. *Concil. Illiber.*

(d) *Cancellis.*] Cancellis non solùm dividebantur vestibula ædium, *l. cætera* 41. §. *sed & cancelli*, *ff. de legat.* 1. *l. nam etsi* 9. §. *si tamen*, *ff. quod vi aut clam. cap. Guillisarius* 30. 23. *quæst.* 4. *l.* 3. *C. de offic. divers. judic. l.* 1. *C. de offic. Rector. provinc. in Theodos.* ex D. Isidoro, Tacito, & Marcellino probat Savarus ad Sidonium *lib.* 1. *epist.* 2. ibi: *Exclusa velis, inclusa cancellis*; verùm & sacræ ædes Ecclesiæ. Germanus Episcopus CP. *histor. Eccles. pag.* 148. ibi: *Cancelli locum orationi designant quorumque extrinsecùs populus accedit: intrinsecùs autem sunt sancta sanctorum solis Sacerdotibus pervia.* Refert Frideric. Lindembrog. *in glossar. verbo Cancelli*: illustrat Leo Alacius *de templis Græc. epist.* 1. ibi *num.* 11. docet, locum illum cancellis inclusum sacrum esse, ac venerandum, clericis tantùm permissum; viris sæcularibus rarò, fœminis nunquàm penetrabilem. Quod & probatur *ex cap. non oportet* 26. *cap. non oportet* 30. *dist.* 23. & latè probant Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri cleric. mon. cap.* 6. & 40. Gibalin. *de clausur. disquisit.* 1. *cap.* 1. §. 3. *num.* 9. Mentio etiam cancellorum extat in Synodo Chalcedon. & Eusebius *lib.* 19. *hist. Eccles. cap.* 4. loquens de structura Basilicæ Tyri à Paulino Tyrorum Episcopo dedicata, ait: *Locus sanctuarii in speciem quadratam columnis sublimis est, undequaque circumseptus, quatum media intervalla interstitiis ligno instar retis aut transennâ cancellatis, in mediocrem & æquabilem longitudinem porrectis circuncluſa.*

(e) *Psallentibus.*] De quibus infrà agemus *cap.* 3. & *in cap.* 1. *de celebrat. Missar.*

(f) *Ad orandum verò & communicandum.*] Hæc verba difficillima sunt, & miror omnes repetentes intacta prætermisisse; nam si in principio hujus textus inhibetur laicis intra cancellos stare, quomodo hîc permittitur ad orandum sancta sanctorum ingredi? Siquidem fideles laici semper orationis causâ in Ecclesia conveniunt. Igitur si ad orandum possunt ingredi sancta sanctorum, nullus est casus in quo clerici intra cancellos, laici extra consistant. Deinde difficilius est quod conceditur laicis sequenti verbo, *ad communicandum*; ubi docetur, fideles laicos ad communicandum posse accedere ad sancta sanctorum; cùm notum sit, tam ex veteribus, quàm recentioribus Ecclesiæ canonibus, clericos intra chorum, laicos extra communicare debere. Synodus Laodic. *can.* 19. ibi: *Solis autem ministris altaris liceat ingredi ad altare, & ibidem communicare.* Concil. Tolet. 4. *can.* 18. *Sacerdotes, & Levita ante altare communicent in choro, extra chorum populus.* Concil. Brachar. 1. *can.* 13. *Item placuit, ut intra sanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceat laicis viris, vel mulieribus, nisi tantùm clericis, sicut & antiquis canonibus statutum est*; ubi notarunt Loaysa, & Corjolanus: unde redigi clericum, & damnari ad communionem laicam, nonnulli existimarunt esse, clericos communicare cum laicis extra cancellos, ut notavi *in cap.* 2. *de elect.* Igitur non rectè, & minùs consequenter Patres Concil. Mogunt. dum in principio hujus textus prohibent laicis stare, aut sedere cum clericis intra cancellos, illis permittunt in fine ad orandum, & communicandum sancta sanctorum ingredi. Quam difficultatem sicut nullus agnovit, ita & nullus dissolvit; ut autem illi satisfaciamus, & verum sensum præsentis canonis reddamus, sciendum est, apud veteres Decretistas, Carnotensem, & Burchardum ubi proximè, legi canonem hunc ita: *Ad adorandum, & communicandum*; in hac autem collectione, & in prima habetur: *Ad orandum*; errore nato ex more antiquariorum notissimo, non geminandi eandem litteram seu dictionem, non modò in Pandectis Florentinis, sed aliis bonæ notæ Auctoribus: hinc illud Virgilii Æneidos 7. *Mœni Abellæ*, ex quo factum postea; *mœnia Bellæ*, ut habent editiones quædam, pro *mœnia Abellæ*. Sic etiam in præsenti scriptum fuit, *ad orandum*, pro *ad adorandum*, ut notavit Fabrotus in præsenti, quod mendi genus ex eo irrepsit in libris antiquis, quia veteres non geminabant litteram, sed sicilicos supra ponebant, ut eâ notâ lector admoneretur, duplicandam esse litteram; cujus rei ignoratione vitia quamplurima in Pandectis resederunt. Similis mendi vestigia plura extant in Pandectis Florent. litteræ geminandæ, ut *in l. librorum* 52. §. *pen. ff. de legat.* 3. ibi: *Dactilio theca meam*, pro *Datiliothecam meam*: & *in l. si duobus* 5. *pr. ff. de diverſ. & tempor.* pro illis verbis: *Si duobus eandem rem separatim vendiderim, ea possessio*; legendum est, *vendiderim, mea possessio*, teste Cujacio *lib.* 5. *obs. cap. ult.* & *in l. inter* 38. *ff. de donat. caus. mort.* pro illis verbis: *Quod præsens præsenti dat à mortis causa capi intelligitur*; legendum est; *at mortis causâ capi intelligitur*; & *in l. in testamento* 27. *ff. de condit. & demonstr.* pro, *Non tum esset*; reponendum est, *non notum esset*; in novella Majorani illa verba: *Ut parum aliquid reparetur, magna divinuntur*; leganda esse, *ut parum aliquid reparetur*, notavit Radulf. Fornerius *lib.* 2. *rer. quotid. cap.* 1. qui cum geminatione, seu repetitione litteræ i, exponit textus *in l. testamento* 51. *ff. de manumiſ. testam. l. species* 15. *ff. de auro & argent.* & *in l.* 24. *ff. de servitut. urban.* pro *ejus est*; *reponit ei jus est*: & *in rubric. C. de receptis arbitris*, probat legendum esse *arbitrus*. Dictionis geminandæ vestigia extant *in l.* 2. *ff. de stipul. serv.* ubi legitur: *Servus communis ipse sibi*; cùm legendum sit, *ipse se sibi stipulari non potest*: & *in l. sed ædes* 19. §. *si inquilinus* 5. *ff. locati*, legitur: *Aream eratam*; cùm legendum sit, *arcam cameratam*: & *in l.* 3. *C. de hæred. instit.* pro illis verbis: *Post mortem autem testatoris Julianum*; legi debet, *testatoris si Julianum*. & *in l.* 1. *ff. de milit. testam.* ibi: *Faciant igitur testamenta quomodo volent*; pro, *quoquo modo volent*: & *in leg. sed licet* 12. *ff. de offic. Præsid.* pro: *Non tamen spectandum est*; repone,

non

non tamen tam spectandum est : & *in l. divortio 7. §. si vir, ff. solut. matrim.* ubi legitur : *Marmor quod cessum, nec portatum est mariti*; lege, *exportatum est mariti* : & *in l. sed si 11. §. ult. ff. de jurejur.* ubi legitur : *Tuque cœpisses petere à me* ; reponendum est, *petere eam à me* : & plura sacræ paginæ loca ita leviter restituit Theophilus *tom. 11. tract. 1. in minutalia sacra.* Prosequitur alia Fornerius *d. lib. 2. cap. 2.* Sic ergo non violenter legimus in præsenti *ad orandum*, pro, *ad adorandum*; ut etiam Antonius Augustinus *lib. 4. emendat. cap. 8.* quem sequuntur Gothof. *ibi*, & Iranz. *de protest. consider. 82. num. 2.* Alium etiam hellenismum agnovit idem Antonius Augustinus in eadem lege *pro herede 20. §. final. de acq. vel om. her.* in illis verbis : *Hæc enim actio pœnam, & vindictam, quam rei persecutionem continet*; id est, *potiùs quàm.* Nec necesse fuit prædictum verbum adjicere in vulgatis libris. Per contrarium contrariâ elegantiâ Iureconsultos nonnunquam usos cerno ; nam *in l. 1. §. 1. ff. de superfic.* sic scribit Ulpianus : *Quia melius est possidere potiùs quàm in personam experiri* ; ubi alii expungerent verbum *potiùs.* Sic & Paulus *in l. in fraudem 45. §. ejus 2. de jure fisci*, ita scripsit : *Eius bona, qui sibi mortem consciverit, non ante ad fiscum coguntur, quàm priùs constiterit, cujus criminis gratiâ manus sibi intulerit* ; ubi expungere posset, etiam qui elegantiæ Iureconsultorum expers esset, verbum *priùs.* Etiam *in l. si plures 6. §. si arbor, 2. ff. arborum furtim cæsarum*, legitur *ejus*, pro *cujus*, ut notavit ibi Gothofredus ; habuit tamen notam suppresso nomine à Brissonio *lib. singul. parerg. in fine*, ubi alios textus, aliaque exempla adducit. Ex eodem etiam prisco scribendi genere, coalescentibus in unum extremis dictionum antecedentium, & primis sequentium syllabis, unum plerunque verbum duorum vice fungebatur. Emendat textum *in l. 2. §. 1. ff. de rebus cred.* Gothofredus *in opusc. tract. de functione in mutuo*, qui pro illis, *quam specie*, reponit, *aquam specie* ; in quo textu etiam ex hellenismo supplent dictionem, *potiùs*, Gothofredus *ibi*, Ramirez de Prado *in pentecont. cap. 30.* etiam alios hellenismos reperio *in l. pro herede 20. ff. de acquir. hered.* ubi in illis verbis : *Non esse facti, quam animi* ; hellenismi figurâ per *quàm*, vox *tam*, omissa suppletur : agnovit Antonius Augustinus *lib. 4 emend. cap. 8.* quem sequuntur Gothofredus *ibi*, & Iranzo *de protest. consid. 82. num. 2.*

6. Deinde observandum est, primis Ecclesiæ sæculis, ad similitudinem veli, quod in templo Hierosolymitano positum erat ad segregandum populum à Sacerdotibus, ut refert D. Hieronymus *epist. 150.* quod scissum fuit in duas partes horâ quâ Dominus noster Patri suo spiritum tradidit, ut refert Baronius *tom. 1. anno 34.* fuisse etiam in Ecclesiis velum appensum ad cancellos sacrarii, seu chori, ubi erant clerici. Sanctus Dionysius *in epist. ad Demophilum*, ibi : *Procedentesque benevolè ad ea loca, quæ sunt extra vela divina.* P. Blesensis *serm. 11. in Quadrag.* ibi : *Interponitur velum inter psallentes, & populum, alterius quidem & gratiâ significationis, sed ad hoc tamen, ut lasciviam tollat oculorum.* Divus Gregorius *lib. 3. epist. 30. ad Constantiam*, & *in Sacramentario* ibi : *Deinde pergunt ad altare, ubi condemnandæ sunt, & extenso velo inter eos & populum, &c.* Illustrant Menardus *ibi*, & Corjolanus *in dicto can. 13. Con. D. D. Gonzal. in Decretal.* Tom. III. Pars I. *cil. Brachar.* Velum hoc ab ea parte Missæ cùm lectis Epistola, & Evangeliis clamat Sacerdos, *oremus*, trahebatur, ut populo ad adorandum & postea communicandum paterent sancta sanctorum. D. Joannes Chrysost. *serm. 3. in epist. ad Ephesios*, ibi : *Cùm audieris, Oremus, communiter & vela trahi videris.* Et *homilia 61. ad populum* : *Cùm vela videris retrahi, tunc supernum cœlum aperiri cogita, & Angelos descendere.* Unde apparet, ni fallor, verus sensus præsentis canonis. Prohibent in eo Patres, ne laici secus altare, dum sacra mysteria celebrantur, intra cancellos cum clericis psallentibus stare, aut sedere audeant ; ad adorandum verò Corpus Domini, & communicandum sinunt, ut reserato velo pateant sancta sanctorum : non ajunt Patres, ad adorandum, & communicandum laici ingrediantur intra sancta sanctorum, quod jam prohibitum erat ; sed ut illis ad adorandum, & communicandum pateant sancta sanctorum, idest, reserato velo, quod erat inter chorum, & populum, sancta sanctorum patefiant ; non verò quia ad communicandum ingrederentur intra cancellos, sed extrà corpus Domini sumebant. Patebant ergo sancta sanctorum laicis non eò accessuris, sed ea conspecturis, ut præsentit Lantdmeter. *lib 2. de veteri mon. cap. 40.*

(g) *Sancta sanctorum.*] Formam veterum Ecclesiarum similem fuisse templo Salomonico, probarunt Lantdmeter. *lib. 2. de veteri mon. cap. 59. per tot.* Germonius *lib. 3. de sacr. immunit. cap. 5. num 21.* Unde sicut pars illa sacratior, ubi Arca fœderis servabatur, dicebatur sancta sanctorum, *Exodi cap. 25. & 27.* ubi Pontifex tantùm ingrediebatur semel dumtaxat in anno, die videlicèt expiationis, *Levit. cap. 16.* D. Paulus *ad Hebræos cap. 9* ex Beda, Abulensi, & aliis probant Spondanus *in annal. sacr. anno mundi 2544. numer. 62.* Cochier *in face hist. lib. 1. cap. 32.* ita pars illa Ecclesiæ apud Christianos sanctior, sacratiorque dicta fuit sancta sanctorum. Eusebius *in Cantica* : post sancta sanctorum non erat interior locus, quia loca illa maximè sancta erant ; & ut Cantica canticorum dicuntur, quæ sunt præstantissima cantica ; sic Dominus dicitur Sanctus sanctorum *in cap. 9. Danielis* : notarunt Cujacius, & Fabrotus *in præsenti*, Leo Alacius *epist. 1. de temp. Græc.* ubi veterem, & novam templorum formam tradit. 7.

COMMENTARIVM.

EX hoc canone talis deducitur à repetentibus assertio : *Laici intra cancellos cum clericis sedere non debent, aut stare.* Probant eam textus *in c. nulli, cap. pervenit, c sacerdotum, de consecr. dist. 2.* D. Clemens *lib. 2. constit. cap. 57. Ut laici in altera parte decenter, & quietè sedeant.* Synodus Laodic. *c. 19.* ibi : *Solis ministerio sacro deditis ad altare ingredi, & communicare ibidem licet.* Et *can. 44.* ibi : *Non oportet mulieres ingredi ad altare* Bracharens. 1. *in dicto can. 13.* Tolet. 4. *can. 17. Sacerdotes, & Levitæ ante altare communicent ; in choro Clerus, extra chorum populus* Concil. Trul. *can 69. Nemini laico licet intra sacrum altare ingredi.* Nannetense *can. 3. Hoc secundùm auctoritatem canonum modis omnibus prohibendum, ut nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut presbytero ministrare, aut infra cancellos stare, aut sedere.* Parisiense 8. *Conclusio traditur, & probatur*

sub Lothario *can.* 45. Theodulf. *ad presbyt. Aurel.* c. 6. Heraldus Episc. Turon. *in suis capit. cap.* 82. ibi: *Ut laici infra cancellos non stent.* Agathense *cap.* 66. Turon. 2. *cap.* 3. Synodus 6. in Trul. *can.* 69. Colonienſis 3. *can.* 31. *Antiquissimis canonibus in plerisque etiam Conciliis sanctum est, ne laici secus altare inter clericos ministrent, nève licentiam habeant ingrediendi in sacrarium.* In canonibus editis sub Edgaro Rege Angliæ, *num.* 44. legitur: *Docemus etiam, ut altari mulier non appropinquet, dum Missa celebratur.* In Capitul. Caroli *lib.* 7. *cap.* 29. legitur: *Nulla fœmina ad altare præsumat accedere, vel intra cancellos stare, vel sedere.* De Pontifice Bonifacio II. refert Polonius in ejus vita: *Hic constituit, seu potius constitutum innovavit, ut clerici sint à laicis separati in celebratione Missarum.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa, & Garanna, idem Barbosa *lib.* 1. *juris eccles. cap.* 38. *num.* 16. Nicolaus Lemaistre *in confutatione Sorbon.* 1. *p. cap.* 2. & *lib.* 1. *de monachis, cap. final. in princip.* Frias *de cærem. baptism. cap.* 4. *in fine*, Cironius *ad tit. de baptism.* Claudius Espenceus *lib.* 1. *de adoration. Eucharistiæ, cap.* 18. Herrera *lib.* 1. *del officio divino, epit.* 10. & 11. Suarez *de sacram. quæst.* 83. *disput.* 81. *sect.* 8. *art.* 3. Corjolanus *in chron. anno* 93. Vicecomes *de Missæ ritibus volum.* 3. *lib.* 2. *cap.* 33. Fornerius *lib.* 3. *select. c.* 17. Antonius Augustinus *in epit. jur. lib.* 13. *tit.* 13. Petrus Gregor. *lib.* 2. *Syntag. cap.* 2. *num.* 10. & *lib.* 1. *partit. tit.* 21. *cap.* 4. & *lib.* 7. *de Republica, cap.* 11. *num.* 29. Landtmeter. *lib.* 2. *de veteri mon. cap.* 6. Crespetius *in summa, verbo Laicus* 1. Loaysa & Corjol. *in can.* 13. *Concil. Brach.* 1. Balsamon & Zonaras *in d. can.* 69. *Synodi* 6. *in Trul.* Fabrotus & Cujacius *in præsenti*, Boëtius Epon. *p.* 1. *qq. heroic. ad hunc textum*, Buleng. *ad Casaubon. diatrib.* 3. *cap.* 43. *fol.* 110. Frances *de Eccles. Cathedr. c.* 5. Altessera *de Ducibus c.* 17. Theophilus Raynaud. *tom.* 12. *de sobria frequent. mulier. fol.* 293. & *tom.* 15. *in heteroc. spirit. p.* 1. *punct.* 4. *fol.* 129. Franc. Florens *in præsenti.*

9. *Impugnatur prædicta assertio.*

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Vix aliquam inter clerum, & populum olim fuisse differentiam, præter offerendi auctoritatem, constat ex Tertulliano *de Monog. cap.* 11. ibi: *Cùm extollimur, & inflamur adversus clerum, tunc unum omnes sumus, tunc omnes sacerdotes, quia sacerdotes nos Deo, & Patri fecit.* Quare plerunque ab Apostolis, & sanctis Patribus laici ipsi, sacerdotes dicuntur & clerici. D. Petrus *epist. ult. vers.* 3. *Neque ut dominantes in clericis*; ideſt, populo Christiano. D. Augustinus *de civit. Dei lib.* 20. *cap.* 10. *Sicut omnes Christianos propter mysticum Chrisma; sic omnes sacerdotes, quoniam sunt membra unius sacerdotis.* D. Hieron. *adversus Luciferianos*, ibi: *Deponant sacerdotum laici, & ego veniam pœnitenti: scriptum est enim: Regnum quippe nos & sacerdotes Deo Patri suo fecit.* Sanctus Leo *serm.* 3. *in anniver. assumpt. suæ: Omnes Christo regeneratos crucis signum efficit Reges; sancti verò Spiritus unctio efficit sacerdotes.* Igitur in Ecclesia, præcipuè dum sacra mysteria celebrantur, nulla debet dari discretio Cleri, & populi. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex eo; nam olim in Ecclesia promiscuè psallebant Clerus, & populus. Divus Basilius *epist.* 63. *Domum orationis populus petit, & facta ad Deum confessione, tandem ab oratione surgentes, ad psalmodiam instituuntur.* Cujus communis psalmodiæ utilitatem expresserunt Divus Augustinus *in prolog. comment. in psalmos. Quòd conjunctionem quandam personantia vocis efficiat, & diversum populum unius chori per concordiam consonâ modulatione consociet. Quis enim non remittat ei, cum quo unà ad Deum vocem emiserit? Magnum planè unitatis vinculum, in unum chorum totius numerum plebis cogere.* Divus Ambrosius *prolog. in Psalmos: Quare psalmum Reges sine potestatis supercilio resultant? Psalmus cantatur ab Imperatoribus, jubilatur à populis, mulieres in Ecclesia Apostolus tacere jubet; psalmum tamen bene clamant. Certant clamare singuli, quod singulis proficit.* Venantius Fortunat. *lib.* 2. *ad Clerum Parisiens.*

Hinc puer exiguis adtemperat organa cantis;
Inde senex largam ructat ab ore tubam.

Quamvis in Ecclesia Laodicena existimet Baronius communem cantum sublatum fuisse in Concil. Laodic. *can.* 15. in illis verbis: *Non oportet amplius præter eos, qui regulariter cantores existunt, & qui de codice canunt, alios in pulpitum ascendere, & in Ecclesia psallere*; eo quòd imperitia canentium harmonicum illum Ecclesiasticæ dignitati congruentem cantum incomposito vocum sono corumperet: Non fuisse tamen eum canonem receptum in aliis Ecclesiis, tum ea quæ ex sancto Ambrosio retulimus, tum alia, quæ contra dissonos cantores Chrysostomus declamat, satis restantur, *super Isaiam cap.* 8. Refert præterea Cyprianus in vita Cæsarii, voluisse eum, atque etiam compulisse laicos, & populares homines modulatâ voce instar Clericorum psalmos, & hymnos promere, alios græcè, alios latinè prosas, & antiphonas decantare, ne illis spatium supperteret ad fabulas in Ecclesia effutiendas. Igitur quia in uno choro intra cancellos consistebant clerici & laici. Augetur secundò hæc difficultas ex eo, nam laici sacrificio Missæ interessentes oblationem ad altare facere debebant, *c. omnis* 69. *de consec. dist.* 1. Concil. Matiscon. 2. *can.* 4. ibi: *Ut omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur, tam panis, quàm vini.* Ergo saltem ut psallere, & offerre possint, debent laici simul cum clericis stare & sedere.

10. *De mansionibus Ecclesiæ.*

Quâ dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio; pro cujus expositione sciendum est, quod sicut in templo Hierosolymitano loco distincti erant Sacerdotes à populo, viri à mulieribus, atque à nuptis virgines, Josephus *lib.* 2. *contra Apionem*, ibi: *Sciunt omnes, qui vidêre constructionem nostri templi, qualis fuerit, & intransgressibilem ejus purificationis integritatem; quatuor enim porticus habuit in circuitu, & harum singulæ propriam secundum legem habuere custodiam: in exteriorem itaque ingredi licentia omnibus etiam alienigenis; mulieres tantummodò menstruatæ transire prohibebantur: in secunda verò porticu cincti Judæi ingrediebantur, & eorum coniuges, cùm essent ab omni pollutione mundæ: in tertia masculi Judæorum, mundi existentes, atque purificati. In quarta verò Sacerdotes stolis induti sacerdotalibus: in adytum verò soli Principes sacerdotum propriâ stolâ circumamicti.* Origenes *tract.* 26. *in Matthæum*, ibi: *Venit ad nos quædam traditio talis, quasi sit aliquis locus in templo, ubi virginibus quidem consistere licet, & adorare Deum; expertæ autem thorum virilem non permittebantur in eo consistere.* Philo *de vita supplicum*,

Auctor

Auctor Imperfecti *homil. 74 in Matthæum*: Beda *in cap. 2. Lucæ*, expendens quomodo B. Virgo Christum duodennem amiserit: Baronius *anno* 57. ejus Epitomator *num.* 37. Cochier *in fac. hist. cap.* 28. Vicecomes *volum. 3. lib. 2. cap.* 30. In eodem fermè modo, & dispositione fuit in primis Christianorum Ecclesiis observatum; conveniebant enim fideles discreti ordine, plenique religionis & modestiæ zelo. D. Augustinus *lib. 2. de civit. Dei, cap.* 28. ibi: *Constituunt ad Ecclesiam casta celebritate, honesta utriusque sexus discretione, & gravitate, & disciplina, ut si eò veniant talium præceptorum irrisores, omnis eorum petulantia, aut repentinâ immutatione deponatur, aut timore, vel pudore comprimatur.* Observarunt Microl. *in obser. Eccles. cap.* 9. Amalarius *lib. 3. de offic. cap.* 2. Non solùm enim viris, & fœminis in Ecclesia non erat idem ingressus, D. Clemens, seu quivis auctor est constit. Apost. *lib. 2. cap.* 61. ibi: *Maneant autem hostiarii ad introitus virorum, illos custodientes; Diaconissa ad introitus fœminarum*: illustrant Baronius *d. anno* 57. Lantdmeter. *d. lib. 2. cap.* 60. verùm nec simul consistebant in Ecclesia. D. Clemens *d. lib. 2. cap.* 61. ubi describens Christianorum Ecclesiam ait: *In medio sit Episcopi sedes, ad cujus utrumque latus consideant Presbyteri, & Diaconi assistant succincti, & expediti horum curâ; laici in altera parte sedeant cum omni quiete, & ordine: mulieres quoque separatim sedeant, silentium servantes.* B. Cyrillus Hierosolym. *præfat. in catech.* ubi Christianos eruditos ait: *Hic tamen separentur viri, ut sint cum viris; mulieres cum mulieribus, ne studium salutis sit perditionis occasio.* D. Ambrosius *ad virginem lapsam. cap. 6. Nonne vel illum locum tabulis separatum, in quo in Ecclesia stabas, recordari voluisti.* Procop. *de ædif. Iustin. Imper. Sunt autem duæ utrinque porticus, quas fastigiata testudo, & aurum venustant: harum una viros orantes, altera mulieres admittit.* Latè probant Vicecomes *de ritibus Missæ lib. 2. c. 31.* Coqueus *in notis ad D. August. lib. 2. de civit. Dei, cap.* 28. Nec omnes viri confusè, & permixtim sacris mysteriis intererant, verum separatim: interiorem templi partem intra cancellos clerici occupabant, ubi preces stantes in modum coronæ effundebant, ut de Romanis, Diis adorationis obsequium exhibentibus, probat Brissonius *lib. 1. de formulis, pag.* 41. quem standi diversum modum ad amussim expressit D. Gregorius Nazianz. in versibus in somnio de Anastas. templo, quod ipse Constantinopoli fixit.

Sede alta haud alta considere mente videbar;
Nam neque per somnum mente superbus eram.
Presbyterique graves sellis utrinque sedebant;
Demissis, ætas lecta, diversque gregis.
Vestibus in niveis adstabat turba ministra
Splendorem referens agminis Angelici.

Ex quibus facilè evincitur, Episcopi sedem sublimi elatam fastigio, cæteris Clericorum præeminentiorem fuisse, postea verò Presbyterorum. Unde D. Augustin. *epist.* 203. absides gradatas vocat sedes Episcoporum, quia ad illas scilicet gradibus ascenderent. Concil. Carthag. 4. *can.* 35. *Ut Episcopus in Ecclesia, & in consessu presbyterorum sublimior sedeat*; relatum *in cap. Episcopus* 10. 95. *dist.* Concil Trident. *sess.* 25. *cap.* 6. & Sozomenus *lib. 5. cap.* 15. distertus est testis. Hunc sedendi ordinem Julianus Apostata in suorum Idolorum templis æmulari conatus est: plura Lantdmeter. *de veteri cleric. monarch. lib. 2. cap.* 60. Vicecomes *de Antiquis Missæ ritibus lib. 2. cap.* 43. Severinus Binius *tom. 1. Concil. fol.* 589. Baronius *anno Christi* 45. *num.* 11. Antonius Augustinus *in epit. jur. Pontif. lib. 4. tit. 1. cap.* 33. Aucunna *ad Decret. dicto cap. Episcopus*, 95. *dist.* noster Escobar *de Pont. & Reg. cap. 24. num.* 91. ubi plures refert; & linteo tegi solitam Episcopalem sedem, constat ex Pontio Diacono *in vita Sancti Cypriani*, ibi: *Sedile autem erat fortuitu linteo tectum, ut & subjectum passionis Episcopatus honore frueretur.* S. Pacianus *epist. 2. ad Sympronianum*: *Egone Apostolicus, an Novatianus, quem absentem epistola Episcopum finxit, quem consecrantem nulla linteata sedes accepit.* Ex eodem etiam Nazianzeni loco apertè constat, presbyteros, & inferiores clericos demissam sedem, ac humilem tenuisse.

II. *De distinctione sexus.*

Cæteri fideles laici, non minus mares, quàm fœminæ distincti sacris intererant, illi ad dexteram, quæ vergebat in septentrionem, sive in partem Australem; hæ ad lævam, quæ ad Aquilonem, seu partem borealem spectabat. Philo Judæus *lib. de vita contemplat.* ibi: *Discubitus ita distribuitur, ut seorsim viri dextrum latus, seorsum fœminæ sinistrum teneant.* Author veteris Ordinis Romani, ubi dum ritum Evangelium legendi refert, ait: *Ipse verò Diaconus stat versus ad meridiem, ad quam partem viri solent confluere; aliàs autem ad septentrionem, &c.* Et Amalarius Fortunatus, apud quem scriptum est *lib. 3. de ecclesiastic. officiis, cap. 2. Masculi stant in Australi parte, & fœminæ in Boreali, ut ostendatur, per fortiorem sexum firmiores Sanctos semper constitui in majoribus tentationibus æstus hujusmodi; & per fragiliorem sexum infirmiores Sanctos aptiori loco, sicut dicit Paulus Apostolus, &c.* Ab his verò non valde discrepat Micrologi author, qui de observationibus Ecclesiasticis *cap.* 9. demonstrat, moris esse, ut Diaconi sanctissimum Christi Evangelium recitaturi, ad meridiem, ubi etiam mare; non ad Aquilonem, ubi dumtaxat fœminæ consistunt, ex Romani Ordinis præscripto vergant: *Diaconus* (Micrologi verba sunt) *cùm legit Evangelium, juxta Romanum Ordinem in ambone vertitur ad meridiem, ubi & masculi conveniunt; non ad Aquilonem, ubi fœminæ consistunt.* Et paulò post reprehendit contrariam consuetudinem, quæ obtinuerat ad Aquilonem, quæ propria fœminarum erat, spectari: utitur autem his planè verbis: *Hinc utique illa usurpatio emersisse videtur, ut etiam Diacones in ambone contra Romanum Ordinem se vertant ad Aquilonem, potiusque se ad partem fœminarum, quàm masculorum vertere non vereantur. Quæ usurpatio jam adeò inolevit, ut apud plerosque quasi pro ordine teneatur. Sed quia certissimè contra ordinem est, & inhonesta, à diligentioribus ordinis servatoribus meritò refutatur.* Plura Theophilus *tom. 10. de sobria frequent. mulierum, fol.* 291. Unicuique etiam statui, & ætati proprius locus assignatus erat, propriaque mansio, ut videre est apud authorem libri *de septem gradibus Ecclesiæ*, qui vulgò D. Hieronymo tribuitur. Pœnitentes, & audientes continebantur, in ferula scilicet, seu auditorio, idest, investibulo, seu atriis, quibus patebat ingressus ad Ecclesiam pro distinctione gradus in quo erant, ut doctè illustravit D. Joannes Antonius ab Otalora *in tract. de irregul.*

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars I.

ex pœnit. solemn. In altera mansione erant catechumeni competentes ; quæ mansio protrahebatur usque ad ambones duos, seu pulpita, in quibus Epistolæ canonicæ, & Evangelia cantabantur ; docent Balsamon *in can. 12. Synodi Nican.* Ab ambonibus versus Altare erat mansio fidelium, quam congregationem, seu consistentiam vocabant ; & illæ mansiones dicebantur stationes secundi ordinis, ubi populus stabat, Concil. Turon. 2. *can.* 3. quia in statione primi chori clerici erant, *cap. nonnulli*, 93. *dist.* hanc etiam divisionem mansionum notant D. Basilius *epist. ad Amphiloch. cap.* 56. Et ita propriè catechumeni fideles, & clerici erant intra Ecclesiam ; pœnitentes, & audientes extra : nec enim porticus, & vestibula Ecclesiæ censebantur ; quia in his Gentiles, & Pagani stabant, ut ait D. Hieronymus *epist.* 17. *ad Marcellam* : *Atrium autem*, inquit, *quod est foris, templum nec metiaris, quoniam datum est Gentibus.* Statio siquidem catechumenorum, Ecclesiæ pars erat, ut docet Balsamon *in dicto can.* 12. *Synodi Nican.* Baronius *in apparatu num.* 51. *&* 52. *&* anno 1. *num.* 54. *&* anno 12. *num.* 3. *&* 34. *num.* 288. *&* anno 57. *num.* 123. quamvis & aliquandiu dubitatum, an pars illa, quæ substratio dicebatur, in qua erant catechumeni, Ecclesiæ adscriberetur, ut idem notat *ad can. 99. sextæ Synodi.* Virgines denique à non virginibus fuisse loco secretas, habemus ex Origene *tract.* 27. *in Matthæum*, ex Ambrosio *cap.* 6. *ad virgin. lapsi.* & Nazianzeno suprà relatis ; quam secretionem usurpatam fuisse in veteri Testamento liquet ex Gregorio Nysseno *orat. de Christi nativitate.* Probant Vicecomes *d. lib.* 2. *de Missarum ritibus*, *cap.* 43. Ambianas *ad Tertul. de velandis Virg. cap.* 30. *observ.* 1. pueri verò erant prope suggestum, ante sacrarium, ut liquet ex Joanne Moscо *in prato spirit. cap.* 196. qui narrans puerorum insigne facinus, qui distributis in se sacræ liturgiæ muniis, ut sacerdotem ministrantem imitarentur, ait : *Supra saxum in morem altaris apponunt panem, & vas testeum cum vino, assistuntque unus quidem coram altari, qui fungebatur officio presbyteri medius, duo verò alii hinc atque hinc, veluti ministri ; & ille quidem sanctæ oblationis verba dicebat ; illi verò fasciolis, quæ ferebantur, pro flabellis utentes, auram faciebant : qui verò presbyteri fungebatur officio ; ideo sanctæ oblationis verba sciebat, quia consuetudo fuit in Ecclesia, ut pueri in Missis ante sacrarium assisterent, primique cum clericis communicarent.* Quam mansionum diversitatem eleganter expressit D. Petrus oratione illâ, quâ D. Clement. successorem designavit, quæ refertur *epist.* 1. *D. Clementis ad Jacobum*, ubi status omnis Ecclesiæ comparatur magnæ navi per mare turbulentum vectæ, cujus Dominus, ipse sit Deus Pater ; gubernator Christus ; proretæ Pontifices ; nautæ Presbyteri ; dispensatores Diaconi ; nautologi Catechistæ ; epibatæ, idest, vectores, vel qui vehuntur, tota reliqua multitudo laicorum, de quibus quidem laicis loquitur illic D. Petrus. Ante omnia cum quiete, & silentio vectores (id est laici) in suis unusquisque resideant locis, ne fortè per inquietudinem, & inconditos, inutilesque discursus, si passim vagari cœperint, vel ab officio suo nautas impediant, vel in alterum latus per inquietudinem eorum navis pressa demergatur. Nec tantùm ut liberè, quieteque clerici possint ministrare, debent seorsim à populo consistere, & laicos præcedere, verùm ob dignitatis præstantiam, quâ fulgent ; ut latè illustrant Cabreros *de metu lib.* 2. *cap.* 16. Cressolius *lib.* 1. *myst. ag. cap.* 2. *&* 3. P. Bollo *lib.* 1. *Oeconom. clas.* 1. quod etiam in suis sacrificiis ethnici observarunt, in actionibusque sæcularibus. Unde in theatro Romano distincti erant gradus pro qualitate personarum, quos post Lipsium *de amphitheatr.* refert D. Josephus de Retes *lib.* 1. *opusc. c.* 23. Rectè ergo in præsenti statuerunt, laicos non debere stare intra cancellos cum clericis, sed seorsim extra chorum. Et cùm hodie in aliquibus Provinciis, quod terrius est, exclusis sacris personis propudiosè locum earum occupant laici, & prophani, meritò dixeris cum Nazianz. *carm. ad Episcopos, num.* 6.

Hanc, quæ Doctorum sedes erat ante virorum,
Et gravium pietate hominum, vitæque probatæ ;
Hos quoque qui mundos dirimunt (quorum effluit unus,
Alter at usque viget, stabilisque in sæcula durat)
Divosque, atque homines discludunt limite certo
Cancellos : talis nimirum erat hic locus olim :
At nunc ridiculus, contrà discrimine nullo
Cùm quisque haud clausis irrumpit ad intima portis ;
Et mihi jam medio in cœtu, ingentique corona,
Stans præco hæc altâ videatur dicere voce :
Huc agite, ô quoscunque juvat turpissima vita !

Nec potest cuiquam suffragari prærogativa Magistratus, quâ fungitur ; nam talis prærogativæ nullus est usus intra templum ; quia quivis Magistratus in templo habetur ut privatus. Quod Julianus Apostata ad sacrorum suorum in Gallecia Pontificem Arsacium scribens, ipse idolomaniæ Pontifex Maximus edixit, apud Nicephorum *cap.* 22. Ejus verbis procaciam quorundam, qui se Catholicos dicunt, placet contundere : *Provinciæ Rectoribus in urbem advenientibus nullus sacerdotum obviam eat ; sed cùm in Deorum templa ingrediuntur, intra vestibulum saltem occurrat. Ne quis autem miles eos adem sacram ingredientes præcedat, sequatur tamen qui volet. Quamprimùm enim Magistratus solum delubri attigerit, privatus redditur. Tu siquidem quod nosti, intra templum imperium obtines. Atque id divinæ agitant sanctiones, quibus qui parent, veri Deorum sunt cultores ; qui verò fastu efferuntur, sunt insolentis jactantiæ, & vanæ gloriæ aucupatores.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa ; nam ut idem Tertullianus ait, differentiam inter clerum, & plebem constituit Ecclesiæ authoritas, nec laici olim sacerdotes dicebantur, quia aliqua munia in Missæ sacrificio olim obirent, sed propter sacerdotium internum, & spirituale, quo omnis Christianus animam & corpus Deo offert per spirituale sacrificium bonorum operum, de quo sacerdotio intelligendus est D. Hieronymus *in c. multi* 12. 40. *dist.* ubi ait : *Non omnis sacerdos, sanctus, sed omnis sanctus, sacerdos.* Nec obstat primum augmentum difficultatis ; nam licèt verum sit primis Ecclesiæ sæculis fideles laicos magnæ devotionis zelo accensos, etiam psalmos in Ecclesia publicè decantasse, non tamen in eodem

Dissolvitur Dubitandi ratio.

eodem loco consistebant ac clerici, sed in secunda statione, ut suprà retuli: quare licèt certum sit, eos psalmorum modulationi intendere, non tamen in eodem loco, sed prorsus diverso. Nec obstat secundum difficultatis augmentum; nam in antiquis Ecclesiæ canonibus legitur, oblationem fieri ad altare, non quia laici ipsi immediatè ibi munera offerrent, sed quia Diaconus oblata ab eis recipiens ad altare deferebat, *cap. perlectis* 125. *dist.* ibi: *Diaconi est, oblationes inferre, & disponere in altari.* Unde laici nec oblationis causâ ad altare accedebant, ut docet Landtmeter. *lib.* 2. *de veteri mon. cap.* 40.

Adhuc tamen suprà traditis obstare videtur textus *in can.* 69. *Synodi* 6. *in Trul.* ibi: *Nulli omnino liceat, qui quidem sit in laicorum numero, intra sacrum altare ingredi: ab eo tamen nequaquam prohibita potestate, & auctoritate Imp. quando quidem voluerit Creatori dona offerre, ex antiquissima traditione.* Ex quibus verbis apertè constat, Imperatoribus etiam laicis licere intra cancellos in sacrario sedere, immò propria manu in altari offerre. Ergo non rectè generaliter, & indistinctè in præsenti docetur, laicos intra cancellos stare, aut sedere non posse. Pro cujus canonis expositione sciendum est, neque Imperatori quidem olim licuisse cancellos ingredi, aut in sacrario sedere inter clericos, ut satis liquet ex pluribus exemplis, quibus historia Ecclesiastica abundat; apud Sozomenum *lib.* 5. *hist. cap.* 15. & *lib.* 7. *c.* 24. Theodoretum *lib.* 5. *cap.* 17 Unde Constantinus Imperator in Concilio Nicæno eò erga ejus Patres obsequiò se gessit, ut jus sedendi ab ipsis expoſceret, quò non aliter fuit usus, quàm Episcopi congregati destinatas sedes occuparent, ut referunt Eusebius *lib.* 2. *de vita Constant. cap.* 10. Theodoretus *lib.* 1. *cap.* 7. Socrates *lib.* 1. *cap.* 5. ex eis Christ. Lupus *ad eund. can.* cui pietati mirè congruit alia non satis extollenda Magni nostri Monarchæ, qui in suo Sacello Regio diebus Purificationis, Cinerum, & Dominicæ Palmarum semper præcedere jubet omnes clericos, & Capellæ ministros in assumptione Cereorum, Cinerum, & Palmarum, ut referunt Turturetus *in Sacello Regio, cap.* 6. *fol.* 100. D. Didacus de Guzman *in vita Reginæ Margarit. cap.* 19. Sed eò pervenit Græcorum Imperatorum superbia, ut cancellos Ecclesiæ penetrarent, & cum presbyteris sedere, ac offerre ambirent. Gregorius Nazianz. *orat.* 20. ubi de Valente ait: *Cùm quidem ille nescio quomodo rursus nobiscum in Ecclesiam se contulisset, & intra velum extitisset.* Nec eorum ambitio hic sistebat, sed plura etiam Episcopalia munera usurpabant, ut referunt Filesacus *in cap.* 7. *de off. ordin.* Robertus *lib.* 3. *rer. Indic. cap.* 1. Albaspinus *lib.* 1. *obser. cap.* 23. immò & titulo Sancti salutabantur, teste Balsamone *in can.* 4. & 12. *Concil. Nican.* 2. & de hac prærogativa sedendi intra cancellos plura ex ingenio sibi comminiscuntur Balsamon & Zonaras *in d. can.* 69. Iste asserit: *Quia laicus est Imperator, illi ad sacrum altare non licere ingredi, sed propter eam, quâ præditus est, supremæ potestatis amplitudinem, id ei pervetusto antiquorum Patrum exemplo concessum fuisse.* Ille asserit: *Hoc Imperatori licere, quia Græci Imperatores cum sanctæ Trinitatis invocatione oleo uncti sunt. Unde non tantum quando sunt Deo munera oblaturi, sed quandocunque voluerint, sine ullo impedimento in sacra templi adyta ingredi, & sustinere, & cum triplici cereo figurare, quemadmodum & Pontificibus, eis licere.*

13. Expenditur Can. 69. Synodi 6.

Non nemo id ad adulationem Græcam retulit; res tamen ita se habuit. Cùm ita crebrescente aulicorum assentatione, omnia sibi, ob dignitatis excellentiam licere Imperatores opinarentur, inverso rerum ecclesiasticarum ordine in adyta quoque pro libidine ingrediebantur; & cùm sacra peragebantur, sedebant. Ambrosius insolentiam moderatus est, & locum Imperatoribus ante cancellos bematos assignavit; ut sic propter Imperii majestatem Imperator, cùm primus in ordine sederet, populum; Sacerdotes, qui in sacris penetralibus locum habebant, Imperatorem antecederent: idque approbatum à Theodosio, & corroboratum à successoribus, ad sua, Theodosii nempe Junioris tempora conservatum tradit Sozomenus *hist. Eccles. lib.* 7. *cap.* 24. *Moris erat, ut Imperatores, dum sacris interessent, in sacrario sederent, majestatis ergò à populi consortio separati. Ambrosius autem considerans eam consuetudinem, vel ex assentatione, vel ex ordinis insciti à esse natam, Imperatori in Ecclesia locum assignavit ante sacrarii cancellos, ita ut populum Imperator, Imperatorem Sacerdotes ordine sedis antecederent. Hanc autem optimam constitutionem Theodosius Imperator approbavit, & successores ejus corroboraverunt, ac nos eam ex eo usque tempore conservatam cernimus.* Nicephorus quoque Callixtus *histor. Eccles. lib.* 12. *cap.* 41. sententiam Sozomeni clariotibus etiam verbis retulit, in illis: *Postquam verò tempus advenit, quum eum, more recepto munus ad sacram mensam afferre oporteret, lacrymans surrexit, & divinum sacrarium ingressus est, & dono ex consuetudine oblato, intra sacros cancellos permansit in sanctiori sacerdotum loco, ubi antiquitus Imperatores consistere mos non erat, propter dignitatis sublimitatem à plebe segregatos. Quamrem quòd Ambrosius adulationis magis, quàm ordinis recti esse putabat, Imperialis quoque stationis locum ita ut par erat, in ordinem suum redegit, pro tabulatis, seu cancellis sacrarii sede illi designata, ut Imperator honoratiorem quidem præ populo stationem haberet, præ illo autem Sacerdotes locum sublimiorem obtinerent. Eum ordinem, ut optimum Theodosius tum laudavit, posterò quoque confirmarunt, qui inde ad hæc usque tempora servatur. Ego verò semel annuo tempore nostræ ætatis, Dei amantissimos Principes, magni Sabbathi die sacra adyta maximi Dei Sapientiæ templi ingredi vidi, cùm sub crucis forma in sacra mensa nova adolerent aromata, & dona ei inferrent.* Subditque infrà eundem Theodosium præscripta sibi ab Ambrosio diligenter servasse. Cùm enim Byzantii die festo divinam ingressus ædem, dona mensæ mysticæ intulisset, statim retrocedens exiit. Nectario factum ægrè ferente, & causam inquirente, respondit, se, quod inter Imperatorem, & sacrorum Antistitem discrimen sit, agnoscere, & vix tandem veritatis Doctorem, & dignum Episcopali dignitate Ambrosium inveniſſe. Refert Theophilus *tom.* 15. *in heteroc. spirit. p.* 1. *punct.* 4. *fol.* 129. Joannes Cabassutius *in notit. Concil. in d. can.* 69. *Synodi* 6. Nec tacuit Theodosius Junior *in actis Concilii Ephesini. Nequit, qui legitimi Imperii armis semper circumamur, quosque sine armatis, & stipatoribus esse non convenit, Dei templum ingressuri, foris arma relinquimus, & ipsum etiam diadema, Regiæ Majestatis insigne, deponimus, & sacra altaria munerum tantùm offerendorum causâ accedimus, quibus quoque oblatis ad extimum, communeque atrium mox nos recipimus.* Juxta illum veterem morem, seu potiùs impro-

improbum usum accipiendus est textus *in dicto can.* 69. Posterioribus autem sæculis in Concilio Aquensi celebrato anno 1586. de laicis nobilibus ita cautum fuit: *Laici verò nobiliores, & qui vel Christianissimi Regis Consiliarii, & Officiales, aut ex Militaribus Ordinibus, aut communitatum Magistratibus fuerint, poterunt intra chorum admitti; ita tamen ut post clericos sedeant, nec inter clericos ipsos ipsis sedere liceat.* Refert Corjolanus *in addit. ad summam, fol.* 158. quod de Ducibus & Comitibus aliquando locum indebitum usurpantibus probat Alteserra *de Ducibus lib.* 1. *cap.* 17. etsi debitus honor illis servandus sit, juxta Concil. Wormat. *can.* 58. ibi: *Ut Episcopi provideant quem honorem presbyteri seniotibus tribuant.* Trosseian. *can.* 6. *Presbyteris vestris humilitatis exempla, & monita dare debemus, videlicet ut eis, in quorum ditione sua consistunt Ecclesiæ, congruum honorem & obsequium impendant debitum, id est, spirituale, atque ecclesiasticum; & hoc sine ullo typho, vel contentione, aut rebellione.*

14. *De monachis.* Supereſt tantùm, ut de Monachis agamus, qui primis Ecclesiæ sæculis sacris Ordinibus non initiabantur, *cap. Monachi cap. adiicimus* 16. *q.* 1. unde non incongruè ambigitur, an inter clericos, an verò cum laicis in Ecclesia consisterent? Et quia monachi laicorum statui plenè adscripti non erant, sed medio inter hos, & clericos gradu potiebantur; fateri necesse est, distinctum, diversumque locum monachos in Ecclesia tenuisse, extra chorum videlicet, sed propè cancellos; quod facilè probatur ex B. Dionysio Areopag. qui *epist. ad Demophilum*, partem templi patuisse refert plebi sanctæ, aliam Terapeutis, tertiam Clero: & *cap.* 7. *de hierarch. Eccles.* ait: *Hi qui monachi sunt ordinati, adytorum portæ segregatæ sunt, iuxta quas initiantur, & adstant non ad custodiam, sed ut ordinem recognoscant suum, sintque ipso populo propinquiores Sacerdotibus.* Deinde sanctus Basilius Magnus *homilia* 2. *de laudibus jejunii*, ita scribit: *Iejunantem inter sacrorum cancellos recipit Dominus, at luxu, crapulaque plenum, veluti prophanum, & à sacris alienum nequaquam admittit.* Ubi, sicut non est dubium, quin cancellorum nomine intelligat sanctus non eos, qui choro propriæ clericorum stationi circundati erant, sed quibus proximus choro locus à reliquis sejungebatur; ita jejunantis vox apud eundem non quemlibet jejunio corpus macerantem significat, sed eum, qui monasticam vitam professus est Gregorius Nazianz. *orat.* 32. ubi de singulorum, qui concionanti, & sacrificanti aderant, locis, & ordinibus verba faciens, ita scripsit: *Vale Cathedra, invidiosum hoc, & periculosum fastigium Pontificum, concilium Sacerdotum, non minus majestate, quàm ætate ornatorum, & quicunque tandem alii circa sacrosanctam mensam ministratis, atque ad appropinquantem Deum appropinquatis, valete Nazaræorum chori, virginum sanctimonia, mulierum modestia.* Ubi pro Nazaræis monachos accipi probat Vicecomes *volum.* 3. *lib.* 2. *cap.* 38. & ita dum Gregorius priùs de clericis, posteà de monachis, tandem de laicis agit, apertè demonstrat, monachos in diverso loco clericis immediato sedisse; quod & docent Lemaistre *in confutatione Sorbon.* 1. *p. cap.* 2. & *de monachis lib* 1. *cap. fin. in princip.* contra Hallierium Cellotius *de hierarch. lib.* 7. *cap.* 1. *per tot.* Francisc. Hallier. *in vindicus lib.* 4. *c.* 1.

CAPVT II.

Ex Concilio (a) *Pictavienſi.*

CLerici arma portantes, vel (b) usurarii, excommunicentur.

NOTÆ.

1. (a) *Pictavienſi.*] *Can. ult.* juxta editionem Baronii *anno* 1100. *num.* 19. Corjolani *in summa fol.* 490. De hoc Concilio & causa illius congregationis nonnulla notavi *in cap.* 1. *de ætate & qualit.* Etiam reperitur textus hic *in cap.* 2. *hoc tit. in* 1. *collect.*

2. (b) *Vel usurarii.*] Ita legitur in dictis editionibus Baronii, & Corjolani, & in Regia *tom.* 14. *Conciliorum:* unde necesse non est cum repetentibus in præsenti conjunctivam accipere pro disjunctiva; sæpiùs enim brevitatis causâ Patres hujus Concilii diversa sub uno canone statuerunt, ut notavi *in cap.* 1. *de filiis Presbyt.* & ita quia parem pœnam imponebant clericis usurariis, vel ipsis arma portantibus, ideò eos tam armatos, quàm usurarios in hoc canone conjunxerunt. De clericis usurariis agemus (si Deus vitam, otiumque dederit) *in cap.* 1. *de usuris*, in præsenti tantùm de deferentibus arma videamus.

COMMENTARIVM.

3. EX hoc canone sequens communiter deducitur assertio: *Clerici arma deferre non debent, aliàs deponuntur.* Probant eam Concil. Toletan. *can.* 44. sub Honorio I. celebratum: *Clerici qui in quacunque seditione arma volentes sumpserint, aut sumpserunt, reperti, amisso ordinis sui gradu, in monasterium contradantur perenniter pœnitentiæ.* Item Concil. Francicum celebratum sub Carolo Magno Principe, præsidente Legato Sedis Apostolicæ Bonifacio Moguntinensi Archiepiscopo: *Servis Dei per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum, & in hostem pergere omnino prohibemus, nisi illis tantummodò, qui propter divinum ministerium, Missarum scilicet solemnia adimplenda, & Sanctorum patrocinia portanda, ad hoc lecti sunt;* id est, *unum, vel duos Episcopos cum Capellanis suis Princeps secum habeat.* Idem antea statuerat scribens ad eundem Bonifacium Zacharias I. *epist.* 8. & 9. idem & Carolus Magnus *in constitutionibus suis*: idem omnino & Concil. Metense *cap.* 10. sub Arnulpho, & Concil. Biterrense *can.* 14. Concil. Moguntin. 4. *can.* 74. *Nos, qui reliquimus sæculum, id modis omnibus observare volumus, ut arma spiritualia habeamus, corporalia dimittamus.* Concilium Wormatiense sub Pipino, *can.* 16. *Ut arma clerici non portent.* Claromontanum sub Urbano II. *can.* 4. *Ne aliquis clericus arma deferat.* Ravennat. tempore

Conclusio traditur & probatur.

tempore Honorii IV. *can. 3. cap. eos 20. q. 3. cap. porrò 16. q. 3. cap. quiſquis 17. q. 4. cap. cùm clericos de voto cap. quod in dubiis 5. de pœnis, cap. in audientia, de ſent. excom. cap. clericus 8. 41. diſt. cap. ſi quis, 41. diſt. cap. 6. §. clericos cap. 12. cap. penult. de homicid. cap. non pila, cap. convenior 23. q. 8. Clem. 1. §. quia verò, de ſtatu monach. Clement. unica, verſ. Quidam cum armis, de exceſſ. Prælat.* Concil. Britannicum ſub Agathone: *Statuimus etiam, atque decernimus, ut Epiſcopi vel quicunque Eccleſiaſtici ordinis religioſam vitam profeſſi, armis non utantur.* In exceptionibus Ebberti Eboracenſis Epiſcopi, *num. 17.* hæc leguntur: *Nemo ſacerdotum ex numero armapugnantium unquam portet.* Innocent. III. *lib. 1. epiſt. 48.* Sanctus Bernardus *epiſt. 203. Nec clerici eſt, pugnare armis militaribus.* Concil. Illerdenſe celebratum anno 1219. ſub Joanne Cardinali A. S. L. *In Eccleſiis, civitatibus, villis, vel aldeis clerici cultellos acutos portare non præſumant*: lex 53. §. *circumcingere, C. de Epiſcopis & Clericis:* alia congerunt Creſpetius *in ſumma, verbo Arma.* Illuſtrant ultra congeſtos in præſenti à Garanna & Barboſa, idem Barboſa *de officio Parochi cap 6. & de jure Eccleſ. lib. 1. cap. 4. num. 137.* Ant. Auguſtinus *in epiſt. lib. 6. tit. 54.* Acunna *in d. c. Clericos, 41. diſt.* Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 5.* Cironius *in 5. compil. in cap. 1. de ſent. excom.* Salmutius *ad Panormolam lib. 1. tit. 56.* Wadingus *in notis ad opera D. Franciſci, fol. 265.* Joannes Garcia *in ſumma tract. 1. diſſic. 2. dub. 2. num. 9.* Claudius Eſpenceus *lib. 2. digreſſ. cap. 6.* Ant. Auguſtinus *lib. 8 tit. 43.* Rouſſelius *lib. 4. hiſt. juriſd. cap. 4.* Theophilus Raynaud. *tom. 7. de religioſo loricato, fol. 193.* Florens *in præſenti.*

4. Impugnatur prædicta doctrina.

Hæc tamen aſſertio difficilis redditur ex ſequentibus juris principiis. Et primò, nam armorum finis eſt defenſio propriæ vitæ, aut bonorum. Novell. 85. *cap. 4. in fine*, nec divitiarum ſecura eſt poſſeſſio, niſi armorum defenſione ſervetur. Vegetius *lib. 3. de re milit.* & cum juris gentium ſit, vim atque injuriam propulſare, *l. ut vim, ff. de juſtitia & jure, l. 45. § 4. ff. ad leg. Aquil.* & ipſa naturalis ratio permittat, ut à periculis nos defendamus, *l. utaque 4 ff. ad leg. Aquil.* unde jus hoc, ut arma armis repellere liceat, à natura comparatum dicitur, *l. 1. §. vim vi 27. ff. de vi & vi armat.* ſæpe enim præſens neceſſitas morata judiciorum non admittit, *l. 1. §. ſed excipiuntur 2. de feriis, l. 3 §. ult. ff. ad legem Cornel. de ſicar. l. 7. §. 1 ff. quod vi aut clam, cap. 3. 23. q. 1.* Igitur hæc defenſio omnibus permiſſa, quæ ex delatione armorum provenit, clericis auferri non debet. Augetur hæc difficultas ex præcepto Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſæpiùs etiam ſacris Eccleſiæ miniſtris juſſit arma deferre; in ipſo enim limine ſuæ paſſionis Apoſtolos admonuit, ut gladios compararent, his verbis Lucæ *cap. 22. verſ. 36. Qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat illum.* Nec D. Petro Apoſtolorum Principi, percutienti gladio auriculam militis, juſſit Dominus projicere gladium, ſed potiùs cuſtodire, & conſervare, his verbis, *Matthæi cap. 26. verſ. 52. Converte gladium tuum in locum ſuum.* Igitur à clerici ſtatu alienum non eſt, gladios deferre, ſeu arma portare.

5. Armorum exceptiones.

Quâ difficultate minimè obſtante, vera eſt præſens deciſio, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, arma tranſlatitiè, & minùs propriè accipi pro quolibet munimento, quo quis gaudet; ſic inſtrumenta ruſtica agricolarum arma dixit Virgilius *lib. 1. Georg. verſ. 60.*

Dicendum & quæ ſint duris agrantibus arma.

Et Nautarum *lib. 5. Æneid.*

Colligere arma jubet, validiſque incumbere remis.

Sic ſtudioſorum arma libri dicuntur. Gœddeus *in l. 41. num. 6 ff. de verb ſignif.* & inſignia gentilitia communiter arma dicuntur. Höpingius *de jure inſignium, in princip. num. 31.* propriè tamen arma intelliguntur, quæ principaliter ſecundum naturalem uſum ad defendendum, & offendendum ſunt ordinata, ut gladius, lancea, bombarda, balliſta, de quibus Virgil. *lib. 1. Æneid. verſ. 54.*

——— *Furor arma miniſtrat.*

Unde Conſultus *in. l. armatos 9. ff. ad leg. Juliam de vi publica*, armatos non tantùm eos accipiendos eſſe monet, qui tela habuerunt, ſed etiam quicquid aliud, quod nocere poſſit. Faciunt lex *quod eſt 3. §. armis, ff. de vi & vi*, lex 2. *ff. de vi bonor. rapt.* junctis traditis per Bocerum *claſ. 4. diſput. 13. theſi 7.* Pancirolam *ubi ſuprà, & in notit. Imperii, cap. 66.* Demſterum *ad Roſinum lib. 3. cap. 5.* Tabor. *in armament. in principio*; quo modo in præſenti prohibitione, & ſimilibus inhibitionibus de armis non deferendis, arma accipiuntur pro omnibus illis inſtrumentis, quibus ad nocendum homines utuntur, & eo animo deferuntur; unde armorum prohibitio ceſſat, ubi quis arma ad panem incidendum, vel ad aptandas pennas portaverit, vel etiam cultellos minores, *cap. lator, 9. de homicidio*, qui armorum appellatione non veniunt, *Novella 85. cap 4.* ibi: *Permittimus cultellos minores.* Quod tamen intelligitur de cultellis modò definitis; nam cultelli majores, cultri dicti, cum quibus gravis percuſſio inferri poteſt, prohibentur clericis, & monachis. Concil. Illerd. ſuprà relatum, Arnulphus Epiſcopus Lexov. *epiſt. ad Alex. Papam*, ibi: *Ac niſi de cultellis eorum pugionem provida ſuſtuliſſet antiquitas, ſæpius uſque ad alternas etiam mortes intemperantia deſaviſſet.* Notavit Cironius *in cap. 1. de ſent. excom. in 5. compil.* quo modo accipienda ſunt plura ſtatuta Pontificia, quæ cultellorum geſtationem prohibent apud Arniſeum *lib. 2. de jure majeſt. cap. 5. §. 5. pag. 337.* Arma igitur offenſiva, vel defenſiva, quæ ad armandum hominem inventa ſunt, hâc prohibitione continentur. Cæterùm quæ ad armandum hominem facta non ſunt, lædere tamen quem poſſunt, ut lapides, fuſtes, & ſimilia, licèt in maleficiis perpetratis armorum nomine veniant; tamen in ſimplici prohibitione geſtationis armorum non continentur, nec etiam pœnam adiectam deferenti arma patitur, qui arma defert ad nocendum fabricata, ita tamen corrupta, ut nocere ampliùs nequeant, & ſpeciem tantùm armorum habeant. Riccius *deciſ. 63. Curiæ Neapolit.* ubi deciſum refert, quod clericus, qui archibuſetum geſtaverat abſque ſilice, ſive fuſili, canibuſque ferreis, abſolutus fuit à Synodi provincialis Neapolit. pœna contra portantes arma, cùm talia non portaret, quæ apta erant ad nocendum, argumento legis *Quintus 27. §. qui aurum 3. ff. de auro & argent.* probat Decianus *conſil. 122.*

6. De armorum uſu prohibito.

Secundò ſciendum eſt, armorum delationem, ſeu uſum regulariter privatis prohiberi *in l. unic C. ut armorum uſus*, ex rationibus, quas infrà in ejus

ejus interpretatione assignavimus, adeò ut nec fabris ipsorum usus permittatur, *novella* 85. *cap.* 1. ac nec militibus quidem extra usum belli, ut probat Arnisæus *d. cap.* 5. *p.* 340. *ex l. qui commeatum* 14. *ff. de re milit.* ibi: *Armorumque custodi plerunque ea culpa imputatur, si arma militi commisit non suo tempore.* In posteriori ætate nobiles à plebe distinxit delatio armorum Gunthe rus *lib.* 3. *Liguſt. in Frider.*

Utque ſuis omnem depellere finibus hoſtem
Poſſit, & armorum patriam virtute tueri,
Quoslibet ex humili vulgo, quod Gallia fœdum
Judicat, accingi gladio concedit equeſtri.

Quo ex loco intelligimus de nobilibus tantùm accipiendum esse canonem 17. Concil. Mogunt. 1. ibi: *Laicis verò, qui apud nos sunt, arma portare non præjudicemus, quia antiquus mos est, & ad nos usque pervenit.* Et tunc nobiles enses accipiebant de altari. Petrus Bles. *epist.* 94. ibi: *Sed & hodie tyrones enses suos recipiunt de altari, ut profiteantur se filios Ecclesiæ, atque ad honorem sacerdotii, ad tuitionem pauperum, ad vindictam malefactorum, & patriæ liberationem gladium accepisse.* Probat Altesserra *de Ducibus, cap.* 7. ob institutum verò, & peculiarem professionem ab armorum usu arcentur non solùm Philosophi, *l. professio* 6. *C. de muner patrimon. lib.* 10. *l.* 1. §. *an* 4. *ff. de variis, & extraordin. cognit. l.* 8. §. 4 *ff. de vacat. muner.* verùm etiam Clerici, ex hoc textu, & ex suprà relatis monachi; unde jure feudali eo ipso quod vassallus votum religionis emisit, arma deponere cogitur, nec ea amplius recipere potest, *lib.* 2. *feudor. tit.* 21. & 26. Similiter & qui pœnitentiæ solemni caput subdiderant, arma deferre nequibant; *cap. admonere* 33. *q.* 2. *cap. de his verò* 26. *q.* 7 *cap. contrarium, cap. falsas, de pœnit. dist.* 5. Synodus apud Wormat. tempore Ludovici apud Hincmarum Rhemens. ibi: *Quicunque propria uxore derelictâ, vel sine culpa interfectâ, aliam duxerit uxorem, armis demissis publicam agat pœnitentiam.* Sigebertus *in chron. Ludovicus Imperator, à suis desertus, ac proditus, & in potestatem filiorum redactus, Episcoporum judicio arma deposuit, & ad agendam pœnitentiam inclusus est.* Notarunt Juretus *ad epist.* 85. *Ivonis*, Altesserra *ubi proximè.*

7. *Traditur ratio decidendi.*

Unde apparet ratio [illegible]entis decisionis; non enim clericorum arm[illegible] gladii, sed dolor, fletus, orationes, & lac[illegible]e, *cap. non pila, cap. convenior* 23. *q.* 8. debent enim clerici exemplum Christi sequi, qui in Ægyptum ob Herodis sævitiam fugiens, & lapidibus Judæorum cedens, non arma armis, sed fugam persequentibus docuit opponi, *cap.* 1. 23. *q.* 3. Accedit, quod repugnat habitui, & honestati sacerdotali, arma gestare; qui enim armatum se contuetur, arrogantior fit, & ad injuriam inferendam concitatur. Hinc arma causam saltem per accidens præstare dicuntur ad delicta perpetranda, *l. si servus*, ibi: *Armorum fiducia, C. de his, qui ad Ecclesiam, l. si quis in hoc genus* 10. *vers. quod si, C. de Episc. & cleric.* quod ab honestate clericorum prorsus alienum est, ferro enim sanguis elicitur, à quo clerici abstinere debent, *can.* 27. *Apostolor.* Olim tamen abusus tantus inoleverat, ut passim Episcopi, & clerici armati incederent, ut refert Aymonius agens de Ludovici Imperatoris temporibus, ibi: *Tunc cœperunt deponi ab Episcopis, & clericis cingula baltheis aureis, & gemmeis cultris onerata.* Accedit etiam, nam adeò Ecclesia abhorruit usum armorum in ejus ministris, & cæteris fidelibus, ut etiam laicis accedentibus ad Ecclesiam juberet priùs arma deponere, ex actis Concilii Ephesini suprà *in cap.* 1. retuli. Concilium Saleguſt. *can.* 8. ibi; *Decretum est etiam in eodem Concilio, ut nemo gladium in Ecclesia portet, regali tantùm excepto*, Aurelian. 3. *cap.* 28. Cabilon. *cap.* 17. Illustrat Theophilus Raynaud. *tom.* 17. *de relig. lorisato, fol.* 192. Filesacus *in cap.* 1. *de offic. ordin.* §. 11. Carolus *lib.* 7. *capitul. cap.* 202. illic: *Sacrificia matutina Missarum, sive vespertina, ne quis cum armis pertinentibus ad bellorum usum spectet; quod qui fecerit, in sacerdotis potestate consistat, quali eum districtione debeat castigare.* Et *d. Clementina* 1. §. *quia verò, de statu monach.* Nec tantùm in templis, verùm nec in eorum areis, cellulis, seu domibus, *l. pateant* 3. §. *arma, C. de his qui ad Ecclesiam confug.* usque adèo], ut armatis ad Ecclesias immunitatis causâ confugere non liceat; sed si arma secum in Ecclesiam intulerint, jubentur ea deponere cunt religione, ac, nisi ea deponant, ab Ecclesia abstrahuntur, *dicta l.* 3. §. *ult.* & servus, qui cum armis ad Ecclesiam confugerit, inde extrahi debet; & si resistat, impunè potest interfici, *l. si servus* 4. *C. eod. tit.* Igitur si laicis fidelibus, qui accedunt ad Ecclesiam, prohibetur arma gestare, quantò magis clericis, & ministris Ecclesiæ prohiberi debet. An verò judices sæculares possint clericos arma deferentes illis spoliare, dubium est; Affirmat P. Caball. *resolut. cent.* 1. *casu.* 9. *num.* 13. Covar. *lib.* 2. *var. cap.* 20. *num* 28. & *practic. q.* 37. *num.* 7. Bobadilla *lib.* 2. *polit. cap.* 28. *num.* 66. Peguera *decis.* 56. *num.* 11. Rousset. *lib.* 4. *hist. Pont. jurisd. cap.* 3. *num.* 39. plures, quos refert & sequitur Vela *tom.* 2. *dissert.* 44. *num.* 47. Negat Vazquez *in* 1. 2. *disput.* 167. *cap.* 4. *num.* 31. Cui sententiæ libenter adhæreo, nisi à Prælatis propriis admoniti fuerint, ut ea deponant; quia cùm post tertiam monitionem privilegium fori amittant, *cap. audientia* 25. *cap. contingit* 45. *de sentent. excommunic.* justè à judice sæculari illis arma auferuntur. Prosequitur latiùs Barbosa *in collect. ad hunc textum*, & *tom.* 6. *in select. ad hunc textum.* Praxi tamen apud nos receptum esse, ut clerici reperti cum armis post noctis horam, vulgò *de la queda*, possint illis spoliari, pluribus relatis testantur Azevedo *in l.* 9. *tit.* 3. *lib.* 1. *recopil.* Bobadilla *lib.* 2. *polit. cap.* 13. *num.* 87. & *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 66. Vela *dicto num.* 47.

8. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam à præsenti generali prohibitione necessitatis casus excipiendi sunt, ut contra vim, tum sibi, tum patriæ illatam, armis sese clerici defendere possint, *cap. olim*, ibi: *Vim vi duxeritis repellendam*; *de restit. spol. cap. cùm præsentium* 3. *de clerico percussore, cap. dilecto* 6. *de sent. excom. in* 6. Eadem ratione, si civitas ab hostibus oppugnetur, clerici arma defensionis causâ sumere possunt, *cap. petitio*, ibi: *Tam clericis, quàm laicis; de homicidio*; *cap. pervenit, de immunit. Eccles.* Citra illum tamen necessitatis casum non debent Clerici arma sumere, *cap. clericum* 23. *q.* 8. Grotius *de jure belli, lib.* 1. *cap.* 5. *num. final.* Nec obstat augmentum deductum *ex dicto cap.* 22. D. Lucæ; non enim ibi jubet Dominus enses emi ad inferendas injurias, sed ad extollendam justi patientiam; non ad feriendos satellites, sed ad instruendos Christianos. Petrus gladiò percussit, sed objurgatur à Christo, qui vult in comitatu

gladios

gladios haberi, sed non in homines distringi. Quis ergo gladii usus? Cur, interrogat Ambrosius Petri nomine, emere me jubes gladium, qui ferire me prohibes? Cur haberi præcipis, quem vetas promi? Et respondet, ut sit parata defensio, non ultio necessaria; & videàr potuisse vindicare, & noluisse: docet Wadingus *ad D. Franciscum tom. 2. fol. 263*. Accedit ratio significandi utramque potestatem, gladii videlicet spiritualis, & temporalis, in Ecclesia esse, ut illustrat Bobadilla *d. cap. 11. per totum*.

9. Ergenitur cap. de cleric. percuss.

Sed hucusque traditis obstat textus *in cap. 3. de cleric. percuss.* ubi clericus arma acciplendo, etsi homicidium exinde sequatur, non punitur, nec irregularis sit. Igitur quia licet clericis arma portare. Augetur hæc difficultas *ex can. 55. D. Basilii ad Amphilochium*, ibi: *Qui se latronibus adversos objiciunt, si sint quidem extra Ecclesiam, ab omni communione arcentur; si sint autem clerici, à gradu deponuntur. Quicunque enim, inquit, gladium accepit, gladio peribit.* Ubi in eadem specie docetur, clericum cum gladio in latrones irruentem debere deponi. Pro cujus difficultatis solutione, & antimoniæ conciliatione, dicendum est cum Balsamone *in dicto can. 55.* distinguendum esse inter eos, qui irruerunt in latrones necessitatis causâ, cùm aliter res suas, vel se defendere nequeant; & inter eos, qui nullâ necessitate coacti in eos irruerunt. Primo casu cùm defensionis causâ tantùm irruerint, nullam ex tali percussione irregularitatem contrahunt, *can. 1.* ubi latè. Deo volente, dicemus, *de homicidio*; quo casu procedit textus *in d. cap. 3. de cleric. percuss.* Secundo verò casu, cùm nullâ necessitate coactus ad percussionem processerit, dicendum est non solùm illum irregularitatem contrahere, verùm & deponendum esse, juxta sententiam D. Basilii *in d. can. 55*.

10. Exponitur l. unic. C. ut armorum usus.

Pro coronide hujus commentarii, dum in usum & gestationem armorum incidimus, exponenda est difficilis constitutio Valentiniani Imperatoris, quæ extat *in l. unic. C. ut armorum usus.* Ut inscio Principe sit interdictus, in Codice Justinianeo; in Theodosiano verò Codice sub generaliori rubrica, quorum usus interdictus est, his verbis: *Nulli prorsus, nobis inscis, & inconsultis, quorumlibet armorum movendorum copia tribuatur.* Data 3. Non. Octobr. Altino, Joviano, & Varroniano Coss. Quæ verba de privata civium exarmatione acceperunt Bartolus, & cæteri repetentes ibi, Hieronymus Butigela *in l. 1. num. 102. ff. de verbor. oblig.* Corneus, Socinus, & Cotta congesti à Hieronymo Duennas *regul. 55.* Farinacio *in praxi crimin. q. 28. num. 65.* inde arma movere, pro bellum indicere accipit in eo textu Lucas à Penna. Aliter etiam accipit textum illum Gudelinus *de jure novissimo lib. 5. cap. 33.* cujus interpretationem refert Tabor. *in armament. cap. 1. num. 10.* Sed his & aliis omissis, ut vera sententia ipsius legis perpendatur, aliqua de ejus auctore, tempore, occasione, & consulibus, quibus dirigitur, prælibanda sunt. Epigraphe ita habetur: *Impp. Valentinianus, & Valens AA. ad Bulcephorum Consularem Campaniæ*: ubi exprimuntur nomina, tam Imperatorum, qui rescribunt; quàm Consulis, cui rescribitur. Nec audiendus est Menochius *de arbitr. casu 394. num. 23.* qui textum illum Theodosio tribuit, cùm sit Valentiniani I. Cùm enim Jovianus statim post necem Juliani, 5. Kal. Jul. A. C. 393. Imperator dictus, enecatus esset mense 8. Imperii, videlicet 17. Februarii, ut referunt Nicephorus Calixtus *lib. 10 hist. Eccles. cap. ult.* ex Ammiano, Theodoreto, Rufino, & aliis Calvisius *in Jovianum pag. 536.* suffectus ei fuit Valentinianus I. anno 394. qui ob multitudinem hostium Imperio imminentium, fratrem Valentem collegam ascivit, eique oriente permisso, in occidentem ipse concessit, teste Petavio *1. p. ration. temp. lib. 6. pag. 336.* Hoc itaque tempore, cùm veluti per universum Romani Imperii ambitum buccinæ classicum canerent, & excitæ gentes sævissimè limites sibi proximos propulsarent, dum Gallias, Rhetiasque, ut Ammiani verbis *lib. 26.* utar, Alemani popularentur, Sarmatæ, & Quadi Pannonias; Picti, & Saxones, & Scoti Britannos, &c. perculsi, tot tantisque motibus Imperii Proceres, Dynastæ, Civitates, Provinciales, cæteri, arma circumspicere, arma fremere, arma movere. Quod ne contra leges Julias factum videretur, hi, & illi consensum Imperatoris elicere conati sunt, Bulcephori Consularis Campaniæ intercessione usuri. Quoad Bulcephorum, cui rescribunt Imperatores, sciendum est, quod Augustus occupato Imperio provincias, quas annuis Magistratuum imperiis regi nec facilè, nec tutum esset, suæ curæ reservavit; cæteras sub Senatu, & populo relictas Proconsulibus sortitò permisit. Suetonius *in Octavio, cap. 47.* eas, quæ sub Senatu relictæ fuerunt, Consulares; quæ autem Imperatorum partibus cesserant, Proconsulares dictas fuisse, Pompon. Lætus tradit *de Magistr. Rom. cap. 23.* Alii rectiùs docent, in Imperatorias provincias, Præsides; in alteras Proconsules missos fuisse. Wesemb. *ad tit. de offic. Proconf. & Leg.* Cujac. *lib. 20. observ. 27.* ubi in fine notabilem differentiam adjicit, quod Proconsules annui essent Magistratus, qui quoad Senatui placuisset; Præsides autem, quandiu Principi visum fuisset, regimen obtinerent. Enimverò distinctio hæc (inter provincias Proconsulares, & Imperiales) non diu ab Augusto stetit. Cujac. *in comment. ad l. 3. C. de jure fisci.* Vide de Hadriani distributione provinciarum, ex Spartiano, & Capitolino Rosin. *lib. 10. antiquit. cap. 16.* ideoque Moderatores provinciarum, *l. Curiales 25. de Decur.* Præsides, Rectores, Correctores, Consulares, jam dudum promiscuè dici cœpere, *l. unic. C. ut omnes judices, tam civil. quàm crimin.* Consulares autem dicti sunt antiquâ consuetudine, quòd commissa illis esset provincia, tanquam ex consulibus regenda. Ioan. Gudelin. *de Magistr. Rom. cap. 23.* Tali cum potestate præerat Bulcephorus noster Campaniæ provinciæ Italiæ, juxta Samnites, Hirpinosque ad mare inferum sitæ, quæ hodie terra *de Labor* appellatur; felici, & beatæ regioni, humanas cupiditates si arbitreris, in qua ideò Liberi Patris cum Cerere certamen extitisse fabulantur Philippus Cluver. *lib. 3. introduct. Geograph. cap. 29.* Erat enim secessibus amœnis aptissima: unde & secreta, & Campaniæ sinus, *cap. 66.* & Campania amœna, apud Symmachum *lib. 7. epist. 35.* Sueton. *in Augusto cap. 72.* aliosque scriptores passim celebratur. Et hæc quidem de inscriptione. Nec prætereunda est subscriptio, quæ loci & temporis circumstantias suggerendo non parum lucis itidem intellectui ipsius sanctionis affert; locus ubi rescriptum hoc dictatum fuit, est Altinum, in provincia Venetiarum, ut docet

Victor

Victor Schot. *cap.* 26. & tabula Peutingeriana, vulgò *Altino* : unde forsan est, quod in Codice Theodosiano librarius, seu amanuensis, non solùm in hoc textu, sed & in his, qui mox recensebuntur, semper stylo vulgari scripsit, litteras eas datas esse Altino, pro Altini, ubi tunc Valentinianus senior hujus constitutionis auctor consistebat, quod variæ ibidem ab illo hac tempestate promulgatæ constitutiones, quæ in Codice Theodosiano passim occurrunt, liquidò ostendunt, veluti dicta lex 1. & 2. *C. Theodos. quibus equorum usus concessus est, aut denegatus, lib.* 9. *tit.* 30. lex 6. *quorum appellationes non recipiantur, lib.* 11. *tit.* 36. lex unica *de Nautis Tyberinis, lib.* 14. *tit* 21. lex 7. *de posteribus, & catabolensibus, lib.* 14. *tit.* 3. lex 7. *C. de pœnis lib.* 9. *tit.* 40. Mortuus est equidem Jovianus Imperator 13. Kal. Martii, teste Socrate *lib.* 3. *cap.* 22. & Eutropio *lib.* 10. filio Valeriano parvulo relicto. Neque tamen nomina in fastis mutata sunt ; licèt enim Cæsar, teste Dione *lib.* 45. consulatus tempus annuum, & regulare valdè mutaverit, effeceritque, ut ad menses, & dies aliquando Consules fierent ; illud tamen postea constanter custoditum fuit, ut ab illorum nomine anni notarentur ; nullo habito respectu ad officii durationem. Hinc distinctio illa consulum in ordinarios, & suffectos ; quam prosequuntur Rosinus *lib.* 7. *antiquit. Rom. cap.* 9. Arnisæus *lib.* 2. *select. polit. cap.* 6. *sect.* 4. Cuspinianus, Cassiodorus, Panvinus, & alii de fastis Consul. agentes. Constantinum denuò consulatum annuum restituisse, referunt Turnebus *lib.* 5. *adverss. cap.* 50. Lipsius *de Magistratibus, cap.* 9. Inde etiam Jovianus post fasta inter Consules refertur, cui etiam adscribitur nobilis constitutio textus *in l. si quis* 5. *C. de Episcop. & Cleric.* cujus etiam meminerunt Nicephorus Calixtus *lib.* 10. *histor. Eccles. cap.* 39. Zonaras *tom.* 3. *Annal. in Joviano* ; licèt subscriptio ipsius textus mendosa sit, cùm vulgò legatur datam esse 11. Kalend. Martii, Gratiano A. 3. & Merobaude Consulibus ; cùm constitutio illa edita fuisset quatriduo ante obitum Joviani, cùm Consules essent ipse, & Varronianus, *l.* 2. *C. de raptu virginum*, quem errorem jam agnovit, & emendavit Baronius *anno* 363. *num.* 129. *pag.* 197.

11. *Prosequitur interpretatio.*

His animadversis jam verba ipsius constitutionis breviter perstringamus : prohibitio illis generalibus verbis continetur : *Nulli tribuendum esse*, &c. quibus non solùm Dynastæ, Nobiles, verùm & universi cives continentur, ut *in l. nulli* 3. *quod cujusq; univers. l.* 13. *C. de fundis patrimon. lib.* 11. & aliis pluribus ; etiam utuntur Imperatores dictione, *prorsus*, ut excludantur omnia, quæ in contrarium excogitari possunt, ut *in l. ult. C. de formulis, l.* 1. *C. de frumento urbis, lib.* 11. Prosequuntur ea verba, *armorum movendorum*, quibus prohibetur usus publicus, seu privatus movendi arma, etiam sub prætextu, & colore turbarum ingruentium. Adhibent etiam limitationem Imperatores his verbis : *Nobis insciis, & inconsultis*, id est, voluntate Principis non priùs imploratâ, & impetratâ ; quam limitationem legimus *in l. nullus* 4. *C. ad leg. Jul. majest. l.* 13. *ff. de transact. l. anfertur* 46. §. 7. *ff. de jure fisci, l.* 6. §. 1. *ff. de offic. Proconf. l.* 2. *C. de cadaver. punit.* docuerunt Jacob. Gothofredus *in dicta l.* 1. *C. Theodos. quorum usus.* Arnisæus *de majest. cap.* 5. *de potest. armorum.* Nec superfluò dicitur, *insciis & inconsultis* ; cùm enim turbulentis primis temporibus conniventia Principum præsumeretur, ut *in l.* 4. §. 1. *ff. de manumiss.* & casibus relatis à Tacito *lib.* 12. *annal.* Lipsio *lib.* 4. *polit. cap.* 3. *num.* 17. ideò non solùm scientia Principis, verùm & ejus voluntas desideratur. Sensus ergo prædictæ constitutionis est : Campaniæ incolas, Dynastas, Nobiles, & cæteros cives, cùm agnoscerent, post subitaneas Principum Juliani, Jovianique mortes, diademate jam in Valentinum, Valentemque diviso, varios undique motus suboriri, petiisse à Rectore suæ provinciæ Bulcephoro, ut sibi copiam faceret armorum, & facultatem tribueret arma sua gestandi in publico, illisque adversùs omnes insultus utendi. Consul, cùm sciret, talia concedere non posse, quæ lege Julia majestatis vetita fuissent, *l.* 3. *ff. ad leg. Jul. majest.* consuluit Imperatorem Valentinianum, qui nomine suo, & collegæ respondit, nulli provinciali cujuscunque conditionis armorum movendorum copiam tribuendam esse, nec singulatim, nec turmatim, inscio, aut inconsulto Principe. Unde non rectè Bartolus, quem sequitur Cujacius in eo textu, generale summarium ita deduxerunt ; Nulli liceat arma portare sine Principis licentia ; cùm ex justa & honesta causa liceat privatis arma deferre. Nec rectè pro sua sententia Cujacius expendit Sinesium *epist.* 107. ibi : *Non licitum est privatis hominibus arma deferre* ; nam ea verba apud Sinesium non leguntur affirmativè, sed cum interrogatione ; nec ea sententia est ipsius sancti Episcopi, sed alterius, quem refellere & convincere Sinesius intendebat, ut constat ex integra epistola, ibi : *Jucundus es, cùm nos arma fabricare prohibes, hostibus latè omnia tenentibus, omniaque depredantibus, atque indies integrum populum confertim jugulantibus, cùm miles nullus adsit, qui quidem compareat ; quæ cùm ità sint, tantúmne licere negabis privatis hominibus arma ferre ?*

12. *Exponitur*

Nec etiam usum armorum privatis indistinctè prohibitum esse, suadetur ex lege 3. §. 1. *ff. ad leg. Juliam de vi publ.* in illis verbis : *Eadem lege Julia leg. Iul. de tenetur, qui pubes cum telo in publico fuerit.* Loquitur *vi.* enim lex Julia de usu, gestatione, seu delatione armorum in publico, cùm vel cœtus, turba, seditióve fieret, *l.* 5. *ff. eodem* : vel si quis ideò cum telo ambulasset, ut talia faciliùs perpetraret, *l.* 4. *ff. eodem.* Excipiùr autem ipsa lege Julia gestatio causaria, seu ex honesta causa suscepta, ut sunt venationis, itineris, vel navigationis, *l.* 1. *ff. eod.* velut ubi quis telum tutandæ salutis suæ causâ gestasse probatur, *l. penult.* §. *ult. ff. eod.*

CAPUT

CAPVT III.

Ex Concilio (a) *Nannetensi.*

VT quisque (b) presbyter, qui plebem (c) regit, clericum (d) habeat, qui secum (e) cantet Epistolam (f), & Lectionem legat, & qui (g) scholas possit tenere, & admonere suos parochianos, ut filios suos ad fidem discendam mittant ad Ecclesiam, quos ipse cum omni castitate erudiat.

NOTÆ.

(a) *Nannetensi.*] In sexta collectione legitur Maticensi: in prima autem Nannetensi, & etiam apud Ivonem p. 6. *Decreti*, cap. 152. citantur hæc verba *ex can.* 8. *Concil. Nannet.* & etiam à Burchardo *lib.* 2. *Decreti*, *cap.* 56. & credo esse canonem Concil. Nannetensis: tum quia ex eo citatur hic canon à Lindembrogio *in Glossario legum antiq. verbo Schola*, Filesaco *de origine paræci*, *in fine cap.* 4. tum quia in prioribus canonibus ipsius Concilii agitur de presbytero parocho Missam celebrante; unde facilè credi potest, statim PP. edidisse præsentem canonem; & sicut ipsius Concilii subscriptiones, & alia temporis injuriâ perierunt; ita & præsens canon; ejus tamen verba ferè omnia reperiuntur in Concilio Parisiensi 1. *cap.* 30.

(b) *Presbyter.*] Inter alia nomina, quibus parochus proprius, regens populum, appellatur, frequens est presbyteri, ut passim in veteribus Conciliis & Sanctorum Patrum epistolis obvium est, ex quibus aliqua fragmenta referam. In Concilio Sardicensi *can.* 12. statuitur, ut Episcopi, si in suas possessiones venturi sunt, & fructus suos collecturi, tribus diebus Dominicis, id est, tribus septimanis in suis possessionibus degant, & in Ecclesia, quæ propè est, in qua *Presbyter* populum congregat, ne à communione alieni videantur, conveniant, & sacrificium celebrent. In Concilio Emerit. *can.* 9. legitur: *Placuit, ut quisquis ab Episcopo sanctum in potestate presbyteri ad distribuendum tempore opportuno acceperit chrisma, nihil ab eis beneficii causâ tollere, aut petere præsumat.* Concilio Carthaginensi *can.* 36. ibi: *Presbyteri, qui per Diœceses Ecclesias regunt.* Concilio Suessionensi sub Pipino, ibi: *Presbyter, qui in parochia est.* Et in Concilio Troslejano *can.* 6. habetur præclara exhortatio ad presbyteros parochianos: latè illustrat Filesacus *de origin. paroch. cap.* 3.

(c) *Plebem.*] Id est, parochiam; licèt enim plebs aliquando accipiatur pro diœcesi, tamen plerunque accipitur pro parochia, *cap.* 1. *de emption. & vend.* Concilium Africanum *can.* 87. Parisiense *lib.* 1. *can.* 25. Regiense *can.* 3. & 4. Concilium Nannet. *can.* 4. ibi: *Cùm Sacerdos viderit aliquem infirmari in sua plebe.* Latè illustrant Filesacus *de orig. paræc. cap.* 2. Souchetus *in notis ad epist.* 268. *Ivonis.*

(d) *Clericum habeat.*] Consonat Concilium Emerit. *can.* 18. ibi: *Instituit hæc sancta Synodus, ut omnes parochiani presbyteri, juxta ut in rebus sibi à Deo creditis sentiunt habere virtutem, de Ecclesiæ suæ familia clericos sibi faciant, quos per bonam voluntatem ità nutriant, ut & officium sanctum dignè peragant, & ad servitium suum aptos eos habeant. Hi etiam victum, & vestitum dispensatione presbyteri merebuntur.* Parisiense 1. *can.* 30. ibi: *Jam dudum à pio, & orthodoxo Principe Ludovico, Deo amabili Imperatore admonitum, jussumque est, ut Rectores Ecclesiarum in Ecclesiis sibi commissis strenuos milites, quibus Christus Deus placari posset, præpararent, & educarent.* Idem refertur *in additione capitul.* 2. *cap.* 5. ibi: *In hoc uniuscujusque studium voluimus probare, ut, quando ad provinciale Episcoporum Concilium ventum fuerit, unusquisque Rectorum scholasticos suos eidem Concilio adesse faciat, quatenus & cæteris Ecclesiis noti sint, & ejus soleris studium circà divinum cultum omnibus manifestum fiat.* Concilium Vasense 2. *can.* 1. *Omnes presbyteri, qui sunt in parochiis constituti, secundùm consuetudinem, quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognovimus, juniores lectores quantoscunque sine uxore habuerint, secum in domo, ubi ipsi habitare videntur, recipiant, & eos quomodo boni Patres spiritualiter nutrientes, psalmos parare, divinis lectionibus insistere, & in lege Domini erudire contendant.* Theodulphus Aurelianensis *epist. ad Parochos*, *num.* 20. ibi: *Eadem fermè presbyteri per villas, & vicos scholas habeant, & si quilibet fidelium suos parvulos ad discendas litteras eis commendare vult, eos suscipere, & docere non renuant, sed cum summa charitate eos doceant.* Illustrant Nicolaus Lemaistre *de juribus Episcop. lib.* 2. *cap.* 4 *fol.* 244. Filesacus *de orig. paræc. cap.* 4. Barbosa *de offic. Parochi lib.* 1. *cap.* 11. Clericum autem hunc communi voce Psalmistam dictum, presbyteri ipsi parochum eligebant, & in gradum Clericorum, ut sibi juvaret in cantu, & schola, cooptabant. D. Isidorus *lib.* 1. *de instit. cleric. cap.* 12. Rabanus Maurus *lib.* 1. *de instit. cleric. cap.* 11. de quibus Psalmistis accipiendi sunt textus *in cap. Psalmista* 23. *dist. cap. omnes psallentes*, 38. *distinct. cap.* 1. *de celebratione Missarum.* Unde explico capitulare Caroli 220. *lib.* 5. in illis verbis: *Ut omnis presbyter die Dominico cum psallentio circumeat Ecclesiam suam, unà cum populo, & aquam benedictam secum ferat.* Ubi pro *Psallentio* legit Filesacus *de origine paræc. cap.* 5. Processionale; sed ego pro psallentio accipio clericum psallentem, quem presbyteri parochi debent secum habere ad psallendum, & legendum, ut in hoc textu docetur; alii tamen sunt Psalmistæ solenniter ab Episcopo ordinati, quibus ratione proprii gradus psallendi ministerium competit, de quibus *in cap. non liceat*, 92. *dist. cap. non oportet*, 44. *dist.* Synodus Laodic. *cap.* 15. & 23. & *in l. addictos* 29. *C. de appellat.* ubi eos Synoditas Imperator appellat: videndus

Pancirola 2. *var. cap.* 174. de quo gradu, & ejus effectibus latè agunt Vicecomes *volum.* 3. *de Missæ ritib. cap.* 24. Antonius Augustinus *in epit. lib.* 8 *tit.* 8. Ambian. *ad Tertull. de monog. cap.* 12. *observ.* 3. Hallier. *de sacris electi.* 2. *p. sect.* 5. *art.* 2 §. 33. Gibalinus *de clausura disquisit.* 1 *cap.* 9. §. 1. Baronius *in Martyrol. die* 15. *Julii*, *fol.* 292. Saulay *in panopl. cleric. lib.* 4. *cap.* 4. Cellotius *de hierarch. lib.* 6. *cap.* 14. Clericus autem, de quo in præsenti textu, necessariò debet adesse, ut presbytero sacrificium Missæ celebranti ministret, & respondeat, *cap. proposuit, de filiis Presbyt.* Concil. Mogunt. celebratum anno 813. *cap.* 43. Parisiense sub Ludovico *lib.* 1. *cap.* 48. & in Concil. Moguntino anno 1549. Augustano anno 1548 *can.* 18. Eboracensi anno 1194. statuitur, ne sine ministro Missæ sacrificium celebretur; & Leo IV. in epist. per provincias missa, jubet ut nullus Missam cantet solus, ideoque *in cap. placuit* 1. *q.* 4. *cap. illud* 2. *q.* 1. *cap. nemo* 9. *de consecr. dist.* 1. *cap. cùm sicut, de consecr. Eccl.* docetur, ut Basilica non consecretur absque dote congrua ad alendos presbyterum, & ministros. An verò sacerdoti ministranti unus tantùm, vel duo debeant adesse ministri, pro expositione textus *in cap. hoc quoque de consecr. dist.* 1. pertractant latè Petrus Gregorius *lib.* 1. *partit. tit.* 19. *cap.* 3. Landtmeter. *de veteri cleric. lib.* 2. *cap.* 84. Suarez *adversus Regem Angliæ lib.* 2. *cap.* 6. & *de sacram. q.* 83. *disp.* 87. *sect.* 1. Espenceus *in tract. de Missa publ. & privata.* Corjolanus *in chron. anno* 175. Diana *part.* 10. *tract.* 15. *resol.* 16. Vicecomes *de Missæ ritibus volum.* 3. *lib.* 1. *cap.* 13. Antonius Monchiac. 3. *p. de sacrificio Missæ, cap.* 30. Garcia *in summa eod. tract. fol.* 575. Pater Henao *eod. tract.*

5. (e) *Cantet*] Licèt enim prioribus Ecclesiæ sæculis omnes fideles utriusque sexus in Ecclesia psallerent, ut retuli suprà *in cap.* 1. & fusè probat Vicecomes *de Missæ ritibus volum.* 3. *lib.* 1. *cap.* 30. *cum sequent.* tamen posteà hoc tantùm permissum fuit clericis, laicis verò prohibitum Concil. Laodiceno *can.* 15. Carthag 4. *can.* 10. ibi: *Quod non oportet præter canonicos cantores, qui suggestum ascendunt, & qui ex membrana psallunt, aliquos alios canere in Ecclesia.* Unde instituta fuit schola cantorum, de qua agunt Menardus *ad sacram. D. Gregorii, fol* 62. Cironius *ad tit. de offic. Primic.* Corjolanus *in chron. anno* 53. *n.* 60. & *anno* 555. Mendoza *q.* 3. *positiva, num.* 2. P. Herrera *de offic. divino cap.* 15. Landtmeter. *lib.* 2. *de veteri mon. cap.* 12. Grethser. *in notis ad Codinum lib.* 1. *cap.* 12. Serlogus *tom.* 3. *in Cantica, pag* 447.

6. (f) *Epistolam, & lectionem.*] Postquam ab Ecclesiæ Patribus statutum fuit, ut Diaconi in Ecclesia Evangelium legerent & Subdiaconi Epistolam, Concilio Arvernensi sub Leone III. & Carolo, anno 813. *can.* 4. ad lectorem spectavit legere cæteras lectiones, *cap. cleros, verb. Lectores*, 21. *dist. cap. perlectis, vers. Ad Lectores*, 25. *dist.* excepto semper Evangelio. Unde in Concilio Carthaginensi 3. *can.* 2. statuitur, ut cùm Lectores in Ecclesia legunt, populum non salutent. Plura de lectoris munere in Ecclesia congesserunt Vicecom. *dicto volum.* 3. *lib.* 1. *cap.* 26. Jodocus Coccius *lib.* 5. *thesauri fidei cathol. art.* 14. Spondanus *in epit. Baronii, anno* 253. *num.* 14. Menardus *ad D. Gregorium, fol.* 274. Cironius *ad tit. de cleric. non resid.* Ambianas *ad Tertul. de fuga, cap.* 11. *obs.* 2.

(g) *Scholas tenere.*] Consonant capitulo 20. incertæ editionis, ibi: *Presbyteri per villas & vicos scholas habeant; & si quilibet fidelium suos parvulos ad discendas litteras eis commendare vult, eos suscipere & docere non renuant, sed cum summa charitate eos doceant.* Quod desumptum est ex Theodulpho Aurelian. *num.* 20. suprà *num.* 1. relato; erant enim olim in Ecclesia scholæ duplicis generis; aliæ in monasteriis, in episcopiis aliæ. De his scholis agitur in Concilio Toletano 4. *can.* 23. Aquisgran. *can.* 72. ibi: *Ut scholæ legentium puerorum fiant, ubi psalmos, notas, cantum, computum, grammaticam per singula monasteria, vel episcopia discant.* Quæ verba reperiuntur *lib.* 1. *capitul. Caroli, cap.* 72. De monasticis scholis ita cavetur in Concil. Turon. 2. *can.* 14. *Schola labore communi construatur, ubi omnes jaceant, aut Abbate, aut Præposito gubernante, ut dum duo, vel tres vicissim legant, & excubent, alii consolentur.* Non tamen scholæ istæ omnibus pueris patebant, sed tantùm oblatis, ut probant Gibalinus, *de clausura disquisit.* 1. *cap.* 2. §. 11. Benedictus Ephtenus *disquisit. monast. lib.* 4. *tract.* 1. & *in vita Sancti Benedicti cap.* 45. *fol.* 1099. Scholæ, quæ in episcopiis erant, aliæ in Ecclesiis Cathedralibus presbyteris deputabantur, de quibus agemus *in cap.* 1. *de Magistru*; aliæ assignatæ erant pueris, de quibus in Concilio Valentin. Galliæ ita cavetur *can.* 18. *Divinæ quam humanæ litteraturæ, necnon & ecclesiasticæ cantilenæ, juxta exemplum prædecessorum*, Cabilon. 2. *can.* 3. & *lib.* 2. *capitul. Caroli, can.* 5. ibi: *Scholæ sane ad filios, & ministros Ecclesiæ instruendos, vel edocendos, sicut nobis præterito tempore ad Attiniacum promisistis, & vobis injunximus, in congruis locis, ubi necdum perfectum est, ad multorum utilitatem & profectum a vobis ordinari non negligantur.* Concilio Moguntino sub Carolo Magno, *cap.* 45. *Signum est, ut filios suos donent ad scholam, sive ad monasteria, sive foras presbyteris, ut fidem catholicam rectè discant, & orationem Dominicam.* Reperitur *capitul. lib.* 5. *cap.* 95. De his agitur in præsenti textu, & *in cap.* 1. *de celebrat. Missarum.* Pluraque de illis congesserunt Lindembrogius *in Glossario, verbo Schola.* Gibalinus *dicto cap.* 2. §. 11. Filesacus *in cap.* 15. §. 2. *de offic. ordin.* Cironius *lib.* 2. *observ. cap.* 7.

7.

CAPUT

CAPVT IV.

(a) Gregorius.

SI quis ex clericis comam relaxaverit, anathema ſit.

NOTÆ.

(a) *Gregorius.*] Nonus legitur in ſexta collectione, in prima autem legitur tantùm Gregorius; ſed legendum eſt Gregorius II. in Synodo Romana 1. ut habetur *in cap. ſi quis ex clericis, diſt. 23.* Ipſe enim Gregorius Nonis Aprilis, anno Domini 721. Concilium Romæ celebravit contra illicita connubia, in quo 17. canones editi fuerunt; & in canone ultimo ita legitur: *Si quis ex clericis comam relaxaverit, anathema ſit; & reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit*: ut habetur in ipſis tomis Conciliorum, *tom. 17. Regiæ editionis, fol. 379.* & Baronio *anno 721.* & ex Gregorii decretis citantur hæc verba in Concilio Moguntin. ſub Rabano, tempore Leonis IV. ibi: *In decretis Gregorii Papæ ſcriptum eſt, ſi quis ex clericis laxaverit comam, anathema ſit, unde ſancimus, ut hujuſmodi cogantur ad priſtinum ſtatum reverti.*

COMMENTARIUM.

2. Concluſio traditur & probatur.

EX hoc Synodi Romanæ canone ſequens communiter deducitur diſputanda aſſertio: *Clerici comam nutrire non debent.* Probant textus *in cap. prohibete, cum ſequent. 23. diſt.* Martinus Brachar. *ſuæ collectionis cap. 41.* ibi: *Non oportet clericos comam nutrire, & miniſtrare, cap. præcipimus 21. q. 4. cap. Joannes, de clericis conjugatis, cap. unic. eod. tit. in 6. Clement. 2. hoc tit.* Concilium Agathenſe ſub Cæleſtino I. *can. 20.* Tolet. 4. *can. 40.* Mogunt. 2. *can. 15.* Aquisgran. 1. *can. 1.* Triburienſe ſub Arnulpho, *can. 20.* Stephanus II. Pontifex *in reſponſ. can. 18.* ibi: *Ut nullus clericus, aut monachus comam laxare præſumat, aut anathema ſit.* Synodus Lingonienſis, cujus canones collegit Ludovicus Cardinalis de Vatro anno 1404. ibi: *Comam non nutriant clerici, ſeu crinis magnos, alioquin poſſunt tonderi per Archidiaconos.* Concilium Toletan. 4. *can. 41. Omnes Clerici, vel Lectores, ſicut Levitæ, & Sacerdotes, detonſo ſuperiùs toto capite, inferius ſolam circuli coronam relinquant, non ſicut hucusque in Gallaciæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis, ut laici, comis in ſolo capitis apice modicum circulum tondent.* Concilium Salisburgenſe ſub Gregorio X. anno 1274. *Edicto perpetuo prohibemus, ne clerici comam nutriant, maximè ſacerdotes, qui taliter tondeantur, ut pateant eis aures, ceteri inferioris ordinis clerici in tonſura non multùm diſcrepent ab iisdem.* Barchinonenſe can. 6. *Ut nullus clericus comam nutriat, aut barbam radat.* Synodus Hibernica ſub Leone Magno anno 456. ibi: *Quicunque clericus ab oſtiario uſque ad ſacerdotem ſine tunica viſus fuerit, & ſi non more Romano capilli ejus tonſi ſunt, ab Eccleſia ſeparetur.* Zacharias Pontifex in Concilio Romano, *can. 18. Ut ſi ullus clericus, aut monachus comam laxare præſumpſerit, anathema ſit.* Concilium Oxonienſe *can. 23.* tempore Honorii III. *Et nec ipſi, nec alii clerici comam nutriant, ſed honeſtè tonſi, & coronati incedant, niſi fortè exegerit juſta cauſa habitum transformare.* Salceburgenſe tempore Gregorii X. *can. 11.* Ravennat. tempore Honorii IV. Concilium Toletanum celebratum anno 1324. ibi: *Quilibet etiam clericus barbam faciat ſibi rádi, quolibet ſaltem menſe, nec crines deferat notabiliter infrà aures.* In legibus presbyterorum Nortumbrenſium, quas collector Conciliorum majoris Britanniæ ſub anno 988. repoſuit, *num. 34.* ita legitur: *Si presbyter barbam, vel comam radere neglexerit, compenſato.* Tridentinum *ſeſſ. 23. de reformat. cap. 6.* Sixtus V. *conſtit. 92.* Illuſtrant ultra congeſtos in præſenti à Barboſa & Garanna, idem Barboſa *de jure Eccleſ. lib. 1. cap. 40. num. 13.* & de poteſtate Epiſcopi *alleg. 9. num. 10.* Cujacius, Boërius Epon. & Fabrotus *ad hunc textum*, Scortia *in ſelect. epiſt 149. theorem. 381.* Vivar. *de veteri monach. lib. 2. cap. 10.* Volduc. *de Eccleſia poſt legem cap. 12.* Spondanus *in epit. Baronii anno 57. n. 20. & anno 58 num. 50. & 51. & anno 398. num. 15.* Severinus Binius *tom. 1. Concil. in notis ad Anicetum*, P. Creſolius *lib. 4. myſtag. cap. 12.* Cochier *in fac. hiſt. cent. 1. cap. 29. & cent. 2. cap. 82.* Cabreros *de metu lib. 2. cap. 48. numero 128.* I. Garcia *in ſumma tract. 1. difficult. 2.* Machado *tom. 2. lib. 4. ſummæ, p. 1. tract. 13. docum. 10.* Marchinus *de ordine, tract. 1. p. 1. cap. 5.* Serlogus *in Cantica tom. 3. cap. 5. verſ. 2. veſtig. 32. fol. 288.* Zerda in Judith *tom. 1. fol. 234.* Sauſay *in panopl. cleric. p. 2. lib. 1. cap. 4.* Hallierius *in appendic. ad tract. de ſacris elect.* Villarroel. *p. 1. de regim. Eccleſ. q. 10. art. 6.* fuſè Theophilus *tom. 13. in tract. Laus brevit. cap. 9.* innumeri apud Solorzanum *tom. 2. de jure Ind. lib. 1. cap. 24. num. 32.* Franciſcus Florens *in præſenti.*

Hæc tamen aſſertio difficilis redditur ſequenti juris conſideratione; nam quælibet Domini noſtri actio debet eſſe vitæ noſtræ inſtructio. *Clement. 1. de Magiſtris*: ſed Dominus noſter Jeſus Chriſtus cæſariem detulit, ut conſtat ex Lentulo Judaici populi Præſide apud Malonum *in notis ad caput 3. Paleoti Archiepiſcopi*, ubi Dominum noſtrum ita depinxit: *Capillos habens colore nucis avellanæ præmaturæ, & planos ferè uſque ad aures; ab auribus verò concinnos, criſpos, aliquantulum cæruleos, & fulgentiores, ob oculos ventilantes; diſcrimen habens in medium capitis, extra morem Nazaræorum; frontem planam, & ſereniſſimam, cum facie ſine ruga.* Refert P. Zerda *in adverſ. cap. 100. num. 7.* & Nicephorus Calixtus

3. Traditur dubitandi ratio.

lib. 1. cap. 40. ait: *Capitis capillos tulit prolixiores, novacula enim in caput ejus non ascendit.* Et de D. Jacobo legitur apud Pierium *in tract. de barbis Sacerdotum*, inter reliquas bene instituti illius animi dotes, id summâ omnium consensione, quod nullo unquam tempore tonsorem admiserit: Ergo non rectè Gregorius in præsenti prohibet clericis comam nutrire, contra factum Domini, & Sanctorum ejus. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex eo, quia juri divino contrarium est, comam dimittere, & caput attondere. *Levit. cap. 19. vers. 27.* ibi: *Non attondebitis in rotundum comam, nec radetis barbam.* Et *cap. 21. v. 5. Nec radent caput, nec barbam.* Numer. *cap. 6. vers. 5.* Et rectè; nam comam nutrire, auctoritatis & gloriæ est. D. Ambrosius *lib. 6. Hexamer.* ubi ait: Comam esse reverendam in senibus, venerabilem in Sacerdotibus, terribilem in bellatoribus, decoram in adolescentibus, comptam in mulieribus, dulcem in pueris: *Tolle arboris comam, arbor ingrata est: tolle hominis capillum, tota pulchritudo flaccescit.* D. Hieronymus *in Ezechielem cap. 5. In cæsarie pulchritudinis, & virilitatis indicium est; quæ si radatur, fœda nuditas apparet.* Apuleius *lib. 2. Asini aurei*, ibi: *Si cujuslibet eximiæ pulchritudinis caput capillo spoliaveris, & faciem nativa specie nudaveris, licèt illa cœlo detecta, mari edita, fluctibus educata, licèt inquam Veneris ipsa fuerit, placere non poterit, nec Vulcano suo.* Ovidius:

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus:
Et sine fronde frutex, & sine crine caput.

Sinesius *in encomio de calvitie*: Statius *lib. 1. Aquil.*

---- Niveo natat ignis in ore
Purpureo flavôque nitet coma gratior auro.

Virgilius:

Aurea fulgebat rosis aurora capillis.

Et ita comâ plures perpolitas nationes usas fuisse constat. De Lacedæmoniis testatur Plutarchus *in Lysandr.* De Lusit. Alex. ab Alex. *lib. 5. genial. cap. 14.* De omnibus Hispanis in communi Cælius Rhodigin. *lib. 18. antiq. lection. cap. 21.* De aliis idem probant Mendoza *in 1. Regum, q. 1. num. 11.* Hottom & Iunius *in tract. de barba & coma.* Bisciola *lib. 7. hor. succes. cap. 5.* Minùs igitur rectè Gregorius in præsenti comam nutrire clericis prohibet. Augetur secundò ex eo; nam comam radere, captivitatis servilis, ac ignominiæ signum fuisse invenio apud Ezechielem *cap. 29.* ibi: *Nabuchodonozor servire fecit servitute magna: omne caput decalvatum, & omnis humerus depilatus est.* Et *lib. 2. Reg. cap. 10. v. 4. Tulit itaque Amon servos David, rasitque dimidiam partem barbæ eorum, & dimisit eos.* Et *lib. 1. Paralip. cap. 20.* Deuter. *cap. 32.* Unde Aristoteles dixit, comam esse libertatis argumentum. Et apud Aristophanem legimus: *Servus cùm sis, comam nutris?* & apud Martialem, qui ut quendam nuncuparet filium servi, dixit *lib. 6. epigram. 64.*

---- Sed patris ad speculum tonsi.

Quin & criminum reos, & ad metallum damnatos, tonderi ex Ulpiano colligitur *in l. vestem. 39. ff. de injuriis*, & ex novella 62. Iustin. 59. Leonis, & apud Isaiam ita comminatur Dominus *c. 3. v. 17. Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion.* Et *cap. 48. Omne caput calvitium erit.* Ezechiel *cap. 7.* Amos *cap. 8.* Illustrat latè Hurtado *de martyrio per pest. digres. 5. membr. 3.* & in legibus Wisigoth. *lib. 1. tit. 4.* ita cavetur: *Ad aliorum terrorem centenis flagellis, & turpiter decalvati perenni infamiæ subjacent.* Et *lib. 1. tit. 7. l. 7. tit. 2. capit. 335.* & *lib. 1. legum Longob. tit. 17.* Tacitus de moribus German. *Pauciſſima in tam numerosa gente adulteria, quorum pœna præsens, & maritis permissa; ac sciſſis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus.* Turonensis *lib. 5. hist. cap. 39. Et graviter verberata, incidi comam ejus capitis jubet.* Juvenalis satyra 5.

---- Pulsandum vertice raso
Præbebit quandoque caput, nec dura timebit
Flagra pati.

Idem refert Adamus *lib. 5. hist. Bremensis, cap. 1.* Unde omnis abrasio ignominiosa. Tertullianus *de pallio cap. 4.* Cicero *pro Roscio*, ibi: *Ne ipsum caput & supercilia penitus abrasa, olere malitiam, clamitare calliditatem videntur?* Et inferiùs: *Qui idcirco capite & superciliis semper est rasus, ne ullum pilum boni viri habere dicatur.* Quare apud Jeremiam *cap. 9. vers. 25.* Dominus comminatur, se visitaturum super omnes, qui attonsi sunt in comam, habitantes in desertis; & Baruch *cap. ult.* ubi Jeremias in epistola quam dirigit ad Judæos abductos exules in Babyloniam proponit iis pudendos Idolorum sacerdotes habentes tunicas scissas, & capita, & barbam rasam. Accedit, nam comam dimittere, & radere, in luctu & magno mœrore habetur apud antiquos; qui in luctuosis, & acerbis casibus, atque in funeribus charorum, ut mœstitiam demonstrarent, comam cum barba detondebant. Seneca *de consolat. cap. 36.* Herodotus *in Euterp.*

Aspice dimissos lugentis more capillos.

Hieremias *cap. 7.* ibi: *Tonde capillum tuum, & projice, & sume directum planctum.* Unde Job audita filiorum clade totondit capillos, *cap. 1.* Sed & Michæas *cap. 1.* ait: *Decalvare, & detondere super filios deliciarum tuarum: dilata calvitium tuum, sicut aquila, quoniam captivi ducti sunt ex te.* Suetonius *in Caligula*, *de morte Germanici cap. 4.* ait: *Regulos quosdam barbam posuisse, & uxorum capita rasisse ad indicium maximi luctus.* Innumera congesserunt Cochier *in face hist. cap. 29.* Fornerius *lib. 4. rer. quotid. cap. 5.* Serlogus *tom. 3. in Cantica, vestig. 32. cap. 5. vers 2. fol. 286.* Pineda & Sanchez *in cap. 1. Job, vers. 20.* Marcel. Donatus *ad Suetonium, in Cæsare cap. 67.* Cabreros *de metu lib. 2. cap. 48.* Prosperus Stellatus *de coronis cap. 8.* Hurtado *de vero martyrio, ubi proximè*, Beyerlingk *tom. 1. in theatr. verbo Abrasio*: & *tom. 2. verbo capilli*, & *tom. 6 verbo Pilus.* Philippus Camerarius *tom. 1. horar. succis. cap. 36.* & *cent. 2. cap. 40.* Novarinus *lib. 26.* Scheddas, *cap. 29.* immò ipsi morituri comam sicut alia ornamenta deponebant. Statius *extrem. 7.*

Adeo jam rapida cursum stygis, utraque dictis
Flumina ter geminus, quæ mali custodis hiatus:
Accipe commissum capiti decus, accipe lauros
Quos Erebo deferre nefas.

Virgilius *lib. 4. Æneid.*

Noudum illi flavum Proserpina vertice crinem

Absu-

Abstulerat; stygioque caput damnaverat Orco.

Et infrà.

Sic ait, & dextra crinem secat omnis, & unà
Dilapsus calor, atque inventos vita recepit.

Igitur si comam dimittere, luctum, atque mœrorem significat, ac majoris mali principium, cur clerici, qui honore, vestituque præfulgere debent, eam nutrire non possunt?

4. De coma & ejus usu.

Quâ dubitandi ratione ità fulcitâ non obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, nutrire comam omnibus etiam laicis naturâ ipsâ prædocente turpe esse. D. Paulus 1. *Corinth. cap.* 11. In hoc enim, ut ibi Sanctus Chrysostomus ait, natura humano generi dedit providentiæ, ac subjectionis symbola, ideoque virum jussit rejectâ comâ libero, & aperto capite principatus signum præ se ferre, mulierem verò comam gestare voluit, veluti quoddam submissionis velamen, & servitutis in signum, *cap. hæc imago* 13. 33. 5. Ovidius *epist.* 4. viros comatos ita detrectatur.

Sint procul à nobis juvenes ut fœmina compti.

Quare Virgilius *lib.* 12. *Æneid.* Æneam semivirum appellavit.

--- Dasternere corpus
Semiviri Phrygis, & fœdare in pulvere crines
Vibratos calido ferro, myrrhaque madentes.

Hanc in tractandis crinibus mollitiem improbarunt Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *pædag. c.* 3. Seneca *epist.* 115. & 126. Horatius 1. *Carmin. Od.* 15. Tertullian. *lib.* 2. *ad uxorem*, ibi: *Quid*, inquit, *crinibus vestris quiescere non licet, modò subtractis, modò relaxatis, modò suscitatis, modò elisis?* Seneca *de brevit. vitæ cap.* 12. sic comatos describit: *Illum tu otiosum vocas, qui Corinthia paucorum furore pretiosa, anxiâ subtilitate concinnat, & majorem dierum partem æruginosis lamellis consumit; qui in ceromate (nam proh delictum, ne quidem Romanis vitiis laboramus) spectator puerorum rixantium sedet? Quid? illos otiosos vocas, quibus apud tonsorem multæ horæ transmittuntur, dum decerpitur si quid proximâ nocte subcrevit; dum de singulis capillis in consilium itur; dum aut discreta coma restituitur, aut deficiens hinc, atque hinc in frontem compellitur? Quis est istorum, qui non malit rempublicam turbari, quam comam suam? Quis non solicitior sit de capitis sui decore, quam de salute? Quis non comptior esse malit, quam honestior? Hos tu otiosos vocas, inter pectinem, & speculum occupatos?* Nec omittendus est D. Ambrosius *in lib. de virgin. lib.* 3. ubi ait: *Noli proximæ meæ cincinnos corporalium capillorum; non illa ornamenta, sed crimina sunt; lenocinia formæ, non præcepta virtutis. Alios cincinnos Nazaræus habet, quibus ferrum non ascendit, quos nemo prædidit; qui non calamistris compositi, & arte digesti, sed multiplici crispante virtutum nitentium gratiâ refulserunt.* Tandem audiamus Chrysim. *ad Pellienum*, qui in Arbitri satyra ita ait: *Quò enim spectant flexæ pectine comæ? quò facies meditamine attrita, & oculorum quoque mollis petulantia? quò incessus aptè compositus, & ne vestigia quidem pedum extra mensuram aberrantia, nisi quod formam prostituas, ac vendas? Vides me? nec auguria novi, nec mathematicorum cœlum curare soleo; ex vultibus tamen hominum mores colligo.* Quare diligenter Patres Concil. Illiber. *can.* 67. prohibuerunt ne quæ fidelis, vel cathecumena, aut comatos, aut viros cinerarios habeat, ubi notavi. Plura congesserunt in comæ virilis detestationem Roa *lib.* 3. *singular. cap.* 15. Carranza *en el abuso de los trages*, D. Gutierrez Marques de Careaga *in opuscul. contra las quedejas.* Rectè ergo cùm comam nutrire à Sanctis Patribus, etiam in laicis, ut turpe exosum sit, quantò magis in clericis, qui non vagis oculis, aut petulanti gestu, sed pudorem, & verecundiam mentis simplici habitu, incessuque ostendere debent, ut ajebat D. Isidorus *lib.* 2. *de offic. cap.* 2. Talis abusus condemnatur, & comam nutrientes excommunicationis mucrone feriuntur; nam quo plus honoris, & venerationis clericis debetur, eò gravius plectendi sunt illi, qui, ut ait Salvianus *lib.* 4. *de gubern. Dei*, per flagitia ac turpitudines suas nomen religionis infamant.

5. De tonsurâ Clericorum.

Deinde sciendum est, jam primis Ecclesiæ sæculis ejus ministros in album sacræ militiæ relatos comam deposuisse, & clericalem dignitatem per comæ tonsuram suscepisse: unde Arator *epist. ad Parthenium*, ait:

Namque ego Romanâ caulis permixtus amœnis
Ecclesiæ, tonso vertice factus ovis.

Et in vita sancti Germani Episcopi Autisiodorensis, auctore Constantio presbytero, legitur: *Invocato nomine Domini cæsariem ejus capiti detrahens, habitu religionis, rejectis sæcularibus ornamentis, cum promotionis honore induit.* Gregorius Turon. *lib.* 3. *hist. cap.* 18. ibi: *Sibi manu propriâ capillos incidens, clericus factus est.* Et *de vitis Patrum cap.* 6. *Simpliciter Abbatem exorans, ut sibi comam capitis tondere dignaretur.* Et B. Gregorius *lib.* 7. *epist.* 112. ubi de his conqueritur, qui ex laicali statu ad clericatum repente convolarunt: *Tonsura accepta, seu potius arrepta*, ait, *hoc quoque ad nos perveniisse non dissimili dignum contestatione complectimur, quod quidam desiderio honoris inflati tonsurantur, & fiunt repente ex laicis sacerdotes.* Inde etiam in formulis Marculfi *lib.* 1. *n.* 19. dum refertur præceptum Regis de clericatu, quo scilicet Rex licentiam nomen dandi clericali militiæ concessit, præcisæ comæ, & efformatæ tonsuræ mentio fit illis verbis: *Ille ad nostram veniens præsentiam petiit Serenitati nostræ, ut ei licentiam tribuere deberemus, qualiter comam capitis sui ad onus clericatus deponere deberet; quod nos propter nomen Domini gratanter animo præstitisse cognoscit. Præcipientes ergo jubemus, ut si memoratus ille de capite suo bene ingenuus esse videtur, & in puletico* (polyptico, id est, publicis rationibus, legit Pitheus *ad titul.* 26. *legis Salic.* & nos *in cap. unico de oblig. ad ratioc.*) *publico censitus non est, licentiam habeat comam capitis sui tonsurare, & ad suprascriptam basilicam, vel monasterium deservire, vel pro nobis Domini misericordiam attentius exorare.* Notgerus Episcopus Leodiensis in vita S. Landoaldi ait: *Ab oratione surrexit, capitis comam sibi abscindi fecit, clericatus adeptus honorem, omnem in clero gratiam*, &c. Et in sexta Synodo *can.* 33. expressè prohibetur quocumque sacerdotali ordine, vel ministerio fungi, nisi illi qui tonsuram sacerdotalem habuerit, & benedictionem à suo proprio pastore canonicè susceperit: Unde ex Apostolica traditione semper in Ecclesia observatum fuit, ut clerici tonsuram deferrent, juxta declarationem Aniceti *in cap. prohibete* 23. *dist.* ibi: *Uteclerici juxta Apostolum comam non nutriant, sed desuper caput in*

modum sphæra radant. Et in libro Pontificali, *num.* 12. de Aniceto Pontifice ita legitur : *Hic constituit, ut Clerus comam non nutriret secundùm Apostoli præceptum, cap. duo sunt* 7. 12. *q.* 1. Quare coronati pro clericis ponuntur *in l.* 38. *C. Theodos. de Episcopis & clericis*, ubi illustravit Gothofredus. Rem scribit miram Gregorius Turon. *in vitis SS. Patrum. cap.* 17. *S. Niceptius Episcopus ab ipso ortûs sui tempore designatus est clericus ; nam cum partu fuisset effusus, omne caput ejus, ut est consuetudo nascentium infantium, à capillis quidem nudum cernebatur, in circuitu verò modicorum capillorum ordo apparuit, ut putares ab iisdem coronam clerici fuisse signatam.* Defendunt contra Novatores, præcipuè Calvinum & ejus asseclas Saussay *in panopl. cleric. lib.* 1. *per totum*, Hallier *de sacris electi. in appendice de tonsura*, Carrier *tom.* 2. *Digesti fidei, fol.* 215. Mendoza *q.* 5. exponit fusè Prosperus Stellatus *lib.* 3. *de coronis & tonsuris*, Baronius *anno* 58. *num.* 7. *&* 121. *& anno* 34. *n.* 293. Cresolius *lib.* 4. *myst. c.* 12. *sect.* 3. Sixtus Senensis *lib.* 5. *Biblioth. annot.* 244. Bellarminus *lib.* 2. *de monachis, cap.* 40. Jodocus Coccius *tom.* 2. *thesauri, lib.* 4. *art.* 8. Corjolanus *in breviario, anno* 167. Yepes *in chron. D. Benedicti, anno* 523. *cap.* 4. Mathias Bredembachius *lib.* 4. *Antiperapistu, cap.* 23. Turrianus *lib.* 5. *pro epist. Pontif. cap.* 19. Christ. Lupus *in can.* 14. *Synod.* 7.

6. *Asseruntur aliquæ rationes tonsuræ.*

Rationes verò, & significationes, tum morales, tum mysticas hujus tonsuræ assignarunt Sancti Patres. D. Isidorus *lib.* 2. *de eccles. offic. cap.* 14. à ritu Nazaræorum fluxisse credit ; erant enim Nazaræi inter Judæos sanctitate vitæ celebres, & austerioris instituti, seu propositi viri, ad tempus, vel in perpetuum consecrati ; cujus consecrationis ritus refertur *cap.* 6. *v.* 18. *Numer.* his verbis : *Cùm dies, quos ex voto decreverat, complebuntur, adducet eum ad ostium tabernaculi fœderis, & offeret oblationem ejus Domino, &c. tunc radetur Nazaræus ad ostium tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ ; tolletque capillos ejus, ponetque super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum,* &c. Quamvis autem toto tempore Nazaræatus, seu voti sui, caput Nazaræus non attonderet, nec raderet, dicente Scripturâ : *Omni tempore separationis suæ novacula non transibit per caput ejus, usque ad completum diem, quo Domino consecratur. Sanctus erit, crescente cæsarie capitis ejus* : Attamen eo die, quo consecrari & perfici censebatur, caput solenniter attondebat, *Judic. cap.* 13. refert Josephus *lib.* 2. *de bello Judaico, cap.* 15. quam rationem amplexi fuerunt PP. Concilii Aquisgran. *can.* 1. Aliam adducunt Germanus Patriarcha Constantinop. *in theoria rerum ecclesiast.* Beda *lib.* 5. *histor. cap.* 22. P. Blesensis *in cap.* 1. *Job*, videlicet, in memoriam spinææ coronæ Domini clericos capillos in formam coronæ attonsos gestare ; quam illustrant Saussay. *p.* 1. *Panopl. cleric. lib.* 3. Bulengerus *lib.* 1. *opuscul. cap.* 8. Cerda *in advers. cap.* 137. *num.* 5. Alii putant, hoc ritu moneri clericos, ut tanquam spirituales Reges coronam gestare meminerint ; ita D. Isidorus *dicto lib.* 2. *cap.* 4. Rabanus Maurus *lib.* 2. *de instit. cleric. cap.* 1. Hugo à Sancto Victore *lib.* 2. *de sacris, p.* 3. *cap.* 1. Alii tandem in memoriam tonsuræ Sancti Petri eundem ritum usitati credunt. Beda *lib.* 5. *hist. cap.* 22. ibi : *In Ecclesia, vel in universo hominum genere reperimus tonsuras ; nullam magis sequendam, amplectendamque jure dixerim eâ, quam in capite suo gestabat ille, cui se confitenti Dominus ait : Tu es Petrus &c.* Et paulò pòst : *Nec ob id tantùm in coronam attondemur, quia attonsus est Petrus, sed quia Petrus in memoriam Dominicæ passionis ita attonsus est.* Germanus Patriarcha *ubi suprà*, ibi : *Duplex corona circumposita capiti sacerdotis, ex capillorum significatione imaginem refert venerandi capitis Apostoli Petri, qui cùm missus esset ad prædicationem Domini, & Magistri, eitonsa est ab iis, qui ejus sermonem non credebant, ut illuderetur ab ipsis ; eique Magister Christus benedixit, & infamiam in honorem, illusionem in gloriam convertit, & posuit super caput ejus coronam, non ex lapidibus pretiosis, sed lapidem ex petra fidei ejus, fulgescentem super aurum, topazion, & lapides pretiosos.* Nec desunt mysticæ rationes ; duas referunt Saussay *d. lib.* 3. *prope finem.* Eftenus *lib.* 5. *disquisit. monast. tract.* 9. *disquisit.* 4. *&* 5. quas latè illustrat Hurtado *de vero martyrio*, ubi suprà, *fol.* 387. quibus non impropriè addi potest alia ex veteri more adoptandi petita. Inter priscos enim adoptionis ritus refertur per capillorum attonsionem adoptionem perfici. Paulus Diaconus *lib.* 6. *de gestis Longob. cap.* 53. *Circa hac tempora Carolus Princeps Francorum Pipinum suum filium ad Luitprandum direxit, ut ejus juxta morem capillum susciperet : qui ejus cæsariem incidens, ei pater effectus est.* Idem refert Aimonius *de gestis Francorum lib.* 4. *cap.* 57. *Pepigerat autem fœdus præfatus Princeps cum Luitprando Longobardorum Rege, eique filium suum Pipinum misit, ut more Christianorum fidelium ejus capillum primus attonderet.* Atque ita Benedictum secundum Constantini IV. filios in suos recepisse, & veluti adoptasse videtur, cùm mallones capillorum ab eis susceperit. Refert Anastasius Biblioth. *in Benedictum II.* observarunt Merillus *lib.* 3. *obs. cap. final.* Sahabedra *in chron. Goth. cap.* 9. Serlogus *tom.* 3. *in Cantica, fol.* 286. Unde tonsura clericalis adoptionem in Christi familiam significat, ut per tonsuram in familiam Dei transeamus, & ad ejus hæreditatem vocemur, tanquam speciales filii, juxta Isidorum *in cap. Cleros*, 21. *dist.* relatum.

7. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa, pro cujus solutione sciendum est, Hebræos longam comam aluisse, ut latè probant Pineda *lib.* 1. *in Job, vers.* 20. *num.* 11. Serlogus *dicto tom.* 3. *fol.* 287. Cochier *in face histor. cent.* 2. *cap.* 82. Unde Christus Dominus prolixiori utebatur comâ, ut quemadmodum in aliis rebus, in crinis quoque dispositione à communi provinciæ usu non discederet ; quia tunc expediebat ab usu ordinario hominum Redemptorem nostrum non abhorrere, ut observant Cresolius *lib.* 4. *myst. cap.* 12. *sect.* 2. Serlogus *tom.* 3. *in Cantica, cap.* 5. *vestig.* 32. *fol.* 299. quod & ex eadem ratione discipulum ejus B. Jacobum fecisse, facilè credi potest. Nec obstant auctoritates sacræ paginæ. Non prima deducta *ex cap.* 19. *Levitici*, in illis verbis : *Nec in rotundum attondebitis comam.* Quem locum ita vertit Symmachus : *Non circumtondebitis in circuitu affectum capitis vestri.* Vatablus ita legit : *Non attondebitis in rotundum comam vestram.* *Ægyptiorum sacerdotum more.* Vixerant enim Israëlitæ hactenus inter Ægyptios, quorum ne morem hac in re imitarentur Levitæ, hoc decreto voluit Deus præpedire. Præcidere ergo voluit Dominus in Judæis talem ritum. Sunt alii qui respondent, hoc præceptum fuisse cæremoniale, ut fuit circumcisio, & id genus

genus alia ; quæ post legem gratiæ mortua sunt, ut probavi *in cap. translato, de constit.* Alii dicunt Dominum non tam morem attondendi caput in rotundum prohibuisse, quàm pravam intentionem vetuisse ; siquidem non absolute, ne hoc facerent, sed solùm propter malum finem prohibuit, scilicet cultum dæmonis, propter quem ethnici id usurpabant, ut statim dicemus. Sed his omissis, genuinæ interpretationi hujus loci planam, & expeditam viam sternit Hesychius Episcopus Hierosolymitanus *in comment. super Leviticum. Tondere*, inquit, *comam in rotundum, non est comam abscindere, sed ornare.* Unde in editione LXX. Interpretum legitur : *Non facietis sisoën ex coma vestra* ; id est, ornatum cincinnum. Suidas enim sisoën interpretatur, id est, capillum plicatum : Latini vocant capillitium calamistratum, sive calamistris in cincinnos reflexum. Quo in sensu ea voce utuntur D. Paulus 1. *ad Timotheum* 2. *vers.* 9. D. Petrus 1. *epist.* 3. *vers.* 3. Sua igitur versione Septuaginta innuunt, prædicto capite 19. Leviticì à Domino cincinnos tantùm prohiberi. Adstipulatur Codex Hebræus, quem periti hujus linguæ asserunt, ad verbum expressè sic habere : *Non circulabitis, non facietis rotundum*, vel, *non cincinnabitis extremitatem capitis vestri.* Ratio hujus prohibitionis est, quia cincinnati, & calamistrati capilli signum sunt mollis, & effœminati animi, ut suprà probavi. Nec obstat ejusdem libri caput 21. in illis verbis : *Non radent caput, neque barbam* ; nam facilè textus ille exponitur, si non mutilus, sed integer textus proferatur ; ita enim habetur : *Loquere ad sacerdotes filios Aaron, & dices ad eos : Ne contaminetur sacerdos in mortibus civium suorum, nisi tantùm in consanguineis, & propinquis, id est super patre, & matre, & filio, & filia ; fratre quoque, & sorore virgine : sed nec in Principe populi sui contaminabitur. Non radent caput, nec barbam, nec in carnibus suis facient incisuras* ; ut Gentiles videlicet facere solebant : si enim alioquin per se nefas esset capillos vel barbam radere, peccarent Nazaræi, qui solemni ritu à sacerdote radebantur, & capillos suos igne sacrificii cremandos ad ostium tabernaculi fœderis offerebant, *Numeror. cap.* 6. Peccavit etiam & Ezechiel, qui assumpto gladio, ductoque per caput & barbam, pilos suos rasit. *Ezechiel. cap.* 5. *vers.* 1. Quin & ipse peccavit vas electionis Paulus, qui caput suum totondit in Cenchris, *Actuum Apost.* 18. *vers.* 18. & *cap.* 21. 23. & 24. Non ergo prohibetur in sacro textu absolutè rasio capillorum, sed ea quæ fit luctûs causâ. Nec etiam obstat locus Hieremiæ *d. cap.* 9. ubi Dominus comminatur se visitaturum super omnes, qui attonsi sunt in comam : nam illis verbis Dominus non increpat comam attondentes, sed perstringit Judæorum luxum, qui Gentilium more comam in gyrum accurabant ; non enim tonsuram Dominus damnat, quæ non luxûs, sed modestiæ causâ gestatur. Nec obstat caput ultimum prophetiæ Baruch, ubi Hieremias increpat Judæos habentes tunicas scissas, & capita, & barbam rasam : nam sanctus Propheta rasuram damnat, non attonsionem ; nec absolutè sacerdotes Babylonicos arguit, sed eo quòd superstitiosè id faciebant in honorem falsorum numinum, ut constat ex textus serie ; aliàs enim Paulum insimularet, qui cum Barnaba tunicam aliquando justo dolore discidit, & barbam rasit mystico ritu, cum delectis à se sociis. *Act.* 21. Locus superioribus haud absimilis est apud Ezechielem *cap.* 44. ubi Deus legem præscribens sacerdotibus suis disertè ait : *Caput autem suum non radent* ; sed si addantur verba, quæ sequuntur immediatè, ex his plana, & pervia resultabit responsio ; mox enim sequitur : *Neque comam nutrient, sed tondentes attondent capita sua.* Docuerunt D. Hieronymus *in Ezechielem lib.* 13. *cap.* 42. ibi : *Perspicuè demonstratur, neque rasis capitibus, sicut sacerdotes, cultoresque Isidis, aut Serapidis, non esse eos oportere ; nec rursus comam dimittere, quod propriè luxuriosum est, sicut cultores Isidis.* Moses Maimonides *p.* 3. *cap.* 37. ibi : *Propterea quod ita se radere, & tondere solebant sacerdotes idololatrici.* Nec obstat augmentum deductum ex dicto loco D. Ambrosii, ex quo deducebamus, comam etiam in viris decoram esse ; licèt enim fateamur, capillos in hominum gloriam datos esse, ad eorumque exteriorem ornatum pertinere, & laicos moderatâ, non inordinatâ comâ uti posse, juxta D. Augustinum *serm.* 1. *Dominicæ post Pentecost.* ibi : *Habitus impudicus corporis sui in viris superflua, & inordinata capillatura* ; & apud varias nationes gloriosum, immò publicum nobilitatis testimonium fuerit comam nutrire, ut probant de Romanis Hurtado *de vero Martyrio sect.* 36. *disgres.* 5. de Gothis Savarus *ad Sidon. lib.* 1. *epist.* 2. de Gallis P. Faber *lib.* 3. *semestr. cap.* 20. de aliis Zerda *tom.* 2. *in Virgil. lib.* 1. *Æneid. vers.* 103. & *lib.* 7. *vers.* 659. Alex. ab Alex. *lib.* 5. *genial. cap.* 18. Pineda *de rebus Salomonis lib.* 6. *cap.* 4. §. 3. Mendoza *quæst.* 5. *expositi. num.* 3. Prosperus Stellatus *lib.* 5. *de coron. cap.* 4. Tamen clerici, qui vanos laicorum contempserunt ornatûs, ne sæculi honores affectasse videantur, vel in crinibus magnum ducere, quod mundi cultores adorant, comâ etiam à natura sibi datâ in Dei obsequium privari debent, ac Deo altissimo sacrificare : unde apud omnes ferè gentes observatum invenio, ut tonsûra capillorum signum sit animi se Deo sacrificare volentis. Suetonius *in Nerone*, ait : *Nero barbam primam posuit conditam in auream pyxidem, & pretiosissimis margaritis adornatam Jovi Capitolino consecravit.* Athenienses Flaminibus capillum dicasse refert Plutarchus in vita Thesei ; & Romæ fuisse Aram Deæ Capillatæ testatur Plinius *lib.* 6. *cap.* 14. eosque tanquam gratissimum munus vanis numinibus crinem amputatum consecrasse, probat Pater Serlogus *dict. vestig.* 32. Solebant itidem pagani simili prorsus ritu, in sacrificiis summa pecudum capita abradere, ut Virgilius innuit *lib.* 2. *Æneid.*

Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro
Summa notant pecudum, paterasque altaria libant.

Et Homerus *iliad.* 3.

Hic Rex Atridæ cultrum quem fortè ferebat,
Majoris gladii vaginæ in parte repositum
Exemit, & pilos media de fronte revellit.

Plura congerit Lindembrogius *in notis ad Censor. lib.* 1. *cap.* 7. Nec obstat quod ultimo loco expendebamus, videlicet comam dimittere proprium esse reorum, & mœrentium : nam usus abscindendi comam non æquè apud omnes nationes invaluit, idemque fuit ; immò potiùs in diversos penitus fines, & ob dissimiles omnino ritus gloriosum hoc aliis, aliis indecorum ; jucundum iis, ingratum illis visum fuit : unde comam

nutrire, & non deponere apud aliquas nationes glorioſum fuit; dimittere autem, & deponere triſtiſſimum: contra verò apud alias gentes deponere, & tondere comam lætitiæ argumentum erat, ut probant Alex. ab Alex. *lib.* 1. *dier. genial. cap.* 16. & *lib.* 3. *cap.* 27. Hadrianus Jun. *lib.* 2. *de coma*; Lælius Biſciola *lib.* 7. *horar. ſucceſ. cap.* 5. Unde votum illud non dimittendi comam, vel barbam, niſi devictis hoſtibus, refert Paulus Vvamfridus *de geſtis Longobard. lib.* 3. ibi: *Millia quoque Saxonum qui bello ſuperfuerant, devoverunt, ſe neque barbam, nec capillos inciſuros.* Notavit Jornandes *in notis ad ipſum.*

8. *Exponitur Cap. ſi verò* 4. *de ſent. excom.*

Ex ſuprà traditis accipit lucem textus *in cap. ſi verò* 4. *de ſent. excom.* ubi docetur, manus violentas inferentem in clericum comam nutrientem, non incidere in excommunicationem latam *in can. ſi quis ſuadente* 17. *quæſt.* 4. quia comam nutrire alienum eſt à clericali ſtatu: quare rectè Alexander III. ibi ſtatuit, percutientem hujusmodi clericum, juſtam ignorantiæ cauſam habuiſſe, ob eamque excuſari à prædicta excommunicatione docuerunt Covar. *in cap. alma*, 1. *p.* §. 10. *num.* 15. Azor *lib.* 5. *inſtit. cap.* 20. *in fine*, Anguianus *lib.* 4. *de legibus, controv.* 4. Gibalinus *de cenſur. fol.* 285. & 464.

Deinde ex ſuprà traditis exponendus eſt textus *in can.* 21. 6. *Synodi*, in illis verbis: *Qui Canonicorum quidem criminum rei facti, & propterea perfectæ, ac perpetuæ depoſitioni ſubjecti, in laicorum locum detruſi ſunt, ſi quidem ad converſionem ſuæ ſponte reſpicientes peccatum delent, propter quod à gratia exciderunt, & ab eo ſe penitus alienos efficiunt, clerici habitu tondeantur: ſin autem non ſuâ ſponte hoc elegerint, comam ſicut laici nutriant, utpote qui mundanam, ſeu ſecularem converſationem vitæ cœleſti præpoſuerint.* In quibus verbis facilè exprimitur, quàm alienum ſit ab ſtatu clericali comam nutrire; ſiquidem in illis caſibus, in quibus à Patribus Eccleſiæ ob graviora crimina clerici deponuntur, & ad laicalem ſtatum rediguntur, jubetur, ut comam nutriant, quia in illis caſibus potiùs ut laici, quàm ut miniſtri Eccleſiæ incedunt; cum verò delicta ita graviora non ſunt, nec depoſitionis pœnam merentur: & quia intra gradus Eccleſiaſticos remanent, non debent tonſuram deferre, ut notavit Balſamon *ad* 6. *Synodum, in eo canone.* 9. *Intelligitur Can.* 21. *ſexta Synodi.*

CAPVT V.

Ex Concilio (a) *Carthaginenſi.*

CLericus nec comam nutriat, nec barbam.

NOTÆ.

1. (a) *Carthaginenſi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 4 apud Ivonem *p.* 6. *Decreti, cap.* 265. Burchardum *lib.* 3. *c.* 164. additur *cap.* 44. ſub quo numero reperiuntur verba hujus textus in ipſo Concilio, ſed non eodem modo: in editione enim Surii *tom.* 1. *Concil. pag.* 514. habetur: *Clericus neque comam nutriat, neque barbam radat, vel tondeat.* In Regia editione Pariſienſi ita legitur: *Clericus nec comam nutriat, nec barbam*: Vaticanus codex, Victorinus ac Gadenſis ita ferunt: *Clericus nec comam nutriat, neque barbam radat*, ut teſtatur Sauſay *in Panopl. cleric. in appendice de barba, cap.* 3. Savarus *ad Sidon. lib.* 4. *epiſt.* 24. *verbo Barbâ prolixa*: In Concilio Barchinonenſi, *can.* 1. ita cavetur: *Ut nullus clericorum comam nutriat, aut barbam radat.* Quæ tamen lectio conſtantior, congruentiorque ſit provinciæ, ubi, & tempori, in quo celebratum fuit hoc Concilium, infrà dicemus.

COMMENTARIUM.

2. BArbæ promittendæ, aut reſecandæ ratio varia olim fuit, ac nunc eſt, multiplexque & diverſa pro varietate nationum: varios uſus referunt Lælius Biſciola *lib.* 7. *hor. ſucceſ. cap.* 5. Alex. ab Alex. *lib.* 1. *dierum genial. cap.* 16. & *lib.* 3. *cap.* 27. Cælius Rhodig. *lib.* 7. *antiquit. lect. c.* 13. Pierius Valer. *in tract. pro barbis ſacerd.* Hothomanus *eod. tract.* & *lib.* 1. *obſ. cap.* 19. Savarus *ad Sidon. lib.* 4. *epiſt.* 13. & 24. Boſquetus *in not ad Innoc. lib.* 1. *epiſt.* 97. Meſanæ *ad D. Hieronymum, verbo Barba.* Zerda *in adverſ. cap.* 154. D. Laurent. Ramirez de Prado *in Pentecont. cap.* 25. Efrenus *tom.* 1. *diſq. menaſt. lib.* 5. *tract.* 9. *duquiſ.* 3. Hurtado *de vero martyrio ſect.* 3. *digreſ.* 5. *fol.* 370. Sauſay *in Panopl. cleric. in appendice de barbis ſacerd.* Theoph. Raynaud. *tom.* 13. *in tr. laus brevit. cap.* 8. *fol.* 497. & quidem Græcos barbam promiſſam aluiſſe, & primò eam tondere ſolitos, mox raſiſſe, teſtis eſt D. Chryſoſt. *in oratione priori Tarſica* 33. ibi: *Barbarum primùm inventa eſt tonſura, & videbatur moderatum eſſe, ne valde promitterentur, nec nimium, ſed leniter corrigeretur natura, videbatur multis ſtrenuum, deinde radebant uſque ad genas.* Qui tondendi mos tempore Alexandri Magni initium habuit, ut Chryſippus apud Athenæum *lib.* 13. *cap.* 6. refert ibi: *Alexandri temporibus tondendæ barbæ conſuetudinem inoleviſſe, avoque priore hoc fuiſſe inuſitatum, cùm tibicen ille Timotheus prolixâ barba tibias inflaret.* Probat perdoctus Ramirez *d. cap.* 25. Græci ergo comam, & barbam aluerunt, apud quos Philoſophi præcipuè barbati erant: unde Perſius Socratem barbatum Magiſtrum dixit *ſatyr.* 4. *verſ.* 1.

Barbatum hoc crede magiſtrum dicere.

Prudentius *contra Symmachum lib.* 1. barbatos dixit Sophiſtas.

Multiplicis dux daemon eſt, qui parte ſiniſtra
Centiſidum confundit iter, trahit inde Sophiſtas
Barbatos.

Herodes Atticus apud Gellium *lib.* 9. *cap.* 2. ait: *Video barbam & pallium, Philoſophum non video.* Lactantius *de falſa ſapient. cap.* 24. *Maximum itaq; argumentum eſt, Philoſophiam neque ſapientiam oſtendere, neque ipſam eſſe ſapientiam, quod myſterium ejus barba tantùm celebratur.* Unde in hos barbatos facetè Poëta Græcus luſit:

Si promiſſa facit ſapientem barba, quid obſtat
Barbatus poſſit quin caper eſſe, Plato?

Hebræos

Hebræos promiſsâ barbâ inceſſiſſe colligitur ex Pſalmo illo 133. ibi : *Sicut unguentum , quod deſcendit in barbam Aaron* : & *ex cap.* 19. *verſ.* 27. *Exodi*; *c.* 21. *Levitici*, *verſ.* 5. ubi vetantur Levitæ barbam radere. Hinc frequenter minæ Prophetarum de raſura barbæ, ut de pœna omnium longè maxima. Iſaias *cap.* 15. *verſ.* 2. ibi : *Moab ululavit, in cunctis capitibus ejus calvitium , & omnis barba radetur.* Hieremias *cap.* 48. ideo in luctu , & mœrore barbam evellebant. Esdras *cap.* 9. ibi: *Cùm audiſſem ſermonem iſtum, ſcidi pallium meum, & tunicam , & evellis capillos capitis mei , & barbæ, & ſedi mœrens.* Ezechiel *cap.* 5. *Sume tibi gladium acutum , & duces per caput tuum, & barbam.* Romanos etiam à principio intonſos fuiſſe conſtat ex Juvenal *ſatyra* 4.

---- *Facile eſt barbato imponere Regi*
Intonſos rigidum in frontem deſcendere canos.

Lucano *lib.* 1.

Paſſus erat, mœſtamque genis ſuccreſcere barbam.

Sed quo tempore radi , & tonderi illi cœperunt, non conſtat. Livius anno 369. ab Urbe C. ubi de Manilio Capitolino agit , ait : *Solitum ipſum radere barbam.* Sed rejicitur ex Varrone *lib.* 2. *de rusticâ*, *cap.* 11. & Plinio *lib.* 7. *cap.* 39. ibi: *In Italiam ex Sicilia venere tonſores poſt Romam conditam anno* 454. *adducente Publio Licinio Mena, ut auctor eſt Varro*; *ante intonſi fuerunt.* Proſequuntur Lipſius *ad lib.* 14. *annal. Taciti* , Caſaubonus *in notis ad Jul. Capitol. fol.* 83. & *in Othone cap.* 12. Dorleans *ad Tacitum fol.* 727. Camerarius *cent.* 1. *horar. ſuecef. cap.* 36. & *cent.* 2. *cap.* 46.

3. De Chriſtianorum moribus.

Sed ut ad mores Chriſtianorum perveniamus, ſi de primævo eorum more ſermo ſit , non dubium eſt , quin Chriſtus Dominus barbam non raſerit , ut probavi in capite antecedenti; & ejus Vicarium D. Petrum barbam aluiſſe , refert Nicephorus *lib.* 1. *cap.* 40. ibi : *Petrus quidem, aut craſsâ corporis ſtaturâ fuit , ſed quæ aliquando eſſet erectior*; *facie ſubpallidâ & albâ admodum*; *capillis capitis, & barbæ riſpis , & denſis.* De ſancto Paulo Apoſtolo idem refert Nicephorus *lib.* 2. *cap.* 37. ibi: *Barba denſior, & ſatis promiſſa , eaque non minùs quàm capitis coma , canis etiam reſperſa erat.* Etiam vetuſtæ priorum Pontificum imagines barbatæ , piliſque mento hærentibus inſignes cernuntur , Clementis videlicet, Evariſti, Alexandri , Teleſphori , Dionyſii , Sylveſtri, Damaſi , Gelaſii , & aliorum usque ad Aniceтum, *tom.* 2. *Bullarii* , & apud Ciaconium ; ab Aniceto tamen , & deinceps cœperunt Pontifices, & Eccleſiæ Latinæ Epiſcopi , ac clerici barbam non ſolùm tondere , verùm & radere; & ita apud ipſos Cherubinum , & Ciaconium cernuntur icones Pontificum absque barba : & Gregorius VII. *lib.* 8. *epiſt.* 10. *ad Oſcorum judicem Caralitanum* , ait , quod totius occidentalis Eccleſiæ clerus barbam radendi jampridem morem tenuit : & in Gallicana Eccleſia morem hunc radendi barbam viguiſſe teſtis eſt Sidonius *lib.* 4. *epiſt.* 13. ubi clericos coronâ decoros , & barbâ raſos fuiſſe commeminit his verbis : *Enim verò veſtis aſtricta, tenſus coturnus , crinis in rotæ ſpecimen acciſus , barbâ intra rugarum latebras merſa, ad cutem ſecta forcipibus.* Unde Concilium Bituricenſe *in can.* 7 tonſuram eccleſiaſticam vocat, hoc eſt , barbam raſam , & coronam in capite. De aliis Eccleſiis idem probat Othomanus *de barbis ſacerd.* & *in Pontifical. Roman.* ritus prius præſcribitur de barba tondenda his verbis : *Quando primò clericis barbæ tondentur , decidebat Pontifice ſedente cum mitra , antiphona Sicut ros Hermon , Pſalmo* 132. *Ecce quàm bonum. Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c. Repetitur tota antiphona , quâ finitâ Pontifex depoſitâ mitrâ ſurgit , & ſtans versùs ad clericum dicit : Oremus , Deus cujus providentiâ omnis creatura crementis adulta congaudet , preces noſtras ſuper hunc famulum tuum juvenilis ætatis decore lactantem , & primis auſpicius attondendum exuendi, ut in omnibus protectionis tuæ munitus auxilio , ævoque largiore profectus , cœleſtem benedictionem accipiat , & præſentis vitæ præſidiis gaudeat. Per D. N. &c.* Hæc eadem oratio reperitur in veteri Romano ordine , & in libro Sacrament. Sancti Gregorii ; & ex euchologio ſeu rituali Græco refert Sauſay *in panopl. cleric. in append. de barba , cap.* 2. Eundem morem à Latinis receptum adſtruunt Nicolaus Pontifex *epiſt.* 70. P. Damianus *lib.* 1. *epiſt.* 15. ibi: *Ecce eſtiarum planè quoque Rectores , quibus potiſſimùm hujus rei cura debuiſſet incumbere, tanto mundanæ vertiginis quoti die rotantur impulſu , ut à ſæcularibus barbæ raſura quidem dividat, ſed actio non diſcernat.* Et inter leges Nortumbrenſium , 34. eſt : *Si presbyter barbam , vel comam radere neglexerit, compenſato.* Græci verò barbam nutriebant, nec tondebant ; quo de more ſibi inviſo Græci calumniam ſtruere ante annos ferè 800. adverſus Latinam Eccleſiam non erubuerunt , ut conſtat ex epiſtola Nicolai I. ad Hincmarum , ubi cauſas invidiæ , & odii Græcorum erga Latinos referens, ait: *Quin & reprehendere ſatagunt , quia penes nos clerici barbas radere ſuas non abnuunt.* Michaël Corularius P. C. *in epiſt. ad P. Antioch. Patriarch.* apud Baronium *tom.* 9. *anno* 1054. *num.* 33. ibi: *Quapropter illos Romanos omnino averſari neceſſe eſt*; *& quæ quidem Judæorum more peragunt , talia ſunt , ut error qui illis tribuitur de azymo, & quod ſuffocatum edunt , & barbam radunt.* Chriſt. Lupus *ad can.* 8. *Synod. Conſtant. calumn.* 8.

4. Rationes hujus diſſidii.

Cur autem diverſa in his eſſet agendi ratio , cauſam aſſignat Baronius *anno* 58. quòd in Oriente tam Judæi , quàm Græci barbati incederent , idemque Chriſtianos inter ipſos degentes factitaſſe: in Occidente verò , & præſertim Romæ, cùm ii , qui maturioris erant ætatis, tanquam quoddam nobilitatis inſigne , ut refert A. Gel. *lib.* 3. *noct. cap.* 4. radere barbam conſueviſſent , Chriſtiani Romæ agentes , ut à cæteris non diſtarent, abraſâ incedebant barbâ. Romanorum autem conſuetudinem imitatos eſſe cæteros orbis Occidentalis fideles jam ſuprà probavi. Accedit , nam cùm barbæ abraſio , aut nutritio, non ſit à natura inſtituta , ſed adiaphorum quid, & indifferens , tam Græci , quàm Latini peculiaribus rationibus moti potuerunt barbam dimittere, aut radere. Pro Græcis faciebat decoris ratio juxta D. Auguſtinum *lib.* 22. *de civit. Dei, cap.* 24. ibi : *Sunt verò quædam ita poſita in corpore , ut tantummodo decorem habeant , non etiam uſum*; *ſicut habet pectus virile mamillas , ſicut faties barbam*; *quam non eſſe munimento , ſed virili ornamento, indicant puræ facies fœminarum , quas utique infirmiores viris, muniri tutiùs conveniret.* Ovidius *lib.* 13. *Metamorph.*

Plumâ tegit volucres , ovibus ſua lana decori eſt.
Barba viros, hirtæque decent in corpore ſetæ.

Con-

Consentit Athenæus *lib.* 13. *dypnosoph.* ubi refert, Diogenem dixisse cuidam habenti mentum rasum: Nunquid naturam accusas, quòd te virum, non autem mulierem fecerit? Hinc etiam Divus Hieronymus *in cap.* 5. *Ezechielis*, ait: *Barba virilitatis indicium est.* Hac quoque de causa putat Pater Roa *lib.* 4. *singul. cap.* 3. hac voce, *barbam*, cum duplicatione usum fuisse Psalmistam *Psal.* 132. ibi: *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Et Artemidorus ait, filios tantùm ornamenti patribus afferre, quantùm ori barba decoris addit. Latini etiam in hoc ritu radendi barbam rationibus non destituuntur. Primò quia pilorum, & capillorum tonsio designat nos ad perfectionis summum pertingere. D. Gregorius *lib.* 2. *moral. cap.* 3. Secundò facit antiqua Ecclesiæ consuetudo; unde Gregorius VII. *in epist. ad Jacobum Caralit.* jubet, ut clericos suos omnes barbam radere cogeret, idque ex majorum consuetudine. Itaque non est ratio, quare usum nutriendi barbam apud Græcos, aut radendi apud Latinos condemnemus; multa enim pro locorum, vel hominum diversitate variantur; nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace, atque unitate aliquando discessum est, ut ait Firmilianus *in epist. ad Cyprianum*; & in proposito Ceolfridus *in epist. ad Naitanum R. pictorum*, ibi: *Verùm si profiteri nobis liberum est, quia tonsura discrimen non novat, quibus pura in Deum fides, & charitas in proximum sincera est, maximè cùm nunquam Patribus catholicis, sicut de Paschæ, vel fidei diversitate conflictus; ita etiam de tonsura differentia legatur aliquà esse controversia.* In Hispaniæ verò nostræ Barchinonensi provincia rationem barbæ aliquando prohibitam fuisse, constat ex Concilio Barchinonensi *can.* 3. ibi: *Ut nullus clericus comam nutriat, aut barbam radat.*

5. *Exponitur præsens textus.*

Quibus ita animadversis, si præsens canon Concilii Carthaginensis legatur, prout habetur in codicibus Vaticano, Sancti Victoris, & Gadensi: *Neque barbam radat*; referri debet ad usum Orientalis Ecclesiæ, in qua mos inoleverat non radendi barbam; & si adhuc retineatur lectio Surii: *Nec comam nutriat, nec barbam, sed radat, vel tondeat*; aliter exponendus est, si priùs observemus, canonem istum editum fuisse propter Eutychitarum, & Massilianorum hæreticorum sectas; hi enim negantes, operandum esse manibus propriis, intonsi prolixam comam, ac barbam alebant, ut testatur Epiphanius *hæresi* 80. & sanctus Augustinus *de opere monach. cap.* 31. eos facetè describens inter alia ait: *Et in hoc, quòd quæso tam apertè contra præcepta Apostoli conari? an ita vacandum est, ut nec tonsores operentur? an, quia Evangelicas volucres imitari se dicunt, quasi depilari timent, ne volare non possint.* Unde Patres Concil. Carthag. statuerunt, barbam esse tondendam, etiam retentâ vulgari lectione, *nec barbam radant.* Dici potest, Ecclesiam nunquam prohibuisse tonsionem barbæ, sed eam nimis prolixam nutrire, aut ad cutem usque radere. Unde *in cap. clericus 8. hoc tit.* tantùm jubetur tonsio comæ & barbæ; sed mediocrem barbam esse alendam dicitur, quod ad imitationem Christi Domini, & ejus Vicarii B. Petri plures R. E. Præsules fecisse, refert Sausay *in panopl. sacerd. cap.* 3. De mediocri barba, & hanc mediocritatem barbæ esse observandam, statutum legimus in Concilio Mediolan. sub Sancto Carolo, anno 1563. sub titulo, *de clericorum vestitu*, ibi: *Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, caterique clerici clericali tonsurâ sint insigniti ad formam, quam ratio uniuscujusque ordinis Episcopi arbitrio postulabit; ita sint abrasi capilli, ut tonsura conspicua sit omnibus; comam verò & barbam ne studiosè nutriant; capillis simplicem cultum adhibeant; barba ita à superiori labro recidatur, ut pili in sacrificio Missæ Christi Domini corpus & sanguinem sumentem non impediant.* Rhotomag. anno 1581. à Cardinali de Borbonio celebrato, ibi: *Omnes ut revocemus ad modestiam, hortamur, & præcipimus, ut tonsuram in capite, & coronam habeant suis ordinibus congruentem, & honestè rasam; nec barbam alant ministerio altaris indecoram.* Rhemensi habito à Ludovico Cardinali à Guisia anno 1583. *tit. de Clericis*, ibi: *Ut à superiore labro ob sacræ communionis reverentiam barbam tondeant, vel radant; infrà verò gerant clericali modestiæ congruentem.* Synodo Aquensi sub Alexandro Archipræsule, *tit. de vit. & honest. cleric. Comam & barbam ne studiosè nutriant, capillis simplicem cultum adhibeant. Presbyteri barbam habeant ad superius labrum ità incisam, ut sumentibus Christi sanguinem nullum afferat impedimentum, atque tam ipsi, quàm reliqui omnes ab omni parte nullo pacto pilos intortos, aut mento in acutum incisos, productosve, more nutriant militari.* Sic & Synodus Burdigalensis anno 1624. convocata à Francisco Cardinale de Sourdis, illius Sedis Archiepiscopo, eodem titulo *de vita & honest. cleric. num.* 4. *cap.* 13. cavet: *Omnibus Ecclesiasticis nostræ provinciæ, cujuscumq; dignitatis, status, & conditionis existant, injungimus, ut iis vestimentis, quæ ab ultimo provinciali sibi præscribuntur, incedant induti, coronam clericalem gestantes, ne sit præterea illis capillatura imparitèr attonsa, non superioris labii barba arte elaborata assurgat.* Referunt Sausay *in d. append. cap. final.* Corjolanus *in addit. ad summam.* Quam barbæ mediocritatem observant Hispaniæ nostræ tam Episcopi, quàm clerici, juxta prædictas canonicas sanctiones: in aliis verò provinciis aliter observari reperio à sacerdotibus, quorum ut jura non excutimus, ita varios usus, quos sectantur, non impetimus; immò illæsos cuique manere peroptamus, cum Prætore ultrò profitentes, *Ut possidetis, ita possideatis.*

CAPUT

CAPVT VI.

Ex Concilio (a) Tribûrien.

CLericus, si tonsurâ dimissâ uxorem acceperit, qui quidem sit sine (b) gradu, nec (c) monasterio à parentibus traditus, uxorem permittatur habere, & iterum (d) tondeatur, nec in vita sua uxorem dimittere audeat.

NOTÆ.

1. (a) *Tribûrien.*] Ex eodem Concilio citantur hæc verba in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 6. & sub tit. de Apostatis, cap. 1.* & à Burchardo *lib. 8. Decreti, cap. 97.* Carnotensi *p. 7. cap. 115.* & ita apud eos habetur: *Clericus, si tonsurâ dimissâ uxorem acceperit, qui quidem sit sine gradu, nec ad monasterium aliquod à parentibus traditus, si uxorem habere permittitur, iterum tonderi cogatur, nec in vita sua tonsuram negligere audeat. Quem autem progenitores ad monasterium tradiderunt, & in Ecclesia cœperit cantare, & legere, nec monasterium deserere poterit; sed si discesserit, reducatur; si tonsuram dimiserit, rursum tondeatur; uxorem si usurpaverit, dimittere compellatur.* Quæ ultima verba, quæ hîc omittuntur, ex eodem Concilio à Gratiano citantur *in cap. quicunque 4. 20. quæst. 1.* sed non reperiri in Concilio Triburiensi, jam notarunt Antonius Augustinus & Boëtius Epon. *in præsenti.* Credo tamen Decretistas sententiam hujus textus, licet non per eadem verba, deprompsisse ex canone 27. ipsius Concilii Tribur. ubi ita Patres sanxerunt: *In Synodo Chalcedonensi, c. 7. statutum est, ut clerici, qui semel in clero deputati sunt, neque ad militiam, neque ad aliquam veniant dignitatem mundanam. Et hoc tentantes, & pœnitentiam non agentes, quominus redeant ad hoc, quod propter Deum primitus elegêre, anathematizari: nos autem eandem sequentes canonicam auctoritatem statuimus, ut clericus ecclesiasticè nutritus in Ecclesia coram populo, vel cantans, si postmodum relicto clericatus habitu à castris Dominicu, quibus adscriptus est, profugus, & apostata elabitur, & ad sæculum regreditur, ab Episcopo canonicè coerceatur, ut ad sinum matris Ecclesiæ revertatur. Quod si in hac indisciplinatione perdurat, ut comam nutriat, constringatur, ut iterum detondeatur, & postea nec uxorem accipiat, nec sacrum ordinem attingat. Si verò huic hujus sancti Concilii reluctaverit diffinitioni, secundùm præstitutam Chalcedonensis Concilii constitutionem anathematizetur. Sanctus Isidorus tales hippocentauris dicit esse similes, qui nec equi, nec homines, atque quasi bruta animalia, libertate, ac desiderio suo feruntur.* Unde hujus textus magna est difficultas, tum ob ejus litteræ corruptionem, tum ob sententiam, quæ congruum sensum recipere non valet.

2. (b) *Sine gradu.*] Sacro interpretantur Glossa, & communiter Doctores hîc, quos sequuntur Covar. *in cap. 9. de testam. num. 4.* Boëtius Epon. *in præsenti*; ita, ut minoribus ordinibus initiati, qui sine gradu sacro sunt, possint tonsuram dimittere, & uxorem ducere, juxta ea quæ dabimus *in cap. 1. de clericis conjug.* constituti verò in gradu sacro nequeant ad nuptias transire, quia in gradu sacro sunt. Sed licèt vera sit, & catholica hæc doctrina, vereor tamen ne aliena sit à disciplina Ecclesiastica sæculi Concilii Tribur. & à suprà relato, *in illis verbis: Legens, vel cantans*; ubi clericis in minoribus gradibus constitutis jus connubii denegatur. Facit etiam quominus placeat prædicta communis sententia, quòd olim clerici tantùm lectores in gradu dicebantur esse, ut in legibus Aleman. *tit. 16.* ibi: *Si autem clericus, qui in gradu, in Ecclesia publicè lectionem recitat, vel graduale, vel alleluja coram Episcopo in publico cantaverit, aliquam injuriam passus fuerit, sicut superiùs diximus, componatur.* Et *lib. 7. Capitul. cap. 309.* ibi: *Clerici cujuslibet gradus, in quibuscunque locis ordinati fuerint ministri, ad eadem loca pertineant.* Unde existimo Patres in præsenti tantùm agere de clerico primæ tonsuræ, licèt sine gradu, ut probavi *in cap. cùm contingat, de ætate & qualit.* & illi tantùm permittunt Patres uxorem ductam retinere, quia in gradu non erat; si autem in gradu esset à parentibus Ecclesiæ, vel monasterio oblatus, & in eo gradu cœpisset legere, aut cantare, tunc illi non licebat uxorem retinere, *d. can. 27. Concil. Tribur.* non quia gradus ille Lectoris, vel Cantoris impediret, aut irritaret matrimonium à clericis in minoribus gradibus constitutis contractum, sed propter oblationem factam à parentibus Ecclesiæ, aut monasterio; talis enim oblatio illis prioribus Ecclesiæ sæculis filios verè constituebat clericos, aut efficiebat monachos, ut latiùs dicemus *in cap. cùm simus, de regul.* & ita nullo modo accipias textum hunc generaliter de omnibus clericis in minoribus ordinibus constitutis, sed de clericis in eis gradibus inservientibus virtute oblationis paternæ, qui uxorem ducere non poterant, *ex d. can. 27.*

3. (c) *Monasterio.*] Juxta adducenda *in dicto cap. cùm simus*, ex cujus commentario, & textus *in cap. 1. de clericis conjug.* præsens petendum est.

(g) *Iterum tondeatur.*] Mirantur non immeritò multi, cur clericus conjugatus hîc jubeatur iterum tonderi, cùm *in cap. Joannes, de cleric. conjug. cap. unic. eod. tit. in 6.* conjugatis potiùs tonsura prohiberi videatur. Boëtius Epon. *in præsenti* textum hunc accipit eo casu, quo clericus conjugatus beneficium retinet, & stipendiis Ecclesiæ sustentatur, ut *in cap. unic. de cleric. conjug. in 6. cap. unic. de bigamis, eod. libro.* Sed temporum series interpretationem hanc non admittit; quare faciliùs textus hic accipitur, si de prædictis oblatis textum exponamus; Illi enim, cùm virtute oblationis veri clerici constituerentur, ideò, si de facto contraxerint matrimonium, debent separari, & iterum tonderi, ut sic restituantur pristino gradui.

CAPVT

CAPVT VII.

(a) Alex. III. *Cantuariensi Archiepiscopo.*

CLericus. (b) *Et infrà*: Clerici, qui comam nutriunt, & barbam, etiam inviti à suis (c) Archidiaconis tondeantur.

NOTÆ.

1. (a.) *Alexander III.*] Ita legitur *in* 1. *collect. sub tit. ne cleric. vel monach.* c. 6. & *in cap. clericus, eod. tit. in hac collect.* & post Concil. Lateran. *p.* 27. *cap.* 4. Sed constat textum hunc prout jacet in his locis, esse compositum ex diversis Conciliorum canonibus; verba autem, quæ hîc referuntur, extant in Concil. Agathensi celebrato anno 430. *can.* 20. & referuntur à Gratiano *in cap. clerici qui comam*, 23. *dist.* & *in capitul. Caroli lib.* 7. *cap.* 165. ibi: *Simili modo decretum est, ut clerici qui comam nutriunt, ab Archidiacono, etiamsi noluerint, inviti tondeantur.* In præsenti tamen Raymundus adjecit ea verba: *Et barbam*; ut cohærentia præcedentibus canonibus, quæ non extant in ipso Concilio Agathensi.

(b) *Et infrà.*] Integra clausula reperitur *in cap. clerici* 6. infrà, *ne clerici, vel monachi*, in prima collectione.

2. (c) *Archidiaconis.*] Qui juxta consuetudines Galliæ, & aliarum provinciarum jurisdictionem exercent, ut probavi *in cap.* 5. *de offic. Archid.* non tamen hæc verba absolutè, & indistinctè accipit Hallierius *de hierarch. eccles. lib.* 4. *artic.* 2. *fol.* 864. ita ut presbyteri etiam comprehendantur, sed tantùm clerici Diaconis inferiores: cui perdocto viro ut non consentiam, movet, quod Archidiaconis etiam correctio presbyterorum olim competebat Concil. Altissiod. *can.* 20. ibi: *Quod si Presbyter (quod nefas est dicere) aut Diaconus, aut Subdiaconus post acceptam benedictionem infantes procreaverit, aut adulterium commiserit, & Archipresbyter hoc Episcopo, aut Archidiacono non intimaverit, integro anno non communicet.* Probavi *in cap.* 2. *&* 5. *de offic. Archid.* Unde præsenti constitutione, tam clerici in minoribus, quàm in majoribus gradibus constituti comprehenduntur.

CAPVT VIII.

Idem *in Concilio* (a) *Lateran.*

MOnasteria Sanctimonialium si quisquam clericus sine manifesta, & rationabili causa frequentare præsumpserit, per Episcopum arceatur, & si non destiterit, ab officio Ecclesiastico reddatur immunis: si laici, excommunicationi subdantur, & à cœtu fidelium fiant penitus alieni.

NOTÆ.

1. (a) *Lateran.*] Cap. 11. ubi habentur verba in præsenti compilata; sed integrum canonem referam, ut agnoscamus quæ immutata, vel addita sint à Raymundo, qui textum hunc transcripsit ex prima collectione, ubi *sub hoc tit. cap.* 8. reperitur: in dicto autem canone Concilii ita legitur: [Clerici in sacris Ordinibus constituti, qui mulierculas suas in domibus suis incontinentiæ notâ tenuerint, ut abjiciant eas, & continenter vivant, aut ab officio, & beneficio Ecclesiastico fiant alieni. Quicunque in incontinentia illa, quæ contra naturam est, propter quam venit ira Dei in filios diffidentiæ, & quinque civitates igne consumpsit, deprehensi fuerint laborare, si clerici fuerint, ejiciantur à Clero, vel ad pœnitentiam agendam in monasteriis detrudantur; si laici, excommunicationi subdantur, & à cœtu fidelium fiant prorsus alieni. Monasteria præterea sanctimonialium si quisquam clericus sine manifesta, & necessaria causa frequentare præsumpserit, per Episcopum arceatur; & si non destiterit, à beneficio Ecclesiastico reddatur immunis.] Unde apparet, in ipso Concilio actum non fuisse de laicis monasteria sanctimonialium ingredientibus; compilatores autem primæ, & hujus sextæ collectionis; quæ de laicis incontinentibus cum masculis Patres statuerant, & reperiuntur *in cap. clerici, de excess. Prælat.* ad ingredientes monasteria porrexerunt, & transmutarunt verba illa: *Si laici, excommunicationi subdantur, & à cœtu fidelium fiant penitus alieni.* Deinde cùm in Concilio tantùm pœna privationis beneficii statuta esset adversùs clericos monasteria frequenter ingredientes, compilatores pro illa pœna depositionem ab officio reposuere: tandem pro illis verbis: *Manifesta causa*; transcripserunt, *Rationabili causa*; De hoc Concilio Lateran. & ejus historia aliqua retuli *in cap.* 7. *de elect.*

COMMENTARIUM.

EX hoc textu sequens communiter deducitur disputanda assertio: *Clerici frequenter adeuntes monasteria Sanctimonialium, si moniti non desistant, deponuntur.* Probant eam textus *in cap. ad reatum* 33. 81. *dist. cap. cleri* 32. *ead. dist. cap. diffinimus* 18. *quæst.* 2. Concil. Hispal. 2. *can.* 2. *cap. periculoso, de statu regul. lib.* 6. Concil. Tolet. 4. *can.* 6. Tarracon. *can.* 1. Epaunense *can.* 38. Arelat. sub Carolo *can.* 7. Matiscon. *cap.* 2. *Nullus Episcopus, Presbyter, Diaconus, Clericus vel quicunque Sacellarius in monasteriis puellarum, nisi probatæ vitæ, & ætatis provectæ, propter utilitatem;* 2. *Conclusio probatur.*

aut

sint pro quacunque reparatione monasterii, in quocunque eorum necessitate habitare, aut secretas collocutiones habere præsumat. Cabilonense sub Carolo *can.* 55. ibi : *Abbatissa cum viris clericis, sive laicis, horis incompetentibus non loquatur, sed quidquid cum masculis clericis, sive laicis de rebus necessariis peragere debet, à prima hora usque ad vesperam peragat.* Et *can.* 56. & 60. ibi : *Non debere presbyteros amplius in monasterio puellarum immorari, nisi donec Missarum solemnia, aut aliquid ibi de Dei servitio, & suo monasterio expleant.* Et *can.* 63. *Nullus vasus Abbatissæ, nec ministeri aliquis, nec clericus, nec laici claustra ancillarum Dei ingredietur.* Tuton. sub Carolo *can.* 29. *Ne presbyteri, Diaconi, caterique clerici intrent puellarum monasteria, nisi tempore, quo Missarum solemnia celebranda sunt, vel alia qualibet ecclesiastica officia peragenda; quibus peractis, statim egrediantur, neque ibi postea aliquam moram faciant.* Magunt. *can.* 26. *Presbyteris per monasteria puellarum opportuno tempore liceat Missarum solemnia celebrare, & iterum ad proprias Ecclesias redire.* Concil. Herbipolense tempore Honorii IV. Forojulience sub Hadriano *can.* 13. *Ut monasteria puellarum, quæ sub disciplinæ regula degunt, obstrictius munitis claustris nulli pateant aditui virorum : sed neque presbyteri, neque Diaconi, vel quilibet de Clero, vel etiam Archimandrita, quasi visitationis, vel prædicationis causâ sine permissu Episcopi civitatis sibi licentiam tribuat intrandi.* Trident. *sess.* 25. *de regul. cap.* 5. Pius V. in constitutione quæ incipit, *Circa pastoralis.* Gregorius XIII. & Paulus V. in constitutione quæ incipit, *Monialium statui.* Illustrant ultra congestos in præsenti Barbosa *de jure eccles. lib.* 1. *cap.* 44. Sanchez *lib.* 6. *summæ, disput.* 16. Antonius Augustinus *in epit. jur. lib.* 9. *tit.* 19. & 22. Petrus Gregorius *de republica lib.* 13. *cap.* 29. *numer.* 2. Scortia *in select. epit.* 92. *theorem.* 227. Tamburin. *de jure Abbat. tom.* 2. *disp.* 14. *q.* 10. & *de jure Abbatiss. disp* 25. *q.* 1. Suarez *de censur. disp.* 22. *sect.* 1. Bruno Chassaing. *de privil. regul. tract.* 4. *cap.* 16. *propos.* 11. Gibalinus *in synop. censur. verbo Clausura*, & *de clausura regul. cap.* 1. *§.* 3. Acunna *in cap. referendum*, 81. *dist.* Filesacus *in cap.* 17. *de offic. ordin.* Boëtius Epon. & Cujacius *in præsenti*, Diana *p.* 11. *tract.* 8. *resol.* 25. Hieronymus Garcia *tom.* 2. *polit. regul. tract.* 13. *difficult.* 1. *dub.* 3. *punct.* 2. Araujo *tract.* 3. *quæst.* 27. *moral.* D. Joannes Colmenero Complut. Professor *in repet. ad hunc textum*, Theophilus *tom.* 12. *de frequent. mulier. fol.* 288. Franc. Florens *in præsenti.*

Sed adversus hanc assertionem sic argumentor : Non solùm licet clericis, & monachis sanctimonialium monasteria frequenter adire, verùm & cum eis simul cohabitare : unde monasteria duplicia primis Ecclesiæ sæculis erant, in quibus simul monachi, & sanctimoniales habitabant, & ad psallendum in eodem choro conveniebant. Synodus Rom. sub Innoc. II. *can.* 27. refert Amb. Morales *lib.* 14. *hist. Hispan. cap.* 7. & nullibi repetiri virorum monasteria, quin simul essent puellarum, probat Yepes *in Chron. Divi Benedicti, cent.* 5. *anno Christi* 943. in quibus monasteriis duplicibus, duplex regiminis forma erat; aliquando enim fœminæ viris, aliquando contrà viri fœminis erant subjecti; sancta enim Hildegardis cum aliis sociis in Monte Sancti Disibodi, ubi erat monachorum cœnobium, Abbati subfuerunt; è contrà verò in Ordine Fontis Ebraldi viri religiosi æquè ac moniales Abbatissæ suberant, ut ex Baronio, & Mireo refert Efrenus *lib.* 1. *disquisit. monast. tract.* 1. *disquisit.* 5. & in nostra Hispania monachos alicubi cum monialibus degentes Abbatissæ subjectos fuisse, refert Yepes ubi suprà *anno* 537. & in antiqua charta monasterii sancti Juliani de Pedernales, quod erat sanctimonialium, hæc habentur verba : *Hostiâ Abbatisâ regente ibidem monachorum catervam, &c.* Et Heraclides *in paradiso, cap.* 29. scribit, le Romæ novisse *Asellam Christi virginem, multorum curam illic gerentem, ubi viros etiam cum conjugibus suis vidi, monachorum eo tempore vitas, & instituta ducentes.* Ergo licet clericis, & monachis monialium monasteria adire. Augetur hæc difficultas ex eo; nam ingressus in monasterio puellarum non est prohibitus illis, qui castitatis propositum servant, & religiosæ conversationis sunt. Concil. Epaun. *can.* 38. ibi : *Monasteria puellarum, non nisi probatæ vitæ, & ætatis provectæ, ad quascunque earum necessitates, vel ministrationes, laici permittantur intrare.* Concil. Arelat. sub Carolo *can.* 7 & ex eis Martinus Bracharensis in sua collectione, *can.* 32. ita ait : *Religiosis fœminis laicorum alienorum familiaritatem, & consortium prohibemus, eorum videlicet, qui nec Dei timorem subjecti, nec continentiæ retinent disciplinam.* Sed clerici & rectæ conversationis sunt, & castitatis propositum servare promiserunt. Igitur illis non debet sub depositionis pœnâ prohiberi aditus ad monasteria sanctimonialium.

Quâ difficultate ita fulcitâ non obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, quòd licèt clausura monialium, tam quod egressum ipsarum, quàm quoad ingressum aliorum intra monasteria, non sit à jure divino statuta, ut probant Gibalinus *de clausur. cap.* 1. §. 1. Hieronymus Garcia *ubi proximè*; fuit tamen indicta ab Ecclesia jam illius primis temporibus. Cæsarius in sua regula, *num.* 36. quam à Baronio desideratam ex Bollando refert Gibalinus *ubi proximè*, in hæc verba; *Ante omnia, ac propter custodiendam famam vestram, in secreta parte monasterii, & in oratoriis, exceptis Episcopis, Provisore, & Presbytero, Diacono, & Subdiacono, & uno vel duobus Lectoribus, quos & ætas, & vita commendat, qui aliquotiens Missas facere debeant, nullus introeat. Cùm verò aut tecta retractanda sunt, aut ostia, vel fenestræ sunt componendæ, aut aliquid hujusmodi reparandum, artifices tantùm, & servi ad operandum, si necessitas exegerit, cum provisore introeant; sed nec ipsi sine scientia, aut permissione Matris : ipse verò provisor in interiorem partem, nisi pro utilitatibus quas suprà comprehendimus, nunquam introeat, & nunquam, aut difficilè sine Abbatissa, aut alia honestissima teste, ut sanctæ sorores secretum usum, sicut decet, & expedit, habeant.* Eadem paucioribus verbis sua diffinitione comprehendit Concil. Epaunense *cap.* 38. *Monasteria puellarum*

4. De clausura monialium.

non nisi probatæ vitæ, & provectæ ætatis, ad quascunque earum necessitates, & ministrationes laicis permittatur intrare. Ad faciendas verò missas, qui ingressi fuerint, statim exacto ministerio regredi festinabunt. Aliàs autem nec clericus, nec monachus juvenis ullum ad puellarum congregationem habebit accessum, nisi aut paterna, aut germana consuetudo probatur admittere. Quam eandem sanctionem iisdem planè verbis annotavit Concil. Arelat. 4. *cap.* 7. sub Leone III. & Magno Carolo coactum: ipseque Leo in Capitularibus à se editis, & relatis *tom.* 1. *Concil. Gallican.* anno Christi 804. idem sancivit, nempe: *Ut nullus in monasterio puellarum, aut ancillarum Dei intrare præsumat, nec Presbyter, nec Diaconus, vel clericus, aut laicus, nisi tantùm presbyter ad Missam celebrandam tempore opportuno ingrediatur, salva necessitate monasterii secundùm canonicam institutionem, & juxta quod Episcopus ipsius parochiæ ibidem ordinaverit: Presbyter autem, Missâ celebratâ, statim exeat.* Similia habet Concil. Turon. 3. eodem Imperante, uti superiùs monuimus, Carolo, *cap.* 29. & Concilium Cabilonense *superiùs citato cap.* 61. illius enim temporibus in monasteriis Ecclesiæ erant intra claustra, nec foris patebant, dicebanturque oratoria. D. Gregorius *lib.* 1. *epist.* 54. ibi: *Festivitatibus sanctorum desiderabiliter insistentes, præsentis præceptionis nostræ paginam ad experientiam tuam necesse duximus dirigendam, indicantes oi oratorium B. Mariæ, quod nuper in cella fratrum ædificatum est, ubi Marinianus Abbas præesse cognoscetur.* Inde oratorium pro monasterio usurpatur *in cap. monasterium*, 16. *quæst.* 7. ubi Glossa monasterium interpretatur Ecclesiam. Hujus acceptionis ratio ea videtur, quòd sacella monasteriorum, orationi dumtaxat, & sacrificio destinarentur. Unde ajunt Divus Augustinus *epist.* 121. in oratorio præter orandi, & psallendi cultum penitus nihil agatur: & D. Benedictus *suæ regulæ cap.* 52. *Oratorium id sit, quod dicitur, nec ibi aliud quidquam condatur.* Facit caput *oratorium, de consecr. dist.* 2. Unde suprà relatis canonibus presbyteris & clericis ad Missarum solemnia, & divina officia celebranda monasteria puellarum ingredi permittitur, & finitis divinis officiis, exire jubentur; ad quid enim ista facultas ingrediendi monasteria ad Missas celebrandas, si oratorium, vel Ecclesia extra monasterium erat? Hodie tamen, & jam pluribus ab hinc sæculis sanctimoniales habent Ecclesiam exteriorem patentem omnibus; illæ verò interiorem chorum, in quo ipsæ canunt, & Missarum solennia, quæ in exteriori Ecclesia fiunt, audiunt, ut necesse non sit, presbyterum ea de causa monasterium ingredi.

5. *Ex causa necessitatis licet ingredi*

Urgente tamen necessitate reparationis ipsius monasterii, vel similis operationis, permittebatur ingressus, tam clericis, quàm laicis. Concil. Cabilon *can.* 63. ibi: *Nullus vassus Abbatissæ, nec minister aliquis, nec clericus, vel laicus claustra ancillarum Dei ingrediatur, nisi fortè quando necessitas operandi incumbit.* Ubi vassus accipitur pro fidelis, qui servitium exhibet beneficiariò, seu certa fide obstrictus, ut in legibus Aleman. *tit.* 36. *cap.* 4. ibi: *Qualiscunque persona sit, aut vassus Ducis, aut Comitis,* Et *tit.* 79. *cap.* 3. *Et Dominus ejus duodecim vassos intra domum habet.* Legibus Bajoar. *tit.* 15. *cap.* 2. ibi: *Sive Regis vassus sive Ducis. lib.* 2. *capitul. Caroli, cap.* 14. ibi: *Vassi, & vassalli nobis famulantes.* In veteribus formulis editis à Bignonio *lib.* 2. *ad Marculfum, cap.* 17. Vossius *de vitiis sermon. lib.* 3. *cap.* 55. In Concilio etiam Matiscon. 1. *can.* 2. cautum fuit, ut nulli Episcopo, Presbytero, Diacono, vel clerico, aut sæculari in monasterio puellarum habitare liceat, nisi sit probatæ vitæ, & ætatis provectæ, & utilitas, aut reparatio monasterii postularet; præcipueque illis prohibetur ingredi intra salutatorium: ubi per salutatorium accipitur, quod in aliis canonibus dicitur secretarium, idest, locus, ex quo qui celebrat, progreditur. Divus Gregorius *lib.* 4. *epist.* 54. ubi agens de pallio, ait: *Quo non aliter te uti memineris, nisi in propriæ tuæ civitatis, dimissis jam filiis, Ecclesia, procedens à salutatorio ad sacra Missarum solemnia celebranda; peractis verò Missis idem in salutatorio rursum curabis deponere.* Gregorius Turon. *lib.* 2. *hist. cap.* 21. ibi: *Cui in eo, quod modo salutatorium dicitur, mansio erat, atque ad gratias Deo agendas, tempore nocturno reddendas consurgebat.* Cæsarius *in capitul. Regulæ*, ibi: *Quæcunque ad conversionem venerit, & in salutatorio regula frequentiùs relegatur.* Salutatorium ergo erat locus intra cellam monasterii, sed immediatum oratorio, ut latè probat Gibalinus *de clausura disquisit.* 1. *cap.* 1. §. 3. & *cap.* 2. §. 2. & §. 15. *per totum*; causas tamen ob quas hodie ingredi liceat sanctimonialium monasteria, & quis licentiam ingrediendi hujusmodi in casibus dare possit, latiùs prosequuntur Gibalinus *dicta disquisit.* 1. *ferè per totam*, Tamburinus & Garcia *ubi proximè*, Novarinus *lib.* 2.

6. *Etiam prælibetur accessus.*

Non solùm ingressus intra monasteria Sanctimonialium Presbyteris, Clericis, & laicis prohibitas est, tam jure veteri Pontificio, quàm novo; verùm & frequens accessus ad monasteria sine justa, & rationabili causa, tantùm gratiâ videndi, aut colloquendi cum ipsis Sanctimonialibus. Concil. Matiscon. 1. *can.* 2. Secreta colloquia cum Sanctimonialibus, Presbyteris, & Clericis, licèt in salutatorio, aut oratorio haberentur, prohibuerunt Patres, & in Concilio Turon. 3. *can.* 29. ibi: *Importunè frequentare cupientibus omnis aditus præcludatur.* Et maximè clericis, ac monachis talis accessus prohibetur in Concilio Paris. 6. *cap.* 29. anno 829. celebrato, ubi addunt Patres, eos obtendere solere, se non ob aliud illuc accedere, nisi aut propinquitatis, aut familiaritatis causâ; quem prætextum damnarunt etiam Patres Concilii Nicæni 2. *can.* 20. & in Concilio Tarracon. 1. suprà relato, jubetur, monachum, qui familiaritèr cum propinqua suæ curæ commissa conversaretur, includi in cella monasterii pœnitentiæ lamentis impunè, & aquâ vitam ex Abbatis imperio sustentare. Et quia familiaris, ac frequens accessus plerunque obtendebatur prætextu sepulturæ, nimirum sepulchri alicujus cognati intra monasterium videndi, prætextum illum rejecit Imperator Justinianus in novella 133. quæ extat *lib.* 4. *Basilic. tit.* 1. *cap.* 15. & illustrat Balsamon *in can.* 48. *Synodi* 6. *in Trul.* Statuit ergo Justinianus, ne virorum cadavera inferantur intra

ra monasteria mulierum, nec fœminarum cadavera intra virorum monasteria sepulturæ mandentur, ne pietatis, & sanctitatis prætextu fiant inhonestæ, & indecoræ congressiones. Etiam ad prætextum pietatis pertinebat communitas ejusdem chori, quæ alicubi erat in usu; quare Innocent. II. in Synodo Romana ita statuit: *Prohibemus, ne Sanctimoniales simul cum Canonicis, sive Monachis in Ecclesia in uno choro conveniant ad psallendum.* Et quia prætextu alendi ipsas Sanctimoniales frequens accessus ad eas dabatur, ideo in Concilio Carthag. 4. *can.* 102. ita cautum fuit: *Ad rectum Episcopi pertinet, vel Presbyteri, qui Parochiæ præest, si sustentandæ vitæ præsentis causâ, adolescentiores viduæ, vel sanctimoniales clericorum familiaritatibus subjiciantur.* Tandem obtendebatur frequens hic accessus ob gubernationem monasteriorum, sive quoad rerum temporalium administrationem, sive quoad vitæ regularis institutionem; quare ne hujus necessitatis, seu pietatis causâ talis familiaritas obreperet, Concil. Hispalense 1. *can.* 11. rejecit curam istam in monachos, his verbis: *Monasteria in provincia Bœtica monachorum administratione, ac præsidio gubernentur; tunc enim salubria Christo dicatis virginibus providemus, quando eis PP. spirituales legimus, quorum ipse possint gubernacula tueri; constituentes, ut unus monachorum probatissimus eligatur, cujus curæ sit prædia earum rusticus, vel urbanis intendere, fabricas extruere; & si quid aliud est ad necessitatem monasterii providere; ut Christi famulæ pro animæ suæ utilitate tantùm solicitæ, solis divinis cultibus vivant, operibusque suis inserviant.* Addunt vestes suppeditandas esse à virginibus, iis, à quibus tuitionem expectant. Ut verò occurrerent familiaritati, quæ ex administratione ejusmodi nasci potuisset, cavent ut monachi ab earum familiaritate remoti, nec usque ad vestibulum habeant accedendi familiare permissum. Facit P. Abelardus *epist.* 8. ibi: *Monachos, & eorum conversos more Apostolorum, & Diaconorum, in iis quæ ad exteriorem pertinent curam, monasteriis fœminarum providere: quibus maximè propter Missas necessarii sunt monachi; propter opera verò conversi.*

Sed quia aliquando justa causa aderat, ob quam accessus ad ipsas sanctimoniales liceret, statutum fuit ut presbyteri cum licentia Episcopi, & Præpositæ monasterii sanctimoniales alloquerentur: & quia hac licentia abutebantur presbyteri ratione ordinis sacri, ideo Divus Hieronymus eos increpat *epist.* 22. *ad Eustachium*, his verbis: *Sunt alii (de meo ordinis hominibus loquor) qui ideo Presbyterium, & Diaconatum ambiunt, ut mulieres licentius videant.* Et ut se gratiores puellis exhiberent, magnâ curâ se ornasse idem Sanctus prosequitur illis verbis: *Omnibus curæ de vestibus, si bene oleant, si pes laxa pelle non folleat, crines calamistri vestigio rotantur, digiti de annulis micent; & ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia. Tales cum videas, sponsos magis existimato, quam clericos. Quidam in hoc omne studium, vitamque posuerunt, ut matronarum nomina domos, moresque cognoscant.* Desiderabatur ergo licentia propriè Episcopi. Synodus Carthag. *cap.* 41. *Clerici, vel qui sunt continentes* (hoc est monachi, interprete Balsamone) *ad viduas, vel virgines non ingrediantur, nisi ex permissione, & consensu proprii Episcopi, vel Presbyterorum. Porrò hoc quoque non soli faciant, sed cum conclericis, vel cum eis, cum quibus Episcopus, vel Presbyteri soli habent aditum ad ejusmodi mulieres, vel ubi adsunt clerici, vel aliqui bonæ existimationis christiani.* Quod & aliis canonibus, & juri Justinianeo consentaneum esse novit Balsamon *in scholiis.* Etiam Præpositæ licentia desiderabatur. Synodus Nicæna 2. *can.* 20. ibi: *Si contigerit aliquem propinquam suam videre, & voluerit monachus in præsentia Abbatissæ hanc confabulari, per modica, & compendiosa verba, & in brevi ab ea discedat.* Etiam debebat hujusmodi collocutio fieri in præsentia aliarum sororum. Concil. Hispal. 2. *can.* 11. ibi: *Non liceat Abbati, vel ei qui præficitur, extra eam, quæ præest, loqui virginibus Christi aliquid, quod ad institutionem morum non pertineat. Adhæc, ne quidem cum ea, quæ præest, loqui liceat, sed sub testimonio duarum, aut trium sororum, ita ut rara sit accessio, & brevis omnino colloquutio.* Concil. Cabilon. 2. *can.* 55. & *sequenti*, Concil. Paris. 6. *can.* 26. Locus etiam colloquiis destinatus debet esse publicus. Concil. Cabilon. 2. *can.* 61. Aquisgran. 2. *p.* 3. *cap.* 14. Etiam hora competens esse debebat, ut statuitur in dicto Concilio Cabilon. 2. *can.* 55. nempe à prima hora ad vespertinam; à vespera verò ad primam, non nisi propter magnam necessitatem, *can.* 56. *ipsius Concilii*; & tunc se priùs signo crucis muniebant. Concil. Aquisgran. *can.* 6. ibi: *Si quando cum sæcularibus ad colloquendum fueris evocata, priùs arma frontem trophæo crucis, vexillo Christi comitari dignetur.* Sed quia hæc recta Ecclesiæ disciplina negligebatur, tanquam contrariâ consuetudine abolita, Alexander III. in Concilio Lateran. *can.* 11. in præsenti relato, eam suscitavit novis, & gravissimis adjectis pœnis, inhibendo frequentem accessum ad monasteria sanctimonialium. Eandem constitutionem firmarunt Bonifacius VIII. *in cap. periculoso*, Patres Concil. Trident. *ubi suprà*, & innovarunt Pius V. & Gregorius XIII. suis constitutionibus supra citatis: quare Romæ, in aliisque Italiæ partibus gravissimis afficiuntur pœnis, frequenter accedentes ad puellarum monasteria, quæ utinam in nostris provinciis in praxi essent.

8. *Traditur ratio decidendi.*

Magna niti ratione Alexandrum III. in præsenti, & cæteros Ecclesiæ Patres prohibendo ingressum, & accessum ad claustra monialium, quis neget? Triplicem hujus prohibitionis rationem præbet Bonifacius VIII. *in dicto cap. periculoso.* Primam his verbis: *Periculoso, & detestabili quarundam monialium statui, quæ honestatis laxatis habenis, & monachali modestiâ, sexusque verecundiâ impudenter abjectis, extra sua monasteria vonnunquam per habitacula personarum secularium discurrunt.* Quod periculum violandæ castitatis præ oculis habuerunt, qui virginum, immò & aliarum fœminarum familiaritatem cum viris, præsertim clericis, tam graviter damnarunt Tertullianus *lib. de velandis virginibus*, ibi:

Tam sancti viri est suffundi, si virginem viderit, quàm sanctæ virgines, si à viro visa est. Rationem reddit Sanctus Leander *lib. de instit. virginum*, his verbis: *Dispar sexus in unum locatus, eo titillatur instinctu, quo nascitur.* Quam rationem fusè illustrabimus titulo sequenti. Secundam rationem petit Bonifacius ex piorum offensione, atque infamia, quæ toti religioni creatur, illis verbis: *In religionis opprobrium, & scandalum plurimorum.* Quam etiam assignarunt Patres Synodi Nicænæ 2. *can.* 18. & 20. Pius V. *in dicta constit.* ibi: *Decoris periculo, & scandalo plenam rem esse, ac regulari observantiæ vehementer adversari.* Quam rationem illustrant Gibalinus *disquisit. monast. disquis.* 1. *cap.* 1. §. 5. Serlogus *tom.* 3. *in Cantic. vestig.* 30. *sect. unic.* Tertiam tandem rationem affert Bonifacius in illis verbis: *Moniales à publicis, & mundanis aspectibus separata omninò servire Deo valeant.* Consentiunt Gregorius XIII. in Bulla quæ incipit, *Ubi gratiæ*, ibi: *Proinde sanctimonialium quieti, & tranquillitati consulere, ac omnia, quæ illas à spiritualium rerum cogitatione, & exercitio avocant, impedimenta tollere, periculaque, & scandala ab eis removere cupientes.* Paulus V. in sua constit. edita anno 1612. ibi: *Ad ea removenda, quæ religiosam earum quietem, & regularem observantiam perturbare dignoscuntur, curam nostram libenter intendimus.* Quam rationem illustrat Gibalinus *dicto §. 5. num. final.* Rectè ergo Alexander III. ut veterem hanc Ecclesiæ disciplinam jam obsoletam suscitaret, sub gravi depositionis pœna prohibuit omnibus presbyteris, & clericis, ne sine justa & necessaria causa monasteria sanctimonialium adirent, ne per accessus indebitos nulla ex causa factos clerici ineant familiaritates, quæ in aliquod abruptum eos pertrahant, ut monstratum est exemplo Sabiniani apud D. Hieronymum, & clerici Hispani apud Grillandum *lib. de sortileg. quæst.* 17.

Dissolvitur dubitandi ratio.

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam licèt illis primis Ecclesiæ sæculis non solùm monasteria essent duplicia, ubi simul habitabant monachi, & moniales; verùm & virgines devotæ cum presbyteris intra propriis ædes degerent, quia devotio ac virtus illius sæculi nihil scævi criminis suspicari sinebant; tamen frigescente devotione illa (ut notavi *in canone* 27. *Concil. Illiber.*) prohibitum fuit, ne deinceps monasteria duplicia virorum, & fœminarum erigerentur. Synodus Nicæna 2. *can.* 20. Concil. Hispal. 2. *can.* 11. ibi: *Propter insidias diaboli, aut propter obloquutiones hominum.* Concil. Agath. *can.* 38. Synodus 7. *can.* 29. *l.* 44. *C. de sacros. Eccles.* notarunt Balsamon *in dicto can.* 20. *Concil. Nican.* Cujacius *in novella* 123. *cap.* 54. Bosquetus *in notis ad Innoc. lib.* 3. *regest.* 15. *epist.* 80. Gibalinus *de clausur. disquis.* 1. *cap.* 9. §. 1. Nec etiam obstat augmentum ipsius difficultatis; nam licèt illis prioribus sæculis viris probis, & sanctæ conversationis permitteretur accessus ad puellarum monasteria; tamen cùm non facilè agnosceretur, quis esset probæ vitæ, magnaque virtute polleret, & castitatis votum servaret, ideo Ecclesiæ Patres omnibus, tam clericis, quàm monachis ingressum, & accessum ad monasteria puellarum indistinctè prohibuerunt.

10.

Ex suprà traditis exponendus est difficilis textus *in can.* 9. *Concil. Tolet.* 1. in illis verbis: *Nulla professa, vel vidua, absente Episcopo, vel presbytero in domo sua antiphonas cum confessore, vel servo suo faciat: lucernarium verò nisi in Ecclesia non legatur, aut si legatur, in villa, præsente Episcopo, vel Presbytero, vel Diacono legatur.* Ex quibus verbis apertè constat, Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum posse simul cum sanctimonialibus horas canonicas recitare intra domum, vel Ecclesiam. Igitur & eorum monasteria frequenter adire, cum eisque conversari. Sed antequam huic difficultati satisfaciam, exponere necessarium duxi, quid per antiphonas, confessorem, & lucernarium PP. ibi intelligant. Et quidem antiphona componitur ex duabus illis dictionibus Græcis ἀντὶ & φωνὴ. id est, vox contra vocem; proinde antiphona dicta fuit alterna, & reciproca cantio, cùm vicissim vel psalmi choris alternis psallerentur, vel antiphonæ, quæ versiculis tunc temporibus constabant, alternatim concinerentur, ut explicat D. Isidorus *lib.* 6. *originum*, *cap.* 19. illis verbis: *Antiphona*, inquit, *ex Græco interpretatur vox reciproca, duobus scilicet choris alternatim psallentibus, ordine commutato, sive de uno ad unum.* Quod genus psallendi Græci reperisse dicuntur: responsorios Itali tradiderunt; quod carmen inde responsorios cantus vocant, quòd alio desistente, id alter respondeat. Inter responsorios autem & antiphonas hoc differt, quòd in responsoriis unus versum dicit; in antiphonis autem versibus alternant chori: quem canendi morem in Ecclesiis Antiochena, Mediolanensi, & Hispana usitatum illustrat Halherius *lib.* 3. *hierarch. sect.* 2. §. 4. & dicemus *in cap.* 1. *de celebrat. Missar.* Circa confessorem, omissis variis acceptionibus, quas tradunt Gibalinus *de clausura disquisit.* 1. *cap.* 9. §. 1. Mendoza *lib.* 2. *Concil. Illiber. cap* 52. ubi nonnulla notavi, in præsenti confessor accipitur pro cantore, seu psalmista, qui in inferiori clericorum gradu erat. Concil. Carthag. 4. *can.* 11. Divus Clemens *lib.* 8. *constit. cap.* 10. Divus Isidorus *lib.* 2. *de officiis Eccles. cap.* 12. Divus Hieronymus *epist.* 2. *ad Nepotianum*, ibi: *Si lector, si acoluthus, si psaltes te sequuntur, non ornentur veste.* Canon. 26. & 43. Apost. Synodus Laodic. *can.* 24. ibi: *Presbyterum, & Diaconum, & deinceps quemlibet ecclesiastici ordinis, usque ad ministros, vel lectores, vel cantores, vel exorcistas, vel hostiarios, vel exorcistarum ordinis, cauponas ingredi non oportet.* Qui cantores confessores dicebantur; nam ubi *lib.* 8. *constitutionum Apost. cap.* 10. in orationibus, quæ fiunt pro fidelibus, dicitur. *Oremus quoque pro lectoribus, cantoribus, virginibus, viduis, & orphanis*; in libro Sacram. D. Gregorii, *feria* 4. *post Palmas*, legitur: *Lectoribus, hostiariis, confessoribus, virginibus, viduis, & pro omni populo sancto Dei.* Estque trita ratio hujus acceptionis; confiteri enim ex usu sacro significat gratias agere, & Deum laudare. *Psalmo* 8. *vers.* 18. ibi: *Confitebor Domino secundùm justitiam ejus, & psallam nomini Domini altissimi.* Amalarius *lib.* 3. *de offic. Eccles. cap.* 3. de choro cantor-

Exponitur Concil. Tolet. 1. *can.* 9.

cantorum agens ait : *Porrò cantores, laudatores Dei, & ad laudem ceteros excitantes.* Et probat id ipse Amalarius ex eo, quod in sacra Pagina hæc verba, *confitemini Domino*, cantoribus imputantur : notavit Hugo Menardus *in notis ad Sacrament. Divi Gregorii, fol.* 61. de quibus cantoribus agitur in eodem Concilio Tolet. 6. *can.* 1. ibi : *Nisi ea sit honestorum, seniorum, aut viduarum frequentia, ubi honeste confessor quilibet cum plurimorum testimonio testium convivio interesse possit ; cum lectoribus autem in ipsorum domibus non admittendas, aut videndas.* Confessor igitur hoc canone 9. cantor est, qui professas, vel viduas continentes invisebat pretextu canendi, & docendi ordinem, & modum recitandi divinum officium. Superest, ut quid per lucernarium in eo textu accipiatur, exponamus ; & constat lucernarium ab antiquis vocari vesperarum orandi modum ad vesperas pertinentem. Cassianus *lib.* 3. *instit. cap.* 3. ubi dum refert horas canonicas, ait : *Ita enim & illi primo mane conduxisse describitur ; quod tempus denegat matutinam nostram solemnitatem ; deinde tertia, inde sexta, post hac nona, ad extremum undecima, in qua lucernalis hora signatur.* Itaque dicebatur, quia accensis lucernis hora illa recitabatur. D. Hieronymus *epist.* 7. *cap.* 5. ubi dum filiam in monasticis moribus instruit, ait : *Assuescat ad orationes, & psalmos nocte consurgere, mane hymnos canere, tertiâ, sextâ, nonâ horâ stare in acie quasi bellatricem Christi ; accensâque lucernâ reddere sacrificium vespertinum.* Lucernarium hoc ad partem priorem vesperarum spectabat, ut constat ex D. Isidoro *in regul. monach. cap.* 6. ubi dum unicuique horæ canonicæ psalmorum numerum præscribit, ait : *In vespertinis autem officiis, primò lucernarium, deinde psalmi duo, responsorius unus.* Facit textus *in can.* 2. *Concil. Emerit.* ibi : *Oportet igitur, ut sicut in aliis Ecclesiis vespertino tempore post lumen oblatum, prius dicitur vespertinum, quàm jejunium in diebus festis ; ita & à nobis custodiatur in Ecclesiis nostris.* Hujus lucernalis horæ mentio fit in regulis monasticis, tam Divi Augustini, quàm Divi Isidori, & aliorum, ut probant Franc. Hallierius *d. lib.* 3. *de hierarch. sect.* 2. §. 4. *ad finem*, Bivar. *de veteri monach. lib.* 4. *cap.* 2. *fol.* 9. Loaysa *in dicto can.* 9. *Concil. Tolet.* Gazæus *in notis ad Cassianum lib.* 3. *de instituis, cap.* 3. qui formam lucernarii, & recitandi modum referunt. Ratio autem quare lucernarium tantùm præsente Episcopo, Presbytero, vel Diacono legi poterat, triplex assignatur ab Interpretibus. Primam petit Bivar. *ubi proximè, num.* 14 ex eo, quod in lucernario erant propriæ, & peculiares orationes, quæ tantùm recitari poterant ab Episcopo, Presbytero, vel Diacono, ut ex D. Basilio ipse probat : unde existimat *in dicto can.* 9. *Concil. Tolet.* cautum fuisse, ne à quovis clerico lucernarium legeretur, sed tantùm præsente Episcopo, Presbytero, vel Diacono. P. Gibalinus *de clausura disquisit.* 1. *cap.* 9. §. 1. *num.* 12. aliam rationem reddit, videlicet, quod cùm lucernales preces, & psalmi non nisi post solis occasum dicerentur, prohibuerunt Patres, ne intra domum cum confessore suo professa, vel vidua lucernarium dicerent ; sed in Ecclesia, ad quam ne incommodè pro-

cederent, statuerunt ut cum Episcopo, Presbytero, vel Diacono accederent, ut ita omnis familiaritas cum lectore, aut cantore vitaretur, juxta canonem 6. ipsius Concilii. Tertia ratio, & verior, ni fallor, traditur ab Aloaysa *in notis ad eundem canonem*, quam sequuntur & illustrant Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri monach. cap.* 61. *in fine*, Hallierius *d. lib.* 3. §. 4. supponunt enim perdocti viri, divina officia olim non nisi præsente Episcopo, Presbytero, vel Diacono recitari consueville, juxta Concilium Tarracon. *can.* 7. ibi : *De diœcesanis Ecclesiis, vel clero id placuit custodiri, ut Presbyteri, vel Diaconi, qui mihi constituti sunt, cum clericis septimanas observent, id est, ut Presbyter unam hebdomadam, quâ expletâ succedat ei Diaconus similiter ; eâ scilicet conditione servatâ, ut omnis clericus die Sabbatho ad vesperas sit paratus, quo facilius die Dominica solemnitas cum omnium præsentia celebretur* ; præcipuè lucernarium officium, post quod subjungebatur lectio, seu interpretatio sacræ Scripturæ, ut refert Nicephorus *lib.* 12. *histor. cap.* 34. ibi : *In Cypro, & Cæsarea Cappadocum in Sabbato, & Dominico die vesperi, & post lucernarum accensionem Episcopi, & Presbyteri sacras Scripturas populo exponunt.* Unde cùm scripturas exponere proprium sit Episcopi, vel eo absente Presbyteri, aut Diaconi, ideò Patres petunt præsentiam Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi, ut lucernarium dicatur. Notat tandem, & rectè ipse Hallierius, quod dum in principio ipsius canonis agunt Patres de horis canonicis recitandis à professa, vel vidua intra civitatem, petere tantùm præsentiam Episcopi, vel Presbyteri, nullâ Diaconi factâ mentione. Cùm ergo agunt de lucernario in villa dicendo ; Diaconum adjiciunt, quia eo tempore propter sacerdotum penuriam non semper in villa Presbyter reperiebatur, sed tantùm Diaconus, qui plebem regebat, ut notavi *in can.* 77. *Concil. Iliber.* His suppositis pro vera expositione illius canonis dicendum est, quod cùm olim non solùm in Ecclesia, & monasteriis horæ canonicæ recitarentur, Concil. Cabilon. 2 *can.* 59. Moguntin. sub Rabano *can.* 16. verùm & in ædibus privatis, ubi virgines, vel viduæ continentes degebant, ut constat ex D. Hieronymo *in epist.* 7. suprà relata, & *in epist.* 22 *ad Eustochium*, & *epist.* 8. *ad Demetriad.* ibi : *Præter psalmorum, & orationis ordinem, quod tibi horâ tertiâ, sextâ, nonâ, ad vesperum, media nocte, & mane semper est exercendum* ; neque tantùm ipsæ psalmos cantæ sunt, sed etiam ad Ecclesias, ut audirent, & canerent, procedebant, ut constat ex ipso Sancto Hieronymo *dicta epist.* 7. *ad Lætam*, ubi illam monet, ne sola ad vigilias iret, ibi : *Basilicas martyrum, & Ecclesias sine matre non adeat ; vigiliarum dies, & solennes pernoctationes sic virgunculæ nostræ celebret, ut ne transversum quidem unguem à matre discedat.* Cùm, inquam, sanctimoniales domi horas canonicas recitarent, indigerentque magistro, illius pietatis, & officii prætextu cantores, & psalmistæ, qui confessores dicebantur, eas adibant ; quare ut similem abusum Patres tollerent, prohibuerunt, ne hujusmodi sanctimoniales cum confessore suo antiphonas facerent, nisi præsente Episcopo, Presbytero, aut Diacono ; lucernarium verò inhibent, nisi

in Ecclesia non legi, ob rationem suprà adductam, & ibi recitari debere præsente Episcopo, aut Presbytero, ut eo finito illi sacram Scripturam exponerent.

CAPVT IX.

(a) Gregorius VIII.

QUoniam, ut ait Scriptura, proni sunt sensus hominis ad malum ab (b) adolescentia sua, sicut ex sensualitate caro vergit in culpam, ita vigore spiritus procedente, & subsequente divinâ (c) gratiâ, animus niti debet ad veniam, & remedia semper inquirere, quibus irruentes occasiones mortis valeat declinare. Inde siquidem est, quod intelligentes multa ex defectu proprio, multa ex aliena malitia in vestris Ecclesiis pervenisse, quæ aut delictum in se, aut occasionem habeant delinquendi; per auctoritatem Apostolicæ Sedis, cui ex dispositione Domini servimus, prout datur ab eo, decernimus obviandum, & auctoritatem in vobis Episcopalis officii ad resecanda nociva in subditis vestris, & inserenda utilia, scriptis Apostolicis muniendam, recolentes, quod in veteri lege præcepit Dominus dicens: Ignis in altari semper (d) ardebit, quem nutriet Sacerdos, subjiciens mane ligna per singulos dies. Statuimus, ut facultatibus Ecclesiarum vestrarum, atque proventibus, & expensis etiam diligenter inspectis, certum in eis valeatis imponere (e) numerum (f) clericorum; & statuere, ut bona eorum veniant in communione, & in una domo vescantur, atque sub uno tecto dormiant, & (g) quiescant. Si verò contradictores extiterint, licitum vobis sit per suspensionem officii & beneficii, aut graviori etiam pœnâ, si opus fuerit, ad hanc observantiam eos appellatione compellere non obstante. Indulgemus etiam, ut si quisquam eorum, qui simul vivunt, pro manus (h) injectione in socium à communione meruerit fieri alienus, reconciliandi eum, & pœnitentiam imponendi potestatem plenariam habeatis, nisi fortè (i) atrocitas facti pœnam graviorem expectet. Quod etiam de mulieribus, & iis qui præ senectute, vel infirmitate præsentiam nostram adire non possunt, volumus observari, nullum præjudicium constitutioni ecclesiasticæ, aut successoribus nostris afferentes, quominus super his, qui rectiùs viderint, valeant ordinare.

NOTÆ.

(a) *Gregorius VIII.*] Ita legitur *in prima collectione, sub hoc tit. cap.* 10. & rectè; nam cùm Gregorius VII. integro sæculo præcessisset Alexandrum III. auctorem textus antecedentis, vixit enim circa annum 1080. non poterat juxta rectam temporum seriem in hac collectione observatam post Alexandrum III. compilari Gregorii VII. epistola. Ex eadem ratione non debet tribui hæc Decretalis Gregorio IX. ut voluit Panormit. hîc *in principio*; quia cùm textus sequentes sint Innocentii III. qui floruit ante Gregorium, non poterat compilari Gregorii IX. decretalis ante constitutiones Innocentii: quare semper ultimo in loco referri à Raymundo constitutiones Gregorii IX. jam notavi *in cap. final. de constit.* Legendum igitur est, Gregorius VIII. ut habetur in prima collectione, ex qua etiam textum hunc restituo. Gregorius VIII. antea Albertus de Mora dictus, patria Beneventanus, monachus Sancti Benedicti, creatus fuit Pontifex anno 1187. die 21. Octobris, & scripsit varias epistolas, ut refert Ludovicus à sancto Carolo in Bibliotheca Pontificia, verbo *Gregorius VIII.*

(b) *Ab adolescentia.*] Verba sunt Genes. *cap.* 8. *vers.* 21. Proverbiorum *cap.* 30. & refertur *in cap.* 1. 12. *quæst.* 1.

(c) *Divina gratia.*] Absque quâ nihil potest humana fragilitas, ut definitum est in Concilio Tridentino *sess.* 6. *de justific. cap.* 5.

(d) *Semper ardebit.*] Verba sunt Levitici *cap.* 6. quibus docere intendit Gregorius charitatis ignem inter Canonicos tanquam confratres per bonorum omnium, vitæque communionem in corde tanquam in altari ardere debere.

(e) *Numerum.*] Tantùm enim numerus illeclericorum in Ecclesiis esse debet, qui possit juxta facultates Ecclesiæ commodè sustentari, *cap.* 1. *cap.* 3. *de instit. cap. unic.* §. *sanè, de statu regul. in* 6. Trident. *sess.* 25. *de regul. cap.* 4. ibi: *In monasteriis, & domibus, tam virorum, quam mulierum, bona immobilia possidentibus, ut tantùm numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex reditibus proprii monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possint sustentari.* Concil. Cloveshoviæ *can.* 28. ibi: *Ut nemo suscipiat majorem congregationem, quàm sustentare possit, & eis necessaria præstare.* Illustrant Sanchez *lib.* 7. *summæ, cap* 23. Solorzanus *tom.* 2. *de jure Indiar. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 31. latè dicemus *in cap.* 1. *de instit.*

(f) *Clericorum.*] Sæcularium videlicet, non regularium, ut vult Glossa in præsenti; nàm ut bene notavit Immola *in præsente, num.* 9. præsens textus agit de Prælatis sæcularibus, non regularibus; siquidem injungit Episcopis, ut curent bona Clericorum communia fieri, cùm regulares nihil possideant, quod in commune redigi possit: quare rectiùs textum hunc de canonicis sæcularibus accipit Boërius Epon. *tom.* 2. *qq. heroic.* in præsenti, nec bene Lotherius *lib.* 1. *de re benefic. cap.* 14. *num.* 44. dum docet Episcopum

pum non posse erigere Ecclesiam Parochialem in Collegiatam, accipit Gregorium in præsenti de Ecclesia Canonicorum Regularium jam constructa, in regularemque erecta; mens enim & sententia Gregorii est, ut universi Episcopi, tam Occidentales, quàm Orientales indicerent clericis propriæ suæ Ecclesiæ, ut intra claustra in communi dormitorio, & refectorio viverent, ut illis sæculis ferè in omnibus provinciis catholicis moris erat; siquidem cum Episcopo proprio Canonici vitam regularem agebant, ut latè referunt Cochier *in fac. histor. cent. 2. cap. 22.* Lantdmeter. *lib. 2. de veteri clerico, cap. 56. in fine*, Pennotus *lib. 2. hist. canonic. regul. per totum.*

(g) *Dormiant & quiescant.*] Ut essent clerici in Ecclesiis suis assidui, & debitis temporibus divina celebrarent officia, ac horas canonicas persolverent, institutum fuit jam prioribus Ecclesiæ sæculis, ut Canonici communem vitam sub eodem tecto peragerent, ac intra claustra deperent in eodem refectorio, *cap. 1. 2. & 3. 12. q. 1.* Synodus Turonensis *can. 23.* ibi: *Canonici & Clerici civitatum, qui in Episcopiis conversantur, consideravimus ut in claustris habitantes simul omnes in uno dormitorio dormiant, simulque in uno reficiantur refectorio, quo facilius possint ad horas canonicas celebrandas accurrere, ac de vitæ, & conversatione sua admoneri & doceri: victum, & vestimentum juxta facultatem Episcopi accipiant, ne paupertatis occasione compulsi per diversa vagari, ac turpibus se implicare negotiis cogantur.* Concil. Mogunt sub Carolo *can. 4.* ibi: *In unoquoque Episcopatu simul manducent & dormiant, ubi tis facultas faciendi suppetit; vel quia in rebus ecclesiasticis stipendia accipiunt, in suo claustro maneant, & singulis diebus mane primâ horâ ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur; ad mensam verò similiter lectionem audiant.* Synodus Aquisgran. *can. 3. & 125.* illique Canonici regulam D. Benedicti, vel D. Augustini frequentiùs servabant, ut probat Pennotus *d. lib. 2. per totum.* Eorum vita describitur *lib. 5. capitul. cap. 115.* his verbis: *In omnibus, quantùm humana permittit fragilitas, decrevimus, ut Canonici clerici canonicè vivant, observantes divinæ Scripturæ doctrinam, & documenta sanctorum Patrum, & nihil sine licentia Episcopi sui, vel magistri eorum compositè agere præsumant.* In eis etiam clausura servabatur. Synodus Aquisgran. *can. 134.* ubi egressum sine licentia, moram ultra tempus præscriptum, discursum per plateas, aut bivia, inter clericorum culpas refert. S. Basilius *in constit. canonic.* ait: *Si quis præterquam ubi necessarii usus postulent, extra egrediatur, & temerè divagetur, segregator.* Concil. Carthagin. 4. *can. 47.* ibi: *Clericus per plateas, vel andronas, nisi certa, & maxima officii sui necessitate non ambulet.* Facit textus *in cap. necessaria 12. q. 1.* Illustrat Lantdmeter. *dicto lib. 2. cap. 106.* & in Hispania nostra ferè omnes Ecclesias Cathedrales olim fuisse Canonicorum regularium probat Pennotus *ubi suprà.* Cupiens igitur Gregorius VIII. ut Canonici hanc profiterentur vivendi normam, scribit in præsenti universis Episcopis, ut pensatis facultatibus propriæ Ecclesiæ, clericos in eis instituant, qui communem vitam teneant, simul dormiant, & quiescant.

(h) *Manus impositione.*] Hæc verba exponemus *in cap. monachi, de sententia excommun.* 5.

(i) *Atrocitas.*] Quo casu non censetur absolutio à dicta censura Episcopo concessa, *cap. canonica, de sententia excom.* & meritò, quia etiam jure civili quoties atrocitas facti aderat, superior adeundus erat, *l. si quid erit, ff. de offic. Proconsul. l. 2. 3. l. 4. §. 1. ff. de officio Præfect. vigil. l. 1. §. ult. ff. de suspect. tutor.* notavit Cujacius ibi. 6.

CAPUT X.

Innocentius III. *Prælatis & Clericis* (a) *Lombardiæ.*

Cum ab omni specie mala præcipiat (b) Apostolus abstinere, nos (quilicèt indigni) constituti sumus à Deo super gentes, & regna, ut juxta verbum propheticum, evellamus & destruamus, ædificemus & plantemus; summoperè debemus satagere, quatenus evellamus vitia & plantemus virtutes, destruamus iniqua & ædificemus honesta: sicque nostra solicitudine mediante, prava transeant in directa, & aspera convertantur in plana. Licet autem hujus nostræ solicitudinis labor generaliter debeat ad omnes extendi, quia sapientibus sumus, & insipientibus debitores; specialiter tamen ad clericos, qui dormire debent à vitiis, ut sint (c) pennæ columbæ deargentatæ; ne quid in illis appareat, quod offuscet candorem ecclesiasticæ puritatis. Sanè ad audientiam Apostolatus nostri multorum assertione pervenit, quod cùm ex delegatione nostra causas suscipiatis pertractandas, more sæcularium, super decima (d) litis, vel parte alia, pro diversa terrarum consuetudine, præter expensas victualium, cum litigantibus receptis pignoribus pro salario conventis, quod postmodùm usque ad solutionem pecuniæ, nolentibus etiam partibus, contenditis detinere. Nos attendentes quod ad hoc vobis, & aliis clericis sunt ecclesiastici redditus deputati, ut exipsis honestè vivere debeatis, ne vos oporteat ad turpia lucra manus extendere, vel ad iniqua munera oculos inclinare. Cùm ergo opera vestra lucere debeant laicis in exemplum, nec vos deceat ad instar sæculatium ad turpe compendium juris occasionem arripere, v. f. v. per A. s. m. atque

præcipimus, quatenus ab hujusmodi exactionibus de cætero abstinentes, vigorem judiciarium gratis studeatis litigantibus impertiri, non obstante quod in fraudem à quibusdam proponitur, quod idem exigatur nomine (e) assessorum, cùm nec justum judicium judici vendere liceat, & venales sententiæ ipsis etiam sæcularibus legibus (f) improbentur. Dat. Tuderti V. Non. Octob.

NOTÆ.

1. (a) *Lombardiæ.*] Ita etiam legitur *in cap. 1. hoc tit. in 3. collect.* & in epistolis editis Coloniæ, & correctis à Sirleto *fol.* 187. ex quo codice restituo integram hujus textus; in partibus enim Lombardiæ ea consuetudo, seu potiùs corruptela irrepserat, ut judices decimas litium exigerent, & super eam etiam sub pignore turpiter paciscí solebant, ut refert Cujacius in præsenti; unde Innocentius III. Prælatis & clericis illius provinciæ direxit præsentem constitutionem, talem corruptelam improbando.

2. (b) *Apostolus.*] 1. *ad Thessalon. cap. ultimo, vers.* 21. *Omnia*, inquit, *probate; quod bonum est, tenete: ab omni mali specie abstinete.* Erasmus post versionem vulgarem legit: *Ab omni specie mala abstinete.* Utcunque tamen sit, D. Pauli sententia aperta est, videlicet, adeò nihil mali esse faciendum, ut nec vel imago quidem, vel similitudo sit ulla, vel suspicio mali. Ioannes Andreas, Butrius, Zobarella, Immola, & Panormitanus in præsenti hujus sententiæ occasione latè agunt de variis malorum, & bonorum generibus; sed tractatus hic ad Theologos spectat, qui scripserunt de bonitate, & malitia humanorum actuum, & de vitiis, ac virtutibus.

(c) *Penna columbæ deargentatæ.*] Verba sunt psalmi 67. quæ fusè & eruditè exponit Hallier. *de sacris elect. in princip.*

3. (d) *Decima litis.*] Jure civili Romanorum actor qui temerè litem instituerat, aut ex calumnia, in decimam partem litis tenebatur: ea autem actio oriebatur ex promissione; nam in initio litis cavebat actor ni vicisset, reo decimam litis præstaturum iri, ut patet ex constitutione Diocletiani & Maximiani, quæ extat *sub tit. de calumniat. in Codice Hermog.* ibi: *Judicio tutelæ convenit excipi actionem, ad quam respondere debes: quippe si per calumniam hoc eum facere confidis, remedio repromissionis initio postulatæ calumniæ in decimam partem ejus, quod petit, tibi condemnari eum desiderare potes.* Refert Cujacius *lib. 7. observ. cap. 5.* apud Francos hæc litis decima fisco pendebatur. Princeps autem judicibus delegatis, quibus causæ cognitio commissa erat, solebat eam concedere, ut apparet ex formula illa 20. Marculfi, ibi: *Præterea per præsens decernimus præceptum, ut ipsum in hoc vos recipere faciatis, & unicuique ex ipsis juste debita portio terminetur, & decima illius fumptus litis, qui exinde in fisci ditionibus, tam de terra, vineis, mancipiis, vel undecunque reddebatur, ipse vir ille habeat ex nostra indulgentia concessum, vel quicquid exinde facere voluerit, liberam habeat potestatem.* Illustravit Bignon. *in notis ad eam formulam.* Apud Beneventanos idem statutum fuisse, refert, & firmat Innocent. III. *lib. 1. epist. fol.* 164. Jure nostro regio approbata est consuetudo quæ in diversis partibus invaluerat, videlicet ut pro sportulis judici ordinario, aut delegato post executionem sententiæ decima ipsius litis præstetur, *l. 3. tit. 14. lib. 5. ordin. l. 7. tit. 21. l. unic. tit. 31. lib. 4. recopil.* probant, & plura de hac decima judici exequenti sententiam solvenda, congerunt ultra repetentes in eisdem juribus Bobadilla *lib. 1. polit. cap. 13. num.* 30. Hevia *in Curia Philip. 2. p. §.* 25. Rodriguez *de exequutione cap. 7. per totum.* Salgado *tom. 1. Labyrinth. p. 1. lib. 1. cap. 1. §. 2.*

4. (e) *Assessorum.*] Assessores enim assumuntur à Magistratibus ex Jurisperitorum ordine, qui jus sibi, quod sæpiùs ignorant, suggerant, ut elegantur refert Josephus *lib. 2. contra Apionem:* nam licèt quæ ad Magistraturam sui officii pertinent, ignorare non debeant; justis tamen ordinarii professores non existunt; unde jure civili frequenter assessores assumebant illi, quia ut ait Justinianus *in novel.* 82. legum placita Magistratibus suggerent, & quod non poterant per occupationes allequi, supplebunt; *l. non minùs, C. de assessoribus, l. unic. C. Theodos. de Comitibus*, ut fuisse Ulpianum ipse testatur *in l. metum 9. §. sed quod Prator, ff. de eo quod metus causâ:* de Sabino constat *ex l. lex. 5. §. hac lege. ff. de injuriis.* Plerunque dicuntur Consiliarii, *l. unic. C. si Rect. provinc.* Ammian. Marcel. *lib. 25. Sisorio amisso consiliario, qui ei aderat, casu evasit.* Cassiodorus *lib. 6. epist. 12. Consiliaris quoque præfectorum.* Etiam dicuntur Participes *in l. 1. C. de assess.* ab Ausonio *iliad. 2.*

Curia me duplex, & uterque Senatus habebat
Muneris exsortem, nomine participem.

Symmachus *epist. 17.* Notavit Savarus *ad Sidonium lib. 1. epistola 3 fol.* 24. Illustrant Desiderius Heraldus *lib. 1. de auctorit. rei judic. cap. 8.* Pollet. *hist. fori Rom.* Jure canonico necessitas assumendi assessores illiteratis injuncta est, *cap. ad nostram audientiam, de consuet. cap. statutum, §. assessorem, de rescript. lib. 6.* ex eadem ratione jure nostro Regio necessitas injuncta est Prætoribus, ut eligant Proprætores juris peritos, vulgò *Tenientes, l. 22. tit. 9 partit. 2. l. 10. tit. 16. lib. 2. ordin. l. 26. tit. 5. l. 4. tit. 6. lib. 3. recopil.* ubi plura congessit Salcedo.

5. (f) *Improbentur.*] Adeò ut venales sententiæ, quæ à corruptis judicibus proferuntur, etiam citra interpositæ provocationis auxilium infirmæ sint, *l. venales 7. C. quando provocare;* & Antoninus *in l. 1. C. de pœna judicis, qui malè judicavit*, ait amittere eum actionem, qui judici pecuniam dedit, & diffidentiâ justæ sententiæ, in pecuniæ corruptela spem negotii reposuerit; siccuniæ corruptela spem negotii reposuerit; siccuniæ corruptela spem negotii reposuerit; sicc

suetudine introductum sit. Probant eam textus *in cap. si quis* 1. *dist.* 83. *cap. Episcopus, cap. non debet* 11. *q.* 3. *cap. statutum* 2. §. *assessorem, de script. lib.* 6. *cap.* 1. *de jud. eod. lib. cap. observandum* 15. *q.* 2. Concil Aurelian 2. *can.* 3. Arvernense *can.* 25. & Concil. Arelat. 4. *can.* 13. *Statuimus ut comites, judices, seu reliquus populus obedientes sint Episcopo, & invicem consentiant ad justitias faciendas; & munera pro judicio non recipiant, nec falsos testes, ne per hoc pervertant judicia justorum, quia scriptum est: Justitia elevat gentem, injustitia verò miseros facit populos.* Et Psalmista: *Beati qui custodiunt judicium, & faciunt in omni tempore.* Idem omnino repetit Concilium Cabilon. 2. *can.* 35. *Nullus Christianus pro qualibet placito, vel judicio à qualibet persona munera exigere aut accipere debet; quoniam id divina Scriptura multis in locis magnâ interdicit auctoritate.* Hinc præfatum Concilium Cabilonense *can.* 21. addit: *Sed & ministros, quos vicarios, & centenarios vocant, justos habere debent, ne fortè eorum avaritiâ, aut rapacitate populus gravetur, & amissis facultatibus in paupertatem redigatur*, &c. Eadem constituit Concilium Mogunt. 1. *can.* 30. & Concilium Rhemense *can.* 39. Concilium Mogunt. 2. *can.* 19. *Qui adjuvertendam justitiam a duobus munera accipiunt, hoc est, ab eo qui quod sibi injustè ablatum est, justè requirit; & abeo qui eadem injustè invasit, admonendi sunt, & fortiter increpandi, ne regnum Christi, quod omnibus rectè facientibus patet, sibi sine ulla retractatione secludant.* Concilium Bernense *can.* 25. *Ut nec Episcopus, nec Abbas, nec ullus laicus pro justitiis facienda sportulas contradictas accipiat, quia ubi dona intercurrunt, justitia evanuatur.* Turon. 3. *can.* 35. *Nullus Christianus pro qualibet placito, vel judicio à qualibet persona munera exigere, aut accipere debet.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa & Garanna, Cujacius, Fabrotus & Boetius Epon. *in præsenti*, Franciscus Hallierius *in vindiciis*, *fol.* 759. D. Joannes de Larrea *alleg.* 47. Phebo *tom.* 2. *dec.* 111. Nathen. *in justitia vulner. cap.* 4. *fol* 587. Gibalinus *de censur. in synopsi. verbo Munera*, *num.* 6. Flores de Mena *q.* 8. Cabedo *tom.* 1. *dec.* 16. Morla *in compor. tit.* 2. *de jurisd. q.* 10. Acunna *in cap. si quis* 10. *d. st.* 83. Petrus Gregorius *lib.* 1. *de republic. cap* 6. Osvaldus *lib.* 28. *Donel. cap.* 3. *triplici littera H.* Balduinus *ad leges* 12. *Tabul. cap.* 8. Lælius Mancinus *de triplici jure collat. cap.* 102. & 117. Dattis *in d. c.* 15. *q.* 2. Balsamon *in can.* 15. *Synodi Carthag.* Hallierius *in vindiciis lib.* 5. *cap.* 2. Altesserra & Florens in præsenti.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgi potest: Nemo tenetur militare propriis stipendiis, justumque est, ut laboranti stipendium assignetur, juxta Apostolum 1. *ad Corinth. cap.* 9. relatum *in cap cùm secundum, de prabend. cap. cùm ex officii, de præscript.* probant latè Matienzo *in dial.* 3. *p. cap.* 32. *num.* 9. Sbroz. *de offic. vicar. lib.* 1. *q.* 55. *num.* 2. & *lib.* 3. *q.* 53. *num.* 3. Hallierius *in vindiciis lib.* 5 *q.* 2. Flores de Mena *d. q.* 8. *num.* 6. Surdus *de aliment. tit.* 4. *q.* 22. *num.* 12. Valenzuela *consil.* 179. *n.* 32. Bobadilla *lib.* 1. *polit. cap.* 13. *num.* 48. Solorzanus *lib.* 3. *de jure Indiar. cap.* 8. *num.* 39. Igitur Judices Ecclesiastici delegati non tenentur gratis de causa sibi commissa cognoscere, eamque debito fine terminare. Accedit; nam consuetudo in partibus Lombardiæ invaluerat, ut decima litis judicibus delegatis præstaretur, ut suprà retuli; sed talis consuetudo, ut licita, erat observanda siquidem in casu non dissimili *in cap. ad Apostolicam, de simonia*, docetur, quod etsi pro administratione sacramentorum clerici aliquid recipere non debeant, tamen consuetudo, piè introducta observetur. Igitur & consuetudo, de qua in præsenti agitur, observanda erat, ut contingit in decima, quæ in executionibus præstatur judici ordinario ex dispositione legis Regiæ; ea enim consuetudine introducta fuit, & ideò jubetur in legibus suprà citatis, ut præstetur, quia consuetudine introductum erat in his Regnis, ut decima litis judici exequenti sententiam solveretur. Igitur similiter in consuetudine Lombardiæ idem observandum erat.

De Salariis et emolumentis judicum.

Quâ dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, tria esse genera emolumentorum, quæ judices ratione officii sui, muneris que sibi injuncti percipiunt. Primò salarium, quod justè ab eis exigitur & accipitur, unde Alexander Severus, referente Lampridio, cùm promovebat judices, argento, & necessariis instruebat, ita ut Præsides provinciarum argenti pondo vicena, phialas senas, mulos binos, equos binos, vestes forenses binas, domesticas singulas, balneares singulas, aureos centenos, cocos singulos, & si uxores non haberent, singulas concubinas acciperent, quòd sine iis esse non possent, reddituri depositâ administratione mulas, mulos, equos, muliones, & cocos; cætera sibi habituri, si bene egissent; in quadruplum reddituri, si malè. Secundò judici præstantur quædam minuta commoda pecuniæ, quasi per stipem collecta jure actorum, quæ judex quotidie facit, quæ vocantur vulgò sportulæ, de cujus nominis significatione agunt congesti à Gothofredo & Barbosa *in rubric. C. de spor tulis*, Alex. ab Alex. *lib.* 5. *dier. genial. cap.* 24. Cælius Rhodigin. *lib.* 12. *lection. cap.* 21. Guidus Pancirola *in notitia Imper. occid. cap.* 99. Alciatus *lib.* 3. *disput. cap.* 17. Gatsias *de expensis cap* 21. *ex num.* 11. Judices delegati à litigantibus sportulas accipiebant, *l. si quis tempendia, ff. mandati. Authent. de judiciis, collat.* 6. *cap. ne autem* 9. Justinianus autem ut obviam iret judicum sordibus, eorum sportulas ad certam quantitatem redegit, quam impunè excedere non licuit; nam pœna tripli, & quadrupli in transgressores statuta est *in* §. *triplo, Instit. de actionibus*, Authent. *de litig. & sportul. collat.* 6. Et licèt hæc sportularum taxatio non extet sub titulo Codicis *de sportulis*, ejus tamen crebra mentio fit à Justiniano *in Authent. ut judices sine suffragio*, §. *volumus*: & *in* §. *ne autem, authent. de judic.* constituit Justinianus judices pedaneos accipere posse ab utraque parte duos aureos in contestatione, & totidem in fine negotii, in litibus excedentibus quantitatem centum aureorum. Certa item summa nomine sportularum ab eodem statuitur in favorem Ecclesiæ in Authentica *Sed hodie, C. de Episcop. & Cler.* ubi notavit Mornacius. Et licèt dicta Justiniani constitutio reperiatur *in cap. inducia*, 6. *offeratur* 3. *q.* 3. tamen Bonifacius VIII. prohibuit judicibus delegatis aliquid accipere judicii causâ, nisi viatici nomine, si quando extra domicilium proficisci contigerit,

cap.

cap. statutum, §. insuper, de rescript. in 6. quia cùm causæ Ecclesiasticæ nulli, nisi dignitate præditis, aut personatum obtinentibus committantur, *cap. statutum, in princip. de rescript. in 6.* & illis beneficiorum reditus ad sustentationem sufficiant, turpis conjici posset in ipsos avaritiæ labes, si sustentationis titulo stipendia à partibus litigantibus reciperent. Tertium genus emolumentorum est pars quædam pœnarum pecuniæ, quam ob varia delicta leges judicibus assignant, ut in pluribus legibus Recopil. ubi tertia, vel quarta pars assignatur judici, ut *in l. 1. 2. & 10. tit. 10. lib. 3. Recopil.* Ultra hæc emolumenta judices, tam ordinarii, quàm delegati, non debent aliquod munus accipere à litigantibus, propterea Moyses *Exodi cap. 23. vers. 8.* inquit: *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum.* Quod etiam repetitum legimus *Deuteron. cap. 16. & 27. vers. 27. Ecclesiast. cap. 2. Isaiæ cap 5. vers. 23.* Plura Gibalinus *de negotiatione tom 2. lib 6. cap. 3.* Nec est quod in judice plùs metuant legislatores; nam imperatores *in l. 3. C. ad leg. Juliam repet.* inquiunt: *Omnes cognitores & judices à pecuniis, atque patrimonii manus abstineant, nec alienum jurgium putent suam prædam.* Et Justinianus dum administratores ad jurandum adigit *in Authent. de mandat. Principum*, inquit: *Oportet te puræ sumentem administrationem, & sine omni suffragio, præ omnibus aliis mundas servare Deo, nobisque & legi manus, & nullum contingere lucrum, neque majus, neque minus*: & *l. sanctimus, 6. C. ad leg. Jul. repetund.* Cujus juramenti etiam meminerunt Demosth. *contra Timocr.* Jul. Pol. *lib. 1. onomast.* Plutarchus *in Solone*, Heraclid. *de polit. Athen.* relati à Simancas *de republ. lib 6. cap 3. & 4.*

9. *De lege Julia repetundar.*

Ex quibus colligitur, jus civile execrandum hoc delictum variis modis vitare intendisse, variis etiamtis pœnis, ne justitia violaretur, ut dicitur *in l. si remunerandi 6. l. salarium 7. ff. mandati, l. si contra 20. C. eod. tit. l. item 15. C. de procurat.* Unde post varias leges de pecuniis repetendis latas, quas congerit Sigonius *lib. 2. de judiciis, cap. 27.* lata fuit lex Julia à Cajo Julio Cæsare, qua tenetur qui in magistratu, potestate, ratione, legatione, vel quo alio munere, ministerioque publico quid acceperit, quo magis, aut quo minus officium faceret, *l. 1. 3. 4 6. 7. & ult. ff. ad leg. Jul. repetund.* D. Isidorus *lib. 5. orig. cap. 26.* ubi repetundarum teneri ait eum, qui pecuniam accepit à sociis: ubi legendum esse, *à subditis*, jam notavit Fornerius *lib. 2. rerum quotid. cap. 15.* In ea lege, appellatione Magistratus, non solùm provinciales, quorum causâ lex lata fuit, Cicero *de divinatione*, ibi: *Quasi verò dubium sit, quin tota lex de pecuniis repetundis sociorum causâ constituta sit; nam civibus cùm sunt ereptæ pecuniæ, civili fere actione, & privato jure repetuntur. Hæc lex socialis est, hoc ius exterarum nationum est*; verùm & urbani, *l. 6. §. 2. ff. eod.* & municipales veniunt, ut *in l. Julia de ambitu, ex l. unic. §. 1. ff. ad leg. Juliam de ambitu.* Verbo legationis, non solùm comprehenduntur legati missi pacis, vel belli causâ, verùm & alii ad cætera negotia expedienda missi. Verba quæ sequuntur de munere, officio, ministerio publico, quia sunt generalia, comprehendunt comites, Præsides, assessores, cognitores, judices pedaneos, *l. 5. ff. ad l. Jul. repet. l. 3. C. eod.* Paulus *lib. 5. sentent. tit. 28. l. si quis 38. §. judices, ff. de pœnis, l. 3. C. de assessor.* procuratores fisci *l. 5. C. ubi caus. fisc.* Item centuriones, qui ob legendum, mittendumve militem pecuniam accepere. *l. 6. §. lege Julia, ff. ad l. Jul. repet.* vel qui eum in falsum numerum militum retulit, *l. ult. 6. pro limitaneis, C. de officio Præfecti Afric.* aut qui occasione transitus militaris per concussionem aliquid extorsit, *Novel. 130.* Item Proconsul, qui legatum ante se de provincia dimisit, *l. meminisse 10. §. 1. ff. de officio Proconsul.* Senator qui navem maritimam habuit, *l. auferetur 46. §. quod à Præside, ff. de jure fisci, l. 3. ff. de vacat. muner.* Nec solùm prædicti Magistratus ea lege tenentur si aliquid illicitè acceperint, verùm etiam & delictis comitum, & ministrorum suorum in quadruplum conveniuntur, *l. 1. C. ad l. Jul. repet.* Nihil enim interest, ipsémé expiles provinciam, an per prædatores id facias. Cicero 4. *in Verrem*: *Cohors tota illa tua, quæ plus mali Siciliæ dedit, quàm si centum cohortes fugitivorum fuissent, tua manus sine controversia fuit. Quicquid ab horum copia captum est, id non modò tibi datum, sed tua manu numeratum judicari necesse est.* Et paulò pòst: *Si enim innocentes existimari volumus, non solùm nos abstinentes, sed etiam nostros comites præstare debemus.* Si autem comites hi fumum vendant, illi incidunt in legem Juliam repetundarum, *l. in comites, 5. ff. eod.* non autem Magistratus. Fumum vendere à veteribus dicebantur, qui cùm Magistratibus, sive Judicibus familiares essent, aut se tales esse mentientes, simulato commendationis officio, eventum sententiæ, acceptâ pecuniâ, litigatoribus vendebant, de quibus Paulus *lib. 5. sentent. tit. de lege Cornelia testament.* ibi: *Si qui de judiciis amicitiis, vel familiaritate mentientes, eventus sententiarum ejus vendant, quidve obtentu nominis ejus agant, convicti pro modo delicti aut relegantur, aut capite puniuntur.* Illustrat Duarenus *lib. 1. disput. cap. 25.* Fidejussor tamen datus à Magistratu non tenetur ad hanc, vel similem pœnam, *l. fidejussores 68. ff. de fidejuss.* quia in eam causam acceptum non est.

10. *De mutuo accepto à judice.*

Nec interest, utrum Magistratus titulo donationis munera accipiant, an eam simulantes sub specie emptionis, locationis, mutui, vel alterius contractus, ea recipiant: quin imò emptiones in eis simpliciter improbantur, ne meru imperii, vilius addicere res suas subditi cogantur, *l. unic. C. de contract. judic. l. solent 6. §. ult. ff. de offic. Proconsul. l. penult. 5. 1. l. ult. C. ad leg. Juliam repetund.* Cicero 6. *in Verrem*, ibi: *Quæ fuit causa cur majores nostri eos, qui cum potestate, aut legatione in provincia sunt, tam diligenter in provinciis ab emptionibus removerent? Hæc judices, quod putabant ereptionem esse, non emptionem, cùm venditori suo arbitratu vendere non liceret in provinciis. Intelligebant, si is, qui esset cum imperio, ac potestate, quod apud quemque esset, emere vellet, idque ei liceret, sive, ut quod quisque vellet, sive esset venale, sive non esset, quanti vellet, auferret.* Circa fœnus certum est Magistratus prohiberi illud exercere intra provinciam; accipere verò an prohibeantur non item constat. Interpretes dissentiunt propter pugnantia invicem jura. Et judicem non posse gratis mutuum accipere, docuerunt Decianus *lib. 8. tract. crimin. cap. 35. §. 7.* Farinacius *in praxi lib. 8. tract. crimin. cap. 35. §. 7.* Farinacius *in praxi q. 111. num. 171.* Azevedus *in l. 1. num. 23. tit. 6. lib. 3. recopil.* Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 12. ex num.*

nium. 61. plurès congesti à Carlevalio *de judic. tom. 1. disput. 3. num. 2.* qui moventur ex lege 56. *tit. 5. lib. 2. recopil. l. 1. tit. 6. lib. 3* ubi generaliter docetur, judicem corruptum censeri, si aliquid, ex quo compendium sentiat, accipiat. Expendunt etiam legem *quisquis* 16. *C. si certum petatur.* Contrarium verò, immò judicem mutuum gratis à subditis accipientem, non incidere in legem Juliam, docuerunt plures congesti à Carlevalio *ubi suprà*, pro quibus faciunt textus diserti *in l. principalibus* 33. cum lege sequenti, §. *Præses* 1. ibi: *Præses provinciæ pecuniam funebrem accipere non prohibetur ff. de rebus credit. l. penult. C. si certum petatur.* In quo Interpretum dissidio placet distinctio, quam variis limitationibus, & ampliationibus illustrat Carlevalius *ubi suprà*, videlicet, ut judex mutuam pecuniam à litigantibus accipere non possit, ab aliis verò accipere non impediatur, præcipuè si in fraudem legis Juliæ id non faciat. Prosequitur latiùs Carlevalius *ubi suprà.*

11. Diversæ species delicti.

Huic crimini coërcendo variæ fuerunt à legislatoribus, tam sacris, quàm prophanis pœnæ statutæ; & omissis vetustissimis exemplis judicum, qui propterea, quod pecuniâ corrumpi se passi fuerunt, severissimè puniti reperiuntur, quorum primum refert Herodotus *lib. 5.* his verbis: *Cambyses Persarum Rex Sisamnem ex Regis judicibus, quòd injustè ob pecuniam judicasset, occidi jussit, & detrahi eorum, atque in lora concidi, quibus Tribunal, in quo ille sedens judicaverat, interdixit, ibidemque ejus filium Otanem sedere judicem præcepit, atque memorari, in quo Tribunali judicaret.* Idem Herodotus *lib. 7.* scribit, Darium Hystaspem, qui iniquam sententiam ob pecuniam tulerat, cruci affixisse. Ammianus Marcel. *lib. 28,* eadem de causa inquit: *Pari sorte etiam Procurator monetæ extinctus est.* Ut pœnas ex jure civili Romanorum inflictas recenseamus, prima legibus decemviralibus hæc erat, ut judex convictus ob rem judicandam pecuniam accepisse, aut qui turpe judicium nundinaretur, capite plecteretur, teste Gellio *lib. 20. noctium, cap. 1.* Domitianus Imperator hujusmodi sordidos judices infamiâ notavit, teste Suetonio *in ipso, cap. 8* ibi: *Nummarios judices cum suo quemque consilio notavit;* ubi eleganter Tranquillus eos appellat *judices nummarios,* id est, *lucri avidos;* ut etiam vocarunt D. Hieronymus *in epistola ad Onasicum,* ibi: *Volo in nummarios invehi Sacerdotes.* Seneca *lib. 1. de benefic. cap. 19. Provincias spoliari nummarium Tribunal.* Cicero 1. *ad Atticum,* & *in oratione pro Cluentio;* Marcel. Donatus *in dicto cap. 8. Suetonii:* consentit Domitiano Constantinus *in leg. ult. C. de pœna judicis, qui malè.* Ex lege Julia repetundarum duplex pœna fuit: altera litis æstimatio in quadruplum; altera corporalis, ut relegatio, verberum afflictio, & aliquando mors, *leg. 7. §. ult ff. ad leg. Juliam repetund. l. si quis 38. §. judices 10. ff. de pœnis.* Novella 8. *cap. 8.* Gravissima certè illa lex est Gratiani, Valentiniani, & Theodosii Augustorum ad Neotherium Præfectum Prætorio, *in l. 12. C. de dign. lib. 12.* ibi: *Judices, qui se furtis, & sceleribus fuerint maculasse convicti, ablatis codicillorum insignibus & honore exuti, inter pessimos quosque & plebejos habeantur, ne sibi posthac de eo honore blandiantur, quo seipsos indignos judicaverunt.* Eòdem spectat lex illa Constantis & Constantii *in l. 27. C. Theodos. de Decurionibus,* ibi: *Rarum Carthaginis splendidissima Senatum, & exiguos admodum Curiales residere conquestus est, dum universi indebitæ dignitatis insulas fœdâ familiaris rei vexatione mercantur. Igitur istiusmodi viri, demptis honoribus imaginariis, hujuscemodi illi erunt, quos fuerant consecuti, civicis muneribus subjungentur.* Quoad litis æstimationem lis æstimatur in quadruplum earum pecuniarum, quas in administratione constitutus, vel post eam depositam, pro administratione tamen accepisse dicetur, *l. 2. ff. l. 1. 2. & 3. C. ad legem Juliam repetund.* Et si judicio criminali aliquis ex populo agat, ultra æstimationem, pœna durior infligenda est, *dicta lege ult. ff. ad legem Juliam repetund.* Si verò civili experiatur, tantùm litis æstimatio præstatur. Tunc autem civili judicio agitur, cùm levius admissum videtur, quàm ut exilium, vel aliam duriorem pœnam reus mereatur. Plinius *lib. 2. epist. 11.* ibi: *Marius Priscus accusantibus Afris, quibus Proconsul præfuit, omissâ defensione judices petiit. Ego, & Cornelius Tacitus adesse Provincialibus jussimus; notum Senatui fecimus, excessisse Priscum immanitate, & sævitia in crimina, quibus dari judices possent, cùm ob innocentes condemnandos, interficiendos etiam, pecuniam accepisset.* Quo casu civilis judicii accipiendus est textus *in l. 1. §. quod, penult. C. ut omnes judices.* Agitur etiam civili judicio, cùm ab hærede defuncti quadruplum petitur, *l. 2. ff. ad legem Juliam repetund.* ex principio textus *in l. crimen 26. ff. l. sancimus 22. C. de pœnis.* Quadruplum hoc olim actori tribuebatur, *l. 1. C. ad legem Juliam repetund.* Cicero 2. *in Verrem,* ibi: *Duæ res consequebantur damnationem: altera redditio pecuniæ iis, ad quos pertinebat; in quo vel simpli, vel dupli, vel quadrupli ratio ducebatur: altera exilium.* Hodie dividitur inter actorem & fiscum, *l. 3. C. de assess.* nec sublatam esse hanc pœnam per Authenticam *novo jure, C. de pœna judicis,* defendit Antonius Matthæus *de crimin. lib. 48. titul. 8. cap. 2.*

12. De judicio criminali.

Quoad pœnas corporales scendum est, ex eadem lege Julia juxta gravitatem delicti admissi pœnam infligi; itaque capite puniuntur, qui ob hominem morte damnandum pecuniam acceperunt, *dict. l. 7.* & simul datur actio legis Corneliæ de sicariis, *l. 1. 3. & 4. ff. ad. leg. Cornel. de sicar.* in exilium mittuntur, aut ad tempus relegantur judices pedanei pecuniâ corrupti, *d. l. si quis 38. §. judices, de pœnis;* quia cùm de causis pecuniariis tantùm cognoscerent, levius delictum admittebant. Exilium sequebatur bonorum publicatio, nec tantùm judice vivo, verùm & eo defuncto, quæstione instauratâ, ab hæredibus bona auferebantur, *l. ex judiciorum 20. ff. de accus. & inscript.* licèt hoc jus aliquando intermissum Plinius referat *lib. 3. epist. 9.* his verbis: *Bætica etiam in defuncti de repetundis accusatione perstabat: provisum hoc legibus, intermissum tamen, & post longam intercapedinem tum reductum.* Et constat ex casu Licinii Macri, relato à Valerio Maximo *lib. 9. cap. 12.* Alia prosequitur ex jure civili Ant. Matthæus ubi suprà. Sacris Ecclesiæ canonibus judex munera recipiens tenetur ad eorum restitutionem, *ex dicto cap. statutum, §. insuper: de Rescript. in 6,* docent Layman. *lib. 3. sum-*

ma,

mæ, tit. de contrectationibus, cap. 4. num. 10. Sanchez *lib. 3. consil. cap. unic. dub. 2.* eosque in excommunicationem incidere statuit Clemens VIII. constitutione 8. quam post Bonacinam, & Castrum Palaum explicat Gibalinus *in synops. censur. verbo Munera.* Judices etiam ecclesiastici munera accipientes suspenduntur per annum ab officio, *cap. 1. de sent. & re judicata, lib. 6.* Jure nostro Regio constituta est pœna privationis officii, & judices tenentur munus acceptum restituere cum duplo, aut septuplo, *l. 1. tit. 9. lib. 3. recopil.* Solorzan. *tom. 2. de jure Indiarum, lib. 4. cap. 4. num. 18.* licèt eo jure attento non teneri judicem in conscientia acceptum restituere, defendat D. Joann. de Larrea *alleg. 47. n. 27.* Illud etiam peculiariter jure nostro cautum est, videlicet ut crimen hoc probetur testibus singularibus, *l. 6. tit. 9. lib. 3. recopil.* quam explicat Larrea *alleg. 48. per totam.*

13. *Traditur ratio decidendi.*

Et meritò hæc omnia statuta sunt in hoc gravi, enormique crimine; quia omnino everitur justitia, si Judices sordida avaritia coinquinentur, & ejus affectui turpiter cedant; quid enim tutum, si muneribus via sternatur? Quid purum, si donis contaminetur? Unde Cicero *act. 2. in Verrem,* aiebat: *Ingentes divitiæ judiciorum religionem, veritatemque solent perfringere.* Et *lib. 1. ad Atticum,* scribit, Catulius cùm vidisset quendam ex judicibus, quos pecuniâ Clodius corruperat: *Quid vos à nobis præsidium postulastis, an ne nummi vobis eriperentur, tenebatis?* Et rectè Horatius *satyra 2.* ait:

——— Malè verum examinat omnis
Corruptus judex.

Et Petronius inquit:

Ergo judicium nihil est nisi publica merces,
Atque Eques in causa qui sedet empta probat.

Idem Horatius 4. *carm.*

Judex honestum prætulit utili, & rejecit alto
Dona nocentium vultu.

Et Ovidius 1. *amor.*

Non bene selecti judicis ara patet.

Munerum enim acceptio ita excæcare solet judices, ut quid justum, quid injustum sit, non videant: ita aures eorum obdurat, atque corrumpit, ut voces litigantium non rectè percipiant, vel discernant: ita linguam manus eorum constringit, ut ad justitiæ normam neque pronuntient, neque distribuant quicquam: efficit denique, ut exemplo Magistratuum ipsi oppressi oppressores fiant, utque neglecto bono publico, ea quæ in thesaurum civitatis congeri debebant, in paucorum sæculos rapiantur. Totum complectitur Carolus Scribanius *lib. 2. polit. Christ. cap. 9.* his verbis: *Dei verba sunt, quid cæcitate miserius? à muneribus cæcitas nata: fuge munera quisquis oculos amas, cæcitatem aversaris: neque plebejos tantùm oculos, sed sapientium excæcant munera; quid facient in aliis? non exoculabunt tantùm, sed periment: ea vis munerum nihil inexpugnatum, nulla robora, nulla propugnacula, arma nulla,* &c. Nihil magis equidem & Provincias, & Urbes Romano Imperio subjectas ad defectionem permovit, accendit, inflammavit, quàm aperta illa, & citra pudorem judiciorum fœdissima, atque iniquissima nundinatio. Quò fit, ut verissimè Tertullianus *lib. de pallio,* illud pronunciasse videatur: *Plus toga læsere Rempublicam, quàm lorica.* Ac quamquàm istud firmari possit exemplis, nullum tamen vel illustrius, vel accommodatius reperiri potest exemplum, quàm Bagaudarum in Gallia, Diocletiano Imperatore; cujus non minùs elegantèr, quàm verè extat descriptio apud Salvianum *lib. 5. De Bagaudis,* inquit, *nunc mihi sermo est, qui per malos judices & cruentos spoliati, afflicti, necati, postquam jus Romanæ libertatis amiserunt, etiam honorem Romani nominis perdiderunt. Et imputatur his infœlicitas sua, imputamus his nomen calamitatis suæ, imputamus nomen quod ipsi fecimus. Et vocamus rebelles, vocamus perditos, quos esse compulimus criminosos. Quibus enim aliis rebus Bagaudæ fracti sunt, nisi iniquitatibus nostris, nisi improbitatibus judicum, nisi eorum proscriptionibus & rapinis, qui exactionis publicæ nomen in quæstus proprii emolumenta verterunt, & indictiones tributarias, prædas suas esse fecerunt? Qui in similitudinem immanium bestiarum non rexerunt traditos sibi, sed devorarunt; nec spoliis tantùm hominum, ut plerique latrones solent, sed laceratione etiam, & (ut ita dicam) sanguine pascebantur: ac sic actum est, ut latrociniis judicum strangulati homines, & necati, inciperent esse quasi barbari, qui non permittebantur esse Romani.* Plurà congesserunt Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 11. & 12.* Cochier *lib. 3. aphorism. polit. cap. 19.* Marquez *in Gubern. lib. 1. cap. 20.* innumeri congesti à D. Joanne de Larrea *dicta alleg. 47.* Unde rectè in præsenti graviter Judicibus Ecclesiasticis interdicitur, ne ultra stipendia sibi assignata aliquid recipiant, etiam prætextu consuetudinis; quia Ecclesiastici non solùm debent abstinere ab eo, quod est in se malum verum, sed ab eo etiam, quod occasionaliter potest esse malum; quare licèt judices sæculares recipiant ultrà salarium decimam litis; Ecclesiastici tamen eam exigere non possunt, quia ab omni suspicione mali procul debent esse remoti.

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; 14. *Dissolvitur dubitandi ratio.*
nam Innocentius III. in præsenti non statuit, judicem delegatum propriis stipendiis militare cogi; siquidem supponit jam, illi stipendium fuisse assignatum, ibi: *Ecclesiasticis reditus deputati.* Unde injustè ultra proprium salarium decimam litis exigere intendebant. Quid tamen hodiè procedat attento jure nostro Regio circa judices delegatos salarium habentes, vel non; & an sportulas, necnon partem pœnæ judici assignatam percipere possint, latè disputat Carlevallius *de judiciis lib. 1. tit. 1. disput. 4. per totam.* Nec obstat augmentum ejusdem difficultatis, deductum ex dicto capite *ad Apostolicam, de simonia*; nam in ejus specie Pontifex pias, & laudabiles consuetudines fidelium jubet observari. Cæterùm in præsenti casu nihil pietatis intendi poterat in decima litis extorquenda; in dicto enim capite *ad Apostolicam*, pium erat, cleticos, & Ecclesiæ ministros fovere, & alere; quæ pietas in præsenti abest, cùm reditus Ecclesiasticos ipsi judices aliunde perciperent; unde non debebant decimam litis, aut similem partem extorquere.

Sed suprà traditis obstat textus *in l. 2. §. final.* 15. *Exponitur l. 2. §. final. ff. de condict. ob turp.*
ff. de condict. ob turpem, in illis verbis: *Sed si dedi, ut secundùm me in bona causa judex pronuntiaret, est quidem relatum, conditioni locum esse.* Ex quibus deducunt Alexander Fulgos. Jason, Costal. ibi: Duaren. *ad eundem titulum, cap. 3. in fine*, eo casu, quo aliquid judici datur, ut in bona causa pro me sententiam dicat, non competere

condictionem ob turpem causam; sed eo casu non solùm judex, verùm qui pecuniam dedit, incidit in legem Juliam repetundarum. Ergo illi non competit condictio; cùm turpitudo etiam ex sua parte daretur. Pro hujus textus expositione sciendum est, quoad pœnam legis Juliæ repetundarum nihil interesse, utrum in bona causa, aut mala judex munera acceperit, *l. 4. ff. l. 3. C. de condict. ob turpem.* Nam si non licet accipere, quo magis officium facias, si turpiter datur, quod judici datur, utique nec in bona quidem causa accipere licet. Sapienter Plato *lib. 12. de legibus*, ibi: *Qui patriæ in aliqua re ministrant, nullo modo munera recipiant, nec ullâ occasione, aut ratione nobis persuadeamus, in rebus quidem bonis suscipienda esse munera, in aliis minimè. Nam & cognoscere facile est, nec cum cognoveris, continere. Idcircò tutius est legibus obtemperare dicentibus nulla pro patria ministerio munera esse suscipienda; si quis verò minùs obtemperasse damnatus fuerit, moriatur.* Immò etsi datum fuerit judici remunerationis causâ; non enim licitè, etiam postquam sententiam protulerit, accipit, ut probat Alciatus *in l. principalibus, ff. de rebus creditis*, & *lib. 2. parerg. cap. 49.* Licèt contrarium docuerint Bartol. *in l. Aquilius, ff. de donat.* Zasius *in l. 3. num 20. ff. de rebus creditis.* Decianus *lib. 8. tract. crimin. cap. 40. num. 9.* Menochius *lib. 2. de arbitrar. casu 342. num. 6.* Farinacius *in praxi q. 212.* Sed apertè eorum sententia convincitur *ex l. ultima, C. hoc titul. l. 1. § hoc autem, ff. de calumn.* quibus ex locis constat, ne quidem post depositam administrationem Magistratus posse aliquid accipere pro beneficio tempore administrationis præstito. Idem confirmat Cicero *3. de legibus*, dum ait: *Donum ne capiunto, nève danto, nève petenda, nève gerenda, nève gesta potestate.* Nec juvat Bartolum dicta lex *Aquilius 27.* nam ibi non Prætori, ut perperam olim legebatur, sed Rectori, ut in Florentinis legitur, donatio facta fuit. Nec valet argumentum: Remuneratio non est absoluta liberalitas. Ergo judici fieri potest. Vetat enim lex etiam remunerationem, nec absque ratione; nam si ea permitteretur, illius spe semper judices pro locupletioribus sententiam dicerent. Deinde sciendum est, litigatorem judici munera dantem incidere in legem Juliam repetundarum, *d. l. ultima Cod.* & litem amittere, ex constitutione Imperatoris Antonini *in l. 1. C. de pœna judicis*: ad quam respexit Ulpianus *in d. l. 2. § 1.* Nec tunc obstat difficultas suprà expensa; nam potiùs verum est in specie dicti §. ultimi, condictioni ob turpem causam locum non esse, ut docent Osvaldus *lib. 4. Donelli, cap. 2. littera C.* Cludius *ad tit. de condict. ob turpem, cap. 2. n. 11.* Neque contrarium probat Ulpianus ibi; utitur enim adversativâ orationè; *sed hic quoque*: cujus natura, & vis est, ut tollat quod præcessit, alioquin enim præcedentibus subserviret, & non adversaretur. Unde liquet veterum sententiam antea relatam satis improbare Ulpianum, quod manifestè apparet ex ipso orationis contextu; ait enim Ulpianus: *Sed hic quoque crimen contrahit.* Quod certè nihil est, quàm turpiter eum dare, & in persona dantis turpitudinem versari; crimen autem eum, qui dat, contrahere, ex pœna, quæ in fine ipsius verticuli additur, liquidò constat, litem videlicet eum perdere; quæ pœna satis gravis apparet, cùm in bona etiam causa litis damno is qui dedit, afficiatur. Est itaque in hac specie turpitudo dantis, quo casu condictionem cessare, notum est, *l. item 4. § sed quod 4. ff. eod. tit.* Neque obstat, nihil turpe fecisse eum, qui judici quid dedit, ut in bona causa secundùm se pronuntiaret; nam, ut ait Ulpianus, judicem corrumpere videtur. Eo enim ipso, quod dat, judicem sibi obstringit, ut secundùm se, sive bona, sive mala sit causa, pronunciet; ne contra eum qui dedit, sententiam proferendo, cogatur acceptum reddere. Et sanè libera potestas judicandi relinquenda est judici; ad cujus officium pertinet, secundùm leges judicare, § 1. *Instit. de offic. judicis* Hanc autem judicandi facultatem impedire, & judicis animum corrumpere censetur, qui illi pecuniam dedit; quia qui accipit, modis omnibus cogitat, ut danti gratificetur: & quamvis qui dedit, bonam causam se fovere dicat, tamen res aliter se habere potest, videlicet ut causa improba deprehendatur.

16. *De xeniis judici largitis.*

Supereſt pro coronide hujus commentarii, ut aliqua de xeniis judici largitis videamus, & sciendum est, xenia dici munera hospitalia, id est quibus hospites invicem se munerantur; quod maximè fieri consueverat Saturnaliorum diebus. Unde Martialis tertiumdecimum librum operis sui, in quo hujusmodi munera distichis describit, Xenia appellavit, quòd versus ipsos pro xeniis mitteret, vel quæ mittebat munera districho exornaret, ut his versibus idem ostendit.

Omnis in hoc gracili xeniorum turba libello
Constabit nummis quatuor empta tibi.
Quatuor? est nimium, poterit constare duobus:
Et faciet lucrum bibliopola Triphon.
Hæc licèt hospitibus pro munere districha mittas,
Sit tibi tam rarus, quàm mihi nummus erit.

Notavi *in cap. 1. de consuet. verbo Xeniis.* Circa xenia hæc, judices veterem Græcorum sententiam observare jubentur *in l. non solent. 6. § non verò, ff. de offic. Proconsul. l. plebiscito 18. ff. de offic. Præsidis*, ut nec omnia accipiant, neque passim neque ab omnibus; namque valde in humanum est, à nemine accipere, sed passim, vilissimum, ab omnibus, avarissimum. Accipi ergo poterant xenia edulia, quæ intra proximos dies prodigi poterant, & hospitibus hospitalitatis causâ dabantur usque ad quantitatem certorum annorum, *l. 1. § 1. l. 6. § ult. l. 7. § 1. ff. ad legem Jul. repetund.* Si autem munera erant, tunc ea accipere non valebant. Plinius *lib. 4. epist. 9.* de Julio Baso hæc ait: *Homo simplex, & incautus quædam à provincialibus ut amicus acceperat; nam fuerat in eadem provincia quæstor. Hæc accusatores furta, ac rapinas, ipse munera vocabat; sed lex munera quoque accipi vetat.* Jure etiam canonico permittitur judicibus delegatis esculenta, & poculenta accipere, *cap. statutum, § insuper. de rescriptis lib. 6.* nec modica esculenta, seu poculenta accipere etiam judicibus ordinariis prohibetur; quo modo accipio Concilium celebratum in palatio Vernis sub Pipino Rege Francorum, & Stephano III. *can. 25.* in, illis verbis: *Ut nullus Episcopus, nec Abbas, nec laicus propter justitiam faciendam sportulas contradictas (id est vetitas) accipiat, quia ubi dona intercurrunt, justitia evacuatur.* Jure tamen nostro Regio lite pendente, non licet à litigatoribus etiam esculenta accipere, *l. 7.* ibi: *Ni viandas, ni otros bienes, ni cosas algunas*: *titulo 15. lib. 4. ordin.* secùs verò finito negotio, *l. 3.* ibi: *Salvo cosas de comer, o beber, o frecidas de grado*: *titulo 15. lib. 2. ordin.* ubi latè exponit Didacus Perez.

CAPVT XI.

Idem (a) *Livon. Episcopo, & eis qui cum ipso sunt, fratribus.*

DEus, qui Ecclesiam suam novâ semper prole fœcundat, volens moderna tempora conformare prioribus, & fidem catholicam propagare, prædecessoribus vestris, & vobis post eos pium inspiravit affectum, ut Livon. ingressi provinciam, paganis evangelizaretis nomen Domini Jesu Christi, eorum sequentes exemplum, quibus in Evangelio legimus esse dictum: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. De quibus evangelicus sermo subjungit: Illi autem profecti prædicaverunt, ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Attendens etenim evangelicus ille paterfamilias, quod messis est multa, operarii autem pauci, adhuc mittit operarios in messem suam, & in hac quasi undecima hora vineæ suæ novos deputat vinitores, quorum laborem pariter cum primis denario recompenset. Unde cùm evangelizandi officium eo assumpseritis inspirante, qui facit utraque unum; oportet vos in unitatis & charitatis spiritu ambulare, illorum sequentes exemplum, de quibus legitur: Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una. Ne igitur, si dispar in vobis observantia fuerit, & dissimilis habitus, apud eos, quibus unum Evangelium prædicatis, scandalum suscitetur, priusque dividatur populus ille novus in partes, quàm in unam Ecclesiam congregetur, cùm paratus sit adhuc inimicus homo messi Dominicæ superseminare zizania: disc. v. mon. & exhort. in Domino, per A. vobis scr. mandantes, quatenus eo non obstante, quod inter vos monachi sunt, & canonici regulares, vel alii etiam regularem vitam sub alia distinctione professi, pariter in unum regulare propositum, & honestum habitum, quantum ad hoc spectat officium, conformetis; ne nova Ecclesiæ Livonn. plantatio piæ m. p. tui, frater (b) Episcope, sanguine rubricata, vel leve in vobis scandalum patiatur, per quos radicanda est in fide catholica, & fovenda.

NOTÆ.

1. (a) *Livon.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 2. & in cap. final. de divortiis, cap. Deus 8. de pœnit. & remiss.* ubi aliæ partes hujus Decretalis referuntur. Livonia regio est Septentrionalis, vulgò dicitur *Liesland*: eam hab tant Prussi Lituani, & Russi, habetque Livonia alias nationes, tam moribus, quàm linguâ diversas. Regio est nemorosa, plana, sine montibus, magna ex parte inculta: habet civitates amplas, sub Imperio Magistrorum Teutonici Ordinis. Hujus provinciæ incolæ fidem catholicam susceperunt temporibus Innocentii III. ut constat ex ejus epistolis *lib. 4. regestr. 6. epist. 124. 125. & epist. 126* ita scribit. [„Advenstram jamdudum notitiam credimus pervenisse, quod Dominus noster, qui neminem „vult perire, sed ut omnes ad agnitionem perveniant veritatis, ad partes Livoniæ calcea„mentum suum miseratus extendit, & nonnul„los gentilitatis tenebris obvolutos, ab eis „ostensa sibi luce magna, quæ ipse est, miseri„corditer liberavit. Cùm autem venerabilis fra„ter noster Estiensis Episcopus, qui prædica„do in jam dictis partibus verbum Dei multùm „laboravit in Evangelio, & divinâ gratiâ coo„perante profecit, animo indefesso desideret „portare coram gentibus, & Regibus verbum „Dei, & ad messem, quæ multa est, sufficere „operarii pauci non possint, universitatem ve„stram monemus in Domino, per Apostolica „vobis scripta mandantes, quatenus cùm idem „Episcopus aliquos de fratribus vestris ad hu„jusmodi monasterium utiles, & idoneos, à „vobis duxerit exigendos, sibi duos, aut sal„tem unum de vestris collegiis singuli concedatis, ut cooperantibus ipsis currat velociter „sermo ejus, qui emittit eloquium suum terræ. „Vos denique filii Abbates super vobis ipsis, „&c. Datum Laterani 3. K. lend. Novembris, „Pont. N. anno xvi.] Ex quibus verbis apparet Innocentium in præsenti alloqui cum Episcopo Estiensi Livoniæ Legato, & Prædicatore. Illud in præsenti non omittam, quod refert Lælius Biscíola *lib. 3. horar. succes. cap 16.* quod dum Livones fidem Catholicam retinuerunt, nunquam à Moschis victi, aut subjugati fuerunt; postquam verò hæresi Lutheranâ fœdari cœperunt, Moschi eos subjugarunt.

2. (b) *Frater Episcope.*] Sanctus Mehradus videlicet, vir perdoctus, & pius, qui Livoniæ prædicans, innumeros, & cum eis Cob m Livoniæ Principem ex Gentilitate ad fidem Catholicam reduxit, qui posteà ad petitionem ipsius Principis Episcopus designatus fuit illius loci, ubi nunc est Riga Metropolis, ut referunt Albertus Krantius *lib 7. Saxon. cap. 3.* Joannes Bohemus *lib. 3. de nat. omn. gent. cap. 8.*

COMMENTARIUM.

3. HÆc Innocentii constitutio non est generalis, sed provincialis tantùm, & specialis respectu Livoniensium, qui noviter ad fidem conversi erant, quibus nonnulla indulsit Innocentius

centius in præsenti, & *in dicto cap. final. de divortius, cap. Deus, de pœnit. & remiss.* ne in ipso initio amplexæ religionis christianæ offenderentur, aut exasperarentur: & cùm Religiosi omnes, & canonici regulares habitu à cæteris fidelibus laicis distinguantur, Concilium Nicænum *can.* 76. ubi jubetur Religiosos, tum monachos, tum moniales, alia indumenta quàm laicos induere, Concil. Aurel. 5. *can.* 15. Gangrense *can.* 12. Barchin. 2. *can.* 4. Dionysius *de Ecclesiast. hierarch. cap.* 6. Ordericus Vitalis *in histor. Eccles. ad annum* 1094. ibi: *In saltibus, & campestribus passim construuntur cœnobia, novisque ritibus, variisque sebenatibus trabeata peragrant cucullatorum examina. Albedine in habitu suo præcipuè utuntur, quâ singulares ab aliis, notabilesque videantur. Nigredo in plerisque locis sacræ Scripturæ humilitatem designat quem idcirco colorem religiosorum fervor hactenus gratanter gestat. Nunc autem nigredinem, quâ prisci Patres, tam regulares clerici in cappâ, quam monachi in cucullis ob humilitatis speciem usi sunt*; inde cùm monachi, & canonici regulares, qui stabiliendæ, & prædicandæ religionis catholicæ causâ in Livonia erant, diversis vestibus uterentur, offendebantur nimium tyrones in fide, quærentes, ubi est unum Evangelium? unus Deus? Pater omnium unus? unum baptisma? unus spiritus? unus amor? cur etiam non est unus amictus? unus color in vestibus? Quòd agnoscens Innocentius, & sciens, quod licèt sine causa non possint monachi, vel canonici regulares habitum propriæ professionis mutare, vel omittere, ut probant Suarez *de religione tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 5. Sanchez *lib.* 6. *summæ, cap.* 8. *n.* 55. Castropalao *tract.* 16. *disput.* 4. *puncto* 6. Gibalinus *de clausura disquisit.* 2. *cap.* 2. §. 3. *consect.* 2. *per totum.* Solorzan. *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 19. tamen ex justa causa, & omittere, & mutare alium habitum induendo possunt, præsertim favore religionis, & fidei propagandæ gratiâ; ut probat Solorzanus de jure Indiarum *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 20. Ideò Innocentius, ne in ipso initio suscipiendæ fidei Livonienses offensi varietate ista regularum, seu diversarum vestium, aut vivendi conditione, in fide vacillarent, seu penitus eam desererent, statuit, ut monachi, canonici regulares, vel quicunque alii strictiorem vitam agentes, non in diverso habitu incederent, sed ut ratione vivendi, & regulâ pro tunc ibi uterentur eâdem. Est igitur hæc constitutio localis, & temporalis, non verò generalis, aut perpetua; ejus tamen magna ratio est, videlicet religionis augmentum, ob quod licita sunt quæ aliàs illicita essent. David enim nudus ad arcam Domini saltavit, quod factum D. Ambrosius refert *epist.* 36. his verbis: *Neque contemptus regalis potentiæ est habendus, ubi religioni exhibetur obsequium, & honestum est pro religione facere, etsi id incongruum potestati fuerit; incongruum etiam omni homini. Sed quæ corporeo aspectu fiunt, turpia religionis contemplatione reverenda sunt; & nudos, & pudendos cæteroqui sanctos alios narrat.* Et id quoque Valerius Maximus *cap.* 1. in casu simili de Prætore qui ancilia tulit: *Omnia namque post religionem ponenda semper nostra civitas duxit, etiam in quibus summæ majestatis conspici decus voluit,* &c. Et apud Euripidem plurà Bacch. *Non discernit Deus, sive juvenem, sive senem velit choros agere: sed vult ab hominibus honorari communiter, & neminem vult eximium habere,* &c. Illustrat Franciscus Florens *in præsenti.*

CAPVT XII.

(a) Idem.

Cùm decorem domus Domini. *Et infrà*: Interdum (b) ludi fiunt in eisdem Ecclesiis theatrales, & non solùm ludibriorum (c) spectacula introducuntur in eas monstra (d) larvarum; verùm etiam in tribus anni festivitatibus, quæ continè natalem Christi sequuntur, Diaconi, Presbyteri, aut Subdiaconi vicissim insaniæ suæ ludibria exercentes, per gesticulationum suarum debacchationes obscœnas in conspectu populi decus faciunt clericale vilescere, quem potiùs illo tempore deberent prædicatione mulcere. Quia igitur ex officio nobis injuncto domus Dei nos zelus comedit, & opprobria exprobrantium ei super nos cadere dignoscuntur, f. v. per A. s. m. quat. ne per hujusmodi turpitudinem Ecclesiæ inquinetur honestas, eos qui sunt publicè uxorati, (e) non admittatis de cætero ad Ecclesiasticas dignitates dimissas ab eis, quas non possunt sine pravo exemplo, & gravi scandalo retinere. Filiis (f) quoque Canonicorum præbendas in eisdem Ecclesiis conferri non sinatis; quarum sunt Canonici patres eorum: cùm indecorum sit, ut in Altaris officio illegitimus filius impudicò patri ministret, in quo Unigenitus Filius Æterno Patri pro salute humani generis victimatur. Præsbatam verò ludibriorum consuetudinem, vel (g) potiùs corruptelam curetis ab Ecclesiis vestris taliter extirpare, quod vos divini cultus, & sacri comproberis ordinis zelatores.

NOTÆ.

1. (a) *Idem.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 4. nullibi tamen exprimitur cui Prælato rescribat Innocentius, ut jam notavi *in cap. cùm decorem, de filiis Presbyt.* ubi extat alia pars hujus Decretalis.

(b) *Ludi.*] Ludos à Lydiis fuisse primùm inventos, unde ludorum vox, affirmarunt D. Isidorus *lib.* 16. *etymol. cap.* 16. Tertullianus *de spectaculis cap.* 5. aliter Nonius Marcellus ex Varronis sententia existimat, Ludios ab eis dictos, quasi Lydios quos Ludiones Livius vocat *lib.* 7 *de decad.* 6. eandem vocis notationem indicat Valerius Maximus *lib.* 2. *cap.* 1. ubi de ludorum more agit. Varia ludorum genera ab antiquis usitata congesserunt Rosinus *lib.* 5. *antiquit. cap.* 1. ubi Demsterus, Bulengerus *lib.* 1. *de Imper. Roman. cap.* 19. Pantoxa *in l.* 1. *de aleatoribus.* Amaya *in l. unica, C. de mamma.* Cabreros *de metu lib.* 2. *cap.* 8. Verùm in præsenti non de aliis agitur, quàm de theatralibus, & scenicis, ideoque de illis tantùm differendum est.

(c) *Ludibriorum.*] Ad ludibriorum, legitur in sexta collectione, sed credo emendandum esse *ad ludibrium*, ut legit P. Mariana *de spectaculis, cap.* 7.

2. (d) *Monstra larvarum.*] Quod non solùm clericis à sacris canonibus est prohibitum, verùm & laicis. Unde exponendi sunt de his larvis duo canones valde difficiles. Primus Concilii Nannetensis, relatus à Gratiano *in cap. nullus* 7. 44. *dist.* ubi inter alia quæ presbyteris convivantibus prohibentur, illud refertur: *Ne larvas dæmonum ante se ferri consentiat presbyter ullus, quia hoc diabolicum est, & sacris canonibus prohibitum.* Quibus verbis improbatur, & damnatur antiquus mos introducendi per convivia larvas sic aptas, ut earum articuli, vertebræque in omnem partem verterentur, ut convivæ humanæ conditionis admoniti, largiùs genio indulgerent, ut probant, & morem illum illustrant Scaliger *lib.* 2. *lection.* Auson. *cap.* 26. Justus Lipsius *lib.* 1. *Saturn. cap. ult.* Unde *in dict. cap. nullus*, dum de conviviis presbyterorum agunt Petres, inter alia prohibent illis, ne ante se larvas fieri permittant: notavit eruditus Ramirezius *ad Martialem lib.* 2. *epigram.* 59. Secundus canon est Concil. Altissiodorensis, *can.* 1. in illis verbis: *Non licet Kalend. Januar. vecolo, aut cervolo facere, vel strenas diabolicas observare: sed in ipsa die sic omnia beneficia tribuantur, sicut & reliquis diebus.* Ubi perdifficile est, quid prohibeatur illis verbis, *vecolo aut cervolo facere.* Aliqui existimarunt his verbis prohiberi ne lares frontibus, ramisque viridibus ea die ornarentur; fuit enim in more apud gentes veræ religionis ignaras, ea die ramis cingere domos, quod prohibitum est *in can.* 73. *collect. Martini Bracharensis*, ibi: *Nec lauro, aut viriditate arborum cingere domos; omnis hæc observatio Paganismi est*; & *cap. si quis* 26. *q.* 7. Verùm hanc interpretationem non admittunt verba illa, *vecolo facere*, cùm vecola ad ramos viride trahi non possit; immò potiùs vecola idem est ac bucula, id est, bos fœmina parva, sive vitula, ut probat Basilius Legionensis *q.* 2. *scholast.* in expositione ipsius canonis: deinde *facere*, importat actum, non autem referri potest ad ornatum domus cum ramis. Quare eâ interpretatione omissâ Basilius Legionensis *ubi proximè*, existimat illis verbis prohiberi Kalendis Januariis sacrificium facere de animalibus, ut plerunque Galli faciebant, boni ominis, & augurii captandi causâ, quem morem reprehendit Martinus Brachar. *in can.* 72. & notavit Prudentius *ibi*:

Jano etiam celebri de mense litatur
Auspicii, epulisque sacris, quas inveterato,
Heu miseri! sub honore agitant, & gaudia ducunt
Festa Kalendarum.

Sed nec hæc docti viri sententia placet; quare eâ omissâ dicendum est, in eo canone inter alios vanos ritus, & fœdas superstitiones usitatas in die Kalend. Januarii, etiam larvarum usum sumptâ formâ pecudis improbari; nam cùm homines Kalendis Januariis ferarum, & pecudum assumptis formis huc, & illuc petulantiùs discurrentes, Ethnicorum ritus conservassent, ut penitus tolleretur hæc superstitiosa consuetudo, Patres prohibuerunt, ne liceat Kalend. Januar. vitula & cervolo facere, id est, sub forma vitulæ, aut cervoli per plateas discurrere, ut apud nos in festis Bacchanalibus vulgò dicitur, *correr la tora.* Ex quo canone desumptum est monitorium Pœnitentialis Romani, apud Hetligarium *lib.* 6. *cap.* 6. ubi hæc sunt verba: *Si quis in Kalendas Januarias, quod multi faciunt, & in cervolo ducit, aut in vitula vadit, tres annos pœniteat.* Burchardus *lib.* 19. *Decreti, cap.* 5. hujus meminit superstitionis his verbis: *Fecisti aliquid tale, quod pagani fecerunt, & adhuc faciunt in Kalendas Januarias, in cervolo, & vitula? Si feciste, triginta dies in pane, & aqua pœniteas.* S. Pacianus Episcopus Barcinonensis *in Paranesi ad pœnit.* sic: *Hoc etiam puto, proximè servulus ille profecit, ut eò diligentior fieret, quo impressius notabatur, & tota illa reprehensio expressi, ac sæpe repetiti, non compressisse videretur, sed erudisse luxuriam. Me miserum! quid ego facinoris admisi? Puto nescierant facere cervulum, nisi illis reprehendendo monstrassem.* Qui plura de hoc larvarum usu desiderat, adeat Sirmundum *in notis ad Concil. Altissiodor.* Hugonem Menardum *in notis ad Sacram. D. Gregorii, fol.* 252. & *in notis ad regul. Divi Benedicti, tom.* 2. *lib.* 50. *cap.* 13. §. 4. *fol.* 746. & 747. Tamayum ad Salazar. *in Martyrol. Hispan. tom.* 1. *fol.* 11.

(e) *Publicè uxorati.*] Hæc verba reperiuntur *in cap. cùm decorem, de clericis conjugatis.*

(f) *Filii quoque.*] Hæc verba extant *in cap. cùm decorem. de filiis Presbyterorum*, ubi ea exposui.

3. (g) *Vel potiùs corruptelam.*] Prava consuetudo plerunque in sacris canonibus dicitur corruptela, *cap.* 5. *de consanguin. & affin. cap.* 11. *de excessibus Prælat. cap. final. de consuet.* quia mala consuetudo corrumpit bonos mores, *l.* 9. §. 1. *ff. de servo corrupto*, & ab specie eo verbo utitur Lactantius Firmianus *lib.* 6. *instit. cap.* 20. ibi: *In scenis quoque nescio an sit corruptela vitiosior. Nam & comica fabula de stupris virginum loquuntur, aut amoribus meretricum: & quò magis sunt eloquentes, quo flagitia illa finxerunt, eò magis sententiarum elegantiâ persuadent, & facilius inhærent audientium memoriæ versus numerosi, & ornati. Item tragica historiæ subiciunt oculis parricidia, & incesta Regum malorum, & coturnata scelera demonstrant. Histrionum quoque impudicissimi motus, quid aliud nisi libidinem docent & stigant, quorum enervata corpora, & in mulie-*

brem

brem incessum, habitumque mollia impudicas fœminas inhonestis gestibus mentiuntur. Quid de mimis loquar corruptelarum præferentibus disciplinam, qui docent adulteria dum fingunt, & simulatis eruditunt ad vera? Quid juvenes, aut virgines faciant, cùm & fieri sine pudore, & spectari libenter ab omnibus cernunt? admonentur utique quid facere possint, & inflammantur libidine, quæ affectu maximè concitantur, ac se quisque pro sexu in illis imaginibus præfigurat; probantque illa dum rident, & adhærentibus vitiis corruptiores ad cubicula revertuntur: nec pueri modò, quos præmaturus vitiis imbui non oportet, sed etiam senes, quos peccare jam non decet, in talem vitiorum seminam diluabuntur. Nec est quare Cujacius in præsenti, qui minutioribus in observantiunculis plerunque consilit, contra Ecclesiæ Patres minoris elegantiæ, aut nullius ornatus arguat hunc loquendi modum in Innocentio III. viro apprime docto.

COMMENTARIUM.

4. Conclusio ponitur & probatur.

EX præsenti Decretali sequens deducitur disputanda assertio: *Ludi theatrales, etiam prætexu consuetudinis in festivitatibus Domini nostri, aut Sanctorum ejus fieri in Ecclesiis non debent.* Probant eam textus *in cap. irreligiosa 2. de consecr. dist. 3.* Concil. Altissiod. *can. 9.* ibi: *Non licet in Ecclesiis choreas sæcularium, vel puellarum cantica exercere, nec convivia in Ecclesia præparare, quia scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur.* Concilium Cabilon. *can. 9.* ibi: *Valdè enim omnibus noscitur indecorum, quod per dedicationes basilicarum, aut festivitates Martyrum ad ipsa solemnia confluentes, chorus fœmineus turpia quidem, & obscœna cantica decantare videantur, dum aut orare debeant, aut clericos psallentes audire.* Concilium Tolet. 3. in fine: *Quod ballimachia, & turpia cantica prohibenda sunt à Sanctorum solennis.* Synodus Afric. *can. 27.* ibi: *Illud etiam petendum, ut quæ contra præcepta divina, convivia multis in locis exercentur, vitari talia jubeant, & prohiberi, maximè cum in Natalibus Beatissimorum Martyrum per nonnullas civitates, & in ipsis locis sacris talia committere non reformident, quibus diebus quod pudoris est dicere, saltationes sceleratissimas per vicos, atque plateas exercent.* Concilium Brachar. 2. *can. 60.* ibi: *Si quis ballationes ante Ecclesias Sanctorum fecerit, seu quis faciem suam transformaverit in habitu muliebri, & mulier in habitu viri, tres annos pœniteat.* Referunt Burchardus *lib. 10. Decreti, cap. 39.* Loaysa post canones ipsius Concilii, Synodus 6. in Trullo *can. 24.* ibi: *Nec ut liceat eorum, qui in sacerdotali ordine enumerantur, vel monachorum in equorum curriculis subsistere, vel scenicos ludos sustinere.* Et *can. 62.* ejusdem Synodi, ibi: *Kalendas, & quæ dicuntur vota, & brumalia quæ vocantur, & qui in primo Martii mensis die fit conventus, ex fidelium civitate omnino tolli volumus; sed & publicas mulierum saltationes multam noxam, exitiumque afferentes: quin etiam eas, quæ nomine eorum, qui falsò apud Græcos Dii nominati sunt, vel nomine virorum, ac mulierum fiunt, saltationes, ac mysteria, more antiquo, & à vita christianorum alieno amandamus, etiam statuentes, ut nullus vir deinceps muliebri veste induatur, vel mulier veste viro conveniente: sed nec comicas, vel satyricas, vel tragicas personas induat.* In cujus canonis scholiis hæc subjungit Balsamon: *Nota præsentem canonem, & quare correctionem in his, quæ fiunt à clericis in festo Natalis Christi, & festo Luminarium adversùs eum, & magis in sanctissima magna Ecclesia.* Synodus Carthaginensis *can. 63. Ut auferantur Græcorum convivia, illud præterea à christianis Imperatoribus petendum est: quoniam præter divina mandata in multis locis convivia sic peraguntur ex gentili errore deducta, ut etiam christiani ad paganos clanculum in eorum mysterio adducantur, ut hæc inbeant, & in urbibus, & in possessionibus arceri, maximè quia & in ipsis Beatorum Martyrum natalibus, in quibusdam urbibus, etiam in ipsis sacris locis ejusmodi peccare deprehenduntur, & in diebus, in quibus vel pudor est dicere, execrandas saltationes in agris, vel plateis peragunt, ut cum sancto die adsint quæ sunt & matresfamilias honore, & aliæ innumerabiles mulieres venerandæ, intemperantes insolentias aggrediantur, ut etiam ipsius sanctæ fidei propemodum aufugiat excessus.* Senonense anno 1527. *can. 16. Prohibemus, ne histriones aut ministrent Ecclesiam ad pulsandum tympano, cithara, aut alio instrumento musicali, neque in Ecclesia, aut juxta Ecclesiam suis pulsent instrumentis. Prohibemus etiam ne fiat deinceps festum Fatuorum aut Innocentium, neque exigatur decanatus patellæ.* Colonense anno 1536. *can. 16. Olim theatrales quoque ludi, & larvarum ludibria inferebantur templis, pessimo quidem exemplo, adeò ut provisione canonica, quod his teterrimum abusum aboleretur, opus fuerit, quem ex nostris diœcesibus jam ut speramus ejectum gaudemus.* Concilium Salzeburg. tempore Gregorii X. *can. 17.* Toletanum anno 1473. tempore Sixti IV. *can. 19.* Extravag. unica, *hoc tit.* inter communes. S. Petrus Chrysologus *sermone 129.* Divus Gregorius Magnus *lib. 10. epist. 71.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa *de jure eccles. lib. 1. cap. 40. num. 57. & lib. 2. cap. 3. numer. 15. & de offic. parochi cap. 6. num. 11.* Lantdmeter. *lib. 2. de veteri clerico, cap. 50.* Basilius Legion. *q. 2. scholastica, cap. 2. in can. 9. Concilii Altissiod.* P. Herodius *lib. 1. Pandect. tit. 5. cap. 15.* Ferrandus *lib. 2. disquisit. relig. p. 1. cap. 7.* Cresolius *lib. 4. mystag. cap. 16.* Benedictus Eftenus *lib. 7. disquisit. monast. tract. 2. disput. 2.* Petrus Gregorius *lib. 4. partit. tit. 8. cap. 6. & lib. 39. syntagm. cap. 5.* Conradus Brunus *lib. 6. de carem. cap. 1.* Conradus Kling *lib. 5. locorum commun. cap. 10.* Filesacus *lib. 1. select. cap. 6.* Theophilus Raynaud. *tom. 4. lib. 6 sect. 2. cap. 10. fol. 829.* Illustrant Araujo *qq. moral. de statu civili, disput. 5. sect. 1.* Amaya *in lege unica, C. de Majuma, num. 28.* Acunna *in cap. 1. 92. dist. & in cap. nullus, dist. 44.* Mariana *de spectaculis, cap. 7.* Savarus *ad Sidonium lib. 4. epist. 15. verbo Epulum,* Villasus *in voto gratul. num. 18.* Cujacius, Boëtius Epon, & Fabrotus *in præsenti,* Franc. Florens *in præsenti,* & Altesserra.

5. Impugnatur tradita assertio.

Sed hæc assertio ita firmata, & illustrata difficilis redditur sequenti consideratione; nam hujusmodi ludi theatrales in nativitate Christi Domini non solùm liciti, verùm & perutiles sunt. Igitur tam à clericis, quàm ab aliis fidelibus fieri debent. Probatur antecedens, nam ex eadem ratione ob quam picturæ in Ecclesia exponuntur ad movendum populum, & ut indocti ibi

discant quod in libris legere nesciunt, ut probavi in *canone 36. Concil. Illiber.* etiam hujusmodi repræsentationes nativitatis Christi fieri debent, ut ita populus indoctus hoc sacro mysterio facilùs instruatur: habet enim repræsentatio non levem vim in suadendo, & omnem oratoriam artem vincit. Seneca *lib. 19 epist. 109.* ibi: *Eadem negligentiùs audiuntur, minùsque percutiunt, quæ diu solutâ oratione dicuntur; ubi accessere numeri, & egregium sensum extinxêre certi pedes, eadem illa sententia velut lacerto excussa torquetur. Etiamsi cum aliis poesis partibus comœdiam conferas, primas in suadenda plebe comœdia consequitur* Horatius *de arte Poëtica:*

Segniùs irritant animos demissa per aurem,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

Ex eo maximè Quintilianus *lib. 11. instit. orat cap. 3.* ibi: *Documento sunt, vel scenici actores, qui & optimis Poëtarum tantùm adjiciunt gratiæ, ut nos infinitè magis eadem illa audita, quàm lecta delectent, & vilissimis etiam quibusdam impetrent aures, ut quibus nullus est in bibliothecis locus, fit etiam frequens in theatris.* Plebejus sacras litteras miratur, Sanctorum præcepta, Philosophorum placita, Heroum fortia facta in theatro, & pleraque, quæ aliter discere nollet, sapit; & quæ talia docent, magis amat. Unde Poëta Horatius *de arte poëtica.*

Ille tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

Igitur ut rustici, & cæteri fideles ignari hoc magnum fidei nostræ mysterium agnoscant, magnaque alacritate celebrent, hujusmodi theatrales ludi debent permitti. Unde morum hunc repræsentandi in hac festivitate, jam à primis Ecclesiæ sæculis ad nostra usque tempora, in Ecclesia invaluisse, probat ex Codino, & aliis Pater Herrera *lib. 1. del origen del officio divino. cap. 22.* Igitur non rectè ludi theatrales in hujusmodi festivitate improbantur, & prohibentur. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam si natales dies Deorum, immò & privatorum, etiam apud Gentiles magnis celebrabantur plausibus, epulis, accensis luminaribus, choreis, & tripudiis; Lactantius *divin. instit. lib. 6 cap. 20. Nam ludorum celebritates Deorum festa sunt, siquidem ob natales eorum, templorum novorum dedicationes, sunt constituta. Et primitus quidem venerationes, quæ vocabantur munera, Saturno attributa sunt: ludi autem scenici Libero, Circenses Neptuno. Paulatim verò idem honos & cæteris Diis tribui cœpit, singulique ludi nominibus eorum consecrati sunt, sicut Siciunius Capito in libris spectaculorum docet. Si quis igitur spectaculis interest, ad quæ religionis gratiâ convenitur, discessit à Dei cultu, & ad Deos se contulit, quorum natales & festa celebravit.* Apulejus *lib. 11. Florid. Festivum celebravi natalem sacrorum, suaves epulas, & secreta convivia.* Martialis *epigram. 66.* ibi:

Sexcenti cœnant à te, Iustine, vocati
Lucis ad officium, jam quæ te prima fuit.

Diocasius *lib. 54. Natalem Augusti Iulius Antonii filius tunc Prætor celebravit, circensibus & venationibus Senatum etiam, & ipsum Augustum ex Decreto Patrum epulo excepit in Capitolio.* Plinius *in epist. ad Can. Rufum. Epicarus testamento cavit, ut dies ejus natalis, & parentum, fratrumque quot annis solenniter ageretur.* Illustrant latè Cochier *in face histor. cent. 1. cap. 12.* Censorinus *de die natali*, ubi Lindembrog. notavit P. Roa *eodem tract. cap. 11.* Villasus *in voto gratul.* qui exinde exponunt textus *in l. cùm quidam 23. ff. de annuis legat. l. civitatibus 122. ff. de leg. 1.* Ergo multò magis in Domini nostri Jesu Christi natali, Ecclesiæ ministri, & cæteri fideles exultantes, debent ludis etiam theatralibus diem sanctissimum illum celebrare. Nec hoc genus solennitatis alienum est à disciplina Ecclesiæ, & piis viris, in divinis laudibus, & Dei festivitatibus; saltavit enim David religionis enthusiasmo motus coram Arca Dei, ut refertur *lib. 2. Sam, cap. 6.* & Maria soror Moysis juncto sibi fœminarum choro ad pulsum tympani cantavit Domino, quia gloriosè magnificatus est *Exodi cap. 15.* & in Ecclesia Essena Esseni cantui religiosos motus miscebant. Philo *de vita contemplativa*, apud Clementem *lib. 7. Stromatum*, ibi: *Pedes excitamus in ultima acclamatione orationis.* Illustrant latè Petrus Gregorius *lib. 12. syntag. cap. 19. & 20. & 21.* Lantdmeter. *de veteri cleric. lib. 2. cap. 63.* Igitur non rectè Innocentius in præsenti hujusmodi ludos theatrales improbat in festivitate Natalis Domini. Accedit consuetudo in aliquibus Ecclesiis recepta, ut pueri clerici in festo sancti Nicolai aut Innocentium eligant sibi Episcopum, qui indutus vestibus Episcopalibus cum mitra & baculo, publicè, id est, in Ecclesia, inchoat divinum officium, ut ex Molano refert. Lantdmeter. *dict. lib. 2 cap. 50.*

6. *De variis celebritatibus.*

Quâ difficultate ita fulcitâ non obstante, defendenda est præsens constitutio, ut disciplinæ ecclesiasticæ maximè consona; cujus rationem ut agnoscamus, sciendum est, olim fideles in festivitatibus Sanctorum non solùm divinis laudibus eas celebrasse; verum & aliquibus exterioribus ornatibus, & lætitiæ, alacritatisque testimoniis. Primò frondibus, floribusque templa, & altaria ornabant, Sanctus Paulinus *Natal. 3. Felicis.*

Spargite flore solum, prætexite limina sertis,
Purpureum ver spiret hyems, sit floreus annus
Ante diem, sancto cedat natura diei,
Martyris ad tumulum debet & terra coronas.

De Nepotiano Hieronymus *in epitaphio*, ibi: *Erat solicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, vela semper in ostiis; si sacrarium mundum, si vasa luculenta, & in omnes cæremonias pia solicitudo disposita; non minus, non majus negligebat officium. Basilicas Ecclesiæ, & Martyrum conciliabula diversis floribus; arborum pomis, vitumque pampinis adumbrabat, ut quicquid placebat in Ecclesia, tam dispositione, quam visu, presbyteri laborem, & studium testaretur.* Sanctus Augustinus *lib. 22. de civitate Dei, cap. 8.* bis meminit florum, qui in altari erant Sancti Stephani. Solitus erat sanctus Severus, referente sancto Gregorio Turonensi, *de gloria confes. cap. 1.* flores liliorum tempore quo nascuntur, colligere, ac per parietes ædis sacræ appendere. Fortunatus *lib. 8. epigr. 9.*

Texitis variis altaria festa coronis,
Pingitur ut silvis floribus ara novis.

Quem ritum ab Hebræis Christiani acceperunt; nam ut Psalmista ait *Psal. 117. Constituite diem solennem in condensis usque ad cornu altaris.* Vbi vertit D. Hieronymus: *Frequentate solennitatem in frondosis.* Et Lorinus legit: *Ligate festum frondibus,* Gentibus etiam non fuit ignotus floridus hic

hic ornatus, unde ait Virgilius *lib.* 1. *Æneid.*

Thure calent, aræ, sertisque recentibus halant.

Item epulis, & conviviis in sanctorum Martyrum natalitiis, vel dedicationis alicujus Ecclesiæ celebritate fideles utebantur. D. Gregorius *lib.* 10. *epist.* 71. ita ut die dedicationis, vel natalitio sanctorum Martyrum religiosis conviviis solennitatem celebrarent D. Hieronymus *in epist. ad Eustoc.* de sancti Petri die festo agens ita ait: *Festus est dies, & natalis Beati Petri: festivius est solito condiendus.* Et statim: *Unde nobis solicitius providendum est, ut solennem diem non tam ciborum abundantiâ, quàm spiritus exultatione celebremus, quia valde absurdum est, nimiâ saturitate velle honorare Martyrem, quem scias Deo placuisse jejunio.* P. Chrysologus *serm.* 129. ibi: *Noli æstimare, charissime quod in solis prandiis, & profusioribus epulis natales Martyrum celebrentur.* Illustrat Savarus ad Sidonium *lib.* 4. *epist.* 15. Sed cùm postea licentiùs fideles sanctorum Martyrum gratiam demereri credentes, epularentur, illæ compotationes, & epulæ sacris legibus coercitæ fuerunt, *cap cùm autem, cum sequent.* 44. *dist.* Concil. Nannet. *can.* 10. Altissiod. *can.* 2. D. Ambrosius *de Helia & jejunio cap.* 17. Divus Chrysostomus *homil. in sanctum Iulianum Martyrem*, D. Augustinus *lib.* 8 *de civitate Dei, cap.* 27. ubi ritum Afrorum in deferendis epulis ad tumulos Martyrum reprehendit, & aliquo pacto excusat his verbis: *Quæcunque adhibentur religiosorum obsequia in Martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra, vel sacrificia mortuorum, tanquam Deorum. Quicunque etiam epulas suas eò deferunt, quod quidem à Christianis meloribus non fit, & in plerisque terrarum locis nulla talis est consuetudo; tamen quicunque id faciunt, quas cùm apposuerint, orant & auferunt ut vescantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur, sanctificari ibi eas volunt per merita Martyrum in nomine Domini Martyrum.* Nazianz. *orat* 19. Omitto agapas festis diebus celebratas, de quibus plura cumularunt anno 397. Fornerius *lib* 2. *select. cap.* 21. Rosveidus *in onomast. verbo Agape*, Meursius *in glossario, eodem verbo* Kochier. *in face histor. cent.* 2. *cap.* 3. & 84 Petrus Gregor. *lib.* 13. *de Repub. cap.* 3. *num.* 5. & *cap.* 18. *num* 4. Suarez *de relig. tom.* 1, *lib.* 3. *cap.* 6. Pancirola *lib.* 1. *variar cap.* 86. *in fine*. Lantdmeter. *lib. de veter. monacho, cap.* 46. Cresp. *in summa, verbo Agaparum*, Albaspinus *lib.* 1. *obser. cap.* 18. Cerdà *in adverss. cap.* 146. Lemaistre *lib.* 2. *de bonis Eccles. cap.* 10. Turrianus *in explanat. Clementis lib.* 2. *cap.* 26. Auctor Romæ Subterraneæ *lib.* 6. *cap.* 27. Iustelus *ad can. Eccles. universs. fol.* 179.

Choreæ etiam in festivitatibus sanctorum Martyrum ducebantur. Concil. Tolet. 3. relatum *in c. irreligiosa, de consecr. dist.* 3 Unde PP. Synodi Gangrens. *in can.* 20. ajunt: *Si quis arrogantiâ utens, & Martyrum congregationes abhorrens, & sacra, quæ in eis celebrantur, & eorum memorias accusset, sit anathema.* Ubi in scholiis subjungit Ballamon: *Nota ergo, quod quæ in solennibus Martyrum festis fiunt, cantica, chorea, & populus consuxus, quoniam in Dei fiunt honorem, non reprobantur.* Sed postea prohibitæ fuerunt hujusmodi choreæ. Concil. Cabilon. *can* 18. Afric. *can.* 27. & in Brachar. *can.* 80. ita cavetur: *Si quis ballationes ante Ecclesiam sanctorum fecerit, &c. tres annos pœniteat.* Et in Synodo Rhemensi sub Lotharío, & Ludovico, *cap.* 35. ita statuitur: *Ut sacerdotes admoneant viros, & mulieres, qui festis diebus ad Ecclesias veniunt, ne ballando, & turpia verba decantando, choros teneant, & duciant.* Et *lib* 6. Capitul. Caroli, *capit.* 193. *Quando populus ad Ecclesias venerit, tam per dies Dominicos, quam & per solennitates sanctorum, aliud non ibi agat, nisi quod ad Dei pertinet servitium: illas verò ballationes, cantucaque turpia, ac luxuriosa, & illa lusa diabolica non faciat, nec in plateis, nec in domibus, nec in ullo loco, quia hæc de Paganorum consuetudine remanserunt, & qui ipsa fecerint, canonicam sententiam accipiant.* Ballare Galli dicunt *Bals*: nos *Bailar*, à voce *ballare*, quæ Græcorum propria est, ut probat Meursius *in glossario, verbo Ballare.* Unde inter alias voces, quas ab eis primi Hispani acceperunt, & vocem ballare aecepisse testatur Aldrete *de origine linguæ Castellæ lib.* 3. *cap.* 1. ubi doctè notat, ballationem *in dicto cap. irreligiosa*, appellari ballimachiam, quasi saltantium pugnam; quia plerunque ballationes fiunt in formam pugnæ diversis ictibus, & motibus: quo modo ballationes Hispanas acceperunt Silius Italicus *lib.* 3.

Nunc pedis alterno percussa verbere terra
Ad numerum resonas, gaudentem plaudere certas:

Hæc requiæ, ludusque viris, ea sacra voluptas,

Et Martialis:

Et Gaditanis ludere docta modis.

Hujusmodi ergo choreas, & ludos theatrales à clericis in festivitate natalis Domini in Ecclesiis fieri prohibuit Innocentius in præsenti, & magna cum ratione, petitâ, tum à loco ubi ducebantur, tum à personis ipsam ludricam artem exercentibus, tum à fine, & solennitate, quæ in hujusmodi ludis recitabantur. Et primò propter loci reverentiam, quia plura, quæ extra Ecclesiam venialiter exercentur, intra Ecclesiam non sunt facienda, ut tradit Strabo *de rebus eccles. cap.* 11. ut confabulationes, & colloquia, Gregorius X. in Concil. Lugdun. generali, ibi: *Cessent vana, & multò fortiùs fœda, & prophana colloquia: cessent confabulationes quælibet: sint postremò quæcunque alia, quæ divinum possunt turbare officium, aut oculis divinæ Majestatis offerenda, ab ipsis prorsus extranea; ne ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi.* Discere id à Paganis poterant Christiani, ni & ipsi Ecclesiæ Doctores in id maximè scriptis suis, & quotidianis monitionibus incubuissent, ut taciturnitatem omnes in templum deferrent. Sanè auctor est Arrianus *in Epict. lib.* 4. *c.* 11. in Gentilium fanis adeo studiosè parcitum verbis, ut violatæ religionis censeretur delictum, si rumpi silentium aliquo sonitu contigisset. Hinc in rebus divinis, cùm fierent, de more dicebatur, *favete linguis*; quo verbo, inquit Seneca *in lib. de beata vita, cap.* 26. *Imperatur silentium, ut ritè peragi possit sacrum, nulla voce mala obstrepente.* Unde Ecclesiæ Patres tam accuratè silentium in Ecclesia commendarunt. D. Ambrosius *lib.* 3. *de virginitate: Maxima est virtus tacendi, præsertim in Ecclesia.* Chrysostomus *homil.* 38. *ad populum: Nihil tam congruum Ecclesiæ, quàm silentium.* D Isidorus *epist.* 45 *Templis omne silentium debetur.* D. Clemens *lib.* 8. *constit. Apost cap.* 11. *Quidam ex Diaconis in templo inambulabant contemplantes viros, & mulieres, ne quis fieret strepitus, ne quis nutui faceret, aut mussitaret,*

8. *Traditur ratio decidendi.*

mussitaret, aut dormitaret. Theodulphus Episc. Aurelian. *epist. ad Sacerd. num.* 10. *Si Dominus illos ejecit, qui victimas, quæ sibi offerrentur, emebant, vel vendebant; quantò magis illos iratus inde abjiciet, qui mendaciis, vaniloquiis, risibus, & hujusce modi nugis locum divino cultui mancipatum fœdant.* Illustrat Benedictus Eftenus *disquisit. monast. lib.* 7. *disquisit.* 3. Cùm ergo in choreis, & hujusmodi ludis theatralibus confabulationes, risus, & similia, ab Ecclesia prorsus aliena dentur, rectè in præsenti Innocentius hujusmodi ludos prohibet, & detestatur. A personis ipsis magna deducitur ratio præsentis prohibitionis; nam vilescit admodum dignitas sacerdotalis, si presbyteri ipsi, seu clerici scenas, atque hujusmodi ludos theatrales edant. Unde *in cap. unico, hoc tit. in* 6. Bonifacius VIII. mulctandos censuit clericos qui per annum joculatorum, id est, mimorum ignominiosam artem exercuerint, vel breviori tempore admoniti non resipuerint. Nec solùm hæc, & similia spectacula edere prohibitum est clericis, verùm & loco, ubi eduntur, stare, *cap. his igitur*, 23. *dist. cap. penult.* 34. *dist. l. placet* 17. *C. de Episcop. & Cleric.* Concil. Altissiod. *cap.* 40. *Non licet presbytero inter epulas cantare, vel saltare.* Turon. sub Carolo *cap.* 7. ibi: *Histrionum quoque turpium, & obscœnorum insolentias jocorum, & ipsi animo effugere, cæterisque sacerdotibus effugienda prædicare debent.* Turonensis sub Carolo *can.* 8. *Sacerdotibus non expedit quibuslibet interesse jocis.* Eugenius II. in Synodo Rom. *Sacerdos sedulò divina debet perscrutari, & admovere eloquia, ut inveniatur beatus, de quo Psalmista ait: Et in lege ejus meditabitur die ac nocte. Quamobrem ludos aliquos coram se fieri non delectetur; transgressor quippe inventus, admonitione Episcopi ulteriùs agere desinat; sin autem canonicè judicetur.* Caput *non oportet, de consecr. dist.* 5. ibi: *Non oportet ministros altaris, vel quoslibet clericos spectaculis aliquibus, quæ aut in nuptiis, aut in conviviis exhibentur, interesse, sed antequam thymelici ingrediantur, surgere eos, & abire.* Ubi thymelici dicuntur musici scænici, qui organis, & lyris, & citharis præcinebant super pulpitum, quod thymele vocabatur. Jul. Pollux *lib.* 4. *onomast.* ibi: *Scena propria est histrionum, orchestra verò chori, in qua est & thymele, quæ vel tribunal est, vel ara.* Vitruvius *lib.* 4. *cap.* 8. ibi: *Apud Græcos tragici, & comici actores in scæna peragunt, reliqui autem artifices suas per orchestras petunt actiones.* Itaque ex ea scenici, & thymelici græcè separatim nominantur. De his thymelicis etiam agitur *l.* 4. *ff. de his qui notant. infam. l.* 10. *ff. de pollicit. l.* 10. *& 21. C. Theod. de Pistor. l. penult. C. Theodos. de spectacul. l.* 5. *eod. C. de scenicis.* Novella 105. de Consulibus, & plura congesserunt Justel. & Balsam. *in notis ad dict. can.* 44. *Synodi Laodic.* Ritherusius *ad Salvianum fol.* 207. Cabreros *de meum lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 16. Samuel Petitus *ad leges Atticas lib.* 1. *fol.* 62. Fornerius *lib.* 5. *rerum quotid. cap.* 29. Cerda *in adversa. cap.* 34. Costanus *de nuptiis fol.* 143. Si ergo hujusmodi ludis theatralibus clericis interesse prohibetur, quantò magis eos per se edere illicitum erit. A fine ipso ludi theatralis præsens prohibito non minori nititur ratione; nam ut fusè Atistides Sophista, etsi nec nostris moribus, nec religione imbutus, in oratione Smyrne habita probavit, Deorum festis comœdias non convenire, nec ludos. Unde D. Augustinus *lib.* 2. *de civit. Dei, cap.* 13. antiquos Romanos tidet, quòd histriones notarent infamiâ, & iidem scenicis ludis Deos honorandos putarent; qui enim conveniat ignominia notare, atque infamium numero ponere, per quos divinus cultus augeatur? Ipsa Augustini verba subjicimus: *Sed respondeatur mihi*, inquit, *quâ consentaneâ ratione homines scenici ab omni honore pelluntur, & ludi scenici Deorum honoribus admiscentur? Illas theatricas artes diu virtus Romana non noverat, quæ etsi ad oblectamentum voluptatis humanæ quærerentur, & vitio morum reperent humanorum, Dii ea sibi exhiberi petiverunt. Quomodo ergo abjicitur scenicus, per quem colitur Deus? & theatrica illius turpitudinis quâ fronte notatur actor, si adoratur exactor?* Deinde quis patiatur in sacro Christi Domini Natali impudicam fœminam B. Mariæ, probrosum hominem sanctissimi Josephi, aut ipsius Christi personam repræsentare? Quod Arnobius *lib.* 4. *adversus Gentes*, ab antiquis factitatum reprehendit, ut histrionibus Deorum personæ imponerentur, illis verbis: *Nec satis hæc culpa est, etiam mimis, & scurrilibus ludicris sanctissimorum persona interponuntur Deorum, & ut spectatoribus vacuis risus possit, atque hilaritas excitari, jocularibus feriuntur cavillationibus, numina conclamant, & assurgunt theatra, omnes concrepant fragoribus, atque plausibus.* Idem Tertullianus accusat *in Apolog. cap.* 15. *Quid*, inquiens, *quod imago Dei vestri ignominiosissimum caput, & famosum vestit: quod corpus impurum, & ad istam artem effœminatione productum, Minervam aliquam, vel Herculem repræsentet? Nonne violatur majestas, & divinitas constupratur laudantibus vobis?* Quæ verba ad nostros mores transferre licet, atque in antiquis vitiis interpreteris nostrorum licentiam, & turpitudinem accusari. Rectè ergo in præsenti Innocentius prohibet presbyteris, & aliis clericis hujusmodi ludos theatrales, etiam in festivitatibus sanctorum in Ecclesiam edere. Morem hunc festis diebus choreas ducendi & saltandi, quam pertinacissimè retinuerunt Græci, ut prodit canon 62. Concil. Trul. *Kalendas, & quæ dicuntur vota, & brumalia quæ vocantur, & qui in primo Martii die fit conventus, ex fidelium civitate omnino tolli volumus; sed & publicas mulierum saltationes multam noxam exitiumque afferentes, quin etiam eas, quæ nomine eorum qui falsò apud Gentiles Dii nominati sunt, vel nomine virorum, ac mulierum fiunt saltationes, a vita Christianorum amandamus, & expellimus.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam auctoritates in ea adductæ, tantùm probant, natalis Domini repræsentationem permitti posse, dummodo ex modestia, & pietate mysterium hoc reciterur à piis viris: non tamen inde infertur, ob solennitatem tantæ festivitatis licere ludrica spectacula edere, seu monstra larvarum inducere in Ecclesias, præcipuè ab Ecclesiasticis personis; quod prohibetur ab Innocentio III. in præsenti; unde tolerari potest mos in plerisque locis Hispaniæ receptus, ut pueri intra Ecclesiam in sacratissima illa nocte magnum illud fidei nostræ mysterium recitent, dum cum omnium modestia, & ex pietate tantùm fiat. Nec obstat quod de natalibus Deorum Gentilium choreis, & ludis celebratis expendebamus; nam natalis dies Christi Domini, vigiliis, orationibus, psalmodiis, & divinis officiis est celebran- 9. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

celebranda à catholicis fidelibus, non verò Gentilium more debent Christiani prophanis ludis, & spectaculis in ejus celebritate uti. Nec obstat quod de Davide, & Maria Moysis sorore dicebamus, atque ex usu Essenorum referebamus; nam illi magno devotionis, & religionis zelo accensi, his modulationibus & saltationibus usi fuerunt; in Ecclesia verò, ac ejus ministris laudes Deo canentibus præcavenda est nimia curiositas, aut vana fractio vocis. Unde profiterur Divus Bernardinus *in meditationibus, cap.* 11. *Sape*, inquit, *ad sacrum ministerium vocem meam fregi, ut dulcius cantarem; & magis delectabar in vocis modulatione, quàm in cordis compunctione.* Et non esse in ecclesia canendum theatralico more, id est, corporis gestus exercendo, cavetur *in cap.* 1. 92. *dist.* Extravag. unic. *hoc. tit.* inter communes, & docuit D. Chrysostomus *homil.* 19. *in caput* 6. *Divi Matthæi*, ibi: *Cum autem oratis, non gestibus corporis, nec clamoribus vocis, sed intentione optimæ voluntatis orationum vota reddamus.* Similiter D. Thomas accepit D. Hieronymum relatum *in dicto cap.* 1. 92. *dist.* docetque reprehendisse eos, qui theatrico more in Ecclesiis divinas laudes decantabant. Prosequuntur Fuscus *de visit. lib.* 1. *cap.* 26. Acunna *in dicto cap.* 1. 92. *dist.* Nec ad rem facit consuetudo in aliquibus Ecclesiis in festo S. Nicolai, & Innocentium recepta; nam ut Langecrucius *lib.* 2. *de vita & honest canonic. cap.* 22. refert, hujusmodi puerorum ludicrum spectaculum prohibitum fuit in Synodo Basil. *sess.* 21. & in meram ecclesiasticis ordinis contumeliam abiisse testantur Ballamon *in can.* 62. 6. *Synodi.* Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri clerico, cap.* 50. *ad finem.* Et Patres Concilii Salzeburgens. tempore Gregorii X. ita statuerunt: *Adhæc quidam ludi noxii, quod vulgaris elocutio Episcopatus puerorum appellat, in quibusdam Ecclesiis exercentur adeò insolenter, ut nonnunquam enormes culpæ, & damna gravia subsequantur ex ipsis: hos ludos in Ecclesiis, & à personis Ecclesiasticis de catero fieri prohibemus, nisi forte parvi sexdecim annorum, & infrà fuerint, qui hujusmodi ludos exercent.* In dicto Concilio Basileensi vocatur festum *fatuorum*, vel *innocentium*, aut *puerorum*. Belethus *cap.* 72. vocat festum Hypodiaconorum, quod à die sancti Stephani cœptum, ad octavam usque Epiphaniæ fuisse prorogatum, testatur Guillel. Durant. *lib.* 7. *ration. cap.* 42. Est autem meritò exagitatum à Gersonio *tract. de ludo stultorum, alphab.* 69. Theophil. 15. *tom. in heteroc. spirit. punct.* 8. *in fine.*

10. Et suprà traditis lucem accipit textus *in can.* 71. *Synodi* 6. in illis verbis: *Eos, qui docentur leges civiles, græcis moribus uti non oportere, & nec in theatrum induci, nec eas, quæ dicuntur cyclistræ, peragere, vel præter usum communem sibi vestes induere, nec quo tempore disciplinam aggrediuntur, vel ad finem ejus perveniunt, vel ut in summa dicam, in ejus doctrinæ dimidio. Si quis autem deinceps hoc facere ausus fuerit, segregetur.* Ex quibus deduci videtur, non omnibus clericis, & fidelibus prohiberi theatra adire, scenas, & ludos edere, aut larvas induere, sed tantùm jus civile discentibus. Ergo non rectè in præsenti omnibus clericis indistinctè prohibetur ludos theatrales edere, aut monstra larvarum inducere. Pro cujus canonis expositione sciendum est, Athenis plurimos ex adolescentibus sophistico quodam furore percitos, urbes, viasque tenere consuevisse, noviter advenientes sophistas magna ac splendida pompa deducentes, & excipientes, & alia quædam ludibria sophistis familiaria fecisse: quæ corruptela invaserat in illa Academiarum regina, quando legum discipliná ibi florebat, juxta quam illi qui legum erant disciplinam aggressuri, vel qui in medio, aut jam perfecti erant, cum magna quidem pompa, & vestium ornatu in theatrum deducebantur; sed quia exinde magna scandala, nec non & rixæ oriebantur, tam ex cyclistris, id est, ludis ad modum pugnæ, quàm ex vestium mutatione, prohibuerunt Patres, ne Græcorum more inter legum studiosos, seu candidatos hujusmodi cyclistræ, aut ludi theatrales fierent; non tamen exinde colligitur, aliis clericis, aut fidelibus eos permitti; siquidem specialiter Patres de studiosis legum senserunt, quia apud eos talis corruptela irrepserat: notarunt Balsamon in eo canone, Cujacius *ad titulum C. ne filius pro patre*, Cironius *ad tit. de Magistr.* & *lib.* 3. *observ. cap.* 1.

Exponitur can. 71. *sup. nod.* 6.

CAPVT XIII.

(a) Idem *in Concil. Lateran. const. XIV.*

VT clericorum mores, & actus in melius reformentur, continenter, & castè vivere studeant universi, præsertim in sacris ordinibus constituti, ab omni libidinis vitio præcaventes (b) maximè illo propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ, quatenus in conspectu omnipotentis Dei puro corde, ac mundo corpore valeant ministrare. Ne verò facilitas veniæ incentivum tribuat (c) delinquendi, statuimus, ut qui comprehensi fuerint incontinentiæ vitio laborare, prout magis, (d) aut minùs peccaverint, puniantur secundùm canonicas sanctiones, quas efficaciùs, & districtiùs præcipimus observari: ut quos divinus timor non revocat, temporalis saltem pœna cohibeat à peccato. [e] Si quis igitur hac de causa suspensus præsumpserit celebrare divina, non solùm ecclesiasticis beneficiis spolietur, verùm etiam pro duplici culpa perpetuò deponatur. Prælati verò, qui tales præsumpserint in suis iniquitatibus sustinere, maximè obtentu pecuniæ, vel alterius commodi temporalis, pari subjaceant ultioni. Qui autem secundùm [f] regionis suæ morem non abdicarunt copulam conjugalem, si lapsi fuerint, gravius puniantur, cùm legitimo matrimonio possint uti.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. (a) *Item.*] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. & in ipso generali Concilio celebrato sub Innocentio III. anno 1215. de quo nonnulla notavi *in c.* 1. *de summa Trinit.*

(b) *Maximè illo.*] Hanc partem de præpostera venere, & peccato hoc contra naturam, exponemus *in cap. clerici, de excessibus Prælat.*

2. (c) *Delinquendi.*] Quod valdè exitiosum est, cùm interfit Reipublicæ, ne delicta maneant impunita, *l. congruit* 13. *ff. de offic. Præsid. l. si à reo* 70. *§. final. ff. de fidejuss. l. locatio* 9. *§. quod illicitè ff. de publicanis.* Facit Plato *lib.* 9. *de legibus*, ibi: *Quemadmodum in corpore, si quid hujusmodi est, quod reliquo corpori noceat, uri, ac secari patimur, ut membrorum aliquid potius quam totum corpus intereat: sic in Reipublicæ corpore, ut salvum totum sit, quicquid est pestiferum, amputetur.* Joannes XXII. *in Extravag. unic. de pœnis: Compescenda malorum audacia, ut saltem pœnæ formidine retrahantur à noxiis, sicque boni sectando virtutem, meliores effecti non cogantur cum illis perire.* Plura congessit perdoctus Dominus Joannes Solorzanus *de parricidiis cap.* 1. & *emblem.* 71.

(d) *Magis, aut minùs.*] Videlicet adulterium, stuprum, aut simplicem mœchiam committentes, de quibus agemus titulis sequentibus, ubi commentarium hujus textus dabimus.

(e) *Si quis igitur.*] Hæc pars propriè spectat ad titulum *de cleric. excom. ministrante*, ubi *in cap. Apostolicæ* 9. eam exponemus.

(f) *Regionis suæ morem.*] Id est, ut Græci faciunt, tuxta adducenda infrà *in cap.* 1. *de clericis conjugatis.*

CAPVT XIV.

Idem *in eodem* (a) *Later. constit. XV.*

A (b) crapula, & ebrietate omnes clerici diligenter abstineant, unde vinum sibi temperent, & se vino, nec ad bibendum quispiam incitetur: cùm ebrietas, & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. Unde illum abusum penitus decernimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant (c) potatores: & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi à superiore commonitus satisfaciat, à beneficio, vel officio suo suspendatur.

NOTÆ.

1. (a) *Lateranensi.*] *Cap.* 15. ubi reperiuntur verba hujus textus, & in quarta collectione, *sub hoc tit. c.* 3. ex quibus codicibus transcripsit Raymundus.

(b) *Crapula.*] Crapulâ est cruda epula, quæ contingit cùm tantùm de cibo sumitur, ut naturalis calor decoquere non valeat: circa escam datur, sicut ebrietas ex vino. Divus Isidorus *lib.* 2. *sententt. tit.* 43. ibi: *Esca crapulam, potus ebrietatem generat.* D. Augustinus *lib.* 10. *confessionum, cap.* 31. *Ebrietas longè est à me, misereberis, ut longè fiat à me.* D. Athanasius *in q. Quid sit Christianus*, ibi: *Secundùm naturam est temperantia in cibo, præter naturam crapula, supra naturam jejunium.* D. Lucas *cap.* 21. *vers.* 34. ibi: *Cavete, ne forte graventur corda vestra in vino, & crapula*; ubi addit Nicol. à Lira: *Ex superfluitate cibi, & potus.* Prudentius *in hymno post cibum*:

Sed ne crapula ferveat, cavendum est,
Quæ sedem fidei cibis refertam
Usque ad congeriem coarctet intùs.

Ideo tam crapula, quàm ebrietas clericis prohibetur in præsenti, & *in cap. non satis, de consecrat. dist.* 5. ejus enim mala non minora sunt, quàm quæ ex ebrietate oriuntur. D. Cyprianus *epist.* 25. *de Fortun. idolis inservient*, sequentia fatur: *Nec mirum si consilia nostra, aut Domini præcepta nunc abnuunt, qui Dominum negaverunt; stipes, & oblationes, & lucra desiderant, quibus insatiabiles incubabant; & cœnis, atque epulis etiam nunc inhiant, quarum crapulam superstite in diès cruditate ructabant, nunc manifestissimè comprobantes, nec antè se religioni, sed ventri potius, & gustui prophanâ cupiditate servire.* Plura Sanctorum Patrum, & Philosophorum placita congesserunt Jodocus Coccius *lib.* 7. *thesauri fidei cathol. art.* 7. Solorzanus *emblem.* 36. Et apud Ethnicos sacri ministri insignes abstinentiâ aut erant, aut videri affectabant. Nonnulla circa hoc de Flamine Diale, præsertim vetitâ ei quamseverissimè inebrietatione; habet Plutarchus *q. Rom.* 112. Mira sunt quæ de Ægyptiorum sacerdotibus post Porphyrium *lib.* 4. *de abstinent.* refert D. Hieronymus *lib.* 2. *in Jovin.* ibi: *Chæremon Stoicus, vir eloquentissimus, narrat de vita antiquorum Ægyptiæ sacerdotum, quod omnibus mundi negotiis, curisque postpositis semper in templo fuerint, & rerum naturas, causasque, ac rationes syderum contemplati sint, nunquam mulieribus se miscuerint, nunquam cognatos, & propinquos, nec liberos quidem viderint ex eo tempore, quo cœpissent divino cultui deservire; carnibus & vino se semper abstinuerint, propter tenuitatem sensûs & vertiginem capitis, quod ex parvo cibo patiebantur; & maximè propter appetitum libidinis, qui ex his cibis, ex hacque potione nascuntur.*

(c) *Se obligant potatores.*] Consonant D. Augustinus *sermone* 231. ibi: *Plures in conviviis sibi irridentes eos, qui minùs bibere possunt, & per inimicam amicitiam adjurare hortantes non erubescunt, ut potum amplius accipiant, quàm oportet.* D. Basilius *homil. ad ebriet.* ibi: *Deinde potatione præcedente eò veniunt, ut de agenda hâc insania certent; & de ebrietate per ambitionem contendant; cujus auctorem legis diabolum habent, victoriæ verò præmium peccatum.* D. Ambrosius *de jejunio cap.* 13. quæ longum esset adscribere, hæc tantùm libet prælibare; ibi: *Unusquisque pugnas enarrat suas,*

ibi

ibi fortia facta prædicat, narrat trophæa. Saresbar. *Policratici lib. 8. cap. 6. Sine mensura bibitur ad mensuram, & is cæteris prævalet, qui aut gula, aut dolo stravit, aut vicit compotatores.* A Scythis & Parthis originem habuisse certamen hoc, constat ex Aristotele *lib. 3. polit. cap. 7.* Athenæo *lib. 10. cap. 8.* & ab ipsis Græcis Latini acceperunt, Cicero pro Flacco: *Magnum erat certamen propositum, magna cum Græcis contentio; qui tamen, ut opinor, jacent victi. Iste unus totam Asiam magnitudine poculorum, bibendoque superavit.* Rutilius Lupus *lib. 1. de chresterismo*, ex Lycone: *Protinus ex cubiculari lectulo excitatus in triclinium trahitur, ibi præsto sunt quotidiani pauci eodem studio excitati convivæ; hic verò princeps paulum illud reliquum quod habet mentis, accensus poculis extrudere festinat, & eos bibendo provocat, & lacessit, perinde ac si in hostium prælio plurimos superavit, atque adfixerit, amplissimam sibi victoriam paratam existimans.* Seneca *epist. 83. Cùm omnes viceris virtute magnifica, & nemo tam vini capax fuerit, vincetis à dolio.* Sidonius *lib. 7. epist. 5. Hi sunt quorum laudare audes in otio occupationes, in pace prædas, inter arma fugas, inter vina victorias.* Plura de hoc certamine compotatorum Lypsius *lib. 4 elect. cap. 4.* Grethserus *lib. 1. de benedict. cap. 14.* Theophilus *tom. 4. lib. 6. sect. 2. cap. 6.* Putabant enim Gentiles se hoc bibendi certamine placere Diis. Tacitus *lib. 5. annal.* ibi: *Libare se Iovem illum Jovi liberatori.* Alex. ab Alexand *lib. 1. dier. genial. cap. 21.* illustrant Georg. Ambianis *ad Tertul. de pudicitia cap. 7. observ. 1.* & etiam Imperatoribus, ac amicis, D. Ambrosius *de Helia & jejun. cap. 17.* ibi: *Quid referam sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur; bibamus, inquunt, pro salute Imperatorum, & qui non biberit, sit reus in devotione. Videtur enim non amare Imperatorem, qui pro salute ejus non biberit.* Solebantque tot pocula bibere, quot litteras Imperatoris nomen habebat. Martialis *lib. 9. epigram. 95.*

Addere quid cessas puer immortale falernum,
Quadrantem duplica de seniore cado.
Nunc mihi dic quis erit, cui te Calatisse Deorum
Sex jubeo cyathos fundere, Cæsar erit.

Et *lib. 11. epigram. 21.* plura congessit Joann. Federicus Matensis *lib. 1. de ritu bibendi, cap. 5.* Pro magnoque honore apud Ethnicos semper agnitum fuit, se ad invicem convivantes propinare, & in signum amoris poculum ab amante degustatum accipere, Martialis de Commodo sic ait:

Qui nulli calicem tuum propinas;
Humane facis, herculè, non superbè.

Hinc exponendus venit Tertullianus *ad uxorem cap. 6.* ibi: *De cujus manu desideraberis?* id est, de cujus poculo participabis; quasi hæc lasciviæ commercia, & irritamenta hujusmodi mulieribus objiciat, easque interroget, à quo sibi maximè in his conviviis propinari vellent, à marito, an ab adultero. Notavit Albaspinus *in ejus notis.* Hujus certaminis causâ diversas mensuras, seu calices habebant, de quorum materia formaque plura congessit Ambianas *ad Terul. de pudic. dicto cap. 7. obs. 1.* Illud notandum est, eos à parvis inchoasse, ac in fœcundioribus desinere. Martialis *lib. 12. epig. 28.*

Ego
Sextantes poto, tu potas Cinna deuncem,
Et queris quod non Cinna bibamus idem.

Et ipsos priusquam poculum haurirent, bene sibi precari solitos, docent veteres. Athenæus enim *lib. 2. cap. 1. de regim. Athen.* Amphistioni ita scribit: *Jovis præterea servatoris nomen invocare constituit memoriæ gratiâ bibentium, quòd sic bibentes salutem sine dubio consequerentur.* Ovidius *lib. 2. Fastor.*

Largâ precaturi sumite vina manu.
Et bene nos, bene te, patriæ pater optime Cæsar.
Dicite suffuso per sacra verba mero.

Plautus *in Sticho.*

Bene nos, bene me, bene nostram etiam Stephaniam
Bibe si vivis.

Livius *lib. 39.* scribens de Quinto Flaminio, qui hominem inter epulas percuti securi jusserat, ait: *Facinus*, inquit, *sævum & atrox, inter pocula atque epulas, ubi libare Diis dapes, ubi bene precari mos esset, ad spectaculum scorti procacis in sinu Consulis recubantis mactatam inhumanâ victimam esse, & cruore mensam respersam.* Quæ verba mirè congruunt decollationi B. Joannis Baptistæ. Illustrat Mercurial. *lib. 1. variar. cap. 2* hoc bibendi certamen non solùm Ecclesiæ Patres clericis prohibuerunt, Innocentius in præsenti, Elfricus *in canonibus ad Ulsinum Episcopum, cap. 29.* ibi: *Nullus presbyter ex ineptia bibat plus quàm decet, nec alium provocet ad bibendum ultra quod desiderat.* Et in Concilio ab Anselmo in Anglia celebrato, cavetur: *Ut presbyteri non eant ad potationes, nec ad popinas bibant.* Refert Malmesburg. *de gestis Pontif. Angliæ. lib. 1.* De Zosimo refert Anastasius Bibl. *Hoc quoque constituit, ut nullus clericus poculum in publico propinaret, nisi tantùm in cœtibus fidelium, maximè clericorum:* verùm & sæculares legislatores. Carolus Magn. idem servari jussit inter milites *lib. 2. capitul. 72.* & generaliter erga omnes hanc bibendi licentiam damnavit *lib. 3. capit. 155.*

COMMENTARIVM.

EX hoc textu sequens communiter deducitur disputanda assertio: *Clericus crapulosus, vel ebriosus non desistens ab officio suspenditur.* Probant eam textus *in cap. final. in fine, 4. dist. cap. Episcopus, 1. cap. luxuriosa, 3. cap. vinolentum, 6. 35. dist. cap. nullus, 7 cap. comessationes. 1. cap. non oportet, 2. 44. dist. can. 42. & 43. Apostol. cap. his igitur, 3. in princip. 23. dist. cap. nullus, 35. c. ne tales, 29. de consecr. dist. 5. cap. 1. ne clerici, vel monachi.* Concil. Tolet. 3. *can. 7.* Agathense *can. 41.* Veneticum sub Leone I. Turon. 1. *can. 2.* Turon. 3. *can. 48.* Forojulience sub Carolo *can. 3.* Cabilon. 2. *can. 10.* Mogunt. *can. 46.* Tribur. *can. 1.* Aquisgran. 2 *can. 6.* Oxonience *can. 23.* Colonience 3. *can. 24.* quorum verba referunt Crespetius *in summa, verbo Ebrietas*, Claudius Espenceus *ad epist. Divi Pauli lib. 2. digres. cap. 6* ex sanctis Patribus eam probant Clemens *lib. 8. constit. cap. 50.* Chrysostomus *homil. 29. in cap. 9. Genesis*, Ambrosius *de Helia & jejun. cap. 12.* Epiphanius *hæresi 26.* Theodulphus *ad presbyteros Aurel. cap. 45.* quos & alios refert. Raynaud *in oploth. sect. 2. serie 3. cap. 9.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa & *de potestate Episcopi p. 1. tit. 2. glossa 11.* & *de offic. Parochi cap. 6. num. 15.* Petrus Gregorius *lib. 2. partit. tit. 9. cap. 8.* Lantdmeter. *de veteri clerico lib. 2. c. 49.* Acunna *in cap. 3. & 4. 35. dist.*

3. Conclusio probatur.

dict. Espenceus *dict. lib.* 2. *digres. cap.* 14. Salmuth. *ad memor. Pancirol.*, *tit.* 25. Mendoza *in viridario lib.* 5. *problem.* 44. Cironius *ad tit. de statu monach.* Georg. Ambian. *ad Tertul. de jejun. cap.* 16. *obs.* 1. Tamburin *de jure Abbat. tom.* 1. *disput.* 21. Raynaud. *in oploth. d. serie.* 3. *cap.* 9. Savarus *ad Sidonium lib.* 1. *epist.* 2. & *lib.* 5 *epist.* 7. P. Pinto *in spicileg. c.* 9. Boëtius Epon Fabrotus & Cujac. *in præsenti*, Solorzanus *emblem.* 37. Bulengerus *lib.* 3. *de conviviis*, *cap.* 1. Cresolius *lib.* 4. *mystag. cap.* 7. Cochier *in face histor. cent.* 1. *cap.* 9. &. 13. Conradus Kling. *lib.* 5. *locorum commun. cap.* 22. Altessera & Franc. Florens *in præsenti.*

4. *Impugnatur traditâ assertio.*

Sed pro dubitandi ratione primò insurgi potest, ex defectu potestatis constitutionem hanc vires non habere, quod probatur ex D. Paulo *ad Colossenses c.* 2. *vers.* 16. ubi ait Apostolus: *Nemo vos judicet in cibo, & potu.* Quibus verbis expressè inhibet, ne tam clerici, quàm laici judicentur super cibo & potu. Igitur nec ejus ratione puniri possunt. Accedit sententia Domini nostri Jesu Christi apud Matthæum *cap.* 15. *v.* 11. ibi: *Quod intrat per os, non coinquinat animam.* Igitur si ex crapula, aut ebrietate anima non coinquinatur, non potest ob crapulam, aut ebrietatem clericus suspendi. Augetur hæc difficultas ex plurimis sacræ paginæ locis, in quibus exprimitur, ebrietatem per se malam non esse, immò aliquando expedire, juxta illud Psalmi: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ* Et psalmo 64. *Visitasti terram, & inebriasti eam.* Et Spiritus sanctus in canticis ait: *Comedite amici, bibite, & inebriamini*; saltem ad tollendum mœrorem, juxta illud Proverbiorum *cap.* 31. *v.* 6. *Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo: bibant, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Seneca *de tranquillit.* ibi: *Nonnunquam & usque ad ebrietatem veniendum est, non ut mergat nos, sed ut deprimat curas.* Unde varii Philosophi fœdam esse ebrietatem negarunt, ut Antonius Triumvir apud Plinium *lib.* 14. *cap.* 22. conscripto libro pro ebrietate. Plato quoad dies Baccho festos, ut est apud Laërtium *lib.* 3. *in Platone*, & alii; de quibus Philo *lib. de plantatione Noe, sub finem.* Accedit etiam, vinum prodesse ad acumen ingenii, ut Cretensis apud Gellium *lib.* 15. *noctium. cap.* 12. jactitabat; unde Horatius *lib.* 1. *satyra* 3. ait:

Nulla placere diu, nec vivere carmina possunt,
Quæ scribuntur aquæ potoribus.

Idem confirmat exemplo Homeri, ibi:

Laudibus arguitur vini vinosus Homerus,
Ennus & ipse pater nunquam nisi potus ad arma
Prosiluit dicenda.

Cælius Megapolitanus *cent.* 1. *epigr.* 20.

Aonio fas est ex fonte bibisse Poëtam,
Nobis vina magis, quàm sitiuntur aquæ.
A mero posse meliorem spero poëtam,
Docte magis scribit qui meliora bibit.

Igitur non ita acriter debet in clericis prohiberi ebrietas.

5. *De malis ebrietatis.*

Quâ difficultate ita sulcitâ non obstante, vera est præsens assertio, cujus ratio petenda est ex malis, quæ proveniunt ex ingluvie, crapulâ, & ebrietate, quæ expressit Divus Clemens Alexandrinus *lib.* 2. *pædagog. cap.* 1. ubi in detestationem nimiæ gulositatis ita ait: *Sicut ait sanctus Chrysostomus homil.* 16. *in Acta, in navibus supra modum oneratis magna turbatio est nautarum, gubernatoris ejus, qui in prora est, eorum qui ascendunt malum, qui superiora quidem projiciunt in mare, quæ autem inferiora, perdunt: sic sanè & hoc loco; nam quæ superiùs sunt, evomunt: alia autem inferiùs, & seipsos corrumpentes, liberantur; quod sanè turpius est omnibus, quia ipsum os usum recipit posteremarum partium, & fit illis ignominiosius. Si autem in orte tanta turpitudo, cogita in anima quid? Etenim illic omnia procellæ, omnia tenebræ, multa rationum confusio.* Ex Sallustio Seneca *epist.* 60. *Animalium loco, non hominum habendos esse ventri obedientes; & si ultra communem modum sæviat ea affectio, ne in animalium quidem numero ponendos docet, sed mortuorum, cùm se ipsis non utantur, atque ideo non vivant, sed sic in domo sint, quasi in conditorio.* Plura congesserunt Jodocus Coccius *ubi supra*, Solorzanus *emblem.* 36. Theophil. Raynaud. *de virtut. sect.* 2. *cap.* 5. Nec minora mala ex bibacitate veniunt, quâ nihil turpius, & homini honesto indignius SS. PP. & Philosophi oriti censuerunt, quorum authoritates retulerunt Solorzanus *embl.* 38. Raynaud. & Coccius *ubi proximè*, Beyerlingk *tom.* 3. *theatr. verbo Ebrietas*, Philipp. Camerar *cent.* 1. *horar. succis. cap.* 94. Novarinus *in agno Euch. lib.* 5. *cap.* 84. *per totum*, & *lib.* 6. *aquæ nupt. cap.* 23. *cum seqq.* Ex quibus percurramus tantùm duo mala, quæ signanter Patres Concil. Later. *in præsenti* illis verbis: *Cùm ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incendium*, expressèrunt.

6. *Prosequuntur eadem mala.*

Duo igitur mala præcipuè sequi ex ebrietate ait Innocentius *in præsenti.* Primum, quod mentem alienat, juxta illud Proverb. *cap.* 23. *vers.* 3. *Oculi tui videbunt extranea, & cor tuum loquetur perversa, & eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clavo; & dices: Verberaverunt me, & dolui; traxerunt me, & ego non sensi; quando evigilabo, & rursus vina repetam.* Et apud Oseam *cap.* 4. *vers.* 11. legitur: *Fornicatio, & vinum auferunt cor.* Philo *de plantatione Noë*, ibi: *Hoc venenum, si non mortem, certè creat insaniam.* D. Hilar. in psalmo 125. *Quid verò infelicius ebrietate dominatu, ventri ultra capacitatem infundere, sensui rationem adimere, non loqui, non meminisse, non stare, & mortem quandam naturæ incolumi imperare.* Origen. *homil.* 7. *in Levit. Sobrietas mater est omnium virtutum, sicut è contrario ebrietas omnium vitiorum.* Clemens *lib* 2. *pædagog. cap.* 2. Unde Alexander Magnus ingentes animi dotes, quibus omnes Reges antecessit, videlicet illam in subeundis periculis constantiam, in rebus moliendis, efficiendisque velocitatem, in deditis fidem, in captivis clementiam, in voluptatibus temperantiam intolerabili vini cupiditate fœdavit, testante Quint. Curtio *lib.* 5. Hinc ebrius omnia profert, Horatius *lib.* 1. *epist.* 1.

Quid non ebrietas designat? operta recludit,
Arcanum demens detegit ebrietas.

Sed & Plato nullum tormentum ad veritatem eliciendam vino efficacius adhiberi posse, ajebat. Quò respexit Horatius *de arte poëtica.*

Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborant.

Secundum malum est libidinis incendium, quod sacris

sacris litteris demonstratur. *Proverb. cap.* 10. *Luxuriosa res est vinum.* Et Divus Paulus *ad Ephes. cap.* 5. *versu* 18. ait: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Docuerunt Sanct. Basil. Seleuc. *in vita S. Thecle*: *Ebrietas voluptatis incendium est, venter que mero æstuans, desumat in libidinem.* Prosperus Aquitanic. *lib.* 2. *de vita contempl. cap.* 22. *Luxuriosam facit & nutrit vini perceptio nimia.* Et humanis litteris exprimitur à Terentio *in Eunuch.*

Sine Cerere & Baccho friget Venus.

Virgilius *de vino, & venere*:

Nec veneris, nec tu vini capiaris amore:
Uno namque modo vina, venusque nocet.
Ut venus enervat vires, sic copia vini:
Ettentat gressus, debilitatque pedes.

Quare Romanos vino usus non fuisse usque ad sexcentesimum annum, refert Plinius, nec apud eos viri vinum bibebant usque ad trigesimum annum, mulieres verò nunquam. Referunt Gellius *lib.* 10. *noctium, cap.* 23. Halicarnasseus *lib.* 2. Plutarchus *in problem.* Unde invaluisse morem osculandi uxores ad id cognoscendum, ex Plutarcho & aliis probat Tiraquellus *in l.* 7. *connub. num.* 155. Idemque observatum fuisse apud Lacedæmonios, Milesios, & Massilienses idem probat, & Plato in suis legibus ita cavet: *Nullus; qui in castris versatur, vinum gustet, sed toto illo tempore aquam potet, & in civitate nec servus, neque Magistratus, eo anno, quo Magistratu funguntur, sed neque gubernatores, neque is, qui in consilium ad quod vocantur.* Referunt Ælianus *lib.* 10. *var. hist. cap.* 9. Diodorus Siculus *lib.* 4. *cap.* 5. Et in lege veteri Sacerdotibus usus vini interdictus erat, *Levitici cap.* 9. 10. & 11. apud Moscovitas sacrificantes vinum gustare prohibentur; Sigismundus *de rebus Moscovit. fol.* 29. Et primis Ecclesiæ sæculis Virginibus Deo sacratis vinum interdicebatur. Divus Hieronymus *in epist. ad Eustachium*, ibi: *Sponsa Christi vinum fugiat pro veneno.* Notavit Cironius *ad tit. de stat. manach.* Rectè ergo in præsenti statuitur, clericos crapulæ, aut ebrietati deditos, monitione præmissâ esse suspendendos. Plura de ebrietatis damnis D. August. *tract.* 17. *de ebriet.* Clemens *lib.* 2. *pædag. cap.* 2. Mendoza omnino videndus *in lib.* 1. *Regum, cap* 1. *num.* 15. *annot.* 11. ubi inter alia probat, quod ebrii sint brutis, & diabolo deteriores, & filii Belial, & sine jugo, & apostatæ; & quod ebrietas sit pestilentia, insanabile venenum, libidinis, & somnolentiæ comes, cædium mater, & rationis naufragium. Solorzanus *tom.* 2. *de jure Indiar. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 76.

Nec obstat dubitandi ratio supra expensa, deducta ex Apostolo ad Colossenses; nam D. Paulus ibi non improbat sobrietatem, aut jejunia ab Ecclesia indicta, ad edomandam carnis petulantiam; sed impugnat Judæorum abstinentiam, qui certis cibis nunquam utebantur, eo quod secundùm præcepta cæremonialia legis veteris immundi erant; sic enim Gentium Doctor ibidem ait: *Nemo vos judicet in cibo, & potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbathorum*; urdocuit Bellarminus *de Romano Pontif. lib.* 8. *cap.* 48. Similiter etiam authoritas Divi Matthæi exponenda est cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 148. *art.* 1. asserendo, quod id quod intrat in homine per modum cibi, non coinquinat eum spiritualiter, secundùm substantiam, & naturam: sed Judæi, quos Dominus ibi increpabat, existimabant, quod aliqui cibi eos immundos redderent, non propter figuram, sed propter propriam naturam: inordinata autem ciborum concupiscentia spiritualiter hominem coinquinat. Nec obstat augmentum difficultatis deductum ex variis sacræ Paginæ locis; nam ebrius præter notam significationem, de qua accipitur in præsenti, pro pleno, & adsaturitatem usque refecto accipitur. Plautus ebriam cœnam dixit, id est, oppiparam; quo modo ebrietas, & inebriatio accipitur pro satuitate, & plenitudine spirituali, aut temporali in sacra Pagina, ut post Divum Augustinum *quæst.* 144. *in Genesim*, notavit Bethemerus in phrasibus sacræ Scripturæ, *verbo Ebrietas.* Nec obstat ultimum augmentum difficultatis, nam in præsenti nimia bibacitas, seu ingurgitatio usque ad ebrietatem, non autem modicus vini usus prohibetur; vinum enim cum temperantia ad plura prodest; unde Apostolus *ad Timotheum cap.* 5. monet, ut utatur modico vino, propter stomachum: & Ecclesiasticus *cap* 31. docet, quod exultatio animæ, & corporis vinum est moderatè potatum, & statim sanitas est animæ, & corporis sobrius potus, fugat enim curas. Tibullus.

Sæpe ego tentavi curas expellere vino.

Ovidius *lib.* 3. *de arte.*

Cura fugit multo, diluiturque mero.

Unde Philosophus Anacharsis dicebat, primam in mensa craterem pertinere ad sitim; secundam ad hilaritatem; tertiam ad voluptatem; quartam ad insaniam: latè commendarunt vini virtutes Salmutius *ad memorab. Pancirolæ tit.* 25. Majolus *dier. canicul. fol.* 273. & 566. Vallesi. *in sacra Philosoph. cap.* 17. Levinus Lemnius *de plantis cap.* 25.

Sed adhuc suprà traditis obstat textus *in cap. quando*, 44. *dist.* ubi Patres Concilii Nannet. statuunt, clericos ad collationem accedere debere, ita ut per inhonesta convivia non se invicem gravent. Et in calce textus hæc proponunt verba: *Et ideo peractis omnibus, qui voluerint, panem cum charitate in domo fratris sui simul cum fratribus frangant, & singuli singulos bibere faciant, & maximè ultra tertiam vicem poculum non contingant.* Ex quibus apparet, posse clericos se ad invicem invitare ad bibendum, & usque ad tertiam vicem poculum sumere. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, quod licet clericis prohibitum sit se publicè & coram laicis ad potandum invitare, tamen privatim inter se id facere possunt, dummodo oculi eorum non graventur, nec ebrietas timeatur: unde cautè Patres ajunt, ne ultra tertiam vicem poculum contigant, qui numerus est terminus temperatorum, ut de Augusto refert Suetonius, ter tantùm bibere solitum: idem de Justino refert Corippus *lib* 3. idque lege convivali cautum fuisse referunt Plinius *lib.* 28. *cap.* 6. Petronius *in satyr.* ibi: *Excusare cæpit moram, quod amicu se non dimisisset, tribus nisi potionibus ex lege servatis.* Erantque antiqui-

8. *Exponitur textus in cap. quando, 44. dist.*

tus Magistratus, qui convivas, ne se nimio vino polluerent, legis sympositiacæ admonerent, ut ex Platone, & Varrone notat Savatus *ad Sidonium lib. 1. epist. 2. verbo Scyphorum.* Meritò ergo *in dicto cap. quando*, permittitur clericis usque ad tertiam vicem poculum sumere, cùm eo numero etiam viri temperati utantur.

9. *Explicatur cap. si constiterit 12. de accusat.*

Deinde opponi potest textus *in cap. si constiterit 12. de accusat.* ubi agitur de clerico ebrioso qui in taberna pernoctavit, & sequenti die præmissâ dormitione Missam cantavit. Et decidiur, quod si Ecclesiam in commendam tantùm habebat, Episcopus ei perpetuum imponat silentium; si autem eam in titulum obtinebat, & non constet eum delictum perpetrasse, ob quod beneficio sit privandus, Ecclesiam ipsam pacificè retineat. Ex quo textu expressè constat ob ebrietatem clericum beneficio privari non posse: Ergo non rectè in præsenti docetur, clericum vinolentum, nec monitione præmissâ desistentem, beneficio & officio suspendendum esse. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, suspensionem, de qua in præsenti, non esse perpetuam, sed temporariam, ut probat Suarez *de censur. disputat. 25. sect. 2. numer. 8.* unde cùm *in dicto cap. si constiterit*, ageretur de privatione beneficii perpetua, rectè docetur, quod nisi aliud crimen probatum sit, ex quo beneficii privatio indicatur, clericum etsi vinolentum non debere beneficio, quod in titulum possidebat, spoliari. Alia etiam in ejus textûs specie adfuerunt, quæ in ejus commentario Deo volente exponemus.

10. *Adducitur textus in cap. non oportet 10. 44. dist.*

Sed antequam hinc abeamus, exponendus est difficilis canon 55. Concil. Laodic. in illis verbis: *Non oportet sacratos, & clericos ex collatione convivia peragere, sed nec laicos.* Apud Gratianum autem *in cap. non oportet 10. 44. dist.* ita legitur: *Non oportet ministros altaris, vel quoslibet clericos, aut etiam laicos Christianos ex symbolis, quæ vulgus comessalia appellat, convivia celebrare.* Ubi sive legas, *ex collatione*, ut in Concilio; sive *ex symbolis*, ut apud Gratianum, ex versione Gentiani Herbetti, semper liquet, non licere clericis, seu laicis convivia, seu co tiones facere. Pro cujus textûs vera expositione sciendum est, quod quamvis verbum, *collatio*, plerunque accipiatur pro ea refectiuncula, quæ à jejunantibus sumitur, *cap. quando, 44. dist.* latè probant Lantdmeter. *lib. 2. de veteri cleric. cap. 104.* Filesacus *de Quadragesima, cap. 6.* Efrenus *lib. 9. disquisit. monast. disquisit. 2.* tamen aliquando accipitur pro collatione ciborum ad convivium, cùm unusquisque confert quod edat; & tunc idem est collatio ac symbolum. Divus Hieronymus *in cap. 23. Proverb.* in explicatione illorum verborum: *Vacantes potibus, & dantes symbola*; symbolum, ait, græcum nomen est, & interpretatur collatio, cùm unusquisque solet pro sua parte cibos conferre ad vescendum. Hinc symbolum fidei ita appellatur, quia quilibet ex Apostolis contulit suam partem: quare collatio, sive symbolum dicitur. Alphonsus noster *in l. 1. tit. 3. part. 1.* ibi: *El Credo in Deum, que en latin llaman Symbolum, quiere tanto dezir como bocados; esto es porque cada uno de los Apostoles dijo su palabra cierta.* Unde colligitur, non impropriè apud Gratianum loco verbi *collationes*, ex symbolis, haberi. Etiam apud Græcos dicitur hæc collatio, *Eranos*; unde legebat Alciatus *lib. 2. disput. cap. 15. Mox pecunia, quasi eranos, jussu Præsidis sublata sit*; & *in l. creditur 102. ff. de solut.* sed rectiùs legitur in Florentinis *erosa*, ut post Cujacium, Corrasium, & Osvaldum notavit Salmutius *ad memorab. Pancirol. tit. 51.* His suppositis Glossa *in dicto cap. non oportet, verbo Ex symbolis*, & Zonaras *in d. can. 55.* docent ideò prohiberi in eo textu sacerdotibus ex collatione convivia celebrare, quia indecens est de aliena substantia edere, aut bibere, juxta illud Juvenalis.

---miserum est aliena bibere quadrâ.

Sed hæc interpretatio sustineri nequit; nam credi non potest solicitos fuisse Patres, ne clerici ex aliena substantia ederent. Quare verius dicendum credo, in eo canone prohiberi convivium illud, ubi more temulentorum, & ebriorum hominum jocabatur; quod Patres ibi appellant comessationes, quæ valde exosæ fuerunt omnibus gentibus, Hebræis videlicet, Ethnicis, & Christianis. De primis constat *ex cap. 25. Deuteron.* ibi: *Si genuerit homo filium contumacem, & protervum, qui non audiat matres, aut patris imperium, & coercitus obedire contempserit, apprehendent eum, & ducent ad seniores civitatis illius, & ad portam judicii, dicentque ei: Filius noster iste protervus, & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, & luxuriæ, atque conviviis.* De Gentilibus liquet ex Suetonio *in Vitellio*, qui refert, ipsum epulas divisisse in jentacula, prandium, cœnas, ac comessationes. Martial. *lib. 12. epigram. 46.*

Non Albana mihi sit comessatio tanti,
Nec Capitolina, Pontificumque dapes.

Apulejo *apolog. 1. Habet crimen meum, quasi improbi comessatoris.* De Christianis idem docent Divus Petrus *epist. cap. 4.* Divus Paulus *ad Galat. 5.* unde à Patribus *in d. can. 55* prohibetur ex prædicta collatione, sive symbolis, aut ut compilavit Martinus Brachar. *in cap. non liceat, eod. 44. dist.* ex confertis convivia, sive comessationes facere, quia exinde ingurgitationes, & ebrietates oriebantur.

CAPUT XV.

Idem *in* (a) *eodem.*

CLerici officia, vel (b) commercia sæcularia non exerceant, maximè inhonesta; mimis, joculatoribus, & histrionibus non (c) intendant, & (d) tabernas prorsus evi-

evitent, nisi fortè causâ necessitatis, in itinere constituti. Ad (e) aleas, & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint; coronam, & tonsuram habeant [f] congruentem, & se in officiis ecclesiasticis, & aliis honestis studiis exerceant diligenter. Clausa deferant desuper indumenta, nimiâ brevitate, vel longitudine non [g] notanda: (h) pannis rubeis, aut (i) aut viridibus, nec non (j) manicis, aut sotularibus consutitiis, vel rostratis; (k) frænis, sellis, pectoralibus, & calcaribus deauratis, aut aliam superfluitatem habentibus non utantur: cappas (l) manicatas ad divinum officium intra Ecclesiam nulli gerant, sed nec alibi, qui sunt in sacerdotio, & (m) personatibus constituti, nisi justa causa timoris exegerit habitum (n) transformati. (o) Fibulas omnino non ferant, nec corrigas auri, vel argenti ornatum habentes; sed nec (p) annulos, nisi (q) quibus competat ex officio dignitatis. Pontifices autem in publico, & Ecclesia superindumentis lineis omnes utantur, nisi monachi fuerint, quos oportet ferre habitum (r) monachalem. Pallis diffibulatis (s) non utantur in publico, sed vel post collum, vel ante pectus hinc inde connexis.

NOTÆ.

(a) *Eodem.*] Concilio videlicet Lateranensi, cap. 16. ut habetur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap.* 4. & hujus canonis meminerunt Patres Conc. I. Senonensis anno 1527. *can.* 74. his verbis: *Denique juxta Concilium Lateranense pannis rubeis, aut viridibus non utantur; ab his denique abstineant, quæ in eodem Concilio continentur.* Mutasse tamen videntur Patres præsentem constitutionem à Gregorio VIII. qui universis Episcopis ita scribit *in cap.* 9. *hoc tit.* in prima collectione: *Statuimus, ut clerici clausa deferant indumenta; cappas, sive mantellis rubeis, aut viridibus non utantur, nec zendatura, vel aliud fericum pannum eis apponant; annulos non portent in manibus, nisi Episcopus fuerit, qui habeat hoc ex officio. Coronam & tonsuram habeant congruentem, ludos alearum, & taxillorum prorsus, & venatorum occupationem evitent, & se in officiis ecclesiasticis, & aliis hominis studiis exerceant competenter. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, per Episcopum suum remoto appellationis obstaculo corrigatur, & immunitatis illius interim fiat extorris, qua protectu cleri orum, & coercenda violentia laicorum noscitur instituta. Viri quoque incisas vestes ab inferiori non habeant parte; & mulieres vestibus sumptuosis, & proprii corporis longitudinem excedentibus amodo non utantur, sed in habitu honesto, & moderato incedant, qui nec lasciviam notet, nec jactantiam vanitatis ostendat. Quisquis verò vir, sive mulier talia fecerit amodo indumenta, & à communione Dominici corporis donec se corrigat, sed datur extraneus; & ecclesiasticis non sinatur officiis interesse, graviorem quoque pœnam per sacerdotis officium subiturus, si nec sic levitatem suam curaverint emendare.* Ex quo textu constat, quòd licèt in præsenti canone nulla pœna constituatur, tamen non ideo impunè negligi posse à Patribus statuta, cùm in eisdem casibus pœna indicta sit à Gregorio VIII. *in dicto cap.* 9. 1.

(b) *Officia, vel commercia.*] Officia refert Innocentius ad munera publica, ut tabellionis, procuratoris, seu tutoris; commercia verò ad negotia sæcularia, de quibus latè agemus *in cap.* 1. & 2. *ne clerici vel monachi*: & nonnulla adduxi *in can.* 19. *Concil. Illiber.* D. D. Gonzal. *in Decretal.* Tom. III. Pars I.

(c) *Non intendant.*] Juxta adducta suprà *in cap. cùm decorem* 12. *hoc titulo.* 2.

(d) *Tabernas.*) Consonant textus *in can.* 53. *Apost.* ibi: *Si quis clericus in caupona comedens deprehensus fuerit, segregetur; & cap. nulli, cap. Clerici*, 44. *dist.* Concil. Afric. sub Bonifacio 1. *can.* 7. Turonense 3. *can.* 21. ibi: *Sevandum presbyteris firmiter statuimus, ne tabernas ingrediantur comedendi, bibendive causâ: quod si post hæc statuta facere præsumpserint, canonica decernimus sententia feriendos.* Cabilon. 2. *can.* 44. Rhemense *can.* 26. Aquisgran. 1. *can.* 6. Ratisbon. *can.* 3. Mogunt. 4. *can.* 74. Theodulphus Aurelian. *ad presbyteros cap.* 13. ibi: *Observandum vobis est, ut & vos ab ebrietate abstineatis, & ut plebes subdita abstineant, prædicetis; & neque per tabernas eatis bibendo, aut comedendo.* In exceptionibus Egberti Archiepiscopi Eboracensis legitur *numer.* 18. *Ut nullus presbyter edendi, aut bibendi causâ gradiatur in tabernas.* Atque ita Julianus Apostata *epistol.* 40. Arsacio Galleciæ Pontifici scribit, ut curet, ne Sacerdotes Paganorum in taberna bibant.

(e) *Ad aleas, & taxillos.*] Consonat canon 41. Apost. ibi: *Sacerdos aleator, aut violentus, nisi desinat, deponitur.* Synodus 6. *can.* 50. lex ultima, *C. de episcop. audient.* Novella 115. *cap.* 13. quam ita vertit Julianus antecessor: *Clericus, nec tabulizet, seu aleam ludat, nec socius aleatoris sit, vel aleatores spectet, neque in quodcunque spectaculum spectandi causâ veniat.* Canon. 79. Concil. Illiber. ubi plura congessimus. 3.

(f) *Congruentem.*] Nonnulli sub nomine habitus etiam ipsam tonsuram clericalem, sive monasticam latissimâ quadam acceptione complecti voluerunt, ut videre est apud Bedam *lib* 5. *hist. Angliæ, cap.* 40. & in Concil Tolet. 4. *can.* 40. ita ajunt Patres: *Unde oportet pro amputando ab Ecclesiis scandalo, ne hoc signum dedecoris auferatur, & sit una tonsura, vel habitus, sicut totius Hispaniæ est usus.* Unde rectè in præsenti Patres dum de habitus honestate agunt, de tonsura etiam decernunt, eam congruentem à clericis esse deferendam; quibus consonat Concilium Salezburg. sub Gregorio X. ibi: *Edicto perpetuo prohibemus, ne clerici comam nutriant, maximè sacerdotes, qui tales tondeantur, ut pateant* 4.

eis aures. Cæteri inferiores clerici non multùm in tonsura discrepent ab eisdem ; coronam & desuper congruentem habeant. Synodus Ravennat. paulò post celebrata sanxit ut clerici coronam, & tonsuram deferant congruentem Rhotomag. Synodus novem post annos coacta, gravi animadversione plectendos decernit clericos minùs congruentem tonsuram deferentes. Quæ dicatur tandem tonsura congruens, ex gradu clericali, & regionis more petendum est. Triplicem fuisse olim coronæ formam, probant Pennotus *lib. 2. hist. canonic. Regul. cap. 29.* Saussay *in panopl. cleric. tit. 1. lib. 3. cap. 2.* Ex quibus usitatior est quam describunt Patres Concil. Tolet. 4. *can. 41.* ibi : *Omnes clerici, vel lectores, sicut Levitæ, & Sacerdotes, detonso superiùs toto capite, inferius solam circuli coronam relinquant.* Et Concil. Tolet. sub Sixto IV. celebrati, *can. 14.* ibi: *Statuimus ut de cætero prædicti clerici, tam conjugati, quàm non conjugati, tonsuram quantitatis unius regalis deferant ; quæ formaad circumferentium accedit minori hostiæ consecrandæ pro laicorum communione. Sensim igitur ubi tonsura excreverit, per singulos gradus ordinum, justâ mensurâ poterit presbyteralis corona ad magnitudinem hostiæ pro sacrificio consecrandæ proportionabiliter pervenire, ita ut clerici pro distinctione gradus congruentem, proprioque cujusque gradui convenientem deferant tonsuram, ut expressum fuit in Concilio Toletano à Francisco Jojosa celebrato, his verbis : Tonsura sit conspicua, non ea quidem in omnibus clericis una, sed major sacerdotalis, digitus tribus undequaque à vertice pateat ; duobus diaconalis, semidigito Subdiaconalis angustior : minorum ordinum omnium sit minima, & digito undique sit ducta.* Rationem hujus sphericæ attonsionis, diversæque formæ fusè prosequitur Saussay *d. p. 1. Panopl. cleric. lib. 3. per totum.*

§. (g) *Non notanda.*] Id est, ut talos attingat, nam vestis oblonga, venerabilis & propria est virorum sapientum. Elias Cretensis *ad orat. 4. Nazianz.* licèt in aliis viris longitudo vestimenti improbata sit, tam à Catholicis, quàm Gentilibus, ut probat fusè Theophilus Raynaud. *tom. 13. in tract. laus brevitatis, cap. 9. §. 2. fol. 514.* tùm quia vestis oblonga, præsertim fluxa, symbolum est vitæ voluptariæ. Ivo Carnot. *serm. de adulter. habit. Impudicus habitus corporis est in viris superflua & inordinata capillatura, vestimentorumque muliebrium affectata similitudo.* Nyssenus *lib. de vita Moysis : Ad hanc vitam faciendam talaris vestis & effusa, id est, voluptuosa & vitiosa vivendi ratio, quæ latissimè patet, nimiumque effunditur, impedimento est.* Aliud in oblonga veste probrum notatum quandoque deprehendo. Sic Clemens Alexand. 2. *Pædag. cap. 12. Trahere vestes ad summos usque pedes demissas, valde est arrogans & superbum, quod ambulandi actionem impedit ; cum vestis instar verriculi, quæ in soli sunt superficie, sordes secum attrahat ; ne fractis quidem & enervatis his saltatoribus, qui Cynaducam turpitudinem mutam in scenam transferunt, vestem cum tanto dedecore dissluentem despicantibus : quibus exquisitæ vestes, fimbriarumque dilationes, & curiosa figurarum numeri, illiberalem ac sordidam syrmatum mollitiem indicant.* Item creditus Prosper *lib. 2. de vita contemplativa, cap. 4.* in quibusdam sacris personis illum nævum fugillat, dicens : *Taceo de illis qui undante lapsabundi corporis motu, defluentibus in talos vestimentis incedunt, & vagis laterum fluxibus quodammodo fluctuantes, animorum dissolutionem vestigiis sinuosa nobilitate nutantibus produnt.* Prosequitur Theophilus *ubi proximè, & tom. 4. lib. 6. sect. 2. cap. 18. num. 277.* Clericorum ergo talaris vestis semper propria fuit. Matthæus Parisius *in Henrico III.* refert hoc capitulum Concilii Anglicani, ubi præsens textus confirmatur, ibi : *Quoniam de habitu clericorum, qui non clericalis videtur, sed potiùs militaris, grave scandalum laicis generatur, firmiter statuendo præcipimus, ut ad formam, tam de vestibus clericorum, quàm de ornamentis equorum, in generali Concilio editam per subtractionem beneficiorum ab Episcopis restringantur, ita quod in mensura decenti vestes habeant, & cappis clausis utantur in sacris ordinibus constituti, maximè in Ecclesia, & coram Prælatis suis, & in conventibus clericorum, & ubique in Parochiis suis, qui cum animarum cura Ecclesias susceperunt ; & ut possint Episcopi alios meliùs ad honestatem vestium, tonsuram, & coronam decentem, & equorum ornamenta idonea coarctare, provideant ut à suis clericis commensalibus hæc priùs faciant observari, habentes eos in vestibus, calcaribus, fræno, & sellis, clericalia gerentes habitum honestatis.* Cujus talaris vestis varias rationes congessit Saussay *lib. 3. panopl. cleric. cap. 1.* quî ejus usus originem repetit ab Hebræis, apud quos hujusmodi vestes talares in usu erant. Unde de Josepho legitur *Genesis cap. 37. Israel diligebat Joseph super omnes filios suos, fecitque ei tunicam polymitam.* Ubi Theologi positivi legunt, *talarem* ; nec abs re, nam infrà legitur : *Nudaverunt eum fratres ejus tunicâ talari.* Hinc zonarum usus apud ipsos, quæ adhibebantur, ne inter agendum, aut ambulandum nimium vestis ipsa talaris defluereat, esseturque motui, & operationi incommoda ; unde Angelum se præbuisse præcinctum, ut Tobiam filium in via comitaretur, refertur *cap. 5. Tobiæ*, ibi : *Invenit juvenem splendidum stantem, præcinctum & paratum ad ambulandum.* Hinc Christus ipse Apostolorum suorum pedes abluturus præcinxit se, *Joannis cap. 13. vers. 4.* & Angelus eductûrus Petrum de carcere Herodis, dixit ei : *Præcingere, & circunda tibi vestimentum tuum.* Act. Apost. *cap. 12. vers. 8.*

(h) *Pannis rubeis.*) Consonant Concilium Chalchurtens. *can. 4. Canonici vivant exemplo Orientalium, & non tinctis Indiæ coloribus, & non veste pretiosa.* Narbon. *can. 1. Hoc regulariter diffinitum est, ut nullus clericorum vestimenta purpurea induat, quæ ad jactantiam pertinent mundialem, non ad religiosam dignitatem : ut sicut est devotio in mente, ita & ostendatur in corpore ; quia purpura maximè laicorum potestate prædita debetur, non religioni.* Erat enim olim, præcipuè in nostra Hispania, magnus excessus clericorum in delatione vestis purpureæ : ut refert Sahabedra *in chron. Gothic. cap. 14. fol. 183.* Observandum tamen est Regali sacerdotio fuisse

fuisse etiam purpuram communicatam ab ipsis Imperatoribus, ut probat Sausay *lib. 4. Panopl. cleric. sect. 1. §. 2.* & Romani Pontificis beneficio idem decus sacræ purpuræ concessum fuit Legatis Apostolicis; & Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ut probat Sausay ubi suprà, *cap. 2.*

(i) *Viridi.*] Consonat Synodus Basileensis, ubi Patres in exhortatione modestiæ ita ajunt: *Vestimentis utantur prout sacri canones statuerunt; abstineant à coloribus rubeis, & viridibus.* Et infrà: *Non portent in sellis, frænis, aut pectoralibus equorum aurum, vel argentum, aut ornamenta metalli depicti, aut figurati, aut mappas sericas, seu alia ejusmodi superfluitatum; & quod ornamenta equorum sint unius coloris, non rubei, vel viridis, nec calcaribus deauratis utantur.* Facit Concil. Tolet. sub Sixto IV. *cap. 6.* extat *tom. 34. Concil. Regiæ edit. pag. 37.* Salzeburgense tempore Gregor. *can. 11.*

8. (j) *Manicis.*] Manicæ hîc accipiuntur pro chirothecis, ut in Missali vetere, quem edidit Hugo Menardus post librum Sacrament. D. Gregorii ibi: *Exuat manicas, lavetque manus.* Ubi ex Leone Hostiensi probat Menardus *fol. 362.* In Concilio Lateranensi additur, *mannis, aut sotularibus consutis, seu rostratis.* Ubi vox, *consutis*, refertur ad manicas: vox verò *rostratis*, ad calceos, seu sotulares. Consutitias autem Pontifex appellat manicas eas, quæ vel partim fimbriis, partim fasciolis, veluti quibusdam quasi virgulis, & funiculis nunc holosericis, aut similibus ornantur, vel quæ diversis ex panniculis, atque discoloribus pictatiis consuuntur, quæ vestes in Clementina 2. *hoc tit.* dicuntur virgatæ, & partitæ apud nos, *maticadas, ò vardadas.* Rostratos autem sotulares dixit Pontifex, vel unicò longo rostro protensos, vel lunatos, aut cornutos. Facit Synodus Basil. in prædicta admonitione ad clericos, quæ extat in appendice post sessiones, *pag. 555.* ibi: *Nullus poriet corrigias auri, vel argenti ornatum habentes, vel caligas solutas.* Et in dictâ Toletana Synodo, *tit. 5.* legitur: *Nec virides vestes induere, aut caligas ejusdem coloris, aut sotulares albos, vel rubeos, nisi cum nigris desuper sotularibus duntaxat calceare de cætero præsumant.* Et quia posterioribus his sæculis in Gallia magnus erat excessus clericorum circa indumenta pedum, ut Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis conqueritur his verbis: *Quid est, quod quarundam Ecclesiarum Canonici calceis rostrati, vestibus accurati, abjecto clericali habitu militarem assumunt?* Ideo in variis Synodis provincialibus similes excessus reprehensi fuerunt, ut in Synodo Senonensi *can. 24.* ubi statuitur: *Ne clerici lunatis, seu cornutis, aut nimis fenestratis calceis utantur.* Et in Synodo Narbon celebrata anno 1551. ita cavetur: *Vestes, & caligas gerant integras, non variegatas, nec incisas, quæ laicorum inconstantiæ, & levitati, quam clericorum gravitati magis conveniunt.* In Synodo Rhemensi celebrata sub Sixto V. *sess. 8. sub tit. de clericis*, ita legitur: *Veste ecclesiastica, eaque talari ac decenti utantur omnes clerici, nec sine illa pallium breve, aut longum deferant, aut unquam procedant in publicum; nec crispatis indusiis, vel arte scissis caligis, dissolutorum laicorum personas referant.* In Synodo Aquensi anno 1585. ita cavetur: *Caligis non turgidis, neque dissectis, calceis quoque non incisis utantur.* An tamen prioribus Ecclesiæ sæculis clerici, & cæteri fideles nudis incederent pedibus, examinat latè Lantdmeter. *lib. 1. de veteri clerico, cap. 16. 17. & 18.*

(k) *Frænis, sellis, pectoribus.*] Pertinent hæc 9. ad clericorum equitationem, quam nolunt Ecclesiæ Patres esse pomposam; nam pectoralia hîc intelliguntur equorum. Olim enim oriæ, & phaleræ equorum gemmis, tanquam stellulis illuminabantur, nec solùm hæ, sed etiam balthei, & equestres sellæ. Virgil. *lib. 7. Æneid.*

Aurea pectoribus demissa monilia pendent.

Gellius *lib. 5. cap. 5.* ait: *Equitatumque frænis, ephippiis, monilibus, phaleris præfulgentem.* Idem Macrobius *lib. 2. cap. 2.* & Salisbar., *Policrat. lib. 6. cap. 19.* Apulejus *de Deo Socrat. Nec enim in emendis equis, phaleras consideramus, & balthei polimina inspicimus, & ornatissimæ cervicis divitias contemplamur, si ex argento, & auro, & gemmis monilia, variæ gazæ dependent; si plura artis ornamenta capiti, & collo circumjacent, si frena cælata, si ephippia fucata, cingula aurata sint, &c.* Claudianus *de 4. Consulatu Honorii:*

Turbantur phaleræ spumosis morsibus, eurum
Fumat, anhelantes assudant sanguine gemmæ.

Idem *epigr. de phaleris equi Regii.*

Dumque auro phaleræ, gemmis dum frænaque renitent.

Idem *de equo Honorii:*

---- & crine superbus
Erecto virides spumis perfunde smaragdos;
Luxurient tumidis gemmata monilia collo.
Nubilis auratos jam purpura vestiat harmos.

In hanc rem singularis est lex unica, *C. nulli licere in frænis equestribus, sellis, & in baltheis margaritas & smaragdos, & hyacinthos aptare:* nec non Novella 81. Leonis Guntherus *Ligur. 4.*

Gemmatosque lupos, & fulvum mysticæ aurum.

(l) *Cappas manicatas.*] In Decretis Concilii 10. Eboracensis apud Hobedenum *part. posteriori annalium*, legitur: *Præcipimus etiam, ut Sacerdotes non cappis manicatis incedant, sed in vestibus suo ordini congruis.* In Synodo Londin. habita anno 1200. legitur: *Clerici omnes habeant habitum clericalem, & tonsuram canonicam: Archidiaconi autem, & in dignitatibus constituti alii, & presbyteri cappis manicatis non utantur;* ut emendat Sausay *p. 2. Panopl. lib. 1. §. 10. fol. 487.* Manicæ sunt extremitates vestis, quibus teguntur manus. Virgilius *lib. 9. Æneid.*

Brachia manicæ velant extrema capaces,
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Veteres utebantur tunicis eâ formâ, quâ hodie sunt dalmaticæ Diaconorum, & Subdiaconorum, id est, quæ ante pectus integræ sunt sine jugulo, scissæ à lateribus, in quibus manicæ cubitum non excedebant, nec ultra genua extendebantur. Demùm cœperunt tunicas manicatas

nicatas gestare. Divus Augustinus *lib 3. de doctrina christiana, cap.12.* ibi: *Sicut talares, & manicas tunicas habere, apud Romanos veteres flagitium erat, nunc autem honesto loco natis, cùm tunicati sunt, non eas habere flagitium est.* Quæ vestis dicebatur *collobium.* Servius *ad illud Virgilii 9. Æneid.* Tunicæ manicas, ibi: *Tunicæ vestræ habent manicas*; quod etiam Cicero vituperat dicens: *Manicatis, & talaribus tunicis; nam collobiis utebantur antiqui.* Quæ totidem verbis refert sanctus Hieronymus *in Hebraicis quæstionib.* Nicetas *Thesauri orthodoxi lib. 1. cap. 39. Dalmatica, quæ nunc collobia dicuntur, purpuraque prætexuntur, induti, phylacteria sua ostendebant, breves nimirum chartulas, quibus inscripta lex erat; quas illi pretiosis fascis ornatas, auroque distinctas, tanquam Judæorum Magistri deferebant.* Plura de collobio congesserunt Valesius *in notis ad Marcellinum, fol. 45.* Bulengerus *lib. 1. opusc. cap. 22.* Meursius *in Glossario, verbo Collobium.* Zerda *in adversi cap. 22. fol. 15.* In præsenti ergo prohibetur presbyteris cappas manicatas in divinis officiis deferre; cum cappis verò propriis Ecclesiæ ministrante Episcopo, ipsum præcedere debent, ut ex veteri ordine Romano probat Vicecomes *de ritibus Baptismi volum. 4. lib. 5. cap. 2. per totum.*

(m) *Personatibus.*] Personatus quid sit in Ecclesia, exposui *in cap. ad aures, de rescript.* 11.

(n) *Transformari.*] Quem vestium abusum, præcipuè indutis vestibus alterius sensûs, magnopere legislatores improbarunt. Philo Judæus *de fortitudine*, ibi: *Voluit lex virum in vestitu se, ut virum decet, gerere, quem cùm die, nocluque circumferat, talis esse debet, ut eum semper decoris, honestatisque admoneat. Sic & mulieres ornans pro dignitate, vetat virilem vestem sumere, longè submovens effœminatos viros, tum plus æquo viriles fœminas.* Lex *Quintus 23 ff de auro & argent.* ibi: *Quod sine vituperatione vir non facilè utitur muliebribus.* Legem refert Josephus *lib. 4. antiquit.* illis verbis: *Cavete autem maximè in bello, ut neque mulier habitu virili utatur, nec vir stola muliebri.* Caput 67. *dist. 30.* De his transformationibus ita ait D. Hieronymus *epist. 8. Alia virili habitu veste mutatâ erubescunt esse quod natæ sunt. Contra naturam, immò ultra naturam est, non exercere quod nata sis.* Plura congerit Gentilis *in libel. de actoribus fabul. cap. 4. §. & 6.* & clericos, aut monachos non debere vestes proprias abjicere, aliasque deferre, probavi suprà *in cap. Deus:* rectè tamen ajunt Patres in præsenti, nisi justa causa timoris exegerit, habitum transformari, ut contingit in specie textus *in d. cap. Deus:* Inde factum matris Achillis sæpius laudatur, quæ eum vestiit muliebribus, ut fastum fugeret Troicum: commendarunt Ovidius *lib. 1. de arte.*

Turpe, nisi hoc matris precibus tribuisset Achilles,
Veste virum longâ dissimulatus erat.

Tertullianus *de pallio*, ibi: *Feras in puero matris solicitudinem.* Statius 1. *Achil.* unde licitè, tam clerici, quàm religiosi, ad Turcarum, similesque provincias profecti pro fide propaganda prædicatione; rectè possunt habitum proprium deserere, & in sæculari incedere, ut hodie contingit in Anglia, & Hibernia, cùm absque periculo vitæ ibi proprium habitum deferre nequeant.

(o) *Fibulas.*] Fibulæ magis ad ornamenta quàm ad vestes accedunt, *l. 25. §. item fibulæ, ff. de auro & argent.* Vincula enim magis sunt, quàm gestamina. Plinius *lib. 33. cap. 1.* ibi: *Fibulas, & alia muliebris cultus; fibulis utique veteres vestes adstringebant, & subnectebant.* Virgilius 1. *Æneid.* 12.

Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Ovidius *lib. 8. metamorph.*

Rasilis huc summam mordebat fibula vestem.

De his fibulis Juvenal. *satyr. 6.*

Solvitur his magno comœdi fibula;
Si gaudet cantu, nullius fibula durat.

Martialis *lib. 7. epigr. 81.*

Menophili penem tam grandi fibula vestit,
Ut sit comœdis omnibus una satis.
Dum ludit medià populo stectante palestrâ,
Delapsa est misero fibula, verpus erat.

Quod epigramma doctè exponit Mercurial. *lib. 1. var. cap. 19.* Unde dum in præsenti prohibetur clericis fibulas, & corrigias auri, vel argenti ornatum habentes deferre, habitus pompositus vix laicis opulentioribus relinquendus interdicitur: notavit P. Faber *lib. 1. semestr. cap. 16.* 12.

(p) *Annulos.*] Immò annulos gestare magno in honore semper fuit, & tam viris, quàm fœminis nota ingenuitatis *l. etiam*, & per *tot. tit.* Dig. *de jur. aure annul.* junctis suprà congestis *in cap. final. de servis non ordin.* Et annulorum usum perantiquum esse liquet *ex cap. 38 Geneseos*; ubi refertur Judam Patriarcham annulum gestasse: & *cap. 41. vers. 42.* refertur de Rege Ægypti: *Tulit annulum de manu suâ, & dedit in manus Joseph*: & *cap. 31 Numeror. 10. Esther, cap. 3. Isaiæ, cap. 6. Daniel.* & apud Lucam de filio prodigo *cap. 15.* legitur: *Dixit pater ad servos suos, Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manus ejus.* Sed inter Christianos fuisse Apostolorum ævo, qui gererent annulos in manu suâ, probat insignis locus epistolæ S. Jacobi, *cap. 2. vers. 2.* ibi: *Si introierit in conventum vestrum vir annulum aureum habens in veste candida, &c.* notarunt Sussay *in Panopl. Episc. lib. 3. per tot.* Elias Schedius *de Dis Germ. cap. 7. fol. 273:* est enim annuli præcipuus finis ad signandas tam epistolas, quàm alias legitimas scripturas; legimus enim *lib 3. Regum, cap. 21.* ab Jezabel litteras scriptas, & obsignatas annulo ejus fuisse. Sic Esther 8. pia illa Regina, cùm salutaria edicta pro populo suo dirigi per provincias à Rege Assuero postulasset: *Scribite*, inquit Rex, *Judæi sicut vobis placet, Regis nomine signantes litteras annulo meo.* Hæc enim consuetudo erat, ut epistolis, quæ ex Regis nomine mittebantur, & illius annulo signatæ erant, nemo auderet contradicere. Non longè ab hoc alludit more quod proditum memoriæ reperitur *Daniel. 6. Allatumque est lapis unus, & positus est super os lacci, quem signavit Rex annulo suo, & annulis optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem.* Cui fore æquiores, ac beniguiores leones, quàm homines sperabat. Iterumque *cap. 14. Rex claude ostium, & signa annulo tuo.* Et infrà: *Egressi clauserunt ostium, & signantes annulo Regis, abscesserunt.* Signatorium hujusmodi annulum moriturus Rex Antiochus fideli Philippo tradidit, *lib. 1.*

lib. 1. Machab. cap. 6. In novo etiam Testamento vestigium extat hujus moris, *cap. 27. Matthæi*, ubi Phariæi acceptâ à Pilato licentiâ, munierunt Christi sepulchrum, signantes lapidem. Et apud Romanos, aliàsque nationes annulos deferri, præcipuè ad signandum, probavi *in cap. 6. de fide instrum. cap. illud, de præsumpt.* quâ ratione negat Paulus annulum inter ornamenta contineri, *l. signatorium 74 ff. de verb. signif. l. argumento, ff. de auro & argent.* Plura de annulis congesserunt Kochler *in face hist. cent. 2. cap. 12. & 97.* Henricus Kdechius *de jure aur. annuli.* Igitur nulla est ratio prohibendi clericis annulos deferre. Sed respondendum est, in præsenti prohiberi clericis deferre annulos, quia vitæ clericalis gravitas, atque modestia cunctos ornatus externos hujusmodi respuit. Unde cùm jam temporibus Innocentii III. non ad signandum; sed ad ornatum annuli deferrentur, ideò inter alios corporis ornatus, & externos in præsenti damnatos, etiam annulorum gestationem in clericis Patres improbarunt.

(q) *Quibus competit ex officio.*] Ut Episcopis. Concil. Tolet. 4. *can. 27.* ibi: *Si Episcopus est, oratorium annulum, & baculum coram altari de manibus Episcoporum recipiat.* D. Isidorus Hispalensis *lib. 1 de Eccles. offic. cap. 5. Datur annulus propter signum Pontificalis honoris, vel signaculum secretorum: nam multa sunt, quæ carnalium. minusque intelligentium sensibus occultantes sacerdotes, quasi sub signaculo abscondunt, ne indignis quibusque sacramenta Dei aperiantur.* Author Ordinis Romani, ubi de Episcopi consecratione agit, *tit. quando detur annulus*, ibi: *Accipe annulum discretionis, & honoris, fidei signum, ut quæ signanda sunt, signes; & quæ aperienda sunt, prodas* Innocentius noster *lib. 1. myster. Missæ, cap. 10.* ibi: *Novem autem sunt ornamenta Pontificum specialia; videlicet Caligæ, Sandalia, Succinctorium, Tunica, Dalmatica, Mitra, Chirotheca, Annulus, & Baculus.* Rationes hujus delationis annuli in Episcopo reddiderunt Rupertus Abbas *lib. 1. de divin. offic. cap. 25.* ibi: *Latius autem significatio prædicti extenditur annuli, qui dum omni Ecclesiæ sanam doctrinam, & fidem integram prædicat, velut oppignoratam annulo sponsam Christo subarrhat.* Innoc. PP. III. *lib. 1. myster. Missæ, cap. 61. Annulus est fidei sacramentum, in quo Christus sponsam suam sanctam Ecclesiam subarrhavit, ut ipsa de se dicere valeat: Annulo suo subarrhavit me Dominus meus, id est, Christus, cujus custodes, & pædagogi sunt Episcopi; & Prælati, annulum pro signo ferentes in testimonio.* Quas latè illustrant Saussay *in Panopl. Episc. lib. 5. ex cap. 1.* Vicecomes *de ritibus Missæ, volum. 4. lib. 3. cap. 38.* ubi de materiâ; & formâ ipsius annuli, ejusque mysticis rationibus latè agunt. Abbatibus etiam, quibus jus Pontificalium concessum est, licet annulos deferre: quod tamen non admittebat D. Bernardus, ut ipse testatur *in epist. ad Henricum Senonensem Archiepiscopum*, ibi: *Verùm aperte indicant quidam horum, quid cogitent, dum multò labore, ac pretio Apostolicis adeptis privilegiis per ipsa sibi vindicant insignia Pontificalia, utentes & ipsi more Pontificum mitrâ, annulo, atque sandaliis. Sanè si attenditur rerum dignitas, hanè monachi abhorret professio; si ministerium, satis longè quæ congruere Pontificibus.* Et ibidem paulò ante: *Quid hoc est præsumptionis, o monachi! neque enim quia Prælatis monachis, ideo non monachi; nempe monachum facit professio, Prælatum necessitas; hæc autem non præjudicet, necessitas professioni accedat, non succedat prælatio monachatui.*

(r) *Habitum monachalem.*] Quem gestare Episcopus religiosus tenetur sub pœna peccati læthalis, ut ex cæremoniali Clementis VIII. probant plures congesti à Barbosa *de potest. Episc. p. 1. tit. 1. cap. 14.* Sosa *in Epist. Relig. num. 39.* quod & ante Innocentium III. obtinuerat, ut referunt Sulpitius Severus de vita Martini: *Jam verò sumpto Episcopatu, qualem se, quantumque præstiterit, non est nostræ facultatis evolvere. Idem enim constantissime perseverabat, qui prius fuerat. Eadem in corde ejus humilitas, eadem in vestitu ejus vilitas erat: atque ita plenus auctoritatis, & gratiæ implebat Episcopi dignitatem, ut non tamen propositum monachi, virtutemque desereret.* Ferrandus in vita sancti Fulgentii, *cap 18. Nec ita factus est Episcopus, ut esse desisteret monachus: sed acceptâ Pontificis dignitate, professionis præteritæ servavit integritatem; servata verò professionis integritas, plus ornavit Pontificis dignitatem.* Petrus Abaillardus S. Bernardi coætaneus; & æmulus, *serm. de S. Joanne Baptista: Cùm evenerit* (inquit) *ut quispiam ex Monachis ad Episcopatum assumatur, nequaquam is, qui Episcopus factus est, &c. habitum religionis mutat.* Huc illud spectat Sidonii ad Faustum Regiensem Episcopum ex Abbate Litinensi *lib. 3. epist. 9. Nihil ab Abbate mutatus per sacerdotem; quippe cùm novæ dignitatis obtentu rigorem veteris disciplinæ non relaxaveris.* Id ipsum piè laudat in B. Eusebio Vercellensi D. Ambrosius *epist. 82.* Hinc capit. Caroli Magni *lib. 1. capit. 27. Monachus si ad clericatum provehatur, propositum monachi a professionis non amittat.* Vide Petrum Cluniac. *lib. 5 epist. 27.* Qui mos etiam nunc in Ecclesia perdurat, & probatur in Concilio Aquisgran. sub Carolo; *cap. 27.*

(s) *Palliis diffibulatis.*] Omissis variis pallii acceptionibus, quas congerunt Pamelius, Zerda, & Ambianas *ad Tertull. de pallio*, Vicecomes *volum 4 lib. 4. de ritibus Missæ, ex cap. 1.* & nos *in cap. 1 de authorit. & usu pal.* pallium accipitur pro veste vulgari, tam apud Hebræos, & Gentiles, quàm Catholicos usitata. De pallio Judaico expressum extat Scripturæ monimentum, *Numer. 15. vers. 38.* Loquere, ait Dominus, ad filios Israël, & dices ad eos, ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in his vittas hyacinthinas, quas cum viderint, recordentur mandatorum Domini. Gestasse Christum ejusmodi pallium cum fimbriis, patet ex hoc Sancti Lucæ testimonio: *Mulier accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti ejus, & confestim stetit fluxus ejus sanguinis: &* cap. 8 *vers. 44.* à Samaritana cognitum fuisse Dominum ex habitu, videlicet fimbriis illis ex pallii inferiori ora dependentibus. D. Chrysostomus *homil. 30. in Joann.* Epiphanius *hæresi 15.* De pallio vulgari; quod primum Græcorum gestamen erat, agit Tertul. *integro libro de pallio*; & de pallio Christianorum plura congessit Baronius *anno 57.* Hoc pallium vulgare jubent Patres Concil. Lateran. in præsenti ut non defe-rant clerici diffibulatum ex nimio ornatu, & luxu, juxta morem laicorum, sed cùm honestate & modestia post collum; vel ante pectus hinc inde connexum deferant, ne vestes eorum interiores, eædemque strictiores in publico hominum pateant conspectui. Circa pallii usum

accipe lector ex sacris canonibus clericis nonnullas præscriptas leges. Synodi Suessionensis ante annos 900. celebratæ, *can.* 3. est: Ne clerici habitum laicorum portent, id est, sagis, aut brevibus pallis non utantur. Parisiensis sub Odone: Cappas latas, & vestes inordinatas non deferant; sine congruo amictu non procedant, scilicet cappa, vel pallio: *cap.* 8. *articul.* 13. Eboracens. sub Cœlestino III. *decret.* 6. *Statuimus, ut clerici, qui ab Episcopo coronam susceperunt, habeant & tonsuram, &c. non in cappis manicatis incedant, sed in vestibus suo ordini congruis; ut sicut cæteris dignitate præeminent, sic plenius & formam, & exemplum exhibeant honestatis.* Londinensis sub Gregorio IX. *Formiter statuimus præcipiendo, &c. ut in mensura decenti vestes habeant, gerentes in omnibus habitum honestatis.* Ravennat. 3. *rubric.* 10. *Statuimus, & mandamus pro honestate habitus clericalis, ut vestimenta sint eorum talaria, &c.* Ravennatensis 4. sub Joanne XXI. *cap.* 6. *Tabardos* (genus pallii est) *seu cappas deferant suo ordini congruentes.* Toletani Concilii eodem ferè tempore habiti, *cap.* 2. *Statuimus, quod nullus clericus supertunicale, vel tabardum ita longum deferat, quod etsi ad pedes contingat, nullatenus tamen per terram trahatur, cùm hæc non honestas, sed superfluitas, & indecentia censeatur.* Clericus verò, qui contrafecerit, *supertunicale ipsum, seu tabardum ipso facto amittat. Caveant clerici ne ferant mantellos, seu chlamydes cum cordis, &c. nimis breves.* Concilii Palentini anno 1388. *rubric.* 3. *Vestem superiorem non virgatam (seu variegatam) aut ibi partitam.* Martini V. in Concilio Constantiensi, *sess.* 43. *Decretum promulgatum est, quo clericos execratur, qui spretâ in vestibus forma ecclesiasticæ honestatis, delectantur esse deformes, dum cupiunt laicis conformari, tam in formis, quàm coloribus vestium.* Concilii Basileensis mandatum est ad clericos: *Ut quilibet incedant pudicis oculis, cum modestia & gravitate; vestimentis utantur, prout sacri Canones statuerunt; abstineant à coloribus splendidis, &c. Vestimenta deferant talaria.* Leo X. in Bulla reformationis Curiæ, in Concilio Lateran. promulgata: *Vestes,* inquit, *colorum gestent, qui clericis à jure non prohibentur, usque ad talos saltem demissas,* &c. Senonense Concilium anno 1528. habitum, *tit.* 24. *Vestes eorum sint talares, non fronciatæ, aut partitæ, nec nimiâ amplitudine superfluæ, nec plus æquo constrictæ, in quibus clericalis honestas, & modestia, non fastus, & jactantia, vel elationis vitium deprehendatur.* Sacrosanctum Concilium Tridentinum *sess.* 14. *Gravi correctione perstringit clericos, qui vestes publicè laicales deferre non verentur, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus: hosque pœnis canonicis præcipit coerceri,* juxta latam à Clemente V. in Concilio Viennensi sanctionem, quæ incipit, *Quoniam innovando.* Concil. Mediolan. 1. *tit. de clericorum habitu, art.* 14. *Toga,* ait, *quod mantellcium vocant, aut aequetur cum tunicæ longitudine, aut nemini permittatur,* &c. *Interior ejusdem generis ad talos demittatur.* Et *articul.* 16. *Pallium, quod ferraiolum appellant, non ferant, nisi per pluvias, &c. Neque eo sine talari toga, aut tunica utantur.* Concil. Narbon. coactum anno 1551. *Decenti,* inquit, *indumento, nempe talari veste incedant ornati, nisi forte urgentia negotia curaturi, gradum accelerent; tunc enim saltem ad genua demissam aquam est eos deferre: præterea quæ in rugas contracta non sit, neque serico, neque bombycino limbo, vel assuto,* &c. Concilium Rhemense anno 1583. habitum, sub syntagmate *de Clericis in genere, sect.* 8. *Præterea,* ait, *vestes ecclesiasticâ, eaque talari, ac decenti utantur omnes clerici, nec sine illa pallium, &c.* Aquense actum anno 1585. ubi de vita & honest. Cleric. *Vestem exteriorem quidem talarem (id est, pallium oblongum) interiorem autem (scilicet tunicam) saltem usque ad tibiæ medium: quæ talaris in civitate utraque esse debeat; in itinere verò breviorem permittimus, sed ne omnino supra genua vetamus.*

COMMENTARIUM.

EX hac Concilii Lateran. constitutione sequens communiter deducitur assertio: *Clerici à vestibus fluxis & pomposis, habitu inhonesto & nimio ornatu debent se abstinere.* Probant eam textus *in cap. clericus* 8. 41 *dist. cap. clerici* 22. 23. *dist. cap. parsimoniam* 5. 41. *dist. cap. quicunque* 6. 23. q. 8. *cap.* 1. *& sequenti* 21. q. 4. *cap. non liceat* 32. *dist. Clement.* 2. *de vita & honest. Cleric.* Concilium Matiscon. 1. *can.* 15. Synodus 6. *can.* 27. ibi: *Nullus eorum, qui in clerici catalogum relati sunt, vestem sibi non convenientem induat, nec in civitate degens, neque iter aggrediens: sed utatur vestibus, quæ his, qui in clerum relati sunt, attributæ fuere; si quis autem tale quid fecerit, una septimana segregetur.* Synodus 7. *can.* 16. ibi: *Omnis jactantia & ornatus corporis est à Sacerdotis ordine & statu alienus. Episcopos ergo, vel clericos, qui se splendidis, & insignibus vestibus exornant, se corrigere oportet; sin autem permanent, supplicio tradi.* Eugenius III. in Concilio Rhemensi *can.* 2. *Præcipimus, ut tam Episcopi, quàm clerici, neque superfluitate, seu inhonesta varietate colorum, aut scissura vestium, ne in tonsura, intuentium, quorum forma, & exemplum esse debent, offendant aspectum; sed potius ita in suis actibus errata condemnent, & amorem innocentiæ conversatione demonstrent, sicut dignitas exigit ordinis clericalis: quod si moniti ab Episcopis suis infrà quadraginta dies non obtemperaverint, ecclesiasticis beneficiis eorundem Pontificum authoritate priventur,* &c. Nannet. *can.* 1. *Nullus clericorum vestimentâ purpureâ utatur, quæ ad jactantiam pertinent mundialem, non ad religiosam dignitatem: ut sicut est devotio in mente, ita & ostendatur in corpore.* Matiscon. *can.* 5. *Nullus clericus sagum, aut vestimenta, aut calceamenta secularia, nisi quod religionem deceat, induere præsumat; quod si clericus, aut cum indecenti veste, aut cum armis inventus fuerit, à seniore ita coerceatur, ut triginta dierum inclusione detentus, aqua tantum, & modico pane diebus singulis sustentetur.* Metense *can.* 3. *Nemo clericorum arma portet, vel indumenta laicalia induat; id est, cottos, vel mantellos sine cappa non portet, & laici cappas non portent.* Concilium Magunt. celebratum anno 1549. *can.* 74. ibi: *Intendat Prælatus, ne his quibus præest, torques aureos publicè in Ecclesia, aut vestes varii coloris, velut virgatas, & fimbriatas, aut discissas deferant, sed longis atque talaribus utantur.* Triburiense *can.* 27. Bracharense 1. *can.* 11. D. Basilius *homil.* 24. (quæ est de legendis libris Gentilium) *Comarum, aut vestium extra necessitatem curam gerere, aut infelicium est, ut ait Diogenes, vel injustorum.* Et D. Hieronymus *epist.* 2. *ad Nepotianum, cap.* 11. *Vestes pullas æquè*

16. *Conclusio traditur, & probatur.*

æquè decora ac candidas; *ornatus, aut sordes pari modo fugienda sunt, quia alterum delitias, alterum gloriam redolet.* Illustrat Barbosa *lib. 1. jur. eccles. cap. 40. num. 28. & sequent.* Petrus Gregorius *lib. 4. partit. juris canonici, tit. 8. cap. 2. integris scholiis*, Petrus Bollo *in sua œconomia can. 1. class. cap. 4. §. 4.* Gonzales *ad regul. 8. Cancel. glos. 15. num. 56.* Cenedo *de disciplin. cleric. § 16. à num. 12.* Serlogus *in cantica tom. 3. vestig. 32. pag. 288.* Sanchez *de matrim. lib. 7. disput. 46. num. 4.* Acunna & Bellamera *in dicto cap. non licet 32. 13. dist.* Chopinus *lib. 13. de sacra polit. tom. 2. num. 4.* Pancirola *lib. 1 thesaur. var. cap. 21.* Covar. *practic. qq. cap. 31. num 7.* Vivar. *de veteri mon. lib. 2. cap. 11. §. 3. num. 39.* Garcia *in summa tract. 1. difficult. 2. dub. 1. punct. 1.* Sausay *p. 2. Panopl. cleric. lib. 1. per totum.* Barbosa *de potest. Episc. alleg. 9.* Lantdmeter. *lib. 1. de veteri cleric. p. 1. cap. 19. & 21.* P. Henao *de sacrif. Missæ tom. 2. disput. 27. sect 4. num. 26.* Petrus Barrientos *in cap. prohibite, num. 17. 23. dist.* Fabrotus, Boërius Epon, & Cujacius *in præsenti.* Buseus, *de statibus hominum, verbo Clericorum*, Acunna *in princ. 41. dist.* Savarus *ad Sidon. lib. 4. epist. 24. verbo Habitus*, Scortia *lib. 2. de sacrif. Missæ, cap. 8.* Ronsel. *lib. 8. hist. Pontif. jurisd. cap. final.* Florens & Altessera hîc.

17. Integumentum malitiæ sexus.

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti consideratione; nam convenit clericorum honestati, ut dignitatem ordinis sui tueantur, quæ quodammodo veste augetur. Quintilianus *lib. 8. in proœm. Cultus concessus, atque magnificus addit hominibus, ut græco versu testatum est, auctoritatem.* Unde Tertullianus *lib. de pallio*, judices, custodesque dignitatis habitus vocat; & Plinius 2. art: *Licèt rectè non augeatur dignitas, ornatur tamen, & instruitur.* Itaque narrat Sulpitius Severus de vita Sancti Martini, ex Episcopis ad deligendum Antistitem evocatis quosdam in Martinum non consensisse, dicentes scilicet, contemptibilem esse personam, indignum esse Episcopatu hominem victu despicabilem, veste sordidum, crine deformem. Idem scribit Paulinus 2. de vita sancti Martini. Quod licèt ad vestis monasticæ, & capillorum sorditiem ex incuria contrahi solitam pertineat, non nihil tamen juvat ad cultum commendandum. Accedit, nam pertritum proverbium est, ex Græcis corrivatum fontibus: Habitus non facit monachum, & Plutarchus ait, Philosophum non facit prolixior barba, nec vestis pertrita. Eleganter D. Hieronymus *in epist. ad Oceanum*, relatus in Concilio Aquisgran. *can. 58.* ibi: *Non vestis tenera clericum facit, aut sacerdotem, sed casta mentis intentio.* Igitur si bonus est clericus, parum interest sordidas, an splendidas deferat vestes. Facit exemplum Divi Basilii, quem teste Amphilochio in ejus vita, propter vestium in æde sacra splendorem, comitantiumque turbam, vel stipantium catervam, piissimus atque sanctissimus alioquin eremi cultor Ephrem vix persuadere sibi poterat initio, cùm hominem sic incedentem videret, sanctitatis esse tantæ, quantæ perhibebatur, donec accedentibus miraculis, linguam legentis Basilii (cujus visendi, salutandique causâ venerat è valde longinquo) relucentem, vidisset instar ignis, præ fervore nimirum spiritus, ac admirabili mentis in Deum erectione; semetipsumque quantumlibet ignotum alioquin, à Basilio per proprii nominis expressionem accersiri, & ad chorum invitari experiretur: erat enim in angulo templi ultimo. Quibus visis Ephrem vir ipse sanctissimus obstupuit, atque Basilium vere sanctum esse apud interpretem, eundemque socium suum, prolixè protestatus est; impetrato simul, & quidem extempore per miraculum planè stupendum idiomatis Græci (cujus ad illud usque tempus fuerat prorsus ignarus, ut ratione Syrus) intellectu plenissimo: locum facientibus hisce duobus viris Apostolicis dicto huic Evangelico: *Linguis loquentur novis.* Marci *cap. ult.*

Quæ dubitandi ratione non obstante vera est præsens decisio, in qua variæ vestes, quæ laicis permittuntur, in clericis improbantur, ut status, & dignitatis discrimen dignoscatur; id quippe inter plures gentes frequentissimum reperio. Evolve in hoc, si lubet, Romanorum annalia, ubi id fuisse maxima olim curâ, inviolabilique lege cautum habebis, ut omnes pro personæ, & officii dignitate, statuque, quem gerunt, modò hac, modò illa inducerentur veste: sic prætextam togam quisque honoratus, & nobilis habebat, quam pueri patricii aliquando purpuream induebant; libertinis autem & peregrinis eâ veste uti nequaquam licuit; erat enim purpura pro majestate, maximeque Patritium ordinem à plebe dividebat. Ex quo fluxisse videtur, ut facilè colligere poterit criticus *in l. 2. C. de vest. holob. lib. 11.* ibi: *Nisi hi tantummodo, quibus hoc propter imperiale ministerium concessum est*, ut plebeji purpura indui non potuerint, sed penula uterentur, veste in modum civili, eo quod esset frigidioribus apta. Sic Horatius *epist. 12.* ibi. 18. *De dictione habitus.*

Incolumi Rhodos, Mitylene pulchra facit,
quod
Penula solstitio campestre nivalibus auris
Per brumam Tyberis soxtili mense cavimus.

Penulâ verò Imperatores uti non decebat: hinc etiam prætextam togam Ædiles, Quæstores, & qui Magistratum gerebant, & honores, veluti honoris ornamentum insigne induere soliti erant. Ita Tullius in oratione post reditum: *Ille*, inquit, *unguentis oblitus cum toga prætexta, quam omnes Prætores, Ædilesque tum abjecerant, irrisit squallorem vestrum, & luctum gravissimæ civitatis.* Inter Patricios autem, & Senatores tunicâ latiore purpura efficiebat discrimen, quæ laticlavus ideo appellabatur, quòd in ea aureus clavus affigeretur, ut Patritiorum ordinem à Senatoribus decerneret. Sic Martial. *epigr. 17. in Gelliam lib. 5.*

Dum te posse negas, nisi lato Gellia clavo
Nubere: nupsi te, Gellia, cistifero.

Mansitque diu constitutum Romæ, ut servi ingenuorum veste non uterentur, ut nec annulo aureo liberti usque ad decisionem. Authent. *ut liberti de cætero aureo non indigeant annulo.* Hinc nec colobia, nec calceos habebant, quæ liberis permittebantur. Apud Medos autem, Persas, Armenos, ac Lydios Reges, in signum majestatis purpurea quadrangulari veste amiciebantur; sic apud Historiographos invenio, Quintum Curtium *lib. 3.* Strabonem *lib. 15.* Herodòtum *lib. 7.* Ergo si tot gentium moribus vestis ad differentiam personæ, & dignitatis diversa est, & aliter Principes, aliter Patricii, aliter Plebeji, ut latiùs illustrant Pancirola *lib. 1. var. cap. 21.* Petrus Gregorius, & Chopinus suprà relati; ita etiam

etiam clerici diversis vestibus ac laici uti debent.

19. *Traditur ratio decidendi.*

Cùm ergo laicalium vestium luxus, & cultus superbus usque adeò insanos jam inde conspurcavisset clericos, ut nec fulgidioribus, nec floridis amictibus parcerent, utpote undulatis, partitis, variegatis, purpureis, viridioribus, segmentatis, & holosericis (de quibus & specialiter agere supersedeo) immò in dies insaniores fastus pompas adinvenirent, quorum insaniam & abusum plures sancti Patres detestavere, & præ aliis D. Hieronymus ad Eustochium *de custodia virginitatis*, his verbis: *Sunt quidam mei ordinis, quibus omnis cura est in vestibus, si bene oleant, si pes lixa pelle non polleat, crines calamistri vestigio rotantur, digiti annulis radiant, & ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt vestigia summa: tales cum videris, sponsos magis existimato, quàm clericos.* Et D. Bernardus *lib. 3 de consideratione*, ad Eugenium: *Quid sibi vult* (inquit) *quod clerici aliud esse, aliud videri volunt? Id quidem insolitum, minusque syncerum, nempe habitu milites, quæstu clericos, actu neutrum exhibent: nam nec ut milites pugnant, nec ut clerici evangelizant. Cujus ordinis sunt, cùm utriusque esse cupiunt? utrumque deserunt, utrumque confundunt. Unusquisque, inquit D. Paulus 1. ad Corinth. cap. 15. in suo ordine resurget, isti in quo? An qui sine ordine peccarunt, non sine ordine peribunt?* Plures Ecclesiæ leges, & sanctorum Patrum testimonia contra abusum vestium splendidarum in clericis congessit Saulay *in Panopl. cleric. lib. 1. per totum.* Rectè ergo & juxta antiquam Ecclesiæ disciplinam Patres in præsenti omnem luxum, & superbum ornatum in clericis improbarunt, & damnarunt.

20. *Dissolvitur objectandi ratio.*

Nec obstant auctoritates suprà adductæ; nam istæ accipiendæ sunt, ut in vulgo sit aliquis citra reprehensionem nitor, & ut Clerici non sint superfluè ornati, neque communem habitum transgrediantur; id est, cultus in clericis intra mediocritatem commendatur. Concilium Trident *sess. 22. cap. 1. & sess. 24. de reform. cap. 12.* Hoc etiam Julianus Apostata à suis observari præcepit in syntagmate suprà citato, his verbis: *Illud vero decere sacerdotes arbitror, ut quandiu intra templi septa sacra operantur, ornatissimam vestem habeant; extrà templum communi, neque sumptuosa nimis utantur; non enim rationi convenit, ut ea, quæ ad honorem Deorum nobis concessa sunt, ad inanem ambitionem, & gloriolam abutamur. Quamobrem ab exquisitiore in foro veste, tum fastu, arroganteque prorsus abstinendum.* Quod & diligenter Romani observarunt. Scribit enim Livius *lib. 4. cap. 44.* Posthumiam virginem Vestalem de incestu causam dixisse ob suspicionem propter cultum amœniorem, quam virginem deceret. Et *lib. 8.* Minutiam Vestalem suspectam, primò propter mundiorem justo cultum insimulatam, vivam sub terra defossam. Nec obstat augmentum difficultatis; nam sacri canones non solùm præscribunt clericis abstinentiam à vitiis, & præcipiunt honestatem, modestiam, & cæteras virtutes sectari, verùm ut habitu tales esse se demonstrent, ut dicitur *in dicto cap. clericus, 41. dist. Clericus professionem suam, & habitu, & incessu probet, & nec in vestibus, nec in calceamentis decorem quærat.* Optat enim Ecclesia ut specialem professionis suæ notam, & altioris ministerii, ad quod initiati sunt, habitum & tonsuram præseferant. Nec exemplum D. Basilii contrarium suadet; nam licèt Sanctus splendidis vestibus sactis intra Ecclesiam uteretur, tamen extra templum unicâ tantùm tunicâ contentus erat, ut Ecclesia in ejus elogio, die 25. Junii refert: immò & ornatum vestium extra templum maximè improbavit, modestiam in eis sæpius commendando, ut patet ex ipsius regula *cap. 22.* ibi: *Sed in eo studendum est nobis, ut omnium infimi simus, & quod in genere indumentorum infimum est, id summopere nobis est amplectendum: ut enim gloriæ cupidi gloriam, & inanitatem ex vestium cultu, & splendore aucupantur; sic videlicet humilis, & pia vitæ studiosi ex vestimenti quoque simplicitate debent venerari humilitatem, & eam consectari.*

Sed præsenti assertioni obstat difficilis textus *in can. 29. Concil. Bracbar. 1.* celebrati sub Joanne X. in illis verbis: *Item placuit, ut lectores in Ecclesia ordinati in habitu seculari, non psallant, neque gradus gentili ritu dimittant.* Quæ verba ita adversus suprà tradita expendo. In eo canone prohibentur lectores in Ecclesia psallere in habitu, & veste sæcularibus. Ergo foris extra Ecclesiam licet illis cum habitu incedere sæculari. Nec argumentum hoc, utpote à contrario sensu deductum, minùs roboris habet, quia animadvertendum est, prædictum canonem prohibitionem proferre, & correctionem. Prohibitionis autem lex non extenditur ultra casus illos, ad quos correctio & prohibitio spectat: nam cùm prohibita non inveniuntur per legem, permissa censentur, *cap. omnia 4.* & ibi Glossa *3. d. cap. 1. verbo Non inventur, de transiat. Episc. cap. nuper 29. cap. cùm illorum 32. de sent. excom.* cum vulgatis. Audiamus ergo jam verba Concilii Bracharensis, ut in eorum animadversionem facilius perveniamus: *Item placuit* (ajunt Patres) *ut lectores in Ecclesia ordinati in habitu seculari non psallant, neque gradus gentili ritu dimittant.* Ergo non rectè in præsenti generaliter prohibetur clericis vestes sæculares deferre. Pro cujus canonis solutione, omissis quæ pro explicatione illius verbi *gradus*, congesh *in can. 67. Concil. Illiber.* sciendum est, lectoris nomen latissimè patere; & licèt sub hac voce Subdiaconi veniant, ut constat ex eodem Concilio Bracharensi *can. 20.* in actis tamen ecclesiasticis lectorum nomine frequenter comprehendi, eosque venire, qui tonsurâ tantùm, aut aliquo minorum ordine erant initiati; ut constat ex epistola 92. Leonis Papæ ad Rusticum Episcopum Narbonensem, ibi: *Qui cùm essent laici, sive lectores, uxores ducere potuerunt.* In eundem sensum est Concilium Carthaginense 3. *can. 19.* relatum *in cap. lectores 8. 32. dist.* & apertissimum Martyrologii Romani testimonium die 13 mensis Julii, ubi habetur: *Quod in Africa sanctorum Confessorum Eugenii Carthaginensis Episcopi, fide, ac virtutibus gloriosi, & universi cleri eiusdem Ecclesiæ, qui fere quingenti, vel eo amplius in persecutione sub Hunerico Rege Arriano cæde, inedaque vocati* (inter quos plurimi lectores infantuli) *gaudentes in Domino prodiit exilio eadem die crudeli exstrui sunt.* Lectores infantulos expultos exilio fuisse ait Martyrologium: Ergo lectoratus munus aliquem majorum ordinum non exigebat, sed quòd ad canendos ecclesiasticos modulos essent instructi pueri; vetus enim mos fuit, ut docet Baronius

21. *Exponitur can. 29. Concil. Bracbar.*

ex

ex Victore Uticensi *in notis ad prædictum Martyrologii locum, littera H.* & in præsens urget usus, ut pueri vocis elegantiâ ad canendas res Ecclesiasticas musicis modulis imbuerentur, ut expresè ex dicto testimonio constat, & ex Venantio Fortunato *lib. 2. ad Clerum Parisiacum.*

Hinc puer assiduis attemperat organa cantis,
Inde senis largam ructat ab ore tubam.
Disparibus tropulis fistula dulcè sonat.

Expressius in prædictam expositionem infantum lectorum idem Venantius in fine:

Pontificis monitis clerus, plebs psallit, & infans.

Cui expositioni bellissimè accedit, ut extra aleam, sub voce *lectores*, intelligamus comprehendi cantores, seu psalmistas pueros, quos infantulos Martyrologium Romanum appellat. Quibus animadversis perspicuè elucidatur difficultas suprà adducta, si lectores in eo textu accipiamus pro cantoribus, non autem pro clericis gradu sacro decoratis; lectores enim licèt veste propria in Ecclesia psallere debeant, extra eam tamen habitu sæculari incedere non prohibentur, ut hodie faciunt pueri, qui in Ecclesiis Cathedralibus psallunt; nec solutioni huic adversantur verba illa, *lectores ordinati*, tanquam si illis comprehendantur non inferioris gradus, sed superioris ordinis clerici, utpote Subdiaconi; quia etsi tantùm tonsurentur ordinati in majori gradu, tamen etiam inferiores ordinati vocari possunt, quia ordinem constituunt, seu gradum in Ecclesiastica hierarchia, ut *in cap. cleros 21. dist. cap. perlectis 25. dist. cap. cùm contingat 11. de ætate & qualit.* Hujusmodi lectores, ut ordinati nominantur à Cæsare *q. 3. proœmials, de Eccles. hierarch. num. 7.* Quapropter etsi lectoribus in hoc sensu non prohibeatur laicalium usus vestium extra Ecclesiam *in dicto can. 29. Concil. Brachar.* hon ex eo dicendum est idem de clericis majori in gradu constituris, qui non solùm intra Ecclesiam, verùm nec extra laicali veste incedere debent.

22. Deinde adversatur textus *in cap. si quis virorum 15. 30. dist.* ubi à Patribus Concilii Gangrensis celebrati circa annum 324. anathema decernitur adversùs illos, qui putaverint proposito sancto, seu continentiæ convenire uti pallio potiùs, quàm alio vestimenti genere; & reprehendendos esse, qui byrrhis, aliâve communi uterentur veste. Audiamus nunc Concilii contextum: *Si quis virorum putaverit sancto proposito* (id est, continentiæ) *convenire, ut pallio utatur, tanquam ex eo justitiam habiturus, & reprehendat, vel judicet alios, qui cum reverentia byrrhis utuntur, & alia veste communi, quæ in usu est, anathema sit.* Ex quibus canonis verbis manifestè deducitur, non debere esse discretos habitus, imtnò reprehendendos eos esse, qui habitus differentiâ profiteri crediderint continentiam. Ergo clericos non decet vestibus uti communibus, seu laicalibus, qui passim scilicet & vulgò in usu sunt. Probatur consequentia, quia sanctum propositum, de quo in dicto canone Concilii Gangrensis, seu continentiæ professio, propriè clericos respicit. Probat mihi Concilium 3. Carthag. *can. 11.* relatum *in cap. lectores 8. 32. distinct.* ibi: *Aut continentiam profiteri.* Et Leo Pontifex *epist. 92. ad Rusticum Narbonensem*, ibi: *Legem continentiæ eandem esse ministris altaris cum cæteris.* Patrum, Conciliorumque decretis etiam probatur, quæ de cœlibatu clericorum loquuntur, quorum numerus innumerus est. Ex hac itaque comprobata consequentia manifestè colligitur, quod discretio habitus parum, nihilve refert ad statum continentiæ, seu clericalem designandum, & dignoscendum; immò reprehendendos esse, qui habitu, vestiumque cultu contineri continentiam affirmaverint clericalem, adversùs quos anathema in prædicto canone fertur. Augetur difficultas ipsius canonis ex eo, quia non tantùm clerici, verò & universi christiani tempore ipsius Concilii, ubi primùm religioni, fideique christianæ nomen dabant, exuere consueverant togam, & pallium induere, unde in christianos profluxit, *de toga ad pallium*; cui dicterio celebre nomen dedit liber, quem de pallio Tertullianus scripsit, ut notarunt ibi Pamelius, Rigalcius, & Ambianas, & tamen licèt hoc certum sit, in dicto canone non condemnatur habitus indiscretio in clericis, quamvis pretiosioribus utantur vestibus, ut erant byrrhi. Byrrhus enim juxta Zonaram, & Balsamonem ibi, erat vestis serica: quibus favet Justinianus *in tit. C. de vestibus holoberus, lib. 11.* Igitur non rectè in præsenti textu vestes pretiosiores clericis prohibentur. Pro cujus canonis expositione primò præhibandum est, byrrhos vulgò accipi non solùm pro tegumento capitis, *l. 1. C. Theodos. de habitu quo uti oporteat*, ut probat Meursius, & Calvinus verbo *Byrrhus*; verùm etiam pro veste communi clericis, & laicis, cujus mentio fit à Cassiano *lib. 1. instit. cap. 7.* D. Clemente Alexand. *lib. 2. pædagog. cap. 4.* ibi: *Chlamys, qua dicitur ephestis, aut byrrhus, quia corpus complectitur.* Cælio Rhodigino *lib. 16. antiq. lect. cap. 10.* ibi: *Byrrhum Romanam fuisse vestem Græci scribunt.* Diacono *lib. 4. histor. Longobard. cap. 6.* ibi: *Longobards super equos equitantes tributos byrrhos mittebant.* Materiam laneam fuisse, formam autem in laicis vestem oblongam, in clericis verò fuisse parvam, quam hodie mucetam dicimus, & deferunt Canonici Regulares, latè probant Gazæus *in notis ad Cassian. ubi proximè*, Pennotus *lib. 1. hist. canonic regul. cap. 22. per totum.* Lantdmeter. *de veteri cleric. cap. 12. cum seqq.* & vestem non preciosam fuisse, constat *ex l. 2. C. Theodos. de vestibus holoberis*, ibi: *Servos sane omnium (quorum tamen Dominos solicitudine constat militiæ non teneri) aut byrrhis uti permittimus, aut cucullis.* Ex Ausonio & Juvenali probat Pennotus *dict. cap. 22.* Sciendum etiam est Hæreticos Eustathianos, monachos palliatos fuisse, qui usque adeò Eustathio fautore, suo monachismo favebant, ut cæteros Christianos odio haberent, spernerentque prætextu quodam inordinato sanctitatis, reliquos monachos byrrhis, vestibusque vilioribus utentes damnantes; in quorum insanam sectam Synodus Gangrensis anathema dixit, quòd irriderent monachos alios byrrhis, aut veste breviori, quàm pallio, utentes: refert Baronius *anno 197. num. 8.* & *anno 261. num. 41.* Quibus observatis facilè constat, in prædicto canone non agi de clericis vestes pretiosiores deferentibus, sed potiùs de monachis viliore veste utentibus; neque in eo textu damnari habitus discretionem, sed tantùm errorem eorum, qui existimabant, sanctitati

22. Adversatur textus *in cap. si quis virorum 15. 30. dist.*

sanctitati & continentiæ tantùm convenire pallium deferri in contemptum aliorum, qui veste viliori utebantur: docuit Gazæus *ad Cajanum dict. lib. 1, cap. 6.*

CAPVT VLTIMVM.

Ambian. (a) *Episcopo.*

EX litteris nobilis viri Pontini, & (b) Monstrolien. Comitis intelleximus, quod quidam solo nomine clerici terræ suæ, (c) uxorati, (d) usurarii, (e) & tabernarii, ecclesiasticis, quibus carere debent beneficiis, non contenti, potiùs illicitis sæcularibus [f] negotiationibus, & curis domesticis, quàm officiis, & obsequiis Ecclesiarum intendunt: & gaudere volentes privilegio clericali, nolunt statutis [g] patriæ, quibus, quotiens expedit, sicut laici se tuentur [h], etiam in negotiationum suarum quæstibus subjacere. Unde quia magnum ex hoc scandalum inter laicos generatur, nobis humiliter supplicavit, ut vel compelli hujusmodi clericos ad serviendum Ecclesiis, illicitis sæcularibus negotiationibus postpositis, mandaremus, vel pateremur eos quoad facultates eorum statutis, & consuetudinibus patriæ subjacere. Cùm ergo supradicta in clericalis ordinis vituperium redundare noscantur, & clericorum vita generare non debeat scandalum laicis, sed præstare honestatis exemplum, f. t. mandamus, quatenus si est ita, cùm loci diœcesanus existas, clericos tales si tertiò (i) moniti à te Ecclesiis servire contempserint, hujusmodi negotiationibus prætermissis, cùm [k] facto hujusmodi privilegium abjiciant clericale, quominus de suis facultatibus, dum his se implicant, statutis, & consuetudinibus patriæ subjaceant non defendas.

NOTÆ.

(a) *Ambian.*] Geraldo, vel Gerardo, seu Everardo instauratori majoris Ecclesiæ Ambianensis, ut ex Claudio Roberto refert Cironius *in præsenti.* De Ambianensi Diœcesi jam nonnulla notavi *in cap. 37. de rescript.* Ejus etiam mentio fit *in cap. sanè, de regular. cap. porrò, de privil.*

1. (b) *Pontini, & Monstrolienſis.*] Ita legendum esse, & non ut habetur in sexta collectione, jam notarunt Fabrotus, & Cujacius hîc. Nobilis comitatus Pontieu, & Monstreil, ita appellatus à multitudine Pontium super lacus, & paludes, est in Gallia, pro quo sæpe sæpius decertatum inter Francos & Anglos, refert Cironius *in præsenti.*

(c) *Uxorati.*] Hæc vox omissa est in sextâ collectione; extat tamen in quinta edita è Cironio, ex qua transcripsi textum hunc. De clericis autem uxoratis agemus infrà *in tit. 3.*

(d) *Usurarii.*] De quibus, & eorum pœnis agemus *in cap. 2. de usuris.*

2. (e) *Tabernarii.*] Non tabernas ingredientes, de quibus egi *in cap. antecedenti, & in cap. à crapula*; sed tabernas habentes ad vinum vendendum, quod clericis prohibitum est, *cap. nulli dist. 44. d. Clement. 1. hoc tit.* ubi repetentes, & congesti à Barbosa latè disputant, an clerici per alios possint in taberna negotiationem exercere.

3. (f) *Negotiationibus.*] De quo conqueritur Sulpitius Severus *sacræ hist. lib. 1.* his verbis: *Etenim præcepti hujus non solùm immemores, sed etiam ignari mihi videntur, tanta hoc tempore animos eorum habendi cupido, veluti tabes incessit. Inhiant possessionibus, prædia excolunt, auro incubant, emunt, vendunt, quæstui per omnia student.* An quia negotiantium vita nihil aliud est, quàm fraus, atque perjurium? ut ait Salvianus 3. & 4. *de gubernas. Dei.* Author Imperfecti Operis in Matthæum, sive ut nupero editori placet, Ioannes Hierosolymitanus *cap. 21. in Matthæum. Qui emit, & vendit, sine mendacio, & periurio esse non potest: necesse est enim, ut è negotiatoribus hic juret, quia non tantum valet res, quantùm comparat eam; & ille juret, quia plus valet res, quàm vendit.* Sed & mercium venditio aliena est à clericis, qui Deo magis operari debent, quàm mammonæ servire. D. Ambrosius 1. *de offic. cap. 35. Non te implices negotiis sæcularibus, quoniam Deo militas; etenim si is, qui Imperatori militat, à susceptione litium, actu negotiorum forensium, venditione mercium prohibetur humanis legibus, quantò magis qui fidei exercet militiam, ab omni usu negotiationis abstinere debet?* D. Augustinus *in quæstion. ex utroque Testamento, q. 127.* ibi: *Negotiari aliquando licet, aliquando non licet; antequam enim Ecclesiasticus quis sit, licet et negotiari: facto jam non licet. Non quod dissimilis res sit, sed is qui facit,* ut ait idem vir sanctus *epist. 5.* Eifricus *in canonibus ad Ulfinum Episcopum, num. 30.* ibi: *Presbyter nec sit mercator, nec mercatura cupidus.* Illud tamen notandum est, in præsenti agi de inhonestis commerciis: est enim quædam mercatura honestatis conscia, *l. 2. C. de Episc. & Cleric.* ex qua si quid clerici acquisierint, id in usum pauperum, atque egentium elargiri debere constituitur in eadem lege, nisi fortè clerici victum artificio sibi quærant, ut veteres canones præcipiunt. Luculentum exemplar extat apud Gregorium Turonensem *de vitis Patrum cap. 8.* sic enim de sancto Nicetio Episcopo Lugdunensi scribit: *Defuncto autem Patre hic cum genitrice jam clericus in domo paterna residens, tum reliquis famulis manu propria laborabat.* Et mox: *Ætate quoque tricenaria presbyterii honore præditus, nequaquam se à labore*

labore operis quod prius gessit, abstinebat, sed semper manibus propriis operabatur cum famulis ; ut Christiani in primis christianæ fidei cunabulis, arte, & opera victum sibi parabant, quos ideo Juvenalis, ut quidam putant, cerdones vocat satyra 4.

.... *Postquam cerdonibus esse timendus*
Cœperat.

Demonachis passiva res est. Severus Sulpitius *de vita S. Martini : Nemo ibi proprium quicquam habebat ; omnia in medio conferebantur. Non emere, aut vendere, ut plerisque monachis moris est, quicquam licebat ; ars ibi, exceptis scriptoribus, nulla habebatur, cui tamen minor ætas deputabatur, majores orationi vacabant. Et hi negotiatores sunt ?* Idem Joannes Hierosolymitanus *in dicto cap.* 21. *Ego ostendam quis non est negotiator, ut qui secundum regulam istam non fuerint ; intelligas omnes negotiatores esse : id est, quicunque rem comparat, non ut rem ipsam integram ; & immutatam vendat ; sed ut opus fiat ex ea ; ille non est negotiator, quia qui materiam operandi sibi comparat, unde faciat opus, ille non rem ipsam vendit, sed magis artificium suum, id est, qui rem vendit ; cujus æstimatio non est in ea ipsa re, sed in artificio operis, illa non est mercatio ; utputà faber comparat ferrum, & facit ferramentum ; sed ferramentum illud non tantùm habet ferri, quantùm valet, sed secundum opus ferramenti appretiatur. Qui autem comparat rem, ut illam ipsam integram, & immutatam dando lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei ejicitur.*

(g) *Statutis patriæ.*] Hæc verba exposui *in cap. Ecclesia, de constit.*

(h) *Tuentur.*] Resita contingebat in ditionibus Pontini, Monstrolienſisque Comitis : mercatores multis, & singularibus quibusdam gaudebant ex loci statuto privilegiis, ut & abundantiùs, & libentiùs eò genus omne mercium, tùm invehereturr, & undique illuc à mercatoribus confluereturr ; ità tamen ut mercatores vicissim certum quid in usum publicum, vel etiam Principis conferrent nomine vectigalis in invehendis, vel evehendis mercibus. Ponamus privilegium ex statuto fuisse mercatoribus concessum, ut si quid ipsis per illarum ditionum itinera fuisset à grassatoribus ereptum, id ipsis de publico ; vel per Principem penſaretur, ut supponit Abbas antiquus in præsenti. Clerici ergo ipsius Comitatus lucris inhiantes, mercaturæ vacabant, & si quid fortè mercium per itinera publica amisissent, ex publico quidem repetebant ; volentes uti privilegio mercatoribus omnibus concesso ; sed vectigal constitutum solvere prorsus recusabant, eo quod clericis competeret ecclesiastica immunitas, *ex cap. non minus*, cum vulgatis, *de immunit. Eccles.* Atque sic ex statuto laicorum commodum sentire volebant, incommodum vel onus ullum vectigalis memorati sentire nolebant ; quâ de re conquestus apud Summum Pontificem Comes ille Pontinus, præsens hoc impetravit rescriptum ad Episcopum Ambianensem, in cujus diœcesi dimoties Comitis Pontini, Monstrolienſisque sitæ erant.

(i) *Tertiò commoniti.*] Consonat textus *in cap. 2. ne clerici, cap. perpendimus 23. cap. contingit 45. de sentent. excom.* Quod trina denunciatio exigatur in hoc casu, & similibus, receptum est exemplo juris civilis, quo attento, quibus in causis denunciatio est necessaria, plerunque trina denunciatio exigitur, *l. 4 ff. de pignorat. act. l. contumacia 55. ff. de re judic. l. 8. & 9. C. quomodo & quando, l. ult. C. Theodos. ad SC. Claud antum* ; Novel. 147. §. *penult.* quare quæ trina vice fit denunciatio, legitima dicitur, & canonica, quasi ab utroque jure approbata in præsenti, & *in cap. contingit, 45. de sentent. excom.* Ut tamen ex negotiatione clericus gabellam solvat, non desideratur trina monitio, ut docuerunt Gregorius *in l. 49 verbo Las Francias, tit. 6. partit. 1.* Flores de Mena *lib. 2. variar. cap. 21. à num. 232.* Gironda *de Gabellis 7 p num. 10.* Bobadilla *polit. lib. 2. cap. 18. num. 124.* Tapia *2. tom. caten. mor. art. 9. q. 16.* non quia ità consuetudine obtentum est, ut existimavit Lassarte *de decima vendit. cap. 19. num. 79.* cùm talis consuetudo in Ecclesiæ præjudicium admitti non possit, ex traditis à Gratiano *discept. forens. cap. 94.* Pater Suarez *lib 4. adverſ. Regem Anglia, cap. 32. num. 2.* Salas *de legibus q. 96. tract. 14. disput. 14. sect. 12.* sed potius quia in dicto capite *quamquam, de censibus*, & in Clementina *præsenti, eod. titulo*, nulla monitio desideratur, ut advertit Dominicus *in dicto cap. quamquam, num. 5.* Nec contrarium probatur in hoc textu ; nam in ejus specie non agitur solùm de gabella ipsarummet rerum, quas clerici negotiatores distrahebant ; sed contra personas eorum, qui ter moniti ab Episcopo, non desistebant à negotiatione, ut ipsi privilegio clericali exuti, vectigalia, & alia tributa de omnibus rebus solvere cogerentur, ut docuerunt Gregorius *ubi supra.* Molina *de justitia 2. tom. disputat. 342.* Gutierrez *de gabellis q. 93. num. 13.*

(k) *Cùm facto.*] Id est, ipso actu, vel ipso facto absque ulla sententia judicis. Plerunque enim in jure adjicitur quibusdam actibus hæc clausula ad differentiam eorum, in quibus sententia judicis desideratur, ut *in l. ejus, ff. de jure fisci*; quod loquendi genus etiam jure civili usitatum repetimus *in l penult. §. ult. ff. de ritu nupt. l. 1. C. ex quibus causis servit.*

COMMENTARIUM.

SIcut clericus, qui habitu clericali relicto, assumptaque laicali veste, trinâ monitione præmissâ, ipso facto fori privilegium amittit, *cap. 2. ne clerici, vel mon. cap. perpendimus 23. cap. ad audientiam 25. cap. contingit 45. de sent. excom. cap. si judex, eod. tit. in 6. cap. unico, de clericis conjugatis, eodem libro* : illustrant Saulay *in Panopl. cleric. ad finem*, Barbosa *de jure eccles. lib. 1. cap. 39. §. 2.* Suarez *de censur. disput. 22. sect. 1. num. 10.* ita clericus negotiationibus se immiscens, amittit privilegium, quo fruitur ; ut non ligetur statuto laicorum, de quo *in cap. Ecclesia, de constit.* & privilegium immunitatis à tributis, & gabellis, cæterisque pensitationibus, *cap. non minus, cap. adversus, de immunit. eccles. cap. quamquam, de censibus, lib. 6. l. 7. tit. 18. lib. 9. recopil.* Illustrant innumeri congesti à Vela *tom. 2. dissert. 45. num. 53.* Roussel. *lib. 4 hist. Pontific. jurisdict. cap. 3. num. 41.* Carleval. *de judiciis tit. 1. fol 58. num. 159.* qui exponunt casus, in quibus clerici propriè dicuntur negotiatores ; & tunc captis pignoribus, posse per judicem sæcularem cogi tributa solvere, probat cum aliis innumeris Parexa *de instrum. edit. tom. 2.*

tit.6.resol.9.num.77. Barbosa *de potest. Episcopi alleg.13.num.10.* Et pro ipsarum gabellarum solutione clericum coram judice sæculari posse conveniri, *ex dicta l.7.* ibi: *Como si fueran legos; tit. 18. lib.9.recopil.* resolvunt Mexia *in pragm. panis, conclus.5.num.23.* & pluribus relatis Gironda *de gabellis 7.p.in princip.num.25.* Bobadilla *dict.lib.2.cap.18.num.124.* non quia eo casu judex sæcularis jurisdictionem in clericum habeat, sed tantùm ut pignoribus captis ipsum ad gabellarum solutionem constringat, ut notarunt Azevedus *in l.11.tit.3 lib.1.recop.* Lassarte *de decima vendit. cap.19.* Gutierrez *de gabellis quæst.94.*

TITULUS II.

De cohabitatione Clericorum & Mulierum.

CAPVT I.

Ex Concilio (a) *Nannetensi.*

INhibendum est, & modis omnibus interminandum est, ut nullus sacerdos eas personas fœminarum, sicut in canone (b) insertum continetur, de quibus suspicio esse potest, in domo sua retineat; sed neque illas, quas (c) canones concedunt, matrem, amitam, sororem, quia instigante diabolo etiam in illis scelus frequenter perpetratum reperitur, aut etiam in pedisequas (d) illarum. Sed si qua de his habuerit talem necessitatem patientem, cui sit necessitas sustentationis (e) presbyteri, habeat in vico, aut in villa domum longè à presbyteri conversatione, & ei ibi subministret quæ necessaria sunt. Sed secundùm auctoritatem canonum modis omnibus prohibendum est, ut nulla fœmina ad altare accedere præsumat, aut presbytero ministrare, (f) aut intra (g) cancellos stare, aut sedere.

NOTÆ.

1. (a) N*Annetensi.*] In sexta collectione legitur e[illegible]ncilio Maguntino, sed malè, cùm in nullo ex [illegible]onciliis Maguntinis hæc verba reperiantur [illegible]icèt sententia extet in Concilio Maguntino sub Arnulpho, *cap.10.* his verbis: *Quamvis sacri canones quasdam personas fœminarum simul cùm clericis in una domo habitare permittant, tamen quod multùm dolendum est, sæpe audivimus per illam concessionem plurima scelera esse commissa, ita ut quidam sacerdotum cum propriis sororibus concumbentes, filios ex eis generassent; & idcircò constituit hæc sancta Synodus, ut nullus presbyter ullam fœminam secum in domo propria permittat, quatenus occasio malæ suspicionis, vel facti iniqui penitus auferatur.* Cujacius in præsenti existimat depravatam esse hanc inscriptionem, & legendum esse ex Concilio Africano; quia licèt in nullo ex Conciliis Africanis extent præsentia verba, tamen cùm plura Concilia Africana periissent, credit Cujacius in aliquo ex eis præsentem canonem editum fuisse. Sed cùm tam in prima collectione *sub hoc tit. cap.1.* quàm apud Burchardum *lib.2. Decreti, cap.106.* Ivonem *p.6. Decret.cap.192.* legatur ex Concilio Nannetensi, & in ipso Concilio *can.3.* reperiatur textus hic prout extat in hac, & in aliis collectionibus, dubitari non potest transcriptum fuisse ex Concilio Nannetensi temporibus Formosi Pontificis celebrato, cujus canones repetiuntur *tom.14. Conciliorum*, & apud Corjolanum *in summa Concil. fol.856.*

(b) *Canone.*] Tertio videlicet Concilii Nicæni, cujus verba referunt Burchardus *lib.2. Decreti, cap.109.* Ivo Carnot.*p.3 Decreti, tit.8.cap.29.* Anselmus *lib.7.cap.33.* Gratianus *in cap. interdixit 16.32. dist.* Martinus Brachar. *in can.32.suæ collect.* Iustinianus *in Novel.123.*

(c) *Canones*] Illi videlicet, qui permittunt clericis secum habere matrem, sororem, amitam, vel materteram, *cap. interdixit, 32. dist. cap volumus, cap. cum omnibus 81. dist.* Concilium Arelat. *2.can.3.* ibi: *Si quis de clericis à gradu Diaconatus in solatio suo mulierem præter aviam, matrem, sororem, filiam, neptem, vel conversam secum uxorem habere præsumpserit, à communione alienus habeatur.* Arvernense *can.15.* ubi de Episcopis, Presbyteris, & aliis clericis ita cavetur: *Fugiatur ab his extranearum mulierum culpanda libertas, & tantùm cum avià, matre, sorore, vel nepte, si necessitas compulerit, habitent, de quibus ut priorum canonum series continet, nefas est aliud quàm natura constituit, suspicari.* Turon. *2.can.1. Nullus clericorum Episcopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, quasi sanctimonialem, aut viduam, vel ancillam propriam pro conformatione rerum in domo sua stabilire præsumat, quæ & ipsa extranea est, dum non est mater, aut soror, aut filia.* Rhemense *can.22. A sacerdotibus omnis suspicio mulierum funditus eradicetur, cum quibus etiam nulla habitatio eis conceditur, præter illam, quæ in Nicæna Synodo permittitur, id est, matrem, aut sororem, vel eas tantùm personas, à quibus omnes suspiciones effugiant.* Ad quos canones, & alios similes

miles infrà referendos respexerunt PP. Concilii Nannet. *in præsenti*, & Concilii Cabilon. *can.* 3, ibi: *Licèt jam prioribus canonibus fuerit statutum, placuit tamen renovare, ut si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, vel quicunque ex sacerdotali catalogo præter personas, quæ in ipsis canonibus continentur, cum qualicunque extraneâ muliere familiaritatem habere præsumpserit; quæ dedecoris, vel adulterii possit adferre suspicionem, juxta statuta canonum ab ordine degradetur.* D. Gregorius *lib.* 7. *regestr. epist.* 108. ad Siagrium: *Volumus te Synodum congregare, atque ut in ea omnia, quæ sanctis canonibus sunt adversa, districtè sub anathematis interpositione damnentur*, &c. id est; *ut nec aliæ mulieres cum sacerdotibus habitent nisi eæ, quæ sacris canonibus sunt permissæ.* Tolet. 2. *can.* 3. Tolet. 4. *can.* 42. Hispal. 1. *can.* 3. *l.* 19. *C. de Episcop. & cleric.* quæ extat *in l.* 44. *C. Theodos. eod. tit.* ubi legitur *scævi criminis*, rectiùs quàm in Justinianeo, *sævi*: sic scævitas morum *in l.* 17. *C. Theodos. de pœnis*; notavit Juretus ad Symmachum *lib.* 1. *epist.* 25. *Scævi dogmatis, in l.* 19. *C. Theodos. de hæretic. Scævitas interpretationis*, apud B. Ambrosium *lib.* 3. *de fide*: sicque *in l. si qui* 5. *C. de postul.* pro sævitate, *scævitate*, legendum esse post P. Fabrum notavit Gibalinus *tom.* 2. *de negot. lib.* 6. *cap.* 3. *art.* 8. videndus Vossius *in Etymologico, verbo Scævus.* De his personis accipi potest Urbanus II. in Synodo Claromont. *cap.* 2. ibi: *Statutum est, ut omni die & monachi, & clerici, & fœminæ, & qui cum eis fuerunt, in pace permaneant.*

4. (d) *Pedisequis.*] Quæ dominas, matres videlicet, vel sorores sequuntur. Plautus *in Milite*: *Pedisequæ filius sum.* Terentius *in Andria*: *Accedo ad pedisequas.* Hinc pedisequi olim in Ecclesia dicebantur laici rustici, qui sequebantur Ecclesiæ ministros, ut pabulum tempore opportuno reciperent. Petrus Blesensis *serm.* 18. ibi: *Deividum, & Pedisequum; fidelium genus: sane secundum hierarchiam Dionysii duo sunt genera fidelium in Ecclesia Dei. Primum quod dicitur Deividum; alterum quod appellatur Pedisequum. Deividos dicimus ministros Ecclesiæ, quibus credita sunt eloquia Dei, quibus dictum est: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei; cæteris autem in parabolis; quibus Christus ait: Omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis. Pedisequos verò dicimus populum multitudinis, qui sedet secus pedes Deividi, ut audiat legem ex ore ipsius, & percipiat de manu ejus pabulum vitæ in tempore opportuno.* Iterum *serm.* 10. *Est namque duplex genus hominum; Pedisequum, & quoddam Deividum. Pedisequum hominum genus est, qui Deum non possunt agnoscere per intelligentiam scripturarum, sed vestigia ejus quoquo modo indagant per visibilia hujus mundi. Per visibilia enim hujus mundi invisibilia conspiciunt Dei. Huic generi hominum prædicta non proponuntur, sed Deivida, qui scilicet Deum vident per intelligentiam scripturarum.*

5. (e) *Sustentatio Presbyteri.*] Non solùm enim presbyteri ex fructibus suorum beneficiorum possunt alimenta præbere parentibus, sororibus; aut consanguineis simili gradu conjunctis, verùm & eas dotare, ut latè probat Valenzuela *consil.* 98. *per totum*, & dicemus *in cap.* 1. *de testam.*

6. (f) *Ministrare.*] Non solùm enim prohibetur fœminis offerre sacrificium propter incapacitatem sacerdotii, ratione sexus, *cap. tertio quæri-tur* 15. *q.* 3. Tertullianus *de veland. virg. cap.* 9. Firmilianus *epist.* 75. quæ extat inter epistolas D. Cypriani. S. Epiphanius *hæresi* 49. & 79 unde in Concilio Rhemensi relato à Gratiano *in cap. pervenit*, 29. *de consecr. dist.* 2. reprehenditur tanquam detestabile, quod quidam presbyteri in tantùm parùipenderent divina ministeria, ut fœminis traderent sacrum Domini corpus, ut infirmis deferrent: verùm nec presbytero ministranti urceolos licet illis ministrare, vel respondere. Concil. Laodic. *can.* 44. Soterus *epistol.* 2. Zacharias Pontifex *epist.* 6. *ad Pipinum Regem*, ubi transcribit Gelasium *epist. ad Episcopos Lucaniæ*, ubi inquiunt unus & alter Summus Pontifex: *Nefas est fœminas sacris altaribus ministrare, vel aliquid ex his; quæ virorum officiis sunt deputata, præsumere; nihilominus impatienter audivimus, tantum sacrarum rerum subisse defectum, ut fœminæ sacris altaribus ministrare firmentur, cunctaque, quæ non nisi virorum famulatui deputata, sexum cui non competunt, exhibere, &c. qui vel ista committunt, vel committentes minimè publicando pravis excessibus se favere significant.* Concil. Paris. *lib.* 1. *cap.* 45. Theodulphus Episcopus Aurelian. *in epist. Decretali ad Clerum*, ibi: *Fœminæ Missam sacerdote celebrante nequaquam ad altare accedant, sed locus suis stent, & ibi sacerdos earum oblationes Deo oblaturus accipiat; memores enim esse debent fœminæ infirmitatis suæ, & sexus imbecillitatis; & idcirco sanctæ à quolibet in ministerio contingere pertimescant.* Omittenda non est sancta Hildegardis, quæ *lib.* 2. *de visione*, *cap.* 6. ait: *Nec fœmina ad idem altare debent accedere, quoniam ipse infirmum ac debile habitaculum sunt.* Illustrant Vicecomes de ritibus Missæ *vol.* 3. *lib* 1. *cap.* 14. P. Henao *tom.* 1. *de sacrif. Missæ, disput.* 14. *sect.* 2. *n.* 16. Turrianus *contra Magdeburg. cap.* 5.

(g) *Cancellos.*] D. Clemens *lib.* 2. *constit. cap.* 57. probavi *in cap.* 1. *supra*, *tit. proximo*. Hac tamen in re dispensatum est apud Græcos cum mulieribus, quoad templum Dominicæ Imaginis in Chalcopratæis, sive in Chalce, aut ad Portam æream, ab Hebræo ad fidem converso, cui nomen Abraham, exædificatum. Illic enim fœminæ subibant cancellos ad venerationem Imaginis Dominicæ, cui nomen Antiphonetes. Causam indulgentiæ mulieribus quoad eum locum concessæ, ignorare se fatetur Balsamon; sed veram refert Theophilus Raynaud. *tom.* 12. *in tract. de sobriâ frequent. mulier. fol.* 292. 7.

COMMENTARIUM.

EX hoc textu sequens communiter deducitur disputanda assertio: *Clerici non debent secum in domo retinere mulierem suspectam de incontinentia etiamsi sit mater, vel soror.* Probant eam textus *in cap. clericus* 20 *cap. clerici* 32. *cap. ad reatum.* 33. *cap. legitur* 25. 81. *dist. cap.* 1. *& ferè per totam* 18. *q.* 2. *cap. clericus, dist.* 82. Concilium Forojulience *can.* 4. ibi: *Ut juxta Niceni venerandi definitionem Concilii, nullus patiatur subintroductas mulieres secum in domo propria habere, vel privatè cum eis cohabitantes conversari; & quamquam de quibusdam inhonestâ carentibus suspicione clementiùs aliquo modo nobis legatur indultum: nos tamen omnes omnino nunc necessarium vetare prospeximus, eo quod experimento didicerimus, illarum velamento alias licentiùs ad eos aditum veniendi perditionis causam habuisse.* Aquisgran. 2. 8. *Conclusio traditur, & probatur.*

gran. 2. sub Ludovico p. 3. cap. 11. ibi: *Decernimus, ut presbyteris nulla omnino cohabitet fœmina, contemnentes autem hanc constitutionem, periculum proprii sustinere gradus.* Metense *can.* 3. ibi; *Nequaquam in sua domo secum aliquam fœminam sacerdotes habeant, nec matrem, nec sororem: sed auferentes omnem occasionem Sathanæ, angelicam vitam ducant.* Theodulphus *in epist. ad presbyt. Aurelian. cap.* 12. ibi: *Nulla fœmina cum presbytero in una domo habitet: quamvis enim canones matrem, & sororem, & hujuscemodi personas, in quibus nulla sit suspicio, cum illo habitare concedant, hoc nos modis omnibus idcirco amputamus, quia in obsequio, sive imputatione illarum conveniunt aliæ fœminæ, quæ non sunt ei affinitate conjunctæ, & eum ad peccatum illiciunt.* Concilium Andegav. *cap.* 5. *Familiaritatem extranearum fœminarum noverint esse vitandam; sed si qui sunt cœlibes* (lege debiles) *nonnisi à sororibus, aut amitis suis, aut à matribus consolentur.* Aurelianense *can.* 3. *Nullus Episcoporum, Presbyterorum, aut Diaconorum extranearum mulierum intra domum præsumat habere solatium, quibus etiam pro utilitate, seu aliqua familiarius regenda committat, quod etiam de propinquis fœminis indicentes, similiter prohibemus, ne sub concessa sibi licentia parentali, ex earum sequipedis memoratorum vita, vel opinio polluatur.* Bracharense 3. *can.* 4. ibi: *Ut nullus sacerdotum, sive quisque de clero, absque honesto, & competenti testimonio, exceptâ solâ matre, cum quibuslibet fœminis secretè se præsumat adjungere, & non solùm extraneis mulieribus, sed nec etiam cum sororibus & propinquis.* Hipponense *can.* 26. African. sub Bonifacio, *cap.* 5. Matiscon. 1, *cap.* 1. & 3. Turonense 1. *can.* 1. & 3. Turon. 2. *can.* 10. & 11. D. Clemens *epist.* 2. *ad Jacobum*, D. Cyprianus *epist.* 63. D. Ambrosius *lib.* 1. *de offic. cap.* 20. Isidorus Pelusiota *lib.* 2. *epist.* 62. & *lib.* 2. *epist.* 84. D. Augustinus *epist* 236. P. Damianus *opuscul.* 32. *cap.* 5. Alia SS. PP. testimonia, variosque Conciliorum canones, in quibus prohiberur clericis cohabitatio cum fœminis, congerunt Antonius August. *in epit. lib.* 6. *tit.* 37. & 38. & *lib.* 7. *tit.* 18. & 20. & *lib.* 8. *tit.* 26. & 27. & *lib.* 39. *tit.* 31. Cr spet.us *in summa, verbo Clerici mulierum contubernio*, Illustrant ultra congestos à Barbosa *in collect. & select. ad hunc textum*, & Garanna *in præsenti*, Germonius *lib.* 1. *animadv. cap.* 18. Basilius *lib.* 7. *de matrim. cap.* 26. *num.* 5. Petrus Gregorius *lib.* 1. *partit. tit.* 21. *cap.* 1. Barbosa *de jure eccles. lib.* 1. *cap.* 40. *num.* 32. Cujacius *hic*, & *in Novel.* 6. & *lib.* 2. *observat. cap.* 29. Landtmeter. *lib.* 2. *de veteri monach. cap.* 47. Loaysa *in can.* 12. *Concil. Tolet.* 4. & *can.* 5. *Concil. Tolet.* 12. Balsamon *in can.* 47. *Synod.* 6. & *in epist. Basilii ad Gregor. Presbyt.* & *in supplement. fol.* 123. Bosquetus *in notis ad Innocent. III. lib.* 3. *epist.* 80. Fornerius *rerum quotid. lib.* 6. *cap.* 10. Cironius *lib.* 3. *observ. cap.* 9 & 10. Salmutius *ad Pancirol. tit.* 49. *num.* 3. Baronius *anno* 393. Bermondus *de publicis concub. verbo Tenent, fol.* 227. Gibalinus *de clausura regul. disquist.* 1. *cap.* 1. §. 1. & *cap.* 9. § 1. Robertus *lib.* 1. *rer. judic. cap.* 20. *fol.* 124. Espenceus *lib.* 6. *de continentia, cap* 12. Ambianas *ad Tertullianum de exhort. castitat. cap.* 12. *observ.* 2. & *de monog. cap.* 8. *observ.* 2. Narbona *anno* 60 *q.* 60. Mornacius *in Authent. Episcopi, C. de Episcopis & Clericis*, Iustellus *ad canones Eccles. universi. in can.* 3. *Concil. Nicæni.* Ægidius *de privil. honest. art.* 14. Albaspinus *lib.* 1. *observ. cap* 24. Luna, & Arellano *lib.* 3. *singul. antinom.* 1. Theophilus Raynaudus *in tract. de sobria alterius sexus frequent.* Villarroel. *tom.* 1. *regim. eccles. p.* 1. *q.* 2. *artic.* 6. Hunnius *ad Treutl. volum.* 2. *disput.* 6. *q.* 32. Gothofredus *in l.* 44. *C. Theodos. de Episc. & Cleric.* Plures congerit Cabreros *de metu lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 42. aliosque congessi *in can.* 27. *Concil. Illiber.*

Sed adversùs hanc assertionem ita illustratam, pro dubitandi ratione sic insurgo; Sacerdotes ratione propriæ dignitatis, & status continenter vivere, & in omnibus suis actibus morum honestatem præferentes, laudabiliter se gerere debent, *cap. ut clericorum*, suprà *tit. proximo*, *cap. cum in juventute, de præsumpt.* & non solùm internis virtutibus ornati esse debent, *cap. multi* 40. *dist.* verùm & exteriori virtutum ornamento gravitatem ostendere debent, actionesque suas ita componere, ut aliis rectum præbeant exemplum, *cap. clerici*, suprà, *tit. proximo*: Ergo eorum cohabitatio cum fœminis prohiberi non debet, ut mulieres eorum sanctâ conversatione vitia fugere; & ad meliorem vitæ frugem converti possint; nam ut ait Rex Psalmista *Psalmo* 17. *Cum sancto sanctus eris, & cum perverso perverteris.* Faciunt D. Isidorus *lib.* 3 *soliloq.* ibi: *Sancta conversatio confundit inimicum, ædificat proximum, glorificat Deum.* Seneca *epist.* 6. ibi: *Nulla res magis animos honestos, & in probrum inclinabiles revocat ad rectum, quam bonorum conversatio; paulatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinent frequenter aspici, frequenter audiri.* Facit etiam caput *pervenit*, 2. *q.* 7. caput *inter, de purgat. canonic.* lex *Adulet* 25, §. *hoc autem, ff. de adult. edict.* lex *eum qui* 19, *C. de Episc. & cleric.* lex *cohortales, C. de cohort. & libus, lib.* 12. probat Tiraq. *l.* 5. *connubiali, num.* 26. magis enim movent exempla, quàm verba, teste Aristotele *lib.* 10. *Ethicorum.* Unde ait D. Hieronymus *homil.* 2. *Si hominis clementissimi, & humanissimi imaginem pra oculis habeas, & in hunc assidue oculos defigas, etiamsi milliet abundes juramentis, oculum perturbans, ad hoc virtutis exemplar respiciens perfectam consequeris sanitatem, puramque animi tranquillitatem.* Ergo licet clericis cum fœminis cohabitare, ut saltem eorum exemplo ipsæ à morum pravitate reducantur. Augetur hæc difficultas ex necessitate ipsarum fœminarum; nam ut legitur Ecclesiastici capite 36. *Ubi non est mulier, ingemiscit gens.* Unde necessarium malum mulier vocatur à D. Chrysostomo *in Matthæum cap.* 39. *homil.* 32. Unde Metellus *in oratione de ducendis uxoribus*, ad populum habita, dixit: *Si sine uxore possemus Quirites esse, omnes eâ molestiâ careremus; sed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis satis commodè, nec sine illis vivi possit, saluti perpetuæ potius quam brevi voluptati consulendum est.* Igitur saltem ob earum necessitatem cohabitatio cum fœminis clericis permittenda est. Facit exemplum Christi Domini, cujus quælibet actio debet esse vitæ nostræ instructio, *cap.* 4. *de elect. cap. nihil*, 2. *q.* 1. *Clement.* 1. *de Magistr.* Sed Dominus noster à mulieribus se tractari permisit, ut in casu Magdalenæ, & Samaritanæ; Ergo similiter clericis non debet prohiberi assidua conversatio cum fœminis. Secunda etiam pars præsentis assertionis, ubi prohibetur clericis etiam cum matre, aut sorore cohabitare, diffi-

9. *Impugnatur tradita assertio.*

cilis

gilis redditur ex eo; nam nihil tam naturæ conveniens est, quàm ut filii simul cum matre in eadem domo degant, ut vulgò probatur per textum ibi *in dicta lege ita legatum, ff. de condit. & demonstr.* Igitur clericis prohiberi non debet simul cum matre cohabitare, præcipuè cùm sacri canones cohabitationem fœminarum clericis ptohibentes, expresè permittant cum matre, & sorore cohabitare, *cap. volumus* 81. *dist. cap. à nobis, hoc tit.* etiam suprà probavi. Igitur non rectè in præsenti etiam cum matre, & sorore clericis cohabitare prohibetur.

10. De Distinctione sexuum.

Quâ dubitandi ratione non obstante defendenda est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, quod ut utriusque sexus castitati & pudicitiæ, sublatâ illecebrarum occasione consuleretur, prisci Legumlatores discretas mulierum ac virorum mansiones esse voluerunt, adeò ut Plato *lib. 7. de legibus*; jam inde à septennio utrumque sexum segregari voluerit, & pueros quidem unà cum pueris, puellas autem pariter cum puellis exerceri; nec alia ratione veteres partem illam ædium, in qua convivia celebrabantur, *Andron*, appellarunt, quàm quòd conviviis viri tantùm interessent. Suidas & Iulius Pollux *lib. 1. onomast. cap. 8.* Vitruvius *lib. 6. de Architect. cap. 10.* Ex diverso gynæceum à mulieribus dictum est conclave, in quo mulieres plerunque morabantur, authore Festo verbo *Andron*: notarunt Fornerius *lib. 1. rer. quotid. cap. 18.* P. Pinto *in specil. cap. 3. num. 2.* Ballamon *in can. 47. Synodi 6.* Quæ sexuum discretio, seu separatio, non solùm apud Græcos, ut Æmilius Probus in præfatione ait, sed etiam apud Romanos magnopere observata fuit, ut ex Plinio *lib. 2. epist. 17.* & Sidonio *lib. 2. epist. 2.* probat Savarus *in ejus notis.* Eadem ratione disparem sexum diversis carceribus includi voluit Constantinus *in l. 3. C. de Custod. reor.* Nec apud eos licebat viris simul cum fœminis lavari, ideoque distincta erant balnea virorum & fœminarum. Unde Gellius *lib. 10. noctium, cap. 3.* meminit cujusdam Consulis in M. Marium animadvertentis, eo quòd balnea in quibus uxorem lavari voluerat, nec satis cauta, nec satis citò tradita ab eo fuissent: & Hesiodus *lib. 2. oper. & dier.* præcipit, ne viri in muliebri balneo corpus abluant: & ab Hadriano Imperatore lavacra pro distinctione sexus exstructa fuisse narrat Ælius Spartianus *in eo*; adeoque turpe fuit balneum promiscuum, ut tractaretur aliquando apud Quintilianum *lib. 5. instit. cap. 9.* an idoneum esset adulterii signum lavari cum viris: quin & justis divortii causis Theodosii constitutione primùm introductis, hanc Iustinianus addidit, si mulier ita luxuriosa sit, ut libidinis causâ lavacrum commune cum viris habere audeat, *l. 11. §. ult. C. de repud. Novell. 22. cap. 16.* & *117. cap. 8.* & *9.* notavit D. Ioseph de Retes *lib. 1. opusc. cap. 23.* ad quam Gentilium reprehensionem respexerunt PP. Concilii Laodic. *can. 30.* in illis verbis: *Non oportet ministros altaris, vel etiam clericos quoslibet, aut continentes se, aut omnem omnino christianum cum mulieribus lavacra habere communia. Hæc est enim apud Gentiles prima reprehensio.* Unde non oportere viris unà cum mulieribus lavare, sæpe sancitum est in variis Conciliis congestis à Crespetio *in summa, verbo Balnea*, quæ illustrant Narbona *de ætate, anno* 14. *q.* 39. Salmutius *ad Pancirol. lib. 1. memorab. tit. 4. num.* 12. I. Gothofr. *in l. 5. C. Theodos. de cust. reor.* Casaubonus *in not. ad Spartianum, fol.* 34. Kochier *in face hist. cent. 1. cap. 5.* Pancirol. *lib. 1. var. cap. 52.* Pineda *de rebus Salomonis cap. 4. num.* 12. & fœminarum promiscuo balneo utentium intemperantiam arguit Clemens Alex. *lib. 3. Pædag. cap. 5.* his verbis: *Quæ communi balneo cum viris utuntur, & una cum veste pudorem exuentes, non tantùm à ministris fricari se, ac contrectari patiuntur, sed cum iis quoque nudis lavare non erubescunt*, &c. & ex lege Romuli pœna capitali afficiebatur qui se nudum à fœmina videri passus fuisset: refert Plutarchus *in eo*, & illustrat Philip. Camer. *horar. succes. cap. 34.* & *tom. 2. cap. 41.* Etiam separatum esse debere carcerem virorum ac fœminarum, statuitur *in l. 3. C. de custodia reor. Novell. 133. Justin.* refert Victor *lib. 3. de persec. Vandalica.* Plura de fœminarum consortio vitando docuerunt Justinus Martyr. *epist. ad Cenam, & Serem fratres.* D. Joannes Chrysostomus *homil. 9. & epist. ad Olymp.* D. Hieronymus *epist. ad Nepot. & ad Oceanum*, D. Isidorus *lib. 2. de offic. cap. 22.* Sanctus Ephrem *in exhortatione de timore*, Clemens Alexandrinus *lib. 3. Pædag. cap. 11.* ibi: *Videtur autem super omnia aversandus mulierum aspectus; non solùm enim si tanguntur, sed etiam si spectentur, potest peccari.* Suetonius *in Tiber.* ibi: *Agrippinam semel omnino ex occursu visam adeo contentis & tumentibus oculis prosecutus est, ut custoditum sit, ne unquam in conspectum ejus post hæc veniret.* Apud Ovidium Medæa ajebat:

Tunc ego te vidi, tunc cœpi scire quis esses:
Illa fuit mentis prima ruina meæ.
Et vidi, & perii.

Hinc fœminas velatas incedere consuevisse apud omnes gentes, constat. De Christianis patet ex D. Paulo 1. *ad Corinth. cap. 11.* & refert Tertullianus *in tract. de veland. virgin.* De Judæis idem ipse testatur *in tract. de corona milit. cap. 4.* De Gentilibus idem tradunt Plutarchus *qq. Roman. q. 14.* Apulejus *de asino aureo cap. 11.* Illustrant Baronius *anno* 57. Serlog. *in Cant. vestig. 6. sect. 2. cap. 25.* Antonius de Leon. *in discursu Hispano de los velos*, Theophilus *dict. tom. 12. tract. de sobria frequent. mulier. per totum*, ubi innumera ex sacris & prophanis litteris cumulavit.

11. De clericis cum familiaribus cohabitantibus.

Et si hæc inter laicos statuta, & observata legimus, quantò magis in clericis omnis familiaritas cum fœminis vitanda est, cùm eos purior vitæ sanctimonia deceat, quos non à crimine tantùm, sed à criminis etiam suspicione alienos esse oportet. Unde tot Ecclesiæ legibus ablegatas legimus extraneas fœminas à ministerio domestico clericorum: atque ob majorem securitatem, & ut omnis prava suspicio tolleretur, statutum fuit, ut tam Episcopi, quàm clerici secum testes rei domesticæ haberent, & coram eis tantùm possent alloqui fœminas, *cap. clericus 20. cap. clerici 32.* cum sequenti, *81. dist.* Concilium Brachar. *3. can. 4.* Matiscon. *can. 3.* ibi: *Nulla mulier in cubiculo Episcopi absque duobus presbyteris, aut certe Diaconibus ingredi permittatur.* Alia congerit Antonius Augustinus *lib. 6. tit. 32.* Et licèt prioribus Ecclesiæ canonibus exciperentur mater, soror, amita, & illæ, in quibus scævi criminis nihil poterat suspicari, *dicto cap. interdixit, l. eum qui,*

C. de Episcop. & Clerie. quia, ut D. Hieronymus *lib.1.contra Jovinianum* ait, ubi fororis nomen est, suspicio omnis fœdi amoris excluditur; Gregorius Turonensis *lib.8. histor. Franc. cap.19.* ibi: *Clericos canonum statuta extranearum mulierum consortio non potiri volunt, præter eas, de quibus crimen non potest existimari.* Arnobius ad Faustum: *Nullas extraneas secum habeat mulieres, præter personas canonibus designatas.* Sed cùm nihil sit tam sanctum, quod aliquando non violaret audacia, non tam naturale fœdus, quod non inquinaret luxuria, suggerente humani generis hoste, ut in exemplis relatis à Rhodigino *lib.18. antiq. lection. cap.18.* Biscíola *lib.3. horar. succes. cap.10.* Gothofr. *in l.ult. de ritu nupt.* ideò sequentibus sæculis prohibitum fuit clericis cohabitare etiam cum matre, sorore, aut similibus personis; quia & cum eis instigante diabolo scelus perpetratum reperiebatur, ut in præsenti refertur, & canonibus pro ejus confirmatione adductis. Cùm tamen posterioribus sæculis rarò, aut nunquam simile patraretur delictum, Innocentius III. *in cap. à nobis, hoc tit.* juxta antiquos Ecclesiæ canones decrevit, extranearum tantùm fœminarum cohabitationem clericis prohiberi; cum matre autem, aut sorore, & similibus cohabitationem non damnari, licèt alia pro conciliatione ipsius textus cum præsenti adduxerint Germonius *lib. 2. animadv. cap.18.* Luna & Arellanus *lib.3. antinom. cap.1.*

12. *Traditur ratio decidendi.*

His animadversis, ratio præsentis prohibitionis provenit ex periculo lapsus cum familiari cohabitatione fœminarum, quam cognoverunt sancti Patres. D. Bernardus *serm. 66. supra Cantica*: *Cum fœmina, & non cognoscere fœminam, nonne plus est, quàm mortuum suscitare? Quotidie latus tuum ad latus juvencula est in mensa; lectulus tuus ad lectum ejus in camera; oculi tui ad illius oculos in colloquio; manus tuæ ad manus ipsius in opere, & continent vix putari? Esto ut sit, sed ego suspicione non careo.* D. P. Chrysologus *serm.174.* de decollatione D. Joannis Baptistæ: *Et si Joannes tantus, Joannes talis, tantâ eremo separatus à fœminis, fœminarum pericula non evasit; quis est qui inter fœminas vivens evasurum se sine labore maximo, maxima sine cautione confidit, nisi qui sancto alitur spiritu?* Hinc & Isidorus Pelusiota *lib.1. epist.89. & lib.2. epist.62.* ait: *Omnes quidem mulierum aspectus, congressus, colloquia, si fieri posset, oportere vitari: sed quoniam ex necessariis plerunque causis earum consortium admittendum est, saltem id curandum, ut oculi velut injecto fræno cohibeantur.* D. Cyprianus *lib.1. epist.1.* ibi: *Non dico simul dormire, sed neque simul vivere; cùm & sexus infirmus, & ætas adhuc lubrica per omnia frenari, & regi debeat, ne diabolo insidianti, & furvire cupienti ad nocendum detur occasio.* D. Gregorius relatus *in cap. oportet 23. 81. dist.* Bonifacius *in cap.2. de judic. in 6.* S. Leander *lib. de instit. virginum*: *Dispar sexus in unum locatus, eo titillatur instinctus, quo nascitur; & naturalis movetur flamma, si in eo posita attigerit. Quis colligabit ignem, & non comburetur? Viri sexus & fœmina diversus, si conjungitur, quo lex naturæ provocat, commovetur.* Sanctus Antiochus *homil.17.* Unde Poëta:

Carpit enim vires paulatim, uritque videndo
Mulier.

Plura Theophilus *suprà*; Novarinus *lib. 6. aquæ nupt. excursu 27. & 28.* & cùm clerici non solùm debeant ab omni incontinentiæ labe se abstinere, verùm omne scandalum, aut scandali occasionem vitare, ideo in præsenti statuitur, inhibendum esse clericis cohabitare cum fœminis; neque quidem cùm matre, vel sorore, quia & aliquando cum illis peccatum fuisse legitur. Accedit textus *in l. non aliter 7. ff. de usu & habitat.* ubi ita demùm mulieri, cui habitatio relicta est, licet hospitem recipere, dummodo cum eo castè vivere possit.

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; 13. *Dissolvitur dubitandi ratio.*
nam licèt clerici mundi debeant esse ab omnibus inquinamentis, tamen quia humanum genus multis periculis obnoxium est, nosque velociùs, ac citiùs corrumpunt domestica exempla, Seneca *epist.91.* ibi: *Id agere debemus, ut irritamenta vitiorum quam longissimè profugiamus, indurandus est animus, & à blandimentis voluptatum procul abstrahendus.* D. Hieronymus *epist.15.* ibi: *Nihil in te videat sitta, quod si fecerit, peccet: mementote vos parentes virginis, eamque magis exemplis docere posse, quàm voce.* Seneca *epist.104. Harebit tibi avaritia, quandiu avaro, sordidoque convixeris; harebit tumor, quamdiu cum superbo conversaveris; nunquam sævitiam in tortoris contubernio depones; incendent libidines tuas adulterorum sodalitia: si velis exitus exui, longè à vitiorum exemplis recedendum est.* Plura congerit Robertus *lib.1. rer. judic. cap.9.* ideò clericis prohibitum fuit propter periculum lapsus, cum fœminis cohabitare. Nec obstat quod de exemplo Domini nostri expendebamus; nam ejus conversatio cum fœminis fuit ad ipsarum conversionem, quod clericis non prohibetur. Nec etiam obstat textus *in dict. cap. volumus, 81. dicto cap. à nobis, hoc tit.* quibus juxta temporum seriem ex suprà dictis facilè fit satis.

Sed quid per introductas fœminas intellexe- 14.
runt Patres Concilii Nicæni *in cap. interdixit, 32. dist.* in illis verbis: *Interdixit sancta Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, non Subdiacono, non alicui omnino, qui in clero est, habere subintroductam mulierem*; non consentiunt Interpretes. Uxorem clerici exposuit Turrian. *lib.2. de dogmat.* Libidinis socium interpretatur Espeuceus *lib.2. de continent. cap.7.* Sed his omissis jam in canone 27. Concilii Illiber. notavi, subintroductas fœminas neque esse uxores, neque concubinas, sed tertii cujusdam generis mulieres esse, quas secum clerici non sobolis suscipiendæ gratiâ, sed pietatis studio, aut certè prætextu, fovebant, de quibus agunt Nicolaus I. *in.* 11. *de presbyt.* ibi: *Concubinam, aut subintroductam.* Justinianus *in novella de SS. Episcop. §. presbyteris* Epiphanius *hæresi 63.* de Origine agens: *Accusant eos qui in Ecclesia dilectas, appellatas subintroductas, mulieres habent, velut etiam ipsi hoc faciant occulte propter hominum reverentiam, quocum improbitate equidem consepeliuntur; prætextu autem hominum gratiâ nomen jactent.* Et paulò pòst de quodam Palæstin Episcopo: *Habuit autem ejusmodi mulieres inservientes ipsi, subintroductas inquam.* Iam docuerunt Cujacius *lib.2. observ. cap.29.* Meril. *lib.6 obs. cap.1.* Germonius *lib. 2. animadv. cap.13.* Petrus Gregorius *lib.2. part. tit.9. cap.8.* Cironius *ad tit. de sponsa. duorum* Gibalinus *de clausur. disquis. cap.3. §.2. concl.4.* Filesacus *lib.1.* *Exponitur cap. internon dixit, 32. dist.*

*lib.1 select.cap.*10. Theophilus Raynaud *tom.* 55. *hetrocl. spirit. p.*1. *punct.* 2. *fol.* 112. Christ. Lupus *in can.*3. *Concil. Nican.* Diversæ ab his fuerunt sorores adoptivæ, hoc est, fœminæ, quæ ad eludendum canonem Nicænum supra relatum, clerici secum retinebant, sub nomine sororum seu agapetarum, de quibus D. Hieronymus, & alii Patres laudati *in dicto can.*27. *Concil. Illib.* D. Chrysostomus *orat. ad eos, qui habent conductitas virgines*, Gregorius Nazianz. *orat. in nova Dominica*, Concilium Ancyr *can.*16. ibi: *Virgines autem, quæ convenient cum aliquibus tanquam sorores, habitare prohibemus.* Brachar. 1. *can.*15. *Aliasque aliquas adoptivas fœminas secum retineas.* Imperator *in l.*19. *C. de Episc. & cleric. Eum qui probabilem sæculo disciplinam agit, decolorari consortio sororiæ appellationis non decet.* Suspectum nämque & apud Gentiles fuit sororis nomen & fratris; sub hisque honestis nominibus latuisse simulatæ veneris nequitiam, constat ex Martial. *lib.* 1. *epig.* 4. & *lib.* 12. *epig.* 20.

Quare non habeat, Fabulle quæris,
Uxorem Themison, habet sororem.

Et *lib.*10. *epig.* 65.

Quare desine me vocare fratrem,
Ne te, Carmention, vocem sororem.

Et *lib* 2. *cap* 4.

O quàm blandus es, Amiane, matri!
Quàm blanda est tibi mater, Amiane!
Fratrem te vocat, & soror vocatur.

Propertius *lib.*2. *ad Cinth.* Tibul. *lib.*3 *eleg.*1.

Hæc tibi vir quondam, nunc frater, casta Nereus
Misit, & accipias, munera parva rogat

Petronius *in satyr. Si non fastidis fœminam ornatam, & hoc primùm anno virum expertam, concilio tibi, ô juvenis, sororem; habes tu quidem & fratrem.* Notarunt Justus Lipsius *lib.* 2. *var. lect. cap.* 1. D. Laurentius Ramirez *ad Martial.* dictis in locis. De quibus ementitis clericorum sororibus agunt Filesacus *suprà*, Balsamon *ad can.* 3. *Synodi Nican.* Ambianus *ad Tertul. de exhort. castit. cap.* 12. *observ.*2. Basilius *de matrim lib.*7. *cap.*28. Lantdmeter *de veteri clerico lib.*2. *c.*47. Æneas Robert. *lib.* 2. *rer. judic. cap.*2.

Hinc etiam exponendi sunt duo canones, alius Concil. Tolet. 8. alius Concil. Epaunensis, quos illustravi *in d. can.* 27. *Concil. Illiber.* & *in cap. monasteria* 8. *de vita & honest. cleric.*

CAPVT II.

Ex Decreto (a) *Eugenii Papæ.*

SI quispiam sacerdotum, id est, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, de quacunque fœmina crimine fornicationis suspectus, post primam, & secundam, & tertiam admonitionem inveniatur fabulari cum ea, & aliquo modo conversari, excommunicetur; fœmina verò (b) canonicè judicetur.

NOTÆ.

(a) *Eugenii Papæ.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 5. & apud Gratianum *in cap.*12. 88. *dist.* sed addendum est, ex Decretis Eugenii Papæ II. editis in Synodo Romana celebrata anno 826. pro reformatione morum, & restituenda disciplina ecclesiastica, ubi *can.*14. reperitur sententia in præsenti transcripta, licet non eisdem verbis: in Conciliis editis à Surio *tom.* 3. ita habetur: *Præcipimus observari, ut qui in ordine Subdiaconatus, aut suprà, uxorem duxerint, aut concubinas habuerint, officio ecclesiastico, & beneficio careant.* Et apud Corjolanum *in summa Concilior. in præfato anno*, summa canonis ita legitur: *De suspectis sacerdotibus, ut admoneantur ab Episcopo.*

(b) *Canonicè judicetur.*] Id est juxta sacros canones: primò ut excommunicetur, *cap. si concubina, de sent. excom.* Secundò ut pœnitentiæ peragendæ causâ in monasterium detrudatur, *cap. fraternitatis* 7. 34. *dist.* aut si perseveraverit, in servitutem reducatur, *cap. eos*, 10 32. *dist.* Concil. Hispal. 1. *can.* 3. ibi: *Inter cætera verò cognoscite à nobis hoc definitum pro abolendis maculis clericorum, quia quidam Episcoporum non observantes nuper editum Concilii Toletani decretum, minùs solliciti in subjectis existunt: proinde placuit, ut si Presbyteri, Diacones, vel Clerici consortia extranearum fœminarum, vel ancillarum familiaritatem per sacerdotis sui admonitionem à se minùs removerint, in secundis judices eosdem mulieres cum voluntate & permissu Episcopi comprehensas in suis locis insurpent, ut vitium hoc dum sacerdos inhibere non prævalet, potestas judicialis coerceat; dato tamèn ab eisdem judicibus sacramento Episcopis, ut eas clericis nulla arte restituant: quod si restituerint, ipsi judices sententiâ excommunicationis feriantur; mulieres verò illæ juxta priores canones à sacerdotibus distractæ, in monasterio Deo votarum tradantur servitura;* & aliis pœnis juxta Tridentinum *sess.* 25. *de reformat. cap.*14. Hinc etiam probatur concubinam clerici debere puniri per judicem ecclesiasticum, quod latè fundat Frances *de competentia quæst.*87. *per tot.*

CAPVT III.

Alexander III. (a) *Salernitano Archiepiscopo.*

CLericos autem in sacris ordinibus constitutos, qui in domibus propriis publicè detinent concubinas, ad eas (b) abjurandas nolumus à tua fraternitate compelli,

ne in eadem fornicatione instinctu fraudis diabolicæ redeant, & insuper reatum perjurii incurrant. Verùm ipsos per suspensionis, & interdicti sententiam debes arctius cogere, ut mulieres ipsas à se ita removeant, ut de ipsis siniſtra suspicio non possit haberi; & si qui eorum ad ipsas redire, vel alteras accipere fortè præsumpserint, in aliquos illorum debes (c) perpetuò sententiam excommunicationis vindicare, ut alii eorum exemplo à similibus arceantur.

NOTÆ.

(a) *Alertiano.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 4.* ubi additur pars capitis, *cunctos sint*; quibus verbis innuitur referri in præsenti partem textus *in cap. cùm tu 5. de usuris*, qui etiam missus est eidem Prælato, & alia fragmenta extant *in cap. ad hæc 13. de præbend. cap. ad hæc, de testam.* De Ecclesia Salernit. nonnulla notavi *in cap. 1. de offic. judic.*

(b) *Abjurandas.*] Abjurare propriè est cum juramento renunciare, seu abjicere, ut notavi *in cap. 4. de rescript.*

(c) *Perpetuò.*] An excommunicatio in perpetuum infligi possit, jam disputavi aliàs.

COMMENTARIUM.

1. DEcisioni huic consonat Concil. Cabilon. 2. *can.* 18. ibi: *Dictum est nobis, quod in quibusdam locis Episcopi, & comites ab incestuosis, & ab iis qui decimas non dant, vadæ accipiunt, & à presbyteris pro quibusdam negligentiis, inter se pecunias dividunt; quod penitus abolendum decrevimus, ne fortè avaritiæ locus detur: & constituimus, ut incestuosi juxta canonicam sententiam pœnitentiâ mulctentur. Qui verò decimas post crebras admonitiones, & prædicationes sacerdotum dare neglexerint, excommunicentur. Juramento verò eos constringi nolumus, propter periculum perjurii.* Quæ verba reperiuntur in Capitul. Caroli *lib. 2. capit. 38.* Facit Concil. Epaun. *can. 39.* ibi: *Servus reatu atrociore culpabilis, si ad Ecclesiam confugerit, à corporalibus tantùm supplicis excusetur; de peccatis verò, vel quocunque opere, placuit ad hominis juramenta non exigi.* Prohibetur ergo in præsenti Prælatis Ecclesiasticis abjurationem concubinarum injungere clericis sibi subditis, propter periculum perjurii; non quia ullo modo Ecclesia intendat in clericos concubinarum assuetudinem leniter reprehendere, aut mitiori pœnâ vindicare; unde suspecta mihi semper vita est doctrina Abbatis Panormitani *in cap. ut clericorum 13. num. 4. de vita & honest. cleric.* quam sequuntur Stephanus Aufrerius *in Clement. 1. de offic. ordin. solum. 15.* sive *num 25.* Palacios Rubios *in cap. per vestras, §. 18. num. 15. de donat. inter:* & cum cautela quasi metuens, & ei parum fidens, Bernardus Diaz *in praxi cap. 79. ad finem*, juxta partitionem Salcedi; docet (inquam) Abbas, si judex agnoscit in deteriora vitia, & magis abominabilia peccata clericum casurum, ex quo concubina ei auferatur, posse dissimulare ad tempus, absque peccato, donec opportuniore in tempore corrigatur, & emendetur. Doctrina hæc non admittit usum, aut permissionem concubinarum; sed loqitur ex hypothesi, & in casu speciali. Nihilominus retineri non potest; nullus enim casus potest dari, in quo clericus, vel laicus concubinarius, & in luxuriam effrænis, refrænari non possit, & ad bonam frugem reduci carceribus, interminationibus, & pœnis. Ergo metus, quem fingunt sibi Authores isti, vanus est. Tum etiam quia correctio fraterna potest cessare, si inde timetur deteriorem evasurum, qui corrigitur. Correctio verò judicialis, & quæ ex obligatione justitiæ injungenda est, non est omittenda propter turbationem, vel fragilitatem delinquentis; habet enim judex vim coactivam, ut per pœnas cogat eum, ut peccare desistat; vel si nolit, ut exemplum fiat, quo alii terreantur, ut doceat, & distinguit D. Thomas *2. 2. quæst. 33. art. 6. in corpore.* Quam distinctionem agnoscunt Sotus *de tegendo secreto, membro 2. q. 2.* ex illis verbis: Unde prudenter Sanchez *lib. 6. consil. moral. cap. 2. dub. 8. tom. 2.* Illustr. Tapia *2. tom. cateræ mor. lib. 1. q. 6. art. 7.* Magnus Præceptor meus D. Franc. Ramos *in acclamatissima supplicatione ad Sanctissimum de Episcopatibus Insitaniæ, propos. 4. §. 6.* Deinde quia nonnunquam licet ad tempus cedere, & occasionem medendi quærere; sed hoc in potentibus Principibus, aut multitudine, à quibus grave malum, vel schisma metui potest, ut habemus *in cap. ult. de transact. cap. 2. de præscript.* & in aliquibus locis à Gratiano relatis *90. dist.* Non tamen cum hoc, vel illo privato, qui ad ordinem redigi, etsi difficulter, potest, nisi judices ipsi metum sibi incutere velint, aut affectent. Denique invenio quæstionem hanc discussam, & decisam à Patribus Concilii Basileensis *sess. 20. decret. 1. de publicis concubinariis*, per hæc verba: *Quod si hi, ad quos talium correctio pertinet, eos, ut prædictum est, punire neglexerint, eorum superiores, tam in ipsos de neglectu, quàm in illos pro concubinatu modis omnibus digna punitione animadvertant. In Conciliis etiam provincialibus, & synodalibus adversus tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiam per suspensionem à collatione beneficiorum, vel aliâ condignâ pœna severiter procedatur.* Quæ verba Concilii, utpote relata in Bulla Leonis X. ad Regem Franciæ, exponit, & illustrat singularibus scholiis Vermundus Choveronius *ad tit. de public. concubin. pag. mihi 213. & sequenti*, ubi de obligatione Prælatorum hac in re latè agit, & post eum Petrus Rebuffus, licèt de hac quæstione agere superfederint. Nec dubito quin Patres, ipseque Abbas jam Cardinalis, & Panormitanus Archiepiscopus, qui illi Concilio interfuit extremam senectutem agens, ut testis est Valentinus Phosterus *lib. 3. de hist. juris civil. cap. 34.* prædicta verba protulerint ad hanc tunc novellam opinionem exterminandam, de qua sic melius censeri debet cum D. Gregorio *homil. 32. in Evangel. paulò post princip.* ibi: *Compassionem verò animi plerunque latenter obsidet pietas falsa, ut hanc nonnunquam usque ad condescendendum vitiis pertrahat, cùm ad culpæ quisque non debeat exercere compassionem, sed zelum; compassio quippe homini, & rectitudo vitio debetur, ut in uno, eodemque homine & diligamus bonum, quod factum est; & persequamur malaquæ fecit. Quid si diversi, & tam dissimiles homines? Necdum culpas incauti remittimus, ne jam per charitatem compati,*

sed

sed per negligentiam concidisse (aliàs *concessisse*) *videamur.*

Ex proximè adductis constat, si schismatis periculum instet, vel alia gravissima damna possint prudenter timeri, non facilè Prælatos, nec ipsum Summum Ecclesiæ Præsulem gravioribus remediis debere uti, ad avertruncanda vitia, quæ in animis hominum altas egerunt radices, ne dum procuratur eradicari zizania, eradicetur & triticum. Sic docuerunt Divus Augustinus à Gratiano relatus *in cap. ut constitueretur*, 25. 50. *dist. & in cap. non potest*, 32. 23. *quæst.* 4. addendus solidè, ut semper, D. Thomas secundâ secundæ, *quæst.* 43. *artic.* 7. *per totum*, ubi docet, præcipuè in responsione ad primum argumentum, abstinendum à pœnis, quando ex illis non medicina, sed ruina potest evenire. Consonat Leo Papa, & Gregorius IV. *in cap. licet* 4. *cap. licet* 6. 45. *dist.* in quo etiam sensu possunt accipi, quando non accipiuntur de charitativa, seu fraterna correctione, ut frequentiùs accipiuntur, textus *in cap. quando* 23. 11. *quæst.* 1. & *in cap. si quis* 4. *in fine*, *de pœnis dist.* 7. notaruntque pridem veteres Canonistæ, Panormitanus *in cap. significavit*, *num.* 3 *de eo qui duxit in matrim.* Felinus *in cap. Apostolicæ*, *num.* 3. *de eo qui duxit in matrim. quam priùs polluit*: post quos Covarr. *in cap. alma, in initio* 1. *p. num.* 10. Jacob. de Grassis *de cas. conscient. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 1. *à num.* 25. & *lib.* 1. *de arbitr. confes. cap.* 22. *num.* 1. fusè & doctè Ægidius Carlet. Cammeracensis *in orat. de punit. peccat. public.* in Concilio Basileensi habita, eximius Præceptor D. Franc. Ramos *pro Episc. Lusit.* 4. *p.* §. 6. *in princip.* Idcircò licèt Summi Pontifices Concilia generalia, provincialia, & nationalia, tam exactam curam egerint ad statuendam clericorum continentiam, ut ex multis testimoniis constat, quæ in unum congerit Claudius Espenceus *in lib. de continentia*; tamen concubinas ipsas cum juramento abjurandas esse noluerunt propter periculum perjurii, cùm facilè possint iterum labi, & prolabi in idem vitium: dicemus proximo commentario.

CAPVT IV.

Alex. III. (a) *Cant. Archiepiscopo, & ejus Suffraganeis.*

SIcut ad extirpanda vitia, quæ periculum patiunt animarum, summopere nos decet intendere: ita etiam nos convenit germina propagare virtutum, ex quibus fidelibus salutis augmentum, & sacris Ecclesiis decor proveniat honestatis. Unde cùm in Anglia pravâ & detestabili consuetudine, & longo tempore sit obtentum, ut clerici fornicarias in suis domibus habeant; nos volentes tam grave scandalum de populo removere, & prædictos clericos ad honestatem ecclesiasticam reducere: f. t. per A. s. m. quat. clericos vestræ jurisdictionis, qui in (b) Subdiaconatu, & supra, in domibus suis fornicarias habuerint, studiosè monere curetis, ut à se fornicarias di. & ap. cess. removeant, eas ulteriùs non admissuri. Si verò infrà XI. dies post commonitionem vestram vobis in his fortè acquiescere contempserint, eos ap. rem. ab Ecclesiasticis beneficiis, usque ad dignam satisfactionem suspendatis; & si eas suspensi præsumpserint detinere, ipsos ab eisdem beneficiis perpetuò removere curetis.

NOTÆ.

(a) *Cantuar.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 5. ex qua restituo textum hunc. De Ecclesia Cantuariensi, & B. Thoma ejus Præsule, cui in præsenti rescribit Alexander, nonnulla notavi *in cap.* 2. *de rescript.*

(b) *Subdiaconatu.*] Quando Subdiaconis votum continentiæ injunctum fuerit, jam exposui *in cap. à multis*, *de ætate & qualitate*, & *in can.* 33. *Concil. Iliber.*

CAPVT V.

Idem (a) *Eborac. Episcopo.*

SUper eo verò, quod asseris A. presbyterum detinere fornicariam, & eam ad crebram admonitionem tuam dimittere nolentem, ab officio suspensum: prud. t. respondemus, quod si super hoc ad præsentiam nostram appellatum sit, si contigerit ipsum ad nos accedere, prout expedire viderimus, pertinaciam ejus, & audaciam corrigemus. Si verò non venerit ad præsentiam nostram, suspensionis sententiam in eum propter hoc latam, tamdiu volumus observari, donec fornicariam suam à se prorsus abjiciat, & vivat, sicut decet presbyterum, continenter. Porrò si litteras à nobis obtinuerit, quæ facti seriem non continent, nolumus litteras ipsas (b) prodesse.

NOTÆ

NOTÆ.

1. (a) *Eborac.*] In prima collectione *sub hoc tit. c.* 8. legitur Bidicæno, quæ Ecclesia Bidicæna est in Africa; post Concilium verò Lateran. *p.* 18. *cap.* 9. legitur Eboracensi; quæ inscriptio retinenda est, cùm enim illi Archiepiscopo plures scripsisset epistolas Alexander III, quæ sparsæ reperiuntur in hoc Decretalium volumine, nulla reperitur missa Bidicæno Præsuli; unde cùm constet ex principio hujus textus, in eo referri partem alterius Decretalis, & nulla legatur missa Episcopo Bidicæno, retinenda est inscriptio quæ habet *Eboracensi*.

(b) *Prodesse.*] Ut *in cap. quod super his 7. de fide instrum. can. 72. Concil. Afric.* junctis traditis pro illius expositione *in cap. super*, 20. *de rescript.* 2.

CAPVT VI.

Idem (a) *Lundon. Episcopo.*

SI autem Clerici tuæ jurisdictionis, sive in sacris ordinibus, sive in inferioribus constituti fornicarias detinent, nisi eas ad secundam, vel tertiam commonitionem à se dimiserint, eas contempturi de cætero, liceat tibi eos Ecclesiis, vel eorum portionibus, si quas habent, ap. postp. spoliare, & ipsis officia interdicere.

NOTÆ.

(a) *Undon.*] In prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 7. legitur Landon. & additur pars capitis *ad aures*: unde colligitur in præsenti referri secundam partem textus *in cap. ad aures, de institutionibus, in* 1. *collect.* ubi Lundonensi Episcopo scribit idem Alexander III. De Ecclesia Lundonensi, sive Lundensi nonnulla notavi *in cap.* 2. *de consuet.*

COMMENTARIUM.

1. *Conclusio traditur & probatur.*

EX his tribus decisionibus talis deducitur assertio: *Clerici concubinarii per suspensionis, depositionis, excommunicationis, & privationis beneficii pœnas cogendi sunt concubinas dimittere, eas autem abjurare compelli non debent.* Probant eam textus *in can.* 24. & 25. *Apost. cap. presbyteris*, 8. 27. *dist. cap.* 2. *cap. presbyterum*, 28. *dist. cap. presbyter.* 12. 81. *dist.* Concil. Aurelianen. 3. *can.* 4. & 7. *cap. hi qui*, 50. *dist. cap. ut clericorum, infrà tit. proximo, cap. cum multæ* 8. 15. *quæst.* 8. *cap. si quis* 6. 27. *quæst.* 1. *cap. ult.* 81. *dist.* Concil. Illerdens. *can.* 5. Urbanus II. in Synodo Claromont. *can.* 9. ibi: *Nullus Sacerdos, aut Diaconus, vel Subdiaconus; sed & nullus, qui canonicam habet, fornicationis sibi copulam adjungat; quod si fecerit quis, à canonica omnino arceatur.* Eugenius III. in Synodo Romana *can.* 3. Concil. Illiber. *can.* 18. & 30. Wormat. *can.* 11. ibi: *Sacerdotes, si in fornicationis laqueum ceciderint, aut criminis manifestus, sive ostensus fuerit actus, sacerdotii non possunt habere honorem.* Et *cap. ex parte, de testibus.* Alia juris testimonia congesserunt Antonius Augustinus *in epit. lib.* 6. *tit.* 34. & 35. Crespetius *in summa, verbo Concubinarii*, & *verbo Mulierum contubernium.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa & Garanna, idem Barbosa *lib.* 1. *jur. ecclesiast. cap* 40. *num.* 43. & *de potest. Episcop. alleg.* 15. *num.* 18. Petrus Gregorius *lib.* 4. *partit. tit.* 14. *cap.* 7. & *de beneficius cap.* 25. Basilius *de matrim. lib.* 7. *cap.* 33. Elpenceus *lib.* 6. *de continentia, cap.* 6. Mendoza *lib.* 2. Concil. Illiber. *cap.* 19. Germonius *lib.* 1. *anim adv. cap.* 8. Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri mon. cap.* 8. Lemaistre *de instit. Episc. tit. de cœlibat. lib.* 4. *cap.* 3. Sausay *in Panopl. cleric. p.* 1. *lib.* 7. *art.* 4. Pater Mendoza *in quodlibet. quæst.* 4. *positiva, num.* 4. Ambianas *ad Tertul. de exhort. castit. cap.* 6. *observ.* 2. Theophil. Raynaud. *de calumnia sect.* 2. *serie* 2. *cap.* 5. P. Fragoso *de regim. Christ. reipub. tom.* 1. *lib.* 2. *disput.* 4. §. 14. Anguianus *de legibus lib.* 3. *cap.* 19. Valensis *de beneficiis lib.* 1. *tit.* 23. *num.* 7. & *lib.* 3. *tit.* 11. *num.* 10. latè Murga *de quæsit. mor. tract.* 1. *de quæsit.* 12.

Sed in hanc assertionem ita pro dubitandi ratione insurgo: Non solùm continentia juri divino, civili, & ecclesiastico consona non est, immò contraria; siquidem liberis operam dare lege divina, & humana jussum reperitur. Lege divina, *Deuter. cap.* 7. ib: *Non erit apud te sterilis utriusque sexus.* Juxta præceptum illud, *Crescite & multiplicamini.* Jure civili concubinatum permissum fuisse satis notum est *ex l.* 1. & *per totum ff. de concubinis*, & aliis infrà referendis; & simplicem fornicationem innoxiam esse, nonnullos Stoicos censuisse testantur sanctus Hieronymus *lib.* 2. *in Jovin.* S. Thomas *sect.* 1. *in cap.* 5 *prior. epist. ad Corinth.* Nilum Scholasticum ita censentem reprehendit Peluscota *lib.* 5. *epist.* 241. De Philosophis Græcis idem refert Humbertus Cardinalis Silvæ Candidæ *in respons. ad eorum calumnias.* Jure etiam canonico concubinatum inter solutum & solutam permissum fuisse, satis aperte constat *ex cap. is qui non habet, cap. Christiano*, 34. *dist.* Ergo si omni jure concubinatus liberorum suscipiendorum causâ permissus fuit, non debet in clericis sub pœnis depositionis, & excommunicationis prohiberi. Accedit exemplum Patriarcharum vetetis Testamenti, qui etiam pro temporis modo sacerdotes erant, eosque plures concubinas habuisse, constat *ex Genesis cap.* 16. 22. 25. 29. 30. 33. 35. & 36. Et Davidem decem concubinas habuisse refertur *lib.* 2. *Regum, cap.* 5. 15. 16. 19. & 20. Et Salomonem trecentas habuisse legitur *lib.* 3. *Regum, cap.* 11. Roboamum sexaginta *lib.* 2. *Paralip. cap.* 11. narrat Iosephus *lib.* 12. *antiquit. cap.* 1. Tertul. *de exhortat. castitatis, cap.* 6. Igitur concubinatus non ita severâ animadversione debet vindicari in sacerdotibus legis gratiæ. Deinde difficilis redditur posterior pars assertionis, ubi affirmatur clericos non esse compellen- 2. *Impugnatur hæc assertio.*

pellendos abjurare concubinas, *ex cap. qui clerici vel vovent.* in cujus specie clerici coguntur abjurare mulieres injustè ductas, quæ parum differunt à concubinis. Ergo similiter & concubinas abjurare cogi possunt.

Quâ difficultate ita fulcitâ non obstante, vera 3. *Differre & meretrice.* est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, magnam differentiam versari inter meretricem, pellicem, & concubinam. Meretrix enim est, quæ multorum libidini patet, & corpore suo quæstum facit; unde à merendo meretrix dicta est. D. Isidorus *lib. 10. etymol. cap. vidua 34. dist. l. palam 42. ff. de ritu nupt.* Requiritur ergo ut fœmina meretrix dici possit, ut multorum libidini pateat, non tamen desideratur ut viginti tria millia admittat, ut volait Glossa *in dict. cap. vidua*; sufficit enim duorum numerus: unde si fœmina duos recipiat ob quæstum, parataque sit alios quoscunque excipere, meretrix dici potest, *cap. meretrices 32. quæst. 4.* Illustrat Mendoza *lib. 3. Concil. Illiber. cap. 44.* De his mulieribus publicè in lupanaribus prostitutis, latiùs agemus *in cap. inter opera, de sponsal.* & plura congesserunt Salmutius *ad Panciroli am lib. 1. memorab. tit. 45.* Iuretus *ad Symmachum lib. 5. epist. 66.* & ad Prudentium *lib. 1.* Petrus Gregorius *lib. 10. syntag. c. 2.* Savarus *ad Sidonium lib. 9. epist. 6.* Georgius Ambian. *ad Tertul. de pudic. cap. 1. observ. 4.* Pellex multùm à meretrice distat, significat enim mulierem consuetudinem habentem cum conjugato, cui uxor adest, *l. 144. ff. de v. s.* ita enim dicta est à pellendo, eo quod legitimam uxorem pellat. Gellius *lib. 4. noctium cap. 3.* Laurentius Valla *lib. 6 eleg. cap. 48.* de ea Ovidius *epist. 6.*

---- nocuit mihi barbara pellex.

Et *in Metamorph.*

Tunc erit & matris pellex, & adultera patris.

Nec jure civili pellicem habere permissum fuit, ut ex Festo, Gellio, & aliis probat Connanus *lib. 8. comment. cap. 13.* immò lege XII. Tabul. ita de pellice cavebatur: *Pellex aram Junonis ne tangito; si tetigerit, crinibus dimissis fœminam cædito.* Pellicatus verò adhuc jure antiquo prohibitus reperitur, *l. 3. in fine, C. comm. de manum. l. uit. in fine, ff. de divort. l. eâ, 121. §. 1. ff. de verb. obl.* Paulus *lib. 2 sentent. tit. de concubin.* ibi: *Eo tempore, quo quis uxorem habet, concubinam habere non potest.* Ergo ex his verbis constat, jus antiquum, de quo Iustinianus *in d. l. 3.* non ad Constantinum esse referendum, sed ad antiquius tempus, cùm sæculo Iurisconsultorum vigeret. Non aliis ducuntur rationibus Cujac. & Gothofredus, ut credant ineptè Constantino datam sanctionem, de qua *in l. 1. C. de concub.* Verùm non tam facilè admittenda Triboniani accusatio; nam subscriptio inscriptioni, & quævis legis particula legi toti convenit; & quid attineret ad Tribonianum dissimili authori constitutionem acceptam ferre, præsertim cùm rem & Marciani novella, & Sozomeni authoritas, à Gothof. ibi relatæ, mirè com probent? Quare dicendum est. desuetudine jus priscum sublatum, in usum venisse novâ illâ constitutâ lege; & ita quia instauravit Constantinus jus obliteratum, prohibuisse pellicatum dicitur. Plura de pellicibus congesserunt Fornerius Gentilis, & Gœdeus *in dicta l. 144.* Sotomayor *in cap. 6. Cantico. num. 7.* Alex. ab Alex. *lib. 1. dierum genial. cap. 24.* Acunna *in cap. laici 6 num. 4. 23. dist.* Concubina est, quæ in alicujus domo vivit, citra nuptias; quam focariam interdum appellant juris Authores, *l. quæsitum 12. §. Trebatius. l. si ita 15 in princip. ff. de instructo, l. 2. C. de donat. inter, l. 3. C. de condit. insert.* Paulus *lib. 3 sentent. tit. 6.* quia scilicet cum patrefamilias eodem foco, ac lare victitat. Illustrat Fornerius *lib. 1. ver. quot. cap. 22.* Aliquando confunditur focaria cum fornicaria, ut *in cap. 4. supra, tit. proximo*; sed non rectè, nam fornicaria est meretrix sic dicta à fornicibus, sub quibus scorta prostare consueverant. Isidorus *lib. 10. origin.* De his concubinis, seu focariis in præsenti agitur. Concubinatus igitur est commercium carnis assiduum, & continuatum cum certa ac determinata fœmina, sive domi, sive alibi retenta: repugnat pudicitiæ, & virginitati, quam adeò Dominus commendavit, ut nec nasci voluisset, nisi sub signo virginis, ut notavit P. Mendoza *in quod libet. q. 4. positiva*, post cujus adventum nunquam licuit Christianis concubinas habere, ut latè probant Espenceus *integro lib. de continentia* Bermundus *peculiari libro de concubinis*, & alii infrà citandi.

Deinde sciendum est, concubinatum omni jure esse prohibitum: & ut à jure naturali incipiamus, scire oportet, dubium esse apud Interpretes, an concubinatus sit contra naturam, sive contra inclinationem, quæ debet esse homini naturalis? Et in primis videtur, non repugnare naturæ, siquidem concubinatus legitima conjunctio dicitur, *l. 3. §. 1. ff. de concubin.* ibi: *Nam quia concubinatus per leges nomen assumpsit, extra legis pœnam est*; id est per legem Juliam, *de maritand. ordin.* ut docet Cujacius *in t. Massurius 144. ff. de v. s. l. si qua illustris, 5. C. ad Orfician.* ibi: *Sin autem concubina liberæ condicionis constituta, filium, vel filiam ex licita consuetudine ab homine libero habita procreaverit*, &c. Ecce appellavit Iustin. concubinatum licitam consuetudinem. Allusit Photius Patriarcha *in nomocan. tit. 13. cap. 5.* ubi ad epitomen redegit dictam legem *Massurius.* Addendus ibi Ballamon *de scholiis*, ubi eleganter exponit ex jure utriusque Imperii. Deinde quia concubinatus est accessus certi ad certam, domique rerentam, ex qua utrique parenti nota proles nascitur, ut colligi non malè potest *ex cap. per tuas 10. de probat.* quam nuper, & cum acumine & cura explicuit noster D. Ferdin. Arias de Mesa *lib. 3. var. cap. 39. ferè per totum.* Tandem quia concubina ab uxore, solâ animi destinatione differt, *l. concubinam 4. de concubin.* adeò ut si ingenuam mulierem, cum qua secundùm leges potuit celebrare matrimonium, in concubinatu quis retineat sine testatione hoc manifestum faciente, necesse ei est vel uxorem illam habere, vel incidit in pœnam legis Iuliæ de stupro, *l. in concubinatu 3. in princip. eod. tit. junctâ l. in liberæ 24. de ritu nupt.* Hinc ille testator, de quo *in l. Titia 35. de auro & argento*, ita concubinæ legatum relinquebat: *Titiæ amicæ meæ, cum qua sine mendacio vixi*; id est, cum protestatione, me illâ non fuisse usum, nec affectu maritali, nec tali affectus dissimulatione, quâ posset decipi; sed cum expressa concubinatus protestatione, ut exposuerunt Arias de Mesa *d. lib. 3 var. cap. 40. num. 4.* D. Iosephus de Retes *lib. 8 opusc. cap 22.* Quæ destinatio animi, & imminutio dignitatis parum,

4. *De concubinatu.*

aut

aut nihil officit naturali inclinationi suscipiendi liberos, immò nec educationi liberorum; cùm certus sit naturaliter pater, & certa mater, & in eadem domo degant, in qua non minorem curam gerere possunt prolis, quàm qui conjuncti sunt legitimo matrimonio; maximè si continuam cohabitationem promiserint solenniter, aut juratò spoponderint. Et tandem inter concubinam, & uxorem præter dignitatem nihil interesse, putarunt Consulti *in l. item legato 49. §. parvi, ff. de legat. 3. l. cum tabulis 16. §. quoniam, ff. de his quib. ut ind.* cum aliis congestis à Cujacio *3. obs. cap. 18.* Fabro *in Papin. tit. 9. princ. 5. illat. 3.* & *princip. 6. illat. 17.* Faciunt quæ fusè cumulavit Cromvel. ut adstrueret simplicem fornicationem ab intrinseco non fuisse malam, nec jure naturali prohibitam. Sed adhuc contraria sententia vera est, adeò ut oppositâ, non obstantibus superioribus rationibus, falsa prorsus sit. Probatur primò, quia nulla est legitima conjunctio ex jure naturali, nisi matrimonium, per quod retinetur individua vitæ consuetudo, ut probant plures Ecclesiæ Patres, quos referunt Theophilus *tom. 4. lib. 6. sect. 2. cap. 8.* Primarius noster Basilius Pontius *de matrim. lib. 7. de impedimentis, cap. 54.* qui eò magis ad hanc rem pertinent, quòd loquuntur de matrimonio, prout opponitur concubinatui, nedum vago concubitui: atqui concubinatus non est matrimonium, ut in comperto est: ergo concubinatus non est conjunctio secundùm naturam. Fateor hoc argumentum petere rationem principii, repetit enim, cur solum matrimonium sit conjunctio secundùm naturam. Secundò sic arguitur: In concubinatu non est votum procreationis liberorum, sed explendæ libidinis: atqui votum explendæ libidinis non congruit homini, ut animali rationali: ergo concubinatus est contra naturalem inclinationem, quam homo, ut talis, debet habere. Major propositio, in qua est vis argumenti, probatur ex D. Augustino *lib. 4. confessionum, cap 2. num. 1. In illa* (inquit de se) *annis unam habebam, non eo, quod legitimum vocatur, coniugio cognitam, sed quam indagaverat vagus ardor inops prudentiæ; sed unam tamen, ei quoque servans tori fidem.* Nota qualem, & quam fidelem concubinatum descripsit Sanctissimus Pater. Posteà sic & conjunctionem, & se accusat: *In qua sanè experirer exemplo meo, quid distaret inter coniugalis placiti modum, quod fœderatum esset generandi gratiâ, & pactum libidinosi amoris, ubi prolis etiam contrà votum nascitur, quamvis iam nata cogat se diligi.* Adduxit, vel potiùs indicavit hunc locum disertissimus ille declamator Æneas Robertus *lib. 2. rer. judic. cap. 17. pag. 506.* & antea in principio capitis hæc verba fecerat, quæ cum merito & dignitate referri possunt: *Concubina contrà votum parit, legitima uxor ex voto generat. Hæc suas nuptias profitetur; illa sordes suæ conjunctionis dissimulat.* Qui cùm *cap. 14.* ejusdem libri, nimium æquare voluit juxta leges naturæ utramque conjunctionem, proculdubio inservivit causæ, quam agebat; in quo scriptores similis argumenti non rarò deficiunt. Pridem in eundem sensum scripserat Demosthenes Orator apud Connanum *lib. 8. commentar. cap. 13. de concubin. num. 2. in fine*, ibi: *Amicas voluptatis causâ habemus, pallacas autem ad quotidianum corporis obsequium; uxores verò ad iustæ sobolis procreationem, & fidelem rerum domesticarum custodiam.* Quæ etiam testimonia adduxit noster Mesa *d. lib. 3. var. cap. 41. num. 17.* licèt in his citandis errores præli sint.

5. Prosequitur eadem sententia.

Hinc apud Romanos matrimonialem conjunctionem testatio illa solennis præcedebat, fieri liberorum quærendorum causâ, de qua fit mentio *in l. si vicinis 9. C. de nupt.* & apud Ulpianum *in fragm. regul. tit. 3. §. 3.* & in aliis locis, quæ luculenter adducit Brissonius *lib. 6. de form. pag. 542.* & ad quam reducendi sunt textus *in l. in re 4. in fine, de fide instrum. l. uxor. 7. C. de repudiis*: ubi testationis matrimonialis mentio quoque extat, ut agnoverunt Connanus *dicto cap. 13. n. 1.* Cujacius *lib. 6. obs. cap. 20.* P. Faber *lib. 2. semestr. cap. 23. verb. Nuptiæ*, Caccialupus *in l. si qua illustris, num. 29. ad Orphic.* Magnus Præceptor meus D. D. Franc. Ramos, Jurisprudentiæ jubar, & honos sæculi, *in schedias de concubinis*, ex quo prodisse penitus capita 39. & 41. *lib. 3. var.* Antecessoris nostri D. Ferdinandi Arias de Mesa, notavit jam D. D. Joseph. de Retes, cujus formulæ explicatio, ut ab ea non recedamus, extat, & quidem elegans, apud Calistratum *in l. liberorum 220. §. ult. ff. de v. s.* illis verbis: *Prater hæc omnia natura nos quoque docet, parentes pios, qui liberorum procreandorum animo, & voto uxores ducunt, suorum appellatione omnes, qui ex nobis descendunt, continere.* Ad quam legem elegantem, & celebrem notam apposuit Dionysius Gothofredus, quæ illustrationi nostri propositi potest deservire. Inde etiam apud Romanos nota erat inter concubinam, & uxorem differentia; quòd uxor duci non poterat quinquagenariâ major, quamvis vir esset sexagenario minor, alioquin tale conjugium impar vocabatur, nec ad capiendas hæreditates proderat, ex SC. Calvitiano. Ulpianus *in fragm. regul. tit. 16. §. ult.* cui postea derogavit Justinianus *in l. sancimus 27. C. de nupt.* quia cùm compertum ferè sit ex Physicis, post illam ætatem fœminam partum non edere, noluerunt prodesse Senatores inane conjugium capiendis hæreditatibus, vel legatis. Brissonius *de jure connub. pag. mihi 260. & seq.* J. Lipsius *ad Tacitum lib. 3. annal. in excursu de legibus, sive annot. mihi 45. cap 4. & lib. 11. annal. annot. 96.* Jacob. Gothofredus *in quatuor fontib. juris civilis, pag. 74.* Henric. Salmut. *in notis ad memorab. pag. 74.* Petrus Gregorius *lib. 9. syntag. cap. 6. num. 3. & 5.* Cujacius *lib. 9. obs. cap. 6.* Cujac. *ad tit. C. de concubin.* Rodulf. Fornerius *lib. 1. rer. quotid. cap. 22.* Anas. Rodulf. Fornerius *lib. 1. rer. quotid. cap. 22.* Anas. Merillus Isasius Germon. *lib. 1. animad. cap. 11.* Merillus Isasius Germon. *lib. 1. animad. cap. 11.* Merillus Isasius Germon. *lib. 1. animad. cap. 11.*

quòd cùm oratione probari non possit; satis videtur probatum auctoritate eorum, qui causas, rationemque naturalem solerti speculatione fuerunt contemplati.

6. *Justius arbitratur eadem sententia.*

Tertiò sic arguitur: Ad certitudinem prolis, & per consequens ad amorem erga eam, & ad curam educationis valde pertinet conjugum reciproca fides; ideo in matrimonio tria considerantur, proles, fides, sacramentum; sed in conjunctione concubinaria fidei datio nulla intercedit, nullaque per contrarium ratio habetur ejus violationis: ergo concubinaria conjunctio nec certitudini prolis, nec educationi ejus congrua est. Probatur minor propositio *ex l. si uxor 13. §. si quis 6. vers. quod & in concubina, ad leg. Jul. de adult.* ubi si concubinarius ducat concubinam in uxorem, non potest eam accusare de illo adulterio, quod in concubinatu admisit. Est enim adulterium, ubi celebrati conjugii jura temerantur, & uxoris pudor solvitur. Cognoscimus enim velut præsulem, custodemque conjugii esse Deum, qui non patiatur alienum torum pollui, ut inquit D. Augustinus apud Gratianum *in cap. nemo 4. 32. quæst. 4.* Horatius *lib. 3. carmin. ode 6.*

Fœcunda culpæ sæcula nuptias
Primùm inquinavere, & genus, & domos:
Hoc fonte derivata clades
In patriam populumque fluxit:
Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo, & fingitur artibus
Jam nunc, & incestos amores
De tenero meditatur ungue.
Mox juniorum quærit adulteros
Inter mariti vina; nec eligit
Cui donet impermissa raptim
Gaudia, luminibus remotis.

Quid ut propriè violatio thori conjugalis ex proprietate sermonis Poetæ dignosci potest, ex qua apparet reliquas libidines abusivè appellari adulteriùm, sive analogicè apud multos Patres, quorum testimonia refert Gratianus *d. causa 32. quæst. 4.* ut etiam non propriè adulterium est, cum qua verum matrimonium non est, licet propter umbram, aut spem matrimonii, adulterii pœnis uxor putativa afficiatur *in l. si uxor 13. §. Divi 3. ad leg. Jul. de adult.* & apud nos *in l. 81. Tauri*, quæ est lex 4. *tit. 20. lib. 8. recopil.* latè addendus Tiraq. *post leges connub. glossa 8. ex num. 235.* & secundùm instituta Romana per argumentum ab speciali; idem probatur *ex d. l. si uxor, in princip.* ubi liberta concubina patroni potest de adulterio ab ipso accusari; quamvis non jure mariti, sed extranei. Ratio est; quia propter honestatem concubina in concubinatu patroni potest de adulterio ab ipso accusari, quamvis non jure mariti, sed extranei. Ratio est; quia propter honestatem concubina in concubinatu patroni invitâ detinebatur, *l. 1. in princip. de concub.* ut valeat hîc, quod sequiori in sensu dixit vetus orator Ateius apud Senecam *in proœmio lib. 4. declamat. Impudicitia in ingenua crimen est, in serva necessitas, in liberta officium*; ut valere pridem censuit Hottomannus *in disput. de nothis, cap. 2.* Detinebatur (inquam) invitè, vel absolutè, ut voluit Magnus Præceptor meus in prælaudato schediasmate, ut idem procedat in concubina-

tu libertæ ac in matrimonio; vel eo saltem, ut connubium justum ei non adimeretur cum alio, sed adimeretur concubinatus, ut censuit Gothofredus: addendi Brissonius *de jure connub. & de ritu nuptiar.* Connanus *d. cap. 13.* D. Mattinus de Larreatigui *lib. 8. select. cap. 5. num. 2.* Ergo cùm tantùm liberta patrono suo fidem servare teneretur, obstrictaque esset lege Julia de pudicitia, ob peculiarem reverentiæ rationem, consequens est cæteras concubinas ad præstationem ejusdem fidei obstrictas non fuisse, etiam ex juris Romani censura.

7. *Defenditur eadem sententia.*

Quartò sic etiam arguitur: Homini, ut animali rationali, non tantùm procreatio liberorum debet esse proposita, sed eorum educatio, quas simul ponit, & exigit Ulpianus *in l. 1. §. jus naturale 3. de just. & jure*, Justinianus *in princip. Inst. de jure naturali*: Sed concubinatus per se sumptus, & intra terminos concubinatus, non congruit, nec prodest educationi liberorum: Ergo est contra inclinationem, quam homo ut talis debet habere. Probatur minor, quia ad educationem liberorum requiritur, quantùm fieri potest, perpetua conjunctio, quale est ex voto & substantia matrimonium, etiam apud illos, qui divortia permiserunt, *l. 1. de ritu nupt. l. 1. ff. pro dote*, cum similibus. Hanc verò perpetuitatem continere minimè potest concubinatus, qui de se perpetuus non est, sed ad placitum liberè duraturus. In quo argumento diutiùs insistendum non duxi, quia ex professo exponitur, fundatur, & roboratur à D. Thoma *in suppl. 3. p. 9. 65. art. 3. & 4.* in quibus latè docet, concubinatum esse contra jus naturæ, præbens hanc rationem, quia opponitur educationi liberorum, immò & nutrimento, quæ simul homo intendere debet, secundùm Aristot. *lib. 8. Ethic. cap. 12.* Unde cùm concubinatus per se sumptus temporariam conjunctionem denotet, & in eo differat substantialiter à matrimonio, consequens est, ut sit per accidens, si aliquando duret in perpetuum; & cùm malitia ejus in eo consistat, quod habet per se, sequitur etiam non posse honestari propter illud accidens; nequeque erit, quantò diutiùs durabit: sed nec poterit illius stabilitas roborari per juramentum; cadit enim super indebita materia, & illicita, quia quod intrinsecè malum est, per accidens honestari non potest. Quæ est doctrina D. Thomæ *in 4. dist. 26.*

8. *Respondetur ad argumenta contraria sententia.*

Nec obstant argumenta in contrarium adducta, quibus moti fuerunt nonnulli, qui putarunt concubinatum permissam conjunctionem esse secundùm jus, & rationem naturalem: in hac classe numerandi, & recensendi sunt Bartolus *in l. 1. num. 3. & sequentib. de concub.* ubi sequutus Richardum de Malumb. docuit, omnem conjunctionem legitimam fuisse secundùm jus naturale primævum, donec sequutæ leges distinxerunt matrimonium à cæteris conjunctionibus, illud approbantes expresè, & eodem modo reprobantes adulterinos coitus; concubinatus verò & vagas libidines nec approbantes, nec reprobantes. Et quamvis legisset glossas marginales Joannis Andreæ *ad regul. sine culpa, de regul. juris in 6.* in quibus agnovit veritatem, & matrimonium in Paradiso statim institutum fuisse à Deo, & celebratum inter primos Parentes ante Adami lapsum,

Genesis cap. 2. & per consequens omnem coitum extra matrimonium esse contra inclinationem naturalem hominis; nihilominus quasi naturalis ratio mutata fuisset, aut alia post Adami prævaricationem orta, docet post peccatum cœpisse esse coitum, non reprobatum concubinatum, & vagam libidinem. Hæc est sententia Richardi, & Bartoli; absurda palam, & planè, sed quam sequuti fuerunt Baldus *in l. 1. §. jus naturale, num. 4. & 2. de justit. & jure* quatenus docet omnes abinitio ejusdem conditionis nasci, & fornicariam copulam in esse copulæ ad jus naturale referri; & *in l. eam quam, num. 34. C. de fideicommiss.* ubi expresse notat, licitum esse concubinatum. Platea, & Angelus Aretinus *in §. jus naturale, Instit. de jure natur.* Alexander *in l. ex facto 17. §. si quis rogatus, numer. 11. ad SC. Trebel.* & noster Antonius Gomez *in l. 80. Tauri, numer. 1.* utuntur quasi expresso testimonio Justiniani textus *in Novella 74. quib. mod. naturales efficiant. legit. cap. 1. sub 6. collat.* ubi Imperator ait filios illegitimos, quamtumvis naturales, nasci ex concupiscentia; sed ab initio, & ante leges scriptas non fuisse distinctionem inter legitimos, & naturales, quod fortè verum est. Potuit enim distinctio hæc esse pœna, vel præmium à legibus excogitata. Sed quod hæc distinctio inventa non esset, si credimus Novellæ Justiniani, non probat ex jure naturali descendere concubinatum, aut vagum concubitum, quem sensum indicavit, licèt non expresserit, Azo *in summa ad tit. C. de concubinatu, num. 3.* Est alter textus ejusdem Justiniani in Novella *quibus modis naturales efficiantur sui, cap. 1. sub 7. collat.* quæ est novella 89. ubi eadem extant verba, & expresse profitetur Justinianus, casum; sive defectum castitatis effecisse filios naturales. Ex quo opinionem Bartoli meritò reprobant Cardinalis Turrecremata *in cap. qui autem 32. quæst. 4.* Bermondus *d. tract. de simplici fornic.* & in expositione contextus Bullæ, aut canonis Concilii Bileensis, verbo *Dimittat concubinam*, & alibi sæpe. D. Petrus de Guevara *in l. 1. de just. & jure, lib. 2. numer. 26.* Hieronymus Cevallos *communion. contra commun. quæst. 295.* præsertim *num. 4.* Farinacius *dicta quæst. 38 ex num 26.* Covar. *de spons. cap. 4. in princip. num. 8.* Gutierrez. *lib. 2. canonic. cap. 7. numer. 14.* noster etiam Joannes de Rojas *in epit. de succes. ab intest. cap. 10. num. 23.* Didacus Perez *in l. 25. glossa 2. tit. 3. lib. 5. ordin.* Matienzus *in l. 6. glossa 2. num. 6. tit. 8. lib. 5. compil.* Sanchez breviter *de matrim. lib. 2. disputat. 2. numer. 3.* Nec obstant jam argumenta suprà adducta, quibus satisfaciemus infrà in solutione dubitandi rationis.

9. De concubinatu ex jur. canonic. & divino.

Succedit jus divinum, quo attento concubinatum, & vagum concubitum prohibitum esse, probant Bermondus, Farinacius, Gutierrez, Perez & Matienzo nuper adducti; item Antonius Gomez *in l. 80. Tauri, ex num. 3.* post alios antiquiores à se relatos; quorum tamen in hac re auctoritas non admodum me moveret, nisi expressum ita esset in sessione 24. Concilii Basileensis, cujus verba infrà in solutione rationis dubitandi dabimus; quæ verba, sessionemque omnes DD. Pii ut legitima agnoscunt, cùm ante scholia, & scissuram Concilii sint, & eo maximè, quia à Leone X. approbata fuit illa decisio, editâ specialiter Bullâ de concubinatu prohibendo. Quare non erit perditæ operæ id expressiùs indagare. In primis noto, reprobationem fornicationis, & vagi concubitus ab eodem fonte per contrarium provenire, à quo provenit approbatio castitatis matrimonialis; itaque utriusque eadem origo est: de qua oppositione ita Clemens Alexandrinus *lib. 3. strom. Sunt ergo separata formeatio, & matrimonium; quorum à Deo longè est diabolus.* Lactantius Firmianus *lib. 6. divinar. instit. & de vero cultu cap. 23. Nec tantùm alienis toris, quæ attingere non licet, verùm etiam publicis, vulgatisque corporibus abstinendum Deus præcepit, docetque nos cùm duo inter se fuerint corpora copulata, unum corpus efficere.* Divus Augustinus *de Genesi ad litteram lib. 9. cap. 7. Denique utriusque sexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honestate nuptiarum, ut quod sanis possit esse officium, sit ægrotis remedium; nec enim quia incontinentia malum est, ideo connubium, vel quo incontinentes copulantur, non est bonum; immò verò non propter illud malum, cui culpabile est hoc bonum; sed propter hoc bonum, veniale est illud malum.* Secundò noto, matrimonium à Deo institutum fuisse in Paradiso, & postea elevatum ad rationem sacramenti novæ legis, ut latè probavimus *in cap. 1. de spons.* Igitur si est divina institutio matrimonii, divina etiam est reprobatio fornicationis; cùm sit peccatum contra legem divinitus datam matrimoniali conjunctioni. Ex quo apparet, esse hæreticum dicere, licitum esse vagum concubitum, vel non esse peccatum mortale simplicem fornicationem, ut contra Beguardos, & Beguinas definitum fuit in Concilio Vien. cujus pars refertur *in Clement. ad nostram, 3. de hæreticis.* Quare ita pertinaciter sentiens, punitur per Inquisitores hæreticæ pravitatis. Succedebat jus canonicum, sed cùm concubinatus sit prohibitus jure divino, necesse non est indagare, an jure ecclesiastico permissus sit; quod faciunt præfati authores, haud necessariò: illud tamen constat, variis pœnis prohibitum fuisse jam à primis Ecclesiæ sæculis concubinatum, tam laicis, quàm ecclesiasticis personis, diversis Conciliis, tam generalibus, quàm provincialibus, ex quibus nonnullos canones adduxi in Concilio Illiber. Jure verò civili Romanorum ea concubina licita erat, quam vir non maritali animo, sed concubinatus tantùm causa, sine stupri crimine domi habebat, *l. 1. & per totam ff. de concubinis, l. cum tabulis 16. ff. de his quib. ut indig.* plura de his concubinis, & quatenus à legitima uxore differrent, congesserunt Scipio Gentilis *lib. 1. de donat. inter, cap. 8.* Bermondus *integro tract. de concub.* Connanus *lib. 8. comment. cap 13.* Cujacius *lib. 5. observation. lib. 6.* Duarenus *ad tit. de inoffic. testamento, cap. 6.* Pinel. *lib. 2. select. cap. 18.* Meril. *lib. 3. observation. cap. 15.* Larreatigui *lib. 8. select. cap. 5.* Langleus *lib. 8. semestr. cap. 8.* Robertus *lib. 2. rerum judic. cap. 17* fusè Arias à Mesa *lib. 2 var. cap. 40.* & nos *in cap. inter opera, de sponsalibus.*

10. Traditur ratio decidendi.

Sed ut ad rationem decisionis accedamus, notandum est, quantum decederet sacras personas

sonas carnalis commixtio ; siquidem vas humani corporis Deo consecratum efficitur prophanum , & sanctitas ei conciliata per totum, quo fuerat Deo addictum , sacrilegè evertitur. Accedit incompossibilitas sacrarum functionum, ad quas obeundas clerici destinantur , ut fusissimè disserunt Michael à Medina *cap. 49 ad 69.* Espenceus *lib. 2. de continentia , cap. 7.* Antonius Monchiacenus *de sacrif. Missæ p. 2. sect. 31.* Theophilus *de calum. sect. 2. ferie 2. cap. 5.* Rectè ergo in præsenti clerici concubinas habentes, per depositionis , & excommunicationis pœnas coguntur eas dimittere. Firmatur hæc prohibitio exemplo Gentilium , apud quos adeò castitas commendabatur in suis sacrificiis , ut sacerdotibus utritisque sexus ad sacra peragenda accessuris , omnia venerea , aut quæ castitatem lædere possent, prohiberentur. Virgil. *lib. 6. Æneid.* ibi:

Quique sacerdotes casti dum vita manebat.

Ovidius *lib. 2. Fast.*

Casta sacerdotum tempora fronte gerit.

Seneca *de clement. cap. 1.* ibi: *Indignum te sacerdotio dicerem, si transires per lupanar.* Inde Plutarchus *in problem. cap. 11.* ait, Romanos sacerdotes caprâ abstinere solitos , & non modò attingere, verùm nominare , peccatum putarent ; quia id animal libidinis symbolum est , teste Columella *lib. 7. de re rustica, cap. 6.* Festus etiam tradit. Dialibus Romæ nefas fuisse hederam tangere , propterea quod apud eos lasciviæ signum erat. Horatius *od. 18.*

Arctius atque hederâ procera adstringitur ilex.

Et *od. 36.*

Lasciviùs hederis ambitiosior.

Vestales quoque virgines adeò continentiam servabant , ut si quam reperiebant virginitatem violasse , vivam sub terra defodiebant. Ovidius:

Nulla , quæ dicitur vitâ temerasse sacerdos,
Hoc duce, ne vivâ defodiatur humo.

Referunt Plutarchus *in vita Numæ* , Valer. Maximus *lib. 8. cap. 3.* ex Gellio , & Livio Rosinus *lib. 3. antiquit. cap. 19.* Immò & Sacerdotes Deæ Cybeles sibi virilia amputabant , ut in religiosa castitate permanerent : refert Ravisius Textor *lib. 1. officinæ , cap. 2.* facit Porphyr. in ipso ferè fine libri primi de abstinentia , ibi: *Cum sit nobis cum Deo , qui solus super omnia , & ultra incorpoream naturam eminet, conversandum, debemus omnimodâ animi castitate illi accedere , in terra vix cujusquam sensum facere corporeum , si probè & sanctè vivamus ; quantò enim omnium pater simplicior , purior , & sibi sufficientior (quasi longè à materiâ contagione sejunctus ,) tantò etiam qui ad illud accedit , omnimodè purus , & castus esse debet, incipiens à corpore , & in singulas interioris hominis partes desinens ; quibus omnibus præscriptis quisque pro suo modulo , & naturæ conditione castitatem distribuat.* Plura congesserunt de continentia sacerdotum apud Gentiles Philippus Cameratius *horar. succes. cent. 1. cap. 1.* Espenc. *de contin. lib. 2. cap. 11.* Tiraquellus *in l. 15. connub. num. 118.* Silvius Clarus *lib. 1. de legibus , cap. 1. & 29.* Simon Majolus *dier. canicul. fol. 375.* Si ergo vanis in sacrificiis , & à falsis sacerdotibus ita castitatem observatam, & commendatam legimus , quantò magis veri sacerdotes , & cæteri ministri Ecclesiæ eam servare, & continenter vivere debent. Meritò ergò clerici concubinarii à sacris canonibus variis pœnis plectuntur , ut eis deterriti concubinas dimittere cogantur. Synodus Francica sub Carolo Magno , anno 752. clericos adulterantes, vel fornicantes de peculis , seu pecuniis ecclesiarum , abstulit , beneficio privavit , degradavit , & ad pœnitentiam coegit in carcere pane & aqua duobus annis agendam. Et canon. Apost. deponuntur ; & in Concilio Gangrensi relato *in dicto cap. presbyter , 82. dist.* decennali pœnitentia macerari jubentur. Zacharias & Bonifacius Pontifices *in cap. decernimus 2, 28. dist. cap. presbyteris , 8. 27. dist.* statuerunt concubinarios vix tales sacerdotes esse æstimandos , ita ut neque sacerdotio fungi , nec divina mysteria contingere illis permittatur. Has , & alias pœnas congerunt Bermondus *ubi suprà*, D. Joannes Vela *de delictis cap. 6.* Fragoso *de regim. Christ. reip. 1. p. lib. 2. disp. 4.* non tamen coguntur clerici concubinas abjurare propter periculum perjurii , & lapsûs facilitatem ; sæpè enim legislatores curaverunt à periculo pejerandi homines arcere; unde conditio jurisjurandi ultimis voluntatibus adjecta à Prætore remittitur, *l. quæ sub conditione 8. ff. de condit. instit. l. non dubitamus 20. l. hæc 26. ff. de condit. & demonstrat. l. libertus 20. de bonis libert. l. si post diem 5. § sed si ea , ff. quando dies legat. l. 1. § 2. ff. ad leg. Falcid. l. si quis 23. § qui ita 3. ff. de statulib. l. ult. ff. de liberali causa, l. si quis 112. § penult. & ult. § ff. de legatis 1. l. facta, 63. § quod si 9. ad Trebel. l. si à milite 29. § edictum 2. ff. de testam. milit. l. 63. § si dandæ 8. ad Trebel.* Illustrant Donellus *lib 6. comment. cap 18. & lib. 8. cap. 32.* ubi Osvaldus *littera M* Idem *lib. 24. cap. 20. litt. C.* Cujacius *lib. 5. obs. cap. 1. & ad Novell. 1. Justin. & lib. 54. Pauli ad edict. in l. 2. § si à pupillo , ff. pro emptore , & in dicta l. 8. ff. de condit. instit.* Duarenus *ad eundem titulum cap. 4.* Molina *lib. 2. de primog. cap. 12. num. 45. & 947.* Sarmiento *1. select. cap. 10. per tot.* Goveanus *in l. 1. § ad eos , ad leg. Falcid.* Basilius *3. de matrim. cap. 8.* Valentia *ad tit. de liberis & posth. cap. 5. num. 5.* Arnisæus *de jure connub. cap. 4. sect. ult.* Faber *8. tit. 19. & 20. cap. 2. & in l. 7. § item, de dolo.* Costa *lib. 1. select. cap. 10.* Fornerius *lib. 3. rer. quotid. cap. 22.* ad quam conditionem referendi sunt textus *in l. Antistius 62. ff. de acquir. hæredit. l. civitatibus 122. § ult. ff. de legat. 1. l. facta 63. § si dandæ 8. ff. ad Trebel. l. libertus 20. ff. de bonis libert. l. cum pater 77. § filius matrem. 23. ff. de legat. 2. l. si quis decedens 37. § 5. ff. de legat. 3. l. 1. § ad eos 2. ff. ad leg. Falcid. l. municipibus 79. l. 20. & 26. ff. de condit. & demonstr. l. 14. ff. de condit. instit. l. 1. § ad hæc , C. de bonor. possess. l. 7. vers. planè 1. de oper. libert. l. 3. de jure fisci , l. 1. § si parendi 1. l. si filius 13. de conditione caus. dat.*

II. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

Nec obstat difficultas suprà expensa ex auctoritatibus sacræ paginæ , quibus nonnulli hæretici moti, virginitatem , & cœlibatum improbarunt , coitum verò etiam extra matrimonium licere docuerunt , quos ut facilè refellamus , verumque sensum prædictarum auctoritatum percipiamus , supponimus , tantùm esse licitam , & legitimam ex jure naturali , divino , & ecclesiastico , eam conjunctionem , quæ habetur per

conjugium. Ulpianus & Justinianus *in l. 1. §. jus naturale, ff. de justit. & jur. §. jus naturale, Instit. eod. tit.* juxta quorum sententias accipiendus est Divus Isidorus *in cap. jus naturale, 1. dist.* dum docet, viri & fœminæ conjunctionem juris naturalis esse: quapropter extra matrimonium illicita est omnis conjunctio, & peccato subjecta, jut probant latè Thomas Sanchez *lib. 2. de matrim. disput. 2. num. 2.* F. Alf. Mendoza *à quæst. 4 positiva.* Nec contrarium deducitur ex illis verbis: *Non erit apud te sterilis utriusque sexus.* Exodi *cap. 23. vers. 26. Non erit infœcunda, nec sterilis in terra tua.* Unde Hebræi credebant, steriles, & infœcundos maledictos esse; ut refertur *Judic. cap. 13. Genesis cap. 30. Tobiæ cap. 3. Isaiæ cap. 5.* Non enim in eisdem locis præcipitur fœminis conjunctio cum viris, aut è contra; sed extrema quædam felicitas promittitur servantibus legem Dei; nam iis dicitur: *Benedictus eris inter omnes populos, non erit apud te sterilis utriusque sexus, tam in hominibus, quàm in gregibus tuis.* Rursus quod non continetur præceptum in prædictis verbis, ex eo apertè constat, quòd non dicit Dominus: *Non erit apud te virgo, aut cœlebs*; sed: *Non erit apud te sterilis*; cùm sterilem esse, vel non, in hominis arbitrio non sit, & potestate positum, unde non debuit à Deo præcipi. Hebræi verò vulgò putantes indictam esse maledictionem non relinquentibus semen in Israel, planè toto cœlo errabant; ideo autem dolebant, & lamentabantur, si sine liberis decederent, eatenusque rei uxoriæ accuratiùs incumbebant, quia cùm ex fide crederent de suis posteris Messiam nasciturum, curabant cum liberis decedere, ne Christus deforet, cujus adventum vehementissimè exoptabant; quia posse evenire unusquisque credebat, ut ipse esset avus, aut atavus Messiæ. Docuerunt Lypomanus *in caten. Genesis, cap. 30.* D. Thomas *in 4. dist. 30. quæst. 2. artic. 1. quæstiunc. 1.* Superest testimonium illud Geneseos *cap. 1. Crescite & multiplicamini*, explicandum; nam pro tempore, quo hæc verba dicta sunt, non potest dici quod virginitas licitè servaretur. Hoc ut explicemus, præmittamus, fuisse quosdam qui non de carnali corporum fœcunditate, & filiorum naturalium copia, sed de mentium & animorum spirituali virtute propaganda illud Geneseos intelligerent; & in eo quod sequitur: *Implete terram, & dominamini eius*; per terram intelligebant carnem, quam præsentiâ suâ implet anima: ita tamen, ut post peccatum fœcunditatem spiritualem in carnalem conversam esse dicerent. Ita refert Divus Augustinus *lib. 14. de civit. Dei, cap. 21. & 22.* & favet huic parti *in lib. de Genesi contra Manichæos, cap. 19. & lib. 13. confes. cap. 4. & de bono conjugali cap. 2. & lib. de serm. Domini in monte, cap. 21.* & D. Chrysostomus *lib. de virginibus, cap. 27. & homil. 18. in Gen. sim.* & Gregorius Nyssenus *lib. de creat. homin. cap. 28.* & Damascenus *lib. de fid. Orthodox. cap. ult. & lib. 4. cap. 16. & 25.* quod non semel approbat Abulensis *super Genesim 1.* & favet Magister *in 2. sent. dist. 20.* dicens: Ad gignendos filios parentes nostros in paradiso misceri non potuisse, nisi post peccatum. Cæterùm brevi nos ab hac eximemus quæstione, nam constanter asserimus, illa verba: *Crescite & multiplicamini*, ad carnalem filiorum propagationem pertinere. Itaque si status innocentiæ perduraſſet, ibi in paradiso carnali copulâ se protoparentes nostri, & eorum filii miscuissent: tractat nervosè, & eleganter Divus Augustinus *lib. 14. de civit. Dei, cap. 22.* Origenes *homil. 1. in Genesim.* Rupertus, & Junilius ut *in catena Lypomani, Genesis 1. & in Sixto lib. 5. annot. 20. 21. & 63.* Michael de Medina latissimè *lib. 5. de sacrorum homin. contr. controv. 2. cap. 1.* ubi Patrum dicta explicantur simul, & in D. Thoma *1. p. quæst. 98. artic. 2.* Nunc respondeo, verum esse, illis verbis, *Crescite & multiplicamini*, contineri præceptum, non tamen pro quocunque statu, ac tempore, sed pro illis mundi primordiis, donec humana species extenderet propagines suas, hoc est, multiplicarentur homines. Rectè Scotus *in 4. dist. 26. quæst. unic. §. per hoc patet*, ait: *Crescite, & multiplicamini, est institutio per modum præcepti affirmativi, ita quod obligat non ad semper, sed tempore necessitatis.* Idem habet Magister *ead. dist.* S. Thomas *1. p. quæst. 98. art. 2. ad 3. in fine.* Hist. Schol. *in Genes. cap. 29.* Lira *in lib. judic. cap. 11.* Nec etiam in contrarium nos movet exemplum Patriarcharum, quos legimus justos in Dei populo concubinas habuisse: oportet enim intelligere, eas matrimonio fuisse junctas, concubinas tamen dici, quia de utriusque, concubinæ, scilicet & uxoris ratione aliquid habebant, juxta primarium matrimonii finem, & à quo matrimonii conjunctio nomen habet; atque ita concubinas in sacra pagina pro secundis uxoribus minùs solennibus acceperunt Rupertus *in Genesim lib. 7. cap. 39.* Abulensis *in cap. 19. judic. quæst. 3. & in lib. 1. Regum, cap. 8. quæst. 209.* Bellarminus *lib. 1. de matrimon. cap. 11.* Georgius Ambian. *ad Tertul. de exhort. castitat. cap. 6. obs. 2.* P. Serlogus *in Cantica vestig. 34. cap. 6.* Accedit, plura eo tempore contigisse in figura, & secundum allegoriam dicta esse; quod ergo putas esse peccatum, advertas esse mysterium, posteris temporibus futura revelans. De duobus populis Iudæo, & Christiano latiùs prosequitur Espenceus *d. lib. 2. de Bigam. cap. 9.*

Nec obstat quod expendebamus de jure civili, juxta quod dicebamus, concubinatum legitimam conjunctionem esse; de eo enim jure sic censuit D. Thomas *d. art. 3. Ad primum ergo dicendum, quod in gentibus, quantum ad multa, lex naturæ offuscata erat. Unde accedere ad concubinam malum non reputabant, sed passim fornicatione quasi relictâ utebantur*, &c. *Ad secundum dicendum, quod ex prædicta obscuritate, in quam ceciderunt Gentiles, Deo debitam gloriam non reddentes, ut dicitur ad Romanos primo, lex illa processit, & non ex instinctu legis naturalis. Unde prævalente Christiana religione, lex illa extirpata est.* Ergo parum curandum est de legibus Romanis, & utriusque Imperii, & aliis similibus aliarum nationum, quæ concubinatum approbarunt. Sunt enim contra dictamen rationis naturalis, & per consequens injustæ, utpote ab offuscata ratione provenientes. Sub Gentilibus permissæ fuerunt concubinæ indistinctè; Vopiscus tamen narrat, Imperatorem Aurelianum interdixisse usum concubinarum ingenuarum, Iustinianum solutorum concubi-

Prosequitur eadem solutio.

natum

natum retinuisse probant textus *in l. si qua illustris 5. C. ad Orphicianum, l. Divi 5. C. de natural. liber.* Novella 89. *cap.* 12. *§ 5.* Nec facilè etiam post amplexam christianam religionem pravus mos avertuncari potuit, licèt sancti Ecclesiæ Patres in eum sese inveherent totis eloquentiæ lacertis, quorum nonnulla testimonia suprà relata sunt. Sustulit Leo Philosophus Imperator suâ Novellâ 89. & prohibitionem repetivit Constantinus Porphyrogenita apud Harmenopulum *lib. 4 tit. 8 in fine* Utrum tamen jure civili permissus fuisset concubinatus, tanquam licitus; an toleratus, tanquam minùs malus, disputant Bermondus Gentilis, Connanus, Arias de Mesa, & alii suprà citati. Nec obstat textus in dicto *cap. Christiano 34. dist.* quem de uxore non justa sine dotalibus instrumentis ducta, quæ ob id concubina dicebatur, sed naturaliter conjux erat, accipiunt Barbosa *ibi*, Gregorius Lopez *in rubric. tit. 14. part. 4 glossa 3.* Covar. *de sponsal. cap. 4. in princip. num. 9.* quem, ut solent, transcribunt Gutierrez *lib. 2. canonic. cap. 7. ex num. 30.* Matienzus *in l. 6. glossa 2. à princip.* maximè *ex num. 3. tit. 8 lib 5. recopil.* aliis insuper adductis Menochius *de arbitr. casu 418 ex num. 13.* Et licèt parum distinctè Farinacius *4 p. de delict. carn. quæst. 138 num. 20.* Franciscus Corjolanus *in notis ad Concil. Tolet. 1.* Ferdinandus de Mendoza *lib. 2. Concil. Illiber. cap. 8.* ubi alios congessi. Nec etiam obstat textus *ind. cap. is qui non habet 4. 32. dist.* qui deductus est ex Concilio Tolet. *1. can. 17.* ubi ita legitur: *Si quis habens uxorem fidelis concubinam habeat, non communicet; cæterùm is qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur, ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ, ut ei placuit, sit contentus: aliàs vivens abjiciatur, donec desinat, & ad pœnitentiam revertatur.* Quæ verba de injusta uxore accipi posse, notavi jam *in dicto canone Concil. Illiber.* Sed juxta tradita facilius accipi potest textus ille de tolerantia qualiquali Ecclesiæ erga laicos, videlicet PP. Hispani in dicto Concilio Toletano celebrato sub Ataulpho I. Gothorum Rege Ariano, aut instante jamjam Ataulpho, sub Honorio, in quo à nostratibus nonnihil dissentit Baronius, laicis non permisisse tanquam licitum usum concubinarum, sed tolerasse, quia leges vitio extirpando impares erant, præsertim ecclesiasticæ; & quandò in Principibus Prælati nullam opem invenire poterant, quâ peccantes compescerent: quæ solutio probatur ex illis sæculi moribus, de quibus sic Salvianus Massilienſis Episcopus *lib. 7. de providentia Dei: Quid Hispanias? nonne eadem, vel majora forsitan vitia perdiderunt? quæ quidem cœlestis, ira etiamsi aliis quibusdam Barbaris tradidisset, digna tamen flagitiorum tormenta toleraverant puritatis inimici; sed accessit hoc ad manifestandam illis impudicitiæ damnationem, ut Wandalis potissimùm, id est impudicis barbaris, traderetur: dupliciter in illa Hispanorum captivitate Deus ostendere voluit quantum odisset carnis libidinem, & diligeret castitatem, cùm & Wandalos ob solam vel maximè pudicitiam illis superponeret, & Hispanos ob solam vel maximè impudicitiam subjugaret.* Culpam namque impudicitiæ probabiliter rejecit in Romanos, qui sub illud tempus Hispanis imperabant; diserussimus politicus historicus noster D. Didacus de Sahabedra & Fajardo *in chron. Gothico, cap. 2.* vel ex eodem Massilienſi Episcopo, qui illos extremæ impudicitiæ reos damnaverat. Sed utcunq; sit, constat tempore Concil. 1. Tolet. adeo libidine efferbuisse Hispanias nostras, ut satis ducerent PP. pellices uxoratis adimere, quas jus civile ipsorum Romanorum interdicebat, *l. ex parte 121. §. 1. ff. de verb. obl. l. Massurius 144. ff. de v. s.* ad concubinas tamen solutorum connixisse, quia non omnia poterant; hoc tamen ex vitio sæculi proveniebat, & adeo rem illicitam continet, ut etsi licitam faciat permissionem ex parte ejus, qui cùm potest prohibere, non prohibet; non verò ex parte ejus, qui non utitur medicina, ne magis ulcus recrudescat, & morbi terribiliores fiant. Igitur & ecclesiastica potestas cùm occasionem aptam cernit, tenetur concubinatum solutorum censuris, & pœnis compescere; & sæcularis brachium, auxiliumque impertiri punitioni, & ipsam Magistratibus suis sæcularibus committere; & quicunque ex iis impedimentum ponat sine maximo periculo & metu probabilissimo majoris damni & gravioris sceleris, veluti schismaticus peccavit, fietque particeps vitii; ideirco in prædicta sessione 20. Concil. Basileens. ita decreverunt Patres: *Et cùm omne fornicationis vitium lege divina prohibitum sit, & sub pœnæ mortalis pœna necessariò evitandum, monet omnes laicos, tam uxoratos, quàm solutos, ut similiter à concubinatu abstineant,* &c. non invenitur pœna, quæ postea in omnes sancita sit per Trident. *d. sess. 24. de reform. cap. 8.* sed ex injuncta cura Principibus illicò tanquam res illicita cœpit pœnis corporalibus coerceri: notarunt ad prædicta verba Concil. Basil. Bermondus, Rebuffus, & Menochius *de arbitr. casu. 418.* & quamvis hujus Concilii non meminerit, punitionem hanc infligendam agnovit Paulus de Grillandis *lib. 3. qui est de pœnis omnifariam coitum, § quæro 11.* Nec obstat quod expendebamus *ex d. cap. 2. qui clerici vel voti.* nam licèt clerici cogendi non sunt abjurare concubinas propter periculum perjurii, argumento textus *in l. 2. C. de indict. viduit.* tamen compellendi sunt abjurare uxores injustè ductas, juxta formam præscriptam *in cap. abusto 35. quæst. 6.* quia non datur æquale periculum iterum cohabitandi cum eis, tanquam cum uxoribus, ac datur in concubinis, ad quarum consortium cilè redire valent.

CAPUT VII.

(a) Lucius III. *Magistro & Fratribus Militiæ S. Jacobi.*

VEstra devotio duxit inquirendum, utrum vobis Ecclesias Parochiales adeuntibus, utile sit Missas eorum audire, qui concubinas habere creduntur. De hoc enim videntur sacrorum canonum sententiæ emanasse. Alicubi enim dicitur: Nullus audiat Missam presbyteri, quem scit indubitanter concubinam habere. Alicubi legitur: Non potest quis, quantumcunque pollutus, divina sacramenta polluere, quæ purgatoria cunctarum pollutionum existunt. Quicunque enim sacerdos sit, quæ sancta sunt, coinquinare non potest. Sumite ergo ab omni sacerdote intrepidè Christi mysteria, quia omnia in fide Christi purgantur. Cæterum aliud crimen est notorium, aliud occultum. Notorium diffinitur, de quo presbyter canonicè condemnatur: occultum quod adhuc ab Ecclesia toleratur. Item aliud est à talium officiis abstinere, ut peccandi licentia cæteris auferatur, & hujusmodi ad pœnitentiæ fructum trahantur: atque aliud, si tanquam falsa in fornicatione jacentium talia mysteria respuantur. Sine dubitatione itaque teneatis, quod à clericis, & presbyteris, quatenus fornicariis, quamdiu ab Ecclesia tolerantur, nec est crimen evidens, licitè audiuntur divina officia, & alia recipiuntur ecclesiastica sacramenta.

NOTÆ.

(a) *Lucius III.*] In secunda collectione, *sub hoc tit. cap. unic.* legitur Lucius III. ex Concilio Magunt. sed malè: in hac sexta collectione, & post Concilium Lateran. *p.* 50. *cap.* 38. habetur, Magistro, & Fratribus Militiæ sancti Jacobi; quam inscriptionem retinendam esse jam notavit Cujacius in præsenti. Circa institutionem, & confirmationem ordinis Militiæ S. Jacobi de la Spatha in Hispania, varia adduxerunt Historici nostri; illud certò liquet, Ordinem hunc jam fuisse institutum per annos 1030. ut constat ex verbis cujusdam privilegii in favorem monasterii Salmantini monialium Sancti Jacobi; quod pro foribus Ecclesiæ litteris deauratis est transcriptum; quodque referunt, originem, & progressum hujus Militiæ prosequentes, D. Franciscus de Vergara & Alaba, in supremo Castellæ Senatu, & Inquisitionis Consiliarius egregius, P. Andreas Mendo *de Ordinibus Militaribus disput.* 1. *q.* 6. *per totam.* D. Petro Fernandez de Fuente Encalada, primo hujus præclari Ordinis Ministro, & ejus Fratribus Lucius in præsenti rescribit.

CAPVT VIII.

(a) Innocentius III. *Oxomen. Episcopo.*

TUa nos duxit fraternitas consulendos, si de clericis publicè concubinas habentibus, qui quando conveniuntur à te, se esse concubinarios diffitentur, nec apparet contra eos legitimus (b) accusator, credendum sit testimonio bonorum virorum, inter quos vivere dignoscuntur. Nos igitur consultationi tuæ taliter respondemus, quod si crimen eorum ita publicum est, ut meritò debeat appellari notorium, in eo casu nec accusator, nec testis est necessarius, cum hujusmodi crimen nulla possit tergiversatione celari. Si verò publicum est, non ex evidentia, sed ex (c) fama, in eo casu ad condemnationem eorum sola testimonia non sufficiunt; cùm non sit (d) testimoniis, sed testibus judicandum. Sed si de clericis illis talis habeatur suspicio, ut ex ea scandalum in populo generetur, licèt contrà ipsos non apparuerit accusator, tu tamen eis canonicam potes (e) purgationem indicere; quam si præstare noluerint, vel defecerint in præstanda, eos canonicâ potes animadversione punire. Datum Later. v. idus Maji.

NOTÆ.

(a) *Innocent. Exomensi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione; *sub hoc tit. cap.* 1. In Epistolis verò Innocentii editis à Sirleto, *fol.* 310. legitur Oxomen. ex textus autem serie deduci non potest utrà ex his inscriptionibus retinenda sit, & an de clericis Angliæ, ubi extat Ecclesia Oxoniensis; an verò de sacerdotibus Hispaniæ, ubi reperitur Oxomensis, loquatur Innocent. III. Credo tamen legendum esse Oxomensi, tum ob fidelitatem prædicti eo-

dicis,

dicis, recogniti, & castigati à Guillelmo Sirleto; tum quia in eodem libro epistolâ antecedenti rescripsit Innocentius III. Episcopo Oxomensi pro restituendis Canonicis regularibus in ipsa Ecclesia: unde statim de clericis concubinariis ipsius diœcesis ab Episcopo Oxomensi consultus in præsenti epistola rescribit. De Oxomensi Ecclesia jam nonnulla notavi *in cap. de hoc, de simonia.*

(b) *Nec accusator.*] *Cap. ad nostram 21. de jureiur. cap. 3. de testibus cogendis, cap. 3. de eo qui cognovit consanguin. cap. manifesta, cum sequent. 2. q. 1. cap. evidentia*, ubi dicemus, *de accusat.*

(c) *Fama.*] Cui, aut rumori non temerè credendum est, *cap. 2. hoc tit. cap. 6. de fide instrum. cap. 5. de eo qui cognovit. Alioquin*, inquit Quintilianus, *fraude inimicorum falsa vulgantium sæpe fama noceret etiam innocentibus; famæ sæpenumero malignitas inutium, credulitas incrementum dat.* Fama igitur notorium non facit, sed ut scriptum est *in cap. intellecto 33. de jureiur.* quasi notorium.

(d) *Testimoniis, sed testibus.*] Verba sunt textus *in l. 3. §. idem Divus ff. de testibus, cap. 2. qui matrimonium accusare.* Cicero pro Posthumo ait, iisdem testibus inquam, & quidem non productis, sed dictis testium recitatis, quasi præjudicata res ad has causas deferatur. Tacitus *lib. de Oratoribus.*, ibi: *Testimonium in judiciis publicis, non absentes, nec per tabellam dare, sed coram, & per præsentes.* Differentiam inter testes, & testimonia jam exposui *in cap. 1. de testibus.*

(e) *Purgationem.*] De Deo volente agemus *in cap. 1. de purgat. canon.*

CAPVT IX.

Idem (a) *Pistorien. Episcopo.*

A Nobis tua fraternitas requisivit, utrum ab aliis decimas exigere debeas, qui possessiones dant, vel recipiunt ad affictum, cùm alii se conentur per alios excusare, quominus cogantur ad decimas persolvendas: quid etiam sit de mulieribus in Episcopatu tuo presbyteris in capellis sub conversationis specie cohabitantibus, faciendum, unde infamia irrogatur ordini clericorum. Cùm igitur quilibet decimas solvere teneatur, nisi à præstatione ipsarum specialiter sit exemptus, fraternitati tuæ duximus respondendum, quod à dantibus possessiones, & accipientibus ad affictum, de fructibus, quos percipiunt, decimæ sunt solvendæ, nisi abeis aliquid ostendatur, quare ab hujusmodi sint immunes. Cum clericis quoque non permittas mulierculas habitare, nisi fortè de illis personis existant, in quibus naturale fœdus nihil permittit scævi criminis æstimari. Datum Lateran. 3. Non. Decembris.

NOTÆ.

(a) *Pistorien.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* & *in cap. à nobis, de decimis*, ubi extat alia pars hujus Decretalis. Pistoriensis civitas perantiqua est Etruriæ, ad radices Alpium, in plano, fertilique solo sita patet, lata, amœna, omnium fructuum genere abundans quâ Florentiam itur: ejus meminerunt Plautus, Sallustius, Plinius, & Marcellinus congesti ab Vghellio *tom. 3. Ital. sacr. fol. 352.* à quo inter primas Etruriæ civitates, quæ Christianam fidem susceperunt, ut prima recensetur: ejus Præsulum catalogum ipse refert. Sophrido ejus Episcopo, cujus gesta refert Vghellius *num. 23.* missa est præsens decretalis, quam restituo ex epistolis Innoc. Coloniæ editis, *fol. 467.* & eam exposui *suprà in cap. 1.*

CAPVT X.

(a) Gregorius IX.

QUæsitum est de clericis in fornicationem prolapsis, si eorum sit officiũ priusquam pœnituerint audiendum. Verùm etsi quemlibet pro mortali peccato, quoad seipsum constet esse (b) suspensum, non debet tamen in officiis evitari: quia quantùm ad alios, etiam in casu proposito suspensus non est; (c) nisi peccatum hujusmodi sit (d) notorium per sententiam, seu confessionem factam in jure, aut per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliquâ celari non possit.

NOTÆ.

(a) *Gregorius IX.*] A quibus tamen consultus non constat; forsan motu proprio præsentem edidit constitutionem, ut de ipso Gregorio jam sæpe sæpius notavi in hoc opere.

(b) *Suspensum.*] Non tamen inde inferas, peccatum mortale esse censuram, quia peccatum

nequaquam habet rationem censuræ, aut pœnæ, ut considerat Vazquez *tom. 2. in 3. part. de excommunic. dub. 1. num. 7.* licèt per illud peccator privetur perceptione sacramentorum, & amittat fidelium communicationem, quæ per charitatem fit, *cap. moneat 25. q. 1.* Unde non est audiendus Joannes Major *in 4. dist. 18. q. 2.* qui sequutus Glossam *in cap. si quem, verbo Non tantum, desint. excom.* existimavit, omne peccatum mortale, per quod peccator à perceptione sacramentorum repellitur, minorem excommunicationem esse; quem doctè refellunt Covar. *in cap. alma mater, in princip. num. 5.* Gibalinus *de censur. disquisit. 2. q. 2. num. 8.*

2. (c) *Nisi peccatum*] Ex his verbis deducunt Covar. *in Clement. si furiosus, p. 1. §. 1. num. 5.* Navarrus *in Manuali cap. 25. num. 76.* & *cap. 27. num. 154.* & *consil. 17. de clerico excom. num. 2.* clericos concubinarios notorios esse ab officio, & beneficio suspensos ipso jure: pro quibus etiam faciunt caput *si qui sunt, 28. dist.* caput *nullus*, caput *præter, 32. dist.* caput *sacerdotes, 50. dist.* caput *si quis amodò, 81. dist.* & declaratio Cardin. ad Trident. *sess. 25. de reform. cap. 14.* ibi: *Clerici concubinarii notorii sunt etiam hodie ipso jure à divinis suspensi, prout in veteri jure sunt.* Sed adhuc contrariam docuerunt Suarez *de censur. disput. 38. sect. 3. num. 32.* Valensis *de beneficiis lib. 1. tit. 23.* Gibalinus *de irregul. cap. 5. q. 4. conject. 7.* & *de censur. disquisit. 7. q. 1. conject. 35.* & *in synopsi, verbo Concubinarii*; qui rectè distinguunt inter suspensionem quoad alios tanquam censuram, ità ut quoad alios non sit suspensus clericus, nisi crimen sit publicum per sententiam, aut confessionem in judicio: aut ita notum, ut nulla tergiversatione celari non possit, & tunc suspensus sit quoad alios eodem modo, ac quando peccatum est occultum, suspensus est quoad se, videlicet ratione peccati mortalis, non autem ratione censuræ; unde etiam post notorietatem celebrando non efficitur irregularis. Gibalinus *d. cap. 5. q. 4.* Gutierrez *lib. 2. canonic. cap. 7. num. 86.* qui hoc faciliùs admittunt post Tridentinum *sess. 24. de reform. cap. 14.* cùm nulla imponatur suspensio ipso facto.

3. (d) *Notorium per sententiam.*] Sententia enim inducit notorietatem, ut docet Alciat. *de præsumptionib. in præludiis, 2. p. num. 16.* Covar. *lib. 3. var. cap. 3. num. 4.* Innoc. Cironius *in parat. ad eund. tit.* quod valet ad infamiam, ad notorietatem criminis, vel nobilitatis, & ad multos effectus, qui afferuntur ab Auctoribus, quos laudat Menochius *lib. 1. de præsumpt. q. 67.* Salcecedus *in addition. ad Bernard. in Diaz. in praxi criminali, cap. 97.* Barbosa *in remiss. ad Trident. sess. 24. de reform. cap. 8.* noster Solorzanus *polit. lib. 3. cap. 29. prope finem*, ubi alios, & se refert in opere Latino. Ratio verò ex eo principio descendit, quoniam post rem judicatam, amplius in dubium vocari non potest id, quod decisum fuit, nec ab illo iterum quæri.

COMMENTARIUM.

4. SAcerdotis concubinam habentis Missam, aut divina officia audire, nefas olim fuisse, adjunctâ excommunicationis pœnâ, si quis illis interesse ausus fuisset, constat ex Synodo Romanâ sub Nicolao II. *can. 3.* ibi: *Ut nullus Missam audiat presbyteri, quem scit concubinam habitanter habere.* Extat apud Gratianum *in cap. nullus 32. dist.* quam sanctionem non modò confirmavit Innoc. II. in Synodo Romana, *can. 5.* sed ab aliis summis quoque Romanæ Ecclesiæ Præsulibus editam esse perspicuè testatur illis verbis: *Prædecessorum nostrorum Gregorii VII. Urbani, & Paschalis Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, præcipimus, ut nullus Missas eorum audiat, quos uxores, vel concubinas habere cognoverit.* Simile est illud Urbani II. testimonium *epist. ad L. presbyterum*, ibi: *Prædecessores nostri Nicolaus, & Gregorius, à Missis sacerdotum, quos tales revera esse constiterit, fideles abstinere decreverunt, ut & peccandi licentiam cæteris auferrent, & hujusmodi ad digna pœnitentiæ lamenta revocarent.* Concilium Pictavience *can. 9.* relatum *in cap. 2. in 1. collect. sub hoc tit.* & *in epist. canon. Hadriani, can. 25.* ibi: *Ut nullus Presbyter, Diaconus, Subdiaconum concubinam habeat, sed nec aliam fœminam unde mala suspicio habeatur, in una domo secum teneat: & quicunque sacerdotum, sive per pecuniam ordinatorum Missam scienter audierint, excommunicationi subjacere debent.* Gregorius VII. qui hujus prohibitionis auctor laudatur ab Anselmo *epist. ad Willelmum Abbatem Hirsaugiensem*, Italis & Theutonibus rescribens, de presbyteris concubinariis ait: *Si in peccato perseverare maluerint, eorum officium audire vestrum nemo præsumat.* Sed cùm Nicolaus contrarium decrevisset *in cap. ult. 15. q. ult.* ideo Lucius III. *in cap. vestra*, & Gregorius IX. in hoc textu, pro conciliatione dictorum canonum statuerunt, ut si notorium crimen sit, ita ut nullâ tergiversatione celari possit, talis publicus concubinarius vitandus sit, quia dum populus ab eo abstinet, & ipsi, & aliis aufertur peccandi licentia, & interim nec ab eo divina mysteria audienda, nec sacramenta recipienda sunt, nisi in casu necessitatis, *cap. præter, §. ad hoc, 32. dist.* Si verò occultum est crimen ejus, & nulla condemnatio, vel accusatio præcessit, licèt aliqua percrebuerit fama, hoc non impedit quominus fideles & sacra audiant, & sacramenta ab eo percipiant, licèt talis sacerdos, quia quoad se est suspensus, celebrando graviter peccet; quo casu exaudiendus est Nicolaus *in dict. cap. ult.* docuerunt plures congesti à Luna & Arellano *lib. 3 singul. anonym. 1. in fine*: nisi dicamus cum Tilmano Bredembachio *lib. 1. antiperap cap. 6.* pro diversitate temporum, quoad sacramenta recipienda à peccatoribus diversam fuisse Ecclesiæ disciplinam. D. Augustin. *serm. 50. in Quinquages.* & *cap. 2. de fide & oper.* & *epist. 166. contra Donatistas*, à malis posse sustineri sacramenta docet, dum eos tolerat Ecclesia; nec abutum ministrandorum sacramentorum excludit Nicolaus primus *in dicto cap. nullus*: & Alexand. *in d. cap. præter, 32. dist.* ad confundendos, & rubore suffundendos peccatores, ab illis non esse recipienda sacramenta, nec illorum Missas esse audiendas, sancivit: postea in Concilio Constantiensi, quia Wicleffus officio cadere existimavit eos, qui in peccata prolebantur; attamen diffinitum fuit, peccatum usu sacerdotii non privare, & meritò, nam certum est, malum sacerdotem æquè efficaciter sacrificare quàm sanctum, cùm actio sacrificandi non pendeat ex ministri qualitate. D. Thomas *3. p. q. 82. art. 6.* Bellarmin. *lib. 1. de sacram. in genere, cap. 26.* Theophilus Raynaudus

tom. 16. *in hæterocl. sacr. cap.* 1. *punct.* 1. Malus sacerdos, ut pulchrè tradit Isidorus Pelusiota *lib.* 3. *epist.* 340. se habet ut corvus, qui Eliæ escas afferebat; aut canalis, qui eandem aquam transmittit, etiamsi non sit argenteus, sed lapideus, vel lateritius, quæ est S. Augustini comparatio *tract.* 5. *in Joannem*; vel juxta Nazianzenum *orat. de baptismo*, ut sigillum ferreum, quod non minùs imaginem Regiam insculpit quàm si sit aureum. Similia exempla seminis in agricola, luminis, vel cerei accensi, tradunt D. August. *lib.* 3. *de baptism. cap.* 10. & *lib.* 4. *cap.* 11. & *contra Cresconium cap.* 8. Nicolaus *ad consult. Bulgar. cap.* 11. & firmatur celebri casu relato in vitis Patrum *lib.* 5. *libel.* 9. *num.* 11. Et etiam sacerdotem non esse spernendum, constat ex D. Cypriano *epist.* 65. ibi: *Cùm leprosum emundasset, dixit illi: Vade, & monstra te sacerdoti, & offer donum humilitate ea, quâ nos quoque esse humiles docuit. Sacerdotem adhuc appellabat, quem sciebat etiam sacrilegum.* Illustrat Novarin. *in Agno Eucharist. cap.* 90. *excursu* 56.

TITULUS III.

De Clericis conjugatis.

CAPVT I.

(a) Alexand. III.

SI qui clericorum infra Subdiaconatum acceperint uxores, ipsos ad relinquenda (b) beneficia ecclesiastica, & retinendas uxores districtione ecclesiastica compellatis. Sed si in Subdiaconatu, & aliis superioribus ordinibus uxorem accepisse noscuntur, eos uxores dimittere, & pœnitentiam agere de commisso, per suspensionis, & (c) excommunicationis sententiam compellere procuretis.

NOTÆ.

(a) *Alexander III.* Ita etiam legitur *in cap.* 1. *hoc tit.* in prima collectione, ubi additur pars capitis *sicut in extirpanda*; quibus innititur in præsenti referri partem textus *in cap. sicut* 4. *supra nat. proximo*, ubi integram ejus retuli, prout reperitur in ipso Concilio Lateran. seu post illud, *p.* 18. *cap.* 2.

(b) *Beneficia.*] Quæ vacant ipso jure, nisi matrimonium nullum sit, quia tunc desideratur Judicis sententia, Marinis *lib.* 1. *resol. cap.* 60.

(c) *Excommunicationis.*] Ut *in cap.* 3. *de except. in* 5. *compil.*

COMMENTARIUM.

1. Inclusio fit, & clericus in minoribus constitutus manet.

COnclusio, quæ communiter ex hoc textu deducitur, sic se habet: *Matrimonium à clericis in minoribus gradibus constitutis valet; à Subdiaconis verò, & supra celebratum, nullum est.* Probant eam textus *in can.* 27. *Apost.* ibi: *In nuptiis autem, qui ad clerum provecti sunt, præcipimus ut si voluerint, uxores accipiant; sed lectores, cantoresque tantùmmodo.* Qui canon citatur à Patribus sextæ Synodi *can.* 6. & refertur à Gratiano *in cap. si quis*, 32. *dist.* D. Clemens *epist.* 2. *ad Jacobum fratrem*, & *lib.* 6. *constit. cap.* 17. Concil. Neocæsar. *can.* 1. ibi: *Presbyter si uxorem duxerit, ordine suo moveatur.* Et *can.* 7. quem citant PP. Concil. Mogunt. 2. sub Rabano, *can.* 19. Paris. 3. *can.* 35. Romanum 2. sub Sylvestro *can.* 19. ibi; *Nemo presbyter à die ordinis presbyteris sumat conjugium, & si quis neglectò exierit, 12. annis eum ducimus privari honore.* Et *in cap. si quis*, 37. *dist. cap. quia tua*, §. *si quis verò* 12. *q.* 1. Eugenius II. *decret.* 2. *Præcipimus observari, ut qui in ordine Subdiaconatus, aut supra uxorem duxerint, aut concubinas habuerint, officio Ecclesiastico, & beneficio careant.* Zacharias I. *epist.* 1. *ad Bonifac.* Concil. Nicæn. 1. *can.* 3. *l. sacris* 45. *C. de Episcop. & Cleric.* Synodus 6. *dict. can.* 6. ibi: *Quoniam in Apostolicis canonibus dictum est, eorum qui non ducta uxore in clerum promoventur, solos lectores, & cantores posse uxorem ducere, & nos hoc servantes decernimus, ut deinceps nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero post sui ordinationem contrahere liceat; si autem hoc fuerit ausus facere, deponatur.* Et *in cap. presbyteris*, 27. *dist.* Concil. Carthag. 3. *can.* 19. ibi: *Placuit ut lectores cùm ad annos pubertatis pervenerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.* Aurelian. 2. *can.* 8. ibi: *Si quis Diaconus in captivitatem redactus uxori fuerit copulatus, reversus ab officii omnino ministerio removendus est.* Aurel. 3. *can.* 7. ibi: *Clerici verò, qui tùm uxores non haberent, benedictione susceptâ conjugia crediderint eligenda, qui volentes absque ulla reclamatione in ætate fuerint legitima ordinati, cum ipsis mulieribus quas acceperint, excommunicatione percellantur.* Illiber. *can.* 33. Neocæsar. *can.* 1. Arelat. 2. *cap.* 2. & 3. Carthag. 2. *cap.* 2. Carthag. 3. *cap.* 17. Carthag. 5. *can.* 3. Tolet. 1. *cap.* 1. Arausic. *cap.* 22 & 23. Turon. 1. *can.* 1. Agathense *cap.* 9. & 10. Gerundense *cap.* 6. Tolet. 2. *cap.* 3. Aurelian. 2. *cap.* 8. Aurelian.

relian. 3. *can.* 2. Arvernense *can.* 12. Matiscon. 1. *can.* 11. Hispal. 1. *cap.* 3. *cap. si quis amodò, & ferè per totam*, 31. *dist. cap. de illo*, 32. *dist.* D. Bernardus *epist.* 203. ibi: *Nec clerici est pugnare armis militaribus, nec Subdiaconi uxorem ducere.* Nicolaus Rumetus *in effigie Calvin. color.* 7. & 28. Joannes Caballutius *in not. ad Concil. Nican. cap.* 3. Alia plura Ecclesiæ statuta, & Sanctorum PP. decreta congesserunt Antonius Augustin. *in epit. jur. lib.* 4. *tit.* 37. Jodocus Coccius *lib.* 8. *thesauri fidei, art.* 6. Crespetius *in summa, verbo Cœlibatus.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa & Garanna, P. Bollo *in Oeconom. canonic. class.* 1. *cap.* 1. §. 6. Ioannes Dartis *de benefic. cap.* 6. *sect.* 4. Baronius *anno* 391. Cironius *ad tit. de custod. Eucharist.* Garcia *in summâ tract.* 1. *difficult.* 1. *dub.* 5. *punct.* 9. & *in polit. regul. tract.* 4. *cap.* 2. *difficult.* 2. *dub.* 2. Petrus Gregorius *lib.* 7. *syntag. cap.* 14. & *lib.* 1. *partit. tit.* 11. *cap.* 4. & *lib.* 3. *tit.* 21. *cap.* 9. & *lib.* 4. *tit.* 14. *cap.* 7. & *de benefic. cap.* 25. & *in cap.* 1. *de sponsa. num.* 7. Barbosa *lib.* 3. *jur. eccles. cap.* 14. *num.* 7. Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri mon. cap.* 80. Mendoza *lib.* 2. *Concil. Illiber. cap. final.* Columb. *de Angel. hierarch. lib.* 6. *cap.* 21. & 22. Cæsar *de eccles. hierarch. disput.* 8. §. 7. & *disput.* 10. §. 2. Vighel. *in methodo juris canonic. fol.* 264. Acunna *in princip. disp.* 21. & *in cap.* 7. *dist.* 32. Lemaistre *de cœlib. sacerd. lib.* 4. *cap.* 3. & 4. Revardus *lib.* 1. *conject. cap.* 2. Beyerlinch *in Theatr. vitæ hum. verbo Cœlebs.* Macedo *de clavibus Petri; lib.* 4. *cap.* 7. Guzman *de cœlib. sacerd.* Conradus Kling *lib.* 3. *disput. cap.* 37. Claudius Espenceus *integro libro de continentia sacerdotum.* Loaysa *in can.* 25. *Concil. Toled.* 9. Ambianas *ad Tertul. de monogamia, cap.* 8. *observ.* 2. Duarenus *lib.* 4 *de sacris, cap.* 7. Baronius *anno* 58. *num.* 16. & 68. *num.* 9. Quintañaduennas *lib.* 1. *Eccles. cap.* 5. *num.* 7. Turrianus *lib.* 1. *pro canon. cap.* 1. 2. & 28. & *in* 6. *Synodo, fol.* 40. & *lib.* 1. *contra Magdeburg. cap.* 1. & *de dogmatibus lib.* 2. *fol.* 62. Corjolanus *in can.* 5. *Concil. Tolet.* 3. Cresolius *lib.* 2. *mystag. cap.* 9. Becanus *in analog. cap.* 7. 9. 7. Bernardus *in tract. de cœlibat. sacerd.* M. Rousselius *lib.* 1. *hist. Pont. jurisd. cap.* 4. *in fine.* Bronch. *cent.* 1. *assert.* 96. Valensis *de benef. lib.* 1. *tit.* 19. Ægidius Hortensius *de privileg. honest. art.* 11. Savarus *ad Sidon. lib.* 5. *epist.* 16.

2. Impugnatur traditus assertio.

Quæ assertio ita illustrata difficilis redditur sequenti considerationi: Sive legem naturæ attendamus, sive legem scriptam, & gratiæ, nullum invenimus præceptum de cœlibatu sacerdotum; immò & eos uxores habuisse legimus: lege enim naturæ omnes sacerdotes ad Moysis usque legem primogeniti erant, & uxoribus vacabant, ut constat ex Geneseos libro, ubi apertè refertur usque ad Aaronis electionem cunctos, tam primogenitos, quàm cæteros sacerdotes matrimonio deditos fuisse, & probat Franc. Gothmanus *de cœlib. sacerdot. dub.* 1. Similiter sacerdotes legis scriptæ minimè cœlibatui fuisse devinctos constat *ex cap.* 21. *Levitici*, quo in loco divina majestas pro minoribus altaris ministris hanc sanxit legem: *Scortum, & vile prostibulum non ducet uxorem, neque eamqua repudiata est à marito, quia consecratus est Deo, & panes propositionis offert.* Et de uxore, quæ tradenda Pontifici summo erat, sic statuit: *Pontifex, id est, sacerdos maximus, virginem ducet uxorem; viduam autem, & repudiatam, & sordidam, atque meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo.* Ex quibus liquidò constat, tantùm abesse quod cœlibatus sacerdotibus lege divinâ præceptus esset, quòd Dominus illis præscripsit leges, juxta quas uxores sumere debebant. Probat latius Becanus *in analog. cap.* 7. *q.* 7. Ergo idem etiam in lege gratiæ sacerdotibus licitum erit, ne videamur imponere onus gravius quàm fuerit lex Mosaica, & lapis offensionis opponatur clerico; unusquisque enim tentatur à concupiscentia, constatque multos ob cœlibatus institutum, vel cecidisse, vel à statu clericatus abstinuisse, immò & abhorruisse. Primum probatur in primo sæculo, ex miserabili casu Nicolai Antiocheni, uno ex septem primis Diaconis; qui, ut referunt Irenæus *lib.* 1. *cap.* 27. Tertullianus *de præscript.* Hilarius *in Matt. cap.* 25. Epiphan. *hæres.* 25. & complures alii, cùm post susceptum Diaconatum, ad imitationem eorum, quos Deo addictos videbat, ab uxore, quam formosam habebat, se continuisset, & à concupiscentia superatus eam iterum superinduxisset, eaque de re argueretur ab Apostolis, mox sordidissimam hæresim excogitavit, quâ asserebat, necessarium esse ad salutem consequendam, quotidie inquinari luxuriis: unde orta est secta Nicolaitarum, quæ in Gnosticos, quæsito speciosо nomine à sapientia, conversa est. Scio equidem probatos Auctores vindicare ab hæresi Nicolaum, quem Episcopum Samaritanorum ab Apostolis factum, virumque probatissimum scribunt: unum tamen indubium est, uxorem superinduxisse. Quot Ecclesiastici & Monachi apostatarunt à fide propter incontinentiam, cui pro remedio inductum erat matrimonium. Andreas Carlostadius, intimus Lutheri, Archidiaconus Witembergi in Saxonia, publicè matrimonium iniit, & inde Witembergenses Lutherani in laudem illius tunc primùm uxorati Missam ediderunt, cujus hæc est collecta: *Deus, qui post longam, & tam impiam sacerdotum cæcitatem beatum Andream Carlostadium eâ gratiâ donare dignatus es, ut primus nulla habita Papastici juris ratione uxorem ducere ausus fuerit: da quæsumus, ut omnes sacerdotes recepta sanâ mente, hujus vestigia sequentes, electis concubinis, aut iisdem ductis, ad legitimi consortium tori convertantur.* Certè cœlibatus, seu rejectio matrimonii, à Deo in remedium concupiscentiæ hominibus dati, frequentia parit in Ecclesia scandala. Augetur primò hæc difficultas ex eo, quia matrimonium est sacramentum conferens gratiam; non igitur negandum illud est sacerdotibus; eo maximè, quod à D. Paulo vocatur *ad Hebræos cap.* 13. Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus. Igitur si honestum est omnibus, ergo & clericis. Augetur secundò ex illo Apostoli ad Corinthios *cap.* 9. *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* Ergo clerici possunt consortio uxorum uti: & idem Apostolus docet, ut Episcopus eligatur unius uxoris vir. Facit tandem, nam si usus conjugii ministris Ecclesiæ ratione clericalis gradus repugnaret, non permitterent sacri canones Episcopis & Clericis cum uxoribus cohabitare: sed non solùm illis id permittunt, verùm in uxores deserentes animadvertunt, *can.* 5. *Apostolorum*, ibi: *Episcopus, aut Presby-*

Presbyter, aut Diaconus uxorem suam prætextu religionis non abjecto: si abjecit, segregator à communione; si perseverat, deponitor. Ergo quia clericis etiam in sacris ordinibus constitutis licet uxores ducere, & retinere.

3. An sit cælibatus Sacerdotum jure divino?

Quibus difficultatibus minimè obstantibus, non solùm verum, sed etiam catholicum dogma est, clericos in sacris ordinibus constitutos, conjugia celebrare non posse, atque ità contrafacientes, ut suspecti de hæresi, ab Inquisitoribus hæreticæ pravitatis puniuntur. Pro cujus expositione sciendum est, omissis variis hæreticorum erroribus, asserentium post sacros ordines licere uxorem ducere, cujus erroris primus auctor fuit Wicletus, ut refert Waldensis *tom. 2. de sacram. cap. 128. & 129.* & illum avidè sequuti sunt Lutherus *in lib. de abrog. missæ priv.* Calvinus *lib. 4. instit. cap. 12.* Brentius *in confess. Wurtemberg.* quem nimis impudenter refellere intendit Arnæus *de jure connub. cap. 1. fere per totum*, Petrus Martyr *in 1. ad Corinth cap. 7.* Melanchton *in confess. August. art 23 §. 24.* Magdeburg. *cent. 11. cap. 7.* quos omnes, & eorum errores rectè, ut solet, refellit Magnus Cardinalis Bellarminus *tom. 1. controvers. lib. 1. de clericis, capite 28.* nonnullos perdoctos & pios viros exulimasse cœlibatum sacerdotibus à jure divino injunctum fuisse: tum quia cùm Ecclesia jam à temporibus Apostolorum eam continentiæ legem in suis ministris servaret, à jure divino præceptam esse credi debet: tùm quia Christus Dominus discipulis suis apud Lucam *cap. 21.* injunxit, ne curis hujus sæculi implicarentur, quod & commendavit Apostolus *2. ad Timoth. 1.* his verbis: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*; & *cap. 2.* Tito Episcopo suadet, *ut sæcularibus curis neglectis, Deo inserviat.* Et Syricius Papa *in epist. ad Hym. Tarracon.* legem cœlibatus statuens ait, quod Christus voluit in Ecclesia sua castitatem radiare. Ita censuerunt Major *in 4 dist. 24 q 2. per totam.* Waldens. *de sacram cap. 128. num. 5.* Turrianus *lib. 2. de dogmat. fol. 85 colum 1.* & *lib. 5. pro canon. cap. 12 cum seqq.* Azor *lib 13. instit. moral. cap. 12. q 1.* Clichoveus *de continentia sacerd. cap. 4.* Medina *eod tract. lib. 2. cap. 7.* Waldens. *de sacris. cap. 28.* Sed contrarium, videlicet jure divino sacris ordinibus cœlibatum annexum non esse, constat ex illis canonibus, ubi cùm de hac continentiæ lege agatur, vocatur lex Ecclesiastica, *cap. presby. 15. dist 27* ibi: *Juxta sacrorum canonum diffinitiones.* Trident. *sess. 24. can. 9.* & ex usu Ecclesiæ Orientalis, ubi matrimonio sacerdotes Græcos uti, infrà probabimus, & liquet apertè *ex cap. cùm olim, hoc tit.* Neque valuisset Ancyrana Synodus relata *in cap. Diacon., dist. 28.* Diaconis permittere uxorum consuetudinem. Unde hanc sententiam ut veriorem docuerunt Theologi cum D. Thoma *2. 2. q. 88. artic. 1.* Sanchez *de matrim. lib. 7. disput. 27. num. 5.* Suarez *de religione tom 3. lib. 9. cap. 13.* Bellarminus *dict. cap. 8.* Hieronymus Garcia *in summa*, & *polit. ubi supra*, Lantdmeter, *dict. cap. 80.* Cæsar *d. disput. 8. . 7.* Vazquez *disput. 246.* Macedo *de clavibus Petri lib. 4. cap. 7. fol. 574.* qui fundamenti's contrariæ sententiæ, quæ levia sunt, satisfaciunt. Juris ergo tantùm ecclesiastici est lex continentiæ circa presbyteros, & clericos in gradu sacro constitutos, sed petantiqui; siquidem in canonibus Apostolorum legimus *can. 27. Innuptis, qui ad clerum provecti sunt, præcipimus, ut si voluerint, uxores accipiant*; *sed lectores, cantoresque tantummodo.* Immò & ipsi Apostoli id exemplo docuerunt, nullus enim eorum qui ante acceptam uxorem ad Apostolatum vocatus est, eam postea duxit. De Joanne Evangelista notum est, quem Dominus virginem dixit: de Iacobo ejus fratre idem refert Epiphanius *hæresi 58.* de Iacobo fratre Domini idem referunt Eusebius *cap. 22.* D. Chrysostomus *homil. 5. in Matthæum*, D. Hieronymus *de script. eccles.* de B. Andrea post Metaphrastem *in vita sancti Petri*, tradit Sausay *in laudibus B. Andreæ*, & de D. Paulo probat Baronius *anno 57. num. 59.* Unde ipse *prima ad Corinthios cap. 7. Volo enim vos esse sicut meipsum.* Optimè Tertullianus *lib. de monog. cap. 3. & 8.* ubi pluta Pamelius, & Ambian. de aliis idem refert Suarez *lib 9. cap 14.* Unde exempla sanctorum Apostolorum sequentes omnes Episcopi, & Presbyteri ab eis ordinati, cœperunt à conjugiis se abstinere; quare credo hanc continentiæ legem in ministris sacris consuetudine cœpisse, postea scriptam fuisse, & firmatam ab Apostolis, & Ecclesiæ Patribus hanc cœlibatus legem in Conciliis supra relatis, adeò ut erroneum sit, & veritati impositum, quibusdam ultimorum temporum Pontificibus hoc tribuere, quod potius ipsi sæpiùs decantatum, minùs tamen fœliciter observatum edictis suis renovarunt, & servari deinceps curarunt, ut Calixtus II. qui Galliam adhuc fœtentem his sordibus omnino purgavit in Concilio Romano *cap. 3.* cujus verba refert Ant. Augustinus *lib. 7. tit. 17. & 18. epist. Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus concubinarum, & uxorum consortia perpetuæ interdictionis*; & *can. Presbyteris 27. dist.* & malè Cujacius auctorem eum facit hujus edicti, adducendo versus Leonimos à Cherillo quodam compositos. Quin multùm in cleri reformatione profecerit, libenter non negabo; sed ante eum plures huic morbo remedium præbuerunt, ut Zacharias I. *epist. 7. ad Regem & Episcopos Francorum, cap. 11.* qui secundùm supradicti Concilii Africani decretum uxores tantùm pro regionum consuetudine concessit minoribus clericis. Ivo Carnot. suis temporibus adhuc à clericis matrimonia non omnino exulsa conqueritur *epist. 186. 200. & 218.* In Anglia quoque, id indicat Anselmus Cantuar. *in epist. ad Ernulphum Archidiaconum.* Similiter Cujacius ex sententia Lamberti Schafnaburg. *lib. 2. de rebus gestis German.* auctorem facit in Germania Gregorium VII. cùm antea tamen, & semper Zacharias idem jus promulgarit *in epist. 2. ad Bonifacium Moguntiæ Proprasulem*; & idem decretum sit in Concilio Wormatiensi *can. 9.* quam veterem Ecclesiæ traditionem exprtiserunt PP. Concilii Carthag. *2. can. 2. Ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodimus, ab omnibus Episcopis dictum est, omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam se ab uxoribus contineant.* Non est equidem ferendus tantu error eorum, qui primævam ordinationem cœlibatus, ut olim incogniti, posterioribus sæculis dare conati sunt, quam certè Ecclesiam catholicam in ipsius suæ originis certissimum est fundamentis accepisse, *can. 26. Apost.* Prosequuntur latiùs

origi-

originem sacri cœlibatus Columbus, Lemaistre, Gothmannus *ubi suprà*.

4. *Sacerdotibus Orientalibus.*

Primis ergo Ecclesiæ temporibus æqualis, tam apud Latinos, quàm Græcos lex erat, ut sacris ordinibus initiati, non solùm matrimonio postea non copularentur, verùm etiam jam contracto non uterentur; immò à propriis uxoribus se abstinerent, cùm necessitas ministrorum, & fidelium inopia cogebat etiam ex conjugatis clericos assumere, constat ex Origene *homil. 23. in Numer.* Eusebio *in Evangel. demonstr. cap. 8. & 9.* Epiphanio *hæsi 69.* Chrysost. *homil. 2. de patientia Job.* Cyrillo Hierosolym. *catech. 12.* Hieronymo *contra Vigil. in princip. & epist. 50. in fine*, Concilio Nicæno *canone 3.* Divo Clemente *epist. 2. columna 2.* ibi: *Ad Dominica mysteria tales elegantur, qui ante ordinationem suam conjuges suas noverint: quod si post ordinationem ministro altaris contigerit invadere proprium cubile uxoris, sacrarii non intret limina, nec sacrificii portitor fiat, neque ad altare contingat, neque ab offerentibus holocausti oblationem suscipiat, neque ad Dominici corporis portationem accedat, nec aquam sacerdotibus porrigat ad manus, ostia forinsecùs claudat; minora gerat officia.* Hæc Clemens. Verùm circa illa verba, *qui conjuges suas noverint*, sciendum est, variè legi; nam in Conciliis Severini legitur; *non noverint*; cui lectioni consentit Turrianus *lib. 1. pro canon. Apost. cap. 1.* Sed Humbertus in ea disputatione, quam cum Niceta Pectorato habuit, cujus meminit Acunna *in cap. aliter, 31. dist.* legit, *noverint*; addit tamen explicationis gratiâ, *si semper contineri noluerint*: quasi dicat; eligi posse conjugatos ante ordinationem, si noluerint ante eam esse continentes; at post ordinationem abstinere ab uxoribus debuisse. Eum sequitur Basilius *de matrim. lib. 7. cap. 23. num. 3.* Idem referunt Epiphanius *in compend. fidei doctrin.* ibi: *Horum vertex est sanctum sacerdotium, ex virginibus quidem ut plurimùm procedens; si verò ex non virginibus, at ex solitariam vitam degentibus; si verò non suffecerint ad ministerium solitariam vitam degentes, de his qui continent à propriis uxoribus.* Socrates *lib. 1. cap 8. & lib. 5. cap. 21.* Sed cùm Græci facilè à Latinis omni tempore discesserint, cœperunt uti eâ distinctione, ut si Diaconi tempore suæ ordinationis interrogati, an vellent continenter vivere, se ita vivere non posse dixissent, liceret illis uxores ducere; aut etiam jam ductas retinere. Zonaras *in can. 26. Apost.* Balsamon *in can. 5. Apost.* constat ex historia Phanutii, relata *in cap. Nicæna 12. 31. dist.* quam doctè defendit Basilius *dict. cap. 23.* & apud Socratem *lib 1. cap. 8.* Sozomenum *lib. 1. cap. 22.* Cassiodor. *tripart. lib. 2. cap. 14.* Nicephorum *lib. 8. cap. 12.* quo modo accipiendi sunt canones 25. 66. & 78. Synodi Nicænæ, *cap. Diaconi 8 28. dist. leg. 9. l. eum qui 44. C. Theodos. de Episc. & Cleric.* Innocentius III. *in cap. cùm olim 6. hoc tit.* & in Concilio Lateran. sub ipso celebrato, *can. 14.* ubi gravius puniendos esse clericos Græcos incontinentes statuit, eam rationem affignans, quia non abdicarunt copulam conjugalem secundùm regionis suæ morem cùm legitimo matrimonio possent uti. Clemens III. *in cap. qualitum, de pœnit. & remis.* ibi: *Sacerdotibus Græcis, quibus legitimo matrimonio licet uti.* Concilio Senonensi *can. 8.* in decreto fidei, ibi: *Neque voluit Orientalis Ecclesia suos ea severitate coercere, ut contractis primùm matrimoniis uti non liceret; & cap. aliter, dist. 31.* ubi illa verba, *matrimonio copulari*, ita exaudienda sunt, id est, matrimonio utantur, ut *in can. 23. 6. Synodi*, ubi de ministris Ecclesiæ Latinæ ajunt Patres, *amplius suis uxoribus copulari.* Tolet. 3. *can. 5.* ibi: *Carnali adhuc desiderio uxoribus copulari*; ut *in cap. gaudemus, de divortiis*, etiam dicitur: *Copulari liberè possint.* Docuerunt Quintanaduenas *lib.... eccles. cap. 6. num. 9.* Vazquez *d. disput. 247. num. 40.* Jacobus Gothofredus *in l. 9. C. Theodos. de Episcopis & Clericis*; & *in l. 44. eod.* Zonaras & Balsamon *in can. 13. sextæ Synodi.* Sed licèt primis sæculis Episcopi Græci etiam matrimonio contracto antea uterentur, Nicephorus *lib. 12. hist. cap. 34.* ibi: *In Oriente omnes, atque etiam Episcopi, si vellent, pro arbitrio suo, non aliqua legis necessitate coacti; uxorum congressum declinarent; multi enim ipso Episcopali munere fungentes, in Episcopalibus ædibus liberos multos ex conjugibus, quasi sibi ex legitimo matrimonio antea susciperent*; tamen illis prohibitus fuit usus conjugii in 6. Synodo, *can. 12.* ibi: *Hoc quoque ad nostram cognitionem pervenit; quòd in Africa & Libya, & aliis locis quidam ex iis, qui illic sunt, religiosissimi Præsules, cum propriis uxoribus etiam postquam ad eos processit ordinatio, una habitare non recusant, ex eo populis offendiculum, & scandalum afferentes. Cùm itaque studium nostrum in eo magnoperè laboret, ut omnia ad gregis nobis commissi utilitatem fiant; nobis visum est; ut nihil ejusmodi deinceps ullo modo fiat, &c. Si quis tale agere deprehensus fuerit, deponatur.* Et *can. 48.* in illis verbis: *Uxor ejus, qui ad Episcopalem dignitatem promotus est, communi sui viri consensu prius separata; postquam in Episcopum ordinatus est, ac consecratus; monasterium ingrediatur, procul ab Episcopi habitatione extructum, & Episcopi providentiâ fruatur.*

5. *Exponitur Cap. consulendum 28. dist.*

Nec tunc obstat textus *in cap. consulendum, 28. dist.* in illis verbis: *Valde reprehensibiles sint.* Ubi Nicolaus reprehensibiles esse affirmat clericos Græcos matrimonio utentes. Pro cujus textus expositione sciendum est, Græcos post sextam Synodum, ut magis à Latinis discederent, eò insaniæ pervenisse, ut omnes, qui ordinabantur, ad nuptias cogerent, nec ullum, nisi conjugatum, ordinarent; quod increpabat in Vigilantio D. Hieronymus in illis verbis: *Si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos; nisi priùs uxorem duxerint; nulli cœlibi credentes pudicitiam, immò ostendentes, quam sanctè ipsi vivant, qui malè de omnibus suspicantur.* Quæ Græcorum insania apertiùs refertur *in disput. Humberti adversus Nicetam Pectoratum*, quam refert Baronius *tom. 11. annal. in fine*; ideo ergo Nicolaus reprehensibiles dicit sacerdotes Græcos, non quia matrimonio uterentur, sed quia non nisi matrimonio deditos, ordinandos esse credebant: docuit Basilius Legionensis *dict. lib. 7. de matrim. cap. 23. num. final.*

6. *De sacerdotibus Latinis.*

Latini verò sacri ministri semper & pro semper nec matrimonio novo, ut supra probavi, nec jam contracto, tempore sacræ ordinationis usi fuerunt; sed potiùs à die suscepti gradus sacri, sequestrato mansionis cubiculo à propriis uxoribus se abstinebant. Concil. Illiber. *can. 33.* Turon. 2. *can. 20.* Arelat. 2. *can. 2.* ibi: *Assumi aliquis ad sacerdotium non potest in vinculo conjugii constitutus, nisi fuerit promissa conversio.* Et

can. 33.

can. 3. ibi: *Si quis clericus à gradu Diaconatus in solatio suo mulierem præter aviam, matrem, sororem, filiam, neptem, vel conversam secum uxorem habere præsumpserit, à communione alienus habeatur.* Concilium Carthag. 3. *can.* 17. & 19. Carthag. 5. *can.* 3 ibi: *Cùm de quorundam clericorum, quamvis ergà uxores proprias incontinentia referretur, placuit Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos secundùm priora statuta etiam ab uxoribus continere.* Tolet. 1. *can.* 1. *Placuit, ut Diaconi, vel integri, vel casti sint, & continentis vitæ; etiamsi uxores habeant, in ministerio constituantur, ita tamen, ut si qui etiam ante interdictum, quod per priores ante nos Episcopos constitutum est, incontinenter cum uxoribus vixerint, presbyteri honore non cumulentur.* Et *can.* 2. *Subdiaconus autem defuncta uxore, si uxorem aliam duxerit, ab officio in quo ordinatus fuerat, removeatur, & habeatur inter hostiarios, & lectores, ita ut Evangelium, vel Epistolam non legat.* Arausic. 1. *can.* 22. *Præterea ut deinceps non ordinentur Diaconi conjugati, nisi qui priùs conversationis proposito professi fuerint castitatem.* Et *can.* 23. *Si quis autem post acceptam benedictionem leviticam cum uxore sua incontinens inventus fuerit, ab officio abjiciatur.* Concil. Turon. 1. *can.* 1. 2. & 6. Agathense *can.* 9. ibi: *Placuit etiam, ut si Presbyteri, vel Diaconi conjugati ad eorum uxorum suarum redire voluerint, Papæ Innocentii ordinatio, vel Syricii Episcopi auctoritas, quæ est his canonibus inserta, servetur: quod si ad aliquos formula illa ecclesiastica vita pariter & disciplinæ quæ à Syricio Episcopo ad provincias commeavit, non probabitur pervenisse, ejus ignorationis venia remittitur, ita ut de cæteropentus incipiant æstimere.* Et *can.* 16 *Si conjugati juvenes consenserint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requirenda est, ut sequestrato mansionis cubiculo, religione promissâ, posteaquam pariter conversi fuerint, ordinentur.* Concilium Gerundense *cap.* 6. ibi: *De conversatione vitæ id statuere placuit à Pontifice usque ad Subdiaconum, post susceptum honoris officium, si quis ex conjugatis fuerit ordinatus, ut semper alterius fratris utatur auxilio, cujus testimonio vita ejus debeat clarior apparere.* Et Concil. Aurelian. 3. *cap.* 2. ibi: *Nullus clericorum à Subdiacono & supra, & quos uxores in proposito suo accipere inhibetur, propria (si fortè jam habeat) misceatur uxori. Quod si fecerit, laicæ communione contentus, juxta priorum canonum statuta ab officio deponatur. Quem si sciens Episcopus suus in hac vilitate permixtionis viventem, ad officium postea admiserit, & ipse Episcopus ad agendam pœnitentiam tribus mensibus sit à suo officio sequestratus.* Et Aurel. 4. *can.* 17. illic; *Ut Sacerdotes, sive Diaconi cum conjugibus suis non habeant communem lectum, & cellulam, ne propter suspicionem carnalis consortii religio maculetur. Quod qui fecerint, juxta priscos canones ab officio degradentur.* Aurelian. 5. *can.* 4. ibi: *Si quis clericus post acceptam benedictionem, cujuslibet loci, vel ordinis, ad coniugalem eorum jam sibi illicitum denuò redire præsumpserit, usque in diem vitæ ab honore accepti ordinis, & (sicut habent antiquorum Patrum canones) ab officio deponatur, ei tantummodo communione concessâ.* Et Concilium Turon. *can.* 13 ibi: *Episcopus conjugem ut sororem habeat, & ita sancta gubernatione gubernet domum omnem, tam ecclesiasticam, quàm propriam, ut nulla de eo suspicio quaquaratione consurgat.* Plura congesserunt Jodocus Coccius *lib.* 8. *thesauri, art.* 6. Basilius *d. cap.* 24. *per totum.* A quo tamen tempore hæc continentiæ lex obligaret etiam Subdiaconos, exponendum supererat; sed remitto potiùs, quam omitto; jam id disputavi *in can.* 30. *Concil. Illiber. & in cap. penultimo, de ætate & qualitate.*

Manet ergo, continentiam hanc servatam fuisse à sacris ministris jam à primis Ecclesiæ temporibus; sed utrum hæc cœlibatus obligatio ex ordine ipso, an verò ex voto castitatis sacris ordinibus annexo proveniat, valde insudavêre Intetpretes: Et ex ipso ordine provenire docuerunt Cardinalis *in Clement. ad nostram, num.* 3. *de hæretic.* Archid. & Turrecrem. *in cap. cùm in præterito,* 28. *dist.* Gutierrez *lib.* 1. *canonic. cap.* 7. *num.* 45. Mogollon. *in tract. de his quæ vi* 8. §. 2. *num.* 26. ex Theologis Scotus *in* 4. *dist.* 37. *q. unic.* Valentia 4. *p. tract. de sacramento Ordinis, disp.* 9. *q.* 5. *punct.* 5 Hurtado *de matrim. disp.* 16. *difficult.* 1. Nihilominus alii tenuerunt contrariam sententiam, videlicet provenire ex voto castitatis, quod Ecclesia annexuit sacris Ordinibus, cogens eos, qui ordinem sacrum suscipiunt, illud emittere, non expressè, sed tacitè, ut olim contingebat in professionibus tacitis monachorum; nam per delationem habitus professorum tacitè voto castitatis obstringebantur, *cap. vidua,* ubi dicemus, *de Regular.* Et licet Ecclesia non possit cogere quemquam ad vovendam castitatem, cùm sit res merè consilii, *cap. integritas* 13. 31. *q.* 2. potuit tamen adjicere sacris Ordinibus tale votum, ita ut omnes, sacros Ordines suscipientes tenerentur castitatem servare. Unde suppositâ hâc Ecclesiæ lege, eo ipso quo quis vult sacris Ordinibus initiari, vult per consequens vovere castitatem, sicut vult obligari ad recitandum officium divinum; quod onus sacris Ordinibus etiam est annexum. Unde hæc obligatio castitatis votum dicitur *in cap. unico, de voto in* 6. Extravag. *antiqua,* Joann XXII. *eod. tit. cap. de iis.* 5. 28. *distinct.* docuerunt, & late hanc sententiam exposuerunt Theologi Scholastici cum D. Thoma *in* 4. *dist.* 37. *q.* 1. *art.* 1. Vazquez. *tom.* 3. *in* 3. *p. disput.* 248. *cap.* 1. Suarez *tom.* 3 *de relig. lib.* 9. *à cap.* 16. Ex Moralistis Azor *dicto lib.* 13. *instit. cap.* 12. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disput.* 27. Ex Juristis Petrus Barbosa *in rubric. solut. matrim.* 2. *p. num.* 100. Cæsar *de Eccles. hierarch. disput.* 8. §. 7. Basilius Legion & alii, quos laudat & sequitur Hieronymus Garcia *in polit. tract.* 4. *p.* 2. *difficult.* 2 *dub.* 3. Sed verius credo, Ordinem sacrum ratione sui, & sine ordine ad votum, esse jure canonico impedimentum dirimens matrimonii. Et ratio est, quia si quis ordinaretur cum voluntate non emittendi votum castitatis, peccaret quidem, & ut plurimùm maneret obligatus emittere votum ex pacto inito cum Ecclesia non aliter volente dispensare sacramentum Ordinis; tamen sic ordinatus non haberet votum castitatis, quamvis inhabilis omnino foret ad matrimonium contrahendum: ergo inhabilitas non provenit duntaxat ex voto castitatis annexo Ordinibus sacris, sed ex lege Ecclesiastica constituente, ut Ordo sacer sit impedimentum dirimens ad matrimonium subsequutum: quare hoc impedimentum vocatur lex Ecclesiastica in Concilio Tridentino *sess.* 24. *de matrim. cap.* 9.

7. *De voto continentiæ.*

Supereſt ut rationes cœlibatus, & continentiæ clericorum in medium afferamus. Et certè ratio prima provenit ab exemplo Apostolorum & discipulorum ipsorum suprà relato. Secunda

8. *Traduntur rationes cœlibatus.*

assignatur ab Apostolo *ad Timoth. cap. 2. vers. 3. & 4.* in illis verbis: *Labora*, inquit, *sicut bonus miles Christi Jesu; nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Quæ verba ut expendam, observo Romanos à castimonia castrorum nomen auspicantes, teste D. Isidoro *lib. 9. originum, cap. 3.* militibus prohibuisse uxores ducere, aut jam ductas in castra comportare. Tacitus *lib. 14. annal.* ubi plura Lypsius, Diocasius *lib. 6.* Tertullianus *in exhort. ad castit.* & ita cum uxoribus jam susceptis divortium bonâ gratiâ propter militiam fiebat. Unde obiter intelligitur textus *in l. vel senectutem 61. ff. de donat. inter.* Et jam olim ita exponebam textum *in l. D. Hadrianus 13. ff. de castrensi peculio*; ità ut in ejus specie uxor domi relicta maritum militantem hæredem instituisset sub ea conditione, si in militia perseverasset; nam cùm optaret ne ipse ad secundas nuptias transiret, ut id assequeretur, cautè non apposuit conditionem, *si non nupserit*; quia ea facilè remittebatur ex lege Julia miscella: sed eam conditionem adjecit, *si in militia perseveravisset*; quia dum ita in castris erat, alio matrimonio jungi non poterat. Claudius tamen Imperator maritorum jus militibus indulsit, ut quoniam uxores eis ducere ex legibus non licebat, saltem hoc orbitatis suæ solatium consequerentur. Diocasius *lib. 6.* illic: *Militibus quoniam ex legibus uxores habere non poterant, jura maritorum indulsit.* Inde cum suis inscriptionibus *ad legem Juliam, & Pap.* exponendi sunt textus *in leg. 35. cum duabus sequentibus, l. si cui 38. in fine, ff. ex quibus causis major.* Hanc tamen laudabilem castrorum disciplinam Severus Imperator latâ lege ex asse sustulit, si Herodiano credimus *lib. 6. histor.* à quo Papiniani mutuamus interpretationem (qui temporibus Severi floruit) asserentis legibus non refragantibus milites matrimonia contrahere, *in l. filius 35. ff. de ritu nupt. l. 63. & 65. ff. de donat. inter*: prosequuntur alia de connubiis militum Steuvechius *ad Vegetium de re milit.* Duarenus *ad titulum C. de uxoribus milit.* D. Josephus de Retes *lib. 5. opuscul. cap. 2. num. 9.* immò nec intrare castra fœminis, etiam uxoribus, licuit jure Romano. Unde in Antonio, tanquam propudiosum, & contra morem receptum notatur à Marone *in Gallo*, quòd Cleopatram in expeditionem secum duxisset.

- - - *Sequiturque (nefas) Ægyptia conjux.*

Et apud Propertium *lib. 4 eleg. 3.*

Romanis utinam patuissent castra puellis,
Essem militiæ sarcina fida tuæ.

Quintilianus *in declamat. Mariana*, ait: *Meretrices ab exercitu submoventur, intrare castra fœminis non licet.* Quare D. Augustinus *lib. 20. contra Faustum, cap. 9.* refert quod Venus Vulcani conjux cum Marte bellorum præside adulterata diceretur, ad significandum, incongruam esse belligerantibus venerem. Igitur dum D. Paulus Episcopo præcipit, ut tanquam bonus miles negotiis sæcularibus non se implicet, de nuptiis sensit, quæ militibus prohibitæ erant, ut innuit Bellarminus *d. cap. 19.* Videndus Theoph. *tom. 12. de frequent. mulierum, fol. 265.* Facit etiam exemplum Pontificis & Sacerdotum veteris legis, qui pro toto eo tempore, quo ministrabant in tabernaculo, & in templo, abstinebant se à propriis uxoribus, quod testantur Scripturæ, & Sancti Patres. Ex Scripturis habemus aliquot testimonia, *Exodi cap. 19. vers. 22.* ubi: *Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, id est, abstineant ab uxoribus*; in eo enim potissimùm consistebat sanctificatio, ut patet ex eodem capite, nam *vers. 10.* dicebat Deus ad Moysem: *Vade ad populum, & sanctifica illos hodie, & cras, lavent que vestimenta sua.* Moyses autem intellexit illam sanctificationem de abstinentia ab uxoribus. Nam mox accedens ad populum, & explicans illi voluntatem Dei, dixit: *Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus vestris.* Ubi notandum est, illam sanctificationem seu abstinentiam ab uxoribus, de qua agitur *cap. citato*, tam populo, quàm Sacerdotibus fuisse præceptam; quia tam populus, quàm Sacerdotes debebant audire promulgationem legis Mosaicæ, & ad illam toto biduo se disponere per abstinentiam ab uxoribus, & per lotionem vestimentorum, & castrorum purgationem; speciali tamen titulo præceptam fuisse Sacerdotibus pro omni tempore, quo fungebantur officio sacerdotali, sive orando pro populo, sive hostias & sacrificia offerendo, sive aliquando aliud sacrum ministerium exhibendo. Hoc enim significatur illis verbis: *Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur.* Nam tunc dicebantur accedere ad Dominum, quando vel erant oraturi, vel sacrificium oblaturi, vel aliquid simile facturi, secundùm testimonium *1. Regum cap. 21. vers. 1.* ibi: *Venit autem David in Nobe ad Achimelech sacerdotem.* Et infrà: *Respondens Sacerdos ad David, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantùm panem sanctum: si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus? Et respondit David sacerdoti, & dixit ei: Et quidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri, & nudius tertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta. Porrò via hæc polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis.* Hîc vides non licuisse comedere panem sanctum, nisi præmissâ sanctificatione, quæ in duobus consistebat. Primò, ac potissimùm in abstinentia ab uxoribus: secundò in purificatione corporis, si quid maculæ in via contraxisset. Et certè si homines laici debebant hoc modo sanctificari, multò magis sacerdotes, quippe qui ad majorem puritatem, ratione status, ac officii, obligabantur. Ex Patribus docent Syricius *epist. ad Himerium Tarracon. Episcop. cap. 7.* Hieronymus *lib. 1. contra Jovin. longè post medium*, ibi: *Nam & in veteri lege, qui pro populo hostias offerebant, non solùm ut domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus ab uxoribus separati, & vinum, & siceram non bibebant, quæ solent libidinem provocare.* Illustrat Bellarminus *ubi supra*, Becanus *in analog. cap. 7. 7. 7.* & de Mathia Summo Pontifice refert Josephus *lib. 17. antiquit. cap. 8.* quod ei non licuit sacrificare, sed illi una die substitutus datus fuit, qui sacrificaret, quia nocte somniasset se rem cum uxore sua habere. Facit etiam exemplum Gentilium, apud quos lege duodecim Tabul. ita cavebatur: *Divos castè adeunto.* Immò & conjugio usos arcebant à suis sacrificiis. Tibullus *lib. 2. elegia 1.*

Vos quoque abesse procul jubeo (discedat ab aris)
Quels tulit hesternâ gaudia nocte Venus.

Silius Italicus *lib. 7.*

Huc ades, ô Regina Deûm, gens casta precamur.

Clemens *lib. 1. strom.* idem scribit de Ægyptiis; nec non sanctus Hieronymus *lib. 2. in Jovin.* ac creditus Augustinus *serm. 37. ad fratres in eremo*: plura Alexand. *4. genial. cap. 17.* ubi Tiraquellus, Giraldus *syntag. 17.* ideò apud eos sacerdotes

cerdotes sine usu conjugii erant, *l. vitricus* 60. ibi: *Propter sacerdotium*; *ff. de donat. inter.* Plura congesserunt Tiraquellus *in l. 5. connub. ex num.* 76, Pamelius *ad Tertul. de exhort. castit.* Si ergo hæc observabantur in sacerdotibus, tam Judaicæ, quàm Gentilitiæ religionis, quantò magis sacerdotes legis gratiæ, qui quotidiè vero & omnipotenti Deo sacrificium offerunt, debent continenter vivere, à conjugioque arceri! Facit ad rem Tertul. *de exhort. castit. cap.* 52. Si quotidiè, omni momento oratio hominibus necessaria, utique continentia, quæ orationi necessaria est. Hinc abstinentia uxoratis injungitur in certis diebus, ante Eucharistiæ perceptionem, *cap. omnis*, 96. *de consecr. dist.* 4. *cap.* 1. *& per totum*; 33. *q.* 4. plura Theophilus *tom.* 16. *in heterocl. spirit. punct.* 3. *fol.* 33 & nos *in cap. unic. de purific. post partum.* D. Augustinus *serm.* 216. ibi: *Ille homo christianus est, qui quotiens sanctæ solennitates veniunt, ut securius communicet, ante plures dies castitatem cum propria uxore custodit.* Accedit etiam, nam qui conjugem habet, non potest facilè in vitam contemplativam animum dirigere, sed in re uxoria, & familiari semper est occupatus, cùm multa sint connubii onera: hinc Apostolus 1. *ad Corinth.* 7. gravem conjugii sarcinam intelligens, ait: *Si est ita, non expedit homini uxorem habere*; est *in cap. omnes* 7. 32. *q.* 7. Et si is, qui uxorem habet, vacare studiis non potest, cujus rei præclarum præbet exemplum B. Hieronymus *in Jovin.* unde Cicero post Terentiæ repudium, ab Hirtio rogatus, ut suam sororem in uxorem duceret, respondit, non posse simul uxori & Philosophiæ navare operam; fortiori ratione, & Deo, & uxori non possumus rectè servire, *cap.* 1. 21. *q.* 2. Meritò ergo sancti Ecclesiæ Patres tot canonibus prohibuerunt sacratis ministris usum conjugii. Julianus Imperator *orat.* 5. sic scribit: *Apud Athenienses, qui arcana illa tractant, castissimè degunt; tum eorum Antistes Hyerophanta ab omni prorsus generatione abstinet, tanquam progressionis illius in infinitum particeps esse minimè debeat; sed diffinitæ potiùs, ac perpetuò manentis, & una contemptæ, incorruptæ, syncereque naturæ.* Cœlibatum sacerdotum suadet illa Epicteti disputatio, quæ suadet Cynicum, sive perfectum Philosophum oportere esse cœlibem, *lib.* 3. *Arriani cap.* 22. ibi: *Nonne Cynicum abstrahi nullo modo posse oportet à ministerio Dei, cui servit, ut possit semper adesse hominibus; non alligatus domesticis officiis, aut distractus his rebus, quas negligens non tuebatur, boni & integri hominis persona, quas procurat: amittat nomen nuntii & speculatoris, atque etiam præconis Dei? Nonne oportet conjugio illigatum cogitare quæ socero sint danda, aliis quoque affinibus, & præterea uxori? Deinde operam quoque impendere ægrotantibus cogitur, & rei acquirendæ studiosum esse oportebit, ut de cæteris nihil dicam. Quin etiam lebetem, & scapiam habere oportebit, qui calidam infundat oturo infanti, nec non lanulâ quoque, & oleo, & gravato, & poculo cpus erit puerperæ. Plura nunc parantur vascula, ut præteream reliquas occupationes, & distractiones negotiorum. Quid reliqui erit Regi huic, quo vacare publicis rebus & negotiis queat, cui tot populi commissi sunt, tantaque curat? Is nimirum est, qui speculator esse debeat aliorum omnium; quique in matrimonio constitutos, & hos etiam qui liberos educant, quinam bene sua utantur uxore, qui secum faciat, ac rixetur; & quæ familia dissentiat, & item quæ sit consentiens. Eum circumire tanquam medicum, atque obambulare oportet, & vibrantes venas experiri, & huic dicere, tu febricitas; alii, tibi caput dolet; alii, tu laboras podagrâ; deinde sic præcipiat; tu intende laboribus, tu pleniora utere cibis, tu abstine lavacro, te oportebit secari, te verò uri. At si sit domesticis impeditus negotiis, quod suppetet otium ad hæc peragenda?*

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa, pro cujus solutione sciendum est, magnum versari discrimen inter sacerdotes legis veteris, & legis gratiæ. Primò enim illi ad certam tribum alligati, debebant invitis matrimoniis progignere successores; nostrum sacerdotium non carnali propagatione, sed divinâ consecratione transmittitur ad posteros. Secundò illi immolabant belluinas carnes; nostri offerunt divinum corpus & sanguinem unigeniti Filii Dei. Tertiò illi rariùs ad sacrificandum accedebant, tempore nimirum vicis suæ; & tunc & congressu uxorum, & potione vini abstinendum fuit: nostri quotidie sacris mysteriis sacrificiorum, orationum, & sacramentorum peragendis incumbunt. Denique lex illa rudior fuit, nostra lex spiritualis. Quocirca non est incommodum, si in lege Evangelica sint præcepta quædam carni molesta, quæ spiritui grata sunt, & levia; & hæc enim dici non debent molesta, & gravia, quia & animum hominis mira suavitate quando implentur, perfundunt, & ut perferantur non deest uberrima gratia, & auxilium Dei, qui apud Oseam *cap.* 11. ità promisit: *Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachus meis, & ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum.* Homini onusto, si ipse portetur, minùs gravis est sarcina: si verò etiam ab alio sustentetur, vel nihil, vel parum molestiæ affert bajulo. Scandala quæ in dies occurrunt, non sunt imputanda legi de observando cœlibatu, sed dissolutioni & relaxationi hominum. Adde, quod non minora ab uxoratis perpetrantur, inter quos, & ex quibus effrænatæ impudicitiæ frequentiora notantur exempla: uni virò legitimæ uxoris consortium plerunque libidinis æstum non extinguit, qui post alienas inhiare non cohibetur, ut legimus de viro alioquin probatissimo Davide, qui adulterio, raptuque, & homicidio contaminatus legitur: trecentis Reginæ Salomonem ab illegitimis amplexibus; & septingentarum concubinarum grege non arcuerunt; usu augetur venus, nisi gratia sacramenti matrimonialis obstet. Non me latet; continentiam esse speciale Dei donum, ut *Sapient.* 8. dicitur. At licitè vovetur confidendo de auxilio divino promisso. Nec arguendi sunt voventes præsumptionis; fidelis est enim Deus, qui non patitur supra modum servos suos tentari; sicut autem filius in regione peregrina destitutus subsidiis, & opibus mutuum accipit, & solvere promittit, confisus de patris sui amantissimi, & opulentissimi liberalitate; ita christianus, specialiter verò clericus, confisus de misericordia ejus, quem scit castitate delectari, & piorum in se fiduciâ gaudere, votum nuncupat cum gratia adimplendum, ad quod invitus nemo inducitur. Nec obstat augmentum primum deductum ex D. Paulo *ad Hebræos cap.* 13. ubi matrimonium honorabile appellat. Nam respondetur, matrimonium non prohiberi ministris sacratis, quia sanctum non sit, & ut est sacramentum; sed propter aliud, quod illi annexum est,

9. Dissolvitur dubitandi ratio.

copulam videlicet carnalem, quæ animum hominis ad inferiora deprimit, ut minùs idoneus sit ad cœlestia meditanda, & tractanda. Nec obstat aliud augmentum ex eodem D. Paulo 1. *ad Corinth. cap.* 9. in illis verbis: *Nunquid non habemus*, &c. Nam respondetur, constare ex ipso textu, D. Paulum agere de mulieribus, quæ Apostolis ministrabant necessaria ad vitam; usus ille communis erat Apostolis, solus Paulus cum Barnaba iis non utebatur, & ita accipit locum illum D. Pauli D. Hieronymus *contra Jovianum*, & explicat Turrian. *pro canon. Apost. lib.* 1. *cap.* 2. & 4. Nec obstat, ipsum Apostolum *epist.* 1. *ad Timoth.* dixisse Episcopum debere esse unius uxoris virum; nam ut Ambrosius *epist.* 82. notavit, ne quis filios creare in sacerdotio Apostolica invitetur authoritate, habentem dixit filios, non facientem; & ita Apostolus permisit unius uxoris virum, non verò bigamum, in Episcopum eligi. Cui interpretationi consentiunt D. Chrysostomus *in epist. Pauli ad Timoth. cap.* 3. *homil.* 10. Epiphanius *hæresi* 59. Hieronymus *lib.* 1. *contra Jovin.* qui *epist.* 50. *ad Pammachium*, ait: *Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post sacerdotium in æternum pudici.* Nec tandem obstat textus *in dicto can.* 6. *Apost.* nam respondetur, in eo canone nihil de ineundo à sacerdotibus, vel Episcopis connubio agi, sed quia primis Ecclesiæ temporibus uxorati assumpti fuerunt ad sacros Ordines, illis præcipitur non usus conjugalis, sed cura, & providentia erga jam ductam uxorem, cui etsi dimissæ sacerdos de alimentis, & aliis ad vitam necessariis providere tenebatur. Sanctus Leo *epist.* 92. *ad Rusticum*, ibi: *Lex continentiæ eadem est ministris altaris, quæ Episcopis, atque Presbyteris, qui cùm essent laici, sive lectores, licitè & uxores ducere, & filios procreare potuerunt; sed cùm ad prædictos pervenerint gradus, cœpit iis non licere quod licuit. Unde & de carnali fiat spirituale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, & quasi non habeant, sic habere, quod & salva sit charitas conjugiorum, & cessent opera nuptiarum.* Episcopi enim, & Presbyteri Ecclesiæ Latinæ, ut suprà retuli, abstinebant à conjugibus, sed non eas deserebant, immò eas castè ut sorores tractabant. Innocentius I. *in epist. ad Exuperum, cap.* 9. Concilium Aurelian. 1. *can.* 15. Turon. 2. *can.* 13. Arvernense *can.* 12. Unde de Urbico Arvernensi Episcopo refert Gregorius Turon. *lib.* 2. *cap.* 22. & 44. Papianilam habuisse ut fororem, non ut uxorem. Fortunatus *in poem. ad Leontium Burdegalensem*, ibi:

Cogor amore etiam Placidinæ pauca referre,
Quæ tibi tunc conjux, est modò chara soror.

Passim in Conciliis Episcopæ, Presbyterissæ, Diaconissæ, & Subdiaconissæ, id est, quæ continentiam profitentes, à virorum suorum ordine ita appellabantur, ut docent plura de illis congerentes Photius *in Nomocan. lib.* 1. *tit.* 37. Baronius *anno* 34. Basilius *dicto lib.* 7. *de matrim. cap.* 25. Espenceus *lib.* 1. *digress. cap.* 27. Crespetius *in summa, verbo Diaconissæ.* Messana *ad D. Hieronymum verbo Episcopus, fol.* 159. Antonius Augustin. *in epit. jur. Pontif. tit.* 38. & 39. Pancirola *lib.* 1. *var. cap.* 82. Cæsar *de eccles. hierarch. disput.* 8. §. 2. & *disput.* 9. §. *finali*, Albaspinus *in notis ad can.* 19. *Concil. Nican.* Justellus *in notis ad can. Eccles. univers. fol.* 234. Cerda *in advers. cap.* 151. Mornacius *in authent. Diacon. C. de Episcop. & Cleric.* Hallierius *de sacris electi.* 2. p. *sect.* 4. §. 6. Tamburin. *de jure Abbat. disput.* 7. *q.* 8. Savarus *in notis ad epitaphium Sidonii, in princ.* D. Baxoarroyo *in cap.* 2. *qui clerici vel vov.*

Sed suprà traditæ assertioni primò obstat textus *in can.* 6. *Concil. Tolet.* 8. in illis verbis; *Sextæ discussionis objectu, quorundam malè conscientum patuit denotatum elogium; nam relatum est nobis, quosdam Subdiaconos, postquam ad sacri hujus ordinis pervenerint gradum, non solùm carnis immunditiâ sordidari, cùm scriptum sit, mundamini qui fertis vasa Domini; sed etiam, quod dictu quoque nefas est, novis uxoribus copulari, asserentes hoc ideò sibi licere, quia benedictionem à Pontifice se nesciunt percepisse. Proinde omni excusationum discusso velamine, id præcipimus observari, ut cùm iidem Subdiaconi ordinantur, cum vasis ministerii benedictio eis ab Episcopo detur (sicut in quibusdam Ecclesiis vetustas tradit antiqua, & sacrâ dignoscitur consuetudo subsistare prolata) omni penitus ab illis sorde mulierum, ac familiaritate remotâ.* Ex quibus verbis constat Subdiaconos Hispaniæ matrimonio uti voluisse eo prætextu, quòd benedictionem à Pontifice non acceperant; & jubent Patres, ut deinceps benedictio illis præstetur, & ita continentiam servare cogantur. Igitur quia impedimentum conjugii non ex ordine sacro, sed ex benedictione tantùm provenit, ac per consequens Subdiaconi, quibus manus hodie non imponitur, non coguntur servare castitatem. Pro cujus canonis expositione P. Gibalinus *de clausura regul. disquisit.* 3. *cap.* 2. §. 2. existimat, Subdiaconos, de quibus in eo textu, conjugia contrahere posse, quia non ab Episcopo, sed à Corepiscopo ordinati fuerant, cum Corepiscopis concessum esse olim etiam Subdiaconos ordinare. Concilium Antioch. *can.* 10. Synodus Meldensis *can.* 44. ubi juxta decreta Innocentii prohibetur, ne Corepiscopus Ecclesias consecret, & Ordines Ecclesiasticos, qui per manus impositionem tribuuntur, id est, nonnisi ad Subdiaconatum, & hoc jubente Episcopo, & in locis, quibus canones designant, agere præsumat. Synodus Hispal. 2. *examin.* 7. Unde cùm ex defectu legitimi ministri Subdiaconi illi ordinati non essent, rectè contendebant jus habere contrahendi matrimonium. Sed hæc Gibalini interpretatio, omissis quæ de Corepiscopis congessi *in cap. quanto, de consuet.* sustineri non potest ex eo, quòd Subdiaconi conquerebantur ibi se benedictionem non accepisse; & jubent Patres ut deinceps unà cum vasis illis traderetur. Igitur quia defectus, qui prætendebatur à Subdiaconis, non erat ministri, sed potiùs benedictionis. Quare eâ sententiâ omissâ, verius dicendum est, Subdiaconos, de quibus ibi, verè ordinatos esse cum propria materia, & à legitimo ministro; sed eos ritè ordinatos non esse falsò existimasse ex eo, quia cùm Presbyter, & Diaconus tempore suæ ordinationis benedictionem, id est, manus impositionem acciperent, Concilium Carthag. 4. *can.* 3. ibi: *Presbyter cùm ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput tenente*; & *can.* 4. *Diaconus cùm ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat*, latè probavi *in cap.* 1. *de sacram. non iterand.* inde existimabant Subdiaconi, quòd cùm illi tempore suæ ordinationis per manus impositionem ab Episcopo non consecrarentur, &

10. Exponitur can. 6. Concil. Tolet. 8.

& gradus subdiaconalis adhuc in pluribus provinciis non esset sacer, juxta tradita *in cap. à multis, 9. de ætate & qualit.* D. Roch. Pirro *tom. 1. Sicil. sacr. fol. 71.* ideò putabant jus connubii eos habere. PP. verò Hispani, etsi agnoscerent ritè, rectèque eos ordinatos esse; tamen ne hoc velamento, aut fuco incontinenter viverent, statuerunt, ut deinceps tempore ordinationis cùm sacra vasa illis tradebantur, benedictio etiam ab Episcopo impartiretur, non tamen ut quia existimarent ex benedictione illa obligationem castitatis servandæ provenire.

11. Secundò supra traditis obstat textus *in cap. 4. qui clerici, vel vovent. in prima collect.* ubi Decano, & Canonicis Lemovicen. ita rescribit Alexander III. *Cùm institisset apud nos Herbertus lator parochianus vester, ut de ordine Subdiaconatus, ad quem recipiendum nimis enormiter, & inordinate, se ingesserat, cum eo misericorditer ageremus, & non potuisset, sicut non debuerat, in hac parte prosicere, tandem à nobis licentiam postulavit, ut possit sibi in matrimonium aliquam legitimè copulare. Nos itaque studiosius attendentes, quod prædictus ordo, cùm nullam sibi dignitatem attulerit, vel honorem, matrimonium ejus non impedit; d. v. per A. J. p. m. quat. si matrimonium legitimè duxerit contrahendum, nullus vestrùm à contractu matrimonii, prædicti ordinis obtentu, prohibere præsumat, nec sibi propter hoc molestiam inferat, vel gravamen.* Ex quibus verbis apertè constat, subdiaconum rectè matrimonium contrahere posse. Ergo non rectè in præsenti docetur, ministris sacratis matrimonium contrahere non licere. Pro cujus textus expositione Basilius *de matrimonio lib. 7. cap. 27.* existimavit gradum Subdiaconatus non ita sacrum fuisse etiam temporibus Alexandri III. ut Subdiacono illud contrahere nequivissent, quod probat ex ipso Alexandro III. qui *p. 18. post Concilium Lateran. cap. 4.* ita scribit: *Si autem Subdiaconi contraxerint matrimonium, eos dummodo antè talis fuerint, quòd timendum sit, ne pro una pluribus abutantur, dissimulare poteris cum suis mulieribus remanere, quia tolerandum est malum, ut pejora vitentur.* Sed hæc Basilii sententia apertè convincitur ex nostro capite 1. qui est ejusdem Alexandri III. & in eo docetur, constitutis in minoribus gradibus, non verò Subdiacono licere matrimonium contrahere. Accedit, quia pluribus retro annis antè Alex. III. Subdiaconatus gradus sacer erat, votumque castitatis annexum continebat, ut probavi *in cap. à multis, de ætate & qualitate, & in can. 31. Concil. Illiber.* Quare eâ sententiâ omissâ; verius dicendum existimo, tam *in dicto cap. 4. qui clerici vel vov.* quàm *in alio cap. 4.* relato à Basilio, matrimonium à Subdiacono celebratum sustineri ex dispensatione Pontificis, quam supponunt ea verba: *Dissimulare poteris*; nisi dicamus cum Alano, quem sequitur Antonius Augustin. *in notis ad 1. collect. in dicto cap. 1.* in ea specie Herbertum gradum Subdiaconatus non accepisse, quia nimis enormiter ordinationi se ingessit: unde fatetur ipse Alexander, similem ordinationem Herberto nullam attulisse dignitatem, vel honorem; post quæ verba vetus Scholiastes legit, *nec characterem*, teste Antonio Augustino *ubi proximè*; unde si vacua fuit ipsa ordinatio, ritè potuit Subdiaconus matrimonium contrahere.

Exponitur hæc in 4. qui clerici vel vov. ubi in illis

12. Tertiò obstat textus *in can. 27. Concilii Tribur.* relato *in cap. clericus 6. de vita & honest. cleric.* in illis verbis: *Coram populo vel legens, vel cantans.* Ex quibus deducitur, eum qui in Ecclesia cœpit legere, aut cantare, non posse matrimonium contrahere. Igitur non rectè in præsenti docetur, Lectoribus, & aliis clericis in minoribus ordinibus constitutis licere nuptias celebrare. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, verum esse clericos in minoribus ordinibus constitutos, ritè, & rectè omni tempore potuisse connubium inire, *can. 25.* alias *27. Apost.* D. Clemens *lib. 6. constit. cap. 17* Concil. Carthag. *3. can. 19.* Valense 2. alias *3. can. 1.* Tolet. 2. *can. 1.* Aurelian. 3. *can. 1.* Wormat. sub Hadriano II. *can. 68.* Moguntin. sub Arnulpho *can. 10.* dum tamen alterius sectæ uxorem non reciperet, juxta canonem 14. Synodi Chalcedon; *art. 15.* Nec tunc obstat textus *in dicto can. 27.* quia in eo agitur de filiis oblatis à parentibus Ecclesiæ, vel monasterio; ut ibi ministrarent; quo casu cùm virtute oblationis paternæ resilire non possint ab Ecclesia, immò veri efficerentur monachi, *cap. monachum, 3. 20. q. 1.* dicemus latè *in cap. cùm simus, 14. de regul.* ideò in eo canone asseritur, quod si ita oblati coram populo cœperint legere, aut cantare, non possunt postea matrimonium inire.

Exponitur 7. Concil. Tribur.

13. Quartò obstat Synodus August. celebrata anno 952. *can. final.* ibi: *Episcopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, ut in multis Conciliis firmatum est, quia divina ministeria contrectant, ab uxoribus abstineant; cæteri autem clerici quando ad maturiorem ætatem pervenerint, licèt nolentes, ad continentiam cogantur.* Ex quibus verbis deducitur, etiam clericos inferiorum graduum, jam ætate provectos matrimonio jungi non posse. Sed respondetur continentiam in eo textu non tantùm importare castitatem extra nuptias, ita ut sensus sit Episcopum, Presbyterum, Diaconum, & Subdiaconum; quando sacra ministeria tangunt, matrimonium contrahere posse; cæteros verò clericos posse, sed uxorem non ducentes debere castitatem servare.

Exponitur Synodus August. can. final.

CAPVT II.

Idem (a) *Herfordien. Episcopo.*

SAnè de clericis inferiorum ordinum, qui in conjugio constituti, diu ecclesiastica beneficia ex concessione prædecessorum suorum habuerunt, à quibus sine magno discrimine, ac effusione sanguinis non possunt privari: s. t. duximus respondendum, ut quia ibi natio, & gens barbara, & multitudo in causa est, eos sub dissimulatione sustineas ecclesiastica beneficia tamdiu habita possidere; provisurus

visuris attentiùs, ne deinceps clericis conjugatis ecclesiastica beneficia conferantur, sed illorum aliqui ad sacros Ordines, vel Ecclesiarum administrationes non admittantur, nisi castitatem fortè (b) voverent, & perpetuò servarent, qui unicam & [c] virginem habuerint uxorem.

NOTÆ.

(a) *Herfordiensi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. Herfordensis autem Ecclesia est in Anglia, ut jam notavi *in cap.* 2. *de tempor. ordin.* Unde constat hanc decisionem esse referendam ad provinciam Angliæ, ubi temporibus Alexandri III. jam corruptela invaluerat, ut clerici uxores simul, & beneficia retinerent, ut refert Polydorus Vergil. *lib.* 6. *hist. Angliæ, fol.* 116. & constat *ex cap. penult. hoc titulo*, missо Berengariæ Reginæ Angliæ.

(b) *Voverint.*] Juxta textum *in cap. conjugatus, de convers. conjug.* ubi dicemus.

(c) *Et virginem.*] Juxta adducta *in cap.* 3. *de bigam. non ordin.*

CAPVT III.

Idem (a) *Verulano Episcopo.*

QVod à te cum inimicis tuis, &c. De cætero, quia fraternitatis tuæ quæsivit industria, utrum clerici infra Subdiaconatus Ordinem constituti, qui cùm continere, carnis vitio devicti, non valent, uxores accipiunt, ecclesiastico beneficio canonicè debeant spoliari. Id tuam voluimus experientiam indubitatâ veritate tenere, quòd cùm simul voluptatibus, & carnalibus desideriis, ac divinis, & ecclesiasticis obsequiis vacare non valeant, ob immunditiam suam ecclesiasticis sacramentis indigni contrectandis, & ecclesiasticis proculdubio beneficiis sint privandi. Sanè si Ecclesiis, quibus attitulati fuerant, de possessionibus, aut aliis bonis suis aliqua contulisse noscuntur, cùm ab earundem Ecclesiarum ministerio fuerint, & beneficio sequestrati, ad ipsos rectâ viâ dominium, ac proprietas liberè debet, & absque ulla contradictione redire.

NOTÆ.

(a) *Verulan.*] Ita etiam legitur in prima collectione *sub hoc titulo, cap.* 5. & *p.* 50. *post Concilium Lateran. cap.* 7. De Ecclesia Verulana nonnulla adduxi *in cap.* 3. *de renunc.*

CAPVT IV.

(a) Idem.

SAnè Sacerdotes illi, qui nuptias contrahunt, quæ non nuptiæ, sed contubernia sunt potiùs nuncupanda, post longam pœnitentiam, & vitam laudabilem continentes officio suo restitui poterunt, & ejus executionem ex indulgentia sui Episcopi habere.

NOTÆ.

(a) *Deum.*] Ita etiam habetur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. ubi additur pars capitis *causam*; sed cùm varii sint textus hujus Pontificis, cum hoc principio, *causam*, non facilè potest ejus integra restitui, nec vera inscriptio assignari.

CAPVT V.

Innocentius III. (a) *Archiepiscopo Norvicen.*

DIversis fallaciis homines circumventi, Deo, & mammonæ famulari conantur; cùm tamen secundùm evangelicam veritatem, nemo possit duobus dominis servire, quoniam si unum dilexerit, alium habebit exosum; aut uno contempto, alium sustinebit. Accepimus etiam, quòd quidam clerici tuæ diœcesis, qui solemniter in conspectu Ecclesiæ matrimonia contraxerunt, ecclesiastica beneficia

detinere

detinere contendunt, in quorum conversatione cithara cum psalterio malè concordat. Cùm igitur vir cogitet, quomodo placere possit uxori, & ideò minùs quæ Dei sunt, valeat cogitare; cùm quasi divisus in duo plenam sui non habeat potestatem: ut ei, à quo stipendium recepit, plenius famulentur; f. t. præs. auctoritate m. quat. hujusmodi clericos beneficiis ecclesiasticis, quæ in tua diœc. sunt adepti, auctoritate nostra suffultus valeas ap. rem. privare, præsertim cùm rerum ecclesiasticarum substantia soleat deperire per tales. nisi fortè talibus scienter contuleris ecclesiastica beneficia, quibus eos (b) non per te, sed per superiorem decernimus spoliando.

NOTÆ.

(a) *Norvic.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. De Ecclesia Norvicensi nonnulla adduxi *in cap.* 9. *de rescript.*

(b) *Non per te.*] Ne contra factum proprium venisse dicatur.

COMMENTARIUM.

h IN his quatuor decisionibus referuntur pœnæ, quibus plectendi sunt clerici scienter matrimonium contrahentes, quibus & aliæ à sacris canonibus impositæ adjungendæ sunt. Eas breviter recensemus. In primis tales sacerdotes à sacris ordinibus recipiendis, vel in jam susceptis ministrando arcentur, *cap. quotquot*, 24. *cap. monacho*, 32. ibi: *Nunquam ecclesiastici gradu officium sortiatur.* 27. *quæst.* 1. & olim gradibus, in quibus deprehendebantur conservatis, brevissimi temporis suspensione impositâ, ad superiores inhabiles reddebantur. Sexta Synodus in Trul. *can.* 3. ibi: *Similiter & eos qui post ordinationem uni matrimonio se applicarunt, hoc est, Presbyteros, Diaconos, & Hypodiaconos, brevi aliquo tempore à sacro ministerio prohibitos. & panitos, rursus propriis gradibus restitui, ad alium gradum nequaquam promovendos, eis ne fario videlicet dissoluto conjugio.* Consentiunt Syricius *epist.* 1. *cap.* 7. Innocentius III. *epist.* 3. *cap.* 1. quorum meminit Concil. Agath. *can.* 9. ibi: *Placuit etiam, ut si Presbyteri, vel Diaconi conjugati ad torum uxorum suarum redire voluerint, Papæ Innocentii ordinatio, vel Syrici Episcopi auctoritas, quæ est his canonibus inserta, servetur: quod si ad aliquos formula illa ecclesiasticæ vitæ pariter & disciplinæ, quæ à Syricio Episcopo ad provincias commeavit, non probabatur pervenisse, eis ignorationis venia remittitur, ita ut de cætero penitus incipiant abstinere, & ita gradus suos, in quibus inventi fuerint, sic retineant, ut ad posteriora eis non liceat ascendere.* Aliquando etiam deponebantur, communione tantùm concessa. Concil. Aurelian. 5. *can.* 4. ibi: *Si quis clericus post acceptam benedictionem cujuslibet loci vel ordinis, ad conjugalem torum jam sibi illicitum denuo redire præsumpserit, atque in diem vitæ ab honore accepti ordinis & (sicut habent antiquorum PP. Canones) deponatur, et tantùm communione concessa.* Quod genus suspensionis exponit Morinus *lib.* 2. *exercit. cap.* 8. Novo jure Concil. Viennensis illi excommunicantur. *Clement. unic. de consanguin. & affin.* Cujus explicationem prolequitur Basil. Legion. *de matrim. lib.* 7. *epist.* 28. & hodie ut suspecti de hæresi puniuntur ab Inquisitoribus, abjuratione de levi ab eis facta; ut referunt Simanchas *de Catholicis tit.* 40. *numer.* 9. Farinac. *de hæresi quæst.* 183. *num.* 72. Carena *de offic. inquisit. tit.* 17. §. 3.

Circa privationem beneficii ecclesiastici, aut in- 2i
capacitatem illud obtinendi, quam incurrunt clerici conjugati, sciendum est, clericos in majoribus Ordinibus constitutos non privari beneficiis ecclesiasticis; quia cùm matrimonium ab eis celebratum nullum sit, si propriis beneficiis privarentur, cogerentur mendicare; quod colligitur *ex cap. si quis clericorum*, suprà relato, & expresè deducitur *in cap. penult. hoc tit. in* 1. *collect.* ibi: *Meminimus vobis olim pro pagano clerico vestro litteris Apostolicis mandavisse, ut præbendam, quam ei subtraxeratis ex occasione matrimonii, quod cum quadam muliere contraxisse dicebatur, restituere deberetis: vos pro litteris nostris illud facere non curastis, asserentes inde scandalum inter alios generari. Attendentes itaque, ne prædictus clericus beneficii ecclesiastici auxilio destitutus, ad turpia, & sæcularia lucra sectanda redire cogatur; cùm multi concubinarii, & adulteri de bonis Ecclesiæ sustententur, & in talibus sit omnibus constitutus, in quibus legitimè conjugatum à beneficio ecclesiastico sacri canones non repellunt, discretionem vestram rogamus attentius, ac per Ap. s. m. quat. ei beneficium percipiendum, unde sustentari valeat, extra fratrum consortia conferatis.* Clerici autem in minoribus gradibus constituti, matrimonium contrahentes, ipso jure privantur beneficiis ecclesiasticis, *ex cap.* 1. 2. 3. 4. & 5. *hoc tit. in* 5. *compil.* ibi: *Dilectus filius Magister E. canonicus Ecclesiæ de Tilim. exposuit coram nobis, quòd cum Vivianus quondam ipsius Ecclesiæ clericus, Paduana diœcesis, ordine clericali, & eadem Ecclesia derelictis, sibi quandam mulierem matrimonialiter copularit, & diutiùs incedendo in habitu seculari, exercuit officia civitatis: nunc idem V. gestiens ad Ecclesiam redire prædictam, non habitâ de prædictis aliqua mentione, quasdam à nobis ad te litteras reportavit, quarum auctoritate in eadem Ecclesiâ ingressum nititur rehabere. Cùm igitur mendax precator carere debeat impetratis, mandamus quatenus si præmissis veritas suffragatur, revocato, si forsan auctoritate litterarum hujusmodi contra eandem Ecclesiam processisti, de cætero non procedas.* Et *ex cap.* 4. *de confirm. utili*, in eadem compilatione: *Te didicimus intimante, quod tu cùm quosdam diœcesi tuæ clericos uxoratos suis de mandato nostro beneficiis, quæ in eadem obtinebant diœcesi, spoliaveris. quidam eorum per obtentas à nobis contra te super eisdem beneficiis commissionis litteras, in quibus spoliationis causa mentio non habetur, te super his multipliciter aggravant, & molestant: alii verò confirmationis nostræ litteras in communi forma super eisdem beneficiis, in quibus causa eadem suppressa, exhibentes, tueri se contra te per easdem litteras moliuntur. Nolentes autem per tales litteras mandato nostro, & canonicis statutis illudi, decer-*

nimis te non teneri ad respondendum per commissiones easdem, & tibi super hoc tales confirmationis litteras non obstare. Licet simplex beneficium absque administratione olim retinere potuerint, *cap. 2. hoc tit. in 1. collect.* ibi: *Universalis Ecclesiæ sollicitudo, quam providente Domino gerimus, pro Ecclesiarum statu nos compellit propensiori curâ satagere, & ut secundùm Deum, & justitiam disponamus, vigilem curam & studium adhibere. Accepimus autem, quod plerique in tuò Episcopatu degentes, cùm essent in acolythi officio, & infra constituti, uxores duxerunt, & nihilominus Ecclesias, quas priùs habebant, detinere præsumunt. Unde quoniam uxorati, cùm divisi sint, & eos cogitare oporteat, quomodo uxoribus placere valeant, & servire, obsequiis non solummodò possunt intendere divinis: f. t. per A. s. p. m. quat. prædictos viros Ecclesias liberè, & absolutè dimittere, ap. cef. compellas, & eas aliis personis idoneis in sacris ordinibus constitutis concedas. Verùm si qui eorum aliquod in eisdem Ecclesiis simplex prius beneficium habuerunt, ipsum eis, excepto Magisterio Ecclesiar. sub dissimulatione dimittere poteris.* De quo exaudiendus est Clemens III. *in cap. finali*, ejusdem collectionis: *Querelam Gand. acolythi nos accepisse noscatis, sicut prædecessor noster Gregorius, qui ad vos propter eum bis scripsisse noscitur: qui cùm à G. mulsere peteretur in virum, inde sumpta occasione ipsum beneficio, quod à nobis habebat, post appellationem ad Sedem Apostolicam factam minùs rationabiliter spoliastis. Unde quia omnibus injustè gravatis patrocinium tenemur Apostolicum impertiri: d. v. rog. attentiùs, & p. A. s. p. m. quat. si rem sic se habere constiterit, memorato clerico beneficium illud taliter subtractum absque dilatione reddentes, ap. rem. pacificè dimittatis; ita quod querelam ad nos non debeat iterare, memorati Abbatis sententiâ non obstante super matrimonio latâ, quominus beneficium debeat obtinere, nisi curam habeat animarum annexam.* Rationem hujus privationis assignant Romani Pontifices in eisdem jùribus; nam cùm per matrimonium sortiantur statum incompatibilem cum statu sacerdotali, & facultate ministrandi in Ecclesia priventur, ideo tanquam renunciantes tacitè ipsis beneficiis contrahendo matrimonium, illis ipso jure privantur, & inhabiles redduntur ad aliud impetrandum: immò si illis novum conferatur, ipso jure collatio nulla est, ut docent ultra congestos à Barbosa *in præsenti*, Basilius *dicto lib. 7. cap. 28.* Valensis *de benefic. lib. 1. titul. 13.* Petrus Gregorius *eod. tract. cap. 25. numer. 6.* Lotherius *de re benef. 3. p. quæst. 26. n. 61.* Dartis *eod. tract. cap. 12.* Sanchez *lib. 7. de matrim. disput. 42. cum sequentibus*, Suarez *de censur. disput. 49. sect. 4.* Saulay *in Panopl. cleric. p. 2. lib. 6. axiom. 5.*

CAPUT VI.

Idem (a) *Acheruntino Archiepiscopo.*

CUm olim ad nostram audientiam perveniſſet, quod Canonici (b) Angloven. dil. f. Cantoren. Tricaricen. sibi elegerant in Pastorem; tibi dedimus in mandatis, ut examinatâ electione diligentiùs, & personâ, si electionem canonicam, & personam idoneam invenires, electionem ipsam auctoritate Apostolica (c) confirmares, sicut Metropolitanus in cæteris processurus. Licèt autem tibi de forma electionis canonicæ, ac idoneitate personæ in aliis constitisset, movit te tamen, & ad nos consulendos induxit, quod cùm pater ejusdem Cantoris Græcus fuerit, & juxta ritum Græcorum uxorem duxerit in minoribus ordinibus constitutus, Cantorem ipsum ex uxore legitima in sacerdotio susceptisse. Nos igitur attendentes, quod Orientalis Ecclesia vogitima in sacerdotio susceptisse. Nos igitur attendentes, quod Orientalis Ecclesia vogitima continentiæ non admisit, quin Orientales in minoribus ordinibus contrahant, & in superioribus (d) utantur matrimonio jam contracto: f. t. per A. s. m. quat. nisi pro eo, quod inter Latinos Græci hujusmodi conversantur, regionis consuetudo repugnet, si aliud non obsistat, ad confirmationem, & consecrationem ejusdem Cantoris sine dubitatione procedas.

NOTÆ.

(a) *Acheruntino.*] Ita legitur *in cap. 2. sub hoc tit. in 3. collect.* Acheruntia, seu Archeruntius, ut ait Livius *lib. 2.* vulgò Azerona, est in regno Apuliæ, quod & Calabria, & Græcia Magna dicebatur, in quibus dominium exercuerunt Imperatores Orientis, ut refert Cujacius *hic.* Ea tamen regna occidentem spectabant, Italiæque provinciæ erant. Berterius *diatrib. 1. cap. 5. in princip.* Sed cùm provinciæ illæ subjugatæ essent ab Imperatoribus Græcis, eorum fuerunt mancipatæ dominio, ut referunt Leo Ostiensis *lib. 2. cap. 8.* Gregorius VII. *lib. 8. epist. 7.* & ex eis Cironius *in parat. ad hunc tit.* Iam à primis Ecclesiæ sæculis fuit ea civitas Episcopali Cathedrâ decorata: ejus Prælatus Justus Synodo Romanæ sub Symmacho celebratæ interfuit.

(b) *Angloven.*] Legendum est Anglionen. Nam Anglionensis Episcopatus est etiam in Calabria, ut ex Pontif. Rom. refert Gujacius *hic.*

(c) *Confirmares.*] Iuxta ea, quæ adduxi *in cap. 3. de elect.*

Utantur.] Consonat textus *in cap. aliter 14. 31. dist.* ubi verba illa, *matrimonio copulantur*, ita exaudienda sunt, id est, matrimonio utuntur, *cap. quæsitum 7. de pœnitent. & remiss.* ibi: *Matrimonio licèt uti*; ut suprà probavi *in cap. 1.* unde Innocentius III. in prioribus verbis, ubi asserit, Græcos non recepisse votum continentiæ, exaudiendus est quoad usum matrimonii jam contracti: nec audiendus est Henri-

Henriquez *lib.* 10. *de Ordin. cap.* 10. §. 7. dum ut Doctorem privatum, non verò ut Ecclesiæ docet Innocentium in præsenti locutum fuisse Præsulem.

CAPVT VII.

Idem *Episcopo* (a) *Pictavienſi.*

IOannes nobis conquerendo monstravit, quod tu eum, quamquam jamdudum uxorem legitimam duxerit, pro eo quod priùs in (b) acolythũ fuerat ordinatus, compellere niteris, ut tonsuram deferat clericalem, ex qua inter ipsum & uxorem suam posset scandalum generari, cùm de consuetudine terræ tuæ clerici uxorati non cogantur inviti portare tonsuram. Quoniam igitur idem etiam tonsuratus non potest privilegio clericali gaudere, mandamus, quatenus ipsum super tonsuratione hujusmodi non molestes, dummodo nullum percipiat (c) beneficium ecclesiasticum, cujus ratione teneatur clericalem deferre tonsuram: quia cùm oporteat sæcularibus (d) negotiis immiscerì, tonsura ipsius sæcularia exercentis videretur profectò in ministerii nostri vituperium redundare.

NOTÆ.

1. (a) *Pictavienſi.*] Ioanni de Melduno videlicet, ejus Ecclesiæ Præsuli temporibus Innocentii III. De Ecclesia Pictavensi nonnulla notavi *in cap super* 20. *de rescript.*

(b) *Acolythum.*] Cujus officium duplex est, unum deferre cereos accensos in sacrificio Missæ, ac proinde accendere luminaria, juxta adducta *in cap. unic. de offic. sacristæ*: alterum est ministrare vinum, & aquam in urceolis, *cap. perlectis*, 1. *verſ. Adacolythum*, 25. *dist.* Licèt enim acolythus non sit ex ministris majoribus, tamen sacra vasa, ut ad altare deferat, tangere potest, *cap. non liceat* 32. 23. *dist. cap. cleros*, 1. *verb. Acolythi*, 21. *dist.* quæ officia acolythi satis demonstrantur duplici materia, quæ illi traditur tempore suæ ordinationis, videlicet, ceroferarium cum cereo, & urceoli vacui, *cap. acolythus*, 16. 23. *dist.* Prosequuntur acolythi etymon & munia, ultra repetentes *in dicto cap. perlectis*, & scribentes de sacramento Ordinis, Claudius Espenceus *ad D. Paulum lib.* 1. *digres. cap.* 8. Vicecomes *volum.* 3. *de ritibus Missæ, lib.* 1. *cap.* 25. Menardus *ad sacram. Divi Gregorii, fol.* 271. Zerda *in adverſ. cap.* 94. Mendoza *lib.* 3. *Concil. Illiber. cap.* 6.

(c) *Beneficium.*] Quod retinere poterat ex dispensatione Pontificis, ut post Glossam hîc docet Petrus Gregor. *de benefic. cap.* 25.

(d) *Sæcularibus negotiis.*] Non rectè ex his verbis Abbas in præsenti, *num.* 6. Galganet. *de in publico lib.* 3. *tit.* 5. deduxerunt, clericis conjugatis etiam cum tonsura, & habitu incedentibus licitum esse negotiis sæcularibus implicari. Nam contrarium verius est, & probat latè D. Iosephus Vela 2. *tom. dissert.* 45. *ex num.* 13. in præsenti enim tantùm Innocentius III. supponit quod plerunque accidere solet hujusmodi clericis conjugatis, videlicet eos ptophanis negotiis, ac negotiationibus immiscerì ob conjugalis status necessitatem, & ad sublevanda onera matrimonii, ut accidisse in Paduana diœcesi refertur *in cap.* 3. *hoc tit. in* 5. *compil.* illis verbis: *Dilectus filius Magister E. Canonicus Ecclesiæ de Trilin. exposuit coram nobis, quod cùm Witianus quondam ipsius Ecclesiæ clericus Paduanæ diœcesis, ordine clericali, & eadem Ecclesia derelictis, sibi quandam mulierem matrimonialiter copularit, & diutiùs incedendo in habitu sæculari, exercuit officia civitatis: nunc idem V. gestiens ad Ecclesiam redire prædictam, non habitâ de prædictis aliquâ mentione, quasdam à nobis ad te litteras reportavit, quarum auctoritate in eadem Ecclesia ingressum nititur rehabere. Quum igitur mendax precator carere debeat impetratis, mandamus quatenus si præmissis veritas suffragatur, revocato, si forsan auctoritate litterarum hujusmodi contra eandem Ecclesiam processisti, de cætero non procedas.* 2.

CAPVT VIII.

(a) Idem.

CUm decorem. *Et infrà*: Eos qui sunt publicè uxorati, non admittatis de cætero ad ecclesiasticas dignitates dimissas ab eis, quas non possunt sine pravo exemplo, & gravi scandalo retinere.

NOTÆ.

(a) IDEM.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub titulo de vit. & honest. cleric. cap.* 4. & jam epigraphen hanc expossui *in cap. cùm decorem*, ejusdem tituli.

CAPUT

CAPVT IX.

(a) *B. quondam Reginæ Anglorum Illustri.*

EX parte tua fuit propositum coram nobis, quod nonnulli (b) litterati terræ tuæ, habitu & tonsurâ relictis, publicè ducunt uxores, de his, qui sunt hujusmodi soliciti, quomodo uxoribus placeant, existentes; qui licet negotiationibus, & aliis sæcularibus insistant negotiis, ut tamen consuetis justitiis, & debitis obsequiis te defraudent, tonsuram resumunt abjectam, quâ ipsius prætextu ab hujusmodi ut clerici excusentur; quanquam non militent Domino, sed potiùs mundo; ut cæteri uxorati, Quidam etiam acceptâ primâ tonsurâ similiter contrahunt, & eandem tonsuram deferunt, ut eodem prætextu excusari valeant à prædictis: & ven. f. n. Episcopus, & dilecti filii Decanus, Archid. & Capitulum (c) Cenumanen. ipsos tanquam clericos in subtractione servitiorum tuorum fovere nituntur in tuum præjudicium, & gravamen. Cùm igitur reddenda sint quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo; & publici uxorati clerici non existant, dum se sic (d) sæcularibus negotiis implicant: æquanimiter ducimus tolerandum, si justitias debitas, & servitia consueta, velut ab aliis uxoratis exigas, & recipias ab eisdem: cùm tonsura, quàm non obtentu religionis, sed in fraudem subtrahendi servitia, resumpsisse, vel accepisse videntur, in his non debeat patrocinium impertiri.

NOTÆ.

(a) B.] Ita legitur *in 5. compil. sub hoc tit. cap. 1.* 1.
& *in cap. ex parte 13. de privileg.* ubi etiam agitur de his clericis conjugatis, qui tonsuram jam dimissam reassumunt maleficiis perpetratis. De hac Berengaria Angliæ Regina plura notavi *in cap. ex parte 15. de foro compet.* Ideo autem in præsenti Honorius rescribit huic Reginæ, quia ut auctor est Rodericus Toletanus *lib. 5. de rebus Hispan. cap. 24.* ea plerumque morabatur in civitate Cenomanensi, quam ratione dotalitii acquisierat, ut retuli *in dicto cap. ex parte 15.* unde consuluit Honorium III. super excessibus clericorum.

(b) *Litterati.*] Regulariter litterati accipiuntur 2.
pro doctis, scientia, vel doctrina imbutis, *l. 1. C. de Decur. urb. Rom. in Theodos. c. de multa, de præb.* quos à rusticis distinguit Justin. *in l. ult. C. de testam.* Inde illiterati, ignari, & indocti dicuntur *in cap. illiteratos 36. dist.* notavit Bosquetus *ad Innoc. lib. 2. epist. 224.* In præsenti autem litteratos accipi pro sciolis, seu leguleis, qui mediocris litteraturæ fumo inflati, lites serunt, notavit Cironius *hic*; illi enim clericalibus insignibus utebantur, id est, tonsura, & vestibus, ut hoc colore clericali privilegio fruerentur.

(c) *Cenoman.*] De qua diœcesi egi *in cap. 5. de rescript.*

(d) *Sæcularibus negotiis.*] Ex his verbis rectè deducitur, clericos conjugatos tonsuram deferentes non posse negotiis sæcularibus se immiscere, quod latè probat Vela *dicto tom. 2. differt. 45.*

COMMENTARIUM.

IN his duabus decisionibus agitur de clericis 3.
conjugatis, qui tonsurâ dimissâ, seu retentâ negotiis sæcularibus se implicarunt, & tam ab Innocentio, quàm Honorio III. deciditur, eos privilegio clericali non gaudere: quarum decisionum ratio in promptu est; nam si clerici in majoribus ordinibus constituti negotiis sæcularibus se immiscentes, post trinam monitionem amittunt privilegium clericale, ut probavi, *in cap. final. de vita & honest. cleric.* quantò magis, qui in minoribus constituti, connubio copulati, relictâ tonsurâ hujusmodi negotiationibus se implicarunt; privilegio clericali privari debent? Circa clericos autem conjugatos tonsuram deferentes, nec se negotiis sæcularibus implicantes, extat celebris constitutio Bonifacii VIII. *in cap. unic. hoc tit. in 6.* quâ cavetur, ut clerici conjugati canonis, & fori privilegio gaudeant quoad causas criminaliter, seu civiliter intentatas: ut autem illi hac immunitate gaudeant, tres petit Bonifacius conditiones. Prima ut tonsuram deferant: secunda, ut incedant in habitu clericali: tertia, ut cum unica & virgine matrimonium contraxerint. Concil. verò Tridentinum *sess. 23. de reform. cap. 6.* quartam addit his verbis: *Modò hi clerici alicujus Ecclesiæ servitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant & ministrent.* Iis tamen concurrentibus tantùm privilegio canonis & fori quoad criminales causas gaudent, etiamsi civiliter intententur; quo modo exponenda sunt illa verba dicti capitis unici: *Trahi non posse criminaliter, aut civiliter ad judicium*; ut latè eadem requisita prosequentes docent Covar. *practic. cap. 31.* Salcedo *in praxi cap. 62. num. 13.* Diana *tom. 1. tract. 2. resol. 51.* Germonius *lib. 3. de sacr. imm. cap. 15.* Martha *de jurisd. cent. 2. casu 153.* Suarez *adversus Reg. Angliæ lib. 4. cap. 28.* Escobar *de Pontif. jurisdict. cap. 21. §. 5.* fusè Pereyra *tom. 2. de man. Reg.* Urrutigoyti *in pastor. regul. cap. 3. voto 3.* Circa clericos verò in majoribus ordinibus constitutos, ex dispensatione Pontificis matrimonium contrahentes, an privilegio fori in eisdem causis gaudeant, non vulgò hæsitatur: & ipsos non gaudere privilegio fori, docuerunt Sanchez *de matrim. lib. 8. disput. 8. num. 11.* Suarez *d. cap. 28. num. 3.* Sed contrarium, immò hujusmodi privilegio eos frui, docuit Navarr. *de reddit. quæst. 1. monit. 10. fol. 296.* illis verbis: *Quod non obstante dispen-*

dispensatione clericus conjugatus manet persona ecclesiastica, & gaudet privilegio fori, & canonis. Quam opinionem non levibus probavit fundamentis collega meus Illustr. D. Rodericus Pargæ & Mandia, quondam Academiæ nostræ Cancellarius, nunc verò Episcopus Accitanus.

CAPVT X.

Idem (a) *V.*

VT consultationi tuæ breviter satisfiat, respondemus, quod R. miles tuæ diœcesis, qui sicut tibi humiliter est confessus, olim in minori constitutus ætate, cùm modicum sciret legere, vel cantare, tonsuram tamen & coronam clericalem assumpsit, quam gestare inter milites, & laicos erubescit, non est cogendus deferre habitum clericalem.

NOTÆ.

1. (a) V.] Ita legitur in quinta compilatione, *sub hoc tit. cap final.* Cujus autem in præsenti existimat, Honorium rescribere Linconiensi Episcopo, juxta cujus sententiam ita restituenda est inscriptio: *Willelmo Linconiensi Episcopo*; temporibus enim Honorii III. Linconiensem regebat Ecclesiam Willelmus, qui postea fuit in Ecclesiam Rhemensem translatus, ut refert Chenu *in serie Præsul. Lincon.* De Ecclesia Linconiensi nonnulla notavi *in cap. 8. de rescriptis.*

COMMENTARIUM.

1. VUlgò textus hic accipitur de clerico primâ tonsurâ tantùm initiato, militiæ nomen dante, qui non tenetur deferre in ipso exercitu, & belli congressu tonsuram. Sed certè si de tonsurato in bellum proficiscente accipiatur præsens decisio, parvam, aut nullam continet dubitandi rationem; nam licèt clericis in majoribus gradibus constitutis militiæ nomen dare interdictum sit, *cap. clericorum, cap. de his clericis, cap. eos qui, 20. quæst. 3. cap. clerici, cap. quicunque, c. ex multa, de voto*: illustrant latè Lancelot. *lib. 2. de veteri mon. cap. 25.* Barbosa *de jure eccles. lib. 3. cap. 4.* Becanus *de bello q. 18. num. 21.* Diana *p. 10. tract. 2. resol. 2.* Gibalin. *de irregul. cap. 4. difficult. 4.* Rousselius *lib. 7. hist. Pontif. jurisdict. cap. 6.* & si beneficia possideant, illis privandi sint, Concil. Andegav. *can. 7.* ibi: *Clerici quoque, qui relicto clero se ad sæcularium militiam, & ad laicos contulerint, non injuste ab Ecclesia, quam relinquunt, amoveantur.* Tamen clerici in minoribus constituti ritè possunt, sicut alii laici, ad militiam proficisci, ut probat Diana *dicta resol. 2.* Et sicut conjugati, vel aliis negotiis sæcularibus impliciti non coguntur tonsuram deferre, ita nec milites. Unde credi non potest, Episcopum Linconiensem consuluisse Honorium III. in casu adeò aperto, cùm videlicet, qui tantùm primâ tonsurâ erat initiatus, militiæ nomen dederat, utrum tonsuram deferre cogendus esset, cùm tunc tanquam laicus incedere potuisset. Quare existimabam, Rodericum, de quo in præsenti, nullo modo militiæ nomen dedisse, sed in ipsa civitate degisse: quod ut faciliùs percipiatur, observo apud scriptores mediæ ætatis plerumque nobiles viros, Dynastas, & Toparchas, milites appellari, quos & nos vulgò appellamus *Cavalleros*; de quibus sanctus Bernardus *ad Eugenium lib. 3. cap. 5.* ubi conqueritur de clericis, qui ut laici incedebant, his verbis: *Quid sibi vult, quod clerici aliud esse, aliud videri volunt; id quidem minùs castum, minusque sincerum; nempe habitu milites, quæstu clerici, actu neutrum exhibent.* Sic miles Tercellinus, ipsius sancti Bernardi pater, miles appellatur ab Willelmo Abbate *lib. 1. vitæ ejusdem sancti*, eo quòd esset vir antiquæ, & legitimæ militiæ, id est, nobilitatis. Et Petrus Blesens. *epist. 78.* Gaufridum, nobilem appellat militem, sanguine, & animi generositate præclarum. Et *epist. 94.* reprehendens nobilium fastum, superbiamque, ait: *Nepotum vestrorum militum fastuosam gloriam tolerare non possum.* Probat Sausay *in Panopl. cleric. p. 2. lib. 3. cap. 2.* quibus suppositis eam credo esse Honorii mentem, ut R. miles, id est, nobilis Dynasta, qui in minori ætate tonsuram acceperat, eamque postea inter alios Dynastas, & laicos deferre erubescebat, cùm nec Ecclesiæ inserviret, sed potiùs ut laicus incederet, cùm quæreretur, an cogendus esset eam deferre, cùm adhuc per conjugium, vel similem actum non deseruisset statum clericalem; respondit Honorius, quod non est cogendus inter alios nobiles tonsuram deferre, cùm ipsam propria voluntate deferere velit, nec beneficium aliquod ecclesiasticum obtineat.

TITU-

TITULUS IV.

De Clericis non residentibus in Ecclesia vel præbenda.

CAPVT I.

Ex Concilio (a) *Sardicensi.*

NON liceat Episcopo de civitate sua transire ad aliam. Manifesta est enim (b) causa pro quo facere hoc attentat- Cùm nullus sit inventus Episcopus, qui ad minorem de majori civitate transiret.

NOTÆ.

1. (a) *Sardicensi.*] *Can.* 1. ut legitur apud Burchardum *lib.* 1. *Decreti, cap.* 79. Ivonem *p.* 5. *cap.* 185. & *in* 1. *collect. sub hoc tit. cap.* 1. & apud Antonium Augustinum *lib.* 4. *epit. tit.* 27. *cap.* 17. ex quibus codicibus constat primò, canonem hunc mutilum referri in hac sexta collectione, cùm desit Osii Episcopi Cordubensis propositio, prout refertur *in dicto can.* 1. in illis verbis: *Osius Episcopus dixit; Non minùs mala consuetudo, quàm perniciosa corruptela funditus eradicanda est, ne cui liceat Episcopo de sua civitate ad aliam civitatem transire. Manifesta est enim causa, quâ hoc facere tentant, cùm nullus in hac re inventus sit Episcopus, qui de majore civitate ad minorem transiret. Unde apparet, avaritiæ eos ardore inflammari, & ambitioni servire, & ut dominationem exerceant. Si ergo omnibus placet hujusmodi pernicies, austeriùs vindicetur, nec laicam communionẽ habeat qui talis est. Universi dixerunt: Placet. Osius Episcopus dixit: Etiamsi talis aliquis extiterit temerarius, ut forsitan excusationem afferat, quòd populi litteras acceperit, cùm manifestum sit præmio, & mercede paucos, qui fidem sinceram non habent, potuisse corrumpi, ut clamarent in Ecclesia, & ipsum petere, viderentur Episcopum; omnino has fraudes demandasse arbitror, ita ut nec laicam communionem in fine accipiat talis. Quod si vobis omnibus placet, statuite. Universi dixerunt: Placet.* Quæ posteriora verba reperiuntur *in cap.* 2. *de elect.* ubi ea exposui. Secundò textum hunc potiùs compilari debuisse sub titulo *de translat. Episcop.* Præsens canon maximè factus est contra Eusebium prius Beryti, postea Nicomediæ, & Constantinopolis Episcopum, ut apparet ex epistola synodali Alexandrinorum apud Athanasium *apolog.* 2. ut notavit Dartis *in* 15. *dist. fol.* 90. Concilii Sardicensis historiam dedi *in dicto cap.* 2.

(b) *Causa.*] Ambitio videlicet, ut ex sequentibus verbis constat; quæ procul abesse debet ab his translationibus, ut latè probavi *c.* 1. *de translat. Episc.* 2.

CAPVT II.

(a) *Ex gestis Romanorum Pontificum.*

(b) LEo III. natione Romanus, consilio (c) Lotharii, & Ludovici Imperatorum, sanctam & venerandam LXVII. Episcoporum in Ecclesia beati Petri Synodum congregavit. In hac Synodo Anastasius presbyter Cardinalis tituli B. Marcelli ab (d) omnibus canonicè est (e) depositus, eo quod parochiam suam per annos quinque contra canonum instituta deseruit, & in alienis usque hodie demoratur.

NOTÆ.

1. (a) *Ex gestis.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. & rectè; nam textus iste transcriptus est ex veteri codice, quod dicebatur Compendium historiarum, & gestarum rerum; ex quo verba hujus textus retulit Baronius *tom.* 10. *anno* 853. & ferè eisdem verbis idem narrat Anastasius Biblioth. *anno* 853. *in Leone IV.* illic: *Inter hæc verò, quæ superiùs scripta sunt, cœpit crebrò nominatus sanctissimus Præsul de singulis Ecclesiarum Rectoribus, videlicet Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, atque omnium Christianorum militia curam, solicitudinemq; habere præcipuam. Volens itaque, sicuti & factum est, ex priscis auctoritatibus normam præponere, Christo juvante normam, qualiter unusquisq; eorum vitam castam & sobriam duceret; & Deo, cui semper irreprehensibiliter famulatum deberet, impendere, in omnibus complaceret; tunc demùm sancti ei Spiritus gratiâ revelante unà cum consilio serenissimorum Lotharii, & Ludovici Imperatorum, anno Imperii eorum quinto & trigesimo.*

gesimo, atque Pontificatus jam dicti Præsulis septimo, mense Decembris, die 8. indictione secunda, sanctam, ac venerandam in Ecclesia Beati Petri Apostoli Synodum congregavit. In qua tam ipse Catholicus, & Apostolicus vir, quàm & alii cum eo sexaginta & septem Episcopi residerunt. Ex quibus quatuor Episcopi ab Imperatoribus destinati, Joseph Eporegensis, Nottingus Brixiensis, Petrus Spoletinus, & alius Petrus Aretinus: inter quos etiam Paulus Diaconus sanctæ Ravennatis Ecclesiæ residens, vicem tenens Joannis Archiepiscopi sui, absque Presbyteris, & Diaconibus, & Clero sanctæ matris Ecclesiæ. Et tunc coram omnibus quadraginta & duo capitula, quæ profectò ad salutem, & lucrum omnium christianorum hominum pertinere noscuntur, per Diacones sanctæ, & universalis Ecclesiæ Sedis legi præcepit. Quæ etiam capitula, ut in futurum ab omnibus illibata serventur, post cætera decreta Pontificum in sanctis canonibus insitit adscribi. Quatenus omnes Episcopi hujus auctoritatis exemplum ante oculos habeant, & suos possint melius instruere, & erudire subjectos. In hac denique post cætera Synodo Anastasius Presbyter Cardinalis tituli B. Marcelli, ab omnibus canonicè est depositus, eo quòd parochiam suam per annos quinque contra canonum instituta deservit, & in alienâ usque hodie demoratur. Qui cùm neque ad duo pro eo congregata Concilia venire voluit, neque per Apostolicas epistolas, neque per tres vocatus Episcopos, Nicolaum videlicet, Patronacium, & Joannem, ideò meritò uno consensu, secundùm quod de talibus in sacris continetur canonibus, eum sancta Synodus deposuit, & sacerdotali honore privavit. Anno, mense, die, & indictione superiùs adnotata. Et hæc Anastasius. Unde ex eodem libro citatur textus *in cap. Agatho 21. 63. dist.* Ut autem plenè hujus damnationis historia comprehendatur, libet transcribere acta ipsius Synodi super hac damnatione, quæ ex illo veteri codice refert Baronius *tom. 10. annal, anno 853. num. 84.* in hæc verba: [Imperantibus Dominis piissimis, perpetuis Augustis, Lothario à Deo coronato, pacifico & magno Imperatore, anno trigesimoseptimo; sed, H. Ludovico à Deo coronato, ejus filio novo Imperatore, anno quinto, mense Decembri, die octava, indictione secunda, in civitate nova, cujus vocabulum Leoniana est, intra Ecclesiam, ubi corpus beatissimi Petri Apostolorum Principis conditum est: Leo Episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus Missis sacratissimorum Imperatorum filiorum nostrorum Joseph Eporediensis Ecclesiæ Antistiti, seu Petro Spoletinę, itemque Petro Aretinæ Ecclesiæ Episcopo, ac Nottingo Episcopo Brixiensi, universæque sanctæ Synodo hîc pariter congregatæ. Quod bene, ac pleniter nobiscum simul fratres charissimi, scitis, nunc iterum dilectioni vestræ cognitum esse volumus; quoniam instigante ac suadente diabolo, Anastasius presbyter Cardinalis noster, quem nos in titulo beati Marcelli martyris atque Pontificis ordinavimus, contra statuta Patrum propriam Ecclesiam deserens, ecce jam per quinquennii tempus, in alienis parochiis, id est, Aquilejensibus, velut ovis errans, degere, ac temerè inhabitare præsumpsit: quem etiam auctoritate suffulti canonica, Apostolicis litteris per tertiam & quartam vicem vocavimus. At ubi redire distulit, congregatis Episcoporum Conciliis, cùm eum non potuissemus videre, vel habere specialem præsentiam; communi eum decreto sancta communione privavimus. Volentes siquidem per hujus excommunicationis censuram ad gremium sanctæ, à quo discesserat, matris Ecclesiæ personam reducere, juxta illud decimumsextum sancti magni Concilii Nicæni capitulum; in quo omnis necessitas presbyteris à propria Ecclesia discedentibus imponi præcipitur ac promulgatur: sed Apostolica monita, sanctique Concilii pro nihilo ducens, erroris irretitus caligine, redire nullatenus voluit. Postmodùm verò Ravennæ nobis cum piissimo, invictoque domino H. Ludovico Imperatore, spirituali filio nostro degentibus, ejus clementiam exoravimus, ut eundem presbyterum ad nos, suamque Ecclesiam reverti juberet. Quod omni alacritate nostro repromisit perficere Pontificio, diem constituens, atque denuntians, in quo eum remeare sanciret. Missos etiam Majestatis suæ nobiscum reliquit, Nortingum Brixiensem, & Apelgisum Illustrem Comitem, qui revertentem illum nostro conspectui præsentarent. Quos expectantibus illic nobis ad diem statutum, & ultra, prædictus presbyter non advenit. At iidem Missi illum nobis repræsentare non posse professi sunt. Post transactum autem placitum, dum eum mandatis nostris temerè renitentem conspexerimus, ita ut neque jussis Apostolicis obedire voluisset, neque sanctionis venerandi Concilii observatorem se, à quo sancta communione privatus existeret, exhibuisset, & plurimos sua læsione pestifera maculasset; quin & Domini Lotharii præstantissimi Imperatoris decreto redire jubenti, pertinaciæ suæ intemperantia restitisset: ne ulteriùs suo exemplo Ecclesiasticus ordo confunderetur, & christianitatis religio profanaretur; anathematis eum vinculo cum sacerdotum nostrorum consensu innodavimus. Ibi etiam præsto fuerunt idem dictus Nottingus Brixiensis Episcopus, & Adelgisus Illustris Comes, prædicti Missi Domini H. Ludovici serenissimi Imperatoris. His ita peractis, Ravennâ remeantes, advenimus Romam; ipseque jam fatus presbyter cum Missis Imperialibus pervenit Clusium. Ad quem tres venerabiles Episcopos nostros cum vocationis litteris destinavimus, Nicolaum videlicet, Patronacium, & Joannem, monentes eum tam per se, quàm per epistolas, quas ei per eosdem mandavimus, ut die quintodecimo mensis Novembris huius secundæ indictionis ad generalem Synodum absque omni dilatione vel mora occurrere debuisset: ille autem, ut semper, ita & nunc, in sua inquietudine, atque audacia perseverans, venire (ut omnes modò nobiscum cernitis) distulit, atque contempsit. Nos post tantas vocationes, tantosque labores, quos unà vobiscum pro eo tribuimus, quid aliud nunc facere, vel agere possumus, nisi ut Canonum promulgationem, in illius indisciplinatam mentem, vobiscum venerabilibus Imperialibus Missis charissimis in Christo fratribus, nec non cum cæteris Episcopis, atque Presbyteris, ac Synodo residentibus, atque stantibus Diaconibus, atque reliquo Clero, in eum communiter inferamus, quæ de talibus in tertio Antiocheni Concilii capitulo luce clariùs continetur? At omnes Episcopi in sancta Synodo residentes dixerunt: Vestræ Sanctitati, si placet, veniant in medium venerabiles Episcopi, per quos cum vestris Apostolicis litteris accersiti

decrevisti. Illico surrexêre, Nicolaus videlicet, Patronacius, & Joannes Episcopi, & coram omnibus voce clara dixerunt : Nos secundùm jussionem Beatissimi Præsulis nostri præsentialiter verbis & litteris eum vocabimus, quarum exemplaria, en (ut cernitis) in manibus, & si vobis placet, legantur. Sancta Synodus dixit : Legantur. Tunc relectæ sunt per Theodorum notarium & scriniarium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in quibus continebatur ita. Leo Episcopus, servus servorum Dei, Anastasio excommunicato. Cùm spiritualibus te nostris procreatum visceribus noscimus, de tua deceptione quotidie ingemiscimus, qui sine matris tuæ progressu, erroris irretitus caligine, alienis parochiis, vel regionibus immorari contra præcepta Patrum, Canonumque sanctionem non dubitas. Revertere igitur salutisque incedere summopere callem procura : te ne vana spes decipiat, caducæque adulationes subvertant ; sed è terrenis mentem actibus erige, ad ea quæ superna, infinitaque permanent, inquiescibili intuitu anhela. Memento quia salutem tuæ cupimus animæ, corporisque videre. Et ne te diabolicæ insidiæ concludant, omnipotentis Dei semper clementiam exoramus. Præterea Apostolicis tibi præcipimus litteris, jam quinquennii tempus huc & illuc latitando, velut anguis, discurrenti, ut ad Concilium, quod quintodecimo congregaturi sumus die Novembris expectatæ futuræ secundæ hujus indictionis, præsentare te omni occasione depositâ procures, ut causam tuam cum Venerabili Cœtu sanctæ valeamus congregationis subtili ventilare intuitu, & humaniùs tuam conversationem tractare. Si autem neglexeris quod præcipimus, ampliori te vinculo innodamus. Nam multis modis te reprehendimus, ac reprehensibilem judicamus, quia ad duo pro te congregata Concilia occurrere distulisti, sicut hi præsentes Nicolaus, Patronacius, atque Joannes venerabiles Episcopi nostri, per quos te nunc auctoritate canonica jussimus evocari, ore proprio indicabunt. Si autem constituto tempore ad prædictum Concilium venire neglexeris, sub excommunicatione, & anathemate, modis omnibus decernimus te esse mansurum. Sancta Synodus interea (dixit) requiratur sæpedictus Anastasius Presbyter excommunicatus, utrum venerit, an non. Requisitus minimè est inventus. Tunc sanctissimus Papa Imperialibus superiùs jam dictis Missis dixit : Cur nobis, sanctoque Concilio secundùm Imperialem epistolam jam dictum non præsentatis Presbyterum ? Ipsi autem affirmantes, dixerunt : Nos enim secundùm præceptionem Domini, magnique Imperatoris reducere, vobisque præsentare maluimus, sed minimè illum invenire potuimus. Mox autem omnibus Episcopis ipse insignis ac beatissimus Præsul dixit : Quid vobis de his videtur ? Universus Episcoporum cœtus respondit : Imperialis (si vobis placet) epistola relegatur. Et cùm relecta fuisset, in ea inter cætera repertum est ita : Vestræ denique Serenitatis industria cognoscat de Anastasio Presbytero, cur ad vos non pervenerit, nostro satis animo displicuisse, quem nunc per clarissimos Missos nostros, Joseph videlicet Reverendissimum Episcopum, atque dilecti filii nostri H. Ludovici Archicapellanum, nec non & Petrum sanctæ Sedis Spoletinæ Venerabilem Episcopum, & Aldegisum Illustrem Comitem nostrum præsentialiter vobis mittimus ; quidquid canonicè & secundùm Deum super illum vestra deliberaverit sententia, nihil contradicentes : tantùm solicitè cavere, ac prudenter tractare curate, ne hoc facto divina voluntas offendatur in aliquo. Tunc venerabilis, præcipuus Præsul, omnibus residentibus Episcopis & Presbyteris, stantibusque Diaconibus, & cuncto Clero, dixit : O beatissimi fratres, quid vestra beatitudo de crebrò dicto Presbytero, qui tanta, ac talia, & tam enormiter contra Patrum regulas atque statuta peregit ? Mox omnes Episcopi unanimiter dixêre : Quid aliud arbitrari, aut proferre valemus, nisi ut sancti Patres, qui Antiocheno Concilio residentes tertio capitulo promulgârunt, & inviolabiliter statuerunt ? his verbis : Si quis presbyter parochiam propriam deserens, ad aliam properavit, deinde omnino demigrans, in alia parochia per multa tempora nititur immorari, ulterius ibidem non ministret ; maximè si vocanti suo Episcopo regredi ad propriam parochiam, & commorari, obedire contemserit. Quod si in hac indisciplinatione perdurat, à ministerio modis omnibus amoveatur ; ita ut nequaquam locum restitutionis inveniat. Quam promulgationem in eum (si vobis placet) presbyterum inferimus, & propriis manibus roboramus. Præsul Summus respondit : Placet. Tunc elevans se ipse præclarus Pontifex de sede sua, ait : Anastasium jam nuper excommunicatum, Cardinalem presbyterum tituli sancti Marcelli, qui propriam parochiam relinquens in aliena per multa tempora nititur immorari, à sacerdotali ministerio modis omnibus removemus, ita ut locum restitutionis nequaquam inveniat. Si quis autem contra hanc definitionem nostram quocunque tempore agere præsumpserit, aut eum restituere in sacro officio tentaverit, sit ei à Sanctis Patribus, & à nobis omnibus anathema. Post hæc omnes Episcopi in eadem Synodo residentes, unanimes dixerunt : Et nos sic judicamus, sicque irrefragabiliter statuimus. Et subscripsêre Episcopi numero sexagintaseptem.] Ex his & aliis historicis illius sæculi narrat historiam hujus textus Michael Rouselius *lib. 2. hist. Pont. jurisd. cap. 10. num. 9.*

(b) *Leo III.*] Hæc verba pro epigraphe apposuit Raymundus, cùm legendum esset, Leo IV. in prædicta Synodo. Leo autem IV. monachus fuit Benedictinus, consecratus anno 841. ut referunt Baronius & Corjolanus in eodem anno, Ludovicus à Sancto Carolo in Bibliotheca, verbo *Leo IV.* 2.

(c) *Lotharius & Ludovicus.*] Lotharius est filius Ludovici Pii, & Ludovicus nepos ejusdem Ludovici Pii, ex Lothario, quorum frequens mentio fit à Gratiano *in distinct. 63.* Igitur consilio Lotharii, & Ludovici Patris, & filii celebrata fuit præsens Synodus. 3

(d) *Ab omnibus.*] Ideſt, Episcopis 67. simul cum Romano Pontifice ; unde cessant omnia quæ à repetentibus in præsenti hæsitantur, quomodo videlicet Cardinalis potuit deponi absque auctoritate Romani Pontificis, cùm præsens

sens depositio præsente ipso Leone IV. facta esset.

(e) *Depositus.*] Non tamen simul excommunicatus fuit, quia Dominus non vindicavit bis in idipsum, ut probat Turrianus *lib.* 1. *contra Magdeburg.*

COMMENTARIUM.

PRo hujus textus expositione, ut ejus veram interpretationem assignemus, aliqua de Cardinalibus, eorum origine, & officio præmittere operæ pretium duxi. Primò sciendum est, Cardinales ita dictos fuisse à cardine, ut docuit Anacletus Papa, qui vixit circiter annum Christi 180 relatus *in cap. sacro-sancta* 22. *dist.* à quo acceperunt Patres Concil. Basil. *sess.* 23. ibi: *Sicut nomine, ita re ipsâ cardines sunt, super quos ostia universalis Ecclesiæ versentur, & sustententur.* Nomen hoc jam repertur in Synodo Romana sub Sylvestro, anno 324. *cap.* 6. imò & in Nicæna Synodo, relata *in cap. Præsul.* 2. *q.* 4. Illustrant Baronius *anno* 112. *num.* 9. Bellarminus *in apolog. ad Reg. Angliæ, cap.* 4. Wolfangus Lat. *de repub. Roman. lib.* 2. *cap.* 2. Cohelius *in not. Card. cap.* 2. P. Serlogus *in Cantica tom.* 3. *vestig.* 35. *cap.* 5. Petrus Gregor. *lib.* 15. *syntag. cap.* 4. Borell. *in summa decis.* 1. *part. tit.* 5. Michael Rousselius *de monar. eccles.* 2. *p. lib.* 4. *cap.* 11. & 12. plures relatà Solorzano *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 92. & *lib* 3 *cap.* 2. *num.* 28. Juretus *ad epist.* 131. Juvenis, Salmasius *de primatu Papæ cap.* 1. doctè Jacob. Gothofredus *in l.* 7. *C. de susceptoribus, in Theodos.* Villarroel. *tom.* 1. *regim. Eccles. quæst.* 4. *art.* 3. Joan. Dartis *de beneficio sect.* 1. *cap.* 2. Cabassutius *in not. Concil. fol.* 616. Cardinalatus originem à jure divino repetunt Jacobatius *de Conciliis lib* 1. *art.* 1. *num.* 244. Paleotus *de sacro consistorio membr.* 5. *cap.* 11. Turriscremata *lib.* 2. *de Ecclesia cap.* 80. & 81. Borellus, Alban. & alii relati à Barbosa *de jure eccles. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 5. Fr. Juan. de la Puente *conveniencia de las dos Monarchias, lib* 2. *cap.* 3. §. 2. Solorzanus *tom.* 1. *lib.* 3. *de jure Indiar. cap.* 2. *num.* 28. Fr. Antonius Perez Benedictinus *in pentateucho fidei, de Concilius cap.* 8. Macedo *de clavib. Petri lib* 4 *cap.* 8. *fol.* 577. Bellarm. *in apolog. cap.* 4. *fol.* 35. Germonius *lib.* 3. *sacr. cap.* 6. Bulengerus *de imper. Rom. in appendice, fol.* 27. *de titulo Eminentiæ*, Ramirez de Prado *in notis ad epist. primam Juliani*, Cerda *in advers. cap.* 94. *num.* 2. pro quibus faciunt testimonia Innocentii III. *in cap. per venerabilem*, 13. *qui filii sint legit.* ibi: *Sunt autem sacerdotes Levitici generis fratres nostri, qui nobis jure Levitico in executione sacerdotalis officii coadjutores existunt.* Quem laudat Eugenius IV. *in constet.* 15. §. 4 quæ reperitur *tom.* 1. *Bullar. pag.* 282. ubi de Cardinalibus agens ait: *Etsi hujus dignitatis nomen, quod modò in usu est, ab initio primitivæ Ecclesiæ non ita expressum fuit, officium tamen ipsum à B. Petro, ejusque successoribus institutum evidens invenies. Immò, ut inquit Innocentius III. ex veteri Testamento jussu Dei traxit originem; asserit enim ipse, quod Deuteron.* 17. *dicitur, ut pro difficultate, & ambiguitate judicii accedatur ad sacerdotes Levitici generis, & judicem, qui fuerit illo tempore, & obediatur ipsorum judicio, & qui præsunt loco quem Dominus elegerit; de summo Pontifice intelligendum esse, & fratribus ejus, id est, S. R. E. Cardinalibus, qui ex jure Levitico in executione sacerdotalis officii coadjutores existunt.* Prosequuntur Ciaconius *in vita S. Iginii*, Lælius Cæcus *lib.* 1. *de repub. tit. de stat. Cardin. num.* 2. Cironius *ad hunc tit.* Kochier *in face hist. cent.* 2. *cap.* 57. licèt alii congesti ab Hurtado *tom.* 1. *de resid. resol.* 5. *num.* 1. tenuerint Cardinalium officium tantùm à jure Ecclesiastico provenire. Eorum dignitatem sublimem commendarunt Petrus Damianus *lib.* 1. *epist.* 20. ibi: *Quid tibi videtur de Cardinalibus Episcopis? qui videlicet & Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibusdam aliis prærogativis, non modò quorumlibet Episcoporum, sed & Patriarcharum, atque Primatum jura transcendunt?* Arnulphus Lexoviens. *epist. ad Cardinales Romanæ Ecclesiæ, de electi. Alexand. III.* ibi: *Electos singulariter ex omni carne, per quos fides vernat, per quos forma justitiæ, per quos Ecclesiæ libertas inconvulsa conservetur.* Sixtus V. in Bulla, quæ incipit, *Post quam verus*, edita anno 1586. ibi: *Cum itaque veri cardines sint, & clarissima Ecclesiæ lumina, templi Dei bases, firmamenta, & columnæ Christianæ Reipublicæ*, &c.

4. *De Cardinalium gradibus.*

Secundò sciendum est, Cardinales jam à primis Ecclesiæ temporibus in triplici fuisse gradu, Episcoporum videlicet, Presbyterorum, & Diaconorum; & ut Episcoporum Cardinalium originem & rationem agnoscamus, sciendum est, quinque fuisse in urbe majores & præstantiores Ecclesias ordinatas; nempe S. Salvatoris Lateranensis, à loco nunc sancti Joannis; sancti Petri, sancti Pauli, sanctæ Mariæ Majoris, & sancti Laurentii extra muros; quibus in Ecclesiis Summus Pontifex per seipsum sacra non rarò persolvebat: utque decentiùs, & majori cum majestate id fieret, septem sibi Episcopos ex vicinioribus oppidis ascivit, qui post præstitam Pontifici assistentiam singulis hebdomadæ diebus, singuli etiam, præsente, vel absente Papa, super Aram præsertim Ecclesiæ Lateranensis divina celebrabant mysteria. Ut autem sunt septem hebdomadæ dies, qui rursus finitâ hebdomadâ in seipsos redeunt; ita septem Episcopi, ut suprà, lecti, omnes per singulos dies singuli celebrantes hebdomadam explebant, atque ob hanc causam septem hi Episcopi postea Cardinales, id est, Principales dicti sunt, Panvino teste, addendo horum institutionem vetustissimam esse; siquidem in vita Stephani Papæ IV. qui III dictus est, creatusque Pontifex anno salutis 788. apud Anastasium Bibliothecarium ita scriptum invenisse ait: (Hic constituit, ut omni die Dominico à septem Episcopis Cardinalibus hebdomariis, qui in Ecclesia Sancti Salvatoris observant Missarum solennia, ea super Altare B. Petri celebrarentur, & Gloria in excelsis Deo, cantaretur super rugas, per quas ingrediuntur ad Altare, ubi imagines in frontispicio constitutæ sunt, &c.) Fuêre autem hi septem, primus Ostensis Episcopus Cardinalis; secundus Sylvæcandidæ, aliàs SS. Rufinæ, & Secundæ: tertius S. Hippolyti, aliàs Portuensis: quartus Sabinus: quintus Prænestinus; sextus Tusculanus: septimus Albanus. Circa Presbyteros Cardinales etiam sciendum ex, Divum Petrum Apostolorum Principem ex fidelibus quosdam seniores viros, ac probatæ vitæ instituisse, ex quibus

tam Presbyteros, quàm Diaconos consecravit, quorum operâ tam ipse, quàm ejus successores, crescente in dies Ecclesiâ, uterentur; Presbyteriique commisisse, ut sacramenta populo administrarent; Diaconis verò ut illis ministrantibus adessent, viduisque, pupillis, & aliis fidelibus egenis subvenirent, injunxisse: & cùm numerus Presbyterorum incertus esset, D. Petri successores pro temporum varietate diversum eorum numerum statuerunt. Evaristus anno Domini centesimo urbis regiones in titulos, vel parochias divisit, & in eis singulos Presbyteros ut sacramenta administrarent, populumque edocerent, constituit. Higinus verò Pontifex, creatus anno 138. plures Presbyteros in quolibet titulo, seu Ecclesia ordinavit, ex quibus qui præerat aliis, Presbyter Cardinalis dicebatur, ut referunt Panvinus *de septem Ecclesiis cap.* 2. Lælius Cæcus *ubi suprà, cap.* 28. *num.* 1. Dionysius anno 260. Evaristi exemplum secutus, limitibus affixis singulis titulis, etiam Presbyteris curam Cæmeteriorum adjunxit. Marcellus anno 304. ut faciliùs baptisma ministraretur, 25. titulos, quasi diœceses in urbe constituit. Panvinus *ubi proximè*, Ciaconius *in vita Marcelli.* D. Sylvester alios tres titulos adjunxit & ita 28. Cardinales ordinavit, quorum Ecclesias referunt luculentiùs, & eorum seriem usque ad nostra tempora prosequuntur Chassaneus *in catalog. 4. p. consider.* 12. Cohelius *in notitia Cardin. cap.* 6. Succedunt Diaconi Cardinales, quorum origo à temporibus Apostolorum repeti debet; siquidem in eorum actis *cap.* 6. legimus, septem viros ordinatos fuisse ad quotidianum ministerium; quod exemplum secutus Evaristus relatus *in cap. Diaconi* 11. 93. *dist.* septem etiam Diaconos constituit; & cùm urbis regiones post incendium Neronis septem essent, Sylvester anno 324. septem Diaconos Cardinales regionarios septem urbis regionibus assignavit, ut sicut in eis curatores erant civilia tractantes negotia, ita etiam essent Diaconi, qui religionem catholicam promoverent, & eleemosynas à Subdiaconis collectas erogarent: refert Baronius *tom. 3. anno.* 324. Sed sequentibus sæculis crescente admodum fidelium numero, auctus fuit etiam Diaconorum Cardinalium numerus, ut refert post alios Cohelius *d. cap.* 7. De his, aliisque ad Cardinalitiam dignitatem spectantibus latè agunt Germonius *de indultis Cardinal.* Buseus *de statibus hominum, verbo Cardinalium.* Bellarminus *lib.* 1. *de clericis, cap.* 9. & 16. Jacobatius *de Concilio lib.* 1. *art.* 12. Vasquez *3. p. in 3. partem, disp.* 242. *cap.* 1. Azor. *p.* 2. *instit. mor. lib.* 4. *cap.* 1. *cum sequent.* Adamus Contzen. *lib.* 6. *polit. cap.* 35. Crescolius *lib.* 1. *mystag. cap.* 16. *sect.* 1. & 2. Hurtado *tom.* 1. *de resid. art.* 5. & quando rubro galero usi fuerunt, tradit Vivar. *de veteri monachatu, lib.* 4. *cap.* 4. §. 14. Cellotius *de hierarch. lib.* 4. *cap.* 8. fusè Rousselius *lib.* 2. *hist. Pontif. jurisd. cap.* 10. *per totum*, Beyerlinch *tom.* 2. *in theatr. verbo Cardinalis.*

His suppositis, ut ad veram præsentis textus expositionem perveniamus, etiam sciendum est, Cardinales ex vi, & natura proprii officii teneri residere eo in loco ubi Pontifex degit, cujus consiliarii sunt, ut ita consilio illum juvare possint: probant Lotherius *de re benef. lib.* 1. *q.* 8. *num.* 49. Barbosa *de potest. Episcopi* 3. *p. alleg.* 53. *num.* 12. Borellus *in summa decis. tit.* 10. *num.* 8. Germonius, Flaminius, & alii congesti ab Hurtado *dicta resol.* 5. Idem Barb. *in cap. excommunicatus, num.* 6. & 30. *de offic. delegat.* Garcia *de nobilitate gloss.* 48. §. 3. *a numer.* 10. Germonius *de indult. Cardin.* §. *tibi quoad vixeris à num.* adeò ut Episcopi Prænestinus, Albanensis & alii, qui Romæ degunt, excusentur à residentia in propriis diœcesibus, ut probat latè Hurtado *resol.* 7. *per tot.* ubi doctè exponit Concil. Trident. *sess.* 7. *de reform. cap.* 2. Unde apparet vera ratio præsentis textus; nam cùm Anastasius Cardinalis tituli S. Marcelli, non resideret in proprio titulo, justè ab eo fuit depositus per Leonem IV. in Synodo Romana: sed an Cardinalis ille abfuisset à propria parochia, an verò à diœcesi, non consentiunt Interpretes. Cujacius *hic*, Selva *de benef. p.* 4. *quæst.* 3. *num.* 5. Lotherius *lib.* 3. *de re benef. q* 27. *num.* 54 accipiunt præsentem textum non de parochia, sed de diœcesi, quam deseruit Cardinalis, moti ex eo, quod Cardinales jura Episcopalia exercent in Ecclesiis propriu tituli. Sed rectiùs Germonius *lib.* 1. *animadv. cap.* 17. accipit textum hunc de Parochia propria deserta. Quæ sententia mirè convenit temporibus Leonis IV. hujus textus auctoris; nam cùm eo tempore Cardinales in Ecclesiis proprii tituli, ut Parochi sacramenta administrarent, propriè Parochi dicebantur. Unde credo Anastasium depositum fuisse, non tam quia ut Cardinalis non resi debat Romæ, ubi erat Leo IV. nec ut ejus consiliarius adfuerat duobus Conciliis, ad quæ fuerat vocatus; quàm quia deseruerat parochiam propriam, ut disertè in præsenti refertur; & neglexerat proprios parochianos, quibus sacramenta non administraverat; cùm illis temporibus non solùm ut consiliarii Pontificis, verùm & Archipresbyteri Ecclesiarum proprii tituli Cardinales eligerentur. 5. *De residentia Cardinalium.*

CAPUT III.

Ex Concilio (a) *Lateranensi.*

QUia nonnulli modum avaritiæ non ponentes, & diversas dignitates Ecclesiasticas, & (b) plures Ecclesias parochiales contra sacrorum canonum (c) instituta accipere nituntur; ut cùm unum officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vindicent plurimorum; ne id de cætero fiat, districtiùs inhibemus. Cùm igitur vel Ecclesia, vel Ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad hoc quæratur persona, quæ residere in loco, & curam ejus per seipsam valeat exercere: quod si aliter

aliter actum fuerit, & qui receperit, quod contra sacros canones acceperit, amittat; & qui dederit, largiendi potestate (d) privetur.

NOTÆ.

(a) *Eboracensi.*] Sub Alexandro III. celebrato, *cap. 3.* ut legitur in prima collectione, *sub hoc titulo, cap. 3.* de quo Concilio nonnulla notavi *in cap. 27. de rescript.*

(b) *Plures Ecclesias*] Hanc priorem partem exponemus *in cap. de multa, de prabendis.*

(c) *Institutis.*] *Cap. scienter, 70. dist.*

(d) *Privetur.*] Consonant textus *in cap. commissi, §. caterum, cap. cùm in cunctis 3. de elect.* ubi illustravi. Rectè ex hoc textu Salcedo *de lege politica lib. 2. cap. 16. §. 2. à num. 35.* probat justitiam legis 20. & 36. *tit. 3. lib. 1. recopil.* quatenus in eis cavetur, ne beneficia conferri possint alienigenis, & exteris ab hoc Regno, quia non creditur alienigenas ea impetrare cum animo residendi; unde cùm ex hoc textu beneficia sint tantùm conferenda illis, qui in eis residere possunt, rectè prædictis legibus exteri à beneficiis ecclesiasticis arcentur, ut latè probat Salcedo *ubi proximè*; etiam notavi *in c. final. de cleric. peregrin.*

CAPVT IV.

Alexander III. *Eboracen.* (a) *Archiepiscopo.*

RElatum est nobis ex parte tua, quod cùm in Lateran. Concilio statutum sit, ut personæ tali Ecclesia, vel beneficium ecclesiasticum conferatur, quæ residere in loco, & curam ejus per se valeat exercere, nonnulli ad Ecclesias præsentati hoc se posse affirmant, sed efficere contradicunt: ideo nos consulere voluisti, an propter hoc possis tales præsentatos repellere, vel institutos appel. sub. removere? Tuæ igitur prudentiæ innotescat, quod cùm igitur verba accipienda sint cum effectu, tales, si præsentati fuerint, non debent admitti; & admissi poterunt amoveri, nisi fortè de licentia suorum Prælatorum, vel studio litterarum, vel pro aliis honestis causis contigerit eos abesse; nec patrocinari debet eis appellationis (b) diffugium, si contra hujusmodi intentionem decreti fuerit interjectum.

NOTÆ.

(a) *Archiepiscopo*] Richardo videlicet, de quo, & Eboracensi nonnulla adduxi *in cap. 2. de rescript.* Reperitur textus hic in prima collectione, *sub hoc titul. cap. 4.* & post. Concilium Lateran. *p. 15. cap. 1.* ex quibus codicibus ita textum restituto.

(b) *Appellationis diffugium*] Consonat textus *in cap. conquerente, hoc tit. cap pervenit, l. 2. de appellat.* quod procedit quoad effectum suspensivum, non verò devolutivum, quia quoad istum appellatio admittitur, ut late exponit Salgado *de protect. Regia 2. p. cap. 15. ex num. 1. usque ad 30.*

COMMENTARIUM.

2. conclusio probatur.

EX his tribus decisionibus talis venit disputanda conclusio: *Parochus non residens in propria Ecclesia, privatur ipso beneficio.* Probant eam textus *in can. 15. & 16. Apost. cap. ult. 92. dist. cap. suggestum 46. cap. si quis 24. cap. propter 26. 7. quæst. 1. cap. quidam 17. 16. quæst. 1. cap. clericos 4. dist. 71. cap. si quis 35. de consecr. dist. 1. cap. nemo, 27. 23. quæst. 8. cap. quanto 7. de offic. ordin. cap. ad hæc 13. de prabend. cap. final. de offic. Vicar. cap. licet 14. §. is etiam, de elect. in 6. cap. singula 89. dist. cap. final. de rescript. lib. 6. l. generaliter 4. C. de Episcopis & cleric. Novella 6. 58. & 123. Justin.* Innocentius III. *lib. 1. epist. fol. 50.* ibi: *Cùm scriptum sit, Qui non laborat, non manducet, incongruum creadimus, & indignum, ut clerici Ecclesiis illis non serviant, quarum amplis redditibus sustentantur. Significaste siquidem nobis, quod quidam canonicorum Rothomagen. Ecclesiæ, qui redditus ex ea percipiunt, & prabendas, in ipsa residentiam non faciunt, quam deberent: propter quod eadem Ecclesia debito fraudatur obsequio servitorum. Eapropter venerabilis in Christo frater, tuis precibus annuentes, ad faciendum eos residentiam (sicut jus & Ecclesiæ consuetudo deposcit) per censuram Ecclesiasticam compellendi liberam tibi concedimus auctoritate Apostolica facultatem. Nulli ergo omnino hominum, &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum X Kal. Maii, Pont. N. anno 1.* Hilarius *epist. 1. ad Tarracon. Episcop. cap. 5.* Concil. Arelat. *1. can. 22. Presbyteri, aut Diaconi, qui relictis locis suis, in quibus ordinati sunt, ad alium locum se deferri voluerint, deponantur:* Arelat. *2. can. 13. Nullus cujuscunque ordinis clericus, non Diaconus, non Presbyter, non Episcopus, quacunque occasione faciente propriam relinquat Ecclesiam.* Et *can. 2. Qui in quibuscunque locis ordinati fuerint, ministri in ipsis locis perseverint.* Concil. Wormat. *can. 9. Placuit, ut si in ministerio Diaconi, vel Presbyteri officio aliquis constitutus existat, si Episcopo, à quo ordinatus est, non obedierit, ut in delegata sibi Ecclesia officium deperdat assiduum.* Concil. Valent. Hispan. *can. 5.* Concil. Frisingense anno 1440. celebratum, *can. 6.* Quæ & alia juris testimonia congerunt Antonius Augustinus *in epit. jur. lib. 4. tit 78. & 79. & lib 7. tit. 11. & lib. 8. tit. 31. & lib. 39. tit. 51.* Crepetius *in summa, verbo Clerici divinis interfint.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa & Garanna, Petrus Gregorius *de benefic. cap. 7. & lib. 2. partit. tit. 9. cap. 9.* Barbosa *de officio Parochi cap. 8.* Duarenus *de sacris Eccles. cap. 5. lib. 8. & lib. 3. cap. 1.* P. Mendo *in Bull.*

disput. 11. *quæst.* 1. Bobadilla *lib.* 2. *polit. cap.* 9. Diana *p.* 10. *tract.* 14. *resol.* 67. Victorin. *de Magistr. lib.* 5. *cap.* 3. Joann. Dartis *de benefic. sect.* 9. *cap.* 1. Langleus *lib.* 13. *semestr. cap.* 2. Cresolius *lib.* 3. *mystag. cap.* 14. P. Suavis *lib.* 2. *hist. Concil. Trident. c.* 172. Vighel *in method juris can. fol.* 266. Lemaistre *lib.* 1. *instit. Episc. cap.* 7. P. Bollo *in œcon. clas.* 2. *cap.* 2. §. 3. Lotherius *de re benef. cap.* 27. *per tot.* Salcedo *de lege polit. lib.* 2. *cap.* 17. Joannes Sanchez *in select. disp.* 47. Hurtado passim *in suo opere restitut.* Beyerlinch *tom.* 6. *in theatro, verbo Residentia.* Quintanadvennas *Ecclesiast. lib.* 4. *n.* 49. Solorzanus *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 25. *num* 9.

1. *Impugnatur prædicta assertio.*

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo : Vel residentia in præsenti importat continuam habitationem in loco beneficii, vel ipsam administrationem sacramentorum, & ministerium quotidianum, cui Parochus impendit famulatum : Neutro casu potest procedere præsens assertio : Ergo minùs rectè. Probatur minor ; nam si residentia in præsenti dicit habitationem perpetuam in loco beneficii, injungi non potest parochis, quia per illam infringitur naturalis libertas, *l. Titio centum* 71, §. *Titio, ff. de condit. & demonstr. l.* 2. *ff. de liber. hom. exhib. l. Gajus* 13. §. *ult. ff. de aliment. l. penult. C. de oper. libert. l. quod si fugitivus* 17. §. *idem ff. de ædilit. edict.* Cicero *paradox.* 5. ubi libertatem appellat facultatem vivendi ut velis, & ubi velis ; quod in ipso actu manumissionis significabatur. Plautus *in Menach.*

Meâ quidem hercle causâ liber esto,
Atque ito, quò voles.

Docent Cujacius *lib.* 17. *qq. Papin. in d.* §. *Titio, & lib.* 14. *obs. cap.* 27. Amaya *lib.* 1. *observ. cap.* 6. Costa *lib.* 1 *select. cap.* 8. Antonius Gomez *lib.* 1. *var. cap.* 12. *num.* 79. Solorzanus *de jure Indiar. tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 44. notavi *in cap.* 2. *de translat. Episc.* Unde murilegulos, fabricenses, & cæteros alicui ministerio, vel perpetuo loco adscriptos, verè servos esse docuerunt Duarenus *ad tit. de stat. homin. cap.* 1. *in fine*. Donel. *lib.* 2. *comment. cap.* 9. Cujacius *ad tit. C. de agricol. lib.* 11. licèt contrarium defendant Faber *in Papin. tit.* 5. *princip.* 2. *illat.* 7. optimisque ad praxim resolutis quæstionibus Covar. *in* 4. 2. *p. cap.* 7. *princip. num.* 5. Igitur parochi, & similes Prælati non possunt cum dispendio libertatis cogi residere perpetuò in loco sui tituli ; si autem residentia in parochia importat ipsum ministerium, seu officium in Ecclesia impendendum, item administrationem sacramentorum, jure, & ratione possunt omnia hæc munia obiri per alios, cùm propriè, & verè per se facere quis dicatur, qui per alium facit, *l.* 1. §. *dejecisse, ff. de vi & vi, l. ita,* 5. §. *quod si quis,* 3. *ff. de admin. str. tut. l. si per alium* 5. *ff. ne quis eum, l. non, ideo* 5. *C. de accusat. cap. mulieres,* §. *ille, de sent. excom. regul. qui per alium, de reg. jur. in* 6. & illud quod potest quis facere per se, potest facere per alium, *l.* 1. §. *usus, ff. de procurat. l. sed si unus, ff. de feriis,* §. *idem.* Illustrat Barb. *axiom.* 92. Igitur parochus, qui per se ministrare potest, per alium ministrando videtur per se ministrare ; & per consequens non sunt cogendi personaliter parochi perpetuò residere.

4. *De residentia & ejus necessitate.*

Quâ dubitandi ratione minimè obstante vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, residentiæ vocem non iteratam sessionem significare, sed ejusdem firmitatem, quoniam residere, firmiter sedere est ; à qua quoque significatione loci functionisque firma ratio declaratur ; diversam enim potissimùm residentiæ ecclesiasticæ nomen, significationem affert, scilicet mansionis in loco, & pastoralis administrationis : omitto residentiam R. Pontificis, Primatum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, de qua nulla extat constitutio in hoc titulo : & post Carranzam & alios, qui de ea egerunt, novissimè edidit duos tomos P. Hurtado *sub tit. de resid.* Tantùm igitur agamus de residentia Episcoporum, & Sacerdotum in propriis Ecclesiis, ubi beneficia possident ; & priùs sciendum est, à quo jure proveniat residentia Episcoporum, & illorum Prælatorum, qui habent actualem curam animarum ; & an proveniat à jure divino, jam acriter disputatum fuit in Concilio Tridentino semel & iterum, Primò sedente Paulo III. anno 1547 *sess.* 6. *de reform. cap.* 1. in quo residentia Prælatis injuncta fuit, veteribus pœnis innovatis, & novis adjectis : sed quo jure obligaret, non fuit decisum. Deinde sedente Pio IV. anno 1563. sive *sess.* 23. *de reform. cap.* 1. quod notasse expedit. Veteres, qui ut par est Pastorum residentiam fundant, de hac quæstione parum curant, ut videre licet ex classicis Canonistis *ad hunc tit.* Angelo, Sylvestro *verbo Residentia*, Gabriele *in* 4. *sent. dist.* 15. *quæst.* 8. *art.* 3. *dub.* 2. immò & perdoctus Petrus Gregorius, qui post utrunque canonem scripsit, & doctè de residentia egit, in tractatu *de beneficiis, quæst.* 7. quæstionem non attingit. Ante Concilium de jure humano provenire, non de jure divino, nisi quatenus impropriè jus canonicum divinum dicitur, docuit Thomas Campegius Episcopus Feltrensis, *in tract. de resid.* qui circumfertur *tom.* 15. *tract.* Doctrinam contrariam enixè fundavit Cardinalis Cajetanus 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 5. contra quem pro more apologiam scripsit Fr. Ambrosius Catharinus, sub Concilii temporibus, intendens Prælatos ad residentiam jure positivo obligari, non jure divino, cujus partes sequuti fuerunt Albinianus, Alphonsus Salmeron, & Andreas de Gerunda, quos referunt Diana *p.* 10. *tract.* 14. *resol.* 66. Hurtado *de resid. tom.* 1. *resol.* 2. Pro Cajetano steterunt duo doctissimi Dominicani, Mag. Fr. Bartholomeus de Miranda & Carranza, peculiari libello *de resid.* edito Tridenti die sacra Divo Mathiæ, eodem anno 1547. quo primus canon emissus fuit ; cujus bis meminit *cap.* 12. *ejusdem tract.* & Primarius noster Dominicus Soto *in apolog. contra Catharinum, de resid.* quæ circumfertur post syntagma *de natura, & gratia : & lib.* 10. *de justitia, quæst.* 3. *art.* 1. 2. 3. & 4. Scripsit etiam post sessionem 6. & ante sessionem 23. Eandem sententiam defendunt post D. Thomam 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 5. Bannez *quæst.* 33. *art.* 5. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. disput.* 44. *sect.* 4. *num.* 8. Joannes Driedo, Leonardus Venetus, Franc. Turrian. Hieronymus Gigas, peculiaribus editis tractatibus ; Gentianus Herbertus *in cap.* 1. 70. *dist.* apud Covar. qui eandem sententiam tenet *lib.* 3. *var. cap.* 3. *numer.* 9. & alii infrà laudandi. Itaque status quæstionis anceps fuit usque ad prædictam sessionem 23. sive usque ad annum 1563. Nihilominus Alphonsus Alvarez Guerrero, Præses tunc Cameræ Neapolitanæ, qui scripsit suum specu-

lum

culum *de potest. Roman. Pontif.* anno 1558. *in cap. 9. à princip.* præcipuè *num.* 4. tutatus fuit sententiam Cajetani, nullo alio laudato : qui verò scripserunt post prædictam sessionem, Cajetanum sequuntur, uno, alterove dempto; & de jure divino esse asserunt residentiam Prælatorum, & Pastorum quorumcunque, quibus cura animarum incumbit ratione officii, & beneficii Ecclesiastici. Sunt ex Jurisperitis Navarrus *in Manuali cap. 5. num.* 121. Garsia, multis relatis, *de benefic. 3. p. cap. 2. num.* 16. Barbosa cum aliis, *de potest. Epis. alleg. 53 num. 2. & de offic. Parochi p. 2. cap.* 19 & ad prædictos canones Concilii Trident. *& in cap. quia, num. 4. hoc tit. & lib. 1. jur. eccles. cap. 11. num.* 91. *&* 92. Petrus de Salcedo *de lege polit. lib. 2. cap.* 16. *n.* 1. Salgado *de protect. regia part. 2. cap. 15. num.* 12 D. D. Antonius Garanna *ad hunc tit. cap.* 1. qui pro multis sufficiunt, quos adducunt. Ex Theologis ita etiam sentiunt Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 44. sect. 4. num.* 8. Vazquez *de benefic. cap. 4. dub. 2.* Castropalao *tract. 13 disput. 5.* Azor 2. *tom. instit. lib. 7. cap. 4. q. 1.* Filliucius *in append. de benefic. eccles. tract. 41. cap. 6. ex num.* 27. Emanuel Rodriguez *in summa 2. tom. cap.* 114 *à princip.* Paulus Layman 3 *tom Theolog. moral. tract. 1. cap. 6. q. 2. ex num.* 3. Bolerius Reginaldus *in praxi fori pœnitent. tom. 2. lib. 3. tract. 3. lib. 30. cap. 5. ex num.* 52. Ludovicus Lopez *instruct. conscient. 2. p. cap.* 243. *versic. Secundùm prænotamentum.* Joan. Malderus Episcopus Antverpiensis *in 2 2. D. Thomæ, sive de justitia & jure tract. 9. cap. 2. dub.* 19. Jacob. Gordonus 2 *tom. Theolog. moral. lib. 8 q. 4. cap. 8. ex num.* 42. Ægidius Trullenk *in præcept. Decalog. lib. 4. cap. 1. dub. 8. ex num.* 2. Basseus *in flor. Theolog verbo Residentia, num.* 4. Leonardus Lessius *de just. & jur. lib. 2. cap.* 34. *dub.* 28. Tamburinus *de jur. Abbat. tom. 1 disp.* 14. *q.* 1. Tapia *tom. 2. catena mor. lib. 5. q. 5. art.* 11. Machado *in su perfecto confessor, 2. tom. tract. 9. difficult. 18. docum.* 4. plures alii, quos laudat & sequitur Thomas Hurtado *de resid. resolut. 7. num.* 11. adeoque certa communiter hæc sententia, post ultimum canonem Trident. videtur, ut innegabilem eam dicat Villalobos 2. *tom. summæ, tract. 9. difficult. 18. ex num. 1.* & alii magis specialiter infernus recensendi.

5. Ergo cùm fere innegabile hodie sit (si non est absolutè innegabile, ut dixit Villalobos proximè citatus) residentiam Pastorum à jure divino provenire, videamus qualiter ex jure divino proveniat, aut desumatur. Fr. Ant. à Cordoba *in sua quæstion. lib. 1. q.* 19. qui Concilii non meminit, dicit provenire à jure divino largè sumpto, non propriè, aut strictè; quod est ferè convenire cum Campegio, qui jus canonicum hac in controversia largè appellavit jus divinum. Rejicit Cordubam Gabriel Vazquez *dicto cap. 4. §. 2. dub.* 1. docetque quod si ex jure divino Ecclesia non judicaverit, evidenter colligi consequentiam de residendo; judicio tamen suo, quod est maximum, evidentissimam esse, aut saltem urgentissimam. Ecce existimat subtilissimus: & sapientissimus Doctor, deduci per urgentissimam consequentiam hoc jus divinum, Michael Nauclerus, Doctor Sorbonicus, *tom. 1. Monarchiæ, 2. p. lib. 5 cap.* 9. cum judicio scripsit radicari in jure divino, indeque derivari ab Ecclesia, Patribusque Concilii, cujus canonem citat, & sic exponit. Reginaldus *ubi suprà*, ferè consensit; & quod magis est, Vespertinus Antecessor noster Fr. Petrus de Ledesma *in suo tract. de statibus*, qui extat vice appendicis ad secundam partem summæ, *tract. de Episcop cap. 3. conclus. 13. cum sequent.* suo Soto consentiens, quem audivit, & cui communicavit in eodem Conventu discens, in quo ipse docebat, à Tridentino reversus docuit, in Tridentina Synodo non fuisse declaratum tam apertè residentiam esse de jure divino, ut nonnulli voluerunt, invenies forsan, quod audivit à Soto, & aliis qui in Synodo adfuerunt. Fr Joan. à Pineda 2. *p. Monarchiæ Eccles. lib. 13. cap. 22. §. 1. fol.* 226 post Carranzam, & Sotum, quos laudat, à jure divino naturali provenire censet, id est, à dictaminis rationis naturalis obligatione circa rem divinam : sed plus voluerunt fundare illi duo Authores sapientissimi, nempe injunctam esse obligationem à jure divino; provenire enim à jure naturali jam docuerat D. Thomas *quodlibet. 9. art.* 15. & noviter probat ex aliis Thomas Hurtado *ubi suprà, resol.* 8. Carranza & Sotus *in suis apologiis*, tantùm intendunt, omnia præmissa à jure divino esse propriè sumpto, & consequentiam inde inevitabilem deduci, cum quibus consensit Gregorius & Valentia 3 *p. in D. Thomam, disput. 10. q 3 punct. 5.*

Ego ab his PP edoctus sic me expono. Jus quod obligat ad residentiam Prælatos & Pastores, quibus ratione officii & beneficii cura ovium commissa est, est divinum propriè sumptum, sed reductivè, non expressè. Quod ex ipsis Concilii verbis potest suaderi. Ajunt Patres: *Cùm præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, & bonorum omnium exemplo pascere.* Hæc omnia mandata sunt juris divini expressi. quod in Evangelio continetur, ut à Christo Domino latum. *Joannis cap. 10. Act. cap. 20 vers.* 28. Paulus 1. *ad Corinth. cap. 7 2. ad Timoth. cap. 2.* & iterum 1. *ad Corinth. cap. 9* milleque aliis locis ex utraque pagina, quæ expendunt Carranza *cap. 3. cum duobus sequent.* Sotus *dict. q. 3. art.* 1. Valentia & Vazquez *ubi proximè.* Ita hæc major propositio juris divini est, quod non potest negari. Postea Patres Concilii sic assumunt minorem propositionem : *Quæ omnia nequaquam ab his præstari, & impleri possunt qui gregi suo non invigilant, nec assistunt, sed mercenariorum more deserunt.* Quæ minor propositio ex principiis naturalibus, lumineque rationis patet, ut philosophantur acriter Carranza *cap. 5. &* 6. Sotus *art. 3.* Sed nota in hac minori propositione non assumpsisse Patres verbum residendi, sed invigilandi, & assistendi, quæ sunt latiora : quia si præcisè requireretur ex censura Patrum actus residendi, ut quis diceretur pascere Patrum actus, nec alius posset dici pascere, nisi qui resideret, nec aliter impleret divinum præceptum pascendi nisi residendo, consequentia, & major eodem modo se haberent, & esset juris divini expressè residentia, non reductivè. Aliquando enim invigilat, & assistit commodissimè, qui non residet, licèt melius sit, quod resideat; nam ut inquit Theodoretus *q. 4. in Genes. Absentia Præsulis, insolentia plebis.* Est ergo certa minor per conformitatem ad jus naturale : si enim Dux, immò miles non aliter justè percipiunt stipendia,

6. *Explicatur vera sententia.*

quàm si militent, & ductent, vel sequantur ordines; idemque in cæteris Magistratibus politicis, immò & quibuscunque ministris usu evenit; quantò melius in Pastoribus id requirimus? Sed quia obligatio, quæ à jure naturali descendit, suam habet epichejam, veluti si dux, vel miles evocetur à Rege, si privatam causam, sed urgentissimam habeat revertendi in domum, à Rege cognitam & approbatam: ita & hæc obligatio residendi suas habet epichejas, ut infrà videbimus; obligatio tamen insistendi, & invigilandi inquantum moraliter possit, nullam habet, quia sub his terminis obligatio invigilandi, & assistendi inclusa est sub obligatione pascendi, ut docent PP. quæ est juris divini, ut manet probatum.

7. *Amplius probatur.* Ecce igitur quam & qualem consequentiam deducant SS. Patres, his verbis: *Sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma, greges, in judicio, & veritate pascant, & regant.* Ingerit semel atque iterum præcepta pascendi, obligationem invigilandi, & admonet, & hortatur, ne gregem suum deserant. Ergo totum hoc reducitur ad primum illud præceptum pascendi, quod est divinum. Consenserunt itaque omnes Apologistæ, nullum Christi Domini inveniri expressum præceptum residendi: igitur quando pascere aliter non possunt quàm residendo, veluti in tempore persecutionis, hæresium, & aliarum necessitatum, quæ præsentiam pastoris exigunt, sub pascendi verbo necessariò continetur residere; & sic residere tenebitur jure divino, *cap. suggestos 46. cap. suscitaris 47. 7. q. 1.* ad hoc jus reducendis, præeunte Divo Augustino *epist. 180. ad Honoratum*, & luculenter Gratiano nostro *causa 7. q. 1.* in littera ipsius, ad finem quæstionis. Ex quo & martyrium pro ovibus suis subire tenetur Pastor, quæ obligatio ab alio jure, quàm divino provenire non posset, cùm non adeò obliget jus naturale, aut positivum, Divus Thomas & Cajetanus *ibi*, 2. 2. *q.* 185. *art.* 5. & semper residere tenetur ex eodem jure, quia munus pascendi non aliter melius impleri potest, quàm residendo, sed non pro semper, quia sunt causæ quæ excusant à residentia, sine qua potest dici assistere, & invigilare Episcopus. Et hoc modo explicatur fortissimum argumentum, quod ex Philosopho desumebat Sotus *dicto art. 1. vers. Ex his ergo colligitur*; quo jure qui obligatur ad finem, obligatur ad media tendentia ad finem necessariò: quæ major est indubitabilis: sed ad finem pascendi obligatur jure divino; est etiam minor constans inter omnes: Ergo ad medium residendi obligatur jure divino. Conceditur consequentia reductivè, non expressè; quia non est unicè necessarium residere, sed melius & commodius; & obligat tantùm dum urgentior causa non tollit obligationem residendi per epicheiam, ut jam videbimus.

8. *Explicatur eadem sententia.* Ex dictis constat, jus hoc divinum, quod appellamus reductivè, tale esse propriè jus divinum, & in suo casu sive posito, residere pro medio obligare æquè fortiter, licet non obliget æquè absolutè, ut jus divinum expressum, quod non indiget consequentia, ut ex verbis, aut traditione deducatur. Consequentiam deduxit Ecclesia ex præcepto pascendi: Ergo in Ecclesia residet potestas declarandi quando cesset consequentia, & per consequens quando residentia non contineatur sub præcepto pascendi, & quando huic præcepto satisfaciendum sit invigilando per vicarios & homines idoneos, qui præsentiam Episcopi, aut parochi suppleant in quantum fieri possit. Verba sunt Concilii: *Nam cùm christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnunquam abesse postulant, & exigunt, decernit eadem sancta Synodus*, &c. Ecce quomodo non obligat æque absolutè; siquidem sunt casus, qui à residentia excusant, ut diffiniunt PP. Jus divinum expressum obligat absolutè, semper, & pro semper, veluti præceptum de confitenda fide, & illud, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*; & illud, *Quorum remiseritis peccata*, &c. ut ferè per hæc verba docet idem Sotus, agnoscens differentiam *dicto art. 1. vers. Adhorum.* Vidit enim æterna prævidentia, & providentia Christi Domini, nullam posse epichejam dari, quæ præcepta à se injuncta cessare faceret; itaque jus divinum absolutum tantùm dependens ab ordinatione divina, quod dicimus expressum, nunquam cessare potest. Multò minùs subjacet dispensationi Pontificiæ, quia semper continet bonum invariabile, & immutabile, quod neque interpretationem recipere potest. Jus divinum elicitum per humanam consequentiam, & prudentiam, licèt non cadat sub dispensatione Pontificis, quia æquè divinum est, admittit declarationem de casu, in quo cessat propter majus bonum. Quæ doctrina videtur mihi de mente D. Thomæ esse 1. 2. *q.* 100. *art.* 8. *in corpore*, & ferè ut ego expono, exposuit Tapia *tom. 1. catenæ mor. lib. 4. q. 27. art. 6.* Sotus *lib. 2. de just. & jur. q. 3. art.* 8. Vincentius Candidus breviter, sed concinnè *tom. 1. disquisit. moral. disquisit. 18. art. 7. dub. 2.* Gregorius de Valentia *dict. tom. 3. in D. Thomam, disput. 3. q. 3. cap. 5.* Nauclerus *dict. 1. tom. 2. p. lib. 5. cap. 9.* qui tres Doctores proximè relati, in casu quem exponimus, loquuntur, & in casu universalis dispensationis, vel declarationis in communi, Primarius noster Basilius Pontius *lib. 8. de matrim. cap. 2. à num. 4.* ex quo in proposito non placet sententia, aut modus dicendi ejusdem Primarii *ubi proximè*, *num. 15.* nempe hanc obligationem à jure divino provenire, sed taliter ut subordinetur dispensationi, & dispositioni Pontificis, in quo cum eo alios sequitur Diana *p. 10. tract. 14. resol. 66.* non placet, inquam; nec enim probat, aut fundat, quod pro comperto supponit, subordinari hoc jus divinum dispensationi Pontificis: rursus vocat dispensationem, & utitur testimoniis Concilii, ex cujus neutro canone probatur esse dispensationem, tantumque in postremo declarantur casus in communi, in quibus cessat. Quare hunc modum dicendi, licèt non in his terminis, refutat post D. Thomam & multos, quos pro more laudat P. Thomas Sanchez *in præcep. Decal. lib. 4. cap. 24. num. 18.* & remissivè *cap. 37. num. 6. & 7.* ubi nostræ sententiæ accedit proximè expositæ. Non etiam placet, quod dixit idem doctissimus Pater *lib. 8. de matrim. disput. 6. num. 5. & 6.* ubi obiter jus de residentia attigit, & per transennam, nempe esse jus absolutè divinum, & tamen dispensabile, quia implicat in terminis, si vera sunt quæ suprà retulimus; quare *dicto cap. 37. num. 15.* ubi etiam in transcursu

hoc

hoc exemplum adduxit, non appellavit jus absolutè divinum, sed divinum tantùm simpliciter, & sine ullo addito *absolutè*. Magis probo quod dixit Cardinalis de Lugo *in responsis mor. lib. 5. dub. 13.* nempe, dici declarationem cessantis obligationis de residendo, pro qua parte provenit ex munere Episcopali divinitus instituto, quia juris divini est, in quo sequitur communem suprà fundatam; sed quia pro parte hoc jus divinum corroboratum est à jure Pontificio, pœnis variis statutis in non residentes, esse dispensationem: id est, quoad obligationem residendi esse declarationem casus, in quo cessat; ad pœnas non incurrendas, à jure positivo impositas, esse dispensationem. Posset sanè dubitari, an cessante juris divini obligatione teneret dispositio canonica quoad pœnas, cùm in illa tanquam in radice hæc fundetur; quare primâ deficiente, & deficere secundam: sed tamen pro exteriori foro, & praxi non potest negari, quin ad evitandas pœnas absentiæ commodissimè licentia à Pontifice impetrata de non residendo, prævia causæ cognitione appelletur dispensatio, ut vulgò solet: ex qua doctrina facilè solvuntur difficultates quas in hac resolutione expendit Thomas Hurtado *dicta resol. 9. per tot.*

9. Extenditur variis casibus. Et quamvis Doctores nostri diligenter investigaverint multa Patrum, Conciliorum, & Summorum Pontificum Decreta, quibus probent residentiæ obligationem summopere injunctam esse Pastoribus, in quod vel maximè incubuit Bartholomæus Carranza *in dicto opusculo de resid. ex cap. 7.* à quo Sotus, & deinceps cæteri, tamen ut seperemus auctoritates, quæ potiùs per argumentum convincunt, quàm ex terminis, breviter recensebo eas quæ magis dissertæ sunt. Concilium Sardicense, præsidente Osio nostro Cordubensi Episcopo *can. 7.* huic rei providit, & notandum est initium canonis: *Osius Episcopus dixit, importunæas nostra, omnium Episcoporum multa diligentia, injustæ preces effecerunt, ut non habeamus tantam gratiam, & libertatem dicendi, quantam debeamus habere.* Notetur Osii præfatio, ut innotescat residentiam in Ecclesia ab optimis semper procuratam, & à Conciliis imperatam, à Summisque Pontificibus injunctam: sed ab illis qui propriæ utilitati student potiùs quàm muneris servituti, prece, & omnibus artibus fuisse recusatam. Prosequitur canon: *Multos Episcoporum, & maximè ex Africa, frequenter accedere ad comitatum Principis*; ubi Herbertus semper vertit *in castra*, nec malè. Olim enim castra Principum appellabantur, quod hodie appellamus, *Corte*. Hoc aliis notum est, ne immoremur: accedere, inquam, illo quæsito colore, ut res Ecclesiarum, & miserabilium personarum tutarentur, & favore suo in meliùs promoverent; re tamen verâ ut suffragarentur in rebus prophanis, & sæculares dignitates nonnullis adquirerent; quæ res pervetsitatis plena magnum Ecclesiæ detrimentum affert; ut considerabit Osius ibi: *Si vobis, fratres charissimi, hoc omnibus videretur statuite, nullum oportere Episcopum ad comitatum accedere, præter eos, quos pius Imperator noster suis litteris accersivit.* Quæ verba à Gratiano referuntur *in cap. si vobis 28. 23. q 8.* alio tamen & alieno sensu, nempe: *Ne Episcopi militent.* Cætera, quæ sequuntur, eò tendunt, ut suppetiæ ferantur his, qui ad venerabiles Ecclesias aufugiunt, ne inde extrahantur, neve aliquod accipiant detrimentum. PP. ad cognitionem Osii responderunt, *Decernatur.* Nota PP. permisisse Episcopis ad regiam accedere, si ab imperatore vocarentur, quæ illis temporibus justa causa reputabatur absentiæ. Quid mirum, cùm hæc Synodus congregata sit sub Constantio Constantini filio, Arrianâ perfidiâ imbuto, curin tantum resistere PP. noluerunt, ut ex actis apud Balsamonem *pag. mihi* 850. constat. In duobus canonibus sequentibus jubent PP. ut si aliqua pia negotia in aula habeat Episcopus, curate expediat per Diaconos, id est, per ministros plerunque sæculares, ut exponit idem Balsamon *in scholiis.* In canone 12. ejusdem Concilii permittitur Episcopo, qui extra diœcesim magnas possessiones habet, ad eas accedere causâ colligendorum fructuum, ut largiùs, & liberaliùs ex reditibus possit subvenire pauperibus, hac formâ datâ, ut tribus septimanis in suis possessionibus degat, & conveniat, & sacrificia celebret in Ecclesia, quæ prope est, unà cum presbytero, qui populum congregat, ne aliòqui Episcopus à communione alienus videatur; ne tamen frequenter assistat in civitate Metropoli, in qua degit Episcopus diœcesanus, ut sic effugiat notam præsumptionis, & arrogantiæ, si fortè contentio oboriatur inter utrumque Episcopum. Ex hoc textu alia justa absentiæ causa potest colligi; sed non colligitur, non potuisse Episcopum abesse à suo Episcopatu ultra tres septimanas; quin potiùs colligitur; non posse intermittere divinorum officiorum celebrationem, & sacram synaxim per tres septimanas; nam qui per hoc tempus intermittebat, tanquam alienus habebatur à communione, sive Episcopus esset, sive clericus, sive laicus, ideò ad Ecclesiam proximam accedere debebat unà cum presbytero, & plebe. Similis pœna statuitur *in can. 64. Concil. Agathens.* relato *in cap. si quis 29. 7. q. 1.* & *in can. 81 Synodi sexta in Trul.* ex partitione Balsamonis; & hunc esse prædicti canonis verum sensum ostendit etiam scholium Balsam. ad eundem, ibi: *Et cùm ita se habeant, ne dixeris esse necessarium Episcopo, qui versatur in possessionibus, quæ sunt extra suam Ecclesiam, illic tribus dominicis sedere, & non accedere in urbem, in qua est ejus regionis Episcopus; sed consilium tantùm dari, ut utetur fando audito: si enim velit postea in civitatem proficisci, & cum illius regionis Episcopo familiariter colloqui, & suas in ecclesiasticas possessiones redire, non vetabitur.* Et de accessu ad Ecclesiam tribus Dominicis, aut septimanis, ita paulò superiùs: *Cæterùm tribus*, inquit, *Dominicis debet Episcopus in suis possessionibus agere, & cum illius regionis fidelibus in Ecclesiam convenire, & unà celebrare, seu unà orare cum presbytero, qui illic est, ut non videatur esse sine ecclesiastica communione* (deest perperam negatio in versione Herberti,) *& canonem qui superiùs dictus est, offenderet, qui quidem eos segregat, qui tribus Dominicis in Ecclesia non conveniunt.* Spectat tamen ad hanc curam, quam PP. Sardicensis Synodi habuerunt, ne Episcopi sine justa causa abessent à suis Episcopatibus; quod cavetur in canone ultimo ejusdem Concilii: *Ut Episcopi constituti in vils tranibus, sive in canali, cùm viderint Episcopum, quarant causam itineris; & si eum quidem in comitatum*

tatum Principis profiſciſcentem invenerint, quærent conditiones, quæ ſuperiùs propoſitæ ſunt; & ſi evocatus à Principe veniat, ei nihil impedimenti fiat proficiſcenti: ſin autem oſtentationis gratiâ, vel propter aliquorum preces in caſtra feſtinat, nec litteris ejus ſubſcribant, nec cum eo communicent Epiſcopi. Qui in canali degunt, ſive in via publica, ſunt illi qui regunt Eccleſias, quæ ſunt in urbibus, per quas iter fit ad Regiam: ita exponit Balſamon, & ex nuperis paulò curioliùs Jacob. Gutherus *de offic. domus, lib. 3. cap. 15. verſ. Canalia publica.* Cironius *lib. 2. obſerv. cap. 14.* & nos *in cap. 1. de privil.* Erant hi Epiſcopi quaſi ſpeculatores cæterorum, qui ad urbem libenter, & ſine cauſa juſta non evocati properabant, deſerentes Eccleſiarum regimen; ex quo ſatis ut falſa convincitur interpretatio, ſeu reſtrictio canonis, quam ibi Balſamon comminiſcitur.

10. *Expenditur Synodus ſardicenſis.*

Ex dictis apparet in Sardicenſi Synodo enixè procuratam fuiſſe Prælatorum reſidentiam; paulò tamen ſtrictiùs in Antiochena 2. ſub eodem Conſtantino celebrata, quinque annis poſt Conſtantini obitum, ſi Theodoro credimus, ſancitum fuerat *can. 11. Ut ſi quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel omnino ex canone ad Imperatorem proficiſcatur ſine ſententia, & litteris Epiſcoporum provinciæ, & maximè Metropolitanorum, exuatur à dignitate.* Scholium Balſamonis ibi eſt admodum breve, ſeu decurtatum; extat integrum in ſupplemento, *pag. mihi* 1125. videlicet, non requiri approbationem, ſeu licentiam Coepiſcoporum, ſi ab Imperatore evocatus fuiſſet, vel à Patriarcha Conſtantinopolitano; itaque pro juſta cauſa, vel pro diſpenſatione ponit Patriarchalem permiſſionem. Exiſtimo hunc eſſe errorem Interpretis, quatenus dicit colligi ex ſacris canonibus: nullum profectò legi, qui ſic de Patriarcha Conſtantinopolitano ſtatuat, ſed Theodorus leges ſæculi confundit plerunque cum ſanctionibus Eccleſiæ: fortè alludit ad Juſtiniani conſtitutiones, quæ extant de reſidentia Prælatorum, *Novella 6. quando oporteat Epiſc. converſari, cap. 2.* ubi Epiſcopus ultra annum abſens ab Epiſcopatu, ab eo expellitur, & alius in ejus locum ſubrogatur, niſi evocatus à Principe receſſerit, vel cauſa receſſus coram ſuperioribus probata, & approbata ſit. Et *Novella* 123. *de SS. Epiſcop. cap.* 9. in qua Patriarchæ Conſtantinopolitani approbationis fit mentio, *l. omnem* 43. *C. de Epiſcop. & Cleric.* Quæ eſt Græca, & extat in libro Gothofredi ex verſione Antonii Concii. Sic ergo ſtatutum fuit in Synodo Antiochena; nam quod ſancitur *in can.* 17 qui refertur *in cap.* 7. 92. *diſt.* non pertinet ad Epiſcopos non reſidentes, ſed ad eos, qui poſtquam electi ſunt, non proficiſcuntur ad ſuum Epiſcopatum; de quo eſt etiam canon 36. Apoſtolorum, ubi contra Joan. Zonaram legendus eſt Balſamon. Sexta etiam Synodus in Trul. ſub Juſtin. II. Imperatore, *can.* 18. ſanxit: *De Presbyteris, & aliis clericis, qui à titulis receſſerunt propter barbaricam incurſionem, ut eâ ceſſante iterum ad Eccleſias proprias accedant, ad quod per Epiſcopos compeſcantur; quod ſi facere renuerint, ſegregentur, donec reſipiſcant.* Quæ pœna contra Epiſcopum, qui detinet clerum, ſtatuitur, non verò loquitur canon de Epiſcopis, ſed ad eos, & quoſcunque Primates extendit Balſamon ibi. Diſertiùs cavetur in Concilio Meldenſi *can.* 5. qui refertur ab Ivone Carnot. 5. *p. Decreti, cap.* 190. quem ſolum laudat Covar. *lib. 3. var. cap. 13. num.* 9. vel quia à Carranza & cæteris omiſſus fuit, vel quia nullus eſt æquè idoneus ad probandum reſidentiæ obligationem in jure divino radicari. Verba ſunt: *Ut Epiſcopi, qui plebes ſibi creditas rarò aut nunquam per ſeipſos viſitant, juxta ordinem Evangelicum, & Apoſtolicum, atque Eccleſiaſticum, cum Dominus Ezechieli dicat (cap. 3.) ſpeculatorem dedi te domui Iſraël, & audies ex ore meo verbum, ut annuncies eis ex me, &c. à comprovincialibus Epiſcopis acriùs corripiantur.* Hactenus PP. Ex quibus verbis apparet, cenſuiſſe à jure Evangelico provenire, propter injunctam curam paſcendi, ſpeculandi, & prædicandi. Sanè nullum aliud teſtimonium legi conformius Tridentino quàm hoc. Denique in 8. Synodo ſub Baſilio Imperatore, *can.* 19. Epiſcopus, Archiepiſcopus, Metropolita, qui ſub prætextu, vel ambitione prædicandi, & viſitandi alias diœceſes propriam derelinquit, ut ſacrilegus reputatur, & deponitur in Concilio Arelat. *can.* 13. & in Magunt. *can.* 25 injungitur Epiſcopis obligatio, ut in Eccleſia conveniant omnibus diebus Dominicis, niſi infirmitate, aut juſtâ aliâ cauſâ detineantur; quo etiam fundatur obligatio reſidendi. Proſequuntur Salcedo *ubi ſuprà*, Garanna in præſenti, *cap.* 2. qui ſatisfaciunt difficultatibus quæ in contrarium adduci ſolent.

11. *Reſidentia probatur ex jure civili.*

Etiam jure civili in illa Gentilium vana religione ſacerdotes omninò in falſorum Deorum templis teneri reſidere, probatur ex Platone *lib. 6. de legibus*; quò pertinent JC. reſponſa, quæ ſacerdotem dum ſacra faceret, in jus vocari non poſſe docent ex eo, quod propter religionem inde ſe movere non poteſt, *l. 2. de in jus vocando, l. neque 36. ff. de fideicom. libert. l. ejus qui 27. §. 1. ff. ad municip.* & ex mente, ſectaque Ulpiani ſuſpicor *dictam l. 2.* agere de Flamine Diali, qui Jovi ſacra faciebat, Romaque excedere vetabatur. Pontifici verò Italiâ excedere non licebat, ut probat Gutherus *de jure Pont. cap. 13. & 14. lib. 1.* quamvis textum emendans de confugientibus ad aſylum acceperit Revardus *lib. 1. var. cap. 6.* de ædituis, ſive templorum cuſtodibus, Cujacius *lib. 13. obſerv. cap. 29.* quem ſequitur Pichardus *in §. final. Inſtit. de pœna temer. litig. num. 26.* Nec videtur diſcedere Gothofredus in præclara nota ibi, *de Monachis & Aſceticis*: Accurſius, & Hermogenianus *in l. Vitricus 60. §. final.* juncto Cajo *in l. vel ſenectutem, 61. ff. de donat. inter*, propter ſacerdotium adeptum retineri commodè non poſſe matrimonium dixêre, ob impedimenta videlicet officii ſacerdotis: & Paulus *in l. non diſtinguemus 32. §. ſacerdotio, ff. de receptis: Sacerdotio*, inquit, *obveniente, videbimus an cogatur arbiter ſententiam dicere.* Id enim indulgetur honori perſonarum: faciunt lex penultima, *ff. de vacat. muner.* lex *aut 18. ff. de procurat.* & Seneca tradit *lib. de tranquillitate vitæ. Quoſdam*, inquit, *exilia uno loco tenent, quoſdam ſacerdotia.* Unde Flamines Diales adſtricti erant ad reſidendum in templo Idoli. Livius *lib. 5.* ait: *Camillus dixit Flamini Diali: Noctem unam manere extra urbem nefas eſſe.* Et Cornelius Tacitus *lib. 3. annal. Quando*, inquit, *de religionibus tractabatur, dilatum nuper reſponſum adverſus ſervum Malunginenſem Flaminem*

minem Dialem promisit Cæsar, recitavitque decretum Pontificium : Quoties valetudo adversa Flaminem Dialem incessisset, ut Pontificis Maximi arbitrio, dum ne plus biduum abesset, dum ne diebus publicis sacrificii, non sæpius, quamvis eundem in annum, &c. Cicero *Philip.* 2. ait: *L. Valerio Flacco, P. Licinio Crasso, Coss. bellum gerendum erat cum Aristonico : rogatus Populus, quem id bellum gerere placeret, Flaccum nominaverat. At Crassus Consul, qui & Pontifex Maximus, Flacco collega, Flaminis Martialis multam dixit, si à sacris discessisset. Flamen populum appellavit : is multam remisit : Pontifici tamen Flaminem parère jussit.* Inde etiam somniare se catenis templo alligatum esse, sacerdotem futurum demonstrat, ut ait Artemidorus *lib.* 5. in illis verbis : *Visus est sibi quis ad firmamentum templi Neptuni catena alligatus esse; factus est sacerdos Neptuni. Oportebat enim inseparabilem sacerdotem esse.* Videndi sunt Guerrera *de legibus & armis num.* 20. Cujac. *lib.* 13. *observ. cap* 29. Pichard. *in* § 8 *Inst. de pœna temerè.* Pancirola *in not. cap.* 6. Hothom. *de rit. nup. cap.* 29. Meril. 4, *obs. cap.* 6. Savar. *ad Sidon. lib.* 8. *epist.* 8.

12. Probatur decretum pontificium.

Jure nostro etiam Pontificio hæc regula generalis statuta reperitur : Omne beneficium requirere residentiam, & beneficiarium debere in eo residere, *cap. singula* 1. 89. *dist. cap. ad hæc* 13, *de præbend.* cum aliis suprà adductis. Observandæ autem sunt pro præsenti materia Conciliorum phrases, qualis illa ; *Qui clero adnexi sunt*, qua utitur Concil. Carthag. 1. *can.* 5. aut illa Concil. Nicæn. 2. *can.* 15. *In una Ecclesia adsideant*; significat enim continuam quandam, & perpetuam residentiam : proinde non malè Duarenus residentiam, *assiduitatem* vocat *lib.* 8. *de sacris Eccles. minist. cap.* 5 quam vocem exponit Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri mon. cap.* 106. Et adversùs non residentes multiplex pœna constituta est, & primò qui non residet perpetuò in Ecclesiâ, tanquam desertor vel transfuga punitur, *cap. si quis presbyter* 24, *cum sequenti*, & *can. si quis in clero* 28, 7. *q.* 1. Sed priùs monendus est, & requirendus absens clericus, ut veniat, eritque curæ Ordinario, ut moneatur, *cap. ex parte* 8, *cap. ex tua* 11. & *cap. final. hoc tit.* Monitio verò sola sufficit, nec requiritur solennis citatio, *cap. ex parte* 8, *cap. qualiter* 9, & *cap. inter* 10, & *cap. penult. hoc tit.* Et quod dicitur *in dicto cap. ex tua*, 11. trina citatione, vel trino programmate, vel edicto vocandum esse absentem, locum habet cùm ignoratur quo loco absens degat; quo etiam casu vult Pontifex absentem post trinam citationem vocatum expectari per sex menses antequam beneficio spoliari possit. Utitur verbo *spoliandi*, Pontifex *in eo cap.* & *in cap. final. hoc tit.* quo Interpretes ostendi docent, non esse tunc juris ordinem spectandum, quia verbum *spoliandi*, habet juris executionem : spoliatur ergo ipso facto citra ullam causæ cognitionem clericus absens, qui vocatus, & monitus non revertitur; ideò verò monendus, & vocandus est, quia vocatus justas absentiæ causas allegare potest, quas si nullas allegaverit, nec comparuerit, tanquam contumax privabitur ipso facto beneficio : videndus Marinis *lib.* 1. *resol. cap.* 307. Poterit etiam adversùs eum procedi per viam depositionis, aut excommunicationis, vel suspensionis, *cap.* 2. *cap. ex tua*, 11. §. *final. hoc tit.* Item per subtractionem fructuum, qui adjudicabuntur Ecclesiæ derelictæ ; *cap. penult. hoc tit.* fuisseque Ecclesiæ usum, & jus Episcopos non residentes gravibus pœnis mulctare, constat ex processu D. Gregorii Magni Pontif. Rom. relato à Gratiano *in cap. pervenit* 20. 7. *q.* 1. Pigmenium enim Malphitanæ Ecclesiæ Antistitem in sua diœcesi residere nolentem jubet per Anthemium Subdiaconum in monasterio deputari, si post ipsius interminationem non resipuerit; cui sententiæ & ejus acerbitati forsan causam dedit malum exemplum quod inde cæteri Episcopi arripiebant, quod indicant verba textus, ibi : *Quod videntes alii, nec ipsi in castro se retinent, sed ipsius exemplum sequentes, foris magis eligunt habitare.* Est hoc rescriptum in casu speciali, nec facilè ad exemplum trahendum, ex regula textus *in l.* 1. *ff. de constit. Princip.* quare non in omnibus circumstantiis convenit, nec in sententia cum depositione Anastasii Cardinalis Presbyteri *in cap.* 2. *hoc tit.* & Ragusinus Archiepiscopus ob desertionem quadriennalem privatus fuit Ecclesiâ ab Innocentio III. *in cap. qualiter* 9. *hoc tit.* Ex quibus casibus, & aliis, quos suppeditabunt annales ecclesiastici, colligemus Prælatos non residentes privatos fuisse suis Episcopatibus. Sed forsan jure canonico tempus non residentiæ arbitrarium erat Pontifici, immò & cæteræ circunstantiæ non residendi ejus arbitrio reservabantur. Justinianus verò in Novellis præcitatis annum præscripsit, quo abessent : addidit etiam D. Gregorius *lib.* 5. *epist.* 123. ut similis desertor in monasterium pœnitentiæ peragendæ gratiâ detrudatur. Facit Concilium Hispal. 2. *can.* 111. & notavit Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri cleric. cap.* 106. Sunt tamen quidam casus, in quibus clerici non residentes excusantur, aut veniâ digni sunt, quos dabimus sequentibus commentariis.

13. Traditur ratio decidendi.

Quibus ita præjactis, manet probata præsens assertio auctoritate juris divini, ecclesiastici, & civilis. Nec ratione destituitur; nam juxta Aristotelem *lib.* 1. *de repub. cap.* 2. Pastoris ratio labefactatur si suo muneri desit : unde apud Romanos fas non erat Præsidi provinciæ egredi provinciam, nisi voti solvendi causâ, & ea lege, ne abnoctare ei liceret, teste Marciano *in l. illud* 15. *ff. de offic. Præsid.* Etiam apud eos nec Tribuno plebis per unum diem abesse Româ licuit : refert Diocasius *lib.* 37. Etiam Gellius *lib.* 3. *noctium*, *cap.* 2. & Livius *lib.* 36. narrant, non licuisse Senatoribus, quibus jus sententiam dicendi in Senatu esset, & minoribus Magistratibus longiùs abire, quàm eo die redire possent. Nec Prætori licuit urbe abesse ultra decem dies. Cicero *Philip.* 2. Illustrat Stephanus Garonius *de Senator. lib.* 1. *tit.* 4. *cap.* 8. quæ omnia si in Magistratibus sæcularibus procedunt, quantò magis in Prælatis ecclesiasticis residentia personalis circa proprias oves adhiberi debet. Illustrant Langleus *lib.* 13. *semestr. cap.* 2. Barbosa *lib.* 2. *jur. eccles. cap.* 9. nam sicut nauclerus clavum regere, & Dux phalanges discernere, & milites strenuos ad pugnas seligere, nec Medicus medelam sufficientem adhibere absentes valent ; ita nec Pastor spiritualis deserens proprium gregem. Parochus enim personam gerit pastoris, juxta illud Joannis *cap.* 21. *vers.* 15. *Pasce oves meas.* Ducem etiam repræsentat, *cap. cleros* 1, 21. *dist. cap. præcipimus*,

cipimus 24, 12. *q.* 1. Medicum item esse nemo negabit, *cap. sacerdos* 7. 3 *q.* 7. Judex denique est, dum solvit, & ligat, *cap. quis dubitet* 9, 96. *dist.* Igitur sicut illi à propriis ministeriis abesse non debent, ita nec Prælati Ecclesiæ deserere curam sibi commissam. Inde qui gregem deserit, non pastor, sed idolum dicitur à Zacharia *cap.* 11. *vers.* 17. ibi: *O pastor! ô idolum derelinquens gregem!* Facit argumentum deductum à militia terrestri ad cœlestem, à qua valet argumentum, *cap.* 1. *de renunt.* Ignominiam enim militarem eorum qui à signis abfuissent, etiam Barbari sub Romanis militantes horruerunt: dicebantur autem illi, qui abfuerant *infrequentes*; & obstipendium subtractum *are dirruti*. De his Sidonius *in panegyrico ad Socerum.*

Ibant pellita per Romula classica turmæ,
Ad nomen, currente Geta; timet æve vocari
Dirutus, opprobrium, non damnum Barbarus horrens.

Damnatos eos quandoque missione ignominiosâ innuit Plautus ibi:

Hunc pro infrequente mittas militiâ domum.

Et nullo modo commeatus militibus concedebatur, nisi ex justissimis causis: de quo commeatu, seu litteris dimissoriis agitur *in titulo C. de commeatu*, *l.* 1. 3. 12. & 14. *ff. de re milit. l.* 35. *ult. ff. ex quib. caus. major. l.* 2. §. *ult. ad municip. l.* 21, *C. Theodos. de Quæstor. & Prætor. l. ult. C. de erogat. militar. annon. l.* 5. *C. de jurisdict. l.* 21. *C. de desertor.* Plura Cujacius *in l.* 1. *C. de commeatu.* Steubec. *in notis ad Vegetium lib.* 7. *cap.* 19. Brissonius *lib.* 3. *de verb. signif.* Pancirola *in not. Orient. cap.* 36. Bulengerus *de imperio lib.* 5. *cap.* 4. Concius *lib.* 2. *succes. cap.* 21. & 22. Solorzanus *tom.* 2. *de jure Indiar. cap.* 2. Vvolfangus latiùs *lib.* 6. *de republ. Romana, cap.* 5. *fol.* 645. Borell. *de præst. Regis, cap.* 32. Osvaldus 21. *Donel. cap.* 5. *litt. G.* Igitur nec clerici militiam, cui adscripti sunt, deserere debent. Facit textus *in cap. placuit* 2, 21. *q.* 2. ibi: *Desertorem clericum cingulo honoris atque ordinis sui exutum, convenit in monasterium relegari.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa, cujus priori parti satisfactum manet *in cap.* 2. *de translat. Episc.* Secundæ verò parti facilè respondetur, si animadvertamus, prædictam regulam, *qui per alium* 72. *de reg. Jur. in* 6. limitari in his quæ requirunt servitium personale actu, ut est residentia in beneficio, ubi parochus per se, non per alium sacramenta ministrare debet. Concilium Trident. *sess.* 7. *cap.* 3. ibi; *Inferiora beneficia ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia, personis dignis, & habilibus, & qua in loco residere, ac per ipsos curam ipsam exercere valent*, &c. Probat latè Joan. Sanchez *in select. q.* 47. *num.* 2. quia ubi personæ industria electa est, non potest ipse vices alii committere, *l. servus, in fine, ff. de statulib.* Hermanus Pistor *lib.* 2. *q.* 32. Martinus Magetus *de advocatia armata cap.* 9. *num.* 1059. Unde cùm electa sit tempore institutionis industria personæ, ideo per alios, licèt vicarios, ea ministrari non possunt, argumento textus *in l. inter* 31. *ff. de solut. cap. is cui* 12, *de offic. deleg. in* 6. junctis traditis à Solorzano *tom.* 2. *lib.* 2. *de jure Indiarum, cap.* 25. *num.* 17. Quatenus tamen parochi per se teneantur administrare sacramenta, & de conditionibus, ut ille dicatur personaliter residere, latè agunt Barbosa *de offic. Parochi cap.* 8. Hurtado *de resid. parochor. resol.* 3. In beneficiis verò simplicibus, etsi quis sit ad ejus titulum ordinatus, non potest Episcopus illum extra diœcesim morantem ad residendum compellere, Marinis *lib.* 1. *resolut. cap.* 107.

14. *Dissolvitur difficultas.*

CAPVT V.

Alex. III. (a) *Eborac. Archiepiscopo.*

FRaternitati tuæ duximus (b) indulgendum, ut si clerici, qui in Ecclesiis tuæ jurisdictionis beneficium sunt adepti, ad aliquam diœcesim absque licentia, & assensu tuo morandi causâ transierint, liceat eos tibi beneficiis, quæ à te habent, spoliare; nisi fortè scholasticis disciplinis invigilaverint, aut rationabilem causam tibi ostenderint, quare reverti non debeant. Præterea clericum alterius diœcesis, absque (c) commendatitiis litteris sui Episcopi, nisi pro eo preces, aut mandatum Sedis Apostolicæ receperis, non debes recipere.

NOTÆ.

(a) *Eboracensi.*] Ita restituenda est inscriptio hæc ex secunda collectione, ubi *sub hoc tit. cap.* 1. reperitur hic textus, ex qua etiam integram recribo. De Ecclesia Eboracensi nonnulla notavi *in cap* 2. *de rescript.*

(b) *Indulgendum.*] Vel hæc verba accipienda sunt pro *indultum esse declaramus*, ut *in cap. etsi Christus* 26, *de iureiur.* vel ut aliquid speciale hujusmodi indulgentia operetur, debent accipi, nullâ præmissâ monitione, ita ut licèt aliàs debeat absens moneri, ut superiori commentario dixi, tamen cùm morandi causâ parochi in aliam diœcesim se transferunt; cùm eo facto animus non residendi pateat, ideò non esse necessariam monitionem, ut in præsenti casu docetur.

(c) *Commendatitiis.*] Clericos vagos, & acephalos magno odio semper habuit Ecclesia. Concilium Mogunt. *cap.* 22. ibi: *De clericis vagis, seu de acephalis, id est, de his, qui sunt sine capite, nec in servitio Domini nostri, nec sub Episcopo, nec sub Abbate, sed sine canonica & regulari vita degentes*, &c. *præcipimus ut Episcopi sine ulla mora eos sub custodia distringant.* Concilium Meldense *can.* 36. Aurel. 2. *can.* 13. ibi: *Clerici, qui officium suum implere despiciunt, aut vice sua ad Ecclesiam venire detrectant, loci sui dignitate priventur.* Et *cap. placuit* 2. 21. *q.* 2. *cap. si fortè* 4. *cap. si quis etiam* 35. *de consecrat. dist.* 1. Concilium Carthag.

Carthag. 3. can. 28. ibi : *Episcopi trans mare non proficiscantur, nisi consulto primæ Sedis Episcopo suæ cujusque provinciæ, ut ab eo sumere possint formatam, vel commendationem.* Illustrat Antonius Augustinus *in epit. lib. 14. tit. 5.* Unde Ecclesiæ Patres non solùm statuerunt, ut absque litteris dimissoriis nemo ab alieno Episcopo ordinetur, ut latè probavi *in cap. litteras, de tempor. ordin.* verùm ut jam ordinatus ad ministrandum, seu sacrificium Missæ celebrandum in aliena parochia non admitteretur absque litteris commendatitiis, ut probavi *in cap. 1. de cleric. peregrin.* ex quo commentario præsens petendum est.

CAPVT VI.

Alexand. III. (a) *Lingon. Episcopo.*

COnquerente nobis R. presbytero (b) accepimus, quod G. ab eo pro Ecclesia sua, de qua, sicut dicitur, vitæ necessaria vix percipere potest, annuatim viginti sol. extorquere conatur, asserens beneficium (c) illud in eadem Ecclesia sibi fuisse collatum, quamquam eidem Ecclesiæ, sicut accepimus, non deserviat, & alia beneficia sibi sufficientia (d) habeat, & possideat. Quoniam igitur indecens est, & non consentaneum rationi, ut idem, cùm alia ecclesiastica beneficia sibi sufficientia habeat, & possideat, ab Ecclesia, cui non (e) deservit, beneficium quærat: f. t. per A. s. m. quat. si tibi constiterit, quod vel G. habeat ecclesiastica beneficia sibi sufficientia, vel quod eidem Ecclesiæ non deserviat, sibi super præscriptum beneficium silentium imponas, ap. rem.

NOTÆ.

(a) *Lingon.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* De Ecclesia Lincolnensi nonnulla notavi *in cap. 8. de rescriptis.*

(b) *Presbytero.*] Qui ordinatus fuit ad titulum servitii in ipso beneficio, ex petitione G. proprii parochi; unde tenebatur in eâ ministrare, *cap. final. de jure patron. cap. final. de immun. Eccles.* Præstanda tamen ei erant à G. necessaria alimenta, *cap. per tuas, ei 3. de simonia.*

(c) *Beneficium illud.*] Licèt inspecta juris communis dispositione, omne beneficium, quantumcunque simplex, haberet annexum onus residentiæ, ut probarunt Azor *part. 2. instit. lib. 7. cap. 3.* Petrus Gregor. *de benef. cap. 7.* Covar. *lib. 3 var. cap. 13.* Lotherius *de re benefic. lib 3. q. 27. num. 8.* tamen quia plura beneficia ex eis congruam sustentationem plerunque non continent, ideo per generalem consuetudinem introductum est, ut in hujusmodi beneficiis nulla residendi necessitas detur, ut latè probat Hurtado *de resid. tom. 1. lib. 6. per totum.*

(d) *Sufficientia.*] Juxta eà, quæ dabimus *in cap. de multa, de præbend.*

(e) *Non deserviat.*] Juxta adducta *suprà in cap. 3.*

CAPVT VII.

(a) Alexander III.

DE cætero, quia dignum est, & conveniens, ut Ecclesiæ tuæ Canonici, donec circa te in tuo servitio morantur, communitatis portionem recipiant; præsenti scripto statuimus, ne Canonicis tuis, donec in servitio tuo fuerint, quidquam subtrahi, vel auferri debeat, quod sibi de beneficio communitatis debetur, nisi fortè (b) victualia sint, quæ non consueverunt absentibus exhiberi.

NOTÆ.

(a) *Alexander III.*] Ita legitur *in cap. 4. de præbend.* in prima collectione; nullibi tamen exprimitur cui rescribat Alexander: illud tantùm ex principio textus deducitur, in præsenti tantùm referri partem alterius textus. Forsan fragmentum hoc spectat ad textum *in cap. de cætero, 5. de transactionibus*, ubi alias partes ipsius decretalis congessimus.

(b) *Victualia.*] Consonat textus *in cap. unic. hoc. tit. in 6.* ibi : *Quæ alias manualia beneficia, seu victualia appellantur.* Distributiones quotidianæ vulgò dicuntur, quia fiunt in vices divisionis quotidianæ, ut vocantur in jure civili, *l. si quid relictum, 17. l. civitatibus 122. de legat. 1. l. cùm quidam, 23. ff. de annuis legat.* quarum etiam in templis Gentilium usus probatur ex veteri inscriptione, quam refert Roderic. Caro *in antiquit. Hispal. cap. 3.* licèt impropriè victualia in præsenti importent panes præbendarios, qui singulis diebus, & certis horis, id est, viritim præbentur, *cap. 2. de decimis, in 5. compil.* ibi : *Nec multùm dubii remanet de panibus illis, quos dicitis in vestro vulgari requaffus; cùm sicut accepimus, tanquam certis redditus, & certis temporibus*

ribus exsolvantur. Divisiones mensuras vocat D. Cyprianus *epist.* 34. ut de panibus civilibus, quos scholis dabat Constantinus, dicitur *in l.* 1. *C. de annonis civil. lib.* 11. vel de aliis, qui militares, vel populares dicebantur, *l.* 7. *C. Theodos. eodem tit. l. hac edictali, C. de secund. nupt.* Et quia pro modo, & mensura præbebantur, inde beneficium præbenda dictum fuit, ut illustrat Cironius *ad tit. de præbend.* Et quia per pittacium dabantur, inde pitancia dicebantur, ut observat idem Cironius *lib.* 2. *observ. cap.* 13. Harum distributionum manualium originem, & naturam eleganter expressit Ivo Carnot. *epist.* 219. ibi: *Cùm enim in quampluribus Canonicorum Carnotensium desuevisset disciplina regularis observantia, ut de negligentibus facerem diligentes, de somnolentis vigiles, de tardis assiduos ad frequentandas horas canonicas, deliberavi apud me ut darem eis dimidiam præposituram, ut inde fieret quotidianus panis, quem acciperent assidui, amitterent tardi; ut ad quas eos panis interni dulcedo non movebat, panis corporei refectio provocaret, quamvis eorum annua præbenda eis ad hoc sufficiens esse deberet.*

COMMENTARIUM.

3. *Conclusio traditur & probatur.*

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Canonici, qui sunt in servitio Episcopi, tanquam residentes percipiunt fructus suarum præbendarum, præter distributiones quotidianas.* Priorem partem hujus assertionis probant textus *in cap. cùm dilectus*, 14. *cap. ad audientiam*, 15. *hoc tit.* Secundam firmant textus *in cap. licet*, 32. *de præbend. cap. ult. de rescript. in 6. cap. cùm non deceat*, 30. *de elect. eod. lib. cap. unic. hoc tit. in 6. Clement.* 2. §. *penult. de ætat. & qualit.* Trident. *sess.* 24. *de reform. cap.* 12. Illustrant ultra congestos à Barbosa *in collect. & select. ad hunc textum*, & *de offic. Parochi cap.* 12. & *de potest. Episcopi alleg.* 53. Selua *de benefic.* 4. *p. q.* 1. Petrus Gregorius *eod. tract. cap.* 7. & *lib.* 1. *de rescript. cap.* 24. Azor *lib.* 10. *instit. moral. cap.* 4. Garcia *de benefic.* 3. *p. cap.* 2. *à num.* 1. Didacus Perez *in l.* 4. *tit.* 14. *lib.* 3. *ordin. column.* 2. & *in l.* 5. *tit.* 3. *lib.* 4. Sarmiento *de reddit.* 4. *p. cap.* 1. & *in apolog.* 1. *p. monit.* 44. Valenzuela *consil.* 4. *à num.* 139. Carolus Mancinus *de distribut. cap.* 45. *num.* 21. Monet. *eod. tract.* 2. *p. q.* 12. plures, quos laudat Hurtado *de resid. resol.* 3. Villaroel. *tom.* 1. *regim. eccles. p.* 1. *q.* 2. *art.* 7. Solorzanus *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 21.

4. *Impugnatur tradita assertio.*

Verùm hæc assertio difficilis redditur sequenti consideratione; nam absens ex justa causa, non dicitur abesse, *cap. cùm dilectus, cap. ex parte, hoc tit.* præcipuè si ob publicam utilitatem abest, quia pro præsente habetur, adeo ut ei omnia competant, quæ præsentibus conceduntur, *l. si quis stipulatus*, 43. *ff. ex quibus causis major.* Valenzuela *dicto consil.* 4. *à num.* 97. præcipuè si accedat superioris licentia, ut post Baldum probant Surdus *de alimentis tit.* 9. *q.* 97. *art.* 7. Igitur si Canonici præsentes lucrantur non solùm fructus præbendarum, verùm & distributiones quotidianas, etiam existentes in servitio Episcopi, cùm de ejus licentia ab Ecclesia absint, & ob utilitatem publicam, debent eas adquirere. Augetur primò hæc difficultas ex eo, nam infirmi, & inservientes propriis Prælatis, æquiparantur, *cap. ad audientiam* 15. *hoc tit.* sed infirmi tempore infirmitatis lucrantur distributiones quotidianas, *cap. unic. hoc tit. in 6.* igitur & Canonici qui sunt in servitio Episcopi eas lucrari debent. Augetur secundò hæc difficultas ex eo, quia aut tales Canonici habentur pro præsentibus, vel pro absentibus: si pro interessentibus habentur, ut docetur *in cap. similiter* 16. *q.* 1. non solùm fructus, verùm & victualia, cæteraque distributiones percipere debent; si autem pro absentibus judicantur, nec fructus percipere debent. Igitur hæc distinctio, ut quoad fructus habeantur inservientes Episcopo pro præsentibus, quoad distributiones verò pro absentibus, admitti non debet, argumentò textus *in l. Nesennius*, 34. *ff. de negot. gestis, l.* 1. *ff. de acquir. hæredit* Accedit, nam impeditus impedimento facti, non solùm excusatur ab omni pœna & mora, *cap. final. de jurejur. cap. significaute*, 7. *de pignorib.* Verùm & à negligentia, *cap. quia diversitatem*, 5. *de concess. præbend.* nec contra eum currunt tempora à jure, vel ab homine statuta, *cap.* 1. *de præscript.* fusè illustrat Valenzuela *dicto consilio* 4. *à num.* 70. Sed qui est in servitio Episcopi, facto est legitimè impeditus: igitur distributiones quotidianas lucrari valet.

5. *De residentia Canonicorum.*

Quâ difficultate ita fulcitâ non obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione primò sciendum est, Canonicos, tam Ecclesiæ Cathedralis, quàm Collegialis, teneri quotidie choro residere, ibique horas canonicas psallere, *cap. ult.* 92. *dist. cap. dolentes*, 9. *de celebrat. Missar. Clement.* 1. *eod. tit.* Trident. *sess.* 23. *de reform. p.* 12. nec tantùm in Canonicis desideratur residentia, ut in Parochis, & aliis beneficiariis, verùm & interessentia, quæ strictior est. Concilium Senonense anno 1527. *can.* 10. & docent Sanchez *lib.* 2. *consil. cap.* 2. *dubio* 96. Covar. *lib.* 3. *var. cap.* 13. *num.* 3. pluribus congestis Barbosa *de dignit. excep.* 21. *usque ad* 24. & *ad Trident. dict. cap.* 12. Hurtado *de resid. canon. lib.* 5. *per totum.* Sed an ultra interessentiam horis debitis, & divinis officiis teneantur sub onere & pœna restitutionis psallere, seu cantare cum aliis in choro; an verò satisfaciant si tantùm intersint, & per Capellanos, seu alios clericos psallant, & ibi privatim, vel domi divinum officium recitent, gravis controversia est, tam apud antiquos, quàm Neotericos Scriptores. Affirmativam sententiam tenuerunt Navarrus, Azor, Lessius, Garcia, Suarez laudati à Cenedo *q.* 2. Cæsar *de hierarch. eccles. disput.* 12. §. 6. alii congesti ab Hurtado *dict. lib.* 5. *resol.* 3. pro quibus faciunt diserti textus in Concilio Aquisgran. 1. celebrato sub Stephano V. *can.* 130. ibi: *A Canonicis in choro religiosissimè standum, & psallendum, dicto cap. siquis presbyter, fin.* 92. *dist.* Trident. *dict. cap.* 12. ibi: *Atque in choro ad psallendum instituto, hymnis & canticis Dei nomen reverenter, distinctè, devotequè laudare.* Confirmatur etiam ex Concilio Basil. de quo in pragmatica sanctione, *tit. quomodo divina officia*, ibi: *Quod cùm psallendi gratiâ ibi conveniant, mutæ, & clausa labia tenere non debent.* Probatur etiam hæc sententia ex extravag. Pii V. ubi postquam dixit Romanus Pontifex, non facere fructus suos non recitantes, addidit, licèt in choro additus cum aliis præsens adsit: facit institutio chori ecclesiastici, ut alternatim laudes Deo ibi psallantur, ut latè probat Thomas Hurtado *in tract. de vero martyr-*

to, lib. de antiquit. chori ecclesiastici. Contrariam sententiam tamen, scilicet interessentes non psallentes, sed tantùm submissâ voce horas canonicas recitantes, suas facere distributiones, docuerunt Cajetanus *in summa, verbo Horæ Canonicæ*, Barbosa *lib. 3. jur. eccles. cap. 18. num. 83.* Barth. à sancto Fausto *de horis canonicis lib. 3. q. 14.* Bonacina, Candidus, Filliucius, & alii congesti ab Hurtado *dict. resol. 3.* pro quibus faciunt textus *in cap. licèt, 32. de prabend.* ibi : *Qui interfunt horis canonicis; cap. unico, hoc tit. lib. 6.* ibi : *Qui statis horis interfuerint, recipiant.* In quibus juris locis interessentia tantùm commendatur, non autem ulla psallendi obligatio injungitur. In hac igitur difficili quæstione dicendum est, attento juris rigore veriorem esse primam sententiam, quæ non solùm sub reatu culpæ mortalis, sed etiam sub onere restitutionis distributionum adstringit Canonicos ad psallendum in choro insimul cum aliis, ut evincunt rationes, & auctoritates Conciliorum pro ea adductæ, & concludunt institutionem, & fundationem Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum eam esse, ut Canonici per se psallere, & alia ecclesiastica obire munera teneantur; ac subinde licèt privatim recitando, satisfaciant obligationi recitandi divinum officium, & consequenter illud iterum recitare non teneantur; minimè tamen satisfaciunt officio, & debito chori; & propterea justitiam commutativam offendunt, & ad restitutionem tenentur, ut post Cajetanum & alios docet P. Suarez *d. cap. 12. num. 8. & 10.* facit canon 18. Concilii Senonensis anni 1527. *Nemo ibidem cùm horæ in communi cantantur, legat, vel dicat privatim officium; nam non solùm officium, quo obnoxius est, subtrahit, sed & alios psallentes perturbat.* Et verum esse absque dubio agnoscunt etiam posteriores sententiæ auctores in Ecclesiis, ubi viget statutum, ut canonici per seipsos psallere teneantur, ut post Monetam *q. 2. num. 28.* profitetur Cenedus *num. 13. in fine*, dictis locis. Licèt autem stricto juris rigore vera sit hæc resolutio, contraria tamen observanda est in his Ecclesiis, in quibus viget consuetudo, aut statutum, ut Canonici tantùm choro intersint, & faciant ut Capellani, & Cantores canant, & psallant, & reliqua exequantur munera; ut facilè admittunt Doctores posterioris sententiæ, atque etiam plures, qui primam sequuntur, ut constat ex Zecchio, & Petro de Navarr. *num. 222.* Azor. *q. 6.* Gratian. *num. 522.* Suarez *num. 11. & 13.* Cenedo *num. 12.* & post Bernardinum Sandoval *de divin. offic. cap. 16.* prosequuntur; & fundamentis contrariæ sententiæ satisfaciunt Sebast. Cæsar, & Thomas Hurtado *ubi proximè.*

Secundò sciendum est, posse Episcopum in sui servitium habere duos Canonicos Ecclesiæ suæ, qui licèt non resideant, possunt fructus suarum præbendarum adquirere & retinere. Concilium Palentinum *anno 1322. can. 8. Canonici Ecclesiarum socii suis Episcopis assistentes, non debent absentes ab Ecclesia reputari, idemque jure provisum est, ne ei dum in servitio Episcoporum fuerint, beneficiorum suorum reditus subtrahantur*, ut probant Gratianus *discept. forens. cap. 166.* Azor 2. *p. instit. lib. 7. cap. 4. q. 3.* pluribus relatis Barbosa *de potest. Episcop. alleg. 53. num. 144.* quod procedit, quamvis in Ecclesia adsit statutum juratum, atque per Romanum Pontificem confirmatum, ut Canonici, qui non residet, fructus suarum præbendarum non lucrentur: & licèt in præsenti textu non exprimatur quot Canonicos possit Episcopus secum habere, cùm tamen apertè statuatur *in cap. ad audientiam 15. hoc tit.* ut duo possint eligi, ideo dicendum est, Episcopum duos Canonicos secum habere posse. Nec est audiendus Barbosa *in dicto cap. ad audientiam, num. 4.* dum accipit textum illum de Ecclesia Cathedrali, præsentem autem decisionem de collegiali, cùm etiam in hoc textu agatur de Canonicis Ecclesiæ Cathedralis: igitur quia Canonici illi commensales, qui sunt in servitio Episcopi, fructus præbendarum suarum lucrantur. Nec contrarium probatur *in dicto cap. ad audientiam*, in illis verbis : *Qui tecum pro tuo, & ipsius Ecclesiæ servitio*; quasi in illis copulativè requiratur, ut simul Canonici illi absint à choro pro servitio Ecclesiæ, & Episcopi; quæ est vis copulativæ, ut illustrat Barbosa *de dictionibus cap. 93. num. 2.* Nam verba illa non sunt generaliter accipienda in quacunque Ecclesia, sed tantùm specialiter in Ecclesia Meldensi, ubi statuto juramento firmato non erat exceptus casus, cùm Canonici abfuissent ob servitium Ecclesiæ, vel Episcopi: & attentâ ipsâ constitutione, ait Pontifex, non censeri absentes Canonicos illos, qui in servitio Episcopi sunt, & per consequens Ecclesiæ suæ fuerant; nisi accipere malis conjunctivam illam *&*, pro disjunctiva, ex principio legis *sæpe, ff. de verb. signif.* Idem de Canonico inservienti Principi resolvit & fundat Valenzuela *dicto Concilio 4.*

7. *Quis lucretur distributiones.*

Tertiò sciendum est, victualia manualia, seu distributiones ecclesiasticas tantùm præstari Canonicis pro ipsa quotidiana interessentia divinis officiis; unde nec consuetudine introduci potest, ut absentes pro eo tempore, quo divinis officiis non intersunt, eas percipiant, *cap. unic. hoc tit. lib. 6.* licèt consuetudine introduci possit, ut fructus suarum præbendarum ipsi absentes lucrentur *c. ap. cùm omne 6. de consuet.* Ratio hujus discriminis provenit ex natura distributionum, quæ talis est, ut tantùm divinis officiis interessentibus debeantur, *dicto cap. unic.* ibi : *Et tantùm residentibus tribuuntur.* Unde contra earum naturam consuetudo irrationabilis præscribi non potest: & licèt tam fructus grossæ præbendarum, quàm etiam distributiones designentur in stipendium clericalis officii, illi tamen deferuntur mediante titulo beneficii, quo jus conceditur ad eos percipiendos ad suam alimoniam, eo quod ad officium clericale seipsos deputarunt, juxta regulam textus *in cap. cùm secundum, 16. de præbend. cap. ult. de rescript. in 6.* ac proinde non sequitur, fructus ipsos inspectâ primævâ naturâ suâ, & ipsorum deputatione, ad hæc, vel illa onera sustinenda fuisse principaliter institutos, quamvis prædicta onera veluti illis annexa subire teneantur; & legitimè puniri privatione ipsorum fructuum, & aliis pœnis proximo commentario relatis, si onera illa non impleverint, ut tradit Navarrus *de horis canonicis cap. 7. num. 31.* At verò distributiones quotidianæ, quia tales sunt specialiter, & inspectâ naturâ suâ institutæ fuerunt, ut interessentibus divinis officiis debeantur, unde consuetudo in hac specie tanquam contra natu-

tam, seu substantiam actus improbatur *in dicto cap. unic. hoc tit. in 6.* adhuc tamen in eadem constitutione referuntur à Bonifacio VIII. certi casus, in quibus absentes lucrantur distributiones quotidianas. Primus est propter infirmitatem, ob eam enim etiam non interessentes choro eas lucrantur. Tridentin. *sess. 22. de reform. cap. 3.* & meritò, cùm servire intelligantur ægroti qui curantur; quoniam cùm servire cupiant, infirmitate impediuntur, *l. 4. §. Stichus. ff. de statulib.* & ideò interim nutriendi sunt, *l. in rebus*, 18. §. *possunt. ff. commodati*: notavit Barbosa *in select.* in præsenti. Quatenus tamen infirmitas gravis æstimanda sit, exponunt Hurtado *dict. resol. 3. subresolut.* 8. Moneta 2. *p. de distribut. q. 6. num.* 12. Infirmitati jungenda est ætas senilis, veluti octuagenaria, ut probat Narbona *de ætate anno* 80. *q.* 8 necessitas etiam sufficiens causa est ut absentes à choro percipiant distributiones; quæ necessitas adest quando ex interessentia in choro timetur grave damnum vitæ, famæ, aut fortunæ; & ob eandem rationem eas lucrantur injustè excommunicati, carcere detrusi, aut in exilium missi, ut docent Suarez, Vazquez, & alii, quos refert & sequitur Hurtado *sub dicta resol. 8. per totam.* Item ob evidentem Ecclesiæ utilitatem absentes distributiones lucrantur, quia hi præsentes potiùs, quàm absentes dici possunt, *l. quæsitum, §. ult. ff. de fundo instructo.* Quæ tamen dicatur evidens Ecclesiæ utilitas, latè exponit Hurtado *resolut. 11. per tot.* privilegio tandem absentes nonnulli lucrantur distributiones quotidianas, veluti Inquisitores, & alii actu inservientes in ipsis tribunalibus, qui non solùm fructus suarum præbendarum, verùm & distributiones, manualia, anniversaria, & quascunque alias obventiones, quæ inter præsentes dividuntur, percipiunt, ex Bullis Innocentii VIII. Pauli III. Pii V. & Urbani VIII. quarum meminerunt Cenedus *q. 1. num.* 28. Garcia *de benef. 3. p. cap. 2. num.* 356. Thomas Hurtado *de resid. resol. 3. subresol. 9.* qui *subresol. sequenti*, id extendit, etiamsi contrarium à fundatore anniversarii cautum sit. Idem procedit in Auditoribus sacræ Rotæ, ex bulla Clementis V. I. quam referunt Barbosa *de potest. Episcopi alleg 53. num. 35.* Saravia *de jurisd. adjunct. quæst. ult.* Item eas lucrantur collectores Cameræ Apostolicæ, Subcollectores, Advocati Fiscales, & Notarii, aliique in causis spoliorum Intendentes, ex bulla Sixti V. edita 8. Maij anno 1590 docent Hurtado *ubi suprà*, Fragoso *tom. 2. de regim. christ. lib. 10. disput. 23. §. 2.* Nec obstat parem vim habere privilegium & consuetudinem, *cap. duo simul. 9. de offic. ordin. cap. super quibusdam, 29. §. præterea, de verb. sign.* latè Felinus *in cap. accedentes, à num. 6. de præscript.* Covar. *lib. 1. variar. cap. 10. num.* 14. sed consuetudine introduci non potest, ut absentes percipiant distributiones quotidianas, *cap. unic. hoc tit. in 6.* Igitur nec privilegii virtute possunt absentes eas lucrari. Nam respondendum est, principium illud juris procedere data paritate rationis; in præsenti verò casu magnum dari discrimen inter consuetudinem, & privilegium; quia scilicet quando privilegium conceditur contra naturam alicujus actus à lege instituti, quædam causæ cognitio solet præcedere, ubi agnoscitur natura ipsius rei, *cap. requisitis, 5. vers. nisi rigor 1. q. 7.* quæ omnino cessat in consuetudine contra naturam rei introducta; quare non decebat hanc vim consuetudini deferre, prout in similibus casibus denegatur, *cap. Massana, 56. de elect. cap. clerici, 8. de judiciis*, cum aliis.

8. *Traditur ratio decidendi.*

Unde apparet vera ratio decidendi; nam cùm in quolibet, quantuncunque favorabili privilegio percipiendi integrè fructus præbendæ, aut beneficii in absentia, non comprehendantur distributiones quotidianæ, *cap. licèt, 9. de probat. cap. final. de Magistr. cap. 2. de privil. in 6. cap. final. de rescript. eod. lib.* ideo nec existentes in servitio Episcopi possunt eas lucrari. Hujus autem principii ratio provenit ex natura ipsarum distributionum, quæ tantùm interessentibus horis, & officiis divinis debentur, non propter beneficium, sed ob assiduam illam interessentiam. Unde licèt Canonici absentes, qui in servitio Episcopi existunt, suos faciant fructus præbendarum, non tamen lucrantur distributiones, quia appellatione fructuum non continentur; unde non imputantur in valorem præbendæ, nec ex eis subsidium solvitur. Valenzuela *consil. 4. num.* 140. Accedit defectus voluntatis in concedente privilegium; nam non creditur Pontificem privilegio comprehendere voluisse distributiones cum damno, & præjudicio tertii: siquidem in illis locum habet jus accrescendi, & decrescendi; unde portiones absentium præsentibus acquiruntur, in quorum dispendium non creditur R. Pontificem privilegium absentibus concedere, nisi expressè distributiones exprimat, ut in gratiis concessis Inquisitoribus, & eorum Officialibus, Auditoribus sacræ Rotæ, & Collectoribus Cameræ Apostolicæ: quare cùm privilegio concesso in servitio Episcopi existentibus non exprimatur, ut tales Canonici absentes distributiones lucrentur ex defectu intentionis in concedente, rectè in præsenti docetur inservientes Episcopo tales distributiones non acquirere.

9. *Dissolvitur difficultas.*

Nec obstat difficultas suprà expensa; nam omnia in ea adducta evincunt, absentem ex justa causa haberi pro præsente; quod verum est quoad fructus & alias obventiones, quæ residentibus in propria Ecclesia debentur, & præstantur ratione beneficii; unde cùm distributiones, seu manualia non dentur ratione beneficii, sed propter quotidianam interessentiam divinis officiis; ideo absentes, qui juris fictione pro præsentibus habentur, distributiones non lucrantur, licèt fructus percipiant, ex ratione differentiæ suprà adducta. Præsenti assertioni opponi possunt textus *in cap. cùm in diversis. de privileg. in 6. cap. ult. de rescript. eod. lib. cap. ex eo 34. de elect. eod. lib. cap. olim, de verb. signif.* quorum interpretationes dabimus *in cap. licèt, de præbend.*

CAPUT

CAPVT VIII.

(a) Cælestinus III.

EX parte vestra nostro Apostolatui fuit reseratum, quod licèt dilectus filius N. (b) Cenoman. Archidiaconus sit Ecclesiæ vestræ Decanus, tamen quòd in partibus Gallicanis (c) sibi potiùs habitationem elegit jam per annorum (d) decem spatium, vestra Ecclesia ipsius præsentiam hábere nequivit. Quia igitur nolumus, ut eadem Ecclesia Decani officio defraudetur, universitati vestræ per A. S. m. quat. Archidiacono memorato scribatis, ut Ecclesiam vestram visitare dignetur, & suum ibidem, ut Decanus, officium debeat exercere. Quod si fortè vocatus venire noluerit, eligendi Decanum, qui præesse vestræ Ecclesiæ valeat, & prodesse, ex tunc vobis concedimus liberam facultatem.

NOTÆ.

(a) *Oelestinus.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. addendum tamen est, Capitulo Magdeburgensi, ut notavit Cujac. in præsenti. Archidiaconus enim N. Cenomanensis, de quo in præsenti, tempore Cœlestini nostri erat simul Decanus Magdeburgensis majoris Ecclesiæ, & Innocentius III. successor Cœlestini illi indulsit, ut possit residere in Archidiaconatu, & Decanatum simul retinere constituit, ibi: *Gerentes erga te pia compassionis affectum, personam tuam cum omnibus, quæ in præsentiarum rationabiliter possides, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, specialiter autem Decanatum ipsum Magdeburgensis Ecclesiæ, sicut ipsum justè ac pacificè possides, devotioni tuæ auctoritate Apostolicæ confirmamus, & præsentis scripti paginâ communimus, mandantes, ut quod per te non poterit adimplere, per idoneum vicarium exequaris. Nulli ergo, &c. Datum Lateran. VI. Kal. April. P. N. anno* 11. Unde ex dispensatione Pontificia ipse N. retinebat simul Archidiaconatum, aliàs jure communi utramque dignitatem retinere non poterat, *cap. adhæc* 13. *de præbend.*

(b) *Cenomanensi.*] De qua Ecclesia nonnulla congessi *in cap.* 5. *de rescript.*

(c) *Gallicanis.*] Ubi consuetudine introductum erat, ut posset quis diversas dignitates in diversis Ecclesiis obtinere, ut refertur *in cap. cùm non ignores*, 15. *de prabendis.*

(d) *Annorum decem.*] Non quia desideretur tam diuturna absentia, ad privationem beneficii, seu præbendæ; sed potiùs ita de facto contingit, ut *in cap.* 2. *hoc tit.* refertur per quinquenium Cardinalem abfuisse à parochia propria; & *in cap. qualiter*, 5 sequenti dicitur, Archiepiscopum Ragusiensem per quadriennium abfuisse: & Innocentius III. *lib.* 1. *epist.* scribit Cisterciensi, & Tullensi Abbatibus, quod moneant Thesaurarium Byzantinum, quod resideat, aliàs si per biennium abfuerit, alium substituant. Et si dicas, quomodo potuerit Decanus iste citari à Capitulo, cùm inferior in superiorem, vel par in parem non habeat imperium, *cap. cùm inferior*, 16. *de majorit. & obed.* Respondeo cum Panormitano *hîc*, omnia gesta in præsenti casu auctoritate Cœlestini fuisse firmata, aliàs Capitulum non posset ad electionem procedere. Potest tamen capitulum monere suum Prælatum absentem, ut resideat, *cap. qualiter*, 9. *hoc tit.* quamquam enim non possit eum citare, vel punire, potest tamen eum requirere, seu revocare; non tamen per eam requisitionem constituitur Prælatus in mora, nisi à superiore legitimo admoneatur; nec, interim, dum à superiore non privatur Ecclesiâ, in qua non residet, potest Capitulum alium eligere Prælatum, ut notarunt in præsenti Hostiensis & Alexander de Nævo.

CAPVT IX.

Innocentius III. (a) *Cap. Rugasino.*

QUaliter Archiepiscopus vester temeritate propriâ recessit ab Ecclesia Ragusin. nec jam ultra quadriennium expectatus redierit, per litteras nostras etiam revocatus, vestra universitas plenè novit, cùm sæpius apud nos deposueritis super hoc querelam, & vobis concedi postulaveritis licentiam eligendi. Nos autem expectantes, diutiùs duximus expectandum, si fortè reverteretur ad cor; & ad Ecclesiam suam, quam taliter reliquerat, remeare. Nolentes igitur, quòd diutiùs Ecclesia ipsa pastoris maneat solatio destituta, discr. v. per. A. s. m. atque præcipimus, quat. nisi forsitan jam redierit, vos post mensem à receptione præsentium personam vobis idoneam in Archiepiscopum eligatis, & electionem vestram nobis curetis quamcitiùs præsentare.

NOTÆ.

1. (a) Ragusino.] Ita etiam legitur *sub hoc tit. cap.* 1. *in* 3. *collect.* Ragusinensis Ecclesia fuit Archiepiscopalis in Sclavonia, Metropolis Illyrici, habens suffraganeas Ecclesias Stanensem, Bosonensem, Tribunensem, Biduanensem: refert Carolus à sancto Paulo *in Geograph. sacra, ad finem fol.* 18.

CAPVT X.

(a) Idem *Constantinopolit. Patriarchæ.*

INter quatuor animalia. *Et infrà* : De clericis autem, qui Ecclesias, vel præbendas sibi concessas, sine justa, & necessaria causa, tuo præsertim non accedente consensu in hac deserunt (b) novitate, hoc tibi duximus respondendum, quod postquàm congruo tempore fuerint expectati, nisi redierint ad illas, possunt eis justè privari, dum modo non sint justo impedimento detenti.

NOTÆ.

2. (a) Idem.] Ita etiam habetur *in* 3. *collect. sub hoc tit. cap.* 2. epigraphen autem hanc exposui *in cap. inter*, 8. *de majorit. & obed.* & integram epistolam retuli *in cap. inter, de cleric. peregrin.*

(b) *Novitate.*] Cùm videlicet Constantinopolis capta fuit à Latinis, ut retuli *in dict. cap. inter quatuor*, & fusè narrat Bosquetus *in gestis Innoc. III.*

CAPVT XI.

(a) Idem *Archiepiscopo Patracensi.*

EX tuæ devotionis insinuatione recepimus. *Et infrà*: In Ecclesiis autem eorum, qui se fraudulenter absentant, nec ad ipsos valet citatio pervenire, trinæ citationis edictum facias publicari, & si nec sic curaverint obedire, si ultra sex menses suas deseruerint Ecclesias, ut juxta canonicas sanctiones eis debeant meritò spoliari. Contra eos quoque, sicut suprà dictum est, etiam procedatur, ut ipsos post suspensionis, & excommunicationis sententias, ad tuam obedientiam venire compellas. Quod si nec sic illorum malitia poterit emolliri, eos dil. f. B. tit. sanctæ Susannæ presbyter Card. Apost. Sed. Leg. ab spiritualium administratione removeat, & quibus præsunt Ecclesiis, de personis idoneis faciat provideri, & in eos degradationis sententiam non promulget, ut cum eis misericorditer, si expediat, faciliùs agi possit.

NOTÆ.

1. (a) Patracensi.] In hac sexta collectione legitur *Panormitano*, & D. Rochus Pirrho *tom.* 1. *Siciliæ sacræ, in Ecclesia Panormit.* existimat Innocentium III. in præsenti scribere Parisio Archiepiscopo Panormit. sed verùs credo, legendum esse *Patracensi*; unico, & magno ductus fundamento; nam Benedictus Cardinalis tituli sanctæ Susannæ, cujus mentio fit in præsenti, temporibus Innocentii Legatus S. A. degebat in Patracensi Metropoli, non verò in Panormitana, ut ex gestis Innocentii III. statim referendis apparebit. Unde cum Patracensi Archiepiscopo alloqui Innocentium in præsenti necessariò deducitur. Patras civitas, Pausaniâ & Stephano testibus, priùs Arce, dicta est, recensetur que inter primas urbes Achajæ: sed ejectis Jonibus ab Achais, Patreus Preugenis filius, Agenoris nepos, qui ab Amycla & Lacedæmone majores deducebat, à victo mœnium ambitu hanc de suo nomine Patras appellavit. Situs ejus est in longissimo Peloponnensi promontorio, ex adverso Ætoliæ, & Eveni fluminis: maximèque apud antiquos fuit celebris ex martyrio D. Andreæ Apostoli, qui sub Ægea Proconsule apud eam passus est; nec non ex Sede Metropolitana, quam in ea olim fuisse evidenter probat notitia Constantinopolitana prædicta apud Leumclavium; siquidem in ejus fine inter Metropoles à Romano Patriarchatu ab ipsis avulsas, Constantinopolitanoque subditas recensetur. Sed longè priùs ad hunc Metropolis gradum, saltem quoad honorem, evectam esse, non leviter conjicio ex catalogo Metropolitarum, ad quos scripsit Leo Imperator, qui in fine Concilii Chalcedonensis extat, in quo Patracensem Episcopum inter eos videre est. Hunc inter suffraganeos Metropolitæ Corinthiorum, epistolæ synodicæ Achajæ subscripsisse non diffiteor; sed quamvis ex hoc satis clarè probetur, eum suffraganeos non habuisse hujus Concilii tempore, nihil tamen obstat, quo minus inter Metropolitas honorarios locum habere, qui tunc Corinthiorum vero Metropolitæ parebant; & inter ejus suffraganeos

ganeos subscripti utplurimùm leguntur in Conciliis, Burgundio hujus civitatis Archiepiscopo rescribit Innocent. in præsenti, cujus electionis historiam ex gestis ipsis Innocentii III. refert Bosquetus *in notis ad ipsum, lib. 1. epist. 26.* in hæc verba : (Interim quidam natione Burgundio, electus in Archiepiscopum de Patras, super Provinciam Achajæ universam, ad Apostolicam Sedem accessit. Pro quo nobis vir Guillelmus Campanien. Princeps Achajæ, & Canonici Sancti Andreæ de Patras humiliter supplicabant, ut ipsum eis in Archiepiscopum Summus Pontifex concedere dignaretur, remittendo ipsum confirmatum, consecratum, & palliatum. Quod qualiter super hoc facto processit, ipsius litteræ manifestant Constantinopolitano Patriarchæ transmissæ. Inter quatuor, inquit, animalia, quæ super Apocalypsin Joannis in medio sedis, & in circuitu existere describuntur, scilicet aquila cæteris præponatur, ipsa tamen aliis antecessit. Quod cùm per hujusmodi sancta Romana Ecclesia designetur, quæ usitato vocabulo, Sedes Apostolica nuncupatur ; & per quatuor animalia, videlicet leonem, vitulum, hominem, atque aquilam, intelligantur quatuor Patriarchales Ecclesiæ, videlicet, Hierosolymitana, Antiochena, Alexandrina, Constantinopolitana, quæ in medio sedis tanquam filiæ continentur in sinu matris, & in circuitu sedis, fortiter in obsequio, Domino præparantur. Licèt Constantinopolitana Ecclesia inter cæteras est præcipua dignitate, ut sicut Constantinopolis est nova Roma, sic Constantinopolitana Ecclesia secunda est à Romana, prælata per Magistram cæteris sororibus suis, privilegio dignitatis : ut secundum evangelicam veritatem erunt primi novissimi, & novissimi primi. Nos qui gratiâ Redemptoris ipsam Constantinopolitanam Ecclesiam ad Apostolicæ Sedis obedientiam, tanquam ad sinum reduximus matris suæ, privilegium dignitatis ipsius intendimus integrum conservare, ne inde nascantur injuriæ, unde jura nascuntur. Etideò, licèt dilectus filius Nobilis vir Vv. Campanien. Princeps totius Achajæ provinciæ, & Canonici sancti Andreæ de Patras, nobis instanter & humiliter supplicarint, ut dilectum filium A. electum sancti Andreæ de Patras, ad Sedem Apostolicam accedentem, quem iidem Canonici in Archiepiscopum Ecclesiæ unanimiter elegerant, eis concedere dignaremur ; & quod circa personam illius factum fuerat, approbantes, ad eos eum pleno remitteremus honore. Volentes tamen sic eorum petitiones admittere, ut aliis jura sua nequaquam subtrahere videamur : de communi fratrum nostrorum consilio, quod per eosdem Canonicos factum est, tanquam minus canonicè procuratum, cùm & ipsi minùs canonicè fuerint instituti, non duximus approbandum : sed necessitate pariter ac utilitate pensatâ, postquam de veritate negotii, & statu terræ per juramenta sociorum ipsius electi effecti fuimus certiores ; de potestate nobis à Domino in B. Petro concessa, ipsum ejusdem Ecclesiæ Pastorem constituimus & rectorem, administrationem sibi plenariam, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus concedentes, & indulgentes insuper ad cautelam, ut à quocunque Catholico Episcopo se faciat, cùm necesse fuerit, in presbyterum ordinari. Licèt autem de plenitudine potestatis, quam habemus à Domino disponente super Ecclesias universas, ipsum ad Ecclesiam eandem consecrationis munere ac honore Pallii potuissemus insignitum remittere ; quia sic te vocavimus in partem sollicitudinis, quod nobis retinuimus plenitudinem potestatis ; nec facimus cuiquam injuriam, cùm utimur jure nostro. Volentes tamen tibi, cui Ecclesia de Patras noscitur esse subjecta, in tua maximè novitate deferre, ipsum ad te duximus remittendum, ut à te, vel alio de mandato tuo, in Archiepiscopum consecratus, & palliatus, habere te, post Romanum Pontificem, patrem præcipuum recognoscat. Dilecto filio Benedicto tituli sanctæ Susannæ Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato nostris dantes litteris in mandatis, ut ea quæ præmisimus circa personam ipsius, appellatione remotâ faciat adimpleri. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta præcipientes mandamus, quatenus ipsum consecrationis munere ac honore Pallii non differas insignire, ne propter tuum, quod absit, defectum, ad nos cogatur habere recursum.)

COMMENTARIUM.

EX his tribus decisionibus sequens communiter deducitur assertio : *Clerici non residentes in suis beneficiis, & prabendis, si admoniti, & citati non resideant, privantur ipsis beneficiis.* Probant textus *in cap. placuit 2. 21. quæst. 2. cap. pervenit 28. de appel. cap. si quis Presbyter, 24. cap. si quis in clero 28. 7. quæst. 1.* & alii congesti suprà commentario primo. Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa, & suprà laudatos in dicto commentario primo, Azor *2. p. instit. lib. 7. cap. 6. quæst. 4.* Garcia *de benef. 3. p. cap. 2. num. 131.* Solorzanus *de jure Indiar. tom. 2. lib. 2. c. 25 n. 43.* Scortia *in select. Pontif. constit. theor. 152. epit. 102.* plures congestos ab Hurtado *tom. 1. de resid. P. flor. resol. 2.* Rotæ apud Urtut goyti *dec. 1041* ubi declaratur huic textui non derogari quoad formam judicii per Tridentinum *sess. 23 de reform. c. 4.* 2. Conclusio traditur, & probatur.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem decisionem ita insurgi potest : In præsenti specie contra clericum absentem, nec residentem pro cedi debet per excommunicationem, suspensionem, similesque censuras *cap. si quis 15. 1. quæst. 3. cap. non oportet 19. 7. q. 1.* quæ praxis observanda præscribitur ab Innocentio *in hac cap. ex tuæ 11. §. contrà.* Ergo non debet statim clericus contumax in non residendo beneficio privari, contra textum *in cap. 1. de judicio.* Secundò difficilis est hæc assertio, dum per eam docetur, clericum absentem esse citandum, & per legitimum tempus expectari debere ; nam in notoriis juris ordo est ordinem juris non observare, *cap. quoniam, 10. de filiis presbyt. cap. ad nostram, 17. de jurejur.* Sed cùm clericus absit à propria Ecclesia, notum est, nolle in ea residere : igitur necessaria non est citatio, seu similis monitio. Augetur hæc difficultas ex textu *in cap. extirpanda, 30. §. qui verò, de prab.* ibi : *Aliquin illâ se sciat auctoritate hujus decreti privatum* ; ubi expressè docetur, clericum non residentem privatum esse beneficio ipso jure : igitur non est necessaria monitio, ut redeat ad propriam Ecclesiam. Accedit etiam, quia ubi dies certus apponitur, & pœna adjicitur, non datur moræ emendatio, vel purgatio, *l. trajectitia 23. vers. de illo ff. de obl. & act. l. ma-* 3. Traditur dubitandi ratio.

gnæ 12. *C. de contrahend. stipul.* sed in præsenti casu clerico non residenti, elapso legitimo tempore, est imposita privationis beneficii pœna, *d. cap. extirpandæ* 30. §. *quia verò*. Igitur etiam post monitionem rediens ad propriam Ecclesiam non potest beneficium recuperare.

4. *De pœna privationis beneficii.*

Quibus difficultatibus minimè obstantibus verâ est præsens assertio, pro cujus expositione prænotandum est, clericum non residentem in propria Ecclesia, beneficio privandum esse, ex juribus suprà adductis; eamque privationem faciendam esse post citationem, si adhuc non compareat intra terminum sibi præfixum. Jason *in l. si ex legati, num.* 14. *de verb. obl.* quia dies in ipsa monitione adjecta, interposita interpellat pro homine, *cap. potuit* 4, *de locato*, etiam ignorante, *l. ad diem* 77. *ff. de verb. obl.* licèt interpellatio tantùm constituat in mora debitorem scientem, *l. quod te mihi* 5, *ff. de rebus creditis*; in die enim à jure assignata non potest dari ulla ignorantiæ causa; in interpellatione verò ab homine facta nescit debitor quando interpellandus sit; quo modo exponendi sunt textus *in cap. licet* 14, *de elect. in* 6. *l. Celsus* 23 *ff. de arbitris*, *l. Etsi post tres* 8, *ff. si quis cautionibus*, *l. qui Romæ* 122. §. *Flavius* 2, *ff. de verb. obl.* docent Gisanius, Duatenus, & Cujac. *in l. in insulam*, *ff. de verb. obl.* Contra Prælatos igitur, vel beneficiarios absentes jure communi attento hoc modo proceditur, ut si absens citari non possit, quia est in loco valde remoto, vel non tuto, tribus edictis citabitur, ex præsenti textu; nec sufficiet una citatio peremptoria, cùm agatur de pœna privationis beneficii, juxta textum *in cap. constitutionem* 9, *de sent. excom. lib.* 6. Si autem notum sit ubi degat, citatio personalis desideratur, *cap. ex parte* 13, *cap. final. hoc tit.* hodie tamen hæc citatio non est necessaria, sed sufficit absentem citari per edictum, juxta formam præscriptam in Concilio Tridentino *sess.* 23 *de reform. cap.* 1. & si ita citatus venerit, justamque absentiæ causam allegaverit, privari beneficio non debet, *cap. inter* 10, *hoc tit.* quia ubi non datur contemptus, non datur pœna, *l. Pater* 101. *ff. de condit. & demonstr.*

5. *Respondetur difficultatibus.*

Nec obstat prima difficultas suprà expensa, pro cujus solutione animadvertit Panormitan. in præsenti, quod licèt pœna ordinaria non residentis, sit beneficii privatio, tamen Episcopus potest omittere eam pœnam, & incipere ab excommunicatione, vel suspensione, *cap. placuit* 21. *q.* 2. & si adhuc contumax fuerit in residendo, privari debet ipso beneficio, ex suprà traditis. Nec secunda difficultas obstat; nam licèt notoria sit absentia Prælati, desideratur adhuc citatio, seu monitio; quia non ita notoria est ejus contumacia, siquidem ex justis causis, & à jure approbatis potest abesse à propria Ecclesia; unde monetur ut veniat intra certum tempus, easque proponat, ne si fortè ex justa aliqua causa absit, inauditus proprio beneficio spolietur: probat Solorzanus *tom.* 2. *de jure Indiar. lib.* 2. *c.* 25. *n.* 42. Difficilius est augmentum ipsius dubitandi rationis, deductum *ex dict. c extirpandæ*, 30. §. *quia verò*: pro cujus solutione varia juris Interpretes adduxerunt. Garcia *de benef.* 3. *p. c.* 2. *n.* 138. existimavit, in eo textu referri novam Concilii Lateranensis sanctionem, quâ sublatæ, & antiquatæ sunt præsentes decisiones. Sed hæc solutio apertè convincitur *ex cap. final. hoc tit.* cujus auctor est Gregorius IX. qui floruit post dictum Concil. Lateranense, & docet clericum non residentem spoliandum esse: Ergo quia ipso jure non est privatus. Aliter Lotherius *lib.* 3. *de re benefic. quæst.* 27. *num.* 47. distinguit privationem beneficii ab ejus pœnæ executione, ita ut ad privationem non sit necessaria ulla monitio, quia ipso jure fit, & contingit *ex dicto cap. quia verò*; at verò exequutio ipsius pœnæ, quia faciendæ est per sententiam declaratoriam, juxta textum *in cap. cùm secundum* 19, *de hæretic. in* 6. necessaria est monitio, nec pœnam privationis admittit Lotherius æqualiter in omnibus beneficiis, sed tantùm in illis, in quibus desideratur residentia à jure divino, exceptis Episcopatibus, cùm nulla reperiatur lex ecclesiastica, quæ Episcopis non residentibus pœnam privationis ipso jure imponat. Sed hæc interpretatio convincitur ex ipsis juribus, quibus adhibetur, videlicet ex præsentibus, *cap. inter* 10, *cap. ex tuæ* 9, ubi agitur de beneficiis parochialibus, ut ex eorum littera constat, & adhuc ab Innocentio III. exigitur monitio. Accedit, nam si juxta Lotherium monitio hæc tantùm fieret ad executionem pœnæ, non expectaretur per sex menses possessor beneficii, ut si residere velit, beneficium retineat; sed statim privandus erat beneficio: igitur quia talis monitio non solùm sit ad exequutionem pœnæ, sed ad ipsam privationem faciendam. Thomas Hurtado *de resid. dict. resol.* 2. affirmat *in d.* §. *quia verò*, non excludi monitionem, quam in præsenti exigit Innocentius; sed textum illum esse accipiendum præcedente monitione. Verùm iis solutionibus omissis magis placet interpretatio Germonii *lib.* 1. *animad. cap.* 17. qui ut jura hæc componat, affirmat clericum non residentem in sua præbenda, aut beneficio, illo privari ipso jure, ut in aliis casibus à jure statutis, in quibus hæc privationis pœna imponitur, ut *in cap.* 1. *de cleric. conjug. cap. cùm ex eo*, *de elect.* 34. *in* 6. Sed discrimen agnoscit inter beneficiarios præsentes, & non residentes, & inter absentes; ita ut præsentes, & non residentes, ipso jure beneficiis priventur absque ulla monitione; absentes verò priùs monendi sunt, quia possunt abesse ex justa causa, quam si probaverint coram Episcopo, beneficio privandi non erunt; quæ distinctio magnopere convenit decisionibus sub hoc titulo à Raymundo compilatis, in quibus agitur de beneficiariis absentibus, qui necessariò monendi sunt, cùm in eis non reperiatur notoria voluntas non residendi, ut in illis, qui cùm præsentes sint, residere nolunt. Nec tandem obstat ultimum augmentum dubitandi rationis; nam in præsenti casu non expectatur absens per sex menses, ut mora purgetur, sed ut allegatâ, & probatâ justâ absentiæ causâ, privatio beneficii cesset, quæ est pœna non residentis sine causa.

CAPUT

CAPVT XII.

Idem (a) *Altißiodoren. Episcopo.*

TUæ fraternitatis discretio postulavit. *Et infrà:* Quæsiviſti præterea, ut cùm interdum Canonici, quibus ſtudiorum gratiâ eſt indultum, ut in abſentia ſua fructus percipiant præbendarum ſuarum, acceptâ licentiâ, ſe ad villas transferant, vel caſtella, in quibus nullum eſt, vel minùs competens exercitium ſtudiorum; utrum præbendarum ſuarum fructus ſint talibus conferendi? Ad quod breviter reſpondemus, eis, qui hujuſmodi fraudem committunt, cùm fraus, & dolus nemini debeat patrocinium impertiri, præfatam indulgentiam competere non debere.

NOTÆ.

(a) *Altiſſiod.*] Ita etiam legitur *in 3. collect. ſub hoc tit. cap.* 4. De Eccleſia Altiſſiodor. & Guillelmo ejus Prælato, cui *in* præſenti reſcribit Innocentius, nonnulla notavi *in cap.* 14. *de præſumpt.* & commentarium hujus textus dabimus *in cap. licet, de præbend.* ubi de privilegio percipiendi fructus ab abſentibus cauſâ ſtudiorum, plenè agemus.

CAPVT XIII.

Honorius III. *V. Præpoſito de* (a) *Valeriis.*

EX parte tua fuit propoſitum coram nobis, quod tempore, quo Præpoſituram de Valeriis recepiſti, præſtitiſti de facienda reſidentia, quæ (b) ligia nuncupatur in Eccleſia ſancti Martini Turon. in qua Præpoſituram eandem obtines, (c) juramentum: præſtito inſuper juramento, promittens quod homines, & jura ipſius Præpoſituræ (d) manuteneas, & defendas. Cùm autem proſequendo præpoſituræ jura, reſidere interdum in Eccleſia memorata non poſſis, de juramento ſuper ipſa reſidentia præſtito metuens, provideri tibi ſuper hoc à nobis humiliter poſtulaſti. Nos verò dicimus, quod ſi te non abſentando in fraudem, Præpoſituræ tuæ jura fideliter proſequaris, quum ex hoc cenſeri debeas reſideris, perjurium non incurris.

NOTÆ.

V. *Præpoſito de Valeriis.*] Ita legitur in quinta compilatione Honorii, edita à Cironio, *ſub hoc tit. cap.* 1. id eſt, Præfecto, ſeu Præſuli de Valeriis, Eccleſiæ S. Martini Turonenſis; hoc enim nomen à civili politia ad eccleſiaſticam tranſiit; & Præpoſiti Eccleſiarum Præſules appellari cœperunt, Gaufridus *lib.* 1. *epiſt.* 12. ibi: *Dictum eſt mihi, quod Hugo Præpoſitus Carnotenſis Eccleſiæ.* Ivo Carnot. *epiſt.* 98. ibi; *Cauſam, quam adverſus te habet prædictus Gaufridus de Præpoſitura.* Notarunt Boſquetus *ad Innoc. III. lib.* 1. *epiſt.* 54. Cæſar *de eccleſiaſt. hierarch. diſput.* 12. §. 4. & 5. & nonnulla adduxi *in cap.* 1. *verbo Præpoſitus, de tempor. ordin.* Eccleſia autem hæc D. Martini à B. Perpetuo Turonicæ Sediſ Præſule conſtructa fuit, in eaque tranſlatum ejuſdem ſancti corpus, ut ex Severo Sulpitio refert Cironius *in notis ad hunc textum*: plura de ipſa Eccleſia referunt Gregorius Turon. *lib.* 2. *hiſt. cap.* 14. Yepes *in chron. D. Benedicti, anno* 552. *cap.* 2. Chopinus *lib.* 2. *de ſacra polit. tit.* 6. *num.* 14.

(b) *Ligia.*] Hæc verba omiſſa ſunt à Raymundo, ſed apprimè explicant obligationem reſidentiæ, quam Honorius ligiam dixit, ut ſignificaret reſidentiam continere integram deditionem, & totalem ſubjectionem. Ligia enim eſt obligatio ſtandi ſemper à partibus Domini, cui promittitur. D. Bernardus *epiſt.* 320. ibi: *Nam illa die filii Petri Leonis omnes humiliaverunt ſe ad pedes Domini Papæ, & facti ſunt homines eius ligii, & juraverunt ei ligiam fidelitatem.* De Roberto Siciliæ Rege, qui ſe Romano Pontifici ligium ſpopondit, refertur *in Clement. Paſtoralis. 3. de re judic.* & Matthæus Pariſius *in vita Offæ primi*, ait: *Offa anno ſilio ſuo unigenito ligiam fecerunt fidelitatem.* Latè illuſtrat Meurſius *in Gloſſario, verbo Ligios.* Gerardus Voſſius *de vitiis ſermon. lib.* 3. *cap.* 20. Unde Honorius refert, Præpoſitum de Valeriis promiſiſſe reſidentiam ligiam, id eſt, integram, & totalem; ut præſtant Vaſſalli Dominis ſuis, juxta tradita à Voſſio *ubi proximè*; beneficiarii enim, & cæteri Præſules debent aſſiduè reſidere in propriis Eccleſiis, *cap. ad hæc, de præbend.* Unde in eis dicuntur collocati, 7. Synodus *can.* 15. aſſidui, *cap. ad hæc*, 13. *de præbend.* & plerunque incardinati, ut notavit Cironius in præſenti.

(c) *Juramentum.*] Id enim, quod cujuſque officii ac muneris eſt, ex ſtatuto, vel praxi Eccleſiæ juramento firmari poteſt; unde quia reſidentia in propria Eccleſia officio paſtorali annexa eſt, ideò juramentum de reſidentia canones exigere permittunt; nec dubium quin ordinum functiones, & habitûs clericalis geſtatio, vel alia hujuſmodi, quæ eccleſiaſticis legibus ſancita

cita sunt, juramento promitti possint, ac debeant, si consuetudo vigeat, vel statutum Episcopi id exigat, eo modo, quo castitas ordini ecclesiastico ex lege annexa, in Subdiaconatus susceptione voveri dicitur; juramentum enim susceptæ obligationis potest esse vinculum, & in legum custodiam ad munimentum adhiberi; quia sicut pro veritate indaganda, ita pro justitia munienda juramentum exigi potest. Facit Novella 6. Justin. *cap.* 1. licèt pro rebus, quæ tacitè, aut expresè non veniunt in ipsa ordinatione, juramentum exigi non possit absque simoniæ labe, *cap. dilecti*, 13. *de majorit. & obed.* agnovit Gofridus Vindocin. *lib.* 2. *epist.* 11. docuit Hallierius *de sacris elect. sect.* 7. §. 7. Etiam ab ordinatis, seu promotis juramentum de observandis omnibus Ecclesiæ canonibus exigi non debet, propter periculum perjurii. Synodus Cabilon. 2. *cap.* 13. ibi: *Dictum est de quibusdam fratribus, quod eos, quos ordinaturi sunt, jurare cogant, quod digni sint, & contra canones non sint facturi, & obedientes sint Episcopo, qui eos ordinat, & Ecclesiæ, in qua ordinantur: quod juramentum, quia periculosum est; omnes una inhibendum statuimus.* Potest tamen simile juramentum de canonibus observandis, ab ordinatis, vel promotis ad ecclesiastica beneficia exigi, quando per tale juramentum intenditur disciplinæ ecclesiasticæ finis, & munerum gradus, vel beneficii susceptì implementum; non tamen, ut qui ita juravit, teneatur sub perjurii reatu omnes Ecclesiæ canones servare: quo modo accipiendum est Concil. Tolet. 11. *can.* 10. juncto Hallierio *ubi suprà*, §. 6. *in fine.*

(d) *Manuteneas.*] Plerunq; enim tempore ordinationis, aut institutionis in propria Ecclesia juramento promittitur indemnitas rerum ipsius Ecclesiæ, juxta formam præscriptam in Pontificali Romano, his verbis: *Possessiones verò ad mensam meam pertinentes, non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo; etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ, inconsulto Romano Pontifice; & si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo.* Hanc autem promissionem juramento firmatam, non ab omnibus Prælatis instituendis, sed ab eis tantùm, qui de dilapidatione suspecti sunt, exigi debere probat Hallierius *d. sect.* 7. ex textu *in cap. de Siracusana*, 13. 28. *dist.* ubi ab eo, qui uxorem, & liberos habebat, tale juramentum Pelagius exegit, propter timorem dilapidationis, quia liberorum causâ credebatur Episcopum illum bona Ecclesiæ dilapidaturum fore. Nec novum est, ut juramentum ob aliquam suspicionis causam ab aliquibus exigatur, quod ab aliis non præstatur, ut *in cap. cùm in Ecclesiis*, 10. *de majorit. & obed.*

COMMENTARIUM.

Fuit olim pravus mos non residendi, tam altè infixus in animis Pastorum, & Curatorum, ut cautum sit in Capitularibus Caroli, & Ludovici filii, *lib.* 5. *tit.* 109. secundùm editionem Friderici Lindembrogii, ut presbyteri, qui in titulis consecrantur, secundùm canones, antequam ordinentur, promissionem stabilitatis loci illius faciant. Hæc residentia erat magis præcisa, ideoque ligia appellatur ab Honorio III. in præsenti, & licèt juramentum adimplendum sit in specifica forma, non per æquipollens, *cap. ad nostram, el* 1. *de jurejur.* & absens pro negotiis Ecclesiæ non videatur adimplere propriè præceptum residendi, cùm non lucretur distributiones quotidianas, juxta suprà tradita *in cap. de cetero*; tamen adhuc certum est pro residente haberi, ideoque eum fructus proprii beneficii luerari, *cap. cùm dilectus, cap. ad audientiam, hoc tit.* & novo jure etiam distributiones, *ex cap. unic. hoc tit. in* 6. in certis casibus, quia residentia non ita strictè petenda est, ut beneficiarius semper, & continuò stet in loco beneficii, *cap. nunquam*, 33. *de consecr. dist.* 5. *l. foramen*, 28. *ff. de servit. urban.* & ita licèt juramentum debeat impleri in specifica forma, tamen potest per æquipollens adimpleri, consentiente parte, in cujus favorem præstitum est, ut probat P. Suarez *tom.* 2. *de relig. tract. de juramento, lib.* 2. *cap.* 37. unde cùm juramentum in præsenti specie fuisset præstitum de residendo in Ecclesia S. Martini Turonensis pro Præpositura, quam in ea Ecclesia Præpositus de Valeriis obtinebat, & respiceret tantùm favorem ipsius Ecclesiæ, ubi residere debebat, ideo absens pro ejus juribus tuendis, ac defendendis plenè, & verè adimplet juramentum præstitum de residendo in ipsa Ecclesia sancti Martini. Neque enim testudinis more Ecclesiæ hærere debet qui juravit residere; quamvis ligiam residentiam promisisset. Episcopus autem absens à propria diœcesi, etiam causâ utilitatis propriæ Ecclesiæ, vel Reipublicæ, non fruitur privilegio alternativæ. Gonzalez *ad regul.* 8. *glos.* 43. *num.* 84. Garcia *de benef. p.* 5. *cap.* 1. *c.* 10. Moneta *de optione cap.* 3. Barbosa *de potest. Episcopi*, 3. *p. alleg.* 53. *n.* 34. Gratianus *discep. cap.* 166. *num.* 13. Immò etsi tantùm per tres dies absuerit pro toto illo mense, alternativâ uti non potest. Germonius *de inadult. Cardin.* §. *volumus*, *num.* 21. Barbosa *ubi suprà*, *num.* 63.

CAPVT XIV.

Idem *Capitulo* (a) *Metensi.*

Cùm dil. f. Magister Otho (b) scriptor noster, Canonicus Ecclesiæ vestræ grata nobis jugiter impendat obsequia, & non minùs si sit absens, quàm præsens; eidem Ecclesiæ utilis habeatur, universitatem vestram rogandam duximus & monendam, per Ap. vob. scripta mand. quatenus eidem in nostro servitio commoranti, ob reverentiam Apostolicæ Sedis & nostram, annuatim fructus præbendæ suæ integraliter assignetis, satisfacientes sibi congruè de subtractis; non obstante consuetu-

suetudine, quæ super hoc contra absentes Canonicos inter vos dicitur emanasse, cùm familiares nostri, qui circa nos se (c) obsequiales exhibent universis, minori non debeant prærogativâ gaudere, quàm vestrûm singuli, quorum negotia per ipsos sæpiùs promoventur.

NOTÆ.

(a) *Metenſi.*] Ita etiam legitur in quinta compilatione Honorii III. *ſub hoc tit. cap.* 2. Metensis Civitas, vulgò *Metz*, principalis est Galliæ Belgicæ, in qua olim sedem habebant Reges Galliæ Orientalis, ut refert Yepes *tom.* 2. *chron. D. Benedicti, cent.* 2. *anno* 632. habuit Episcopalem Cathedram jam à primis Ecclesiæ sæculis; siquidem primus ipsius Episcopus fuit sanctus Clemens, sancti Petri discipulus, & sancti Clementis Papæ patruus, cognomento Flavius, ut refert Bucelinus *tom.* 1. *Germaniæ sacræ, fol.* 35.

(b) *Scriptor.*] Temporibus Innocentii III. jam Romæ fuisse scriptores, seu scribas litterarum Apostolicarum, constat *ex c. dura*, 4. *decrimin. falsi*; eorum originem refert Polydorus Vergilius *de invent. rer. lib.* 8. *cap.* 2. illis verbis: *Ab initio fuerunt scribæ, qui litteras scriberent Apostolicas parvo, vel nullo pretio, secundùm illud Salvatoris præceptum, Gratis accepistis, gratis date.* At deinde Joannes XXII. collegium Scribarum Apostolicorum primus numero distinxit. Privilegia ipsorum, & collegium refert Cohelius *in not. Cardin. cap.* 24.

(c) *Obsequiales exhibent.*] Facit Cassiodorus *lib.* 1. *epist.* 15. ibi: *Idcircò præsenti jussione decernimus, ut domus Patritii Angelli ad Africam discedentis, qui regnum petens alterius, nostris est utilitatibus servituru, salvis legibus tuâ tuitione valletur, ne violentos cuiusquam impetus, subtractâ domini defensione, patiatur. Perviæ sunt enim semper injuriis facultates absentium, & quodammodo videtur occasio homines in delictum trahere, quæ non potest animum pervadentis de persuasione terrere. Ideoque Celsitudo vestra, quam votum pium est habere vicinam gentis, erigat humiles, eripiat opprimendos; & quod potestatibus rarum est, profi cias cunctis, qui universis celsior inveneris.*

CAPVT V.

(a) *Meldenſi Epiſcopo.*

AD audientiam nostram te significante pervenit, quod cùm in Meldensi Ecclesia quædam sit (b) constitutio inita, juramento vallata, & auctoritate Sedis Apostolicæ confirmata, ut videlicet ejus Canonici, qui per sex menses non residerint in eadem, suarum priventur fructibus præbendarum, illis dumtaxat exceptis, quos infirmitas proprii corporis excusaret, sive ad Apostolicam Sedem accedere, vel in ejus servitio contigerit detineri, quosque peregrinationis labor, aut studia traherent litterarum; Decanus, & quidam alii Canonici Meldenses occasione constitutionis hujusmodi Canonicos in tuo servitio commorantes, præbendarum suarum privare fructibus moliuntur. Unde cùm tibi plurimùm expediat aliquos Canonicorum ipsorum in tuo servitio retinere, nobis humiliter supplicasti, ut super hoc necessitati tuæ, Apostolicæ dignaremur provisionis moderamine providere. Volentes igitur constitutionem moderari prædictam, ut dicta Ecclesia fructum sentiat ex eadem, & tu per ejus abusum dispendium non incurras; præsentium auctoritate decernimus, ut duo ex Canonicis Ecclesiæ memoratæ in tuo servitio existentes, suarum fructus (c) integrè percipiant præbendarum, cùm absentes dici non debeant, sed præsentes, qui tecum pro tuo, & ipsius Ecclesiæ servitio commorantur.

NOTÆ.

(a) *Meldenſi.*] Ita etiam legitur *in cap. final. hoc tit. in* 5. *compil.* De Ecclesia Meldensi nonnulla notavi *in cap.* 1. *de constit.*

(b) *Constitutio.*] De his statutis, seu constitutionibus Ecclesiarum, & quatenus Canonicos ligent, egi *in cap. cùm omnes* 6. *de constitut.*

(c) *Integrè.*] Exceptis distributionibus quotidianis, juxta adducta *in cap. de cetero*, ubi textum hunc exposui, *hoc titulo.*

CAPVT VI.

Gregorius IX. *Patriarchæ* (a) *Antiochiæ Ap. Sedis Legato.*

CUm ad hoc sint Ecclesiastica beneficia deputata. *Et infrà:* Sanè nobis innotuit, quod Ecclesia Antiochena multis ex servitoribus ejus absentibus est ferè destituta ministris. Unde mandamus, quatenus non obstantibus Apostolicis indulgentiis

tiis, & prædecessorum tuorum licentiâ, absentes Canonicos, & (b) assisios revoces ad residendum in Ecclesia supradicta; & si non venerint, tu de ipsorum beneficiis, dum absentes fuerint, ipsi Ecclesiæ facias congruè deserviri, in utilitatem ejusdem quod ex præfatis beneficiis superfuerit convertendo.

NOTÆ.

1. (a) *Antiochiæ.*] De Patriarcha hoc Antiocheno, & ejus ditione nonnulla notavi *in cap. 1. de translat Episc.*

(b) *Assisios.*] Assisii alio nomine *Mansionarii*, sunt illi, qui in Ecclesiis Cathedralibus assiduè, & veluti permanenter officium canendi in choro, divinaque officia celebrandi habent, quorum mentio fit *in cap. si quis Episcopus 1. q. 1.* qui canonicis inferiores sunt, ab eisque regulariter differunt in stallo in choro, & voce in Capitulo; dicunturque vulgari nomine, *racioneros*: docent Alberic. *in dictionario, verbo Assisii*, Selva *de benef. p. 1. quæst. 2. num. 27.* Zecchius *num. 2.* Petrus Gregor. *à num. 11.* Azor *cap. 9. & 10. lib. 6. inst. tom. 2.* Cæsar *de Eccles. hierarch. q. 2. proœm. n. 12.* licèt Cujacius in præsenti velit, assisios esse Capellanos choro inservientes, valdeque differre à mansionariis, qui Paranonnarii dicuntur *in l. 46. C. de Episcop. & cleric. can. 2. Synodi Chalced.* & hujusmodi portionarios esse de Capitulo, in eoque vocem habere, si in ipsa erectione Ecclesiæ caveatur, probat Solorzanus *tom. 2. de jure Ind. lib. 3. cap. 4. num. 9.*

COMMENTARIUM.

2. *Conclusio probatur.*

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Si patitur Ecclesia ministrorum defectum, privilegiati super absentia per subtractionem proventuum beneficii residere coguntur.* Quæ assertio singularis est in jure, probari tamen per argumentum potest *ex cap. quarto, de ætate & qualit.* & aliis infrà referendis. Illustrant Gregorius Lopez *in l. 4. glossa 6. tit 5. p. 1.* Petrus Gregorius *in tract. 6. de constit. & benefic. cap. 7.* & alii congesti à Barbosa *hic.*

3. *Impugnatur tradita assertio.*

Sed pro dubitandi ratione in hanc assertionem ita insurgi potest: Indultum à jure beneficium non est alicui auferendum, *regul. Indultum, de reg. jur. in 6.* nec potest Ecclesia venire contra factum proprium, *l. post mortem, 25. ff. de adopt.* vel dicere injustum factum superioris, *l. liberto, 9. ff. de obsequiis.* Sed si absentes à propria Ecclesia ex justis causis cogantur residere in ea, auferetur beneficium indultum, & Ecclesia venit contra factum proprium: Ergo sustineri potest præsens decisio. Accedit, nam absentes à proprio beneficio, coguntur in eo residere sub pœna privationis beneficii, ut probavi *in cap. 2. cap. relatum, hoc tit.* Igitur si absentes ob defectum ministrorum cogendi sunt residere, non per subtractionem proventuum, sed sub pœna privationis cogendi sunt redire ad Ecclesiam.

4. *Traditur ratio decidendi.*

Quâ dubitandi ratione non obstante, verâ est præsens decisio, quæ pluribus firmatur juris principiis. Primò, quia privilegium concedi non potest in præjudicium divini cultus, *cap. ex parte, 12. de constit.* nec etiam juramentum est servandum, quando incipit esse damnosum Ecclesiæ, *cap. sicut, ex litteris, 13. de jurejur. cap. 1. de his quæ fiunt à majori parte.* Secundò, quia intentio concedentis privilegium ad hunc casum extendi non debet, *l. si quando, 35. C. de inoffic. testam.* quia credi non potest, quod si concedens à principio similem casum prævideret, tale privilegium concederet, & sic res pervenit ad casum, à quo incipere non poterat, ac per consequens vitiatur; *l. pluribus, 140. §. & si placeat, ff. de verb. obl. l. Gratus, 71. §. sed cum duo; ff. de fideiuss.* Tertiò, quia quælibet concessio semper intelligitur facta, rebus sic stantibus, *l. quod Servius, 8. ff. de condict. causâ data*, ne quis videatur onerari in infinitum, *l. si quis una, 4 ff. de periculo & commodo, l. qui bona, 13. §. si quis, ff. de damno infect.* Quartò, quia privilegii verba accipienda & interpretanda sunt, ut nullum, aut parvum tertio præjudicium irrogetur, *cap. cum dilecti, de donat. l. Mercatus, C. de emancip. liber.* Quintò, quia inspectâ regula legis *de ætate, 11. §. ex ea, de interrog. act.* quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio. Facit quod dicitur *in l. ut gradatim, §. 1. ff. de muner. & honor.* scilicet, quoties penuria adest eorum, qui Magistratus suscipiunt, immunitates aliquibus concessas infringi; immò & incapacitates tolli; docetur *in l. 3. §. spurii, ff. de Decur.* illis verbis: *Spurii decuriones creari propter penuriam.* Meritò ergo Gregorius in præsenti statuit, quod si Ecclesia patiatur ministrorum defectum, privilegiati teneantur residere, quia eo casu cessat tale privilegium.

5. *Exponatur varia jura.*

Ex hac decidendi ratione, & juris principiis in ea congestis, lucem accipiunt varia juris testimonia. Primò textus *in cap. suggestum, 9. de decimis, cap. quid per novale, de v. s.* ubi privilegium non solvendi decimas fratribus Cisterc. concessum, cessat quatenus incipit esse damnosum Ecclesiæ, & ejus ministris, habitâ consideratione ad mentem concedentis. Secundò agoscitur ratio textus *in cap. ad decorem, 5. de instit.* ubi non obstante statuto de certo Canonicorum numero etiam per Pontificem confirmato, providetur de fructibus canonicis ultra numerum receptis, quia aucti erant Ecclesiæ proventus, & Ecclesia patiebatur ministrorum defectus; undè Canonici contra statutum etiam per Pontificem confirmatum, ex nova causa venire possunt. Similiter *in cap. quanto 16. de censibus*, docetur obligationem procurandi fratres, quæ ex fructuum ubertate aucta erat, restringi & cessare, si damnum Ecclesiæ sequi incipiat. Faciunt textus *in l. 1. §. illud, ff. de itinere actuque, l. non movus, 12. C. de servit.* junctis traditis à Barbosa, & Rodriguez, quos laudat Olea *de cess. jur. tit. 7. q. 3. num. 33.*

6. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam in præsenti specie privilegium non residendi absentibus ex justa causa concessum, non revocatur à Pontifice, qui illud concessit, sed potiùs ex ejus enixa voluntate cessat pro eo tempore, quo Ecclesia patitur ministrorum defectum; & ita Ecclesia ipsa interpellat absentem, ut resideat, quo casu necipse qui concessit, contra factum venit, nec propriam concessionem infirmat, sicut *in l. quod est constitutum, C. ne de*

statu

statu defunctor. & litigatur contra emancipationem, quia non emancipator, sed alius in judicio adfuerat. Et *in l. servo manumisso, 58. ff. de condict. indeb.* servus, qui accipit pecuniam, non obstante regulâ textus *in d. l. post mortem, l. ea, C. de transact.* in judicio repetitur, quia non ipse, sed assertor libertatis litigabat, *ex l. 1. C. de assert. tol. l. 1. C. Theod. de liberal. caus.* Accedit, quia in præsenti casu propter publicam Ecclesiæ utilitatem potest, qui privilegium concessit, contra factum proprium venire, *ex l. 1. C. de prædiis minor. l. qui inde, C. de agricolis, lib. 11.* Nec obstat augmentum ipsius dubitandi rationis, nam in præsenti specie non agitur de puniendo absente ex justa causa, & non residente; quia tunc non erat locus alicui pœnæ, argumento legis *Gracchum, 4. C. ad leg. Jul. de adult.* sed de revocando absente, ut non obstante privilegio sibi concesso, in propria Ecclesia resideat: quare non per privationem beneficii, ut alii sine justa causa & contumaciter absentes, juxta textus *in cap. 2. cap. qualiter, cap. inter, cap. ex tuæ, hoc tit.* est revocandus, sed potiùs per subtractionem proventuum, & aliis juris remediis, argumento textus *in cap. 1. de judiciis,* cum vulgatis.

CAPVT VII.

(a) Idem.

CLericos in Ecclesia tuæ jurisdictionis, beneficia, quæ residentiam exigunt, assecutos, si ad alterius diœcesim absque licentia tua morandi causâ transierint, liceat tibi, si moniti non redierint, dictis beneficiis (nisi excusationem rationabilitem ostenderint) spoliare.

NOTÆ.

IDem.] Gregorius IX. videlicet: cui Prælato rescribat in præsenti decretali non constat, eam tamen exposui *in cap. 2. cap. ex tuæ, supra hoc tit.*

TITULUS V.

De Præbendis, & Dignitatibus.

CAPVT I.

Ex Concilio (a) Pictavienſi.

UT nullus de Clero, sive populo (b) ecclesiastica bona (c) jure consanguinitatis sibi requirat habenda.

NOTÆ.

(a) *Pictavienſi.*] Ita etiam legitur *in cap. 1. hoc tit. in 1. collect.* ubi additur pars capitis *decrevit,* ut etiam habetur *in cap. 2. de cohabit. cleric.* sed præsentem canonem non repetiri in Concilio Pictavienſi, notarunt Ant. Augustin. *in præsenti,* Quintanadvennas *Ecclesiast. lib. 2. n. 1.* sed inter canones hujus Concilii editos à Baronio *tom. 12. anno 1100. num. 19.* Severino *tom. 3. Concil. p. 1.* Corjolano *in summa Concil. fol.* 489. reperiuntur hæc verba, prout in præsenti referuntur: & quia primus canon ipsius Concilii incipit, *decrevit sancta Synodus,* ideo in dicta prima collectione in epigraphe hujus textus, & dicti capitis 2. *de cohabit.* adjicitur pars capitis *decrevit,* quasi in eis referantur partes ipsius canonis 1. Historiam hujus Concilii jam dedi *in c. 1. de ætat. & qualit. cap. 1. de filiis presbyt.* ubi alii canones ipsius Concilii referuntur.

(b) *Ecclesiastica bona.*] Cùm veteres glossatores, & classici repetentes adhuc textum, Concilio ipso Triburiensi, & ejus canonibus caruissent, ex conjecturis tantùm veram sententiam hujus textus inquirentes, in varias divisi fuerunt sententias. Glossa *verbo jure sanguinis,* & Hostiensis *hic;* quos sequitur Quintanadvennas *dict. 2. p. n. 9.* existimarunt bonorum ecclesiasticorum nomine in præsenti intelligi ea bona, quæ Ecclesia temporali dominio habet, & alienari prohibentur *in c. non liceat 12. quæst. 2. cap. nulli, 5. de rebus Eccles.* in quibus propter nimiam hæredum Prælatorum Ecclesiæ avaritiam, qui prætextu rerum patrimonialium defuncti, bona etiam Ecclesiæ occupabant, hoc diserto canone opus fuit; etsi jam non ita expresè id cautum esset *in cap. manifesta, 20. cap. sint manifestæ 21. 12. quæst. 1. cap. sacerdotes, 1. cap. presbyter 3. 12. quæst. 4.* Sed hæc sententia apertè convincitur ex rubro, sub quo præsens textus, tam in prima, quàm in

hac sexta collectione compilatus reperitur, cùm quilibet textus debeat interpretari juxta titulum sub quo jacet, *l. 2. §. si quid autem, C. de veteri jure, l. Imperator, 16. ff. de in diem addict.* junctis traditis à Morla *in empor. tit. de legibus, quæst. 11. num. 24.* notarunt Cujac. *lib. 3. obs. cap. 38.* pro expositione textus *in l. 1. C. de dolo*, Donellus *lib. 15. comment. cap. 32.* pro illustratione textus *in l. vim facit, ff. de vi & vi.* Unde si in præsenti canone ageretur de rebus temporalibus Ecclesiæ alienari prohibitis, ex successione non retinendis, potiùs textus hic compilaretur sub titulo *de rebus Ecclesiæ*, quàm sub præsenti rubrica, præcipuè cùm successio alienationis verbo contineatur, *l. hæreditas, ff. de reg. jur. l. legatum 36. l. legatum 80. ff. de legat. 2.* Hac omissâ sententiâ, Joannes Andreas, Abbas, Decius, Cardinalis & Anania *hic*, Ludovicus Gomez *in praxi benefic. seu regula de infirmis*, 1. p. q. 2. Duarenus *de sacris Eccles. ministr. lib. 7. cap. 7.* & alii congesti à Cenedo *ad Decret. collect. 89.* existimarunt bona ecclesiastica in præsenti accipi pro beneficiis ecclesiasticis, ita ut verus sensus hujus textus sit, quod nullus ecclesiastica bona, id est, beneficia jure successionis sibi requirat habenda; primis enim Ecclesiæ sæculis sancti Patres in discrimine vitæ constituti, virum litteris, & virtute pollentem ostendere solebant populo, post mortem à collegio clericorum sibi in successorem eligendum, ut infrà dicemus; qui priùs usus bono animo inceptus, posteà crescente hominum malitiâ, in perniciem Ecclesiarum flecti cœpit; siquidem sacerdotes sibi successores non digniores designabant, sed quos ob sanguinis conjunctionem chariores habebant; nec clericorum electio subsequebatur, sed defuncti designatio pro populi electione habebatur, *cap. plerique, 5. cap. Moyses 68. quæst. 1.* quod cùm valde absurdum esset, Patres Concilii Pictavensis in præsenti statuerunt, ne ecclesiastica bona, id est, beneficia, aliquis jure sanguinis præsumat occupare. Sed etiam hæc interpretatio minùs congrua videtur ex illis verbis præsentis textus; *Nullus de clero, sive de populo*: quæ non solùm ad clericos, sed etiam ad laicos spectant, juxta textum *in cap. duo sunt 7. 12. quæst. 1.* laici autem incapaces sunt obtinendi beneficia ecclesiastica, quocumque modo, *cap. sacrosancta 51. de elect.* ubi probavi. Frusta igitur illis prohiberetur successio in beneficiis, cùm ipsi non solùm successione, verùm nec electione ad beneficium admitti possint. Deinde refragantur illa verba: *Jure consanguinitatis, &c.* si animadvertamus, quod etsi juxta strictam significationem consanguinitas accipiatur pro quacunque fraternitate, *§. sunt autem, Instit. de legit. agnat. succes. l. non epistolis, 13. C. de probat.* quam fraternitatem inter diversas personas sine ullo sanguinis nexu vinculum civile, scilicet adoptio admittat, ut observavit Cujacius *lib. 11. obser. cap. 26* tamen ampliori significatio est consanguinitatis, quæ sanguinis unitatem dicit, *cap. de affinitate, cap. conjunctiones, cap. consanguinitas 35. quæst. 2.* & cùm successiones ab intestato regulariter ob sanguinem deferantur, *l. 1. ff. de legit. tutor. princip. Instit. de succes. ab intest.* inde deducitur, per illa verba, *jure consanguinitatis*, Patres removere voluisse successionem ab intestato in bonis Ecclesiæ, quæ admissâ prædictâ interpretatione, cessabat, cùm potiùs ex electione, & designatione defuncti, quàm ab intestato successor vocaretur. Igitur textus hic non potest intelligi de beneficiis ecclesiasticis. Rejicitur tandem hæc secunda interpretatio ex illis verbis, *Ecclesiastica bona*, quæ de beneficiis accipi non possunt; nam beneficium ecclesiasticum est jus spirituale ministerio adnexum, ut infrà dicemus; jura autem, & bona distinguuntur, quia jus incorporale est, bona autem corporalia dicuntur, *l. 1. §. quadam, ff. de rer. divis.* Unde hæc hæreditas distinguitur à rebus hæreditariis, *l. hæreditas, ff. de petit. hæredit. l. 2. ff. de hæredit. vel actione*; & per consequens distingui debet beneficium ab ipsis bonis beneficii. Alii autem textum hunc accipiunt, non de beneficiis, aut bonis temporalibus Ecclesiæ, sed potiùs de bonis, quæ beneficiarius intuitu Ecclesiæ ex fructibus sui beneficii percipit, in quibus nec ex testamento, nec ab intestato successorem habere potest jure communi, *cap. fixum 4. 12. quæst. 5. cap. cùm in officiis, de testam. cap. 3. de pecul. cleric.* ubi dicemus: quam interpretationem adduxerunt Hostiensis *in præsenti*, Quintanadvennas *lib. 2. Ecclesiast. num. 95.*

3. *Ampliatur secunda sententia.*

Licèt hæc ultima interpretatio improbabilis non sit, tamen secunda sententia magis præsenti rubro consona Vespertinis nostris Antecessoribus visa est, & mihi facilè probatur ex serie, & verbis hujus Concilii Pictavensis, in quo tantùm agitur de beneficiis ecclesiasticis, & clericorum ea possidentium honestate. In primo canone cavetur, ne Episcopi, Presbyteri, Abbates, vel quælibet persona de Clero accipiat Episcopatum, beneficium, vel Abbatiam de manu laïci; & statim canone sequenti cavent Patres, ne prædictas dignitates quisquam per pecuniam acquirat; & statim ajunt: *Item ut nullus de clero, sive de populo bona ecclesiastica jure consanguinitatis sibi requirat habenda.* Igitur cùm in duobus prioribus canonibus actum esset de beneficiis ecclesiasticis non obtinendis de manu laici, aut per pecuniam, necessariò verba hujus textus, quæ sequuntur, exaudiri debent de eisdem beneficiis ecclesiasticis, præcipuè cùm Patres utantur dictione illa, *item*, quæ est continuativa, & repetitiva qualitatum præcedentis orationis, ut *in l. item, ff. de procurat. l. item eorum, ff. quod cujusque univers.* Illustrat Barbosa *de dictionibus, dict. 185.* Nec hac secundâ sententiâ retentâ, obstant difficultates, quas adversus eam expendebamus. Non prima deducta ex illis verbis, *nullus de clero, sive de populo*; quia licèt verum sit laicos incapaces esse beneficii ecclesiastici, ut latè probavi *in dicto cap. 51. de elect.* tamen possunt præsentari, & eligi ad beneficium, ut intra tempus à jure assignatum ad ordines promoveantur; unde in præsenti textu prohibent Patres, ut non solùm clerici, qui actu capaces sunt benef[illegible]esiastici, verùm nec laici, qui propter [illegible]dinem possunt eligi, & præsentari ad beneficium ex designatione defuncti, juxta corruptelam suprà relatam beneficium ecclesiasticum possint retinere. Nec obstat secunda difficultas deducta ex illis verbis, *jure consanguinitatis*; nam licèt cùm agitur de successione defuncti, jus consanguinitatis pro jure intestati accipiatur, *§. cæterùm, Instit. de legit. agn. succes. l. si spurius, ff. unde cognati*; tamen

in

in præsenti pro quolibet modo succedendi accipitur, videlicet hæreditario, vel ex designatione aut nominatione defuncti, juxta textus *in cap. Moyses, cap. Apostolica*, 8. *quæst.* 1. Nec tandem ultima difficultas obstat, deducta ex illis verbis, *Ecclesiastica bona*; nam licèt regulariter bona à juribus differant, tamen plerunque bona jura significant, ex generali illa denominatione, scilicet, quod beatos nos faciant, & dominis suis prosint, quam tradit Ulpianus *in l. bonorum* 49. *de v. s.* Et rectissimè jura, & actiones comprehenduntur, quia non parvam utilitatem afferre solent, *l. rem* 51. *ff. de acquir. rer. domin. l. bonorum* 49. *l. bonorum* 208. *ff. de v. s.* junctis traditis à Fornerio, Gedeo, & Gentili In eodem textu, Pinello *in rubric. C. de bonis mater.* 2. *p. num.* 5. Barbosa *in l. si constante*, §. *final. ex num.* 2. *ff solut. matrim.* juxta quam generalem acceptionem Patres in præsenti Ecclesiastica beneficia bona dixerunt, aut quia constant ex Ecclesiasticis bonis, aut quia prosunt possessoribus, eosque beatos reddunt.

4 (c) *jure consanguinitatis.*] Videlicet ratione, seu affectione sanguinis, aut jure successionis legitimo, vel hæreditario: in aliis autem casibus plurimùm interest, an successio deferatur jure sanguinis, an hæreditario; quæ enim deferuntur jure hæreditario, tantùm hæres instituturus capit; quæ verò jure consanguinitatis deferuntur, illis competunt, qui jure sanguinis succedunt, etiamsi hæredes non instituantur, ut probant Valascus *de jure emphyt. quæst.* 50. *num.* 3. Tiraquellus *de primog. quæst.* 40. *à num.* 15. pluribus relatis Molina *lib.* 1. *de primog. cap.* 8. *num.* 6. qui de feudis, majoratibus, & jure patronatus Ecclesiastico latè agunt, quod & in jure libertorum procedit; nam jus illud in bonis liberti competens, jure sanguinis defertur. Chumacero *select. juris cap.* 1. *num.* 5 unde libertus operas debet præstare filiis patroni, non autem ejus hæredibus extraneis, *l. cùm patronus* 22. §. *cum libertus, l. si operarum* 297. *de oper. libert.* & si plures sunt filii, pro æqualibus portionibus præstantur, etiamsi ex inæqualibus instituti sint, *l. ut jurisjurandi*, 7. §. 1 *ff. de oper. libert.* nisi operæ sint fabriles, in quibus stipulatio interposita attenditur, *l. fabriles* 6. *ff. de oper. libert.* Similiter jus successionis in bonis liberti, filiis jure sanguinis defertur, non ut hæredibus, sed ut filiis, *l. filii* 9. *ff. de jureparon. l. patroni* 39. *ff. de bonis libert.* Nec obstat quod filii exhæredati, ab ea successione removentur, *l. si ex patronis* 10. §. *Julianus*, *l. quod si pater* 11. *ff. de bonis libert. l.* 11. *ff. de Carbon.* adeò ut tacita exhæredatio, quæ ex præteritione militis inducitur, eundem effectum habeat, *l. si patronus* 12. *in princip ff. de bon. libert.* Cui ne obstet textus *in l. Paulus* 47. §. *ult. ff. eod. tit.* videndi sunt Costa *in l. Gallus*, §. *& quid si tantùm*, 1. *p. numer* 54. Cujacius *lib.* 14. *observ. cap* 5. Valentia *tom.* 3. *tract.* 3. *cap.* 4. *num.* 26. dicendum est ex traditis à Chumacero *supra*, *num.* 13. Costa *de patruo & nepote* 2. *p. num.* 12. quod licèt exhæredatus filius jura filii retineat, & in familia testatoris maneat, privatur successione libertorum, quia parentibus permissum est filios exhæredare, ut eo metu illos in pietatis officiis sibi debitis faciliùs contineant. Cùm ergo filii exhæredationem meruerunt, æquum est per hujusmodi exhæredationem eos privari, non solùm successione Patris, verùm & libertorum, etiam avitorum, quamvis jure sanguinis talis successio deferatur patrono, ejus filiis, & nepotibus, propter pietatem sibi debitam; argumento legis *liberto* 9. *ff. de obseq.* Sicut enim filii paternam pietatem demeruerunt, sic & aliis commodis, quæ propter pietatem illis debebantur, privantur. Unde provenit, quod si exhæredatio ut injusta irritetur, filii juspatronatus plenum retineant, *de l. si patronus*, §. *si quis.* Idem procedit si filii bonâ mente, ut plerunque fit, *l. multi* 8. *ff. de liber. & posthum.* exhæredati sunt, quia tunc non excluduntur à tali successione, *d. l. si patronus* 12. §. *si quis non mala*, *d. l. Paulus* 47. *in princip. &* §. *ult.* juxta communem interpretationem. Similiter etiam ex eadem ratione, si filii exhæredati in eodem gradu substituti sunt, non arcentur à prædictâ successione, *d. l. si patronus*, §. *si Patroni.* Potiori etiam ratione, si filii se abstinuerint ab hæreditate paterna, successionem libertorum retinent, *l. filii* 9. *de jurepatron.* quia talis successio jure sanguinis illis defertur: quo casu accipiendus est textus *in l. si operarum* 29. *ff. de operis lib.* juncto Cujacio *lib* 16. *obs. cap.* 4. Igitur (ut ad institutum redeamus) quamvis in iis, & aliis casibus plurimi interfit, jure sanguinis, an hæreditario successio deferatur; at in præsenti casu, cùm de improbanda successione agitur, non solùm successio jure sanguinis, quæ ab intestato dicitur, damnatur, verùm & successio hæreditaria, atque illi similis, quæ provenit ex nominatione, aut designatione defuncti, ob rationem consanguinitatis, vel dilectionis; qui est casus proprius hujus canonis, ut suprà probavi. Unde meritò titulus successionis in beneficiis generaliter irritatur, *in cap. Episcopo* 3. *&* 4. *cap. plerique* 5. 8. 9. 1.

COMMENTARIUM.

EX præsenti canone juxta suprà traditam interpretationem communiter sequens deducitur assertio: *In beneficiis ecclesiasticis non succeditur jure sanguinis, vel hæreditario.* Probant eam texus *in can.* 75. *Apost.* ibi: *Nequit enim Ecclesiam Dei conferre debet in hæreditate.* P. 1 *cap. Moyses, cap. Apostolica, & fere per totam* 8. *quæst.* 1. *cap. accepimus, de pactis, cap. ex transmissa, in fine, cap. ad extirpandas*, ubi plura congessi, *de filius presbyt. cap. ad hæc, de decimis, cap. Consuluit, de jurepatron. cap. qui in aliquo* 5. *dist.* 51. Hilarius Pontifex *epist.* 1. *cap.* 3. ibi: *Nec Episcopalis honor hæreditario jure præstetur, qui nobis solâ Dei nostri benignitate confertur.* D. Isidorus *lib.* 2. *de ecclesiast. offic. cap.* 9. ibi: *alii successores filios, vel parentes faciunt, & conantur posteris Præsulatus relinquere dignitatem, cùm hoc nec Moyses amicus Dei facere potuit, sed Josue de alia tribu elegit, ut sciremus Principatum in populo, non sanguine deferendum, sed merito vitæ* Lucius III. cujus verba extant post Concilium Lateranense, *p.* 14. ibi: *Consulere decreviste, de quibus personis intelligendum sit, unam alteri in Ecclesiasticis beneficiis non succedere debere, utrum scilicet de sacerdotibus & eorum filiis dumtaxat, an de aliis quibusdam personis. Noveritis ergo, quod ad ecclesiastica beneficia nullum secundum canones admittendum credimus, nisi ex erectione canonica vocatum.* Illibert. Cenoman. *ep.* 4. *Audivimus autem, & ultra quàm credi possit, admirati sumus, in vestra* 5. Conclusio probatur.

matre Ecclesia hæreditario jure canonicas obtineri: perniciosa hæc, & exhæredans hæreditas. Trid. *sess.* 25. *de ref. c.* 7. alia jutis testimonia congerunt Ant. Aug. *in epit. juris Pontif. lib.* 4. *tit.* 75. Crespetius *in summa, verbo Benef. nullus per successionem.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa & Garanna, Quintanadvennas *lib.* 2. *Ecclesiast.* Boëtius Epon. *tom.* 3. *qq. heroic. tit.* 1. *n.* 13. Chopinus *lib.* 2. *sacr. pol. tit.* 2. *num.* 16. Mancinus *sacr. juris controv. tit.* 43. & *genial. cap.* 177. Elpenceus *ad D. Paulum, lib.* 2. *digres. cap.* 21. *per totum.* Bosquetus *ad Innoc. III. lib.* 1. *epist.* 48. Petrus Gregorius *de elect. cap.* 7. & *lib.* 42. *syntag. cap.* 7. Cresolius *lib.* 2. *mystag. cap.* 5. Jul. Lavor. *lucubr. tit.* 4. *de elect. cap.* 3. Sebastianus Cæsar *de Eccles. hierarch. disput.* 1. §. 5. Vigel. *in meth. juris can. fol.* 33. Corjolanus *in summa Concil. in Synodo Roman. sub Bonifacio II.* Marquez *in gubernator. lib.* 2. *cap.* 3. Hurtado *de resid. tom.* 1. *de resid. tom.* 1. *de resid. Pontif. resol.* 1. *cap.* 3. Barbosa *de potest. Episcop. lib.* 1. *tit.* 1. *c.* 3. Ioan. Dartis *de benefic. p.* 4. §. 1. P. Matcha *lib.* 6. *concord. c.* 7. Theoph. *tom.* 12. *tract. mala è bonis, lib.* 2. *sect.* 1. *cap.* 3. *fol.* 144.

6. *Impugnatur tradita assertio.*

Sed pro dubitandi ratione ita in præsentem assertionem insurgo: In omnibus officiis, & dignitatibus, etiam summis sceptris, potiorem esse successionem, & electioni esse præferendam, plura suadent; illud enim est in electionibus incommodum, quod non ita pacatæ sint, & quietæ, sed plerunque seditionum turbinibus obnoxiæ, cùm is ferè semper contemnatur, qui à privata fortuna obreplit ad dignitatis insignia; nec caret invidiâ qui ex æqualibus repentè cæteris præest. Accedit omnium ferè gentium consensus, quarum legibus sancitum est, usuque receptum, ut Regnorum, Ducatuum, Comitatuum successores, non suffragiis optimatum, aut populi in comitiis eligantur, sed filii parentibus, aut propinquis propinqui jure sanguinis succedant, ut latè probant auctoritatibus, & rationibus politicis P. Menochius *lib.* 1. *polit. cap.* 6. Kochier *lib.* 1. *polit. cap.* 22. Marquez *in gubern. lib.* 2. *cap.* 3. Salcedo *de regim. Princip. lib.* 4. *cap.* 1. *disc.* 43. Madera *de Monarch. cap.* 4. Simancas *de republ. lib.* 3. *cap.* 5. Lipsius *lib.* 2. *civil. doctrin. c.* 4. Igitur in beneficiis etiam, & dignitatibus Ecclesiasticis præferenda est successio jure sanguinis, electioni. Augetur hæc difficultas, ut de sacerdotio tantùm, & divinis ministeriis agamus, ex exemplo sacerdotum veteris legis, & religionis Gentilitiæ; apud Hebræos enim sacerdotium, in quo legis gratiæ sacerdotium præfiguratum fuit, jure hæreditario ex Aaron ad filios ejus, & cæteros descendentes deferebatur, juxta illud Exodi *cap.* 19, *vers.* 24. *Aaron, & filios ejus applicabis*: non tamen omnes admittebantur, sed tantùm masculi ex masculis descendentes ex stirpe Aaronica. Unde Moses Maimonides *ad illud Numeror. cap.* 18. *Alienigena, sive extraneus non miscebitur vobis*, ait: *Extraneus, seu alienigena hic est, quisquis non fuerit ex semine Aaronis, idque ex masculis, secundùm id quod scriptum est Levitic. cap.* 1. *vers.* 8. *Et disponent filii Aaron. Et cap.* 3. *vers.* 8. *Adolebunt filii Aaron. Filii Aaron, & non filiæ Aaron.* Idem Maimonides *cap.* 4. *Amakdasch*, ibi: *Mortuo Rege, aut Pontifice, aut alio quovis in dignitate perpetua constituto, loco ejus substituuntur filius ejus, aut is, qui jure hæreditario est proximus; nam quisquis in hæreditate anteferendus est, etiamsi in defuncti dignitatibus est anteferendus, modò ejusmodi fuerit, ut locum ejus cum sapientia suppleat, aut saltem cum timore, tametsi ei sapientia sit dispar, secundùm id quod scriptum est Deuteron.* 17. *vers.* 20. *de Rege: Ipse, & filii ejus in medio Israel. Animadvertendum est inde, regnum esse hæreditarium, atque hoc etiam jus est in universis dignitatibus, quæ sunt in medio Israelis, ut qui in earum aliquam fuerit evectus, is eam non sibi solum, sed & posteris suis retineat.* Unde sacerdotium in ea lege junctum erat cum primogenitura, ita ut jure sanguinis in filios transiret, ut *ex d. cap.* 19. *Exodi*, probat Marquez *ubi suprà, fol.* 219. Bellarmin. *tom.* 2. *controv. lib.* 5. *de cleric. cap.* 6. Seldenus *de success. Hebræor lib.* 1. *cap.* 2. Apud Gentiles jure successionis sacerdotia deferri refert Cicero, & ex eo Cataneus *in notis ad Plinium, lib.* 6. *epist.* licèt frequentiùs jure electionis, vel à populo faciendæ, vel à Collegio sacerdotum crearentur sacerdotes, ex traditis à Rosino *lib.* 3. *antiquit. cap.* 8. Igitur etiam in lege gratiæ in beneficiis jure sanguinis successio admitti debet. Augetur secundò hæc difficultas ex facto D. Petri, quod refertur *in cap. si Petrus* 8. *q.* 1. cùm enim se morti proximum agnosceret, convocatis fidelibus, sic eos affatus est: *Clemens, tanquam qui omnibus præesse te noveris, singulos prout poteris juva, & singulos releva, qui & singulorum onus, & sollicitudinem portas.* Refertur *in cap. Clemens* 8. *quæst.* 1. & ipse Clemens *in cap. Simon Petrus* 8. *q.* 1. ait: *In ipsis diebus, quibus vitæ finem sibi præscivit, apprehensâ manu meâ repentè consurgens in auribus totius Ecclesiæ hæc protulit verba: Clementem hunc Episcopum vobis ordino, cui sors mea prædicationis, & doctrinæ cathedram trado.* Quo exemplo forsan ducti varii Ecclesiæ Prælati, successores sibi designarunt in suis Cathedris, ut Theoregnus Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, Anatolio, Philosopho & Theologo laudatissimo manus imposuit, illum sibi successorem destinans, ut referunt Eusebius *sacræ histor. lib.* 7. *cap.* 32. Nicephorus *lib.* 6. *cap.* 36. Similiter Alexander Alexandriæ Præsul, cùm moreretur, successorem destinavit Athanasium, ut tradit Sozomenus *lib.* 2. *cap.* 17. etiam Athanasio in cathedram successit Petrus, cujus designationem ratam habuerunt Coepiscopi, Clerus, & Primarii populi, ut tradunt Theodorus *lib.* 4. *cap.* 20. Nicephorus *lib.* 11. *cap.* 26. Similiter etiam de aliis ex tripartita, & Nicephoro, idem tradit Chopinus *lib.* 1. *de sacr. pol. tit.* 2. *num.* 17. Igitur quia in beneficiis & dignitatibus Ecclesiasticis non est improbata successio.

7. *De origine bonorum.*

Quâ dubitandi ratione minimè obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, certum esse, Christum Dominum suæ prædicationis tempore victum accepisse unà cum suis Apostolis, ex his, quæ à fidelibus, piisque personis subministrabantur; unde Dominus Apostolis præcipiebat, ut nihil possiderent, non argentum in zonis, non duas tunicas haberent. *Matthæi cap.* 10. *vers.* 9. *Lucæ cap.* 9. *vers.* 3. nec soliciti essent de crastino. *Matthæi cap.* 6. *vers.* 31. immò venderent omnia, in pauperesque distribuerent. *Matthæi cap.* 19. & 29. quod Apostoli, & primi Christiani diligenter observarunt, dum communem vitam agentes, omnia ad pedes Apostolorum deferebant, ut pro necessitate cujusque distribuerent, *cap.* 4. *actuum Apostol. cap. dilectissimis* 12. *quæst.* 1. unde una omnium communis vita erat, aut saltem de communi fidelium

fidelium promptuario, & collectis omnes vivebant: quare ipso primo sæculo Ecclesiæ, prædia, & alia immobilia assignabantur Ecclesiis matricibus, ut ex eorum annuis redditibus fidelium communitati consuleretur. Pius Papa *in epist. missa anno 147. ad Italos:* & Urbanus Papa anno 223. misit epistolam decretalem ad universos Episcopos, quâ statuit, ut oblationes fidelium relinquantur Ecclesiis matricibus dispensandæ per Episcopum; tenor illius est: *In exordio Ecclesiæ fideles vendebant sua, & tradebant Apostolis; tunc videntes sacerdotes summi, & alii, atque Levitæ & reliqui fideles, plus utilitatis afferri posse, si hæreditates, & agros, quos vendebant, Ecclesiis, quibus præsidebant Episcopi, traderent, eo quòd ex sumptibus eorum, tam præsentibus, quàm futuris temporibus plurima & elegantiora ministrare possent fidelibus communem fidem ducentibus, quàm ex pretio eorum, cæperunt prædia, & agros, quos vendere solebant, matricibus Ecclesiis tradere, & de sumptibus eorum vivere. Ipse verò res in ditione singularum parochiarum Episcoporum (qui locum tenent Apostolorum) erant & sunt usque adhuc, & futuris debent esse temporibus.* Non levis tamen hæsitatio est, an clerici & laici ita communem vitam agentes aliquid proprium retinere seu acquirere possint? Et illis privatum patrimonium habere, concessum non esse, suadent textus *in cap. scimus, cap. dilectissimus, §. ultius 12. quæst. 1.* ubi refertur, omnia communia fidelibus fuisse, ita ut aliquid proprium esse nemo diceret. Idem apertiùs docetur *in cap. nulli 12. quæst. 1. cap. quia tua, cap. expedit 12. quæst. 1.* Hinc factum est, ut cùm Ananias ex pretio agri proprii aliquid sibi reservasset, neque integrum communitati fidelium obtulisset, in conspectu omnium mortuus est, *d. cap. dilectissimis, §. Ananias.* Accedit quia renunciatio proprii patrimonii communiter viventibus præcepto divino imposita erat, juxta illud D. Matthæi *cap. 19.* ibi: *Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Et *cap. 10. vers. 9.* ibi: *Nolite possidere aurum, neque argentum.* Et *in cap. Episcopus 12. quæst. 1.* sub voce Apostolorum dicitur: *Habentes victum & vestitum, iis contenti sumus.* Et in lege veteri Sacerdotibus, & Levitis non permittebatur possessionem cum fratribus suis habere, quia Dominus possessio eorum erat. *Deuter. cap. 18. & cap. 18. Numeror.* dixit Dominus ad Aaron: *In terra ejus nihil possidebitis, ego pars, & hæreditas vestra.* Et Josue *cap. 13. vers. 33.* ait: *Tribui autem Levi non dedit possessionem, quoniam Dominus possessio ejus est.* Quo exemplo Divus Hieronymus utens *in cap. clericus 5. 12. quæst. 1.* dum clericis paupertatis præcepta tradit, ait: *Quamobrem non accipio partem inter cæteras tribus.*

Adhuc tamen verius est, quod etsi fideles communem vitam agentes majoris perfectionis zelo bona propria renunciarent, tamen non ideo incapaces reddebantur aliquid retinendi, seu acquirendi: quæ sententia probatur *ex dicto cap. dilectissimis 12. quæst. 1. extravag. cùm inter, de v. s.* & ex ipsis canonibus Apost. facilè deducitur, dum in eis docetur, Episcopum communitati præesse debere, & rebus communibus uti posse casu, quo indigeret, *d. cap. Episcopus, cap. ex his 22. 12. quæst. 1.* dum enim docetur casu quo indigeret, rebus communibus uti posse, tacitè innuitur aliquid habere potuisse in patrimonio, quod necessitatibus suis non sufficiebat, ut ferè eisdem verbis deduxit Gratianus *in cap. præcipimus, §. cùm ergo 12. quæst. 1.* Apertiùs ea sententia docetur *in can. 40. Apost.* relato *in cap. sint manifestæ 12. q. 1.* in illis verbis: *Sint manifesta res propria Episcopi, ut potestatem habeat moriens, prout, & quibus voluerit, relinquendi.* Et *cap. illi autem,* ibi: *Sine peccato possident.* Et *cap. si privatum 12. quæst. 1. cap. final. §. final. 16. q. 1.* Quâ sententiâ retentâ non obstat textus *in dicto cap. scimus 12. q. 1.* in quo, junctâ dictâ Extravaganti *Cùm inter nonnullos,* partim asseritur, Apostolos, primosque fideles nihil proprium retinuisse; partim docetur res privatas jure proprio possedisse. Pro quorum jurium expositione dicendum est, verè primis illis Ecclesiæ temporibus Apostolos, cæterosque Ecclesiæ fideles potuisse aliquid privatum retinere, & acquirere: sed inspecto charitatis ardore ex affectu communicandi omnia cæteris fratribus, & fidelibus, nihil proprium retinuisse, sed pro usu communi Ecclesiæ omnia in communi mensa obtulisse, ut ex ea alerentur. Nec obstant textus *in d. cap. nolo, §. nulli, cap. non dicatis 12. quæst. 1.* qui accipiendi sunt non de quibuslibet clericis, aut Canonicis, sed de Canonicis regularibus, qui licèt antequam profiterentur vitam regularem, possent proprium retinere, *d. cap. nolo, §. habere*; tamen cùm tempore ipsius professionis emitterent verum paupertatis votum, postea intra claustra vitam regularem agentes nihil proprium retinere, aut acquirere poterant, *d. cap. certè, d. cap. quia nos.*

9. *De divisione bonorum ecclesiæ.*

Postmodùm amplioribus spatiis propagatâ fide, auctoque non tantùm fidelium, verùm & clericorum numero, aucti etiam fuerunt oblationum proventus usque ad Gentilium invidiam, teste Ammiano Marcel. *lib. 27.* unde hæc communio dissolvi cœpit, & universa Ecclesiæ bona in quatuor partes divisa fuerunt à sancto Simplicio anno Christi 467. quarum prima Episcopo, secunda fabricæ, tertia clericis, quarta pauperibus assignata est, ita ut clerici ad tertiam partem vocati, singuli pro meritis ab Episcopo portionem acciperent, & ex ea congruam sibi perciperent, *cap. vobis, cap. de redditibus, cap. Vulterana, cap. quatuor 12. quæst. 2. cap. Præsulum 16. quæst. 3.* referunt & Illustrant Duarenus *de sacris Eccles. lib. 2. cap. 1.* Germonius *de sacror. immunitat. lib. 3. cap. 17.* Petrus Gregorius *de beneficiis cap. 4.* Quintanadvennas *lib. 2. Eccles. cap. 1.* Barbosa *in cap. 1. & cap. sint manifestæ 12. quæst. 2.* Verùm etsi illa communis vita post hanc bonorum divisionem ferè soluta esset, nonnulli tamen clerici majoris perfectionis sectatores societatem retinuerunt, & ex prædiis communitati assignatis, sibi victum, & vestitum assumebant, qui Canonici dici cœperunt, vel quia canonicè viverent, vel à canone, id est, regula, quam servabant, *c. quoniam,* ubi notavi, *de vita & honest. cleric.* Tandem quadripartita illa divisio prorsus antiquata fuit, nam portio pauperibus assignata, Episcopis tributa est, cum onere alendi pauperes; & portio clericis assignata cessavit, atque loco ejus certi, & determinati reditus Ecclesiasticis officiis assignati fuerunt, quibus Ecclesiæ ministri, tanquam rebus proprijs absque ulla Episcopi auctoritate uterentur, & eorum percipiendi jus cum spirituali ministerio

sterio conjunctum, generaliter beneficium appellatum fuit; quod nomen inventum, & assignatio singulis ministeriis facta fuit anno salutis 813. ut colligitur ex Concilio Moguntiaco celebrato anno 813. & relato *in cap. 1. de Eccles. ædific.* ubi prima mentio fit beneficii ecclesiastici. Et licèt jam sub Leone Pontifice per annos 796. legatur *in cap. sancitum 23. quæst. 4. cap. 1. de censib.* peculiares redditus Parochiis assignatos fuisse, non tamen ideo instituta fuisse eo tempore beneficia dicimus, quia redditus illi non pro ministeriis ecclesiasticis, quod proprium est beneficii, assignabantur. Prosequuntur altiùs beneficiorum originem, & principium, Rousel. *lib. 3. hist. Pontif. jurisd. cap. 1. & lib. 5. cap. 1.* Dartis *de beneficiis, in princip.* Carrier. *tom. 2. digest. fidei, fol. 562.* Cironius *ad tit. de pecul. cleric.*

10. *Beneficii etymon.*

Inde cognoscitur, beneficium, præbendam, & dignitatem in generica significatione pro eadem re accipi debere, ut ex uniuscujusque etymo sigillatim apparebit; nam ut à beneficio incipiam, sciendum est moris fuisse apud veteres, illis, qui aliquid in bello præclarè gesserant, prædia quædam, & possessiones concedere, ut eâ largitione animosiores redderentur, & ministerium sibi commissum rectiùs implerent. Id factum fuisse ab Alexandro Severo testis est Lampridius, quem alii Imperatores ante Justinianum secuti fuerunt, ut patet *ex toto tit. C. de fundis limitrophis*: refert Alex. ab Alex. *lib. 4. dier. genial. cap. 18.* & hæc quidem prædia beneficia dicebantur, eo quod beneficium est benevola actio, gaudium vel honorem tribuens capienti, auctore Seneca *lib. 1. de benefic. cap. 6.* argumento legis *in commodato, 17. §. sicut, ff. commodati.* Unde facultates respondendi de jure à Principe concessæ, beneficia dicuntur *in l. 4 ff. de his qui notant. infam. l. Neratius, ff. de reg. jur.* notavit Joannes Bertrandus *in Neratio Prisco*: & qui prædia illa possidebant, beneficiarii dicebantur, quorum meminerunt Plinius *lib. 10. epist. 28.* Vegetius *lib. 3. de re milit.* Cæsar *lib. 1. de bello Gallico.* Plura congerit de his beneficiis, & beneficiariis temporalibus Lindembrogius *in Glossar. verbo Beneficium, & Beneficiarius.* Hunc ergo morem sequuti Ecclesiæ Patres, possessiones assignatas ministris militantibus in militia cœlesti, beneficia appellarunt, ut docuerunt post scriptores de beneficiis, Fabritium videlicet, Garciam, Lotherium, Joannem Dartis, & Valensem, Quintanadvennas *lib. 1. Ecclesiasticôn, cap. 1.*

11. *Traditur præbendæ significatio.*

Ut de præbendæ significatione agamus, sciendum est, apud veteres moris fuisse diaria & annonas modò militibus, modò Præsidibus provinciarum præstare; quod subsidium à verbo *præbere*, ut Accursius legebat *in l. inviti 19. ff. de testibus, l. si in aliquam, ff. de offic. Proconsul.* seu *prabenda*, neutro genere, ut voluerunt Alciatus *lib. 2. Parerg. cap. 42.* Cujacius *lib. 2. observ. cap. 23.* præbendam dixerunt. Plautus *in Persa*, ibi: *Præbenda adiles locavere.* Gellius *lib. 15. noctium, cap. 4.* Cassiodorus *lib. 5. variar. epist. 39.* ibi: *Præbendarum tenor adscriptus, quem nostra diversis largitur humanitas provincialibus, suggeritur intolerabilis esse causa damnorum, quando & in species exigitur, & impudenter ejus pretium postulatur.* Unde virgines, quæ olim in monasteriis cum monialibus seorsim vivebant, præbendariæ dicebantur, quia certis annonis sustentabantur. Eugenius III. in Concil. Rhemensi, *can. 4.* ibi: *Sanctimoniales, & mulieres, quæ canonicæ vocantur, in claustro assiduè permanentes, communi refectorio, & dormitorio sint contentæ, & relictis præbendis, & aliis propriis earum necessitatibus, de communi provideantur.* Et apud Engelhardum Abbatem *in vita sanctæ Mechtildis virginis*, ita legitur: *Filia cujusdam carnalis erat dæmonium habens, cui locum pater impetraverat in monasterio præbendariæ, non sororis, sed à sororibus sequestratum, & hoc prece, non pretio factum.* Quæ verba variè exponunt Pater Cerda *in adverss. sacr. cap. 157. §. 3.* Joan. Vossius *de vitiis sermon. lib. 3. cap. 37.* & alimenta, quæ servis quotidie præstantur, dicuntur præbita à Columella *lib. 1. cap. 8* ibi: *Tantoque curiosior inquisitio patrisfamilias debet esse pro tali genere servorum, ne aut in vestiariis, aut in cæteris præbitis injuriosè tractentur.* Quæ cibaria dixit Paulus *in l. servis, ff. de legat. 3.* notavit Cujacius *in Novel. 6.* quo exemplo Ecclesiæ legislatores ecclesiasticos redditus ministeriis assignatos præbendam dixerunt, quia sacris militibus ab Ecclesia præbentur, *cap. cùm M. de constit. cap. si monachus 16. quæst. 1.* sive quia pro modo, & mensura præbebatur, Fulbertus Carnot. *epist. 38.* Ivo Carnot. *epist. 219. Deliberavi*, inquit, *ut darem illis dimidiam præposituram, ut fieret inde quotidianus panis, quamvis eorum annua præbenda eis sufficiens esse deberet.* Et præbenda non solùm accipitur pro beneficio, sed pro fructibus beneficii, *cap. inter, hoc tit. cap. cùm in Ecclesia, eod. tit. in 6.* inde præbendarii dicuntur, qui præbendam accipiunt, ut exponitur *in Gemma animæ*, & apud Petrum Damianum in verbis relatis à Joanne Vossio *d. cap. 37.* & Canonici præbendarii dicuntur *in cap. sanctorum, 70. distinct.* cujus quidem præbendæ vocabuli in corpore juris antiquior mentio reperitur *in cap. illi, cap. nulli, 12. quæst 1.* & temporibus Caroli usurpatum reperio *in addit. Capitul. lib. 3 cap. 77.*

12. *De Canonicis.*

Præbendariis proximi sunt Canonici, immò & præbii; olim enim omnes, qui juxta regulam propriam suæ Ecclesiæ vivebant, Canonici dicebantur. Concil. Turon. 2. *can. 20.* Aurel. *3. can. 3.* notavi jam *in cap. quoniam 9. de vita & honest. cleric.* Et licèt Urbanus II. in Concil. Claromont. *can. 9.* & Arnulphus Episcopus Lexov. *epist. ad Alex. Papam*, præbendam canonicam pro canonia ponant, valde tamen differunt jure communi inspecto; nam canonia est jus habendi sedem in choro ad canendum, & vocem in Capitulo, proveniens ex electione, seu receptione in fratrem, *cap. in Genesi*, ubi Glossa, *verbo Vel quasi, de electione*; docuerunt Petrus Gregorius *de benef. cap. 10. num. ultimo.* Moneta *de opt. canon. cap. 7. numer. 6.* præbenda verò ex se non habet sedem in choro, nec vocem in Capitulo; & titulus canoniæ est receptio in fratrem, titulus verò præbendæ collatio. Illustrat Barbosa *de Canonic. cap. 12. num. 20.* Differunt etiam canonica, & præbenda, quia præbenda beneficium est, *cap. dilectus 19. hoc tit.* Lotherius *de re benefic. lib. 1. quæst 19. num. 7.* canonia verò per se beneficium non est, *cap. final. §. in illis, de concess. præbend. lib. 6. cap. in nostra 32. de rescript.* ibi: *Aliquando in aliis recepti, licèt nondum in eis Ecclesiasticum beneficium sint assecuti.* Unde sæpe

sæpius

sæpius in volumine hoc legimus canonicos in fratres receptos sine præbenda, *cap. cùm M. de constit. cum vulgatis*; explicant Cæsar *de Eccles. hierarch. disputat.* 12. §. 6. Azor *lib. 3. p. 2. instit. moral. cap.* 11. *q.* 1. Barbosa *d. cap.* 12.

1. Præbenda. Succedit tandem sub nomine beneficii dignitas, quæ si varias habeat significationes, plerunque accipitur pro honoris gradu, *l. cognitionum 5. §. existimatio, ff. de variis & extraordin.* vel pro præcellentia, quam quis habet inter cæteros; hinc servus dignitatem habere dicitur *in l. sed & si quid 15. § sufficienter, de usufructu, l. habitatio, §. servus, ff. de ventre in possess.* ex eo quia altiorem gradum in familia habebat respectu ministerii erga alios servos, cùm eorum ministeria diversa fuissent, ut in integro libro illustravit Piguorius *de servor. offic.* Præfecturam militarem amplissimam dignitatem esse, constat *ex l. final. C. de comitibus rei milit. lib.* 12. Cicerone *in orat. pro Murena.* Illustrant Gutherus *lib.* 12. *offic. dom. ex cap.* 1. Imò & eos, qui stipendia militiæ à Principe acceperunt, dignitatem habere probat Bellonus *lib.* 2. *obser. cap.* 92. Unde quia officia militiæ cœlestis fastigium conspicuum præbent, *cap. novit, de judic.* rectè dignitates appellantur in præsenti rubrica, in cujus Paratitlis jam id notarunt Germonius, Citonius, Chassaneus, Valensis, & Honorius. Conveniunt igitur in generica acceptione beneficium, præbenda, & dignitas; in qua etiam acceptione, ut omnia comprehendamus, beneficium ita definiri potest: *Ut sit jus spirituali ministerio adnexum, percipiendi redditus ecclesiasticos ex canonica institutione in perpetuum.* Dicimus *jus*, loco generis; quia tam ad spiritualia, quàm temporalia jus plerunque habemus, *l. final. ff. de constit. Princip. cap. cùm dilecti, de donat.* Cætera verò verba ponuntur loco differentiæ. Dicitur *spiritualibus adnexum*, quia hoc jus tantum propter ministerium spirituale conceditur, & à persona ecclesiastica tantùm haberi, & conferri potest, *cap.* 2. *de instit.* Adjicitur *percipiendi redditus ecclesiasticos*, quia sine utilitate, & proventu beneficium ecclesiasticum non datur, *cap. relatum*, 9. *cap. dilecti* 19. *cap. cùm secundùm, hoc tit.* Tandem dicitur, *ex canonica institutione in perpetuum*, quia sine ea licitè obtineri beneficium non potest: & licèt perpetuum sub sole nihil detur, *l. si ususfructus* 21. *ff. quibus modis ususfructus*; tamen quia ex titulo perpetuo beneficium confertur ad fruendum ejus fructibus, ideò jus in perpetuum competens diffinitur, ut *in l.* 1. *ff. de jure dot. princip. Instit. de perpetuis & tempor. cap. sanctorum*, 70. *dist. cap.* 1. *de capel. monach. lib.* 6. *l. Jurisperitos, ff. de excusat. tut.* sed cùm omnia hæc requisita etiam substantialia beneficii sint juris positivi, ideò à Pontifice mutari possunt, & ideò ex justis causis beneficium ad tempus concedi potest; ut *in cap. pastoralis* 7. *q.* 1. *cap. si gratiosè, de rescript. in* 6.

14. Traditur vera decidendi. Unde jam apparet vera ratio, quare in beneficiis ecclesiasticis non admittatur successio jure sanguinis. Omissis enim variis congestis à repetentibus in præsenti, vera petenda est ex ipsa natura beneficiorum; constat enim beneficium esse jus percipiendi fructus ecclesiasticos, non simpliciter, sed propter spirituale ministerium, quod consistit in peragendis divinis officiis, *cap. perlectis* 25. *dist. cap. cùm secundùm, hoc titul.* sed in ipsis divinis ministeriis, immò nec in rebus ipsis sacris corporalibus successio non admittitur, *cap. ad hæc, de decimis, cap. plerique* 8. *q.* 1. *cap. ad decorem, de instit.* legitur nec in jure competente pro ipsis divinis ministeriis successio dari potest. Accedit quia quoad bona ipsa ecclesiastica, quibus constant beneficia, clerici possident ususfructûs, non proprietatis jure; & beneficia ipsa cohærent personis, & cum personis intereunt, *cap.* 25. *hoc tit. cap. ult. de pecul. cleric.* ubi latiùs dicemus: sed quilibet ususfructus morte finitur, nec ad hæredes transmittitur, *§. final. instit. de usufruct.* Igitur & in beneficiis, in quibus clerici tantùm usumfructum habent, sibi successores designare nequeunt. Facit tandem quod, ut in diffinitione retuli, beneficium ecclesiasticum non potest obtineri sine institutione canonica, *cap.* 1. *de reg. jur. lib.* 6. Igitur successio jure hæreditario, aut sanguinis non est titulus habilis ad obtinendum beneficium.

15. Dissolvitur dubitandi ratio. Nec obstat jam dubitandi ratio suprà adducta; nam potiùs inter tres Principatus obtinendi modos, quos recensent Carolus Scribanius, & Madera suprà relati, & ferè omnes politici, electionis modus præstantior est, ut probarunt Marquez & Kochier *ubi suprà*, Benegerus *in tacitum q.* 32. nam ut ajebat Plinius *in panegyr. cap.* 7. imperaturus omnibus eligi debet ex omnibus. Agnovit hoc Imperator Galba in illa sapienti oratione, quæ extat apud Tacitum *lib.* 1. *cap.* 16. ibi: *Optimum quæque adoptio invenit; nam generari, & nasci, à Principibus fortuitum, nec ultra æstimatur; adeptandi judicium integrum, & si velis eligere, consensu monstratur.* Faciunt textus *in cap. Moyses, cap. si ergo, cap. licet* 8. *q.* 1. Illustrant Scribanius *in Polycrat. cap.* 1. Bellarminus *tom.* 1. *controv. cap.* 3. Nec obstat augmentum ipsius dubitandi rationis, deductum ex sacerdotio legis veteris, & religionis Gentilitiæ; nam quoad sacerdotium legis veteris, omissis solutionibus traditis à Turrecremata *in cap.* 1. 23. *dist.* Abulensi *in cap.* 29. *Exodi, q.* 15. dicendum est, multùm interesse inter sacerdotium legis gratiæ, & legis veteris; nam vetus ille Dei populus nullo alio signo quàm sanguinis agnoscebatur; solùm enim adscribebantur sub Dominica militia, qui ex Jacob originem ducebant: in populo autem novo non sanguis militem Christi designat, sed sine ulla personarum acceptione omnes mundi nationes per baptismum Christi regenerantur, quo sensu D. Paulus *ad Galatas cap.* 3. *vers.* 28. scripsit: *Non est distinctio Græci, & Latini.* Et D. Jacobus *in epist. canonica*, dixit: *Nolite in acceptione personarum habere fidem Domini.* Inde in lege veteri sacerdotes uxores & filios habebant, ad quos sacerdotium jure sanguinis deferebatur. In nostra autem lege gratiæ nihil carnale sacerdotibus permittitur, ideo electio potiùs quàm successio ab Ecclesia admissa fuit. Bellarminus *lib.* 1. *de cleric. cap.* 6. Marquez *ubi suprà.* Nec obstat quod de sacerdotio Gentilium expendebamus; nam sciendum est, apud Romanos in usu fuisse sacra privata, & publica. Privata erant, quæ in privatis laribus Diis penatibus pro singulis familiis fiebant, ex permissione legis XII. Tabul. in illis verbis: *Sacra privata perpetua manento*; quam ex Cicerone, & aliis restituunt Rosinus *lib.* 8. *antiquit. cap.* 6. Jacobus

Gothofr. *in quatuor fontibus.* Unde filius dum sub patria potestate erat, sacris paternis dicebatur adstrictus; ab ea verò liberatus, à sacris solutus dicebatur, *l. 2. C. de bonis quæ lib. l. final. C. de inoffic. l. final. C. ad Tertyl. l. ult. C. de curat. furios. l. in conventione 20. C. de nupt. l. 3. C. de bonis maternis, l. 3. C. de collat.* Publica autem erant quæ sumptu publico pro populo fiebant, quorum varia genera referunt Rosinus *ubi suprà*, Jacob. Gutherus *lib. 1. de jure Pont.* Quâ differentiâ suppositâ, respondendum est, ad sacra privata facienda, quæ Gentilitia vocat Livius *lib. 5.* eligi potuisse eos, qui de propria familia erant. Cæterùm ad sacra publica peragenda jure consanguinitatis nullus admittebatur, sed tantùm patebat ingressus per electionem populi, vel collegii sacerdotum, vel abrogatâ lege Domitiâ, per Principem, ut exponunt Rosinus *lib. 3. antiquit. cap. 8. §. 1.* Guther. *d. lib. 1. cap. 3.* Othomanus, Calvinus, & Antonius Augustin. *de legibus Romanis, in l. Domitia.*

16. *Exponitur cap. si Petrus 8. q. 1.*

Difficilius est D. Petri factum relatum *in d. cap. si Petrus*, ibi: *Ad hos & Clemens successor Apostoli*; tum propter incertam illius loci fidem, tum propter factum ipsum, quod ambiguè apud Patres, & Historicos refertur; sunt enim qui immediatè Divo Petro Clementem successisse profiteantur, ut D. Hieronymus *in cap. 52. Isaiæ*, & *epist. 1. ad Jovin.* Tertul. *de præscript. adversus hæret. cap. 32.* Damasus Papa *in Pontif. cap. 2. 3. & 4.* Beda *lib. 2. hist. Ang. cap. 4.* Hugo de sancto Victore *in mystica Archa Noë, disquisit. cap. 4.* Post Petrum sequitur Clemens. Baronius *anno 69.* Marianus Scotus *ad ann. Neronis 14.* pro qua sententia citat Leonis II. Papæ Decretalem. Aloix *ad vitam S. Dionysii, in notis cap. 9.* Turrianus *lib. 2. pro epist. Pontif. cap. 7.* Pamelius *ad Tertul. suprà, num. 186.* Savarus *in notis ad Sidon. lib. 4. epist. 11.* Sunt etiam qui affirmant, Clementem successisse D. Petro, non immediatè, sed post Linum & Cletum, anno Christi 93. ita docuerunt D. Augustinus *epist. 165* Milevitanus *lib. 2. contra Parmen.* Epiphanius *hæres 27.* Ignatius *epist. 1. ad Mar. Cassabolitam*, Irenæus *lib. 3. contra hæres. cap. 3.* Eusebius *lib. 3. chron. cap. 11. & 16. & lib. 5. cap. 6.* Nicephorus *lib. 2. histor. cap. 35. & lib. 3. cap. 2.* Gregorius Turon. *lib. 1. hist. cap. 27.* & pluribus rationibus adstruunt Baronius *anno 69. num. 38. & anno 93. num. 1.* Severinus Binius *in notis ad vitam Lini, tom. 1. p. 1. Concil.* quam sententiam admisit Ecclesia, dum in sacro Missæ canone olim, & nunc recepto, post Petrum, Linum, & Cletum, Clementem retulit. Receptior ergo hujus dissidii compositio est, D. Petrum martyrio jam imminente, Clementem sibi successorem designasse, ut constat *ex dicto cap. si Petrus*, & auctoritatibus proximè congestis: cæterùm post Petri mortem Clemens, non ut exemplum perniciosum vitaret, ut v[illegible]unt Glossa, & Turriscr. *in eo textu*, Coh[illegible] *in notis. Cardin. cap. 13.* sed magnâ humilita[illegible]ductus prædictæ designationi renunciavit, & Petro successit Linus, Lino Cletus, Cleto Clemens; & ita renunciatione prædictâ admissâ, quartus Pontifex dicitur Clemens; & hoc sensu accipiendi sunt Doctores, qui D. Clementem immediatum successorem Divi Petri fuisse negant: docuerunt Turriscremata *in cap. 1. 23. dist.* Epiphanius *hæres 27.* Bellarminus *lib. 2. de Rom. Pont. cap. 5.* Nec tunc difficultatem continet factum D. Petri, nam doctè illud expositi Glossa *in cap. si transitus, verbo Non potuit, 73. dist.* dum ait, factum D. Petri ad consequentiam trahi non oportere, cùm divino impulsu motus, & inspiratione divinâ, successorem sibi designavit; nam qui sanctum Mathiam in Apostolum cum consensu fratrum recepit, quomodo sine Ecclesiæ consensu Clementem Pontificem designaret, nisi Spiritus sancti impulsu, quem innuunt illa verba dicti capitis, *sic Petrus repentè consurgens.* Hîc examinanda erat illa satis vexata quæstio, an videlicet Romanus Pontifex posset sibi successorem eligere? In qua negativam sententiam tenuerunt Ludovicus Gomez *in regul. Cancel. de infirm. resig. q. 1.* Jul. Lavor. *lucubrat. tit de elect. cap. 3. per totum.* Cohelius *in dicta notitia Cardin. cap. 13* Mancinus *genial. cap. 178.* Affirmativam autem tenuerunt Cajetanus, Victoria, & alii, quos refert & sequitur Cæsar *de Eccles. hierarch. disput. 1. num. 4.* sed non omnia persequi licet, aut libet. Videndi sunt Vazquez *3. p. disput. 244. num. 16.* Suarez *de fide disput. 10. sect. 4. num. 16.* Theophilus *tom. 12. tract. mala è bonis, fol. 145.* Comitolus *lib. 1. respons. q. 98.* Molina *tract. 5. de justitia & jur. cap. 4. num.* Torres *tom. 1. in 2. 2. disp. 15. sect. 3.* Nec tot exempla suprà relata in contrarium nos movent; nam illa propriè ad successionem in dignitatibus ecclesiasticis non pertinent, sed ad commendationem dumtaxat aliquam, nullum jus tribuentem, nec ad gratificandum personæ factam, sed ad majorem Ecclesiæ utilitatem. Planè felici illo primorum christianorum sæculo adoptabat Sacerdos sibi quisque ferè successorem, non fraude, non affectione domesticâ, non carne, sed occulto numinis judicio, inspiranteque cœlestis Patris instinctu, ut contigit in exempl s suprà relatis; & factum D. Augustini, contigit in plenario Ecclesiæ suæ cœtu, accedente Cleri, & populi consensu, idem *epist. 110.* Deinceps verò cùm sacra officia cœpissent deferri non idoneis, & tales quisque sui Præsulatus velut hæredes nuncuparet, qui docendi magis, quàm docturi essent, vetita est hujusmodi designatio, seu commendatio. Synodus Romana sub Hilario, ibi: *Episcopatum qui non nisi meritis præcedentibus datur, non divinum munus, sed hæreditarium putant esse compendium; & credunt sicut res caducas, atque mortales, ita sacerdotium velut legatario, aut testamentario jure posse dimitti.* De qua commendatione accipiunt textus *in cap. si transitus 10. 79. dist.* Corjolanus *in not. ad Synodum Romanam sub Bonifacio*, & Severinus Binius *in Synodo Romana sub Symmacho, 2. tom. Concil. p. 1.*

17. *Exponitur cap. ex parte 12. de offic. deleg.*

Suprà traditis obstat textus *in cap. ex parte 12. de offic. deleg.* ubi supponitur, nepotem in beneficium avi sui successisse; igitur quia in beneficiis ecclesiasticis successio admittitur. Pro cujus textus expositione juxta communem Interpretum sententiam dicendum est, nepotem in ejus specie non successisse in beneficio jure sanguinis, sed propter resignationem ab avo, vel patruo factam in ejus favorem; nam licèt resignatio conditionalis, in favorem videlicet tertii facta coram Ordinario non valeat, tamen coram Pontifice utiliter fit, & beneficium necessariò

cessatiò illi conferendum est, in cujus favorem resignatur, adjectâ clausulâ, *non aliter, alias, vel alio modo*, ut post Flaminium, Rebuffum, & alios probant Valensis *de benef. lib. 3. tit. 29.* Dartis *de benef sect.* 10. *cap. 3. per tot.* Unde in ea specie, præcedente resignatione potuit beneficium à Romano Pontifice nepoti ipsius beneficiati conferri; nisi dicamus successorem in beneficio plerumque dici eum, qui per electionem, non jure sanguinis, post mortem antecessoris successit, quo modo successor in beneficio accipitur *in cap. accedens 25. de accusat. cap. 2. de arbitr. cap. significavit 36. de rescript. cap. quia, de judiciis, cap. 1. de solut.* & aliis.

CAPVT II.

In (a) *corpore Canonum.*

NOn liceat ulli Episcopo ordinare clericos, & ei nullas alimonias præstare: sed duorum alterum eligat, vel non faciat clericos; vel si fecerit, det illis unde vivere possint.

NOTÆ.

(a) *Corpore.*] In prima collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* legitur, *In corpore Canonum, p. 5. ex novellis*; & rectè, nam licèt sententia hujus textus reperiatur in corpore Canonum edito à Dionysio Exiguo *cap.* 184. ubi refertur Concilii Chalcedon. canon, qui extat *in cap. Sanctorum*, 70. *dist.* verba tamen in præsenti relata non reperiuntur in ipso corpore canonum, sed in Novellis Justiniani per Iulianum antecessorem translatis, *constitut. 5. de numero Clericorum Constantinop. urbis, cap. 2.* ubi postquam in primo fuit statutus numerus Clericorum, Diaconorum, & aliorum ministrorum, hæc subjicit Iustinianus: *Non liceat in minoribus Ecclesiis clericatus honorem suscipientibus, postea in majorem Ecclesiam per patrocinium quorundam transire; sed si quid tale aliquod factum fuerit, irritum sit, & nullius momenti: nec liceat ulli clericos quidem destinare vel creare, nullas autem eis alimonias præstare: sed duorum alterum, vel non faciat clericos vel si fecerit, det eis unde vivere possint. Dat. P. C. Belisario.* Quæ posteriora verba reperiuntur in dicta prima collectione, & in præsenti; citantur tamen ex corpore Canonum, & simul *p. 5. Novel* eâ ratione, ni fallor, *ex p. 5. Novel.* quia reperiuntur hæc verba in dicta constitutione 5. Novellarum Iustiniani: sed quia ea constitutio ultrà quàm Principis sæcularis erat, loquebatur tantùm de clericis urbis Constantinop. Bernardus Papiensis auctor primæ collectionis, volens generalem legem referre, verba transcripsit ex dicta constitutione 5. Et quia eadem ferè sententia reperiebatur in corpore canonum, *cap.* 184. citavit canonem hunc ex eodem corpore. Superest ut referamus, quodnam sit hoc canonum corpus, & quis ejus auctor; cujus corporis mentio fit *in cap. si Romanorum 19. dict. cap. de libellis* 20. & in epigraphe capitis *hæ verò* 27. *q.* 1. Concil. Brachar. 1. *can.* 18. Tolet. 4. *can.* 3. Et ut dixi in apparatu, auctor hujus corporis canonum fuit Dionysius Exiguus, qui continuâ, nec interruptâ numerorum serie canones Conciliorum congessit, & compilavit, ut ipse testatur *in epist. ad Stephanum Salonitanum Episcopum*, apud Baronium *anno* 527. *num.* 74. Hæc verò Dionysii collectio recepta fuit ab Ecclesia, & illa ipsa est, quæ ab Hadriano R. P. ad dispositionem Ecclesiarum Occidentalium Carolo Magno Romæ data est anno 773. cujus epitome ab Henrico Canisio primùm evulgata, omnino cum Dionysii collectione convenit. Hoc corpus canonum approbavit Justinianus *in Novella* 131. & plura de eo congesserunt citati in dicto apparatu, & Justellus, qui illud edidit Latino Græcum. Et hæc de hac epigraphe sufficiant: Commentarium dabimus infrà *in cap.* 4.

CAPVT III.

(a) Gregorius *Anthemio Subdiacono.*

PErvenit ad nos, quondam Benenatum Messenatem (b) Episcopum pro construendo illic castro solidos accepisse. Et quia pars eorum solidorum apud eum dicitur remansisse, experientia tua subtili indagatione perquirat; & si quid manifestè de ipsis solidis cognoveris remansisse, Comitatio Comiti prædictæ civitatis sub desuscepti illud pagina contradat, atque immineat, ut in constructione ejusdem loci, sicut sunt dati, Deo adjuvante proficiant: quia ratio nulla permittit, ut propriis cujusquam usibus applicetur, quod pro communi utilitate datum esse cognoscitur.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. (a) *Gregorius*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. & etiam *in cap.* 2. 17. *q.* 4 & reperitur textus hic *lib.* 11. *epist. D. Gregorii, indict.* 6. *epist.* 33. ex quo Regestro ita textum restituo. De Anthemio Subdiacono jam nonnulla notavi *in cap. unico, de syndico.*

(b) *Messenatem.*] Messena civitas Græciæ est in Peloponneso, de qua D. Hieronymus *contra Jovinianum*, Plinius *lib.* 4. *cap.* 5. à qua Messenii dicti fuerunt. Hi amicitiam diu retinuerunt cum Spartanis, sed ab eis tandem in servitutem redacti fuerunt. Jam olim Cathedrâ Episcopali hæc urbs decorata fuit, unde Joannes ejus Præsul subscripsit epistolæ synodicæ Achajæ ad Leonem Imperatorem: & hujus Benenati Episcopi meminit ipse D. Gregorius relatus *in cap* 48. 16. *q.* 1. obiit iste episcopus anno 598. ut constat ex ipso Gregorio *lib.* 7. *indict.* 2. *epist.* 25. ubi Fortunato Episcopo Neapolitano commendat visitationem Messenæ urbis, & *epist. sequenti*, electionem futuri Episcopi Clero, populoque ipsius urbis graviter commendat. Sed si eo anno decessit Benenatus, ut constat ex dictis epistolis 25. & 26. quæ incidunt in dicto anno 599. quomodo in præsenti epistola 33. & antecedenti, quæ incidunt in annum 603. agitur de ipso Benenato. Difficultate oppressus D. Rochus Pirrho *tom.* 1. *Sicil. in notis Ecclesiæ Messan. anno* 603 *fol.* 288. asseruit, seriem epistolarum D. Gregorii corruptam, & turbatam esse, atque præsentem epistolam priori loco fuisse compilandam: sed licèt hoc libenter admitterem à doctissimo viro, & epistolarum D. Gregorii valdè studioso; tamen quid interest, cùm in dictis epistolis 25. & 26. referatur tantùm decessisse Messenensem Episcopum, eas deferre ad prædecessorem nostri Benenati, in cujus locum ipse suffectus est? & ita mirè congruit anno 598. decessisse Messenensem Episcopum, & statim anno 599. electum fuisse Benenatum, & ejus excessus reprehendere Divum Gregorium in præsenti epistola, & antecedenti, cùm per annum 603. floruerit ipse Benenatus.

COMMENTARIUM.

2. CUm in præsenti compilatione, & in prima, à qua textum hunc transcripsit Raymundus, tantùm regula generalis compilata sit, deducta ex finalibus verbis hujus epistolæ, varia ejus exempla, diversosque casus, in quibus locum habeat, congesserunt repetentes in præsenti; proprius, verusque ex ipsa epistola apertè cognoscitur, ita ex Regestro D. Gregorii restituta, quod utinam in aliis regulis, & hujus juris decisionibus truncatis, atque diminutis compilatis, assequi possemus. Sed alia exempla etiam hujus regulæ afferamus, in quibus juxta rubricam sub qua jacet, & mentem compilatoris accipi possit. Primum peti potest ex rebus, quas Ecclesia possidet, separatas à mensa, & rationibus Prælati, ex quibus sicut nulli alii, ita nec Prælato permittitur aliquid subtrahere, & propriis usibus accommodare, *cap. prædia* 5. 12. *q.* 2. cui exemplo simile peti potest *ex cap.* 2. 10. *q.* 3. Aliud exemplum poni potest in bonis Ecclesiarum intuitu relictis clericis, de quibus aliquid suis usibus ipsi applicare nequeunt, *cap. Pontifices* 3. 12. *q.* 3. *cap. requisisti*, 15. *de testam.* His adjungunt repetentes casum ex bonis, quæ supersunt Ecclesiæ Prælato defuncto, quæ cùm ad propriam Ecclesiam spectent, quia de his disponendi non habet facultatem, nulli hæredes, neque scripti, nec legitimi ipsa bona sibi usurpare possunt, *cap.* 1. & 2. 12. *q.* 3. *cap. fixum* 12. *q.* 5. ut ita sit hæc decisio velut appendix capitis 1. *hoc tit.* reddaturque hîc ratio, ob quam bona ecclesiastica, hoc est quæ ad jus Ecclesiæ pertinent, aut à clericis dum decedunt, relinquuntur, non sint jure consanguinitatis ab aliquo retinenda, quia cùm ad Ecclesiam pertineant, & pro communi utilitate servari debeant, propriis alicujus privati usibus applicari non possunt; sed cùm textus *in dicto cap.* 1. non de his bonis, sed de beneficiis ecclesiasticis loquatur, ut in ejus commentario probavi, hanc connexionem, & expositionem rejicimus. Nec magis audiendi sunt repetentes in præsenti, qui casum hujus regulæ deducunt ex bonis, seu redditibus beneficiorum, quos beneficiarios usibus propriis applicare non posse, probant ex hoc textu: quare hîc latè disputant, an clerici & Ecclesiarum Prælati, veti domini, an tantùm usufructuarii sint bonorum proprii beneficii? Quam quæstionem ad amussim examinatam reperies in titulo *de pecul. cleric.* ex quo commentario probabis facilè præsentem regulam huic casui adaptari non posse, cùm clerici juxta veriorem sententiam possint ex fructibus sui beneficii in usus proprios omnia necessaria convertere, quod in præsenti textu prohibetur, ibi: *Usibus applicetur.*

Præsens regula juxta casum proprium, & alios 3.
supra relatos accepta, magnâ nititur ratione; nam destinata ad unum usum, non possunt in alium converti, contra disponentis voluntatem, si eo modo, & formâ domini dispositio exequi potest. *Clementin. contingit, de relig. dom. l. legatum, ff. de usufruct. legat. l. legatam, ff. de administr. rerum.* docent Covar. *in cap. tua, num.* 9. *de testam. & lib.* 3. *var. cap.* 6. *num.* 7. Menchaca *de succes. creat. lib.* 1. §. 7. *num.* 21. Moneta *de commut. in princip.* Unde cùm certa quantitas solidorum data fuisset Benenato ad constructionem castri in bonum commune, non poterat ipse eam quantitatem propriis usibus applicare, contra voluntatem dantis, & publicam utilitatem, quæ privatæ præfertur, *l. actiones* 65. §. *Labeo, ff. pro socio, l. judicem* 21. *ff. communi divid.* junctis traditis à Fortun. Garcia *in l.* 3. §. *ex parte, ff. de just. & jure.*

CAPUT

CAPVT IV.

Alexander III. (a) *in Concil. Later.*

EPiscopus si aliquem sine certo (b) titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in diaconum (c) vel presbyterum ordinaverit, tamdiu ei necessaria subministret, donec in aliqua Ecclesia ei convenientia stipendia militiæ clericalis assignet. Nisi fortè talis ordinatus de sua, vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere.

NOTÆ.

(a) *Lateranensi.*] Ita etiam legitur *in* 1. *collect. sub hoc tit. cap.* 4. Concius tamen addidit *cap.* 5. & rectè, cùm in Concilio Lateran. celebrato sub Alexandro III. *cap.* 5. reperiantur verba hujus textus.

(b) *Titulo.*] Titulus pro causa plerunque ponitur, unde quod D. Joannes vocat titulum, qui fuit cruci Domini nostri superpositus, SS. Lucas, Matthæus, & Marcus vocant causam supplicii: unde titulus pro causa possidendi, quia ipsum possessorem tuetur, dicitur *in l.* 4. *ff. de contrab. emption. l.* 3. *C. de petit. hæredit.* ubi notavit Cujacius; aut quia memoriam tueatur auctoris, quâ ratione librorum titulos ita appellatos esse docent Hieronymus Magius *lib.* 1. *Miscel. cap.* 14. Marcel. Donat. *ad Ammianum Marcel. cap.* 27. quare olim tituli ponebantur singulis quibusque rebus, domibus, aut prædiis, ut cujus essent, & ad quos pertinerent, facilè cognosci posset. D. Augustin. *in psalmo* 21. ibi: *Ubi potest aliquis invenerit titulos suos, nonne jure rem sibi vindicat? & dicit, non ponerem titulos meos, nisi res mea esset.* P. Chrysologus *serm.* 154. ibi: *Dominum prædiorum limitibus affixi tituli proloquuntur.* Divus Gregorius Magnus *lib.* 4. *epist.* 44. ibi: *Proinde præsenti decreto constituo, ut si quis Ecclesiasticorum unquam titulos ponere, sive in rustico, sive in urbano prædio sua sponte præsumpserit anathema sit.* Cassiodorus *lib.* 4. *epistola* 14. *Si quis jussa nostra agresti spiritu resupinatus abiecerit, casas ejus applicitis titulis fisci nostri juribus vindicabis.* Horum titulorum frequens mentio extat in jure Cæsareo, *in l.* 3. *C. de bonis vacantib. l. final.* §. 5. *C. de delat. Novel.* 28. *cap.* 5. *Novel.* 29. *cap.* 4. *Novel.* 30. *cap.* 8. Julian. *Novel.* 21. *cap.* 23. *Novel.* 22. *cap.* 5. Huc pertinent leges quæ extant sub titulis *de his qui potent. nomine titulos prædiis affigunt* & *lib.* 2. *tit.* 16. qui talis est; *Ut nemo privatus titulos prædiis suis, vel alienis imponat, vel vela regia suspendat*: & aliis congestis à Gothofredo *ad tit. C. Theodos. de his, qui potentiorum nomina.* Basil. Legion. 9. 7. *scholast. cap.* 2. quod jus titulos apponendi posterioribus sæculis regale fuisse, satis innuunt Honorius, & Theodosius *in l.* 1. *C. eod. tit. Ut nemo privatus*, illic: *Regiæ majestatis est, ut nostra tantùm domus, & patrimonia, titulorum inscriptione legantur*, &c. Justinianus ad Moderatorem Helespontiæ, *in Novella* 28. *cap.* 5. scribens, ita inquit: *Cavebit verò etiam, ne quod præcipuè in Ponto committi solet, ejus rei cuipiam facultatem det, ut nempe titulos imponat prædiis, vel alienis, ædibus; siquidem hoc solummodo fisci proprium est, & Regiarum domuum, tam navium, quàm pientissimæ Augustæ. Si verò sub alterius appellatione tabulas, sive titulos impositos deprehendat, tam ipsas protinus detrahet, quam eum, qui ipsas affixerit, perveſtigabit. At si quidem is, qui se rei dominum esse dicit, hoc fecerit, extemplò illius rebus publicos imponet titulos, priùs his titulis, quos apposuit, ad caput ejus impactis, confractisque.* Similia verba habet *Novel* 29. seu *Authent. de Prætore Paphlagoniæ, cap.* 4. *vers. certè quod facilè*; & *Novel.* 30. seu *Authent de Procons. Cappadoc,* §. 8. *in fine*; & generatim quidquid ad Fiscum pertinebat, fiscalibus titulis notabatur, & consecrabatur. Elegans textus *in l.* 1. *C. Theodos. de incorpor.* ibi: *Tituli verò, quorum adjectione prædia nostris sunt consecranda nominibus.* Quam consecrationem commemorationem nostrorum nominum vocavit idem Theodosius *in l. si quis* 11. *C. de bonis proscript. in Theodos.* Inde tituli Serenitatis *in l.* 2. *C. Theodos. de pœnis, l.* 3. *eod. Cod. de aquæductu, Novel.* 28. *Justin. cap.* 5. & 29. *cap.* 4. Sacri tituli apud Symmachum *lib.* 5. *epist.* 52. *l.* 1. *C. de incorporat.* adde elegantissimum locum apud Henricum Valesium *ad Ammian. Marcel. lib.* 29. *pag.* 387. & 391. Illustrant Bulenger. *lib.* 3. *de Imper. cap.* 26. Amaya *ad leg.* 5. *C. de bonis vacant. lib.* 10. Bernart. *ad lib.* 1. *silv. stat. Papin. fol.* 73. Dartis *in cap.* 1. 16. *q.* 6. Mornacius *ad leg.* 1. *C. ut nemo privat. tut. & in Authent. Signa, C. ut nemo privat. sine jud.* Menochius *de arbitr. cas.* 338. Exea *in l. unic. C. de palatiis*, Novatinus *lib.* 4. *schedias, cap.* 29. Verrucius *in lexic. verbo Titulus*, Cujac. *ad tit.* 1. *feud.* Cerda *in adversarius. cap.* 86. *num.* 4. Erant autem tituli Principum & Regum aliquando quidem vela, quæ repræsentarent Regiam potestatem, insignita imaginibus Imperatorum, & Principum, vel eorundem nominibus inscripta, eo ferè modo, quo hoc tempore cùm urbs vel recuperaretur, vel jam primùm obtineretur, vexillum Principis in editioribus locis statui, vel saltem insignia in portis, portubus, & porticibus, aliisque locis pingi, & effingi solent, ut hac ratione tanquam titulo quodam urbis dominium sibi vendicet; & talia vela nominantur *in l. ne quis, C. ut nemo privatus, Vela Regia.* Et Sanctus Ambrosius vocat Regias cortinas, dum scribit ad Marcellinam de Valentiniano Imperatore, qui cortinarum illatione intra Basilicam, sui juris eam facere tentarat, sed inani conatu, cortinis ad puerorum turbam dilaceratis. Agathias *historiar. lib.* 5. *pag.* 142. *Cùm autem Anatolii funus offerretur ad sepulturam, tum verò quidam è turba spargebant in vulgus, eum justissimè è medio sublatum, quippe qui injustissimus fuisset, multosque suorum amicorum spoliasset, quodque illa scriptæ tabellæ, & subpurpurei panni hunc exitum habuissent, quos ille frequenter opulentiorum domibus imposuit, prætexens*

texens benevolentiam erga Imperatorem, &c. De his tabulis, seu titulis accipiunt textum *in l. final. §. si ad januam, ff. quod vi aut clam.* Lindembrog. *in Glossar. verbo Tituli*, Duarenus *lib. 2. disput. cap. 40.* Sed rectiùs textum illum accepit Josephus ab Exea *in l. unic. C. de palat. fol. 17.* Supponit enim, apud Romanos tabularum inscriptiones, & titulos variis ex causis rebus apponi, ad indicandum quod quisque vellet, *l. 8. ff. ad legem Jul. pecul.* Inde locandis ædibus tabula appendebatur, ut ex Terentio, & Cicerone probat Brissonius *lib. 3. select. cap. 8.* Fuerunt auctionis, & venditionis tabulæ, de quibus agit textus *in l. Julianus, 13. §. Julianus, ff. de action. empti, l. item apud Labeonem, 15. §. item si quis. ff. de injuriis*, Mornacius *in d. l. unic. C. ut nemo privatus.* Similiter fuisse tabulas ad designandos limites agrorum, constat *ex d. l. qui tabulam 8. ff. ad legem Jul. pecul.* quam ita accipiunt Brissonius & Cujacius, quos refert & sequitur D. Joannes Suarez *ad leg. Aquil. lib. 2. sect. 10. num. 23.* tandem in usu fuit locatis domibus tabulas affigere ob non solutam pensionem, ut invecta & illata describerentur, *l. cùm Domini, ff. locati*: tabulæque ita affixæ januæ aditum, aut exitum præcludebant, *l. si injuria, ff. de injur. l. ult. C. Theodos. de administr. tut.* ut ex Fornerio; & Samuele Petito notat D. Joannes Suarez *ubi proximè*; & sic dominus omnia invecta, & inclusa tacitè oppignorata retinebat, quo modo intelligitur Paulus *in l. pen. ff. in quibus causis pignus*, dum inhabitantes servos manumitti posse ait antequam pensionis nomine præcludantur. Explicant Cujacius *lib. 17. observ. cap. 39. & in l. 1. C. de necessariis servis.* Merillus *lib. 3. obs. cap. 25.* De his ergo tabulis taciti pignoris Venulejum *in dict. l. final.* accipit eruditus Exea, à cujus sententia non multùm abscedunt Cujac. *lib. 16. obs. cap. 12.* Alciatus *lib. 4. parerg. cap. 20.* Suarez *dict. sect. 10. a num. 23.* Amaya *in l. 5. C. de bonis vacant. lib. 10.* qui plura de his tabulis eruditè congesserunt. Alia etiam de variis tituli acceptionibus cumularunt Bulengerus *de picturis lib. 1. cap. 22.* Germonius *de indult. Cardin. verbo Tituli*, Baronius *anno 112.* & in Martyrol. *die 26. Julii*, Cohelius *in notit. Cardin. cap. 6.* P. Gregorius *lib. 1. syntag. cap. 5. in fin.* & *lib. 15. cap. 26. à num. 1.* & *de benefic. cap. 8.* Petrus Faber *lib. 2. semestr. cap. 8.* Vaconius *lib. 4. declarat. cap. 1.* Ab hisce ergo titulis ædes fidelium divino cultui mancipatæ, in quibus fideles synaxes agere consueverant, tituli dictæ fuerunt, quia in eis crucis signum in titulum apponebatur. Anastasius Biblioth. *in vita Sylvestri*, ibi: *Hic fecit in urbe Roma Ecclesiam in prædio cujusdam presbyteri sui, qui cognominabatur Equitius, quem titulum Romanum constituit juxta thermas Domitianas, qui usque in hodiernum diem appellatur Titulus Equitii.* Et *in l. ult. C. Theodos. de pagan. l. decernimus, 26. C. de Episcop. & Cleric. Novel. 117. cap. 7. constit. 4. Juliani, cap. 1. cap. nemo, de consecr. dist. 1.* Hinc in Ecclesiasticis historiis legitur titulus Pastoris, titulus Euprepriæ; hoc est, Ecclesia à Pastore presbytero, & ab Euprepria condita: & eo sensu legi Evaristum in urbe titulos, id est, Ecclesias divisisse presbyteris; & Marcellum 25. titulos in eadem urbe instituisse, ex Anastasio, & Beda notarunt Baron. *anno 112.* Severinus Binius *in not. ad epistolam 3. Evaristi*, & apud Prudentium *hymno 12.* legitur:

Parte aliâ titulum Pauli via servat Hostiensis.

Inde jus tituli in Concilio Brachar. *1. can. 31.* ibi: *Presbyteri, qui in titulis consecrantur.* Synodus Rhemens. *can. 26.* Turon. *3. can. 14.* ibi: *De titulo minori ad majorem migrare nulli presbytero licitum sit, sed in eo permaneat, ad quem ordinatus est.* Concilio Meldensi *can. 11.* apud Altheti. *can. 36. & lib. 5. Capitul. Caroli, cap. 108.* ibi: *Presbyteri, qui in titulis consecrantur, secundùm canones antequam ordinentur, promissionem stabilitatis loci illius faciant.* Et *lib. 7. capitul. 178.* excommunicantur presbyteri, qui titulos suos absque consensu Episcopi dimittunt, *lib. 1. feudor. tit. 6.* ibi: *Dederit de rebus Ecclesiarum, quæ eis subjectæ sunt, & tituli vocantur*; & aliis congestis à Baronio *anno 112. num. 4.* & *162. num. 3.* & *164. num. ult.* & *165. num. 3.* & *166. num. 1.* Turrian. *lib. 5. pro epist. cap. 24 pag. 259.* Frances *de Eccles. Cathedr. cap. 15. num. 65.* Inde titulus pro Ecclesia ponitur *in cap. dilectus, de capel. monach.* & clerici intitulati, pro beneficiatis, qui Ecclesiis præfecti sunt, accipiuntur *in cap. 3. de cleric. conjug.* & aliis congestis à Filesaco *de orig. paroec. cap. 2.* Hinc & Jacob Patriarcha *Genes. cap. 28.* consecrare volens locum in quo viderat Angelos per scalam ascendentes, & descendentes, erexit lapidem in titulum, fundens oleum desuper; nomenque urbis appellavit Bethel, hoc est domum Dei: *Et lapis iste, quem erexi*, inquit, *in titulum vocabitur domus Dei.* Nec dubito, quin titulus iste à Patriarcha erectus, figura, & umbra fuerit titulorum, quos christiani aliquando erant erecturi. Quare totum etiam illud sanctissimi Patriarchæ factum in dedicationibus templorum solenniter legitur, & canitur. Plura congessit P. Grethserus *lib. 2. de Cruce, cap 7.* Nec inde credas, omnes basilicas olim titulos fuisse; tituli enim erant præcipuæ Ecclesiæ; reliquæ basilicæ tantùm, cæmeteria, oratoria, quæ pietatis augendæ, & commodiùs exercendæ gratiâ ad faciliorem populi conventum passim in urbe dedicabantur; nec statim presbyteri in illis titulares apponebantur, sed aliqui commendabantur usquedum in earum titulum presbyteri ordinarentur. Anastasius Biblioth. *in Innocentio I.* ibi: *Eodem tempore dedicavit Basilicam sanctorum Gervasii, & Protasii, ex devotione testamenti ejusdem illustris fœminæ.* Et infrà: *In quo loco Beatissimus Innocentius ex delegatione illustris fœminæ Vestinæ titulum Romanum constituit.* Quæ verba, & alia quæ sequuntur, doctè explicat Bosquetus *ad Innocentium lib. 2. epist. 136.* Et Damasum duas basilicas dedicasse, & unam tantùm ex his in titulum erexisse, legitur apud eundem Anastasium in ejus vita; & ita poterat unus presbyter habere unam Ecclesiam in titulum erectam, & aliam commendatam, quæ nondùm in titulum erecta erat, tanquam membrum, seu capellam Ecclesiæ principalis. Concilium Metense *can. 11.* ibi: *Unusquisque presbyter unam solummodo habeat Ecclesiam, nisi fortè antiquitus habuerit capellam, vel membrum aliquod adjacens sibi, quod non expedit separari.* Concil. Natinet. apud Burchardum *lib. 2. Decreti, cap. 26.* ibi: *Ut si quilibet presbyterorum defunctus fuerit, vicinus presbyter apud seniorem sæcularem nullâ præ-*

cautio-

tatione, vel xenio Ecclesiam illam obtineat, quia titulus per se constans antè extitit; sed neque capellam sine consultu Episcopi. De hoc titulo ita pro Ecclesia, ad quam presbyter ordinatus est, accipit Bosquetus *ubi suprà*, textum *in can. 33. Concilii Carthag.* ibi: *Non habenti necessitatem, nec Episcopo licet usurpare rem aliquam tituli Matricu Ecclesiasticæ.* Ubi ex exemplari Græco rectè legendum existimat: *Non habenti ergo necessitatem, nec Episcopo liceat Matricis Ecclesiæ, nec Presbytero rem tituli sui usurpare.* Plura alia de titulo Ecclesiæ congessit Ferrandus *disquisit. relig. lib. 1. cap. 6. art. 2.*

(c) *Diaconum.*] Sed non levis controversia est, an præsens constitutio tantùm de presbytero, & Diacono, de quibus loquitur, sit exaudienda, an verò de Subdiacono, & inferioribus clericis, ex identitate rationis, videlicet ministerii Ecclesiastici, & ne ipsi in opprobrium Ecclesiastici gradus mendicare cogantur? Et de omnibus Alexandrum esse exaudiendum, suadetur primò, quia si clerici in minoribus constituti gradibus mendicare cogantur, sequitur opprobrium, seu contemptus clericalis ordinis. Secundò quia & ipsi minoribus gradibus initiati ministerium proprium impendunt in Ecclesia, ut constat *ex cap. 1. 15. dist. cap. Acolytus, cum seq. 23. dist.* ubi eorum officia recensentur. Igitur ad titulum certæ Ecclesiæ debent ordinari, ut ex ea sustententur. Faciunt textus *in cap. 1.* ibi: *Presbyterum, Diaconum, vel quemlibet*; & *cap. Sanctorum, 70. dist.* ubi cùm agatur de ordinationibus sine titulo non faciendis, generaliter de omnibus clericis idem statuitur; igitur tam de ordinandis in majoribus, quàm in minoribus gradibus sunt exaudiendi, juxta regulam, quam deducunt omnes *ex cap. clerici, 21. dist. cap. de persona 38. 11. q. 1.* Sed adhuc contraria sententia tenenda est, videlicet præsentem constitutionem tantùm de ordinandis in sacris Ordinibus esse exaudiendam; quod in universali Ecclesia ita receptum esse post Tridentinum *sess. 21. de reform. cap. 2.* docent Flamin. *de resign. lib. 2. q. 6. num. 4.* Quintanadvennas *lib. 3. Eccles. num. 17.* Salcedo *in praxi cap 18. num. 5.* Suarez *de censur. disp. 31. sect. 1. num. 33.* Nec hac sententiâ retentâ obstant fundamenta contrariæ sententiæ; nam ut docent Doctores proximè relati, non eadem ratio militat in ordinandis absque titulo in minoribus, ac in majoribus gradibus; nam clerici in minoribus ordinibus constituti, absque dispendio clericalis ordinis possunt aliunde officio, aut artificio sibi quærere necessaria, quod clerici in sacris constituti absque dedecore Ecclesiastici gradus facere nequeunt, *cap. 1. ne clerici, vel monachi*; nec assiduum præstant in Ecclesia famulatum, officiisque divinis intersunt clerici in minoribus, ut in majoribus gradibus constituti; unde præsens prohibitio de non ordinandis sine titulo, non procedit in initiandis minoribus ordinibus, ac in promovendis ad sacros Ordines.

COMMENTARIUM.

4. Ex hoc textu, *junctis cap. 2. cap. cum secundum, hoc tit.* sequens communiter deducitur assertio: *Episcopus non debet aliquem ordinare sine titulo, & si secus fecerit, tam ipse, quàm ejus successor tenentur ita ordinato alimenta præbere usquedum beneficium assequatur.* Probant, vel saltem ad eundem sensum reducendi sunt textus *in c. 1. & 2. 70. dist. cap. accepimus 13. de ætate & qualit. cap. 5. de filiis presbyt. cap. tuis, 23. hoc tit. cap. cùm de beneficio 5. cap. si Episcopus 37. hoc tit in 6. cap. postulasti, de jure patron. cap. per tuas, 35. cap. si quis 45. de simonia.* Concilium Laodic. sub Innoc. III. *anno 1200. cap. 3.* Abricense tempore Alexandri III. *can. 6.* ibi: *Item sacerdotes non ordinentur sine certo titulo.* Salceburg. tempore Martini V. *can. 5. Nullus admittatur ordinandus, vel promovendus ad ordinem super vicaria, nisi sit perpetua, à qua non possit ad inordinatum placitum amoveri.* Senonense *anno 1527. can. 4. Prohibemus, ne aliqui ad sacrum subdiaconatûs ordinem assumantur, nisi sub titulo beneficii viginti librarum Parisiensium ad minùs, vel patrimonii similis valoris.* Coloniense anno 1536. *can. 2.* Mogunt. tempore Pauli III. anno 1549. *can. 81. Nec quisquis ordinandus recipiatur, nisi ad certum titulum Ecclesiastici beneficii, quod sit perpetuum, à quo non possit ad inordinatum alicujus placitum amoveri.* Trident. *sess. 21. de reform. cap. 2.* Authent *ut determinatus sit numerus, § illud collat. 1.* consonat de jure nostro lex *14. tit 15.* lex *9. tit. 19. partit. 1.* lex *1. tit. 3. lib. 1. recopil.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Garanna, Barbosa *de potest. Episc. alleg. 70. per totam*, Petrus Gregor. *lib. 1. de rescript. cap. 5. & de benefic. cap. 8. & lib. 1. partit. tit. 13. cap. 5.* Cironius *ad tit. de ætate & qualit.* Narbona *in d. l. 1. recopil. glossa 1.* Ægidius Bossius *tom. 1. moral. tit. 3 per totum.* Mancinus *juris sacr. controv. dist. 21.* Menardus *in not. ad sacram. D. Gregorii, fol. 283.* Filesacus *de orig. Paroch. cap. 2. & 3.* Æneas Robertus *lib. 3. rer judic. cap 2.* P. Bollo. *in œconom. canonic. class. 1. cap 2. §. 8.* Barbosa *de jure Eccles. lib. 1. cap. 33 num. 150.* Acunna & Joan. Dartis *in dicta 70. dist.* Suarez *de censur. disput. 31. sect. 1. num. 33.* Bosquetus *in not. ad Innoc. III. lib. 3. epist. 18. & 184.* D. Joseph. Vela *dissert. 43. num. 33.* Hieronymus Garcia *in summa tract. 1. difficult. 1. dub. 5. punct. 3.* Duarenus *lib. 1. de sacr. cap. 16.* Quintanadvennas *Ecclesiast. cap. 3.*

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti consideratione: nam aut clerici necessariò sunt ordinandi ad titulum beneficii, seu certæ Ecclesiæ, ut ejus stipendiis sustententur; aut ut ibi residеant, sintque locales, non vagi, & accephali: sed neutrum necessarium est, immò contrarium disciplinæ Ecclesiasticæ: ergo præsens prohibitio aliena prorsus est à peritia canonica. Major patebit ex infrà dicendis; minor autem constat: nam si in ordinando titulus desideratur ut dicendia recipiat ab Ecclesia, ubi officium, & ministerium impendit; sæpe sæpius clerici Ecclesiæ stipendiis non sustentantur; *cap. 1. de postul.* ibi: *Si stipendia Ecclesiæ sustentantur, &c. Clericos autem illos convenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus nulla parentum suffragantur bona*; quæ habentur *cap. 1. q. 4.* immò & industriâ, & artificio victum, & sibi necessaria quærere illis jubetur *in cap. 1. 2. 3. & 4. 91. dist.* Igitur necessariò clericus non debet stipendiis Ecclesiæ sustentari. Aliud membrum minoris propositionis probatur ex usu Ecclesiæ; plerunque enim clericos ordinari sine certa sede, ut tantùm essent circuitores, constat *ex can. 16. Synodi Laodicenæ*, ibi: *Quod non oportet in vicis, & regionibus Episcopos constitui, sed visitatores.* Ubi Zonaras notavit, Visitatores esse circuitores regionum, nullam certam sedem habentes, argumento legis *6. §. 1. ff. de excusat. tutor.* quorum meminerunt Justi-

Impugnatur traditâ assertio.

nianus *in l. 41. C. de Episcop. & cleric.* D. Gregorius *in lib. 3. epist. 2 ad Maximianum*, ibi: *Visitatores Ecclesiarum, clericique eorum, qui eum ipsis per non suæ civitatis parœcias fatigantur, aliquod laboris sui capiant te disponente subsidium.* Joannes II. Pontifex *epist. 3. ad Episcopos Galliæ*, notavit Justel. *in Codice Canonum Eccles. univers. fol. 217.*

6. *Traditur ratio decidendi.*

Quâ difficultate non obstante, verum est, clericos non debere ad sacros Ordines ascendere, nisi cum vero, & certo titulo; nonnulla enim in militia Ecclesiastica, seu cælesti, argumento deducto à militia castrensi, in Ecclesia recepta fuisse pluribus parallelis ab utraque deductis, jam illustravi in titulis *de servis non ordin.* & *de corpore vitiatis*: id tantùm in præsenti observandum est, clericos exemplo militum certum titulum habere debere, ut de militibus prodit Suetonius *in Claudio cap. 25.* ibi: *Stipendiaque instituit, & imaginariæ militiæ genus (quod vocatur supra numerum) quo absentes & titulo tenus figerentur.* Et *sicut titulus militum erat ut essent hujus, vel illius cohortis, aut centuriæ*, Vegetius *lib. 2. de re milit. cap. 18.* ibi: *Præterea in averso scuto unuscujusque militis erat nomen adscriptum, addito ex qua esset cohorte, quâve centuria: ita clerici titulum proprium habere debent, ut illius Ecclesiæ dicantur.* Docuit Petrus Chrysologus *serm. 109* ibi: *Quis sine titulo militem se ausus est, profiteri? Quis sine dignitatis insulis nomen dignitatis invadit?* Et observavit Merillus *lib. 3. observ. cap. 2.* Inde Ecclesia jam ab ejus cunabulis clericos certo titulo præfici, & propriæ Ecclesiæ servitio mancipari statuit, vagos, & acephalos clericos magnoperè abhorrens. Concilium Mogunt. *can. 22.* ibi: *De clericis vagis, & acephalis, id est, qui sunt sine capite, neque sub Episcopo, neque sub Abbate, sed sine canonica vel regulari degentes, præcipimus, ut Episcopi sine ulla mora eos sub custodia constringant.* Concilium Meldense *can. 52. Qui verò ex nostris parochiis, aut ad titulum, aut absolutè ordinari petuntur, nullatenus ordinentur, nisi aut in clero certo & religioso, vel etiam in civitate, saltem uno anno immorentur, ut de vita, & conversatione, & doctrina illorum certitudo possit agnosci, & nemo absolutè quemquam ordinare præsumat, sicut sancti sanxerunt canones.* Concilium Chalcedon. *can. 6.* illos appellat dissolutè ordinatos, licèt illis primis Ecclesiæ sæculis viri aliqui eruditione, ac pietate insignes hac lege soluti absolutè sine Ecclesia ordinati fuerint, ut Sanctus Nolæ Episcopus de se refert *epist. ad Severum Sulpitium*, quæ est 6. Paulinarum, ibi: *Nam eâ conditione in Barchinonensi Ecclesia consecrari adductus sum, ut ipsi Ecclesiæ non alligarer, in sacerdotium tantùm Domini, non etiam in locum Ecclesiæ dedicatus.* Itidem epistola ad D. Augustinum scripta, quæ est 355. inter Augustinianas, loquens de B. Ambrosio, ait: *Suo me clero vindicare voluit, ut etsi diversis locis degam, ipsius presbyter censear.*

7. *Restituitur littera cap. neminem 70. dist.*

Prior ergo lex hanc prohibitionem complectens, quæ extat in corpore juris, est Concilii Chalced. relati à Gratiano *in cap. neminem 1. 70. dist.* quem canonem infideliter, & infeliciter versum esse ex Græco autographo, questi sunt eruditi viri. Apud Gratianum legitur, *manifestè*, manifesto errore, cùm *specialiter*, verti debeat. Deinde habet Gratianus, *in Ecclesia civitatis suæ*, qui illud *suæ*, addidit de suo. Etiam vertit, *possessionis*, cùm legendum esset, *pagi*. Tandem vertit, *merentur publicatæ ordinationis vocabulum*, cùm vertendum esset, *publico edicto*, seu potiùs *præconio assignetur*. Vere, & integrè canonem illum ita vertit Balsamon, ibi: *Nullum absolutè ordinari, nec Presbyterum, nec Diaconum, nec omnino aliquem eorum, qui sunt in ordine Ecclesiastico, nisi specialiter in Ecclesia civitatis, vel pagi, vel martyrio, vel monasterio is qui ordinatur, designetur. Eos autem, qui absolutè ordinantur, decrevit sancta Synodus irritam, ac invalidam habere ejusmodi manuum impositionem, & nusquam exercere, ac operari posse ad ejus, qui ordinavit, injuriam.* Eo modo illum legit Dionysius Exiguus *in can. 184. Codicis Canonum Ecclesiæ*, ex quo transcriptus est textus *in cap. 2. hoc tit.* Statuunt igitur Sancti PP. neminem absolutè esse ordinandum, sed certo loco esse assignandum, in quo suo, sive Presbyteri, sive Diaconi, aut alterius ordinis fungatur officio. At ne quis causari possit, se generaliter Ecclesiæ fuisse ordinatum, & canoni satisfeciisse, si modò in alio loco, prout libuisset, munus suum obiret, ut de S. Paulino retulimus; idcirco additum est in eo canone, *specialiter*, quasi innuant Patres, non cuilibet Ecclesiæ civitatis, sed huic, vel illi; non cuivis pago, sed certo, ac definito; non cuilibet martyrio, aut monasterio, sed ei, quod fuerit nominatim expressum. Firmatur mirè hæc Concilii Chalced. constitutio ex Concilio Cabilonensi, temporibus Caroli Magni, *can. 43*, quæ verba etiam reperiuntur *in addit. capitul. lib. 3. cap. 37.* ibi: *Sunt in quibusdam locis Scoti, qui se dicunt Episcopos esse, & multos negligentes absque licentia dominorum suorum, sive magistrorum Presbyteros, & Diaconos ordinant: quorum ordinationem, quia plerunque in simoniacam incidit hæresim, & multis erroribus subjacet, modis omnibus irritam fieri debere omnes uno consensu decrevimus.* Ubi notandum est, errones illos Episcopos, quos Synodus Scotos appellat, non ideò damnari tantùm, quia vix sine simoniaca labe aliquos in alienis diœcesibus ordinarent, sed propter admissos in similibus ordinationibus errores, & eum præsertim, quo absolutè, nec ad ullum titulum, vel Ecclesiam illos ordinarent.

8. *Exponitur cap. 1. 70.*

Sed breviter prosequamur expositionem ejusdem canonis relati *in cap. 1. 70. dist.* Ajunt Patres Ecclesiæ, *civitatis, sive possessionis*: alibi, *vel textus in D. pagi.* Quibus verbis nonnulli ducti existimarunt, per verbum *possessionis*, admissam esse à Patribus ordinationem ad titulum patrimonii, & ab eo tempore patrimonium habentem, tanquam cum justo titulo sacris Ordinibus initiari posse. Sed verius est, usque ad tempora Alexandri III. in præsenti textu nullum initiatum fuisse ad titulum patrimonii; quare verius credo, sive retineatur vox *possessionis*, vel *pagi*, Patres sanxisse neminem ordinari posse nisi in Ecclesia civitatis, sive in Ecclesia in pago, aut possessione constructa. Non solùm enim olim constituebantur Ecclesiæ in urbe, verùm & in vicis, pagis, & possessionibus; textus celebris Arcadii, & Honorii, qui floruerunt ante Concilium Chalcedon. *in l. 33. C. Theodos. de Episcop. & cleric.* illic: *Ecclesiis, quæ in possessionibus (ut adsolet) diversorum vicis, vel quibuslibet locis sunt constitutæ, clerici non ex alia possessione, vel vico, sed ex eo ubi Ecclesiam esse constituit, eatenus ordinentur, ut propriæ capitationis onus ad sarcinam recognoscant.* Concilium Chalcedon. relatum *in cap. qui verè, 16. q. 1.* ibi: *Qui per civitates singulas, seu possessiones in monasteriis sunt.* Mens ergo Patrum

in

in d. cap. 1. est, neminem ordinari posse nisi ad titulum Ecclesiæ, quæ sit in civitate, seu pago, seu possessione constructâ. Prosequuntur Patres, *aut in martyrio*, id est, oratorio, seu pio loco, Martyrum reliquiis dicato, ubi sanctorum Martyrum sacra pignora reposita erant, de quibus Theodosius *in l.* 2. *C. de sacros. Eccles.* quæ est lex ultima *C. Theodos. de sepulchro violato*, ita sanxit: *Nemo Apostolorum, vel Martyrum sedem humanis corporibus aestimet esse concessam.* Ubi sedem Martyrum pro Ecclesia in honorem Apostolorum, seu Martyrum erecta interpretantur Mancinus *ibi*, Cujacius *in paratitl. ad eundem titulum*, Spondanus *in annot. sacr. lib.* 1. *p.* 3. *cap.* 14. *in fine.* Faciunt Hieronymus *in vita Hilarion: Ut sublata ad villam suam Sancti corpore, martyrium fabricaret.* Strabo *de rebus Ecclesiast.* Martyria vocabantur Ecclesiæ, quæ in honorem aliquorum Martyrum fiebant. Sozomenus *lib.* 2. *cap.* 26. illustrat Gothofredus *in d. l. final.* In illis martyriis clerici horas canonicas, & divina officia psallebant: unde in Concilio Epaun *can.* 23. cavetur, ut Sanctorum reliquiæ in oratoriis villaribus non ponantur, nisi forsan clericos cujuscunque parochiæ vicinos esse contingat, qui sacris cineribus psallendi frequentiâ famulentur. Ivo Carnot. *p.* 3. *Decreti, cap.* 78. pro *clericos*, reponit numero singulari *clericum*; & pro *cineribus*, legit *pignoribus.* In eo ergo loco, ubi reliquiæ Martyrum erant, tanquam in Ecclesia clericus ordinari poterat, & ita ad titulum martyrii clericum ordinari sinunt PP. *in dicto cap.* 1. & in ipsis Martyrum sepulchris pii cultus frequentabantur. S. Paulinus *natali* 6. *S. Felicis*; & hoc erat Sanctorum memoriis communicare, juxta interpretationem loci Apostoli *ad Roman. cap.* 12. quam Optatus adhibet *in init. lib.* 2. Nec aliter legerunt eum Apostoli locum S. Hilarius *lib. de Synodis*, Augustin. 2. *contra Faustum, cap.* 21. Epiphanius *haresi* 67. illustrant Turr. *lib.* 4. *pro Episcop. cap.* 13. Theoph. *tom.* 18. *fol.* 527. Sequitur, *ut in monasterio*; pro quorum verborum expositione sciendum est, primis illis temporibus monachos sacris Ordinibus non initiari, immò in eorum Ecclesiis constitui presbyteros, ut sacrificium Missæ celebrarent, ut constat ex ipso Concilio Chalcedon. *can.* 4. & 8. ibi: *Clerici, qui in parochiis, & in monasteriis, aut martyriis constituti, sub potestate sint ejus, qui in ea est civitate Episcopus, secundùm traditionem Sanctorum Patrum.* Ex alia versione: *Clerici, qui pauperum dispositioni, vel monasteriorum, vel martyriorum praesunt, sub potestate singulorum civitatum Episcoporum, secundùm canonum traditionem perdurent.* Exstant apud Gratianum *in cap. quidam*, §. *clerici* 18. *q.* 2. latè probavi *in cap.* 5. *de tempor. ordin.* & dicemus infrà *in cap.* 1. *de capellis monach.* Posteà cœperunt monachi sacris Ordinibus initiari, & constitui non solùm propriis Ecclesiis regularibus, verùm & sæcularibus, *cap. sic vive, cap. si clericatus, cap. vos autem, cap. legi, cap. monachi* 16. *q.* 1. Nostris autem temporibus in hujusmodi regularium ordinationibus titulus non est necessarius, quia in illis cessat præcipua ratio, videlicet, ne mendicare cogantur, quam suprà assignavimus.

Canonem prædictum Concilii Chalcedon. amplexus fuit Urbanus II. in Synodo Placentiæ habita, relata *in cap.* 2. 70. *d. ist.* ibi: *Sanctorum canonum statutis consona sanctione decernimus, ut sine titulo facta ordinatio irrita habeatur.* His duobus canonibus irrita dicitur ordinatio ejus, qui sine certo titulo ordinatus fuit; quod est intelligendum quoad exercitium, ita ut suspensus ipse ordinatus maneat, ut post Glossam ibi docuerunt Turriscremata & Acunna; quinimmò & Episcopum ita scienter ordinantem ab ordinum collatione manere suspensum, satis innuunt textus *in d. can.* 1. *cap. cum secundùm, hoc tit.* in illis verbis: *In injuriam ordinantis*; cui nulla alia injuria irrogata considerari potest, quàm hæc suspensio ab ordinum collatione. Successit constitutio Alexandri III. in præsenti, qui duo noviter statuit: primùm, ut loco suspensionis eam pœnam Episcopus qui ordinavit sine titulo, incurreret, ut teneretur de necessariis providere ita ordinatis, donec beneficium Ecclesiasticum sint assequuti, ad quod tempus referendus est Gregorius Turon. *lib.* 8. *cap.* 20. dum ait: *Faustinianus, qui ex jussu Gundobaldi, Aquensis urbis Episcopus ordinatus fuerat, eâ conditione removetur, ut eum Bertheranus, Orestesque, sive Palladius, qui eum benedixerant, victibus pascerent, centenosque ei aureos annis singulis ministrarent.* Unde cessavit suspensionis pœna, tam in ordinante, quàm in ordinato: in ordinante, qui a alimenta præstat; in ordinato, quia si suspensus maneret, beneficium illi conferri Alexander non juberet, quia suspensis beneficium conferri non potest, ut omnes tenent per textum ibi, *in cap. cum bone, de ætate & qualit.* & *in cap. postulastis* 7. *de cleric. excom.* Secundum noviter constituit, ut ad titulum patrimonii possint clerici sacris Ordinibus initiari, quod constitutum non fuisse in Synodo Chalcedon. in illis verbis, *seu possessionis*, ut voluit ibi Turriscrem. jam suprà probavi, & observat eruditus Florens *in cap.* 27. *de rescript.* Temporibus tamen D. Hieronymi clericos ordinatos fuisse ad titulum patrimonii, aliqui deducunt *ex cap. nli.* 16. *q.* 1. distertè tamen illud statuit Alexander in præsenti, in illis verbis, *nisi talis*, &c. quod confirmavit Concilium Trid. *d. sess* 21. *de reform. c.* 2. Circa patrimonium autem, cujus intuitu clerici ordinantur, varia dubia exagitant & examinant, tam practici, quàm moralistæ, præcipuè an ita spirituale maneat, ut alienari non possit, vel privilegiis, & immunitatibus rerum Ecclesiarum gaudeat? anque filius teneatur bona illa conferre cum cæteris fratribus? pro quorum solutione videndi sunt Matienzo *in l.* 11. *tit.* 10. *lib.* 5. *recopil.* Lasarte *de decima vendit. cap* 19. *num.* 9. & 51. Gutierrez *lib.* 1. *practic. q.* 8. Narbona *in d. l.* 1. *tit.* 3. *lib.* 1. *recopil.* Illud certum est, ordinatum ad patrimonii titulum, non posse illud alienare, nec super eas possessiones censum constituere, ut pluribus relatis tener Marinis *lib.* 2. *resol. cap.* 48. Post Alexandrum III. Innocentius III. *in cap. cum secundùm, hoc tit.* præsentem constitutionem prorsus confirmavit, insuper statuendo, successorem in Episcopatu teneri similiter alimenta præstare ordinatis sine titulo, ac tenebatur ille, qui eos ordinavit. Facit Gregorius Turon. *lib.* 8. *hist. Franc. cap.* 20. ubi Faustinianus, qui jussu Gundobaldi, Aquensis urbis Episcopus ordinatus fuerat, eâ conditione removetur, ut eum Bertheranus, Orestes, & Palladius, qui eum benedixerant, victibus pascerent, centenosque ei aureos annis singulis ministrarent. Et eâ etiam constitutione sublata fuit suspensionis pœna statuta in prioribus canonibus; ad quam etiam constitutionem respexit idem Innocentius *lib.* 3. *regestr.* 15. *epist.* 184. ibi:

ibi : *Per constitutionem nostram.* Nec audiendi sunt qui existimarunt, Innocentium abrogasse prædictam suspensionis pœnam : moti *ex cap. per tuas 37. cap. penult. de simonia.* Siquidem in eo textu suspensio incurritur, quia contra leges Ecclesiasticas, & in earum fraudem præcessit pactum, seu conventio de remittendo, vel alienando patrimonio, ad cujus titulum quis ordinatus fuerat, & non petendi necessaria ab Episcopo ordinante; si autem absque fraude ordinatio procederet cum patrimonio, aut titulo nullo, tantùm cogeretur Episcopus alimenta præstare ita ordinatis. Tandem Concilium Tridentinum *sess. 21. de reform. cap. 2.* postquam sanxit nullum, quantumvis idoneum ad sacros Ordines, esse promovendum, nisi ad titulum beneficii, vel patrimonii, in fine ita cavit : *Antiquorum canonum pœnas super his innovando.* Quibus verbis innovari antiquam suspensionis pœnam, de qua *in d. cap. 1. & 2. 70. dist* docuerunt Suarez, Sanchez, & Navarrus congesti à Barbosa *in d. cap. 2. num. 65.* Sed contrarium, videlicet Trident. tantùm innovasse pœnam dicti capitis cùm secundùm, & præsentis textus, videlicet, ut nullam suspensionem incurrant ordinator, & ordinatus, sed tantùm Episcopus teneatur providere de necessariis, quam plures docuerunt, quos refert & sequitur Barbosa *ubi proximè, num. 67. & de potest. Episcop. p. 2. alleg. 20. num. 27.* ubi exponit constitutiones Sixti V. & Pii II. editas contra malè promotos.

10. *Prosequitur ratio decidendi.*

His animadversis, rationem præsentis assertionis duplicem assignant Innocent. III. *in dicto cap. cùm secundùm*, & Patres Concilii Trident. *in dicto cap. 2.* Innocentius primam repetit à jure naturali, & divino; cùm enim dicat Apostolus *1. ad Corinthios cap. 9. vers. 14.* qui altari servit, de altari vivat, & mercenarius à mercede sibi debita repelli non debet, *cap. 11. Lucæ, cap. Ecclesiasticis 67. 12. q. 2.* dicemus latiùs *in d. cap. cùm secundùm*; ideò clericus, qui in Ecclesia ministrat, & in ea assiduum impendit famulatum, non debet privari propriis stipendiis, immò de patrimonio Jesu-Christi sustentari debet, in cujus sortem & hæreditatem vocatus est, *cap. cleros, 21. dist.* quam rationem latè illustrat P. Gregorius *de benef. cap. 36. ex num. 1. & lib. 16. syntag. cap. 1.* Patres Concilii Tridentini secundam rationem assignarunt, videlicet, ne talis clericus paupertate oppressus in opprobrium ordinis, totiusque status clericalis dedecus mendicare cogatur, juxta textum celebrem *in cap. Diaconi 23. §. alias, vers. mendicat infelix, 93. dist.* quam rationem illustrat Cujacius *in novella 3. in fine*, & *lib. 1. feud. tit. 1.* & in ejus confirmationem expendi possunt textus *in l. si plures, C. de SS. Eccles. cap. 1. de instit.* juncto Petro Gregorio *de benef. cap. 8. à num. 1.* quare apud Romanos ut aliquis in militem eligi posset, priùs ejus census, seu patrimonii ratio habebatur, ut constat ex Jul. Paulo apud Lypsium *de militia Romana*, Gellio *lib. 6. noct. cap. 10.* probant Robertus *lib. 3. de re judic. cap. 2.* Lantdmeter. *lib. 1. de veteri cleric. cap. 5.* Quæ rationes dedecoris, & stipendii, seu mercedis in compensationem laboris conjungendæ sunt, ut prima concludat neminem esse promovendum ad sacros Ordines absque titulo, ne mendicare cogatur, aut aliquod sordidum, vel illicitum officium exercere in opprobrium status clericalis, Secunda ut probet ordinatum sine titulo alendum esse, tam ab ordinante, quàm à quolibet successore Christi patrimonium obtinente, ut debitam laboris officiique sui mercedem & stipendium percipiat. Facit textus *in l. unic. C. de periculo succes. parent.* junctâ interpretatione, quam adduxi *in ca n. 3. Concil. Illiber.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam verum est ex proximè adductis, clericum ideo absque titulo ordinari non posse, quia cùm Ecclesiæ inserviat, ab ea alimonias, & stipendia percipere debet, nec contrarium docetur *in d. cap. 1. de postul.* quia ut in ejus commentario dixi, verba illa, *si stipendiis Ecclesia sustentantur*, referenda sunt ad clericos in minoribus ordinibus constitutos, qui non aliter à postulando removentur, quàm si stipendiis Ecclesiæ alantur. Nec obstat textus *in d. cap. clericos*; nam omisso Covar. *in cap. 1. de testam.* dicendum est, textum illum referendum esse ad tempora primitivæ Ecclesiæ, cùm beneficia Ecclesiastica nondum erecta erant, sed bona Ecclesiæ sub dispositione Episcopi consistebant; tunc enim si clerici bonis propriis patrimonialibus ali poterant, ex bonis pauperum aliquid percipere non valebant : nec eo casù Alexander III. in præsenti in ordinando, qui habet sufficiens patrimonium, petit aliud beneficium, seu titulum. Nec obstat, quod de clericis circuitoribus expendebamus; nam illi ordinabantur ad titulum certæ Ecclesiæ, sed eo modo, ut continuò circuirent plebem, & delicta spiritualia inquirerent, ut pro ipsius canonis expositione ait Balsamon in illis verbis : *Alii quidem canones in vicis, & in pagis Corepiscopos, & Presbyteros constituendos desimerunt; præsens autem canon jubet fieri Periodeutas, & non Episcopos, ne dignitas Episcopi vilis, & contempta evadat : sunt autem Periodeutæ, qui hodie ab Episcopis promoventur Exarchi. Ii enim circumcursant, & delicta spiritualia observant, & fideles perficiunt; unde circuitores illi cum certo titulo promoti erant, sed pro munere proprio plebem circuibant.*

11. *Respondetur difficultati.*

Sed hucusque traditis obstat textus *in cap. postulasti 30. de jurepatron.* ubi docetur, posse clericum ad majores gradus ascendere ad præsentationem, seu intitulationem Rectoris retinentis beneficium, quo casu clericus ordinandus nullum titulum assequitur ex tali præsentatione, nec jus futurum ad beneficium : igitur absque titulo potest quis ordinari. Pro cujus textus expositione sciendum est, intulationem nihil aliud esse, quàm nominationem, vel præsentationem rectoris Ecclesiæ consentientis, ut alius ordinetur ad titulum Ecclesiæ, quam ipse possidet, consentiendo non ut eadem, unaque Ecclesia illi simul conferatur; quod fieri non potest, juxta textus *in cap. majoribus 8. cap. cùm non ignores 15. hoc tit.* sed tantùm consentiendo, ut certa portio fructuum loco pensionis assignetur ordinando, de qua intitulatione aliqui accipiunt textus *in cap. conquerente 6. de cleric. non resid. cap. proposuit 6. de filiis presbyt.* quæ intitulatio, ut difficultati satisfaciamus, non est titulus beneficii, sed cùm ex ea detur certa, & perpetua congrua sustentationis, meritò eo modo, quo patrimonium sufficiens est titulus ad ordines, ita est intitulatio illa : docuerunt Decius, Felinus, & alii, quos congerunt & sequuntur Gigas *de pens. q. 6. num. 3.* Quintanadvennas *lib. 3. Ecclesiast. num. 20.* talis autem intitulatus nullum jus habet ad ipsum beneficium, tam vivo, quàm defuncto ipso Rectore, ut

12. *Exponitur cap postulasti 30. de jurepatron.*

ùt pro ipsius textus interpretatione latè tradunt Rochus à Curte *in tract. de jurepatron. verbo Competens, num.* 61. Lambert. *eod. tract. lib.* 3. *q.* 5. *art.* 6. *num.* 10. & nos in ejus commentario dicemus.

13. Exponitur. can. 52. Synodi Meldensis

Ex suprà traditis lucem accipit textus *in can.* 52. *Synodi Meldensis*, ubi ita Patres sanxerunt: *Qui verò ex nostris parochiis, aut ad titulum, aut absolutè ordinari petuntur, nullatenus ordinentur, nisi aut in clero certo, & religioso, vel etiam in civitate, saltem uno anno immorentur, ut de vita, & conversatione, atque doctrina illorum certitudo possit agnosci; & nemo absolutè quemquam ordinare præsumat, sicut sancti sanxerunt canones.* Ibi enim duo diversa prohibentur: primum, ùt nullus ordinetur, etiam ad titulum parochiæ, nisi per annum conversatus fuerit in civitate, ut ita de vita, & moribus ejus constet, juxta ea, quæ adduxi *in cap.* 9. *de tempor. ordin.* Secundum, ut nemo absolutè ordinetur, id est, ad titulum Ecclesiæ, sed specialiter ad titulum certæ Ecclesiæ; unde verba posteriora ipsius canonis referenda sunt ad canones Concilii Chalced. & Placent. de quibus *in dicto cap.* 1. & 2. 70. *dist.*

Ex suprà traditis etiam exponendus est textus *in can.* 6. *Concil. Valent. Hispan.* ubi ità statuerunt Patres: *Ut nullus alienum clericum sine consensu Episcopi sui audeat ordinare, sed nec illum sanctorum sacerdotum quisquam ordinet, qui localem se futurum primitus non sponderit, ut per hoc nullus à regula, vel disciplina Ecclesiastica deviare permittatur impunè.* Quibus verbis damnantur clerici volatiles, & desultorii, nulli titulo, nulli Ecclesiæ addicti, seu mancipati; & ideo jubetur, ut omnes, qui ordinantur, promittant se locales futuros, id est, à proprio titulo, & Ecclesia non discessuros, juxta suprà adducta ex utraque militia, sacra, & prophana.

14. Intelligitur can. 6. Concil. Valent.

CAPVT V.

Idem (a) *in eodem.*

QUia in tantum quorundam processit ambitio, ut non duas, vel tres, sed plures Ecclesias perhibeantur habere, cùm nec duabus possint debitam provisionem impendere: per fratres, & Coepiscopos nostros hoc emendari præcipimus, & de (b) multitudine præbendarum canonibus inimica, quæ dissolutionis materiam, & evagationis induci, certumque continet periculum animarum, eorum, qui Ecclesiis deservire valeant, indigentiam volumus sublevari.

NOTÆ.

(a) *Eodem.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 6. & habentur hæc verba in ipso Concilio Lateran. *cap.* 14. & statim postea annectuntur alia, quæ extant *in cap. præterea, de jurepatron.*

(b) *Multitudine.*] Quæ, seu pluralitas, beneficiorum duorum nomine verificatur, argumento capitis *pluralis* 4. ubi plura Pechius, & Canisius *de reg. jur. lib.* 6. *t. ubi numerus* 11. *ff. de testibus.* Atque ideò leges ecclesiasticæ hanc prohibitionem firmantes, duorum beneficiorum plerumque mentionem faciunt, *cap. clericum* 21. *q.* 1. *cap. is cui* 19. *hoc tit. in* 6. Clementina *si plures, eod. tit.* Trident. *sess.* 24. *de reform. cap.* 17. sicut & dispensatio ad plura beneficia obtinenda, de duobus intelligitur, *dicto cap. is cui* 19. *in fine, cap. non potest* 21. *hoc tit. in* 6. *cap. dudum* 54. *vers. superest, de elect.* quod & in qualiber favorabili dispositione procedit, *l. libertis* 17. *§. post annos, ff. de manumiss. testam.* Illustrat Barbosa *dict.* 265. Nec contrarium docetur in præsenti per hanc dictionem, *multitudinem*, quæ plura ex se petit. Facit etiam lex 1. *ff. de option. legat.* ubi docetur eum, cui legata est optio servorum, posse tres eligere. Igitur quia pluralitas in duobus non verificatur. Nam dicendum est, in præsenti textu non negari, quin pluralitas beneficiorum in duobus verificetur; sed mentionem multitudinis fieri, ut damnarent PP. expressè & specificè abusus, atque excessus eo tempore vigentes apud aliquos ambitiosos clericos, qui contrà sacros canones non solùm duas, sed & plures Ecclesias possidebant; & ita contra interdictam pluralitatem veniebant; quæ pluralitas si in duobus verificatur, ex suprà traditis, fortiori ratione in multitudine; pluralitas enim simpliciter prolata ad duo refertur, *dict. l. libertas, l. inter* 217. *§. final. ff. de verb. signif. l. si pluribus* 33. *ff. de legat.* 1. textus ità intelligendus *in l. pluribus* 32. *ff. de procurat.* Si verò adjiciatur alicui numero præcedenti, importat augmentum illius, ut in præsenti, & *in cap. non debet* 20. *in fine*; 69. *dist. cap.* 2. ibi: *Duo, aut plura beneficia*; *de filiis presbyt. lib.* 6. *l. etsi post tres, ff. si quis cautionibus*; *l. hæc adjectio*, 192. *ff. de verb. signif.* Nec obstat textus *in dict. l.* 1. *ff. de option. legat.* nam omissis traditis à Pechio *in dictò cap. pluralis*, dicendum est, in ea specie legatarium, cui relicta fuit servorum electio ex familia testatoris, posse tres eligere, laxatis juris regulis, ex rescripto D. Pii, favore ultimæ voluntatis; siquidem in ea plenior interpretatio facienda est, *l.* 1. *l.* 3. *l. plenum* 12. *§. sed si pecoris, ff. de usu & habit. l. in testamentis, ff. de reg. jur. cap. cùm dilecti* 6. *de donat.* Costa *lib.* 2. *select. cap.* 4. *num.* 1. Fachineus *lib.* 13. *controv. cap.* 7. *in fine*: prosequuntur latiùs ipsius textus interpretationem Pinel. *lib.* 2. *select. cap.* 16. Larreategui *lib.* 5. *select. cap.* 4. *num.* 3. Joannes Bertrandus in vita Proculi, qui rectè in eo textu pro *Cæcilio*, reponit *Æmilio*. Commentarium hujus textus dabimus infrà *in cap. de multa.*

CAPVT VI.

(a) Idem.

CUm teneamur ex debito ſuſcepti regiminis proviſioni clericorum intendere, tibi, & aliis Eccleſiarum Prælatis pro eis ſcripta noſtra dirigimus, interdum etiam ſuper illorum proviſione, qui aliud ſufficiens beneficium habere noſcuntur. Verùm aliquando ignoramus eos habere aliud beneficium, pro quibus tibi, & aliis Eccleſiarum Prælatis ſcribimus. Si preces & mandatum noſtrum pro aliquo recepiſti, vel aliquando recipies, qui aliud beneficium habeat, de quo valeat commodè ſuſtentari, niſi fortè in litteris ipſis de alio beneficio, quod habeat, mentio habeatur: aut ſi non poteſt ſine ſcandalo ei provideri, æquanimiter ſuſtinebimus, ſi pro eo preces, & mandatum noſtrum non duxeris exequendum.

NOTÆ.

1. (a) IDem.] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 8. textuſque iſte refertur inter acta Alexandri III. poſt Concilium Lateran. *p.* 30. *cap.* 2. & continet peculiarem deciſionem circa prohibitionem pluralitatis beneficiorum, dum ſcribit Alexander, quod ſi Pontifex jubeat Epiſcopo ut beneficium conferat clerico aliud habenti, & Epiſcopus agnoſcat ex tali collatione ſcandalum in Eccleſia generari, ſeu oriri poſſe, in ſimilis reſcripti executione ſuperſedere debet, ut ſcandalum eviteur, cujus causâ, & ut ceſſet, plura in jure indulgentur, *cap. ad aures, de tempor. ordin. cap.* 2. *de præſcript.* ubi probavi, & latiùs illuſtravi *in cap. ſi quando* 5. *de reſcript.* ex quo commentario præſens petendum eſt, videndúſque Salgado *de retent. bullar. 1. p. cap.* 3. *à princip. & cap.* 4. *per totum.*

CAPUT VII.

(a) Idem.

REferente nobis I. presbytero latore præſentium, accepimus, quod cùm duas Eccleſias haberet, Archidiaconus tuus ipſum alterâ illarum ſpoliaverit, & eam cuidam presbytero G. nomine aſſignavit; prædictus autem I. ſentiens ſe in hac parte gravari, ad fratrem noſtrum chariſſimum Rhem. Archiepiſcopum (b) appellavit. Cùmque idem I. de mandato ejuſdem Archiepiſcopi in præſcripta Eccleſia reſtitutus fuiſſet, memoratus G. ad noſtram audientiam appellavit: poſtea verò præfatus Archidiaconus eundem I. eo quod ad præſentiam ſuam vocatus, ut alteram de prædictis Eccleſiis prænominato G. concederet, venire contempſit, vinculo excommunicationis (c) adſtrinxit. Nos autem à ſententia quâ tenebatur, facientes abſolvi, eundem ad te duximus remittendum. Quocirca mandamus, quatenus partibus ante præſentiam tuam convocatis, præſcripto I. unâ de præfatis Eccleſiis, quam voluerit, cum pertinentiis ſuis relictâ, alteram præfato G. ſi Eccleſiam non habeat, non differas aſſignare. Si verò aliam habet Eccleſiam, ipſam alteri perſonæ idoneæ, beneficio Eccleſiaſtico carenti, incunctanter aſſignes.

NOTÆ.

1. (a) IDem.] *In eodem*, legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 9. id eſt, in eodem Concilio Lateran. *p.* 30. *cap.* 3. ubi reperitur hic textus.

2. (b) *Appellavit.*] Quatenus omiſſo Epiſcopo ad Archiepiſcopum appellatio in præſenti ſpecie admitteretur, expoſui *in cap. dilecti* 65. *de appellat.*

10. (c) *Adſtrinxit.*] Quæ ſententia ritè prolata fuit cùm appellationis inſtantia fuiſſet finita; quatenus tamen Archidiaconus Rhemenſis juriſdictionem contentioſam in hoc caſu potuiſſet exercere, explicavi *in cap. ad hæc, de officio Archid.* Commentarium hujus textus dabimus *in cap. de multa* 28. *hoc titulo.*

CAPUT

CAPUT VIII.

Idem *in Concilio* (a) *Turonensi.*

MAjoribus Ecclesiæ beneficiis in sua integritate manentibus, indecorum nimis videtur, ut minorum clericorum præbendæ patiantur sectionem. Idcircò, ut sicut in magnis, ita quoque in minimis membris suis firmatam Ecclesia habeat unitatem, divisionem præbendarum, aut dignitatum (b) permutationem fieri prohibemus.

NOTÆ.

(a) *Turonensi.*] Hæc Synodus celebrata fuit sub Alexand. III. contra Victorem Antipapam, ubi ipse damnatus fuit judicio 18. Cardinalium, & 124. Episcoporum, de qua hæc referunt Sigebertus: *In octavis Pentecostes Alexander Papa tenuit Concil. Turon. anno Domini* 1163. *in quo excommunicavit Octavianum cum aliis schismaticis, & complicibus suis* Joann. Tyrius *in chron. de Regibus Franc. anno* 1164. qui est 27. Ludovici Junioris, ibi: *Concilium Turonense sub Alexandro Papa habitum est, quo acta Papiensis Concilii, in quo Victor & Fridericus præfuerant, damnata fuerunt.* Matthæus Paris. *in histor. Anglic. Alexander Turonis Concilium celebravit in Ecclesia sancti Mauritii duodecimo Kalendas Junii, ad cujus vocationem permissione Regis Angliæ venerunt Archiepiscopi, & alii Angliæ prælati, Thomas Cantuariensis Archiepiscopus cum suis suffraganeis, & ad dexteram Papæ in Concilio sedit, & Archiepiscopus Eboracensis Rogerius ad sinistram, cum solo Episcopo Dunelmensi.* Exactis vitæ Alexandri III. probat Binius *in notis ad hoc Concilium.* In ea novem canones statuti fuerunt, quos refert Neubrigensis *in lib. rerum Angliæ*, & eorum sententias Cotjolanus *in summa Concil. fol.* 524. In primo canone reperitur hic textus, & hujusmodi sectionem beneficiorum specialiter hoc Concilio prohibitam esse, constat *ex cap. tuæ, cap. dilecto* 25. *hoc tit. cap. quæsitum, de rerum permut. cap.* 3. *hoc tit. in* 2. *collect.*

(b) *Permutationes.*] Hanc partem exponemus *in cap. quæsitum, de rerum permut.*

COMMENTARIUM.

COnclusio, quæ ex hoc primo canone Concilii Turon. communiter deducitur, sic se habet: *Prabendæ, seu beneficia dividi non debent.* Probant eam textus *in cap. tuæ* 20. *cap. dilecto* 25. *cap. vocante, cap. extirpandæ, hoc tit. cap. unic.* juncta rubrica, *ut ecclesiast. benef. sine diminut.* conferantur: *cap. si quis prabendas* 1. *quæst.* 3. Concil. Palentin. anno 1322. *can.* 9. Concil. Rhemense *cap.* 9. apud Carnot. *p.* 3. *Decreti, cap.* 49. ibi: *Sicut in unaquaque Ecclesia presbyter debet esse, ita ipsa, quæ sponsa, vel uxor ejus dicitur, non potest dividi inter plures presbyteros, sed unum tantummodo habebit sacerdotem, qui castè & sinceriter regat; unde intrdicimus, ut nullus præsumat Ecclesiam inter duos, vel plures dividere, quia Ecclesia Christi uxor, & sponsa esse debet, non scortum, sicut Calixtus Papa testatur.* Consonant ecclesiæ Anglicanæ sanctiones, quas congerit Chopinus *lib.* 2. *sacr. pol. tit.* 6. *num.* 17. Concil. Londin. habitum anno 1237. cujus canonem refert Matthæus Paris. per hæc verba: *Statuentes ut nunquam deinceps in plures personatus, vel vicarias una Ecclesia dividatur.* Illustrant ultra congestos à Barbosa *in præsenti*, & *in titul. ut eccles. benefic.* ubi plures laudat Garanna, Stephanus Durantius *quæst.* 48. Robertus *lib.* 1. *rer. judic. cap.* 7. Vigelius *in method. juris can. lib.* 3. *q.* 48. *fol.* 219. Cironius *ad tit. ut Eccles. benef.* Bosquetus *in notis ad Innoc. III. lib.* 1. *epist.* 51. Corasius *de benef. lib.* 1. *cap.* 4. Valensis *eod. tract. lib.* 2. *tit.* 6. Petrus Gregorius *lib.* 1. *partit. tit.* 28. *cap.* 15. & *lib.* 1. *de rescript. cap.* 25. Solorzanus *lib.* 3. *polit. cap.* 12. Salcedo *de lege polit. lib.* 2. *cap.* 19. Anton. Augustinus *in epit. jur. lib.* 15. *tit.* 12. Joannes Dartis *de benef. sect.* 5. *cap.* 2. *in fine*, Lotherius *de re benef. lib.* 1. *quæst.* 28. *n.* 54. Solorzanus *lib.* 2. *de jure Indiar. tom.* 2. *cap.* 9. *numer.* 6. Arnisæus *tom.* 1. *de republic. cap.* 2. *sect.* 1.

Sed præsens assertio difficilis redditur sequenti consideratione, nam electores alicujus officii, seu ministerii, possunt stipendiorum talis officii partem alii assignare, *l. restituendæ, C. de advocat. diversi. jud.* ibi: *In utrumque dividendum*; *l. final. C. de offic. magistr. milit. l. Seio, ff. de annuis legat.* quod contingit cùm æqualia sunt merita eorum, qui ad beneficium, seu præmium accedunt, ut contigit Scipioni, qui devictâ Carthagine, cùm incertum esset quis ex duobus primus murum ascendisset, ambobus coronas donavit, ut referunt Livius *lib. 6. belli Punici*, Plutarchus *in Scipione.* Igitur etiam beneficium, seu præbenda inter duos æqualiter dignos dividi potest. Accedit, nam Episcopus potest, ut divinus cultus augeatur, novum onus spirituale beneficiis imponere, *cap. significatum, hoc tit.* Unde Ivo Episcopus Carnot. in sua Ecclesia divisit Præposituram, & dimidiam partem communitati Canonicorum contulit, ex qua fieret quotidianus panis, quem acciperent assidui, amitterent tardi, ut ipse refert *epistol.* 219. cujus verba retuli *in cap. de cætero, de cleric. non resid.* 3. *Traditur dubitandi ratio.*

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens Concilii Turonensis constitutio, cujus rationem assignarunt Patres, quia videlicet majoribus beneficiis in sua integritate manentibus, indecorum est, ut minores præbendæ dividantur: majores præbendas appellant Patres Episcopatus, minores verò Canonicatus, portiones, & cætera beneficia. Ratio autem cur tam majores, quàm minores præbendæ dividi non debent, provenit ex earum natura, quæ petit unum tantùm sacerdotem beneficiatium: sicut una diœcesis petit unum Episcopatum, *cap. cùm* 4. *Traditur ratio decidendi.*

non ignores 15. *hoc tit. cap. in apibus* 7. *quæst.* 1. *cap. unic.* §. *final.* 10. *quæst.* 3. *cap. final.* 21. *q.* 2. quia reputatur absurdum, ut unum corpus duo capita habeat, ut docetur *in cap. quoniam* 14. *de offic. Ordin.* illic: *Ne una, eademque civitas, sive diœcesis, diversos Pontifices habeat, tanquam unum corpus diversa capita.* Illustrant latè Pereyra *de empt. & vendit. cap.* 26. *num.* 21. Bellarminus *de Romano Pont. lib.* 1. *cap.* 1. Simanchas *de repub. lib.* 3. *cap.* 2. *&* 3. Petrus Gregorius *eod. tract. lib.* 5. *cap.* 3 *&* 4. meritò ergo Patres Concilii Turon. prohibuerunt sectionem præbendarum, beneficiorumque divisionem.

5. *Dissolvitur ratio dubitandi.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt regulariter prohibita sit sectio præbendarum, quia tam majores, quàm minores præbendæ debeant in sua integritate manere, ut ita tam in capite, quàm in membris unitatem servet Ecclesia; tamen quando auctæ fuerint Ecclesiæ facultates, poterit augeri præbendarum numerus, *cap. cùm M.* 9. *de constit. cap. tua* 33. *de v. s.* siquidem hæc regula Concilii Turonensi limitationem patitur, nisi adsit justa causa præbendas dividendi, constituendique plures ex una, *cap. vacante* 26. *hoc tit. cap.* 3. *de Eccles. ædific.* ideoque ubi utilitas Ecclesiæ id postulat, & præbendæ opibus abundant, justè eas vacantes dividit Episcopus, ut docet Innocentius III. *lib.* 1. *regestr.* 13. *epist.* 50. ibi: *Gaufridus Eboracensis Archiepiscopus, de quadam magna præbenda duas instituit*; ubi notavit Bosquetus. Sicut enim licèt generaliter prohibitum sit, ut collator non possit conferendo beneficium partem fructuum unius, vel plurium annorum sibi reservare, *cap. prohibemus, de censibus*; tamen id ex summa necessitate, & Pontificis licentia fieri valet, *cap. penult. de v. s.* & Joannem XXII. & Benedictum XI. sæpe sæpius in subsidium belli adversus fidei hostes partem fructuum beneficiorum reservasse, refert Cironius *ad tit. ut eccles. beneficia dividi possint*: quo modo sectionem beneficiorum in diœcesibus Palent. Calagur. & Burgensi defendit Salcedo *d. lib.* 2. *de lege polit. cap.* 19. inde etiam ex justis causis pensiones constitui possunt. Solorzanus *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 27.

6. *Exponitur cap. cum venisset, de restit. spol.*

Primò superiori assertioni obstat textus *in cap. cùm venisset* 9. *de restit. spol.* ubi Archiepiscopus Eboracensis beneficium certo clerico contulit, reservatâ pensione annuatim solvenda cuidam monasterio; ita ut defuncto ipso possessore plenè Ecclesia illa ad monasterium illud spectaret; & supponitur omnia ea ritè peracta fuisse ab Archiepiscopo: ergo quia Episcopus potest dividere beneficium, partem uni, & aliam partem fructuum alii assignando. Cui difficultati facilè satisfaciemus si supponamus in eo casu Archiepiscopum ex justa causa Ecclesiam monasterio concessisse, ut facere potest, *cap.* 4. *de donat.* & consentiente ipso possessore pensionem impositam fuisse; quod totum actoritate Pontificia firmatum fuit, quæ confirmatio in eo textu præcessit, ut ex ejus integra constat: unde virtute ipsius confirmationis quid mirum, ut beneficium possit dividi, & mortuo ejus possessore in perpetuum monasterio adjudicari.

7. *Exponitur cap. relatum, de testamandus.*

Secundò opponitur textus non vulgò notus *in cap. relatum* 12. *de testam.* in illis verbis: *Ubi autem in loco defuncti tantùm unus est ordinatum*, ex quibus facilè deducitur, aliquando *stam.* in locum defuncti, ad ejus beneficium plures eligi, ordinarique posse: ergo quia una Ecclesia dividi inter plures valet. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, verba proximè relata esse accipienda juxta materiam, de qua agebatur, videlicet ut si defunctus habebat ultra præbendam simul administrationem Ecclesiæ, quia illi succedunt novus beneficiarius, & simul Capitulum Ecclesiæ, cujus administrationem gerebat, bona Capitulo debentur: si autem administrationem non habebat, quia tunc unus tantùm; videlicet qui in ejus locum ordinatur, succedit, illi tantùm bona defuncti reservantur, juxta ea quæ dicemus *in cap.* 1. *de testament.* non tamen ex eo textu probatur in locum unius beneficiarii plures eligi posse.

8. *Exponitur cap. proposuit de filiis presbyt.*

Tertiò opponi potest textus *in cap. proposuit* 6. *de filiis presbyt.* in illis verbis: *Ita quod præfatus R. medietatem omnium beneficiorum prædictæ Ecclesiæ eidem in suo ordine serviendo pacificè debeat ordinare.* Ex quibus apertè liquet, unam Ecclesiam inter duos dividi posse: ergo non rectè in præsenti sectio præbendarum prohibetur. Cui difficultati facilè respondetur, si observetur totam illam decisionem procedere ex speciali gratia & dispositione Pontificia; siquidem ipse Alexander III. magna æquitate ductus, eam fructuum divisionem in ea specie fecit ex justa causa; unde rectè potuit beneficium in eo casu dividi.

CAPUT IX.

Idem *Cant.* (a) *Archiepiscopo.*

RElatum est auribus nostris, quod cùm dilectus filius noster Jac. in Ecclesia tua per te canonicè sit institutus, & in Choro, Capitulo, & aliis, quorum communis est usus, plenam sicut Canonicus habeat potestatem, nondum præbendam sibi juxta promissionem tuam assignare curasti, licèt post promissum tuum plures præbendæ in ipsa Ecclesia vacasse dicantur. Quoniam igitur dignum est, & consentaneum rationi, ut postquam canonicus est institutus, & à te habuit in promissis de conferenda sibi prima præbenda, cùm in Ecclesia tua vacaret, debeat præbendæ integritate gaudere, præsertim, cùm sicut nobis proponitur, litteratus sit, & discretus: f. t. per A. s. p. m. quat. si idem Jac. in Ecclesia tua est Canonicus institutus,

&

& in Choro, Capitulo, & in aliis, quorum communis est usus, potestatem sicut Canonicus habet, ei præbendam, si qua de antiquis in Ecclesia ipsa nunc vacat, vel cùm ibi primò vacaverit, omni oc. & contr. cessante, secundùm promissionem tuam concedas liberaliter, & assignes: ita quod de constantia, & gravitate possis meritò commendari, & nos propter hoc iterato scribere tibi non compellamur, quia non est congruum, ut præbendâ careat, qui in Canonicum noscitur esse receptus.

NOTÆ.

(a) *Cantuarienſi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 11. de Eccleſia Cantuarienſi jam nonnulla notavi *in cap.* 2. *de reſcript.*

COMMENTARIUM.

1. Concilio refertur, & impugnatur.

EX hoc textu communiter deducitur: *Receptio in Canonicum, & in fratrem, præbendam quamtitò esse assignandam, præcipuè si illi promissa fuit tempore receptionis.* Quæ assertio valde difficilis est, dum supponit promissionem præbendæ nondum vacantis valere, & adimpleri debere, cùm expresè cautum sit ab ipso Alexandro III. in ipso Concilio Lateran. ut nullum beneficium promittatur antequam vacet, *cap.* 2. *cap. extenore, cap. relatum, de conces. præbend. cap.* 2. *eod. tit. lib.* 6. *cap. dilectus* 19. *cap. dilecto* 25. *hoc tit.* Igitur Archiepiscopus Cantuar. in præsenti casu, cùm non possit promittere præbendam vacaturam, cogi non debebat hujusmodi promissionem adimplere. Etiam difficilis est textus iste, dum supponit recepto in Canonicum necessariò præbendam proximò vacantem deberi, cùm certum sit canoniam sine præbenda consistere posse, *cap. cùm M. de constit. cap. in nostra* 32. *de reſcript. cap. dilectus, hoc titul. cap. ſi ut cui* 39. *hoc tit. in* 6. *cap. final.* §. *in illa de conces. præbend. lib.* 6. Igitur recepto in Canonicum necessariò præbenda conferri non debet.

2. Solvitur hæc difficultas.

Adhuc tamen si rectè perpendatur præsens decisio, magnâ nititur juris ratione, petitâ, tum ex eo, quod cùm Canonicus virtute receptionis in fratrem, habeat sedem in Choro, & locum in Capitulo, divinisque interſit officiis, ut probavi *in cap.* 1. *hoc titulo*, ubi adduxi differentiam inter canoniam & præbendam; & tantùm virtute ipsius receptionis distributiones quotidianas lucretur, *cap. dilectus* 19. *hoc tit.* quæ inter fructus ecclesiasticos non enumerantur, *cap. dilectus* 27. *cap. licèt* 32. *hoc tit.* probavi *in cap. de cætero, de cleric. non resid.* & qui altari servit, de altari vivere debeat, ac fructibus ipsius Ecclesiæ sustentari, ut infrà dicemus *in cap. cùm secundum, hoc tit.* meritò Alexander III. jubet Archiepiscopo Cantuar. ut Jacobo recepto in Canonicum, & in fratrem, præbendam proximè vacaturam conferat, ut in simili casu docetur *in cap. dilectus. cap. cùm ſuper, de conceſ. præbend. cap. ſi clericus* 11. *cap. ſi poſtquam* 13. *cap. ſi ut cui* 39. *de præbend. lib.* 6. *cap. ſi capitulo, cap. ſi ſoli, cap. final. de conceſ. præbend. lib.* 6. Accedit ratio specialis, præcipuaque hujus decisionis; nam cùm Richard. Archiepiscopus Cantuar. promisisset Jacobo præbendam proximè vacaturam tempore receptionis in Canonicum, & in fratrem, promissioque hæc honesta, & possibilis esset, debebat illam adimplere, *ex l.* 1. *ff. de pactis, cap.* 1. *&* 3. junctis ibi adductis, *eod. titul.* Rectè ergo Alexander III. Archiepiscopo Cantuarien. jubet, ut Jacobo præbendam proximè vacaturam conferat, quam se illi collaturum promiserat.

3. *Refertur hujus textus interpretatio.*

Nec obstat difficultas suprà adducta, cui variis modis DD. satisfacere intendunt. Glossa 1. Immola, Anania, Decius, & alii, quos refert & sequitur Barbosa in præsenti, *num.* 2. existimarunt promissionem præbendæ proximè vacaturæ in præsenti sustineri, quia non tam promissio hominis, quàm canonis erat; siquidem Canonico in fratrem recepto debetur præbenda proximè vacatura, ex juris dispositione; unde promissio in præsenti facta ab Archiepiscopo valuit, quia juris regulis consona, conformisque erat; quia cùm tantùm expressisset, quod tacitè inerat, non mutavit naturam actus, *l.* 3. *ff. de legat.* 3. *cap. significasti, de elect.* Unde in præsenti promissio potiùs à lege, quàm ab homine censetur facta, nec ex ea aliud jus quæritur Jacobo, quàm illud, quod à jure sibi competebat, *ex d. c. cùm M. de constit. cap. ſi poſtquam, de præbend. in* 6. notavit Valesius *conſult.* 72. unde cùm hæc promissio legi potiùs, quàm homini accepto feratur, nihil mirum si non obstante Concilii Lateran. dispositione sustineatur. Nec hanc solutionem offendit textus *in cap. dilectus* 19. *hoc tit.* ubi videtur probari, promissionem præbendæ proximè vacaturæ, etiam recepto in Canonicum inutilem esse ex eo, quod expectare præbendam vacaturam repugnat Concilio Lateranensi. Nam huic difficultati respondendum est cum Immola, & Decio in præsenti, promissionem, de qua in eo textu, ideo inutilem esse, quia facta fuit non in consequentiam receptionis in Canonicum, sed potiùs principaliter ante receptionem; fuit enim facta in ipsa compositione, quam constat interveniſſe ibi ante receptionem: unde cùm facta fuisset ab homine, non à canone, hæc enim non aliter fit quàm præcedente receptione, mirum non est si contraria sit dispositioni Concilii Lateran. Nec etiam superiorem interpretationem evertunt textus *in cap. tuæ* 20. *cap. dilecto* 25. *hoc. tit.* ubi probari videtur, quod nec etiam receptionis ratione potuit receptus expectare consequenter præbendam primò vacaturam. Quam difficultatem licèt agnovisset Decius in præsenti, *num.* 5. eam tamen insolutam reliquit. Nec feliciùs alii, dum illorum jurium sententiam accepto fuerunt nullitati receptionis, de qua ibi; quæ expositio si vera esset, ineptè Pontifex affirmaret, Canonicum manere sub expectatione præbendæ primò vacaturæ; quandoquidem si receptio nulla erat, utique præbenda non posset deberi virtute illius receptionis, argumento legis *non dubium, C. de legibus.* Quare verius dicendum est, in dictis juribus non rejici, nec improbari expectationem præbendæ primò vacaturæ in genere, sed in specie, id est, certi hominis; quod apertè colligitur

gitur ex serie eorum jurium, ubi proponitur, duos expectasse eandem præbendam, ad quam simul fuerant electi; quam electionem ut Pontifex impugnet, arguit ab evitando duplici absurdo, subjicitque, nec utrique eam præbendam conferendam esse, ne sectio præbendarum admittatur, contra suprà tradita proximo commentario; nec item alteri tantùm, ne contingat alium manere sub expectatione præbendæ ejusdem, ex jure præcedentis electionis: unde expectatio talis meritò in prædictis juribus improbatur. Verùm hæc communis interpretatio hujus textus convincitur ex illis verbis, *promissionem tuam*; & ibi, *& à te habuerit in promissis*: ex quibus deducitur, obligationem Archiepiscopi Cant. non tam referri ad juris necessitatem, quàm ad promissionis implementum, cùm sæpe sæpiùs Alexander referat promissam esse præbendam, & promissionem esse adimplendam. Hac ergo solutione omissâ Cironius *ad titulum de concess. præbend.* existimavit, textum hunc esse referendum ad tempora Alexandri III. ante Concilium Lateran. quo prohibita fuit hujusmodi promissio beneficii nondum vacantis: unde cùm ante prohibitionem similis promissio admitteretur, ideo Alexander III. eam adimplendam esse ait. Sed hæc solutio, præterquam quod divinatoria est, cùm non constet an hæc decisio præcessisset Concilium Lateranense, an postea emanasset, credi non potest compilatores primæ, & sextæ collectionis compilasse decisiones ipsiusmet Pontificis sibi contrarias, cùm si præsens derogata erat, quæ utilitas ejus compilationis? Quare his omissis, pro hujus textus vera interpretatione sciendum est, varia fuisse pro temporum diversitate observata, & statuta circa promissionem beneficii nondum vacantis. Primum tempus fuit, quod sicut hodie beneficiorum plenissima potestas ad summum Pontificem spectabat, *cap. omnes 22. dist. cap. cuncta 9. quæst. 3.* ita ad Episcopum institutio in minoribus spectabat, *cap. omnes 16. q. 7.* & collatio præbendarum ad ipsum, vel ejus Capitulum pertinebat, *cap. dudum 22. cap. cùm Ecclesia, de elect.* Secundum tempus fuit Concilii Lateranensis celebrati sub Alexandro III. quo prohibita fuit promissio certi beneficii nondum vacantis, de qua *in cap. nulla 2. de concess. præbend.* ubi dicemus. Tertium tempus fuit Innocentii III. ampliantis prædictam prohibitionem, ita ut talis promissio incerti beneficii non admitteretur, nisi sub illâ clausula, *cùm potuero*; vel, *cùm facultas se obtulerit*, ut *in cap. cùm dilectus 19. hoc tit. cap. ex tenore, cap. ad aures, de concess. præbend.* Sed quia sub illa clausula illicitæ fiebant pactiones, Bonifacius VIII. omnino prohibuit promissionem beneficii nondum vacantis, directè, vel indirectè, etiam sub illa clausula factam, *cap. 2. de concess. præbend. lib. 6.* juxta quam temporum seriem facilè textus hic accipitur, & adducta difficultas dissolvitur; cùm enim temporibus Alexandri III. tantùm prohibita esset promissio certi beneficii nondum vacantis, non verò incertæ præbendæ, ideò in præsenti specie promissio futuræ præbendæ incertæ nondum vacantis sustinetur; at verò *in dicto cap. dilectus 19.* etiam talis promissio improbatur, quia jam damnata erat per Innocentium III. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis; nam verum est, Canonicum absque præbenda stare posse, cùm præbenda adhuc non vacavit, non vero postquam vacavit, aut occasio promissionis se obtulit; quia tunc quamprimùm potest, debet illi præbenda conferri, *cap. final. de concess. præbend. lib. 6.* ut qui virtute receptionis jus ad præbendam tantùm habebat, jus in re per ejus collationem assequatur. Duarenus *lib. 2. de sacr. eccles. cap. 8.* Ludovicus Gomez *in regul. de expectat. num. 38.* Staphileus *de litteris gratiæ, tit. de expectat. num. 40.* Ojeda *de incompatib. benef. cap. 12. p. 1.* unde in præsenti meritò Alexander III. decrevit recepto in Canonicum, & in fratrem præbendam primò vacaturam conferendam esse.

CAPVT X.

Idem (a) *Canonicis regularibus, & monachis Eborac. diœc.*

AVaritiæ, quæ est idolorum servitus, (b) ii debent radicem studiosiùs extirpare, qui sæculi vanitatibus renunciantes, Domino elegerunt in religionis habitu ministrare. Intelleximus quod in Ecclesiis vestris, de quibus certas pensiones consuevistis percipere, portiones, vel antiquos redditus minoratis, quos nonnulli clerici Ecclesiarum ipsarum olim habuisse noscuntur. Unde quoniam hoc ex radice avaritiæ, & cupiditatis procedit, quam debetis modis omnibus evitare: d. v. p. A. s. præc. mandamus, quatenus, si quas portiones, vel antiquos redditus clericorum sine consensu Archiepiscopi vestri minuere, vel parœcias dividere præsumpsistis, ad integritatem pristinam revocetis.

NOTÆ.

(a) *Canonicis regul.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 10.* & post Concil. Lateran. *p. 13. cap. 1.* Canonici regularem vitam in communitate jam à quinto sæculo Ecclesiæ agentes, ad differentiam Canonicorum, qui extra communitatem degebant, regulares dici cœperunt, ut probant Chopinus *lib. 1. de sacra pol. tit. 3. num. 6.* Pennotus *lib. 2. histor. canonic. regul. cap. 1.* Sed cùm Canonicus à canone, qui latinè regula est, dicatur, aliqui improbarunt hanc geminatam 1 uncupationem, quasi canonicum regularem dicere idem sit, ac regularem regularem appellare. Ludovicus Vives *in notis ad Divum Augustinum, lib. 3. de civit. Dei, cap. 15.* *Idem*, inquit, *est regularis, quod canonicus, à canone Græco. Hinc quidam monachi D. Augustini,*

ne

ne non semel putentur regulares, his hoc vocari gaudent. Corjolanus *in defensario*, 1. *p. cap.* 5. *ad* 3. ibi: *Qui regulati sunt ad observanda statuta Ecclesiarum Collegiatarum, & maximè Cathedralium, Canonici sunt, & nominantur; & patet quod est nugatio ponere ly Regulares, quia idem significat iste terminus, Canonicus, quod iste terminus, Regularis; & nulla est penitus differentia inter eos, nisi quia Canonicus est vocabulum Græcum, & ly Regularis, Latinum.* Sed doctè illos refellit Pennotus *d. cap.* 7. *num.* 1. & cùm in tot decisionibus juris Pontificii Ecclesiæ Præsules hac geminata nomenclatura utantur, ut probavi *in cap. Deus, de vita & hon. cler.* ad differentiam Canonici sæcularis, non est curia his minutiis immoremur: Unde cùm Alexander III. in præsenti scriberet non solùm monachis, verùm & regularem vitâ profitentibus in Eboracensi provincia, ubi erant plures Ecclesiæ Collegiatæ Canonicorum regularium D. Augustini, ut refert Pennotus *d. hb.* 2. *cap.* 33. ideo ut eos omnes comprehenderet, præsenti constitutione rescripsit generaliter Canonicis regularibus, & Monachis Eborac. Archiepiscopus.

(b) *Idolorum servitus.*] Doctè hanc metaphoram expressit, & exposuit Crelolius *lib.* 4. *mystag. cap.* 31. Hoc autem vitium vitiosissimum, per antonomasiam appellatum eleganter depinxerunt D. Augustinus *de verbis Domini*, ibi: *Insatiabilis sola avaritia divinum semper rapit, atque nunquam saturatur; nec Deum timet, nec hominem reveretur. Nec patri parcit, nec hominem cognoscit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem servat. Viduam opprimit, pupillum invadit, liberos in servitutem revocat, testimonium falsum profert, res mortui occupantur, & qui faciunt, non moriuntur? Quæ est illa animarum insania, amare vitam, appetere mortem: acquirere aurum, & perdere cœlum?* Sallustius *in Catilin.* ibi: *Bellua fera, immanis & intoleranda, quæ quò tendit, agros, fana, atque domus vastat, divina cum humanis permiscet, nec exercitus, neque mœnia obstant, quominus vi sua penetret: famâ, pudicitiâ, liberis, patriâ, atque parentibus cunctos mortales spoliat, quasi materia omnium malorum existit.* Cassiodorus *lib.* 12. *epist.* 1. *Regnum illam procacium vitiorum avaritiam fuge, cui cuncta vitia detestabili devotione famulantur, quæ dum pectus hominis ingressa fuerit, gregatim quoque malefidas cohortes admittit. Ferri non potest recepta, quia nescit esse solitaria; agmen habet blandissimum, arma suscipit ex talentis, & per dulcedinem superat, quos amarâ deceptione captivat.* Plura in ejus detestationem congessit D. Joannes Solorzanus *emblemate* 39.

COMMENTARIUM.

PRo hujus textus expositione sciendum est, quod licèt beneficia sæcularia sæcularibus, regularia regularibus sint conferenda, *c. possessiones de rebus Eccles. cap.* 2. *de stat. regul.* ubi exponemus textum *in c. fin. de confirm. utili*; tamen plerunque beneficia sæcularia Ecclesiis tam monachorum, & monialium, quàm canonicorum regularium variis modis uniri & subjici solent, præcipuè duobus modis. Tamburinus *tom.* 3. *de jure Abbat. disput.* 9. *per totam.* Primò pleno jure quoad spiritualia, & temporalia, ut *in cap.* 2. *de supplenda neglig. cap. cùm & plantare* 3. §. *& in Ecclesiis, cap. quoniam* 21. *de privil. cap.* 1. *de capel. mon. lib.* 6. *Clement.* 1. §. *verùm, de excess. Prælat.* Secundò dumtaxat quoad temporalia, redditus videlicet, & fructus eorum in monasterii lucrum convertendos, institutione quidem, ac destitutione Episcopo reservatis, ut *in cap. ad hæc, de offic. vicarii, cap* 1. *& final. de capel. monach.* quæ unio fit pro augmento religionis, & ut paupertati monasterii consulatur, relictâ congruâ sustentatione ipsis beneficiariis. Trident. *sess.* 24 *cap.* 13. *&* 15. docet Salgado *de protect.* 3. *p. cap.* 9. *num.* 55. Ad hunc secundum casum, cùm videlicet beneficium unitum fuit tantùm quoad temporalia, referendi sunt præsens textus, & *in cap. de monachis, hoc tit.* ut docuerunt Flores à Mena *quæst* 10. Garanna *in cap.* 1. *de capel. monach.* unde docet Alexander hic, non posse religiosos minuere redditus respectu portionis debitæ rectoribus, seu vicariis ipsarum Ecclesiarum: cujus constitutionis ratio provenit ex eo; nam cùm Ecclesia sæcularis spectat ad regulares tantùm quoad temporalia, ita fructibus, & redditibus uti possunt, ut injuria non irrogetur beneficiario, cui congrua portio ita assignanda est, ut ultra sibi necessaria etiam percipiat portionem, ex qua absque penuria Episcopo in juribus Episcopalibus possit respondere, *cap.* 1. §. *sanè, de statu regul. lib.* 6. Trident. *sess.* 7. *cap.* 7. *& sess.* 25. *de regul. cap.* 8. probavi *in d. cap.* 2. *de supplend. neglig.* unde rectè ait Alexander in præsenti, non posse regulares minuere portionem debitam prædictis Rectoribus, aut eorum vicariis; quod etiam procedit si ratione juris patronatus præsentatio ad Ecclesiam sæcularem regularibus competat; nam adhuc eo casu intra congruam portionem præsentatum gravare non debent, *d. cap. de monachis.*

CAPVT XI.

Idem *Præposito, & Capitulo* (a) *Insul.*

SIgnificatum est nobis, quod cuidam sacerdoti præbendam unam in Ecclesia vestra communi voluntate dedistis, ita (b) quod Missam de sancta (c) Maria (nisi corporis infirmitate gravatus sit) debeat quotidie celebrare; & Ecclesiam vestram (non nisi communi, tam Præpositi, quàm Capituli assensu possit (d) dimittere, vel cuiquam præbendæ illius anniversarium delegare. Quam siquidem institutionem eatenus confirmamus, ut prædictus sacerdos, nisi infirmitate corporis fuerit impeditus, assiduè debeat obsequium suum impendere Ecclesiæ memoratæ, & quantò frequentius potest (e) (salva honestate sua, & debita devotione) Missarum solemnia

celebra-

celebrare : nec sibi liceat hoc illi subtrahere, sive causâ voluptatis, sive se ad aliam Ecclesiam transferendo.

NOTÆ.

1. (a) *Insul.*] *Insilensi*, legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.* 13. post Concilium autem Later. *p.* 50. *cap.* 9. legitur *Sulan.* Antonius Augustinus *in notis ad* 1. *collect.* legendum putat *Insulano* ; sed verius est legendum esse *Insulensi.* Insulensis enim Ecclesia est in Belgio : ejus Canonici à prima illus fundatione fuerunt canonici regulares ; ut constat ex instrumento fundationis Balduini Comitis Flandriæ, qui dictam Ecclesiam fundavit anno 1035. ut refert Pennotus *lib.* 2. *histor. canonic. regul. cap.* 38. *num.* 7.

2. (b) *Ita quod.*] Sed hoc Capituli factum non leves continet difficultates. Primam ex eo, quod omnis pactio præcedens in spiritualibus simonica est, *cap. quamprimùm* 1. *quæst.* 1. *cap. final. de pactis, cap. suam* 29. *cap. tuâ* 34. *de simonia* : sed in præsenti præcessit duplex pactio ; alia de Missa quotidiana celebranda ; altera de non recedendo ab Ecclesia invito Capitulo : ergo tanquam simoniaca admitti non debebat. Secunda ex eo nascitur ; quia præbenda conferenda est purè absque ulla conditione, vel pacto, *cap. quàm pio* 1. *quæst.* 2. *cap.* 2. *de elect. lib.* 6. quia talia simoniam redolent, *cap. per laicos* 16. *quæst.* 7. *cap. cum pridem* ; *de pactis* ; quod idem procedit in modo adjecto, *cap. verùm, de condit. appos. l.* 1. *C. de donat. quæ sub modo* : igitur in præsenti, nec in modum conditionis, nec in formam modi poterat præbenda ita conferri, præcipuè ; quia sicut præbenda dividi non potest ; *cap. majoribus* 8. *hoc tit.* ità nec tempore collationis novum onus illi imponi, *cap. unic. ut eccles. benef.* Sed primæ difficultati ut satisfaciant Glossa & communiter repetentes in præsenti ; docent collationem præbendæ hîc factam non fuisse sub modo aut conditione, sed præbendæ ipsi vacanti tale onus impositum fuisse ; & ita cum suo onere præbendam in noviter electum transire ; argumento textus *in dict. cap. unic. vers. Si verò ; ut eccles. benef. cap. ex litteris, de pignor.* Glossam sequuntur Decius *hic*, *num.* 10. Abbas *in cap. Jacobus, num.* 3. *de simon.* Sylvester *verbo Simonia, quæst.* 9 Spino *in specul. testam. gloss.* 7. *princip. à num.* 32. Sed licèt hæc interpretatio vera sit, quatenus supponit Episcopum posse beneficio vacanti novum onus adjicere spirituale, ut probavi *in d. cap. majoribus*, tamen præsenti decisioni non convenit, cùm apertè ex ea constet, tempore collationis conditionem illam adjectam fuisse. Quare eâ solutione omissâ, placet aliorum sententia, qui docent in spiritualibus conferendis modum, aut conditionem similiter spiritualem absque vitio simoniæ adjici posse ; quia tunc nihil datur spirituale, quod similitudinem pretii habere possit, ut latè probat Anguianus *lib.* 4. *de legibus, cap.* 7. *per totum.* Unde cùm in præsenti casu Ecclesiæ præbenda collata fuisset sub spirituali modo, videlicet cum onere celebrandi Missam, meritò Alexander III. hujusmodi collationem ; tanquam ab omni simoniæ labe immunem approbavit. Nec obstat secunda difficultas deducta ex eo, quod collatio beneficii sub conditione fieri non debet, *d. cap.* 2. *de elect.* quia tanquam actus legitimus eam recipere non valet, ut probant Selva *de benef.* 3. *p. quæst.* 20. Lambert. *de jure patron. lib.* 2. *p.* 2. *quæst.* 3. *num.* 9. Covar. *lib.* 3. *var. cap.* 16. *num.* 2. Cui difficultati, ut aliqui satisfaciant, docent regulam textus *in d. cap.* 2. non procedere in conditionibus, quæ tacite insunt, quæ etsi exprimantur, non vitiant actum : ita Glossa *in cap. significasti, de elect.* & *in Clement.* 1. *de restit. spol.* docent Navarrus *in cap. accepta, oppos.* 7. *num.* 41. *de restit. spol.* Miranda *in manual. tom.* 2. *quæst.* 23. *art.* 17. Quare collatio beneficii rectè fit sub ea conditione, si idoneus est, ut docet Felinus per textum ibi *in cap. final. num.* 14. *de præsumpt.* quare cùm in præsenti casu, saltem in genere præbendæ inesset onus Missam celebrandi, etiamsi exprimeretur, non vitiabat collationem. Sed facilius responderi potest, textum *in d. cap.* 2. *de elect.* procedere in conditione, quæ suspendit actum, non verò in modo licitè adjecto, ut fuit in præsenti onus celebrandi Missam ; quia tunc cum eo onere purè fit collatio ; & tale onus adjici posse, jam probavi *in d. cap. majoribus.*

3. (c) *Missam de sancta Maria.*] Sed obstat quod Missa publica, & quotidiè ex ritualibus Ecclesiæ statuta prætermitti non debet ob Missam privatam, *cap.* 2. *de celebrat. missar.* unde presbyterum non observantem rubricas ipsas Missalis Romani, lethaliter peccare defendunt Azor 1. *p. instit. lib.* 10. *cap.* 29. *quæst.* 6. pluribus relatis à Diana 2. *p. tract.* 14. *resol.* 55. Igitur in præsenti casu non poterat à Capitulo injungi onus quotidie celebrandi Missam de B. Virgine Maria. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, quod licèt in hoc casu gravamen de dicenda Missa imponeretur, non tamen ex eo derogatum fuit Ecclesiæ statutis, aut rubricis, ita ut obligatio assiduè celebrandi in præsenti debeat intelligi juxta Ecclesiæ dispositionem, & consuetudinem, ut docuerunt Barbosa *de potest. Episc.* 2. *p. alleg.* 24. *numer.* 32. Diana 2. *p. tract.* 14. *resol.* 31. Unde infertur, quod regulariter loquendo, clericus qui debet celebrare Missam secundùm dispositionem fundatoris, qui fuerit ut quotidie Missam diceret de aliquo Sancto speciali ; ritè adimplet onus sibi injunctum, si juxta Ecclesiæ rubricas celebret, ut tenent Lara *de capel. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 32. Sylvester *verbo Missa, quæst.* 10. Mantique *de differ. utriusque for. quæst.* 191.

(d) *Possit dimittere.*] Hæc verba exposui *in cap. admonet, de renunc.*

4. (e) *Salva honestate.*] Unde capellanus, qui obstrictus est per se Missam celebrare, ritè potest ob honestatem, & majoris devotionis gratiam omittere singulis hebdomadis unam ; vel aliam, dummodo voluptatis causâ id non faciat ; ut resolvunt plures congesti, à Narbona *in honograph. hor.* 5. *numer.* 11. Prado *de Eucharist. quæst.* 83. *dub.* 15. §. 2. Leander, Lugo, & Diana ; quos refert & sequitur Pater Henao *tom.* 2. *de sacrific. Missæ, disputat.* 19. *sect.* 3. *numer.* 31. qui sequentibus quæstionibus examinat, an talis capellanus ægritudine oppressus per longum tempus, teneatur per substitutum celebrare ; & an his diebus, quibus propter honestatem, majoremque devotionem

tionem excusatur ab onere celebrandi, possit pro se, vel pro alio, accepto stipendio Missam celebrare; quæ omnia huic textui non male annectuntur.

CAPVT XII.

Idem *Vvigor.* (a) *Episcopo.*

DE monachis autem, qui vicarios parochialium Ecclesiarum in tantum gravant, ut (b) hospitalitatem tenere non possint, nec honestam sustentationem habere, eam curam & providentiam habeas, quod ad præsentationem monachorum nullum recipias, nisi ei tantùm de beneficiis ecclesiasticis coram te fuerit assignatum, unde jura Episcopalia possit persolvere, & congruam, atque sufficientem sustentationem habere. Illis autem sacerdotibus, quibus à te, vel prædecessoribus tuis in Ecclesiis monachorum cura est animarum commissa, eam subtrahere non poteris, nisi ipsis à monachis honesta, & sufficiens sustentatio fuerit assignata.

NOTÆ.

(a) *Vvigor.*) Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 14. ubi additur pars capitis meminimus; unde constat in præsenti, referri partem textus *in cap. meminimus, de appel.* ubi jam id notavi.

(b) *Hospitalitatem.*] Valde consonat textus *in cap. 2. de supplend. neglig.* ubi quæ ad hunc textum spectant, adduxi, & *in c. avaritiæ* 10. *hoc tit.*

CAPVT XIII.

Idem (a) *Salernit. Archiepiscopo.*

ADhæc, licèt consuetudo illa non sit consona rationi, secundùm quam clericus, si à Kal. Mart. usque ad Kal. Novembris decesserit, totum fructum beneficii, quod debet anno illo percipere, secundùm suam voluntatem largitur: quia tamen in multis Ecclesiis observatur, eam satis in Episcopatu tuo poteris tolerare, præsertim si clericus, in decessu suo gravetur onere debitorum. Illud est omnino rationi contrarium, ut unus clericus in una Ecclesia, vel in diversis Ecclesiis Archidiaconatum & (b) Decanatum obtineat, cùm singula officia in Ecclesiis assiduitatem exigant personarum.

NOTÆ.

(a) *Salernit.*) Ita legitur in prima collectione, *sub tit. de testam. c.* 7. ubi additur pars capitis *tuanos, & infrà*: sed legendum esse, *cùm tu, & infrà*, jam notavit Antonius August. in ipso textu, unde cognoscitur priorem partem extare *in cap. cùm tu, de usur.* aliam *in cap. 4. de cohabit. cleric.*

(b) *Archidiaconatum & Decanatum.*) Nisi ex dispensatione Pontificia, ut *in cap. tua, de cleric. non resident.* ubi notavi, aliàs nemo potest obtinere utramque dignitatem. Commentarium hujus textus dabimus *in cap. de multa, hoc titul.*

CAPVT XIV.

Idem [a] *Burdegalensi Archiepiscopo.*

PRæterea de Arch. G. qui in tua, & Tolosana Ecclesia (b) Archidiaconus sit constitutus, in utraque (c) regulariter professus, collectis illis, quæ in Archidiaconatu Ecclesiæ tuæ colligere potest, præter conscientiam tuam Tolosam regreditur, & ibi per annum, vel eo amplius moratur: prudentiæ tuæ significamus, ut eundem G. si res ita se habet, altero, quem maluerit, Archidiaconatu, oc. & ap. cef. facias esse contentum.

NOTÆ.

(a) *Burdegal.*) Ita etiam legitur in prima collectione, *sub tit. de excess. Prælat. cap.* 4. & D. D. *Gonzal. in Decretal.* Tom. III. Pars I. post Concilium Lateran. *p.* 24. *cap.* 5. ubi extat integra hujus textus: ejus prior pars extat *in c.* 2. *qui matrimonium accusare, in* 1. *collect.* Burdigala civitas Galliæ est, supra Garumnam flumen, ad

mare Oceanum, ut refert Parpirius Maſon. *in deſcript. Galliæ per flumina, fol.* 553. Prima provincia Aquitanica, Burdegala eſt, ita dicta, ut ait D. Iſidorus *lib.* 18. *etymol.* quod Burgos Gallos primùm colonos habuerit: plura de ejus ſitu, & antiquitate tradit Chenu *in chron. fol.* 411. habet Eccleſiam Cathedralem dicatam ſancto Andreæ, de cujus Primatu egi *in cap. final. de majorit. & obed.* Gaufrido, ſeu Geufrido ejus Præſuli miſſa eſt præſens deciſio.

(b) *Archidiaconus.*] Juxta conſuetudinem Galliæ in præſenti relatam, & jam notavi *in cap. tua* 8. *de cleric. non reſid.*

2. (c) *Regulariter.*] Olim enim in utraque Eccleſia Metropolitana, Burdegalenſi videlicet, & Toloſana, canonici vitam regularem profitebantur, juxta regulam D. Auguſtini. De Burdegalenſi ita ex Vicentio, & Antonio *in vita Caroli Mag.*, *cap.* 29. refert: *Beatum namque Rolandum ſuper duas mulas, tapeto aureo ſubvectum, paliis tectum, uſque ad Blavium Carolus deferri fecit, & in Beati Romani Baſilica, quam olim ipſe ædificaverat, Canonicoſque regulares introniſerat, honorifice ſepelivit.* Quæ verba de ipſa Eccleſia Burdegal. exponit Pennotus *lib.* 2. *hiſtor. canonic. regul. cap.* 33. *n.* 11. Toloſanam Eccleſiam etiam uſque ad annum 1500. Canonicorum regularium fuiſſe liquet *ex cap. in cauſis, de elect.* & ex chron. Toloſan. ubi legitur, quod Carolus Magnus circa annum 890. in medio civitatis poſuit monaſterium, conſtituens ibi ſedem Archiepiſcopalem: refert Pennotus *d. cap.* 33. *num.* 20 Unde Archidiaconus, de quo in præſenti, in utraque Eccleſia viram regularem fecerat, profeſſusque erat. Commentarium hujus textus dabimus infrà *in cap. de multa.*

CAPVT XV.

Alexand. III. (a) *Januenſi Epiſcopo*

CUm non ignores, quod una Eccleſia (b) unius debeat eſſe ſacerdotis, mirabile gerimus, & indignum, ſi uni perſonæ locum in pluribus Eccleſiis velis concedere, & in Epiſcopatu tuo inducere conſuetudinem (c) Gallicanæ Eccleſiæ, quæ cùm unum ad plura recipiat beneficia, contra ſacrorum canonum inſtituta, non comprobatur à nobis, licèt non poſſit (d) præ multitudine dilinquentium emendari. Cùm igitur nuntius illius presbyteri, qui in duabus Eccleſiis locum habere conatur, & quidam clerici Eccleſiæ ſancti G. de Raballo, in qua locum ſe habere dicebant, ad præſentiam noſtram acceſſerint: nos attendes non eſſe conveniens, vel honeſtum, ut idem presbyter locum in duabus Eccleſiis habeat, volumus, & mandamus, quatenus illo beneficio, quod habet, faciatis eum manere contentum. Quod ſi fortè Archipresbyter, & clerici alterius Eccleſiæ in eum conſenſerint, eis nunc diſſidentibus, cum ipſorum ſcandalo non debet locum in ipſa Eccleſia, vel quærere, vel habere.

NOTÆ.

1. (a) *Enuenſi.*] *Januenſi*, legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. cap.* 1. Sed idem eſſe Januam, ac Genuam, jam ſuprà notavi *in c.* 21. *de elect.* ubi nonnulla de hac Eccleſia congeſſi.

2. (b) *Unius debet.*] Ita ut nec plures ad eam eligi debeant, juxta adducta *in cap. majoribus, hoc tit.* nec unus ad plures, ut in hoc textu docetur.

(c) *Gallicana.*] Ut notavi *in cap. antecedenti.*

3. (d) *Præ multitudine.*] Eſt enim tam triſtum, quàm certum, mitiùs agendum eſſe cùm multitudo deliquit, aliquidque ſeveritati detrahendum, cùm non hujus, aut illius periculum, ſed multorum jacet ſtrages; magiſque tunc monendo, ac minando, quàm puniendo agi debere, ut ex Sanctis Patribus probat Gratianus *in cap. conſtitueretur*, 50. *diſtinct. cap. ordinationes, cum ſequent.* 13. *quæſt.* 4. & pluribus rationibus adſtruunt Farinacius, & Tiſaquel. *de pœnis temper. cauſa* 47. adducentes verſum illum: *Per populum multum crimen pertranſit inultum.*

Cui convenit Seneca *lib.* 2. *de ira, cap.* 10. ibi: *In ſingulos ſeveritas Imperatoris diſtringitur; ac neceſſaria venia eſt, ubi totus deſervit exercitus: nam licèt non tollat culpam, nec iram ſatientis turba peccantium; intelligit tamen quàm iniquum ſit, & periculoſum iraſci publico vitio.* Sic etiam Scipio Africanus ſeditione inter milites orta, in eos tantùm, à quibus initium tumultus cœperat, animadvertendum cenſuit, dicens, ita fieri poſſe, ut pœna ad paucos, exemplum ad multos perveniret: referente Plutarcho *in Scipione.* Illuſtrat D. Joannes Solorzanus *embl.* 75. *in fine.* Sed ſi multitudo in ſuo ſcelere perſeveret, aut delictum commiſſum fœdiſſimum, graviſſimumque ſit, tunc totam quoque puniri poſſe, & deleri ſolere, conſtat ex generali Sodomorum punitione, & illa, quam Moyſes propter peccatum idololatriæ in viginti duo millia hominum fecit. Commentarium hujus textus reperies *in cap. de multa, hoc tit.*

CAPUT

CAPVT XVI.

Innocentius III. (a) *Zamorensi Episcopo.*

CUm secundum Apostolum, qui altari servit, de altari vivere debeat: & qui ad onus eligitur, repelli non debeat à (b) mercede: patet à simili, ut clerici vivere debeant de patrimonio Jesu Christi, cujus (c) obsequio deputantur, ut ipsa nominis ratio persuadet. Cùm enim à κλῆρος, quod est sors, vel hæreditas, (d) appellentur, quia in sui ordinatione, vel assumuntur in hæreditatem Domini, vel assequuntur hæreditatem in ipso, ut verè possint psallere cum Propheta: Dominus pars hæreditatis meæ; dignum est ut Ecclesiæ stipendiis sustententur, in quâ, & per quam divinis obsequiis adscribuntur. Licèt autem (e) prædecessores nostri ordinationes eorum, qui sine certo titulo promoventur, in injuriam ordinantium irritas esse voluerint, & inanes; nos tamen benigniùs agere cupientes, tamdiu per ordinatores, vel (f) successores ipsorum provideri volumus ordinatis, donec per eos ecclesiastica beneficia consequantur: ne fortè clamores pauperum clericorum, quos in aures Domini Sabaoth credimus introire, indurata facie negligere videamur. Inde est, quod cùm dilectus filius Bernardus lator præsentium, à (g) G. bonæ memoriæ prædecessore tuo (sicut asserit) in officium fuerit Subdiaconatus nullo præsentante promotus, nec ullum sit ecclesiasticum beneficium assecutus: fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si eum cum dilectis filiis I. Decano, N. magistro scholarum, & Helia, Canonicis Zamorens. quibus examinationem ipsius duximus committendam, idoneum repereris, & ecclesiastico beneficio non indignum, tamdiu ei vitæ necessaria congruè subministres, donec per te in Zamorensi Ecclesia vel in alia fuerit competens ecclesiasticum beneficium assecutus: sciturus pro certo, quod si per (h) examinationem illorum fuerit repertus idoneus, & tu ei juxta mandatum nostrum neglexeris providere, cùm hoc nobis per eorum litteras innotuerit, ad id exequendum te per districtionem ecclesiasticam compellemus; quia sicut nolumus injusta præcipere, sic cùm justa præcipimus, volumus efficaciter exaudiri. Datum Laterani III. Non. Aprilis.

NOTÆ.

(a) *Zamorensi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c.* 1. & in epistolis editis à Sirlero, *fol.* 37. ex quo codice ita restituto hujus textus integram. De Ecclesia Zamorensi nonnulla notavi *in cap.* 4. *de supplenda neglig.* Præsens epistola missa est D. Petro ipsius Ecclesiæ Præsuli, qui floruit in ea circa annum 1203. ut refert Ægidius Gonzal. *in theatro ipsius Ecclesiæ.*

(b) *A mercede.*] Consonant D. Gregorius relatus *in cap. ecclesiasticis* 12. *q.* 2. D. Cyprianus *lib.* 4. *epist.* 2. *ad Anton.* ibi: *Operari tu putas rusticum posse, si dixeris, agrum peritiâ omni rusticitatis exercere, culturis diligenter insiste; sed nullam messem metes, vindemiam nullam premes, nullos olivetis tui fructus capies, nulla de arboribus poma decerpes.* Liv. ait *lib.* 5. nusquam operam esse sine emolumento, nec emolumentum sine impensa opera esse. Cassiodorus *lib.* 10. *var. epist.* 27. nimis impium ajebat plenissimis cellis vacuos esurire cultores. Undè Ecclesiæ praxis semper fuit, clericos omnes Ecclesiis inservientes à populo stipendia accipere; ut ex canonibus contra Pilatis *causâ* 12. *q.* 2. exploratum est. Undè indotata Oratoria erigi non licere, nisi congruâ dote, ad alimoniam ministrorum, statuitur in Concil. Bracharensi 2. *can.* 5. Tolet. 3. *can.* 9. Mogunt. sub Arnulpho *can.* 4. Vvormat. *can.* 6. & 55. Troslejan. *can.* 6. Facit D. Hieronymus *epist.* 1. *ad Heliodorum*, dum illud discrimen assignat inter clericos & monachos, ut clericis stipendia debeantur, monachi stipendia debeant, ibi: *Alia causa est monachorum, alia clericorum: clerici pascunt oves, ego pascor: illi de altari vivunt, mihi quasi infructuosæ arbori securis ponitur ad radicem, si munus ad altare non defero.* Quod omne in religione observatum legimus; in Judaica enim, & veteri lege Pontifici, Sacerdotibus, & Levitis pro ministerio, quod impendebant in templo, pro sacrificiis, quibus vacabant, & divinæ religionis officiis, quæ procurabant, decimæ, primitiæ, & alia tributa ad eorum sustentationem à cæteris pendebantur, *Numerorum cap.* 18. *vers.* 21. ibi: *Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israëlis in possessionem pro ministerio, quo serviunt mihi in tabernaculo fœderis.* Et *lib.* 2. *Esdræ, cap.* 10. *vers.* 37. variæ oblationes etiam fuerunt assignatæ: quare sacerdotes veteris legis divites fuisse, præ aliis omnibus probat Becanus *in analog. c.* 7. *q.* 6. *in fine.* In Gentilium religione varia, & plura fuisse stipendia assignata sacerdotibus, & flaminibus; probat latè Antonius Monchianellus *de sacrificio Missæ, cap.* 20. Salmasius *in Spartianum pag.* 1. *linea* 24. & *in Vopiscum fol.* 378. Sed si ex præcepto Apostoli in præsenti relato clericus non potest ordinari sine titulo, quomodo Innocentius hîc, & Alexander III. *in cap.* 4. *hoc tit.* statuerunt; quod si clerici ex paterna hæreditate, seu proprio patrimonio sustentari possent, etiam absque titulo, ex quo alantur, possint ordinari? cùm Summus Pontifex non possit mutare, aut corrigere quæ à Christo Domino, & ejus Apostolis statuta fuerunt, *cap. in novo*, 21. *dist. cap. sunt quidam* 25. *q.* 1. Pro cujus difficultatis solutione sciendum est, Apostolum aliquan-

do referre ea ; quæ sunt legis naturalis , ut *non occides, non mœchaberis*, &c. ad Romanos *cap.* 13. aliquando verò ea , quæ sunt legis supernaturalis, vel divinæ, ut *non circumcideris*, ad Galathas *cap.* 5. aliquando ea , quæ sunt tantùm legis positivæ, ut quod Episcopus non sit bigamus, præceptum de jejunio, & similia, 1. *ad Timoth. cap.* 3. Cùm ergo Apostolus refert aliquid juris naturalis, vel divini, id immutabile est; quia jura illa immutabilia sunt , *cap. final.* ubi probavi, *de consuetudine*: docent plures congesti à Cenedo *collect.* 196. *ad Decret.* & pluribus relatis Thomas Sanchez *lib.* 8. *de mœrim. disp.* 6. *n.* 4. Basilius *eod. tract. lib.* 8. *ferè per totum.* Quando verò Apostolus refert aliquid juris tantùm positivi, an Pontifex in eo dispensare possit, dubium est? Cujus solutio pendet ex illa quæstione, utrum D. Petrus primatum habuerit supra alios Apostolos, ut tanquam major ipse, & ejus successores, possint immutare, & corrigere, quæ ab aliis Apostolis statuta erant, cùm tantum superior possit corrigere legem inferioris? In qua quæstione dicendum est, simpliciter in Apostolatu Apostolos æquales fuisse , pariterque à Domino vocatos, juxta illud Joannis *c.* 20. *vers.* 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Lucæ *cap* 6. ibi: *Nonne ego vos duodecim elegi?* & *c. in novo* 21. *d. st.* ibi: *Pari consortio honorem, & potestatem acceperunt.* Hæc tamen non impediunt primatum, & supremam jurisdictionem D. Petri, quam ipse specialiter, & immediatè à Christo Domino accepit. *Joannis c.* 21. ibi: *Pasce oves meas*; & *c.* 16. *Matthæi*: *Tibi dabo claves, & quodcunque ligaveris*, &c. *c. ita Dominus* 7. 19. *dist. c. puto* 35. *c. beatus* 37. 2. *q.* 7. Probant, & latè explicant D. Thomas, Bonavent. & alii SS. PP. congesti à Bellarmino *lib.* 1. *de Rom. Pontifice*, *c.* 10. & *lib.* 4 *c.* 22. *&* 23. Cajetanus *in opusc. tom.* 1. *tract.* 1. *c.* 3. *&* 4. Jacobatius *de Concil. lib.* 5. *art.* 8. Quibus animadversis dicendum est, quod cùm majorem jurisdictionem , summumque Ecclesiæ primatum supra reliquos Apostolos D. Petrus habuisset, consequens est Romanum Pontificem ejus successorem posse utilitate suadente immutare statuta positiva Apostolorum ut probant ex D. Thoma Turriscremata *de potest. Papæ, q.* 63. Sylvester *verbo Excommunic.* 5. *n.* 10. Unde passim in jure legimus immutatas pœnas , & correctas nonnullas cæremonias à Sanctis Apostolis in suis canonibus statutas : item dispensatum cum bigamo ut ordinetur , *in c. lector*, 34. *dist* notavi *in c.* 2. *de bigamis.* Sed licet hæc vera sint, adhuc urget difficultas suprà adducta ; nam sententia relata ab Apostolo in præsenti à lege naturali , & divina provenit, videlicet ut qui altari servit, de altari vivat, juxta illud Lucæ *c.* 10. *Dignus est operarius mercede sua.* Unde videbatur Pontificem in hoc casu dispensare non posse. Cui difficultati ut satisfaciamus, observandum D. Paulum 1. *ad Corinth.* 8. in præsenti relatum, nullatenus asseruisse aliqua lege divina statutum fuisse ut nullus clericus ordinaretur sine titulo; sed tantùm dixisse altari inservientem de altari vivere debere, dum 1. *ad Corinth c.* 9. ait: *Quis militat suis stipendiis unquam? quis plantat vineam , & de fructu ejus non edit? quis pascit gregem , & de lacte gregis non manducat?* Et paulò post: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Item 1. *ad Timoth. c.* 5. *Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant , de Evangelio vivere.* Ex qua sententia Ecclesiæ Patres deduxerunt , neminem sine titulo esse ad sacros ordines promovendum , *dist. cap.* 1. *&* 2. 70. *distinct.* Sed cùm hæc constitutio positiva esset, rectè potuerunt Alexander *in dicto cap.* 3. & Innocentius *in præsenti*, statuere ut pro titulo haberetur patrimonium ipsius ordinandi.

(c) *Cujus obsequio.*) Clerici enim per sacrum ordinem destinati sunt à populo, ut pro eo orent, quemadmodum, & Tribus Levi in antiqua lege pro universo populo divinis officiis vacatura à Deo ipso electa fuerat, unde diffiniuntur clerici, Qui divino cultui ministeria religionis impendunt, *in l.* 2. *C. Theod. de Episc. & cleric.* ac si diceretur, ab iis, qui ordinantur pro divino cultu, religionis officia præ cæteris exhibenda esse, atque ideo ex destinatione Ecclesiæ, ex munere, & officio publico , totiusque Ecclesiæ nomine pro populo precantur, dum pensum servitutis suæ solvunt, ut ait textus *in c.* 1. *de celebr. Missar.* Eligius *homil.* 9. *in Cœna Domini*, ibi: *Canonicis horis quotidie juxta ritum ecclesiasticæ traditionis, psalmodiis, precibusque consuetis Dominum rogare, & laudare non desistant.* 3.

(d) *Clerici appellantur.*] *Cap. cleros*, 21. *dist. cap. clericus* 5. 17. *q.* 1. illustrant latè Petrus Gregorius *lib.* 2. *partit. tit.* 9. *cap.* 1. Alciatus *lib.* 4. *parerg. cap.* 2. Vvadingus *ad opera D. Francisci, epistol.* 13. Cujacius & Fabrotus *in rubric. de vita & honest. cleric.* fusè Hallierius *de sacris elect. in princip.*

(e) *Prædecessores.*] *In cap.* 1. *&* 2. 70. *dist. cap.* 2. *&* 4. *hoc tit.*

(f) *Successores ipsorum.*] Sed si ordinatores in pœnam improbæ ordinationis tenentur alimenta ita ordinatis præstare, quomodo eorum successores ex facto, & delicto ipsorum teneri possunt cùm ex delicto authoris successor non teneatur, *l. unic. C. ne ex delict. defunct. l. si is qui* 3. *C. si pendent. appel.* plura Pichard. *in* §. 1. *Instit. de perpet. & tempor.* ne unius delictum innocenti præjudicet, contra regulam *Non debet*, 21. *de reg. jur. lib.* 6. *l. non debet, ff. eod. tit.* & ne ex delicto alterius innocens teneatur, contra legem *sancimus, C. de pœnis.* Cui difficultati, omissis variis solutionibus adductis à Glossa & Repetentibus hîc, dicendum est, onus alendi clericos ordinatos sine titulo non esse personale, nec in pœnam delicti impositum ; sed tale onus reale esse patrimonii illius Ecclesiæ, in qua ordinatus inservit, & ministrat , ut ex auctoritatibus in præsenti relatis constat : quare simile onus transit cum ipso patrimonio in quemlibet illius possessorem, seu administratorem. Par ergo obligatio hæc est , tam in ordinante , quàm in ejus successoribus , patrimonium , seu bona ipsius Ecclesiæ possidentibus , *cap. accepimus , de ætate & qualitat.* Unde non tam ex delicto ordinantis, quàm ex onere reali ejus successor in dignitate cogitur in hoc casu alimenta præstare. 4.

(g) *G.*] Guillelmo videlicet, qui fuit unicus hujus nominis, ut refert Ægidius Gonzalez *in theatr. ipsius Eccles.*

(h) *Competens.*] Id est, sufficiens ad congruam, honestamq; sustentationem, *d. c. Episcopus* 4. *hoc tit.* ibi: *Convenientia stipendia.* Trident. *sess.* 21. *de reform. c.* 2. ibi: *Quod sibi ad victum honestè sufficiat.* Quale autem beneficium sufficiens dicatur, in jure expressum non est , nec facilè statui potest, cùm hoc expluribus facti circumstantiis proveniat,

veniat, juxta textum *in l. 1. ff. de jure delib.* Facit textus *in l. quæsitum 13. ff. de testibus.* Unde Episcopi arbitrio relinqui, utrum beneficium sit sufficiens, vel non, docent Salcedo *in praxi, c. 18. n. 4.* Parisius *lib. 2. de resig. benef. q. 6. n. 13.* Episcopus enim habitâ ratione qualitatis personæ ordinandi, & regionis, debet exiguum, vel congruens beneficium admittere, vel rejicere, ita ut beneficium sufficiens sit ad victum, ut ordinatus mendicare non cogatur. Item cognoscere debet, an beneficium pacificè possideatur, nec ulla controversia juris, vel facti, sive in judicio, sive extra contra possessorem sit mota, juxta Trident. *d. sess. 21. c. 2.* docent late Barbosa *ibi*, Salcedo suprà, *n. 6.* qui etiam probant hujusmodi beneficium debere esse perpetuum, ne si postea deficiat, clericus ita ordinatus mendicare cogatur: unde latè disputant, an ad titulum pensionis, capellaniæ, & coadjutoriæ possit quis ad sacros ordines promoveri? In quibus, & similibus quæstionibus videndi sunt ipsi, & alii congesti *in cap. 4. hoc tit.* ubi commentarium hujus textus adduximus.

CAPVT XVII.

Idem *Archiepiscopo* (a) *Senonensi.*

INter cætera, quibus ad universalem Ecclesiæ gubernationem instruimur, ille, cujus gratia, non meritum nostrum ad ejusdem regimen nos provexit, mirum, & mirabile nobis suæ benignitatis reliquit exemplum: in eo videlicet, quod sicut de beato Petro, cujus sumus (licet immeriti) successores, à Domino factum esse videmus, infirma mundi elegit, ut fortia quæque confunderet; misericorditer prævidens, quod qui sæcularium pondus ante suam vocationem sustinuerat passionum, fragilitatem humanæ conditionis expertus, fratribus suis meliùs compati sciret, & commodiùs misereri, dum sibi conscius, de se haberet evidens in similibus argumentum. Hæc verò ante nostros oculos proponentes, postquam dilectus filius noster magister P. de Cassaneto seriem negotii sui nobis exposuit, paternâ super eum moti fuimus pietate: cujus factum cùm ex certitudine rei, quam nos, dum olim minori fungeremur officio, tractaveramus, in parte plenioris fidei testimonium adjuvaret, ad succurrendum ei, & labores ipsius inutiles relevandos, animi studium solitiores assumpsimus: ne miseranda ipsius afflictio, quæ jam ei perplexitatem dubiam minabatur, Sedem Apostolicam expertem esse solitæ misericordiæ, ac remedii debiti causaretur. Tibi siquidem satis credimus esse notum, qualiter facta resignatione à dilecto filio Vv. de Bochar, in quodam Canonico Laudunensi, de præbenda ejusdem Ecclesiæ, quæ per commutationem præbendarum dilecto filio H. tunc Siclinensi Canonico, à bonæ memoriæ N. Decano Rhemensi, (b) auctoritate Apostolica assignari debebat, prædictus Magister per venerabilem fratrem nostrum N. Laudun. Episcopum de præbenda fuit investitus eadem, & tam in Choro, quàm in capitulo per dilectos filios N. Decanum, & Canonicos Laudun. adhibitis solennitatibus debitis, juxta Laudunensis Ecclesiæ consuetudinem institutus. Super quo cùm inter ipsum, & dictum N. controversia suborta fuisset, & appellatio ad Sedem Apostolicam interjecta, licèt idem Magister cum magnis laboribus, & expensis ad eandem Sedem accedens, post diutinam expectationem, quæ sub intemperie periculosi temporis imminente ipsum tædio multo, & diversarum persecutionibus incommoditatum affectum ferè usque ad extrema deduxit, suum negotium contra memoratum N. pro suo desiderio compleviſſet; eo tamen postmodùm causâ infirmitatis absente, ad instantiam sæpefati H. tunc ad Apostolicam Sedem præsentis, per bonæ memoriæ C. prædecessorem nostrum, de fratrum consilio omnia retractata fuere. Sicque ipse Magister sua spe (c) frustratus omnino, post destitutionem suam Sedem Apostolicam fuit iterum adire coactus, nullum sibi videns remedium superesse, nisi ejus desolationi multiplici Sedes Apostolica duceret misericorditer providendum. Propter hæc igitur, & alia multa, quæ causam ejus favorabilem reddiderunt, nos circa ipsum paternum gerentes affectum, prædictis N. Decano, & Canonicis Laudun. mandando districtè præcipimus, ut eundem Magistrum, qui per dictum Episcopum in eorum Ecclesia institutus fuisse dignoscitur, & per ipsos in fratrem admissus, salvo eo, quod de præfato N. Sedes Apostolica sententialiter diffinivit, non obstante contradictione, vel appellatione cujuslibet, Canonicum habeant, tam in Choro, quàm in Capitulo, & in aliis, quæ ad Canonicum pertinent, fraterna eum charitate tractantes. Præterea ipsis firmiùs inhibemus, ne aliquem in Canonicum recipere aliquo modo præsumant, donec antedictus Magister præbendæ beneficium in præfata Ecclesia plenariè sit adeptus. Unde fraternitati tuæ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus memorati

N. Decanus, & Canonici mandatum noſtrum neglexerint adimplere, tu eos ad receptionem ejus (prout dictum eſt) faciendam, ſublato appellationis obſtaculo, per diſtrictionem eccleſiaſticam, monitione tamen præmiſſâ, compellere non omittas, quoſlibet qui mandato Apoſtolico ſe duxerint opponendos, eadem cenſura compeſcens. Noveris autem, quod quia nolumus ut idem Epiſcopus occaſione alicujus promiſſionis, ſeu cujuſlibet auctoritate reſcripti à Sede Apoſtolica impetrati, ad eludendum mandatum noſtrum ſe valeat excuſare, ipſi diſtrictè præcipimus, ut donec idem Magiſter in eadem Eccleſia fuerit præbendæ beneficium aſſecutus, nulli alii præbendam modo quolibet aſſignare præſumat. Quod ſi fortè præſumpſerit, id irritum decernimus penitus, & inane. Decet enim, ut quia præbendam ei, quam de jure non potuit, aſſignavit, eam, quam de jure poteſt, aſſignet, ne præbendam illi fraudulenter viſus ſit aſſignaſſe. Datum Romæ apud S. Petrum X. Kal. Maji, Pontificatus noſtri anno 1.

NOTÆ.

1. (a) *Senonenſi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 3. & in epiſtolis editis à Sirleto, *fol.* 49. ex quo codice reſtituo integram hujus textus: caſus autem ita contigit. Guillelmus, & Hugo, unus Eccleſiæ Laudunenſis, alter Siclinienſis, coram Cœleſtino III. animo permutandi præbendas, eas reſignarunt in manibus ipſius. Cœleſtinus eorum petitioni annuens, juſſit Decano Rhemenſi, ut præbendam Guillelmi Hugoni conferret, & viciſſim Hugonis Guillelmo; ſed antequam Decanus id adimpleret, Epiſcopus Laudunenſis præbendam Guillelmi contulit Petro talis reſignationis ignaro, qui cum cæteris Canonicis conſedit in Choro, & Capitulo: ſed cùm Cœleſtinus hanc collationem irritaſſet, conqueſtus Petrus coram eo de illuſione Epiſcopi, quia ignarus reſignationis deceptus fuerat, juſſit Alexander III. Epiſcopo Laudunenſi, ut præbendam proximè vacaturam, quam de jure poſſit, Petro conferret.

(b) *Auctoritate Apoſtolica.*] Unde talis commutatio admitti poterat, cùm præceſſiſſet Pontificis auctoritas; licèt aliter textum hunc accipiat Covar. *lib.* 1. *var. cap.* 5. *num.* 5.

(c) *Sua ſpe fruſtratus.*] Quam rationem ad feuda, & Indorum Commendas prorogans, illuſtrat Solorzanus *tom.* 2. *de jure Indiar. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 32.

CAPVT XVIII.

Idem *Epiſcopo & Cantori* (a) *Tornacenſi.*

CUm jam dudum. (b) *Et infrà*: Verùm quoniam ab R. Siclunenſi Canonico, I. de (c) Bithinia quædam objecta fuere, multitudo videlicet tam dignitatum, quàm etiam præbendarum, ambitionis, & avaritiæ vitium, cui nondum finem imponens, contra diffinitionis noſtræ tenorem, & (d) Lateranenſis Concilii ſtatuta, ad obtinendam Præpoſituram Siclunen. ſe ingerit, & ingeſſit; & quod die (e) intruſionis ſuæ ante (f) confirmationem præſumpſerit miniſtrare, ſicut & poſt confirmationem caſſatam. Mandamus, quatenus ſi inveneritis prædictum I. habere plures alias dignitates, atque præbendas, aut aliquid aliud præmiſſorum, quod ad caſſationem ejus ſufficiat, inveneritis eſſe verum: ei ſuper jam dicta Præpoſitura ſilentium imponatis, ab impetitione Siclunen. Eccleſiam abſolventes, cùm multa per patientiam (g) tolerentur, quæ ſi deducta fuerint in judicium, exigente juſtitiâ non debeant tolerari.

NOTÆ.

1. TOrnacenſi.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. c.* 4. De Tornacenſi Eccleſia nonnulla notavi *in cap. eam te* 7. *de reſcript.*

(b) *Et infrà.*] Epiſtola hæc non reperitur inter editas à Guillelmo Sirleto, & Boſqueto, quia ſpectat ad librum 3. epiſtolarum Innocent. III. quam adhuc præ manibus non habuimus. Caſus autem præſentis litis ita contigit. Mathildis filia Alfonſi I. Regis Portugaliæ præmortuo marito Philippo I. Flandriæ Comite in Syria, retinuit Siclinienſe territorium jure dotalitii, cum jurepatronatus, quod Comes Flandriæ habebat in Eccleſia Siclinienſi: unde defuncto Præpoſito illius Eccleſiæ, elegit in ejus locum quendam clericum procuratorem ſuum: quem non ſolùm Siclinienſes Canonici non admiſerunt, verùm & elegerunt Joannem, quem in poſſeſſionem Præpoſituræ induxerunt, Mathildis appellavit ad Innocentium, à quo cùm cauſa fuiſſet commiſſa certis judicibus, coram eis varia objecta fuerunt prædicto Joanni, videlicet plures præbendas habere malo more, & corruptis quinque electoribus admiſſum fuiſſe: quibus cognitis Innocentius eum dejiciendum eſſe à Præpoſitura decrevit, quod ut latiùs percipiamus, audiamus ipſum Innocentium relatum à Sirleto *fol.* 53. qui Attrebatenſi, Tornacenſi, & Morinenſi Epiſcopis in hæc verba reſcribit: [Cùm illius vicem (licèt immeriti) geramus in terris, cujus virga regni eſſe dignoſcitur æquitatis, delatas ad Apoſtolatus noſtri notitiam quæſtiones ſic nos convenit examinatis diligentiùs

gentiùs causarum meritis justo judicio diffinire, quod in nostri non appareamus executione officii negligentes, & cuique, prout tenemur, suam videamur justitiam conservare. Sanè licèt tempore felic. record. C. Pap. prædecessoris nostri quæstio inter dilectam in Christo filiam N. nobilem mulierem, uxorem quondam Philippi Comitis Flandr. & Capitulum Sicliniensis Ecclesiæ, super electione Præpositi fuerit diutiùs quæstio agitata, & super causâ ipsâ rescripta sæpe Apost. emanassent, novissimè tamen utriusque partis nuncii ad Sedem Apostolicam accedentes, post ejusdem prædecessoris nostri obitum suas propositere in nostro auditorio quæstiones. Et primò quidem dilectus filius Magister Ægidius, præfatæ Comitissæ procurator & nuncius, pro ea taliter allegavit: Quod cùm obeunte G. quond. Siclin. Præposito, Siclinienſis Præpositura vacaret, ipsa, ad quam terra illa jure dotalitii ex dono prædicti Com. fuerat devoluta, sicut idem Comes à longis retroactis temporibus, cùm Siclinienſis Præpositura vacavit, in eadem Ecclesia Præpositum dignoscitur elegisse, uti suo jure cupiens, virum idoneum, litteratum, & honestum, qui non habebat alium personatum, magistrum E. in Præpositum Siclinien. elegit, & ad Siclinien. Ecclesiam destinavit, rogans, & postulans à Canonicis Ecclesiæ memoratæ, ut ei jus suum conservantes illæsum, illum, quem ad eos destinaverat, recipere in Præpositum non differrent: quem cùm in Ecclesia Canonici residentes admittere penitus recusassent, ipsa Comitissa jus suum, & electionem, quam fecerat, sub Apostolica protectione constituit, & ad Romanam Ecclesiam appellavit. Postea verò cùm de communi assensu Capituli Ecclesiæ memoratæ fuerit interpositâ appellatione prohibitum, ne quis ab eis nominaretur in Præpositum, nisi communi deliberato consilio, sicut in litteris quorundam Canonicorum ejusdem Ecclesiæ manifestè conspicitur contineri; quinque tantùm Canonicorum dilectum filium Joannem de Bitunia, qui septem alias habere dicitur Prælaturas, aliorum assensu minimè requisito, qui erant absentes; & iis qui residentes in eadem Ecclesia erant apud Siclinium, non vocatis, nullumque assensum ipsi electioni præbentibus, in Præpositum elegere, & installavere, contra cujus installationem ex parte Comitissæ iteratò fuit ad Sedem Apostolicam appellatum. Verùm cùm causa eadem tibi, frater N. Atrebat. Episcope, & tuis conjudicibus fuisset ab Apostolica Sede commissa, & ab examine vestro neutra partium appellasset, prædictus Joannes de Bitunia ignorante parte aliâ nuntium suum latenter ad Sedem Apostolicam destinavit, & se simplicem clericum, Joannem scilicet de Bitunia, dolosè faciens appellari, & falsò significans violentiam per Comitissam Siclinien. Canonicis irrogatam, & de interpositis appellationibus ab eadem Comitissa mentione non habitâ, se assetens electum canonicè in Præpositum, à præfato prædecessore nostro ad venerabilem fratrem nostrum N. Episcopum, & dilectos filios N. Decanum, & N. Præpositum Suessionen. litteras impetravit; quibus datum est in mandatis, ut eandem Comitissam denunciarent excommunicationis vinculo detineri, & tamdiu ab omnibus evitandam, donec Ecclesiæ Siclinien. & passis injuriam, de ablatis omnibus, & irrogatis injuriis satisfaceret competenter, & de speciali esset mandato Sedis Apost. absoluta. Qui etiam solicitè provideret, ut si electionem Præpositi ad dictos Canonicos ex legitimis eorum assertionibus cognoscerent pertinere, sæpenominatæ Nobili, & cuilibet laicæ personæ perpetuum silentium imponerent, & facerent Præpositum ipsum collatæ sibi canonicè dignitatis, appellatione remotâ, pacificâ possessione gaudere. Judices autem ipsi nullâ causæ cognitione præhabitâ, vel etiam citatione præmissâ, tenorem mandati Apostolici præfatæ Comitissæ cum suis litteris direxerunt, eidem districtè mandantes, quatenus Præposito Ecclesiæ, & Canonicis Siclinien. de illatis injuriis cum plenaria damnorum restitutione satisfacerent competenter: scitura, quod donec quod mandaverat, adimpleret, & de speciali esset mandato Apostolico absoluta, ipsam, & officiales suos, & alios bonorum Siclin. Ecclesiæ invasores pro excommunicatis haberent: & vobis, fratres N. Tornacen. & N. Morinen. Episcopi, ut hoc denuncietis omnibus, auctoritate dederunt Apostolica in mandatis. Post hæc verò cùm præfata Comitissa ab eisdem citata judicibus, procuratorem suum ad præfixum sibi locum, & terminum destinasset, licèt se excommunicatione crederet non teneri, sufficientem tamen obtulit cautionem, quod Ecclesiæ parêret judicio, vel mandato, ut absolutionis beneficium mereretur. Quod cùm ab ipsis judicibus non posset aliquatenus obtinere, & usque ad productiones testium fuisset in causa ipsa processum, & judices testes ex parte Comitissæ productos admittere noluissent, mandato prædecessoris nostri minùs rationabiliter inhærentes; in quo continebatur expressum, ut si electionem Præpositi ad jam dictos Canonicos ex legitimis eorum assertionibus cognoscerent pertinere, prænominatæ Nobili, & cuilibet laicæ personæ perpetuum silentium imponerent, & facerent Præpositum ipsum collatæ sibi canonicè dignitatis, appellatione remotâ, pacificâ possessione gaudere: procurator ejusdem Comitissæ ab eorum manifestis gravaminibus Sedem Apostolicam appellavit. Ipsi verò judices nihilominus contra Comitissam sententiam protulere, à quorum sententia, sicut & priùs, ad Romanam fuit Ecclesiam appellatum. Tandem verò dilectis filiis N. Sancti Quintini, & N. Rojen. Decano, & N. Cantori Peronen. fuit causa eadem à Sede Apostolica delegata. Quorum judicium, quia sicut & primi judices prædictam Com. sadisdare volentem absolvere, & testes suos admittere recusarunt, quia unus ipsorum judicum Advocati adversæ partis patruus, vel avunculus dicebatur; & alter cùm causa ipsa sub eorum examine tractaretur, à prædicto Joanne de Bitunia Duacen. præbendæ donationem recepit: procurator sæpefatæ Commitissæ penitus recusavit, & ab eis tanquam à suspectis, ante & post sententiam Sedem Apostolicam appellavit. Et quoniam priores & posteriores judices in causa ipsa tam inordinatè processerunt, postulabat eadem Comitissa, ut quicquid factum esset per eosdem judices, & in ejus forte præjudicium post appellationem legitimè interpositam attentatum, irritum fieret, & inane: præsertim cùm commissio illa ad Suessionen.

judices veritate noscerètur tacitâ impetrata, Econtra verò dilectus filius Magister Robertus, adversæ partis procurator & nuncius, respondebat, quod cùm defuncto G. Siclinien. Præposito, Fratres ejusdem Ecclesiæ de successoris electione tractarent, & primo die non potuissent in personam idoneam convenire; tandem prædictum Joannem de Bitunia in Siclinien. Præpositum unanimiter elegerunt, & installarunt, ne quid in præjudicium electionis eorum fieret, Sedem Apostolicam appellantes. Clericus etiam Comitissæ, qui præsens aderat, nihilominus Romanam Ecclesiam appellavit. Ipse autem Joannes de Bitunia electus taliter in Præpositum, omnium hominum ad Præposituram pertinentium in pace recepit homagia, & eodem die fructus Præposituræ quietè habuit, & sine contradictione percepit. Præfata verò Comitissa Flandriæ, cùm sæpius suas litteras ad Siclinien. Capitulum direxisset, ut Magistrum C. clericum suum eligeret in Præpositum, & non posset ab eis quod postulaverat obtinere, per se, & ministros suos ad res Canonicorum, & illius, quem elegerant, & ad personas eorum manus extendit, personas malè tractavit, & bona diripuit violenter. Cùm autem ad venerabilem fratrem nostrum N. Rhemen. Archiepiscopum, sanctæ Sabinæ Card. tanti excessus quæstio devenisset, & eam, & fautores ejus excommunicationis sententiâ innodasset; quia tandem in manu ejusdem Archiepiscopi de illatis injuriis, & ablatis rebus promisit satisfacere competenter, ab excommunicatione extitit absoluta. Verùm quia postmodùm non servaverat quod promisit, ab eodem Archiepiscopo fuit eadem sententiâ innodata, de excommunicatione ipsius circumpositis Episcopis litteris destinatis. Cùmque super his omnibus ad prædictum prædecessorem nostrum quæstio delata fuisset, ipse prædictis Suessionen. judicibus causam ipsam (ut prædictum est) terminandam commisit, qui secundùm quod in mandatis receperant procedentes, utriusque partis receptis testibus, cognoscentes jus electionis ad Siclinien. Capitulum pertinere, dictam electionem auctoritate Apostolicâ confirmavere, & præfatam Comitissam denunciavere excommunicationis sententiæ subjacere. Cùm verò prætata Comitissa nuncium ad Sedem Apostolicam direxisset, & de utriusque partis assensu prædictis N. sancti Quintini, & N. Roien. Decan. & G. Cantori Peronen. causa eadem fuisset cognoscenda commissa, ipsi auditis diligenter quæ hinc inde fuere proposita, de prudentum virorum consilio prædictorum judicum sententiam approbavere, eam auctoritate Apostolicâ confirmantes: pro quo idem Magister Robertus cum instantia supplicabat, ut quod erat per priores judices sententiatum, & approbatum nihilominus à secundis, nostrâ quoque confirmaretur auctoritate, & res Canonicorum, & dicti electi, quas prædicta Comitissa per se, & fautores suos occupaverat, faceremus cum integritate restitui, & de injuriis satisfieri competenter. Nos igitur, quibus ex susceptæ incumbit administrationis officio diligere justitiam, & odire iniquitatem, cum fratribus nostris utriusque partis allegationes, & rescripta diligentiùs intuentes, cognovimus evidenter commissionem ad Suessionen. judices per preces mendacia impetratam, cùm ipsius Joannis suppressum fuerit nomen cujuslibet dignitatis, & interpositæ appellationis à Comitissa, vel ab alio nulla in eis mentio haberetur, & mendax precator carere debeat impetratis. Præterea non est aliquâ ratione credendum, quod idem prædecessor noster sine causæ cognitione præfatam Comitissam voluerit excommunicatione notari, vel ei super jure suo perpetuum imponi silentium, cùm merita causarum partium assertione pandantur. Idem ipsi judices Suessionen. videntur in rescriptis, quæ perspeximus, discordare, cùm in litteris, quas posterioribus judicibus direxere, se asserant utriusque partis receptis testibus ad sententiam processisse, & in rescripto prolatæ sententiæ, se non utrimque, sed ex parte Canonicorum recepisse testimonia fateantur. Ex præmissis itaque, & aliis rationibus, tam priorum, quàm posteriorum judicum inordinatas sententias cognoscentes, quicquid super causa ipsa occasione prædictarum commissionum ordinatum dignoscitur, vel statutum, de fratrum nostrorum consilio decernimus non tenere: ad illum statum idem negotium reducentes, quem ante commissionem primam dignoscitur habuisse. Ut autem utrique parti sua debeat justitia respondere, causam ipsam duximus secundùm formam canonicam committendam. Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum.] Hujus epistolæ major pars reperitur *in cap. 1. de sententia & re judicata, in 3. collect.*

(b) *Siclun.*] Legendum esse *Siclinienſi*, jam notavit Boetius Epon. *tom. 1. qq. heroic. tit. de regalibus, num. 58.* Siclinium enim est in diœcesi Turnacensi, in ipso Comitatu Flandriæ. 2.

(c) *Bithinia.*] Legendum est *Bitunia*, ut habetur in relatis epistolis Innocentii, seu *Betunia*, ut voluerunt Boetius Epon. *ubi proximè*, Cujacius *in præsenti.* 3.

(d) *Lateran.*] Sub Alexandro III. *cap.* 13. & 14.

(e) *Intrusionis.*] Intrusio dicitur omnis injusta occupatio, & absque legitimâ causâ facta, *cap. quia 5 de concess. prabend.* Unde ille dicitur intrusus in beneficio, qui à non habente potestatem conferendi, seu absque canonica institutione illud obtinuit, *cap. cùm venissent, de in integrum restit. cap. ex frequentibus, de instit. cap. eum qui, hoc tit. in 6. cap. ad aures, de excess. Prælat.* quod quidem variis modis accidere potest, quos sigillatim prosequitur Frances *in tract. de intrusione, q. 2. cum sequent.* 4.

(f) *Ante confirmationem.*] Unde ut intrusus, amisit jus, si quod habet ad ipsam præbendam, *cap. 17. de elect. cap. avaritia 5. eod. tit. in 6.* latè probant Lotherius *de re benefic. lib. 1. p. 1. q. 13. num. 1.* Barbosa *de potest. Episc. 3. p. allegat. 57. num. 214.* & *lib. 1. juris Eccles. cap. 19. num. 249.* 5.

(g) *Tolerentur.*] Ex hoc textu rectè docet Boetius Epon. *ubi suprà*, Principis tolerantiam non inducere dispensationem; quod etiam suadetur *ex cap. 3. de cognat. spirit.* & docent Gamma, Thomas Sanchez, & alii congesti à Barbosa in præsenti, *num. ult.* qui exponunt textum *in cap. quia circà, de consanguin. & affin.* Sed licèt non mera, & propria dispensatio inducatur ex tali patientia, tamen quasi dispensatio inducitur, 6.

cap. 1.

cap. 1. qui matrimonium accusare, in 3. collect. ubi Ecclesiam quodammodo dispensando dissimulare, & dissimulando dispensare quodammodo docetur : latè explicant Basilius *de matrim. lib. 8. cap. 15. à num. 6.* Salgado *de retent. bullar. 1. p. cap. 2. sect. 5. per tot.*

CAPVT XIX.

Idem (a) *Archiepiscopo & Archid. Senon.*

Dilectus filius T. Lingon. Canonicus in nostra proposuit præsentia constitutus, quod cùm de mandato bonæ memoriæ Greg. Pap. prædecessoris nostri, G. quondam Lingon. Episcopus quandam præbendam assignasset eidem in Ecclesia Lingon. & eadem sibi per prædictum prædecessorem nostrum fuerit confirmata; quia Capitulum Lingon. ipsum ad eandem præbendam recipere contemnebat, dil. fil. Clarevall. & Longuivadi Abbates auctoritate præd. nostri, cùm nollet aliquatenus à contradictione cessare, ipsum supposuerunt ecclesiastico interdicto. Postmodùm autem ad præsentiam nostram accedens, ad dil. fil. Medulenen, & Guincian. Abbates obtinuit scripta nostra : sed cùm per eos justitiam suam non posset obtinere, nos ven. Rhemen. Archiepiscopo S. R. E. Cardinali, tunc Episcopo (b) Prænestino, Apost. Sedis Legato, sicut asserit, dedimus in mandatis, ut prædictam interdicti sententiam, sicut fuerat rationabiliter promulgata, faceret appellatione postpositâ firmiter observari : unde, cùm idem Archiepiscopus negotium prorogaret, & idem post labores multiplices ferè de promovendo ipso negotio desperasset, deficiens in expensis, ad instantiam Archiepiscopi memorati, & auctoritate ipsius talis inter eundem T. ex una parte, & ven. fr. nostr. R. Episcopum, & dil. fil. Canonicos Lingon. ex altera, compositio intercessit, quod ipso ab eodem Capitulo per manus prædicti Archiepiscopi recepto in Canonicum, & in fratrem, & concesso sibi (c) stallo in Choro, & participatione qualibet divinorum, idem fructus præbendæ alicujus ejusdem Ecclesiæ percipere non deberet, nisi loco proximo vacaturæ. Licèt autem præfatum Archiepiscopum sincerâ diligamus in Domino charitate, ipsiusque velimus honore deferre; quia tamen in his quæ contra canonicas sanctiones attentari noscuntur, ei deferre nec volumus, nec debemus, quod ab eo illicitè factum est in hac parte, duximus irritandum; quod licitè factum est, approbantes. Cùm ergo dictum T. in Canonicum recipi, & fratrem canonicis non obviet institutis, & vacaturam expectare præbendam, Lateranensi Concilio non sit dubium (d) obviare : nos illicito reprobato, quod est licitum approbantes, quia videtur indignum, ut is, qui receptus est in Canonicum, præbendæ beneficio defraudetur : dis. v. per A. s. m. quat. dictos Episcopum, & Canonicos Lingon. si verum est, quod asseritur, ut eidem præbendam, cùm se facultas (e) obtulerit, non differant (f) assignare, vos eos mon. præmissâ per cens. Eccl. sub. cujusc. contrad. & ap. ob. compellentes, faciatis eidem portiones (g) quotidianas, quæ fuerint in Ecclesia memorata, sine diminutione qualibet assignare, contradictores per cens. eandem appel. postpositâ compescendo.

NOTÆ.

(a) *Senonensi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 5.* ex qua integram ita restituo : casus autem ita contigit. Cùm Episcopus Lingonienſis ex præcepto Pontificis canoniam in sua Ecclesia Tancredo assignasset, Capitulum renuit illum admittere; quare Innocentius Ecclesiam ipsam interdicto supposuit, unde Canonici transactionem fecerunt cum ipso Tancredo, ut ipsum in Canonicum, & in fratrem statim reciperent, assignatis illi stallo in Choro, & loco in Capitulo; sed fructus præbendæ non perciperet usquedum alia vacaret. Consultus Innocentius, hanc posteriorem partem transactionis improbavit, & decrevit, ut Tancredus statim virtute talis receptionis perciperet distributiones quotidianas, & cùm primùm facultas se obtulisset, illi integra præbenda assignaretur. Cujus decisionis mentio etiam fit *in cap. dilecto*, infrà *hoc tit.* & eam exposui *in cap. relatum, hoc tit.*

(b) *Prænestino, Apost. S. L.*] Wido de Pare, qui Gallus monachus, ac xv. Abbas Cisterc. totiusque Cistercienſis Ordinis caput, ab Innocentio III. Episcopus Cardinalis Prænestinus est creatus anno 1198. vir sanè singularis sanctitatis, pietatisque insignis; in multis autem, splendidisque legationibus, quibus perfunctus est, ea celebrior fuit, cùm sub eodem Innocentio anno 1199. in Galliis, Germaniaque Othonis Imperatoris electionem nomine Pontificis ratam habuit contra Philippum Suevum; quem à communione fidelium Ecclesiasticâ censurâ removit, quòd Reipublicæ Christianæ tranquillitatem irrequieto ambitionis æstu interturbaret.

In

In qua legatione non modò civili rerum ſtatui conſuluit Vido, ſed etiam Eccleſiaſticos ritus promovit, atque adauxit. Siquidem teſte Cæſario Hiſterbacenſi, ejus ſæculi ſcriptore, *lib. 5. cap. 56. & lib. 6. cap. 2. miraculorum*, decrevit, ut non niſi pulſatâ campanulâ litans ſacerdos incruentam tolleret hoſtiam, néve deferretur infirmis, niſi eadem campanulâ perſtrepente, ſive ad excitandam fidelium pietatem, ſive ut eâ ratione multiplicatis interceſſoribus facilùs exorata ſalus ægrotantibus obveniret. Quem poſtea univerſalis Eccleſia morem complexa eſt. Laodic. Concilium convocavit, lapſiſque clericis leges ſeveriores dixit, ita ut religionis ſtudio flagrans, alter Paulus videretur: quas ex parte memorant Placentius, Ægidiuſque de Aurea Valle *in hiſt. Leodienſium Epiſcoporum*. Ab Innocentio III. anno 1204. Archiepiſcopus Rhemenſis in demortui Willelmi Albimani locum adlectus: eidemque Guidoni Rhemenſi Archiepiſcopo, & S. R. E. Cardinali, ejuſque ſucceſſoribus Regum Franciæ inungendorum privilegia confirmat Innocentius anno 1205. idibus Maji, Pontificatus 3. Reg. Vatic. *epiſt. 75. fol. 24.* referunt Chenu in ſeria Præſulum Eccleſiæ Rhemenſis, Ughellius *tom. 1. Ital. ſacr. fol. 203.*

(c) *Stallo.*] Quid ſit ſtallum, expoſui *in cap. 7. de reſcript.*

2. (d) *Obviare.*] Licèt enim poſſit Legatus reſervare certi beneficii collationem etiam in favorem certæ perſonæ, *cap. cùm in illis*, *cap. ſi Apoſtolicæ 22. hoc tit. in 6.* & hæc reſervatio videatur importare collationem beneficii vacaturi, hoc procedit, quando reſervatio ſit ſimul cum expectativa, quod prohibitum eſt, quia continet in ſe votum captandæ mortis alienæ, & ita non valet talis reſervatio, ex hoc textu; ſi autem hujuſmodi reſervatio ſit abſque ulla expectativa, quia tunc nullum jus quæſitum eſt ei, in cujus favorem reſervatur, ideo valet talis reſervatio, ut docet Cæſar *ae Eccleſ. hierarch. diſput. 3. de legatis, num. 11.*

(e) *Cùm facultas ſe obtulerit.*] Magnum enim 3. diſcrimen verſatur inter iſtam clauſulam, & interillam, *cùm primùm vacaverit*; nam virtute primæ clauſulæ non protinus ac vacaverit præbenda conferenda eſt, ſed cùm opportunum ſit, *cap. 8. de conſuet. præbend.* Faciunt textus *in l. nepos 25. de verb. ſign. l. 8. §. ult. ff. de teſtam. tut. l. rogo, ff. quando dies legati, l. ult. ff. qui ſine manumiſſ.* ubi ſimiles clauſulæ reperiuntur.

(f) *Aſſignare.*] Juxta adducta *in cap. relatum, hoc tit.*

(g) *Quotidianas.*] Facit textus *in cap. cùm. M. de conſtit.* & ex his duabus deciſionibus aperte 4. probatur, canoniam per ſe abſque præbenda beneficium Eccleſiaſticum eſſe, quod & notavi ſuprà *in cap. 1.* nam Canonicus tantùm, qui non habet præbendam, habet jus percipiendi diſtributiones quotidianas, quæ licèt fructus beneficii non ſint, *extravag. poſtulaſti, hoc tit. inter communes*; ſunt tamen emolumenta, quæ propter officium impenſum in Eccleſia præſtantur, *Moneta de diſtribut. q. 6. per totum.* Barboſa *de Canonicis, cap. 21.* Solorzanus *de juribus honorariis, num. 481.* Nec contrarium probat textus *in cap. in noſtra, de reſcript.* ubi cùm agatur de Canonicis, & illis, qui in Canonicos fuerant recepti, dicitur nondum eos Eccleſiaſticum beneficium fuiſſe aſſecutos: ergo quia canonia per ſe non eſt beneficium Eccleſiaſticum. Cujus textus difficultate motus Fabricius in *praxi, de benef. de titul. & intitul. num. 9. 21. & 39.* affirmavit canoniam per ſe non eſſe beneficium: ſed difficultati illi facilè ſatisfacies ex adductis *in eodem cap. in noſtra.*

CAPVT XX.

Idem (a) *Epiſcopo Brixienſi.*

TUæ fraternitatis devotio. *Et infrà*: Præterea conſuluiſti, cùm ſæpe contingat, quod ad unam præbendam duo clerici, propter nimiam importunitatem petentium eliguntur, utrum confirmanda ſit talis electio, vel potiùs irrinanda. Nos igitur attendentes, quod ſi duo clerici unam præbendam tenerent, illud eſſet contra Concilium Turon. (b) quod præbendarum inhibet ſectionem; & ſi unus illorum ipſam obtineret præbendam, ſub expectatione alius, contra (c) Lateran. ſtatuta Concilii remaneret. Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod talis electio de rigore juris penitus eſt caſſanda.

NOTÆ.

1. (a) *Brixienſi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap. 6.* & *in cap. tuæ, de procur.* ubi alias partes hujus decretalis congeſſi, & inſcriptionem expoſui.

(b) *Turonenſe.*] Relatum *in cap. majoribus, hoc titul.*

(c) *Lateran.*] De quo agemus *in cap. 2. de conſuet. præbend.*

COMMENTARIUM.

PLerumque contingit ad unum idemque be- 2
neficium duos eligi, ſeu præſentari; & cùm unus tantùm ſit inſtituendus, nec dividi poſſit inter duos beneficium, aut nullius electio confirmatur, ex traditis *in cap. majoribus 8. hoc tit.* aut electione unâ infirmatâ, altera confirmatur: quod procedit datâ aliquâ prioritate inter utramque electionem, *cap. dilecto 25. hoc tit.* latè probat Solorzanus *tom. 2. de jure Indiar. lib. 2. cap. 9.* unde ſi Pontifex unam, eandemque præbendam duobus ſucceſſivè conferat, licèt in aliis actibus poſteriora prioribus derogent, *l. pacta;*

l. pacta, C. de pactis, l. licet, §. Divus, ff. de jure Codicil. Valenzuela *consil. 63. num. 184.* tamen in eo casu rescripti data attenditur, ut probavi *in cap. capitulum, cap. plerunque, de rescript.* & qui primò rescriptum impetravit ad beneficium, præfertur illi, qui secundò ad idem beneficium litteras impetravit, *cap. ex parte 12. de offic. deleg.* nam cùm virtute prioris rescripti jus acquisitum fuisset primo, non potest secundus admitti cum ejus præjudicio, ut probat doctrinam hanc expendens ad Indorum commendas Solorzanus *dicto cap. 9. per totum* : facit textus disertus *in cap. si tibi absenti, de præbend. lib. 6.* In aliis verò privilegiis pluribus concessis, cùm alii per alium præjudicium non irrogatur, attenditur tempus præsentationis litterarum, seu adeptæ possessionis, ut varios casus inde resolventes docent Kochier *in tract. de primariis precibus, pag. 24.* Valenzuela *consil. 128. num. 151.* & *consil. 104. num. 6.* Cùm ergo in præsenti casu ad unum, idemque beneficium duo electi simul fuissent, nullâ datâ prioritate temporis ; & beneficium dividi non possit, juxta Concilium Turonense relatum *in dict. cap. majoribus 8.* ideò Pontifex in præsenti decrevit utramque electionem esse irritandam, ne ad unum, idemque beneficium duo admitterentur, repugnante Concilii Turonensis dispositione, de qua *in dict. cap. majoribus*, ex cujus commentario, quæ huc spectant mutuanda sunt.

CAPVT XXI.

(a) Idem.

NIsi essent viri providi, & honesti, tam ii, qui ordinationem fecerunt, quàm illi, circa quos est facta ordinatio in Ecclesia vestra, super Prioratus negotio, ordinationem illam valde suspectam propter exempli perniciem haberemus. Quod ergo post concertationem diutinam ordinatum est circa unum de duobus electis, ut ipse habeat prioratum, hoc ex jurisdictione delegata secundùm justitiam videtur esse statutum. Quod autem ordinatum est circa reliquum, ut ipse xx. lib. de redditibus Capituli, & xl. libras de proventibus Prioratus percipiat annuatim, hoc secundùm providentiam intelligitur esse præceptum ex arbitraria (b) potestate, cùm in delegatos fuerit (c) compromissum, qui auctoritatem sibi retinendo commissam, se pro bono pacis, & utilitatis hæc ordinasse fatentur. Quia igitur hæc ordinatio ab omnibus est recepta, possuntque licitè Prior, & Capitulum de proventibus suis propter causas prædictas, non quidem ex pactione partium, sed ex jussione judicum provisionem hujusmodi exhibere ; nos eam hoc habito (d) moderamine toleramus, ut ad præstationem xl. librarum, non dignitas Prioratus, sed persona Prioris maneat onerata, ne fortè vel circa proventus aliqua videatur facta sectio Prioratus, ita quod ipso Priore defuncto, successor ipsius ad præstationem xl. librarum minimè teneatur.

NOTÆ.

(a) *Idem.*] Ita etiam habetur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 7.* ex neutra tamen compilatione constat cui missa sit præsens decisio, nec inter epistolas editas à Bosqueto & Sirleto reperitur.

(b) *Ex arbitraria potestate.*] Unde cognoscitur, judicem delegatum, in quem partes compromisere, posse procedere, & potestate delegatâ, & virtute compromissi, ut docuit Salgado *de protect. Regia, p. 2. cap. 13. num. 130.*

(c) *Compromissum.*] Jure nostro canonico compromitti potest, tam in judicem ordinarium, quàm delegatum, quia aliàs de ipsa causa cognoscere potest, ut probavi *in cap. 5. de arbitris.*

(d) *Moderamine.*] Quòd ita oportuit declarari, nam aliàs pensio pro vita pensionarii reservari intelligitur. Glossa hîc *verbo Prioratus*, quæ est conditio obligationis annuæ ex legato provenientis, *l. in singulos 8. ff. de annuis legat.* unde mors possessoris Ecclesiæ pensionario non debet obesse, ex sententia capitis *veniens 8. de transact.* capitis *cùm venissent 6. de institution.* quod cùm ex natura pensionum proveniat, æquè statui debet in pensionibus reservaris à Pontifice, & ab Ordinario, ut docuerunt Caccialupus *de pensionibus q. 4. & 5.* Gigas *quæst. 6. num. 4.* Gambara *lib. 6. de offic. Legati. à num. 585.* à qua sententia discedunt Navarrus *de simoniâ consil. 43. conclus. 2.* & *de jurepatron. consil. 8.* Parisius *de consident. q. 28. num. 120.* quos sequitur Garcia *de benefic. q. 1. cap. 5. num. 334.* moventur auctoritate præsentis textus, quatenus Innocentius in eo arbitrium ita ratum habet, ut pensio pro vita debitoris tantùm constituatur ; verum tamen ipsi mentem Innocentii non percalluerunt, nam nisi ob eam rationem fuisset pensio ex vita debitoris æstimanda, id utique procederet non solùm in pensione xl. librarum, sed etiam in pensione xx. cùm utraque ex prædicta arbitraria potestate descendat ; quæ moderatio cùm ita facta non fuerit, sequitur potestatem inferiorum non esse ita coarctandam, ut pensio ab eis imposita vitam debitoris non excedat. Fuit ergo hîc moderata pensio per Innocentium, ut levior esset Ecclesiæ obligatio, non tamen quia judices modum excessissent in constitutione pensionis.

COM-

COMMENTARIUM.

3. *Conclusio traditur & probatur.*

EX præsenti decretali communiter sequens deducitur assertio : *Cùm lis ambigua est, & difficilis, potest judex uni ex litigatoribus beneficium assignare, alii verò certam pensionem in ipso beneficio.* Quæ assertio probari potest *ex cap. cùm venissent 9. de restit. spol. cap. de cætero 5. in fine, cap. veniens 8. de transact. cap. cùm clerici, de censibus, cap. audivimus, de colluf. deteg.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa & Garanna Cujacius *hic*, Æneas Robertus *lib. 1. rer. judic. cap. 7.* Ægidius Bossius *tom. 1. moral. tit. 7. §. 4.* P. Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. cap. 51. num. 17.* Berojus *in cap. 2. de arbitr. num. 46.* Ferro-Mantrique *de different. utriusque fori, fol. 148.* Barbosa *lib. 3. de jure Eccles. cap. 15. num. 49.* Petrus Gregorius *de benef. cap. 29.* Lotherius *lib. 1. de re benef. q 35. num. 22.*

4. *Impugnatur tradita assertio.*

Sed præsens assertio difficilis valde redditur sequenti consideratione ; nam in præsenti specie, vel hujusmodi pensio constituitur à judicibus virtute potestatis sibi delegatæ, vel tanquam ab arbitris ratione compromissi in eos facti. Priori modo pensio reservatur injustè, quia ut ait Seneca *lib. 3. de benef. cap. 7.* Judicem formula includit, & certos, quos non excedat, terminos ponit. Est autem in judicibus hæc lex à sacris canonibus indicta, ut beneficia sine diminutione conferant, *cap. unico*, juncta rubrica, *Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur : cap. majoribus 8.* ubi probavi, *hoc tit.* & rectè ; nam fructus beneficii, ut accessorii, sequi debent naturam sui principalis, ex regula *Accessorium, de reg. jur. libro 6.* & ideò non possunt alii applicari, quàm cui titulus beneficii conceditur, ut probat Robertus *de lib. 1. rerum judic. cap. 7.* quod autem est præscriptum circa universos fructus, hoc de eorum dici debet, argumento legis *quæ de tota, ff. de rei vind.* Ratione etiam compromissi dari non potest hæc facultas constituendi pensionem, cùm super Ecclesiastico beneficio transigere non liceat, *cap. super eo 7. de transact.* quia nec pacisci licet in spiritualibus, *cap. quàm pio 1. q. 2. cap. final. de pactis.* Videtur ergo, nec posse in arbitros super quæstione beneficiali compromitti, nec arbitrium latum ab ipsis posse subsistere, cùm portionem pensionis, quæ temporalis est, uni, beneficium verò alii adjudicaverint, contra textum *in cap. final de rer. permut.*

5. *Pensionis etymon, & diffinitio.*

Quâ dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, pensionem dici à verbo, *pendo* ; quia videlicet pendet à beneficio formaliter, à quo extrahitur ; sicut ususfructus à proprietate, *cap. ult. de pignor. cap. quicunque 12. q. 1.* Gigas *de pens. q. 1. num. 8.* Quâ ratione etiam merces rei conductæ pensio appellatur, *l. fructus 7. §. non solùm, ff. solut. matrim.* Brissonius *de verb. signif. verbo Pensio.* Dicitur etiam annua, quia singulis annis pendi debet, & annuum neutro genere, dici posse existimat Duarenus *lib. 6. de sacr. cap. 4.* exemplo veterum, quos ita crebrò loquutos fuisse, constat *ex l. Seio 10. §. uxori, l. si cui 14. l. Titia 19. §. qui Marco, ff. de annuis legat. l. ex annuo 15. l. si stipulata 33. ff. de donat. inter, l. quidam 22. ff. de pact. dot.* Diffinitur autem pensio ita accepta à Duareno *dicto lib. 6. cap. 14.* ut sit delibatio quædam beneficii, qua ex eo quod universum beneficium foret, pars quædam alicui conferatur, argumento legis *legatum 116. ff. de legatis 1.* Garcia *de benef. 1. Pe cap. 5. num. 120.* ita diffinit : *Pensio est jus stipi tuale, aut illi annexum, instar beneficii, percipiendi certam pensionem fructuum, mensæ, vel beneficii, ad tempus, ob justam causam.* Consentiunt Azor *2. p. instit. moral. lib. 8. cap. 5. q. 1.* Lotherius *lib. 1. de re benef. q. 35. num. 12.* Dicitur pensio *jus* quia ex pensione resultat jus quoddam distinctum ab ipso beneficio, quod simile est quoad plures effectus juri fructuarii, quoad alios verò juri beneficiarii : sed præcipuè comparatur obligationi annuæ ex fundo, aut prædio persolvendæ, ut docet Oldradus *consil. 178. num. 5.* Quia verò conditio annuæ præstationis alia quidem resultat ex promissione facta in contractu, quæ una est, & perpetua, *l. si Stichus 16. §. ult. ff. de verb. oblig.* & ad hæredes transfertur, ut ibidem Consultus ait, quia plerunque mens contrahentium hæc est, ut tam sibi, quàm hæredibus prospiciant, *l. si pactum 9. ff. de prob.* alia verò resultat ex legato, quæ in primo anno pura est, in sequentibus conditionalis, *l. si in singulos annos 4. ff. de annuis legat.* sed in initio cujuslibet anni integra debetur, *l. 2. l. à vobis 5. ff. de annuis legat.* morte tamen legatarii extinguitur, *l. in singulos 8. ff. eodem tit.* docent Madera *animadvers. cap. 14.* Moez *in observat. cap. 9.* in qua parte observandi sunt textus *in l. final. §. 1. ff. de contrahend. emption. l. 30. ff. de legat. 3 l. 3. §. si in plures, ff. si cui plusquam per legem, l. 41. & 43. ff. ex quibus causis major. l. 1. §. si in annos, l. 3. §. final. l. computationi 55. ff. ad legem Falcidiam, l. 68. §. penult. ff. de legat. 1. l. 1. C. de fideicom. l. 7. §. 1. C. de præscript. l. 3. ff. quemadmodum servit. l. 17. ff. de aliment. legat. l. 2. §. 1. ff. quibus modis usus fruct. l. 62. §. 1. ff. de evict. l. 12. §. 5. ff. quando dies legat.* Ideo pensio Ecclesiasticæ similis est pensioni annuæ debitæ ex testamento, quatenus morte extinguitur pensionarii, & transferri in alium prohibetur : non enim ut annua obligatio ex contractu orta in hæredes transit, sic Ecclesiastica pensio transferri potest, propter prohibitam successionem in bonis Ecclesiasticis, *cap. ad hæc, de decimis* ; in quo similis est fructuario pensionarius : etiam convenit cum beneficiario in eo, quod indiget titulo, & fructus percipit pro rata temporis, quo vivit, quamvis fructuarius fructus tantùm perceptos ad hæredes transmittat, *l. defuncta 58. ff. de usufruct.* Unde exponendum venit quale sit onus hoc, seu jus pensionario competens, scilicet videlicet, an personale ; quod difficile est, si æstimemus pensiones ex jure annuarum obligationum, quæ onus tantùm inferunt personale respectu ejus, qui obligatur, pro quo actio in personam competit, *l. final. §. final. ff. de contrah. emption.* Communiter tamen ea sententia placuit, ut beneficium ipsum, seu fructus beneficii pensione onerentur, sicut solet prædium onere tributorum gravari, *l. Imperatores, ff. de publicanis, l. 1. C. sine censu, vel reliquis.* Quæ sententia probatur *ex cap. conquerente 6. de cleric. non resid.* ubi dum agitur de obligatione annuæ pensionis, ait textus, *pro Ecclesia exsolvendam*, ut ostendat onus pensionis, ipsius beneficii, aut Ecclesiæ esse : idemque apertè colligitur *ex cap.*

cap. audivimus 3. ibi: *In beneficiis; de colluſ. deteg.* & ex deciſione hujus textus, dum ex penſione, de qua hîc, Eccleſias obligari profitetur. Ratio autem ſuperioris doctrinæ eſt, quia penſiones inſtitutæ ſunt in gratiam penſionarii, ut cedant pro alimentis, & vicem beneficii obtineant. Garcia *d. cap. 5. num.* 170. Si autem obligatio ſub nomine Rectoris Eccleſiæ conciperetur, ipſo mortuo ante penſionarium, penſio extingueretur, nec ſucceſſor obligari potuiſſet ex facto ejus, à quo nec titulum, nec cauſam habet, ex reſolutis à nobis *ad caput 1. hoc. tit.* Vt ergo perſiſtat hoc jus usque ad mortem beneficiarii, oportuit ipſi beneficio, & ejus fructibus onus injungi: quibus conſequens eſt, penſiones ſine cauſa reſervari non debere, *d. cap. avaritiæ*, hujus tituli, *d. cap. audivimus*; cum cauſa poſſe, ut ait textus noſter ibi: *Poſſunt licitè Prior, & Capitulum propter cauſas prædictas*, &c. quia cùm per reſervationem ſtipendia Eccleſiæ obligentur, id ſine cauſa admitti non debet; cum cauſa poteſt, ut eſt commune omnium obligationum, quibus bona Eccleſiarum, aut beneficiorum ſubjiciuntur, *cap. 1. & 2. de rebus Eccleſ. non alienandis, in 6. cap. cùm Apoſtolica 7.* ibi: *Cùm melioratio proſpiciat: cap. tua nuper 8. de his quæ fiunt à Prælat.* Eſt etiam eisdem conſequens, ut onus penſionis reale intelligatur. Gonzalez *d. regul. 8. gloſſa 34. num. 47.* Flaminius Parif. *lib. 6. de reſignat. q. 2. num. 98.* Gigas *dict. tract. de penſ. q. 51.* poſt Gloſſam *in hoc cap. niſi eſſent, verbo Prioratus.* Quare inde provenit, ut contra quemlibet poſſeſſorem beneficii ob penſionem agi poſſit, *dict. cap. veniens 8. de tranſact. cap. cùm veniſſent 6. de inſtit.* Barboſa *lib. 3 juris Eccleſ. cap. 11. n. 93.* & in praxi exigendi penſiones *q. 15. num. 63.* ſive exprimatur in penſione, ut ſucceſſor teneatur, ut frequenter fit; ſive non exprimatur. Gigas *d. q. 3. num. 2. & q. 44. & 47.* quia cùm ſit onus reale beneficio inhærens, tranſit cum ipſo beneficio, adeò ut Capitulum pro rata temporis vacationis, dum fructus percipit, teneatur ſolvere penſionem, ut latè probat Barboſa *in d. praxi, q. 15. per totam.* Cùm enim Capitulum ſuccedat in locum illius, qui penſionem ſolvebat, & fructus beneficii ipſius percipiat, juxta juris utriusque regulas, debet ſubire onus, cùm onus ad ſucceſſorem non tranſeat, ut in præſenti ſpecie contingit; per talem enim reſtrictionem natura penſionis non muratur, ſed ejus ſolutioni modus imponitur. Ex his infertur; ob penſionem decurſam agi poſſe viâ executivâ contra quemcunque poſſeſſorem ipſius beneficii: Gigas *ubi ſuprà, q. 51.* nec eo caſu penſionis præſcribi viam executivam; *ex l. 6. tit. 15. lib. 4. recopil.* docet Barboſa *in dicta praxi, q. ult. per totam*: etiam actione hypothecaria ipſum penſionarium agere poſſe, *ex l. final. §. ult. ff. de contrah. emption.* docet Cacialupus *de penſionib. q. 9.* ſed rectiùs contrarium docuit Paulus Caſtrenſis *conſil. 338. num. 5.* licèt enim fructus beneficii in tertium poſſeſſorem alienati ſint, non ideò evinci poſſunt.

Dicitur autem hoc jus penſionis ſpirituale; unde quærunt Interpretes, an penſio antecedenter, vel conſequenter ſit jus Eccleſiaſticum? Pro cujus dubii ſolutione triplex penſionis genus diſtingui ſolet, teſte Leſſio *lib. 2. de juſtitia, cap. 34. dub. 37.* alia enim eſt penſio, quæ pro officio merè temporali in remunerationem officii conceditur, veluti ſalarium conſtitutum pro œconomo, advocato, ſacriſta, vel ſimili miniſterio; de qua Vazquez *tract. de benefic. cap. 2. §. 4. num. 167.* Theophilus *tom. 12. tract. mala e bona Eccl. ſect. 2. cap. 1.* alia, quæ titulo perpetuo, certâ portione detractâ, ex fructibus alicujus beneficii conſignatur, ut *in cap. conquerente, de cleric. non reſid.* tertia, quæ in titulum conceditur clerico, quæ non in perpetuum, ſed ad tempus detrahitur ex ipſo beneficio, ut in præſenti textu, *cap. 3. de colluſ. deteg.* & aliis ſimilibus. De prima penſione non ambigitur, quin temporalis, & profana ſit, ut docet Suarez *tom. 1. de relig. tract. de ſimonia, lib. 4. cap. 26. num. 3.* Nec etiam de ſecunda quæritur, quia etiam certum eſt, ex ea beneficium Eccleſiaſticum provenire, ut poſt Garciam, & alios docet Valenſis *de benef. tit. 1.* Circa tertiam penſionum ſpeciem duo tempora conſideranda ſunt: primum mediæ Jnrisprudentiæ canonicæ: ſecundum quod invaluit poſt motum proprium Pii V. editum anno 1571. cujus meminerunt P. Suarez *d. cap. 26. num. 3.* Garcia *de benef. 1 p. cap. 5. num. 37. & 3 p. cap 1. num. 5.* dicendumque eſt, jure Decretalium, ſicut penſionibus iſtis titulus beneficii gravati non ſcindebatur, ita nec novum titulum beneficii ex eis creari, nec jus aliquod ſpirituale, ſed onus merè temporale; ad quod tempus referendi ſunt Doctores, qui communiter tenent, penſionem nec eſſe beneficium, nec titulum beneficii præſtare, ut tenent Ojeda *de incompatib. in præfat. num. 3.* Selva *de benef. 1 p. q. 3.* Valenſis *ubi proximè*: nec contrarium probatur *ex cap. ad audientiam, de reſcriptis*, in illis verbis: *Penſiones, aut alia ſimilia beneficia*; quæ jam ibi expoſui: ex jure tamen noviſſimo ſimiles penſiones naturam beneficii habent, quia ſolis clericis conceduntur, obligantque ad recitationem officii minoris, & per conſtitutiones 30. & 31. Sixti V. coguntur penſionarii tonſuram & habitum clericalem deferre, non tamen verè beneficia ſunt, ſed ad inſtar beneficiorum habentur quoad plures juris effectus, quos latiùs proſequuntur Garcia, & Valenſis *ubi proximè.*

7. Penſio debet eſſe certa, & æqua.

Dicitur etiam in prædicta diffinitione, *certam penſionem*; quia ſic debet penſio reſervari, ut certa ſit; & ita æqua, ut maneat Rectori unde vivere poſſit. Garcia *dict. 1. p. cap. 5. num. 366.* quapropter debet reſervari in quantitate, non in quota fructuum parte, tertia videlicet, quarta, vel ſimili, ut in præſenti ſpecie contingit, ibi: *Ut ipſe xx. libras de redditibus Capituli, & xl. de proventibus Prioratus percipiat annuatim.* Ubi notandum eſt, libram, non pondus, ſed nummum, ſeu monetam ſignificare, ut etiam accipitur *in Linofferendis 37. C. de apellat. l. illuſtres, C. de modo multarum, l. ult. C. de appellat. l. ult. C. de cupreſſis, lib. 11. cap. de cætero, de tranſact. cap. P. & G. de officio deleg.* & aliis; junctis quæ de libra monetali, ex jure Romanorum congeſſerunt Covar. *de veter. num. cap. 4.* Mariana *de ponder. cap. 8.* Budeus *lib. 3. de aſſe.* Unde juxta ſtilum Curiæ non fit reſervatio penſionis in fructibus, niſi ex magna cauſa; & rectè, ut tollatur occaſio diſcordiarum, quæ ex communione fructuum inter Rectorem, & penſionarium oriri poſſent, argumento legis *cùm Pater 77. §. duciſſimis ff. de legat. 2.* non ideò, quia conceſsâ parte fructuum titulum beneficii divideretur, ut docebant Doctores relati à Garciâ

dict. cap. 5. num. 361. quia ut aliud est beneficium, aliud fructus beneficii; ita ex divisione fructuum non resultat divisio tituli, ut rectè agnovit Corrasius *1. p. de benefic. cap. 4. num. 10.* Debet etiam esse pensio æqua, id est, ut ita imponatur, ne nimium oneret beneficium: & licèt nullo juris testimonio quantitas pensionis imponendæ taxata sit, stylo veteri Curiæ receptum fuit, ne tertiam partem æstimationis fructuum excedat. Gigas *q. 9.* Caccialupus *q. 7.* Riccius *collect. 1179. p. 4.* Hodie ex dispositione Concilii Trident. *sess. 24. de reform.* cautum est, ut solutis omnibus oneribus mille ducati pro Episcopo, centum pro Rectore beneficii remaneant; ubi plura congessit Barbosa, Garcia *d. cap. 5. num. 441.* qui latè disputant, quomodo fructus beneficii sint æstimandi, & an ob eorum diminutionem minuatur pensio. Etiam adjecimus in definitione, *ad tempus*; quod convenit cum iis, quæ supra dixi, videlicet beneficium esse perpetuum, pensiones autem temporarias; esset enim nimis onerosum beneficio, si pensio perpetua esset, ut de usufructu ajebat Justinianus *in §. finitur, Instit. de usufruct.* Hinc quæri solet, quo tempore pensio cesset, & quibus pereat? Pro cujus dubii solutione sciendum est, olim dupliciter pensionem reservari solere. Primò pro vita beneficiarii debitoris, ut contingit in casu hujus textus circa pensionem 40. librarum solvendam ex proventibus Prioratus: secundò, ut eas perciperet creditor annuatim, ut factum etiam fuit in præsenti specie circa xx. libras. Primo casu morte debitoris pensio finitur, secundo non nisi morte pensionarii cessat; tum propter regulam textus *in l. in singulos 8 ff. de annuis legat.* tum etiam, quia pensionarius usufructuario æquiparatur: unde sicut ususfructus morte finitur, ita & pensio. Etiam finitur pensio professione solenniter facta in Religione, ut docent Gigas *de pensionibus q. 57. num. 5.* Thomas Sanchez *2. tom. summa, lib. 7. cap. 4 num. 13.* & *cap. 29. num. 8.* non solùm quia professus pro mortuo habetur, *cap. in præsentia, de probat.* sed quia incapax redditur possidendi aliquid, sive spirituale, sive temporale. Etiam finitur pensio per contractum matrimonii, ut probat Sanchez *de matrim. lib. 7. disput. 44.* Tum quia sicut beneficia amittit beneficiarius matrimonio celebrato, *cap. 1 de cleric. conjug.* ita pensionarius pensionem; quæ licèt beneficium non sit, ad instar beneficii habetur. Tum quia, cùm inhabilis reddatur ad sacros Ordines, privatur omnibus privilegiis clericis competentibus, exceptis relatis *in cap. unic. de clericis conjugatis. lib. 6.* ubi non refertur privilegium retinendi pensionem; unde necessariò eam amittit pensionarius matrimonium contrahendo.

8. *De causis imponendæ pensionis.*

Tandem dicitur in dicta diffinitione, *ob justam causam*; quia ut pensio legitimè constituatur, justa causa intervenire debet; & si aliter pro libito reservetur, constitutio pensionis nullius momenti est, *cap. vacante 26. in fine, c. extirpanda 30. §. qui verò, hoc tit. c. 3. de offic. vicarii, cap. constitutus 6. vers. cum autem, de relig. domib. cap. per tuas 5. de donat. cap. penult. de verb. sign. Clement. 1. vers. Eadem, de suppend. neglig.* Faciunt textus *in cap. prohibemus 7. cap. significavit 13. de censibus*: docent ultra scribentes de pensionibus Corrasius *de sacerd. 1. p. cap. 4. à num. 12.* Flaminius *de resig. lib. 2. q. 2. num. 134.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. de simon. cap. 5. num. 14.* Azor *instit. moral p. 2. lib 8. cap. 6. q. 1.* Unde quamvis *in cap. cùm venisset 9. de restit. spol.* justa causa non exprimatur, cur annua pensio ab Archiepiscopo imposita esset, supponenda tamen est ex eo, quod ipsius auctoritas interceserit, ut ex verbis, quæ habentur in ejus textus integra, facilè liquet: ideò autem non fuit expressa, quia de alia re longè diversa agebatur. Etiam in Summo Pontifice causam desiderari ad imponendam pensionem, docuerunt Azor. *d. lib. 8. cap. 5. quæst. ult.* Corrasius *d. 2. p. cap. 1.* Sanchez *lib. 2. summæ, cap. 29. num. 27.* non ut validè imponatur, sed ut justè; nam absque causa eam imponendo non facit contra jus divinum, aut naturale, sed tantùm contra jus ecclesiasticum, prohibens beneficia cum diminutione conferri, quod à Pontifice abrogari potest, *cap. proposuit 4. de concess. prabend.* tamen dum sine causa imponit, magis dissipat, quàm dispensat; & ideò peccat lethaliter; quare nec validè sine causa imponi pensionem à Pontifice, docuerunt Toletus *lib. 5. instruct. cap. 83. num. 3.* Victoria *in relect. de simon. num. 50.* Lessius *de justitia cap. 34. num. 204.* Theophilus *tom. 12. tract. mala & bonis Ecclesia, sect. 2. cap. 1. num. 10.* Quare non solet sine causa pensionem assignare; & si de causa non constet, tamen præsumitur, veluti cùm motu proprio pensionem constituit; creditur enim ex justa, & honesta causa eam reservasse: at in Episcopo, & aliis Prælatis Pontifice inferioribus non tantùm pro justitia, sed etiam pro validitate pensionis justa causa desideratur, ita ut aliter imposita nullius momenti sit, deberque de causa constare, ut aliis relatis probat Garcia *de benef. 1. p. cap. 5. num. 314.* & si de causa non apparet, præsumitur in fraudem imposita, nec creditur Episcopo asserenti causam interveniisse: docent Rebuffus *in praxi, tit. de pacif. num. 109.* Corrasius *de sacerd. 2. p. cap. 4 num. 14.* quia non creditur ei, qui non potest liberè actum facere, nisi priùs constiterit de veritate, *l. si forte 8. ff. de castrensi*, Gigas *de pensionibus q. 68. num. 2.* Causas imponendi pensiones in Episcopo & aliis inferioribus enumerant Duarenus *ubi suprà, cap. 4.* Azor. *p. 2. mor. lib. 8 cap. 5.* Garcia *p. 1. cap. 5. num. 318.* veluti propter remunerationem alicujus servitii Ecclesiæ facti, Gigas *de pens. q. 6. num. 1.* Lotherius *de re benef. q. 35.* vel si ex causa senectutis beneficium quis dimittat, ut ex Decio, & Felino probant Azor *d. q. 1.* Redoanus *de simonia, cap. 21. num. 35* Gigas *d. q. 6. num. 3.* Theophilus suprà. Item si duo velint beneficia permutare, & alterum sit longè pinguius, ut servetur æqualitas, potest pensio constitui, *cap. ad quæstiones 6. de rerum permut.* vel si Ecclesia indigeat alio ministro præter Rectorem, *cap. 1. de offic. vicar. cap. conquerente, de cleric. non resid.* docent Duarenus *de sacris Eccles. d. cap 4.* Lotherius *d. q. 35. num. 230.* Denique ex justa causa imponendi pensionem, si lis inter duos super beneficio orta sit, & aliter decidi non potest, quàm si alteri beneficium adjudicetur, alii pensione reservatâ, ut in præsenti textu, & *in cap. cùm venisset 9. de restit. spol. cap. 3. de colluf. deleg.* argumento textus *in cap. cùm pridem 4. de pactis, cap. præterea 8. cap. cùm clerici 11. de censibus*: docent Doctores suprà laudati, & congesti ab Augustino Barbosa *hic.*

9. Ratio autem præsentis assertionis provenit ex

Litis tra-ctio in dict. cas.

& eo, quia publicè interest litibus finem imponi, *cap. 2. de re judic. cap. fin. de dolo & contumacia l. properandum, C. de judicus*; maximè in beneficialibus, in quibus diuturna vacatio Ecclesiis damnum infert, *cap. ne pro defectu, de elect. cap. 2. de conces. præbend.* Unde oportebat modum probare, per quem ab hujusmodi litibus discedi tur; ut enim lis super beneficio decidatur, utiliter transigitur, atque pro bono pacis pensio à judicibus constituitur, *cap. cum pridem 4. de pactis, cap. præterea 9. de transact. cap. cùm clerici 11. de censibus.* Illustrant Gigas *de pensionibus, q. 6. num. 4.* Ugolinus *de simon. tabul. 1 cap. 20. §. 3. num. 2.* Suarez *d. lib. 4. de simon. cap. 51. num. 11.* Lotherius *d. lib. 1 q. 35. num. 27.* Accedit quia plura pro bono pacis permittuntur, quæ aliàs prohibentur, *cap. hus 11. de major. & obed.* Unde rectè in præsenti ut à lite discedatur, approbatur pensio à judicibus compromissariis beneficio imposita.

10. Dissolvitur dubitandi ratio.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, pro cujus solutione exponendum est, quo jure arbitrium à judicibus delegatis, & simul compromissariis in specie hujus textus, tam circa Prioratus, quàm circa pensionis reservationem defendi valeat ab omni simoniæ labe? Et quidem Robertus *d. lib. 1. rer. judic. cap. 7.* illud defendere intendit eâ ratione, quia compositio facta fuit à judicibus providis, & honestis, pro quibus præsumptio extat, ut ex illis verbis constat: *Nisi essent viri provida, & honesti.* Sed ut ratio finalis hujus arbitrii explicetur, sciendum est, super spiritualibus, vel illis annexis, super quibus lis vertitur, transigi non posse, si quid temporale præstetur, *cap cùm pridem, de pactis, cap. præterea 9. de transact.* ubi probavi. Si verò nihil temporale præstetur, transactio admittitur. Etiam compositio super beneficio locum habet, si nihil inter partes caveatur de re temporali, sed indistinctè compromissum fiat in arbitros; tunc enim ipsi pensionem imponere possunt, ut in hoc textu, *cap. cùm olim 7. de arbitr.* quia cùm nihil inter partes de re temporali convenerit, nullum simoniæ periculum vertitur, in quo plenior arbitrorum, quàm judicum potestas est: quippe judices integrum beneficium victori adjudicare debent, ex suprà adductis pro dubitandi ratione; arbitri tamen, cùm sit plenior facultas eorum, ut inquit Seneca *lib. 3. de benef. cap. 7.* ibi: *Arbitri libera est, & nullis constricta vinculis religio*; possunt partem fructuum alteri consignare, vel in compensationem expensarum, vel quo alio æquitatis colore: oportet tamen, quod compromissum fiat in judices, qui de quæstione principali possent cognoscere, ut supponitur in hoc textu. & in dicto capite *cùm olim 7.* Ratio est, quia si solam arbitrariam potestatem exercerent, non possent titulũ beneficii parti adjudicare, qui auctoritate ordinarii aut delegati conferendum est, *cap. ex frequentibus, de instit.* nec etiam pensionis onere beneficium gravare, quod cum eadem auctoritate imponi debet. Unde reservatio pensionis in præsenti specie sustinetur, quia à judicibus delegatis facta fuit, qui etiam arbitrariam potestatem exercebant, compromisso in eos facto indistinctè, absque ulla rei temporalis mentione, quibus conditionibus intercedentibus, pensio rectè reservatur, ut docent suprà laudati pro illustratione conclusionis.

CAPUT XXII.

Idem (a) *Xanton. Episcopo, & Abbati* (b) *Bacian.*

PRo illorum provisione. *Et infrà*: Pro dil. f. Magistro P. Audoen. qui apud Sedem Apost. moram fecisse dignoscitur longiorem, nec adhuc erat competens beneficium Ecclesiasticum assecutus, licèt ad ipsum esset idoneus obtinendum, ven. fr. nostro Burdegal. (c) Archiepiscopo litteris nostris præcipiendo mandavimus, ut ei in aliqua Ecclesiarum suarum, ubi ei expedire cognosceret, omni dilatione, & excusatione postpositis, sub. cujusc. controv. & ap. ob. competens faceret beneficium assignari, præsumptionem eorum Ecclesiastica distr. compescens, qui se ei super hoc ducerent temerè opponendos: ipse autem Archiepiscopus, sicut suis nobis litteris intimavit, attendens præfati Magistri scientiam, & probitatem, illum cognoscens idoneum ad tale beneficium obtinendum, post susceptionem mandati nostri, Decano, & Capitulo Xanton. auctoritate nostra mandavit, ut ipsum pro reverentia Sedis Apost. in fratrem admitterent, & Canonicum, & fraterna charitate tractarent. Cumque precibus ejus, & mandatis nostris reluctarentur Canonici, ac indulgentiam de quadragenario Canonicorum numero ei opponerent, quam à Sede Apostolica (d) jactitant se habere; quia idem Archiepiscopus manifestè cognovit illos in elusionem mandati nostri, sua indulgentia concessa eis irreverenter abuti, & non tantùm xl. tunc esse Canonicos in eadem Ecclesia, sed plures constiterit illi evidenter, Magistrum prædictum de (e) præbenda, & canonia Xanton. cum consensu, & voluntate tua, frater Episcope, & prudentium virorum consilio investivit, contradictores vinculo excommunicationis astringens. *Et* (f) *infrà*. Quia verò, quod per prædictum Archiepiscopum de memorato Magistro auctoritate nostra provisum est, firmitatem debitam volumus obtinere, disc. v. per A. s. m. & distr. præc. quat. si vobis constiterit prædictos Canonicos indulgentiam prædictam, quam

habent de certo Canonicorum numero, non servasse, & aliquem ultra constitutum numerum in Canonicum auctoritate propriâ recepisse: cùm nobis legem (g) imponere non debeant, quam ipsi (h) negligunt observare, latam in ipsos excommunicationis sententiam à prædicto Archiepiscopo tamdiu nuncietis auctoritate nostrâ, sublato cujuscunque contradictionis, & ap. ob. observandam, donec sæpedictum recipiant in Canonicum, & in fratrem; & ea quæ ad Canonicum pertinent, cum stallo Chori, & loco Capituli ei studeant assignare.

NOTÆ.

1. (a) *Xanton.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 8. Cujacius autem rectè legendum existimavit *Santon.* Santo enim, Santonus, sive Santonum, totius provinciæ Santonensis Metropolis est, olim Mediolanum dicta in itinerario Antonini, sed à Julio Cæsare subacta, nomen illud amisit. De ea Ausonius ad Paulinum *epist.* 1.

---- Tandem eluctati retinacula blanda
Burdigale, molles loquimur illecebras,
Santonicamque urbem vicino accessimus agro,
Quod tibi si gratum est, bone Pauline, proba.

Idem *epist.* 3. *ad eundem.*

Primo tempore Santones vehendum.

Fortunatus de Basilica Eutropii:

Urbis Santonicæ primus fuit iste Sacerdos.

Qui autem Santones hodie vocantur, hos habent terminos: ab Occidente Oceanum: à Septentrione Pictones: à Meridie Garumnam fluvium: ab Oriente Engolismenses, ut refert Chenu *in serie Episc. Santon.* ubi notat Capitulum ipsius Ecclesiæ Cathedralis communem jurisdictionem habere. Roamundo 35. Præsuli ipsius Ecclesiæ missa est præsens decisio.

(b) *Bacian.*] Cujacius legendum putat *Abbati Blasiaco*, quod monasterium hodie retinet nomen *Blansac.*

(c) *Burdegal.*] Gerardo videlicet de Malemort.

2. (d) *Jactitant.*] Et verè habebant, ut constat ex epistolis Innocentii III. *lib.* 2. *epist.* quod privilegium apud Guillelmum Sirletum, *fol.* 262. extat in hæc verba. [Constitutionibus, quæ Ecclesiæ sanctæ canonicis non obviant institutis, cùm ab Apostolica Sede suæ robur confirmationis expectant, favorem Apostolicum libentiùs impertimur, ut ea, quæ pro ipsarum utilitatibus ordinantur, inconvulsâ maneant firmitate; & quæ stabilita ratio comitatur, aliquorum temeritas non infirmet. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concedentes assensu, institutionem, quam de quadragenario Canonicorum numero cùm assensu venerabilis fratris nostri Episcopi vestri, consentiente, & assistente bonæ memoriæ W. Archiepiscopo Burdegalensi, & piæ recordationis Henrico quondam Albanensi Episcopo, tunc Apostolicæ Sedis Legato approbante, in Ecclesia vestra fecistis, sicut rationabiliter facta est, auctoritate Apostolica confirmamus; & præsentis scripti paginâ communimus: auctoritate Apostolicâ districtiùs inhibentes, ne aliquis ad receptionem alicujus ultra numerum constitutum, qualibet vos temeritate, salvo in omnibus Apostolicæ Sedis mandato, compellat, nisi fortè Ecclesiæ facultates in tantùm excreverint, quod earum proventus pluribus sufficere dignoscantur. Decernimus ergo, &c. nostræ confirmationis, &c. Datum Lateran. vj. Kal. Aprilis. Pont. N. anno secundo.] Cujus fit mentio *in cap. ult. de verb. signif.*

3. (e) *De Prabenda.*] Sed hoc videtur contra verba, & mentem ipsius Pontificis, qui tantùm jussit illi beneficium assignari; & cùm Pontifex simpliciter mandat provideri de beneficio, non continetur præbenda canonicalis, quia est dignitas honorabilior, & maximæ præstantiæ, ut docent Abbas *in cap. ult. num.* 6. *de præbend.* Corrasius *de sacerd. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 4. Quintanadvennas *lib.* 1. *Eccles. cap.* 3. *num.* 14. Garcia *de benef.* 1. *p. cap.* 6. *à num.* 51. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, verum esse, quod cùm Pontifex jubet alicui de beneficio provideri, non potest illi conferri præbenda; sed in præsenti casu ideò præbenda canonicalis illi collata fuit, quia non simpliciter jussit Pontifex de beneficio provideri, sed cum adjectione, *de beneficio competenti*: unde cùm hæc clausula intelligatur secundùm qualitatem personæ in cujus favorem emanavit, argumento legis *nepos Proculo. ff. de verb. sign.* ideò si ipse, qui litteras impetravit, præbendam mereatur, ritè potest illi conferri.

4. (f) *Et infrà.*] Integra hujus textus caremus; ejus autem casus ita contigit. Cùm Innocentius III. Archiepiscopo Burdegal. injunxisset, ut in aliqua Ecclesia suæ Metropolis Magistro P. beneficium competens conferret, ipse Decano & Capitulo Santonen. Ecclesiæ, quæ est ejus suffraganea, scripsit, ut ipsum reciperent in Canonicum & in fratrem; quod Canonici facere renuebant prætextu cujusdam privilegii illis ab Innocentio concessi, ut ultra 40. Canonicos recipere non cogerentur; cùm tamen tunc temporis plures essent quam 40. Unde Archiepiscopus eâ exceptione rejectâ, cum consilio Episcopi Santonen. prædictum Magistrum de prædicta præbenda investivit. Consultus Innocentius III. ratam habuit hujusmodi collationem, duplici ratione. Prima, quia in prædicto privilegio censetur adjecta clausula, *Salvâ Romani Pontificis auctoritate.* Secundâ, quia legem, quam ipsi non servabant, Romano Pontifici dicere nequibant.

5. (g) *Legem imponere.*] Accedit, quia in similibus confirmationibus statutorum Ecclesiæ semper intelligitur excepta authoritas Romanæ Ecclesiæ, ut constat ex alia epistola ipsius Innocentii, edita à Sirleto, *fol.* 165. ibi: *Licèt enim cùm in aliqua Ecclesia certus statuitur numerus, hac apponatur conditio, vel intelligatur apponi, Salvâ Sedis Apostolicæ auctoritate.*

6. (h) *Negligunt observare.* Quando Capitulum ultra numerum possit aliquem recipere in Canonicum, & in fratrem, & de his Ecclesiis, ubi est certus Canonicorum numerus, egi *in cap. cùm M. de constit.*

CAPUT

CAPVT XXIII.

Idem (a) *Bisuntino Episcopo.*

TUis quæstionibus respondemus, quod clericos in (b) minoribus ordinibus constitutos, de patrimonialibus bonis habentes unde possint congruè sustentari, etsi nondum fuerint beneficium Ecclesiasticum assequuti, dummodo aliud canonicum non obsistat, ad superiores poteris ordines promovere.

NOTÆ.

(a) *Bisuntino.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 9. & in cap. tuis, de testibus*, ubi extat alia pars hujus decretalis, ut jam ibi notavi.

(b) *In minoribus.*] Ex hoc textu deducitur, ad ordines minores promovendos non egere speciali titulo beneficii, vel patrimonii; ad majores verò gradus cooptandos, debere ad titulum beneficii, seu patrimonii ordinari, jam probavi *in cap. 4. hoc tit.* ex quo commentario præsens petendum est.

CAPVT XXIV.

Idem. (a) *Episcopo Zamorensi.*

ACcedens ad Apostolicam Sedem. *Et infrà*: Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod clericus absens, per alium, vel alius magis pro ipso poterit de beneficio Ecclesiastico investiri.

NOTÆ.

(a) *Zamorensi.*] Hanc inscriptionem retinet Cujacius hîc, licèt Glossa marginalis emendet *Baton.* seu *Laton.* Sed licèt non habeamus hanc Innocentii Decretalem inter ejus epistolas hucusque editas, integram litteram restituere possumus, & epigraphen *ex cap. final. de raptu.* ubi dabimus.

COMMENTARIUM.

CUm possessio acquiratur per procuratorem, vel domino præsenti, si præsens est, *l. donationes* 31. §. 1. *ff. de donat. l. quod statu liber* 41. §. 1. *ff. de donat. causâ mort. l. si procuratori* 28. *ff. de procurat.* & domino etiam absenti, & ignoranti, *l.* 1. § *per procuratorem, l. possessio*, 49. §. *ult. ff. de acquir. possess.* & dominium si cum ea conjunctum est, quæratur domino scienti, quia procurator in his tantùm præstare ministerium creditur, *l. & licèt* 15. *ff. de constit. pecun. l. quod meo* 18. *ff. de acquir. possess.* docent Cujacius *lib.* 19. *Pauli ad edict. in d. l. licèt*, & *lib.* 18. *observ. cap.* 2. Donellus *lib.* 8. *comment. cap.* 5. Bronchorst. *cent.* 3. *assert.* 91. Valentia *tom.* 1. *illustr. tract.* 2. *cap.* 8. *num.* 23. sive investitura in beneficio accipiatur pro possessione, sive pro jure adipiscendi beneficium, poterit per procuratorem recipi, *cap. olim, de rescript.* argumento legis 4. *ff. de donat.* Probant Lambertinus *lib.* 2. *de jurepatron.* 2. *p. q.* 8. *art.* 8. *fol.* 160. nec refert si dicas, posse absentem investiri de beneficio per procuratorem, vel nuncium alium pro ipso, quod in præsenti docetur; non enim hæc duo separantur, sed conjunguntur quasi eadem: sicut nihil refert si dicas, per procuratorem causam agere, vel appellare pro alio posse, ut *in l. servi, ff. de appel.* vel alium appellare posse per procuratorem.

CAPVT XXV.

Idem *Herveo Trecensi* (a) *Episcopo.*

DIlecto filio nostro P. tituli S. Pudentianæ Presbytero Card. dilectis filiis R. de Avalon. cellerario Senonen. & R. de Noa clerico procuratori tuo, auditore concesso, idem cellerarius (b) proposuit coram eo: Quod cùm bonæ memoriæ G. Rhemen. (c) Archiepiscopus, tunc Apostolicæ Sedis Legatus, ad Trecen. accessisset Ecclesiam, in qua G. nepoti (d) suo præbendam concedere intendebat, cùm nulla penitus vacaret ibidem, dictus cellerarius, non tam ei, quàm nobis etiam cupiens in hac parte placere, præbendam, quam in ipsa obtinebat Ecclesia, in ejus manibus resignavit. Qui liberalitati ejus volens postmodum grata vicissitudine respondere, de Capituli Trecen. assensu, præsente quoque ven. fratre nostro Senonen. Archiepiscopo, tam præfatum nepotem suum, quàm etiam cellerarium in Canonicum Trecen. instituit;

tuit: & ambobus idem Capitulum ſtallum in Choro, & locum in Capitulo aſſignavit. Quibus idem Rhemen. Archiepiſcopus fructus ſupradictæ præbendæ tamdiu dividendos communiter aſſignavit, donec præfatus G. integrum eſſet præbendale ſtipendium aſſecutus, in eos qui contravenire præſumerent, excommunicationis ſententiâ promulgatâ. Quorum receptionem generalis procurator bonæ memoriæ (e) prædeceſſoris tui in Conſtantinopolitanis partibus tunc agentis, poſtmodùm approbavit. Unde dictus cellerarius in eadem Eccleſia lectiones, & (f) Evangelium in hebdomada ſua poſteà legiſſe dignoſcitur; & tam Decani, quàm Epiſcopi electioni, & aliorum negotiorum tractatibus, ſicut Canonicus Trecen. (g) interfuit, & domum quandam per Capitulum memoratum obtinuit, quæ non niſi Canonico conſueverat (h) aſſervari. Tu quoque cùm ad eandem acceſſiſti Eccleſiam conſecratus, dictum cellerarium cum Canonicis aliis ad (i) oſculum recepiſti, cùm tamen tunc temporis non niſi Canonici ad oſculum admittantur: & eidem ſuper prædictis non moviſti per biennium quæſtionem; unde petiit, ut te ab ipſius ſuper hoc moleſtatione indebita compeſcere dignaremur. Verùm dictus R. procurator tuus, propoſuit ex adverſo, quòd cum idem cellerarius præbendam ſuam in præfati Rhemen. Archiepiſcopi manibus reſignaſſet, ipſe de medietate illius nepotem ſuum, & de medietate alia dictum cellerarium inveſtivit, quam adhuc detinere præſumit, in tuum præjudicium & gravamen, non permittens te libere de ipſa disponere, prout ad te dignoſcitur pertinere. Et licèt ad dilectos filios Decan. & Magiſtros G. Cornutum Pariſienſ. & S. Rhemenſ. Canonicos ſuper hoc noſtræ fuerint litteræ impetratæ; cellerarius demùm ad nos fruſtratoriè appellavit, ut te poſſet gravare laboribus, & expenſis. Idem quoque propoſuit procurator, quòd cùm in Trecen. Eccleſia inſtitutus olim fuerit certus Canonicorum numerus, & Capituli juramento firmatus, ſupradictus Archiepiſcopus, qui etſi Legatus fuiſſet in Teutonia, in Senonen. tamen provincia, cùm eidem non fuerit officium legationis injunctum, inſtitutionem hujusmodi facere non potuit ut (j) Legatus: quinimò etſi Legatus in eadem Provincia extitit; ad unicum tamen ſpirituale jus, quod vacabat ibidem, duos inſimul Canonicos inſtituere ſibi non licuit contra canonicas ſanctiones. Nam ſi duo unicam præbendam haberent, id eſſet contra (k) Turonen. Conſilium, quod præbendarum inhibet ſectionem: ſi verò duobus in Canonicos & fratres receptis, uni tantummodo præbenda daretur, ſub expectatione alius, contra (l) Lateran. Concilium remaneret. Præterea licèt in Eccleſia, in qua non eſt certus numerus præbendarum, nullâ etiam præbendâ vacante, in Canonicum quis poſſit aſſumi, cùm intelligatur ad quoddam jus eligi, quod ex electorum aſſenſu de novo creatur, & cum electo in Canonicum naſcitur, & definit cum defuncto. In Eccleſia tamen, quæ determinatum habet numerum præbendarum, uno duntaxat individuo jure vacante, duo inſimul eligi non poſſunt ad illud; cùm hujuſmodi ſpirituale jus dividi, ſeu communicari nequeat inter eos. Quamquam interdum hi, ad quos ſpectat electio, de communi conſenſu augmentare valeant numerum præbendarum, quoddam jus ſpirituale de novo creando; niſi fortè ſtatutum aliquod obviaret, quod eſſet juramento (m) firmatum, vel cui Sedis Apoſtolicæ confirmatio acceſſiſſet, hujuſmodi clauſulâ prohibitionis adjectâ, ut ſi quidquam contra id fieret, non valeret. Propter quod inſtitutionem præfatam nullam fuiſſe, dictus aſſeruit procurator, cùm in Trecenſi Eccleſia, ſicut præmiſſum eſt, certus ſit præbendarum numerus, quem Capitulum, vel Legatus augmentare minimè intendebat, vel jus aliquod de novo creare. Quod ex eo argui proponebat; quia non fuit unus ad vacantem præbendam, & alius ſimpliciter inſtitutus; ſed ad præbendam unicam ſupradicto modo vacantem extiterunt ambo recepti. Sed nec Trecen. Capitulum, ad quod præbendarum collatio nullatenus pertinebat, vel dictus procurator prædeceſſoris tui receptionem hujuſmodi approbare potuit, utpote contra canones attentatam. Tibi quoque nequaquam obfuiſſe dicebat, quod cellerarium præfatum ad oſculum inter Canonicos Trecen. admiſeras, vel quod aliquanto tempore ſuper hoc negotio ſiluiſti: cùm tunc temporis Eccleſiæ tuæ conſuetudines, & quæ in ea minùs legitimè facta fuerant, ignorares. Ad hæc autem cellerarius ſic reſpondit: quod cùm idem Archiepiſcopus in Trecen. Capitulo ſuæ (n) legationis litteras legi fecerit, & ut Legatus eo tempore ab omnibus haberetur, an Legatus in illa provincia, fuerit, non debebat ulterius in dubium revocari, maximè cùm tu in prædictis litteris, quas obtinueras contra eum, memoratum Archiepiſcopum Legatum duxeris nominandum.

Adjecit

Adjecit insuper, quod licitè quis ad spiritualem fraternitatem eligi potest, in Canonicum, & in fratrem, nullâ etiam præbenda (o) vacante, argumentum ad hoc cujusdam epistolæ (p) decretalis inducens, in qua legitur, quod cùm T. clericus, nullâ in Lingonen. Ecclesia præbendâ vacante, ab Episcopo & Canonicis Lingonen. supradicti Archiepiscopi judicis delegati à nobis, interveniente auctoritate, in Canonicum receptus fuisset & fratrem, ita quod nullius præbendæ fructus perciperet, nisi loco proximo vacaturæ. Nos attendentes, quod dictum T. in Canonicum & fratrem recipi, non occurrebat canonicis institutis; & vacaturam expectare præbendam Lateran. Concilio non esset dubium obviare: illicito reprobato, quod licitum erat, duximus approbandum. Unde cùm videretur indignum, ut is qui recepturus erat in Canonicum, & in fratrem, præbendæ beneficio fraudaretur: Episcopo & Canonicis Lingoten. dedimus in mandatis, ut si res taliter se haberet, eidem T. præbendam, cùm se facultas offerret, assignare curarent. Allegavit insuper, quod ab Apostolica Sede frequenter hujusmodi litteræ impetrantur, ut in Ecclesia, in qua certus est numerus præbendarum, nullâ præbendâ vacante recipiatur quis in Canonicum, & in fratrem, & eidem præbenda, cùm se facultas obtulerit, conferatur. Idem licèt Turonen. Concilium sectionem inhibeat præbendarum, nihilominus tamen Romana Ecclesia receptionem eorum qui ad dimidias præbendas assumpti sunt, in Canonicos approbando, nonnunquam sectas præbendas eis præcipit integrari. Sed ad hoc fuit ex adverso responsum, quod etsi Romanus Pontifex dimidiatam quoad temporales proventus præbendam contrà Concilium Turonen. illi quandoque præcipiat integrari, cui jus spirituale vacans fuerat cum debita integritate collatum; pro eo tamen, quod ad hujusmodi jus dimidium de facto, cùm de jure non valeat, est receptus, id mandare minimè consuevit, & ex plenitudine potestatis, ad unicum jus spirituale non vacans aliquem recipi, utilitate, vel necessitate pensatâ, valeat indulgere. Sicut de Augustino in (q) canone invenitur, qui novo modo provectus, & consecratus Episcopus, incolumi Valerio Episcopo Ecclesiæ Hipponen. accessit in Cathedra, non successit. Et sicut de non vacante præbenda, concessâ tamen, & confirmatâ per Romanum Pontificem, cuidam clerico in Ecclesia Lingonen. & per executorem ipsius ad eandem etiam non vacantem recepto in prælegata legitur decretali. Præfatus verò Archiepiscopus, qui etsi Legatus fuisset in prædicta provincia, absque nostra saltem licentia speciali contra juris scripti tenorem, ad unicum jus spirituale, quod vacabat in Ecclesiâ supradicta, in qua certus erat numerus præbendarum, instituere non potuit nepotem & cellerarium supradictos; cùm hoc non solummodo Turonen. sed etiam Lateranen. Concilio obviaret. Maximè cùm nec novum jus creare intenderet, nec præbendarum numerum augmentare: quod inde colligitur, quia resignatione cellerarii procurata, eosdem instituit ad unicam præbendam vacantem. Unde nos his, & aliis intellectis, cellerarium antedictum, quem præfatam præbendam constitit priùs liberè resignasse, ad restitutionem eorum quæ ratione supradictæ investituræ tenebat, de consilio fratrum nostrorum sententialiter duximus condemnandum, ei super præbenda ipsa, vel ejus parte silentium imponentes; ita quod per hoc supradicto G. nullum præjudicium generetur, maximè cùm res inter alios acta, non noceat regulariter aliis, juxta canonicas & legitimas sanctiones. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ diffinitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, &c. usque incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Kal. Maji, Pontificatus nostri anno XIII.

NOTÆ.

(a) *Trecensi.*) Ita legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap. 1. & lib. 1. epist. Innocent. III. regestr. 13. epist. 72.* apud Bosquetum. Herveus iste electus fuit in Tricasinum Præsulem in Curia Romana à Canonicis ibidem commorantibus, ex consensu aliorum, & annuente Innocent. III. ut refert Camvoac. *in antiquit. Tricasinis*: obiit plenùs virtutibus anno 1223. Cujus animi dotes, & tempus Præsulatus satis exprimitur hoc epitaphio ejus sepulchro appositio.

Præsul Trecensis, priùs autem Parisiensis;
Verbi jam Domini Doctor, de corte Morini:
Paupere gente satus jacet Herveus hic tumulatus:
Cilicium, chordæ, jejunia, lamina ferri.
Cum corde recti faciunt me adsydera ferri.
Anno milleno, bis centenoque, viceno
Terno, cùm reddo polo spiritum, ossaque solo;
Anno septeno deno quoque Pontificatus,
Et sexto nonas Julii transmigro beatus.

De Trecensi Ecclesia jam plura notavi *in cap. 6. de constit.*

2. (b) *Celleravius.*] Cellerarius, seu Cellarius dicitur, qui penui Ecclesiæ asservando, & dispensando præponitur, cuique tritici, & vini dispensatio commissa est. Concilium Francoford. *can.* 13. ibi: *Ut cellarii in monasteriis avari non eligantur.* D. Benedictus *cap.* 31. *suæ regulæ*, ibi: *Ut celleravius monasterii eligatur de congregatione.* Fructuosus Episcopus *cap.* 6. *suæ regulæ*: *Eligatur cellerarius bonæ pietatis, probatus, quem communis elegerit collatio.* Caput *cùm ad monasterium, de statu monac.* lex *nominatim, ff. de manum. testam.* ibi: *Dispensator meus cellarius meus.* Quo sensu *in l. quæsitum, ff. de instruct. legato*, cellarius dicitur qui præpositus est, ut rationes salvæ sint: notarunt post Meursium, Brissonium, & alios Lexicographos Petrus Gregor. *lib.* 15. *syntag. cap.* 40. *num.* 6. Alberic. *in dict. verbo Cellarium*; hodieque in aliquibus Ecclesiis Cathedralibus, & passim in monasteriis eligitur unus ex aliis, qui cellario præponatur, vulgò appellatur *Cillerero*, de quo in præsenti, & *in dicto cap. cùm ad monasterium.* De eo agunt Benedictus Eftenus, *lib.* 3. *disquisit. monast. tract.* 7. *disquisit.* 4. Cæsar. *de Eccles. hierarch. quæst.* 2. *præm. §. 5. n.* 15.

3. (c) *G. Rhemensi.*] Præfuerunt huic Ecclesiæ temporibus Innocentii duo G. unus Guillelmus ad Albasmanus dictus, filius Theobaldi Campaniæ Comitis, qui Cardinalis creatus, ut Legatus missus fuit in Galliam à Lucio III. alter Guido, Abbas Clarevallensis, de quo Innocentium hîc agere notavit Bosquetus *in præsenti*, non levi ductus fundamento, nam Guido in Germaniam missus fuit, ut legitur *in chron. Belgico*, *anno* 1200. ibi: *Guido Abbas Cisterciensis, cum quibusdam Abbatibus ex Romam proficiscitur.* Et non multò post: *Papa Innocentius fecit eum Episcopum Cardinalem Prænestinum, & misit in partes Alemania Legatum.* Idem apud Cæsarium Mireum in chronico. Cisterc. De eo agit Illustr. Manrique *tom.* 1. *annal. Cisterc. in serie Abbatum Clareval anno* 1202.

(d) *Nepoti suo.*] Ex fratre videlicet, ut communiter nepotes à patruis appellantur: notavi *in cap.* 2. *de arbitr.*

(e) *Prædecessoris tui.*] Garnerii videlicet, qui electioni Franci Imperatoris interfuit, & suffragium dedit, decessitque anno 1193. ut referunt Camuzat. & Chenu *in Ecclesia Tricas.*

4. (f) *Et Evangelium.*] Quod proprium Canonicorum est in illis Ecclesiis, ubi usus invaluit, ut presbytero celebrante tantùm Canonici Epistolam, & Evangelium legant, ut probat Barbosa *de Canonicis cap.* 34. *per totum*, & *in summa Apostolic. collect.* 92.

(g) *Interfuit.*] Canonicus enim eo ipso, quod Canonicus est, omnia hæc munia obire potest, si sacris ordinibus initiatus est. Barbosa *de Canonicis cap.* 37. *per tot.*

5. (h) *Consueverant assignari.*] Sunt domus claustrales, quæ aliis, quàm Canonicis dari non possunt, quæ Canonicorum vocantur, & plenâ gaudent libertate, ex concessione Hugonis Comitis Trecensis, anno 1104. apud Camuzat. ibi; *Dedit igitur Ecclesiæ Trecensi Beati Petri, & sancti Salvatoris libertatem domorum Canonicorum, videlicet ut nemo præsumat eas deinceps violare.* De eis agemus *in cap.* 1. *de immun. Eccles.*

6. (i) *Ad osculum.*] Varia genera osculorum legimus in utroque jure, & apud bonæ notæ Interpretes; alia enim sunt honoraria, quæ videlicet manibus, seu pedibus Imperatorum infiguntur, de quibus, & purpuræ adoratione, agitur *in l.* 1. *C. de Comitibus & Tribun. lib.* 12. *l.* 4. *C. de Consulibus*, *l.* 1. *C. de præpositis sacri cubic. l.* 1. *C. de domest. & protect. l.* 1. *C. de silentiar. l. si quis servum* 7. *C. qui militare non poss. l. ult. C. de Palatinis sacr. largit. l.* 2. *C. de privil. scholar. l.* 1. *C. de apparitor. Præf. Prat. l.* 1. *C. de apparitor. Præf. Urbis, lib.* 12. *l. restituendæ* 6. *vers. ad hæc*, *C. de advocat. diversi. jud. l.* 2. *C. de Fabricensibus, lib.* 11. & ex Theodosiano codice præter has ipsas constitutiones, quæ in illo extant, *l unic. de imaginibus Imperialibus*, *l.* 4. *l. præfecture* 8. *cum l. sequenti*, *l. præter* 16. *de divers. offic. l. quisque* 70. *de Decur.* Quibus illustrandis in communi, de eo more, & jure multa post alios Pineda, Vasquius, Brissonius, Bisciola apud nostrum Solorzanum *in memoriali pro præcedentia Consilii Indiarum*, *num.* 9. & 10. & in pererudito opusculo *de honorariis Senatoribus*, *num.* 316. *& seqq.* Novarinus *in Agno Eucharist. lib.* 5. 61. Bulengerus *de Imperat. lib.* 3. *cap.* 15. ac præter eos, & præ aliis Lypsius *lib.* 2. *electorum*, *cap.* 6. Jacobus Durantius Cassellius *lib.* 2. *var. cap.* 16. Salmasius *ad Scriptores histor. Aug. pag. notarum* 319. & 440. Demsterus *ad Rosinum in Paralip. lib.* 3. *antiquit. cap. ult. ad finem.* Henric. Salmut. *ad memorab. Pancirola*, 1. *p. tit.* 46. Philippus Rubenius *lib.* 2. *elector. cap.* 4. Jann. Mellerus Pamelius *in spicilegiis ad Nonium Marcel. in voce Sanies.* Turturetus *de nobilit. lib.* 2. *cap.* 7. Carranza *post librum de partu, ad l.* 3. *num.* 2. *C. de postth. hær. instit.* Ant. Surgentus *in Neap. illustr. lib.* 1. *cap.* 21. Zerda *in advers. sacr. cap.* 168. *numer.* 11. & *cap.* 177. *numer.* 7. Grethserus 1. *tom. de sancta Cruce, lib.* 1. *cap.* 53. Serarius *ad lib. Esther* 2. *p quæst.* 3. & *in Judith cap.* 13. *quæst.* 3. Aloysius Navarinus 1. *tom. elector. sacr. lib.* 2. *cap.* 70. *& seqq.* Andreas Pintus *in spicilegio sacro*, *tom.* 1. *cap.* 40. Benedictus Pererius *in Genesim tom.* 3. *cap.* 18. *num.* 7. & *cap.* 23. *num.* 25. & *tom.* 4. *ad capit.* 33. *num.* 2. Joannes Lorinus *ad Psal.* 2. *vers.* 12. Oscula amica usitata fuerunt, tam apud Judæos, quàm apud Gentiles. De Iudæis constat ex pluribus sacræ paginæ locis, Matthæi *cap.* 26. *vers.* 48. *& seq.* Exodi *cap.* 18. *vers.* 7. Regum *lib.* 2. *cap.* 14. Tobiæ *cap.* 7. & 9. Apud Romanos adeò usitata fuerunt, ut Tiberius ea inhibuisset, ut latè illustrat Pancirola *lib.* 2. *var. cap.* 94. & *lib.* 1. *memorab. tit.* 46. ubi plura Salmut. P. Pinto *in spicileg. lib.* 1. *cap.* 40. Petrus Gregorius *lib.* 13. *de republica*, *cap.* 18. & *lib.* 8. *syntag. cap.* 8. Savarus ad Sidonium *lib.* 1. *epistol.* 11. A. Guibertus *cap.* 4. *Polyx.* Lypsius *lib.* 2. *elect. cap.* 6. Bulengerus *lib.* 1. *de Imperat. cap.* 12. Demsterus *ad Rosinum lib.* 3. *cap.* 33. Tiraq. *ad Alex. lib.* 2. *cap.* 19. Sunt etiam oscula sancta, & charitativa, quæ fideles primis Ecclesiæ temporibus invicem dabant, in tesseram communionis, & promiscuæ fidei. Tertul. *lib.* 2. *ad uxorem*, ibi: *Jam verò alicui fratrum ad osculum convenire, dicebatur osculum sanctum*: quia pietatis, & charitatis pignus erat; dabaturque sub ea formula, *Pax tecum*; quâ finiebatur sacra Synaxis; unde pacis concludentis signaculum dicitur *in cap. patrem* 9. *de consecr. distinct.* 2. juxta illud Apostoli *ad Romanos cap.* 16. *vers.* 16. & 1. *ad Corinth. cap.* 16. *v.* 20. *Salutate invicem in osculo sancto*; juncto canone 19. Synodi Laodic. Unde illud sibi invicem dabant tempore sacræ communionis

munionis. D. Gregorius *lib.3. dial.cap.37. Omnes sibimet pacem dederunt, corpus & sanguinem redemptoris acceperunt.* Quare conjunguntur in canone 12. Concilii Altisiiod. *Non decet mortuis, nec Eucharistiam, nec osculum tradi.* S.Ferreol.*cap. 25. suæ regulæ, Statuimus hujus culpæreum; communionem Dominicam, & osculum fratrum non habere;* ut probant Albaspineus *lib. 1. observat. cap.17.* Cerda *in adverss. sacr. cap.151.* Menardus *in notis ad Sacram. D.Gregorii, fol.377. & ad concordiam regul. fol.* 1021. Cresolius *lib.4. mystag. cap,6 sect.2.* Vivar. *in apparatu ad Flaccum Dextrum, §.9.* Serlogus *tom.2. in Cantica, vestig.1. sect.2.* Petrus Gregorius *in proœm.decret. num.28.* Baronius *anno 45.num.7.* Theophilus *tom.17.de religioso loricato, in princ. fol.*189. Etiam dabatur tempore baptismi, ut probat Vicecomes *de ritibus baptismi lib.5. cap.2.* item tempore sacræ ordinationis, Hallierius *de sacr. elect sect.8.cap.* 11. Plura de his osculis charitativis ultra proximè laudatos congerunt Baptista Casalius *de sacris christianorum ritibus, cap.59.* Cironius *lib.1. obs. cap.*14. Lantdmeter. *lib.2. de veteri clerico, cap.*81. Illustr. D. Franc. Ramos *in syntag. ad Alexand. VII. propos.1.num.* 93. De hoc osculo amicabili, seu charitatis accipiendus est præsens textus; olim enim, sicut & hodie, observabatur ut tempore adeptæ possessionis præbendæ, seu beneficii ad osculum reciperent novum fratrem cæteri Canonici, *cap. cùm olim* 12. *de privil.* unde in præsenti specie Canonicus probare intendebat se in possessione præbendæ esse, ex eo quod ad osculum receptus erat in Ecclesia Trecensi.

(i) *Ut Legatus.*) De potestate Legati circa beneficia conferenda in provincia suæ legationis, plura congessi *in cap. dilecti, de offic. Leg.*

(k) *Turonense Concilium.*] De quo *in cap. majoribus 8. hoc tit.*

(l) *Lateran. Concilii.*] De quo agemus *in cap.2. de concess. præbend.*

(m) *Juramento firmatum.*] Covarruvias *in cap. quamvis, 2. p. §.1. num.* 11. *de pactis in 6.* existimat Canonicos non potuisse revocare statutum hoc, quia confirmatum erat à Pontifice in favorem Ecclesiæ: sed doctè eum reprehendit Anguianus *lib. 3. de legibus, cap.5. num.* 11. Eâ ergo sententiâ omissâ, verius dicendum est, in præsenti casu Canonicos non posse augere numerum Canonicorum, contra statutum à se juratum, quia actus celebratus contra proprium juramentum est ipso jure nullus, ut pluribus relatis docet Sanchez *lib. 3. summæ, cap.* 12. & si confirmatum fuit à Pontifice tale statutum, etiam mutari non poterat, quia actus gestus contra statutum habens clausulam decreti irritantis, etiam editam in favorem ipsorum, est nullus ipso jure, ut probat Anguianus *d. cap.5.* De hac facultate augendi, vel minuendi numerum præbendarum, egi *in cap. cum M. de constit.* 7.

(n) *Legationis litteras.*] An Legato credatur, nisi editis suæ legationis litteris, exposui *in cap. cùm in jure, de offic. deleg.*

(o) *Præbendæ vacatione.*] Ut probavi *in cap.1. hoc tit.*

(p) *Decretalis.*) Quæ reperitur suprà *in cap. dilectus, hoc tit.*

(q) *Canone.*) *Cap. non autem* 12. *7. q.1.*

(r) *Maximè cùm res.*) Regulam hanc exposui *in cap. penult. de re judic.*

Commentarium hujus textus petendum est ex traditis suprà *in cap. majoribus*: & adducendis *in cap.2 de concess. præbend.*

CAPVT XXVI.

(a) Idem *V. Episcopo.*

VAcante quadam in Ecclesia tua præbendâ, duas ex ea constituens, ad illas de assensu Capituli tui duos Canonicos assumpsisti, quorum altero apud Sedem Apostolicam viam universæ carnis ingresso, præbendam, quam defunctus habuerat, quidam clericus Hippolytus nomine fuit auctoritate Sedis Apostolicæ assecutus. Verùm cùm idem H. te super integritate præbendæ per quasdam nostras litteras inquietet, & alius idem jus adversus te se habere proponat, quid facere debeas postulasti per Sedem Apostolicam edoceri. Super quo fraternitati tuæ duximus respondendum, quòd cùm Turonen. statuta Concilii sectionem inhibeant præbendarum, teneris utrique de iis, quæ vacare contigerit integrare præbendam, nisi fortè rationabili causâ de vacante præbenda prædictæ duæ fuerint constitutæ, ac tot sint utriusque proventus, quod per utramque sit utrique provisum in beneficio competenti.

NOTÆ.

(a) IDem.) Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit, cap.3.* id est, *Uratislavienſi Episcopo*, ut habetur *lib.5. epist. ipsius Innocentii III. regestr.16. epist.*166. ex quo regestro eam restituo. De Uratislaviensi Ecclesia egi *in cap. 27. de rescript.*

CAPVT

CAPVT XXVII.

Innocent. III. (a) *Vercellenſi Epiſcopo.*

Dilectus filius G. pro quo canonicando in Eccleſia Novarien. ſcripſeramus, quod intendebat, per noſtras (b) litteras non obtento, contra Canonicos ejusdem Eccleſiæ nobis propoſuit conquerendo, quod cùm pro eo ad Novarien. Capitulum mandatum Ap. miſiſſemus, ut cum in Canonicum reciperent, & in fratrem, præbendam, ſi qua tamen tunc vacabat, conferentes eidem; ipſi non ſolùm mandatum Apoſtolicum noluerunt adimplere, verùm etiam præbendam vacantem, quam mandavimus illi conferri, præſumpſerunt alii aſſignare. Unde petebat à nobis, ut quæ de ipſo inceperamus, exequi dignaremur. Magiſter autem Greg. Novarien. Eccleſiæ procurator proponebat è contrà, quia cùm nulla in Eccleſia vacaret præbenda, prædictus clericus ad Ap. Sed. accedens falsò in Eccleſia ipſa nobis ſuggeſſit vacare præbendam, & ad ſuggeſtionem falſam ſuper receptione ſua litteras impetrarat. Vnde cùm mendax precator carere debeat impetratis penitus, idem procurator ab impetitione ipſius Eccleſiam poſtulabat abſolvi. Cùm igitur coram dil. fil. n. G. ſancti Gregorii ad Velum Aureum Diac. Card. quem eisdem dedimus auditorem, ſuper his diutiùs litigarint, & idem Cardin. quæ fuerant propoſita coram eo, nobis retulerit diligenter; d. t. per Ap. ſcripta mand. quatenus ſi tibi conſtiterit, quod in Novarien. Eccleſia præbenda vacaret tempore, quo ſuper præbenda jam dicti clerici noſtras litteras receperunt, cùm eam penitus alii in deluſionem mandati noſtri duxerint conferendam, eundem clericum, ſi non alibi ſufficiens habeat beneficium eccleſiaſticum, juxta tenorem prioris mandati noſtri à prædictis clericis recipi faciatis, & eidem de redditibus ipſius Eccleſiæ ſingulis annis competentes aſſignari proventus, (c) donec ei ſit in beneficio præbendario proviſum.

NOTÆ.

1. (a) *Vercellenſi.*] Ita etiam legitur in quarta collectione, *ſub hoc tit. de conceſſ. præbend. cap.* 4. De Vercellenſi Eccleſia egi *in cap.* 10. *de foro compet.*

(b) *Litteras.*] Monitorias, præceptoriasve, de quibus plura congeſſerunt Petrus Greg. *lib.* 1. *de reſcript. cap.* 4. Azor *tom.* 2. *inſtit. moral. lib.* 6. *cap* 32. & nos *in cap. ex litterus, de reſcript.*

(c) *Donec.*] Et ita debet recipi in Canonicum & fratrem, cum ſpe aſſequendi præbendam proximè vacaturam, ut probavi ſuprà *in cap. relatum.* 2.

CAPVT XXVIII.

Idem *in Concil.* (a) *Later. Conſtit. XXXIV.*

De multa providentia fuit in (b) Later. Concilio prohibitum, ut nullus diverſas dignitates eccleſiaſticas, & plures Eccleſias parochiales reciperet, contra ſacrorum canonum inſtituta; alioquin & recipiens ſic receptum amitteret, & largiendi poteſtate conferens privaretur. Quia verò propter præſumptiones, & cupiditates quorundam nullus hactenus, aut rarus de prædicto ſtatuto fructus provenit: nos evidentiùs, & expreſſiùs occurrere cupientes, præſenti decreto ſtatuimus, ut quicunque receperit aliquod beneficium curam habens animarum annexam, ſi priùs tale beneficium habebat, eo ſit ipſo jure privatus; & ſi fortè illud retinere contenderit, etiam alio ſpolietur. Is quoque, ad quem prioris ſpectat dominatio, illud poſt receptionem alterius liberè conferat, cui meritò viderit conferendum; & ſi ultra ſex menſes conferre diſtulerit, non ſolùm ad alium, ſecundùm Concil. Lateran. [c] ſtatutum devolvatur, verùm etiam tantùm de ſuis cogatur proventibus in utilitatem illius Eccleſiæ, cujus illud eſt beneficium, aſſignare, quantùm à tempore vacationis ipſius ex eo conſtiterit eſſe perceptum. Hoc idem & in (d) perſonatibus decernimus eſſe obſervandum, addentes, ut in eadem Eccleſia nullus plures dignitates, aut perſonatus habere præſumat, etiamſi curam non habeant animarum: circa ſublimes tamen, & (e) litteratas perſonas, quæ majoribus ſunt beneficiis honorandæ, cùm ratio poſtulaverit, per (f) Sed. Ap. poterit diſpenſari.

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) *Lateran.*) *Can.* 29. non 38. ut legitur in quatta collectione, *sub hoc tit. cap.* 4. De hoc Concilio Lateranensi nonnulla notavimus *in cap.* 1. *de Summa Trinit.*

(b) *Lateran. Concilio.*) Sub Alexandro III. relato *in cap. quia in tantum, de clericis non resid.*

(c) *Statutum.*) Quod exposui *in cap. litteras, de supplenda neglig.*

(d) *Personatibus.*) Personatus dignitas, quæ, qualisque sit, exposui *in cap. ad aures, de rescript.*

(e) *Litteratas.*) Id est, litteris conspicuas, & juris peritiâ præditas, ut exposui *in cap. -- de clericis conjugat.* cujus dispensationis exemplum extat apud Guillelmum Tyrium *lib.* 10. *belli sacri, in Balduino II. Rege Hierosolym.* quem ait Tyrius liberalibus disciplinis imbutum, præbendas obtinuisse in Ecclesiis Rhemensi, Cameracensi, & Leodiensi.

(f) *Per Sedem Apostolicam.*) Ex his verbis apertè liquet, Pontificem posse super pluralitate beneficiorum dispensare; quod etiam probatur *in cap. dudum* 54. *de elect. cap.* 1. *de consuet. lib.* 6. *cap. ordinarii, de offic. ordin. eod. lib.* Concilio Coloniensi sub Paulo III. 1. *p. cap.* 32. *&* 33. Illustrant ultra infrà referendos Basilius *de matrim. lib.* 8. *cap.* 12. *num.* 9. Dartis *de benefic. cap.* 2. *in fine*, Fragoso *de regim. christ. reipub. tom.* 2. *lib.* 3. *disp.* 9. §. 1. Bossius *tom.* 2. *operis moral. tit.* 7. §. 1. *num.* 2. Ratio in promptu est; nam cùm hæc prohibitio pluralitatis à jure positivo proveniat, ut infrà dicemus, & Pontifex sit supra jus positivum, *cap. proposuit, de conces. præb.* & in beneficiis plenam, ac liberam potestatem habeat, *cap.* 2. *hoc tit. lib.* 6. ideo in legibus ecclesiasticis, hanc pluralitatem inhibentibus, dispensare poterit, tam in duobus Episcopatibus, *c. relatio, cap. illud* 21. *quæst.* 1. quàm in pluribus beneficiis, cujuscunque generis sint, etiam curatis, dignitatibus, vel personatibus, *d. cap. dudum, l.* 5. *tit.* 5. *l.* 3. *&* 4. *tit.* 16. *part.* 1. Ojeda *de incompatib. cap.* 12. *num.* 12. Barb. *alleg.* 62. *num.* 18. Sed an alius præter Pontificem possit etiam dispensare in pluralitate, dubium est: & cùm hæc prohibitio proveniat ex Concilio generali relato *in cap. quia in tantùm*, & in præsenti; & inferior non possit dispensare in lege superioris, ideò inferiores Prælatos dispensare non posse in hac pluralitate, docuerunt Glossa *præsenti*, & *in d. cap. dudum*, & communiter repetentes *hîc.* Contrarium tamen suadetur *ex cap. Sanctorum*, 70. *dist.* ubi docetur, auctoritate Episcopi posse clericum pluribus Ecclesiis præesse; quare verius dicendum est, post præsentem constitutionem non posse Legatum Episcopum, vel similem Prælatum dispensare, ut quis habeat plures dignitates, beneficia curata, aut uniformia sub eodem tecto, vel quæ residentiam petunt, ut cavetur in Concilio Tridentino *sess.* 24. *de reform. cap.* 17. in cæteris verò beneficiis simplicibus, vel ut quis habeat curatum simul, & simplex, vel ut in eadem Ecclesia cum dignitate canoniam retineat, posse Legatum, vel Episcopum dispensare, probat Barbosa *d. alleg.* 62. *per totam.* Illud tamen discrimen etiam inter Pontificem, & ejus Legatum, seu Episcopum notandum est, quod Pontifex potest dispensare, ut quis retineat plura beneficia, Episcopus verò, vel Legatus, tantùm ut duo possideat, *d. cap. Sanctorum*, Trident. *dict. cap.* 17. Consuetudine tamen in his Regnis introductum est, ut etiam Episcopus possit plura beneficia uni conferre, etiamsi alterum sufficiens sit ad congruam sustentationem, ut referunt & probant Barbosa suprà, *num.* 9. Garcia *benef.* 1. *p. cap.* 19. Flaminius *de resig. lib.* 5. *quæst.* 6. *num.* 119.

Semper tamen in simili dispensatione facienda à Pontifice, vel Episcopo desiderari justam causam, supponitur in præsenti textu, & deducitur *ex cap. innotuit, de elect.* & traditis à Basilio *ubi supra*: ideoque, tam Pontifex, quàm ejus Legatus, vel Episcopus absque causa in hac pluralitate dispensando, peccare lethaliter, docent Basilius, & Bossius *ubi supra*; eâ tamen admissâ distinctione, ut Pontifex validè, licèt injustè, sine causa dispenset, inferiores verò Prælati non solùm inhonestè, verùm & inutiliter. Causas autem justas ad dispensandum in pluralitate, expressas habemus in hoc textu illis verbis: *Circa sublimes tamen, & litteratas personas*; in quibus duæ referuntur causæ, videlicet nobilitas, & litterarum peritia, ubi conjunctiva *&*, non habet vim copulativæ, sed disjunctivæ, ut *in cap.* 2. *de vita & honest. cleric.* juxta legem *sæpe ff. de v. s.* Unde sufficit ad dispensationem, quod sit nobilis, aut litteratus, ut cùm eo dispensari possit, dummodo sit honestæ vitæ, *cap. venerabilis* 37. *hoc tit.* quia causa dispensationis non solùm respicit utilitatem personarum, verùm & Ecclesiarum, quibus solent esse utiliores nobiles, & litterati, *cap. dispensationes, cap. tali* 1. *quæst.* 7. docent, & latiùs prosequuntur Azor *d.* 2. *p. lib.* 6. *cap.* 12. *quæst.* 1. Ojeda *de incompatib. numer.* 5. *cap. final.* Nec hucusque traditis obstat Concil. Trid. *sess.* 24. *de reform. cap.* 17. in illis verbis: *Quibuscunque dispensationibus non obstantibus*, ubi omnes dispensationes pro pluribus beneficiis obtinendis videntur improbari. Nam respondendum est, illo decreto non abrogari præsentem decisionem, nec facultatem dispensandi, ex stente justa causâ; nam Patres tantùm improbant dispensationes absque causa concessas, non tamen vetant ex justis causis à legitimo superiore dispensari, ut docent Quintanadvennas *lib.* 4. *ecclesiast. num. final.* Cenedus *collect.* 550. *ad Decret. n.* 2. Illud tamen summè observandum est, quod cùm quælibet dispensatio odiosa sit, & strictè accipienda, *c. requiritis*, 1. *q.* 7. §. *nisi rigor, cap. dilectis, de consanguin. & affin. cap. nihil, de elect. cap. dudum, vers. insuper, de elect.* atque ideo restringenda sit ad casum de quo loquitur, *cap.* 1. *&* 2. *de filiis presbyt. in* 6. inde simpliciter dispensatus ad obtinenda plura beneficia, intelligitur respectu simplicium, non verò curatorum, Decius *consil.* 96. nec respectu existentium sub eodem tecto, & quod dispensatus ad dignitates, non censeatur dispensatus ad Episcopatum. Innocent. *in cap. dilectus.* Item quod per dispensationem ad plura incompatibilia non possit quis obtinere nisi duo dumtaxat. Butrius *in dicto cap. dudum, ad finem, de elect.* Item dispensatus ut possit duo beneficia curata recipere, intelligitur de duobus prioribus, quæ obtinere continget, *cap. non potest* 21. *vers. cùm verò, hoc titulo, lib.* 6. cujus interpretationem prosequitur Moneta *de commut.*

commut. cap. 6. num. 254. & 262. Gonzalez *ad regulam octavam, glos. 15. à num. 27.*

COMMENTARIUM.

5. *Conclusio probatur, & traditur.*

EX hac Concilii Lateran. constitutione sequens communiter deducitur disputanda assertio: *Generaliter nemo plura beneficia obtinere potest.* Probant eam textus *in cap. quia in tantum 5. cap. referente 7. cap. ad hæc 13. cap. præterea 14. cap. cùm non ignores 15. cap. cùm jam dudum 18. hoc tit. cap. sanctorum, 70. dist. cap. singula, 89. dist. cap. unic. 10. q. 3. cap. per laicos 16. quæst. 7. cap. 1. cum sequent. 21. quæst. 1. cap. quia nonnulli, de cleric. non resid. cap. litteras, de concess. prabend. cap. ordinarii, de offic. ordin. lib. 6. cap. cum singula, cap. super eo, hoc tit. lib. 6. Clement. gratiæ, de rescript. Clement. si plures, Clement. final. hoc tit. Extravag. execrabilis, eod. tit. cap. dudum 54. §. nos igitur, de elect. cap. eam te, de ætate & qualit. cap. litteras 9. de concess. prabend.* Concil. Metense *can. 2.* ibi: *Unusquisque presbyter unam solummodo habeat Ecclesiam, nisi fortè antiquitus habuerit capellam, vel membrum aliquod adjacens sibi, quod non expedit separari.* Nannet. *can. 8. Sicut Episcopus non plus potest habere quàm unam civitatem, & unam uxorem; ita presbyter unam tantùm Ecclesiam: itaque nullus presbyter plures præsumat habere Ecclesias.* Parisiense sub Lothario & Ludovico *lib. 1. cap. 49. Ut hac occasione nullus presbyter duas, aut tres avaritiæ causâ, quibus sufficere secundùm divinum cultum nullatenus potest, habere audeat Basilicas.* Pictav. *can. 2. Ut nemo Episcopatum, Abbatiam, Archidiaconatum, Archipresbyteratum, prabendam, vel alios ecclesiasticos honores, vel in duabus Ecclesiis prælationes exerceat, nisi in una tantùm.* Trident. *sess. 7 cap. 2. 3. & 4. sess. 24. de reform. cap 17.* Urbanus II. in Concilio Claromont. *cap. 12. Nulli clerico liceat deinceps in duabus civitatibus duas prabendas obtinere, cum duos titulos non possit habere.* Et can. 14. *Nullus deinceps in una Ecclesia geminos honores habeat.* Agathens. *can. 57.* Epaun. *can. 9.* Heraldus Episcopus Turon. *in suis Capitulis, cap. 49. Ut presbyter nos amplius quàm unam uxorem.* Concil. Frisingense *anno 1440. can. 7.* Pictav. 2. tempore Paschalis, *can. 16. Ne quis in duabus Ecclesiis duas prabendas, aut duos honores obtineat.* Londonense 2. sub Honorio II. *can. 6. Ut nullus Archidiaconus in diversis Episcopatibus diversos Archidiaconatus teneat, sub anathemate prohibemus: immò ei, cui prius assignatus erat, tantùm adhæreat.* Salzeburg. tempore Gregorii X. *can. 7.* & secundum *can. 10.* Colonense celebratum anno 1530. *can. 32.* Alia juris testimonia congerunt Antonius Augustinus *in epit. lib. 6. tit. 43. & lib. 8. tit. 33. & lib. 15. tit. 4.* Crespetius *in summa, verbo Beneficiorum pluralitas*: consonat de jure regio lex 28. *tit. 4. lib. 2. recopil.* & faciunt per argumentum lex *hac parte, in fine, C. de proxim. sacror. lib. 12.* lex 5. *C. qui militare*, lex finalis, *in princip. C. de assessoribus, cap. 1. de excess. Prælat.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa & Garanna, Manrique *de different. utriusque fori, quæst. 18.* Hurtado *tom. 1. de resid. resol. 6.* Luna de Arellano *lib. 3. antinom. 2.* Fragoso *de regim. christ. reipubl. p. 2. lib. 3. tit. 1. per tot.* Penna *tom. 1. decis. 61.* Dartis *de benefic. sect. 9. cap. 2.* Filesacus *de origin. Parœc. cap. 4.* Solorzanus *lib. 3. polit. cap. 20.* Petrus Gregor. *de republic. lib. 4. cap. 6. num. 5.* Petrus Bollo *in œconom. can. class. 2. cap. 2. §. 1. & 2.* Acunna *in cap. Sanctorum, 70. dist. & in cap. per singulas, 89. dist.* Corvinus *lib. 2. aphorism. tit. 31.* Tondutus 3. *p. de benef. cap. 5. §. 6.* Duarenus *lib. 8. de sacris eccles. cap. 4.* Zipeus *ad tit. de clericis non resid.* Ægidius Bossius *tom. 1. moral. tit. 7.* Fornerius *lib. 3. rerum quotid. cap. 25.* Petrus Herodius *lib. 1. Pandect. tit. 4.* Chopinus *lib. 3. monast. tit. 3. cap. 1.* Diana *p. 10. tract. 13. resol. 1.* Carvallo *in cap. Raynuntius, num. 274.* Petrus Gregorius *de benef. cap. 15.* Vighellius *in meth. juris can. fol. 285. & 361.* Bosquetus *ad Innocent. III. lib. 2. epist. 157.* Lemaistre *lib. 3. de monachis, cap. 6.* Tapia 2. *p. catenæ mor. lib. 5. cap. 5. art. 10.* Conradus Kling. *lib. 3. disputat. cap. 50.* Cabassutius *in notit. Concil. in 7. Synodo Nican. 2. can. 15.* fusè Theophilus *tom. 12. tract. mala è bonis Eccles. cap. 7.* Altesserra *in præsenti*, Christ. Lupus *in can. 10. Concil. Chalced.*

Sed hæc assertio ita indistinctè tradita difficilis valde redditur ex eo, nam habere plura beneficia, vel non, æstimandum non est ex eorum numero, sed ex Ecclesiarum redditibus, & proventibus, ita ut si Ecclesia congruam sustentationem parocho non præbeat, plures parochias unus clericus regere possit: si autem fructibus abundat, ipsius parochus in alia Ecclesia non ita pingui etiam deserviat. Unde Hispani Patres presbyteros parochos simul in canonicos ecclesiæ Cathedralis cooptabant eâ lege, ut ab Ecclesia Cathedrali, & simul à parochia stipendia acciperent. Concil. Emeritense *can. 12.* ibi: *Ut omnes Episcopos provinciæ nostræ, si voluerint de parochianis Presbyteris, atque Diaconibus cathedram sibi in principali Ecclesia facere, maneat per omnia licentia; hi tamen qui fuerint traducti, humilitatem dignam Episcopo suo teneant, & eo honore, & reverentia habeantur, ut venerentur in Cathedrali Ecclesia, sicut hi, quos constat fuisse ordinatos in ea: & quamvis ab Episcopo suo stipendii causâ per bonam obedientiam aliquid accipiant, ab Ecclesiis tamen in quibus prius consecrati sunt, vel à rebus earum extranei non maneant.* Et Ecclesia pauper, paucosque parochianos habens, alii jungebatur, ab unoque presbytero utraque regebatur. Concil. Tolet. 16. *can. 3.* ibi; *Ecclesia, quæ usque ad decem mancipia habuit, super se trahat sacerdotem; quæ verò minùs decem mancipia habuit, aliis conjungatur Ecclesiis.* Si autem dives erat, plures in ea ordinabantur presbyteri. Concil. Emerit. *can. 14.* Igitur obtinere diversas Ecclesias non ex earum numero, sed ex stipendiis, fructibus, vel ipsarum proventibus æstimandum est. 6. *Traditur dubitandi ratio.*

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, quam ut plenè exponamus, & hujus prohibitionis originem repetamus, scien- 7. *De origine hujus prohibitionis.*
dum est; plures ex Theologis, tam scholasticis, quàm moralistis, asseruisse pluralitatem beneficiorum repugnare juri naturali, & divino, Cajetanus *in summa, verbo Beneficium*, Sylvester *eod. verbo 4. num. 1.* Angelus *num. 35.* Armilla *num. 42.* Tabiena *numer. 28. quæst. 24.* alii quos refert & sequitur Thomas Sanchez. *lib. 2. summa, cap. 2. dub. 5.* Sotus, Azor, & Vazquez, quos refert Hurtado *tom. 1. de resid. resol. 6.* pro quorum sententia expendi solet textus *in cap. 1. 21. quæst. 1.* ubi PP. Concilii Nicæni ad adstruendam hanc prohibitionem adducunt caput 6. Divi Matthæi, vers. 24. in illis verbis; *Nemo potest*

test duobus Dominis servire. Deinde quia juri naturali, & divino repugnat, quod Ecclesia privetur ministris debitis, & quod divinus cultus minuatur; quod continget si unus presbyter duabus Ecclesiis præficiatur, *cap. unic.* 10. *quæst.* 3. *cap. singula*, 89. *distinct.* sed contrarium, immò tantùm à jure positivo prohibitionem hanc provenire, docuerunt omnes ferè antiquiores congesti ab Hurtado, & Valensi *ubi suprà*; & rectè, nam si præsens prohibitio à jure naturali, aut divino originem traheret, non posset Pontifex in ea dispensare, *cap. sunt quidam* 25. *quæstion.* 1. sed posse ipsum, atque Episcopos dispensare, suprà probavi: Igitur quia hæc prohibitio est tantùm juris positivi. Deinde quia consuetudo introduci non potest contra jus naturale, aut divinum, *cap. final.* ubi illustravi, *de consuet.* sed moribus introduci potest, ut quis unam præbendam simul cum dignitate obtineat, *cap.* 1. *de consuet. lib.* 6. nec non & plura beneficia, ut docent ex aliis Garcia *de benefic. p.* 11. *cap.* 5. *numer.* 265. Manique *de differentiis dict. quæst.* 18. Igitur quia hæc prohibitio non est juris divini aut naturalis. Adstruitur tandem hæc sententia cui adhæreo, ex eo, quia cùm beneficia à jure positivo introducta sint, ut refert Baronius *tom.* 6. *anno* 502. & probavi *in cap.* 1. *hoc tit.* non potest pluralitatis beneficiorum prohibitio esse antiquior, quàm ipsa beneficia, ut ratiocinatur Fillucius 3. *tom. tituł. de benefic. cap.* 7. *numer.* 2. Accedit, quia hæc prohibitio sacris canonibus tribuitur in præsenti, ibi: *Contra sacrorum canonum; cap. quia nonnulli, de cleric. non resid.* ibi: *Contra sacrorum canonum instituta*; *cap. quia in tantum* 5. *hoc tit*: ibi: *Sacris canonibus inimica.* Tridentinum *dicta sess.* 24. *cap.* 17. ibi: *Sacris canonibus.* Nec contrarium deducitur *dict. cap.* 1. 21. *quæst.* 1. nam licèt ibi adducatur locus Divi Matthæi *cap.* 6. *vers.* 24. non tamen inde deducitur, prohibitionem illam esse juris divini, quia illa tantum præcepta juri divino tribuuntur, quæ in sensu litterali ex eodem proficiscuntur. D. Thom. 1. *p. quæst.* 1. *num.* 1. Unde quod præsens prohibitio nitatur illa Divi Matthæi auctoritate, non ideo à jure divino provenit. Nec quod de minuendo cultu divino ex ministrorum defectu contrariæ sententiæ asserores expendebant; aliquid facit: nam id tantùm evincit pluralitatem beneficiorum ex se malam esse, non tamen deducitur, à jure divino esse institutam. Ex his liquet prohibitionem hanc esse tantùm juris positivi, licèt jure naturali subnixam, ut infrà dicemus; à quo tamen tempore cœpisset in Ecclesia hæc prohibitio, adhuc inter vetpertinos Antecessores non constat: aliqui eam repetunt à Concilio Agathensi celebrato sub Sixto III. anno 436. relato *in cap. unum* 21. *quæst.* 1. sed verè textus ille loquitur de Abbatiis regularibus. Alii eam deducunt ex Concilio Chalcedon. celebrato sub Leone I. anno 451. relato *in cap. clericum* 21. *quæst.* 1. sed perperam, cùm verius sit eo canone illud solùm prohiberi, ne clericus in una Ecclesia intitulatus, in alia etiam intitulari valeat; & ne in Ecclesiis duarum civitatum conscribatur, quod longè diversum est à prohibitione pluralitatis: Et notandum est in specie illius textus, verbum illud *oportere*, necessitatem inducere, ut *in l. cùm amplius* 84. §. 1. *ff. de reg. jur.* juncto Donello *lib.* 12. *comment. cap.* 2. ubi Osvaldus *littera D.* quamvis non semper verbum illud necessitatem importet, ut notatur ad expositionem textus *in l. si pignore* 22. §. 1. *ff. de pignorat. act. l. salarium* 7. §. 3. *l.* 39. *ff. mandati, l.* 1. §. 1. *ff. quando appellandum, l.* 8. *ff. de eo, quod certo loco*, per Cujacium ibi, *tract.* 3. *ad African.* Idem ferè statuitur *in cap. ne quis translatus* 21. *quæst.* 2. *cap. sanctorum*, 70. *distinct.* in quibus beneficiorum pluralitas expressè non prohibetur, sed ex eo, quod docetur, nullum posse duabus intitulari Ecclesiis, per interpretationem deducitur, non posse duas Ecclesias obtinere; eodem modo accipiendus est textus *in cap. singula*, 89. *distinct.* & *in c. unic. vers. Sed in hoc*, 10. *quæst.* 3. qui deductus est ex Concilio Toletano celebrato anno 700. in quo pluralitas non expressè prohibetur, sed deducitur per interpretationem, ex eo quod ibi statuitur, ne plures Ecclesiæ quasi in unum corpus temerè conjungantur. Tandem eodem modo procedit textus *in cap. per laicos* 16. *quæst.* 7. ubi directè tantum prohibetur, ne Episcopus duas Ecclesias obtinere præsumat; presbyter enim in eo textu opponitur clerico, & accipitur pro Episcopo, ut *in cap. olim*, 95. *distinct. cap. legimus*, 93. *distinct.* per consequens tamen rectè ex eo textu deducitur, nec clericum posse duas parochias simul regere. His ergo sententiis omissis, & aliis relatis à Quintanadvennas *lib.* 4. *ecclesiast.* dicendum est, quod licèt prohibitio hæc obumbrata, & insinuata esset prædictis, & aliis Ecclesiæ legibus, prioribus ejus sæculis editis, tamen apertè & specificè statuta fuit in Concilio Nicæno 2. celebrato anno 781. in eo canone relato à Gratiano *in cap.* 1. 21. *quæst.* 1. Sed quia lex illa poterat ad clericos tantùm orientales referri, Alexander III. in præsenti Concilio Lateranensi eam generaliter quoad omnes, tam Græcos, quàm Latinos statuit, generaliterque in eo Concilio statuta fuit præsincta prohibitio pluralitatis; pœna tamen nulla inflicta fuit, quamvis prohibitionis rationes exprimerentur, *cap. quia* 5. *cap. ad hæc* 13. *hoc tituł.* Deinde quia Alexander III. agnovit facilè contemni prædictam constitutionem, alias duas edidit: Primam in Concilio 3. Lateran. celebrato anno 1180. 1. *p. cap.* 13. quâ sanxit ut accipiens secundam dignitatem, vel Ecclesiam parochialem, eam amitteret; & qui dedit, largiendi potestate privaretur: habetur *in cap. quia nonnulli* 3. *de clericis non residend.* Cujus constitutionis meminit Innocentius *in præsenti.* Aliâ constitutione concessit electionem possessori retinendi Ecclesiam, quam maluisset, *cap. referente, hoc tituł.* juxta quas constitutiones accipiendi sunt textus *in cap. eam te* 7. *de ætate & qualit. cap. prætrea, cap. quia in tantum, cap. ad hæc* 13. *hoc tituł. cap.* 3. *de confirmat. utili, in* 5. *compillat.* ibi: (Ex parte tua nobis humiliter fuit supplicatum, quod cùm nonnulli clerici tuæ diœcesis plures obtineant parochiales Ecclesias, datâ hujusmodi clericis optione retinendi unam ipsarum Ecclesiarum, reliqua possis de licentia tua idoneis assignare personis.) Ex his tamen duabus sanctionibus prior tempore fuit, quæ refertur *in d. c. quia nonnulli*; nam *in d. c. eam te*, ubi ad praxim deducitur secunda constitutio, mentio fit constitutionis relatæ *in dicto cap.*

quia nonnulli ; unde deducitur illam priùs emanasse. Successit tandem constitutio Concilii Lateranensis celebrati sub Innocentio III. quâ statuitur, ut si habens beneficium, curatum, aut personatum, vel aliud simile beneficium recipiat, primum vacet ipso jure ; & si illud retinere præsumat, utroque privetur. Quæ constitutio reperitur in præsenti, & approbata fuit, & ampliata *in Extravag. Execrabilis*, Joannes XXII. *hoc tit.* ita ut præsens constitutio, procedat etiam in dignitatibus, personatibus, officiis, & beneficiis, quæ animarum curam habuerint ; & ita ut si obtinent secundum beneficium, si Episcopum proprium statim non adierint, utroque priventur : quod & firmatum fuit, adjectis aliis pœnis, per Concil. Tridentinum *sess. 7. de reform. cap. 4. & 5. & sess. 24. cap. 17.* & ita qui sciens beneficium incompatibile cum jam obtento, acceptavit, ipso jure primo privatur, quia per admissionem secundi videtur renunciatum primum, *l. 3. titul. 16. part. 6.* Solorzanus *tom. 2. lib. 2. cap. 17. numer. 12.* Prosequuntur latiùs hanc temporum seriem & varietatem Acunna *in dicto cap. sanctorum, 70. distinct.* Valensis *de benefic. tit. 2.* Quintanadvennas *dicti lib. 4.*

8. *De personis hac prohibitione comprehensis.*

Hæc pro diversitate temporum in Ecclesia statura reperimus; sed sciendum superest, ad quas personas præsens prohibitio spectet, & in quibus beneficiis procedat ? Et cùm generaliter concepta sit, & verbis universalibus hæc Ecclesiæ prohibito, comprehendit primò Romanum Pontificem, qui simul Episcopatum retinere non potest, quia Pontificatus per se est beneficium, & quidem omnium maximum, & dignius, *cap. 1. de maledicis, cap. si duo, cap. si quis pecunia, 79. distinct. cap. si Papa, 40. dist.* unde per promotionem ad Summum Pontificatum vacare omnia beneficia, atque pensiones, docuerunt Germonius *de indultis Cardinal. §. si verò illa, numer. 34.* Ojeda *de incompatibil. cap. 1. numer. 11.* Post Romanum Pontificem proximum dignitatis gradum in Ecclesia obtinent Cardinales, de quorum dignitate egi *in cap. 2. de cleric. non resid.* in quibus etiam procedit hæc prohibitio, ita ut nemo ex eis possit obtinere duos Cardinalatus, quia sunt officia uniformia : & licèt Episcopatum simul cum suo titulo possit obtinere, ut probavi *in dicto cap. 2.* non tamen duos Episcopatus retinere valet Tridentinum *sess. 24. de reform. cap. 17.* Nec contrarium probatur *in cap. Ecclesia, 57. de elect. extravag. execrabilis, §. Cardinalibus* : quorum interpretationem tradit Garanna *in præsenti.* Comprehendit etiam præsens prohibitio Patriarchas, *cap. 1. de consuetud. lib. 6.* & Metropolitanos, ut expressè sanxerunt Bonifacius I. *epistol. 3. ad Hilarium*, Cœlestinus I. *epistol. 2. cap. 4.* quæ extant *tom. 1. Concilior. Severini.* Comprehenduntur & Episcopi qui non solùm duos Episcopatus uno, eodemque tempore habere nequeunt, *cap. in illis, 80. distinct.* verùm nec præbendas, seu beneficia, si quæ antea possidebant, retinent ; sed omnia per adeptionem Episcopatus vacant, *cap. cum injunctu, §. 1. de elect.* ubi expositi, textus *in cap. quoniam 9. de judiciis, cap. 3. de probat.* qui solent vulgò in contrarium expendi. Etiam comprehenduntur hac prohibitione Abbates : nam plures Abbatias unus habere nequit, *cap. unum Abbatem, 21. quæst. 1. cap. monachum, in fine 20. quæst. 4. cap. si quis deinceps 16. quæst. 7. cap. ne pro defectu, de elect. cap. final. in fine, de relig. domib. cap. cùm singula 32. hoc tit. in 6.* cum aliis traditis ab Antonio Augustino *in epit. lib. 59. titul. 46.* docet Ojeda *dicto lib. 1. cap. 5. per tot.* Denique cæteri clerici, & ministri Ecclesias, dignitates & personatus obtinentes, *cap. ad hæc, hoc titul.* Extravag. *Execrabilis, eodem cap. 1. de consuet. lib. 6.* Tridentino *sess. 7. cap. 2. & sess. 24. cap. 17.* prosequitur Valensis *dicto lib. 3. titul. 1. ex num. 5.*

9. *De beneficiis incompatibilibus.*

Hactenus egimus de personis hac prohibitione comprehensis : superest ut de beneficiis, quæ inter se incompatibilia sunt agamus. Et sciendum est, magnam differentiam versari inter incompatibilitatem quoad titulum, & quoad retentionem. Incompatibilitas quoad titulum tunc datur, quando beneficia ita non compatiuntur, ut post assecutum titulum secundi beneficii, confestim jure ipso vacet titulus primi, quod contingit in duobus curatis, duplici personatu, vel dignitate honoratis ; etiam in diversis Ecclesiis, ex hoc textu, cum aliis suprà relatis ; vel in duobus beneficiis in eadem Ecclesia, juxta textum *in cap. 1. de consuet. lib. 6. Clement. final. hoc titul.* ut in specie textus *in cap. cùm in cunctis, §. cùm vero, de elect. cap. nemo deinceps, eod. tit. lib. 6. Clement. 1. de officio vicarii* : docet Valensis *dicto titul. 1. numer. 6.* incompatibilitas verò quoad retentionem datur, quando concurrunt duo beneficia, quæ quamvis jure prohibeantur per unum, eundemque clericum retineri, non tamen vacant ipso jure, sed postquam possessor elegerit quod maluerit ; quomodo intelligi potest textus *in cap. litteras, de concess. præbend.* in illis verbis : *Præbenda illa, etsi non de facto, de jure tamen vacare noscatur ; mandamus quatenus dictum Præpositum, ut illam sine difficultate resignet, cogatis.* Quippe in hoc casu non vacat primum beneficium ipso jure ; sed possessor habet facultatem eligendi quod maluerit ex facultate sibi concessa ab Alexandro III. *in dicto cap. referente, cap. præterea* ; nam cùm præsens constitutio non generaliter, nec absolutè contineat vacare primum beneficium per assecutionem secundi, sed loquatur Innocentius duntaxat de duobus curatis personatibus, aut dignitatibus duabus, non videtur derogatum decisioni dicti capituli *referente* ; argumento legis *præcipimus, C. de appellationib.* atque ideo in duobus beneficiis simplicibus, atque ideo in duobus beneficiis simplicibus ; etiam residentiam requirentibus, vel sufficientibus ad congruam sustentationem, non vacavit ipso jure primum ; quin imò habebit adhuc possessor facultatem eligendi quod maluerit retinere, ut sæpius decisum fuisse in Rota referunt Garcia *de benefic. p. 1. cap. 5. numer. 65.* Barbosa *3. p. de potestate Episcopi, allegation. 57. num. 21.* His suppositis incompatibile est quoad titulum, primò beneficium duplex curam animarum annexam habens, ut ait præsens textus, cui consonant Clementina *Gratia, de rescriptis*, dicta Extravag. *Execrabilis*, id est, duplex beneficium, cui annexum est onus administrandi sacra-

sacramenta. Ojeda *dicta* 1. *p. cap.* 13. *numer.* 3 quæ doctrina ad vicarias perpetuas eandem curam annexam habentes protracta fuit *in Clement. unica, de offic. vicar.* & ad commendas perpetuas eorundem beneficiorum, ex Tridentino *dicta sess.* 7. *cap.* 4. ideoque idem jus procedit, si habens beneficium curatum, consequatur vicariam, vel commendam perpetuam. Ojeda *dicto cap.* 13. *numer.* 10. & 2. *p. cap.* 6. vel habens beneficium, quod exigit residentiam, coadjutoriam assequatur. Barbosa *voto* 28. *per totum*, hæcque incompatibilitas durat etiam post Tridentinum, ubi *sess.* 3. *cap.* 4. innovatur præsens Innocentii constitutio, ut docuit Garcia *de benefic. d. cap.* 5. *numer.* 76. Quare cavendum est à Navarro *in manuali cap.* 25. *numer.* 129. Quintan advenias *dicto lib.* 4. *numer.* 98. qui existimarunt, hanc incompatibilitatem sublatam fuisse per Tridentinum *sess.* 24. *de reform. cap.* 17. ubi statuitur, ut habentes duo beneficia curata, unum ex his intra semestre dimittant: nam ibi potiùs indulgentia conceditur illis, qui eo tempore duo beneficia possidebant, quàm in futurum jus jam statutum *in dicto cap.* 4. mutatur. Etiam incompatibilitas quoad titulum datur in duplici personatu, aut dignitate, ut etiam hîc expresse docetur: nec interest an sit similis, vel difformis dignitas, vel in eadem Ecclesia, aut diversis; quia generaliter concepta est prohibitio, tam in præsenti, quàm in dicta Extravag. *Execrabilis.* Ojeda *dicta* 1. *p. cap.* 9. ubi etiam docet, nihil interesse, utrum dignitas curam jurisdictionis, seu administrationem habeat, vel non; nec contrarium probat d cta extravagans *Ambitiosæ*, *in fine*, quatenus exigit, quod dignitates habeant jurisdictionem, aut curam actu; quia textus ille loquitur in diversa pœna ab ea, quæ in præsenti statuitur; in illa enim constitutione additum fuit, ut qui secundam dignitatem obtinuit, teneatur primam dimittere, non ad effectum vacationis, sed ut possessionem amittat; & si id non fecerit, utraque privetur. Quoad hanc ergo pœnam exigitur jurisdictio, seu cura, quia ideo ea inflicta est, ut diutiùs incertum non sit, ad quem talis cura spectat. Ojeda *d. cap.* 13. *numer.* 80. Tandem hæc incompatibilitas quoad titulum locum habet in beneficiis sub eodem tecto existentibus, ex hoc textu, *in dicto cap.* 1. *de consuetudine in* 6. immò jus plus abhorret hanc pluralitatem, quàm alias etiam curatorum; unde dispensatus ad plura beneficia, non potest obtinere duo sub eodem tecto, nisi expresse in gratia exprimatur. Rebuffus *in praxi, tit. de dispens.* §. *etiamsi sint*, Ojeda *de incompatibilit. d.* 1. *p. cap.* 20. Dubium tamen est, an hæc doctrina ad similia tantùm beneficia sub eodem tecto, vel etiam ad alia similia extendatur, Ojeda *d. cap.* 20. *numer.* 25. existimat, omnia beneficia ejusdem Ecclesiæ, etiam dissimilia, quoad titulum incompatibilia esse; sed verius est tantùm dari incompatibilitatem in beneficiis similibus, ex hoc textu, & *dicto cap.* 1. *de consuet.* Unde potest quis sub eodem tecto Archidiaconatum, & canoniam possidere, *cap. eam te* 7. *de rescriptis.* Rursus, quia in beneficiis dissimilibus non datur incompatibilitas ipso jure, ut probant Ojeda *dict. cap.* 20. *num.* 27. Garcia *dicto cap.* 5. *à numer.* 259. qui latè agunt de duabus Capellaniis sub eodem tecto, tam in una, quàm in diversis capellis existentibus; & de pluribus beneficiis simplicibus videndus est Valensis *de benefic. dicto lib.* 3. *tit.* 7.

10. *Traditur ratio decidendi.*

Plures hujus prohibitionis rationes congerunt tam ipsi sacri Legislatores, quàm juris interpretes, nec non Cantipratannus *lib.* 1. *Apum, cap.* 19. Guillelmus Parisiensis *lib. de collat. benefic.* Carthusian. *lib. de plural. benefic. articul.* 8. & 17. D. Thomas *quodlibet.* 3. *artic.* 3. Nicæna Synodus relata *in dict. cap.* 1. 21. *quæst.* 1. eam petit ex avaritia, & ambitione, quæ ex pluralitate beneficiorum nascitur: Joannes XXII. *in dict. extravag. Execrabilis*, & Alexander III. *in dicto cap. quia in tantum* 5. *hoc tit.* eam reddunt, quia cùm vix uni officio & beneficio unus valeat deservire, quomodo in pluribus ministrare valebit. Facit etiam, quia pluralitas beneficiorum dissolutionis, & divagationis causam præstat, *cap. cùm singula* 32. *hoc titul. lib.* 6. quæ non leve præjudicium infert Ecclesiis, in quibus clerici debent assiduè residere, ut probavi *in cap.* 2. *de cleric. non resident.* Accedit etiam, quod plura beneficia uni conferre, ut plura officia exerceat, civilis, & rectæ administrationis rationem evertit, quæ in eo consistit, ut singula officia, seu ministeria singulis personis committantur, *cap. singula* 1. 89. *distinct.* unde leges sæculares duo officia civilia uni committi prohibent. *l. libertus* 17. §. *præscriptio*, & §. *sub eodem*, *ff. ad municip. l. si plures*, *vers. nam difficile*, *ff. de pactis*, *l. final. C. de offic. assess. l.* 1. ubi Glossa penultima, *C. quemadmodum civilia munera*, *lib.* 10. *l. his quidem* 5. *C. qui militare*, *lib.* 12. *l.* 1. ibi: *Et duobus officiis operam suam adhibere non possunt*: *C. de præpositis agentium*, *lib.* 12. *l. quisquis*, *C. de cohortalibus*, *lib.* 12. Apud Athenienses ita cautum erat: *Duo munera ne simul obeunto*; refert Samuel Petitus *lib.* 3. *juris Attici*, *titul.* 5. Rationem reddunt Quintilianus *lib.* 10. *Instit. cap.* 3. ibi: *Nec enim se bona fide in multa intendere animus totum potest.* Cassiodorus *lib.* 9. *var. epistol.* 21. ubi ait: *Satyris doctoribus querulis usurpatam fuisse sententiam, duabus curis ingenium occupari non debere.* Illustrant Fornerius *lib.* 3. *rerum quotid. cap.* 25. Solorzanus *tom.* 2. *de jure Indiar. lib.* 4. *numer.* 24. & *in memor. pro juribus honor. numer.* 71. Valenzuela *tom.* 2. *consil.* 135. *numer.* 85. Navarrette *discursu* 11. Junius *tom.* 1. *politic. cap.* 22. quod cùm in officiis sæcularibus observetur, multò magis in beneficiis ecclesiasticis. Facit exemplum Gentilium, apud quos unus sacerdos duo, vel plura sacerdotia obire non valebat, nec Pontificatum simul cum alio, ut probat Gutherus *lib.* 3. *de veteri jure Pontific. cap.* 8. & cum ad Pontificatum maximum nemo ascendere posset, nisi qui jam Pontifex esset, ex lege Domitia per adeptionem hujus Pontificatus vacabat primus, ut refert Livius *lib.* 39. & 40. Tandem & illa ratio præsentis prohibitionis non incongruè assignari potest, videlicet quod quemadmodum non licet eodem tempore duas habere uxores, *cap.*

christiano, 34. *dist. cap. ultim.* ubi plura dabimus; *de sponsa duor.* eodem modo nec duas Ecclesias poterit quis simul obtinere; nam de matrimonio carnali ad spirituale, quod contrahitur inter Ecclesiam, & suum Rectorem; validum est argumentum, *cap. inter corporalia, de translat. Episcop.* ubi plura congessi, *cap. final. eod. tit. cap. quoniam* 5. §. *porrò, ut lite non contest. cap. sicut alterius* 7. *quæst.* 1. quo argumentandi genere in hoc beneficiorum tractatu utuntur textus *in cap. sicut*, 21. *quæst.* 2. *cap. cùm non ignores* 15. *hoc tit.* Concil. Nannet. *can.* 8. ibi: *Sicut enim Episcopus non plus potest habere, quàm unam civitatem, & vir unam uxorem; ita presbyter unam tantum Ecclesiam.* Ivo Carnot. *epist.* 170. ibi: *Cùm in ipsa infantia mundi in Lamech carnalis bigamia sit culpata, quomodo poterit in sponsa, quæ est Ecclesia, laudari, quæ in hoc sacramento, & in virtute sacramenti uni debet viro desponsari?* Quò respexit Paulus II. referente Joanne Nicolao *de incompatib. tit. 3. cap. 6.* qui rogatus, ut super pluralitate dispensaret respondisse fertur, se in Ecclesia Dei nolle inducere bigamiam. Non tamen inde inferas quod sicut in pluralitate uxorum, quæ legi divinæ repugnat, *cap. gaudemus*, ubi plura Barbosa, *de divortiis*, Pontifex dispensare non valet, ita nec in beneficiorum pluralitate; nam æquiparatio inter utrumque consortium non in omnibus, & per omnia procedit, cùm vinculum hoc spirituale, non conjugium, sed quasi dicatur, *cap. inter corporalia, de transl. episc.* ibi: *Quasi conjugale vinculum spirituale inter sit contractum.* Unde cùm pluralitas uxorum juri divino, & naturali contraria sit, beneficiorum verò pluralitas juri positivo tantùm adversetur, ideò in polygamia carnali Pontifex dispensare nequit, in spirituali verò rectè dispensare valet. Sed his suppositis, quare vinculum conjugii spiritualis dicatur fortius quàm carnale, *in dicto cap. inter corporalia*, in ejus notis exposui. Prosequitur alias rationes præsentis prohibitionis Theoph. Raynaud. *ubi suprà.*

12. *Dissolvitur ratio dubitandi.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; prò cujus expositione sciendum est, nonnullos casus reperiri, in quibus potest clericus plura beneficia simul obtinere. Primus est quando quis unum habet in titulum, & aliud in commendam; sciendum enim est, olim moris fuisse, vacantis Ecclesiæ curam viciniori Rectori committere, dum de electione futuri prælati tractabatur, *cap. obitum* 16. *cap. Catinensis* 17. 61. *distinct.* qui commendatarius intercessor dicitur *in cap. constitutum* 22. 7. *quæst.* 1. cujus commendationis ratione ipse ut proprius Prælatus spiritualia administrabat in ipsa Ecclesia. Lantdmeter. *lib. 2. de veteri cleric. cap.* 34. *in fine.* Plura de his commendis adducunt Quintanadvennas *d. lib. 4. à num.* 123. Garcia 4. *p. de benefic. cap.* 4. *per tot.* Ojeda *d. 2. p. cap.* 4. Zypæus *lib.* 3. *respons. tit. de commendis, respons.* 2. Hanc ergo commendam simul cum beneficio rectè unus sacerdos retinere potest; *cap.* 3. 21. *quæst.* 1. *cap. dudum, de elect.* quia commenda beneficium non est; quare ab eo distinguitur *in l. 2. tit. 44. lib. 11. legum Longob.* ibi: *Cæteri verò homines liberi, qui vel commendationem, vel beneficium ecclesiasticum habent, sicut reliqui, justitiam faciant.* Notavit Cironius *in cap. 1. de eo, qui mittitur, in 5. compil.* sed cùm admissus jam sit usus commendæ perpetuæ, an etiam talis commenda simul cum beneficio retineri possit, dubium est? Affirmant pluribus relatis Ojeda *d. cap. 4. num.* 14. Quintanadvennas *suprà, numer.* 126. Germonius *de indultis Cardin. verbo Ita quod.* Sed rectius contrarium docuerunt Navarrus *in manuali, cap. 25. num.* 126. Corrasius *de benef. 1. p. cap. 6.* nam cùm commenda perpetua, velut canonicatus, titulus sit, ut probat Garcia *dicto cap. 4. à num.* 35. eosdem effectus sortitur, ac beneficium, *cap. nemo* 15. *de elect. lib.* Tridentin. *d. sess. 24. cap. 17.* unde textus *in d. cap. dudum, cap. si pluribus, cap. cum G. cap. si beneficii, de præbend. lib. 6. cap. 2. de renunc. eod. lib. cap. cum bonæ; de ætate & qualit.* exaudiendi sunt de commenda temporali. Secundus casus contingit, cùm plura beneficia simul unita sub uno titulo authoritate legitimi superioris conjuncta sunt, aut præscriptione immemoriali, sive annectatur parochialis Ecclesia alii parochiali, sive dignitati, *cap. extirpanda* 30. §. *qui verò, cap. exposuisti* 33. *hoc tit. cap. super eo, hoc tit. in 6. Clement. final. hoc tit.* Et tunc nulla datur pluralitas, quo casu procedunt canones Concilii Emerit. suprà adducti. Ratio est, quia beneficium unitum non dicitur amplius beneficium. Oldradus *consil.* 257. *num.* 13. sed illius naturam sequitur, cui unitum est; sicut portio accrescens assumit naturam ejus, cui accedit, *l. si ex toto* 8. *in princip. ff. de legat. 1. l. inter* 26. §. *cùm inter, ff. de pactis dotalibus, l. etiam, C. de jure dotium:* quare cùm utraque Ecclesia pro unica habeatur, non adest eo casu aliqua incompatibilitas. Tertius casus contingit, ubi præsens prohibitio locum non habet, cùm beneficia cumulata sunt tenuis, & modici stipendii; quare plura simul retineri ab uno clerico possunt, *d. cap. unic.* 10. *quæst.* 3. *cap. eam tè, de ætate & qualitate*; Ojeda *d. 2. p. cap.* 5. Valensis *d. lib.* 3. *de benef. tit.* 8. quia cùm beneficia sint instituta pro alimoniis sacerdotum, ut probavi *in cap. 1. hoc tit.* plura, sive curata, sive non, possunt uni conferri usque ad congruam ejus sustentationem, *d. cap. eam te*; quod tamen ex hac causa uni clerico conferri possint, habita ratione status, conditionis, & familiæ ipsius, arbitrio Episcopi relinquitur, ut prosequuntur Ojeda & Hurtado *ubi suprà.*

CAPVT

CAPVT XXIX.

Idem *in* (a) *eodem Constit. XXX.*

GRæve nimis est & absurdum, quod quidam Ecclesiarum Prælati, cùm possint viros idoneos ad ecclesiastica beneficia promovere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec litterarum scientia suffragatur, carnalitatis sequentes affectum, non judicium rationis. Unde quanta Ecclesiis damna proveniant, nemo sanæ mentis ignorat. Volentes igitur huic morbo mederi, præcipimus, ut prætermissis indignis, assumant idoneos, qui Deo, & Ecclesiis velint, & valeant gratum impendere famulatum; fiatque de hoc in provinciali Concilio diligens inquisitio annuatim, ita quod, qui post primam, & secundam correctionem fuerit repertus culpabilis, à conferendis beneficiis per ipsum Concilium suspendatur, institutâ in eodem Concilio personâ providâ, & honestâ, quæ suppleat suspensi defectus in beneficiis conferendis; & hoc ipsum circa Capitula, quæ in his deliquerint, observetur. (b) Metropolitani verò delictum superioris judicio relinquatur ex parte Concilii nuntiandum. Ut autem hæc salubris provisio pleniorem consequatur effectum, hujusmodi suspensionis sententia præter Rom. Pontificis auctoritatem, aut proprii (c) Patriarchæ, minimè relaxetur.

NOTÆ.

1. (a) *Eodem.*] *Can.* 30. ut legitur in ipso Concilio: in quarta autem collectione, *sub hoc titulo, cap.* 5.

(b) *Metropolitani verò.*] Metropolitanus enim non est supra Concilium provinciale, licèt aliquando Concilium fuisse supra Metropolitanum sequeat ex Novella 6. Justin. sed ejus caput, unde ob reverentiam illi debitam statuunt Patres, ut in Concilio ejus delictum nec puniretur, nec judicaretur: notavit Basilius Legion. *lib.* 8. *cap.* 6. *num.* 12.

(c) *Patriarchæ.*] De quibus agemus *in cap. antiqua, de privil.*

COMMENTARIUM.

2. AD officia, & beneficia, tam sæcularia, quàm ecclesiastica eligi indignos non debere notum est, & supponitur in præsenti, & *in cap. cùm in cunctis*, §. *final. cap. nihil*, 44. *de elect. cap.* 15. *de offic. ordin. cap. ad decorem, de instit.* & saltem idoneos eligi debere docetur *in cap. cum nobis* 19. ibi: *Illius quoque litteratura, licèt eminens*, &c. *cap.* 1. & 2. ibi: *Dummodo sit idoneus*; *de instit. lib.* 6. Concil. Ttident. *sess.* 7. *de reform. cap.* 3. inter idoneos tamen digniorem esse eligendum, jubetur *in cap. licet.* 8. *quæst.* 1. ubi in ordinando sacerdote requiritur, ut qui præstantior est omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui omni virtute eminentior, eligatur, *cap. Metropolitano*, 63. *dist.* ibi: *Optimus ordinetur*; *cap. vilissimis* 1. *quæst.* 1. ibi: *Qui est honore præstantior*; *cap.* 2. *de officio custodis*, ibi: *Quales sanctiores, & meliores esse viderint*; *cap. unic. ut eccles. benefic.* ibi: *Non ex affectu carnali, sed discreto judicio in personam idoneam dispensari.* Latè probant Valensis *de benefic. lib.* 1. *tit.* 28. Bobadilla *lib.* 1. *polit. cap.* 3. *numer.* 76. Phebo *tom.* 2. *decis.* 109. Carleval *de judiciis tom.* 1. *lib.* 1. *disputat.* 1. *num.* 24. Tamburinus *de jure Abbat. tom.* 1. *disputat.* 5. *quæst.* 13. Mancinus *sacri juris controvers. disputat.* 14. Gutierrez *lib.* 2. *canonic. cap.* 11. Gonzalez *in regul.* 8. *gloss.* 4. *ferè per totam.* Petrus Gregorius *de benefic. cap.* 35. Altamir. *ad tit. C. de sil. offic. cap.* 6. §. 2. P. Bollo *in œconom. canon. clas.* 2. *cap.* 5. §. 5. Antonius Augustin. *lib.* 15. *in epit. jur. tit.* 3. Barbosa *de offic. parochi, lib.* 1. *cap.* 2. *numer.* 98. Jul. Lavor. *variar. lucubr. tit. de elect. cap.* 21. Acunnâ *in cap. si fortè*, 63. *distinct.* Solorzanus *de jure Indiar. lib.* 3. *tom.* 2. *cap.* 8 cujus principii duplex ratio vulgò assignatur. Prima, quia cui committitur electio, tanquam viro bono, conceditur talis facultas, *l. cùm quidam, ff. de legat.* 2. *l. quamquam* 72. *ff. de ritu nupt.* unde tanquam bonus vir debet eligere digniorem, & præstantiorem. Secunda ratio est, quia recta dispensatio, & dictamen justitiæ distributivæ, cui inæqualitas maximè repugnat, omninò prohibent electionem indignæ personæ. D. Thomas 3. *p. q.* 63. *art.* 2. *ad* 1. Sotus *lib.* 3. *de justitia, q.* 6. *art.* 4. *conclus.* 4. unde rectè in præsenti docetur, ad beneficia ecclesiastica idoneos, dignioresque esse eligendos; an verò eligens dignum omisso digniori, peccet lethaliter, teneaturque ad restitutionem, disputant Canonistæ, & Moralistæ: ultra supra relatos, & innumeros, quos refert Barbosa *in d. cap. cùm nobis* 19. *de elect.* pertractant D. Thomas 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. *ad* 3. Diana *p.* 11. *tract.* 4. *resol.* 34. Manriquez. *de different. utriusque fori, quæst.* 48. Velasco *de privil. pauper. p.* 1 *quæst.* 7. Fragoso *de regim. christ. reipubl. lib.* 1. *disputat.* 1. §. 3. Escobar *de utroque foro art.* 5. §. 1. Garcia *tom.* 2. *polit. regul. tract.* 9. *difficult.* 3. *dubit.* 6. P. Mendo *in stater. dissert.* 13. *quæst.* 17. *& sequ.* Prado *tom.* 2. *Theolog. moral. cap.* 19. *quæst.* 4. Arnisæus *de repub. cap.* 2. *resol.* 2. *sect.* 8. *ex num.* 9. *pag.* 418. *&* 431. Solorzanus *tom.* 2. *de jure Indiar. lib.* 2. *cap.* 7.

CAPVT XXX.

Idem *in* (a) *eodem, Constit. XXXII.*

EXtirpandæ consuetudinis vitium in quibusdam partibus inolevit, quod scilicet patroni Ecclesiarum parochialium, & aliæ quædam (b) personæ (c) proventus ipsarum sibi penitus vindicantes, (d) presbyteris earundem servitiis deputatis relinquunt adeò exiguam portionem, ut ex ea congruè nequeant sustentari. Nam ut pro certo didicimus, in quibusdam regionibus (e) parochiales presbyteri pro sua sustentatione non obtinent, nisi quartam quartæ, id est, sextam decimam decimarum. Unde fit, quod in his regionibus penè nullus inveniatur parochialis sacerdos; qui vel modicam habeat peritiam litterarum. Cùm igitur os bovis alligari non debeat triturantis, sed qui altari servit, debeat vivere de altari. statuimus, ut consuetudine qualibet Episcopi, vel patroni, seu cujuscunque alterius non obstante, portio presbyteris ipsis assignetur sufficiens: qui verò parochialem habet Ecclesiam, non per vicarium, sed per [f] seipsum illi deserviat in ordine, quem ipsius Ecclesiæ cura requirit; nisi fortè dignitati, vel præbendæ parochialis Ecclesia sit annexa, in quo casu concedimus, ut qui talem habet præbendam, vel dignitatem, cùm oporteat eum in majori Ecclesia deservire, in ipsa parochiali Ecclesia idoneum, & perpetuum studeat habere [g] vicarium canonicè institutum, qui ut prædictum est, habeat de ipsius Ecclesiæ proventibus portionem; alioquin illa se sciat auctoritate hujus decreti (h) privatum, libere alii conferendâ, qui velit, & possit quod prædictum est adimplere. Illud autem penitus interdicimus, ne quis in fraudem de proventibus Ecclesiæ, quæ curam debet habere proprii sacerdotis, alii pensionem quasi pro (i) beneficio conferre præsumat.

NOTÆ.

1. (a) *Eodem.*] Concilio Lateran. videlicet, *cap. 32.* ubi reperiuntur hæc verba, & in quarta collectione, *sub hoc tit. cap. 6.*

(b) *Personæ.*] Monachi videlicet, de quibus *in cap. 3. de suppl. cap. avaritiæ. cap. de monachis, hoc titulo.*

(c) *Proventus.*] Cùm nihil in illis præter antiquos, & moderatos redditus à locorum Episcopis institutos exigere debeant; *cap. præterea, 32. de jure patron.* & si ipsi patroni vergant ad inopiam, moderatè ab Ecclesia illis succurritur, *cap. quicunque 30. 16. quæst. 7. cap. nobis, de jure patron.* ubi dicemus.

(d) *Presbyteris.*] Id est, Parochis, seu Rectoribus, *cap. decernimus 16. quæst. 7.*

(e) *Parochiales.*] An etiam presbyteris beneficia simplicia habentibus congrua sustentatio debeatur, disputat Barbosa *voto 108.*

(f) *Seipsum.*] Juxta tradita *in cap. quia nonnulli, de cleric. non resid.*

2. (g) *Vicarium.*] Ut *in can. 12. Concilii Emerit.* ubi post verba, quæ retuli suprà *in cap. de multa 28.* hæc leguntur: *Presbyter alius institutatur, qui sanctum officium peragat, & discretione presbyteri victus & vestitus rationabiliter illi ministretur, ut non egeat: aut si quæsierit qui ordinatur, stipendium à suo presbytero accipiat, quantum dignitas officii eum habere expectat. Clericis verò, vel quos ad serviendum ei dederit, per discretionis modum, quæ necessaria sunt, ministret.* Probat Joan. Dartis *de benefic. sect. 5. cap. 3.* de qua portione huic vicario præstanda agit Valenzuela *consil. 54.*

(h) *Privatum.*] Ut jam expositi *in d. cap. quia nonnulli.*

(i) *Pro beneficio.*] Scindendo ita beneficium, contra adducta suprà *in cap. majorib. cap. nisi essent, hoc tit.*

COMMENTARIUM.

PArochis debent patroni præstare ex fructibus ipsarum Ecclesiarum saltem congruam portionem, ut illis de necessariis sufficienter sit provisum, *cap. postulasti, de rescriptis, cap. ad hæc, de offic. Vicarii, cap. pervenit, de appellat.* Innocentius III. *lib. 3. regestr. 13. epist. 86.* ibi: *Ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod patroni parochialium Ecclesiarum tuæ diœcesis, tantùm de proventibus sibi retinent earundem: quod sacerdotes ministrantes in eis, non possunt de residuo sustentari; propter quod nonnulla remanent pastoribus destituta, eo quod non sunt, qui curam velint recipere earundem. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus patronos Ecclesiarum ipsarum, ut de illarum proventibus sacerdotibus in eisdem ministrantibus congruam portionem assignent, moneas, & inducas: ipsos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione remotâ compescens; cùm non ad opus patronorum, sed ad opus potiùs servientium in eisdem fuerunt Ecclesiis redditus deputati.* Cujus doctrinæ rationem reddit Rota apud Farinacium *in posthumis part. 1. in una Pacensi, decis. 420. numer. 5.* his verbis: *Congrua debetur parochis, ut alias intenti ad quærendum sibi victum, deserant curam animarum, vel alias ipsi ob nimiam egestatem in illa exercenda committunt, quæ comm ve non debent, sive ne etiam ob prædictæ egestatem sint ludibrio ipsis parochianis, quos coercere debent, & à quibus debent reveri: & proinde cùm ista non concernant interesse*

3.

esse ipsius parochi, sed ordinis parochorum, & curæ animarum, consensu parochi tacitè elicitus ex acceptatione tenuis beneficii, in nulla debet haberi consideratione, cùm alias nec expressus suffragetur ad prædictum effectum. Quæ tamen dicatur congrua parochi sustentatio, & quibus fructibus certis, vel incertis constare debeat, latè exponit Hurtado *tom. 1. de congrua sustentatione, lib. 2. resol. 1.* qui in hac parte omninò videndus est.

CAPVT XXXI.

Idem in eodem (a) *Constit. LXI.*

IN Lateran. (b) Concilio noscitur fuisse prohibitum, ne quilibet regulares Ecclesias, seu decimas sine consensu Episcoporum de manu præsumant accipere laici: nec excommunicatos, vel nominatim interdictos admittant aliquatenus ad divina. Nos autem id fortiùs inhibentes, transgressores dignâ curavimus animadversione punire; statuentes, ut nihilominus, quatenus in Ecclesiis, quæ ad ipsos pleno jure non pertinent, juxta ejusdem statuta Concilii, Episcopis instituendos presbyteros repræsentent, ut illis de plebis cura respondeant, ipsis verò pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem; institutos verò removere non audeant inconsultis Episcopis. Sanè adjicimus, ut illos repræsentare procurent, quos vel conversatio reddit notos, vel commendat probabile testimonium Prælatorum.

NOTÆ.

1. (a) *Eodem.*] Cap. 61. ubi reperitur hic textus, & in 4. collect. sub hoc tit. cap. 7.
2. (b) *Lateranensi.*] Celebrato sub Alexandro III. ubi cap. 9. reperiuntur verba quæ sequuntur, usque ad illa, *ne autem*; & extant *in cap. cùm & plantare, de privil.* ubi ea exponemus.
3. (c) *Nos autem.*] Præsentis constitutionis commentarium dabimus *in cap. 1. de capell. monach.*

CAPVT XXXII.

Honorius III. *Abbati & Priori* (a) *S. Genovefæ.*

LIcèt vobis direxerimus scripta nostra, ut dil. fil. Magistro Rico Ebroicensi Archid. in sacra pagina cupienti studere, proventus suos ecclesiasticos faceretis integrè ministrari; non tamen volumus, nec nostræ intentionis existit, ut quotidianas illas (b) retributiones, quæ tantùm residentibus in Ecclesiis, & iis, qui horis intersunt canonicis exhibentur, ei tribui faciatis.

NOTÆ.

1. (a) *Genovefæ.*] Ita etiam legitur in quinta compilatione Honorii III. *sub hoc tit. cap. 1.* De monasterio hoc sanctæ Genovefæ plura adduxi *in cap. P. & G. de offic. deleg.*
(b) *Retributiones.*] De quibus latè egi *in cap. de cætero, de cleric. non resid.*

COMMENTARIUM.

2. Conclusio tenetur & probatur. EX hac decretali sequens deducitur communiter disputanda assertio: *Absens studiorum causâ fructus beneficii percipit, non quotidianas distributiones.* Quam conclusionem probant textus *in cap. relatum 4. cap. inter quatuor 10. cap. una 12. de cleric. non resid. cap. super specula, final. de Magistris, cap. consultationibus 10. de offic. deleg. cap. 1. de clericis non resid. lib. 6. licet 14. cap. cum ex eo 34. de elect. in 6. cap. 2. de privil. eod. lib. cap. 2. ne clerici, vel monachi, eod. lib. Clement. unica, §. cæterùm, de statu monach. cap. de quibusdam 37. dist.* Concilium Mogunt. *cap. 65.* Concilium Colonienſe *cap. 7.* Concilium Palentinum *cap. 20.* anno 1322. celebratum: *Statuimus, quod volentes studio litterarum insistere, pro tempore quo insistent, iidem fructus beneficiorum suorum usque ad triennium percipiant, aut etiam majoris temporis, si hoc Prælatis, & suis Capitulis expediens videatur.* Eugenius IV. in bulla quæ vulgò *Eugeniana* dicitur, concessa nostræ Salmantinæ Academiæ anno 1431. Pius IV. in bulla ab eo expedita anno 1564. & Trident. Concilium tandem *sess. 5. de reform. cap. 1. in fine, & sess. 6. cap. 1. & sess. 25. cap. 1.* & jure civili probatur per argumentum ex textu *in l. quæsitum 78. ff. de legat. 3. l. sed reprobi. 7.* alias *l. si duo 6. §. legatum 12. de excusat. tut. l. Seiæ 20. §. Pamphile, de fundo instructo, l. cùm hæres, §. 2. ff. de statulib. l. quidquid 5. C. de advocat. diversor. judic.* textus celebris *in authent. habita, C. ne filius pro patre.* De jure Regio consonat textus *in l. 6. & in l. ult. tit. 16 part. 1.* Illustrant præter ordinarios *hic*, Duarenus *de sacris elect. lib. 4. cap. 2.* Horatius Lazius *de privil. schol. privil. 99. & 100.* Cujac. *ad Scævolam in l. Seiæ, §. Pamphiliæ, de*

fund. instructo, Gonzalez *ad regulam* 8. *Cancellariæ*, §. 7. *num.* 174. Covar. *lib.* 3. *variar. cap.* 13. Flamin. *de resignat. lib.* 2. *q.* 1. Rebuffus *in tract. congruæ pensionis.* Moneta *de distribut. quotidianis, p.* 1. *q.* 6. Azor. *instit. moral. p.* 2. *lib.* 7. *cap* 7. & alii relati à Barbosa *in præsenti*, & *in collect. ad Concil. Trident sess.* 5. & *de Canonicis cap.* 27. *num.* 46. & *de potest. Episcop. alleg.* 56. *num.* 18. quibus addendi sunt Petrus Gregorius *de rescript. cap.* 24. *num.* 10. Trullench. *in exposit. Decal. lib.* 1. *cap* 8. Machado *in suo perfecto Confessor. lib.* 2 *p.* 4 *tit.* 4. *documento* 9. Didacus Perez *ad l.* 1. *tit.* 10. *lib.* 1 *ordinamenti*. Lessius *de justitia & jure cap.* 34. *dubit.* 29. Salgado *de protect. Regia*, 2. *p. cap.* 15. Solorzanus *de jure Indiarum, tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 14. Scortia *in select. constit. Pontif. theorem.* 208. *epit.* 85. Bonacina & alii Moralistæ *apud Hieronymum Garciam in summa tract.* 2. *diffieul.* 9. *dub.* 1. 3. & 8. *punct. penult.* Tondutus *resol. canonic. cap.* 102. Fragoso *tom.* 2. *de reg. lib.* 10. *disput.* 23. §. 2. Frances *in Pastoral. voto* 11. Mendo *de jure academ. lib.* 2. *q.* 23. Tapia *tom.* 2. *catena mor. lib.* 6. *q.* 5. *art.* 11. Barbosa *lib.* 3. *voto* 89.

3. *Traditur dubitandi ratio.*

Sed præsens assertio difficilis valde redditur sequenti juris consideratione; nam certum utriusque juris principium est, beneficium Principis latissimè esse interpretandum, *cap. si quem*, §. *prævaricator* 2. *q.* 3. *cap. frater* 16. *q.* 1. *cap.* 1. *de auctorit. & usu pal. cap. cum dilecti, de donat. l. penult. ff. de constit. Princip.* Igitur privilegium Archidiacono concessum in præsenti specie non solùm de fructibus præbendæ, verùm & de distributionibus est accipiendum. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex eo, quia privilegium hoc, ut inutile, atque supervacaneum esset, de distributionibus debebat accipi: nam jure communi attento, absque aliquo speciali rescripto studentes in studio generali luctantur fructus suorum beneficiorum, *cap.* 4. *cap. sua* 12. *de cleric. non resid. cap. final. de Magistris*: ergo si superfluum videretur rescriptum ab Archidiacono in præsenti impetratum, ad distributiones quotidianas erat protrahendum. Augetur secundò hæc difficultas ex eo, quia quod potest fieri consuetudine, potest concedi privilegio, ut sæpius in hoc opere probavi, & illustrat Tuschus *tom.* 2. *lit. C. conclus.* 808. sed consuetudine introduci potest, ut studentes in aliquo studio generali etiam distributiones lucrentur, ut probant Covar. *lib.* 3 *variar. cap.* 13. Ojeda *de incompatib. cap.* 17. *num.* 17. Moneta 2. *p. de distribut. q.* 12. Igitur & in præsenti privilegio concedi poterat ut Archidiaconus distributiones quotidianas perciperet tempore studiorum.

4. *Adducitur ratio decidendi.*

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens decisio, cujus ratio, quoad priorem partem, provenit ex necessitate, atque utilitate studiorum; præterquam enim quod litterarum studia necessaria sunt ad veram, orthodoxamque fidem agnoscendam, atque defendendam, ut legitur *cap.* 13. *Sapient. Non cognoscentes quis esset omnium artifex, sed aut ignem, aut aërem, aut aquam, aut solem rectores orbis terrarum putarunt*; etiam valde utilia sunt, ut vitia vitentur; quare Rex sapiens stabilimentum populi dicitur, *cap.* 6. *Eccles.* & lites dirimantur, paxque conservetur. Unde Julianus Apostata constituit *in l.* 5. *C. Theodos. de Professorib. & Medicis*, decretum ordinum curialium à se approbandum esse, ut hoc modo nullus Christianorum admitteretur Magister studiorum, & hoc quoque modo idololatria excresceret; quod cùm palam jubere erubesceret, hac fraude fieri curavit, quousque sanctione sua id decrevit, quæ extat inter epistolas ejusdem Juliani Apostatæ, *epistola* 42. Amm. Marcel. *lib.* 22. *Illud autem*, ait, *inclemens, obruendæ perenni silentio, quod arcebat docere Magistros Rhetoricos, & Grammaticos, ritus Christiani cultores.* Et infrà: *Erat inclemens, quod docere vetuit Magistros Rhetoricos, & Grammaticos Christianos, ne transirent à numinum cultu.* Tandem adeò infensus, Christianisque invidus fuit, ut eos litteras humaniores, & Philosophiam addiscere vetuisset. Theodoretus *lib.* 3. *cap.* 8. Socrates *lib.* 3. *cap.* 10. Ruffinus *lib.* 1. *cap.* 32. D. Gregorius Nazianz. *orat.* 1. *in Julian.* D. Ambrosius *ad Imper. Valentin. cap.* 30. D. Augustinus *lib.* 8. *confess. c.* 3. D. Chrysostomus *hom.* 1. 40. *in juventinum Maximum.* Verùm dicta lex 5. abrogata est per Valentinianum *in l.* 6. *eodem titulo & Codice*. Duarenus *lib.* 4. *de sacris Eccles. cap.* 2. Immò & impius ille Imperatorem in Christianos invehi solebat his verbis: *Propriis pœnis configimur, ex nostris enim libris arma capiunt, quibus in bello adversus nos utantur.* Unde ad alliciendos animos ad studia litterarum, quæ multis constant laboribus, ut ajebat Eumenius *in orat. pro instauratione studii Augustod.* non solùm magna præmia Professoribus concessa fuerunt, quod esse specimen florentis Reipublicæ ajunt Simanchas *lib.* 1. *epist.* 73. Cassiodorus *lib.* 9. *epist.* 21. & *lib.* 2. *epist.* 16. verùm & magna privilegia illis concessa fuerunt. Jure communi militibus, atque absentibus Reipublicæ causâ exæquantur, *l. si duas* 6. §. *legum, ff. de excusat. tut. l. quæsitum* 78 *ff. de legat.* 3. ubi glossa marginalis, *l. Sejæ* 20. §. *Pamphilæ*, *ff. de fund. instructo*, *l. ait Prætor* 23. *l. nec non* 28. *ff. ex quibus causis major. l. quidquid*, *C. de advocat. diverse. jud.* plura congesserunt post Rebuffum *in authentica Habita*, *C. ne filius pro patre*, D. Mathias Guerra *de litteris, & armis*, Amaya *ad titul. C. de professor. lib.* 10. Solorzanus *in memor. de jur. honor. & tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 109. quæ omnia etsi in laicis etiam commendentur, quantò magis in sacerdotibus, in quibus litterarum scientia præcipuè desideratur, ut ait Pontifex *in cap. si in laicis*, 38. *dist.* unde clericos ignaros veniâ dignos non esse, constat *ex cap.* 4. *Oseæ, vers.* 6. relato *in cap. omnes.* 38. *dist. cap. nisi* 11. *de renunc.* ibi: *Quia tu scientiam repulisti, ego te repellam, ne sacerdotio fungaris mihi.* Et apud Malachiam relatum *in cap. si Rector*, 43. *dist.* legitur, quod labia sacerdotum custodiunt scientiam. Et Ecclesiæ Patres sæpiùs monent sacerdotes, ut ignorantiam veluti pestem quandam, & matrem omnium malorum à se abjiciant, *cap. ideo* 15. 37. *dist. cap. ignorantia*, 38. *dist.* Illustrant Duarenus *lib.* 4. *de sacris, cap.* 2. Frances *de Eccles. Cathedr. cap.* 28. etiam probavi *in cap.* 7. *de ætate & qualit.* quare ut faciliùs ipsi possint studiis operam dare, statutum fuit, ut licèt aliàs non residentes in propriis beneficiis, fructus non percipiant, immò & ipsis beneficiis priventur, *cap.* 2. ubi latè probavi, *de cleric. non resid.* tamen absentes studiorum causâ nec privantur beneficiis, nec eorum proventus amittunt, ut ita liberè possint studiis operam dare; quod procedit in studentibus, per quinquennium; in docentibus, in perpe-

perpetuum, ut tenent relati à Barbosa *dicto voto* 89. *num.* 45. Garcia *de benef.* 3. *p. cap.* 2. *num.* 105. Escobar. *de utroque foro tract. de horis canonic. q* 5. §. 2. *num* 197. Apud Gallos si juvenes studeant Theologiæ, aut sacris Canonibus in aliqua Universitate, percipiunt fructus suarum præbendarum modò finito studio; vel ante non renuntient clero; quippe si renunciaverint, restituunt percepta, quia non videntur habere animum ab initio inserviendi cultui divino, ut ex Maynardo *lib.* 1. *qq. quæst* 8. docet Rousset. *lib.* 4. *hist. cap* 5 *num.* 7 Et licèt apud Interpretes dubium sit, an privilegium ab Eugenio IV. concessum Academiæ nostræ Salmanticensi, derogatum sit per Concilium Tridentinum *sess.* 6. *de reformat. cap.* 2 & *sess.* 23. *cap.* 1. & derogatum esse, ita ut beneficia parochialia possidentes nec virtute Eugenianæ excusari possint à residendo, docuerint Gonzalez, Riccius; & Henriquez congesti à Barbosa *dicta allegat.* 53. *num.* 77. & *alleg.* 56. *num.* 3. & *in summa Apostolic. verbo Parochus*, Hieronymus Garcia *in summa tract.* 2. *disput.* 9. *num.* 27. Castro Palao *tom.* 2. *operis mor. tract. de oratione, disput.* 3. *punct.* 9. §. 9. *num.* 8. contrarium tamen rectiùs defendunt Garcia *de benef.* 3 *p. cap.* 2. *num.* 68. Cardoso *in praxi, verbo Studium*, Gomez *in exposit. bullæ, cap.* 7. *ad* 4. *clausi. num.* 30. Barbosa cum aliis *in not ad Concil. Trident. sess.* 23. *de reform. cap.* 1. *num.* 78. & ita sæpiùs practicari vidi in eadem florentissima Academia. Unde apparet rectè in præsenti Honorium decrevisse Archidiaconum studiis operam dantem fructus suæ præbendæ percipere debere: sed quia ad distributiones quotidianas lucrandas, non solùm necesse est residere, verùm etiam horis canonicis interesse, *cap. unic. de cleric. non resid. lib.* 6. probavi latè in *cap. de cætero, eodem titulo*; ideò licèt Archidiaconus studiis vacans haberetur pro residente quoad fructus lucrandos, non tamen pro interessente divinis officiis, ut distributiones percipiat: quod procedit nisi fructus præbendæ in distributionibus consistant; nam tunc absentes studiorum causâ eas lucrantur, cùm alias inutile esset hoc privilegium. Solorzanus *tom.* 2. *de jure Indiar. lib.* 3. *cap.* 14. *num* 23.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt verum sit, Principis privilegium amplè esse interpretandum; id tamen non procedit; quando tertiò præjudicium irrogatur, ut in præsenti casu eveniebat: nam cum in eo distributiones quotidianæ acquirantur, vel canonicis, vel Ecclesiæ, juxta distinctionem, quam tradunt Moneta *de distribut. p.* 3. *q.* 6. *per tot.* Escobar *de hor. canonic. q.* 5. §. 2. *n.* 995. inde provenit, ut rescriptum impetratum quoad fructus lucrandos tempore studiorum, non protrahatur ad distributiones quotidianas. Nec obstat augmentum primum difficultatis, ubi dicebamus; rescriptum in præsenti superfluè impetrari; nam licèt *ex dict. cap. relatum, cap. fin* 12. *de cleric. non resid.* beneficiarii absentes studiorum causâ fructus integrè percipiant, tamen Archidiaconus, de quo hìc, impetravit rescriptum, ut non inquietaretur, & cognosceretur ipsum studiorum causâ ab Ecclesia abesse. Nec aliud augmentum difficultatis obstat, cujus solutio pendet ex solutione illius difficilis quæstionis; utrum videlicet consuetudine introduci possit, ut distributiones absentes ex justa causa percipiant, quam examinavi *in dicto cap. de cætero, de rescript.*

Sed suprà traditæ assertioni opponitur textus *in cap. cùm de diversis* 2 *de privileg. lib.* 6. ubi cùm agatur de studente in schola Romana, & an faciat suos proventus propriæ præbendæ, respondet Innocentius IV. quod studentes jus divinum, vel humanum, hoc est canonicum vel civile in scholis ipsis, ubi generale profitetur studium, recipiant integrè proventus sui beneficii, sicut qui in Ecclesiis existunt. Ex quo Innocentii responso duæ adversùs Honorium III. in præsenti insurgunt difficultates. Prima, quòd absentes causâ studiorum integrè percipiunt redditus, sicut alii in Ecclesiis residentes: Ergo non rectè Honorius III. asserit distributiones quotidianas non lucrari absentem studiorum causâ. Secunda, & præcipua difficultas nascitur ex eo; nam clerici ex præsentis textus sententia tunc percipiunt fructus, quamdiu sacræ paginæ studio operam dant: immò & jus civile publicè audire clericis prohibitum est, *cap. non magnoperè*; *cap. super specula*, *ne clerici vel monachi. cap. super specula, de magistr.* ubi dicemus: Ergo non recte in eo textu docet Pontifex studentes tam jus divinum, quam humanum, integrè proventus sui beneficii percipere. Primæ difficultati ut satisfaciat Glossa ibi, verbo *integrè*, varia adducit: sed illis omissis dicendum est, per verba *integros fructus*, intelligi proventus deductis distributionibus quotidianis, ut in præsenti textu etiam dicitur integrè fructus accipere; etsi distributiones non lucretur. Etiam non impropriè Innocentius referri potest ad casum, in quo omnes fructus præbendæ constarent ex distributionibus quotidianis; tunc enim etiam absens studiorum causâ eos percipit; ex probabiliori sententia, quam tenent Garcia *de benef.* 3 *pag. cap.* 2. *num.* 113. Moneta *d.* 2. *p. cap.* 10. Pro secundæ difficultatis solutione examinandum venit, utrum clerici leges audientes, seu docentes, eo privilegio fruantur percipiendi fructus, ut fruuntur jus canonicum profitentes: Et affirmativa sententia, quam defendunt Barbosa *lib.* 3. *voto* 88. Garcia *de benef. ubi suprà*, Suarez. *de censur. disput.* 23. *sect.* 3. expressè probatur ex prædicta Bulla Eugenii IV. in illis verbis: *In qualibet facultate licitâ, & honestâ.* Ex quibus deducitur, non solum sacræ Theologiæ Professores, verùm & juris Canonici; aut Cæsarei; discentes, vel docentes, posse fructus sui beneficii percipere. Nec hac sententia retentâ obstant textus *in dicto cap. non magnoperè*; nam in eo non agitur de clericis, sed de monachis; qui non possunt leges, sive physicam docere, *l.* 28. *tit.* 7. *partit.* 1. ibi: *Physica ni leyes no tubó por bien santa Iglesia, que aprendiesse ningun home de religion.* Nec textus *in dicto cap super specula*, contrarium probat; nam omissis traditis ab Archidiacono *in cap. de quibusdam*, 37. dist. & à Gothofredo & aliis, quos refellit, refellendus est ipse, & Duarenus *ubi suprà*, qui nimis impudenter Honorium nostrum reprehendit. Verius dicendum est, Honorium III. statuisse *in d. cap. super specula*, ne clerici aliis studerent, speciali ratione, ut sacræ Theologiæ studium ampliaret: quare etiam statuit, ne jus civile publicè Parisiis legeretur, *in cap. super specula, de Magistris*; ubi extat alia pars ipsius constitutionis;

6. *Exponitur Cap. cum diversis* 2. *de privil. lib.* 6.

tionis: docet Citonius *in notis ad ipsum textum, in 5. compil.*

Secundò opponi potest textus *in cap. olim 16. de verb. sign.* ubi Innocentius III. cùm jussisset cuidam Magistro cœtæ Universitatis præbendam assignare, Patriarcha Gradensis ipsum consuluit, an deberet assignari dignitas, quæ tantùm residentibus dari poterat; & an proventus omnes, tanquam residens ipse Magister percipere deberet? Et respondet Innocentius, quod cùm beneficiũ Principis largissimè sit interpretandum, prædicto Magistro præbendam etiam quoad ea, quæ tantùm residentibus in victu, & vestitu præstari solent, conferre faciat sicut uni ex residentibus: quem textum ita expendo. En ubi rescriptum fuit impetratum, ut in præsenti specie; & nihilominus extenditur ad ea, quæ tantùm residentibus assignata sunt. Igitur non rectè Honorius III. in præsenti affirmat Archidiaconum virtute rescripti impetrati non posse distributiones quotidianas percipere. Agnovit difficultatem Barbosa *in collect. ad illum textum, num. 5.* qui ait ideò in ea specie rescriptum extendi ad distributiones, quia non continebat privilegium, sed potiùs mandatum de conferenda præbenda; quod mandatum cùm consonum sit juri communi, ideò ad distributiones etiam extenditur. Sed refellitur facilè hæc solutio ex eo, quia hujusmodi mandatum tanquam ambitiosum restringendum esse, probat disertus textus *in cap. quamvis 4. de præbend. in 6.* quare hac solutione omissâ, verius dicendum credo, in eo textu ideo Magistrum distributiones etiam quotidianas percipere, quia certi fructus præbendæ assignati non erant, immò omnes ejus proventus ex distributionibus constabant: quare juxta Garciam *ubi suprà num. 113.* eo casu absens studiorum causâ distributiones etiam quotidianas lucratur.

7. *Exponitur cap. olim 16. de v. s.*

8. *Adducitur Cap. final. de Magistr.*

Tertiò opponi potest textus *in cap. final. de Magistris*, ubi agit noster Honorius de interpretatione Concilii Generalis relati *in cap. 4. eod. tit.* & statuit, studentes sacræ Theologiæ in studio, generali, per quinque annos percipere de licentia Sedis Apost. integrè fructus suæ præbendæ, nullo denario dempto, eâ ratione expressâ, quia operantes in vinea Domini non debent nec uno denario fraudari: Ex qua Honorii constitutione duplex nascitur difficultas. Prima ex eo, quod integrè, nullo denario dempto jubet absentem studiorum causâ omnes proventus præbendæ lucrari: igitur non rectè in præsenti asseritur, distributiones quotidianas ipsum non percipere. Secunda provenit ex eo, quod Honorius exigit licentiam Sedis Apostolicæ ad hoc, ut absens studiorum causâ fructus præbendæ percipiat; cùm in præsenti talis conditio non exprimatur, immò & *in cap. relatum, de clericis non resid.* docetur sufficere licentiam superioris. Primæ difficultati ut satisfaciamus, dicendum est, in eo textu adverbium *integrè*, referri ad fructus, & proventus præbendæ, ut in præsenti textu, non verò eâ dictione comprehendi distributiones quotidianas, cùm appellatione fructuum non veniant, & in eis diversa ratio militet, ut probavi *in dicto cap. de cætero, de cleric. non resid.* Difficilior est secunda pars ipsius textus; quare aliqui eâ oppressi existimarunt, textum *in dict. cap. relatum*, correctum esse per textum *in dicto cap. final.* ita tenuerunt Garcia *ubi suprà*, Navarrus *in manuali, cap. 25.* Basilius Legion. *de matrim. lib. 8. cap. 12.* Sed cùm non facilè correctio in jure admittenda sit, dici potest, quod licet ut absens studiorum causâ percipiat fructus sui beneficii, sufficiat superioris licentia, *dict. cap. relatum*; ad hoc tamen ut Canonicus abesse possit absque eo quod præbendam amittat, desiderari Pontificis sententiam. Quid tamen hodie post Tridentinum observetur, explicat Barbosa *in dict. cap. relatum, num. 6.*

Tandem suprà traditis obstat textus *in cap. ultimo, de rescript. in 6.* ubi Bonifacius VIII. revocat indulgentiam clericis studiorum causâ absentibus concessam; & statuit ipsos fructus beneficiorum percipere non debere, quia studiorum causâ vagandi parabatur occasio, atque divinus cultus minuebatur, qui augeri potiùs debet: Ergo non rectè in præsenti asserimus, absentem studiorum causâ integrè sui beneficii fructus percipere. Cui difficultati respondendum est, Bonifacium in eo textu tantùm revocasse indulgentias per ambitiosam petentium importunitatem impetratas, ut perpetuò clerici studiorum causâ à propriis Ecclesiis abessent; quam quidem perpetuam concessionem meritò ex suprà relatis causis abrogavit Bonifacius, ut docuerunt Petrus Gregorius *de benef. cap. 7.* Barbosa *in collect. ad ipsum textum.*

9 *Exponitur Cap. ult. de rescriptis in 6.*

CAPVT XXXIII.

Honorius III. *Episcopo* (a) *Vesprimen.*

EXposuisti nobis in præsentia constitutus, quod Ecclesiæ tuæ Canonici diminutâ ipsorum provisione à tempore Concilii generalis, cùm eis ex tunc non fuerint ad eorum sustentationem (b) concessæ Capellæ, sicut antea fieri consuevit, de redditibus præbendarum suarum, cùm nimium sint exiles, nequeunt sustentari: propter quod plures ipsorum eadem relicta Ecclesia, in ejusdem, & clericatus coguntur opprobrium aliorum se obsequiis mancipare. Unde humiliter supplicasti, ut de Capellis eisdem provisionem eorundem de nostra permissione tibi ampliare liceret. Quia verò per hoc statutis derogaretur ejusdem Concilii, quæ servari volumus inconcussè te in hac parte nequivimus exaudire. Verùm illorum paupertati paterno compatientes affectu, & tibi etiam prout exposcit devotionis tuæ meritum, gratiam facere cupientes,

pientes, f. t. de qu aplenã fiduciam obtinemus, præsentium auctoritate mandamus, ut si evidens (c) necessitas, vel utilitas exigat, præbendas possis ejusdem Ecclesiæ de Capellis in perpetuum annectendis eisdem, sicut discretione prævia expedire videris, augmentare, reservata congrua singularum Capellarum presbyteris portione.

NOTÆ.

(a) *Vesprin.*] Ita legitur in quinta compilatione Honorii III. *sub hoc tit. cap.* 3. Vesprimiens. diœcesis est in Hungaria, suffraganea Archiepiscopi Strigonienſis, ut jam notavi *in cap.* 19. *de præscript.*

(b) *Concesse*] In perpetuum videlicet annexæ, cùm rectè uniri possint, congruâ portione vicario constitutâ, *cap. postulasti, de rescript.*

(c) *Necessitas, & utilitas.*] Quæ præstant justam causam unionis, ut docet Barbosa *lib.* 3. *Juris Eccles. cap.* 16. §. 2. & dicemus *in cap. sicut unire, de excess. Prælat.*

CAPVT XXXIV.

Episcopo, Priori, & Archidiacono (a) *Maclovienſi.*

Dilectus f. G. pauper clericus in nostra proposuit præsentia constitutus, quòd cùm Decano, & Capitulo Ecclesiæ Beati Martini Andegaven. preces (b) direxerimus & præcepta, ut ipsum quamcitò se facultas offeret, in Canonicum reciperent, & in fratrem, vobis super hoc executoribus sibi datis: vacantibus interim duabus in Ecclesia præfata præbendis, dictus clericus ut mandatum nostrum exequeremini, circa ipsum, à vobis cum instantia postulavit: sed quia ipsorum Decani & Capituli procurator excipiendo proposuit nostras super hoc litteras non valere, eo quod in eis mentio non fiebat, quod præfatus Decanus ex donatione (c) Regis præbendarum ejusdem Ecclesiæ collationem haberet, vos mandati nostri executores non esse interloquendo dixistis, & sic illæ duæ præbendæ, quæ medio tempore vacuerunt, aliis sunt collatæ, & dictus clericus occasione hujusmodi, quam vos malitiosè recepisse videmini, remansit hactenus sua provisione frustratus: propter quod idem nostram audientiam appellavit, appellationi cujus dicimini detulisse. Nolentes igitur ut sæpedictus clericus frustratus à vobis, litterarum nostrarum commodo ulteriùs suspendatur, vobis firmiter mandamus, quatenus ratione hujusmodi, quam reputamus frivolam, non obstante, mandatum nostrum ad vos pro ipso directum taliter sine difficultate qualibet exequamini, quod ipse propter hoc ad nos ulteriùs non recurrat, nec vos possitis de inobedientia reprehendi, quæ idololatriæ comparatur.

NOTÆ.

(a) *Maclovien.*] Ita restituendam esse hanc inscriptionem notarunt Cujacius, & Cironius *in præsenti.* Maclovienſis civitas, seu Macloviopolis, est in Gallia, prope Andegavensem, ferè Oceano cincta, sancto Vincentio consecrata, ut tradit Chenu in serie Præsulum ipsius Ecclesiæ. Hic Episcopatus olim Aletensis dicebatur; translata autem fuit Sedes Episcopalis in civitatem Maclovium, quæ à sancto Maclovio ita nomen accepit, anno 1140. à Joanne Grilleo, qui ex Abbate Begardensi, Ordinis Cistercienſis, Episcopus Aletensis factus fuerat, ut referunt Cironius in præsenti, Carolus à sancto Paulo *in geograph sacra fol.* 150.

(b) *Preces, & præceptorias*] De his litteris monitoriis, præceptoriis, & executoriis, quarum omnium hic mentio fit, egi *in cap. ex litteris, de rescript.*

(c) *Ex donatione Regũ.*] Quo tamen jure Reges Galliæ conferrent præbendas hujus Ecclesiæ, non satis liquet, præcipuè cùm jus commune resistat, & cautum sit laicis, nullam competere de rebus Ecclesiasticis disponendi facultatem, ut probavi *in cap. Ecclesia, de constit.* & dicemus *in cap. 2. de rebus Eccles.* Cui difficultati ut aliqui satisfaciant, relati ab Arnulpho Rufeo *in tract. de Regalibus, opinione* 4. affirmant, præscriptione jus conferendi beneficia Regibus Galliæ competere. Quæ solutio facilè refellitur, siquidem præscriptio non tollit incapacitatem laicorum circa Ecclesiasticas res administrandas, *cap. causam* 7. *de præscript.* & talis præscriptio in justa omnino esset, *cap. clerici de judiciis*; nec magis felicitet Joan. Andreas, & Monachus *in cap. licet, de præbend. in* 6. dùm docent Reges Galliæ beneficia conferre posse propter sacram unctionem, quam suscipiunt dum coronantur, juxta formam præscriptam *in cap.* 1. §. *unde in veteri, de sacra unctione.* Sed hæc unctio non tribuit aliquam capacitatem laicis circa ecclesiasti-

siasticas res administrandas: & licet alii laici unctionem recipiant tempore baptismi, & similiter omnes Reges ungi possint, juxta ea quæ adduxi *in dict. cap. unico, de sacra unctione*, non tamen ideò in aliquo gradu clericali constituuntur, sed laici manent, *cap. cleros, 21. dist. cap. si quis deinceps 16. q. 7.* His ergo omissis sententiis, verius dicendum est, jure Regaliæ, & Patronatus præbendas, & beneficia, de quibus in præsenti, conferre potuisse, cùm enim illis temporibus intra jura Regalia Rex Francorum custodiam vacantium Ecclesiarum, & per consequens collationem præbendarum interim vacantium haberet, ut constat ex testamento Philippi Augusti apud Rigordum, ibi: *Præterea præcipimus, quod si præbenda, vel beneficium aliquod Ecclesiasticum vacaverit, quando Regalia in manu nostra venient, secundùm quod melius, & honestius poterunt Regina, & Archiepiscopus, viris honestis, & litteratis consilio fratris Bernardi conferant: salvis tamen donationibus nostris, quas per litteras nostras patentes quibusdam facimus.* Hoc jus non abnuit D. Ludovicus consuetudine nixus, Willelmus Nangis *de gestis sancti Ludovici*, ibi: *Sanè in beneficiis Ecclesiasticis conferendis, quæ ad patronatum, sive donationem ipsius pertinebant, Deum semper præ oculis habebat, & electis & probatis personis, ea quantum poterat, conferebat, præcipuè autem in Ecclesiis Cathedralibus, ubi Sede vacante ratione custodiæ Regalium, ex consuetudine pertinebat ad eum collatio præbendarum, quas personas inquiri & eligi faciebat per Cancellarium Parisiensem, & alios viros bonos.* Idemque jus consuetudine partum agnovit Innocentius III. rescripto ad Philippum Augustum, *tom. 2. libert. Gall. tit. 16. num. 5.* in quo jus collationis præbendarum vacante Laudunensi Ecclesia, dicitur pertinere ad Regem, secundùm antiquam, & approbatam consuetudinem. Libertatem collationis Regiæ præbendarum Sede vacante usu cepit Trecensis Ecclesia, addito Philippi Augusti diplomate, apud Camuzatium: *Præterea de donatione præbendarum, quæ vacarunt in Ecclesia B. Petri Trecensis vacante Sede illa, quia non inveniebamus aliquem qui vidisset, quod non eas dedisse mus, aut quod genitor noster piæ recordationis Rex Ludovicus, ipsas tempore vacantis Sedis vacantes dedisset, & quia etiam ex assertione plurium audivimus; quod præbenda, Archidiaconatus, & alia beneficia tempore illo vacantia futuro reservarentur Episcopo Trecensi ad conferendum quibus vellet, concedimus dilecto nostro Herveo Trecensi Episcopo, ut ea conferat, & donationem illorum habeat, tam ipse, quàm successores ejus Episcopi Trecenses.* Quæ verba sic se habent in catalog. Trec. Episcoporum. Latè jus hoc Regum Galliæ fundant, immò & aliquorum Ducum & Comitum, P. Marca *lib. 8. concord. cap. 18. cum sequentibus*, Alteserra *de Ducibus cap. 8.* Philippus Probus *q. 49. per tot.* Petrus Gregorius *lib. 15. syntagm. cap. 12.* Robertus *lib. 3. rer. judic. cap. 1.* Chopinus *de domanio lib. 2. tit. 9. & de sacra pol. lib. 1. tit. 3. num. 7.* Solorzanus *tom. 2. lib. 3. cap. 12. num. 28.* Idem jus Regaliæ viguisse in Anglia satis constat *in cap. 6. de jurepatron. in 1. collect.* Regibus etiam Francorum competere jus conferendi primò vacaturam præbendam in singulis Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, probat Alteserra *de Ducibus cap. 9.* Alio quam Regalium nomine, nempe jurepatronatus, plerumque ad Principes sæculares pertinet plenum jus conferendi dignitates, præbendas, & alia beneficia, *cap. cum inter, de const. cap. dilecto, de testibus, cap. final. de conces. præbend.* junctis traditis á Petro Gregorio *lib. 1. part. tit. 28. cap. 11.* Ex quo jure etiam olim donatio præbendarum Andegavensium spectabat ad Regem Galliæ, cùm Ecclesia ipsa Cathedralis à Carolo Magno constructa fuisset, nec tenuis censûs dote cumulata, ut constat ex ipsa charta fundationis, quam refert Chopinus *lib. 2. de sacra pol. tit. 3.* in hæc verba: *Carolus, &c. Manriolus Episcopus Andegavensium civitatis, qui monasterio sancti Stephani, qui est sub urbe ipsius civitatis, prope murum constructum, præest, nobis suggessit, ut quod antecessores Reges ipsi monasteriolo ad ipsius lumen Ecclesiæ sancti Mauritii concesserunt, & nos modò per mercedis nostræ augmentum tale beneficium ei concedere deberemus, ut in locella illa ipsius monasterii, in quibuscunque pagis, vel territoriis libet, ea videtur habere, nullus judex publicus, nec ad causas audiendum, nec ad infrandas, nec freda exigendum, nec hostilitates, nec mansiones, aut paratas faciendas, nec ullas redhibitiones requirendum, nec quæ fisci à longo tempore fuit consuetudo, exactandum pro nostro augmento sub divinitatis nomine in luminaribus sancti Mauritii glorioli Martyris concedere deberemus, quod ita & fecimus, &c.* Unde cùm hoc jus erogandi præbendas Rex Decano ipsius Ecclesiæ concessisset, in eumque transtulisset, Decanus, & Canonici in præsenti specie allegabant litteras impetratas ad præbendam proximè vacaturam in ipsa Ecclesia concedi debere, expressâ ipsius præbendæ innata qualitate, videlicet quod ad Regem ejus collatio spectabat; eam tamen excusationem Decani, & Capituli, ut frivolam rejecit Innocentius in præsenti, & meritò, cùm collatio ipsarum præbendarum residens penes Decanum redierit ad suam naturam, & ad communes juris canonici regulas, juxta quas plenissima beneficiorum Ecclesiasticorum dispositio semper est penes Pontificem, *cap. 2. hoc tit. 16.* Et licèt ex jure quod Rex Galliæ in Decanum transtulit, Decanus ipse præbendas conferret; tamen Pontifex præbendas etiam jurispatronatus Ecclesiastici conferre potest, *cap. cum dilectus, de jurepatron.* docet Boërius Epon. *qq. heroic. tit. de Regalibus, num. 15.* unde rectè Pontifex in præsenti prædictam Decani allegationem ut frivolam rejecit.

CAPUT

CAPVT XXXV.

Gregorius IX. (a) *Argentinen. Episcopo.*

SUper inordinata ordinatione. *Et infrà*: Cùm autem illi sint in Ecclesiis idonei reputandi, qui servire possunt, & volunt in ipsis; consult. t. respondemus, quod pueri, & beneficiati, qui non possunt in eadem Ecclesia deservire, in ea non debent idonei reputari.

NOTÆ.

(a) *Argentinen.*] Argentinensis civitas est in Germania, habetque nobilem Ecclesiam Cathedralem, cujus mentio fit infrà *in cap. Venerabili*: à principio fuit Canonicorum Regularium, ut referunt Pennotus *lib. 2. histor. Canonic. Regular. cap. 39. num* 1. Chopinus *lib. 1. monast. tit. 3.* ejus Episcopo Antoldo missa est præsens decisio, qui fuit Dux Tteccnsis; & licèt pacis amantissimus, Henrico tamen Friderici II. filio Ecclesiam vastanti ocurrens, eum profligavit: vixit ad annum usque 1263. Commentarium hujus textus dedi *in cap. eam te, de ætate & qualitate.*

CAPVT XXXVI.

Idem *Archiepiscopo & Magistro R.* (a) *Turonensi.*

CAusam, quæ inter Aurelianen. (b) Episcopum, & I. de Blesis Canonicum Sanctæ Crucis super integratione præbendæ ipsius Canonici vertebatur, vobis duximus committendam. *Et infrà*: Consultationi tuæ taliter respondemus, quod nostræ intentionis non extitit, ut pro integratione præbendæ supradicti Canonici præbenda de novo aliqua (c) scinderetur.

NOTÆ.

(a) *Turon.*] Ivello videlicet de Matefelon, qui postea fuit Archiepiscopus Rhemensis, & anno 1244. post Concilium Lugdunense profectus fuit ad bellum sacrum, ut refert Chenu in serie Archiep. Turon. *num. 71.*

(b) *Aurelianen.*] Beatum videlicet Philippum I. ut refert Chenu in serie Episcop. Aurelianen. *num 71.*

(c) *Scinderetur.*] Juxta adducta *in cap. majoribus 8. hoc tit.*

CAPVT XXXVII.

a Idem.

VEnerabilis frater noster (b) Portuen. Episcopus supplicavit, ut cùm quandã præbendam, quæ Argentinen. Ecclesia tamdiu vacaverat, quod donatio ejus erat ad Sedem Apostolicam (e) devoluta, I. clerico (d) contulerit, dum in illis partibus legationis officio fungeretur, suam collationem benigno prosequeremur affectu. Verum procurator Argentini Capituli proposuit ex adverso, quod idem Capitulum hoc audito, (e) consuetudinem allegans antiquam, inviolabiliter observatam, juxta quam nisi nobilem, & (f) liberum, & ab utroque parente (g) illustrem, honestæ conversationis, ac eminentis scientiæ in suum consortium hactenus admiserat, ne contra hoc fieret (maximè cùm nulla tunc præbenda vacaret antequam monitorias, vel executorias litteras recepisset) ad Sedem Apostolicam appellavit. *Et infrà*: Nos igitur, attendentes, quod non generis, sed virtutum nobilitas, vitæque honestas gratum Deo faciunt, & idoneum servitorem, ad cujus regimen non multos secundùm carnem nobiles, & potentes elegit, sed ignobiles, ac pauperes, eo quod non est personarum acceptio apud ipsum, & vix ad (h) culmina dignitatum (nedum ad præbendas viri eminentis scientiæ valeant reperiri, exceptiones hujusmodi non duximus admittendas. *Et infrà*: Discretioni vestræ mandamus, quatenus si vobis constiterit prædictam præbendam vacasse, quando ipsam dicto I. (i) Episcopus contulit memoratus ipsum ad eam recipi faciatis.

NOTÆ.

1. (a) *Dem.*] Gregorius videlicet, cujus integrâ epistolâ cùm careamus, agnoscere non possumus, quibus rescripserit in præsenti, Capitulone, vel Episcopo Argentino, aut alii.

(b) *Portuensis.*] Otho videlicet Blancus de Aletano, Diaconus Cardin. tituli Sancti Nicolai in Carcere, à Gregorio IX. creatus, celebris tum doctrinâ, tum nobilitate. Plura de eo refert Vighellius *tom. 1. Italiæ, in Ecclesia Portuen. num. 39. fol. 158.*

(c) *Devoluta.*] Per quem temporis lapsum devolutio hæc fiat ad Romanum Pontificem, exposui *in cap. 2. de supplend. neglig.*

(d) *Contulerit.*] De potestate Legati circa beneficia vacantia reservata, vel non, egi *in cap. dilectus, de offic. Leg.*

2. (e) *Consuetudinem.*] De hac Ecclesia Argentinensi, & ejus Episcopatu hæc scripsit Bucelinus *p. 1. Germaniæ sacræ, fol. 6. Potentissimus omnino Episcopatus, cujus Canonici à multis sæculis, non nisi è summa nobilate adlecti, comprobatâ plurimæ majoribus, & avis generis dignitate, ex Imperii Comitibus, Liberis, Baronibus; multi item ex Principum Maximorum familiis exploduere.* Sunt enim plures Ecclesiæ & monasteria utriusque sexus, quæ non nisi nobilibus patent, ut de Herbipolensi Ecclesia refert Albertus Argentin. *in chron.* ibi: *Episcopus Herbipolensis civitatem Herbipolensem potenter obsedit pro eo, quod unus Civitatensis, præbendam Ecclesiæ Herbipolensis contra Ecclesiæ consuetudinem, quæ nunquam Civitatenses receperat, impetravit à Sede.* De cœnobio Luneburgensi hæc ait Paulus Langius *in chron. Luneburgensis cœnobii Monachi omnes nobiles secundum sæculum existunt, nec in eo nisi ingenui suscipiuntur.* De aliis Monialibus Germaniæ idem tradit Jacobus à Vitriaco *lib. 1. histor. Occident. cap. 31.* ibi: *Hæ siquidem adeò personas acoipiunt, quod non nisi filias Militum, & Nobilium in suo collegio volunt recipere.* Illustrat Altesserra de Ducibus *lib. 2. cap. 8. fol. 166.* Idem puritatis statutum in nostra Hispania viget in Ecclesia Toletana, Monasteriis Monialium Ordinis D. Iacobi, & aliis, cujus statuti rationem probavi *in cap. 7. de rescript.*

(f) *Liberum.*] Ut exposui *in cap. 1. de servis non ordin.*

3. (g) *Ab utroque parente illustrem.*] Ut etiam ajebat Ivo Carnot. *epist. 5.* ibi: *Ex utraque linea descendens nobilitatem generis, &c.* quam nobilitatem veteres appellabant æquam prosapiam, ut Cyprianus ait *in vita sancti Cæsarii*: Sanctus ac Beatissimus Cæsarius Arelatensis Episcopus, territorii Cabilonensis fertur fuisse indigena, cujus parentes æquâ prosapiâ, quod est illustre & præcipuum nobilitatis exemplum, præcunctis civibus suis fide & moribus floruerunt. Et fallitur editor putans locum mendosum esse, & reponens pro *æqua, egregia*, ut jam notavit Iuretus *ad Ivonem dict. epist. 5.*

(h) *Culmina dignitatum.*) Id est, Episcopatum, ut post Glossam *verbo Dignitatem, in cap. 2. hoc tit.* docuerunt Chassæneus, & Fuscus relati à Barbosa *de potest. Episcopi alleg. 1. num. 4.* unde Episcopatus non dicitur dignitas, sed dignitatum culmen. Germonius *lib. 3. de sacrorum immunit. cap. 9. num. 9.* Borellus *in summa decis. tom. 1. tit. 6. num. 6.* Lotherius *de re benef. lib. 1. q. 9. num. 68.*

(i) *Episcopus Legatus.*] Videlicet qui ut Legatus beneficia ad Sedem Apostolicam devoluta conferre potest, ex traditis *in cap. dilectus, de offic. deleg.*

COMMENTARIUM.

TAm Jurisperiti, quàm Politici latè disputant, 4.
utrum in Magistratibus, tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus conferendis, nobiles plebeis præferendi sint, vel è contra? Et nobiles præferendos non esse, suadetur ex eo, quia non generis, sed virtutum nobilitas, vitæque honestas gratum faciunt, & idoneum Deo servitorem, qui ad regimen Ecclesiæ non secundùm carnem nobiles, ac potentes elegit, sed humiles, ac pauperes, *cap. recurrat. §. hujus 32. q. 4.* quia apud Deum non gradus elegantior, sed vitæ melioris actio comprobatur, *cap. sicut excellentiam 23. q. 4. cap. nos qui 47. dist.* ulteriùs quia officia Reipublicæ magis petunt virtutem, quàm nobilitatem, ut probant post D. Thomam de regim. *lib. 4. cap. 15.* Joannes Kochier *lib. 1. polit. cap. 4.* Nicolaus Bello *de statu polit. lib. 1. ducurs. 51. & lib. 3. ducurs. 6.* & ut Marius dicebat, nobilitas ex virtutibus cœpit. Tiraquel. *de nobilit. cap. 4. num. 3.* Joannes Garcia *eod. tract. glos. 18. num. 5.* Theophilus *tom. 4. lib. 6. sect. 2. q. 18.* nam ut ajebat Cassiodorus *lib. 5. variar. cap. 12. Hæc est indubitata nobilitas, quæ moribus probatur ornata.* Eleganter Seneca *epist. 47.* ibi: *Non ministeriis illos æstimabo, sed moribus: sibi quisque dat mores, ministeria casus assignat.* Quid enim oberit parens plebejus, si filius præclarum virtutis specimen exhibet, & publicis officiis aptissimus existit, Unde Romani, etsi nobilitatem plurimi facerent, tamen primum locum viris præclaræ virtutis dabant. Halicarnasseus *lib. 3.* ibi: *Apud nos Magistratus, & honores deferuntur non ditissimis, non his, qui longiorem majorum indigenarum possunt ostendere sertem, sed dignissimis, nulla enim alitare, quàm virtute hominis nobilitatem constare ducimus.* Idem de Polonis refert Canonerius *volum. 1. aphorism. pag. 355.* De Turcis Laurentius Riseberg. *de polit. Turc. cap. 4.* Accedit, quia si Magistratus tantùm, publicaque officia, & honores nobilibus deferrentur, deficeret calcar virtutum; siquidem præmiorum exhortatione mortales in virtutum semitam ducuntur; unde magis illi, qui ex se, quàm qui longiùs ab origine merita repetunt, laude digni sunt, ut docuit Carolus Scribanius *lib. 2. de institit. polit. cap.* 10. ubi dum de personis eligendis ad munera publica agit, ita ait: *Quid voles nobilitatem, parentes nimirum viros magnos, factisque ac virtute præclaros desideras. Verum quò tibi fortia majorum facta morum hæc fuerunt? tua non sunt, neque virtutem cum semine parentes transfundunt.* Nec desunt exempla eorum, qui infimo loco nati, ad principatum, & res magnas gerendas evecti fuerunt. Augustus avum habuit argentarium, patrem adstipulatorem. Cicero *epist. ult. ad Quintum fratrem.* Pertinax Imperator libertino patre natus est. Dio *lib. 76.* Plato gladiatorem, Socrates marmorarium, ut probat Theophilus *tom. 4. fol. 897.* De Maximo Valerio, Anastasio, & aliis idem refert Scribonius

lib. 2.

lib. 2. polit. cap. 4. ita docuerunt plures congesti à Barbosa *de Canonicis cap. 132. & voto 93.* D. Joan. de Larrea *decis. 41.* Contrariam tamen sententiam, immò nobiles cooptandos esse in Magistratus, sive Ecclesiasticos, sive sæculares, plures docuerunt, quos noviter sequuntur Junius *tom. 1. polit. cap. 10.* Cresolius *lib. 2. mystag. cap. 4.* Kochier *lib. 5. polit. cap. 2.* Rousselius *lib. 2. histor. Pontif. jurisd. cap. 5. num. 19.* Bobadilla *lib. 1. polit. cap. 4.* Angelus & Stephanus Garonius *de Senatoribus lib. 1. tit. 4. cap. 2.* pro quibus faciunt Halicarnasseus *lib. 2.* ibi; *Tunc Atheniensium Respublica florebat, quando Patricios, penes quos fuit civitatis regimen, ex illustribus familiis deligebant.* Facit illud Deuteron. capite 1. *Tuli de tribubus vestris viros sapientes, & nobiles: constitui eos principes, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, ac decanos.* Fulcitur etiam hæc prælatio nobilium *ex l honor 14. §. de honoribus, ff. de muner. & honor. l. honores, §. is qui, ff. de Decurion. l. 1. C. de condit. in publicis horreis, lib. 10. l. ad subeunda 45. C. de Decur. eodem libro.* Ex pluribus plura congerit pro hac sententia D. Ioannes de Larrea *decis. 41.* Accedit etiam, quod humili loco orti & evecti impudenter se gerunt, pristinæ suæ conditionis immemores. Claudianus *lib. 1. in Eutropium,*

Asperius nihil est humili cùm surgit in altum;
Cuncta ferit, dum cuncta timet, desævit in omnes,
Ut se posse putet; nec bellua terrior ulla est,
Quam servi rabies in libera colla furentis:
Agnoscit gemitus, & pœnæ parcere nescit,
Quam subiit; dominique memor, quem verberat, odit.

Quare nonnulli Carolum Magnum, & Ludovicum filium non leviter perstringunt, quòd obscuros & nullius nominis homines ad summos Ecclesiasticos honores evehebant, ut referunt Theganus *in vita Ludovici Pii, cap. 20.* Filesacus *in querel. Eccl. Gallic.* licèt eos ob temporis conditionem excuset Turturetus *in sacello sacro, cap. 5.* Sed hæc omnia utriusque sententiæ fundamenta, non tam contraria sunt, quàm diversa; ita enim possunt accipi, ut eligantur ad officia, seu munera publica illi, quos virtus, quos genus præcipuè reddunt commendabiles. Virtus primum, & præcipuum fundamentum est, nàm qui probatæ vitæ sunt, cæteros antecedunt, *l. 6. C. ad leg. Juliam repetund. l. 1. in fine, C de offic. Magistr. milit.* Genus autem ut postremum quæratur; & si pariter virtutibus pollent nobilis, & plebejus, eligatur nobilis; si autem differunt, quia alter nobilitate claresci, alter virtutibus & litteris floret, iste eligatur omisso nobili, ut latiùs prosequuntur Bobadilla *dicto cap. 4.* Larrea *ubi supra.*

CAPVT XXXVIII.

(a) Idem.

CUm olim (b) Priori Sanctæ M. dederimus in mandatis, ut Gu. Diacono in aliqua Ecclesia civitatis, vel diœc. Luc. auctoritate Apostolicâ provideret, idem præfatum Gu. Ecclesiæ sancti Petri de Vico Rectorem, auctoritate hujusmodi nisus est designare, in qua Rector ab ejusdem Ecclesiæ clericis eligi consuevit, excommunicationis sententiam nihilominus proferens in rebelles. Cùm igitur mandatum hujusmodi se ad talia non extendat, nec ad Rectoriam, vel (c) Dignitatẽ nostra feratur intentio, cùm pro simplici beneficio jussio nostra manet: mandamus quatenus, tam institutionem hujusmodi, quàm excommunicationis sententiam propter hoc latam denuncies non tenere.

NOTÆ.

(a) *Dem.*] Gregorius videlicet IX. Et licet non constet, cui rescribat, credi potest rescribere Episcopo Lucensi Marco Guercio dicto, qui à Gregorio IX. electus & consecratus fuit anno 1236. ut refert Vighellius *tom. 1. Italiæ sacræ, in Ecclesia Lucensi, num. 63.*

(b) *Priori.*] Non autem similes litteras monitorias, vel executorias direxerat Episcopo Lucensi, quia his temporibus Lucensis populus in Romanam Ecclesiam, & Lucensem Episcopum nonnulla perpetraverat: quare Gregorius IX. vinculo excommunicationis eum innodavit, civitatem Episcopali dignitate privavit, remotoque Opizone Episcopo, vices suas commisit Florentino Episcopo, ut refert Vighellius *ubi supra, num. 62.*

(c) *Rectoriam, vel dignitatem.*] Consonat textus *in cap. 4. hoc tit. in 6.* cùm litteræ hujusmodi expectativæ sint odiosæ, cùm per eas juri ordinariorum collatorum derogetur, ideò non sunt ampliandæ, sed restringendæ. Unde dubium est, utrum in hujusmodi mandatis de providendo beneficio comprehendantur præbendæ Ecclesiæ Cathedralis? Et comprehendi *ex cap. pro illorum 22. hoc tit. cap. tua 32. de verb. sign.* docuerunt plures congesti à Garcia *de benefic. 1. p. cap. 6. num. 54* Sed rectiùs ex ratione suprà allata contrarium tenuerunt Corrasius *de sacerd. 1 p. cap. 5. num. 5.* Quintanadvennas *lib. 1. Eccles. cap. 3. num. 14.* Cæsar *de Eccles. hierarch. disp. 12. num. 39.* quæ sententia limitanda est, quando in ipsa Ecclesia non sunt alia beneficia nisi præbendæ; tunc enim ne illusorium reddatur rescriptum, licèt simplex sit ut provideatur de beneficio, poterit de præbenda provideri, ex regula textus *in cap. in his 30. de privil.* docet Suarez *de legibus lib. 8. cap. 28. à num. 2.*

TITULUS VI.

De Clerico ægrotante, vel debilitato.

CAPVT I.

Gregorius *Candido Episcopo* (a) *de Urbe Veteri.*

CUM percussio corporalis imminet, utrum pro purgatione, an pro vindicta contingat, Dei in hoc judicium ignoratur: & ideo non debet à nobis addi flagellatis afflictio, ne nos culpæ, quod absit, offensa respiciat. Et quia præsentium lator Calumniosus pro hac percussione, quam sustinet, consueta sibi commoda ab Ecclesia vestra asserit negari; idcirco fraternitatem tuam præsentibus hortamur epistolis, quatenus nihil eum ad percipienda quæ consueta sunt, hæc ægritudo debeat impedire: quia diversis in Ecclesia militantibus, varia, sicut nosti, sæpe contingit infirmitas. Et si hoc fuerint exemplo deterriti, nullus de cætero, qui Ecclesiæ militet, poterit inveniri: sed secundum loci ejus ordinem quæque ei, si sanus esset, poterant ministrari, de ipsa exiguitate, quæ Ecclesiæ potest accedere, fraternitas tua divini contemplatione judicii ægrotanti præbere non desinat: quatenus in hujus rei administratione ad eleemosynam potiùs videaris, quæ sunt consueta, exsolvendo convertere.

NOTÆ.

1. (a) *De Urbe Veteri.*] Ita restituo epigraphen, & litteram hujus textus ex regestro epistolarum D. Gregorii, ubi *lib.* 2. *indict.* 10. *epist.* 5. reperitur hic textus. Urbs Vetus, hodie dicta Orvieto, civitas est Etruscorum, ita dicta, quia veteranis militibus & emeritis Romanis latis commodum domicilium præstabat: præalto insidet colli, distat ab urbe mill. 60. à Perusio 30. à Tiberi fluvio 3. Habet Ecclesiam Cathedralem D. Constantino dicatam, cujus Episcopo Candido dicto missa est præsens epistola, quæ etiam reperitur in prima collectione, *sub hoc titulo cap.* 1. & apud Gratianum *in cap. cùm percussio* 7. *q.* 2. De situ & origine ipsius civitatis plura congerit Vghellius *tom.* 1. *Ital. sacræ, fol.* 382.

COMMENTARIUM.

2. *Conclusio traditur, & ejus probatur.*

EX hac Divi Gregorii epistola præsens communiter deducitur disputanda assertio: *Clericus beneficiarius ægrotus integrè percipit fructus sui beneficii.* Quæ assertio probari potest *ex cap. communiter*, 33. *dist. cap. præcepta*, 55. *dist. cap.* 1. 2. 3. & 4. 7. *q. ult. cap. si quis Abbas* 18. *q.* 2. *cap. significatum* 11. *de præbend. cap. in nullo* 18. *q.* 2. *cap.* 1. *de cleric. non resid. lib.* 6. *cap. grandi, de supplenda neglig. eod. lib. cap. Gonsaldus* 17. *q.* 2. *cap. relatio* 21. *q.* 2. *cap. ex transmissa, de concess. præbend. in* 2. *collect. cap. cùm inter, de elect. cap. luceat, de censibus, cap.* 1. 82. *dist. cap. venerabilis de offic. deleg. cap. is cui, de elect. lib.* 6. *cap.* 1. 82. *dist.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa & Garanna, idem Barbosa *lib.* 3. *jur. Eccles. cap.* 10. Solorzanus *de juribus honorariis num.* 228. Vgolinus *de irregul. cap.* 65. §. 2. *num.* 2. Gibalinus *eod. tract. cap.* 2. *p.* 3. *in fine.*

3. *Impugnatur tradita assertio.*

Sed pro dubitandi ratione ita in præsentem assertionem insurgo: Proventus, fructusque beneficii præstantur propter officium, ministeriumve in Ecclesia impensum, *cap. final. de rescript. in* 6. notavi *in cap. cùm secundum, de præbend.* Sed beneficiarii ægroti non deserviunt Ecclesiæ, sed eorum coadjutores, ut sequenti commentario dicemus. Igitur fructus, seu proventus beneficii percipere non debent, juxta Glossam *in l. quamvis, verbo Deneganda ff. de damno infecto*, ibi: *Qui non laborat, non manducet*; quam sequuntur Baldus *in cap.* 1. *num.* 2. *de testibus*, Cephalus *lib.* 1. *consil.* 70. Surdus *consil.* 42. Facit Cassiodorus *lib.* 5. *epist.* 36. ubi de quodam milite, qui ob adversam valetudinem è castris mittebatur, ait: *Otium tibi non ignorabile* (lege *non ignobile*) *præsenti jussione largimur, quia non est ignaviæ culpa, quem excusat miseranda calamitas. Sed sicut tibi remissam vitam concedimus; quia non est æquum, ut cùm de tuo cognoscaris idoneus, rem laborantium accipere debeas otiosus.* Undecùm clerico ægroto coadjutor detur, ex juribus sequentibus; & ipse coadjutor, quia altari servit, de altari vivere debeat, iniquum erit, ut ipse propriis stipendiis militet; qui autem non deservit, fructus percipiat, cùm sufficiat illi retinere titulum beneficii cum juribus honorariis, ut honorarii jure civili retinebant, *l. decurionibus* 5. *C. de silent. lib.* 12. ibi: *Honore curiæ sine aliqua functione latentur, immunitatisque gaudio plenâ dignitatis lætitiâ potiantur, ut dignitatem solam habeant ex Senatu.*

Novel.

Novel. 7. Iustin. ibi : *Ut nihil aliud nisi purum honorem, iis quibus præbebatur, conferret*; junctis traditis à Cujacio *in l. ult. C. de primicerio*, Chassaneo *in catalogo gloriæ, consider. 5. verb. Honorarii.* Igitur non rectè in præsenti docetur, ægrotum integrè fructus sui beneficii percipere debere.

Quâ dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, cujus rationem expressit ipse D. Gregorius in illis verbis : *Non debet à nobis addi flagellatis afflictio.* Afflictis enim non est danda afflictio, ne quis duplici damno afficiatur, *cap. si mulier, 5. dist. l. iure 6 ff. de jure dot. l. si pecuniam, §. ult. ff. de condict. ob causam, cap. licèt, de censibus, authent. habita, C. de sanct. l. nuvus, §. cùm autem, ff. ad leg. Rhodiam, l. c. cùm matribus 7. C. qui pet. tut. Præses, C. de appel. l. si servus ff. de evictionibus*, plura Barbosa *in axiom. verbo Afflictio.* Aliam rationem reddit ipse Gregorius in illis verbis: *In Ecclesia militantibus varia, sicut nosti, sæpe contingit infirmitas.* Sæpe enim viri litterati gravi morbo laborant, ut ait Iustinianus *in §. item suprà Inst. quibus modis testamenta.* Unde sicut militibus senio, laboribusque confectis prædia, & possessiones ad eorum alimoniam præstabantur, *l. item, §. item si forte, ff. de rei vind. l. in agris 22. ff. de acquir. rer. dom.* plura Solorzanus *tom. 2. de jure Indiarum, lib. 2. c. 1. num. 48.* ita & qui in hac militia cœlesti militant, ut ait D. Gregorius hîc, debent fructus sui beneficii percipere; clerici enim dicuntur militare, *cap. militare 23. q. 1. cap. quid proderit 61. dist. cap. Salvator 1. q. 3. cap. quia in qualibet 1. q. 7. authent. Sed hodie, C. de Episc. & cleric.* Unde rectè concludit idem Gregorius *in cap. scripsit 7. q. 1. Omnino injustum esse, ut si molestia corporis irruit, honore suo privetur ægrotus; atque ideò hoc per nos fieri nullatenus potest, ne peccatum in mea anima ex ejus dispositione veniat.* Facit etiam quod infirmitas semper excusat, *l. 2. §. si quis in judicio, ff. si quis caut. l. quæsitum, §. 1. ff. de re judic. l. apud §. in arbitrio, ff. de dol. except. l. inter 48. de administr. tut. l. 18. §. 11. de muner. & hon. l. penult. §. hoc circa, de jure immunit. l. sed adest, §. ult. ff. locati, l. si pecunia 5. de condict. caus. dat. l. cùm hæres de statulib. l. si cui 38. §. ult. ff. ex quib. caus. major. l. idem 8. ff. ad leg. Aquil. l. 14. ff. de re milit.* excusatque à mora, & pœna, *l. si vehenda, ff. ad leg. Rhodiam, l. Celsus, §. 1. ff. de arbitr.* faciuntque aliæ rationes expressæ *in l. cùm à maribus 7. qui pet. tut. l. præses 5. C. de appel. l. si servus, C. de evict. l. qui operas 38. ff. locati, l. 6. C. de re milit. lib. 12. l. post 40 ff. de excus. tut. l. 1. C. de his qui morbo.* Et tandem quia famuli ægri nobis servire intelliguntur, *l. 4. §. Stichus, ff. de statulib. l. in rebus, §. possunt. ff. commodati.* Idem dicendum est de sano, sed adeò aggravato, ut non possit Ecclesiæ inservire. Marinis *lib. 2. resol. cap. 40.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam licèt verum sit, coadjutori congrua stipendia esse assignanda, tamen nihil impedit quin dividantur fructus beneficii inter ægrotum, & ejus coadjutorem, & casu quo non sint congrui, & sufficientes, providebit Episcopus, ut docuit Glossa *verbo Portionem, in cap. 3 hoc tit.* cujus doctrinam approbavit lex 18. *tit. 16. partit. 1. Mas si otra enfermedad oviesse qualquier que le embargasse porque no la pudiesse servir, pueden poner otro, que le ajude à cumplir su oficio, è el enfermo sera prelado de ella, è el otro como vicário, è deben vivir ambos de la renta de la Iglesia: y si por aventura aquellas rentas de la Iglesia no pudiessen cumplir à ambos, ha las de tomar aquel que las serve, è el Obispo debe dar al enfermo de que pueda vivir.* Nec obstat quod dicebamus de Senatoribus honorariis; nam cùm illi tantùm ad honorem eligerentur, nullis assignatis stipendiis, *l. decàrio 41. l. nullos 60. C. de Decur. lib. 1. l. omnes 9. C. de metatis, lib. 12.* nullo damno afficiebantur si nullos fructus non perciperent, ex regula *Scienti, l. non videtur 145. ff. de reg. jur.* Contrarium procedit in præsenti casu; nam clericus ægrotus, cùm beneficium assequutus est, quoad honorem, & proventus illud obtinuit: unde non debet ob adversam valetudinem fructibus ejus privari.

5. Dissolvitur difficultas.

CAPVT II.

Eugenius III. (a) Papa *Sazensi Episcopo.*

PResbyterum, cujus duos digitos cum medietate (b) palmæ à prædone abscissos esse significasti, Missam celebrare non permittimus, quia non securè, propter debilitatem; nec sine scandalo, propter morbi deformitatem id fieri posse confidimus. Ipsam autem cæteris officiis sacerdotalibus fungi minimè prohibemus.

NOTÆ.

(a) *Eugenius.*] In hac sexta collectione non exprimitur cui rescribat Eugenius: in prima autem, *sub hoc tit. cap. 2.* legitur, Eugenius loello Archiepiscopo; sed perperam: quare ita restituo inscriptionem, prout habetur post Concilium Lateran. *p. 26. cap. 15.* Sazensi Episcopo. Sazina, seu Sassina ponitur à Plinio in sexta Italiæ regione, & ejus meminit Silius Italicus *lib. 8.* ibi: *His Sassina dives lactis.* Plura de ejus conditoribus, & situ tradit Vighellius *tom. 2. Italiæ, fol. 702.* Habuit Ecclesiam Cathedralem jam à primis sæculis. Ejus Præsuli Alberico, seu Alerico missa est præsens decisio, cujus aliæ partes extant *in cap. 2. ne clerici vel monachi, cap. 2. de Apostatis*, ubi alia notabimus.

(b) *Medietate palmæ.*] Deformitatem eam vocat Imperator *in l. 2. C. Theodos. de tyronibus.* Hæc verba expositi *in cap. 1. de corpore vitiat.* sub quo titulo compilandum esse textum hunc à præsenti rubrica fugitivum voluit Cironius in fine hujus tituli.

CAPVT III.

(a) Lucius III.

DE Rectoribus Ecclesiarum lepræ maculâ usque adeò infectis, quod altario nullâ possunt ratione servire, nec sine magno scandalo illorum, qui sani sunt, Ecclesias ingredi, hæc tuam volumus fraternitatem tenere, quod eis dandus est coadjutor, qui curam habeat animarum, & de facultatibus Ecclesiæ ad sustentationem suam congruam recipiant portionem.

NOTÆ.

1. (a) *Lucius III.*] Ita etiam legitur post Concilium Lateran. *p.37. cap.4.* in prima autem collectione, *sub hoc tit. cap.3.* additur pars capitis *ad aures*; unde deducitur, in præsenti referri fragmentum textus *in cap. ad aures 6. de rescriptis.*

(b) *Ecclesias ingredi.*] Unde quoad laicos certa debet designari Ecclesia separata ab aliis fidelibus, ut latiùs dicemus *in cap. 2. de conjug. leprof.* 2.

CAPVT IV.

(a) Clemens III.

TUa nos duxit fraternitas consulendos. *Et infrà*: De sacerdote verò, qui divino judicio lepræ morbo respersus in parochiali Ecclesia prælationis officio fungitur, tibi duximus intimandum, quod pro scandalo, vel abominatione populi debet ab administrationis officio removeri; ita quidem, quod juxta facultates Ecclesiæ sibi necessaria, quamdiu vixerit (b) ministrentur.

NOTÆ.

(a) *Clemens III.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* nullibi tamen exprimitur cui rescribat Clemens; Cujacius tamen in præsenti existimat missam esse hanc decretalem Linconiensi Episcopo.

(b) *Ministrentur.*] Juxta adducta suprà *in cap. 1.*

CAPVT V.

Innocentius III. (a) *Arelat. Episcopo.*

EX parte tua fuit propositum coram nobis, quod cùm ven. fr. nost. (b) Arausicen. Episcopus, gravi, & incurabili morbo terè jam per quadriennium laboraret, ita quod pastorale officium non potuit, nec potest ullatenus exercere: nobilis de Bautio (c) Princeps terræ illius, Consules, ac cives civitatis ejusdem à te postularunt incessanter, ut tam ipsis, quàm Arausicen. Ecclesiæ, cùm sis Metropolitanus eorum, studeas providere. Verumtamen cùm prædictum Episcopum ad cessionem compellere nec possis, nec debeas ullo modo, nec afflicto afflictio sit addenda, immò potiùs sit ipsius miseriæ miserandum, eo quod ipse vir bonus extiterit, & honestus, & Ecclesiam sibi commissam salubriter gubernarit: quid super his agere debeas Sedem Apostolicam duxisti consulendam. Nos igitur volentes tam præfato Episcopo, quàm Ecclesiæ suæ salubriter provideri, f.t. taliter respondemus, & per A. s. mandamus, quat. illi coadjutorem associes virum providum, & honestum, per quem tam Episcopo, quàm populo sibi commisso salubriter consulatur.

NOTÆ.

1. (a) *Arelatensi.*] Ita etiam habetur *in cap. 1. hoc tit. in 3. collect.* De Ecclesia Arelat. nonnulla notavi *in cap. 16. de offic. deleg.*

2. (b) *Arausicen.*] Arausio civitas est Galliæ, vulgò dicta *Orange*, cujus meminerunt Ptolomeus *lib. 2. cap. 10.* Strabo *lib. 4. cap. 4.* Plinius *lib. 3. cap. 4.* Mela *lib. 2. cap. 5.* Sidonius *lib. 6. epist. 12.* Principatus nobilissimus, qui nunc ditionis est Nassobiensium Principum, fuit olim Arausio Secundanorum, in provincia Viennensi prima, sicut Arelate Sextanorum; quo modo appellabantur coloniæ illæ à legionum, quæ ibi

ibi erant præsidio, ut refert Mela suprà. Habet Ecclesiam Cathedralem suffraganeam. Archiepiscopi Arelatensis, de qua tantùm ait Chenu *in chron. Episcop. Gallia, fol.* 31. *Aurenge.* De eo Episcopo ad Arelatensem ejus Metropolitam scripta est præsens Decretalis Innocentii III. quæ extat *in cap. ex parte, de clericis ægrotant.* Alia de ipsa Ecclesia & ejus Præsulibus cumularunt Frat. Sarmat. *tom. 2. Gallicæ Christ. fol.* 198.

(c) *Princeps.)* qui appellatur vulgò *el Principe de Orange.*

CAPVT VI

Honorius III. *Episcopo Aversan.*

COnsultationibus. *Et infrà:* Archidiacono autem, quem morbo paralytico laborantem, officium linguæ asseris amisisse, coadjutorem poteris adhibere, maximè si de ipsius processeris voluntate.

NOTÆ.

1. (a) *Aversan.*] Ita legitur in quinta compilatione, *sub hoc tit. cap. unic.* Aversa hodie Amberta dicta est in Campania felici, octo à Capua millibus, in ruinis veteris Atellæ constructa, de qua plura tradunt Paulus Jovius *lib.* 4. Vghellius *tom.* 1. *Italia sacræ, fol.* 548. Habet Ecclesiam Cathedralem, cujus mentio fit *in cap. de consuetudine* 8. *distinct.* Joanni Lamberto ejus Prælato, qui ex Archidiacono, Amalphitano ab Honorio III. Episcopus Aversanus consecratus fuit anno 1225. & floruit usque ad annum 1234. ut refert Vghellius suprà *num.* 13. & Cironius *in præsenti, & in prætermissis*, rescribit in præsenti Honorius.

COMMENTARIUM.

2. Confessio adducitur & probatur. EX his quatuor decisionibus talis deducitur assertio; *Episcopo, vel aliis Ecclesiarum Prælatis ægrotis dandus est coadjutor, qui in Ecclesia ministret.* Probant ultra jura congesta in præsenti, & sub eodem titulo *lib.* 6. textus *in cap. quamvis, c. petisti, cap. nihil,* §. *ecce* 7. *q.* 1. *c. venerabili* 27. *de offic. deleg. cap. final. quæst. ult. cap. grandi, de suppl. lib.* 6. *cap. ex transmissa, de concess. prab. junct. integ. cap. is cui, de elect. in* 6. Concil. Agathense *can.* 23. ibi: *Si officium Archidiaconatus propter simpliciorum naturam implere, aut expedire nequiverit, ille loci sui nomen teneat, & ordinationi Ecclesiæ quem elegerit Episcopus, præponatur.* Arausic. *cap.* 29. ibi: *Si post omnia occurrerit imbecillitas fragilitatis humanæ, ut si quis Episcopus per infirmitatem, debilitatemve in aliquam hebetudinem sensûs inciderit, aut officium oris amiserit, ea, quæ non nisi per Episcopos geruntur, non sub præsentia sua presbyteros agere permittat, sed Episcopum evocet, cui hoc, quod in Ecclesia agendum fuerit, imponat.* Divus Gregorius *lib.* 2. *epist.* 8. D. Ambrosius *epist.* 79. ubi scribit Episcopo Basso datum esse Senecionem, in consortium regendæ Ecclesiæ: & *epist.* 1. *Tarracon. provinc. ad Hilarium Pontif. Romanum*, ubi refertur Nundinarium Episcopum Barcinonensem sibi adscivisse Irenæum. Zacharias Pontifex *epist.* 6. *ad Bonifacium Episcopum*, ibi; *De eo quod tibi successorem constituere dixisti, ut te jubente in tuo loco eligatur Episcopus, hoc nulla ratione concedi patimur, quia contra omnem ecclesiasticam regulam, vel institutа Patrum esse monstratur; sed volumus ut tibi ministret, & sit in Evangelium Christi adjutor.* Idem de se refert Gregorius Nazianz. *epist.* 39. Narcisso etiam Hierosolymorum Episcopo datus fuit coadjutor Alexander ob ingravescentem ætatem, referente Eusebio *lib.* 9. *cap.* 9. & 10. Illustrant ultra congestos in præsenti à Garanna & Barbosa *lib.* 3. *juris Eccles. cap.* 10. *de coadjutoriis*, idem *de potest. Episcop. alleg.* 57. & *de Canonicis cap.* 23. & *voto* 56. Sebastianus Cæsar *de Eccles. hierarch. quæst.* 2. *præm.* §. 4. Chopinus *de sacra pol. lib.* 1. *tit.* 2. *numer.* 18. Salgado *de protect.* 3. *p. cap.* 2. *num.* 44. Azor. 2. *p. moral. lib.* 3. *cap.* 2 *quæst.* 9. Valenzuela *consil.* 98. Ferro Manrique *de differentus, q.* 115. Rota apud Pennam *tom.* 1. *dec.* 392. Filesacus *in cap. quoniam* 14. *de offic. ordin.* §. 2. Tondutus *variar. resol. p.* 2. *cap.* 1. § 14. Bosquetus *ad Innocent. lib.* 2. *epist.* 121. Petrus Gregorius *lib.* 1. *partit. tit.* 27. *cap.* 6. & *de benefic. cap* 2. *num.* 13. & *cap.* 38. *num. final.* & *lib.* 15. *syntagm. cap.* 25. Duarenus *lib.* 3 *de sacris eccles. cap.* 5. Narbona *de stat. anno* 60. *quæst.* 5. Fontanel. *decis.* 212. Fragoso *de regim. lib.* 1. *disp.* 21. §. 5. Chopinus *lib.* 2. *monast. titul.* 3. *numer.* 7. Mendoza *lib.* 1. *Concil. Illib. fol.* 15. P. Marcha *lib.* 6. *concord. cap.* 8. Robertus *lib.* 1. *ver. Iudic. cap.* 7. Langleus *lib.* 7. *semestr. cap.* 4. Mornacius *in l.* 6. *ff de iudic.* Paulus Zachias *consil.* 20. Altisserra *lib.* 1. *dissert. cap.* 2. *cum seq.*

Sed hæc assertio non levem patitur dubitandi rationem, quæ nascitur ex veteri Ecclesiæ lege, videlicet nulli viventi Episcopo alium superponendum, aut superordinandum esse, nisi in ejus locum, quem culpa capitalis dejecit, Concil. Aurelian. 5. *can.* 12. Meldense *can.* 47. Constantinop. 8 sub Hadriano *act.* 5. *post epist. Nicolai ad Photium.* Julius Pontifex *epist.* 2. *ad Orientales*, Damasus *epist.* 1. *ad Paulinum*, lepidè in eam rem B. Leo Magnus *epist.* 89. *ad Episcopos Viennensis Ecclesiæ*, dum ait: *Epistola quoque ingesta est civium ipsius, & numerosâ subscriptione singulorum firmata, invidiosissimis contra Hilarium plena querimoniis, quòd Projecto Episcopo suo ægrotare liberum non fuisset, cùm illi vix ex morbo decumbenti Hilarius Viennensis Primas, & Legatus Sed. Apost. successorem daret.* Quod cautum fuit duplici ex causa: primâ, ne duo simul in una civitate darentur Episcopi, contra Concilium Nicænum 1. *can.* 8. Toler. 12. *can.* 4. & ea quæ congessi *in cap quoniam* 14. *de offic. ordin.* Secundâ, ne detur successio in dignitatibus, & beneficiis ecclesiasticis, contra ea quæ adduxi *in cap.* 1. *de præbendis*, præcipuè admissâ futurâ

3. Impugnatur tradita assertio.

successione cum voto captandæ mortis alienæ, quod Ecclesia semper improbavit, ut dicemus infrà *in c. 1. de conces. præbend.* Igitur non rectè in præsenti docetur, Episcopo, vel aliis Ecclesiarum Prælatis ægrotantibus dandos esse coadjutores.

4. *De coadjutore ex jure civili.*

Quâ difficultate non obstante, vera est præsens decisio, pro cujus expositione sciendum est, coadjutorum usum, tam in temporalibus, quàm spiritualibus, seu ecclesiasticis ministeriis receptum, & magno mortalium consensu probatum semper fuisse, ut constat *ex cap. grandi, de supplend. neglig. lib. 6.* unde textum *in l. cæcus 6. ff. de judiciis*, ubi docetur, cæcum judicis officio fungi posse, intelligit Bartolus ibi, quem sequitur Mornacius, de coadjutore dato. Iure etiam civili tutoribus iis, qui non sufficiunt administrationi, dantur actores, sive curatores, qui & adjutores dicuntur *in l. 13. §. final. ff. de tutelis*: mentio etiam fit adjutoris Præsidis *in l. 6. C. quomodo*; & aliquando adjutoris cornicularii, *in l. ult. ff. de jure immunitatis*; adjutoris Magistri officiorum, *in l. 5. C. de princip. agent. lib 12.* Quæstoris *in l. ult. C. de proximis sacror. scrin. eod. lib.* Iure nostro canonico coadjutoria duplex est, perpetua, & temporalis. Temporalis coadjutoria dicitur cùm ministro Ecclesiæ infirmitate, aut alio impedimento detento, certis ex eodem beneficio assignatis redditibus, coadjutor datur, qui pro ipso in Ecclesia ministret, dum infirmitas, vel simile impedimentum durat, ex decisionibus in hoc titulo compilatis, *cap. 1. hoc titulo, in 6.* Tridentinum *sess. 25. de reform. cap. 7.* qui coadjutores secundi Prælati dici solent, quo in sensu accipiendum esse Sidonium, ibi:

Antistes fuit ordine in secundo,
Fratrem fasce levans Episcopali:
Nam de Pontificis tenore summi
Ille insignia sumpsit, hic laborem.

Post Sirmundum, & Savarum docuit Mornacius *in d. l. cæcus*. Dantur enim coadjutores sacerdoti, qui munus suum exequi non potest, adjungiturque vicarius dispensator, sive coadjutor, qui vices ejus gerat. Eo sensu Synesius dum de abdicando Episcopatu cogitat, ait: Pro nobis igitur eligendus, vel nobiscum eligendus, omnino eligendus homo est, quisquis ille fuerit, qui in civilibus rebus longè merito peritior videbitur. Coadjutoria verò perpetua ea dicitur, cùm sublato impedimento non tollitur, immò proprietario defuncto in ejus locum succedit coadjutor, quæ successionis species in jure nostro detestabilis est, ex textu *in cap. accepit, de pactis*, junctâ interpretatione Petri Gregorii *de benefic. cap. 30. num. 2.* argumento capitis 1. & 2. *de conces. prabend. cap. ne captandæ, eod. tit. in 6.* Concil. Tridentinum *sess. 25. de reform. cap. 7. vers. in coadjutoris*; unde usus earum jure communi non reperitur receptus. Postea tamen stilo Curiæ fuit introductus, & datâ justâ causâ multoties conceduntur in Canonicatibus, & Dignitatibus, rarissimè verò in parochialibus, teste Gonzalez *d. §. 9. num. 48. & 51.* de illisque latè agunt Mandos. *in praxi signaturæ gratiæ, tit. Coadjutoriæ, vers. Altera*: idem Gonzal. *à num. 40.* Garc. *à num. 13. & 53. suprà*, meminitque Tridentinum *sess. 25. de reform. cap. 7.* nec his casibus utriusque coadjutoriæ rector interim privatur ipso beneficio, ex adductis suprà *in cap. 1.* Nec contrarium docetur *in cap. tua nos*, in illis verbis: *Ab administrationis officio debet removeri*; *hoc tit.* quia, ut rectè docent Glossa ibi, Panormitanus *num. 4.* Suarez *de censur. disput. 51. sect. 2. in fine.* Salgado *de protect. dict. 3. p. cap. 2. num. 44.* Barbosa *dicto c. 10. de coadjutoriis, num. 4.* in ejus textus specie remotio illa ab administrationis officio tantùm, non verò ab ipso officio facta fuit. Ex differentia autem, quæ versatur inter utramque coadjutoriam, resolvendum venit, utrum coadjutoria sit beneficium? Et dicendum est, coadjutores simpliciter datos ob ægritudinem Prælati, vel simile impedimentum, verè beneficium non obtinere, sed tantum officii functionem & ministerium loco proprietarii; quo in sensu eos habere curam animarum docetur *in cap. de rectoribus, cap. tua nos, hoc titulo*: nec coadjutor est beneficiarius, ut affirmat Suarez *lib. 4. de orat. c. 22. n. 19.* qui inde infert, coadjutorem vi coadjutoriæ ad nullam officii ecclesiastici recitationem teneri: quod & docet Navarrus *de orat. c. 2. n. 18.* quamvis enim concessio coadjutoris sit concessio beneficii sub conditione obitûs beneficiarii, ideoque eâ conditione positâ, coadjutor absque nova collatione accipiat beneficium, ac proinde æquè sit materia simoniæ ac beneficium, Suarez *de simon. cap. 27. num. 5.* tamen usque ad impletionem conditionis collatio est quasi pendens. Coadjutores verò datos in perpetuum congruâ portione assignata, & cum futura successione, propriè dici beneficiarios, docuerunt Petrus Gregorius *de benefic. cap. 11. num. 2. & lib. 15. syntag. cap. 25. num. 1.* Garcia *de benef. 4. p. cap. 5. à num. 122.* Cæsar *de eccles. hierarch. q. 2. proœm. num. 21.*

Deinde sciendum est, à quibus, & ex quibus causis coadjutores dentur. Et quoad primum dubium certum est, per Episcopum posse dari parocho coadjutorem ad tempus. Tridentinum *dicto cap. 7.* Cæterum coadjutor cum successendi jure dari tantùm potest à Romano Pontifice, *cap. pastoralis, hoc tit. in 6.* ex illa plena beneficiorum administratione, quam R. Pontifex obtinet, *cap. sicut, §. esse, cap. cùm autem 7. quæst. 1. cap. quamvis, de rescript. in 6. cap. auctoritate, de conces. præb. eodem lib.* Garcia *de benefic. part. 4. cap. 5. à num. 20.* Olim etiam Episcopis coadjutor assignari poterat ab Archiepiscopo in Concilio provinciali. Concil. Meldense celebratum anno 845. *can. 97. Sed si Episcopus ministerium ecclesiasticum propter infirmitatem corpoream exhibere non potuerit, in Archiepiscopi hoc cum voluntate Episcopi ejusdem Ecclesiæ maneat ordinatione, qualiter debitum officium non remaneat.* Probat, & refert dictum canonem Petrus Marcha *lib. 6. concord. Sacerd. & Imp. cap. 8. numer. 10.* Aliis Rectoribus Ecclesiarum coadjutorem tantùm ad tempus is dare potest (si justa subsit causa) ad quem illius beneficii conferendi facultas pertinet; hoc est Episcopus, vel alius superior, ut *in cap. de Rectoribus, cap. final. hoc tit.* Circa causas ex quibus coadjutores dari debeant, dicendum est primò, dari ob senium, vel ætatem provectam, *cap. nihil, cap. petusti, cap. quia frater 7. quæst. 1.* celebri miraculo firmat Baronius *anno 195. num. 9.* Primum ad 70. annos, secundum ad sexaginta refert Narbona *de ætate anno 2. quæst. 5. per totam.* Deinde ob infirmitatem virium corporis, cùm videlicet pastor est morbo affectus, *d. cap. pastoralis, hoc tit. in 6.* veluti leprâ, *cap. de Rectoribus, hoc*

5. *De causis coadjutoriarum.*

6. *Tractatur de causis dictis.*

hoc tit. in 6. Sed si ob infirmitatem renunciaverint, non datur coadjutor, sed successor eligitur. *cap. sicut* 11. §. *ecce* 7. *quæst.* 1. *cap. non autem, cap. quamvis, ead. quæst. cap. litteras, de renunt.* Tertiò ob amentiam, vel aliam animi ægritudinem, quâ rector est mente captus, *cap. tuæ nos, hoc tit.* ob defectum idoneæ litteraturæ in Prælato requisitæ, Tridentinum *sess.* 21. *de reform. cap.* 6. ob negligentiam, cùm Prælatus præstat quidem suum munus & officium, sed negligenter, ut docetur *in cap. quia* 7. *quæst.* 1. quâ ratione Valerius Episcopus Hipponensis, homo Græcus, cùm esset parum aptus per ignorantiam Afri, & Latini idiomatis, accivit sibi maturè adjutorem Sanctum Augustinum de consensu Primatis Africæ, ut narrant Possidius *in Augustini vita cap.* 8. & Petrus Blesensis *epist.* 44. Baronius *anno* 395. *num.* 31. Alii etiam SS. Episcopi non dissimiliter aliquando se gesserunt. Admodum antiquus coadjutor fuit Alexander, divinâ revelatione ad Narcissum senem sublevandum evocatus, ut scribit Eusebius *lib.* 6. *cap.* 8. De Anatolio Episcopo Laodiceno, & ejus coadjutore mentio est apud eundem *lib.* 7. *cap.* 28. Sanctum Athanasium eodem munere ali quando esse perfunctum, S. Cyrillus auctor est *epist. ad monachos Ægypti.* Sanctum Gregorium Nazianz. Patri suo in Episcopatus regimine adjutorem fuisse, habent ejus acta. De aliis coadjutoribus Episcoporum agit D. Gregorius *lib.* 7. *indict.* 2. *epist.* 49. & *lib.* 11. *epist.* 7. Item datur coadjutor, si Prælatus suspectus sit de dilapidatione bonorum Ecclesiæ, *cap. venerabilis, de offic. deleg. cap. licet Heli. de simonia*, Innocentius III. *lib.* 1. *epist.* 121. vel si captus sit ab hostibus, *cap. si Episcopus, de supplend. neglig. lib.* 6. Prosequuntur alia de coadjutoris officio, & juribus, quæ illis simul cum administratione competunt, Barbosa *dicto cap.* 10. & *voto* 56. Tondutus *dicto cap.* 2. §. 1. *per tot.* qui varias quæstiones, quæ inter coadjutorem, & proprietarium oriri solent, resolvunt.

6. Traditur vera distinctio.

His suppositis apparet vera ratio præsentis assertionis: nam cùm Episcopi & cæteri Ecclesiarum Prælati debeant residere in suis Ecclesiis, ut provideant propriis parochianis; pabulumque spirituale illis ministrent, ut probavi *in cap.* 2. *de cleric. non resid.* & infirmi hoc per se facere non possint, nec cætera munia propriæ dignitatis obire, non tamen ideo afflictis illis danda est afflictio, juxta suprà tradita *in cap.* 1. ideò piè, & utiliter prospectum est ab Ecclesiâ, ut illis coadjutores dentur, ut pro eis in Ecclesia administrent, congruâ fructuum portione illis pro labore assignatâ. Accedit exemplum veteris legis, juxta quam Summo Pontifici coadjutor dabatur, ut si per morbum, aut aliam causam sonticam ille non posset obire propria sua munia, secundus ea expleret; quo modo Pontificatum Annæ, & Caiphæ uno, eodemque tempore, omissis Baronio *anno Christi* 31. Tornelio *in annal. sacr. anno* 2974. accipiunt Bulengerus *diatrib. adversus Casaubonem*, Spondanus *in epit. Baronii, dicto anno* 31. Sic etiam lege gratiæ usus coadjutorum inolevit, ut si ob morbum sonticum, vel aliam similem causam non possint Episcopi, vel Rectores Ecclesiarum divina ministrare officia, alii adjungantur, qui valeant in Ecclesia pro eis deservire. Hoc tamen procedit nisi Episcopus infirmus renunciaverit: nam tunc non coadjutor, sed alius in ejus locum est eligendus, *cap. sicut vir*, §. *ecce, cap. non aliter, cap. quamvis, cap. qualiter* 1. *quæstion.* 7. *cap.* 1. 85. *distinct. cap. litteras, de renunc.* vel nisi ætas nimia non sit; tunc enim per se deservire debet, *cap.* 1. *de renunc.*

7. Dissolvitur dubitandi ratio.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam quæ in ea expendebamus, procedunt cùm coadjutores dantur cum futura successione, quos prisca Ecclesiæ sæcula non agnoverunt; quippe plebes duos Episcopos pati non poterant, & ideo ad vitandæ schismata tales coadjutores, vel etiam successores sacri canones arcebant, licèt posteà ex rationibus suprà adductis Summi Pontifices pro suprema auctoritate, quam in beneficiis ecclesiasticis habent, eos admisissent, ut docent omnes suprà laudati de coadjutore agentes. Et hæc est ferè hodierna praxis coadjutorum, nam olim quidem coadjutores tantùm dabantur, ut essent quod significabant, hoc est sublatores pastoris fessi, aut senio gravati. Nunc autem ferè semper ita res agitur, ut manifestissimè appareat, aliud non quæri quàm perpetuationem beneficii inter consanguineos; nam vegeto adhuc & robusto juvenis, & ministerii sacri planè rudis nepos, aliusve ex familia eligitur.

TITVLVS VII.
De Institutionibus.

CAPVT I.

Ex Concilio (a) *Arelatensi.*

NOn ampliùs suscipiantur in monasterio (b) canonicorum, atque monachorum, seu puellarum, nisi quantum ratio permittit, & in eodem monasterio absque necessariarum rerum penuria degere possunt.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. *Arelatensi.*] Sexto videlicet, celebrato sub Leone III. ejus anno 18. & temporibus Caroli Magni anno 813. in quo *can.* 8. reperitur præsens textus, prout hîc transcribitur, & etiam ejus verba extant in secunda collectione, *sub hoc titul. cap.* 1. De loco, causa, & tempore hujus Concilii, & aliorum annales Flandriæ *d. anno* 813. ista habent: *Nam hoc eodem anno quinque Concilia quoque jussu ejus super statu Ecclesiarum corrigendo per totam Galliam ab Episcopis celebrata sunt, quorum unum Moguntiaci, alterum Rhemis, tertium Turonis, quartum Cabilone, quintum Arolate congregatum est.* Notarunt Sirmundus & Binius *in notis ad hoc Concilium.*

2. (b) *Canonicorum.*] Regularium videlicet, qui appellatione absolutâ Canonicorum veniunt, & continentur, ut probavi *in cap. Deus, de vita & honest. cleric.*

COMMENTARIUM.

3. *Conclusio traditur & probatur.* EX præsenti canone sequens communiter deducitur disputanda assertio: *In Ecclesiis regularibus canonicorum, seu monachorum, & etiam monialium, institui non possunt plures, quàm commodè ex proventibus & fructibus ali valeant.* Probant eam textus *in cap. quoniam* 9. *de vita & honest. cleric. cap. finali, de præsumpt. cap. final. de v. s. cap. cum M. de constit. cap. auctoritate, hoc tit. cap. periculoso, §. sanè, de stat. regul. lib.* 6. Concil. Aquisgran. *can.* 118. ibi: *Cavendum summoperè Præpositis Ecclesiarum est, ut in Ecclesiis sibi commissis non plures admittant clericos, quàm ratio sinit, & facultas Ecclesiæ suppetit.* Aquisgran. 2. *p.* 3. *cap* 9. Concil. Turon. sub Carolo *can.* 31. *In monasteriis canonicorum monachorum, seu puellarum major hominum numerus non admittatur, quàm facultas monasterii possit sufferre.* Maguntinum *can.* 19. *Plus non mittatur in monasteria canonicorum, vel monachorum, aut puellarum, quam sufferri possit.* Magunt. tempore Arnulphi *can.* 23. Oxoniense tempore Honorii III. *Provideant etiam Episcopi, quod moniales in omnibus necessariis sufficienter sustentari possint de bonis monasterii, ne sustineant ultra numerum aliquam admitti: nec etiam suscipiatur aliqua antequam reducta fuerint ad numerum.* Ravennat. 4. tempore Ioan. XXII. *rubric.* 8. *Non plures in quibuscunque Ecclesiis debent institui, quam ex bonis ipsarum vivere possint.* Senonense anno 1527. *can.* 28. *Ut in monasteriis monialium tot instituantur moniales, quot de facultatibus eorundem monasteriorum commodè, & sine penuria sustentari possint.* Rhemense *can.* 27. *In civitatibus, & monasteriis non major servientium numerus Deo mittatur, quàm possibilitas eis ministrandi fuerit.* Et *l. non plures, C. de SS. Ecclesiis, Novel.* 3. *Justin. ut determinatum.* Et *cap.* 2. *hoc tit. in* 2. *collect. In congregandis clericis modus discretionis teneatur, videlicet, ne plures admittantur, quàm facultas rerum eis canonicè attributa sufficere possit.* Trident. *sess.* 25. *de regul. cap.* 3. ibi: *In monasteriis tamen, & domibus, tam virorum, quàm mulierum bona immobilia possidentibus is tantùm numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis possit sustentari.* Gregorius IX. in bulla expedita anno 1233. circa monasterium Divæ Mariæ del S. Rosario. Pius IV. in constitutione quæ incipit, *Circa pastoralis*, Gregorius XIII. in constitutione, quæ incipit, *Deo sacris*: Carolus M. *lib.* 6. *capitul.* 125. ibi: *Ne passim Episcopus multitudinem clericorum faciat, sed secundum meritum, vel redditum Ecclesiarum, numerus moderetur.* Alia juris testimonia congerit Antonius Augustinus *in epit. lib.* 8. *tit.* 20. & *lib.* 9. *tit.* 6. Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa, & Garanna, Hallierius *de hierarch. jurisdict. lib.* 3. *artic.* 6. §. 2. Tamburinus *de jure Abbat. disput.* 5. §. 1. Barbosa *de potest. Episcop.* 3. *p. alleg.* 98. *num* 2. & *lib.* 1. *juris Eccles. cap.* 44. *num.* 28. Cujacius, Balduinus, & Ritherursius *in dicta novella* 3. Petrus Gregorius *de benefic. cap.* 8. & *in dicto cap. cum M. de constit.* Sanchez *lib.* 7. *summæ, cap.* 25. Moneta *de commut. cap.* 13. *numer.* 113. Vighellius *in method. juris can. fol.* 237. Mancinus *de defectu fructuum, quæst.* 11.

Sed hæc assertio, sive accipiatur de clericis, sive de monachis, defendi non potest, ex sequenti juris consideratione. Si de clericis, notum est, eos debere victum proprio artificio quærere, *cap. clericus* 3. *cap. omnia* 4. 91. *dist.* Concil. Turon. 2. *can.* 10. ibi: *Cùm jubeamur victum aut vestitum artificiolo quærere, & manibus propriis laborare.* Junctis traditis ab Antonio Augustino *in epit. jur. Pontif. lib.* 8. *tit.* 21. Roberto *lib.* 1. *rer. judic. cap.* 2. Mornacio *in l.* 2. *C. de Episcop. & Cleric.* Igitur, si ipsi proprio artificiolo victum quærunt, quid interest, si de proventibus Ecclesiæ absque penuria non possint sustentari, cùm ipsi per se debeant alimenta quærere. Si de Monachis, etiam notum est, non ex bonis Ecclesiæ, sed ex fidelium eleemosynis vivere, unde cùm taxari hujusmodi eleemosynæ, vel æstimari non possint, non debet certus numerus recipi in monasteriis, sive virorum, sive puellarum. 4. *Traditur dubitandi ratio.*

Quâ dubitandi ratione ita fulcitâ non obstante, vera est præsens decisio, cujus ratio provenit ex eo, quia cùm clerici, aut monachi inservientes propriis Ecclesiis, & monasteriis, eorum proventibus debeant sustentari, juxta adducta *in cap. cùm secundum, de præb.* non debent plures recipi, quàm ali commodè ex ipsis fructibus possint, ut considerat Lara *in l. si quis à liberis, § sed si filius, num.* 82. *ff. de liber. agnosc.* Accedit etiam, nam valde conveniens est, ut determinatus sit numerus, tam monachorum, quàm clericorum. Concil. Sardic. *can.* 6. Novel. 5. Justin. nec debere eorum numerum nimium augeri, ne vilescat eorum auctoritas. Verum enim est illud D. Hieronymi *epist.* 85. (cujus suo tempore proferendi longè minor occasio erat:) *Presbyteros turba contemptibiles facit.* Verumque est, quod usitatâ fertur paræmiâ, pretiosa esse quæ rara sunt: nihilque tam egregium esse, quod multitudine non vilescat. Eleganter D. Bernardus *de convers. ad clericos, cap.* 29. *Dilata videtur Ecclesia, ipse etiam clerici sacratissimus ordo, fratrum numerus super numerum multiplicatus est. Verùm etsi multiplicasti gentem Domine, non magnificasti lætitiam, dum nihil minus apparet decessisse meriti, quàm numeri accessisse.* Rectè Iustinianus, dum in dicta Novella 3. ad ostendendam necessitatem taxandi numerum clericorum, eam sententiam protulit: *Nihil immensum* 5. *Traditur decidendi ratio.*

mensum bonum. Et Aristoteles *lib. 9. Ethic. cap. 10. Nec inter multos* (inquit) *amicitia est.* Rectè ergo, ne multitudo æmulationem, & æmulatio discordias pariat, ne ex multitudine disciplina concidat, & tandem ne commodè plures sustentari nequeant, in præsenti statuitur, ne plures in Ecclesia, aut monasterio respiciantur, quàm commodè ex ejus proventibus sustentari possint.

6. *Defenditur dubitatio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam textus in ejus priori parte adducti procedunt primis Ecclesiæ sæculis, cùm beneficia ecclesiastica adhuc instituta non erant, nec Ecclesiæ Cathedrales constructæ, nec præbendæ erectæ erant; sed potiùs ex mensa communi omnes sibi necessaria accipiebant; tunc enim clerici, qui ad operandum validi repetiebantur, artificio proprio quæstum parabant: postquàm tamen bona Ecclesiæ divisa fuerunt, & beneficia instituta, atque præbendæ erectæ, sine tituloque certo nemo ordinaretur, quilibet ex fructibus propriæ Ecclesiæ sustentari debet; ad quod sæculum Ecclesiæ, & sequentia referenda est præsens constitutio. Nec quod de monachis dicebamus, obstat; nam licèt Barbosa *dict. alleg. 98. num. 2.* discrimen illud agnoverit inter jus Bonifacii VIII. relatum *in dicto cap. unic. de statu monach. lib. 6.* & Concil. Tridentini *dicta sess. 25. de regular. cap. 3.* quòd illud procedebat in monialibus ordinem mendicantium profitentibus, hoc verò etiam comprehendat omnes, tam viros, quàm fœminas mendicantes, vel non: verius credo, præsentis Concilii Arelatensis constitutionem loqui de omnibus; quia licèt in monasteriis mendicantibus certus numerus præfiniri non possit pro facultate bonorum, eo quod illis frequenter careant; tamen statui valet, habitâ considerationè ad consuetas eleemosynas, ut illis prudenter æstimatis commodè possint sustentari.

7. *Exponitur textus in cap. 3. de capel. monach.*

Suprà traditæ assertioni obstat textus *in cap. ex parte 3. de Capellis monach.* in illis verbis; *Si pluribus facultatis non suppetunt eorundem.* Ex quibus deducitur, in eo monasterio Venetensis diœcesis plures receptos fuisse monachos, quàm ex ejus proventibus poterant sustentari; & nihilominus ait Honorius, posse prædictos monachos in Prioratibus constitui, ut illi commodè sustententur: ergo quia licet plures monachos recipere, quàm ex monasterii proventibus ali possunt. Cui difficultati respondendum est, in ejus textus specie monachos receptos fuisse eo tempore, quo proventus monasterii sufficiebant ad eorum alimonias; sed cùm postea temporis injuriâ facultates monasterii deficerent, ut plerunque contingit, ideo in singulis Prioritabus monachi habitare debent, ut latiùs dicemus in ejus textus commentario.

8. *Explicatur cap. ultimum.*

Etiam opponi potest suprà traditæ assertioni textus *in cap. final. de v. s.* ubi cùm facultates Ecclesiæ Xantonensis diminutæ essent, etiam numerus præbendarum moderatus fuit: sed cùm postea auctæ essent facultates ipsius Ecclesiæ, quæsitum fuit, an Canonici juxta modum redituum possent etiam præbendarum numerum augere? Et docet Gregorius IX. eos antiquum numerum mutare non posse. Igitur quia non ex facultatibus, seu redditibus Ecclesiæ numerus ministrorum ejus æstimandus est. Pro cujus textus expositione dicendum est, eo textu certum Canonicorum numerum fuisse præscriptum auctoritate R. Pontificis; unde absque ejus assensu non poterant Canonici illum mutare, etiam auctis Ecclesiæ facultatibus, ex traditis *in cap. cùm M. de constitut.*

CAPUT II.

(a) Eugenius.

IN Ecclesia vestra certum numerum Canonicorum, sicut nobis innotuit, communiter instituere curavistis, & institutionem vestram religione firmare juramenti. Unde quia numero illo successu temporum diminuto, in dubitationem deducitis, utrum ipsum numerum de institutione Canonicorum supplere possitis, cùm laicis (b) computatis, qui in Ecclesia vestra Canonicorum titulo (c) nominantur, statutus numerus sit impletus: super qua ambiguitate Sedem Apostolicam consulere voluistis. Ut autem hæc ambiguitas à vestris cordibus auferatur, nobis videtur, quod laici non debeant in Canonicorum numero computari, nec vos debeatis differre, quominus statutum numerum juramento præstito roboratum de aliis clericorum personis idoneis in Canonicos suppleatis: nec enim alia vestra intentio fuisse putatur, quàm quod tales ad supplendum numerum, cùm necesse fuerit, curaretis unanimiter invenire, per quos Deo in divinis officiis per ecclesiasticos ordines congruè serviretur. Ad hæc verò districtiùs prohibemus, ne de cætero laicos in Canonicos admittatis,

NOTÆ.

(a) *Eugenius.*] In secunda collectione, *sub hoc titulo, cap. 3.* legitur, *Aug.* sed rectè in margine emendatur, Eugenius I. in præsenti autem non exprimitur cujus Eugenii sit; credo tamen textum hunc esse Eugenii II. in epistola missa ad Sanctum Bernardum Archiepiscopum Viennensem: quæ conjectura suadetur sequentibus fundamentis. Primo deducto ex serie utriusque compilationis; refertur enim tam in secunda, quam in hac sexta post Concil. Arelaten. 4. & ante

ante Alexandri constitutionem : unde non potest tribui textus hic Eugenio I. qui floruit circa annos 656. ante dictum Concil. Arelat. Præterquam quod, cùm per unum tantùm annum Ecclesiam rexisset, non reperitur aliqua ipsius Pontificis epistola. Non etiam potest tribui Eugenio III. quia floruit post Alexandrum III. sequentis textus auctorem, unde præposterο ordine ante ipsum compilaretur hic textus, si esset Eugenii III. Secundò ducimur eo fundamento ; nam Eugenius II. epistolam scripsit D. Bernardo Archiepiscopo Viennensi, quæ extat in Bibliotheca Floriacensi, ut refert Carolus à Sancto Paulo *in Biblioth. Pontif. in Eugenio II.* de ipso autem D. Bernardo refert Chenu *in serie Archiep. Viennen. num.* 52. quod cùm esset vir solers, ingenuus, & eruditus, ardenti studio Viennensem Ecclesiam clero, & bonis amplificavit : unde credo, ipsum certum Canonicorum numerum in Ecclesia statuisse, atque illi rescribere Eugenium III. *in præsenti.*

2. (b) *Laicis computatus.*] Quod juxta antiquam consuetudinem dupliciter contingebat : Primò, quia in Ecclesiis aliquando præbendæ laicæ in usus pauperum transcriptæ erant, ut de Ecclesia Aurelianensi refert Gregorius VII. *lib.* 3. *epist.* 17. *ad Raynerium Aurelianens. Episcop.* ibi. *Præcipimus etiam, ut canonicam concessam alimoniæ pauperum, quam ab eo usu subtractam dicens vendidisse, ad eundem usum restituas.* Etiam Ecclesia Claromontensi recensetur ab Innocentio III. *lib.* 2. *epist.* 373. id genus beneficii, quod concedi etiam laicis coniuevit, & familiaritas appellatur : nec non in Ecclesia S. Martini Carnotensis præbendas aliquot affectas in nobilium virorum usum ; vel ob meritorum gratiam, vel egestatis solatium, refert Panormit. *in cap. cùm M. de constit.* In Germania etiam ipsarum præbendarum usum invaluisse, constat ex Helmoldo *lib.* 1. *hist. Sclav. cap.* 16. ibi: *Theodoricus Marchio Sclavorum depulsus ab honore, & omni hæreditate, apud Magdeburg, malâ morte, ut dignus fuit, vitam finivit.* De Græcis idem constat ex Novella Alexii Comneni, quæ extat apud Balsamonem *in can.* 19. *Synod. Nican.* 2. ibi: *Si autem accedit laicorum quispiam, qui est omnino inops, & pauper, ad sanctissimum meum Dominum, vel ex Antistitibus, qui suos thronos perdiderunt, & sunt inopes, & voluerit statuere, ut is victum capiat è locupletiori, aliquo monasterio, hoc recte faciat, non supra facultates numeri eorum, qui sunt ordinati.* Secundò laici Principes plerunque præbendas habent honorarias, ut noster Monarcha in Ecclesia Legionensi, ut refert Lobera *in histor. Legion, fol.* 112. Reges etiam Galliæ Canonici honorarii sunt in Ecclesiis Pictavienſi, teste Panormit. *in cap. exturpandæ* ; §. *qui verò, de præb.* in Cenomanensi. Chopinus *lib.* 2. *de sacr. polit. titul.* 5. *numer.* 8. Rex Romanorum Canonicus est Ecclesiæ Aquisgran. Unde in gestis coronationis Maximiliani apud M. Frecher ita legitur : *Item venerunt Capitulares Ecclesiæ Aquensis, recipientes Regem Romanorum in Canonicum, qui ipsis præstitit juramentum quòd ad præbendam hanc in eadem Ecclesia, & dederunt sibi locum in Choro : ipse etiam dedit statuta, & vinum admissionis, juxta consuetudinem Ecclesiæ, & habet duos vicarios in loco, qui capiunt integram præbendam, & supplent locum suum in Ecclesia.* Idem secutâ Romæ Imperiali consecratione solenniter installatur in Canonicum sancti Petri, & Summo Pontifici ministrat vices Subdiaconi, ut tradit Durandus *in ration. lib.* 2. *titul.* 8. Idem de Duce Normannorum, Comite Nivernensi, Delphino Viennensi, Duce Aurelianen. & aliis, qui in diversis Ecclesiis præbendas honorarias habent, referunt Alteserra *de Ducibus cap.* 12. Barbosa *de potestat. Episcopi allegat.* 62. *num.* 75.

3. (c) *Nominantur.*] Laici enim licèt sint incapaces beneficii ecclesiastici, *cap. cùm adeo* 18. *de rescript. cap. ex litteris, de transact.* quia debent beneficiati saltem habere primam tonsuram, ut probat Sausay *in panopl. cleric. part.* 5. *lib.* 6. *axiom.* 5. ex dispensatione tamen Pontificis possunt beneficium obtinere, ut pluribus relatis docent Petrus Gregorius *lib.* 1. *partit. tit.* 27. *cap.* 1. Barbosa *dicta alleg.* 72. *num.* 74. Duarenus *lib* 4. *de sacris Eccles. cap.* 6. quo casu licèt laici per se non possint obire munia, quæ propria sunt clericorum, tamen fructus percipiunt, & curare debent, ut per alios clericos in Ecclesia ministretur, ut contingit quando cum non idoneo ad beneficium dispensatur, *cap.* 2. *de ætate & qualitate, cap. licet, cap. commissa, de elect. in* 6.

CAPUT III.

Alexand. III. (a) *Cantuar. Archiepiscopo, & ejus Suffraganeis.*

EX frequentibus querelis didicimus, in partibus vestris consuetudinem prævam à multis retrò temporibus invaluisse, quod clerici ecclesiastica beneficia sine consensu Episcopi diœcesi. vel [b] officialium suorum [qui hoc de (c) jure possunt] recipiunt, minùs quàm deceat cogitantes, quomodo id à Patrum sanctorum est institutionibus alienum, & ecclesiasticæ contrarium honestati. Unde cùm tu frater Archiepiscope ex officio tibi commisso tam iniquam consuetudinem de provincia tua velis (sicut debes) radicitus extirpare, tam in illos, qui ecclesiastica beneficia taliter occupata scienter detinent, quàm in eos, qui de cætero occupare præsumpserint, excommunicationis sententiam (d) protulisti. Nos itaque eandem sententiam ratam habentes, & eam auct. Ap. confirmantes, mandamus, quatenus clericos ipsos, qui ipsam sententiam incurrerint, nisi congruè satisfecerint, absolvere minimè (e) præsumatis.

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) *Antuar.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc titul. cap.* 1. & post Concil. Lateran. *p.* 8. *cap.* 11. de Cantuariensi Ecclesia & ejus suffraganeis egi *in cap.* 2. *de rescript.*

(b) *Officialium.*] Id est, Vicariorum Episcoporum, ut communiter in Anglia eos appellari testatur Cujacius *in præsenti.*

(c) *Qui hoc de jure possunt.*] Vicarii generales Episcoporum ex vi propriî officii absque alia speciali commissione possunt instituere præsentatos à Patronis, sicut & electos confirmare, ut pluribus relatis docent Barbosa in præsenti, *n.* 3. & *de potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 54. *num.* 70. Valensis *de benef. lib.* 1. *tit.* 5. & 11. nam instituere est jurisdictionis; unde transit in Capitulum hæc potestas Sede vacante, *cap.* 1. *hoc tit. lib.* 6. sed omnia quæ sunt jurisdictionis, competunt Vicario Episcopi, nisi à jure exceptum sit: ergo & institutio in beneficiis. Non tamen potest Vicarius beneficia conferre, *cap. ult. de offic. vicarii in* 6. Joan. Dattis *de benef. sect.* 3. *cap.* 10. nam non est par ratio institutionis, ac collationis; quia instituere est necessitatis, conferre autem beneficia, gratuitæ donationis; ideoque Vicarius potest instituere, non autem beneficia conferre absque speciali commissione. Ita docuerunt plures congesti à Barbosa *d. alleg.* 54. *num.* 69. qui variis modis accipiunt præsentem Alexandri decisionem. Specialem delegationem præcessisse in hoc textu supponunt Dinus *in cap.* 1. *de reg. jur. lib.* 6. Panormitanus *hic*, Idem Panormit. Immola, & alii aliam subjungunt interpretationem, asserentes in hoc textu non agi de libera collatione beneficiorum, sed de institutione, quæ fit ad Patronorum præsentationem, quam Vicarius generalis facere potest absque speciali commissione: ita tenuerunt Glossa *in præsenti, verbo Officialium*, Romanus *singul.* 601. Selua *de benefic* 2. *p. cap.* 14. Lambert. *de jure patron. lib.* 2. 3. *p. quæst.* 1. *art.* 5. Tandem Covar. 3. *p. variar. cap.* 20. *num.* 7. docet textum hunc posse accipi de institutione, quæ non confert titulum beneficii, sed absenti; vel illius vicario præbet facultatem exercendi curam animarum, juxta textum *in cap.* 1. *de Capel. monach. in* 6. Sed prior sententia defendenda prorsus est, cùm cæteræ alienæ sint à præsenti decisione. Quatenus tamen possit Episcopus facultatem conferendi beneficia vacatura vicario proprio dare, dicemus *in cap. constitutus, de concess. præb.*

(d) *Protulisti.*] Sed quomodo Archiepiscopus in subditos suffraganeorum suorum sententiam excommunicationis proferre poterat? contra ea, quæ adduxi *in c. duo, cap. pastoralis, de offic. ordin.* Communiter repetentes in præsenti docent, Beatum Thomam Archiepiscopum Cantuariensem potuisse prædictam excommunicationem proferre, quia agebatur de delictis concernentibus totam provinciam, & ideò Metropolitanum etiam contra subditos suffraganeorum procedere potuisse, docuerunt in præsenti Innocentius Ancharan. *n.* 6. Abbas Antiquus *n.* 3. Butrius *n.* 5. Hostiensis *n.* 2. Zabarella *n.* 4. quos sequitur Lotherius *lib.* 1. *q.* 22. *n.* 8. qui animadvertit sententiam, de qua in præsenti, non fuisse judicialem, sed decretum Metropoliticum, & legem provincialem sancitam in ipsa Synodo provinciali. Sed quàm aliena sit hæc interpretatio à verbis præsentis textus, nemo non videt. Eâ ergo & aliis omissis vera interpretatio deducitur ex illis verbis hujus textus, *ex officio tibi injuncto.* Cùm enim Archiepiscopi Cantuarien. sint Legati nati ratione propriæ dignitatis, Candenus *in sua Britannia*, ibi: *Cantuarienses Archiepiscopi erant Legati populi Romani*: & ut Urbanus II. ajebat, *velut alterius orbis Patriarchæ*, Godevinus *in vita sancti Theobaldi Cantuarien. Archiep.* ibi: *Pallium accepit Romæ ab Innocentio II. à quo etiam titulo donatus est Legati nati, qui ab omnibus successoribus jam inde semper retentus sit*: probavi latè suprà *in c.* 1. *de offic. Legat.* inde Beatus Thomas, non ut Metropolitanus, sed ut Legatus S. A. in suffraganeorum subditos sententiam protulit.

(e) *Præsumatis.*] Sed ad quid necessaria fuit hæc specialis concessio, ut satisfactione præmissâ possint Episcopi absolvere excommunicatos ab Archiepiscopo per sententiam generalem, cùm censura generaliter lata ab homine possit relaxari, nisi ejus absolutio sit reservata ab omnibus, qui à censuris absolvere valent, ut probant Covar. Soto, Navarrus, & alii, quos laudat & sequitur Gibalinus *de censur. disquisit.* 9. *quæst.* 3. *p.* 1. *num.* 16. Sed rectè Glossa finalis in præsenti, quam sequitur Gibalinus ibi, docet, sententiam excommunicationis hanc fuisse confirmatam à Pontifice, ut constat ex illis verbis: *Auctoritate Apostolica confirmantes.* Unde necessarium fuit ut Alexander III. permitteret Episcopis, ut satisfactione præmissâ subditos absolverent, cùm eos aliàs absolvere nequirent.

Commentarium hujus textus dedi *in cap. ut nostrum, de offic. Archid.*

CAPVT IV.

Clemens III. *Clero* (a) *Constantinopolitano.*

AUctoritate Apostolicæ Sedis, debitoque officii nostri compellimur viros ecclesiasticos oculo benigniori prospicere, eisque, ne graventur molestiis, pastorali solicitudine providere. Hac itaque ratione inducti, auctoritate Apostolicâ prohibemus, ne aliquis vestrûm à quocunque in civili, vel criminali negotio impetatur, nec per sæcularem personam carceri, aut vinculis, nisi ab Archiepiscopo suo ejectus fuerit abordine clericali, aliquatenus mancipetur, nec absq; rationabili & manifesta causa in officio, vel jure suo gravamen ab aliquo patiatur. Prohibemus etiam ne vicarius

Regis, seu quæcunque persona vicem sæcularis potestatis gerens, vobis in domibus, aut aliis rebus vestris injuriam præsumat inferre: sed tam in his, quàm in aliis privilegia vobis à Regibus, vel Archiepiscopis piâ consideratione concessa, inviolata volumus conservari. Statuimus insuper, ut nullus in Ecclesiis vestris, ultra quàm (b) facultates earum Ecclesiarum sustineant, vobis instituatur invitis.

NOTÆ.

(a) *Constantinopol.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub titulo de judiciis, cap.* 1. ex qua textum ita restituo. De ipsa Ecclesia Patriarchali Constantinopol. nonnulla adduxi *in cap. quantò, de consuet.*

(b) *Facultates eorum,*] Juxta adducta suprà *in cap.* 1. ubi commentarium hujus textus dedi.

CAPUT V.

Innocent. III. (a) *P. tit. Sancti Marcelli, & B. tit. Sanctæ Susannæ, Presbyteris Cardinalibus Ap. Sed. Leg.*

AD decorem, & commodum, tam Ecclesiæ sanctæ (b) Sophiæ, quàm aliarum Ecclesiarum, quæ sunt in urbe Constantinopol. constructæ, noscitur pertinere, ut litterati viri, & morum honestate conspicui, de quibuslibet mundi partibus venientes, instituti debeant in eisdem. Verùm, sicut nostris auribus est suggestum, ven. fr. n. Constantinopol. Patriarcha, immemor eorum, quæ sibi suggessimus viva voce, ac postmodùm per A. s. m. si tandem ad ipsum nostræ litteræ pervenerint, aliarum nationum clericos spernens, Venetos tantùm in ipsis Ecclesiis, & præcipuè in Ecclesia sanctæ Sophiæ satagit collocare, non attendens, quod in omni gente qui facit justitiam, acceptus est Deo, nec Sanctuarium Dei jure convenit hæreditario possideri. Quo circa dis. v. per A. s. m. quat. eundem Patriarcham monere, ac inducere studeatis, ut viros religiosos, honestos, & litteratos, undecunque originem duxerint, in prædictis Ecclesiis instituere non postponat, & maximè in majori: proponentes eidem, quod si monitis nostris acquiescere forte non curaverit, indignum se reddet, ut vos aliarum nationum clericos ad ejus obedientiam compellatis, præsertim cùm ipsi propter hoc ad nostram duxerint audientiam appellandum. Neque dissimulare potestis, quin hoc auribus nostris intimetis, ut ex hoc ipso, an verum sit, quod Venetis dicitur promisisse, conjicere valeamus. Si qui verò clerici per vos, vel per alterum vestrûm sunt in prædictis Ecclesiis instituti, a p. postpositâ faciatis eos pacificâ possessione gaudere, amotos, sicut justum fuerit, per censuram ecclesiasticam ap. rem facientes restitui ad easdem.

NOTÆ.

1. (a) P.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c.* 1. legendumque est, *Petro tit. sancti Marcelli, & Benedicto tit. sanctæ Susannæ, Presbyteris Cardinalibus Ap. S. Legatis.* Innocent. enim miserat eos Legatos in Orientem variis ex causis, quas referunt Spondanus *in continuat. Baronii anno* 1200. *&* 1205. Bosquetus *in gestis Innocent. III.*

2. (b) *Sanctæ Sophiæ.*] Celebre templum hoc sanctæ Sophiæ urbis CP. mirificè instauravit Justinianus Imperator anno 558. ut refert, & eleganter post Evagrium, & Procopium describit Baronius *tom. 7. anno 557. num. 7.*

COMMENTARIUM.

3. PRo interpretatione hujus textus varia adduxerunt post repetentes, & laudatos à Barbosa *hic*, Azor 2. *p. instit. lib. 6. cap.* 4. Garcia *de benef. 7. p. cap. 9. per totum*, Petrus Gregorius *lib.* 1. *de rescript. cap.* 30. Solorzanus *lib. 3. de jure Indiar. cap.* 19. Arellano *lib. 3. antinom. 3.* Sed vera interpretatio petenda est ex historia illius temporis, & urbis Constantinopol. quam licèt breviter, retuli *in cap. scriptum, de elect. cap. final. de cleric. peregr.* Sciendum igitur est, quod antequam Franci, & Veneti ad capiendam Constantinopolim castra movissent, certa inter eos pacta inita fuerunt, quæ ex gestis Innocentii III. editis à Bosquetо liber transcribere, ita enim apud ipsum *fol* 92. legitur, *sub titulo de pactu initu inter Venetos & Francos.* [In nomine Dei æterni, Amen. Nos quidem B. Montis ferrati Marchio, & Balduinus Flandriæ & Hannoniæ, L. Blesensis & Clarimontis, H. sancti Pauli Comites pro parte nostra, vobiscum vir inclyte Domine H. Dandule, Venetorum, Dalmatiæ, atque Crovanæ Dux, & cum parte vestra, ad hoc ut unitas; & firma inter nos possit esse concordia, & ad omnem materiam scandali evitandam, ipso cooperante, qui est pax nostra, & fecit utraque unum, ad ejus laudem & gloriam talem duximus ordinem observandum, & utraque pars juramento adstricta. In primis omnium armatâ manu Christi invocato nomine, civitatem expugnare debemus, & si divinâ auxiliante potentiâ civitatem intraverimus, sub eorum regimine debemus manere, & ire qui fuerint super exercitum præelecti, & eos sequi secundum quod fuerit ordinatum. Totum quidem habere, quod in

in civitate juventum fuerit, à quolibet duci debet & poni in commune, & loco quo fuerit ordinatum; de quo tamen habere nobis & hominibus Venetis tres partes debent solvi, pro illo habere quod Alexius Imperator nobis & vobis solvere tenebatur. Quartam verò partem nobis retinere debemus donec fuerimus in ipsa solutione coæquales. Si autem aliquid residuum fuerit, debemus per medietatem inter nos & vos dividere, donec fueritis apacati. Si verò minus fuerit, ita quod non possit sufficere ad memoratum debitum persolvendum, undecunque fuerit prius habere acquisitum, ex eo debemus dictum ordinem observare. Salvis tamen victualibus quæ debent observari, & dividi, tam vestris, quàm nostris æqualiter, ita quod utraque pars possit inde congruè sustentari. Quod autem residuum fuerit, partiri debet in alio habere, juxta ordinem prænominatum. Vos etiam homines Veneti liberè & absolutè absque omni controversia per totum Imperium habere debetis omnem honorificentiam & possessiones, quas quondam consueviſtis habere, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, omnesque rationes, sive consuetudines, quæ sunt in scripto. Debent etiam sex homines eligi pro parte nostra, & sex pro vestra, qui juramento adstricti eam personam eligere debent de exercitu, quam credent melius posse tenere, & melius scire ordinare terram & Imperium, ad honorem Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Imperii; & si fuerunt in uno concordes, illum debemus Imperatorem habere, quem ipsi concorditer elegerint. Si verò sex in una parte, & sex in alia concordaverint, sors mitti debet, & super quem sors ceciderit, debemus eum Imperatorem habere: & si plures consenserint in una parte, quàm in alia, illum Imperatorem habebimus, in qua major pars consenserit. Si verò plures partes fuerint, super quem major pars ordinavit, sit Imperator. Debet verò iste Imperator habere universam quartam partem acquisiti Imperii, & palatium Blachernæ, & Buccam Leonis: reliquæ verò tres partes per medietatem inter vos, & nos dividentur. Sciendum est quod clerici, qui de parte illa fuerint, de qua Imperator electus, potestatem habebunt Ecclesiam sanctæ Sophiæ ordinandi, & Patriarcham eligendi ad honorem Dei, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Imperii. Clerici verò utriusque partis illas Ecclesias ordinare debent, quæ suæ parti contigerint. De possessionibus verò Ecclesiarum, tot, & tantùm clericis, & Ecclesiis debent provideri, quot honorificè possint vivere, & sustentari. Reliquæ verò possessiones Ecclesiarum dividi, & partiri debent secundùm ordinem præsignatum. Insuper etiam jurandum est, tam ex nostra parte, quàm ex vestra, quod ab ultimo die instantis mensis Martii moderari debemus usque ad annum expletum ad Imperium, & Imperatorem manutenendum ad honorem Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Imperii: inde verò in antea, omnes qui in Imperio remanserint, ipsi Imperatori stringi debent juramento, secundum bonam & rationabilem consuetudinem: & illi qui tunc in Imperio remanserint, ut prædictum est, jurare debent, quod firmas, & stabiles pactiones, quæ factæ fuerunt, habebunt. Est autem sciendum, quod à nostra, & vestra parte duodecim homines, vel plures non parte eligi debent, qui juramento adstricti feuda, & honorificentias inter homines distribuere debent, & servitia assignare, quæ ipsi homines Imperatori, & Imperio facere debent, seu quod illis bonum videbitur, & convenientius apparebit. Feudum verò quod unicuique assignatum fuerit, liberè & absolutè possidere debent de hærede, tam in masculo, quàm in fœmina; & plenam habeant potestatem ad faciendum illud quicquid fuerit voluntatis: salvo tamen jure & servitio Imperatoris & Imperii. Imperator verò reliqua servitia facere debet, quæ fuerint facienda, præter ea, quæ ipsi facient, qui feuda, & honoricentias possidebunt secundùm ordinem sibi injunctum. Statutum est etiam, quod nemo hominum alicujus gentis, qui communem guerram nobiscum, & successoribus nostris, vel populo Venetorum habuerit, recipiatur in Imperio donec guerra pacificata fuerit. Teneatur & utraque pars ad dandam operam bona fide, ut hoc à Domino Papa valeat impetrari, ut si aliquis contra hanc institutionem ire tentaverit, sit excommunicationis vinculo innodatus. Insuper Imperator jurare debet, quod firmas, & stabilitas partitiones, & dationes quæ factæ fuerint, irrevocabiliter habebit secundùm ordinationem superiùs dictam. Si verò aliquid in istis omnibus erit addendum, vel minuendum, in potestate, & discretione vestra, & vestrorum sex Consiliatorum consistat. Sciendum est etiam, quod vos, præfate Domine Dux, nec debetis Imperatori qui fuerit electus, vel Imperio, ad aliqua servitia facienda juramentum præstare, propter aliquod datum, vel feudum, sive honorificentias, quæ vobis debeant assignari: tantùm illi, vel ille, qui, vel quos loco vestro statueritis, super iis, quæ vobis fuerint assignata, debeant juramenta præstare ad omne servitium Imperatori, & Imperio faciendum, juxta ordinem superiùs declaratum. Anno Domini millesimo ducentesimo quarto, mense Martii, indictione septima.] Constantinopoli ergo captâ cùm Thomas Maurocenus Patriarcha Constantinopol. electus, & confirmatus esset ab Innocentio III. Venetias est reversus, ut inde Constantinopolin navigaret, & interim cum Venetis pactionem fecit, ut videlicet neminem institueret in Canonicum Ecclesiæ sanctæ Sophiæ, nisi natione Venetum, vel qui continuò per decennium Venetiis habitasset: quam constitutionem Innocentius III. improbavit in præsenti epistola missa prædictis Legatis, & ex litteris directis ad Patriarcham ipsum CP. quas ex gestis Innocentii III. à Bouquetо relatis ubi supra *fol.* 104. refero.

Littera Papæ ad Patriarcham, cassans illicitas pactiones.

AD hoc Deus Apostolicæ Sedis Antistitem, qui plenitudinem habet Ecclesiasticæ potestatis, super gentes & regna constituit, ut juxta verbum propheticum evellat, & destruat, dissipet & disperdat, quæ in agro Dominico suæ culturæ commissio inutilia reperit & nociva, juxta quod alibi præcipitur à Domino, per Prophetam: *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes.* Nos igitur attendentes juramentum illud

quasi prorsus illicitum, non esse servandum, quod à te Venetiis constituto fuit à Venetis violenter extortum, sicut tua nobis insinuatio patefecit, ut videlicet neminem sis facturus Canonicum in Ecclesia sanctæ Sophiæ, nisi Venetum natione, vel qui continuè per decennium Venetiis habitasset: quodque bona fide modis omnibus quibus poteris, laborabis, ut semper in Ecclesia sanctæ Sophiæ sit Venetus Patriarcha, salvo in omnibus Apostolicæ Sedis jure, auctoritate, reverentiâ, & honore; licèt hæc conditio sit à te adjecta, & non sit in scriptis redacta. Præsentium tibi auctoritate mandamus, & in virtute Spiritus sancti præcipimus, quatenus juramentum illud nequaquam observes, cùm Sanctuarium Dei non sit hæreditario jure ab aliquibus possidendum, sed in omni gente, qui facit justitiam, acceptus est Deo: præcavens diligenter ne posthac Apostolicæ Sedis præceptum in præmissis articulis violes, iterumque delinquas; quoniam si de cætero solos Venetos in Ecclesia Sanctæ Sophiæ Canonicos instituëris, & ad hoc impenderis operam qualemcunque, ut semper in eadem Ecclesia sit de Venetiis Patriarcha, in ipsa non ponendo Canonicum, nisi juret, quod nunquam alium, nisi de Venetiis eliget aut recipiet Patriarcham, nulla deinceps ratione super his poteris excusari. Sed nec illud observes, quod absque juramento diceris promisisse, ut neminem Archiepiscopum præter Venetum in totâ facies Romania. Ne verò prætextu juratoriæ cautionis, aut cujuscunque promissionis obtentu talia de cætero præsumantur, aut si præsumpta sunt, observentur. Nos obligationes hujusmodi auctoritate Apostolica irritamus, sub interpositione anathematis prohibentes, ne quis eas observare præsumat; ubique præcipimus, ut id Canonicis sanctæ Sophiæ non solùm institutis, sed etiam instituendis cautè denuncies, quatenus hoc nefas valeant evitare. Licèt autem plutis debueris Deum timere quàm homines; ne jurares aliquid propter homines contra Deum; si tamen in illo juramento per vim & metum extorto præscriptam adhibuisti cautelam, aut juraveris salvo in omnibus Apostolicæ Sedis jure, aut reverentiâ & honore: nos tibi delictum tuum humiliter confitenti ex speciali gratia indulgemus, ut hujusmodi juramentum nullum possit ubi præjudicium generare, dummodo præceptum, quod salubriter ubi fecimus ad salvandum jus, auctoritatem, & honorem Apostolicæ Sedis, contra cujus statuta, ea quæ sunt jurata, redundant, fideliter exequaris. Cæterùm etsi præscripta nobis à tuis nuntiis secretò fuerint intimata, noveris tamen pro certo, quod quædam eorum certa relatione prius fuerant nostris auribus patefacta.

CAPVT VI.

Idem (a) *Helien. Episcopo, & Archidiac.* (b) *Norantomiæ, & Magistro H. de Gerst.*

CVm venissent ad Apostolicam Sedem dilectus filius Magister Honorius Archidiaconus (c) Richemundiæ, & Magister Columbus Subdiaconus noster, I. de Eboraco & R. Avelnel, procuratores ven. f.n. Eboracen. Archiepiscopi, eos in consistorio nostro duximus audiendos. Fuit autem ex parte Archiepiscopi memorati propositum, quod institutio personarum, & custodia Ecclesiarum vacantium, ad eum in diœcesi sua spectat, tam de jure communi, quàm consuetudine generali. Verùm quidam prædecessores ipsius quibusdam Archidiacon. Richemundiæ, tam institutionem, quàm custodiam personaliter commiserunt, eas sibi aliorum tempore retinentes, & liberè, sicut spectabat ad eos, utentes eisdem, ita quod Archiepiscopus, qui Eboracen. Ecclesiæ modò præest, Vv. de Chimili, quondam Archidiac. Richemundiæ illas ad preces inclytæ recordationis R. (d) Regis Anglorum, de gratia speciali concessit, & eo in Episcopum post electo, sibi retinuit tanquàm suas. *Et infrà:* Ad hæc Archidiaconus ipse respondit, quod cùm inclytæ recordationis primus (e) H. Rex Angliæ apud Karleolum Sedem Episcopalem vellet de novo creari, quia ex hoc Archid. Richemundiæ lædebatur, Rex ipse à bonæ memoriæ T. Archiep. Eborac. humiliter postulavit, ut in recompensationem cujusdam partis, quæ subtrahebatur Archidiaconatui memorato prædictas concederet dignitates: Archiepiscopus autem annuit precibus postulantis, & tam institutiones, quàm custodias non personaliter Archidiac. qui tunc erat, sed perpetuò, de consensu Eboracen. Capituli, Archidiaconatui reali, & liberali concessione donavit. Cùm autem Archidiaconatus ipse in continua possessione, tam istarum, quàm aliarum etiam libertatum, multorum Archiepiscoporum, Regum, & Archidiaconorum temporibus extitisset, & sæpedictus Archiepiscopus sine contradictione qualibet concessisset ipsum cum omnibus libertatibus suis eidem; post concessionem asseruit quod ipsum concesserat institutionibus & costodiis vacantium Ecclesiarum exceptis. Ipse verò timens, ne si negaret expressè, cùm nondum Archid. esset possessionem adeptus, vel impedire

impediratur penitus factum ejus, vel diutiùs differretur, respondit, quod non solùm de illo, sed de omnibus redditibus suis faceret quod Archiepiscopo complaceret. *Et infrà:* Super hoc pars replicavit adversa, quod si renunciatio, vel abjuratio Archidiaconatui non noceret, super hoc tamen esset Archidiac. repetendi facultas adempta. Sed Archidiaconus libertates illas se non repetere respondebat, cùm eis liberè, sicut priùs, quando iter arripuit veniendi ad Sed. Apostolicam, uteretur, & earum possessione gauderet. Sed contra hoc iterum replicabatur, quod idem Archidiaconus in quodam Ecclesia sui Archidiaconatus non per Archiepiscopum postulasset institui, si talis institutio pertinebat ad ipsum, & ipse tunc ipsarum libertatum possessione gauderet. Ad quod Archidiaconus ipse respondit, quod per Archiepiscopum non institui, sed confirmari potiùs postulavit, licèt quod seipsum instituere, incongruum videretur. Nos igitur auditis quæ fuerunt hinc inde proposita, & pleniùs intellectis, (f) interlocuti fuimus, Archidiac. esse in plena libertatum ejus Archidiaconatus (g) possessione tuendum, donec probatum legitimè fuerit ex adverso, libertates ipsas Archidiac. ab Episcopis personaliter fuisse concessas, cùm in hoc casu, tam ante, quàm post, & in ipsa etiam concessione Archiepiscopus eas retinere sic potuerit licitè, tanquam suas, vel donec legitimè probatum fuerit, easdem libertates Archidiac. abjurasse: sed in hoc casu, si concessio fuit illa talis, Archiepiscopo nihil juris, vel utilitatis accedat, quia nos vel ad petitionem Eboracen. Ecclesiæ, vel per nos ipsos super hoc Archidiaconatui consulemus. Si ergo alterutrum ipsorum fuerit legitimè comprobatum, Archid. super libertatibus ipsis; si neutrum, Archiepiscopo silentium imponatur.

NOTÆ.

1. (a) *Helien.*] Ita legitur in tertia collectione, *sub hoc titulo cap.* 3. ex qua restituo inscriptionem, & litteram hujus textus. De Heliensi Ecclesia egi *in cap. pastoralis, de rescript.* Etiam textus hic reperitur apud Hobeden. in vita Joann. Reg. Angl. & casum refert Altesserra *in præsenti.*

(b) *Norantomæ.*] In sexta collectione legitur *Norvicensi*; sed malè: Norantomum enim est civitas Angliæ sub Comite Norantomensi, cujus meminit Vergilius *in histor. Angliæ, fol.* 3. 35. 226. & 278.

(c) *Richemundiæ.*] De quo Archidiaconatu egi *in cap. dilecti, de supplenda neglig.*

(d) *R. Regis.*] Richardi videlicet, qui appellatus fuit *Cor Leonis.*

(e) *Primus H.*] Henricus videlicet, qui anno 1135. curavit ut nova Sedes Episcopalis Carleoli poneretur, in qua Arnulphus primus Episcopus creatus sedit, ut refert Vergilius *lib.* 11. *histor. Anglia, fol.* 192.

2. (f) *Interlocuti.*] Judicio *de interim*, videlicet, ut voluit Covar. *practic. cap.* 17. Commentarium hujus textus dedi *in cap. ut nostrum, de offic. Archid.*

(g) *Possessione tuendum.*) Nam adeò potens est possessio, maximè ubi per annos aliquot continuata reperitur, ut quis debeat in ea manuteneri ex titulo apparenti, licèt non concludenti, quousque in judicio proprietatis vincatur, *cap. cùm persona, §. penult.* ubi Joannes Andreas *num.* 6. Geminianus *numer.* 4. Francus *de privil. lib.* 6. *n.* 2. notavit Abbas in præsenti, *n.* 8. quem sequuntur Marescotus *lib.* 1 *var. cap.* 11. *num.* 36. Gercia *de nobilitate, gloss.* 8. *num.* 4. Solorzan. *de jure Indiar. tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 47. Ex hoc etiam textu apertè probatur, possessionem antecessoris prodesse interdictis retinendæ, quod procedit quando possessio est respectu rei, seu intuitu præbendæ, quia tunc non possidet beneficiarius, sed Ecclesia ipsa. Posthius *de manut. observ.* 37. & *observat.* 55. *ex numer.* 90. Barbosa *num.* 2. *voto* 42. *a principio.* Contrarium procedit si beneficiarius non sit usus illo jure, aut prærogativâ intuitu beneficii, sed ex favore personali, & independenter à præbenda, tunc enim successor juvatur ejus possessione, Menochius *de retin. remed.* 3. *numer.* 57. Posthius *dicta observ.* 55. *numer.* 89. quod etiam ex præsenti textu deducitur: unde infertur successorem in possessione Ecclesiastica non esse manutenendum ex possessione antecessoris, qui in eam transtulit pensionem auctoritate Apostolica: quia possessio illa residebat personaliter penes antecessorem, & sic non transit in successorem, Garcia *de benefic.* 1. *p. cap.* 5. *numer.* 470. Posthius *dict. observ.* 55. *num.* 155. regulariter enim in translatione possessionis vetus extinguitur, & nova creatur, Gratianus *discept. cap.* 113. *num.* 77. è contrario si pensionarius est in possessione exigendi, quamvis decedat possessor beneficii gravati, continuatur possessio, & per consequens manutentio, contra quemcunque successorem in beneficio, quia pensio ipsa afficit beneficium gravatum, tanquam onus reale independenter ab actuali possessore. Garcia *dict. cap.* 5. *num.* 33. Posthius *observat.* 18. *ex num.* 34. & *observ.* 56. *ex numer.* 11. Barbosa *in praxi exigendi pens. quæstion.* 2. *p.* 1. *ex num.* 44.

CAPVT VII.

Idem *Episcopo* (a) *Trecensi, & Archid. Parisiensi.*

CUm ad nostram. *Et infrà*: Illud autem nolumus vos ignorare, quod postquam M. fuit Abbas effectus, (b) custodiam de jure non potuit obtinere, quia cùm ratione Abbatiæ ad ipsum pertineat donatio tam custodiæ, quàm aliarum dignitatum, ac etiam præbendarum in Ecclesia Patranen. custodiam ipsam recipere non potuit à seipso, cùm inter dantem, & accipientem debeat esse distinctio personalis; sed nec ab alio, cùm jus conferendi alius non haberet.

NOTÆ.

1. (a) *Trecensi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 4. licèt pro *Parisiensi*, legatur *Parasiensi*; sed ubique malè, cùm legendum sit *Peronensi*, ut notavit Cujacius in præsenti. Peronensis civitas est in Picardia, in cujus templo sepultum esse Carolum Simplicem Regem Francorum, refert Papirius Masson. *in descript. Galliæ per flum. fol.* 317.

(b) *Custod.*] *De his custodiis egi in c.* 4. *de offic. ordin.*

COMMENTARIVM.

2. EX hoc textu deducitur eum, ad quem spectat collatio beneficiorum, non posse seipsum instituere; quod etiam probatur *ex cap.* 3. *de excess. Prælat. cap. per nostras, de jurepatron.* Illustrant ultra congestos hîc à Barbosa, plures laudati à Basilio *lib.* 8. *de matrim. cap.* 4. *numer.* 9. Petrus Gregorius *lib.* 1. *partit. tit.* 28. *cap.* 17. Gibalinus *de clausura, disquisit.* 1. *cap.* 5. §. 5. *consect.* 6. Rousselius *lib.* 2. *histor. Pontific. jurisd. cap.* 2. *num.* 11. Arenallo *lib.* 1. *antinom.* 5. Ratio tamen ab Innocentio adducta illis verbis, *cùm inter dantem, & accipientem debeat esse distinctio personalis.* In aliis actibus humanis generaliter vera non est: nam in actibus jurisdictionis voluntariæ, & similibus non repugnat eundem plurium personam sustinere, ut in casu legis *si consul* 3. *ff. de adopt.* ibi: *Si Consul, vel Præses filiusfamilias sit, posse eum apud semetipsum, vel emancipari, vel in adoptionem dari, constat.* Et *l. unic. ff. de offic. Consul. c. quod sicut,* §. *super eo, de elect. c. à collatione, de appellat.* unde dispensare potest Prælatus in legibus à se positis, & in votis ac juramentis propriis, sicut cum subditis, Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 3. & *lib.* 4. *summæ, c.* 37. *n.* 2. Suarez. *de legib. lib.* 6. *c.* 12. Salas *cod. tract. disp.* 20. *sect.* 12. Basilius *de matrim. d. n.* 9. licèt quoad actus forenses, & jurisdictionis contentiosæ regulariter vera sit prædicta ratio, ut ait Ulpianus *in l. ille à quo* 13. §. *tempestivum, ff. ad Trebel.* ibi: *Ipse se cogere non poterit*; ex ratione adducta à Paulo *in l. si plures* 9. *ff. de pactis*, ibi; *Nam difficile est ut unus homo duorum vicem sustineat.* Ratio adducta ab Innocentio procedit in præsenti casu institutionis, quoad beneficia vel dignitates, ex speciali juris dispositione, videlicet ad evitandam ambitionem; quâ ratione nemo in alienationibus, ubi proprium commodum versatur, & per consequens fraus dari potest, sibi auctor fieri valet, *l.* 1. *ff. de auct. tut.* ubi plura Gothofredus: Clement. 2. *de rebus Eccles.* quam rationem ambitionis expressit Pontifex *in d. c. per nostras*, ibi: *Quia nullus ingerere se debet ecclesiasticæ prælationis officiis.* Quare juxta hanc juris dispositionem dixit Innocentius in præsenti, inter dantem, & accipientem debere dari distinctionem personarum, in eo videlicet casu, de quo agebatur, cùm in aliis actibus, ubi non datur hæc specialis ratio, non desideretur eadem distinctio personarum. An verò possit quis electioni de se factæ consentire, expositi *in cap. cùm in jure, de electione.*

TITVLVS VIII.

De concessione præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis.

CAPVT I.

(a) Gelasius Papa *ad Romanos.*

QUi in vivorum sacerdotum loco ponuntur, hoc ipso sunt ab ecclesiastica communione pellendi, quo se passi sunt successores vivis sacerdotibus adhiberi.

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) *Gelaſius.*] Ita etiam habetur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 1. & in eadem collectione, *ſub tit. de etat. & qualit. c.* 2. tribuitur textus hic Pelagio, ſed malè; verus enim ejus auctor eſt Gelaſius I. *in epiſt.* 6. *ad Epiſcopos Dardaniæ*, ut refert Anſelmus *lib.* 12. *q.* 69. & exeo Antonius Auguſtinus *in epit. lib.* 4. *titul.* 24. *cap.* 6. ubi ita textum hunc compilavit: *Epiſcopi ab Acacio conſtituti hoc ipſo ſecundùm canones fuerant ab Eccleſiaſtica communione pellendi, quod ſe paſſi ſint ſucceſſores vivis ſacerdotibus adhiberi.* In quibus verbis nonnulla notanda ſunt hucuſque à repetentibus in præſenti omiſſa. Primo auctorem hujus textus eſſe Sanctum Gelaſium I. natione Afrum, qui Eccleſiam rexit ex anno 492. usque ad annum 496. de quo plura retulit Carolus à Sancto Paulo in Biblioth. Pontif. *littera G. num.* 1. Secundò in præſenti textu Gelaſium improbaſſe ordinationes Epiſcoporum factas ab Acacio, qui à Sede Apoſtolica damnatus fuerat, ut refert Baronius anno 493. Unde non rectè repetentes hîc Gelaſium generaliter acceperunt de quibuscunque ſacerdotibus in locum vivorum conſtitutis, eorumque beneficia poſſidentibus; tantùm enim Gelaſius agit de Epiſcopis ab Acacio conſtitutis, qui non ſolùm excommunicati erant, quia Acacio damnato communicaverant, verùm & quia paſſi fuerant in locum vivorum conſtitui, contra ſacros Eccleſiæ canones qui ſub graviſſimis pœnis prohibuerunt, ne vivente Epiſcopo alius in ejus locum conſtitueretur: in quibus illud notandum eſt, dum de Epiſcopis agitur, eos appellari ſacerdotes, ut in præſeni etiam fecit Gelaſius; ita enim eautum legimus in Synodo 8. ſub Hadriano *act.* 5. ibi: *Ne temerè à mundana poteſtate ejiciatur legitimus Pontifex, & pro eo ſubrogetur alter inique, & illegaliter.* Concilium Meldenſe *can.* 47. *Nemo vivente Epiſcopo Eccleſiam illius, aut res ad eam pertinentes invadere, aut dominari præſumat.* Innocentius *epiſt. ad Clerum CP. In locum viventium Epiſcoporum alii ſubrogantur*, &c. *Nunquam ſanè Patres noſtros talia auſos fuiſſe, ſed potiùs vetuiſſe cognovimus, ne cui in locum viventis per conſecrationem alium ſubſtituendi ſit poteſtas.* Et *cap. audivimus* 3. *q.* 2. *cap. nulli, in princip. cap. eos Sacerdotes*, 43. 7. *q.* 1. refert Antonius Aug. *dict. lib.* 4. *tit.* 24. Unde præſens textus, & proximè relati tantùm de Epiſcopis exaudiendi ſunt, non verò de aliis inferioribus Prælatis in locum vivorum conſtitutis. Quare autem depoſitionis pœna imponitur ſubrogato in locum Epiſcopi viventis, non verò ſubſtituto in locum beneficiarii vivi, exponit Petrus Gregorius *lib.* 4. *partit. tit.* 7. *cap.* 3. quia videlicet inter Prælatum & Eccleſiam contrahitur matrimonium ſpirituale; non verò inter beneficiarium, & parochiam. Unde adulterium ſpirituale videtur committi in ſubrogatione Epiſcopi in locum viventis, & ita graviori pœnâ illud puniendum erat, *cap. ſicut vir* 11. *cap ſicut alterius* 39. 7. *q.* 1.

CAPVT II.

Ex Concilio (a) *Lateranenſi.*

NUlla (b) Eccleſiaſtica (c) miniſteria, ſeu etiam beneficia, vel (d) Eccleſiæ alicui tribuantur, ſeu permittantur, antequam (e) vacent, ne deſiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum, & beneficium ſe crediderit ſucceſſurum. Cùm enim ipſis etiam Gentilium (f) legibus inveniatur inhibitum, turpe eſt, & divini plenum animadverſione judicii, ut locum in Eccleſia Dei futuræ ſucceſſionis expectatio habeat, quam ipſi etiam Gentiles homines condemnare [g] curaverunt. Cùm verò præbendas Eccleſiaſticas, ſeu quælibet officia in aliqua Eccleſia vacare contigerit, vel ſi etiam modò vacant, non (h) diu maneant in ſuſpenſione, ſed infrà ſex (i) menſes perſonis, quæ dignè miniſtrare valeant, conferantur. Si autem Epiſcopus, ubi ad (l) eum ſpectat, conferre diſtulerit, per Capitulum ordinetur. Quod ſi ad Capitulum pertinuerit, & infra præſcriptum terminum hoc non fecerit, Epiſcopus ſecundùm Deum hoc, & cum religioſorum virorum (k) conſilio exequatur; aut ſi omnes fortè neglexerint, (l) Metropolitanus de ipſis ſecundùm Deum abſque illorum contradictione diſponet. Et quæ honeſtatis decorem deformant, & canonum probantur ſanctionibus obviare, penitus ſunt evellenda, & falce Apoſtolici moderaminis reſecanda. Unde quia Eccleſiæ viventibus perſonis aliis conferri non debent, conſult. t. t. reſpondemus, ut ſi quas conceſſiones Eccleſiarum tui Epiſcopatus viventibus perſonis factas eſſe conſtiterit, & ſuper hoc ventum fuerit ad judicium, eas auctoritate noſtrâ in irritum revoces, & frivolas, & vanas eſſe decernas.

NOTÆ.

(a) *Lateran.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 2. & reperitur textus hic in ipſo Concilio Lateran. celebrato ſub Alexandro III. *cap.* 8. de quo Concilio nonnulla notavi *in cap. nulli* 27. *do reſcriptis.*

(b) *Miniſteria.*] Licèt miniſteria nonnunquam accipiantur pro rebus ſpiritualibus, ſeu profanis, *cap.* 2. 12. *q.* 2. Concilium Arvernenſe *can.* 7. ibi: *Ne ad nuptiarum ornatum miniſteria divina præſentur, ne dum improborum contactu,*

pompaque secularis luxuriæ polluuntur, ad officium sacri ministerii videantur indigna. Extat apud Gratianum *in cap. ad nuptiarum 43. de consecr. dist.* 1, quomodo & ministeriorum appellatio exaudienda de vasis, palliis, ornamentisque sacris *in cap. non licet, 32. dist.* Concilium Brachar. *3. can.* 2. Tolet. *17. can. 5.* in Pontificali Damasi *in Sixto I. & Urbano I.* ut etiam in jure civili ministeria pro rebus, servisque ponuntur *in l. si servus 27. §. si fornicarius ff. ad leg. Aquil. l. obligatione 6. de pignor. l. quæsitum 12. §. idem Celsus 31. ff. de fundo instructo* : apud Sextum Aurel. Victor *in epist. de vita & moribus Imp.* ubi de Theodosio, qui lege prohibuit ministeria lasciva, psaltriasque comessationibus adhiberi. Tamen in præsenti ministeria accipiuntur pro officiis, aut dignitatibus, quo in sensu accipiuntur ministeria *in l. 1. ff. ad leg. Jul. repetund. l. 2. ff. de offic. Proconf. l. 6. §. illicita, ff. de offic. Præsidis, l. 2. ff. de servis fugitivis l. 3. §. quia pecuniam, ff. de suspect. tut. cap. multi 1. q. 1. cap. cum in cunctis, §. inferiora, de elect. cap. Joannes, de cleric. conjug. cap. cùm singula, §. prohibemus, de præbend. in 6. Clement. 1. de supplend.*

2. (c) *Ecclesiastica.*] Unde officia sæcularia nondum vacantia, à Principe concedi, & promitti posse, docuerunt Alciatus *in l. ult. num. 45.* & ibi Decius *num. 30. C. de pact.* Barbosa *in remiss. ad ordin. Lusit. lib. 1. tit. 98.* Fontan. *decis. 22.* & *23.* licèt ex ratione in præsenti adducta protrahant præsentem prohibitionem plures, quos refert, & sequitur Solorzanus *tom. 2. de jure Indiarum, lib. 2. cap. 6. num. 3.* & *lib. 3. polit. cap. 7.*

3. (d) *Ecclesiæ.*] Id est, parochiæ, seu beneficia parochialia, quomodo Ecclesia accipitur in Concilio Metensi *can. 11.* ibi: *Unusquisque presbyter unam solummodo habeat Ecclesiam.* Nannet. apud Burchardum *lib. 2. Decreti, cap. 26.* ibi: *Ut si quilibet presbyterorum defunctus fuerit, vicinus presbyter apud seniorem sæcularem, nullâ precatione, vel xenio Ecclesiam illam obtineat.* Et *cap. Sanctorum, 70. dist.*

4. (e) *Antequam vacent.*] Beneficia non vacantia dicuntur illa, quorum possessor certus extat, & vivit, vacantia verò, quæ possessore carent, exemplo mulieris, quam vacantem consultus appellat, quæ marito caret. *l. qui cœtus, §. qui vacantem, ff. ad leg. Jul. de vi*: veluti quando possessor decessit, vel ab hostibus captus est, *cap. 1. ne Sede vacante, cap. susceptum, de rescript. in 6. cap. quamvis 38. de præbend. eo d. lib. 6.* aut sua sponte beneficio cessit, *cap. final. de renunc.* aut vitio suo illud amisit, veluti per assecutionem alterius beneficii incompatibilis, *cap. referente 7. cap. præterea 14. cap. de multa 28. de præbend.* aut si matrimonium contraxit, *cap. 1. & 3. de cleric. conjug.* aut si intra annum ad sacerdotium non est promotus qui parochiale obtinuit, *cap. licèt canon, cap. statutum 22. cap. cùm ex eo 34.* cum sequenti, *de elect. lib. 6.* quos & alios vacationis modos prosequuntur latè P. Gregorius *de benef. cap. 38.* Garcia & alii, quos laudant Valensis *de benef. lib. 2. tit. 23. & 24.* Dartis *de benef. sect. ult.*

5. (f) *Legibus Gentilium.*] *L. qui superstitis 49. l. neminem, 29. ff. de acquir. hæredit. l. 1. ff. pro hærede, l. 2. §. interdum, ff. de vulgar. l. licèt 19. C. de pact. l. ex eo, C. de inutilib. l. stipulatio 61. ff. de verb. oblig.* ubi apertè cavetur, pactum de hæreditate viventis non valere; quod & latè illustravi *in cap. accepimus, de pactis.*

(g) *Gentiles condemnare curarunt.*] Quibus verbis innuitur, aliquando exemplo, & legibus 6.
Gentilium utendum esse, quando iis coadjuvantur potiùs, quam impugnantur sacri canones, ut *in cap. urgentis, de hæret. cap. ex antiquis, 54. dist. cap. si sæculi 12. q. 2. cap. nemo 32. q. 4. cap. ista 33. q. 2. cap. 2. de novi oper. nunc.* & in præsenti casu nec inter ipsos Gentiles licuit in cujusque vivi Pontificatum alium constituere: quare Julius Cæsar recusavit Pontificatum Lepidi, eo vivente sibi à populo oblatum, Dio Casius *libro 49.*

(h) *Non diu.*] Verbum *diu*, aliquando biennium significat, *l. cum domini 56. ff. locati*: de- 7.
cennium, *in l. 16. §. 3. ff. qui & à quibus*: quinquennium *in l. 3. §. 2. ff. de re milit.* modò quadraginta annos, *l. 2. C. de præscript. 30.* modò brevius tempus, *l. 1. ff. de jure deliber.* & ex sententia Ciceronis de senecture diuturnum significat longum quoddam tempus, non certum, aut diffinitum, sed pro rei conditione, cui jungitur, modò longius, modò brevius: notarunt Donellus *lib. 1. comment. cap. 10.* ubi Osvaldus *littera F.* Cujacius *lib. 13. observ. cap. 28.* Duarenus *de legibus cap. 12.* Faber *in rational. ad legem de quibus, ff. delegib.*

(i) *Sex menses.*] Julius Lavorus *variar. lucubr. tit. de elect. cap. 18.* existimat menses hos esse 8.
computandos secundùm ordinem Kalendarii, non autem per quatuor hebdomadas, nec per triginta dies, ut *in authent. jubemus, C. de judic.* nec ut *in l. ubi lex, ff. de reg. jur.* ubi dies unus & sexaginta faciunt duos menses: nec ex uno & triginta, ut *in l. final. §. 1. C. de tempor. appel.* sed ita putat mensem computandum esse, ut si prima die Ianuarii decedat Prælatus, prima die Februarii finiatur primus mensis; & sic deinceps sex menses computantur. Nec obstat textus *in cap. obeuntibus, 63. dist. cap. ne pro defectu de elect.* ubi trium mensium tempus tantùm ad eligendum conceditur: Ergo non sex, ut in præsenti docetur. Nam discrimen adhibendum est inter dignitates majores, in quibus vacatio diuturna Periculosior est, & inter inferiora beneficia; nam ad majores dignitates, de quibus *in dicto cap. obeuntibus, cap. ne pro defectu*, tres tantùm menses ad eligendum competunt; ad minora verò, de quibus in præsenti, sex menses conceduntur. Nec huic distinctioni obstat textus *in cap. cum nostris, hoc tit.* ubi cùm agatur de Præpositura, supponitur sex menses concedi ad ejus provisionem. Quia ut notavit Cironius *in cap. 2. de elect. in 5. compil.* Præpositura illa non habetur pro prima Ecclesiæ dignitate; unde ad ejus electionem, ut in aliis inferioribus beneficiis, sex menses conceduntur. Sunt etiam aliæ breviores devolutiones in jure nostro, ut *in cap. si pluribus, de elect. in 6. cap. final. de consuet. eod. lib.* de quibus agit P. Gregorius *in cap. 8. de constit.* 9.

(j) *Ubi ad eum spectat.*] Sunt enim quædam beneficia quorum collatio ad Episcopum solum pertinet, alia ad Capitulum tantùm, alia denique, quæ simul, & conjunctim spectant ad Episcopum, & Capitulum, ut tradunt Petrus Gregorius *lib. 7. syntagm. cap. 9.* Garcia *de benef. 5. p. cap. 3. num. 28.* Zerola *in praxi, verbo Beneficia.*

neficia. Unde in præſenti primò deciditur caſus, in quo collatio tantùm ſpectat ad Epiſcopum; & docetur illo non eligente, ad Capitulum devolvi collationem. Garcia *de benef. p. 10. cap. 3. num. 33.* Duarenus *de ſacris Eccleſ. lib. 5. cap. 5.* Duobus tamen in caſibus devolutio non fit ad Capitulum. Primus eſt quando collatio ſpectat ad Epiſcopum juresſpeciali, tunc enim devolutio fit ad ſuperiorem: Abbas in præſenti, *num. 8.* Rebuffus *in praxi tit. de devolut. num. 21.* Germonius *de indultu, §. volumus, num. 56.* Secundus eſt, quando Epiſcopus immediatè pàret Romano Pontifici, tunc enim devolutio ad ipſum tantùm fit: Rebuffus ſuprà *num. 36.* Garcia *dicto cap. 3. num. 3.* Cùm verò ad Capitulum tantùm collatio ſpectat, eo negligente, ad Epiſcopum collatio devolvitur. Et quamvis Epiſcopus tanquam Canonicus ſimul cum Capitulo negligens fuerit, nihilominus niſi id malitiosè fecerit, jure devolutionis uti poterit, *cap. poſtulaſti, §. niſi forte, hoc titulo, l. 9. tit. 16. part. 1.* Si verò collatio ad Epiſcopum, & Capitulum ſimul ſpectat, illis negligentibus ad Metropolitanum collatio devolvitur, *dict. cap. poſtulaſti.*

(k) *Conſilio.*] Quod convenientiam Pontifex appellavit, *in cap. obeuntibus, 63 diſt.* & elegantèr; ut probat Juretus *in not. ad epiſt. 220. Ivonis*; olim enim in electionibus Eccleſiaſticis Epiſcoporum, vel inferiorum Prælatorum, immò & ipſius Romani Pontificis, collaudatio deſiderabatur Religioſorum, *cap. in nomine. 23. diſt. d cap. obeuntibus, d. cap. ne pro defectu, de elect.* ut conſilium præſtarent, quod poſteà abrogatum fuit adeò, ut nec Abbas admitteretur, niſi ratione privilegii, *cap. Cumana, de elect.* aut conſuetudinis, *cap. cum dilectus, de conſuet.* docuit Barboſa *de poteſt. Epiſcop. tit. 1. cap. 3. num. 13.*

(l) *Metropolitanum.*] Et ſi ipſe negligens fuerit, ad Primatem, vel Pontificem collatio devolvitur, *cap. cùm acceſſiſſent, de conſtit. cap. cùm noſtris, cap. poſtulaſti, hoc tit. cap. finali, de ſupplend. negleg.*

COMMENTARIUM.

10. Conclusio traditur & probatur.

TExtus hic duas continet partes: in prima prohibetur, ne beneficia promittantur antequam vacent: in ſecunda agitur de jure conferendi beneficia vacantia propter negligentiam ejus, cui illud jus proximè competit: hanc expoſui *in cap. 3. & 4. de ſupplend. neglig.* ex prima autem ſequens deducitur aſſertio: *Beneficia nondum vacantia concedi, aut promitti non debent.* Probant eam textus *in cap. audivimus 3. q. 2. cap. 79. diſt. cap. deliberatione, §. prohibemus, de offic. leg. in 6. cap. 2. hoc tit. cap. illud, de jurepatron. cap. venerabili, §. finali, de præbend. cap. bonæ 36. de elect. cap. conſultationibus, de donat.* Julius I. *epiſt. 2.* Damaſus *epiſt. 1. ad Paulinum*, Concilium Friſingenſe anno 1440. *can. 8. Ne per receptionem Canonicorum præbendis non vacantibus, alienæ mortis votum turpiter ingeratur, ſtatuimus, ut de cætero nullus recipiatur in Canonicum Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, niſi vacaverit præbenda.* Coloniense anno 1536. *can. 5. Cùm olim conciliari inſtitutione vetitum ſit, ne ulla Eccleſiaſtica miniſteria, ſeu beneficia promittantur priùs quàm vacent,* &c. Innocentius III. *lib. 1. epiſt. apud Surletum; fol. 84.* ubi Abbati S. Dionyſii ſcribit. Alia juris teſtimonia congerunt Antonius Auguſtinus *in epit. lib. 4. tit. 14. & lib. 15. tit. 10.* Creſpetius *in ſumma, verbo Beneficia.* Illuſtrant ultra congeſtos in præſenti à Barboſa, & Garanna, Corral. *de ſacerd. p. 1. cap. 7,* Quintanadvennas *lib. 1. Eccleſ. cap. 8.* Petrus Gregorius *lib. 17. ſyntag. cap. 12. & lib. 1. partit. tit. 28. cap. 3.* Vigelius *in methodo juris can. fol. 290. & 291.* Lantdmeter. *lib. 2 de veteri mon. cap. 33.* Corvinus *lib. 2. ad horiſm. tit. 29.* Fragoſo *p. 2. de regim. diſput. 20. §. 5.* Barboſa *lib. 3. juris Eccleſ. cap. 13. num. 119.* Acuſtia *in cap. nullus, 79. diſt.* Valenſis *lib. 1. de benef. tit. 22.* Dartis *de benef ſect. 5. cap. 1.* Soloranus *tom. 2. lib. 2. cap. 6. num. 1.*

Sed hæc aſſertio difficilis redditur ſequenti conſideratione. Si beneficia nondum vacantia conferri aut promitti non poſſent, ſequeretur quod Epiſcopi non poſſent beneficia vivis eorum poſſeſſoribus unire alteri Eccleſiæ, Collegio, aut Capitulo; ſed ſic eſt, quod poſſunt ſimiles uniones facere, *cap. conſultationibus, de donat. cap. cùm venſſet,* & ibi Gloſſa verbo *Retinebat, de reſtit. ſpol. Clement. unic. de rebus Eccleſ.* Igitur quia beneficia nondum vacantia conferri poſſunt. Augetur primò hæc difficultas ex eo, quia a qualis ratio militat ſi beneficium viventis conferatur, ac ſi beneficium promittatur cùm facultas ſe obtulerit; ſiquidem qui gratiam hanc aſſequitur, facilè in votum captandæ mortis alienæ incidet: ſed beneficium promitti poteſt cùm facultas ſe obtulerit, *cap. accedens, hoc tit.* igitur quia beneficium nondum vacans promitti poteſt. Augetur ſecundò hæc difficultas, nam ſi beneficium nondum vacans promitti non poſſit expreſsè, nec etiam tacitè, cùm eo caſu etiam detur occaſio captandæ mortis alienæ: ſed tacitè nondum beneficium vacans promittitur cùm quis recipitur in Canonicum absque præbenda; nam præcisè præbenda proximè vacatura illi debetur, *cap. cùm M. de conſtit. cap. relatum, cap. dilectus, de præbend. cap. ſi poſtquam 13. eod. tit. in 6.* & certò ſcit Canonicus ita receptus præbendam proximè vacaturam illi deberi, unde facilè habebit votum captandæ mortis alienæ: & nihilominus talis receptio in Canonicum ſine præbenda ſub ſpe futuræ vacationis licita eſt: ergo quia beneficium nondum vacans promitti poteſt. Fulcitur tertiò hæc difficultas *ex cap. propoſuit 4. cap. conſtituzus 11. hoc titulo, cap. ex parte 12. de offic. deleg. cap. 2. de præbend. in 6.* in quibus diſertè docetur, validè, & licitè poſſe beneficia vacatura promitti. Igitur non rectè in præſenti ſtatuitur beneficia nondum vacantia promitti non poſſe.

11. *Impugnatur tradita aſſertio.*

Quâ difficultate ita fulcitâ, non obſtante, vera eſt præſens Concilii Lateran. conſtitutio, cujus illa ratio in præſenti commendatur, quia beneficii nondum vacantis collatio, ſeu promiſſio inducit votum captandæ mortis alienæ, *cap. 2. cap. ne captandæ 3. hoc tit. in 6.* quare & jure civili pacta futuræ ſucceſſionis, tanquam nefariæ ſpei improbantur, *l. ult. C. de pactis, l. de fideicommiſ. C. de tranſact. l. 2. §. ult. ff. de his quib. ut indig. l. donari 29. §. ult ff. de donat.* Unde etiam tractatus deliberativus de futura electione non valet antequam beneficium vacet, *cap. bonæ 36. de elect. cap. nullus, 79. diſt.*

12. *Traditur ratio decidendi.*

cui

cui rationi & aliæ adjungi possunt; nam sicut in matrimonio mulier plures viros habere nequit, ita nec Ecclesia plures Prælatos, *cap. sicut* 11. 7. *q.* 1. *cap. cùm non ignores* 15. *de præbend.* & sicut non potest quis habere eam uxorem, quam vivente ejus marito superinduxit, *cap.* 1. *cap penult. de eo qui duxit in matrim. quam polluit:* ita nec Ecclesiam, quam vivente ejus Prælato obtinuit. Accedit, nam sicut obligatio realis non consistit in re aliena, *l.* 2. *l. aliena* 20. *ff. de pignor. act. l.* 1. *ff. de pignorib. l.* 1. *& per totum, C. si aliena res:* ita nec beneficium viventis dari, aut efficaciter promitti potest. Ex qua prohibitione prodierunt duæ regulæ Cancellariæ, quarum prior concepta fuit contra impetrantes beneficia viventium, & est in ordine 21. quâ cavetur, quod si quis impetraverit rescriptum, ut sibi provideatur de beneficio, tanquam per obitum alicujus tunc viventis vacante, etiamsi postea per obitum vacet, provisio virtute talis rescripti nullius momenti sit, quam exponunt Mandosius *ibi*, Petrus Gregorius *de benefic. cap.* 32. *num.* 2. Altera regula est 30. in ordine, quæ vocatur de Verosimili notitia, eaque cavetur, impetrationem beneficii per obitum vacantis irritam esse, nisi congruum tempus præcesserit, intra quod verosimilis notitia obitus pervenire ad Pontificem potuerit. Rectè ergo in præsenti prohibentur beneficia nondum vacantia conferri, aut promitti: quod & retrò variis Ecclesiæ legibus cautum fuerat, ut constat ex congestis ab Antonio Augustino *in epitom. lib.* 4. *tit.* 24. quibus etiam qui in locum viventis se instituì passus erat, privatione communionis, depositione, & aliis pœnis coercebatur, *cap. in primis* 2. *q.* 1. *cap. audivimus* 3. *q.* 2. *cap. non furem* 7 *q.* 1. *cap.* 1. *hoc tit.* Adeoque verum est, beneficia nondum vacantia promitti non posse, ut nec juramento talis promissio firmari possit, ut docent plures, quos refert & sequitur Sanchez *lib* 7. *summæ, cap.* 2. *num.* 33. nec consuetudine etiam immemoriali contrarium introduci potest, ut docent Garcia *de benef p.* 10. *cap.* 1. *num.* 4. Cabedo *de patronatu cap.* 14. Barbosa *in remiss. ad ordinat. Lusit. lib.* 1. *tit.* 98. Solorzanus *dict. tom.* 2. *lib.* 2. *cap* 6. *num.* 3. Phebo *decis.* 2. *num.* 2. qui latè explicant praxim hujus Regni, juxta quam Magnus noster Monarcha consuevit commendas nondum vacantes promittere, & assignare.

13. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam licèt ordinarii collatores non possint beneficia nondum vacantia promittere, possunt tamen unire loco Religioso, vel monasterio, *d cap cùm venissent, cap. consultationibus*: tum ex eo, quia ratio captandæ mortis alienæ cessat eo casu; siquidem negligitur, quod communiter possidetur, *l.* 2 *C. quando, & quibus quarta pars*; & quod collegio datur, nemini datur, *cap. Episcopus, §. qui manumittitur* 12 *q.* 2. docuit Garcia *de benef. p* 10. *cap.* 1. *num.* 29. tum etiam quia per unionem non fit viventi præjudicium, sicut per impetrationem: & licèt qualisqualis occasio captandæ mortis daretur propter majus bonum, quod ex tali unione provenit, contemnenda est. Nec huic solutioni obstat textus *in cap. illud* 8. *de jurepatron.* ubi refertur, laicum contulisse Ecclesiam nondum vacantem loco Religioso; & tamen disertè docetur collationem ideò fuisse irritam, quia Ecclesia nondum vacaverat. Nam respondetur cum Panormitano *ibi. num.* 7. Thom. Sanchez *lib.* 7. *in Decal. cap.* 29. in specie illius textus laicum voluisse conferre Ecclesiam illam nondum vacantem, ut ex tunc valeret in præjudicium Rectoris viventis; diversum tamen eveniret, si intenderet sine præjudicio Rectoris ita beneficium conferre, ut à die vacationis monasterium illo frueretur; tunc enim talis collatio cum Episcopi consensu facta valeret, ut constat *ex dicto cap. consultationibus, de donat. cap. si Episcopus* 73. 12. *q.* 2 *cap. penult. de Eccles. ædif.* hodie tamen ex nova Concilii Trident. dispositione *sess.* 24 *de reform. cap.* 18. non potest beneficium uniri monasterio, aut simili loco, nisi auctoritate Rom. Pontificis: explicant Monetà *de commut. cap.* 11. *num.* 99. Garcia *ibi.* Nec obstat primum augmentum ipsius difficultatis; nam licèt non possint inferiores Prælati expressè promittere beneficia nondum vacantia, tamen possunt Canonicos recipere in fratres, etsi illis per consequens debeatur præbenda proximè vacatura. Ratio est, quia prohibitio præsentis textus tantùm locum obtinet in promissionibus factis ab homine, non verò à lege. Planè promissio, quæ fit recepto in Canonicum, magis censeri debet facta ab homine, quàm à lege; in qua specie explicandi sunt textus *in dicto cap. relatum, cap. cum super, hoc tit. cap. ex diligentia. de jurepatron.* latè probavi *in dicto cap. relatum*, ubi expositi textus *in cap. dilectus* 19. *cap. tuæ* 20. *cap. dilectus* 25. *de præbend.* Nec obstat augmentum deductum *ex dicto cap. accedens, hoc tit.* nam licèt beneficium viventis promitti non possit, tamen generaliter & indistinctè beneficium ita promitti potest quamprimùm occasio collationis se obtulerit, quia præcisè tunc non expectatur alicujus mors, cùm alius pluribus modis beneficium vacare contingat. Nec tandem obstant textus *in dicto cap. ex parte* 12. *cap. proposuisti, hoc tit.* in quibus proponitur nobilis exceptio præsentis regulæ; nam licèt inferioribus Prælatis non liceat beneficia vacatura promittere, adeo ut nec Legato id liceat, *cap. dilecto* 25. *de præbend.* hoc tamen non procedit in Romano Pontifice, qui propter ejus supremam auctoritatem, & plenissimam in beneficialibus distributionem potest beneficia nondum vacantia promittere; & in eis jus expectativæ conferre, *cap. eam te* 7. *cap. constitutus* 19. *cap. mandatum* 38. *cap. litteris* 39. *cùm seq. de rescript.* Quâ ratione etiam beneficium litigiosum, quod conferri non potest, *cap.* 2. *ut lit. pend. lib.* 6. utiliter Pontifex confert. *Clement.* 1. *in fine, eod. tit.* & cùm beneficium sui naturâ conferri debeat in perpetuum, *cap. Sanctorum, 70. dist. cap. unic. de capel. monach. in* 6. ad tempus Pontifex rectè conferre potest, *cap. si gratiosè, de rescrip. in* 6. docent Duarenus *lib.* 6. *de sacris Eccles. cap.* 1. Petrus Gregorius *lib.* 1. *de rescript. cap.* 6. Cabedus *de patron. cap.* 15. *num* 6. Azor 2. *tom. instit. lib.* 6. *cap.* 32. & cùm æquius sit, Pontificem non imperio tantùm, sed etiam exemplo cæteros Episcopos in officio continere, inde provenit ut plenissima potestas, quam in causis beneficialibus Pontificem habere docetur *in d. cap.* 2. *de præbend. in* 6. non pro libito suæ voluntatis, sed secundùm justitiam, & æquitatem exercenda sit, augmento legis 14. *tit.* 5. *part.* 2. junctis traditis à Pinel. *in rubric. C. de rescind. vendit.* 1. *p. cap.* 2. *à num.* 49. faciunt

textus

textus *in l. venditor*, §. 1. *ff. commun. prædior. l.* 2. *& ult. C. ex quibus cauſis ſerv.* Illuſtrat Sanchez *lib.* 2. *de matrim. diſput.* 13. *num.* 3. quare hodie ſublatæ ſunt hujusmodi litteræ expectativæ, Concilium Trident. *ſeſſ* 24. *de reform. cap.* 19. ex ratione adducta in præſenti, videlicet ne detur votum captandæ mortis alienæ.

14. Examinatur cap. dilectus de jurepatron.

Suprà traditæ aſſertioni primò opponi poteſt textus *in cap. dilectus* 21. *de jurepatron.* ubi docetur reſervationem præbendæ proximè vacaturæ factam à Legato à latere, utilem & ratam eſſe: igitur idem dicendum eſt in promiſſione beneficii non vacantis, cùm reſervatio, præſertim in commodum certæ perſonæ, promiſſionis vim obtineat. Pro cujus difficultatis ſolutione dicendum eſt, magnum diſcrimen verſari inter promiſſionem, & reſervationem præbendæ vacaturæ; nam licèt Legatus à latere promittere non poſſit beneficium vacaturum, *dict. cap. dilectus, de præbend.* tamen poteſt reſervare collationem præbendæ vacaturæ regulariter, exceptis caſibus, de quibus *in cap. ſequenti, cap. dilecti* 4. *de offic. Legat. lib.* 6. docent Gloſſa. Zabarel. & Hoſtienſ. *in dicto cap. cùm. dilectus*, plures relati à Garcia *de benef.* 5. *p. cap.* 3. *à num.* 35. cujus diſcriminis ratio ex eo provenit, quia cùm per promiſſionem, & collationem beneficii vacaturi acquiratur jus proviſo, timeri quidem poteſt occaſio, ſeu votum captandæ mortis alienæ, quod non ita contingit in reſervatione, in qua cùm nullum jus acquiratur ei, pro quo reſervatio fit, inde ceſſante hoc periculo captandæ mortis, ceſſat præſens prohibitio: & licèt in reſervatione ſpeciali, quia tacitè continetur promiſſio ei pro quo reſervatur, & ita timeri poſſit prædictum votum captandæ mortis; tamen cùm per eam reſervationem Legatus non maneat obſtrictus, ita ut alteri beneficium conferre non poſſit, cùm mutare voluntatem valeat, *ex l.* 3. *l. quæſitum* 8. *ff. de ſervit. export. l.* 3. *ff. qui ſine manumiſ.* ideo in hujusmodi reſervatione ceſſat præſens prohibitio, *cap. ſi Apoſtolicæ, de præbend. in* 6. Nec huic interpretationi obſtat textus *in cap. conſtitutus, hoc tit.* cujus interpretationem in ejus commentario dabimus.

15. Exponitur cap. tanta, de exceſſ. Prælat.

Secundò opponi poteſt textus *in cap. tanta, de exceſſ. Prælat.* ubi cùm beneficium viventis promiſſum eſſet, talis promiſſio per ſententiam ſpecialem irritatur: igitur quia à principio valuit. Cui difficultati reſpondendum eſt, tantùm de facto pronunciatum fuiſſe in ejus textus ſpecie, promiſſionem beneficii non vacantis non valuiſſe, non quia de jure neceſſaria eſſet talis pronunciatio.

16. Exponitur textus in cap. ad aures, de reſcript.

Tandem opponi poteſt textus *in cap. ad aures, de reſcriptis*, in illis verbis: *Pauperes clericos ſuper moribus beneficiis inquietent*; ubi docetur, concеſſionem factam beneficii non vacantis non valere ea ratione, quia qui litteras impetravit, tacuit ſe dignitatem habere: igitur ſi id exprimeret, valeret utique collatio beneficii viventis. Pro cujus difficultatis ſolutione dicendum eſt, in eo textu collationem beneficii non vacantis ſuſtineri non potuiſſe ceſſante obreptionis vitio, quia Romanus Pontifex, ut ſuprà dixi, beneficia etiam nondum vacantia promittere poteſt.

CAPVT III.

Idem (a) *Eboracenſi.*

RElatum eſt auribus noſtris, quod cùm quidam clerici in beneficiis eccleſiaſticis G. vel CC. (b) marcharum redditus poſſidentes, & proponentes primas vacantes Eccleſias à monachis, vel Canonicis, aut aliis juspatronatus habentibus, ſibi fuiſſe promiſſas, ne in illis cùm vacant, inſtituantur alii, vocem appellationis emittunt, ut interim arte aliqua valeant propoſitum ſuum adimplere. Quia igitur conſulis, an à diœceſano Epiſcopo hujusmodi appellationi ſit deferendum, præſentibus litteris reſpondemus, quòd cùm in Lateranenſi Concilio promiſſiones factæ de Eccleſiis non vacantibus ſint caſſatæ prætextu appellationis eorum, qui jam dictis promiſſionibus nituntur, omitti non debet, quin Eccleſiæ cùm vacaverint, perſonis idoneis ordinentur.

NOTÆ.

1. (a) *Eboracenſi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. de appellat. cap.* 39. & poſt Concilium Lateran. *p.* 47. ex quibus codicibus ita reſtituo litteram hujus textus. De Eccleſia Eborac. nonnulla notavi *in cap.* 4. *de reſcript.*

(b) *Marcharum.*] Earum valorem jam explicavi *in cap.* 4. *de pactis.*

COMMENTARIUM.

1. CUm prioribus Eccleſiæ conſtitutionibus illud tantùm cautum eſſet, ne quis in vivorum ſacerdotum locum conſtitui poſſet, idque appoſitâ pœnâ privationis Eccleſiaſticæ communionis, ut conſtat *ex cap.* 1. junctis ibi congeſtis, *hoc titulo*; illud eveniebat, ut ſi in viventis locum quis minimè poneretur, licitè ei eccleſiaſtica beneficia poſt mortem poſſeſſorum promitterentur, quaſi in tempus habile, argumento legis *in tempus, ff. de hæred. inſtit.* Sed quia ſimiles promiſſiones occaſiones præſtabant captandæ mortis alienæ, ideo in Lateranenſi Concilio relato in capite antecedenti ſtatutum fuit, ne Eccleſiaſtica beneficia promittantur antequam vacent: quam Concilii conſtitutionem Alexander III. & ejus ſucceſſores ad varios caſus protraxerunt. Primò ad Patronos, ita

ita ut præsentare non possint aliquem ad beneficium antequam vacet, in præsenti, & *in cap. ex tenore* 13. *cap. final. hoc tit.* Unde in præsenti docetur, appellationi interpositæ ab his, quibus beneficia promissa erant antequam vacarent, ne alii instituerentur, non esse deferendum; quia licèt appellationi rectè interpositæ ab electione, seu collatione sit deferendum, *cap. 1. de his qui fiunt à majori, cap. 2. de elect. lib. 6.* tamen quia appellatio, de qua in præsenti, interposita fuit contra statuta juris canonici, & ita per eam impediri non poterat executio earundem constitutionum, ideo tanquam frivola & injusta, jurique contraria rejicitur, juxta dicta *in cap. 28. de appellat.*

CAPVT IV.

Innoc. *Præposito N. Decan. & Capit.* (a) *Cameracensi.*

PRoposuit nobis dilectus filius Theobaldus presbyter, quod cùm bonæ memoriæ C. Papa prædecessor noster, post preces, quas vobis pro receptione ipsius in fratrem, & assignatione præbendæ ad donationem vestram spectantis in Ecclesia vestra proximo vacaturæ, eidem facienda porrexerat, mandatum vobis Apost. destinasset, & bonæ memoriæ N. Decan. Rhemen. executorem concessisset eidem, Decanus ipse vos in executione mandati Apost. contumaces inveniens, & rebelles, ipsum de præbenda primo vacatura in Ecclesia vestra, quæ ad donationem Capituli pertinet, auctoritate Apost. investivit: vobis præcipiens, ut eum in Canonicum recipientes, & fratrem, ipsi stallum in choro, & locum in Capitulo conferretis, Ecclesiarum vobis introitu interdicto, si quod mandabat, differreti s infra triduum adimplere. Vos autem nec mandatum ejus exequi voluistis, nec ab Ecclesiarum cessastis ingressu; immò potiùs in elusionem mandati Apost. causâ diffugii ad eundem Decanum appellastis: & cùm ipse Decanus morte præventus in negotio ipso ulteriùs non potuisset procedere, & præbenda, quæ ad donationem vestram spectabat in Ecclesia Cameracen. vacasset, eam alii assignastis, in eundem presbyterum excommunicationis sententiam promulgantes, quia litteras ejusdem Decani sibi in testimonium reservavit. Cùm autem propter hoc idem presbyter ad ejusdem prædecessoris nostri præsentiam accessisset, sicut ex litteris ejus nobis innotuit, ipse quod ab eodem Decano factum fuerat, ratum volens haberi, collationem præbendæ factam à vobis penitus irritavit, & eundem presbyterum ab excommunicationis vinculo absolutum, de ipsa manu propria per (b) annulum investivit. Licèt autem intentionis nostræ non sit investituras de(c)vacaturis factas, contra Canonum instituta ratas habere, qui secundùm plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus (d) dispensare; attendentes tamen quod idem presbyter non de vacaturâ, sed de vacante per prædecessorem nostrum fuerat investitus, utpote quæ post cassationem concessionis à vobis factæ intelligebatur vacare, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus amoto ab eadem præbendâ quolibet detentore, eam ipsi T. omni dilatione, excusatione, & app. postpositis conferatis, & permittatis ab ipso pacificè possideri, ei stallum in choro, & locum in Capitulo cum plenitudine honoris Canonici assignantes, alioquin noveritis nos venerabili fratri nostro N. Catalaunien. Episcopo dedisse firmiter in mandatis, ut ipse id auctoritate Apost. exequatur, contradictores eccl. censurâ, cessante appellatione percellens, si vos super executione mandati nostri desides fueritis, vel remissi. Nos enim nolumus pati repulsam, qui promptissimus omnem inobedientiam secundùm Apost. verbum ulcisci: nullis litteris, &c. harum tenore tacito, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum.

NOTÆ.

1. (a) *Cameracensi.*] Ita etiam legitur *in cap. 1. hoc tit. in 3. collect.* & in epistolis ipsius Innocentii III. editis, & emendatis à Cardinale Guillel. Sirleto, *fol. 62.* ex quibus ita restituo integram hujus textus, cui conjungendæ sunt aliæ duæ epistolæ ipsius Innocentii III. in quibus exitus hujus controversiæ refertur, quæ reperiuntur apud ipsum Cardinalem Sirletum *fol. 301.* in hæc verba: [Ne fiant controversiæ litigantium immortales, si sopitæ judicio quæstiones in antiquæ contentionis scrupulum reducantur: sententias per fratres nostros ex delegatione nostra canonicè promulgatas; Apostolicæ confirmationis præsidio consuevimus roborare, ne si pateret partibus à lata sententia resiliendi facultas, non litigantes litigia, sed litigia potiùs fugerent litigantes, dum non nisi eis expirantibus expirarent. Sanè cùm inter te & dilectum filium I. Presbyt. de Landreceis super præbenda Camerancensis Ecclesiæ, de qua te felicis recordationis Cœlestinus Papa prædecessor noster, post preces. & mandatum dilectis filiis

filiis Capituli Cameracenſis porrectas, & executorem tibi ab ipſo conceſſum, caſſata collatione ipſius præbendæ dicto presb. facta per Capitulum Camerac. ſicut ex litteris ejus accepimus, curaverat inveſtire, & ſuper qua idem presbyter eam ſibi aſſerens canonicè fuiſſe collatam, ad venerabilem fratrem noſtrum Epiſcopum, & dilectos filios Decanum, & Cantorem Atrebaten. commiſſionis litteras impetrarat, qui eum poſtquam iter aggreſſus fueras ad Sedem Apoſtolicam veniendi, causâ rei ſervandæ in poſſeſſionem miſerunt, quæſtio verteretur, nos tibi, & dilecto filio G. procuratori presbyteri memorati, conſtitutis in præſentia noſtra, dilectum filium Hugonem tituli Sancti Martini Presbyterum Cardin. conceſſimus auditorem. Coram quo cùm ſuper cauſa ipſa fuiſſet diutius diſceptatum, ipſe tenore litterarum inſpecto, quas prædeceſſor ipſe noſter pro te Cameracenſi Capitulo, & bonæ memoriæ Decano Rhemen. tranſmiſerat; & earum etiam, quas nos circa noſtræ promotionis initia, venerabili fratri noſtro Catalaunien. Epiſcopo miſeramus: intellecto etiam ex litteris ejuſdem Epiſcopi, qualiter de mandato noſtro in tantum proceſſerat, quòd à Capitulo fuerat receptus in fratrem, & in corporalem ipſius præbendæ poſſeſſionem inductus: inſpectis inſuper litteris, quas dictus presb. ad memoratos Epiſcopum, & Decanum, & Cantorem Atrebaten. à Sede Apoſtolica impetrarat, & totius cauſæ meritis, rationibus, & allegationibus intellectis, auctoritate noſtrâ, de conſilio venerabilis fratris noſtri N. Albanen. Epiſcopi, & dilectorum filiorum G. tituli ſanctæ Mariæ trans Tyberim, & S. tit. ſanctæ Praxedis Presb. Cardinalium formavit ſententiam, & nobis priùs retulit, quàm proferret, ac poſtmodùm formatam, & expoſitam nobis ſententiam de mandato noſtro promulgans, ſuper eadem præbenda ſilentium impoſuit presbytero memorato, & procuratori ejuſdem: & eam tibi per ſententiam diffinitivam adjudicare curavit. Nos igitur ſententiam ipſam, ſicut per eundem Cardin. de mandato noſtro lata eſt, auct. Apoſt. confirmamus, & præſentis ſcripti paginâ communimus. Nulli ergo, &c. Datum Lateran. VIII Kal. Maji.) Et eodem folio ibi: (Cùm inter dilectos filios Theobaldum Canonicum veſtrum, & I. presb. de Landreceis, &c. (ferè in eundem modum ut ſuprà, uſque ad verbum *curavit.*) Quam nos poſtmodum, ſicut per eundem Card. de mandato noſtro lata fuerat, auctoritate) curavimus Apoſtolica confirmare. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ſententiam ipſam ſtudeatis inviolabiliter obſervare. Alioquin noveritis nos venerab. fratri noſtro Catalaunien. Epiſcopo diſtrictiùs injunxiſſe, ut eam faciat per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione remotâ inviolabiliter obſervari: contradictores, tam vos, quàm alios, eadem diſtrictione compeſcens. Nullis litteris obſtantibus, latæ ſententiæ, & confirmationis noſtræ tenore tacito, &c. Datum, ut ſuprà.)

(b) *Annulum inveſtituit.*] Quæ eſt propria forma inſtitutionis in dignitatibus & beneficiis Eccleſiaſticis; nam ſicut in ſæcularibus per certa ſymbola fit inſtitutio, veluti per ſceptrum, gladium, vexillum, & ſimilia, ut probat Alteſſerra *de feudis cap.* 7. ita etiam in Eccleſiaſticis inveſtitura datur per annulum, baculum, librum, ſigillum, vel funem campanæ. D. Bernardus *ſermone de Cœna Domini, & de Baptiſta*, ibi: *Sicut enim in exterioribus diverſa ſunt ſigna, & variæ ſunt inveſtituræ, ſecundùm ea de quibus inveſtimur, verbi gratiâ, inveſtitur Canonicus per librum, Abbas per Baculum, Epiſcopus per Baculum & Annulum ſimul.* Ivo Carnot. *epiſt.* 60. & 182. ibi: *Nuper in Capitulo noſtro quædam officia ſecundùm Eccleſiæ conſuetudinem diſpenſarem, & porrecto libro inveſtituram ſubdecaniæ Fulconi clericoſtrenuo, & in agendis cauſis Eccleſiaſticis valde neceſſario facere vellem.* Et *epiſt.* 286. *Et per librum ipſam Eccleſiam fratri Guillelmo Beccenſi Abbati dedimus.* Inveſtituræ per ſigillum mentio fit *in cap. ut noſtrum, de appellat.* De inveſtitura per funem campanæ agit Innocentius *lib.* 2. *epiſt.* 335. ibi: *Exinde ad Eccleſiam pariter acceaentibus, Epiſcopus in ſede Abbatis illum conſtituens, per funem campanæ, ſicut moris eſt, inveſtivit.* Illuſtrant Boſquetus *ad Innoc. lib* 2. *regeſtr.* 14. *epiſt.* 87. Alteſſerra *dicto cap.* 7. Illud ſummè notandum eſt, inveſtituram non transferre poſſeſſionem, ſed tribuere jus apprehendendi eam: unde Joannes VIII. *in cap. viſis* 16. *q.* 2. ait, majus fuiſſe poſſeſſionem dare, quàm inveſtituram concedere: & Guillelmus Tyrius *lib.* 13. *de bello ſacro, cap. ult.* ait: *Sed ſtatim prædictarum urbium cum omnibus pertinentiis earum, D. Imperator inveſtituram ei conceſſit, ſpondens firmiſſimè, quod æſtate proximè futura eas auctore Domino comprehenſas corporaliter tradat.*

(c) *De vacaturis.*) Quas gratias expectativas Pontificem facere poſſe, jam ſuprà probavi *in cap.* 2.

(d) *Suprajus diſpenſare.*) Poſitivum videlicet, nam in jure divino verè, & ſtrictè nemo diſpenſare poteſt. D. Thomas 2. 2. *q.* 88. *art.* 10. *ad* 3. & 1. 2. *q.* 97. *artic.* 4. *ad* 3. & *quodlibet.* 4. *art.* 13. quem ſequuntur communiter Theologi ita accipientes textus *in cap. ſunt quidam, cap. contra ſtatuta, cap. omne quod* 25. *q.* 1. *cap. final.* 14. *diſt.* Cùm enim Pontifex ſit ſupra omne jus poſitivum, in eo rectè diſpenſare valebit, ut probant latè Baſilius *de matrim. lib.* 8. *cap.* 3. Diana *tom.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 3. Morla *in empor.* 1. *p. tit. de legibus, q.* 3. quod præcipuè in legibus Eccleſiaſticis circa beneficia editis procedit, in quibus juxta Canoniſtarum ſententiam Pontifex plenè Dominus eſt, *cap.* 2. *de præbend. in* 6. *cap. inter, de fide inſtrum. Clement.* 1. *ut lite pendente*; licèt Theologi illum tantùm adminiſtratorem eſſe doceant, ut refert Diana *p.* 11. *tract.* 3. *reſol.* 14. non tamen licèt dominus ſit, & poſſit veros poſſeſſores beneficiis privare, eaque illis viventibus aliis conferre, hoc unquam facit, quia ſanctus eſt, *cap.* 1. 70. *diſt.* & omnes in jure, juſtitiaque confovet, *cap. licèt, de ætate & qualit.* ſuum cuique ſervari deſiderans, *cap. fuit ſemper* 9. *q.* 3. & eo ſenſu in præſenti textu collationem præbendæ vacaturæ improbat Innocentius III.

CAPVT V.

Idem (a) *P. sanctæ Mariæ in Via-Lata, Diac. Card. Apostolicæ Sedis Legato.*

QUia diverſitatem corporum diverſitas ſæpe ſequitur animorum, ne plenitudo Eccleſiaſticæ jurisdictionis in plures diſpenſata vileſceret, ſed in uno potiùs collata vigeret, Apoſtolicæ Sedis Dominus in B. Petro univerſarum Eccleſiarum, & cunctorum Chriſti fidelium magiſterium contulit, & primatum: quæ retenta ſibi plenitudine poteſtatis, ad implendum laudabiliùs officium paſtorale, quod omnibus eam conſtituit debitricem, multos in partem ſolicitudinis evocavit, ſic ſuum diſpenſans onus, & honorem in alios, ut nihil ſuo juri ſubtraheret, nec jurisdictionem ſuam in aliquo minoraret. Cùm autem ex ſuſceptæ auctoritatis officio ſingulis tanquam ſingulorum mater juſta petentibus, juſtitiam nec poſſit, nec debeat denegare, cùm juſtitia, & judicium ſit (b) præparatio ſedis ejus: nos qui ad eius regimen ſumus [licèt inſufficientes] aſſumpti, Fratribus, & Coepiſcopis noſtris ad nos clamantibus non poſſumus in juſtitia non adeſſe, aut quod juſtè poſtulaverint, non audire: ne ſi forſan circa exhibendam eis juſtitiam fuerimus inventi remiſſi, ipſi quoque negligentes inveniantur in reddendis juribus ſubditorum, & commiſſam ſibi noſtræ ſolicitudinis partem minùs laudabiliter exequantur, ſi [quod abſit] nos viderint, vel declinare à jure, vel non audire juſtitiam poſtulantes. Hac autem ratione diligenter inducti, venientem ad Apoſtolicam Sedem vener. fratrem noſtr. G. [c] Eboracen. Archiepiſc. benignè recepimus, & multiplices ejus curavimus querelas audire. Conquerebatur autem inter cætera, quòd cùm ad eum in Eboracen. Eccleſia, & in aliis Eccleſiis ſuis collatio pertineat præbendarum, tempore ſuſpenſionis ipſius, & poſtmodùm etiam quidam ſe præter ejus auctoritatem in ipſas intruſerant; & in hoc & aliis, juris ei non modicùm denegarant. Quidam etiam in quasdam Abbatias diœceſis Eboracen. poſt interpoſitam ad nos appellationem irrepſerant, qui ab eo nec confirmationis munus, nec benedictionis [d] gratiam poſtularunt. Volentes igitur eidem Archiepiſcopo per tuæ ſolicitudinis induſtriam provideri, de fratrum noſtrorum conſilio diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus eos, qui præbendas, vel dignitates Eboracen. Eccleſiæ, vel aliarum Eccleſiarum ad donationem ejus ſpectantes, præter auctoritatem acceperunt ipſius, ad eas reſignandas moneas diligentiùs, & inducas, cùm eas non poſſint ſalva conſcientiâ detinere. Quod ſi monitis tuis acquieſcere fortè noluerint, eos ad id per excommunicationis ſententiam, & ſubtractionem aliorum beneficiorum ſuorum, non obſtante confirmatione à Sede Apoſtolica obtentâ ſub forma [e] communi; quæ confirmat beneficia, & præbendas, ſicut juſtè, ac pacificè poſſidentur, appellatione remotâ compellas: niſi forſan aliqui præbendas ipſas vel ſpeciali mandato Apoſtolicæ Sedis, vel auctoritate [f] Lateran. Concilii ab Eboracen. Capitulo ſint adepti: ſic tamen, ut [g] tempus ſuſpenſionis in ſex menſibus nullatenus computetur, cùm illa Lateran. Concilii conſtitutio contra negligentes tantùm, & deſides fuerit promulgata, & tunc ſi voluerit, non tamen voluerit Archiep. ipſe in conferendis præbendis uti propria poteſtate, à qua etſi fuerit ſuâ culpa ſuſpenſus, non tamen ad ipſum Capitulum ex illa culpa præbendarum erat donatio devoluta, ſed ad illum tempore ſuſpenſionis illa culpa præbendarum erat donatio devoluta. ſed ad illum tempore ſuſpenſionis ipſius præbendarum donatio pertinebat: qui (h) præter ejus negligentiam, & deſidiam poterat præbendas donare. Tempus etiam quo ad Apoſtolicam Sedem acceſſit, apud illam permanſit, vel receſſit ab ipſa, infra ſex menſes nullatenus computetur. Semeſtre quoque tempus non à tempore vacationis præbendarum, ſed (i) notitiæ potiùs ipſius Archiepiſcopi, & commonitionis ad perſonam ejus à Capitulo factæ, cùm in privilegio quod à prædeceſſore noſtro idem Capitulum dicitur impetraſſe, fiat mentio de commonitione canonica præmittenda, volumus computari. Illud autem omnino frivolum reputamus, ſi qui fortè ſe dicant ex donatione Regia quaſdam ex illis obtinuiſſe præbendis, quaſi regalis ſublimitas tempore ſuſpenſionis Archiepiſcopi præbendas ipſas ſuâ potuerit auctoritate conferre. Abbates autem præ-

dictos ſi poſt appellationem ad nos legitimè interpoſitam confirmationis, & benedictionis

dictionis beneficium ſuſceperunt, canonicè punias, ne illorum exempla contra Prælatos ſuos ſupercilium elationis aſſumant. Datum ut ſuprà.

NOTÆ.

(a) *Sanctæ Mariæ.*] Petro videlicet Capuenſi, tituli ſanctæ Mariæ in Via-Lata Diacono Cardinali, qui Legatus miſſus fuit ab Innocentio III. anno 2. ſui Pontificatus, Chriſti videlicet 1199. pro pace ſtatuenda inter Philippum Regem Galliæ, & Joannem Regem Angliæ, & pro ſubſidio Terræ ſanctæ, ut refert Spondanus *in continuat. Baronii, eodem anno, num.* 1. textum autem hunc ita reſtituo ex tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 3. & epiſtolis Innocentii correctis à Guillelmo Sirleto, *fol.* 307. ubi habetur præſens epiſtola.

(b) *Præparatio Sedis eius.*] Conſonant Petrus Cluniacenſis *lib.* 6. *epiſt.* 28. *ad Eugenium Papam*, ibi: *Noſtra enim quod ſedes veſtra eſt illius, cui dicitur, juſtitia & judicium præparatio ſedis eius: & cui rurſus dicitur, juſtitia plena eſt dextera tua* D. Bernardus *de conſider. lib.* 4. *cap. ultimo*, illic: *Conſidera formam juſtitiæ*

(c) *G.*] Gaufridum videlicet, quem exulare fecerat Richardus Angliæ Rex, ut conſtat ex duabus epiſtolis præcedentibus eidem Regi ab Innocentio III. miſſis, editis à Guillelmo Sirleto, *fol.* 306. & 307. De hoc Præſule accipiendum eſt quod refert Gothofredus monachus ſancti Pantaleonis, ſcriptor hujus temporis: quod cùm in quodam Lemovicenſi caſtro Rex ictus ſpiculo è baliſta miſſo decederet, eo ipſo momento Epiſcopum, qui ab eo injuſtè ſede ſuâ pulſus Romam venerat, cùm adſtaret altari, vidiſſe ipſummet telum, quo Richardus ictus fuerat ſecus altare lapſum, habens chartam innexam, in qua ſcriptum erat: *Telum Limogia occidit Leonem Anglia.* Refert Spondanus *dicto anno* 1199. *num.* 2.

(d) *Benedictiones.*] Juxta adducta *in cap.* 1. *de ſupplend. neglig. cap.* 3. *de elect.*

(e) *Sub forma communi.*] Eâ videlicet adjectâ clauſulâ, *Beneficia uti jure, & ſine controverſia poſſideremur, confirmamus*; quæ non præſtat jus ſpeciale, juxta adducta *in cap.* 1. *de confirm. utili.*

(f) *Lateran.*] Jure devoluto videlicet: probavi *in cap.* 2. *hoc tit.*

(g) *Tempus ſuſpenſionis.*) Vel eo maximè, quòd præſcriptio illa, ut præſcriptiones ferè omnes, comparatæ ſunt pœnæ causâ, *l. ult. C. de annal. excep.* vel multandæ negligentiæ causâ adversùs deſides, & juris ſui contemptores, non adversùs eos, per quos non ſtat quominus jure ſuo utantur, & multò magis adversùs eos, qui intendunt jùs ſuum conſervare, *l. contra, C. de inoffic. teſtam.* Unde tempus in Concilio Lateran. aſſignatum electoribus, non currit contra legitimè impeditum

(h) *Præter.*] Id eſt, *circa*, ut *in cap. cùm ſocietas* 27. *q.* 2. notavit Jacob. Cujacius *in præſenti.*

(i) *Sed notitiæ.*) Ut probavi *in capa licet, de ſupplend. neglig.*

COMMENTARIUM.

1. Introductio

EX hac Innocentii epiſtola ſequens communiter deducitur aſſertio: *Semeſtre conceſſum D. D. Gonzal. in Decretal.* Tom. III. Pars I. *ad conferendum beneficium, non currit legitimè impeditis.* Probant eam textus *in cap. final. de elect. cap.* 2. *hoc tit. in* 5. *compil.* cujus verba retuli *in dicto cap. final. Clement. unic. de ſupplend. neglig.* conſonat lex 8. *tit.* 16. *partit.* 1. Illuſtrant ultra congeſtos in præſenti à Garanna & Barboſa, idem Barboſa *alleg.* 126. *de poteſt. Epiſcopi, num.* 49. Petrus Gregorius *lib.* 17. *ſyntag. cap.* 9. *fin.* Lavor. *de elect. cap.* 18. Tamburin. Hieron. Garcia, & alii ſuprà laudati *in cap. licet, de ſupplend. neglig.* *traditur, & probatur.*

Sed hæc aſſertio valde difficilis redditur ſequenti conſideratione; nam ſi Archiepiſcopo Eborac. in præſenti caſu non curreret ſemeſtre, maximè ex eo, quia impeditis agere non currit præſcriptio, ut probavi *in cap. ex tranſmiſſa, de præſcript.* ſed impedito agere plerunque currit præſcriptio, ut *in l. etiam ei* 45. *ff. de minor. l. item hi, ff. ex quibus cauſ. major.* & in ſpecie idem docetur *in cap. final. de elect.* Igitur Gaufrido in præſenti currere debebat ſemeſtre. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, quia ei, cujus culpâ impedimentum ortum eſt, imputari debet, quod impeditus reperiatur, *l. ſi fidejuſſor* 7. *§. ſi neceſſaria, ff. qui ſatisd. cog. l. ſi mulier* 21. *ff. de eo quod metus, cap. ſtudeat, cap. ſæpe* 50. *diſt.* ſed in præſenti ſpecie Gaufridus propriâ culpâ in impedimentum inciderat, ut ex hoc textu conſtat. Igitur ſemeſtre contra illum currere debebat. Accedit, nam ſuſpenſus ab officio tantùm, rectè eligere valet, *cap. cùm bona, de ætate & qualit. cap. ſi celebrat, de cleric. excom.* Jul. Lavor. *tit. de elect. cap.* 15. *num.* 70. Igitur cùm Gaufridus in præſenti tantùm eſſet ſuſpenſus, prædendas conferre poterat, & per conſequens adverſus illum tempus Lateran. Concilii currere debebat. 6. *Impugnatur traditæ aſſertio.*

Quâ dubitandi ratione minimè obſtante, vera eſt præſens aſſertio, pro cujus expoſitione cavenda, ſciendum eſt, ſemeſtre à jure ſtatutum ad eligendum, ſeu conferendum, *in cap.* 2. *hoc tit.* præſcriptum fuiſſe, quia diutina Eccleſiarum vacatio damnoſa eſt, ut probavi *in cap. ne pro* 41. *de elect.* eoque tempore elapſo jus eligendi, ſeu conferendi beneficium devolvitur ad ſuperiorem, ut probavi latè *in cap. licet, de ſuppl. neglig.* Nec mirum ſi eligentium negligentia ita puniatur, cùm in utroque jure negligentes variis pœnis afficiantur, ut videre eſt in uſucapione quæ introducta eſt ob vitandam hominum ſegnitiem, *cap. vigilanti, de præſcript.* in eo qui per annum neglexit executionem teſtamenti; nam eo elapſo executio ad Epiſcopum devolvitur, *cap.* 3. *cap. ſi hæredes, de teſtam.* in hærede negligente legata ſolvere, nam portio hæreditatis illius cohæredi acquiritur, *authent. hoc amplius, C. de fideicom.* in matre non petente tutorem filiis ſuis, quæ eorum ſucceſſionem privatur, *l.* 2. *§. ſi mater, ff. ad Tertyl.* & in Epiſcopo negligente fidei prædicationem, qui plebem amittit, *cap.* 1. *de præſcript.* in eo qui agrum deſerit, qui jure ſuo privatur, *l. qui agros, l. locorum, C. de omni agro, lib.* 11. Similiter ergo in præſenti, qui negligens eſt in collatione beneficii, privatur jure eligendi, & illud ad ſuperiorem devolvitur, juxta tradita *in cap. licet, de ſuppl. neglig.* quibus ſuppoſitis per- 7. *Negligentia in jure punitur.*

veniamus ad specialem rationem præsentis decisionis.

8. *Traditur ratio decidendi.* Præsens ergo decisio apertâ nititur ratione, nam impeditus, negligens dici non potest, cùm facultas agendi præcedere debeat, *l. multùm, vers. final. C. si quis alteri*, & qui experiundi facultatem non habet, negligens dici non potest, *l. annua, ff. de calumniat. l. in omnibus. ff. de noxal. l. si servus, C. eodem, cap. Biduum 2. q. 6.* unde vulgò docetur impeditis agere præscriptionem non currere, ut probavi *in cap. cùm nobis, cap. ex transmissa, de præscript.* & omne tempus adversus impeditum non currit, immò sistit, seu dormit, ut contingit in filio durante patris potestate, *l. 1. §. final. C. de annali except.* & in muliere constante matrimonio, *l. si fundum, 16. ff. de fundo dotal.* & in pupillo, *l. bonæ fidei 48. ff. de acquir. rer. dom.* in minore 25. annor. *l. final. C. in quibus causis in integrum restit.* in Ecclesia, defuncto ejus Prælato, *cap. de quarta, cap. ex transmissa, de præscript.* unde cùm in præsenti specie G. Archiepiscopus impeditus esset, quia in exilium missus erat à Richardo Angliæ Rege, negligens dici non poterat, & per consequens contra ipsum nec currere tempus à Lateran. Concilio ad conferenda beneficia præscriptum.

9. *Dissolvitur dubitandi ratio.* Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, *ex d. l. etiam, 45. ff. de minorib.* cui satisfacit Glossa ibi, dum asserit in eo textu usucapionem fuisse cœptam contra prædecessorem pupilli, & ita compleri posse adversus ipsum, licèt contra illum inchoari non possit, *l. bonæ fidei, 48. ff. de acq. rer. dominio.* Nec obstant textus *in d. l. item hi, cap. final. de elect.* nam omissâ quæstione illâ, an præscriptio cesset non solùm contra impeditum impedimento juris, sed etiam contra impeditum impedimento facti, quam disputat Pinellus *in authentica nisi tricennali, à num. 42. C. de bonis maternis.* Respondetur, jura illa procedere quando impediti potuerunt removere impedimentum, & fuerunt negligentes in eo removendo; nam impedimentum ut faciat sistere cursum temporis, tale debet esse, ut removeri minimè possit. *l. sed etsi, §. 2. ff. ex quibus caus. major.* At verò Archiepiscopus in præsenti non potuit tollere impedimentum redeundo ad propriam Ecclesiam, cùm exul esset à propria sede jussu Richardi Regis. Nec obstat augmentum primum, nam impedimentum Archiepiscopi in præsenti specie non fuit ortum immediatè ex ejus facto, sed potiùs ex injusto præcepto Regis, qui eum à propria sede exulare fecerat. Nec obstat ultimum augmentum, cui communiter DD. satisfaciunt, apud Jul. Lavorum *d. cap. 15. num. 64.* discrimen constituendo inter suspensum ab homine, & suspensum à jure, ita ut suspensus ab homine eligere possit, secus verò suspensus à jure. Quam distinctione omissâ, quam examinavi *in cap. cum inter R. de elect.* dicendum est nullam suspensionem ab homine, vel à jure impositam in præsenti casu Archiepiscopum contraxisse, sed illum suspensum dici, quia cùm exul esset à propria Sede Regis jussu, officium suum non exercebat, ideoque lato modo suspensus ab officio reperiebatur.

CAPVT VI.

Idem (a) *Basileensi*, & (b) *Bellicensi Episcopi*, & *Abbati S. Mariæ.*

CUm nostris olim fuit auribus intimatum, quod Præpositura Ecclesiæ (c) Lausanensis, tempore tantùm vacasset, ut secundùm statuta Lateranensis Concilii ad nos esset ejus donatio devoluta: nos volentes ven. fr. n. Episcopo, & dil. fil. Canonicis Laudanen. specialem gratiam exhibere, atque de nostro eis meritum comparare, ipsis per scripta mandavimus, ut Præposituram ipsam dil. fil. B. Subd. nostro Thasaurario Lausan. conferre sine qualibet difficultate curarent, & cùm in Præpositum assumptus esset ab eis. Thesaurariam ipsius Ecclesiæ, cujus ad eosdem Episcopum, & Canonicos assignatio proponebatur de jure spectare, personæ idoneæ assignarent. Ne autem beneficium Apostolicæ provisionis remaneret aliquatenus imperfectum, dil. fil. Altæ Ripæ, & fontis Andriæ Abbatibus, & Priori Vallis Transversæ dedimus in mandatis, ut si præfati Episcopus, & Canonici mandatum nostrum negligerent adimplere, ipsi submoto cujus. contradict. & ap. ob. si niterentur veritate præmissâ illud exequi non tardarent, eos appel. rem. per dist. ec. cohibentes, qui se mandato nostro temerè ducerent opponendos. Verùm præfati Episcopus, & Canonici litteris nostris receptis prædictam Præposituram non vacare dixerunt, quia licèt ille, qui Præpositus fuerat in Episcopum fuisset assumptus, ad ipsam tamen Præposituram post consecrationem denuò fuerat ab ipsis (d) electus, & eam, sicut antea, possidebat: quod jamdicti Abbates, & Prior dixerunt contrarium esse (e) juri, nisi hoc eis specialiter ab Apostolica Sede fuisset indultum: qui ipsam Præposituram de jure vacantem auctoritate Apostolicâ, quâ videbantur esse fulti, præfato Subdiacono nostro assignarunt corporaliter possidendam, ipsis Canonicis, nisi infra octo dies eidem, sicut suo Præposito, humiliter obedirent, Ecclesiæ interdicentes ingressum. *Et infrà:* In cujus præsentia cùm prædicta, & alia fuissent per nuncium dicti Subdiaconi nostri relata, nuntius partis adversæ proposuit, quod postquam Dominus suus Sessuen. Episcopus, qui Præpositus fuerat Lausanen. fuit in Episcopum consecratus, Lausan. Capitulum ei Præposituram illam iteratò contulit, & concessit habendam: in hoc utilitatem Ecclesiæ suæ, necessitatem,

ſitatem, nec non & antiquum conſuetudinem attendentes, Epiſcopus Lauſan. videns quamplurimùm utile & neceſſarium Eccleſiæ ſuæ, quod à Canonicis ſuis ſuper hoc factum fuerat, approbavit, cui tanquam Præpoſito à Canonicis, & etiam ab ipſo Theſaurario eſt honor impenſus. Memoratus verò Theſaurarius poſtmodùm ad Eccleſiam Romanam accedens, & ſupprimens omnia, quæ fuerant tam ab Epiſcopo, quàm à Canonicis dictis acta, nobis Præpoſituram illam vacare ſuggeſſit. Quare ſuper aſſignanda ſibi Præpoſitura litteras impetravit à nobis, quas multis ex cauſis proponebat eſſe per veri ſuppreſſionem, & falſi (f) ſuggeſtionem obtentas, pro parte domini ſui Sedun. utilitatem, conſuetudinem, & neceſſitatem allegans, quæ Theſaurarius ſuppreſſerat memoratus. *Etinfrà:* Econtrà l. partis adverſæ nuntius proponebat, & rationibus multis Præpoſituram illam vacare monſtrabat, & vacantem Theſaurario Lauſan. auctoritate ſuperioris, ad quem fuerat ſecundùm ſtatuta Later. Concilii donatio devoluta, conceſſam: ratione etiam inſuper monſtrare multipliciter conabatur, quod dictus Sedun. Epiſcopus ad Præpoſituram Lauſan. à qua fuerat ad regimen Epiſcopatus aſſumptus, poſt conſecrationem ſuam eligi minimè potuiſſet, cùm ei ſuper hoc ſacrorum canonum inſtituta repugnent. Dicebat etenim Præpoſituram illam alia ratione vacare, eo quod illi, quorum erat donatio, aſſumpto eo in Epiſcopum, concedere præſumpſerunt, cùm ſecundùm ſtatuta Concilii prædicti, qui receperit, debeat quod contra ſacros canones accepit, amittere; & qui dedit, largiendi poteſtate privari debeat. Oſtendebat etiam aſſertionibus multis, quod pro ipſo Sedun. Epiſcopo utilitas, conſuetudo, & neceſſitas, quas nuntius ejus in cauſæ ſuæ ſubſidium allegarat, minimè faciebant, cùm hæc potiùs mendicata ſuffragia, quàm ſuæ cauſæ vera ſubſidia viderentur. Unde nuntius ipſe petebat, ut quod à ſupradictis judicibus factum fuerat, dignaremur auctoritate Apoſtolicâ confirmare, & ab ipſa Præpoſitura Sedun. Epiſcopum amovere. Cùm igitur hæc, & multa alia ab utraque parte in ejuſdem Cardinalis eſſent præſentia recitata, idem Cardinalis allegationibus auditis utrimque, & munimentis eorum diligenter inſpectis, & eis nobis intimatis fideliter, poſtmodùm per ſententiam de mandato noſtro decrevit, ut quod à memoratis judicibus factum fuerat obtentu litterarum noſtrarum, eo videlicet, quod per falſi ſuggeſtionem, & veri ſuppreſſionem fuerant impetratæ, cùm Præpoſitura illa non vacaret de facto, quia talis poſſeſſio plus (g) habet facti, quàm juris, haberetur irritum, & inane. Nos verò ſententiam Cardinalis ejuſdem ratam habentes, per A. ſ. v. m. quat. niſi prædictus Sedun. Epiſcopus ſufficienter oſtenderit, quod ex indulgentia Sedis Apoſtolicæ ſpeciali, vel ex alia juſta cauſa, & neceſſaria ei poſt conſecrationem ſuam Præpoſitura conceſſa fuerit memorata, ipſum ad reſignationem ipſius, ſi ſponte noluerit, per cenſ. eccl. ap. rem. compellatis, & deinde Lauſan. Capitulum ad conferendam eam Theſaurario ſupradicto, ex parte noſtra monere diligentiùs, & inducere procuretis.

NOTÆ.

1. (a) *Baſileenſi.*] Ita legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 3. Baſilea civitas eſt Galliæ in provincia Biſuntina, Lugdunenſi 5. ſeu maxima Sequanorum Auguſta, Rauracorum nobilis urbs, ad Rhenum ſita, in quam tranſlata fuit Sedes Epiſcopalis ex Auguſta Rauracorum, cujus Epiſcopus Juſtinianus ſubſcripſit Concilio Agrippinenſi, cujus Præſuli Valdrico, qui depoſitus fuit in Concilio Lateran. ſub Innocent. III. reſcribit Pontifex in præſenti, ut referunt Fratres Sarmatani *tom.* 2. *Galliæ chriſt. fol.* 354.

2. (b) *Belicen.*] Belica, aliàs Belicium, vulgò *Belley*, civitas eſt Galliæ in eadem provincia, cujus Epiſcopus Vincentius ſubſcripſit Concilio Parienſi 2. & hanc Sedem Epiſcopalem priùs fuiſſe apud Nevidunum, ſeu civitatem Equeſtrium, nonnulli tradiderunt, ut referunt Carolus à ſancto Paulo *in Geograph. ſacra*, *fol.* 152. Ejus Eccleſiæ Præſuli Benedicto de Langes in præſenti reſcribit Pontifex. Alia de ipſa Eccleſiæ congeſſerunt Fratres Sarmatani *tom.* 2. *Galliæ chriſt. fol.* 364.

3. (c) *Lauſanenſi.*] Lauſana urbs eſt in eadem provincia Biſuntina, ad ripam dextram & ſeptentrionalem lacus Lemani ſita, non longè à Geneva, in provincia Maxima Sequanorum, in quam tranſlata fuit Epiſcopalis Cathedra ex Aventico, vulgò *Avenche*; & poſtquam Lauſana ipſa Arverneuſibus hæreticis occupata fuit, tranſlata fuit ipſa Sedes in Friburgum, ut refert idem Carolus *ubi ſuprà*, & alia de ipſa Eccleſia adducunt Fratres Sarmatani *tom.* 2. *Galliæ chriſt. fol.* 626.

4. (d) *Ab ipſis eſt electus.*] Quod Capitulum facere poterat, & eveniſſe infrà refertur, ſi mos hic fuerat, ut Epiſcopatui jungeretur Præpoſitura, vel ſi adfuerat indulgentia ſpecialis Pontificis, aut ſi id neceſſitas, utilitaſve Eccleſiæ, vel quæ alia juſta cauſa id exigebat, alioquin parendum erat mandato Pontificis, ut ſcilicet in obtinenda Præpoſitura potior eſſet Theſaurarius Eccleſiæ Lauſanenſis.

(e) *Juri.*] De quo *in cap. cùm in cunctis*, §. 1. ubi probavi, *de elect.*

5. (f) *Falſi ſuggeſtionem.*] Unde conſtat decretum ex falſa cauſa interpoſitum nullius momenti

esse, *cap. si motu, de præbend. lib. 6. Clement. 1. de præbend. cap. 2. de confirm. utili, l. etsi legibus, C. si contra jus, l. 36. tit. 16. part. 3.* notavit Barbosa *tom. 6. in select. ad hunc textum*, & probavi latè *in cap. super litteris, de rescript.*

6. (g) *Pluris habet facti quàm juris.*] Consonat lex 3. §. 1. *ff. de bonor. possess.* & possessionem in facto consistere probatur *ex l. denique 19. ff. ex quibus causis major. l. in bello 12. §. facti, ff. de captivis, l. 1. §. Scævola, ff. si is, qui testamento, l. stipulatio 38. §. hi qui sunt, l. 52. ff. de verb. oblig.* Contrarium verò, immò possessionem plurimùm juris habere, constat *ex l. possessio 49. ff. de acquir. poss.* ibi: *Plurimùm ex jure possessio mutuatur.* Unde possessio jus rei dicitur *in l. si ea 31. §. 1. ff. de act. empti*: & jus possessionis *in l. si finita 15. §. si quis metu 35. ff. de damno infecto, l. peregrè 44. ff. de acquir. poss. l. nemo 16. C. eod. tit. l. non ideo 5. C. de liber. causa, l. si quis 7. C. ad leg. Jul. de vi publica.* Sed utrumque verum est, nam possessio plurimùm facti desiderat in apprehensione, & retentione; immò tota ejus substantia à facto pendet, ideoque causa facti dicitur *in dicta l. denique 19.* & factum vocatur *in dicta l. in bello 12. §. facti.* Sed quamvis tota substantialiter in facto consistat, plurimùm mutuatur à juris dispositione, non quoad substantiam, sed quoad effectus: sequuntur enim justam possessionem varii effectus, ut usucapio, fructuum adquisitio, actio publiciana, & alii quos enumerant Treutlerus *volum. 2. select. disput. 21. thesi 5. per tot.* Ant. Matthæus *in collect. Pandect. disput. 45. ex num. 46.* unde attentâ substantiâ ipsius possessionis, ad quam parum interest justè quis, an injustè possideat, rectè dixit Innocentius in præsenti, possessionem plus facti, quàm juris continere; inspecto verò jure, quod ex ea resultat, plus juris quàm facti continet, *cap. dilecto 28. de verb. sign.* prosequuntur latiùs Donellus *lib. 5. comment. cap. 6.* ubi Osvaldus *litt. H.* Faber *in ration. ad dictam legem denique 19.* Pichardus *in princip. Instit. de interdict. num. 77.* Valentia *lib. 1. illustrium, tract. 2. cap. 2. num. 41.* & *tract. 3. cap. 3. num. 5.* Ramirez de Prado *ad Martial. lib. 4. epigram. 8.* Merenda *lib. 2. controv. cap. 19. num. 31.* Mindanus *de acquir. possess. cap. 13.* Cujacius *lib. 17. observ. cap. 24.* D. Hieronymus de Oroz *lib. 4. de apicibus juris, cap. 14. num. 7.* D. Josephus de Retes *in repetit. prælect. de acquir. possess. cap. 6. consect. 1.*

CAPVT VII.

Idem *Magistro Honorio Archid.* (a) *Richemundiæ.*

POst electionem, & confirmationem ven. fr. n. Episcopi Elien. (b) vacante Archid. Richemundiæ, quem tenuerat, cùm id ad ven. fr. n. Eboracen. (c) Archiepiscopi notitiam perveniſſet, agentis tunc in partibus cismarinis, eum tibi propria liberalitate conceſſit, dans Capitulo ſuis litteris in mandatis, ut te in Archid. ſicut mos eſt, recipere procurarent, cujus noluerunt mandato parêre propter hujuſmodi rationes, quia videlicet bonæ mem. C. PP. præd. noſt. inter alia, quæ Decano, & Capitulo Eboracen. ſuo privilegio noſcitur indulſiſſe, ordinationem quoque Canonicorum, ſeu perſonarum, ſicut ab ipſa fundatione loci erat hactenus obſervatum, liberam eſſe decrevit, ut videlicet idonea, & honeſta perſona, cui Archiepiſcopus vacantem in Eccleſia Eboracen. præbendam, vel dignitatem duceret conferendam, ſecundùm antiquam ipſius Eccleſiæ conſuetudinem præſentaretur Capitulo, & Decano. *Et infrà*: Et ſi quis contra conſuetudinem ipſam antiquam, & approbatam, in Eccleſia ipſa eſſet per aliquem introductus, nec pro perſona, nec pro Canonico haberetur. Quod ſi Epiſcopus vacantem in Eccleſia ipſa præbendam, vel perſonatum infra terminum Lateran. Concilii, ſecundùm formam canonicam præſcriptam, canonica admonitione præmiſſâ, perſonæ idoneæ non conferret, liceret Decano, & Capitulo auctoritate Apoſtolicâ, nullius contradictionis, vel appellationis obſt. illud juxtà ejuſdem Concilii ſtatuta conferre. Cùm igitur in litteris Archiepiſcopi directis Capitulo, Decani mentio nullatenus haberetur, per cujus manum debeas in Capitulo inveſtiri, ejus mandato fuit meritò contradictum. *Et infrà*: Ipſius igitur inſtitutione propter præmiſſas rationes, & alias à Capitulo reprobatâ, ipſi ne juris ſui diſpendium ſuſtinerent, intelligentes etiam Archidiaconatus ipſius donationem ad eos, tam auctoritate Lateran. Concilii, quàm indulti ſibi (d) privilegii devolutam, habitò prudenter conſilio, illum dil. fil. R. de ſancto Ecadmundo unanimiter contulerunt, inveſtientes eundem de ipſo, prout mos eſt, & ſolemniter inſtallantes. Proceſſu verò temporis præfatus Archiepiſcopus ab Apoſt. Sed. rediens in Normandiam poſt reſignationem & abjurationem à te factam, & receptam ab ipſo, eidem R. Archid. contulit antedictum. Petebat igitur ab impetitione penitus abſolvi, & Archidiaconatum ipſum, tam ratione primæ, quam ſecundæ conceſſionis ſibi rationabiliter aſſignatum per Sed. Ap. confirmari. Ad cujus objectiones ex ordine taliter reſpondebas, quod licèt Decani mentio in litteris Archiepiſcopi directis Capitulo expreſsè facta non fuerit, non tamen ob hoc excluſus videri poterat, vel debebat, ſicut pars proponebat

hebat adverſa, immò continebatur in Capitulo, ſicut pars continetur in toto, cujus Decanus pars eſt honorabilis, Archiepiſcopus verò caput exiſtit, nec in uno contingat corpore, ſine monſtruoſo prodigio, duo capita inveniri. *Et infrà:* Adjeciſti præterea, quod ſi etiam ea feciſſes, per adverſarium tamen tuum tibi non poterat objici cum effectu, cui potiùs ſuper ipſo Archidiaconatu eſſe ſilentium imponendum, & approbata inſtitutione tua tibi reſtitutio facienda, ex confeſſione partis adverſæ in judicio facta, & ſæpius repetita, oſtendere nitebaris. Ipſe namque Rogerius à nobis interrogatus in jure, ex quo tempore Archidiaconatûs Richemundiæ ſibi per Capitulum fuit aſſignatus, reſpondit, quod circa feſtum Aſcenſionis proximum triennium compleretur. Cùm igitur ex data litterarum noſtrarum conſtaret, tempore illo Archiepiſcopum apud Sed. Ap. conſtitutum, & in eis per nos antiquum fuerit jus declaratum, ut tempus, quo ad Ap. Sed. acceſſit, & apud illam permanſit, vel receſſit ab ipſa, non eſſet infra tempus ſex menſium computandum, liquidò conſtare dicebat, tempus illud Archiepiſcopo minimè cucurriſſe. Sed ſi etiam quadriennium effluxiſſet, ſicut prioris reſponſi pœnitens, ultimò propoſuit pars adverſa, quod ex parte tuâ de jure non poſſe fieri dicebatur, cùm & tunc arripuiſſet iter ad Sedem Apoſtolicam veniendi, licet illud non ſit continuè proſecutus, impedimentis multiplicibus retardatus, interpretatio reſcripti noſtri ad tempus etiam hujuſmodi pertinebat, cui præterea præſcriptio nocere non poterat in exilio conſtituto. Factum autem Capituli eundem R. non poterat excuſare, qui cùm inſtitutio facta per Archiepiſcopum præceſſiſſet, & quod ſuperior ordinaverat, Capitulum tanquam inferius non poterat reprobare, cùm etſi contra ſtatum privilegii fuiſſet admiſſus, ipſi tamen, quia non fuerant executores privilegii conſtituti, nec poterant ſimul eſſe judices, & actores, contra te præſertim abſentem & non contumacem procedere non valebant. Si quid ergo per ipſos erat contra factum Archiepiſcopi proponendum, hujuſmodi quæſtio ad tribunal erat ſuperius deferenda, ut auctoritate finiretur ipſius, pendente perinde inſtitutione tua facta per illum, ad quem tam jure communi, quàm auctoritate privilegii antedicti, propter quod collatio perſonatuum, & præbendarum Archiepiſcopo reſervatur, idem R. non debuit locum viventis arripere. Nos igitur auditis his, & aliis, quæ partes in præſentia proponere voluerunt, & pleniùs intellectis, quoniam conſtitit nobis Archidiaconatum prædictum tibi per Eboracenſ. Archiepiſcopum primitus fuiſſe conceſſum, & quod inſtitutione facta per ipſam ſecundùm juris ordinem, minimè reprobata, Archidiaconatus non vecans nec potuit, nec debuit in alium ritè transferri: memorato R. quod contra juſtitiæ regulam in Archidiaconatum alterius provehi ſe conſenſit, ſuper eo duximus ſilentium imponendum, ſententialiter decernentes, ut inſtitutio facta per Eboracen. Archiepiſcopum de te ſortiatur effectum: exinde verò ſi ſuper *(e)* renuntiatione, vel abjuratione, vel aliquo præmiſſorum, quis quiddam velit, vel valeat, quod adverſus te duxerit proponendum, ordine poterit judiciario experiri.

NOTÆ.

(a) *Richemundiæ.*] Ita legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 4. ex qua textum hunc reſtituo. De Archidiaconatu Richemundiæ egi *in cap.* 3. *de ſupplenda neglig. cap. conſtitutus* 30. *de reſtitutis*, ubi de præſenti etiam lite agitur: ejus caſum retuli *in dicto cap.* 3. *de ſuppl. neglig.*

(b) *Vacante.*] Juxta adducta *in cap. cùm in cunctis*, §. 1. *de elect.*

(c) *Eboracenſis.*] Gaufridus videlicet, de quo agitur ſuprà *in cap.* 5.

(d) *Indulti ſibi privilegii.*] Nec inde per ſimilem impetrationem privilegii, juris proprii inducitur renunciatio, ſed potiùs unum jus alterum confirmat, ac juvat; ſed electivum manet, aut etiam ſimultaneum, *cap. auditis*, *de præſcript. cap. cùm perſonæ*, §. *quod ſi tales*, *de privil. lib.* 6. *cap. cùm dilectus*, *de conſuet.* optimus textus *in l. forma*, §. *final. ff. de cenſibus*, ibi: *Si quis veniam petierit, ut cenſum ſibi emendare permittatur, deinde poſt hoc impetratum cognoverit, ſe non debuiſſe hoc petere, quia res emendationem non deſiderabat, nullum ei præjudicium ex eo quod petiit, ut cenſum emendaret, fore, ſæpiſſimè reſcriptum eſt.* Pluribus relatis docet Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 10. ubi *num.* 75. ait: Quoties concurrunt quoad aliquid jus commune & privilegium, non confunduntur, ſed poteſt quis quoad id uti jure communi, & etiam privilegio: quia nemo prohibetur plura jura, & titulos cumulare; tam ad ſui juris confirmationem, quàm ad majorem cautelam, *l.* 4. *ff. ad leg. Falcid. cap. ſacrorum* 12. *quæſt.* 2. latè illuſtrat Solorzanus *tom.* 1. *lib.* 3. *de jure Indiar. cap.* 1. ubi exponit textum *in cap. veniens, de præſcript.*

(e) *Super renunciatione.*] Sed quomodo exceptio renunciationis congruo tempore oppoſita non impedit poſſeſſionis acceptionem? contra textum *in cap. accepta*, *de reſtit. ſpol.* Agnovit difficultatem Gloſſa *in præſenti*, varias adducens ſolutiones; quas ſigillatim refert Navarrus *in dicto cap. accepta*, *opposit.* 3. ex quibus duplex verior communiter judicatur. Prima, ideò videlicet excipientem de renunciatione, non fuiſſe au-

ditum in præsenti specie, quia ejus exceptio relevans non erat : nam etsi probaret, quod aliter renunciasset, vel abjurasset, propterea non obtineret in lite, ex quo sua electio vires non habebat ; siquidem inter litigantes alterius partis defectus nullum jus tribuit alteri de jure suo non docenti, argumento capitis *olim 25. in fine, de rescript. cap. cùm super, de caus. possess.* quorum jurium regula singularis est ad interpretationem textus *in cap. litteris, de restitut. spol. cap. unic. de eo qui mittitur in posse.* Secunda interpretatio Glossæ, quam sequuntur Innocentius *hic*, & Navarrus *ubi suprà, n. 7.* docet *in d. c. acceptа*, agi de exceptione renunciationis verè, & absque dolo oppositа ; at verò in præsenti agitur de renunciatione calumniosa, & malitiosa, causâ tantùm differendi possessionis adeptionem objecta : præsumptio autem improbæ oppositionis deducitur ex variis conjecturis. Prima, quia allegabatur renunciatio, quæ in dubio non præsumitur, *c. super, de renunc.* Secunda, quia opponebatur ab eo, qui habebat titulum posteriorem, & invalidum, ideoque intrusus credebatur. Tertia ; quia opponebatur agenti interdicto adipiscendæ possessionis, & quod talis renunciatio facta fuerat lite pendente.

CAPVT VII.

Idem *Claromonti Canonico* (a) *Terdon.*

CUm pro quæstione Terdonen. præbendæ, quæ vertebatur inter te ex una parte, & vener. f. n. Episcopum, & dil. filios Canonicos Terdonen. ex alia, tu, & procuratores partis alterius in nostra essetis præsentia constituti, dil. f. Hug. tit. sancti Martini Presbyterum Cardinalem concessimus auditorem, coram quo pro te fuit taliter allegatum, quod cum bonæ memoriæ O. Terdonen. Episcopus patruus tuus ab Ap. Sede reversus Terdon. Canonicos attentiùs rogavisset, ut te reciperent in fratrem, & Canonicum, ipsi ejus precibus minimè annuentes, te hilariter receperunt, nulla primæ, vel secundæ habitâ mentione, qui ab illo tempore usque nunc locum in Choro, & in Capitulo, sicut alii Canonici habuisti : Lectiones legisti in Ecclesia, Responsoriaque cantasti, ac per prædictum Episcopum tibi fuerant (b) domus in ipsa canonica assignatæ, quas tu possedisti, ac possides in quiete. Et cùm in eadem Ecclesia Terdon. ex illis Canonicis, qui præbendam in ea non possident, tu primò institutus fueris, & receptus, & nunc vacet (c) beneficium in eadem, humiliter postulabas à nobis, ut Terdon. Canonicis dare dignaremur districtiùs in mandatis, quod vacans beneficium tibi, omni dilatione postpositâ, assignarent, & facerent pacifica possessione gaudere. Procuratores verò partis alterius è contrario respondebant, quod cùm in Terdon. Ecclesia certus sit numerus Canonicorum institutus, & scriptis Romanorum Pontificum confirmatus, ac canonicam constitutionem ipsam observare teneantur præstito juramento : nos eis nostris litteris dedimus in mandatis, ut dil. fil. B. Subdiaconum & Cappellanum nostrum in Canonicum reciperent, & in fratrem, ac ei præbendam, sicut uni ex aliis Canonicis assignarent. Verùm, quia statutus numerus Canonicorum tunc in eadem Ecclesia erat plenus, mandatum nostrum non poterant executioni mandare. Post non modicùm verò temporis prædictus O. quondam Episcopus, minis, ac terroribus institit apud Canonicos Terdon. ut te reciperent in Canonicum ad præbendam proximè vacaturam, eis constanter promittens, quod eos tam à petitione civium Terdon. quàm executione mandati Apostolici, quod ipsi pro ejusdem Subdiaconi nostri receptione receperant, liberaret, ac sic eos circumveniens fraudulenter te recipi fecit ad præbendam proximè vacaturam. Nos igitur ex iis, quæ fuerunt hinc inde proposita, certiores effecti per Cardinalem prædictum, concessionem præfato Subdiacono nostro à prædictis Canonicis factam de præbenda prædicta, de fratrum nostrorum consilio ratam habentes, eam ei auctoritate Ap. duximus confirmandam. Verùm cùm tam assertione tua, quàm confessione constet partis alterius, te in fratrem, & Canonicum Terdon. Ecclesiæ fuisse receptum, licèt receptionem tuam factam contra (d) Lateranen. Concilium pars adversa proponat : quia tamen probatum non extitit, parte alterius penitus hoc negante, nec ipsi Canonici videbantur tibi opponere posse de jure, qui se (e) fatentur te contra statuta præfati Concilii recepisse : sententiando decernimus, ut tibi quamcitò facultas obtulerit, præbendale beneficium in Terdon. Ecclesia conferatur. Cùm ex quo receptus es in Canonicum, non debeas (f) carere præbenda.

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) *Terdon.*] Ita legitur in tertia collectione, *ſub hoc titul. cap.* 5. in ſexta autem legitur *Trident.* ſed malè, cùm ex textus integra, quam reſtituo ex dicta collectione, conſtet agi in præſenti de Eccleſia Terdonenſi, de qua nonnulla notavi *in cap.* 2. *de feriis.*

(b) *Domus.*] Proprias videlicet Canonicorum, ut notavi *in cap. dilectus, de præb.*

(c) *Beneficium.*] Id eſt, præbenda, quæ ita appellatur, ut probavi *in cap.* 1. *de prabend.*

(d) *Contra Lateran.*) Sed non rectè, quia recipiens aliquem in Canonicum, & in fratrem, etiamſi eo facto illi debeatur præbenda proximè vacatura, non ideò facit contra Concilium Lateran. ut probavi *in cap.* 2. *hoc tit.*

(e) *Se fatentur.*) Quando allegans propriam turpitudinem audiatur, latè diſputat Garanna *in c.* 8. *de donat.* ubi exponit præſentem textum.

(f) *Carere prabenda.*) *Cap. relatum* 9. *de præbend.* ubi textum hunc expoſui, & *in cap.* 1. *hoc titulo.*

CAPVT IX.

Idem *Epiſcopo, & Magiſtro H. Canonico,* (a) *Hildeſemenſi.*

LItteras veſtras accepimus, per quas nobis ſignificare curaſtis, quod cùm pro dil. fil. Daniele clerico vobis ſcriberemus, ut eum de præbenda ſancti Willebaldi Bremen. quam dicebat ad donationem noſtram fuiſſe juxta Lateran. ſtatuta Concilii devolutam, curaretis auctoritate Apoſtolicâ inveſtire, ſi Canonici, quibus ſuper hoc ſcribebamus, id exequi non curarent: Herberto Præpoſito, & quibuſdam Canonicis ejuſdem Eccleſiæ, cum ipſo Daniele, & Magiſtro B. Canonico ipſius Eccleſiæ in veſtra propter hoc præſentia conſtitutis, ſic fuit de facto propoſitum coram vobis, quod idem Herbertus Præpoſitus, quondam ejuſdem Eccleſiæ ſimplex Canonicus, de ipſa Eccleſia in majoris Eccleſiæ Præpoſitum Canonicè eſt electus, & poſtmodùm unius anni, vel anni & dimidii ſpatio evoluto, in ipſa Eccleſia Sancti Willebaldi in Præpoſitum eſt aſſumptus, priorem præbendam nihilominus detinens, quam in ipſa Eccleſia tunc habebat: & ſuper hoc partes conſentiebant ad invicem, hoc ita fuiſſe dicentes. Fuit etiam ab una parte propoſitum, quod ipſe Præpoſitus præter præbendam illam, aliam præbendam habebat Præpoſituræ annexam, quam idem Præpoſitus, & fautores ipſius inficiati ſunt eſſe præbendam. Præterea fuit allegatum de jure, quod ex quo idem Præpoſitus de minori Eccleſia vocatus fuerat ad majorem, prima præbenda inceperat de jure vacare, juxta (b) canonum inſtituta. Deinde fuit ex parte clerici allegatum, primam fuiſſe ordinationem ejuſdem Eccleſiæ, ut in ea eſſent XIII. perſonæ, Præpoſitus ſcilicet cum XII. fratribus, quæ nullatenus ſervaretur, niſi diceretur illa præbenda vacare. Sed Præpoſitus allegabat è contra, quod erat ferè ex conſuetudine generali, quod unus in eadem Eccleſia plures præbendas haberet: adjectum eſt, præbendam illam ratione alia non vacare, quia cùm Archiepiſcopus (c) Bremen. Præpoſitum ipſum de Præpoſitura in pleno Synodo inveſtiret, tam Præpoſituram, quàm præbendam eidem de Canonicorum confirmavit aſſenſu, eos, qui ſuper hoc inquietarent eundem, vinculo excommunicationis aſtringens. Unde objiciebatur clerico memorato, quod propter hoc excommunicationis ſententiam incurriſſet, ſed ipſe talem confirmationem interveniſſe negabat, quæ ſi etiam intervenit, aſſerebat eam non tenere de (d) jure, quoniam nemini res illa rationabiliter poterat confirmari, quæ de jure obtineri non poteſt: dicebat enim, ſe propter hoc excommunicationis ſententiâ non fuiſſe ligatum, cùm ſuper his experiretur auctoritate majoris, Unde cùm vobis dubium videretur, utrum cùm aliquis de una præbenda eligitur ad aliam, ſtatim prior vacare incipiat, aut per ſententiam debeat adjudicari eidem; an propter confirmationem hujuſmodi, quæ ſuperiùs eſt expreſſa, præbenda illa dici debeat non vacare, nos conſulere voluiſtis, priuſquam velletis ſuper hoc aliquid diffinire. Cùm igitur ſi eſt ita, præbenda illa, etſi non de facto, de jure tamen vacare noſcatur, diſc. v. per A. ſ. m. quat. jamdictum Præpoſitum, ut præbendam illam ſine difficultate reſignet, monitione præmiſſa, per cenſuras eccleſiaſticas appellatione remota cogatis, quam cùm de facto vacaverit, clerico memorato, auctoritate noſtra ſuffulti, ſublato appellationis obſtaculo conferre curetis, eum in corporalem poſſeſſionem inducentes ipſius, & defendentes inductum; eos autem, qui ſe temerè duxerint opponendos, per diſtrictionem eccleſiaſticam appellatione remota compeſcatis.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. (a) *Hildesemensi.*] Ita legitur in tertia collectione, *sub hoc titulo, cap.* 6. de Hildesemensi Ecclesia nonnulla adduxi *in cap.* 3. *de translat. Episcop.*

(b) *Canonum instituta.*] Congesta *in cap. de multa,* 28. *de præbend.*

(c) *Bremen.*) De qua Ecclesia egi *in cap.* 4. *de sacr. non iter.*

(d) *De jure.*] An per assecutionem unius præbendæ vacet alia ipso jure, exposui *in cap. de multa,* 28. *de præbend.* ex quo commentario præsens petendum est, ubi etiam in ejus notis exposui, quando inferiores Prælati possint in pluralitate beneficiorum dispensare. 2.

CAPVT X.

Idem *Episcopo, & Archipresbytero* (a) *Papiensi.*

EX parte (b) Asten. Ecclesiæ nostris auribus fuit intimatum, quod cùm quædam præbendæ in ipsa per quatuor annos, & amplius vacavissent, ven. f. n. Asten. Episcopus Canonicos ipsos monuit diligenter, ut Ecclesiam ordinarent. Quibus non admittentibus monitionem ipsius, (c) quosdam in Ecclesia instituit, credens hoc sibi ex Concilio Lateran. licere: instituti autem sentientes non esse firmam institutionem hujusmodi, ad ven. f. n. Mediol. Archiepiscopum recurrerunt, qui eosdem in Canonicos Asten. Ecclesiæ ordinavit, & in corporalem præbendarum possessionem induxit, Capitulo ejusdem Ecclesiæ præbente assensum, tribus tantùm exceptis, quibus contra institutionem illam proponere in præsentia nostra volentibus, & Ecclesiam ipsam defensare paratis, dil. fil. n. G. sancti Vitalis Presbyterum Cardinalem dedimus auditorem: in cujus præsentia tres illi dicebant, electionem debere cassari, quia nec Episcopus, nec Archiepiscopus supradictus de concessione Later. Concilii tunc in ordinatione illa potuerant præfatam Ecclesiam ordinare, cùm uterque (d) circa tempus eis indultum à canone, in ordinatione illa negligens fuerit, & remissus. Pars verò altera dicebat è contra, quod licèt institutio Episcopi non valeret, Archiepiscopi tamen ordinatio de jure valebat, quia tempus indultum à canone, nisi à tempore, quo illi declaratum fuerat, non currebat: ad quod probandum multas induxit rationes: his autem utrimque propositis, tandem utraque pars concorditer est confessa, quod in prædicta Ecclesia non erant distinctæ præbendæ, nec Canonicorum numerus erat certus. Nos igitur his, & aliis, quæ fuerant utrimque proposita, diligenter auditis, intelleximus evidenter, statuta Lateran. Concil. de beneficiis ultra sex menses vacantibus locum in hoc articulo (e) nullatenus habuisse, cùm & forsan Asten. Ecclesia Canonicorum pateretur defectum: nullæ tamen in ea præbendæ vacabant, cùm in illa nec sint distinctæ præbendæ, nec canonicorum numerus diffinitus. Unde institutio per Episcopum, vel per Archiepiscopum occasione facta Concilii memorati, carere debet robore firmitatis. Quia verò totum Capitulum, tribus tamen exceptis, prædictorum receptionem approbarat, & affectat, nec ab illis tribus aliquid rationabile contra ipsos objectum est, & ostensum: disc. v. per A. f. m. quat. inquisitâ diligentiùs veritate, si Asten. Ecclesiæ suppetunt (f) facultates, secundùm consuetudinem hactenus observatam, prædictos clericos sublato cujusc. contrad. & ap. obstac. pro Canonicis faciatis haberi.

NOTÆ.

1. (a) *Papiensi*) Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 7. De Papiensi Ecclesia nonnulla notavi *in cap. cùm inter, de elect.* Rodobaldo ejus Ecclesiæ Præsuli, qui interfuit Concilio Lateran. sub Innocentio III. celebrato, missa est præsens decisio.

2. (b) *Astensis.*] Asta, vulgò *Asti*, est civitas Italiæ, habens Ecclesiam Cathedralem jam à primis Ecclesiæ sæculis; siquidem Majorianus ejus Prælatus subscripsit Concilio Romano sub Hilario celebrato, ut refert Carolus à sancto Paulo *in geograph. sacr. fol.* 62.

3. (c) *Quosdam.*] Quia licèt una tantùm esset præbenda, cùm non esset numerus certus Canonicorum, plures eligi poterant, ut probat Lotherius *lib.* 1. *de re benef. cap.* 14 *num.* 13

(d) *Circa tempus.*) Quodnam illud fuisset, exposui *in cap. licet, de supplend. neglig.*

4. (e) *Nullatenus habuisse.*] In pluribus Ecclesiis Cathedralibus non sunt distinctæ præbendæ, nec reperitur certus Canonicorum numerus, ut probavi *in cap. cùm accessissent, de constit.* in quibus si aliquis decedat, non vacat præbenda, sed jus illud extinguitur & finitur, quod per erectionem novi Canonici suscitatur, ut probat Lotherius *lib.* 1. *de re benefic. cap.* 14. *num.* 16. unde cùm eo casu non detur vacatio, non potest dari negligentia in conferente.

(f) *Facultates.*] Juxta tradita *in cap.* 1. *de instit.*

CAPUT

CAPVT XI.

Idem *Episcopo*, & *Capitulo* (a) *Lauden.*

CONstitutus in præsentia nostra dilectus filius H. Subdiaconus noster, Ecclesiæ vestræ Canonicus, nobis humiliter intimavit, quod tu frater Episcope potestatem dedisti (b) sacerdotalem conferendi præbendam, quæ primò esset in vestra Ecclesia vacatura: & bonæ memoriæ (c) Vv. Archiepiscopus Rhemen. tunc Ap. Sedis Legatus, vobis, filii Capituli, auctoritate nostra districtè præcepit, sicut per litteras suas ad nos directas apparet, quæ coram nobis lectæ fuerunt: ut, cùm sacerdotalis præbenda in Ecclesia vestra vacaret, personam illam, cui præfatus Subdiaconus vellet eam conferre, reciperetis ad eam sine interpositione alterius personæ, & eandem personam curaretis de illa sine difficultate qualibet investire. Asseruit etiam idem Subdiaconus, quod cùm esset ad Sedem Apostolicam accessurus, ipse præcautus appellavit, ne tu, frater Episcope, si fortè interim aliquem sacerdotalem contigerit vacare præbendam, eam ulli conferres, nec vos, filii Capituli, reciperetis aliquem præsentatum ad illam, nisi quem duxerit præfatus Subdiaconus præsentandum. Quocirca disc. v. per A. s. m. quat. personam illam, cui memoratus Subdiaconus sacerdotalem præbendam, cùm contigerit illam vacare, duxerit conferendam, canonicè sine contradictione qualibet admittatis, tibi frater Episcope firmiter inhibentes, ne interim aliquam sacerdotalem præbendam alicui contra formam concessionis tuæ (d) conferre præsumas, alioquin noveritis nos dil. fil. Cancellario, & Helim. & A. Canonicis Parisien. in mandatis dedisse, ut vos ad hoc per censuram ecclesiasticam ap. rem. compellant, in irritum reducentes, si quid post ap. à præfato Subdiacono ad nos legitimè interpositam contra concessionem sibi factam de sacerdotali præbenda noverint attentatum. Quia verò concessiones hujusmodi, si trahantur ad consequentiam, fieri possent in fraudem canonicæ sanctionis, per quam prohibentur ecclesiastica beneficia concedi, sive promitti antequam vacent, nolumus, quod hujus occasione mandati, quod gratiam continet personalem, fraudem adhibere volentibus licentia concedatur.

NOTÆ.

(a) *Lauden.*] Ita habetur in tertia collectione, *sub hoc tit cap.* 8. De Laudensi, seu Laudunensi Ecclesia nonnulla notavi *in c* 3. *de except.*

(b) *Sacerdotalem.*] Quæ conferri non potest alii, quàm sacerdoti, *cap. cui de non sacerdotali, de præbend. in 6.* ut in Ecclesia Laudunensi Veromanduorum observari refert Chopinus *de sacra pol lib.* 3. *tit.* 3. *num.* 11. quibusdam enim præbendis annexum est sacerdotium, *cap. dilecto, de testibus*, aliis diaconatus, aliis subdiaconatus. Innocentius III. *lib.* 1. *epist.* 275. aliis nullus ordo annexus est, *cap.* 27. *de præbend. in 6.* Illi cogendi sunt ad ordines, hi verò minimè, *cap. cùm in cunctis*, §. *inferiora, de elect.* nisi Ecclesiæ utilitas, vel necessitas exigat, *cap. quæris, de ætate & qualit.* ubi probavi: notavit Cironius *in c.* 8. *de constit. in* 5. *compil.*

(c) *Vv.*] Vvido videlicet Abbas Cistercienſis, Cardinalis Episcopus Prænestinus, de quo Chenu *in serie Præsulum Rhemen. num.* 53.

(d) *Conferre præsumas.*] Quod difficile valde est, siquidem ut constat *ex cap. in causis*, 30. *de elect.* facto compromisso in aliquos, ut eligant, non potest talis potestas illis concessa revocari, quando res non est integra; & sic è contrario probatur, quod si res integra esset, rectè posset revocari talis facultas. Unde cùm in specie hujus textus res integra esset, nec enim præbenda vacaverat, nec H. ad collationem processerat; cur impeditur Episcopus contra formam concessionis suæ sacerdotalem præbendam conferre, & revocare commissionem factam? Hostiensis existimavit, rationem esse desumendam ex persona Episcopi, quia Episcopus non debet irrita facere, quæ processerunt de labiis suis. Innoc. quem sequuntur ferè omnes, existimavit, differentiam versari inter casum, in quo commissio fit in favorem ipsius cui committitur, & inter casum, in quo commissio fit magis in favorem Ecclesiæ; ut primo casu revocari non possit, quo casu existimat procedere textum hunc: secundo verò exandiendum esse textum *in d. c. in causis.* Verùm distinctionem hanc meritò reprehendit Antonius *hîc*, cujus interpretatio magis placet; asserit enim ideo Episcopum in hoc casu non posse cui vellet præbendam conferre, quia per confirmationem Archiepiscopi Rhemensis, & Legati Sed A. affecta fuerat, ut jam validè conferri non possit, quemadmodum nec utiliter Episcopus eam conferret, si Legatus collationem certi beneficii sibi reservasset.

COMMENTARIUM.

QUamvis concessa alicui potestas conferendi 3.
præbendam sacerdotalem proximè vacaturam captandæ mortis alienæ occasionem facilè sensum non trahat; namque ille cui dicta potestas

ſtas conceditur, vacaturi beneficii emolumentum habiturus non eſt, ſed ille qui proviſus fuerit de tali beneficio; nihilominus, quia via aperiri poſſet fraudandi Concil. Lateranen. utpote quia, ſi fortè Epiſcopus voluntatem habuerit conferendi alicui beneficium ſacerdotale, poſſet amicum eligere illius, cui conferre velit, ipſique poteſtatem conferendi beneficium ſacerdotale primò vacaturum committere; unde amicus, cui beneficium Epiſcopus per amicum conferre intendit, mortem poſſidentis illud beneficium captabit, ut ipſi per amicum beneficium conferretur, atque ita Lateranenſe Concilium illuderetur; talis poteſtas conferendi beneficium, alicui ab Epiſcopo conceſſa improbatur; quam decidendi rationem præſentis textus agnoverunt omnes repetentes *hic*, & ſatis innuit Innocentius in illis verbis: *Quia verò conceſſiones tales, ſi ad conſequentiam traherentur, fieri poſſent in fraudem canonicæ ſanctionis, per quam prohibentur eccleſiaſtica beneficia concedi, ſeu promitti antequam vacent, nolumus quod hujuſmodi occaſione mandati, quod gratiam continet perſonalem, fraudem adhibere volentibus licentia concedatur.*

4. Verùm ſi prædicta ratio juris principiis conſona eſt; quomodo Innocentius III. in præſenti collationem præbendæ Henrico factam, ut validam admittit, & defendit? Quæ difficultas totſit valde Interpretum ingenia. Antonius, Innocentius, Hoſtienſis, Immola, & Panormitanus exiſtimant, ex gratia Pontificis commiſſionem conferendi præbendam vacaturam, & per conſequens ipſius collationem ſuſtineri, non quia Epiſcopus, aut Rhemenſis Præſul, S. A. Legatus ipſam facere poſſint, cùm illi ſint inferiores Concil. Lateran. & per conſequens non poſſint in eo diſpenſare, *ex c. cùm inferior, de majorit. & obed.* pro qua ſententia expendit Hoſtienſis textum *in cap. pro illorum 22. §. final. de præbend.* in illis verbis, *auctoritate noſtra*; ſed non rectè, quia ſi ea rectè perpendantur, non ad Pontificem ipſum, ſed ad ejus Legatum referenda ſunt. Verùm hæc interpretatio meritò aliis diſplicuit, qui affirmant in præſenti caſu commiſſionem conferendi præbendam proximè vacaturam ſuſtineri, quia confirmata fuit per Legatum S. A. ut conſtat ex illis verbis: *Et Rhemenſis Archiepiſcopus, tunc Ap. Sedis Legatus, vobis, filii Capituli, auctoritate noſtra præcepit, ut cùm præbenda ipſa vacaret, illam cui vellet idem H. conferret* Conſtat autem Legatum S. A. poſſe ſibi reſervare collationem beneficii vacaturi, *cap. cùm dilectus, de jurepatron. cap. deliberatione, §. prohibemus, de offic. Legat.* & ita docent, non ex commiſſione Epiſcopi, nec ex gratia Pontificis, ſed ſtricto juris rigore attento, ex confirmatione Legati commiſſionem in præſenti ſuſtineri caſu. Sed hæc etiam interpretatio non placet; nam licèt Legatus poſſet ſibi reſervare collationem beneficii vacaturi, non tamen poteſt eandem poteſtatem alii committere, immò nec delegare receptionem reſignationis futuræ præbendæ, *d. cap. 4. §. prohibemus, de offic. Legat. in 6.* His ergo omiſſis ſententiis aliter textum hunc exponendum eſſe exiſtimo, ita ut commiſſio conferendi præbendam vacaturam in præſenti ſpecie ſuſtineatur tantùm ex facto ipſius Epiſcopi; ſupponimus enim in prædicto Concilio Lateran. tantùm prohibitum eſſe, ne beneficia eccleſiaſtica promittantur antequam vacent, ut vitetur periculum captandæ mortis alienæ, quam prohibitionem Alexander III. ejuſque ſucceſſores ad varios caſus protraxerunt, ut notavi *in cap. 3. hoc titulo*; unde prædicta prohibitio abſque ſpeciali lege Pontificis ad præſentem caſum trahi non poterat, utpote quia cùm comiſſione facta alicui, ut conferat primum beneficium vacaturum, ipſe ex beneficio, quod conferre debet, ullum emolumentum habiturus non ſit, non creditur ipſum mortem alterius captaturum: ergo rectè potuit talis commiſſio dari ab Epiſcopo, quaſi hic caſus eſſet extra prohibitionem Concil. Lateran. Unde Innocentius III. rectè conſtituit, attentâ prohibitione ipſius Concilii ſuſtineri prædictam commiſſionem; ſed quia ex tali delegatione facilè fraus fieret Concilio Lateran. ideo eadem conſtitutione prohibuit de cætero ſimiles commiſſiones in fraudem Concilii fieri. Nec huic ſolutioni contradicit ipſe Innocentius, dum in fine hujus textus affirmat, hujuſmodi conceſſionem gratiam ſpecialem continere: igitur quia ſtricto juris rigore talis commiſſio non ſuſtinebatur. Nam dicendum eſt Pontificem aſſerenda hujuſmodi commiſſionem gratiam perſonalem continere, non docere hujuſmodi commiſſionem fieri non potuiſſe ante præſentem conſtitutionem, ſed perſonalem gratiam eam appellare reſpectu futurarum; cùm enim Innocent. intenderet in præſenti conſtitutione protrahere Concilii Lateranenſis prohibitionem ad caſum adhuc non expreſſum, dixit prædictam commiſſionem ſpecialem gratiam eſſe, quia deinceps ſimiles commiſſiones fieri non poſſunt: & hoc ſpecialiter curavit Innocentius hac ſua conſtitutione, quod anteà cautum non erat.

Ex qua Innocentii conſtitutione ita expoſita lucem accipit Honorius III. ejus ſucceſſor, relatus *in cap. ult. hoc tit.* ubi ſtatuit, nullas eſſe promiſſiones factas à Joanna Flandrenſi Comitiſſa de beneficiis non vacantibus in Eccleſiis, in quibus ipſa juſpatronatus obtinebat, nec potuiſſe poni donationes eorum in manibus alienis; quæ ultima pars ita communiter ab omnibus accipitur, ut ideo improbentur hujuſmodi donationes, hoc eſt commiſſiones ad præſtandum, quaſi perſonis particularibus factæ non valeant: & ideò cùm Comitiſſa talibus perſonis dictas donationes feciſſet, meritò nullius momenti à Pontifice judicantur: docuerunt Innocentius, Abbas, & Immola *in dicto cap. ultimo*, Covarr. *lib. 3. var. cap. 20. ſub. num. 6.* Garcia *de benefic. p. 5. cap. 8 numer. 113. & part. 10. cap. 1. num. 9.* Verùm quia Honorius non exprimit, in quibus manibus Comitiſſa donationes poſuerit, exiſtimo divinare Interpretes, dum affirmant, fuiſſe manus privatorum; & ſi fuiſſent, quid impedit privatorum manibus hujuſmodi donationes fieri, ipſi non exprimunt. Unde ex adducta interpretatione præſentis textus credo Honorium lucem accipere; cùm enim Honorius ſucceſſor eſſet Innocentii, & per conſequens adeptus fuiſſet præſentem conſtitutionem; ideò ſicut Innocentius in præſenti non valere ſtatuit commiſſiones factas de conferendis beneficiis vacaturis; ita ipſe donationes factas ad præſentandum in beneficiis nondum vacantibus, meritò improbavit.

5. *Exponitur cap. ult. hoc tit.*

Sed

6. Exponitur textus in cap. ex frequentibus 3. de inſtit.

Sed antequam hinc abeamus exponendus eſt textus *in cap. ex frequentibus 3. de inſtit.* ubi Alexander III. affirmat, pravam eſſe conſuetudinem [illegible] quam clerici eccleſiaſtica beneficia ſine conſenſu Epiſcopi diœceſis, vel Officialium ſuorum (qui hoc de jure poſſunt) recipiunt. Quibus verbis ſupponit Alexander, poſſe Epiſcopum jure committere vicariis ſuis, ut conferant beneficia vacatura, ipſosque officiales poſſe jure hujusmodi beneficia conferre; ergo non rectè Innocentius in præſenti affirmat committi non poſſe collationem beneficiorum nondum vacantium. Nonnulli exiſtimarunt pro hujus textus expoſitione differentiam magnam verſari inter Vicarium Epiſcopi, & alium privatum clericum, ita ut illi commiſſio fieri poſſit, iſti minimè; ita Rebuffus *in praxi, tit. de forma Vicariatus, num.* 8. Covarr. *lib. 3. variar. cap.* 20. *numer.* 6. Alii exiſtimarunt differentiam eſſe inter commiſſionem generalem conferendi omnia beneficia, & commiſſionem conferendi aliqua. Primo caſu affirmant commiſſionem factam officiali Epiſcopi valere; ſecundo verò nequaquam: ita Garcia *de benefic. p.* 5. *cap.* 8. *numer.* 113. Sed his diſtinctionibus omiſſis dicendum eſt, ideo ab Innocentio in præſenti improbari commiſſionem datam perſonæ particulari ad conferendum beneficium vacaturum, quia præſumitur talis delegatio facta in fraudem Concil. Lateranen. quæ præſumptio cùm non detur eo caſu, quo Epiſcopus Vicario proprio, ſimul cum jurisdictione committit collationem beneficiorum, ideò talis commiſſio admittitur, *cap. ultim. de offic. vicarii in* 6. quia non creditur in fraudem Concil. Lateranen. factam fuiſſe.

7. Exponitur ut. §. prohibemus, de offic. Legat. in 6.

Etiam ex ſuprà traditis venit exponendus textus *in cap. deliberatione* 4. §. *prohibemus, de offic. Legat in* 6. ubi Clemens IV. prohibet ne Legatus S.A. in genere, aut in ſpecie cuicunque concedat, ut ab his, qui infra provinciam ſuæ legationis voluerint beneficia liberè in ejus manibus reſignare, illa valeat idoneis conferre perſonis, illâ ratione adjectâ, quia per hoc aperiri poſſet via contra Lateran. Concilium, ad beneficia vacatura: ubi illud difficile eſt, quid novi conſtituiſſet Clemens IV. illis verbis, *prohibemus inſuper*; quæ jus novum inducunt, ex his quæ notavi *in cap. decernimus, de judiciis.* Cùm ergo in præſenti ab Innocentio prohibita eſſet commiſſio conferendi beneficia vacatura, difficile eſt quid de novo ſtatuat Clemens *in dicto §. prohibemus.* Aliqui exiſtimarunt, attentâ præſenti deciſione, non eſſe comprehenſum Legatum prædicta prohibitione; immò potiùs docent in præſenti ſpecie commiſſionem factam ab Epiſcopo ſuſtineri propter confirmationem Legati, quæ ſequuta fuit. Sed hac interpretatione, quam ſuprà rejeci, omiſſâ, dicendum exiſtimo, novam Clementis conſtitutionem non eo reſpicere, ut auferat poteſtatem Legatis committendi collationem beneficiorum nondum vacantium; hoc enim jam præſenti conſtitutione prohibitum erat: ſed nova illius textus prohibitio eſt, ut conſtitutionem Concil. Lateran. quæ tantùm loquebatur in caſu mortis, trahatur ad caſum in quo beneficia liberè reſignantur, quia & hujuſmodi commiſſione fraudari poteſt Concil. Lateran. Unde quemadmodum Innocentius in præſenti prohibitionem ipſius Concilii protraxit ad caſum, in quo beneficiorum collatio committitur; ita etiam Clemens IV. præſentem Innocentii conſtitutionem protraxit ad caſum in quo beneficia vacant per liberam reſignationem. Sed adhuc difficile eſt, quomodo commiſſâ per Legatum facultate conferendi beneficia, quæ per liberam reſignationem vacaverint, aperiatur via contra Concilium Lateran. ſiquidem talis commiſſio de beneficiis vacaturis, non per mortem, ſed per reſignationem erat; quomodo enim fieri poteſt, ut eo caſu capteretur mors aliena, cùm beneficium, cujus collatio committitur, non expectetur per mortem, ſed per liberam reſignationem? Huic difficultati ſuccumbentes antiquiores affirmarunt, rationem illius textus erroneam eſſe, & non rectè per compilatores adjectam fuiſſe; quod & ab ipſis compilatoribus didiciſſe teſtatur Geminianus ibi, *numero 6.* Sed ipſe, & Francus ibi, *num.* 2. contendunt veram rationem illius conſtitutionis in eo conſiſtere, ne Legati hujusmodi commiſſionibus derogarent jurisdictioni ordinariæ: ſed cùm per hanc derogationem non fiat fraus Concilio Lateran. aliena eſt prædicta ratio ab ea deciſione. His ergo ſententiis omiſſis verius dicendum eſt, in Concilii Lateranenſis prohibitione duo prorſus diverſa conſideranda eſſe, prohibitionem videlicet ipſam generalem, ne videlicet beneficia conferantur, ſeu promittantur antequam vacent; & ipſius prohibitionis rationem, ne videlicet detur occaſio captandæ mortis alienæ. Prohibitio generalis eſt comprehendens quemcunque vacationis modum, ut conſtat *ex cap. 2. cap. relatum, capite accedens, hoc tit.* Ratio autem ſpecialis eſt vacationis, videlicet per mortem, quam ut caſui frequentiori conſonam Patres Concilii Lateranen. aſſignarunt. Conſtitutio ergo Clementis protraxit Concilii Lateranen. prohibitionem ad caſum, in quo committeretur per Legatum collatio beneficiorum vacantium per reſignationem: quo caſu licèt per talem commiſſionem fraus non fieret rationi à Concilio adjectæ, fiebat tamen ejus prohibitioni: unde rectè ait Clemens IV. eo caſu aperiri viam ad Illuſionem Concil. Lateranenſis: præſenſit Moez *in dicto §. prohibemus, num.* 27.

CAPVT XII.

Idem (a) *Gerantin. Capitulo.*

Dilectus filius magiſter Vv. canonicus veſter olim Apoſtolatui noſtro ſuggeſſit, quod bonæ memoriæ Epiſcopo veſtro viam univerſæ carnis ingreſſo, maior, & ſanior pars veſtri convenerat in eundem, & ipſum eligere in Epiſcopum

proponebat: sed impediente viro nobili Comite Cutronæ, non fuit electio celebrata; postmodùm autem idem Comes de ipso Episcopatu Madium capellanum suum investiens, vobis injunxit, ut vel à terra recederetis ipsius, vel eligeretis eundem M. in Pastorem: quod cùm ven. f. n. Archiepiscopus sanctæ (b) Severinæ, in cujus electus audisset, prædictum Vv. ad suam præsentiam accersivit, & asserens, quod propter negligentiam vestram ad ipsum erat eligendi auctoritas devoluta, ipsum induxit, ut electioni de se faciendæ præberet assensum: qui suis monitis acquiescens electus extitit ab eodem, suffraganeorum interveniente conniventiâ. *Et infrà*; Nos igitur attendentes, quod canon Lateranen. Concilii contra negligentes editus, ad Archiepiscopatus, vel (c) Episcopatus non solet extendi, sed ad personatus alios, & minora ecclesiastica beneficia coarctari, electionem ejusdem Vv. qui ab Archiepiscopo, & suffraganeis ejus fuit, ad quos electio non spectabat, electus, justitiâ cassavimus exigente.

NOTÆ.

1. (a) *Erantin.*] Ita legitur in tertia collectione, *sub hoc titul. cap.* 9. sed legendum est *Geruntin.* Geruntia enim est civitas Calabriæ, suffraganea Archiepiscopi sanctæ Severinæ, ut notat Cujacius *in cap.* 1. *hoc tit.*

2. (b) *Sanctæ Severinæ.*] Siverena civitas nobilis est Italiæ, in situ Calabriæ, quam vulgus Severinam appellat: ejus meminit Plinius *lib.* 14. & de ejus origine nonnulla adducit Gabriel Bartius *de antiquit. & situ Calabriæ lib.* 4. *in Ital. Illustr. fol.* 1145.

(c) *Vel Episcopatus.*] Ut probavi *in cap. ne pro defectu, de electione, cap. dilectus, de suppleud. neglig.*

CAPVT XIII.

Idem *Priori* (a) *Ossen. & Subpriori sanctæ Fredesundæ.*

EX tenore vestrarum litterarum intelleximus evidenter, quod cùm causam quæ inter I. clericum ex parte una, & Conventum de (b) Bello ex altera, super redditu x. (c) marcharum, vel xv. quas idem exigebat ab ipsis, eo videlicet, quia eidem, quamcitò se facultas offerret, interim se promiserant provisuros; nec promissionem suam curaverant adimplere, noscitur agitari, vobis duximus committendam, dictus clericus post litem contestatam chartam quandam monachorum ipsorum, continentem expresè, quod ei primam Ecclesiam ad donationem suam spectantem, valentem x. marchas, vel xv. assignare promiserant, exhibuit coram nobis: nihilominus per idoneos testes probavit, ipsos post promissionem hujusmodi, licèt potuerint, nolle sibi, quamquam super hoc admoniti fuerunt, providere. Quare dictum Abbatem, & monachos ad assignandum sibi redditum x. marcharum ad minùs cogi cum instantia postulabat. Ad hæc autem fuit ex adverso responsum, quod ratione promissionis, utpote factæ contra Lateranen. statuta Concilii, quæ probari per chartam exhibitam videbatur, eos non poterat convenire, præsertim cùm non de aliqua Ecclesia, sed de promissione tantùm in litteris vestris mentio haberetur. Cùm igitur aliis ipsos posse conveniri asserentibus, aliis verò in contrarium sentientibus, super hoc fuisset hinc inde coram vobis diutiùs disputatum, vos quid juris sit in hoc articulo dubitantes, in negotio ipso ulteriùs procedere noluistis; donec super hoc reciperetis nostræ beneplacitum voluntatis, nobis humiliter supplicantes, ut quid sit in hac parte agendum, vos dignaremur per nostras litteras reddere certiores. Nos igitur attendentes, quod promissio prædicta non (d) tenet, utpote contra statuta præfati Concilii attentata, disc. v. per A. s. m. quat. memorato clerico super hoc silentium imponentes, ab impetitione ipsius dictos Abbatem, & monachos absolvatis.

NOTÆ.

1. (a) *Priori Ossen.*] Ita legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 10. in sexta autem habetur, *Hostien.* sed legendum est; *Osnei.* In Oxoniensi enim diœcesi Angliæ erant duo Prioratus, ambo Canonicorum regularium Ordinis Divi Augustini: primus Osnei dictus; cujus meminit Pennotus *lib.* 2. *hist. canonic. regul. cap.* 37. *num.* 12. secundus nuncupatus Sanctæ Fridisvidæ, de quo agit idem Pennotus *dicto cap.* 37. *num.* 12.

Conventum

(b) *Conventum de Bello.*) Guillelmus Dux Normannorum tria magnifica monaſteria diverſis in locis conſtruxit, eaque multis prædiis, variisque donariis ditavit; duo in Anglia, unum eò loci, quò cum Haraldo, Angliæ Rege dimicavit prope Haſtigen, quod prælium refertur in geſtis Guillelmi, Ducis *in hiſtor. Norman. fol.* 200. pro expiatione animarum militum qui in eo bello occubuerant: quod Cœnobium Divo Martino dicavit, appellavitque *Monaſterium ad Bellum*, ut ſimul monimentum paratæ tanto bello victoriæ in perpetuum foret, ut refert Polydorus Vergilius *in hiſtor. Angliæ, fol.* 158.

(c) *Marcharum.*) De earum valore in Anglia egi *in cap. 3. de pactis.*

(d) *Non tenet.*) Juxta adducta *in cap. 2. hoc titulo.*

CAPVT XIV.

Idem *Abbati, & Conventui monaſterii ſancti Michaelis de* (a) *Gaſto.*

ACcedens ad Sedem Apoſtolicam dil. fil. R. clericus, ſuâ nobis inſinuatione monſtravit, quod cùm promiſeritis vos proviſuros eidem in eccleſiaſtico beneficio, cùm poſſetis, ſicut per litteras Decani Sueſſion. & ſuorum conjudicum ſuper hoc à Sede Ap. delegatorum, quibus tenor litterarum veſtræ promiſſionis erat inſertus, liquidò edocebat, vos id hactenus efficere non curaſtis, allegantes coram judicibus memoratis quod talis promiſſio vos nullatenus obligaret, cùm videretur eſſe facta contra ſtatuta Lateranen. Concilii, quod promiſſionem inhibet beneficii non vacantis. Nos autem conſiderantes, quod aliud eſt Prælatum promittere beneficii collationem, cùm poterit, aliud cùm vacabit, cùm in multis caſibus ſe facultas offerre poſſet, in quibus non eſſet collatio in expectatione vacaturi beneficii differenda, per Ap. vobis ſc. mandamus, quatenus memorato R. competens eccleſiaſticum beneficium aſſignetis, alioquin Abbati ſancti Joannis, & Decano Sueſſion. damus noſtris litteris in mandatis, ut vos ad id per cenſuras eccleſiaſticas appellatione remotâ compellant.

NOTÆ.

(a) *Gaſto.*) In quarta collectione, *ſub hoc tit. cap.* 1. ita legitur; in hac ſexta collectione tantùm legitur, *Idem*; ſed tamen credo legendum eſſe, *ſancti Michaelis de Caranto*; monaſterium enim hoc eſt Ordinis Divi Benedicti ad mare ſitum, in Pictonibus, juxta flumen Carantonum, totusque ille tractus inundatus fuit; deinde recedente mari, apparuere terræ paulatim, & paludes deſiccatæ, quæ propter ſitus commoditatem, ac terræ ubertatem coli, at frequentati cœperunt. In eo ſaccellum primò conſtructum eſt peregrinationibus, ac religione celebratum, quod poſtea in ampliſſimum, & locupletiſſimum monaſterium Divo Michaeli dicatum evaſit, ut refert Papirius Maſonius *in deſcriptione Galliæ per flumina, fol.* 683.

(b) *Cùm poſſetis.*] Olim enim promiſſio generalis beneficii vacaturi, cùm poterit, aut cum vacaret, valebat, quia ſæpe permittuntur in genere, quæ in ſpecie non permittuntur, *cap. non eſtimemus* 13. *quæſt.* 2. *l.* 1. §. *qui quæſtionem*, 21. *ff. de quæſtionibus*; & docetur in præſenti decretali, quæ correcta eſt per Bonifacium VIII. *cap. deteſtanda, hoc tit. lib.* 6. ubi verba illa, *licèt olim fuiſſet canonicâ conſtitutione decretum*, de hac decretali accipit Nicolaus Fabricius *de benefic. titul.* 8. *cap.* 1. *numer.* 65. docent Valenſis *in parat. ad hunc titulum, cap.* 1. Barboſa *de poteſt. Epiſcopi alleg.* 126. Commentarium hujus textus dedi *in cap.* 1. *hoc titulo.*

CAPVT XV.

Idem *P. Subdiacono noſtro, Præpoſito & Capitulo* (a) *Ebrudun.*

POſtulaſtis per Sedem Apoſtolicam edoceri, ut cùm ad vos ſimul, & Archiepiſcopum veſtrum donatio præbendarum Eccleſiæ veſtræ pertineat, utrum præbendæ vacantis donatio penes Archiep. remaneat, ſi eam intra ſemeſtre tempus neglexeritis ordinare. Ad quod vobis breviter reſpondemus, quod ſi vos, & idem Archiepiſcopus intra tempus præſcriptum negligentes extitiſtis circa collationem

vacantium præbendarum, ſicut nec ab illo ad nos, ita nec à vobis ad illum poteſtas devolvitur conferendi; ſed ſecundùm ſtatuta Lateranen. Concilii, ad ſuperiorem tranſit donatio earundem, niſi fortè Archiepiſcopus, non ut Prælatus, ſed ut Canonicus vobiſcum habeat jus conferendi, & in hoc caſu, cùm dolosè forſitan impedierit, dolus ei ſuffragari non debet.

NOTÆ.

1. (a) *Brudun.*] In hac ſexta collectione tantum legitur, *idem*; in quarta autem, *ſub hoc tit. cap.* 2. ita legitur; ſed credo legendum eſſe Ebrodun. Ebrodunum enim, ſeu ut alii volunt, Ebredunum, civitas eſt in Alpibus maritimis, ſita ad Druentiam fluvium, earumque Metropolis civilis dicitur in notitia provinciarum Galliæ: à principio Epiſcopum tantùm habuit, ut conſtat ex Concilio Regienſi *can.* 2. poſteà tamen Metropolitæ dignitatem obtinuit, ut conſtat ex Hilario *epiſt.* 4. *ad Leontium*, ibi: *Frater, & Coepiſcopus noſter ingenuus Ebredunenſis, Alpium maritimarum provinciæ Metropolitani ſemper honore ſubnixus.* Referunt Carolus à ſancto Paulo *in geograph. ſacra, fol.* 145. Chenu *in chron. Galliæ, fol.* 508. Commentarium hujus textus dedi *in cap. dilecti, de ſupplend. negligentia.*

CAPVT IX.

Honorius III. *Epiſcopo, Præpoſito, & Cantori* (a) *Cameracenſi.*

CUm dilecta in Chriſto filia, nobilis mulier (b) Joanna Comitiſſa Flandrenſis, devicta quorundam precibus importunis fecerit promiſſiones illicitas de non vacantibus beneficiis Eccleſiarum, in quibus jus obtinet patronatus, & donationes eorum in (c) manibus poſuerit alienis, ſicut eſt noſtris auribus intimatum: diſc. v. m. quatenus irritum decernentes quidquid ſuper hoc ab eadem inveneritis eſſe factum contra inſtituta canonica, auctoritate noſtra inhibeatis eidem, ne ſimilia de cætero attentare (d) præſumat.

NOTÆ.

1. (a) *Cameracenſi.*] Ita reſtituo epigraphen, & integram ex quinta compilatione, edita à Cironio, ubi *ſub hoc tit. cap.* 1. reperitur textus hîc. De Eccleſia Cameracenſi nonnulla notavi *in cap.* 19. *de reſcript.*

(b) *Ioanna.*] Videlicet Conſtantinopolitana, Balduini Imperatoris Conſtantinopolitani filia, quæ patre ſuo peregrè mortuo, ſucceſſit in Comitatu Flandriæ, anno Chriſti 1206. cujus prior maritus fuit Ferdinandus filius Regis Portugaliæ, quem bello captum Philippus Auguſtus per decennium detinuit in carcere: poſterior fuit Thomas filius Ducis Sabaudiæ. Ad ipſam, ut Comitiſſam Flandriæ ſpectabat jus præſentandi in beneficiis eccleſiaſticis, ut conſtat *ex cap. dilecto, de teſtibus, cap.* 1. *de re judic. in* 3. *collect.* referunt Boëtius Epon. *tom.* 1. *quæſt. heroic. tituł. de Regalibus*, Cujacius *in cap.*, *hoc tit. & in dict. cap. dilecto.* Alteſſerra *de Ducibus cap.* 8.

(c) *In manibus poſuerit alienis.*] Hæc verba expoſui *in cap. conſtitutus* 11. *hoc tit.* & an patronus poſſit conſtituere procuratorem ad præſtandum aſſenſum in beneficiis vacaturis, exponit Lotherius *lib.* 2. *de re benef. cap.* 6. *in princip.*

(d) *Præſumat.*] Adeò enim jus canonicum abhorret promiſſiones beneficii non vacantis, ut necdum eas à patronis fieri permittat, licèt ipſi poſſint poſteà variare, & ita nullum jus videatur præſentato quæſitum: & licèt poſſint transferre juspatronatus in alios, *cap. ex litteris, de jurepatron.* tamen non valent præſentationem in beneficiis vacaturis alii donare, ut docent congeſti à Barboſa in præſenti, quibus addo Boëtium Epon *in repetit. ad hunc textum*, Mancinum *ſacri juris controv. cap.* 23. ex ratione adducta *in cap.* 2. *hoc tit.* ex quo commentario præſens petendum eſt. 2.

TITVLVS

TITVLVS IX.

Ne vacante Sede aliquid innovetur.

CAPVT I.

Innocent. III. *Priori, & Conventui* (a) *Glaſtonien.*

NOvit ille, qui ſcrutator eſt cordium & cognitor ſecretorum, quod licèt bonæ memoriæ C. Papa prædeceſſor noſter Eccleſiam veſtram erexerit Cathedralem, ipſam (b) Bartholomen. Eccleſiæ (c) uniendo, ut idem eſſet Epiſcopus utriusque, & ſuam conſtitutionem non ſolùm per privilegium, verùm etiam per alia ſcripta multa curaverit confirmare: quia tamen hæc unio à vobis aſſerebatur eſſe confuſio, conquerentibus eam in grave præjudicium Glaſtonien. Eccleſiæ redundare, cùm per ipſam diſſolveretur religio, eleemoſyna (d) fraudaretur, & hoſpitalitas: nos veſtris ſupplicationibus inclinati, ad relevandum Eccleſiæ veſtræ ſtatum intendere cœpimus, quantùm decuit diligenter. Et quoniam abſonum videbatur, ut ſubitò prædeceſſoris noſtri evacuaremus in hac parte ſtatutum, cùm ei, quantùm cum Deo poſſumus, deferre velimus, ſicut & volumus, quod quantùm cum Deo potuerint, noſtri nobis deferant ſucceſſores; unione manente, ſic de cæteris diſpoſuimus, quantumcunque bonæ memoriæ Saverico Barthol. Epiſcopo diſpliceret, frequenter obhoc ad Sedem Ap. laboranti, quòd ſtatus Eccleſiæ veſtræ videbatur in melius relevatus. Unde poſt diverſos tractatus, & deliberationes multiplices, quod per viros providos & honeſtos auctoritate mandati noſtri ſuper hoc extitit ordinatum ad petitionem ejusdem Epiſcopi, poſtquàm aliud à nobis non potuit obtinere, Apoſtolico tandem curavimus munimine roborare. Vos autem poſt obitum præfati Bartholomen. Epiſcopi ad noſtram præſentiam recurrentes, humiliter poſtulaſtis, quia tempus advenerat, quò ſine ſcandalo Eccleſiæ veſtræ ruina poterat in ſtatum priſtinum relevari: cùm & Bartholomen. Eccleſia, & (e) Wellen. ipſum pariter poſtularet; (f) Rex quoque cum regni Magnatibus, & quidam Epiſcopi cum multis Abbatibus depoſcerent illud idem, ut unione penitus diſſolutâ, monaſterium veſtrum reduceremus in ſtatum antiquum ſub Abbatis regimine gubernandum. Nos verò diligentiùs attendentes, quod Epiſcopali Sede vacante non decet ſuper hoc aliquid innovari, cùm non ſit qui jus Epiſcopale tueatur, præſertim ne plus caviſſe perſonæ, quàm Eccleſiæ videremur, ſi quod eo vivente conceſſimus, poſt obitum ejus ſubitò mutaremus, petitionem veſtram ex toto absque damno conſcientiæ, ac periculo famæ nequivimus exaudire. Ut autem ſolito more, quem & vobis utilem, & nobis honorabilem eſtis experti, gradatim ab imo procedatur ad ſummum, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut cùm Batonienſis Eccleſia de Præſule fuerit ordinata, ſi oſtendere volueritis quod Eccleſiæ veſtræ nondum ſit ad detrimentum, vel præjudicium evitandum plenè proviſum, jus veſtrum apud Sedem Ap. proſequendi liberam facultatem habeatis. Interim autem ſub cura Prioris idem monaſterium gubernetur.

NOTÆ.

(a) *Glaſtonien.*) Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. c. unic.* Glaſtonia eſt in Anglia, ad partem Occidentis, prope Weliam, ubi ſanctus ille Joſeph ab Arimathia, diſcipulus Domini, qui ejus ſacratiſſimum corpus ſepulchro condidit, celebre templum conſtruxit, & poſtea Hina Occidentalium Saxonum Rex, qui vixit circa annum 688. ibi Cœnobium Ordinis D. Benedicti conſtruxit, magnificeque dotavit, & poſtea Edgarus Angliæ Rex magnis poſſeſſionibus auxit, & ſucceſſivè Reges omnes ſingulari affectu proſequuti ſunt, ut referunt Polydorus Vergilius *lib. 1. & 4. hiſt. Angliæ*, Osbertus *in vita ſancti Dutani*, apud Surium *die 19. Maii*, Willelmus Malmesburg. *lib. 2. de geſt. Angliæ*, Yepes *tom. 3. chron. D. Benedicti, cent. 3. à n. 727.* quod monaſterium duravit usque ad tempora Henrici VIII. qui illud cum aliis ipſius provinciæ deſtruxit.

(b) *Bartholomen.*] Legendum eſt Batonienſem, ut infrà legitur. Batonia eſt civitas Angliæ

Episcopalis ; temporibus enim Guillelmi Ducis Normannorum, anno 178. in Concilio Londini celebrato statutum fuit, ut aliquot Sedes Episcopales, quæ in oppidulis ac pagis antea fuerant, in civitatibus, & locis celebrioribus collocarentur : quo factum est, ut Bathonia, Limonia, Sarisberia, Exonia Cestria, atque Ciceſtria, & civitates hujusmodi novo Episcoporum incolatu nobilitatæ sint, ut refert Polydorus Vergilius *lib. 9. fol. 155.*

(c) *Uniendo.*) Quam Episcopatuum unionem tantùm Pontifex facere potest, ut probant Petrus Gregorius *de benefic. cap. 2.* Barbosa *lib. 3. juris eccles. cap. 16.* & dicemus *in cap. sicut unire, de excess. Prælat.*

3. (d) *Eleemosyna fraudaretur, & hospitalitas.*) Ut hæc verba intelligantur, sciendum est, monasterium hoc Glastonienſe magnis opibus fuisse ditatum ; siquidem reddit us ejus constabant ex triginta mille libris, cùm quælibet libra penderet 40 regales, & ita plusquam centum mille scuta auri obtinebat. Ex his alebantur 400. homines, qui degebant in ipso monasterio, & hospitabantur alii plures nobiles, & 4. & 6. feriâ cujuslibet hebdomadæ amplæ erogabantur eleemosynæ in pauperes illius ditionis, ut refert Yepes *ubi suprà, fol. 41.* his verbis : *Ylas riquezas de los conventos, y particularmente de este como hemos visto, servian de sustentar à muchos pobres, que venian de toda la tierra, los miercoles, y los viernes : y para entretener à muchas personas nobles, y necessitadas.* Unde conquerebantur monachi ipsius monasterii, per unionem factam à Cœlestino III. cessare prædictas eleemosynas, nec non hospitalitatem.

(e) *Wellen.*] VVellensis enim Ecclesia jam antea fuerat unita Bathonienſi, ut refert Polydorus Vergil. *dict. lib. 1. hist. Angliæ, fol. 4.*

(f) *Rex.*] Joannes videlicet Rex Angliæ, & Scotiæ, non Richardus, ut voluit Cujac. *in præsenti* ; quod ut facilius percipiatur, præsentis unionis historia repetenda est ; cùm enim Cœlestinus III. unionem fecisset Bathonienſis Episcopatus cum Abbatia Glastonienſi, in cujus unionis confirmationem dederat Richardus I. Rex Angliæ prædictam Abbatiam Saverico Episcopo Bathonienſi, poscentibus monachis unionem rescindi coram Innocentio III. ex eo quia talis unio religioni nocebat, & amplius præ erogationes in pauperum alimenta fieri nequirent, Richardus dictam Abbatiam cuidam Wilhelmo dedit, qui eam quamdiu vixit Rex, pacificè possedit ; eo tamen defuncto Savericus illam repetebat virtute unionis factæ à Cœlestino, & obtinuit eam confirmari ab Innocentio III. Defuncto tamen Saverico adhuc monachi instabant coram Innocentio III. pro rescissione unionis, plenam sui cœnobii restitutionem petentes : sed Innocentius eos audiendos non esse decrevit duplici ex ratione. Primâ quia vacante Sede, & defuncto legitimo defensore, videlicet Bathonienſi Episcopo, nihil erat innovandum quod attingeret jura Episcopalia, juxta D. Cyprianum *epist. 31.* ibi : *Ante constitutionem Episcopi nihil innovandum putamus, sed lapsorum mediocriter culpam temperandam esse credimus ; dum Episcopus dari à Deo nobis sustinetur, in suspenso causa teneatur.* Secunda, quia si defuncto Saverico Innocentius monasterio concederet quod eo vivo denegaverat, videretur tunc plus faviſse Saverico, quàm Ecclesiæ ; & ita rectè definit, Sede Bathonienſi vacante, nihil statui posse ; ex præsenti rubrica, cujus sententiam examinabimus *in c. 3 hoc tit.*

CAPVT II.

Honorius III. *Episcopo* (a) *Calven. & Magistris V. & I. Canonicis* (b) *Suessen.*

Illa devotionis sinceritas, & sincera devotio, quam dil. fil. Magister R. Decanus Teanen. ad personam nostram & Sedem Apostolicam hactenus habuisse dignoscitur, nos inducunt, ut eum pro suæ scientiæ ac probitatis intuitu geramus in viscеribus charitatis, & ei denegare nolimus, quæ secundum Deum fuerint concedenda : unde nos Ecclesiam sancti Leutii de Capua, cum omnibus pertinentiis suis, de qua Magistrum R. donationis nostræ gratiâ præcedente, præbendæ nomine de mandato nostro ven. f. n. R. (c) Capuanus Archiepiscopus investivit, sibi duximus auctoritate Apostolica confirmandam, non obstante concessione Capituli facta de ipsa Ecclesia Roberto de Franco, Canonico Capuano ; seu confirmatione nostra, si qua fortè in forma communi appareret obtenta ; quum nusquam inveniatur cautum in jure, quod Capitulum vacante sede fungatur Episcopi vice in collationibus præbendarum : nec in eodem casu potest dici potestas conferendi præbendas ad Capitulum per superioris negligentiam devoluta, cùm non fuerit ibi superior, qui eas possit de facto, vel jure conferre. Quocirca diſe. v. m. quatenus eundem Magistrum in corporalem ipsius Ecclesiæ possessionem sublato appellationis obstaculo inducatis, & defendatis inductum.

NOTÆ.

(a) *Calven.*] Ita legitur in quinta compilatione, *sub hoc titul. cap. 1.* Calvensis Ecclesia est suffraganea Archiepiscopi Capuani, ut ex veteri Codice provinciarum refert Cironius *hic.*

(b) *Suessen.*] Suessa hodie Sessa, celebris urbs est

est Italiæ, in agro Vestino, ad montem Masicum sita, ut refert Schotus *in itiner. Italiæ, lib. 3. fol. 589.* habuit jam olim Ecclesiam Cathedralem suffraganeam Archiepiscopi Capuen. cujus Præsul Fortunatus subscripsit Concilio Romano sub Symmacho.

(c) *Capuanus.*) De Capuana Ecclesia jam nonnulla notavi *in cap. 18. de elect.*

COMMENTARIUM.

2. Conclusio traditur & probatur.

EX hac Honorii decretali sequens communiter venit disputanda assertio: *Capitulum Sede vacante beneficia, quæ vel ex jure communi, vel aliunde ad liberam collationem solius Episcopi spectant, conferre non potest.* Probant eam textus *in cap. nunc. hoc tit. in 6. cap. 1. de instit. eodem lib.* Illustrant plures congesti à Barbosa, & Garanna *hic*, quibus addendi sunt Solorzanus *tom. 2. de jure Indiar. lib. 3. cap. 13. num. 31.* Diana *p. 8. tract. 4. resol. 24. cum sequent.* Cironius & Cujacius *in præsenti*, Moneta *de commut. cap. 10. num. 38.* Chopinus *de sacra pol. lib. 1. tit. 5. & 6.* Valensis *de benef. lib. 1. tit. 9. & 10.* Rufinianus *lib. 3. constit. tit. 8. cap. 8* Sarravia *de jurisd. adjunct. q. 17.* Petrus Gregorius *lib. 1. partit. tit. 28 cap. 11.* Vigelius *in method. juris can. lib. 3. cap. 2. fol. 235.* Barbosa *de dignit. cap. 42. num. 109.* Corvinus *lib. 2. aphorism. tit. 29.* Abbas Panormit. *q. 1. num. 31* Duarenus *lib. 3. de sacris Eccles. cap. 5.* Corrasius *de benef. p. 2. cap. 7.* Lambertinus *de jurepatron. lib. 2. art. 4.* Sahagun *in cap. eam te, de rescript.* Lotherius *lib. 2. de re benef. cap. 2. lib. 2.* Rousselius *lib. 2. hist. Pontif. jurisd. cap 11. num. 13.*

3. Traditur dubitandi ratio.

Sed pro dubitandi ratione ita in præsentem assertionem argumentor. Sede Episcopali vacante omnis potestas Episcopalis residet penes Capitulum. Tobias Paumerst *lib. 2. de jurisdict. cap. 7. num. 107.* Gailius *lib. 1. observ. cap 30. num. 10.* & juxta Felinum *in cap. 1. num. 19. de jurejur.* non est inferius Episcopo, sed eo mortuo in jus omne quodam accretionis modo succedit, unde Sede vacante jurisdictionem exercet: Duarenus *lib. 3 de sacris, cap. 6.* statuta condit, *cap. cùm omnes 6. de constit.* præbendas confert, *cap. unic. hoc tit. in 6.* ab excommunicatione à qua Episcopus absolvere debebat, absolvit, *cap. unic. de majorit. & obed. in 6.* eligit, *cap. cùm olim 14. de majorit. & obed.* juramentum relaxat, *cap. penult. & ult. de supplend. neglig. in 6* Igitur & beneficia conferre potest, quorum collatio ad Capitulum spectabat. Accedit, quod Episcopo Capitulum usque adeò connexum est, ut ejus membra dicantur esse Canonici, *cap. novit, de his quæ fiunt à Prælatis, cap. cùm non deceat, de elect. in 6.* & pars corporis Episcopi, sicut Cardinales Pontificis, Augustus Vischerus *de elect. Imper. §. 8.* quia inter Episcopum & Capitulum spirituale contrahitur conjugium, *cap. licèt, cap. inter, de translat. Episcop.* Ergo beneficia, defuncto Episcopo, conferre valet.

4. Traditur in decisio.

Quâ difficultate minimè obstante vera est præsens decisio, cujus ratio assignatur à nostro Honorio in illis verbis: *Quia id nunquam in jure expressum est*; in collationibus enim beneficiorum non succedit Capitulum, nisi in casibus à jure expressis, ac proinde cùm ista regula sit prohibitoria, omne illud intelligitur esse expressè prohibitum, quod specialiter non est permissum, argumento textus *in l. 1. §. si quis hoc interdicto, ff. de utinere actuque, cap. ad audientiam,* ubi Abbas, & cæteri, *de præscript.* Ratio autem rationis, quare à jure non sit permissum Capitulo Sede vacante conferre beneficia, ea quæ ad collationem Episcopi spectabant, provenit ex eo, quod jure communi attento omnia bona cum suis fructibus successori in ipsa sede reservabantur, *cap. non licet, cum sequent. 12. q. 2. cap. quia sæpe, de elect. in 6. Clement. penult. de elect.* Concilium Chalcedon. *can. 22.* Illustrant Hallier *de sacris elect. sect. ult. art. ult.* Rota apud Pennam *tom. 1. decis. 128.* sed collatio beneficiorum inter fructus Episcopatus connumeratur, *cap. final. de offic. vicarii in 6.* Glossa *in cap. olim, de majorit. & obed.* probant Garcia *de benef. 5. p. cap. 5. num. 2.* Barbosa *in dicto cap. cum olim.* Salgado *de regia protect. p. 3. cap. 10. num. 3.* Didacus Perez *in l. 10. gloss 3. lib. 4 ordin. pag. 884.* Parexa *de instrum. edit. tit. 2. resol 3. num. 17.* rectè ergo decrevit Honorius in præsenti, Capitulum non posse beneficia conferre Sede vacante, quia illorum collatio cum fructibus debet reservari futuro Episcopo: prosequuntur Vivianus & Garanna *in præsenti.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, cui satisfaciendum est asserendo, Capitulum Sede vacante verè succedere in his, quæ sunt jurisdictionis contentiosæ, ut probat Solorzanus *dicto cap. 13* Item in collatione beneficiorum necessariâ, non verò in voluntaria, Chopinus *de sacra pol. lib. 1. tit. 5.* Inde Capitulum Sede vacante potest Prælatos inferiores confirmare, *dicto cap. cùm olim, de majorit. & obed.* dicemus *in cap. sicut 33. de simonia*: præsentatos instituere, *cap. 1. de instit. lib. 6.* Selva *de benef. 2. p. q. 11.* Corrasius *2. p. de sacerd. cap. 7. num. 2.* Nam Capitulum Sede vacante succedit Episcopo in omnibus, quæ sunt justitiæ, & necessitatis, Glossa *in Clement. 1. verbo Capituli, de hæretic.* Dicitur autem collatio necessaria, quæ propter periculum animarum differri non potest, vel propter præsentationem à patrono factam, vel quia alicui certæ personæ, seu speciali generi personarum, ex fundatione, ac institutione, vel alia de causa debetur, veluti antiquiori optanti beneficium, ut *in cap. final. de consuet. in 6.* tales enim collationes Capitulum Sede vacante facere potest, juxta ea quæ tradit Wamesius *consil. 259.* facit textus *in l. unum 67. §. 1. ff. de legat. 2.* & ideò si patronus Ecclesiasticus, vel laicus plures præsentaverit ad beneficium, potest Capitulum instituere quem velit. Nec obstat, quod collatio, quæ fit ex Pontificis jussu, necessaria est; siquidem ejus præceptum necessariò est adimplendum; & tamen in tali collatione Episcopo injuncta non succedit Capitulum, *cap. eam te, de rescript.* Ergo quia nec in collatione necessaria succedit. Nam respondetur in ejus textus specie, ideò Capitulum non posse, nec teneri conferre præbendam illam, quia ejus collatio speciali delegatione Episcopo commissa, & injuncta erat; unde sicut Capitulum non succedit in jurisdictione delegata Episcopo, ita etiam nec in hac speciali commissione conferendi præbendam. Hucusque tradita procedunt in beneficiis, quorum collatio spectat ad Episcopum privativè, non verò simul ad Capitulum, quia tunc totum jus conferendi Sede vacante Capitulo accrescit, *cap. unic. hoc*

5. Dissolvitur dubitandi ratio.

tit. in 6. cap. final. de re judic. eod. lib. non tamen ideo conferre valet beneficia ea, quæ spectant ad collationem Episcopi cum consilio Capituli, *cap. unic. § cùm verò, hoc tit. in 6.* quia tunc potiùs ad Episcopum solum, quàm ad Capitulum simul collatio spectat. Quid tamen de resignationibus pure, aut sub conditione faciendis coram Capitulo, & de collationibus beneficii in graduatos faciendis observandum sit, prosequuntur Solorzanus & Chopinus *suprà*, Lotherius *dict. q. 2.*

6. *Exponitur cap. 6. de jurepatron.*

Sed suprà traditis obstat textus *in cap 6. de jurepatron. in 1. collect.* in illis verbis: [Ex diligenti relatione Magistri E. accepimus, quod cùm bonæ memoriæ R. quondam Episcopus vester, de assensu & voluntate nostrâ ipsum in Canonicum Ecclesiæ vestræ recepisset, assignans ei xl. solidos sub annua pensione, nomine prædendæ percipiendos, quousque prædenda vacaret in eadem Ecclesia, ad quam ipsum intitulavit, cùm eum ad Diaconatus ordinem promoverit, prædicto Episcopo de medio sublato, & redditibus Episcopatus ad fiscum devolutis, cùm quædam prædenda in jamdicta Ecclesia vacaret, charissimus in Christo filius noster H. Illustris Rex Anglorum eam Thomæ clerico suo contulit, cui etiam aliam postmodùm in eadem Ecclesia vacantem cum Archidiaconatu, ad quem dicitur pertinere, concessit, quas insimul non debet habere, cùm nulli sit licitum in una & eadem Ecclesia duas prædendas obtinere. Quo de facto idem Thomas fructum prædendæ sibi prioris taliter collatæ Stephano fratri suo de Regia auctoritate confisus conferre præsumpsit. Quia igitur interest nostra, quæ in Ecclesiis Dei ita ordinata fuerint, studiosiùs emendare, d. v. per A. s. m. quat. si prælibatus E. à commemorato Episcopo de assensu, & voluntate vestra in Canonicum Ecclesiæ fuerit assumptus, ita quod cùm prædenda vacaret, sibi deberet ibidem assignari, prædendam illam cum fructibus, quos prædictus Thomas Stephano fratri tuo post susceptum Archidiaconatum cum prædenda dicitur contulisse, memorato E. omni ob, & ap. rem. auctoritate nostrâ, quamcitiùs assignetis, & eam sibi faciatis in pace, & in quiete dimitti, quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de jure donare.] Ex quibus apparet, Sede vacante collationem prædendarum non reservari futuro Episcopo, immò potiùs à Principe sæculari fieri. Igitur non rectè in præsenti docetur, Sede vacante, collatione beneficiorum futuro Episcopo esse reservandam. Pro cujus textus expositione sciendum est, olim Regio in eligendis Episcopis juri cohæsisse custodiam vacantium Ecclesiarum, & occupationem redditiuum interim provenientium, ut probavi *in cap. 4. de offic. ordin.* & eo jure regalium in Ecclesias vacantes insurrexisse Angliæ Reges, referunt Guillel. Rufus *anno Christi* 1089. Matthæus Paris. *anno* 100. Polydor. Vergil. *lib.* 10. *hist. Angliæ.* Guill. Brito *lib.* 1. *Philip.*

Nam Rex Anglorum jus usurpaverat illud,
Usquemodo, ut solus Pastores ipse crearet:
Nam quotiens pastore carens Prælatica Sedes,
Civili letho, naturalive vacasset,
Protinus Ecclesiæ bona cuncta vacantis, ab ipso
Usurpata suos convertebantur in usus,
Sicque Dei sponsam viduans, quantùm ipse volebat,
Cogebat placito sibi demùm nubere sponso.

Licèt ex pacto Joannem Angliæ Regem jus hoc vacantium Ecclesiarum cessisse in Romanam Ecclesiam, ut Innocentium sibi conciliaret, referant Matthæus Paris. & Wesmonaster, & ex his Altesserra *de Ducibus, cap.* 8. Unde in prædicto textu juxta illam corruptelam contulit Rex Angliæ prædendam Sede vacante, non quia ex jure communi alii quàm successori collatio beneficiorum spectet. Eodem etiam modo exponendus est textus *in cap. dilectus 34. de prædend.* junctis in ejus notis adductis.

CAPUT III.

Idem *Maurino Episcopo* (a) *Burg.*

COnstitutis olim coram bonæ memoriæ I. Papâ prædecessore nostro procuratore Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Castro Sororum, & bonæ memoriæ G. Burgen. Episcopo prædecessore tuo, dictus procurator petebat ab eodem Episcopo restitutionem tam super libertate liberè sibi eligendi Prælatum, quàm etiam super terris ipsius Ecclesiæ, & rebus aliis, quibus omnibus pars sua spoliata fuerat, ut dicebat. *Et infrà*: Lite igitur coram eodem prædecessore nostro super præmissis legitimè contestatâ, & postmodum coram judicibus delegatis factis confessionibus, & receptis testibus ab eisdem, causa fuit ad nos instructa remissa. Procuratoribus igitur partium in nostrâ præsentia constitutis, cùm super præmissis coram nobis diutiùs litigassent, nos diligenter hinc inde propositis, & rationibus partium plenius intellectis, reprobatis quibusdam depositionibus testium, qui vacante Burgen. Ecclesia, & carente legitimo defensore fuerunt minus justè recepti, procuratorem tuum nomine tuo de fratrum nostrorum consilio ab impetitione alterius partis sententialiter duximus absolvendum, quæstione proprietatis parti utrilibet reservatâ.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. (a) *Urg.*] Ita restituo textum, & epigraphen ex quinta cnmpilatione Honorii III. edita à Cironio, ubi *sub hoc tit. cap.* 2. textus hîc repe-itur: veram ejus historiam retuli *in cap. licèt, de testibus.*

COMMENTARIUM.

2. VErum est, Sede vacante, omnia ea, quæ sunt jurisdictionis, ad Capitulum devolvi, *cap. olim, de majorit. & obed. cap.* 1. *eod. tit. in* 6. *cap. ad abolendam* 9. *de hæretic. cap. unic. hoc tit. in* 6. *cap. si Episcopus* 3. *de suppl. neglig. eod. lib. cap.* 2. *de offic. vicar. eod. lib.* Trident. *sess.* 7. *cap.* 10. & *sess.* 23. *cap.* 10. & *sess.* 24. *cap.* 16. probant Hallierius *de hierarch. jurisdict. lib.* 3. *cap.* 3. *fol.* 342. Solorzanus *tom.* 2. *de jure Indiar. lib.* 3. *cap.* 12. Valenzuela *consil.* 107. & in his Regnis Hispaniarum, ex concordia inter Magnum Philippum II. & Pium IV. Capitulum succedit in omni jurisdictione, quæ competebat Episcopo ut Episcopo, Solorzanus, & Valenzuela *ubi proximè.* In his autem; quæ ad rerum dispensationem, & administrationem ipsam spectant, omni modo locum habet sententia præsentis rubricæ, *ne Sede vacante aliquid innovetur*; quæ cùm sententiam perfectam contineat, pro lege habetur, ut suprà probavi *in rubric. ut lite non contest.* Ideò Canonici interim prohibentur quidquam sibi vindicare ex juribus Ecclesiæ, aut Prælati, qui decessit, *cap. hæc hujus placuit* 12. *q.* 2. *cap.* 45. *de elect. cap. quia sæpe* 40. *eod. tit. in* 6. & omni modo de ipsius statu quidquam immutari non potest, dum non est qui ejus jura possit tueri, & defendere, *cap.* 1. *hoc tit. cap. si quæ de rebus*, 12. *q.* 2. *cap.* 4. & 15. *de præscript.* docet Barbosa *de potest. Episcop. alleg.* 132. etiam probavi *in dicto cap.* 15. ideoque Capitulum non potest judicium, etiamsi cum defuncto cœptum sit, suo marte prosequi Sede vacante, ex hoc textu, nec constitutionem aliquam facere, quæ Episcopo inferat præjudicium; & si fecerit, nulla est ipso jure, etiamsi juramento firmata fuerit. *cap. sicut* 27. *de jurejur.* Corvinus *lib.* 1. *aphorism. juris Pontif. tit.* 19. Nec contrarium probat textus *in cap. cùm consuetudini, de consuet.* in illis verbis: *Irritas decernentes, si quas fortè fecistis in ipsius Episcopi præjudicium, postquam est regimen Parisiensis Ecclesiæ adeptus.* Ex quibus à contrario deducitur, constitutiones eas, quas fecit Capitulum antequam Prælatus adeptus esset Ecclesiæ regimen, etiam in ejus præjudicium valere. Quia respondetur primò argumentum à contrario sensu deductum non valere, cum sequitur absurdum, deinde quia in eo textu tantùm agebatur de constitutionibus à Capitulo Parisiensi factis vivo Episcopo, sine ejus consensu, & consilio, unde super illis tantùm consultus Honorius respondit, idem profectò responsurus de aliis in præjudicium ejus factis Sede vacante. Capitulum verò posse Sede vacante ex potestate legislativa statuta facere, quibus ligetur futurus Episcopus, probat pluribus relatis Diana *p.* 11. *tract.* 3. *resol.* 24. qui *integro tract.* 4. *partus* 8. prosequitur potestatem Capituli Sede vacante; & titulum *Illustrissimi*, quo concionatores salutant Episcopum, non deberi Capitulo Sede vacante, probat Illustr. Araujo *tract.* 2. *qq. moral. q.* 13.

TITULUS X.

De his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.

CAPVT I.

Ex Concilio apud (a) *Valentiam.*

IRrita erit Episcoporum donatio, vel venditio, vel (b) commutatio rei Ecclesiasticæ; absque collaudatione (c) & subscriptione clericorum.

NOTÆ.

1. (a) *Valentiam.*] Ita etiam habetur *in cap.* 1. *sub hoc tit. de his quæ conceduntur ab Episcopo sine consensu clericorum, in* 1. *collect.* & apud Burchardum *lib.* 3. *Decreti. cap.* 170. sed in nullo Concilio Valentino Galliæ, vel Hispaniæ reperiuntur hæc verba, ut notarunt Antonius Augustì, *in* 1. *compil.* & *lib.* 1. *de emendat. Gratiani, dialog.* 14. Severinus Binius *in notis ad Concil. Valent. tom.* 1. *fol.* 509. Sed in Concilio Carthag. 4. *can.* 32. hæc habentur verba: *irrita erit donatio Episcoporum, vel venditio, vel commutatio rei ecclesiasticæ, absque conniventia, & subscriptione clericorum.* Ex eo citatur à Carnotensi 3. *p. Decret. cap.* 231. sententia verò hujus textus ex Leone citatur à Gratiano *in cap. sine excepit.* 12. *q.* 2. & ab Innocentio III. *in cap.* 1. & 2. *hoc tit. in* 3. *collect.* Credo ergo in Synodo apud Valentiam sub Damaso celebrata anno 374. teste Baronio

Baronio *tom. 4. eodem anno, num. 12.* ubi actum fuit de rebus Ecclesiæ, editum fuisse hunc canonem: sed quia ejus sententia etiam reperiebatur in dicto Concilio Carthag. compilatores alii ex Concilio Carthag. alii ex Leone, alii ex Synodo apud Valent. citarunt. Hunc etiam canonem inter fragmenta quæ citantur ex Concilio Valentino Hispaniæ refert Loaysas ordine 50. Et Concilium hoc Valentinum fuisse Hispaniæ, non Galliæ, probat Escolano *p. 1. annal. Valent. cap.* 10.

(b) *Commutatio.*] Permutatio videlicet, ut dicemus 2. *in cap. 1. de rerum permut.*

(c) *Collaudatione.*] Collaudatio est confirmatio, seu approbatio actus, *l. 1. §. sed utrum, ff. de servo corrupto.* Ivo Carnot. *epist. 16.* ibi: *Conjugium quod ante factum non laudatis, post factum nec facto, nec dicto inconsultè approbetis.* Et *epist. 13. Testatus est, pleniter diffinitam esse causam Apostolicâ auctoritate, & vestra vestrorumque Coepiscoporum laudatione.* Inde laudemium in constit. feudorum, Hothomanus, & alii de feudalibus verbis, eodem verbo notarunt.

COMMENTARIUM.

3. *Conclusio traditur & probatur.* EX hoc textu sequens communiter deducitur disputandi assertio: *Prælatus non potest sine consensu & subscriptione Capituli res Ecclesiæ vendere.* Probant eam textus *in cap. sine exceptione 52. 12. q. 2. cap. hujusmodi, §. quod si necessitas 10. q. 2. cap. nulli, de rebus Eccles.* cum aliis ibi referendis, Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa, & *in dicto cap. nulli*, idem Barbosa *lib. 3. juris Eccles. cap. 30. & de potest. Episcopi 3. p. alleg. 95.* Arias à Mesa *lib. 3. variar. cap. 23.* plures congesti à Carvallo *in cap. Raynutius, 2. p. num. 314.* plures quos dabimus *in dicto cap. nulli.*

4. *Traditur ratio dubitandi* Sed hæc assertio difficilis redditur non solùm ex juris fundamentis adducendis infrà *in cap. nulli, de rebus Ecclesiæ*; verùm etiam ex eo, quod venditio longè differt ab alienatione; ita ut alienatum non dicatur, quod venditum est, *l. alienatum 67 ff. de verb. sign.* quia si res distrahitur, ejus loco pretium accipitur: igitur etsi alienatio rerum Ecclesiæ generaliter sit interdicta, non tamen eâ generali prohibitione continetur emptio, & venditio, & per consequens Episcopus res Ecclesiæ vendere poterit absque consensu, aut collaudatione Capituli.

5. *De origine hujus prohibitionis.* Quâ difficultate non obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione primò sciendum est, nonnullos ab hoc Concilio Valentino originem prohibitionis alienationis rerum Ecclesiæ repetisse: sed contrarium docuit Arias à Mesa *lib. 3. variar. cap. 23.* à temporibus Apostolorum usque ad annum Christi 398. nullam legem latam fuisse de Ecclesiasticis bonis non alienandis, quia ex dispositione Apostolorum Episcopi dispensatores erant omnium rerum Ecclesiæ, *can. 39. Apost. cap. præcipimus 12. q. 1. cap. videntes 16. ead. quæst. cap. quisquis 19. 12. q. 2. cap. quæcunque 10. q. 1.* cum aliis congestis ab Antonio Augustino *in epit. iur. Pontif. lib. 4. tit. 80.* Illustrant Turrianus *lib. 1. pro canon. Apost. cap. 14.* Severinus Binius *in dicto can. 39. Apost.* Robertus *lib. 2. rerum judic. cap. 2.* Mesa *d. cap. 23. num. 3.* qui tantùm deducit originem hujus prohibitionis à Concilio Carthag. 3. relato *in cap. nullus 39. 17. q. 4.* Sed si verum est, præsentem canonem editum fuisse in Synodo apud Valentiam, ut suprà notavi, necessariò fatendum est ab eo originem prædictæ prohibitionis repeti debere: successit Concilium Carthag. 3. celebratum sub Anastasio Papa anno 398. & sequuta fuit constitutio Leonis I. *in epist. 104.* cujus fragmentum extat *in cap. sine exceptione 12. q. 2.* eandemque prohibitionem districtiùs innovarunt Hilarius Leonis successor *epist. 8.* Agapetus *epist. 6.* quam explicat Baronius *anno Christi 535. num. 108.* Verùm hæc decreta indemnitati Ecclesiarum non satis consulebant, cùm prohiberent donationem, venditionem, permutationem, non verò omne genus alienationis; prohibitio namque specialis unius, aut alterius contractus, ad aliud genus alienationis non porrigitur, *l. in quorum finibus 24. ff. de pignor.* nisi res à commercio eximatur, *l. 1. §. eam rem, ff. quæ res pignori*, junctis notatis à Donello *in tit. de pignor. cap. 4. in omnibus, prope finem.* Pinel. *in l. 2. p. 2. cap num, 14. C. de rescind.* Rursus non exprimebantur res prohibitione comprehensæ; & si ad res mobiles prohibitio protraheretur, damnosa esset Ecclesiis potiùs quam utilis. Ideò post hæc decreta Leo Imperator sua constitutione, quæ extat *in l. jubemus 14. C. de sacrosanct. Eccles.* prohibuit cujuscunque alienationis speciem in bonis immobilibus, servis rusticis, & annonis civilibus, hoc est redditibus; adjecitque pœnas nullitatis contractus, & ut accipientes bona ita alienata, eorumque hæredes tenerentur satisfacere Ecclesiæ; quæ tamen constitutio cùm lata fuisset à Principe sæculari, nullam auctoritatem præsenti prohibitioni præbebat, *cap. final. hoc tit.* quâ etiam ratione edictum Basilii Præfecti Prætorio editum anno 483. teste Baronio *tom. 6. eodem anno*, licèt rerum Ecclesiæ alienationem prohiberet, nullius momenti esse, declaratum fuit in Synodo Romana relata *in cap. bene quidem, 96. dist.* Etiam imperfecta erat prædicta Leonis constitutio, quia tantùm inhibebat alienationem bonorum Ecclesiæ Constantinop. ut notarunt Cujacius *in Novel. 7. Justin.* Gudelinus *de jure novissimo lib. 6. cap. 14.* Quare Anastasius successor Leonis *in l. privilegia 17. C. de sacros. Eccles.* protraxit eam constitutionem ad omnes Ecclesias, adjiciens, ut ex causa necessitatis, aut utilitatis liceat alienationem facere, probatâ causâ apud Magistratum census, aut defensorem civitatis.

6. *Progressus aliarum prohibitionis.* Sequitur juxta temporis seriem constitutio Symmachi in Synodo 4. Romana, anno 502. habitâ, qui alienationem perpetuam prædii Ecclesiæ rustici, vel cujuscunque qualitatis, prohibuit, adjiciens, ut violator illius constitutionis anathematis mucrone feriretur, concessâ actione cuilibet de populo, ut prædii alienati restitutionem peteret: constat *ex cap. non liceat 20. 12. q. 2. cap. si quis 6. hoc tit.* Ipse etiam Symmachus epistolam misit ad Cæsarium Arelatensem Episcopum, ut collapsam Ecclesiæ disciplinam restitueret, & rerum Ecclesiæ alienationem, quam Gallicani Prælati leviter faciebant, auctoritate Apostolicâ interdiceret: unde ipse Concilium Agathense celebravit anno 506. teste Baronio *eodem anno*: & *in can. 7.* relato *in cap. 1. cap. hujusmodi, §. quod si, & can. 33.* relato *in cap. Episcopus 34. 12. q. 2.* statutum est, ne cuilibet

libet Episcopo liceat res Ecclesiæ, casellas, aut mancipia, vel vasa ministerii vendere, seu per quoscunque contractus alienare, nisi causa necessitatis, aut utilitatis emerserit, probanda per duos, aut tres comprovinciales Episcopos. Et rursus *in can. 22. & 40.* relatis *in cap. statuimus 32. cap. Diaconi 35. 12. q. 2.* prohibitum fuit Presbyteris, Diaconis, aut aliis Clericis, ne de bonis Ecclesiæ sibi commissæ quidquam donare, aut concedere præsumant, quod si secus fecerint, ab honore depositi tantundem reddant, quantùm abstulerint, excepto casu relato *in cap. si quis in quibibet 55. 12. q. 2.* Denique sub eodem Symmacho celebratum est Concilium Epaunense anno 509. & *in can. 9.* statutum fuit, ut quicquid juris ecclesiastici alienatum ab Abbatibus, seu Archipresbyteris sine consensu Episcopi fuerit, Ecclesiæ restituatur. Verùm cùm relatæ constitutiones essent tantùm provinciales, adhuc alia generali lege opus erat. Eam tulit primus Imperator Justinianus anno 535. *in authent; de non alienandis, aut non permutandis rebus, & in authent. de alienat. & emphyteusi*; quarum summam transcripsit Irnerius *in authent. hoc jus, C. de sacros. Eccles.* ubi Imperator constitutiones Leonis, & Anastasii ad omnes res cujuslibet Ecclesiæ, & varios alienandi modos protraxit. Sed etiam eas constitutiones, ut Principis sæcularis, nullas esse docuerunt Glossa & Innocentius *in cap. 1 hoc tit. in 6.* Molina *tom. 2. de justitia, disput. 465.* D. Gregorius Magnus, qui floruit per annos 590. valdè curavit, ut res Ecclesiæ injustè alienatas recuperaret, & deinceps alienare prohiberet; ut constat *ex lib. 1. epist. 66. & lib. 3. epist. 16. & lib. 8. epist. 53. & lib. 10. epist. 33.* cujus tempore hæc prohibitio confirmata fuit in Concilio Hispal. 1. *can. 1.* in Concilio Tolet. 9. *can. 1. & 2.* Anno 787. in 7. Synodo generali celebrata sub Hadriano II. statutum fuit, ne Episcopus, vel monasterii Prælatus res Ecclesiæ alienare præsumant, nisi damnosæ sint; & tunc in clericos, vel agricolas eas transferant, non in Principes sæculares. Sequenti etiam sæculo, anno 865. eadem prohibitio apertiùs facta legitur in Concilio Silvanectensi sub Nicolao I. si vera est inscriptio textus *in cap. nulli 5. de rebus Ecclesiæ*, ubi dicemus. Præterea idem sancitum fuit in Concilio Guastalensi sub Paschali II. anno 1106. ubi statutum fuit, ut nullus Abbas, nullus Archipresbyter, nullus Præpositus audeat possessiones Ecclesiæ commutare, vendere, seu locare. In Concilio Oxon. sub Honorio III. anno 1222. ubi inhibetur, ne quis habens Ecclesiasticam dignitatem, res Ecclesiæ consanguineis donet, in feudum det, aut quomodocunque alienet. Lugdunensi sub Innocentio IV. anno 1245. sub titulo *de usuris*. Lugdunensi sub Gregorio X. relato *in cap. 2. de rebus Eccles. lib. 6.* In Concilio Salisburg. sub Martino IV. anno 1281. Viennensi relato *in Clement. 1. de rebus Eccles. Extravag. ambitiosæ, hoc tit. inter communes.* Trident. *sess. 25. de reformatione, cap. 11.* & aliis constitutionibus Julii III. Pauli IV. Pii IV. & V. quas refert Redoanus *post tract. de rebus Eccles.*

Secundò circa solennitatem observandam, in alienatione rerum Ecclesiæ triplicem præscriptam reperiri, juxta Baldum *in dict. authentica hoc jus, num. 14. C. de sacros. Eccles.* nempe civilem, canonicam, & consuetudinariam. Civilis refertur *in dicta l. jubemus 14. authent. hoc jus*; & refertur à Gratiano *in cap. ea enim, §. hoc jus 10. q. 2.* quæ non recipitur, nec servatur, ut suprà notavi. Circa canonicam autem, & consuetudinariam diversa jura reperiuntur, licèt non ideò sint contraria: Cleri consensus desideratur *in dicto cap. sine exceptione 52. 12. q. 2.* Episcopi tantùm assensus desideratur *in cap. 1. de rerum permut.* consensus Primatis, vel duorùm comprovincialium licentia *in cap. placuit 51. cap. Episcopus 58. cap. quicunque 66. cap. si Episcopus 12. q. 2. cap. hujusmodi, vers. apud duos, 10. q. 2. cap. nullus 39. 17. q. 4.* pro quorum jurium expositione dicendum est, quod cùm auctis Ecclesiæ bonis difficile esset duos Episcopos convocare pro solennitate cujusliber alienationis, observari cœpit alia solennitas præscripta à Leone *in dicto cap. sine exceptione*, circa quam nonnulli casus distinguendi sunt. Primus est cùm agitur de alienatione rerum ad mensam Episcopalem pertinentium, in quo olim alienatio erat prohibita, nisi fieret cum consilio Concilii Provincialis, *cap. placuit, 51. 12. q. 2.* hodie Romani Pontificis desideratur assensus, *cap. 2. de rebus Eccles. in 6* qui debet præcedere, aliàs suspenditur Episcopus, *dicto cap. 2.* Secundus est cùm alienantur bona, quorùm administratio ad Capitulum pertinet, quo casu Capitulo legitimè congregato in loco solito ad sonitum campanæ, superior, seu qui præest, proponit tractatum, causam scilicet, & rem, de cujus alienatione agitur, & singillatim rationes ex quibus expedit, vel non alienationem fieri, juxta Ulpianum *in l. magis puto, §. si pupillus, ff. de rebus eorum, junctâ l. 1. & 2. tit. 12. partit. 1.* Et licèt consuetudine receptum sit, ut tres interveniant tractatus, jure tamen communi unus sufficiebat, *dicto cap. sine exceptione cap. tua, cap. cùm Apostolica, hoc tit. cap. 1. de rebus Eccles. in 6* Post prædictum autem tractatum debet sequi consensus Capituli, ex nostro textu, ibi, *collaudatione*; junctis Abbate *num. 3.* & Glossa 1. *in cap. 2. hoc tit.* sufficit tamen si talis consensus à majori parte præsterur, ut probatur *in dicto cap. ea enim, § hoc jus 10. q. 2. cap. 1. de his quæ fiunt à majori parte*: faciunt textus *in cap. 3. de jurepatron. cap. audita 29. cap. quia propter 42. vers. Vel major, de elect. cap. 2. vers. Vel majoris, de testibus, lib. 6 l. quod major 19. ff. ad municip.* & ea major pars consideratur respectu existentium in Capitulo, quia absentes non computantur, nec vocandi sunt, ut docent Abbas in præsenti, *à num. 5. & in cap. cùm omnibus, num. 13. de constitut.* Molina *dicta disputat 468* & relatâ Redoano suprà. *num. 51.* & à Gregorio Lopez *verbo Consorgamiento, in d. l. 2. tit. 14. part. 1.* & ad minus adesse debent duæ partes Capituli, ut colligitur *ex d. l. nulli, junctâ l. nominationum, C. de Decur. lib. 10. vers. Duæ partes*, ubi Glossa 1. Quæ jura procedunt secundùm canones, ut docent Abbas & Decius *num. 31. in dicto cap cùm omnes*, Rochus de Curte *de jurepatron. verbo Honorificum*, reprobatâ Glossâ *verbo Constitutum*, in præsenti, de quibus, & de nominibus Canonicorum, & singulorum existentium in Capitulo, debet mentio fieri in instrumento alienationis argumento textus *in l. final. C. de vendit. rer. civit. lib. 11.* Et licèt de jure communi omnes tenerentur subscribere, ex hoc textu, junctis Glossa in Innocen-

nocentio *hic*; hodie tamen consuetudine non servatur, ut notarunt Gregorius Lopez *ubi suprà*, Socinus *consilio* 15. *volum.* 1. quibus omnibus accedere debet Episcopi, vel legitimi superioris licentia, ut constat *ex cap. quantò, cap. tua, hoc tit.* Tertius casus contingit, cùm alienatio fit rei communis pertinentis ad Episcopum, & Clerum, in quo eadem solennitas, quæ in superiori casu, necessaria est, ex notatis à Panormit. *in præsenti, num.* 5. Quartus casus contingit quando alienantur res monasterii; quo casu si illud Episcopo subjectum est, causa alienationis coram Episcopo, vel ejus vicario proponitur, & post causæ cognitionem licentia ab eodem conceditur, *cap. Abbatibus* 41. 12. *q.* 2. *cap. in venditionibus* 40. 17. *q.* 4. docent Abbas *hic, num.* 5. Covar. *lib.* 2. *var. cap.* 17. *num.* 1. Castillo *de usufruct. lib.* 1. *cap.* 54. *num.* 22. Quod si monasterium exemptum sit ab Episcopi jurisdictione, tunc Capituli consensus, & superioris licentia desiderantur. Quintus tandem casus contingit, cùm alienantur bona hospitalium, confraternitatum, aut similis loci pii; quo casu distinguendum est, an similia hospitalia erecta sint auctoritate Episcopi, vel sine ejus licentia. Primo casu facultas Episcopi desideratur, secundo verò tantùm consensus, seu tractatus desideratur. Circa solennitatem consuetudinariam etiam sciendum est, quod si per consuetudinem addatur nova forma, quæ Ecclesiæ utilis sit, servanda erit, Redoanus *de rebus Ecclesiæ, q.* 24. *num.* 80. Idemque dicendum est, si solennitatis præscriptæ aliquam partem levem moderetur, veluti subscriptionem clerici in præsenti statutam. Gilkenius *in dicta authent. hoc jus, C. de sacros. num.* 56. sed si per consuetudinem omnis solennitas auferatur, & ita damnosa Ecclesiis esse incipiat, ut irrationabilis improbanda est, ex adductis *in cap.* 1. *& 2. de consuet.* docuerunt Covar. *dict. lib.* 1. *var. cap.* 17. *num.* 4. Gutierrez 2. *p. de tutel cap.* 5. *num.* 6. Chassaneus *in consuet. Burgundiæ,* §. 9. *num.* 32.

8. *Traditur ratio decidendi.*

Quibus ita animadversis, apparet vera ratio præsentis textus; nam cùm tot Ecclesiæ legibus alienatio rerum Ecclesiæ prohibita sit absque debita solennitate celebrata, & venditio alienatio sit, *l. sed Celsus* 6. *in principio, l. alienatio* 67. *ff. de contrab. emption.* siquidem per eam, & traditione secuta id agitur, ut si venditor dominus est, dominium transferat, *l. clavibus* 74. *ff. eod. tit.* aut si dominus non est, usucapiendi conditionem, *§. ex his, Instit. per quas personas nobis acquiritur*, ita ut pacisci non liceat, quod salva manente venditione emptori dominium non acquiratur, *l. cùm manu fata* 30. *§. ult. ff. de contrab. emption.* inde sub prohibitione alienationis venditionem contineri docetur *in l.* 1. *& per tot. C. de prædiis minor. l. fundum* 17. *ff. de fundo dotali*, immò sub venditionis voce alias alienationis species contineri probat Joannes Robertus *lib.* 1. *animadv. cap.* 8. Rectè ergo in præsenti docetur Episcopum res Ecclesiæ vendere non posse absque solennitate, id est, consensu, & collaudatione Capituli, quod adeò verum est, ut eâ solennitate deficiente, nulla sit alienatio, quamvis utilis Ecclesiæ appareat, *dict. cap. sine exceptione*, ubi glossa, *verbo Profuturum* 12. *q.* 2. *cap.* 1. *de rebus Eccles. in* 6. defendunt Sarmiento 1. *p. de reddit. cap.* 2. *per tot.* Matienzo *in l.* 2. *tit.* 3. *lib.* 5. *recopil. glossa* 1. *num.* 13. Sed licèt prædicta solennitas alienationem præcedere debeat, ex suprà traditis, si postea sequatur, in Ecclesiæ utilitatem sustinetur alienatio, argumento textus *in cap. si qua* 12. *q.* 2. *cap. cùm nos* 3. *hoc tit.* docent Glossa *in cap.* 1. *verbo Sede, ne Sede vacante*, Orosius *in l. cùm hi* 8. *§. eam. ff. de transact.* ita ut ipsa alienatio censeatur valere non ex tunc, id est, à die alienationis; sed ex nunc, id est, à die ratihabitionis. Abbas *in cap. cùm nos, hoc tit.* Molina *d. disput.* 468.

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam cùm dicimus, venditionem alienationem esse, de ea agimus, quæ non solùm est perfecta mutuo consensu, juxta textus *in l.* 1. *ff. de contrab. emption. princip. Instit. eod. tit.* ubi plura D. Nicolaus de Castro; sed etiam traditione sequutâ, per quam dominium transfertur, *l. traditionibus, C. de pactis*; venditio namque traditione non sequutâ magis alienationi proxima est, quàm alienatio propriè dicatur, *d. l. alienatum* 67. *ff. A. v. s.* Sed quia in rebus Ecclesiæ servandis ita cautè procedi oportet, ut non solùm tollatur actus, in quo alienatio exercetur; sed etiam omnis actus, per quem ad alienationē perveniri possit, ex regula legis finalis, *C. in quibus causis in integr. restit.* ideò facti canones non solùm venditionem rei traditione perfectam, verùm & mutuo tantùm consensu celebratam prohibuerunt. Illud tamen difficile est, an sicut præsenti prohibitione generali de non alienandis Ecclesiæ rebus, comprehenditur venditio; è contrario præsenti textu, & aliis antiquis Ecclesiæ canonibus suprà relatis, venditione specialiter prohibitâ, quæcunque alienatio interdicta censeatur? Et affirmativa sententia suadetur ex eo, quod venditio contractus similes comprehendit, *l. sicut, §. venditionis, ff. quibus modis pignus vel hypotheca.* Rursus quoad hujusmodi contractum adest latissima acceptio, ut ex lege XII. Tabul. omnem alienationis speciem sub eo complecti voluerit, *l. statuliberi* 29. §. *Quintus, ff. de statulib.* probat Robertus *d. lib.* 1. *animadv. cap.* 8. Verumtamen dicendum est, necessariam fuisse interdictionem generalem alienationis, nec virtute præsentis prohibitionis alios contractus comprehendi potuisse, *ex l. in quorum* 24. *ff. de pignor.* nam prohibitio restringens facultatem disponendi de rebus propriis, strictè debet interpretari, ut resolvit Caldas *tract. de emption. & vendit. cap.* 3. *num.* 1. & *cap.* 8. *num.* 26. Ut autem aliud est vendere, aliud donare, aliud permutare, & cætera; sic etiam venditione prohibitâ alii contractus sublati non intelliguntur, ut constat ex casibus relatis *in l. si pupillorum* 7. §. *si Prætor, ff. de rebus eorum, l. final. C. de prædiis Decur. lib* 10. in quibus sub venditione alii contractus non veniunt, sicut etiam sub emptione alii contractus non continentur: unde legatis rebus emptis, quæsitæ alio titulo non debentur, *l. item* 49 §. *item, ff. de legat.* 3. & qui prohibetur emere, non veratur pignori accipere, *d. l. in quorum*; unde post specialem prohibitionem venditionis rerum Ecclesiæ necessaria fuit generalis prohibitio alienationis earum. Nec contrarium suadetur *ex dict. l. sicut* 8. §. *venditionis, ff. quibus modis pignus*, in qua tantùm agitur de exceptione sententiæ propositæ *in* §. *si voluntate*, ejusdem legis, ubi docuerat Marcianus, permissâ à creditore venditione pignoris, obligationem ejusdem remitti: postea

9. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

postea differit, quinam contractus celebrari possint, ita ut ex permissione creditoris pignus distrahi dicatur; & ait in dotem dationem concessam intelligi, & donationem, nisi forte eo animo fuerit creditor, ut ex pretio rei distractæ sibi fieret satis: sed hæc sententia ita exponenda est, ut donare possit debitor, & in dotem dare, non quia venditionis nomine hi contractus veniant, sed ex sententia & mente creditoris; nisi enim voluit ex pretio rei distractæ sibi caveri, remissionem pignoris videtur fecisse, ut debitor de re sua disponat quomodo sibi expediat: docuerunt Caldas *ubi suprà*, Arias de Mesa *lib. 1. var. cap. 5.* Nec obstat textus *in dicta l. statuliberi*, §. *Quintus*, qui eodem modo est exponendus; nam quod ibi dicitur, emptionis verbo omnem alienationis speciem comprehendi, perpetuum non est, neque ex proprietate verbi colligitur, sed ex sententia legis ad speciem ibi subjectam restringitur, ut latiùs docuerunt Cujacius *lib. 2. obser. cap. 7.* Sarmient. *lib. 3. select. cap. 1.* Robertus *lib. 1. animadv. cap. 7.* Genoa *in Concil. fol. 538.* Amaya *in lege unica, C. de vendit. rer.* Wisembach. *disput. 5. num. 5.* Illud tamen sciendum est circa hanc alienationis speciem, quod licèt venditio emptionem soleat etiam comprehendere, cùm veteres promiscuè his appellationibus uterentur, *l. veteres 19. ff. de act. empti*, & correlativa sint emere, & vendere; quare dispositum in uno, in alio statutum creditur, *l. 1. C. de cuprès. lib. 11.* attamen cùm Prælatis adimitur in præsenti textu potestas vendendi res Ecclesiæ, non interdicitur ex illis otiosam pecuniam in emptionem prædii, vel alterius rei conferre, quia non viget eadem ratio prohibitionis. Facit exemplum tutoris, de quo *in l. 4. ff. de administr. tut. l. 3. C. de usur. pupil.* junctò Gutierrez *2. p. de tutel. cap. 9.* à quo ad Prælatum non male deducitur argumentum: & ita licèt Prælato prohibeatur vendere rem Ecclesiæ, non ideò illi interdicitur ex pecunia otiosa prædium emere, cùm hoc utilius sit Ecclesiæ, quàm pecuniam infructuosam retinere.

10. Emittitur cap. 1. de emptione & vendit. Sed suprà traditæ assertioni obstat textus *in cap. dilecti 3. de emptione & vendit.* ubi venditio sylvæ facta fuit inscio Capitulo Beluacensi, & sic sine solennitate præscripta in hoc textu; & tamen sustinetur talis contractus, nec ideò irritatur. Igitur quia consensus, seu collaudatio Capituli non desideratur in alienatione prædii ecclesiastici. Pro cujus textus expositione sciendum est, in ejus specie duplici ex causa actum esse ad rescissionem venditionis. Primâ, quia minùs dimidiâ justi pretii pro sylvâ Canonici acceperunt, quare illis competebat beneficium legis secundæ; *C. de rescind. vendit.* Secundâ, quia sine Capituli consensu, & subscriptione facta fuit, quare judices sylvam restitui jussêrunt ejus venditione rescissa; sed illorum sententia fuit per Innocentium revocata, quia juxta remedium dictæ legis 2. debebant alternativè pronunciare, electione data emptori, ut pretium justum restitueret, vel rem redderet, *l. si dolus, C. de rescind. vendit.* dicemus *in dicto cap. 3.* Si verò ob defectum solemnitatis venditionem rescindi judices volebant, id primùm probari oportuit per Ecclesiam videlicet, quod sine solemnitate celebrata fuisset emptio, quia judex secundùm allegata, & probata tantùm sententiam ferre potest, *l. illicitas*, §. *veritas*, *ff. de offic. Præsidis*: at in specie dicti capitis 3. non constabat de defectu consensus Capituli; quare dum Innocentius sententiam priorum judicum retractat, reservat etiam jus Ecclesiæ, ut contra venditionem agere possit, ob defectum consensus Capituli; & ita cùm de eo defectu non constaret primis judicibus, non potuerunt ob solennitatis defectum venditionem irritare. Nec obstabit si instes, consensum Capituli in eo textu præsumi, quia licèt talis solennitas pro forma desiderata in præsenti textu, & *in cap. 1. de rebus Ecclesiæ, in 6.* in facto consistat, & proinde non præsumatur, *l. in bello, 12. §. facti, ff. de captivis*, docent Panormit. *in cap ea noscitur, num. 9. hoc tit.* Menochius *lib. 2. de præsumpt. præsumpt. 75. num. 21.* hoc tamen limitatur nisi tricennale tempus elapsum sit, quia ex tali tacita ratihabitione venditio aliàs nulla convalescit, & per consequens cùm in eo textu de solennitate non constasset, nec elapsum esset tam diuturnum tempus, videbatur sufficienter constasse de defectu solennitatis. Nam respondendum est, quod licèt verum sit, solennitatem non præsumi, nisi probetur, & talis probatio incumbat illi, qui solennitatem interfuisse dicit, *l. quæcunque*, §. *final. ff. de publician.*, *l. 2. C. de probat.* tamen si Ecclesia agit, & possessor rei distractæ convenitur, Ecclesiæ incumbit onus probandi defectum solennitatis cùm emptor interim tutus sit possessione, *cap. cùm venissent 6. de instit.* docet Redoanus *de rebus Ecclesiæ, q. 39. num. 6.* unde cùm *in dicto cap. 3.* Ecclesia peteret rescissionem contractus, debebat probare defectum solennitatis, quæ cùm extrinseca sit, non præsumitur, nisi probetur. Et si adhuc sciscitaris, quare si *in dicto cap. 3.* sententia priorum judicum infirmatur, quia electionem non præstabat emptori supplendi justum pretium, vel restituendi sylvam, quomodo Innocentii sententia sustinetur, quæ prædictam electionem etiam non præbebat? Respondeo injustam fuisse in specie dicti capitis 3. sententiam priorum judicum, quatenus electionem emptoribus à jure concessam denegarunt; at non esse iniquam Innocentii sententiam, etsi eandem electionem non concederet, ex eo, quia priores judices diffinitivam sententiam contra jus præscriptum *in dicta l. 2.* protulerunt; at Innocentius tantùm interlocutoriam sententiam protulit, ut injuriam illatam Ecclesiæ ex executione prædictæ sententiæ tolleret.

CAPVT II.

Alex. III. (a) *Norvicensi Episcopo.*

COntinebatur in litteris à te nobis transmissis, quod cùm super decima de Querche inter Magistrum Hub. & N. de mandato nostro coram te (b) verteretur, constiterit tibi, quod M. Abbatissa sanctæ Mariæ de (c) Wint. pro communi voto, & unanimi consensu, conventu assensum præstante, decimam ipsam prædicto H. concessit & Rad. Winton. Archidiaconus per clavem & librum sibi exinde investituram fecit: Magister verò N. probavit coram te idoneis testibus, quod præfata Abbatissa præscriptam decimam sibi priùs dederat, conventu non contradicente, quàm eam præfato Huberto dedisset, & quod à diœcesano Episcopo ejus fuerit concessio confirmata. Unde quia nos consulere voluisti, cui concessioni innitendum sit, consultationi tuæ taliter respondemus, quod concessio priùs facta, si conventu sciente, & non contradicente facta est, robur firmum debet habere. Verùm si præfata Abbatissa ignorante conventu, aut contradicente, priùs prædicto N. decimam suam concesserit, & non post multum tempus de assensu conventus eandem decimam memorato Huberto dedit, sic ut tibi eam datam fuisse constet, secunda concessio debet præjudicare priori.

NOTÆ.

1. (a) *Norvicensi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. & *in cap. continebatur, de despons. impub.* & post Concilium Lateran. *p.* 47. *cap.* 5. ex quo Conciliorum volumine ita restituo integram hujus textus. De Ecclesia Norvicensi egi *in cap.* 9. *de rescriptis.*

(b) *Verteretur.*] *Quæstio verteretur*, supplet Antonius Augustinus *in notis ad hunc textum, in* 1. *collect.*

2. (c) *Sanctæ Mariæ de Wint.*] Lege *de Wilt.* Wiltonia enim, in pago proximo ad Satisbariam urbem, erat cœnobium hoc monachorum D. Benedicti, ut refert Polydor. Vergil. *lib.* 6. *histor. Angliæ, fol.* 117.

COMMENTARIUM.

2. DIfficilis profectò, & meritò visus est præsens textus juris Interpretibus, duplici ex capite. Primò, quia si in textu antecedenti docetur, in qualibet alienatione rei Ecclesiasticæ desiderari simul cum Prælato collaudationem, & subscriptionem Capituli, quomodo in præsenti Abbatissa poterat tacente Capitulo decimam Magistro Huberto concedere, & per consequens alienare. Secundò quia ait Alexander, secundam decimæ concessionem consentiente Capitulo factam, ita demùm præferri priori, ignorante, vel contradicente Capitulo celebratam, si statim, & non elapso longo tempore facta sit; ubi innuitur, quod si post longum tempus secunda concessio facta fuit, prævalet prior, etiam renuente Capitulo facta, quasi Magister Hubertus per præscriptionem decimam, seu ejus jus acquisierit, cùm certum sit, in tali casu nullo modo præscriptionem procedere, ex traditis per Berojum *in cap. de quarta, de præscript.* His difficultatibus, ut satisfaciant Glossa, & antiquiores in præsenti, Berojus *ubi proximè, num.* 25. in varias distrahuntur sententias. Aliqui accipiunt textum hunc de alienatione rei modicæ, quo casu non desideratur eadem solennitas, quæ exigitur in alienatione rei gravis æstimationis, *cap. terrulas* 12. *q.* 2. ita Rebuffus *de decimis q.* 5. *num.* 34. & alii congesti à Barbosa *in præsenti.* Ipsi etiam docent, Alexandrum III. desiderare, ut non post multum tempus secunda concessio facta sit, quia si longum tempus elabatur, præsumitur Capituli consensus ex diuturna taciturnitate. Sed his, & aliis omissis sententiis, existimo cum Brito, quem laudat, & sequitur Carvallo *in cap. Raynuntius, 2. p. num.* 333. textum hunc nullo modo esse accipiendum de alienatione decimarum, vel similis rei ecclesiasticæ; sed potiùs de præsentatione ad beneficium, quæ competebat monasterio sanctæ Mariæ; & ita decimam in præsenti non significare quod sonat, sed potiùs beneficium Ecclesiasticum, ut *in cap. vestra, de locato.* Suadetur hæc interpretatio ex eo, quia in præsenti refertur hujusmodi decimæ, seu beneficii concessionem confirmasse Episcopum, & Archidiaconum investituram dedisse per clavem, & librum: quæ omnia propria sunt institutionis canonicæ, & investituræ corporalis in beneficio: quis autem unquam audivit, in alienatione decimarum à personis exemptis facta desiderari institutionem Episcopi, & investituram Archidiaconi, quæ peculiaria sunt beneficii ecclesiastici, ut probavi *in cap. ut nostrum, de offic. Archid. cap.* 3. *de instit.* Unde facilè, & noviter respondetur secundæ difficultati; ideo enim exigit Alexander, ut non post multum tempus secundam concessionem fecerit Abbatissa, quia si elapsum tempus diuturnum esset, ex taciturnitate præsumeretur consensus, juxta textum *in l. cùm de in rem verso* 8. *ff. de usur. l.* 2. *C. de fideicom. l. pen. & ult. ff. de inoffic. l.* 4 *C. de non numer. pecun. l. item si* 7. *§. final. ff. ad Maced. l. si major factus*, junctis traditis à Barbosa *de potest. Episc. alleg.* 95. Flores de Mena *variar. q.* 23.

CAPVT

CAPVT III.

Alexand. III. (a) *Vigor. Episcopo.*

CUm nos jampridem, si bene meminimus, tibi per litteras nostras indulserimus, ut si I. prædecessor tuus, reclamante Capitulo Ecclesiæ tuæ, Abbati, & Fratribus de Osseneia Ecclesiam de Braja contulit, eam tibi revocare liceret; jam dictis Fratribus, sicut asseris, litteras nostras indulsimus, ut ipsis Ecclesiam jamdictam dimitteres pacificè possidendam, immemores existentes illius scripti, quod super hoc tibi fuerat indultum. Licèt autem hoc tibi indulserimus, prudentiam tuam monemus & hortamur attentiùs, quatenus divino intuitu, & pro reverentia Beati Petri, & nostra, Ecclesiam ipsam, si quoquo modo sine gravi detrimento Ecclesiæ tuæ fieri potest, jamdictis Fratribus in pace, & quiete dimittas; quia decet providentiam tuam ad commodum, & profectum religiosorum locorum intendere, & quod idem prædecessor tuus pietatis studio fecit, ratum, & firmum habere. Si autem eandem ipsis Ecclesiam dimittere fortè non poteris, non obstantibus litteris, quas prædicti Fratres super hoc impetraverunt, scriptum tibi exinde indultum in sua volumus stabilitate consistere, quoniam certum est, de rigore juris concessionem illam non tenere, si reclamante Capitulo per eundem prædecessorem tuum ipsam constat factam fuisse, nisi idem Capitulum concessionem ipsam ratam (b) postmodum habuisset.

NOTÆ.

(a) *Vigor.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 3.* ex qua restituo hujus textus litteram. De Vigornienſi Ecclesia nonnulla notavi *in cap. 9. de elect.*

(b) *Ratam.*] Quatenus per ratihabitionem alienatio facta confirmetur, *dixi in cap. 2. de transact.*

CAPVT IV.

Idem *Hierosolym.* (a) *Patriarchæ.*

NOvit plenius, sicut credimus, tuæ discretionis prudentia, qualiter tu, & fratres tui unum corpus sitis, ita quidem, quod tu caput, & fratres tui membra esse probentur. Unde non decet te, omissis membris, aliorum consilio in Ecclesiæ tuæ negotiis uti, cùm id non sit dubium, & honestati tuæ, & sanctorum Patrum institutionibus contraire. Innotuit siquidem auribus nostris, quod tu sine consilio fratrum tuorum Abbates, & Abbatissas, & alias Ecclesiasticas personas instituis, & destituis, non considerans, nec attendens, quomodo te non sit dubium statuta sacrorum canonum transgredi, cùm in hujusmodi causis clericorum, & laicorum circa te commorantium, qui de corpore ipsius Ecclesiæ non sunt, potius quàm fratrum tuorum consilio inducaris. Inde est, quod discretioni tuæ auctoritate Apostolica prohibemus, ne Abbates, Abbatissas, vel alias Ecclesiasticas personas sine consilio, & assensu Prioris, & fratrum tuorum Canonicorum sancti Sepulchri instituere, vel destituere aliqua ratione de cætero præsumas. Quod si fortè, quod non credimus, contra prohibitionem nostram attentare præsumpseris, nos tales institutiones, & destitutiones, si quas amodò feceris, auctoritate Apostolicâ cassamus, & omni robore, & stabilitate carere decernimus.

NOTÆ.

(a) *Patriarchæ.*] Ita etiam legitur in prima collectione. *sub hoc tit. cap. 4.* pro cujus inscriptionis, & præsentis textus expositione sciendum est, Patriarchalem Hierosolymitanam Ecclesiam à prima ejus institutione clericos regulariter viventes habuisse jam temporibus D. Clementis, ut constat *ex cap. dilectissimis 12. q. 1.* D. D. *Gonzal. in Decretal.* Tom. III. Pars I. & in ea sequentibus sæculis observata fuit regula sancti Augustini, ut probat Pennotus *lib. 2. historiar. Canonic. cap. 41. num. 2.* & ipse Patriarcha habebat subjectas alias Ecclesias, etiam Canonicorum regularium, ut *ex cap. 58. veteris histor. Orientalis*, refert Pennotus in hæc verba: *Patriarchalis siquidem Ecclesia, quæ est Dominici Sepulchri sub monte Calvario, Canonicos habet regulares secundùm habitum; & regulam Beati Augustini;*

gustini viventes. Habent autem Priorem ad quem cum dictis Canonicis pertinet eligere Patriarcham, qui est illis loco Abbatis. In Ecclesiis autem Templi Domini, & Montis Sion, & Montis Oliveti, sunt Abbates, & Canonici secundum regulam prædictam Beati Augustini Domino ministrantes. Et ex Philippo Novariensi *lib. 3. chron. cap. 14.* ibi: *Habet insuper prædictus Patriarcha, Abbates, & Priores sibi subjectos, insignia Pontificalia, baculos, & mitras, annulos, & sandalia ex privilegio dignitatis habentes. Domino Patriarchæ in ministerio reverenter assistentes: Patriarchalis siquidem Ecclesia Dominici Sepulchri sub Monte Calvario Canonicos habet regulares, secundum regulam, & habitum Beati Augustini viventes: habent autem Priorem, ad quem cum prædictis Canonicis pertinet eligere Patriarcham.* Et temporibus Godefridi, qui Hierosolymam de manibus Sarracenorum recuperavit anno 1110. instituta, ibi seu restaurata fuit Congregatio Canonicorum Dominici Sepulchri, ut latè refert Pennotus *dicto lib. 2. cap. 67. per totum.* Ex quibus apparet, rectè Alexandrum III. in præsenti decrevisse, Patriarcham ipsum Hierosolymitanum caput esse, Canonicos vero sancti Sepulchri membra; atque ideò illis inconsultis non debere Patriarcham Abbates, & Abbatissas in monasteriis ipsius Congregationis instituere, seu destituere, cæteraque eis disponere.

CAPVT V.

Idem. (a) *eidem.*

QUantò majori dignitate, dante Domino præemines, tantò decet ampliùs, & oportet te in omnibus eam diligentiam, & gravitatem habere, quâ omnia videaris sine nota, & reprehensione peragere, & laudabilitèr injunctæ tibi solicitudinis officium dispensare. Audivimus autem, unde mirati sumus, sicut mirari meritò poteramus, quod in concessionibus, & confirmationibus, omissis Canonicis Ecclesiæ tuæ, consilium clericorum, & laicorum circa te commorantium, qui non sunt de corpore ipsius Ecclesiæ, interdum, immo sæpe requiris, & in eisdem concessionibus, & confirmationibus juxta eorum consilium, & voluntatem procedis: & in privilegiis etiam, quod tuam prorsus dedecet honestatem, ad majorem auctoritatem, & certitudinem nomina fratrum tuorum, qui absentes fuerint, tanquam si præsentes fuissent, facis subscribi. Quia igitur non decet prudentiam tuam in negotiis tibi commissis Ecclesiæ consilium fratrum tuorum postponere, cum quibus unum existere comprobaris: f. t. per A. s. p. m. quat. in concessionibus, confirmationibus, & aliis ejusdem Ecclesiæ negotiis fratres tuos requiras, & cum eorum consilio, vel sanioris partis, negotia eadem peragas, & pertractes, & quæ statuenda fuerint, statuas, & errata corrigas, & evellenda disjipes, & avellas. Nec absentium fratrum nomina inscribi aliquatenus facias, quia talia monimenta irrita sunt, & falsa; & tu exinde quæstionem falsi poteris non immeritò formidare. Nos enim universa privilegia, in quibus absentium fratrum nomina ipsis ignorantibus, vel absentibus subscripta sunt, vel amodò describentur, irrita esse decernimus, & nullius firmitatis robur habere censemus.

NOTÆ.

(a) *Idem eidem.*] Alexander videlicet III. Patriarchæ Hierosolym. ut in textu antecedenti, qui ad eandem tractationem spectat; nec scio quo fine eadem Decretalis in duas partes secaretur à Compilatoribus, ut in alia Innocentii epistola fecerunt, relata *in cap. cum contingat 29. & sequenti, de decimis.*

CAPVT VI.

(a) Cœlestinus III.

EA noscitur. *Et infrà:* Ex tua siquidem nobis est parte propositum, quod cùm in provincia tua sæpe contingat, ut ad Ecclesias, in quibus (b) collegia jus repræsentandi noscuntur habere, eorum Abbates, aut per se, aut per (c) litteras suas personas idoneas diœcesanis Episcopis repræsentent: quibus repræsentatis postmodum, & receptis, aliquando (d) postea contradicunt monachi, seu alterius Ordinis collegia, & reclamant. Super quibus aperto quæris certificari responso, utrum institutio jam facta, vel adhuc facienda, propter hujusmodi debeat impediri. Ad quæ tibi

tibi duximus hoc modo respondendum, quod videlicet in præsentationibus talium Prælatorum intelligi debet, quòd de collegiorum suorum fiant assensu, sine quo firmitatem non valent aliquatenus obtinere. Unde cùm constiterit conventus, vel majoris, vel sanioris partis non adfuisse consensum, institutiones hujusmodi convenit evacuari, nisi ex antiqua & approbata consuetudine, vel concessa libertate aliquis eorum probaverit, commissi sibi collegii non debere in Ecclesiarum, seu beneficiorum (e) collationibus requiri consensum.

NOTÆ.

(a) *Cœlestinus.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. unic.* sed vereor, ne legendum sit *Clemens III.* ut legitur *in cap. ea noscitur, de appellat. in 2. collect. cap. ea noscitur, de restit. cap. ea noscitur, de sent. excom.* Nullibi tamen exprimitur, cui missa sit præsens Decretalis, licet Archiepiscopo alicui rescribi existimaverint Hostiens. & Butrius *num* 8. Immola *num.* 1. Ancharanus Cardinalis, & alii *hic*, inde inferentes, Archiepiscopum in his, quæ universaliter tangunt totam provinciam, & ibidem generaliter committuntur, habere jurisdictionem ordinariam, *cap 3. de Instit. Novel.* 123. *de sanctissimis Episcop.* §. *ut autem*: sed unde colligant hanc decretalem missam esse Archiepiscopo, ipsi non exprimunt; nos tamen id deducimus ex illis verbis: *Cùm in provincia tua sæpe contingat*; quæ apertè ostendunt Metropolitanum esse quem alloquitur Clemens III. nam ut docuit Pelagius II. relatus à Gratiano *in cap. scitote, 6. q. 3.* provincia illa est, quæ habet decem, aut undecim civitates, & totidem minores potestates, & unum Metropolitanum, aliosque suffraganeos decem, vel undecim Episcopos. Si ergo in provincia unus Metropolitanus est, utique Clemens III. cùm dicat; *in provincia tua*, cognoscitur cum Metropolitano loqui; siquidem ipse solus provinciam habet: de ejus jurisdictione, & dignitate plura congessi *in cap. pastoralis, de offic. ordin.*

(b) *Collegia.*) Collegium nihil aliud est, quàm cœtus plurium, quo simul sodales plures colliguntur. Cujacius *lib. 7. obser. cap.* 30. Brissonius *verbo Collegium*; unde & sodalitia collegia dicuntur ab Ulpiano *in l. 1. ff. de collegiis*, Antonius Matthæus *de crimin. lib. 47. tit. 15. de collegiis*, Revardus *ad leges 12. Tabul. cap.* 28. Collegia regulariter prohibita sunt ob metum factionum; aliàque similia incommoda, quæ prosequuntur Alciatus, Gentilis, & Fornerius *in l. Neracius, ff. de verb. sign.* Cujacius *dict. cap.* 30. Brissonius *lib. 1. select. cap.* 14. Romæ plura permissa fuerunt non solùm artificibus, de quibus passim agitur *in C. Theodos.* & plura congessérunt Panciróla *in notitia utriusque Imp. tit. de corpor. artif.* Desiderius Heraldus *emendationum cap.* 42. Salmasius *ad jus Atticum, cap.* 4. verùm & religionis causâ; inde collegia Pontificum *in l. 2. §. deinde, ff. de orig. juris. l. 1. §. 1. ff. de collegiis*; licitumque erat apud eos Judæorum collegium, *l. 1. 2. 4. 11. 13. 14. l. 1. §. 1. C. de Judæis, l. spadonem* 15. §. *iam autem, ff. de excusat. tut. l. circumcidere* 11. *ff. ad leg. Cornel. de sicariis, l. 3. §. ult. de Decur.* Erant etiam licita, quæ studiorum causâ contrahebantur, veluti Jurisconsultorum, Medicorum, Grammaticorum, D.D. Gonzal. in Decretal. *Tom. III. Pars I. l. medicos 6. C. de professoribus*; item publicanorum, qui publica vectigalia, aurifodinas, argentifodinas, & salinas conducebant, *l. 1. ff. quod cujusque univers.* argentariorum, *l. 6. ff. de edendo, l. cùm duobus 5. §. cùm duobus. ff. pro socio.* Quibus autem permissum est corpus habere collegii, eorum nomine proprium est, ad exemplum Reipublicæ habere arcam communem, actorem, sive syndicum, per quem negotia communia expediantur, *l. 1. §. quibus autem, ff. quod cujusque universitat.* probavi latè *in cap. unic. de syndico*: unde quæ collegii sunt, non esse singulorum docuit Ulpianus *in l. si municipes 2. ff. eod. tit.* Unde in actibus collegii non sufficere caput collegii adesse, sed omnes, vel saltem majorem partem interesse debere docetur *in l. nulli, cum duabus sequent. ff. eod. tit.* unde cùm in terminis hujus textus ad Ecclesias, seu collegia jus præsentandi pertineret, ut constat ex illis verbis, *Ad Ecclesias, in quibus collegia jus præsentandi habere noscuntur*; rectè deducitur, non potuisse Abbatem per se solum præsentare; nam etsi ipse collegii caput sit, *cap. novit, hoc tit. cap. post electionem, de concess. prabend. l. ult. ff. quod cujusque univers.* non tamen ipse solus collegium est.

(c) *Per litteras suas personas idoneas.*] Ex quibus verbis deducunt Cardinalis & Butrius *hic*, Corrasius *de sacerd. cap. 6. p. 4. num.* 18. posse absentem ad beneficium, vel Ecclesiam præsentari, quod difficile redditur *ex cap. cùm ex plantare*, §. *in Ecclesiis, de privil.* ibi: *In Ecclesiis verò suis, quæ ad eos pleno jure non pertinent, Episcopi repræsentent.* Quæ quidem verba significant præsentationem ad beneficium non esse per litteras faciendam, sed præsentibus tam præsentante, quàm præsentato; namque verbi *repræsentet*, proprietas ea est, ut significet, præsentiam realem, non autem actum per litteras, aut per procuratorem, *l. si maritus* 15. §. *quod si quis præsens, ff. ad legem Juliam de adult. l. consentaneum, C. quomodo & quando, Clement. dudum*, §. *statuimus, de sepulturis*: probant Brissonius *lib. 16. de verb. signif.* Lambertinus *de jurepatron. p. 1. lib. 2. artic. 1. q. 11. num.* 12. plures relati à Garcia *de benef. 4. p. cap. 1. num.* 16. per quem textum ipsi fatentur, præsentationem non esse faciendam per procuratorem, aut per litteras: & ut difficultatem hujus textus effugiant, differentiam constituunt inter patronum præsentantem, & clericum præsentatum; affirmantque, præsentatum præsentem esse debere, sicque accipiunt textum *in dicto* §. *in Ecclesiis*; in præsentante verò sufficere, quod per se, aut per litteras repræsentet, juxta textum hunc: sequitur eos Barbosa *in collect. ad textum in dicto* §. *in Ecclesiis, num.* 30. Differentiæ ratio in eo consistit, quòd præsentationis actus, cùm consensum tantùm contineat, personalem præsentiam non requirit, sed satis est, quod litteris consensus exprimatur,

cap. optatum, 100. *dist. cap.* 1. 64. *dist.* cum aliis: at verò ex parte præsentati præsentem adesse oportet, non tantùm in parochialibus, sed etiam simplicibus beneficiis, cùm debeat examen præcedere, an præsentati sint idonei, vel non, Trident. *sess.* 7. *de reform. cap.* 13. quod examen per procuratorem fieri non potest, unde præsentatus non tenetur necessariò coram Episcopo comparere personaliter. Nec tunc obstant textus *in cap. accedens* 24 *de præbend. cap si tibi absenti, eod. tit. in* 6. nam loquuntur in investitura, & collatione, in quibus cùm examen non desideratur, ideò etiam per litteras fieri possunt. Quæ doctrina quamvis vera sit, nec convenit *dicto §. in Ecclesiis*, nec necessaria est; siquidem in eo textu non agitur principaliter quomodo præsentatio facienda sit, sed tantùm docetur, ut templarii institutiones facere non præsumant in beneficiis, in quibus tantùm jus obtinent patronatus; sed Episcopis clericos repræsentent per se, aut per litteras, ut ab ipso institutionem accipiant.

4. (d) *Postea contradicunt.*) Quæ verba ita exponenda sunt, si ignaro Conventu præsentatio facta fuit; alàs enim, si sciente, & non contradicente fiat, contrarium observatur, ut constat *ex cap.* 2. *hoc tit.* cujus decisio juvatur ex illo juris principio, quo docemur, videri consentire eum, qui scit, & tacet, *l.* 2 *ff. solut. matrim. l.* 4 *ff. de servit. urban. cap. si servus sciente*, 54. *dist.*

3. (e) *Collationibus.*) Id est, præsentationibus, nam & præsentatio donatio dicitur, *cap. ult. de concess. prbend.* licèt regulariter respectu patroni aliud importet collatio, aliud præsentatio. Prima ad illum non pertinet, secunda verò ad illum spectat, *cap. ult. de jurepatron.* Aliter hæc verba exponit Hostiensis *in præsenti*, dum accipit verbum *collationibus*, pro vera collatione; & ait sensum Clementis III. esse; quod si collegium beneficia habeat, alia præsentationis, collationis alia, si Abbas consuetudine, aut privilegio, ut solus sine collegio conferat, acquirat jus, hoc ipsum ad præsentationes extendatur, ex regula textus *in cap. ex parte, de decimis*; quæ interpretatio non placet, cùm certum sit consuetudinem, vel privilegium in odium, & præjudicium aliorum non extendi: quare rectiùs Butrius in præsenti, *num.* 12. existimat verbum *collatio*, aut latè, aut strictè sumi; in lata verò significatione comprehendere etiam præsentationem, in stricta verò tantùm significare collationem, *dict. cap. ult. de jurepatron. cap. cùm illis, de prabend. lib.* 6 Unde verbum *collationibus*, in præsenti latè accipiendum esse contendit.

COMMENTARIUM.

6. *Conclusio traditur, & probatur.*

EX his tribus decisionibus sequens deducitur assertio: *Si præsentatio spectat ad Prælatum & Capitulum, non potest Prælatus per se instituere, vel destituere præsentatos sine consensu Capituli.* Quæ conclusio quoad primam partem probari potest *ex cap. ult. de supplend. neglig. cap. ex transmissa, in fine, de renunc. cap. significatum, de præbend. cap. cùm in Ecclesia, eod. tit. in* 6. *cap. ex insinuatione, de simonia, l. ult. ff. quod cujusque univers.* Quoad secundam partem, *ex cap. cæterùm, de donat. cap.* 2. *de feudis, cap.* 3. *de const. lib.* 6. *cap. unic.* §. *final. ne Sede vacante, eodem libro, cap. unic. ad finem, de clerico, qui investituram, in usibus feudor.* Illustrant ultra congestos à Barbosa *in præsenti*, Cujacius *hic*, Lambertinus *de jurepatron. lib.* 2. *p.* 2. *artic.* 12. Rousselius *lib.* 2. *histor. Pontif. cap.* 11. Selva *de benef.* 2 *p. q.* 22. Corrasius *eod. tract.* 2. *p. cap.* 4. Valensis *de benef. lib.* 1. *tit.* 9.

Sed pro dubitandi ratione ita insurgi potest in præsentem assertionem: & primò adversus priorem partem ita argumentor. Jure communi ordinarii collatores beneficiorum sunt Episcopi, qui in Ecclesiis suæ diœcesis conferendis fundatam habent intentionem, utpote qui ex principiis juris omnium Ecclesiarum curam gerunt. *cap. omnes* 16. *q.* 7 *cap. decretum, cum sequentibus* 10. *q.* 1. *c.* 1. *cum eximuncto, in fine, de hæreticis.* Igitur ipsi per se, irrequisitò etiam Capitulo possint clericos instituere, & destituere. In aliam etiam partem assertionis ita insurgo: nam consuetudo, de qua in præsenti, importat alienationem rerum Ecclesiæ sine debita solennitate: sed talis consuetudo, tanquam Ecclesiæ nimis onerosa, improbatur *cap.* 1. *de consuet. cap. cùm causa* 8. *de sent. & re judic. Clement. unic. de rebus Eccles.* Igitur consuetudine Prælatus acquirere non potest jus præsentandi irrequisito Capitulo, in beneficiis, in quibus juspatronatus spectat ad ipsum collegium. 7. *Impugnatur tradita assertio.*

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, cujus ratio redditur ab Alexandro III. in præsenti, quia videlicet Canonici fratres sunt, sive Prælatus est caput, Canonici verò membra, *cap. pastoralis, hoc tit.* Et quoniam non decet caput à membris discedere, nec è contra membra à capite, *cap non decet*, 12 *dist.* ideò non debet Prælatus irrequisito Capitulo clericos ad beneficia præsentare, instituere, vel destituere, cùm juspatronatus spectat ad ipsum simul cum Capitulo. Accedit, quia quæ ad collegium spectant, pertinent ad universos simul, non ad singulos, ut suprà probavi, *verbo Collegium*; & ita licèt Prælatus caput communitatis sit, non tamen potest solus per se quæ collegii sunt, peragere. Quod tamen procedit, nisi consuetudine aliter introductum, aut privilegio concessum sit; quia consuetudo, & privilegium tollunt ea quæ sunt juris positivi à Prælato, & tribuunt Capitulo, vel è contra, *cap.* 3. *de consuet. lib.* 6. & quoniam præsentatio à patrono facienda est quid juris positivi, *cap. præterea, de jurepatron.* ideò Prælatus potest consuetudine, aut privilegio adquirere jus præsentandi irrequisito Capitulo. 8. *Adducitur ratio dubitandi.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam omissâ distinctione, quando collatio, seu præsentatio spectet ad Prælatum solum, vel ad Capitulum tantùm, & quando ad utrumque simul, quam fusè prosequitur Valensis *lib.* 1. *de benef. tit.* 9. dicendum est, beneficiorum inferiorum regulariter collationem ad Episcopum tantùm spectare; præbendarum verò, & majorum beneficiorum, simul cum consensu Capituli, quo casu Prælatus per se irrequisito Capitulo conferre non valet: unde cùm in præsenti agamus de præsentatione ad beneficia, quæ simul competebat Prælato, & Capitulo, ideo docetur Prælatum per se non posse præsentare, instituere, aut destituere irrequisito 9. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

quisito Capitulo. Nec obstat secunda difficultas, pro cujus solutione discrimen est constituendum inter consuetudinem rationabilem, legitimeque præscriptam; & inter injustam, nec ritè præscriptam. Prima observanda est, secunda verò improbatur, *ex dicto cap.* 1. junctis ibi adductis: unde cùm in præsenti supponatur, consuetudinem esse rationabilem, legitimeque præscriptam, ideo docetur eam esse observandam.

10. Exponitur cap. ex litteris 7. de jurepatron. Superiori assertioni obstat textus *in cap. ex litteris 7. de jurepatron.* in illis verbis: *Postmodum Abbatissa præfecti monasterii alium præsentavit eidem.* Ex quibus apertè deducitur, Abbatissam clericum ad Ecclesiam præsentasse absque consensu Capituli: igitur quia Prælatus per se, etiam irrequisito Capitulo clericum præsentare potest. Agnovit difficultatem Lambertinus *de jurepatron. lib. 2. p. 1. quæst. 2. art. 12. num. 2. &* 3. qui affirmat verba illa non esse Pontificis decidentis, sed partis allegantis. Verùm facilius responderi potest asserendo, præsentationem factam sine assensu Capituli, nullam esse; attamen dum aliud non constat, præsumi in præsentationibus Prælatorum, quod fiunt de collegiorum suorum assensu; unde etsi dicatur *in dicto cap. ex litteris*, simpliciter Abbatissam præsentasse, hoc tamen præsumptione juris sic intelligi oportet, quod eruditè observavit Sanchez *lib. 7. moral. cap. 14. num. 7.* & ex eo Barbosa *hic.*

11. Exponitur cap. edoceri de rescriptis. Difficilis etiam redditur Innocentii III. decisio relata *in cap. edoceri 21. de rescriptis*; ubi asserit, quod si in causa, vel litigio, quod pertinet ad Abbatem, & conventum simul, quis litteras impetret adversus Abbates, nullâ habitâ mentione de suis conventibus, tenentur Abbates ipsis querelantibus respondere. Verba Innocentii sunt sequentia: *Ita ut non possint dicti Abbates per se tueri appellationem, quominus respondeant.* Ex quibus deducitur difficultas, quod, ut constat ex Cœlestini nostri decisione, quam exponimus, quando est actus communitatis, non valet Abbas per se ad beneficium præsentare, aliumve actum exercere; ita similiter cùm lis esset decernenda per Abbatem, & monachos, non posset Abbas per se solum, irrequisito conventu, convenire: quod si verum esset, falsa videretur Innocentii decisio *in dict. cap. edoceri.* Verùm si animadvertamus, verba relata *in d. cap. edoceri*, illam rationem decisionis Pontifex reddit in illis verbis: *Cùm ex officio suo teneantur congregationum suarum negotia procurare.* Quibus non significatur aliud observari in lite, ac in præsentatione, quia liti ex officio Abbas tenetur providere, *cap. 2. de donat. cap. cùm nobis, de elect. cap. u cui, eod. titul. in 6. l. ult. ff. quod cujusque univers.* Sed in contrarium illud est, quod scriptum legitur *in cap. 1. de procurat.* ubi asseritur, Presbyteros, & Diaconos ad litem peragendam coram Romano Pontifice Gregorio Magno, proprii Episcopi litteras attulisse, & tamen ipsos cum hujusmodi litteris admissos non esse, nisi cum subscriptione Capituli. Certum est quod si solus Abbas per se posset litigare sine Capitulo, falsissimum esset quod Pontifex affirmat *in dict. cap. edoceri*, sic intellecto à Panormitano; quasi subscriptio Presbyterorum, & Diaconorum *in dicto cap. 1.* requiratur, non quasi procuratorem constituentium, sed quasi testium. Constat enim capitulares esse legitimos testes in causis sui Capituli, *cap. veniens, el. 2. de testibus.* Nec obstat textus *in dicto cap. 1.* quia debet intelligi de causis arduis, in quibus non sufficit generale mandatum quod habet Prælatus; requiritur verò speciale, *cap. qui ad agendum, de procurat. in 6. cap. final. eod. lib.* Quibus solutionibus tanquam parvi momenti omissis, quidam Antecessor noster differentiam constituebat inter negotia, quæ tractantur in Capitulo; & quæ extra Capitulum: de illis intelligebat textum *in dicto cap. 1.* ut requiratur Capituli auctoritas; de istis verò minimè: quæ omnes solutiones commentitiæ videntur; ideoque magis placet dicere, in pœnam Prælati, qui alios ad agendum cum epistolis miserat, & postea revocaverat, dicens facta per primos procuratores esse nulla, postea ipsorum litteris fidem non adhibuisse Gregorium Magnum, ut constat ex eodem textu.

CAPVT VII.

Innocent. III. *R. Archipresbytero, & Magistro Scholarum, & P. de Vico, Canonico sancti Astregisili* (a) *Bituricensis.*

CUm Apostolica Sedes, cui (licet immeriti) præsidemus, universis per orbem Ecclesiis non humanâ, sed divina sit institutione prælata, justum est, & conveniens, ut ad eam tanquam ad magistram, & matrem super diversis juris antiqui referantur dubiæ quæstiones, ut quæ jura constituit, eadem quoque jura distinguat, ne quæ diversa cernuntur, videantur adversa. Sanè (sicut ex litteris vestris accepimus) cùm ex una parte Capitulum sancti (b) Stephani, & Capitulum de (c) Salis; & ex altera Monachi de (d) Pratea super decima quadam, quam à monachis ipsis petebant, in vestrum compromisissent arbitrium, & vos partibus convocatis cognosceretis de causa: Monachi proponebant ordinationem ipsius decimæ sibi à quodam milite factam, & venerabilis fratris nostri N. Bituricen. Archiepiscopi, diœcesani ejus accedente consensu confirmatam fuisse; seque auctoritate (e) Hieronymi munitos existere, qui scribens ad Damasum ait: Si aliquando fuerint

à laicis malè detenta, quæ divini juris esse noscuntur, & in usum transierint monachorum, Episcopo tamen loci illius præbente consensum, constabunt eis omnia perpetuâ firmitate subnixa. Econtrario pars allegabat adversa, consensum Episcopi sine Cleri consensu minùs sufficere, auctoritate Leonis Papæ dicentis: Ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ quicquam donare, vel commutare, vel vendere audeat, nisi fortè aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, & cum totius Cleri consensu, atque tractatu id eligat, quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum. Quia verò super his auctoritatibus dubitantes Sedem Apostolicam consulere voluistis, humiliter inquirentes, utrum quando decima possidetur à laico, si conferatur Ecclesiæ, ad confirmandam donationem consensus Episcopi sine Cleri consensu sufficiat: nos devotioni vestræ taliter respondemus, quod monendus est qui decimam detinet, ut eam restituat Ecclesiæ, ad quam spectat. Quod si forsan induci nequiverit, & eam cum diœcesani consensu alteri Ecclesiæ assignarit, præsertim religioso conventui, constabit ipsa donatio perpetuâ firmitate subnixa. Auctoritates enim præmissæ, licèt diversæ, (f) non sunt tamen adversæ, cùm aliud sit alienare quod ab Ecclesia possidetur; & aliud quod detinetur à laico, ad usum ecclesiasticum revocare. In alienatione verò, juxta (g) Leonis Papæ decretum, consensus Episcopi sine Cleri consensu non sufficit. In revocatione autem [juxta responsum Hieronymi] sufficit consensus Episcopi, cùm per utrumque utilitati ecclesiasticæ consulatur. Nam & in (h) Lateranen. Concilio est inhibitum, ne quælibet religiosa persona Ecclesias, & decimas de manibus laicorum, sine consensu Episcoporum recipiat: per quod rectè datur intelligi, quod sufficit consensus Episcopi, ut licitum sit Ecclesiæ decimam de manu recipere laicali. Datum Romæ, &c. Non. Julii, Pont. nostri anno (i) primo.

NOTÆ.

1. (a) *Bituricensi.*) Ita etiam legitur *in cap. 1. sub titulo de his, quæ conceduntur sine consensu Capituli, in 3. collect.* & in ipsis epistolis Innocentii III. editis à Sirleto, *fol.* 142. Et licèt Glossa marginalis pro *Archipresbytero*, legat *Archiepiscopo*, audienda non est; nam temporibus Innocentii III. Bituricenses Præsules fuerunt Guillelmus, & Gerardus, non autem R. ut hîc legitur: quare retinenda est lectio Archipresbyteri, ut hic habetur. De Bituricensi Ecclesia plura adduxi *in cap. final. de majorit. & obed.*

(b) *Capitulum sancti Stephani.*) Ipsius videlicet Ecclesiæ Cathedralis, quæ est Protomartyri Stephano dicata.

2. (c) *Et Capitulum de Salis.*] Id est, D. Mariæ de Salis, quæ est Ecclesia Collegiata in ipsa urbe Bituricensi, ut refert Chenu *in serie Præsulum ipsius Ecclesiæ.*

3. (d) *De Pratea.*) Pratea est monasterium Ordinis Cisterciensis, in diœcesi Bituricensi, sex leucis distans ab Avarico; cujus monasterii meminit Robertus Claudius *in catal. monasteriorum Galliæ*, per hæc verba: *Pratea Ordinis Cisterciensis, diœcesis Bituricensis, fundatum anno* 1145. *quarto idus Novembris.* Et ex eo idem referunt Illustrissimus Mantique *tom. 2. annal. Cistercienf. anno* 1145. *cap. 1. fol. 21. num* 8. Fratres Sarmatani *tom. 4. Galliæ Christianæ fol. 756.* Ejus monasterii Abbatiæ unita fuit alia Abbatia de Bocodagoberti, ut referunt Frat. Sarmat. *ubi proximè.*

(e) *Divi Hieronymi.*) Relati *in cap. final. 16. quæst. 1.*

(f) *Diversa non sunt.*) Separant enim sæpe sæpius juris Auctores adversas sententias à diversis, *l. 3. ff. ut legat. nomine.*

(g) *Leonis Papæ.*) *In cap. sine exceptione, 12. quæstion 2.* cujus integra extat *tom. 1. Bullarii, fol. 13.*

(h) *Lateranen. Concilio.*) Relato *in cap. prohibemus, de decimis*, ubi textum hunc exponemus.

(i) *Anno primo.*) Qui fuit Christi 1199 Post hæc verba, tam in tertia, quàm in sexta collectione leguntur illa: *Hæc autem de his decimis intelligimus, quæ perpetuò sunt in feudum concessæ.* Sed in ipsa epistola edita à Sirleto non reperiuntur, & rectè, ut dicemus *in dicto cap. prohibemus*, & *in cap. 2. de donat.* 4.

CAPVT VIII.

Idem (a) *Metensi Archid.*

TUa nuper. *Et infrà*: Adjecisti etiam, utrum Episcopo, vel electo, cum solo Archid. præter assensum majoris Ecclesiæ, cùm ab ipsa eligatur (b) Episcopus, & Archidiaconus assumatur de ipsa, Cœnobiis, vel Ecclesiis conventualibus, ad quas jus pertinet patronatus, liceat conferre perpetuò vacantes Ecclesias (c) baptismales. *Et infrà*: Alterius etiam quæstionis solutio ex epistola Leonis Papæ colligitur evidenter, in qua legitur: Ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ quicquam donare

nare, vel permutare, vel vendere audeat, nisi fortè aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, & totius Cleri tractatu, atque consensu id eligat, quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum. Irrita enim Episcoporum donatio, venditio, & commutatio rei ecclesiasticæ erit, absque conniventia, & subscriptione Clericorum: per hoc enim noveris solutam secundo loco propositam quæstionem, cùm concessiones Ecclesiarum perpetuas, & alienationes non sit dubium pertinere.

NOTÆ.

1. *Etensi.*] Ita legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. sed vereor, ne legendum sit *Exoniensi*, ut *in cap. tua nuper, de instit. in 3. collect.* ubi, ni fallor, est prima pars præsentis epistolæ. De Exonienſi diœcesi nonnulla notavi *in cap. 6. de filiis presbyt.*

(b) *Episcopus.*] Juxta temporum varietatem, ut notavi *in cap. 2. de elect. cap. cùm Ecclesia, de causa posses.*

(c) *Baptismales*] Parochiæ ubi baptismus administrabatur, jam priscis temporibus baptismales dicebantur, *c. 45 16. q. 1.* Concilium Tolet. 1. *cap. 54.* Aquisgran. *cap. 45.* ex Capitularibus Caroli probat Filesacus *de origine parœc. cap. 7.*

CAPVT IX.

Idem *Episcopo* (a) *Helienſi.*

PAstoralis officii diligentia. [Quære supra de rescriptis, de officio & potestate judicis delegati.] Præterea quæsivisti (cùm (b) auctoritate Dionysii fuerint parochiæ limitatæ) quatenus singularum parochiarum proventus in usus Ecclesiæ cederent necessarios, & stipendia ministrorum, si Episcopo liceat sine auctoritate Summi Pontificis, vel saltem sine sui Capituli voluntate, viris religiosis conferre obventiones alicujus parochialis Ecclesiæ, sustentatione vicarii reservatâ. Et cùm Lateranensis Concilii statuta prohibeant Ecclesiis novam imponi, vel augeri veterem (c) pensionem, postulas edoceri, an Episcopus valeat Religionis consentiente Patrono, totam Ecclesiam, vel de novo conferre aliquam portionem. Ad quod breviter respondemus, quòd salvâ constitutione canonicâ de concedendis piis locis (d) quinquagesima portione, neque primum, neque secundum potuit facere Episcopus [nisi de licentia Rom. Pont.] præter Capituli sui (e) voluntatem.

NOTÆ.

1. *Helienſi.*] Ita legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. ult* quam inscriptionem expotui *in cap. pastoralis, de rescript.*

(b) *Auctoritate Dionysii.*] Relata *in cap.* 1. 13. *quæst.* 2. ibi: *Ecclesias singulas singulis presbyteris dedimus, parochias, & cœmeteria eis divisimus, & unicuique jus proprium habere statuimus.* Quamvis enim Evaristus parochias primus divisisset, ac singulis certos clericos intitulasset, ipsasque Ecclesias titulos appellasset; tamen quia Valeriani persecutio, presbyteris à suis titulis ejectis, salubrem hanc institutionem sustulerat, restituit eam Dionysius pace Ecclesiæ datâ: inde factum est, ut plures primum parochiarum divisorem illum constituant, alii verò Evaristum; ut docent Severinus Binius *in not. ad epistol. Evarist.* Lantdmeter. *lib. 2. de veteri monac. c. 70.* Cironius *ad titulum de clericis non resid.* Filesacus *de orig parœc. cap. 4.* P. Gregor. *lib. 1. parœcit. tit. 23. cap. 8.* Balboa *in cap. omnis, de pœnit. & remiss.*

(c) *Pensionem.*) *Cap. prohibemus* ubi dicemus, *de censibus.*

(d) *Quinquagesimâ.*) De quâ agemus *in cap. Apostolicæ, de donat.*

(e) *Sui voluntatem.*) Et ita certum est Episcopum non posse unire Ecclesiam alicui monasterio, irrequisito Capitulo, *cap. consultationibus, cap. pastoralis, de donat.* nec contrarium probatur *in cap 2. de rebus Ecclesiæ, in 5. comtil.* ibi: *Postulasti per Sedem Apostolicam edoceri, utrum tibi quasdam decimas, quas quidam antecessores tui pro quibusdam villis Religiosis concessere quibusdam, auctoritate tibi liceat propria revocare? Ad quod tibi duximus breviter respondendum, quod si concessionem talem contra canones in Ecclesiæ tuæ præjudicium videris attentatam, ipsam debes auctoritate superioris legitimè revocare.* Nam supponendum est in ea specie cum consensu, & consilio Capituli Episcopum decimas concessisse, sed in præjudicium Ecclesiæ, quo casu talis concessio revocari valet. Accedente igitur Capituli consensu, potest Episcopus unire Ecclesiam loco religioso, *cap. si Episcopus 12. quæst. 2.* ibi: *Hoc de consensu Concilii sui habeat licentiam faciendi.* Et *Clement. 2. de rebus Ecclesiæ*, ibi: *Consentiente Capitulo uniatur, aut religioso loco donetur.* Docent Thom. Sanchez *2. p. summæ, lib. 7. cap. 29. num. 148.* Barbosa *de dignit. cap. 42.* Garcia *de benefic. p. 12. cap. 2.* Petrus Gregorius *tod. tract. cap. 13. ad finem.* Cironius *ad tit. de donat.* Et si Ecclesia habeat patronum, potest Episcopus cum ejus consensu illam religioso loco unire, *cap. unic. de jurepatron. in 6. cap. pastoralis. de donat.* ubi docetur Episcopum conferentem Ecclesiam loco religioso ex consensu patroni, conferre jus, quod in illam Ecclesiam habebat; patronum autem jus suum patronatus. Quod si opponatur textus *in cap. illud. de jurepatron.* ubi laicus contulerat Ecclesiam vacantem

loco

loco religioso, & deciditur, collationem esse irritam : tum quia sine auctoritate Episcopi facta est; tum quia erat Ecclesiæ nondum vacantis. Respondetur laicum illum conferre intendisse Ecclesiam illam nondum vacantem, ut ex tunc valeret collatio in præjudicium Rectoris legitimè possidentis; aliàs si conferre voluisset absque ejus præjudicio; ut à tempore vacationis frueretur illâ locus religiosus, valeret utique concessio cùm consensu Episcopi facta, ut docent ibi Abbas *num.* 7. Hostiensis & alii.

CAPVT X.

(a) Honorius III. *Archiepiscopo Senon. & ejus Suffraganeis.*

ETsi membra corporis Christi, *Et infrà*: Provinciæ Senon. Capitula Cathedralia suam ad nos querimoniam transmiserunt, quòd Archiep. Senon & suffraganei ejus, procuratores ipsorum nuper ad (b) provinciale Concilium convocatos, ad tractatum eorum admittere noluerunt, licèt nonnulla soleant in hujusmodi tractari Conciliis, quæ ad ipsa noscuntur Capitula pertinere: quare nostram audientiam appellarunt. Sanè nos auditis quæ ipsorum nuntiis super his proponere voluerunt, & intellectis nihilominus litteris, quas nobis super eodem curastis negotio destinare : tractatu exinde cum fratribus nostris habito diligenter, & utique nobis, & eisdem fratribus nostris concorditer visum fuit, ut ipsa Capitula ad hujusmodi Concilia invitari debeant, & eorum nuntii ad tractatus admitti, maximè super illis, quæ ipsa contingere Capitula dignoscuntur.

NOTÆ.

1. (a) *Honorius III.*) In sexta collectione legitur *Innocentius III.* sed malè, cùm textus iste sit Honorii III. in cujus compilatione *sub hoc titul. cap.* 1. reperitur prout hîc transcribitur. De Petro de Corbolio Senonensi Archiepiscopo, & eâ Ecclesia nonnulla notavi *in c. 6. de constit.*

(b) *Provinciale Concilium.*) Quod quando, & quomodo sit celebrandum, exponemus *in cap. sicut olim, de accusat.*

COMMENTARIUM.

2. COnstitutio hæc adeo singularis est, ut vix in jure expressum reperiatur, an evocanda sint Capitula suffraganea ad Concilium provinciale, ut in eo procuratores suffragium habeant, cùm nusquam, vel rarò eos Conciliis adfuisse legamus, nisi in aliquibus Conciliis nostræ Hispaniæ, præcipueque provinciæ Tarraconensis, ubi procuratores ipsarum Ecclesiarum post Abbates subscribunt; & Capitula ipsa evocata fuisse ad respondendum super negotiis, & rebus Ecclesiæ, liquet *ex cap. grave, de prabend. can.* 13. *Concil. Tarracon.* 1. ibi; *Epistola non solùm è Cathedralis Ecclesiæ presbyteris, verùm etiam de diœcesanis ad Concilium trahant.* Rationem hujus evocationis reddit Joannes Patriarcha Alexandr. anno 1331. in Concil. Tarracon. his verbis : *Quia aliter honor Ecclesiæ Metropolitanæ, & Conciliis minuitur, & auctoritas Concilii, quæ in multis consistit, potius quàm paucis, subtrahitur circa ea quæ in ipsis Conciliis tractanda sunt.* Accedit, quod cùm Concilia pro excessibus corrigendis, & pravis moribus reformandis omnium clericorum convocentur, *dict. cap. sicut, de accus.* ideo Capitula suffraganea vocanda sunt, *cap. de eulogiis*, 18. *distinct.* quod & expressit Synodus Trident, *sess.* 24. *de reform. cap.* 2. Deinde, nam si in Conciliis generalibus prædicta Capitula vocantur, ut constat ex actione 1. Concil. Chalced. in epistola Imperatoris ad Dioscorum, ubi prohibetur Episcopis, ne eosdem mittant procuratores, qui constituti sunt à Capitulis; quantò magis ad Concilia provincialia vocari debent. Sed hoc jus ita observatum paulatim sublatum fuit, ita ut jam pluribus retrò sæculis Capitula ad Concilia provincialia non vocentur, etsi Abbates jus baculi, & mitræ habentes evocentur, ut notavit Cironius *in notis ad hunc textum.*

TITVLVS

TITVLVS XI.

De his quæ fiunt à majori parte Capituli.

CAPVT I.

Ex Concilio (a) Lateran.

CUm cunctis Ecclesiis, quod pluribus, & sanioribus fratribus visum fuerit, incunctanter debeat observari, grave nimis est, & reprehensione dignissimum, quod per quasdam Ecclesias pauci quandoque non tam de ratione, quàm de propria voluntate ordinationem ecclesiasticam procedere non permittunt. Quocirca præsenti decreto statuimus, ut nisi à paucioribus, & (b) inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit, & ostensum, appellatione remota prævaleat semper, & suum consequatur effectum, quod à majori, & saniori parte Concilii fuerit constitutum. Nec constitutionem nostram impediat, si fortè aliquis ad servandam Ecclesiæ consuetudinem se juramento dixerit esse astrictum: non enim dicenda sunt juramenta, sed potiùs (c) perjuria, quæ contra ecclesiasticam utilitatem, & sanctorum Patrum instituta veniunt. Si quis autem hujusmodi consuetudines, quæ nec ratione (d) juvantur, nec sacris canonibus instituta, jurare præsumpserit, donec condignam egerit pœnitentiam, à perceptione Dominici Corporis existat alienus.

NOTÆ.

(a) *Lateran.*) Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc titul. cap. unic.* & in Concilio Lateranen. generali celebrato sub Alexandro III. *can.* 16. ubi reperitur textus hic.

(b) *Inferioribus.*) Inferiores Canonici dicuntur ad differentiam majorum, ut notavi *in cap. dilecto, de offic. Archid.*

(c) *Perjuria.*) Ut sæpiùs probavi *in titul. de jurejur.*

(d) *Ratione juvantur.*) Nisi à Sede Apostolica confirmatæ sint, ut *in cap... hoc titul. in 2. collect.* ibi: *Secundæ quæstionis nodum auctoritate duximus Lateran. Concilii resolvendum, ut nisi videlicet de aliquo, vel de aliquibus, ab inferioribus irrationabile aliquid obici & probari contigerit, prævaleat semper, & obtineat debitum, remoto appellationis obstaculo, firmamentum, quod à majori, & saniori parte Concilii fuerit constitutum, nisi antiqua Ecclesiæ hactenus observata, & Apostolicæ Sedis auctoritate confirmata consuetudo aliud suaserit observandum.*

COMMENTARIUM.

2. Conclusio traditur. & probatur.

EX præsenti canone talis deducitur assertio: *In Capitulis, & Collegiis prævalet quod fit à majori & saniori parte, nisi minor rationabiliter contradicat.* Probant eam textus *in cap. de quibus* 3. 20. *dist. cap. in ordinatione* 14. 61. *distinct. cap. Ecclesia* 57. *cap. cùm nobis*, §. *nos ergo, cap. quia propter* 42. *de elect. cap. prudentiam* 21. *de offic. deleg. cap.* 3. *de jurepatron.* Innocent. III. *lib.* 1. *epist.* apud Sirletum, *fol.* 221. ibi: [Cùm nobis (licèt immeritis) in specula Sedis Apostolicæ constitutis omnium Ecclesiarum sit generalis cura commissa, nos attentè convenit, ac solicitè providere, ut per studium nostræ solicitudinis in statu debito valeant conservari. Et quoniam ubique præsentiâ corporali adesse non possumus, per Fratres, & Coepiscopos nostros, qui sunt in partem solicitudinis evocati, ad rectum ordinem reduci volumus quæ in eis inordinatè fuerint attentata, & in statum congruum reformari, ut personæ constitutæ in eis ad ecclesiastica obsequia prosequenda, juxta doctrinam canonicam divinæ servitutis cultibus vigilanter intendant, & cunctis recto progredientibus ordine Dominus, & propitiator noster dignè in ministrorum suorum operibus collaudetur. Nos igitur, venerabilis in Christo frater, tuis justis precibus gratum concedimus assensum, & ut in Ecclesia sancti Stephani, in qua Pontificalis administrationis officium assumpsisti; & in Ecclesia Beati Frontonis, in qua curam geris Abbatis, super correctione ordinis: & aliis ecclesiasticis constitutionibus, cum majori parte Capituli, prout ipsis Ecclesiis expedierit, valeas ordinare, seu statuere quod fuerit statuendum, & corrigere corrigenda, liberam tibi sublato appellationis obstaculo auctoritate Apostolica tribuimus facultatem, nisi à paucioribus, juxta constituta Lateran. Concilii rationabile aliquid objectum fuerit, & ostensum. Nulli ergo, &c.] *l. cùm judices* 2. §. *hoc autem*

autem 4. C. de jurejur. l. aliud 160. §. 1. ff. de reg. jur. l. nulli 3. l. 4. 5. & 6. ff. quod cujusque univers. l. quod major 19. ff. ad municipal. l. 3. ff. de decretis ab ordin. l. ubi 19. ff. de tutor. & curat. l. penult. & ult. C. de prædus Curial. l. ult. C. de vendend. rebus Curial. l. 84. & 142. C. Theodos. de Decur. l. 7. titul. 4. lib. 2. recopil. Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa, & Garanna, idem Barbosa *voto 47. num. 18.* Cronius *ad tit. de elect.* Cujacius *hic*, Acunna *in dicto cap. in ordine 14.* Alciatus *de præsumpt. regul. 1 præsumpt. 51.* Petrus *Herod. lib. 2. Pandect. titul. 9. cap. 15.* Lambertinus *de jurepatron. lib. 2. cap. 2. p. 3. art. 8.* Petrus Faber & Gothofredus *in dicta l. 160.* n.

3. *Impugnatur traditus assertio.* Sed pro dubitandi ratione ita argumentor: In sententiis, vel similibus justitiæ actibus non debet attendi major pars, quia ut ait Plinius *lib. 2. epist. 12.* in sententiis ferendis suffragia non numeranda, sed ponderanda; nec semper majori numero est acquiescendum, cujus judicium rarò tutius ac sanius, *cap. gratum de postul. Prælat.* & si alsqua pars Capituli præferenda est, maximè ea, quæ ex senioribus constat, quibus plurimùm jura deferunt, cùm prudentiores quàm juvenes præsumantur; adeò ut qui contrarium affirmare velit, probare non possit nisi per quindecim testes, *l. unicuique, C. de proximis sacror. scrin. lib. 12.* Mascardus *de probat. volum. 3. conclus. 1295. num. 3.* Tiraq. *in præfat. de primog. n. 153.* Franciscus Philelphus *lib. 36. epist. 1. ad Nicodemum*, ibi: *Romani rerum domini Senatum à senibus nominarunt, quoniam intelligerent in senibus solis gravitatem esse, & prudentiam.* Atque idcò majorem senibus auctoritatem esse dixit Quintilianus *lib. 12. instit. cap. 4.* eò quod plura nosse, & vidisse credantur. Igitur in Capitulis, & Collegiis non major pars respectu numeri, sed respectu senium attendi debet.

4. *Capitulum quid.* Quâ dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, Capitulum in jure nostro sæpiùs accipi pro parvo illo loco, in quo conveniunt claustrales, quo nomine etiam ipsa congregatio claustralium, seu Canonicorum dicitur Capitulum. In priori sensu accipitur *in Clement. ne in agro, de statu monach.* Concilium Aquisgran. *can. 69.* ibi: *Mos inolevit, ut per monasteria Deo devota legatur lectio in capitulo.* Et *can. 70.* ibi; *Ut ad capitulum lectio tradatur*; & aliis Conciliis congestis à Meursio *in Glossario, verbo Capitulo*, Benedicto Ephteno *lib. 8. disquisit. monast. tract. 1. disquisit. 1.* In secundo sensu pro ipsa congregatione, seu Canonicorum collegio accipitur in præsenti titulo, & antecedenti; & Capitulum tunc est universitas clericorum, quorum caput est Prælatus, & ipsi membra, *cap. novit, hoc tit.* sodales, seu socii ejusdem collegii, *l. ult. ff. de collegiis:* non tamen omnes clerici unius Ecclesiæ faciunt Capitulum, *cap. dilecta, de excess. Prælat.* sed tantùm ii, quibus Ecclesiæ legibus concessum est, ad exemplum collegiorum sæcularium, quibus id constitutionibus, & Principum rescriptis conceditur, quique communem habent actorem, seu syndicum & arcam, *l. 1. ff. quod cujusque univers. cap. significavit, de appellat. dicto cap. dilecta*, ubi latiùs dicemus. Arca signum communitatis est, quia in ea obventiones, & redditus nummarii, quasi in gazophylacio reconduntur, *l. 13. C. de suscept. lib. 10.* in qua etiam instrumenta, & tituli asservantur; unde tituli arcales dicuntur *in l. 6. C. de exact. tribut. lib. 10.* & custodes ipsi Arcarii, *cap. 3. Esther.* D. Paulus *ad Romanos cap. ult.* Substantia ergo Capituli consistit in sigillo, syndico, arca, & negotio communi, ut probant Farinacius *in praxi crimin. quæst. 113. num. 227.* Decianus *tract. crimin. lib. 7. cap. 20. num. 22.*

5. *Major pars quæ sit?* Deinde sciendum est, quæ sit major pars Capituli? Et multi docuerunt, majorem partem eam esse, quæ pluribus abundat suffragiis, cùm major pars accedit, & concurrit in unam sententiam, *cap. ult. hoc tit. cap. quia super, de elect.* exemplo Decurionum, *l. nominationum, C. de Decur. lib. 10.* Alii majorem partem agnoscunt, non ex numero personarum, sed ex justiori, & saniori parte, quod æstimandum non est ab his, qui suffragium dant, sed à superiore cautæ cognitionem habente, *cap. Ecclesia, de elect. cap. concertationi, de appellat. in 6.* Sed quia perdifficile est hoc modo agnoscere, quæ sit sanior, & per consequens major pars, habitâ ratione zeli ad zelum, & justitiæ ad justitiam; ideo regulariter major pars dicitur, quæ pluribus abundat suffragiis; sententiæque numerantur, non ponderantur, *cap final. hoc tit.* Ut autem major pars agnoscatur, singulorumque vota regulentur, tantùm præsentes attenduntur; quare dum negotium tractatur in Capitulo, ad minùs duæ partes adesse debent, *l. nulli, l. planè, ff. quod cujusque univers.* non quia exigatur ut duæ partes idem decernant, sed ut in decernendo adsint duæ partes, quæ faciunt Capitulum, & Concilium publicum, *l. nominationes, C. de appel.*

6. *Traditi ratio dirua.* His præjactis, ratio præsentis assertionis facilè deprehenditur, quæ provenit ex eo, quia firmius est judicium plurimorum, *cap. de quibus 3. 70. dist.* nam cùm ferè impossibile sit in negotiis omnes consentire, *l. 1. §. final. cum l. sequenti, ff. de adquir. possess.* & necessariò sufficiens esset alia pars, major justè attenditur, ut considerat Grotius *de jure belli lib. 2. cap. 5. num. 17.* nisi specialiter duæ partes suffragiorum petantur, ut *in l. nulli 3. ff. quod cujusque univers.* nam tunc, quod lege, vel statuto cautum est, attendi debet. Bobadilla *lib. 3. polit. cap. 8. num. 53.* Molina *lib. 2. de primog. cap. 4. num. 58.* Unde in Senatusconsultis, apud Romanos majoris partis probatur consensus, neque quàm prudentes, sed quàm multi idem censuissent, attendebatur. Symmachus *lib. 4. epist. 37. Lex Curiæ est, ut majoris partis numeri anteferat auctoritas.* Quare Senator quilibet poterat Consulem, vel quemcunque alium Magistratum, qui Senatum habebat, admonere, ut antequàm Senatusconsultum proferretur, Senatum numeraret; alioquin Senatusconsulto interceddebat. Festus Pomp. *lib. 12. Numerat Senatum, qui Senator ait Consuli, cùm impedimento vult esse, quominus faciat Senatusconsultum; postulatque, ut aut res, quæ afferuntur dividantur; aut singuli consulantur, aut si tot non sint Senatores quot numero liceat præscribi Senatusconsultum.* Respexit huc Cicero *lib. 5. epist. ad Atticum*: *Causæ tale aut numera.* Et Cælius *lib. 8. epistolar. familiar.* ad eundem Ciceronem: *Cùm posset rem impedire, sic ut numeraretur, postularet, tacuit.* Apud Dionysium Halicarn. *lib. 16. hist.* Lucius Cornelius

postulat,

postulat, *Numerari sententias.* M. Fab. Quintilianus *declamat. 365. De vi septem judicent; quod major pars judicum statuerit, reus patiatur; duo ignominiam statuerunt, duo exilium, tres mortem, petitur ad mortem.* Hæc quidem epigraphe controversiæ; sequitur deinde: *Ego existimo majorem partem esse, in qua plures idem sentiunt, eandem pœnam pronunciant, in eadem verba jurant.* Ne quæ autem ambiguitas suboriatur, disertis verbis explicat, quinam sit ille major numerus. *Partem intelligimus eidem numero applicatam, quemadmodum sententiâ conjunctam.* Sed quis L. Senecæ aurea verba prætermiserit huc spectantia, *lib. de vita beata, cap. 2. Cùm de vita beata agitur, non est quod mihi illud discessionum more respondeas. Hac pars major esse videtur: ideo enim pejor est. Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant.* Appositè, & cum judicio alium ejusdem Senecæ locum annotavit I. Lipsius: *Quid præstat Philosophia? ut malis tibi placere, quam populo; ut existimes judicia, non ut numeres.* Imperitia librariorum antea legerat, *Illud dissensionum more respondeas.* Primus Rodulphus genuinam lectionem animadvertit, & ex eo Erasmus Roterodamus. Decretū Lateranen. Concilii apud Guil. Neubrigensem *de rebus Anglic. lib. 3. cap. 3. Ex hoc tamen nullum canonicis institutionibus, & aliis Ecclesiis præjudicium generetur, in quibus majoris, & saniorispartis debet sententia prævalere: quia quod in eis dubium venerit, superioris judicio poterit diffiniri; in Romana verò Curia, & Ecclesia speciale evenit aliquid, atque constituitur, quia non potest ad superiorem recursus haberi.* Aurel. Prudent. *lib. 1. in Symmachum, in fine.*

Servemus leges patrias, infirma minoris.
Vox cedat numeri.

Facit Plinius *lib. 2. epist. 12. Numerantur*, inquit, *non ponderantur sententiæ nec aliud in publico consilio fieri potest, in quo nihil est tam inæquale, quàm æqualitas ipsa: nam cùm sit impar prudentia, par omnium jus est.* Et *lib. 6. epist. 13. Singulis*, inquit, *re integrâ dissentire fas est; peracta, quod pluribus placuit, à cunctis tuendum.* Lex judiciaria aut ejus fragmentum refertur *in epist. Celii ad Ciceronem*, his verbis: *Quod judicum major pars judicasset, id jus ratum esto.* Facit etiam quod refertur ad universos, quod publicè fit, & per majorem partem, *l. 160. §. 1. ff. de reg. jur. dict. l. quod major, ff. ad municip.* quod non solùm in publicis negotiis, verùm & in privatis contingit, ut in pluribus creditoribus id docetur *in l. 7. §. ultim. l. 8. ff. de pact. l. ultim. ff. qui bon. ced. possunt*: in pluribus tutoribus, §. 1. *Institut. de satisd. tutor.* in pluribus obstetricibus ventrem inspicientibus, Paulus *lib. 2. sentent. titul. 4.* Rectè ergo PP. Concil. Lateranen. in præsenti statuerunt, in negotiis ecclesiasticis prævalere factum à majori parte Capituli, cùm præsumatur pro pluralitate, nisi in aliqua parte stet auctoritas, *cap. dudum, de elect. cap. in præsentia, de testib.* Petunt etiam PP. ut sit eadem pars senior, ratione habitâ zeli ad zelum, meriti ad meritum, nam etsi major pars aliquid decernat, rationi tamen, vel pietati minimè consentiat, minor pars senior pro majori habetur, *cap. final. distinct. 9. cap. Ecclesia 57. de elect.* quia major pars dicitur, non solùm quæ est majoris numeri, sed etiam quæ saniorisjudicii. Barbosa *de dignitat. capite 38. num. 7.* Sed cùm ex hac cognitione saniorispartis rixæ, pluraque incommoda orirentur, jam hodie post Concil. Tridentinum *sess. 25. de regul. cap. 6.* amplius non quæritur, quænam pars sit senior, sed tantùm quæ major, vel minor sit respectu numeri, ut notarunt Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. cap. 5. num. 13.* Iul Lavor. *de elect. tit. 4. cap. 19. num. 89.* Tamburinus *tom. 1. de jure Abbat. disp. 5. quæst. 6. num. 21.*

7. *Dissolvitur difficultas.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam in præsenti absolutè non docetur, factum à majori parte prævalere, sed factum à majori, & saniori: quare ut cognoscatur, quænam senior pars sit, pensanda sunt, & ponderanda suffragia, habito respectu ad ætatem, prudentiam, & meritum; unde non contemnitur senior pars, sed potiùs si sit senior, præfertur; & non tanquam factum à majori, sed à saniori parte observatur, licèt in dubio major pars senior credatur, *cap. prudentiam, de offic. delegat.* Acunna *in dicto cap. in ordinatione*: notavi latiùs *in cap. quia propter, de electione.*

8. *Exponitur textus in cap. cum causam, de elect.*

Adhuc suprà traditæ assertioni opponi potest textus *in cap. cùm causam, de elect.* ubi refertur, Canonicos Ecclesiæ Lucanensis privilegium ab Apostolica Sede impetrasse, ut nullus præponeretur in Priorem, nisi de communi consensu fratrum, aut electus à majori, & saniori parte Capituli. Quem textum ita expendo: Si regulariter factum à majori & saniori parte Capituli prævalet, ad quid privilegium illud impetratum fuit, cùm frustà precibus impetretur, quod jure communi conceditur? Cui difficultati respondendum est ex notatis in eo textu, & per Citronium *in c. 3. de elect. in 5. compil.* privilegium in ea specie necessarium non fuisse, quia jam jure communi id cautum erat; sed quia magis timetur quod singulariter cavetur, aut promittitur, ut contingit in castitate à clericis voto promissa, *cap. quamquam, 23. distinct.* in obedientia juramento firmata, *cap. in omnibus, de consecr. distinct. 5.* ideo in eo textu Canonici Lucanenses prædictum impetrarunt privilegium, ut ejus auctoritate magis obstricti Priorem tenerentur eligere de communi consensu vel saltem majoris, & saniorispartis.

9. *Exponitur cap. hoc ipsum, 33. q. 2.*

Secundò suprà traditis obstat textus *in cap. hoc ipsum 11. 33. quæst. 2.* in illis verbis: *In fine autem epistolæ hoc adjiciendum putavi, ut quoties-cunque in gestis Conciliorum discors sententia invenitur, illius sententia magis teneatur, cujus antiquior, aut potior extat auctoritas.* Ex quibus deducitur, non prævalere factum à majori Capituli parte, sed tantùm attendi, quænam sit antiquior, vel potior. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, Divum Isidorum in eo textu potiorem appellasse Concilii sententiam, quæ majori parte roboratur, & ita rectè Sanctum asseruisse, in casu diversarum sententiarum eam prævalere, quæ antiquior, & potior est, id est, quæ major & senior.

10. *Adducitur cap 2. de postul. Prælat.*

Ex suprà adductis, præcipueque ex præsenti textu lucem accipit textus *in cap. 2. de postulat. Prælat.* ibi: *Ac ideò alios, licèt pancores numero, quantùm tamen ad hæc pertinet, consilio*

filio saniores, eligendi, vel postulandi devolutam esse licentiam. Ex quibus apertè constat, prævalere aliquando electionem, seu postulationem factam à majori parte Capituli; quod juxta præsentem decisionem accipiendum est, videlicet, quod licèt regulariter factum à majori parte Capituli, sit à cunctis observandum, tamen si minor pars justè, & legitimè contradicit, quia tunc licèt minor respectu numeri, tamen sanior est respectu judicii, prævalet ab ea statutum, *cap.* 1. 31. *distinct. l. majorem, ff. de pactis:* immò ad ipsos, licèt numero minores, devolvitur omnis Capituli auctoritas, ut in specie ipsius capitis 2. contingit.

CAPVT II.

Cœlestinus III. *Gilberto* (a) *Claromont. Episcopo.*

QUæsivit à nobis tuæ diligentia probitatis, quid observare debeas, & Apostolicæ responsionis auctoritate statuere super eo, quod Ecclesiam tuam quidam ex Canonicis, vel etiam minimus, qualibet occasione assumptâ, vel quia pensio Ecclesiæ debita [sicut solitum est] non redditur, vel quia nonnunquam clericus aliquis, vel parochianus delinquit, sine tuo, & aliorum Canonicorum assensu interdicto supponit, per quod ipsius Ecclesiæ servitium deperit, & in populo scandalum non modicum generatur. Super hoc autem tuæ f. sic duximus respondendum, sicut in consimilibus consultationibus nos recolimus respondisse, ut videlicet interdictum in aliqua Ecclesia per aliquem, vel aliquos ex Canonicis sine tuo, & aliorum tuorum fratrum assensu positum nullatenus debeas observare, nisi talis excessus, & tam gravis extiterit, propter quod meritò Ecclesia silere debeat: nec sustineas, ut prætextu occasionis hujusmodi ab aliis interdictum observetur, nisi tuus, & aliorum consensus Canonicorum accesserit: sed si quis occasionem dederit, vel deliquerit, sive canonem debitum non solverit, vel alia commiserit, propter quæ irregulariter hactenus Ecclesia ipsa interdicto supponebatur, ecclesiasticæ coercitioni subjaceat, cùm peccata suos auctores (b) tenere debeant, nec pœna sit ulteriùs protrahenda, quàm delictum fuerit in excedente repertum.

NOTÆ.

1. (a) *Claromontano.*] Gilberto videlicet, ut legitur in secunda collectione, *sub hoc titulo cap.* 2. qui sexagesimus Præsul fuit ipsius Ecclesiæ. De Claromont. diœcesi nonnulla notavi *in cap.* 38 *de testibus.* Textum hunc fugitivarium esse à præsenti titulo, docuit Legaultre *in præsenti rubric.* sed non rectè, cùm in ea agatur de consensu Capituli, aut ejus majori parte.

2. (b) *Tenere debeat.*] Sed si hæc ratio vera est, concludit, nunquam interdictum apponi posse, cùm exinde omnes fideles absque sua culpa puniantur. Cui difficultati satisfaciendum est, discrimen constituendo inter pœnam corporalem, seu spiritualem; & inter temporalem, seu medicinalem. Pœna corporali, aut spirituali nemo pro aliena culpa puniri potest; medicinali verò, seu temporali utique puniri valet, ut docuerunt Ant. Gomez *lib. 3. var. cap. 2. num. final.* Gutierrez *de delictis quæst.* 53. Marquez *in suo gubernat. lib.* 1. *cap.* 32. Barb. *lib.* 2. *juris Eccles. cap.* 3. *num.* 41. Petrus Faber *lib. 3. semestr. cap.* 8. unde cùm interdictum sit pœna medicinalis, potest populus Christianus pro contumacia Principis, aut superioris Prælati eâ puniri, ut universa plebs, quæ ejus malitiam non ignorat, & cui illius iniquitas multùm displicet, hinc occasione accepta proclamet; ut qui Dei amore ab injusta actione non recedit, clamore hominum simul, & timore desistat, ut probat Juretus *in notis ad Ivonem, epist.* 266.

COMMENTARIUM.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Canonici non possunt interdictum apponere, sed Episcopus tantum cum consilio Capituli.* Probant eam textus *in cap.* 1. *de excess. Prælat. cap.* 3. *de pœnis.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa, Sayrus *de censur. lib.* 5. *cap.* 20. *num.* 19. Hugolinus *eod. tract. tabul.* 3. *cap.* 1. §. 1. Suarez. *de censur. disputat.* 36. *sect.* 1. Gibalinus *eod. tractat. disquisit.* 3. *in fine.* Covarruv. *in cap. alma,* 2. §. 2. *num.* 6. Petrus Gregorius *lib.* 4. *partitionum, titul.* 16. *cap.* 3. & 5. 3. *Conclusio traditur & probatur.*

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti juris consideratione; nam potestas ferendi censuras spectat ad jurisdictionem contentiosam, ut probant Gibalinus *integr. disquis.* 3. Igitur si illam habeant, Episcopus jure ordinario, Capitulum privilegio; aut consuetudine, poterunt ea utentes alter sine alterius consensu illam exercere interdictum apponendo. Augetur hæc difficultas, nam Episcopum per se posse interdictum apponere, & in tota diœcesi, constat *ex cap. ex transmissa, de elect. cap. cùm ab Ecclesiarum, de offic. ordin. cap. auditis, de præscript. cap. cùm & plantare,* §. 1. *cap. Episcopum, de privil.* & etiam Canonicos, seu Capitulum interdicere posse liquet *ex cap. si canonici, de offic. ordin. lib.* 6. *cap. statutum, de sentent. excom. eod. lib.* Igitur non rectè in præsenti docetur, Canonicos absque Episcopo, vel Episcopum absque Capituli consensu non posse interdicti sententiam proferre. 4. *Impugnatur hæc pars assertionis.*

Quâ

Quâ difficultate ita fulcitâ minimè obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, interdicere, aliquando interloqui, ac interim dicere, significare. D. Isidorus *lib. 5. etymol. cap. 25.* interdictum ait esse, quod à judice non in perpetuum, sed pro reformando momento ad tempus interim dicitur, qua in significatione accipitur *in cap. pastoralis 5. de caus. poss. & propriet.* Sed in sua propria, & speciali significatione interdicere nihil aliud est, quàm prohibere. Paulus *lib. 2. sentent. tit. 10.* Unde Brissonius *de v. s. verbo Interdicere*, existimavit, interdicta à veteribus appellata fuisse veteres formulas, quibus Prætor aliquid fieri prohibebat. Hinc etiam ille, qui administrationem bonorum non habet ob Prætoris prohibitionem, dicitur bonis interdictus, *l. is cui 6. ff. de verb. obl.* & qui ob delictum aqua, & igne prohibebantur, interdicti dicebantur, *l. 5. & per totum, ff. de interdict. & relegat.* & legimus *in l. moris 9 ff. de pœnis*, advocationibus interdicere, pro denegatione advocationis: *in l. 1. §. & urbe 13. de offic. præf. urb.* professione interdicere: *in l. relegatorum 7. §. solent, ff. de interdictis, & relegatis*, ordine interdicere, pro interdictione Curiæ: *l. ultim. ff. de pœnis*, arte sua interdicere. In hoc etiam sensu accipitur interdictum in præsenti pro prohibitione divinorum officiorum, cujus censuræ originem adduxi *in cap. 5. de consuet.*

4. Interdictio officiis & rebus.

Interdictum autem diffinitur, ut sit *Censura ecclesiastica, quâ prohibentur divina officia, certa sacramenta, & ecclesiastica sepultura*: colligitur ex *cap. quod in te, de pœnit. & remis. cap. non est vobis, de sponsal.* ubi dicemus. Dicitur *censura*, loco generis, per quam interdictum convenit cum aliis censuris; cætera ponuntur loco differentiæ: nam excommunicatio ab omnibus privat sacramentis, interdictum vero tantùm à certis: deinde differt ab irregularitate, & suspensione, quæ non privant nec sepulturâ, nec divinis officiis. Variè etiam interdictum dividitur. Primò, ut aliud sit ab homine, aliud à jure. A jure, quod in certis casibus in jure impositum reperitur, ut *in cap. si qui sunt, 81. distinct. cap. si quis deinceps, 16. quæst. 7. cap. sacro 38. de sentent. excom. cap. ubi periculum, §. præterea, de elect. in 6. cap. præsenti, de offic. ordin. cap. 1. de sepultur. in 6. cap. quamquam de usur. eod. libro, cap. unic. de injuriis, eod. lib. Clement. 1. de pœnis, extravag. unic. Joann. XXII. ne sede vacante, extravag. unic. de consuet. inter communes.* Item dividitur interdictum, ut aliud sit locale, aliud personale, mixtum aliud. Locale dicitur, quod principaliter fertur in locum ubi divina officia non celebrentur; nam licèt locus non sit capax pœnæ, tamen cùm sit capax satisfactionis, erit & privationis. Hoc tamen interdictum locale est duplex, aliud generale, aliud particulare. Generale, cùm civitas, seu tota diœcesis interdicitur, *cap. cùm inter. de consuet. cap. cùm in partibus, de v. s. cap. præsenti, de sentent. excom. in 6.* tunc enim in omnibus Ecclesiis interdictum censetur appositum, etiam in Ecclesia Cathedrali, licèt quoad alias res talis Ecclesia non comprehendatur, *c. quamvis, de præbend. in 6.* Et licèt templa suburbicaria, scilicet extra muros civitatis existentia, videantur diversa ab ipsis Ecclesiis urbanis, cùm appellatione urbis suburbia non contineantur, *l. nam quod, §. si ita. ff. de pen. legat. l. 2. ff. de v. s.* latè ex sacris & prophanis litteris probant Morinus *lib. 1. exercit. cap. 30.* Dorleans *ad Tacit. lib. 14. annal. fol. 757.* tamen Ecclesiæ illæ censentur interdictæ, *cap. si civitas, de sent. excom. lib. 6.* Petrus Gregorius *lib. 4. partit. tit. 17. cap. 4.* Covar. *in cap. alma mater, p. 2. cap. 2. §. 1. num. 8.* propter connexionem, & contiguitatem; sicut interdictâ Ecclesiâ Capellæ censentur interdictæ, etiam exemptæ. Trident. *sess. 25. de reform. cap. 12. & de regul. cap. 22.* Particulare est, quod tantùm in hanc, vel illam Ecclesiam ponitur. Personale interdictum subdividitur in generale, & speciale: generale est cùm corpus collectivum interdicitur, veluti populus, universitas, seu collegium; cùm enim in eos non possit ferri excommunicatio, *cap. Romana, §. universitatem, de sentent. excom. lib. 6.* necessariò poni debet interdictum, & tunc personæ, quæ sunt illius communitatis, interdictæ manent, *cap. si sententia, de sent. excom. in 6* Interdicto autem populo Clerus non censetur interdictus. Suarez *de censur. disput. 32 sect. 2.* Speciale est cùm specialiter in aliquam personam profertur, nec interest quod in unam, vel in plures feratur, dum non per modum plurium ponatur. Mixtum interdictum est, cùm interdicuntur persona & locus ubi divina officia celebrantur, *dicto cap. non est vobis, de sponsal. cap. 1. de usur. in 6.* Tertia divisio est, ut aliud sit interdictum totale, aliud partiale. Totale datur quando absolutè profertur, *cap. is qui, de sentent. excom. in 6.*

7. Interdictum qui imponere possint.

Deinde sciendum est, sententiam interdicti apponere posse, tam judices ordinarios, *dicto cap. cùm ab Ecclesiarum, d. cap. transmissa, de elect, dict. cap. cùm & plantare, §. 1.* ordinariam jurisdictionem habentes, etiam Capitulum Sede vacante, cùm succedat in jurisdictione Episcopi, *cap. 1.* ubi probavi, *ne sede vacante*; quàm delegatos, *cap. sanè, el 2. cap. ex litteris, de offic. deleg.* Nec interest, quod judices illi sint interdicti, aut excommunicati, dummodo non sint denuntiati; quia tunc ex defectu jurisdictionis sententia interdicti non valet. Similiter summè cavendum est, ne extra territorium, aut in alienos subditos interdictum apponatur, quia ex eodem defectu sententia nulla est. Alia de interdicto & ejus effectibus dedi *in cap. 5. de consuetud.* & infrà adducam *in cap. quod in te, de pœnitent. & remis.*

8. Traditur ratio decidendi.

Quibus ita animadversis apparet vera ratio præsentis assertionis; nam cùm interdictum sit gravis pœna, per quam cessatur à divinis officiis, sicut non est nisi ex gravi & manifesta causa imponenda, *cap. irrefragabili, §. cæterùm, de offic. ord. cap. si sententia, de sent. excom. in 6.* ita non à quolibet debet imponi, sed ab Episcopo, ex consensu Capituli, & si Capitulum habeat jurisdictionem contentiosam, debet illud apponere cum assensu Episcopi, *cap. 1. de excess. Prælat.* ut ita maturiùs talis censura imponatur, aliàs si facilè eâ Episcopus, vel Capitulum uterentur, scandalum in populo Christiano sequeretur, ad quod vitandum Clemens in præsenti, ut ipse fatetur, statuit, ne Capitulum absque consensu Episcopi, aut Episcopus absque consensu Capituli interdictum apponere audeant.

9. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam licèt potestas ferendi censuram interdicti spectet ad jurisdictionem contentiosam, tamen cùm ex ejus usu, seu potiùs abusu scandalum in populo frequenter oriretur, rectè potuit Ecclesia statuere, ut nec Capitulum in casibus, in quibus jurisdictionem ordinariam exercet, interdictum in Ecclesia Cathedrali apponere possit absque consensu Episcopi; & similiter Episcopus absque assensu Capituli, *dict. cap.* 1. *de excess. Prælat.* Et licèt jam hodie consuetudine huic juris dispositioni derogatum esse dicat Gibalinus *ubi suprà*, adhuc tamen in aliquibus Ecclesiis observatum video, ut irrequisito Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, nec Episcopus, vel alius judex ordinarius interdicti sententiam, vel cessationis à divinis apponere possit. Nec obstat difficultatis augmentum deductum ex variis juris locis, ubi refertur, tam Episcopum, quàm Capitulum interdicti sententiam protulisse: nam supponendum est, in eisdem casibus alterius etiam consensum, videlicet Episcopi, vel Capituli præcessisse.

10. *Exponitur cap. cum inter 5. de consuet. cum aliis.*

Adhuc suprà traditæ assertioni opponi potest textus *in cap. cum inter 5. de consuet.* in illis verbis: *Super eo, quod dicti Canonici generale interdictum ab Episcopo vestro, vel à vobis, id est, (à Decano & Capitulo) in civitate Cenomanensi positum non servabant.* Ex quibus verbis duplex nascitur difficultas. Prima ex eo, quod nulla mentio fit consensus Capituli in primo casu interdicti ab Episcopo promulgati; & tamen interdictum, ut validè & justè appositum, jubetur à Pontifice observari. Igitur quia consensus Capituli necessarius non est. Secunda nascitur ex eo, quod ibi supponitur, Capitulum per se posse interdicti sententiam promulgare, cùm regulariter verum sit, Capitulum ratione propriæ jurisdictionis non posse censuras proferre. Primæ difficultati facilè respondetur supponendo, *in dicto cap. cùm inter*, utroque in casu ritè interdictum appositum fuisse, id est, cum consensu Episcopi, vel Capituli, juxta casus diversitatem. Secundæ difficultati respondet Suarez *de censur. disput. 36. sect. 1. a num. 5.* asserendo regulariter Capitulum jure ordinario non habere potestatem ferendi censuram interdicti, vel similes: ex consuetudine verò, vel privilegio nonnunquam competere Capitulo similem facultatem, *dicto cap. si Canonici, cap. quamvis, de offic. ordin. lib. 6.* ut de Capitulo Cenomanensi in eo textu docetur, & de Capitulo Carnotensi traditur *in cap. ex parte, el 1. de v. s.* junctis traditis pro ejus illustratione à Chopino *lib. 1. sacr. pol. tit. 2. num. 4.* & de Capitulo Altisiod. supponitur *in cap. dilecti 55. de appellat.* ubi notavi. Cùm ergo *in dicto cap. 5.* & aliis juris locis referatur, Capitulum vivente Episcopo interdicti sententiam apposuisse, supponendum est, hanc facultatem proferendi censuras, privilegio, aut consuetudine acquisisse, quia aliàs Capitulum tantùm Sede vacante potest ex jurisdictione ordinaria interdictum, vel similes censuras apponere.

CAPVT III.

Innocent. III. *Siffredo* (a) *Augusten. Præposito.*

EX ore sedentis in throno procedebat gladius bis acutus: hic est gladius (b) Salomonis, qui secat utrinque, reddens unicuique quod suum est. Nos ergo, qui (licèt immeriti) locum veri Salomonis divina dignatione tenemus, gladium istum tunc prudenter exerimus, cùm quæstiones in auditorio nostro legitimè ventilatas mediante justitia diffinimus. Ad hoc enim emergentium quæstionum perplexitas, & difficiles nodi causarum ad Sedem Apostolicam referuntur, ut cùm earum merita fuerint assertione partium patefacta, procedat ab Ap. Sede sententia deducens in certitudinem dubia, & obscura producens in lucem: ut litigantium dissensione sopitâ, suum justitia tueatur, & sequatur auctorem. Inde siquidem fuit, quod accedentibus ad præsentiam nostram te, ac dilecto filio nostro B. Augusten. Canonico, pro quæstione, quæ inter vos super Præpositura Augusten. Ecclesiæ vertebatur, nos venerab. fratrem nostrum Octav. Hostiens. Episcopum, & dilectum filium Grat. Sanctorum Cosmæ & Damiani Diacon. Card. vobis concessimus auditores: in quorum præsentia fuit ex prædicti B. parte propositum, quod cùm dilectus filius (c) E. de Augusten. Præposito fuisset in Episcopum [d] Brixien. electus, rogavit Capitulum Augusten. ne aliquem sibi priùs eligerent in Præpositum, quàm ejus esset electio (e) confirmata. Cumque ipsi ejus precibus annuissent, & idem electus electionis confirmatione per suum Metropolitanum obtentâ, veniens Tybur. fuisset de regalibus investitus, B. miles pater ipsius B. ad Apostolicam Sedem accedens, à bonæ memoriæ Cœlestino Papa prædecessore nostro ad dilectos filios Decanum, & Capitulum August. litteras obtinuit destinari, ut dictum B. filium ejus infra spatium mensis unius, sublato appellationis obstaculo eligerent, & assumerent in Præpositum Augusten. in signum investituræ (f) annulo ei aureo destinato: veneralibus fratribus nostris N. (g) Frisingen. & (h) Eisteten. Episcopis, & dilecto filio N. majori (i) Spiren. Præposito mandato Apostolici executoribus constitutis. Decanus autem, & Capitulum memorati, [illegible] dissent, quod dictus electus fuisset in Episcopum confirmatus, licèt dictas litteras

litteras susceperint, in contemptum tamen earum assignato prius termino, infra quem ipsi deberent super mandato Ap. respondere, H. tunc Augusten. Decanum in Præpositum elegere. Sed ne ejus confirmaretur electio, idem B. ad Ap. Sedis audientiam appellavit: & licèt super hoc postmodum à Sede Ap. prædicto H. litteræ variæ, ac multiplices emanaverint, in quibus ei videbatur imponi silentium; id tamen tenere non debuit, quoniam absens, & irrequisitus non potuit (k) condemnari: & ipse nihilominus postmodum dicto H. super Præpositura ipsa, quod per testes probavit, quantum potuit contradixit: litteras etiam Ap. impetravit, per quas nullis litteris obstantibus, in possessionem Præposituræ mandabatur induci. Unde cùm eo viam universæ carnis ingresso Decanus, & Capitulum Augusten. vellent in Præpositi electionem procedere, ne id fieret, ad Sedem Apostolicam appellavit: sed ipsi appellationi minimè deferentes, exclusis quibusdam Canonicis, quibusdam etiam non vocatis, te sibi in Præpositum elegerunt: quare tuam electionem non ab omnibus Canonicis concorditer factam, sed post appellationem ad nos interpositam (l) attentatam cassari petebat, & se in Præpositum confirmari: cùm à dicto prædecessore nostro de Præpositura, quod per annulum sibi transmissum ab ipso probare volebat, fuisset primitùs investitus. Adhæc ex parte tua fili Præposite, taliter est responsum, quod id, quod de B. factum fuerat antequam prædecessor noster præfati E. electionem ratam haberet, fuisset obtentum, quod etiam fuit testibus comprobatum: sed etsi dicto electo in Episcopum confirmato prædictæ litteræ à Sede Apostolica emanassent, nullum tamen jus per hoc ei fuerat acquisitum, cùm nec de Præpositura investitus fuisset, nec judices pro eo fuissent mandatum Ap. executi. Hoc autem ex ipsarum litterarum tenore probasti, in quibus continebatur expressè, quod Decanus, & Capitulum Augusten. ipsum eligerent, & assumerent in Præpositum infra mensem, & quod pro recipienda investitura annulus ei mitteretur. Nam si fuisset per Sedem Apostolicam investitus, locum postmodum electio Capituli, & investitura executorum nullatenus habuissent. Adjecisti etiam quod cùm dictus H. ad Sedem postmodum Apostolicam accessisset, & dicto prædecessori nostro electionis suæ modum, & causam contradictionis ejusdem B. exposuisset ad plenum, dictus prædecessor noster, non obstante investitura ipsi B. facta, electionem confirmavit ipsius, asserens se per falsam suggestionem fuisse in eo, quod pro ipso B. scripserat, circumventum; cùm quod esset infra sacros ordines constitutus, ei non fuisset expressum; immò potiùs, quod idoneus esset, hi qui pro eo petebant, ipsi suggerere curavissent. Et licèt pro ipso B. dictis Frisingen. & Eisten. Episcopis, & Majori Spiren. Præposito litteræ fuerint præsentatæ, in quibus eis in virtute obedientiæ mandabatur, ut ipsum in possessionem Præposituræ inducerent corporalem, nullis litteris obstantibus antè vel pòst à Sede Apostolica impetratis; dictus tamen prædecessor noster eas nullatenus de conscientia sua emanasse rescripsit, & ipsas decernens vacuas, & inanes, si quid auctoritate ipsarum factum fuerat, irritavit: mandans eisdem judicibus, ut eum, qui easdem litteras impetrarat, sub fideli custodia detinerent, donec ab ipso reciperent in mandatis, qualiter saper hoc procedere debuissent. Fuit præterea prædictis objectum, quòd etsi prædictum B constaret, quod omninò falsum erat, fuisse per Sedem Apostolicam investitum, & investituram ejus minimè revocatam; quia tamen dicto H. reverentiam Præposito debitam, quod probasti per testes, exhibuit, & stipendium (sicut cæteri Canonici) percepit ab eo, renunciaverat juri suo, nec super hoc erat de cætero audiendus, Cæterùm dicto H. naturæ debitum exsolvente, cùm Decanus, & Capitulum de consilio venerabilis fratris nostri Episcopi Augusten. primò sex hebdomadarum, ac secundò aliarum sex, & deinde trium dierum spatium electioni de Præposito celebrandæ, ut absentes Canonici ad electionem concurrerent, statuissent, & eis postmodùm convenientibus, fuisset de electione tractatum: idem B. non antea contradixit, quàm ab electione tam se, quàm alios in minoribus ordinibus cònstitutos cognovit excludi. Sanè cùm Decanus perscrutaturus omnium voluntates, dilecti filii Walterti Augusten. Canonici super electione ipsa requisisset assensum, ipse quod eis præsentibus, qui erant infra sacros ordines constituti, suam non exprimeret intentionem, respondit: cùm ipsi secundum statuta canonica nec eligi possent, nec juxta Ecclesiæ consuetudinem in electione vocem aliquam obtinere: unde cum Capitulum communiter statuisset, eos ad electionem nullatenus admittendos, dictus B. eidem Decano, Ulrico Archidiacono, & Erman. Cano-

nico convitia inferens, ad Sedem Apostolicam appellavit, ipsis, ut ad nos accederent, per appellationem indicens. Et licèt ipse cum quibusdam Canonicis suis de Capitulo recessisset, decem tamen alii numero plures, & dignitate majores, cùm decem & novem tantùm, qui jus in electione habebant, ad hoc convenissent, attendentes quòd ejus non intererat appellare, cui nihil juris fuerat in Præpositura acquisitum, te undecimum, salvâ Sedis Ap. gratiâ, ne videlicet in contemptum Apostolicum aliquid committere viderentur, in Præpositum elegerunt. Cùm igitur ex prædictis constaret, eum nec investitum fuisse per Sedem Apostolicam, nec à Capitulo, vel judicibus delegatis electum fuisse in Præpositum, vel assumptum; & si id etiam constitisset, & sufficienter esset ex parte tua probatum, investituram illam, si qua fuerat, fuisse per dictum prædecessorem nostrum postmodùm revocatam; & si hæc etiam probata non essent sufficienter, esset per testes ostensum eum dicto H. reverentiam impendisse; nec esset contrarium, quod fuerat ex adverso probatum, eum prædicto H. semper contradixisse, cùm verbis contradicere potuisset, & operibus consentire; præsertim cùm etsi testes generaliter dixerint, quod dictus B. semper contradixit, generalitas tamen illa debeat ad competentes horas restringi, ne convincantur falsum dixisse, si generalius intelligatur quod dixerant; & ex his omnibus sequeretur, quod sua non intererat propter hoc ad Sedem Apostolicam appellare: concludebas, quod nihil eorum, quæ facta fuerant obesset, quominus tua deberet electio confirmari. Cùm ergò dicti Cardd. hæc & alia quæcunque fuerant hinc inde proposita, nobis & fratribus nostris fideliter retulissent, attestationibus, allegationibus, & rationibus utriusque partis plenius auditis, & cognitis; quia legitimè constitit quod præfatus B. de Præpositura ipsa non fuit aliquatenus investitus, etsi mandatum fuerit, ut de eâ investiretur, de quâ etiamsi investitus fuisset, investitura ejus per prædecessorem nostrum semel, & secundò cassata fuit, ratione cassata: quæ si nec etiam cassata fuisset, per hoc quòd sæpedicto H. reverentiam exhibuit, quæ debetur Præposito, juri suo renunciasse videtur. Nos attendentes sibi non potuisse de jure competere, ut per appellationem ob id interpositam, communem ordinationem Ecclesiæ impediret: intelligentes etiam te à majori parte, tam dignitate, quàm numero eorum, quos jus eligendi constabat habere, electum fuisse canonicè in Præpositum, de communi fratrum consilio electionem tuam auctoritate Apostolica confirmamus, præfato B. super ipsa Præpositura silentium imponentes. Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum, &c. ut suprà.

NOTÆ.

1. (a) *Augusten.*) Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. unic.* & in ipsis epistolis correctis à Cardinale Sirleto *fol.* 129. ex quo codice ita textum restituo: sed cùm plures sint civitates Episcopales hujus nominis in diversis provinciis, ut Augusta Rauracorum, in Bizuntina: Augusta Suessionum, in Rhemensi; Augusta Taurinorum, in Alpibus Cottiis; Augusta Trevirorum in provincia Trevirensi; Augusta Vindelicorum, in Rethia secunda; & tantùm in præsenti legatur *Augustensi*, anceps redditur epigraphe, de qua Ecclesia accipienda sit: & licèt in hac diffusa epistola non exprimatur, tamen ex aliis Ecclesiis, quarum mentio in ea fit, & quarum Prælatis prælentis litis cognitio delegata fuit, deducitur, in præsenti agi de urbe Augusta Trevirorum in provincia Trevirensi Germaniæ; ubi extat hæc civitas, quæ Galliæ Metropolis appellatur à Theodoreto *lib. 2. hist. Eccles. cap. 15.*

(b) *Gladii Salomonis.*) Hujus facti historiam retuli *in cap. 2. de præsumpt.*

(c) *E.*) Everardus videlicet à Truchtissen, qui deinde fuit in Archiepiscopum Salisburgensem electus.

(d) *Brixiensi.*) De qua Ecclesia egi *in cap. 5. de procurat.*

(e) *Electio confirmata.*) Sed frustra id petebat, cùm beneficia non vacent per adeptionem Episcopatus, nisi electio confirmata fuerit, ut probavi in *cap. cùm in cunctis, §... de elect.*

(f) *Annulo.*) De investitura quæ fit per annulum, egimus *in capite proposuit., de concess. prabend.*

(g) *Frisingen.*) Alberto videlicet, 24. Præsuli Ecclesiæ Frisingen. ut refert Bucelinus *tom. 1. German. sacr. fol. 47. in serie Præsul. Frisingen.*

(h) *Eistetten.*) Herdovico videlicet, Comiti à Sulzbachi, Præsuli 27. Ecclesiæ Eistetensis, ut refert Bucelinus *tom. 1. Germania sacra, folio 15. in serie Præsulum Eistetten.*

(i) *Spirensi.*) Spirensis etiam Ecclesia est in Germania, quorum Præsulum seriem refert Bucelinus *tom. 1. German. fol. 8.*

(k) *Condemnari.*) Iuxta tradita *in cap. 1. de causa posses.*

(l) *Attentatam.*) Iuxta adducta *in cap. 1. de appel.*

CAPUT

CAPVT IV.

Idem *V. Archiepiscopo & Capitulo* (a) *Rothomagensi.*

EX parte tua, frater Archiepiscope, Apostolicis auribus fuit intimatum, quod ad restaurandam fabricam Rothomagensis Ecclesiæ tractatum communiter habuistis, te, frater Archiepiscope, postulante, ut quilibet Canonicorum tecum pariter aliquam suorum redituum portionem operi tam pio, & necessario deputarent. Quia verò super hoc diversæ fuerunt inter vos, fili Canonici, & variæ voluntates, ne tam laudabile opus ex vestra dissidentia negligatur, auctoritate præsentium duximus statuendum, ut si qui vestrum ipsius Archiepiscopi, & majoris, & sanioris partis Capituli futuris super hoc constitutionibus duxerint resistendum, obtineat sententia plurimorum. Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud S. Petrum v. idus Junii, Pont. nostri anno primo.

NOTÆ.

(a) *Rothomagensi.*] Ita etiam legitur *in cap. unic. hoc tit. in 4. collect.* & in epistolis ediis à Sirleto, *fol.* 115. ex quo codicem restituo litteram hujus textus. Præsens decisio missa est Theobaldo Præsuli 33. Ecclesiæ Rothomag. ut refert Chenu in serie Præsulum ipsius Ecclesiæ, *fol.* 82. De ipsa Ecclesia Rothomag. nonnulla notavi *in cap. 24. de rescript.*

COMMENTARIUM.

CUm certum sit, Capitulum Ecclesiæ posse statuta facere pro ejus regimine; ut probavi *in cap. 2. cap. cùm accessissent, de constit.* poterit etiam quoad reparationem Ecclesiæ, quæ putaverit necessaria, statuere, *cap. tua nobis, de verb. sign. cap. si propter, de rescript. lib. 6.* docet Chopinus *de sacra pol. lib. 1. tit. final. num. 14.* Et licèt in præsenti statuto, ut singuli videlicet penderent aliquid pro reparatione Ecclesiæ, seu fabricæ, videretur agi negotium, quod ad Canonicos tanquam ad singulos spectabat; tamen quia nota erat justitia majoris partis, & agebatur de re valde pia, ideò docetur, factum à majori parte cum Archiepiscopo, exequi debere, ex traditis *in cap. 1. hoc tit.* quod speciale est in hoc casu; aliàs enim regulariter verum est, id quod privatim omnes tangit, ab omnibus esse approbandum, atque ideò potiorem tunc esse conditionem prohibentis, *cap. quod omnes 29. cap. in rē communem 56. de reg. jur. lib. 6. cap. ad hæc 7. in fine, de offic. Archid. l. ult. C. de auctorit. præstand.* prosequitur Garanna *in cap. 1. hoc tit.*

TITVLVS XII.

Vt ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.

CAPVT I.

Innocentius III. (a) *Mediolanensi Archiepiscopo.*

VT nostrum prodeat de Dei vultu judicium, & oculi nostri videant æquitatem, viâ regiâ debemus incedere, nec ad sinistram omnino, neque ad dexteram declinare; ita magnum judicantes ut parvum, quia non est personarum acceptio apud Deum. *Et infrà:* Quia post interdictum nostrum eis præsumpsisti tradere bullam, cùm traditionem saltem debuisses differre donec nostrum consuleres beneplacitum, dil. f. I. Archid. & O. Lento Canonico Mediolan. dedimus in mandatis, ut si etiam post secundum mandatum, propter quod totius cognitionem negotii ad nostrum judicium revocavimus, id ipsum cognoscerent attentatum, traditionem sigilli decernerent irritam, & inanem, inhibentes H. ne quomodolibet

dolibet eo uti præsumeret, cùm plus sit Romanum Pontificem ad se aliquod evocare negotium, quàm quemquam ad eum super aliquo negotio provocare. *Et infrà*; Præterea proponebat, quod cùm nullus debeat sine accusatione (b) damnari, nec aliquid circa negotium illud actum sit in forma judicii, depositiones testium non poterant sibi præjudicium generare. Quia verò per hanc ultimam allegationem, personam nostram tangere videbatur, dignum duximus causam commissæ inquisitionis, & ordinem plenius explicare, ne quis quomodolibet suspicetur, quod nos in hoc negotio perperam processerimus, præsertim cùm ratio assignanda debeat esse posteris profutura. Cùm enim juris sit explorati, quod actore non probante is, qui convenitur, etsi nihil præstiterit, debet absolvi, videri poterat, quod nos tibi, qui à nobis conveniebaris, malitiosè, vel indiscretè onus probationis super tribus præmissis articulis imposuimus, videlicet, ut ostenderes, quod prædictam Cancellariam personæ idoneæ modo canonico, & tempore sibi competente donasses. Porrò, cùm donatio fuisset occulta, & ideo suspicione non careret; & elapso jam anno, nullus omnino (c) Cancellarius appareret, non immeritò credebamus, quod secundùm Lateran. statuta Concilii, ad nos esset ipsius Cancellariæ donatio (d) devoluta, & ideo sine culpa potuissemus ipsam conferre, quoniam etsi locum Dei tenemus in terris, non tamen de occultis possumus divinare. Quod ergo contra illud primâ facie justè præsumebatur pro nobis, præsertim cùm respondeas primâ vice, quod Cancellariam alicui non contuleras, facultatem tibi pro te probandi concessimus, non fuit gravamen, sed gratia, nec ex malitia, sed ex benignitate processit: quia etiam de modo canonico fidem nobis fieri mandavimus, tu causam præstiti mandati, quod sæpe nobis per litteras intimasti, & tandem probasti per testes, quod retentis tibi proventibus officium concesseras memoratum, ex quo non immeritò contra talem concessionem fuimus suspicati, cùm & proponeretur à parte altera, quod illud ei personæ commiseras, cui secundùm consuetudinem Mediol. Ecclesiæ non debuerat aliquo modo committi: quia, cùm nos non tam ex plenitudine potestatis, quàm ex officii debito, quod possumus & debemus, de subditorum excessibus ad correctionem inquirere veritatem, te maximè causam, & occasionem præstante, inquisitionem commisimus faciendam. Omnibus ergo diligenter auditis, quæcunque fuerint in nostro auditorio proponenda, deliberavimus cum fratribus nostris, & ipsa deliberatione te in tribus præcipuè comperimus fuisse culpabilem: circa contrarietatem responsi, quia non solùm nobis, qui (licèt immeriti) locum Jesu Christi tenemus, sed nec cuiquam debuisses ex certâ conscientiâ contraria respondere: circa (e) carnalitatem animi, quia non affectu carnali, sed discreto judicio debuisti ecclesiasticum officium & beneficium in persona magis idonea dispensare: & circa inhonestatem facti, quia non licuit ex pactione, vel ex conventione quacunque sub modo, vel tenore præscripto concedere nudum officium, & tibi retinere proventus: cùm & in Lateran. Concilio sit prohibitum, ne quis conferendo ecclesiasticum beneficium, patrem proventuum suis usibus retinere præsumat; & alibi cautum reperiatur in (f) canone, quod ecclesiastica beneficia debent sine diminutione conferri; unde credimus (g) distinguendum, utrum qui dat spirituale beneficium, proventus ipsius ante donationem percipiat; nam si proventus ante donationem non percipit ipse, sed alius, & ex donatione consequitur, ut ipse proventus percipiat, non est dubium intercedere simoniacam pravitatem. Si verò ante donationem perceperit ipse proventus, credimus etiam distinguendum, utrum ante donationem constituat, ut ipsi proventus retineantur ad tempus pro causa justa, & necessaria; an conveniat cum eo, qui accepit beneficium, seu cum mediatore quocunque, ut officio illo cesso, retineat ipse sibi proventus: primum enim membrum credimus esse licitum, secundum autem dicimus non licere, ne viam aperiamus iis, qui pravitatem suam satagunt palliare.

NOTÆ.

(a) *Mediolanensi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. unico*; integram tamen ejus dedi *in cap. ut nostrum*; *de offic. Archid.*

(b) *Damnari.*) Ut dicemus *in cap. 1 infrà de accusat.*

(c) *Cancellarius.*] Cancellarii officium & dignitatem illustravimus *in cap. Ecclesia*, *de elect.*

(d) *Donatio devoluta.*] Juxta adducta *in cap. dilecti, de suppl. neglig.*

(e) *Circa carnalitatem.*] Ex his verbis aliqui deducunt, non licere Ecclesiæ Prælatis beneficia

cia conferre propriis consanguineis, qui etiam pro ea sententia adducunt principium textus *in cap. 1. de prabend.* & textum *in cap. nemo 14. de simonia*: sed verius est, quod si beneficia idoneis conferantur, licet dentur consanguineis; nihil contra disciplinam sacrorum canonum admitti, ut probant Flaminius Parisius *de resign. benef. lib. 9. q. 17. num. 123.* Lara *de capel. cap. 2. numer. 3.* Caballos *commun. opin. q. 275.* Molanus *lib. de piis testamentis, cap. 3.* Binsfeldius *in cap. 12. de simonia, q. 23. conclus. 3.* Gutierrez *lib. 2. quæstionum canonic. cap. 23. num. 62.* Victoria *in relectione de simonia, parte 1. num. 28.* fusè rem hanc pertractans, & more solito illustrans Pater Theophilus Raynaudus *tom. 12. tractatu mala & bona Ecclesia, &c. lib. 2. sect. 1. cap. 3. per totum.* Unde patet patronus potest filium suum præsentare ad beneficium, ut docet Lambertinus *de jurepatron. lib. 2. p. 1. q. 8. num. 12.* Facit pro hac sententia exemplum Christi Domini, qui in Apostolos elegit Jacobum minorem, Simonem & Judam, *cap. 10. Matthæi, Marci cap. 3. Lucæ cap. 6.* qui fratres Domini appellari solent, *Matthæi cap. 13. vers. 55.* non quia filii essent Beati Joseph ex alia uxore, quam ante sacratissimam Virginem habuerit, ut existimarunt Epiphanius *hæresi 78.* Origenes *in Matthæum dict. cap. 13.* Eusebius *lib. 2. historiæ, cap. 1.* quos ex libris apocryphis hausisse hanc sententiam auctor est D. Hieronymus *in Matthæum cap. 12.* eamque improbat Theodoretus *in epist. Pauli ad Galatas, cap. 1. in fine*; quia verus est Beatum Josephum virginitatem omni vitæ tempore servasse, ut docent D. Hieronymus *adversus Elvidium*, Augustinus *sermone 14. de Nativitate Domini*, Baronius *in apparat. ad annales, num. 63.* sed ideò fratres Domini dicti fuerunt, quia erant consanguinei Domini, Jacobus progenitus ex Maria, *cap. 27. Matthæi, Marci cap. 15.* quæ vel erat soror Annæ aviæ Domini, ut ait Hippolytus Martyr apud Nicephorum *lib. 2. histor. cap. 3.* cui consentit Baronius *ubi proximè, num. 67.* vel erat soror, licèt non germana, Beatissimæ Virginis: unde Jacobus consobrinus Domini appellatur à D. Hieronymo *in dicto cap. 12. Matthæi*; Simon autem & Judas filii erant Mariæ uxoris Cleophæ, quam alii profitentur fuisse matrem Joseph sponsi Sanctissimæ Virginis, ut ex Jansenio *in concord. Evangelic. cap. 143.* notat Symanchas *in defensorio statuti Tolet. cap. 22.* vel ut rectiùs Baronius *in dicto apparatu, num. 67.* hæc Maria Cleophæ soror erat Sanctissimæ Virginis, non germana, ex Anna genita, sed consobrina, ex sorore, vel fratre patris vel matris. Est enim in Scriptura frequens, fratrum, aut sororum nomine consanguineos ulteriores gradus significari, ut ajunt Hieronymus, aliique supra laudati; unde deducit Simanchas, licere Episcopis beneficia ecclesiastica consanguineis etiam conferre. Nec contrarium probatur in hoc textu, qui procedit quando acceptio personarum habetur, & non cum judicii discretione, sed juxta carnalitatem beneficia conferuntur; tunc enim propter personarum acceptionem improbatur similis collatio. Nec etiam favet contrariæ sententiæ textus *in dicto cap. 1. de prabend.* quia in eo tantùm condemnatur successio in beneficiis ecclesiasticis; cùm autem Episcopus confert beneficium consanguineis, nec præsumptio successionis datur, unde meritò non improbatur. Nec tandem obstat textus *in dicto cap. nemo, de simonia*; quia in illo non agitur de beneficio ecclesiastico titulo consanguinitatis conferendo, sed de peccato eorum, qui vel pretio, vel gratia, vel consanguinitatis intuitu celant peccata aliena, ne ab Episcopo, vel ejus ministris puniantur; quo casu quomodo simonia committatur, exponit Suarez. *tom. 1. de relig. tit. de simonia, cap. 37. numer. 7.* & nos ibi latiùs dicemus: prosequitur plura Theophil. Raynaud. *tom. 17. tract. de amore cognationis temperando.*

(f) *Canone.*] Concilii Turonensis videlicet, relato *in cap. majoribus 8. de prabend.* ubi Commentarium hujus textus dedi.

(g) *Distinguendum.*] Pro hujus distinctionis expositione dicendum est, omissis Abbate, Imola, Innocent. & aliis in præsenti, ideò in priori casu Innocentium asserere simoniacam pravitatem committi, quia agit quando nulla facta fuit legitima reservatio: jam enim tunc non ex reservatione justa, sed ex conventione facta cum recipiente conceditur ut fructus percipiat Episcopus, & tunc datur simonia, quia nulla apparet reservatio facta, sed tantùm spirituale datum, & temporale receptum. Secundo casu respondet Innocentius simoniam non dari, quia ante collationem idem Episcopus percipiebat fructus; & sic licèt fiat conventio de ipsis retinendis, non committitur simonia, quia fructus ex prædictis reservationibus retinentur, quia negare non potest, solam conventionem efficere, ut illicita sit conventio propter similitudinem illiciti contractus, qui de re spirituali celebratus censetur, quod prohibitum est juxta adducta *in cap. final. de pactis*: docuit Anguianus *de legibus, lib. 4. cap. 7. numer. 40.*

TITVLVS

TITVLVS XIII.

De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non alienandis.

CAPVT I.

Ex Concilio (a) *Lugdunensi.*

NOn liceat Episcopo, nec Abbati terram unius Ecclesiæ vertere ad aliam, quamvis ambæ sint in ejus potestate: tamen si commutare voluerint terras earum, cum consensu ambarum faciant.

NOTÆ.

1. (a) *Lugdunensi.*) Textus hic ex Concilio Lugdunensi citatur à Burchardo *lib.* 3. *Decreti, cap.* 14. Ivone *p.* 3. *cap.* 79 Bernardo *in cap.* 1. *hoc tit. in* 1. *collect.* non tamen reperitur in ullo ex Conciliis Lugdunensibus hucusque editis; credo tamen transcriptum esse ex Concilio Lugdunensi 1. celebrato anno 570. sub Joanne III. ubi editi fuerunt aliquot canones, in quibus agebatur de rebus Ecclesiæ, & earum conservatione.

COMMENTARIUM.

2. *Conclusio traditur & probatur.* EX præsenti canone sequens communiter deducitur disputanda assertio: *Prædia unius Ecclesiæ non sunt ab Episcopo, vel Abbate alteri Ecclesiæ conferenda, nisi factâ permutatione de utriusque partis consensu.* Probant eam textus *in cap.* 1. & 2. *cap. tua, de his quæ fiunt à Prælat. cap.* 2. *de donat. cap.* 1. *hoc tit. in* 6. *cap. cùm venerabilis* 6. *de except. cap. ea enim*, §. *sed permutationem* 10. *q.* 2. *cap. alienationes* 37. *cap. sine exceptione* 52. 12. *q.* 2. *Authent. sed & permutare, C. de sacrosanct. Eccles.* Illustrant ultra congestos à Barbosa in præsenti Gratianus *discept. cap.* 674. *num.* 4. *&* 5. Lessius *lib.* 2. *de justitia, cap.* 24. *dub.* 11. Barbosa *de potest. Episcop. alleg.* 95. & *lib.* 3. *juris Eccles cap. penult.* Ægidius Bossius *tom.* 3. *oper. moral. tit.* 18. *per totum.* Delbene *de immunit. cap.* 17. *dubit.* 7. *per tot.* Peyrinis *tom.* 3. *in addit. ad constit. Iul. II. num.* 20. *pag.* 68. Diana *p.* 4. *tract.* 4. *resol.* 223. Hurtado *de congrua sustent. tom.* 1. *lib.* 1. *resol.* 2. *fol.* 40.

3. *Impugnatur hæc assertio.* Sed pro dubitandi ratione in hanc assertionem ita insurgo. Facultas dispensandi res Ecclesiæ; totiusque patrimonii ecclesiastici dispensatio competit Episcopo in propria diœcesi, *cap.* 1. 2. 3. 4. *&* 5. 10. *q.* 1. *cap. præcipimus* 12. *q.* 1. *cap. omnes* 16. *q.* 7. *can.* 41. *Apost.* ubi Binius, *cap. conquerente, de offic. ordin. cap. ad hæc* 4. *de relig. domibus l.* 2. *tit.* 12. *p.* 1. Trident. *sess.* 14. *de reform. cap.* 9. & *sess.* 21. *cap.* 4. *& sess.* 25. *cap.* 11. Ergo virtute illius potestatis, & dispositionis poterit Episcopus rem unius Ecclesiæ cum re alterius propriâ auctoritate permutare. Augetur primò hæc difficultas ex eo, nam Episcopus potest rem unius Ecclesiæ propriâ auctoritate alii donare, *cap. Si Episcopus unam* 73. *vers. qui etiam, cap. bonæ* 74. *vers. quisquis* 12. *q.* 2. *cap. ad audientiam, el.* 1. *de Eccles. ædific. cap. Apostolicæ* 9. *de donat. Clement.* 2. *hoc tit.* Ergò multò magis poterit rem unius cum alterius prædio commutare; quando utraque Ecclesia illi paret. Augetur secundò hæc difficultas, nam ratio finalis præsentis prohibitionis de non alienandis bonis Ecclesiæ, fuit, ut consuleretur indemnitati universalis Ecclesiæ, ut constat ex Extravaganti *ambitiosæ, hoc tit.* & docet Riccius *p.* 1. *decis.* 28. Sed universalis Ecclesia nullum detrimentum patitur ex tali alienatione; sunt namque semper ea bona dominii universalis Ecclesiæ sub dispositione Romani Pontificis; quod tamen secus contingit, quando una Ecclesia particularis alienat bona sua, & transfert in sæculares, nam tunc universalis Ecclesia magnum patitur detrimentum, cùm in eis bonis nullum habeat amplius dominium. Ergo talis casus permutationis non est comprehensus sub prohibitione alienationis rerum Ecclesiæ. Secundò contra versiculum illum, *vel Abbati*, præsentis textus, obstat quod non potest Abbas alienare res monasterii, vel simili alienationi auctoritatem præstare; sed tantùm Episcopus, ut probatur *ex cap. Abbatibus* 41. 12. *q.* 2. *cap. in venditionibus* 40. 17. *q.* 4. Ergo non rectè in præsenti docetur, etiam Abbatem posse alienare, seu permutare res proprii monasterii cum rebus alterius Ecclesiæ. Tandem in præsentem assertionem sic insurgo: Venditio, donatio, seu permutatio, quoad præsentem prohibitionem, alienationi rerum Ecclesiæ æquiparantur in jure nostro. *dict. cap. sine exceptione* 12. *q.* 2. *cap. nulli* 5. *hoc tit.* sed in venditione, & donatione rei Ecclesiæ non sufficit utriusque partis consensus, nisi præcedat præscripta à jure solennitas: ergo nec Episcopus, aut similis Prælatus, etiam accedente utriusque partis consensu, sine debita juris solennitate rem unius Ecclesiæ cum alterius re permutare potest.

Quibus

4. Tollitur ratio dubit.

Quibus difficultatibus minimè obstantibus, vera est præsens constitutio, in qua ampliatur prohibitio alienationis bonorum Ecclesiæ, de cujus origine & progressu egi *in cap. 1. de his quæ fiunt à Prælat.* quamque latiùs illustrabimus *in cap. nulli 5. hoc tit.* Ampliatio igitur in præsenti proponitur ita, ut unius Ecclesiæ res non possit Episcopus, vel Prælatus cum re alterius Ecclesiæ permutare, nisi accedente utriusque partis consensu: cujus ratio provenit ex eo, nam cùm dominium rerum cujusque Ecclesiæ, non in communi ad Ecclesiam, sed in particulari ad talem spectet, juxta textum *in cap. videntes 12. q. 1.* & ea, quæ dabimus *in cap. cùm sicut. de consecr. Eccles.* consequens est, ut Episcopus, aut similis Prælatus sine ejusdem Ecclesiæ consensu talem rem in alium transferre non possit, ex sententia legis *id quod nostrum 11. ff. de reg. jur.* junctis traditis à Petro Fabro, & Gothofredo *ibi*: quia traditione nihil aliud transfertur, quàm jus, quod ipse, qui tradit, habebat, *l. traditio 20. ff. de acquir. rer. dominio, l. nemo 120. ff. de regul. jur.* Accedit quia similis Prælatus, aut procurator intelligitur rerum Ecclesiæ, *cap. final. 12. q. 1. cap. quod autem 3. 23. q. 7.* Sarmiento *3. p. de reddit. cap. 1. num. 4.* aut defensor ipsarum, *cap. nonnullus 57. vers. unicuique 16. q. 1.* aut administrator, *cap. final. cap. videntes, cap. Episcopus 12. q. 1.* sive curator rerum Ecclesiæ: sed isti omnes res propriæ curæ, seu administrationis non possunt alienare, *vel procurator 63. ff. de procurat. l. filius 7. ff. de donat. l. servi 17. ff. de manumiss.* Igitur nec Prælatus, qui dominium non habet, poterit alienare easdem res suæ administrationi commissas. Accedit, quia permutatio celebratur cùm quis dat aliquam rem, ut alia vicissim ei tradatur, *l. naturalis 5. §. & si quidem, ff. de præscript. verbis*: cùm autem dare sit dominium transferre, *l. ubi autem 75. §. ult. ff. de verb. oblig.* nemo autem dominium transferre possit, quod non habet, *dict. l. nemo 120.* inde fit, ut quemadmodum rei alienæ permutatio inutilis est, *l. 1. vers. ideoque, ff. de rer. permut. cap. cùm venerabilis 6. de except.* inde Prælatus nisi ex consensu utriusque partis rem unius Ecclesiæ cum alterius re permutare non valet. Et si inde inferas, hac ratione retentâ nullo casu res Ecclesiæ alienari posse, siquidem nec ejus Canonici, quorum consensus hîc exigitur, domini sunt rerum ad Ecclesiam spectantium, argumento legis *sed si hac 10. §. qui manumittitur, ff. de in jus vocando, l. sicut 7. §. 1. ff. quod cujusque universal. in tantum 6. §. universitatis, ff. de ver. divis.* & Ecclesia, penes quam dominium residet, est res inanimata, atque ita consensum præstare non potest, ac per consequens permutationem rerum Ecclesiæ utiliter nunquam fieri posse. Respondeo subscriptionem Canonicorum simul cum consensu Prælati in præsenti specie sufficere, quia licèt singuli dominium rerum Ecclesiæ non habeant, tamen cuncti omnia expedire valent, quæ sunt utilia, & necessaria Ecclesiæ, argumento textus *in l. tigni 7. §. item municipes, ff. ad exhibend. l. municipibus 97. ff. de condit. & demonstr. l. 1. §. ult. juncta l. sequenti, ff. de acquir. possess. l. municipes 14. ff. ad municip.* quod utilitatis gratiâ receptum est, ut ita patrimonium Ecclesiæ rectiùs administrari possit.

§. Nec obstabit si instes, permutationem rerum Ecclesiæ, in præsenti specie sustineri posse, saltem tanquam rei alienæ, sicut sustinentur venditio, *l. rem alienam 28. ff. de contrahend. emption. l. legatum. l. cùm alienam 10. C. de legatis*; donatio, *l. si alienam 13. l. qui alienam 33. ff. de donat. caus. mort. l. si extraneus 44. ff. de donat. inter*: nec novum esse, ut dominium, quod quis non habet, in alium transferat, *l. non est novum 46. ff. de acquir. domin. l. quod nostrum 63. ff. de usufruct. l. interdum 21. ff. de acquir. possess.* & ita permutationem in præsenti valère posse. Nam in hac specie improbatur permutatio ab Episcopo absque consensu clericorum facta, quia Prælatus intendebat rem unius Ecclesiæ cum prædio alterius permutare propriâ auctoritate, tanquam sibi à jure concessa; atque ita ex defectu potestatis talis alienatio nulla est, adeò ut nec possessio justa ex ea transferatur; quia jus Pontificium similes alienationes rerum Ecclesiæ non solùm prohibuit, verùm & irritavit, ut jus cujusque Ecclesiæ illæsum servetur. Nec obstat textus *in dict. l. non est novum 46. ff. de acquir. rerum domin.* quia dum ait, novum non esse, ut quis in alium transferat dominium quod non habet, restringi debet ad speciem ibidem propositam, cùm creditor pignus vendit; tunc enim transfert dominium in emptorem, quia ex voluntate domini rem alienat, §. *contra, Instit. quibus alienare licet*, Antonius Faber *in rationali ad l. quod novum, ff. de usufruct.* Caldas *in tract. de emptione & venditione, cap. 11.* Donellus *in tract. de pignor. cap. 10.* creditor enim debitoris intelligitur procurator, *l. si pignori 29. ff. familiæ ercisc.* ideoque per debitorem impediri distractio pignoris non potest, *l. 1. & 2. C. debitorem venditionem pignoris impedire non posse*: quia semper intelligitur conventum, ut possit distrahere, modò cautum non sit, ne id liceat creditori, *l. si convenit 4. ff. de pignorat. act.* quia & eo casu, quo cautum est, ne liceat creditori pignus alienare, id permissum est, modò ea observentur quæ notantur *in d.l. si convenit*, & cumulant Donellus, & Caldas Pereyra *ubi suprà*. Nec etiam obstat textus *in d.l. quod nostrum 63. ff. de usufruct.* quia omissis solutionibus congestis à Fabro *in eius rationali*, Petro Fabro *in l. quod nostrum, de reg. jur.* Castillo *lib. 1. de usufruct. cap. 1. num. 39.* dicendum est, eam esse Pauli sententiam, ut valeat constitutio usufructus facta ab eo, qui nudæ proprietatis dominus erat: quæ sic est accipienda, ut effectum sortiri incipiat, ex quo ad proprietatem accesserit usufructus, *in l. si dominus 72. ff. de usufruct.* collatâ scilicet concessione in id tempus, quo dominus proprietatis usumfructum habebit, ut explicat Donellus *lib. 10. comment. cap. 5.* ubi Osvaldus *littera D.* ita ut quod suum non est, futurum tamen speratur, transferat. Nec tandem obstat textus *in d.l. interdum 21. ff. de acquir. possess.* cujus interpretationem præsensit Accursius *ibi, verbo Dominum*, dum docet hæredem precariam possessionem concedentem, quod ei à jure permittitur *in l. in rebus 4. §. ult. l. & habet 15. §. cum qui, ff. de precario*, transferre possessionem precariam, quam ante concessionem non habebat, sed ex ipsa concessione nanciscitur: & ita uno actu hæredem possessionem acquirere, & precariò concedere, exemplo textus *in l. singularia 15. ff. de rebus credit.*

Disso lvitur quædam instantia.

Nec

6. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

Nec obstat prima dubitandi ratio suprà adducta, cui respondendum est, quod licèt verum sit, Episcopos plenam dispensationem patrimonii Ecclesiæ olim habuisse, ut refert Baronius *tom. 3. anno* 34. adeò ut nulli alii permissum fuisset dispensare patrimonium illud, *cap. in canonibus* 57. 16. *q.* 1. tamen post divisionem bonorum Ecclesiæ, factam à sancto Simplicio, de qua *in cap. quatuor, cap. de reddit.* 12. *q.* 2. portio illa, quæ adjudicata fuit fabricæ, sub cura tantùm Episcopi est, ut eam servet, & defendat, *cap.* 2. *de donat. cap. regenda* 10. *q.* 1. non ut dissipet, aut pro libito sine causa de ea disponat, *cap. venerabili* 37. *de offic. deleg.* exemplo tutoris, qui tunc officium suum exercet, dum meliorem facit pupilli conditionem, non verò cùm deteriorem, *l. tutor* 27. *ff. de administr. tut. l. qui fundam* 9. *§. si tutor, ff. pro emptor. l. pactum* 22. *C. de pactis*; aut exemplo procuratoris, qui ita debet rem alienam gerere, ut alienando conditionem Domini non faciat deteriorem, *d. l. procurator* 63. *ff. de procurat.* Nec tunc obstabit si dicas, procuratorem, cui libera administratio commissa est, posse vendere, *l. qua ratione, l. nihil autem, ff. de acquir. rer. domin.* & permutare, *l. procurator* 58. *ff. de procurat.* tutori quoque concessum esse, ut remittat actionem pupillo competentem, *l. si pignore* 54. *§. ult. l. interdum* 56. *§. qui tutelam ff. de furtis.* Igitur & Prælato eadem facultas concedenda est. Nam respondendum est asserendo, procuratori generali alienationem ita demùm permitti, si constitutus sit cum libera administratione, secus verò si sine libera, *l.* 1. *§.* 1. *ff. de offic. procur. Cæsar.* Caldas *de emptione & vendit. cap.* 15. *num.* 2. Ampliùs desideratur in procuratore, etiam cum libera administratione, videlicet ut bona fide rem gerat, & sit domino utilis distractio; quo casu procedit textus *in dicta l. qua ratione*: aliàs si utilis non fuerit alienatio, domino non nocebit, *d. l. procurator* 63. quod etiam observatur in alienatione rerum Ecclesiæ, juxta quam distinctionem accipiendus etiam est textus *in l. procurator* 58. *ff. de procurat.* dum ait, transigere posse, & permutare procuratorem, cui res gerenda absolutè mandata est, ut procedat, dummodo transactio utilis sit domino. Eodem etiam modo exponendi sunt textus *in l. nam & 12. ff. de pactis, l. jusjurandum* 17. *§. procurator, ff. de jurejur.* Nec etiam obstat exemplum tutoris, quia licèt domini loco haberi soleat, *l. tutor* 27. *ff. de administr. tut. l. ad ea* 157. *ff. de reg. jur.* hoc tamen procedit, cùm rectè administrat, *l.* 7. *§. si tutor, ff. pro emptore*: non cùm remittit debitum, *d. l. pactum* 22. *C. de pactis.* In specie autem dictæ legis *si pignore, §. ult. d. l. interdum, §. si insulam. ff. de furtis*, non fuit facta simplex actionis remissio, sed ex causa transactionis, quæ cùm aliquo dato, retentóve fieri debeat, *l. transactio* 38. *C. de transact.* credendum est in ea specie utilem pupillo fuisse transactionem tutoris, cùm aliàs diminuendi causâ non liceat tutori transigere, *l. tutor* 22. *l. Lucius* 46. *§. ult. ff. de administr. tut.* sicut nec donare, *l.* 1. *§.* 2. Nec obstat augmentum dubitandi rationis deductum *ex dicto cap. pastoralis, de donat.* in cujus commentario solutionem dabimus. Nec obest aliud augmentum ipsius difficultatis, petitum ex ratione interdictionis alienationis rerum Ecclesiæ; quâ difficultate moti Peyrinis, Diana, & Hurtado suprà relati, existimarunt, licere Abbati, vel Prælato duarum Ecclesiarum rem unius cum alterius re commutare propriâ auctoritate. Sed eâ sententiâ omissâ, respondendum est, rationem illam hujus prohibitionis, ne res Ecclesiæ prophanis usibus applicentur, non esse finalem, sed impulsivam, aliamque rationem concurrere, videlicet quia expedit unamquamque Ecclesiam dotem suam habere, & conservare; & cùm per venditionem, permutationem, aut similem contractum, etiam inter Ecclesias celebratum, vera alienatio sequatur, atque evenire possit, ut bona unius Ecclesiæ adeò minuantur, ut non sufficiant pro ipsius dote, & congrua ministrorum sustentatione; ideò oportuit etiam inter ipsas Ecclesias alienationem prohiberi, absque juris solemnitatibus factam, quæ ratio si deficeret, alienatio procederet, cùm sic res inter easdem personas, inter quas prohibitio militat, conservetur, ut contingit in alienatione feudi, quæ non prohibetur inter easdem personas, agnatos videlicet, & similes conjunctos, renuntiando, aut refutando feudum in proximiorem, *cap.* 1. *§. sed etiam, de alienat. feud. in usib. feudor.* docet Molina *lib.* 1. *de primog. cap.* 16. *num.* 45. & *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 22. Similiter adjecta in testamento alienandi prohibitio extra familiam, non reddit alienationem nullam factam in sororem legatarii, *vel voluntas* 4. *C. de fideicom. l. final. C. de verb. signif.* & si alienatio prohibeatur in favorem libertorum, sustinetur alienatio facta inter ipsos libertos, *l. pater* 38. *§. quindecim, ff. de legat.* 3. Cùm enim in iis, & similibus casibus cesset finalis causa prohibitionis, alienatio celebrata sustinetur. Similiter etiam licèt SC. de quo *in l. Senatus* 43. *ff. de legat.* 1. juncto Cujacio *lib.* 5. *observ. cap.* 16. prohibitum esset res ædibus injunctas distrahere, aut columnas, seu marmora legare, ne aspectus urbis ruinis deformaretur, *l. Marcellus* 45 *ff. de donat. l.* 2. *C. de ædific. privat.* tamen de civitate una in aliam, vel de domo in domum transferre non erat prohibitum, quoniam utrobique ratio deformitatis cessat, *d. l.* 2. *& 6. C. de ædific. privat.* Huc etiam spectat, quod de transactione ab oppidis, de pascuis, & jure pascendi facta docet Otero *de pascuis, cap.* 11. *num.* 38. quæ valet si fiat inter duo oppida eidem Principi, aut Domino subjecta; nec requiritur eo casu Regia facultas, quia licèt transactio alienationis nomine comprehendatur, *cap. cùm tempore, de arbitr.* tamen ex quo manent pascua, & termini sub ejusdem Principis dominio, ejus licentia non desideratur, dummodo transactio non omnino cedat in favorem unius oppidi, & alterius magnum præjudicium.

7. *Dissolvuntur aliæ difficultates.*

Nec obstat alia difficultas, quam expendebamus contra illa verba: *Vel Abbate*; quia respondetur, ea verba esse intelligenda juxta communem sententiam Abbatis, & Beroi *hîc*, Covar. *lib.* 1. *var. cap.* 1. *num.* 9. Redoani *in rubric.* 30. *de rebus Eccles. cap.* 1. *num.* 64. Flores à Mena *lib.* 1. *var. cap.* 14. *num* 7. de Abbate exempto, jurisdictionemque quasi Episcopalem exercente, qui potest in proprio monasterio alienationi auctoritatem dare absque eo, quod consensus expectetur Episcopi, *cap. ad nostram, infrà hoc tit.* ubi sustinetur alienatio facta ab Abbate, quia exemptus erat; quamvis

Covar.

Covar. *ubi proximè*, existimet in eo textu alienationem ab initio nullam fuisse; sed non rectè, cùm in ea specie necesse fuerit, à monasterio probari læsionem; ut alienatio rescinderetur; quod præsupponit validitatem actus, argumento textus *in l. nam etsi, ff. de injusto rupto, §. rursus, Instit. de actionibus.* Quod autem de Abbate exempto in præsenti textu agatur, probant illa verba, *Episcopo, vel Abbate*; quia alternativæ dictionis ea virtus est, ut pars una aliam declaret, *l. 1. ff. de rebus dubiis*; & ita constat; non de Abbate ordinario, sed de eo, qui Episcopo similis est, in hoc textu agi; ex eo enim, quod Abbas in præstanda auctoritate Episcopo comparatur, ut rectè æquipatatio procedat, intelligi necessariò debet de Abbate exempto habente jurisdictionem quasi Episcopalem, argumento textus *in cap. in his 15. de verb. sign. cap. tua 7. de consanguin. & affin.* Abbates ergo & cæteri Prælati exempti, possunt auctoritatem præstare alienationi rerum monasterii: & licèt olim Episcopi administrationem haberent rerum monasteriorum, *cap. Abbates 16. cap. monasteria 18 q. 2.* tamen ex quo exempta fuerunt monasteria à jurisdictione Episcoporum, & lege diœcesana per B. Gregorium, & ejus successores, ut probavi *in cap. grave, de officio ordin.* non expectatur Episcopi assensus in alienatione ipsarum rerum, ut latiùs prosequentes solennitatem novis constitutionibus in alienationibus à Regularibus faciendis præscriptam, docent Peyrinis, & Thomas Hurtado *ubi suprà.* Nec obstat ultima difficultas; nam respondeo, verum esse, permutationem rei ecclesiasticæ eandem solennitatem exigere, quam in aliis alienationibus sacri canones præscripserunt, juribus suprà pro illustratione conclusionis adductis. Nec contrarium docetur in hoc textu, quia licèt ex eo Abbas, quem sequitur Avendanno *de exequend. lib. 1. cap. 4. num. 36.* indistinctè docuerit, in permutatione ultra Ecclesiarum consensum non esse necessariam aliam solennitatem; contrarium tamen verius est, quia licèt permutatio justam alienationis causam præbeat, tamen quia facilè evenire poterat, ut in simili alienatione fraus interveniret, si res exigui valoris pro alia magni momenti permutaretur, ideo causæ cognitio præcedere debet; ejus tamen non meminerunt Patres in præsenti textu, non quia eam neglexissent, sed quia de consensu tantùm Prælati agebant: quare solennitatem illam supposuerunt, potiùs quàm respuerunt.

Superiori assertioni obstat textus *in cap. cùm venerabilis 6. vers. porrò, de except.* ex quo deducitur, Episcopum posse pro arbitrio de prædiis, molendinis, & aliis rebus pertinentibus ad Ecclesiam sibi subjectam disponere. Igitur quia potest liberè rem unius Ecclesiæ permutare propriâ auctoritate cum re alterius. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, in eo versiculo non referri decisionem Pontificis, sed tantùm partis narrationem. Et si adhuc ea verba Pontificis essent, dicendum est, multùm interesse, an Prælatus disponat de re Ecclesiæ, quæ sub ejus potestate est, tanquam Prælati, sed immediatè ab illis ministris regitur, & eorum sustentationi destinata est, qui casus proprius est præsentis textus; an verò disponat Prælatus de rebus Ecclesiæ, quæ quoad spiritualia, & temporalia ipsi qui tantùm paret: in primo casu alienatio nulla est, cùm sit facta de re aliena, inconsultis his, de quorum præjudicio agitur; in secundo verò, qui proponitur *in dicto cap. cùm venerabilis*, alienatio sustinetur, quasi facta ab eo, cujus immediatè interesse vertitur; & tunc verum est, aliorum consensum non desiderari. 8. *Exponitur cap. 6. de except.*

CAPVT II

(a) *Ex eodem.*

QUi res Ecclesiæ petunt à Regibus, & horrendæ cupiditatis impulsu egentium substantiam (b) rapiunt, irrita (c) habeantur quæ obtinent, & à communione (d) Ecclesiæ (cujus facultatem auferre cupiunt) excludantur.

NOTÆ.

1. (a) *Eodem.*] Lugdunensi 4. videlicet, *can.* 11. ex quo citant textum hunc Burchardus *lib. 15. Decreti, cap. 36.* Carnot. 1. *p. Decret. cap. 37.* Bernardus Papien. *in 1. collect. sub hoc tit cap. 2.* Sed cùm canones ipsius Concilii non extent in tomis Conciliorum; non reperitur in illo Concilio præsens textus; extat tamen in Concilio Arvernensi sub Theodoberto, *can.* 4. ubi in principio malè legitur, *qui reculam*, pro *qui res:* eriam extat in Concilio Meldensi, *can* 40. quem refert Antonius Augustinus *in epit. jur. lib. 15. tit.* 32. & eadem verba tanquam Symmachi Papæ allegabantur in capitibus villæ Sparnacii, *cap. 42.* Tam in Concilio Arvernensi, quàm Meldensi statuitur, rerum ecclesiasticarum interdictam esse Regibus dispensationem: occasionem autem illi constitutioni præbuit Theodoricus Galliæ Rex, qui bona Ecclesiarum, pauperumque tyrannica præsumptione dilapidaverat. In ejus locum suffectus Theodobertus, regni potiùs, quàm paternæ perfidiæ successor, veterem libertatem Ecclesiis restitui curavit, auctoritatem præstans, ut Ecclesiæ Patres in eos animadverterent, & pœnas statuerent, qui bona Ecclesiarum à Regibus impetrarent: quâ de causâ celebratum fuisse Concilium Atvernense, testantur Gregorius Turonensis *lib. 3. de gestis Francorum, cap. 34.* Baronius *anno 541. num. 38.* Severinus Binius *in notis ad illud Concilium, tom. 2. p. 2.* & licèt hæc constitutio, ut facta in Concilio provinciali, generaliter universalem Ecclesiam non obligaret, ut procedit in Synodis provincialibus, *cap. catholica 8. 11. dist. cap. Concilia 6. 17. dist.* junctis traditis à Patre Salas *de legibus disput. 8.* Joanne Dartis *in 15. dist.* tamen cùm præsens constitutio auctoritate Gregorii IX. in hoc Decretalium volumine transcripta sit, vim generalis constitutionis obtinet virtute Pontificiæ approbationis,

nis, juxtà tradita in noſtro apparatu. Præſens ergo prohibitio generalis eſt, complectens omnes impetrantes bona Eccleſiæ, à quocunque Principe ſæculari: tum quia conſtitutio ut generalis manet, & *in cap. quicunque* 4. 12. *q.* 2. & *in cap. in canonibus* 57. 16. *q.* 1. generaliter ita cavetur, *A quocunque Rege, ſeu ſæculari Principe:* tum quia ratio conſtitutionis expreſſa *in cap. final. hoc tit.* quia videlicet laicis Principibus nulla eſt attributa poteſtas diſponendi de rebus Eccleſiæ, generalis eſt. Nec obſtat quod cauſa præſentis conſtitutionis temporalis fuit, videlicet invaſio Theodorici; atque ita eâ ceſſante, & prohibitio ceſſare videtur, *cap. cùm ceſſante, de appel.* Quia dicendum eſt, invaſionem tyrannicam Theodorici, cauſam præbuiſſe ut Patres Eccleſiæ in urbe Arvernenſi congregarentur, ut reſtituerent priſtinam immunitatem; at verò ipſa reſtitutio libertatis Eccleſiæ fuit præcipua, & finalis hujus conſtitutionis, quæ cùm ubique vigeat, omnes ſæculares Principes comprehendit.

2. (b) *Subſtantiam.*] Inde bona Eccleſiæ dicuntur bona pauperum, *cap. quia juxta* 59. *cap. decima* 66. 16. *q.* 1. *cap. futuram*, 15. 12. *q.* 1. Sed cùm penes duos dominium uno eodemque tempore eſſe non poſſit, *l. ſi ut certo* 5. §. *ſi duobus. ff. commodati, l.* 3. §. *ex contrario, ff. de acquir. poſſeſſ.* dubium eſt, an dominium rerum Eccleſiæ ſit penes Eccleſiam ipſam, an penes pauperes? In qua quæſtione variæ ſunt interpretum ſententiæ. Prima fuit Hugonis relati à Gloſſa *in cap. cauſa* 13. *de verb. ſign.* Abbatis *in cap. cùm eſſes, num.* 19. *de teſtam.* exiſtimantium, dominium rerum Eccleſiæ eſſe penes Deum, juxta illud Pſalmi 23. *Domini eſt terra, & plenitudo eius*; referturque *in cap. quo jure*, 8. *diſt. cap. tua* 26. *verſ. Cùm enim, de decimis*: quæ ſententia probatur *ex cap. cùm ex eo* 34. *verſ. De Chriſti patrimonio, de elect. lib.* 6. *cap. cùm ſecundùm, verſ. De patrimonio Jeſu Chriſti, de prabend. cap. qui Chriſti pecunias, cap. qui abſtulerit* 6. *verſ. Ergo qui Chriſti*, 12. *q.* 2. Sed hæc ſententia meritò improbatur à Sarmiento *de reddit. 1. p. cap.* 1. *num.* 22. ex eo præcipuè, quia hoc dominium Dei univerſale eſt ratione creationis de nihilo, gubernationis, & ſuperioritatis, & non adverſatur dominio directo, nec utili, jure gentium, & legibus humanis introducto; immò ideò Domini ſumus, quia Deus Dominus eſt, & ejus largitate bona habemus, *cap. Salvator* 8. *verſ. Quiſquis* 1. *q.* 3. & *dicto cap. convenior* 23. *q.* 8. Etiam alia ſecunda refertur opinio à Turrecrem. *in cap. videntes* 12. *q.* 1. *num.* 2. Sarmiento & aliis ſuprà, *num. final.* nempe dominium rerum Eccleſiæ eſſe penes Romanum Pontificem: ſed ab eiſdem improbatur, & maximè, quia Pontifex non eſt dominus tallum rerum eccleſiaſticarum, ſed diſpenſator, ut con[illegible]x D. Paulo 1. *ad Corinth. cap.* 4. *in princip.* [illegible]: *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*, D. Thomas 2. 2. *q.* 10. *art.* 1. *ad* 7. & aliis fundamentis ſuprà adductis *in cap.* 1. *de prabend.* & quia ſi Summus Pontifex illorum bonorum dominus eſſet, poſſet omnia Eccleſiarum bona liberè, & ad libitum alienare; ſed hoc facere non poteſt, *ex cap. non liceat Papa* 20. 12. *q.* 2. ergo non eſt penes eum dominium rerum eccleſiaſticarum. Ideòque tertiam opinionem refert Gloſſa *in dicto cap. expedit* 12. *q.* 1. & Gloſſa *in dicto cap. cauſa*, Carpenſis *de verb. ſign. verbo Solis*; nempe prædictum dominium rerum eccleſiaſticarum eſſe penes pauperes: pro qua ſententia primò facit noſter textus *verſic. Egentium ſubſtantiam rapiunt.* Secundò facit textus *in dicto cap. expedit. verſ. Pauperibus*; quam etiam probant caput *futuram* 15. *verſ. Ad fovendos egentes*, caput *Epiſcopus* 23. 12. *q.* 1. caput *decima* 66. *verſ. Decima tributa ſunt egentium animarum*: caput finale, *verſ. Quicquid habent clerici, pauperum eſt*, 16. *q.* 1. & confirmatur ex Novella 36. Juſtin. *ſub tit. & C. de ſacroſ. Eccleſ. verſ. Ea autem omnia deferuntur Eccleſiis, ut in pauperum educationem diſtribuantur.* Ex quibus verbis apertè colligitur, Eccleſiam mendium eſſe, per quod pauperes acquirunt tale dominium. Sed hæc ſententia ſimiliter improbatur à Turrecremata, & communiter *in dicto cap. videntes num.* 2. Sarmiento cum relatis ab eo *num.* 17. tùm quia eâ admiſsâ ſequeretur, pauperes non poſſe committere furtum in rebus Eccleſiarum, & clericorum, nec ipſos clericos dando eleemoſynam pauperibus eam virtutem charitatis exercere, ſed potiùs jus ſuum illis reddere. Tum etiam quia bona Eccleſiarum ſunt deſtinata ad ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ, *cap. bona* 74. *cap. Vulterana* 25. 12. *q.* 2. quare non eſt major ratio, cur dominium eorum ſit potius penes pauperes, quàm penes miniſtros Eccleſiæ. Accedit, quia pauperes incertæ perſonæ ſunt, ſiquidem certâ lege eorum qualitas non reperitur definita: unde apud illos tanquam penes ſingulos non poteſt reſidere, *l. apud* 20. *ff. de opt. leg. l. nulli* 28. *C. de Epiſcop. & Cleric.* nec apud ipſos tanquam univerſos, quia pauperes non conſtituunt univerſitatem, ſeu collegium, ut probat Sarmiento *ubi ſuprà, num.* 19. Nec contrarium probatur in hoc textu, ibi: *Egentium ſubſtantiam rapiunt*; nam reſponderetur jura hæc non eſſe intelligenda quoad dominium, ſed quoad debitum; nam cùm bona illa donata à fidelibus Eccleſiæ ipſa Eccleſia retineat ad ſuſtinenda onera divino cultui neceſſaria, ut ex his bonis, quæ ſuperſunt, debeat pauperibus eleemoſyna erogari, *cap. final.* 12. *q.* 1. meritò illorum bonorum patrimonium dicitur pauperum, ut docent Navarrus *in apolog. q.* 1. *monit.* 21. latiùs Sarmiento ſuprà, *num.* 20. His ergo, & aliis ſententiis omiſſis dicendum eſt, dominium rerum Eccleſiæ reſidere penes Eccleſiam illam particularem cui talia bona applicata ſunt pro dote, ut ſuadetur *ex dicto cap. inter* 16. *q.* 3. *dicto cap. expedit, dicto cap. cauſa*: non autem eſt dominium penes Eccleſiam univerſalem, & multò minùs penes Eccleſiam materialem, ſeu lapideam, prout muris comprehenditur, ut probant Turriſcrem. & Sarmiento *ubi proximè.* Molina *lib.* 1. *de primog. cap.* 10. *num.* 44. P. Molina *tract.* 2. *de juſtitia, diſput.* 142. Nec perſona aliqua ſingularis habet dominium, ſed ſola communitas; perſona autem ſingularis, non ut talis, ſed ut pars, & membrum communitatis, habet in ipſis rebus jus utendi ad ſuſtentationem, cum hac tamen differentia, quod alius eſt tantùm membrum ſimplex, ut Canonicus, & illum tantùm habet uſum; alius verò eſt membrum principale, & caput totius communitatis, ut Epiſcopus, qui habet diſpenſationem, & diſtributionem, ut docet Corjolanus *in notis ad Concilium Viennenſe, in addit. ſumma, fol.* 93.

(c) *Irrita*

(c) *Irrita habeatur.*] Pro quorum verborum expositione sunt qui existimant, recipientes rem Ecclesiæ à Principe, privari omnibus rebus justè, vel injustè ab Ecclesia obtentis: ita Joan. Andreas, Abbas Siculus, & Panormit. in præsenti. Sunt etiam qui distinguunt, an ex motu proprio Principis fluxerit concessio ipsa, an ex importunitate petentis? Ut si motu proprio emanaverit, irrita tantùm fiat concessio; si vero ex importunitate, omnibus Ecclesiæ bonis privetur. Sed vetiùs Innocentius, & Berojus in præsenti docuerunt, relatis verbis declarari irritum esse contractum super rebus Ecclesiæ auctore Principe celebratum, ut solet irrita declarari quæcunque alienatio sine subscriptione, & consensu clericorum facta, *cap.* 1. junctis traditis, *de his quæ fiunt à Prælat.* Quæ sententia confirmatur *ex cap. quicunque* 4. 12. *q.* 2. & ex ea provenit, ut Ecclesia possit propria bona vindicare, & repetere à quocunque possessore, juxta textum *in cap. si quis* 6. *hoc tit.* Nec dicas, frustra statui nullitatem hanc in præsenti, cùm ipsa jam statuta reperiretur *in dicto cap.* 1. *cap. sine except.* 12. *q.* 2. nam opportunè talis nullitas ad alienationem auctore Principe factam protracta fuit, ne ita recipientes bona Ecclesiæ à Principe, falsò existimarent se tutos esse, actione tantùm concessa Ecclesiæ in Principem, exemplo textus *in l. bene à Zenone* 3. *C. de quadrien. præscript.* Nec contrarium probatur *in cap. de rebus* 22. 12. *q.* 2. In illis verbis: *Ipse sit Princeps pro emendatione redarguendus.* Nam licet Nicolaus ibi asserat, Principem bona Ecclesiæ dissipantem increpandum esse, non tamen negat actionem competere Ecclesiæ adversus invasorem, & possessorem rerum ipsius; sed hac actione concessa docet Pontifex arguendos esse, tam Principem concedentem, quàm accipientem bona Ecclesiæ de manu illius.

(d) *Communione Ecclesiæ.*] Quæ verba ita sunt exponenda, ut excommunicationis mucrone feriantur recipientes à Regibus bona Ecclesiarum. Non tamen levis difficultas est, an ipso jure ita recipientes excommunicati maneant, an verò sententia judicis præcedere debeat? Et ipso facto eos excommunicatos esse, probatur ex eo, quia invasores rerum Ecclesiæ ipso jure excommunicationem incurrunt, *cap. canonica* 107. 11. *q.* 3. *cap. omnes* 5. 17. *q.* 4 *cap. conquesti* 22. *de sentent. excom.* Contrarium verò, immò à judice sententiam esse proferendam, deducitur ex præsenti textu, ibi: *Arceatur*, junctis traditis à Glossa finali *in cap. grave, de excess. Prælat.* Castro *lib.* 2. *de lege pœnali*, *cap.* 7. Tiraquel. *in l. si unquam*, *verbo Revertatur*, *num.* 39. *C. de revoc. donat.* Suario *de censur. disput.* 3. *sect.* 7. & faciunt textus *in cap. conquestus* 16. *de foro compet. cap. nulli* 3. *cap. indignè* 21. *cap. de rebus* 22. 12. *q.* 2. Sed pro hujus dubii solutione distinguendum est; aut enim cum violentia fit rerum Ecclesiæ invasio, & tunc ipso facto excommunicatio incurritur, juxta textum sic intelligendum *in dicto cap. omnes*; aut sine violentia fit distractio, & opus est sententiâ judicis, juxta præsentem textum, & similes; quam distinctionem probarunt Navarrus *in manuali*, *cap.* 17. *num.* 95. Salcedo *in praxi cap.* 87. *littera D.* & latè de hac excommunicatione agunt Azor 1. *p. instit. lib.* 9. *cap.* 27. *quæst.* 10. Suarez *de censur. disput.* 22. *sect.* 17.

COMMENTARIUM.

EX præsenti canone Concilii Lugdun. sequens communiter deducitur assertio: *Petens, seu recipiens à Principe sæculari bona ecclesiastica, illis privatur, & excommunicari debet.* Probant eam textus *in cap. quicunque* 4. *vers. Prædia*, *cap. de rebus* 22. *vers. Concessionis*, 12. *q.* 2. *cap. in canonibus* 57. 16. *q.* 1. *cap. tua* 25. *cap. dudum* 31. *de decimis*, *cap. placuit* 16. *q.* 3. *extravag. unic. vers. Si quis à te* 2. *hoc tit. cap. si quis deinceps* 12. *cap. quoniam* 13. 16. *q.* 7. *cap. cùm & plantare*, *vers. Ecclesias igitur*, *de privil.* Concilium Parisiense 3. *can.* 1. Concilium 6. Romanum sub Symmacho, ibi: *Valde iniquum ergo, & ingens sacrilegium est, ut quæcunque vel pro remedio peccatorum, vel salute, vel requie animarum suarum unusquisque venerabili Ecclesiæ contulerit, aut certè reliquerit, ab his à quibus hæc maximè servari convenit, id est, Christianis, & Deum timentibus hominibus, & super omnia à Principibus & primis regionum, in aliud transferri, vel converti: propterea qui hæc non prævideriat, & aliter quam scriptum est, prædia Ecclesiæ tradita petierit, anathemate feriatur.* Trident. *sess.* 22. *de reform. cap.* 11. Nicolaus *in epistola* 1. *ad Michael. Imperat.* ibi; *Irrationabile est, ut ecclesiastica possessio, unde luminaria, & concinnationes Ecclesiæ Dei fieri debent, terrenâ quavis potestate subtrahatur.* Et *epist.* 63. *ad Aquitanos.* ibi: *Similiter autem & de his hortamur à vobis fieri, quæ Reges quomodocunque à sanctis locis aliquo tempore abstulerunt, quod justum non fuit nec est; & quisquis hæc sibi vindicat, Deum inde habebit judicem & ultorem.* Hinc marus Rhemensis *ad Ludovicum Regem Francorum*, *cap.* 4. ibi: *Sunt qui dicunt (ut audivi) quia res Ecclesiasticæ Episcoporum in vestra sint potestate, ut cuicunque volueritis, eas donetis; quod si ita est, ille malignus spiritus, qui primò parentes nostros perdidit, perditionem vestram in aures vestras susurrat.* Alia juris testimonia congerit Antonius Augustinus *in epit. jur. lib.* 15. *tit* 32. Illustrant ultra congestos à Cenedo *ad Decret. collect.* 71. Barbosa, & Garanna *in præsenti*, Cujacius *hic*, Baronius *anno* 541. *num.* 38. Severinus Binius *in notis ad Concil. Arvern.* Petrus Gregorius *lib.* 33. *syntagm. cap.* 16. Suarez *adversus Regem Angliæ lib.* 3. *cap.* 7. & *de legibus lib. cap.* 34. Salas *eodem tract. disput.* 14. *sect.* 8. Valenzuela *in defens. contra Venetos*, 1. *part. ex num.* 50. Germonius *in defens. libertatis Ecclesiasticæ*, Cardoso *in praxi*, *verbo Sacrilegium.* Menochius *de arbitrar. lib.* 3. *casu* 389. Gregorius Lopez *in lege* 26. *glos.* 6. *tit.* 29. *partit.* 3. & *in l.* 53. *glos.* 3. *in princip. tit.* 5 *partit.* 5.

5. *Conclusio traditur & probatur.*

Sed adversus hanc assertionem ita pro dubitandi ratione insurgo: Quotiens Princeps sæcularis rem alienam donat, vel in alium transfert, non competit vindicatio vero domino contra possessorem, sed ipse habet actionem intra quadriennium adversus Regem, seu Principem *l.* 2. *l. bene* 3. §. *final. vers. sed adversus*, *C. de quadrien. præscript.* Ergo similiter Ecclesia bona sua à possessore repetere non potest, sed tantùm intendere actionem in ipsum Principem.

6. *Impugnatur præfata assertio.*

Deinde etiam insurgo in eam partem præsentis assertionis, ubi asseritur recipientem bona Ecclesiæ, non solùm ea restituere cogi, verùm & excommunicari; & sic argumentor: Quando recipiens bona ad eorum restitutionem obligatur, restitutione ejus, quod recipit, liberatur, *cap. nulli 3. vers. Usque ad emendationem. Ecclesiaque satisfactionem, cap. quicunque, vers. Nisi eadem prædia Ecclesiis restituerit; cap. indignè 21. vers. res usurpatas* 12. *q.* 2. latè illustrat perdoctus Pater Theophilus Raynaud. *tom.* 12. *tract. mala è bonis Ecclesiæ, &c. fol.* 42. Ergo non rectè in præsenti docetur, recipientem bona Ecclesiæ à Principe sæculari, ea restituere teneri, & simul excommunicari.

7. *Adducitur ratio decidendi.*

Adhuc tamen defensanda est præsens assertio, quæ cùm duplicem contineat partem, duplici nititur ratione. Et prioris partis assertionis vera ratio provenit ex vulgari juris principio, quo docetur, neminem posse dare quod non habet, *cap. Dalbertum* 24. 1. *q.* 7. *l. traditio* 20. *ff. de acquir. domin. cap. nemo* 74. *de reg. jur. lib.* 6. *l. nemo* 54. *ff. eod. tit. cap. quod autem* 5. *de jurepatron.* sed laici, etiam sæculares Principes, nullam potestatem habent in rebus ecclesiasticis, *cap.* 1. *cap. denique* 5. *cap. si Imperator* 11. 96. *dist. cap. quæ in Ecclesiarum* 7. *cap. Ecclesia* 10. *de constit. cap. quamquam* 4. *de censibus in* 6. junctis traditis à Patre Suarez *in defens. fidei, lib.* 2. *cap.* 3. *&* 8. ideò Principes sæculares ex defectu potestatis nequeunt de rebus ecclesiasticis disponere, & per consequens in præsenti rectè docetur, quamliber alienationem bonorum Ecclesiæ factam à Principe sæculari nullam esse. Quantò autem debeant Principes se abstinere à bonis Ecclesiæ, eorum invasione, seu distractione, doctè probant Bernegerus *ad Tacitum q.* 18. D. Joannes Solorzanus *embl.* 40. *per totum.* Secundæ verò partis præsentis decisionis ratio provenit ex eo, quia recipiens bona Ecclesiæ à Principe sæculari, sacrilegii particeps est, *cap. qui rapit* 18. 17. *q.* 4. æquiparaturque raptori, cùm idem sit rapere, ac injustè detinere, *cap. sæpe* 18. *vers. Eo quod non multùm interest, de restit. spol. cap. de rebus* 12. *q.* 2. sed sacrilegus excommunicatus manet, *cap. conquestus, cap. cùm sit generale, de foro compet.* Ergo meritò in præsenti statuitur, recipientem à Principe sæculari bona Ecclesiæ, excommunicandum esse, id est, privandum à communione fidelium, non solùm illius Ecclesiæ, cui bona ablata sunt, verùm & à communione totius Ecclesiæ Catholicæ, & universalis, quæ dicitur communio fidelium, *dicto cap. nulli, dict. cap quicunque, dict. cap. de rebus* 12. *q.* 2. quoniam quando una Ecclesia spoliatur, & læditur, universalis Ecclesia offenditur, quæ una est, *cap. loquitur* 18. 24. *q.* 1. *juncto cap.* 2. *de foro compet.* docent in præsenti Immola *num.* 2. Abbas *num.* 5. Berojus *num.* 18.

8. *Respondetur difficultatibus.*

Nec obstat prima difficultas deducta *ex dicta l.* 2. *dicta l. bene à Zenone*; quia regula ibi proposita varias patitur limitationes, quas latè prosequitur Hermosilla *in* 5. *partit. tom.* 2. *fol.* 237. inter quas illa præcipua recensetur, videlicet, ut non procedat in bonis Ecclesiæ à Principe datis, vel donatis; tum ob defectum potestatis in ipso Principe largiente; tum quia ut regula dictæ legis *bene à Zenone*, locum habeat, desideratur bona fides in ipso Principe res alienas possidente: sed Princeps dum distrahit res Ecclesiæ bonam fidem habere nequit: ergo non potest eo casu habere locum remedium dictæ legis *bene à Zenone.* Accedit, quia regula illius textus locum non habet in rebus minoris, Glossa *verbo Debiti, in l. final. C. si adversus fiscum* ubi Baldus *num.* 6. Duennas *regul.* 238. *limit* 10. Sed Ecclesia fruitur jure minoris, *cap.* 1. *cap. auditis* 3. *de in integr. restitut.* Ergo nec in bonis Ecclesiæ remedium illius textus locum habet. Nec obstat secunda difficultas suprà adducta; nam in præsenti specie recipiens bona Ecclesiæ à Principe sæculari, non solùm bona ipsa restituere debet, verùm & excommunicari potest propter crimen sacrilegii, quod commisit in ipsa usurpatione, & detentione bonorum Ecclesiæ: quare justè, ut cæteri fideles deterreantur à simili invasione, in præsenti statuitur, recipientem bona Ecclesiæ à Principe sæculari communione fidelium privari.

9. *Exponitur cap. si tributum, 11. q.* 1.

Suprà traditis obstat textus *in cap. si tributum* 27. 11. *q* 1. in illis verbis: *Si agros desiderat Imperator, pot statem habet vindicandorum.* Ex quibus deducitur, Principem sæcularem dominum esse prædiorum Ecclesiæ, siquidem vindicatio tantùm vero domino competit, *l. in rem* 23. *ff. de rei vind.* Igitur si Princeps habet verum dominum rerum Ecclesiæ, quilibet privatus poterit eas impunè recipere ab ipso. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, Divum Ambrosium verba illa proferre, non animo approbandi factum Principis, sed tantùm sinendi, & tolerandi illum, ut constat ex illis verbis, *Imperatori non dono, sed non ego.* Ut autem hæc interpretatio faciliùs probetur, sciendum est, temporibus D. Ambrosii Imperium obtinuisse Valentinianum cum matre sua Justina, quæ Arrianâ hæresi infecta erat; hæc autem diram invexit in Ambrosium, & reliquos Catholicos Ecclesiæ Mediolanensis persecutionem, ut referunt Baronius *tom.* 4. *anno* 387. *num.* 1. & ex eo Diana *p.* 7. *tract.* 1. *resolut.* 19. Paulinus *in vita Sancti Ambrosii*; ei verò vehementer restitit Ambrosius, ut constat *ex dicto cap. convenior*, asserens res Ecclesiæ Imperatori tradi posse, tributumque ex eis solvi, ingruente illâ persecutione; Ecclesiam tamen ipsam Imperatrici Arrianæ tradendam non esse, quia Christi hæreditas est: unde verba suprà relata non sunt accipienda de justa, & legitima vindicatione, sed de injusta, quæ ex usurpatione proficiscitur. Vindicatio enim nonnunquam sumitur pro usurpatione, & petitione, *l. ex imperfecto* 23. *de legat.* 3. *l. per diversas* 12. *C. mandati*; notarunt Alciatus *in l.* 1. *num.* 1. *ff. de legat.* 1. Osvaldus *ad Donellum lib.* 20. *com. cap.* 1. *litter. A.* unde *in dicto cap. si tributum*, nullo modo affirmat D. Ambrosius, jure posse Imperatorem bona Ecclesiæ sibi vindicare, sed potiùs si ea petierit, patienter reddenda esse; quia enim fides catholica per aspidis illius, ac viperæ malignitatem periclitabatur; intentus in fidem tuendam sanctus Ambrosius, præ fidei dispendio, quod imminebat, professus est, se negligere temporalia damna, ut post Baronium *anno* 387. notarunt Theoph. *tom.* 12. *tract. mala è bonis Eccles. cap.* 2. *num.* 1. Germonius *lib.* 3. *de sacror. immunit. cap.* 13. *num.* 37. Martha *de jurisdict. p.* 1. *num.* 47. Jacob. Durant. *lib.* 2. *var. cap.* 8. & nos alibi.

Huic commentario adjungi possunt ea quæ de

de Ecclesiis de manu laici non recipiendis congessi *in cap. quisquis, de elect.* & ea quæ de decimis à Regibus obtentis adduxi *in cap. prohibemus, de decimis.*

CAPVT III.

Ex Concilio (a) *Toletano.*

COnsensus totius Concilii diffinivit, ut Sacerdotibus, qui aut res suas Ecclesiæ relinquunt, aut nihil habentes, aliqua tamen prædia, aut familias Ecclesiis suis conquirunt, liceat aliquos de (b) familiis Ecclesiæ ejusdem manumittere, juxta rei collatæ modum, quem antiqui (c) canones decreverunt, ita ut cum (d) peculio, & posteritate (e) sua, si ingenui sunt, sub patrocinio Ecclesiæ maneant, (f) utilitates injunctas sibi, juxta quod potuerint, prosequentes.

NOTÆ.

(a) *Toletano.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 4. & apud Burchardum *lib.* 3. *Decret. cap.* 117. Ivonem 3. *p. Decret. cap.* 238. apud Gratianum *in cap. Episcopus* 12. *q.* 2. atque in ipso Concilio Tolet. 4. *can.* 68. reperiuntur verba hujus textus. Concilium hoc celebratum fuit sub Justo Toletano Præsule, anno 3. Sisnandi Regis Gothorum, 5. die mensis Decembris, era 671. id est, anno Domini 633. in Ecclesia Sanctæ Leocadiæ Virginis & Martyris, ubi congregati fuerunt Episcopi 66. cum ipso Rege, ut referunt Loaysa *in notis ad ipsum*, Villadiego *in historia Reg. Goth. num.* 27. Sahabedra *in chron. Goth. in vita Sisnandi.* Fuit celebratissimum hoc Concilium: tum quia interfuerunt Sanctus Isidorus, Justus, ac Julianus: tum etiam quia in eo gravissima negotia, tam Ecclesiæ & rerum spiritualium, quàm Reipublicæ, & rerum temporalium decisa fuerunt; & ut alia omittam, in eo Concilio facta fuit collectio legum libri Fori Judicum, ut referunt Villadiego, & Sahabedra *ubi proximè.*

(b) *De familiis.*] Videnda sunt quæ notavi *in cap. de familiis, de servis non ordin.*

(c) *Antiqui canones.*] Hæc verba referri non debent ad canonem relatum *in cap. Episcopus qui mancipium* 12. *q.* 2. nam si de eo præsensissent Patres, dicerent *canones priores*, ut fecerunt in canone 70. hujus Concilii. Referenda ergo sunt hæc verba ad canones Concilii Agath. relatos *in cap. Diaconi, cap. si quis in qualibet* 12. *q.* 2. Concilium enim Agathense præcessit Concilium hoc Toletanum; siquidem celebratum fuit sub Sixto VI. anno 443.

(d) *Peculio.*] Speciale enim est in servis Ecclesiæ, quod ipsis manumissis non censetur peculium concessum. Concilium Tolet. 9. *can.* 16. quoniam in eorum manumissione non licet Ecclesiæ eisdem libertis dare ultra summam 20. solidorum, *cap. si post.* 12. *q.* 2. docent Berojus *hic, num.* 21. Redoanus *de rebus Ecclesiæ, in verbo, §. manumissio, num.* 21. Gregorius Lopez *in l.* 90. *tit.* 18. *part.* 3. contrarium verò observatur in libertis privatorum, circa quos discrimen versatur inter libertatem datam in ultima voluntate, & præstitam inter vivos; nam si detur inter vivos, peculium censetur concessum; si verò in ultima voluntate, nisi specialiter detur, censetur ademptum, *l. si Stycho* 53. *ff. de peculio, l. si cum optio* 14. *ff. de option. l. si legatum* 24. *ff. de pecul. legat. l. unica, C. de peculio ejus qui libert. §. peculium, Instit. de legat.* juxta quam distinctionem accipiendi sunt textus *in l. donationes* 35. *§. pater* 2. *l. ad eum* 35. *ff. de donat. l. si quis servo* 18. *l. si servus* 32. *l. quod servus* 35. *ff. de solut. l. quoties* 29. *ff. de contrah. empt. l.* 2. *§. servus, ff. pro emptore, l. final. C. de emancip. liberor. l. si servo* 39. *de jure dotium, l. post* 6. *§.* 1. *ff. de liber. legat. l.* 6. *§. vicario, l.* 15. *& l.* 19. *§.* 1 *ff. de pecul. legat. l. final. de manumiss. vindict l.* 6. *&* 17. *ff. de pecul. l. si per imprudentiam* 51. *ff. de evict. l. Mavius* 66. *ff. de legat.* 2. *l. Offidius* 97. *l. servus* 99. *in fine, de legat.* 3. *l. generaliter* 24. *§. si* 7 [illegible] *ff. de fideicommiss. libert. l.* 10. *ff. de manumiss. testam. l.* 28. *§.* 1. *ff. de statulib. l.* 10 *ff. de pecul. legat.*

(e) *Posteritate*] Speciale etiam est in libertis Ecclesiæ, ut etiam eorum liberi nati post manumissionem parentum remaneant sub patrocinio ejusdem Ecclesiæ, ut expressè probatur *ex cap. de libertis* 12. *q.* 2. & docent hic Abbas *num.* 6. Immola *num. final.* Berojus *num.* 14. qui asserunt prædictos Ecclesiæ libertos, eorumque filios remanere in Ecclesia ad præstandas eidem operas serviles ipso jure impositas.

(f) *Utilitates injunctas.*] Consonat Concilium Aurelian. ubi statuitur, ut liberti, quos Sacerdotes, Presbyteri, vel Diaconi de Ecclesia sibi commissa facere voluerint, actus Ecclesiæ prosequantur; quod si facere contempserint, ad pristinum servitium revertantur. Quid est autem actus Ecclesiæ prosequi, nisi commodis Ecclesiæ invigilare, & promissas ei operas strenuè exequi, ut exponit Lemaistre *lib.* 2. *de bonis Ecclesiæ, cap.* 10. Circa libertos verò laicorum, eorum operas, & successionem, plura dabimus *in cap.* 2. *de succes. ab intestato.*

CAPVT IV.

Ex Concilio (a) *Toletano.*

EPiscopi qui nihil ex proprio suo Ecclesiæ Christi conferunt, liberos ex (b) famulis Ecclesiæ ad condemnationem suam facere non præsumant. Impium enim est, ut qui res suas Ecclesiæ Christi non contulerit, damnum Ecclesiæ inferat. Tales igitur liberos successor Episcopus absque aliqua oppositione ad jus Ecclesiæ revocabit.

NOTÆ.

(a) *Toletano.*] Quarto videlicet, *can.* 67. ex quo verba hæc transcripserunt Burchardus *lib.* 3. *Decreti, cap.* 189. Ivo Carnot. *p.* 3. *cap.* 219. Gratianus *in cap. etsi illi* 12. *q.* 1. Bernardus Papiens. *in* 1. *collect. sub hoc tit. cap.* 5.

(b) *Famulis.*] Seu familiis, ut notavi *in cap.* 3. *de servis non ordin.*

COMMENTARIUM.

1. *Conclusio traditur, & probatur.*

EX his duobus Concilii Tolet. canonibus sequens deducitur communiter assertio: *Si Prælatus Ecclesiæ tantundem dederit, vel acquisierit Ecclesiæ, ejus servos manumittere nequit, alias si manumittat, revocabitur libertas per successorem.* Probant eam textus *in cap. injustum* 55. *cap. si quis in qualibet* 56. *vers. Tantum quantum, cap. Episcopus qui* 58. *cap. liberti* 61. *cap. de libertis* 63. *cum duobus sequentibus, cap. quicunque* 66. 12. *q.* 2. *cap. si Episcopus* 5. *in fine, vers. Nisi tantundem* 12. *q.* 5. Concilium Hispal. 1. *can.* 1. ibi: *Si res prædecessoris tui Gaudentii Episcopi Ecclesiâ vestra non possidet, liberi qui ab eo facti sunt, non sunt legitimè absoluti. Cæterùm si res illius in compensationem Ecclesiæ vestræ deserviunt, illi prorsus maneant liberi.* Et *can.* 2. ibi: *Ea verò mancipia, quæ memoratus de jure Ecclesiæ suæ subtracta suis proximis contulit, si similia de proprio suo Ecclesiæ ipsi non compensavit, Ecclesia vestra absque aliqua oppositione recipiat.* Concilium Emeritense *can.* 20. ibi: *Multi sacerdotes, prout illis concessit divina gratia, habent unde canonicum ordinem impleant, & sic libertos faciant; & sunt multi, qui nihil habentes, ad hanc gratiam veniunt, & sic libertos facere præsumunt: tales libertos regula canonica esse non jubet stabilitos.* Cæsaraugust. 3. *can.* 4. refert Antonius Augustinus *lib.* 10. *tit.* 22. Concilium Aurel. 4. *can.* 9. Illustrant post congestos à Barbosa *hic*, Cujacius in præsenti, Redoanus *in tract. de rebus Ecclesiæ*, §. *manumissio.* Rebuffus *in compend. alienat. à num.* 63. Chassaneus *in consuet. Burg. rubric.* 9. §. 9. Lemaistre *de bonis Eccles. lib.* 3. *cap.* 9.

2. *Impugnatur tradita assertio.*

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Manumissio alienatio est, *l. lex quæ* 22. *C. de administr. tut. l. final. C. de rebus alienis:* sed alienatio rerum Ecclesiæ non potest fieri sine juris solennitate, *cap. placuit* 51. *cum sequent.* 12. *q.* 2. *cap.* 1. *vers. Tractus solennis, cap.* 2. *hoc tit. lib.* 6. Ergo Episcopus etiam tantundem elargiendo Ecclesiæ non potest ejus servos manumittere. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, quia si Rector Ecclesiæ ejus servos manumiserit, non tantùm eorum æstimationem, verùm & duplum præstare cogitur, *cap. Episcopus qui mancipium* 12. *q.* 2. *juncta l.* 7. *tit.* 14. *part.* 1. Ergo non sufficit tantundem præstari ab Episcopo, ut servos Ecclesiæ manumittere possit. Secundò difficilis est alia pars assertionis, ubi asseritur, servos injustè manumissos ab Episcopo, per ejus successorem cum posteritate revocari ad servitutem; nam minor, & Ecclesia æquiparantur, *cap.* 1. *cap. auditis* 3. *de in integr. restit.* sed libertas injustè à minore data semel, non revocatur, *l. si ex causa* 9. §. *final. ff. de minor. l.* 1. *&* 2. *C. si adversus libert. l. sicut* 10. *l. sicut* 6. *C. de liberal. causa.* Ergo nec ab Ecclesia semel data libertas revocari potest.

3. *De Manumissione servorum Ecclesiæ.*

Adhuc tamen defensanda est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, servos Ecclesiæ, quos frequenter fideles Ecclesiæ donabant, ut dicemus *in cap. injustum* 4. *de rerum permutatione*, ex triplici causa ab Ecclesiæ Prælatis manumitti solere. Prima, quia ipsi fugitivi essent, & inutiles, dominosque magis torquerent, quàm juvarent. Concilium Agathense *can.* 46. ibi: *Fugitivi etiam domos suas deserentes, qui etiamsi revocati fuerint, teneri non possunt, simili ratione ab Episcopo, si voluerit, aut si ita illi meruerint, distrahantur.* Si enim servus fugitivus peculium haberet satis pingue, quo se posset servitutis oneribus eximere, facilè adducebantur Episcopi, Abbates, ac Presbyteri, ut acceptâ pecuniâ libertatem præstarent, ut ex veteri charta cujusdam manumissionis probat Lemaistre *lib.* 3. *de bonis Eccles. cap.* 9. Secundò servi Ecclesiæ olim ab Episcopis manumittebantur sæpiùs, ut sacris ordinibus initiarentur. Concilium Emerit. *can.* 74. de qua manumissione egi *in cap.* 1. *de servis non ordin.* Tertia ratio manumittendorum servorum Ecclesiæ fuit liberalitas, & beneficentia Episcoporum, qui servos suos benemeritos, sive testamento, sive inter vivos manumissione donabant; non verò cuilibet Episcopo, seu Prælato licebat servos Ecclesiæ pro arbitrio manumittere; qui enim patrimonium non habebat, nec poterat ex sua substantia supplere, aut Ecclesiam hæredem relinquere, non poterat servos Ecclesiæ ad pileum libertatis vocare. Qualibet verò de causa manumitterentur servi Ecclesiæ, necesse erat perpetuò in patrocinio Ecclesiæ contineri; nam absolutam & perfectam libertatem Episcopus dare non poterat, nisi pro compensatione duo mancipia ejusdem valoris Ecclesiæ præstaret manumissus, ex textu præsenti; formula verò manumittendi servos ex fragmento Concilii Tolet. 1. relato à Burchardo *lib.* 2. *Decret. cap.* 32. Carnotensi *p.* 6. *Decret. cap.* 133. petenda est, ibi: *De Ecclesiarum*

Harum verò servis communi sententiâ est decretum, ut Archiepiscopi per singulas provincias constituti nostram auctoritatem sequantur, Suffraganei verò illorum exemplar illius penes se habeant: & quandocunque de familia Ecclesiæ utilis inventus aliquis, ordinandus est, in ambone ipsa auctoritas eorum populo legatur, & coram sacerdotibus & omni clero, ante cornu Altaris, sicut in nostra auctoritate continetur, remota qualibet calliditate libertatem consequatur, & tunc demum ad gradus ecclesiasticos promoveatur. Ex quibus verbis apparet, quod cùm servus Ecclesiæ manumittebatur, primò solebat charta manumissionis Episcopi auctoritate confici. Deinde legebatur instrumentum illud bis in Ecclesia: primò ex ambone, seu suggestu, ut populus audire posset: secundò ante cornu altaris, ut sacerdotes & clerici in sacrario inclusi eam exaudire possent. Quem manumissionis ritum ad servos manumisses, ut sacris ordinibus initiarentur, rectè restringit Lemaistre *dicto lib.* 3. *cap.* 10.

4. Diminutio nullitatum Ecclesiæ.

Deinde scire oportet, quibus legibus viverent liberti Ecclesiæ, postquam libertatem erant assecuti? Et inprimis curavit Ecclesia, ne beneficium injuriâ rependerent, & irreverentiâ, fastúve majestatem Ecclesiæ læderent; à qua & salutem sperabant, & acceperant libertatem: unde in Concilio Hispalensi, *can.* 8. actum est de superbis Ecclesiæ libertis, ut ad servitutem revocentur; cujus canonis verba omitto, quibus æquissimi Patres mactandam recidivâ servitute censent Elisæi cujusdam ex familia Agabrensis Ecclesiæ superbiam, qui libertatem assecutus, de morte Episcopi cogitaverat. Deinde oportuit libertos Ecclesiarum unà cum eorumdem liberis infra annum ab inauguratione novi Episcopi sistere se coram ipso, & chartam ingenuitatis, ac manumissionis tabulas apud eumdem proferre: quod certè inventum ab Ecclesia, ne lapsu temporis libertorum memoria intercideret, & operis sibi debitis, atque obsequiis Ecclesia tandem prorsus orbaretur. Ita constitutum in Concilio Toletano 4. fuit, *can.* 70. ibi: *Liberti Ecclesiæ (quia nunquam moritur eorum patrona) & patrocinio ejusdem nunquam discedant, neque posteritas quidem eorum, sicut priorescanones decreverunt: ac ne fortè libertas eorum in futura prole non pateat, ipsaque posteritas naturali ingenuitate obtutens, sese ab Ecclesiæ patrocinio subtrahat, necesse est, ut tam iidem liberti, quàm ab eis progeniti professionem Episcopo suo faciant, per quam se ex familia Ecclesiæ liberos effectos esse fateantur, ejusque patrocinium non relinquant; sed juxta virtutem suam obsequium ei, vel obedientiam præbeant.* Quare si in hac parte pectarent liberti, ut ingrati revocabantur in servitutem, ut constat ex canone 4. Concilii Cæsaraugust. 3. ubi in parte hæc severitas temperatur his verbis: *Quia ergo comperimus, quosdam Pontifices potius intra sua ampliare studentes, quàm de mercedis opere Domino placentis, liberos, quos ex familia Ecclesiæ à suis prædecessoribus invenium, pro eo quod libertatis suæ chartulas infra consultum tempus non repræsentent, statim eos in propriam servitutem redigere; unde hoc pietatis studio generali modo subrogamus beneficium, ut si iidem liberti forsitan ignoraverint ordinem canonum, aut certè, ut adsolet fieri, ad præstandas libertates suas tepuerint, ipsius Pontificis solicitudo mox ac in sedem sibi creditam successerit, per Clerum, aut domesticos perquirere procurabit, quos prædecessores Episcopi de familia Ecclesiæ manumissionis gratulaverunt, ut eodem Pontifice prænonente, ipsi liberti chartulas suæ libertatis repræsentent, qualiter nec liberti Ecclesiæ, de institutione canonum ignorantes se esse, prohibeant; ne sacerdotis callida voluntas patescat.*

5. Traditur ratio decidendi.

Quibus ita animadversis apparet vera ratio præsentis decisionis, quæ nititur eo principio, quo docemur faciendum esse quod nobis non nocet, & aliis prodest, *l.* 2. *C. de pignoribus*, *l.* 2. *§. item, vers. Quamquam, ff. de aqua pluvia:* est enim æquissimum, ut Ecclesiarum rectores, qui bona sua eisdem Ecclesiis donant, possint ipsarum Ecclesiarum servos manumittere, juxta rei collatæ modum, cùm exinde nullum damnum sentiat Ecclesia, & servi ad libertatem perducantur. Econtrario verò iniquum est, ut Prælati, qui nihil Ecclesiæ attulerunt, ejus servos manumittant, cùm non habeat Ecclesia unde damnum ex eorum manumissione irrogatum compensare possit: quare rectè in præsenti docetur, libertatem præstitam ab Episcopo, qui nulla bona propria Ecclesiæ contulit, seu donavit, ab ejus successore revocari posse.

6. Respondetur difficultatibus.

Nec obstat prima difficultas suprà expensa *ex dicto cap. sine exceptione*, cum similibus. Nam respondetur, in præsenti specie non desiderari solennitatem in aliis alienationibus rerum Ecclesiæ præscriptam, quia in præsenti agitur de alienatione, quæ juris auctoritate celebratur: unde ultra requisita à sacris canonibus alia solennitas non desideratur. Nec contrarium deducitur *ex cap. Episcopus qui mancipium* 12. *quæst.* 2. & *in præsenti cap. Episcopus*, relato in illis verbis: *Subscribentibus.* Quia ea verba referenda sunt ad casum in quo Episcopus manumittere intendit servum Ecclesiæ, non retento Ecclesiæ patrocinio; quo casu æstimari debet, an bona donata ab Episcopo sufficiant non solùm pro servo, verùm pro patrocinio penes Ecclesiam non retento. Nec obstat secunda difficultas, pro cujus solutione dicendum est, Episcopum solùm teneri tantundem dare Ecclesiæ, quantùm sufficiat pro æstimatione servi manumittendi, ut probatur *ex dicto cap. Diaconi* 35. ibi: *De suo proprio aliud tantùm restituant*: & *dict. cap. si quis in qualibet, vers. Tantùm quantùm*, 12. *q.* 2. *cap. si Episcopus, vers. Nisi tantumdem* 12. *quæst.* 5. docent in præsenti Abbas & Barbos *num.* 5. Immola *num.* 7. Nec contrarium probatur in Concil. Tolet. relato *in dicto cap. Episcopus qui*, & in præsenti: nam discrimen est assignandum inter casum, in quo Episcopus manumittit servum Ecclesiæ, nullo reservato Ecclesiæ patrocinio; & inter eum, in quo juspatronatus Ecclesiæ reservavit. Primo casu sufficit tantùm Ecclesiæ conferre, quantùm servus manumissus æstimari poterat; quia dominium ejus per manumissionem Ecclesiæ amisit. Secundo verò casu æstimari debet non solùm dominium servi, verùm & juspatronatus: quod post ejus manumissionem ab Ecclesia factam penes eam remansurum erat, ut contingit in servo alieno ab Episcopo scienter ordinato; nam qui ita ordinavit, tenetur restituere domino duplum, pro servo videlicet ipso, & pro jurepatronatus, *cap. si servus* 20.

54 *dist.* Nec obest secunda difficultas deducta *ex dicta l. si ex causa* 9. §. *finali*, cum similibus. Quia respondetur, jura illa procedere quando manumissio ipso jure valida est; tunc enim regulariter semel libertas competens revocari non potest, §. *semel*, *Instit. quibus ex causis manumit. l.* 3. *C. si adverss. libert.* docent Pacius *cent.* 2. *quæst.* 19. Costa *lib.* 1. *select. cap.* 22. Sarmiento *lib.* 1. *select. cap.* 6. *num.* 22. Cabretos *de metu lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 84 qui exponunt textus *in l. Papinianus* 8. §. *plane*, *ff. de inoffic. test. l. cum verò* 26. §. 8 *ff de fideicommiss. libert. l. si cum* 16. §. *Aristo ff qui & à quibus*, *l. metum* 9. §. *idem*, *ff. do eo quod metus causâ*, *l. ex falso* 37. *ff. de manumiss. testam.* At verò cùm libertas ipso jure non competit, quia ab initio nulla fuit, rectè revocatur, quatenus de facto data fuit: unde in præsenti specie, quando Episcopus nihil de bonis propriis contulit Ecclesiæ, quia ab initio libertas impeditur, ideo etsi de facto præstetur, revocari potest per successorem.

7. *Exponitur textus in cap. si quos* 57. 12. q. 2.

Sed adhuc suprà traditis obstat textus *in cap. si quos* 57. ibi: *Si quos de servis Ecclesiæ benemeritos sibi Episcopus libertate donaverit, collatam libertatem a successoribus placuit custodiri.* Ex quibus apparet, Episcopos posse servos benemeritos manumittere, etiamsi de propriis bonis nihil Ecclesiæ contulerint. Cui difficultati ut satisfaciamus, dicendum est, textum loqui de manumissione servi benemeriti, qui non solùm propter merita in Ecclesiam impensa libertate dignus erat, verùm & majori remuneratione dignus censebatur. Unde sicut Episcopo donanti, vel acquirenti aliquid Ecclesiæ permittitur servum manumittere, quoniam Ecclesiæ interest Prælatos ita ad donandum, & acquirendum allicere, etiam Ecclesiæ interest servos benemeritos manumitti, ut alii ad singulare servitium invitentur libertatis amore, *c. cùm redemptor a quicunque*, *c. ecclesiasticis* 12. q. 2. Accedit, quia quod benemerito præstatur, latè solutio est potiùs quàm donatio, *l. Aquilius* 27. *ff. de donat. l sed etsi* 25. §. *consuluit*, *ff. de petit. hæredit. cap. per tuas*, *de donat.* Unde mirum non est, quod licèt Episcopi alios servos manumittere non possint, benemeritos tamen rectè ad libertatem perducere valeant, ut *in dicto cap. si quos*, docetur.

8. *Exponitur can.* 9 *Concil. Tolet.* 12.

Ex suprà traditis lucem accipit textus *in can.* 9. *Concil. Tolet.* 12. in illis verbis: *Si sacerdos libertatem servis Ecclesiæ conferre voluerit, non à die confectionis suæ scripturæ tempus annorum computatum tenebit, sed ex quo eum, qui scripturam conficit, verius obiisse constiterit.* Quæ verba difficilia valde sunt, dum non constat de quo tempore Patres loquantur, seu ad quid tempus illud ita enumeretur. Pro cujus textus expositione dicendum existimo, canonem illum esse accipiendum de libertate injustè præstita servis Ecclesiæ, ex eo, quod sacerdos, qui eos manumisit, nihil præstitit, aut Ecclesiæ acquisivit: & cùm ita injustè manumissi defenderentur contra successorem sacerdotis, qui intendebat eos in servitutem revocare temporis præscriptione, statuunt Patres ut tempus hujus præscriptionis non currat à die chartæ libertatis confectæ, sed à tempore obitus sacerdotis injustè manumittentis, ut in eodem Concilio statutum erat *can.* 8. relato à Gratiano *in cap. si sacerdotes* 16. *quæst.* 3. ubi docetur, à præscriptione tricennii tempus quoque subduci, quo is, qui alienavit, Ecclesiæ præfuit; quod etiam jure civili procedit, nam filio, cujus res à patre alienata est, contra patris contractum venienti, non obstat tempus quo in sacris pater fuit, quia agere ei liberum non erat, *l.* 1. §. *ult. C. de annali except. Novel.* 22. *cap.* 24. Postea tamen in Concilio Emeritensi, *can.* 20. statutum fuit, ut ita injustè manumissi nullâ temporis præscriptione defendi possent, quin in pristinam servitutem revocarentur. Verba canonis hæc sunt: *In priorum canonum ordine institutum manet, qualiter Episcopi de familia Ecclesiæ libertos debeant facere. Multi etenim sacerdotes, prout illis concessit divina gratia, habent unde canonicum ordinem impleant, & sic libertos faciant, & sunt multi, qui nihil habentes, ad hanc gratiam veniunt, & sic libertos facere præsumunt. Tales enim libertos regula canonica esse non jubet stabilitos. Contingere etenim solet, ut postquam manumissor eorum ab hac discesserit luce, talis occurrat successor, qui aut Ecclesiæ familiam minimè querat, aut per bonam voluntatem, vel negligentiam, hi, à quo nihil Ecclesiæ offerente liberi facti sunt, longo pro tempore libertos se esse defendant: atque eas libertates ita abscondunt, ut pro hoc quærenti Episcopo laborem faciant. Talium si sit voluntas, licentia conceditur nulla; quia non potuerunt, neque à servitio Ecclesiæ unquam discedunt; & pro his rebus in libertate permanere non potuerunt. Sanctorum Canonum non abjicienda sunt instituta, atque his, quæ implenda esse oportet, addimus nova. Placuit huic sanctæ Synodo, ut quisquis digne juxta canonicam regulam libertus fuerit factus, in libertate maneat, & à patrocinio Ecclesiæ ipse, aut posteritas ejus nunquam discedat. Quisquis verò non ut orde canonicus poscit, libertus fuerit factus, quamvis prolixitas temporis in scripturæ suæ textu inveniatur, quia a servitio Ecclesiæ nunquam visus est abscessisse, & canonicæ sententiæ rescindi jubet talem libertatem, ut ille, & posteritas eius omnis in servitio maneant sanctæ Ecclesiæ, cui debitæ manent per veram originem. Illos verò per omnia stabili. in libertate esse instituimus, qui ab ipsis Episcopis liberi sunt, vel fuerint facti, qui de suo bona plurima sanctæ Ecclesiæ, in qua præsident, per suæ scripturæ textum cognoscuntur contulisse. Et hi quamlibet jubeantur esse stabiles, nullo modo rescindendi sunt à patrocinio sanctæ Ecclesiæ. Quod si contigerit eos, eorumque filios personis ingenuis esse conjunctos, & quandoque eorum posteritas patrocinium Ecclesiæ voluerit despicere, ex cujus familia per veram originem constat eos genitos esse, si ex his libertis trahunt originem, qui juxta canonicam sententiam jubentur esse stabiles, & dignitatis suæ nomen teneant, Ecclesiæ patrocinium nunquam amittant. Certè si ex his inventi fuerint originem trahere, quos canonicæ regulæ non jubent libertos esse, quamlibet post longa tempora, dummodo origine firmatâ, reducendi tamen sunt ad sanctam Ecclesiæ, cui pertinent, jura. Liberti tamen ex familia Ecclesiæ facti, & posteritas, quæ ex his est procreata, si libertatem suam, vel parentum suorum inventi fuerint celasse, aut abscondere, & tempore, quo ab Episcopo fuerint admoniti, eam præsentare distulerint, dum eorum origo (ut jam diximus) fuerit manifesta, per legalem testem ad servitium Ecclesiæ reducantur, & ut Episcopo fuerit placitum, ita eos habeat. Hæc forma & in Presbyteris servanda erit, qui cum voluntate Episcopi sui, juxta canonicam regulam de familia suæ Ecclesiæ libertos facere voluerint.*

CAPUT

CAPVT V.

Ex concilio apud (a) Silvan.

(b) NUlli liceat alienare rem immobilem Ecclesiæ, sive agrum, sive (c) rusticum mancipium, sive domum, sive hortum: nec creditoribus specialis hypothecæ (d) titulo obligare. (e) Alienationis autem verbum contineat (f) conditionem, (g) donationem, (h) venditionem, (i) permutationem, & (k) emphyteusim perpetuum contractum: sed omnes sacerdotes ab hujusmodi alienatione abstineant, pœnas timentes, quas (l) Leonina constitutio minatur.

NOTÆ.

(a) *Silvanect.*] Burchardus *lib. 3. Decreti, cap.* 164. Bernardus Papiensis *in* 1. *collect. sub hoc tit cap.* 4. citant textum hunc ex Concilio celebrato apud Silvanect. præsente Ludovico Rege, *can.* 5. Ivo Carnot. *p.* 3. *Decreti, cap.* 183. & *p.* 17. *cap. ultim.* refert textum hunc ex constitutione 7. Instin. *cap.* 1. Et licèt fuisset Concil. Silvanectense celebratum temporibus Nicolai I. anno 863. ad depositionem Rothaldi Episcopi Suessionensis, ut constat ex Synodo Romana celebrata sub eodem Nicolao, *ex epist. 32. eiusdem*, & ex traditis à Baronio *tom.* 10. *anno* 863. *num.* 69. tamen inter ejus acta non reperiuntur hæc verba; sed cùm extent *lib.* 2. *Capitul. Lotharii, cap.* 29. credo in aliqua Synodo apud Silvanectum habitâ relata fuisse ea verba, & transcripta ex constitutione 7. Justin. *cap.* 1. apud Jul. Antecess. ex quo integram hujus textus restituo ita. [Nulla sub Romana ditione constituta Ecclesia, vel xenodochium, vel ptochotrophium, vel gerontocomium, vel brephotrophium, vel monasterium, tam monachorum, quàm sanctimonialium, archimandritam habens, vel archimandritissam: Ergo his omnibus non liceat alienare rem immobilem, sive domum, sive agrum, sive rusticum mancipium, vel panes civiles; nec creditoribus, sive specialis, sive generalis hypothecæ titulo obligare. Alienationis autem verbum contineat venditionem, donationem, permutationem, & emphyteuseos perpetuum contractum. Sed omnes omnino sacerdotes hujusmodi alienatione abstineant, pœnas timentes, quas Leonina constitutio minatur; id est, ut is quidem, qui comparavit rem loci venerabilis, reddat eam ei, cujus & antè fuerat, scilicet cum fructibus, aliisque emolumentis, quæ in medio tempore facta sunt: œconomum autem Ecclesiæ præstare lucrum, quod ex hujusmodi prohibita alienatione senserit, vel Ecclesiam damno affecerit; ita ut in posterum œconomus non sit. Non solùm autem ipse, sed etiam successores ejus teneatur, sive ipse œconomus alienaverit, sive respiciens alienantem Episcopum non prohibuerit, & multò magis si consenserit. Tabellionem autem, qui talia interdicta instrumenta conscripserit, perpetuo exilio tradi oportet: Magistratus autem, qui eadem instrumenta admiserunt, & officiales, qui operam dederunt, ut monumentis intimentur donationes, vel cæteræ alienationes actis intervenientibus confirmentur, non solùm magistratu, sed etiam dignitate, & facultatibus suis cadant. Remittit autem constitutio ea, quæ in præterito tempore acta sunt: excipit autem quosdam contractus, quos in sequentibus exponit capitulis, per quos Ecclesiarum immobiles res alienari possunt.] Unde præsens textus primò editus fuit à Justiniano *in dicta constitut.* 7. & ex eo transcriptus fuit inter Capitularia Lotharii *lib.* 2. *cap.* 29. & in Concilio apud Silvanectum habito, ex quo citatur *in cap.* 1. & 3. *de rerum permut.* & ex illis codicibus Decretistæ, nec non Papiensis compilarunt, & ab eis Raymundus in præsenti transcripsit.

(b) *Nulli.*) Hoc generali verbo comprehenduntur omnes Ecclesiarum Prælati, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Præpositi, Archipresbyteri, Plebani, Presbyteri, ut apertè statuitur in Conciliis Agathensi, Epaunensi, Hispalensi, Oxoniensi, & Pontificum decretis, quorum verba referunt Gratianus *in* 12. *quæst.* 2. Antonius Augustinus *in epit. lib.* 15. *tit.* 31. *per tot.* ita ut ex eorum sententia ad Prælatos etiam regulares extendatur præsens prohibitio, nec non ad Ordinum Militarium Magistros, & Priores: probant Rodriguez *tom.* 1. *qq. regul. quæst.* 27. *artic.* 12. Thom Hurtado *tom.* 1. *de congrua sustent. fol.* 60. §. 16. Etiam comprehenduntur Capitulum Sede vacante. Redoanus *de rebus Ecclesiæ, quæstion.* 30. Prælati schismatici, *cap. unic. de schismat. cap. precariæ* 44. 12. *quæst.* 2. vel aliàs intrusi, *cap. alienationes* 37. 12. *quæst.* 2. An etiam Summus Pontifex hac prohibitione Ecclesiæ comprehendatur, disputant tam Theologi, quàm Juristæ? Et Papam hac prohibitione non comprehendi, deducitur tum ex eo, quia Princeps legibus solutus est, *l. Princeps, ff. de legibus*; nec potest unus Pontifex legem dicere, quam præcisè successor observare teneatur; *cap. audum, de elect.* Tum etiam, quia *in extravag. Ambitiosæ, hoc titul.* expressè cavetur, pœnas statutas in alienantes res Ecclesiæ, locum non habere, quando consulto Romano Pontifice celebratur alienatio: igitur quia cum licentia Pontificis facta alienatio valet, ut deducit Redoanus *de rebus Eccles. cap.* 44. Hinc variæ resolvuntur quæstiones circa effectum consensus Apostolici, & subreptionem in eo admissam per Doctores relatos à Riccio *in praxi, tit. de alienat. rer. Eccles. ex decisione* 24. *usque ad* 103. quæ omnino superfluæ essent, si præsenti prohibitione Summus Pontifex comprehenderetur: quare donationem rerum Ecclesiæ sustineri *in cap. per tuas, de donat.* & *in cap. ad audientiam, de præscript.* communiter docetur. Sed in hac qnæstione, omissis quæ de alienatione rerum Ecclesiæ facta à Pontifice ex potestate absolutâ, seu ordinariâ, tradunt relati Doctores à

Redoano

Redoano *de rebus Eccleſiæ, cap. 45. num. 8.* dicendum eſt, præſenti prohibitione etiam Summum Pontificem comprehendi, ut apertè probatur *ex cap. non liceat Papæ 12. quæſt. 2.* cujus textus meminit Paulus IV. in conſtitutione *Injunctum*, edita anno 1555. *tom. 1. bull.* ubi de Pontifice agi certum eſt; quia licèt olim aliquando Epiſcopi Papæ dicerentur, ut probat Ambianas *ad Tertul. de pudic. cap. 13. obſerv. 1.* tamen hoc nomen proprium eſt Summi Pontificis, ut probat Bellarminus *lib. 2. de Roman. Pontifice, cap. 31.* quare hanc ſententiam ex eo textu probarunt Azor *p. 2. lib. 9. cap. 1. quæſt. 3.* Covat. *lib. 2. var. cap. 17. num. 2. & cap. 18.* Barboſa *de poteſt. Epiſcopi alleg. 95. num. 23.* Peyrin. Lezana, Boſſius, & alii relati ab Hurtado *tom. 1. de congruæ, ſubreſol. 25. §. 14.* Ratio hujus ſententiæ eſt, quia ſicut cura Eccleſiæ Pontifici incumbit, ita & protectio rerum, ſine quibus conſervari non poteſt, *cap. ſi quis objecerit 7. 1. quæſt. 3.* Unde Pontifex, ſi ſine juſta cauſa rem Eccleſiæ alienaverit, licèt alienatio ſubſiſtat, peccat tamen lethaliter. Sanchez *lib. 8. de matrim. diſput. 13. num. 6.* quamvis aliter diſtinguat Navarrus *de ſpoliis cleric. §. 3. num. 8.* hoc enim exigit vis directiva legum, juxta quam obligantur Principes obſervare leges à ſe, vel ſucceſſoribus latas, ut probavi *in cap. 1. de probat.* licèt pœnis ſtatutis in alienantes res Eccleſiæ Pontifex non ligetur; quia quoad vim coactivam Princeps ſolutus eſt legibus. Cujacius *lib. 15. obſerv. cap. 30.* Mendoza *de pactis lib. 1. cap. 5.* Vaſquez *ad 1. 2. D. Thomæ, diſput. 167. cap. 1. & 2.* Suarez *lib. 3. de legibus, cap. 22.* Salas *eod. tract. diſput. 14. ſect. 2. & 3.* Causâ verò legitimâ ſubſiſtente, alienatio rei Eccleſiæ facta à Pontifice abſque alia ſolennitate, defenditur *dicto cap. per tuas. dicto cap. ad audientiam*; quia auctoritas ipſius ſupplet defectum ſolennitatis, argumento textus *in l. 2. C. quando decreto opus non eſt*; juxta quam doctrinam accipiendus eſt textus *in dicto cap. non liceat Papæ*; dum docet, quod non liceat Papæ pro aliqua neceſſitate alienare res Eccleſiæ, hoc eſt, ut pro qualibet neceſſitate eas alienare non debeat, ſed tantùm pro magna, quæ juſtam cauſam præbeat alienationi.

3. (c) *Ruſticum mancipium.*] Sicut Romani ad agrorum culturam ſervis utebantur, *l. ſi mancipia 19. l. cùm de lanionis 18. §. ſi fundus, ff. de fund. inſtruct.* apud quos inter mancipia ruſtica enumerabantur mulier, cuſtos fundi, aut prædii, villicus, molendaria, bubulcus, putatores, foſſores *l. in teſtamento, §. mulier, ff. eod. titulo*: ita & Eccleſia ad agros colendos plerunque in villis ſervis propriis utebatur; unde in Concil. Tolet. *16. can. 5.* cavetur, ut ea Eccleſia, quæ uſque ad decem habuerit mancipia, ſuper ſe habeat ſacerdotem; quæ verò minùs decem mancipia habuerit, aliis conjungatur Eccleſiis. Et in Concilio Agathenſi, *can. 6.* de his agunt Patres ibi; *Caſellas, vel mancipiola Eccleſiæ.* Notarunt Boſquetus *ad Innoc. III. lib. 1. epiſt. 16.* Meurſius *in Gloſſario, verbo Ruſticum.* Præclarè verò definiunt leges Bajuvariorum operas, & tributa colonorum, ac ſervorum Eccleſiæ *tit. 1. cap. 4.* quem totum hîc ſcribo; ne dubium quidquam lectoris animo poſſit reſidere: [De colonis, vel ſervis Eccleſiæ, qualiter ſerviant, vel qualia tributa reddant, hoc eſt agrarium, ſecundùm æſtimationem judicis, provideat hoc Judex, ſecundùm quod habet, donet. De triginta modiis tres donet, & paſcuarium deſolvat ſecundùm uſum provinciæ. Andecingas legitimas, hoc eſt perticam decem pedes habentem, quatuor perticas in tranſverſo, quadraginta in longo: arare, ſeminare, claudere, colligere, & tradere: à tremiſſe unuſquisque accola ad duo modia ſationis excolligere, ſeminare, colligere, & recondere debeat, & vineas plantando claudere, fodere, propaginare, & præcidere, vindemiare. Reddant decimum faſcem de lino, de apibus decimum vas, pullos quatuor, ova quindecim reddant. Parafredos donent, aut ipſi vadant, ubi eis, ſi injunctum fuerit, angarias cum carro faciant uſque 1. leucas, amplius non minentur. Ad caſas dominicas ſtabulare fœnile, granicam, vel tuninum recuperandum, pedituras rationabiles accipiant; & quando neceſſe fuerit, omninò componant. Calcifurnium ubi prope fuerit, ligna, aut petras 1. homines faciant; ubi longè fuerit, C. homines debeant exire, & ad civitatem, vel ad villam, ubi neceſſe fuerit, ipſam calcem trahant. Servus autem Eccleſiæ ſecundùm poſſeſſionem ſuam reddat tributa. Operas verò tres dies in hebdomada, in dominico operet: tres verò ſibi faciat. Si verò dominus ejus dederit ei boves, & alias res, quas habet, tantùm ſerviat, quantùm ei per poſſibilitatem impoſitum fuerit, tamen injuſtè neminem opprimat.] Ubi per andecingas intelliguntur operæ aratoriæ; & per parafredos equi majores, & generoſiores equis ordinariis, ut exponunt Cujacius *ad titul. C. de curſu publico*, Lemaiſtre *lib. 3. de bonis Eccleſ. cap. 6.*

(d) *Hypothecæ.*] Ut dicemus *in cap. 1. de pignor.*

(e) *Alienationis autem verbum.*] Cùm alienatio ſit rei ſuæ, juriſve ſui in alium translatio, juxta Senecam *lib. 5. de benefic. cap. 7* & illuſtrant Fornerius, Gentilis, & Gedeus *in dicta l. alienatum, ff. de v. ſ.* Rither. *de alienat. in princip.* varii ſunt modi transferendi res proprias, aut jus ſibi competens; an verò ad perfectam alienationem deſideretur dominii translatio, pro ſolutione illius quæſtionis, utrum mutuum ſit alienatio, diſputant Salmaſius *de mutuo*, Gibalinus *de uſuris p. 1. cap. 2. artic. 4.* ubi de alienationibus peculiaribus, tam ex jure gentium, quàm Quiritum latè agunt. 4.

(f) *Conditionem.*] Innocentius in præſenti vocem hanc accipit pro contractu conditionali, per quem prædium Eccleſiæ reddatur conditionale, id eſt, cauſa, ſeu natura prædii; quæ ſententia meritò ab omnibus improbatur. Alii legunt *conductionem*, quos idem Innocentius reprehendit ex eo, quia conducere non eſt alienare, *l. penult. §. inſtituto, ff. de legat. 2.* quia locatio, ſive conductio, non ſolet dominium mutare, *l. non ſolet 39. 23. ff. locati, l. ad probationem, l. ſi conductionis 26. C. eod. tit.* Quintinus *in repetit. ad hunc textum*, legit *conditionem teſtamenti*, quia qui teſtamentum condit, alienat: ſed meritò eum reprehendit Germonius *lib. 2. animadverſ. cap. 20.* Alii legunt *conceſſionem*, quia conceſſio alienationis ſpecies eſt, *ex cap. cùm nos, de his quæ ſiunt à Prælat. cap. 2. hoc titul. in 5. compil.* Tandem his omnibus omiſſis Cironius in præſenti retinet *conditionem*, & exponit, id eſt, pactionem

ctionem super rebus Ecclesiæ initam ; nam verbum *conditio*, sumitur pro pacto, *l. societatem*, *ff. pro socio*. Inde stare conditionibus, pro servare pacta apud M. Tullium *lib.* 16 *ad Tyronem*, ibi: *Sin illi suis conditionibus stare noluerint, bellum paratum est*. Et *l. sed Celsus* 6. §. *conditio*, *ff. de contrahenda emptione*, *l. debitori* 7. *C. de pactis*. Prohibetur igitur juxta mentem Cironii in præsenti pactio super rebus Ecclesiæ, quæ præjudicium afferre potest, *cap. plerique*, *de pactis* ; non tamen omnis pactio, sed ea tantùm, quæ damnum afferre potest Ecclesiæ, ut exprimitur *in dicta extravag. Ambitiosæ*, *hoc tit.* in illis verbis: *Omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur*. Quâ sententiâ retentâ, aliqui inferunt, pactum retrovendendi, aut simile emptionis resolutorium, nec ex intervallo, nec in continenti à Prælatis Ecclesiæ apponi posse sine debita solennitate, aliàs nullum esse, ut docuit Fachineus *lib.* 2. *controv. cap.* 3. quæ doctrina quoad pacta ex intervallo adjecta planè procedit, ex traditis à Glossa *verbo Emisisti*, *in l.* 6. *C. de prædiis minor.* Pinel. *in l.* 1. *p.* 3. *num.* 54. *C. de bonis matern.* Circa pacta verò resolutoria adjecta in contractu, quem potuit Prælatus sine solennitate celebrare, dubium est: & pro sententia Fachinei facit verbum hoc, *conditionem*, quo prohibentur, juxta Cironium, pacta quibus Ecclesia rerum suarum dominium amittit : sed per pactiones resolutorias, veluti de retrovendendo, legis commissoriæ ; aut addictionis in diem, dominium rei emptæ in venditorem transfertur ; *l. ubi autem* 4. §. *sed & Marcellus*, *ff. de in diem addict.* ideoque potest actione in rem uti, *l. si quis hac lege* 41. *ff. de rei vind.* ergo hujusmodi pacta resolutoria, etiam in continenti, sine solennitate adjici nequeunt. Facit etiam, quod hujusmodi pacta, quibus alienationi aditus paratur in rebus minorum, absque debita solennitate inita improbentur, *l.* 1. §. *final. ff. de rebus eorum*, *l. si ad resolvendum* 7. *C. de prædiis minor.* docent Albericus *ibi*, Fabianus de Monte *in tractat. de emptione*, *quæstion.* 7. *in princip.* Menochius *lib.* 2. *de arbitr. casu* 171. *num.* 31.

Contrariam tamen sententiam, videlicet hujusmodi pacta resolutoria, sine solennitate adjici posse à Prælato Ecclesiæ, vel tutore in contractibus à se utiliter gestis, docuerunt Cagnolus *in l.* 2. *num.* 151. *C. pact. inter emptor.* Tiraquel. *de retract. convent. tit. final. num.* 13. Pinel. *dicta* 3. *p. num.* 54. Gutierrez *de tutel.* 3. *p. cap.* 5. Larrea 1. *tom. decis.* 40. *num.* 70. Cyriacus *controv. forens. lib.* 2. *controv.* 239. *& sequenti*, Vela 2. *tom. dissert.* 37. *num.* 43. pro qua sententia expendi possunt textus *in cap. verum* 4. *de condit. apposit. l. causam* 20. *ff. de manumiss. l. si rogatus* 20. §. *sed & si hac*, *ff. de manumiss. vindict. l.* 1. *C. quando decret. opus non est* ; ubi hujusmodi pacta resolutoria sine solennitate in contractibus lucrativis admittuntur : ergo & in onerosis non debent improbari. Accedit quia per hujusmodi pacta resolutoria, non tam dominium transfertur, quàm contractus resolvitur, *dict. l. si quis hac* 41. *ff. de rei vind.* ubi Antonius Faber. Igitur servanda sunt à Prælato vel tutore in illis casibus, in quibus ipsi sine solennitate contrahere valent. Fusè eam probant Montero à Cueva *decis.* 47. Arias de Mesa *lib.* 3. *var. cap.* 25. *num.* 13. Olea *de cess. jurium lib.* 2. *q.* 2. *per totam*. Nec hac sententiâ retentâ obstant præsens textus, & textus in dicta extravaganti *Ambitiosæ*, ibi: *Pactum, per quod dominium transfertur*. Nam his verbis improbantur pactiones, per quas intendit Prælatus transferre dominium irrevocabiliter acquisitum: at in specie pacti resolutorii nulla fit alienatio, cùm ad eventum usque conditionis dominium retineatur. Nec etiam obstat textus *in d. l.* 1. §. *final. ff. de reb. eorum*. nam in eo textu non fuit apposita pactio resolutoria, aut ea, quæ venditionem revocabilem præseferret ; sed pactio illa, quæ cùm dominium minori quæsitum ostenderet, nova obligatione, quæ alienationi aditum parabat, minorem adstringebat ; fuit enim in ea specie conventum, ut quamdiu pretium non solveretur, pignori esset supposita res empta ; cùm autem pignus in re aliena non consistat, *l.* 2. *C. si aliena res*, *l. si rem alienam*, *ff. de pignorat. act. l.* 1. *ff. de pignoribus*, & qui vult consequens, antecedens etiam necessarium velit, *l.* 2. *ff. de institct.* inde fit, ut actum intelligatur, quod transeat in minorem dominium rei emptæ, quoties ipsi hac lege venditur res, ut quoad ipse pretium solverit, res pignori subjecta sit ; quo casu valet quidem venditio, sed constitutio pignoris vitiatur, quia in ipsa pignoris obligatione non intercessit solennitas, quæ in alienatione rerum minoris desideratur. Sed hæc interpretatio, etsi defendi possit, admissâ sententiâ eorum, qui docuerunt, quod licèt in emptione celebrata ab Ecclesia, vel minore, adjici possit pactum resolutorium, ex quo opportuno tempore tollitur intellectus prioris contractus ; tamen constitutio pignoris etiam in continenti fieri non potest, quia per eam salvo manente contractu læditur jus publicum, quod exigit certam solennitatem in alienatione rerum Ecclesiæ, seu minoris, quam defendunt Fachineus *dict. lib.* 2. *controv. cap.* 3. Trentacinq. *lib.* 2. *var. tit. de minor. resol.* 9. *num.* 7. Lara *de vita hominis cap.* 23. *num.* 11. Hermosilla *in l.* 4. *tit.* 5. *part.* 5. *glos.* 2. *num.* 25. Acosta *de privileg. credit. ampl.* 4. *num.* 3. Vela *dissert.* 37. *num.* 32. Faber *in Papin. tom.* 12. *princip.* 8. *illat.* 55. Larrea *decis.* 40. *num.* 71. Arias de Mesa *lib.* 3. *variar. cap.* 25. *num.* 13. tamen juxta contrariam sententiam, quæ non solùm pactum resolutoriam in continenti in ea specie admittit, verùm & pignoris constitutionem, quam defendunt Montero à Cueva *decis.* 37. Olea *de cess. jur. tit.* 2. *quæst.* 2. *num.* 24. sustineri non potest ; siquidem in eo §. finali, juncta lege sequenti, conventio adjecta fuit in continenti, & nihilominus improbatur : igitur quia in pacto resolutorio etiam in continenti adjecto adhiberi debet solennitas, quæ in alienatione rerum minoris desideratur : quare responsum illud Vlpiani difficile ; nec ad causarum decisionem allegari posse dixerunt Larrea ubi suprà, *num.* 96. Acosta *dicta ampliat.* 4. *num.* 5. & perduram esse Vlpiani sententiam docuit Matienzo *in l.* 2. *tit.* 3. *lib.* 5. *recopil. glos.* 1. *num.* 17. Sed adhuc hac sententiâ secundâ retentâ dici potest cum Doctore Olea *dicta quæst.* 2. *num.* 41. in eo textu conventionem illam, ut prædia essent loco pignoris, donec pretium solveretur, non fuisse in continenti adjectam tempore venditionis celebratæ, sed tempore traditionis ; unde cùm ex intervallo pactum illud adjectum esset, ideo juxta suprà tradita non sustinetur, nisi adhibita solennitate, quæ in alienatione rerum minoris

noris desideratur. Similiter pactum ex intervallo fuisse adjectum *in d. l. si ad resolvendum, l. 2. C. si adversus donat.* docuerunt Larrea *dict. decis. 40. num 70.* Cyriacus *controv. 240. num. 10.* Olea *ubi suprà, num. 18.* Verùm etsi omnia hucusque tradita vera sint, admissâ sententiâ Cironii, qui conditionem in præsenti, pro conventione accipit, seu pro pactione, mihi semper placuit sententia Antonii Augustini *in præsenti*, Cujacii *hic*, Germonii *dicto cap. 20. & lib. 3. de sacror. immunit. cap. 17. num. 97.* qui prorsus rejiciunt dictionem hanc, *conditionem*, ab hoc textu; nam cùm in ejus autographis, & codicibus, ex quibus præsens textus transcriptus fuit, non reperiatur, videlicet in dicta constitutione 7. Justin. *dict. capitul. 29.* apud Ivonem, & Burchardum, non est ratio, quare eam admittamus, præcipuè cùm in nulla alia canonica decisione, ubi de alienatione rerum Ecclesiæ agitur, reperiatur.

(g) *Donationem.*] De qua agemus *in cap. 3. de donat.*

(h) *Venditionem.*] De qua egi *in cap. 1. de his quæ fiunt à Prælat.*

(i) *Permutationem.*] De qua agemus *in cap. 1. de rerum permut.*

(k) *Emphyteusim.*] De quo alienationis modo agemus *in cap. ad aures, hoc tit.*

(l) *Leonina constitutio.*] An hæc verba referantur ad constitutionem Leonis IV. Pont. relatam à Gratiano *in cap. monemus 18. 12. quæst. 2.* an verò ad constitutionem Imperatoris Leonis, de qua statim, quærit Germonius *lib. 3. de sacror. immunit. cap. 17. num. 94.* qui docet, in præsenti agi de constitutione Pontificis Leonis: sed Glossa, & communiter repetentes in præsenti rectiùs verba relata acceperunt de lege Leonis, per quam latiùs, & accuratiùs consultum est Ecclesiæ, prohibitâ rerum ejus alienatione. Quæ constitutio Leonis, & Anthemii extat *in l. jubemus, C. de sacros. Eccles.* inter quam, & constitutionem Anastasii relatam *in l. privilegia. 17. C. eod. titulo*, & aliam Justin. *in dicta Novel. 7.* illud interest, quod Leonina constitutio tantùm pertinuit ad majorem Ecclesiam Constantinop. ejusque rerum immobilium alienationem inhibuit; lex autem Anastasiana porrexit jus illud etiam ad alias Ecclesias, quæ suberant Patriarchæ Constantinopol. vel in eadem urbe, vel intra ejus territorium. Deinde eadem lege cautum fuit, ut aliarum Ecclesiarum res immobiles alienari possent, interveniente decreto, sive cum causæ cognitione, & monumentis actorum apud Magistratum census, vel defensores civitatum. Tandem Justinianus *in dicta Nov. l. 7.* Anastasii constitutionem abrogavit, Leoninam verò confirmavit, & multis capitibus auxit, ut constat ex ejus serie suprà relata, ex qua Novella 7. & partim ex Novella 120. desumpta est authentica *Hoc jus, C. de sacros. Eccles.* quæ transcripta legitur apud Gratianam *in cap. 2. §. hoc jus 10. quæst. 2.* De pœnis verò à sacris canonibus statutis in alienantes res Ecclesiæ, agemus infrà in commentario sequenti.

COMMENTARIUM.

8. *Conclusio traditur & probatur.*

EX hoc textu talis venit exagitanda assertio: *Res Ecclesiæ alienari non debent.* Idem cavetur *in cap. quisquis 19. cap. Apostolicos 33. cap. Diaconi 35. cap. quidquid 36. cap. Abbatibus 41. cap. sicut 49. cap. non liceat 48. & ferè per totam 12. quæst. 2. cap. infames 17. 6. quæst. 1. cap. 1. 10. quæst. 2. cap. possessiones 62. 16. quæst. 1. cap. si sacerdotes 10. 16. quæst. 3. cap. quicunque 2. 17. quæst. 4. cap. 1. cap. tua, de his quæ fiunt a Prælat. cap. 2. de donat. cap. 1. & per totum, hoc. tit. lib. 6. Clementina 1. eod. titul. extravag. ambitiosæ, eod tit.* Concil. Antelian. 4. *can. 9. Ut Episcopus, qui de facultate propria Ecclesiæ nihil reliquit, de Ecclesiæ facultate si quid aliter, quàm canones eloquuntur, obligaverit, vendiderit, aut distraxerit, ad Ecclesiam revocetur.* Et *can. 11.* ibi: *Si quid Abbatibus, aut sacris monasteriis, aut parochiis pro Dei contemplatione oblatum fuerit, in sua proprietate hoc Abbates, vel Presbyteri minimè revocabunt, nec alienari à cunctis fratribus debet.* Et *can. 18.* ibi: *Quicunque clericus aliquid jure ecclesiastico, seu per scripturam acceperit ad tuendum, & postmodum alienare quacunque occasione voluerit, non valebit.* Et *canone 34* ibi: *Quisquis agellum Ecclesiæ in die vitæ suæ à quocunque sacerdote, cui potestas est, acceperit possidendum, quacunque ibi profecerit, alienandi nullam habeat potestatem.* Aurel. 5. *can. 13.* ibi: *Nec cui liceat res, vel facultates Ecclesiæ, aut monasteriis, vel xenodochiis pro quacunque eleemosyna cum justitia delegatas retentare, alienare, atque subtrahere.* Tolet. 3. *can. 3. Hac sancta Synodus nulli Episcoporum licentiam tribuit res alienare Ecclesiæ, quoniam & antiquioribus canonibus hoc prohibetur.* Tolet. 9. *can. 3. 5. & 8.* Narbonense *can. 8.* Parisiense *lib. 1. cap. 17.* quorum verba refert Antonius Augustinus *in epit. lib. 15. tit. 31. l. jubemus 14. authent. hoc jus, l. penult. C. de sacros. Eccles. Novel. 7. & 120. Justin.* Trident. *sess. 22. de reform. cap. 11.* Constitutio Emanuelis Comneni, aut Bulla aurea de prohibita alienatione rerum ecclesiasticarum, apud Balsamonem *in notis ad 7. Synodum, can. 12. pag. mihi 516.* ex editione Gent. Herbert. & postea ab Edmund. Bonef. *in lib. juris Orient.* & Dionys. Gothofredo post novellas Justiniani, & Leonis, sub prædicto Emanuele, *tit. 9. & 10. l. 1. & 2. tit. 14. partit. 7.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa & Garanna, Castillo *de u. ufr. cap. 64.* Trentacinquius *lib. 3. var. tit. de rerum alienat. resolut. unic. per tot.* Hermosilla *in l. 5. titul. 5. partit. 5. glos. 1. per tot.* Vela *tom. 1. decis. 15.* Barbosa *lib. 3. juris eccles. cap. 30. per totum, & de potest. Episcop. alleg. 55.* Lotherius *de re benef. lib. 3. cap. 25.* plures referens Carvallo *in cap. Raynutius, 2. p. num. 314.* Arias de Mesa *lib. 2. var. cap. 41. & lib. 3. cap. 23.* Olea *de cess. jur. tit. 2. quæst. 1. & 2.* Anguianus *lib. 1. de legib. controvers. 14.* Germonius *lib. 2. animadv. cap. 20.* Balsamon *in can. 12. Synodi 7. & in canone 29. & 36. Synodi Carthag. & in can. 13. Concil. Ancyr.* Corvinus *lib. 2. aphorism. titul. 41.* Cujacius *in præsenti*, Quintanadvennas *lib. 2. eccles. à num. 68.* Chopinus *lib. 3. de sacra pol. tit. 6.* Valuenzuela *consil. 3.* Hieronymus Garcia *tom. 2 polit. regul. fol. 621.* Rodericus Suarez *allegat. 21.* Thomas Hurtado *tom. 1. de congrua sustent. resol. 2. per tot.* Velasco *de privil. pauper. lib. 1. quæst. 22.* Petrus Gregorius *lib. 1. de repub. cap. 31.* Vigel. *in methodo juris can. fol. 369.* P. Grethserus *lib. 3. de immunit. eccles.* Schönbornerius *lib. 4. polit. cap. 2.* Gibalinus *tom. 2. de negot. lib. 4. cap. 8.* Farin. *in repert. de contract. quæst. 10.* Delbene *tom. 2. de immunit. cap. 17.* Dartis *de benef. sect. 7.*

Rousselius

Rousellius *lib. 5. hist. Pontif. iurisd. cap. 1.* Olea *de cess. jur. titul. 7. quæst. 1. num. 2.* Botiller. *de succ. cap. 2. theor. 56.* Marinis *lib. 1. resol. cap. 4. usque ad 7.* Castillo *de aliment. cap. 64.* Paulus Melius *in ejus addit.* Germonius *lib. 3. de sacr. immunit. cap. 17.*

9. Impugnatur traditio vulgaris.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Certum est, Ecclesiam verum suarum rerum dominium habere, ut probavi *cap. 1. & 2. hoc titulo*: unde sequitur, necessariò, ad libitum posse de illis disponere, easque quocunque titulo alienare, & in alium transferre, *§. per traditionem, Instit. de rer. divis. l. quâ ratione 9. §. hoc quoque, l. traditio 20. ff. de acquir. rer. domin. l. incivile 12. C. de rei vind. l. in re mandata 21. C. mandati.* In hoc enim præcipuam dominii partem consistere certum est; ut latè probat Donellus *lib. 9. comment. cap. 9.* Unde dicendum videtur; nullâ potuisse prohiberi lege hanc liberam disponendi facultatem. Augetur hæc difficultas ex eo, nàm qui repudiat legatum, vel hæreditatem, alienat res in ea comprehensas; *l. magis puto 5. §. si pupillus, ff. de rebus eorum, l. quod si minor. 24. §. non semper, ff. de minor. l. final. C. de repud. hæredit.* Sed Prælatus Ecclesiæ potest propria auctoritate repudiare hæreditatem, vel legatum Ecclesiæ relictum; ut de hæreditate constat *ex cap. final. 17. quæst. 2.* De legato suaderur ex eo, quia acquisitio legati continet in se lucrum, *l. legatum 34. de legat. 2.* & per consequens sicut in lucro acquirendo potest servus Domino præjudicare, *l. final. §. sin autem, C. de acquir. hæredit.* ita & Prælatus poterit repudiare legatum Ecclesiæ relictum. Augetur hæc difficultas ex eo, quia usucapio, seu præscriptio alienatio est, *l. alienationis 28. ff. de verb. sign.* sed res Ecclesiæ usucapione, & præscriptione acquiri possunt, *cap. 1. cap. ad aures, de præscription.* ergo quia res Ecclesiæ alienari possunt.

10. Probatur tam hujus prohibitio.

Quâ dubitandi ratione ita fulcitâ minimè obstante; vera est præsens assertio, pro cujus expositione præmissis, quæ pro origine hujus prohibitionis repetenda adduxi *in cap. 1. de his quæ sunt à Prælat.* sciendum est, quod sicut in quibusdam casibus emere & vendere compellimur, ut in exemplis relatis *in l. 1. §. curæ, ff. de offic. Præfect. urb. l. 2. ff. de his qui sunt sui, l. 2. C. de patribus qui filios*: ita è converso jus nunquam alienandi facultatem domino aufert, quamvis eam interpretatione coangustandam; utpote odiosam, existimet. Socinus *consil. 112. num. 21. volum. 1.* Cujus generis plures prohibitiones inveniuntur in utroque jure, ut probat Donellus *lib. 9. comment. cap. 10.* inter quas est illa, quæ res Ecclesiæ vetat alienare; tot utriusque juris sanctionibus confirmata. Circa alienationis autem modos, & contractus à Prælatis Ecclesiæ sine debita solennitate celebrandos, ultra relatos in præsenti textu, Interpretes nonnullos addunt, & examinant, veluti cessionem actionum, an videlicet Ecclesia possit eas cedere? quam quæstionem pro utraque parte doctè exagitat Olea *de cess. jur. tit. 2. quæst. 1.* qui eam ita resolvit: Aut jura competunt ad res immobiles, vel mobiles, sed pretiosas, aut quæ servando servari possunt; & eo casu affirmat cessionem non posse fieri ab Ecclesia sine solennitate à jure præscripta: vel jura competunt ad res mobiles, vel quæ servando servari non possunt; & tunc cessionem admitti absque ulla solennitate. Secundò circa concursum creditorum formandum à Prælato inter creditores Ecclesiæ idem disputat Salgado *part. 1. Labyrinthi, cap. 1. §. 3.* & resolvit, hodie Ecclesiam, minorem, vel Rempublicam nullo præmisso decreto, & absque juris solennitate posse formare concursum cum suis creditoribus. Alios casus resolvunt in utroque foro Hieronymus Garcia, & Thomas Hurtado *ubi proximè.* Præsentis verò prohibitionis causas, seu rationes varias adducunt Interpretes, licèt non omnes ita veras. Primam deducunt ex eo, quia talis prohibitio lege divina nititur, juxta illud Leviticì. *cap. 25.* ibi: *Sub urbana Levitarum ne veniant, quia possessio sempiterna est.* Facit quia semel res Deo dicata, ad humanos usus transferri non debet, *cap. nulli 3. cap. injustum 55. 12. quæst. 2. cap. injustum, de rer. permut. cap. quia semel 4. 19. quæst. 3. cap. ad hæc 4. de relig. domibus, cap. semel, de reg. jur. in 6.* Sed hæc ratio sustineri non potest; nam aliàs sequeretur, nullo in casu prædia ecclesiastica posse alienari, quod falsum est, ut infrà dicemus: quare alia communiter assignatur ratio ex favore religionis petita, quia summa est ratio, quæ pro religione facit, *l. sunt 43. ff. de religiosis, l. sancimus 22. C. de sacros. Eccles. cap. in præsentia, de probat.* Sed his rationibus omissis, veræ causæ præsentis prohibitionis exprimuntur in ipsis constitutionibus, ubi talis prohibitio statuitur. Prima *in dicta l. jubemus 14.* repetita *in cap. 2. 10. quæst. 2.* in illis verbis: *Ut sicut ipsa religionis, & fides mater perpetua est, ita ejus patrimonium jugiter servetur illæsum.* Quæ innuunt utilitatem Ecclesiæ huic prohibitioni occasionem præbuisse. Est enim valde conveniens Ecclesiæ, ut ei conserventur bona propria, ex quibus sumptus exhibeat ad alendos ministros, & instaurandà ædificia, cùm sine bonis temporalibus stare non possint., *cap. si quis 7. 1. quæstion. 3.* notarunt Æneas Robertus *lib. 2. rer. judic. cap. 2.* Valenzuela *contra Venetos 1. p. num. 63.* optimè Donellus *lib. 9. comment. cap. 10.* ideò oportet potestatem Prælatorum Ecclesiæ certis finibus coercere, ne sub prætextu administrationis in vitium dissipationis irruant, quod longè abhorrent sacri canones, *cap. venerabili 37. de offic. deleg.* Secunda ratio redditur *in cap. quisquis 19. 12. quæst. 2.* videlicet, quia non decet ut Prælatus dispergat quæ non collegit: hæc autem impulsiva tantùm est, non finalis; nam licèt ministerio Prælati res Ecclesiæ acquisita sit, non minùs alienari prohibetur, quàm aliæ res Ecclesiæ, *cap. 1. & 3. 12. quæst. 3.* Accedit exemplum minorum, de quibus ad Ecclesiam valet argumentum, *cap. auditis, de in integrum restit.* nam minoribus, & eorum tutoribus etiam prohibitum est prædium rusticum aut urbanum distrahere, *l. 1. §. 1. ff. de rebus eorum, l. 2. & per tot. C. de prædiis minor.* vel etiam rei mobilem pretiosam, *l. lex 22. C. de administr. tut.* ergo sicut tutor res minoris sine decreto, & solennitate à jure præscripta alienare nequit; ita nec Prælatus Ecclesiæ, qui pro tutore habetur, ejus bona sine debitâ solennitate alienare valet. Quando autem ex transcursu temporis præsumatur solennitatem inter eos esse, explicat Marinis *lib. 1. resol. cap. 28.*

11. De rebus alienari prohibitis.

Cùm ergo ob Ecclesiæ utilitatem distractio bono-

bonorum ejus prohibita sit, plerunque autem expediat, atque utilis sit alienatio, ut dicetur *in l. jubemus, §. sanè, C. de sacros. Eccles.* faciunt textus *in l. quod si minor* 24. §. 1. *ff. de minoribus, l. cùm plures* 12. §. 1. *ff. de administr. tut.* ut contingit in rebus, quæ sine detrimento ob interitum servari non possunt, argumento legis *quæ tutoris, C. de administr. tut.* ideo hæc prohibitio absoluta non est; immò licèt rei appellatio latissima sit, *l. rei* 5. *l. rei* 23. *ff. de v. s.* tamen in præsenti non æqualiter in omnibus rebus procedit; primis enim Ecclesiæ canonibus tantùm immobilia, servi rustici, coloni, & annui redditus alienari prohibebantur ex hoc textu, ibi: *Rem immobilem, cap. ut super* 8. *cap. ad audientiam* 9. *hoc tit.* exceptis prædiis modicis, de quibus agemus *in cap. ut super* 8. §. *possessiones, hoc tit.* res autem mobiles absque ulla solennitate distrahi poterant. Postea protracta fuit hæc prohibitio ad res mobiles pretiosas, seu quæ servari possent, *dict. extravag. ambitiosæ.* Nec tunc obstat textus *in cap. is cui* 42. *de elect. lib.* 6. quem exponit Garanna *in præsenti.* Quæ tamen dicantur mobilia, & an pecunia, annui redditus, & actiones pro immobilibus habeantur, latè prosequuntur Vespertini nostri Antecessores in præsenti. Olea *dict. tit. 2. quæst.* 1. Hieronymus Garcia, & Thom. Hurtado *ubi suprà.*

12. *De causis ex quibus fieri potest alienatio.*

Nec etiam sacri Canones absolutè inhibent rerum Ecclesiæ alienationem, sed ita demum, si fiat sine causa, absque juris solennitate; unde alienatio quæ fit servatis servandis, sustinetur: quare exponendum superest, quænam causæ sufficiant ad talem alienationem? Et Glossa *in cap. summa* 12. *quæst.* 2. tres causas agnoscit, necessitatis videlicet, utilitatis, & inutilitatis, quas deducit *ex cap. sicut* 16. *cap. sine exceptione* 52. *cap. terrulas* 53. *cap. aurum* 70. *cum sequenti*, 12. *quæst.* 2. *Authent. hoc jus, l. sancimus, C. de sacros. Eccles. Novella Justin.* quam edidit etiam ac notis illustravit P. Pitheus *post collat. leg. Mosaic. pag.* 192. Glossam sequuntur Redoanus *de rebus Eccles. quæst.* 19. Gilkenius *in dicta authen. hoc jus*, Molina *de justitia disput.* 468. *conclus.* 2. Menochius *lib.* 2. *de arbitr. casu* 172. *num.* 8. quæ omnes causæ utilitatem Ecclesiæ respiciunt, & comprehenduntur *in dicto cap. sine except.* in illis verbis: *Aliquid horum fiat, ut meliora*; & *in dicta extravag.* ibi: *Cum evidenti utilitate.* Quare hæc causa finalis dicitur à Doctoribus permittendæ alienationis. De solennitate in hac alienatione adhibenda nonnulla adduxi *in c. 1. de his quæ fiunt à Prælat.* & an alienatio sine solennitate, sed cum causa celebrata nulla sit, dicemus infrà *in c. 6.*

13. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa, cui satisfaciendum est dicendo, interdum contingere, ut qui dominus est, alienare absolutè non possit, ut docetur *in princip. Instit. quibus alienare licèat*; vel absque certa solennitate alienare nequeat, ut contingit in minore, possessore majoratus, & similibus, ut probant Molina *de primog. lib.* 1. *cap.* 11. & 18. Covar. *lib.* 3. *variar. cap.* 5. *à num.* 5. Unde licèt penes Ecclesiam rerum dominium rerum ipsius resideat, tamen justis ex causis suprà relatis potuerunt sacri canones alienationem ipsarum rerum sine certa solennitate prohibere. Accedit, quia Ecclesia ipsa, penes quam dominium residet, expers est animi, seu consensus; unde cùm alienatio explicari debeat per ejus Prælatos, & illi tantùm sint administratores, possunt res ipsas distrahere. Nec obstat primum augmentum, pro cujus solutione, omissâ quæstione, utrum repudiatio hæreditatis, vel legati sit alienatio, quam latè disputant Fornerius, Gentilis, & Gœdeus *in l. alienationis, ff. de v. s.* Osvaldus *lib.* 23. *Donelli, c.* 18. *littera E.* Gomez *lib.* 2. *variar. cap.* 14. *num.* 14. Castillo *lib.* 1. *controv. cap.* 112. plures congesti à Mesa *lib.* 2. *variar. cap.* 41. *per tot.* dicendum est, Prælatum Ecclesiæ non posse exemplo tutoris repudiare hæreditatem delatam, vel legatum relictum Ecclesiæ, ut probat Gibalinus *tom.* 2. *de negot. lib.* 4. *cap.* 8. *sect.* 5. quia ut suprà dixi, non solùm prohibitum est illi res Ecclesiæ alienare, verùm & jura illi competentia, *cap.* 2. *hoc tit. in* 6. *Clement.* 1. *hoc tit.* unde poterit jus Ecclesiæ delatum repudiare, ut probant Molina *de justitia, tract.* 2. *disput.* 468. *num.* 12. Arias de Mesa *dicto cap.* 41. *num.* 11. & ita in acquirendis non posse Prælatum præjudicare Ecclesiæ, probant Gratianus *disc. cap.* 674. Redoanus *de rebus Eccles. quæst.* 2. *cap.* 12. Delbene, & alii, quos laudat & sequitur Valeron *de transact. tit.* 4. *quæst.* 1. *ex num.* 7. Nec obstat textus *in dicto cap. final.* 17. *quæst.* 4. nam omissis quæ pro ejus illustratione adduxerunt Covar. *lib.* 1. *var. cap.* 19. Donellus *lib.* 12. *cap.* 32. Petrus Gregorius *lib.* 3. *de republica, cap.* 14. *num.* 13. Fornerius *lib.* 2. *rerum quotid. cap.* 8. Meril. *lib.* 2. *obs. cap.* 34. Mancinus *sacri juris dissert.* 15. *cap.* 16. Mornacius *in l. Papin.* 8. §. *si Imperator, ff. de inoffic.* Ritherursius *in notis ad Salvianum, fol.* 430. Vinnius *lib.* 2. *select. cap.* 32. Manrique *de different. q.* 47. Hermosilla *in l.* 8. *tit.* 4. *glos.* 3. *part.* 5. dicendum est, in eo textu non dubitari, an in repudiatione hæreditatis, de qua in eo textu agitur, deberet intervenire solennitas, vel non; sed an in eo casu Aurelius Episcopus à D. Augustino relatus, excusandus esset, quia donationem reddidit, & restituit filiis donatoris posteà natis. Et docetur Episcopum res donatas restituere debere, non jure fori, sed jure poli; quia cùm illa donatio facta fuisset ab eo, qui liberos non habebat, nec sperabat, susceptis postea liberis à donatore, qui si de illis cogitasset, talem donationem non fecisset, juxta legem *si unquam, C. de revocandis, l. cùm avus, ff. de condit. & demonstr.* meritò dicitur *in dict. cap. final.* contra mentem donatoris, & æquitatem naturalem non posse Ecclesiam retinere res sibi donatas. Nec obstat ultima difficultas, pro cujus solutione dicendum est, quod cùm regulariter alienatione rerum prohibitâ, non censeatur inhibita alienatio, quæ ex juris necessitate fit, *l.* 1. *ff. de fundo dotali, l. & post litem* 12. *l. alienationes* 13. *ff. famil. erciscund. l.* 1. *C. commun. divid. l. filius* 114. §. *Divi*, *l.* 2. *ff. de legat.* 1. *l. peto* 69. §. *prædium*, *ff. de legat.* 2. *l. sed & si* 3. §. *pignori*, *ff. de rebus eorum, l. inter* 17. *C. de præd. minor.* docent Molina *lib.* 4. *de primog. cap.* 8 Donellus *lib.* 9. *comment. cap.* 10. Cujacius *lib.* 7. *qq. Papin.* & ibi Faber *in d. l. alienationis*, *ff. famil. erciscund.* Castillo *lib.* 5. *controv. cap.* 113. ideò in hac prohibitione alienationis rerum Ecclesiæ non comprehenditur alienatio, quæ ex juris necessitate fit, ut latè probat Arias à Mesa *lib.* 3. *variar. cap.* 26. & 27. qui hujus necessariæ alienationis varia exempla refert. Primum quoties judicis sententiâ res aliqua ab Ecclesia auferitur legitimè; nam eo casu etiam res minorum, vel dotales alienari possunt, *d. l.* 1. *ff. de*

de fundo dotali, dict. l. 3. §. pignori. de rebus eorum. Secundum, cùm ad divisionem prædii communis Ecclesia provocatur, quem casum illustrat Arias de Mesa *dict. lib. 3. cap. 28. per tot.* & jam examinavi *in cap. 3. de probat.* Tertium exemplum refert Mesa *dict. cap. 27.* cùm res pignori subjecta distrahitur; hæc enim alienatio magis executio prioris obligationis, quàm nova obligatio est, *l. quipupillorum 7. §. 1. ff. de rebus eorum*: nec interest, quod in eodem ait Ulpianus, tutius esse si prius Prætor adeatur, quasi illius decretum necessarium sit ad pignoris distractionem; nam verbum *tutius*, ibi consilium potius, quàm necessitatem importat, ut *in l. qui servum 34. §. si is cui. ff. de obl. & act. cap. quemadmodum 25. §. ultim. de jurejur.* Nec etiam obstat §. *si Prætor*, ejusdem legis 7. ubi docetur, quod si res ex decreto Prætoris pignori detur, non poterit distrahi absque novo decreto. Nam hoc ita accipiendum est, si statim ac decretum pignoris causâ datum est, petatur distractio; secus verò si ex postfacto venditio fiat; juxta legem 4. *ff. de pignoratit.* Quartum exemplum refert Mesa *dict. cap. 26.* cùm Ecclesia est hæres instituta & rogata est restituere hæreditatem, quo casu absque alla solennitate restituere eam valet; quia hæc alienatio non tam ex voluntate Ecclesiæ fit, quàm ex necessitate, argumento textus *in l. magis puto 5. §. si fundus, ff. de rebus eorum.* Quintum exemplum adducitur ex casu usucapionis, seu præscriptionis rerum Ecclesiæ, quod examinavi *in cap. de quarta, de præscript.* Ultimum tandem exemplum adducit Mesa *dict. cap. 27. num. 6.* ex redemptione census Ecclesiæ facta sine solemnitate; quia quamvis qui solutionem recepit, alienare intelligatur, *§. at ex contrario, Instit. quibus alienare liceat*; tamen necessaria potiùs quàm voluntaria est, cùm ex legis ministerio fiat, immò ex natura contractus obligatio resolvatur, ut docent Gaspar Rodriguez *de annuis reddit. lib. 2. quæst. 15. à num. 80.* Avendanno *de censibus cap. 105. num. 2.*

Manet ergo, præsentem prohibitionem locum non habere in alienatione necessaria: nec tunc obstant textus *in l. quidam 10. l. rogo 21. ff. de fideicommiss. libert.* ubi prohibitâ servi alienatione à testatore, non solùm voluntaria, verùm & necessaria, distractio prohibita censetur, adeo ut quocunque modo hæres servum alienaverit, libertas illi competat: ergo idem dicendum est in præsenti prohibitione alienationis rerum Ecclesiæ. Pro quorum jurium expositione, omissis solutionibus traditis à Rolando, & Ruino, quas refert Arias de Mesa *dicto cap. 26. num. 10.* dicendum est, aliquando prohiberi alienationem servorum à testatore odio ipsorum, ut *in l. ea quidem 5. C. si mancipium*; quod & fecisse Augustum testis est Suetonius *in ejus vita, cap. 21.* aliquando verò prohiberi favore ipsorum, ut non aliàm, quàm hæredis experiantur servitutem; quo casu si alienati sint, libertatem assequuntur, *l. cùm fidei 9. dict. l. quidam 10.* ut contingit in domo alienari prohibita, quæ in casum alienationis censetur per fideicommissum proximioribus de familia relicta, *l. peto 69. §. fratris, ff. de legat. 2.* Unde ad effectum fideicommissi consequendi nihil interest, quoquo modo distractio fiat, ex voluntate videlicet, an ex necessitate; quia utroque casu impleta conditio censetur, ut explicat Cujacius *lib. 15. obs. cap. 5.* licèt in aliis casibus suprà relatis non idem procedat. Illud tamen circa eundem casum discrimen notandum est, inter casum, in quo servorum distractio fit urgentibus testatoris creditoribus, seu alienatione necessaria ex pacto ejusdem proveniente, aut propter creditores hæredis, aut *in d. l. peto, §. prædium, l. Statius 48 §. ult. ff. de jure fisci*; ut primo casu etiamsi servi, aut bona alienentur, fideicommissum extinguatur, *d. l. cùm fidei 9.* ubi *nondum*, pro *non*, accipi notavit Gothofredus *ibi*: si verò urgentibus hæredis creditoribus vendantur, fideicommissum competit, quia ejus conditio adimpleta est: prosequitur Arias de Mesa *dict. cap. 26. num. 10.*

14. *Exponitur l. quidam 10. l. rogo 21. ff. de fideic. libert.*

CAPVT VI.

(a) Symmachus Papa.

Si quis presbyterorum, diaconorum, seu defensorum alienanti prædium Ecclesiæ subscripserit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur, servatâ, quam præmisimus, in alienatorem vindictâ, nisi fortè & alienator sibi, dum repetit; & qui acceperit, celeri restitutione prospexit. Quod si minore animæ suæ curâ quisquam remedium oblatum fortè neglexerint, præter ea pœnarum genera, quæ superiùs tenentur adscripta, contra fas si quod præceptum fuerit documentum, universis viribus suis, quamvis ab initio nullas vires habuerit, efferetur. Sed etiam liceat quibuscunque ecclesiasticis personis vocem contradictionis offerre, & ecclesiastica auctoritate fulciri, ita ut cum fructibus possint alienata reposcere. Hujus autem constituti legem in Apostolica tantùm volumus Sede servari, universis Ecclesiis per provincias, quæ proposito religionis convenire Rectores earum videtur, more servato.

NOTÆ.

(a) *Symmachus.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 6.* addendum autem *D. D. Gonzal. in Decretal.* Tom. III. Pars I. est, *in Synodo Romana.* Et licèt Concius legat *tertia, can. 4. 5. & 6.* tamen in ea Synodo non reperiuntur hæc verba; extat tamen sententia ferè eisdem verbis concepta in Synodo 6. Romana,

celebrata tempore Theodorici Regis, sub Kalendis Octobris, anno 503. ex qua citantur à Gratiano textus *in cap. in canonibus, cap. jura* 16. *quæst.* 1. *cap. non licet, dist.* 10. *cap. iniustum* 11. *quæst.* 3. Synodus hæc congregata fuit contra invasores rerum Ecclesiæ, & statutum, ut nisi bona ablata restituerent, ut manifesti hæretici excommunicarentur, nec aliter quàm per satisfactionem ad communionem admitterentur. Item ne liceret Imperatori, vel Regi aliquid ex ipsis bonis usurpare. Cui decreto accuratè paruit Rex Theodoricus, dum interpellatus ab Eustorgio Episcopo pro bonis Ecclesiæ Mediolanensis, ita rescripsit apud Cassiodorum *lib.* 2. *var. cap.* 29. *Quamvis nullos velimus gravamen aliquod sustinere, quos videtur pietas nostra protegere (quia regnantis est gloria subjectorum otiosa tranquillitas) tamen specialiter Ecclesias ab omni injuria cupimus reddi alienas, quibus dum æquabilia præstantur, misericordia divinitatis acquiritur: & ideo Beatissimi viri Eustorgi, Episcopi sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ, petitione permoti, præsentibus te affatibus admonemus, ut prædiis, vel honoribus illius Ecclesiæ intra Siciliam constitutis tuitionem studeas, salvâ civilitate, præstare, nec à quoquam cujuslibet rationis homine contra fas patiaris opprimi, quos decet divinitatis intuitu sublevari.* Et *lib.* 4. *epistol.* 17. Refert Corjolanus *in summa Concil. fol.* 231.

COMMENTARIUM.

1. NOn erat satis alienationem rerum Ecclesiæ tot legibus prohibere, nisi & ipsa alienatio contra sacros canones facta irritaretur, & ita alienantes, aut alienationi consentientes debitis compescerentur pœnis. Ea enim est legis perfectæ natura, ut contra eam factum nequeat sustineri, etiamsi clausulam irritantem non contineat, quia adjecta creditur, *l. non dubium, C. de legibus*, Velascus *de privil. pauper. p.* 1. *quæst.* 22. *num.* 2. Unde si res Ecclesiæ sine præscripta à sacris canonibus solennitate, & justa causa alienentur, nulla est ipso jure alienatio, adeò ut non sit necessaria ulla judicis declaratio, *cap. sine exceptione, cap. quisquis, cap. quidquid* 12. *quæst.* 2. *cap.* 2. *hoc tit. lib.* 6. *Clement.* 1. *eod. tit. dict. extravag. ambitiosæ*: latè probant innumeri congesti à Barbosa *lib.* 3. *jur. eccles. cap.* 30. *num.* 46. Thomas Hurtado *tom.* 1. *de congrua, lib.* 1. §. 19. *per totum*, Marinis *lib.* 1. *resol. cap.* 6. & 7. nisi à Pontifice defendatur, ut *in cap.* 28. §. *final. de elect.* Nec obstat quod *in cap. si quis de rebus* 12. 12. *quæst.* 2. *cap. cùm Ecclesia* 31. *de elect.* dicitur similem alienationem revocandam esse; nam debet intelligi, ut quatenus de facto præcessit, de facto etiam contractus rescindatur. Redoanus *de rebus Eccles. q.* 77. *cap.* 1. *num.* 17. Nec etiam obstat, quod in eodem casu alienationis succurritur Ecclesiæ per remedium restitutionis in integrum, *cap.* 1. *de in integrum restit. cap.* 11. *hoc titul.* quod remedium supponit contractum valuisse, *l. in causa* 16. *ff. de minor.* Quia respondendum est, aliud esse agere ob læsionem ad rescissionem contractus, aliud verò ad nullitatem ex defectu solennitatis. Primo casu remedium restitutionis necessarium est, *dicto cap.* 1. junctis ibi adductis: secundo verò casu tali remedio opus non est, quia alienatio ipso jure est nulla. Dubium tamen est, si in præsenti casu omittatur solennitas, subsit tamen alienationis justa causa, an sustineatur talis alienatio; sæpe enim propter utilitatem sustinentur contractus, qui alias nisi cum solennitate non celebrantur, *l. cùm hi* 8. §. *eam, ff. de transact. l. non minus* 14. *C. de procurat. l. final. ff. de jure dot.* Accedit, quia utilitas Ecclesiæ simili alienationi justam causam præbet, ut in textu antecedenti probavi: ergo si adest utilitatis causa, satis consultum est Ecclesiæ, etiamsi solennitas non adhibeatur: quod & in alienatione rerum minoris defendit Tiraquel. *ad leges connub. glos.* 8. *num.* 86. Quare hanc sententiam defendunt plures, quos refert Gilkenius *in authent. hoc jus, n.* 61. *C. de sacrosc. Eccles.* Rebuffus *in comp. alien. n.* 34. Navarrus *de reddit. Eccles. num.* 17. Mascardus *de probat. conclus.* 75. Gutierrez *lib.* 2. *practic. quæst.* 22. *num.* 9. & *lib.* 2. *de tutel. cap.* 7. *num.* 12. Rodriguez *tom.* 1. *qq. Regul. quæst.* 27. Contrariam tamen sententiam, videlicet etiam justâ subsistente causâ alienationem rerum Ecclesiæ absque solennitate factam nullam esse, probant Sarmiento 1. *p. de reddit. cap.* 2. *num.* 6. & 15. Gilkenius *ubi suprà, ex num.* 96. Vincent. à Franchis *decis.* 35. Riccius *tit. de alienat. decis.* 7. *num.* 3. Quæ sententia probatur *ex cap. sine excepit.* 32. 12. *q.* 2. ubi expressè exigitur in alienatione rerum Ecclesiæ, ut facta sit à Prælato ex justa causa, & simul cum solennitate, id est, totius Cleri consensu. Idem probatur *ex cap.* 1. *hoc titul. in* 6. ubi tractatus, hoc est solennitas, desideratur; & *in extravag. Ambitiosæ*, exigitur causa; unde unum sine alio non sufficit; nam ubi pro forma aliquid desideratur, ejus omissio actum vitiat, *cap. quia propter* 42. *de elect.* Facit etiam exemplum minoris; nam si in alienatione prædii pupillaris causa adsit, decretum autem Prætoris non accedat, inutilis est alienatio, ut resolvit Fachineus *lib.* 3. *controv. cap.* 3. Hac ergo opinione retentâ pro solutione earum rationum, quas pro contraria sententia adducebamus, discrimen ita constituendum est. Aut enim alii Ecclesiæ obligantur absque mutuâ, & reciproca obligatione; & tunc certum est contractum valere: aut alienatio facta fuit cum mutua obligatione; & tunc alienatio non procedente solennitate nulla est, nisi persistente causâ Ecclesia agat ex ea; nam tunc ope exceptionis sustinetur, ne cum alterius jactura Ecclesia locupletetur, contra legem *nam hoc natura, ff. de condict. indeb.* latiùs prosequuntur Sarmientus & Gilkenius *ubi suprà.* Eadem quæ de defectu solennitatis hucusque diximus, procedunt etiam deficiente causa; nam cùm pro forma alienationis in vim conditionis desiderentur justa causa, & solennitas, unâ deficiente actus corruit, *l. si pluribus* 129. *ff. de verb. obl.* Donellus *lib.* 8. *cap.* 32. ubi Osvaldus *littera Q.* docent Gilkenius *ubi suprà, num.* 12. Duarenus *lib.* 7. *de sacris eccles. cap.* 9. idemque procedit si causa præcedat, sed falsa, argumento legis *non multum* 14. *ff. de auctoritat. tut. l. cùm verò* 26. §. *subventum* 7. *ff. de fideicommiss. libertat.* utroque enim casu alienatio ipso jure nulla est, nec necessarium erit restitutionis remedium, ut voluit Glossa *in summa* 12. *quæst.* 2.

2. Circa pœnas statutas contra alienantes res Ecclesiæ, sciendum est, quod diversæ fuerunt pro temporis varietate statutæ. Primò ex constitutione Leonina relata *in dict. l. jubemus* 14. *C. de sacrosc. Eccles.* [2. De pœnis alienantis, vel alienationi consentientis.]

Eccles. puniuntur hujusmodi alienantes amissione officii obtenti, & compelluntur damnum illatum Ecclesiæ restituere: idem statuitur *in cap. nulli 3. cum sequenti, cap. monemus* 18. *cap. quisquis* 19. *cap. indignè* 21. *cum sequenti*, 12. *quæst.* 2. *cap. nullis* 5. *hoc tit.* & jure antiquo deponebantur Episcopi, qui absque necessitate res Ecclesiæ distrahebant, *cap. si quis Episcopus* 10. *quæst.* 2. *cap. Apostolicas* 12. *quæst.* 1. item clerici, aut Abbates, qui sine licentia Episcopi distrahebant res Ecclesiæ, *cap. Abbatibus* 12. *q.* 2. Sed Paulus II. in dicta extravaganti *Ambitiosæ*, hanc dispositionis pœnam temperavit, excommunicatione inflictâ, & post moram in petenda absolutione, suspensione à regimine propriæ Ecclesiæ impositâ; licet quoad has pœnas constitutionem hanc usu receptam non esse moneant Suarez *de censuris disp.* 23. *sect.* 6. *num.* 3. Barbosa *de potest. Episcop. alleg.* 5. *num.* 173. Postea novis constitutionibus Pii V. Urbani VIII. Gregorii XIII. & Sixti V. excommunicatio prolata est non solùm in alienantes res Ecclesiæ, verùm & inconsentientes hujusmodi alienationi, absolutione Pontifici reservatâ, ut eas referens probat Gibalinus *in synopsi censur. verba Alienatio*: prosequuntur Garcia *suprà*, *dub. ultim.* Hurtado *dict. tom.* 1. *de congr.* §. 16. & nos aliqua dabimus *in cap.* 1. *de solutionibus.*

CAPVT VII.

Alexander III. (a) *VVigorn. Episcopo.*

AD aures. *Et infrà:* Illas verò terras, quæ de sylvis extirpatis sunt (b) arabiles factæ, eis (c) hæreditario jure sub annuo censu poteris concedere tenendas, à quibus ipsas suo, vel parentum suorum labore constiterit fuisse extirpatas, nisi fortè aliis possent ad majorem tuæ Ecclesiæ utilitatem, cum eodem onere, & labore conferri.

NOTÆ.

1. (a) *VVigorn.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 7. Concius addit, *Pars cap. ad aures*; & rectè, quia prior pars hujus textus extat *in cap. ad aures, de eo qui duxit in matrim.* in eadem prima collectione, & post Concilium Lateranen. *p.* 6. *cap.* 15. De Wigornienſi Ecclesia nonnulla notavimus *in cap.* 9. *de elect.*

1. (b) *Arabiles factæ.*] In quibus agris sterilibus propriæ emphyteusis ratio consistit, quod facilè patebit, si hujus contractus originem referamus. Sciendum enim est, Romanos Italiâ occupatâ finitimorum agros bello captos partim vendidisse, partim publicasse, civibusque sub tributo modico ad fruendum dedisse. Plutarchus *in vita Gracchorum*, Appianus *lib.* 1. *de bello civili*, ibi: *Agros bello captos, sibique in perpetuum reservatos, eos quidem qui culti erant, colonis continuò dividebant, vendebant, elocabant; eos verò, qui propter bellum inculti, ac deserti erant, quorum magna erat copia, quia nondum illis vacabat in sortem mittere, auctionabantur, eisque addicebant, qui colere vellent, vectigali imposito in natarum quidem frugum decimâ, reliquorum fructuum quintâ.* Aristoteles etiam *lib.* 2. *œconom.* ait, Byzantinos exhausto ærario fundos publicos certâ mercede, & pensione locasse; fertiles quidem ad tempus, alios ad perpetuum, ut culturâ meliores evaderent. Et sanè tunc primùm in usum venire cœpit contractus hic, cùm agri deserti, atque inculti non facilè colonos reperiebant, qui cùm impendium magnum in illorum cultura, atque melioratione fecissent, ab iis discedere cogebantur: institutum igitur fuit, ut non ad tempus, sed in perpetuum, vel certè ad tempus longissimum illi agri elocarentur ea lege, ut quamdiu merces solveretur, tamdiu, vel certè ad longissimum tempus, retinerentur. Unde emphyteusis diffinitur *Contractus, quo res immobilis in perpetuum, sive in longum tempus, quoad dominium utile conceditur sub certa pensione præstanda domino directo.* Docent, naturam, & leges hujus contractus prosequentes, Donellus *lib.* 9. *comment. cap.* 14. *cum sequenti*, Caldas *integro tractatu de jure emphyteutico*, Jul. Clarus *lib.* 4. *sentent.* §. *emphyteusis*, Bronchorst. *centur.* 1. *assert.* 80. *cum sequent* Gibalinus *p.* 2. *lib.* 4. *de usuris, cap.* 1. Et an contractus juris gentium, vel civilis sit disputat Mancinus *centur* 1. *genial. cap.* 27. & an sit bonæ fidei, vel stricti juris, quænamque actio ex eo detur, ipse examinat *cap.* 30. & 31.

(c) *Hæreditario jure.*] Inter alias emphyteusis divisiones ea præcipuè notatur ab Interpretibus, quod alia sit hæreditaria, alia verò familiaris. Hæreditaria est, quæ pro quibuscunque hæredibus, etiam extraneis conceditur: familiaris verò, quæ nullâ factâ mentione hæredum contracta fuit: quare vi concessionis non requirit, ut successores sint hæredes, poteritque filius repudiatâ hæreditate succedere in emphyteusi. De variis formulis, quibus emphyteusis conceditur, agit Molina *de justitia disput.* 472. *cum sequent.*

COMMENTARIUM.

DIfficilis, & meritò Interpretibus visa est præsens Alexandri decisio, dum continet prædia Ecclesiæ in emphyteusim perpetuam dari posse; cùm certum sit inter alias alienationis prohibitæ species, eam referri à sacris canonibus, *cap. nulli, hoc tit. dicta extravag. ambitiosæ*: facitque textus *in l. final. C. de rebus alien.* dum inter alienationis modos enumerat emphyteuticam concessionem, ibi: *Similique modo servitutes minimè imponi, nec emphyteuseos contractum.* Et rectè, nam per hanc concessionem transit in emphyteutam dominium *l.* 1. *C. de jure emphyt.* docent Valascus *de jure emphyt. quæst.* 13. 18. & 29. Garcia *de expensis cap.* 14. *à num.* 3. Connanus *lib.* 7. *comment. cap.* 12. *num.* 2. Duarenus *lib.* 1. *disp. cap.* 14. Gutierrez *lib.* 2. *canonic. cap.* 8.

num. 22. Petrus Barb. *in l. si filio* 26. §. *finali*, *num.* 39. *ff. solut. matrim.* Sarmientus *lib.* 3. *select. cap.* 2. *à num.* 31. Faber *decad.* 65. *errore* 3. & 5. & *lib.* 20. *conject. cap.* 11. Schifordeg. *lib.* 1. *tract.* 18. *quæst.* 3. Caldas Pereyra *de renov. emphyt. lib.* 1. *quæst.* 10. Jul. Clarus *lib.* 4. *recep. sentent. verbo Emphyteusis*, *quæst.* 1. *num.* 2. Pichardus *in* §. *alio*, *de locat. ex num.* 31. Donellus *lib.* 9. *comment. cap.* 13. Yranzo *de protestat. cap.* 15. Solorzanus *lib.* 2. *de jure Indiar. cap.* 2. *num.* 6. Besoldus *in delibat. juris ad lib.* 6. *Pandect. tit. si ager vectigalis.* Quod dominium Pragmatici utile, nos verò bonitarium dicimus, de quo loquuntur textus *in l. sciendum* 15. §. 1. *ff. qui satisdare*, *l.* 1. & *ult. ff. si ager vectig. l. cùm sponsus* 12. §. *in vectigalibus*, *ff. de public. l.* 3. §. *si ego*, *ff. de novi operis nunc. l.* 1. §. *quod aut* 3. *l.* 2. *ff. de superfic l.* 5. *titul.* 30. *partit.* 3. Unde illi tantùm possunt emphyteusim concedere, qui res ipsas alienare valent, non verò illi, qui alienandi facultatem non obtinent, ut minores, furiosi, prodigi, tutores sine decreto judicis, procuratores absque speciali mandato, ut probat Gibalinus *dicto lib.* 4. *art.* 1. *cap.* 3. Ex eadem ratione nec majoratus possessores possunt res majoratus in emphyteusin dare, ut post Molinam, & Mieres probant latè Flores de Mena *ad decis.* 16. *Gamma*, *num.* 3. Carvallo *in cap. Raynuntius*, *part.* 2. *num.* 311. Anguianus *de legibus lib.* 2. *cap.* 14. *per totum.* Igitur non rectè asseritur in præsenti, Episcopum posse prædia Ecclesiæ in emphyteusin concedere. Sed antequam huic difficultati satisfaciamus, sciendum est emphyteusin aliam esse perpetuam, aliam temporalem: perpetua, quæ communior est, unde emphyteutæ jus dicitur perpetuum *in l.* 1. 2. & 3. *C. de locat. præd. civil. l.* 1. *C. de offic. Comit. sacri pal.* atque emphyteusis perpetua conductio dicitur à Gordiano *in l. viam*, *C. locati*, ea est, quæ sine temporis, aut personarum præfinitione conceditur; temporalis, quæ ad certum tempus, vel numerum personarum, *l. ultim. ff. si ager vectigal.* Cùm ergo de emphyteusi concedenda ex rebus ecclesiasticis agitur, jus hoc per Imperatores statutum legimus, ut temporalem emphyteusim omnibus Ecclesiis concedere liceat, dummodo ultra filios, & nepotes non porrigatur; perpetuam verò nullo modo concedere possint, nisi in prædiis ruinosis, *authent. de non alienandis*, *authent. de alienat. & emphyt.* Juxta sacros verò Canones indistinctè emphyteusis, tam perpetua, quàm temporalis prohibetur, *d. cap. nulli*, *d. extravag. ambitiosæ*; & meritò, quia si locatio prædiorum Ecclesiæ ad longum tempus fieri prohibetur, *cap. ad audientiam*, *infrà hoc tit.* ita etiam emphyteusis: probat Molina *lib.* 2. *de justitia*, *disp.* 469. nec contrarium probatur in præsenti textu, nam in eo supponitur, emphyteusim concedi debere adhibitâ solennitate à jure præscripta, argumento textus *in l. qui testamento* 20. *ff. de testam.* & ita Alexander non negat in emphyteusi desiderari solennitatem, quæ in alienationibus exigitur. Accedit, quia in præsenti casu tantùm dubitabatur, an prædia aliàs sterilia aratro ad fertilitatem redacta essent; & ita an adesset justa causa ad concedendam talem emphyteusim? Cui dubio respondet Alexander, alienationem illam fieri posse, quasi dicat, eam esse justam causam concedendi prædia Ecclesiæ in emphyteusim agricolis illis, qui ea reduxerunt ad culturam; non tamen ideò negat Alexander, adhibendam esse juris solennitatem. Si autem res Ecclesiæ solitæ sint concedi in emphyteusim, poterit Prælatus propriâ auctoritate iterum dare, *cap. per tuas*, *de donat. cap. final. de feud. cap.* 2. *de locato*, *in* 5. *compil.* Vela *tom.* 1. *dissert.* 15. quia tunc non est alienatio, cùm res illæ nondum ad Ecclesiam redierint pleno jure. Docent Covar. *lib.* 2. *var. cap.* 17 Azor *lib.* 10. *institut. p.* 3. *cap.* 2. *quæst.* 8. Gibalinus *dicto lib.* 4. *de usur. cap.* 1. *artic.* 3. qui rectè exigunt, ut eadem causa dandi in emphyteusim perseveret; ideoque negant agrum, qui ob sterilitatem datus primò fuerit in emphyteusim, & deinceps culturâ factus est pinguior, finitâ emphyteusi propter emphyteutæ delictum, aut deficientibus ejus hæredibus, dari denuò in emphyteusim non posse; quia eadem causa, propter quam in emphyteusim primò datus fuerat, nimirum sterilitas, non amplius subest.

CAPVT VIII.

Cœlestinus III. (a) *Ravennati Archiepiscopo.*

UT super aliqua repositæ quæstionis dubietas Ap. Sed. providentiâ enodetur, Romana Ecclesia, cui licèt immeriti præsidemus, singulorum consuevit consultationibus respondere. Sanè quæsivisti à nobis, si possessiones, seu redditus regalium decimationum, & aliunde ex certis locis provenientes, quos prædecessor tuus bonæ memoriæ quousque diem clausit extremum, ad manus suas tenuit, & in proprium usum excepit, nec aliis infeudavit, de mensâ sint Archiepiscopi intelligendi, & de eis, cùm ex sacramento fidelitatis teneatur ab Apostolica Sede, nihilominus causâ de subjectionis contractus possit alienationis cujuslibet intervenire. Tuæ igitur inquisitioni præsenti pagina duximus respondendum, quod sive intelligantur de mensâ, sive non, ut non alienentur, consultius æstimamus.

NOTÆ

NOTÆ.

(a) *Ravennati.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. sed legendum est, *Urbanus III.* & supplendum est, *Gerardo*, de quo plura refert Rubeus *lib. 6. histor. Raven. fol.* 355. ubi aliud rescriptum à Lucio III. eidem missum refert: & *fol.* 357. ni fallor, hujus textus meminit, dum ait: *Lucius Pontifex Maximus postquam Argentam, quam memoravimus à Ferrariensibus, Salinguerrâ Torello Duce occupatam, restituendam jussit, eamque una cum omnibus, quæ in Argentano agro Archiepiscopus Ravennas possideret, Pontificiis litteris confirmavit, migravit ex hac vita Veronæ VII. Kal. Decembris: in ejus locum Urbanus III. suffectus est, qui postero anno litteris suis concessit Gerardo Ravennati Archiepiscopo, ut Ravennatis Ecclesiæ possessiones procul positas, & minùs utiles, sicuti quæ Pollæ, & in quibusdam aliis locis erant, accedente sacratorum hujus Ecclesiæ virorum consensu, alienaret.* De Ecclesia Ravennat. egi *in cap. 5. de rescript.*

COMMENTARIUM.

PRo hujus textus expositione sciendum est, juramento fidelitatis ab Archiepiscopis & Episcopis præstando adjici promissionem indemnitatis rerum mensæ propriæ, his verbis: *Possessiones verò ad mensam meam pertinentes non vendam, nec donabo, non impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo; etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ, inconsulto Romano Pontifice; & si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc adita constitutione contentas eo ipso incurrere volo.* Ita refertur in Pontificali Romano *part. 1. de consecr. electi in Episcop.* Hanc autem promissionem juramento firmatam ab iis tantùm olim exigi solitam fuisse, de quibus suspicio probabilis oriri posset, quod bona Ecclesiæ alienaturi essent, colligitur ex textu *in cap. de Syracusana*, 28. *dist.* ex quo deducitur, indemnitatis rerum ecclesiasticarum in ordinatione cautionem juratoriam ab eo exactam fuisse, qui liberos, & uxorem habens, facilè credi posset inducendus cupiditate sanguinis, & carnis ad alienanda, vel dilapidanda bona Ecclesiæ: in aliis verò Episcopis consecrandis hanc cautionem non exigi probat Hallier. *de sacris elect. sect. 6. §. 5. per totum*, & firmari potest ejus sententia *ex cap. 2. de feudis*, *cap. final. de Eccles. adsic.* ubi mentio fit hujus promissionis. Nec novum est, ut à suspecto juramentum exigatur, quod à non suspecto nequaquam requiritur. Cùm ergo Gerardus Archiepiscopus Ravennæ prædictam promissionem fecisset, & ambigeret, an possessiones regalium decimationum spectarent ad mensam propriam, vel Capituli, consuluit Urbanum III. qui illi rescribit, in eo casu tutius esse ab alienatione abstinere, cùm in dubiis tutior pars sit eligenda *cap. 3. de sponsal.* sed si ipsæ res, de quibus ambigebatur, solitæ erant in feudum dari, non obstante tali juramento poterat Gerardus iterum in feudum concedere.

§.

POssessiones verò, quæ Ecclesiæ tuæ minùs sunt utiles, pro aliis utilioribus, de fratrum tuorum, & sanioris partis consilio, & adsensu alienandi, seu commutandi liberam concedimus facultatem.

COMMENTARIUM.

SUppositâ hujus §. historiâ, quam ex Rubeo suprà retuli, sciendum est, dubium esse, an universa bona immobilia, etiam modici valoris, sub præsenti prohibitione de rebus Ecclesiæ, & cætera comprehendantur? Et negativa sententia suadetur *ex cap. terrulas 53. 11. q. 2.* ubi sine consilio fratrum, hoc est sine solennitate permittitur Episcopo alienare terrulas, seu vineolas exiguas, & Ecclesiæ parum utiles, *ex cap. 3. de donationibus*, *l. 5. tit. 14. part. 1.* ubi rei modicæ donatio Prælato permittitur, etsi donare absolutè ex rebus Ecclesiæ illi prohibeatur; *cap. 1. de his quæ fiunt à Prælatis.* Ita docuerunt Redoanus *de rebus Ecclesiæ q. 13. & 51.* Gutierrez *consil. 15. num. 7.* Gratianus *discept. forens. tom. 3. q. 452. num. 16.* qui æstimationem modicitatis prædiorum arbitrio Judicis relinquunt. Contraria verò sententia, immò ad omnia prædia etiam modicæ æstimationis præsentem prohibitionem extendi, verior est, non solùm quia circa minorum prædia non alienanda hoc jus obtinuit, *ex l. si fundus 13. in princip. ff. de rebus eorum*; sed etiam quia eadem lex Ecclesiarum prædiis specialiter præscripta reperitur *in cap. 1.* ibi: *Prædium Ecclesiæ magnum, vel exiguum*, 17. *q. 4.* & in præsenti textu: proderit ergo modicitas, aut inutilitas prædii, ut alienationi faciendæ ii, quorum interest, servatâ formâ dictæ legis *si fundus*, consensum præbeant: sed sine solennitate facta distractio, etiam modici prædii, nulla est, ut docent Duarenus *lib. 7. de sacris Eccles. cap. 9.* Rebuffus *in compend. alienat. num. 60.* Nec contrarium probat textus *in dicto cap. terrulas*; nam omissis solutionibus traditis à Glossa *in præsenti*, Gutierrez *dicto consil. 15.* dicendum est cùm Duareno *ubi proximè*, in eo textu non remitti solennitatem novis canonibus præscriptam, sed eam quæ desiderabatur juxta veteres canones: quos retulii *in cap. 1. de his quæ fiunt à Prælat.* consensum videlicet comprovincialium Episcoporum; fratres enim ibi accipiuntur pro Coëpiscopis; ut notavit Cironius *ad titulum de his quæ fiunt à Prælat.* nam cùm difficile esset, duos, aut tres comprovinciales ad quamcunque alienationem advocare, ideò constitutum fuit, ut distrahendi facultatem solus Episcopus habeat, duobus concurrentibus. Primum, ut prædia alienata modici valoris, aut utilitatis sint: secundum ut necessitas urgeat, ita ut ad remittendam solennitatem illam sola necessitas non sufficiat, *cap. nullus 39. 17. q. 4.* Nec etiam sola modicitas, aut inutilitas, nisi duplex hæc causa concurrat, sufficit ad alienationem, quod probat mihi rex-

tus *in cap. si quos* 57. 12. *q.* 2. dum in eo statuitur, valere donationem terrulæ, aut vineolæ factam ab Episcopo libertis Ecclesiæ, quos ob benemerita manumiserat; ideò enim ibi sustinetur donatio, non solùm quia fuit facta de re modica, sed etiam quia fuit collata in servum benemerentem, quæ est justa donationis causa, *cap. cùm redemptor* 68. 12. *q.* 2. Nec etiam obstat textus *in dicto cap.* 3. *de donat.* cujus sententia accipienda est de rebus mobilibus, quarum etiam donatio Episcopo prohibita est, *ex cap.* 2. *eod. tit. juncta l. filius* 7 *ff. de donat.* In his enim rebus, si quantitas exigua est, & consuetudo non refragatur, donationem permittit textus ille, licèt prædiorum donatio sine solennitate etiam modici valoris improbetur.

CAPVT IX.

Cœlestinus III. (a) *Exoniensi Episcopo.*

AD audientiam nostram noveris pervenisse, quod quidam de Canonicis Exonien. Ecclesiæ quædam prædia ejusdem Ecclesiæ inconsultis aliis fratribus, in damnum Ecclesiæ, & detrimentum eorum, acceptâ inde pecuniâ in perpetuum locaverunt: unde quoniam id indignum penitus noscitur, & iniquum; f. t. per A. s. m. quat. si verum est, quod asseritur, locationes illas legitimè revocare curetis, ita quidem, quod si locata prædia non aliter revocare poterunt, eos, quos noveris hatum locationum auctores, susceptam inde pecuniam refundere conductoribus compellas, ne si hujusmodi locationes in sua contigerit stabilitate persistere, inde gravis eidem Ecclesiæ possit incommoditas provenire.

NOTÆ.

(a) *Exoniensi.*] Ita etiam habetur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. De Exoniensi Ecclesia nonnulla notavi *in cap.* 6. *de filiis Presbyt.*

COMMENTARIUM.

1. EX hoc textu communiter deducitur, prædia Ecclesiæ locari non posse ad longum tempus; quod & statuitur *in cap. nulli* 5. *hoc titulo, Clement.* 1. *Extravag. ambitiosæ, eodem titulo:* & probatur ex eo, quia ex locatione ad longum tempus facta dominium utile transfertur, *l.* 1. §. *quod autem, l. final. ff. de superficiebus, l.* 1. *& 2. ff. si ager vectig.* probavi suprà *in cap. ad aures*, & latè docent Velasc. *de privil. pauper. part.* 1. *q.* 32. Brito *ad rubric. de locato*, §. 1. *num.* 10. Menochius *de recuper. rem.* 1. *num.* 68. Cujacius *lib.* 12. *Pauli ad edictum, in l. id est*, 74. *ff. de rei vind.* Pichardus *in* §. *in summa, num.* 283. *Instit. de interdict.* Valentia *lib.* 2. *illustrium, tract.* 1. *cap.* 6. *num.* 1. Amaya *in l.* 1. *C. de fide & jure hastæ, num.* 31. ideoque prohibitum alienari, nec ad longum tempus locari posse, est communis Doctorum resolutio, ut ex pluribus docent Gomez *in l.* 4. *Tauri*, Velasc. *dicta q.* 22. *num.* 14. qui longum tempus in hac parte accipiunt pro decennio, vel si locatio fiat ad novem annos cum pactò renovandi eam de novennio in novennium; & per consequens alienatione rerum Ecclesiæ vetitâ, prohibita censetur etiam locatio ad longum tempus. Sed in contrarium facit, quod locatio dominium mutare non solet, *l. non solet* 39. *ff. locati*; nec ullum verum ex ea transfertur dominium, ut probarunt latè Cumanus *in l. Lucius, penult.* §. *instituto, de legat.* 2. Connanus *lib.* 7. *Comment. cap.* 12. *num.* 3. Pinellus *in l.* 1. *C. de bonis matern.* 3. *p. num.* 66. cùm nulla differentia versetur inter locationem ad longum, vel ad breve tempus factam, cùm in multis juris locis reperiatur locatio in plures annos facta, *l. si in lege* 24. §. *final. l. qui fundum* 32. *l. cùm in plures* 60. *ff. locati*; & ex eadem lege *qui fundum*, juncta lege *fundi partem* 79. *ff. de contrah. emption.* ubi locatio ad decem annos fit, quod tempus juxta Authores contrariæ sententiæ longum dicitur, ut notavit Amaya *in l. unic. C. de vendit. rerum fisc. num.* 52. & ex locatione conductor non possidet, quia usus tantùm rei illi permittitur, *l. si servus* 61. §. *locavi* 8. *ff. de furtis*: quare dicitur rem alii, non sibi possidere, *l.* 1. *C. communia de usucap. l.* 2. *C. de præscript.* 30. unde consequens est, ut conductor non possideat, cùm circa detentionem rei nullum proprium jus habeat, sed mutuatum à domino, cui possidet, & ministerium præstat, *l. officium* 9. *ff. de rei vind. l. communi* 7. §. *nec colonis, ff. communi divid. l.* 3. §. *ult. cum l. sequent. ff. ad exhib. l. servi* 16. *ff. de periculo & commodo, l. si quis* 10. §. 1. *l. qui bona* 19. *l. interdum* 21. §. *ult. ff. de acquir. possess. l. non solùm* 33. §. *quod vulgò, ff. de usucap. l.* 2. §. 1. *ff. pro hærede, l. in puteum* 12. §. *ego, ff. quod vi aut clam. l.* 1. § *denique, ff. de vi & vi armat. l. certè* 6. §. *is qui* 2. *ff. de precario*; nisi expressè hoc actum sit, ut transferatur possessio in conductorem, argumento legis *si absenti* 38. §. 1. *ff. hoc tit.* Possessionem etiam locari posse, post Bartolum, & Petrum Fabrum probat D. Josephus de Retes *de acquir. possess. cap.* 3. *consect.* 2. *num.* 8. Igitur locatio rerum Ecclesiæ, sicut ad modicum tempus, etiam ad longum fieri potest. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, verum esse, nec ex locatione ad modicum tempus, nec ad longum facta, dominium aliquod in conductorem transferri: nec contrarium probant textus suprà expensi, qui loquuntur, & procedunt in emphyteusi, ex qua dominium utile transfertur, *l. possessores* 12. *C. de fundis patrim. lib.* 11. ibi: *Cùm fundorum sint Domini*; & *l. si qui* 5. *C. de diversis prædiis, eodem libro*, ibi: *Cùm sufficiat possessoribus, quod apud eos dominium in perpetuum ex nostra liberalitate*

Dicto permaneat. Quia emphyteusis alienatio est, *Novel. 7. §. alienationis*, ibi: *Et in perpetuum extensam emphyteusim, quæ non procul ab alienatione consistit.* Locatio autem alienatio non est, ideoque ex ea, quamvis ad longum tempus facta, nullum dominium transfertur. Nec contrarium procatur in hoc textu, & aliis suprà citatis, ubi locatio rerum Ecclesiæ prohibetur, si ad longum tempus celebretur. Nam hoc non procedit, quia alienationis verbo comprehendatur locatio, sed extensione legis, quæ voluit, ut prohibitâ alienatione comprehenderetur talis locatio ad longum tempus facta. Rationem autem hujus extensionis assignavit Amaya *in dicta l. unic. C. ne fiscus in rem, num. 56.* quia ex tali locatione perlonga videtur res Ecclesiæ alienata perpetuò, semper accedente utilitate rei locatæ, ut de usufructu civitati relicto refertur *in l. an usufructus 56. ff. de usufruct. l. si usufructus 8. ff. de usufruct. legato:* posset enim evenire, ut si ad longum tempus non esset locata, utilior esset Ecclesiæ, & in effectu fraus fieret præsenti prohibitioni; frustrà enim sacri canones prohiberent venditionem, & emphyteusim rerum Ecclesiæ, si liceret Prælato ipsas res Ecclesiæ ad longum usque tempus locare, cùm per similem conductionem facilè hæc prohibitio eluderetur; & prohibito actu alienationis, prohibitus quoque fuit omnis actus ei similis, & qui eundem effectum habet, *l. sicut 8. §. sed si 13. ff. quibus modis pignus.*

Adhuc tamen pro expositione præsentis textus distinguendæ sunt nonnullæ locationes; alia enim est locatio in perpetuum, veluti si quis rem conduxerit quoad pensionem solvat, Carrocius *p. 2. de locato, q. 6.* vel ad longum tempus, hoc est decennium, de qua hucusque egimus: alia est locatio ad modicum tempus, quæ licèt apud Romanos de quinquennio intelligeretur, *l. sed si lege, §. si domus, ff. locati*, Cujacius *lib. 34. Paul. ad edict. in l. si in lege 24. §. final. ff. eod. tit.* tamen circa res Ecclesiæ locatio illa modica censenda est, quæ triennii metas non excedit. Rursus alia locatio est, quæ fit de rebus ad patrimonium Ecclesiæ spectantibus, alia de rebus præbendæ aut beneficio annexis. Tandem alia locatio fit repræsentatâ pecuniâ, hoc est ante diem solutâ, ut exponunt Zerola *in praxi, verbo Alienatio q. 7.* Gutierrez *3. p. de juram. cap. 3. num. 2.* alia fit mercede statutis temporibus, vulgò *à plazos*, solvenda: in qua locationum varietate sequentes casus observandi sunt. Primùs, cùm bona Ecclesiæ in perpetuum, vel ad longum tempus locantur, quo casu talis locatio inutilis est, ex præsenti textu, & suprà expensis; adeò ut nec pro tempore modico locatio sustineatur, ut resolvunt Molina *lib. 1. de primog. cap. 21. num. 28.* alter Molina *tom. 2. de justitia; disput. 467.* Secundùs casus contingit, cùm eadem bona ad tempus modicum locantur, quo casu utilis, & valida locatio est, *Clement. 1. extravag. ambitiosæ, hoc titulo:* docent uterque Molina *ubi suprà*, Carrocius *de locatione bonorum Ecclesiæ, lib. 1. conclus. 1. & 2.* quia talis locatio tutori, & cuicunque administratori permittitur, ut docent Pinellus *in l. 1. C. de bonis matern. 3. p. num. 64.* Marinis *lib. 1. resol. cap. 4.* Molina *de primog. dict. cap. 21.* qui etiam id resolvit in possessore majoratus; & de hac locatione accipiendus est Scævola *in l. penult. §. instituto, ff. de legat. 2.* dum docet, prohibita alienatione, non censeri prohibitam locationem; eaque locatio nomine Ecclesiæ facta; successorem intra præfinitum tempus constringit, & poterit fieri talis locatio repræsentatâ pecuniâ, vel consignato pretio certis pensionibus; dum tamen per repræsentationem pecuniæ non inferatur præjudicium successoribus Trident. *sess. 25. de reform.* docent Redoanus *de rebus Eccles. q. 6. num. 53.* Carocius *de locat. rer. Eccles. conclus. 20.* Moedanus *decis. 8. sub titulo de confirm. utili.* Illud tamen in hoc casu summè notandum est, quod cùm dicta Extravagans *Ambitiosa*, tantùm vigeat ubi usu recepta est, ut notarunt Gilkenius *in authent. hoc ius, C. de SS. Eccles.* Zerola *in praxi, verbo Alienatio*, Molina *de justitia, disput. 466.* Gutierrez *lib. 1 canonic. cap. 8. ex num. 2.* Garcia *de benef. 2 p. cap. 1. ex num. 40.* ad cognoscendum, an sine solennitate suprà triennium liceat conducere res Ecclesiæ, inspiciendum est, an prædicta constitutio recepta sit, quia si non reperiatur recepta, poterunt locari res Ecclesiæ usque ad novem annos, cùm ante illam constitutionem sola locatio ad longum tempus, id est, decennium, prohibita esset. Docent Gutierrez, Garcia, & Molina *ubi proximè*: juxta quam doctrinam accipiendus est textus *in cap. 2. de locato*, dum ait, locationem eam rerum Ecclesiæ permitti, quæ alienatio non sit; intelligendus est enim de locatione, quæ fit minori tempore decennio, majori autem triennio. Tertius casus evenit cùm per Rectorem Ecclesiæ, aut eum, qui præbendam habet, locantur prædia annexa dignitati, aut præbendæ, vel fructus eorum; quæ locatio potiùs dicitur fructuum ecclesiasticorum, quàm rerum Ecclesiæ, cùm non fiat de rebus ad mensam Ecclesiæ, seu ejus patrimonium spectantibus; quo casu discrimen constituendum est inter locationem prædiorum, rerumve annexarum præbendæ; & locationem fructuum ipsius præbendæ: locatio prædiorum ad longum tempus facta nulla est, quia æquale jus in his rebus procedit, ac in rebus ecclesiasticis, *dicta extravag. ambitiosæ*; ideò omnium rerum, & bonorum ecclesiasticorum locatio non sustinetur: locatio verò fructuum præbendæ etiam ad longum tempus permittitur, ut *ex cap. final. ne Prælati vices suas, l. 9. tit. 17. part. 1.* probant Molina *de primog. lib. 4 cap. 21.* alter Molina *disput. 466.* Avendanno *1. p. de exequend. mandat. cap. 4. num. 42.* Valasco *de jure emphyt. q. 29.* quod jus beneficiariis non concedunt Gutierrez *lib. 1. canonic. cap. 8.* Garcia *ubi suprà, num. 32.* Tandem ultimus casus notandus est cùm fit locatio jurisdictionis ecclesiasticæ, aut facultatis ecclesiasticæ deputandi vicarios in spiritualibus; quo casu statuendum est, locationem nullam esse, sive ad longum, sive ad modicum tempus fiat, *cap. 1. & 2. Ne Prælati vices suas*, Trident *sess. 25. de reform. cap. 11.* quia prædicta locatio magis propter simoniæ periculum, quàm propter dissipationem rerum corporalium prohibetur.

CAPUT

CAPVT X.

Innocentius III. *Caro Archiepiscopo Montis* (a) *Regalis.*

POssessiones ad mensam tuam, vel Capituli pertinentes alienare non debes, aut Ecclesias, in quibus consueverunt monachi ministrare, (b) clericis, vel laicis assignare personis. Ideoque fraternitati tuæ auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne possessiones, (c) casalia, vel Ecclesias, quæ non consueverunt in beneficium assignari, alicui petenti concedas: immò potiùs Ecclesiam sancti Clementis de Messana, quam Gerardo Teutonico; & sancti Sepulchri Ecclesiam, similiter de Messana, quam Falconi Canonico; & beneficium, quod Thomæ filio I. Ferrari, in grave præjudicium Ecclesiæ tuæ diceris contulisse, ad priores usus non differas, appellatione postpositâ, revocare. Datum Romæ apud Sanctum Petrum XI. Kal. Junii, Pontif. nostri anno primo.

NOTÆ.

1. (a) *Montis Regalis.*) Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & in epistolis Innocentii III. editis à Sirleto, *fol.* 50. ex quo textum ita restituo. Missa est præsens epistola Caro Archiepiscopo Montis Regalis, qui Guillelmo defuncto successit in Archiepiscopatu Montis Regalis anno 1189. cùm esset monachus, & Abbas monasterii sanctæ Mariæ de Alto fonte, Ordinis Cisterciensis, ut refert D. Rochus Pirro *tom.* 1. *Sicil. sacræ, notit.* 3. *fol.* 415. Hujus Archiepiscopatus facultates à Regibus collatæ, quas recenset Lellus *p.* 2. *fol.* 33. *in suo libel. de Montis Regalis Eccles.* magnùm acceperant detrimentum; ideò Innocentius III. rescribit huic Archiepiscopo apud Sirletum suprà, *fol.* 49. primò in hæc verba: *Quæ in monasteriorum, & religiosorum locorum præjudicium attentantur, in statum convenit debitum revocari: nec firmitatem debent aliquam obtinere, quæ in enorme damnum ipsorum minùs licitè præsumuntur. Ea propter venerabilis in Christo frater, Ecclesiæ tuæ volentes utilitati consulere, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut quæ in Ecclesia tua, & in omnibus pertinentiis ejus illicitè alienata inveneris, tibi liceat legitimè revocare. Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum* XI. *Kal. Maji.* Et statim circa alienationes ab ipso factas rescribit in præsenti epistola. De hac Ecclesia Montis Regalis egi *in cap.* 22. *de offic. delegati.*

2. (b) *Clericis vel laicis.*) Sed ad quid prohibitio hæc erga laicos, cùm ipsi sint incapaces cujuscunque beneficii, ut probavi *in cap.* 7. *de elect.* Credo Innocentium in præsenti per laicos non intelligere sæculares homines saltem minoribus ordinibus initiatos; sed nec etiam clericos eos, qui non sunt Canonici regulares; illi enim dicuntur clerici laici, ut probavi *in cap. ad audientiam, de præbend.* Unde ni fallor mens Innocentii est, Ecclesias monachorum non debere conferri clericis sæcularibus, vel laicis, id est, clericis non regularibus; quia illi monachi non sunt, per quos consueverant Ecclesiæ ipsæ regi: tantùm enim in præsenti Pontifex intendit prohibere, ne status Ecclesiæ immutetur, juxta textus *in cap. ad hæc, de relig. domibus, cap. quod Dei, de statu monach.* nam etiam è converso Ecclesiæ sæculares monachorum administrationi tradi non possunt, nisi cum causæ cognitione, licèt causa ipsa videatur favorabilior, *cap. ad audientiam, de Eccles. ædific.* quia quandiu Ecclesia regi potest secundùm primævam institutionem, nihil est immutandum, sed tantùm quando defectus adest, vel personarum, vel rerum, *cap. relatum, ne clerici vel monachi.* Quo modo accipiendum est Trident. *sess.* 24. *de reform. cap.* 10. regulariter tamen beneficia sæcularia sæcularibus, & regularia regularibus conferenda esse docetur *in cap. cùm de beneficio, cap. cùm singula, de præbend. in* 6. *Clement.* 1. *de suppleud. negligg.* docent P. Gregorius *lib.* 1. *partit. tit.* 27. *cap.* 2. plures congesti à Barbosa *lib.* 3. *juris Eccles. cap.* 4. *num.* 79. & *in cap.* 10. *Trident. Concilii*, Patet Mendo *de Ordin. Milit. disquisit.* 11. *q.* 4. *per totam*, ubi latè agit de clericis fratribus Ordinum Militarium.

(c) *Casalia.*] Casale villa est à casis dicta, de qua in vita Angelæ de Fulginio, *cap* 1. *sect.* 34. ita legitur: *Hoc accidit mihi primâ vice, quando vendideram casale meum.* Et *lib.* 3. *constit. Neapolit. tit.* 4. *cap.* 1. ita legitur: *Ut omnes civitates, castra, munitiones, casalia, villas, & quicquid in eis intus, aut foris.* Notarunt Bosquetus *ad Innoc. lib.* 1. *epist.* 17. Vossius *de vitiis sermon. lib.* 3. *cap.* 4. *verbo Casale.*

CAPVT XI.

Idem *Episcopo* (a) *Maurienſi, Præpoſito Ultien. & Decano Hectorien. Turonen. & Maurien. diœceſ.*

AD noſtram noveritis audientiam perveniſſe, quod cùm (b) Tuſien. monaſterium depreſſum eſſet onere maximo (c) debitorum dil. f. Abbas, & conventus ejuſdem villam, quæ lanuen. vulgariter, neceſſitate coacti Bonevardo laico conceſſerunt in feudum,

feudum, tali conditione appositâ, quod idem laicus octoginta libras persolveret, pro quibus eadem villa extiterat obligata, quod idem non distulit effectui mancipare. Verùm quia præfatum monasterium est, sicut dicunt, enormiter in hoc læsum, eo quod de redditibus villæ præfatæ conventus singulis diebus unum ferculum, & in festis XII. lectionum pisces, vel aliud æquipollens percipere consuevit, nobis humiliter supplicaverunt, ut feudum prædictum faceremus ad utilitatem monasterii revocare, præsertim cùm idem laicus primo anno de ipsius proventibus ultra summam perceperit prætaxatam, & per multos postmodùm annos suppressit ejus fructus. Nos ergo sic nolentes gravaminibus præfati monasterii providere, quod alii videamur injuriam irrogare, discr. per A. s. m. quat. inquisitâ plenius veritate, si prædictum monasterium propter hoc inveneritis enorme dispendium incurrisse, sæpedictum laicum, ut pecuniâ, quam pro exoneratione prædicti feudi, seu etiam pro utilitate ipsius monasterii noscitur expendisse, ab eodem Abbate, & conventu receptâ, cùm sibi fructus percepti hactenus sufficere debeant pro labore, præfatum feudum eidem monasterio dimittat liberum, & quietum, mon. & per cens. ec. ap. rem. compellatis.

NOTÆ.

(a) *Maurien.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. Mauriana est urbs in Sabaudia, ad Alpes Cottias, ubi in valle est civitas sancti Joannis Maurianensis, vulgò dicta S. Juan de Mauriene; ut refert Papirius Masonius *in descript. Galliæ per flumina, fol.* 413. Habet Ecclesiam Cathedralem, cujus Episcopus Hiconius subscripsit Conciliis Matiscon. 1. & 2. ut tradit Carolus à sancto Paulo *in geograph. sacra, fol* 146.

(b) *Tusien.*] Legendum esse *Secusien.* jam notavit Hostiensis *in præsenti*, in castro enim Secusiæ, in finibus Italiæ, & Delphinatus, provinciæ Galliarum, est monasterium S. Justi dictum, Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis: & licèt per aliquot annos Monachi D. Benedicti in eo insederint, tandem reversi sunt ibi Canonici Regulares, ut refert Pennotus *lib. 2. hist. canonic. regul. cap. 28. num. 3.* in quo jacent plura Sanctorum corpora, quæ ipse recenset *lib. 3. cap. 46. num. 2.*

(c) *Debitorum.*] De quo casu agitur etiam *in cap. 1. hoc tit. in 5. compil.* ubi ita decrevit Honorius I. (Proponentibus olim Abbate, & Conventu Sancti Antonini, Ecclesiam suam debitorum onere aggravatam, & humiliter postulantibus, ut concederemus, quod aliquæ de possessionibus suis minùs utiles venderentur, ut ex earum pretio solverentur: Nos eorum postulationibus annuimus in hac parte. Ipsi autem non ejusdem Ecclesiæ, sed vestri monasterii, licèt illi subjecti, & res alias idem monasterium contingentes ven. fr. n. Pistorien. Episcopo vendiderunt; quare Archidiaconus & Archipresbyter Senen. propter hoc partes de mandato nostro ad Sedem Apostolicam citaverunt, quibus coram nobis postmodùm constitutis, nos hujusmodi contractu rescisso, vos & fidejussores vestros, ac ejusdem monasterii homines à juramenti, & cujuslibet obligationis alterius, ac excommunicationis vinculo, quo tenebamini ejusdem occasione contractus, duximus absolvendos, in eum statum præfatum monasterium reducentes, in quo ante contractum prædictum noscitur extitisse.)

COMMENTARIUM.

CErtum est, rem Ecclesiæ improbè alienatam restituendam esse cum fructibus ex ea perceptis, *cap. si quis presbyterorum, cap. non liceat,* 12. *q.* 2. ex vulgari principio, quo docemur, in omni restitutione, quæ ex justitia fit, fructus etiam venire, *cap.* 1. *de in integrum restit. cap. gravis, cap. conquerente, de restit. spol. cap. accedens, in fine, ut lite non contest. l. videamus,* §. *in Faviana, ff. de usuris, l. Julianus,* §. *idem, l. præterea, ff. de rei vind. l. restituere* 35. *&* 75. *ff. de verb. sign. l. si minor, l. restitutio, l. pater* 28. §. *si pecunia, ff. de minor.* cum aliis adductis à Covar. *lib. 1. variar. cap.* 3. Pinello *in l. 2. C. de rescind. 2 p. cap.* 4. §. 4. Acosta *in* §. *& quid si tantùm, 2. p. a num.* 71. Quare difficilis est præsens textus dum in eo docet Innocentius, monasterio enormiter læso in alienatione villæ, eam restituendam esse sine fructibus. Glossa in præsenti ait, remitti fructus pro labore administrandi ipsam villam, argumento legis *fructus* 7. *ff. solut. matrim.* Sed si hæc sententia esset vera, sequeretur, nunquam fructus venire in restitutionem, cùm semper præcedat administratio ipsius rei restituendæ. Costa *ubi proximè, num.* 75. Covar. *dicto cap.* 3. *num. penult.* ut textum hunc exponant, supponunt in restitutione, quæ ex gratia fit, non venire fructus, *authent. idem est, C. de hæreticis,* junctis traditis à Sfortia *de in integr. restit. 2. p. q.* 97. *art.* 14. Antonius Gomez *lib.* 3. *var. cap.* 13. *num.* 38. Garcia *de nobilit. glos.* 6. §. 1. *num.* 45. Peregrinus *de jure fisci lib.* 5. *tit.* 2. *num.* 6. Fachineus *lib.* 1. *controv. cap.* 38. Unde cùm in præsenti specie in integrum restitutio concederetur Ecclesiæ ultra quadriennium à jure statutum, *Clement. unic. de in integr. restit. l. final. C. de temporibus in integrum*; & ità ex gratia potiùs, quàm justitia daretur; ideò in tali restitutione extraordinaria non veniunt fructus. Sed etiam hæc interpretatio non placet, quia in præsenti specie Ecclesia enormissimè læsa fuit, cùm ex fructibus primi anni tantùm percepisset laicus, quantùm pro villa dederat monasterio: sed propter enormissimam læsionem, etiam ultra quadriennium Ecclesiæ restitutio datur, *cap.* 1. ibi: *Vel alia rationabili causâ, cap.* 2. ibi: *Nisi aliquid rationabile appareat*; *de in integr. restit. lib.* 6. junctis Sfortia 1. *p. q.* 19. *artic.* 7. Covar. *lib.* 1. *var. cap.* 13. *num.* 10. Igitur in præsenti

senti casu potiùs ex justitia, quàm ex gratia concessa fuit. Alii tandem affirmant, in præsenti casu fructus non restitui ob naturam contractus feudalis, in quo à feudatario pro labore, & servitio, quod exhibet domino, fructus percipiuntur, ut *in cap. 1. de feud.* quæ interpretatio suadetur ex illis verbis : *Cùm fructus illi sufficere debeant pro labore.* Quæ non sunt intelligenda de solo labore impenso in cultura, & colligendis fructibus, ut Glossa voluit ; sed de labore, seu servitio, ad quod ex naturâ contractus feudalis tenebatur, *ex cap. 1. §. hujus autem, in quibus causis feudum amittatur, in usibus feudor.* Cùm igitur servitia exhiberi non possint sine solicitudine, & labore, pro illis fructus villæ feudalis suos facit. Sed hæc interpretatio refellitur primò ex eo, quia restitutio æqualiter contrà omnes contractus, ex quibus læsio proveniat, minori, & Ecclesiæ competit, *l. si minor, l. restitutio, ff. de minor.* Igitur si ex aliis contractibus res cum fructibus restituitur, ut suprà probavi etiam id admittendum est in læsione, quæ provenit ex contractu feudali. Secundò, quia feudi natura non fuit Innocentio III. incognita, *cap. verùm, cap. ex transmissa, de foro compet.* sed feudi præstatio respectu feudatarii servitium, non verò labor appellatur : igitur cùm Innocentius fructus B. laico remisit propter laborem, non sensit de servitio ob feudum impenso. Facit etiam textus *in cap. 1. de in integrum restit.* juxtà communem interpretationem, quam ibi adduxi. His ergo solutionibus omissis verius dicendum credo, laborum feudatarii in præsenti specie non provenire ex natura feudi, nec consistere in exhibendo servitio, sed in exoneratione monasterii à debitis contractis ; quare petebat feudatarius contractum non esse rescindendum, ut constat ex illis verbis : *Non dissuluit effectui mancipare.* Ac proinde licèt ex juris principiis monasterium fuisset restituendum ad rem cum fructibus, solutis expensis feudatario pro labore in solvendis debitis monasterii impenso ; secundùm justitiæ æqualitatem, *ex dicta l. fructus 7. l. intra utile 41. §. final. ff. de minor. l. Julianus 14. §. ex vendito, ff. de action. empti, l. curavit, C. eod. tit. l. 2. C. de usuris* ; Innocentius III. tamen in præsenti intendens circuitus evitare ; monasterio restituendam esse villam decrevit ; & B. laico feudatario pro impenso labore in solutione debitorum monasterii fructus remitti jussit, non quia feudatarius erat, sed quia constabat, ipsum à debitis monasterium exonerasse.

CAPVT XII.

Idem *in Concilio* (a) *generali.*

CUm (b) laicis, quamvis religiosis, disponendi de rebus ecclesiasticis nulla sit attributa potestas, quos subsequendi manet necessitas, non autem imperandi; dolemus in quibusdam ex illis sic refrigescere charitatem, quod immunitatem ecclesiasticæ libertatis, quam nedum sancti Patres, sed etiam Principes sæculares multis privilegiis muniverunt, non formidant suis constitutionibus, vel potiùs confictionibus impugnare, non solùm de alienatione feudorum ; ac aliarum possessionum Ecclesiarum, & usurpatione jurisdictionum, sed etiam de (c) mortuariis nec non & aliis, quæ juri spirituali videntur annexa, illicitè præsumendo. Volentes igitur super his Ecclesiarum indemnitatibus consulere, ac tantis gravaminibus providere, constitutiones hujusmodi, & venditiones feudorum, seu aliorum bonorum sine legitimo Ecclesiasticarum personarum assensu præsumptas occasione constitutionis laicæ potestatis (cùm non constitutio, sed destitutio, vel destructio dici possit, nec non usurpatio jurisdictionis,) sacri approbatione Concilii decrevimus non tenere, præsumptoribus per cens. ec. compescendis.

NOTÆ.

1. (a) *Concilio.*] Lateranensi videlicet, celebrato sub Innocentio III. ubi *cap. 44. & in 4. collect. sub. hoc tit. cap. unic.* repetitur hic textus.

2. (b) *Laicis.*] Hæc verba extant *in cap. laici 24. 16. q. ult.* cujus prior pars refertur *in cap. 1. 96. dist.* Nec rectè exaudiuntur à Cujacio hîc de laicis religiosis, id est, in monasteriis conversis, seu oblatis, de quibus egi *in cap. in præsentia, de probat.* Laici enim religiosi in præsenti accipiuntur pro viris catholicis, & religiosis.

(c) *Mortuariis.*] De quibus *in cap. conquerente, de offic. ordin. cap. final. de testam.*

TITU-

TITVLVS XIV.

De Precariis.

CAPVT I.

Ex Concilio apud (a) *Beluacen.*

PRecariæ de quinquennio in quinquennium, secundùm antiquam consuetudinem & auctoritatem renoventur.

NOTÆ.

(a) *Beluacen.*] Ita etiam legitur in prima collectione. *sub hoc tit cap.* 1. & verba hujus textus ex Synodo Belvacensi citant Burchardus *lib.* 3. *Decreti, cap.* 169. Carnotensis *p.* 3. *Decret. cap.* 230. Gratianus *in cap. precariæ* 10. *q.* 2. & canonem 13. Synodi Belvacensis in hæc verba refert Marculfus *in notis ad Bignonium, lib.* 2. *cap.* 5. ibi: *Ut precariæ de quinquennio in quinquennium, secundum antiquam consuetudinem, & auctoritatem renoventur.* Eadem etiam verba referuntur in Concilio Meldensi *can.* 22. in qua Synodo transcripta fuerunt omnia quæ statuta erant in Belvacensi. Cùm enim anno 845. Carolus Calvus convocasset Synodum Episcoporum Galliæ apud Bellovacum, quæ est civitas provinciæ Rhemensis, ubi de variis Ecclesiæ negotiis actum fuit; & eodem anno celebratum fuisset Concilium Meldense, de quo egi *in cap.* 1. *de constit.* in eo omnes canones Belvacenses relati fuerunt. Etiam reperiuntur verba hujus capitis inter capitularia Caroli edita ab Ansegiso, *cap.* 9 & in formulis veteribus Marculfi, *cap.* 19. 21. & 150.

COMMENTARIVM.

1. Conclusio traditur & probatur.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Precariæ de quinquennio in quinquennium debent renovari.* Quæ conclusio firmatur auctoritatibus suprà congestis, ubi eadem sententia adstruitur; nam in utroque jure non est alia similis decisio. Illustrant eam ultra congestos à Barbosa & Gatanna in præsenti, Cujacius ad hunc titulum, & *ad tit. C. de iure emphyt. fol.* 422. & *lib.* 1. *de feud. cap.* 1. Petrus Gregorius *lib.* 23. *syntag. cap.* 2. Bignonius *in not. ad Marculfum, lib.* 2. *cap.* 3. Antonius Augustin. *in epit. juris lib.* 15. *tit.* 39. Lindembrog. *in glossar. verbo Precaria*, Gibalinus *lib.* 4. *de usur. cap.* 2. *art.* 6. Glossarium Ansegisi *verbo Precaria*, Dartis *in cap.* 4. 10. *q.* 2.

3. Traditur ratio dubitandi.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Precarii natura ea est, ut pro concedentis arbitrio revocetur; *l.* 1. *ff. de precariis*: ergo non de quinquennio in quinquennium, sed quandocunque Ecclesia voluerit renovare, vel revocare precarias concessas, potest. Augetur primò hæc difficultas ex eo, quia precario ipso jure inducitur renovatio, *l. in rebus* 4. *§ final. cum l. sequenti, ff. de precar. l. item quæritur* 13. *§ qui impleto, cum l. sequenti, ff. locati*: ergo si ipso jure tacitè inducitur renovatio, ad quid necessaria est expressa de quinquennio in quinquennium? Augetur secundò, nam si necessaria esset hæc quinquennalis renovatio, maximè ne longitudine temporis memoria concessionis pereat, *cap. longinquitate* 64 *cap. sepe* 72. 12. *q.* 2. sed precariæ ullo tempore præscribi contra Ecclesiam non possunt, *cap. clerici*, ibi: *Clerici quilibet, quantacunque diuturnitate temporis de Ecclesiæ remuneratione aliquâ possederint, in ius proprium præscriptione temporis non revocentur, dummodo pateat Ecclesiæ rem fuisse, ne videantur etiam Episcopi tempore administrationis prolixæ, aut precariis, cùm ordinati sint, facere non debuisse; aut diu retentas facultates, in jus suæ proprietatis posse transferre.* Ergo etiamsi de quinquennio in quinquennium non renoventur, nulla potest timeri præscriptio in precariis. Secundò in ea verbà, *Secundum auctoritatem, & antiquam consuetudinem*, ita insurgo: Contraria inter se sunt lex scripta, & consuetudo; ubi enim lex observantia adest, consuetudo non inducitur; quia, ut ait D. Isidorus *in cap. consuetudo*, 1. *dist.* consuetudo suscipitur cùm deficit lex: igitur præsens renovatio non potest procedere juxta legem simul, & consuetudinem.

Adhuc tamen defensanda est præsens constitutio, pro cujus expositione sciendum est, precariarum contractum veteribus Romanis ignotum fuisse, atque hodie penitus in usu esse desisse, ut testatur Antonius Augustinus *in notis ad primam collectionem, in præsenti.* Unde præsenti textu sine ullo dispendio nos carere potuisse notavit Alberic. Gentilis *de libris juris canonici, fol.* 40. Frequens tamen fuit olim in Ecclesia Gallicana; ut constat ex Conciliis Agathensi *can.* 58. Epaunensi *can.* 18. Aurelian. 4. *can.* 36. aliisque veteribus Canonibus, & Capitularibus congestis à Lindembrogio, Bignonio, & Gibalino *ubi suprà*: fusiùs verò de his precariis actum fuit in Synodo ad Lyptinas Vicuu in agro Cameracensi (ut ex Aimonio *lib.* 5 *c.* 25. observavit Serarius *lib.* 3. *histor. Mogunt. not.* 31.) anno 743. habitâ, Præside sancto Bonifacio A. S. L. ubi à Carolo Magno Principe Francorum ita

ita statutum fuit: *Cùm consilio servorum Dei, & populi statuimus, propter imminentia bella, & persecutiones ceterarum gentium, quæ in circuitu nostro sunt, ut sub precario, & censu aliquam partem ecclesialis pecuniæ in adjutorium exercitus nostri, cum indulgentia Dei aliquanto tempore retineamus eâ conditione, ut annis singulis de aliquaque casata solidus unus, id est, duodecim denarii, ad Ecclesiam, vel Monasterium reddantur, eo modo, ut si moriatur ille, cui pecunia commendata fuit, Ecclesia cum propria pecuniæ revestita sit, & iterum si necessitas cogat, aut Princeps jubeat, precarium renovetur, & rescribatur novum, & omnino observetur, ut Ecclesia, vel Monasterium penuriam, & paupertatem non patiantur, quorum pecunia in precario præstita sit; sed si paupertas cogat, Ecclesiæ & domui Dei reddatur integra possessio.* Ita refertur *lib. 5. Capitul. cap. 3.* & *lib. 7. cap. 104.* Est itaque precaria contractus, quo res Ecclesiæ alicui petenti commendantur sub annuo censu, vel alio quocunque onere ad quinquennium, aut aliud tempus, quo finito Ecclesia res suas recuperat. Cujus concessionis formulas referunt Marculfus *lib. 2. cap. 39.* & auctor incertus formularum *cap. 27.* & ex eis exhibet Sirmundus *in analectis ad Capitul. Caroli, tit. 7.* Nec contractus iste erat emphyteusis, ut perperam existimarunt Barbatia & Berojus *in præsenti rubric.* Jason *in l. 1. C. de jure emphyt.* Valascus *de jure emphyt. q. 36. num. 9.* & notavit Cujacius *lib. 4. observ. cap. 4* emphyteusis enim, & precaria pluribus differunt. Primò, quia emphyteusis propter agrorum cultu ram inventa est, ut essent qui agros desertos excolerent. Brissonius, & Hothomanus *verbo Emphyteusis.* Secundò, quia emphyteusis ex Zenonis constitutione formam accepit, *§. adeò 3. Instit. de locato*: contractus verò precariarum pluribus sequentibus annis incognitus fuit. Tertiò, quia emphyteusis in perpetuum conceditur, *l. viam 10. de locat.* quare perpetuarium jus dicitur *in l. 1. C. de offic. Comitis sacri palat. l. 1. & 2. C. de locat. præd. fiscal.* at precariæ ad quinquennium conceduntur. Deinde emphyteusis sub lege meliorationis datur, precaria non. Item emphyteusis datur sub canone, & vectigali; precaria verò quamvis nonnunquam pensionem admittat, cùm tamen necessariò non exigit. Tandem emphyteusis in agris, & prædiis consistit; precaria verò etiam in pecunia numerata datur, ut constat ex Synodo ad Lyptinas suprà relatâ, & exemplis congestis ab Hothomano *de verbis feudalibus, verbo Precaria.* Differt etiam valde precaria à precario: primò, quòd precarium inter contractus proprie dictos refertur, *l. 14. ff de precario, l. cum qui 14. §. is qui precario 11. ff. de furtis*: precaria autem tantùm à DD. contractibus adnumeratur; geritur enim inter contrahentes negotium aliquod civile obligationem producens, ex qua cùm nulla alia expressè prodita sit actio, condictio ex canone nascitur, argumento legis unicæ, *ff. de condict. ex lege.* Secundò in precario nulla merces intervenire potest, quia est gratuitum, *l. 1. §. 1. l. quæstum 8. §. eum quoque, ff. de precar.* in precaria autem plerunque intervenit merces, seu pensio. Tertiò, precarium nuda ejus qui concessit voluntate revocari potest, cùm in eo res petenti utenda detur quamdiu is, qui concessit, patitur, *l. 1. l. 2. §. 2. l. qui habet 15 ff. de precar.* at precariæ pro voluntate concedentium regulariter non revocantur. *cap. 3. hoc tit.* nisi irrationabiliter concessæ sint, *cap. de precariis 6, 10. q. 2. cap. precariæ 44. 12. q. 1. cap. 2. hoc tit.* Quartò, in precario nulla est renovatio, nam qui precario ad tempus rogavit, finito tempore etiam precario utitur, ex tacita domini voluntate, *l. in rebus 4. §. ult. ff. de precario*: precariæ autem renovandæ sunt singulis lustris, ex præsenti textu. Tandem quia ex precario nonnunquam transfertur possessio, ex precariis verò nunquam possessio quæritur. In precario nunquam levissima culpa præstatur; in precariis autem tantùm levis, ut probat Gregorius Viccius *de possessione duor. q. 7.* Cæterùm quæ in præsenti dicuntur precariæ, & apud Flodoardum *lib. 2. hist. Rhemens. cap. 5.* precatoriæ, alibi dictæ inveniuntur præstatiæ; sic enim Flodoardus *lib. 3. hist. Rhemens. cap. 20.* ait, Carolum Pipini Regis filium, villam quamdam à Tirpino Archiepiscopo obtinuisse in præstariam: & *cap. 21.* memorat Theodoricum Episcopum petiisse res Ecclesiæ Rhemensis sibi per præstariam delegari; & confusas sæpe fuisse has voces, non est dubium; ut liquet ex variis exemplis signatis à Roverio *ad historiam sancti Joannis Reomaensis, num. 134.* In rigore tamen loquendo, præstaria rem Ecclesiæ importabat præstitam sub certis conditionibus, ut videre est in formula præstariæ Heldrici Abbat. Reomaensis *33. cap. 4.* Præstaria ergo dicta videtur, quia res Ecclesiæ minùs utiles, vel minusculæ, ut habet Concilium Agathense *can. 7.* salvo jure Ecclesiæ in usum præstabantur. Precaria verò expectabat petitorem, quia rem Ecclesiæ accipiebat precario, & conditiones impositas se impleturum profitebatur.

§. De causis precariarum.

Circa causas introducendi in Ecclesia hujusmodi precarias non consentiunt Interpretes. Petrus Gregorius *lib. 23. Syntagmatum, cap. 2.* Hothomanus *de verb. feud. verbo Precaria.* Precarias inventas esse ajunt ex eo, quod cùm partâ victoriâ de Germanis à Ludovico Imperatore anno 499. ut refert Baronius *ibi*, non tam armorum vi, quàm Christi pietate, tunc fideles in gratiarum actionem ferè omnia bona sua Ecclesiæ obtulerunt; & posteà ne egestate laborarent, ab Ecclesia precibus impetrabant, ut earum rerum, vel aliarum usufructu uti liceret eis, quas Ecclesia facilè concedebat; quod satis constat *ex lib. 2. formular. Marculf. cap. 5.* & ex veteri formula 27. & ex legibus Aleman. *tit. 11.* ibi: *Si quis liber res suas ad Ecclesiam Dei dederit, &c. & post hæc à Pastore Ecclesiæ per beneficium susceperit ad victualem necessitatem conquirendam diebus vitæ suæ, & quod spopondit, persolvat ad Ecclesiam censum de illa terra.* Et in legibus Bajuvar. *tit. 1. cap. 1.* ibi: *Post hæc nullam habeat potestatem exinde quicquam auferre, nec ipse, nec posteri ejus, nisi defensor Ecclesiæ illius per beneficium præstare voluerit ei.* Gibalinus verò *ubi suprà, cap. 2. art. 2.* originem precariæ repetit ex eo, quod cùm temporum calamitate, & bello flagrante laici res ecclesiasticas invasissent, à quibus Ecclesiæ illas deinde recuperare non possent, consultius visum fuit eas laicis relinquere, sed commendatas; & in beneficium, cum obligatione census annui, aliisve conditionibus infrà referendis, per contractum, quem precariam vocabant. Sed quid vetat ex utraque causa precarias introductas fuisse? Illud tamen illis addendum

addendum duxi, hoc genus concessionum receptum fuisse, quia licèt pluribus Imperatorum legibus, Ecclesiæque constitutionibus bona Ecclesiarum prohibita essent alienari; illud tamen genus concessionum permittebatur, ut petenti ad certum tempus rerum Ecclesiæ usumfructum non denegaretur, si non minùs, quàm tantæ quantitatis, ac acceperat, redditus cum ipsarum rerum dominio Ecclesiæ relinqueret, *l. jubemus, §. sanè, C. de SS. Eccles.* quod contingit in contractu precariatum. Quæcunque enim precariæ concessio tantùm usumfructum transfert, nec qui precariam obtinet, potestatem habet alienandi aliquid de ipsa; quod pontificium habere significat, ut in formulis 8. & 9. Marculfi, & *in l. 1. C. Theodos. de bonis matern.* ibi: *Ita sint in parentum potestate, atque dominio, ut fruendi pontificium habeant, alienandi eis licentia derogetur.* Et *in l. 3. C. Theodos. de fide Cathol.* ibi: *Nec his penitus posthac obtinendarum Ecclesiarum pontificium, facultatemque permitto.* In veteri instrumento Sancti Galluni *tom. 2. antiquit. Aleman.* eodem etiam ferè modo precaria continetur: *Absque præjudicio Sancti Galluni ipsam villam tenere, & usare facias, & nullum pontificium habeas de ipsa villa, nec vendere, nec donare, nec alienare.* Refert Bignonius *ad Marculfum lib. 2. cap. 5.* Primus igitur modus ineundi precariam hic fuit. Qui re Ecclesiæ uti cupiebat, id precibus postulabat ab Ecclesia, porrectâ chartâ, quæ precaria dicebatur, vel precatoria, ut apud Marculfum *lib. 2. formul. cap. 5.* & in Synodo Rhemensi sub Carolo, *can. 35* ibi: *De hu, quæ per precatoriam ab Ecclesia impetrantur.* Et ideò à precibus negotium ipsum precaria dicebatur. Concilium Toletanum 6. *can. 5.* ibi: *Si quis clericorum, vel aliarum quarumlibet personarum stipendium de rebus cujusdam Ecclesiæ Episcopi precepit largitate, sub precariæ nomine debeat professionem scribere, ut nec per detentionem diuturnam præjudicium afferat Ecclesiæ.* Subinde tamen ipsemet contractus à nomine libelli, seu chartæ sæpiùs precaria dicitur: plerunque etiam appellatur beneficium, ut in dictis legibus Aleman. & Bajuvar. & in Synodo Pistensi habitâ anno 862. ibi: *Has villas cum omnibus, quæ per precarias, aut beneficia inde homines retinent.* Apud Tertullianum adversus Hermog. ibi: *Tribus modis aliena sumuntur, jure, beneficio, impetu; id est dominio, precario, vi.* Notarunt Vossius *de vitus sermon. lib. 3. cap. 38.* Cerda *in adversar. sacr. cap. 98. §. 14. & 127. num. 11.* Bignonius *ad Marculfum lib. 2 cap. 5.*

6. Perveniamus jam ad personas, quibus, & à quibus precariæ concedi solebant. Et certè concedi poterant precariæ non solùm clericis, & monachis, verùm etiam laicis. De precariis clericorum constat ex Synodo Epaun. *can. 18.* Concilio Tolet. 6. De laicis *ex cap. sæpe 72. 12. q. 2.* ubi etsi in littera vulgata clericorum tantùm mentio fiat, at ex emendatione Gregoriana adducuntur illa verba: *Vel aliarum quarumlibet personarum*: unde probanda est vulgatis lectio textus *in cap. si Episcopus 12. 16. q. 3.* ubi legitur *clericis, vel monachis, vel quibuslibet.* Quæ etsi à nonnullis codicibus absint, tamen defendi possent: & ita intelligendi sunt textus *in cap. possessiones 16. q. 1. cap. clerici 11. 16. q. 3.* Et licèt Gibalinus *dicto cap. 2. art. 5.* existimet tantùm Reges, seu supremos Principes accipere posse hujusmodi precarias, audiendus non est, cùm contrarium constet ex juribus suprà relatis. Circa personas à quibus precariæ concedi possunt, sciendum est primò, eas concedere valere Rectores Ecclesiarum, qui res Ecclesiæ propriæ administrant, veluti Episcopi, Abbates, & similes. Illud tamen notandum est, quasdam precarias concessas fuisse ab Ecclesia sponte sua, alias verò jussu Principis; sic enim dixit Carolus Magnus in suo Capitulari *anne 779. cap. 44.* apud Sirmund. *tom. 2. Concil. Gal.* Sit (inquit) *discretio inter precarias de verbo nostro factas, & inter eas, quas spontaneâ voluntate de ipsis rebus Ecclesiarum faciunt.* Synodus Lyptinensis: *Et iterum si necessitas cogat, aut Princeps jubeat, Precarium renovetur.* Synodus Turon. 3. *cap. 5.* ait, se circa precarias ad hæredes transmittendas, ipsius Caroli Magni arbitrio stare velle. Synodus Beluacen. apud Meldens. *cap. 18.* sic Principes alloquitur: *Ut præcepta illicitâ jure beneficiario de precariis facta a vobis, sine dilatione rescindantur, & ut de cætero ne fiant à dignitate vestri Regii nominis, cavetur.* Et *cap. 22. Anulla potestate quis cogatur facere precariam de rebus proprio Deo, & Sanctis ejus duatis; cùm ratio, & usus obtineat, neminem, qui non vult, contra utilitatem, & rationem præsulum de proprio facere beneficium: præcepta autem regalia super precariis ecclesiasticis fieri, nec ratio sinit, nec auctoritas quolibet modo permittit; quoniam præceptum jure ecclesiastico formare indignum judicet necesse est Majestas Regia, nisi ab Ecclesiastico Rectore petantur.* Juxta quam distinctionem exponendus est textus *in cap. precaria 44. 12. q. 2.* ubi precarias faciendas esse civili auctoritate, vel ecclesiastica decernitur. Discrimen verò, quòd Carolus agnoscit inter precarias sponte ab Ecclesia, & jussu regio factas, in eo consistit, quòd has precarias non licebat sine Principis consensu rescindere; quare Hincmarus Rhemensis ad Hincmarum Laudun. *epist. 35.* refert illum à Nortmanno in Synodo fuisse accusatum, quoniam eum de rebus sibi sua ipsius met Hincmari Laudun. concessione, atque consensu à Carolo beneficiatis, sine auctoritate Regia repulisset. Præcariæ verò ab Ecclesia concessæ, per ejus Prælatum renovari, & revocari poterant, ut constat ex Synodo Lyptinensi suprà relata. Deinde precarias concedere solebant Principes cum consensu Ecclesiæ, ut ex ipsa epistola 35. Hincmari probat Gibalinus *dicto lib. 4. de usur. cap. 2. tit. 7.*

Sed non satis liquet, quonam modo concedendæ sint precariæ à Prælatis Ecclesiæ, vel renovandæ, juxta præsentem textum; an videlicet tam in concessione, quàm in renovatione necessaria sit solennitas illa, quæ in rerum Ecclesiæ alienatione desideratur, juxta adducta suprà *in cap. 1. de his quæ fiunt à Prælat. cap. nulli §. de rebus Eccles.* Et placet communis Doctorum sententia, videlicet, in prima concessione precariæ necessariò adhibendam esse solennitatem, in renovationibus verò faciendis non desiderari. Quam distinctionem docuerunt in præsenti Abbas, Ananias, Zabarella, Beroius, Speculator *tit. de locat. §. item quæritur*, Sylvester *in summa, verbo Precaria, num. 7.* Et prima distinctionis pars firmatur *ex cap. precariæ 44. 12. q. 2.* & sequenti ratione; nam cùm precaria plerunque gratuita sit, donationem continet, quæ sine justa causa, & debita solennitate

7. De forma hujus concessionis.

lennitate à Prælatis Ecclesiæ fieri non potest, *cap. 1. de his quæ fiunt à Prælat.* & *cap. 2. de donat. cap. nullis 5. de rebus Eccles.* Et licet merces plerunque constituatur, tamen quia ad longum tempus precaria conceditur, necessariò adhiberi debet solennitas, ut de locatione ad longum tempus probavi *in cap. ad audientiam, supra tit. proximo.* Nec obstant textus *in cap. clerici, cap. si Episcopus 16. q. 3. cap. sæpe 12. q. 2.* ubi docetur, Episcopum precarias has concedere posse, quia intelligendi sunt ex justa causa, & interveniente solennitate. Unde infertur, errasse Calvinum *in Lexic. juris, verbo Precaria*, dum existimavit, precariarum contractum inventum fuisse, ut fraus fieret prohibitioni; quoniam cùm emphyteusis etiam prohibita esset, excogitarunt Prælati ecclesiastici novum alienationis genus, ut res Ecclesiæ concederentur, & nihil fieret contra prædictam prohibitionem. Nam cùm in hoc novo alienandi modo solennitas æquè desideretur, ac in aliis alienationibus, nulla perinde fraus fit prohibitioni alienationis rerum Ecclesiæ. Cæterùm in renovatione, de qua in hoc textu, solennitatem non desiderari, probant suprà laudati Interpretes ex eo, quoniam renovatio novus contractus non est, ut probat Joann. Andreas hîc; ideoque prioris contractus solennitas sufficit, firmantque exemplo feudi, nam etsi Prælatus juraverit se res Ecclesiæ non infeudaturum, poterit nihilominus antiquum feudum renovare, & iterum concedere, *cap. final. de feudis:* minor quoque, qui feudum concedere prohibetur, de antiquo potest iterum investituram facere, *princip. tituli per quos fiat investitura, in usibus feudor.* quæ doctrina firmari etiam potest argumento deducto *ex cap. consulnit, de Iudæis, cap. per tuas, de donat. cap. acutiis 24. q. 1. cap. præceptis, 12. dist. l. patre, ff. de his qui sunt sui, l. 3. § 3. ff. de peculio, l. 4. §. 3. l 44. §. penult ff. de usucap. l. final. C. de Iudæis;* & illa subtili, & valida ratione; etenim renovatio precariarum ideò in præsenti exigitur; ne temporis diuturnitate originis memoria obliteretur, ut notant omnes in præsenti, & *in cap precariæ 10. q. 2. cap. longinquitate, cap. sæpe, 12. q. 2.* ergo utile est Ecclesiæ renovationem fieri, ac proinde ex ejus renovatione melior ejus conditio redditur: unde deducitur, non solùm posse, immò & debere Prælatum renovationem facere; etsi enim in his rebus, quæ alienationem continent, & damno esse possunt, Capituli consensus desideretur, at meliorem facere Ecclesiæ conditionem solus Prælatus potest, *cap. 2. de donat. l. qui fundum, §. si tutor, ff. pro empore.* Libenter tamen subscribo Berojo in præsenti, qui discrimen agnoscit inter eum casum, in quo tempus concessionis precariæ elapsum erat; & inter eum, in quo adhuc precaria durabat, ut primo casu, quia nova precaria conceditur, solennitas desideretur; secundo verò prior solennitas sufficiat: quæ distinctio probari potest *ex l. sed si manente, ff. de precario.*

8. *De materia precariarum.* Hucusque egimus de nomine, & natura precariæ, & de personis eam concedentibus, vel accipientibus: sequitur ut de rebus, quæ in precariam concedi solent, agamus: & communiter res, & possessiones Ecclesiæ in precariam dabantur, quas Synodus Lyptinensis suprà relata Ecclesialem pecuniam dicit. Nec rectè Hothomanus *de verb. feudal. verbo Precaria*, his verbis nummos intelligit; nam ubi Carolus de renovanda ipsa precaria ibi agit, ait: *Si paupertas cogat Ecclesiæ, reddatur integra possessio.* Sic etiam accipitur *lib. 6. capitul. cap. 321.* ubi prohibetur, ne quis laicus, Imperator, aut Rex invadere, aut rapere per violentiam præsumat monasterium, aut prædia, vel quascunque res de potestate Episcopi, & cætera; & pecuniam possidere, quæ fuit Christi nomine comparata. Ubi ea voce comprehenduntur omnia antea enumerata. Nec hæc pecuniæ acceptio aliena est à recta Latinitate, nam ut ait Hermog. *in l. pecunia 222. ff. de verb. signif* pecuniæ nomine non solùm numerata pecunia, sed omnes res, tam soli, quàm mobiles; & tam corporea, quàm jura continentur. Nec potest precaria constitui in pecunia, quia cùm plerunque ex ea pensio solvatur, & finito tempore res ipsa integrè restituatur, eveniret, ut usura committeretur, ut doctè expendit contra Filesacum Gibalinus *dict. cap. 2. art. 4.* Possessiones ergo, & similes res Ecclesiæ in precariam concedebantur. Erant verò hujusmodi res duplicis generis; nam in primis aliquæ fuerant donatæ Ecclesiæ ab iis ipsis, quibus in precarium concedebantur; rogabant enim, ut sibi ipsis iis rebus, quamdiu vixissent, uti frui liceret, sive eas denuò possit traditionem ab Ecclesia accipiendo, cujus precariæ formulam referunt Marculfus *lib. 2. cap 5. & cap. 40.* Auctor incertus veter. Formul. *cap. 27.* ejusque meminerunt Concil. Turon. 3. celebratum anno 813. *can. 51.* Meldense sub Carolo anno 845. *cap. 12.* leges Aleman. *tit. 11.* ibi: *Si quis liber res suas ad Ecclesiam dederit, & postea à Pastore Ecclesiæ per beneficium susceperit ad victualem necessitatem conquirendam diebus vitæ suæ.* Legibus Bajuvar. *tit. 1. cap. 1* sive ante traditionem, cùm quis rem Ecclesiæ donat, & petit ante traditionem ab Ecclesia, ut ipsius rei usumfructum sibi retinere liceat sub precariæ titulo; nam tunc videtur constituta precaria, juxta mentem Javolen. *in l. interdum 41. ff. de acquir. poss.* Cùm enim eo casu à se illius rei usumfructum non habeat, sed ab Ecclesia per precariam accipiat, precariæ contractus celebrabitur, quoniam etsi nondum rem tradiderit, in remunerationem tamen ususfructus accipit. Sed dices, ergo qui ut dominus possidebat, per precariam possidere incipit, quod fieri non potest, cùm nemo sibi possessionis causam mutare valeat, *l possidere 3. §. illud quoque 19. ff. de acquir. poss.* Sed respondetur ex Juliano *in l. certe 6. §. Iulianus, de precario*, non mutare sibi ipsi in hoc casu donatorem possessionis causam, sed potiùs illam mutat ex voluntate & concessione Ecclesiæ, à qua rem precariam accepit. Et si adhuc instes, hoc casu usumfructum ab Ecclesia non posse concedi, cùm nunquam Ecclesia talem rem habuerit: Respondeo, quod per fictionem creditur rem donatam Ecclesiæ fuisse quæsitam, & tunc usumfructum ab Ecclesia in ea constitui, argumento legis *hæc ratio 3. §. penult. ff. de donat. inter*, junctis traditis ab Osvaldo *lib. 3. comment. Donelli, cap. 10. littera C.* Cujacio *lib. 9. observ. cap. 18.* & quæ notant Interpretes de fictione brevis manus *in l. rogasti 11. l. singularia 15. ff. de rebus credit.* Si autem aliquis Ecclesiæ rem propriam dederit, cujus usumfructum sibi retineat, juxta textum *in l. quisquis 28. C. de donat.*

donat. de cujus interpretatione videndus Osvaldus *lib. 5. comment. Donelli, cap. 10. littera B. l. si quis 33. §. finali, C. eod. titulo*, non propterea dicetur usumfructum illum habere per precariam, ut existimavit Hothomanus *dicto verbo Precaria.* Precaria enim tunc datur quum dominio plenè Ecclesiæ quæsito, ab ipsa ususfructus conceditur, ut *in l. Seia 42. ff. de donat. causa mort.* Aliæ tandem precariæ concedebantur ex rebus Ecclesiæ iis, qui illas minimè donarant, sed quas aliunde sibi comparârat Ecclesia. Exemplum habemus in formulis veteribus *cap. 7.* & in dicta Synodo Lyptinensi. Erant autem aliquæ possessiones, quæ in precariam concedi non poterant, quia ita à donatoribus cautum erat, ut refertur *lib. 1. legum Bajuvar. titulo 1.* tradit Fulden. ibi: *Ut nulli clericorum, aut laicorum aliquando res ipsæ, quas tradidit, in beneficium præsentur, sed ad locum, quo præfatus Martyr corpore quievit, perpetuè deserviant.* Apud Flodoardum *lib. 3. hist. Rhemens. cap. 10.* ibi: *Hincmarus Rhemensis hospitale constituit ad susceptionem peregrinorum, vel pauperum, ea conditione, ut nullo unquam tempore quilibet Episcopus, vel quælibet persona ejusdem rei quidquam cuiquam in beneficium daret.*

9. *De conditionibus precariarum.*

Supereſt ut de peculiaribus legibus, seu conditionibus hujus contractus agamus: & quidem plures olim usitatas fuisse, ex veteribus formulis Marculfi, & Incerti Authoris constat, ex quibus aliquas referamus. Primò enim, qui res à se datas Ecclesiæ in precariam petebat, tantumdem accipiebat usufructuario ordine, ut loquitur Marculfus *lib. 2. formul. c 5.* vel beneficiario, ut ait Concil. Meldense *can. 18. & 22.* immò aliquando duplò, aut triplò plus accipiebat, *cap. precariâ 10. q. 2.* ne hoc precariarum contractu alienas hæreditates Ecclesiam captare crederetur, ut ajunt Patres Concil. Turon. 3. *can. 51.* Secundò qui precariam accipiebat, debebat res per eam concessas excolere. Marculfus *lib. 2. formul. 5.* ibi: *Eam villam tantummodò excolere debeamus.* Et Concilium Tolet. 6. *can. 5.* jubet, *Clericos, qui in stipendium aliquid in precariam acceperint, utiliter laborare*; quia finitâ precariâ res redibat ad Ecclesiam cum suis incrementis, Marculfus *lib. 1. formul. 5. & 40.* Incertus Author. *formul. 27.* & finitâ ipsâ precariâ, res redibat ad Ecclesiam ipso jure, ut in eisdem formulis cavetur. Tandem præcipua lex precariæ erat, ut concederetur, vel ad vitam accipientis, vel in quinquennium. Ad vitam, cùm ille, qui res suas Ecclesiæ donavit, ipsarum rerum usumfructum per precariam petebat; immò aliquando sibi, hæredibusque suis illum impetrabat: dicta Synodus Turon. 3. *can. 51.* In quinquennium quando in precariam concedebantur res ab Ecclesia aliunde comparatæ, ut docet Gibalinus *lib. 4. cap. 2. art. 6.*

10. *Traditur usus decimarum.*

Sed cùm adhuc variis fraudibus laici obtinerent, aut retinerent precarias rerum Ecclesiarum, immò & ipsi Prælati dolo, & fraude eas concederent, variæ editæ fuerunt ecclesiasticæ leges, ut vitarentur hujusmodi fraudes, quas referunt Gibalinus suprâ, *articulo 9. per totum.* Filesacus *in querel. Eccles. Gallic.* inter quas præcipua illa fuit, ne precariæ essent perpetuæ; quod primùm statutum fuit à Joanne IX. in Synodo Raven. anno 904. teste Baronio *in eodem anno.* Deinde à Gregorio VII. ac denique ab Urbano II. anno 1096. in Concilio Turon. & simul statutum fuit, ut de quinquennio in quinquennium renovarentur, ut ita nunquam possent perpetuæ præsumi, & ideò in Concilio Agathensi *can. 59.* dicitur, Episcopos prolixas administrationes, aut precatorias facere non debere, ne diu retentæ in jus proprietatis transcribantur: & spatium hoc quinque annorum, non longius, aut brevius, statutum fuit magna cum ratione; nam locationes veteri Romanorum more de quinquennio in quinquennium fiebant, cujus moris vestigia extant *in l. si quis 4. §. final. ff. de rebus credit. l. qui per 49. ff. de act. empti, l. si quis 9. §. 1. l. item 13. §. final. l. si in lege 24. §. 1 ff. locati, l. si filio 6. §. final. ff. solut. matrim. l. qui quatuor 30. §. 1 ff. de legat. 3. l. ei cui 28. ff. de liber. legat. l. si à colono 89. ff. de verb. oblig. l. si servus 18. §. final. ff. de stipulat. serv. l. inficiando 87. §. final ff. de furtis, l. non intelligitur 3. §. cùm quinquennium, ff. de jure fisci, l. 3. §. 1. ff. de administr. rer.* Illustrant Amaya *in l. unic. C. de vendit. rerum lib. 10. num. 31.* Pancirola *lib. 1. var. cap. 95.* Ad locationis ergo similitudinem Ecclesia statuit precariam de quinquennio in quinquennium renovari debere. Accedit, nam Romani populi censores, ut agnoscerent privatorum census, id est, bona, seu substantiam, consueverunt singulis lustris omnium bonorum lustralem censitationem facere, ut constat ex Cicerone *lib. 3. de legibus.* Trevel. Pol. *in Valer.* & observarunt Cujacius *lib. 24. obs. cap. 7.* Petrus Gregorius *lib. 4. de Republ. cap. 12.* & *lib. 47. syntag. cap. 16.* Revardus *lib. 4. variar. cap. 13.* Hothomanus *de Magistr. Roman.* Lipsius *eod. tract. cap. 18.* Unde lustralis census dicitur *in l. census 10. ff. de probat. l. liberto 21. §. final. ff. de annuis legat.* hucque respexit Ulpianus *in l. in lege 62. §. final. ff. ad legem Falcid.* ubi formale pretium dicitur quod à censoribus lustrale imponebatur. Sicut ergo Romani, ut cujusque bona, seu census agnoscerent, de quinquennio in quinquennium publicam censitationem faciebant, ne si fortè longius tempus elaberetur, confusio oriretur; eadem ratione ab Ecclesia renovatio precariarum de quinquennio in quinquennium statuta fuit. Sed nunc videndum est, quid juris, si renovatio in hoc textu præscripta prætermittatur? Et Glossa hîc, *verbo Quinquennium*, existimat, quinquennio elapso, omissaque renovatione intelligi contractum precariæ tacitè renovatum, argumento legis *in rebus, §. ult. ff. de precario*, ubi precarium tempore transacto, si dominus non revocaverit, tacitè concessum creditur, idemque procedit in locatione, quia tempore elapso tacita reconductio inducitur, *latem quæritur, § final. ff. locati, l. legem 16. C. eodem titulo.* Sed hæc Glossæ sententia meritò displicuit Hostiensi, Butrio, Joanni Andreæ, Immolæ, Abbati, & Beroio, qui rectiùs docuerunt, renovatione non factâ post quinquennium, jus precariæ amitti: quæ sententia probatur primò exemplo feudi; nam si vassallus, vel ejus hæres novam feudi investituram non petierit, à jure suo cadunt, *cap. 1. §. 1. sub tit. quæ fuit prima causa benef. amitt. in usib. feud.* Secundò quoniam ad renovationem, non solùm tacita voluntas, verùm nec simplex expressa sufficit; siquidem renovatio exigitur cùm precaria ad longum tempus concessa est: sed tunc voluntas expressa

durat usque ad tempus contractus: ergo si expressa hæc voluntas, quæ contractum ipsum comitatur usque ad finem, satis non est ad renovationem, nec satis erit tacitus consensus. Tandem quoniam ideò renovatio desideratur, ut sæpe sæpius in hoc commentario dixi, ne memoria dominii pereat: sed huic periculo per tacitam renovationem non succurritur: ergo necessaria est expressa renovatio. Nec obstat exemplum deductum à precario; nam cùm negotium hoc precariæ diversum sit, ab uno ad aliud non rectè fit illatio, *l. Papinianus, ff. de minor.* daturque diversa ratio utriusque negotii, siquidem precariæ renovatio exigitur, quia dominii memoria perire potest, cùm res Ecclesiæ, ut communiter possessæ, negligantur, *l. meminimus 2. C. quando, & quibus*: at hoc periculum in precario non datur, siquidem quilibet præsumitur diligens in requirendis rebus propriis, *l. cùm de indebito, de probat.* Eodem etiam modo responderi potest secundo argumento deducto ex tacita conductione. Accedit etiam, quia si ad tacitam reconductionem desideretur scriptura, vel alia solennitas, ex lapsu temporis tacita non admittitur, *l. item 13. in fine, ff. locati*: at precariæ non aliter renovatio fit, quàm si scriptura interveniat. Igitur ex patientia tacita renovatio non inducitur, ex regula legis *contractus, C. de fide instrum.* nam patientia consensum duntaxat potest inducere, ac scripturam, similemve solennitatem supplere non valet, ut probat Berojus in præsenti, *ex num. 42.*

II. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa, cui facilè respondetur, perpensis differentiis, quæ versantur inter precarium, & precariam, suprà adductis. Verùm quæri solet, utrum precaria differat à precariis, hoc est, utrum hæc vox in singulari differat ab eadem in numero plurali? Et Hostiensis in præsenti, & in summa hujus tituli non leve agnoscit discrimen. Primò, quia per precariam conceditur, precariæ verò etiam ad hæredes transeunt. Secundò, quia in precaria renovatio desideratur, in precariis verò necessaria non est: quod discrimen quibusdam versiculis expressit, quos etiam retulerunt Glossa *in cap. final. hoc tit.* Viccius *dicta q. 7. de posses. duor.* & tantisper correxit Petrus Gregorius *lib. 23. syntagm. cap. 2. num. 2.* Movetur Hostiensis primò, quia in hoc textu precariæ ad quinquennium renovantur, precaria verò nullam talem conditionem exigit, *cap. hujusmodi 10. q. 2. cap. sæpe 72. 12. q. 2. cap. clerici 16. q. 3.* Secundò, quoniam precaria ad vitam tantùm conceditur, *dicto cap. hujusmodi, dicto cap. sæpe*: precariæ verò etiam in successores transeunt, *cap. ad aures, de rebus Eccles.* Tertiò, quia nominum differentia rerum quoque distinctionem indicat, *l. si idem, C. de eodicil.* Ergo cùm hæc nomina saltem numero differant, diversa negotia significare videntur. Quartò quoniam, ut considerat Berojus *hic, num. 10.* ideò precariæ pluraliter dicuntur, quoniam cùm per quinquennium renoventur, plures concessiones sunt, argumento legis *scire 19. ff. de verb. oblig.* cum verò ad vitam conceditur, quoniam renovari non debet, singulari numero precaria appellatur. Hanc Hostiensis opinionem communiter improbant repetentes *hic*, Anania, Immola, Zabarella, Butrius, & Berojus, quibus libenter adhæreo, cùm passim in juribus suprà citatis, & veteribus formulis promiscuè apponantur precaria, & precariæ. Nec obstat ultimum augmentum, quod ex incompatibilitate consuetudinis, & legis scriptæ expendebamus, cui ut satisfaciat Berojus *hic, num. 7.* asserit consuetudinem, de qua in præsenti, utilem esse, & à jure approbatam; quia quod antea consuetudine tantùm receptum fuerat, post approbationem cœpit jus scriptum esse. Fit ergo renovatio in præsenti juxta antiquam consuetudinem, si ejus originem attendamus; secundùm auctoritatem canonum, si approbationem inspiciamus, argumento textus *in cap. Abbate, de verb. sign. cap. 2. de præbend. in 6.* Vetùm licèt hæc Beroi solutio non displiceat, adhuc tamen dici potest, legem consuetudinemque in præsenti concurrere, ut contingit in aliis juris locis, ut *in cap. cùm dilectus, de consuet. cap. cùm venissent, de instit. cap. ad hæc, de relig. domibus, cap. scita, de censibus*: quod evenire potest duplici modo. Primò cùm interpretatur consuetudo legem scriptam, ut *in dicto cap. cùm venissent, l. cùm de interpretatione, l. minime ff. de legibus*: secundò cùm consuetudine lex ipsa approbatur, & confirmatur, ut *in cap. in istis, 4 dist.* junctis traditis per Abbatem *in cap. final. num. 21. de consuetud.*

Sed antequam commentarium absolvamus, exponendus est textus *in cap. precaria 10. q. 2.* deductus ex Concilio Mediomatr. sive ut vetiùs habent Burchardus *lib. 3. cap. 167.* Carnotensis *p. 3. Decreti, cap. 228.* ex Concilio Belvacensi, ex quo etiam tacitè refert Concilium Meldense *can. 22.* ubi constituitur, ut si res pleno jure Ecclesiæ donetur; possit Ecclesia in remunerationem tripli usumfructum concedere; quod difficile est, cùm *in l. jubemus, §. final. C. de SS. Eccles.* quæ habetur *in cap. 2. §. œconomus 10. q. 2.* rescribatur, ut in precaria possit is qui donavit rem, accipere usumfructum rerum tanti valoris, quanti res donata æstimari poterat, & similiter usumfructum alterius rei itidem donatæ. Cui difficultati communiter responderi solet duplici modo. Primò asserendo discrimen versari inter jus canonicum, & civile, ita ut jure civili non nisi duplum, jure verò canonico etiam triplum concedatur. Secundò accipiendo constitutionem Leonis & Anthemii regulariter in omnibus accipientibus precariam; textum verò *in d. cap. precaria*, in illis qui obsequutem vel corporis debilitatem precariam ab Ecclesia petunt, quibus uberior concedi potest: tum quia majori miseratione digni sunt; tum quia breviori vitâ potiuntur: quare usufructus æstimatio minor est, *l. cùm hi 8. §. modus ff. de transact.* ibi: *Modus autem pro ætate ejus, qui transigit, arbitrandus est, & valetudine.* Faciunt textus *in l. si quis, l. in causa 15. ff. de fideicommiss. libert.* Sed his omissis solutionibus dicendum est, Ecclesiam aliquando, non modò tantumdem, quantùm acceperat, sed etiam duplò, aut triplò plus de suis rebus utendum concedere, ne videretur hoc precariæ negotio alienam substantiam captare: quam calumniam Patres Concil. Turon. 3. *can. 51.* amoliuntur. Illustrat Gibalinus *dicto lib. 4. cap. 6. art. 6.*

Exponitur cap. precaria

CAPVT

CAPVT II.

Ex Concilio (a) *Carthaginensi.*

DE precariis quoque, quæ à Rectoribus Ecclesiarum irrationabiliter fiebant, & se, suosque successores pœnâ gravi obligabant, ut facta ipsorum nequivissent dissolvere, præcipimus, ut nemo successor in antecessoris sui pœnam sit obligatus sed suæ prudentiæ sit concessum, ut si antecessor ejus res Ecclesiæ irrationabiliter distribuerit, ab eo ad jus ejusdem Ecclesiæ revocentur.

NOTÆ.

(a) *Carthag.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. sed in nullo ex Conciliis Carthag. reperiri hæc verba jam notavit Antonius Augustinus *in notis ad hunc textum*, *in dicta* 1. *collect.* nec mirum, nam cùm contractus hic precariarum tantùm in usu esset in Ecclesiis Occidentis, præcipuè in Hispana, & Gallicana, quomodo poterat in Ecclesia Orientali, ubi omnino incognitus erat, hæc constitutio edi? Reperitur textus hic *in l.* 2. *tit.* 10. *lib.* 3. *legum Longobard.* in hæc verba: *De precariis, quæ à Rectoribus Ecclesiarum irrationabiliter fiebant, & se, suosque successores pœnâ gravi obligabant, ut facta eius nequirent dissolvere, præcipimus, ut nemo successor in antecessoris sui pœna statuta sit obligatus: sed suæ providentiæ concessum, ut si antecessor ejus res Ecclesiæ irrationabiliter distribuerit, ab eo eidem Ecclesiæ ad jus tenendum revocentur.*

COMMENTARIUM.

a. SUperiori commentario dixi præcipuè, contractum precariarum inventum fuisse, ut res Ecclesiæ rapacitate laicorum occupatæ, ad Ecclesiam rediirent; sed statim circa ipsas precarias innumeras fraudes experta est Ecclesia; nam primò Principes sæculares prætextu precariarum res Ecclesiæ invadebant, ut constat ex Flodoardo *lib* 1. *histor. Rhemens. cap.* 20. Secundò cùm jussu Regum darentur precariæ ab Episcopis, sæpe sæpius laicis non solùm res Ecclesiæ, verùm & ipsa monasteria tradebantur, Hincmarus Rhemens. *epist. ad Episcopos, & Proceres provinc. Rhemens.* missa anno 858. *cap.* 48. ibi: *Monasteria etiam religiosa, atque præcipua Canonicorum, & monachorum, atque sanctimonialium, quæ & frater vester Dominus noster partim juventute, partim fragilitate, partim aliorum calliditate suggestione, etiam & minarum necessitate, quia dicebant petitores, nisi eis illa sacra donaret, ab eo deficerent.* Cogebantur etiam sæpius Ecclesiæ à Regibus precariam concedere, ut refertur in Concilio Meldensi *can.* 8. & hæredes etiam ejus, qui precariam acceperat, injustè retinebant, Concil. Turon. 3. *can.* 51. latè prosequitur Gibalinus *dicto cap.* 2. *art.* 8. *per totum*, immò & Prælati ecclesiastici has rapinas bonorum ecclesiasticorum, & fraudes laicorum juvabant, vel metu, vel cupiditate, vel negligentiâ: nam primò ipsi à Regibus precarias fieri petebant, ideò in Synodo Meldensi *can.* 21. ita cautum legitur: *Idem autem custos Ecclesiæ solertissimè caveat, ne sui ordinis, & ecclesiastica communionis fortè immemor, contra auctoritatem præceptum Regium pro quacunque assentatione fieri petat, qui etsi fecerit, non audiatur; si autem & obtinuerit, Regia discretione, & Episcopali judicio idem rescindatur, & petitor injustus pro Principis injusta suggestione dignè corripiatur.* Secundò, qui viduatas Ecclesias occupabant, precarias ex earum bonis concedebant, quas eadem Synodus rescindi debere his verbis decrevit: *Ut precariæ, & commutationes tempore viduatarum Ecclesiarum factæ ab his, qui loca Episcoporum occupaverunt, rescindantur, & cum auctoritate ecclesiastica, vel civili, si faciendæ sunt, fiant.* Tertiò etiam clerici quandoque in easdem factiones conspirantes, precarias laicis concedebant, ut refert Hincmarus Rhemensis *in epistola missa Bertulpho Trevirensi*, ibi: *Pro quibusdam Capellis ad villam Duodeciacum pertinentibus, quas quidam ex parochia Trevirensi usurpabat per factionem cujusdam presbyteri.* Tandem aliqui Prælati consanguineis suis precarias sine causa ex rebus Ecclesiæ concedebant, quod crimen à se repellit Hincmarus Laudun. *epist. ad Hincmarum Rhemens.* ibi: *Nec recognosco aliqui parentum meorum, velut sargæ dedisse beneficium, ex quo & respublica probitas, & Ecclesia, cui licet indignus præsideo, utilitas non respondeat.* Prohis, & aliis similibus fraudibus repellendis, & ut consuleretur indemnitati rerum Ecclesiæ, varii editi fuerunt canones, tam in dicta Synodo Meldensi, quàm in Concilio Valent. Galliæ temporibus Lotharii, anno 855. quos refert Gibalinus *dicto cap.* 2. *artic.* 9. *per tot.* tandemque statutum fuit, ut si injustè, & cum aliqua ex fraudibus proximè relatis, Rector Ecclesiæ res in precariam dedisset, liceret successori eas repetere; quod enixè postulasse Carnotensem à Paschali constat ex ejus epistola 271. ubi etiam refertur id obtinuisse: *Minoratas*, inquit, *omnes hujus Ecclesiæ, & precarias in communes redegit usus.* Ubi minoratas vocat Ivò res, & possessiones Ecclesiæ ab aliis detentas, & diminutas. Carolus Magnus *lib.* 7. *Capitul. cap.* 104. ibi: *Quòd honores sacerdotum, & res Ecclesiarum auferre, vel minorare noluissemus.* Minorare enim idem est, quod minuere, *c. tota* 12. *q.* 2. *c. quicunque* 12 *q.* 4. notavit Cironius *in præsenti tit.* Successores Rectorum Ecclesiæ possunt res in precarias injustè concessas repetere, ut contingit in aliis rebus Ecclesiæ injustè alienatis. Innocentius III. *lib.* 3. *regestr.* 15. *epist.* 50. ibi: *Proposuisti nobis in nostra præsentia constitutus, quod nonnullæ possessiones, & alia bona Ecclesiæ tuæ per prædecessores tuos, & alios minùs legitimè sunt, distracta in ipsius Ecclesiæ non modicum detrimentum. Volentes igitur Ecclesiæ Philippensis utilitatibus providere, fraternitati tuæ præsentium auctorio-*

tate concedimus, quatenus eà quæ taliter alienata repereris, valeas appellatione postpositâ legitimè revocare. Suprà probavi *in cap. 4. & 5. de rebus Eccles.*

CAPVT III.

(a) Gregorius IX.

PRecarium utendum conceditur, quamdiu patitur qui concessit: solvitur quoque obitu ejus, cui concessum est, non etiam concedentis: aut cùm ipsum alienari contingit alicui hoc revocare volenti: quia per conventionem hujusmodi non licet rem alienam invito domino possideri. Porrò (b) precariæ, quæ quandoque de Ecclesiarum possessionibus fieri solent, non sunt pro voluntate concedentium revocandæ.

NOTÆ.

(a) *Gregorius.*] Qui præsentem constitutionem ex visceribus juris Cæsarei in hoc tractatu de precario deprompsit proprio motu, absque ulla consultatione, quod jam sæpe sæpius notavi in eodem Pontifice.

(b) *Precariæ*] De quibus egi *in c. 1. & 2. hoc tit.*

COMMENTARIUM.

1. *Conclusio traditur & probatur.*

EX hoc textu talis deducitur disputanda assertio: *Precarium solvitur revocatione concedentis, seu rei alienatione, & morte ejus, cui concessum est, non verò morte concedentis.* Probant eam textus *in l. 2. vers. est enim, l. quæsitum 8. §. quod à Titio, l. cùm precario 12. §. ultim. ff. hoc tit. l. quacunque 13. §. 1. ff. de public. l. si servus 22. §. 1. ff. de noxalib.* Illustrant ultra congestos in præsenti Barbosa *in collect. & select. ad hunc textum*, Garrania *in præsenti*, Hothomanus, Brissonius, & Verrucius *de verb. sign. verbo Precarium*, Cujacius *lib. 4. obs. cap. 7.* Covar. *lib. 3. variar. cap. 15.* ubi Ufelius, & Farias, Faber *decad. 77. error. 1.* Osvaldus *lib. 14. Donel. cap. 34. littera C.* Pichard. *in §. actionum, quæst. 1. num. 30. Instit. de action.* Petrus Gregorius *lib. 3. pariit. tit. 7.* Boerius *tom. 1. c. 4. §. 2. disput. 9.* Gibalinus *de usuris lib. 1. cap. 5. art. 1.* Corvinus *lib. 2. aj. hor. tit. 42.* Duarenus *ad tit. de precar.*

2. *Impugnatur tradita assertio.*

Sed pro dubitandi ratione in hanc assertionem ita insurgo; Si precarium revocatione concedentis finiretur, posset revocari omni tempore, & statim ac concessa res precariò est, & postea: sed non potest revocari statim, *l. in commodato, § sicut autem, ff. commodati*, docent Covar. *lib. 3. variar. cap. 13. num. 6.* Gibalinus *suprà, num. 1.* Igitur ad libitum concedentis revocari non potest. Augetur hæc difficultas, primò ex eo, nam si ex natura precarii proveniret, ut revocatione finiretur, non verò morte concedentis, sequeretur ut pactum in contrarium, initum contra ejus essentiam, & substantiam non valeret, ut latè probat Antonius Faber *decad. 77. errore 3.* Covar. *in 4. p. 2. cap. 23. §. 1. num. 23.* Molina *lib. 4. de primog. cap. 2. à num. 40.* Rodriguez *de annuis reddit. lib. 2. quæst. 1. ex num 22.* Pinellus *lib. 2. select. cap. 12. num. 6.* Larreatigui *lib. 2. select. cap. 5. num. 3.* Sed valet pactum, quo conceditur precarium ad certum tempus, veluti ad mensem, *l. in rebus, §. ult. l. cùm precario, ff. de precario*, & pactum, utrogans rebus utatur quousque concedens velit; quo casu finitur precarium morte concedentis, *l. 4 ff. locati.* Igitur ex natura precarii non provenit, ut revocatione finiatur, non autem morte concedentis. Deinde illa pars præsentis assertionis, ubi docetur, morte rogantis precarium finiri, nec ad hæredes transire, difficilis redditur *ex l. penult ff. hoc tit.* ubi docetur, ad hæredes rogantis precarium transire: ergo non rectè in præsenti docetur, precarium morte rogantis finiri.

3. *Precarium an sit contractus.*

Quibus difficultatibus minimè obstantibus præsens Gregorii constitutio vera est, in cujus serie Gregorius IX. totam & universam precarii materiam mirâ brevitate complectitur: Et ut eam exponamus, sciendum est, precarium tunc celebrari, cùm precibus aliquid petenti utendum conceditur, quamdiu is qui concessit, patietur, hoc est, non revocaverit *l. 1. ff. hoc tutulo*, Paulus *lib. 5. sentent. tit. 6.* quâ diffinitione rectè perpensâ agnoscuntur omnes differentiæ, quæ versantur inter hoc negotium & donationem, commodatumque, quas latiùs prosequuntur suprà relati, & Cujacius *lib. 4. observ. cap. 7. & lib. 23. cap. 27.* Duarenus *lib. 1. disput. cap. 14.* Faber *Decad. 4. error 9.* Donellus *lib. 14. comment. cap. 34.* Institutarii *in §. item is, Instit. quibus modis re contrahitur.* Non tamen leve inter juris Interpretes dissidium est, an precarium verè & propriè dictum contractus sit? Et sanè cùm Ulpianus *in l. contractus 25. ff. de reg. jur.* disertè precarium in numero contractuum, & in specie eorum, qui dolum malum dumtaxat recipiunt, referat, nonnulli contractum esse innominatum docuerunt, ut Donellus *lib. 14. comment. cap. 34.* Wesembech. *ad titulum de precario, num. 2.* Treutler. *volum. 1. disput. 24. thesi 5. littera C.* qui moventur sequentibus juris fundamentis. Primò, quia ex precario datur actio præscriptis verbis, quæ propria est contractuum innominatorum, *l. 2. §. 2. in fine. l. duo 19. §. final. ff. de precario*: probat Oroz *lib. 3. de apicibus juris, cap. 1. num. 13.* Secundò, quia in precario civile negotium geritur, cùm præcedat conventio, ut is, qui rogavit, re utetur pro voluntate concedentis, & eâ revocatâ, ipsam rem restituat. Deinde quia precarium proximè accedit ad casum illum, *do ut facias*; videlicet, do tibi rem, ut cùm mihi libuerit, eandem restituas: igitur pro contractu innominato habetur. Alii agnoscunt duo precarii genera, unum merè gratuitum, ob puras preces concessum, nec tempus, nec modum, finemve recipiens, ex quo cùm nulla actio civilis

detur

detur, contractus non est, de quo agi volunt *in l. interdictum* 14. *ff. de precario*: alterum verò, quod modum quidem, & finem habet, de quo accipiunt textus *in l. si debitor* 11. *l. ea quæ* 20. *ff. de precario*; ex eoque putant oriri actionem præscriptis verbis, quia etsi contractus nominatus non sit, tamen ad instar donationis quandoque per contractum innominatum celebratur, exemplo legis ultimæ, *C. de rerum permut. l. dictam* 8. *C. de condict. ob caus.* Sed rectiùs docuerunt Gilbertus Regius *lib.* 1. *enantioph. cap.* 10. Cujacius *lib.* 4. *observ. cap.* 7. & *lib.* 23. *cap.* 21. & *ad tit. C. de precar.* & *in notis ad Paulum lib.* 5. *sentent. tit.* 6. Bronchorst. *centur.* 1. *assert.* 74. Osvaldus *lib.* 14. *Donel. cap.* 34. *littera B.* Bocerus *ad l. contractus* 23. *cap.* 4. *num.* 23. & *class.* 2. *disput.* 9. *thesi* 34. D. Ioseph de Retes *lib.* 2. *opusc. sect.* 1. *cap.* 5. *num.* 20. Vichius *de possess. duor. quæst.* 6. *per totam.* precarium propriè dictum contractum non esse, sed potiùs naturam donationis, seu commodati sapere. Moventur primò *ex l. interdictum* 14. *ff. hoc tit.* ubi Paulus testatur, ex precario nullam actionem civilem dari; quia magis ad donationem, & beneficii causam, quàm ad negotii contracti cognitionem spectat: nec naturæ contractuum conveniens est, ut negotium pendeat ex libera alterius voluntate, *l. in commodato* 17. *§. sicut* 3. *ff. commodati*: quare forsan in serie Pandectarum ponitur titulus *de precario*, longè à materia contractuum, ut observavit Bachovius *ad Treutl. volum.* 1. *disput.* 24. *thesi* 5. *littera C.* Secundò *ex l. eum qui* 14. *§. is qui precario, ff. de furtis*, ubi Paulus eam sui responsi rationem reddit, quia ex precario nulla civilis actio datur: & rationem hujus rationis reddit, quia simile donato precarium est; quam similitudinem Ulpianus latiùs docet *in l.* 2. *§.* 2. *ff. de precario*, dum ait, naturâ æquum esse tamdiu te liberalitate mea uti, quandiu ego velim; & ut possim revocare cùm mutavero voluntatem, quod naturæ contractuum non convenit. Tertiò ex lege *quæsitum* 8. *§. final. ff. hoc tit.* ubi docet Ulpianus, hæredem ejus, qui precariò rogavit, ex dolo defuncti tantùm teneri, quatenus ad eum pervenit, cùm certum sit actiones ex contractibus venientes, licèt delictum defuncti in eis versetur, in solidum contra hæredes dari, *l. ex depositi* 12. *l. ex contractibus* 49. *ff. de obl. & act.* Quartò, quia precario diffinitio contractus non convenit, sive sequamur diffinitionem Ulpiani relatam *in l. Labeo* 19. *ff. de v. s.* sive Cujacii *in l. juris* 7. *ff. de pactis*, sive communem illam, juxta quam contractus est conventio super negotio civili obligationem producens, cùm in precario nullum civile negotium detur, aut obligatio reciproca nascatur. Tandem quia si precarium contractus esse, vel nominatus, vel innominatus diceretur: sed nequit esse nominatus, quia speciali aliquo nomine demonstrari non valet, sed tantùm generali verbo, exemplo permutationis, ut probat Donellus *lib.* 14. *comment. cap.* 34. Nec etiam contractus innominatus est, quia ad nullam speciem eorundem commodè referri potest: & de casibus *do ut des*, & *facio ut des*, satis notum est: de alia verò specie, videlicet, *do ut facias*, licet Treutlerus *volum.* 1. *disput.* 24. *thesi* 5. *littera C.* velit precarium ad eam accedere, quia do tibi rem, ut cùm libuerit, mihi eam restituas; & Bocerus *in dicta l. contractus, cap.* 4. *num.* 26. existimet precarium spectare ad casum illum, *facio ut facias*, hoc sensu: Concedo tibi hanc rem, ut eam mihi quovis tempore repetenti restituas: rectè docuit Bachovius *ubi suprà*, quod talis relatio sit impropria, quia nec precario concedere dare, nec restituere facere sit, prout ea verba in materia contractuum accipiuntur, argumento legis *juris* 7. *§.* 2 *ff. de pact. l. naturales* 5. *in princip. & §.* 1. *ff. de præscript. verbis*; siquidem dare ibidem significat dominium transferre; & facere est quid in vicem omnis pensationis pro eo quod datum est, perficere. Prosequitur Viccius *dict. quæst.* 6. Nec hac sententiâ retentâ obstant fundamenta contrariæ. Non primum *ex dicta l. contractus, de reg. jur.* nam Ulpianus precarium ibi refert ratione similitudinis, quam habet cum commodato; nec precarium tanquam contractum retulit, sed tantùm ex certo respectu, videlicet quia in precario similiter, ac in veris contractibus quæstio de dolo, culpâve, quam exponebat, locum habere poterat. Nec etiam obstat, quod ex precario detur actio præscriptis verbis, quia omissis variis solutionibus, & distinctionibus, quas tradunt Donellus, & ibi Osvaldus *dicto cap.* 34. Jul. Pacius *centur.* 7. *quæst.* 21. Gilbert. Regius *dict. lib.* 1. *enantioph. cap.* 10. Treutlerus *dicta thesi* 5. *littera l.* dicendum est, actionem præscriptis verbis in precario non dari, ex negotio gesto, sed ex bona fide, & bono, & æquo, constitutionibus hanc actionem proditam esse, quia iniquum foret, nullam civilem actionem dari ei, qui rem suam petenti precariò concesserat, ut docuerunt Cujacius *ad titul. C. de precario, & lib.* 4. *obs. cap.* 7. & *in comment. ad Paulum lib.* 5. *sentent. tit.* 6. Bocerus *in dicta l. contractus, cap.* 4. *num.* 23. Viccius *dicta quæst.* 6. D. Josephus de Retes *lib.* 2. *opusc. sect.* 1. *cap.* 5. *num.* 20. Nec obstat tertium fundamentum, siquidem omnino negamus, in precario negotium civile geri: nec contractus natura patitur, ut negotium gereretur, penderetque tantùm à voluntate unius partis, ut fusè docet Viccius *dicta quæst.* 6.

4. *Ex precario an transferatur possessio.*

Materia precarii est quælibet res, sive mobilis, sive immobilis; nec non jura & servitutes, *l. precario, §. habere, ff. de precario.* Sed statim hæsitatio occurrit, an qui rem precario rogavit, eam possideat? Cujus quæstionis vera solutio petenda est ex natura ipsius precarii. Precarium enim, quod nec donatio, nec contractus verè, & propriè dici potest, sed potiùs de natura utriusque participat, simileque donationi, & commodato esse dicitur *in l.* 1. *§. est & simile* 3. *l. interdictum* 14. *§. is qui precario* 11. *ff. de furtis*, juncto Treutlero *volum.* 1. *disputat.* 24. *thesi* 5. *littera C.* duplici modo constituitur. Primò simpliciter, cùm quis rogat tantùm ut in possessione sit; secundò cùm precibus illud addit, ut sibi possidere liceat. Priori modo si constituatur precarium, is qui simpliciter rogavit, ut in possessione sit tantùm, rem precario concessam non possidet, sed possessio istius remanet penes dantem, qui eandem possidet suo animo, & alterius corpore, eodem planè modo, sicut per servum, colonum, inquilinum, procuratorem, eum apud quem rem deposuimus, qui commodavimus, & alios quoscunque, qui alienæ possessioni ministerium præstant, juxta legem *quod meo* 18. *ff. de acquir. poss.* possidemus; & hoc casu

casu certum est, eum qui precario rogavit, non possidere, *l. si quis ante* 10. *§. idem Pomponius, ff. de acquir. possess. l. si fur* 32. *§. ultim. ff. de usucap. l.* 2. *§. habere* 3. *l.* 6. *§. is qui rogavit* 2. *l. quæsitum* 8. *l. cùm precario* 21. *ff. de precario, l.* 4. *C. de his, qui à non domino, l.* 2. *C. de præscript.* 30. & hoc quidem jure optimo, cùm enim precarium magnam cum commodato habeat affinitatem, *dict. l.* 1. *§.* 3. *ff. de precar.* & utrumque usum rei ad alterum transferat, eâ quidem differentiâ, ut in commodato usus cum certo modo, tempore, & fine præscribatur ab eo, qui beneficium tribuit, *l. in commodato* 17. *§. sicut autem* 3. *ff. commodati*; in precario autem usus tamdiu relinquatur, quamdiu concedenti libuerit, *l.* 2. *§. & naturalem* 2. *ff. de precar.* manifesti autem juris sit, quod commodatarius rem commodatam non possideat, *l. rei commodatæ* 8 *ff. commodati, l. officium* 9. *ff. de rei vindic. l. possideri* 3. *§. sed si is* 20. *ff. de acquir. vel amitt. poss.* quis non videt idem statuendum esse de eo, qui simpliciter rem precario rogavit, quique aliàs in re concessa minùs juris, quàm commodatarius habet? A tenente enim precarium, quocunque tempore concedens mutaverit voluntatem, revocari potest; à commodatario autem ante finitum usum intempestivè rem petere, non officium tantùm impedit, sed & suscepta obligatio inter dandum, accipiendumque, *dict. l.* 17. *§.* 3. Sin autem posteriori modo precarium constituatur, is qui rogavit, ut sibi possidere liceat, verè nanciscitur possessionem, sed naturalem tantùm, ex qua non procedet usucapio, cùm non possideat opinione domini, *l. si servus* 22. *§. is qui pignori* 1. *ff. de noxal. action.* & eo casu precarium concedens, nullo modo, nec civiliter, nec naturaliter possidebit, *§. retinenda* 4. *vers. nam uti possidetis, Instit. de interdict. l. communi* 7. *§. inter prædones* 4. *ff. commun. divid. l. quacunque* 13. *§. interdum* 1. *ff. de public. in rem act. l. ait Prætor* 2. *§. habere* 3. *l. in rebus* 4. *§. meminisse* 1. *& §. idem qui, ultim. l. certè* 6. *§. Julianus* 3. *l. precario* 9. *l. cùm precario* 12. *§.* 1. *l.* 16. *l. qui precario* 17. & aliis locis pluribus, *ff. de precar. l. Pomponius* 13. *§. si is qui* 7. *ff. de acquir. vel amitt. poss. l. si precar. ff. commun. prædior. l. qui fundum* 12. *ff. quemadmod. servit. l. communis* 7. *§. inter* 4. *ff. comm. divid. l. si rem* 29. *l. cùm & sortis* 35. *de pignorat. act. l. si quis ante* 10. *§.* 1. *& ultim. l. interdum* 21. *in princip. & §. ultimo, l. si aliquam* 28. *l. qui pignoris* 36. *ff. de acquir. possess. l. nunquam.* 31. *§. si vi, ff. de usucap. l. sed & si vi* 14. *ff. de vi & vi armat. l.* 1. *§. ultim. §. uti possidetis, l.* 1. *§.* 2. *ff. de itinere, l. si is qui* 11. *§. ego, ff. quod vi aut clam, l.* 2. *§. ultim. l. si debitor* 11. *ff. de precario, l.* 3. *C. de pact. inter empt. l. Julianus* 13. *§. possessionem* 20 *ff. de act. empti.* Agnoverunt hoc discrimen rogandi precarium Cumanus *in dicta l. si quis ante* 10. *num.* 2. ubi Jason *num.* 9. Duarenus & Gisanius *num.* 5. Cujacius *lib.* 9. *observ. cap.* 33. Faber *de error. decad.* 77. *error.* 7. Fachineus *lib.* 8. *controv. cap.* 16. Valentia *lib.* 1. *illustr. tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 19. D. Ioseph de Retes *lib.* 1. *opuscul. cap.* 13. ubi exponit textum *in l. qui à servo* 16. *de obl. & act.* Viccius *de posses. duor.* 2. *p. num.* 60. Sed circà possessionem rei precario concessæ, duo adhuc sunt observanda. Primum, possessionem hanc, quamdiu concedens eam penes possidentem remanere patitur, justam possessionem esse; hoc enim prædicatum eidem attribuitur *in dicta l. quacunque* 3. *§. interdum, ff. de public. l. si servus* 22. *§. is qui pignori, dict. l. communi* 7. *§.* 4. *l. Pomponius* 13. *§. si is qui* 7. Sed quia precarium Domino repetente, seclusâ omni morâ reddendum est, *l.* 1. *in princip. l.* 2. *§.* 2. *ff. de precario*, accidit, ut si non illico reddatur, possessio ea fiat injusta, quæ etiam causa est cur sæpe in jure possessio precaria conjungatur cum violenta, & clandestina, ut videre est *in l. si quis diuturno* 10. *in fine princip. ff. si servitus vindicetur, dicta l. Pomponius* 13. *§. cùm quis* 1. *ff. de acquir. possess. l.* 1. *in princip. §. perpetuò* 5. *§. quod ait* 9. *ff. uti possid.* notarunt Viccius *suprà, num.* 61. Cujacius *lib.* 9. *observ. cap.* 33. Secundum, quod licèt qui precario concessit possessionem, non possideat, quia in rogantem eam transtulit, tamen in omnibus effectibus creditur concedentem possidere; quare si usucapiebat qui precarium concessit, eo revocato jungitur possessio rogantis cum possessione concedentis, & utrumque tempus ad usucapiendum prodest, *dict. l. Pomponius* 13 *§. is qui precario, ff. de acquir. possess. l. de accessionibus* 14. *l. penult. ff. de diverss. & tempor.* quin immò licèt quamdiu durat precarium, omnino concedens non possideat, nec possit uti accessione ejus qui rogavit, nisi postquam recuperavit possessionem, *dict. §. is qui precario*, ubi Cujacius; tamen si interim impleatur tempus usucapione præscriptum, usucapit qui concessit, prodestque illi possessio rogantis, quemadmodum eundem ad effectum prodest possessio creditoris debitori usucapienti, *l. qui pignoris* 36. *ff. de acquir. possession.* ut docent Accursius, Bartolus, Cumanus, Alexander, & Jason *in dicta l. Pomponius, §. is qui precario.*

Adhuc tamen hac distinctione retentâ, superest non levis difficultas *ex l. & habet, §. eum qui, ff. hoc titulo*, quem textum dum accipiunt Doctores de possessione ex voluntate concedentis translata, litteræ adaptari non potest, cùm sequeretur exinde concedentem possessionem non retinere, quod est contra expressam sententiam Consulti ibi. Quare alii docent, textum illum esse accipiendum, quando simpliciter precarium datum est, quia eo casu tam concedens, quàm rogans possident, non tamen in solidum, & eodem modo, ut eleganter ait Innocentius *in cap. licet* 9. *de probat.* sed diversis respectibus: quæ fuit Sabini sententia probata à Consulto ibi, & in specie justæ possessionis, probavit Ulpianus ex Trebatii sententia *in l.* 3. *ff. uti possidetis*, & Julianus *in l.* 19. *hoc tit.* & refert Paulus *in l.* 3. *§. ex contrario, ff. de acquir. possess.* quibus locis ex Trebatii sententia Sabinus à Labeone non reprehenditur, sed tantùm ratio quâ movebatur Trebatius, dum justam, & injustam possessionem specificè differre existimabat; cùm tamen verius esset, unum tantùm dari genus possidendi, utramque tamen possessionem accidentaliter differre, ut observat Duarenus *in dicto §. ex contrario*, ibi, quem Labeo reprehendit; aliter enim si sententiam Trebatii Labeo improbaret, non diceret *quem*, sed *quos*, cùm Sabinus, & Trebatius in eadem essent sententia, ut constat *ex dicto §. ex contrario.* Verùm etsi hæc subtilis sit interpretatio, adhuc eâ omissâ, & aliâ Cujacii, qui *libro* 9. *observ. cap.* 32. asserit textum *in dicto §. eum qui*, sumptum esse ex libris Pomponii, quos ille ad Sabinum scripsit, & proinde con-

Expenitur l. & habet 15. §. 4. ff. hoc tit.

continere sententiam Sabinianorum, à qua Labeo, & cæteri Proculeiani, immò & aliqui eorum, qui Sabinum sequebantur, discesserunt; quam Cujacii sententiam sequuntur Treutlerus *volum. 2. disput. 21. thesi 4.* Bachovius *ad ipsum*: dicendum est cum Meyero, quem sequitur Vicius *dicta 2. p. num. 65.* in dicto §. 4. referri duos casus diversos constituendi precarium, suprà relatos; & priora quidem verba pertinere ad secundum modum precarii, cùm quis precibus rogat, ut sibi possidere liceat, in quem transferri possessionem suprà dixi; sequentibus verò verbis adduci novam aliquam, & generaliorem quæstionem pertinentem vel ad primum casum, cùm scilicet quis rogavit, ut sibi tantùm in possessione esse liceat; vel certè si precarium simpliciter constitutum sit: & ita responderi ad allatam quæstionem, ut intelligatur utrumque simul non possidere eodem casu: dicit enim Pomponius, *Penes utrumque esse eum hominem, qui precario datus esset.* Ubi plurimùm inter se differunt, utrumque possidere, & rem penes utrumque esse; cùm res non modò sit penes eum, qui possidet, *l. penes te 63. ff. de v. s.* sed etiam penes eum, qui tantùm detinet. *l. locum 3. §. si tabulæ 2. juncta l. 1. in principio ff. de tab. exhib. l. qui legatorum 2. §. final. ff. pro hærede.* Penes eum est qui rogavit, quia rem detinet naturaliter absque animo sibi habendi: penes dominum, quia animo non discessit à possessione, id est, simpliciter rogatus, noluit eam in rogantem transferre, sed sibi eam retinere & per ipsum possidere. Quam Meyeri interpretationem ab impugnatoribus Bachovii defendit Viccius *dicta 2. p. de possessione duorum, ad finem*, licèt aliter textum illum accipiat Hieronymus Oroz *lib. 4. de justitia juris, cap. 3. numero 3. & cap. 8. & cap. 10. num. 4.*

§. Exponitur & habetur §. 4. ff. hoc tit.

6. Remedia pro recuperandis precariis.

Superest ut videamus, finito precario, quæ remedia competant domino ad rem ipsam recuperandam? Et sanè in hac parte ipsi Jurisconsulti sibi ipsis adversari videntur; nam Ulpianus *in l. 2. vers. itaque*, & ante eum Julianus *in l. duo 19. in fine, ff. hoc titulo*, diserte probant, duplici remedio succurrendum esse domino, nempe interdicto de precario, & actione præscriptis verbis: cùm enim Paulus expressè scribat *in l. interdictum 14. ff. hoc titul.* tantùm interdictum ei competere, negans ullam civilem actionem dari posse, omne remedium civile denegasse videtur. Sed pro vera conciliatione horum jurium, sciendum est, revocato precario non licere concedenti propriâ auctoritate rem suam invadere, neincidat in vitium violentiæ, ut docet Gregorius Lopez *in l. 9. glos. 4. titul. 30. partit 3.* Quare necessarium fuit interdictum de precario, ut celeriter per judicem fiat restitutio. Unde non rectè docuit Menochius *de recuper. rem. 15. num. 55.* rogantem dejectum à concedente non habere interdictum *unde vi*; quando enim est precarium possessionis, qui rogavit, habet illud interdictum, ut quilibet justus, sive injustus possessor, *l. 1. §. dejicitur 9 ff. de vi & vi.* Cæterùm si tantùm usus concessus fuit, quia non datur possessio, & per consequens nec dejectio, locum non habet illud interdictum, *dict. l. 1. §. fin.* Juxta quam distinctionem accipiendus est textus *in l. qui precario 17. ff. hoc titul.* junctis Cujacio *lib. 5. observ. cap. 22. & lib. 9. cap. 33.* Menochio *de retin. remed. 13. ex num. 38.* Habet etiam dominus nonnullas actiones ad rem ipsam recuperandam, quæ domino dantur, *l. in rem 23. ff. de rei vind. l. officium 9. C. eod. tit.* Etiam ad avocandam nudam possessionem finito precario, ab eo, qui contra voluntatem domini rem detinet, dici potest condictionem triticariam dari, *ex l. 2. ff. de triticar. l. 4. §. ultim. de rebus creditis*; & actionem præscriptis verbis competere suprà probavi. Nec inde inferas, superfluum esse interdictum de precario, quod celeriter peragitur; actiones verò exigunt plenariam causæ cognitionem. Deinde interdictum avocat usum, vel possessionem precariò concessam, ampliusque omnem causam, interesse, damnum acceptum, aut lucrum interceptum; item fructus à die redditi interdicti, de quo summatim discuti oportet, *l. quæsitum 8. §. ex hoc 4. ff. hoc tit.* actio verò præscriptis verbis, quamvis ferè idem contineat, continet tamen diverso modo, & per incerti condictionem, *l. stipulationem 74. §. ult. l. ubi autem 75. ff. de verb. obl.* auditis, & discussis plenariè partium allegationibus; nec tendit ad avocandam possessionem, nec ad interesse ipsius possessionis, *l. in area 35. ff. de condict. indeb. l. hæres 21. ff. ad Trebel.* docuit Faber *decad. 77. errore 6.* unde intelligitur textus aliàs difficilis, *l. interdictum 14. hoc titulo, juncta l. eum qui 14. §. is qui precario, ff. de furtis*, ubi docetur, ideò interdictum de precario inventum fuisse tanquam necessarium, quia nulla eo nomine juris civilis actio erat, cùm *in l. 2. §. 2. l. duo 19. §. ult. ff. de precario*, apertè concedatur actio præscriptis verbis ad revocationem precarii. Faber *de error. decad. 45. error. 8. & decad. 77. error. 6.* asserit, quoad effectum valdè differre interdictum de precario, & actionem præscriptis verbis; nam interdictum ad ipsius rei restitutionem concedit, *l. 2. in princip ff. de precar.* actio verò præscriptis verbis tantùm datur ad consequendum id quod interest. Ideo verum est dicere nullam actionem civilem ex precario competere, sic intelligatur, ad hoc, ut res ipsa restituatur. Verùm hæc Fabri doctrina sustineri nequit, quia cùm actio præscriptis verbis ex contractu descendat, *l. 8. ff. de præscriptis verbis*, ad rem consequendam decerni creditur. Quare verius dicendum est, quod cùm precarium simile sit donationi, *dict. l. 14. de precario*, & ex donatione non obligetur donatarius, *l. Aristo 18. ff. de donat.* & actio præscriptis verbis non oriatur nisi ex conventione. *dict. l. 8. de præscript. verb.* in precario autem non appareat alia conventio præter donationem, ideò ejus nomine nulla civilis actio competebat, sed Prætor respiciens utendi potestatem ex precario transferri, esseque naturæ consonum tamdiu accipientem liberalitate concedentis uti, quamdiu ipse voluerit, atque posse revocare cùm mutaverit voluntatem, ea ratione interdictum dedit: & cùm postea appareret eo animo rem precario concedi ut restitueretur, & constaret non esse donationem, æquum visum fuit, actione in præscriptis verbis accommodare, ut breviter præsensit Donel, *in l. 2. C. de precario.*

7. Traditur ratio decidendi.

His animadversis apparent jam rationes præsentis assertionis; nam cùm precarium tamdiu durer, quamdiu non revocatur, sequitur è contrario, revocatione necessariò finiri, juxta hujus negotii naturam; morte autem ejus qui concessit

cessit non finitur, quia cùm precarium eam in se contineat conditionem, ut postquam concessum est, tamdiu duret donec revocetur, *dict. l. 2. hoc tit.* & in mortuo cesset voluntas, quia ampliùs velle non potest, *l. 1. C. de testamentis*; voluntas autem morte non revocetur, inde precarium persistit donec per successorem defuncti revocetur: finitur autem morte rogantis, quia cùm precarium omnino concedatur in gratiam ipsius rogantis, ob affectum erga illum, ejusque merita, quæ non ita dantur in ejus hærede, ideo ad illum precarium non tranfit. Similiter & rei concessæ alienatione finitur precarium, quia alienatione tacitè revocatur antiqua voluntas, *l. rem 18. ff. de admend. legat. l. 11. §. si rem 12. ff. de legat. 3.* quare sicut revocatione expressâ, ita tacitâ finitur precarium.

8. *Dissolvitur dubitandi ratio.* Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt verum sit, precarium finiri revocatione, & semper posse revocari per concedentem, non licet illud statim atque concessum est, revocare: quia cùm precarii concessio beneficium aliquod sit, proinde oportet accipientem eo juvari, non decipi; præsumitur enim dolus in concedente precarium, illudque statim revocante: quare qui precarium concessit, si illud sine justâ causa superveniente revocare intendat, repellitur exceptione doli, ut fusè prosequitur Covar. *lib 3. var. cap. 13. num. 6.* Si ergo respicimus ad jus strictum ex substantiali precarii formâ, & ejus natura resultans, dicendum est, quandocunque revocari posse, cùm tantùm negotium hoc descendat ex liberalitate, & benevolentia ejus, qui precarium concessit: proinde mirum non est, si ad exemplum donationis mortis causâ, vel donati ob rem, illicò pœnitere liceat, ut docuerunt Baldus *ad leg. 2. ff. commodati*, Cujacius *ad hunc titulum C.* Treutler. *disp. 24. thesi 5. littera H.* Si verò attendamus benignum jus ex naturali æquitate proveniens, dicendum est, precarium illicò ac concessum est, revocari non posse, quia repugnat æquitati, ut prætextu liberalitatis quis decipiatur, ut facilè evenire posset in revocatione ista subitanea, ut considerat Bachovius *ad Treutl. dict. thesi 5. littera H.* Viccius *de posses. duor. quæst. 8. in fine.* Nec obstat primum augmentum difficultatis deductum ex dicta lege *in rebus, §. ultim. dict. l. cùm precario, hoc tit.* verum enim est, pactum naturæ, & substantiali formæ precarii contrarium non valere, ut probat Hothomanus *illustr. quæst. 37.* principiis enim juris civilis contrarium est, ut pactum illud, quod contra naturam contractus eidem adjicitur, ut ipsius pars & accessio sit, vitietur, & à Prætore non servetur, contractu interea valido permanente, *l. 1. §. illud 7. ff. depositi, l. 7. §. ultim. l. 4. ff. de pignorat.* exemplum est simile in legato & peculio; in quo adjectio contra legati naturam adhibita, ne scilicet æs alienum detrahatur, non vitiat legatum, sed ipsa vitiatur, & pro non adjecta censetur, *l. si peculium 6. §. si fuerit 1. ff. de pecul. legat.* quam quidem sententiam conceptis verbis expressit Celsus *in l. cùm precario 12. ff. de precario*: in qua ad quæstionem, si in datione precarii convenit, ut in Kalendas Julias, qui rogavit, ut possideat, utrum exceptione adjuvandus sit petens, ne antè ei possessio auferatur? Respondet hujus conventionis nullam vim esse: docuerunt Wesembecius *in parat. ad hunc tit.* Bachovius *ad Treutl. dict. thesi 5. littera G.* Osvaldus *lib. 13. Donelli, cap. 34. lit. C.* Viccius *dict. quæst. 8.* Nec contrarium probatur *in dict. l. in rebus, §. item, cum l. seq.* pro quorum solutione nonnulli duplex precarium commenti sunt: aliud purum, quod certo, designatoque modo, fine, & tempore destituitur; aliud mixtum, in quo intervenit aliquod beneficium, quod modum, & finem certum habet, & proinde tempus etiam admittere potest, argumento legis *si debitor 11. l. ea quæ 20. ff. de precar.* quos doctè refellit Bachovius *ad Treutl. dict. thesi 5. littera G. in fine*, cùm accedente modo, fine, & tempore precarium non differat à commodato. Nec multò alitèr difficultatem dissolvere intendit Henricus *in l. naturalis 5. axiom. 30 ff. de præscript. verb.* qui itidem precarii duo genera agnoscit; unum enim dicit verè esse gratuitum, ob puras preces concessum; nec tempus, nec modum, finemve recipiens, nec actionem civilem producens: alterum, cui pactum accedit, modum quidem, & finem, at non itidem tempus respuens, de quo agi existimat *in l. 2. §. 2. in fine, l. 4. §. final. l. 5. l. 20 ff. hoc tit.* Sed nec hæc distinctio difficultatem dissolvit, cùm divinatoria sit, à verbis textus prorsus aliena, præcipuè cùm *in dicta l. cùm precario 12.* asseratur nullum effectum esse hujus conventionis precario tempus adjicientis. His ergo difficultatibus omissis rectiùs dicendum est, precarium validè peti, & concedi posse ad certum tempus, veluti ad mensem; cujus determinationis sensus est, finito mense, finiri precarium absque alia revocatione, non autem ante illud tempus elapsum non posse revocari pro concedentis arbitrio; immò non posse ejusmodi pactum apponi, ut non sit in potestate concedentis precarium ante certum tempus illud revocare, ut optimè advertunt Covar. *lib. 3. var. cap. 15. num. 1.* Ant. Gomez. *lib. 2. var. cap. 7. num. 1.* quia illud pactum destrueret naturam hujus contractus. Quando igitur in precario nullum tempus apponitur, significatur non finiri, nisi revocetur à concedente; quando apponitur tempus, significatur eo tempore elapso absque alia revocatione finiri, non autem quia interim revocari non possit.

9. *Dissolvitur difficultas ex l. 4. ff. locati.* Nec obstat aliud augmentum difficultatis deductum *ex dict. l. 4. ff. locati*; nam omissâ distinctione Covar. *dict. cap. 15. num. 14.* quam rejiciunt Faber *dict. decad. 77. error. 1.* Menochius *lib. 1. de arbitrar. quæst. 69. num. 18. & 19.* omissaque aliâ solutione ipsius Menochii *ubi proximè, num. 20.* verius dicendum est, textum *in dicta l. 4.* procedere eo casu tantùm, quo precarii rogatio fit cum clausula adjecta à concedente, *quoad ipse vellet*; quo casu quia precarium egreditur suos notissimos terminos; & sui perseverantia pendet non à revocatione, sed ab existentia voluntatis concedentis, meritò ipsius morte tollitur; per quam illius voluntas cessat; juxta legem 1. *C. de sacros. Eccles.* Textus verò præsens, & *in dict. l. 2. §. quod à Titio*, loquuntur in precario concesso quoad voluerit dominus, ut constet *ex dict. l. 2.* ibi: *Quamdiu ego velim*; quo casu ad durationem precarii voluntatis persistentia non exigitur per actum positivum volendi, sed potiùs per actum negativum non contradicendi, quam voluntatem meritò patientiam appellant Consulti *in l. 1. §. scientiam*, ubi glossa, *ff. de trib. l. Pomponius 40. §. ult.*

§. ultim. ff. de procurat. juncto Pinello *lib. 2. select. cap. 6. num. 12.* quia inter velle, & nolle datur medium, quod est, non contradicere, P. Barbosa *in l. 2. §. ultim. ff. solut. matrim.* Unde cùm hæc non contradictio in mortuo verificetur, & revocatio in eo dari non possit, meritò precarium simpliciter concessum durat, post mortem concedentis, quousque ab ejus hæredibus revocetur; non tamen idem procedit, quando conceditur cum clausula, *quoad vellet*, ut docent Pinellus *dict. cap. 6. num. 12.* Faber *dict. decad 77. errore 1.* Nec tandem obstat textus *in dict. l. penult. ff. hoc titul.* cui facilè respondetur cum Gothofredo *ibi*, Fornerio *lib 3. rerum quotid. cap. 4.* quos sequitur Osvvaldus *lib. 4. Donelli, cap. 34. littera C.* asserendo, verba illa, *susque*, non ad hæredes, sed ad domesticos esse referenda, ita ut precarium concederetur pro usu Titii, & domesticorum, non verò hæredum.

10. Exponitur textus in l. Aquilius ff. de donat.

Suprà traditis obstat textus *in l. Aquilius Regulus 27. ff. de donat.* ubi cùm Aquilius nobilis Patricius in Nicostratum, qui rector Romæ fuit sub Antonio Caracalla, donationem contulisset sub ea forma: *Quoniam & cum patre meo semper fuisti, & me eloquentiâ, & diligentiâ tuâ meliorem reddisti, dono & permitto tibi habitare in illo cœnaculo, eoque uti*; cùm decessisset Aquilius, ejus successores volebant revocare precarium. Sed respondet Papinianus, non licere illis donationem habitationis in Nicostratum factam revocare: igitur precarium per concedentis hæredes revocari non potest. Augetur hæc difficultas *ex l. Lucius 32 ff. de donat.* in cujus specie cùm facta esset donatio his verbis: *Quandu voluerù utaris superioribus dictis, omnibus gratuitò, idque tu ex voluntate mea facere, hac epistola tibi notum facio*: respondet Scævola, hujusmodi donationem per hæredes revocari posse. Pro qua difficultate solutiones varias adduxerunt Faber *decad. 77. errore 8. & lib. 2. conject. cap. 14.* Cujacius *lib. 24. qq. Papin. in dict. l. Aquilius*, & *lib. 17. observ. cap. 33* & *lib. 21. cap. 37.* Connanus *lib. 5. comment. cap. 4. num. 6.* Jul. Paeius *centur. 6. quæst. 81.* cum quibus dicendum est *in dict. l. Aquilius 27.* donationem non fuisse merè gratuitam, sed ob causam, & remuneratoriam, ob justa servitia, & obsequia, ob satisfactionem operæ à Nicostrato in ejus discipulum impensæ: remuneratio enim ob justa servitia non est liberalitas, sed solutio obligationis naturalis; & contractus quidam commutativus, in quo res prorè datur, potiùs quàm donatio, ut notavit vetus Scholiastes *lib. 47. Basilic. titul. 1. in dict. lib. 27.* est compensatio dari cum accepto, Pinellus *in l. 1. C. de bonis matern. 3. p. ex num. 60.* Covar. *in cap. cùm in officiis, de testiam. num. 10.* Cabedus *2. p. decis. 36. ex num. 4.* unde cùm obligatio illa antidoralis remaneret Aquilium, ita ut donationem illam habitationis revocare non posset, & ejus hæredes obligat, ne possint habitationem ita concessam revocare. Facit textus *in l. si pater 34. §. 1. ff. de donat.* juncto Paulo *lib. 5. sentent. titul. 2. §. 6.* Quæsitum ergo fuit Nicostrato, ex prædicta donatione jus perpetuæ habitationis, & irrevocabilis; unde dotè in eo textu Papinianus concludit, quod si Nicostratus vi expellatur, restituendus erit per interdictum *unde vi*, ad instar usufructuarii, *l. 3. §. in id 13. cum sequent. l. si plures 9. §. dejectum, ff. de vi & vi*: docet Petrus Barbosa *in l. si de vi 37. à num. 318. ff. de judiciis*; & si in ea habitatione inquietetur, habebit similiter interdictum *uti possidetis*, quia eadem remedia, quæ competunt pro quasi possessione ususfructus, redduntur in hac specie, ut innuunt Castrensis & Cujacius *in dicta l. Aquilius*, & *lib. 21. observat. capite 37.* latiùs prosequitur utriusque textus illustrationem D. D. Joseph. de Retes *post tractatum de donat.*

Secundò superiori assertioni obstat textus *in l. cùm hæres 11. ff. de diverf. & tempor.* ubi cùm Papinianus supponat vitia à defuncto contracta, in hæredem, & successores transire, ponit exemplum in eo, qui precario possidebat; veluti *Cùm sciens alienum, illum illo precario possedit*: quæ rectè emendat Cujacius ita: *Cùm sciens alienum, vel vi, vel precario possedit*; nisi facilius pro *illo*, legas *ille*, ut voluit Gothofredus. Semper tamen ea verba difficilia sunt ex suprà traditis, nam precarium non transit in hæredem, nec successor rogantis precario possidet; unde ex sua persona non tenetur interdicto, ut probat Cujacius *2. definitionum Papiniani, in dict. l. 11.* igitur non rectè in eo textu discrimen constituitur inter hæredem ignorantem, & scientem, quoad possessionem ex causa precarii, & per consequens videtur in eo textu supponi, precarium aliquando transire ad hæredem rogantis. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, differentiam illam versari inter hæredem ignorantem, & scientem, quod licèt hæres ignorans interdicto de precario non teneatur, tamen si sciens pergat rem precario concessam possidere, tenetur interdicto de clandestino possessore, de quo *in l. 7. §. Julianus, ff. communi divid.* quia clam possidet, Paulus *lib. 5. sentent. titul. de interdictis*, ibi: *Hæres ejus, qui precariam possessionem tenebat, si in ea manserit, magis dicendum est clam videri possidere.* Unde Papinianus in eo textu docet, hæredem ejus, qui precario rem accepit, nunquam eam usucapere posse, sive sciat, sive ignoret rem precariò concessam esse; quia licèt cùm ignorat, ullo interdicto de precario non teneatur, tamen quia defunctus usucapere nequibat, nec ipse usucapere valet. Similiter si sciat, quia eo casu etiam interdicto clandestinæ possessionis tenetur. Etiam ex suprà traditis exponi possunt textus in hoc tractatu de precario non vulgares, *in l. si precario, ff. commun. præd. l. si servus 22. §. ultim. ff. de noxal. l. 1. §. ultim. ff. de itinere actuque, l. 11. §. ut ego, ff. quod vi aut clam, l. qui pignori, cum suis §§. ff. de acquir. possess. l. non solum 33. §. ultim. ff. de usucap. l. 22. §. si post, de pign. act. l. rem 29. ff. de pignorib. l. 2. l. 4. §. 1. l. multes 35. ff. commun. divid. l. quicunque 3. §. 1. ff. de public. l. cùm & sortis, §. 1. ff. de pignorat. l. 6. ff. pro emptore, l. non absre 10. C. unde vi, l. si fundus 33. ff. locati, l. si stillicidii 8. ff. quemadmod. servit. l. Julianus 13. §. 1. ff. de act. empti, cum l. servi, ff. de periculo & commodo, l. illud 40. §. 1. ff. de petit. hæredit. l. non satis 6. §. si verò, l. si quidam 31. ff.*

11. Exponitur l. cum hæres 12. de diverf. & tempor.

de servit. urban. prad. l. si quis sepulchrum, ff. de relig. l. die 25. ff. depositi, l. 1. §. quia autem, ff. de eloacis, l. 4. de manumis. vindict. l. quæsitum, ff. qui à quibus, l. cùm hic status 32. §. si maritus, ff. de donat. inter, l. qui à servo 16. ff. de obl. & act. l. ei à quo 21. ff. de usucap. l. 2. C. de præscript. 30. l. 7. §. Julianus, ff. communi divid. l. 2. de condict. triticar.

TITULUS XV.

De commodato.

CAPVT VNIC.

(a) Gregorius IX.

CUm gratia sui tantùm quis commodatum accepit, de levissima etiam culpâ tenetur, licèt casus fortuitus (nisi acciderit culpâ suâ, vel intervenerit pactum, seu in mora fuisset) sibi non debeat imputari. Contra eum quoque rectè commodati non agitur, nisi post usum (b) expletum, cujus gratia res fuerat commodata, cùm non decipi beneficio nos oporteat, sed adjuvari.

NOTÆ.

(a) *Gregorius IX.*] Qui præsentem constitutionem quoad ejus primam partem, transcripsit *ex l. si ut certum, §. commodatum, ff. commodati*: quoad posteriorem *ex l. si in commodato, §. sicut, ff. eodem.*

1. (b) *Usum expletum.*] Commodatum enim est contractus, quo res propria ad certum usum gratis conceditur, *l. 5. §. nunc, ff. commodati, §. ac cui, Institut. quibus modis re contrahitur*, ut docent Cujacius *in parat. ad titulum commodati*, Duarenus *ad eundem titulum capite 1.* Gomez *tom. 2. var. cap. 7. numero 1.* Martinus Delrio *in l. contractus, capite 8. de regul. jur.* Donellus *lib. 14. comment. capite 12.* Dicitur *gratis*, quia si merces interveniat, locatio est, idcircò commodatum beneficium appellatur *in l. in commodato 17. §. sicut, ff. commodati.* Dicitur ad usum, quia per commodatum res tantùm datur ad utendum, ideoque commodatarius non possidet sibi, sed domino, *l. si pignore 22. ff. de pignorat. action. l. officium 9. ff. de rei vind. l. 3. §. ultim. cum l. sequenti, ff. ad exhibend. l. rei commodatæ 8. ff. commodat. l. videamus 38. §. si possessionem 10. ff. de usur. l. 1. §. quod autem 33 ff. de vi & vi armat. l. servus 36. ff. de condict. indeb.* licèt in contrarium expendi soleant textus *in l. qui à servo 16. ff. de obl. & act. l. 71. ff. de furtis, l. penult. §. 1. ff. de auro & argent.* Usus autem interdum diffinitur certo modo, & fine, *l. in commodato 17. §. sicut, ff. commodati.* Modo quidem, ut cùm equus gestandi causâ commodatur, ut ad villam, aut bellum ducat, *l. 5. §. sed interdum, l. qui re 76. ff. de furtis.* Ad modum quoque pertinet, quod interdum res æstimata datur utenda, *l. 5. §. 3. ff. commodati*, & *l. 7. §. 5. ff. de donat. inter vir.* Fine verò definitur usus, quia certo fine dantur res commodatario, exempli causâ, ut eas creditori suo pignori det, *l. 5. §. 12 ff. commodat. l. 3. C. eod. l. 17. ff. de pignorat.* si commodet ludis edendis, *l. si ut certo, §. interdum 10, ff. commodati.* Aliquando etiam dicis gratia pecunia numeratur, *l. 4. ff. commodat.* quam explicant Desiderius Heraldus *lib. unic. emendat. capite 14.* Covar. *lib. 4. var. capite 8.* Alciatus *lib. 4. disputat. capite 15.* Forcatulus *dial. 7.* Corrasius *lib. 4. miscel. capite 8.* Connanus *lib. 7. comment. capite 3.* Antonius Augustinus *2. emend. capite 6.* Duarenus *lib. 1. disputat. capite 14.* Vasconcellos *lib. 2. respons. capite 6.* Lælius Bisciola *lib. 18. horar. succes. capite 12.* Et licèt in mutuò pecunia concedatur ad usum, valde tamen differt à commodato. Tum quia ex mutuo transfertur dominium, non verò ex commodato, *l. 8. & 9. ff. hoc titulo.* Tum quia mutuo dari possunt tantùm res quæ functionem recipiunt; commodari autem possunt omnes res corporales & incorporales, *l. 1. ff. hoc titulo, l. 17. ff. de præscript. verb.* docent latè prosequentes naturam, legesque hujus contractus, Julius Pacius *in tract. de commodat.* Duarenus *ad titulum ff. commodati*, Donellus *lib. 14. comment. capite 26.* Chesius *interpret. jur. capite 45.* Hothomanus *lib. 1. amicab. capite 21.* Bocerus *tom. 1. disputat. 9.* Treutlerus *volum. 1. selectar. disp. 24.* ubi Bachovius, & Helfricus Hunnius: ad quem commodati contractum spectat textus *in l. quod autem 7. §. si maritus, al 2. de donationibus inter*; cujus litteram emendat Faber *lib. 7. conjectur. cap. 6.* & textus *in l. 1. §. vel depositi, l. 1. de præscript. verb. l. si rem 47. de acquir. possession. l. 9. in princip. de duob. reis, l. 2. de fidejussoribus, l. 71. de furtis, l. si uxori mundus, penult. §. cùm ita legatum 1. de auro & argento legat. l. 18. §. 3. de dolo, l. servus cujusdam 36. de condict. indeb. l. si cum venderet,*

deret, §. 1. ff. de pignorat. l. 3. ff. de periculo, l. illud 13. §. 1. ff. de liberal. causa, l. 1. §. final. ff. depositi, l. final. ff. ad leg. Aquiliam, l. qui à servo 16. ff. de obl. & act. l. eandem 9. ff. de duobus reis, l. 1. C. de furtis, l. 2. C. de fidejuss. l. 7. §. si maritus 5. ff. de donat. inter, l. officium 9. ff. de rei vind. l. 3. §. genera, l. si rem 47. ff. de acquir. possess. l. 1. in fine, ff. de præscript. verb. l. item 11. §. penult. ff. ad leg. Aquiliam, cum l. 2. ff. si quadrupes, l. arbitrio 18. §. 3. ff. de dolo, l. servus 36. ff. de condict. indeb. l. 1. ff. de æstimatoria, l. Lucius 24. ff. depositi. Ex hoc contractu mutuæ nascuntur obligationes, totidemque actiones, ut constat ex rubrica commodati, vel contrà. Primò enim qui commodavit, tenetur ad omnia damna, quæ inde evenient commodatario, ex eo, quod rei commodatæ vitia tacuit, l. in commodato, §. sicut, l. in rebus, §. item qui sciens, l. penult. ff. commodati; & etiam tenetur expensas eas solvere, quas fecit commodatarius in rei commodatæ conservationem. Secundò qui commodavit, non potest revocare commodatum ante tempus, aut usum completum, ad quem concessum fuit, l. in commodato, §. sicut, ff. hoc titul. quod adeò verum est, ut ille, qui commodavit, decedat, nec ejus hæres commodatum ante tempus revocare valet, argumento legis 4. ff. locati; quod magnâ æquitatis ratione nititur, ut sicut commodatarius nequit retinere commodatum ultra tempus sibi concessum, nec uti re commodata ad alium finem, quàm sibi permissum, alioquin furtum committet; ita nec commodans rem suam repetere potest ante tempus concessum, cum commodatarii præjudicio. Commodatarius autem tenetur primò restituere rem commodatam expleto tempore, aut usu ad quem concessa fuerat, nec expectandum est, an repetatur à commodatario, quia dies ipsa interpellat pro homine, l. magnam, C. de contrahend. stipul. l. 2. C. de jure emphyt. cap. ultim. de locat. Si autem commodatarius sit in mora, & sequatur sententia condemnatoria ob contumaciam, succedit obligatio non solùm in ipsam rem, verùm & in ejus æstimationem, l. non absre, C. unde vi.

COMMENTARIUM.

2. Conclusio traditur & probatur.

EX hoc textu talis deducitur assertio: *Commodatarius tenetur præstare non solùm culpam latam, verùm etiam levissimam, non verò casus fortuitos, nisi in mora sit, aut pactum intervenerit, quo ad eorum præstationem obligetur.* Quæ sententia à Gregorio in præsenti relata probatur ex l. 14. §. an pater, & §. item, ff. de furtis, l. servus, §. circa commodatum, eod. titul. l. 13. de liberali causa, l. 3. §. reddita, l. si ut certo, §. nunc videndum, l. in rebus 18. ff. commodati, l. si servus 61. §. circa, de furtis, l. contractus 23. ff. de reg. jur. l. quæsitum 8. §. 3. ff. de precario, l. si cum venderet, 13. §. 1. ff. de pignorat. l. 3. ff. de peric. & commodo, l. illud 13. §. 1. ff. de liber. caus. l. 1. §. final. ff. depositi, l. final. ff. ad leg. Aquil. l. 1. §. 4. ff. de obl. & act. l. eum qui 14. §. an pater 10. & §. si res 14. l. qui injuria 53. §. 1. & 2. l. si is qui rem 59. l. si is cui 71. ff. de furtis, Paulus lib. 2. sentent. titul. 4. Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa & Garanna Petrus Gregorius lib. 23. syntagm. cap. 1. num. 1. Mozius de contract. titul. de commodat. cap. de divis. num. 3. Madera animadvers. cap. 17. num. 7. Rebellus de oblig. justit. 2. p. lib. 16. de commodat. quæst. unic. num. 1. Azor p. 3. instit. lib. 7. titul. de commodat. cap. 7. Lessius lib. 2. de justitia, cap. 7. dub. 8. Hermosilla in l. 2. tit. 5. part. 5. glos. 2. Cujacius lib. 9. observ. cap. 24. & ad titul. C. commodati, P. Faber, & I. Gothofredus in l. contractus 26. ff. de reg. jur. Petrus Gregorius lib. 3. partit. tit. 6. Bocerus tom. 1. disputat. 9. Ferro Mantique de different. utriusque fori, quæst. 31. Lælius Mancinus lib. 1. de tripl. juris collat. cap. 31. Tapia lib. 2. catech. mor. lib. 5. quæst. 29. art. 6.

Sed hæc assertio ita illustrata difficilis redditur sequenti juris consideratione; nam commodatum simile est precario, l. 1. ff. de precar. quia solius accipientis utilitas versatur, tam in uno, quàm in alio negotio: sed in precario tantùm qui precario rem accepit, ex dolo, & lata culpa tenetur, l. quæsitum 8. §. 3. & 6. ff. de precar. l. contractus 23. ff. de reg. jur. Igitur similiter in commodato, qui rem utendam accepit; tantùm ex dolo, & lata culpa teneri debet. Augetur hæc difficultas, primò ex eo; nam commodatarium levem tantùm culpam præstare, probatur ex l. in rebus 18. §. at si utriusque, ff. commodati; immò tantùm de lata culpa ipsum teneri, docetur in l. si ut certo 5. §. interdum, ff. hoc titul. Igitur non semper commodatarius tenetur levissimam culpam præstare. Augetur secundò hæc difficultas ex quodam fragmento relato à Pitheo in collatione legum Mosaic. titul. de deposito, §. 1. ubi docetur, commodatarium dolum, & culpam præstare, depositarium verò tantùm dolum: & rationem reddit IC. his verbis: *In commodati contractu, quia utriusque contrahentis utilitas intervenit, utrumque præstabitur; in depositi verò cùm sola deponentis utilitas versatur, ideò dolus tantùm præstatur.* Quæ verba ità emendat Gibalinus lib. 3. de usur. cap. 4. artic. 2. *In commodati contractu, quia vel solius accipientis, vel utriusque utilitas versatur.* Ergo non rectè in præsenti docetur commodatarium etiam levissimam culpam præstare teneri.

3. Impugnatur traditus assertio.

Quâ difficultate ita fulcitâ non obstante, vera est præsens constitutio, in qua, & in cap. final. de deposito, agit Gregorius noster de præstationibus ejus partibus in contractibus commodati, & depositi, de quibus ex professo disserunt Consultus in l. contractus 23. ff. de reg. jur. ubi adeò perlonga commentaria ediderunt Cinus, Campanus, Martinus Delrio, Gitanius, Bocerus, Contradus, Ritherusius, Petrus Faber, & Jacob. Gothofredus, ut non parum studiosæ juventuti me profuturum aliquando existimaverim: si ea ad epitomen redacta majori claritate dederim. Et primò de dolo, culpa, & ejus partibus, nec non casibus fortuitis videamus. Dolum ergo ita diffinit Servius: *Dolus est machinatio alterius decipiendi causâ, cùm aliud simulatur, & aliud agitur.* Sic in l. juris 7. §. dolo, ff. de pact. quæ diffinitio placuit Pedio ibi, Paulo lib. 1. sent. tit. 8. §. 1. D. Isidoro lib. 5. origin. capite 26. Et Justinianus in l. censemus, ultim. §. sin autem ignorans 1. C. de lit. lib. 8. titul. 37. dolum machinationem dixit. Et licèt Labeo impugnandi alios avidus

4. De culpa & ejus partibus.

hanc definitionem notasset ; quia supererant ea verba, *cùm aliud simulatur, aliud agitur* ; cùm etiam vitandi periculi causâ aliud simulari, & aliud agi possit : tamen definitio Servii meliùs rem explicat. Quare Ulpianus dum *in l. 1. §. dolum 2. ff. de dolo*, Labeonis diffinitionem approbavit, Servii tamen Sulpitii definitionem non improbavit, quasi apertiùs diceret, Ego non puto Servium aliter definiisse, ut alibi dixit Javolenus *in l. si is qui 27. ff. qui testamenta* : notavit Vultejus *lib. 2. de judic. cap. 7. numero 604.* Dolus ergo malus, qui simpliciter dolus dicitur *in l. 1.* & passim *ff. de dolo*, cui fraus mala ineſt, *dict. l. juris 7. §. dolo*, juncto D. Iosepho de Retes *lib. 8.* proficiscitur à consilio, calliditate, fallacia, machinatione; quæ tria conjunguntur cum dolo malo *in l. 1. ff. de dolo, dict. l. 1. §. dolo* : ex insidiis, quo modo legendum esse quidam contendunt *in l. dolum 6. C. de dolo*, datâ operâ, seu absconditâ machinatione, *dict. l. justum 4. C. de litig.* unde dolus hic in delictum, & crimen vergit, *l. 3. §. nunc videamus, ff. de suspect. tut. l. 1. §. is quoque, ff. de verb. obl.* ideoque contrarius est bonæ fidei, quæ in omnibus contractibus, quibus vitæ societas continetur, præstanda est, *l. 4. C. de obl. & act. l. bona fides 31. ff. depositi, l. si mandata 59. §. 1. ff. mandati, l. si dolo 5. C. de resind. vendit.* Deinde sciendum est, quod culpa est imperitia, seu imprudentia, ob quam homines circa res alienas vel negligunt quod fieri oporteat, vel faciunt quod fieri non debeat. Dolo nemo facit nisi sciens, & prudens, *l. lege 7. ff. ad leg. Cornel. de sicar.* Culpæ verò reus est imprudens. Donatus *ad Terentium* ibi: *Dolus est, si scientes reliquimus ; culpa si nescientes : alterum sceleris, alterum stultitiæ est.* Datur culpa circa res alienas, quia cùm quilibet rerum suarum moderator, arbiterque sit, *l. in re 21. C. mandati*, circa res proprias culpa non committitur, *l. etiam 18. §. 1. ff. solut matrim.* Culpa non potest dividi ; nam quæcunque imperitia culpa est, & quantò major imperitia, tantò major culpa ; non tamen ideo est diversæ qualitatis, quia ut ajunt Philosophi, plus vel minùs non differunt specie, *l. fin. ff. de instruct. & instrum. l. is cui, ff. quemadmodum servitutes.* Sunt tamen tres culpæ gradus, summus, medius, infimus, qui constituunt latam, levem & levissimam. Lata est ad summum negligentiæ, id est, non adhibere in rebus alienis eam diligentiam, quam adhibet in suis, quo negligentior quis esse non potest, *l. cedere 213. §. 2. l. latæ 223. ff. de verbor. signific. l. 1. ff. si mensor falsum modum, l. 1. ff. de Magistrat. conveniend. l. penult. ff. de incendio, ruina & naufrag. l. 22. §. 3. ff. ad Trebel. l. 1. ff. depositi, l. 1. C. de hæred. tutor. l. 2. C. de in litem jur.* Eadem culpa dicitur latior *in l. quod Nerva 32. ff. depositi* : magna culpa *in l. magna 226. ff. de v. s. l. 1. §. 5. ff. de obl. & act.* gravior *in l. 54. §. 2. ff. de acquir. rer. domin.* dissoluta *in l. si fidejussor 29. ff. mandati, l. 55. ff. de ædilit. edict.* ignorantia deperditi hominis *in l. 3. §. 1. ff. de jur. & fact. ignor.* Exempla hujus latæ culpæ, tam ex civilibus, quàm criminalibus causis refert Iacob. Gothofredus *in l. contractus 23. pag. 110. ff. de rei vind.* Quoad præstationem in contractibus hæc lata culpa dolo proxima est, *l. 1. §. non aliàs 2. ff. si is qui testament. liber, l. 1. §. 1. ff. si mensor falsum* : immò lata culpa dolus dicitur *in l. quod Nerva, 32. ff. depositi.* Sic verò describitur lata culpa, quando opponitur negligentiæ : at quando accipitur pro ignorantia, oppoñiturque scientiæ, tunc lata culpa est ignorare, vel non observare quod omnes in civitate sciunt: exempla peti possunt *ex l. 11. §. proscribere 3. ff. de instit. l. 9. §. sed facti 2. ff. de jur. & fact. ignor.* Levis culpa est cum quis eo modo diligens non est, ut plerique frugi homines esse solent; & culpa absolutè prolata, de hac levi intelligitur, *l. si servus 50. §. cùm quidam, ff. de legat. 1. §. 4. Institut. de suspect. tut. l. in venditionem 8. §. penult., l. Prætor 9. §. est præterea, ff. de rebus auctorit. judic. l. si cùm vendaret 13. §. ultim. cum l. sequenti. ff. de pignorat. act. l. hæredes 25. §. non tantùm 16. ff. famil. ercisc. l. 5. §. 3. ff. de in litem jur. l. si ut certo 5. §. 2. ff. commodat.* Quandoque tamen exprimitur culpa levis ad distinctionem latæ, ut *in l. cùm res 47. §. culpa, de legat. 1. dict. l. mulier 22. §. 3. ff. ad SCt. Trebel.* Levissima culpa est, cui opponitur exactissima diligentia & quam adhibere solet non quilibet, sed diligentissimus paterfamilias : exactissima diligentia vocatur *in l. socius 72. ff. pro socio* ; frequentiùs verò diligentissima nuncupatur, *dict. l. si ut certum 5. §. commodato, dict. l. si cùm venderet 13. §. 1. l. custodia, ff. de periculo & commodo, l. 17. §. si communi, ff. de præscript. verb.* Et licèt sint nonnulli, qui hunc levissimæ culpæ gradum rejiciant, tamen illum agnoscunt, & defendunt P. Faber, & Gothofredus *in dicta l. contractus*, D. Joannes Suarez *ad leg. Aquiliam, lib. 3. cap. 6.* Levissimæ culpæ adjungi solet custodia, quæ etiam præstatur in rebus alienis, §. 3. *Institut. de emption. dict. l. si ut certo 5. §. 5. & 6. dict. l. si cum venderet 13. ff. de peric. & com. l. sicut 19. C. de pignor. l. 3. ff. de periculo & commodo.* Superest ut de casibus fortuitis agamus; casus enim fortuiti sunt qui à nullo præcaveri possunt, qui vis major dicuntur *in l. ex conducto 15. ff. locati* ; fatalia damna *in l. 52. §. damna, ff. pro socio* : quare extra disputationem sunt, quia bona fides non patitur, ut à contrahentibus præstentur, *l. qui fortuitis 6. C. de pignorat. l. à procuratore 13. C. mandati, l. in judicio 28. C. locati l. in rebus 18. ff. commodati, l. fidejussor 32. ff. de negot. gest. l. si merces 25. §. vis major. l. 1. §. 7 ff. de administr. rer. l. 1. §. is quoque, ff. de obl. & act. l. 1. C. commodati, l. 1. C. depositi, l. 4. C. de pericul. tutor* nisi nominatim convenerit, ut omne periculum ad debitorem spectet ; tunc enim & fortuiti casus præstantur, *l. 1. §. sæpe 35. ff. depositi, l. 29. ff. mandati*, ut si generaliter periculum quis suscipiat, *l. juris 7. §. sed si quis 15. ff. de pactis l. si quis 9. §. si quis, ff. locati* ; nisi sint casus insoliti, & inopinabiles, de quibus credi non potest contrahentes præsensisse. Qui tamen casus fortuiti dicantur, exponit Gothofredus *ubi supra*, Osvvaldus *lib. 16. Donell. cap. 3. littera E.*

His suppositis circa culpam, ejusque gradus sciendum est, in quibus contractibus dolus, in quibus lata, levis, seu levissima culpa præstetur. Et ut omnia plenius comprehendamus, sequentes regulæ observandæ sunt. Prima est circa

De his præstationibus in contractibus.

contra

contractus, qui solius dantis gratiâ contrahuntur, in quibus dolus, & lata culpa dumtaxat præstantur, ut in deposito, §. *præterea*, *Instit. quibus modis re contrahitur*: nam licèt Prætor edicto suo tantùm cavisset de dolo præstando, *l.* 1. §. 1. *ff. depositi*, tamen Celsus Nervæ opinionem secutus, latam culpam præstari oportere ex mente Prætoris existimavit, *l. quod Nerva* 32. *ff. depositi*. Notandi tamen sunt casus singulares propositi *in l.* 1. §. *idem Pomponius, in fine*, *ff. depositi*, & *l.* 8. §. *final. de opt. legata*. Ex eadem regula provenit, ut mensor tantùm ex dolo & lata culpa teneatur, *l.* 1. §. 1. *ff. si mensor*; quia cùm ille conductus non sit, sibi debet imputare dominus, si malum mensorem adhibuit: idem dicendum est in proxeneta, seu contrahentium conciliatore, *l.* 2. *ff. de proxenetis*. Ex eadem regula exponendi sunt textus *in l. si servus* 108. §. *cùm quid*, *ff. de legat.* 1. *l. mulier* 22. §. *sed enim*, *ff. ad SCt. Trebel.* junctis Petro Fabro, & Gothofredo *in dict. l. contractus*. Secunda regula versatur circa contractus, qui utriusque gratiâ celebrantur, in quibus dolus, lata, & levis culpa præstantur, *l. sint certo*, §. *nunc est videndum*, *ff. commodati*, *dict. l. contractus*, *l. si servus* 108. §. *cùm quid*, *de legat.* 1. Bronchorst *centur.* 2. *quæstion. assert.* 33. ut contingit in contractu emptionis, & venditionis, §. *cùm autem*, *Instit. de emption. l. venditor* 36. *ff. de act. empti*, *l. cum qui* 14. *l. si vendidero* 80. *de furtis*: latè exponit D. Nicolaus de Castro *in* §. 1. *Instit. de emptione*. Idem contingit in locatione; locatio enim utriusque gratiâ perficitur: ergo conductor tenetur locatori de dolo, & levi culpa, non amplius, *l.* 3 §. 1. *ff. nautæ, caupones, l. si quis* 9. §. *si colonus*, *l. videamus* 11. *l. item* 13. *per totam*, *ff. locati*: quo modo custodiæ verbum accipiendum est *in l.* 5 *ff. nautæ, caupones, l. quicunque* 40. *ff. locati*, §. *ultim. Instit. eod. titulo*: ubi *diligentissimus*, pro *diligentia*, apponitur, ut vulgò notatur, nisi rei qualitas exactissimam diligentiam exposcat, ut in casu textus *in l. si merces* 25. §. *qui columnam*, *ff. locati*; vel nisi artificium conductum sit ejus, qui illud publicè profitetur, nam talis peritissimum se præbere debet; & ideo de levissima tenetur, *l. si quis* 9. §. *Celsus*, *ff. locati*, *l. si servus* 27. §. *qui calicem*, *ff. ad leg. Aquiliam*, doctè Suarez *ad legat. Aquil. lib.* 2. *cap.* 2. *sect.* 12. Socius etiam socio de levi culpa tenetur, quia utriusque gratiâ societas contrahitur, *l. cùm duobus* 52. §. *utrum*, *ff. pro socio*, §. *ultim. Instit. eod. titul.* ideo si communiter est diligens, sufficit si adhibeat eam diligentiam, qualem suis rebus adhibet, nec ad exactissimam tenetur; namque imputet sibi socius, qui parum diligentem socium optavit, *l. socius* 72. *ff. pro socio*, quæ sic intelligenda est, omisso Madera *animadv. cap* 17. Idem dicendum est in communione, veluti si duobus eadem res legata sit, nec adhuc actum sit judicio communi dividundo; tunc enim unusquisque dolum, & levem culpam præstat, quia utriusque refert rem communem salvam esse, *l. & puto* 16. §. *sed etsi*, *ff. famil. ercisc.* Talem ergo diligentiam præstabit, qualem rebus suis adhibet, dummodo ipse communiter diligens sit: textus ita intelligendi *in l. hæredes* 25. §. *non tantùm*, *ff. famil. ercisc. l. si is cum quo* 20 *ff. communi divid.* *l. si major* 4. *C. eod.* Idem creditor debitori, propter pignus, quod ab eo accepit, de levi tenetur, quia utriusque gratiâ res pignori datur, *l. ea igitur*, *ff. de pignorat.* §. *ultim. Instit. quibus modis re contrahitur*, *l. si creditor* 5. *l. creditor* 7. *C. de pignorat.* & ideo si post creditam pecuniam sine pignore pignus detur, quia solius creditoris causâ datur, debitor enim jam pecuniam invenerat, de levissima etiam tenetur, *l. si cùm venderet* 13. §. 1. *ff. de pignorat. l. si nulla* 8. *C. eodem*, *l. sicut* 19. *C. de pignor.* quas ita accipio cum Cujacio *lib.* 19. *observ. cap.* 24. & *in l.* 7. *C. de pignoratitia*. Excipiendum tamen est pignus prætorium, in quo dolus, & lata culpa tantùm præstantur, *l. Prætor*, §. *est præterea*, *ff. de rebus auctorit. judic.* potuit enim debitor comparendo vitare pignus hoc; unde de se queri debet si res pereat. Etiam in dote, quia utriusque conjugis gratiâ accipitur, *l servo* 69. §. *si testator*, *ff. de legat.* 1. maritus in rebus dotalibus inæstimatis culpam levem præstat, *l. in rebus* 17. *ff. de jure dot. l. etiam* 18. §. 1. *l. si constante* 24. §. *maritus*, *l. in his* 66. *l. ultim. ff. solut. matrim.* In rebus autem æstimatis etiam casus fortuitos maritus præstat, quia dotem æstimatam debet tanquam æs alienum, *l. plerumque* 10. *l. si rem* 14. *cum sequent. ff. de jure dot. junctâ l. incendium*, *ff. si certum petatur*. Tandem hæc regula procedit in contractibus innominatis, *l.* 17. §. 1. *l. apud* 20. §. *ultim. ff. de præscript. verb. l. eum qui* 10. *C. final. ff. commodati*, juxta cujus §. distinctionem accipiendi sunt textus *in l. duo* 23. *ff. de præscript. verb. l. rem* 78. *ff. de furtis*: quod procedit cùm aliquid accepisti ut faceres, non verò si accepisti ut dares; nam si pecuniam tibi dedi, ut Stichum mihi dares, & Stichus sine ulla culpa decesserit, pecuniam repetam, *l. ultim. ff. de condict. causâ datâ*; cùm etsi viveret Stichus, possem pecuniam repetere, quia licet pœnitere, *l. si pecuniam*, *ff. eod. titul.* unde cùm patrio nostro jure in his contractibus, sicut in aliis innominatis, non liceat pœnitere, *l.* 2. *titul.* 16. *lib.* 5. *recopilat.* docet Gomez *lib.* 2. *variar. capite* 8. *numero* 4. ideo mortuo Sticho in casu relato debitor liberatur.

6. *Traditur posterior regula.*

Succedit tertia, & ultima regula contractuum, qui solius accipientis gratiâ celebrantur, in quibus ob eandem rationem levissima culpa præstatur, *dict. l. si ut certo* 5. §. *veluti in commodato ff. commod.* de quo in præsenti, & in juribus suprà pro ejus illustratione adductis. Etiam hæc præstatio levissimæ culpæ aliquando irregularis est, quia nonnunquam magis propter bonam fidem exigitur, quàm propter utilitatem in hac regula expensam, ut contingit in mandato, in quo etsi nullum versetur damnum mandatarii, tamen ipse ob bonam fidem exactissimam diligentiam præstat, *l. à procuratore*, *l.* 4. *l. in re* 21. *C. mandati*: quo modo exponendi sunt textus *in l.* 51. *procuratorem* 8. §. *ultim. l. si mandavero* 22. §. *ultimo*, *l. inter* 26. §. *sed cùm*, *ff. eod. titul.* Illi accedit negotiorum gestor, cujus incerta præstatio est: interdum dolum tantùm præstat, veluti si plura affectione, ne bona perirent, accessit, *l.* 3. §. *interdum*, *ff* de negotiis *gestis*. Donellus *lib.* 15. *cap.* 15. nonnunquam culpam levem, *l. si negotia* 11. *ff. hoc tit.* junctò Otvaldo

ad Donel. ubi proximè littera D. sæpesæpius leviſſimam, §. 1. *Inſtit. de obligat. quæ ex quaſi contractu*, præcipuè ſi alius diligentior accedebat, *l. ſi pupilli 6. §. ultim. ff. eodem*, immò & aliquando geſtor præſtat caſum fortuitum, veluti ſi fecit novum negotium quod abſens facere re non conſueverat, *l. ſed 10. l. ſi negotia 11. ff. eodem.* Idem dicendum eſt de tutore, quem tantùm caſus fortuiti excuſant, *l. 4. C. de pericul. tut. l. ſi ſane 32. §. 1. l. ſi res 50. ff. de adminiſtr. tut.* Sed quia plerunque diligentiſſimi tutores eliguntur, & deſidioſi removentur à tutela, tanquam ſuſpecti, *l. 3. §. ultim. l. 7. ff. de ſuſpect.* ideò Conſulti aliquando aſſerunt, tutorem præſtare debere latam, levemque culpam, *l. 1. C. de hæred. tutel. l. tutor. 7. §. 2. l. qui plures 41. l. 57. ff. de adminiſtr. tut. l. tutor 28. ff. de tutel.*

7. *De præſtationibus ex pacto.*

Hucusque de præſtationibus, quæ veniunt ex natura contractus, interdum verò plus minusve in ſingulis ex partium conventione præſtatur; poteſt enim conveniri ut culpa, & diligentia præſtentur in iis contractibus, in quibus ex ſua natura, vel dolus tantùm, vel præter dolum culpa tantùm præſtanda venit; vel è contra, ut in illis contractibus, in quibus levis, ſeu leviſſima præſtatur culpa, lata tantùm veniat: quæ doctrina generaliter traditur *in dict. l. contractus 17.* & ſpecialiter de depoſito *in l. 1. §. ſi convenit 6. §. ſæpe 35. ff. depoſiti, l. 1. C. eod. tit. l. & Ariſtoni 39. ff. mandati, l. 7. §. item ſi quis, ff. de pactis:* de mandato *in dict. l. & Ariſtoni:* de commodato *in l. 1. C. hoc tit.* de emptione *in l. ſiſtula 78. ff. de contrahend. emption. l. 1. C. de periculo & commodo:* de locatione *in l. ſi quis domum 9. §. 2. l. 13. §. 5. ff. locati:* de pignoris donatione *in l. 6. C. de pignerat.* id verò convenire inter contrahentes nequit, ne dolus præſtetur, *dict. l. juris 7. §. illud, ff. de pactis, l. 17. ff. hoc tit.* impunitate enim conceſſa homines ad delinquendum invitarentur, *dict. l. juris 7. §. ſed ſi quis:* unde de dolo præterito paciſci licet, *l. ſi unus 27. §. pacto, ff. de pactis:* ſi verò quis paciſcatur, ne depoſiti agatur, etſi conventum videatur ne de dolo agatur, valet conventio, quia expreſſa nocent, non expreſſa non nocent, *l ſi unus 27. §. illud, ff. de pactis.*

8. *Diſſolvitur dubitandi ratio.*

Nec obſtat dubitandi ratio ſuprà adducta, petitaque ab exemplo precarii; nam licèt in pluribus commodatum cùm precario conveniat, pluribus tamen differt. Primò, quia commodatum juris civilis regulis firmatur, *l. juris 7. §. 1. ff. de pactis*; precarium autem in terminis juris gentium ſubſiſtit, *l. 1. §. 2. ff. de precario.* Ex commodato naſcitur ultrò citroque obligatio, *l. in commodato 17. §. ſicut, ff. hoc titul.* ex precario verò non item, *l. quæſitum 8. §. eum 3. ff. de precario.* In commodato poſſeſſio rei nunquam tranſit in commodatarium, *l. rei commodatæ 8. ff. hoc titul.* in precario verò plerunque dum poſſeſſio rogatur, *l. & habet 15. §. 4. ff. de precario.* Hæres commodatarii inſolidum tenetur, etſi nihil ad eum pervenerit, *l. ex contractibus, ff. de obl. & act.* hæres verò ejus, qui precario rogavit, in tantum, quatenus ad eum pervenit, *l. 8. final. ff. de precar.* Commodatum non niſi finitio uſu, ad quem datum eſt, revocari poteſt, *l. 17. §. 3. hoc titul.* precarium autem quandocunque revocari valet, *l. 1. l. 2. §. 2. ff. de precario*: quas, & alias differentias agnoverunt Cujacius *lib. 23. obſerv. cap. 21.* Treutlerus *volum. 1. diſput. 24. theſi 5.* Viccius *de poſſeſſ. duor. quæſtion. 8. in princip.* unde cùm æqualem naturam precarium, ac commodatum non habeat, nec æquales præſtationes retinet. Nec obſtat primum augmentum ipſius difficultatis; nam licèt commodatarius regulariter teneatur de leviſſima culpa, tamen ſi utriusque contrahentis gratiâ res commodata ſit, veluti ſi communem amicum ad cœnam invitaverimus, tuque ejus curam ſuſcipias, & ego tibi argentum commodavero, hoc caſu culpa tantùm levis præſtatur, *dict. l. in rebus 18.* Item ſi commodatoris tantùm gratiâ commodatarius accepit rem, de dolo, & lata culpa ſolùm tenetur, *dict. l. ſi ut certo, §. interdum*, quem eruditè exponit Cujacius *lib. 9. obſerv. cap. 14.* Quid tamen in foro conſcientiæ conſulendum ſit, exponit Ferro Manrique *de differ. utriusque fori, quæſt. 31.* Nec tandem obſtat locus Modeſtini à Pitheo compilatus; nam in eo mendum dari, jam obſervavit Hothomanus *lib. 4. obſerv. cap. 14.* quare legendum ita eſſe, *In commodati contractu, quia vel ſolius recipientis, vel utriusque utilitas verſatur*; exiſtimavit Gibalinus *dict. cap. 4.* ſed faciliùs locus ille corrigi poteſt ſi legatur, *In commodati contractu cùm (vel quoties) utriusque contrahentis utilitas intervenit, utrumque præſtatur*; ita ut Modeſtinus referatur ad caſum, in quo commodatum utriusque gratiâ celebratum eſt.

9. Exponitur *l. 13. §. 1. ff. de pignorat.*

Adhuc ſuperiori aſſertioni obſtat textus *in l. §. cùm venderet 13. §. 1. ff. de pignor.* in illis verbis: *Venit autem in hac actione & dolus, & culpa, ut in commodato venit & cuſtodia, vis major non venit.* Ex quibus deducitur, easdem præſtationes dari in commodato, ac pignore; ſed in pignore, quia utriusque gratiâ accipitur, leviſſima culpa non præſtatur: igitur ne in commodato Cui difficultati duplici modo reſponderi poteſt. Primò aſſerendo verba illa, *ut in commodato*, non eſſe referenda ad illa priora, *dolus & culpa*; ſed ad illa poſtrema, *venit & cuſtodia.* Secundò dici poteſt, Ulpianum in eo textu agere de commodato utriusque gratiâ celebrato, quo caſu rectè procedit æquiparatio commodati, & pignoris, & utroque caſu dolus, & levis culpa præſtabantur: docuerunt Cujacius *in l. 7. C. de pignorat.* Gothofredus *in dict. l. contractus, fol. 130.*

10. Explicatur *l. 1. §. ult. ff. depoſit.*

Deinde obſtat textus *in l. 1. §. ultim. ff. depoſiti*, in illis verbis: *Quia autem dolus dum taxat in hac actione venit, quæritur eſt, ſi heres rem apud teſtatorem depoſitam, vel commodatam diſtraxit, ignarus depoſitam, vel commodatam, an teneatur? & quia dolo non fecit, non tenebitur de re.* Ex quibus ita inſurgo: In depoſito, quia deponentis gratiâ contrahitur, dolus tantùm præſtatur, ut ſuprà probavi: ſed æquiparatur ab Ulpiano caſus depoſiti cum commodato: igitur quia in commodato dolus tantùm præſtatur. Cui difficultati duplici modo ſatisfacit Arias à Meſa *lib. 1. var. cap. 34.* Primò reponendo pro verbo *commendatam*, verbum *commendacam*, cùm nihil aliud ſit commendare quàm deponere, *l. Lucius 24. ff. depoſiti, l. commendare 186. ff. de v. ſ.* ubi Cujacius Fornerius & Gentil. Connanus *lib. 7. comment. cap. 4.* Donellus *in rubric. C. depoſiti, num. 7.* unde

ſic

in l. & si quis 14. §. *impensa*, *ff. de relig.* & apud Paulum relatum à Cujacio *lib.* 21. *observ. cap.* 23. commendare corpus defuncti nihil aliud est, quàm deponere ad tempus, donec justa solvantur: notarunt Guthetus *lib.* 3. *de jur. manium*, *cap.* 25. Cujacius *lib.* 11. *observ. cap.* 11. Hothomanus *lib.* 4. *observ. cap.* 14. Fornerius *lib.* 3. *rer. quotid. cap.* 6. Savarus *ad Sidonium lib.* 2. *epist.* 6. unde ea verba simul conjunxit D. Ambrosius *lib. de Tobia*, *cap.* 20. ibi, *Commodatum autem*, *& depositum*, *quod custodiatur*: & in collatione Lucini Rufini *tit.* 10. *de deposito*, *& commendato*: quo modo etiam legendum est *in cap. ius naturale*, 1. *dist.* Secundò satisfacit *annum.* 26. ideò Ulpianum de dolo egisse, quia *in libro* 30. *ad Edictum*, ex quo desumptus est textus ille, egerat tantùm de dolo, *l. ei apud* 5. *l. si hominem* 7. §. 1. *ff. depositi.* Nec æquiparatio illa tenet in omnibus, sed tantùm in casu relato; ita ut sicut hæres ignorans distrahendo rem depositam dolum non committit, ita nec alienando rem commodatam; quia qui ignorat, dolo caret, *l. sed etsi* 25. §. *scire*, *ff. de petit. hæredit.* latiùs prosequitur ipsius textus interpretationem Arias de Mesa *dicto cap.* 34. & 35.

TITVLVS XVI.

Depositi.

CAPVT I.

Alexand. III. (a) *Lugd. Episcopo.*

GRavis illa, & odibilis querimonia, quæ usque ad nos super deposito tuo tibi hactenus denegato pervenit, duplici nos anxietate perstringit, eo quod tibi in hoc & decesse non possumus, & adesse prout velles, efficaciter non valemus. Cùm enim non constet nobis, pecuniam tuam, quam ille vir (b) Belial impius, & detestabili surreptione furatus est, in utilitates Ecclesiæ (c) conversam, non debemus de jure, nec possumus contra canones ejusdem Ecclesiæ præcisè intentare jussionis instantiam, ut tibi eandem reddant; (d) personæ, ut dicunt, non Ecclesiæ commendatam. Quocirca discretioni tuæ consulimus, & in æternæ charitatis diligentia suademus, ut in raptorem illum, & furem tuam interim dirigas actionem; eo quòd, ut audivimus, loculos habet, & ea quæ tibi sunt subrepta, portavit: nam & nos ipsi venerabilibus fratribus nostris Senon. Archiepisc. A. S. L. & Parisiensi Episcopo dedimus in mandatis, ut iniquum sub duris (e) quæstionibus ad rationem ponant, & etiam si oportuerit, vinculis macerent alligatum, & affligant, ut cogatur bene ligatus reddere, quod malè dissolutus ausus est asportare. Cæterùm circa Ecclesiam illam affectum te habere volumus, ut nihil ab ea requiras indebitum: si autem cum eis amicabiliter poteris (f) de redditum perceptione pacisci, noveris id nobis acceptum.

NOTÆ.

(a) *Lugdun.*] In sexta collectione, & post Concilium Lateran. *p.* 59. *cap.* 35. legitur Lundon. sed rectiùs in prima collectione, *sub hoc titulo cap.* 2. legitur *Lugdun.* nam etiam Senonensis, & Parisiensis Prælati, de quibus in præsenti agitur, sunt in Gallia, non autem in Anglia. Guichardo Præsuli Ecclesiæ Lugdun. de quo plura tradit Jacob. Steubechius *in chron. Præsulum Lugdunensium*, missa est præsens epistola, ut refert Manrique *tom.* 3. *annal. Cisterc. anno* 1189. *cap.* 5. *num.* 8.

(b) *Belial.*] Aliqui affirmant hoc nomen proprium esse illius Canonici, qui pecuniam apud se depositam surripuit; & inde varia de præsumptione ex improbo nomine deducenda, tradunt plures congesti à Barbosa *in præsenti*, ut etiam ex probo nomine virtutem, fortitudinemque præsumi probat Salbagnus *ad Ovidium in Ibin*, *vers.* 98 *fol.* 66. Sed verius credo, Alexandrum Canonicum illum ita appellasse, quia fuerat fur; nomen enim hoc hominem improbum significat. D. Hieronymus *in cap.* 28. *Isaiæ*, ibi: Belial, id est, apostata, prævaricator, & absque jugo; unde Apostolus 2. *Corinth. cap.* 6. *vers.* 15. *Quæ*, inquit, *communicatio Christi ad Belial?* Et ubicunque septuaginta exponunt *filios pestilentiæ*, in Hebraico scriptum est, *filii Belial.* Unde & illud, quod in Psalmo 38. *vers.* 23. canitur de mysterio Salvatoris, *filius iniquitatis non apponet nocere ei*; in Hebraico dicitur, *filius Belial.* Sanctus Pagninus *in thesauro*, ibi: *Cum Beli conjungitur laal*, *& fit Belial*, *quod significat impium*, *aut impietatem.* Mercerus etiam *in thesauro*, ibi: *Belial significat hominem nequam*,

summè sceleratum, profligatum, perditum. Juxta Hebraicam ergo proprietatem Belial significat hominem effrontem, inverecundum, extremè impudentem, improbum, nec Deum, nec homines verentem: latè probant Malvenda *de Antichristo lib. 1. cap. 3.* P. Pinto *in specileg. lib. 1. cap. 7.*

3. (c) *Conversam.*] Quomodo probetur pecuniam depositam, vel mutuò acceptam conversam fuisse in utilitatem Ecclesiæ, minoris, aut civitatis, ultra repetentes hic disputant plures congesti ab Hermosilla *in l. 3. tit. 1. partit. 5. glos. 6. & 7.*

4. (d) *Persona, non Ecclesiæ.*] Quare persona ipsa tantùm tenebatur: unde recte ex hoc textu probat Thomas Sanchez *lib. 6. Summa, cap. 14.* quod si apud Monachum res deponatur, non ideò monasterium depositi actione conveniri potest, cùm non ipsi sit commendata.

5. (e) *Duris quæstionibus.*] Ex hoc textu, & *ex cap. 1. 23. q. 5.* probant, clericum posse torqueri, & quæstioni subjici, Innocentius *in præsenti*, Panormitanus *num. 6.* Decius *in cap. at si Clerici, num. 27. de judiciis*, Alciatus *in cap. 1. de offic. ordin. num. 43.* Jul. Clarus *q. 64.* Chopinus *lib. 2. sacræ pol. tit. 3. num. 12.* Sed contrarium, immò clericos torqueri non posse, verius est exemplo militum, qui quæstionibus non subjiciuntur, *l. milites, C. de quæstion. l. omnes, C. de decur. lib. 10.* & eorum, qui aliqua dignitate præditi sunt, excepto crimine læsæ majestatis, *l. D. Marco, l. antepenult. cum sequent. C. de quæstion. l. si quis Decurio 21. C. ad leg. Cornel. de falsis, l. 4. ad leg. Iul. majest.* Hinc D. Augustinus *lib. 3. contra Crescon. cap. 70.* significat cum suspensum fuisse quidem, sed minimè tortum, quòd se Decurionem profiteretur. Illustrant Fornerius *lib. 3. rer. quotid. cap. 8.* Caldeira *de error. lib. 1. cap. 5.* Carrera *in praxi. 2. p. de indiciis. versic. Circa tertium*, Genuensis *practic. q. 585.* Simanchas *de cathol. tit. 65.* Rousselius *lib. 4. hist. Pontif. jurisd. cap. 3.* Et certum est juxta veterem Ecclesiæ disciplinam, clericos torqueri non potuisse. Concilium Matiscon. 1. *can.* 19. Altissiod. *can. 33.* Innocent. 1. *epist. 13* Hildebertus Cenoman. ibi: *Reos tormentis afficere, vel supplicüs extorquere confessionem, censura Curiæ est, non Ecclesiæ disciplina.* Immò & quæstionem hanc, torturæque usum, apud Christianos non rectè adhiberi, nonnulli existimarunt relati à Thoma Hurtado *in lib. de martyrio per pestem, fol. 155.* Basilius *decis. 7. crimin.* qui varia de indiciis, & torturis congesserunt ab hodierna praxi non aliena. Alii mediam eligunt sententiam, ita ut non severè, tanquam laici, sed mitiùs torqueantur, vel non torqueantur, si ultra indicia adsit diffamatio; quas & alias sententias examinat Guazinus *in defensione reorum, defens. 30. cap 10.* Illud in præsenti notandum est, non rectè ex hoc textu probari, clericum posse quæstionibus subjici; nam in præsenti non agitur de tortura, quæ necessaria non erat; siquidem liquido constabat, ipsum clericum pecuniam depositam subripuisse; nam quæstio non semper habetur cum tortura, ut probant classici *in l. eam quam, C. de liberal. causs.* Caldeira *ubi suprà*; jubet enim Alexander de hoc clerico quæstionem haberi cum omni rigore, ad vincula ipso alligato, donec pecuniam redderet; quia depositarius, qui depositum non reddit, captis pignoribus, vel carceris coercitione illud exhibere cogitur: docent Rodriguez *de execut. cap. 5. num. 23.* Antonius Gomez. 2. *var. 10. num. 22.* Salgado *de protect. Regia, p. 4. cap. 5. num. 50. & 51.* Avendanno *de metu lib. 2. cap. 4. num. 22.* improbè enim facit, dum fidem præstitam violat, *l. desiderium C. depositi*, Aristotel. *lib. 5. Ethic.* ibi: *Etenim si quis depositum reddiderit invitus, vel propter metum, non erit dicendus agere justa, nec justitiam colere.* Ideo Cicero *lib. 3. officior.* dixit, quod depositum non reddere summa injustitia est; immò Pisarum lex hæc fuit: *Qui intervertit depositum, capite plectatur:* teste Alex. ab Alex. *lib. 6. dier. genial. cap. 10.* Facit sententia illa Pittacii Mitylenei, *Depositum cùm acceperis redde*, cui junge historiam relatam *lib. 2. Machab. cap. 3. vers. 10.* Faciunt Ovidius *lib. 5. de arte amandi.*

Reddite depositum, pietas sua fœdera servet;
Fraus absit, vacuas cædis habete manus.

Juvenalis *satyr. 13.*

Spartano cuidam respondit Pythia vates
Haud impunitum quondam fore, quod dubitaret
Depositum retinere, & fraudem jure tueri.

6. (f) *Reddituum.*] Non intelligas redditus pecuniæ depositæ, nam ex depósito regulariter non debentur usuræ, nisi mora intercesserit, *l. Lucius 24. ff. depositi, l. 2. C. eod. tit.* probant Gibalinus *lib. 3. de usuris, cap 3 art. 5.* sed de redditibus præbendæ ipsius Canonici, ex quibus volebat dominus sibi satisfieri, ut in specie textus *in cap. pervenit, de arbur. cap. 2. de fideiuss.* & circa eos jubet Alexander III. ut prædicti redditus capiantur ex causa soluti, donec pecunia ipsa depósita soluta sit; aliquâ tamen eorum parte relictâ pro ipsius alimoniis. Et hæc ni fallor est vera hujus textus sententia, quam latiùs exponemus *in cap. Odcardus, de solutionibus.*

COMMENTARIVM.

TExtus hic, licèt compilatus reperiatur sub titulo *de depósito*, parum ad depositi tractationem spectat, cùm tantùm supponat depósitum esse reddendum, nec depositarium posse uti re depósitâ; quod & docetur *in l. si sacculum, ff. hoc tit.* & docet Gibalinus *dict. lib. 3. de usuris, cap. 6. art. 3.* quare latiùs prosequi tractationem hanc depositi, institutum non patitur; observandi tamen sunt textus *in l. 2. & 4. l. si ego 18 ff. de rebus credit. l. 2 §. is quoque ff. de obl. & act. l. si procuratorem 8. ff. mandati, l 3. § 1 l. 6 ff. nautæ, caupones, l. illud 13. § ult. ff. de liber. caus. l. 2. ff. de fidejuss. l. quare 76 ff. de furtis, l. si quis 38. §. instrumenta, ff. de pœnis, l. 1. §. is qui 6 ff. ad leg. Cornel. de falsis, l. si quis 35 ff. de dolo, l. qui tabulas 27 ff. de furtis, l. 2. §. ult. ff. quemadmodum testam. l si servus 35 ff. de solut. l. penult. §. 1. ff. de auro & argento, l uxorem 41. legaverat. ff. de legat. 3. l. 5. ff. ad leg. Iul. pecul. l 16 ff de condict. furtiva, l. 4. §. item ff. de usucap. l. non solùm 8. §. ultim. l. Aurelio 20. §. Mævia, l. final. §. Tuia, ff. de liberat. legat. l. quamvis 10. ff. de precario, l. si ut certo, §. usque, ff. commodati, l. filius 9. ff. de obl. & act. l. depositi 5, l. depositi 38. ff. de pecul. l. vir uxori. ff. de donat. inter, l. 9. §. ult. ff. de jure dot. l. 1. §. quod autem 33 juncto §. dejicitur 9. ff. de vi & vi, l. 5. §. si depositi, ff. ut in possessionem legat. l si stipulatus 81. §. 1. ff. de solut. l. si servus 31. in fine, ff de pignorat. l. cum 22. ff. de except.*

rei

vel judic. l. in navem 31. vers. idem, ff. locati, l. 7. §. quatiens, l. si in ventre, §. in bonis, ff. de rebus auctorit. judic. l. fidejussor 32. §. 1. ff. de negot. gestis l. 1. 9. & 16. C. de usuris, l. 3. §. final. ff. communi divid. l. officium 9. ff. de rei vind. l. 2. §. 1. ff. pro herede, l. 38. §. si possessor, ff. de usur. l. inficiando 67. de furtis, l. non solum 33. §. qui, ff. de usucap. l. juris 7. §. sed si 15. l. 17. §. 3. de pactis, l. ult. §. 1. ff. ut legatorum nomine, l. 3. ff. de in litem jurando, l. in rebus, §. sive autem, ff. commodati, l. 15. ff. tutela & rationibus, l. Lucius 88. § quisquis 18. ff. de legat. 2. l. si inter, ff. de rebus dubiis, l. ex deposito, ff. de obl. & act. l. 3. §. si tabulæ, ff. de tabul. exhib. l. 3. §. ibidem, ff. ad exhibend. l. 3 ff. quando ex facto tutoris, l. 17. §. ult. l. si apud 18. ff. de præscript. verb. l. pecuniam 77. de legat. 1. l. cum puer 77. §. donationes, de legat. 2. l. 11. §. si rem, l. 33. §. codicillis, ff. de legat. 3. l. 8. §. si communiter, ff. de pecul. legat. l. penult. C. adhibend. l. 19. ff. de petit. hæredit. l. 28. §. 1. ff. ad Trebel. l. 1. §. sed si dotem, ff. de dote præleg. l. 1. §. cùm quidam, ff. de quæst. l. 3. C. de arbitr. tutel. l. si rebus 73 ff. de procurat. l. 4. & 5. ff. famil. ercisc. l. si constante 22. §. vero, ff. solut. matrim. l. 64. ff. de fidejuss. l. 5. & 7. C. de administr. tut. l. eandem 9. in princip. & §. 1. ff. de duobus reis, l. 3. C. arbitr. tutel. l. 4. ff. de statutib. l. Imperatores 21. §. ult. ff. de appel. l. 5. C. quorum appellat. l. eandem 9. de duobus reis, l. si procuratorem 8. in princip. ff. mandati, l. 5. §. final. ff. ut legator. l. 3. in fine, ff. de in litem jur. juncto Fabro *decad. 17. error. 5. l. penult. ff. de auro & argent. l. si cum uno 22. de except. rei judic. l. 13. ff. de liber. caus.*

CAPUT II.

(a) Gregorius IX.

BOna fides abesse præsumitur, si (b) rebus tuis salvis existentibus, depositas amisisti. De (c) culpa quoque teneris, si teipsum deposito obtulisti, vel si (d) aliquid pro custodia recepisses. Pacto (e) verò, (f) culpâ, vel (g) morâ præcedentibus, casus etiam fortuitus imputatur: Sanè depositori licuit pro voluntate sua depositum (h) revocare, contra quod compensationi, vel deductioni locus non fuit, ut contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam minimè referatur, licèt compensatio admittatur in aliis, si causa, ex qua postulatur, sit liquida, ita quod facilem exitum credatur habere.

NOTÆ.

(a) *Gregorius.*] Qui præsentem constitutionem totam ex jure civili decerpsit, ut ex ejus paraphrasi apparebit.

(b) *Si rebus suis.*] Consonat lex *quod Nerva 32. ff. hoc tit.* ex qua deducunt repetentes *ibi*, dolum præsumptum dari, quoties major diligentia adhibetur rebus propriis, quàm depositis: ita Bartolus & Cujacius *in dicta l. quod Nerva*, plures congesti à Barbosa *in præludiis ad l. si mora, num. 25. ff. solut. matrim.* quibus adde Donellum *lib. 16. comment. cap 7.* Molinam *de justitia, disputat. 296. num. 1.* Maderam *animadvers. cap. 17.* Hæc tamen communis sententia meritò displicuit Barbosæ *ubi proximè, num. 26.* qui in contrarium movetur unico, sed validissimo fundamento deducto *ex l. 5. §. nunc videndum, ff. commodati*, ubi diserte scriptum est, culpam tantùm levem committi eo casu, quo quis commodatas res salvas facere poterat, & suas prætulit: igitur idem dicendum est in rebus depositis. Nec contrarium docet Gregorius *in præsenti*; nam bona fides hîc accipienda est pro ea, quæ importat æquitatem, & id quod bonum, atque æquum est, ut *in l. bona fides 31. ff. hoc tit. l. cum duobus 52. §. venit, ff. pro socio*, non autem pro ea, quæ malæ fidei, seu dolo opponitur, juxta legem 3. §. *final. ff. pro socio.* Unde Pontifex perinde accipiendus est, ac si dicat, contra æquitatem facere depositarium, si res proprias salvas faciens, depositas amiserit, ex quo facto tantùm culpa nascitur, non verò dolus præsumptus; idque ex dicta æquitate, ob quam tacitè quis videtur se obligasse ad præstandam eandem diligentiam in rebus depositis, quam in suis adhibere solet: unde si id non fecit, meritò de culpa tenetur ultra naturam contractus, argumento legis *in rebus 18. ff. commodati*: docuit Barbosa *ubi supra, num. 28.* cujus sententia adstruitur ex illis verbis sequentibus. *de culpa quoque*, ubi illa dicto *quoque*, satis indicat, in principio Gregorium egisse de casu, quo culpa præstatur. Nec etiam obstat textus *in dicta l. quod Nerva 32.* nam rejectâ emendatione Hothomani, & Fabri, qui adimunt negationem, quos meritò refellit Otwaldus *lib. 16. Donelli, cap. 7. littera O.* dicendum est, Celsum in eo textu agere de depositario, qui etiam in rebus suis diligentiam eam non adhibuit, quam omnes homines adhibere solent; & per consequens de eo, qui culpam latam commisit: unde si in rebus depositis custodiendis minorem adhuc diligentiam adhibuerit, meritò in dolum præsumptum censetur incidisse, ut in simili specie docuit Gajus *in l. 1. §. 2. ff. de obl. & act.* & his terminis adaptatur ratio adducta *in dicta l. quod Nerva*; nisi generaliter accipiantur verba illa, *salvâ fide* pro ea bona fide, quæ importat æquitatem, juxta prædictam Barbosæ sententiam. Manet ergo, in depositio dolum præstari à depositario, quod Gregorius suppositit, cùm in jure civili id vulgò notum sit, *ex l. 1. §. 8. & ult. l. 13. §. 1. l. 16. & 20. ff. depositi, l. 1. §. 5. ff. de obl. & act. l. si ut certo §. 2 ff. commodati, l. eum qui 14. §. 3. ff. de furtis, l. 1. C. depositi*, quas ex Codice Gregoriano cum aliis Diocletiani & Maximiani legibus, nec non Modestini, & Pauli sententiis congessit Licinus Rufinus *in collat. legum Mosaic. tit. 10.* non autem tenetur

tur de levi, aut levissima culpa, cùm totum hoc negotium deponentis gratiâ celebretur, juxta suprà adducta *in cap. unic. de commodato*; docent Gothofredus, Faber, & alibi congesti, Gibalinus *de usuris cap. 6. lib. 3. art. 3.* Hac igitur regulâ suppositâ Gregorius in præsenti suam constitutionem exordiur à positione casuum, in quibus ultra naturam depositi præstantur culpa levis, & casus fortuiti.

2. (c) *De culpa.*] Cùm Gregorius in præsenti doceret culpam committi, si quis rebus suis salvis, depositas amisit, posteà subdit, levissimam etiam culpam depositarium præstare eo casu, quo deposito se obtulit, quod desumpsit ex Ulpiano *in l. 1. §. sæpe, ff. hoc tit.* quod provenit ex ea ratione, quia contractus gratiâ ipsius præsumitur celebratus, & ideò meritò de levissima tenetur, juxta regulam 3. quam adduxi *in cap. unic. de commodato*, docent Donellus *dict. cap 7.* Pichardus *in §. præterea, Instit. quibus modis re contrahitur.* Nec tunc obstat textus *in l. 4 ff. de rebus credit.* ubi docetur, depositarium teneri etiam casus fortuitos præstare. Nam omissis Connano *lib. 7. comment. cap. 4.* Fachineo *lib. 1 controv. cap. 71.* Caldas Pereyra *de emptione cap 2.* Lessio *de justitia lib. 2. cap. 27.* qui acceperunt textum illum de deposito gratiâ recipientis celebrato, dicendum est, in ea specie depositarium teneri periculum præstare; hoc est casum fortuitum, juxta legem 1 *ff. de peric. l. si rem 19. alias si gratuitò 18. §. Papinianus, ff. præscript. verbo*; quia ibi agitur de deposito, quod naturam mutui retinet: quare in eo casu per culum præstatur à mutuatario. Quæ interpretatio suadetur tùm ex rubrica sub qua textus ille jacet, tùm ex versiculo, *nam & si rem*, juncta lege *rogasti 11. ff. de reb. cred.* docuerunt Igneus *in d. l. contractus, num. 16.* Madera *d. cap 17.*

3. (d) *Vel si aliquid.*] Difficilis est versiculus hic, dum in eo docet Gregorius, depositarium aliquid recipientem pro custodia rei depositæ, teneri de levissima etiam culpa, tum ex æquiparatione quam Pontifex facit de hoc casu ad superiorem, de eo, qui se depositio obtulit; tum ex textu *in l. 1. §. si vestimenta, & §. si quis servum, ff. hoc tuulo*, ubi expressè docetur, eo casu depositarium tantùm de levi culpa teneri. Sed omissâ sententiâ Carrocii *de deposito; tit. de culpa*, Felicis *de societate, cap. 21.* quàm refellunt Trentacinquius *lib. 3. var. tit. de deposito, resol. 2. num. 11.* Pichardus *in dicto §. præterea*, Molina *de justitia, disput. 527. num. 2* dicendum est, depositarium recipientem aliquid pro custodia rei depositæ, levem tantùm culpam præstare. Nec contrarium deducitur ex æquiparatione facta à Gregorio in præsenti; nam æquiparatio tantùm fit ad effectum, ut in utroque casu de dolo tantùm depositarius non teneatur, sed etiam de culpa: quæ autem culpa sit, relatâ ad utrumque casum, diversimode, & secundùm uniuscujusque naturam accipitur, juxta vulgarem regulam legis *plenum, §. aquissimo, de usu & habit.* Nec etiam pro contraria sententia facit textus *in l. qui mercedem 40. ff. locati*; ubi datâ mercede pro custodia rei, periculum præstatur, contra textum *in d. l. 1. ff. vestimenta*: nam respondetur Gajum in eo textu agere de eo qui pro custodia alicujus rei operas locavit mercede acceptâ, per consequens loquitur de locatione: cujus contractus natura est, ut dolus, & culpa præstentur, *dict. l. contractus*: unde ut pecuniæ præstatio in ea specie aliquid operetur, præstatur etiam levissima culpa; at verò *in dict. §. vestimenta*, cùm agatur de depositio, ex cujus natura provenit ut tantùm dolus præstetur, ratio mercedis non potest progredi usque ad levissimam, sed tantùm ad levem, ut explicant Gomez. *lib. 2. variar. cap. 3. num. 22.* Gregorius Lopez *in l. 15. tit. 8 part. 5.*

4. (e) *Pactum.*] Hucusque Gregorius retulit casus peculiares, in quibus depositarius de levi, atque levissima tenetur: nunc procedit ad casum in quo etiam casus fortuiti imputantur, qui contingit pacto interveniente; nam hujusmodi præstationes doli, culpæ, & casuum fortuitorum augeri, minuive possunt ex conventione partium, *l 1. §. sæpe, & §. convenit, ff. hoc tit. l. 1. C. hoc tuulo, l. juris 7. §. si paciscar. ff. de pactis, l. si quis 9. §. Julianus, l. item quæritur 13. § figemma, ff. locati*: pacisci tamen nequit, ut dolus non præstetur, *l. 1. §. illud, ff. hoc tit. l. si unus 27. ff. de pactis, d. l. contractus, vers. excepto*: licèt sustineatur conventio, ne depositi agatur, *d. l. si unus, vers. idem*: quia tunc doli præstatio non apertè, & ex resè, sed velatè, & tacitè remittitur: docuerunt Cujacius *lib. 3. Paul. ad ed. in dicto §. illud, & in dicta l. contractus*, A. Faber. *in ration. ad textum in d. l juris 7. vers. sed si.*

5. (f) *Casu.*] Prosequitur Gregorius secundum casum, in quo depositarius ad casus fortuitos tenetur, videlicet propter culpam propriam, Consonant textus *in l. videamus 12. §. penult. l. si merces 25. §. culpa. ff. locati, l. si ut certo, §. sed interdum, ff. commod. cap. 1. hoc tit.* idque ex eo, quia casus fortuiti, præcedente culpâ ex voluntate depositarii, saltem in sua causa contigisse creduntur, *cap. presbyterum, de homicidio, cap. ult. eod. tit. in 6* ex quo principio exponunt textum *in l. si fundus 33. ff. locati*, Osvaldus *lib 3. Donelli, cap. 7. littera F.* Ant. Faber *lib. 2 conject. cap. 4.* Schisordeg *lib. 2. tract. 18. q. 1. & tract. 29. q. 2.* Merl. *lib. 1. ex Cujac. cap. 26. & lib. 2. obs. cap. 6.*

6. (g) *Mora*] Tandem Gregorius ultimum casum, in quo casus fortuiti præstantur, proponit cum mora intercedit in reddenda re depositâ; quod etiam docetur *in l. si in Asia 12. §. ult. ff. hoc tit. l. interdum 73. §. ult. l. nemo 82. §. final. l. si servus 91. ff. de verb. obl.* deducitque ex regula legis *si ex legato 123 ff. eod. l. 5. ff. de rebus creditis*: probant Cujacius *in dicta l. si ex legato*, ubi Donellus *num 11.* Hothomanus *illustr. q. 30.* Fachineus *lib. 2 controv. cap. 72. & lib. 8. cap 100* Trentlerus *disput. 26. thesi 3.* Illud tamen summè controversum invenio apud Joannem, & Martinum veteres glossitores, an semper de casu fortuito, seu interitu rei teneatur depositarius, seu qù libet morosus debitor? In qua quæstione, quam examinant latè suprà citati Donellus & Matheacius *in dicta l. quod mihi*, discrimen constituendum est inter casum, in quo res deposita, etiamsi suo tempore restituteretur, eodem modo peritura esset apud dominum; & inter eum, in quo non esset peritura, quia dominus eam distracturus erat. Primo casu debitor etiam morosus rei interitu liberatur, *l. si plures 14. §. ult. in fine, hoc tit. l. ult. §. 1. ff ad leg. Rhodiam, l. si is qui, in princip. ff. de jure dot. l. si cum exceptione, §. quatenus, ff. quod*

mutui causâ. Secundo verò casu morosus semper tenetur etiam post interitum rei; *l. item* 15. *§. ult. ff. de rescind. vendit. l. cùm res, §. ult. ff. de legat.* 1. Ita inter Proculejanorum, & Sabinianorum diversas sententias mediam eligens, probat Paulus *in l. illud* 40. *ff. de petit. hæredit. l. de eo, §. si post, ff. ad exhib.* atque ita Martinus distinguebat, quem sequuntur Cujacius *tract. 5. ad Afric. in dicta l. si ex legati*, ubi Donellus *num.* 11. *&* 12. Schisfordeg. *lib. 3. tract. 27. q. 4.* & contra Menochium, & Robertum distinguentes inter actiones reales, & personales, docent Fachineus *dicto lib. 2. cap.* 72. & *cap.* 101. Treutlerus *dicta thesi 3.* licèt ab hac distinctione discedant Faber *decad. 18. errore* 10. Duarenus *ad tit. depositi, cap. 3 vers. Unde nascitur*; & *in dicta l. si ex legati*. Nec interest, quod pluribus juris in locis indistinctè caveatur, debitorem post moram, re peremptâ non liberari; nam ut rectè occurrit Fachineus *dicto cap.* 101. ea jura licèt prædictam distinctionem non exprimant, tamen juxta eam sunt accipienda, veluti textus *in dicta l. quòd te §. l. nemo* 87. *§. 1. l. cùm filius, ff. de verb. oblig. l. cùm servus, §. ult. ff. de legat.* 1. *l. si filio, §. si post divortium ff. solut. matrim.*

7. (h) *Revocare.*] Postquam Gregorius peculiares præstationes depositi recensuit, progreditur ad alia etiam peculiaria ipsius contractus. Et primò docet, depositum tantùm durare dum contraria deponentis voluntate non revocatur: consonant textus *in l. 1. §. est autem, ff. hoc tit. l. 5. tit. 2. partit. 5.* docent Pichardus *in §. actionum, q. 20. Instit. de actionib.* Petrus Barbosa *in l. alienam, num.* 10. *vers. ex quibus, ff. solut. matrim.* Acosta *in §. si ex cautione, num.* 8 *fol.* 330. Neque objici potest, tempus, in quod commendatum fuerat, nondum fuisse elapsum, quia deponens potest quandocunque voluerit revocare depositum, *dicta l. 1. §. hæc autem*; potestque proinde mutare voluntatem, & quod dederat etiam ad totam vitam, statim repetere, *dicta l. 1. §. penultimo*; quia cùm depositum non fiat in gratiam depositarii, ad nutum deponentis revocatur. Et licèt aliquando depositio tempus adjiciatur, id fit ut ante illud non possit depositarius rei custodiam deserere, non autem ut deponens non valeat rem suam quandocunque repetere. Tuschus *verbo Depositum, conclus.* 200. *num.* 10. Molina *tractatu 2. disputatione* 327. *num.* 1. Lessius *lib. 2. de justit. cap. 16. num.* 4.

COMMENTARIUM.

8. *Conclusio traditur & probatur.*

Quæ ad prioris partis hujus textus interpretationem spectant, adduxi *in cap. unico, de commodato*: ex secunda autem parte sequentem deduco disputandam assertionem: *In depositio reddendo compensatio opponi non potest.* Probant eam textus *in l. ult. ad finem, C. de compens.* admissâ lectione Cujacii *lib. 9. observ. cap. 37.* & *ad Paulum lib. 2 sentent. tit. 12. §. ult.* qui legit, *commendatis*, etsi reprehensi à Fornerio *lib. 2. select. cap. 14. l. penult. C. depositi*, Paulus *lib. 2. sentent. tit. de deposito*, ibi: *In actione depositi compensationi locum non esse: compensationem non posse remorari restitutionem rei, vel pecuniæ depositæ.* Et *l. 5. tit. 3. part. 5.* Illustrant Petrus Gregorius *lib. 23. syntagm. cap. 3.* Cujacius *lib. 9. observ. cap. 2.* Castillo *lib. 3. controvers. cap. 16. à num.* 10. Petrus Barbosa *in l. divortio §. ob donationes, à num. 13. ff. solut. matrim.* Caldas *lib. 1. forens. q. 14. num. 3.* Molina *de justitia tract. 2. disput. 526.* Azor *instit. moral. p. 3. lib. 7. cap. 8. q. 3.* Arias de Mesa *lib. 2. variar. cap. 34. num. 18.* Cujacius *ad tit. C. de compens.* Revardus *lib. 1. variar. cap. 12.* Lugo *de justitia, disput. 16. num. 89.* Diana *p. 1. tract. 2. resol. 48.* Gibalinus *de usuris lib. 4. cap. 6. artic. 3.* plures congesti ab Hermosilla *in l. 5. tit. 3. p. 5. gloss. 5.* Merillus *lib. 2.* ex Cujacio *cap. 4.* Fornerius *lib. 2. select. cap. 14.* Hunnius *ad Treutl. volum. 1. disput. 2. thesi 25. q. 3.* Avendanno *de metu lib. 2. cap. 4.* Faber *lib. 12. conject. cap. 9.* Larrea *decis. 40. num. 26.* Marinis *decis. 494.* Castillo *lib. 3. controv. cap. 16. & de alimentis cap. 67.* Tapia *tom. 2. catenæ, lib. 5. q. 29. art. 6.* Christineus *tom. 1 decis. 234.*

9. *Impugnatur traditum.*

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Compensatio locum habet, tam in bonæ fidei, quàm in stricti juris judiciis, in quibus ipso jure fit, *l. 4. l. postea* 21. *ff. de compens. l. 4. & 6. C. eod. tit.* docent Cujacius *lib. 8. observ. cap. 16. & lib. 15. cap. 1.* Donellus *lib. 16. comment. cap. 15.* Hothomanus *in epit. de compens. num. 5.* Borcholten *de compens. cap. 3. num. 8.* Igitur etiam in depositio, ut in contractu bonæ fidei, compensatio locum habet. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam si depositarius fecerit impensas necessarias, id est, tales, quæ nisi factæ essent, res periret, aut deterior valde redderetur, propter hujusmodi impensas compensatio datur, & retentio ipsius rei depositæ competit, ut docuerunt Placentinus, Cinus, Baldus, & Salicetus *in l. 11. C. depositi*, Arnoldus Vinnius *lib. 1. select. cap. 51.* & rectè, nam inter omnes constat, posse depositarium impensas necessarias petere contrario judicio, sive contraria depositi actione: quidquid autem contrario judicio peti, & obtineri potest, id etiam per retentionem servare valet qui directo judicio convenitur, *l. in rebus 18. §. final. ff. commodati, l. creditoris* 15. *§. 2. l. si is qui 59. ff. de furtis*: Ergo in causa depositi aliquando compensatio locum habet.

10. *Compensatio quid?*

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, pro cujus illustratione sciendum est, compensationem esse crediti, & debiti inter se contributionem, *l. 1. ff. de compens.* exempli gratiâ, tu mihi debes centum ex causa mutui, ego vicissim tibi debeo tantumdem ex causa emptionis: agis mecum, & petis centum ista, quæ tibi debeo; ego oppono compensationem, ut ea quantitas compensetur cum ea quantitate, quam mihi debes ex causa mutui. Hæc contributio utriusque debiti dicitur compensatio. Ut autem illi locus sit, desideratur ut quantitas, seu pecunia utrimque debeatur, nam species cum quantitate non compensatur, multóque minus species cum specie, *l. cùm & sortem 26. § si centum 4. ff. de cond. indeb. l. si debeam 22. ff. de compens.* Pichardus *in §. 30. ex numer. 30. Inst. de act.* Donellus *in l. constat 4. l. neque 6. C. de compensation.* nisi abusivè retentio pro compensatione accipiatur; quod fecisse videtur IC. *in l. in rebus 18 §. ultimo, ff. commodati, l. 7. §. ob donationes 5. ff. solut. matrim.*

qui

qui autem rem debet, & aliam rem petit à creditore, non patitur compensationem, nec ad eam cogi potest, sicut nec compelli valet quis rem suam permutare, aut aliud pro alio in solutum accipere, *l. si convenerit 18. ff. de pignor. action. l. 4. l. si debeas 22. ff. de comp. l. 4. C. eod. tit.* Paulus *lib. 2. sentent. tit. 5.* docent Schifordeg. *lib. 1. ad Anton. Fabrum, tract. 2. q. 2.* Zangerus *de except. p. 3. cap. 8 num. 108.* Donellus *lib. 16. comm. cap. 15.* Tuldenus, & Peresius *ad titulum C. de compens.* Unde quod generaliter traditur, in omnibus actionibus compensationi locum esse, ita intelligendum est, si res debita non impediat, quin utrimque pecunia debeatur, alias non compensatio, sed mutua petitio erit, & reconventio, juxta adducta *in cap. 1. de mutuis petit.* Et licèt olim dubitaretur, an cujusque debiti ad quodcunque, sive liquidum, sive non liquidum, admitteretur compensatio, ut disputant Cujacius *lib. 8. observ. cap. 16.* & *lib. 15. cap. 12.* Donellus *dict. cap. 15.* & *in §. in bonæ 30. Instit. de actionib.* hodie tamen post Justiniani constitutionem illa duntaxat compensatio admittitur, quæ ex causa liquida objicitur, *l. ult. C. de compens.* dicto §. *in bonæ*, ubi plura Pichardus, Arnold. Vinnius *lib. 1. select. cap. 50.* ubi defendit, adhuc post eam constitutionem reum compensationem ex causa non liquida, & modum exceptionis instio litis opponentem audiendum esse. Circa debitum autem ipsum, id est, an cujusvis debiti nomine compensatio admittatur, ita ut reus conventus ex debito civili possit opponere compensationem debiti naturali jure tantùm, non consentiunt Interpretes. Arnoldus Vinnius *lib. 1. select. cap. 49.* existimat eo casu compensationem admitti, *ex l. 6. ff. de compens.* & ex eo, quia solutum, quod jure naturali tantùm debetur, repeti non potest, *l. si non sortem 26. l. naturaliter, l. si pœna 19. ff. de condict. indeb.* unde cùm pro solutione habeatur ipsa retentio, meritò compensatio ipsius debiti cum debito civili admittitur: latè probat Vinnius *dicto cap. 49.* ubi exponit textus *in l. quæcunque 14. ff. de compens. l. 2. C. eod. tit.* olim in bonæ fidei judiciis ipso jure, sive ipso judicis officio compensatio admittebatur, in strictis non ita, sed oppositâ doli mali exceptione; idque ex D. Marci rescripto: sed post constitutionem Justiniani *in d. l. ult.* & *in d. §. 30. Instit. de act.* idem jus versatur in strictis ac in cæteris bonæ fidei contractibus, etsi aliter textus hos explicet Everardus Bronchorst *Enantioph. cent. 2. asser. 41.*

11. *In quibus causis compensatio non detur.*

Sed licèt compensatio æquitate nitatur, pro solutioneque habeatur, *l. 4 C. de compens. l. 4. ff. qui potiores*, Donellus *in d. l. ult. C. de compens.* Zangerus *de except. p. 3. cap. 8. num. 104.* sunt tamen quidam peculiares casus, in quibus etsi detur debitum ex utraque parte liquidum, compensatio non admittitur, veluti contra fiscum, aut rempublicam, *l. idem 12. l. ult. ff. de compens.* si debitum proveniat ex causa tributorum; *l. 3. C. de compens.* frumenti, vel olei publici, *d. l. 3.* ædilitatis, *l. ideo 17. ff. de compens.* junctis pro ejus illustratione adductis à Marcello Donato *in notis ad Lampridium, tom. 6. thesauri critici, fol. 965.* Gentile *disput. juris civilis cap. 3.* Similiter in commodato, nam prætextu debiti res commodata compensari prohibetur, *l. final. C. commodati*, etsi possit retineri donec debitum solvatur, vel impensæ in ipsa re factæ præstentur, *l. si is qui rem 59. ff. de furtis, d. l. creditori 15. §. si dominus*: probant Schifordegerus *ad Fabrum tract. 1. cap. 3.* Merlinus *de pignoribus tit. 2. fol. 67.* Pichardus *in d. §. 30. de action.* Bronchorst. *cent. 2. assert. 43.* Castillo *lib. 3. controv. cap. 16.* Hothomanus *lib. 2. observ. cap. 18.* Fornerius *lib. 2. rerum quotid. cap. 14.* etiam speciei ad speciem, sive speciei ad quantitatem non admittitur compensatio, ne creditor invitus aliud pro alio accipere cogatur, *l. 2. §. 1. ff. de rebus creditis*, Bronchorst. *dict. assert. 43.* qui in contrarium expendit & exponit textus *in l. fructus 7. §. ob donationes, ff. solut. matrim. l. finali, C. de compens. l. si debeas 22. l. final. ff. de compensationibus*, & aliis casibus similibus, quos nunc omittimus, ut ad nostrum Gregorium redeamus; videndi tamen sunt Donellus & Cujacius *ubi suprà*, Arnoldus Vinnius *lib. 1. select. cap. 49. 50. & 51.* Brissonius *lib. 1. de solut. tit. de compens.* Hothomanus *in epit. de compens.* Fachineus *lib. 1. controv cap. 6. cum sequent.* Schifordeg. *tract. 1. q. 5.* Gibalinus *tom. 2. de negot. lib. 5. cap. 2. art. 8.* & observandi in hac materia sunt textus *in l. eleganter 23 ff. de pignorat. l. Procula 26. ff. de prob. l. si quid 31. §. 1 ff. de pignorat. action. l. in rebus, §. final. ff. commodati, l. si cum dos 8. ff. rerum amotar. l. solutam 49. l. Stichum 95. §. si crediter, l. Titia, ff. de solut. l. 1 §. item 4. ff. si pars hæreditatis, l. filius 22. in fine, ff. de inoffic. l. 7. §. 1. l. si constante 22 §. si pater, l. 24. ff. solut. matrim. l. qui fundum 87 §. si quis, l. in quartam 91. l. pater, ff. ad leg. Falcid. l. deducta 58. §. acceptis, l. Lucius, §. mavius, l. cum hæres, ff. ad Trebel. l. si compensandi, C. de heredib. instit. l. cùm pater 77. §. qui dotale, §. Mævio, l. creditorem, ff. de legat. 2. l. à tutoribus 33. §. final. ff. de administr. tut. l. Mævius 52. §. 2. ff. famil. erciscund. l. filius 24. C. eod. l. si duos 47. ff. de evict. l. quæ dotis 32. ff. solut. matrim. l. 5. §. illud, ff. de impens. l. si negotia 11. l. cum alicui 26. ff. de negot. gestis, l. 10. §. & quæritur. ff. de in rem verso, l. 7. §. si vir, ff. de donat. inter, l. unum 67. §. sed si uno, ff. de legat. 1. l. inter 36. ff. de administr. tutor. l. si pecuniam 5. ff. de condict. causa data, l. mulier 7. cum sequent. ff. de impensis, l. 4. §. item quæritur, ff. de dolo except. l. 1. C. de crimine expilata, l. si autem 8. §. 2. l. debitor 13 vers. sed & ff. de negot. gest.* juncto Fabro ibi, *l. si filio 25. ff. solut. matrim.* cum Cujacio ibi, *l. quod 7. §. si vir, l. cùm hic 32. §. final. ff. de donat. inter*, juncto Cujacio *lib. 3. observ. cap. 14. l. sed si 25. §. si quis in re sua, ff. de petit. hæredit. l. cùm filiâ 76. §. cùm pater, ff. de legat. 2. l. si non sortem 26. ff. de condict. indeb.*

His animadversis ratio præsentis assertionis, quare videlicet in depositi compensationi locus non sit, provenit ex speciali naturâ ipsius depositi, juxta quam res deposita statim ac revocatur depositum, reddenda est, ne quod beneficio celeritatis inventum est, subdatur injuriis tarditatis, ut docent Salgado *de regio protect. 2. p. cap. 16 num. 72.* Cancerius *lib. 3. variar. cap. 5. num. 46.* res enim deposita statim domino poscenti restituenda est, aliàs fides violatur, & contra æquitatem naturalem retinetur, ut probat Avendanno *de metu, lib. 2. cap. 4. num. 24.* Et licèt in foro conscientiæ compensationem admitti probet Gibalinus *de usuris dicto art. 3. num. 14.*

12. *Traditur ratio dicti.*

num. 14. contrarium tamen pluribus relatis docet Arias de Mesa *dicto lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 25. Rectè ergo Gregorius in præsenti statuit, in depósito compensationi locum non esse: quod jam Pandectarum jure receptum fuisse, constat ex Paulo *dicto lib.* 2. *titulo* 5 & 12. Seneca *lib.* 6. *de benefic.* ibi: *Confunditur formula, si qui apud me pecuniam deposuerit, idem mihi postea furtum fecerit; & ego cum illo furti agam, ille mecum depositi.* Et docuerunt Cujacius *lib.* 8 *observ. cap.* 26. Hothomanus *in* §. 30. *de action. in fine*, ubi Pichardus *num.* 46. Revardus *lib.* 1. *variar. cap.* 11. Nec contrarium docetur *in l. final. C. de compens.* ubi Justinianus specialiter statuit, compensationem in causa depositi non admitti; nam cùm Justinianus generaliter ibi statuisset, in omnibus actionibus, tam realibus, quàm personalibus, compensationi locum esse, ne etiam ad depositum compensatio protracta crederetur, ea verba adjecit, *exceptâ actione depositi*, ut notavit Osvaldus *ad Donellum lib.* 16. *comment. cap.* 15. *littera I.* Quid autem noviter ea constitutione induxisset Justinianus, exponunt Meril. *lib.* 2. ex Cujacio, *cap.* 4. & *lib.* 4. *observ. cap.* 35. Fornerius *lib.* 2. *select. cap.* 14. Hunnius *ad Treutlerum, volum.* 1. *disput.* 75. *quæst.* 3. Larrea *decis.* 40. *num.* 16. Ampliatur præsens assertio, ut procedat non solùm in depósito vero, verùm & in eo, quod per confessionem partis apparet, quia illud habet privilegia veri depositi, Hermosilla ubi suprà, *glos.* 5. Barbosa *in l. divortii*, §. *ob donationes, ff. solut. matrim.* Avendanno *de metu, ubi suprà, num.* 22.

13. Depositum debitandi ratio.

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam licèt in contractibus bonæ fidei, & stricti juris admittatur compensatio; id tamen procedit, nisi propter peculiarem alicujus naturam compensatio in eo non admittatur, ut contingit in depósito, in quo ob celerem rei depositæ restitutionem compensatio non admittitur. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis; nam verum est, ob impensas necessarias posse depositarium rem depositam retinere, donec illi satisfactum sit. Nec contrarium probatur in hoc textu; nam Gregorius in eo accipiendus est de compensatione, aut retentione rei depositæ, quæ fit ex diversa causa; non verò procedit eo casu, in quo depositarius habet jus in ipsa re ob impensas necessarias in ea factas; quo casu res ipsa depósita pignori subjecta esse censetur; unde donec depositario plenè satisfactum sit, justè eam retinet. Nec tunc obstat textus *in l. ultima, C. commodati*, ubi Imperatores negant, prætextu debiti restitutionem commodati recusari posse: Igitur multò magis nec rei depositæ restitutio ob debitum remorari valet. Nam respondetur, verum esse, rem commodatam, aut depositam, prætextu debiti ex diversa causa nati non posse retineri: exempli causâ si commodator, aut qui deposuit, decem ex causa mutui debeat commodatario, aut depositario, non potest obtentu hujus debiti rem depositam, vel commodatam retinere, *dicta l. ultima*, ubi prò *commodati*, reponit *commendati*, Jacobus Cujacius *lib.* 9. *observat. cap.* 37. à quo meritò discedit Gilbertus Regius *lib.* 1. *opinion. cap.* 14. At verò ob impensas necessarias in re ipsa factas justè res depósita, vel commodata retinetur, cùm eo casu nulla detur præsumptio perfidiæ; immò id actum videtur, ut depositarius similes impensas faceret, cùm sine iis futurum esset ut respiceret. Deinde quia impensæ necessariæ partem rei constituunt, & tantùm de re, in quam fiunt, detrahere videntur, quantùm in eam impensum est, ut proinde jus aliquod in rem tribuant facienti, argumento legis *planè* 38. *ff. de petit. hæredit. l.* 5. *ff. de impens. in rebus dotal.* docet Vinnius *lib.* 1. *select. cap.* 51.

TITVLVS XVII.

De emptione & venditione.

CAPVT I.

Ex Concilio apud (a) *Valent.*

PLacuit ut (b) presbyteri (c) plebes suas admoneant, ut ipsæ (d) hospitales sint, & nihil cariùs vendant transeuntibus, nisi quantùm in (e) mercato vendere possint: quod si cariùs vendere voluerint, ad presbyterum transeuntes hoc referant, ut illius jussu cum humanitate eis vendant.

12. Traditio rationis docendi.

NOTÆ.

1. (a) *Valentin.*] In prima collectione, *sub hoc titulo cap.* 2. legitur *apud Alumnas*; sed *D. D. Gonzal. in Decretal.* Tom. III. Pars I. ut notavit Antonius Augustinus in notis ad textum ipsum, non reperitur hic textus in ullo ex his Conciliis: apud Burchardum verò *lib.* 2. *Decreti, cap.* 168. Garnotensem 6. *p. Decreti,*

cap. 259. citatur textus hic ex Concilio Arvernensi celebrato sub Vigilio Papa, tempore Theodoberti Regis Galliæ anno 541. in quo *can.* 7. apud Corjolanum hæc leguntur verba: *Ut presbyteri plebes suas admoneant, quod hospitales sint.* Cætera verò verba non reperiuntur in eodem canone, ad calcem tamen ipsius Concilii ita refert Sutius: *Placuit, ut presbyteri suas plebes admoneant, ut ipsi hospitales sint, & nulli iter facienti mansionem denegent. Et ut omnis rapina occasio tollatur, nihil carius vendant transeuntibus, nisi quantò in mercato vendere possint: quod si carius vendere voluerint, ad presbyterum transeuntes hoc referant, & illius iussu cum humanitate eis vendant.* Unde omissis emendationibus glossæ marginalis hîc, credo præsentem inscriptionem ita restituendam esse, *Ex Concilio Arvernensi, capite 7. temporibus Vigilii.*

2. (b) *Ut presbyteri.*] Hæc verba non ad presbyteros, sed ad Episcopos referenda esse communis Doctorum sententia in præsenti est, quia Episcopi olim presbyteri dicebantur, *cap. legimus*, 24. 93. *dist. cap. olim* 5. 95. *dist. cap.* 2. & 3. *de pecul. cleric.* Episcopi enim græcè ita appellantur, latinè autem dicuntur Speculatores, & Superintendentes, ex eo, quod plebi, cui præficiuntur, superintendunt, & vigilant, ejus curam gerendo, *cap. Cleros*, 21. *dist. cap. legimus*, 93. *dist.* & inde generaliter, qui superintendit alicui negotio, appellari potest Episcopus, ut *in l. final.* §. *Hirenarcha* 7. *ff. de muner. & honor.* ubi qui præst pani, & curæ carnis, appellatur Episcopus, ut notant Budæus *ad Pandect.* ibi, Alciatus *lib. 6. parerg. cap.* 22. Sed licèt hæc sententia communis sit, tamen credo rectiùs posse accipi textum hunc de presbyteris, id est, parochis plebes regentibus; nam ipsi olim non solùm jurisdictionem in foro interiori exercebant, verùm etiam & contentiosam, in malefactores animadvertendo, ut probavi *in cap.* 3. *de offic. ordin.*

3. (c) *Plebis.*] Plebs plerunque in sacris canonibus pro parochia accipitur: Concilium Parisiense 1. *lib.* 1. *cap.* 25. ibi: *Comperimus quorundam Episcoporum ministros, non solùm in presbyteris, sed etiam in plebibus*, &c. Ex Concilio Nicæno, Regiensi, & aliis probat Filesacus *de org. paroec. cap.* 2.

4. (d) *Hospitales sint.*] Varias his verbis repetentes assignarunt interpretationes: nonnulli ea referunt ad presbyteros, quibus sacris canonibus hospitalitas injuncta est, *cap. nulli*, & ferè per totum, 42. *distinct. cap. final.* 16. *quæst.* 1. *cap.* 2. *de supplend. neglig.* ubi notavi. Sed hæc interpretatio rejicitur ex verbis antecedentibus, ibi: *Plebes suas*, quæ necessariò ad laicos referenda sunt. Alii verba hæc accipiunt de extrema necessitate peregrinantium; quo casu obligat præceptum faciendi eleemosynam, *cap pasce*, 86. *dist.* ita & præbendi hospitium. Sed hæc interpretatio nimis restringit litteram hujus textus: quare alii textum hunc in prima parte accipiunt tantùm de Consilio, ut quoad hospitalitatem presbyteri plebes suas admoneant; posteriorem autem partem de præcepto, juxta illa verba, *ut illius iussu*, &c. Sed hæc interpretatio apertè refellitur ex integra hujus textus, quam suprà retuli, ubi adjicitur: *Et nulli iter facienti mansionem denegent.* Quare his omissis sententiis, dicendum est, hospitalitatis obligationem diverso modo procedere, jure civili inspecto, ac jure canonico attento: nam jure civili in arbitrio cujusque est hospitem recipere, vel non, *l.* 1. *ff. nauta, caupones*, ibi: *Nam est in ipsorum arbitrio, ne quem recipiant.* Indeque gratuitum, & liberale id esse docetur *in l.* 6. *ff. eodem tit. l.* & *habet* 15. *ff. de precario*, *l. si vero*, §. *si idem*, *ff. de his, qui effuderunt*, *l. post luminium* 56. *ff. de captivis.* Aul. Gel. *lib.* 5. *noctium*, *cap.* 13. Alex. ab Alex. *lib.* 4. *dierum genial. cap.* 10. nisi teneatur ex officio publicè susceptо, ut in caupone, & stabulario, qui licèt à principio tale officium susciperе non teneantur, *dicta lege* 1. ibi: *Nam in istorum est arbitrio*; si tamen illud susceperint, non poterunt impunè hospitem rejicere, *l.* 1. §. *final.* ibi: *Nec repellere potest iter agentes*, *ff. furti adversus nautas.* Extraordinariè etiam tenemur aliquando ex eodem jure hospitem recipere, veluti milites, aut personas publicas, quas quisque recipere cogitur, ex juribus adductis à Glossa *in l.* 3. *C. de muner. patrimon. lib.* 10. nisi speciali Principis beneficio, aut privilegio excusetur, *l.* 3. *C. de silentiariis*, *lib.* 12. *l. omnis* 9. *vers. Cæteris*, *l. lege* 10. *C. de metatis*, *eod. lib.* Jure verò ecclesiastico attento omnes tenentur hospites recipere, peregrinosque fovere, præcipuè Ecclesiastici. Concilium Nannet. *can.* 3. ibi: *Ut curam hospitum, maximè pauperum, atque debilium, orphanorum quoque, atque peregrinorum habeat presbyter. Hos quoque ad prandium suum quotidie juxta possibilitatem convocet, eisque hospitium tribuat.* Et *can.* 5. ibi: *Ut autem omnis rapina tollatur occasio, volumus ut presbyteri, qui bonum exemplum charitatis omnibus ostendere debent, hospitales existant, juxta Dominicum, & Apostolicum præceptum; ut humanitatem præbeant iter facientibus, quia per hospitalitatem placuerunt quidam Deo, Angelis hospitio receptis; & Dominus in die judicii dicturus est electis: Hospes eram, & suscepistis me.* Et Job dicit: *Ostium meum semper viatori patuit.* Synodus Aquisgran. *can.* 141. ibi: *Hospes fui, & collegistis me.* Proinde oportuit, ut Prælati Ecclesiæ præcedentium Patrum præcepta lectantes, aliquod præparent receptaculum, ubi pauperes colligantur. Refert Antonius Augustinus *in epitom. lib.* 14. *tit.* 20. *cap.* 1. 41 *dist. cap. de monachis* 20. *do præbend.* plura tradit Ephtenus *disquisit. monast. lib.* 11. *tract.* 3. Laici etiam tenentur erga hospites charitatem exercere, quæ non minima virtus est; unde Ethnici ipsi jovem hospitalem appellarunt, Servius *ad lib.* 11. *Æneid. Virgil. vers.* 735. Jul. Pollux *lib* 1. *Onomast. cap.* 1. *num.* 23. Cicero *lib.* 1. *de finibus*; Illustrat Demsterus *ad Rosinum lib.* 2 *cap.* 5. plura de hospitalitate præbenda cumularunt Dorleans *ad Tacitum lib.* 2. *fol.* 298. Bernegerus *ad ipsum*, *quæst.* 12. Scipio Amiratus *lib.* 12. *dissert. cap.* 3 Savarus ad Sidonium *lib.* 2. *epist.* 19. Unde in præsenti Patres parochis jubent, ut hospitalitatem exerceant, ad quam ex præcepto charitatis tenentur; plura de hospitalitate Frances *de Eccles. Cathedr. cap.* 17. *per totum*, Bravo *in notis ad regulam Divi Benedicti*, *cap.* 53. Beyerlinch. *tom.* 4. *in Theatro*, *verbo Hospitalitas*, Solorzanus *tom.* 1. *de jure Indiarum*, *lib.* 2. *cap.* 20. *ex num.* 37.

(e) *In*

(e) *In mercato.*] Id est in foro, ubi res venales exponuntur, *l. ultima, C. de nemini liceat in coemptione specierum*, ibi: *Ut præbeat juxta id, quod servatur in foro rerum venalium.* Cassiodorus *lib. 12. variar.* ibi: *Quoniam in Istria vinum abundè natum est, quantùm de civitatibus illuc feratur, postulate, sicut in foro rerum venalium reperitur, quatenus nec ipsi læsi possint, cùm eis pretia justa servantur.*

COMMENTARIUM.

6. Conclusio deducitur & probatur.

EX præsenti canone sequens deducitur disputanda assertio: *Prælati Ecclesiarum cogere possunt proprios parochianos, ut hospitalitatem servent transeuntibus, & ne cariùs vendant, quàm in mercato vendere possunt.* Quæ assertio probari potest *ex cap. 2. cap. nullis 5. 42. dist. cap. canonum 3. 14. q. 4. cap. si quis 23. cap. illi 25. 24. quæst. 3. l. animalia 18. C. de cursu public. l. 12. l final. §. 7. ff. de muner. & honor. l. 1. C. de Episcop. aud.* quæ conjungenda est cum lege 1. *C. de commercus*, ut liquet *ex l. 5. C. Theodos. de lustral. collat.* ut notavit Pancirola *lib. 1. variar. cap. 172.* Et licèt, quia ejus littera nimis vitiata est, congrua sententia ex ea deduci nequeat, ut animadvertit Duarenus *lib. 1. animadvers. cap. 57.* tamen illud deducitur, ad Episcopi curam spectare, ne cariùs pauperibus christianis merces vendantur, quàm aliis, *l. ultima, C. ut nemini liceat in emption. spec.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa & Garanna *in collect. &* Ant. de Burgos, & Cujacius hic: idem Cujacius *in l. 9. C. de suscept. in cap. conquerente de offic. ordin. cap. 6.* Velascus *de privileg. pauperum, p. 1. cap. 24.* Ferro Manrique *de different. utriusque fori, quæst. 173.* Solorzanus *lib. 2. polit. cap. 13.*

7. Traditur ratio dubitandi.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Notissimum juris principium est, nec emere, nec vendere quem cogi posse, *l. invitum 11. C. de contrah. emption. l. invitus, C. locati, l. nec emere 16. C. de jure delib. l. si fidejussor, §. ult. ff. de legat. 1. l. si quis sepulchrum, ff. de relig. l. possessione 12. C. de fundis patrim. lib. 12. l. nemo 8. C. de Judæis*, nec etiam pretio justo, ut latè probant Didacus Perez. *in l. 2. tit. 7. lib. 5. ordin.* Gomez. *lib. 2. var. cap. 2. num. 51.* Heraldus *lib. unic. emend. cap. 26.* ubi exponit textus *in l. non enim 9. ff. rerum amot. l. emptor, §. 1. l. neque quasi 80. ff. de rei vindic.* Hermosilla *in l. 3. tit. 5. gloss. 1. partit. 5.* Amaya *in l. unica, C. ut nemini liceat*, Morla *in empor. tit. 9. quæst. 1.* Covarruvias *lib. 3. variar. cap. 14.* Linglois *in lege finali, C. de contrahend. empt.* Hunnius *ad Treutlerum lib. 2. disputat. 28. quæst. 19. & in Encyclop. tit. 14. cap. 8.* Petrus Herodius *lib. 4. Pandect. tit. 7. cap. 3.* Avendanno *lib. 2. de metu, cap. 1.* Wisembachius *disput. 6.* Vela *dissert. 17.* Valent. *consil. 18.* qui exponunt legem 17. *ff. de fidejuss.* & legem 2. *de distract. pignor.* Ergo nemo cogendus est hospitibus, seu transeuntibus res proprias vendere. Augetur hæc difficultas ex eo, nam in emptione, & venditione pretium constituendum est arbitrio domini vendentis, *l. tutor, juncta glossa 1. ff. de in lit. jur. l. 4.* cum glossa ibi, *ff. de condict. furtiva, l. mortis, §. ult. ff. de donat. caus. mortis*, D.D. Gonzal. in Decretal. *Tom. III. Pars I. l. 1. §. si hæres, ff. ad Trebel.* plura Didacus Perez. *in l. 2. tit. 23. lib. 2. ordinamenti.* Cenedo *collect. 118. ad Decret.* Igitur etsi parochiani cogi possint à propriis presbyteris peregrinis, & transeuntibus necessaria vendere, non tamen compelli debent ea alienare certo pretio, videlicet vulgò in foro recepto, & usitato.

8. De pretiis rerum.

Quâ difficultate minimè obstante vera est præsens assertio, pro cujus illustratione sciendum est, pretia rerum non ex affectu, vel utilitate singulorum, sed communiter fungi, *l. pretia 63. ff. ad legem Falcidiam, l. si servum 33. ff. ad leg. Aquil.* pretium autem rebus tale imponi debet, quod res communiter valeant, & ideò præcipuum Magistratuum munus est curare, ne res communem æstimationem excedant; nam ut inquit Cicero *in Verrem*: *Etenim qui modus est in rebus cupiditatis, idem est æstimationis; difficile enim est finem facere pretio, nisi libidini feceris.* Quare semper legibus, ac Magistratibus in cura fuisse pretium rebus imponere, & ut annonæ æstimatio statueretur, constat *ex l. non debere 8. ff. ad municip. l. Decuriones 5. ff. de administrat. rerum*: immò ad Præfectum urbis spectare, ut justo pretio res vendatur, traditur *in l. 1. §. cura carnu, de offic. Præfect. urb.* illudque Principes suis constitutionibus plerunque statuisse constat *ex l. annonam 6. ff. de extraordin. crimin.* Illustrant Mexia *in pragmat. taxæ panis*, Govarruvias *lib. 3. var. cap. 14. num. 3.* Aviles *in cap. 17. præt. verbo Razonables, num. 5.* Didacus Perez *in l. 6. tit. 1. lib. 2. ordin.* Bobadilla *lib. 3 polit. cap. 4. num. 62.* Larrea *decis. 11. Granat. ex num. 22.* qui latè exponunt, quomodo ob inopiam rerum venalium, & asportationem ex longinquis provinciis pretia taxanda sint.

9. Traditur ratio decidendi.

Unde jam apparet vera ratio præsentis decisionis; nam cùm publicè intersit pretia rebus imposita servare, ne libidini Dominorum permittatur pro arbitrio ea augere; & regulariter pretium receptum & usitatum in foro justum credatur, quia aut Principis constitutione, aut tacito populi consensu taxatum reperiatur; ideò rectè in præsenti Patres statuunt, presbyteros debere admonere proprios parochianos, ne cariùs vendant merces, quàm pretio in foro communiter recepto; & simul ut hospitalitatem erga eos exerceant, juxta præceptum charitatis, quo tenentur peregrinos recipere, & fovere, juxta suprà tradita.

10. Respondetur difficultati.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt regulariter verum sit, neminem cogendum esse res proprias vendere; tamen plures sunt casus, in quibus hæc regula limitatur, quos referunt, & exponunt Didacus Perez & Hermosilla *ubi suprà*, Velasco *de privileg. pauperum, dicta quæst. 24.* inter quos præcipuus est, cùm adest pia causa: unde cùm peregrini, atque iter facientes à propriis laribus exulantes omni commiseratione digni sint, ut probavi *in cap. 2 de treuga & pace*; ideo in præsenti rectè docetur parochianos cogendos esse à propriis presbyteris merces necessarias vendere. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis; nam omissâ illâ quæstione, utrum videlicet publicè expediat certa pretia rebus præfinire, ita ut cogantur negotiatores simili taxationi parêre, quam disputant Mexia, &

Bobadilla *ubi suprà*, dicendum est, illud extra dubium esse, pretium lege, aut populi consensu statutum observandum esse, & teneri mercatores juxta illud merces distrahere: unde cùm in præsenti jam juxta pretium receptum communiter in foro venderentur, rectè Patres statuerunt, ut juxta illud peregrinis, iterque facientibus, merces distrahantur, cùm exinde nullum damnum, aut præjudicium ipsis sequatur, aut inferatur.

11. *Expositur Concil. & alij, can. 52.*

Sed adhuc obstat Concilium Parisiense temporibus Ludovici, & Lotharii celebratum, *lib. 1. cap. 52.* in illis verbis: *Comperimus, quod in quibusdam occidentalibus provinciis, suadente avaritiâ, Episcopi, & Comites, & cæteri Prælati pauperibus sibi subjectis soleant edictum imponere, ut nullus eorum tempore messis modium frumenti, nec tempore vindemiæ modium vini, majori pretio, nisi quod ab eis constituitur, vendere præsumat: quod si quisquam illorum contrà facere præsumpserit, & paupertatis suæ magnam jacturam patitur, insuper etiam acribus verberibus flagellatur: unde fit, ut cùm aliis modius frumenti 12. denariis, & modius vini 20. denariis venundari possit, hujuscemodi seniores modium frumenti ad quatuor, & modium vini ad sex sibi extorqueant denarios: quæ res, quia impietatis, injustitiæque plena est, necesse est ut piissimi Principis auctoritate inhibeatur.* Ex quibus constat, non posse Episcopos statuere ut juxta certum pretium merces vendantur: igitur nec cogere poterunt parochianos suos, ut certo pretio iter facientibus necessaria vendant. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, in eo textu non prohiberi taxationem justi pretii legitimè factam, sed eam improbari, quæ ex avaritia, & radice cupiditatis procedebat, ut ita divites pauperum res acquirerent, ac lucrifacerent, ut etiam refertur in Concilio Arelatensi sub Carolo, *can. 23.* illis verbis: *Nec Comites, vel Vicarii, seu Judices, vel Centenarii sub mala occasione, vel ingenio res pauperum emant, vel per vim tollant, aut quolibet argumento surripiant: sed si cui aliquid possessionum emendum, aut vendendam sit, id in publico coram Comite, & Judicibus, & Nobilibus civitatis facere debebit.* Et in Concilio Magunt. *cap. 7.* ibi: *Propter provisiones pauperum, pro quibus curam habere debemus, placuit nobis, ut nec Episcopi, nec Abbates, nec Comites, nec Vicarii, nec Judices, nullusque omnino sub mala occasione, vel malo ingenio res pauperum, vel minùs potentum, nec emere, nec vi tollere audeat.* In præsenti autem agitur de justo pretio rerum in foro recepto, juxta quod rectè negotiatores cogi possunt res proprias vendere.

CAPVT II.

Ex Concilio (a) Mogunt.

ET (b) mensuræ, & pondera justa fiant, sicut in divinis (c) legibus sancitum est, & in capitulari (d) Dominico continetur, & iste sacer conventus statuit; sic omnibus nobis observare placet. Et si quis justas mensuras, & justa pondera lucri causâ mutare præsumpserit, in pane, & aqua (e) pœniteat.

NOTÆ.

1. (a) *Mogunt.*] *Can. 2.* legunt Burchardus *lib. 19. Decreti, cap. 148.* Carnotensis *part. 15. cap. 158.* Papiensis *in 1. collectione, sub hoc tit. cap. 3.* Etiam in Pœnitentiali Romano, *tit. 7. cap. 13.* reperiuntur hæc verba, ex quo litteram textus restituo: sed in Conciliis Mogunt. hucusque excusis non repetiri textum hunc, jam notavit Antonius Augustinus *in notis ad 1. collectionem, hic*; licet reperiatur in Concilio Cabilonensi, *cap. 37.* & paucis verbis mutatis, *lib. 1. capitul. Caroli, cap. 24.* Quare credo canonem hunc editum fuisse in Synodo Mogunt. nondum excusa, de qua hæc refert Surius *tom. 3. Concil. post Concilium Mogunt. sub Lothario & Rabano*, ibi: *Habes hîc, candide lector, Synodum sub Rabano Archiepiscopo Moguntiæ celebratam, hactenus non excusam. Est verò sub illo alia etiam acta Synodus longè hac celebrior, quam libenter communicassemus, si ejus nobis copia facta fuisset.* Meminit ejus D. Joannes Abbas Trithemius *in chronico monasterii Hirsaugiensis*, his verbis: *Rabanus Archiepiscopus Moguntinus jussu Lotharii Imperatoris Synodum apud Moguntiam Episcoporum & Abbatum convocavit anno Domini 848. indict. 11. in qua hæreticum quemdam nomine Godscalcum, presbyterum condemnavit, & multa ad decorem, & utilitatem ecclesiasticam constituit. Fuerunt inter alios ibi præsentes celeberrimi viri Episcopi Herto Archiepiscopus Trevirensis, Hildeboldus Archiepiscopus Coloniensis, Altfridus Episcopus Hildeshemensis, Hajmo Episcopus Halberstatensis, Ludericus Episcopus Bremensis, Lintbertus primus iste Abbas sancti Aurelii Hirsaugiensis, Waldo Abbas Fuldensis, Einhardus Abbas Selgenstetensis, Brunvart. Abbas Hirsfeldensis, Berthoifus Episcopus Mediolacensis, Adventitius Abbas Mesensis, postea ibidem Episcopus; Rodulfus Abbas sancti Medardi Suessionensis, postea Bituricensis Archiepiscopus, & alii multi Episcopi, Abbates, & Monachi, inter quos complures erant vitâ, & doctrinâ famosissimi.* Hæc ille.

(b) *Et mensuræ,*] *Ut mensuræ*, legitur in hac sexta collectione, apud Burchardum & Carnotensem.

(c) *Divinis legibus.*] Levitici *cap. 19. & 20.* quorum verba infrà dabimus.

(d) *Capitulari Dominico.*] *Lib. 1. capitul. 74.* ibi: 2. *Ut æquales mensuras, & rectas, & pondera justa, &*

& æquabilia omnes habeant, sive in civitatibus, sive in monasteriis, sive ad dandum in illis, sive ad accipiendum, sive in lege Domini præceptum habemus: item in Salomone, Domino dicente, Pondus, & pondus, mensuram, & mensuram, edit anima mea. Et in appendice 2. *lib.* 4. *cap.* 6. ibi: De mensuris, ut secundùm jussionem nostram æquales sint.

(c) *Pœniteat.*] *Viginti dies pœniteat*, legunt Ivo, & Burchardus; quæ lectio retinenda est, nam in Pœnitentiali Romano, ex quo *cap.* 13. transcripsi textum hunc, statim capite sequenti ita legitur: *Fecisti falsitatem, vel fraudem aliquam in mensuris, aut in ponderibus; ita dico, ut falso modio, aut cum ponderibus injustis tua bona venderes alus christianis: si fecisti, aut consensisti, viginti dies in pane & aqua pœnitere debes.*

COMMENTARIVM.

4. Conclusio traditur & probatur.

EX præsenti canone talis deducitur disputanda assertio: *Fraudans justa pondera & mensuras, viginti diebus in pane & aqua pœnitere debet.* Probant eam textus ex sacra pagina, *Levitici cap.* 19. *in fine*, ibi: *Statera justa, & aqua sint pondera. Deuter. cap.* 25. ibi: *Pondus habebit justum, & verum, & modius æqualis etiam verus erit. Proverb. cap.* 11. *in princip.* ibi: *Statera dolosa abominatio est apud eum. Oseæ cap.* 12. ibi: *Statera dolosa. Amos cap.* 8. ibi: *Stateras dolosas.* Ex jure canonico *cap. omnino* 10. 45. *dist. cap. non afferamus stateras dolosas* 24. *q.* 1. *cap. quanto*, ibi: *Legitimo pondere, de jurejur. cap.* 1. ibi: *Pondera injusta, ne cleric. vel mon.* D. Clemens *epist.* 1. ibi: *Pondera, mensuras, stateras pro locis quibusque aquissima custodue, deposita fideliter restituite.* D. Gregorius *lib.* 1. *regestr. epist.* 13. *Ante omnia te volumus solicitè attendere, ne injusta pondera in exigendis pensionibus ponantur; sed si qua talia, frange, & nova constitue.* Concilium Arelat. sub Carolo, *can.* 15. *Ut pondera, & mensura ubique æqualia sint, & justa, sicut scriptum est: Æquus modius, & æquus sextarius.* Turonense sub Carolo, *can.* 45. *Quod mensuræ, & pondera justa ubique habenda sint, testis est Salomon, qui dicit, quod statera dolosa abominatio sit apud Deum.* Parisiense sub Ludovico *lib.* 1. *cap.* 51. ibi: *Quanquam ergo consuetudines perversa non facilè corrigantur, hac tamen consuetudo inæqualium modiorum, & injustorum sextariorum, atque ponderum dolosorum nevesse est ut principali metu ocyùs corrigatur, & ad præceptum divinum tanta tortitudo flectatur.* Et *lib.* 3. *cap.* 3. ibi: *Hoc tamen modis omnibus optamus, & monemus, ut in unaquaque provincia Imperii nostri jussu, atque terrore Celsitudinis vestræ nullus duplices mensuras in sua dominatione, aut habeat, aut haberi permittat, quoniam hac occasione multos pauperes affligi in plerisque locis cognovimus.* Ex jure civili *l. annonam*, ibi: *Statera adulterina, ff. de extraordin. crimin. l. in Dardanarios*, 37. *ff. de pœnis, l. si quis uxori* 55. ibi: *Si majora quis pondera, ff. de furtis, l. arbitrio* 18. *§. vel qui scyens, ff de dolo, l. modios* 9. *C. de suscept. lib.* 10. Ex jure nostro Regio, *l.* 7. *& 8. tit.* 7. *partit.* 7. *l.* 1. *& 2. tit.* 15. *lib.* 5. *recopil.* Illustrant ultra congestos à Barbosa & Garanna in præsenti, Crespetius *in summa, verba Mensura*, Antonius Augustinus *lib.* 35. *tit.* 7. *in epit.* Antonius de Burgos *in repetit. ad hunc textum*, Cujacius *hic*, Petrus Gregorius *lib.* 4. *partit. tit.* 11. *cap. final. & lib.* 47. *syntagmatum, cap.* 31. Brissonius *tit.* 1 *select. cap.* 6. Hermosilla *in l.* 24. *glos.* 2. *tit.* 5. *part.* 5. Chopinus *lib.* 1. *de jurisd. Andegavensium, cap.* 40. Bobadilla *lib.* 3. *polit. cap.* 4. *num.* 105. Gibalinus *tom.* 1. *de negot. lib.* 1. *cap.* 6. *art.* 8.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Quibus ponderibus & mensuris uti debeant negotiatores, & contrahentes, eorum arbitrio committitur, *l. Imperatores* 71. *vers. in contrahentis, ff. de contrah. emption. cap. ex parte* 8. *vers. In secundo, de censibus*: Ergo licitè, & impunè poterit quisque uti ponderibus ac mensuris pro arbitrio. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, quia naturaliter licet contrahentibus ad invicem se decipere, ut sequenti commentario dicemus: Ergo etiam circa pondera, & mensuras licebit illis se decipere. Secundò fulcitur hæc difficultas ex eo, nam qui falsis, vel iniquis ponderibus, seu mensuris utitur, tenetur actione ex empto ad supplementum rei venditæ, *l. si quisquam, ff. de action. empti, iuncto cap. per tuas* 5. *de donat.* Ergo si ita emptoribus consultum est, ad quid pœnitentia viginti dierum venditori injungitur. Tandem difficilis est præsens canon, dum in eo imponitur pœnitentia viginti dierum illis, qui falsis ponderibus, & mensuris usi fuerint; nam si illis, ut falsariis pœnitentia injungenda est, arbitrio confessorum relinqui debent pœnitentiæ imponendæ, tam tempus, quam modus, *cap. tempora* 2. *cap. de his* 3. 26. *quæst.* 7. *in actione* 8. *cap. mensuram* 86. *vers. Sed magis in arbitrio sacerdotis, de pœnitentia, distinctione* 1. *cap. quæsitum* 7. *de pœnitentia, & remissione*: Ergo non rectè in præsenti præscribitur spatium viginti dierum.

5. Impugnatur tradita assertio.

Quâ difficultate ita fulcitâ minimè obstante vera est præsens decisio, pro cujus expositione sciendum est, publico populi regimini semper, & apud omnes nationes expediens, immò necessarium visum fuisse pondera, & mensuras præscribi, & statui pro totius regni regimine: eorum inventorem Cainum fuisse tradunt Josephus *lib.* 1. *antiquit.* Freculphus *tom.* 1. *chron. lib.* 1. *cap.* 9. ibi: *Simplicitatem quidem, cum qua priùs vivebant homines, ad rationem mensurarum & ponderum permutavit, terminos terræ primus posuit, civitatesque constituit, murisque munivit.* Etsi eam laudem Palamedi tribuant Strabo *lib.* 5. D. Isidorus *lib.* 16. *orig. cap.* 24. Pythagoræ Diogenes Laërtius *lib.* 9. Moysi idem Divus Isidorus, atque alii aliis, ut refert Pater Gibalinus *tom.* 1. *de negot. lib.* 1. *cap.* 6. & Aristoteles *lib.* 9. *Metaphys.* ad civitatum Moderatores ponderum, & mensurarum publicarum definitionem pertinere ait. Quare Polybius *lib.* 3. ut Achæorum conspirantes inter se voluntates doceret, universam Achaiam, & Peloponnesum, non modò eadem religione, iisdem Magistratibus, iisdem legibus, verùm etiam iisdem ponderibus, ac mensuris usum fuisse scribit: facit Cassiodorus *lib.* 1. *variar. cap.* 20. ibi: *O inventa prudentum! ô provisa majorum! Exquisita res est, quæ & usui humano necessaria distingueret, & tot*

6. De ratione ponderum.

arcana naturæ signaliter contineret. Meritò ergo dicitur libra, quæ tantâ rerum est consideratione trutinata. Talia igitur secreta violare, sic certissima velle confundere, nonne veritatis ipsis videtur esse crudelis ac fœda laceratio? Exerceantur negotiatores in mercibus, emantur latè quæ vendantur angustiùs, constet populis pondus, ac mensura probabilis: quia cuncta turbantur, si integritas cum fraudibus misceatur. Quare Valentinianus cavit *in l. modios, C. de susceptoribus, lib.* 10. ut per singulas Romani Imperii civitates pondera & mensuræ publicè collocarentur, quo fides publica constaret: & Romæ pondera, ac mensuræ in Captiolio servabantur, ad quorum modum privatorum mensuræ, si quando controversia esset, exigerentur, unde Fanius ait:

Amphora sit cubus, quam nec violare liceret
Sacra verè Jovi Tarpejo in Monte Quirino.

Illustrat Gothofredus *in l.* 19. *C. Theodos. de suscept.* facit Apulejus *lib. de Philosoph. pagina* 267. ibi: *Ponderum, mensurarumque custos erat publicus Zygostates, qui dirimebat dubietatem exortam super mensuris.* Facit etiam lex 1. & 2. *C. de ponderat. & auri illat.* lex ultima, *C. Theodos. de superexactoribus, lib.* 11. *quæ est lex jubemus, penult. C. de defensor. civit.* ideoque Justinianus *in Novella* 128. *cap.* 15. jubet, pondera & mensuras in sanctissimis uniuscujusque civitatis Ecclesiis servari, ut secundum ea de aliis judicaretur, & ne possint à quoquam popularium vitiari. Illustrat morem hunc servandi pondera, & mensuras in Ecclesia, Mariana *in opusc. de ponderibus.* Pondera autem legitima, justasque mensuras statuere ad Principem spectat, *dicta l. modios* 10. *dicta l.* 1. *& 2. recopil.* ubi Matienzus, & Azeved. D. Thomas *lib.* 2. *de regim. Princip. cap.* 14. & secundùm pondera ab ipso diffinita alia conficienda sunt per Magistratus, & Rectores civitatum, *dicta Authent. de collat. §. eos,* docent Matienzo & Azevedo suprà, qui inde deducunt, in ponderibus & mensuris debere apponi signa Regia, vel Dominorum, aut Civitatum, juxta dictam legem 2. Recopilat. ibi: *Y selladas del sello de la ciudad.* Quare si mensuræ ita signatæ non sint, falsæ judicantur, *dicta l.* 1. *recopil.* cujus rei cura apud Romanos ad Ædiles spectabat, *l. item queritur* 13. *§. si quis mensuras, ff. locati,* junctis traditis à Petro Gregorio *lib.* 3. *syntagmatum, cap.* 1. Apud nos tamen pertinet ad Præpositos. vulgò *Fieles, l.* 7. *tit.* 7. *part.* 7. plura congerunt de ponderibus & mensuris, varia eorum genera apud varias nationes recepta & usitata cumulantes, & exponentes Fanius, & Mariana *in opusculis de ponderibus & mensuris.* Lorinus *in cap.* 19. *Levitici,* Villalpandus *tom.* 2. *in Ezechielem,* Pancirola *lib.* 1. *variar. cap.* 64. Brissonius *lib.* 1. *select. cap.* 6. ubi exponit textum *in l. cùm de lanionis* 18. *ff. de instruct. vel instrum.* Gibalinus *tom.* 1. *de negot. lib.* 1. *cap.* 6. *per totum,* Beyerlinch. *tom.* 6. *in Theatro, verbo mensura.* Conradus Kling. *lib.* 5.

7. *De adulterantibus pondera.*

Secundò sciendum est, grave admodum delictum esse legitima pondera, justasque mensuras minuere, seu adulterare. Cassiodorus *lib.* 11. *variar. epist.* 16. ibi: *Quia grave scelus esse judicamus, aut mensuras modum excedere, aut libram æquissimi ponderis justitiam non habere. Infidelis, perfidique hominis est fallere eum, qui lasus non fuisset, nisi credidisset.* Quare jure civili lege Cornelia de falsis tenebatur qui falsis, seu corruptis mensuris utebatur; & ex decreto Adriani in insulam relegabatur qui pondera, aut mensuras falsaverat, *l. hodie* 32. *§. ult. ff. ad legem Corneliam de falsis.* Immò & eum qui falsas mensuras habuit, idem Imperator in insulam relegavit, *l. annonam* 6. *§.* 1. *ff. de extraordin. crimin.* & falsis mensuris utentes competentem pœnam subire debere docetur *in l. modios* 9. *l. ult. C. de suscept. præpos. & arcar.* latiùs probabimus *in cap.* 1. *de crimine falsi.* Nostra lege Regia 7. *tit.* 7. *partit.* 7. ita cautum legimus: *Medidas, ò varas, ò pesos falsos teniendo algun home à sabiendas, conque vendiesse ò comprasse alguna cosa, face falsedad. Però non es tan grande como las otras que deximos en las leyes antes de esta. E porende mandamos que el que las assi fiziere, peche el danno doblado que recibieron por tal razon, como esta aquellos que compraron del, ò que le vendieron alguna cosa, è demas que sea desterrado por cierto tiempo en alguna isla, segun albedrio del Rey: è que aquellas medidas, ò pezos, ò varas que tiene falsas, sean quebrantadas publicamente, ante las puertas de aquellos que usaban comprar, è vender con ellas.* Prosequuntur alia de falsis mensuris Gregorius Lopez *in dicta lege* 7. *gloss.* 5. Petrus Gregorius *lib.* 47. *syntagmatum, cap.* 31. *num.* 5. *cum sequentibus,* Bobadilla *lib.* 3. *polit. cap.* 4. *num.* 105. *cum sequentibus.* Et de gravitate hujus peccati quoad forum conscientiæ alia cumulavit Gibalinus *de negot. dicto tom.* 1. *cap.* 6. *artic.* 8.

8. *Traditur ratio dubitandi.*

Quibus animadversis ratio præsentis assertionis facilè deprehenditur, ideo scilicet fraudantem legitima pondera per viginti dies jejunare debere, quia hoc falsitatis delictum omni jure damnatum, & vindicatum legimus. Jure naturali, quia eo prohibetur quis locupletari cum alterius jactura, *l. jure* 206. *ff. de reg. juris.* Jure divino tot locis suprà citatis, in quibus detestantur iniqua pondera. Jure civili, & canonico ex fragmentis suprà citatis, in quibus diversæ pœnæ imponuntur, tam in foro interiori, quàm exteriori. Meritò, cum peccet mortaliter, qui mensuris, aut ponderibus falsis utitur: ideo rectè Patres illi per 20. dies pœnitentiam injungunt. Et licèt Judex Ecclesiasticus hodie contra hujusmodi falsarios procedere non soleat, tamen jure communi attento ipses punire posse, docet Petrus Gregorius *libro* 15. *syntagmatum, capite* 12. *numer.* 37.

9. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa, deducta ex dicta lege *Imperatores.* Quia respondetur cum Glossa ibi communiter recepta, textum illum procedere quando in loco ubi contrahitur, sunt diversæ mensuræ; quo casu possunt contrahentes pacisci de mensura justa, quâ venditio procedat; cùm diversæ reperiantur mensuræ publicè approbatæ. Nec obstat primum augmentum ipsius difficultatis; nam etsi liceat contrahentibus ad invicem se decipere quoad pretium, & ejus modum, non tamen licèt quoad mensuram, & pondus; nam in eis nulla facultas competit partibus augendi, aut minuendi pondera aut mensuras publicè probatas;

batas; alias privatas licet immutare, *dict. l. Imperatores.* Nec obstat secundum augmentum, cui respondendum est, fraude commissa in mensuris, posse agi ad supplementum judicio civili; non tamen perinde excluditur pœna, quæ in utroque foro injungitur utroque jure, civili, & canonico. Nec obstat ultimum difficultatis augmentum, pro cujus solutione sciendum est, quod cùm olim pro satisfactione culparum diversæ pœnitentiæ pœnitentibus injungerentur, necessarium, & valde conveniens fuit, ut modus & ratio indicendi pœnitentias præscriberetur, & ut canones colligerentur de eisdem delictis, sive criminibus, quos posteri Pœnitentiales libros, & canones dixerunt; de quorum auctoritate agunt Antonius August. *in præfat. ad ipsos*, Andreas Sausay *in Panopl. sacerd. p. 1. lib. 7. §. 25.* Anguianus *lib. 2. de legib. controv. 3.* Verùm cùm pœnitentia publica, & solennis in usu esse desiissent, praxis prædictorum canonum invaluit, ut probat Anguianus *ubi proximè*; unde licèt ex veteri Pœnitentiali suprà relato, fraudantibus pondera, vel mensuras jejunium per 20. dies statutum esset, noviori tamen jure arbitrio sacerdotis relinquitur pœnitentia illis injungenda.

CAPVT III.

Alexander III. (a) *Atrebatensi Episcopo.*

CUm dilecti filii nostri (b) Beluacenses Canonici contra religiosos viros Abbatem, & Fratres (c) Carliloci proponerent, quod (d) silvam, quæ Nigra Vallis dicitur, à quibusdam eorum, ignorante (e) Capitulo x. libris, xl. marchas tunc valentem comparassent, post multas commissiones, tandem causam ipsam venerabili fratri nostro (f) Morinensi Episcopo, & dilecto filio Decano Rhemensi sub certa forma commisimus terminandam, adjicientes in litteris, quod si uterque ejusdem causæ cognitioni interesse nequiret, alter adhibitis sibi viris prudentibus & honestis in eodem negotio procedere non (g) differret. Cùm itaque Decanus partes ad suam propter hoc præsentiam convocasset, Abbas & monachi non ad agendum, vel respondendum, sed ad quærendum dilationes nuntios destinarunt, asserentes, quod ad nos miserant, & ad audientiam nostram appellarant. Verùm quia in litteris appellatio remota fuerat, Decanus in illius causæ cognitione processit: & cùm ei per testes Canonicorũ Beluacen. constitisset, quod prædicti Fratres silvam minùs dimidia justi pretii comparassent, (h) venditionẽ non tenere, & silvam ipsam Beluacensi adjudicavit Ecclesiæ, & Canonicos in possessionem induxit. Nuntiis igitur utriusque partis in nostra propter hoc præsentia constitutis, dum ex parte Canonicorum instanter, & sollicitè sententia peteretur auctoritate Apostolica confirmari, habita deliberatione cum fratribus nostris, & aliis sapientibus viris, qui legibus jurati judicant, eandem sententiam juri (i) contrariam intelleximus, quia in arbitrio emptoris est, si velit, supplere, aut venditionem rescindere, cùm res minùs dimidia justi (k) pretii comparatur. Ea propter sententiam de communi consilio fratrum, & prædictorum sapientium irritantes, possessionem monachis judicavimus esse reddendam, salvâ omni quæstione super deceptione pretii, vel consensu Capituli in venditione non habito, & alia rationabili, quam Canonici contra monachos duxerint proponendam.

NOTÆ.

(a) *Atrebatensi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc titul. cap. 4.* De Atrebatensi Germaniæ Ecclesia nonnulla notavi *in cap. 13. de arbitr.*

(b) *Beluacensi.*] De Beluacensi urbe, & ejus Ecclesia Cathedrali, egi *in cap. 13. de foro competenti.*

(c) *Carliloci.*] Quod monasterium est in diœcesi Silvanectensi: alibi dicitur Caroliloci, aliàs Carliloci, ut jam notavi *in cap. ex parte, de rescript.*

(d) *Silvam.*] Quæri solet, an in venditione silvæ cæduæ, ob læsionem ultra dimidiam competat beneficium legis 2. *C. de rescind.* In qua quæstione ita distinguit David Argent. *in select. ad dict. l. 2.* aut silva cæsa erat, vel non. Primo casu arbores habentur pro rebus mobilibus, ideò venditio non rescinditur: secundo verò casu adhuc arboribus solo cohærentibus, quia silva verè res immobilis est, asserit competere prædictum beneficium.

(e) *Ignorante Capitulo.*] Hæc verba exposui *in cap. 1. de his quæ fiunt à Prælat.*

(f) *Morinen.*] De qua Ecclesia egi *in cap. 1. de alienat. judicii.*

(g) *Non differret.*] Effectum hujus clausulæ exposui *in cap. sciscitatus, de rescriptis.*

(h) *Venditionem non tenere.*] Et malè, cùm venditio ita facta, licèt cum tali læsione, subsistat, & valida sit.

(i) *Juri contrariam.*] Non expresso juris errore in ipsa sententia, aliàs nulla esset ipso jure, ex traditis *in cap. 1. de re judic.* sed juri partis contraria fuit, quo casu etsi injusta, valet sententia, juxta ea quæ adduxi *in capite inter cæteras, eod. titul.*

2. (k) *Justi pretii.*] Unde aliqui docuerunt sufficere emptori, qui rem decem aureis dignam, quatuor emit, supplere unum aureum, cujus accessione quinque fiant, & ita justum pretium solvatur, nempe illud usque ad quod permissum est contrahentibus se decipere: nam si ab initio emptor quinque aureos pro re decem dignâ daret, non rescinderetur venditio: igitur eo supplente pretium usque ad eam quantitatem, venditio sustineretur. Verùm hæc subtilis sententia refellitur à Fornerio *lib. 2. select. cap. 19.* ex eo, quod justum, & verum pretium pro eadem re in eodem titulo, atque argumento à juris conditoribus usurpetur: nam cùm *in dicta l. 2.* justum, & verum pretium dixerant Imperatores, mox *in l. 8. eodem titulo*, justum simpliciter appellarunt; & quod alibi vera pretii æstimatio, verum pretium est, *l. ultim. C. de litig. l. filius 15. in fine, ff. de judicis, l. sed si vir 31. si vir uxori, ff. de donat. inter, l. 2. in §. in hac, ff. de vi bonor. raptor. l. communi 7. §. inter, ff. communi divid.* id ipsum alibi justum pretium vocatur, *l. item 10. in fine, ff. communi divid. l. si quis sepulchrum 12. ff. de relig. l. si fundus 16. ff. de pignor. l. si res 12. ff. de jure dot. l. 1. §. si quis, & §. si rem, ff. si quid in fraud. patron. l. 3. §. Divi, ff. de jure fisci.* Unde in proposita specie, etsi quintum aureum addiderit emptor, justum pretium non supplevit, sed dimidium tantùm faciet; quare adhuc ad rescissionem agi poterit, aliàs absurdum esset, ut accessione unius aurei venditio sustineretur, quæ aliàs rescindenda erat. Nec interest, quod à principio cum quinque aureis tantùm venditio firma esset; nam cùm jam res perveniisset ad statum, in quo agendum erat ad rescissionem ex beneficio dictæ legis 2. non poterat emptor in fraudem ipsius beneficii dimidiam partem pretii tantùm supplere, sed aut verum pretium dabit, aut rescissionem patietur.

COMMENTARIUM.

3. EX hoc textu communiter talis deducitur assertio. *Valida est venditio, in qua venditor enormiter læsus est; potest tamen venditor agere ad rescissionem contractus, vel ad pretii supplementum.* Probant eam textus *in cap. cùm causa, hoc tit. l. 2. l. si voluntate 8. l. ad rescindendam, l. dolus, C. de rescind. vendit. l. 1. titul. 11. lib. 5. recop.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa & Garanna, Canisius *ad hunc textum*, Fornerius *lib. 2. select. cap. 19.* Rodulphus ejus filius *lib. 3. rerum quotid. cap. 20.* Matienzo & Azevedo *in dicta l. 1. Recopil.* Arnoldus Vinnius *lib. 1. select. cap. penult. & ultim.* Mancinus *de triplici juris collat. cap. 93. & genial. cap. 129. & 130. cum sequent.* Antonius de Burgos *in repetit. ad hunc textum*, Rodericus Suarez *in l. 1. tit. de las arrhas, fol. 273.* Petrus Barbosa *in l. 1. p. 5. ff. solut. matrim.* Nogueroll. *alleg. 18.* Boërius Epon. *in cap. cùm olim, num. 144. de rerum permut.* Ferro Mantique *de different, utriusque fori, quæst. 57.* Valascus *consult. 43.* Cujacius *in l. 2. C. de usur.* & *ad titul. C. de rescind.* David Argent. *in select. ad dict. l. 2.* Bronchorst *cent. 1. assert. 70.* Larrea *alleg. 82. & 99. & decis. 68. & 69. Granat.* Forcatulus *in necromant. dial. 100.* Leotardus *de usuris quæst. 40.* Cujacius *lib. 16. observ. cap. 18. & lib. 23. cap. 32.* Fachineus *lib. 2. controv. cap. 16.* Antonius Faber *decad. 8. error. 7.* Schifordeg. *lib. 13. ad Fabrum, tract. 13. quæst. 5.* Merillus *lib. 2. variar.* ex Cujacio *cap. 5.* Gentilis *de æstimat. rerum, pag. 38.* Philippus Matthæus *in l. 68. num. 34. ff. de reg. jur.* Hunnius *ad Treutl. volum. 2. disp. 2. quæst. 38. & in encyclop. p. 3. tit. 17.* Gibalinus *tom. 2. de negot. lib. 4. cap. 8. art. 3.* Delbene *de parlament. cap. 2. dubit. 3. sect. 3. cum sequent.* Besoldus *in delibat. juris ad lib. 18. Pandect. quæst. 10.* Christineus *tom. 1. decis. 144.*

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita illustratam sic insurgo: In pretio rei vendendæ naturaliter licet contrahentibus ad invicem se decipere, dummodo absit dolus malus, *l. in causa 16. §. idem 4. ff. de minor. l. item si pretio 22. §. ultim. ff. locati*, Faber *in jurisprud. tit. 2. princ. 2.* Marinis *alleg. 50.* Bronchorst. *cent. 1. assert. 52.* Ferrara *in l. 24. de reg. jur.* Morla *in emp. tit. 9. quæst. 8.* Amaya *in l. 3. C. de cond. in pub. horreis*, Fornerius *lib. 6. rer. quotid. cap. 20.* Vultejus *in princip. inst. de emp. & vend.* Faber *lib. 8. conject. cap. 5.* Covar. *lib. 2. variar. cap. 3.* Leotardus *de usuris quæst. 40.* Gutherus *lib. 1. de offic. domus, cap. 29.* Merenda *lib. 1. controv. 33.* Drekerus *lib. 1. dissert. 2.* Unde prætextu minoris pensionis locationem rescindi non posse docetur *in l. & ideo 23. ff. locati*; sicut nec pretii vilioris obtentu fit irrita venditio, quantumvis venditor, aut quam accepit pecuniæ summam, aut majorem etiam emptori restituere paratus sit, *l. 4. l. non est 6. cum sequent. C. de rescind. vendit. l. 1. & 4. C. Theod. de contrah. nupt.* & vice versâ majoris pretii prætextu non licet ab emptione discedere. Plautus *in Mostel. act. 3. scen. 3.*

4. *Impugnatur præsens assertio.*

---- *Si malè empta*
Essent nobis, has haud redhibere liceret.

Seneca *controvers. 26.* ibi: *Quia non possum domum habere, nisi hìc emero, nulla alia venalis est, hanc occasionem vidit venditor, & premit.* Non tamen hanc emptionem rescindet, immò potiùs stultitiæ, vel facilitati suæ debet adscribere, qui immenso pretio rem viliorem emit, aut è contrà, *l. alienus 61. ff. ad legem Falcidiam*, Plinius *lib. 1. epistol. ult. Mala*, inquit, *emptio semper ingrata est, eo maxime, quod exprobrare stultitiam domino videtur.* Igitur prætextu læsionis etiam ultra dimidium justi pretii venditio rescindi non potest. Augetur hæc difficultas ex eo, nam aut venditor sciebat verum rei venditæ pretium, vel ignorabat; emptor verò sciebat justum rei valorem; neutro casu potest agi ad rescissionem: ergo. Probatur antecedens quoad priorem partem. Primò, quia nemo lædi, aut affici damno intelligitur, qui scit & consentit, *l. nemo 145. ff. de reg. jur. l. venditor 11. C. de rescind. vendit. l. si minor 9. C. de act. empti*: & quia videtur donationis causâ minori pretio vendidisse; nam ubi errore interveniente daretur repetitio, ibi eo quòd consultò, & à sciente fit, donati intelligitur, *l. cujus 53. ff. de reg. jur. l. si quis 38. ff. de contrah. empt. l. cum donationis 34. C. de transact.* & quia qui scit, & vult, similis est ei, qui jus, & actiones suas remittit, *l. 1. in fine, ff. de action. empti.* Facit textus *in l. 1. C. si major factus*, ubi disertè ei demùm, qui inconsultò, & errore lapsus est, in hac læsione succurrendum, ad consultationem Liciniæ rescribit Imperator Gordianus. Secunda pars propositionis constat; nam emptor sciens justum rei valorem, & viliorem simulans, dolum

lum committit ; siquidem enormis læsio dolus est , *l. si quis cùm, vers. idem juris , ff. de verb. obl. l. si superstite , vers similiter , ff. de dolo.* Sed venditio cum dolo celebrata ipso jure nulla est, *l. & eleganter 7. ff. de dolo , l. 3. §. final. ff. pro socio.* Igitur neutro casu agi potest ad rescissionem.

4. De pretio.

Qua difficultate non obstante defendenda est præsens assertio , pro cujus expositione sciendum est, pretium duplex esse, aliud naturale , aliud legale. Scaccia *de commercus* §. 1. *quæst.* 7. *ampliat.* 10. *num.* 56. Gibalinus *de usur. lib.* 4. *cap.* 6. *art.* 16. & *tom.* 2. *de negot. lib.* 4. *cap.* 4. *art* 3. Naturale dicitur illud, quod quælibet res à natura habet absque destinatione , aut taxatione alicujus personæ: legale verò est , quod auctoritate Principis, vel legitimi superioris rebus assignatum est : docent cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 77. *artic.* 1. Theologi ibi, & cum Aristotele *lib.* 5. *Et hic. cap.* 7. ejus expositores, Sotus *de justitia lib.* 6. *quæst.* 2. *art.* 3. Lessius *eod. tract. lib.* 2. *cap.* 21. *dubit.* 2. Grotius *de jure belli lib.* 2. *cap.* 12. & 14. Circa pretium naturale tres dantur gradus , quia non consistit in puncto indivisibili, infimus, medius, & supremus, quia juxta circumstantias loci, temporis, & occasionis augeri, diminuique valet. Covar. *lib.* 2. *variar. cap.* 12. unde probatio veri, seu justi pretii difficilis est ; quatenus tamen illa concludere debeat, prosequitur Noguerol *alleg.* 18. *ex num.* 16. In pretio legali non dantur diversi gradus , quia consistit in puncto indivisibili , Larrea *alleg.* 99. quod necessariò servandum est , ita ut si res majori pretio etiam levi vendatur, peccatum committatur ; unde nec tunc licet contrahentibus invicem se decipere , nec si læsio contingat intra dimidiam , cessat restitutio ; immò necessariò facienda est, docent plures congesti ab Hermosilla *and. l.* 3. *tit.* 5. *p.* 5. *glos.* 4. *num.* 23. Salas *de emptio. dub.* 6. Sanchez *lib.* 1. *summæ , cap.* 7. *dub.* 4. Ferro Manrique *ubi proximè.* Illud tamen summè tenendum est , pretia rerum non ex affectione particulari , sed ex publica affectione æstimanda esse , *l. pretia* 63 *ff. ad leg. Falcid. l. si servum* 33 *ff ad leg. Aquil.* & illud protritum est, Res tantùm valet , quantùm vendi communiter solet, *l.* 1. §. *si hæres , ff. ad Trebel.* Tunc autem docetur læsionem ultra dimidiam justi pretii dari, cùm res , cujus verum pretium æstimatur quindecim aureis, venditur tantùm septem : quo exemplo utitur lex 16 *tit.* 11. *lib.* 5. *Recopil.* ubi Matienzo, & Azenedo, Antonius Gomez *lib.* 2. *variar. cap* 3. *num.* 22. Morla *in empor. tit.* 9. *quæst.* 10. & æstimatio hæc facienda est attento tempore initi contractus, quod decisum est *in cap. cùm causam, hoc titulo, l. si voluntate* 8. *C. de rescind. l.* 3. §. *Divi, ff. de jure fisci* ; & meritò cùm rescissio concedatur prætextu læsionis tunc temporis contingentis, Molina *de justitia disputat.* 349. *vers. Pretium* , Matienzo *ubi supra, glos.* 4. *num.* 1.

1. Secundo dro III.

Secundò sciendum est , remedium ab Alexan- dro III. in præsenti relatum , inventum esse ab Imperatoribus Diocletiano , & Maximiano *in dicta l.* 2. *C. de rescind. vendit.* ut constat ex iliis verbis: *Humanum est*, &c. quæ jus novum præseferunt, ut probat Faber *de error. decad.* 7. *error.* 7. *num.* 12. contra Cujacium *tract.* 8. *ad Afric. in l. si duos, ff. de evict.* Idem suadetur *ex dict. l. si voluntate* 8. & ex generalitate textus *in l. in causa* 16. §. *idem, ff. de minor.* & *l. item* 22. §. *ultim. ff. locati* : deducitur olim non viguisse rescissionem emptionis ob læsionem ultra dimidiam ; siquidem ibi expressè docetur, licere contrahentibus in pretio emptionis naturaliter se decipere. Facit etiam , quia non reperitur vestigium hujus remedii : immò contrarium satis diserte innuitur in nonnullis juris locis. Primò *in l. à Divo Pio* 15. §. *si pignora, ff. de re judic.* ubi docetur, dationem in solutum , quæ emptionis instar habetur. *l. si prædium, C. de evict.* prætextu læsionis non rescindi. Secundò *ex l. & ideo* 23. *ff. locati,* ubi docetur, prætextu iniquæ læsionis in pretio , si dolus abfit , locationem non rescindi. Ex quibus, & aliis docuerunt *in dict. l* 2. Pinel. 1. *p. cap.* 1. *num.* 3. Donellus *num* 3. Padilla *num*, 10. Leotardus *de usur. quæst.* 40. adeò perfectum jure veteri extitisse contractum emptionis, & venditionis, ut quamvis maxima læsio intervenisset, si dolus malus abesset , nullo modo ad rescissionem agi posset. Nec contrarium deducitur *ex l.* 1. *ff. de jure fisci, vers. majoris pretii* ; nam ibi proponitur casus specialis , cùm læsio intercessit in venditione rei fiscalis ; quia tunc fisco succurritur, ut etiam minori decepto in vero pretio , *in l. nam posteaquam,* §. *si minor , ff. de jure jur.* & mulieri circumventæ in æstimatione prædii dotalis , *in l. si res* 51. *ff. de jure dot.* ex speciali æquitate , quam considerat Antonius Faber *de erroribus decad.* 6. *error.* 8. prosequitur Lælius Mancinus *sacri juris controv. dissert.* 6. *cap.* 1. non tamen remedium hoc competit contra tertium possessorem , ut resolvit Christineus *tom.* 1. *decis.* 164.

6. De diversis vendi- tionibus.

Remedium hoc dictæ legis 2. cùm pertineat generaliter ad omnem emptionem , quæri solet, an competat etiam in venditione , quæ fit sub hasta, ex judicis auctoritate , & decreto , servatis actionum publicarum formulis ; & an talis addictio facta vili pretio infra dimidiam justi pretii , rescindatur ex hac lege 2. Et talem venditionem rescindi docuerunt Parlormitanus, Immola , & alii *in cap. cùm causa , hoc titulo* ; pro quibus expendi possunt textus *in l. si quos* 16. *C. de rescind. vendit.* ubi restituitur debitor ad proprias possessiones viliori pretio sub hasta fiscali distractas , *l.* 2. *C. si propter public. pensit.* ubi docetur, prædia distrahi debere sincera fide, justoque pretio , *l.* 3. *C. de jure fisci , l.* 2. *C. de fide & jure hastæ , lib.* 10. ubi ob injustum, & vilius pretium talis venditio reprehenditur. Sed contrarium , immò in venditione sub hasta facta non habere locum beneficium dictæ legis, probarunt Bartol. & Baldus *in l.* 1. per textum ibi , *C. de prædis Decur.* propter auctoritatem judiciorum, quos sequitur David Argent. in eodem textu; qui eam sententiam protrahit ad prædia minorum, etiam sub hasta distracta. Nec contrarium probatur *in dict. l. si quos*, & similibus ; nam speciale jus ibi statuitur odio hastæ fiscalis interpositæ ob publicas pensitationes , ac odio venditionis factæ per exactores tributorum, ut ex ipsis juribus facilè liquet ; hodie tamen in praxi contrarium observari in quacunque venditione sub hasta facta docuerunt plures , quos sequitur Barbosa *in dict. l.* 2 *num.* 9. Secundò quæri solet , an remedium dictæ legis 2. locum habeat in aliis actionibus , quæ emptioni & venditioni similes sunt ? Et locum habere ex identitate rationis resolvunt David Argent. & Molina *ubi supra.* Er primò locum habet dicta lex 2. in datione

tione in solutum, quæ emptionis vicem habet, *l. si pradium 4. C. de evict.* docent Immola *in dict. cap. cùm causa*, Fachineus *lib. 2. controv. cap. 21.* quod procedit in voluntaria datione in solutum, secus verò in necessaria, quæ fit ex remedio legis *à Divo Pio 15. §. si pignora, ff. de re judic.* nam cùm eo casu æstimatio fiat publicè, auctoritate judicis, *authent. nisi debitor, C. de solut. l. 6. tit. 11. lib. 5. recopil.* idem de ea resolvendum est, ac de venditione facta sub hasta. Matienzo *in d. l. 6. glos. 2.* Secundò remedium dictæ legis 2. locum habet in contractu locationis : tum quia emptioni similis est, & eisdem ferè regulis regitur, *l. 2. ff. locati, princip. Instit. eod. tit.* tum etiam quia id expressum est *in l. 1. tit. 11. lib. 5. recopil.* quare ita docuerunt, aliis relatis *in dict. l. 2.* Pinel. 1. *p. cap. 3. num. 17.* Padilla *num. 13.* Donell. *num. 55.* Matienzo *in dict. l. 1. glos. 6. num. 4.* Gutierrez. *lib. 2. practic. quæst. 158.* Morla *dict. tit. 9. quæst. 19. num. 7.* Molina *dict. disput. 249.* licèt contrarium immeritò defendant Antonius Faber *de error. decad. 8. errore 8.* Tertiò admittitur hoc beneficium rescissionis in permutatione : tum quia permutatio emptionis vicem obtinet, *l. 2. C. de rerum permut. l. sciendum 15. §. deinde, ff. de ædilit. edict.* tum quia eadem æquitatis ratio militat in læsione ultra dimidiam interveniente in permutatione ; quare ita docuerunt *in dict. l. 2.* Padilla, & Pinel. 1. *part. cap. 3.* Gutierrez *dicto lib. 2. practic. quæst. 39.* etsi contrarium defendat Faber *dicta decad. 8. errore 9.* quod procedit in permutatione rerum, quæ æstimationem recipiunt : at verò in permutatione beneficiorum ratione cujuslibet deceptionis ad rescissionem agi non potest, cùm non facilè in eis detur æstimatio, & beneficium potiùs possideatur virtute institutionis canonicæ à Prælato, coram quo permutatio celebrata fuit, factæ, quàm à contrahente; unde ita docuerunt Boetius Epon. *in cap. cùm olim, num. 104.* Morla *dict. quæst. 9. num. 14.* etsi contrarium teneat Pinel. *dict. 1. p. cap. 3. num. 16.* Fachineus *lib. 2. controv. cap. 22.* Quartò procedit beneficium dictæ legis 2. in contractu divisionis, *l. 3. C. commun. utriusque jud.* quia emptionis vicem habet, *l. 1. C. eod. tit.* resolvunt Pinellus *in dict. l. 2. p. 2. cap. 1. num. 1.* Matienzo *in dict. l. 1. glos. 8. num. 3.* Faber *de error. decad. 8. error. 1. & 2.* Circa transactionem, cùm quis læsus est supra dimidiam partem quantitatis, quæ ex postfacto apparuit, an rescindatur, anceps dubium est apud Juris Interpretes, ut videre est ex congestis ab Arnoldo Vinnio *lib. 1. select. cap. 57. per totum*, Mancino *centur. 1. genial. cap. 131.* Bronchorst. *enantioph. cent. 2. assert. 8.* Valeron. *de transact. tit. 6. quæst. 2. per totam*, qui innumeris auctoribus pro utraque sententia adductis, nec non & juris fundamentis pro utraque perpensis, resolvit prætextu enormis læsionis transactionem rescindi non posse, prætextu verò enormissimæ læsionis, ad rescissionem transactionis agi posse. Illud tamen in praxi observandum est, quod quotiescunque impugnatur transactio, ante omnia debet restitui quod ratione transactionis acceptum est, Beltraminus Oliverius *decis. 354. num. 17.*

7. *An remedium hoc competat venditori.*

Non levioris hæsitationis est, utrum beneficium hoc legis 2. *C. de rescind.* competat non solùm venditori, verùm etiam emptori. Et æqualiter utrique competere tenuerunt Glossa *in dict. l. 2.* ubi Bartolus, Baldus, Salicetus, & Alber-

cus, Pinellus *ibi, p. 1. cap. 2. num. 1.* Padilla *num. 12. & 43.* Morla *in empt. titul. 9. rubric. num. 86.* Menchaca *illustr. controv. lib. 2. cap. 16.* Bronchorst. *miscell. centur. 1. assert. 70.* Robertus *lib. 1. animad. cap. 13.* Cujacius *in l. in causa 16. §. idem, & in notis ad dict. l. 2.* quæ etiam fuit sententia Harmenopuli *in prompt. tit. 8. lib. 3. §. 44.* pro quibus facit, quod in contractu emptionis sunt mutuæ præstationes, *l. in emptionibus 43. ff. de pactis, l. ex empto 1. §. 2. ff. de action. empti. l. 1. ff. de rer. permut.* atque ideò par ratio emptoris, ac venditoris esse debet. Accedit, quia cùm contractus hic sit bonæ fidei, inæqualitatem pati non debet, *l. 3. C. communia utriusque jud.* at inæqualitas magna daretur, si remedium hoc emptori non concederetur, præcipuè cùm non minùs venditor sagaci astutiâ minorem circumvenire possit, ut ait Arnolphus Lexovienfis *epist. 36.* Igitur æqualiter remedium hoc ad emptorem non porrigi, qui inconsultè dimidio pluris rem emit, quam valet, tenuerunt Cujacius *lib. 16. observ. c. 18. & lib. 23. c. 32.* & sub nomine Mercat. *lib. 2. c. 13.* Faber *de error. decad. 8. error 7.* David Argent. *in dict. l. 2.* & Meril, variant ex Cujacio *lib. 2. cap. 5.* qui moventur sequentibus juris fundamentis. Primò, quia *in dict. l. 2.* solùm agitur de venditore : igitur cùm beneficium illud introductum sit contra juris principium, de quo *in dict. l. in causa 16. §. 1.* extendi non debet ad emptorem, ex regula legis *jus singulare, ff. de legibus.* Secundò quia in Novella Romani Senioris, in præsenti textu, & *cap. sequenti*, ubi agitur de remedio hoc, tantùm venditori competere affirmatur : igitur non æqualiter emptori competit. Tertiò nam Imperatores *in dict. l. 2.* beneficium hoc humanitatis ratione concedere affirmant : sed hæc humanitatis ratio militat in venditore tantùm, qui plerunque ad rerum suarum distractionem compellitur, præmentibus rei familiaris anguistiis, *l. itaut 36. ff. mandati, §. 1. l. non idcirco 12. l. si quis 16. C. de rescind.* Cassiodorus *lib. 5. var.* ibi: *Grande commodum est cum indigentibus paciscì, quando fames solet totum contemnere, ut necessitatem suam possit expellere.* Eo ferè sensu Valentinianus *in Novel. de parentibus, qui filios distr.* ait: *Nihil est, ad quod non desperatio salutis impellat ; nihil turpe, nihil vetitum credit esuries. Sola cura est, ut qualicunque sorte vivatur.* Non autem militat in emptore, qui non coactus, sed ultroneus ad emptionem accedere solet, *l. cùm postulassem 44. ff. de damno infecto* ; unde ajebat Libanius *declamat. 8.* **Felix**, qui potest emere ; infelix qui cogitur vendere : observat Meril. *lib. 6. observ. cap. 16.* Nec hac sententiâ retentâ obstant prioris opinionis rationes ; nam licèt contractus venditionis, emptionisque sit reciprocus, tamen præstationes diversæ sunt: venditor non tenetur facere emptoris rem ; emptor nummos tenetur facere venditoris, *l. 11. §. 2. ff. de act. empt.* Similiter beneficium dictæ legis competit venditori, non verò emptori ; in praxi tamen verius est, remedium hoc competere emptori, ut ex pluribus resolvit Barbosa *in dict. l. 2. num. 3.*

8. *Traditur ratio decidendi.*

His animadversis apparet vera ratio præsentis decisionis ; nam cùm ad essentiam emptionis, & ut venditio rata sit, tantùm desiderentur consensus, res, & pretium, quibus contractus perficitur, *§. 1. Instit. de emption. & vendit.* inde prætextu læsionis etiam immodicæ venditio non

rescindi

rescinditur, *l. quisquis* 15. *C. de rescind. l. & ideo* 23. *ff. locati*; ideoque venditio facta etiam vili pretio, valet, *lib.* 5. *Capitul. Caroli, cap.* 10. ibi: *Placuit in venditione hanc formam servari, ut sen res, seu mancipia, vel quodlibet genus animalium venundetur, nemo propterea venditionis firmitatem irrumpat, quod dicit se vili pretio vendidisse.* Quod accipiendum est *ex dict. l. quisquis*, de eo, qui minoris quidem, quam fungitur, rem vendidit; non tamen minoris quàm est dimidia pars justi pretii. Potest tamen venditor læsione interveniente ultra dimidiam agere ad rescissionem contractus, vel pretii supplementum, quod magna æquitate introductum est, ut venditoribus deceptis hoc remedio subveniatur, cùm generaliter ea, quæ inæqualiter facta sunt, debeant in melius reformari, *l. majoribus* 3. *C. communia utriusque*; & quod æquitati convenit, magnopere à juris conditoribus attenditur, *l. quod si Ephesi*, *ff. de eo quod certo loco*, & *l. cum*, 8 *C. de judic. cap. final. de transact.* magnâ ergo æquitate ducti Imperatores *in dict. l.* 2. hoc beneficio consuluerunt venditori, quem non inconsultus calor adigit ad vendendum, sed penuria rei familiaris.

§. Dissimilitudo ratio dubitandi. Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, licèt enim in quolibet negotio bona fides desideretur, *l. bona* 31. *in princip. ff. depositi*, *l.* 9. *C. de obligat. & act. action.* neque etiam perfecto contractu liceat alium decipere, quomodo accipiendi sunt textus *in l. penult. C. de pactis*, ibi: *Sancimus nemini licere adversus pacta sua venire, & contrahentes decipere*, *l. sed etsi* 11. §. *item si plures*, *ff. de instit.* ibi: *Neque enim decipi debent contrahentes*, *l. 1. l. magister, de exercit.* tamen in ipso actu contrahendi naturaliter cuique permittitur alium decipere, *dict. l. in causa* 16. quod variis modis explicant interpretes, Hortensius *de privil. honest. in princip. num.* 11. ait verbum naturaliter, in præsenti referri ad ipsam naturam contractus, non ut importet ex natura contractus esse, ut alter alterum circumveniat in pretio, sed importet circumventionem, ac pretii læsionem, illæsâ contractus naturâ, permissam esse; non enim natura contractus, id est, substantia illius, violatur propterea quod alter alterum in pretio circumveniat; unde læsio intra dimidiam, vel ultra, de lege permissiva intelligi debet, cujus permissio naturaliter fieri dicitur, quia illa non violatur contractus natura. Et eodem ferè modo accipit verbum *naturaliter*, P. Franciscus Valens *in concord. juris*, 2. *p. sect.* 4. *fol.* 218. Aliter Petrus Barbosa *in rubric. ff. solut. matrim.* 4. *p. num.* 27. qui asserit verbum *naturaliter*, non intelligi de natura, quæ secundùm rationem est; sed de illa quæ à sensualitate provenit; quasi diceret Consultus, naturalis inclinationis esse, ut se invicem contrahentes in pretio decipiant, juxta illud quod Mimus quidam ajebat, ut refert D. Augustinus *lib.* 3. *de Trinitate*, *cap.* 3. *Commune esse mortalium desiderium vili emere, & magno vendere.* Quod & probat lex *si voluntate*, *C. de rescindend.* & Rex Salomon in Proverbiis ajebat: *Malum est omnis emptor, & cùm recesserit, gloriatur.* Sed displicet hæc interpretatio ex eo, quia verbum *concessum* quo Jureconsultus utitur *in dict. l. si de pretio*, §. *finali*, non propriè prædicatur de eo, quod quisquam à se habet, & à natura ipsa illi inest, prout est naturalis instinctus, seu sensualis natura. Quare his, & aliis sententiis omissis adductis à Pinello *in dicta l.* 2. Matienzo *in dict. l.* 1. *Recopil.* dicendum est, verum esse quæstus proprii causâ alium decipere licere naturaliter, id est, jure gentium, quo commercia primùm instituta sunt, *l. & hoc jure* 5. *ff. de justit. & jure.* Facit Justinianus *novella* 97. in contractibus enim ineundis, eo voto quisque ducitur, ut compendium suum augeat, etiam cum alieno dispendio, *l. si voluntate*, *C. de rescind. vendit.* Tullius *lib.* 3. *de offic.* Plautus *in Persa act.* 4. *scena* 4.

Vin' tu bene emere? Do. *Vin' tu pulchrè vendere?*

To. *Ego scio utrumque velle.*

Hinc Aristotel. *lib.* 5. *Ethic. cap.* 4. lucri, damnique nomina proficisci tradit ab his negotiis, quæ mutuâ partium voluntate contrahuntur; vorum enim hoc contrahentium, ut lucrum sectentur, damnum autem aversentur efficit ut ut in contrahendo præsertim utilitati suæ studeant, *l. actionum* 25. §. 1. *ff. de obl. & act.* docuerunt Wisembach. *disput. de justitia*, *num.* 19. Gibalinus *de negot. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 4. *artic.* 3. Fornerius *lib.* 6. *rerum quotid. cap.* 20. Verùm hæc ita locum habent, si læsio sit mediocris, *dict. l. si voluntate*, *l. quisquis* 15. *C. de rescind. l. res* 54 *ff. de contrah. emption.* secus si sit immodica, hoc est dimidiæ partis justi pretii metas excedat; tunc enim æquum visum est læso succurri, quia etsi nullus adversarii dolus intervenisset, propè tamen res ipsa in se dolum habere videretur, argumento legis *si quis cùm* 36 *ff. de verb. obl.* unde etiam intra dimidiam pretii partem non admitti læsionem quoad forum internum, notum est & probant pluribus relatis Ferro Manrique *de different. utriusque fori, quæst.* 17. Araujo *de statu civili disput.* 1. *quæst.* 2. Nec obstat primum augmentum difficultatis, pro cujus solutione sciendum est, valde controversum esse, an remedium dictæ legis competat venditori scienti valorem rei venditæ? Et hoc remedium illi scienti competere tenuerunt Pinellus *in dict. l.* 2. *p.* 1. *cap.* 1. *num.* 10. Albericus *in ead. lege*, *num.* 12. Fachineus *lib.* 2. *controv. cap.* 20. Moventur, quia dum hoc remedium statuitur, non distinguitur, an sciverit, an ignoraverit venditor pretium rei suæ: sed cùm lex non distinguit, nec nos distinguere debere vulgò traditum est: ergo. Secundò quia hac distinctione admissâ facilè eluderetur beneficium dictæ legis 2. siquidem rarò admodum locum haberet, quoniam venditor nosse præsumitur pretium, & merita rei suæ, *dict. l. quisque* 15. Tertiò, quia beneficium ipsius legis non fundatur in dolo, vel errore, sed in nimia inæqualitate, quæ utique societatem vitiat absque discrimine scientiæ, vel ignorantiæ, *l. si non fuerit* 29 *ff. pro socio*, §. *ult.* Sed adhuc contraria sententia placet, videlicet beneficium dictæ legis 2. denegari venditori non ignoranti valorem, seu pretium rei suæ; nam nemo lædi, aut injuriâ affici intelligitur, qui scit & consentit, *l. nemo* 145. *ff. de reg. jur l. venditor* 11. *C. de rescind. l. si minor* 9. *C. de act. empti:* immò donationis causâ vendidisse creditur, ut suprà probavi. Quare hanc sententiam tenuerunt pluribus relatis Cancerius *lib.* 1. *variar. cap.* 13. *num.* 32. Castillo *lib.* 4. *controv. cap.* 52. *num.* 41. Barbosa *in dict. l.* 2. *C. de rescind. num.* 51. Arnoldus Vinnius *lib.* 1. *select. cap.* 56. *per totum.* Nec interest, quod *in dict. l.* 2. non distinguatur inter venditorem scientem,

scientem, & ignorantem; nam præterquam quod hæc distinctio expressa reperitur *in dict. l.* 1. *C. si major factus*, satis deducitur *ex dict. l.* 2. quoniam nemo sciens, & volens lædi videtur, etiam in venditione, *l. ea quæ* 43 *ff. de contrah. emption.* unde cùm iniquitas læsioni causam dedisset, *dict. l.* 2. ea cessante, cessat & beneficium illud. Similiter, etsi dicta lex 2, non fundetur in dolo, vel errore; fundatur tamen in injuria, seu iniquitate, quæ nulla est adversus scientem, & consentientem, *dict. l. nemo* 145. Quid tamen procedat in foro conscientiæ, prosequitur Barbosa *in dict. l.* 2. *ex num.* 118. Nec obstat alia pars ipsius argumenti. Nam respondetur verum esse, dolum emptionem ipso jure vitiare, *dicta l. & eleganter*, cum similibus, quando dolus ipse dedit causam contractui emptionis, ut in aliis contractibus bonæ fidei procedit, quos dolus dans causam eis nullos reddit; non item si incideret in contractibus, ut est communis sententia, quam tenent Morla *in empor. tit. 9. in præfatione, a num.* 92. Cevallos *lib.* 1. *quæst.* 226. Accedit quia dolus ex calliditate alterius ex contrahentibus probatur, non verò ex quantitate pretii, *l. dolus, dict. l. si voluntate, C. de rescind. l. dolum, C. de dolo.* Nec tunc obstat textus *in dict. l. si superstite, C. de dolo*, quem variè exponunt relati à Pinello *in dict. l.* 1. *p.* 2. *cap.* 4. *num.* 22. Merenda *lib.* 6. *controv. cap.* 21. Schifordeg. *lib.* 2. *ad Fabrum, quæst.* 5. *tract.* 25. vera tamen interpretatio sit, in specie illius textus dolum non argui, nec probari ex læsione immodica in quantitate, sed ex eo quod pater administravit uxoris defunctæ bona, cui filia successit, ejusque curam similiter gessit; & cum ea transigendo liberationem sibi paravit: unde immodica læsio contingit, & deducitur eum in dolo versari. Et licèt propter reverentiam parentibus debitam actio de dolo in patrem non detur, tamen in factum actio rectè conceditur.

CAPVT IV.

(a) Cœlestinus III.

PErvenit ad nos ex insinuatione tua, quod olim Petrus miles A. uxori suæ quamdam domum in donationem propter nuptias assignatam, muliere ipsâ expressim dante consensum, B. mulieri pro certa vendidit pecuniæ quantitate, quam ex eadem venditione B. matrimonio supradicto constante xxx. annis liberè, pacificeque possedit. Sed prænominato milite iter universæ carnis ingresso, relicta ejus contra venditionem de suo consensu solemniter celebratam venire præsumit, allegans dictam domum titulo donationis propter nuptias sibi concessam alienari non posse, licèt ejus consensus noscatur ipsi contractui accessisse. Præfata verò B. mulier ex eo nititur securi, quod bona fide, titulóque justo possedit; & quia in communes usus viri, & uxoris illius pretium est conversum; & quia etiam factæ venditionis tempore, unde sibi utiliter consulere potuisset, in viri facultatibus consistebat. Unde quia super his nos consulere curasti, tuæ solicitudini respondemus, prædictam emptricem, si vera sunt, quæ præmisimus, domum ipsam debere pacificè possidere; nec enim credimus, illam præscriptis occasionibus super ipsa domo debere ulteriùs fatigari.

NOTÆ.

(a) *Cœlestinus.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc titulo, cap.* 2. cui tamen rescribit Pontifex, nullibi exprimitur, nec sine magno præjudicio, siquidem plurimi interest, an præsens quæstio de donatione propter nuptias discepta retur coram judice ecclesiastico, aut quia lis agebatur inter personas Romanæ Sedi subjectas, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus; aut quia incidenter cum causa matrimonii quæstio hæc disceptabatur, ut *in cap. de prudentia*, cum similibus *de donat.* aut tandem, quia vidua, aut miserabilis persona actionem suam proposuit coram judice ecclesiastico, juxta adducta *in capite ex parte, de donat. inter.*

COMMENTARIUM.

2. *Conclusio traditur & probatur.*

EX præsenti decretali sequenti communiter deducitur assertio: *Res donata propter nuptias, si alienetur à marito, consentiente uxore, dum alia bona ipso obtinet, præcipuè post transcursum temporis, ab uxore repeti non potest.* Quæ conclusio probari potest ex novella 61. *cap.* 1. ex qua transcripsit Irnerius authenticam *sive à me, C. ad Vellejanum.* Illustrant ultrà congestos à Barbosa, & Garanna in præsenti, Acosta *de privileg. credit. regul.* 2. *ampliat.* 6. *num.* 223. Cujacius *in præsenti*, Richerius *in dicta authentica sive à me*, Rittershusius *in dict. novell.* 61.

3. Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti juris considerationi; nam sicut dos redit ad virum propter servandam æqualitatem, *Novell. 97. cap.* 1. *& 2. authent. dos data, C. de donat. ante nupt. cap. final. de donat. inter*: igitur solato matrimonio per mortem in præsenti specie non poterat vidua agere propter rem donatam propter nuptias. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex eo, nam quoad donationem propter nuptias dominium rei donatæ remanet penes virum donatorem, *l. ubi adhuc, C. de jure dot.* & notatur *in authent. dos data, C. de donat. ante nupt. Novell. de non eligendis secundò nubent. §. illud quoque*: sed dominus virtute dominii habet facultatem alienandi rem propriam: igitur maritus validè & ritè potest alienare rem propter nuptias uxori donatam. Augetur deinde difficultas ex eo, nam consensus simplex uxoris in præsenti non sufficiebat, ut vires haberet ipsa alienatio; siquidem ut

ut ea sustineretur virtute talis consensus, debebat post biennium consensus sequi. *Novel. ut immobilium* 61. *authent. sive à me, C. ad Vellejanum:* in quo differt hæc donatio à dote; nam prædii dotalis alienatio marito non permittitur, quamvis sæpe mulier consentiat, ut probavi *in cap. ex rescripto, de jurejur.* igitur in præsenti specie nec virtute consensus uxoris alienatio rei donatæ propter nuptias sustineri poterat. Nec etiam lapsus temporis validam reddebat alienationem, cùm sæpius legamus contra uxorem agere impeditam, præscriptionem currere non posse, *l. in rebus, C. de jure dot.* cujus rei ratio habetur *in l. cùm notissimi, §. ultim. vers. Undè venit, C. de præscript.* 30. Jure enim optimo præscriptio contra uxorem non currit constante matrimonio, quia contra impeditum de jure agere non currit præscriptio, *l.* 1. *§. ultimo, C. de annal. except.* ergo nullo modo in præsenti casu Cœlestini decisio sustineri potest.

4. Donatio propter nuptias.

Quâ difficultate ita fulcitâ minimè obstante vera est præsens Cœlestini decisio, pro cujus expositione sciendum est, donationem propter nuptias veteribus incognitam fuisse, tantumque celebrari potuisse ante nuptias, donec Imperator Justinianus cum patre suo constituit, ut etiam constante matrimonio fieri posset, si eo tempore mulier, vel pro ea alius dotem auxisset, *l. si constante* 19. *C. de donat. ante nupt.* Quare donatio, quæ à veteribus ante nuptias dicebatur, propter nuptias appellari cœpit, §. 3. *Instit. de donat.* quæ etiam contraria dos dicitur, quia sicut dos appellatur quæ ab uxore datur marito; ita donatio, quam maritus uxori facit, contraria dos dicitur, *l. cùm multùm* 20. *C. de donat. ante nupt.* unde infertur, tam in constitutione, quàm in effectu pari passu ambulare donationem propter nuptias, ac dotem; quare sicut dos constante matrimonio constituivalet, licèt ante nuptias promittatur; ita etiam & hæc donatio. Deinde ut dos ab ipsa uxore, vel etiam ab extraneo promitti valet; sic & donatio propter nuptias ab ipso marito, vel ab alio, nomine ejus fieri valet, *l. si liberis* 18. *C. de donat. ante nupt.* Deinceps sicut uxori pro dote recipienda competit tacita & privilegiaria hypotheca, *l. assiduis* 11. *C. qui potiores*; sic etiam marito competit hypotheca pro donatione propter nuptias. Rursus ut maritus constante matrimonio vindicare potest res dotales, *l. dote antè illam, C. de rei vindic. l. in rebus* 30. *C. de jure dot.* sic etiam uxori conceditur actio in rem pro vindicandis ipsis rebus donatis, *authenticâ Permissa, C. de donat. ante nupt.* Tandem omnia pacta, quæ circa dotem inter conjuges placuerunt, etiam circa donationem hanc conventa intelliguntur, adeò ut si aliquid diversum circa lucra ab alterutra parte receptum sit, ad æqualitatem per leges reducatur, *l. ex morte, cum sequenti, C. de pactis conventis*, etiam super dote, *dict. l. cùm multa* 20. Inde dubitari solet, an uxor lucretur fructus rei donatæ propter nuptias, sicut maritus suos facit fructus rerum dotalium? Et negativam sententiam tenuerunt Glossa *in authentica dos data, C. de donat. ante nupt.* & alii veteres apud Antonium Gomez *in l.* 50. *Tauri, numero* 2. Hothomanus *in disputat. de dotibus, numero* 22. Scipio Gentil. *libro* 4. *de D. D. Gonzal. in Decretal.* Tom. III. Pars I. *donat. inter, capite* 16. *pagina* 461. Osvaldus *ad Donellum libro* 14. *commentar. capite* 9. *littera C.* Fontanel. *de pactis nupt. clausul.* 4. *glos.* 5. *numero* 9. & 10. Facit pro sententia textus *in l. ubi* 29. *C. de jure dot.* ubi uxori conceditur, marito vergente ad inopiam, dotem suam repetere, etiam constante matrimonio, ut tam ejus fructibus, quàm donationis propter nuptias sublevare matrimonii onera possit. Igitur si hoc speciali casu tantùm fructus marito conceduntur, regulariter eos semper non lucratur. Deinde quia si uxor hujusmodi fructus suos faceret, exinaniretur commodum dotis, cujus fructus marito cedunt pro sublevandis matrimonii oneribus, *l. pro oneribus* 20. *C. de jure dot.* siquidem æqualis quantitas solebat propter nuptias donari, ac in dotem constituebatur. Contrariam tamen sententiam post Donellum *ubi suprà*, tenuit D. Josephus de Retes *de donat. section.* 3. *numero* 17. motus primò ex comparatione, quam generaliter admittit Justinianus *in l. cum multa* 20. *C. de donat. ante nupt.* inter dotem & donationem propter nuptias, ita ut pari passu ambulent, tam in constitutione, restitutione, & cæteris, *l. consensu* 8. *§. ultim. C. de divortiis:* unde cùm præcipua qualitas dotis sit, ut maritus fructus lucretur, dicendum, etiam quoad hanc qualitatem illi exæquandam esse donationem propter nuptias. Secundò *ex l. lex quæ tutores* 22. *C. de administ. tutorum*: ubi docetur, minorem non posse donare propter nuptias sine decreto Judicis, & curatoris auctoritate. Igitur quia res donatæ propter nuptias, cum fructibus ad uxorem spectabant, aliàs si per donationem à minore factam tantùm res donatæ pignori subjicerentur pro dotis securitate, ad quid talis solennitas desideraretur. Quâ opinione retentâ ipse D. Josephus de Retes *numero* 18. ut satisfaciat fundamentis contrariæ sententiæ, agnoscit injustam fuisse prædictam exæquationem dotis, & donationis propter nuptias: quod & agnovit Cujacius *in novella* 47. siquidem servatâ prædictâ æqualitate eveniebat, ut maritus pauper ducere non posset uxorem divitem, quare ne de legibus Romanis hoc fateri cogamur, potiùs subscriberem priori sententiæ, prædictam exæquationem accipiendo non in omnibus & per omnia, sed quoad constitutionem, & restitutionem, non verò quoad fructuum acquisitionem, qui erogandi erant in alimoniam ipsius uxoris & familiæ. Nec tunc obstat textus *in dict. l. lex quæ* 22. *C. de administ. tut.* nam ideò desideratur in donatione propter nuptias à minore facienda eadem solennitas, quæ in aliis alienationibus desideratur, quia cùm, ut suprà dixi, dominium rei donatæ propter nuptias transeat in uxorem, & per consequens alienatio sequatur, ideò in tali donatione solennitas illa desiderabatur.

5. Prosecuntur alia de ipsa donatione.

Secundò sciendum est, quod soluto matrimonio, sicut dos ad uxorem, hæredemve ejus revertitur, ita etiam donatio propter nuptias ad maritum, seu ejus hæredes redit, si nullum pactum intercessit de lucrandis ipsis rebus donatis, *Novella* 98. nec cogitur maritus, utpote proprium relinquere liberis prioris matrimonii, si ad secundas nuptias transierit, *l. si liberis, C. de donat.*

ante nupt. Nec contrarium probatur *in l. fœminæ, C. de secundis nuptiis*; ubi hæc pœna imponitur contrahentibus secundas nuptias, ut omne lucrum, quod ex priori matrimonio consecutus, consecutave est, conservet liberis prioris matrimonii. Quia facilè respondetur, secundò nubentem lucrum cogi conservare, scilicet si vir lucratus est dotem, vel si mulier lucrata est donationem propter nuptias, ex pacto videlicet; tunc enim verè uxor lucratur ipsam donationem propter nuptias, sed ratione pacti; & tunc certum est, ad secundas nuptias transeuntem teneri conservare liberis prioris matrimonii ipsam donationem. Deinde etiam notandum est, quod nec muliere quidem consentiente, nisi observatâ formâ dictæ authenticæ *sive à me, C. ad Vellejanum*, res immobiles donatæ propter nuptias alienari queunt, Gudelinus *de jure novis. lib. 1. cap. 8.* cujus doctrinæ rationem eam assignarunt Cujacius, & Rittershusius *in dict. novella 61.* Richter. *in dicta authent. sive à me*, quòd scilicet si permitteretur marito hæc alienatio, facilè eveniret ut uxori lucrum nuptiale, quod vi pacti, vel statuti soluto matrimonio competebat, interverteretur, & proinde liberi communes, quibus plerumque lucra nuptialia à parentibus asservabantur, damno non modico afficerentur. Nec interest, quod mulieri competat rei vindicatio adversùs quemcunque possessorem; & per consequens facilè alienatio rescinderetur. Nam respondetur, consultius esse, alienationem ipsam irritare, quàm rescissoriam actionem mulieri concedere; cùm multa intercedere possint, quæ si ipsam actionem inanem non redderent, saltem difficilem facerent? & semper præstabilius est intacta cuique jura tua servare, quàm post rem vulneratam remedium quærere, *l. ultim. C. in quibus causis in integrum restit.* Sustineretur tamen talis alienatio, si uxor ipsi consenserit, & post biennium iterum consentiat: quo casu sustineretur alienatio, si ex aliis mariti bonis casus donationis refici queat, *dict. novel. 61.* Nec obstat textus *in l. qui bis 18. ff. de verb. obl.* ubi docetur, quod geminatus consensus non magis operetur, quàm simplex. Nam respondetur, Pomponium in eo textu agere de promissione iterata, quæ non est sufficiens ad hoc, ut quis bis solvat quod promisit; aliàs enim repetitus consensus ad confirmationem contractus prodest. Unde constat, quod si post dictam authenticam *sive à me*, maritus non iterato consensu mulieris post biennium res donatas alienet, vel aliunde ipse satisfacere nequeat, actio conceditur uxori ut res ipsas donatas propter nuptias à quocunque possessore repetere possit, *authent. permissa, C. de donat. ante nupt.* quia respectu mulieris talis alienatio pro infecta habetur, quoad ipsum verò maritum alienatio rata habetur, *dict. novel. 61.* Potest tamen maritus alia bona, quæ tacitè obligata sunt pro ipsis rebus donatis propter nuptias, consentiente uxore rectè alienare, cùm remissio pignoris non habeatur pro alienatione, *l. etsi 18. ff. quæ in fraudem credit.* nec etiam pro donatione, *l. quamvis 8. C. ad Vellejanum.* Quæ duo mulieribus interdicta sunt, unde consentiendo alienationi ipsius rei pignoratæ, remisisse videtur jus pignoris, quod in ea habebat. Illud pro coronide notandum est, hoc genus donationis propter nuptias jam ab usu recessisse in Europæ provinciis, ut testatur Baldus *in l. cùm multa 20. C. de donat. ante nupt.* Cujacius *lib. 5. observ. capite 4.* Osvaldus *ad Donellum lib. 14. capite 9. littera E.* Corrasius *in l. qui liberos, num. 237. ff. de ritu nuptiar.* Baëza *de non meliorandis filiabus, capite 2. numero 32. & capite 7. num. 5.* Avendanno *in l. 29. Tauri, glos. 1. numero 2.*

6. *Traduntur varie interpretationes hujus textus.*

His animadversis referamus jam varias Doctorum interpretationes, quas præsenti Cœlestini decretali assignarunt Glossa finalis *verbo Solutio*, Abbas Antiquus *in præsenti*, quos refert Antonius de Burgos *ad hunc textum*: asserunt enim, in præsenti specie ideò contra uxorem judicatum fuisse, quia cùm matrimonium solutum esset eo tempore, quo uxor alienationis rescissionem petebat, ut constat ex illis verbis *viam universæ carnis ingressa*, quo casu res donatæ propter nuptias ad hæredes mariti pertinebant, *cap. ultim. de donat. inter*; inde certum erat, nihil uxoris interesse res alienatas recuperare. Sed hanc solutionem rectè refellit Acosta *de privileg. credit. num. 230.* Secundo verò loco Cardinalis, Abbas Siculus, & Ioannes Andreas, quos sequuntur Palacios Rubios, & Rodericus Suarez laudati ab Acosta *ubi supra, num. 229.* docent Cœlestinum in præsenti ex rationibus per partem allegatis supposuisse secundum consensum uxoris intercessisse, & ita alienationem validam fuisse. Verùm & hanc solutionem reprehendit Acosta *num. 232.* quare illis omissis verius dicendum est, quod licèt singula, quæ in præsenti à Cœlestino expenduntur, per se, & sigillatim non sufficiant, ut uxor repellatur à donatione propter nuptias, alienatioque ipsa valida reddatur; tamen simul omnia illa conjuncta alienationem hujusmodi validam reddunt, quia quæ non prosunt singula, conjuncta juvant, *l. instrumenta, C. de probat.* unde omnibus illis circumstantiis concurrentibus, quas exprimit, & expendit Cœlestinus, rectè docetur, uxorem persequentem res donatas propter nuptias, & alienatas à marito, repellendam esse.

7. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam juris principium in ea expensum procedit, nisi pactum intercesserit de lucrandis rebus donatis propter nuptias; sicut enim circa restitutionem dotis plerunque pactum de ea lucranda intercedit, ita etiam circa donationem propter nuptias adhiberi solet, juxta authenticam *æqualitas, C. de pactis conventis*: docent Sichardus *in l. 3. C. de jure dot. num. 7.* Richierius *in dict. authentica sive à me*: quod pactum in præsenti specie intercessisse supponit Cœlestinus III. Nec obstat augmentum difficultatis, nam potiùs verum est, pacto interveniente de lucranda donatione propter nuptias, dominium rei donatæ penes mulierem remanere: unde illi competit rei vindicatio contra quemlibet extraneum possessorem, *authentica Permissa, C. de donat. ante nupt.* Nec desideratur ut pactum specialiter intercedat de lucranda ipsa donatione; sed sufficit ut pactum interveniat de lucranda ipsa dote, quia etiam tale pactum conventum intelligitur de lucranda ipsa donatione propter nuptias, *l. final, §. simplicius, C. de donation. ante nuptias, authentica æqualitas, C. de pactis conventis tam super dote.* Nec

obstat

obstat aliud augmentum ipsius dubitandi rationis ; nam in præsenti alienatio rei donatæ propter nuptias sustinetur non tantùm ex eo, quia mulier alienationi consensit, sed quia pecunia ex ea proveniens versa fuit in utilitatem utriusque conjugis, & elapsum fuerat spatium 30. annorum ; unde singula quæ per se non proderant ad valorem alienationis, conjuncta ipsam validam reddiderunt. Nec obstat ultimum augmentum difficultatis, pro cujus solutione dicendum est, ex temporis lapsu in præsenti casu non præsumi, aut induci præscriptionem, seu usucapionem erga rem donatam propter nuptias, & alienatam ; sed ex transcursu tam longi temporis præsumi consensum ratificatum : qui secundus consensus desideratur pro solennitate hujus alienationis, *in d. authent. sive à me, C. ad Vellejanum.* Unde cùm ex lapsu temporis præsumatur omnis solennitas, Mascardus *de probat. conclus. 426.* probat Barbosa *in præsenti, num. 2.* ideò in præsenti specie alienatio valida pronunciatur, quia ex lapsu diuturni temporis creditur solennitatem præscriptam in dicta authentica sive à me, præcessisse.

CAPVT V.

Idem *Episcopo* (a) *Pollion.*

AD nostram noveris audientiam pervenisse, quod cùm R. laicus ab M. mutuum recipere voluisset, creditor (b) Ternen. diœc. ne per (c) canonem contra usurarios editum posset in posterum conveniri, domos, & olivas ipsius recepit ab eodem titulo emptionis, cùm reverà contractus usurarius ageretur ; quod patet ex eo, quod creditor, sicut publicum continet instrumentum, debitori promisit, quod quandocunque à septennio usque ad novennium daret sexaginta uncias (d) tarenorum, qui vix dimidiam justi pretii contingebant, domos ei restitueret, & olivas. Quia igitur fraus, & dolus cuiquam patrocinari non debent, f. t. per A. s. m. quat. si res ita se habet, instrumento venditionis confecto in fraudem canonis promulgati contra usurarios non obstante, prædictum M. ad restituendas domos, & olivas prædictas ei, ad quem debent hæreditario jure devolvi, cùm debitor viam sit universæ carnis ingressus, per pœnam in Lateranensi Concil. contra usurarios promulgatam, ap. rem. compellas.

NOTÆ.

1. (a) *Pollion.*] Ita legitur in tertia collectione, *sub hoc titul. capite* 1. sed malè, cùm in Geographia sacra non reperiatur mentio similis Ecclesiæ Cathedralis : quare rectè Cujacius in præsenti legit ; *Pennensi*, de qua Ecclesia nonnulla notavi *in cap.* 17. *de electione.*

2. (b) *Ternensis diœcesis.*] Quæ est in Sicilia, ut notavit Cujacius *hic*, cujus Episcopus Eutychius subscripsit Concilio Romano 3. sub Symmacho.

(c) *Canonem.*] Concilii Lateranensis videlicet, relatum *in cap. quia, de usuris.*

(d) *Tarenorum.*] Genus est monetæ apud Siculos usitatæ, ut exponit Albericus Rosat. *in dictionario, verbo Tareneni* : ejusdem meminit Leo Hostiens. *chron. Cassin. libro* 2. *capite* 74. *Et mille tarenis ab Abbate donatus.* Et *libro* 3. *capite* 57. *Duo millia tarenos Africanos.* Et *lib.* 4. *cap.* 99.

COMMENTARIUM.

3. Licèt pactum de retrovendendo expresè à jure divino, canonico, & civili inventum non legamus, approbatum tamen videtur *cap.* 25. *Levitic.* ibi : *Dominus hæc dixit filiis Israel : Et cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur.* Et *cap. illa vos, de pignor.* in præsenti *in l.* 2. *l. si à te, C. de pactis inter emptor. l. si cùm venderet* 13. *ff. de pignorat. l. si quis hac* 41. *ff. de rei vind.* docuerunt latè Caldas *de empt. capite* 24. *numero* 14. Morla *in empor. titul.* 9. *quæst.* 14. Barbosa *in l. divortio*, 2. *part. numero* 75. Germonius *lib.* 2. *animad. capite* 17. Fachineus *lib.* 2. *controv. capite* 15. Gibalinus *tom.* 2. *de negot. lib.* 4. *capite* 5. *artic.* 3. Besoldus *in delibat. juris, ad lib.* 28. *Pandect. quæst.* 4. Sed si verum amamus, in prædictis juribus non agi de pacto de retrovendendo, sed de re vendita restituenda soluto pretio, quo vendita fuerat tempore convento, facilè legenti constabit, maximè *ex dict. l.* 2. inter unum enim, & alium pactum magna versatur differentia, quia quando pactum fit de retrovendendo, emptor tenetur tantùm ad factum revedendi, *l. consilio* 7. *§. final. ff. de curat. furios.* nec pactum illud pro venditione habetur, *l. in bonæ fidei, ff. de eo quod certo loco*, junctis Fachineo *dicto libro* 2. *capite* 7. Fabro *de erroribus, decad.* 22. *errore* 1. Ac proinde si emptor renuat vendere, compelli non potest, ex principio textus *in l. si quis ab alio, §. final. ff. de rei vind. l. stipulationes* 72. *vers. census, ff. de verb. obl.* sed tantùm solvendo interesse venditori liberabitur, ex adductis à Costa *lib.* 2. *select. capite* 23. Pichardo *in §. si filium, Instit. de offic. jud. à numero* 195. & in terminis notarunt Barbosa *in l. divortio*, 2. *part. numero* 75. *ff. solut. matrimon.* Cortasius *lib.* 3. *miscel. capite* 9. textus enim *in dict. l.* 2. non loquitur in pacto de retrovendendo, sed de alio pacto longè diverso, scilicet de re restituenda oblato pretio, *ex dict. l.* 2. præsenti textu, & aliis suprà relatis. Ratio est, quia in hoc pacto jam venditio, principio est celebrata, & solùm suspenditur ex conditione restituendi pretii, quo reddito, conditio manet purificata ;

& tunc censetur emptor rem præcisè tradere, juxta regulam legis *cùm manu* 80. §. *finali*, *de contrahend. emption.* Caldas *de emptione cap.* 25. *à num.* 3. non ergo si rectè perpendantur præsens textus, & alii suprà citati, in eis agitur de pacto, quod vulgò Doctores appellant *de retrovendendo*; sed de re vendita restituenda oblato pretio à venditore. Sed quia pactum hoc communiter ab Interpretibus agnoscitur, & in præsenti disputatur, omissis ejus diffinitione, naturâ, & legibus, quas fusè exponunt Faber *decad.* 22. 23. & 24. Rittershus. *C. de pactis inter emptorem*, ut præsentem textum exponamus, examinandum est, utrum contractus emptionis celebratus sub pacto de retrovendendo, & modicitate pretii, judicandus sit usurarius; quod post congestos in præsenti à Barbosa *in collect. & select.* Garanna *in cap. illa vos, de pignorib.* disputant Germonius *lib.* 2. *animad. cap.* 17. Hermosilla *in l.* 42. *tit.* 5. *partit.* 5. *glos.* 1. Vela *dissert.* 32. Castillo *tom.* 2. *controv. lib.* 2. *c.* 25. Leotardus *de usuris quæst.* 9. *ex num.* 91. Ayllon Lainez *ad Antonium Gomez lib. var. cap.* 2. *num.* 28. fusè Thomas Maulius *de emptione & vendit. tit.* 7. *ex n.* 22. Larrea *decis.* 76. In qua quæstione affirmativam sententiam tenuerunt plures relati à Cenedo *ad Decret. collect.* 28. Valascus *consult.* 41. Gamma *decis.* 138. & alii centum Doctores congesti à Castillo *dicto lib.* 2. *cap.* 25. qui pro sua sententia primò expendunt præsentem decisionem, ubi Innocentius talem contractum ut usurarium improbat, quia celebratus fuerat sub pacto de retrovendendo, & modicitas pretii intercesserat. Secundò adducunt textum *in cap. illa vos, de pignoribus*, ubi similiter ex his duabus circunstantiis contractus fœneratitius declaratur. Tertiò moventur ex eo, quia datâ venditione cum modicitate pretii, accedente pacto de retrovendendo, non venditio celebratur, sed pignus constituitur, quod semper pro minori pretio solet contrahi, *cap. significante, de pignoribus.* Contrariam tamen sententiam tenuerunt Fachineus *lib.* 2. *controv. cap.* 12. Cevallos *quæst.* 224. Felicianus, Mascardus, & alii innumeri congesti à Castillo *dicto cap.* 25. *num.* 50. Faber *decad.* 9. *errore* 9. Leotardus *dict. quæst.* 9. *num.* 13. & hæc est communis sententia, quæ probatur ex eo, quia pactum hoc de retrovendendo per se non est improbatum, immò approbatum reperitur *in dicta l.* 2. & juribus supracitatis. Nec exiguitas pretii per se arguit contractum usurarium, vel illum injustum reddit, cùm liceat contrahentibus invicem se decipere, ut probavi suprà *in cap. cùm dilecti.* Igitur nec illis duabus circunstantiis concurrentibus contractus fœneratitius redditur. Deinde quia ut contractus dicatur usurarius, necessariò requiritur ut interveniat usura expressa, vel palliata, *cap. consuluit, de usuris:* docet in terminis Molina *de justitia disp.* 303. *vers. Per hanc.* Sed in contractu emptionis, & venditionis cum modico pretio, & pacto de retrovendendo celebrato, nulla, nec expressa, nec tacita intervenit usura. Non expressa, quia contractus emptionis valde dissimilis est à contractu mutui, ut ex utriusque natura, & definitione constat. Non palliata, quia non datur ob dilationem debiti aliqua pecunia: ergo contractus non est usurarius. Accedit quia contractus talis est judicandus, qualis ex forma ipsius apparet, *l. cùm precibus, C. de probat. l. si tamen, ff. ad Maced.* Sed ex suprà relata forma contractus purus appareret: ergo non est cur fœneratitius judicetur. Quâ sententiâ retentâ, non obstat præsens textus, in cujus serie non solùm refertur pactum de retrovendendo, & modicitas pretii, sed plura alia expenduntur. Primò, quod animus contrahentium vertebatur circa mutuum celebrandum, & ut emptor evaderet usurarii pœnas, simulavit alium contractum, videlicet emptionem. Deinde expenditur exiguitas pretii, quod vix dimidiam partem justi pretii attingebat. Deinde pactum in præsenti specie adjectum dupliciter restringebat venditorem: primò ut non posset redimere ante septennium elapsum, nec post novennium; & ita tantùm per biennium redemptio illi concedebatur. Denique præsens textus utitur verbo illo, *restitueretur*, si pretium redderetur; quod non supponit novam venditionem, sed redemptionem, argumento textus *in l. si rem, §. omnes, ff. de pignorat.* ex quibus omnibus Innocentius deduxit contractum usurarium fuisse. Nec obstabit si instes cum Menochio *lib.* 3. *præsump.* 122. *num.* 38. quod licèt in principio hujus textus narretur petitio mutui, tamen Innocentius in decisione tantùm nititur duabus illis conjecturis, videlicet pacto de retrovendendo, & modicitate pretii; unde videtur ipsum insuper habuisse cæteras circunstantias, nec eas Pontificem approbasse, ut contendit Burgos hîc, *num.* 47. Quia respondetur ex mente Cujacii hîc, & cum Castillo suprà, *num.* 57. post Berojum *hic, num.* 26. quod licèt ex instrumento venditionis non constaret nisi de pacto, & modico pretio, tamen cùm Innocentius agnosceret petitionem mutui, intentionemque emptoris, qui fœnerator erat, si Cujacio credimus, dicendum est verba illa, *si ita est*, &c. ad omnes prædictas circunstantias æqualiter esse referenda, atque ita ex omnibus his circunstantiis contractus, de quo in præsenti, usurarius judicatur. Consonat in specie textus *in l.* 4. *tit.* 6. *lib.* 8. *recopil.* Nec etiam obstat textus *in dicto cap. illa vos, de pignor.* quia in ejus specie non ex pacto de retrovendendo, & modicitate pretii contractus judicatur fœneratitius, sed ex eo, quia adjectum fuit instrumento venditionis, ut quando venditor pretium restitueret, præstaret ampliùs libras tres, & insuper ut emptor imputaret fructus in sortem, quod repugnat naturæ contractus emptionis; nam quocunque modo pactum de retrovendendo in ea apponatur, post perfectam venditionem fructus pertinent ad emptorem, juxta legem 2. *C. de pactis inter*; & proprium est contractus pignoratitii, *cap. cùm contra*, ubi latè dicemus, *de pignoribus*: unde facilè constat *in dict. cap. illa vos*, ex pacto non de retro, & modicitate pretii, sed ex aliis circunstantiis, ex quibus lucrum ultra sortem emptor percipiebat, contractum usurarium judicari. Nec tandem obstant alia fundamenta contraria sententiæ; nam ex eis tantùm deducitur, ex modicitate pretii tantùm nasci præsumptionem, contractum esse usurarium, quod verum est, & pluribus ampliationibus, & limitationibus exponit Thomas Maulius *ubi suprà, ex num.* 26. non tamen inde deducitur, ex sola illa præsumptione judicandum esse contractum usurarium, sed adjunctis aliis circunstantiis in præsenti textu relatis, vel aliunde petitis, quas diligenter recenset & examinat Maulius *dicto titul.*

titul. 7. de emptione & venditione, ferè per totum.

Alia plura circa pactum hoc de retrovendendo examinant repetentes in præsenti, & prosequuntur Doctores suprà citati, quæ in præsenti transcribere institutum non patitur. Videndi sunt Hermosilla, Castillo, & Ayllon *ubi suprà*; & utrum tale pactum præscribatur spatio longissimi temporis, quoties ita conceptum est, ut semper, & quandocunque venditori liceat redimere, examinat Fachineus *lib. 2. controvers. capite 13.* qui & *capite sequenti* disputat, utrum fructus rei venditæ eo casu spectent ad venditorem, an ad emptorem: & *capite 15.* utrum ex hoc pacto dominium rei venditæ ad venditorem ita revertatur, ut rem à quolibet tertio detentore vendicare possit. Eadem quæstiones examinant Morla *in empor. tit. 9. quæst.* 14. 15. 16. & 17. Sesse *tom. 1. decis.* 17. 18. 19. & 20. & quænam actio ex hoc pacto detur, doctè exponunt Vela *dissert. 32. per tot.* Meril. *lib. 2. var. cap. 6.* & an aucto pretio rei pretium reddendum augeatur, exponit Latrea *decision. 76. Granat.* qui etiam *decis.* 70. doctè resolvit quando minor eo, quòd hoc pacto usus non sit, restituendus veniat.

CAPVT VI.

Idem *Episcopo & Archid.* (a) *Viterbiensi.*

CUm causa, quæ inter œconomum monasterii sancti (b) Martini de Monte, ex parte una; ac cives Viterbienses super [c] casamentis, ex altera vertebatur, fuisset aliquandiu ventilata, cùm constitisset [d] nobis, monasterium vinditione ultra dimidiam justi pretii fuisse deceptum, sententiando decrevimus, ut præfati cives, aut recepto pretio possessiones restituerent memoratas, aut supplerent quantùm constaret legitimæ venditionis tempore justo pretio defuisse.

NOTÆ.

(a) *Viterbien.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc titul. cap.* 2. veram autem inscriptionem hujus textus retuli *in cap. cum causa, de testibus.*

(b) *Monasterii sancti Martini.*] De quo nonnulla notavi *in cap. finali, de confessis.*

(c) *Casamentis.*] Casamenta intelligit Ivo Carnotensis *epist.* 105. & 197. domos rusticas cum terris, & agris, quibus etiam feuda intelliguntur. D. Bernardus *epist. 39. ad Theobaldum Principem*, ibi: *Nostrum quoque, ac vestrum pariter Episcopum, id est, Lingonensem, abundantiori, ut decet, honore suscipiatis, & de casamento, quod tenetis, homagium, quod debetis, reverenter ei, & humiliter offeratis.* Fulbertus Episcopus in forma fidelitatis relata à Carnotensi *part.* 12. *Decreti, capite 76.* ibi: *Ut fidelis hæc nocumenta caveat, justum est, sed non ideo casamentum meretur.* Illustrant Juretus *in notis ad Carnotensem, epistol.* 176. Cironius *in parat. ad hunc titulum.*

(d) *Constitisset nobis.*] Unde dum de reparatione hujus monasterii agit Innocentius III. hæc leguntur in antiquo MS. ejusdem monasterii. [Cùm autem monasterium sancti Martini de Monte ad exterminationem perveniſſet extremam, ita ut vix in eo tres monachi remansissent, possessionibus ejus vel omnino distractis, vel sub gravi fœnore pignoratis, tunc Pontifex ad reformationem ipsius intendens, pro redimendis possessionibus mille libras exsolvit, scripsitque Abbati & Conventui Pontigniacensis Cœnobii, quod est unum de quatuor primis præcipuis Cistercienſis Ordinis monasterium, ut ipsam Ecclesiam sancti Martini in filiam reciperent spiritualem, & ad ipsam dirigerent Abbatem, & conventum de monachis, & conversis; quod ipsi libenti animo perfecerunt. Cùm ergo veniſſet Dominus Papa, benedixit Abbatem, & ut in eodem loco religio pullularet, concessit, & donavit eidem Ecclesiam Sancti Salvatoris, quæ sita est juxta Orelem, cum omnibus rationibus, & possessionibus suis, longè quidem majoribus, ac etiam melioribus, quàm cæteræ possessiones illius.] Refert Manrique *tom. 2. annal. Cistercienſ. anno* 1150. *cap.* 11. *num.* 8.

Commentarium dedi suprà *in cap.* 3.

CAPVT VLTIMVM.

(a) Gregorius IX.

SI venditori post institutum contra se judicium quis omiserit, ut rem venditam sibi defenderet nunciare, vel contumaciter abfuit tempore sententiæ promulgatæ, seu per injuriam sententia lata fuit, de evictione juxta legitimas sanctiones agere non valebit.

NOTÆ.

1. (a) *Gregorius IX.*] Qui more suo ultimo loco compilari jussit constitutiones propriàs, fere omnes deductas ex Juris Cæsarei viscèribus, ut præsentem deprompsit; nam priorem ejus partem, in qua agitur de venditore non laudato, & omissâ denuntiatione, transcripsit *ex l. 8. C. de evict.* secundam, in qua alia exceptio evictionis refertur, videlicet evictionem cessare, si ideo contra emptorem judicatum sit, quòd ille contumaciter abfuerit, deprompsit *ex l. ideo, ff. de evict.* Tertiam tandem exceptionem de judice per sordes, vel incuriam judicante, transcripsit *ex l. si per imprudentiam, ff. eod. tit.* ut autem exceptiones istas clariùs exponamus, ita se habet conclusio.

COMMENTARIUM.

2. *Conclusio probatur & refertur.* *VEnditor non tenetur de evictione, si emptor ejus denuntiationem omiserit, aut tempore sententiæ contumaciter abfuerit, aut iniquè fuerit condemnatus.* Probant eam textus *in l. si ideo, l. si per imprudentiam 51. l. si ab emptore 49. l. si fundo 53. §. 1. ff. l. auctore 7. l. emptor 8. l. si controversia 9. l. si cum quæstio 17. C. de evict. l. 1. C. de periculo & commodo, l. libera 8. C. de sentent. & interl.* Consonat de jure Regio lex *36. tit. 5. partit. 5.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barb. *in collect.* & Garranna *in præsenti*, Gutierrez *de juramento. p. 1. cap. 61.* Petrus Gregorius *lib. 25. syntagm. cap. 21.* Fachineus *lib. 2. controv. cap. 35.* & *lib. 7. cap. 14.* Thomas Maulius *de empt. tit. 11. fol. 375.* Jul. Pacius *de emption. num. 260.* Donellus *in dict. l. 8. C. de evict.* & *in tract. de evict. cap. 5.* Bachovius *ad Treutl. disput. 2. thesi 7. littera A.* Fr nzquez *in dissert. ad Digesta, lib. 21. tit. 2. ex num. 670.* Burgundius *de evict. cap. 54. cum sequent.* & *cap. 82.* D. Gutierrez de Arroyo majoris collegii Ovetensis alumnus, *in repetit. ad hunc textum*, Petrus Gregorius *lib. 3. partit. tit. 13. cap. 9.* Larrea *decis. 73. 74.* & *75.* Caldas Pereyra *de empt. & vendit. cap. 32.* Ant. Faber *lib. 2. conject. cap. 3.* & *5.* & *de error. decad. 1. errore 10.* Hermosilla *in l. 32. glos. 1. titul. 5. partit. 5.* Gibalinus *tom. 2. de negotiat. lib. 4. capite 6. articul. 5.* Arias de Mesa *lib. 2. var. cap. 32.*

3. *Impugnatur tradita assertio.* Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem sic argumentor. Si denuntiatio in præsenti casu evictionis esset necessaria, maximè quia per illam in venditorem transferretur litis defensio, ut innuit Gregorius illis verbis: *Ut rem venditam sibi defenderet nunciare.* Sed defensio hujusmodi causæ non ad venditorem, sed ad emptorem spectat, *l. si ideo 55. ff. de eviction. l. 1. C. eodem*: ergo etsi omittatur talis denuntiatio, nihil oberit, quominus venditor de evictione teneatur. Augetur hæc difficultas ex eo, nam si hæc denuntiatio pro solennitate desideraretur, ut venditor de evictione teneretur, non posset pacto in contrarium convento tolli: sed inter contrahentes potest pacisci, ut talis denunciatio omittatur, *l. Herennius, ff. de evict.* Burgundius *de eviction. capite 56. per totum*: ergo talis denunciatio pro solenni forma evictionis non desideratur.

Quâ difficultate ita fulcitâ minimè obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, evincere, si propriam ejus significationem intueamur, actum victoriæ denotare cum effectu; idem enim est evincere, quod vincendo extorquere, vel extorquendo vincere, ut apud Horatium *lib. 2. serm. satyr. 3.* ibi: 4. *Evincere quid?*

———Evincit amare.

Virgilius *lib. 4. Æneid.*

Tu lachrymis evicta meis.

Sicut plus est emigrare, quàm migrare; & eradicitus, quàm radicitus. Plautus *in Mostel.* ibi: *Omnia ergo mala, malefacta vestra reperi, non radicitus quidem hercle, verùm etiam eradicitus.* Notarunt Cabalinus *in tract. de evict. in princip.* Guzman *eod. tract. in præfatione, num. 13.* Maulius *dicto tit. 11.* Cujacius *tract. 4. ad Afric. l. 24. ff. de evict.* Donellus, & Duarenus *ad eundem titulum.* Nec tunc obstat textus *in l. utique 16. ff. de rei vind.* ubi servo mortuo, de quo lis vertebatur cum emptore, adhuc docetur sententiam proferendam esse, ut si alienus declaratus sit, committatur stipulatio evictionis, sed in eo casu cùm res perempta sit, auferri non potest sententiâ judicis, argumento textus *in l. si stipulor 35. l. si homo 69. l. inter 83. §. sacram, ff. de verb. obl.* unde cùm res evicta dici non posset, videbatur dicendum, evictioni locum non esse, *ex l. 2. ff. judic. solvi.* Nam respondendum est, per litis contestationem in ea specie perpetuatam fuisse obligationem, *l. si ex legati 23. l. eum qui, §. ultim. l. si servum 91. ff. de verb. obl.* unde licèt eo casu naturâ servus mortuus sit, intellectu tamen juris stare creditur, *dict. l. si servum 91. §. effectus*; succeditque condemnatio in æstimationem, *l. promissor 23. ff. deconstit. pecun.* ex quo evenit, ut de proprietate servi proferatur sententia perinde ac si viveret, & à possessore auferretur: unde nihil mirum si contra venditorem detur regressus, & evictionis stipulatio committatur, *ex l. cùm servus 11. ff. judic. solvi, l. ultim. C. de assert. tollend.* docuit Donellus *in l. si quis 26. C. de evict.*

5. *Evictionis definitio.* Secundò sciendum est, evictionem variè definiri ab Interpretibus. Azor *in summa, C. de evict.* ita eam diffinit, quod sit *Res empta, vel ex aliqua causa justa accepta per judicis sententiam ablatio.* Quam definitionem sequitur Guzman *de evict. quæst. 1.* sed eam improbat Caballinus *eod. tractatu*, & illam adducit, quod evictio sit *Res empta rectè facta ablatio.* Sed parum explicat definitum, cùm evictio non solùm pro re empta competat, sed pro aliis rebus alienatis. Treutlerus *volum. 1. select. thesi 5. quæst. 18.* ait, *Evictio est rei nostræ, quam adversarius legitimo titulo acquisierat, per judicem facta recuperatio*; juxta textum *in l. non tamen 24 l. si dictum 56. §. 1. ff. de evict.* Consentiunt Wesembecius *in parat. ad titulum de evict.* Pichardus *in §. finium, Instit. de offic. judicis, à num. 121.* Sed his diffinitionibus omissis, illa placet: *Evictio est rei, quæ apud nos ex justa causa erat, ablatio ab alio, dominii, vel hypothecæ jure, sine culpa nostra, per judicem facta.* In qua ferè conveniunt Duarenus, & Donellus *ubi supra*, Petrus Gregorius *lib. 25. syntagm. capite 22. numero 3.* Loco generis ponitur *ablatio*, ut cognoscamus, non sufficere scientiam possessoris, scilicet rem, quam possidet, esse alienam, oppignoratam,

ratam, vel hypothecæ subjectam, ad hoc ut evictio competat; sed cum effectu desiderari, ut res ablata sit, vel pro ablata habeatur, ut si pretium pro ea numeret possessor, quo modo exponitur lex *evicta* 16. §. 1. *ff. de evict.* nam vulgò traditur, cui pretium abest, & ipsam rem abesse videri, *l. Lucius* 41. *ff. de action. empti*, junctis adductis per Barbosam *de appellat. signif. cap.* 120. *num.* 3. Igitur ad evictionem, & ut ejus stipulatio committatur, debet præcedere ablatio cum effecta, *ex l. utique* 16. *ff. de rei vind. l.* 4. *ff. de action. empti*, *l. evictus* 35. *l. habere* 57. *l. si plus* 74. §. *mota*, *ff. de evict. l. qui rem* 3. *C. eodem.* Gomez *lib.* 2. *variar. cap.* 2. *num.* 39. ubi plures Ayllon. Cujus regulæ exceptio est, si in limine contractus ante solutum pretium immineat evictio; nam tunc si pretium à venditore petatur, potest emptor excipere, non antea se soluturum, quàm si cautio, seu satisfactio detur pro imminenti evictione, ut probatur *ex l. penult.* §. *ult. ff. de periculo & commodo*, *l. si post* 24. *C. eodem tit.* etiamsi venditor ditissimus sit, docent Donellus *in d. l.* 24. Castillo *tom.* 4. *controv. cap.* 42. *num.* 72. Petrus Barbosa *in d. l. de divisione*, *num.* 96. *ff. solut. matrim.* Azevedo *in l.* 1 *tit.* 21. *lib.* 4. *recopil.* Huc pertinet textus *in l. ex his* 5. *C. de evict.* ubi in prima parte cavetur, quod si prædium emptum nondum traditum, pignori obligatum appareat, actione ex empto posse agere emptorem, ut illud liberum præstet venditor, & rectè; nam re traditâ, si deceptus emptor non est, nullam adversùs venditorem eo nomine habet actionem, quoniam satis est in præsenti rem habere licere. *l. Julianus* 13. §. 1. *l. servus* 30. §. *ult. ff. de actionib. empti*: re verò non tradita, ideò utiliter agit emptor, quia res ex empto tradi debuit, nec tradita est, *l. ex empto* 11. *ff. eod. tit.* pro qua libertas semper præsumitur, argumento legis *in venditore*, *ff. eod.* docet Donellus *in dicta l. ex his*, *num.* 1. non tamen tunc de evictione agitur, quia revera res evicta non est. Nec tunc obstat textus in regula *Quod evincitur* 190. *ff. de reg. jur.* ubi docetur, quod evincitur, in bonis non esse: ergo quia non expectatur ablatio, sed eo ipso, quod lis movetur, evicta res dicitur. Nam variis modis responderi potest. Primò, quod regulariter ad plures juris effectus res nostra non dicitur, ad quam recuperandam alius habet actionem, *l. rem in bonis* 57. *ff. de acquir. domin. l.* 1. *ff. de liber. legat. l. si quis* 29. *ff. de negot. gestis*, *l. qui actionem* 14. ubi Glossa, *ff. de reg. jur.* Barbosa *axiom.* 9. & cùm de effectu dominii agat Celsus in eodem textu, quoad executionem sententiæ in bona debitoris, ut probat Gothofredus *ibi*, rectè affirmat Consultus, sufficere quod res proximè evincenda sit, ut res in bonis non esse dicatur; unde rectè legebat Gothofredus pro illis verbis, *quod evincitur*: sic, *quod evincetur*: ut verò propriè, & rigorosè res dicatur evicta, verè, & cum effectu possessio auferri debet à possessore, *l. habere*, *l. bonorum* 49. §. *in bonis*, *ff. de verb. sign.* docent Cujacius, Petrus Faber, & Gothofredus *ibi*. Vel secundò responderi potest asserendo, quod illud verbum *evincitur*, non ad futurum, sed ad præteritum tempus referri debet, id est, quod evictum est, in bonis nostris non est. Nec insolitum in jure est, ut unum tempus pro alio apponatur: exemplis probat Bellonus *de figuris juris*, *figura* 2. & colligitur ex lege *nec ex præterito* 27. ibi: *Inchoatur*, *ff. de reg. jur.* & *ex l. qui scit* 25. §. *bonæ* 6. *ff. de usur.* ubi verba illa, *quando fundus evictus non fuerit*, licèt significent tempus præteritum, de præsenti, vel de præterito sunt accipienda, ut docent Balduinus & Pichardus *in* §. *si quis à non domino*, *Instit. de rerum divis.* Huic tamen principio opponi solent textus *in l. at quin* 19. §. *cùm à me* 3. *ff. de negotiis gestis*, *l. si dictum* 56. §. *sicut posset*, *ff. de evict. l. creditor* 81. §. *prædium*, *ff. de actionibus empti*: pro quorum solutione videndi sunt Donellus *in dicta l.* 5. & Cujacius *in l.* 3. *C. de evictionibus.*

6. *Exponuntur alia definitionis verba.*

Diximus in definitione, *rei quæ apud nos erat ex justa causa*; id est, ex qua vera possessio, seu usucapiendi conditio transfertur, ut inde sciamus, bonæ fidei possessori tantùm competere evictionem, non verò malæ fidei possessori, *l.* 1. *ff. de public. l. si fundum* 27 *C. de evict.* nec etiam competit emptori scienti rem alienam emere, *d. l. si fundum* 27. *l. si fratres* 7. *C. communia utriusque judicii*, docuerunt Quesada *qq. juris q.* 10. *num.* 2. *&* 6. Gomez 2. *tom. variar. cap.* 2. *num.* 8. ubi plures Ayllon, Fornerius *lib.* 2. *select. cap.* 13. Schifordeg. *lib.* 2. *ad Fabrum*, *tract.* 19 *q.* 2. *&* 5. quia emptor, qui sciens, & prudens rem alienam emit, queri non potest, tanquam deceptus à venditore, *l.* 1. §. *si intelligatur*, *de edilit. edict.* siquidem qui sciens conditionem rei eam emit, cum suis qualitatibus emisse intelligitur; sed tunc obstat textus *in l. final.* §. *final. C. communia de legat.* ubi qui scienter emit rem restitutioni subjectam, si illa fuerit evicta, habet actionem contra venditorem, ut pretium tantùm sibi restituat, non verò duplum, quod stipulatione fuerat comprehensum, in quo est duplex difficultas, prima ex eo, quod agit de evictione, qui scienter rem alienam emit; secundò, quod licèt stipulatus sit duplum, simplum tantùm consequitur. Quâ difficultate superatus Caballinus *de evict.* §. 5. *numer.* 32. existimat dictam legem *si fundum* 27. correctam esse à Justiniano *in dicto* §. *final.* Verùm cum Accursio, Castrensi, Saliceto, Fulgosio *in dicto* §. *final.* quos sequuntur Covar. *lib.* 3. *variar. cap.* 17. *num.* 2. Barbosa *in l.* 1. 5. *p. num.* 27. *ff. solut. matrim.* Gutierrez *lib.* 3. *practic. q.* 8. *num.* 5. Fachineus *lib.* 2. *controv. cap.* 39. Donellus *in d. l. si fundum*, *num.* 2. Schifordeg. *dicto tract.* 19. *q.* 6. dicendum est, speciale esse in eo, qui emit rem, quam sciebat restitutioni esse subjectam, ut pretium repetere possit; consistit autem in eo specialitas, quod qui rem fideicommisso subjectam scienter emit, non prorsus videtur rem alienam emere, quia ante restitutionem multa accidere possunt, propter quæ ad fideicommissarium non pertineat, ideoque Imperator mediam viam elegit; & licèt propter gravaminis scientiam emptori non concedat ad duplum ob evictionem agere; quia tamen verè alienam rem emerat, eidem ut pretium repetat, concedit. Nec obstat, quod in eo textu res vendita aliena appellatur; nam aliena dicitur, quia in illo statu est, ut fideicommissarii futura censeatur, adveniente conditione. Opponi etiam suprà traditis solet textus *in l.* 1. *C. si vendito pignore agatur*, quam doctè exponit Schifordeg. *dicto tract.* 19. *q.* 5.

7. Secundò ex ipsis verbis, *ex justa causa*, infertur,

In quibus contractibus detur evictio.

fertur, quod licèt frequenter in contractu emptionis, & venditionis evictio locum habeat, *dicta l. ex empto*, juncto Alciato *lib. 5. paradox. cap. 16.* adhuc tamen ex identitate rationis ad omnes contractus porrigitur, qui emptioni similes sunt, *l. 4. C. de evict.* ubi Donellus, Cujacius *in l. 2. C. eodem*, Gomez *dicto cap. 2. num. 33.* & ideò marito competit evictio pro rebus dotalibus æstimatis, cùm talis æstimatio faciat emptionem, *l. quotiens 16. l. non solùm 52. ff. de jure dot. l. qui balneum 9. §. Titia, ff. qui potiores*, nisi conveniatur ut res ipsæ in dotem æstimatæ soluto matrimonio restituantur, ut docuit Cujacius *lib. 4. respons. Papin.* per textum ibi *in l. cùm post 69. §. cum res, ff. de jure dot.* si verò res inæstimatæ in dotem datæ sint, tunc nulla marito actio competit pro evictione, *l. pater 71. ff. de evict.* quam explicant Fachineus *lib. 3. controv. cap. 89.* Faber *de error. decad. 99. error. 9.* Schifordeg. *dicto lib 2. tract. 14. q. 5.* Petrus Barbosa *in l. æstimatis 51. ex num. 19. ff. solut. matrim.* ex eadem etiam ratione, quia datio in solutum habet vim emptionis, *l. final. ff. ex quibus causis in poss. l. 4. C. si quis autem, ff. de doli except.* ideò meritò si res in solutum data sit, & evincatur, agi poterit de evictione, *l. 4. C. de evict. l. eleganter 24 ff. de pignorat.* Nec obstat textus *in l. si liber 8. C. de sentent. & inter l. juncta l. si quis aliam 46. ff. de solut.* ubi datio in solutum distinguitur ab emptione, & in casu evictionis ad debitum prosequendum conceditur pristina actio. Nam respondendum est cum Cabotio *lib. 2. disputat. cap. 27* Cujacio *lib. 19. observ. cap. 38. & tract. 8 ad Afric. in l. 47. ff. de evict.* quod licèt ibi concedatur pristina actio, non tamen ideò ex evictione agere prohibetur. Deinde cùm permutatio plura habeat affinia cum emptione, *l. 2. de rerum permut.* quæ refert Hothom. *lib. 19. epit. tit. 4. num. 7.* Gomez *dicto lib. 2. variar. cap. 8. num. final.* Cujacius *lib. 5. qq. Pauli, in l. naturaliter 5. §. etsi quidem, ff. de præscript. verbis*; ideò & in permutatione locum habet evictio, *l. 1. vers. Unde, ff. de rerum permut. l. si permutationis 29 C. hoc tit.* ubi Donellus, Connanus *lib. 7. comment. cap. 5.* Molina *de justitia, disput. 380.* inde etiam, quia divisio hæreditatis est quædam permutatio, *l. cùm pater 79. §. hæreditatem, ff. de legat. 2. l. si filia 20. §. si pater, ff. famil. erciscund.* ideò & in ea datur evictio, *l. si familia 14. C. familiæ erciscund.* Gomez *dicto cap. 2. num. 33.* Cujacius *lib. 18. qq. Papin. in l. si cùm 76. §. ultimo*, per textum ibi, *ff. de evict.* Caldas Pereyra *de emptione cap. 31. num. 9.* Fachineus *lib. 6. controv. cap. 68.* Christineus *tom. 1. decis. 123.* Morquecho *lib. 1. de divis. bonor. cap. 8. per totum.* Valascus *de partit. cap. 37.* In donatione verò, quia gratuita tantùm concessio intercedit, evictio locum non habet, *l. Aristo 18. §. final. ff. de donat.* Caldas *dicto cap. 31. num. 41.* Cujacius *lib. 2. respons. Papin. in l. sumptus, ff. de rei vind.* & ex eadem ratione idem dicendum est in legato, *l. si is qui 40. ff. de evict. l. si à substituto 45. ff. de legatis 1.*

8. Prosequuntur alia definitionis verba.

Deinde apponuntur in definitione illa verba, *dominii, vel hypothecæ jure*, ut agnoscamus, non tantùm quando res aliena à nobis aufertur, ratione proprietatis competere evictionem, verùm etiam quando hypothecæ obnoxia reperitur, & creditor hypothecarius eam eripit ab emptore, utpotè sibi obligatam, *l. 4. C. de evict.* Donellus *in dicta l. ex his, C. eodem titulo, & lib. 13. comment. cap. 2.* Cujacius *tract. 6. ad Afric. in l. fundum 46. ff. de evict.* Nec tunc obstat textus *in l. stipulatio 38. §. quæsitum, ff. de verb. obl.* ubi Consultus non patitur illam stipulationem, *habere licere*, vim sortiri, nisi in re propria interposita fuerit, quod cùm ita sit, quantumvis jure dominii alius eam ab emptore evincat, dicta stipulatio ob evictionem locum non habebit. Nam facilè respondetur, Consultum ibi tantùm agere, an quis alienum factum possit promittere? Et concludit, in dicta stipulatione precisè alienum factum evictionis non contineri, non tamen ideò negat promissorem ob quancunque evictionem remanere obligatum, quia talis stipulatio in illam resolvitur, se curaturum, facturumve, ut per omnes rem habere liceat, *ex l. inter 83. vers. At qui spondet*, ubi Cujacius, *de verb. oblig.* Similiter etiam si servitus, quæ cum fundo venit, evincatur, ex evictione agi potest; & econtrà si fundus ut liber vendatur, & postea servus inveniatur, & ipsa servitus evincatur, etiam tunc competit evictio, ut probatur *ex l. si mancipium 34. in fine, cum l. sequenti, l. penult. ff. de evict. l. stipulatio 38. §. si quid, ff. de verb. oblig. l. qui res 39. ff. de solut.* facit textus elegans *in l. sed si quid 15. §. ult. ff. de evict.* qui non eget emendatione, ut pro *servus*, legatur *servitus*, ut voluit Gothofredus ibi post Cujacium *lib. 2. observ. cap. 20. & 6. ad Afric. in l. 4 ff. de evict.* nam servus fundus dicitur, qui servitutem debet, *in l. traditio 20. §. 1. ff. de acquir. dominio, l. 6. §. 1. ff. quemadmodum servit.* Sic dicitur servum fieri fundum *in l. 22. §. sed si regionibus, ff. familiæ erciscund.* Sic similiter serva area, servæ ædes, *in l. si quis duas 34. & sequenti, ff. de servit. urban.* In hac tamen parte de evictione servitutis cautè notandum est, competere evictionem pro servitute, quæ emersit, si ut liber fundus vendatur, vel ut optimus maximus, à venditore sciente servitutem deberi; secus verò, si simpliciter fundus vendatur: nam tunc si servus appareat, ignorante venditore, non datur evictio, sed competit actio ex empto quantò minoris, *l. cùm venderis 59. ff. de contrah. emption.* ubi qui fundum simpliciter vendidit, ignorans deberi servitutem, non tenetur præstare liberum, aliàs ad interesse teneretur, sed præstare, *qualis esset fundus.* Quæ verba ita accipio, id est, quantum valeret, si servitutem non deberet; hoc est, quantò majoris venderetur si non deberet servitutem: nam si non esset hic sensus illorum verborum, non diceret Consultus, *qualis esset*, sed *qualis est*: quod apertè mihi probatur *ex l. quotiès 61. ff. de ædilit. edict.* quo modo accipiendi sunt textus *in d. l. sed si quid 15. §. ult. dict. l. penult.* junctis traditis à Cabotio *lib. 2. variar. cap. 25.* Osvaldo *lib. 15. comment. cap. 3. littera A.* Guzman *de evict. q. 54.* Adduntur etiam in definitione illa verba, *sine culpa nostra*, ad denotandum duplex requisitum evictionis. Primum est, ut possessor ne res evincatur, eam defendat, litem accipiendo, vel denunciando venditori tempore opportuno, ut rem ipsam defendat. Secundum, ut excludantur collusio, ignorantia, vel imperitia possessoris; nam si ex his causis, ejusque culpa res evincatur, non poterit agi ex evictione, *l. auctore 7. cum sequent. C. de evict.* quod etiam accidit si servus alienus vendatur, & antequam scierit

scierit emptor alienum esse, illum manumiserit, *l. si servus 25. ff. de evict.* Similiter idem procedit si rem pro derelicto habuerit, *l. ult. ff. de evict.* & in aliis similibus casibus, quos latè prosequuntur Mangilius, Guzman, & Burgundius *de evict.* Quesada *diversf. qq. cap. 10.* Donellus *l. 4. C. de evictionibus.*

9. Enumeratur alienatio definitionis verba.

Tandem diximus in definitione, *per judicem facta*; ad demonstrandum, quod non quævis amissio rei possessæ sine culpa possessoris parit evictionem, sed illa tantùm ablatio, quæ fit judice auctore, id est, in judicio, *l. si pro re 21. §. 1. l. non tamen 24. ff. de evict.* dum sententiâ judicis pronunciatur, jure dominii, vel hypothecæ ad petitorem pertinere, *l. mancipium 34. §. ult. l. Herennius 63. §. 1. ff. de evict.* vel dum possidens absolvitur, quem propter possessionem amissam emptor petitor factus convenerat, *l. si rem 29. §. 1. ff. de evict.* dummodo in his culpa adsit emptoris, *l. si fundum 20. l. hoc jure 27. l. si rem 29. §. si duplæ, d. l. Herennius 63. §. ult. ff. de evict.* Donellus *lib. 13. comment. cap. 2.* Quod si res perierit, aut alio quoquo modo à possessore auferatur, non tamen in judicio, nullatenus de evictione ab emptore agi potest, ut optimis exemplis probant Consulti *in l. Lucius 11. ff. de evict.* quam illustrat Amaya *lib. 1. observ. cap. 1.* & *in l. unic. C. de fund. limitroph.* Merillius *lib. 2. observ. cap. 6. l. si servus 21. l. non tamen 24. ff. de evict. l. utique 16. ff. de rei vind. l. atqui 19. §. 3. ff. de negotiis gestis, l. ult. C. de act. empti.* Quare si per vim, spreto judicii ordine, res auferatur, cessabit emptionis actio, *l. si servum 25. ff. de evict.* debet enim res evinci cum effectu, & in judicio; quo modo accipiendi sunt textus *in l. evictus 35. ff. de evict. l. 38. §. si quis forte, ff. de verb. oblig.* Nec contrarium probat textus *in l. si emptori 30. ff. de evict.* ubi docetur, re judicio non evicta, stipulationem committi. Nam facilè respondetur, duplicem stipulationem in emptione interponi: aliam de evictione, quam dari negamus in judicio, re non evicta: aliam de vitiis, aut noxis rei venditæ, quâ præstatur duplum ejus quanto minoris res est, ob id, quod aliquo morbo, noxa, vitióve in edicto comprehenso laboret, *l. 3. l. evicta 16. §. ult. l. si ita 31. cum sequent. ff. de evict.* & hæc quidem committitur etiam re non evicta, dummodo verum sit, servum noxis, furtisve solutum non fuisse; de qua accipiendus est textus *in d. l. si emptori 30.* explicat Cujacius *tract. 6. ad Afric. in d. l. 24. de evict.* Ex proximè adductis provenit, ut si emptor in arbitrum compromittat, & victus sit, de evictione non agat, *l. si dictum 56. §. 1. ff. de evict. l. 36. tit. 5. partu. 5.* quia nullâ necessitate cogente id fecit, & coram judice ordinario potiùs se defendere debebat.

10. Dato evictionis.

Deinde sciendum est, contractum emptionis, & venditionis, synallagma continere, id est, ultro, citroque obligationem, *l. Labeo 19. ff. de verb. signif.* ideoque constitutum est, quod sicut emptor tenetur pretium rei emptæ facere venditoris, *l. 1. ff. de rerum permut. l. ex empto 11. §. 1. & 2. ff. de act. empti, l. si servo 7. C. eodem*, ita & venditor cogitur rem venditam tradere emptori; & si dominus est, dominum illum facere; sin minùs vacuam, & liberam possessionem tradere, & per consequens usucapiendi conditionem præstare, *dicta l. ex empto, l. clavibus 74. ff. de contrah. emption.* nam etsi rei alienæ venditio valeat, *l. rem 28. ff. de contrah. emption.* Petrus Faber *lib. 2. semestr. cap. 17.* Pulbeus *de rei alienæ distract. cap. 2.* quia venditor non tenetur præcisè emptorem dominum facere rei venditæ, *l. si ita 25. §. 1. ff. de contrahend. empt.* (ex quo textu malè expungit negationem Revardus *lib. 4. var. cap. 13.* quem rectè reprehendit Joannes Robertus *lib. 1. recept. lect. cap. 23.*) tamen eo animo debet esse venditor, ut velit, vel saltem verbis significet, quatenus in eo est, quod transfert dominium in emptorem, *l. cum manu 80. §. ult. ff. de contrah. emptione*, precisèque tenetur vacuam rei possessionem tradere, hoc est, ut rectè explicat Donellus *in l. 17. C. de evict. num. 1.* & *lib. 3. comment. cap. 2.* non solùm rem tradere vacuam à veris, & legitimis possessoribus, sed ab omnibus, & aliis, qui quolibet jure rem retineant; nam alioquin res tradita non videtur, *l. 1. in princip. l. 2. §. ult. l. 3. l. servus 30. §. ult. ff. de act. empti.* Sed quia parum proderat emptori vacuam possessionem ab initio habere, si postea res evincatur, ideò variis remediis illi prospectum est. Primò ut actione ex empto cogere possit venditorem, ut defensionem rei in se suscipiat, *l. si plus 74. §. mota, ff. de evict.* Secundò ut re evicta in judicio, eadem actione emptor consequatur pretium, & quod ejus interest rem habere, *d. l. ex empto 11. §. 1. l. Titius 43. vers. D. sumptibus, ff. de actionibus empti, l. sin venditione 60. l. evicta 70. ff. de evict. l. super, C. eod. tit.* Tandem remedium proprium evictionis, est simplæ, aut duplæ stipulationis actio, quod totum ex æqualitate huic contractui debita provenit, argumento textus *in l. omnibus*, ubi Faber, & Gothofredus, *ff. de reg. jur. l. ex empto 11. §. quia autem, 18. ff. de action. empti*; iniquum enim esset, ut emptor teneatur pretium facere venditoris, nulloque remedio muniretur, si res evicta esset. Quæ evictionis actio auctoritas nuncupatur *in l. ult. ff. de evict.* & aliis congestis à Brissonio *de verb. signif. verbo Auctoritas.* Ex natura igitur ipsius contractus provenit, ut evictio debeatur: quare etsi nihil specialiter de evictione paciscatur, re evicta nihilominus ex empto actio competit, *l. non dubitatur 6. C. de evict. l. ult. C. de communium rerum alienat.* docent Guzman & Burgundius *ubi suprà*, Alciatus *lib. 5. paradox. cap. 16.* unde Ulpianus *in d. l. ex empto 11.* ait venditorem evictionis nomine tacitè obligatum manere: & Paulus *in l. pacta 72. ff. de contrahend. emptione*, cautionem evictionis inter adminicula emptionis refert, hoc est, ut exponit Glossa *ibi*, inter naturalia contractus: quam sequuntur Zasius *lib. 1. singul. cap. 15.* Revardus *lib. 1. variar. cap. 1.*

11. De stipulatione simplæ, & duplæ.

Non solùm ob evictionem actione ex empto emptor agere valet, verùm & actione ex stipulatu certi, vel incerti conditione: hoc est certi, si quantitas certa in stipulatione pro simplo, vel duplo deducatur; incerti si quantitas non exprimatur, sed tantùm simplum, vel duplum in stipulatione deducatur, *l. si tibi 25. C. de evict.* immò cogi poterit venditor actione ex empto simplam, vel duplam sine satisdatione repromittere, *l. 4. l. emptori 37. in princip. §. 1. & ult. l. si dictum 56. ff. de evict. l. ex empto 11. §. venditorem, ff. de action. empti.* Est autem simplæ stipulatio, per quam promittit venditor simplum,

simplum, si res emptori evicta fuerit, *l. evicta 16. ff. de evict.* id est, simplum pretium; ut ex natura actionis ex empto, quod emptoris interest, *l. sin venditione 60. l. evicta 70. ff. de evict.* quæ stipulatio etiam pro rebus quantumvis minimis concipi potest, *l. emptori 37. ff. de evict.* Sed dices, ad quid hæc stipulatio simplæ? cùm in actione ex empto idem veniat, ideoque superflua videatur. Respondeo, aliquando accidere, quod sit summè necessaria prædicta simplæ stipulatio, cùm actione ex empto non sit emptori satis consultum, veluti si fundus alienus vendatur, & ante evictionem major pars illius casmate, vel alio casu perierit, posteaque evincatur; nam si actione ex empto experiatur emptor, non consequetur pretium, cùm pars quæ periit non possit venire in considerationem ad hoc, ut dicamus emptoris interesse, cùm illa pars casu defecerit: si verò ex stipulatione agat, solidum pretium consequetur, quia verè res evicta est, & in venditione non attenditur, an deteriorata, an meliorata evincatur, sed an sit evicta, & per consequens conditio stipulationis extiterit, quæ hæc est, si fundum habere non liceat. Ea ergo condictio adimpletur cùm fundus evincitur; nec attenditur an diminutus, auctusve sit fundus, ad hoc ut committatur stipulatio; sed an fundum habere liceat. Facit optimus textus *in l. nave 36. ff. de evict.* probantque Doctores hoc assertum *ex l. ex mille 64. ff. de evict.* Præcipuè igitur prospectum est emptori per hanc stipulationem, cujus formulam refert Cujacius *in parat. ad titulum, C. de evict.* quæ stipulatio continet, ut re evicta venditor duplum non quidem bonitatis rei, sed pretii conventi præstare teneatur, *l. cùm fundus 48. l. si fundo 53. ff. de evict.* nonnunquam plus, aut minus continetur, prout inter contrahentes convenit, *d. l. si dictum 56. l. si plus 74. ff. de evict.* Usque ad duplum tamen evictionis nomine in mancipiis, prædiis, & reliquis rebus pretiosis, nisi mos regionis contrarium suadeat, *l. 6. de evict.* repromittere venditor cogitur, *l. emptore 37. §. 1. d. l. evicta 16. §. 1. cum l. seq. ff. de Evict. l. quod si nolit. 31. §. qui assidua 20. ff. de adilit. edict.* Paulus *lib. 2. sentent. tit. 17.* Donellus *de evict. in princip. & in l. ipsi 23. C. eodem titulo*, ubi *num. 13.* docet, in hac materia res pretiosas dici posse, quæ duos aureos excedunt, argumento legis *si alium 10. §. ult. cum l. sequenti, ff. de dolo.* Illud tamen summè notandum est, quod licèt de natura emptionis evictio sit, ita ut etsi de ea nihil conventum sit, nihilominus præstetur, non ita duplæ cautio venditioni cohæret, sed nominatim, & specialiter promittenda est, *l. si in venditione 60. ff. de evict. l. Titius 43. ff. de action. empti:* nam etsi frequens sit hæc stipulatio, non tamen ideo inest, ut evenit in aliis contractibus, in quibus solet stipulatio firmandi gratiâ adjici, *l. juris 7. §. quod ferè, ff. de pactis:* docet Paulus *lib. 5. sentent. tit. 8. & in vita Justin. in princip. Instit. de verb. oblig.* & tamen agi nequit ex stipulatu, nisi specialiter adjecta sit: quod & magna ratione procedit in præsenti casu, in quo stipulatio duplæ in pœnam evictionis concipitur ad interesse taxandum, quod interdum duplam rei æstimationem excedit, *§. ult. Instit. de verb. oblig.* ita docuerunt Caballinus *de evict. in addit. ad §. 1.* Donellus *in dicta l. si tibi 25. C. de evict.* & jure nostro expresè sancitum est *in l. 32. tit. 5. partit. 5.* licèt aliquando, quia ex natura emptionis provenit ut venditor cogatur duplam repromittere, dicatur venditorem tacitè teneri ad duplam promittendam, videlicet non verè solvendam, nisi promissa sit, quo modo accipiendi sunt textus *in l. pacta 72. ff. de contrah. emptione, l. 2. ff. de evict.*

12. *De præstationibus evictionis nomine.*

Superest ut exponamus, quid evictionis nomine tacitè per actionem ex empto veniat, & quid eo remedio emptor consequi possit? Et certum est, emptorem frustra agere ad rem ipsam evictam; nam cùm eam in judicio amiserit, non potest jam deperditam recuperare, argumento legis *plus 25. ff. de reg. jur.* Si tamen venditor eam offerat & restituat, & simul omne quod propter evictionem emptoris interfuit, præstare paratus sit, tenebitur emptor illam recipere loco pretii, nisi aliam similem comparasset, vel nihil ei intersit rem habere, *l. si in lege 24. §. colonus 4. ff. locati, l. emptori 67. ff. de evict. junctâ l. fidejussor 15. ff. de doli except.* quem textum ita accipit Cujacius *lib. 10. respons. Papin. in d. l. emptori 67.* quo modo etiam ipse accipit textum *in l. habere 57 ff. de evict. in §. ult.* ubi Gajus ait, quod si post evictionem rei ipsa restituatur, ex stipulatione duplæ agi possit, quia verè stipulatio commissa est, simul atque res evicta fuit. Potest ergo petere emptor, si non rem ipsam evictam, pretium quod pro ea solvit, *l. super empti 16.* ibi: *Super pretio evictæ portionis*; & *l. evicta 70. ff. de evict.* quod appellatur simpla evictionis nomine *in l. si in venditione 60. ff. de evict.* & aliquando interessis appellatione comprehenditur, ut *in l. cùm successores*, ibi: *Non quantum pretii nomine dedisti*; *C. de evict.* quæ non excludit, ut pro pretio etiam agatur, ut notavit Cujacius *in parat. ad titulum C. de evict.* est enim hæc pretii restitutio evictione secutâ adeo æquitati, & justitiæ consona, ut etsi conventum sit inter partes, ut nihil evictionis nomine præstetur, re tamen evicta pretium debeatur, *l. ex empto 11.* aliàs *emptorem 12. §. qui autem, ff. de action. empti*; cùm è contrario valeat pactum, ut etsi res non evincatur, sed tantùm lis moveatur, pretii restitutio fiat, *l. sive 12. C. hoc titulo.* Quæ pretii restitutio, si tota res evincatur, integrè redditur; si verò pro parte, pars pretii pro ea restituatur, *l. 1. l. si fundo 53. l. ex mille 64. ff. de evict. l. super empti 17. C. eodem, l. stipulatio 38. §. si quis forte, ff. de verb. oblig.* docent Guzman *de evict. q. 45.* D. Joannes de Larrea *decis. 72.* non tamen si pars tantùm evincatur, ad resolutionem contractus agi potest, sed solùm ut res evicta reddatur; vel si reddi non possit, interesse præstetur, *l. cùm plures 72. ff. hoc tit. l. Ædiles 38. §. si plura, & §. ult. ff. de adil. edict. l. ult. C. rerum alien.* nisi partem tantùm emptor empturus non esset, *l. cùm eusdem 34. §. 1. d. l. ædiles 38. §. ult. ff. de adilit. edict.* vel si pars quæ remanet, inutilis sit, ut in exemplis dictæ legis 38. *§. ult. cum sequent.* vel si inseparabilis sit pars evicta, Guzman *ubi suprà, num. 10.* aut si res individua sit, veluti si jus universale vendatur, vel hæreditas, grex, vel peculium; nam si aliqua res evincatur, evictionis actio denegatur, *l. 1. C. de evict. l. servus 5. l. si victum 56. §. 2. ff. eodem, l. 34. tit. 5. partit. 5.* Ratio est, quia auctâ, vel diminutâ universitate, adhuc manet universitas vendita, *l. si*

grege

grege 22. ff. de legat. 1. l. 7. §. 1. ff. quod cujusque univers. l. proponebatur 77. ff. de judic. qui enim hæreditatem, peculium, vel aliud jus universale vendit, non alienat res singulares, maximè quæ alienæ sunt, nisi specialiter dixerit illas, vel illas res ad peculium pertinere; nam tunc si aliqua ex eis evicta sit, remedium evictionis competit, *d. l. 1. C. hoc tit.* Valascus *de partit. cap. 1. num. 17.* Similiter si non res particularis, sed tertia, vel quarta pars evincatur, evictioni locus est, argumento textus *in dicta l. ex mille 64.* Ratio est in promptu, quia tunc certum est, partem rei venditæ evictam esse.

13. *De interesse venditoris.*

Etiam per evictionis remedium consequitur venditor interesse: circa quod sciendum est, ejus nomine tantùm venire, quantùm propter evictionem emptori abfuit, quantumve lucrari potuisset, *l. si in venditione 60. l. evicta 70. ff. de evict. l. si controversia 9. l. si cùm quæstio 17. l. cùm successores 23. C. hoc titulo*: explicant Caballinus *in additionibus ad dictum §. 4.* Guzman. *de evict. q. 55.* juxta quod principium accipiendi sunt textus *in l. si duos 47. ff. de evict. l. si tibi alienam 7. cum l. sequenti, ff. locati*: & ne obstet textus *in l. si prægnans 42. ff. de evict.* videndus est Pinellus *lib. 2. select cap. 1.* Tandem venditor tenetur emptori solvere sumptus, & meliorationes factas ab emptore in re empta: item & expensas litis, & insuper eas, quas solvit emptor adversario evincenti rem, si in eis à judice fuerit condemnatus; quoniam hæc omnia in eo, quod interest continentur: & quia cùm omne quod abest emptori, propter evictionem restituendum sit, & similes sumptus ex causa evictionis ei absint, meritò illi debent restitui: docent Guzman. *ubi supra, q 13.* Gomez. *2. tom. variar. cap. 2. num. 47.* qui latè disputant, an idem procedat, sive emptor obtineat, sive succumbat; & alia de evictione latiùs prosequuntur, quæ consultò omittimus. Observandi tamen sunt textus circa evictionis materiam non vulgò noti, *in l. procurator 67. ff. de procurat. l. cum ex causa 139. ff. de verb. oblig. l. Mævia 45. §. 1. l. non solùm 52. ff. de jure dot. l. vel obligationibus 20. §. ult. cum l. sequenti, l. qui ex libertate 26. ff. de liberal. causa. l. si quis 12. ff. de injuriis, l. 4 ff. si libertus ingenuus, l. 3. ff. si familiæ furtum, l. si mandatu 59. §. creditor, ff. mandati,* juncto Fabro *lib. 17. conject. cap. 12. l. si hominem 69. ff. de solut. l. si fundus 33. ff. locati,* juncto Metil. *lib. 1.* ex Cujacio *cap. 26. & lib. 2. observ. cap. 6. l. si pignore 22. §. ult. eleganter 24. ff. de pignorat.* juncto Arias de Mesa *lib. 1. var. cap. 42. l. cùm postulassem 44. §. 1. ff. de damno infecto, l. si à te 9. §. ult. ff. de except. rei judic. l. Papinianus 14. §. potest, ff. de publ. in rem, l. 6. §. 1. ff. de distract. pignor. l. si patroni 55. §. ult. ff. ad Trebel. l. possessio 69. §. ult. ff. de usucap. l. cùm servus 54. §. 1. ff. mandati, l. 6. ff. de servo exportando, l. 8. §. ult. cum l. sequenti, ff. mandati, l. in causis 13. §. interdum, l. sed ubi 15. ff. de minor. l. 4. §. ultimo, ff. de verb. oblig. Novella 7. cap. ult.* ubi Cujacius, *l. 6. ff. de option. legat. l. quod si nolit 31. §. quia 20. l. justissimè 44. §. ult. si hominem 47. l. Labeo 64. ff. de ædilit. edict. l. 4. ff. quibus ad libertatem, l. uxorem 41. §. agri plagam, ff. de legatis 3. l. 25. §. item si rem distraxit, ff. de petit. hæredit. l. 16, l. 45. §. ult. ff. solut. matrim. l. 15. ff. de doli except. l. 54. §. ult. ff. mandati, l. 4. §. si liber ingenuus; l. si mandatu 59. creditor, ff. mandati, l. 9. §. ult. ff. de except. rei judic. l. fidejussor 15. ff. de doli except. l. utique, vers. Cum, ff. de liber. caus. l. sed si 25. §. item si rem, ff. de petit. hæredit. l. quæsitum, ff. de jure dot. l. 1. ff. de rerum permut.* juncto Cujacio *lib. 23. observ. cap. 28. l. 49. §. ult. l. 75. ff. soluto matrim.* junctis Cujacio *lib. 25. observ. cap. 27.* Fabro *lib. 2. conject. cap. 5. l. procurator 77. ff. de procurat. l. 1. C. de periculo, l. 1. C. de evict.* juncto Cujacio *lib. 5. observ. cap. 25. l. 85. §. in solidum, ff. de verb. oblig.*

14. *In quibus casibus non detur evictio.*

Tandem ut ad nostrum Gregorium accedamus, sciendum est, plures esse casus, in quibus etiam re emptâ evictâ, ex evictione etiam agi non potest. Quadraginta casus refert Afflictis *in rubrica. Quibus modis feudum, §. recursum, num. 16.* quos latè prosequuntur ultra agentes de evictionibus, Quesada *diversi. qq. cap. 10. per totum,* Covar. *cap. 17. lib. 3 variar.* Gomez. *lib. 2. variar. cap. 2. num. 33.* Donellus *ad titulum de evict.* ex quibus tantùm exponemus tres in præsenti à Gregorio relatos. Primus est, si tempore, quo lis emptori movetur, ipse non denunciet venditori litem motam esse, ut rem venditam defendat, *d. l. venditor 49.* cum aliis suprà relatis. Est autem denunciare litem venditori, idem quod auctorem laudare, apud Consultos *in l. Herennius 63 ff. l. auctore non laudato, C. de evict.* Auctorem quidem eum vocabant Romani, à quo quis jus, sive causam rei possidendæ habebat, *l. Pomponius 13. §. 1. ff. de acquir. possess. l. an vitium 5. ff. de diversis, l. in his 175. §. non debeo, ff. de reg. jur.* Laudare autem apud Romanos significabat citare, nunciare, seu appellare, A. Gel. *lib. 2. noctium, cap. 6.* Macrobius *lib. 6. Saturn. cap. 7.* Nonius Marcel. *verbo Citare.* Illustrant Brissonius *verbo Laudare,* Alciatus *lib. 6. Parerg. cap. 45.* Quæ quidem denunciatio ita fieri debet, ut mittatur venditori copia libelli in publica forma, ut de lite mota certus reddatur, argumento textus *in l. nomen, C. quæ res pignori, Clement. causam, §. ult. de elect.* docent Burgos *in præsenti,* Covar. *dicto cap. 17. num. 3.* Fachineus *lib. 2. controv. cap. 34.* quæ denunciatio adeò desideratur, ut etsi venditor conscius sit litis, adhuc denunciatio facienda sit, *l. item, 20. §. petitam, ff. de petition. hæredit.* nisi emptor minor sit; nam tunc sufficit, ut constet venditorem conscium litis fuisse: quod & ad Ecclesiam *ex cap. auditis, de in integr. restitut.* protrahunt Covar. *d. cap. 17.* Tiraquel. *de privil. pia causæ, privil. 141.* Quod si venditor non inveniatur, debet fieri denunciatio in domo coram vicinis, ut docet Bartolus *in l. de pupillo, §. si quis ipsi, ff. de novi oper. nunc.* & si venditor curaverit, ne sibi nuncietur, denunciatio necessaria est, *l. si dictum 56. §. simili, ff. de evict.* Unde lucem accipit textus *in l. si dictum 56. §. ult. ff. de evict.* ubi docetur, benignè receptum fuisse, tutore non apparente, pupillo nunciandum esse. Nec illi obstant textus *in l. si finita 15. §. si pupillus 29. ff. de damno infecto, l. sed si stipulatus 24. ff. de verb. oblig.* nam ibi agitur de denunciatione, ut pupillus de damno infecto caveat, vel in mora per interpellationem constituatur: quæ denunciatio, cùm ad obligandum tendat, sine tutoris auctoritate fieri nequit, *princip. Instit. de auctorit. tut.* In præsenti autem denunciatione contrarium procedit, quia versatur commodum pupilli,

pilli, cùm tutore absente, ne ille denuncietur, præcisè denunciatio non desideretur; & si jam venditor decessit, denunciatio facienda est singulis ejus hæredibus, *l. in executione* 85. §. *in solidum, ff. de verb. oblig.* Nam cùm obligatio defendendi emptorem in facto consistat, ex eoque individua sit, in solidum pro ea hæredes promissoris, aut venditoris obligantur, *l. final. ff. de servitut. legat. l. ea quæ* 192. *ff. de reg. jur.* Si autem unus condemnatus sit, omnes pro sua parte tenentur, cùm hæc obligatio non in faciendo, sed in dando consistat, *d. lex* 85. §. *in solidum, l. cùm ex causa* 139 *ff. de verb. oblig.* Denunciatio hæc facienda est tempore opportuno, *l. si rem* 29. §. *ult. ff. de evict.* id est, tempore, quo exceptiones proponi possunt, & causâ defendendi; unde sufficit, in secunda instantia denunciationem fieri, si integra, & salva fuerit defensio auctori, argumento legis *ita demùm, C. de procurat.* Nec tunc obstat textus *in l. qui concubinam* 29. §. *si hæres, ff. de legat.* 3. ubi docetur, legatarium, cui de servo legato facta fuerit controversia, debere antequam judicium accipiatur, id est, lis contestetur, ut exponit Cujacius *ad titulum C. de judic.* denunciare hæredi, ut liti assistat. Nam ut rectè post Bartolum *ibi*, docuerunt Donellus *in l. 8. C. de evict. num.* 11. Gothofredus *ibi*, discrimen versatur inter possessorem lucrativum, & onerosum, ita ut lucrativus, ut est legatarius, statim teneatur denunciare auctori suo, litem sibi motam esse; onerosus verò quocunque tempore denunciare possit: licèt Arroyo in præsenti verba illa, *judicium accipiatur*, exponat, id est, sententia proferatur, cum Cujacio *in l. 5. C. de evict.* Tandem circa hanc denunciationem notandum est, venditorem teneri defendere ipsum emptorem coram suo judice, ita ut etsi fori privilegio gaudeat, debeat litem prosequi coram judice emptoris, *l. venditor* 49. *ff. de judiciis*, Gamma *decis.* 332. Gomez. *ubi suprà, num.* 39. & apud nos decisum extat *in l.* 57. *tit.* 6. *partit.* 1.

15. *Refertur secunda exceptio.*

Secundus casus, in quo evictio cessat, contingit ex culpa emptoris, quod variis modis accidere potest. Primò si tempore sententiæ contumaciter abfuit, *d. l. emptor* 8. *C. de evict.* cujus principii ratio est, quia venditor tunc demùm de evictione tenetur, quando res emptori evincitur, ex juris defectu, *l. si non injuria, C. de evict.* Unde cùm contumacia emptoris non supponat defectum juris in ejus auctore, sed potiùs sit delictum, & culpa ipsius, *l. contumacia, de re judicat.* non est cur imputetur venditori rem evictam fuisse. Faciunt textus *in l. qui repudiantis* 17. §. *ult. ff. de inoffic. l. si perlusorio* 14. §. *ult. ff. de appellat.* ubi docetur, sententiam prolatam contra hæredem contumacem, libertatibus & legatariis non nocere; hoc autem procedit si sententia prolata sit propter emptoris contumaciam; nam si legitimo tempore ipse compareat, & verè, ac legitimè causam defendat licèt absit tempore sententiæ, nihilominus de evictione agere potest, quia tunc parum prodesset ejus præsentia tempore, quo nihil erat allegandum. Deinde quia ubi probationes sunt liquidæ, condemnatus in absentia non præsumitur condemnatus ex contumacia, sed propter malam causam, *l. 2. C. de contrar. judic. tutel.* Etiam ex evictione agi non potest propter culpam, si emptor rem pro derelicta habuit, posteaque alius eam occupavit; nam si tum in judicio superatus ab eo, qui illam occupavit, velit regredi adversùs venditorem, tanquam qui alienam rem vendidit, audiendus non est, *l. ult. ff. de evict. l. quod servus* 36. *ff. de stipul. servorum, l.* 36. *tit.* 5. *partit.* 5. Ratio est, quia hoc in casu magis adest culpa in emptore rem pro derelicto habente, quàm in venditore. Tertius casus, in quo cessat evictio, est cùm per injuriam judicis emptor condemnatus est; nam cùm judicis injuria inter casus fortuitos numeretur, *l. ad eos ff. mandati*, ad venditorem non debet spectare, cùm horum periculum ad emptorem tantùm spectet, *l. necessario* 8. cum similibus, *ff. de periculo & commodo.* Nihil etiam refert, an sordibus, an stultitiâ judicis res perierit, *dicta l. si per* 51. *ff. de evict.* nam quamvis hoc casu sententia valeat, *l. cùm prolatis* 32. *ff. de re judic.* evictionis actio denegatur. Nec contrarium suadetur *ex l. exceptione* 67. *ff. de fidejussor.* ubi fidejussorem condemnatum esse injuriâ judicis, non sufficit, ut ei mandati actio denegetur, sed necessarium est, ut simul culpa illius interveniat. Nam omisso Cujacio *tractatu* 6. *ad Afric. in l.* 24. *ff. de evict.* dicendum est, diversam causam esse emptoris, ac fidejussoris; nam emptione celebrata omne periculum ad emptorem pertinet, ac per consequens judicis injuria habetur ut casus fortuitus: at verò fidejussor, vel quilibet alius, qui cum mandato, vel sine eo alienum negotium gerendum suscipit, culpam tantùm, & diligentiam ut in re aliena præstare debet, *l. contractus* 23. *ff. de reg. jur.* Quapropter injuria judicis sola ei non nocebit, *l. si sine* 22. §. *cùm autem, ff. rem ratam haberi*: præsenserunt Bartolus, & Paulus Castr. *in d. l. exceptione*; Donellus *in l. emptor* 8. *num.* 18. *C. de evict.*

16. *Traditur ratio decidendi.*

Unde apparet vera ratio præsentis decisionis; omnibus enim casibus in ea relatis una ferè convenit, videlicet, quod istis tribus casibus, non tam ex defectu juris, quàm culpâ contumaciâ, vel negligentiâ, malóve facto emptoris evicta res censeatur, cùm excusari non possit qui rei emptæ nomine judicium vel neglexit, vel temerè non laudato auctore solus excepit; & injuria judicis soleat inter casus fortuitos numerari. Eam autem dumtaxat evictionem venditor emptori præstat, quæ eo præsente, vel vocato per vindicationis judicium legitimè facta est, *l. si mancipium* 34. §. 1. *l. habere* 57. *ff. de evict. l. si cùm quæstio* 17. *C. eodem titulo*; non etiam quæ emptoris culpâ, ut *in dicta l. ult. l. si cùm venditor* 66. *ff. de evict.* vel quæ casu fortuito venditionem secuto, ut *in l. si servus* 21. *ff. de evict. l. ult. C. de action. empti*, quia suum cuique factum, fatumve nocere debet, *l. illud.* 40. *ff. de petit. hæredit. l. si servus* 50. §. 1. *ff. de legat.* 1. *l. factum* 155. *ff. de reg. jur.* Meritò ergo Gregorius in præsenti his tribus casibus venditorem de evictione non teneri rectè docuit.

17. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam verum est, quod lite motâ super re venditâ, tenetur venditor emptorem defendere, *l. plus* 74. §. *mota, ff. de evict. l. qui absenti* 75. *ff. de procurat.* hoc tamen adimplere potest duplici modo, vel defensionem in se suscipiendo, vel exceptiones, similiaque arma emptori præbendo; quia totalem rei defensionem ipse

suscipere

susceipere non cogitur, *l. si parentes* 20. *C. de evict.* Donellus *in l. si status, num.* 2. *C. eod. titulo*; & tunc sumptus, & expensas litis emptor litiganti præbere tenetur, *dicta l.* 1. *C. de evict.* Nec obstat augmentum difficultatis, nam certum est, pacto caveri posse, ne venditor de evictione teneatur, *dicta l. Herennius*. Ratio est, nam quamvis ex naturâ contractûs emptionis evictio competat, etiamsi de ea nominatim non agatur, *l. non dubitatur* 6. *C. hoc tit.* tamen cùm tale pactum sit de re privata, nec contra bonos mores debet observari, præcipuè cùm pactum hoc non detur circa substantialia, sed circa accidentalia, nisi venditor sciens cum dolo rem alienam vendat, *l. ea quæ* 43. *§. ult. ff. de contrab. emptione*, *l.* 1. *§. ult. l. tenentur* 6. *§. ult. ff. de actionib. empti.* Etiam non obstante simili pacto tenetur venditor pretium refundere, & restituere, *l. ex empto* 11. aliàs *emptorem* 12. *§. ult. ff. de action. empti.* Covar. *dicto lib. 3. var. cap.* 17. *num.* 2. Guzman *de evict. q.* 31. *num.* 15. Quelada *dicta q.* 10. *num.* 6. Licèt enim prædicta generali conventione pretium non sit exceptum, quia tamen in generali obligatione semper id, quod iniquum est, exceptum videtur, quasi de eo contrahentes non senserint, *l. in omnibus*, *l. quotiens*, *ff. de reg. jur.* rectè superior conventio ita accepta est, ut contrahentes de pretio non reddendo non senserint: si autem specialiter convenerit, ut pretium non restituatur, pactum sustinetur, quasi transfusâ emptione in donationem, *l. pacta* 72. *ff. de contrab. emptione.* Nec obstat textus *in l. qui libertatibus*, *ff. hoc titulo*, ubi docetur, renunciatione evictionis factâ venditorem ejus nomine nullo modo teneri. Nam omissis solutionibus relatis à Covar. *dicto cap.* 17. *num.* 2. dicendum est juxta suprà tradita, de evictione non teneri eo casu venditorem, pretium tamen refundere omnino compelli, ita ut in ea specie licèt damna, interesse, & meliorationes non præstentur, pretium tamen semper restituatur. Nec mirum est, illud ab Scævola in eo textu specialiter expressum non fuisse, quia in eo textu, & sequentibus solùm egit de casibus, in quibus venditor statuliberi ob celatam ejus conditionem, vel expressam deteriorem, aut meliorem, teneretur, vel non, de quo etiam agunt Consulti *in l. fundus* 46. *§. cùm tibi*, *l. qui alienam* 54. *§.* 1. *ff. de evict. l. si decem* 10. *ff. de statulib.*

TITVLVS XVIII.

De locato & conducto.

CAPVT I.

(a) Clemens III.

EX rescripto litterarum piæ recordationis (b) P. quondam Tusculan. Episcopi nobis innotuit, quod cùm civitatem Bon. tempore suæ legationis intrasset, invenit fuisse ibi à bonæ memoriæ (c) Vv. quondam Portuen. Episcopo constitutum, & sub excommunicatione prohibitum, ne aliqui scholares hospitia majoris mercedis promissione conducerent, ut ea sibi, vel majoris gloriæ studio, quasi potentiores in expensis apparere volentes, vel privatæ utilitatis commodo vindicarent. Unde ipse solicita provisione considerans, quod hujusmodi conductionis improbitas, & discordiæ fomitem, & impedimenta non modica pareret studiorum prædictam (d) constitutionem legatio, quâ fungebatur Sedis Apostolicæ confirmavit perpetuis temporibus, sub pœna decernens anathematis observandum, ut nullus Magistrorum, sive scholarium super conducendis aliorum hospitiis in læsionem, vel præjudicium habitantium, audeat hospitem convenire, nisi priùs constiterit tempus conductionis elapsum, vel inquilini in hoc suum præstiterint favorem, & consensum. Quocirca nos, qui detestabiles versutias bonæ fidei contractibus inimicas, non solùm in clericis, sed etiam in quibuslibet mercatoribus condemnamus, prædictam constitutionem à præfato Portuen. Episcopo factam, & demùm à jamdicto Episcopo Tusculano confirmatam, ratam esse decrevimus, & eam auctoritate Apostolica confirmamus, statuentes, ut à te, frater Episcope, & tuo quolibet successore singulis (e) annis in communi audientia Magistrorum, atque scholarium præsens pagina recitetur, & prætaxata pravæ conductionis improbitas, innovatâ excommunicationis sententiâ reprimatur. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam nostræ confirmationis infringere, &c.

NOTÆ.

1. (a) *Clemens III.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. unico*, nullibi tamen exprimitur cui rescribat Clemens III. facilè tamen ex textus serie cognoscitur rescribere Episcopo Bononiensi, Joanni videlicet Ecclesiæ Bononiensis Præsuli. De ipsa Ecclesia nonnulla notavi *in cap.* 17. *de foro compet.*

(b) *P.*] Petri videlicet Papiensis, qui ab Alexandro III. creatus fuit Episcopus Tusculanus anno 1178. ut refert Vghellius *tom.* 1. *Italiæ, in Tusculan. Ecclesia, num.* 14.

2. (c) *Vv.*] Vvillelmus videlicet Papiensis, ex ordine Cisterciensi monachus, Diaconus Cardinalis ab Hadriano IV. electus, postea Presbyter Cardinalis sancti Petri ad Vincula, demùm Episcopus Cardinalis Portuensis, ac sanctæ Rufinæ ab Alexandro III. electus est anno 1176. Hic pluribus legationibus apud Fridericum Imperatorem functus est, & ab Alexandro III. missus in Galliam, Britanniamque, ut ea regna ad cultum veri Pontificis adduceret. Demùm sub vitæ finem conventui Bononiæ habito, mox & Venetiis interfuit, ut suis consiliis toti Ecclesiæ pareret tranquillitatem, ut ex Sigeberto, Roderico Frisingensi, & Baronio refert Vghell. *tom.* 1. *Ital. sacr. in Portuensi Eccles. num.* 31.

3. (d) *Constitutionem.*] Legati enim possunt nova statuta condere, & antiqua confirmare, ut probavi *in cap. final. de offic. Legat.*

(e) *Singulis annis.*] Ultra trinam enim monitionem, quæ præcedere debet quancunque censuram ab homine ferendam, desideratur in præsenti generalis hæc denunciatio, ad subditos certiorandos de speciali hoc statuto, ut aliis relatis docuit D. Joseph. Vela *tom.* 2. *decis. Hispal. dissert.* 44. *num.* 74.

COMMENTARIUM.

BOnonienſem Academiam magnis ditarunt opibus, & ornaverunt privilegiis Pontifices, & Imperatores, ut debitis laudibus studium illud extollentes referunt Vghel. *tom.* 2. *Italiæ, in Ecclesia Bonon.* Hieronymus Osorius, Papirius Mason, & alii congesti à Patre Mendo *de jure Academico lib.* 1. *q.* 2. *num.* 16. inter quæ non exiguum est, quod refertur à Clemente in præsenti. Sed cùm constitutio hæc localis sit, ut etiam aliæ relatæ *in cap. qui clerici* 9. *de foro compet. cap. final. de Magistr. l.* 1. §. *ult. ff. de censibus*, specialemque contineat gratiam, generalem ex ea regulam deduci non debere, jam post alios docuit Anguianus *lib.* 2. *de legibus, cap.* 17. *num.* 105. Simili etiam privilegio studentes in florentissima nostra Academia Salmanticensi potiuntur, ut ejus Primarius Doctor Garanna in præsenti notavit.

CAPVT II.

Honorius III. *Abbati, & Conventui Sancti* (a) *Petri de Pratellis, Lexov. diœcesis.*

VEstra nobis relatio declaravit, quod cùm ad (b) firmam dare consueveritis vestrarum fructus decimarum, diœcesani locorum statutum quoddam de hujusmodi decimis non locandis parochialibus presbyteris ediderunt, per quod utilitas vestra non modicùm impeditur; quare super hoc Apostolicæ provisionis remedium imploratis. Nos igitur utilitates vestras nolentes indebitè impediri, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut statuto hujusmodi non (c) obstante, vestrarum (d) decimarum proventus liberè locare possitis quibus vobis expedire videritis, & cum quibus Ecclesiæ conditionem poteritis facere meliorem; ita tamen ut hujusmodi locatio ad feudum, vel alienationem non valeat extendi.

NOTÆ.

1. (a) *Sancti Petri.*] Perperam textus hic in sexta collectione tribuitur Innocentio III. cùm sit Honorii III. & reperiatur in quinta compilatione, *sub hoc tit. cap.* 1. apud Cironium, ex quo ita eum transcribo. Malè etiam in eadem sexta collectione habetur *de Pratel. Lundon. diœcesis*, cùm legendum sit, *de Pratellis Lexovienſis diœcesis.* Abbatia enim hæc Sancti Petri est Ordinis Divi Benedicti, in diœcesi Lexoviensi, sub honore Sancti Petri Apostoli constructa ab Hunfrido de Vetulis anno 1055. ut referunt Tamburinus *in serie Abbatiarum, verbo Lexovienſis*, Fratres Sarmat. *tom.* 4. *Gall. Christianæ, fol.* 256. Ejus etiam mentio fit *in cap. nostro, de pœnit. & remiss.* Raymundo ejus Abbati in præsenti rescribit Honorius.

2. (b) *Firmam.*] Hujus vocis mentio etiam reperitur *cap.* 24. *de decimis*, *cap.* 7. *de iurepatron. cap.* 6. *ne Clerici, vel Monachi*, *Clement. unic. de excess. Prælat.* eam tamen variè exponunt Interpretes. Cironius *in notis ad hunc textum*, existimat, hanc vocem esse Saxonicam, significareque mercedem quamlibet, sive consistat in frumento, & aliis redditibus, sive in pecunia numerata; quo casu firma alma dicitur in legibus Schotorum *lib.* 2. *cap.* 41. Cujacius *hic*, ad firmam dare explicat pro locare sub mercede, sive pensione certa, & firma. Alexander Chassaneus ait ad firmam locare, esse præstita fide paciſci in ipso contractu in continenti, ne ulli ex contrahentibus liceat uti beneficio legis 34. *C. hoc titulo*; sed locatio omnino firma habeatur. Eo in sensu clericos firmarios dixit Vvillelmus Malmesburg. *de gest. Reg. Angl. lib.* 4. ibi: *Nullus clericus, nisi canſidicus; nullus clericus, nisi (ut verbo parum Latino utar) firmarius.*

(c) *Non*

(c) *Non obstante.*] Sed Episcopus statuta in sua diœcesi condere potest, *cap. quantò, de his quæ fiunt à Prælat. cap. cùm dilectus, de consuet. cap. final. de his quæ fiunt à majori parte, cap. cùm omnes, de constit. cap. 2. §. statuto, eodem titulo in 6.* ergo statutum, de quo in præsenti, observandum erat. Pro cujus difficultatis solutione sequentes casus notandi sunt. Primus est, cùm Episcopus contra jus commune statuit quod nec per se, nec in Synodo facere potest, *cap. super his, de majorit. & obed. cap. final. de offic. Archipreb. Clement. Romani, de elect.* Secundus est, cùm aliquid statuit circa majores, & graviores causas, quod neque in Synodo facere potest. Ratio est, quia ab ampla Episcoporum jurisdictione per Pontificem graviores causæ exemptæ sunt, *cap. majores, de baptismo*; unde sequitur, non posse Episcopum in Synodo diœcesana statuere, an aliquid sit de fide, vel non: *glossa 1. in dicto cap. majores*, Acunna *in princip. dist. 18.* Neque contrarium probat textus *in cap. ad abolendam, de hæreticis*, ubi excommunicantur omnes illi, qui hæretici judicantur ab Ecclesia Romana, vel à Concilio provinciali, vel diœcesano. Nam respondetur cum Bellarmino *tom. 1. controv. lib. 2. de Concil. cap. 10.* Pontificem ibi non docere, posse Concilium provinciale, vel diœcesanum diffinire, an aliquid sit de fide; sed quod potest judicare, an aliquis inciderit in hæresim ab Ecclesia damnatam; quod non solùm Concilio, verùm Episcopo permittitur. Tertius casus est, cùm Episcopus statuit aliquid circa causas in jure non decisas, & quæ graviores non sunt; quo casu cùm statuat non contra, sed præter jus, statuta ab eo condita debent observari, ex juribus suprà adductis. Nec tunc obstat præsens textus: nam accipiendus est de statuto ab Episcopo facto contra jus commune; nam cùm jure communi attento omnibus clericis competat facultas locandi fructus sui beneficii, ut probavi *in cap. ad nostram, de rebus Eccles.* inde cùm Episcopus contra jus commune nihil statuere possit, *dicto cap. quod super his, de majorit. & obed.* meritò non obstante præsenti statuto possunt clerici liberè fructus locare: quia tamen illud jus commune in favorem ipsorum latum erat, ideo si ipsi Episcopo statuenti consentirent, statutum servare tenerentur ob renunciationem præsumptam juris communis. Nec huic solutioni obstat textus præcedens, ubi statutum circa locationem factum juri communi contrarium sustinetur. Nam respondendum est, statutum mihi sustineri, quia erat locale, in favorem tantùm Academiæ Bononiensis factum.

(d) *Decimarum.*] Id est, Ecclesiarum, ut exposui *in cap. 1. de his quæ fiunt à Prælat.* ubi & *in cap. ad nostram, de rebus Ecclesiæ*, Commentarium hujus textus dedi, & *in cap. 6. ne clerici, vel monachi,*

CAPVT III.

(a) Gregorius IX.

PRopter sterilitatem afficientem magno incommodo conductores, vitio rei, sine culpa coloni, seu casu fortuito contingentem, colonis Ecclesiæ tuæ pro ratâ pensionis remissio est facienda, nisi cum ubertate præcedentis, vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari.

NOTÆ.

(a) *Gregorius.*] Nonus videlicet, qui præsentem constitutionem deprompsit *ex l. 8. C. hoc tit. l. ex conducto, §. 1. l. si merces, §. vis major, ff. hoc tit.* ut jam notavit Cujacius *hic.*

COMMENTARIUM.

1. Conclusio traditur & probatur.

EX prima parte hujus constitutionis sequens communiter deducitur disputanda assertio: *Propter sterilitatem absque culpa conductoris contingentem remittitur pensio pro rata, nisi possit cum ubertate præcedentis, vel sequentis temporis compensari.* Probant eam textus *in l. ex conducto, §. 1. & 2. & §. Papinianus, l. si merces, §. vis major, cum sequenti, l. si uno, ff. hoc tit. l. 8. C. eodem.* Consonat lex 22. *tit. 8. part. 5.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa *in collect. & select.* Giurba *observ. 24. num. 8.* Capycius Latro *decis. 19. num. 24.* Solorzanus *de jure Indiarum, tom. 2. lib. 1. cap. 19. ex num. 47.* Valeron *de transact. lib. 1. q. 1. num. 22.* Marinis *lib. 2. resol. cap. 178. & tom. 1. decis. 84.* Hothomanus *lib. 4. observ. cap. 21.* Faber *in suo Codice, tit. de locato, & de erroribus, decad. 8. error. 8.* Molina *de justitia, 2. tom. disput. 495.* Castillo *lib. 3. quotid. cap. 3. ex num. 19.* Connanus *lib. 7. comment. cap. 11. num. 15.* Cujacius *hic, & in l. 5. C. hoc tit. & lib. 15. observ. cap. 28.* Mancinus *lib. 1. genial. cap. 17. & 32.* Vvisembach. *disput. 36. num. 18.* Naten. *in justitia vulnerat. fol. 79.* Gibalinus *de usuris, lib. 3. cap. 8. art. 3.* Narbona *in l. 7. tit. 4. lib. 3. recopil.* Solorzanus *de jure Indiarum, lib. 2. cap. 19. num. 37. & lib. 2. polit. cap. 20.* Amaya *lib. 3. observ. cap. 3.* Canisius *ad hunc textum*, Phebo *tom. 2. decis. 166.* Gaspar Mancinus *in tract. utrum debitor excusetur propter defectum fructuum*, Farinacius *in repert. de contractibus, q. 4. per tot.* Tapia *tom. 2. lib. 5. q. 22. art. 7.*

Sed pro dubitandi ratione ita in præsentem textum insurgo. Si fructus, seu proventus rei locatæ insolito modo crescant, non augetur pensio, quæ à principio inter contrahentes convenit, *l. si merces 28. §. vis major, ff. locati*, probant Sà *verbo Conductio, num. 12.* Rebellus *de justitia lib. 14. cap. 17. num. 1.* Lugo *eodem tract. disput. 29. num. 52.* Gibalinus *dicto lib. 3. cap. 8. artic. 2.* Igitur ut æqua sit conditio locatoris, & conductoris, propter sterilitatem contingentem sine culpa conductoris, non debet minui pensio. Augetur hæc difficultas ex eo, nam emphyteuta, 2. Impugnatur tradita assertio.

qui tempestatem passus fuit, aut vitium cœli, integrum canonem persolvit, nec ullam remissionem consequitur, *l. 1. C. de jure emphyt.* Mancinus *cent. 1. genial. cap. 32.* Igitur similiter conductor ob sterilitatem vitio cœli contingentem à solutione integræ pensionis liberari nequit. Deinde difficilis redditur ea pars, ubi docetur compensationem fieri debere cum tempore majoris ubertatis, *ex l. cùm etiam, ff. de tritico, vino legato*, ibi: *Cùm certus numerus amphorarum vini legatus esset ex eo, quod in fundo Sempronio natum esset, & minùs natum esset, non ampliùs deberi placuit.* Et *l. si debitor, . verosimile ff. de contrah. emptione.* Igitur & in casu locationis non debet fieri compensatio sterilitatis cum ubertate.

3. *De causis sterilitatis.*

Adhuc tamen defendenda est præsens Gregorii constitutio, pro cujus illustratione sciendum est, mercedem conventam tempore locationis solvendam esse integrè à conductore, nisi justis ex causis minuatur, inter quas præcipua est sterilitas, quæ ex diversis causis provenit, veluti ex vitio cœli; nihil enim est, quod magis cœli injuriis pateat, quàm fructus terræ. D. Augustinus *in Psalmo 68.* ubi de frumento ait: *Labore magno metitur, portatur ad aream, trituratur, ventilatur post tanta pericula cœli & tempestates.* Quæ causæ communiter eveniunt ob nimiam pluviam, solis ardorem, siccitatem, vel casma, *l. ex conducto 15. §. si vis, l. si merces, §. si vis major, ff. hoc tit.* quæ vulgò appellantur vis major, seu vis magnæ tempestatis, *l. verum 11. §. si locupleti, ff. de minor. l. si ut certo 5. §. quod vero, ff. commodati, l. si quis domum 9. §. Julianus, l. si fundus 33. in fine, ff. locati, l. 3. ff. de fundo instructo, l. fluminis 24. §. Lucius, ff. de damno infecto*: cœli vitium dixit Imperator *in l. licet 8. C. hoc tit.* Hanc vim majorem Græci θείαν dixerunt, id est, iram divinam, eo quod non ab homine, sed cœlitus dimissa est, ex speciali ira Dei, ut ait Theophrastus relatus ab Alciato *lib. 2. de praet. ff. in dicto §. vis major.* Faciunt Plinius *lib. 18. hist. cap. 28. ad finem*, ibi: *Duo genera esse cœlestis injuriæ meminisse debemus; unum, quod tempestates vocamus, in quibus grandines, procellæ, cæteraque similia intelliguntur, quæ cùm acciderint, vis major appellantur.* Ovidius *lib. 15. Metamor.* Jovis iram appellavit, ibi:

Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.

Vel quod frequentius est, si rubigine, nive, immoderatâ pluviâ, aut siccitate insolitâ, repentinis incendiis, ventorum flatibus, uredine, & fluminum inundationibus vastati fuerunt fructus, quæ singula, qualia sint, exponunt Cujacius *lib. 15. observ. cap. 28. & in l. 5. C. hoc tit.* Hothomanus *lib. 4. observ. cap. 16.* Petrus Gregorius *lib. 36. syntagm. cap. 25.* Amya *dicto cap. 3. num. 5.* Ad hanc etiam vim divinam spectant animalia, quæ frequenter edaci pernicie segetes, vinea, & reliquas arbores destruunt; quo in numero sunt graculi, sturni, grues, passeres, raucæ, rucæ, & alia avium & vermium agmina, inter quæ frequens est locustarum cohors, quæ pestis agrorum dicitur *in l. excepto 18. C. hoc tit.* de quibus Plinius *lib. 10. cap. 39. Diraque messibus contegunt nube, multa contactu adurentes, omnia verò morsu eradentes.* Arnobius *lib. 1. A locustis & muribus omne genus occiditur, atque arroditur frugum.* Plura de ipsis congerunt ex politioribus Ludovicus Vives *in notis ad D. Augustinum, lib. 16. de civit. Dei, cap. 43.* Stuchius *lib. 2. antiquit. conviv. cap. 9.* Simon Majolus *dierum canicul. colloq. 1. & 5.* Lælius Bisciola *lib. 17. hor. succ. cap. 21.* Fornerius *lib. 6. rerum quotid. cap. 27* & contra illas superstitiosum esse excommunicationis sententiam proferre, probant, & aliis relatis illustrant Araujo *tract. 2. qq. moral. q. 16.* Theophilus Raynaudus *tom. 14. tract. de litteris monit. cap. 12. per totum.* Etsi legamus Sanctum Bernardum muscas excommunicasse, quæ infectæ cuidam Oratorio erant, referente Guillelmo Abbate S. Theodori *lib. 1.* in hæc verba: *Venerat aliquando Fuscinacum, quæ est Abbatia una de primis, quam ipse ædificavit, in Laudonensi territorio sita. Cumque ibidem Oratorii dedicatio pararetur, ita illud occupaverat muscarum incredibilis multitudo, ut earum sonitus, improbusque discursus gravem nimis introeuntibus molestiam generaret: nullo ergo succurrente remedio, dixit Sanctus, Excommunico eas: & manè omnes mortuas invenerunt.* Romani, ut locustas amolirentur, grandinem, rubiginem, & rauceas fugarent, propria numina, propriaque sacrificia habebant, quæ copiosè & eleganter post Plinium *lib. 11. cap. 28. & 40. & lib. 18. cap. 17. & 29.* prosequitur, & illustrant Jacob. Durantius Casel. *lib. 2. variar. cap. 10.* ad quæ referendam putat legem *eorum 4. C. de maleficis.* Sed & Horatius, quem Durantius non refert, *lib. 3. carm. od. 23.* eundem morem respiciens sic ait:

Cœlo supinas si tuleris manus
Nascente Luna, rustica Phœbile;
Si thure placaris, & orna
Fruge lares, avidaque porca,
Nec pestilentem sentiet Africum
Fœcunda vitis, nec sterilem seges
Rubiginem, aut dulces alumni
Pomifero grave tempus anno.

Quod sanè mirum non est, si persuasum sit, quod ad educendas aquas Manali lapide, qui juxta portam Capenam erat, utebantur, cujus meminerunt Festus Pompejus his verbis: *Manalem etiam lapidem vocabant petram quandam, quæ erat extra portam Capenam, juxta ædem Martis, quam cùm propter nimiam siccitatem in urbem protraherent, insequebatur pluvia statim; eumque quòd aquas manaret, Manalem lapidem dixere.* Fulgentius ibi: *Manales Labeo, qui disciplinas Hetruscas Tagetis, & Basidis quindecim voluminibus explicavit, ita scribit: Fibræ focinoni Sandaracci coloni dum fluant, Manales tunc vertere opus est petras, hoc est quas antiqui solebant in modum cylindrorum per limites trahere pro pluviæ commutanda inopia.* At quantùm hæc Romanorum superstitio ridicula esset, his quæ sequuntur verbis satis Seneca ostendit *lib. 4. natur. quæst. Rudis adhuc antiquitas credebat, & attrahi imbres cantibus, & repelli: quorum nihil posse fieri tam palam est, ut hujus rei causâ nullius Patris schola intranda sit.*

4. *De aliis causis sterilitatis.*

Etiam sterilitas contingit ob casma, seu terræ hiatum, de quo *in l. final. ff. hoc tit. l. licet 8. C. de jure emphyt.* Amaya *dicto cap. 3. num. 9.* Et licèt casma cum labe confundat Budeus *in dicta l. ex conducto*, Cujacius tamen *lib. 15. observ. cap. 28. & in l. 9 ff. de verb. oblig.* inter utrumque damnum differentiam constituit, docens labem, etsi aliquando ad terræ hiatus referri soleat, *l. final. ff. locati*; propriè tamen quamcunque calamitatis

causam

causam significare, *dicta l. ex conducto*, §. *sed si labes*, *l. lucet*, *C. locati*, ibi : *Ut singula labe tempestatis.* Casma verò ad ingentis terræ recessus refertur, & qui non tam fundum labefactare, quàm deglutire & absorbere videantur. Unde casma à Plauto vocatur ; quò respiciens Virgilius *lib.* 8. *Æneid.* ait :

Non secus ac si qua penitus vi terra dehiscens.
Infernas reseret sedes.

Quibus adstipulantur quæ de ingentibus terræ hiatibus referunt Plato *lib.* 2. *de Repub.* Cicero *lib.* 3 *de offic.* Livius *lib.* 7. Paulus Orosius *lib.* 3. *cap.* 5. Lactantius *lib.* 3. *cap.* 13. Valerius Maximus *lib.* 5. *cap.* 6. Contingit etiam frequenter sterilitas vi humana, veluti si incursu hostium devastetur ager, vel ab eis occupetur, *dicto* §. *si vis*, *l. in rebus* 18. *ff. commodati*, *l. perinde* 34. *ff. hoc tit. l. cùm unus* 12. §. *final. ff. de rebus auctorit. judic. l.* 1. §. *is verò*, *ff. de obl. & act.* aut si belli vicinioris causâ fundus incultus relinquatur, vel si exercitus nostrorum transiens, non contentus distributionibus, quas rustici ex fructibus facere solent, de quibus *in l. si pendentes* 27. §. 3. *ff. de usufruct.* junctо Revardo *lib.* 3. *conject. cap.* 6. vel propter inimicitias, seu propter lasciviam agrum devastaverint, *dicta l. ex conducto*, §. *si vis*, *hoc titulo*, *dicta l. si pendentes*, §. 3. *l.* 2. *C. de pascuis*, *lib.* 11. vel si incursione latronum devastatio contingat, *l. damnum* 12. *C. hoc tit. l. inter* 26. §. *non omnia*, *ff. mandati.* Illustrat Fornerius *lib.* 1. *rerum quotid. cap.* 29. cujus sterilitatis humanæ varios casus in praxi obvios resolvit Gaspar Mancius per duos tractatus. Utrum debitor excusetur propter defectum fructuum. Hæret aliquando prædiis ipsis vitium, quæ propter vetustatem, aut tenuitatem, aut etiam quia saxosa sunt, aut pestilentiosa, non solùm semina uberiori mensurâ non reddunt quàm acceperunt, verùm & fructus ipsos, si qui ibi sati sunt, miserè præfocant, eorumque vice, ut ait Poëta :

Carduus & spinis crevit paliurus acutis.

Talis est fundus qui describitur à Paulo *in l. si fundus*, *ff. de rebus eorum.* Si fundus, inquit, sit sterilis, vel saxosus, vel pestilens, videndum est, an alienare eum possit, &c. Talis est ille alter, quem graphicè depinxit Apulejus *lib.* 2. *Florid.* his verbis : *Pariter, ut qui prædiolum sterilem, & agrum scruposum, meras rupinas & senticeta miseri colunt, quoniam nullus sui fructus est, nec ullam illic suam frugem vident ; sed infelix lolium, & steriles dominantur avenæ, suis frugibus indigent, alienæ furatum eunt, & vicinorum flores decerpunt, scilicet ut eos flores carduis suis misceant.* Hæc prædia qui conducit, etsi ex eis nulli, vel pauci nascantur fructus, nihil est quod sterilitatis prætextu remissionem pensionis petere possit ; quippe cùm suæ stultitiæ id imputare debeant, qui tam pestilentem, & infructuosum fundum conduxerint, argumento §. *is quoque*, *Instit. quibus modis re contr. oblig.* atque hoc est, quod Ulpianus scribit *in l. ex conducto*, *vers. Si qua tamen. ff. locati. Si qua tamen vitia ex re ipsa oriuntur, hæc damno coloni esse, veluti si vinum tonuerit, si rubigo, aut herbis segetes corruptæ sint.* Et Papinianus *in l. si uno* 17. §. *cùm quidam*, *ff. eod. tit.* dum ait, quodam Imperatoris Antonini rescripto contineri novam rem desiderasse eum, qui petit, ut propter vetustatem vineârum sibi remissio detur ; nec contrarium statuitur in præsenti textu, dum in eo, sive vitio rei, sive casu fortuito sterilitas magna contingat, remissioni locus tribuitur ; verissimum namque mihi videtur, internum & insitum vitium non debere colonum relevare, cùm in culpa fuisse videatur, qui ut personas, cum quibus contrahit, ita & res, super quibus contrahit, tenetur diligenter inspicere, *l. qui cum alio*, *ff. de reg. jur.* & Gregorius in præsenti, cùm de vitio rei loquitur sine culpa coloni interveniente, à quibusdam de vitio non interno, sed casu aliquo in re contingente, & ultra consuetudinem dato intelligitur, ne alioquin necessarium sit, quod Cardinalis fecit, negationem in eo textu addere, & legere, *non vitio rei*, *sed casu fortuito* ; aut cum Cujacio *lib.* 26. *observ. cap.* 32. aliam fuisse Pontificis mentem ariolari, quàm verba præseferunt. Illud me magis movet, quod exempla dicti §. *si qua*, non videntur vitia insita sapere ; nam quod vinum acidum fiat, magis ad externum damnum spectat. Quinimò neque in consideratione esse debuit, quod ex reipsa oriretur, cùm proximior ratio reddi potuisset, nempe perceptione ipsa vinum conductoris fuisse factum, *l. si asper*, *l. si servus*, §. *locavi*, *ff. de furtis*, cum aliis. Atque ideò ejus, utpote domini, periculum esse, *l. quæ fortuitis*, *C. de pignorat.* Addo etiam plurimùm hoc exemplum ab illo distare, quod tanquam simillimum Ulpianus subjicit, illis verbis : *Vel rubigo, aut herbis segetes corruptæ sint* ; cùm illud ad perceptos, hoc ad nondum perceptos pertineat fructus : quæ omnia qui notarunt Interpretes, mirum est quàm in hujusmodi solutione vexentur, ut constabit ex relatis à Vincentio Carocio *in tract. de locato*, *tit. de casibus*, *q.* 12. *num.* 16. Solus Cujacius *lib.* 26. *observ. cap.* 32. cùm hanc difficultatem agnovisset, rectissimè docet ; eò loci vini nomine non quod collectum jam est, in doliaque missum, sed uvam, aut vindemiam pendentem significari, & quæ propter loci malitiam, & tenuitatem dura semper, & cruda manet, ita ut matureſcere non possit. Ita enim apud Catonem & Marcum Varronem in libris de re rustica : *Vinum legere*, est *uvam legere* ; & Plautus *in Trinummo*, inquit :

Vinum prius quàm coactum est, pendet putidum.

Ad casus etiam sterilitatis spectat, quod nonnulli ex Gentilibus solebant præstigiis, carminibus, & magicis susurris fruges atefacere, vel ad maximam fertilitatem deducere, quas præstigias lex XII. Tabul. increpat illis verbis : *Qui fruges excantassit, Cereri sacer esto* ; cujus meminit Seneca *lib. nat. qq. cap.* 7. his verbis : *At Cleonis judicia reddebant in illos, quibus delegata erat cura providendæ tempestatis, quod negligentiâ eorum vineæ vapulassent, aut segetes procidissent. Et apud nos in XII. Tabul. cavetur, ne quis alienos fructus excantassit : rudis adhuc antiquitas credebat, & attrahi imbres cantibus, & repelli ; quorum nihil posse fieri tam palam est, ut hujus rei causâ nullius Philosophi schola intranda sit.* Quam legem XII. Tabul. laudat D. Augustinus *in libro de civit. Dei*, dum ait : *Veteres Romanos ex eo hanc legem sanxisse, quod licèt multa impia sacra amplexi fuissent, semper tamen magiam, omnesque Chaldæorum præstigias rejecerint.* Plinius etiam *lib.* 30. *cap.* 1. loquens de magia scribit : *Extant & apud Italas gentes vestigia ejus in XII. Tabulis nostris.* Idem

5 *Referuntur aliæ causæ sterilitatis.*

lib. 28. *cap.* 2. Meminerunt ipsius legis Apulejus *apol.* 2. Servius *in eclog.* 8. *Virgilii*, quos refert Jacobus Gothofredus *in* 4. *fontibus*, *ad dictam legem* : ubi etiam plura congesserunt Revardus, Balduinus, Ritherus. Hothom & Dion. Gothof. Nec omittendus Petronius *in satyr.* qui dum sagæ jactationem refert, ait :

Quidquid in orbe vides, paret mihi : florida tellus,
Cùm volo spissatis arescit languida succis ;
Cùm volo fundit opes.

Quod sagæ facere jactabant cùm imperare elementis, & dominari tempestatibus mentitâ jactatione evulgarent, ut refert Carnotensis *ex Pœnitentiali Romano*, *p.* 11. *Decret. cap* 36. ad quam frugum excantationem, & magicos susurros fugandos, conjector spectasse illam arvorum consecrationem, quam Arca Laurentia Romuli nutrix annuatim facere solebat suis duodecim filiis, in cujus unius locum jam mortui Romulus successerat. Existimabat sanè Laurentia sacrificiis impiis posse expiari arva carminibus ; in cujus memoriam collegium Fratrum Arvalium fuit erectum, cujus sacerdotii insigne, & spicea corona, & albæ infulæ fuerunt. Et hujus sacrificii mentio extat apud D. Augustinum *lib.* 7. *de civit. Dei*, *cap.* 21 ubi referens turpitudines, quas Libero Deo tribuebant antiqui, inquit : *Liberi membro matremfamilias honestissimam palam coronam necesse erat imponere ; sed videlicet si Liber Deus placandus fuerat pro eventibus seminum. Sic ab agris fascinatio repellenda, ut matrona hoc facere cogeretur in publico.* Ea arva carminibus magicis fascinata sacrificiis Libero Deo factis expiari, de quibus sacrificiis loquitur Prudentius *lib.* 1. *contra Symmachum.*

Venit ad usque Italos sacris cum turpibus hortos,
Sinum lactis, & hæc votorum liba quotannis
Accipit, ac ruris servat vineta Sabini
Turpiter adfixo pudeat quem visere ramo.

Quare autem hæc turpia sacra vocentur, explicat expolitissimus D. L. Ramirez *in Pentec. cap.* 31. Ad eandem frugum, arvorumque expiationem pertinebat cura, quæ delegata erat Arvalibus Fratribus, lustrandi agros annuatim, ex Kalendario rustico, quod Ambarbale sacrificium vocatur. Rustici enim erant sacerdotes, quapropter hoc illis incumbebat munus. Constant hæc ex Suetonio *in Galba*, *cap.* 4. Plinio *lib.* 17. *nat. hist. cap.* 2. Servio *in Eclog.* 5. *Virgilii.* Quæ certè sacrificia peragebant Arvales, ut refert Gutherus *lib.* 1. *de jure man. cap.* 5. quas magicas artes non solùm ad sterilitatem, verùm & ad fertilitatem adhiberi prohibuerunt Ecclesiæ PP. in 6. Synodo Trul. *can.* 61. ubi Balsam. & eorum loco piæ in Ecclesia adhibentur benedictiones, de quibus in Concilio Regiat. relato à Burchardo *lib.* 2. *Decret. cap.* 89. ibi : *Ut presbyteri privatim fidelibus desiderantibus benedicant, & inter minutas has discussiones jussum est omni presbytero, per familias, per agros, per privatas domos pro desiderio fidelium habere facultatem benedictiones aperire.* Jam nonnulla notavi *in can.* 49. *Concilii Illiber.*

6. *Resolvuntur diversi casus.*

His suppositis circa istas sterilitatis causas sequentes casus distinguendi sunt. Primus casus est, cùm sterilitas divina, aut humana, absque ulla culpa conductoris contingit ; quo casu, sive ex causis naturalibus, sive ex incursione hostium, incendio, seu casmate, ita ut nulli fructus colligantur, contingat sterilitas, liberatur conductor ab omni pensione solvenda, aut ejus parte aliqua, pro rata damni accepti, juxta præsentem textum, ex quadam juris æquitate ; distinguendaque est eo casu duplex sterilitas. Prima, in qua nulli omnino fructus colliguntur, & tunc ab integra pensione colonum liberari, constat *ex d. l. ex conducto*, §. *si vis.* Secundus est, cùm sterilitas grave damnum colono infert ob exiguos fructus perceptos, propter quam minuendam esse pensionem, & pro rata remittendam, docetur in præsenti textu. Quanta verò debeat esse illa sterilitas, dissentiunt Doctores, ut videre est apud Gomezium *lib.* 2. *variar. cap.* 3. *num.* 19. ubi plures Ayllon. Placet tamen quod Covarruvias *practic. cap.* 30. docet, tunc minuendam esse pensionem, quando colonus deducto semine, & expensis læditur ultra dimidium justi pretii, si cogatur integram solvere pensionem ; exempli gratiâ si pensio sit decem modiorum, aut centum aureorum, & deducto semine, expensisque, non remaneant quinque modii, aut quinquaginta aurei ; quia licèt ab initio contractus pensio justa fuerit, tamen ex sterilitate superveniente grave damnum conductor patitur, ideoque ei remissio conceditur, sicut & illi competit remedium legis 2. *C. de rescind.* cùm ipsâ locatione læsio ultra dimidiam contingit, ut probavi *in cap.* 3. *de empt. & vendit.* Quare rectè eam læsionem gravem existimamus in ordine ad minuendam pensionem, quando ultra dimidiam partem pensionis promissæ cogitur ex suo solvere ; sicut & Imperatores *in d. l.* 1. eam læsionem gravem appellant ad rescindendam venditionem, in qua ultra dimidium justi pretii venditor læditur. Sed hæc doctrina duplicem patitur limitationem. Prima est quoties solita est sterilitas, quia regio illa procellis, & grandinibus obnoxia est, aut patet hostium incursibus, aut ager locatus vicinus est flumini sæpiùs inundanti, aut bellum imminere, aut jam initum sciebatur, aut fundus naturâ suâ infœcundus est, vel aliis de causis, quæ sciri, & prævideri facilè potuerunt ; quia tunc non est locus remissioni pensionis ; quia hos omnes casus conductor & prævidisse, & suscepisse censetur. Secunda limitatio est quoties conductor recipit in se omne periculum, & omnes casus fortuitos, renunciavitque juri quod in ejusmodi casibus remissionem pensionis concedit ; quo in casu integram pensionem solvit, ut pacto stet, *l. si quis domum*, §. *Julianus*, *ff. hoc tit.* nisi insoliti, & extraordinarii sint casus, nec de eis specialiter actum sit, juxta textum disertum *in l. fistulas*, §. *frumenta*, *ff. de contrah. emptione*, docuit Gomez ubi suprà, *num.* 19. An verò etiam cùm casus insoliti renunciati sunt, in foro conscientiæ pensio integra debeatur, disputant Lessius *de justitia lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 7. Lugo *eod. tract. disput.* 29. *num.* 27. Gibalinus *de usuris lib.* 3. *cap.* 8. *art.* 2. *difficult.* 3. Secundus casus contingit quoties impedimentum percipiendi fructus rei locatæ non ex ipsa rei materia, aut ex circumstantiis prorsus extrinsecis, sed ex ipso conductore provenit, qui tunc tenetur ad pensionem integram solvendam, ut docent Doctores suprà citati ; nec enim patitur æquitas, ut locator subeat damnum, quod culpâ conductoris secutum est. Gibalinus *dict. a difficult.* 3. *num.* 8.

Quibus

7. Traditur ratio decidendi.

Quibus ita animadversis varias rationes præsentis decisionis assignarunt Garanna, & cæteri repetentes in præsenti. Amaya *dict. cap. 3.* inter quas ea præcipuè placet, videlicet hanc remissionem pensionis ex æquitate juris provenire; ut enim docent Molina *de justitia disputat. 495. num. 4.* Lessius *lib. 2. de justitia, cap. 24. num. 16.* Lugo *eod. tract. disput. 29. num. 36.* ex natura hujus contractus casus fortuiti nocere debent conductori, non locatori, ut contingit in venditione, cui contractui hic proximus est, in quo nocent emptori, non venditori, quia conductor suo periculo emere videtur spem futurorum fructuum, sicut emptor rem periculo suo emit; unde ex æquitate hæc remissio contingit, quæ nititur illis juris principiis, videlicet, quod noluit conductor sese ad pensionem præstandam obligare, nisi in mercedem & compensationem fructuum, quos si absque sua culpa non percipit, reverà ad illorum mercedem, vel pretium teneri non potest; atque ideo injustè ab illo exigeretur. Accedit, quod actio, vel obligatio personalis, quæ competit ratione rei, tollitur peremptâ re, *l. 1. C. de jure emphyt. l. Titia, §. final. ff. de legat. 1. l. in nave 33. ff. hoc tit.* Sicut ergo accidens tollitur sublato subjecto, *l. 4. §. 1. ff. de act. empti*, & accessorium collabitur lapso principali, *l. final. ff. de pactis*, *l. Papinianus 8. §. sed neque, ff. de in offic. testam.* & ususfructus tollitur sublato corpore, *l. corruptionem, C. de usufruct. princip. Instit. eod.* & rei servientis interitu jus servitutis extinguitur, *l. unus ex socis, §. final. cum l. sequenti, ff. de servitut. rustic. l. si locus, ff. quemadmod. servit.* ita interitu rei, ob quam pensio solvitur, debitor liberatur: quæ ratio mirè illustratur ex Cassiodoro *lib. 3. epist. 22.* ibi: *Quid enim à domino agri exhibes, quem eum non coluisse cognoscas?* Et *lib. 4. var. epist. 38.* ubi Theodoricus ad Faustum Præpositum scribens jubet, ut Grabasianos, atque Pontonates respectu sterilitatis tributis relevari procuret, illis verbis: *Cum sterilitas jejuna locorum nulla sibi augmenta fieri patiatur, repugnante siquidem natura qualibet cedit industria, nec prodest studium laboris impendere, quem ubertas loci non cognoscitur adjuvare.* Et iterum *epist. 50.* ad eundem Faustum, ubi Campaniæ habitatoribus Vesuvii montis hostilitate vastatis remissionem tributorum pro modo damni accepti concedit his verbis. *Ut agrorum fructibus enudati subleventur onere tributariæ functionis, quod fieri debere nostra meruit pietas acquiescit, ut agris ibidem diligenter inspectis, in quantum possessoris laboravit utilitas, sublevetur, quatenus mensurata conferatur quantas beneficii, dum modus integer cognoscitur læsionis.* Et *lib. 3. epist. 4.* ubi eandem tributorum indulgentiam tribuit universis provinciis in Gallia constitutis, & hostili ferocitate vastatis: *Ut pro qualitate læsionis per indictionem quartam relaxatam agnoscant tributariam functionem, quia non gratulamur exigere quod tristis noscitur solutor offerre.* Salvianus *lib. 4. de gubern. Dei*, ibi: *Nam illud quale, quàm non ferendum, & quod non dicam pati humana mentes, sed audire vix possunt, quod plerique pauperculorum, ac miserorum, cùm res amiserint, amissarum tamen rerum tributa petuntur: cùm possessio ab his recesserit, capitatio non recedat: proprietatibus carent, & vectigalibus obruuntur.* Posterior pars hujus assertionis, quæ compensationem sterilitatis cum ubertate admittit, non minori nititur æquitate. Sicut enim cùm adest sterilitas, damno afficitur locator, sic etiam in nimia ubertate compensari debet pensio remissa, ut ita lucri, & damni ratio à pari procedat, argumento legis *si non fuerit 95. §. final. ff. pro socio.* Facit celebris sententia D. Ambrosii *lib. 6. hexaem.* ibi: *Terra fidelis est si quando non solverit, alio anno superioris anni damna compensat.* Rectè ergo docet Gregorius in præsenti, compensationem fieri debere ubertatis cum sterilitate. Remissio autem ob sterilitatem, ad quam summam fieri debeat, arbitrio judicis relinquitur. Marinis *decis. 455.* & si conductor in solvendis decimis negligens fuit, posteaque sterilitas contingat, remissioni locum non esse, docent Gregorius Lopez *in l. 22. titulo 8. part. 5.* Solorzanus *tom. 2. libro 1. capite 21. num. 18.*

8. Dissolvitur ratio dubitandi.

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam licèt communis sententia, quam sequuntur Gomez, Azor, Molina, & Lessius *ubi suprà*, teneat, ob nimiam ubertatem augeri pensionem à principio conventam; contrarium tamen rectiùs docuerunt Rebellus, & Filliucius, quos sequitur Gibalinus *dict. cap. 8. art. 2. ad finem.* Ratio autem, quare jus magis favet conductori, quàm locatori, dum propter insolitam sterilitatem illum liberat à pensione solvenda, & tamen non obligat ad illam augendam, dum eorundem fructuum contingit extraordinaria fertilitas, difficilis non est: insolita enim illa sterilitas damnum intolerandum offert conductori, si teneatur eo casu pensionem præstare: lucrum verò ingens, & insolitum ex fortuita ubertate nulli omninò nocet, cùm locator semper, & facilius immò pensionem promissam obtineat. Subveniendum itaque fuit conductori in tanta calamitate, non autem locatori; cùm in illa felicitate conductoris plus ipse lucretur, quàm suâ sorte contentus lucrari voluerit. Non obstat prius augmentum difficultatis deductum ex exemplo emphyteutæ; nam respondetur, emphyteusim à conductione valdè differre; cùm enim conductori pensio constituatur in compensationem fructuum, quos percipere conductor potest, emphyteutæ autem non in compensationem fructuum detur, sed in recognitionem directi dominii, ut in sequenti textu dicemus, æquum est, ut conductori ob sterilitatem remissio pensionis competat, non verò emphyteutæ, qui semper agnoscere verum dominum debet: unde infert Valascus *de jure emphyt. quæst. 31.* quod si emphyteusis celebrata sit, ita ut fructibus pensio constita respondeat, etiam eo casu pensionis remissio datur, licèt contrarium defendat Læl. Mancinus *cent. 1. genial. cap. 32.* ubi exponit textum *in l. si uno, ff. hoc tit.* Nec obstat aliud difficultatis augmentum deductum *ex d. l. cùm certum, l. ex eo, ff. de tritico & vino*; pro quarum conciliatione cum lege *legatum, §. vila, ff. de annuis legat. l. inter 83. §. sacram, ff. de verb. obl.* Cujacius *in dicto §. vini* ita distinguit. Aut testator unicum, & quidem præsentem annum respexit, adjiciens ea verba, *natum erit*, vel *esset*; & tunc verba illa taxationem significant, quia quod præstandum est, semel præstari debet, ideoque tantùm id, quod natum est, debetur, *dict. l. cùm certus, l. si debitor, §. verisimile, ff. de contrah empt.* Aut testator in annos singulos quid legavit; & tunc quia

plures anni adscripti sunt, alterque facilè ex altero suppletur, & quasi mutuo vinculo conjunguntur; ideo verba illa, *nascetur*, vel *nasceretur*, taxationem non inducunt, sed ubertas unius anni supplet sterilitatem alterius.

9. *Exponitur textus in l. ex conducto 15. §. ubicunque, ff. hoc tit.*

Ex suprà traditis lucem accipit textus *in l. ex conducto, §. ubicunque, ff. hoc titulo*, in illis verbis: *Ubicunque tamen remissionis ratio habetur, ex causis suprà relatis, non id quod sua interest conductor consequitur, sed mercedis exonerationem pro rata: supra denique damnum seminis ad colonum pertinere declaratur.* In quibus apponendam esse negationem observavit Hothomanus *libro 4. observat. capite 21.* ex eo quia cùm Ulpianus Servii diffinitionem *in §. 1.* expositam interpretaretur, nempe in vi majori, & cui resisti non potest, conductorem damnum præstare, non colonum, cùm æquum non sit ut colonus, supra damnum seminis amissi mercedem agri præstare cogatur; quæsivit iterum Ulpianus, an colonus actione ex conducto quod sua interest consequatur? Minimè, inquit; sed hoc tantùm, ne mercedem solvat, quia æquitati consentaneum est, ne supra damnum seminis amissi mercedes agri præstare cogatur: unde legendum putat, *Supra denique damnum seminis ad colonum non pertinere declaratur.* Sed adhuc eam emendationem ut superfluam rejicit, suppresso nomine auctoris, Jacob. Gothofredus *animadvers. iur. capite 13.* & rectè; nam cùm Consultus petitioni colonorum modum imponere intenderet, ita ut nunquam colonus ultra mercedis remissionem restitutionem seminis postulare possit, rectè dixit; *Supra denique damnum seminis ad colonum pertinere declaratur*: ut sensus sit, damnum seminis colonum à conductore repetere non posse, sed tantùm pensionis remissionem.

§.

VErùm invito inquilino domum (a) inhabitare, vel reficere poteris, si necessitas (quæ tamen non imminebat locationis tempore) id exposcat, remissâ sibi pro residuo temporis (b) pensione? qui etiam inde rationabiliter amovetur, si (c) perversè ibi fuerit conversatus, vel cùm canonem per (d) biennium non solvisset, sibi satisfactione (e) celeri non providit.

NOTÆ.

1. (a) *Inhabitare.*] Consonant lex 3. *C. hoc tit.* & lex 6. *tit. 8. partit. 5.* Illustrant ultra congestos à Barbosa *in præsenti*, & *in dict. l. 3.* Faber *in suo C. tit. de locato, definit. 42.* Trentacinquius *lib. 3. var. resol. 4. à num. 1.* Cancerius *lib. 1 var. cap. 14. à num. 8.* Petrus Barb. *in l. 26. §. ultim. ff. solut. matrim.* Olea *de cess. jur. tit. 3. quæst. 2. num. 24.* qui limitant hujus textus regulam in scholari, qui nec prætextu habitationis à domino expelli potest; & cùm hoc privilegium expellendi inquilinum personale sit, non posse extraneæ personæ cedi, resolvit Olea *ubi suprà, num. 25.*

2. (b) *Pensione.*] Quod ab inquilinis habitationis causâ datur, aliquando pensio dicitur, *l. 9. §. ult. ff. locati, l. 3. C. eod. tit.* aliquando redditus, *l. penult. §. insulam, ff. de legat. 2.* apud Martialem *lib. 12. epigr. 32.* ibi:

Vidi Vacerra, sarcinas tuas, vidi;
Quas non retentas pensione pro bima
Portabat uxor.

Quo modo etiam quod à colonis solvitur, frequenter appellatur, *l. fundus 38 ff. de usufr. legat. l. liberto 21. in princip. ff. de annuis legat.* nonnunquam redactus, quasi pecunia ex fructuum venditione redacta, *l. defuncta 58. §. penult. ff. de usufruct.* Quod verò ab emphyteuta solvitur, vectigal dicitur, *l. cotem 11. §. 1. ff. de publicanis*; interdum canon, *l. ultim. C. de jure emphyteut.*

(c) *Perversè.*] *Dict. l. 3. C. hoc titul. l. quæro, §. inter, ff. eod.* Quadre est etiam epistola Symmachi ad Præfectum Urbi, *lib. 4. epist. 69.*

3. (d) *Per biennium.*] Inde deducunt repetentes in præsenti, & plures congesti à Barbosa hîc, inquilinum cessantem per biennium in solutione pensionis, posse à domo conducta expelli; quod etiam probant Cujacius *ex l. quæro 54. §. 1. ff. hoc titulo.* Verùm id accipiendum est, quando quis sibi pacto cavit, ne ante biennium liceret ob neglectam pensionis solutionem illum expellere, quo casu procedit textus *in dicta l. quæro 54. §. 1. ff. hoc tit.* aut si ita absens est inquilinus, ut non reperiatur, *l. cùm domini 56. ff. hoc tit.* regulariter enim statim ac quis cessavit in solutione pensionis, expelli potest, *dict. l. ade 3. C. hoc tit. juncta l. penult. ff. eodem*: auctoritate Judicis, non propriâ, ut exponit Bronchorst. *enantioph. centur. 1. assert. 82.* Nec hoc casu prodesse colono quicquam potest, quod locatoris bona omnia obligata habeat, quoniam ea quoque pignorum obligatio tanquam accessoria illam eandem conditionem tacitam recipit, quam principalis; si debitor pensionibus satisfecerit: unde licèt inquilinus domum conductam specialiter obligatam habeat pro ipsa habitatione, sicut & locator habet jus pignoris in omnibus invectis, & illatis pro pensione; tamen dum pensionem non solvit, à domo expelli valet: juxta quæ juris principia accipiendus est Gregorius in præsenti: unde vulgò & rectè separatur simplex colonus ab emphyteuta, quia iste non aliter ab emphyteusi removetur, quàm si per triennium cessaverit in solutione canonis, si res privata est; aut per biennium, si res Ecclesiæ, ex textu sequenti, ne ita facilè emphyteuta tam gravi damno afficiatur, quantum illud est, quod incurrit ex amissione dominii, quod vulgò utile dicitur.

4. (e) *Celeri.*] Quando quid celeriter factum dicatur, arbitrio judicis relinquitur; ita tamen, ut nec præcipiti festinatione, nec moratoria cunctatione qui facit, utatur, *l. tutor qui, §. si tutor, ff. de administr. tut.* illustrant Cironius *ad textum in cap. final. de elect. in 5. compil.* Barbosa *de dict. diction. 55.* & ab specie purgationis moræ ob

cessationem

testationem in solutione canonis, probat Pichardus *in dicto cap. de mora, num. 99. & 110.* ubi textum hunc exponit; ejus autem commentarium dabimus in textu sequenti.

CAPVT IV.

(a) Idem.

POtuit (b) emphyteuta (c) Ecclesiâ primitus requisitâ, eique nunciato, quantùm sibi ab aliis offertur, si nolle se emere dixerit, vel à denunciationis tempore duorum spatium mensium sit elapsum) meliorationes & jus sibi competens aliis vendere qui ab emptione hujusmodi minimè prohibentur. Emphyteuta quoque secus præsumendo, vel cessando in solutione canonis per biennium (nisi (d) celeri satisfactione postmodum sibi consulere studuisset) justè potuisset repelli, non obstante quod ei ut canonem solveret, non extitit nunciatum; cùm in hoc casu dies (e) statuta pro domino interpellet.

NOTÆ.

(a) *Idem.*] Gregorius videlicet IX. qui præsentem constitutionem deprompsit partim *ex l. 3. C. de jure emphyt.* partim ex novella 120. §. 2. ut infrà dicemus.

(b) *Emphyteuta.*] Hujus vocis, & contractus emphyteusis originem dedi *in cap. ad aures, de rebus Eccles.*

(c) *Ecclesia.*] Quatenus Ecclesia possit res proprias in emphyteusim dare cum debita solennitate, disputat Sarmiento *libro 3. selectarum, capite 8.* etiam exposui *in dicto cap. ad aures.*

(d) *Celeri.*] Certum est, debitorem moro sum etiam ante litis contestationem, ubi dies & pœna adjecta est, moram emendare non posse, ut constat *ex l. magnam, C. de contrab. stipul. l. cùm quis 22. ff. de oblig. & act. l. Celsus 28. ff. de recept. arbitr. l. 1. §. nisi fortè, ff. de pec. legat. l. 4. ff. de lege commissoria, l. Thais, §. intra, ff. de fideicommiss. libert. l. 1 §. final. ff. l. 2. §. nullus, C. de jure emphyt.* Ratio est, quia his duobus concurrentibus, scilicet die & pœnâ statim incurrendâ, & lapsu diei, manifestè apparet, partes noluisse ut mora purgaretur; & ideo cùm cesset æquitas, quâ nititur moræ purgatio, *l. si servum 91. §. sequitur, ff. de verb. obl.* quia nihil est æquitati magis conveniens, quàm pacta servare, *l. 1. in princip. ff. de pactis*, præsertim cùm post diem conventam præteritam creditori res quæsita sit; consequens est, ut eo invito per purgationem moræ res ab eo auferri non possit, *l. penult. ff. de pactis*, docuerunt Cujacius, Duarenus, & Donellus *in l. si insulam, ff. de verb. obl.* Loriotus *de mora axiom. 26.* Hothomanus *lib. 2. observ. cap. final.* Valascus *de jure emphyt. quæst. 5.* Sesse *tom. 2. decis. 205.* Covar. *lib. 3. variar. cap. 17. num. 4.* igitur non rectè in præsenti textu docetur, emphyteutam, qui cessat in solutione canonis per biennium, & per consequens cadit in commissum, posse moram purgare canonem solvendo. Accedit, quod contrarium docetur à Justiniano *in l. 2. vers. Omni modo, C. de jure emphyt.* pro cujus difficultatis solutione communiter repetentes in præsenti, & plures relati à Covar. & Valasco *ubi suprà*, Bronchorst. *misc. cent. 1. assert. 46.* asserunt Gregorium in præsenti specialiter esse accipiendum in emphyteusi ecclesiastica, in qua magis æquitas attendi solet: sed in hac parte nullam versari differentiam inter emphyteusim ecclesiasticam, & sæcularem, probatur *ex cap. antecedenti, §. verum.* Quare hac solutione omissâ, dicendum est, magnum discrimen versari inter pœnam conventionalem, & legalem; cùm enim ex conventione partium dies solutioni adjecta est, & simul pœna apposita, commissâ morâ, non admittitur ejus purgatio: contrarium verò procedit in pœna legali. Ratio differentiæ provenit ex eo, nam cùm in conventione partis pœna apposita est, non potest contra hanc expressam conventionem permitti moræ emendatio: at verò in pœna legali lex ipsa, quæ inducit pœnam, facultatem emendandi moram ex æquitate concedere videtur, *dict. l. si servus, §. sequitur*; unde cùm pœna caducitatis, de qua in præsenti agitur, sit legalis, rectè circa eam admittitur emendatio moræ; quæ sententia hodie confirmata est *ex l. 28. tit. 8. part. 5.* Nec obstat textus *in dict. l. 2. C. de jure emphyt.* quæ tantùm agit de mora committenda per lapsum triennii, non autem negat Imperator, moram commissam per lapsum triennii emendari, seu purgari posse. Sed ut hanc facultatem purgandi moram in aliis pœnis conventionalibus exponamus, sciendum est, moram simplicem, id est, tarditatem in re præstanda suo tempore, purgari posse, si non multò post debitor offerat rem debitam, *l. interdum 73. §. ultim. ff. de verb. obl.* Donellus *in l. si ita 135. §. Seia, numero 3. ff. eod. titul.* cujus purgationis effectus est, ut si postea res debita intereat, ejus interitu debitor liberetur, *l. mora 88. ff. eodem tit.* Quod adeo verum est, ut procedat etiam in fure, *l. in re 8. in princip. ff. de condict. furtiva.* Ratio est, quia iniquum censetur, teneri reum post interitum corporis, quod obtulerat creditori, *l. qui decem 72. ff. de solut.* Accedit, quia postquam creditor rem ablatam accipere noluit, ipse se in mora constituit non accipiendi debitum, *l. si servum 91. §. sequitur, ff. de verb. obl.* sed unicuique sua morâ nocere debet, *l. in condemnatione 173. §. unicuique, ff. de reg. jur.* maximè quia debitoris mora fuit prior, & creditoris mora est quæ nocet, *l. illud 17. ff. de peric. & commodo:* faciunt textus *in l. si mora 9. l. semel. 26. ff. solut. matrim.* Larrea *decis. Granat. 49. num. 13.* Leothardus *de usuris quæst. 29. num. 6.* Illa tamen in scholis differentia notari solet, quòd debitor

specici,

speciei, qui moram ita purgavit, re peremptâ liberatur ipso jure; debitor verò nummorum illis amissis liberatur ope exceptionis, *dict. l. interdum*, §. *ultim. l. stipulatus* 105. *ff. de verb. obl. l. quidem* 72. *ff. de solut.* Rationem reddit Donellus *in dict.* §. *sequitur*, *num.* 5. Ut autem hæc purgatio moræ contingat, debet fieri maturè, congruo tempore, & loco, ut generaliter de quocunque morosо docetur *in l.* 3. *vers. in utroque*, *ff. de condict. tritic.* tenent Chumaceto *disp.* 6. *num.* 6. Suarez de Mendoza *lib.* 1. *ad leg. Aquil. cap.* 4. *sect.* 5. Cujacius *tract.* 4. *ad Afric. in l. qui hominem* 37. Et licèt *in dict. l.* 3. agatur de obligationibus dandi, idem dicendum est in obligationibus faciendi, *l. quid tamen* 21. §. *ultim. cum l. sequenti*, *ff. de recept.* veluti si debitor facti faciat ante litem contestatam, quia non videtur interesse ejus, qui adhuc litem contestatus non fuit, *l si insula* 84. *ff. de verb. obl.* Donellus *in dict.* §. *sequitur*, *num.* 8. quia in obligationibus, quæ diem non habent, necessaria est declaratio judicis, ut committatur mora, *l. mora* 32. *ff. de usuris*: ergo antequam lis contestetur, potest mora purgari; post litem autem contestatam amplius mora in obligatione faciendi emendari non valet, *dict. l. si insulam* 84. quia tunc incipit deberi interesse, vel pœna, si promissa fuit, & non ipsum factum, cùm quasi novatio contigerit. Facit textus disertus *in l. si Titius* 9. *ff. de verb. obl.* ubi si ita concepta sit stipulatio, *Si illi fundum non dederis, mihi dare spondes?* licet illi dare antequam ego petam, sed post litem à me inchoatam amplius non licet, quia in primum tantùm confertur factum solvendi, ut possit illi fundus præstari; cui locus non est post litem à me contestatam, ut etiam docetur *in l. si pacto* 14. *C. de pactis*, *l. nudus*, *C. de contrab. stipul.* Donellus *in dict.* §. *sequitur*, *num.* 10. Gisanius *in dict. l. si pacto*, Cujacius *tit.* 19. *obser. cap.* 32. Et cùm hæc ratio specialis sit in obligatione faciendi, contrarium dicendum est in obligationibus dandi, quia in eis quandocunque reus solverit, sine detrimento creditoris absolvetur. Donellus *ubi suprà*, *num.* 11. Nec obstat huic doctrinæ textus *in l. si post tres* 8. *ff. si quis cautionib.* nam rectè textum illum accipiunt in stipulatione judiciali, seu prætoria, Bartolus *in dicta l. si in insula*, *num.* 4. Orosius *in dict. l. si post. tres*, *num.* 5. Donellus *in dicto* §. *sequitur*, *num.* 11. Gisanius *supra*, *num.* 23. & 24. Antonius Faber *lib.* 6. *conject. cap.* 7. Vitalis *lib.* 1. *var. cap.* 7. *num.* 7. explicat D. Josephus de Retes *in Academ. ad titul. de verb. obl. propos.* 5. *num.* 3. unde deducitur, quoad purgationem moræ aliud dicendum esse de adjectione diei, ac de litis contestatione; quia in obligationibus faciendi post litem contestatam non potest purgari mora, nec amplius opus debetur, sed pœna: at verò post diem elapsum potest emendari mora, licèt hodie in praxi, cùm omnia judicia absolutoria sint, & nulla quasi novatio per adjectionem pœnæ contingat, omni tempore, etiam in obligatione faciendi, mora purgari possit, ut resolvit D. Josephus de Retes *ubi proximè*: & circa hanc moræ emendationem observandi sunt textus *in l. Stichum* 95. *in princip. ff. de solut. l.* 1. §. *item si*, *ff. ad leg. Falcid. l. si pure*, *ff. quando dies leg. l.* 8. *ff. de collat. bon. l.* 7. *l.* 8. §. *si annuâ*, *ff. de pignorat. act.* junctis Cujac. *lib.* 10. *qq. Papin. in* 1. *parvi*, *ff. de condict. furtiva*, & *lib.* 2. *in l.* 175. *ff. de verb. obl.* & *lib.* 25. *observ. cap.* 17. Fabrò *lib.* 6. *conject. cap.* 7.

(e) *Dies statuta interpellet pro domino.*] Etsi in omnibus obligationibus, in quibus dies non apponitur, præsens obligatio sit, atque ideò statim, aut saltem post modicum intervallum, id quod debetur, exigi possit, *l. in omnibus* 14. *ff. de reg. jur. l. quod dicimus* 105. *ff. de solut. l. eum qui* 41. §. 1. *ff. de verb. obl. l. promissor* 21. §. 1. *ff. de constit. pecun.* Duarenus *in l. interdum* 73. *ff. de verb. obl.* Covar. *in regul. peccatum*, 1. *p. in princip.* interim tamen dum creditor debitorem non interpellat, ab eoque debitum petiit, in mora non constituitur, *l. mora* 32. *ff. de usur. l. vinum* 22. *l. lecta* 40. §. *pactum*, *ff. de rebus credit. l. si ex legati* 23. *l. nemo* 82. §. *final. l. in insulam* 84. *ff. de verb. obl. l. Titia* 36. §. *si alteri*, *ff. de legat.* 1. pluribus relatis probat Velasetus *de privil. pauper.* 1. *p. quæst.* 25. *num.* 1. Pichardus Donel. & cæteri scriptores de mora. Cæterùm cùm frequenter contingat, ut inter contrahentes ab initio dies certa solutioni præscribatur, meritò dubitatur, an hoc casu ad moram committendam aliqua interpellatio desideretur, vel dies ipsa solutioni adjecta interpellet pro homine; idemque quæritur, cùm dies solutioni adjecta est à lege, vel à testatore? In qua quæstione nonnulli relati à Ferreto *in tract. de mora*, *num.* 22. existimant, eo casu partis interpellationem necessariam esse. Moventur primò ex regula juris civilis 88. ubi cavetur, moram nullam fieri, ubi petitio non adest; *ex dict. l. mora*, *dict. l. si ex legati*, ubi docetur, moram tunc committi, cùm postulanti res non traditur. Secundò, quia cùm dies adjecta sit favore promissoris, *l. quod in diem* 70. *ff. de solut. l. cùm tempus* 17. *ff. de reg. jur.* si sola die mora committeretur, favor hic in odium converteretur, atque ex eadem re quasi contrarii effectus resultarent, contra legem *quod favore*, *C. de legibus*, *l. legata*, *ff. de adimend. legat. l.* 3. §. *si emancipatus*, *ff. de bonor. possess. contra tabul.* Tertiò pro ea sententia expendi potest elegans textus *in l. trajectitia*, §. *de illo*, *ff. de obl. & action.* ubi quamvis obligatio diem habeat, per interpellationem tamen mora committitur, ut ex illis verbis apparet, *Si interpellatus moram ipse fecerit.* Quartò facit pro ea sententia textus *in l.* 1. §. *ultim. ff. de periculo & commod. rei venditæ*, ubi cùm vinum venditum esset eâ lege, ut ad certum diem meteretur, & tolleretur, & si id factum non esset, liceret venditori illud effundere; adhuc tamen respondit Ulpianus, etiam die elapsa effundi non posse, sed emptorem testato denunciandum, & interpellandum esse. Facit doctrina Glossæ communiter receptæ *in cap. quonam*, §. *porrò*, *ut lite non contest.* quæ docet, clericum absentem à sua Ecclesia cùm licentia proprii Episcopi, etiam die accedente non censeri morosum, nisi iterum ab Episcopo jubeatur ad Ecclesiam redire.

Contrariam tamen sententiam, videlicet ex lapsu diei absque interpellatione moram induci, & ita diem pro homine interpellare, sive à judice, sive lege, aut statuto, à testatore, vel contrahentibus dies adjecta sit, probant textus *in l. magnam.* 12. *C. de contrab. stipul. l.* 2. §. *sin autem*, *C. de jure emphyt. l. trajectitia* 22. *ff. de obl. & act. l. vinum* 22. *ff. si certum petatur*, *l. final. ff. de condict. triticar. l. pecunia* 9. *in fine*, *l. evictis* 18. *ff. de usur. l.* 1. *vers. nisi fortè*, *ff. de pen. legat.*

§. Contraria sententia probatur.

legat. l. si fundum 114. *l. ad diem* 77. *ff. de verb. obl. l. si duo, in fine, l. promissor*, §. 1 *ff. de constit. pecun. l. & si post tres* 8. *ff. si quis caut. l. Celsus* 27. *ff. de recept. l. libertus* 18. §. *manumissis*, *ff. de aliment. legat. l. fundus* 4. §. *Marcellus*, *ff. de leg. commiss. & Æmilius* 59. *ff. de minor.* quibus consonant lex 13. lex 35. *tit.* 11. & lex 8. *tit.* 14. *partit.* 5. quam sententiam tenuerunt plurimus relatis Velasc. *dict. quæst.* 25. *num.* 2. Pichardus *in disputat. de mora, num.* 67. Barbosa *in l. si mora, num.* 11. *ff. solut. matrim.* Robertus *lib.* 1. *sentent. capite* 17. Charondas *libro* 1. *verosimil. capite* 20. qui variis ampliationibus eam doctrinam illustrant. Quâ sententiâ retentâ non obstant contrariæ fundamenta. Non primum deductum ex dicta regula *Nulla*; nam verum est, moram non committi ubi petitio, seu interpellatio non est: sed juxta sententiam, quam defendimus, interpellatio adest; siquidem dies interpellat pro homine, & supervacua esset alia petitio, cùm jam ab initio de voluntate creditoris constet, & debitor certus sit, sciatque quo tempore solvere debeat, ut argumento legis *quæritur*, §. *ultim. ff. de ædilit. edict.* docuit Donellus *pag.* 90. & 92. Nec secundum argumentum obstat, in quo dicebamus, diem adjectum in favorem debitoris, in ejus odium retorqueri non debere; accipiendum enim est, quoad spatium, sive intervallum medii temporis. Verùm si tempus illud sibi ad solvendum datum, labi patiatur, planè absurdum est dicere, id ei nocere non debere; nam quo majus tempus ad solvendum à creditore impetravit, est eo nequior ejus frustratio, ob quam à jure in eo punitur, ut statim in mora constituatur; idque non tam quia intra tempus, quod habuit, non solvit, ut docuit Decius *in dicta, l. si vinum, num.* 9. cui paucis mutatis subscripsit Robertus *dicto cap.* 17. Planè si dies non differendæ, sed tollendæ obligationis, aut memoriæ, demonstrationis, vel commodioris præstationis gratiâ adjectus esset, ut in specie textus *in l. emptorem* 12. §. *denique*, *ff. de act. empt*, *l. liber* 113. §. 1. *l. ita stipulatus* 115. *vers. quod si*, *ff. de verb. obl. l. si cum præfinitione* 20. *vers. final. quando dies legat.* tunc quia superior ratio non militat, verum erit, per diei lapsum moram non induci, cùm aliâ prorsus mente adjectus fuerit. Nec etiam obstat dicta lex *trajectitia*, §. *de illa*: nam si rectè textus ille perpendatur, potiùs favet nostræ sententiæ; quia li. et Africanus proponat servum cum debitore ad pecuniam trajectitiam recipiendam missum, illum post tempus ut solveret interpellasse; statim tamen docet, hujusmodi interpellationem necessariam non fuisse, quod significant illa verba: *Ampliùs etiamsi omnino interpellatus non esset.* Nec contrarium probatur in illis verbis: *Si interpellatus ipse moram fecerit.* Nam ibi nullo modo docere voluit, interpellationem desiderari; sed supposito quod dixerat, servum de facto interpellasse debitorem, incipit tractare, an si debitor pœnitentiâ ductus pecuniam obtulerit, moram semel commissam emendare possit, & à pœna, quam semel debere cœperat, liberari? Et non liberari respondet, & rectè, ut expositi Cujacius in eodem textu. Minorem difficultatem continet textus *in dicta l. ultim. ff. de pericul.* nam ibi contrahentes non convenerunt, ut ad certum diem vinum effundere liceret; quod si id pacto comprehenderetur, verè posset dici, diem pro homine non interpellasse; sed tantùm diem mensurationi, & exportationi vini posuerunt, intra quem si non mensuretur, & asportetur, potest venditor jure suo uti, ex facultate sibi à lege concessa, & vinum effundere post denunciationem venditori factam: tollendi namque, & asportandi rem venditam obligatio ad emptorem spectat, si ea res venditori damno, & impedimento sit, *l. si cum* 7 *ff. de dolo.* Qua ratione, & extra causam emptionis eo nomine interdictum dari solet, *l. Prætor* 7. §. 1. *ff de damn. infecto.* Quod si non tollat, jus effundendi venditori conceditur: quamvis Ulpianus subjiciat *in dicto* §. *licet*, quòd laudandus sit venditor, qui hoc jure & facultate non utitur, maximè cùm mercedem doliorum ab emptore exigere possit: quibus verbis, an consilium venditori ab Ulpiano detur, an necessitas injungatur, post Accursium ibi disputat Robertus *lib.* 3. *sentent. cap.* 12. Nec obstat ultimum fundamentum contrariæ sententiæ; nam respondetur cum Decio *in dict. l. vinum, num* 9. valde differre sententiam Glossæ à terminis præsentis quæstionis; nam debitor, cui dies præscripta est ad solvendum, si intra eam non solvat, eo ipso in mora constitutus intelligitur; licentiâ verò datâ clerico ab Episcopo, ut à beneficio ad tempus abesse possit, nullo modo talis licentia ad ipsius beneficii privationem dirigitur, sed tantùm eò tendit, ut clericus habeatur pro residente; unde fit, ut eo tempore elapso absens incipiat judicari: quare cùm monitio desideretur, ut ille privari possit beneficio, ut notavi passim *in titul. de clericis non residend.* ideo post lapsum diem ultimum licentiæ concessæ ab Episcopo, monitio desideratur.

COMMENTARIUM.

EX præsenti Gregorii constitutione sequens communiter deducitur disputanda assertio: *Emphyteuta cadit à jure suo, si per biennium cesset in solutione canonis, aut vendu meliorationes tre-quisito domino.* Probant eam textus *in l.* 2. & 3. *C. de jure emphyt. authent. quires, C. de sacros. Eccles. novella* 12. §. 2. *collat.* 9. *l.* 28. *tit* 8 *part.* 5 Illustrant ultra congestos à Barbosa & Garanna, Canisius & Cujacius *in præsenti*, Velasc. *de privil. pauper. part.* 1. *quæst.* 33. *per tot.* Acacius Ripol. *variar. titul. de jure emphyt. cap.* 7. Sesse *tom.* 1. *decis.* 35. & *tom.* 2 *decis.* 205. Sarmient. *lib.* 3. *select. cap.* 8. Bronchorst. *enantioph. centur.* 1. *assert.* 83. & *miscel. assert.* 45. & 46. Gibalinus *lib.* 4. *de usuris, artic.* 1. *de emphyt. cap.* 3. Mancinus *sacri juris controv. dissert.* 25. & *libro* 1. *genial. cap.* 29 Cujacius *in l.* 3. *C. de jure emphyt.* Redoanus *de rebus Eccles. quæst.* 74. Zypeus *consult.* 1. *ad hunc titul.* Hermosilla *in l.* 58. *glos.* 2. & *in l.* 42. *glos.* 2. *titul.* 5. *part.* 5. Cancerius 1. *tom. var. cap.* 11. Olea *de cess. jur. tit.* 3. *quæst.* 2. *numero* 19. Manrique *de different. utriusque fori, quæst.* 36. Elfricus Hunnius *in encyclop. part.* 3. *tit.* 2. *cap.* 2. Richerius *in dict. authentica qui res*, Faber *de error. decad.* 95. Cortasius 2. *tom. ad titul. C. de jure emphyt. in l.* 2. Brito *ad hunc textum*, Ritherusius *ad dictam novellam* 120. *Justinian.* 6. *Conclusio traditur, & probatur.*

Sed pro dubitandi ratione adversus priorem partem hujus assertionis ita insurgo. Alienationis verbo, tam venditio, quàm donatio comprehendi- 7. *Traditur ratio dicendi.*

prehenditur, *l. alienationis, ff. de v. ſ. cap. nulli, de rebus Eccleſ.* ſed emphyteuta poteſt donare irrequiſito domino jus, quod in emphyteuſi habet, & melioramenta, *l. in conventionibus 219. ff. de v. ſ.* docent Donellus *lib. 9. comment. cap. 14.* Bronchorſt. *centur. 1. aſſert. 80.* igitur & vendere poterit. Augetur hæc difficultas ex eo, nam qui à fiſco rem in emphyteuſim accepit, poteſt inconſulto fiſco rem ipſam in alios tranſferre, *l. 1. C. de fund. patrim. lib. 11.* probat Faber *decad. 64. error. 1.* igitur & rem privatam accipiens poterit eam vendere, ſeu ejus melioramenta. Contra aliam partem ipſius concluſionis, ubi aſſeritur, per ceſſationem ſolutionis per biennium emphyteuſim amitti, obſtat quod, ut emphyteuta amittat emphyteuſim, & cadat in commiſſum, non per biennium, ſed per triennium debet ceſſare in ſolutione, *l. in emphyteut. C. de jure emphyteut. Novella 7. Juſtin. capite 3. §. ſcire*, Jul. Clarus *§. emphyteuſis, quæſt. 27.* Igitur non ſufficit per biennium ceſſare in ſolutione, ut in præſenti docetur.

8. *Traditur dubitandi ratio.*

Quibus difficultatibus minimè obſtantibus vera eſt præſens conſtitutio, pro cujus ratione percipienda, omiſſis quæ de emphyteuſis origine, & legibus adduci *in cap. ad aures, de rebus Eccleſ.* ſciendum eſt, quod etſi emphyteuta dominium utile ipſius rei in emphyteuſim datæ habeat, ut practici docent, non tamen poteſt pro libito de eo diſponere; nequit enim jus emphyteuticum, ſeu melioramenta à ſe facta vendere, niſi denunciatione priùs vero domino factâ, ut ipſe, ſi velit, melioriationes emat, aliàs ſi irrequiſito domino vendat, omne jus, quod in ipſa re habebat, amittit, emphyteuſiſque cadit in commiſſum, & ad dominum directum redit; quod magna ratione introductum eſt, ne videlicet inconſulto domino cui dominium directum competit, ipſa res alienetur, *l. final. C. locati*, Faber *decad. 95. cum ſequentibus*, Hunnius *volum. 2. diſp. 2. quæſt. 31.* Corraſius *2. tom. fol. 366.* tum quia ipſe verus dominus eſt; tum quia res omnis ad libertatem maximè properat; tum etiam ut ob novæ emphyteuſis creationem laudemium dominus conſequatur, quod *ex l. ultim. C. de jure emphyteut.* præſtare tenentur omnes, qui cùm in contractu comprehenſi non eſſent, poſtea vocantur ad emphyteuſim; & ut cognoſcatur, nec contemnatur dominus, in eamque difficultatem perducatur invitus, ut ſi agere velit, & rem vindicare adverſus eum, in quem translata emphyteuſis fuerit, jus dominii ſibi competens (quod difficillimum cuique eſt) oſtendere compellatur, ut docent Corbulius *de emphyteuſi in proœm. ampliat. 31. num. 11.* Mancinus *dict. diſſert. 24. num. 3.* In alia etiam parte hujus textus rectè docetur, non ſolventem canonem per biennium, privari ipſo jure emphyteuſi; quia à jure præſcripta eſt hæc pœna contra non ſolventem canonem debito tempore. Unde cùm in pœna legali dies interpellet pro homine, tranſacto biennio ſtatim emphyteuſis cadit in commiſſum. Quærunt tamen Interpretes, an emphyteuta non ſolvens canonem per biennium, ipſo jure excidat ab emphyteuſi; an verò opus ſit ſententiâ, ſaltem declaratoriâ? Et ipſo jure excidere, docuerunt Baldus, Salicetus, & Corraſius *in dicta l. 2. C. de jure emphyt.* moti ex eodem textu, ubi poteſtas datur domino repellendi emphyteutam; & *ex l. penult. C. de pignorat. action. l. quiratiario 30. ff. eodem*, ubi dicitur, creditorem poſſe propria auctoritate ex pacto auferre pignus à debitore. Igitur ſi hoc licet ex conventione, multò magis ex legis auctoritate licebit domino expellere emphyteutam. Contraria tamen ſententia æquior & probabilior eſt, videlicet deſiderari judicis ſententiam, ut declaretur, emphyteutam cadere ab emphyteuſi, ab eaque expelli; nam in eodem caſu, ſcilicet ob non ſolutum canonem, pronunciatum eſſe à judice, fundum emphyteuticum ad dominum rediiſſe, probatur *ex l. lex vectigali. ff. de pignor.* Et licèt res ipſo jure cadat in commiſſum, tamen judicis miniſterio opus eſt, ne ſingulis concedatur quod publicè per magiſtratum fieri debet, *l. non eſt ſingulis, ff. de reg. jur. l. dotis 9. C. ſolut. matrim.* Nec obſtat textus *in dict. l. 2. C. de jure emphyt.* ubi verbum *repellendi*, ad juris intellectum referri debet, & non ſignificat corporalem dejectionem, ſed legitimam expulſionem, quæ non fit de facto, ſed per juris remedia, *l. extat, ff. quod metus causâ.* Nec obſtat quod de creditore expendebamus; nam creditor poteſt propriâ auctoritate ex pacto pignus auferre, ſi debitor non reſiſtat, aliàs non poterit occupare poſſeſſionem, niſi interveniente auctoritate judicis. Nec intereſt ad hoc, ut dominus expellat emphyteutam, quod aliam pœnam ſtipulatus ſit, niſi penſionem ſolvat debito tempore, quia cùm aliquid adjicitur obligationi, per hoc non eſt ab ea obligatione receſſum, *l. 4. §. ſi ex conventione, ff. de re judic.* docent Corraſius *in dict. l. 2. numero 32.* Bronchorſt. *centur. 1. aſſert. 83.* Gibalinus *de uſuris libro 4. capite 1. art. 1.* Nec obſtat textus *in l. poſt diem, ff. de lege commiſſ.* ubi qui fundum vendidit ſub lege commiſſoria, ſi petat pretium poſt diem præſtitutum, & deinde velit uti jure commiſſi, non auditur, quia non licet ſimul pretium, & pœnam petere, *l. ultim. ff. de eo quod certo loco*; nam hoc procedit, quia venditor tunc contraria intendit, ſiquidem petendo pretium, ratam facit venditionem, ad pœnam verò commiſſi agendo, eam impugnat; quod non procedit in noſtro caſu. Nec etiam obſtat textus *in l. 4. §. Labeo, ff. de dolis except. l. ita ſtipulatus 115. ff. de verb. obl. l. reſcriptum 11. §. 1. ff. de pactis*: ubi dicitur, non poſſe ſimul pœnam exigi, & rem propter quam pœna promiſſa eſt; nam id procedit quando pœna per ſe non ſtat, ſed accedit principali obligationi; tunc enim peremptâ principali obligatione tollitur quoque acceſſoria obligatio pœnæ uſurarum, ſeu in id quod intereſt, *l. qui per colluſionem, §. ultim. ff. de action. empti, l. 4. C. depoſiti*; pœna verò expulſionis ab emphyteuſi non eſt acceſſoria, ſed æquè principalis. Nec etiam obſtat lex *vectigalia, §. ultim. ff. de public. & vectig.* ubi dicitur, quod ſi conductor vectigalium non exſolvat penſiones, poteſt expelli à jure vectigalis, vel ad uſuras penſionis conveniri, & utrumque non rectè peti. Nam reſpondetur, ibi agi de publici pœna, expulſionis nempe, & uſurarum penſionis non ſolutæ, quarum alterâ dominus debet eſſe contentus; in noſtro autem caſu pœna ſtipulatione comprehenſa, loco principalis debiti, id eſt, annuæ penſionis, petitur. Proſequuntur latiùs alias quæſtiones reſolventes circa hanc pœnam amiſſionis emphyteuſi, Seſſe *tom. 2. deciſ. 204. & ſequenti.* Velaſcus *de privil. pauper.*

pauper, quæst. 33. per tot. Bronchorst. *dict. assert.* 80. *cum sequent.*

9. Dissolvitur ratio dubitandi.

Nec obstat prior dubitandi ratio suprà expensa; nam verum est, tam in emphyteusi privata, quàm à fisco accepta, emphyteuticarium posse jus ipsum, & melioramenta invito domino donare; non verò vendere. Ratio differentiæ ex eo provenit, quia dominus ideo admonetur, ut suprà dixi, ad hoc, ut si velit idem pretium offerre, præferatur; in casu autem donationis, si necessariò admonendus esset, semper vellet ut sibi donaretur; nec facilè pertimescenda est ea injuria à colono, cùm non tam facilè quisquam donet, quàm vendat: in hoc rei pretium captatur, in illo res perditur, *l. 7. ff. de donat.* Sic mulier non prohibetur donare, sed fidejubere prohibetur, *l. 4. in fine, ff. ad Vellejan.* Decuriones nihil vetat prædia donare; vendere, sperato scilicet pretio, eis non licet, *l. 1. l. ultima, C. de prædiis Decur.* docuerunt Corrasius *in d. l. 2. n. 9.* Fornerius *lib. 2. select. cap. 30.* & ita hoc casu locum non habet regula legis *cui jus 163. ff. de reg. jur.* Nec obstat textus *in l. universas, C. ne rei domin. vel temporal.* ubi statuitur, quod Ecclesiæ, vel Reipublicæ bona emphyteutica nullo titulo oneroso, vel lucrativo alienari possint. Nam respondetur, quod emphyteuta post jus suum donare, modò citra fraudem, & cum hac protestatione donet, quod velit jus Reipublicæ, atque Ecclesiæ per hoc salvum atque incolume manere: docuerunt Bronchorst. *dict. assert.* 80. Osvaldus *lib. 3. Donel. cap. 15. littera I. & H.* Nec obstat etiam alia difficultas, nam pro ejus solutione discrimen est constituendum inter emphyteusim Ecclesiæ, & à privato concessam; nam in emphyteusi Ecclesiæ sufficit cessare in solutione per biennium; in emphyteusi verò privata desideratur cessatio solutionis per triennium.

10. Exponitur cap. 3. de dilationibus.

Suprà traditis obstat textus *in capite 3. de dilat.* in illis verbis: *Quod pensio de possessionibus soluta non fuerit ipsi Ecclesiæ, elapsis jam tribus annis.* In quibus supponitur, adhuc per cessationem solutionis per triennium non amitti emphyteusim. Igitur non rectè in præsenti asseritur, cessantem à solutione canonis per biennium amittere emphyteusim. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, in eo textu non agi de pensione ex causa emphyteusis debita, sed ex alia causa locationis. Ponamus quod Ecclesiæ sit persolvenda, in ea ob cessationem in ejus solutione res non cadit in commissum, nec qui cessavit in solutione, amittit.

TITVLVS XIX.

De rerum permutatione.

CAPVT I.

Ex Concilio apud (a) *Silvan.*

SI Princeps voluerit rem mobilem sanctis locis præstare, & accipere ab eis aliam immobilem, eoque modo de communi voluntate permutationem contrahere; liceat ei hoc facere, si causa rationabilis id exposcat, & res, quam præstiterit, (b) major fuerit, vel æqualis, pragmaticâ sanctione super hoc promulgatâ.

NOTÆ.

1. (a) *Silvan.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. apud Burchardum verò *lib. 3. Decreti, capite* 164. citatur textus hic ex novella 7. *cap.* 2. & rectè, cùm verba hujus textus reperiantur in novella 7. Juliani antecessoris, *de rebus Ecclesiæ, cap.* 2. ex qua transcripsit Irnerius authenticam *sed & permutare, C. de sacros. Eccles.* quæ extat apud Gratianum *in cap.* 3. 10. *quæst.* 2. ex quibus locis in aliqua Synodo apud Silvanectum celebrata transcripta fuerunt hæc verba, ut jam notavi *in cap.* 1. *de rebus Eccles.* & etiam leguntur inter Capitularia Caroli, & Ludovici *lib.* 2. *Capitul. cap.* 130. Quare si originem hujus sanctionis quæramus, à dicta novella 7. eam repetere debemus; si autem ipsam sanctionem firmatam, & transcriptam desideramus, eam inveniemus *in d. lib.* 2. *Capit. cap.* 30.

(b) *Major fuerit, vel æqualis.*] Hæc verba non extant in dicta novella 7. nec in dicto Capitulari; reperiuntur tamen in dicta authentica.

COMMENTARIUM.

2. PErmutationes rerum Ecclesiarum PP. Ecclesiæ semper improbarunt, & abhorruerunt, & maximè Prælatis Ecclesiæ Gallicanæ exosæ visæ fuerunt, ut ex Conciliis Parisiensi, Valentino, & Meldensi probat Antonius Augustinus *lib.* 15. *epitom. tit.* 43. justa tamen causâ suggerente eas permiserunt, unde extat in Decreto Burchardi sequens rubrica: *Ut non liceat alicui unius Ecclesiæ terram, nisi cambiaverit, vertere ad aliam.* Cambiare enim est permutare, ut in lege Salica, *titul.* 39. §. 1. ibi: *Si comparere, aut cambiare dixerit.* Nec similes permutationes etiam ex justa causa celebrare licebat in Gallia, nisi de licentia Principis. Concil. Matisc. *can.* 4. ibi: *A sancta Synodo decretum est, &*

Imperialis auctoritas denuntiat, ne commutationes rerum, vel mancipiorum ecclesiasticorum quælibet persona sine licentia & consensu regia præsumat facere. Refert Burchardus *libro 3. Decreti, capite 173.* ideoque Flodoardus *histor. Rhemens. libro 2. capite 19.* Ebonem Antistitem Imperialia super eisdem commutationibus præcepta obtinuisse refert, & in traditionibus Fulden. *libro 11.* legitur, *Conventione inter se de concambio factâ, rogatu antedicti Comitis, cum scientia, & licentia gloriosi Francorum Regis Ludovici.* Qui consensus vocabatur præceptum concambii apud Marculfum *libro 1. formul. capite 31.* cujus moris ratio erat, quod cùm Reges sint patroni, & largitores bonorum Ecclesiæ, eorum interest dotes Ecclesiarum salvas manere. Specialiter autem in Synodo Silvanectensi Principi concessum fuit, ut commutationes cum rebus Ecclesiæ facere possit, ut referunt Bignonius *ad Marculfum libro 1. capite 31.* Bosquet. *ad Innocentium III. libro 1. epist. 37.* aliâ re ab eo assignatâ ejusdem valoris, & bonitatis; quo modo accipiendus est Innocentius III. *libro 1. regestr. 13. epistol. 38.* ibi: *Cùm, sicut charissima in Christo filia M. quondam Constantinopolitana Imperatrix Illustris, nostrus fecit auribus intimari, per casale Agetriadæ, quod ad Thessalonicensem spectat Ecclesiam, terra ipsius gravem sustineat læsionem: Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus cùm præfatæ Ecclesiæ provisum fuerit in Pastore, ipsum moneatis prudenter, & efficaciter inducatis, ut illud cum ea sine dispendio juris sui satagat permutare.* Non tamen in dicta Synodo Silvanectensi omnis permutatio absolutè permittitur, sed quæ fit cum communi consensu Ecclesiæ; tantùm enim Patres pro causa legitima alienationis habuerunt voluntatem Principis, aliàs enim res Ecclesiæ in Principem sæcularem alienare prohibitum est. Synodus 7. Constantinopolitana *can. 12.* ibi: *Si quis Episcopus, vel monasterii Præfectus inventus fuerit ex Episcopatus, vel monasterii agris in Principis alicujus, aut Magistratus manus alienare, vel alteri personæ tradere, nullius sit momenti traditio.*

CAPVT II.

Ex Concilio (a) *Belvacensi.*

VT commutationes rerum ecclesiasticarum, quæ ab antecessore inconsultè factæ sunt, ab eo, qui successor est, emendentur.

NOTÆ.

1. (a) *Belvacensi.*] Ita etiam habetur in prima collectione, *sub hoc titul. capite 2.* & apud Ivonem *libro 7. Decreti, capite 3.* Burchardum *lib. 3. Decret. capite 171.* Et licèt ipsa Synodus non reperiatur, tamen verba hujus textus extant in Concilio Meldensi, *can. 23.* ibi: *Ut commutationes rerum ecclesiasticarum valde caveantur, & subtilissimè, si aliquo modo fieri debent, inspiciantur: quæ autem inconsultè sunt factæ, juxta decretum canonicum Papæ Hilarii, quæ illicitè decessor Episcopus admisit, vel ab aliis illicitè commissa sunt, ab eo, qui successor est, emendentur.* Et quia canones Concilii Belvacensis transcripti fuerunt in Concilio Meldensi, ut notavit Sirmondus *in notis ad Concil. Meldense*, ideo præsens textus citatur ex Concilio Belvacensi. Concilium Belvacense celebratum fuit in Gallia anno 845. mense Aprilis; locum & res in eo gestas narrat Flodoardus *in vita Hincmari libro 3. capite 1.* quem transcripsit Binius *in notis ad ipsum Concilium.*

COMMENTARIUM.

INter alienationis species circa res Ecclesiæ prohibitas, permutatio reperitur, *capite 1. de his quæ fiunt à Prælat. capite sine exceptione 12. quæstion. 2. capite 7. capite tua 8. de his, quæ fiunt à Prælat. capite nulli, de rebus Eccles. authentica de rebus Eccles. §. nos igitur*; & rectè: nam cùm ex permutatione dominium transferatur, si penes permutantes erat, *l. 1. §. Pedius, ff. de rerum permut.* illustrat Merillus *libro 1. var.* ex Cujacio *capite 28.* rectè ut alienationis species permutatio circa res Ecclesiæ, sine causa, & debita solennitate prohibita est, ut jam probavi *in capite 1. de rebus Ecclesiæ.*

CAPVT III.

Ex Concilio apud (a) *Silvan.*

MAncipia Ecclesiastica commutari nisi ad libertatem non possunt, videlicet, ut mancipia, quæ pro ecclesiastico homine dabuntur, in Ecclesiæ servitute permaneant, & ecclesiasticus homo, qui commutatur, perpetua libertate fruatur: quod enim semel Domino consecratum est, ad humanos usus jam transferri non potest.

NOTÆ

NOTÆ.

(a) *Silvan.*] In prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. legitur, *Apud Sinacum*, apud Burchardum *lib. 3. Decreti, cap.* 173. & Carnotensem *p. 3. Decreti, c.* 234 habetur, *Apud Carisiacum*, nec omnino malè, nam Carolus Magnus varias Synodos habuit in Carisiaco ejus palatio, ut refert Sirmundus *in capitul. Caroli*; unde credo in aliqua ex his Synodis, vel potiùs Silvanectensi præsentem canonem editum fuisse: post verba autem in præsenti à Raymundo relata, hæc sequuntur apud Burchardum, & Carnotensem; *Ait enim lex, Si quis mutaverit, & quod mutatum est, sanctificabitur Domino.*

CAPVT IV.

(a) *Ex eodem.*

INjustum videtur, & impium, ut mancipia, quæ fideles viri, seu fœminæ pro remedio animæ suæ Deo, & Sanctis ejus consecrarunt, cujuscunque muneris mancipio, vel commutationis commercio iterum sæcularium in servitutem redigantur, cùm canonica auctoritas servos fugitivos tantummodò distrahi permittat: & ideò Rectores Ecclesiarum summopere caveant, ne unius eleemosyna alterius peccatum fiat: & est absurdum, ut ab ecclesiastica (b) dignitate servus discedens, humanæ sit obnoxius servituti.

NOTÆ.

(a) *Ex eodem.*] Ita etiam legitur in prima collectione *sub hoc titul. capite* 4. apud Burchardum verò *lib. 3. Decreti, capite* 174. & Ivonem *part. 3. Decreti, capite* 235. legitur, *Apud Carisiacum*: in decreto Gratiani sub nomine Paleæ ejus discipuli refertur *in capite injustum* 55. 12. *quæst.* 2. sed legendum est ut in textu antecedenti.

(b) *Ecclesiastica dignitate.*] Quia privilegiis variis gaudebant servi Ecclesiæ, ut infrà dicemus.

COMMENTARIUM.

EX his duobus canonibus talis communiter deducitur assertio: *Servus Ecclesiæ nec alienari, seu permutari potest, nisi sit fugitivus.* Probant eam textus *in cap. fugitivi* 54. 12. *quæst.* 2. Synodus Suession. sub Carolo, *capite* 12. ibi: *Ut missi nostri omnibus per illorum missaticum denuncient, ne commutationes rerum, vel mancipiorum quilibet Prælatus earundem rerum ecclesiasticarum, sine licentia, vel consensu nostro facere præsumat, neque mancipia ecclesiastica quisquam nisi ad libertatem commutet; videlicet, ut mancipia, quæ pro Ecclesiastico dabuntur, in Ecclesiæ servitute permaneant, & ecclesiasticus homo, qui commutatus fuerit, perpetuâ libertate fruatur.* Illustrant ultra congestos à Barbosa *in præsenti*, plures relati à Luna, & Arellano *lib. 3. antinom* 4. Lemaistre *de juribus Eccles. lib. 3. cap. 9.* Petrus Gregorius *lib. 3. partit. tit. 15. capite 3.* Cujacius *in præsenti.*

Sed pro dubitandi ratione in hanc assertionem ita insurgo: Vel in præsenti prohibetur permutatio servorum Ecclesiæ absque debita solennitate, vel cum ea. Si prima, generaliter sit prohibitio in omnibus Ecclesiæ rebus, quæ permutari non possunt sine justa causa & debita solennitate, ut probavi *in capite 1. de rebus Eccles.* Si cùm debita solennitate celebretur, non est ratio, quare permutatio in aliis rebus Ecclesiæ, sive ejus prædiis consistat; in mancipiis verò non admittatur; siquidem æqualiter prædia, ac mancipia Ecclesiæ donata, dicataque sunt: ergo si in aliis rebus permutatio procedit, & in servis admitti valet. Accedit, nam aliæ res consecrantur in usum Ecclesiæ, aliæ verò sunt quæ donantur, aut dedicantur Ecclesiis, piisque locis, potiùs ad divitias, & devoti animi ostentationem, quàm ad servitium in rebus ipsis divinis; qualium donationum exempla vetera multa adducit Renatus Chopinus *lib. 3 de sacra pol. titul. 1. ex numero 2.* Solorzanus *emblem. 40. per totum.* Hæc donaria potiùs sunt sacro commendata, & in templi ipsius dominium translata, quàm sacra, & commercio exempta, si perpetuo & irrevocabili animo hæc dona dedicata sunt, non verò si tantùm destinentur servitio templi, ad usum potiùs, quàm ad proprietatem, *l. servus 35. ff. de liber. caus.* secus si perpetuo animo, *l. servos 17. de alim. legat.* quæ res non fiunt sacræ ex donatione, *l. si nondum 3. C. de furtis*: quâ doctrinâ abutitur impiè Connanus *lib. 3. commentar. cap. 8 in fine*, rectiusque accipiunt Antonius Clarus & Silvius ad leges Regias *lib. singul. capite 9.* & Cujacius *lib. 9. respons. Papin. in dict. l. servos 35.* Inter quas res Ecclesiarum, & res sacras magna versatur differentia; nam res Ecclesiarum in commercio sunt, idcirco alienantur, licèt sub præscripta solennitate; res verò sacræ divini juris sunt, *l. 1. ff. de rerum divis.* ergo servi tantùm donati Ecclesiæ permutari possunt cum aliis. Secundò difficilis valde est exceptio præsentis prohibitionis de servis fugitivis, quatenus docent Patres, servos fugitivos alienari, & permutari posse: nam ex Senatusconsulto ad legem Flaviam de plagiariis facto, ille quoque incidit in legem Flaviam, qui fugam servi sui vendidit, *l. 2. ff. ad legem Flaviam, l. 5. final. C. eodem tit.* docent Antonius Matthæus *de crimin. lib. 48. Pandect. tit. 12. cap. 1. num. 6.* Villota *de servis fugitivis.* Igitur non rectè in præsenti docetur, servos fugitivos alienari, & permutari posse.

Adhuc tamen defendenda est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, non minorem ecclesiastici patrimonii partem olim ex servis, & eorum operis,

& mancipiis constasse, quæ fideles pro redemptione peccatorum suorum inter vivos, aut testamento Ecclesiæ donabant; unde crebra eorum mentio in vetustioribus Ecclesiæ Conciliis, chartis donationum, & antiquis monumentis fit: plures Ecclesiæ canones congerit Anton. Augustinus *in epit. juris lib* 10. *ex tit.* 22. *usque ad* 27. & probat Nicolaus Lemaistre *lib.* 3. *juris eccles. cap.* 4. *cum sequent.* ubi de servis, colonis, originariis, casatis, vassallis Ecclesiæ agit, de quibus jam aliqua adduxi *in cap.* 1. *& 2. de servis non ordin.* Circa servos autem illos Ecclesiæ tria examinanda sunt pro exactiori hujus textus illustratione. Primum versabitur circa functiones, & operas, quas illi Ecclesiæ impendebant: secundum de disciplina, in qua educabantur: tertium de gradu eorum, seu dignitate, ut in præsenti appellatur. Quoad primum tria functionum, seu operarum genera ipsi præstabant; aut enim religiosis erant obsequiis addicti, aut prophanis, aut nec sacris, nec prophanis operibus vacabant, sed tantùm tributo, sive annuo censu se subjectos fatebantur. Religiosas operas præstabant quoties testatores eos legaverant Ecclesiæ, vel ad custodiam, vel ad labes, & ruinas Ecclesiarum instaurandas, vel ad sepulchra observanda, purganda, & defendenda. De hoc autem servorum genere mentionem expressam facit canon 9. Concilii Parisiensis 3. cujus titulus est: *De famulatu, & ministerio servorum.* Vult enim Concil. Parisiense, ut servos à defuncto legatos pro sepulchris custodiendis nefas sit ab his functionibus avelli, quin etiam si testatores Ecclesiarum defensioni eos mancipaverint, eas strenuè tueantur, ibi: *De degeneribus servis, qui sepulchris defunctorum pro qualitate ipsius ministerii deputantur, hoc placuit observari, ut si quâ ab auctoribus fuerint conditione dimissi, sive hæredibus (id est, sive hæredes eos deputaverint sepulchris parentum) sive Ecclesiis fuerint deputati, voluntas defuncti circa eos in omnibus debeat observari: quod si Ecclesia de fisci functionibus in omni parte defenderit, Ecclesiæ, tam illi, quàm posteri eorum defensioni in omnibus potiantur, & occursum impendant.* Ubi per servos degeneres intelligit Lemaistre *dict. lib.* 6. *cap.* 6. quos antiqui medastinos dicebant, id est, sine ullo artificio, & officio; quos ideo custodiam sepulchrorum, & occursum impendere explicat, juxta ritum antiquum Romanorum, apud quos in usu erat servos pileatos pompam funebrem anteire. Post religiosas operas, quas servi Ecclesiæ impendebant, sequuntur prophanæ, quæ triplicis generis sunt; rusticæ, sive colonariæ; domesticæ, & militares. De colonariis extat cautum lege Alemanica, *titul.* 22. his verbis: *Servi Ecclesiæ tributa sua legitimè reddant, quindecim siclas de cervisa, porcum valentem tremisse uno, panem modia duo, pullos quinque, ova viginti. Ancillæ autem opera imposita sine neglecto faciant; servi dimidium sibi, & dimidium in dominico arativum reddant; & si super hæc est, sicut servi ecclesiastici, ita faciant, & tres dies ibi, & tres in dominico.* Quæ verba exponit Lemaistre *dicto capite* 6. Operas domesticas impendebant juxta ministerium illis præscriptum ab Episcopo, vel Ecclesiæ Prælato. Unde in chronico Constantiensi, *capite* 19. in vita Sancti Gebardi legitur, post exstructum monasterium servos ad monachorum monasteria deputasse, ibi: *Post hæc convocatis servis suis elegit ex eis optimos quosque; & constituit ex eis cocos, pistores, caupones, fullones, sutores, & hortulanos, & carpentarios, & singularum artium magistros.* Tandem militares operas impendebant, cùm opus erat Ecclesiam, aut res ejus à prædatione defendere, qui etiam equos suos tenebantur commodare, quoties fratres illis egerent, ut sequitur in eodem chronico Constantiensi, ibi: *Constituit alios clientes, qui equitando deservirent, scilicet ut semper parati essent ad equitandum quocunque necessitas exegisset, & ad commodandum fratribus cavallos suos, quocunque poscerent.*

Succedit disciplina servorum Ecclesiæ, ac modestia, quam magnoperè in eis Ecclesia semper optavit; unde in Concilio Aurel. 4. sub Childeberto, *can.* 23. cautum fuit ita: *Servos Ecclesiæ, vel sacerdotum, prædas, & captivitates exercere non licet, quia iniquum est, ut quorum domini redemptionis præstare solent suffragium, per servorum excessum disciplina ecclesiastica maculetur.* Educabantur quippe servi Ecclesiæ cum spe clericalis gradus, quibus si mores, studiaque honesta favebant, clericalis ordo concedebatur. Concil. Tolet. 4. *can.* 74. ibi: *De familiis Ecclesiæ constituere presbyteros, & diaconos per parochias liceat; quos tamen vitæ rectitudo, & probitas morum commendat.* Concil. Emerit. *can.* 18. Toletanum 9. *can.* 11. ibi: *Qui ex familiis Ecclesiæ servituri devocantur in clerum ab Episcopis suis, necesse est ut libertatis percipiant donum; & si honestæ vitæ claruerint meritis, tunc demum majoribus fungantur officiis: quos verò fugiui sordidaverit incorrigibilis noxa, perpetua servitus conditionis teneret in catenam.* Aliquando verò ut eorum improbos mores compescerent, Ecclesiæ Prælati usque ad membrorum truncationem deveniebant, quam emendationis speciem ut indignam majestate sacerdotis reprehendit Synodus Emirit. *can.* 15. verbis his: *Placuit huic sancto Concilio, ut omnis potestas Episcopalis modum suæ ponat iræ, nec pro quolibet excessu cuilibet ex familia Ecclesiæ aliquod corporis membrorum præsumat extirpare, aut auferre: quod si talis ejus erit culpa, advocato judice civitatis ad examen ejus deducatur.* Quoad servorum Ecclesiæ dignitatem, & privilegia constat eos eodem gradu, ac pretio, quo servos Regios fuisse; unde qui servum Ecclesiæ interfecisset, triplum restituere tenebatur; sicut qui servum Regium occiderat, *legib. Alemanicis titul.* 8. ibi: *Si quis servum Ecclesiæ occiderit, in triplum componat, sicut solet servus Regis.* Et *titul.* 22. *de receptione servorum fugit.* ibi: *Si quis mancipium Ecclesiæ, aut servum, aut ancillam fugitivum receperit, aut ipse presbyter requirat, aut missus ejus legitimus, & ille neglexerit reddere, & contra legem antisteterit, sicut solet aliis Alemanicis componere, ita & tripliciter componat.* Et legibus Ripuariorum *capite* 9. cavetur: *Si quis regium hominem interfecerit, centum solidis culpa judicatur.* Et *capite* 10. *Si quis hominem Ecclesiasticum occiderit, centum solidis culpa judicatur.* Præter hanc cum servis regiis parem conditionem, & illa fuit servorum Ecclesiæ prærogativa, ne fisci oneribus tenerentur, videlicet ne cogi possint ad angarias, & parangarias, sicut reliqui ex servis, qui vehicula, & operas suas conferre tenebantur, Concilii Tolet. 3. *can.* 22. ibi: *Quoniam cognovimus*

1. De disciplina, & gradu servorum Ecclesiæ.

novimus per multas civitates Ecclesiarum servos, & Episcoporum, vel omnium clericorum, à judicibus, vel auctoribus publicis diversis angariis fatigari, omne Concilium à pietate Domini nostri poposcit, ut tales deinceps ausus inhibeat: sed servi suprascriptorum officiorum, in eorum usibus, vel Ecclesia laborent. Si quis verò judicum, aut actorum, clericum, aut servum clerici, vel Ecclesiæ in publicis, aut privatis negotiis occupare voluerit, à communione ecclesiasticâ privetur.

Ex his apparet, mitissimum servitutis genus fuisse, quo servi Ecclesiæ tenebantur, & pium servitium, quod in Ecclesiam impendebant; & ita eos ab Ecclesia distrahi, & in laicam manum transferri, pœna, & supplicium servorum videbatur, qui meliorem, ac clementiorem dominum nancisci non poterant, quàm Ecclesiam, è cujus familia alienati, non tam mutasse servitutem videbantur, quàm amisisse libertatem, ut in præsenti textu docetur: quod & facilè suadetur si attendamus studium Ecclesiæ in extraneis servis ad eam confugientibus ab injuria dominorum liberandis, de quibus *in l.* 1. *C. de his qui ad Ecclesiam*: si enim servi atrocitatem dominorum metuentes, ad Ecclesiam confugiebant, non priùs ab ea avelli poterant, quàm si dominus solennem sponsionem dedisset de servis non lædendis. Unde lucem sumit canon 39. Concilii Epaunensis: *Servus reatu atrociore culpabilis, si ad Ecclesiam confugerit, à corporalibus tantùm supplicius excusetur; de capillis verò, vel quocunque opere, placuit à dominis juramenta non exigi.* Quid est verò juramentum de capillis non exigi? Id certè ex antiquo ritu illustratur; quippe servis negligentibus, atque otiosis capillos incidere, ac turpiter detondere mos fuit apud antiquos; nam flagellatio, & detonsio propria sunt servorum supplicia, ut patet *ex capitul. libro* 3. *titul.* 30. ex legibus Longobard. *libro* 3. *titul.* 7. *l.* 1. Volunt ergo Patres Concil. Epaunensis, posse compelli dominum, ut juret se non læsurum ulla parte corporis servum, qui Ecclesiam vindicem imploraverit; verùm non debere sacerdotem de non detondendo servo sacramentum exigere. Unde apparet, rectè Patres Ecclesiæ Gallicanæ in præsenti statuisse, injustum esse servos Ecclesiæ in laicos alienare, cùm tunc potiùs amittere libertatem quàm novam expetiri servitutem credantur. Accedit, nam servus Ecclesiæ adscriptus, & dicatus ejus ministerio, in quadam dignitate esse creditur, ut in præsenti docetur; unde nisi ex magna causa non potest iterum in servitutem laicorum redigi: si autem sint servi ipsi fugitivi, quia in ministerio, cui dicati, & adscripti sunt, deservire renuunt, & per consequens inutiles judicantur, possunt permutati, vel alio modo alienari, etiam in laicos, *ex dict. capite fugitivi* 54. 12. *quæst.* 2.

Nec obstat dubitandi ratio suprà; nam permutatio servorum in præsenti prohibetur absolutè, etiam cum solennitate, quia in tali alienatione omnino deficit causa; si verò fugitivi sint, tunc pro libito Episcopi alienare eos possunt, quia ipsa fuga præstat justam causam alienationi; *dict. capite fugitivi.* Nec obstat secunda difficultas, pro cujus solutione sciendum est, dominum servum fugitivum, dum in fuga est, non posse vendere, donare, vel alio modo alienare, *l.* 2. §. *final. ff. ad leg. Flaviam*, *l.* 2. *& 6. C. eod. tit. l.* 5 *C. de servis fugitivis*, *l.* 35. §. *si quis amico*, *ff. de contrah. emption.* cujus prohibitionis rationem Glossa *in dict. l.* 6. ex eo assignat, quod fuga species libertatis sit, *l.* 17. §. 10. *ff. de adilit. edict.* unde sicut homo liber vendi non potest, sic similiter neque fugitivus; Glossam sequitur Odofredus *in dict. l.* 35. §. 3. Sed hæc sententia sustineri non potest, siquidem valde iniquum esset hominem liberum fugitivo, qui verè servus est, assimilare. Deinde quod Jureconsultus ait *in dict.* §. 10. fugam speciem cujusdam libertatis esse, non ita ut sonat, accipiendum est, sed quod habito respectu ad fugiendi actum, videatur servus potestatem domini illusisse, cùm à nexibus dominicæ potestatis de facto se liberatum inveniat. Hæc igitur fuit Jurisconsulti mens, ni ipsius nos fallunt verba: *Idem rectè ait, libertatis cujusdam speciem esse fugisse, hoc est potestate dominica in præsenti liberatum esse.* Unde meritò debet rejici supradicta interpretatio: & licèt eam Cujacius adducat *in recitatione ad dict. l.* 53. §. 3. *de contrah. empt.* aliam tamen addit Cujacius *ubi suprà*, deductam *ex l.* 1. *C. de servis fugitivis*; quâ docemur, fugitivum servum sui furtum facere; servum autem furtivum vendere nobis non licere, *l. si emptione*, §. *item emptor*, *de contrah. emption.* Hæc tamen ratio optimè adæquatur bonæ fidei possessori servi fugitivi, respectu cujus ad inhibendam usucapionem servi, pro furtivo habetur; und si alii bonæ fidei possessor servum in fuga constitutum vendiderit, tanquam rei furtivæ venditio inutilis erit: sed cùm Senatusconsultum etiam ad dominos spectet, *l.* 2. §. *ultim. ff. ad leg. Flav de plag.* & respectu ipsorum furtivitatis vitium fingi non valeat, vera, & genuina ratio inquirenda est; eam tamen felicius edocet nos Cujacius *tom.* 17. *obs. cap.* 10. Inquit ergo, meritò inhibuisse Senatusconsultum alienationem servorum fugitivorum, ut à fuga deterreantur servi, si nec recipi se posse à quoquam impunè intellexerint, nec acquiri titulo ullo justo, veluti emptionis, aut donationis. Facit lex 6. *C. hoc titul. de fugit. in fine*, ibi: *Sed etiam fugitivorum animos à fugâ deterrere.* Conducuntque ad idem lex 2. *C. de agricolis*, *lib.* 12. lex 1. §. *illud*, *C. de Latin. libert.* lex *conveniret*, *ff. de pact.* Itaque mens ea fuit, quod acerbitas dominorum, quorum potestatem evaserunt servi, ipsos perpetuò comitaretur, ut ita servi deterrerentur, si nec recipi se posse à domino impunè, nec acquiri alteri etiam cum justo titulo intellexerint. Accedit, ne fugitivi pœnam fugæ eludant, quam nec venditor, qui dominus esse desiit, exacturus est; nec emptor, adversus quem non deliquit servus fugiendo: docent Villota, & Antonius Matthæus *ubi suprà.* Hoc tamen Senatusconsultum locum non habet in alienatione necessaria, quæ officio, vel sententiâ judicis fit, ut in casu legis 19. §. 3. *ff. communi divid.* ubi de servo fugitivo jubentur socii à judice licitationem facere, quæ quidem est species venditionis, *l.* 3. *ff. eod. tit. l.* 29. *ff. famil. erciscæ.* Similiter ita potest accipi textus *in l.* 14. §. *ult. ff. de servo corrupt.* si de servo fugitivo intelligatur; cujus quidem distractio tunc sustinebitur, quando quis alteri mandavit, ut fugitivum quæreret, & si apprehendisset, sibi emptum haberet; tunc enim mens Senatusconsulti non censetur illusa, cùm in id tempus emptio celebrata judicetur, quo jam

servus desinit fugitivus esse *l.* 35. §. 3. *ff. de contrah. empt.* Sed advertere debemus, quod si fugitivarius apprehenderit servum, eumque à domino comparaverit, minimè poterit, nisi consentiente domino, intra decem annos ad libertatem illum perducere. Paulus *lib.* 5. *sentent. titul.* 6. *de fugitivis*, §.. ibi: *Servus à fugitivario comparatus, intra decem annos non potest manumitti citra prioris domini voluntatem.* De fugitivariis ultra Pauli locum sunt textus *in l.* 18. *ff. de præscript. verb. l.* 1. *C. Theod. si vaga mancipia.* Fugitivarii dicebantur illi, qui mancipia fugitiva persequebantur, & apprehensos dominis certâ mercede restituebant. M. Varro *lib.* 3. *de re rustic. cap.* 14. Florus *lib.* 3. *hist. cap.* 20. Cujacius *lib.* 5. *obs. capite* 8. Laur. Pignor. *de servis, pag.* 15. Etiam prædictum Senatusconsultum locum non habet in servo fugitivo legato; nam legari eum posse, constat *ex l. cùm servus* 39. *l.* 69. § *final. l.* 84. §. 10. *ff. de legat.* 1. cùm esset ratio suprà adducta, videlicet quia si servi in fuga perseverent, necessariò morte domini ab ipsius indignatione liberantur. His suppositis pro dictæ difficultatis solutione dicendum est, in præsenti textu non agi de servo fugitivo in fuga persistente, sed qui aliquando fugere consuevit; nam etsi fugitivus regulariter dicatur ille, qui certo proposito non redeundi dominum dereliquit, *in l.* 17. §. 1. & 2. *l. bovem* 43. §. 1. *ff. de ædilit. edict. l.* 225. *ff. de v. s.* Valentia *illustr. lib.* 1. *tract.* 2. *capite* 10. *numero* 3. tamen plerunque accipitur pro eo, qui propriè non fugit, sed frequenter sine causa vagatur, seriusque domum redit, de quo Ulpianus *in l.* 17. §. *erronem* 14. *ff. de ædilit. edict. dict. l.* 225. *ff. de v. s.* quam distinctionem agnoscit Horatius *libro* 1. *Satyr.* 7. *vers.* 112.

Non horam tecum esse potest, non otia rectè
Ponere: teque ipsum vitas, fugitivus, & erro.

De quo servo errone accipiendus est præsens textus. In hac tamen tractatione de servis fugitivis observandi sunt textus *in l. quæro, l. mora, ff. de verb. obl. l. si libertus, ff. de oper. libert. l. arboribus* 12. §. *de illo, ff. de usufruct. l. si servum* 15. *ff. de publiciana, l. Julianus* 13. §. 1. *ff. de act. empti, l.* 14. §. *ultim. ff. de servo corrupt. l.* 1. *C. de præscript. long. tempor. l. servus* 17. §. *illud, ff. de furtis, l.* 1. §. *per servum*, ubi Valentia, *ff. de acquir. posses. l.* 4. §. *si quis fugitivum, ff. de doli except. l.* 53. §. *fugitivum, l. ancilla* 62. *ff. de furtis l.* 22. §. *fugitivus, ff. mandati, l.* 10. 11. & 12. *ff. de liber. caus. l. servus* 82. *ff. de legat.* 3. *l. fugitivus* 15. *l. hominem* 34. §. & *cum fugitivus, ff. de solut. l.* 1. *C. de ædilit. action.* Papinianus *libro singul. respons. titul. de fugitivis inquirendis*, Paulus *libro* 4. *senten. titul. de fugitivis.*

Sed præsenti assertioni primò obstat textus *in cap. nulli* 5. *de rebus Eccles. non alien.* ibi: *Rusticum mancipium.* Ubi dum generaliter prohibetur alienatio rerum ecclesiæ, inter alias res, quæ recensentur, refertur mancipium rusticum tantùm: ergo quia mancipia urbana alienari possunt, & per consequens non rectè in præsenti prohibetur indistinctè permutatio servorum Ecclesiæ. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, in eo textu specialiter referri mancipium rusticum, non autem urbanum; quia cùm ageretur de alienatione prohibita rerum immobilium, & rusticum tantùm mancipium inter immobilia enumeretur, *l. si quis inquilinos, ff. de legat.* 1. *l. jubemus, C. de sacros. Eccles.* ideo nec longo tempore præscribi, nisi ut res immobilis, potest, *l. quemadmodum, C. de agricol. libro* 11. ideo non de mancipio urbano, sed tantùm de rustico mentio fit in eo textu; non tamen exinde deducitur, mancipium urbanum Ecclesiæ alienari, aut permutari posse. 8. Exponitur *cap. nulli* 5. *de rebus eccles.*

Secundò obstat textus *in cap. ecclesiasticis* 67 12. *q.* 2. ubi refertur, servum Ecclesiæ donatum fuisse Theodono Consiliario; & docetur similem donationem ratam, firmamque esse debere ergo non rectè in præsenti statuitur, servos Ecclesiæ permutatione, aut alio simili tituli in laicos transferri non posse. Quâ difficultate nonnulli oppressi docuerunt textum illum auctoritate carere, & apocryphum esse: quæ sententia facilè refellitur; siquidem textus ille est D. Gregorii, & inter ejus epistolas reperitur, *lib.* 2. *indict. epist.* 118. Quare hac, & aliis omissis sententiis, Luna, & Arenallus *dict. antiom.* 4. *numero* 13. existimant, in eo textu donatum fuisse Acosimum servum, non ut ejus dominium quiritarium transferretur in Theodonum, sed tantùm bonitarium. Verùm hæc interpretatio apertè opponitur verbis ipsius textus, ibi: *Juri, dominioque tuo tradi, darique præcipimus.* Quæ omnia important perfectam dominii traditionem, præcipuè accedente titulo habili donationis, §. 1. *Institut. de donat.* quare omissis his sententiis, facilè respondetur, si observemus, in eo textu ipsum Romanum Pontificem ex justa causa donasse servum Ecclesiæ Theodono benefactori: unde cùm ex justa causa ipse Romanus Pontifex donasset, meritò docetur, donationem vires habuisse. Etiam sic opponi potest textus *in can.* 2. *Concil. Hispal.* 1. 9. Exponitur *cap. ecclesiasticis* 12. *q.* 2.

CAPVT V.

(a) Urbanus III.

QUæsitum est ex parte tua, si commutationes fieri valent præbendarum, cùm commutatio dignitatum in (b) Turonensi fuerit Concilio interdicta. Sunt enim quidam, qui præbendæ suæ cedunt, & juri renunciant, ut majorem præbendam obtineant, vel ex hoc certam summam pecuniæ (c) consequantur: quod quidem est honestati contrarium, & simoniacam proculdubio continet pravitatem. Generaliter itaque teneas, quod commutationes præbendarũ de jure fieri non possunt præsertim pactione

pactione (d) præmissâ, quæ circa spiritualia, vel annexa spiritualibus labem semper continet simoniæ. Si autem Episcopus causam inspexerit (e) necessariam, licitè poterit de uno loco ad alium transferre personas, ut quæ in uno loco minùs utiles sunt, alibi se valeant utiliùs exercere.

NOTÆ.

(a) *Urbanus III.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex : ex ipsa autem collectione ita integram hujus textus restituo.

(b) *Turonensi Concilio.*] De quo *in cap. majoribus* 8. *de præbend.* ubi nominatim permutationes prohibentur.

(c) *Pecuniæ consequantur.*] Cùm hæc verba omittantur in hac Raymundi collectione, anxiè laborant Interpretes in exponendo, quare permutatio beneficiorum tanquam simoniaca in præsenti specie improbetur ? Et certè nullo pretio intercedente permutationem ipsam beneficiorum, ut illicitam, improbatam esse constat *ex dicto cap. majoribus, cap. cùm olim, hoc titulo*: & talem pactionem, ut simoniacam rejici docuerunt plures relati à Garcia *p.* 11. *de benef. cap.* 4. *num.* 57. Gibalino *de simonia q.* 13. *in fine.*

(d) *Pactione præmissâ.*] Quatenus pactiones circa beneficium factæ improbentur, exposuimus *in cap. finali de pactis, cap. nisi essent, de præbendis*, ubi hæc verba illustravimus.

(e) *Causam necessariam.*] Requiritur ergo causa, ut superior permutationi auctoritatem præstet, ut docent Duarenus *lib.* 8. *de sacris, cap.* 3. Garcia *dicto cap.* 4. *num.* 44. Gibalinus *de simonia, q.* 14. *conclus.* 13. quia cùm similes permutationes sint prohibitæ, & odiosæ, exigitur causa, ut in illis Episcopus dispenset, aliàs si sine causa talem permutationem approbaverit, erit non solùm illicita, verùm & invalida talis permutatio, ut resolvit Gibalinus *dicto conclus.* 13. Nec quælibet causa sufficit, sed desideratur ea, quæ respiciat commodum spirituale, non temporale, ita ut saltem reductivè utilitas permutantium reducatur ad utilitatem, seu necessitatem Ecclesiæ, ut post D. Thomam *in* 4. *distinct.* 25. *quæst.* 3. *artic.* 3. resolvunt Sylvester *verbo Permutatio* 2. *num.* 3. pluribus relatis Barbosa *de jure Eccles. lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 172.

CAPVT VI.

Innocentius III. *Senonensi* (a) *Archiepiscopo.*

CUm olim Magister S. & B. Archidiaconatum, & Præposituram adinvicem commutassent. *Et infrà:* Licèt prædictus Magister ab initio sponte fuerit de permutatione confessus, idem tamen B. eam inficiabatur omnino, proponens, quod ipse Præposituram sine conditione qualibet [b] resignavit, & post resignationem prædicti Magistri Archidiaconatum fuerat assecutus. *Et infrà* : Cùm ergo nobis constaret, quod ipse suum præstiterit permutationi consensum, prædictus autem magister suum publicè fateretur errorem, & hunc Præposituræ, & illum Archidiaconatu curavimus (c) spoliare, super hoc diffinitivam contra eos sententiam proferentes.

NOTÆ.

(a) *Senonensi.*] Ita etiam habetur *in cap. unico, hoc tit. in* 3. *collect.* integram autem hujus textus retuli, & epigraphem exposui *in cap. cùm olim, de offic. deleg.*

(b) *Resignavit.*] Quæ resignatio facienda erat in manibus Ordinarii, ut infrà dicemus ; & si beneficium erat juris patronatus, ipsorum patronorum consensus expectandus erat, *cap. cùm inter, de elect. cap. nobis, de jure patron.* notavit Boëtius Epon. *in præsenti, num.* 110.

(c) *Spoliare.*] Quæ spoliatio justè à Pontifice facta fuit post confessionem ipsius Archidiaconi, ut notavit Boëtius Epon. *ubi suprà, num.* 115.

CAPVT VII.

Innocentius III. *Archiepiscopo, & Præposito S. Andreæ, & Scholastico S. Petri* (a) *Colonienſis.*

CUm universorum fidelium ab ipso Domino Jesu Christo pastoralis sit nobis cura commissa, solicitudini nostræ dignoscitur expedire, ut sic debeamus quosliber in suis rationibus confovere, quod aliorum jura in conspectu Ecclesiæ dispendium non sustineant, sed firma & illibata debeant permanere. Intelleximus siquidem (dilecto filio Gisliberto Canonico Sancti Joannis in Leodio referente) quod cùm ipse, & Lambertus Clericus, ducti quadam animi levitate, de permutatione præbendarum

darum ſuarum inter ſe tractare cœpiſſent, quia utilitatem utriuſque imminere credebant: tamen idem L. clericus occaſione dictæ permutationis, præbendâ ejuſdem G. quam in Eccleſia Sanctæ Mariæ (b) Namucen. habebat, cuidam ſuo conſanguineo aſſignatâ, præbendam Sancti Bartholomæi, quam ſæpedicto G. repromiſerat, nequaquam voluit reſignare: & ſic idem G. (ut aſſerit) ſua ſpe remanſit omnino fruſtratus. Cumque ſuper hoc in præſentia venerabilis fratris noſtri (c) Leodien. Epiſcopi fuiſſet diutiùs litigatum, tandem idem L. Sedem Apoſtolicam appellavit: & cùm dictus G. ad noſtram præſentiam non ſine magno periculo, & labore acceſſiſſet, idem L. nec venit, nec pro ſe curavit ſufficientem mittere reſponſalem. Cùm igitur (d) deceptis, & non decipientibus jura ſubveniant; fraus etiam, & dolus nemini debeant patrocinium impertiri: licèt ipſi per (e) ſe de jure non poſſent eccleſiaſtica beneficia permutare, ut tandem ſimplicitati venia tribuatur, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi vobis conſtiterit, prætaxatum G. taliter fuiſſe deceptum, ab ipſa Namucen. præbenda, quam diu dicitur poſſediſſe, amoto conſanguineo ipſius L. vel quolibet alio illicito detentore, eandem ſublato appellationis obſtaculo, G. faciatis reſtitui memorato, & eundem ipſius pacificâ poſſeſſione gaudere. Nullis litteris, &c. Quod ſi non omnes, tu frater Archiepiſcope, cum eorum altero, &c.

NOTÆ.

1. (a) *Colonien.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub titulo de præbend. cap.* 2. & in epiſtolis Innocentii III. editis à Cardinale Sirleto, *fol.* 39. ex quo codice ita reſtituo integram hujus textus. Colonia Agrippina urbs eſt celeberrima ad Rhenum fluvium, Ubiorum Metropolis, condita tempore Auguſti à M. Agrippa, à quo nomen accepit: habuit Eccleſiam Cathedralem jam à primo ſæculo Eccleſiæ, ut refert Kratapolius *in catalogo Archiepiſcoporum Coloniæ*; Brunoni quarto ejus Præſuli miſſa eſt præſens epiſtola, de quo nonnulla tradit Kratapolius *ubi ſupra, fol.* 69.

2. (b) *Namucenſis.*] Namucenſis Eccleſia eſt in Germania, cujus Præſulum ſeriem refert Bucelinus *tom.* 1. *Germ. fol.* 202.

(c) *Leodienſis.*] Hugonis videlicet de Petraponte, de quo alibi egi, & plura tradit Kratapolius *in catalogo Præſulum Eccleſiæ Leodienſis.*

3. (d) *Deceptis, & non decipientibus.*] Deceptio fuit in eo, quod Laurentius Gerardum ad reſignandum priùs callidè videtur induxiſſe, nec tamen viciſſim reſignare voluerit, nec Epiſcopum pro permutatione comprobanda adire. Sententia autem, quâ hîc utitur Innocentius, extat *in l.* 2. §. *verba, ff. ad Velleianum.*

4. (e) *Ipſi per ſe.*] Licèt beneficiati poſſint ſe obligare ad faciendam permutationem beneficiorum, & de ea tractare, ex hoc textu ibi, *Inter ſe tractare cœpiſſent*; *cap. unico, hoc tit. in* 6. tamen talis conventio pendet ab auctoritate ſuperioris, ita ut niſi ſuperior conſenſum præbeat, nulla ſit, quia ipſi per ſe talem permutationem perficere non valent. Leſſius *lib.* 2. *de juſtitia, cap.* 35. *dub.* 17. Suarez *lib.* 4. *de ſimonia, cap.* 35. *num.* 8. Gibalinus *eodem tractatu q.* 14. *conſect.* 12. *per totum.*

COMMENTARIUM.

5. *Concluſio deducitur & probatur.*

EX his tribus deciſionibus ſequens deducitur aſſertio: *Permutatio præbendæ, ſeu beneficii, facta irrequiſito proprio Prælato, nulla eſt; immò qui permutavit propria auctoritate, privatur beneficio ita permutato.* Probant eam textus *in cap. majoribus* 8. *de præbend. cap. unico, hoc tit. in* 6. *Clement. unica, hoc tit.* Illuſtrant ultra congeſtos in præſenti à Barboſa, & Garanna, idem Barboſa *lib.* 1. *juris Eccleſ. cap.* 13. §. 5. Cujacius, Bartholomeus, Sanchez, & Boërius Epon. *in præſenti*, Joannes Nicolaus *de benef. tit.* 5. *cap.* 1. Ruſſiacus *lib.* 3. *conſtit. tit.* 32. *cap.* 32. Duarenus *lib.* 8. *de ſacris Eccleſ. cap.* 3. Petrus Gregorius *lib.* 3. *part. tit. cap.* 3. Suarez *tom.* .. *de relig. lib.* 4. *cap.* 30. & 31. Corvinus *lib.* 1. *aphoriſm. juris Pontif. tit.* 13. Joannes Dartis *de benef. ſect.* 10. *cap.* 4. latè Gibalinus *de ſimonia q.* 14. *conſect.* 4. *cum ſeq.*

Sed pro dubitandi ratione in præſentem aſſertionem ita inſurgo. Beneficia eccleſiaſtica, tam præbendæ, quàm dignitates, permutari juſte poſſunt, *cap. cùm venerabilis* 6. *de except. cap. inter* 18. *de præbend.* Ergo non rectè in præſenti talis permutatio improbatur. Facit optima ratio, nam res ſpiritualis cum ſpirituali permutari poteſt, *cap ſuper eo, de tranſact. cap. final.* ubi dicemus, *hoc tit.* Ergo cùm beneficium permutatur cum beneficio, quia res ſpiritualis datur pro ſpirituali, non eſt ratio cur improbetur talis permutatio. Augerur hæc difficultas ex eo, nam labes ſimoniæ non committitur, niſi pro re ſpirituali detur temporalis, *cap. qui ſtudet*, 1. *q.* 1. *cap. Salvator* 1. *q.* 3 ſed in permutatione beneficiorum, quamvis adſit pactum, nihil temporale intercedit: igitur non eſt ratio, quare improbetur. 6. *Impugnatur traditis aſſertio.*

Quâ difficultate ità fulcitâ non obſtante, vera eſt præſens aſſertio, & diſciplinæ eccleſiaſticæ valde conſona; nam ſi antiquos Eccleſiæ canones, quorum verba retuli in titulis *de tranſlat. Epiſc.* & *de renunc.* attentè legamus, non inveniemus, olim licuiſſe beneficiariis beneficium eccleſiaſticum habentibus propriam Eccleſiam deſerere, ad aliamque ſe transferre, aut Eccleſiæ, cui mancipati fuerint per ordinationem, renunciare irrequiſito proprio Epiſcopo: unde juri conſentaneum eſt, ut privata auctoritate non poſſint beneficiarii proprias Eccleſias deſerere, & alias acquirere. Facit etiam, nam hujuſmodi permutatio fieri nequit ſine reciproca renunciatione, quæ inconſulto proprio Epiſcopo fieri nequit, ex rationibus congeſtis *in cap. admonet, de renunc.* Igitur per conſequens non poterit fieri permutatio. Accedit etiam, quod cùm beneficium non poſſit abſque inſtitutione canonica obtineri, *cap.* 1. *cum vulgatus, de reg. jur. lib.* 6. & partes non poſſint ſibi invicem inſtitu- 7. *Deprobatione Beneficiorum.*

institutionem facere, sequitur necessariò, permutationem ab ipsis factam propria auctoritate nullius esse momenti. Tandem facit, nam permutatio rei alienæ nulla est, *l. 1. §. ult. ff. de rerum permut.* sed beneficiarii non sunt domini beneficiorum, sed tantùm usufructuarii, seu œconomi, *cap. cæterùm, de donat.* Igitur non possunt propria auctoritate ipsa beneficia permutare. Unde talis permutatio beneficiorum adeò inaudita fuit pluribus Ecclesiæ sæculis, ut nec apud Gratianum, cæterosque Decretistas ulla ejus mentio extet, usquedum in Concilio Turonensi relato *in cap. majoribus 8. de præbend.* dum sectio præbendarum prohibita fuit, simul Patres improbarunt commutationes præbendarum; quam prohibitionem firmarunt Urbanus III. Clemens III. & Innocentius III. in præsentibus juribus; & Pius V. in sua constitutione 42. quæ incipit, *Officium*, suspendens omnes facultates Ordinariorum admittendi quascunque resignationes beneficiorum: & constitutione 58. eas tantùm permutationes permittit, quæ juri consonæ sint, his verbis: *Adhuc beneficiorum, & officiorum permutationes admittere, quæ canonicis sanctionibus, & Apostolicis constitutionibus permittuntur, id est, quæ auctoritate Episcopi ex justa causa celebrantur.*

8. Di Episcopo permutationem admittatur.

Auctoritate autem Episcopi permutationes beneficiorum celebrari possunt; & appellatione Episcopi comprehenditur quicunque habens auctoritatem Episcopalem, qui in proprio territorio similes permutationes admittere potest. Suarez *dicto lib. 4. de simonia, cap. 32. num. 14.* Gibalinus *eodem tract. q. 14. consect. 8. num. 5.* Ratio est, quia quotiescunque aliquid competit Episcopo ratione jurisdictionis, non verò ordinis, id peragi potest ab aliis, qui eandem jurisdictionem exercent. Nec interest, quod institutio beneficiorum ad aliquem spectet, veluti Archidiaconum, vel alium similem; nam adhuc permutatio facienda est coram ipso Episcopo, non verò coram eo, ad quem institutio spectat. Ratio est, quia auctoritas Episcopi non desideratur, ut institutionem in ipsis beneficiis faciat, sed ut agnoscat, an justa causa subsit in ipsa permutatione, & an simoniæ labes interveniat: quare alius quàm Episcopus, seu qui jurisdictionem Episcopalem exercet, non potest auctoritatem simili permutationi præstare, ut defendit Gibalinus *dicto consectar. 7. num. 6.* ultra auctoritatem Episcopi desideratur consensus collatorum, eorumque, quorum interest collationem fieri, vel non. Garcia *de benefic. dict. cap. 4. num. 74.* Gibalinus *ubi suprà.*

Nec obstat difficultas suprà adducta, nam jura ibi adducta procedunt in permutationibus factis auctoritate superioris, ex præsenti textu, cui convenit lex *63. tit. 5. partit. 1.* Nec obstat primum augmentum difficultatis, nam verum est, rem spiritualem posse permutari cum re spirituali, accedente consensu superioris. Unde etiam præcedente Episcopi auctoritate valebit permutatio beneficii cum beneficio. Nec obstat aliud difficultatis augmentum: nam licèt cùm beneficium permutatur cum beneficio purè, & absolutè, non interveniat simonia, juxta veriorem sententiam; tamen quia propter inæqualitatem fructuum facilè simonia interveniet, & similes pactiones illicitæ, probrosæque judicantur; ideò examen Episcopi præcedere debet, ut talis permutatio licita sit: an verò datâ inæqualitate fructuum possit pensio auctoritate Episcopi constitui in alio beneficio, aliaque ad permutationem beneficiorum spectantia, prosequuntur in præsenti Bartolus, Sanchez, & Boëtius Epon.

9. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

CAPVT VIII.

(a) Clemens III.

AD quæstiones solvendas. *Et infrà:* Intelleximus ex litteris tuis, quod duæ conventuales Ecclesiæ sunt in tua diœcesi constitutæ, quarum utraque parochialem habet Ecclesiam cum possessionibus magis alteri, quàm sibi vicinam. Illis autem desiderantibus permutare eas, cùm illarum altera respectu meliorum proventuum plus abundet, & ideò sibi postulet adjici certam summam pecuniæ numeratæ, ut sic ad æqualitatem permutationis valeant pervenire, utrum posset id licitè fieri, extitit dubitatum: quam ob causam Sedem Apostolicam consuluisti. Licèt itaque tuæ discretionis industriam ignorare minimè putemus, quid super eodem articulo sit agendum, nihilominus tuæ prudentiæ respondemus, quod cùm de dictis parochialibus Ecclesiis per se queat permutatio celebrari, & in permutatione possessionum per se non sit inhibitum, si altera ratione possessionum alteri præponderet, pecuniam posse refundi de ipsarum possessionibus ad invicem, prout visum fuerit expedire: & refusâ certâ pecuniæ quantitate poterit contractus permutationis iniri; sic tamen quod illi contractus nequaquam sibi invicem misceantur.

NOTÆ.

(a) *Clemens III.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc titulo, cap. 2.* nullibi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex, nec integram habemus, ut inde cognosci possit, de quibus monasteriis in præsenti agatur.

CAPUT

CAPVT VLTIMVM.

(a) Gregorius IX. *Beton. & Fungin. Abbatibus.*

EXhibita nobis Abbatis, & Conventus ſancti (b) Martini de Pannonia petitio continebat, quod cùm ſuper cauſa, quæ inter ipſos ex una parte, & Præpoſitum Albanen. ex altera ſuper quibuſdam (c) decimationibus vertebatur, ad C. Capellanum noſtrum, tunc in Hungaria commorantem, noſtras litteras impetraſſent, ipſe ac Magiſter M. in quos utrimque tanquam in arbitros extitit compromiſſum, arbitrati fuerunt, quod ſi dictus Præpoſitus obtineret decem millia ſolidorum regalium à Rege Hungariæ concedi monaſterio memorato, ipſi ab eorundem decimationum petitione ceſſarent. *Et infrà:* Quocirca mandamus, quatenus ſi vobis conſtiterit de præmiſſis (cùm permutatio de ſpiritualibus ad temporalia improbetur) prædictum arbitrium, & quicquid ſecutum eſt ex eo, vel ob id, irritum decernatis.

NOTÆ.

1. (a) *Gregorius IX.*] Adeo corrupta eſt hæc inſcriptio, & variè corrigitur à Gloſſa marginali, ut non facilè percipi poſſit de quibus monaſteriis, & Abbatibus in præſenti agatur.

(b) *Sancti Martini.*] De hoc monaſterio egi *in cap. 19. de præſcript.*

2. (c) *Decimationibus.*] Et ita patet, ſuper decimis compromitti poſſe, tranſactionemque celebrari, ut probat Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat. 121. in fine*, & notavi *in cap. 2. de tranſact.*

COMMENTARIUM.

3. IN his duabus deciſionibus agitur de permutatione rerum ſpiritualium: pro quarum expoſitione ſciendum eſt, circa permutationem ſpiritualium rerum nullam dari prohibitionem juris divini, quamvis cum pacto, & rigoroſo contractu fiat, ut poſt D. Thomam, Durandum, & Covar. docet Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. de ſimon. cap. 30. num. 5.* nec etiam ſacri canones aliquam labem ſimoniæ ſuſpicantur in tali permutatione, ut poſt alios probat Gibalinus *de ſimon. 1. p. q. 13.* Deinde notandum eſt, quod ſi res permutatæ ſint mixtæ ex ſpirituali, & temporali, ut res benedictæ, liquidò apparet, nullam in tali permutatione dari ſimoniam, modò commutatio fiat ratione tantùm ſpiritualis annexi, & nulla fiat comparatio inter ſpirituale, temporale; nam ſi temporale filius commutetur cum alio temporali pretioſiori, propter majorem quandam ſpiritualitatem, quam illud temporale vilius participat, exempli gratiâ roſarium benedictum pretioſæ materiæ commutatur cum vilioti, quia iſtud habet plures benedictiones, & indulgentias, aut contactu plurium reliquiarum ſacratius eſt, revera committitur ſimonia, quia non commutatur ſpirituale cum ſpirituali præcisè, ſed emitur exceſſus ille, ut ita dicam, ſpiritualitatis, qui in uno reperitur per exceſſum temporalis, quod eſt in alio: quando verò ſervatur proportio, ut nihil attendatur in commutatione ſpiritualis, niſi ſpirituale, & in commutatione temporalis, niſi temporale; & non compenſetur ſpirituale unius cum temporali alterius, tunc nulla eſt ſimonia, quia tunc tantùm datur permutatio ſpiritualis cum ſpirituali, & temporalis cum temporali: quod ſi res ex ſpirituali & temporali mixtæ, ſive compoſitæ habeant temporale diverſo modo connexum cum ſpirituali, exempli gratiâ calix conſecratus, & adminiſtratio ſacramenti, ſeu beneficium, tunc committitur ſimonia, quia commutatio non fit præcisè inter ſpiritualia, ſed inter ſpirituale, & temporale; quia in rebus, in quibus temporale antecedenter ſe habet, id quod primariò, & per ſe datur, eſt illud temporale, cùm quo deinde venit ſpirituale annexum: in eo autem, quod eſt concomitanter, aut conſequenter annexum ſpirituali illi, quod primò datur, eſt ſpirituale, ratione cujus obtinetur temporale in eo fundatum. Denique quando res eſt purè ſpiritualis, ſi cum alia mixta ex ſpirituali, & temporali commutetur, datur aliquid temporale pro ſpirituali; atque ideò non omnino permutatio celebratur inter ſpiritualia; unde rectè Clemens III. in præſenti textu ait, licitam eſſe permutationem duarum Eccleſiarum parochialium inter ſe, & etiam permutationem poſſeſſionum earundem Eccleſiarum fieri poſſe, atque exceſſum poſſeſſionum unius compenſari aliqua pecunia, modò contractus illi non miſceantur invicem; in ea enim ſpecie commutatur ſpirituale cum ſpirituali, & temporale cum temporali: non tamen debent miſceri contractus, Eccleſia videlicet non permutetur cum poſſeſſione; quia tunc cùm res ſpiritualis cum temporali permutetur, ſimonia committitur, ut in præſenti capite finali, ubi quia decimarum jus quid ſpirituale eſt, *cap. prohibemus, de decimis*, & permutabatur cum re temporali, ideò Gregorius IX. docet, talem permutationem vires non habere. Dubium tamen eſt, tam apud Canoniſtas, quàm Theologos Moraliſtas, an inæqualitas beneficii, vel alterius rei ſpiritualis compenſari poſſit pecuniâ vel aliâ re temporali, ut in præſenti capite *ad quæſtiones*? Et certum eſt, beneficii inæqualitatem compenſari non poſſe pecuniâ, vel aliâ re temporali, ut docent Leſſius *de juſtitia & jure lib. 2. cap. 35. dubio 17.* Patet Suarez *dicto lib. 4. de ſimonia, cap. 34. num. 10.* Gibalinus *eodem tractatu, quæſt. 14.* facit textus *in cap. cùm pridem, de pactis*, ubi notavimus. Nec contrarium probatur in præſenti capite *ad quæſtiones*, ubi propter inæqualitatem Eccleſiarum permutatio admittitur, refuſâ certâ pecuniæ quantitate; nam

nàm ut docuerunt Suarez ubi suprà, *numero* 13. & Barbosa *in præsenti*, in hac permutatione non agitur de commutandis titulis beneficiorum, quæ erant unita monasteriis, & non possidebantur in titulum, sed in proprietatem reddituum, & bonorum temporalium; undereclè ait Summus Pontifex, permutationem Ecclesiarum fieri posse, ut etiam possessiones ipsarum invicem permutari valere, & propter inæqualitatem ipsarum pecuniam intercedere posse, si contractus separentur, id est, si Ecclesiæ permutentur cum Ecclesiis, possessiones cum possessionibus; non verò si conjungantur: nam tunc, quia ex una parte Ecclesia dabatur, non poterat inæqualitas pecuniâ suppleri; sed quia possessiones Ecclesiæ annexæ omnino temporales erant, ideò pecuniâ earum inæqualitas suppleri poterat: prosequuntur latiùs Gibalinus *dicta q.* 14. *consect.* 11. Robertus *lib.* 1. *rerum judic. cap.* 7.

TITVLVS XX.

De Feudis.

CAPVT I.

Innocentius III. *Maurienſi* (a) *Epiſcopo.*

INSINVATIONE præsentium declaramus, quod (b) gageria, quam tu apud Argentinam à Nantelino dignoscèris reperisse, Gaudefridi fratris ejus accedente consensu, à te potest liberè retineri, fructibus non computatis in sortem, ita videlicet, ut quamdiu fructus illos perceperis, in sortem minimè computandos, idem Nantelinus à servitio, in quo tibi, & Ecclesiæ tuæ pro feudo ipso tenetur, interim sit immunis.

NOTÆ.

(a) *Maurienſi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 1. De Ecclesia Maurienſi nonnulla notavi *in cap.* 1. *de rebus Eccleſ.*

(a) *Gageria.*] Vox est barbara, propria Theutonicorum, & significat pignus, ut docent Hostiensis *hic* Cironius *ad tit. de pignor.*

COMMENTARIUM.

CUm certum juris principium sit, creditorem teneri imputare in sortem principalem fructus rei pignoratæ, *cap. ad noſtram*, ubi plura Balboa *de jurejurando, cap. cùm contra*, ubi plura dabimus, *de pignor.* difficilis valde est præsens decisio, dum in ea docetur, dominum feudi, qui res feudales à vassallo pignori accipit, non teneri fructus ipsarum in sortem principalem imputare: quod etiam ab specie feudi decidit *in cap. conquæſtus*, *de uſuris*; & in omni simili specie statuitur *in cap.* 1. *de uſuris.* Quæ Pontificum responsa eandem continent difficultatem, quare varias adduxerunt interpretationes repetentes in præsenti, & Doctores infrà laudandi. Aliqui asserunt, licitam esse hanc fructuum retentionem, quatenus æquipollet servitio, quod interim feudatario remittitur: ita docuerunt Innocentius *in præsenti*, Covar. *lib.* 3. *variar. cap.* 1. *num.* 4. Gaspar Rodriguez *de annuis reddit. q.* 7. *num.* 50. Salas *de uſuris*, *dub.* 31. *num.* 5. Ugolinus *eodem tractatu*, *cap.* 11. §. 1. *num.* 2. probantque ex præsenti textu, ubi ait Innocentius, fructus hos percipi posse si servitium debitum remittat vassallo dominus; satisque Innocentius innuit, compensationem quandam tunc fieri fructuum, & servitiorum; quam interpretationem alii impugnant. Primò quia ea servitiorum æstimatio, & cum fructibus compensatio vix iniri poterit, cùm servitia plerunque incerta sint, & non solùm in operis præstandis, verùm & in quibusdam aliis, quæ vix æstimari solent, aut possunt, consistant, ut in benevolentia, gratitudine, & consilio. Secundò, quia Innocentius in præsenti, & Alexander *in dicto cap. conqueſtus*, indistinctè affirmant, fructus imputandos non esse in sortem, nullâ factâ mentione compensationis; immò liberè concedunt domino feudi omnes, & quoscunque fructus percipere absque onere imputandi eos in sortem. Glossa *in præsenti*, & *in dicto cap.* 1. *cap. conqueſtus*, docet hoc specialiter statutum esse favore Ecclesiæ, ita ut in aliis dominis feudum possidentibus non idem procedat: sed cùm Pontifex in præsenti nullum jus novum condat, nec in hac parte ulla sit differentia feudi ecclesiastici, & laicalis, non apparet cur diversum jus in uno, ac in alio observari debeat. Immola *in præsenti*, & Mantica *de tacitis convent.* existimarunt, in præsenti nullam dari usuram, quia fructus isti retinentur virtute antidoralis obligationis; id tamen minimè placet, quia licèt feudum beneficium sit, & vassallus videatur domino naturaliter obligatus ad antidora, id est, ad remunerationem, non tamen invitus cogitur ad remunerandum, quia quod naturaliter debetur, propriè non debetur,

debetur, cùm in effectu peti non possit, *l. fidejussor 16. §. naturales, l. hæres 21. §. servo, ff. de fidejuss.* Petrus Gregorius *lib. 1. de usuris.* Et licèt possit Dominus rei feudalis fructus justè percipere, cùm illi remunerandi gratiâ rei feudalis possessio à vassallo tradita est; hoc procedit cùm liberè, & ex liberalitate redditur: at in præsenti specie nullum liberalitatis, & voluntatis remunerandæ vestigium apparet; immò negotium à liberalitate longè differt, cùm ponamus pro pecunia debita rem pignori dedisse, & nemo in necessitatibus liberalis existat, *l. rem 18. ff. de admend. legat.* Tandem Panormitanus, Hostiensis, Joannes Andreas, & alij relati à Covarruvia & Salas *ubi suprà*, respondent, dominium utile vassalli in præsenti casu consolidari cum dominio directo domini creditoris; unde ille justè rei propriæ fructus percipit. Verùm hanc dominii utriusque consolidationem doctè rejiciunt Covarruvias *ubi suprà*, Binsfeldius *in dicto cap. 1. de usuris, q. 1.* nam si hoc esset verum, feudum non posset esse pignoris loco, quia dominium pignoris remanet penes debitorem, licet possessio transeat in creditorem; *l. 1. C. de pignorat.* Deinde quia dominium hoc utile pretio æstimabile est, ideòque si pro mutuata pecunia transferretur, usurarius contractus redderetur.

3. *Vera interpretatio hujus textus.*

Quare his, & aliis interpretationibus omissis, placet communis sententia, quæ docet, ex natura feudi provenire, ut fructus ipsius interim dum debitor vassallus non solvit pecuniam mutuam, domino cedant; nam cùm de natura feudi sit, ut vassallus domino suo obsequia præstet; consequens est, ut quamdiu sine illius culpa, & domino consentiente feudo caret, immunis sit ab obsequiis, & muneribus, quæ domino præstare tenebatur; & è contrario, cùm re feudali penes dominum existente vassallus ab obsequiis præstandis liber sit, eadem ratio facit, ut interim fructus rei non percipiat, cùm eo tempore cesset causa, ob quam illi res in feudum data est; & consequenter fructus domini sunt, qui ad nullum obsequium illum revocare valet: ita docuerunt Leothardus *de usuris q. 14. num. 5.* Canisius *eodem tractatu, cap. 6. num. 4.* Binsfeldius *in dicto cap. 1. quæst. 1.* Mudeus *de pignor. tit. de pactis pignor. num. 54.* Cardinalis Lugo *de justitia disput. 25. num. 147.* Arias de Mesa *lib. 3. variar. cap. 46. num. 32.* Balboa *in cap. cùm Bertholdus, num. 50. de re judic. & in cap. ad nostram, num. 31. de jurejur.* Avendanno *de censibus cap. 10. num. 16.* Sed hæc communis interpretatio adhuc difficilis redditur ex sequentibus. Primò, nam cùm sæpissimè fructus superent valorem immunitatis ab obsequiis debitis, quibus interea vassallus eximitur, non apparet quomodo ille excessus fructuum retineri possit absque usura, cùm tantùm ob pecuniam mutuò acceptam retineatur, maximè quoties feudi onera, aut ferè nulla, aut exigua sunt, ut militaris opera in bello quod neque ingruit, nec verosimiliter suscipiendum est; tunc enim immunitas per aliquod tempus ab illa militari obligatione æstimabilis non est; & tamen fructus feudi pingues omnino sunt. Igitur absque injustitia retineri nequeunt. Secundò, quia in feudis antiquis paternis, quæ industriâ, & labore, aut etiam sumptibus feudatariorum multò fertiliora reddita sunt, cùm obsequia feudalia illis fructibus minimè respondeant, injustè retinentur à domino absque diminutione sortis. Tertiò, si feudatarius feudum emerit ab ipso domino, aut ab alio vassallo, tunc non erit datum feudum ob servitia præstanda; quare fructus illi non percipiuntur in compensationem obligationis, quam feudatarius contrahit ad similia obsequia; sed quia sunt fructus rei, cujus dominium utile emptum est justo pretio: quare etiam re illâ domino pignori datâ, cùm vassallus dominium utile retineat, debet fructus ejus percipere. Tandem aliquando accidit, vassallum præstare non solùm obsequia, verùm & pensionem certam: quo casu si dominus ratione pignoris fructus lucretur, & simul pensionem exigat, aperta usura committitur. Igitur non rectè docemur, dominum rei feudalis non teneri imputare fructus ipsius in sortem principalem.

4. *Defenditur adducta interpretatio.*

Adhuc tamen retinenda est communis interpretatio, & pro ejus expositione sequentes casus sunt distinguendi. Primus est, cùm vassallus feudum regulare accepit, & domino pignori dedit; quo casu cogi non potest, quandiu dominus fructus feudi percipit, obsequia præstare, quia iniquum esset, ut vassallus onus subiret, nullum autem commodum perciperet: nec in ipsa feudi constitutione caveri poterat, ut quoties feudum ad dominum rediret, etiam per oppignorationem, toto illo tempore fructus perciperet, & simul debita servitia exigeret. Secundus casus evenit quando feudatarius feudum pretio sibi comparavit, & non gratis accepit; quo casu præsens decisio locum non habet, quia fructus illos emit feudatarius emendo feudum illis: ergo nequit privari absque injustitia, ut post Lessium, & Covarr. defendit Gibalinus *de usuris lib. 4. cap. 3. artic. 10. q. 1. num. 1.* Idem dicendum est de melioramentis rei feudalis à vassallo factis, quæ absque diminutione sortis à domino retineri nequeunt, quia fructus illi non sunt reverà rei feudalis, sed rei alicujus, quæ ipsi accessit, aut fructus industriæ, & sumptuum, quos impendit feudatarius, & in quos dominus nullum jus sibi vindicare valet, ut illos abjiciat, vel retineat. Tertius casus, & proprius præsentis decisionis evenit, quoties feudum gratis omnino concessum fuit ob militaria obsequia, aliàve similia, etiam adjunctâ aliquâ modicâ pensione in pretium feudi, quod gratuitum est, & beneficium; quia pensio tantùm solvitur in recognitionem dominii, quo casu si feudum pignori domino detur, dominus percipit ejus fructus, nec in sortem tenetur imputare, donec obsequia, aut pensionem non exigit, ut in præsenti cavetur; quia est natura, & conditio similis feudi, nec ullo damno inde afficitur vassallus, qui servitia, aut pensionem non præstat, si fructus non percipiat, ut latè probat Gibalinus *d. q. 1. num. final.* juxta quam doctrinam exponendus est textus *in cap. unico, de pignor. in 5. compil.* ibi: *Cùm sæpe contingat, Advocatos advocatias, quas in Ecclesia obtinent, aliis titulo pignoris obligare, in Ecclesiarum vestrarum non modicam lesionem: nos indemnitati Ecclesiarum vestrarum paterna volentes solicitudine providere, vobis præsentium auctoritate concedimus, ut si Advocati Ecclesiarum vestrarum advocatias suas vobis obligare voluerint pignori, vos eas recipere valeatis, nec fructus provenientes ex eis in*

sortem

sortem teneamini computare. Hi autem, qui eas obligaverint, à servitio, in quo vobis pro Advocatis tenebantur, interim sint immunes. Ubi agitur de Advocatis Ecclesiarum, qui sunt quasi beneficiarii, & feudatarii ipsarum, ut dicemus in titulo *de jurepatron.* Ex eadem ergo ratione, ex qua domini feudorum percipiunt fructus rerum feudalium, dùm pignori subjectæ sunt, quia videlicet vassalli interim debita obsequia non præstant; ex eadem ratione Advocati Ecclesiarum, qui advocatias Ecclesiis ipsis pignori obligarunt, quia servitia ipsa non impendunt, fructus non percipiunt; immò Ecclesia eos lucratur, nec tenetur in sortem imputare, ex præsenti textu. Hucusque tradita procedunt, nisi ex conjecturis appareat hoc genus contractus in fraudem usurarum initum fuisse, & ab inope vassallo extortum fœnerandi animo, quod ex modicitate pecuniæ, & læsione, & quantitate fructuum rei feudalis, ex egestate, & inopia debitoris, aliisque rerum, & personarum circunstantiis judex arbitrabitur, argumento legis *Nesennius, ff. de negot. gestis, l. 3. §. ejusdem, ff. de testibus*, docuit Leothardus *de usuris, q. 14. num. 26.*

Hæc tamen tradita sunt pro expositione præsentis textus, & textus *in d. cap. 8. de usuris*: alia verò ratio est textus *in cap. 1. de usuris*; in eo enim agitur de beneficio, id est, de feudo injustè à laico vassallo detento: in qua specie cùm Ecclesia illud recuperare non posset, ideò si vassallus tale feudum pignori Ecclesiæ obligaverit, potest Ecclesia fructus percipere, nec tenetur in sortem imputare, quia Ecclesia tunc nihil alienum recipit, quod imputare, aut restituere teneatur; sed potiùs suum ab alio injustè detentum: docuit Arias de Mesa *lib. 3. var. cap. 46 num. 34.* ubi rectè observat, quod etiamsi eo casu vassallus obsequia præstet, adhuc Ecclesia potest fructus retinere, nec tenetur eos in sortem imputare, quia eos ut proprios, non ut alienos recipit.

5. *Exponitur cap. 1. de usuris.*

CAPUT II.

Idem *Archiepiscopo* (a) *Mediolanensi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali.*

EX parte tua nostro est Apostolatui reseratum, quod sæpiùs dubitasti, utrum cùm contingit (b) vassallum tuum decedere, & ad te feudum ipsius redire, feudum ejus alii liceat tibi dare; quamvis (c) juramento tenearis adstrictus, non infeudare de novo, Romano Pontifice inconsulto. Ad hæc si vassallum tuum feudum (d) alienare contingat, an ipsius filium, vel consanguineum consortem ejusdem feudi de ipso valeas (e) investire. Alia quoque tua dubitatio continebat, ut cùm feudum alienatum reperieris, quod per te facilè recuperare non potes, utrum possis alicui laico in feudum illud concedere, qui & illud recuperet, & in feudum per Ecclesiam recognoscat. Nos igitur super his de mente tua scrupulum volentes dubitationis auferre, præs. tibi m. quat. si quando præfati casus emerserint, in primo feudum decedentis liberè, si videris expedire, concedas: ac in secundo filium, vel consanguineum alienantis investies: in tertio feudum alienatum ei poteris licenter concedere, per quem ipsum Ecclesia valeat rehabere.

NOTÆ.

1. (a) *Mediolanensi.*] Ita etiam habetur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* De Mediolanensi Ecclesia nonnulla notavi *in cap. cùm adeò 17. de rescript.*

1. (b) *Vassallum.*] Circa voces senioris, vassi, & vassalli in jure feudorum passim occurrentes sciendum est, quod qui beneficii feudalis auctor est, cuique clientes subsunt, & dominium directum retinet, dominus dicitur, & senior, ut probat Hothomanus *disput. de feud. cap. 3.* Gibalinus *dicto lib. 4. de usuris, cap. 3. art. 2.* Vassus dicitur, qui beneficio feudali obstrictus est, *lib. 4. legum Franc. cap. 68.* ibi: *Vassi nostri, vassi Episcoporum.* Et *lib. 4. capit. 75.* ibi: *De vassis dominicis, qui adhuc intra casam serviunt, & tamdiu beneficium habere noscuntur, statutum est, ut cùm quinque ex his cum Imperatore domi remanserint, vassallos suos casatos secum non retineat, sed cum Comite, cujus pagensis est, ire permittat.* Inter vassos autem, & vassallos ea datur differentia, quod vassi dicuntur, qui feudum acceperunt ab Imperatore, vel Rege, ut Duces, & Comites; vassalli verò, qui ab ipsis feudum acceperunt, licèt posteà vassi pro vassallis, & è contra accipi cœperint, ut probat Hothomanus *de verb. feudal. verbo Vassallus*, Joannes Vossius *de vitiis serm. lib. 1. cap. 7. & lib. 3. cap. 54. & lib. 11. cap. 19.* Lindembrogius *in Glossario, verbo Vassallus*, doctè & fusè Gibalinus *dicto cap. 3. artic. 2. num. 7.*

(c) *Juramento.*] De hoc jurejurando tempore consecrationis ab Episcopo præstito nonnulla notavi *in cap. 7. de rebus Eccles.*

(d) *Alienare.*] Et per consequens illud amittat; ex constitutionibus enim Lotharii III. & Friderici I. feudum alienari non potest invito Domino, alioquin irrita est venditio, feudumque committitur. Guntherus *lib. 8. Ligurt.*

Si quis habens feudum, pretio seu vendere totum,
Seu pro parte velit, Dominique licentia desit,
Seu dare, seu vadio supponere cogitur, illud
Qui dedit amittet, non qui suscepit habebit;

Et paulò post:

Hæc magnus fieri vetuit Lotharius, at nos
Facta retractari volumus, facienda caveri.

Nec etiam potest donari piæ causæ, nisi ex consensu Domini. Auctor Anonymus vitæ Burchardi Comitis, ibi: *Deprecatus est itaque eum, quatenus villam,*

villam, quam de ejus beneficio tenebat, quæ Litias appellatur, Eccleſiæ Foſſatenſi daret, ita ut etiam prædium ſuæ poſſeſſionis, quod Ajureum dicitur ſponteneâ voluntate ſimul tribueret. Poſtea tamen cùm feuda deſciverint à ſui natura, & patrimonii jure haberentur, cœperunt alienari ſoluto laudemio priſtino domino, ut poſt feudiſtas docuerunt Gibalinus *dicto cap.3. art.6.* Hothomanus *de feudis, cap.34.* Duarenus *in conſuet. feud. cap.13.* Alteſſerra *de feud. cap.15. per totum.*

4. (e) *Inveſtire.*] Inveſtitura eſt ceſſio ſolennis feudi per haſtam, vel vexillum, aliudve ſymbolum, quo dominus obligatur feudum alteri tradere, quem in vaſſallum habere vult. Vox barbara eſt, apud varias nationes uſitata, ut poſt feudiſtas probant Gibalinus *dicto cap.3. artic.8. per totum.* Boſſius *dicto lib.3. cap.16.* Lindembrogius *verbo Inveſtire.* Et quia plerumque res abſentes in feudum concedebantur, & per ſymbolum poſſeſſio tradebatur, ipſa traditio inveſtitura dicebatur. De variis traditionum ſymbolis egi *in cap.2. de conſuet.*

COMMENTARIUM.

5. *Concluſio traditur & probatur.* EX hoc textu ſequens communiter deducitur concluſio: *Prælatus qui juravit non infeudare res Eccleſiæ, poteſt res jam infeudatas finito feudo iterum ex juſta cauſa infeudare.* Non extat ab ſpecie alia ſimilis deciſio in jure. Illuſtrant tamen eam aſſertionem ultra congeſtos in præſenti à Barboſa *axiom.21.* Balboa *in cap. ad aures, de præſcript. num.75.* Solorzanus *lib.3. polit. cap.32.* Scortia *in ſelect. epit.97. theorem 239.* Fachineus *lib.7. controv. cap.71.* Petrus Gregorius *lib.7. ſyntagm. cap.6.* Gibalinus *lib.4. de uſuris, art.3.* Vela *tom. 1. diſſert.15.*

6. *Impugnatur tradita aſſertio.* Sed pro dubitandi ratione in præſentem aſſertionem ita inſurgo. Prælati Eccleſiarum res ipſius Eccleſiæ in feudum dare nequeunt, ex Decreto Urbani II. relato ſub titulo *Epiſcopo, vel Abbate*, in uſibus feudorum, ibi: *Item ſi Epiſcopus, vel Abbas, vel dominus plebis feudum dederit de rebus Eccleſiarum, quæ eis ſubjectæ ſunt, & tituli vocantur, nullum habere vigorem, ſecundùm hoc, quod conſtitutum eſt à Papa Urbano in ſancta Synodo, hoc eſt illud, quod poſt ejus decretum fuerit, quod autem antè datum fuerit, firmiter permanere debet.* Sed temporalis alienatio jus, ſeu naturam rei non mutat, *l. nemo 164. §. temporaria. ff. de reg. jur.* Igitur in præſenti ſpecie Archiepiſcopus Mediolanenſis, qui propter jus commune, & juramentum à ſe tempore conſecrationis præſtitum res Eccleſiæ in feudum dare nequibat, nec jam in feudum conceſſas iterum finito feudo poterit infeudare. Augetur hæc difficultas ab ſpecie ex eo, nam decimas in feudum datas Epiſcopus iterum infeudare non poteſt, quia prohibitus eſt decimas laicis in feudum dare, *cap. prohibemus, cap quamvis, de decimis, cap. ad Apoſtolicæ, de his quæ fiunt à Prælat. cap.2. §. ſanè, de decimis in 6.* Illuſtrant Covar. *lib.1. var. cap.16. num.5.* Fachineus *lib.7. controv. cap.72.* Balboa *in d. cap. ad aures, num.24.* Igitur idem dicendum eſt in aliis rebus Eccleſiæ in feudum dare conſuetis.

7. *Feudi etymon & origo.* Quâ dubitandi ratione non obſtante vera eſt præſens aſſertio, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, feudum à fide nominari nonnullos voluiſſe, cum feudiſtico Oberto *lib.2. feudor. tit.3. §.2.* Verùm potiùs fidelium, aut fidelitium dici debuerat. Cujacius ibi refert à quibusdam dictum fuiſſe feudum à fœdere, quaſi fœdum. Verùm nec Latina hæc vox eſt, neque à Latinis derivata, ſed à Germanis, & Francis, à quibus feudum derivatum eſt à voce feida, quæ bellum, & inimicitias privatas ſignificat, ſeu publicas, ut probat Voſſius *de vitiis ſermon. lib.2. cap.6* & conſtat ex legibus Longobardorum, *tit.30.* ubi legitur: *Ut feida, quod eſt inimicitia, poſt acceptam compoſitionem poſt ponatur.* Et *tit.58.* ibi: *Propter feidam deponendam.* Et *lib.1. tit. de homicid. liberi hominis*, ibi: *Quia ſitæ ejus, quod fœmineo ſexu eſſe probantur, non poſſunt feidam levare.* In legibus Francorum *lib 4. tit 49.* ibi: *Ubicunque culpa contigerit, unde feida creſcere poteſt.* Inde quoque diffidare, eſt bellum indicere, ſeu inimicitias denunciare, *cap.1. in fine, de homicid. in 6.* Verrucius *in Gloſſario, verbo Diffidare.* Cùm igitur clientelæ iſtæ inſtituerentur, ut quisque ſuos quaſi devotos ad ſuas feidas, & contentiones perſequendas paratos haberet, feuda dicta ſunt, ut notarunt David Argente *in ſelect. titul. de feud. cap.1.* Antonius de Bellis *eod. tract. in princ.* Gibalinus *lib.4. de uſuris, cap.3. art.2. n.4.* & malè confundi feudum, cum fodero, & fredo, notavit Bosquetus *ad Innocentium III. lib.1 epiſt.5* Quamvis autem feudum ſit jus illud, quod vaſſallo à domino in ſuis rebus conceditur cum obligatione fidei, & obſequii militaris, unde ſæpiùs dicitur feudum ineſſe prædiis, & in illis conſtitui; obtinuit tamen uſus, ut non modò contractus, quo feudum conſtituitur, verùm ipſa quoque prædia, in quibus conſtituitur, feuda dicantur. Unde paſſim legimus, feudum mutari, alienari, oppignorari. Nec iſte modus loquendi inſolitus eſt, nam ſervitutes, cenſus, & jura prædiorum appellat prædia Celſus *in l quid aliud 86. ff de verb. ſign.* ſic etiam agros militibus fruendos datos beneficia vocat Cicero *5. in Verrem.* Metellus litteras ad Siciliæ civitates miſit, per quas hortatur, & rogat, ut arent, & ſerant in beneficium populi Romani; & tamen certum eſt, aliud eſſe beneficium, aliud materiam beneficii. Appellatur etiam feudum beneficium, *lib.2. feud. tit.52.* & *lib.1. capitul cap.132.* & *lib.3. cap 5.1.* & 20 Hinc beneficiare, pro infeudare, vel feudum alicui tribuere. Sigebertus *in chron. ann.1007.* ibi: *Imperator ſeditione ſuorum coactus Valentianas Balduino Comiti beneficiavit, ut ſibi contra motus ſuorum auxilio eſſet.* Nec hic loquendi mos abhorret à Romano; qui enim aliquid dono populi Romani, aut Imperatoris benevola voluntate acceperant, & *beneficium* accepiſſe, & *beneficiarii* dicebantur. Unde Cæſar *lib.2. de jure civili*, ſcribit, ſe nullam partem belli in Hiſpania voluiſſe relinquere, quòd magna eſſe Pompeii beneficia, & magnas clientelas in citeriori provincia ſciebat. Cicero *lib.2. de lege agraria*, ſic: *Unusquisque ſtudio, & ſuffragio ſuo viam ſibi ad beneficium impetrandum munire poſſit.* An verò beneficia Eccleſiaſtica ab his beneficiis dicta ſint, ut voluit Cujacius *lib 3. feud. tit.1.* notavi *in c.1. de prab.*

8. *De ſtudium origine.* Secundò ſciendum eſt, circa feudorum originem varias eſſe DD. ſententias. Cujacius *in præfat. ad lib. 1. de feud.* à veteri Romano jure reperit: ſed perquàm abſurdum eſt, ab eo jure feuda deduci; ſiquidem Obertus ipſe *lib. 2. feudor. titul.1.* fatetur, jus feudorum totum manaſſe ex conſuetudine, nihilque commune habere cum jure Romano; nec enim feuda repeti poſſunt à Clientelis Romanorum: nam jura illa patronorum,

rum, & clientum erant merè personalia, nec in his intercedebat aliqua datio prædiorum, sed nuda erogatio sportularum, & annonarum. Jus verò feudorum in rebus tantùm soli consistit, si à prædiis assignatis veteranis, de quibus *in l. in agris 22. ff. de acquir. domin.* feuda repetantur; non rectè, siquidem prædia illa limitanea erant, & in dominium veteranorum perpetuò transibant; feuda verò temporaria erant, nec eorum dominium in vassallum transfertur. Alii à legibus Longobardorum feuda repetunt, sed perperam, cùm Gerardus feudorum primus Interpres, natione Longobardus, jus feudorum antiquissimum esse testetur. Et planè commentitium est, quod nonnulli ajunt, Longobardos occupatâ Italiæ parte agros ducibus, & militibus divisisse sub iis conditionibus, quæ redactæ sunt in libris feudorum: nam in Longobardorum legibus, si demas quas addidere Carolus, aliique Franci & Germani Principes, nihil de feudis palam cautum reperitur: & occupatâ Italiâ per Longobardos non alia legitur ratio instituta, quàm quæ fuerat sub Gothis, nimirum tertia prædiorum erepta veteri possessori, vel tertiæ frugum vectigal indictum. Paulus Diaconus *de gestis Longob. cap* 18. ibi: *His diebus multi Nobilium Romanorum ob cupiditatem interfecti sunt; reliqui verò per hostes divisi, ut tertiam partem suarum frugum Longobardis persolverent, tributarii efficiuntur.* At de feudis altum silentium apud eos; unde audiendi non sunt Duarenus *in comment. adversus feudum, cap.* 3. Hothomanus *de feud. cap.* 1. Fachineus *lib.* 7. *controv. cap.* 1. Gibalinus *de usuris lib.* 4. *artic.* 1. qui ex jure Longobardorum feudorum initium repetunt. Nec feliciùs Budeus *in l.* 2. *ff. de orig. jur.* Zasius *in epit. feud.* 1. *p.* originem referunt ad clientelas, quæ inter populi Romani Duces, & gentes illis subactas instituebantur, quos refellit Gibalinus *dicto cap.* 1. Rectiùs ergo originem feudorum repetas à moribus Francorum; Franci enim rerum potiti in Gallia prædia divisere ducibus, & militibus beneficiario jure, sub lege fidei, & servitii, priusquam Longobardi Italiam attigissent: hoc jure Aureliano Duci Milidunensi pagum beneficii nomine datum à Clodoveo refert Aymonius *lib.* 1. *histor. cap.* 14. his verbis: [Unde cùm Clodoveus Regnum suum usque Sequanam, atque postmodùm usque Ligerim fluvios ampliasset, Milidunum castrum eidem Aureliano cum totius Ducatu regionis jure beneficii concessit.] Unde jam ab illius regni cunabulis passim celebrantur Regis leudes, sive leodes, id est fideles, qui à Rege prædia tenebant sub lege fidei, & servitii. Gregorius Turon. *lib.* 2. *histor. Franc. cap.* 1 ibi: *Sed & ille muneribus placatus, à leodibus suis defensatus est, & in regnum stabilitus.* Aymonius *lib.* 3. *cap.* 81. ibi: *Fuit autem Guntranus leudis suis benevolus, gentibus externis pacatus.* Et ut feuda manarunt ex moribus Galliæ, ex eis etiam secutæ sunt feudorum leges, veluti lex commissi ob feloniam, etiam olim in Gallia moribus, & proprio jure, quod jus Cismontanum appellat Joannes Saresbar. *epist.* 89 *ad Alex III.* ibi: *Unde ut asserebat illustris Blesensium Comes Theobaldus, Princeps quidem justitiæ amator, & juris Cismontani peritissimus, ad quem Episcopus Wintoniensis liberorum causam transmiserat, eo quod ad ipsum res ista jure feudi pertinebat, accitis potioribus Episcopis Galliæ, consilio eorum, aliorumque sapientum causâ cognitâ, patre defuncto eos legitimos agnovit hæredes.* Cujus consuetudinis Gallicanæ in feudis receptæ mentio fit *in cap. dilecti, de arbitris, cap. caterùm, de judiciis:* probat latè hanc sententiam Altesserra *de feud. cap.* 1. *per totum.* Auctores etiam librorum feudisticorum diversos faciunt Duarenus, Hothomanus, & Fachineus *ubi proximè.* Primi & quidem libri Gerardum Nigrum, secundi, & tertii Obertum de Otto, auctores ipsorum laudant, qui fuerunt Consules Mediolanenses imperante Friderico I. Frisingensis *lib.* 2. *de gestis Frider. cap.* 12. Sed rectiùs ipse Hothomanus existimat, primum librum non unius auctoris opus esse, sed rapsodiam jam ex variorum auctorum scriptis suffarcinatam; quod probat ex perpetua ferè singularum paginarum inter se pugna, & discrepantia; deinde ex inepta eorundem præceptorum iisdem verbis iteratione; quod idem dicendum est de secundo libro, ipsumque farraginem esse juris feudistici asserit. Quantæ tamen auctoritatis sint libri illi, examinat Fachineus *lib.* 7. *controv. cap.* 2. Rectè autem monet Cujacius ibi, in his libris contineri mores & jus, quod gentes libenter servant, nisi cùm earum juri proprio aliquid contrarium statuitur.

9. *De rebus quæ in feudum dari possint.*

Secundò sciendum est, quæ res in feudum dari possint? Et regula generalis concipienda est, in omnibus rebus immobilibus, in quibus ususfructus constitui potest retentâ proprietate penes dominum, in eisdem feudum constitui posse. Cujacius *lib.* 2. *feud. tit.* 1. Hothomanus *de feud. cap.* 14. Deinde in his rebus, quæ licèt immobiles non sint, immobilium jure gaudent, ut Imperia, Magistratus, jura, pensiones pecuniariæ, feudum constitui potest, ut probat latè Gibalinus *de usuris lib.* 4. *cap.* 3. *per totum, art.* 4. in rebus verò mobilibus feudum constitui non poterat, ut probat Hothomanus *lib.* 2. *feud. tit.* 1. & *dicto cap.* 14. hodie tamen cùm jam natura feudorum mutata sit, & perpetuo jure constituantur, etiam in rebus mobilibus & pecunia possunt constitui: illud tamen semper exigitur, ut res quæ in feudum datur, alienabilis sit, aliàs enim si alienari non posset, neque in feudum dari valeret. Ejusmodi verò sunt res litigiosæ, *l.* 2. *& ult. C. de litig.* fundus dotalis, *l.* 1. *& per tot. ff. de fund. dotal.* bona filii adventitia, *l.* 1. *C. de bonis matern.* res fideicommissariæ restitutioni obnoxiæ, *l. ult.* §. *sed quia, C. commun. de legat.* res communes, cùm divisio postulata est, *l.* 1. *C. commun. divid.* tandem omnes res, quæ sive à lege, sive à testatore, sive pactione contrahentium alienari prohibentur, *l. ult. C. de rebus alien.* Unde cùm res Ecclesiæ alienari prohibeantur absque justa causa, & certa solennitate, ut probavi *in cap. nulli 5. de rebus Eccles.* ideò Prælati similes res in feudum dare nequeunt, ex præsenti textu, & aliis suprà citatis.

10. *Quinam feudum dare possint.*

Magna est circa personas, quæ feudum dare possunt, juris feudistici varietas, & dissonantia, quam sæpius observat, & conciliare conatur Hothomanus *de feud. cap.* 6. Illud certum est, dominum, qui liberam habet bonorum suorum administrationem, posse dare illa in feudum, nisi speciali aliquo jure prohibeatur. Et omissis feudis majoribus, quæ tantùm supremi Principes dare possunt, feuda minora constituere possunt Episcopi, Abbates, Præpositi, & laici in aliqua dignitate constituti, potest & paterfamilias habens prædium allodiale, hoc est liberum ab omni

feudo, illud alteri plebejo, aut ruſtico dare, *ex lib. 2. feudor. titul. 3.* niſi alienandi facultatem non habeat, ut ſunt minores 25. annis ſine curatoris auctoritate, quia neque illi aut liberè de ſuis bonis diſponere, vel ea alienare poſſunt, *l. ultim. §. is autem, C. de bonis quæ lib.* maris reſpectu rerum dotalium, ex traditis *in cap. ex reſcripto, de jurejur.* mulier, quæ luxuriosè vivit, *l. & mulieri 15. ff. de curat. furioſ.* alioquin mulier rectè feudum dare poteſt, *ex lib. 2. feudor. titul. 3. §. 2.* quia illa donare poteſt, *l. donari, ff. de donat.* Jure tamen Longobard deſiderabatur auctoritas tutoris, quia apud eos ſicut apud Romanos, mulier erat in perpetua tutela, *lib. 2. legum Longobard. titul. 10.* Hoc tamen feudum à fœminis conceſſum, improprium eſſe dixit Hothoman. *de feudis, cap. 11 ſubfinem*, ex defectu obſequii militaris, quod in eo non datur. Feudum autem ſex modis acquiri probat Hothomanus *d. diſput. de feudis, cap. 15.* videlicet donatione, emptione, permutatione, ſucceſſione, præſcriptione, & inveſtiturâ, quos ſigillatim exponit Gibalinus *d. lib. 4. cap. 3. art. 7. cum ſequent.*

II. *Quibus modis feudum amittatur.*

Tandem ut modos, quibus feudum amittatur, agnoſcamus, ſciendum eſt, feudum aliquando committi, aliquando amitti. Feudum committitur ob feloniam, id eſt, perfidiam, veluti ob fugam ad hoſtes, quod vaſſallis Comitis Jopenſis eveniſſe refert Willelmus Tyrius *lib. 14. belli ſacri, cap. 16.* ibi: *Hæc videntes quidam de fidelibus ejus, relinquentes quæ ab eo habebant beneficia, meliores partes ſecuti ad Dominum Regem ſe contulerunt.* Feudum etiam committitur ob deſertionem Domini, vel Principis in acie, & ſi ſervitium militare non impletur. Ordericus Vitalis *lib. 10. hiſt. Eccleſ.* ibi: *Certum eſt, quod quisquis Dominum ſuum in mortis periculo ſponte deſerit, aliumque pro aviditate lucri appetit, ſeu militare ſervitium, quod ultrò pro defenſione regni exhibere debet, Regi ſuo venale facit, eumque propriis ſpoliare dominiis contendit, judicio rationis, & æquitatis ut proditor judicabitur, & hæreditariis rebus meritò nudatus, extorris effugabitur.* Feudum etiam committitur ob malas conſuetudines, id eſt, novos cenſus indictos. Robertus Montenſis *in chron. anno Domini 1196.* ibi: *Et forſan ideò prædictas munitiones perdiderunt, quia malas conſuetudines ipſi, & eorum anteceſſores diu ibi tenuerant.* Item committitur feudum, ſi vaſſallus dominum cucurbitaverit, id eſt, ſi uxoris domini, filiæ, aut nurus, aut ſororis virginis, quæ adhuc in capillo eſt, pudicitiam attentarit, ſive re ipſa corruperit, *lib. 1. feudorum, titul. 5. §. 1 & lib. 2. titul. 38. & 57. & lib. 3. titul. 2. §. 1.* Cucurbitare autem dixerunt feudiſtæ à barbara voce *corbita*, quod ſtuprum & infamiam ſignificat, ut probat Gibalinus *dicto cap. 3. art. 9. numero 4.* Amittitur autem feudum ob delictum vaſſalli, vel extra: ob delictum, veluti propter necem domini, vulnusve illi illatum, *lib. 1. titul. 17. lib. 2. titul. 51. & 57. feudorum:* ob oppugnationem caſtri domini, *lib. 2. titul. 57.* ob accuſationem, ſeu teſtimonium capitale, *lib. 2. titul. 24. & titul 33. §. 2.* ob delationem inſidiarum, *lib. 2 titul. 24. §. 4. & tit. 26. §. 18. & titul. 28. §. 2.* ob renunciationem ſecreti à patrono commiſſi, *lib. 1. feudorum, titul. 17.* oppignoratione, vel alienatione feudi ſine permiſſu patroni, *lib. 1. tit. 5. §. 2. lib. 2. tit. 24. § 5. tit. 38. 44. & 48.* Extra delictum feudum amittitur morte vaſſalli ſine liberis legitimis, juxta conditionem feudi: item lapſu temporis ſi feudum temporale ſit. Hothomanus *de feudis cap. 35.* Feudum autem Eccleſiaſticum ex conſtitutione Conradi non committitur in perpetuum ob noxam Epiſcopi, vel Abbatis, quia ut docetur *in cap. ſi Epiſcopum 16. q. 6.* delictum Prælati non debet nocere Eccleſiæ: ſic decreto Friderici I. Halberſtadenſis, & Bremenſis Epiſcopi feudis regalibus multati in vitæ tempus, quòd Friderico defuiſſent in expeditione Italica. Guntherus.

Quin & Pontifices, Halberſtadenſis & ille
Sub quo Brema fuit, tali regalia jura
Amiſere notâ, perſonæ ſcilicet ipſa,
Non tamen Eccleſia; neque enim quod Paſtor iniquè
Geſſerit, Eccleſiæ fas eſt in damna refundi.

Feudi porrò commiſſum, exhæredationem vocitavit poſterior ætas, quòd ademptionis feudi eædem ferè ſint cauſæ, quæ exhæredationis. Rogerus Hovedenus: *Willelmus Comes de Moretunio exhæredatus eſt de tota terra ſua, quam habuit in Anglia.* Matthæus Weſtmonaſterienſis eodem anno Chriſti 1155. *Rex Anglorum Henricus exhæredavit Gulielmum Peverel causâ beneficii, quòd Ranulfo Comiti Ceſtrenſi fuerat propinatum.* Feudo fiſco commiſſo, id intra annum Princeps dimittere debet, ne culpa vaſſalli Domino feudi fraudi ſit, ut in edicto Joannis Regis Anglorum ad annum Chriſti 1215. quod refert Matthæus Pariſ. ibi: *Nos autem non tenebimus terras eorum, qui convicti fuerint de felonia, niſi per annum unum, & unum diem; & tunc reddantur terræ Dominis feudorum.* Majora feuda, putà Ducatus, & Comitatus, lege feudorum redeunt ad Principem, deficientibus maſculis hæredibus. Hoc jure morte Friderici Moſellanorum Ducis ſine hæredibus maſculis, Ducatus ad Imperatorem reverſus eſt anno Chriſti 1074. Sigebertus, ibi: *Friderico Moſellanorum Duce mortuo, quia mares filios non habebat, quibus Ducatus competeret, Gothelus Dux impetrato ab Imperatore etiam Moſellanorum Ducatu, in Lotharingia penitus principatur.* Tandem quoad modum, ex quo diximus finiri feudum morte vaſſalli, ſciendum eſt, feuda ab initio fuiſſe temporaria, & precaria, ita ut morte accipientis finirentur, ut probat Alteſſerra *de feudis, cap. 2 per totum*; ideoque plerunque in feudis fiſci, vel Eccleſiæ lex dicebatur, ut eorum deſcriptio fieret, ne lapſu temporis interverterentur, & in allodium, ſeu dominium perpetuum redigerentur. Concilium Meldenſe ſub Carolo Calvo *can. 20.* ibi: *Quia maximè quod ad Rempublicam pertinuit, aut præreptione in beneficiario jure, aut in allodio abſumptum habetur, videtur nobis utile, & neceſſarium, ut fideles, & ſtrenuos miſſos ex utroque ordine per ſingulos Comitatus Regni veſtri mittatis, qui omnia diligenter imbrevient, quæ tempore avi, ac patris veſtri, vel in regio principaliter ſervitio, vel in vaſſallorum dominicorum beneficiis fuerunt.* Et *lib. 2. capitul Caroli, cap. 82.* Ut non ſolùm beneficia Epiſcoporum, vel Abbatum, Abbatiſſarum, atque Comitum, ſive vaſſallorum noſtrorum, ſed etiam fiſci noſtri deſcribantur in breve. Poſtea tamen à temporibus Ludovici Pii cœperunt feuda eſſe hæreditaria, ut probat Alteſſerra *d. cap. 2. per totum.*

12. Quibus ita animadverſis pro plena feudorum cognitione, eorumque natura, quam doctè, licèt

Traditur ratio decidendi.

cèt breviter, perstringit Innocentius in præsenti, apparet vera ratio ipsius decisionis; licèt enim in casibus ab Innocentio relatis feudum per alienationem, & mortem vassalli rediret ad dominum, & eo iterum mensæ Ecclesiæ incorporato, videretur dicendum non posse Archiepiscopum, qui juramento promiserat non infeudare res Ecclesiæ, iterum novum vassallum de feudo illo investire: contrarium tamen decrevit Innocentius ex principio illo vulgari, videlicet, quod alienabilis res semel facta, semper manet alienabilis; quod axioma illustrat Barbosa *in axiom. cap.* 21. Solorzanus *dicto cap.* 32. unde licèt res Ecclesiæ inalienabiles sint, ex traditis *in cap. nulli 5. de rebus Eccles.* & per consequens in feudum Archiepiscopo dari non possint, ex suprà traditis; tamen ex quo jam in feudum datæ reperiebantur, alienabiles factæ fuerunt; nec ipse Archiepiscopus de novo in feudum dare eas creditur, sed potiùs antiquum feudum conservare: unde rectè docet Innocentius, absque metu perjurii ipsum posse iterum de feudo ipso alium possessorem investire. Facit exemplum pupilli, qui licèt novum feudum concedere nequeat sine auctoritate tutoris, antiquum tamen renovare valet, *lib. 2. feudorum, titul. 3. §. 1.* quia non videtur de novo alienasse, ut ibi docetur: & sicut pupillus sine tutoris auctoritate non potest servum tabernæ, aut negotiationi efficaciter præponere, *l. verum 9. ff. de institut.* tamen si jam præpositus reperiatur, efficaciter ipse ex ipsa negotiatione obligatur, *l. sed si pupillus 11. ff. eodem titul.* Similiter ergo licèt Prælatus Ecclesiæ non possit absque justa causa, & debita solennitate rem Ecclesiæ in feudum concedere, tamen antiquum renovare non prohibetur.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt temporaria alienatio jus rei non mutet, tamen feudi concessio non est temporaria alienatio, immò perpetua, ut suprà adduxi: unde rem ipsam reddit alienabilem de cætero intra eandem alienationis speciem. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis; nam licèt controversum sit, an adhuc post prohibitionem Concilii Lateranensis relatam *in dicto cap. prohibemus*, juxta illius textus communem interpretationem possit Episcopus decimas infeudatas ante ipsum, iterum laicis in feudum concedere, & verior sententia sit, de illis iterum non posse investire laicum: inter illum tamen casum, & præsentem decisionem magna versatur differentia; nam in prohibitione infeudationis in laicum, ultra prohibitionem Concilii, & alienationem rerum Ecclesiæ reperitur incapacitas laicorum, quam agnoverunt Ecclesiæ Patres: unde cùm eam post Concilium Episcopi, & similes Prælati tollere non possint, ideò neque ex novo feudo, nec ex veteri, seù antiquo possunt decimas laicis concedere, noviter eas infeudando, aut per investituram jam infeudata aliis concedendo; quæ incapacitas in præsenti textu non datur. Unde licèt Archiepiscopus in ejus specie non posset res Ecclesiæ in feudum concedere, propter juramentum præstitum de ipsis non infeudandis, tamen feudum antiquum iterum concedere valet. Faciunt quæ de precariis antiquis instaurandis adduxi *in cap. 1. de precariis, n. 7.*

13. *Dissolvitur difficultas.*

TITULUS XXI.

De Pignoribus.

CAPUT I.

Ex Concilio (a) *Rhemensi.*

UT nullus clericus præsumat (b) calicem, vel (c) patenam, aut pallam altaris, vel (d) vestimentum sacerdotale, aut (e) librum tabernario, vel negotiatori, ut cuilibet laico, vel fœminæ in (f) vadimonium dare: quia tanta est sanctitas sacri ministerii, ut salvâ altioris mysterii intelligentiâ etiam per Prophetam (g) Dominus prohibuerit, ne cum sanctis vestimentis Sacerdos procedat ad populum, sed intra sancta illa dimittat, ad eum à colloquio divino rediens. Et cui in tabernas à sacris (h) canonibus ingredi prohibetur sanctificata sacro ministerio, nec ad contingendum immundis, quantò minùs in vadimonium exhibere debet; sicut (i) Stephanus sanctus Papa & Martyr ad sanctum Hilarium in suis Decretalibus docuit.

NOTÆ.

1. (a) *Rhemensi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1 apud Burchardum verò *lib.* 3. *cap.* 104. & Carnotensem *p.* 2. *Decreti*, *cap.* 139. additur *cap.* 11. Et licèt in nullo ex Conciliis Rhemensibus hucusque ex-

cusis reperiantur hæc verba, referuntur tamen ab Hincmaro Rhemensi in capitulis anni 852. *cap.* 11. & ex eo refert Pater Sirmondus *in notis ad capitul. Caroli*, & *tom. 2. Conciliorum, fol.* 508. Sententia etiam hujus textus reperitur in Concilio Rhemensi celebrato anno 630. prout refertur à Corjolano *in summa Concil. fol.* 315. unde credo

credo canonem hunc esse Concilii Rhemensis, Decretistas autem illum transcripsisse ex Hincmaro *d. cap.* 11. ex quibus ita præsentem litteram restituo.

(b) *Calicem.*] De quo, & ejus forma, ac materia agemus *in capite finali, de celebratione Missarum.*

(c) *Patenam.*] Patena est vasis genus, à patendo dictum, vel ut ait Varro *lib.* 4. *de lingua Latina*, veteres pátenas à patulo dixerunt, eò quòd his libarent cœnis patellas: inde patellæ vasa pocula parva, sacrificiis apta, auctore Festo. Hinc patellarii Dii, apud Plautum *in Cistellaria*, qui his vasis placabantur. Veteres enim aliquid de cœna libabant Diis, illudque patellæ imponebant: unde Ovidius *in Fastis* ait:

Fert missos veste parva patella cibos.

D. Isidorus *lib.* 20. *originum, cap.* 4. non poculis adhibet patenas, sed escis; numeratque non inter vasa potatoria, sed inter vasa escarum; præcipuè enim apud antiquos dapes jurulentæ paténis in mensam ferebantur: unde Plautus *in Asin.* ait: *Quovis pacto conditas, vel patinarium, vel assum verses.* Id quoque liquet ex Horatio *lib.* 1 *satyr.* 3.

Si quis eum servum patinam, qui tollere jussus
Semesos pisces, tepidumque ligurierit jus.

Columella *lib.* 12. *cap.* 43. ibi: *Columella patruus meus ex ea creta, quâ fiunt amphoræ, lata vasa in modum patenarum fieri jubebat.* Notavit Marcellus Donatus *ad Trebellium*, *in Claudio, tom.* 6. *thesauri critici, fol.* 1615. In sacris canonibus patena accipitur pro eo dumtaxat vase, in quo cœlestis hostia in Altari adhibetur, quæ apud antiquos dicebatur etiam discus. D Jacobus *in sua liturg.* ibi: *Cùm autem attollunt diaconi discos, & calices ad impartiendum populo.* Evagrius *lib.* 6. *cap.* 20. dum recenset Regis Cosroïs mandatum, ait: *Dedit mandatum Cosroës Rex, ut ex eo pretio discus unus, & unus calix fierent, ut divinis mysteriis celebrandis inservirent.* Patenarum usum Missæ sacrificio, jam ab ipsis Ecclesiæ cunabulis ad nostram usque ætatem derivatum probant Baronius *anno* 216. *num.* 13. & *anno* 233. *num.* 1. Novarin. *in Agno Eucharistico, cap.* 97. Josephus Vicecomes *volum.* 4. *de ritib. Missæ, lib.* 6. *cap.* 19. & de earum materia, forma, & numero agunt Sausay *part.* 3. *Panopl. sacerd. lib.* 9 *cap.* 1. Vicecomes *ex dicto cap.* 19. *usque ad* 25. Bulengerus *lib.* 2. *opusculorum, cap.* 2.

(d) *Vestimentum sacerdotale.*] Ut amictum, albam, stolam, planetam, & dalmaticam, & alia, de quibus in communi, & in particulari agit Vicecomes *dict. volum.* 4. *libro* 1. *cum sequent.* & *nos in capite unic. de sacra unct.*

(e) *Librum.*] Ut Missale, seu Brevarium, de quo agemus infrà *in cap.* 3. seu aliæ scripturæ sacræ, non quia in eis aliquid sacratum daretur, sed quia cùm divinis ministeriis fuissent deputatæ, à prophanis hominibus retineri non debebant, præcipuè ne ad Gentilium manus pervenirent: unde magna semper Ecclesiæ cura fuit, ne traderentur libri, & ecclesiasticæ scripturæ hominibus prophanis. Synodus 6. *in Trullo, can.* 68. ibi: *Nulli ex omnibus licere veteris, & novi Testamenti librum, nec Sanctorum nostrorum Præconum, ac Doctorum corrumpere, vel conscindere, vel librum cauponatoribus, vel his qui dicuntur Unguentarii, vel alicui alii ex omnibus ad eum perdendum tradere, nisi utique vel à tineis, vel ab aqua, vel aliquo alio modo redditus fuerit inutilis: qui autem tale quid facere deinceps deprehensus fuerit, anno uno segregetur.* Concil. Arelat. 1. *can.* 13. ibi: *De his, qui scripturas sanctas tradidisse dicuntur, vel vasa dominica, vel nomina fratrum suorum, placuit nobis, ut quicunque eorum in actis publicis fuerit detectus, vel verbis nudis, ab ordine Cleri amoveatur.* Quem canonem latè exponunt Albaspineus *in ejus notis*, Bosquetus *ad Innoc. libro* 1. *epistol.* 130. Joannes Dartis *ad Decretum dist.* 15. *fol.* 47. Morinus *lib.* 2. *exercit. cap.* 12.

(f) *Vadimonium.*] *In vadium* legitur in prima, & sexta collectione, & apud Burchardum, & rectè; nam vadium est barbara vox significans pignus; & vadio supponere idem est, ac oppignorare, *in l.* 19. *titul.* 14. *lib.* 1. *legum Longob.* ibi: *In vadium se ipsum pro pretio tradere.* Et in lege Salica, *titul.* 52. ibi: *De eo, qui fidem factam alteri reddere noluerit, idest, qui vadium alteri dat, & postea persolvere spreverit.* Et in aliis congestis à Lindembrogio, *verbo Vadium.* Unde vadiare, idem est ac pignorare, in legibus Ripuarior. & vadiare per stipitem, idest per stipulationem, dixit Innocentius *lib* 2. *epistol. ad Magistr. & Frat. Templ.* Illustrant Lindembrogius *in Glossario. verbo Vadium*, Notatòr Capitularium *eod verbo*, Vossius *de vitiis sermonum lib.* . *cap.* 56. Aliquando dicitur Gadium, ut apud Petrum Mauricium *lib.* 1. *de mirac. cap.* 8. ibi: *Qui velut ex bona conscientia andacter gadium in manu ejus ponens, ait: Hujus (ut dixi) rei ego testis sum, aliis quoque testibus, vel duello id ipsum probaturus.* Ubi uno in codice legi guadium, seu vuadium refert Pater Zerda *in adverss. cap.* 168. Et quia pro mulcta sæpiùs pignus dabatur, inde est, quod vadium etiam acciperetur pro mulcta, quam quis deberet. Concil. Cabilon. 2. *can.* 18. *Dictum est nobis, quod in quibusdam locis Episcopi, & Comites ab incestuosis, & ab his, qui decimas non dant, vadios accipiunt; & à presbyteris, pro quibusdam negligentiis: & inter se pecuniam dividunt.* Sic *in constitut. Caroli Calvi, tit.* 27. *post reditum à Confluentibus, cap.* 6. ibi: *Si de ipsa pacificatione vadii ad nostram partem venerit, ex toto perdonent.* Notarunt Vossius *ubi proximè*, Bosquetus *lib* 1. *epist.* 120.

(g) *Prophetam.*] Ezechielem *cap.* 44.

(h) *Canonibus.*] Relatis suprà *in cap. à crapula.*

(i) *Stephanus.*] Papa primus *epist.* 1. *decret. ad Hilarium Episcopum, cap.* 3. ubi Cùm rerum sacrarum dignitati consulere omnibus votis intenderet, ita scribit: *Vestimenta ecclesiastica, quibus Domino ministratur, cultusque divinus omni cum honorificentia, & honestate à sacerdotibus, reliquisque Ecclesiæ ministris celebratur, & sacrata debent esse, & honesta: quibus cùm aliis usibus quam Deo, ejusque servitio consecrata, & dicata non sint, nemo debet frui quàm in ecclesiasticis, & Deo dignis officiis, quæ nec ab aliis debent contingi, aut ferri, nisi à sacratis hominibus, ne ultio, quæ Balthasarem Regem percussit, super hæc transgredientes, & talia præsumentes veniat divina.* Fragmentum refertur à Gratiano *in capite* 41. *de consecr. distinct.* 1.

COMMENTARIUM.

EX præsenti canone sequens communiter deducitur disputanda assertio. *Res Deo dicatæ pignori* 6. *Conclusio tradita, & probatur.*

gnori dari non possunt, nisi ex gravi necessitate. Probant eam textus *in c. 3. hoc tit. can. 72. Apost olor. cap. vestimenta 42. de consecr. distinct. 1. cap. quæ semel 19. quæst. 3. cap. cùm Apostolus, de censibus, capite ad hæc 4. de relig. domib.* Concilium Brachar. 3. *can. 3.* ibi: *Sub hac quoque damnationis sententia & illi obnoxii tenebuntur, qui ecclesiastica ornamenta, vel alia quælibet indumenta atque etiam utensilia sciendo in suos usus transtulerint, vel aliis donanda vel vendenda crediderint.* Theodulphus Episcopus Aurelian. *in epistol. ad Clerum suæ diœcesis* ibi: *Nullus presbyter, seu laicus præsumat calicem, seu patenam, aut quælibet vasa sacra, & divino cultui mancipata ad alios usus detorquere.* Et *l. sancimus, C de sacros. Eccles. l. si in emptione 34. § omnium, ff. de contrah. emption. l. si monumento 3. C. quæ res pignori, authent. de alienatione & emphytheusi, §. si verò, & § ea verò, collat. 9.* Consonant lex 3 *titul. 13. part. 5.* lex *tit 2. lib. 1. Recopilationis.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa & Garanna, Pater Henao *de sacrif. Missæ tom. 2 disput. 27. sect 15. num. 166.* Suarez *de sacram. quæst. 83. disput. 81. artic. 3. sect. 8.* Balsamon *in can. 68. Synod. 6.* Legaufre *ad tit. de rebus Eccles. in princip* Vicecomes de ritibus Missæ *volum 4 lib 6 cap 2.* Barbosa *de jure Eccles. lib. 3. cap. 2. in fine.* Hunnius *in encyclop. titul. 13. p. 3.*

7. Impugnatur traditu assertio.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem sic argumentor: Si res sacræ non possent pignori dari, maximè quia consecratæ sunt, Deoque dicatæ; unde pignoris obligationi, quæ rem ipsam afficit, subjici non possunt: sed res religiosa, quæ æquè ac sacra extra commercium est, *inter 83. §. sacram. ff de verb. obl.* pignori dari potest dum religiosa est, *l. 2. § ultim ff. de relig.* ergo res sacra, dum sacra est, pignori etiam dari poterit. Secundò difficilis est ipsa assertio, dum in ea docetur, res sacras pignori dari posse urgente gravi necessitate, ex eo; nam si propter gravem necessitatem vasa sacra sunt alienanda, priùs debent conflari, & ita sub diversa forma alienari poterunt, *cap. aurum 12. quæst. 2. Authent præterea C. de sacros. Eccles.* Igitur etsi ob gravem necessitatem pignori dari possint, debent priùs conflari, & comminui, ut non sub eadem forma laicis pertractanda tradantur. Tandem superflua videtur præsens constitutio; nam si in generali prohibitione alienationis rerum Ecclesiæ cautum erat, ne res Ecclesiæ pignori, vel hypothecæ dari possint, *capitenuli, de rebus Ecclesiæ,* si in ipsa prohibitione comprehensæ erant illæ res Ecclesiæ, videlicet vasa sacra, ornamenta, ac libri Ecclesiæ, ad quid necessaria fuit præsens constitutio.

8. De examinatione rerum sacrarum.

Quibus difficultatibus minimè obstantibus vera est præsens constitutio, cujus rationem ut percipiamus sciendum est, res Deo dicatas extra commercium hominum esse ex ipso jure gentium, *l. si in emptione 34 § 1* ibi: *Velorum.ff de contrab. emption.* à quo descendit religio erga Deum, *l. 2. ff. de justit. & jure.* Cùm enim per consecrationem sint veluti Dei portio, aut patrimonium effectæ, consequens est, & rationi consonum, ut tales res nullius in bonis sint, nec in commercio hominum remaneant, *l. in tantùm. §. sacra ff de rer. divis. §. nullius. Institut. eod titul* & ad instar sacrilegii est, quod semel Deo dicatum est, amplius humanis usibus relinqui, *cap. nulli 3. 12. quæst. 2. cap. comperimus 2. 14. quæst. 6. cap. quæ semel 4. 19. quæst. 3.* ex quo deprompta est regula *Semel, de reg. jur. lib 6* Unde res sacræ vendi, permutari, aut alio modo alienari nequeunt, *l. seu Celsus 6. l. ade sacra, ff. de contrah. emption. l. continuus 137. § cùm quis, ff. de verb. obl. l. locum 9. C. de relig. 9. ultim. Institut de contrah. emptione, l. 1. titul 13. part. 1. l 22. titul. 11. partit. 3* In qua parte observandi sunt textus *in l. quod si 11. de relig. l. final. ff de litig. l. 30. famil. erciscund. l. finali, ut in possess. leg. l. 9. de usucap. l. 7. §. 1. ff. de peric. & commodo, l. in fundo, ff. de rei vind. l. 2. §. 1 de interdictis. l. 1. §. 15. ff. si quid in fraud. patron. l 14. §. finali, ff. de servitutibus, l 3. §. penult ff. de jure fisci, l. 4. §. fin. ad leg. jul. pecul. l. 53. §. 1. ff de actionib. empti, l. final. de mortuo inferend. l. 28. §. final. de verb. obl.* nec legari, *l. Mævius 66. §. 4. ff. de legat. 2. §. non solum 3. Instit. eod. titul 1 monumenta 14. C. eod.* nec in stipulationem deduci, *l. 1. §. si id quod, de obl. & act. l. continuus 137. §. cùm quis, l. inter 83. §. sacra, ff. de verb. obl. § idem juris, Institut. de inutilibus stipulat.* nec dividi in er hæredes, *l fundus 30. ff. famil. erciscund.* nec possunt jure possideri, *l qui universas 30. §. 1. ff. de acquir. possess* ac proinde nec usucapi, *l usucapionem 9. ff. de usucap. §. sed al. quando, Institut. eod titul.* nec possunt promiscuo hominum usu versari, *l. si quis sepulchrum 12 §. 1. ff. de relig. l. 1. & per totum C. de sepulchro:* idcircò vetat Prætor quicquam fieri in loco sacro, nisi ornamenti gratiâ fiat, *l. 1. ff ne quid in loco sacro, § 1 Institut de interdictis.* Eadem ratione servitus sepulchro imponi non potest, *l. caveri, ff. communia præd.* immò si inter prædium dominans, & prædium serviens locus sacer, vel religiosus intercedat, interrumpitur servitus, quia pars illa media nequit servire, *l. servitutes 14. §. 1. ff. de servit. l. si priùs 17. §. sic, ff. de aqua pluvia.* latiùs prosequuntur Cujacius *lib. 3. respons. Papin. in d. l. ade,* & *in recit ad l. 4. ff. eod* Donell, *lib. 4. comment. c. 1.* ubi Osualdus; Treutlerus *volum 2. select. disp. 20 thesi 1.* & ibi Hunnius, & Bachovius, Vespertini nostri Antecessores *in dict. l. inter 83 §. sacram,* Gibalinus *de negotiat. libro 1. capite 4. art. 1.*

9. Exceptio prædictæ regulæ.

Patitur tamen hæc doctrina nobilem exceptionem, videlicet urgente necessitate gravi; tunc enim etiam res Deo dicatæ alienari possunt, ac pignori dari, veluti propter redemptionem captivorum, seu injustè carceratorum, aut ob famem publicè grassantem, *l. sancimus 21. C. de sacros. Eccles. Novella 7. cap. 8.* & *novella 65* & *novella 120. cap. 9. § sacra, Instit. de rerum divis. capite Apostolicos 13. cum duobus sequent. 12. quæst. 2. l 1. titul. 14 partit 1.* Photius *in nomocan. titul. 2. capite 3.* Ratio redditur à Divo Ambrosio *in capite Aurum, eadem causa & quæstione,* ibi: *Quoniam aurum Ecclesia non habet, ut servet.* Et in hoc sensu accipi potest illa Imperatoris Alexandri sententia, referente Lampridio *in ejus vita,* accepta à Persio *satyr. 2.*

> *Discite Pontifices in Sanctis quid facit aurum,*
> *Nempe hoc, quod Veneri donata à virgine puppe.*

Utraque verò sententia procedit urgente gravi necessitate, quam auro suo redimere intendit Ecclesia, ut omnium mater: si verò omnia sunt prospera, nullibi religiosiùs aurum impenditur, quàm in ornatum templi, & ministeriis divinis;

unde templa pretiosâ suppellectili ornata fuisse omni in religione, tam Judaica, Gentilica, quàm Catholica, notum est: ut autem gravi urgente necessitate vasa sacra, aut vestimenta alienari possint, priùs sunt conflanda, & ad aliam formam redigenda, ne homines ad prophanos usus illis abutantur, *d. cap. aurum*: docent Tiraq. *de priv. l. piæ causæ, in princip.* Cujacius *in d. novella* 65. Gothofredus *in dict. l. sancimus*, Covar. *lib.* 2. *var. cap.* 16. *numero* 8. Treutlerus *volum.* 2. *select. disput.* 20. *thesi* 1. Grotius *lib.* 3. *de jure belli cap.* 5. & in notis.

10. *Traditur ratio decidendi.*

Quibus ita animadversis ratio præsentis assertionis ex eo provenit, nam cùm vasa sacra, & ornamenta, & libri Ecclesiarum adeo sint extra commercium, ut nullo modo converti ad alios usus possint, ut probat latè Vicecomes *volum.* 4. *de ritibus Missæ, lib.* 1. immò si contrectentur ab hominibus, polluantur, *cap. ad nuptiarum* 43. *de consecr. dist.* 1. ideo hujusmodi res nec ex causa pignoris possint laicis tradi, quia id cederet in ipsarum injuriam, & irreverentiam, *d. l. sancimus* 21. ubi statuitur, posse vasa ita pignori data vindicare Episcopum, nomine videlicet Ecclesiæ, ut exponit Osualdus *lib.* 20 *Donell. cap.* 4. *littera B.* Erant tamen apud Romanos nonnulla privata sacra, quæ pignori dari poterant, de quibus Tertul. *in apolog. cap.* 13. ibi: *Domesticos Deos dicitis, domestica potestate tractatis, pignorando, vendendo, & demutando.* Ubi observavit Zerda, & post eum Gibalinus *tom.* 1. *de negot. lib.* 1. *cap.* 4. *art.* 1. Pietatis tamen causâ possunt tempore ingruentis famis, ad redemptionem captivorum pignori dari, ut ita pauperibus subveniatur, aut necessitati Ecclesiæ consulatur, *cap.* 13. *cum sequentib.* 12. *quæst.* 2. Gregorius Magnus *lib* 6. *epist.* 35. & sacrorum canonum, & legalia statuta permittunt, ministeria Ecclesiæ pro captivorum esse redemptione vendenda, ut in exemplo Acacii Episcopi relato à Socrate *lib* 7. *cap.* 21. & Agapeti Pontificis apud Cassiodorum *lib* 12. *variar. cap.* 20. ubi de vasis sacris pignori datis restituendis ita ait: *Quapropter nostrâ præceptione commoniti, & regiâ jussione securi, sanctorum vasa, cum obligatione chirographi auctoribus sancti Petri Apostoli, sine aliqua dilatione refundite, ut lucrosè reddita, celeriter impetrata videantur; optata referantur manibus Levitarum ministeria, toto orbe narranda: donetur quod proprium fuit, quoniam justè per largitatem recipit, quod sacerdos legibus obligavit.* Germonius *lib.* 2. *de sacr. capite* 17. *numero* 31.

11. *Respondetur difficultatibus.*

Nec obstant suprà adductæ difficultates. Non prima, nam verum est, simul consistere non posse sacrum, & prophanum; sicut nec libertas, & servitus: quare nec fundus religiosus potest pignori dari, nec pignori suppositus religiosus fieri pro ea parte, pro qua religiosus est: at verò pro ea parte prædii, pro qua locus purus manet, nec religiosus efficitur, potest pignori dari; quo casu procedit textus *in d. l.* 2 §. *final.* Nam cùm locus pro alia parte prædii remaneat purus, pro ea parte consistere pignus valet. Nec obstat secunda difficultas; nam magnum discrimen versatur inter eum casum, in quo res venduntur sacræ ob redemptionem captivorum, vel similem necessitatem; & quando tantùm pignori dantur. Primo casu debent priùs conflari, *d. cap. aurum*: secundo verò in ea forma, in qua sunt, possunt pignori dari. Differentiæ ratio ex eo provenit, quia per emptionem dominium cum ipso rei usu transfertur in emptorem per pignoris verò constitutionem non mutatur causa dominii, *l. cùm & sortis* 35. § *ult. ff. de pignorat. action l. pignus* 9. *C. eod. tit. l. fœnerator* 6. *vers. alias. ff. de nautico fœnore, l. rescriptum* 12. *ff. de distract. pignor.* nec creditor potest absque vitio furti uti re pignorata, *l. si pignore, ff. de furtis*: ideoque in pignoris datione necesse non est vasa ipsa conflare, ut in venditione docet Mancinus *lib.* 1. *de triplici juris collat. cap.* 132. Nec in confirmationem hujus doctrinæ omittam mirandum exemplum, quod narrat Baronius *tom.* 11. *anno* 1180. Cùm enim monachi Ecclesiæ sanctæ Mariæ, & sancti Amatoris mutuò accepissent pecuniam à divite quodam sub pignore cortinarum Ecclesiæ, & adveniente festo B. Virginis rogassent eum, ut ad ornandam Ecclesiam accommodaret statim restituendas, ille verò respondisset, cortinas esse circa lectum uxoris suæ, quæ nuper ei puerum peperat, nec posse inde amoveri, sicque die festo Ecclesia ornatum suum non habuisset, nocte sequente apparens Dei genitrix uxori illius divitis significavit, virum ejus grande peccatum commisisse, & in ejus pœnam primò puerum tertia die spiritum exhalaturum, deinde patrem octava die hanc temporalem vitam morti, & suppliciis æternis commutaturum; quæ omnia evenerunt ut prænuntiata fuerant.

12. *Dissolvitur ultima difficultas.*

Nec obstat ultima difficultas, pro cujus solutione sciendum est, inter alias alienationis species erga res Ecclesiæ prohibitas contineri & pignoris dationem, *dict. cap. nulli, novella de non alienandis*; quia licèt per pignoris constitutionem non mutetur causa dominii, tamen jus in re tribuitur, propter quod distractioni locus paratur: unde regulariter prohibitâ alienatione, pignoris constitutio prohibita censetur, *l. final. C. de rebus alienis*, Tiraq. *lib.* 1. *de retract.* § 1. *gloss.* 14. *numero* 7. Nec contrarium probatur *in l. si pupillorum* 7. §. *si Prætor, ff. de rebus eorum*, quam exponunt Arias à Mesa *lib.* 3. *var. cap.* 28. & alii Vespertini Antecessores *in dict cap. nulli.* His ergo suppositis dicendum est, in præsenti textu, & similibus prohiberi sacra vasa, & ornamenta pignori dari laicis, etiam cum debita solennitate, ex speciali ratione suprà illustrata.

13. *Exponitur Concil. Later cap. ult.*

Ex suprà traditis lucem accipit textus Concilii Lateranen. generalis, celebrati sub Innocentio III. *cap ultim. post princip. de expeditione in Terram sanctam*, in illis verbis: *Ipsis clericis qui fuerint in exercitu christiano indulgemus, ut beneficia sua integra percipiant per triennium, ac si essent in Ecclesiis residentes; & si necesse fuerit, ea per idem tempus pignori valeant obligare.* Quæ verba difficillima sunt, cùm beneficium ecclesiasticum sit jus spirituale canonica institutione acquisitum, *cap* 1. *de reg. jur. lib.* 6. unde videbatur ex præsenti textu, non posse pignori dari. Accedit, nam militia cœlestis, sive ecclesiastica clericorum sæpe æquiparatur militiæ castrensi, ut probavi *in capite* 1. *de renunc.* Sed militia castrensis non potest pignori dari, *l.* 5. *C. quæres pignori, l.* 4. *de execut. rei judic. novella* 63. *vers. quarta pars*: ergo nec militia clericalis. Sed his omnibus facilè respondetur ex suprà traditis, videlicet ideo in eo textu permitti clericis beneficia ecclesiastica pignori dare, quia agebatur de expeditione facienda in Terram san-

sanctām, unde ob causam illam totius Ecclesiæ, & ingruentem illam necessitatem permittitur res ecclesiasticas, immò & ipsa vasa sacra pignori dare.

CAPUT II.

(a) Gregorius *Fantino Defensori.*

LAtor præsentium Cosmas Syrus in (b) negotio quod agebat, debitum se contraxisse perhibuit, quod & multis aliis, & lacrymis ejus attestantibus verum esse (c) credidimus. Et quia 150. solidos debebat, volui, ut creditores illius cum eo aliquid paciscerentur; quoniam & (d) lex habet, ut homo liber pro debito nullatenus teneatur, si res defuerint, quæ possint eidem debito addici. Creditores ergo suos, ut asserit, ad 80. solidos consentire possibile est. Sed quia multum est, ut à nihil habente homine 80. solidos petant, 60. solidos per notarium tibi transmisimus, ut cum eisdem creditoribus subtiliter loquaris, rationem reddas, quia filium ejus, quem tenere dicuntur, secundùm leges (e) tenere non possunt. Et si potest fieri, ad aliquid minùs quàm nos dedimus, condescendant. Et quidquid de eisdem 60. solidis remanserit, ipsi trade, ut cum filio suo exinde vivere valeat. Si autem nihil remanet, vel ad eandem summam debitum ejus incidere studè, ut possit sibi liberè postmodùm laborare. Hoc autem solerter age, ut acceptis solidis ei plenariam munitionem scripto faciant.

NOTÆ.

(a) *Gregorius.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap* 2. & reperitur textus hic inter epistolas D. Gregorii, *libro* 3. *epistol.* 43. ex quo regestro ita textus litteram restituo. De Fantino Defensore nonnulla notavi *in cap.* 1. *de transact. cap.* 1. *de testam.*

1. (b) *Negotio.*] Generaliter negotium accipitur pro quocunque contractu, *l. inter* 83. ibi: *Inter stipulantem, & promittentem negotium geritur, ff. de verb. obl.* Plerunque sumitur pro mercatura, *lib.* 1. *Capitul. cap.* 131. ibi: *Si hoc propter necessitatem comparat, ut sibi habeat, & aliis tribuat, negotium dicimus.*

(c) *Credidimus.*] Ut fatetur ipse Gregorius suprà *lib.* 2. *epist.* 56. *Ad prædictum locum cum postulaverint, ingravanter accedas, veneranda solennia Dedicationis impendens, ut quoties necesse fuerit, à Presbyteris Ecclesiæ in superscripto loco deservientibus celebrentur sacrificia veneranda Missarum, ita ut in eodem monasterio neque fraternitas tua, neque Presbyteri, præter diligentiam disciplinæ, aliquid molestiarum inferant: aut si quid pro diversorum devotione commoditatis accesserit sibi æstimet vendicandum: sive aurum sive argentum, sive prædium, sive vestimentum, omnibus modis constructio præfata possideat; cùm ancillis Dei in eodem loco deservientibus debeat proficere quicquid afferri ibidem contigerit.*

(d) *Lex.*] *L. ob æs alienum, C. de pignor.*

2. (e) *Leges tenere non possunt.*] *L.* 1. *C. de patribus qui filios. l. qui filios* 6. *C. quæ res pignori*: licèt juxta easdem leges in extrema egestate possit pater filium sanguinolentum, ideſt recens natum, & adhuc à matre rubentem, ut exponunt Cujacius & Gothofredus *in l.* 2. *C. de patribus*, Osualdus *lib.* 2. *Donell. cap.* 25. *littera H.* Solorzanus *lib.* 2. *de parricid. cap.* 7. Gaspar Barthius *lib.* 43. *adversar. cap* 10. Carranza *de partu, cap.* 4. *sect.* 4. Larrea *decis. Granat.* 11. vendere ad sublevandam necessitatem, Paulus *lib.* 1. *sentent. titul.* 2. *§.* 1. *l.* 2. *C. de patribus qui filios, l. unic. C. Theodos. eod. titul. l. final. C. de patria potest.* Ovidius *lib.* 8. *Metamorph.*

> -------- *Et tandem dimisso in viscera censu*
> *Filia natabat, non illo digna parente,*
> *Hanc quoque vendidit inops.*

Probant Samuel Petitus *ad jus Atticum lib.* 2. *tit.* 4. *fol.* 160. Balduinus *ad leges Romuli, cap.* 17. Gentilis *de bonis matern. capite* 2. Narbona *de ætate, anno* 1. *quæst.* 8. & *anno* 3. *quæst.* 2. Petrus Gregorius *lib.* 12. *syntagm. cap.* 8. Fornerius *in l.* 135. *ff. de v. s.* Hunnius *lib.* 1. *var. tract.* 2. *quæst.* 15. & *in encyclop.* 1. *p. titul.* 10. Cabreros *lib.* 2. *de metu, cap.* 1. Wisembachius *disput.* 6. *thesi* 9. vel tunc etiam pignori filium dare, ut supponitur *in l. ultim. de alimentis, quæ inopes parentes*, & apud nos expressè sancitur *in l.* 8. *titul.* 17. *partit.* 4. docent Cujacius *ad Paulum, ubi proximè*, & *in comment. ad titulum C. de patrib. qui filios*, Molina *de primog. lib.* 4. *cap.* 5. *numero* 24. Solorzanus *lib.* 2. *de jure Indiar. cap.* 7. Acacius *de privil. parent. cap.* 2. *fol.* 1015. Grotius *de jure belli lib.* 2. *cap.* 5. *numero* 5. ubi in notis hujus facultatis rationem tradit ex Jornande, in illis verbis: *Ut enim secus parentes faciant, salutem suorum pignorum providentes, satius deliberant ingenuitatem perire, quàm vitam, dum misericorditer alendus quis venditur, qui moritur, si servatur: ecce quomodo, & patri, & filio per hanc venditionem consulitur; patri, ut ex capite filii miserabiliter aliquid accipiat; filio ipsi, ne apud egenum patrem fame pereat.* Sed quod Jornandes supponit, ingenuitatem perire per talem venditionem, contrarium est juri, ut probavi *in cap final. de servis non ordin.* Extra casum tamen famis imminentis non potest pater filios pignori dare, *dict. l.* 1. *C. de patribus qui filios*: docent Amescua *de potest. in seipsum, lib.* 2. *cap.* 14. *numero* 27. Larrea *decis.* 9. *numero* 21. D. Josephus de Retes *lib.* 8. *opuscul. cap.* 5. licèt olim pater filium, quem in potestate habebat, posset noxæ dare pro damno, quod alii dedisset, *§. ultim. Instit. de noxalibus*, Paulus *lib.* 2. *sentent. titul.* 31. *§. filius*, quò alludunt Consulti *in l. noxalis, cum sequent. ff. de noxal. l.* 3. *§. si eum qui,*

qui, ff. de libero homine, l. 5. §. penult. l. ex contractibus 49. ff. de obl. & act. Sed quamvis filius ita noxæ deditus maneret in dominio bonitario illius, cui noxam dedit; tamen ubi tantùm acquisivit, ut ex eo, vel alio modo illi satisfacere posset, Prætor eum cogebat, ut noxæ acceptum manumitteret, ut docet Papinianus apud Licinum Rufinum *in collat. legum Mosaic. titul. 2.* ubi explicat P. Pitheus: hæc tamen noxæ deditio sublata est per Justinianum *in dict. § ultimo, Institut. de noxal.* de ea plura tradunt Cujacius *libro 1. observ. capite 9. & libro 2. diffinit. Papin. in l. sanctio 41. ff. de pœnis*, Meril. *lib. 1. obs. cap. ultim. & ad 50. decis. Justin. in l. apud 21. C. de furtis*, Mendoza *ad leg. Aquil. lib. 2. cap. 2. sect. 3. à num. 36.*

COMMENTARIUM.

3. *Conclusio traditur, & probatur.*

EX hac Gregorii epistola sequens vulgò deducitur assertio: *Liber homo non potest pignori obligari, etsi non habeat unde satisfaciat.* Probant eam textus *in l. ob æs alienum 12. C. de oblig. & act. l. qui filios 6. C. quæ res pignori, l. 1. C. de patribus qui filios, novella 133. Justiniani, l. ultim. ff. quæ res pignori*, Arnulphus Lexov. *epistol. ad Episcopos Engolism.* ibi: *Contractus ejusmodi, quo liber homo pignori datur, nec de jure tenet, nec bonis convenit moribus.* Concilium Ticinense anni 853. *De liberis hominibus, qui super alterius re resident, & usque nunc à ministris reipublicæ contra legem ad placita protrahebantur, & ideo pignorabantur, constitutum est, ut secundùm legem patroni eorum eos ad placitum adducant, & si quis eos contra hanc nostram auctoritatem, & eorum legem pignorare, aut distringere præsumpserit, patronus ejus omnia cum lege commendet, & insuper præsumptione bannum nostrum componat.* Et *l. 3. titul. 13. p. 5.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa & Garanna Anguianus *lib. 3. de legibus, controv. 25.* Larrea *decis. 9.* Cujacius *in dict. novella 133. & in dict. l. ob æs alienum*, Robertus *libro 2. rerum judic. cap. 6.* Pancirola *lib. 2. var. cap. 20.* Balduinus *ad leges 12. Tabul. cap. 16. & de pignor. cap. 12.* Bachovius *eod. tract. lib. 2. cap. 12.* Narbona *de ætate anno 20. quæst. 5.* Forcatulus *in sphæra legali, numero 25.* Osualdus *lib. 22. comment. cap. 3. duplici littera HH.* Amescua *de potest. in se ipsum lib. 2. capite 14.* Hothomanus *illustr. quæst. 22.* Schifordeg. *ad Fabrum tom. 2. tract. 21. lib. 3. capite 8.* Salmasius *ad jus Atticum cap. 11.* Ferro Manrique *de different. utriusque fori, quæst. 135.* Villadiego *in l. 6. tit. 3. lib. 2. fori judic.* Gibalinus *de usuris lib. 3. cap. 7. artic. 3.* Cujacius *ad Papin. in l. sanctio legum, ff. de pœnis*, Baronius *anno 119. num. 2.*

4. *Impugnatur prædicta assertio.*

Hæc tamen assertio ita illustrata difficilis redditur sequenti juris consideratione; nam homo liber ab hostibus redemptus jure pignoris detinetur, ut constat, donec se redimat, redemptionisque pretium persolvat, *l. 2. & 5. cum sequent. l. Præses 8. l. ab hostibus 12. l. commercio 16. l. liber captus 17. C. de postlim. revers. l. qui testament. 20. §. potestatis, ff. qui testamenta facere, l. 1. §. qui ab hostibus 17. ff. de collat. bonor. l. 3. ff. de libero homine, l. postliminium 19. §. si is qui 9. ff. de captivis, l. 43. §. fin. ff. de legat. 1. l. 1. §. penult. ff. de vi & vi armat. l. 2. l. 5. l. 7. l. Præses 8. l. si liberum 11. l. si is qui 13. l. is qui 15. ff. de postlim. l. si patre 15. l. si quis ingenuam 21. ff. de captivis, l. 2. §. 1. in fine, ff. ad Tertyl. l. nam 21. ff. de negot. gest. l. 8. de re milit.* Balduinus *de pignor. cap. 2.* Amaya *lib. 2. observ. cap. 14.* Retes *6. opusc. cap. 13.* Larrea *disputat. 9. numero 9.* Pinell. *1. select. cap 3. num. 24. & cap. 9. numero 10.* Igitur juri contrarium non est, liberum hominem pignoris nexu detineri. Augetur primò hæc difficultas ex eo, nam cujusque rei venditione permissâ faciliùs pignoris constitutio concessa creditur: sed libero homini licet ad pretium participandum se vendere, & virtute talis venditionis servus manet, *l. 5. §. 1. l. homo liber 21. ff. de stat. homin. l. si ex causa 9. §. Papinianus, ff. de minor. l. si quis filio 6. §. irritum, ff. de injust. rupto, l. 1. & ferè per totum ff. quibus ad libertatem, l. 2. ff. si liber ingenuus, l. liberis 7. §. 1. l. si usumfructum 23. l. cum pacto 40. ff. de liber. caus. l. quædam 14. ff. de pœnis, l. 5. §. si ministerium 16. C. de liber. caus. l. scientis 6. l. ultim. C. de ingenuis manumiss.* Paulus *lib. 2. sentent. titul. 21. §. libertas, l. si servus 23. §. in summa, de liber. caus. l. & scientis, C. de ingen.* licèt ea servitus sublata sit ex novella 59. & apud nos in desuetudinem abierit, ut illustrant Petrus Gregorius *lib. 4. syntagm. cap. 3. numero 8 & lib. 22. cap. 1. numero 2.* Osualdus *lib. 2. Donell. cap. 9. littera N.* Faber *in jurisprud. tit. 3. princip. 4. illat. 3.* Balduinus *ad Quintum Mutium in dict. l si usumfructum 23.* Illustrissimus Ramos *in Academicis ad dict. l. inter, §. sacram, in apendic. cap. 1. ff. de verb. obl.* igitur multò magis licebit libero homini pignori se obligare: quod & docetur in legibus Bajubar. *lib. 5. titul. 1. cap. 11.* ibi: *Si verò non habet ipse, se in servitio deprimat, & per singulos menses, vel annos, quantùm lucrari quiverit, persolvat, donec universum debitum restituat.* In Capitul. Caroli *lib. 3. cap. 29.* ibi: *Liber, qui se loco vadii in alterius potestate commiserit*: junctis quæ de vadio notavi *in capite antecedenti.* Augetur hæc difficultas ex more apud varias nationes recepto oppignorandi filios proprios pro debito civili. De Hebræis enim constat ex Salomone *cap. 22. & lib. 4. Regum, cap. 4.* ubi vidua paupercula Prophetam Eliseum ita alloquitur: *Ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi.* Quò etiam respicit D. Matthæus *c. 18.* ibi: *Cum autem non haberet unde redderet, jussit eum dominus ejus venundari, & uxores ejus, & filios, & omnia quæ habebat.* D. Ambrosius de Tobia: *Vidi miserabile spectaculum, liberos pro paterno debito in auctionem deduci.* De Romanis idem liquet ex Dionysio Halicarnasseo *lib. 6.* ibi: *Unde factum est, ut cum solvendo non essem, ductus sim à fœneratore in servitium una cum duobus.* Igitur in præsenti casu rectè filius ipsius debitoris jure pignoris detineri poterat. Augetur tandem hæc difficultas, nam jure civili Romanorum, qui non poterant pecuniam solvere, corpore suo creditori satisfaciebant, ab Athenien sibus jure illo accepto; & non solùm si corpora ipsa oppignorata erant, in nervum, & in vinculum duci poterant; sed etiam si ad solvendum condemnati, intra dies justos, triginta videlicet, judicato non parebant, in jus trahebantur, & creditoribus addicebantur, ex lege XII. Tabul. ita concepta: *Æris confessis, rebusque jure dicatis 30. dies justi sunto: post deinde manus injecto sito, in jus ducito: ni judicatum facit, aut Quipiam eo in jure vindicit, secum ducito, vincito, aut nervo, aut compedibus XV. pondo, ne majore: at si volet, minore*

more vincito: si volet, suo V. ito: ni suo V. it, quien vinctum habebit, libras faris endo dies dato: si volet, plus dato: Ni cum eo pacit, LX. dies endo vinculis retineto: in Tiberi trinis nundinis continuis in comitium procitato, ærisque æstimiam judicati prædicato. At si plures erunt, rei ternis nundinis partis secanto: si plus minusve secuerunt, se fraudesto: si volent, uls Tiberim peregrè venundato. Quam exponunt Jacobus Gothofredus *in 4. fontibus*, Revardus *ad leg. XII. Tabul. cap. 5. & sequenti*, Heraldus *libro 2. de auctorit. rei judic. capite 24.* Hieronymus Mas. *lib. 1. obs. cap. 8.* Turtuetus *dissert. 2. jurid.* Fornerius *lib. 3. rerum quotid. cap. 10.* Scipio Gentil. *ad Apul. apolog. fol. 366.* igitur verum non est, liberum hominem jure pignoris detineri non posse, etiamsi unde solvat non habeat, præcipuè juxta vulgare illud juris dicterium, Qui non habet in ære luat in corpore *l. si quis 7. §. in servos, ff. de jurisdict. l. ult. ff. de in jus vocand. l. si quis injuriam 25. ff. de injur. l. 1. §. ult. de pœnis*, D. Ambrosius *serm. 78* Cassiodorus *lib. 4. var. epist. 10 & lib. 9. epist. 2.* ibi: *Reddat debitum pœnis, quod non potuit compensare pecuniis.* Accedit, Nam locus pignori datus potest fieri religiosus, quin impediatur concursus pignoris, & religionis, *l. 2. §. final. ff. de relig.* ergo similiter stare potest jus pignoris cum libertate.

Quâ difficultate ita fulcitâ non obstante, vera est præsens decisio, quam ut perfectè exponamus, sciendum est, inter res, quæ extra commercium sunt, hominem liberum referri, ita ut ille naturali jure, & ratione à commercio exemptus sit, *l. si in emptione 34. § omnium, ff. de contrah. emption.* abhorret enim à naturali hominum dignitate, ut sit homo merx alterius hominis, pecuniaque compareturis, cujus causâ pecunia, cæteræque res, quæ humanis usibus deservire possunt, comparatæ fuerunt, ut in simili casu ajebant Consulti *in l. vetus 68. ff. de usufruct. l. in pecudum 28. ff. de usuris, l. justissimè 44. ff. de ædilit. edict. §. in pecudum, Institut. de rerum divis.* Cicero enim ex sententia Crysippi Stoïcæ sapientiæ Principis, agnovit hominum causâ omnia nata fuisse, *lib. 3. de finibus*, & Ovidius ingeniosè *lib. 1. Metamorph. vers. 66.* cecinit, natum hominem fuisse, ut posset inter cætera dominari: & Propheta Rex *Psalmo 8. vers. 8.* omnia subjecta esse illius pedibus ait; quod rectè expressit Florentius Schenobius *embl. 1. morali*; unde & natos esse homines liberrimos, & ut animantia subjiciant, ipsi verò nulli subjiciantur, philosophatur Jacobus Vander. Græf. *de jure publico, ad l. non dubito, ff de captivis, cap. 6. numero 2.* Humanæ ergo dignitatis conditio facit, ne homo liber intra commercium sit, ut probant, & illustrant Menchaca *lib. 2. illustr. cap. 82. numero 13.* Amaya *lib. 3. obs. cap. 1. §. 1. numero 3.* Cartranza *de partu cap. 3. ex numer 21.* D. Martinus Saravia *ad dict. l. vetus, numero 3.* fusè Gibalinus *de negot. tom. 1. lib. 1. cap. 4. artic. 3. sect. 2.* Ex his constat, liberum hominem vendi non posse, *l. bona 27. §. 1. ff. ad Vellej. l. sed Celsus 6. dict. l. si in emptione 34. §. 1. l. continuus, ff. de verb. oblig.* etsi vendatur in casum, quo servus sit, quia ominosus casus non est spectandus, *l. sed Celsus 6. ff. de contrah. emption. l. bona 27. §. 1. ff. ad Vellejanum*: nec in stipulationem deduci, *l. 1. §. id quod, ff. de oblig. & act. l. liber homo 130. dict. l. continuus 137. §. eum qui, ff. de verb. obl. §. idem juris, Institut. de inutilibus*; nec posse dideri; *l. si quis liberum 20. ff. de prob. l. cùm hæredes 23. §. ultim. l. qui universa 30. §. 1. de acquir. possess.* nec usucapi, *l. usucapionem 9. de usucap. §. sed aliquando, Institut. eod. titul. l. ultim. C. de longi tempor. præscript. quæ pro libertate*; nec inter cohæredes dividi, *l. quædam 41. ff. famil. ercisc. l. ultim. de jure patron.* nec vindicari, *l. 1. §. per hanc, de rei vindicat.* nec pignori conventionaliter obligari, *l. 1. C. de patribus qui filios distraxerunt, l. ob æs alienum 12. C. de oblig. & action. l. qui filios 6. C. quæ res pignori*, cum aliis suprà adductis. Eademque ratione dicitur corpus liberum nullam æstimationem recipere, *l. 1. §. sed cùm homo, l. ultim. ff. de his qui dejecerunt, l. 3. ff. si quadrupes, l. 2. §. cùm in eadem, ff ad leg. Rhodiam.*

Nec contrarium docetur *in l. & liberi hominis 4. cum duabus sequent. l. liberi 70. ff. de contrah. emption. l. minor. 39. §. pater, ff. de evict. l. si tibi 25. C. eod. titul. l. Licinius 4. ff. quibus ad libertatem, §. ultim. Institut. de empt. & vendit.* ubi docetur, liberi hominis intelligi contractam emptionem, si ematur ab eo, qui ignoravit ejus conditionem, quia difficilè dignosci potest liber homo à servo. Nam sciendum est, venditionem consistere, dici duobus modis. Primò, ut per eam dominium rei emptæ acquiramus, *l. cum manu 80. §. ultimo, ff. de contrah. emption.* & hoc respectu venditio hominis liberi, quamvis ab ignorante ematur, non valet, *l. 4. ff. de contrah. emption.* Secundò, ut ex ea venditione nascatur actio ex empto, quâ utatur emptor adversùs venditorem, ut pretium, interesseque recuperet. Hæc autem actio non supponit perfectam venditionem, nec ad id tendit, ut contractum confirmet, sed potiùs ut illum rescindat, quia ad ejus rescissionem datur, *l. ex empto 11. §. animalium 4. & §. si quis virginem 5. ff. de act. empti*, docet D. Joannes Suarez *ad leg. Aquil lib. 2. cap. 7. sect. 5. num. 13.* Unde mens Jurisconsultorum in dictis legibus est, valere emptionem liberi hominis, quamvis haberi non possit, ut ex ea actio ex empto competat emptori bonæ fidei, quæ non posset competere, si sciens emisset, quia pretium jactare videretur, *dict. l. liberi 70. de contrah. emption.* & expresse tradit Modestinus *in l. qui officii 62 ff. eod. tit.* docent Phocius *in nomocanone, titul. 2. cap. 2.* Ant. Silvius & Clarus *ad l. Regias cap. 27.* Jacobus Gutherus *de jure manium lib. 3. cap. 5.* Duarenus *ad titul. de contrah. empt. cap. 2.* Pichard. *in dict. §. idem juris*, Amaya *lib. 1. observ. cap. 7. numero 5.* Antonius Faber *in Jurisprud. titul. 3. princip. 3. illat. 3.* ideo hæc actio in factum dicitur, *l. ossa 8. §. 1. ff. de relig. & sumpt.* quia competit ratione emptionis, quæ possit dominium transferre, ut docuerunt post Odofredum *in dicta l. 8.* Paulus Vusius *lib. 1 subtilit.* Julius Pacius *in conciliat. legum, cent. 5. quæstion. 7.* Circa hanc tamen exemptionem liberi hominis à commercio observandi sunt textus *in l. quod vulgo 11. ff. pro empt.* juncto Cujacio ibi, *l. 27. §. si liber homo, ff. ad leg. Jul. de adult. l. eum qui 14. §. si filius, ff. de furtis, l. 14. §. 1. ff. de servo corrupto, l. 44. in princip ff. de usucap. l. 44. §. penult. de legat. 1. l. 27. ff. de liber. caus. l. 28. ff. de furtis, l sanctio, ff. de pœnis, l. 1. in fine, ff. de vi & vi armat. l. 6. vers. Imperatoris, ff. de liber. agnosc. l. 15 ff. de probat. l. 2. §. si primus, ff. de statulib. l. 3. §. 1. ff. de libero hom exhib. l. 4 §. ultim. ff. de condit. instit. l. is qui 45. ff. de oblig. & act. l. 26. § 4. ff. de noxal. l. sed etsi 19.*

§. 1.

5. Homo liber est extra commercium.

6. Exponuntur & remittuntur varia jura.

§. 1. *ff. de evict. l.* 4. *ff. quibus ad libertatem proclamare, l. cùm servus* 54. §. 1. *ff. mandati, l.* 3. §. *in hoc, de lib. exhib. l.* 5. §. 1. *ff. ut legatorum nomine, l. penult.* §. *sed & alium, ff. de operis libert. l. si eum hominem* 33. *l. si quis proco* 56. *ff. fidejuss. l.* 7. *ff. de assignand. libert. l.* 4. §. *ultim. l. mulier* 20. §. *si quis hæreditarium, ff. de condit. instit. l.* 12. *juncta l. sequenti, ff. ad exhibendum, in collat. legum Mosaic. titul. de abigeatoribus, l.* 5. §. *final. de servo corrupto,* junctis Larrea *decis.* 7. Fabro *in ration. ad l.* 12. *ff. ad exhibendum.*

7. *Liberum hominem pignori dari an liceat.*

Secundò sciendum est, quod licèt servi pignori dari possint, *l. Paulus* 29 §. *si sciente, ff. de pignoribus,* quia sunt in bonis nostris, ut latè probat Merlinus *lib.* 2. *de pignor. quæst.* 27. de hominibus tamen liberis non iidem semper fuerunt mores, & leges, sive apud Romanos, aut Græcos, sive Barbaros. Apud Græcos quondam in more fuit, corpore suo obligato, pecuniam mutuam accipere, ut refert Plutarchus in Solone; sub nexu que liberorum æs alienum contrahere. Diodorus Siculus *lib.* 1. Plutarchus *lib de fœnore accipiendo*; & ut res cæteræ, debitore in solutione cessante, vendebantur; ita etiam & liber homo pignori datus. Nec solùm in hoc casu virtute conventionis homo liber nexui tradebatur, verùm etiam citra conventionem debitorem inopem manu injecta capere, & abducere creditori licebat, ut latè probat Salmasius *de modo usurarum, cap.* 17. quod lege speciali sustulit Solon, cavens, ne quis deinceps sub homine libero pecuniam crederet, ut ex Laërtio, Diodoro, & Suida probat latè Gibalinus *lib.* 3. *de usur. cap.* 7. *art.* 3. Apud Romanos etiam sæpiùs in hanc partem variatum legimus, nam initio quidem, Regum tempore licuit cuilibet se nexui dare creditori, & oppignorare. Unde Servius Tullius populo promisit apud Dionysium *lib.* 4. legem se laturum ne deinceps liceret sub pignore liberorum corporum mutuum dare, & deinde mensis in foro positis omnium obæratorum nomina propriâ pecuniâ exsolvit, & per præconem pronunciare jussit, nemini creditorum licere deinceps civium corpora propter privata debita abducere. Dionysius *lib.* 6. Sed hæc lex contrariis moribus oblitorata fuit, & nexorum ob æs alienum jus statutum *in l. XII. Tabul.* verbis suprà relatis: quare ex ea lege debitor damnatus, qui non solvebat, addicebatur creditori, quò respexit Terentius *in Phormion.* ibi:

Mihi sciunt nihil esse. Duces ducent damnatum domum:
Alere nolunt hominem edacem, & sapiunt, meâ quidem sententiâ.

Duravit hic mos addicendi obæratos creditoribus ad annum urbis conditæ 427. quo Pætilio, & Papirio Coss. lata fuit lex, ne quis nervo, aut compedibus ob æs alienum teneretur, ibi: *Eo anno plebi Romanæ, velut aliud initium libertatis factum esse, quòd necti desierint, cautumque in posterum, ne necterentur.* Sed ea lex usu sensim sublata fuit; nam apud Livium libris sequentibus plures sunt querimoniæ debitorum in vinculis nexorum: & Varro *lib.* 6. *de lingua Latina,* ait: *Cajo Popilio rogante, Lucio Sylla dictatore, latam legem esse, ne nexi essent, qui operas suas in servitute pro pecunia darent.* Sed nec hæc lex diutiùs tenuit, immò, ut suspicatur Hothomanus *illustr. quæst.* 26. sicut pleraque acta Syllæ rata non fuerunt, sic nec lex illa. Demùm lex Juliâ ab Augusto lata legem Petiliam restituit, edixitque, ut debitoribus, qui solvendo non essent, bonis suis cedere liceret, eaque bona venderentur, in corpora autem debitorum animadvertere fas non esset; *l.* 1. & 4. *C. qui bonis cedere*: latiùs prosequemur *in capite Odoardus, de solut.*

8. *Traditur ratio decidendi.*

His animadversis apparet jam vera ratio præsentis conclusionis; nam cùm earum rerum, quæ in commercio non sunt, pignoris obligatio non consistat, *l.* 1. §. *eam rem, C. quæ res pignori*, & inter eas homo liber enumeretur, *l. inter* 83. §. *sacram, ff. de verb. obl.* ideo nec liberi hominis pignoratio subsistit, nec liber homo potest se obligari, aut filium suum simili nexui subjicere, *l. finali, ff. quæres pignori*, ubi talis pignorationis pœnam pro arbitrio suo mitigasse Tribonianum credo, cùm Paulus *lib.* 5. *sentent. titul.* 1. ex quo desumpta est dicta lex finalis, ut constat ex ejus epigraphe, scribat, eo casu creditorem deportandum esse, nisi mavis loco illius verbi *relegatur*, reponere *deportatur*, ut tradit Cujacius *in notis ad ipsum, lib.* 5. *titul.* 25. §. Rectè ergo, & secundùm juris utriusque principia in præsenti scribit Gregorius, nec Cosman ipsum, aut ejus liberos posse pro debito civili jure pignoris retineri; unde cognoscitur injustitia fœneratorum illorum, qui cadavera debitorum jure pignoris detinebant; quos reprehendit Sanctus Ambrosius *de Tobia cap.* 10. ibi: *A fœneratoribus teneri defunctos pro pignore, & negari tumulum, dum fœnus expositum? Carnificibus duriores, quoniam quem vos tenetis, carcer non suscipit, exactor absolvit: peccatorum reos post mortem è carcere mittit, vos clauditis; legum severitate defunctus absolvitur, à vobis tenetur.*

9. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, nam verum est, in homine libero ab hostibus redempto, jus pignoris naturalis dari; quod jus introductum fuit favore libertatis, ut cæteri faciliùs allicerentur ad redimendos captivos, dum majorem securitatem exinde habent pretii recuperandi, ut docet Grotius *lib.* 3. *de jure belli, cap.* 9 §. 10. non tamen levis quæstio est, cujus statu interim maneat redemptus, & propter fictionem postliminii in suspenso est, *l. final. ff. de suis & legitimis*; quia redemptio liberat illum à penuria, captivitatis, non verò ejus conditionem mutat, ut disertè docetur *in l. si captivus* 20. §. *ultim. ff. de captivis,* ubi malè reponit Faber *in jurisprud. titul.* 11. *princip.* 8. *illat.* 8. *pro redundi, reluendi.* Interim ergo quoad juris effectus pro captivo habetur, excepto eo, quod potest adire hæreditatem, ut inde habeat quo se redimat, *l. is qui* 15. *C. de postliminio*: docent Faber *ubi suprà, tit.* 1. *princ.* 4. *illat.* 3. & *princip.* 8. *illat.* 11. Schifordeg. *ad Fabrum lib.* 2. *tract.* 22. *quæst.* 2. & *lib.* 3. *tract.* 21. *quæst.* 7. Larrea *decis.* 5. *numero* 12. Xaravia *relect.* 2. *de captiv. redempt.* D. Joseph. de Retes *lib.* 6. *opusc. cap.* 13. *per tot.* A jure autem pignoris naturalis redemptus liberatur, si redemptionis pignus persolvat, argumento legis *solutum* 11. *de pignorat.* Item si redemptor ei pretium quomodolibet remiserit, *l.* 2. *l. si librum* 11. *l. commercio* 16. *C. de postliminio, l. Senatus* 43. §. *ult. de legat.* 1. unde si redimens redemptam uxorem duxerit, quasi remisisse ei pretium videtur, *l. si quis ingenuam* 21. *de captivis, l. si is qui te* 13. *l. liber* 17. *C. de postliminio*: extinguitur etiam morte redempti

redempti jus, quod in ejus corpore redemptori competebat, *l.* 1. §. *si filius* 4. *de suis & legit. hæred. l.* 2. §. *sed etsi, ff. ad* SC. *Trebel. l. patre* 25. *captivis.* Tandem de conventionibus finitur, si redimens publicâ libidine redemptam prostituat, *l. fœdissimè* 7. *C. de postliminio*: si redemptus per quinquennium redemptori servierit *l. ultim. C. eod. titul.* ex quibus dignosci potest, redemptum non esse liberum, quando pignori naturali obstrictus manet. sed adhuc in eo durare vestigia pristinæ captivitatis.

10. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

Nec obstat primum augmentum difficultatis, quia respondetur, etiam certum esse, in pœnam doli proprii, & fraudis eum, qui cùm esset liber homo, ad pretium participandum se venundari passus est ab aliquo tertio improbo venditore, qui simulavit se dominum esse, ut faciliùs deciperet emptorem, servum fieri, ex juribus suprà relatis. §. *servi* 4. ubi Theophilus, *de jure person. l.* 5. §. 1. *de statu hominum, l. si quis filio* 6. §. *irritum, de injusto rupto, l.* 1. *& per totum ff. quibus ad libertatem, l.* 10. *eod. titul.* Osualdus *libro* 5. *ad Donellum, capite* 9. *littera N. & O.* adeoque servus fit, ut manumissus conditionis libertinæ maneat, *l. homo* 21. *ff. de statu hominum, l.* 2. *ff. quibus ad libertatem*; quia ex justa servitute manumissus est, *l. cum pacto* 40. *ff. de liber. caus.* quam sic accipiunt Osualdus *ad Donellum libro* 2. *capite* 20. *littera D.* Pinellus *lib.* 2. *select. capite* 7. *numero* 22. nisi antequam in libertatem proclamet, paratus sit emptori pretium reddere, *l.* 2. *si ingenuus esse dicatur.* Aliqua tamen desiderantur. Primò, quod emptor ignarus sit conditionis ejus, alioquin si sciat liberum esse, & emerit, quia nulla injuria illi fit, non potest liber homo in pœnam delicti admissi ingenuitatem amittere, *l. scientis* 6. *C. de ingenuis manum. l. liberis* 7. §. *si quis, l. qui sciens* 33. *ff. eod. titul. l.* 4. *vers. Idcirco, ff. quibus ad libertatem.* Secundò, ut participet pretium, sibique habeat de facto, & ipse consumat clam, & occultè id in suos usus convertat, *l.* 1. *ff. quibus ad libertatem, l. liberis* 7. *ff. de liber. caus. l.* 5. *C. eod. tit.* alioquin si non participet pretium, servus non fit, quamvis ad decipiendum alterum patiatur se donari, in dotem dari, pignori obligari, *l. si ministerium* 16. *C. de liber. causa, l. ultim. C. de ingenuis manumiss.* §. *ultim.* Tertiò quod sit major viginti annis, *dict. l. si ministerium*: quamvis si minor sit, adversùs hanc venditionem non restituitur, *l. si ex causa* 9 § *Papinianus, ff. de minor.* cùm hæc servitus provenit ex delicto, *l. quædam* 14. *ff. de pœnis.* & adversus delicta minoribus restitutio non detur, *l. auxilium* 37. *ff. de minor.* quæ in libero homine, qui se palam pignoti dat, adesse non possunt: inde licèt in pœnam delicti homo liber venditus concurrentibus dictis circumstantiis legitimæ ætatis, participationis pretii, & ignorantiæ in emptore, servus fiat, non tamen potest pignoris nexui se subjicere. In Gallia tamen fuisse receptam aliquando & venditionem, & pignorationem liberi hominis, constat ex canone 14. Concilii in incerto loco celebrati, paulò post Concilium Parisiense 5. relato *tom.* 14. *Concilior. fol.* 415. in illis verbis: *De ingenuis, qui se pro pecunia, aut alia re vendiderint, vel oppignoraverint, placuit, ut quandoquidem pretium, quantum pro ipsis datum est, invenire potuerint, absque dilatione ad statum suæ conditionis reddito pretio reformentur, nec amplius quàm pro eis datum est, requiratur: & interim si vir ex ipsis uxorem ingenuam habuerit, aut mulier ingenuum habuerit maritum, filii qui ipsis nati fuerint, in ingenuitate permaneant.* Nec obstat aliud augmentum difficultatis deductum ab annexis, & adductis ex lege XII. Tabular. Nam licèt adeò debitores solutioni obstringantur, ut olim debitor, qui condemnatus solvendo non erat; creditoribus addiceretur, inter quos ejus corpus secari, ac dividi lex XII. Tabular. permittebat, ut referunt Gellius *libro* 20. *noctium, capite* 2. Quintilianus *libro* 8. *institut. capite* 8. & *lib.* 7. *capite* 4. & exponit Robertus *ubi proximè*. quæ cruenta divisio moribus repudiata fuit, ut refert Tertul. *in apolog. cap.* 4. ibi: *Sed & judicatos in partes secari à creditoribus leges erant; consensu tamen publico crudelitas postea erasa est, & in pudoris notam capitis pœna conversa est; & bonorum adhibita proscriptione, suffundere maluit hominis sanguinem, quàm effundere.* Et tantùm creditoribus permissum fuit debitores in vincula ponere, ac eorum operis uti donec illis satisfactum esset, ut variis exemplis eleganter illustrant Revardus *ad ll. XII. Tabul. capite* 8. Desiderius Heraldus *de auctorit. rei judic. lib.* 2. *capite* 24 unde hi debitores dicebantur nexi, & addicti, quia ex ipsa lege ob æs alienum in temporariam servitutem creditorum addicebantur; indeque obligatio ipsa nexus dicebatur, quia per eam corpus ut pignus afficiebatur, Budæus *ad titulum de in diem addict.* Sed id Senatui indignum visum fuit, & cautum, ut bona debitoris venderentur, corpus autem obnoxium non esset. Livius *lib.* 8. cui mutationi causam dedit crudelitas simul, & libido Lucii Papirii fœneratoris. Cùm enim ille Publium adolescentem sibi ob æs alienum nexum pellicere sermone ad flagitium conatus esset, illeque ingenuitatis magis, quàm præsentis conditionis memor flagitium aspernaretur, ab impuro creditore nudari, verberarique jussus est, qui cùm laceratus in publicum propipuisset, libidinem, crudelitatemque conquerens fœneratoris, populum concitavit, qui in forum, & pòst agmine facto in Curiam cucurrit, obtinuitque à Senatu, ut in posterum liberi homines non necterentur. Quod etiam Servium Tullium statuisse, ex Dionysio *libro* 4. suprà retuli: & hæc esse jura, quorum Diocletianus meminit *in l. ob æs alienum, C. de oblig. & action.* dum ait, *ob æs alienum servire liberos creditoribus jura non patiuntur*, notavit Pancirola *libro* 2. *var. capite* 200. & novâ Iustiniani sanctione in authentica *Quia ut nulli*, § *quia verò, collat* 9. creditor à debito cadit, si debitorem in servitute retinuerit: sed cùm æquissimum sit debitores solvere quod debent, ut ex Seneca *libro* 3. *de benefic.* tradit Covar. *libro* 2. *var. capite* 1. *numero* 1. ideo nostris legibus regiis cavetur, ut debitor, qui solvendo non est, creditoribus servire cogatur, donec eis satisfaciat, *l.* 4. & 5. *titul.* 16. *libro* 5. *recopilation.* tuncque tenetur debitor ferre torquem ferreum, ut statuitur *in l.* 6. *eodem titul. & libro*, quam ad praxim doctè exponunt Azevedus, & Matienzus *ibi*, Paz *in praxi, tom.* 1. *part.* 5. *capite* 5. *num.* 20. Nec obstat

ultimum augmentum ; nam magnum discrimen versatur inter locum religiosum, & liberum hominem, siquidem religio non afficit totum fundum, ut libertas hominem ; sed pro minima parte à legibus taxata : unde in alia parte potest remanere jus pignoris. Et favor religionis evincit, ut non obstante pignoris nexu, locus religiosus fieri possit.

11. *Exponitur l. 8. de pignor.* Præsenti assertioni opponi solent textus *in cap. ex rescripto, de jurejur. c. exposita, de arbitris. cap. unic. de obligat. ad ratiocinia*, quarum interpretationem adduxi in eorum notis : quare his remissis potiùs quàm omissis, primò in præsentem assertionem expendo textum *in l 8. ff. de pign.* ubi docetur, in generali obligatione non contineri concubinam, aut ejus filios : igitur in speciali continentur, & per consequens libera persona potest pignori dari. Cui difficultati satisfaciendum est asserendo, in eo textu agi de concubina ancilla, cum qua concubinatus dari poterat, juxta adducta à Cujacio *lib. 5. observ. cap. 6.* unde ex natura & conditione personæ pignus in ea consistere poterat : non tamen generali pignore comprehenditur, quia generali obligatione non continentur quæ quis ob affectionem specialiter obligaturus non fuisset, *l. 6. ff. eod. tit.* Est autem quædam affectio erga concubinam, *l. 3. §. 1. de donat. inter* : & erga filios naturales, *l. 41. §. 2 ff. de legat. 3.* quam eleganter expressit D. August. *in lib confessionum* : erga concubinam *lib. 6 cap. 22.* ibi : *Delectationes consuetudinis meæ, ad quam si accessisset honestum nomen matrimonii, non eum mirari oportere. cur ego illam vitam nequirem spernere.* Erga filios naturales *lib. 4. cap. 2.* ibi : *Experiri exemplo meo, quid distaret inter conjugalis placiti modum, quod fœderatum est generandi gratiâ, & pactum libidinosi amoris, ubi proles etiam contra votum nascitur, quamvis jam nata cogat se diligi.* Unde rectè *in dict. l. 8.* docetur, generali obligatione non contineri concubinam, ejusque filios ; quia ob specialem affectionem non creditur, nec speciali pignore patremfamilias eam obligaturum ; & ut prophanæ litteræ divinis deserviant, rectè ex eo textu probat Meril. *libro 2. observat. capite 18.* Deiparam Virginem Mariam generali obligatione peccati, quâ omnes nascuntur obstricti, non teneri.

12. *Exponitur Papinianus lib 2. definitionum.* Deinde suprà traditis lucem accipit Papinianus relatus à Licino Rufino *lib. 2. collationis legum Mosaic. & Roman.* in illis verbis : *Per hominem liberum noxæ deditum, si tantùm acquisitum sit, quantum damnum dedit, manumittere cogendus est à Prætore, qui noxæ deditum accepit ; sed fiduciæ judicio non tenetur.* In quibus cùm supponat Papinianus, liberum hominem noxæ dedi posse, quod etiam docetur *in l. 3. §. proinde, ff. de libero homine, §. ultim. Institut. de noxal.* & à Paulo apud eundem Rufinum *lib. singul. de adult.* dum ait, marito licere occidere deditum hominem deprehensum in adulterio uxoris ; agnovit tamen Papinianus magnum discrimen quod versatur inter servum noxæ deditum, & liberum hominem ; nam servus noxæ deditus transit in verum dominium accipientis ; at verò liber homo per noxæ deditionem servus non efficitur, immò nec ipsa deditio eum nectit jure pignoris, aut fiduciæ ; quia ex suprà traditis homo liber pignoris jure detineri non potest : unde rectè docet Papinianus, liberum hominem noxæ deditum, post satisfactionem manumittendum esse, quia non solùm manumittuntur servi, verùm etiam nexi, & addicti ; non autem compelli qui eum detinebat, illum manumittere fiduciæ judicio, oblatâ æstimatione litis, quia nulla fiducia eo casu contracta fuit, ex quo translatum esset dominium, ut infrà exponemus, & docuit Cujacius *libro 2. diffinit. Papin. in l. sanctio 41. ff. de pœnis.* Expendi etiam solent, cùm præsens assertio proostris disputanda proponitur, textus *in l. cognitio, §. 2. l. 27. ff. de liber. caus. l. 8. § qui Stichum, ff de pecul. legat. l. verbis legis, ff. de v. s.* juncto Costa *in capite si pater, 1. part. verbo Moreretur, de testam. in 6. l. 2. vers. datâ, de opt. legat. l. 25. §. 2. de adilit. edict. l. Stichum, ff. de statulib.*

13. *Explicatur l. pignori ff. de hæred. instit.* Etiam suprà traditæ assertioni opponi potest textus *in l. pignori 30. ff. de hæredib. instit.* ubi proponitur, dominum habentem servum pignori datum, eum hæredem instituisse cum libertate : & docet Ulpianus, Imperatorem Severum rescripsisse, eum liberum posse fieri, hæredemque domino necessarium, si paratus sit priùs creditori satisfacere : quem textum sic expendo, Servo specialiter pignori dato, nec inter vivos, nec in testamento libertas directò dari potest, *l. servus 3. l. Atlianus 10. ff. de manumiss. l. servum 4. l. cùm hæreditas 5. §. final, cum l. sequenti l. generaliter 29. ff. qui & à quibus, l. servum 44. § si idem 7. ff. de legat. 1. l. 1. & 3. C. de servo pignori dato. l. 3. de manum. l. 1. & 2. C. qui & à quib.* docent Donellus *lib. 2. cap. 3.* Antonius Faber *in jurisprud. tit. 5. princip. 1 illat. 3. & 4. & tit. 5. princip. 2. concl. 6.* Osvaldus *lib. 2. Donelli, cap. 15. littera C.* Sed quando inutiliter libertas relinquitur, non potest servus domino existere hæres necessarius, *l. si non lex 83. ff. de hæredib. instit.* ergo durante causa pignoris liber factus fuit servus ; siquidem hæres necessarius domino extitit : igitur quia potest durare jus pignoris in libero homine. Cui difficultati ut satisfaciat D. Josephus de Retes *in repetit. prælect. ad § sacram*, legis *inter 83 ff. de verbor. oblig. n. 32.* supponit, servum proprium institutum cum libertate, tanquam necessarium eo tempore domino suo existere debere hæredem, & in ejus dominio esse, qui moritur, *l. si post mortem 68. §. 1. l. quæsitum 91. §. 1. ff. de legat. 1.* unde si à domino post testamentum factum alienetur, ab ipso vivente debet redimi, ut possit illi hæres existere, *l. quoties 9. §. servus 16. ff. de hæred. instit.* quia hac in re media tempora non nocent, *l. servum 50. ff. eodem tit.* secus autem est si libertatem tantùm relinquat servo proprio ; sufficit enim, inspectâ æquitate, quod redemptus inveniatur tempore aditæ hæreditatis ab extraneo, *l. verum est 58. ff. de manumiss. testam* : quod an possit dici etiam de hæreditate, si tanquam servum proprium liberum eum esse jussit, & pro parte hæredem scripsit, dato cohærede extraneo, dubitavit Gothofredus *in dict. §. servus 16.* quia libertatis dies cedit ab adita hæreditate, *l. unica, § libertatibus, C. de caduc. tol. l. hæredis 7. §. ultim. cum sequenti, ff. quando dies legato* ; idcircò sufficit si in hæreditate jacente inveniatur priùs quàm dies veniat, quo competitura libertas sit : at verò existentia hæredis necessarii eodem tempore cum instanti mortis debet concurrere, alioquin inutilis foret : ex quo existimat

existimat Gothofredus, hunc liberum futurum, hæredemque, sed voluntarium. Contrarium tamen tenendum est, propter æquitatem dictæ legis *verum* 58. cùm enim eò processerit libertatis favor, ut non inspiciamus præcisè tempus mortis, sed aditæ hæreditatis; & causa hæreditatis pendeat à libertate, quæ suspenditur, æquius censet D. Joseph. de Retes *ubi sup.* servum in hoc casu, & liberum, & hæredem necessarium fore, ex quo libertas confirmata fuit per additionem hæreditatis à cohærede factam. Nec obstant textus præcitati, qui exigunt existentiam hæredis necessarii tempore mortis testatoris; qui accipiendi sunt regulariter, & suppositis terminis ordinariis, quorum exceptio est casus relatus *in dict. l. verum* 58. Quibus suppositis facilè exponitur dicta lex *pignori* 30. fatemur enim, non posse eam accipi secundùm principia juris, alioquin non esset necessarium rescriptum Severi, quod ibi refertur; ex jure enim certum est, servum specialiter pignori obligatum institui posse à domino hæredem cum libertate, & institutionem sortiri effectum, si dominus eum redemerit, id est luerit pignus, *l.* 1. *C. de necessar. servis*: suo rescripto autem hoc ampliùs Severus induxit, ut quamvis mortis tempore non inveniretur à domino redemptus, non evanesceret datio libertatis, nec hæredis institutio; sed sustineretur, si servus ipse paratus esset se redimere, & creditori ex pecunia sua, aut hæreditaria satisfacere, ut supponunt ibidem Glossa & Cujacius: ut enim pignoris obligatio inutilem ab initio non fecit institutionem servi, sic noluit Imperator ut irritaretur manente causa pignoris. Quod si quæras, an durante causâ pignoris sit liber? Respondebo, nec liberum, nec hæredem esse, quia propter vinculum pignoris suspensa est potestas legis. Nec competit libertas cum hæreditate, donec se redimat; unde nunquam concurrit jus pignoris cum libertate: erit ergo interim statuliber vi ipsa, ut ii qui in fraudem creditorum manumittuntur, quorum libertas non impeditur quousque creditores uti incipiant jure suo, *l.* 1. § 1. *ff. de statulib.* docent Faber *in Jurisprud. titul. 6. princip. 2. illat. 10. 11. & 16.* Donellus *lib. 3. comment. cap. 1.* ubi Osvaldus *littera B.* ex quo principio exponit D. Josephus de Retes *ubi suprà, num. 34. & 35.* textus *in l. quoties 9. §. ultim. ff. de hæred. instituend.* Ulpianus *in fragmentis, titul. 1. de libert. §. servus 19.*

CAPUT III.

Alexander III. (a) *Exon. Episcopo.*

EX præsentium latoris insinuatione accepimus, quod Alex. quondam Sacerdos de Ofecolon. (b) calicem argenteum, & medietatem unius (c) breviarii ejusdem Ecclesiæ pro sua necessitate pignori obligavit, & ea, morte præventus, minimè recollegit. Unde quoniam indignum est, ut ejusdem Ecclesiæ res suæ, & præsertim quæ sacris mysteriis deputatæ sunt, taliter debeant deperire; f. t. per A. s. p. m. quat. si verum est quod asserit, (d) filium ejus Walterium, qui ex successione ipsius patrimonii jus dicitur (e) obtinere, moneas diligenter & compellas, ut res ipsas pignoratas recolligat, & eas Ecclesiæ restituat: quod si facere noluerit, eum vinculo anathematis non differas coercere.

NOTÆ.

(a) *Exonienſi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap* 3. & post Concilium Lateranense *part.* 29. *cap.* 1. De Exoniensi Ecclesia nonnulla notavimus *in capite 6. de filiis Presbyt.*

(b) *Calicem argenteum*] De quo agemus *in cap. final. de celebrat. Miſſar.*

(c) *Breviarii.*] Breviarium si simpliciter accipiamus, opus conciſum significat, seu summarium; à Græcis epitome dicitur, quo modo sumitur à Plinio *lib.* 18. ibi: *Ut omnis cultura quoddam breviarium peragatur.* Suetonio *in Auguſto, capite* 101. ibi: *Tertio breviarium totius Imperii, quantùm militum ſub ſignis ubique eſſent.* Quod etiam *Breve*, nonnulli appellarunt. Lampridius *in Alexandro*, ibi: *Milites ſuos ſic ubique ſervit, ut in cubiculo haberet breves, & numerum, & tempora militantium.* Vopiscus *in Aurel.* ibi: *Breve nominum inſcripſit.* Quod si breviarium dixerimus cum additione rationum, erit summarium dati, & expensi. Suetonius *in Galba, cap.* 12. ibi: *Diſpenſatori breviarium rationum afferenti paropſidem leguminis pro ſedulitate, ac diligentia porrexiſſe.* Sic apud Scævolam *in l. ult. ff. de pecul. legat.* breviariæ rationes dictæ in epitomen, & compendium contractæ. Brevis etiam dicitur *in l. ultim. ff. de conveniend. fiſci debitoribus.* Ulpianus *in l.* 3. §. 6. *ff. de penu legat* videtur appellasse breviarium logarium, ibi: *Chartas ad ratiunculam, vel ad logarium paratas contineri.* Notavit Marcellus Donatus *ad Suetonium capite* 101. Seneca breviarium parum Latinam dictionem esse contendit *epiſtol.* 39. his verbis: *Commentarios, quos deſideras, diligenter ornatos, & in anguſtum coactos ego verò componam; ſed vide ne plus profectura ſit oratio ordinaria, quam hæc, quæ nunc vulgò breviarium dicitur. Olim cùm latinè eloqueremur, ſummarium vocabatur.* Inde etiam enchiridion, seu epitome preeum, seu horarum canonicarum dici, ut breviarium. Ut autem veram hujus vocis originem agnoscamus, sciendum est, quod olim ad usum Chori, sive psalmodiæ Ecclesiasticæ diversi libri sub diversis nominibus habebantur: Psalterium nimirum, ex quo psalmi decantabantur: Hymnarium, ex quo hymni; Antiphonarium, ex quo antiphonæ decantandæ accipiebantur. Erant & Lectionaria, in quibus libri sacrarum scripturarum continebantur: Evangeliſtarium, ex quo lectio Evangelica legebatur: Sermonarium,

rium, ex quo Sanctorum PP. sermones legendi sumebantur; & denique Homiliarium, ex quo alicujus sancti Patris super lectum Evangelium expositio accipiebatur. Postquam verò lectiones omnes, tam quæ ex sacris scripturis, quàm quæ ex sanctorum PP. libris & homiliis sumuntur, ad certum numerum, ac brevitatem quandam Ecclesiæ decretis redactæ fuerunt, & in unicum librum omnes conjectæ, prædicti libri breviaria dici cœperunt: notarunt Cironius *libro 2. observ. capite 12.* Grethserus *ad Codinum lib. 1. cap. 6.* Juretus *ad Symmachum lib. 6. epistol. 25.* Vossius *de vitiis sermon. lib. 1. cap. 32.* An verò in præsenti breviarium pro summario rationum Ecclesiæ, an verò pro libro precum & horarum Ecclesiæ sumatur, excogitandum reliquit lectori Cironius *ubi suprà*; credo tamen pro breviario divini officii accipi: tum quia conjungitur cum calice; tum quia pro ratione suæ decisionis Alexander eam assignat, ne Ecclesiæ res, præsertim quæ sacris mysteriis deputatæ sunt, pereant. Quæ verba comprehendunt tam calicem, quàm breviarium horarum canonicarum; & ita breviarium in præsenti accipitur, quod temporibus Alexandri, & pluribus posteà annis, antequam libri typis mandareutur, magno in pretio erat: unde in Ecclesiis tantùm majoribus ferè unum breviarium erat, & adhuc in Ecclesiis porantiquis extat locus ubi breviarium fixum erat, ut ibi clerici ipsius Ecclesiæ horas canonicas recitarent: & quia breviarium hoc duabus partibus, hiemali videlicet, & vernali constabat, Presbyter, de quo in præsenti, unam, quam dimidiam partem breviarii appellat Alexander, pignori dedit.

(d) *Filium.*] Ante sacerdotium videlicet genitum, & ita legitimum, ut *in cap. 1. de testam.* Si autem filius illegitimus esset, ut ex damnabili coitu susceptus, patri non succedebat, ut probat Pichardus *in princip. Instit. de hæreditatibus, quæ ab intestato. §. 7. ex num. 10.*

(e) *Obtinere.*] Etiamsi adhuc illis non se immiscuerit, sed se abstinuerit; nam interim rectè conveniri poterat, *l. 2. §. ult. ff. de stipul. servor.* Quo modo accipit textum hunc Arias à Mesa *libro 3. var. capite 1. numero 30.* In præsenti autem casu Ecclesia etiam poterat avocare res ipsas tanquam impignorabiles, *ex l. sancimus 21. de sacros. Eccles. novella 7. cap. 6. novella 120. cap. ult.* ex quibus deductus est textus *in cap. hoc jus, §. qui verò 10. quæst. 2.* ut latiùs dicemus *in cap. 2. de solut.*

CAPUT IV.

Innocent. III. *Gallando Subdiacono nostro, & B. Vitali, Canonicis* (a) *Pisanis.*

ILlo vos credimus scientiæ dono vigere, quòd super eo, de quo nos consulere voluistis, quid juris sit, liquidò cognoscatis. Quia tamen nostro postulastis edoceri responso, ne sub ipsius expectatione responsi decisio negotii prorogetur, præsentibus vobis litteris duximus respondendum. Sanè per vestras nobis litteras intimastis, quòd cùm causam, quæ vertitur inter H. & B. filios G. de Cosa; & G. filiam Teberti, & hæredes ipsius super quibusdam vineis præfatis personis pro XXVI. libris pignori obligatis, vobis duximus committendam, dantes vobis per nostras litteras in mandatis, ut ipsam G. & hæredes ipsius ad restituendas vineas, & quicquid ultra (b) sortem perceperant, eisdem restituerent conquerentibus, per pœnam in (c) Later. Concil. contra usurarios promulgatam cogere curaretis: vos, ut juxta mandatum nostrum procederetis in negotio memorato, partes citare curastis; cúmque in vestra essent præsentia constitutæ, ex parte prædictæ G. & hæredum ipsius fuit propositum coram vobis, terras, & vineas, quas iidem H. & B. repetebant ab eis, non esse pignori obligatas, sed purè venditas, sicut in instrumento confecto exinde pleniùs continetur: præfatus verò H. pro se, ac fratre (d) suo firmiter asserebat, terras non esse purè venditas, sed pignore obligatas, cùm venditioni prædictæ talis fuerit adjecta conditio, ut si à tempore contractus usque ad duos proximos annos præfato T. emptio displiceret, G. pater H. abinde usque ad annum XXVI. libras, perceptis fructibus computatis in ipsis, dare debuerit, sicut in eodem instrumento asserebat firmiter contineri. Verùm quia sicut in eisdem litteris continetur, ambigitis, utrum pura sit, & absoluta venditio, an præfatus contractus pignus debeat judicari, per nostras postulastis litteras edoceri. Nos autem consultationi vestræ taliter respondemus; quod qualiscunque fuerit intentio contrahentium, ex forma contractus venditio non apparet conditionalis, sed pura; quamvis possit per conditionem resolvi. Ex duobus tamen, quæ in pacto fuerunt expressa, videlicet quod fructus percepti debent in solvenda pecunia numerari, & quod ultra summam receptam XL. solidi debent persolvi, contra ipsum emptorem præsumitur vehementer, præsertim cùm usuras consueverit exercere.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. (a) *Pisanis.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. De Pisana Ecclesia egi *in capite* 8. *de temporibus ordin.* quia agebatur de contractu usurario in præsenti ; ideo præsentis causæ cognitio judicibus ecclesiasticis commissa fuit

(b) *Ultra sortem.*] Iuxta dicenda infrà *in cap. cum contra.*

(c) *Lateran.*] Relato *in cap.* 1. *de usuris.*

(d) *Fratre suo.*] An frater pro fratre absque eius mandato possit in judicio comparere, expositi *in cap. constitutus, de in integrum restit.*

COMMENTARIUM.

2. EMptio, & venditio, sicut cæteri contractus, varia pacta, tam in continenti, quàm ex intervallo admittit, *l.* 1. *C. de pactis inter emptor* ubi post Cujacium, & Donellum plura congessit Christophorus Philippus Richter. Sunt autem præter alia pacta, quæ huic contractui in continenti adjici solent, pactum addictionis in diem, pactum legis commissoriæ, pactum redimendi, seu de retrovendendo. Pacto addictionis in diem venditor sibi prospicit de alia meliori conditione per licitationem, ita ut allatâ meliori conditione, res sit inempta ; & tunc venditio est conditionalis, perficienda, & purificanda si melior conditio non afferatur, *l* 2. *l. ubi* 4. *l. pen. ff. de in diem addict.* hujus pacti naturam, & legem exponunt Donellus *lib.* 16 *comment. capite* 18. Catel. Cotta *verbo Addico*, Hermosilla *in l.* 36. *tit.* 5. *part.* 5. Moez *obser. jur. cap.* 8. Manlius *de empt. & vendit. tit.* 6. *ex num.* 6. Valentia *tom.* 3. *tract.* 1. *cap.* 2. Gibalinus *tom.* 2. *de negot. lib.* 4. *artic.* 2. *cap.* 5. & circa illud observandi sunt textus *in l. statuliber* 38. *ff ad leg. Falcid. l. in diem* 9. *ff. de aqua & aqua plu. l.* 2. § 3. *& 4. ff. pro emptore, l. si quis hoc* 41. *ff. de rei vindic. l. si res scire* 3. *ff. quibus modis pignus, l. si mandavero* 22. *§. penult. ff. mandati, l.* 9. *§. final. ff. de except. rei judic. l. is qui in puteum*, §. 10. *ff. quod vi aut clam, l. bovem* 43. *§. pignus, ff. de ædilit. edict. l.* 6. *ff. de diverf. & tempor. l.* 6. *ff de contrah. emption. l.* 13. *§.* 2. *ff. de act. empti, l. si hominem* 19. *ff. de usucap, l.* 12. *ff. de pignor. l. inficiando* 67. *§. cum servus, ff. de furt. l.* 11. *§. Aristo, ff. quod vi aut clam, l. Æmilius* 38. *ff. de minor. l. si in emptionem* 35. *ff. eod* juncto Fabro *decad.* 21. *cum sequent. l. final. ff. de jure fisci, l* 4. *C. de fide & jure hastæ, l. statuliber* 38 *§. ultim. de statulib.* Pactum, seu lex commissoria est conventio adjecta emptioni, & venditioni, quâ id agitur, ut si in diem statutum emptor pretium non solverit : & venditor rem vendere nolit, res inempta sit, nec alienata censeatur, *l,* 1 2. 4. *& 7. ff. de lege commiss. l. final. ff. de rescindend. vendit. l.* 4. *C. de pact. inter empt.* & tunc potiùs sub conditione resolvitur contractus, quàm sub conditione celebrari videatur, *dict. l.* 1. Quando verò committatur hæc lex, sive pactum, & ejus naturam, exponunt Donellus *lib.* 16. *comment. capite* 19. Hermosilla *in l.* 38. *titul.* 5. *partit.* 5. Faber *decad.* 45. *errore* 8. Cujacius *ad titulum C. de pact. inter*, D. Josephus Vela *dissert.* 97. Carvalho *in cap. Raymutius*, 2. *p. numero* 228. Richter. *in dict. l.* 4. *C. de pactis.* Manlius *de emption. tit.* 33. Gibalinus *de negot. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 5. *artic.* 1. Circa pactum hoc observandi sunt textus *in l.* 1. *C. de pact. pignor. l. final. ff. de contrah. emption. l. final. ff. de rescind. l.* 22. *ff. locati, l. trajectitiæ* 23. *ff. de oblig. & action. l. si fundus* 16. *§. ultim. ff. de pignor. l. si creditor* 7. *§. illud, de distract. pignorib. l. Æmilius* 38. *ff. de minor. l. item si pretio* 22. *ff. locati*, juncto Roberto *lib.* 1. *animadv. cap.* 11. *l.* 3. *C. de pact. inter, l.* 17. *§. cum autem, ff. de furtis, l.* 6. *§.* 1. *ff. de diverf. & tempor. l.* 17. *§. penult. de furtis, l. statuliber* 38. *ad leg. Falcid. l. si quis* 11. *§. penult. ff. quod vi aut clam, l.* 23. *§. final. ff. de ædilit. edict. l. si in rem, ff. de rei vindic. l. si hominem*, 19. *ff. de usucap l.* 9. *§. final. ff. de except. rei judic. l, sed si hac* 4. *ff. de rei vind. l. sed si* 25 *ff. de petit. hæredit. l, is qui* 11. *§. penult. ff. quod vi aut clam, l.* 3. *quibus modis pignus, l.* 2. *§. in diem, ff. pro empt.* juncto Fabro *de erroribus pragmatic. decad.* 25. *error.* 6. De pacto hoc legis commissoriæ in pignoribus adjecto fusè agemus infrà *in cap. significante, hoc titulo, de pignoribus.* Pactum revendendi, seu ut Pragmatici ajunt, de retrovendendo, seu retrovenditio, ut dicitur *in l.* 2. *& 7. C. de pactis inter* ; quodque fiduciariam venditionem veteres vocabant, contrahitur cùm inter partes convenit, ut oblato pretio intra certum tempus, vel quandocunque, res restituatur vendenti, *dict. l.* 2. *& 7.* Pactum hoc à pacto legis commissoriæ in duobus potissimùm differt. Primò, quia in commissoriæ legis conventione pretii solutio sub resolutionis contractus pœna in diem differtur, *l.* 2. *ff. de lege commis.* at verò in pacto revendendi, non pretii solutio, quæ jam ab initio facta supponitur ; sed ipsa tantùm venditionis rescissio confertur in diem, quo vel emptori res vendita displicuerit, vel per venditorem pretium fuerit emptori oblatum, *l. qui fundum* 40. *ff. de contrah. empt. l si convenit* 6. *ff. de rescind. l. si sterilis* 21. *alias* 22. *§. sed etsi, ff. de act. empti, l. si vir uxori* 12. *ff. de præscript. verb. l. quod si nolit* 31. *§. si quid ita, ff. de ædilit. edict.* docet Caldas Pereyra *de empt. & vendit. cap.* 18. *num.* 20. Secundò quia pactum legis commissoriæ juxta vulgarem ejus formam verbis tantùm directis concipitur, veluti ut res sit inempta, vel similibus, ut probat Vela *dissert.* 30. *num.* 51. At verò pactum retrovenditionis verbis tantùm obliquis præcipuè, puta ut res vendita per emptorem reddi debeat, aut per venditorem repeti possit, *d. l. qui fundum. d. l. si convenit.* Vela ubi proximè, *n.* 57. unde deducitur, dominium ex hujusmodi pacto ita concepto in emptorem interim omnino esse translatum, nec ipso jure, sed novo facto, adveniente pacti conditione resolvendum, & ad venditorem reversurum, ita ut fructus perceptos ante pretium sibi oblatum suos faciat, ex præsenti textu, & *d. l.* 2 *C. de pactis* : per argumentum à contrario sensu docent Covar. *lib.* 3. *var. cap.* 8. *n.* 6. Morla *in empor. tit.* 9 *q.* 15. idque indistinctè, id est sive pactum id in facultate venditoris sit positum, in quo omnes conveniunt, verum est, sive in emptoris voluntatem conceptum sit, ut contra communem, quam refert Corrasius *lib.* 3. *miscel. c.* 9. *n.* 5. docent Castillo *tom.* 2 *controv. c.* 25. *num.* 6. Vela *dissert.* 32. *n.* 6. Quatenus tamen pactum hoc per se licitum, ex adjunctis circumstantiis reddatur usurarium, pro explicatione hujus textus exposui *in cap. ad nostram, de empt. & vendit.*

CAPUT V.

Idem *Episcopo* (a) *Aquinati.*

EX litteris tuæ fraternitatis accepimus, quod cùm causam, quæ vertitur inter R. sancti Georgii, & R. mulierem sancti Germani, tibi duxerimus committendam, cùm ferè per biennium studuisses, ut eadem causa concordiâ finiretur, partibus non acquiescentibus, accitis viris prudentibus, prædictæ causæ meritis diligentiùs examinatis, idem negotium de prudentum consilio ad nostram duxisti præsentiam remittendum, ea maximè ratione, quia videbatur hoc ad regium judicium specialiter pertinere; siquidem probatum est evidenter, quod facinore à marito prædictæ mulieris commisso, eo fugam petente, tam frater mariti, præfatus videlicet R. quàm ipsa mulier, licèt minùs justè, ab R. Comite Caserton. tunc Regio (b) Justitiario capti fuerint, & de ipsius mandato omnium bonorum delinquentis facta distractio, & soluta pecunia mercatori, qui à marito dictæ mulieris vulneratus fuerat, & rebus propriis spoliatus. Per prædictum autem R. illorum bonorum venditio facta fuit de mandato Justitiarii antedicti: sed quædam possessiones penes eundem R. mulieris sororium remanserunt, quas idem R. de mandato Curiæ retinuit, solutâ pro eis pecuniâ mercatori, quia emptor alius, sicut dicit, propter possessionum minutias non extabat. Pars verò mulieris firmiter allegabat, quod cùm dos omnibus creditoribus (c) præferatur, & omnia bona mariti eidem mulieri propter dotem fuerint obligata, cùm mulier in hoc non fuisset culpabilis, dotem suam amittere non debebat. Propter quod æstimationem ejus instantiùs petebat sibi confirmari, vel in possessiones, quæ mariti fuerant, ex officio delegationis induci; asserens culpam viri sui nequaquam ei de jure debere nocere. Pars autem viri econtrariò respondebat, se non debere super his aliquo modo respondere; quia nihil voluntate, vel auctoritate sua distractum fuerat de bonis mariti mulieris ipsius; sed fiscus ea capi fecerat, & mandaverat distrahenda, quod & testium assertione probavit. Sanè cùm pars mulieris diceret de possessionibus viri sui aliqua remansisse, quæ distracta non fuerant, & ex eis sibi satisfieri postulabat, ab ea studiosiùs inquisisti, quanta fuisset pecunia, quæ soluta fuerat mercatori: & ex confessione tibi constitit utriusque, quod de immobilibus usque ad XXIV. uncias auri alienatum extiterat, sed præscriptus R. se XVIII. vel XXIV. dicebat addidisse, & quadraginta duarum unciarum auri compleviſſe numerum mercatori. Allegabat quoque prædictus R. quod cùm quinque filii essent unius patris, & omnes in bonis paternis succederent; factâ æstimatione totius hæreditatis, non perveniebat ad maritum mulieris ipsius de hæreditate paterna, quod ultra XXIV. uncias valeret. Quia verò ad nos eadem causa remissa non fuit sufficienter instructa, nec nobis constitit, utrum x. libras (d) tarenorum, quas petebat mulier, dedisset in dotem, aut quod R. aliquid possidebat de bonis pertinentibus ad fratrem suum virum mulieris prædictæ, nec potuissemus examinationi causæ insistere: tum quia in præsentia tua renunciatum fuerit allegationibus, & probationibus, sicut dicis: tum quia idonei, & sufficientes ad nostram præsentiam non venerant responsales: eandem causam tuo duximus examini remittendam, per A. s. præ. mandantes, quat. si tibi constiterit ex iis, quæ in præsentia tua fuere proposita, & probata, quod mulier dicit, viro dedisse in dotem; & prædictum R. de bonis fratris aliqua possidere; cùm mulieribus favor multus in recuperandis dotibus debeatur; & cautum sit etiam in jure, quod propter (e) maleficium viri mulier remanere non debeat indotata; cùm & bona viri mulieri pro dote tacitè obligata cum suo onere transierint ad quemlibet possidentem, prædictum R. eidem mulieri ad restitutionem dotis eatenus appellatione remotâ condemnes, quatenus de bonis fratris sui præfati noscitur possidere.

NOTÆ.

1. (a) *Aquinati.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. Aquinum olim propè fluvium Melphim antiqua, & magna civitas fuit. Strabo *lib.* 5. *Aquinum urbs est magna, quam magnus præterfluit amnis Memphis.* Colonia fuit Romanorum, ut affirmant Frontinus, & Plinius, ejusque meminerunt Livius *lib.* 26. & Silius Italicus *lib.* 12. Aquinii magnitudinem adhuc extantia vestigia, ipsæque ruinæ produnt, certissimi humanæ instabilitatis, atque invidæ vetustatis

vetuſtatis teſtes. Jam à primis Eccleſiæ ſæculis Epiſcopalis dignitas exornavit Aquinum, quâ etiam cum Comitatu nunc condecoratur: & licèt non habuiſſet Aquinum unde ei ſplendor poſſet accedere, ſatis gloriæ habitura erat ex immortalitate nominis Angelici Doctoris Thomæ Aquinatis, Dominicanæ familiæ gloriæ, Theologorum Principis. Gregorio, qui ex Monaſterio Caſſini electus fuit Epiſcopus anno 1206. miſſa eſt præſens deciſio, licèt Ughellius *tom. 1. Italiæ ſacræ, fol. 441. num. 3.* nullo motus fundamento exiſtimet, auctorem hujus textus eſſe Joannem III. & in præſenti ſcribere Joanni Epiſcopo Aquinati. Quare autem præſentis cauſæ cognitio, cùm inter laicos diſceptaretur, & ſuper re temporali, judici Eccleſiaſtico committeretur, non conſtat inter Doctores. Aliqui affirmarunt, dotis cauſam etiam inter laicos, & principaliter agitatam, à Judice Eccleſiaſtico eſſe decidendam; & ideò quia in præſenti de dote agebatur, judici Eccleſiaſtico ejus deciſionem competere. Sed eâ ſententiâ omiſsâ placet communis, quam ſequuntur Barboſa hîc: primarii noſtri Balboa, & Garaña, *in cap. 3 de ordine cognit.* videlicet, quod cùm in præſenti ſpecie mulier vidua eſſet, quia inutilem habebat maritum, bannitum videlicet, & oppreſſa reperiretur à judice ſæculari, potuit in ejus defectum adire judicem Eccleſiaſticum: & cùm eo caſu proprium ſit Eccleſiæ viduas fovere, ut probavi *in cap. ex ore, de foro compet.* ideò in præſenti caſu licèt cauſa fuiſſet temporalis, & inter laicos diſceptaretur, potuit coram judice Eccleſiaſtico tractari.

2. (b) *Juſtitiario.*] Id eſt judici; plerunque enim juſtitiarius pro judice ponitur in legibus & auctoribus poſterioris ætatis: in legibus Siculis *lib. 1. tit. 1. 36. 45. & 46.* apud Petrum de Vineis *lib. 3. epiſt. 14* Matthæum Pariſium *anno 1188.* ibi: *Epiſcopus Dunelmenſis habuit juſtitiariam à magno flumine uſque ad Schotorum mare. Willelmus vero Elienſis obtinuit juſtitiariam à flumine prædicto ad plagam Auſtralem: quod Hugo Dunelmenſis Epiſcopus nimis honeſtè ferebat, tunc primo intelligens, quod Rex illum juſtitiarium fecerat, non zelo juſtitiæ, ſed ut pecuniam ab eo extorqueret.* Et apud alios relatos à Voſſio *lib. 3. de vitiis ſermon. cap. 17.*

3. (c) *Creditoribus præferatur.*] Conſonant lex *aſſiduis, C. qui potiores.* Novella 97. Juſtin. docent Bachovius *de pignor. lib. 4. cap. 12.* Maqueda, & Pichardus *in l. privilegia, ff. de privil. credit. regul. 2. ampliat. 6.* Caſtillo *lib. 3. controv. cap. 4.* Hunnius *in Encyclop. p. 3. tit. 3. cap. 5.* poſtquam enim Juſtinianus tacitam hypothecam conceſſit uxoribus in bonis mariti, *in l. unica, §. & ut plenius, C. de rei uxor. act. §. fuerat, inſtit. de act.* qua mediante omnibus creditoribus perſonalibus præferebatur, *l. procuratoris, §. plane, ff. de tribut. act. l. pro debito 6. C. de bonis auctorit. judicis*; idem Imperator anno 3. ſui Imperii etiam illis conceſſit, ut in rebus, quas in dotem dederant, ſi conſumptæ non eſſent, præferrentur omnibus creditoribus: & quia adhuc illis ſatis proſpectum non erat, cùm ſi res dotales conſumptæ fuiſſent, non habebant jus prælationis reſpectu anteriorum creditorum tacitam hypothecam habentium, ideò in dicta lege *aſſiduis*, privilegium illis conceſſit anno 5. ſui Imperii, & Chriſti 534. quo mediante omnibus mariti creditoribus anterioribus præferuntur, *d. l. aſſiduis*, ubi illa verba, *Alias duas conſtitutiones*, referenda ſunt ad textus *in d. l unica, C. de rei uxor. l. in rebus 30. C. de jure dot.* Illud tamen ſatis controverſum eſt apud Interpretes, utrum videlicet privilegium hoc prælationis ſit tantùm reſpectu eorum qui tacitam, an verò & eorum qui expreſſam hypothecam habent? Eam quæſtionem latò diſputant Faber *lib. 8. conject. cap. 11. & 12.* Gibalinus *de uſuris lib. 4. cap. 5. art. 25. num. 8.* Maqueda *in dicta l. privilegia, ex num 52.* Coſtanus *de dotibus cap. 7. ex num. 6.* Pichardus *in §. actionum, num. 74. Inſtit. de action.* Bachovius *de pignor. cap. 12.* qui docuerunt, verum eſſe omnibus creditoribus etiam expreſſam hypothecam habentibus mulierem præferri, quia cùm Juſtinianus *in d. l. aſiduis*, generaliter loquatur de omnibus creditoribus, generaliter eſt audiendus, *l. de pretio, ff. de public. l. 1. §. generaliter, ff. de legat. præſtand* Accedit, quod publicus favor in dotibus verſatur, qui ideò ſingulorum commodis præferendus eſt, *l 1. ff. ſolut. matrim. l. actione, §. Labeo, ff. pro ſocio*: præſertim cùm in dubiis pro dotibus ſit reſpondendum, *cap. ult. de re judic.* facit etiam illud tritum axioma: *Si vinco vincentem te, à fortiori vincam te.* Sed qui ad rem conſervandam, vel reficiendam pecuniam credidit, omnibus creditoribus præfertur, *l. creditor, ff. ſi certum petatur, l. interdum, ff. qui potiores*: ſed mulier pro dote illi præfertur, *authent. quo jure, C. qui potiores, authent. his conſequens, C. de collat. dotis.* Caſtillo *lib. 3. controv. cap. 8.* igitur omnibus creditoribus mulier præfertur. Jure tamen noſtro regio contraria ſententia recepta eſt, à qua in praxi recedi non poteſt, ob textum diſertum *in l. 33. tit. 13. partit. 5.* docuerunt ita Gregorius Lopez *ibi*, Covar. *lib. 1. variar. cap. 7.* Gomez *in ll. Tauri, num. 39.* Matienzus *in l. 7. tit. 16. lib. 5. recopil.* Maqueda *ubi ſuprà, num. 65.* Nec uxoribus competere privilegium fiſco conceſſum *in l. ſi quis mihi, ff. de jure fiſci*, pluribus relatis probat Olea *de ceſſ. jur. tit. 3. q. 7. num. 4.* Unde hæc verba præſentis textus, *Omnibus creditoribus præferatur*, exaudienda ſunt juxta textum *in d. l. aſſiduis*, de omnibus creditoribus, etiam expreſſam hypothecam habentibus.

(d) *Tarenorum.*] Genus monetæ eſt proprium illius provinciæ, ut jam notavi *in cap. ad noſtram, de empt. & vendit.*

(e) *Maleficium.*] *L. quiſquis, §. uxoris, C ad leg. Jul. Majeſt. l. ſi marito, ff. ſolut. matrim. l. res uxoris 24. C. de donat. inter, l. 2. C. ne uxor pro marito, cap. decrevit, de hæret. in 6. l. ſi quis poſt hac, C. de bonis proſcript. l. ſancimus 22. C. de pœnis, l. 1. C. de vi publica, Novella 134. cap. final. Authent. bona, C. de bonis proſcript. l. 8. tit. 10. p. 7. l. 77. Tauri*, quæ eſt lex 10. *tit. 9. lib. 5. recopil.* quod etiam procedit in arrhis, *dicta l. res uxoris*: cui convenit lex 4. *tit 1 . partit. 7.* & in his, quæ ex conjugali acquæſtu ad uxorem pertinent, *ex d. l. 77. Tauri*, quæ eſt lex 10. *tit. 9. lib. 5 recopil.* & meritò, quia pœna debet ſequi auctorem criminis, *d. l. ſancimus, C. de pœnis, cap. quæſivit, de his quæ fiunt à majori parte.* Variis ampliationibus, & limitationibus exponunt Covar. *lib. 2. var. cap. 8. n. 7.* Guazinus *de confiſcatione limit. 35.* Maſinus *eod. tract. q. 4. n. 24.* Sanchez *lib. 2. ſummæ, cap. 27. per totum.* Acoſta *de privil. credit. ampliat. 7. num. 203.* Henellius *de dotalitio, cap. 8. §. 18.* 4.

Ricciulus *de jure person. lib.* 5. *cap.* 36. *à num.*30. Borellus *tom.*3. *tit.*5. *à num.*319. Azevedus *in d. l.*10. Gomez *in d. l.* 77. Garcia *de contug. acquæstu, num.* 175. Sed tunc obstat communis sententia, in qua docetur, quod licèt quis non possit pro alterius delicto pœna spirituali, aut corporali puniri, pœnâ tamen pecuniariâ, seu temporali plecti valet, Covar. *lib.*2. *var. cap.*8. *num.*7. Petrus Gregorius *lib.* 35. *syntagm. cap.*1. sed privatio dotis est pœna pecuniaria: igitur propter delictum mariti poterat uxor ea mulctari, præsertim cùm dotis dominium constante matrimonio penes maritum sit. *princip. Instit. quibus alienare*, plura D. Nicolaus à Castro *in l.*1. *C. de fundo dot.* Cui difficultati ut satisfaciamus, supponimus juris conditores maximopere curasse dotes conservare, & ne uxores indotatæ remanerent, *l. ult. ff. solut. matrim l. hoc modo* 64. *ff. de condit. & demonstr. dicta l. assiduis.* Alex. ab Alex. *lib.* 4. *genial cap.* 8. eisque innumera privilegia concessisse, quorum mentio fit *in cap. per vestras, de donat. cap. salubriter, de usuris, l.* 2. *l. potior* 11. *l. qui balneum, ff. qui potiores, l. si cùm dotem. l. si constante, ff. solut. matrim l. unica, C. de rei uxor. l. in rebus, C. de iure dot.* quæ dotalia privilegia referunt & exponunt Petrus Barbosa *in l.*1. 3. 5. *& 6. ff. solut. matrim.* Baldus Novellus *de dotibus p.* 6. 7. 8. *&* 9. Joannes Campegius *eod. tract. q.* 8. *per totam*, Constantius Kogerius *de dote, inspect.* 8. Gubertus Costanus *de dotibus cap.* 6. *&* 7 Paleotus *eodem tract. num.* 45. Baptista à sancto Blasio *quæst.* 250. Olea *de cess. jur. tit.* 3. *q.*7. *num.*3. Acosta *de privileg. regul. cap.*2. *ampliat.* 6. inter quæ illud enumeratur, quod refert Innocentius *in præsenti*, & *in cap. ex parte, de consuet.* videlicet ut propter mariti delictum uxor dote non privetur, ut notarunt hîc Immola *num.* 1. Panormitanus *num.* 2. Anania *num.* 12. Zabarella *num.* 5. Ancharanus *num.* 6. Hostiensis *vers. In jure* Quod adeò verum est, ut si quis pro mariti debito res uxoris occupet, vim facere dicatur, *l.*1. *C. ad leg. jul. de vi.* Nec obstat difficultas proximè expensa; nam licèt verum sit, maritum constante matrimonio dotis dominum esse, nec eam restituere teneri, nisi soluto matrimonio, *l. unic. C. si dos constante matrim* favore tamen dotis introductum fuit, ut si maritus ad inopiam vergat, possit uxor constante matrimonio dotem exigere, *l. si constante* 24. *ff. soluto matrim. l. ubi adhuc* 29. C *de jure dot. l.* 29. *tit.*11. *partit.* 4. *cap. per vestras*, ubi dicemus, *de donat. inter*: maritus autem, cujus bona publicantur, atque propter delictum capiuntur, aperte ad inopiam vergit, ita ut actio de dote nascatur, ut bene notarunt Bartolus *in l.* 2. *num.* 6. *ff. soluto matrim.* ubi Castrensis, Baldus Novellus *ubi proximè, privil.* 17. atque ita quasi adveniente causâ dotis restituendæ, dominium rerum dotalium ad uxorem pertinet, argumento legis *in rebus, C. de jure dot.* & sic res dotales non possunt cum mariti bonis publicari: quare Zabarella & Anania *ubi suprà*, docent in præsenti textu, posse uxorem constante matrimonio de dote agere. Nec etiam obstat textus *in l. satis* 4. *C. de Primipilo, lib.* 12. ubi ob delictum, seu debitum mariti dos uxoris capitur. Nam textus ille procedit specialiter in Primipilo, ut docent hîc communiter repetentes, Covar. *lib* 1. *var. cap.*16. *num.* 7. cujus specialitatis ratio ut agnoscatur, sciendum est, Primipilum apud Romanos fuisse Principem primi ordinis, & Præfectum legionis, ut probant Covar. *dicto num.* 7. Justus Lipsius *de militia Romana*, Pancirola *lib.*2. *variar. cap.*74. & *in notitia cap.* 21. Altamiranus *in rubric. de filiis official. cap.* 2. *num.* 23. Ramirez de Prado *in l. super creandis, C. de jure fisci*, ad quem veluti ad Principem totius legionis pertinebat cura militaris annonæ; unde militaris annona Primipilus appellari solet *in l. officialis, C. de Episcop. & Cleric. l.* 3. *C. de Primipilo, l. speciebus. C. de cohortalibus, lib.* 12. *l.* 1. *C. de privil. fisci, l. sed & militis, §. final. l. non solum, §. qui Primipilum, ff. de excusat. tut. l. pater, ff. de aliment. legat. l. final. §. patrimoniorum, ff. de muner. & honor.* Cujacius *in l. creditor* 52. *§. inter, ff. de act empti*, Pancirola *lib.*1. *variar. cap.*243. cujus fraudatio, iniquaque distributio Reipublicæ valde perniciosa est, ut latè probat Altamiranus *dicto cap.*2. *num.* 9. siquidem à militari annona totius exercitus robur, ac per consequens salus Reipublicæ pendet; unde in odium hujus delicti statutum fuit, ut dos uxoris caperetur; & filii, quamvis non hæredes, pro debitis Primipili tenerentur, ut docuerunt Osvaldus *lib.* 15. *Donelli, cap. ult. littera C.* Ripol. *variar. cap.* 10. *num.* 329. Merenda *lib.* 2. *controv. cap.* 63. Bulengerus *de Imperio Romano lib.* 3. *cap.* 31. Solorzanus *lib.* 5. *de jure Indiarum, cap.* 1. *num.* 129. Altamiran. *ubi supra, num.*11. Marinis *alleg.* 125. Nec huic interpretationi obstat textus *in l.* 1 *C. de privil. fisci*, ubi in eadem specie docetur, occupatis bonis mariti ex causa Primipilaris administrationis, bona uxoris illi restituenda esse: nam ut docuerunt ibi Accursius, Bartolus, Baldus, & Gothofredus, textus ille procedit in bonis paraphernalibus uxoris, quæ pro administratione Primipilari mariti nec tacitè obligati sunt, ideóque nec occupatis mariti bonis ipsa capi possunt.

COMMENTARIUM.

§. Confessio deducitur & proba.

COmmuniter ex hoc textu sequens deducitur assertio: *Mulier pro dote sua habet tacitam hypothecam.* Probant eam textus *in l. unica, §. & ut plenius, C. de rei uxor. act. l. assiduis* 12. *tit. vers. Ad hæc, C. qui potiores, §. fuerat, Instit. de action. l. ubi* 29. *C. de jure dot. l.* 17. *tit.*11. *partit.* 5. Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa *in collect. & select.* & à Garana, Petrus Barbosa *in l.* 1. 3. *p. num.* 31. *ff. soluto matrimon.* Maqueda *in l. privilegia, num.* 48. *ff. de privileg. credit.* Pichardus *ad eundem textum in §. quadam* 20. *num.* 74. *Instit. de action.* Bachovius *lib.* 1 *de pignor. cap.* 10. Costanus *de dotibus cap.* 6. Gaito *de credito cap.* 4. *q.* 11. *num.* 1628. Fontan. *de pactis nupt. tom.* 2. *clausul.* 7. *glos.* 2. *p.* 1. *ex num.* 28. plures congesti ab Acosta *de privileg. credit. regul.* 2. *ampliat.* 6. *per tot.* Giurba *ad consuetud. Messan. cap.* 13. *glos.* 3. Merlinus *de pignor. lib.* 3. *tit.* 2. *per totum.* Gibalinus *de usuris lib.* 3. *cap.*7. *art.* 4. *num* 9. Bachovius *lib.* 6. *declar. cap.* 92. Balduinus *in Justin. pag.* 220. Petrus Gregorius *lib.* 9. *syntagm. cap.* 24. Cujacius *in Novella* 91. *& in l. unica §. sed ut plenius, C. de rei uxor.* Donellus *de pignor. cap.* 12. Faber *lib.* 8. *conject. cap.* 11. 12. *&* 13. Fachineus *lib.* 3. *controv.* 99. *&* 100. *& lib.* 10. *cap.* 33. 34. *&* 35.

6.

Sed in hanc assertionem ita pro dubitandi ratione insurgo: Pignus, hypotheca, & fidejussor regulariter

regulariter eisdem obligationibus accedere solent, *l. 1. ff. de fidejuss. l. res hypothecæ 5. C. de pignor.* sed fidejussor dotis nomine nec peti valet, nec dari potest, *l. 1. C. ne fidejussores dot.* probant Mudeus *de pignor. cap. 5. numero 12.* & *capite 11. num. 24.* P. Barbosa *in l. si cum dotem 22. § transgrediamur, num. 29. ff. soluto matrim.* Osvaldus *lib. 15. Donelli, cap. 48. littera F.* Gratianus *2. tom. discept cap. 233 num. 33.* Igitur nec pignus ob dotis securitatem constitui valet. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex eo, nam mulier rerum dotalium dominium habet, *l. divortio 8. §. si fundum, l. si constante 24. § si maritus, ff. soluto matrim. l. in rebus 30. C. de jure dot.* sed in re propria nec pignus, nec hypotheca consistit, *l. neq; pignus 45. ff. de reg jur.* Ergo pro dote recuperanda non potest mulier in rebus ipsis tacitam hypothecam habere. Augetur secundò, nam vir, & uxor omnium bonorum socii sunt, *l. 1. ff. de ritu nupt. l. 4 C. de crimine expil. cap. cùm societas 22. q. 2.* latiùs dicemus *in cap. 2. de donat. inter*: Ergo tam lucra, quàm damna debent esse communia, *ex l. si non fuerit 29. §. Aristo, ff. pro socio*, & per consequens si res dotales perierint, periculo uxoris & mariti pereunt.

Impugnatur tradita assertio.

7. Quâ difficultate ita fulcitâ non obstante vera est præsens decisio, pro cujus expositione sciendum est, olim pro recuperanda dote nullam instituntam fuisse actionem, teste Gellio *lib. 4. noctium, cap. 3.* observavit Cujacius *lib. 10. observ. cap. 1.* cùm matrimonia morte solùm dissolverentur, & superstitibus liberis materna bona successionis jure adjudicarentur; postea verò cùm divortia in usum venire cœpissent, quibus initium præbuit Carbilius *anno 523.* qui uxorem repudiavit, ut minùs aptam liberis suscipiendis, ut refert Gellius *ubi supra*, & nos fusè *in cap. 1. de divortiis*; introducta inde fuit actio rei uxoriæ, quâ soluto matrimonio mulieri subveniebatur contra maritum, *l. 1. cum sequent ff. solut. matrim. l. unic. in princip. C. de rei uxor. action.* notarunt Sigonius *de antiquo jure Romano lib. 1. cap. 9* Guevara *in topic. Cicer. § 1. num. 3.* Rosinus *lib. 5. antiquit. cap. 34.* quamvis postea æquitate suadente ad alios casus dissolutionis matrimonii, veluti mortis mariti paulatim protraheretur, *l. dotis 9. l. ult. C. de soluto matrim. l. 1. C. Theodos. de dotibus, l. rei 15. §. 1 l. si. cùm dotem 22. ff. soluto matrim.* Ita verò hæc actio appellata est, quia quamvis rei uxoriæ tam dos, quàm cætera uxoris bona veniant, *l. penult. ff. ad leg. Falcid.* ut sunt bona paraphernalia, *l. donationes 31. §. cæterum*, ubi pro *Galli*, rectè legit *alii*, D. Josephus de Retes *lib. 5. opusc. cap. 1 num. 7.* propriè tamen, & per excellentiam res uxoria dos ipsa dicitur, quia patrimonium præcipuum uxoris est, *l. 3. § sed utrum, ff de minor. l. in rebus 30. C. de jure dot.* inde actio, quæ pro ipsa dote competit, rei uxoriæ dicta fuit, *dicta l. unica, §. accedit*, & § 29. notarunt Cujacius *ibi*, *in princip.* Hothomanus *de dotibus cap. 1. num. 3.* Acosta *de privil. credit. reg. 5. ampl. 6. in princip.* quæ actio dabatur tam mulieri, quàm ejus Patri. Ulpianus *tit. 6. regul.* ibi: *Quod si in potestate patris sit, pater adjunctâ filiæ persona habet actionem revera.* In qua ultima voce mendum esse suspicatur Hothomanus *de dotibus cap. 13. num. 91.* legendumque existimat *rei uxoriæ.* Hujus actionis formulam Cicero *lib. 3. de officiis*, hanc fuisse scribit, quantùm æquius melius sit dari. Habemus aliquot ejus vestigia *in l. penult. ff. soluto matrim. l. si cum Cornel. 82. ff. de solut.* quare Cajus *in l. eas, 8. ff. de capite minut.* scribit in bonum, & æquum conceptam esse, & naturalem præstationem habere, ob eamque causam etiam post capitis diminutionem durare. Alia notarunt de ipsa actione Gisanius, & Cujacius *in d. l. unic.* Idem Cujacius *lib. 22. observ. cap. 14.* Hothomanus *de dotibus, cap. ult.* Costanus *eod. tract. cap. 5.* Pichardus, & alii Institutarii *in d. § fuerat*, Osvaldus *lib. 14. Donelli, cap. 14. littera F.* Erat etiam olim alia ratio repetendæ dotis causâ, videlicet ex stipulatu, quæ mulieri competebat, vel parenti, vel extraneo, qui utiliter dotem sibi reddi stipulabatur, *l. etiam 8. C. de jure dot. l. quotiens 9. ff. solut. matrim. l. ex morte 9. §. ult. C. de pact. convent.* dabatur etiam actio præscriptis verbis, quæ tunc competebat, quando extraneus sibi dotem reddi paciscebatur, *d. l. unica §. accedit, l. avia, l. si dotem 24. C. de jure dot.*

Detractione rei uxoriæ.

Imperator Justinianus agnoscens dotium causam publicam & favorabilem esse, ut vulgò docetur *ex l. 1. ff solut. matrim.* & illustrabimus *in cap. 1. de donat. inter*, ut dotes conserventur, varia privilegia ipsis, & earum causâ uxoribus concessit. Primò constituit, ut actio ex stipulatu tantùm daretur, transfusis in eam omnibus commodis, quæ ex actione rei uxoriæ proveniebant, quia plenior erat ex stipulatu actio, *d. §. fuerat, Instit. de action.* id est, accommodatior, favorabiliorque. Actionem autem ex stipulatu semper dari voluit, etiamsi stipulatio non præcessisset, supponendo verba adtuisse, & ita ex illis actionem ex stipulatu oriri cum qualitatibus bonæ fidei, ut latè exponunt Cujacius, & Gisanius *in d. l. unica*: doctè, & eruditè illustrissimus D. Franciscus Ramos in privato schediasmate. Huic privilegio aliud adjunxit Imperator dotium causâ, dum uxoribus concessit tacitam hypothecam dotis nomine, ita ut etsi de ea non conveniret, semper tamen inesse intelligeretur, cùm antiquitus tantùm hypotheca daretur pro dote, si specialiter contraheretur, ut *in l. 1 ff. qui potiores, l. quod autem 7. §. si uxor, ff. de donat. inter, l. vir 17. §. 1. ff. ad Vellejanum.* Quæ tacita hypotheca adeò procedit, ut contracta dicatur, quantumcunque maritus minor sit, etsi decretum judicis non præcedat, contra textum *in l. si pupillorum, §. 1. ff. de rebus eorum*; pro qua sententia faciunt textus *in l. mater, ff. de jure dotium*, ubi docetur, valere consequentiam: Is, qui matrimonium contrahere potest, & pro dote obligari valet: sed minor absque decreto matrimonium contrahere potest, *l. in copulandis, C. de nupt.* igitur & pro dote obligari, ac per consequens ejus bona. Faciunt etiam textus *in l. in conditionibus, ff. de condit. & demonstr.* prout illum expendit Costa *lib. 2. select. cap. 3. per totum, l. 2. ff. de rebus eorum*, pluribus relatis defendit Acosta *de privil. dicta ampliat. 6.* Quæ tacita hypotheca non solùm competit pro dote, verùm etiam pro augmento dotis, *authent. de quantitate dotis, §. his consequens, collat. 7.* juncta etiam lege *8. C. de jure dot.* immò & ad donationem propter nuptias plures privilegium hoc protrahunt, quia cùm talis donatio sit velut dos contraria à marito uxori data, & eodem jure utatur, *l. penult. & ult. C. de donat. ante nupt. authent. æqualitas, C. de pactis conventis*; jus quoque tacitæ hypothecæ habere debet, ut pluribus relatis docent Castillo

8. *De privilegiis dotis.*

lib. 3 controv. cap 4. Mysing. *lib. 5. observ. 4.* quamvis contrarium teneant Gisanius *in dicta l. unica,* Donellus *lib. 14. cap. 9.* hanc etiam hypothecam ad sponsalitiam largitatem, quæ ab ipso sponso sponsæ, quasi in munificentiæ, & amoris pignus datur, *l. 1. & 3. tit. 11. part. 4.* extendit Antonius Gomez *in l. 50. Tauri, num. 54.* sed non rectè quia nec certæ legis auctoritas, nec dotis, aut donationis propter nuptias favor, & æquitas ad inducendam tacitam hypothecam pro sponsalitia largitate concurrunt. Unde apparet, falsum etiam esse, quod idem Gomezius affirmat, tacitè obligari mulieris, & mariti bona pro dimidia parte lucratorum constante matrimonio, videlicet conjugalis quæstus, de quo agemus *in cap. 2. de donat. inter.* Apud Pragmaticos etiam receptum est, hanc hypothecam tacitam competere pro alimentis ex dote præstandis, vel constante, vel soluto matrimonio intra annum, quoad restituatur; sive pro fructibus dotis, ex quibus alimenta præstantur, *l. pro oneribus, C. de jure dot. l. si cum dote,* § *sin autem. ff. solut. matrim.* quod etiam apud eos obtinuit in usuris, quæ marito post moram in dote solvenda debentur, *ex l. ult.* §. *propterea, C. de jure dot. cap. salubriter. de usuris,* quia pro eis maritus tacitam hypothecam obtinet in bonis ejus, qui dotem promisit, argumento legis *Lucius, ff. qui potiores, l. 2. ff de aliment. legat.* docent Gratianus *lib. 1. discept. cap. 53. num. 7.* Faber *in suo Codice, lib. 5. tit. 8. diffinit. 26.* Surdus *de alimentis tit 8. privil. 49.* Illud etiam certum est, eam hypothecam competere pro rebus marito datis extra dotem, quæ paraphernalia dicimus, *ex l. ult. C. de pactis conventis.* Et quamvis jure civili ea sententia non sit extra controversiam, cùm ab ea discedat, dissentiatque nervosè Gisanius *in dicta l. ultima*; jure tamen nostro extra dubium est, *ex l. 17. tit. 11. part. 4.* & in praxi ita receptum esse testantur Azevedus *in l. 3. num. 23. tit. 9. lib. 5. recop.* Faber *in suo Codice, tit. 8. definit. ultima:* his tamen casibus donationis propter nuptias, & bonorum paraphernalium, etsi privilegium tacitæ hypothecæ mulieri competat, non tamen datur privilegium prælationis, de quo suprà egi; quia cùm id contra jus, dotis contemplatione, & ipeciali gratiâ receptum sit, non debent extendi ad alia bona, quæ æquali favore digna non sunt, ut docuerunt Cujacius, & Gisanius *in d. l. assiduis* 12. Gratianus *discept. 1. tom. cap. 53.* Castillo *lib. 3. controv. cap. 4.* Pichardus *in dicto* § *fuerat, num. 45.* prosequitur Acosta *dicta ampliat. 6. num. 337.* An hæc hypotheca intelligatur respectu eorum creditorum, qui eam prius expressam habuerunt, & ita uxor illis præferatur, disputat Bronchorst. *enantioph. cent. 3. assert. 9.*

9. *Quando hac hypotheca competat marito,*

Deinde sciendum est, hypothecam hanc, licèt diverso modo, competere etiam marito pro exigenda dote sibi promissa; quemadmodum & tacita stipulatio, quæ eodem jure cum tacitâ hypotheca consistit, ut exprimitur *in dicta l. unica, in princip. & vers. Et nemo. C. de rei uxoriæ, l. 23. tit. 3. partit. 5.* docent Campegius *de dote 1. p. q. 57.* Balduinus *de pignor. cap. 7.* Castillo *lib. 3. controv. cap. 4.* Petrus Barbosa *in l. 1. p. 3. num. 6. & 26. ff. solut. matrim.* Inde potest maritus eam actionem hypothecariam intendere, cùm de evictione agit, quia res alienæ in dotem datæ sunt: quod ut facilius agnoscamus, discrimen constituendum est inter res dotales æstimatas, & inæstimatas; quippe si æstimatæ res in dotem dentur, & evincantur, placet, semper marito actionem ex empto de evictione competere contra eum qui dotem dedit, *l. 1. C. de jure dot.* Cujacius *lib. 17. observ. cap. 1.* quia æstimatio rerum dotalium plerumque emptionem facit, *l. interest 6. C. de usufruct. l. quotiens 5. C. de jure dotium*: in emptione autem naturaliter inest evictionis actio, *l. in vendendo 66 ff. de contr. empt.* econtrà autem si res dotales inæstimatæ dentur, & marito auferantur à Domino, nullam maritus de evictione habet actionem, sive à muliere, aut ejus patre, sive extraneo data sit, *l. 1. C. de jure dot. l. cum post 69.* §. *cùm res, ff. eodem tit.* quia dotis datio donatio quædam est, etsi non simplex, *l. ult. C. de donat. ante nupt.* ex donatione autem regulariter evictio non datur, *l. ad res 62. ff. de ædilit. edict.* Cessat autem hæc doctrina tribus casibus. Primus est, si dos non æstimata priùs promissa sit, ut plerunque accidit, & postea data; quo casu rebus evictis, ex stipulatu, vel certi condictione maritus agere potest, *dicta l. 1. C. de jure dot. l. sed & si 23. de evict. l. mater 34. ff. de jure dot.* quia tradita non videtur dos, quæ evicta est, *l. si patroni 55.* §. *ult ff. ad Trebel. l. ubi eadem 75.* § *ult. ff. de verb. oblig.* Secundus est, si in dotis constitutione ultrò de evictione cautum sit, vel simpliciter, vel stipulatione duplæ, *l. non solum 52. ff. de jure dot. juncta l. 2. C. de donat.* Tertius, si dolo malo res alienæ in dotem dentur; nam his evictis de dolo actio adversus eum, qui dedit, competit, *dicta l. cùm post 69.* §. *cum res, l. Aristo 18.* §. *ult. ff. de donat.* nisi uxor in dote danda dolum commiserit, quo casu actione in factum, detractâ doli mentione, convenitur, *dicta l. 1. C. de jure dot.* ubi Gisanius, & *in d. l. Aristo 8.* Faber *de error. decad. 81.* Cujacius *lib. 4. respons. Papin in d. l. cùm post,* §. *cùm res,* Barbosa *in d. l. æstimatio, num. 51. ff. solut. matrim.* non tamen ullo casu privilegium prælationis, de quo suprà, uxori concessum marito pro dote competit, quia hoc privilegium personæ mulieris cohæret: notarunt Castillo *dicto lib. 3. controv. cap. 4. num. 3.* Balduinus *de pignor. cap. 7.* Molina *de justitia, disput. 423. num. 6.* Novellus *de dote, q. 12. num. 10.*

10. *De tacita Hypotheca,*

Rursus sciendum est, quod privilegium hoc tacitæ hypothecæ nihil interesse, an dos sit profectitia, an adventitia. Est autem dos profectitia, quæ à patre filiæfamilias, vel emancipatæ datur: adventitia verò, quæ à quovis alio præter patrem, veluti muliere, vel extraneo, traditur, & quodammodo extrinsecùs advenit, *l. profectitia,* §. *si pater, ff. de jure dot. l. 4. C. de collat.* Ulpianus *in fragm. tit. 6. de dotibus:* notant Cujacius *tract. 8. ad Africanum, ff. solut. matrim.* Hothomanus *de dotibus cap. 3.* Barbosa *in l. 2.* §. *quod in patris, ff. solut. matrim.* Schiordeg. *ad Fabrum lib. 3 tract. 2. q. 8.* In his ergo casibus tacitam hypothecam habet maritus in bonis ejus, qui dotem promisit, & uxor in bonis mariti, *l. etiam 19. ff. de jure dot.* Etiam hypotheca hæc tacita datur, si pater pro filiofamilias marito dotem acceperit, vel ei tradi jusserit; hypothecaria enim actione conveniri potest, ut *ex l. si cum dotem 22.* §. *transgrediamur, ff. solut. matrim.* Probant Petrus Barbosa *ibi, num. 6. & 28.* Faber *in suo Codice lib. 8. diffinit. 25.* Si verò filio emancipato dotem accipienti consenserit, nec pater, nec

nec ejus bona tacitè obligantur, *l. unica, C. de filiosamil. & quemadmodum*, *lib.* 10. *l. ult.* §. *rescripserunt, ff. ad municip. juncta l. Lucius, ff. de administr. tutor.* Barbosa *in dicto* §. *transgrediamur, num.* 9. nisi eo casu, quo pater pro dote filio data se obligare cogi possit, *l. si filius* 7. *ff. de tutel.* veluti quoties sine patris cautione pro dote filius uxorem idoneam non inveniret, tunc ne matrimonium impediri videatur, *l. capite* 19. aliàs *qui liberos ff. de ritu nupt.* & pater bona obligare cogitur, & filio emancipato dotem accipienti consentire; quo casu tacita hypotheca in ejus bonis inducitur, ut colligitur ex traditis à Barbosa *in dicto* §. *transgrediamur, num.* 31. Campegio *de dote* 3. *p. quæst.* 16. Gutierrez *de juramento*, 1. *p. cap.* 46. Novello *de dote*, 6. *p. privil.* 10. Quare cùm jure Regio post benedictiones nuptiales filius exeat à patris potestate, *ex l.* 47. *Tauri*, quæ est hodie lex 8. *tit.* 10. *lib.* 5. *recopil.* etiamsi filius patre consentiente dotem post nuptias accepetit, cessabit tacita hypotheca in bonis patris, ut docent Molina *de justitia, tract.* 2. *disput.* 438. *num.* 2. Barbosa *ubi supra, num.* 8. Hoc autem privilegium tacitæ hypothecæ adeò comitatur primum, prælationis videlicet, ut quodammodo illi insit, *d. l. assiduis, vers. Adhæc,* §. *fuerat, Instit. de actionibus*, Negusantius *de pignor. memb.* 4. *num.* 29. Unde provenit, ut si extraneus pro muliere dotem dederit, quamvis sibi restitui stipuletur, non tamen habeat in bonis mariti tacitam hypothecam, quia hæc actioni tantùm de dote ex stipulatu à Justiniano inductæ tribuitur, quæ nunquam extraneo competit, *d. l. unic.* §. *accedit*, docent Molina *de justitia, disput.* 438. *num.* 3. Barbosa *in d. l.* 1. 3. *p. num.* 30. *ff. solut. matrim.* Inde etiam infertur, ut si pater pro filia dotem dederit, eamque soluto matrimonio petat per actionem ex stipulatione ficta, quæ patri pro dote profectitia competit, cùm filiæ tribuatur, *l.* 2. §. *quod si in patris, ff. Solut. matrim. d. l. unic.* §. *extraneo, C. de rei uxor.* jus quoque tacitæ hypothecæ simul habebit, sive vivâ, & consentiente filiâ experiatur, sive post mortem filiæ suo nomine, juxta legem *dos a patre* 4. *Cod. soluto matrim. l. jure, ff. de jure dot.* Barbosa *in l. post dotem* 40. *num.* 56. *ff solut. matrim.* Si autem pater dotem petat actione ex stipulatione vera, quia dotem sibi stipulatus est, ut *in l. quoties* 29. *ff. solut. matrim.* tacitam hypothecam non habebit, quia illa stipulatione à jure dumtaxat inductâ datur: notavit Negusantius *ubi proximè, num.* 34. Similiter circa prælationis privilegium ratiocinandum est, nam si pater agat ex persona filiæ, illo utitur; secus verò si jure proprio, Novellus *de dote, p.* 12. *num* 11. Barbosa *in d. l. post dotem, num.* 55. Unde cùm apud nos filius post benedictiones nuptiales sui juris efficiatur, & soluto matrimonio illi tantùm competat de dote actio, ut docent Azevedus *in d. l.* 8. *num.* 29. Barbosa *in dicta l.* 2. §. *quod si in patris, num.* 12. Cevallos *communium q.* 478. *num.* 5. ideò frustra de hypotheca patri competenti, vel non, disseritur, nisi casu quo, quia matrimonium solutum est ante benedictiones nuptiales, dos patri restitui debet. Jus tamen hoc tacitæ hypothecæ mulieri pro dote quæsitum, ad eum, cui dotis actio creditur à muliere, & ad hæredes ejus transit, quasi conjunctum cum actione ex stipulatu, argumento legis unicæ, §. *illo procul, C. de rei uxoriæ, l.* 1. §. *promittitur, ff. de aqua quotid.* non tamen jus prælationis, quia hoc jus uxoris personale est, *authent. ut ex actione dotis, collat.* 7. *novell.* 91. juncta lege *ex pluribus, ff. de administr. tut.* Barbosa *in d. l. post dotem* 40. *num.* 57. *ff. solut. matrim.* Molina *dicta disput.* 438. *num.* 4. nisi filii sint, quibus pro dote matris jus tacitæ hypothecæ, & prælationis contra creditores alios in bonis patris specialiter datum est, *ex d. l. assiduis, vers. Exceptis, l. si quis prioris* 8. §. *ult. C. de secundis nuptiis*, docent Gregorius Lopez *in l.* 33. *titul.* 13. *partit.* 3. Costanus *de dote cap.* 7. *num.* 13. Cujacius *in d. l. unica.* §. *cùm autem, in fine, C. de rei uxoriæ*, Gratianus *tom.* 1. *discept. cap.* 143. *num.* 43. Cancerius 2. *p. variar. cap.* 7. *num.* 92. Acosta *de privil. credit. in reg.* 2. *ampliat.* 6. *num.* 130. quamvis nec filiis, nec hæredibus mulieris privilegium prælationis competere probabiliter contendant Fulgosius *in d. l. assiduis, num.* 8. Faber *lib.* 8. *conject. cap.* 13. Schiffordeg. & Hunnius laudati ab Olea *de cess. jur. tit.* 6. *q.* 2. *num.* 24.

Supereſt, ut de tempore, in quo hæc hypotheca competat, tam marito, quàm uxori, videamus. Et placuit, marito ex tempore matrimonii contracti; mulieri verò ex die matrimonii soluti hypothecam competere, quia hypotheca actioni de dote tribuitur, & veluti accedit: actio autem de dote, nec marito ante nuptias, nec mulieri nisi post nuptias diruptas nascitur, *l. tali* 48. *ff. de jure dot. l. si constante* 24. §. 1. *ff. soluto matrim. juncta l. cùm solvendæ* 4. *ff. de distract. pignor.* unde actio de dote semel nata retrotrahitur in marito ad tempus promissæ dotis, in muliere verò ad tempus contracti matrimonii. Unde consequens est, hypothecam quoque tacitam marito ex die promissæ dotis competisse, mulieri verò ex die matrimonii contracti, *ex l. qui balneum* 9. *l. potior* 11. *ff. qui potiores*, docent Petrus Barbosa *in l.* 1. 3. *p. num.* 23. *ff. soluto matrim.* Gisanius *in d. l. assiduis.* Jure autem nostro Regio verius est, hypothecam tacitam mulieri tribui ex tempore dotis traditæ, ut exprimitur *in l.* 47. *tit.* 11. *partit.* 4. docent Molina *dicta disput.* 438. *num.* 10. Acosta *dicta ampliat.* 6 *num.* 24. Cæterùm si mulier pro dote expressâ hypothecæ conventione sibi caverit, soluto matrimonio ad tempus conventionis retrotrahitur hypotheca; & ideò cæteris creditoribus posteriores hypothecas habentibus, communi jure præferetur: docent Molina *supra, num.* 18. Gratianus 1. *tom. discept. cap.* 53. *num.* 23. quemadmodum in extraneo, qui pro dote, quam promisit, hypothecam accepit, quæ postea alii obligata est, si quæratur, quis potior sit, eleganter responsum est *in l.* 1. *ff. qui potiores*, cui convenit lex 23. *tit.* 15. *partit.* 5. Illustrant Cujacius *lib.* 8. *qq. Papin. in d. l.* 1. Donellus *de pignor. cap.* 12. Paz *in praxi, tom.* 1. *p.* 4. *num.* 5. & 6. Illud notandum est, mulierem quæ pro dote expressam hypothecam accepit, non amittere tacitam, si ei utilis futura sit, argumento legis *Attilicinus, ff. de pactis dotalibus.*

11. *Quo tempore nascatur hac hypotheca.*

His suppositis ratio præsentis decisionis & hujus privilegii tacitæ hypothecæ hucusque illustrati, provenit ex matrimonii favore: & quia interest Reipublicæ, ne uxores maneant indotatæ, *l.* 1. *ff. soluto matrim.* unde cùm olim uxoribus tantum actio personalis concederetur, & frequentes essent actiones hypothecariæ, à quibus facilè præcedebantur uxores, ex regula legis

12. *Traditur ratio decidendi.*

eos, C. qui potiores, secundùm quam actio personalis, quantumcunque privilegiata, à quacunque hypotheca vincitur, & superatur; ideò ne ita facilè mulieres indotatæ manerent, concessa fuit illis tacita hypotheca *in dicta l. assiduis*; quod privilegium sine exemplo non est, nam in aliis quoque juris articulis extra partium conventionem tacita hypotheca inducitur, veluti in administratione rerum pupillarium, cujus nomine bona tutoris, ac curatoris tacito pignoris jure pupillis obligantur, *l. pro officio 20. C. de administr. tut. l. fin. C. de legit. tutel.* docent Faber *in jurisprud. tit. 12. princip. 13. illat. 11.* Escobar *de ratiociniis cap. 39.* in invectis, & illatis ab inquilino in prædium urbanum, quæ pro pensione tacitæ hypothecæ nexui subjiciuntur, *l. item 4. ff. de pactis, l. 4. ff. in quibus causis pignus* Bachovius *de pignor. cap. 11.* item quam habent legatarii in bonis defuncti pro rebus legatis, *l. 1. C. communia de legatis*, cujus meminit Tribonianus *in l. 4. §. 1. ff. de separat.* ut post Cujacium *ibi, lib. 12. respons. Papin.* docet Bachovius *de pignor. cap. 10.* Prædictâ igitur hypothecâ concessâ prospectum est mulieribus, & earum imperitiæ consultum; ideóque deinceps in dotalibus instrumentis conficiendis vix opus est Jurisconsultis, qui apud Romanos dictandis, & conficiendis obligationibus, ac testamentis plerunque adhibebantur, *l. Lucius 88 § Lucius, ff. de legat. 2.* ex Cicerone, & aliis illustrat Cujacius *in l. 1. ff. qui testamenta, & in d. l. unica, §. 1. C. de rei uxor.* Contrahitur itaque hypotheca solâ legis auctoritate; unde si maritus alia bona non habeat præter fideicommisso subjecta, in eis contrahitur tacita hypotheca, *ex l. mulier 22. §. cùm proponeretur, ff. ad Trebel. authent. res quæ, C. communia de legatis*: docent Faber *de errorib. decad. 20. error. 2. & decad. 99. error. 9.* Gratianus *tom. 1. discept. cap. 43. n. 27.* idemque in primogeniis Hispaniæ admittendum in his casibus, quibus vel Regia auctoritate impetratâ, vel ipso jure pro dote obligari possunt: docent Molina *lib. 4. de primog. cap. 6. num 17.* P. Molina *de justitia, disput. 468.* Illud tandem notandum est, posse mulierem renunciare huic tacitæ hypothecæ, ut exprimitur in constitutione Anastasii, quæ extat *in l. jubemus 21. C. ad Vellejanum*: & infertur *ex d. l. unica, §. & cùm lex, C. de rei uxor.* notaruntque Cujacius *lib. 3. observ. cap. 75.* Barbosa *in l. 1. num. 59. & 69. ff. solut. matrim.* An verò hæc tacita hypotheca competat pro dote confessata, aut accepto lata & putativa, latè disputat Acosta *ubi suprà, ampliat. 6.*

13. *Dissolvitur dubitandi ratio,*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt verum sit, fidejussores pro dotium securitate peti non posse, hypotheca tamen constitui valet. Differentiæ ratio provenit ex eo, quia fidejussor personam debitoris respicit, pignus verò rei debitæ locum habet, & fidejussor cum contumelia quadam debitoris exigitur, *l. testamento 17. ff. de testam. tutel.* & præcipuè mariti, cujus potestati mulier se committit: unde fidejussorem pro dote exigendo, ejus personæ diffidere, & alienam fidem præponere, pernicioso exemplo videtur, *l. 2. C. ne fidejuss. dotium, l. hæc lex, C. de pactis convent. cap. per vestras, de donat.* docuit Larreatigui *lib. 8. select. cap. 13.* & latè illustrat Larrea *decis. 7. per totam.* Cessat autem hæc contumeliosæ diffidentiæ ratio in pignore, quod non mariti, sed dotis loco cedit, quo magis in tuto sit. Eleganter Cujacius *tract. 4. ad Africanum, in l. vir uxori 17. ff. ad Vellejanum & ad titulum C. ne fidejussores,* ubi Gifanius, & Pacius. Nec obstat primum augmentum ipsius difficultatis; nam hæc tacita hypotheca non ipsis rebus dotalibus inducta est à Justiniano, sed in bonis mariti. Nec ad rem pertinet, quod scriptum est *in l. in rebus 30. C. de jure dotium*, mulierem dotales res vel vindicare jure dominii, vel per hypothecariam actionem jure pignoris petere posse; quia quamvis perversam Triboniani Jurisprudentiam extare in eo textu contendat Faber *de erroribus decad. 99. errore 1.* verius tamen est, non agi ibidem de tacita hypotheca pro dote, quæ sequenti anno post eam legem editam à Justiniano inducta fuit; sed de expressa quæ solenni conventione plerunque pro dote adhibetur, *l. quod autem 7. §. si uxor. ff de donat. inter. l. 1. ff. qui potiores*, notarunt Gifanius *in d. l. in rebus*, Cujacius *ad titulum C. de jure dot.* Idcircò autem res dotales nexu expressi pignoris mulieri obligari poterant, quia earum dominium tam constante matrimonio, quàm soluto ad maritum pertinebat jure veteri, priùs quàm mulieri traderentur, ut probavi *in cap. cùm contingat, de jurejur.* Cæterùm cùm Justinianus vindicationem rerum dotalium mulieri tanquam earum dominæ soluto matrimonio concederet *in d. l. in rebus 30.* ne dominio dotis dato pignus impediretur, & vendicatio mulieris favore inducta ei actionem hypothecariam adimeret, contra regulam legis *quod favore 6. C. de legibus*, voluit utrumque jus uxori competere; & vindicationem, quasi dominæ rerum dotalium, ex sua constitutione; & hypothecariam, quasi retento jure veteri. Præsensit Cujacius *ubi proximè*, quamvis aliter post Accursium, Bartolum, & Salicetum textum illum accipiat Costanus *de dotibus, cap. 6. num. 14.* Nec obstat ultimum augmentum difficultatis; nam societas illa conjugalis consistit in rebus constante matrimonio acquisitis, *cap. 2. de donat. inter*; non verò in rebus antea quæsitis; unde mulierem extra dotem sibi paraphernalia bona retinere posse notum est, quæ non communicantur marito, & ita societas illa quoad lucra constante matrimonio obvenientia procedit.

CAPUT VI.

Idem *R. de Monte* (a) *Fortino.*

CUm contra nobilem virum G. Deenten, civem (b) Anagninum, super quibusdam possessionibus, quas quondam pater tuus Laudum de Salis pro certa pecuniæ quantitate obligarat, & creditoris hæredes prædicto G. pignorarant, movisses in

nostra

noſtra præſentia quæſtionem, tibi, & ei dil. fil. P. de Saxon. Subd. & Capellanum noſtrum conceſſimus auditorem. Conſtitutus igitur in noſtra præſentia legitimè probaviſti, quod poſſeſſiones ipſæ pignoris titulo fuerunt obligatæ, ac ex earum proventibus tantùm fuerat tunc ab eodem G. & ab aliis, qui eas tenuerant, à tempore, quo fuerant obligatæ, perceptum, quod fructus ſorti poterant adæquari. Nos igitur attendentes quod in talibus perceptio fructuum in ſolutione ſortis accedat, cùm ſecundùm c) canonicas ſanctiones (d) fructus reſtitui, & in ſortem debeant computari, conſiderantes etiam quod poſſeſſiones ipſe jam exteniuaſſent penitus tuum onus, & debitum annullaſſent, de conſilio fratrum noſtrorum ipſas tibi reſtituendas eſſe decernimus, & per Nuntium noſtrum in poſſeſſionem induci fecimus corporalem.

NOTÆ.

(a) *Ortino*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 2. quia enim agebatur in præſenti de contractu uſurario, & per conſequens de crimine uſurarum, Judici Eccleſiaſtico præſentis cauſæ cognitio committitur, ut in ſimili ſpecie notavi *in cap. illa vos, de pignoribus.*

(b) *Anagninum.*] Anagniæ civitas Hirnicorum eſt in Latio, ubi Antonius ſorore Auguſti contemptâ Cleopatram in uxorem accepit: de ea Virgilius *lib.* 7. ait:

Quos dives Anagnia paſcit, &c.

(c) *Canonicas ſanctiones.*] Immò, & juxta legales ſanctiones idem obſervatur, *l.* 1. *& 2. C. de pignorat. action.* unde potiùs dicendum erat, *ſecundùm canonicas & civiles conſtitutiones*, ut *in cap. cùm ſuper* 17. *de re judic.* Sed rectè Innocentius ſignanter dixit, *ſecundùm canonicas ſanctiones*; nam cùm jure civili attento fructus rei pignoratæ non imputentur in ſortem principalem, ſi inter contrahentes id placuerit, ita ut ex natura antichreſis eo caſu creditor fructus rei pignoratæ ſuos faciat, *l.* 1. §. *pacto, ff. de pignor. l. pecunia, l. placuit* 29. *ff. de uſuris*, infrà latiùs dicemus; jure tamen canonico nec ex tacito, nec ex expreſſo contrahentium placito poſſunt fructus juſtè retineri à creditore: ideò Innocentius tantùm expreſſit ſecundùm canonicas ſanctiones fructus in ſortem principalem imputandos eſſe: notavit Arias à Meſa *lib.* 3. *variar. c.* 46. *num.* 15.

(d) *Fructus reſtitui, & in ſortem debeant imputari.*] Hæc verba disjunctivè ſunt accipienda, *ex l. ſæpè* 53. *ff. de verb. ſignif* cùm fructus ſimul reſtitui, & imputari in ſortem nequeant; immò cùm reſtituuntur, non imputantur, nec è converſo. Duplici enim modo poſſunt fructus rei pignoratæ lucro debitoris cedere, vel compenſatione facta cum debito principali, quod contingit quando fructus ſunt ejuſdem ſpeciei, vel jam ſunt conſumpti & æſtimati, quo caſu debitum principale ipſo jure minuitur, & extenuatur, *l.* 1. *C. de diſtract. pignor. l.* 1. *& 2. C. de pignorat. act.* vel reſtitutione eorum illi facta, quod contingit quando fructus ſunt diverſæ ſpeciei, & extant; quo caſu non compenſantur, ſed reſtituuntur: unde dum utrumque caſum comprehendit Innocentius, dixit fructus reſtitui, & imputari; multùm enim intereſt, an fructus extent, vel conſumpti ſint; nam ſi adhuc extant, in dominio debitoris ſunt, *l. qui ſcit, ff. de uſuris*, illique ſoluto debito reſtitui debent cum pignore, tametſi interim ipſi tacitè obligari cenſeantur, *l.* 3. *C. in quibus cauſis pignus. l* 1. *C. de partu pignor.* docent Caniſius *de uſuris, cap.* 5. *num.* 7. Baptiſta Coſta *de ratione ratæ quæſt.* 142. *num.* 16. Eſcobar *de ratiociniis, cap.* 17. *num.* 15. atque ita fructus conſumpti extenuant ſortem, qui deductis ſumptibus in eorum collectione factis debent æſtimari juxta tempus, in quo conſumuntur, ut probat Leothardus *de uſuris quæſt.* 11 *num.* 40. Hæc tamen procedunt in fructibus, quæ non ſunt ejuſdem ſpeciei ac debitum principale, veluti ſi pecunia credita eſt, & creditor ex agro frumentum, vel ex prato fœnum percepit; tunc enim refert, an hujuſmodi fructus extent, vel ſint conſumpti: ſed ſi ejuſmodi generis ſint, & qualitatis cum ſorte principali, veluti ſi creditor eſt pecuniæ, & ex domo, vel navi, vel jumentis pignori acceptis, penſiones in pecunia percipit, quæ loco fructuum cedunt, *l.* 36. *ff. de uſuris*, tunc non obligantur pignori, nec inſpicitur, an conſumpti ſint, ſed ſtatim cedunt in ſolutionem debiti, & ipſo jure minuunt ſortem, ut docent Donellus *in l.* 2. *C. de pignorat.* Leothardus *dicta q.* 11. *in fine*; nec eo caſu tacitum pignus datur, quia in ea re, quæ ex juris diſpoſitione compenſari poteſt, pignus tacitè non contrahitur, *l. ſi convenerit* 18. *ff. de pignor. action.* nec contrarium probant textus *in l.* 3. *C. in quibus cauſis pignus, l.* 7. *ff. eodem*; nam illi accipiendi ſunt de fructibus, qui ſunt alterius generis, nec cum ſorte debita functionem recipiunt.

COMMENTARIUM.

EX præſenti textu ſequens communiter deducitur aſſertio: *Fructus ex re pignorata percepti imputantur in ſortem debiti principalis.* Probant eam textus *in cap. illo vos* 4 *cap.* 6. *hoc titulo, cap.* 1. *cap.* 2. *cap. conqueſtus, de uſuris, cap.* 6. *& 7. eodem tit. in* 1. *collect. cap. ad noſtram*, 7. *cap. ex litteris* 32. *de jurejur. l.* 1. *& 2. C. de pignor. action. l.* 2. *C. de pactis pignor. l. ſi dominum, C. de pignor. l.* 2. *tit.* 13. *partit.* 6. Illuſtrant ultra congeſtos in præſenti à Barboſa, Balboa *in dicto cap. ad noſtram*, Petrus Gregorius *lib* 3. *partit. tit. de uſuris, cap.* 4. *& in tract. de uſuris lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 1. Cujacius *hic*, & *in dicta l.* 1 *C. de pignor. & in l.* 17. *C. de uſuris*, & *lib.* 11. *obſerv. cap.* 31. Leothardus *de uſuris quæſt.* 11. *cum ſequent.* Noguerol *allegat.* 10. *num.* 167. Caſtillo *lib.* 3. *controv. cap.* 23. Arias à Meſa *lib.* 3. *variar. cap.* 46. Didacus Perez *in l.* 2. *tit.* 2. *lib* 8. *ordin.* Bronchorſt. *centur.* 2. *aſſert.* 71. Diana *p.* 11. *tract.* 7. *reſol.* 26. D. Joannes de Larrea *alleg.* 41. Merlinus *lib.* 5. *de pignor. tit.* 14. Hothomanus *lib.* 1. *obſerv. cap.* 4. *& de fœnore cap.* 4. Gibalinus *de uſuris lib.* 3. *cap.* 7. *artic.* 13. Æneas Robertus *lib.* 2. *rerum judic. cap.* 8. Balduinus *de pignor.* 4. *Concluſio traditur & probatur.*

cap. 16 Faber *de erroribus decad. 9. errore* 1. *&* 9. Salmasius *de modo usurarum, cap.* 14. Binsfeldius *in cap.* 1. *de usuris*, Leo Pinel. *in cap. significante, hoc tit.* Gaito *de credito cap.* 2. *ex num.* 1637. Marinis *lib.* 2. *resol cap.* 172. Tapia *caten. mor. lib* 5. *cap.* 17. *art* 10. D. Josephus de Retes *de donat. cap.* 3. *num.* 18.

5. *Impugnatur tradita assertio.*

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Pactum antichresis, per quod creditor percipit fructus hypothecæ in compensationem usurarum, inutile non esse ait Papinianus *in l.* 1. §. *pacto, ff. de pignor.* & expressiùs Marcianus *in l. si is qui* 11. §. 1. *ff. eodem*, & *in l. si pecuniam* 33. *ff. de pignor. action.* & supponitur *in l. legata* 9. §. *final. ff. de suppellect. legat.* Quorum prudentum responsa sequuti sunt Imperatores Alexander *in l. si ea pactione* 1. & Philippus *in l. si ea* 17. *C. de usuris.* Justinianus tamen noluit cum rusticis, & colonis hujusmodi antichresin celebrari, ut probant latè leges, & differentias hujus contractus exponentes Faber *de error. decad.* 9 *errore* 1. Balduinus *de pignor. cap.* 1. *num.* 16 Salmasius *de modo usurarum cap.* 14. Rodriguez *lib.* 3. *de annuis reddit. q.* 4. *num.* 52. Leothardus *de usuris dicta quæst.* 10. 11. *&* 12. Bachovius *de pignor lib.* 1. *cap.* 14. Vinius *lib.* 2. *sel. ct cap.* 7. Hunnius *ad Treutl disput. de pignor, disput.* 17. Masius *singul. opin. lib.* 4. *cap.* 1. *cum sequent.* Ergo non rectè in præsenti docetur, fructus rei pignoratæ in sortem principalem imputari debere. Augetur primò hæc difficultas ex eo, nam creditor pignus sibi traditum possidet, *l. cum & sortis* 35. §. *pignus, l. si pignus* 37. *ff. de pignorat. action l. per servum* 37 *ff. de acquir. domin l. pignori* 13. *ff. de usucap.* sed fructus sequuntur possessorem, *l. bonæ fidei* 48. *ff. de acquir. domin.* Igitur fructus rei pignoratæ ratione possessionis ad creditorem spectant. Augetur secundò hæc difficultas ex eo, quia fructus rei pignoratæ non percipiuntur ut usuræ, sed in compensationem usurarum, cùm debitor utatur, fruaturque commodis pecuniæ, & creditor in compensationem utatur, fruaturque re pignorata: igitur ex hac causa mutuæ compensationis justè retinet creditor fructus rei pignoratæ. Augetur tandem hæc difficultas *ex cap.* 1 *cap. salubriter, de usuris*, ubi in eadem specie docetur, fructus rei pignoratæ lucro creditoris cedere.

6. *Pignus quid?*

Quâ difficultate ita fulcitâ non obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, variis pignoris acceptionibus omissis, quas post Mudeum, Negusantium, Donellum, Baldum, Bachovium, & alios de pignoribus scribentes exponit Gibalinus *lib.* 3. *de usuris, cap.* 7. *artic.* 1. Ulpianum *in l. plebs* 238. §. *pignus, ff. de verb. sign.* pignus appellatum dicere à pugno, quia res quæ pignori datur, manu traditur? quod & docuerunt Connanus *lib.* 4. *comment. cap.* 14. Corrasius *in l.* 1. *ff de acquir. posses. num.* 3. *& in l. ei qui, num.* 12. *de servitut.* Vallà *de rebus dubiis, tract.* 11. Verumtamen hanc vocem potiùs allusionem quandam, quàm veram etymologiam continere rectè animadvertunt Negusantius *de pignor. part.* 1. *num* 1. Gaitus *de credito cap.* 4. *q.* 1. Merlinus *de pignor. tit.* 1. *cap.* 1. Bachovius *eodem tract. lib.* 1. *cap.* 1 siquidem allusione hac non impediente, pignora etiam vocantur, quæ manu non traduntur; & ita non solùm rei mobilis pignus contrahi potest, verùm etiam rei immobilis, veluti fundi, aut ædium, *l.* 8. §. *si anni* 5. *ff. de transact. l.* 2. §. *finali, ff. de relig. & sumptibus, l. Gajus* 39. *ff. de pignorat. l. sciendum* 15 §. 1. *ff. qui satisdare, l.* 1. §. *cùm prædium* 2. *l* 11. §. 1. *l. creditor* 23 *ff. de pignor. l.* 6. *C. de pignoratitia, l. cùm notissimi*, §. *sed cùm illud, C. de præscript. triginta, l. si dominium* 9. *C. hoc tit.* Plautus *in Phormione.*

Ager oppositus est pignori.

Martialis *lib.* 12. *epigr.* 25.

Cùm rogo te nummos sub pignore, non habeo inquis:
Idem si pro me spondet agellus, habes.

Tacitus *lib.* 19. *hist.* Credebatur affectam ejus fidem præbuisse, domo, agrisque pignori acceptis. Non quia manu immobilia tradantur, & accipiantur, dum de illorum terra, vel substantia pugno aliquid accipitur, & traditur, ut voluit Salicetus *in l. si rem*, §. *proprie, ff. de pignorat.* sed quia usu hominum exigente eò tandem perventum est, ut rerum quocunque modo nexarum, creditori tamen suppositarum, licèt non traderentur, pignus esset, ut nominum, cautionum, servitutum, & ususfructus, *l.* 2. *&* 4. *C. quæ res pignori, l.* 11. §. *ususfructus, cum sequen. ff. hoc tit. l. si convenerit* 18. *ff. de pignorat. l post quam* 7. *ff. de hæredit. vendita:* in quibus juribus docet id Cujacius *lib.* 70. *qq. Papin. in l.* 64. *ff. de rei vind. in l.* 3. §. *ult. ff de usur.* Faber *lib.* 8. *conject. cap.* 17. *& lib* 19. *cap.* 6. *&* 7. Hunnius *ad Treut. volum.* 2. *disput* 1. *thesi* 1. *q.* 13. Olea *de cess. jur tit.* 4. *q.* 2. Bachovius *lib.* 2. *de pignor. cap.* 6. 7. *&* 8. Meril. *lib.* 1. *observ. cap.* 36. Galbanus *de usufruct. cap.* 39. Hoc modo accipiendus est Marcianus *in l.* 5. §. 1. *ff. de pignor.* (ne cum insulsissimo Grammatico Valla *lib.* 6. *elegant. cap.* 57. pugnare cum Ulpiano dicamur, ob quod ridiculus vocatur à Connano *lib.* 4. *comment. cap.* 14. *num.* 2. Mendoza *de pactis, cap.* 12. *num.* 14 & reprehenditur à Sichardo *in hac rubrica Codicis, num.* 10.) dum asserit inter pignus & hypothecam tantùm nominis sonum differre, non ob id solùm, quòd hypotheca Græcum nomen sit, pignus autem Latinum; nam ex acceptione Jurisconsultorum pignus de rebus mobilibus, hypotheca de rebus immobilibus usurpabatur, *d l. pleos, § pignus, Instit. de actionib.* sed quia postea Jureconsulti neglectâ proprietate promiscuè illis vocibus usi sunt, ut *in l.* 5. *ff. hoc tit. l.* 9. §. *pro prio, l. cùm & sortis* 35. *ff. de pignorat. l.* 88. *ff. de acquir hæredit.* tradunt Theophilus *in* §. *item Serviana, Instit. de actionib.* Fornerius *in dicta l.* 238. §. *pignus.* nulla differentia inter pignus & hypothecam agnoscebatur.

7. *De pignore & hypotheca.*

Sunt tamen qui adhuc putant, illam inter utramque vocem remansisse differentiam, quod in pignore possessio transferatur in creditorem; secus autem in hypotheca, in qua penes debitorem manet, *dicta l.* 9. *dicta l. cùm & sortis*, §. *final.* illud ferè in mobilibus; hoc in immobilibus accidere: sed tamen hoc perpetuum non est; nam etiam rei mobilis possessio potest relinqui debitori, *l. si is qui rem* 66. *ff. de furtis*; vel non transferri in creditorem, *l.* 10. *ff. hoc tit.* & rei immobilis obligatæ transferri in creditorem, *l. quid de creditore* 11. *ff. de damno infecto, l.* 9. *de operis novi nunc. l. ei qui* 16. *de servitut. l. Gajus Sejus, de pignorat. dicto* §. *item Serviana*; maximè si mobilis sit, *l.* 9. §. 1. *l. final. ff. quibus modis*

modis pignus. Hoc autem certum est provenire ex hac promiscua vocum acceptione, ut comprehendatur sub pignoratitia actione actio etiam hypothecaria. Sunt textus diserti *in l. rem* 41. *ff. de pignorat. l.* 3. §. 3. *ff. ad exhib, l. duobus* 9. *l. penult.* §. 1. *ff. de except rei judic. l. Titius* 9. *ff. quibus modis pignus, l. Mævio* 66. §. *fundo, ff. de legat.* 2. *l.* 5. *C. si aliena res pignori.* Vera tamen, & perpetua differentia inter pignus, & hypothecam in modo constituendi nexum consistit, quippe pignus re constituitur, & traditione; hypotheca autem pacto, *l.* 1. *& 4. ff. de pignor. l.* 17. §. *de pignore, ff. de pactis, l. qui balneum* 9. *ff. qui potiores, l. solutam* 49. *ff. de solut. l. non solum* 33. §. *qui pignori, ff. de usucap. l.* 4. *de fide instrum. l.* 1. *tit.* 13. *p.* 5. Pignus quod re constituitur, depositum pignus vocatur à Paulo *in l. servus* 56 *ff. de condict. indeb. & lib.* 2. *sentent. tit* 5. & *lib.* 5. *tit.* 26 §. *final.* & in legibus Wisigoth. 2 & 3. *tit.* 6. *lib.* 5. Poni etiam hac ratione dicitur pignus *in l. petenti* 27. *ff. de pignorat.* supponi pignus, *in l. creditor* 7. *C. eod.* ac denique apponi, pro re constituti, dicit Seneca *lib* 7. *de benef cap.* 14. ibi: *Rebus meis dixit in securitatem appositis.* Plautus *in Pseud. act.* 1. *scena* 1.

Vix hercle opinor, si me opponam pignori.

Ex cujus verbi ambigui significatione intelligitur Catullus ad Furium in illis versibus:

Furi, villula nostra non ad Austri
Flatus opposita est, nec ad Favoni,
Nec sævi Boreæ, aut Appeliotæ,
Verùm ad millia quindecim & ducentos.
O ventum horribilem, atque pestilentem!

Hypotheca autem cùm non deponatur, aut supponatur; pacto etiam constitui potest; nec inconveniens est quod ex pacto nascatur actio, cùm pactum sit jure honorario confirmatum, *l.* 6. *l.* 17. §. 2. *de pactis*, ut latiùs docent Gujacius *ad titul. C. de pignorat.* Hothomanus *lib.* 6. *observ. cap.* 13. Mendoza *de pactis lib.* 1. *cap.* 17.

8. Pignus dividitur. Deinde sciendum est, pignus, & hypothecam sumi aliquando pro ipsa re, quæ in pignus & hypothecam datur; nonnunquam pro ipso pignorationis contractu, tandemque pro obligatione ex ipso contractu proveniente; ut docuerunt Donellus *de pignor. cap.* 2. Merlinus *lib.* 1. *tit.* 1. *q.* 1. res enim ipsa nexa pignus appellatur. Unde dicimus pignus idoneum esse, venditum, distractum, seu traditum creditori esse. Ut contractus autem ita definitur: *Pignus est contractus, quo res aliqua obligatur creditori in securitatem debiti.* Dicitur contractus; & est quidem nominatus, *l.* 25 *ff. de pignor. l. Juris* 7. *ff. de pactis*, §. *item Serviana*, ubi plures Pichardus, *Instit. de action.* Mendoza *lib.* 2. *de pactis, cap.* 12 *à num.* 3. estque bonæ fidei, & juris gentium, atque aliquando tum re, tum solo consensu perficitur. Re quidem quando pignus possidendum traditur creditori, ut contingit plerunque: solo vero consensu, quando non traditur res creditori, sed illi tantùm obligatur, ut in hypotheca sæpius contingit. Nec scripturam, nec certa verba requirit necessariò, & essentialiter, *l.* 1. *ff. de pignoratitia actione. authent. si quis, C. quæ res pignori:* plura tradunt Negusantius 3. *p. de pignor. membro* 1. *à num.* 3. Merlinus *lib.* 1 *tit.* 1. *cap.* 9. & 14. ex quo contractu res ipsæ, non personæ obligantur, ideóque dicuntur res nexæ, *l.* 1. §. *si quis ideo, ff. ne vis fiat, l.* 1. *& 7. C. de distract. pign. l. res quæ* 22. §. 1. *ff. de jure fisci. l. petenti* 27. *ff. de pignorat. action.* indeque nexus pignoris dicitur *in l. epistola* 52. §. *pactum. ff. de pactis, l. si pater* 33. *ff. famil. erciscund.* & nexus fieri prædiorum *in l penult. C. si aliena res* non tamen principalis est ista obligatio, sed accessoria, & subsidiaria, ut fusè docent Donellus *de pignor. cap.* 1. Balduinus *eodem tract. cap* 2. Pignus enim tantùm datur ad cautionem, & magnam; nam regula juris est, plus cautionis esse in re quàm in persona, *l. plus* 25. *ff. de reg. jur.* ubi cautio in personam accipitur pro fidejussione, ut ajunt Ulpianus *in l.* 1. *ff. de fidejuss.* Cajus *in l.* 1. §. 2. *ff. de oblig. & act.* & Paulus dixit de pignore *in l. legata*, §. *ult. ff. de supellect. legat* pignus deponi apud creditorem propter contractus fidem, & rei debitæ vinculum: & Martialis agrum oppignoratum sponsionem nominat ibi:

Cùm rogo te nummos sub pignore, non habeo inquis:
Idem si pro me spondet agellus, habes.
Quod mihi non credis veteri Telesinæ sodali,
Credis colliculis, arboribusque meis.

Et apud Athenienses ad majorem securitatem in prædiis oppignoratis columnæ, seu sepes lapidei erigebantur, cum inscriptione, quâ cavebatur, prædia illa esse oppignorata, ut ex Julio Polluce, & Theophrasto probant Gibalinus *dicto lib.* 3. *cap.* 7. *artic.* 1. Salmutius *de modo usurarum cap.* 15.

Tertiò sciendum est, pignus communiter dividi in prætorium, judiciale, & conventionale, *l. final. de prætor. pign. l.* 1. *de pign. act. l. contrahitur ff hoc tit.* Prætorium dicitur, quod à Prætore, seu alio magistratu constituitur ante latam sententiam, mittendo actorem in possessionem bonorum, quatenus ipsi cautum sit: de quo in titulis Codicis *de prætorio, de damno infecto, ut in possess. legat.* Donellus *lib.* 15. *comment. cap.* 46. Duarenus *ad titulum de damno infecto* Connanus *lib.* 4. *comment. cap.* 16. Balduinus *cap.* 8. *de pignor.* Merlin. *lib.* 1. *tit.* 3. *q.* 17. & latè egi *in cap. quoniam, ut lite non contest.* Judiciale verò est, quod ex causa judicati capi solet, de quo *in l. a D. Pio*, §. *in venditione, ff. de re judic. titulis C. si in causam judicati*, & *de excusatione rei judic. l. sed & jure* 10. *C. qui potiores, l. si plus* 74. §. 1. *ff. de evict. l.* 3. § 1. *de rebus eorum, l.* 9. *de minoribus, l.* 15. §. 2. *l.* 40. *de re judic. l.* 2. *C. qui potiores, l. penult. C. de pign. act. l.* 13. *C. de evict.* & aliis congestis à Bachovio *de pign. cap.* 3. A. Guibert. *lib.* 1. *qq. juris, cap.* 19. Cujacio *in l. penult. ff. pro emptore*, & *lib.* 1. *qq. Papin. in l.* 5. *de offic. Proconsul.* Gothofredus *in praxi juris civil. lib.* 2. *tit.* 8. Tandem conventionale est cùm inter partes convenit, ut certæ res propter aliquod debitum sint pignori obligatæ, *l.* 4. *ff. de pignor. l. si tibi* §. *de pignore. ff. de pactis*, de quo agitur in præsenti titulo. Ex hoc contractu pignoratitio mutuæ nascuntur obligationes inter contrahentes. Primò debitor tenetur tradere creditori pignus illud, quod promisit loco, & tempore statutis, *l.* 13. § *etiam, l. pignoris* 17. *ff. de pignor.* nec poterit illud repetere, nisi debitum solverit, aut alio modo satisfecerit creditori. Deinde tenetur debitor ad omnes expensas, quas creditor in conservando pignore fecit, *l. si necessarias* 8. *l. si servos* 25. *ff. de pignorat. act. l. creditor* 7. *C. eodem tit.* Sapienter verò monet Ulpianus *in d. l. si ser-*

9. Pignus quotuplex?

vos 25. ita moderatum esse debere creditorem in istis expensis, quamvis utilibus faciendis, ut non cogat creditorem, qui eas omnes solvere nequit, aut pignus dimittere creditori, aut alii vendere; è contra verò creditor obligatur, primò ad fidelem pignoris custodiam, teneturque de dolo, ac lata, & levi culpa, ita ut servet rem illæsam, in eamque sumptus necessarios faciat, *d. l. si servos, l. domo, ff de pignorat. l. quæ fortuitis 6. C. eodem tit. l. 19. C. de pignor.* Deinde tenetur creditor rem ita servare, ut ea non utatur, aliàs furtum committit, *l. si pignore, ff. de furtis, 6. placuit, Instit. de obligat. quæ ex delicto:* & similiter resarcire cogitur damna pignoris, quo usus est, *l. creditor, C. de pignorat. l. eleganter, §. in pignoratitia, ff. eodem tit.* nisi talis usus cedat in commodum debitoris, ne videlicet pignus deterius fiat, *l creditor, ff. de pignor.* ubi permittitur creditori prædia sibi oppignorata locare, quia culturâ meliora redduntur. Idemque dicendum est, quando usus nullum incommodum affert creditori, deinde obligatur creditor solutionem quandocunque sibi oblatam recipere, & pignus illicò reddere, *l. 9. cum sequent. C. de pignorat. act.* quia sublatâ principali obligatione, & accessoria deesse debet: & ita tenetur rem reddere cum suis fructibus, meliorationibus, & accessionibus: tum quia illæ accessiones nunquam fuerunt creditoris, sed debitoris, *l. si fundus 16. ff. de pign.* ibi: *Si fundus hypothecæ datus sit, deinde alluvione major factus est, totus obligatur* Igitur & totus restituendus est, quia integrum pignus, quod obligatur, reddendum est; unde apertè dicit Ulpianus *in l. si inter 21. §. 2 ff. eodem*, quicquid pignori commodi, sive incommodi fortuitò accessit, id ad debitorem pertinet. Eodem etiam spectat lex *si convenerit 18. §. si nuda, ff. de pignorat. act.* Harum præstationum, & aliarum causâ datur actio pignoratitia, quæ duplex est; directa, & contraria. Directa est civilis, personalis, bonæ fidei, quâ debitori, aut ei, qui rem suam oppignoravit, ubi soluta pecunia est, aut alio modo satisfactum creditori est, res restituuntur. Contraria verò datur creditori adversus debitorem, quæ ex omni justa causa competit contra debitorem, ut quantùm illum dare facere æquum videbitur, tanti condemnetur: nempe ad rem ipsam, si fortè ipsius possessionem adeptus sit post contractum pignus ex precario, vel ex conducto, *l. 3. l, si pignore 22. § si post distractum, ff. de pignorat. l. si in pignore 54. ff. de fidejuss.* item si rem alienam, aut alteri obligatam, aut donatam oppignoraverit, *l. si rem 9. l. tutor 16. §. 1 l. siquis in pignore 36. §. 1. ff. de pignor. act.* si quos sumptus creditor in res pignoratitias fecerit, *l. 6. C. eodem tit* si servos artificiis imbutos reddiderit instructiores, *dicta l. si servos*; si eos ægrotos curavit, si domum ruinosam refecit, *l. si necessarias 8. ff. de pignorat.* si servus oppignoratus, quem debitor furem sciebat, creditori furtum fecerit, *l. si servus 31. ff. de pignorat. action. l. si servus 61. §. 1. ff. de furtis.* Denique si pignus à creditore venditum emptori evictum sit, *l. in creditore 38. ff. de evict.*

10. *Traditur ratio decidendi.*

Quibus ita animadversis apparet præsentis decisionis vera ratio; nam cùm dominium rei pignoratæ penes debitorem sit, *l. pignus 9. C. de pignorat. act. l. cùm & sortis 35. § pignus, ff. eodem*, etsi creditor jus reale in ipso habeat, *l. pignoris 17. ff. de pignor.* junctis traditis à Fabro *lib 7. conject cap. 18.* & *de error. decad. 18 errore 3.* Donellò *lib. 17. comment. cap. ult.* ubi exponunt textum *in l si pignore 22 ff. de pignorat.* inde necessariò provenit, ut fructus ipsius rei ad debitorem spectent, quia sequuntur dominum utpote pars rei, *l fructus, ff. de re vind. l. in Falcidia, ff. ad legem Falcidiam*; pignus enim non traditur creditori ut lucrum ex eo faciat, sed ut in tuto creditum habeat, *l. si pignore 54. §. 1. ff de furtis*: quare pignus non numeratur in bonis creditoris, *l. itaque 12 ff. de furtis, l. Statuliber 38. ff. ad legem Falcidiam*; qua etiam de causa servus pignori datus generaliter manumitti poterit à debitore, dum tamen in fraudem creditorum non manumittatur, *l. generaliter, C. de servo pignori dato* & debitor creditori pignus vendere potest, *l restipulum 12. ff. de distract. pignor. l. si pignus 27. ff. de pignorat action.* per constitutionem enim pignoris etiam secuta traditione, tantùm possessio naturalis transfertur, *dicta l. cum & sortis 35. §. ult.* probavi latè *in cap. quoniam, ut lite non contest.* idcircò quodcunque fortuitum commodum, vel incommodum ad debitorem pertinet, *l. pignus 9. C. de pignorat. l. si inter 12. ff. de pignor. l sicut vim 19 C. eodem. §. ult.* unde si creditor retineat fructus perceptos ex re pignorata, retinet aliquid ultra sortem, quam mutuò dedit, & per consequens usuram committit: quare rectè Innocentius in præsenti decrevit, creditorem teneri imputare in sortem principalem fructus ex re pignorata perceptos; quod procedit sive fructus extent, sive consumpti sint, imò & si percepti non sint, dummodo percipi potuerint propter culpam latam, vel levem creditoris. Harmenopulus *lib. 3. tit. 8.* ibi: *Fructus ex prædio pignori nexo percepti in exonerandi debiti rationem computantur, non solum quos creditor percepit, verùm & quos percipere potuit.* Latiùs prosequuntur ex hac doctrina varios casus resolventes Petrus Gregorius *lib. 2 de usuris, cap. 9. num. 6.* Canisius *eodem tractatu, cap. 5. num. 6.* Gibalinus *de usuris, lib. 3. cap 7. artic. 7.* Leothardus *de usuris q. 11. num. 33.* Nec audiendi sunt Bartolus & Baldus *in l. legata 9. ff. de supellect. legat.* & alii congesti à Tiraquello *de retract. in præf. num. 36.* dum docent creditorem non teneri fructus imputare, quoties pignus datum est pro ea quantitate, quæ æquat, vel excedit valorem rei. Nam contrarium rectiùs docuerunt Gaitus *de credito cap. 4. numero 1097.* Gratianus *disceptat. cap. 422. num 14.* Leothardus *de usuris q. 12. per totam*, ubi exponit texrus *in l. legata 9. ff. de supellect. legat. l. qui habebat 101. ff. de legat. 3.*

11. *De Antichresi.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, pro cujus solutione sciendum est, inter alias conventiones à jure receptas, & approbatas circa contractum pignoratitium, eam referri, juxta quam creditor ad compensandum usum pecuniæ mutuò datæ pignus certo tempore possidet, & fructus illius lucratur, ita ut detur mutuus quidam usus, cùm debitor utatur fruatur pecuniâ mutuò acceptâ, & creditor fruatur pignore sibi dato; quam conventionem antichresin Græci dixerunt, *l. 33. de pignor. action.* ubi malè olim legebatur, *ad recuperandam antiphonam*; quæ corrupta littera antiquos Interpretes in nugas, & meræ somnia induxit, ut observat Alciatus *lib. 2. disput. cap. 3.* cui voci *antichresis*,

antichresis, latinè respondet *promutuum*, licèt in jure aliquando promutuum accipiatur pro præmutuo, id est illo, quod datur in antecessum, *l. ex conducto* 15 *ff. locati*, *l. nomen* 34. *ff. de legat.* 2. *l. Stacho* 40. *ff. de statulib.* apud Cæsarem *lib.* 3. *de bello civili*, ibi: *Publicani uti in Syria fuerant insequentis anni vectigal promutuum imperatum*. &c. notarunt Salmasius *de modo usur. cap.* 14. Gibalinus *lib.* 3. *cap* 7. *artic.* 13. non autem est antichresis contrarium mutuum, quia mutuum nisi in rebus fungibilibus non consistit, *l.* 2. §. *mutui dati*, *ff. de rebus creditis*. Hanc antichresin duplicem faciunt, expressam videlicet, & tacitam, Cujacius *lib.* 8 *observat. cap.* 17. & *lib.* 30. *cap.* 35. & *in l. Gajus. ff de pignor.* Faber *decad.* 9. *error.* 5 Bronchorst. *Enantioph. cent.* 2. *assert* 71. Merillus *lib.* 2. *observ. cap.* 23. Arias de Mesa *lib.* 3. *variar. cap.* 46. *num.* 8. Patius *centur.* 9. *q.* 55. Balduinus *de pignor cap.* 16. Hothomanus *lib.* 1 *observ. cap...* & *lib.* 1. *feudor. tit.* 27. Hunnius *volum.* 2. *disput.* 1. *q.* 37. Schisfordeg. *ad Fabrum tract.* 27 *q.* 3. Antichresin expressam appellant, cùm inter contrahentes placuit, ut debitor mutuâ pecunia uteretur, creditor verò pignore ipso frueretur; quo casu adeo jure civili creditor fructus lucratur pignoris, ut quamvis eo anno fructus excedant fines legitimæ usuræ, eos omnes lucretur, propter incertum fructuum proventum: ad quam speciem referunt textus *in l. si ea lege* 17. *l. oleo* 23. *C. de usuris*, *l.* 2. *C. Theodos. de prædiis & mancipiis*, *l.* 27. *l.* 40 §. *prædia*, *ff. de minorib. l.* 65. *ff de rei vind. l. ult. ff. de peric. & com. l.* 12. *ff. de actionibus empti*, *l.* 5. *C. eodem tit. l.* 2. *C. de usuris*, *l.* 1. *ff. de pign. l. antepenult. ff quibus ex causis pign. tacite*. Tacitam verò dari ajunt cùm pignus indistinctè traditur, & nihil dicitur de fructibus; quo casu docent tacitè videri antichresin contractam, atque ita fructus usurarum vice creditorem retenturum, non tamen supra legitimum modum; de qua tacita antichresi accipit Cujacius textum *in l. cùm debitor* 8. *ff in quibus causis*: sed hanc tacitam antichresin dari rectiùs negarunt Salmasius *de modo usurar. cap.* 14. Vinius *lib.* 2. *select. cap.* 7. *per totum*. Masius *lib.* 4. *singul. opin. cap.* 1. Bachovius *ad Treutl. disput.* 1. *volum.* 2. *thesi* 6. & *de pignor. lib.* 1. *cap.* 14. nam si hæc antichresis tacita daretur, quonam casu procederet illud quod tot juris locis simpliciter traditur, creditorem fructus ex re sibi pignorata perceptos in sortem principalem imputare debere, *l.* 1. 2. 3 *& ultim. C. de pignor. act. l* 1. *C. de distract. pignor.* Nec ex pignoris datione seu constitutione conventio tacita super usuris facta intelligi potest, quoniam pignoris finis est, ut creditori cautum sit de sorte, ne moretur in damno. Nec rationi convenit ut ad alium finem pignoris dationem torqueamus, ut creditor videlicet lucretur fructus pro usuris, & ita circumveniatur miser debitor, & dum se gratuitam pecuniam putat accipere, gravissimis usuris subjiciatur. Accedit nam si pignoris traditio pro mutua pecunia gratis accepta eum effectum habeat, ut usus ejus, & facultas percipiendi fructus translata censeatur, quomodo generaliter scripsit Gajus *in l. si pignori* 54. *ff. de furtis*, creditorem pignore utentem furtum committere? quo modo ejus sententiam amplectendo Justinianus *in princip. Instit. de obligat. quæ ex delicto*, hujus furti causam disertis verbis eam allegat, quòd creditor invito domino pignus contrectet. Et si hæc Justiniani ratio vera est, quâ fronte asserere possumus, tacito simpliciter pignore creditorem eo uti posse, ut latiùs prosequitur Mazius *dicto cap.* 1. *per totum*.

Nec auctoribus contrariæ sententiæ favet textus *in l. cum debitor* 8. *ff. quibus modis pignus*, ubi ait Consultus, quod cùm debitor gratuitâ pecuniâ utatur, potest creditor de fructibus rei sibi pignoratæ ad modum legitimum usuras retinere: quæ difficilia verba variè acceperunt Interpretes. Cujacius *lib.* 8. *observ. cap.* 17. quem sequitur Vitalis *lib.* 2. *variar cap.* 15. Idem Cujacius *in l.* 1. *C. de pignor.* existimat textum illum esse accipiendum juxta sententiam tituli, sub quo jacet, juxta textum *in l. Imperator*, *ff. de in diem addict.* atque ita cùm reperiatur sub titulo, *Quibus in causis pignus*, *vel hypotheca tacite contrahatur*, verisimile est, etsi nihil super usuris conventum sit, tamen ex vi, & natura contractus usque ad legitimum modum creditori licere uti retentione fructuum ex tacita conventione, secundum sententiam ejusdem tituli, in quo de tacitis conventionibus pignorum agitur: atque ita contendit Cujacius, ex tacita antichresi fructus in ea specie retineri. Sed hæc solutio convincitur ex proximè traditis. Accursius ex sententia Irnerii, quem sequitur Mudeus *de pignor. cap. de pactis pignorum num.* 58. existimat in ea specie usuras saltem pacto, & per consequens naturaliter fuisse debitas, ideoque per detentionem pignoris detineri potuisse, *ex l. per retentionem, C. de usuris*. Sed hæc solutio convincitur ex illis verbis: *Gratuita pecunia*; quia licèt in pactum deductas usuras simpliciter indebitas dixerint juris auctores, propterea quod non debeant exactionem; naturaliter tamen debitas esse notum est, ut docet Ulpianus *in l. in his* 5. §. 2. *ff. de solut.* quâ ratione fit, ut minùs rectè dicatur gratuita pecunia uti debitorem, qui super usuris pactum fecit. Adhuc tamen Bachovius *de pignor. lib.* 1. *cap.* 16. amplectitur Accursii sententiam, & gratuitam in eo textu dici posse pecuniam ea ratione arbitratur, quòd usuræ etiam pacto promissæ indebitæ dicantur, *d. l. in his* 5. §. 2. *l. si non sortem* 26. *in principio*, *ff. de condict. indeb.* Verùm tunc dicuntur indebitæ jure civili, non naturali, *d. l. si non sortem*; docet Masius *d. lib.* 4. *observ. cap.* 3. Oppressus difficultate Hothomanus *lib.* 1. *observ. cap.* 4. non erubuit textum emendare, & addita negatione ita legere, *cùm debitor non gratuita pecunia*. &c. Sed illum meritò reprehendunt Masius *lib.* 4. *singul. cap.* 2. Robertus *lib.* 1. *recept. cap.* 14. Quare rejectis his interpretationibus Masius *d. cap.* 2. textum illum accipit in expressa antichresi, in qua pecunia gratuitò datur, & pro ejus usu pignoris ususfructus conceditur: sed, ni fallor, sententia hæc faciliùs refellitur, quàm quælibet ex superioribus; nam quis dicet pecuniam gratuitam fuisse, si creditor fructus pignoris pro usuris lucretur, qui imputandi erant in sortem principalem, aut debitori restituendi, juxta suprà tradita. Deinde nam cùm datur jure civili expressa antichresis, non attenditur an fructus rei pignoratæ excedant modum usurarum, nec-ne, *l. si ea pactione* 14. *l. si ea lege* 17. *C. de usuris*: docent Cujacius *lib.* 3. *obs. cap.* 35. Bronchorst. *enantioph. cent.* 2. *assert* 71. Harmenopulus *lib* 3. *prompt. tit.* 5. Faber *decad.* 9. *errore* 5. Balduinus *de pignor. cap.* 16. Burgens. *cent.* 3.

12. *Exponitur L. cum debitor* 8. *ff. Quibus mod. pign.*

cent. 3. observ. 33. cum duabus sequentibus. Unde cùm in eo textu dicatur, retineri tantùm posse fructus juxta modum legitimarum usurarum, non potest accipi de antichresi expressa. His ergo omissis solutionibus ex sententia Vinii *lib. 2. select. cap. 8.* aliter textum illum accipi posse credo: & dum alius meliora non affert, suppono debitorem in ea specie pecuniam gratuitam mutuo accepisse, quam cum debito tempore non solveret, in moram incidit; quo casu licèt usuræ pecuniæ non debeantur, ut peti possint, quia in contractibus stricti juris nisi deducantur, non debentur; tamen per retentionem pignoris consequi valent, *l. 3. & 4. C. de usur.* Etiam observandum est, pignus non solùm pro debito principali, verùm etiam pro usuris accipi posse, *l. grege 13. §. ult. ff. de pignor.* Unde licet in eo textu pecunia gratuita mutuo esset data, tamen cùm post moram usuræ deberentur, ita ut earum ratione fructus pignoris retineri possint, rectè ait Paulus juxta rubrum, sub quo jacet, eo casu tacitè fructus rei pignoratæ retineri posse per creditorem, pro usuris decursis post moram, etsi à principio gratuitò mutuum datum esset, juxta legitimum tamen modum usurarum; quia sicut expressè paciscì non potest de majori usurarum quantitate, contra legem Gaviniam; ita nec ex mora tacitè deberi potest major summa, & per consequens nec ejus ratione fructus rei pignoratæ, ut tacitè pro his usuris pignorati, retineri.

13. *Antichresis jure canonico improbatur.*

Hæc autem quæ de antichresi adduximus, procedunt jure civili inspecto. Jure verò canonico similis conventio, ut usufuraria omnino improbata est, & meritò; quia cùm usura sit aliquid ultra sortem accipere, idipsum capere intelligitur, qui percipit fructus, ac si pecuniam acciperet pro usuris; non enim tantùm usura committitur, cùm quis pecuniam credidit sub avido fœnore, & stipulatur usuras ejusdem generis; sed etiam cùm commodum fructuum, aut aliud compendium captat, *l. cùm non frumentum 16. C. de usur.* faciunt D. Augustinus *in psalmo 36.* ibi: *Si fœneraveris homini, id est mutuam pecuniam dederis, à quo aliquid plus quàm dedisti expectes, non pecuniam solam. Seu aliquid plus quàm dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud, si plusquam dedisti expectas accipere, fœnerator es.* D. Ambrosius *lib. de Tobia*, ibi: *Et esca usura est, & quodcunque sorti accedit, usura est; quod velis ei nomen imponas, usura est.* Proinde cùm per pactum antichresis creditor fructus rei pignoratæ percipiat, ultra sortem, *d. l. si ea 14. & 17. C. de usuris*, meritò talis conventio improbata est. Inde infertur, per jus canonicum abrogatas esse dictas leges *14. & 17. C. de usur.* legem *1. §. pacto, l. si is qui, §. 1. ff. de pignor.* & similes, in quibus permittitur creditoribus fructus pignoris vice & loco usurarum percipere, & retinere usque ad modum usurarum legitimarum, quas omninò jus Pontificium improbavit, *cap. 1. & per totum, de usuris*: docuerunt Cujacius *in cap. 1. de feud.* Duarenus *ad tit. de usur. cap. 1.* Petrus Gregorius *lib. 2. de usuris, cap. 14.* Robertus *lib. 2. rerum judic. cap. 8.* Leothardus *eodem tract. q. 11. num. 17.* & magna cum ratione antichresin improbatam esse in præsenti constat; nam apud Plutarchum legimus, Lucullum cùm Asiæ præesset, lege speciali quartam duntaxat fructuum partem creditoribus permisisse, ut observant Cujacius *lib. 3. observ. cap. 35.* & Aristoteles *lib. 6 polit.* legem Ozei legislatoris refert, ne cuiquam super aliqua alieni fundi parte fœnerari liceret: & ut rectè concludit Martialis suprà relatus, in casu antichresis, mutuum non datur tam debitori, quàm rei pignoratæ: notavit Petrus Gregorius *lib. 22. syntagm. cap. 3.* immò major ratio est improbandæ antichresis, quàm prohibendi fœnoris; nam in fœnore certis usuris avaritia cohibetur, *l. si non sortem, ff. de condict. indeb. l. placuit, l. eos, C. de usuris*: in antichresi verò incerta est usura, cùm fructus percipiendi incerti sint; & cùm frequenter creditores pro pecunia modica pignora amplioris redditus retineant, inde provenit, ut majores usuras percipiat creditor in casu antichresis contractæ, quàm si usuras specialiter stipulerur.

14. *De quibusdam pactis antichresi similibus.*

Unde improbandi sunt nonnulli contractus, quos facilè admissos video. Primus est, cùm paciscitur, ut quamdiu debitor patiatur creditorem percipere fructus pignoris in antichresim datos, tamdiu nequeat ipse sortem debitam exigere, nec debitor invitus illam cogatur reddere; atque ita mutuum fit irrevocabile respectu dantis, non verò respectu accipientis; nam in hoc pacto ultra sortem principalem fructus percipiuntur, & per consequens usura committitur. Nec interest quod mutuum sit irrevocabile ex parte dantis, quia pactio illa nec tollit naturam mutui, *l lecta 40 ff. de rebus creditis, l. 9. ff. de usur.* nec malitiam usurarum, *l. 4. in fine, ff. de pactis*, & per consequens improbanda est: latè docet Gibalinus *lib. 3. de usuris, cap. 7. art. 13.* Secundò in his Regnis solet pactum fieri, ut unus det rem suam alteri, ab eoque pecuniam accipiat; utrique verò liberum sit quod dedit, repetere, restituendo quod accepit. Exempli gratiâ Titius dat Cajo mille aureos, & Cajus dat Titio domum ad habitandum, quam locare solitus erat quinquaginta aureis, hoc pacto, ut quando Titius voluerit, repetat pecuniam suam à Cajo, ipsique domum reddat; & cùm libuerit, etiam Cajus repetat domum suam à Titio, pecuniis restitutis: qui contractus vulgò dicitur, *ganar à ganar*, quem ut licitum probarunt Covar. *lib. 3. variar. in cap. 9. num. 3.* Sotus *lib. 6. de justitia, quæst. 5. artic. 1.* Navarrus *de usuris num. 97.* Azor *3. p. Instit. lib. 9. cap. 20.* Sed rectiùs illum improbavit Gibalinus *dicto cap. 7. artic. 13.* ex eo, quia in hoc contractu, qui dat pecunias, cùm facultatem retineat illas dum voluerit, & uti voluerit repetendi, videtur omnino illas mutuò dare, & fructus rei pignoratæ percipere, quod improbatum est: unde verius credo, hoc pactum usurarium esse, si res frugiferæ dentur, secus verò si res infructiferæ, veluti quæ spectant ad supellectilem, & ornatum domus; Si enim res frugiferæ dentur, quia ultra sortem creditor percipit fructus illos pretio æstimabiles, usura committitur; si verò res steriles pro securitate pecuniæ acceptæ tradantur, ut illis creditor utatur donec pecunia illi solvatur, usura non committitur, quia ex tali usu non provenit quid pretio æstimabile.

15. *Dissolvitur alia pari difficultate.*

Nec obstat primum augmentum rationis dubitandi; nam omissâ quæstione, an creditor verè pignus possideat, quam examinavi *in cap. quoniam, ut lite non contest.* dicendum est, creditorem retinere rem pignoratam pro securitate debiti;

biti; non autem accipit animo domini, aut jure dominii, sed ut naturaliter detineat ad securitatem; idque agitur inter debitorem, & creditorem, ut nihil ex pignore acquiratur creditori, sed tantùm ut res pignorata sit apud eum pro contractus principalis fide, in securitatem creditoris, *l. legata, § ultim. ff. de suppellect. legat. l. pignori 13. ff. de usucap.* Unde nullam habet justam causam creditor percipiendi fructus ex re pignorata. Nec obstat secundum augmentum ipsius difficultatis; nam illud ipsum, quod in antichresi vice usurarum percipitur, usura est, & illicita extorsio; quia accedit sorti, & percipitur ultra sortem ex solo tempore tardæ solutionis; unde *in dict. l. 8. ff. in quibus causis pignus*, non dicitur creditor fructus in usuras, vel in vicem usurarum, sed ex fructibus usuras posse retinere; & proinde cùm non sit minor asperitas creditoris; sive usuras percipiat, sive fructus in vicem usurarum, nec minus damnum debitori inferatur in antichresi, quàm in aperto fœnore, immò interdum majus, ut suprà probavi, meritò talis conventio ut usuraria prohibetur. Nec interest, quod in antichresi nullam certam quantitatem pro usuris creditor stipulatur, sed fructus tantùm, qui incerti sunt, & multis casibus obnoxii; quia hæc incertitudo fructuum non tollit rationem usuræ; sufficit enim ut virtute hujus conventionis creditor ultra sortem fructus consequatur, sive plures sint, sive pauciores, & interdum exigui, & ferè nihil. Incertitudo enim facit tantùm, ut expressa antichresis secundùm jus civile non servet legitimum modum usurarum, & proinde nihil fieri contra leges videbatur, etiamsi interdum plus esset in fructibus, quàm pro ratione sortis liceret consequi titulo usurarum; quia potuit & minus esse in fructibus, & interdum etiam nihil. At non ideo minùs conventio usuraria est, in qua sors debetur, & pro usu, & dilatione solvendæ sortis fructus ei accedunt, quæ procul dubio æstimationem recipiunt; nam & vendi possunt certo pretio, etiam futuri, *l. 78. § ultim de contrah. emption. l. si sterilis, § 3. de act. empt.* Nec obstant textus *in dict. in cap. 1. de feudis, cap. 1. cap. conquestus, de usuris, cap. salubriter, eod. tit. cap. ad nostram, de jurejur.* quorum interpretationes in eorum commentariis dedi, & præcipuè *in dict. cap. 1. de feudis.*

16. Exponitur l. pignore 22. ff. de pignorat. act.

Sed suprà traditis primò obstat textus *in l. si pignore 22. ff. de pignorat. action.* ubi docetur, quod si pignore subrepto creditor actione furti, vel ex condictione furtiva aliquid assecutus est, id totum sorti imputandum esse; si verò, ait Ulpianus, id creditor actione furti ab ipso debitore consequutus fuit, lucro creditoris cedere; quod etiam Papinianus docuit *in l. si debitor 79. ff. de furtis.* Ex qua postrema textus parte constat, creditorem non teneri restituere quicquid ex pignore, aut ejus occasione percepit: ergo quia non tenetur fructus, vel similes obventiones pignoris in sortem imputare. Etiam difficilis est textus ille in illis verbis? *Etiamsi culpâ creditoris furtum factum sit*; ex vulgari regula, quâ docetur, secundùm naturam esse, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda, *§. cum autem, Instit. de emption. & vendit.* sed culpa creditoris facit, ut periculum rei pignoratæ subreptæ ad eum pertineat, *l. si cum vim, C. de pignor. §. ultimo, Instit. qui ex modis re contrahitur*: ergo & commodum ad eum pertinere debet. Quod & comprobatur argumento commodatarii, in quo post varias Consultorum altercationes placuit, ut si commodatario re, commodata subrepta fuerit, quicquid actione furti ultra ipsam rem commodatam fuerit assecutus, id non teneatur commodanti reddere, *l. finali, §. sed cum, C. de furtis*: ergo idem multò magis in creditore procedere debet, cùm commodatum gratiâ commodatarii tantùm celebretur, pignus autem gratiâ utriusque, creditoris videlicet, & debitoris constituatur, *dict. §. final. Instit. quibus mod. re contrahitur.* Agnoverunt hujus textus difficultatem Cujacius *lib. 9. qq. Papin. in dict. l. si debitor 79. ff. de furt.* Faber *decad. 81. errore 1.* Schisordeg. *libro 2. tract. 1. quæst. 6.* Bachovius *in chiliad. ad ipsum.* Larreatigui *lib. 3. select. cap. 9.* Vitalis *lib. 1 var. cap. 26.* ex quorum doctrina dicendum est, certum esse, pignore subrepto, creditori competere non solùm actionem furti, verùm & condictionem furtivam, quoad debiti æstimationem, non verò valorem ipsius rei, ut doctè exponit Larreatigui *ubi supra.* Etiam liquet, posse creditorem agere contra ipsum dominum subripientem rem pignoratam; quo casu omne id, quod actione furti ab eo consequitur, non tenetur in sortem debiti imputare, *ex l. id quod 74. ff. de solut. l. quod à quoquam 46 ff. de reg. jur. l. pœnæ, ff. de cond. indeb.* ne dominus ex proprio delicto commodum consequatur, aut saltem damnum non sentiat: si verò egerit contra tertium rem subripientem, omne id, quod consequitur, debet in sortem principalem imputare; & si excesserit sortem principalem, debitori restituere, *l. creditoris, l. si debitor, ff. de furtis.* Nec obstat argumentum ab exemplo commodatarii deductum; nam inter utrumque casum magna versatur differentia, quæ provenit ex eo, quia ad commodatarium semper periculum rei spectat, cùm teneatur præstare exactissimam diligentiam; creditor verò hujusmodi diligentiam præstare non tenetur; ideoque commodatarius emolumentum sibi acquirit, quia ad eum periculum pertinet, culpâ ejus non interveniente. Creditor autem de culpa tantùm tenetur, sed non levissimam præstat. Accedit, nam creditori in id solùm pignus traditur, ut in tuto habeat debitum suum, non ut lucrum ex eo faciat, ut suprà probavi; commodatario verò res traditur, ut ea utatur, commodumque ex ea percipiat, ut docent Donellus *lib. 13. comment. cap. 8* & *lib. 14. cap. 3.* ubi Osvaldus *littera C.* Faber *decad. 81. errore 1.*

17. Exponitur idem textus in §. si prædo.

Ex suprà traditis etiam lucem accipit textus *in dicta l. si pignore 22. §. si prædo, ff. de pignorat. act.* ubi docetur, quod si prædo rem pignori dederit, competit ei in fructibus pignoratitia actio, quamvis ipse fructus suos non faciat; quia illi prodest bona fides creditoris. Quæ ratio difficilis est; nam quomodo poterit creditor bonam fidem habere, qui scit rem alienam esse, & tantùm ejus possessionem retinet absque jure percipiendi fructus, juxta suprà tradita? Pro cujus textus expositione sciendum est, quod licèt prædoni actio furti denegetur ob rem sibi subreptam, ne ex improbitate sua commodum consequatur, *l. itaque 12. §. 1. l. qui re 76. §. 1. ff. de furtis*; pignoratitia tamen actio competit, si rem pignori supposuerit; quia hæc actio proxi-

mam causam habet præter delictum, & per eandem actionem repetit fructus ipsius rei, quos injustè creditor detineret, ex suprà traditis; quia licèt prædo fructus suos non faciat, cùm teneatur eos restituere re evictâ, *l si urbana, in fine ff. de condict indeb. l certum* 22. *C. de rei vind.* tamen quos per se in præsenti casu capere non potest, capit ex persona creditoris, juxta regulam textus *in l. Aristo, in fine, ff. quæ res pignori, l. cùm hæreditate* 55 *ff. de acquir. hæredit. l. cùm autem, §. final. ff. de ædilit. edict. l.* 3. *§. si quis ex liber. l. non putavit* 8. *§. si exhæredatus, ff. de bonor. possess. contra tab. l. filius* 13 *ff. de bonis libert.* non ut sibi acquirat, quia bona fides creditoris vitium furtivitatis tollere non poterat; sed ut percipiat, & postea cum re ipsa eos restituat. Sententia ergo Ulpiani est, si prædo rem alienam pignori dederit, & solutâ pecuniâ per ignorantiam eam repetat, repetit etiam & fructus, quos injustè detineret creditor: repetit autem rem cum fructibus propter bonam fidem, quam creditor habuit, id est, quia creditor ignoravit à prædone rem ipsam pignori datam fuisse; aliàs si ipse sciret prædonem eam in pignus dedisse, non prædoni, sed vero domino restituere deberet rem cum fructibus, *ex l. bona fides* 31 *ff. depositi.* Hanc autem ignorantiam appellat Ulpianus bonam fidem, non quia existimasset creditor rem suam esse; sed quia credidit rem esse ejus, qui pignori dedit, ut cæteri alii bonæ fidei possessores dicuntur illi, qui à non dominis res acceperunt, §. *si à non domino, Institut. de rer. divis.* atque ita propter hanc ignorantiam debet restituere rem cum fructibus prædoni, non vero domino: præsensit Valer. *animadvers. cap. ultim.* licèt aliter textum illum exponant Faber *lib.* 7. *conject. cap.* 19. Osvaldus *lib.* 14. *Donel. cap.* 7. *littera I.* Cujacius *lib.* 6. *qq. Papin. in dict. l urbana.* Pichardus *in §. actionum* 28. *quæst.* 24. *num.* 21. *Instit. de act.* Oroz *lib.* 2. *de apicibus juris, cap* 1.

Adhuc suprà traditis, videlicet jure civili in contractu pignoris antichresin permitti, ita ut virtute ejus conventionis creditor fructus rei pignoratæ lucretur, obstat textus *in l. si is qui* 11. *§.* 1. *ff. de pignor.* ubi docet Marcianus, quod si contracta fuerit antichresis, & creditor possessionem pignoris amiserit, debet actione in factum uti, non ea, quæ datur ex contractibus innominatis, sed in factum prætoria, quæ datur deficientibus aliis actionibus, *l. juris* 7. *§.* 2. *ff. de pactis, l. in rem* 23. *§. item, l. cùm autem* 52. *ff. de rei vind.* Sed tunc sic insurgo: Si antichresis à jure civili approbata esset, ex tali conventione in contractu pignoratitio adjecta daretur actio pignoratitia, ut regulariter datur actio propria contractus ex pactis in continenti adjectis, *l.* 2. *C de pactis inter emptor.* igitur non actio in factum subsidiaria, sed ipsa pignoratitia, seu hypothecaria danda erat in ea specie, si talis conventio à jure approbata reperiretur. Cui difficultati respondendum est asserendo, antichresin in eo textu, non in continenti, sed separatim adjectam fuisse, non simul cum ipso contractu pignoratitio; & quia antichresis per se hypotheca non est, ideo ob talem conventionem non potest dari actio hypothecaria, quæ tantùm creditori competit, ad avocandam possessionem rei pignoratæ, *l. Si cùm debitor* 66 *ff. de evict* non autem ad percipiendos fructus rei pignoratæ: unde ad recuperandam possessionem pro fructuum perceptione, seu ad fructus lucrandos virtute antichresis, actio in factum tantùm datur, ut docuerunt Cujac. *lib.* 5. *observ. c.* 35. Meril. *lib.* 2. *obs. cap.* 23. prosequuntur alia de ipsa conventione, antichresi videlicet, Masius *dict. lib.* 4. *singul. opin. c.* 1. Leothardus *de usuris dict. quæst.* 11. *cum sequent.* Leo Pinel. *pro Academ. Liminensi, in cap. significante, hoc titulo. ex num* 93.

18. *Explicatur l. si is qui ff. de pignor.*

CAPUT VII.

Idem (a) *Hugoni, & Comiti, & Marsicto, Pisanis Canonicis.*

SIgnificante dilecto filio Rubeo cive Pisano, ad (b) nostram noveritis audientiam pervenisse, quod cùm domum suam cum horto, Gallicano Pisano civi pro ducentis quinquaginta duabus libris pignori obligasset, & promisisset, cautione præstitâ juramenti, quod nisi domum ipsam statuto inter eos termino recolligeret, eundem creditorem ulteriùs super ea minimè molestaret; infra statutum tempus per certum & fidelem nuncium, prout ei videbatur, creditori mutuam pecuniam remisit, quam idem nuncius infideliter agens, sicut ei injunctum fuerat, non persolvit. Cùmque postmodùm prædictus R. ab Imperatore captus, pariter & detentus, multa pericula sustinuerit, & labores, nec dicto G. satisfacere potuerit, ut debebat, nunc (per Dei gratiam) libertati pristinæ restitutus, paratus est pecuniam reddere creditori, licèt ipse prorsus eam recusaret recipere, quia ei non fuit statuto termino persoluta. Cùmigitur pactum legis (c) commissoriæ sit in (d) pignoribus improbatum, & quantùm in eo fuit, prædictus Rubeus juramenti debitum adimpleverit, cùm per eum, quem certum, & fidelem nuncium sperabat, pecuniam remiserit termino constituto, & ut in Imperiali fuit cautione detentus, satisfacere non potuerit creditori: devotioni vestræ præsentium auctoritate mandamus, quatenus (si præmissis veritas suffragatur) prædictum creditorem, ut sorte suâ contentus existat, pensionibus præfati pignoris computatis in (e) sortem, & domum ipsam, & hortum præfato Rubeo omni postpositâ dilatione resignet, per censuram ecclesiasticam, pacto, vel tali juramento

juramento nequaquam obstante, admonitione præmissâ, sublato contradictionis, & appellationis obstaculo compellatis. Datum Lateran.

NOTÆ.

(a) *Dem.*] Ita legitur in hac sexta collectione, & in quarta, *sub hoc tit cap. unic.* non tamen exprimitur, quibus Innocentius rescribat : ex epistolis autem editis à Sirleto, *fol.* 14. ita inscriptionem & litteram textus restituo. De Pisana Ecclesia nonnulla notavi *in capite* 8. *de tempor. ordin.*

(b *Nostram*] Quia cùm de contractu usurario ageretur, & dubitaretur an usura in eo interveniret, adeundus erat judex ecclesiasticus, ut notavi *in cap. illo vos, hoc titulo.*

(c) *Pactum legis commissoriæ.*] Aliqui putant Innocentium minùs latinè, sequutum Interpretum barbaram locutionem, dixisse pactum legis commissoriæ, ut notarunt Duarenus, Goncius, & Carond. relati ab Osvaldo *lib.* 16. *Donelli, cap.* 19. *littera A.* Cujacius *in recit. ad textum in l. ultim. ff de contrab emption.* Faber *de errorib. decad.* 21. *errore* 1. & in suo Codice, *tit. de pactis pignor. diffinit.* 1. Schisordeg. *ad Fabrum lib.* 3. *tract.* 13. *quæst.* 1. Sed ut idem Cujacius docuit *ad titulum C. de pactis pignor & lib.* 4 *feud. tit.* 66. vulgaris hæc locutio defendi potest ex eo, quod quemadmodum rectè dicitur, pactum conditionis, *in l.* 1. *C. de condict. indeb. l.* 2. *ff. de condict. ob causam.* actio condictionis, *in l.* 3. *& 4. C. de usur.* conventio pactorum, *in l.* 1. *C. de jure emphyt.* ita etiam rectè dicitur pactum legis commissoriæ. Cujacium sequuntur Gibalinus *lib.* 3. *de usur. quæst.* 69. *num.* 6. unde non impropriè pactum committendi pignoris; vel non, dixit Innocentius pactum legis commissoriæ.

(d) *In pignoribus improbatum.*] Nequaquam referas hæc verba ad constitutionem Imperatoris Constantini *in l.* 2. *C. de pactis pignor.* cùm per eam pactum legis commissoriæ pignoris fiduciarii præcipuè improbetur : referenda enim sunt hæc verba ad pactum legis commissoriæ, cùm ita concipiebatur, ut cessante debitore in solutione usque ad certum terminum, res oppignorata perfectè penes creditorem remaneret; quod genus conventionis jam Digestorum tempore erat improbatum.

(e) *In sortem.*] Juxta adducta proximo commentario.

COMMENTARIUM.

3. Conclusio traditur, & probatur.

EX hac Innocentii epistola sequens deducitur disputanda assertio : *Si is, qui sub pacto legis commissoriæ pignori dedit rem suam, & juravit pactioni non contravenire, & justè impeditus infrà diem statutum rem oppignoratam non redemerit, post diem redimere poterit.* Probant eam textus *in l. ultim. C. de pactis pignor. l.* 3. *C. plus valere, l.* 21. *titul.* 5. *partit.* 5. *l.* 12. *tit.* 15. *ead. partit.* Illustrant ultra congestos à Barbosa, & Garania *hic.* Faber *de errorib. decad.* 21. *error.* 1. *cum sequent.* & in suo Codice, *titul. de pact. pignor.* Fachin. *lib.* 10. *controv. cap.* 73. Schisordeg. *lib.* 3. *ad Fabrum, tractat.* 13. *quæst.* 1. 2. 3. *&* 4. Suarez *de relig. tom.* 2. *lib.* 2. *cap* 26. Bronchorst. *tom.* 1. *miscel. assert.* 77. Bachovius *lib.* 1 *de pigner. cap.* 15. Cujacius *in l.* 4. *C. de pignor.* & *in recit. ad textum in l. final. ff. de contrab. emption.* Rodriguez *de annuis reddit. lib.* 2. *quæst.* 2. Acosta *de privileg. credit regul.* 3. *limit.* 2. *à num.* 8. Leo Pinel. *pro Academia Limensi, ad hunc textum, num* 4. Sixtinus *consil.* 12. *volum.* 2. *consilior. Vulteji.* Leothardus *de usur. quæst.* 69 *&* 70. Gibalinus *eod. tract. lib.* 3. *de usur. cap.* 7. *artic.* 3. *per totum*, Ritherusf. *ind l.* 2. *C. de pact. pignor* Mudeus *de pignor c. de pactis legit. num.* 2. Donellus *de pignor. cap.* 11. Bellonus *de potest. eorum quæ in continenti, lib.* 1. *capite* 34. *numero* 2. Valeron *animadvers. juris cap* 1.

Sed ita in præsentem assertionem pro dubitandi ratione argumentor. Unicuique licet de rebus suis pro libito pacisci, & conditionem suam pacisscendo deteriorem facere, *l.* 4. *l. juris* 7 *l. si pacisc. l. penult. ff. de pactis* : igitur sicut alia pacta sunt permissa in pignoribus, pactum etiam de quo in præsenti in eis improbari non debet. Augetur hæc difficultas, nam si pactum legis commissoriæ in pignoribus improbaretur, etiam in venditionibus adjectum improbari debebat, maximè cùm constitutio Constantini relata *in l.* 3. *C. de pactis pignor.* in Theodos. compilata sit sub titulo generali *de lege commissoria rescindenda:* sed in emptione, & venditione tale pactum admittitur, *l.* 1. *& per totum ff. de lege commis.* igitur & in pignoribus sustineri debet. Augetur secundò ex eo, quod debitor pro pecunia accepta pignus in solutum dare potest, *l cùm dominam* 13. *C. de pign. l Titius* 34. *ff. de pignor. act. l. si prædium* 4. *C. de evict l. si fundus* 16. *§. final. hoc tit.* Igitur in præsenti specie poterat pacisci, ut si intra statutum tempus creditor non redimeret pignus, maneret creditoris ex causa soluti. Accedit tandem; nam si hoc pactum regulariter ut usurarium improbaretur, accedente juramento, propter ejus religionem adhuc servandum erat, juramentumque adimplendum, *cap.* 1. *cap. debitores,* ubi latè probavi, *de jurejur.* igitur non rectè in præsenti specie docetur, pactum etiam juramento firmatum, ut constituto tempore pecuniâ debitâ non solutâ, res oppignorata efficeretur creditoris, injustum, & improbatum esse.

4. Impugnatur tradita assertio.

Quâ dubitandi ratione minimè obstante, ut veram præsentis decisionis rationem agnoscamus, sciendum est, verbum *committi*, in Pandectis significare aliquid evenire, propter quod certa res debeat uni dare, & alteri adimi; quia videlicet quidpiam vel factum non sit quod fieri debuit; vel factum est, quod fieri non debuit: inde dicitur lex commissa, id est pactum impletum, *l.* 4. *§. eleganter, ff. de lege commissor.* commissa hæreditas, apud Ciceronem 1. *in Verrem*, quando hæreditas ablata fuit, quia quid factum non est. Similiter pactum, ut si debitum intra certum tempus non sit satisfactum, res pignorata creditori committatur, ejusque fiat pro ipso debito; dicitur pactum commissorium, seu lex commissoria, ad similitudinem emphyteusis commissæ, *in l.* 2. *C. de jure emphyt. cap. potuit, de locato*, id est amissæ, cùm quis privatur ob non solutum canonem re in emphyteusim acceptâ. Item merces commissa dicitur *in l. commissa* 14. *l. final. ff de publicanis.* quando in pœnam non soluti vectigalis fisco res acquiritur. Similiter ergo pactum in venditione,

5. De pacto seu lege commissoria.

venditione, aut pignoris constitutione adjectum, ut ex eo res uni acquiratur, & alii adimatur, dicitur lex commissoria, eo quod ob legem contractus commissum sit ab emptore, vel venditore, *l.* 3. & 4. C. *de pact. inter, l. final. ff. de lege commissor.* Latiùs illustrant Salmasius *de modo usur. cap.* 14. Donellus *lib.* 16. *commentariorum, capite* 19. ubi Osvaldus *littera F,* Vela *dissert.* 97. Carballo *in capite Raynutius, 2. part. numero* 228. Faber *de error. decad* 45. *errore* 8. & *decad.* 95. *errore* 3. Antonius Gomez *tom.* 2. *var. capite* 2. *num.* 10. ubi plures Ayllon. Merlin. *de pignor. lib.* 4 *quæst.* 123. *num.* 2. Vela *dissert.* 30. *num.* 53.

6. *De eodem pacto in pignoribus.*

Pactum hoc legis commissoriæ in pignoribus variis modis concipi potest: vel cùm inter contrahentes convenit, ut si intra præscriptum tempus pecunia non solvatur, res pignori data fiat creditoris, vel ut non liceat amplius eam luere: vel ut creditor rem pignori obligatam, emptam, vel in solutum pro debito retineat, aut in jus debitoris propter ejus moram succedat creditor, quoad facultatem pignus distrahendi. Denique quoties id agitur, nisi intra certum tempus pecuniam debitor solvat, creditor pro pecunia mutuò data rei dominium acquirat, ut exponunt Negusantius *de pignor. p.* 4. *in princip.* Cujacius *in capite* 9. *de jurejur.* Rodriguez *de annuis reddit. lib.* 2. *quæst.* 2. *num.* 24 Mantica *de tacitis lib.* 4. *tit.* 29 *num.* 6. Balduinus *de pign. cap.* 17 Donellus *eod. tract. cap.* 11. Argenterius *ad consuet. Britanniæ artic.* 266. *cap.* 6. *num.* 2. Covar. *lib.* 3. *var. cap.* 2. *num.* 7 Connanus *lib.* 4. *comment. cap.* 8. *num.* 8. Fachineus *lib.* 10 *controv. cap.* 24. qui inde exponunt legem *Calippo* 25. *ff. de solutionibus.* Sed circa conventionem improbatam à Constantino *in dict. l. ultima. C. de pact. pignor.* seu ut vult Rither. à Constantio, & ab Innocentio III. hîc non consentiunt Interpretes. Aliqui existimarunt, Constantinum eam conventionem improbasse, quâ cautum erat inter contrahentes, ut nisi ad certum tempus pecunia credita solveretur, creditor pignus plenè acquireret, atque illud in commissum caderet: ita omnes ferè repetentes *in dict. l. ultima,* Donellus *ibi,* Fachineus *lib.* 10. *controv. cap.* 74. Valla *de rebus dubiis tract.* 11. *num.* 15. Masius *lib.* 3. *singul. opin. cap.* 4 Connanus *l. b.* 4. *comment. capite* 8. *num.* 8. Covar. *lib.* 3. *var. c.* 2. *n.* 7. Pinel *in l.* 2. *C. de rescind.* 2 *p. c.* 1. *num.* 26 Gaitus *de credito cap.* 4. *quæst.* 11. *à num.* 1107. Mantica *de tacitis lib.* 11. *tit.* 9. *num.* 3. Hermosilla *in l.* 41. *tit.* 5. *partit.* 5. *glos.* 1. *num.* 6. Merlin. *de pignor. lib.* 4. *quæst.* 123. Larrea *decis.* 16. *num.* 34. Merenda *lib.* 1. *controv. cap.* 3. Hunnius *ad Treutl. volum.* 2. *disputat.* 2. *quæst.* 39. Rither. *in dict. l. final.* Molina *de justitia disput.* 324 Caldas *in l. si curatorem, verbo sua facilitate.* Sed hæc sententia refellitur primò *ex dict. l. final.* in illis verbis: *Creditores re amissa, jubemus recipere quod dederunt.* In quibus supponitur jam pignoris dominium quæsitum esse creditori, siquidem rem tantùm is dicitur amittere, qui ejus dominium habuit, *l. non videntur* 83. *ff. de reg. jur.* notavit Cujacius *in dict. l. final.* ergo non potest accipi Constantinus de simplici pignore conventionali, cujus dominium penes debitorem remanet. Quâ difficultate oppressus Leothardus *de usuris dict. quæst.* 69. *num.* 17. existimavit in eo textu pro illis verbis, *re amissâ,* reponendum esse, *re dimissâ.* Secundò refellitur ex eo; nam constitutionem illam novam esse, junctâ nova rubricâ *de lege commissoria in pignoribus rescindenda,* omnes agnoverunt, & facilè suadetur ex illis verbis, *placet infirmari*; & ibi, *Hac auctoritate.* In quibus jus novum veteribus incognitum profertur. Pinellus *in rubric. de rescind.* 2. *p. cap.* 1. *num.* 27. Concius *lib.* 2. *success. cap.* 20. *num.* 2. licèt Balduinus *de pignor. cap.* 17. Donellus *in dict. l. ultim.* putent, jam priscо jure displicuisse hujusmodi pactum, duntaxatque à Constantino pœnam adjectam esse; quorum sententia facilè refellitur ex Cicerone *epist.* 13. *famil.* prout expendit Verrucius *de v. s. verbo Commissa*: etsi ad minus dicat, jure Digestorum improbatam esse illam conventionem, ut ad diem statutum pecuniâ non solutâ pignus committeretur, & creditori acquireretur, *l. si fundus* 16. § *ultim ff de pignor.* ubi ita demùm hæc conventio admittitur, si justo pretio pignus æstimetur, ut notarunt pro ejus explicatione Arias à Mesa *libro* 1. *var cap.* 37. *num.* 18. Osvaldus *lib* 12. *Donel. cap* 1. *litera O.* Igitur si nunquam fuit permissa illa conventio, ut res pignori data, non solutâ pecuniâ pro debito cederet, superflua erat illa constitutio. Salmasius *de modo usurarum cap.* 14. conventionem hanc legis commissoriæ in pignoribus aliter accipit, & contendit legem commissoriam pignorum fuisse cautionem, vel pactionem, quâ debitor creditori cavebat, ut si pecuniam statutâ die non solvisset, pignus committeretur, id est possessione, & dominio hypothecæ cederet, non ut pleno jure pignus acquireretur creditori, & jus dominii ipse in eo haberet; sed ut pleno jure sine ulla diminutione illud proscribere, & distrahere posset, atque ita per hanc conventionem commissoriam auferebatur possessio, aut dominium à debitore, quod in creditorem transibat. Docet ergo Salmasius, per legem commissoriam pignoris dominium ex titulo venditionis, aut dationis in solutum, in creditorem non transisse, sed tantùm jus vendendi & distrahendi illud: quæ sententia probatur *ex l.* 1. C. *de pactis pignor.* in illis verbis: *Qui pactus est, nisi intra certum tempus pecuniam, quam mutuam accepit, solveret, cessurum creditoribus hypothecæ, venditionem non contraxit: sed id comprehendit, quod creditor in adipiscendo pignore habiturus erat. Communi itaq; jure creditor hypothecam vendere debet.* Quæ ita legit, & emendat Salmasius: *Qui pactus est, nisi intra certum tempus pecuniam, quam mutuam accepit solveret, cessurum se creditoribus hypothecæ, venditionem non contraxit, sed id comprehendit, quod jure suo creditor in adipiscendo pignore habiturum erat; aut melius, cessurum se creditori jus hypothecæ, venditionem non contraxit.* Quâ doctrinâ suppositâ existimat Salmasius Constantinum *in dict. l. ultim.* C. *de pact. pignor.* non agere de lege commissoria in pignoribus adjecta, sed in venditione, ut liquet ex illis verbis: *jubemus recipere pretium, quod dederunt; pretium enim propriè emptionis est, non contractus pignoris.* Accedit, quod in ipsa constitutione, quæ extat *in* C. *Theodos.* deest vox *pignorum*, immò in eo Codice illa compilatur post titulum *de contrahend. emptione.* Quæ omnia evincunt non agere Imperatorem de lege commissoria in pignoribus, sed in venditionibus adjecta. Verùm & hæc Salmasii sententia convincitur primò, quia absque lege commissoria, ut

ut eam concipit Salmasius, possessio pignoris transfertur in creditorem, per ejus constitutionem, & traditionem: igitur non erat necessaria ea conventio, ut non solutâ pecuniâ statuto tempore, possessionem debitor amitteret. Secundò, nam cessante debitore in solutione, jure communi post trinam denunciationem licet creditori pignus vendere. Paulus *lib. 2. sentent. tit. 5. §. item creditor, Instit. quibus alienare, l. si convenit 4. l. eleganter, § si vendiderit, ff. de pignor. act. l. si testamento 89. §. quatuor, ff. de legat. 2. l. qui à creditore 18. C. de distract pignor.* Illustrant Amaya *in l. 3. C. de jure fisci, num. 2.* Connanus *lib. 4. comment cap. 18.* Gaitus *de credito, cap. 4. quæst. 8.* Arias à Mesa *lib. 1. var. cap. 25.* Merlin. *de pignor. lib. 4. tit. 3. quæst. 95.* Igitur ad quid erat necessaria tam accurata conventio, ut post moram debitoris liceret creditori pignus vendere? Nec etiam verum est, Constantinum non agere de lege commissoria in pignoribus; nam potiùs de pignoribus agere, patet ex synopsi Basilic. *libro 23. tit. 17. capite 10.* & ex summario his verbis relato ab Harmenopulo *libro 3. promptuarii, tit. 5.* ibi: *Si quis ita pactus fuerit, ut nisi ad diem præstitutam soluta esset pecunia, res oppignorata dominus fieret, ejusmodi pactum invalidum est.* In ipsis basilicis ex versione Fabroti legitur: *Si creditor pactus fuerit, ut si ad diem pecunia soluta non sit, pignus ei acquiratur, pactum justum, & ratum non est.* Unde nescio, quomodo vox pignoris toties repetita expungi possit, & ad venditionem referri.

7. Traditur vera interpretatio.

Tandem alii plures perdocti viri, & mihi magnæ auctoritatis, legem commissoriam in pignoribus referunt ad fiduciam, non ad pignus: sed tantùm ad fiduciariam conventionem, & similem fiduciæ legem, Imperatorem Constantinum *in dict. l. final.* referunt. Ita docuerunt Faber *decad. 21. error. 1. num. 10. & 15.* Schifordeg. *lib. 3. tract. 13. quæst. 2.* Cujacius *ad titulum C. de pactis pignor.* D. Nicolaus de Castro *in princip. Instit. de emption. & vendit. num. 3.* Leothardus *de usur. quæst. 69.* Gibalinus *dict. artic. 13.* D. Josephus de Retes *lib. 1. opuscul. cap. 21.* Valeron *animadv. cap. 1. num. 19.* Gothofredus *in l. unic. C. Theodos. de commissoria rescind.* quorum sententiam ut faciliùs percipiamus, sciendum est, olim pignus dupliciter contrahi; vel simpliciter, vel sub fiducia: inter utrumque magna versatur differentia, ut agnovit D. Isidorus *lib 5. etymol. cap. 21.* ibi: *Pignus est, quod propter rem debitam obligatur, cujus rei possessionem solam ad tempus consequitur creditor; cæterum dominium penes debitorem est. Fiducia ejk cùm res aliqua sumendæ pecuniæ gratiâ, vel mancipatur, vel in jure cedituv.* Simpliciter pignus constituebatur, cùm pro securitate pecuniæ mutuò acceptæ res aliqua pignori tradebatur, ut probavi *in cap. 1. hoc tit.* Sub fiducia pignus contrahebatur, cùm quis pro certa pecunia rem suam mancipabat creditori, vel in jure cedebat ea lege, ut solutâ intra statutum tempus pecuniâ, ei res remanciparetur; non solutâ, pleno jure creditori committeretur. Ejus fiduciæ mentio fit apud Paulum *lib. 1. sentent. tit. 9. §. final.* ibi: *Pignorum & fiduciarum.* Et *lib. 2. tit. 13. § si quis suppositam pignori, vel fiduciæ.* & *lib. 3. tit. 6. §. rem legatam pignori, vel fiduciæ:* & *lib. 5. tit. 26. §. final.* ibi: *Fiduciam vero, & pignora:* & *l. 9. C. Theodos. de infirmand. quæ sub tyran.* & apud Modestinum *in collat. legum Mosaic. titul. de deposit.* & *in l. legata 9. §. final ff. de supellect. legat.* quam de pignore fiduciario accipit post Cujacium *lib 7 respons. Papin.* ibi, & *ad titulum C de pact. pign.* D. Josephus de Retes *lib. 1 opuscul. c 21. n. 2.* quamvis dissentiat Valeron *dict cap. 1 num. 8.* ejus etiam pignoris vestigia extant *in l. 1. §. Divi fratres, ff. de quæstionibus*, licèt eam legem aliter explicet Valentia *lib. 3. tract. 1. cap. 1. num 24* & mendosam dicat Muretus *in obs. juris, cap. 3* & *in l. res obligata 21. C de pign. in libro 3. legum Longobard. tit. 15.* apud D. Ambrosium *lib. de Tobia, cap. 12.* ibi: *Hypothecas flagitat, pignus usurpat, fiducias vocat.* Tertul. *de idololatr. cap. 23. Pecuniam de ethnicis mutuantes sub pignoribus fiduciariis jurati cavent, & sic negant.* Sidonium *lib. 4. epistol. 24. Pecuniam mutuam postulavit, impetravitque, nihil quidem loco fiduciæ, pignorisq;, vel argenti sequestrans, vel obligans prædiorum.* Ciceronem *in oratione pro Flacco*: *Hanc fiduciam commissam tibi tenes hodie atq; possides* Boetium *lib. 4. in topicis*, fiduciam accepisse dicitur cuicunque aliqua res ea lege mancipatur, ut mancipanti aliquando remancipet. Fiducia ergo in pignore nihil aliud erat, quàm pignus, aut hypotheca, adjectâ mancipatione, aut in jure cessione: unde non rectè Hothomanus *ad titulum de pignor.* existimavit, fiduciam propriè pignus non esse. Differt verò fiducia à pignore in eo, quia pignoris dominium non transfertur in creditorem, *l. cùm & sortis 35. §. ultim. ff. de pignor. act. l. 1. & 2. de distract. pignor. l. certè 6. § final. de precario, l 33. §. 6. de usucap. l 73. §. eos verò, de legat. 3. l. 9. de pign. act. l si dominium 9. l. cùm dominam 13. C. hoc titul.* fiduciæ verò dominium transfertur. Paulus *dict. libro 2. titul. 13. §. 3.* id supponit, dum ait debitorem creditori fiduciam vendere non posse, quia ut exponit Cujacius ibi, jam creditori satis per mancipationem, seu in jure cessionem acquisita est. Dicebatur autem contractus hic fiducia, quia sub ea fiducia res mancipabatur, ut soluto pretio statuto, iterum res debitori manciparetur: ut etiam fiducia dicitur cùm quis dubium tempus timens, & sibi, suisque prospiciens, rem aliquam amico suo ea lege dimittebat, ut transacto eo tempore sibi, suisve redderetur. Boëtius ubi proximè. Inde ille, cui pater filium fiduciâ contractâ mancipabat, fiduciarius dicebatur, *l. 2. §. objicitur, ff. ad Tertyl. §. præterea. Instit. quibus modis jus patriæ potestatis*: & ille, cujus fidei committitur, ut hæreditatem restituat, dicitur hæres fiduciarius, *l. Sejus 46. & 67. ff. ad Trebel.* & ipsâ hæreditas fiduciaria, *l. certi 9. § competit, ff. si certum petat.* Prosequuntur fiduciæ species, & solennitates Revardus *de auctorit. prud. cap 5* Corrasius *lib. 6. miscel capite 9.* Alciatus *libro 3. cap. 26. parerg.* Pancirola *libro 3. var. capite 21.* Retes *libro 1. opusc. capite 21.* Valeron *dict. capite 1.* Gibalinus *dict. capite 7. artic. 1.* Masius *singul. libro 3. cap 2.*

His suppositis existimant Faber, Schifordeg. & alii suprà laudati, Constantinum in dicta lege ultima sustulisse pactum legis commissoriæ in pignoribus fiduciariis, cùm fiducia intervenerat, ita ut statuto die debitore solvente pecuniam, teneretur creditor iterum remancipare, eo autem in solutione cessante, amplius fuitio non daretur, sed res perfectè, & irrevocabiliter penes creditorem remaneret. Rationes autem hujus

8. Prosequitur eadem interpretatio.

constitu-

constitutionis, & improbationis similis pacti, nonnullas incongruas assignarunt ipsi Faber *decad.* 21 *error.* 2. *num.* 4. & *error.* 8. *numero* 6. Schisordeg. *dict. tract.* 13. *quæst.* 2. Rationem petunt hujus abrogationis ex impossibilitate rei, & contrarietate, seu contradictione ipsius conventionis, quod scilicet fieri non possit, ut in eundem casum, idemque tempus, & pignus contractum, & venditio pignoris facta videatur; quod fieri nequit, quia eodem tempore rei oppignoratæ dominium simul acquireretur creditori per venditionem, & simul non acquireretur. Sed hæc ratio falsa est, nam venditio, quam unà cum pignore concurrere ait Faber, non tempus præsens respicit, sed futurum; mancipatur enim pignus, sed non in perpetuum, nec irrevocabiliter, sed si statuto die soluta non sit pecunia; tunc enim ex solutione, vel cessatione in ea, cognoscitur an pignus fuisset, si iterum remancipetur res debitori; vel dominium translatum, si non remancipetur, sed penes creditorem remaneat. Quare conventio, quæ ejusmodi venditionem, & oppignorationem simul complectitur, nec seipsam destruit, nec implicat contradictionem, nec creditor fit eodem tempore dominus irrevocabilis, & non dominus. Nec feliciùs Hothomanus *de verbis juris, verbo Lex commissoria*, rationem prohibitionis ex eo reddit, ne quod Principis auctoritate fieri debet, *ex l.* 1. *C. de jure dominii impetr.* privatorum pactionibus permittatur: cui consentire videntur Revardus *de auctorit. prud. cap* 5. Schisordeg. *dict. tract.* 13. *quæst.* 2. dum existimant, adhuc fiduciâ contractâ necessarium esse creditori impetrare dominium à Principe, *ex l magis* 5. §. 3. *ff. de rebus eorum*, *l. final. C. si in causam judic.* Sed omisso alio misero lapsu ipsius Hothomani, dum ibi refert legem commissoriam inter leges populi Romani, quem jam notarunt Cujacius *lib.* 15 *observ. cap.* 16. & *in recit. ad dict. l. ultim. ff. de contrah. emptione*, Faber *decad.* 21. *error.* 1. *num.* 13 & ipse agnovit *lib* 12. *observ. capite* 29. dicendum est, proprium esse mancipationis, vel cessionis in jure dominium transferre; unde tunc non ex privatorum voluntate tantùm, sed ex solenni actu dominium quæritur; ideo tunc superflua est dominii impetratio ab Imperatore, ex vulgari principio legis unicæ, *C. de thesaur. lib.* 10.

10. *Traditur vera ratio præsentis prohibitionis.*

Igitur omnibus his omissis præsentis prohibitionis pacti legis commissoriæ in pignoribus ratio duplex est. Prima ut creditorum avaritia cohibeatur, & captionibus succurratur. Hæc enim conventio juxta formam suprà relatam fœneratoribus maximam doli, & fraudis materiam præbebat; debitores enim pecuniæ necessitate coacti, nec hanc, nec aliam quamlibet pactionem recusare solent, dum sperant se pignus intra tempus præfinitum luere posse; unde parum sua interesse putant pluris, aut minoris pignus esse, ut notarunt Caldas *in l. si curatorem, verbo Sua facilitate*, *num.* 101. Donellus *in dict. l. ultima*, *num.* 4. & *de pignor. cap.* 11. Cujacius *ad titulum de pactis pignor. in fine.* In qua tamen re, ut spes hominum fallax est, qui de rebus suis plusquàm in eis est, confidunt, ut ajebat Gajus *in l. in fraudem* 10. *ff. qui & à quibus*, & testatur Ovidius dum ait:

Fallitur auspicio spes bona sæpe suo.

Debitores sæpissimè falli necesse fuit, & pignora quantumvis pretiosa pleno jure creditoribus committi. Unde obiter notandus venit Faber dum *in dict. decad.* 21. *error* 1. *num.* 19 & *error* 6. docet pactionem hanc legis commissoriæ non fuisse odiosam debitoribus, sed potiùs favorabilem, cùm eis solutâ pecuniâ statuto die res ipsis erat remancipanda à creditore. Nam hoc procedit solvente sua die debitore, sed si cessaverit, nonne pro modica pecunia creditor rem pretiosam pignori datam assequitur? Secunda ratio præsentis improbationis provenit ex eo, quia ex hoc pacto pravitas usuraria insurgit, cùm creditor lucretur ultra sortem aliquid pecuniâ æstimabile; atque ita, tanquàm usuraria conventio improbatur à Constantino *in d. l. unic.* & ab Innocentio III. in præsenti: docuerunt Cujacius & Donellus *in dict. l. unic.* Covar. *libro* 3. *var. capite* 2. *num* 8. Fachineus *lib.* 10. *controv. capite* 73. Caldas *ubi proximè*, *num.* 101. Molina *de justitia disput.* 324. *num.* 2. Cyriacus *tom.* 2. *controv. cap.* 393. *num.* 10. Leothardus *de usur. dict. quæst.* 69. unde nec consuetudine, aut statuto posse talem conventionem confirmari, resolvit Argentreus *in consuet. Britan artic.* 266. *num.* 6. An etiam tale pactum repugnet juri naturali, aut divino, post alios latè disputat Gibalinus *dict. artic.* 13. *consect.* 4. *num.* 23.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt pacta contrahentium servanda sint, quia ipsa sunt leges, & partes contractus; tamen id procedit cùm pacta sunt juri consona, non verò contraria, *l. juris* 7. §. *aut Prætor*, *ff. de pact.* ut est præsens conventio, quæ ideo jure improbatur, quia non liberè, sed adactus rei familiaris inopiâ ita pactus censetur debitor; & eadem inopia facit plerunque, ut ad diem statutam pecuniam solvere non possit. Consideratur etiam improba lucri captatio, & præsumptus creditoris dolus; ideoque talis conventio improbatur. Nec obstat primum augmentum ipsius difficultatis, pro cujus solutione in dubium vocatur, utrum Constantinus *in dict. l finali*, non solùm legem commissoriam in pignoribus, verùm etiam & in venditionibus improbasset? Et Hothomanus *de verbis juris*, *verbo Lex commissoria*, Concius *lib.* 2. *succes. cap.* 20. Gisanius *ad titul. C. de pact. pign. pag.* 326. putant Constantinum generaliter pactum legis commissoriæ improbasse, cùm indefinitè loquatur in ea lege, prout jacet in Codice Theodosiano, sub titulo *de lege commis. rescind.* Sed prorsus verius est, legem commissoriam tantùm in pignoribus esse abolitam: nec credi potest, ut ait Donellus ibi, similem conventionem in venditionibus improbasse. Nec interest quod Constantinus indistinctè loquatur in eadem lege prout jacet in Codice Theodosiano: nam ut suprà ex Harmenopulo, & synopsi Basilic. retuli, Imperator specialiter agebat de pignoribus, & ideo expendit acerbitatem creditorum, nullâ venditionis facta mentione; nec talis acerbitas in venditione datur: unde dicendum est legem commissoriam in pignoribus esse abolitam: nec credi potest, ut ait Donellus ibi, similem conventionem in venditionibus improbasse. Nec interest quod Constantinus indistinctè loquatur in eadem lege prout jacet in Codice Theodosiano: nam ut suprà ex Harmenopulo, & synopsi Basilic. retuli, Imperator specialiter agebat de pignoribus, & ideo expendit acerbitatem creditorum, nullâ venditionis facta mentione; nec talis acerbitas in venditione datur: unde dicendum est legem commissoriam in pignoribus, prout eam retulimus *in cap. illo vos*, *hoc tit.* improbatam non esse, ut defendunt Covar. *lib.* 3. *var. cap.* 8. *num.* 1. Gomez *lib.* 2. *var. capite* 2. *num.* 30. Molina *de justitia tract.* 2. *disput.* 378. Mantica *de tacitis lib.* 4. *tit.* 29. Donellus *lib.* 16. *capite* 19. Leothardus *dict. quæstion.* 69. *num.* 34. Gibalinus *dict. consectar.* 4. Differentiæ autem

11. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

rationes

rationes inter utramque legem commissoriam præcipuæ duæ sunt. Prima, quia lex commissoria in pignoribus dominium à debitore invito aufert, & in creditorem transfert: lex verò commissoria in venditione dominium venditori conservat. Secunda est, quia lex hæc rem venditori suo adjicit justo pretio, ut proinde nulla fraus existat emptoris, vel venditoris, si ob non solutum pretium rescindatur; quod secus est in pignore, cùm plerunque pro pauca pecunia mutuata creditori addicatur; qui enim pecuniæ inopiâ premitur, facilè quamlibet legem à creditore sibi dici patitur, & cuilibet pactioni consentit, ob spem futuræ luitionis. Quæ ratio cessat, cùm emptio, & venditio resolvitur, & res fit inempta, ut docet Larrea *dicis. 16. num. 34.* Nec differentiam hanc evertit textus *in l. Æmilius 38. vers. Quia tamen ff. de minor.* ubi Paulus refert legem commissoriam in venditione Imperatori Antonino displicuisse, non aliâ ratione, quàm quia odiosa hæc pactio videretur; atque propter hanc conventionem venditio aliàs legitimè contracta irritatur. Nam omissa sententiâ Fabri *decad. 21. error. 6.* qui contendit legem commissoriam olim odiosam fuisse in venditione, non verò in pignore, dicendum est, Imperatori Antonino generaliter legem commissoriam non displicuisse in venditione, sed tantùm in specie à Paulo ibi relata, propter avaritiam videlicet, cùm convenit, ut solutâ parte pretii, si intra duos, vel tres menses reliqua pars non numeretur, fundus sit inemptus, ut *in l. 4. §. 1 l. 6 in princip. ff. de lege commissor.* quia hoc casu cùm emptor, qui reliquum pretii statuto die non solvit, amittat id quod dedit, & venditor lucrifaciat, utraque ratio suadet legem commissoriam in pignoribus esse improbandam. Concurrere etiam videtur in præsenti venditione; nam sicut iniquum est, ut non solutâ statuto die pecuniâ debitor pignus magni valoris amittat; ita etiam non minus injustum est, ut emptor, qui fortè ob causam aliquam integrè solvere non potuit, ob non solutum reliquum pretii amittat id, quod dedit in partem pretii. Præterea, ut usura est ob non solutam sua die pecuniam creditorem id lucrifacere, quod plus est in pignore; ita prorsus usura est venditorem ob non solutam sua die reliquam pretii partem, id quod numeratum est, captare, & retinere. Unde meritò ea conventio displicuit Imperatori Antonino *in dict. l. Æmilius*, nisi in eo casu aliquid fortè arrhæ nomine datum fuit, vel compensatio fiat cum fructibus, quos interim emptor suos facit, ut docetur *in d. l. 4. § 1.* vel alio modo venditoris interfit. Prosequuntur ipsius textus expositionem Eguinarius Varo, Faber, & Cujacius *ibi*, Duarenus *ad titulum C. si adversus venditionem pignor. column. 2. & 3.* Donellus *lib. 24. comment. cap. 7.* ubi Osualdus *litteras H.* Caldas *in dict. l. si curatorem, num. 49.* Leo Pinellus *in præsenti.*

VI. Respondentur aliæ difficultatum.

Nec obstat secundum augmentum ipsius difficultatis, pro cujus solutione examinandum venit, utrum conventio illa, ut si intra statutum tempus pecunia non solvatur, pignus ex causa soluti retineatur pro quantitate debita, licita sit? Et in jure admitti docuerunt Decius *consilio 12. & 308.* Parisius *libro 2. consilio 81.* Menochius *consil. 111. numero 23.* Hondedeus *lib. 1. consil. 21. numero 32.* Sed contraria sententia verior est, facileque probatur *ex l. 1. C. de pactis pignor. l. quamvis 45. ff. de solut.* ex eo, quia talis conventio æqualem captionem, ac asperitatem habet ac lex commissoria, cùm vis & potestas utriusque pacti eò recidat, ut creditor pro debito ad diem non soluto consequatur dominium pignoris; & si hæc pactio titulo in solutum admitteretur, facilè Constantini prohibitio elidi posset; quod admittendum non est, *l. ultim. C. mandati*: & omne quod in fraudem legis fit, nullius est roboris & momenti, *l. si libertus, in princip. ff. de jurepatron. l. hoc modo, ff. de condit. & demonstr.* latè probant Rodriguez *de an uis reddit. q. 2. numero 24.* Mudeus *ad titul. de lege commissoria, numero 2* Leothardus *ubi suprà, quæst. 10. numero 17.* qui numeris sequentibus satisfacit fundamentis contrariæ sententiæ. Et prædictæ difficultati dicendum est, quod quoties non designato justo pretio postea æstimando pactum opponitur, captiosum esse, ut usurarium intelligi, cùm evenire possit, ut rem eximii pretii pro exiguo debito lucretur; ut docet Bachovius *lib 1 de pignor. capite 15 numero 7.* quod & ante Constantinum statutum fuisse, constat *ex dict. l. si fundus 16. §. finali*, & docent Accursius *ibi*, Donellus *in l. final. C de pactis pignor. numero 4.* I. Mister. *de leg. commiss quæst 6* Negusant. *de pignor. 4. p. princip. numero 2* Sed cùm pretio justo postea designando pactum adjicitur, justè interponitur. Nec etiam obstat textus *in dict. l. si fundus 16. §. ultim ff. de pignor.* nam licèt lex commissoria esset improbata jure Digestorum, eo casu, quo pro debito pignus creditori committitur, tamen propter justi pretii interventionem convalescit, ut docuit Accursius *ibi*, cui consentiunt Covar. *dicto cap. 2, numero 7.* Morla *in empor. p. 1. tit. 9 quæst. 9 à numero 16* Gutierrez *de jurament. 2. p. cap. 33. numero 4.* Mantica *d. lib. 11 tit. 10. num. 29.* Quæ sententia probatur jure nostro Regio *ex l. 41. tit. 5. partit. 5. & in l. 12. tit 13. ead. partit.* Nec eo casu dari propriè pactum legis commissoriæ probarunt Baldus *in l. 1. numero 2. C. de distract. pignor.* Hothomanus *lib. 2. epit. titul 1. num 9. & in l. ultim. C. de distract. pignor.* ubi Gifanius *pag. 401.* Nec audiendus est Faber *ubi suprà*, qui totum versiculum illum Triboniani esse affirmavit, etsi textum aliter accipiant Cujacius *in l. 2. § 1. de contrah. emption.* Osualdus *lib. 13. cap. 1, litt. O.* Masius *lib. 3. singul. opin. cap. 9. 10. & 12.* Nec obstat ultimum difficultatis augmentum; licèt enim plures docuerint legem commissoriam in pignoribus jurejurando firmari, quos referunt & sequuntur Tiraquellus *de retract. convent. in fine, numero 21.* Seraphinus *de privileg. juram. cap. 131. numero 13.* Menchaca *de succes. lib. 5. §. 28. numero 47.* Fachin. *libro 10. controv. cap. 13* Hondedeus *consil. 31. numero 56.* verior sententia est, conventionem hanc jurejurando non confirmari. Quamvis enim juramentum huic pacto adjectum, nisi remittatur, servandum sit, cùm sine detrimento salutis æternæ servari possit, non tamen ea vis juramenti est, ut pactum improbum, & à jure damnatum confirmare valeat, licèt ad evitandam perjurii exceptionem sit necessaria absolutio, & proinde potent debitor petere, ut jurejurando solvatur, vel si illud servaverit, non possit repetere, ut de promissione usurarum juramento firmata, probavi *in cap. 1. cap. debitores, de jurejur.* ita docuerunt Covar. *in dict. capite*

quamvis, 2. *part.* §. 3. *de pact. lib.* 6. Gutierrez *de juram. confirm. p.* 1. *cap.* 33. *num.* 2. Morla *in empor. p.* 1. *tit.* 9. *quæst.* 14. Gaitus *de credito p.* 4. *quæst.* 49. *num.* 1112. Merenda *lib.* 1. *controv. cap.* 3. *num.* 4. Cyriacus, & Leothardus *de usuris quæst.* 70. *numero* 28. Nec obstat, quod dicebamus juramentum in præsenti specie servari posse sine dispendio salutis æternæ, & per consequens pactum legis commissoriæ jurejurando confirmari; quia licèt jure hoc attento, cùm quæritur, an juramentum servari debeat, tantùm attendatur, an sine dispendio salutis æternæ servari possit necne, rectè tamen Interpretes observant, non eandem semper, & in omnibus, & ubique jurisjurandi vim esse. Aliquando enim accidit, ut conventio alioquin nulla, & illegitima jurejurando confirmetur, ut sunt conventiones omnes, quæ contra prohibitiones Vellejani, legis Juliæ, & similes factæ sunt, quas ob auctoritatem jurisjurandi jus Pontificium tuetur. Aliquando verò ad id tantùm prodest juramentum, ut perjurii exceptionem inducat, non etiam ut contractum sustineat odiosum, & à legibus prohibitum, ut exponit Faber *dict. decad.* 21. *error.* 8. *numero* 2. Hujus generis sunt conventiones illæ, quæ odio creditoris improbantur, & quæ rem ex se nefariam, & illicitam continent, ut est promissio usurarum, quæ juramento non confirmatur, quamvis jusjurandum servandum sit, & relaxatio petenda, *dict. capite debitores, de jurejurand.* Ejusmodi etiam est pactum legis commissoriæ in pignoribus, quod non solùm legibus prohibetur, verùm & suâ naturâ nefarium est, & fraudibus plenum, ut probat Baëza *de inope debitore cap.* 6. *numero* 9. unde similis conventio jurejurando firmari non potest, ut latiùs prosequuntur Leothardus *dict. quæst.* 70. Leo Pinel. *in præsenti ex num.* 58.

12. *Exponitur textus in l. si Titius 34. ff. de pignor.*

Sed suprà traditis obstat textus *in l. Titius* 34. *ff. de pignor.* in illis verbis: *Ut fundum certo pretio emptum haberet.* Ex quibus deducitur, licitam esse illam conventionem, ut pignus pro debito committatur, pecuniâ non solutâ suo tempore. Pro cujus textus solutione sciendum est, nonnullos Interpretes asseruisse, præsentem prohibitionem locum non habere, si pactum legis commissoriæ ex intervallo adjicitur, cùm nullâ necessitate pecuniæ premitur debitor: ita docuerunt Bartolus, & Baldus, Negusantius, & alii, quos refert & sequitur Mantica *de tacitis convent. libro* 11. *titul.* 10 *numero* 2. Sed contrariam sententiam, videlicet nihil interesse, an pactum legis commissoriæ in pignoribus adjiciatur ex intervallo, vel in continenti, docuerunt Caldas *de emption. cap.* 11. *numero* 19. Faber *decad* 21. *error.* 2. Covar. *lib.* 3. *var. capite* 2. *numero* 8. Mudeus *de pignor. titul. de lege commiss. num.* 22. Leothardus *de usur. quæst.* 70. *num.* 2. & meritò, cùm eadem ratio asperitatis, & fraudis deprehendatur in hac conventione, sive ab initio, sive ex intervallo apponatur; & debitor, qui ad solutionem pecuniæ creditæ jam urgetur, improbam hanc legem subire æqualiter cogatur. Nec contrarium probatur *in dict. l. Titius* 34. nam ibi non agitur de pacto legis commissoriæ, sed de purâ, & præsenti datione in solutum, seu venditione cum certo pretio facta, quæ prorsus admittitur, *l.* 12. *ff. de distract. pign. l.* 1. *l cum dominam* 13. *C. de pignor.* Quo modo etiam accipiendus est textus *in l. quamvis, ff. de solut.* quo modo textus illos exponunt Balduinus *de pignor. capite* 17. Pinellus *in rubric. C. de rescind.* 2. *part. capite* 1. *numero* 29 Rodriguez *de annuis reddit. quæstion.* 2 *numero* 37. Leothardus *dict. quæstion.* 70. *numero* 3. Arias de Mesa *libro* 1. *var. capite* 37. Leo Pinellus *in præsenti, num.* 5.

13. *Exponitur l. ult. ff. de contrah. emption.*

Secundò obstat textus *in l. ultima, ff. de contrah. emption.* ubi approbatur pactum illud, quo cavetur, ut debitore suâ die pecuniam non solvente, pius emptum censeatur. Igitur quia pactum legis commissoriæ omnino non improbatur in pignoribus. Pro cujus textus expositione sciendum est, controversum esse, an si lex commissoria non adjicitur ipsi rei pignoratæ, sed alii, pactum eo casu defendatur? Et plures ex antiquioribus, quos refert Mantica *dict. titul* 10 *num.* 12. existimarunt cessare præsentem prohibitionem, si res, de qua agitur, non sit pignori obligata. Sed contrariam sententiam meritò docuerunt Covar. *dict. capite* 2. *numero* 8. Caldas *ubi suprà, numero* 101. Rodriguez *dict. quæst.* 2. *numero* 30. *dict. quæst.* 70. *numero* 8. nam ratio præsentis prohibitionis, videlicet ut coerceatur asperitas creditorum, æqualiter procedit cùm res, quæ legi commissoriæ subjicitur, pignori, vel hypothecæ data est, ac cùm pignori non datur. Nec contrarium probatur *in dict. l. ultim ff. de contrah. emption.* nam in eo textu non quærebatur ab Scævola, an conventio illa subsisteret ex eo, quod prædia essent, vel non essent obligata fidejussori eo tempore, quo fidejussit, & conventio celebrata fuit, ac per consequens parum favet contrariæ opinioni; tantùm enim ibi docetur, quod licèt fidejussori minimè liberum sit emere pignora debitoris pro quo fidejussit, *ex l. si mandato* 59. §. 1. *ff. mandati, l Paulus, ff. de fidejuss. l.* 1. *C. de dolo*; virtute tamen conventionis, ut fidejussor prædia pignori data empta haberet, posse fidejussorem solventem pro reo principali, ex causa emptionis prædia illa retinere; quo casu cessat ratio præsentis prohibitionis, cùm creditor ultra sortem principalem nihil recipiat, fidejussor verò ex juris communis regulis, postquam pro reo principali solvit, possit ad emptionem prædiorum agere, *l.* 2. *ff. de distract. pignor.* Eo tamen casu luendi facultatem debitori competere, *ex dict. l.* 59. §. 1 *ff mandati, l.* 1. *C. de dolo*, rectè notavit Leothardus *dict. quæst.* 70 *num.* 12. qui prosequitur latiùs ipsius textus expositionem post Cujacium *ibi*, & Leonem Pinellum *in præsenti.*

14. *Exponitur l ult. C. de distract. pignor.*

Tertiò suprà traditis obstat textus *in l. ultim. C. de distract. pignor.* ubi cùm quæreretur, an si creditor plus ex venditione pignoris redegerit, quàm ei deberetur, & ex eo fundum emerit, an possit debitor in rem agere? Respondet Imperator, in personam tantùm, ideò pignoratitiam actionem ei de superfluo competere, nisi aliud specialiter conventum sit. Igitur speciali pacto caveri potest, ut ultra sortem principalem quod supereret, lucro creditoris cedat, & per consequens pactum legis commissoriæ, ut usurarium non improbatur. Cui difficultati respondendum est, verba illa, *Si non specialiter conventum sit*, non esse accipienda de ea conventione, ut quod ex venditione pignoris redigeret creditor, id sibi totum haberet, ut voluit Cujacius; sed de pacto, ut si quid ex superfluo

pignoris

pignoribus creditor compararet, esset debitoris, ut rectè id docuit Accursius, quem sequitur Leotharduſ*de usuris quæst. 69. n 38.* & tunc virtute talis conventionis potest debitor agere ad rem ipsam emptam ex residuo pretii, quod supererat solutâ sorte principali. Prosequuntur hujusmodi pacti legis commissoriæ in pignoribus exceptiones, & ampliationes, novissimè Gibalinus *dict. lib. 3. de usur. cap. 7. art. 13. per totum*, Leothardus *de usur. quæst. 70. per totam.*

CAPUT VIII.

(a) Gregorius IX.

CUm constet I. mulierem uxorem Ogerii quoad usumfructum filio suo (b) successisse in bonis, quorum proprietas ad M. mulierem uxorem C. dignoscitur pertinere: Mandamus quatenus eam ad cautionem (c) idoneam exhibendam, quod utatur, & fruatur salvâ rerum (d) substantiâ rebus immobilibus, quæ usu non consumuntur, ad (e) arbitrium boni viri: (f) pecuniam verò, si quam habuit, vel habebit, ac æstimationem bonorum, quæ consumuntur usu, & in hæreditate inventa fuerint, in morte sua dictæ mulieri, vel hæredibus ejus restituat, per censuram ecclesiasticam compellatis.

NOTÆ.

1. (a) *Regorius.*] Non exprimitur cui rescribat Pontifex; illud credo, rescribere aliquibus judicibus ecclesiasticis, vel sæcularibus illius provinciæ, quæ tam in spiritualibus, quàm temporalibus parebat Ecclesiæ; aliàs de negotio merè temporali, & inter laicas personas disceptato, ad quid necessarium erat adire judicium Ecclesiæ? Illud enim notandum est, constitutionem hanc spectare ad secundam partem hujus rubricæ, ibi: *De aliis cautionibus.* Quæ verba propter præsentem constitutionem à se editam addere jussit Gregorius IX.

2. (b) *Successisse.*] Immò ususfructus morte finitur, nec in eo datur successio, *l. liber C. 3. de usufructu l. 1. § si impuberi 21 ff. de collat. bonor. l. corruptionem, C. de usufruct. § finitur, Instit. eodem*, ubi plura Institutarii Cùm hoc principium pro rostris disputandum proponitur, in contrarium acutè expendi solent textus *in l. si usufructu 21. ff. quibus modis ususfructus, l. generali 32 §. filius, & §. hæredis. ff. de usufruct. legat. l. si servus 18. §. cùm servus, ff. de stipul. servor. cum l 1 l. sed etsi 25. §. si operas, ff. de usufruct. l. si rem 62 §. si fundum, ff. de evict. l. uxori 35 ff. de usufruct. legat. l. a reo 70. §. reo, ff. de fidejuss. l. Sempronius 26. de usufruct. leg. l. computationi 68. pr. vers. sic denique, ff. ad legem Falcid. l in singulos annos 8. l. cum in annos 11. ff. de annuis legat. l. Stichum 95. §. usumfructum, ff. de solut. l. usufructu, solut. matr. l. usumfructum, ff. de usufruct. leg. l. in fundum 21. ff. de jure dot. l. 5. ff. de operis libert. l. 1. §. ususfructus, ff. ad leg. Falcid. l. 7. ff. de evict. l. publica 4. ff. de remiss. l. 3. § sed si habenti, ff. de legat. 3. l. 8. l. Mela 14. l. 20. §. Titia, ff. de aliment. legat. l. & post litem 12. §. 2. ff. famil. erciscund. l. si fundus 16. ff. de evict. l. mulieri 74. ff. de condit. & demonstr.* Ergo in præsenti non rectè supponitur dari successionem in usufructu. Cui difficultati ut satisfaciant repetentes in præsenti, varios casus huic decisioni assignarunt. Certè plures adaptari possunt; ille facilè supponi valet, videlicet filium testamentum fecisse, & in eo usumfructum I. mulieri Ægidii reliquisse; proprietatem verò ipsius rei M. & ita ex ipsa institutione, non verò continuata successione usumfructum rerum filii ad I. matrem ejus pervenisse.

3. (c) *Cautionem idoneam.*] Sed quænam cautio præstanda sit, meritò dubitatur; quod enim nuda promissio sufficiat, probatur; tum quia cautionis nomine nuda, & simplex promissio significatur, *l. sancimus 3 C de v. s.* & cautionem per stipulationem præstari docetur *in l. 1. §. 1. ff. hoc titul.* Sed verius est, nudam promissionem non sufficere, ut probant Donellus *lib. 10. comment cap. 14.* Galbanus *de usufructu cap. 19.* Ratio est, quia jus à fructuario satisfactionem exigit, *l. huic 5 §. 1. ff. usufructuarius, l. si cujus 13. in princip. ff. de usufruct. l. 4. C. eodem.* & eam Consulti cautionem passim appellant, *l. 1. dict. l. huic 5. §. ultimo.* Satisdatio autem in jure accipitur pro ea, quæ fit datis fidejussoribus, *l. 1 ff. qui satisd. cog. l. tribus 8 ff. de usufruct. earum rerum, l. 1. §. jubet. de collat. bonor.* Tum quia hæc cautio debet esse idonea, ut in præsenti docetur; idonea autem cautio in jure dicitur, quæ fit datis fidejussoribus, vel pignoribus, *l. si mandatu, §. final. ff. mandati, l. 4 §. 8 ff. de fideicommiss. libert. dict. l. 1. qui satisd.* Unde rectè Doctores tenent, cautionem hanc accipi pro ea, quæ fidejussoribus datis præstatur. Mancius *ad titulum ff. de usufructu, numero 46.* Gabriel de Bellis *de usufructu cap. 3. §. 4* Velascus *de privil. pauper. part. 1. quæst. 57.* Marinis *tom. 1. decision. 208.* Castillo *de usufructu cap. 18* Accedit, quod cautio ista desideratur ad securitatem proprietarii: sed dominus proprietatis securior non redditur nuda promissione, sed fidejussoribus datis: ergo cautio fidejussoria præstanda est. Et licèt cautio indistinctè à fructuario petatur *in l. 1. ff. usufructuarius quem. l. 1 C. de usufr* tamen pro idonea, quæ fit fidejussoribus præstitis, est accipienda: unde, si ususfructus re tradita satisdatus non sit, erit in electione proprietarii rem vindicare, vel stipulationem fidejussoribus datis condicere. Sed an pignoribus datis utiliter caveatur, quæri solet, ex eo quia cautio hæc fructuaria prætoria videtur, cùm Prætor fructuarium satisdare jubeat,

jubeat, *l. 1. in princip. dict. l. huic* 5 §. 1. *f. si usufructuarius.* Prætoriæ autem satisdationes personas desiderant fidejussorum, nec cum pignoribus pecuniæ, vel auri depositione utiliter præstantur, *l. prætoriæ 7. ff. de prætor. stipul.* & meritò, quia custodia pignorum molesta est, vel quia incertum, quæ, & qualia pignora deponere necesse sit; & quia ipsa distractio pignorum difficultatem in se continet; & tandem quia creditor non est cogendus suscipere onus, & periculum custodiæ ipsorum pignorum. Verumtamen contraria sententia placet, videlicet cautionem hanc fidejussoribus, vel pignoribus datis utiliter præstari. Ratio est, tum quia idonea cautio in jure passim dicitur, quæ fit pignoribus captis, ut *in l. si mandato* 59. §. *ultim. ff. mandati, l.* 1. § *jubet autem* 9. *ff. de collat. bonor. l. promissor* 21 §. 1. *ff. de constit. pecun.* Tum quia ad evitandum onus præstandi fidejussores, sufficit quandoque bona immobilia possidere, *l. penult. ff. qui satisd. cog.* & plerunque plus cautionis est in re, quàm in persona, *l. plus* 25 *ff. de reg. jur.* Nec obstat contrariæ sententiæ primum fundamentum; nam licèt hæc cautio edicto Prætoris sit comparata, tamen judicialis est, cùm officio judicis præstetur, *dict. l.* 1. *si usufructuarius*; & in judicio, quod inter proprietarium, & fructuarium movetur, *l si usus* 13. *ff. de usufructu*; aut quia proprietatis dominus rem repetebat à fructuario, quia cautionem non præstiterat, ut *in l. usufructus* §. *verò*, & *in l. ultim ff. usufructuar. quemadmodum*: docet Galbanus *de usufructu capite* 19. *in fine.* Circa cautionem verò præstandam in usufructu earum rerum, quæ usu consumuntur, certum est, eam Senatusconsulto inventam esse, *l.* 2. & 3 *ff. de usufructu earum rerum* Quid autem si ob paupertatem, vel similem difficultatem nequeat fructuarius fidejussores invenire, neque pignora dare? an cum juratoria cautione admittendus sit, non leve dubium est? Affirmant innumeri congesti à Barbosa *tom. 6. in select. ad hunc textum.* Negant quamplures congesti à Salgado *part. 1. labyrinth. capite final. ex numero* 5; & à Marinis *tom. 1. decis* 208. Inter utramque opinionem, & alias, quas referunt Mancinus, & Gabriel de Bellis *ubi proximè*, libenter adhæreo Menochio *de arbitrar. casu* 139. *numero* 1. qui rectè docet, id arbitrio judicis relinquendum esse, cùm magna sit personarum, rerum, & temporum varietas. Judex enim perpensis omnibus circumstantiis, præsertim ubi periculum deteriorationis, vel corruptionis timetur, aliquando tamen juratoriam cautionem ab usufructuario exiget, aliquando si periculum immineat, proprietarium, tanquam custodem usufructuario adjungere valet, vel si lis timetur, rem fructuariam sequestrare jubebit, *l. sed etsi* 5. §. *quotiens, ff. de Carbon. edict.*

(d) *Substantia.*] Juxta definitionem ususfructus adductam à Paulo *in l.* 1. *ff. de usufructu*, Justiniano *in princip. Institut. de usufructu*: quam ultra repetentes ibi, & Castillum, Galbanum, Mancinum, & Gabrielem de Bellis de usufructu scribentes, exponunt Donellus *libro* 10. *comment. capite* 8. Pinellus *in l.* 1. 2 *part. C. de bonis matern.* Alciatus *in l. rectè, ff de v. s.* Leotardus *de usuris quæst.* 51. Faber *libro* 15. *conject. capite* 8. Robertus *libro* 3. *recept. sentent. capite* 18. Morla *in emporio, titul. de servitut. quæst.* 1. Bronchorst. *cent.* 1. *assert.* 86. Amaya *in l. unic. C. de vendit. rerum, libro* 10 Hothomanus *libro* 3 *observ. capite* 22. Scipio Gentilis *de bonis matern. capite* 6. Hunnius *ad Treutl. volum* 1. *disputat.* 16. *quæst.* 4. Corrasius *lib.* 5. *miscel. capite* 3. Wisembach. *disputat.* 12. *thesi* 2 Vela *decis.* 47. circa quam, & ejus materiam observandi sunt textus *in l. si cùm duorum* 32. *ff de stipul. servor. l. cum ita* 16. §. 1. *quando dies legat. l. & per jusjurandum* 13. §. *si quis usumfructum, ff. de acceptil. l. non quocunque*, §. *fundus, de legat.* 1 *l. inter* 44. §. *penult. ff. famil. ercisc.* cui obstat lex 30. cum lege *is qui*, sequenti, *de usufruct. legat. l. planè* 34. §. *penult. ff. de legat.* 1 *l. ultim. ff. si cui plusquam per legem, l.* 2 *ff de adimend. l. si cum* 21. §. *si fundum, ff. de except. rei judic. l.* 3. §. *ultimo, cum l. sequent. ff. quæ in fraudem credit. l.* 3 § *si ex noxali, l.* 2. §. 1. *ff pro empt. re, l cùm in fundo* 78 § *quod si mulier, ff de jure dot.*

(e) *Ad arbitrium boni viri*] In vero usufructu cautio hæc duas continet clausulas. Prima de utendi modo, quâ promittit usufructuarius, usurum esse arbitrio boni viri, *l* 1. §. *cavere. ff usufruct. quemadmod.* ideest, quod re utetur juxta ipsius conditionem, non vero re abutetur, aut eam mutando, aut deteriorem reddendo, & ut rem custodiat, oneraque ipsius subeat, & alia, quæ paterfamilias curare solet, faciat; hoc enim est uti alienis rebus boni viri arbitrio, *l.* 1. §. *cavere; ff usufructuarius quem l si cujus* 13. § *præterea, l. sed cum fructuarius* 65. *ff. de usufruct l fundi* 15. §. 1 *f. de usu & hab.* Licèt enim usufructuarius dominus sit, *l. uti frui* 5 *ff si usufr. pet. l.* 4. *ff. de usufruct* non tamen ita absolutè ut rem dissipare possit, sed potiùs eo moderamine, ut sciat re aliena uti. Donellus *dict. libro* 10 *cap.* 14. Faber *in rationali ad textum in dict. l* 1. § *cavere*, Merenda *lib.* 6. *controv. capite* 48. *per totum*. Mancius *ubi suprà, num.* 66. Secunda clausula est de restituendo; promittit enim fructuarius se restituturum id, quod finito usufructu extabit, videlicet rem; aut si ipsius culpâ perierit, ejus æstimationem, *l.* 1. §. 7 *ff. usufructuarius quem.* Gallius *lib.* 2. *observat. capite* 76. Quomodo tamen, & quibus casibus hæc cautio committatur, infrà exponemus. Illud certò liquet, quod prima pars stipulationis statim ac non utitur fructuarius arbitrio boni viri, committitur; altera verò neque statim, neque sæpiùs, sed demùm usufructu finito committitur.

(f) *Pecuniam.*] In rebus, quæ usu consumuntur, neutrum istorum, ideest de utendo re boni viri arbitrio, & ipsa restituenda, cavetur; sed hoc solùm, se finito usufructu tantam pecuniæ quantitatem, quantam acceperat, vel rem ejusdem valoris, & qualitatis, seu ejus æstimationem restituturum, *l* 2. *l.* 4. *l si uni 7. ff. de usufruct. earum rerum.* Ratio est, quia earum rerum, quæ usu consumuntur, usufructuarius dominus fit, & ita suo arbitrio eis uti potest, & eis utendo nihil remanebit quod restituatur, nisi eadem quantitas, vel alia res ejusdem æstimationis. Fachineus *lib.* 8. *controv. cap.* 43. nonnullæ enim differentiæ versantur inter usumfructum rerum fungibilium, & quæ usu non consumuntur. Prima, quia in his rebus tantùm quasi ususfructus constituitur in testamento, non verò inter vivos, *l.* 1. & 2. *ff. de usufruct. ear. rerum*

rerum; quia cùm ex natura hujus quasi ususfructus proveniat, ut dominium ipsarum rerum in fructuarium transferatur, isque tantundem restituere debeat, certè si hoc fieret inter vivos, nihil aliud celebraretur quàm mutuum. Secunda, quia in vero usufructu quis utitur re aliena, *l.* 1. *ff. de usufructu.* in quasi usufructu autem rebus propriis, quia illarum dominus fit, *dict. l. si vini* 7. Quatenus tamen in his rebus dominium secerni possit ab usu, exponit Theophilus Raynaud. *tom.* 4. *libro* 3. *de vitiis, sect.* 3. *cap.* 2. *fol.* 241. Tertia, quia in his rebus fungibilibus nihil interest, an ususfructus, an usus legetur, *l.* 5. §. *final. l. quoniam*, §. 1 *de usufruct. ear. rerum*: in vero usufructu usus ab usufructu separationem recipit, *l.* 1. *ff. de usu & habit.* Quarta, quia ususfructus verus finitur rei mutatione, cessatione, & consolidatione, § *finitur*, *Institut. de usufructu*: improprius verò tantùm morte, & capitis diminutione, non autem prædictis modis, aut rei interitu, vel non utendo. Tandem quia in his rebus fungibilibus quasi ususfructus admissus est ex Senatusconsulto remedio cautionis, *dict. l.* 1. §. *constituitur.* Circa quasi usumfructum rerum, quæ usu consumuntur, notandi sunt textus *in l.* 1. §. *si decem*, *l.* 6. *ff. ut in possessionem legat. l.* 1. *ff. de usufruct. legat. l. uxori* 24. *eod. titulo*, *l. ultim. ff. usufructuarius quemadmod. l. usufructu* 69 *ff. ad leg. Falcid l.* 1. *C. de usufruct. l. usufructu*, *ff. solut. matrim.* Ulpianus *tit.* 24. §. *Senatusconsulto*, ubi Cujacius, *l. Julianus* 9. §. *Marcel. ff. ad exhib. l. sed si* 11. §. 2. *ff. de jurejur. l. partis* 10. *ff. de præscript. verb. l. videamus* 19. *ff. de usur. l. in numerationibus* 44. §. 2. *ff. de solut. l.* 15. *ff. de auro & argent. l.* 32. §. *uxori*, *ff. de usufruct. legat. l. final. ff. si cui plusquam per legem*, junctis Castillo *de usufructu capite* 14. & 17. Galbano *de usufructu capite* 4. Mancio *ad titul. de usufructu earum rerum.*

COMMENTARIUM.

6. Conclusio traditur, & probatur.

EX hac Gregorii decretali sequens communiter deducitur disputanda assertio: *Usufructuarius cavere debet, quod utatur fruatur rebus immobilibus, salvâ earum substantiâ; & finito usufructu eas restituet, si extent aliàs ipsarum rerum æstimationem.* Probant textus *in l. si cujus* 13. *ff de usufructu*, *l.* 1. & *per totum ff. usufructuarius quemadmodum*, *l.* 4 *C. de usufructu*, *l. uxori* 24. *ff. de usufruct. legat. l. si pecuniæ* 6. *ff. ut in possess. legat. l. final. C. eod. titulo*, *l. final. ff. si cui plus.* Paulus *libro* 1. *sentent. titul.* 11. §. *ultim.* & *lib.* 3. *tit. de legat.* §. *usufruct.* Consonat lex 20. *tit.* 30. *partit.* 3. Illustrant ultra congestos in præsenti à Garanna & Barbosa, idem Barbosa *in l.* 1. & 4. *C. de usufruct.* Donellus *lib.* 10. *comment. cap.* 14. Cujacius *lib.* 7. *Pauli ad edict. in l.* 2. *ff. de usufruct.* & *lib.* 75. *in l. idem*, & *in l. si tibi* 8. *ff. eod.* & *lib.* 7. *respons. Papin. in l. usus*, *penult. ff. eod. titul* & *lib.* 38. *Digestor. Juliani in l.* 6. *ff. ut in possess.* Castillo *de usufructu capite* 17. Galbanus *eodem tractat. capite* 19. & 20. Gabriel de Bellis *eodem tract. capite* 3. §. 1. Mancius *ad titul. usufructuarius quemadmod.* Vinius *libro* 2. *selectar. capite* 19. Hunnius *ad Treutl. volum.* 1. *disputat.* 16. *quæstion.* 17. & *libro* 2. *variar. tract.* 7. *quæst.* 24. & 25. Sesse *tom.* 1. *decis.* 63. Moron. *responsi.* 63. Valenzuela *consil.* 29.

Sed hæc assertio difficilis valde redditur sequentibus juris considerationibus. Prima nascitur ex eo, nam fructuarius, sicut nemo alius, superfluâ cautione, præsertim quæ exigit fidejussores, onerandus non est, *ex l. hæc* 14. §. 1. *ff. ut legator.* sed superflua hæc cautio est, cùm satis prospectum sit domino proprietatis aliis juris remediis; igitur hac cautione gravari non debet fructuarius. Probatur minor; nam quoad primam clausulam cautionis de utendo boni viri arbitrio, apertè constat; siquidem si aliter fructuarius utatur, quàm boni viri arbitrio, proprietarius potest ipsum prohibere, ne ipsa re utatur, *l. sea si quid*, §. *proprietatis*, *ff. de usufructu.* Quoad secundam clausulam de restituenda re finito usufructu, proprietarius habet eo finito rei vendicationem, *l.* 7. *ff. usufruct. quemadmod.* Ergo superflua est hæc cautio. Accedit, nam præsens cautio præstatur per stipulationem, *l.* 1. §. 1 *ff. usufruct. quemadmod* Ergo nihil refert quod teneatur fructuarius virtute propriæ promissionis, aut ex natura ususfructus. Secunda difficultas nascitur ex eo, nam debitores conditionales, qui sub conditione aliquid debent, non tenentur interim cautionem præstare, *l. ultima*, *in fine*, *ff. quibus ex causis in possessionem*: sed usufructuarius est debitor conditionalis, videlicet si ususfructus finiatur: ergo non tenetur pendente conditione: scilicet durante usufructu, cautionem præstare. Tertiò etiam in præsentem assertionem ita insurgo. Cautio ista de restituendis ipsis rebus finito usufructu, repugnat juris principiis: igitur minimè admittenda, aut exigenda est. Antecedens probatur; nam ut suprà dixi, hæc cautio per stipulationem præstatur: sed stipulatio post mortem promissoris concepta, videlicet cùm quis promittit aliquid post mortem suam, nulla est, § *post mortem*, *Institut. de inutilibus*, ne incipiat obligatio ab hærede, quæ non cœpit à defuncto ejus auctore: ergo præsens cautio ut juris principiis contraria, repellenda est. Accedit, nam nemo rem suam sibi dari stipulari potest, §. *item*, *Institut. de inutilibus*: ergo proprietarius, qui est dominus rei fructuariæ, non potest stipulari à fructuario rem propriam, videlicet eam, in qua ususfructus constiturus est.

7. *Impugnatur prædicta assertio.*

Quibus difficultatibus minimè obstantibus vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, quod cùm usufructuarius deteriorem causam proprietatis facere non debeat, & æquum sit, reddi securum proprietarium, ideo Prætorem cavisse usufructuarium cogere cautionem præstare de utendo boni viri arbitrio, & de restituendo quod supersit finito usufructu: circa quam cautionem præcipuum dubium apud Interpretes est, an hujusmodi cautio sit de substantia ususfructus? Quod ut exponamus discrimen est constituendum inter cautionem, quæ præstatur in vero usufructu, & quæ intervenit in quasi usufructu. Circa primam certum est, non esse de substantia ususfructus, ut post alios probant Donellus *lib.* 10. *comment. cap.* 14. Galbanus *de usufr. cap.* 19. quæ sententia suadetur primò ex eo, quia in definitione ususfructus adducta tam à Paulo *in dict. l.* 1. *ff. de usufructu*, quàm Justiniano *in dict. princip. Institut. de usufr.* nulla mentio fit similis cautionis: igitur

8. *Cautio fructuariæ an sit de substantia usufructus*

quia non est de substantia. Secundò si esset de substantia, non posset à jure remitti illis personis, quibus remitti solet, ut infrà dicemus. Deinde hanc cautionem edicto Prætoris introductam esse refertur *in l. 1. ff. usufructus quemadmod.* Sed pluribus retrò annis ususfructus reperiebatur: igitur quia hæc cautio non est substantialis. Faciunt etiam plura juris testimonia, in quibus supponitur, cautionem præstari post constitutum usumfructum, immo & usumfructum finiri adhuc ea non præstitâ, *l. 1. §. illud, l. 3. §. desinere, ff. usufructuar. quemadmod. l. 4. C. de usufr.* igitur quia talis cautio non est de substantia. Nec obstat, quod cautione non præstita non competat usufructuario petitio ex titulo Digestorum *si ususfructus petatur, l. si cujus 13. §. usufructu. ff. de usufructu*: nec etiam potest fructus percipere ante præstitam cautionem, *l. si uxori 24 ff. de usufruct. legat. l. tribus 8. ff. de usufruct. l. 1. C. eod. l. 6. ut in possess.* Immò proprietatis dominus cautione non præstitâ à fructuario, vindicat, aut repetit rem ipsam, in qua ususfructus est constitutus, *l. etsi 7. l. ultim. ff. usufructuarius quemadmod.* Nam ea omnia evincunt, teneri usufructuarium cautionem præstare, non tamen usumfructum constitui non posse absque cautione; ut enim emolumentum percipiat fructuarius, debet cautionem præstare, non tamen prohibetur absque ea ususfructus constitui. Facit Paulus *libro 3 sententiarum, titul. de legatis, §. usufructu*, ubi ait, cautionem ab usufructuario præstari solere: igitur quia non desideratur pro substantia. Circa cautionem verò, quæ datur in quasi usufructu earum rerum, quæ usu consumuntur difficilior hæsitatio est. Et de substantia ususfructus esse, tenuerunt Bartolus, Paulus, Fulgosius, Alexander, & alii relati à Pinello *in l. 1. numero 25. ff. de bonis matern.* Angelus, Aretinus & alii relati à Castillo *de usufructu lib. 1. cap 15. numero* 25. pro quibus faciunt sequentia juris fundamenta. Primò textus *in §. constituitur, Institut. de usufruct.* ibi: *Sed per cautionem quasi usumfructum constituit.* Ubi docet Justin. usumfructum ipsâ cautione constitui; & probatur *ex l. 2. §. 1. ff. de usufruct. earum rerum*, in illis verbis: *Sed remedio introducto cœpit quasi ususfructus haberi.* Remedium enim pro cautione dixit Consultus, quia cautiones remedia appellantur, *l. Mutianæ 7. l. hæres meus 79. §. caveri, ff. de condit. & demonstr.* ergo talis cautio tanquam constitutiva quasi ususfructus substantialis est. Secundò facit textus *in l. 1. C. de usufruct.* ibi: *Oblatam secundum formam Senatusconsulti cautionem.* Ubi pro forma cautionem in hoc quasi usufructu deberi docetur. Facit tandem textus *in l. penult. ff. de usufruct. earum rerum*, ubi cùm agatur de hoc quasi usufructu, & de cautione in eo præstanda, hæc verba profert Ulpianus: *Sed ad Senatusconsultum erit descendendum, quod de cautione eorum loquitur.* Ex quibus deduci videtur, cautionem hanc substantialem esse quasi ususfructus. Contrariam tamen sententiam, quam ut veriorem amplectimur, videlicet, nec in hoc quasi usufructu cautionem esse de substantia, tenuerunt Glossa *in l. 1. C. de usufruct.* Azo *in summa, C. eod. titul. num. 2.* Immola *in præsenti, numero 18.* Castillo *de usufructu, capite 15. numero 26.* Besoldus *in delib. juris ad titul. usufructuarius, &c.* Galbanus *eod. tractat. capite 19. numero 14* & pro ea faciunt primò textus *in l. hoc 5. §. 1 ff. de usufruct. earum rerum*, ubi refertur, cautione non præstitâ, quasi usumfructum constitui & finiri: igitur quia absque ea consistere poterat. Secundò textus *in l. si tibi 6. ff. eod.* ubi Consultus ait, hanc cautionem à quasi usufructuario desiderari; satis innuens, ex necessitate eam non provenire; immò cùm ad similitudinem veri ususfructus iste improprius introductus sit, & in usufructu vero cautio essentialis non sit, nec in hoc improprio necessariò desideratur. Deinde, nam hæc cautio introducta est ad securitatem, non ut ea usumfructum constituat: ergo non est substantialis: quis enim dicat, quod si mutuo accedat fidejussor, fidejussorem esse substantialem mutui? Similiter ergo in quasi usufructu ratiocinandum est, cùm tantùm in eo differat mutuum ab hoc quasi usufructu, quòd mutuum est contractus inter vivos celebratus; at quasi ususfructus testamento constituitur. Retentâ igitur hac opinione, non obstant contrariæ sententiæ fundamenta. Non primum deductum *ex dict. l. 1. §. 1.* & *§. constituitur, Institut. de usufruct.* Nam respondendum est, eorum jurium verum sensum esse, quod Senatusconsultum inducto hoc cautionis remedio fecit, ut quasi ususfructus natura constitueretur: sed sicut in vero usufructu distinguitur substantia à natura, ita in quasi usufructu separatur; substantia enim quasi ususfructus in eo consistit, ut testator leget alicui facultatem utendi, & aburendi tali re fungibili: quo casu proprietatis loco habetur obligatio reddendi quantitatem, seu æstimationem finito usufructu, *l. 1 ff. de usufruct. ear. rerum* De natura autem impropriiususfructus illud est, ut accedat satisdatio, seu prædicta cautio; unde cùm ea, quæ sunt de natura actus, non omnia sint de substantia, ideo præsens cautio Senatusconsulto inducta non est substantialis, licèt sit de natura ipsius quasi ususfructus. Nec obstat textus *in dict. l. penult.* Nam respondetur, usum hujus cautionis Senatum introduxisse non pro substantia, sed ad naturam quasi ususfructus; nam licèt in usufructu vero cautio nec ad ejus naturam spectet, in improprio tamen ex natura ejus desideratur. Ratio differentiæ in promptu est, nam cùm in usufructu vero etiam non præstitâ cautione finito usufructu habeat proprietatis dominus vindicationem ad repetendam ipsam rem, non ita necessaria est cautio; in quasi usufructu autem cùm non detur talis vindicatio, necessaria est ad securitatem prædicta satisdatio. Nec obstat textus *in dict. l. 1. C. de usufructu:* nam ibi forma accipitur pro forma ipsius quasi ususfructus, ut *in l. inter 42 ff. de pact. l. in integr. 22. ff. de minor.*

9. *An hic cautio remitti possit?*

Huic quæstioni proxima est alia non minùs vexata, an videlicet hæc cautio à fructuario præstanda, remitti possit à testatore? Et remitti non posse, *ex l. penult. C. ut in possess. legat. l. 6. ff. eodem titul. l. 1. C. de usu fructu*, docuerunt Gailius *libro 2. observ. capite* 145. Castillo *de usufructu dict. capite* 15. Cujacius *in dict. l. penult.* Donellus *libro 10. capite* 14. ubi Osualdus *littera E.* Bronchorst. *enantioph. centur. 2. assert. 89* pro quibus etiam faciunt nonnullæ juris rationes. Prima, quia nemo potest facere quin leges in suo testamento locum

cum non habeant, *l. nemo* 55. *ff. de legat.* 1. nec privatorum cautionibus jus publicum lædi valet, *l. jus publicum, ff. de pactis, l. ultim. ff. de suis & legitimis.* Secunda, quia hæc remissio est contra bonos mores, siquidem invitat fructuarium ad delinquendum, hoc est non utendo boni viri arbitrio: quare ut juris dispositioni contraria attendi non debet, *ex l. filii* 15. *ff. de condit. & demonstr.* Tertiò, quia non potest testator hæredem proprium legis Falcidiæ beneficio privare, *l. quod bonis* 15 § *frater, l. Sejus* 27. *ff. ad leg. Falcid.* ergo nec beneficio hujus cautionis. Contraria tamen sententia, videlicet testatorem cautionem prohibere posse, non levioribus nititur fundamentis. Primò, quia quod potest fieri testamento. *Novel.* 22. §. *disponat testator, & erit lex*: sed lege remitti potest hæc cautio, ut statim dicemus: ergo & testamento remitti valet. Secundò quia quilibet potest jus pro se introductum remittere, *l. si judex* 41 *ff. de minor.* sed testator dominus est rerum hæreditariarum, *l.* 1. §. *sciendum, ff. de legat.* 3. §. *non solùm, Instit. de leg.* ergo potest prohibere hæredi ne cautionem exigat pro his rebus conservandis: ita docuerunt Alexand. *volum 6. consil.* 120. & *volum.* 3. *consil.* 58. Franc. Vivius *commun. opin. verbo Ususfructus.* In qua opinionum varietate Marc. Lyclam. *lib.* 7. *memb.... eclog.* 19 & Arnoldus Vinius *lib.* 2. *select. cap.* 29. novâ utuntur distinctione, discrimen constituendo inter cautionem fructuariam pro ea parte, quæ circa usum boni viri arbitrio versatur; & inter eam, quæ circa rei restitutionem finito usufructu vertitur. Quoad primam partem affirmant, cautionem remitti non posse à testatore: quoad secundam verò clausulam remitti posse, quia remanet proprietario aliud remedium, videlicet rei vindicatio, ad vindicandam rem finito usufructu. Noviter etiam Marcus Aurelius Galbanus *de usufructu cap* 20. discrimen constituit inter jus exigendi hanc cautionem, & usum ipsius juris; ita ut testator non possit remittere jus exigendi cautionem, usum verò remittere possit; & suprà relata utriusque sententiæ fundamenta accipit ita, ut quæ probant cautionem hanc remitti non posse, procedant respectu juris eam exigendi; quæ verò eam remitti posse evincunt, ad usum ipsius referantur. Illud verò notandum est, remisso à testatore jure exigendi cautionem, posse legatarium eam offerre, & usumfructum consequi, *l.* 6. *ff. ut in possessionem, l.* 1. *C. de usufruct.* licèt contrarium teneat Hunnius *ad Treutl. lib.* 2. *tract.* 2. *q.* 26. motus ex eo, quod contra legem fit, pro infecto haberi, *l. non dubium, C. de legibus*: nam in præsenti casu testator legando usumfructum non disponit contra jus, licèt contra illud faciat remittendo jus exigendi cautionem: unde rectè potuit constitui usufructus oblatâ cautione.

10. De per. jura à qui l. si cujus 13. in princip. ff. de usufruct. unde sive usufructus sit rei mobilis, sive soli, interponi debet cautio, l. 1. §. 1. ff. usufructuarius quemadmod. quocunque modo constituatur usufructus, sive à lege, sive à judice, sive testamento, aut contractu, sive ipso jure, sive tuitione Prætoris, ut *in l. si usufructus, §. illud, ff. usufructuarius quemadmod.* sive à vero domino constituatur, sive ab illo qui tantùm habet dominium utile, ut superficiarius, & emphyteuta, *l.* 1. *ff. quibus modis usufruct.* immò etsi non usufructus, sed quid aliud sub appellatione usufructus relinquatur; ut si habitatio, vel operæ servorum, vel animalium, aut si messis, vel vindemia in singulos annos legetur, cautio præstanda est, *l.* 4. §. *ult. l.* 5. *ff. usufructuarius quemadmod.* Quinimò etsi non usufructus, sed usus tantùm relictus sit, cautio præstari debet, *l.* 4. §. 1. *l. penult. ff. usufructuarius quemadm.* Et licèt legatum relictum habitationis, seu operarum per omnia usumfructum non imitetur, *l. fundi* 38. *ff. de usufruct. legat. l. si habitatio, ff. de usu & habit. l. cum antiquitas* 12. *C. de usufruct.* tamen hujusmodi legatarii uti debent boni viri arbitratu, & morte finitur tale legatum; ideòque cautio ista in illis locum habet. Omnes igitur usufructuarii regulariter cavere debent; & si plures sint fructuarii, omnes cavere tenen ur: in ea autem specie cùm testator Mævio legavit usumfructum, & rogavit ut illum restitueret Sejo, Sejus tantùm satisdare debet, nisi aliquo casu usufructus redire possit ad legatarium, *l. si usufructus* 9. *ff. usufructuarius quemadmod.* Mævius enim non videtur in re usufructuarius, cùm illum debeat Sejo restituere, *l. non videtur, ff. de reg. jur.* excipiuntur tamen ab hac generali regula, primò pater, qui usumfructum legalem habet in bonis adventitiis filii; illi enim sacris constitutionibus hujus cautionis necessitas remissa est, *l. cùm oportet, §. non autem, l. final. §. sin autem, C. de bonis maternis*; ubi ait Imperator, pro justa reverentia remitti patri hanc cautionem. Cur enim pietas ac reverentia paterna satisdationis vicem supplebunt? Docent Donellus, & Galbanus *ubi suprà*, Scipio Gentilis *de bonis maternis, cap.* 8. Sed hæc Imperatoris constitutio difficilis redditur ex sequentibus juris principiis. Nam si pater gerat tutelam filii impuberis, tenetur satisdationem præstare, *l. si superstitem, C. de dotibus, l. licet, C. ad leg. Falcid.* Ergo similiter tenetur ratione usufructus legalis cautionem præstare. Deinde, nam si pater administret bona filii, tenetur satisdationem præstare, & rationes reddere, *l. litis, §. patres, ff. de negotiis gestis*: ergo & utens rebus adventitiis filii tenetur rationes reddere, & per consequens satisdationem præstare. Faciunt etiam textus *in l. jubemus, §. in supradictis, C. ad Trebel. l. hac edictali, §. si illud, C. de secund. nupt.* in quorum specie pater cautionem præstat pro rebus filii: igitur & præsentem cautionem præstare cogendus est. Ratio etiam ab Imperatore adducta non levem continet difficultatem; nam æqualem reverentiam debet filius patri, ac matri, *l.* 4. *ff. de curat. furios.* unde sicut ob reverentiam filius non potest absque venia in judicium vocare patrem, *l. parenti* 6 *ff. de in jus vocando*: ita nec matrem, *l* 4. § 1 *ff. eodem*: sed mater eo casu, quo habet usumfructum bonorum filii, tenetur cautionem præstare, *l. usu* 11. *C. de usufruct. dicta l. hac edictali, § his illud*: ergo & pater cautionem istam præstare tenetur. Sed adhuc defendenda est prædicta Imperatoris constitutio. Nec obstat, quod de patre tutore dicebamus; nam magnum discrimen versatur inter patrem, tutorem, & fructuarium; quod in eo consistit, quia tutela tantùm respicit utilitatem pupilli, at verò usufructus continet totius rei emolumentum, plenissimamque potestatem, quam in illis

rebus jus patri tribuit, *l. 1. & passim, C. de bonis maternis.* Similiter etiam *in dicta l. Iulis, §. patri*, non agitur de satisdatione à patre præstanda, sed de rationibus reddendis. Nec rectè sequitur: Cogitur pater rationes reddere: igitur & cautionem præstare. Deinde quia ibi agitur de filio emancipato, inter quem, & patrem obligatio contrahi potest, *l. 4. C. de pactis conventis.* Nec etiam obstat textus *in d. l. jubemus, l. hac edictali*, qui loquuntur in patre transeunte ad secundas nuptias, in quo adest specialis ratio, ut pater teneatur cautionem præstare, quam assignat Scipio Gentilis *ubi supra.* Nec obstat augmentum deductum à matre, quæ cogitur præstare hanc cautionem; nam inter utrumque parentem magna versatur differentia; pater enim non cogitur cautionem præstare, quia non spectat ad ipsum ususfructus, tanquam ad dominum ipsarum rerum, sed tanquam ad patrem virtute patriæ potestatis, *l. 6. C. de bonis quæ lib.* quæ cùm non detur in matre, *§. fœminæ, Instit. de adopt.* immò ad ipsam ex aliis causis spectet ususfructus, ideo ipsa tenetur præstare hanc cautionem: & cùm quoad titulum de in jus vocando tantùm attendatur naturalis reverentia, quæ æqualis est in patre, ac in matre, ideò mater etiam sine venia in jus vocari non potest: at in cautione præstanda, vel non, respicimus patriam reverentiam conjunctam cum patria potestate, & sic pater eam non præstat, mater verò cavere cogitur: docuerunt Galbanus, & Gentilis *ubi proximè*; unde infertur, quod si pater aliquo casu habeat usumfructum bonorum castrensis peculii, ut *in l. pater 15. §. ult. ff. de castrens. pecul.* tenebitur præstare cautionem, argumento textus *in l. 2. ff. ad Macedon. l. lis nulla 4. ff de judiciis.* Secundò cautionem hanc præstare non tenetur fiscus, *l. 1. §. si ad fiscum, ff. ut legatorum*; quia fiscus non solet satisdare, *l. 3. §. 1. ff. de carbon. edict. l. 3. §. 5. ff. si cui plus quàm per legem*; cùm semper præsumatur esse solvendo, *l. 2. in fine, ff. de fundo dotali.* Unde cùm cautio hæc petatur ad securitatem, frustrà exigitur à fisco. Etiam cautionem præstare non cogitur usufructuarius, cui in diem certum proprietas relicta est, *l. si ususfructus, §. planè, ff. de usufructu*, cùm superflua videatur talis cautio, quia proprietas ad ipsum spectat: unde in casu legis *pecuniæ 8. ff. de aliment. legat* usufructuarius non cavet, quia proprietas ad ipsum quoque spectabat. Succedunt personæ, quibus cautio hæc præstatur; & certum est, cavendum esse illi, ad quem finito usufructu res ipsa pertinebit, aut redituram fore speratur, *l. si tibi, ff. usufructuarius quemadm.* ut si ususfructus legatus sit, proprietate penes hæredem remanente, illi caveatur: si autem alii proprietas legata est, illi cavendum erit; & si plures sint legatarii, omnibus pro sua parte caveri oportet: immò etsi proprietas legata sit sub conditione, & legatario propter implementum conditionis, & hæredi propter ejus defectum cavendum est, *d. l. si tibi, l. si servi 10. ff. usufructuarius quemadm.* Nec contrarium probat textus *in l. final. ff. si cui plus quàm per legem*: ubi cùm legata esset proprietas sub conditione, legatario illi conditionali non caverur. Nam discrimen est constituendum inter eum casum, in quo proprietas legatur sub conditione, si navis ex Asia venerit, quæ adimpleri potest durante usufructu; & inter illum, in quo conditio adjecta est, si ususfructus ad fructuarium desierit pertinere; quæ conditio adimpleri non potest, nisi finito usufructu. Unde usufructuarius illi cavere non cogitur, cùm evenire non possit, ut usufructu pendente proprietas ad illum pertineat.

II. *Traditur ratio decidendi.*

Quibus ita animadversis jam apparet vera ratio præsentis decisionis; nam sicut usufructuarius uti potest re fructuaria, ita & dominus proprietatis debet esse securus de ipsa proprietate, *l. si cujus 13. ff. de usufructu*: & quia illius interest ad jus dominii conservandum varias habere actiones, pluraque remedia, *l. cùm filius 76. §. variis, ff. de legat. 2.* inde ut plenè securus sit, illi caveri debet à fructuario, stipulatione interpositâ, & fidejussoribus datis; præcipuè quia si ita usufructuarius obstrictus non esset, facilè ipse invitaretur ad delinquendum utendo perperam re fructuaria: quare ut securus sit dominus proprietatis, hujusmodi cautio præstanda est, quæ committitur cùm contingit aliquid ex eo, quod comprehensum est in ipsa cautione, videlicet si usufructuarius malè re ipsa usus fuerit, aut si ususfructus finiatur; ita tamen, ut ex priori clausula toties quoties usufructuarius boni viri arbitrio non utatur, agi possit; ex secunda verò tantùm cùm finitur usufructus. Est tamen casus, in quo etsi committatur cautio, agi tamen ex ea non potest; de quo *in l. 3. § ultimo, ff. usufructuarius quemadm.* ubi si proprietarius alienavit proprietatem, & postea committatur cautionis stipulatio, proprietarius, cui cautum fuit, non potest agere; quia hæc cautio favore proprietatis interponitur, & cùm ipse ejus dominus non sit, pervenit jam res ad eum casum, à quo incipere non poterat, & per consequens vitiatur, *l. existimo 99. l. pluribus 140. ff de verb. oblig. l. quia in eum 16. ff ad leg. Aquil.* non proprietarius novus, quia ipse non fuit stipulatus; & ita ex ea stipulatione agere non potest, *ex l. quædam 9. §. 1. ff. de edendo, l. damni 18. §. sed quod, ff. de damno infecto l. quæcunque, ff. de obl. & act.* Duobus etiam casibus etsi committatur stipulatio, ex eaque agi possit, tamen exceptione doli opposita actio eliditur, veluti si ususfructus repetitus sit, qui repeti potest, *in l. repeti 5. ff. quibus modis ususfructus.* Moez *observ. cap. 9.* Robertus *lib. 1. animadv. cap. 5.* Pareja *in otio quadrimestr. 2. p. num 20* tunc enim si amittatur ususfructus, committaturque stipulatio; quia tamen repetitus est, ex ea stipulatione cum effectu agi non potest, *l. 3. §. 2. usufructuarius*; vel si proprietas cœpit pertinere ad ipsum fructuarium, ut *in l. 3. §. 3. ff. eodem*, ubi explicat Ant. Faber.

II. *Dissolvuntur difficultates.*

Nec obstant dubitandi rationes suprà adductæ. Non prima; nam præsens cautio nullo modo superflua est, siquidem interest proprietarii plures habere actiones ad conservandum jus proprium; præsertim cùm vindicatio exigat probationem dominii, quæ perdifficilis plerunque est, *§. commodum, Instit. de interdict. l. is qui destinavit 24. ff. de rei vind.* & in actione personali, quæ ex hujusmodi cautione nascitur, tantùm quæritur, an stipulatio interposita, commissaque sit, ut detur actio in reum principalem, ejusque fidejussorem, *l. quicquid 99. l. qui Romæ 122. ff. de verb. oblig.* unde nullo modo supervacua est præsens cautio. Nec obstat primum difficultatis augmentum; nam ut voluntas testatoris conserve-

tur,

tur, non solùm qui purè debent, verùm & qui sub conditione cautionem præstare coguntur, *l. 1. l. etiam 15. ff. ut legatorum nomine :* unde licèt usufructuarius teneatur tantùm restituere finito usufructu, rectè potuit cogi cavere in casum restitutionis finito usufructu. Nec obstat secunda difficultas; nam stipulatio præsens non concipitur post mortem promissoris, sed casus illos diversos continet de re bene utendo, & restituendo quod supereſt finito usufructu. Et licèt usufructus præcipuè morte finiatur; tamen nec eo casu incipit obligatio ab hærede, quæ non cœperat à defuncto; nam defunctus cum alienis rebus, tenebatur eas restituere, saltem eo tempore, quo jam illis uti non potérat, veluti in ultimo vitæ spiritu; unde eas restituet hæres tanquam alienas, & in quibus defunctus dominium non obtinebat. Nec obstat ultimum augmentum difficultatis; nam aliud est stipulari rem meam mihi dari, aliud rem propriam restitui. Primo casu stipulatio nulla est, quia quod meum est, amplius fieri non potest meum, *l. in bello 12. §. si quis servum, ff. de captivis, § sic itaque, Instit. de action.* Secundo verò casu, quod meum est, utiliter stipulor, quia id restitui potest, *l. officium 9. l. qui restituere 68. ff. de rei vind.* quomodo concipitur stipulatio in præsenti specie, videlicet de restituendo quod supererit finito usufructu, ut exponit Faber *in l. 1. §. final. ff. usufructuarius quemadmod.*

13. Expenuntur l. 24. de usufr. legat. l. 44 §. 2. ff. de solut.

Suprà traditis, cùm hæc cautio publicè disputanda proponitur, varia juris testimonia opponi solent, ex quibus selectiora opponere, exponereque decrevi. Et primò opponi solet textus *in l. uxori 24. ff. de usufruct. legat.* ibi *Super his non cavebitur.* In quibus cùm agatur de usufructu legato sortis principalis, docetur usufructuarium non teneri cautionem præstare: igitur quia præsens cautio necessariò non desiderarur. Pro cujus textus expositione dicendum est, usufructuarium teneri cavere de his rebus, quas finito usufructu restituturus est; non verò de his, quas statim lucratur: unde cùm in eo textu agatur de usuris, quæ sunt fructus sortis, *l. 3 ff. de usufruct. ear. rer. l. usuræ, ff. de usuris:* & eas jam hæres debuisset propter moram commissam in solutione legati, non tenetur usufructuaria de eis cautionem præstare, quia illas statim suas facit, nec finito usufructu restituere tenetur. Secundò opponi solet textus *in l. in numerationibus 44 vers. Item si ff. de solut.* ubi asseritur, hæredem tradendo usumfructum, se liberare, & usufructuarium simul sibi obligare; & nulla fit mentio cautionis præstitæ à fructuario Igitur etiam nullâ cautione præstitâ fructuarius obligatur hæredi, id est domino proprietatis. Cui difficultati respondendum est, supponendo in eo textu cautionem interceſisse, & ita uno actu hæres tradendo usumfructum liberatur, & simul virtute cautionis legatarius usumfructum acciendo obligatur.

14. Exponitur l. hac edictali. §. illud C. de secund. nupt.

Tertiò opponi solet textus *in l. hac edictali, §. 1. C. de secund. nupt.* ubi Imperatores Leo, & Anthemius cùm pœnas in matres secundò nubentes statuerent, inter alias sanxerunt, ut res sibi donatæ ante, vel propter nuptias à primo marito, quoad proprietatem reserventur filiis prioris matrimonii; quod etiam cavetur *in l. fœminæ 3. C. eod. tit. Novella 22 de nupt. §. si petet;* earum verò ususfructus ad matrem spectet, ita ut non præstet cautionem, cùm res immobiles non ita facilè evertantur, & bona ipsius pro earum restitutione tacitè obligata sint. §. *omnibus*, ejusdem legis. Inter immobilia enumerant Imperatores mancipia, id est servos illos, qui agris & glebæ adscripti sunt, ut moveri non possint, & ut membra prædiorum judicantur; & ideò inter immobilia recensentur, *l. longè, ff. de divers. & tempor. l. 4. §. in servis, ff. de censibus.* Enumerant etiam annonas civiles, id est panes illos, qui olim Romæ, & Constantinopoli pauperibus distribuebantur certo tempore: & quia in gradibus dabantur, panes gradales dicebantur, de quibus extat titulus 17. *lib. 15. C. Theodos. de annonis civicis, & pane gradali:* de eis Prudentius contra Symmachum agit ibi:

Et quos panis alit gradibus dispensus ab altis.

Eos civiles vocat Iustinianus *in l. cùm quidam 31. §. præterea, C. de jure delib.* annonas civiles *in authent. de non alienandis, §. hæc ergo.* Illustrant Alciatus *lib. 8. parerg. cap. 5.* Lipsius *lib. 1. relect. cap. 8.* Cujacius *in d. l. hac edictali*, Cironius *ad tit. de præbend.* Plura Iacobus Gothofredus *in tit. C. Theodos. de annonis civicis*: & de pane gradali agit Petavius *in notis ad epistolam 4. Themistii*, Cujacius *lib. 26. observ. cap. 17.* Salmasius *in notis ad Flavium Vopisc. in Aurel.* Buleng. *lib. 6. de Imper. cap. 14. & 15.* Pancitola *lib. 2. variar. cap. 209.* Schol. Juven. Satyr. Lipsius *1. relect. cap. 8.* Gutherus *lib. 2. de offic. cap. 11.* Juret. *ad Prud. lib. 1. contra Symm. cap. 108.* Tales autem annonæ certis domibus assignabantur, unde rectè inter immobilia recensentur. Prosequuntur Imperatores circa res mobiles, & ajunt, quod si res mobiles sunt donatæ, vendantur, seu æstimentur per arbitros à partibus electos, & ususfructus matri tradatur, ita ut cautionem fidejussoriam præstet; & si eam præstare noluerit, filii eas res detineant, & cautionem præstent matri de reddendis usuris trientibus integræ æstimationis; si autem neutra pars præstet cautionem, res ipsæ mobiles remaneant penes matrem. Ex qua ultima parte deducitur, res remanere quoad usumfructum penes matrem, si cautionem præstare noluerit: ergo non cogitur præcisè fructuarius cautionem proprietatio præstare. Cui difficultati satisfaciendum est dicendo, in eo ultimo casu, cùm nec filii cautionem præstant, bona illa mobilia remanere penes matrem, non jure ususfructus, sed eo jure, quo antea habebat, videlicet donationis propter nuptias. Quare tunc nulla cautio fructuaria præstatur. Prosequitur latiùs ipsius textus interpretationem Gentil. *de bonis matern. cap. 12.*

15. Explicatur l. 1 §. si decem ff. ut legator.

Quartò opponi solet textus *in l. 1. §. si decem 17. ff. ut legatorum;* ubi proponitur, Titio legata fuisse decem, quæ in arca testator habebat, ut *in l. si servus 105. §. qui quinque ff. de legat 1.* Sempronioque ejusdem quantitatis usumfructum: quæsitum fuit, quomodo ambo pervenire debeant ad legatum? Et respondet Ulpianus, quod si purè utrumque legatum relictum est, Titium decem vindicaturum, Sempronium verò oblatâ cautione usumfructum quinque habiturum; quia cùm alicui legatur fundus, & alii ipsius fundi ususfructus, ambo perveniunt ita ad legatum, ut scindatur inter eos ususfructus, *l. si Titio, l. si alii, ff. de usufruct. legat.* docet Chumacero *select. disput. 7. num. 7.* sic in præsenti specie Titius propter proprietatem habet simi-

liter

liter partem legati usufructus; & si Titius integra decem vindicaverit, repelletur exceptione doli, quia fructuarius de restituendis quinque finito usufructu hæredi cavere debet: sed si Titius decem sic assecutus, hæres, & fructuarius utilem actionem contra ipsum habent ad quinque: sed si sub conditione (prosequitur Ulpianus) relicta legata sint, fructuarium oblatâ cautione usumfructum habiturum, Titium verò posse petere cautionem ex titulo, *Ut legatorum*: sed si extiterit conditio, adhuc non oblatâ cautione posse Titium ad exhibendum agere: & si ignorans hæres fructuario decem tradiderit, ipsum ad exhibendum non teneri, quia nec possidet, nec dolo desiit possidere, *l. si hæres 63. ff. de legat.* 2. succurrendum tamen esse legatario. Ex qua diffusa specie constat, furctuarium non teneri cautionem præstare, nec legatario proprietatis, nec hæredi. Non legatario, ex illis verbis: *De restituendis quinque hæredi cavit.* Non hæredi, ex illis verbis: *Succurrendum legatario.* Igitur verum non est, fructuarium teneri cautionem præstare proprietario de utendo boni viri arbitrio, & restituendo finito usufructu quod supererit. Cui difficultati respondendum est, in primo casu tantùm de quinque cautionem præstari hæredi, quia adhuc legatarius proprietatem non fuerat assecutus: secundo casu succurritur tantùm legatario, quia tempore, quo hæres tradidit decem fructuario, exigit cautionem ab eo; unde eo casu tantùm succurritur legatario, tam ad repetendam cautionem, quàm partem ipsius quantitatis; & ita in eo textu cautio præstatur utroque casu illi, cui de jure iuxta suprà adducta præstanda est.

16. *Adduuitur l. 9. §. Marcellus, ff. ad exhibit.*

Quintò objici solet textus *in l. Julianus 9. §. Marcellus, ff. ad exhibend.* ubi proponitur, usumfructum nummorum, aut numismatum (nam numismata etiam nummorum appellatione comprehenduntur, *l. si autem 27. ff de auro & argento*, docet Antonius Augustinus *de numism dialog. 1.*) fuisse relictum, hæredemque ignorantem usumfructum tradidisse sine ulla cautione: & cùm quæreretur, quomodo legatario proprietatis succurrendum esset? Respondet Consultus legatario dandam esse actionem in factum. Ex quo textu ita arguitur. Si cautio esset præstanda à fructuario domino proprietatis, ipse posset eam condicere, cùm assequamur per condictionem incerti quod nobis debetur, *l. 5. §. 1. ff. de usufruct. l. 4. §. si pars, ff de condict. indeb.* Ergo condictio, non actio in factum danda erat. Accedit, nam in eadem specie condictio datur *in l. 7. §. usufructus quemadmod. l. peto 69. §. fratre, ff. de legat. 2.* pro cujus difficultatis solutione, illorumque jurium conciliatione discrimen est constituendum inter eum casum, in quo qui ignorans tradidit usumfructum, proprietarius erat; & inter eum, in quo qui tradidit, dominus non erat, quia ad alium proprietas spectabat. Primo casu proprietario ignoranti condictio competit, quia illi cavendum erat à fructuario: secundo casu illi, ad quem perventura est proprietas, datur actio in factum utilis, ad similitudinem actionis directæ, de qua latè agit Merillus *lib. 1. variant. ex Cujacio cap 20.* Unde *in dicta l. Julianus, §. Marcellus*, legatario qui proprietarius non erat, tempore constitutionis usufructus actio in factum datur; at verò *in d. l. 7.* hæredi, quia erat dominus proprietatis, condictio competit. Quâ distinctione etiam exponendus est textus *in l. partis 10. ff. de præscript. verb* ubi similiter actio in factum datur illi, qui dominus proprietatis non erat, nec ab eo usufructus constitutus fuerat: quem textum latè exponunt Oroz *lib. 1. de apicib. juris, cap. 2. per totum.*

17. *Exponi. l. si homo 35. ff. de usucap.*

Sextò opponi solet textus *in l si homo 35. ff. de usucap* ubi cùm servi usufructus legatus esset, & nondum tradito, seu constituto usufructu, servus surrepus esset, quæsitum fuiti, an ipse efficeretur furtivus, & quis actione furt agere posset? Et respondit Julianus, quod cùm adhuc servus traditus non esset fructuario, nec cautio præstita, ipsum tantùm furti agere posse, non hæredem; si verò jam traditus fuerat, & cautio interposita, hæredem etiam furti agere valere. Quem textum ita adversùs suprà tradita expendo. En textum, ubi hæredi datur actio furti eo casu, quo constitutus, & traditus erat usufructus: igitur quia aliam actionem propriam non habebat, & per consequens cautio interposita non erat, unde securus esset, alioquin illi non daretur furti actio, cùm illius nihil interesset, quia aliàs securus erat: igitur quia cautio non præstatur à fructuario; & si præstatur, parum operatur. Pro cujus textus expositione, omissâ aliâ ejus difficultate, quomodo videlicet in primo casu detur actio furti fructuario absque interversione possessionis, quam doctè Pinellus *lib. 2. select. cap. 9.* Chumacero *select. disput. 4. num. 12.* Amaya *lib. 2. observ. cap. 7. ex num. 32.* D. Josephus de Retes *lib. 7. opusc. de substantia furti, num. 31.* exponunt, ut prædictæ difficultati satisfaciamus, dicendum est, hæredem habentem actionem ex cautione, habere etiam actionem furti; quia similes actiones diversis in casibus competunt: actio videlicet ex cautione, quando stipulatio commissa est; furti verò actio, quando res surrepta fuit: quo casu stipulatio non committitur, & ideò non competit actio ex tali cautione; siquidem fructuarius non tenetur præstare nisi custodiam arbitrio boni viri, *l. 12. §. Julianus, ff. de usufructu.* Unde dicendum est, in secundo casu ipsius textus jam cautionem fuisse præstitam, & nihilominus hæredem furti agere posse; quia eo casu stipulatio non committebatur, & per consequens actio ex cautione illi non competebat.

18. *Explicatur l. cum ita 16. §. ultimo, ff. quando dies legati, ibi quæque, §. uti. ff. quando dies legat. l. inter, ff. de dam. infect.*

Septimò suprà traditis opponi solet textus *in l. cùm ita 16. §. ultimo, ff. quando dies legati*, ubi supponitur, usumfructum posse pertinere ad hæreditatem jacentem, cùm hæreditas cautionem præstare non possit: igitur quia necessariò non exigitur ut usufructuarius cautionem præstet proprietario; siquidem absque ea rectè constituitur ususfructus. Cui difficultati respondendum est, negando usumfructum per personam servi posse pervenire ad hæreditatem jacentem; quia cùm exigat personam, quæ utatur, fruaturque, *l. hæreditas 61. ff. de acquir. rer. dominio, l. usufructus 26. ff. de stipul. servor.* eamque hæreditas non habeat, *l. hæreditas, ff. de petit. hæredit* Valentia *tom. 3. illustrium, tract. 3 q. 2.* ideò hæreditati jacenti aequiri ususfructus nequit. Nec contrarium probatur *in dicto §. ultimo:* nam illa verba, *ad hæreditatem*, accipienda sunt, id est, ad hæredem, ut *in l. quæsitum 91. §. 6. ff. de legatis 1.* ut docuit Cujacius *lib. 35. Digest. Juliani, in dicto §. 6. & lib. 25. observ. cap. 40.* Opponi solet

solet textus *in l. inter fructuarium, ff. de damno infecto*, ubi docetur, virtute cautionis non teneri fructuarium reficere domum, quod spectat ad usum boni viri arbitrio. Igitur quia virtute cautionis non tenetur fructuarius vel juxta boni viri arbitrium. Cui difficultati respondendum est discrimen constituendo inter eum casum, in quo domus ruinam patitur ob vitium soli, quæ non potest vitari nisi destructa domo; quo casu fructuarius non tenetur domum reficere: aut vitium est ædium, & tunc reficere tenetur fructuarius, & nisi reficiat, committitur stipulatio ex prima clausula cautionis. Differentiæ ratio in eo consistit, quia primo casu diruta domo, rei mutatione finitur usus fructus, & ita fructuarius non tenetur domum diruere & reficere: secundo verò casu, cùm res non mutetur, immò ad utendum ea refectio desideretur, tenetur fructuarius eam reficere; & nisi reficiat, domusque diruatur, quia stipulatio committetur, & per eam satis prospectum est proprietario, non potest ipse à fructuario petere novam cautionem damni infecti nomine.

TITVLVS XXII.

De fidejussoribus.

CAPUT I.

Ex Concilio (a) *Cantuariensi.*

CLERICUS fidejussionibus inserviens, (b) abjiciatur.

NOTÆ

(a) *Antuariensi.*) Ita legitur in hac sexta collectione, & in prima, *sub hoc tit. cap. 3.* & apud Burchardum *lib. 3. Decreti cap. 70.* & Ivonem Carnotensem *p 6 Decreti. cap. 264.* legitur *Carthaginensi*: sed certe in nullo ex Conciliis Carthag. reperiuntur hæc verba; extant tamen *in can. 20. Apostolorum*, & apud D. Clementem eorum auctorem, *cap 16.* & ipse Sanctus *epist. 1.* relata à Gratiano *in cap. te quidem 11. q. 1.* ita scribit: *Te quidem oportet irreprehensibiliter vivere, & summo studio niti, ut omnes vitæ hujus occupationes abjicias, ne fidejussor existas, ne advocatus litium fias, nève in ulla aliqua occupatione priùs inveniaris mundialis negotii perplexus.* Unde colligitur, præsentem prohibitionem jam à temporibus Apostolorum cœpisse.

(b) *Abjiciatur.*) Ita etiam legitur *in dicto cap 3. in 1. collect. & in can. 20. Apostolorum*, legitur *deponatur.*

COMMENTARIUM.

2. Conclusio tradi-tur & pro-batur.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Clericus fidejussionibus inserviens deponitur.* Consonant textus *in dicto can. 20. Apostolorum*, D. Clemens *dicto cap. 16.* Egbertus Archiepiscopus Eboracensis *in excerptis, can 7.* ibi: *Ut nulli sacerdotum liceat fidejussorem esse.* Iustinianus *in Novel. 123. cap 6.* Leo *Novella 86.* Ex jure nostro Regio *in l. 45. tit 6. partit. 1.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa & Garaña, & *in l. curiales 30. C. locati*, Diana *p. 11. tract. 4. resol. 81.* Grassis *de effectib. clericatus, effectu 44. & 51.* Rodriguez *de annuis redd. lib 2. cap. 12.* Hunnius *in encyclop. 3. p. tit. 5.* Fornerius *ad Cassiodorum lib. 4. variar. epist. 44.* Cironius *in cap. exhibita, de arbitr. in 5. compil.* Balsamon *in dicto can. 20. Apostolorum*, & *in nomocan. tit. 9. cap. 74.* Petrus Gregorius *lib. 2. partit. tit. 9. cap. 8.* Borellus *tom. 3. aecis. tit. 13. num. 51.* Velascus *de privil. pauper. tom. 3. q. 8. num. 284.* Martha *de jurisdict. 4. p. cent. 1. cap. 105* Corjolan. *in dicto can. 20. Apostolorum*, Antonius Augustinus *in notis ad hunc textum, in 1. collect* Heringius *de fidejuss. cap. 7. num. 265.* Pirrhus Maurus *eodem tract. 2. p. sect. 8. cap. 12.* Thomas Delbene *de parlam. cap. 1. dubit 21.* Turrianus *pro canonib. Apost. lib. 1. cap 12. per tot.*

3. Traditur ratio dubitandi.

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti consideratione; nam fidejussio non solùm est actus honestus, & necessarius ad usum commerciorum, sed etiam pro fratre egente actus pius: unde D. Paulus propriâ syngraphâ fidejussit apud Philomenem pro Onesino: & *cap. 29. Ecclesiastici* legitur: *Vir bonus fidejubet pro proximo suo, & homo imprudens patitur fidejussorem excuti, & luere.* Et statim: *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam:* id est, bona. Immò & jure naturali teneri quemlibet pro proximo suo fidejubere, aliàs peccare, docuerunt Archidiaconus *in cap. sicut 11. q 1.* Aviles *in cap. 23. Pratorum*: & quia fidejussio per se est actus virtutis, & charitatis, non valere juramentum præstitum de non fidejubendo, defendunt Abbas *in cap. si verò, num 5. de jurejur.* Sfortia *de in integr. restit. 1. p. cap 54. artic. 2. num. 4.* Rodriguez *dicto cap. 12. num. 6.* Igitur clericus adimplens præceptum charitatis fidejubendo pro proximo egente, non ideò debet deponi. Augetur difficultas ex eo, nam clericum fidejubentem ex fidejussione, utpote actu non improbato, efficaciter obligari constat *ex cap. 2. & 3. hoc tit. cap. pervenit, de arbitr.* & non solùm pro aliis fidejubere, verùm & seipsos in vadem

dare

dare posse liquet *ex cap. exhibita, de arbitris, cap. ex rescripto de jurejur.* Igitur non rectè in præsenti docetur, clericum fidejubentem deponendum esse.

4. *Traditur ratio decidenti.*

Qua difficultate oppressi juris Interpretes varias adduxerunt huic canoni interpretationes, & Cenedus *collect.* 163. *num* 1. fatetur adhuc veram interpretationem à Doctoribus non esse scriptam. Zonatas, & Aristenus Græci Interpretes canonum Apostolorum, ita dictum canonem 20. accipiunt, ut clericis quidem non liceat pro publicanis, vel vectigalium redemptoribus fidejubere; pro aliis verò non prohibeantur, maximè si pietatis ratio urgeat. Quæ interpretatio adstrui videtur ex novella 128 *cap.* 6. *& lib.* 6. *capitul. Caroli, cap.* 122. quibus in locis dum prohibetur, ne clerici publicarum functionum exactores constituantur, aut vectigalia, vel privatas possessiones conducant, & in his fidem suam pro aliis obstringant, supponi videtur, in aliis negotiis rectè fidejussores intercedere posse: sed cùm generalis sit præsens prohibitio, indistinctè vetans sub depositionis pœna clericos fidejussionibus inservire, non est ratio, quare ad fidejussiones pro publicanis tantùm factas restringatur. Quare alii, quos refert Balsamon, Græcus etiam canonum Apostolorum Scholiastes, *in dicto can* 20. existimant in præsenti non prohiberi clericis pro aliis fidejubere, sed alios pro seipsis fidejussores dare, cùm clericus in judicio conventus tantùm alium clericum fidejussorem dare possit, ut refertur *in Nomocan. Photii, tit.* 9. *cap.* 1. & statuitur *in l. omnes, C. de Episc. & clericis.* Verba Photii sunt: *Episcopi, clerici, & monachi à regione in regionem non protrahuntur, sed apud provinciarum Præsides conveniuntur; sin autem Constantinopoli inveniantur, apud solos Præfectos Prætorio conveniuntur, ubi etiam eis honor habetur, & advocatos accipiunt. Quod si in provinciis de rebus privatis conveniantur, solos œconomos, vel Ecclesiæ defensores dant fidejussores: sin autem apud Præfectos Prætorio pecuniariè conveniantur, vel prose invicem fidejubent, vel sub hypotheca præbent cautionem.* Notavit Pancirola *lib.* 2. *variar. cap.* 170. Sed hæc interpretatio litteræ textus non convenit, nec dicto canoni 20. Apostolorum; ubi ita apertè statuitur: Clericus fidejubens deponatur. Quare his solutionibus omissis, & aliis relatis à Barbosa *in præsenti*, Morla *in empor. tit.* 8. *q.* 25. *num* 34. Gutierrez *de juram. cap* 7. Heringio *de fidejuss. cap.* 7. *num.* 265. Pirrho Mauro *eodem tract.* 2. *p. sect. cap.* 12. verius dicendum est, in præsenti non prohiberi absolutè clericis fidejubere pro egenis, & oppressis, cæterisque miserabilibus personis, pro quibus fidejubere possunt, ut probat Velasc. *ubi suprà*; sed tantùm ne ex assidua fidejussione negotiis sæcularibus se immisceant, & litibus implicentur, quæ ex hujusmodi fidejussionibus oriri solent. Accedit frequens juramentum, quo fidejussores adstringuntur; ideò monet Salomon *cap.* 20. *Proverb. Noli esse cum his, qui defigunt manus suas, & qui vades se offerunt pro debitis.* Quod refertur *in cap.* 2. *hoc tit. in* 1. *collect.* Dixit Salomon *defigere manus*, Pro devovere, sicut Plinius *lib.* 14. *cap.* 2. *Defigi diris deprecationibus*, dixit, quod proprium est sortilegorum, Virgil.

Iol colchiacis animam defigere votis.

Similes defixiones frequenter perjuria pariunt, quæ ab omnibus, sed maximè à clericis vitari debent, *cap. querelam, de jurejur.* Unde D. Hieronymus *in cap.* 1. *hoc tit. in* 1. *collect.* non dixit fidejussores manus suas defigere, sed animas. Alia de fidejussionum incommodis congessit Vvisembachius *disput.* 14. *num.* 13. Ergo non in præsenti textu, & *in dicto can.* 20. *Apostolorum*, prohibetur clericis indistinctè fidejubere, sed tantùm lucri gratiâ, & negotiationis causâ fidejussionibus inservire; quod satis denotat verbum *inserviens*, quod frequentiam significat in Græco exemplari, & *in dicto can.* 20. legitur *fidejussionibus deditus.* Docuerunt Corjolanus, & Balsamon *in dicto can.* 20. Cironius *ad hunc titulum*, Cujacius *in l. curialis* 30. *C. locati* Unde liquet malè accepisse prædictum canonem Apostolicum Harmenopulum *in prompt uario, lib.* 3. *tit.* 6. § *de mulicre, vers. Nec clericus*, dum indistinctè scribit clericum comparari fœminæ in hoc, ut fidejubere non possit. Unde infertur, quod licèt honestè pecunia à fidejussore pro fidejussione recipiatur, *l. si remunerandi*, §. *final. ff. mandati, l. hoc jure* 19. §. *Labeo, ff. de donat.* Covar. *lib.* 3. *variar. cap.* 2. *num* 6. Leo Pinel. *in cap. significante, num.* 9. *de pignor* tamen clericus nihil recipere valet, quia tunc finis talis fidejussionis non esset actus charitatis, cujus ratione clericus tantùm fidejubere valet.

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam discrimen est constituendum inter eum casum, in quo clericus pro egena, & miserabili persona fidejubet, & inter eum, in quo lucro inhærendo assiduè fidejussionibus implicatur. Primo casu non solùm potest, immò tenetur fidejubere, cùm id opus pietatis, & charitatis sit, quam præcipuè clerici exercere tenentur, juxta textum *in cap. videntes* 12. *q.* 1. *cap. quonium quicquid* 15. *q.* 1. *cap. quiescamus*, 42. *dist.* Secundo verò casu nullo modo licet clericis fidejubere, cùm per assiduam fidejussionem negotiationibus immisceantur sæcularibus, & implicentur diversis litibus. Quare sapiens Rex sæpissimè improbavit hujusmodi assiduas fidejussiones, *cap.* 6. *Proverbior. Fili, si sponderis pro amico, defixisti animam tuam.* Facit Proverbiorum caput 11. ibi: *Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo.* Et caput 17. juxta vulgatam editionem: *Qui stipulatur manu & pro proximo fidejussor sponsor fit, imprudens est.* Et caput 20. *Tolle vestimentum ejus, qui fidejussor extitit alienis, & pro extraneis aufer pignus ab eo.* Eandem sententiam repetit *cap.* 22. & 27. unde emanavit Thaletis Milesii præceptum, *Ne spondeas:* & in veteri proverbio, *sponsioni noxa præsto est.* Scriptumque veteres memorant in templo Apollinis, comitem æris alieni & sponsionis esse miseriam, quia pœna esse videntur spondere & solvere. Inde si fidejussorem tibi destinasti, mandasse ei videris, ut tuo nomine solvat *l. indebitam, ff. de condict. indeb.* Et si præcepit testator hæredi, ut pro aliquo fidejubeat, obtemperavitque hæres, & compulsus solvit, solutum non repetit, *l. tribus, ff. de usufruct. earum rer.* & à marito assiduè fidejubente, posse mulierem constante matrimonio dotem repetere, quasi eo ad inopiam vergente, resolvunt Mancinus *lib.* 2. *de triplici juris collat cap.* 194. Caldas Pereyra *consil.* 1. Ut ergo similibus curis, & negotiis sæcularibus clerici non implicentur, rectè illis prohibetur fidejussionibus inservire, aliàs abjiciuntur, id est deponuntur, *ex dicto can.* 20. *Apostolorum*; nisi malis abjectionem hanc

5. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

hanc accipere pro privatione privilegii fori, ex traditis *in cap. final. de vita & honest. cleric.* Nec obstat augmentum difficultatis deductum *ex cap. 2. & 3. hoc tit.* pro cujus solutione examinandum est, an fidejussio ipsa assidua, quæ in clericis improbatur, ab eis interposita valida sit? Et clericum ex ea efficaciter non teneri, docuit Hunnius *ad Treutl. volum. ult. disput. 28. thesi 2. q. 12.* ex sequentibus. Primò, quia cùm actus contra juris prohibitionem celebratus, pro infecto habeatur, *l juris 7. §. 16. ff. de pactis, l. civitatibus 112. §. fin. ff. de legat. 1. l. non dubium, C. de legib.* & talis fidejussio sit à sacris canonibus improbata, nullius momenti erit. Secundò, quia Imperator Justinianus *in Novella 123. cap. 6.* sanxit judicem approbantem clerici fidejussionem, pœnam incurrere: unde deducit Elfricus Hunnius, Justinianum omnino improbasse clericorum fidejussionem, ita ut non solùm eam ab initio fieri prohibeat, sed factam etiam improbet: & eâ opinione retentâ accipit sic textum *in d. cap. hoc tit.* eo casu, quo clericus pro alio clerico fidejussit, non verò pro laico; quia ut suprà dixi, clerici pro se invicem licitè fidejubent: quæ fidejussio vicaria dicitur *in l. cum clericus, § 1. l. omnes, §. præterea, C. de Episc. & cleric.* Etiam *in cap. 3. hoc tit.* contendit, non agi de fidejussore clerico, sed de laico; & ita nihil interesse quod fidejussio ibi approbetur. Verùm contrariam sententiam, quam ut veriorem amplectimur, tenuerunt Gregor. Lopez per textum ibi, *in l. 45. tit. 6. p. 1.* Gutierrez *1. p. de juram. c. 72.* Gedeus *de contrahend. stipul. cap 7. num. 306.* ex Theologis Molina *de justitia disput. 540.* Lugo *eod. tract. tom 2. disput. 32. sect. 1. §. 2. num. 10.* Dicastillo *eod. tract. lib. 2. tract. 16. disput. 1. dub 2. num. 29.* Diana *part. 11. tract. 4. resol 31.* pro qua opinione faciunt primò textus disertus *in l. 6. tit. 13. lib 3. fori*, ibi: *Pero si ellos* (clerici) *entraren en algunas de estas fiaduras, quales son defendidas, valdra la fiadura* Ubi Montalvus. Secundò principium illud vulgò receptum, quod multa in jure fieri vetantur, quæ tamen facta tenent, *l. patre familioso, ff. de his qui sunt sui, vel alieni juris, l. si fundum, ff. de fundo dotali, l. finali, ff. unde liberi.* Quod procedit in omnibus legibus imperfectis, id est omnibus illis, quæ actum prohibent, non verò irritant, quas imperfectas dixit Ulpianus *in fragment. tit 1.* Unde licèt fidejussio assidua in clericis utroque jure improbetur, & illi pœna depositionis imponatur; tamen quia nullo juris civilis, aut canonici testimonio improbatur, si semel interponatur, subsistit & efficax est. Coram quo tamen judice sit conveniendus clericus, qui pro laico in causa temporali fidejussit, latè examinat Martha *de jurisdict. cap. 4. centur. 2. casu 105.*

CAPUT II.

Lucius III. (a) *Helienſi Epiſcopo, & Archidiacono Norvvicen.*

PErvenit ad nos ex transmissa nobis conquestione R: clerici de S. Albano, quod cùm ipse pro Helia, & Philippo clericis Lundon. ad eorum instantiam, pro altero, Helia videlicet in VI. & pro altero in VII. marchis argenti mercatoribus Bon. fidejussit, eis, sicut unus fide, & alter (b) juramento promiserant, præscriptam pecuniam non (c) solventibus, coactus est creditoribus pro ipsis pecuniam, sicut inter eos convenerat, exhibere. Ne igitur supradictus R. dispendium patiatur, unde videtur præmium meruisse, vener. fr. nostro (d) Bonon. Episcopo dedimus in mandatis, ut super debitis illis instrumenta, quæ sunt apud creditores, inspiciat, & eorum rescripta suo (e) sigillo signata vobis mittere non postponat. Mandamus itaque discretioni vestræ, atque præcipimus, quatenus si ex confessione prædictorum clericorum, vel aliàs legitimè vobis rem ita se habere constiterit, prædictos clericos moneatis, ut procuratori memorati R. pecuniam, quam pro eis solvit, dil. & ap. cess. restituant, ipsumque servent indemnem: si verò ad vestram jussionem non egerint, vos auctoritate Apostolica freti, de eorum redditibus præscripta debita faciatis ap. remotâ m. R. solvi, & (f) damna, quæ idem R. propter hoc pertulerit, resarciri, aut procuratori ejus prædictos redditus assignetis, tamdiu sine molestia detinendos, donec ipsa damna resarcita fuerint, & debita sine diminutione soluta. Præfatos verò clericos, si (g) religionem fidei, & juramenti sui eos violasse constiterit, sub. ap. ob. officio & beneficio (h) suspendatis. (i) Cæterùm, quia novis morbis nova convenit antidota præparari: volumus & mandamus, ut ad veritatem eliciendam ap. rem. præstari faciatis ab utraque parte calumniæ juramentum.

NOTÆ.

(a) *Helienſi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 4* & *in cap cæterum, de juram. calumn.* ubi extat posterior pars hujus textus. De Ecclesiis Helienſi, & Norvulcensi nonnulla notavi *in cap. pastoralis, cap si autem 9. de rescript.*

(b) *Fide ac juramento.*] Plerunque æquantur juramentum, & fides interposita, *cap ad aures, de his*

quæ vi. Cicero pro Roscio Comœdo: *Quæ pœna à Diis immortalibus perjuro, hæc eadem mendaci constituta est. Non enim ex pactione verborum, quibus jusjurandum comprehenditur; sed ex perfidia, & malitia, per quam insidiæ tenduntur alicui, Dii immortales hominibus irasci. & succensere consueverunt.* Et de Essenis refert Josephus, quod quicquid dixerant validius erat jurejurando, ac supervacuum apud ipsos jurare. Illustrat Grotius *de jure belli lib. 2. cap. 12. in fine*: fides enim ideò appellatur, quia

fiat quod dictũ est. Cicero *lib.4.de republ.*ibi:*Fundamentum justitiæ est fides, id est dictorum,conventorumq; constantia, & veritas.Ex quo quamquam hoc videatur fortasse cuipiam durius, tamen ut videamur imitari Stoicos qui studiosè exquirunt,unde verba sunt ducta, credamus quòd fiat quod dictum est,appellatam fidem.* Joan.Sarisbar. *lib.3 Polycrat.cap.6 & 1.* Illustrant Philippus Camerarius *in oper.succes. centur. 2. cap. 77.* Connanus *lib. 1. comment.cap.6.* Cabreros *de metu lib. 2. cap 6.* qui plura de hac fide humana, & quomodo per dexteram manum apud veteres præstaretur, congerit *ex num.4 usque ad 15.*

2. (c) *Non solventibus.*] Jure antiquo mediæ Jurisprudentiæ magnum discrimen dabatur inter fidejussorem indemnitatis, & fidejussorem simpliciter acceptum: fidejussor enim indemnitatis, vulgò *de sacar a paz y à salvo*, qui promittit quantò minùs à reo principali consequi possit se soluturum, *l.amissis 17.C.de fidejuss.l.si ita 6.C de novat.* Amaya *in l.1. C. de Decur. num. 7.* non priùs conveniri poterat, quàm excussione factâ in reo principali, postquam constabat in quantùm in ipse solvendo non erat, *in l fidejussores, de fidejuss. tut. l.1 C. de Magistrat. conven. l.1 C. de conveniend. fisci debit.* faciunt textus *in l. tutor. 19. §. quod ergo 4 ff. ad Vellejanum, l. in fraudem 45. § si principalis 11. l. Moschis 47.ff.de jure fisc.*: docent Classici repetentes *in l decem 116.ff.de verb oblig.* Heringius *ae fidejuss cap 4.num.61. & cap.27. ex num.142.* Pirrus Maurus *eod. tract.1 p sect.2.cap.17.& 6.p.cap.3.ex num.199.* Osualdus *lib 15 Donel.cap.48. littera S.* Parladorius *lib.2.rerum quotid cap.ult 4. p.§.7. num.10.* Amaya *ubi proximè ex num.6.* Noguerol. *allegat.40 num.41* Salgado *1 p.Labyrinth.cap.83. num.85. & 2.p.cap 11.ex num 56.* fidejussor verò simpliciter acceptus jure veteri statim, & ante reum principalem conveniri poterat, quia concedebatur creditori potestas eligendi ex reo principali, & fidejussore, quem vellet, *l. 2 l. non rectè 3. l. liberum 16. l. reos 23. l. ult. C. hoc tit. l. si mandavero 22. §. interdum ff. mandati.* Gajus *lib.2.instit tit. 9.§ 3* Cujacius *in novella 4.* Osualdus *d. cap. 48. littera M.* Hunnius *in encyclop. lib.3. tit.5. cap.3.* Bocerus *tom.1 class.2. disput. 16.* Heringius *d. cap. 77.num.267* nisi aliter placuisset contrahentibus; tunc enim expressæ conventioni standum erat, *l. jure nostro 5. l.si alienam 19. C.hoc tit.* Jure tamen novo fidejussor etiam simpliciter acceptus non priùs conveniri potest, quàm reus principalis conventus,excussusque sit, *Novell. 4. de fidejuss. cap 1. authentica Præsenti, C.de fidejuss. l.9 tit. 12. partit. 5.* docent plures congesti à Barbosa *in d. authent. præsenti* Salgado *1. p. labyrinth. cap 23 per totum.* Fontanel. *de pactis nupt, claus 4 gloss 9.p.5 ex num. 39.& clausul. 7. gloss 2.p 3 ex num.32.* Noguerol. *alleg.40.ex num.58.* Valenzuela *consil 16. num. 47.* Osualdus *d. cap. 48. littera L.* Caldeira *lib.1. de error.cap.2. num.1.* qui ad hoc probandum singulariter expendit præsentem texrum. Sunt tamen aliqui casus, in quibus etiam post dictam authenticam *præsenti*, nullâ excussione factâ in persona rei principalis, fidejussor statim conveniri potest, quos referunt Tuschus *verbo Excussio.* Valentin. Francus *de fidejuss cap.5.à num.316.usque ad 430* Menchaca *illustr cap. 23* Mysinger *cent.2. obser.15* ex quibus nonnullos in foro receptos, & rationi juris consonos referam.Primus desumitur *ex d. authent. præsenti* & contingit si debitor principalis in longinquis provinciis absit, seu latitet, ita ut facilè conveniri non possit: quo casu judex pro arbitrio suo certum tempus præscribere debet fidejussori, ut intra illùd reum principalem judicio sistat, aliàs eo elapso excussio pro facta habetur. Menochius *de arbitr. lib.1. casu 40.* Heringius *d. cap.27. num 31.* Pirrus Maurus *d.cap.3. ex num 61.* unde Antonius Gomez *lib.2. variarum, cap. 13 num.14.* Menchaca *d.cap.33.num.34.*Salgado *d. cap 23. num.17.* docent, idem dicendum esse, si reus principalis præsens sit,sed conveniri non possit de facto, vel de jure. De facto, veluti si sit persona nimium potens, seu rixosa, argumento legis *2. ff. qui satisd. cog.* De jure,quia naturaliter tantùm reus principalis sit obligatus, vel sit Magistratus, & duret ejus officium, *ex l. 2 ff. de jurisdict.* quibus consequens est alius casus, videlicet, si bona rei principalis sint in alio Regno, aut provincia longinqua; quia creditor non est cogendus exteras regiones peragrare, ut docent Salgado *ubi proxime num. 15.* Barbosa *in præsenti,num.12.* Alius casus est, si notoriè appareat reum principalem non solvendo esse. Valenzuela *tom.1 consil.19.num.53.* Heringius *d. cap.27. num 20.*veluti si cessit bonis, si creditores ad concursum vocavit, bonis in judicio derelictis, *ò hizo pleyto de esperas*; quo casu adducto testimonio similis judicii excussio pro facta habetur,& fidejussor statim conveniri potest, ut latè, & pluribus relatis docent Barbosa *in præsenti, num.16.* Noguerol. *alleg.2.num.112. & alleg.4.num.41 & alleg.29.n 163.* Salgado *d cap 23 à n.18.* qui idem resolvunt quando bona principalis debitoris sunt ita hypothecis, seu censibus obnoxia, ut venui exposita non inveniant emptorem. Alium casum refert Osualdus *d. cap.48 littera N.* cùm fidejussor specialiter interrogatus in judicio, an fidejussor esset, negavit, & posteà de mendacio est convictus; quo casu si utatur beneficio excussionis, repellendum esse etiam docuit Heringius *d.cap. 27.num 210* qui alios casus prosequitur.

(d) *Bononiensi Episcopo.*] Joanni videlicet, qui Ecclesiam ipsam Bononiensem rexit usque ad annum 1188. ut refert Ughellius *tom.1. Italia sacra, in Ecclesia Bononiensi, num.59.*

(e) *Sigillo.*] De sigillo Episcopi, & ejus auctoritate egi *in cap. post cessionem 7 de probationibus.*

(f) *Damna.*] Potest enim fidejussor actione mandati experiri non solùm pro pecunia soluta, verùm & pro interesse,vel damno accepto, *l. si quis alicui 27.§ impendia.ff.mandati.* & si fidejussor necessitate oppressus pecuniam accepit ad damnum,ut satisfaceret creditori,tenetur reus principalis non solùm satisfacere sortem principalem, verùm & interesse quod fidejussor solvit,ut probat Sesse *decis.402. per totam.* 3.

(g) *Religionem fidei & juramenti.*] Religionem, tam ad casum fidei interpositæ, quàm ad casum juramenti retulerunt scribentes in præsenti. Sed rectiùs Mendoza *de pactis lib.1.c.6 n 11* religionem tantùm ad juramentum refert, licèt fidei interpositæ æqualis sit obligatio, ut suprà probavimus. 4.

(h) *Suspendatur.*] Postquam satisfactum fuerit fidejussori, aliàs frustrà Lucius III. inhiberet de redditibus beneficii satisfaciendum esse fidejussori; qui solvit pro ipso beneficiario reo principali, si suspendendus erat statim à beneficio, & per consequens privandus ejus fructibus. Unde juxta sententiam eorum, qui tenuerunt, perjurum ipso jure privari beneficio ecclesiastico, quam referunt Balboa *in cap. cùm non ab homine* 5.

de

de judiciis, num. 15. Fachineus *lib.* 2. *controv. cap.* 15. in præsenti casu non poterat talis suspensio ipso jure admitti, ne fidejussor amitteret pecuniam pro ipso reo principali solutam.

(i) *Cæterùm.*] Verba quæ sequuntur extant *in cap. cæterùm, de juram. calum.*

COMMENTARIUM.

6. Conclusio deducitur & probatur.

EX hac Lucii III. decretali talis communiter deducitur assertio: *Clericus tenetur fidejussorem suum indemnem reddere à fidejussione, etiam per assignationem fructuum proprii beneficii.* Probant eam textus *in cap. olim, el* 2. *de restit. spol. cap pervenit, de arbitr. cap.* 3. ibi: *Et redditus ejus in debitorum solutionem convertas*; *hoc tit. l.* 23. *&* 45. *tit* 6. *partit.* 1 Illustrant Gutierrez *de juram. l. p. cap.* 17. *num.* 17. Gomez *lib.* 2 *var. cap.* 13. *num.* 18. Petrus Barbosa *in l.* 1 *p.* 4. *num.* 132. *cum sequent. ff. solut. matrim.* Lotherius *de re benef. lib.* 1 *cap.* 42. *num.* 25 Salgado 1. *p. labyrinth. cap.* 42. *per totum.* Baëza *de inove debit. cap.* 16 Matienz. *in l* 5. *tit.* 17. *lib.* 5. *recopil.* Azevedo *in l.* 17. *tit.* 21. *lib.* 4. *recopil. num.* 142.

7. Impugnatur præcedens assertio.

Sed pro dubitandi ratione sic insurgo in præsentem assertionem. Valet argumentum de militia terrestri ad cœlestem, ut probavi *in cap.* 1 *de renunc.* Sed stipendia militibus militiæ sæcularis assignata, non possunt capi in causam judicati, *l. stipendia, C. de execut. rei judic.* Ergo nec stipendia debita clericis militantibus in cœlesti militia, juxta adducta *in cap. cùm secundum*, ibi: *Stipendiis militare; de præbend. & dignitatibus*, in causam judicati capi possunt. Accedit, nam clerici nequeunt conveniri ultra quam facere possunt, *cap. Odoardus, de solut.* ubi dicemus: igitur per subtractionem reddituum proprii beneficii non sunt clerici compellendi propriis debitoribus satisfacere. Augetur hæc difficultas *ex l spem* 5 *C. quæ res pignori obligari*, ubi statuit Hadrianus, spem illorum præmiorum, quæ pro coronis sacris athletis præstantur, non posse speciali hypothecæ obligari, nec generali bonorum obligatione contineri, & per consequens nec præmia illa judicialis pignoris causa capi non posse: ergo similiter fructus qui debentur clericis ratione coronæ, seu beneficii, non debent ex causa pignoris judicialis capi.

8. Fidejussor habet actionem mandati.

Quâ difficultate ita fulcitâ non obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, fidejussorem solventem pro reo principali, duplicem actionem habere ad repetendam pecuniam solutam: aliam ex persona creditoris, in cujus locum successit, ut probant Arias de Mesa *lib.* 1. *variar. cap.* 14. *num.* 11. Olea *tit.* 5 *de cess. jur. q.* 4. *num.* 29. alteram mandati ex propria persona, *l. si quis* 46. *l. fidejussorem* 52 *ff. mandati*, *l. si quis mandato* 28. *ff. de negot. gestis.* Nec interest, quod fidejussor sua solutione liberet reum principalem, vel non, veluti si solvit ex justa ignorantia, postquàm reus solvisset, *l. si fidejussor* 29. *§. si cum debitor, ff. mandati*. Faber *lib.* 18. *conject. cap. ultim.* Dixi ex justa ignorantia; nam si sciens se rem non debere, vel exceptione tutum esse, prætermittens exceptionem prætulit solvere, non habet actionem mandati, *d. l. si fidejussor* 29. *in princip. l si procuratorem* 8. *§. quod, l. Quintus* 48. *ff. mandati l si pro ea* 10. *C. eod. tit.* Idem dicendum est de eo fidejussore, qui pro inutiliter obligato intercessit, & solvit; quoniam si habuit justam causam ignorandi, habet actionem mandati; sin minùs, perdit quod solvit, *d. l. si fidejussor* 29. §. 1. Duarenus *de fidejuss. cap.* 3. §. 1. Cujacius *lib.* 8. *observ.* 29. Idem etiam solet tractari in fidejussore, qui solvit pro reo principali, & non certioravit illum; unde evenit, ut reus postea iterum solvat: nec enim tunc actio mandati fidejussori competit, cùm in culpa sit, nisi ipsa levis esset, *d. l. si fidejussor* 29. §. *hoc idem* 3. Donellus *lib.* 13 *comment. cap.* 11. *&* 12. Quando tamen fidejussori competat condictio indebiti, pro expositione textus *in l. si fidejussor* 59 *ff. de condict. indeb.* prosequitur D. Josephus de Retes *de fidejussoribus cap.* 4. *num.* 6. *& seq.*

9. Traditur ratio decidendi.

Unde iam apparet vera ratio præsentis assertionis; nam cùm fidejussor solvens pro reo principali, habeat actionem mandati contra ipsum, modò ex ejus mandato, seu patientia fidejusserit, ad repetendum omne id, quod pro ipso solvit, *l si fidejussor* 6 *C. mandati, l. rogatus* 33. *l. qui fide alterius* 52. *ff. mandati. § si quid autem, Instit. eod. tit* sive in judicio conventus, sive extra judicium solverit, *l. idemque* 10 § *fidejussores, ff. mandati, d l si fidejussor* 6 ideo clericus in præsenti specie cogitur fidejussori suo satisfacere, illumque à tali fidejussione indemnem reddere. Et quia bona patrimonialia non habebat, ex beneficii fructibus, quorum dominus est, ut probavi *in cap* 1. *de test am.* cogitur plenè fidejussori satisfacere.

10. Dissolvitur dubitandi ratio.

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam licèt verum sit, stipendia militibus assignata, ex causa judicati capi non posse, ab eisq; ad stipendia ecclesiastica rectè argumentum deduci; id tamen procedit, quando alia extant bona, ut exprimitur *in d l stipend a.* Quomodo etiam accipiendus est præsens textus, videlicet, ut tunc fructus beneficii assignari possint fidejussori in solutum, quando alia non extant clerici bona: aliis autem extantibus, similia stipendia ex causa judicati capi non possunt. Sunt tamen nonnullæ res utilitate publica suggerente, quæ nec aliis bonis deficientibus ex causa judicati capi possunt, veluti boves aratorii, & alia instrumenta rustica, *l. executores* 7. *C. quæ res pignori. l.* 5. *&* 6. *tit.* 17. *lib.* 5. *Recopil* ne turbetur agricultura instrumentis sublatis, *d l. executores* 7. Illustrant Osualdus *lib.* 27. *Donel. cap.* 3. *littera P.* Cujacius *in recit. ad tit. C. quæ res pignori*, Gilbertus Reg *lib.* 2. *enantioph. cap* 20 Petrus Gregorius *lib.* 23. *syntagm. cap* 9 *num* 10. Rodriguez *de execut. cap.* 5. *n* 62 Azevedo *in l.* 7. *num* 46. *lib* 4. *recopil.* Collantes *in comment. rei frument. lib.* 5. *cap.* 3. Narbona *in l* 25. *gloss.* 2. *num.* 1 *& gloss.* 7 *tit.* 21. *lib.* 4 *recopil.* Gutierrez *lib.* 4 *practic. q.* 12. *num.* 10. quod etiam procedit in frumento sato, seu percepto, donec in horreum deferatur, *ex l.* 28. *tit.* 21. *lib.* 4 *recopil.* quam doctis commentariis illustrarunt Illustr. D. Franc. Ramos, & D. Josephus de Retes. Obtinuit etiam, in libris Doctoris, Advocati, vel studiosi excussionem fieri non posse, ut pluribus relatis docuit Narbona *in l.* 25. *tit.* 21. *lib* 4 *recopil.* quibus adjungunt alii forenses, quorum sententias usus non admisit, nec eas in foro receptas video: adiri possunt Parladorius 5. *p.* §. 3. *à num* 18. Osualdus *lib.* 27. *comment. cap.* 3. *littera P.* Vultejus *de iudiciis lib.* 3. *cap.* 13. *ex num* 106. Nec obstat primum augmentum difficultatis, quia non negamus, cùm capiuntur fructus beneficii ex causa judicati, priùs congruam portionem clerico esse assignandam, ita ut ultra quàm

facere possit non condemnetur, ut dicemus *in d. cap. Odoardus*. Nec obstat textus *in d. l. ffem, C. quæ res pignori* : cui opponitur Papinianus *in l. commodis, ff. de re judic.* ibi: *Commodis præmiorum, quæ propter coronas sacras præstantur condemnato placuit interdici, & eam pecuniam jure pignoris in causam judicati capi.* Ex quibus constat, stipendia illa, seu commoda, quæ propter coronas sacras præstabantur, ex causâ pignoris judicialis capi potuisse: igitur multò magis ex causâ pignoris conventionalis. Pro cujus difficultatis solutione videndum est, quæ sint commoda illa, & in quibus certaminibus propter coronas sacras præstarentur? Et sciendum est, inter spectacula, quæ olim publicè edebantur, populorumque oblectationi deserviebant, eam fuisse differentiam, quod alia ad virtutem formandam, ostendendasque, seu comprobandas vires ederentur; alia verò voluptatis tantùm, seu quæstus causâ proponerentur. Prioris generis erant theatrales ludi, gymnici, seu circenses: posterioris verò scenici, sive musici, de quibus plura scripserunt Budæus *ad Pandect. in l. athletas 4 ff de his qui notantur infam* Petrus Gregorius *lib. 39. syntagm. cap. 5.* Rosinus *lib. 9 antiquit. cap. 2, & 5.* Paschalius *de coronis lib. 6* Mariana *de spectaculis*, Pamelius, Zerda, & Ambianas *ad Tertullianum de spectaculis*, Pancirola *lib. 1. variar. cap. 4. & 47* Martinus Delrio *disquisit. magic. lib. 4. q. 4. sect. 2.* Petrus Fab. *integr. lib. agonist.* Mercurial. *de arte gymnastica*, Amaya *lib 3. obs. cap. 3.* Bulengerus *in tract. de Circo* Gymnica certamina, seu circensia, erant quasi meditamenta præliorum, & robur, modumque pugnandi in bello formantia; ideoque similes agones virtutis, gloriæque causâ aggrediedantur, *d. l. athletas 4. l. qua actione 7. § si quis in colluctatione, ff ad leg. Aquil.* veluti si quis certaret hastâ, pilâ, currendo, luctando, vel pugnando. Plato *lib. 7. de legibus*, Lucianus ibi: *Decertare docemus, ut labores ferre assuescant, & simul cedere plagis ne vulnera aversentur.* Sed cùm Sallustius dicebat *de conjuratione Catilinæ in princip* quod melius sit ingeniis, quàm corporis viribus gloriam quærere, fuerunt quoque certamina in quibus ingenia formabantur ad virtutem litterarum; quapropter loca in academiis iis exercitationibus constituta, gymnasia nuncupantur. Imperatores & Reges hujusmodi studiorum ludos olim edidisse referunt Gellius *lib. 10. noctium, cap. 19* Vitruvius *lib. 7. de architectura, in princip.* Tacitus *lib. 14. annal.* ex eisque Petrus Gregorius *d. cap 5.* P. Faber *lib 1. agonist. cap. 25. & 26.* Scenici autem ludi, seu theatrales erant ubi comœdiæ, tragœdiæve recitabantur; mimi, pantomimique diversas personas simulantes theatrales ludos edebant, de quibus egi *in cap cùm decorem, de vita & honest. cleric.*

II. *De ludis Circensibus.*

Circensium autem, seu gymnicorum apud Græcos olim celebratissima spectacula fuerunt, Olympica, Nemæa, Isthmica, & Pythia, quæ etiam sacra appellabantur. De eorum origine, & auctoribus agunt Strabo *lib. 8 geograph* Tertullianus *de spectaculis* Higinus *fabul. 74.* Lactantius *lib 1. de falsa relig. cap. 21* Horum certaminum meminerunt Ovidius *lib. 1. Metamorph* ibi:

Neve operis famam posset abolere vetustas,
Instituit sacros celebri certamine ludos,
Pythia perdomiti serpentis nomine dictos.

Ausonius *in eclog.*

Quatuor antiquos celebravit Achaja ludos,
Cœlicolum duo sunt, & duo festa hominum.
Sacra Jovis, Phœbique, Palæmonis, Archemoriique,
Serta quibus pinus, malus, oliva, apium.

Statius *lib. 6. Thebaid.* Hæc certamina totâ ferè adstante Græciâ magno impendiorum quæstu, & maximo ostentationis apparatu edebantur, fortissimis undique athletis ibi confluentibus, ut referunt D. Chrysostomus *orat. 66. de Gloria*, Plutarchus *in Num*: certabantque in his spectaculis luctando hastâ, pilâ, seu pugillatu. Silius Italicus *lib. 16.*

Quique armis ferroque valent, quique arte regendi.
Quadrijugos pollent currus, queis vincere planâ
Spes est, & studium jaculis impellere ventos,
Adsint. & pulchræ certent de laude coronæ.

Et D. Isidorus *lib. 3. originum, cap. 18. & 22* quinque gymnicorum enumerat species, saltum videlicet, cursum, jactum, pugillatum, atque luctam. Illud tamen notandum est, pugillatum esse ubi manuum, brachiorumque impulsu certabatur. Pancratium verò, in quo & cruribus, & toto corpore certari solebat. P. Faber *d. lib. 1. agonist. cap. 10 & 13* Cœlius Rhodiginus *lib. 15. antiq. lect. cap. 20.*

12. *De honoribus & præmiis athletis concessis.*

Maxima autem erat victoriæ in his certaminibus partæ dignitas, & coronarum magnum decus; adeò ut olympici certaminis victoribus licuisset signare monetam, ut refert Julius Pollux *lib. 1 cap. 12.* illisque concessum fuit, ut in exercitu Regi adstarent. Plutarchus *in vita Lycurgi* P. Faber *lib 2. agonist. cap. 16.* & qui tribus coronis erant coronati, civilium munerum vacationem assequebantur, *l. unic. C. de athletis, lib. 10.* udi plura Amaya; à tutelaque excusabantur, *l. 6. § 13.* ibi: *Athletæ habent à tutela excusationem, sed qui sacris certaminibus coronati sunt.* Samuel Petitus *ad ll. Attic. lib. 1. tit. 3 fol. 62* Palmatà etiam, & floridâ veste conspicui à cæteris distinguebantur. Plinius *lib. 7. cap. 47.* triumphalique curru per theatrum transvecti in patriam deducebantur. Plinius Junior *lib. 10. epist. 119.* ex eorum numero duces eligebantur. Strabo *lib 13* Diodorus Siculus *lib 12* illorumque statuas erigi, imaginesque dicari mos erat. Xenophon. *lib. 3. memorab.* Lucianus *de imaginibus*. Denique quo majori illis accederet majestas, & veneratio, dicti fuerunt Hieronicæ, id est sacrorum certaminum victores; & coronas, quibus ornabantur, dictas fuisse sacras, constat *ex d. l. commodis*, & ex Silio Italico *lib. 14.* ibi:

Hic Arethusa suum piscoso fonte receptat
Alphæon sacræ portantem signa coronæ.

Texebantur autem coronæ olympicæ ex oleastro. Plinius *lib. 15. cap. 4.* Pythia ex lauro. Ovidius suprà relatus. Nemæa ex apio. Lucianus *de gymnas.* Et in omnibus his radiantibus foliis palma signum victoriæ exhibebat. Cassiodorus *lib. 8. var. epist. 22* ibi: *Olympicos currus frequens palma nobilitat* Paschalius *dicto lib. 6 de coronis cap. 16. & 21.* quæ sacræ coronæ adeò evectæ, elatæque in tantùm majestatis fuerunt, ut Reges ipsi iis præmiis ornari inter faustos eventus referrent, ut de Philippo Plutarchus refert *in vita Alexandri*: de Archelao Macedoniæ Rege Suetonius *in vita Neronis*. Ad quam certaminum dignitatem respexit Horatius *lib. 1. carminum, od. 1.* ibi:

Sunt quos curriculo pulverem olympicum
Collegisse juvat: metaque fervidis

Evitata

Evitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad Deos.

Nec solùm his honoribus decorabantur, verùm & in vulgaribus, communibusque agonibus constituta erant victoribus præmia, & commoda pecuniâ æstimanda, *l. penult. ff. de annuis legat. l. Septitia. ff. de pollicit.* Unde Virgilius *lib. 5. Æneid.* dum de his certaminibus agit, ait:

Et palmæ pretium victoribus armaque, & ostro
Perfusæ vestes, argenti aurique talenta.

In sacris autem certaminibus nullum certum erat præmiorum commodum ultra coronas, illudque maximum gloriæ, & celebritatis decus constitutum: sed patria ex qua oriundi erant ipsi sacri certaminis victores, illis ex ea die, non quâ coronam adepti essent, sed ex qua civitatem ingressi fuerant, stipendia annua, seu commoda annonaria propter sacras coronas præstabat. Plinius Junior *lib. 10. epist. 119.* Tertullianus *in Scorp. cap. 6.* ibi: *Nemo tamen agonis præsidem fugillaverit, quod homines violentiæ objectet, injuriarum actiones extrastadium; sed quantùm labores illi, & cruores & vibices negotiantur, intendis, coronas scilicet, & gloriam, & dotem, privilegia publica, stipendia civica, imagines, statuas, & quale potest saculum præstare, de fama æternitatem, de memoria resurrectionem.* De his commodis præmiorum agit Papinianus *in d. l. commodis*, dum docet, his commodis, quæ propter coronas sacras præstantur, posse condemnato interdici, & pecunias illas, seu pensiones ex stipendiis provenientes ex causa judicati capi posse; quæ est vera Papiniani sententia, ut jam notarunt Petrus Faber *lib. 2. agonist. cap. 17.* Cujacius *lib. 10. responsa. Papin. in eodem textu*, omissâ expositione Forcatuli *in Cupidine juris, cap. 20.* Nec tunc obstat textus *in d. l spem, C. quæ res pignori.* Nam omissis solutionibus traditis ab Accursio, Bartolo, Baldo, & Fulgosio *in dicta l. spem*, & *in d. l stipendia*, Zasio, Aretino, & aliis relatis à Genoa *in conciliat. legum*, *f. l* 44. respondendum est cum Petro Fabro *dicto cap. 17.* Papinianum loqui de commodis jam debitis propter coronas adeptas, & præmia consequuta; Alexandrum verò agere *in d. l. spem*, de spe victoriæ, quæ nondum accidit, & coronæ nondum adeptæ, præmiisque nondum acquisitis, quæ publicè interest non pignori obligari, ne ab animosa, strenuaque decertatione, ad quam spe præmiorum athletæ alliciuntur, omnino retrahantur, cùm commoda aliis obligata ipsi perlaturi non sint. Nisi dicamus cum Cujacio *in recit. ad tit. C. quæ res pignori*, spem illam præmiorum privatâ pactione pignori dari non posse, *d. l spem*: at verò judicis auctoritate pignoris jure in causam judicati capi prohibitum non esse.

Suprà traditis opponi potest textus *in l. tribus 8 ff. de usufructu earum rerum*, in illis verbis: *Si cohæredes ex causa fidejussoria convenirentur, eos mandati non acturos.* Ex quibus deducitur, fidejussorem solventem pro reo principali, adversùs eum actione mandati non rectè agi: Igitur quia fidejussor non tenetur indemnem reddere reum principalem, ut in præsenti textu docetur. Cui difficultati respondendum est, in eo textu hæredes, qui fidejusserunt, & solverunt, non habere regressum actione mandati adversùs reum principalem, hoc est legatarium, vel ejus hæredem; quia non ejus mandatu fidejusserunt, sed ussu testatoris; & non propter alienam obligationem, sed propter suam, ut se liberarent legato cautionis sibi à testatore injuncto: quare ut fidejussores, qui in rem suam, vel donandi animo intercesserunt, non habent regressum contra reum principalem; ita nec fidejussores, de quibus in eo textu, ut docuit Cujacius *lib. 17. qq. Papin.* in eo textu.

15. *Exponitur l. tribus 8. ff. de usufructu ear. rer.*

CAPUT III.

Idem *Cantuariensi* (a) *Archiepiscopo.*

CONstitutus in præsentia nostra dilectus filius noster Magister Stephanus, suâ nobis assertione monstravit, quod pro Magistro P. (b) Blesensi Cancellario tuo tempore Lateranen. (c) Concilii ad preces ipsius in xv. marchas (d) sterlingorum legalium, & communium intercessit, quas quoniam usque modò debitor non persolvit, justè plurimas asserit à creditoribus molestias pertulisse, & antiquum debitum plurimùm (e) augmentari. Unde quia pro nostro volumus officio providere, ne qui gratiam meruit, pœnam sustineat: f. t. per A. s. p. m. quat. si legitimè de hujusmodi tibi assertione constiterit, præfatum P. ut eum à præscripta intercessione sine dilatione prorsus absolvat, omni gratiâ & timore postposito, nullius ap. ob. ecclesiasticâ districtione compellas. Quia verò diversa experimenta morborum varia nos compellunt remedia invenire, præsentium significatione injungimus, ut si præfatus P. debitum, vel accessiones fortè negaverit, consuetudine, quæ legi contraria est, non obstante, (f) juramentum calumniæ subire cogatur. Prætetea quia difficile foret intercessori testes in Angliam ducere, judicibus Bon. satisdatione idoneâ à P. acceptâ, quod ad testes (g) audiendos vadat, vel mittat, infra terminum competentem litteris tuis significes, ut eos vice tua recipiant, examinent, & interrogent diligenter, & depositiones eorum transmittant inclusas, & significent quanta fides testibus, vel instrumentis possit haberi. Cæterùm si jamdictus P. citatus præsentiam tuam adire, vel judicio stare contempserit, eum infra triginta dies post harum susceptionem reddas beneficio alienum, & redditus ejus in debitorum (h) solutionem convertas, quousque fuerit debitoribus satisfactum.

NOTÆ.

1. (a) *Cantuarienſi.*] Itaetiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 5. Balduino videlicet II. qui Eccleſiam Cantuar. rexit ex anno 1184. usque ad annum 1196. quem Polyd. Vergilius *lib.* 4. refert inter viros ea tempeſtate ingenio, & pietate claros. Giraldus apud Uſſerium *in epiſtolis Hiberniæ, pag.* 117. vocat eum ſanctum, & litteratiſſimum Archipræſulem: & Harpesfeildus *ſect.* 12. *cap.* 18. ſcribit, quod cùm felici vigerét ingenio, egregiè in litteris profecit, evaſitque poſtea in virum tam in aliis diſciplinis, quàm in Theologia inſigniter doctum, doctrinæq; magnitudine, rerum gerendarum prudentiâ, & ſingulari eloquentiâ claruit. Plura de eo refert Richardus Smitheus *in ſerie Præſulum Cantuar. cap.* 8.

2. (b) *P. Bleſenſis.*] Petrus videlicet Bleſenſis, qui fuit Cancellarius ipſius Balduini II. ut ipſe Bleſenſis fatetur *epiſt.* 91. ibi: *Confidenter, & ſub teſtimonio plurium dico, me ſemper dictare litteras ſolitum citius, quàm poſſet aliquis exarare: adveritatem, non ad jactantiam dico. Vidit quandoque dominus Cantuarienſis, & vos ipſi cum eo, multique alii, me diverſis materiis tribus dicere ſcriptoribus, & uniuscujusque calamo feſtinanti ſatisfacere, meque (quod de ſolo Julio Cæſare ſcribitur) quartam epiſtolam dictare & ſcribere.* De quo Poſſevinus *in apparatu*, hæc refert: *Sanè magni animi dotibus vir hic præditus fuit, qui & Archiepiſcopatum Neapolitanum tenuit, & Epiſcopatum Roſſenſem bis recuſavit, & integer vitæ, ſceleriſque purus, martyrium deſideravit. Libertate autem in ſcribendo uſus, ne Regibus quidem tacuit quæ dicenda eſſent: & verè Epiſcopis & Abbatibus normam vivendi præſcripſit.* Baleus *centur.* 13. *cap.* 21. ibi: *Petrus Bleſenſis verè linguâ diſertus, & eloquens, omnigeno nitidioris doctrinæ honeſtamento nobilitatur, teſtis, & præco veridicus: hic perdoctus vir non ſolùm rem, ſed etiam nomen tranſubſtantiationis profitetur, ſic ſcribens ſermone* 38. *Sacerdotum miniſterio panis, & vinum in carnem Chriſti tranſubſtantiatur.* Et *epiſt.* 140. ita ſcribit: *Et ut gratiâ exempli in uno Sacramento videas abyſſum profundiſſimam, & humano ſenſui imperceptibilem, pane, & vino tranſubſtantiatis virtute verborum cœleſtium in corpus, & ſanguinem Chriſti, accidentia, quæ priùs ibi fuerant, ſine ſubjecto remanent.* Varia opera tanto ingenio digno in lucem edidit, quæ refert Bellarminus *de ſcriptoribus Eccleſiæ, verbo Petrus Bleſenſis*; & nuper edita ſunt anno 1667. cum notis Joannis Buſei.

(c) *Lateranenſis Concilii.*] Celebrati temporibus Alexandri III. cui interfuit ipſe Petrus Bleſenſis, & hac occaſione forſan iter faciens per Bononiam, mutuam pecuniam ibi accepit.

(d) *Sterlingorum.*] Genus eſt peculiaris monetæ Anglorum, ut refert Polydor. Vergilius *lib.* 17. *hiſtor. Angliæ.*

3. (e) *Plurimùm augmentari.*] Ex his verbis deducitur, fidejuſſorem teneri non ſolùm in ſortem principalem, pro qua fidejuſſit, verùm & ad uſuras, & ſimiles acceſſiones, ita ut ſi reus principalis moram fecerit in ſolvendo id quod promiſit, & ita obligatio ejus augeatur, veluti in contractibus bonæ fidei, in quibus uſuræ ex mora debentur, *l.* 4. *C. depoſiti, l. curabit* 5. *C. de action. empti, l. qui per colluſionem* 49 *ff. eodem*: vel ſi in contractibus ſtricti juris pœna promiſſa ſit, tenebitur fidejuſſor ad uſuras, & in his contractibus ad pœnam: probant textus *in l. etiam* 9. *C. de fidejuſſ. tut. l. ſi mandato* 8. *C. quod cum eo, l. initio* 5. *C. de pactis inter emptor. l. fidejuſſor, C. de fidejuſſ. l. quæro* 54. *ff. locati, l. ſi quis* 24 §. 1. *ff. de uſur. l.* 1. §. *Beliſſimè, l. penult. ff. ut legatorum nomine, l. ſi poſtea* 10. *ff. rem pupilli, l.* 2. §. *penult. ff. de adminiſtr. rerum, l. amiſſi* 52. *l. ſi quis pro eo* 56. §. *ſi nummos, l. fidejuſſores* 68. *ff. de fidejuſſ. l. ſi ſervum* 91. §. *nunc, ff. de verb. oblig. l. Latinus ff. de jurisdict.* ut contingit in pignore accepto, *l.* 11. § 3 *ff. de pignorat. act.* niſi pœna commiſſa ſit ex facto ipſius rei, *l. ultim. ff. de jure jur.* veluti Magiſtratus, pro quo quis fidejuſſit; nam ſi pœna ex ejus facto committatur, fidejuſſor non tenetur, *l. fidejuſſores* 68. *ff. hoc tit. junctal.* 1. *C. de peric. eorum qui pro magiſtr. lib.* 11. *l.* 1. *ff. de magiſtr. conven. l* 2. § *ultim. l. libertus* 17 §. *ult. ff. ad municip. l* 2. *C. ad Turpil* Sed tunc obſtat, quod fidejuſſor non cenſetur acceptus, niſi in id, quod contractus tempore debiturum erat, *l per retentionem. C. de uſuris*: ſed tunc uſuræ, & ſimiles acceſſiones non debebantur: ergo nec ad eas tenetur fidejuſſor; præcipuè cum mora ſua cuilibet nocere debeat, *l. in condemnatione* 173. §. *Unicuique ff. de reg. jur.* Quare nec mora fidejuſſoris reo principali nocet, nec mora rei principalis fidejuſſori, *l ſi pupillus* 127 *junctal. cùm filius* 49. § 1 *ff. de verb. oblig. l. ſi libertus* 44. *ff. de oper. libert.* niſi ad perpetuandam obligationem; quia cùm per moram perpetuetur obligatio principalis, perpetuatur & acceſſoria, *l. ſi à colono* 58. §. 1. *ff. hoc tit. d. l. ſi quis* 24. §. 1. *ff. de uſuris, l. cùm filius* 49. *l. mora* 88. *ff. de verb. oblig.* quòd provenit ex natura obligationis fidejuſſoriæ; nam cùm pendeat à principali, neceſſariò perpetuata principali, perpetuatur & acceſſoria; quod non contingit in uſuris, quæ non debentur ex principali obligatione, ſed veniunt officio judicis, & probat doctè Arnoldus Vinius *lib.* 2. *cap.* 10. *per totum, in ſelect.* Pro hujus difficultatis ſolutione communiter diſcrimen conſtituunt Heringius *de fidejuſſ. cap.* 24. *num.* 152. Cujacius *lib.* 3. *ad Afric. in l. centum. ff. de eo quod certo, &* *lib.* 28. *qq. Pauli in l. Stichum* 95 *ff. de ſolut.* Leothardus *de uſuris, q.* 10. *num.* 16. Vinius *ubi ſuprà*, inter eum caſum, in quo fidejuſſor accipitur in omnem cauſam; & inter eum, in quo ſimpliciter tantùm ad certam ſummam recipitur. Primo caſu etiam ad uſuras, & ſimiles acceſſiones tenetur, quia ut dicitur *in l. ſi quis* 56. §. 2. *hoc tit.* in omnem cauſam acceptus videtur. Secundo verò caſu nec etiam propter moram rei principalis in majorem ſummam tenetur, quia ejus obligatio augeri non poteſt contra fidejuſſoris mentem, & voluntatem: quando verò dicatur fidejuſſor in omnem cauſam acceptus, examinant Vinius *ubi ſuprà*, Cujacius & Donellus *in l. centum, ff. de eo quod certo*: ubi exponunt difficilem textum *in l. quæro. ff. locati.* In præſenti textu certum eſt, acceptum fidejuſſorem fuiſſe in omnem cauſam; non tamen inde accipias relata verba de uſuris, quæ jure Pontificio nec in contractibus bonæ fidei ex mora veniunt; ſed de pœna, & ſimilibus acceſſionibus: unde infra ait Pontifex, *debitum, vel acceſſiones*: nunquam tamen dixit uſuras, quæ hoc jure regulariter ſemper improbantur.

(f) *Juramentum calumniæ.*] De quo egi ſuprà *in titulo de juramento calumniæ.*

(g) *Au-*

(g) *Audiendos vadat.*) Hæc verba exposui *in cap. in nomine, de test.*

(h) *Solutionem.*) Juxta adducta in proximo commentario.

COMMENTARIUM.

4. Conclusio traditur, & probatur.

EX hac Lucii III. epistola sequens deducitur assertio: *Compellitur debitor principalis, qui per tempus cessavit in solutione, unde fidejussor molestatur, ipsum liberare.* Probant eam textus *in cap. final. hoc titul. l. Lucius* 38. §. 1. *ff. mandati, l. si ab arbitro* 10. §. *qui ex causa, ff. qui satisd. cog. l. si is à quo,* §. *si semel, juncta l. plane, sequenti, ff. ut in possess. legat. l. in omnibus, ff. de judiciis, l. si creditores* 31. *ff. de privil credit. l.* 14. *tit.* 12. *p.* 2. Illustrant ultra congestos à Barbosa & Garaña hîc, Gaillius *lib.* 2. *obs. cap.* 29. *num.* 12. Cencius *de cens. p.* 7. *artic.* 4. *num.* 7. D. Ioann. de Larrea *decis.* 93. *per totam*, Heringius *de fidejus. cap.* 25. *num.* 33. Cujacius, & Donellus *in l.* 10. *C. mandati*, Gibalinus *de usuris lib.* 4. *capite* 6. *articul.* 15. Vinius *lib.* 2. *select. cap. ultim.* Phœbo *decis.* 180.

5. Traditur dubitandi ratio.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Fidejussor antequam solvat, non potest actione mandati agere contra reum principalem, *l. si pro eo* 10. *C. mandati*: nam cui mandatum est, ut fidejubeat, mandatum creditur ut solvat, *l. indebitam, ff. de condict. indeb. l.* 1. *C. de polo.* Unde si jubeat testator hæredi, ut pro aliquo fidejubeat, & hæres solvat, actionem mandati non habet, quasi paria hæc sint, *spondē, & solve*, ut *in l. tribus* 8 *ff de usufr. ear. rer.* Et ita dum fidejussor non solvit, mandatum adimplere, & perficere non videtur, ac per consequens non potest intendere actionem mandati contra ipsum reum principalem, ut à fidejussione liberetur, *l. si mandatu* 45 *§. sed si mandatu, ff. mandati, dict. l. indebitam.* Nec etiam poterit petere fidejussor, ut ex integro satisdatio detur, *l. si is à quo* 3. §. *si semel, ff. ut in possessionem*, etiamsi cautionem inidoneam à principio datam esse dicat, *l.* 3. *ff. fidejus. l. inter*, §. *abesse, ff. mandati, l.* 1. §. *illud, vers. Item quæritur, ff. de separat.* pluribus relatis probat Felicianus *de censibus* 1. *p. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 17. & *lib.* 3. *capite* 9. *num.* 9. Igitur in præsenti specie nullo modo poterat fidejussor agere contra reum principalem ut ab obligatione fidejussoria liberaretur.

6. Traditur ratio dubitandi.

Quâ difficultate non obstante verum est, certis in casibus licere fidejussori agere contra debitorem, ut eum à fidejussione liberet, quos refert Gregorius *in capite finali, hoc titul.* Inter eos & ille refertur, videlicet si debitor morosè persistit in obligatione, passusque est fideiussorem molestari: quantum verò tempus desideretur, ut dici possit debitorem diu in solutione cessasse, arbitrio iudicis relinquitur, ut *ex dict. l. Lucius* 38. §. 1. docent Menochius *de arbitrar. casu* 41. *numero* 4. Gomezius *libro* 2. *var. capite* 13. *numero* 10. Osualdus *ad Donellum libro* 13. *capite* 13. *littera E.* Heringius *de fidejus. capite* 25. *num* 33. nam licèt verbo *diu*, utatur ibi Consultus, quod decem annorum spatium importat, *l. si cum fideicommissa* 16. §. *Aristo, ff. qui & à quibus, l. si diuturna. ff. de legib.* juncto Donello *libro* 1. *comment. capite* 10. ubi Osualdus *litt.* F. aliquando tamen minus tempus demonstrat, ut biennium *in l. cùm dominis* 56. *ff. locati*: quinquennium *in l.* 3. §. 2. *ff de re milit.* & minus tempus *in l.* 1. §. *largius, ff. de success. edict. l.* 3. *C. de execut. rei judic. l.* 1. *C. de patria potest. l. non distinguemus* 32. §. *si arbiter, ff. de recepti.* Ex quibus, & aliis apertè constat, verbum *diu*, ad minus tempus quàm decennium referendum esse, & in terminis probari videtur *in l.* 14. *tit.* 12. *part.* 5. notarunt Valascus *consult.* 36. *num.* 1. Larrea *decis.* 93. *num* 6. In censibus autem, & aliis annuis redditibus, qui tractum habent successivum, præsens assertio non procedit, quia imputari non potest debitori, cur eos non redimat, ut docuerunt Rodriguez *de annuis reddit. lib.* 2. *quæst.* 13. *num.* 18. nisi debitor cœperit facultatibus labi, & ad inopiam vergat; nam tunc etiam in contractibus censualibus beneficium hoc fidejussori competit, ut ex Peguera *decis.* 192. & aliis resolvit Cencius *de censibus part.* 2. *capite* 7. *articul.* 4. *num.* 7. Licèt enim fidejussor debitoris census videatur respicere perpetuitatem, quousque census redimatur; de novo tamen superveniente jactura bonorum, novum etiam auxilium præstandum est. Et præsentis assertionis magna ratio est; nam in fidejussoria obligatione non videtur actum, ut fidejussor perpetuò obligatus sit, sed post justum tempus eximatur, & indemnis reddatur: neque æquum est eum, qui amici officium exhibuit, retineri in perpetua obligatione, à qua possit amicus eum liberare solvendo pecuniam debitam, *l. si mora* 9. *juncta l. si constante*, §. *penult ff. solut. matrim. l. si quis vinâ* 4. §. *ultim. ff. de periculu & commodo.* Rectè ergo cùm in præsenti specie ob moram debitoris in solutione fidejussor inquietaretur, decrevit Lucius III. reum principalem cogendum esse per subtractionem fructuum sui beneficii fidejussorem indemnem reddere, ne fidejubendi officium illi damnosum esset, contra textum *in l. si servus*, §. *quod verò, ff. de furtis, l. ex mandato, ff. mandati, l. sed si* 7. *ff. quemadm. testam.*

7. Dissolvitur dubitandi ratio.

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam, etsi regulariter verum sit, non posse fidejussorem petere, ut reus principalis illum liberet, aut nova cautio illi præstetur, tamen justis ex causis intervenientibus, quæ in præsenti textu, & *in capite fin. hoc titulo*, referuntur, contrarium dicendum est, ex juribus suprà relatis; quemadmodum licèt fidejussor mandatum solvendi susceperit *l. indebitam, ff. de condict. indeb.* hoc tamen implere, & præstare debet, dum illi officium fidejubendi damnosum non sit, *dict. l. si servus*, §. *quod vero*; ita & si justam causam habeat, veluti quia molestatur, ut in præsenti specie, rectè agit, ut à fidejussione liberetur. Donellus *in dict. l. si quis pro eo* 10. *C. de fidejus.*

CAPUT V.

Innocent. III *in Cconcilio* (a) *Lateran.*

QVod quibusdam religiosis à Sede Apostolica est prohibitum, volumus, & mandamus ad universos extendi, ne quis videlicet religiosus absque (b) majoris partis Capituli, & Abbatis sui licentia pro alio fidejubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuam accipiat, ultra summam communi providentiâ constitutam: alioquin non teneatur conventus pro his aliquatenus respondere, nisi fortè in utilitatem (c) domus ipsius manifestè constiterit redundasse. Et qui contra istud statutum venire præsumpserit, graviori disciplinæ subdatur.

NOTÆ.

(a) *Lateranen.*) Generali videlicet, sub Innocentio III. celebrato, ubi *cap.* 59. *& in cap. unic. hoc titulo, in* 4. *collect.* refertur hic textus, de quo Concilio nonnulla notavi *in cap.* 1. *de summa Trinit.*

(b) *Majoris partis.*) Quæ etiàm desideratur in qualibet alienatione rerum Ecclesiæ, juxta adducta *in cap.* 1. *de his quæ fiunt à major.*

1. (c) *In utilitatem domus.*) Ex his verbis deducunt Fachineus *lib.* 2. *controv. cap.* 77 Pinel. *in l.* 2 *C. de rescind. num.* 69. quod quando Prælatus cum debita solennitate mutuam pecuniam accepit, etsi non probetur eam conversam fuisse in ejus utilitatem, tenetur Ecclesia eam solvere. Sed contrarium, immò non teneri Ecclesiam ex mutuo à Prælato simul cum Capitulo accepto, nisi probatum fuerit, pecuniam versam esse in ejus utilitatem, docuerunt plures congesti à Barbosa *in collect. & select. ad hunc textum* Hermosilla *in l.* 3. *tit.* 1 *glos.* 2. *part.* 5. in qua opinionum varietate placuit distinctio P. Molinæ *tom.* 2. *de justitia. disput.* 300. quem sequuntur plures congesti ab Hermosilla *ubi proximè*, & noviter Gibalinus *lib.* 1. *de usur. cap.* 3 *articul.* 2. *num.* 5. videlicet, ut si ad mutuum solvendum alienanda sint immobilia, aut mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, incumbat creditori onus probandi, tale mutuum cessisse in utilitatem Ecclesiæ; quia talia bona nequeunt alienari sine debita solennitate. Si verò ad mutui accepti solutionem sufficiant alia bona mobilia, non est necessariò probanda prædicta utilitas Ecclesiæ. Quando tamen pecunia dicatur versa in Ecclesiæ utilitatem, exponit Gibalinus *ubi suprà.*

COMMENTARIUM.

2. QVidam sunt fidejussores, qui variis ex causis ex fidejussione efficaciter non obligantur, qui non idonei dicuntur *in l.* 3. *ff. de fidejuss. l.* 1. *&* 2. *ff. qui satisd. l.* 1. *ff. si quis in jus vocatus.* Et in primis jure civili attento omnes personæ, quæ stipulari non poterant, veluti mutus, infans, & similes, qui solennia stipulationis verba proferre non poterant, nec ut fidejussores poterant intercedere, *l. Græcè* 8 *ff. l. blanditus* 12. *C. hoc titul.* Hodie tamen attentâ lege 2. *tit.* 18. *lib.* 5 *recopil.* omnes illi fidejussores dari possunt, si consensum, conceptumque suum exprimere possint, ut docent Gregorius Lopez *in l.* 6. *titul.* 12. *partit.* 5. Padilla *in l. promissis, num.* 5. *C. de transact.* Parladorius *lib.* 2. *rerum quotid. cap.* 3. *num.* 22. Azevedus *in dict. l.* 2. *num.* 19. Matienzus *glos.* 3. *num. ultim.* Infans verò, prodigus, furiosus, & similes, qui ex contractibus efficaciter non obligantur, nec ex fidejussione tenentur. Deinde idonei fidejussores non sunt minores, qui licèt stricto jure efficaciter teneantur, ut agnoscunt Gomez *lib.* 2. *var. cap.* 13. *num.* 19. Barbosa *in l* 1. *C. de fil. famil.* tamen non sunt idonei, *l. de die* 8. § 1. *ff qui satisdar. cog. l. ait Prætor* 7. §. *non solum* 3. *ff. de minor. l.* 3. *l. si Titius* 48. *ff. hoc tit. l. C. de fil. famil.* Cùm enim fidejussio per se damnosa sit, ut suprà probavi *in cap.* 1. creditur minorem in ea fuisse circumscriptum, & ita facilè ipse restituitur adversus fidejussionem, ut probant Heringius *de fidejuss. cap.* 1. *num* 46. *& cap.* 7. *ex num.* 82. Pirrus Mautus *eod. tract.* 2. *p. sect.* 8. *cap.* 15. latè Noguerol. *alleg.* 34. Fontanel. *de pactis nupt. clausul.* 4. *glos.* 8. *p.* 3. *num.* 28. Barbosa *ubi suprà*, Molina *de justitia tract.* 2. *disput.* 504. *num.* 25. nisi minor fidejusserit in rem propriam, idest in proprio negotio, ut in utilitatem suam fidejussio verteretur, *dict. l. de die* 8 § 1 vel si minor majorem se dixerit in fidejubendo, & ita deceperit creditorem, *ex authent. sacramenta, C. si adversus vendit* quod latè exponit Noguerol *ubi proximè*: vel si in causa pia intervenerit, veluti ut patrem captivum redimat, aut in carcere detentum liberet, *authentic. si captivi, C. de Episc. & cleric* Noguerol *suprà, num.* 7 Barbosa *num.* 3. *&* 4. Quare meritò Papinianus *in l. si Titius* 48 *ff. hoc tit.* dixit hoc beneficium in in certo esse, quia his exceptionibus, & aliis limitatur. Nec etiam fœminæ, & clerici licitè, & efficaciter fidejussores intercedunt, ut probavi *in cap.* 1. *hoc tit. & in cap. ex rescripto, de jurejur.* Etiam milites armatæ militiæ, qui in castris degunt, stipendiaque merent, idonei fidejussores non sunt, nisi in negotium proprium interveniant, *dict. l. de die* 8. §. 1. *ff. qui satisd. mittes* 31. *C. locati, l.* 2. *titul.* 12. *partit.* 5. ubi duas rationes assignat Alphonsus noster illis verbis: *Porque no se embargue el servicio de el Key, y porque los hombres no pudieran auer derecho de ellos tambien, y tan ligeramente, como de los otros.* Incutit enim terrorem cingulum militare, ut probat Juvenalis, sive quivis auctor est, *satyr.* 16. notarunt Eringius *dict. cap.* 7. *num* 160. Pirrus *dict. sect.* 8. *cap.* 4. Gomez *dict. cap* 13. *num.* 10. quod procedit in militibus in expeditione ipsa occupatis, qui castra sequuntur, & stipendia merent; non verò in illis

illis, qui parati sunt ad bellum, vulgò dicimus terciados, y quintados; quia illi ex fidejussione efficaciter obligantur, ut docent Gregorius Lopez *in dict. l. 2. glos. 1.* Gamma *decis. 365. per totam*, ubi Flores de Mena.

Succedunt filiifamilias, & servi, circa quos sciendum est, quod cùm filiusfamilias integrum caput in civitate habeat, *l. nam civium 4. ff. de his qui sunt sui vel alieni, l. illi à quo 13. §. ultim. cum l. sequent. ff. ad Trebel.* & obligari possit ex quibuscunque causis, non minùs quàm pater, *l. si quis cum filio 44. ff. de pecul. l. tam ex contractibus 57. ff. de judiciis, l. si prædia 58. in fine, ff. de donat. inter, l. filius 39. ff. de obl. & act.* nulla est ratio cur ex fidejussione efficaciter non obligetur: sed ob bonorum defectum illum non esse idoneum fidejussorem, dicitur *in l. 3. ff. hoc tit.* nec in necessariis fidejussionibus esse admittendum, nisi cùm alii etiam non idonei admittuntur, veluti in specie textus *in l. 2. § quod ait 3. juncta l. sequenti, ff. qui satisd. cog.* unde si in aliis causis intercedat, tenet obligatio, *l nulla 5. C. quod cum eo, l item 7. in princip. ff. ad Macedon.* nisi per fraudem intercedat filius, qui ut talis tanquam principalis obligari non poterat, ut dicitur in §. 1. ejusdem legis: idemque de mandato docetur *in l. si vero 12. §. idem 4. ff. mandati:* quare sui juris factus tenetur ex bonis propriis solvere, *l. si dubitet 10. § filius, ff. hoc titul.* & dum est in sacris paternis, tenetur ex bonis castrensibus, vel quasi, seu aliis ad eum spectantibus solvere, *dict. l. 10. §. filius:* & ita solvens actionem mandati habet contra reum principalem, non directam, sed utilem, quia directam patri acquisivit, in cujus potestate erat tempore, quo contraxit, *l. si vero 12. §. fin. ff. mandati, l. quidam 46. in fine, ff. de hæred. instit.* ubi cujacius *tract. 2 ad Afr.* Revardus *in l. qui 19 ff de reg. jur.* Gothofredus *in l. filius 76. ff. de v. ob. obl.* immò etsi non fidejubeat ex causa peculiari, nec ex re patris, sed ex quacunque alia *l. 7. §. sed si filius 9. ff. de peculio.* Potest etiam filiusfamilias pro patre reo principali efficaciter fideiubere, *l. 1. C. de filiofamil. minor l. si ex alio 9. C. quod cum eo, l. si paternam 8. C. ad Vellejanum, l. filius 8. C. hoc tit. l. si dubitet 10. §. filius, ff. eod.* ubi referuntur effectus similis fidejussionis. Et licèt vulgò hæsitetur, quomodo filius pro patre intercedere possit, cum juris censurâ una eademque persona cum eo credatur, *l. ultima. C. de impuber* & nemo apud seipsum, vel pro seipso fidejubere possit, *l. hæres 21. §. servo 2. l. Granius 71. ff. de fidejus.* in promptu solutio est, siquidem filiùs in his, quæ ad patrem pertinent, & sunt correlativa inter utrumque, censetur cum eo una, eademque persona: sed in his, quæ spectant ad extraneos habetur, prout est, pro diversa persona; & ideo apud extraneum obligatur, in judicium trahitur, & cætera agit, aut paritur, tanquam paterfamilias; & ita potest pro patre apud extraneum fidejubere, non verò pro extraneo apud patrem, argumento legis *Imperator 50. ff. ad Trebel.* Non idem dicendum est in servo; si enim extra causam fidejubeat peculiarem, & extra rem domini, inutilis fidejussio est. Differentiam inter utramque personam notavit Ulpianus *in dict. l. 3. §. si filius 5. §. Iulianus 6. & §. sed si filius 9. ff. de peculio*; quam comprobant textus *in l. 3. l. sed etsi 20. juncta l. servus, antecedenti*: & à contrario sensu; *l. hæres 21. §. servo 2. hoc titul. l. de die 8. l. si servus 2. ff. qui satisd. cog. l. in persona 30. §. 1. ff de pactis*: in cujus differentiæ ratione reddenda non consentiunt Interpretes, omissis traditis ab Heringio *de cap. 7. n. 292.* Veram assignavit D. Iosephus de Retes *de fidejussoribus cap. 5. num. 10.* supponit enim perdoctus vir, differentiam hanc none placuisse tam Sabinianis, quàm Proculeianis; immò & Sabinianorum sententiâ tantùm differentiam illam obtinuisse, quia Proculeiani nullum inter filium & servum discrimen constituissent. Et licèt sententia Proculeianorum iuri consona sit, differentia tamen Sabinianorum magis accedit respectui pudoris, & verecundiæ paternæ; erat enim indecens, ut saltem peculio tenus, cujus administrationem filio permiserat, pater recusaret implere fidem à filio promissam in fidejussione; pudorem enim filii in patrem reflectimus, ut pudorem patris in filium, argumento legis *ista quidem 8. de eo quòd metus, l. quamvis 20. ff. solut. matrim* quæ ratio in servo erga dominum non militat; fides enim servi nulla, aut fluxa est; & eius persona, si ita dici potest, omnium est vilissima iuris Romani censurâ. Hac ergo forsan ratione ait laudatus Præceptor, quod Sabiniani fideiussionis servilis extra causam peculiarem factæ nullam curam habuerunt, sed fidejussionem filii voluerunt patrem obligare peculio tenus, ex quacunque causa fidejussisset: à quibus imbutus Iulianus, qui eiusdem scholæ fuit, *l. 2. in fine, ff. de orig. jur.* respondit *in dict. l. 3. §. filius 5. cum sequen.* eam differentiam, quæ in fideiussione datur, dari etiam in obligatione mandati, si servus, vel filius extra causam peculiarem rem domini mandaverint; mandatum enim filii patrem onerat, sed mandatum servi non onerat dominum. Nec obstat textus *in l si servi 42. ff. de negot. gestis*, ubi actio de peculio ex mandato servi in dominum competit; quia accipiendus est juxta propositam differentiam, quando ex re domini vel propter negotium peculiare servus mandavit. Idem dicendum esse in compromisso, & in iuramento delato à servo, vel filio, doctè probat ipse præceptor *num. 20.*

Tandem monachi, qui nec velle, nec nolle habent. *cap. dilectus 27. de elect. in 6. cap. 2. de testam. eod. libro, cap. non dicatis 12. quæst. 1.* ideoque servis æquiparantur, licèt minùs orthodoxè, à Duareno *ad titulum de condict. indeb. cap. 6.* Osualdo *lib. 17. Donelli, cap. 20. littera A.* non aliter ex fidejussione obligantur, quàm accedente superioris consensu, & licentia maioris partis Capituli, *l. 2. tit. 12. p. 5.* quo casu procedit textus *in cap. ex rescripto 9. de jurejur* docuerunt plures congesti à Barbosa *in præsenti, & lib. 1. juris eccles. cap. 43. num. 58.* quibus addendi plures congesti à Tamburino *tom. 3. de jure Abbat. disputat. 3. quæst. 6. num. 35.* Diana *p. 11. tract. 4. resol. 31.* Heringius *de fidejus. cap. 7 num. 43.* Pirrhus Maurus *eod. tract. sect. 8. quæst. 11* nam monachi quid proprium non habent, *capite cùm inter, de statu monach.* nec res monasterii distrahere possunt; quare non est unde consistat obligatio, & ideo ipso jure fidejussio nulla est, cùm nec persona, nec bona adsint, in quibus consistere possit, ut de servis proximè diximus.

CAPUT

CAPUT V.

(a) Gregorius IX.

EUm, pro quo te' fidejussorem obligasti, si diu in debiti solutione cessavit, aut dissipare bona cœpit, seu super hoc condemnatus fuisti, jure poteris convenire, ut te à fidejussione debeat liberare.

NOTÆ.

1. (a) *Gregorius.*) Qui præsentem constitutionem deprompsit partim *ex l. Lucius* 38. §. 1 *ff. mandati*, partim *ex l. fidejussor* 10. *C. de fidejussor. l. fidejussor* 45. *ff. hoc tit.* ut notavit Cujacius *in cap* 3. *hoc tit.* In præsenti ergo Gregorius tres casus proponit, & exponit, in quibus fidejussor agere potest contra reum principalem, ut eum ab obligatione liberet antequam pro eo satisfaciat. Primus est, cùm debitor morosè diu in solutione cessavit, quem exposui suprà *in cap.* 3 Secundus est, si debitor cœpit labi facultatibus, & ad inopiam vergat; justa enim causa evitandi periculum adest, si debitor bona dissipet, *l. fidejussor* 10. §. 1. *C. hoc titul.* quòd etiam procedere tam in contractibus bonæ fidei, quam stricti juris, contra Gosiam, Alciatum, Cujacium & alios probat nonnullis relatis Petrus Barbosa *in l. in omnibus* 41 *ff. de judiciis*, qui probat contra Castrensem, ut etiamsi paupertas, vel jactura bonorum, non culpâ debitoris, sed casu fortuito supervenerit, adhuc debitor cogatur fidejussorem ab obligatione eximere, & meritò; nam si medio tempore reus, aut fidejussor labatur facultatibus, debitori etiam succurritur, *l.* 10. *in fine. ff. qui satisd. cog. l.* 4. *ff ut in possess. legat. l.* 4. *ff. de prætor. stipul. l.* 41. *ff de petit. hæredit. l.* 14. §. 2. *ff de constit pecun. l* 5. *C. de sponsalib.* sed si jam lapsus erat facultatibus reus cùm fidejussor intercessit, non succurritur fidejussori, nec potest agere ut à fidejussione liberetur, *l. si is à quo ff ut in possess.* ut contingit in creditore, qui fidejussores pauperes accepit, qui non potest alios petere, *l.* 3. *ff. hoc titul. l.* 1. §. *illud*, *ff. de separat.* licèt in marito vergente ad inopiam favore dotis contrarium observetur, *l. si cum* 22. §. *si mulier*, *ff. solut. matrim.* Ne enim indotata remaneat uxor, maritus cogitur, etsi jam tempore contracti matrimonii cœpisset facultatibus labi, novam securitatem dare. Si ergo reus principalis cœperit bona dissipare, facultatibusque labi, potest fidejussor agere ante solutionem ad indemnitatem, seu ut ab obligatione liberetur. Nec contrarium probat textus *in l. ultima*, *ff. de contraria actione tutelæ*, ibi; *Si tutor pro pupillo se obligavit, habet contrariam actionem, & antequam solvat.* Et quibus verbis deducitur, fidejussorem semper posse agere, & antequam solvat: ergo sive cœperit facultatibus labi reus principalis, sive non, semper fidejussor ante solutionem agere potest. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est cum Cujacio, *lib. 2. observ. cap.* 26. tutorem pro pupillo duplici modo obligari posse. Primò citra novationem, fidejubendo, seu constituendo se soluturum finito tutelæ officio, cùm ipse à tutoribus pupillaribus conveniri non possit: nec ipse ante solutionem etiam rectè agit contrariâ tutelæ actione, *l.* 5. *ff. quando ex facto tutoris*, *l. tutor* 28. *ff. de administr. tut. l. cum quidam*, *C. eod. tit. l. ultima. §. ultim. ff. ut legatorum nomine*, ut regulariter in aliis fidejussoribus contingit. Secundo modo obligari potest tutor pro pupillo novatione factâ, & in se transtatâ obligatione; quo casu, cùm statim ipse posset conveniri, etiam contrario judicio tutelæ agere valet, ut liberetur, exemplo curatoris Reipublicæ, qui si administrationis tempore se obligavit novatione factâ post depositum officium, conveniri potest statim, atque ideo etiam antequam solvat in Rempublicam agere potest, *l.* 3 §. *in eum*, *ff. de administrat. rerum*; quo casu procedit textus *in dict. l. ultim.* ut docuit Cujacius *ubi proximè.*

2. Secundò obstat textus *in l. fidejussor* 26. *ff. de pignor.* ubi cùm debitor principalis magno ære alieno obstrictus esset, fidejussor non egit ad indemnitatem, ut securus redderetur, sed potius impetravit à potestate, ut pignora debiti causâ traderentur, ut satisfacere posset creditoribus: & cùm ipsis rebus traditis adhuc creditoribus non satisfeciisset, hæres debitoris principalis paratus satisfacere petiit sibi pignora restitui. Et Consultus Modestinus respondit, pignora à fidejussore restituenda esse hæredi debitoris. Quod quidem Modestini responsum difficile valde est ex sequentibus. Primò dum supponit, fidejussorem potiùs pignorum dominium impetrasse, quàm petiisse, ut ab obligatione liberaretur, cùm debitor principalis cœpisset facultatibus labi: ergo quia nec eo casu agere fidejussor ad indemnitatem potest. Secundò dum etiam supponit fidejussorem dominium pignorum impetrasse à Potestate, cùm tantum Princeps eo casu dominium concedere possit, *l. eleganter*, *ff. de pignorat. action. l. debitor* 59 *ff. ad Trebel l. si is qui in aliena*, §. *penult. & ultim. ff. de acquir. rer. domin. l.* 1. 2. *& 3. C. de jure domin. impetr.* Tertiò, quia eo casu post addictum pignus creditori competebat debitori jure antiquo annus, hodie biennium ad luitionem pignoris, *l.* 3. *C. de jure domin. impetr dict. l si is qui* 63 *de acquir. rer. domin.* Sed ut suo ordine his difficultatibus satisfaciamus, primæ respondendum est, in ea specie reum principalem jam tempore fidejussoriæ obligationis fuisse magno ære alieno gravatum, non autem fuisse postea facultatibus lapsum; quod facilè suadetur si observemus, creditorem non solùm fidejussorem accepisse, verùm & pignora. Unde cùm ipse postea non cæpisset bona dilapidare, non poterat fidejussor beneficio præsentis textus uti, sed potiùs pignorum dominium impetrare. Secundæ difficultati ut satisfaciat Cujacius in eo textu, *lib* 4. *resp. Modest.* pro illis verbis, *impetravit à Potestate*, legit, *impetravit à Principe.* Sed ut eruditè probat Merillus *lib* 3. ex Cujacio

Expunitur l. si fidejussor 26 ff. de pignor.

Cujacio *cap.* 13. mendum hoc minus necessarium est, quia Princeps verbo Potestatis plerunque comprehenditur, & significatur, ut apud D. Matthæum *cap.* 8. ibi: *Nam & ego sub potestate constitutus*, ideſt sub Cæsare. Tertiæ tandem difficultari respondendum est, quod cùm pietatis intuitu permittatur ipsi debitori intra annum pretio oblato pignus luere, & beneficium hoc sit personale, non transit ad hæredes ipsius debitoris: quare si fidejussor in specie textus *in dict. l.* 26. creditoribus satisfeciſſet, hæredes debitoris audiendi non erant, sed quia fidejussor creditori non satisfaciebat, ideo pignora in eo casu hæredibus debitoris restirui jubentur: docent Cujacius, & Merillus *ubi supra*.

Tertius casus contingit si jam condemnatus fuit fidejussor, licèt nondum solverit creditori; nam justam causam timoris habet, *dict. l. Lucius* 38. §. 1. *l. si mandatu* 45. §. *sed si mandavero*, *ff. mandati*, *l. fidejussor.* 45. *ff. hoc tit.* non enim cogitur pati detrusionem in carcere, vel cedere bonis; & ignoscendum est ei, si in tempus parcat pudori suo, *l. Quintus* 48 *ff. mandati l.* 1 *C. qui bonis cedere*: optimè Donellus *in l.* 10. *num.* 6. *C. mandati*, *& lib* 13. *comment. cap.* 12. per sententiam enim condemnatus jam est de proximo soluturus, & ita habet statim actionem mandati; ad quem casum refert textum *in l si ei cui* 11. *ff. mandati*, Faber *in ejus rationali*; licèt in materia evictionis res non dicatur evicta per sententiam, nisi sententia executioni mandata sit. Rectè autem Scævola *in dict. l. fidejussor* 45. docuit hoc casu indemnem præstare fidejussorem, ad officium judicis pertinere, quia cùm ante solutionem fidejussoris non adimpletur mandatum, non potest agi actione mandati directa, sed utili, ut docent Donellus *dict. cap.* 13. *vers. secunda*, Bobadilla *lib.* 5. *polit. cap.* 1. *num.* 86. Villadiego *in forma libellandi*, *num* 130. Barbosa *in præsenti*, *num.* 8. licèt non me lateat, dari nonnullos casus, in quibus fidejussor ex speciali ratione antequam solvat actione mandati agere possit, ut *in l. si procuratorem* 8. §. *penult. vers. sed & si tta*, *l. idem* 10. §. *& Papinianus*, *l. si verò* 12. §. *si adolescens*, *l. si quis* 27. §. *qui mandatum*, *l. si is qui* 50. *ff. mandati*, *Lucius* 24. *ff. hoc tit.*

His tribus casibus in præsenti à nostro Gregorio relatis alios quatuordecim adjungit Menochius *dict. casu* 51. & nonnullos Antonius Gomez *variar. capite* 13. *num.* 10. Christineus *tom.* 1. *decis.* 138. Barbosa *hic*, *num.* 12. quos sigillatim disputare instituti nostri non est; ille tamen apud omnes receptus videtur, videlicet, si ab initio fidejussor ad tempus, ideſt ad duos annos, obligetur, & postea terminus obligationis principalis prorogetur inscio fidejussore, omnino eum in futurum non obstringi, in præteritum verò, seu respectu obligationis, pro qua interceſſit, illum efficaciter obligatum manere. Exemplum ponit Matthæus Colerus *de processu executivo cap.* 10. *num.* 310. cùm quis fidejussit pro officiali, & rationibus ejus in annum; sed expleto eo officium prorogatum fuit inconsulto fidejussore; quo casu dicimus fidejussorem teneri quidem, sed tantùm de periculo prioris anni, quo solo fidejussor fuit; non autem temporis futuri, seu annorum insequentium. Probant textus *in l. si unus* 27. §. *si cum reo*, *l ultim. ff de pactis*, *l. item quæritur* 13. § *qui impleto* 11. *ff. locati*, *l. si cùm Hermes* 7. *C. eod. l. si fidejussor* 27. *C. hoc tit.* docent latè, utiliterque explicant Valenzuela *consil.* 9. *ex num* 20. Noguerol. *alleg.* 21. *per totam*, Barbosa *voto* 86. Cancerius *lib.* 1. *var. cap.* 14. *ex num.* 40. Heringius *dict. cap.* 20. §. 12. Pirrus Maurus *sect.* 10 §. 44. Ratio est, quia apertè constat eum, qui ad tempus fidem suam interponit, nolle post id tempus obstringi; & ita extra verba, & conventionem fidejussio non est extendenda, cùm sit contractus stricti juris, *l qaidquid* 95. *ff de verb. obl.* Hinc rescriptum est, fidejussorem, qui in certum tempus judicio sisti aliquem promisit, in tantum tempus dumtaxat teneri, in quantum se obligavit, *l. si fidejussor* 27. *vers. Nisi in certum*, *C. hoc tit.* Et respondit Labeo *in l. Labeo* 25. §. *ultimo*, *ff de recept.* si in primo compromisso per fidejussores cautum fuerit, & iidem in sequenti fidejubere noluerint, alios in eo adhibendos. Nec obstat pignorum, & fidejussorum parem causam esse, *l. promissor* 21. §. *ultimo*, *ff. de constit. pecun. l.* 1. §. *jubet* 9. *ff de collat. bonor. l.* 4. §. *adduci* 8. *ff. de fideicommiss. libert.* sed in reconductione pignora prioris obligationis obligata manent: igitur & fidejussor in tacita reconductione tenebitur. Nam respondetur, quod revocata tacitè conductio vinculis pignorum renovata censetur; quia sunt ipsius conductoris, qui ultrò se in nova obligatione constituit, non autem si alius pro eo res suas obligavit. Nam tunc idem dicendum est de pignoribus, ac dicimus de fidejussore, *l. item* 13. §. *ultim. ff locati*: docuit Arnoldus Vinius *lib.* 2. *select. cap.* 41. Nec etiam obstat tempus non esse modum tollendi obligationem, *l. obligationum* 44. §. 1 *ff de obl. & act.* nam cùm fidejussoris obligatio certo tempore circumscribitur, & limitatur, id non tam eò spectat, ut tempore obligatio finiatur, quàm ut ne post illud tempus, aut pro alterius temporis obligatione fidejussor teneatur; quemadmodum si cùm ducenta deberentur, in centum fidejussor datus est; nemo enim dicet fidejussionem respectu residui finitam esse: at sicut summa, ita & dies pars est stipulationis, *l.* 1. §. 2. *ff. de edendo*, Faber *in suo Codice*, *tit. de fidejuss. diffinit.* 25. Heringius *dict. cap.* 20. §. 18. *n.* 4. Huic casui alium adjungit Arnoldus Vinius *dict. lib.* 2. *cap.* 42. cùm non tempus obligationis, sed dies solutioni adjecta prorogatur; quo casu contra communem Interpretum sententiam defendit fidejussorem etiam prorogatâ solutionis die teneri.

TITULUS

TITVLVS XXIII.

De solutionibus.

CAPUT I.

Alexander III. *Decano & Capitulo* (a) *Morin.*

AD hoc in Apostolicæ Sedis specula sumus, licèt immeriti, Domino disponente constituti, ut aciem nostræ considerationis ad universas Ecclesias extendamus, & earum commodis, & profectibus omninò intendamus. Pervenit autem ad audientiam nostram ex parte venerabilis fratris (b) Episcopi vestri, quod ipse pro Ecclesiæ vestræ necessitatibus magno sit onere debitorum prægravatus. Unde quasi vir providus & discretus nos obnixè rogavit, ut vos pro eis reddendis solicitos redderemus. Quia verò decet vos pro utilitate Ecclesiæ, & incremento diligentes, & vigiles existere, dignitati vestræ mandamus, quod si contigerit eundem Episcopum ante solutionem debitorum, quæ pro utilitate, & necessitate Ecclesiæ sibi commissæ contraxerit, hac luce migrare, de redditibus, qui spectant ad mensam ejus, donec alius loco ejus substituatur, eadem debita solvere studeatis. Quo substituto, Episcopum ad eorundem debitorum solutionem omnino adducetis · & sicut (c) filius debita patris, ita Prælatus sui prædecessoris pro necessitate Ecclesiæ contracta tenetur persolvere.

NOTÆ.

1. (a) *Morin.*) Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & post Concilium Lateranense *p.* 29. *cap.* 9. ex quo ita restituo integram hujus textus: & ex ea facilè constat, in præsenti rescribere Alexandrum III. Capitulo, & Decano Morinensis diœcesis, non quia Sedes Episcopalis vacaret, siquidem ad petitionem superstitis Episcopi Alexander rescribit; sed quia licèt Episcopus debita contracta à prædecessore ratione dignitatis agnosceret, & pro eis satisfacere vellet, tamen ut grande erat æs alienum, timebatur ne antea decederet Episcopus superstes, & ejus successor renueret debita persolvere; ideo Alexander jubet Decano, & Capitulo, ut si Episcopus decederet, fructus Ecclesiæ vacantis non servarentur successori, juxta adducta *in cap. cùm vos* 4. *de officio Ordin.* sed creditoribus ex eis fieret satis. Nec est cur arguat Alexandrum III. Chopinus *lib.* 1 *de sacra pol titul.* 7. *num.* 1. ex eo quòd contra regalia Regis Galliæ supponit, vacantis Ecclesiæ Morinensis administrationem ad Capitulum, non verò ad Regem spectare, cùm regalia exerceat in Ecclesia Morinensi Christianissimus Rex; unde ad ipsum spectare contendit Chopinus, non verò ad Capitulum administrationem Ecclesiæ vacantis. Nam etsi daremus, temporibus Alexandri III. Regem Galliæ exercuisse regalia in Ecclesia Morin. cùm illis temporibus Imperator Fridericus ferè totam Germaniam occupasset; tamen præsens decisio non repugnat juri regaliarum, siquidem ex eo tantùm competit Principi custodia vacantis Ecclesiæ, ut probavi *in dict. cap. cùm vos*, non verò dispositio rerum Ecclesiæ. Unde non obstante regaliarum jure poterat Alexander jubere Capitulo & Decano Ecclesiæ Morinensis, ut de fructibus ad mensam Episcopi spectantibus creditoribus satisfacerent, cùm debita illa fuissent Ecclesiæ causâ, & dignitatis Episcopalis gratiâ contracta.

2. (b) *Episcopi vestri.*) Milonis videlicet secundi, filii prioris Milonis, ut refert Bucelinus *tom.* 1. *German. sacræ, in serie Morin. Episc.*

3. (c) *Sicut filius.*) Hanc rationem decisionis pro decisione compilavit Papiensis in dicta prima compil. à quo transcripsit Raymundus in præsenti; non tamen absolutè ita accipienda est, quasi dicat Alexander III. filium semper teneri onera paterna agnoscere, & persolvere; cùm ad hoc, ut filii teneantur paternis creditoribus, desideretur immixtio in bonis paternis, ut ex textu *in l. ei qui, ff. de acquir. hæredit. l.* 1. *C. si minor ab hæredit.* docent Gomez *lib.* 1. *variar. cap.* 9 *n.* 25. Gutierrez *in* § *fui, num.* 10. *Instit. de hæred. qualit.* Parlador *lib.* 2. *rerum quotid. cap. ultim.* 4. *p. à num.* 2. Hothomanus *consil.* 90. *num.* 19. plures congesti à Paschali *de patria potest.* 4. *p. cap.* 1. *num.* 30. Azevedo *in l. ultima, num.* 86. *tit.* 25. *lib.* 5. *recopil.* Quare ut hæc verba Alexandri exponant classici repetentes, & Doctores suprà laudati, varia adducunt. Glossa *hic, verbo Filius*, quam sequuntur Abbas, & communiter repetentes, Fornerius in notis ad Cassiodorum *lib.* 4. *var.* accipiunt de filio non simpliciter, sed de filio secundùm ea, quæ sæpiùs contingunt, hærede patris, argumento legis 4. 5. & 6. *ff. de legib.* ut sensus Alexandri sit, quod sicut filius hæres patris tenetur solvere debita ipsius, ita successor

ſucceſſor in beneficio tenetur ad debita prædeceſſoris pro Eccleſiæ neceſſitate, ſeu utilitate contracta. Sed hic intellectus, licèt communis ſit, non placet, quia nullum myſterium contineret in filio, & aptiùs Alexander III. uteretur nomine hæredis; ſiquidem quicunque, etiam extraneus, tenetur ad debita defuncti ſolvenda, *l. unic. C ut actiones ab hæredibus:* deinde quia inepta eſſet æquiparatio de hærede ad Prælatum, cùm hæres ſuccedat in univerſum jus defuncti, *l. cùm hæres ff. de acquir. poſſeſſ. l. hæreditas 62 ff. de reg. jur.* & ideo tenetur ſolvere omnia debita ipſius, ſive ſint contracta propter res, in quibus ſucceſſit, ſive propter perſonæ neceſſitatem; at verò ſucceſſor in beneficio non perſonam prædeceſſoris repræſentat, ſed dignitatem, juxta adducta *in cap. quoniam Abbas. de offic. deleg.* nec defuncto ſuccedit, ſed virtute inſtitutionis canonicæ admittitur, *cap. cùm veniſſent, de inſtit. c.* 1. *de reg. jur. lib.* 6. atque ideò ad ea tantùm debita prædeceſſoris tenetur, quæ contraxit propter neceſſitatem Eccleſiæ. Alii aſſerunt, in præſenti caſu dubitatum fuiſſe, an Prælatus electus ante confirmationem, & poſſeſſionem dignitatis teneretur ſolvere debita prædeceſſoris ſui contracta pro neceſſitate Eccleſiæ? Et huic quæſtioni reſpondiſſe Alexandrum, Prælatum ſicut filium teneri, id eſt, quod ſicut filius, quamvis hæres patris ſit, non tenetur ad debita ipſius, niſi poſtquam hæreditati ejus ſe immiſcuit, ita nec Prælatus, niſi poſt confirmationem & adeptam poſſeſſionem. Moventur ex eo, quia Pontifex in præſenti non reſcribit Epiſcopo Morin. ſed Decano, & Capitulo; & ita æquiparatio procedit, ut ſicut filius ante immixtionem non tenetur paterna debita ſolvere, poſtea verò ut hæres tenetur; ita etiam Prælatus ante confirmationem, & adeptam poſſeſſionem non tenetur debita prædeceſſoris ſolvere, poſtea verò tenetur ad ea, quæ ob utilitatem, ſeu neceſſitatem Eccleſiæ contracta fuerunt. Verùm hæc interpretatio facilè convincitur ex his, quæ adduxi ſuprà pro expoſitione inſcriptionis, & ex proximè dicendis. Quare his omiſſis, Primarius noſter, ſupremique Senatus Caſtellæ Conſiliarius, D. Joannes de Parexa *in repetit. ad hunc textum*, exiſtimavit Alexandrum in præſenti agere de debitis à patre familias contractis ex cauſa publica, veluti ex cauſa Primipilari; quo caſu filius etſi hæres non ſit, tenetur, *l. final. de C. offic. Primipil. lib.* 12. & ita rectè arguere Alexandrum à filio, qui ex cauſa Primipilari debita à patre contracta ſemper tenetur ſolvere ob publicam utilitatem; ad Prælatum, qui etiam ſolvere tenetur debita in Eccleſiæ utilitatem à prædeceſſore contracta, quia ob publicam utilitatem contracta fuerunt. Sed licèt verum ſit, filium debita ex cauſa Primipilari à patre contracta ſemper teneri perſolvere, ut probavi *in cap. ex litteris, de pignorib.* non tamen eſt ratio, quare generalem Alexandri deciſionem ad hunc caſum ſpecialem contrahamus. His ergo, & aliis interpretationibus omiſſis, verius eſt Alexandrum III. agere generaliter de filio ſuo hærede, etiam ante immixtionem; ut enim rectè probat Arias de Meſa *lib.* 3. *variar. cap.* 1. *per tot.* filius ſuus hæres patris etiam ante immixtionem tenetur paternis creditoribus; ideo rectè arguit Alexander III. ab eo ad Prælatum, & ait, quod ſicut filius, ſive ante immixtionem, ſive poſt tenetur paternis creditoribus reſpondere; ita Prælatus cogitur debita à prædeceſſore ratione dignitatis contracta ſolvere ex fructibus, ſeu redditibus ante apprehenſam poſſeſſionem, ſive poſt perceptis; quia jure communi attento omnes illi fructus ad ipſum ſpectabant, ut *in cap.* 2. *ne ſede vacante.*

COMMENTARIUM.

EX hac Alexandri deciſione ſequens communiter deducitur aſſertio: *Succeſſor in Eccleſia tenetur ſolvere debita ob ejus utilitatem à prædeceſſore contracta.* Probant eam textus *in capite quia Joannes* 12. *quæſt.* 5. *capite convenior* 23. *quæſt.* 8. *cap. ſignificante* 34. *cap. ſignificavit* 36. *de reſcript. capite cauſam* 9. *de judiciis, capite veritatis* 8. *de jurejur. capite* 1. *de alienat. judicii, capite dilecti* 17. *de foro compet. capite* 1. *de depoſito, capite per tuas, capite cùm dilecti* 6. *de donat. capite* 2. *de precario, capite* 3. *de pignorib. capite final. de his quæ fiunt à Prælatis, in* 5. *compil.* ibi: *Dilecti filii Abbas, & Conventus Pultraten. nobis humiliter ſupplicarunt, ut cùm idem monaſterium per diluvii dilapidationem R. quondam Abbatis ipſius, qui tanquam diſſipator multa, & diverſa contraxit debita, tanto gravetur onere debitorum, quod ipſi ad ſolutionem non ſufficiant eorundem, providere ſuper hoc eis miſericorditer dignaremur. Volentes igitur ipſius monaſterii, quod ad nos ſpecialiter pertinet, in debitis gravaminibus obviare, diſc. v. m. quatenus auctoritate noſtra, ſublato appellationis impedimento providere curetis, ne ſuper debitis, quæ nec de Conventus, aut majoris, & ſanioris partis ejus aſſenſu, nec pro utilitate monaſterii ab ipſo R. contracta fuerunt, Abbas & Conventus jamdicti prætextu litterarum ipſius R. cùm pleraque ipſe feciſſe dicatur etiam poſt amotionem ſuam, per litteras prædictas moleſtentur.* Illuſtrant ultra congeſtos in præſenti à Garaña & Barb. *in collect. & ſelect.* Mareſcotus, *lib.* 1. *variar. capite* 18. Leon *tom.* 2. *deciſ. Valentiæ, dec.* 135. Silva *de ſalariis famil. quæſt.* 15. Fragoſo *de regim. Chriſt. Reip.* 1. *p. lib.* 1. *diſp.* 2. §. 1. Grotius *de jure belli lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 11 & *in notis*, Fornerius *ad Caſſiodorum lib* 4. *epiſtol.* 10. Petrus Gregorius *lib.* 7. *de repub. cap. final. n.* 58. Pekius *de Eccleſ. ædific. c.* 19. Fermoſinus *in c. quia, verſ. De judiciis, q.* 12. 16 & 18. Martha *de jurisdict.* 4. *p. q.* 51. Quintanadueñas *lib.* 2. *Eccleſiaſt. n.* 42. Amaya *in l.* 24. *C. de decur. lib.* 10. Caſtillo *lib.* 5. *controv. cap.* 161. *n.* 50. & *de alimentis cap.* 68. 3. *Concluſio traditur & probatur.*

Sed pro dubitandi ratione ita in præſentem aſſertionem inſurgo: Non ſolùm in jure inſolens eſt, verùm & æquitati naturali contrarium, pro alienis debitis alios moleſtari, *l. hac* 12. *C. de omni agro deſert. lib.* 11. *l. ſi quis ſuo* 33. §. *legis, C. de inoffic.* l. 1. & 3. *C. ne uxor pro marito:* pulchrè Caſſiodorus *lib.* 4. *epiſt.* 10 ibi: *Dividuntur cauſæ germanis; filius obligationibus paternis, ſi non ſit hæres, exuitur; uxor maritalibus debitis, niſi per ſucceſſionis vincula non tenetur, & audacia ad ſolutionem trahit extraneos, cùm abſolvant jura conjunctos.* Et *epiſt.* 14. *Magni peccati genus eſt alienis debitis alterum pragravari.* Illuſtrant Cujacius *ad titul. C. ne filius pro patre.* Oſvaldus *libro* 15. *comment. capite ultim. littera A.* Amaya *in l.* 25. *C. de decurion. num.* 35. Solorzanus *de Ind. gub. libro* 1. *cap.* 18. *num.* 9. Igitur ſucceſſor in Epiſcopatu, aut beneficio non debet cogi ad ſolvenda debita à prædeceſſore contracta, præcipuè cum ſucceſſio, aut ſubrogatio muneris, vel officii non pariat ſubrogationem reſpectu obligationis, & debiti; quoniam cujuslibet perſonam reſpicit 4. *Impugnatur traditia aſſertio.*

cujusque propria obligatio, vel crimen, *l. sancimus* 12. *C. de pœnis, l. non debet, ff. de reg. jur.* junctis traditis à Covar. *lib.* 2. *var. c.* 8. Gutierrez *lib.* 2. *canonic. c.* 30 Caballo *resol crimin casu* 26. *ex num.* 2. Quare cùm in Episcopum electus non veniat tanquam successor hæreditarius, qui cùm defuncti personam repræsentet, omnes illius obligationes suscipit, *ex l. hæres in omne, ff. de acquir. hæredit. l. hæredem* 59. *l. hæreditas* 62. *l. invitus* 156. §. *cùm quis, l in his* 175. *in fine, ff. de reg. jur.* junctis traditis à Donel. *lib.* 6. *comment. cap.* 2. Pichardo *in rubric de hæred instit. n* 15 Schifordeg. *ad Fabrum lib.* 2. *tract.* 16. *q.* 1 & 2. sed veniat tanquam singularis, aut particularis successor in locum defuncti subrogatus, cùm sui prædecessoris personam non repræsentet, nec ex acceptatione officii se obligaverit ad debita, nec æris alieni obligatio afficiat Episcopatum, ut aliàs dixit Consultus *in l.* 1. § *si hæres* 16. *ff. ad Vellejanum*, & Imperatores docuerunt *in l. æris* 15. *l. si patri* 24. *C. de donat. l. finali, C. de hæredit. action.* Episcopus non debet teneri solvere debita à prædecessore contracta. Augetur hæc difficultas ex eo, nam Episcopus, aut beneficiarius in locum prædecessoris subrogatus est successor particularis; succedit enim ex titulo particulari, canonicæ videlicet institutionis; & ita nihil à prædecessore capit, sed ab ipso conferente, *c. cùm venissent, de instit. c.* 1. *de reg. jur. lib.* 9. sed successor ex titulo patticulari non tenetur solvere debita sui antecessoris, *l.* 1. *C. sic certum petatur*, præcipuè si nihil capiat à defuncto, *l. unum* 67. §. 2. *ff. de legat.* 2. ergo nec successor in beneficio. Augetur tandem, nam in Ecclesia Morinensi bona Ecclesiæ, hoc est fabricæ, seu mensæ capitularis, erant separata à bonis mensæ Episcopalis, ut ex ipso textu constat; & debita contracta erant in utilitatem Ecclesiæ, ut sæpiùs in textu inculcatur. Ergo ex bonis Ecclesiæ satisfaciendum erat creditoribus, non verò ex bonis mensæ Episcopalis, cùm ubi bona sunt distincta, administratio bonorum Ecclesiæ non spectet ad Prælatum, *Capitulum, c. edoceri. de rescript.*

5. Traditur ratio decidendi.

Quâ difficultate ita fulcitâ nòn obstante, præsens assertio vera est, videlicet, discrimen constituendum esse inter debita, quæ Prælatus propter Ecclesiam, seu in ejus utilitatem contraxit; & ea, quæ ipse ex personali, & speciali causa suscepit: ut primo casu teneatur successor ad debita prædecessoris; secundo verò non teneatur. Differentiæ ratio in eo consistit, quòd successor in beneficio, etsi hæres appelletur, *c. final* 12. *q.* 2. *c. convenior* 23 *q.* 8. non ita appellatur, quia ex defuncti voluntate in universale, seu singulare jus successerit, nec etiam succedit ex defuncti vocatione, *c. Episcopo, c. Moyses* 8. *q.* 1. sed quia habet eandem sedem, quam alius antea habuerat; unde æquum est, ut ille, qui rem ipsam occupat, fructusque, & proventus percipit, onera ipsius rei solvat, juxta textus *in l. mortuo* 22. *ff. fidejuss. l. inter* 42. *ff. de pactis, l. Imperatores* 20. *l. commissa* 14. *ff. de publicanis, l. in personam* 22. *ff. de reg. jur.* Secundo verò casu ex debito personali prædecessoris successor conveniri non potest, quia nec est ejus hæres, nec ejus personam repræsentat, aliàs ex alieno facto prægravaretur, contra textum *in l.* 1. *C. ne uxor pro marito, l.* 1. *C ne filius pro patre.* Unde receptum est, pensiones decursas ab antecessore, mero jure debere successorem solvere, quia pensio est onus reale beneficii, non beneficiati, ut *ex d. l. Imperatores, cum simil.* docent Gigas *de pensionibus q.* 39. 40. & 41. Garsias *de expens. c.* 11. *n.* 54. latè Valensis *lib.* 4. *de benef. tit.* 12. *n.* 17. Barb. *de pens. p.* 1. *q.* 2. *n.* 44. Molina *lib.* 1. *de primog. cap.* 27. *n.* 8. ubi addentes. Pyrrus Maurus *de solut. c.* 81. Noguerol. *alleg.* 2. *n.* 113. Hinc pariter receptum est, quod si beneficiarius ad congruam sustentationem, sive in ejus infirmitate debitum contraxerit, successor in beneficio id solvere teneatur, quia similes expensæ onus reale ipsius beneficii sunt, ut post Abbatem *in præsenti, n.* 2. docuit Redoanus *de rebus Ecclesiæ, q.* 57. *n.* 7. Ex eadem discriminis ratione infertur, successorem in beneficio non teneri stare locationi à prædecessore factæ de fructibus beneficii ad eum spectantibus, ex regula textus *in l. lex* 31. *ff. de pignor.* quia beneficiatus non succedit personæ, nec eam repræsentat; unde non tenetur observare quod à prædecessore personaliter factum est, ut docuerunt Covar. *lib.* 2. *var. cap.* 15. *n.* 6. ubi plures Usellius, & Farias, Fermosinus *in cap. quia, vers. de judicis, q.* 12. Morla *in empor. p.* 2. *tit.* 10. *q.* 2. *num.* 20. P. Barbosa *in l. filius, n.* 18. *ff. solut. matrim.* Nec contrarium suadent fundamenta adducta à Cardinale *consil.* 96. *num.* 4. Angelo *consil.* 143. *num.* 6. Non primum ex eo deductum, quod collatio beneficii fiat ex causa necessaria, cùm constet collatorem sibi illud non posse reservare, *c. relatum, de præbend. c. ult. de offic. Archipresb.* & quotiens translatio rei fit ex causa necessaria, non tenetur successor stare locationi, *l in venditionem* 8. § 1 *ff. de rebus auctorit. judic.* quia verius est, necessarium successorem non teneri servare locationem à prædecessore factam, ut procedit in filio qui necessariò succedit in bonis publicatis, *l. si fundus* 33. *locati*, junctò Gomezio *lib.* 2. *variar. c.* 4. *n.* 5. & exemplo proprietarii, qui virtute consolidationis proprietatem occupat, §. *finitur. Instit. de usufructu.* & tamen non tenetur stare locationi à fructuario celebratæ, *l. si quis domum* 9. §. 1. *ff. locati*, quod etiam in successore majoratus procedere docuerunt Pinellus *in l.* 1. *C. de bonis matern.* Molina *lib.* 1. *de primog. c.* 21. *n.* 2. Gutierrez *lib.* 2. *canonic. c.* 8. & *lib.* 1. *cap.* 36. Nec contrarium probatur *in d. l. in venditione*, §. 1. quia ibi creditor fuit missus in possessionem bonorum ex primo decreto: & sic cùm ejus tantùm custodiam, non verò possessionem bonorum, aut dominium obtineret, juxta tradita *in c. quoniam, ut lite non contest.* & ita debitor perfectus dominus maneret, non poterat creditor locationem ab eo celebratam rescindere, donec per secundum decretum dominium assequeretur, *l si finita* 15. §. *Julianus, ff. damno infecto.* Nec etiam favet Angelo, & Cardinali textus *in l si filio* §. *si vir* 4. *ff. solut. matrim.* ubi probatur, quod si maritus fundum dotalem in quinquennium locaverit, & post primum annum divortium sequatur, uxor cogitur stare locationi à marito factæ. Nam omissis variis interpretationibus, quas refert, & refellit Barbosa *ibi.* respondendum est, mulierem ibi teneri stare locationi, non præcisè, sed causativè, videlicet, si divortium interveniat? nec interesse an nomine mariti præstare velit, ut latiùs prosequuntur Covar. *d. c.* 15. *n.* 5. Cujacius *lib.* 23. *obs. c.* 38. Pichardus *in* §. *mortuo. Instit. de locato.* Manet ergo, singularem successorem non teneri observare contractus antecessoris, *l. emptorem* 9. *C. de locat. l. arbores* 59. §. 1. *ff. de usufruct. l. qui fundum* 32. *ff. locati:* licèt universalis successor, ut hæres est, teneatur illum observare, *l. viam veritatis* 10. *C. de locato, l. cùm in plures* 60. §. *hæredem, ff. eod. titul.* quia

quia hæres repræsentat defuncti personam, & succedit in ejus universale jus, *l. hæres 37. ff. de acquir. hæred.* unde cùm successor in Ecclesia nec personam defuncti repræsentet, nec in ejus jus succedat, immò nec ab ipso causam seu titulum habeat; rectè Alexander in præsenti docet, Episcopum non teneri debita à prædecessore contracta persolvere, nisi ob Ecclesiæ utilitatem, aut necessitatem contracta fuerint.

6. Dissolvitur dubitandi ratio.

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa, pro cujus solutione dicendum est, duobus modis posse debitum contrahi à Prælato Ecclesiæ. Primò propter necessitatem proprii patrimonii: secundò propter necessitatem, seu utilitatem Ecclesiæ. In primo casu sola persona contrahentis manet obligata, ex principiis juris suprà adductis pro dubitandi ratione; secundo verò casu quicunque successor tenetur debita persolvere, quando Prælatus, vel possessor illa contraxit cum solennitate à jure præscripta; quia censetur nomine ipsius rei, vel Ecclesiæ, & tanquam ejus procurator contractum celebrasse, *cap. sine exceptione 12. q. 2. authent. hoc jus porrectum, C. de sacros. Eccles.* Unde nihil mirum si talis res, vel Ecclesia ex simili contractu obligetur, ex principio juris, quo docetur, procuratorem nomine procuratorio contrahentem obligare illum, cujus procurator est, *l. si pupilli 6. §. 1. ff. de negot. gest. l. 1. §. non autem, ff. de exercit. act.* & per consequens cùm successor teneatur eisdem obligationibus, quibus ipsa res, seu Ecclesia, in qua succedit, erat obligata, ex textu *in cap. ex litteris 3. de pignor.* rectè docetur in præsenti, successorem in Ecclesia teneri persolvere debita à prædecessore contracta ob necessitatem Ecclesiæ, non verò teneri ex illis obligationibus, quas ob privatam, & propriam utilitatem prædecessor celebravit. Ex qua distinctione interpretari possunt textus *in cap. significavit, de rescript. cap. dilecti, de foro compet. c. per tuas, de donat. c. per tuas de v. s.* in quibus, quia contractus celebrati fuerant in utilitatem, & gratiam Ecclesiæ, ideo Ecclesia ipsa, & Prælatus in ea succedens tenetur eos adimplere, & servare: at verò *in cap. 1. de deposito, cap. 3. de pignor. cap. penult. de fidejus. cap. 2. de precar.* obligationes non fuerunt contractæ Ecclesiæ gratiâ, & in ejus utilitatem, ideò in illis casibus nec Ecclesia tenetur debita persolvere, nec successor tenetur stare contractibus à prædecessore celebratis. Nec obstat ultimum augmentum ipsius dubitandi rationis; nam debita contracta ab Episcopo Morinensi in præsenti specie non respiciebant primò & principaliter Ecclesiam ipsam, seu ejus fabricam, aut mensam capitularem, aliàs ex ejus bonis solvenda erant; sed secundariò: primariò verò utilitatem Episcopi, & ejus mensam. Unde rectè ex ejus redditibus jubet Alexander III. satisfieri creditoribus.

CAPUT II.

(a) Gregorius IX. *Universis Ecclesiarum Prælatis.*

SIquorundam. *Et infrà*: Firmiter inhibemus, ne quis præsumat Ecclesiam sibi commissam pro (b) alienis gravare debitis, aut (c) litteras alicui, seu sigilla concedere, quibus possent Ecclesiæ obligari: decernentes si secus fuerit (d) attentatum, ad solutionem talium debitorum Ecclesias non teneri. Si quis autem contra præmissa de cætero venire præsumpserit, ab administratione spiritualium, & temporalium noverit se (e) suspensum.

NOTÆ.

1. (a) *Gregorius IX.*] Glossa marginalis refert alibi legi, *Gregorius III.* sed cùm in nulla ex collectionibus præcedentibus reperiatur textus hic, verius credo, ejus auctorem esse Gregorium IX. qui noviter præsentem edidit constitutionem, & utiliter. Licèt enim aliis Ecclesiæ canonibus prohiberetur indistinctè omnibus Prælatis non solùm res sacras, *c. 1. de pignor.* verùm & temporales res Ecclesiæ specialiter pignori obligare, *cap. nulli*, ibi, *hypothecæ, de rebus Ecclesiæ*, ubi Panormitanus *num. 2.* generaliter tamen res Ecclesiæ, & Ecclesias ipsas pro alienis debitis, id est propriis ipsius Prælati, nexui pignoris supponere hucusque prohibitum non erat, licèt eo casu facilè succurreretur Ecclesiæ, aut rescissâ ipsâ obligatione, ex generali principio, quo docetur, alienam rem pignori dari non posse, *l. rem alienam 41. ff. de pignorat.* cum aliis congestis à Vultejo *dissp. juris c. 17.* vel petitâ restitutione in integrum, ex textu *in c. 1. cap. auditis, de in integrum restit.* Sed Gregorius cupiens consulere Ecclesiæ ante rem vulneratam, & ne litigiis implicaretur, noviter in præsenti statuit, obligationem rerum Ecclesiæ factam à Prælato pro debitis propriis, seu alienis ab Ecclesia, non valere, & ita obligantem, seu pignori subjicientem res Ecclesiæ, suspendendum esse ab administratione; tam spiritualium, quàm temporalium; & jus novum constitui in præsenti, constat ex illis verbis *inhibemus, & decernimus*, quæ jus novum inducunt, juxta Glossam *verbo Decernimus, in Clement. 2. de præb.* cum aliis adductis à Decio *in cap. decernimus, colum. ultim. de judiciis.* Navarro *in c. accepta, oppositi. 5. n. 8. de restit. spol.*

2. (b) *Alienis.*] Ab ipsa Ecclesia videlicet, propriis verò ipsius Prælati; unde non rectè Glossa *in præsenti*, Panormitanus *n. 2.* Barbatia *n. 3.* Immola *num. 9.* acceperunt textum hunc de Prælato alienam obligationem in se suscipiente; hoc enim illi prohibitum non est, *c. 2. de fidejus. c. pervenit, de arbitris*, dum cum assiduitate, & negotiationis causâ non fiat, ut probavi *in c. 1. de fidejus.*

3. (c) *Litteras alicui, seu sigilla.*] Non accipias sigillum in præsenti pro sigillo proprio Episcopi, aut Ecclesiæ Cathedralis, de quo, & ejus forma egi *in c. post 7. de prob. c. inter 6. de fide instrum.* cùm non omnis Ecclesia sigillum proprium habeat, sed tantùm major Ecclesia, Canonicis, & Capitulo constás. Unde cùm in præsenti scribat Gregorius omnibus Ecclesiarum Prælatis, & præcipuè de inferioribus agat, ut omnes repetentes supponunt, non

potest sigillum hoc referri ad litteras sigillo publico munitas: sigillum enim plerunque significat signum, seu signaculum certis notis impressum, *l.* 1. §. *si pecunia*, *ff. depositi*, *l.* 12. §. *penult. ff. locati*, *l.* 1. *in fine*, *l.* 2. §. *si dubitetur*, *l.* 4. *ff. testamenta quemadmodum*, *l. ad testium*, §. *signum*, *ff. qui testamenta*. Cicero *ad Brutum*, ibi: *Litteræ omnes integris signis Prætoribus traduntur*. Illustrant Marcellus Donatus *ad Suetonium in Claudio*, *cap Hopingius*, *de jure sigil. in princip.* §. 3. Sensus ergo Gregorii est, ut si quis Prælatus per litteras, aut per signa propria alicui facultatem dederit obligandi res Ecclesiæ pro suis debitis ab administratione, tam spiritualium, quàm temporalium suspensus maneat.

4. (d) *Si secus fuerit attentatum.*] Ex his verbis deduci videtur, quod si Prælatus litteras, seu sigilla dederit ad obligandam Ecclesiam pro alienis debitis, licèt cum effectu obligatio non sequatur, pœnam tamen suspensionis incurrat; quia ut quid dicatur attentatum, conatus sufficit, *l.* 3. §. *his qui ff de re milit.* at Prælatus quantùm est ex se delictum perpetravit, *cap. si præterea* 29. *cum sequent. de pœnit. distinct.* 1. quia hominum consilia, non exitus rerum in legibus attenduntur, *l. aut facta* 16. §. *eventus. ff. de pœnis*. Hanc sententiam tenuerunt Butrius, & Immola *in præsenti*. Sed meritò contrarium docuerunt Ancharanus *num* 3. Zabarella *quæst* 9 ex vulgari textu *in l.* 2. *ff. de pœnis*, & ex eo, quia ratio præsentis prohibitionis est, ne ex tali obligatione Ecclesia lædatur. Sed non sequutâ obligatione ratio hæc cessat: igitur & pœna cessare debet, *ex l. final. ff. quod quisque juris*, quam ita expendit Menochius *consil.* 306. *num.* 5. Nec contrariæ sententiæ favet verbum, *attentatum*, quo utitur Gregorius; quia licèt illud in abstracto conatum significet, attamen plerunque ex verbis præcedentibus, seu sequentibus actum perfectum demonstrat: unde in præsenti ex illis verbis quæ sequuntur, *ad solutionem debitorum*, satis innuitur, in præsenti agi de actu perfecto, & consummato.

5. (e) *Suspensum.*] In perpetuum, donec cum eo dispensetur; quia regulariter suspensio quæ in pœnam delicti ponitur, perpetua intelligitur, *l. in servorum* 10. *ff. de pœnis*: docuerunt Glossa *verbo Perpetuum. in cap. ex litteris, de constit.* ubi Decius *num.* 5 Panormitanus *num.* 10. Si verò ob contumaciam imponatur, ad tempus tantùm contumaciæ imposita censetur, *cap. si quis deinceps* 16. *quæst.* 7. *cap.* 1. *de matrimonio contracto*. Nec in hac suspensione dispensare poterit Episcopus, ut voluerunt Innocentius *hic*, Ancharanus *num* 6 Butrius *num.* 14. Quia cùm dispensatio sit legis relaxatio, *cap. requiritis*, *vers. Nisi rigor*, 1. *quæst* 7. non potest fieri ab Episcopo, cùm præsens constitutio Pontificia sit, *cap. cum inferior*, *de majorit. & obed.* docuerunt Glossa *in cap. cupientes*, §. *cæterùm*, *verbo Suspensos*, *de elect. lib.* 6. Panormitanus *hic*, *num.* 15. Barbosa *num* 13 Covar. *de matrim* 2. *p. cap.* 6. *num.* 15. Hæc autem suspensio privat Prælatum administratione temporalium, & spiritualium, id est ut non possit ipse bona Ecclesiæ administrare in judicio, vel extra, nec beneficia, aliaque ministeria ecclesiastica conferre; non autem prohibetur Missæ sacrificium, seu alia divina officia celebrare; nam hæc non spectant ad administrationem spiritualem, seu temporalem rerum Ecclesiæ: tantùm enim Prælatus hic suspenditur ab his, quæ jurisdictionem, seu administrationem continent, ut docent Suarez *de censuris disputat.* 26. *sect.* 1. *num.* 8 Facit textus *in extravag. Ambitiosæ*, *de rebus Eccles.* ibi: *A regimine, & administratione suæ Ecclesiæ, vel monasterii, cui præsidet in temporalibus, & spiritualibus sit eo ipso suspensus*. Unde non est ratio, quare dicamus in præsenti, hujusmodi suspensum celebrantem irregularitatem incurrere, ut repetentes hîc communiter docent.

COMMENTARIUM.

EX hac Gregorii constitutione ita exposita sequens deducitur assertio: *Prælati Ecclesiæ proprias inutiliter obligant pro alienis debitis, & contrafacientes suspenduntur ab administratione in spiritualibus, & temporalibus.* Probari potest hæc assertio *ex capite final. de accusat. capite venerabili, de offic. deleg. capite licèt, capite ex tua* 37. *de simon. capite final.* 3. *quæst.* 2. *capite penult. de fide jussf.* Illustrant Cujacius & Barbosa *in præsenti*. Salcedo *in praxi, capite* 71. Suarez *de censur. disputat.* 31. *sect.* 1. *num.* 7. Gibalinus *eod. tract. in synopsi censurar. verbo Obligatio, fol.* 479. Filliucius *in summa, tractatu* 17. *capite* 6. *quæst.* 5. Bonacina *de censur. disp.* 3. *q.* 4. *punct.* 14. Ferdinand. *eod. tract. disp.* 4. *punct.* 10. §. 3. *num.* 4. 6. *Conclusio traditur, & probatur.*

Sed hæc assertio difficilis valde redditur sequentibus considerationibus; nam Prælatus ob dilapidationem rerum propriæ Ecclesiæ non suspenditur, sed removetur, & illi quoad administrationem datur coadjutor, *capite veritatis* 8. *de dolo & contumacia, cap. cùm l. & A. de re judic. capite final. de accusat.* Tridentinum *sess.* 21. *de reform. cap.* 6. quem coadjutorem non evitabit Prælatus etiamsi præstet cautionem de indemnitate terum Ecclesiæ, argumento textus *in* §. *final. Institut. de suspectis.* notavit Glossa *in cap. sicut*, §. *final. de elect.* Sed in præsenti specie Prælatus res Ecclesiæ pignori subjiciendo pro alienis debitis, eas dilapidat: Igitur removendus in totum est, & coadjutor illi dandus, non verò suspendendus. Secundò difficilis redditur hæc assertio, dum in ea docetur, Prælatum obligantem res Ecclesiæ pro alienis debitis, non solùm suspendi ab administratione in temporalibus, verùm etiam in spiritualibus; nam in eo quis debet puniri, in quo deliquit, *cap. nemo, de tempor. ordin. lib.* 6. Sed Prælatus *in præsenti tantùm deliquit in administratione rerum temporalium*: igitur ab ea tantùm suspendendus erat, ut contingit in prodigo, cui bonis tantùm interdicitur, ne patrimonium dissipet, *l. is cui* 6. *ff. de verb. oblig. l. is cui lege* 18 *ff. qui testamenca*. Tertiò summè difficilis est eadem assertio, dum in ea actus irritatur, hoc est eadem obligatio, & simul pœna incurritur; nam ex actu nullo pœna non committitur, nec debetur, *l. ea, C. si mancipium ita fuerit*; quia quod nullum est, nullum producit effectum, *l.* 4. §. *condemnatum*, *ff. de re judic. capite illud*, *de jurepatron. capite non potest*, *de reg. jur. libro* 6. docent Alciatus *libro* 5. *paradox. capite* 13. Gironda *de gabel. capite* 5. *num.* 26. igitur si in præsenti casu obligatio nulla est, non debet ob eam Prælatus suspendi. 7. *Impugnatur tradita assertio.*

Quibus difficultatibus non obstantibus vera est præsens assertio, cujus ratio ex eo provenit; nam Prælatus dominus non est rerum Ecclesiæ; sed 8. *Traditur dubitandi ratio.*

sed procurator, *cap. edoceri, de rescript.* seu curator, *l. orphanotrophos, C. de Episcop. & Cleric.* igitur non potest eas obligare pro alienis debitis. Accedit, nam cui inhibetur rem alienare, prohibetur etiam eam obligare, *l final. C. de rebus alienis*: sed Prælatis prohibetur pluribus Ecclesiæ canonibus congestis *in cap. nulli, de rebus Ecclesiæ*, res Ecclesiæ alienare: igitur nec eas obligare possunt; si autem secus fecerint, suspenduntur ab administratione, tam in spiritualibus, quàm temporalibus, magna cum ratione: nam quilibet privatur rebus illis, quibus abutitur, potiùs quàm juxta usum sibi concessum utitur, *l. si servus* 70. §. *si quis servum, ff. de acquir. hæredit. cap. privilegia* 13. *quæst.* 3. Sed Prælatus obligando res Ecclesiæ pro alienis debitis, abutitur administratione sibi concessa: igitur illa privari debet. Facit exemplum mariti, qui arcetur ab administratione dotis, si eam dilapidaverit, *l. si constante, ff. solut. matrim.* & tutoris, qui removetur ut suspectus, si bona pupilli dissipet, *l.* 1. *& per totum ff. de suspect. tut.* igitur & Prælatus dissipando res Ecclesiæ debet suspendi ab earum administratione. Facit etiam in hujus rationis confirmationem celebris textus *in l. Imperator* 5. *ff. ad Trebel.* ubi propter dilapidationem compellitur pater restituere hæreditatem filio, non expectatâ conditione, id est insuper habitâ, ut exponit Valentia *libro* 3. *illustr. tract.* 2. *num.* 30. quem sequitur D. Josephus de Retes *libro* 5. *opuscul. capite* 6. *num.* 13. Non tamen ex eo textu deducas cum Roderico Suarez *alleg.* 4 filium posse patrem prodigum cogere sibi assignare legitimam in aliqua certa re; nam ut docetur *in l. namque, ff. si quis à parente*, iniquum est ingenuis hominibus auferre rerum suarum administrationem: quem textum contra prædictam sententiam expendit Menchaca *libro* 1. *illustr. capite* 37. *numero* 3. Nec contrarium suadet Papinianus *in dict. l. Imperator*; nam in ea specie ex rescripto speciali Imperatoris plura filio permittuntur contra juris regulas. Primò ibi permittitur lis inter patrem & filium, contra textum *in l. lis nulla, ff. de judiciis.* Secundò filio permittitur stare in judicio, contra textum *in l. si longius* 18. *ff. de judiciis, l. filiusf.* 9. *ff. de oblig. & action.* Tertiò ipsi permittitur emolumentum rerum percipere, & patri non acquirere; quæ & alia ex eo textu deduxerunt. Segura *in ejus repetit.* Faber *lib.* 7. *cap.* 11. Pichard. *ad tit. de acquir. hæredit. cap.* 15. *num.* 14.

Nec obstant difficultates suprà expensæ. Non prima, pro cujus solutione discrimen constituendum est inter eum casum, in quo constat de mala administratione; & alium casum, in quo similis dilapidatio tantùm præsumitur. Primo casu Prælatus retento officio removendus est ab administratione, coadjutorque illi dandus, ex juribus suprà adductis. Secundo verò casu, cum liquidò non appareat de dilapidatione, suspendendus tantùm est Prælatus, non verò removendus, *cap. final. de accusat.* quo casu procedit præsens textus; nam ex obligatione facta à Prælato rerum Ecclesiæ, præsumitur tantùm dilapidatio, non verò de ea apertè constat. Nec obstat secunda difficultas; nam Prælatus, de cujus pœna in præsenti agitur, peccavit in improbâ administratione rerum Ecclesiæ. Unde juxta suprà tradita administratione privandus erat. Et quia ex prava administratione in temporalibus arguitur injusta administratio in spiritualibus; omni administratione suspenditur, *capite final. de excess. Prælat.* Non autem privatur exercitio sacrorum ordinum, aut officiis, ecclesiasticis, in quibus non peccavit. Nec obstat ultima difficultas, nam pro ejus solutione ita distinguendum est. Aut enim lex respicit tantùm effectum, aut factum, seu animum facientis. Primo casu actus invalidus nihil operatur, nec pœna ex eo committitur, *l.* 1. *ff. de abigeis*: secundo verò casu non curatur de effectu, sed de facto ipso; & ideo plerunque qui facit actum invalidum, ob factum tantùm punitur, ut *in l. eum qui duas* 18. *C. ad leg. Jul. de adult. capite nuper, de bigamis, Clement.* 1. *de consanguin. & affin. capite si religiosus, de election. in* 6. *l. si quis legatum* 6. *ff. ad leg. Cornel. de falsf. l.* 1. *C. de sepulchrorum violat.* Unde cùm Gregorius in præsenti, ut hujusmodi obligationes prorsus tolleret, non solùm earum effectum improbasset, verùm & factum ipsum obligandi; ideo Prælatus secus faciens suspensionem incurrit. 9. *Respondetur difficultatibus.*

Ex hoc textu, & traditis pro ejus expositione, interpretari possunt textus *in capite ex rescripto* 9. *de jurejurando, capite* 3. *de pignor.* junctis traditis in eorum commentariis, & notis.

CAPUT III.

Idem *Decano & Canonico* (a) *Tullensi.*

ODoardus clericus proposuit, quod cùm P. clericus, D. laicus, & quidam alii ipsum coram (b) officiali Archidiaconi Rhem. super quibusdam debitis convenissent, idem in eum recognoscentem hujusmodi debita, sed propter rerum inopiam solvere non valentem, (c) excommunicationis sententiam promulgavit. *Et infra*: Mandamus quatenus si constiterit, quod prædictus O. in totum, vel pro parte non possit solvere debita supradicta, sententiam ipsam sine difficultate qualibet (d) relaxetis, receptâ priùs ab eo idoneâ (e) cautione, ut si ad (f) pinguiorem fortunam devenerit, debita prædicta persolvat.

NOTÆ.

(a) *Tullenſi.*] De Tullenſi diœceſi nonnulla notavi *in cap. cùm acceſſiſſent de conſtitut.*

(b) *Officiali Archidiaconi.*] De quo & ejus juriſdictione egi *in capite dilecti 51. de appellationibus.*

(c) *Excommunicationis.*) Quando Archidiaconi, vel eorum Officiales poſſint ſententiam excommunicationis proferre, expoſui *in c. ad hæc 5. de officio Archid.*

1. (d) *Relaxetis.*] Cùm relaxatio vinculum præſupponat, ex regula legis *decem, ff. de v. ſ. cap. diſſolvendum, de deſponſ. impub.* conſtat ex hoc verbo ſententiam excommunicationis validè & legitimè prolatam fuiſſe in præſenti ſpecie, cùm certum ſit excommunicationem ſine mortali culpa ferri non poſſe, *cap. nemo, cap. nullus 11. quæſt. 3.* à qua omnino immunis eſt, qui propter facultatum inopiam ſolvere non valet, *cap. querelam 10 de jurejur.* unde inanis dicitur actio, quam inopia debitoris excludit, *l. nam is 6. ff. de dolo, cap. olim, 16. de reſtit. ſpol.* Quare ſententiam excommunicationis in præſenti prolatam nullam fuiſſe tenuerunt Felinus *in cap. 2. num. 4 de teſtib. cog.* Henriquez *in ſumma, 2. p. lib. 13. cap. 21. § 2.* Alii docuerunt, relaxationem in præſenti ſignificare declarationem nullitatis cenſuræ, quæ deſiderabatur; quia licèt non jure, de facto tamen excommunicatio præceſſit. Docuit Suarez *de cenſur. diſputat. 18. ſection. 3. num. 9.* quia plerunque rumpi, & irritari dicitur, quod ipſo jure nullum eſt, quatenus de facto præceſſit, ut *in l. ſi dolo, C. de reſcind. vendit. l. 5. §. ſi Titius, ff. qui & à quibus, l. hoc modo 64. ff. de condit. & demonſtr. l. ſi quis 15. de his quæ in fraud. cred.* ubi Cujacius *lib. 49. Digeſt. Jul. & ad titul. C. ſi quid in fraud. patron.* per textum ibi *in l. ſi libertus 16. § final. de jurepatron.* & etiam actio, quæ nulla eſt, perimi dicitur *in l. ſi ſine 22. ff. rem ratam haberi*, & tolli quæ non habuit locum, *l. ſi ſervus 27. §. ſi calicem, ff. ad leg. Aquil. l. diſpenſatorem 62. ff. de ſolut.* exempla refert Alberic. *in dict. l. nam etſi 5. de injuſto rupto.* Sed his ſententiis omiſſis verius dicendum eſt in præſenti caſu excommunicationis ſententiam validè prolatam fuiſſe; quia adhuc de inopia debitoris non conſtabat, ut liquet ex illis verbis, *ſi conſtiterit*, &c. quæ ſatis innuunt de inopia adhuc non conſtaſſe. Tum etiam, quia inopia non præſumitur, ſed qui eam allegat, probare tenetur, *l. cura, §. deficientium, ff. de muner.* Covar. *lib. 2. var. cap. 6. numero 2.* Baëza *de non meliorandis filiabus, cap. 36 num. 16.* Gutierrez *de juram. p. 1. cap 1. num. 22.* ac proinde dum de inopia debitoris legitimè non conſtat, ſolvendo præſumitur, & per conſequens juſtè excommunicatur, etſi poſtea appareat de inopia, ut in præſenti neceſſaria eſt abſolutio.

2. (e) *Idonea cautione.*] Cùm appellatione idoneæ cautionis comprehendantur pignoratitia, & fidejuſſoria, *l. ſi creditores, ff. de privil. credit. l. univerſa, C. de precibus Imper. l. de mandato 59. §. final. ff. mandati*, probavi *in cap. final. de pignor.* inde in præſenti ſpecie ſufficiens non erat nuda promiſſio, ſed neceſſariò præſtanda erat fidejuſſoria, vel pignoratitia cautio, aut ſaltem juratoria, ut poſſit Odoardus ab excommunicatione abſolvi, ut notarunt Gloſſa *penult. hic.* Covar. *in cap. alma, 1. p. §. 1. num. 11.* Navarrus *in Manuali, cap. 26 num 7.* Ratio eſt, quia excommunicatus propter cauſam manifeſtam, non debet abſolvi niſi præſtitâ reali ſatisfactione, *cap. ex parte, 30. de v. ſ. cap. venerabilibus, §. porrò, de ſentent. excom. lib. 6.* unde cùm in præſenti caſu debitum ex partis confeſſione eſſet manifeſtum, ut conſtat ex illis verbis: *Recognoſcentem hujusmodi debita*, juncto capite *cùm olim*, ibi: *Confeſſione, de v ſ.* meritò ille qui realiter ſatisfacere nequit, tenetur eam cautionem præſtare, ut abſolvatur; & tunc facienti quod eſt in ſe, Eccleſia abſolutionis beneficium denegare non poterat, cùm excommunicatio medicinalis ſit, & proferatur duratura quousque reus in contumacia manſerit. Nec audiendi ſunt Hoſtienſis, & alii, quos refert & ſequitur Covar. *lib. 2. var. cap. 1. numero 5. in fine*, qui affirmant ex hoc textu, eos, qui habent privilegium ne conveniantur ultra quàm facere poſſunt, cogendos eſſe præſtare cautionem pignoratitiam, ſeu fidejuſſoriam, vel ſaltem juratoriam, ad ſolvendum cùm ad pinguiorem fortunam pervenerint; loquuntur enim contra textum diſertum *in l. verum 63. §. id quod, ff. proſocio*, ubi Conſultus expreſè ait, ſufficere nudam permiſſionem, ut jam ex eo textu poſt Gregorium Lopez notavit Gutierrez *de juramento, p. 3. cap. 15. num. 9.* verius enim eſt, idoneam cautionem in præſenti deſiderari, quia agebatur de relaxanda excommunicatione, aliàs nuda promiſſio ſufficeret. Vide dicta *in cap. per veſtras, de donation. inter.*

3. (f) *Pinguiorem fortunam.*] Illi enim, qui privilegio gaudent ne conveniantur ultra quàm facere poſſunt, ſi poſt factam excuſationem ad pinguiorem fortunam pervenerint, in ſolidum poſſunt conveniri, *l. unic. §. cùm autem, C. de rei uxor. action.* Ratio eſt, quia hoc privilegium non extinguit debitum, vel obligationem, ſed tantùm exactionem moderatur. Quâ etiam ratione, cùm ille qui bonis ceſſit, à debito non liberetur, *l. 1. C. qui bonis cedere:* meritò receptum eſt, eum teneri ad integram ſolutionem, ſi ad pinguiorem pervenerit fortunam, *l. 4. ff. de ceſſ. bonor.* docuerunt Gomez *in l. 79. Tauri, num. 6.* Covar. *libro 2. variar. capite 1. numero 6.* Baëza *de inop. debit. capite 6. numero 23.* Petrus Barboſa *in l. maritum 13. num. 14. ff. ſolut. matrim.*

COMMENTARIUM.

EX hac Gregorii IX. decretali talis communiter deducitur aſſertio: *Clericus, qui non habet unde creditoribus ſatisfaciat, non debet ideo excommunicari, aut aliter moleſtari.* Quæ deciſio ſingularis eſt in jure canonico, & per argumentum probari poteſt *ex cap. olim 16. de reſtit. ſpol. cap. 2. de fidejuſſ.* ubi clericus, qui inopiâ laborabat, propter debitum non excommunicatur. De jure Regio conſonat illi lex *23. tit. 6. part. 1.* Illuſtrant ultra congeſtos in præſenti à Garanna & Barboſa, idem Barboſa *lib. 1. juris eccleſ. c. 39. § 6. per totum.* Mancinus *juris controv. diſſert. 22. & genial. cap. 182. & de tripl. juris collat. cap. 98.* Salgado *p. 1. labyrinthi, cap. 42. n. 2. & de protect. p. 4. c. 4. ex num. 59.* Germonius *de ſacror. immun. lib. 3. cap. 25.* Giurba *deciſ. 16. & 42. num. 21.* Caſtillo *de aliment. capite 37.* Gutierrez *de juram. 1. p. capite 17.* Petrus Barboſa *in l. alia, §. eleganter, ff. ſoluſ. matrim.* Pichardus *in manuduct. ad praxin,*

4. Concluſio traditur, & probatur.

praxin, 2. *p. præcept.* 9. *ex num.* 67. Jacobus Cujacius *in præsenti*.

5. Impugnatur præcedens assertio. Sed hæc assertio difficilis valde redditur sequenti juris consideratione; nam abrogato legis decemviralis rigore, de quo statim agemus, in usu permansit venditio solennis omnium bonorum debitoris, ut ex eorum pretio creditoribus in solidum debitum solveretur, *princip. Instit.* ubi Theophilus, *de successoribus sublatis, l. 4. C. qui bonis cedere possunt*: & si adhuc bona non sufficiant, debitor publicus in carcere detinetur, donec solidum solvat, *l.* 1. §. *penult. vers. Ultimò, C. qui bonis cedere*, *l. si pro aliquo* 21. §. 1. *ff. ad Vellejanum, l. ult.* §. *ultimo*, *ff. quæ in fraud. credit. l.* 3. §. *qui pecuniam, ff. de suspect. tut.* juncto Hothomano *qq. illustr. q.* 26. quam carceris molestiam effugiunt debitores per bonorum cessionem lege Julia introductam, *l.* 1. *l.* 4. *C. qui bonis cedere*; quæ cessio jure communi inspecto solâ professione fiebat, *l. in omni* 6. *C. qui bonis cedere*, abrogatis per Theodosium veteribus ritibus, *l.* 2. *C. qui bonis cedere*, ubi verba illa, *scrupulositate priorum legum explosâ*, quæ non extant in Theodosiano, Triboniano tribuit Revardus *in l. cujus* 148. *ff. de reg. jur.* Nec solùm in jure, sed etiam extra jus, per nuncium, vel per epistolam, *l. ult. ff. de cess. bonor.* Illustrant post Brunum, & alios scribentes *de cess. bonor.* Gibalinus *tom.* 2. *de negot. lib.* 5. *cap.* 4. *art.* 2. Heraldus *de auctorit. rei judic. lib.* 2. *cap.* 24. & 25. ad quod cessionis beneficium spectant textus *in l. tutor* 3. §. *sed si non* 15. *ff. de suspect. tut. l. nam* 9. §. *sed & si quis* 5. *ff. de jurejur. l. Imperator* 60. *ff. de pactis, l. si patre, ff. de captivis, l. si victum* 34. *ff. de re jud. l. si ex pluribus* 16. *ff. de acceptil. l.* 2. *ff. de sententiam passis, l. illud, ff. de tributoria, l final.* §. 4. *ff. de custodia reorum, l. item* 17. *ff. de receptis, l. ob fœnus, ff. de administr. tut. l. illicitas*, §. *final. ff. de offic. Præsidis, l. fidejussores* 68. §. 1. *ff. de fidejuss. l. finali, de sepulchro violato*, §. *ult. Instit. de replicat. l.* 9. §. 5. *ff. de jurejur. l.* 60. *de pactis*, *l.* 34. *de re judic. l. final.* §. 4. *C. de custod. reor. l.* 12. *de arbitr. l.* 64. *de usufr. l.* 2. §. *ult. ff. de sententiam passis*, juncto Costa *in* §. *& quid si tantùm*, 2. *p. num.* 40. Ajunt plures congesti ab Osvaldo *lib.* 27. *cap.* 9. *litt. P.* Gentilis *de bonis maternis*, *cap.* 31. licèt hodie apud nos calamitosum sit hoc remedium, cùm fiat formâ ignominiosâ, quam referunt Baëza *de inope debitore*, *cap.* 1 *num.* 74. Matienzo *in l.* 6. *glos.* 2. *tit.* 20. *lib.* 5. *recopil.* & apud alias nationes pileum viride gestare coguntur, ut refert Heraldus *dicto cap.* 25. & co stitutione Pii V. clericis indultum fuisse, ut illud deferre non cogantur, refert Barbosa *hic*. Apud Francos ex constitutione Ludovici XII. *cap.* 70. qui bonis cedunt, in judicio aperto capite, & discincti adsunt: cujus ritus rationem reddit Fornerius *lib.* 2. *select. cap.* 27. Igitur Odoardus in præsenti specie cogendus erat cedere omnia bona, ut ex illis creditoribus debitum solveretur, ut *in cap.* 2. *de fidejuss.* non autem sub cautione juratoria tantum dimittendus. Augetur hæc difficultas ex eo; nam Ecclesia admittitur ad bonorum cessionem, *authent. ut determinatus sit numerus cleric. collat.* 1. §. *cum verò*: Igitur & ejus ministri cogendi sunt ad hujusmodi cessionem.

6. Rejicitur intellectus glossæ. Ut hanc difficultatem effugiat Glossa ultima in præsenti, existimat quod Odoardus in hac specie priùs bonis cessit, vel paratus erat cedere; ideoque excommunicationem relaxatam fuisse, aliàs ipsum in carcerem esse detrudendum usquedum bonis cederet; nec in hac parte clericos ullo privilegio speciali gaudere. Glossam sequuntur Hostiensis, Joannes Andreas, & Antonius *hic*, Angelus, Castrensis, & Alexander *in l. miles, ff. de re judic.* Sed hæc solutio apertè rejicitur. Tum quia nullum verbum cessionis invenitur in hoc textu, immò contrarium facilè suadetur; nam si cessio bonorum præcessisset, ad quid excommunicatio proferebatur? Et si Gregorius intenderet clericum bona cedere debere, ut expressè jussit cautionem ab eo præstari, etiam decrevisset ante relaxationem excommunicationis, ipsum Odoardum bonis cedere priùs debere. Omissâ igitur hac interpretatione, ut privilegium seu beneficium in præsenti clericis concessum agnoscamus, ab origine res repetenda est. Sciendum igitur est lege XII. Tabul. quam refert Cujacius *lib.* 30. *observ. cap.* 39. & restituit Jacob. Gothofredus *in quatuor fontibus, tabul.* 3. ex quo eam transcripsi *in cap. quoad consultationem, de re judic. cap.* 2. *de pignor.* debitore intra legitimum judicati tempus non solvente, licere creditori manus in eum injicere, & secum ducere vinctum nervo, aut compedibus quindecim pondo, non plus, ne essent impedimento ambulandi, & interessendi sacris, ut notavit Revardus *ad leg. XII. Tabul. cap.* 8. cui nolenti de suo vivere, tenebatur creditor dare victum, & stratum, *l. si victum* 34. *ff. de re judic. l.* 234. §. 2. *ff. de verb. signif.* Terentius *in Phormione*, *act.* 2. *scena* 2.

Dices ducent damnatum domum;
Alere nolunt hominem edacem.

Ubi subjicit Donatus, *secundum jus*, scilicet quo obærati cùm solvendo non essent, ipsi manu capiebantur. Irridet illic genus damnationis parasitus, in quo victor pascere compellitur, & pascitur victus. Et licèt omnia verba illius legis decemviralis difficilia sint, illa tamen, *libras farris in dies dato*, viros doctos jampridem exercuerunt. Fornerius *lib.* 1 *select. cap.* 6. & *in l.* 43 *de verb. sign.* legit *libra s. farris in dies dato*; id est selibram; nam sicut hodie in Medicorum receptis pro semisse ponitur s. similiter & in antiquorum notis adjiciebatur; & ita juxta Fornerium tenebatur creditor quotidie debitori dare semilibram farris. Sed ut rectiùs probat Gothofredus *in notis ad dictam tabul.* 3. hic diarii modus legitimus non erat, immò legitimo angustior, & iniquior fuit, ut ipse probat ex Bibaculo, & Titinio, & D. Hieronymo *in Danielem cap.* 4. ibi: *Decem panis uncia diurna, & aquæ tertia sextarii pars, his anima magis trahitur, quàm sustentatur; qui cibus, ac potus juxta inclytum Oratorem Demosthenem non vires tribuit, sed mortem prohibet.* Libræ itaque farris in dies in ea lege sunt singulæ libræ in singulos dies, qui erat legitimus diarii modus, ut constat ex Horatio *lib.* 1. *satyr.* 5. ibi:

Denique cur unquam fugisset à cui satis una
Farris libra foret.

Post 60. autem dies, intra quos publicè producebatur, debitumque publicabatur, ut populo constaret vincto nullam injuriam à creditore vel judice fieri, *l.* 2. *C. de custodia reorum*, quam ad hoc expendit Covar. *lib.* 2. *variar. cap.* 1. *num.* 1. intra quod tempus si non solvisset, aut pactum cum creditore fecisset, licebat creditori peregrè trans Tyberim vendere, aut capite punire; & si

plures creditores essent, in partes debitoris corpus secare licebat? ita lex decemviralis: *Debitoris corpus in partes secanto*; post A. Gellium *lib.* 20. *noctium cap.* 1. Tertullianus *in apolog. cap.* 4. *Sed & judicatos in partes secari à creditoribus leges erant; consensu tamen publico crudelitas postea erasa est, & in pudoris notam capitis pœna conversa est, bonorum adhibitâ proscriptione: suffundere maluit hominis sanguinem, quam effundere.* Quintilianus *lib.* 3. *cap.* 6. *Sunt enim quædam non laudabilia naturâ, sed jure concessa; ut in XII. Tabulis debitoris corpus inter creditores dividi licuit, quam legem mos publicus repudiavit.* De quo veteri jure, seu potiùs injuria, nisi ad terrorem magis quàm usum esset scriptum, ultra plures congestos ab Osvaldo *lib.* 18. *cap.* 7. *littera N.* & *lib.* 27. *comment. cap.* 3. *duplici littera H.* Pichardo *in* §. *cum eo* 40. *Instit. de act.* Roberto 1. *rer. judic. cap.* 6. videndi sunt Hothomanus *lib.* 18. *antiquit. ad finem.* Balduinus *ad leg. Rom. lib.* 2. *cap.* 4. Rosinus *lib* 8. *antiquit. cap.* 19. Contius *lib.* 2. *succes. cap.* 18. H. Magius *lib. var. lect. cap.* 8. Andreas Scotus *lib.* 2. *humanar. observ. cap.* 34. & *lib.* 3. *cap.* 24. Æneas Robertus *lib.* 2. *rer. judic. cap.* 6. Petrus Gregorius *lib.* 22. *syntagm. cap.* 6. *num.* 5. Sed abrogato novis legibus, non tantùm inhumano sectionis jure, verùm & addictionis, & nexus, *l. ob æs alienum, C. de obl. & act.* probavi latè *in cap.* 2. *de pignor.* manserunt tantùm in usu venditio solennis, de qua *in titulo Instit. de successionibus sublatis*, & conjectio debitoris in carcerem, juxta textus supra pro dubitandi ratione adductos. Postea enim debitores creditoribus in servitium dabantur, in ergastulumque trudebantur, ubi assiduè verberibus flagellabantur, ut constat ex pluribus locis Livii, præcipuè *lib.* 1. *decad.* 1. & *lib.* 6. nec ipsos solùm debitores, quinimò & eorum filios creditoribus dari testatur Dion. Halicarn. *lib.* 6. tortoribusque cruciandos dari licuit apud Hebræos; idque probatur ex D. Matthæo *cap* 18. in illa parabola ubi dominus iratus tradidit cruciandum tortoribus debitorem, quousque redderet universum debitum. Plura Gothofredus *in d. l. ob æs*, Æneas Robertus *lib.* 2. *rer. judic. cap.* 6. Et licèt postea mitiores Romani facti sint, adhuc in miseros debitores sæviebant, ita ut variis flagellationibus, præcipuè plumbaturis, eos cæderent, ut constat *ex l.* 3 & 7. *C. Theodos. de exact. l.* 80. *eod. C. de usuris*: notarunt Baronius *tom.* 1. *anno* 33. *num.* 34. Amaya *in l.* 1. *C. de exactoribus tribut. lib.* 10. donec Imperator Constantinus dignissimam piissimi, ac christianissimi nominis sui edidit constitutionem anno Christi 320. sui verò imperii 15. relatam *in dicta l.* 3. misertus hominum paupertatibus, quibus absque sui culpa frequenter opprimuntur. De cujus constitutionis sententia agunt repetentes *ibi.*

7. *De privilegio ne quis conveniatur, &c.*

Unde cognoscitur, privilegium ne quis conveniatur ultrà quam facere potest, in eo consistere, ut personæ, quibus tribuitur, non in solidum pro executione judicati bonorum venditionem sustineant, sed dumtaxat quatenus facere possunt, id est quatenus facultates patiuntur, relictis alimentis, *l. inter* 19. *ff. de re judic. l. in condemnatione* 173. *ff. de reg. jur.* §. *item, de donat. Instit. de act.* nec in carcerem detrudantur, etiamsi solido solvendo bona satis non sint, ut docuerunt Barbosa *in l. maritis* 3. *num.* 2. *ff. solut. matrim.* Gutierrez *de juram.* 1. *p. cap.* 2. *num.* 48. immò illis relinquenda sunt, quæ honestè sufficiant ad alimenta, *l. inter* 19. *in fine. l. cùm ex causa* 30. *l. Nesennius* 41. §. 1. *ff. de re judic. l. facere* 28. *l. si marius* 43. *ff. solut. matrim. l. repos* 125. *ff. de verb. signif. d. l. in condemnatione* 173. non autem deducto ære alieno, *l. sunt qui* 16. *ff. de re judic. l. si filio* 53. *cum sequent. ff. solut. matrim. l. verùm* 63. *ff. pro socio.* Excipitur tamen donator, qui deducere potest æs alienum, quod aliis non ex eadem donationis causa debet, *d. l. inter* 19. *l. qui ex donatione* 12. *ff. de donat. l. marius* 54. *ff. solut. matrim.* Inspicitur autem rei judicatæ tempus, quatenus quis facere possit, *l. rei judicatæ* 15. *l. ex diverso* 17. §. *ult. l. si filio* 53. *ff. solut. matrim. d. l. verùm* 63. §. *tempus, d. l. Nesennius* 41. § *ult. l. qui id quod* 33. *ff. de donat.*

8. *De personis quibus hoc privilegium competit;*

Deinde sciendum est, personas quibus hoc privilegium competit, ad sex classes, seu ordines ab Interpretibus referri. Prima est eorum, inter quos summa sanguinis conjunctio adest, quales sunt parentes, liberi, fratres. De prioribus sunt textus *in l. sunt qui* 16. *l. cùm ex causa* 30. *ff. de re judic. l. quia* 16. *l. etiam* 18. *ff. solut. matrim. l. licèt* 7. §. *sed si quis, ff. de obsequiis, l.* 1. *tit.* 1. *part.* 5. Circa fratres autem argumentum deducitur *ex l. verùm* 63. *ff. pro socio, l. patronus* 17. *ff. de re judic.* Illustrat Acacius *de privileg. parent.* In his omnibus personis illa est communis ratio, quia cùm ob summam sanguinis necessitudinem invicem sibi alimenta debeant, & non tantùm liberi parentibus, & è contra, *si quis à liberis* 5. *ff. de agnoscend. liber. l. ult.* §. *ipsum autem, C. de bonis quæ lib.* sed etiam fratres fratribus, *l. qui filium* 4. *ff. ubi pupillus, l. tutor* 13 §. *ult. ff. de administr. tut. l.* 1. § *sed & si* 2. *ff. de tutela, & rationibus*; absurdum esset si liceret exigendo solidum, ab eis alimenta auferre, quibus præstari debent, ut probant Cujacius *lib.* 32. *Pauli ad edict. in l. si unus* 67. §. *ult. ff. pro socio.* Donellus *lib.* 27. *comment. cap.* 9. ubi Heligerus *littera E.* alii congesti ab Heringio *de fidejuss. q.* 27. *part.* 4. *num.* 90. Accedit in parentibus ratio reverentiæ eis à filiis debitæ, cui repugnat redigi patres ad egestatem vel carcerem, per exactionem solidi, *l. licet* 7. *l. liberto* 9. *ff. de obsequiis parentibus*: & circa hoc privilegium, sicut in aliis casibus parentum nomine omnes ascendentes in infinitum comprehenduntur, *l.* 4. §. *parentem, cum sequent. ff. de in jus vocando, l.* 1. §. *generaliter, ff. de legat. præstand. l. appellatione* 51. *ff. de verb. sign.* similiter liberorum appellatione omnes descendentes continentur, *l. sed si hæc* 10. §. *liberos* 9. *ff. de in jus vocando, l.* 3. §. *si mancipatu, ff. de assignand. libert. l. moris* 9. §. *liberos, ff. de pœnis, l. liberorum* 220. *ff. de verb. sign.* licet ascendentes ultra tritavum communi nomine majores dicantur, sicut & descendentes ultra trinepotem, liberi appellantur, *l. ult.* §. *parentes ff. de gradibus*: exponunt contra Laurentium Val. *lib.* 6. *elegant. cap.* 57. Hiligerus *d. lib.* 23. *Donelli, cap.* 2. *littera I.* Duarenus *in l. patronus* 17. Alexand. ab Alexandro *lib.* 1. *dier. genial. cap.* 15. Pereyra *in l. si curatorem, verbo sine curatore, num.* 48. *C. de in integrum restit.* Gentilis, Fornerius & Gedeus *in d. l. appellatione* 51. *l. liberorum* 220. Pichardus *in l. Gallus, in præludiis, cap.* 1. *num.* 18.

9. *Expenditur etiam* 18. *ff. solut. matrim.*

Sed suprà traditis opponi solet textus *in l. etiam* 18. *ff. solut. matrim.* ubi Pomponius in actione de dote, quam mater contra filios exercet, admitti eos ad hoc privilegium docet, si patri, eidemque

eidemque marito hæredes extiterint. Unde supponit, in aliis actionibus, ex quibus non tanquam patris hæredes à matre conveniuntur, non posse ex sua persona privilegium hoc opponere: quo argumento ductus Baëza *de inope debitore, cap. 17. num. 48.* ex mente Accursianorum probat, liberis hoc privilegium non competere. Sed eâ omissâ sententiâ dicendum est, in specie illius textus propriam, peculiaremque rationem circa dotis actionem, quâ filii ex persona patris, ut hæredes conveniebantur, adfuisse; siquidem constat, privilegium hoc marito concessum, cum persona extingui, ideóque nec hæredi ejus præstari, *l. maritum 12. cum l sequent. ff solut. matrim. l. etsi fidejussor 24. §. ult. cum l. sequenti, ff. de re judic.* Sed contrarium meritò respondit Pomponius, quia privilegium hoc in ea specie, non tanquam à patre transmissum, contra legem *qui tale 13. ff. solut. matrim.* sed tanquam novum privilegium ex persona eorum proveniens, illis competebat, ut docuerunt post alios Barbosa *in l. mavitis 13. num. 81. ff. solut. matrim.* Suarez *de legibus lib. 8. cap. 11. num. 4.* Etiam opponi solet textus *in l. 1. §. si cum duobus 13. ff. de collat. bonor.* ubi inter fratres circa collationem denegatur sextantis emolumentum fratri, qui per inopiam cavere non potest in solidum, & consequenter innuitur, etiam inter fratres, sicut cautioni in solidum, ita & exactioni locum esse, cùm valeat argumentum à cautione ad exactionem, *l. si constante 24. §. quotiens, ff. solut. matrim.* Quare hoc ptivilegium fratribus negarunt Accursius; Bartolus, & classici ferè omnes *in d. l. verùm 63.* Baëza *de inope debitore. cap. 10. num. 83.* Heringius *de fidejuss. d. cap. 27. ex numero 89.* Sed adhuc verius est, fratribus competere hoc privilegium, quia licèt fateamur, quod Accursius supponit *in d. l. verùm 63.* non esse inter fratres societatem voluntariam ex conventione, sed necessariam & incidentem, discordiis aptam, *l. cùm pater 77. § dulcissimis, ff. de legat. 2. l. in re commun 26. ff. de servit. urban.* non debet tamen major vis esse imaginariæ fraternitatis inter socios, quàm veræ, & naturalis inter fratres, ne alter alterum ad egestatem redigat, *l. nonnunquam, ff. de collat. bonor. l. nemo 58. §. 1. ff. de hæred. instit.* Nam ut eloganter Quintilianus *declamat. 321.* ajebat: *Quæ potest amicitia esse tam felix, quæ imitetur fraternitatem? Certè quotiens blandiri volumus iis, qui esse amici videntur, nulla adulatio præcedere ultra hoc nomen potest, quàm ut fratres vocemus.* Et deinceps: *Quid est aliud fraternitas, quàm divisus spiritus?* Plura Tiraquel. *de pœnis temperand. casu 22. num. 6. & in l si unquam, verbo libertis, num. 92. C. de revocand. donat.* Langleus *lib. 3. semestr. cap. 2.* Unde ob eam rationem licèt expressum juris testimonium non habeamus, extensioni hujus privilegii ad fratres locus est, *l. non tantùm 20. in fine, ff. de re judic. l. 2. §. item, ff. de aqua pluvia.* Nec obstat textus *in dicto §. si duobus 13.* quia in eo cùm ex forma edicti Prætoris de collationibus emancipatus præteritus non aliter ad bonorum possessionem contra tabulas admittatur, quàm si fratribus, qui in potestate permanserunt, conferat sua bona, vel caveat de collatione, *l. 1. in princip. & §. jubet 9. & §. quamvis 11. l. 3. ff. de collat. bonor.* rectè docetur, quod si cùm duobus fratribus conferre deberet, uni dumtaxat cavere propter inopiam potuerit, esse ei denegandas interim actiones sextantis, id est dimidii trientis, quem integrum cum effectu haberet, sicut & alii duo fratres, si uterque contulisset, vel cavisset; quo casu non damnatur frater in solidum, qui solvendo non est; sed luerum hæreditatis paternæ, quod emancipatus non haberet jure civili, nec prætorio, ei defertur, nisi sub forma collationis denegetur ei, pro qua parte non confert, *l. 2. §. ult. ff. de collat. bonor.* Nam si propter inopiam, quamvis utrique non caveret, consequeretur trientem integrum, cederet hoc beneficium in injuriam fratris illius, cui non confertur, & auferetur; cùm è converso sufficere emancipato debeat, quod propter inopiam conferre id ipsum videtur, quod minùs percipit ex bonis patris; quia utrique non cavet, argumento *ex d. l. 1. §. sed etsi 12. l dotis 5. C. eod. tit.* & sic sextantem saltem consequitur, quem non consequeretur si stricto jure contra eum uteremur, sicut contra contumacem; quia qui in solidum non cavet, nec pro parte cavere intelligitur, *d. §. si cum duobus, juncta l. servus 9.*

l. 1. §. 13. ff. de collat. bon.

10. *De secunda personarum classe.*

Ad secundam personarum classem, quibus hoc privilegium competit, spectant socii ob imaginem fraternitatis; sicut enim fratres in communione bonorum sunt, & ideò dicuntur consortes, *l. si is qui tres 31. §. cæterùm, de excusat. tut. l. cum duobus 52. §. Papinianus, ff. pro socio, l ex parte 39. §. filius, ff. familiæ ercisc.* Illustrant Cujacius *lib. 6. qq. Pauli in d. l. si is qui tres 31. §. cæterùm, & lib. 5. observ cap. 10.* Ludovicus Carrio *lib. 2. emend. cap. 10.* Joannes Savarus *ad Sidonium lib. 2. epist. 1. pag. 176. & lib. 4. epist. 24. ad finem,* Brissonius *de verb. sign. verbo Consortes:* ita & socii propriè consortes dicuntur. Et fratres à veteribus esse appellatos, constat ex solenni formula renunciandæ societatis; quæ extat apud Petronium *in Satyrico, cap. 10. & 11.* Apulejum *lib. 10. l. miles, junctis l. nemo 58. §. 1. ff. de hæredib instit. l. 4. C. de castrensi peculio lib 12.* Competit ergo privilegium hoc in primis socio omnium bonorum, cum quo divisa est solida fraternitas, ut ait Quintilianus *declamat. 321. l. sunt qui 16. ff de re judic.* Obtinuit etiam, ut socio unius rei, si ex ea societate conveniatur, competat hoc privilegium, ut ex Sabino Ulpianus docet, *l. verum 63. ff. pro socio.* Bronchorst. *enantioph. centur. 2. assert. 51.* quia limitatæ causæ effectus limitatus quidem est; sed similis, intra suum modum, universali, *l in agris 16. ff. de acquir. domin* Ergo non secum pugnat Ulpianus *in d. l. sunt qui, & in d l. verum 63.* sed alter alterum supplet, ut post Accursium, & classicos urrobique observant Faber *in rationali dictæ legis verùm 63.* Gutierrez *de juram. 3. p cap. 15. num. 1.* Osvaldus *lib. 27. Donel cap. 13. littera K.* Wisembachius *in thesibus, ad tit. instit. pro socio.* Pichardus *in manuduct. 2. p. præcept. 9. ex num. 22.* Nec tunc obstat textus *in l. de illo 23. ff. pro socio;* ubi cùm unus ex pluribus sociis Titium ad societatem solus admisisset, & admissus solvendo non esset, docet Ulpianus, omnimodè eum, qui admisit, sociis teneri, non tantùm ut actiones suas mandet contra admissum, sed etiam ut indemnes eos præstet in id, quod à socio admisso solvi non potuerit. In quo textu concedit Ulpianus privilegium hoc socio admisso contra eos, qui non admiserunt, quorum socius non est, *l. qui admittitur 19 cum sequenti. ff. pro socio, l. consilii 47. §. ult. ff de reg. jur.* & illud negat socio, qui admisit contra socios;

cios; quod utrumque absurdum est. Sed responderi debet, ideò socios, qui non admiserunt Titium, ab eo solidum non exigere, sed tantùm quatenus facere potest, quia cùm socii non sint ipsius Titii, & per consequens nec in eum actionem propriam, seu directam habeant suo nomine, *d. l. qui admittitur*, necesse est, ut experiantur mandatis actionibus à socio, qui admisit; proinde obstabit eis tanquam cessionariis exceptio hujus privilegii, quia & obstaret mandanti, cujus jure, & actionibus ipsi utuntur, *ex l. emptor 5. C. de hæredit. vel act. vendita, l. si post divortium 27. ff. solut. matrim. l. qui in jus 177. ff. de reg. jur.* quamvis contrarium procederet, si ex delegatione socii, qui admisit, alii experirentur contra Titium, quia uterentur tunc propriâ actione, quæsita ex promissione, & consensu debitoris delegati, *l. 1. l. nec creditoris 6. C. de novat.* ideoque nec obstaret exceptio hujus privilegii, *l. qui id quod 33. §. final. ff. de donat. l. si Titius, ff. de novat. l. Nesennius 41. ff. de re judic.* Econtrario autem socius, qui admisit in eo textu, non fruitur hoc privilegio contra socios, sed in solidum illis tenetur in id quod ab admisso servare non potuerint, quia culpa ipsius fuit, & quidem dolo proxima in admittendo socio non idoneo sine aliorum consensu: unde & teneri debet, quasi dolo fecerit in ipsa societate, quominus solidum debitum consequi socii possint; quo casu cessat hoc privilegium, *d. l. verum 63. § hoc quoque 7. l. sed hoc 22. §. 1. l. si quis 51. cum l. sequent. ff. de re jud. l. etiam 18. §. 1. ff. solut. matrim.* docuerunt Accursius, Fulgosius, Albericus, & Faber *in dicta l. de illo 23.* Barbosa *in l. maritum 12. num. 103. ff. solut. matrim.* Illud summè notandum est, privilegium hoc denegari socio inficianti se socium esse, *l. si unus 67. §. ult. ff. pro socio. d. l. sed hoc, §. ultimo, ff. de re judic.* propter turpitudinem, & odium mendacii, *l. de ætate 11. §. 3. ff. de interrogat. l. ult. ff. de rei vind. l. computationi 68.* aliàs *l. hæreditarium. §. ultim. ff. ad leg. Falcid.* junctis congestis ab Heringio *de fidejuss. p. 1. cap. 27. num. 220.* & quia indignus est privilegio, qui idipsum inficiatur, cujus contemplatione privilegium ei conceditur, *l. auxilium 37. ff. de minor. l. 4. §. 1. ff. quod cum eo, l. qui cum se 10. ff. de re judic. l. si dubitet 10. §. 1. ff. de fidejuss.* Unde hoc etiam in aliis personis, quibus hoc privilegium competit, negantibus qualitatem, ob quam privilegium competit, procedere docuerunt Barbosa *in dicta l. maritum 12. num. 105.* Gutierrez *de juram. 1. p. cap. 16. num. 72.* Cevallos *communium quæst. 12.* quamvis contraria sententia in disputando improbabilis non sit, eamque sequantur Duarenus, & Donellus *in dicta l. sunt qui 16.* Fachineus *lib. 13. controv. cap. 69.* Sed si socius qui negavit se socium esse, mendacium revocet ante litis contestationem, privilegium hoc non admittit, *ex l. quamvis 11. ff. de in jus vocando, l. electio 26. §. ne quis, ff. de noxal.* neque etiam ob generalem, aut simplicem inficiationem intentionis actoris admittitur hoc privilegium, argumento textus *in l. obligatione 6. ff. de pignor. cap. ultimo, de officio vicarii, lib. 6.*

II. *De marito, uxore & socero.*

Ad tertiam classem personarum, quæ tantùm condemnantur in id, quod facere possunt, spectant primò maritus, qui in restitutione dotis tantùm condemnatur in id, quod facere potest, *l. patronus 17. l. non tantùm 20. cum sequenti, ff. de re judic. l. maritum 12. cum sequent. ff. soluto matrim. l. sic 27. §. 1. ff. de relig. & sumpt. §. item si de dote 37. Instit. de action.* quod vetus Jurisprudentia tantùm admittebat in actione rei uxoriæ, sive de dote, *l. unica, §. cùm autem, C. de rei uxor.* quia cùm bonæ fidei esset, & in id concepta, quod æquius melius, *dicta l. unica, §. sed etsi 2. l. eas 8. ff. de capit. minut.* inerat ei quodammodo, sicut & aliæ retentiones ex bono, & æquo, exceptio hujus privilegii, quæ præcipuè nititur æquitate ob societatem conjugalem, & reverentiam marito debitam, *dicta l. unica, §. cùm autem 7. l. alia 14. §. ult. l. ex diverso 17. §. 1. ff. soluto matrim.* junctâ regulâ *§. in bonæ fidei 30. Instit. de action.* Diversum autem procedebat in actione ex stipulatu pro dote, quia stricti juris erat ante Justinianum, solidumque exigebat; non obnoxia exceptionibus, seu retentionibus prætextu æquitatis, *dicta l. unic. §. sed etsi non ignoramus.* Ob eandem etiam vitæ societatem privilegium hoc competit uxori, si à marito conveniatur ex promissione dotis, *l. ex diverso 17. §. 1. ff. solut. matrim.* sive ex alio contractu, *l. non tantùm 20. de re jud.* quia quamvis maritus uxori non eandem reverentiam & obsequium debeat, sicut uxor marito, cui ut capiti subdita est, *cap. hæc imago, cap. mulierem 17. 33. q. 5. cap. duo, de desponsi. impub.* debet tamen maritus honorem matrimonio, *l. 2. de actione rerum amot. l. 1. §. si vir, ff. ad Syllanian. l. adversus 4. C. de crimin. expil.* unde ob eandem rationem privilegium hoc concedi uxori consideravit Modestinus *in dicta l. non tantùm 20.* cujus postremam clausulam ita post alios exposuerunt Barbosa *in dicta l. maritum 12. num. 54.* Osvaldus *lib. 27. Donelli, cap. 9. littera G.* quamvis aliter Cujacius totam eam clausulam Triboniano tribuat *lib. 24. observ. cap. 38.* & *lib. 2. different. Modest. in dicta l. non tantùm.* Castillo *de alim. cap. 37. §. 2.* Ob eam ferè rationem privilegium hoc competit socero utriusque conjugis, videlicet patri mariti, si soluto matrimonio pro dotis restitutione conveniatur; nam si maritus in patris potestate sit, transit etiam in soceri familiam nurus, *l. 1. §. si vir, ff. ad Syllanianum, l. penult. §. ultimo, ff. quod falsò tut. l. si maritus 46, ff. famil. erciscund.* Si verò maritus sit emancipatus, cùm mariti potestati uxor subjiciatur, debet utique reverentiam socero, cui & maritus, quamvis emancipatus, naturali ratione, utpote patri, debet, *l. 1. §. si pater 14. ff. ad Syllanianum*; & consequenter semper socer nurui loco parentis est, ideóque privilegium hoc socero competit, *l. rei judicatæ 15. §. ult. cum l. sequenti, ff. solut. matrim. l. sicuti 21. ff. de re judic.* Et licèt circa socerum, patrem videlicet mulieris, dubitari possit, quia nec generi in soceri familiam, aut potestatem transit, nec maritus uxoris potestati subjicitur, & ita cessat utraque ratio suprà considerata; tamen quia propter affinitatem etiam in socero affectionis paternæ ratio consideratur, ut deducitur *ex l. ult. ff. de his quibus ut indig.* junctô Cujacio *lib. 14. respons. Papin. in l. in tacitis 103. ff. de legat. 1.* & *in l. unic. C. de caduc. tollend. l. 4. §. hoc itaq; ff. de gradibus, l. 3. in fine, C. de natural. liberis*, obtinuit magis concedendum esse privilegium nostrum socero ex promissione dotis convento à genero, *dicta l. ex diverso 17. ff. solut. matrim. l. sicut 21. cum l. sequenti, ff. de re judic. l. penult. ff. de jure dot.* docent Barbosa

Barboſa *in dicta l. maritum* 12. *num.* 59. Oſvaldus *lib.* 27. *cap.* 9. *littera H.* An tamen eo privilegio fruatur ſocer ſemper, & indiſtinctè ſive conſtante matrimonio conveniatur, ſive ſoluto; & ſive dolo fecerit, ſive non, inter Juriſconſultos non convenit, ut apparet *ex d. l. ex diverſo* 17 *dict. l. ſicut* 21. *dict. l. penult.* pro quibus conciliandis, rejectâ emendatione Fabri *lib.* 2. *conject. cap.* 14. reponentis in extremo dictæ legis *ſicut* 21. hæc verba, *ſed alio, & alio jure utimur*; & omiſsâ antiquorum ſententiâ, quæ admiſit inter Conſultos diſſenſionem, quam docuerunt Alexander *in l. rei judicatæ* 15. *num.* 9. *ff ſolut matrim.* Jaſon *in dict. l. ſicut* 21. *num.* 4. Campegius *de dote* 3 *p quæſt.* 250. Baëza *de inope debit. cap.* 17. *num.* 57. Connanus *lib.* 8. *comment. cap.* 9. *num* 8 Donellus *lib.* 27. *comment. cap.* 9. dicendum eſt, ſocerum patrem uxoris frui utique generaliter, & indiſtinctè privilegio hoc contra generum, ſi dote promiſſa conveniatur conſtante matrimonio, ob manentem adhuc affinitatis, & reverentiæ rationem, *dict. l. ex diverſo* 17. Sic accipiendæ ſunt lex *ſed hoc ita* 22. & lex penultima, *ff. de re jud.* eoque referri poteſt textus *in l. ſi extraneus* 33. §. 1 *ff de jure dot.* junctis Oſvaldo *lib.* 4. *Donel. cap.* 14. *littera K.* Fabro *decad.* 82. *error* 10 Schiffordeg. *ad ipſum, lib.* 3. *tract.* 2. *q.* 4 non autem ſi ſoluto matrimonio conveniatur, quia tunc non militat eadem affinitatis, & affectionis ratio, ideoque diverſo jure utimur. Nec privilegium conſtante matrimonio indiſtinctè tribuitur; ſed ex cauſa juſta, veluti ſi fortuito caſu, poſtquam dotem promiſit, factus ſit non ſolvendo; cæterùm ſi ſciens ſe non eſſe ſolvendo, decepit generum, vel ei inſidiatus eſt, dum filiæ ſuadet, ut à marito divertat, non ſuccurritur illi, *dict. l. pen. ff. de jure dot.* quam ita exponit Græcus Scholiaſtes *libro* 28. *Baſilic. tit.* 13. & poſt alios Barboſa *in dict. l. maritum.* 12. *num.* 67. Oſvaldus *dict. lib.* 27. *Donelli, cap.* 9. *littera L.* De hoc privilegio ex cauſa dotis competente loquuntur textus *in l. ſi cum procuratore* 23. *cum l. ſequent. l. & exhæredatum* 49. *l. ſi rerum* 52. *ff. de re judic. l. ex diverſo* 17. §. *ultim. l. ſi poſt* 27. *cum l. ſequenti, l. ſi maritus* 45. *l. ſi filius* 53. *cum ſequent. ff. ſolut. matrim. l. ſi minor* 51. §. 1 *ff. de procurat. l. ſi mulier* 21. §. *ultim. ff. de action. rer. amot. l. nec maritus* 8. *C. ſolut. matrim. l.* 3. *ff. de privil. credit.* aliàs *l. intereſt.* 18. *ff. de rebus auctorit. judic.*

12. De patronis, donatoribus, & ſimilibus.

Ad quartam perſonarum claſſem, quibus hoc privilegium competit, ſpectant patronus, patrona, & eorum liberi, parentesque conventi à liberto, in quem inæſtimabile libertatis beneficium contulerunt, *l. patronus* 17. *l. inter* 19. *l. & exhæredatum* 49. *ff. de re judic. l. exceptiones* 7 *ff. de exceptionibus, l. maritus* 54 *ff ſolut. matrim. l. verum* 63. §. 1. *ff. pro ſocio, l. licet* 7. *l. liberto* 9. *ff. de obſeq. parent.* Illuſtrant Baëza *de inope debit. cap.* 17 *num.* 33. Oſvaldus *lib.* 27. *cap.* 9. *littera L.* & *lib.* 25. *cap.* 2. *littera I.* Pichardus *in manuduct.* 2. *p. præcep.* 9. *n.* 3. Item donator, cui ne ex liberalitate ſua inops omnino reddatur, privilegium hoc competit, *l. inter* 19. §. 1. *l. cum ex cauſa* 30. *l. Neſennius* 41. *per totam, l. exhæredatum* 49. *cum ſequent. ff. de re judic. l. qui ex donatione* 12. *l. qui id quod* 33. *in princip.* & §. *ultim. ff. de donat. l. maritus* 54. *ff. ſolut. matrim. l. penult. ff de novat. l. Divus* 28. *ff. de reg. jur.* ubi latè explicant Petrus Faber & Jacob. Gothofredus, Barboſa *in dict. l. maritum* 12 *num.* 100. & *in dict. l. alia* 15. §. *eleganter, num.* 36. Pacius *centur.* 4. *quæſt.* 56. Hermoſilla *in* 4. *tit.* 4. *partit* 5. *gloſ.* 2. Oſvaldus *dict. cap.* 9 *duplici littera II.* Giurba *deciſ* 5. Salgado *in labyrinth.* 1. *p. cap.* 24. *num.* 108. D. Joſeph. de Retes *de donat. cap.* 20. *num.* 1. Gutierrez *de juramento*, 3. *p. cap.* 15. *ex num* 19. & ad hanc partem referendus eſt textus *in l. ſi extraneus* 33. *ff. de jure dotium*; ubi quod Ulpianus innuit *in verſ. quemquam in id*, extraneum promiſſorem dotis à marito conveniendum eſſe tantùm in id quod facere poterat, difficile prorſus eſt, *ex l. penult in princip. ff. de jure dot. dict. l. Neſennius* 41. *ff. de re judic.* niſi vel Ulpianum accipias de extraneo, qui non ſolùm uxori, ſed etiam marito donandi animo promiſit; & ideo etiam mariti reſpectu fruitur privilegio, ut interpretantur Faber *lib.* 2. *conject. cap.* 13. Olea *de ceſſ. jur. tit.* 5. *quæſt.* 12. vel niſi verba illa, *Et ſtem*, transferas, referasque ad uxorem, quæ, utpote donataria, non poterat promiſſorem dotis convenire, niſi in quantum facere poterat, *dict. l. Neſennius*, ubi Donellus *lib.* 27. *comment. cap.* 9. & Oſvaldus *littera C.* Cujacius *lib.* 12. *obſ. cap.* 17 Ad hanc etiam præſentis privilegii partem ſpectant textus *in l. ex pollicitatione* 9. *l penult. ff. de pollicit.* ubi *in dict l.* 9. docetur, ex pollicitatione facta Reipublicæ alicujus operis, ſi quidem ob honorem facta ſit, teneri in ſolidum, tam ipſum, quàm ejus hæredem; ſi verò conveniatur ex cauſa promiſſi operis cœpti, nec perfecti, & bona ejus non ſufficiant liberalitati promiſſi operis ſolvendæ, ipſum quidem & hæredem extraneum in quintam partem patrimonii ſui, liberos autem ejus in deciinam teneri: quod difficile eſt ex ſuprà traditis; ſiquidem donator tantùm in quantum facere poteſt, condemnatur: & in eadem ſpecie *in dict. l. penult.* docetur, extraneum hæredem teneri in quintam partem patrimonii defuncti, non autem in ſolidum, ut *in princip. dict. l.* 9. Sed rejectâ emendatione Cujacii *lib.* 4. *different. Modeſt. in dict l.* 9. exiſtimantis *in dict. l. penult.* legendum eſſe negatione adjectâ, ſupponendum eſt *in dict. l.* 9. & *penult.* ſpecialiter agi de pollicitatione, quæ inter privatos facta non obligat civiliter, *l.* 3. *ff. de pollicit. l. juris* 7. §. *ſed cum nulla, ff. de pactis*; nec etiam cùm Reipublicæ fit, niſi vel fiat ob honorem ei, qui pollicetur, decretum, vel decernendum; vel ſi opus pollicitatione promiſſum cœptum ſit, *l.* 1. §. 1. & *ſequenti, l.* 3. *l. totiens* 6. *in princip* & §. 1. *l. ſi quis ob honorem* 11. *ff. de pollicit. l. hoc jure* 19. *ff. de donat.* Quo caſu cùm ex pollicitatione ob honorem, quem quis à Republica accepit, convenitur, non tam ex mera liberalitate, quàm ex promiſſione ob cauſam, quæ ad negotii contracti, & debiti potiùs quàm ad donationis genus accedit, debitor eſt, *l.* 1. *in princip.* & *l. Ariſto* 18. *l. hoc* 19. §. 1. & §. 4. *l. ſi pater* 34. §. 1. *ff. de donat.* eruditè illuſtrat Galbanus *de uſufruct cap.* 15. & ideo nihil mirum, damnari ipſum, & hæredem etiam in ſolidum, non in quantum facere poſſunt, *dict. l. ex pollicitatione* 9. *in princip.* Si verò pollicitatione ſine cauſa Reipublicæ factâ, ex eo ſolo quis conveniatur, quia facile opus fecit, quamvis ea pollicitatio propriè donatio fuerit; ideo tamen non competit privilegium hoc, quia non ex pollicitatione, quæ ſola ſine cauſa non ſufficeret, ſed ex cauſa cœpti operis convenitur; quo caſu diſtin-

distinctionem illam quintæ, & decimæ partis, ut mediocrem, Principum constitutiones admiserunt, *dicta l.* 9. ad quam speciem ibi relatam redigenda omnino est sententia Pomponii *in d. l. penult. in* 2. *p. ff. de pollicit.* ubi quamvis factam fuisse fateamur pollicitationem ob honorem, cùm tamen Pomponius supponat non nisi ex causa certi operis peti, intelligendum necessariò est, decessisse promissorem ante honorem decretum, vel inchoatum; & ideò contra hæredes non nisi ex causa cœpti operis succedit petitio quintæ, aut decimæ partis, *l. toties* 6. §. 1. *l. si quis ob honorem* 11. *ff. de pollicit.* docuit Albericus *in d. l. toties.*

13. *De filio emancipato.*

Ad quintam classem personarum, quæ tantùm in quantum facere possunt, damnantur, spectant illæ, quæ ob inopiam miseratione dignæ sunt, veluti emancipatus, vel exhæredatus, quive paternâ hæreditate se abstinuit, aut ex minima parte hæres fuit; ideóque causâ cognitâ non damnatur in solidum ex gestis cùm filiusfamilias esset, *l.* 2. *in princip.* & §. 1. *cum sequent. ff. quod cum eo, l.* 2. *l. si ex alia* 9. *C. eod. tit. l.* & *exhæredatum* 49. *ff. de re judic. l.* 3. §. *sed utrum, ff. de minor. l. si dubitet* 10. §. *ult ff. de fidejuss.* Excipiendi tamen, & explicandi sunt tres casus. Primus est quoties filius in supradictis casibus ex delicto, dolóve convenitur, quia tunc privilegio non fruitur, *l.* 4. §. *quamquam, ff quod cum eo.* ubi id refertur in actione mandati, quæ bonæ fidei est, quia in actionibus bonæ fidei, tantùm id procedit, quia idem admittitur in judiciis stricti juris, *l. qui cùm se* 10. *ff. de re judic.* Faber *in ration. ad d. l. eum qui* 6. Secundus casus est *in d. l.* 5. *juncta l.* 3. §. *ult. ff. ad Macedon* ubi filiusfamilias qui pecuniam quam mutuam acceperus erat, ante numerationem spopondit, & postea emancipatus accepit, condemnatur in solidum, quia substantia obligationis expleta est post emancipationem, numeratione tunc factâ, sine qua stipulatio effectum non haberet; & ideò post emancipationem mutuum celebrari creditur, *l si ita* 6. §. *ult. cum sequenti, ff. de novat. l. si ita* 126. §. *Chrysogonus, ff. de verb. oblig. l. obligamur* 52. *in princip.* & §. *re, ff. de obl.* & *act. l. certi* 9 §. *numeravi, ff. de rebus creditis* ubi Donellus, *lib* 16. *comment. cap.* 20. Cujacius *lib.* 3. *qq. Pauli in d. l. ergo* 5. Tertius casus extat *in l. Pomponius* 15. *ff. de negot. gest. l. si filius* 11. *ff. de tutel.* & *rationibus, l. tutorem* 37. §. *ult. ff. de administrat. tut.* ubi explicat Cujacius *lib.* 11. *qq. Pauli,* & *lib.* 9. *Pauli ad edict. in dicta l. Pomponius* 15. Faber *in ration. ibidem.* Etiam in eadem classe recensendi sunt, ut privilegio hoc potiantur, is qui bonis cessit, si post cessionem à prioribus creditoribus conveniatur, *l.* 4. & 6. *ff. de cess. bonor. l. item* 17. *ff. de receptis,* §. *ultimo, Instit. de action. juncta l. si quis* 49. *ff. de pactis*; & ille cujus bona omnia à creditoribus sine dolo malo ipsius vendita sunt, *l. ult. C. de revocand. his quæ in fraudem, l. ult.* §. *ult. ff. quæ in fraudem credit. l. si quis* 51. *ff. de re judic.* quibus jungendi sunt Cujacius *ad titulum de revocand. his, quæ in fraudem,* & *lib.* 12. *observ. cap.* 5. & laudati ab Osvaldo *lib.* 27. *comment. cap.* 9. *littera P.*

14. *De milite, & clerico.*

Tandem aliis competit hoc privilegium, quia de Republica sunt benemeriti, ut milites armatæ militiæ, *l. miles* 6. *l. item miles* 18. *ff. de re judic. l. si castrense* 7. *ff. de castrens. pecul.* Et licèt non idem admittat in militibus togatæ militiæ, quales sunt Advocati, & bonarum Artium Professores, Duarenus *in d. l. miles* 6. Donellus *lib.* 27. *comment. cap.* 9. magis tamen obtinuit, competere illis hoc privilegium, argumento *ex l. Advocati* 14. *C. de advocat. diversi. judic. l. medico* 6. *cum l. sequenti. C. de Professor. lib.* 10. *l.* 8. *tit.* 31. *partit.* 2. ex quibus ita docuerunt Rodericus Suarez *in l.* 2. *tit. de los goviernos, lib* 3 *fori,* §. *quinto, num* 12. Osvaldus *lib.* 27. *comment. cap.* 9. *littera L.* Azevedo *in l. ult. num.* 63. *tit.* 21. *lib.* 4. *recopil.* Baëza *de inope debit. cap.* 16. *num.* 127 Antonius Gomez *in l.* 83. *Tauri, num.* 17. immò & nobilibus exemplo militum, privilegium hoc competit, *ex l.* 4. *& 6. tit.* 2. *lib.* 6. *recopil.* Covar. *lib.* 2. *var. cap* 1. *num.* 4. Gutierrez *de juramento,* 1. *p. cap.* 16 Tandem eorum etiam exemplo hoc privilegium clericis Ecclesiæ insservientibus competit, ex præsenti Gregorii decretali. Cujus ratio ex eo provenit, nam cùm militibus hoc privilegium competat, & clerici milites sint cœlestis militiæ, *cap. dilecto. cap. cum secundum, de prabendis, cap.* 1. *de clerico ægrotante, cap. Salvator, circa medium,* 1. *q.* 3. *cap. militare* 23. *q.* 1. *cap. reprehensibile,* ibi: *Cùm militum Christi sit Christo servire, militum verò sæculi sæculo,* 23. *q.* 8. *cap. degradatio.* § *actualis, de pœnis in* 6. D. Augustinus *epist.* 70. *ad Bonifacium Comitem,* ibi: *in silentio pugnant milites Christi, non ut occidant homines, sed ut expugnent principes, & potestates, & spiritualia nequitiæ* notavi *in cap.* 1. *de renunc.* ideo fruuntur eodem privilegio, quia ut post Everardum & alios docuit Mancinus *sacri juris controv. dissert.* 22. clerici gaudent omnibus privilegiis militaribus, dummodo eorum statui conveniant. Accedit, nam si aliis personis suprà relatis conceditur hoc privilegium propter reverentiam illis debitam, quantò magis idem privilegium clericis concedi debet? Tandem quia aliàs cogerentur clerici mendicare, in opprobrium totius ordinis clericalis, *cap. Diacon, 93. dist.* Trident. *sess.* 21. *de reform. cap.* 2. Quare statutum fuit, ne clericus absque beneficio, vel competenti patrimonio ordinaretur, *cap* 2. & 4. *de prabend.* & *dignit* quod adeo verum est, ut ita ordinatus non possit patrimonium, ad cujus titulum ordinatus fuit, aliquo modo distrahere, nisi aliàs habeat unde commodè vivere possit. Trident. *dicto cap.* 2. Covar. *lib.* 1. *var. cap.* 4. *num.* 4. Et similiter non potest beneficium ad cujus titulum promotus fuit, renunciare, si aliàs non habeat unde commodè sustentetur. Flaminius *de resig. lib.* 2. *cap.* 6. Unde ne unâ viâ admittatur quod aliâ prohibetur, contra textum *in l. oratio, ff. de sponsal. cap. cum quid, de reg. jur. lib.* 6. meritò statutum est, clericum pro debito civili non esse in carcere detrudendum, nec cogendum bonis cedere, sed competere illi privilegium ne conveniatur ultra quàm facere potest.

15. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt stricto juris rigore attento, clericus cogendus esset bonis cedere; ut ita creditoribus satisfaceret; tamen virtute privilegii concessi in præsenti, ex rationibus ne conveniatur ultra quàm facere potest, non cogitur prædictam cessionem facere, aut carceris molestiam pati. Nec obstat augmentum suprà deductum *ex d. cap.* 2. *de fidejuss.* nam omissâ solutione Archidiaconi, quam refert Sarmientus *de redditibus* 4. *p. cap.* 1. Respondeo textum illum procedere in clerico beneficium

beneficium habente unde possit sustentari, & simul satisfacere creditoribus; quo casu cogendus est per subtractionem fructuum creditoribus satisfacere, ut ibi probavi, relictâ semper congruâ illi sustentatione: at in præsenti textu adeò inops Odoardus erat, ut nec beneficium haberet, ex quo posset sustentari, & satisfacere creditoribus; ideò jubet Gregorius, quod si de inopia apertè constiterit, excommunicatio in eum prolata relaxetur. Nec obstat ultimum augmentum *ex dicto §. cùm verò*; nam etsi fateamur, remedium hujus textus Ecclesiæ non competere (quod non disputamus) non tamen inde sequitur, non dari privilegium hoc clerico, cùm Ecclesia incorporalis res sit, quæ non eget necessariis ad sustentationem, ut clericus. Nec obstabit si dicas Ecclesiam quoque victualibus, ac necessariis indigere, ut ministros suos alat; nam dicendum est, Ecclesiam adhuc posse cedere bona, licèt ministros habeat, quos alere teneatur; nam tunc parochianos compellere valet, ut spiritualia ministrantibus temporalia præbeant; quod clericus facere non potest, cùm culpâ suâ in paupertatem incidit, ut docuerunt Petrus Barbosa *in l. alia, §. eleganter, num.* 9 Mancinus *sacri juris controvers. dissert.* 22. *num* 13.

16. *Limitatio. ut præsentia textus.*

Sunt tamen nonnulli casus, in quibus clerici ultra quàm facere possunt, conveniuntur, nec ad beneficium hujus textus admittuntur. Primus est, si negaverint se clericos esse tempore contractus, ut alios alliciant ad contrahendum. Gutierrez *de jurament. 1. p. cap.* 17 *num.* 20. nam qui negat qualitatem suæ personæ, ob quam illi conceditur aliquod privilegium, illud amittit, *l.* 1. ubi notat Glossa, *C. ad Maced. l.* 2. *&* 3. *C. si minor se major. l.* 6. *tit. final. partit.* 6. docent Gutierrez *in repetit. authent. Sacramenta, numero* 56. Baëza *de non meliorandis cap.* 30. *numero* 11. Inde si nobilis tempore contractus affirmat se plebejum esse, non gaudet privilegio nobilitatis, immò incarceratur pro debito ex illo contractu proveniente, ut resolvit Azevedus *in l.* 4. *tit.* 2. *lib.* 6. *recopil. num.* 29. quæ limitatio non habet locum, si is, cum quo clericus contrahebat, sciebat illum clericum esse, quia fraus scienti non fit, *l. cùm donationis, C. de transact.* Azevedus *ubi suprà, num.* 29. Secundò limitatur præsens textus in clerico bona propria occultante, ut ex eis non satisfaciat creditoribus; tunc enim potest excommunicari, & in carcere detineri, donec solvat, *l. verum* 63. §. *& hoc quoque* 7. *l.* 68. §. 1. *ff. pro socio, l. etiam* 18. §. 1. *ff. solut. matrim. l. si quis* 51. *ff. de re judic.* docent in nobili idem resolventis Gutierrez *d. p.* 1. *cap.* 16. *numero* 14. Azevedus *in dicta l.* 4. *num.* 3. Occultans enim bona privatur legis beneficio, ut in abstensionis beneficio docetur *l. si servum* 70. §. *si quis suus, ff. de acquir. hæredit.* in beneficio legis Falcid. *ex authentica de hæred. & Falcid.* §. *sancimus, collat.* 1. Tertiò limitatur præsens textus in debito proveniente ex maleficio, vel quasi, *cap.* 1. *de deposito, l. qui cùm se* 10. *l. sed hoc* 22. §. *ultim. l. si rerum* 52. *ff. de re judic. l. si mulier* 21. §. *ultim ff. de action. rer. amot.* quam exponit Gentilis *de donat. inter, l.* 4. § *quamquam, l.* 6 *ff. quod cum eo*; quia per delictum redditur quis indignus privilegii, seu beneficii, *cap. eum qui* 18. *de præbend. in* 6. Unde eo casu luet in corpore si non habet in ære, *ex l.* 1. *ff. de pœnis, l. final. ff. de in jus vocando, l. si quis* 7. *ff. de jurisdict.* prosequuntur Gutierrez *ubi suprà, n.* 22. Baëza *dicto cap.* 17. *n.* 14.

17. *De renunciatione hujus privilegii.*

Superest pro coronide hujus commentarii, & totius tractatus de personis, quæ ultra quàm facere possunt, non condemnantur, exponere, an clerici, vel personæ suprà relatæ huic privilegio renunciare possint, & pacto promittere, se illo non usuros? Et renunciare posse, suadetur ex sequentibus. Primò *ex l. quamvis* 11. *ff. de in jus vocando*, ubi docetur, patronum posse renunciare privilegio, ne absque venia in jus vocetur, cùm privilegium illud, sicut præsens, concessum sit patrono propter reverentiam, *l.* 2. *C. de in jus vocando, l. liberto* 9. *ff. de obseq. patron. & parent.* Secundò quia legimus *in l. nam & maritus* 9. *ff. de condict. indeb.* juncto textu difficili *in l. si quis reum* 5. §. *idem Julianus, vers. Sed est verius, ff. de liberat. legat.* maritum, qui cùm solvendo non esset, totam dotem uxori solvit, non posse repetere, sive sciens, sive ignorans solverit: ergo quia quando sciens solvit, renunciavit tacite huic privilegio. Tertiò facit pro hac opinione textus *in l. eum qui* 30. §. *si mulier, ff. de jurejur.* ubi si mulier deferente marito juraverit decem sibi dotis nomine deberi, affirmat Paulus, integra decem præstanda esse, & consequenter in solidum maritum damnandum esse, etsi solvendo non sit: id autem falsum esset, nisi intelligeretur, maritum renunciasse privilegio per conventionem, quæ inest delationi juramenti, *l. sed & si* 25. *cum l. sequent.* § *ultim. l. ult. ff. de jurejur. l. depositi* 5. §. *si filius, ff. de peculio, l.* 1. § *si petitor ff. quarum rerum actio.* Quartò facit, & non leviter, Justinianus *in l. unica, §. cùm autem, C. de rei uxor.* ubi apertè supponit, ita demùm maritum condemnari in quantum facere potest: *Si matrimonium fuerit dissolutum nullo pacto adhibito.* Ergo quia pacto maritus potest renunciare huic privilegio. Eadem sententia suadetur *ex l. penult. vers. Propter militiæ cingulum, C. de pactis*, ex quo notant Decius *ibi, num.* 23. Ripa *in l. miles, num* 2 *ff. de rejudic.* militem posse huic privilegio renunciare, sicut & apud nos nobiles possunt renunciare privilegiis concessis *in l.* 3. 4. *&* 5. *tit.* 2. *lib.* 6. *recopil.* ne in carcerem detrudantur pro debito civili, & ne executio fiat in eorum armis, & equis, ut docuerunt Gregorius Lopez *in l.* 34. *verbo De sangre, tit.* 34. *partit.* 7. Covar. *in cap. quamvis, 2. p. in princip. num.* 5. Baëza *de inope debit. cap.* 16. *num.* 17. Facit tandem textus *in l. si quis in conscribendo, C. de Episcop. & Cleric.* ubi statuitur, licitam esse renunciationem privilegii competentis ratione sacerdotii: igitur & præsentis privilegii renunciatio valida erit. Sed contrarium, videlicet renunciationem præsentis privilegii nullam esse, docuerunt pluribus relatis Balboa *in cap.* 1. *de foro competenti, q.* 11. *num.* 106. Fermosinus *in cap. si diligenti, q.* 3. *eodem tit.* Pichardus *in manudict. 2. p. præcept.* 9. *num.* 36. Acacius *de privil. parent. cap.* 11. & probatur ex eo, quia cùm damnari in solidum sit contra reverentiam his personis debitam, est etiam contra bonos mores pactio interposita, per quam beneficium hoc remittitur, *l. pacta* 6. *C. de pactis*: nec similis conventio sufficiet, ut per eam renuncietur huic privilegio, *l. alia* 14. §. 1. *ff. solut. matrim.* unde rectè Covar. *in cap. quamvis, 2. p. in princip. num.* 8. *de pactis in* 6. Lara *in l. si quis à liberis* 5. §. *sed si filius, numero* 94. *ff. de liber. agn.* Gutierrez *de jurament. 1. p.*

cap. 16. *num.* 47. Baëza *de inope debit. cap.* 17. *num.* 35. Barbosa *in dicta l. alia* 14. *ex num.* 1, & *in l. maritus* 13. *ex numero* 27. Osualdus *lib.* 27. *Donelli, cap.* 9. *littera Z*, distinguunt inter eas personas, quibus ob reverentiam hoc privilegium competit; ut parentibus, conjugibus, patronis, & clericis; & eas, quibus non ob reverentiam conceditur, ut socio, militibus, & aliis. In primis renunciationem similis privilegii locum non habere constat; in secundis verò valere, ideoque à socio, & similibus pacto renunciari posse, juxta regulam legis *si judex* 41. *ff. de minor. l. penult. C. de pactis.*

18. *Exponitur l. quamvis* 11. *de in jus vocando.*

Nec hac sententiâ retentâ obstant contraria fundamenta. Non textus *in dicta l. quamvis* 11. pro cujus solutione Petrus Barbosa *in dicta l. maritum* 12. *ex num.* 27. & *in dicta l. alia*, §. 1. *ex num.* 1. affirmat privilegium illud patroni, ne in jus vocetur sine venia, in eo versari, ne vocetur invitus sine venia, ut contingit in aliis qui privilegium illud non habent ex natura ipsius vocationis, *l.* 1. *ff. de in jus vocando, tit. Ut eant, junctis l.* 2. *ff. de in jus vocand. cum l.* 3. *l. sed & si* 26. *§. ait Prætor* 2. *ff. ex quibus causis major.* Proinde si volens vocetur, non renunciat privilegio, quod ei non competit, nisi cùm invitus vocatur, ut explicat post ipsum Osualdus *lib.* 23. *Donelli, cap.* 2. *littera I.* Diversum autem ait esse in præsenti privilegio, quod ita conceditur, ut nec volens, qui illo fruitur, solvat ultra quàm facere potest, *ex d. l. alia* 15. §. 1. Sed in hac posteriori parte labitur perdoctus Barbosa, quia cum privilegium hoc concedatur personis suprà enumeratis, ne ultra quàm facere possunt, conveniantur, seu condemnentur, *dicta l. fundi* 16. *l. non tantum* 20. *cum sequenti, ff. de re judicat.* convenire tamen, & condemnari, sicut & alia judicialia, exerceantur in invitum, qui necessitate obligationis adstringitur ad solvendum, *l. inter* 83. §. 1. *ff. de verb. oblig. l. ult ff. de separat junctâ l. debitor* 108. *ff. de verb. signif. princip. Instit. de obligat.* negari non potest privilegium hoc in eo consistere, ne invitus cogatur solvere, ut considerant Immola, & Alexander *in d. l. in tantum* 20. Quare hac omissâ solutione Illustr. præceptor D. Franc. Ramos *in privato schediasmate ad d. l. sunt personæ* (ex quo ferè totum commentarium hoc transcripsi) *num* 16. eruditè docet, privilegium præsens marito, & aliis personis concessum, in eo consistere, ne inviti compellantur solvere ultra quàm facere possunt, & quidem rei judicandæ tempore, *l. res judicata* 15. *ff. solut. matrim. l. verum* 63. §. *tempus, ff. pro socio.* Unde sequitur, privilegium hoc non tribuere illis personis jus actionis, aut petitionis, sed tantùm exceptionem; non quia perimat obligationem, vel actionem, siquidem solidum semper debetur; quare privilegium hoc malè inter exceptiones referri docuit Vultejus *lib* 2. *de jud. cap.* 4. sed tantùm privilegium hoc moderari executionem rei judicatæ, ne in solidum fiat ultra quàm condemnatus facere potest, *l.* 3. *ff. de constit. pecunia, l. ex diverso* 17. §. *ult. ff. solut. matrim.* Unde sequitur, ut si maritus, vel similis persona paciscatur, ut in solidum condemnetur, pactum non sit servandum, quia si servaretur, damnaretur, & consequenter urgeretur invitus ad solidi præstationem, contra reverentiam illi debitam, esseteque talis renunciatio privilegii contra bonos mores, *dicta l. alia* 14. §. 1. Eademque ratione si patronus pacisceretur cum liberto, ut ab eo in jus sine venia vocari posset, inutile pactum esset; quia ex eo sequeretur, posse invitum patronum in jus sine venia vocari, contra reverentiam patrono debitam, quam ipse remittere non potest, *l.* 3. *C. de bonis libert.* Osualdus *lib.* 23. *Donelli, cap.* 2. *littera I.* Econtrario si maritus volens solidum solvat, aut patronus sine venia vocatus sponte in jus veniat, libertus non punitur, *dicta l. quamvis* 11 quia non renunciant privilegio, quod eis duntaxat competit, ne inviti cogantur: sed sumus extra casum, & terminos privilegii, ideoque nec ille, qui solidum solvit, repetit quasi indebitum, *a. l. si quis reum* 5. §. 1. *d. l. nam & maritus* 9. *ff. de condict. indeb.* præsertim cùm privilegium hoc tantùm tribuat personis privilegiatis jus retentionis, non autem repetitionis, ex regula legis *ex quibus* 51 *ff. de condict. indeb.* Sed etsi fateamur, renunciari aliquatenus privilegio, dum maritus volens solidum solvit, aut patronus sponte in jus venit, contra dicta *in l. alia* 14. §. 1. adhuc tamen ex eisdem principiis in promptu explicatio est; quia per pactum renunciatur expressè quod prohibetur, ex ratione jam tradita, ne inviti compellantur contra reverentiam, *dicta l.* 14. §. 1. *dicta l.* 3. *C. de bonis libert.* At dum sponte solidum solvitur, aut in jus venitur, vel nulla, vel si qua est renunciatio, tacitè fit; & ita inviti non coguntur. Est autem sæpe in jure taciti, & expressi diversum judicium, si adest diversa ratio, *l. nonnunquam* 52. *ff. de condit. & demonstr. l. si quis Sempronium* 68 *ff. de hæred. instit.* Barbosa *in dicta l. maritum, num.* 28. Idque mirè firmatur sequenti exemplo, quippe patronus gravamen impositum à liberto suæ legitimæ portioni, etsi promittat se solutuum, non cogitur, ne minuatur pars ex legibus debitæ verecundiæ, seu reverentiæ patronali, si ex tali promissione invitus præstare compellatur, *l. si patronus* 20. *ff. de donat.* Et tamen si idem sciens solvat fideicommissum, quo legitima onerata est, non repetit, *l. ita tamen* 27. §. 1. *l. patronus, ad Trebellianum, l. penult.* §. *si patronus. ff. de bonis libert* quia privilegium est, ne invitus compellatur, *l. cum patronus* 28 *ff. de legat.* 2. & ita volens præstare potest. Quâ etiam ratione & exemplo rectè placuit illum, cui privilegium competit, ne ultra conveniatur, quàm facere potest, quamvis ei remedium cessionis bonorum, nec utile plerunque sit, nec necessarium; posse tamen, si velit, cedere omnibus bonis; quia volens præstat solidum facto ipso dum cedit, nec invitus ut cedat, cogitur. Immò pœnitere potest si nondum cum effectu cesserit, *l.* 3. & 5. *ff. de cessione bonorum.* Prosequitur expositionem textus *in dicta l.* 5. §. *idem Julianus*, D. D. Franciscus Ramos *ubi suprà num.* 18

19. *Exponitur l. eum qui* 30. §. *si jurejur.*

Nec etiam favet auctoribus contrariæ sententiæ textus *in dicta l. eum qui* 30. §. *si mulier, ff. de jurejur.* cui duplex intellectus assignari valet. Primus est, quod si maritus in conventia esset idoneus integris decem solvendis, quæ in dotem acceperat, detulerit juramentum uxori, eaque juraverit decem dotis nomine sibi deberi, tenetur maritus integra decem præstare, absque hujus privilegii beneficio; quasi controversia illa, an esset maritus idoneus totis decem solvendis, decisa sit per jusjurandum, post quod amplius quæri non potest, nisi an juratum sit, *l.* 2. *l.* 5.

l. 5. §. dato, de jurejur. l. post rem 56. de re judic. neque delatione juramenti renunciat privilegio maritus, sed juramento declaratur ei non competere privilegium; quia idoneus est totis decem solvendis. Conducit singularis in re simili textus *in l. adoptivum 8. § patronus, vers. Aut si me deferente, ff. de in jus vocando, juncta l. 3. C. de bonis libert.* Diversum est si in controversia de datione dotis jurasset mulier decem se in dotem dedisse; tunc enim videretur juratum de facto dationis, non de jure exactionis, aut debiti; & ideò salvum esset marito privilegium etiam post juramentum, *d. l. eum qui 30. §. si mulier*; quam ita exponunt post antiquiores Faber *in ration. ibi*, Barbosa *in d. l. marium 12. num. 39.* Secundò accipi potest textus ille ut differentia ibi proposita non sit referenda ad terminos hujus privilegii, sed ad eum casum, in quo maritus propter impensas in dotem factas, de quibus *in l unica, §. taceat C. de rei uxor. action.* contendebat se totam dotem reddere non debere; in qua controversia si juramentum mulieri detulerit, eaque juraverit decem dotis sibi deberi, integra decem reddenda erunt, quasi decisâ per jusjurandum quæstione retentionis impensarum: sin autem juraverit, se decem in dotem dedisse, adhuc locus erit retentioni ob impensas, ut id dumtaxat præstetur, quod deductis impensis restitui oportet; quo modo ferè exaudit textum illum Cujacius *lib. 18. Pauli ad edict. in d l. eum qui 30. §. si mulier*: & expendi ad rem potest Javolenus *in l. Mævio 41. §. ult. ff. de legat. 2.* cui jungendus Cujacius *ibi*, & *lib. 26. observ. 13.* Govearnus *lib. 1. variar. cap. 13.* Barbosa *in rubric. solut. matrim. 3. p. num. 28.* Faber *lib 1. conject. cap. 3.*

20. *Respondetur aliis fundamentis.* Nec etiam facit pro contraria sententia textus *in d. l unic. §. cùm autem, C. de rei uxor. action.* quia respondendum est, verba illa, *nullo pacto adhibito*, referenda esse, non ad casum privilegii maritalis, quoad exactionem solidi, sed ad casum restiturionis dotis annua, bima, trima die, in actione rei uxoriæ, quia quoad hunc effectum pactio mariti de dote statim restituenda, est efficax, si fiat in continenti tempore soluti matrimonii, sive divortii, non si ex intervallo, *l. juris 7. §. quinimo, ff. de pactis.* Nec hac interpretatione admissâ violatur contextus dicti §. *cùm autem*, quasi scilicet mentio pactionis referri potiùs debeat ad privilegii præsentis casum, qui proximior, & immediatus procedit, quàm ad casum dilationis dotis restituendæ, qui remotior est; quippe præterquam quod novum non est in jure, aliisque libris, vocem quæ absurdè ad proxima referretur, referri ad remotiora, id facilius admittitur *in dicto §. cùm autem*; ubi unâ orationis contexturâ, & ferè periodo, innovat Justinianus utramque differentiam actionis rei uxoriæ, & ex stipulatu, tam circa solidi exactionem, quàm dilationem dotis solvendæ. Nec etiam obstant verba illa; *in hac parte, dicti §. cùm autem*; quia etjam relata, ut referenda sunt, ad utramque partem, seu differentiam propositam in initio dicti *§. cùm autem*, nimirum de exactione solidi, & dilationem dotis solvendæ; non tamen evincunt valere pactionem soluti matrimonii tempore adhibitam, ut maritus condemnetur ultra quàm facere potest; sed differre jus innovatum à Justiniano in hac parte, sive in duabus his differentiis, ab innovato in §§. præcedentibus, in quibus retinetur jus antiquum, sive natura actionis ex stipulatu pro dote, veluti in eo ut cesset edictum de alterutro, ut dos apud maritum non maneat mortuâ uxore, sed hæredibus ejus restituatur, ut retentiones ex dote non fiant, *dicta l. unic. §. Primum itaque 5. cum sequent.* At verò *in dicto §. cùm autem*, privilegium præsens, & dilatio dotis solvendæ, quæ propria fuerant actionis rei uxoriæ, comprobantur, & transferuntur ad actionem ex stipulatu. Nec obstat quod de milite, & nobili dicebamus; nam cùm illis non competat hoc privilegium ob reverentiam illis debitam, ut suprà retuli, ideò potest ab illis renunciari. Nec tandem facit pro contraria sententia textus *in d. l. si quis in conscribendo*, quia respondetur, in eo textu agi de peculiari privilegio sacerdotum Ecclesiæ Constantinopolitanæ, de quo *in authent. Sancimus. C. de Episcopis & clericis.* Et si credimus Baronio *tom. 7. anno Christi 528.* textus ille non est Justiniani, sed Epiphanii, seu Menæ, Præsulis Constantinop. Jure verò Pontificio non posse clericum renunciare privilegio, de quo in eo textu, jam probavi *in cap. si diligenti, de foro compet.*

Pro colophone hujus commentarii circa privilegium quod hucusque illustravimus, notandi sunt textus *in l. 4. §. sed & si mulier, ff. de dolo excep. l. si mulier 21. §. ultim. & l. 33 ff. solut. matrim. l. 21. §. ultim. ff. rer. amot. l 5. §. idem Julianus, de liber. legat. l. tutorem 37. §. 2. ff. de administr. tut. l si bona 40. ff. de oper. libert. l. quamvis 8. §. si mulier, ff. ad Vellejanum, l. ult. C. de his quæ in fraudem credit. l si prorata 27. ff. de religiosis, l. si quis crediderit 49. ff. de pactis, l. 1. §. sed si jam factum, ff. de collat. dot. l. si socius 81. ff. pro socio.* 21.

CAPUT ULTIMUM.

(a) Idem.

IS qui conqueritur indebitam pecuniam se solvisse, probare tenetur, quod indebitè sit soluta, nisi ejus adversarius solutionem inficians exinde convincatur; tunc enim diffitenti onus incumbit probandi quod debitum recepisset.

NOTÆ.

1. (a) IDem.] Gregorius IX. videlicet, qui textum hunc transcripsit *in l. cùm de indebito 25. ff. de probat.* cujus §. primam partem etiam retulit ipse Gregorius *in cap. si cautio, de fide instrum.* ubi jam notavi: textum autem *in dicta l. cùm de indebito*, non Pauli, ut præfert inscriptio, sed Triboniani esse, qui plura in ea ad usum fori supposuit, & accommodavit, docue-

runt Gisanius *in l. 1. C. de condict. indeb.* Ferretus & Cujacius *lib. 3. qq. Pauli*, in eodem textu, Faber *lib. 8. conject. cap. ultimo, in fine*, Cludius *ad titulum de condict. indeb. cap. 9. num. 31.*

COMMENTARIUM.

2. *Conclusio deducitur & probatur.*

EX præsenti textu, prout jacet hîc, vel *in dicta l. cùm de indebito*, sequens communiter deducitur assertio: *Conquerens se indebitum solvisse, id probare debet, nisi qui accepit, neget se accepisse, quia tunc illi incumbit onus probandi.* Probant ab specie textus *in dicta l. cùm de indebito 25. C. de probat.* Illustrant ultra congestos à Barbosa, & Garanna hîc, Cujacius *in præsenti*, & *in dicta l. cùm de indebito*, Gisanius *in dicta l 1. C. de condict. indeb.* Cludius *ad tit. de condict. indeb. cap. 9 num. 31.*

3. *Traditur ratio dubitandi.*

Sed pro dubitandi ratione ita insurgo in regulam, & ejus exceptionem in præsenti relatas: Si repetens indebitum hanc qualitatem teneatur probare, ad impossibile obligari videtur, contra regulam *nemo potest*, *in 6.* adstringitur enim ad probandam negativam, quod scilicet pecuniam, quam solvit, non debeat: constat autem negativam probationem impossibilem esse, *cap. super hoc, de renunc. cap. quoniam contra, de probat.* ubi latè illustravi: igitur qui indebitum repetit, non potest cogi ad probandum indebitum solvisse. Deinde contra exceptionem à Gregorio adductam ita argumentor: Convictus de mendacio, privatur jure aliàs sibi competente, *authentic. & si possessionem, C. qui potiores in pignore*; & beneficio, seu privilegio, si quod in causa illi competebat, *l si unus, §. final. ff. pro socio*, modò privatur ipsa possessione, *l. ult. ff. de rei vind.* immò si debitor neget pecuniam sibi numeratam fuisse, & convincatur, amplius non auditur, *l. 1. C. de furtis, cap. solicitudinem, de appel.* & meritò, quia allegans contraria non est audiendus, *l. non potest 44. ff. de reg. jur.* Igitur qui negavit se pecuniam accepisse, non potest postea in judicio experiri, dum probare intendit pecuniam debitam accepisse.

4. *De indebiti conditione.*

Adhuc tamen defendenda est Gregorii constitutio, pro cujus expositione sciendum est, debitum, seu indebitum quatuor modis dici posse. Primò indebitum esse potest utroque jure, civili & naturali, cujus exemplum adducit Glossa *in l. 1. ff. hoc titulo*, de eo, qui solvit quod promiserat sub conditione, quia ea pendente nulla orta est obligatio, ideoque repeti potest, *l. sub conditione 16. ff. de condict. indeb.* idemque procedit si sub die certo promissum sit, §. 1. *ejusdem legis*, ubi adversativam, *autem*, non opponi decisioni, sed rationi præcedenti, notavit Gentilis *de temporibus appel. cap. 12.* ad quem casum spectant textus *in l. quod si in diem 16. ff. de petit. hæredit. l. 56. §. finali, l. qui Romæ 122. §. Flavius, ff. de verb. oblig. l. 3. §. final. ff. si cui plus quam per legem, l. pater, §. penult. ff. de dote præleg.* nisi conditio omnino extitura sit, quia tunc nulla datur repetitio, *l. quod si 18. ff. de condict. indeb.* Menchaca *lib. 5. illustr. cap. 93.* Secundò potest esse indebitum naturaliter, debitum verò civiliter, ut in chirographo scripto spe futuræ numerationis; quo casu civilem tantùm obligationem, non naturalem dari, latè probant Donellus *lib. 14. comment. cap. 37.* Duarenus *ad titulum C. de non numerat. cap. 4.* Acosta *in l. si ex cautione, in principio, notab. 1.* Tertiò potest esse indebitum civiliter, sed debitum naturaliter, ut in pacto nudo, juxta ea quæ latè adduxi *in cap. 1 de pactis.* Quartò potest evenire, ut debitum sit utroque jure, sed indebitum ope exceptionis, ut in casibus Vellejani, Macedoniani, & similibus, ex quibus obligationibus duæ priores, naturalis videlicet & civilis, simul impediunt repetitionem. Eum enim effectum habet obligatio naturalis, *l. naturalis, ff. de oblig. & act. l. fidejussor, §. fidejussor, ff. de fidejuss. l. si quod dominus, ff. de condict. indeb.* Donellus *lib. 12. comment. cap. 2.* de obligatione civili, & naturali juncta, constat impedire repetitionem; nam qui ita debet, propriè debitor appellatur, *l. creditores 10 ff. de verb. signif.* Obligatio autem civilis nuda repetitionem non impedit, quia cùm is, qui tantùm obligatione civili tenetur, habeat exceptionem quâ liberetur, perinde habetur ac si obligatus non esset, ex *l. nihil interest, ff. de reg. jur.* ut etiam indebitum dicitur quando debitor tutus est exceptione perpetuâ, *l. qui exceptionem 40. ff. de condict. indeb.* Nec contrarium probat textus *in l. Julianus 60 ff. de condict indeb.* nam in eo agitur de vero debitore, ut docet Donellus *ubi proximè.*

§. *De solvente per errorem.*

Deinde sciendum est, solventem indebitum per errorem, dupliciter errare posse, vel in jure, vel in facto. Utriusque membri exempla adducit Consultus *in l. 1. ff. de juris & facti ignor.* & potest proponi in terminis legis *error, C. ad leg. Falcid.* veluti si quis non perpendens vires hæreditatis, omnia legata in solidum solvat legatariis, putans amplius esse in hæreditate, quàm postea apparuit; tunc in facto erratum dicitur. In jure autem ipse errabit, si nesciat beneficium legis Falcidiæ sibi competere. Et licèt repetitionem denegent illi, qui per errorem juris solvit, Cujacius *lib. 5. observ. cap. 39.* Duarenus *ad titulum de condict. indeb. cap. 3.* Donellus *lib. 1. comment. cap. 21.* Bronchorst, *centur. 2. assert. 36.* Perez *ad tit. C. de condict. indeb. num. 12.* Contrarium tamen rectiùs docuerunt Sichardus, Wesembech. & Tuldenus *ad eundem titulum*, Grotius *lib. 3. introduct. ad Jurisprud. cap. 30.* Bachovius *disput. 4. de action. thes. 17.* Vinius *lib. 1. select. cap. 47. per totum.* Requiritur ergo ut indebitum sit ratione ejus personæ, cui solvitur; nam qui debet certam quantitatem, quamvis respectu sui creditoris sit verus debitor, & ei solvendo debitum solvat, si tamen solvat alii, indebitum solvisse intelligitur, *l. in summa 65. §. ult. ff. de condict. indeb.* & è contra, quamvis alicui aliqua quantitas debeatur, si tamen is solvat qui non debebat, debitum solvit, *l. si pœna 19. §. quamvis, ff. de condict. indeb.* Nec contrarium probatur *in l. de hæreditate 5. C. de petit. hæredit.* vel illi qui falsò existimans se hæredem esse, solvit creditoribus hæreditariis, denegatur repetitio. Cui difficultati varias adducunt solutiones Barbosa *in l. divortio 8. 2. p. §. ult. numero 5 ff. solut matrim.* Charondas *lib. 2. verosimil. cap. 15.* Brissonius *lib. 2. de solut. tit. de delegat.* Madera *animadv. juris cap. 13.* Petrus Gregorius *lib. 22. syntagm. cap. 9.* M. Liclama *lib. 6. membran. eclog. 17.* Sed pro vera solutione ita distinguendum est. Aut is qui non debebat, solvit nomine veri debitoris, & hoc casu nulla conceditur repetitio, quia licet unicuique pro alio etiam invito solvere,

solvere, *l. solutione* 23. *l. solvere* 53. *ff. de solut. l. solvendo, ff. de negotiis gestis*; textus ita intelligendus *in d. l. de hereditate*, ubi hæres postquam conventus fuit, solvit creditoribus hæreditariis. Et quia tunc incertus erat de jure suo, solutionem fecit bona fide, id est, nomine hæreditatis, aut ejus qui per sententiam verus hæres pronunciaretur: & ideò denegatur repetitio. Quo modo etiam accipiendus est textus *in l. repetitio* 44. *ff. de condict. indeb.* aut solvit nomine suo, credens per errorem se debere; quo casu cùm debitor non sit, repetitionem habet, *dicta l. si pœne* 9. quo modo hæc jura conciliant Cujacius *lib.* 8. *observ. cap.* 9. Duarenus *ad tit. de condict. indeb. cap.* 7. Donellus *lib.* 14. *comment. cap.* 13. Gilkenius *ad tit. C. de condict. indeb. num.* 27.

6. *Varia juramenta.*

Tandem sciendum est, quod licèt scienter solvens indebitum donare videatur, ideoque non possit repetere, *l.* 1. *ff de condict. indeb. l. cujus* 53. *ff. de reg. jur. l. Campanus, ff. de oper. libert.* cùm tamen per errorem solvit quod indebitum est, utroque jure, vel saltem naturali, licèt civiliter debeatur, repetitio competit, *l.* 1. *l.* 6. *l. fideicommissum* 7. *C. de condict. indeb.* Duarenus *ad eundem titulum*, Balduinus *in Novella* 1. Marranus *inter opera Meril. cap.* 7. Serna *exercit.* 2 Hunnius *volum.* 1. *in Treutleri um disput.* 9. Donellus 14. *comment. cap.* 10. Si autem utroque jure, aut saltem naturaliter debeatur, non datur repetitio, quia cùm tantùm æquitate naturali hæc repetitio nitatur, *l. nam hoc natura, ff. de condict indeb.* ideò cùm naturalis ratio inducit obligationem, cessat repetitio. Similiter si civiliter, & naturaliter debeatur, sed debitor exceptione tutus sit, aut quia exceptio elidit actionem, aut quia modificat ipsam condemnationem, ut in textu antecedenti solutum per errorem repeti non potest, *l. idem, l. nam si* 17. *ff. de condict. indeb.* nisi exceptio perpetua sit, *l. qui exceptionem* 40. *ff. eodem tit.* Cujacius *in l.* 4 *C. de pact.* Prosequuntur hujus conditionis materiam Duarenus, & Andreas Cludius *ad titul. ff de condict. indeb.* Bartolus Kesius *interpret. cap.* 24. Larrea *decis* 85. Vitalis *lib.* 2. *variar. cap* 22. *&* 23. Pinellus *lib.* 2. *select. cap.* 15. Arias à Mesa *lib* 1. *variar. cap.* 47. *& lib.* 2. *variar. cap.* 31. Merillus *lib.* 3. *observ. cap.* 10. *& lib.* 1. *variant. ex Cujacio, cap* 20. Madera *animadvers. cap* 13. Heraldus *lib.* 2 *emend. cap.* 24. Gisanius *in l. cùm quis, C. de jur. & facti ignor.* Hunnius *ad Treutl. volum* 1. *disput.* 22. *q.* 19 Drekerus *lib.* 1. *dissert.* 2. Franzchiz *dissert.* 2. *num.* 21 & circa eam observandi sunt textus *in l. de quæ re, §. cùm absentem, ff. de judiciis, l. cùm in fundo, §. ultimo, ff. de jure dot. l.* 41. *ff. solut. matrim. l.* 4 *§. si quis pupillo, de doli except. l.* 8 *ff. de alim. legat. l.* 3. *§.* 1. *ff. de in rem verso, l. debitor* 59. *ff. ad Trebellianum,* juncto Fabro *lib.* 7. *conject. cap.* 17. *l. si testamento* 49. *§ quod si duo, ff de fidejuss. l. tutor* 26. *ff. de liber. legat. l.* 8. *§. si mulier, ff. ad Vellejanum, l.* 5. *§. idem Julianus. ff. de liber. legat. l. militis* 36. *§. miles, ff. de testam. milit. l.* 7. *§. ultimo, ff. de dote præleg. l.* 38. *§. de peculio, ff. de solut.* ubi Cujacius *tract.* 7. *ad Afric. l. ultima, vers. Sicut è contrario, ff. de negotiis gestis. l.* 30. *in princip l.* 24. *ff de action. empti, l.* 9 *ff. de constit. pecun. l. si ita stipulatus* 59. *ff. de solut. l. si vendidero* 80. *§. penult. ff. de furtis, l. inter* 26. *§. mandatu, ff. mandati,*

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars I.

l. sed addes 19. *§. si quis cùm in annum, ff locati, l.* 2 *§.* 1. *ff. de verb. oblig. l.* 5. *§ si quis rogatus, l.* 19. *ff. de donat. inter, l.* 18. *C. de usuris*, juncto Cujacio *ibi, & lib.* 8. *observ. cap.* 29. *l.* 69. *§. fratre, ff. de legat.* 2. *l.* 22. *§. si pignus, ff. mandati.*

Deinde, ut ad nostrum Gregorium accedamus, qui integram hanc constitutionem deprompsit *ex dicta l. cùm de indebito*, sciendum est, primum casum proponi à Paulo in eo textu, cùm reus indebiti condictione conventus inficiatur se pecuniam accepisse; actor autem contrarium probat. Nam tunc reus reddere debet pecuniam, nisi debitam fuisse probet; quia inficiationis, & mendacii pœna est, ut onus probandi reus suscipere cogatur. Exemplum extat *in l. ea quæ* 4. *C. de condict. indeb. §. ult. I Inst. de oblig. quæ ex quasi delict.* Secundum casum refert, si reus ab initio fateatur se pecuniam accepisse, neget autem eam fuisse indebitam; quo casu actori incumbit onus probandi indebitam à se per errorem solutam fuisse. Ratio hujus casus à Gregorio in præsenti duplex assignatur. Alia colligitur *ex d. l. cùm de indebito*, in illis verbis. *Quod enim solvitur*, &c. videlicet ex illa vulgari præsumptione, quod nullus creditur indebitum solvere, & negligenter se gerere in patrimonii sui administratione, *l. generaliter* 24 *§. si pecunia, ff. de fideicomm. libert. l. ult. in princip ff. de eo quod metus causâ*; quam latè illustrant Tiraquellus *in l. si unquam, verbo Donatione*, Gutierrez *de juram. confirm.* 1. *part. cap.* 27. *ex numero* 20. Mendoza *de pactis lib.* 1. *cap.* 4 *quæst.* 1. *num.* 48. Unde cùm reus, à quo is qui solvit, & pecuniam repetit, tanquam indebitè solutam, habeat intentionem suam fundatam in juris præsumptione, meritò ipsi repetenti incumbit onus probandi, juxta legem *Imperator* 77 *ff. de legat.* 1. junctis traditis à Covar. *lib.* 2. *variar. cap.* 6. *numero* 1 Alvarado *de conject. lib* 1. *cap.* 4. *num.* 8. Mantica *de conject. lib.* 1. *tit.* 2. *num.* 5. Altera verò ratio provenit ex eo, quia quemadmodum affirmativa, ita & quoties negativa fundamentum est intentionis actoris, vel etiam rei, ab eo qui eam allegat, probari debet, juxta legem 2 legem *eum qui, ff. de probat.* legem *actor, C. eodem tit.* atque ita cùm repetens indebitum fundet suam intentionem in qualitate indebiti, meritò eidem incumbit probatio. Tertius casus à Paulo refertur *in dicta l. cùm de indebito*, si pupillus, minor, mulier, rusticus, miles, vel alius simplicitate gaudens, vel desidiæ deditus (quibus verbis Paulum monachos, & clericos intellexisse, ac comprehendere voluisse notarunt Joannes Bertrandus *in vita ipsius Pauli*, Merillus *lib.* 2. *observ. cap.* 20. & jam retuli *in cap.* 1. *ne clerici, vel monachi*) actores sint. Hi namque si indebiti condictione agant, obtinent, nisi reus conventus debitum esse solutum probaverit, cùm hi plerunque forensium rerum ignari sint, illisque jus ignorare, & per errorem juris solutum repetere permissum sit, *l. penult. ff. de jur. & fact. ignor.* Nec novum est, ut perpendatur in judicio personarum qualitas, *l. Pomponius* 9 *ff. de negotiis gestis, l. nonnunquam* 72. *ff. de judic. l. jusjurandum* 34. *ff. de jurejur. § non semper*: Nec tantùm ex rebus, verùm ex personis colliguntur conjecturæ, cùm facilè credatur hujusmodi personas propter simplicitatem, & rerum imperitiam labi, & facilius indebitum solvere. Prosequuntur ipsius textus

7. *Exponitur præsens textus.*

interpretationem Cujacius, & Faber *ibi*, Andreas Cludius *ad titulum de condict. indeb. cap. 9. num.* 40

8. *Respondetur difficultatibus.* Nec obstant difficultates suprà pro dubitandi ratione adductæ. Non prima; nam licèt negativa non possit directè probari, quando mera est, vaga, & absoluta, juxta jura suprà adducta; si tamen stricta sit, seu coarctata, ita etiam per indirectum optimè probari potest, *l. optimam, C. de contrahend. stipul. cap. ex tenore, de testibus*: quod manifestè videre est in negativa, de qua agimus; si enim quis probet pecuniam chirographo contentam, mutuam non accepisse, aut eam jam solvisse, indebitam fuisse per consequens negavit. Nec obstat secunda difficultas; nam respondetur, quod in præsenti specie is, qui negavit numerationem, si convincatur, tenetur postea probare debitam fuisse pecuniam; nec tunc contraria allegat, sed diversa: unde si quis judicio conventus ob mutuum, neget pecuniam sibi creditam fuisse, convictus potest opponere pecuniam jam solvisse, ut latè probat D. Josephus de Retes *lib. 7. opuscul. cap. 3. per totum.*

TITULUS XXIV.

De donationibus.

CAPUT I.

(a) Gregorius *Asclepiodoto* (b) *Patricio Gallorum.*

PRudentes viros, sicut estis, Regibus adhærere, multorum solamen est. Nam tum præstantiorem sibi locum ad animæ utilitatem datum intelligunt, certum est, quia mercedis causas, ubi inveniunt, non postponunt. Quanto igitur affectu, quantaque devotione gloria se vestra in causis pauperum studio pietatis impenderit, dilectissimo filio nostro Candido Presbytero renunciante comperimus. Sed quoniam hanc sibi quodammodo nobilitas legem imponit, ut debere (c) se quod sponte tribuit, æstimet; & nisi in beneficiis suis creverit, nihil præstitisse se reputet: paterna dilectione salutantes, gloriæ vestræ suprascriptum Presbyterum, & patrimonium Ecclesiæ nostræ fiducialiter commendamus, ut ope gratiæ vestræ præmunitum, molestias, & onera nulla sustineat. Sic igitur boni studii in vobis cura proficiat, ut utilitates pauperum vobis annitentibus nutriantur, & sentiamus quod de charitate vestra præsumimus. Augete favoris vestri præsidia, quia apud nobilium mentes semiplenum bonum videtur, quod sine adjectione relinquitur. Et quoniam ab excellentissimis Regibus Francorum filiis nostris poposcimus, ut ipsum patrimoniolum sub sua cura habere dignentur, vobis adminiculantibus impleatur, us vestrum possit esse quod poscimus: quatenus & nos gratias referentes, pro gloriæ vestræ incolumitate orare enixiùs valeamus, & vestrorum bonorum vicissitudinem Deus vobis omnipotens, & hic, & in futuro recompenset. Clavim verò à sacratissimo beati Petri corpore, in qua de catenis ejus benedictio continetur, transmisimus, quæ collo vestro suspensa, contra omnia adversa vos muniat.

NOTÆ.

1. (a) *Gregorius.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* & verba hujus textus extant apud D. Gregorium *lib. 12. indict. 7. epist. 17.* ex quo regestro ita restituo litteram hujus textus. Antonius Augustinus *in notis ad 1. collect.* in præsenti ait, non magnam fore jacturam si hoc textu volumen hoc careret, præcipuè cùm non impropriè hæsitari possit, an legem contineat, cùm in eo aliquid non jubeatur, permittatur, seu prohibeatur, ex traditis ab Anguiano *lib. 1. de legibus, cap. 7.* Credo verò primum compilatorem tantùm quæsivisse in præsenti epistola sensum accommodatitium, & ita hæc verba compilasse sub titulo *de donat.* Cùm enim nobilitas nihil aliud sit, quàm divitiæ ex majoribus in successores derivatæ cum accessione virtutis, Aristotel. *lib. 1. Pol. cap 1.* ibi: *Genere nobiles esse videntur, quibus majorum est virtus, & divitiæ.* Juvenalis *satyr. 2.* ibi: *Clarus genere, atque opibus vir.* Livius *lib. 32. de Urbe*, ibi: *Busa mulier, genere clara, ac divitiis; conferunt enim plurimum divitiæ ad magnanimitatem, per quam virtutem maxima nobilitas commendatur*; ut ex Aristotel. docet D. Thomas 2. 2. *q. 124. art. ult.* illustrant Tiraquel. *de nobilit. cap. 3.* Eguinarius Varo *eod. tract. cap. 2.* Turturetus *lib. 2. cap. 6.* Valenzuela *consil. 166. num. 61.* & hi, qui abundant opibus à majoribus comparatis, atque traductis,

traductis, proniores, atque faciliores sint ad donandum, quàm ii, qui illas proprio labore compararunt: illi enim non metuunt inopiam, quam nunquam experti fuerunt; hi verò metuunt ex eadem causa, ut considerant Aristoteles *lib. 4. Ethicor. cap. 1.* D. Thom. *2. quæst. 117. artic. 4.* meritò ergo D. Gregorius in præsenti commendat nobilitatem ab exercitio liberalitatis; quod encomium frequentissimum est apud auctores bonæ notæ, quorum testimonia referunt Valenzuela *ubi supra, numero 43.* Solorzanus *emblem. 78.* Tiraquel. *de nobilit. cap. 37. ex num. 40.* ubi dicit hunc textum litteris aureis esse scribendum. Hermosilla *ad l. 1. titul. 4. partit 5. num. 8.*

2. (b) *Patricio.*) Patricius in præsenti non accipitur pro eo, qui tempore Imperatorum pro patre Cæsaris habebatur, *§. 4. quibus modis patria potest.* sed pro Patricio certi Regni, Galliæ videlicet, ut apud Ubarnefridum *lib. 3. de gestis Longobard. capite 2.* ibi: *Amalus Patricius provinciæ, quæ Guntrano Francorum Regi parebat.* Apud Constantinum Porphirog. *de administr. Imper. cap. 27.* ibi: *Neapolis antiquum Prætorium erat Patriciorum, qui mittebantur; & illam qui tenebat, idem in potestate Siciliam quoque habebat; cùmque Patricius Neapolim appellaret, Dux Neapoleos in Siciliam abibat.* Et statim ait: *Postquam Constantinopolim translata est Imperii sedes, omnia hæc in duos Principatus divisa sunt.* Ex eo tempore missi sunt ab Imperatore Constantinop. Patricii duo, quorum unus Siciliæ, Calabriæ, Neapoli, & Amalphæ præerat, alter verò Benevento, Capuæ, Papiæ, cum reliquis; & tributa quotannis fisco Imperatoris pendebant. Probat Gutherus *lib. 2. de officiis domus, cap. 19.* unde in præsenti Asclepiodoto Patricio Gallorum commendabat Gregorius patrimonium Ecclesiæ Romanæ, quod erat in Gallia, quia hi Patricii præcipuè ærarium tractabant. Idem Constantinus *dicto cap. 27.* ibi: *Temporibus Imperatricis Irenes missus Patricius Narses tenebat Beneventum, & Papiam; Romam autem Papa Zacharias. Accidit ut bella gererentur in partibus Papiæ, & Narses Patricius pecunias fisco ex pacto solvendas in milites erogaret.*

3. (c) *Debere se.*) Consonant Cassiodorus *lib. 1. variar. epistol. 12.* ibi: *Nec tamen benignitas nostra unâ remuneratione contenta honorem geminat, augmenta procurat, & eo studio dona reparat, quasi debeat omne quod præstat.* Et *libro 2. epistola 30.* ibi: *Quia beneficialem esse Principem licet, nec intra regulas constitui, potest munificentia regalis arctari. Ira levis coerceatur gravissimis institutis; impatiens ambitio jure frenetur; clementia non habet legem: nec debet sub angustis terminis benigna sequi, quem decet sine fine laudari.* Et *lib. 2. epistol. 2. Amamus nostra beneficia geminare, nec semel præstat largitas collata fastidium, magisque nos provocant ad frequens præmium qui initia nostræ gratiæ susciperе meruerunt.* Plinius Junior *lib. 1. epistol. 4. Beneficia subvertis antiquiora, nisi illa posterioribus cumules.* Seneca *lib. 2. de benefic. cap. 11. Parum est dedisse, fovenda sunt beneficia* Berengosus Abbas *lib. 3. de inventione sanctæ Crucis, cap. 2. tom. 2. Biblioth. veterum Patrum*, ubi extollens nobilitatem sanctæ Helenæ, ita ait: *Insuper prædiorum ejus copiæ Ecclesiæ Dii olim undique collatæ bene declarant quàm nobilissimâ polleret generis antiquitate.* Illustrant Iuretus *in notis ad Symmachum libro 9. epistol. 5.* Petrus Gregorius *in capite sedes, numero 3. de rescrpt.* Bobadilla *libro 1. polit. capite 4.* Mantica *tom. 2. de contract. libro 13. titul. 17.* Matienzo *in l. 1. titul. 10. libro 5. Recopil.* Silva *de salariis famil. quæstione 6. numero 29.* Pineda *de rebus Salomonis, pagina 362.* Solorzanus *tom. 2. libro 2. cap. 10. num 79.*

Ex fragmento hujus epistolæ à Raymundo in præsenti transcripto, varias repetentes deduxerunt assertiones: videndi sunt Garaña, & Benitez *in repetitione ad hunc textum.*

CAPUT II.

Alexander III. *Episcopo* (a) *Parisiensi.*

FRaternitatem tuam credimus non latere, quod cùm Episcopus, & quilibet Prælatus alius Ecclesiasticus ecclesiasticarum rerum sit procurator, non (b) dominus, conditionem Ecclesiæ meliorare potest; facere verò deteriorem non debet. Accepimus autem, quod bonæ memoriæ (c) P. prædecessor tuus graves donationes, & onerosas Ecclesiæ in rebus Episcopatus ad quorundam instantiam fecit, in detrimentum Ecclesiæ, Canonicis suis [d] Catholicis inconsultis. Unde quoniam donationes hujusmodi de jure non tenent, f. t. auctoritate Ap. indulgemus, ut donationes hujusmodi, tam à clericis, quàm laicis tibi liceat legitimè revocare.

NOTÆ.

1. (a) *Parisiensi.*) In prima collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* legitur *Papiensi* sed retinendum credo *Parisiensi*: nam ex illis verbis hujus textus, *bonæ memoriæ P. prædecessor tuus*, constat alloqui Alexandrum Prælatum, qui habuit prædecessorem hujus nominis *P.* fuitque orthodoxæ fidei, & pravæ vitæ; siquidem appellatur ab Alexandro vir bonæ memoriæ: & licèt in Ecclesia Papiensi temporibus Alexandri III. per annum 1178. floruisset Sanctus Lanfrancus, qui prædecessorem habuit Petrum Toscanum; tamen cùm ille, quia Victorem Antipapam sequebatur, ab Alexandro III. anathemate percussus esset, credi non potest eum appellasse virum bonæ memoriæ. Unde existimo Alexandrum III. hîc rescribere Mauricio de Soliaco Parisiensi Episcopo, qui rexit eam Ecclesiam temporibus Alexandri III. & prædecessorem audit eximium virum Petrum Lombardum, qui decessit anno 1164. ut refert Chenu *in serie Præsulum Parisiens.* Missa

est ergo præsens decisio Mauricio à Soliaco, qui ita dictus fuit, quia in eadem civitate natus fuerat. Adeò in studiis claruit, ut inter Theologos Parisiensis Academiæ primus haberetur: rexit Ecclesiam ipsam 35. annis, ut refert Chenu *ubi supra, num.* 70.

(b) *Non dominus.*) ut probavi *in cap. nulli* 5. *de rebus Eccles.*

2. (c) *P.*) Petrus Lombardus, inter Theologos sui temporis primus, vir summi judicii, tum singularis doctrinæ, & pietatis, qui ex selectis Orthodoxorum Patrum, ac præsertim Divi Augustini sententiis, in certum doctrinæ ordinem digestis, compendiosum Theologiæ opus contexuit, quod quatuor sententiarum libris complexum est, unde & ipse Magistri Sententiarum nomen adeptus est.

(d) *Catholicis.*) Hæc vox deest in sexta collectione, & forsan legebatur, *catholicis*, ut existimavit Antonius Augustinus *hic.*

CAPUT III.

1

(a) Idem.

CÆterùm si Abbatem tuæ diœcesis donationem cum Priore, & quibusdam de Conventu suo, vel solum [b] Abbatem facere contigerit, & pars Conventus postea reclamaverit, datæ rei quantitas, & illius terræ consuetudo, quæ tamen sacris canonibus non manifestè obviet, est diligentiùs attendenda, & secundùm hoc donum ratum, vel irritum judicandum. [c] Verum si alicui Ecclesiæ possessio quælibet interpositâ conditione donetur, non potest à donatore postea revocari, nisi fortè tali sit conditione collata, quod ea cessante possessio revocari debeat.

NOTÆ.

2. (a) *Idem.*) In prima collectione *sub hoc tit. cap.* 3. tantùm legitur *idem*, & in eadem collectione, *sub hoc titulo de consangnin. & affin.* ubi referuntur eadem verba, adjicitur pars capitis *meminimus*; unde cognoscitur in præsenti referri partem textus *in capite meminimus* 3. *qui clerici vel voven.* atque ita legendum esse, *Alexander III. Vvigornienſi Episcopo*, ut legitur in hac sexta collectione, post Concilium Lateran. *part.* 29. *cap* 3. De Ecclesia Vvigornienſi nonnulla notavi *in capite nosti, de elect.*

(b) *Abbatem*) Monasterii Evezanæ videlicet, quod olim unicum erat in diœcesi Vvigornienſi, ut refert Tamburinus *in serie Abbat. verbo Vvigornien.*

(c) *Verum.*) Verba quæ sequuntur extant *in capite* 3. *de conditionibus appositis*, ubi ea exponemus.

COMMENTARIUM.

2. Conclusio traditur & probatur.

COmmuniter ex hoc textu sequens deducitur assertio: *Prælatus Ecclesiæ non potest ejus res donare, nisi modicæ sint, & adsit consuetudo.* Probanteam textus *in cap. fine exceptione* 12. *quæst.* 2. *cap. nulli*, ibi: *Donationem, de rebus Ecclesiæ, cap. cùm Apostolica* 7. *cap tua* 8. *de his quæ fiunt à Prælat. c. cùm venerabilis* 6. *de except. extravag. Ambitiosæ, de rebus Eccles. l. jubemus* 14. *l. privilegia* 17. ubi Gothofredus, *C. de sacrof. Eccles. novel.* 7. *justin.* & 120. *cap.* 1. *l.* 4. & 5. *tit.* 14. *partit.* 1. Illustrant ultra congestos à Barbosa & Garaña *in præsenti*, Delbene *de immunit eccles. cap.* 17. *dubit.* 7. *per totam*: Auiles *in capitul. Prætor. capit.* 30. Glossa *verbo Gratias*, Caldas Pereyra *in l. fi. curatorem, verbo Sine curatore, num.* 120. *C. de in integrum rest it.* Garcia *de expens. cap.* 20. *numero* 9. Tambur. *de jure Abbat.* 1. *tom disput.* 15. *quæst.* 13. Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 8. *cap.* 15. *num.* 11. Escobar *de ratiocin. c.* 34. Petrus Gregorius *lib.* 3. *partit. tit.* 19. Monetа *de commut. cap.* 11. Mesa *lib.* 3. *var. cap.* 23 *cum sequentib.* Michaël Rousset. *lib.* 5. *histor. Pontif jurisdict. cap.* 1. Renatus Chopinus *lib.* 3. *de sacra pol. tit.* 6. Hurtado *tom.* 1. *de congrua sustent. lib.* 1. *resol.* 2. *per totam.* Quintanaduenas *Ecclesiast. lib.* 2. D. Josephus de Retes *de donationibus capite* 12. *numero* 1. *cum duobus sequentibus.*

3. Traditur dubitandi ratio.

Sed in hanc assertionem ita pro dubitandi ratione insurgo. Episcopis, & cæteris Prælatis summa Ecclesiæ suæ, rerumque ejus potestas concessa à jure est, *cap.* 1. *cap. sic quidam, cap. decretum cap. regenda* 10. *quæst.* 1. *cap. præcipimus* 12. *quæst.* 1. *cap. omnes basilicæ* 16. *quæst.* 7. *cap conquerente, de offic. Ordin. cap. ad hæc* 4. *de relig. domib.* Trident. *sess.* 14. *de reform. cap.* 9. &. *sess.* 21. *cap* 4 & 8. igitur ut dominus poterit res ipsius Ecclesiæ donare. Augetur hæc difficultas primò ex eo; nam Episcopus novam potest construere parochiam, vel monasterium in sua diœcesi, congruamque ei assignare dotem propria auctoritate ex fructibus Ecclesiæ matricis, *capitè si Episcopus* 73. *vers. Etiam, cap. bona rei* 74. 12. *quæstion.* 2. *capite ad audientiam, de Eccles. ædific. capite Apostolicæ, de his quæ fiunt à Prælat. Clement.* 2. *de rebus Eccles* Trident. *sess.* 21. *de reform. cap.* 4. Ergo potest res Ecclesiæ propriæ donare. Augetur secundò hæc difficultas, nam saltem donationes remuneratorias Prælatum facere posse, probatur *ex cap. quicunque* 66. 12. *quæst.* 2. *cap. final.* 16. *quæst.* 6 *cap. per tuas, hoc tit.* igitur indistinctè verum non est, Prælatum res Ecclesiæ donare non posse. Tandem ea pars præsentis assertionis, ubi docetur consuetudine introduci posse, ut donationes à Prælatis Ecclesiarum factæ valeant, difficilis redditur ex eo, nam consuetudo per quam Ecclesiæ gravamen infertur, non valet, *cap.* 1. & 2. ubi latè probavi, *de consuetudine, cap. cùm causa. de re judic.* Igitur nec consuetudine introduci potest, ut valeat donatio à Prælato facta, quæ aliàs inutilis esset.

4. Donationis ratio, & difficultas.

Quibus difficultatibus non obstantibus vera est præsens assertio, pro cujus expositione scien-

dum

dum est, dationem nomen, & originem sumere à doni donatione, *l. Senatus* 35. §. 1. *ff. de mort. caus. donat.* & dictam esse, quasi doni dationem, origine tractâ à Græco verbo δῶρον; antiqui enim Græci *Doron*, palmum vocabant: item *Dora*, munera, quia manu darentur. Plinius *libro* 35. *cap.* 14. Unde & antidora dicebant remunerationes; idest contrarias donationes, *l. sed & si lege* 25. §. *consuluit*, *ff. de petit. hæredit.* Plinius *lib.* 35. *cap.* 4. Illustrant Connanus *lib.* 5. *comment. cap.* 9. *num.* 2. Concius *lib.* 1. *disput. cap.* 12. Cabreros *de metu lib.* 2. *cap.* 3. Verùm hæc vocis potiùs alludo, quàm vera etymologia est; siquidem & donationes fiunt per stipulationem cessante traditione, *l.* 2. 17. 19. *& passim, ff. hoc tit.* vel per mancipationem, *l.* 7. *C. Theodos. hoc tit.* Vitruvius *lib.* 1. *cap.* 4. Cujacius *lib.* 10. *obs. cap.* 37. & *lib.* 20. *cap.* 2. Osualdus *lib.* 4. *Donel. cap.* 19. *littera B.* Circa diffinitionem donationis varias adduxerunt Doctores. Hostiensis *in præsenti*, Azo *in summa*, *de donat. num.* 1 ajunt: Donatio est rei licitæ nullo jure cogente mera liberalitate facta collatio. Quam diffinitionem amplectuntur Medicis, Antonius Gomez, Albornoz, & alii relati à Cabrebros *dict. cap.* 3. *num.* 22. sed mihi non placet. Tum quia pluribus verbis abundat; tum quia etiam mutuo, commodato & precario convenit; & ex eisdem rationibus non placent aliæ diffinitiones adductæ ab Vvesembechio *in paratit. ad titulum de donat.* Mendoza *lib.* 3. *de pactis*, *cap.* 3. *num.* 16. Pichardus *in rubrica instit. de donat. num.* 16. Cujacius, & Gisanius *ad tit. C. de donat. lib.* 1. *cap.* 5. Quibus omissis placet diffinitio, quam ex Aristotele *lib.* 4. *Ethicor. cap.* 2. tradit Angelicus Doctor *in* 4. *libro* 1. *disput.* 18. *quæst.* 1. *artic.* 2. ut sit *datio liberalis*, quæ deducitur *ex l.* 1. *ff. de donat. l. Senatus* 35. §. *donatio*, *l. Seia* 42. §. *final. ff. de donat. causâ mort.*

§. Donatio an sit contractus.

Difficilis quæstio est apud Doctores proximè laudatos. An donatio contractus sit? Et contractum non esse, suadetur ex eo, quia contractus petit pro forma consensum utriusque partis, *l.* 1. *ff. de pactis.* Nec aliter dari potest, quàm si conventio præcedat, *l. si & me & Titium* 32. *ff. de rebus credit.* Sed donatio perfecta manet sola voluntate donatoris, *l. si quis argentum* 35. §. *penult. C. hoc tit* §. *aliæ*, *Instit. eod.* Ergo donatio non est contractus. Idem etiam probatur *ex l. Aristo* 18. *in princip. ff. de donat.* ubi supponit Ulpianus, admisceri negotium donationi, ut in titulo Codicis *de donat. quæ sub modo*; & tunc synallagma dari, idest ultrò, citroque nasci obligationem, quam negat oriri casu, quo pura donatio est: igitur quando donatio est mera liberalitas, non habet rationem contractus. Fulcitur etiam eadem sententia *ex l. interdictum* 14. *ff. de precario*; ubi Consultus docet, ideo precarium non esse contractum, quia liberalitas est, & magis ad formam donationis, quàm ad formam contractus spectat. Quam sententiam defendunt Antonius Faber *de error. decad.* 45. *error.* 8. Duarenus *in l. juris* 7. *ff. de pactis* Cujacius *lib.* 4. *obs. cap.* 7. Covar *lib.* 1. *variar. cap.* 14. D. Hieronymus Oroz *libro* 2. *de apicib. juris. cap.* 11. *ex num.* 8. D. Joseph. de Retes *lib.* 2. *opuscul. sect.* 1. *cap.* 5. & *de donat. cap.* 2. *num* 9. qui sequentibus satisfaciat fundamentis, Mendoza qui contrarium docuit *lib.* 1. *de pactis cap.* 4. *num.* 24. Masius *lib.* 3. *singul. opin. cap.* 9.

Deinde sciendum est, nonnullis personis prohibitum esse donare, ex defectu dominii, & administrationis, veluti filiisfamilias in potestate constitutis, qui si peculium castrense, aut quasi castrense non habeant, donare non possunt, nec bona profectitia, *l. contra* 28. §. *si filius* 2. *ff. de pactis*, *l. hæc ratio* 3. §. *si servus* 8. *ff. de donat. inter*, *l.* 1. §. 1. *ff. quæres pignori*, *l. filius* 7. *ff. hoc tit. l. si quis uxori* 52. §. *si servus*, *ff. de furtis*; nec adventitia, quorum ususfructus patris est, quia eorum administratio filiis interdicitur, *l. ult.* §. *filiis*, *C. de bonis quæ lib.* donare tamen possunt bona castrensia, vel quasi; item adventitia, quorum ususfructus patri non quæritur, de quibus *in authent. Excipiuntur*, *C. eod. titul.* notavit Scipio Gentilis *lib.* 1. *de jure noviss. cap.* 13. item filius donare potest ex peculio profectitio ex necessaria, & solita causa, veluti si reperiatur Senator; quia censetur concessa à patre facultas donandi, si adempta non sit: item volente patre, tam inter vivos, quàm causâ mortis donare potest, cùm voluntas patris suppleat defectum bonorum, *l. tamius* 25. §. 1. *de donat. causa mortis*, Gentilis *dict. cap.* 27. D. Josephus de Retes *lib.* 1. *opuscul. cap.* 22. *num.* 8. ex eadem etiam ratione non licet tutoribus, vel curatoribus res pupillorum, vel minorum donare, *l. tutor* 22. *l. Lucius* 46. §. *ultim. ff. de administr. tut. l.* 1. *ff. tutel. & ration. l. non omnis*. *C. de administr. tut.* Osualdus *ad Donel. lib.* 3. *comment. cap.* 2. *littera C.* Idem dicendum est de administratione œconomis, & syndicis, decurionibus, & capitularibus communitatum commissa, *l.* 2. §. *jus* 8. *l. Decuriones* 5. *ff. de administr. rer. ad civitatem.* Idcircò Ambitiosa decreta, quæ captandæ popularitatis gratiâ ab ipsis emittuntur, rescindi jubentur, tanquam Reipublicæ damnosa, *l. Præses* 12. *C. de transact. l. ambitiosa* 4. *ff. de decretis ab ordin. faciend.* docent latè Tiraquel. *in l. si unquam*, *verbo Donatione*, *num.* 31. *C. de revoc.* Bobadilla *lib.* 3. *polit. cap.* 8. *num.* 81. Salaria autem ob operas impensas possunt decernere *l. unic. C. de præb. salar.* Circa minorem autem varii casus sunt distinguendi; vel enim curatorem habent, & donare non possunt, quia pupillis comparantur, *l. si curatorem* 3. *C. de in integr. restit.* Si autem curatorem habeant, donare possunt res mobiles, licèt si inconsultò donaverint, illi competat beneficium restitutionis, *l.* 2. *in fine*, *C. si adversus donat. l. si filius* 4. *C. de inoffic. donat. l. apud Celsum* 4. §. *si minor* 9. *ff. de doli except.* quem juxta hæc principia accipit Caldas Pereyra *in dict. l. si curatorem*, *verbo Contractum*, *num.* 19. Rea autem immobiles nec cum auctoritate curatoris donare potest, nec etiamsi veniam impetravit, quia similes res sine decreto judicis alienari nequeunt *l. ultim.* ita accipienda, *C. si major factus.* Quod procedit etsi propter nuptias donet res ipsas immobiles, *l. non solum* 4. *l. prædia* 8. *C. de præd. minor.* Res verò mobiles cum assensu curatoris donare potest, & si inconsultè donet, beneficium restitutionis competit, *l.* 1. *C. si adversus donat.* Donatio verò à minore nulliter facta convalescit ex tacita voluntate, si perseveraverit post impletos 25. annos decennium in eadem voluntate, *dict. l. ultim. C. si major factus*, Cujac. *lib.* 7. *observ. cap.* 5.

6. De personis quæ donare non possunt.

7. Traditur ratio dicti.

Unde jam apparet ratio præsentis assertionis; nam cùm Prælati, non domini, sed tantùm procuratores, seu administratores rerum Ecclesiæ sint;

sint, & administratores, & procuratores donare non possint, *l. ult. ff. de curat. furios.* nec illi donare valent. Accedit, quod donare perdere est, *l. filius 7. ff. hoc tit. l. 2. C. de consul. lib. 12.* Sed Prælatis administratio competit ad acquirendum, non ad perdendum, *dict. cap. nulli, de rebus Eccles.* Igitur nec donare valent, præcipuè cùm illis quibus alienatio prohibetur, donare prohibeatur. Nec contrarium probat textus *in l. final. C. prad. decur. sine decret. lib. 10.* ubi alienatione prohibita curialibus non censetur donatio interdicta, quia ibi solùm agitur de Curialibus, quibus non erat prohibita rerum suarum absoluta alienatio; sed unica tantùm species, videlicet venditio rerum immobilium, ut salva manerent hæc bona penes curiam, cui erant adscripti. Quæ prohibitio nec ex verbis legis ad donationes porrigitur, cùm aliud sit donare, aliud vendere; nec facile credebatur Curiales de suo erogaturos, ut de muliere dicitur *in l. 4. ff. ad Vellejanum*: docet Donellus *lib. 9. comment. cap. 10.* uno tamen, aut altero casu licebit Prælato sine solennitate donare, ut si donet rem modicam juxta consuetudinem provinciæ, argumento capitis *terrulas 12. quæst. 2.* Unde ex eadem ratione receptum est, ut valeant donationes factæ à tutoribus munerum solennium, *l. cùm plures 12. § cùm tutor, ff. de administr. tut.* hoc est munerum, quæ in singulis annis donari consueverant in die natali, de quibus *in l. tutor 13. ff. cod. tit. l. si vir uxori, ff. de donat. inter, l. 194. ff. de v. s.* Illustrant Revardus *lib. 3. conject. cap. 4.* Brissonius *lib. 4. select. cap. 3.* Fornerius *in dict. l. 194.* Pancirola *lib. 2. var. cap. 54.* Dorleans *ad Tacitum pag. 554.* Osualdus *lib. 3. Donel. cap. 12. littera G.* Larrea *decis. 25.* Amaya *ad titulum C. de oblat. votorum.* Unde exemplo tutorum posse Prælatos Ecclesiæ, vel Reipublicæ administratores modicas donare, consuetas donari, defendunt Escobar *de ratiocin. ubi suprà. num. 13. & 14.* Pinel. *in l. 1. 3. p. ex num. 56. C. de bonis matern.* tum virtute consuetudinis, tum etiam propter modicitatem rei donatæ. Quæ parvitatis æstimatio arbitrio judicis relinquitur. Escobar *dict. cap. 34. num. 25.* Menochius *lib. 1. de arbitr. casu 145. num. 4.* unde rectè in præsenti Alexander hujusmodi donationes à Prælatis factas approbavit.

8. *Dissolvitur difficultas.* Nec obstant difficultates suprà pro dubitandi ratione adductæ. Non prima, nam licèt plena administratio bonorum Ecclesiæ cujus Prælato comissa sit, non tamen dilapidatio, seu profusio permissa est, ut probavi *in cap. 1. de his quæ fiunt à Prælat. cap. nulli, de rebus Eccles.* sed donare, perdere est, *dict. l. filius 7.* unde permissâ administratione non censetur concessa donandi facultas. Nec obstat primum augmentum ipsius difficultatis, cujus solutionem dabimus *in comment. textus in cap. penult. hoc titul.* Nec obstat aliud difficultatis augmentum, pro cujus solutione examinandum venit, utrum absolutè donatio ita prohibeatur Prælatis Ecclesiæ, ut nec sub alterna, seu remuneratoria illis permittatur? Et eam donationem non prohiberi, suaderi videtur primò ex eo, quia donatio remuneratoria, non tam donatio est, quàm pretium, *l. si pater 34. §. 1. de donat.* & speciem præseferre videtur solutionis debiti, potiùs quàm liberalitatis, *l. Aquilius 27. ff. de donat.* cùm ille beneficium accipit, naturaliter ad remunerationem faciendam videatur obstrictus, *l. sed & si lege 25. §. consuluit, ff. de petit. hæredit.* hoc est affectu à natura insito, ut declarant Donellus *lib. 12. comment. cap. 2.* Schisordeg. *ad Fabrum lib. 3. tract. 21. quæst. 1.* D. Josephus de Retes *lib 2. opuscul. c. 26.* Hunnius *ad Trentl. volum. 1. disput. 22. quæst. 28.* Forner. *lib. 4. rer. quotid cap. 12.* ideoque eam donationem insinuatione non indigere, auctor est Cujacius *lib. 17. obs. cap. 33. & lib. 27. cap. ultim.* Arnulphus *epist. ad Laurentium Abbatem*, ait: *Quid benemerenti rependitur, illustrari donationis nomine non meretur.* Juxta quam sententiam accipi potest illud D. Pauli *ad Roman. cap. 4.* operanti merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundum debitam remunerationem. Unde plures effectus donationi remuneratoriæ tribuuntur, qui non solent simplici donationi competere, ut in casu dictæ legis *Aquilius, l. Lucius, dict. l. si pater 34. §. ultim. l. 10. §. ultim. l. 12. in princip. ff. mandati, l. 7. §. si vir uxori, ff. de donat. inter.* junctis traditis per Iasonem *in l. ex hoc, num. 52. ff. de just. & jur.* qui agnoscunt aliquando donare prohibitos remunerationis causâ, non obstante interdictione donare posse, ut contingit in liberto, cui in fraudem patroni prohibitum est donare, ne illius minuat legitimam portionem, *l. 1. §. 1. ff. si quid in fraud. patron.* Et tandem remunerationis causâ donare potest, *l. vivus, 9. l. libertus 12. ff. eod tit.* In tutoribus, quos ex causa remuneratoria, quando benemerita expostulant retributionem, nec remuneratio est supra meritum, donare posse tenuerunt Caldas Pereyra *in l. si curatorem, verbo Sine curatore, num. 114.* Diana *p. 8. tract. 6. resol 17.* Igitur idem dicendum est in Prælatis Ecclesiæ. Secundò quia hæc donatio remuneratoria sacris canonibus est approbata *in cap. quicunque 66. 12. quæst. 2. cap. final. 16. quæst. 6. cap. per tuas, hoc tit. cap. relatum, de testam. cap. ultim. in fine, de pecul. cleric.* quibus subnixi fundamentis, hanc sententiam tenuerunt Redoanus *de rebus Eccles. quæst. 51. numero 21.* Garcia *ubi suprà, num. 13.* Tiraquellus *in l. si unquam, verbo Donatione largitus, num. 27. C. de revocand. donat.*

9. *Contraria sententia amplectitur & fundatur.* Sed verior est contraria sententia, videlicet donationem etiam remuneratoriam Prælatis Ecclesiæ prohibitam esse; nec eam absque solennitate in aliis alienationibus desideratam illos facere posse. Eam tenet D. Josephus *de Retes de donation. cap. 12. num. 2.* & probatur ex sequentibus. Primò quia Prælatis Ecclesiæ absolutè prohibetur donare; unde cùm sit prohibitio generalis, omnem donationem sine distinctione debet comprehendere, argumento legis *de pretio, ff. de publicana*: quo argumento utitur Pinel. *in dict. l. 1. 3. part. numero 59. de bonis matern.* ut deneget patri facultatem donandi ex rebus peculii adventitii. Secundò quia licèt propter merita fiat donatio, non minùs diminuit de facultatibus Ecclesiæ, quàm simplex donatio, aut alia quælibet distractionis species. Cur ergo ad hanc donationem non est protrahenda præsens prohibitio? Tertiò quia obligatio antidoralis, quâ manet obstricta Ecclesia donum recipiens, ejus conditionis est, ut non faciat locupletiorem creditorem, *dict. l. sed & si lege, §. consuluit*; non enim ad aliquod certum munus dandum obstringit, quia ut præclarè inquit Seneca *lib. 1. de benefic. cap. 2.* nemo beneficia in Kalendario scribit, nec avarus exactor ad diem, &

& horam debitorem appellat. Immò ut ait idem Seneca *dict. lib. 1. cap. 1.* id genus hujus crediti est, ex quo tantùm recipiendum est, quantum ultrò offertur. Et ut rectè Donellus suprà, recipiens beneficium, non est debitor simpliciter, sed debitor beneficii, *l. si pignore 54. §. 1. ff. de furtis*: totum enim quod de auctoritate hujus obligationis Consultus profitetur *in dict. § consuluit*, ad honestatem pertinet, non tamen inducit necessitatem jure gentium; quia nec ita fuit conventum expressè, aut tacitè; immò beneficium esse desineret, & in creditum abiret, si ad remunerandum cogeret suscipientem, ut ait Seneca *lib. 3. de benef. cap. 7.* sed ex honesta, & morali obligatione, ut ait D. Thomas *2. 2. q. 106. artic. 5.* Duarenus *ad tit. de condict. indeb. cap. 6. & ad titul. de obligat. & act. cap. 2.* Petrus Faber *in l. cùm amplius 84. §. is natura, ff. de reg. jur.* Donellus *libro 12. comment. cap. 2.* Menochius *lib. 1. de præsumpt. quæst. 80. num. 20.* Hinc obligatio hæc, nec petitionis, nec retentionis effectus operatur, ut latiùs docet Donellus *supra*, ubi Osualdus *litera P.* præterquam in una specie legis *si non sortem 26 §. libertus, ff. de condict. indeb.* ad quam adde Donellum *dict. cap 2. & lib. 14. comment. cap. 11.* Fabrum *in ration. ad §. consuluit.* Cùm igitur quod ex causa remunerationis præstatur, voluntariè solvatur, voluntarias autem alienationes Ecclesiarum Prælati sine solennitate conficere non valeant, sequitur, non posse donare etiam ex causa remunerationis, nisi res modicas, quæ licèt remunerationis causa non subsit, ad generale interdictum donationum non spectant. Quartò quia etsi donatio remuneratoria à regulis donationum deficiat, ut communiter Doctores agnoscunt, at negari non potest, in ea genus quod dam permutationis celebrari, *arct. §. consuluit*: sed permutationes rerum Ecclesiæ sine solennitate sunt prohibitæ, *cap. 1. de his quæ fiunt à Prælat. junctis cap. nulli, & cap. sine exceptione 12. q. 2.* ergo & hæ donationes. Ut tamen aliquis effectus in hac re obligationis antidoralis tribuatur, addendum est, quia cùm causa, & solennitas ad justificationem alienationis rerum Ecclesiæ simul desiderentur, remuneratio per causam sufficiet, ob rationes suprà pensatas, ut accedente solennitate teneat distractio; in quam rem facit exemplum minorum, qui ut servos manumittant, à quibus beneficia susceperunt, pro remuneratione eorum decreto Prætoris indigent, licèt remuneratio pro causa sufficiat, *l. etiam 15. §. ex præterito, ff. de manumiss. vindict.* Et juxta hanc sententiam accipiendi sunt textus suprà pro contraria sententia adducti; dum enim textus *in dict. cap. quicunque 66. 12. quæst. 2.* docet Episcopos ad solutionem ejus, quod remunerationis causâ promiserunt teneri, accipiendus est accedente solennitate, quia remuneratio tantùm justam causam donationi præbet. Textus etiam *in d. cap. final. 16. q. 6.* tantùm docet, donationes remuneratorias à clericis factas non esse per successores revocandas, ut contingit in privatis donationibus legitimè factis, *dict. l. si pater 34. §. ultim.* Supponendum tamen est, ultra justam remunerationis causam solennitatem intercessisse; siquidem non de validitate donationis, sed de ejus revocatione quærebatur. Præterea textus *in dict. cap. per tuas, hoc tit.* continet donationem infeudationis factam Pontificis auctoritate, ut constat ex illis verbis, *de mandato Alexandri Papæ*; qui nulla etiam accedente solennitate poterit res Ecclesiæ in feudum dare, *cap. Ad audientiam, de præscript.* Nec textus *in dict. cap. relatum 12. de testamentis*, ad præsentem speciem pertinet; siquidem non loquitur de remuneratione hac remuneratoria bonorum mobilium, sed de consuetudine clericis permittente testamentum facere de bonis mobilibus intuitu Ecclesiæ acquisitis. Nec etiam obstat, quod de donatione remuneratoria à tutore facta dicebamus; nam potiùs verum est, tutores hujusmodi donationes facere non posse, immò de illis idem dicendum est, ac de prælatis Ecclesiæ, de quibus hucusque disseruimus. Nec assertoribus contrariæ sententiæ favet textus *in l. qui filium, ff. ubi pupillus educari*, qui non loquitur de remuneratoria donatione, nec eam tutori permittit sine decreto; sed procedit potiùs in mercede debita præceptoribus fratrum pupilli, quæ obligatio valde differt ab antidorali; siquidem hæc aliquid certum continet arbitrio judicis æstimandum; antidoralis verò ad aliquid certum, aut incertum præstandum. Nec obstat secunda difficultas suprà pro dubitandi ratione adducta; nam quamvis consuetudo disponens super rebus Ecclesiæ alienandis, vel non, vel quod Prælatus irrequisito Capitulo ea bona alienare valeat, vires non habeat, *cap. cùm causa, de re judic.* tamen disponens super omissione formæ, quæ Ecclesiæ præjudicialis non est, vires habet, *cap. audaum, de rebus Eccles. lib. 6.* Unde cùm consuetudo, de qua in præsenti, in eo versaretur, ut res modici valoris possint donari, ex qua donatione parvum præjudicium Ecclesiæ sequebatur, ideò talis consuetudo ab Alexandro III. defenditur.

10. *Exponitur cap. cum Apostolicæ 7. de his quæ fiunt à Prælat.*

Præsenti assertioni obstat difficilis textus *in cap. cum Apostolica 7. de his quæ fiunt a Prælat. sine consensu Capituli*; ubi cùm miles quidam decimas Ecclesiæ Sancti Stephani debitas possideret, easque certo monasterio traderet cum diœcesani Episcopi consensu, absque alia juris solennitate, consultus Innocentius de validitate talis donationis respondit, eam subsistere, generaliter statuens, sufficere in simili casu auctoritatem Episcopi absque ullo clericorum assensu, ut decimæ uni Ecclesiæ debitæ possint transferri in aliam. Quæ Innocentii sententia difficilis admodum est ex eo, quod si decimæ, quas laicus possidebat, ad Ecclesiam Sancti Stephani spectabant, & miles ille absque legitimo titulo eas detinebat, ut supponit ipse Innocentius; tum quia utitur verbo *detinet*, quod significat injustam occupationem; tum quia monendum esse priùs laicum inquit, ut decimas restituat Ecclesiæ, cui debentur; & tandem, quia frustra diœcesani Episcopi consensus necessarius esset, justo si titulo laicus decimas possideret; si inquam ita sit, necessario fatendum videtur, decimas illas Ecclesiæ, ad quam verè spectant, restituendas esse, nec posse Episcopum ei præjudicare consensum præstando, ut laicus injustus possessor eas transferat in monasterium, argumento textus *in l. id quod rerum, ff. de reg. jur.* quod non magis admittendum videtur, quàm ut ipse Episcopus decimas unius Ecclesiæ alteri donet, cùm actus non tribuatur facienti, sed ei, de cujus consensu celebratur, *l. item eorum, §. Decuriones, ff. quod cujusque univers. l. unum 67. §. 1. ff. de legat. 2.* Igitur quia Episcopus potest res unius Ecclesiæ alteri donare. Pro cujus textus expositione distinguen-

stinguendi sunt tres casus. Primus est cùm laicus intrusus, & sine justo titulo, ideſt concessione Apostolica, decimas possidet; & tunc nec accedente Episcopi consensu potest eas in aliam Ecclesiam transferre, sed Ecclesiæ propriæ necessariò sunt restituendæ. Secundus casus est cùm obtinet decimas ex infeudatione ab inferioribus Prælatis facta, antequam similis infeudatio improbata esset, quo casu auctoritate Episcopi possunt laici hujusmodi decimas in aliam Ecclesiam transferre *cap.* 2. §. *sanè*, *de decimis in* 6. Gilkenius *de præscript. cap.* 9. *à num.* 7. Rebuffus *de decimis quæst.* 10. *num.* 22. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 1. *d. decimis*, *cap.* 26. *num.* 3. Quod statutum fuit majoris mali vitandi causa; nam cùm Ecclesia improbaret hujusmodi infeudationes decimarum ab Episcopis in laicos factas, & laici renuissent decimas jam in feudum acceptas restituere propriæ Ecclesiæ, ut aliquo modo consuleretur Ecclesiæ patrimonio admissum fuit, ut si ipsi laici decimas, quas propriæ Ecclesiæ restituere renuebant, vellent monasterio, vel Ecclesiæ donare, cum consensu Episcopi diœcesani id facere possent, quod specialiter ratione imminentis scandali circa decimas jam infeudatas permissum fuit. Nec novum est, ut prohibitio mitiùs quoad præterita, quàm quoad futura versetur, *cap. ultimo*, *de sponsi. cap. provida* 44. *de elect. lib.* 6. *cap. final. de matrimonio contracto*, *cap. finali*, *de divortiis*, *l. patre*, *ff. de his qui sunt sui.* Tertius casus est, cùm laici justo, & legitimo titulo decimas possident, ideſt ex concessione Pontificis, seu præscriptione immemoriali, quæ supponit privilegium, *cap. super quibusdam*, §. *præterea*, *de v. s.* illi enim possunt in Ecclesiam, vel laicum eas transferre, ut docet latè Castillo *de tertiis cap.* 11. & nos dicemus *in cap. prohibemus*, *de decimis*. Unde apparet, *in dicto cap. cùm Apostolica*, speciali ratione, videlicet ut decimæ à laicis detentæ ad Ecclesiæ patrimonium redirent, permissum fuisse, ut ex consensu Episcopi possent laici decimas monasterio tradere.

Secundò obstat præsenti assertioni textus *in can.* 36. *Concil. Aurelian* 4. in illis verbis: *Si quis Episcopus alterius Ecclesiæ clerico de facultatibus suæ Ecclesiæ aliquid sub titulo quocunque donaverit, post ejus obitum qui acceperit, ad Ecclesiæ jus, de cujus facultate discesserat, revertatur, quia iniquum est ut sub hac specie damnum Ecclesia, qua multis subvenit, patiatur.* Ex quibus apertè constat, Episcopum res unius Ecclesiæ posse clerico alterius Ecclesiæ donare. Cui difficultati satisfaciendum est ex suprà traditis pro expositione textus *in capite final. 16. quæst.* 6. videlicet in eo textu supponendum esse, Episcopum ex justa causa, & cum Capituli consensu donationem illam in clericum contulisse; sed quia tantùm quærebatur, an hujusmodi donatio transiret in clerici successorem, ideò PP. non expressérunt solennitatem, & justam causam ipsius donationis, quas potiùs supposuerunt quàm negarunt. II. Expenditur concil. aurel. 4. can. 36.

CAPUT IV.

Idem *Abbati* (a) *S. Albani.*

COnsultationibus. *Et infrà*: [b] De cætero si aliquis clericus ab Ordinario judice in Ecclesia aliqua institutus fuerit, ad repræsentationem illius, qui ejusdem Ecclesiæ credebatur esse patronus, & postea juspatronatus alius evicerit in judicio, clericus, qui institutus est, non debet ab Ecclesia ipsa propter hoc removeri, si tempore præsentationis suæ ille, qui eum præsentavit, juspatronatus Ecclesiæ possidebat. Si verò non possidebat juspatronatus, sed tantùm credebatur esse patronatus, cùm non esset, nec possessionem patronatus haberet, secundùm consuetudinem Anglicanam poterit ab eadem Ecclesia removeri, (c] Donationis verò, vel concessiones Ecclesiarum, si quæ fiant privatis personis, viventibus illis, qui ipsas Ecclesias possident, nullius debent esse momenti; si religiosis fiant locis, ratæ debent haberi: ita quidem, quod personæ, quæ jamdictas Ecclesias possident, sine ipsarum assensu eis in vita sua non debeant spoliari.

NOTÆ.

1. (a) *Sancti Albani.*) Ita legitur in prima collectione, *sub titulo de jurepatronatus*, *c.* 23. ex qua compilatione restituo litteram hujus textus. Inscriptionem autem exposui *in c. consultationibus* 10. *de offic. deleg.* ubi extat alia pars hujus Decretalis. 2.

(b) *De cætero.*) Hæc verba exponemus *in cap. consultationibus*, *de jurepatronatus.*

(c) *Donationes verò, vel concessiones.*) Verba quæ sequuntur, compilavit Raymundus *in præsenti*, & jam exposui *in cap.* 1. *de concess. præb.* 3.

CAPUT V.

Innocent. III *Episcopo* (a) *Florentino.*

PEr tuas nobis litteras proponere curasti, quod cùm Florent. [b] nobiles, & potentes prompti ad servitium, & devoti tempore schismatis bon. mem. [c] I. Florent. Episcopum

copum in domo suo (d) tenuerint contra Imperatorem (e) suorumque fautorum insultus, idem Episcopus sedatâ schismatis tempestate de (f) mandato fel. rec. Alex. Papæ præd. n. quatuor modios terræ in feudum concessit eisdem ; & eo postmodùm viam universæ carnis ingresso, bon. mem. (g) B. successor ipsius, prout moris est, de (h) recto feudo præfatos nobiles (i) investivit. Verùm cùm ipsi assignatam terram sibi assignari fecissent, non nisi duos modios invenerunt: unde ab antecessore tuo, ut ipsis feudum integraret, cum instantia postularunt: qui licèt hoc aliquando se facturum promiserit, effectui tamen minimè mancipavit. Ipsi autem ut tu prætatum feudum ipsis adimpleas, assiduè postulant, & instanter: at tu aliquantulum dubitas, eo quod non sunt in possessione ipsius, ne de novo illud videaris conferre: & licèt tibi fidelitatem curaverint exhibere, & de quatuor modiis fuerint (k) investiti, antequam eorum petitioni duceres annuendum, Sed. duxisti Ap. consulendam. Nos igitur attendentes, quod Ecclesiam in actibus suis fraudem, vel dolum non decet aliquem adhibere: f. t. t. respondemus, quod feudum ipsum securè potes eisdem nobilibus integrare ; cùm terra illa quatuor modiorum ipsis fuerit assignata, & jamdictus Episcopus quatuor (l) promiserit se daturum.

NOTÆ.

(a) *Florentino*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc titul. capite* 2. Petro videlicet Præsuli Florentino, qui Ecclesiam ipsam rexit ex anno 1189. usque ad annum 1205. De Ecclesia Florentina nonnulla jam notavi *in c.* 31. *de elect.*

(b) *Nobiles Florentini.*] Casus ita contigit. Tempore schismatis, de quo egi *in capite* 5. *de elect.* cives Florentini divisi fuerunt, aliis faventibus Alexandro III. qui Guelfi vocabantur ; aliis Imperatori Friderico adhærentibus, qui Gibellini appellabantur. His temporibus Julius, qui ab anno 1178. Ecclesiam illam Florentinam rexerat, ab Imperatore dejectus fuit, & in ejus locum suffectus Zenobius potestate Imperatoris. Tunc quidam nobiles Florentini celaverunt ipsum Julium, quousque sedato schismate, expulsoque Zenobio, suæ Sedi restitutus fuit Julius, qui postea in ea floruit usque ad annum 1181. teste Ughellio *tom.* 2 *Italiæ sacræ, in Ecclesia Florentina, numero* 30. Ut autem nobilibus illis gratiam referret, auctoritate Alexandri III. feudi nomine illis donavit quatuor modios, idest quatuor actus quadratos cujusdam agri ; & cùm ipse Julius è vivis excessisset anno 1181. Bernardus ejus successor iterum de recto feudo investituram in eos fecit ; sed cùm gravis error in numero modiorum reperiretur, quia duo tantùm modii reverà in feudum dati reperiebantur, cùm quatuor fuissent promissi, prædicti nobiles à Petro Julii, & Bernardi successore petierunt, ut integrè de feudo quatuor modiorum illis investituram daret, præcipuè cùm pro ea terræ parte juramentum fidelitatis præstitissent. Petrus Florentinus Præsul, ne de novo feudum videretur concedere propria auctoritate, contra ea, quæ adduxi suprà *in capite* 2. *de feudis*, renuit feudum promissum integrare, & consuluit Innocentium III. qui in præsenti illi rescripsit, ut integrè usque ad quatuor modios prædictis nobilibus concederet, juxta promissionem prædecessoris sui Julii.

(c) *I.*] Julii videlicet, qui electus fuit anno 1171. & decessit anno 1181.

(d) *Tenuerint.*] Unde donatio, de qua in præsenti, renumeratoria fuit, sed adhuc indigebat Pontificis confirmatione, juxta adducta superiori commentario.

(e) *Imperatorem, suorumque fautorum.*] Fridericum videlicet, cui adhærebant Gibellini.

(f) *De mandato.*] Aliàs terram Ecclesiæ non posset ipse in feudum concedere, juxta adducta *in capite* 2. *de rebus Eccles. capite* 2. *de feudis.*

(g) *B.*] Bernardus videlicet creatus Episcopus Florentinus anno 1182. qui floruit usque ad annum 1189. teste Ughellio *ubi suprà, numero* 81.

(h) *De recto feudo.*] Ita legendum est, non *de certo feudo*, ut legitur in hac sexta collectione ; rectum enim feudum dicitur, cujus origo, seu causa certissima est, ut appellatur *libro* 2. *feudor. tit.* 4. & *lib.* 4. *tit.* 46. notavit Cujacius *in præsenti.*

(i) *Investivit.*] Investitura enim semel facta toties renovari debet, quoties vel patroni, vel vassalli persona mutatur, ut affirmatur *libro* 2. *feudor. titul.* 23. & 32. Illustrat Hothomanus *disputat de feudis, capite* 24. & ita mortuo Episcopo petenda erat nova investitura à successore, & illi fidelitas promittenda, sicut etiam olim liberti Ecclesiæ intra annum ordinationis novi Episcopi professionem repetere, & chartam manumissionis suæ edere debebant testationis causâ, *capite longinquitate* 12. *quæstion.* 2. Concil. Toletanum 6. *can.* 9. Cæsaraugust. 3. *can.* 4.

(k) *Investiti.*] Unde dicitur investitura jus tribuere, non possessionem, *capite visis* 16. *quæst.* 2. *capite pro illorum* 22. *de præbend.* & *lib.* 4 *feud. titul.* 15. notavit Cujacius *in dict. cap. pro illorum*, & in præsenti.

(l) *Promiserit se daturum.*] Licèt ex donatione, quæ à promissione incipit, jure antiquo actio non daretur, post Justinianum tamen actio, sicut ex alia deliberata promissione competit, ut docuerunt Connanus *libro* 5. *comment. capite* 9. *numero* 8. Donellus *libro* 15. *comment. capite* 22. & ibi Osualdus *littera D.* Barbosa *in l.* 1. 3. *part. numero* 2. & 3 *ff. solut. matrim.* Mendoza *libro* 3. *de pactis, capite* 9. *ex numero* 13. Julius Clarus §. *donatio, quæst* 34. Quænam tamen sit actio hæc, apud Doctores anxiè quæritur. Placet tamen eorum sententia, qui docuerunt, condictionem ex lege eo casu competere ; quoties enim nova aliqua obligatio

à lege introducitur, nec eâ cavetur quo genere actionis experiendum sit, agitur condictione ex lege, *l. unic. C. de condictione ex lege*, quod expresse docet Justinianus generaliter de quacunque donatione accipiendus *in novel. 162. cap. 1.* ubi notarunt Cujacius, & Accursius, Pichardus *in §. aliæ, numero 7.* Wesembechius *ad titul. de donat. num. 7.* unde obiter notatur, non semper obligationem præsupponere contractum, quia oriuntur obligationes ex multiplici capite, quarum enumerat plura Consultus *in l. obligamur 52. ff. de obl. & act.* & proprio quodam jure ex variis causarum figuris, *l. 1. ff. eodem.* Quare licèt donatio, quæ incipit à promissione, non sit contractus; tamen propter Justiniani constitutionem efficacem ad agendum producit condictionem ex lege. Et hæc est ratio, quare precarium; quod valde simile est donationi, *l. eum qui 12. §. is qui precario 2. de furtis*, nec est contractus certus, nec incertus, *l. interdictum 14. ff. de precario*, producat tamen actionem præscriptis verbis contra eum, qui rem accepit, *l. duo 19 §. cùm quid, eodem titul.* quia non valet consequentia: Nascitur actio præscriptis verbis: ergo præcessit contractus innominatus, cùm nascatur ex plurimis aliis causis, quas recensuit D. Josephus de Retes *lib. 2 opuscul. ferè per totum*, præcipuè *sect. 4.* Et cùm successor donatoris non possit revocare promissionem antecessoris, immò rem donatam teneatur tradere, *l. si quis argentum 35. §. 1. C. de donat.* ideo in præsenti specie successor Episcopi Florentini tenebatur adimplere promissionem factam à Julio suo prædecessore, præcipuè cùm facta fuisset de licentia Alexandri III. & intuitu dignitatis; quo casu ex facto prædecessoris successor in ipsa Ecclesia tenetur, juxta tradita *in cap. 1. de solut.*

CAPUT VI.

Idem (a) *R. Cedeburgensi, & G. Briburgensi Abbatibus, & Magistro I. Rectori Ecclesiæ de Bilchale.*

CUm dilecti filii Abbas, & Monachi de (b) Melros proposuerunt coram nobis, quod vir Alanus quasdam terras ab W. quondam patre ipsius eorum Ecclesiæ de Machelin in eleemosynam assignatas violenter redigere cupiens (c) in forestam, eos super his indebitè molestaret, vobis dedisse recolimus in mandatis, ut ipsum ab ipsorum super illis terris indebita molestatione desistere, per cens. eccl. ap. postp. cogeretis. Verùm cùm super ipsa causa mandatum Apostolicum impleretis, diligentiùs procedentes in causa, partibus in præsentia vestra constitutis, testes recepistis hinc inde, & super attestationibus illorum, & instrumentis diu disputationibus, ac disceptationibus habitis, in causa ipsa usque ad sententiæ calculum processistis, causam ipsam sufficienter instructam ad nostram audientiam remittentes. Ut autem per diligentiam vestram finis causæ imponatur eidem, instrumentorum tenorem, depositiones testium, allegationes etiam, prout ea receperamus sigillorum vestrorum munimine consignata, vobis sub sigillo nostro remittimus intercluſa, per A. v. s. m. præ. quat. auctoritate nostra suffulti, ad sententiam pro ipso monasterio proferendam, non obstante contrad vel ap. cujuslibet procedatis, contradictores per cens. ec. cogentes, & facientes quod judicaveritis auctoritate nostra firmiter observari, cùm ex tenore instrumenti evidenter appareat, quod hæc fuit mens, & intentio donatoris, ut (d) clausula de foresta, quæ in fine ponitur instrumenti, non ad superiorem donationem, quæ tam libera, & pura fuit, ut immunis esset à vexatione, & consuetudine sæculari; sed ad inferiorem concessionem, quæ pensionem, & determinationem habet insertam, juxta sanum referri debeat intellectum, quia in (e) contractibus plena, in (f) testamentis plenior, in (g) beneficiis quoque plenissima est interpretatio adhibenda.

NOTÆ.

1. (a) *IDem R.*] Ita legitur in tertia collectione, *sub hoc titul. cap. 3.* sed ita corrupta est inscriptio utriusque compilationis, ut cognosci facilè non possit, de quibus monasteriis, Scotiæ, an Germaniæ, in præsenti agatur. Casus autem in præsenti decisus ita contigit. Nobilis quidam monasterio de Mailros conscripto instrumento purè donaverat quasdam possessiones, & alias etiam possessiones eodem instrumento donavit sub hac conditione, modoque, ut monasterium filio suo quotannis præstaret pensionem certam, & cessante monasterio in solutione pensionis, filius eas pensiones revocaret, ut ex eis sylvam faceret: & cùm cessaret monasterium in præstatione pensionis, filius utramque donationem rescindere, & revocare nitebatur: sed decrevit Innocentius ipsam audiendum non esse, quia conditio illa, sive modus, non ad priorem donationem, quæ pura fuit, & absoluta; sed ad posteriorem referri debet.

(b) *Melros.*] Ita legitur in tertia collectione. Monasterium autem Melrosense est Ordinis Cistercienſis in Scotia, in diœcesi Glascuensi, quod dirutum omnino David Scotorum Rex pientissimus de novo erexit, & construxit. Loseus *in hist. Scotiæ*, ibi: *David Scotorum Rex quatuordecim*

decim monasteria fundavit, inter quæ Melrosense, & Kilosense, Cistercienſis utrumque Ordinis. Plura de eo congessit Manrique *tom. 2. annal. Cisterc. anno 1136. cap. 9.* Sed legendum est *Mailros*, quod Monasterium est in Anglia, cujus meminerunt Beda *libro 3. histor. capite 26. In Monasterio quod vocatur Mailros* D. Bernard. *in vita S. Malach. In Mailros Monasterio Ordinis nostri.*

(c) *Forestam.*] Foresta, Forestis, & Forestum, idem sonant, significantque saltum venationi, aucupioque paratum: ejus mentio sæpiùs fit in legibus Longob. *lib. 1. tit. 21. l. 7. lib. 3. tit. 35. l. 4. in pragmat Childeberti*, ibi: *Has omnes piscationes, quæ sunt, & fieri possunt in utraque parte fluminis, sicut nos tenemus, & nostra forestis est, tradidimus ad ipsum locum.* Apud Dithmarum Episcopum *lib. 3. pag. 27.* ibi: *De moneta, & foresto inter Saldam, & Milam fluvios.* Hinc Forestagium pro jure foresti, *in constitut. Neapolit.* & Forestarii, præsides foresti, *in iisdem constitut. lib. 1. titul. 76. & lib. 3. tit. 38.* exposuerunt Vossius *de vitiis sermonum lib. 2. cap. 7.* Lindembrog. *verbo Foresta.*

(d *Clausulam*] Perfectâ enim donatione, non licet donatori conditionem adjicere, *l. perfecta 4. C. de donat. quæ sub modo.* Faber *de error. decad. 48. error. 5.* quod mirè probatur ex hoc textu, siquidem in ejus specie conditio adjecta in ultima donatione in contrahenti, non refertur ad primam jam perfectam, ut notarunt Faber *ubi supra*, Covar. *lib. 1. var. cap. 14 in princip.*

(e) *In contractibus plena.*] In donatione tamen, cùm sit contractus stricti juris, stricta etiam sit interpretatio, *l cùm de modo 11. l. cùm qui 22. ff. de donat.* dicemus in textu sequenti.

(f) *Testamentis.*] *L. in testamentis, ff. de reg. jur* ubi plura Petrus Faber, & Gothofredus, Garanna *hic*, Bronchorst. *centuria 1. assertione 54. & centuria 4. assert. 96.*

(g) *Beneficiis.*] Principis videlicet, *l. 3. ff. de constit. Princip. l. quod vero, ff. de legibus, l. si quando, C. de inoffic. capite quia circa, de privil. cap. olim, 16. de v. s.* Illustrat Barbosa *axiomat. 36. num. 1.*

COMMENTARIUM.

EX hoc textu communiter deducitur, in donationibus plenissimam fieri interpretationem; quam sententiam latè disputat Garanna *in præsenti.* Sed si absolutè hæc assertio concipiatur, falsa est. Primò quia cùm donatio sit stricti juris, strictè potiùs est interpretanda, *l. eum qui 22. ff. hoc titul. novel. Theodosii de Theodosiani Codicis auctoritate, vers. Cum liquidò pateat.* Secundò, quia aliquid donatum in dubio non præsumitur, *l. cùm de indebito, ff. de probat. l. Campanus, ff. de operis libert. l. si cùm aurum ff. de solut.* Alciatus *regul. 1. præsumpt. 31.* Caldas *in l. si Curatorem, verbo Lasius, numero 148. in fine, & §. 6. num. 8. & §. 8. num. 9.* Tiraq. *in l. si unquam, verbo Donatione largitus, num. 269 C. de revoc.* Et meritò, nam cùm donatio sit liberalitas, & ita virtus moralis, juxta Aristotelem *libro 4. Ethicorum, capite 1.* D. Thomam 2. 2. *quæst. 117. articul. 1. cum sequent.* ut constat *ex capite cùm Marthæ, de celebrat Missar.* ex vero judicio necessariò provenire debet; & cùm nihil tam contrarium sit consensui, quàm error, *l. cujus per errorem 53. l. nihil 116. ff. de reg. jur. l. 1. ff. de condict. indeb.* ideo in dubio donatio non præsumitur. Accedit, quod donare perdere est, *l. filius 7. ff. de donat.* Tertul. *lib. de patient.* ibi: *Non piget donare ei, qui non timet perdere.* Facit illud Martialis *lib. 1. epigr. 76* ibi:

Dimidium donare Lino, quàm credere totum.
Qui mavult, mavult perdere dimidium.

Sed nemo præsumitur suum jactare, *dict. l. cùm de indebito*: ergo non præsumitur donatio, ubi alius animus applicari potest actui, ut in specie textus *in l. eleganter 24 §. qui reprobos, ff. de pignorat. action. l. cùm aurum 50 ff. de solut.* Quare omissis variis sententiis traditis à Garanna, & Canisio in præsenti, Innocentius in hoc textu exaudiendus est juxta præsentem casum, cùm videlicet donatur piæ causæ, aut religioso loco; quia tunc beneficium hominis plenissimè interpretandum est, *l. sunt personæ 43. ff. de relig. l. sancimus, penult. C. de sacros. Eccles.* quæ est ratio textus *in l. Titia 38. §. Seja, ff. de auro & argento*, juxta litteram Florentinam, ibi: *Aut aurea, aut argentea.* Quam receptiorem dicunt Covar. *in c. indicante, num. 4. de testam.* Barbosa etiam *ibi, numero 12.* licèt contrarium defendant Cagnol. *in eo textu*, Tiraquellus *de privileg. piæ causæ. privil. 15.* Sarmiento *libro 3. select. capite 3.* Nec tunc obstat textus *in capite ex parte, de censibus*, ubi circa votum factum in his Regnis solvendi D. Jacobo certam tritici mensuram, declaratur minorem mensuram esse solvendam, argumento textus *in l. nummis 75. ff. de legat. 3. l. apud Julianum 39. §. Sejo, ff. de legat 1. l. qui balneum. ff. qui potiores.* Nam omissâ interpretatione Sarmienti, & Tiraquelli *ubi suprà*, respondendum est, textum *in dict. capite ex parte*, accipiendum esse juxta benignam interpretationem Innocentii III. quam ideo ipse admisit, ne viderentur personæ ecclesiasticæ inhiaralucris temporalibus, tanquam exactores proprii lucri, ut ibi latiùs dicemus,

CAPUT VII.

Idem *Episcopo* (a) *Helienſi.*

PAstoralis officii diligentia. *Et infrà*: Tua nos insuper duxit discretio consulendos, si Episcopus, consentiente patrono, viris religiosis aliquam Ecclesiam concedendo, hac utatur simplicitate verborum: *Concedimus vobis illam Ecclesiam*; utrum eo ipso videatur Ecclesia illa in eorum usus fuisse concessa, vel jus tantummodò patrona-

patronatus. Nos autem inquisitioni tuæ taliter duximus respondendum, quod si Episcopus Ecclesiam illis conferat de consensu patroni, profectò patronus quod suum est, conferre videtur, jus videlicet patronatus; & Episcopus confert illud, quod ipse obtinet temporaliter in eadem; ut si fructuum ejusdem Ecclesiæ aliquam percipiat portionem, in eorum usus illa portio convertatur. Quod si ex ipsius proventibus nullam debet Episcopus portionem habere, omnes proventus, præter (b) cathedraticum in eorum usus credimus convertendos; sed ut Episcopi donatio sit legitima, consensus est sui (c) Capituli requirendus.

NOTÆ.

1. (a) *Elienſi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 4 & *in cap. paſtoralis, de reſcript.* ubi alias partes ejusdem Decretalis congessi, ex quibus restituenda est integra decretalis, ubi jam notavi.

(b) *Cathedraticum.*] Quid sit Cathedraticum, & quo jure debeatur, exposui *in cap. conquerente, de offic. Ordin.*

(c) *Sui Capituli.*] *Cap. cùm nos, cap. tua, de his fiunt à Prælatis*, ubi probavi, & illustrant Tamburinus *de jure Abbat. tom.* 1. *disput.* 15 *quæst.* 13. Moneta *de commut. ultimar. vol. cap.* 11. *quæst.* 4.

COMMENTARIUM.

2. NOn sicut legatum, quod est donatio rei alienæ à testatore relictum, consistit, saltem in æstimatione, §. *non solum, Instit. de legat.* ita & donatio; nam in donatione tantùm creditur donatum jus illud, quod donator in ipsa re habet; & si nullum jus habeat, nihil actum censetur, nisi ut præstetur indemnitas donatario pro expensis, quas fecit, vel pro damnis, quæ ex re donata, & evicta sustinuit, *l. Aristo*, 18. § *ultim. ff. hoc titul.* Differentiæ ratio in eo consistit, quia voluntas seipsum obligandi, & gravandi nunquam in oratore præsumitur, argumento textus *in l. unum* 67. § *si quis promittat*, *ff. de legat.* 2. secus verò procedit in testatore, qui damnat hæredem, ut rem redimat, & legatario præstet, vel ejus æstimationem solvat. Unde in præsenti textu consultus fuit Innocentius III. in ea specie, quid videatur donasse Episcopus, qui Ecclesiam aliquam sibi subjectam quibusdam Religiosis donavit, his verbis: *Concedimus vobis Ecclesiam illam*; cùm concedendi verbo donatio plena, & directa comprehendatur, *l. donari videtur. l. ultim. ff. de donat.* Et respondet Innocentius, Episcopum ita donantem cum consensu patroni, donasse videri jus patronatus, & portionem fructuum, si quam ex ea Ecclesia percipere solebat; non autem donasse videri cathedraticum, quia Episcopus, quantuncunque generaliter Ecclesiam à sua jurisdictione eximat, nihilominus semper remanent penes eum certa jura Episcopalia, veluti correctio, *capite visis* 16. *quæst.* 2. visitatio, & ejus ratione procuratio, *dict. capite cùm venerabilis, de censib.* ubi Panormit. *num.* 3. jus reverentiale, quod sibi ab inferioribus Ecclesiis debetur, Kochier *de jurisdict. in exempt. quæst.* 3. *num.* 4. deinde charitativum subsidium, *cap. cum Apostolus, de censibus.* Item institutio auctorizabilis, ex traditis *in cap. cùm satis, de offic. Archid.* tandem omnia ea, quæ sunt ordinis Episcopalis, à quibus eximere subditos suos Episcopus non valet. Tamburinus *de jure Abbat. tom* 1 *disputat.* 15. *quæsit.* 13. *num.* 4. nisi Pontificis auctoritate id faciat, vel talis concessio per Pontificem confirmetur, *capite constitutus, de relig. domibus*: docet Moneta *dict. capite* 11. *quæst.* 4.

CAPUT VIII.

Idem (a) *Florent.* (b) *& Fesulan. Episcopis, & Archipresbytero (c) Pistorien.*

INter dil. fil. Hospitalarios sancti (d) Sepulchri de Pisis Hospitalis Hierosolymitani, ex una parte; ac Fratres Hospitalis sancti Allucii Lucanæ diœc. ex altera, per eodem Hospitali sancti Allucii (e) quæstione subortâ, cùm iidem Hospitalarii super possessorio, quod semel, & iterum, ex causis tamen dissimilibus intentarunt, contrariam reportassent sententiam, deinde ad petitorium recurrentes, per procuratorem suum coram dil. f. H. Subd. & Capellano nostro, quem sibi, & procuratori partis alterius auditorem concessimus, proponere curaverunt, quod cùm B. quondam Rector, & Fratres, ac patroni ejusdem Hospitalis sancti Allucii, habito communi tractatu deliberassent Hospitale ipsum Hospitalariis supponere supradictis, compromiserunt in hoc tribus procuratoribus vices suas, communiter statuentes, ut quod per ipsos super hoc fieret, acceptarent: qui postmodùm ad prædictos Hospitalarios accedentes, cum eisdem taliter statuerunt, ut ad ipsum Hospitale aliqui mitterentur, qui eorum nomine reciperent assignationem ipsius. Cùm autem fratres M. & B. illuc propter hoc transmississent, in camera prædicti Rectoris donationem, & assignationem Hospitalis prædicti, tam à præfato Magisto, quàm supradictis procuratoribus, & aliis ejusdem domus Fratribus rece-

receperunt. *Et infrà*: Procurator autem partis alterius ex adverso respondit, quod prædicta donatio debeat non immeritò retractari, quoniam multis ex Fratribus inconsultis, à prædicto Rectore, ac paucioribus Fratribus, excommunicatis nihilominus ac perjuris, de re litigiosa, & in fraudem Plebani de Piscia, qui super eodem Hospitali moverat quæstionem, fuerat celebrata; & hæc omnia proponebat sufficienter esse probata per depositiones testium productorum. Ad hæc verò parte alterâ multipliciter respondente, hinc inde fuit aliquandiu disputatum. Nos igitur his, & aliis intellectis, quæ coram Capellano prædicto partes proponere curaverunt, & ipsarum attestationibus diligenter inspectis, attendentes, quod Fratres, & patroni sancti Allucii pro se, immò potiùs contra se suam (f) turpitudinem allegabant, videlicet perjurium, excommunicationem, & fraudem, non utique contra ipsos, sed ab ipsis commissam: & intelligentes donationem ab eis præfatis Hospitalariis factam, puram, ac simplicem extitisse: quia non deceptoribus, sed deceptis jura subveniunt, unde per ea, quæ superiùs sunt proposita, se contra factum proprium legitimè defendere non valebant, cùm & quædam ex ipsis non fuerint comprobata: de consilio f. n. Hospitale prædictum sancti Allucii cum pertinentiis Hospitalariis sancti Sepulchri adjudicare curavimus, ita quod per hanc nostræ diffinitionis sententiam diœcesano Episcopo, & Plebano de Piscia nullum præjudicium generetur, cùm res inter alios acta non debeat aliis præjudicium generare.

NOTÆ.

1. (a) *Florentino.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc titulo cap. 5.* Joanni videlicet, qui cùm Prioris Canonicor. Regul. Sancti Fridiani munere fungeretur, electus fuit in Archiepiscopum Florentinum anno 1205. & postquàm Ecclesiam rexit per annos 25. decessit anno 1230. Fuit in tuendis Episcopatus juribus valde diligens, siquidem plura recuperavit, quæ Florentino Episcopatui ex negligentia suorum prædecessorum decesserant, ut refert Ughel. *tom. 3. Italiæ, in Ecclesia Florentina, numero* 33. De ipsa Ecclesia nonnulla notavi *in capite* 31. *de elect.*

2. (b) *Fesulan.*] Fesulana civitas perantiqua est provinciæ Hetruriæ: ejus meminerunt Silius *lib.* 8.

Et sacri interpres Flaminis Fesula.

Livius, Cicero, Plinius & alii congesti ab Ughellio *tom. 2. Italiæ, fol.* 270. Habet Ecclesiam Cathedralem Divo Romulo dicatam, cujus Præsuli Raynerio, qui electus fuit anno 1193. & decessit anno 1218. missa est præsens decisio.

(c) *Pistorienſi.*] Sofrido videlicet, de quo, & ipsa diœcesi Pistorienſi, nonnulla notavi *in c. 9. de cohabit. cleric.*

(d) *Sancti Sepulchri.*] Qui sub regula sancti
3. Augustini cum suo Magistro vitam degebant, donec ab Innocentio VIII. Ordo hic sancti Sepulchri Militiæ S. Joannis adunatus fuit, & ita penè interiit, ut est apud Volaterranum *lib.* 21. *Antropolog.* Chopinum *lib. 5. sacr. pol. tit. 5. numero* 5. De Fratribus sancti Allucii egi *in c. 9. de arbitris.*

4. (e) *Quæstione subortâ.*] De possessione Hospitalis S. Allucii disserebant Hospitalarii sancti Sepulchri Pisis consistentes; & cùm egissent semel interdicto *quorum bonorum*, & iterum interdicto *uti possidetis*, & neutro judicio obtinuissent, postea egerunt ex causis dissimilibus petitorio judicio adversus Rectorem, & Fratres, ac Patronos ipsius Hospitalis, & obtinuerunt: quia plerunque qui succubuit in possessione, obtinet in proprietate, ut probavi *in capite 3. de causa possess.* obtinueruntque, quia plenè probatum fuit, ipsos Rectorem & Fratres donasse prædictum Hospitale: nec habita fuit ratio eorum, quæ allegabant Fratres donationis ipsius infirmandæ causâ, asserentes se excommunicatos fuisse tempore, quo donationem illam fecerunt, eamque dolo malo fecisse in præjudicium Plebani, cujus mentio fit *in dict. cap. 9. de arbitris*; quia non audiuntur illi, qui quod ritè fecerunt, mutare, & rescindere intendunt, *l. post mortem, de adoptionibus*: quare rectè Innocentius III. Hospitale illud adjudicavit Hospitalariis sancti Sepulchri, salvo jure prædicti Plebani, atque etiam Episcopi diœcesani, ex vulgari regula, *Res inter alios acta aliis nec nocet, nec prodest*; quam illustravi *in cap. penult. de re judic.*

5. (f) *Turpitudinem.*] Unde audiendi non erant, *dict. l. post mortem, l. si servus plurium*, §. 1. *ff. de legat. 1. l. servo, C. de servo pignor. dat. manumiss. l. 4. C. de revoc. donat. l. 3. C. de transact. cap.* 8. *de concess. præb.*

CAPUT IX.

Idem *Episcopo* (a) *S. Andreæ.*

APostolicæ Sedis oraculo. *Et infrà*: Cùm plerunque contingat, quod Episcopi successivè locis religiosis de redditibus, qui pertinent ad eosdem, ultra quinquagesimam conferant portionem, ita quod interdum usque ad tertiam partem, vel quartam; interdum verò plus, minusve hujusmodi reddit̃us minuantur: tua fraternitas

nosconsuluit, utrum successoribus eorundem ea quæ taliter fuerint ultra quinquagesimam portionem concessa, liceat aliquatenus revocare. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod licèt sit in (b) canone diffinitum, ut si quis Episcoporum in parochia sua monasterium fortè construere voluerit, & de rebus Ecclesiæ, cui præsidet ipse ditare, non amplius ibidem, quàm quinquagesimam; Ecclesiæ verò, quam monasticis regulis informare, vel pro suis magnificare voluerit sepulturis, non amplius quàm centesimam partem census Ecclesiæ, cui præest, debeat elargiri. Quia tamen in eodem canone consequenter adjungitur, ut hæc temperamenti æquitas observetur, quod cui tribuit, competens subsidium conferat; & cui tollit, gravia damna non infligat, eâ quidem cautelâ servatâ, ut unam tantummodo, quæ placuerit, ex duabus remunerationem assumat, hoc semper est observandum, quod unus Episcopus, vel alius, non solùm non debet amplius, sed nec tantùm, nec minùs, cum gravi Ecclesiæ suæ detrimento conferre, sive simul, & semel id facere velit, sive pluries, successivè eidem, vel diversis Ecclesiis conferendo. Unde cùm grave detrimentum, sive de possessionibus, sive de proventibus, vel ad Episcopalem mensam, vel Cathedralem Ecclesiam pertinentibus, in quantalibet portione constiterit esse collatum, poterit legitimè revocari, nisi (c) præscriptione, vel aliâ exceptione legitimâ hujusmodi actio excludatur. Nam etsi primâ facie præsumatur, quod collatio quinquagesimæ, vel centesimæ partis grave non inferat detrimentum; quia tamen si non solùm sæpe, sed etiam semel id fiat, ex variis circunstantiis deprehendi potest interdum esse valde damnosum, quod quidem magis potest ex ostensione ipsius facti, quàm expressione alicujus statuti cognosci, nec quinquagesima, vel centesima semel, ac successivè debet cum gravi damno conferri? si verò in tantùm abundet Episcopus, ut sine damno Ecclesiæ suæ possit amplius, quàm in quinquagesimam, vel centesimam partem necessitati alterius Ecclesiæ subvenire, quamvis per se non debeat summam excedere à canone præfinitam, per quam incautè largiri volentibus est occursum, de superioris tamen auctoritate potest etiam in majori summa inopiæ alterius providere.

NOTÆ.

1. (a) *S. Andreæ.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc titul. cap. ultim.* non autem reperitur præsens epistola inter editas à Guillelmo Sirleto, & Bosqueto: quare ejus integram adhuc præ manibus non habemus. De Ecclesia Sancti Andreæ nonnulla adduxi *in cap. 2. de supplend. neglig.*

2. (b) *Canone.*] Videlicet 5 Concilii Tolet. 9. relato à Gratiano *in cap. bene est* 12. *quæst.* 2. & in editione Garsiæ ita habetur: [Bonæ rei dare consultum, & præsentis habetur vitæ subsidium, & æternæ remunerationis spectare cernitur præmium. Quisquis itaque Episcoporum in parochia sua monasterium construere fortè voluerit, & hoc ex rebus Ecclesiæ, cui præsidet, ditare decreverit, non amplius ibidem quàm quinquagesimam partem dare debet, ut hac temperamenti æquitate servata, & cui tribuit, competens subsidium conferat; & cui tollit, damna gravia non infligat. Ecclesiæ verò, quæ monasticis non informabitur regulis, aut quam pro suis magnificare voluerit sepulturis, non amplius quàm centesimam partem census Ecclesiæ, cui præsidet, ibidem conferre licebit: eâ tamen cautelâ servatâ, ut tantummodo quæ placuerit ex his duabus, remunerandam assumat.]

3. (c) *Præscriptione.*] Immò ex Concilio Aurelianensi ita cavetur *in cap. si Episcopus* 12. 16. *q.* 4. ibi: *Si Episcopus humanitatis intuitu mancipiola, vinculas, vel terrulas clericis, aut monachis, vel quibuslibet præstiterit excolendas, vel pro tempore tenendas, etiamsi longa transisse annorum spatia comprobentur, nullum Ecclesiæ præjudicium patiatur: nec sæcularis legis præscriptio, quæ Ecclesiæ aliquid impediat, opponatur.* Ergo nec in præsenti specie præscriptio admitti poterat. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, in specie textus *in dicto capite Si Episcopus*, nullam monachos, vel clericos habere posse bonam fidem, nec justam causam possidendi, cùm rem tantùm ad usumfructum acceperint. In præsenti autem specie, si major pars quàm quinquagesima donata sit, in ea parte præscriptio procedit; quia & bona fides, & titulus justæ possessionis dantur.

COMMENTARIUM.

4. Licèt regulariter Episcopi nequeant de rebus Ecclesiæ suæ, seu spectantibus ad propriam mensam, tam laicis, quàm ecclesiasticis donare, *cap.* 2. ubi latè probavi, *hoc tit.* tamen ad construendam Ecclesiam, vel jam constructam dotandam, possunt donationem ita facere, ut si in ea Ecclesia jam regularis disciplina vigeat, quinquagesimam partem fructuum donare possint; si autem de novo erigenda sit, centesimam, *cap. si Episcopus* 72. 12. *quæst.* 2. *cap. bonæ, capite religiosam, eadem causa, & quæst. cap. possessiones* 16. *quæst.* 1. *cap. pastoralis, de his quæ fiunt à Prælat.* Concil. Toletanum 4. *can.* 27. ubi Patres hujus sanctionis rationem expresserunt his verbis: *Si clericis, seu monachis, vel peregrinis, aut quamlibet necessitatem sustinentibus pro solo religionis intuitu in usum res ecclesiasticæ largiuntur, quantò magis consulendum est, quibus retributio justa debetur.* Accedit utilitas fidelium, quæ in constructione Ecclesiarum facilè deprehenditur, & eam commendavimus infrà, in titulo *de jurepatron.*

Illustrant

Illustrant Antonius Augustinus *lib. 4. epit. jur. Pont. tit 5. per totum.* Cujacius *in præsenti*, Cironius *ad tit. de his quæ fiunt à Prælat.* Moneta *de commut. cap. 11. num. 85.* Lambert. *de jurepatron. 1. p. lib. 1. artic. 16.* Si autem Episcopus integrè ex fructibus propriæ Ecclesiæ construxerit monasterium illud, ipsi Ecclesiæ adjudicandum est, *cap. Apostolicos 13. in fine 12 q. 2.* quia tantùm juxta distinctionem suprà adductam potest Episcopus quinquagesimam, vel centesimam partem fructuum donare. Sed an Capituli consensus in simili donatione desideretur, hæsitatur ab Interpretibus: Et Episcopum non posse per se, absque consensu Capituli similem donationem facere, tenuerunt Glossa *verbo Quinquagesimam, in dicto cap. bona*, Gregorius Lopez *in l. 4. tit. 14. part. 1.* & alii congesti à Redoano *de rebus Eccles. q 2.* qui moventur auctoritate textus *in cap. si Episcopus 12. q. 2.* in illis verbis: *De consensu Concilii sui habeat libertatem faciendi.* Et *ex cap. pastoralis, de his quæ fiunt à Prælat.* ubi docetur, non posse Episcopum per se de bonis Ecclesiæ propriæ quicquam monasterio, aut simili pio loco concedere. Cironius *ubi proximè*, existimat olim non licuisse Episcopis sine consensu Capituli donare quinquagesimam, vel centesimam partem; potuisse tamen post Innocentii III. constitutiones, tam in præsenti, quàm *in dicto cap pastoralis*, in quibus apertè fatetur, se intendere derogare dispositioni textus *in dicto cap. bene* ubi licèt non exigeretur consensus Capituli, id tamen supplendum erat ex Concilio Tolet. 3. relato *in dicto cap si Episcopus 73.* Sed verè non agnosco ubi Innocentius III. intendat derogare textui *in dicto cap. bene*, nam *in dicto cap. pastoralis*, potiùs ait; se ita statuere, salvâ constitutione canonicâ, de concedenda piis locis quinquagesima parte. Quæ verba cùm referantur ad textum *in dicto cap. bene*, nullam continent consensus Capituli mentionem. In præsenti autem tantùm Innocentius exponit eundem canonem *bene*, ita ut Episcopus tantùm semel quinquagesimam, aut centesimam partem possit donare; in tota tamen textus serie nullam facit mentionem consensus Capituli adhibendi, vel non. Et ita secundùm canonem, de quo loquitur, & quem expendit Innocentius, accipiendus est. Nec feliciùs Iacobus Cujacius *in præsenti*, dum ait verba dicti canonis *bene*, immutata aliquatenus referri ab Innocentio III. cùm in eo nullus exigatur Capituli consensus. Sed etsi conferatur canon ille cum verbis Innocentii in præsenti relatis, mirè consonat. Tandem alii pro solutione hujus quæstionis, & conciliatione textus *in dicto cap. si Episcopus*, cum dicto capite *bene*, ita distinguunt. Vel Episcopus donat quinquagesimam partem rerum Ecclesiæ monasterio nondum constructo, vel etiam constructo, sed sine licentia, & consensu Capituli; & tunc non potest per se aliquid donare absque consensu Capituli; vel monasterio jam constructo ex Capituli licentia, & voluntate; & tunc novus non desideratur consensus ad prædictam donationem. Ita docuerunt Abbas *in dicto cap. pastoralis, num 4.* Redoanus *ubi suprà, num. 47.* Rationem differentiæ inter utrumque casum eam reddunt, quòd ubi Capitulum ædificationi consensit, orta fuit ex parte ejus obligatio congruè illud dotandi, atque ita cùm donatio, seu dotatio jam necessaria sit, frustra desideratur Capituli consensus, cùm constructionis tempore jam interceSSisset, argumento textus *in l quæ sub conditione, §. de hoc, ff. de condit. instit.* At cùm hæc ratio cesset quoties sine consensu Capituli Ecclesia constructa fuit, ac per consequens cesset obligatio eam dotandi, requiritur in donatione ab Episcopo facienda Capituli consensus, sine quo, sicut non potuit construi monasterium, ita similiter nec dotari. Sed libenter quærerem ab his Doctoribus, undenam statuta reperitur obligatio Capituli dotandi omnia monasteria ex ejus consensu, seu licentia constructa? Cùm illud tantùm notum sit, eum qui construxit Ecclesiam, ad ejus congruam sustentationem teneri, *cap cùm sicut, de consecr. Ecclesiæ*, nec unquam legi, ad constructionem Ecclesiæ necessarium esse Capituli consensum. Unde verius existimo, nec attento jure antiquo, nec jure novo Innocentii III. desiderari consensum Capituli, in donatione quinquagesimæ, vel centesimæ partis, juxta distinctionem suprà adductam; sed Episcopum propriâ auctoritate eam facere posse, cùm omnes textus, in quibus hæc facultas Episcopis conceditur, nullam faciant mentionem consensus Capituli. Accedit & ea ratio; nam cùm jure permittente talis donatio fiat, non debet exigi ea solennitas, quæ in similibus alienationibus rerum Ecclesiæ desideratur; argumento textus *in l. conditionibus 5 ff. de condit. & demonstr. l. alieno, §. qui fideicommissariam, l. non tantum §. is autem, ff. de fideicommiss. libert. l. 1. & 3. C. quando decreto opus non sit, l. 3. in princip. cum sui §§. l. si pupillorum, §. 1. ff. de rebus eorum*, Narbona *de ætate, anno 25. q. 12. num. 7.* Nec contrarium probat textus *in dicto cap. si Episcopus*; nam dum exigit Capituli consensum, non est accipiendus de donatione quinquagesimæ, vel centesimæ partis, sed de donatione integræ Ecclesiæ parochialis in monasterium conferenda; quo casu verum est, consensum Capituli requiri, *cap. tua, de his quæ fiunt à Prælat.* Dum autem PP. in eo textu descendunt ad donationem modicam faciendam ab Episcopo, nullum exigunt Capituli consensum, sicut & *in dicto cap. pastoralis.* Unde cùm nullibi legatur, consensum Episcopi necessarium esse in donatione quinquagesimæ, vel centesimæ partis fructuum; non est ratio cur de casu unionis Ecclesiæ parochialis monasterio factæ, relato *in dicto capite. Si Episcopus*, arguatur ad donationem modicam quinquagesimæ, vel centesimæ partis.

CAPUT X.

(a) Gregorius IX.

PRopter ejus ingratitudinem, in quem liberalitas est collata donationis, donatoris persona de rigore juris eam potuit revocare, si forrè in ipsum impias manus injecerit, aut sub atroces injurias, seu grave rerum suarum damnum, vel vitæ periculum inferre præsumpserit. Quod tamen ad donatoris, qui hoc tacuit, non extenditur successores.

NOTÆ.

1. (a) *Gregorius IX.*) Qui præsentem constitutionem deprompsit *ex l. ult. de revoc. donat.* ubi extant eadem verba, ut jam notavit Cujacius *in præsenti*. Quare cùm hæc constitutio ex jure civili deprompta sit, juxta ejus principia examinanda est. Sit assertio.

COMMENTARIUM.

2. *Conclusio traditur & probatur.* *Donatio propter ingratitudinem potest per donatorem, non per hæredem ejus, qui tacuit, revocari.* Probant eam textus *in l. his solis, authentic. quod mater, l. final. C. de revoc. donat. l. cùm res, C. de contrah. emption. l. omni modo, C. de inoffic. test. l. si moritis, ff. de donat. caus. mortis, §. sciendum, Instit. de donat. l. solo* 30. *C. de liberalis causa, l.* 6. *§. Imperator, de liberis agnosc. l. ingratus* 19. *de jurepatron. l.* 1. *& 2. C. de libert. & eorum lib. l.* 3. *l.* 12. *l. precibus, C. de inoffic. donationibus, l. penult. tit.* 4. *p.* 5. Illustrant ultra congestos in præsenti à Garana, & Barbosa *in collect. & select. ad hunc textum*, Petrus Gregorius *lib.* 3. *partit. tit.* 19. *cap. final.* Bocerus *disput.* 19. *de donat. num.* 38. Hunnius *in encyclop p.* 3. *tit.* 26. Canisius *in repetit. ad hunc textum*, plures congesti à Noguerol. *alleg.* 6. *num.* 86. Hermosilla *in l.* 1. *tit.* 4. *part.* 5. Vela *dissert.* 7. *Hispal. num.* 40. Larrea *decis.* 2. *Granat. num.* 11. Amaya *lib.* 2. *observ. cap.* 6. Ayllon *in addit. ad Gomezium, cap.* 4. *de donat. num.* 15. Gibalinus *tom.* 2. *de negot. lib.* 4. *cap.* 2 *art.* 7. Retes *de donat cap.* 18. *per totum*, Borellus *tom.* 3. *decis. tit* 12. *per totum*, Castillo *lib.* 3. *controv. cap.* 10.

3. *Traditur dubitandi ratio.* Sed in præsentem assertionem pro dubitandi ratione sic insurgo: Donatio inter vivos purè facta irrevocabilis est, *cap. sacrorum* 15. 12. *q.* 2. *cap.* 1. 16. *q.* 2. *cap. final.* 16. *q.* 6. *cap. Sunt qui* 17. *q.* 3. *l. sive emancipatus* 17. *cum tribus sequentibus, C. de donat. l. cùm ancillam, l. si repetendi, C. de condict. ob causam, l.* 2. 3. 4. 5. *& 6. C. de revoc. donat.* Et rectè, cùm *ex cap.* 2. *legis Cinciæ*, non aliter donatio celebraretur, quàm si res mobiles, vel immobiles per traditionem, aut solennem mancipationem darentur; jura verò, & actiones solenniter cederentur, *l. justa* 4. *cum sequent. l.* 7. *C. Theodos. de donat.* docuerunt Cujacius *lib.* 6. *observ. cap.* 18. & *in Novella* 182. & *in l. Aquilius, ff. de donat.* Osualdus *lib.* 5. *Donelli*, *cap.* 2. *littera B.* Hothomanus *de donat. cap.* 1. Scipio Gentilis *de donat. inter, lib.* 4. *cap* 18. Mendoza *lib.* 3. *de pactis, cap.* 9. *q.* 5. Gutherus *de jure manium lib.* 3. *cap.* 7. Igitur nec ex causa ingratitudinis, vel simili donatio revocari potest. Secundò in aliam partem, ubi Gregorius negat hæredibus donatoris contra donatarium ingratum competere hanc actionem, seu condictionem, nec ab eo per successores res auferri posse, obstat; nam hæc actio rei persecutoria est, ut infrà dicemus: sed omnes actiones rei persecutoriæ, ex delicto etsi proveniant, dantur hæredibus, & contra hæredes; igitur & successoribus donatoris jus revocandi similem donationem competit; quam sententiam nervosè defendit Donellus *lib.* 4. *comment. cap.* 29 Igitur non rectè Gregorius in præsenti negat per successores donatoris revocari posse donationem in integrum collatam.

4. *Traditur ratio decidendi.* Quibus difficultatibus minimè obstantibus vera est præsens constitutio, videlicet, donatorem ob ingratitudinem donatarii posse donationem revocare condictione, quæ appellatur actio ingrati, *dicta l. his solis vers. Actionem*; quæ est actio personalis, quâ intenditur, ut res donata regrediatur in dominium donatoris, & interim dum per sententiam aufertur, in dominio donatarii manet. Bocerus *de donat. cap.* 3. *n.* 102. Gutierrez *de juram.* 1. *cap.* 10 *num.* 7. Non tamen ut voluit Donellus *lib.* 14. *comment cap.* 31. hæc actio ex ipsa donatione nascitur, sed extra id, quod agitur, hæc actio oritur, ut interdum condictio indebiti *l. is qui* 13. *§. ultimo, ff. commodati*: de ingratitudine autem legitimè constare debet, veluti si donatarius atroces injurias donatori inferat, si ejus vitæ insidietur, si grandem jacturæ molem illius substantiæ, & bonis ingerat Et meritò ingratus rebus donatis privatur in pœnam tam immanis delicti; ingratitudinis enim vitium adeò grave est, ut cætera alia facilè vincat, ac superet. D. Bernardus *in Cantica*, ibi: *Ingratitudo est hostis gratiæ, inimica salutis; quoniam nihil ita displicet Deo, quemadmodum ingratitudo.* Seneca *lib.* 4. *de benef. cap.* 16. ibi: *Fugiendum est ingratum esse, quoniam nihil aquè concordiam humani generis dissociat, ac distrahit, quam hoc vitium.* Et ibi: *Quis denique non ingratum detestetur hominem, sibi ipsi inutilem.* Plura de hoc Beyerlinch *tom.* 4. *in Theatro vitæ hum. verbo Ingratitudo*, Theophilus *tom.* 4. *lib.* 3. *sect.* 3. *cap.* 10. *per totum.* Meritò ergo ob ingratitudinem erga donatorem commissam statutum est, ut donatio revocetur, ut etiam libertas, quæ semel data revocari non solet, ob ingratitudinem revocatur, & liberti ingrati reducuntur in servitutem, *l. qui manumittuntur, C. de operis libert. l.* 2. *C. de libert. & eorum liber. l. solo* 30. *C. de liber. caus. l. unica, C. de ingrat. libert. l.* 1. *§. cùm patronus, ff. de offic. Præfect. urb. l. non solùm* 6. *§.* 1. *ff. de in integrum restit. l. si mulier* 21. *ff. de eo quod metus causâ, l. absmen-*

l. alimenta 6. §. 1. ff. de agnosc. liber. l. 5. ff. de jure patron. Donellus *lib. 2. comment. cap. 17. & 24.* Cujacius *lib. 10. observ. cap. 33. & lib. 21. cap. 6.* Connanus *lib. 2. comment. cap. 2. num. 4.* Revardus *lib. 1. conject. cap 11.* Faber *in Papin. tit. 5. princip. 2. illat. 4.* Amaya *lib. 2. obs. cap. 4. num. 5. & cap. 6.* etsi in contrarium expendi soleant textus *in l. si quis hac 30 ff. qui & a quibus, l. 1. §. 1. ff. de jur. annul. aur. l. libertus, de bon. libert. l. si dotem 24. C. de jure dot. cap. Episcop. 58. 12. q. 2. l. 3. ff. de obsequiis.* Et licèt circa auctorem hujus pœnæ dissentiant Interpretes, siquidem Revardus *dicto cap. 11.* laudat Commodum ejus auctorem, Cujacius autem *dicto cap. 33. & lib. singul. respons. Ulpiani*, & Marcellus *in l. 3. ff. de obsequiis*, eam tribuant jam Trajano, jam Neroni, jam Claudio; dicendum tamen est, auctorem hujus pœnæ fuisse Claudium, ut probat Connanus *dicto lib. 2. cap. 1. num. 4.* Amaya *dicto lib. 2. cap. 6. num. 13.* Benitez *in cap. unico, de natis ex libero, num 20.* Causas autem revocationis à Justiniano relatas *in d. l. final. & Novel. 78. cap 2. &* à Gregorio *in præsenti* transcriptas exponunt Donellus *ubi proximè, lib. 14. cap. 27.* Canisius *in repetit. ad hunc textum*, ultra quas arbitrio judicis relinquitur judicare quæ sint causæ graviores, & ex ingrato animo proveniant. Osualdus *d. cap. 27. littera D.* Menochius *de arbitr. casu 72.* Non tamen transit hæc actio in hæredem, aut illi competit, si ejus auctor tacuit; quia quæcunque actio doloris tantùm causâ datur, cum persona cujus gratiâ competit, intercidit, *l. penult. ff. de injus vocando, l. injuriar. 13 ff. de injur. l. posthumus 6. §. final. cum duabus legibus sequent. ff. de inoffic.* nisi præparatum sit ipsum judicium, aut ingratitudo extrajudicialiter denunciata, ut *ex l. 1. C. de revoc. donat.* docent Donellus *lib. 14. comment. cap. 29.* ubi Osualdus *littera C.* Bocerus *de donat. cap. 3. num. 97.* Robertus *lib. 1. rerum judic. cap. 14.* Donationem autem remuneratoriam non posse ob ingratitudinem revocari, probant Molina *lib. 4. de primog. cap. 11. num. 45.* Gutierrez *consil. 24. num. 5.*

Nec obstant difficultates suprà expensæ. Non prima; nam licèt regulariter donatio perfecta revocari non possit, ex causis tamen à jure approbatis, & receptis utique revocari valet, veluti ex causa ingratitudinis, de qua in præsenti; vel si postea liberi suscepti sint à donatore, *ex l. si unquam, C. de revo. and. donat.* Quæ causa etiam jure canonico approbata videtur *in cap. final. 17. q. 4.* junctis traditis à Covar. *lib. 1. variar. cap. 19.* Donello *lib. 14. comment. cap. 32.* Fornerio *lib. 2. rer. quot. id. cap. 8* Merillo *lib 2. observ. cap. 34.* Vinio *lib. 2. select. cap. 32.* Mornacio *in l. 8. § si Imperator, ff. de inoffic.* Ferro Manrique *de different. utriusque fori, q. 47.* Nec obstat quod de mancipatione solenni dicebamus; nam licèt donatio olim solâ traditione non perficeretur, nisi in conjunctas personas fuisset collata, *l. 4. 5. & 7. C. Theod. s. de donat.* post jus tamen Justinianeum donatio magis in contractus speciem transiit, cùm solo contractu perficiatur, *l. si quis 35. §. final. C. de donat.* Nec obstat secunda difficultas; nam tam Gregorius in præsenti, quam Justinianus *in d. l. ultima*, loquuntur quando tacuit testator, ut expressè in utroque textu asseritur; non verò cùm actionem personalem etiam rei persecutoriam proposuit; nam tunc etiam hæredi competit hæc actio, cùm jam lite mota donator decessit; cùm verò sciebat injuriam sibi illatam esse, & tacuit, quia abolitione tollitur injuria, remissa censetur & ideò hæredibus non licet donationes revocare; licèt enim transeant ad hæredes actiones defuncto quæsitæ, quæ ei competere cœperunt; hæc tamen actio non consistit in defuncto, ut probat Donellus *lib. 14. comment. cap. 29.* & ideò ad hæredem non transmittitur.

5. *Respondetur difficultatibus.*

TITVLVS XXV.

De peculio Clericorum.

CAPUT I.

Ex Concilio (a) *Arelatensi.*

Nvestigandum est, si nihil patrimonii habens presbyter, quando promotus est ad ecclesiasticum ordinem, postea emerit prædia, cujus juris sint: quoniam Ecclesiæ, ad quam nihil habens promotus est, esse debent, juxta canonicam auctoritatem.

NOTÆ.

(a) *Arelatensi.*) In prima collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* legitur, *Ex Concilio Lateranensi*: apud Burchardum verò *lib. 3. Decreti, cap. 118.* & Carnotensem *p. 3. cap. 94.* & Panormit. *lib. 2. tit. 4. cap. 23.* legitur, *Ex Concilio Rhemensi, cap. 6.* Sed legendum est, *Ex capitulis Hincmari Rhemensis*; inter capitula enim, quæ ipse edidit, de quibus Magistri & Decani per singulas Ecclesias inquirere, & Episcopo renunciare debeant, *cap. 18. tom. 21. Conciliorum, fol. 513.* ita legitur: *Investigandum*

gandum similiter, si nihil patrimonii habens quando provectus est ad ordinem Ecclesiasticum, postea emerit prædia, cujus juris sint: quoniam Ecclesiæ, ad quam de nihil habentibus promotus est, esse debent, juxta canonicæ auctoritatis decretum. Præsenti verò canoni consonant textus Concilii Carthag. *can.* 35. ibi: *Si quis pauper in aliquem ordinem promotus, aliquid acquisierit, Episcoporum potestati subjiciatur. Similiter placuit, ut Episcopi, presbyteri, & Diaconi, & cujusmodicunque clerici, qui nihil habent, si promoti tempore Episcopatus, vel clericatus eorum agros, vel cujusmodicunque, ac prædia nomine proprio emerint, tanquam qui dominica bona invaserint, teneantur, nisi utique admoniti ea Ecclesiæ retulerint: sin autem ad eos propriè alicujus liberalitas, vel successio redierit, ex ea facient id quod eorum vult propositum. Sin autem etiam postquam proposuerint, retrò convertantur, ecclesiastico honore indigni, ut reprobi judicentur.* Refertur à Gratiano *in cap.* 1. 12. *q.* 1. ad quam canonicam constitutionem respexisse Patres in præsenti, jam notavit Cujacius *hic.* Leo IV. in Concilio Mogunt. sub Rabano, *can.* 8. ubi Patres ita ajunt: *In Concilio Carthaginensi scriptum est, ut Presbyteri, Diaconi, vel quicunque clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Episcopatus, vel clericatus sui agros, vel quæcunque prædia suo nomine comparant, tanquam rerum dominicarum invasionis crimine teneantur, nisi admoniti Ecclesiæ eadem ipsa contulerint.* Concilium Aquisgran. sub Stephano V. *can.* 98. Toletan. 9. *can.* 14. quod extat apud Gratianum *in cap.* 1. 12. *q.* 4. Concilium Hispal. 1. relatum à Loaysa inter ejusdem Concilii fragmenta, *cap* 5. Concilium Parisiense sub Gregorio IV. secundùm collationem Ludovici, *lib.* 1. *cap.* 14. qui textus postea relatus fuit inter capitularia Caroli, *lib.* 5 *capitul.* 175. & in eisdem capitul. *lib.* 1. *capitul* 88. ita legitur: *Si Presbyter post ordinationem aliquid acquisierit, illud observetur, quod in canonibus de consecratis nihil habentibus constitutum est.* Et *capitul.* 156. ibi: *Ut unusquisque Presbyter res, quas post diem consecrationis acquisierit, proprias Ecclesiæ relinquat. Hoc etiam, videlicet comparatum ab Episcopis, vel clericis tempore ordinationis nihil habentibus, Ecclesiæ esse credi, ad eamque spectare.* Sic Justinianus constituit, auctore Cedreno *in ejus vita*, cujus constitutionis vestigia extant *in l. sancimus, C. de sacros. Eccles. l. omnem* 42. §. *de his: authent. licentia, C. de Episcopis & clericis. Novella* 131. *cap.* 13 *cap. fixum, vers. Postquam* 12. *quæst. ult.* Facit vetus formula, quæ reperitur ordine 8. inter veteres formulas; ubi dum refertur charta ingenuitatis, ut aliquis Presbyter ordinetur, & in Ecclesia sibi commissa plebem regat, hæc verba annectuntur: *His quoque subnectere placuit, canonicis admoniti constitutionibus, ut si qua deinceps prædia, vel mancipia tui nominis titulo comparaveris, hoc observari studeas, quod in eisdem decretum esse cognoscitur.* Illustrant post congestos à Barbosa *hic*, Baronius *anno* 397. *num.* 53. Azor *p.* 2. *instit. moral. lib.* 7. *cap.* 19. *q.* 1. Petrus Gregorius *lib.* 1. *partit. tit.* 26, *cap.* 2. Chopinus *lib.* 2. *monast. tit.* 3. *num.* 6. Balsamon *in dicto can.* 35. *Synodi Carthag.* & *in can.* 35. *Synodi* 6. & *in nomocan. tit.* 1. *cap.* 31. Bignonius *in notis ad veter. formul. fol.* 589. Cujacius *hic*, & *in Novel.* 131. §. *idem est notandum*, & *lib.* 1. *feud. fol.* 808. Scipio Gentilis *lib.* 2. *de donat. inter, cap. final.* Acosta *de privil. credit. regul.* 1. *ampliat.* 8. Justelus *in can.* 32.

Sed in contrarium, videlicet in præsenti specie res emptas ab Episcopo, vel Presbytero non esse Ecclesiæ, nec ex aliqua juris præsumptione ad eam spectare, suadetur *ex l. si ex ea* 6. *C. de rei vind. l. ex pecunia dotali* 12. *C. de jure dot. l. ult. C. de servo pignor. dat. l. qui aliena* 8. *C. si quis alteri, vel sibi, l. si patruus* 4. *C. commun. utriusque jud. l.* 2 *C. prosocio, l. si maritus* 19. *C. de distract. pign. l.* 2. *C. si certum petatur, l. si mulier* 21. *ff. de pact. dotal.* quibus cavetur, rem ex pecunia deposita comparatam, deponentis non esse; ex pecunia dotali, non esse uxoris, sed mariti: quod & latèprobant Covar. *lib.* 3 *var. cap.* 3. *num.* 6. & *in cap.* 1. *num.* 6. *de testam.* Connanus *lib.* 4. *comm. cap* 17. *num.* 11. Cujacius *in l. licet, C. qui potiores*, & *lib.* 5. *observ. cap.* 29. Donellus *lib.* 5. *comment. cap.* 2. *circa finem.* Faber 5. *conject. cap.* 9. Pacius *cent.* 5 *q.* 53. Besoldus *in delibat. juris, ex lib.* 23. *ff. q.* 7. Gibalinus *tom.* 2. *de negot. lib.* 4. *cap.* 4. *artic.* 6. Siguenza *de clausulis.* Bronchorst. *enantioph. centur.* 2. *assert.* 65. Scipio Gentilis *ad Apulejum, in Apolog. fol.* 484. Larrea *decis.* 92. *per totam.* Igitur non rectè in præsenti docetur, res emptas ab Episcopis, vel Presbyteris, ex pecunia, seu fructibus Ecclesiæ, ad Ecclesiam spectare. 2. Impugnatur præsens constitutio.

Ut huic difficultati satisfaciat Glossa in præsenti, & *in cap. Apostolicos* 12. *q.* 2. & *in cap.* 1. 12. *q.* 3. existimat, specialiter procedere in Ecclesia, quod licèt Sacerdos suo nomine rem aliquam ex pecunia Ecclesiæ emat, res ita comparata statim Ecclesiæ fiat, argumento textus *in l. si ut proponis, C. de rei v. na.* quemadmodum & dotis favore res ex pecunia dotali comparata dotalis esse dicitur, *l. res* 54. *ff. de jure dot. l. si cùm dotem* 22. §. *ult. ff. solut. matrim. l. Imperator* 70. §. *final. cum l. sequent. ff. de legat.* 2. Similiter res empta ex pecunia castrensis peculii, peculiaris dicitur, *l.* 1. *C. de pecul. castrensi militum, lib.* 12. Item res ex pecunia pupillari comparata, pupilli est, *l.* 3. *C. de arbitr. tutel l.* 2 *ff. quando ex facto tut.* Acosta *dicto cap.* 8. *in princip.* Unde cùm Episcopi, vel Presbyteri, de quibus in præsenti, nihil tempore suæ ordinationis habuerint, si postea agros, mancipia, vel similes res comparaverint, creduntur ex pecunia, vel fructibus Ecclesiæ res ipsas quæsiisse; atque ideò eas absque inuasionis, vel sacrilegii reatu retinere non possunt, *cap.* 1. 12. *q.* 3. *cap. penult. hoc tit.* Glossam sequuntur Covar. *in cap.* 1. *de testam. num.* 7. Cujacius *hic.* Sarmiento *lib.* 3. *de reddit. cap.* 2. *num.* 4. & ea sententia probari videtur *ex l.* 4. *tit.* 5. *partit.* 5. Ab hac tamen Glossæ interpretatione discesserunt plures docti viri, affirmantes, res ex pecunia Ecclesiæ comparatas, non acquiri statim Ecclesiæ, nec in bonis Ecclesiæ à die emptionis censeri, ut docuerunt in præsenti Hostiensis, Joannes Andreas, & Barbatia *hic*, Marsilius 2. *p. de reddit. cap.* 22. *num* 19. atque idem in re ex pecunia dotali comparata, ex textu *in l. ex pecunia dotali* 12. *C. de jure dotium l. ult. C. si res pignori*, docuerunt Faber *lib.* 5. *conject. cap.* 9. Cujacius *lib.* 5. *observ. cap.* 29 & *tract.* 2. *ad Afric. in l.* 23. *de rebus credit.* Genoa *in conciliat. legum, fol.* 514. Osvaldus *ad Donellum lib.* 5. *cap.* 2. *littera C.* Mornacius *in l.* 55. *de jure dotium*, Tiraquellus *de retr.* §. 32. *glos. unica, à numero* 10. Noguerol *alleg.* 7. *art* 2. & in re empta 3. Refertur, & refellitur glossa.

ex

ex pecunia pupillari, tenuit Faber *ubi proximè*, ubi exponit textum *in dicta l. 3. C. arbitrium tutelæ*. Sed omissâ hac communi quæstione, utrum videlicet res empta ex pecunia aliena illius efficiatur, cujus erat, quam disputant Larrea *allegat. 92. per totam*, Mancinus *genial. cent. 1. cap. 123.* Scipio Gentilis *ad Apuleium, fol. 484.* dicendum est, rem ex pecunia Ecclesiæ emptam, ejus fieri, & Ecclesiam habere actionem in rem, quæ aliquando datur ei, qui dominus non est, vel ex speciali privilegio, *l. ult. C. de sacros. Eccles.* vel ex æquitate, *l. in rebus, C. de jure dot. l. 12. C. de reg. jur.* Sed profectò casus hic in præsenti non deciditur, nec in aliis canonibus sub hoc titulo congestis, ut putavit Solorzanus *tom. 2. de jure Indiarum. lib. 3. cap. 10. num. 34.* sed potiùs in eis agitur de rebus acquisitis ab Episcopis, vel Presbyteris, qui cùm tempore suæ ordinationis nihil haberent, postea agros, vel similes res comparârunt. Et cùm quæreretur, cujus juris essent, seu ad quem spectarent, respondêrunt Patres, ad Ecclesiam pertinere, ex ea ratione, quia sicut quæsita ab uxore constante matrimonio mariti esse dicuntur, ut vitetur turpis quæstus suspicio, *l. Quintus Mantius, ff. de donat. inter.* Scipio Gentilis *dicto loc. l. de donat. cap. final.* ita etiam in clericis, quibus omnis negotiatio prohibita est, *cap. 1. & per totum, ne clerici, vel monachi*, si quid comparaverint post suam ordinationem, creditur acquisitum intuitu Ecclesiæ; & ita ad Ecclesiam ipsam spectat, ut minùs honesti lucri ratio cesset, præcipuè cùm Sacerdotes Ecclesiæ de redditibus vivere debeant, pietatem erga pauperes, non quæstum quærentes. D. Hieronymus *ad Nepotianum epist. 2* ibi: *Obsecro itaque te, & repetens iterum, atque iterum moneo, ne officium clericatus genus antiquæ militiæ putes, id est, ne lucra sæculi in Christi quæras militia, nec plus habeas quàm quando clericus esse cœpisti, & dicatur tibi: Clerici eorum non proderunt eis. Nonnulli enim sunt ditiores monachi, quàm fuerunt sæculares; & clerici, qui possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete, & fallaci diabolo non habuerant, ut suspiceret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit ante mendicos.* Et paulò post: *Negotiatorem clericum, & ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge.* Et *in epist. ad Titum, cap. 10.* ibi: *His tamen debent esse contenti, qui altario serviunt, ut de altario vivant, sed non ut fiant divites.* Latè disserit Joannes de Polemar. *in orat. de bonis clericorum*; quæ extat inter acta Concili Basil. Illustrant prædictam rationem hujus textus Scipio Gentilis *supra*, Acosta *dicta ampliat. 8.* Altamiranus *in l. 2 de filiis offic. cap. 16.* qui eandem ad Magistratus, & publicos administratores, qui tempore ingressus nihil habent, & posteà magnis opibus abundant, extendunt, & variis ampliationibus illustrant. Habebit ergo hoc casu Ecclesia jus tanquam ad rem propriam, ut defuncto Prælato possit eam jure proprio occupare. Concilium Agath. *can. 48.* ibi: *Episcopi de rebus propriis, vel acceptis, vel quicquid de proprio habent, hæredibus suis, si voluerint, relinquent: quicquid verò de provisione suæ Ecclesiæ fuerit, sive de agris, sive de fructibus, sive de oblationibus, omnia in jure Ecclesiæ servari censemus.* Gregorius Magnus *lib. 9. epist. 14.* ibi: *Sacris canonibus esse noscitur diffinitum, ut in his quæ Antistites Episcopatus tempore acquisierit, non alii, nisi sola succedat Ecclesia.* Et *l. 1. C Theodos. de bonis cleric. cap. de Syracusano, 28. dist. cap. res in Episcopatu 12. q. 2. authent. licentiam, C. de Episcopis & clericis:* illustrant aliis relatis Barbosa *in cap. sint manifestæ 12. q. 2.*

Ex suprà traditis difficilis videtur D. Gregorius *lib. 7. epist. 33.* relatus *in cap. questi 17. q. 4.* ubi questi fuerunt apud Gregorium quidam monachi, Abbatem suum castrum, quod in sexaginta pedes extendebatur, sub prætexu fabricandæ Ecclesiæ Joanni Scylaceno Episcopo donationis titulo concessisse. Gregorius decrevit, quod quantum parietes Ecclesiæ ædificatæ intra ambitum continent, Ecclesiæ lucro cedat; quicquid verò extra parietes ejusdem Ecclesiæ esse poterit, ad jus monasterii revertatur. Quod Gregorii decretum difficile redditur ex suprà traditis; nam si res comparata ex pecunia Ecclesiæ, vel ejus rebus, lucro Ecclesiæ cedit, quomodo in eo textu Ecclesia constructa in castro monasterii, intra jura monasterii non servatur? Si dicas, in eo textu castrum donatum fuisse ad Ecclesiam construendam, & ideò Ecclesiam ipsam non esse monasterii, expendo in contrarium canonem 15. 8. Synodi, relatum *in cap. Apostolicos 12. q. 2.* ubi docent PP. quod si constiterit, Episcopum construxisse monasterium de redditibus Ecclesiasticis, tradat ipsum monasterium eidem Ecclesiæ. Verba sunt: *Si autem Episcopus convictus fuerit construxisse monasterium de redditibus Ecclesiasticis, tradat ipsum eidem Ecclesiæ.* Quæ jura ut componat Glossa *in dicto cap. questi*, affirmat posse Ecclesiam locum parietibus circumseptum sibi vindicare, sed Ecclesiam ipsam ad monasterium, in cujus castro constructa erat, pertinere; & ita textum illum mire convenire cum dicto capite *Apostolicos* Glossam sequitur Archidiaconus *ibi.* Sed tunc difficile est, quod in ultimis verbis dicti canonis 15. 8. Synodi statuitur, ibi: *Si verò de propriis rebus, aut de aliis quibusdam conventionibus habeat, id secundùm propriam potestatem, & voluntatem omni vitâ suâ, & post finem vitæ dimittat, & conferat hoc quibuscunque voluerit, non tamen sæculare diversorium fiat.* Quæ verba omisit Gratianus *in dicto cap. Apostolicos*, referunt autem Severinus *in ipsa 8. Synodo*, Antonius Augustinus *lib. 14. epit. tit. 5. cap. 1. & lib. 2. de emend. Gratiani. dialog. 6.* Vel enim in his verbis agitur de monasterio ex rebus Ecclesiæ ad Episcopo constructo, & tunc certum est, ab Ecclesiam ipsum spectare; vel ex fructibus ad Episcopum spectantibus, & etiam eo casu, juxta præsentem textum, & suprà tradita, ad Ecclesiam spectat: Ergo non rectè ibi docetur, Episcopum posse monasterium ita constructum tradere cui voluerit. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, in primo casu ipsius canonis, relato à Gratiano *in dicto cap. Apostolicos*, monasterium ex rebus Ecclesiæ constructum, ad Ecclesiam spectare, unde verbum illud, *tradat*, exponit Glossa, id est subjiciat juri Ecclesiæ: & Archidiaconus interpretatur, non tradat, id est, non auferat: in secundo verò casu à Gratiano omisso, relato verò à Vinio, & Antonio Augustino, agitur de monasterio ab Episcopo constructo ex bonis propriis patrimonialibus, vel adventitis; quo casu tanquam patro-

4. Exponitur *cap. questi*, 17. q. 4.

patronus ipsius monasterii potest ipsum Ecclesiæ, vel alii pio loco, cui voluerit, donare, dummodo in laicorum habitationem, vel diversorium non convertatur.

CAPUT II.

Ex (a) *eodem.*

[b] PResbyter cùm [c] diœcesim tenet, de eis, quæ superemerit, ad ipsius Ecclesiæ [d] nomen scripturam faciat, aut ab ejus ordinatione discedat.

NOTÆ.

1. (a) EX *eodem*) In prima collectione, *sub. hoc tit. cap.* 2. legitur, *Ex Concilio Arausic* Rectiùs tamen Burchardus *lib.* 3. *Decreti*, *cap.* 119. Carnot. 3. *p Decreti*, *cap.* 95 Gratianus *in cap. ult.* 12. *q.* 4. citant verba hæc ex Concilio Agathensi, *can.* 54. & meritò; nam in ipso Concilio post canonem 53. relatum à Gratiano *in cap. quicquid* 12. *q.* 2. eadem serie rerum Ecclesiæ retentâ sub hoc summario de eisdem, ut quicquid emerint, in nomine comparent Ecclesiæ, referuntur illa verba: *Presbyter dum diœcesim tenet, de his quæ emerit, ad Ecclesiæ nomen scripturam faciat, aut ab ejus, quam tenet, Ecclesiæ ordinatione discedat.* Eadem verba reperiuntur *in can.* 8 *Concilii Epaunensis.* Concilium hoc Agathense, temporibus Alarici Regis Arriani, auctoritate Cæsarii Arelatensis Episcopi, Provinciæ Primatis celebratum fuit ad collapsam ecclesiasticam disciplinam restituendam, ut constat ex præfatione ipsius Concilii; & Cæsarium in eo præfuisse constat ex canone 73. Concilii Meldensis, ibi: *Sanctus Cæsarius Ecclesiæ Arelatensis, cum aliis* 35. *Episcopis, omnes inquiunt: Deinceps clerici, sive laici, Iudæorum convivia evitent* Congregatum fuit anno 506. 3. idus Septembris.

2. (b) *Presbyter.*) Id est, Episcopus, ut in textu antecedenti.

3. (c) *Diœcesim.*) Diœcesis *in notitia Imperii*, & passim *in Imp. constit.* accipitur pro administratione multarum simul provinciarum, quæ in unum coactæ per Præfectos Prætorio, & eorum vicarios regebantur, *l.* 14. *C. de fund. patrim.* ibi: *Omnes qui in quacunque diœcesi, aut quacunque provincia, vel civitate* Et *l.* 9. *de legat. & decret. legat. C. Theodos.* ibi: *Sive integra diœcesis in commune consuluerit, sive singulæ interesse voluerint provinciæ, convenire.* Sic etiam in actis Concilii Constantinopol. 1. *can.* 2. & in actis Concilii Ephesini: *Episcopi ex diversis diœcesibus, ac provinciis congregati.* Et *can.* 8. ejusdem Synodi: *Istud autem, & in aliis diœcesibus, & quæ sunt ubique provinciis servabitur* Et in Chalcedon. *can.* 9. & 17. & ibi Balsamon: *Diœcesis est, quæ multas sub se habet provincias* Innocentius I. Romanus Pontifex *in epist. ad Alexandrum Antiochenum Episcopum*, quæ inter illius decreta extat in codice Canonum Ecclesiæ Romanæ, *cap.* 45. Revolventes auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ censuit de Antiochena Ecclesia cunctis fidelibus, ne dixerim sacerdotibus, esse necessarium custodire, quâ super diœcesim suam & prædictam Ecclesiam, non super aliquam provinciam, recognoscitur constitutum. Et *l.* 34. *C. de Episc. and* Africanæ etiam diœceseos meminit Justinianus *Novel. de Africana Ecclesia, ad Ant. Solomonem Pont. Africæ* &*l. unica.* § 5. & 7. *C. de officio Præf. Prat Afric & de omni ejusdem diœceseos statu*: & Vvillelmus Tyrius *lib.* 13. *bel. sacr. cap.* 1. Hincmarus Episcopus Rhemensis diœcesis *cap.* 4. ibi: *Sancta Romana Ecclesia plures Metropolitanos in speciali sua diœcesi habet. Similiter & Alexandrina Ecclesia in sua diœcesi. Sed & Antiochena Sedes nonnullos Metropolitanos in sua diœcesi habet.* Interdum tamen diœcesis vox pro provincia usurpata est, ut apud Hincmarum *epist.* 5. *Dilectis fratribus, & venerabilibus Episcopis Rhemorum diœceseos* .Et *epist. ad Nicolaum Pontificem Romanum. Non solum diœcesis, verùm etiam parochia mea, inter duo Regna, sub duobus Regibus habetur divisa.* Nonnunquam etiam accipitur in notione ea, quâ hodie sumitur, pro Episcopatu, seu territorio Episcopi, ut apud Sidonium Apollinarem *lib* 7. *epist.* 16. *Ita populos excessu Pontificum orbatos tristis interciså fidei desperatio præmst, nulla in desolatis cura diœcesibus, parochiisque.* Et passim *in collat. Carthag. cap.* 65. 117. & 125. Interdum & pro parochiis, quæ multæ in diœcesi, ut *hic*, & *can.* 53. *hujus Codicis supra* Vide Sirmundum *in notis ad Sidonium*, & Ioannem Filesacum *lib. de parœc. orig. cap.* 1. *ad finem.* Morinum *lib.* 1. *exercit. cap. final.*

4. (d) *Ad Ecclesiæ nomen.*) Id est in Ecclesiæ nomen emat, ut *in l.* 2. *ff. quando ex facto tut.* nam licèt quomodocunque ematur, ad jus Ecclesiæ spectet; tamen ut omnis litis occasio amputetur, & facilè constet ex pecunia Ecclesiæ, vel ejus fructibus id emptum esse, jubent Patres, ut instrumentum nomine Ecclesiæ scribatur, quia tali instrumento standum est, & ei acquisitum esse, cujus nomine confectum est, creditur, *l. cum precibus, C. de probat.* Apulejus *in apolog.* ibi: *Pudent illæ nomen in tabulis esse* Ubi notavit Gentilis *fol.* 485.

CAPUT

CAPUT III.

Ex epistola Pii (a) *Papæ.*

UT unusquisque Presbyter res, quas post dies consecrationis acquisierit, propriæ Ecclesiæ relinquat.

NOTÆ.

(a) *Pii Papæ.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. sed rectiùs Burchardus *lib.* 3. *Decreti*, *cap.* 121. Carnotensis *p.* 3. *Decreti*, *cap.* 96. Gratianus *in cap.* 1. 12. *quæst.* 3. citant textum hunc ex Concilio Carthag. 3. temporibus Siricii Pontificis celebrato; non tamen in præsenti refertur aliquis canon ipsius Concilii, sed summarium canonis 49. Verba autem referuntur à Gratiano *in dicto cap.* 1. & *in Codice canonum Eccles. Afric.* notis illustrato à Justello, ita leguntur *can.* 32. *Item placuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicunque clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Episcopatus, vel clericatus sui agros, vel quæcunque prædia nomine suo comparant, tanquam rerum dominicarum invasionis crimine teneantur, nisi admoniti, in Ecclesiam eadem ipsa contulerint. Si autem ipsis propriè aliquid liberalitate alicujus, vel successione cognationis obvenerit, faciant inde, quod eorum proposito congruit. Quod si à suo proposito retrorsum exorbitaverint, honore ecclesiastico indigni, tanquam reprobi judicentur.* Causa autem hujus sanctionis, seu canonis, ut constat ex Baronio *anno* 397. *num.* 53. Severino Binio *tom.* 1. *Concil. in notis ad ipsum canonem* 49. ea fuit, quod cùm redditâ Ecclesiæ pace, sedatoque Arrianorum tumultu, Ecclesia ubique bonis affluëret, complures ex ipsis, qui eidem Ecclesiæ ministrabant, pietatem in quæstum convertentes, studio sanctitatis, & curâ pauperum abjectis, ardore dumtaxat colligendi divitias flagrabant. Quare PP. in præsenti Concilio statuerunt, ut Ecclesia sibi vindicet ea bona, quæ clericus ex rebus ejus intuitu quæsitis comparavit; eosque tanquam rerum Ecclesiæ invasores teneri, si ea non restituant, sanxerunt. Quæ posteriora verba difficilia videntur ex eo; nam constat, invasorem esse, non qui propria tenet, sed qui aliena ingreditur, *l. invasor* 5. *C. unde vi*: unde & invadere negotia, dicitur *in l.* 5. *ff. de obl. & act.* Faciunt textus *in l.* 1. § *socius*, *ff. de usuris*, *l.* 3. §. *sin autem*, *ff. de vi & vi*: quo sensu accipitur Concilium Carthag. 3. *can.* 38. in illis verbis: *G. plebem, quam invaserat, usque hodie commonitus secundùm quod fuerat statutum, relinquere contemnit.* Extat *in cap. petimus* 11. *q.* 1. Concilium Aurel. 3. *can.* 21. ibi: *Si quis res Ecclesiæ debitas, vel proprias sacerdotis horrenda cupiditate occupaverit.* Concilium Meldense *can.* 61. sub Sergio Aurelian. 4. sub Vigilio, *can.* 25. Sed Episcopus, Presbyterve dominium habet fructuum proprii beneficii, ut infrà dicemus, *cap. final.* Ergo detinendo quæ sua sunt, invasores dici non debent. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, Episcopos, vel presbyteros retinentes bona empta ex fructibus sui beneficii, verè invasores non esse, quia dum vivunt, earum rerum usufructu potiuntur, detinendo tamen bona Ecclesiæ propria, aut saltem debita, quasi invasores judicari. Quam improprietatem hujus invasionis satis expressêrunt Patres in præsenti canone, ibi: *Tanquam rerum dominicarum invasionis crimine teneantur obnoxii.* Ubi verbum, *tanquam* non eos verè invasores, sed quasi invasores esse significat, ut colligitur *ex l. pecuniam* 36. *ff. de rebus credit. cap. solitæ, de major. & obed* ubi Glossa *verbo Tanquam*: plura Barbosa *verbo Tanquam.* Pro quâ sententia expendi potest ratio Concilii Parisiensis sub Gregorio IV. & Ludovico, *lib.* 1. *cap.* 16. ubi ratio præsentis sanctionis exprimitur per hæc verba: *Quoniam multos presbyterorum occasione taliter emptarum rerum Ecclesias, quibus præsunt, spoliasse, & à suo monasterio multis modis exorbitasse, & se diabolo mancipasse, multosque laicorum ex hoc facto in damnationis scandalum, & perditionis protraxisse cognovimus.* Et si verbum *tanquam*, cum proprietate accipiatur, adhuc dici potest, clericos in præsenti specie esse invasores, non quia bona Ecclesiæ actu propria, sed illi debita usurparunt; ex Concilio Aurelian. 3. *can.* 22. in illis verbis: *Si quis sacerdos res Ecclesiæ debitas, vel proprias horrenda cupiditate occupaverit, retinuerit, aut à potestate ex competitione perceperit, si eas non restituerit, nullis rebus excusatur.* Quare cùm bona empta à presbyteris in præsenti specie Ecclesiæ acquisita essent, rectè docetur, presbyteros ea malo animo detinentes, invasionis crimine teneri.

CAPUT IV.

Ex Concilio (a) *Rhemensi.*

INquirendum est, si quis Presbyterorum de redditibus Ecclesiæ, vel oblationibus, vel votis fidelium alieno nomine res comparavit: quia sicut nec suo, ita nec alieno nomine Presbyter fraudem facere de facultatibus ecclesiasticis debet: quoniam hoc sacrilegium est, & par crimini Judæ furis, qui sacras oblationes asportabat, & furabatur.

NOTÆ.

1. (a) *Remenſi.*] Ex hoc Concilio citatur textus hic in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 6. & à Burchardo *lib.* 3. *Decreti. cap.* 122. Carnotenſi *p.* 2 *cap.* 93. Sed veriùs credo, tranſcriptum eſſe ex Capitulis Hincmari Rhemenſis, ut textus *in cap.* 1. *hoc tit.* ubi præſens textus reperitur in hæc verba: *Inquirendum, ſi occaſione hujus præcedentis capituli* (quod extat ſuprà *in cap.* 1.) *aliquis Presbyterorum ab hinc de redditibus Eccleſiæ, vel oblationibus, ac votis fidelium alieno nomine res comparaverit, & ibi ſtructuras fecerit, vel quæ ad Eccleſiam pertinent, ibi collocaverit, & mulierum frequentiam inibi fieri permiſerit, vel quod turpius eſt, tales mulieres ibi habuerit, quæ lanificium ſuum exerceant, & curam domus habeant, & ad eadem loca presbyter incongruè recurrerit, frequentaverit, vel manſerit: quoniam contra decreta canonum hoc malum agitur, à quibus perpetratur; quia ſicut nec ſuo, ita nec alieno nomine Presbyter, vel quilibet ſub regula fœnus exercere debet; multò minus autem fraudem facere de facultatibus eccleſiaſticis; quoniam hoc agere ſacrilegium eſt, & par crimen Ananiæ, & Sapphiræ, atque Judæ furis, qui ſacras oblationes, quæ ad uſus fidelium, ac pauperum mittebantur, aſportabat, & furabatur. Nam aliud eſt ſine diſpendio Eccleſiæ amicis, vel pauperibus, parentibus, aut quibuslibet inceſtuoſis* (barbarè pro *indigentibus*) *ex charitate cum menſura, & ratione ſubvenire, vel adjutorium ferre; & aliud cum deſtructione Eccleſiæ, vel diſſipatione facultatum eccleſiaſticarum, quaſi furtim, immò furtim, quæ Eccleſiæ eſſe debuerant, & uſibus illius, ac pauperum, ſeu hoſpitum impendi, carnalium carnaliter uſibus ſine divino reſpectu inſervire: & de nihil habentibus promotus Presbyter non præſumat, quæ de facultatibus Eccleſiæ comparaverit vendere, vel quaſi ad caſam Dei tradere, niſi ad Eccleſiam, cujus propria eſſe debent, ſine conſulto Epiſcopi.* Ex quibus verbis apertè conſtat, in præſenti agi de clericis, qui ſtructuras, id eſt fabricas, ut *in l.* 1. *C. de excuſat. artif. lib.* 10. negotiationis causâ, ubi mulieres lanificium facerent, fœnusque exerceretur, fecerint: quæ omnia reprehenſione digna cenſuerunt PP. in præſenti. Tum quia clerici fœnus, aut ſimilem negotiationem non debent exercere ſuo, vel alieno nomine, *cap. ultimo*, 46. *diſtinct.* Tum quia illis familiaritas cum fœminis prohibetur, ut probavi *in cap.* 1. *de cohabitatione clericorum.* Tandemque quia domos illas, ſeu fabricas, & bona in eis illata detinendo, ſacrilegii, aut invaſionis crimen committunt, ut faciebat impius Judas, qui ſacras oblationes exportabat, & furabatur, ut refertur *Joannis cap.* 12.

CAPUT V.

Ex Concilio (a) *Toletano.*

SI quis ſanè clericorum agella, vel (b) vineolas in terra Eccleſiæ ſibi feciſſe probabitur ſuſtentandæ vitæ causâ, uſque ad diem obitus ſui poſſideat. Verùm poſt ſuum deceſſum Eccleſiæ reſtituat, nec teſtamentario, aut ſucceſſorio jure cuiquam hæredum, (c) prohæredumve relinquat, niſi forſan cui Epiſcopus (d) pro ſervitiis, ac præſtatione Eccleſiæ largiri voluerit.

NOTÆ.

2. (a) *Toletano.*] Secundo videlicet, *can.* 4. ut habetur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 7. & in ipſo Concilio apud Loayſam, *fol.* 90. Concilium hoc Toletanum celebratum fuit anno 5. Regis Amalarici, circa tempora Joannis II. erat 565. id eſt, anno Chriſti 527. ut referunt Loayſa *in notis ad ipſum Concilium*, Sahabedra *in chronic. Goth. cap.* 10.

2. (b) *Vineolas.*] Ut *in l. prædia, §. liberto, ff. de inſtruct. legat.* quæ juxta juris principia ſolo cedunt, & per conſequens in dominio ſunt Eccleſiæ, *l. aæo, §. ſi Titius, ff. de acquir. rerum dominio, l.* 2. *§. de arbore, ff. de rei vind. §. ſi Titius, Inſtit. de rerum diviſione.* Illuſtrant Inſtitutarii *ibi*, Hieronymus Magius *lib.* 4. *miſcel. cap.* 7. & ſi fuiſſent meliorationes in aliis rebus Eccleſiæ factæ, etiam ad Eccleſiam ſpectarent, quia creduntur factæ ex fructibus beneficii, latè probant Garcia *de expenſis, capite* 11. *à num.* 71.

3. (c) *Prohæredum.*] Prohæredes dicuntur, veluti bonorum propoſſeſſores, & fideicommiſſarii, ut in Romana Synodo *can.* 3. ibi: *Hanc pœnam placuit hæredes, prohæredeſque reſpicere.* Apud Ivonem *part.* 6. *Decreti, cap.* 131. ibi: *Nulli hæredum meorum, ac prohæredum, nec cuiquam perſonæ alii quicquam debeat ſervitutis.* Notavit Cujacius *hîc.*

(d) *Pro ſervitiis.*] Cùm res donanda modicæ erat æſtimationis, aliàs nec donatio remuneratoria rerum Eccleſiæ ab ejus Prælato fieri poteſt, ut probavi *in cap.* 2. *de donat.*

COMMENTARIUM.

IN his omnibus canonibus à Raymundo compilatis *ſub hoc tit. de peculio clericorum*, agitur non de patrimonio proprio à majoribus habito, aut aliunde quæſito clericorum; ſed de bonis intuitu Eccleſiæ acquiſitis, & fructibus perceptis ex proprio Epiſcopatu, vel beneficio: peculium enim dicitur omne id, quod econverſò clerici cujuscunque conditionis, aut gradus aliunde, quàm ex Eccleſia, ſeu clericatu, ejusve occaſione quæſierunt, & quaſi ſeorſim ab Eccleſiæ rebus habent. Quo in ſenſu Romani peculium non id tantùm, quod filiifamilias, ſervive habebant ſeparatum à rationibus paternis, vel dominicis, ut *in titulo ff. de peculio*, appellabant; verùm & pecuniam receptitiam, quam marito dote datâ mulier ſibi retinebat, nec ad virum

virum transmittebat, peculium dicebant, *l. si ego, § 3. ff. de jure dotium, l. donationes* 31. §. 1. *ff. de donat.* immò id, quod liberi homines, Patresque familias seorsim ab aliis facultatibus suis præsidii causâ seponebant, ut belli necessitate ingruente, , vel alia simili eo uterentur, peculium appellabant, *l. si chorus.* §. 1 *ff de legat.* 3 & generaliter omne patrimonium peculium dici solet, *l. cùm oneri* 16. *ff ad Trebellianum*: & peculium dicitur quasi pusilla pecunia, *l.* 5. §. *penult. ff. de peculio* quo sensu vox illa etiam accipitur *n l* 4. C. *Theodos. de veteranis.* Illustrat pluribus relatis D. Josephus de Retes *lib.* 5. *opuscul cap.* 1. Albericus Gentilis *in lection. Virgil. cap.* 2. De hoc peculio proprio clericorum à majoribus recepto, sive aliunde profecto, seu acquisito, nihil in hoc titulo cavetur, quia de eo, ut cæteri homines, de bonis suis ad libitum in vita, vel in morte disponere possunt, *cap. Episcopi* 12 *quæst.* 2. *cap.* 1. *cap. relatum de testamentis.* Agitur ergo in præsenti titulo de fructibus, & bonis ex oblationibus fidelium intuitu Ecclesiæ acquisitis, & cujus juris sint, videlicet an Ecclesiæ, an Episcopi, vel Presbyteri, qui in ipsa Ecclesia intitulatus est; ut ita cognoscatur, an de illis disponere possint donatione, juxta titulum antecedentem; an testamento, juxta subsequentem? Et quidem circa jus quod habent clerici in fructibus sui beneficii, & Episcopi Episcopatus, variæ sunt Interpretum opiniones, quas singillatim examinat Sarmiento *de redditibus p.* 2. *cap.* 1. & refert Hurtado *de congrua sustent. p.* 1. *lib.* 1. *resolut.* 1. *per totam*; ex quibus tres à Doctoribus magis receptas reperio.

5. Clericos non esse dominos fructuum probatur.

Prima sententia est negativa, videlicet Episcopos, seu clericos beneficiarios non habere dominium fructuum, quos intuitu Ecclesiæ percipiunt: pro qua sententia facit primò, quod quicquid clerici habent ex bonis Ecclesiæ, patrimonium Christi dicitur, *cap. cùm secundùm, de prebend. cap. tua nobis* 26. *de decimis*: & proprietas pauperum appellatur *in cap. final.* 16. *quæst.* 1. sed dominium ejusdem rei penes duos eodem tempore esse non potest, *l. si ut certo* 5. *§. si duobus, ff. commodati*: ergo dominium fructuum beneficii, seu Episcopatus, non potest esse eodem tempore penes Christum Dominum, pauperes, & beneficiarium, seu Episcopum. Secundò; nam si Episcopi, sive clerici, verum dominium in fructibus sui beneficii haberent, eos distribuendo in prophanos usus furtum non committerent, *l.* 1. *§. final. de furtis*: sed clerici non solùm furtum, verùm & sacrilegium committunt prædictos fructus in prophanos usus erogando, *cap. final.* 16. *quæst.* 1. D. Hieronymus relatus *in princip.* 41. *distinct.* ibi: *Aliena rapere intelligitur, qui ultra sibi necessaria retinere probatur.* Alia juris loca congerit Aquil. Statius *epist. ad Navarrum*, adducta ab ipso Navarro *ad calcem quæst.* 3. Ergo quia hujusmodi fructuum non domini, sed tantùm dispensatores, & procuratores sunt, ut dicitur *in cap. expedit* 13. *cap. videntes* 16. *cap. Episcopus* 23. *cap. res Ecclesiæ*, 26. 12. *q.* 1. *cap. Episcopus* 7. 10 *q.* 2. *cap.* 2 *de donat.* Tertiò quia clerici non possunt ampliùs ex his fructibus percipere, quàm necessaria ad victum, *cap. satis est, cap. Episcopus* 7. 10. *q.* 2. *cap. duo sunt* 7. *vers. Illi enim, cap Episcopus* 23. 12. *q.* 1. D. Bernardus *epist.* 40. ibi: *De altario non licet comparare aurea frena, & sellas depictas.* Et infrà: *Quicquid præter necessarium victum, & simplicem vestitum retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Et *epist.* 42. *Clamant nudi, clamant famelici, necessitatibus nostris detrahitur quicquid vanitatibus vestris accedit.* Et super Cantica *sermon.* 23. *columna penult.* ubi reprehendens clericos, qui ex fructibus ecclesiasticis egenos non alunt, ait: *Duplici profectò iniquitate peccantes, quod & aliena diripiant, & sacris in suis vanitatibus, & turpitudinibus abutantur.* D. Hieronymus relatus à Gratiano *in princip.* 44. *distinct.* ibi: *Tibi sacerdos de altari vivere permittitur, non luxuriari.* Quæ omnia cùm conveniant nudum usum obtinentibus, videtur fatendum, Episcopos, & beneficiarios tantùm usum habere in bonis beneficiorum; quod jus illis tribuunt Glossa *verbo Diffinitivam in cap. cùm olim* 7. *de rerum permutatione*, & *verbo Obitus. in cap. final de peculio clericorum.* Archidiaconus *in cap. Episcopi* 12 *q.* 1. quod & pluribus fundamentis adstruit Marcus Antonius Column. *de bonor. Eccles. origine, cap* 23. *per totum*, 3. *p.* Tandem quia si clerici domini essent, de illis fructibus ad libitum disponere possent, tam in vita, quàm in morte, ex regula legis in re mandata, *C. mandati*: sed nec viventes possunt vanè, & profusè redditus beneficiorum expendere, immò si id fecerint, peccare lethaliter, & ad restitutionem teneri, quindecim fundamentis probat Navarrus *in tract. de reddit. quæst.* 1. *num.* 14. & *in apolog. q.* 1. *monit* 38. & 39. Nec testamento de eis disponere posse, constat *ex cap* 1. *cap. cùm in officiis, cap. quia nos, de testam.* Igitur quia non sunt domini hujusmodi fructuum. Hanc sententiam, videlicet beneficiarium non habere verum dominium fructuum sui beneficii, sed tantùm esse dispensatorem talium bonorum, ita ut præter honestam sustentationem ex justitia teneatur residuos in opera pia impendere, tenuerunt Navarrus *de reddit.* Gratianus *in cap. nulli*, §. *si ego* 12. *q.* 1. Archidiac. *in cap. Episcopus* 12. *q.* 1. *Comizol.* 1. *respons. quæst.* 70. Pelagius *de planctu Eccles. lib.* 2. *artic.* 28. Waldensis *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 43. Major *in* 4. *distinct.* 24. *quæst.* 16 & 17. Turrianus *epist. prolix. de reddit.* quam Navarrus prædicto suo operi intexuit, Lessius *de justitia cap.* 4 *num.* 42. pro quibus faciunt P. Blesensis *epist.* 20. *Non militibus, sed pauperibus erogare tenetur patrimonium Crucifixi, cujus ipse non dominus, sed tutor est, ut misereatur & commodet ad usus egentium, tanquam testamentarius dispensator.* Isidorus Pelusiota *lib.* 5 *epist.* 21. & 79.

6. Contraria sententia probatur.

Secunda sententia, quæ affirmat, Episcopos, & clericos habere verum dominium in fructibus, quos ex suis beneficiis acquirunt, probatur sequentibus fundamentis. Primo deducto *ex cap. unico, de cleric. non residen. lib.* 6. Trident. *sess.* 22. *de reform. cap.* 3. & *sess* 23. *cap.* 1. ubi statuitur, clericos divinis officiis non interessentes distributiones ecclesiasticas non lucrari, nec eorum dominium acquirere: quod item sanxerat Concilium Lateranense sub Leone X. *sess.* 9. Ergo si resideant, illas suas faciunt. Nec satisfacies si dicas, jus regulare constitui erga hujusmodi distributiones; nam cùm titulo ecclesiastico percipiantur, nihil interest quod ad dominium sub nomine fructuum, vel distributionum percipiantur, ut contrà Navarrum defendit Sarmiento

miento *de reddit. 4. p. cap. 10. num. 1.* Secundò faciunt textus *in cap. 2. de fidejuſſ. cap. 2. de arbitr.* ubi jubetur; ut ex fructibus inopis beneficiarii ejus debita exſolvantur; quorum ſi dominus non eſſet, debitum ſolutum repeti poſſet per Eccleſiam, ex regula legis *ſi alieni 78. ff. de ſolut.* Igitur quia hujuſmodi fructuum domini ſunt. Tertiò, nam id quod commune eſt, meum eſt, quatenus ad diſpoſitionem partis meæ, *l. ſervi electione 5. §. Labeo, ff. de legat. 1. l. in re communi 25. ff. de ſervit. urban. l. pupillus 239. §. final. ff. de verb. ſignif.* ergo etiamſi bona Eccleſiæ ejus in cunabulis communia eſſent; tamen quoad portionem clericis debitam dominium obtinebant; & multò magis poſt diviſionem obtinent, cùm per diviſionem, & adjudicationem dominium acquiratur, §. 1. *Inſtit. de offic. jud. eis*, cum adductis à Sarmiento *dicto cap. 1. num 4.* Deinde non modicùm juvant textus *in cap. venerabilis 7. de except. cap. pro illorum 22. de præbend.* ubi beneficium clerici proprium dicitur, & ejus redditus ſui dicuntur *in cap. final. de his quæ fiunt à majori parte*; ſuum verò cuique, id eſt, quod in ejus dominio habetur, *l. unica, C. de thesaur. lib 10.* Nec abſurdum eſt, ut redditus ad dominium beneficiarii pertineant, quando ipſum beneficium, cui accedunt, titulo dominii retinetur, *ex dicto cap. pro illorum 22.* faciunt etiam textus *in cap. unico, de cleric. ægrotant. lib. 6.* in illis verbis, *Proventus Prælatorum*, ſi obſervemus genitivi adjectione dominium ſignificari: & Trident. *ſeſſ. 23. cap. 1. de reform. & ſeſſ 24. cap. 12.* ubi docetur, certis in caſibus beneficiarios ſuos fructus non facere. Igitur illis exceptis, Epiſcopi, & beneficiarii fructus eccleſiaſticos lucrantur. Tandem, nam ipſorum fructuum natura tale dominium non refugit, aut reſpuit; ſiquidem conſtat, beneficia ex decimis à fidelibus præſtandis, & poſſeſſionibus ab eis oblatis erecta fuiſſe, ut probant Bellarminus *tom. 1. controv. lib. 1. de clericis, cap. 25.* Marcus Antonius Column. *dicto cap. 26 num. 1.* Decimæ autem etiam in lege veteri Levitis à Domino datæ fuerunt. *Numeror. cap. 18.* ubi notanda ſunt verba illa, *filiis Levi dedit omnes decimas*, quæ innuunt, fuiſſe conceſſas ratione dominii: nam verbum *dare*, dominii translationem ſignificat, *l. ubi autem 57. §. ult. ff. de verb. oblig.* & in lege gratiæ dominii titulo clericos decimas percipere, conſtat *ex cap. tua nobis 24. de decimis.* Poſſeſſiones etiam eo animo à fidelibus Eccleſiæ donari, ut in ejus, & Prælatorum dominium tranſeant, liquet ex Clementina *quia contingit, de relig. domibus.* Trident. *ſeſſ. 22. de reform. cap. 6.* unde hanc ſententiam tenuerunt cum D. Thoma 2. 2. *q. 85. art. 7.* Sotus *de juſtitia lib. 20. q. 4. artic. 3.* Covar. *in cap. cùm in offic. num. 6. de teſtam.* Sarmient. *dicta 4. p. cap. 1. cum ſeq.* Molina *de primog. lib. 2. cap. 10. à num. 48.* Thomas Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 20. num. 24.* plures relati ab Hurtado *de congrua ſuſtent. dicta reſol. 1.* Trullench *in Decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 6.* Vasquez *in opuſcul. de reddit. cap. 1. §. 2. dub. 1. num 27.* Prado *tom. 1. Theolog. moral. cap. 13. q. 7.* Theophilus Raynaudus *tom. 12. tract. mala & bon. Eccleſ. fol. 584.* Barboſa *lib. 3. juris Eccleſ. cap. 17. num. 9.* & *in cap. quia tua 12. q. 1.* fusè, & doctè poſt hæc ſcripta editus D. Joſephus de Retes *de donat. cap. 12. per totum*, Diana *p. 5. tract. 8. reſol. 31.* Lugo *de juſtitia, diſput. 4. ſect. 1. num. 2.* Caſtropalao, Villalobos, & alii, quos refert & ſequitur Hieronymus Garcia *in ſumma, tract. 1. difficult. 4. dub. 1.* Tertia ſententia parum à prioti differt; ſiquidem Epiſcopos, & beneficiarios tantùm uſurarios, vel uſufructuarios eſſe admittit.

Sed retentâ ſecundâ ſententiâ, quæ verum dominium fructuum Epiſcopis, & cæteris clericis tribuit, non obſtant prioris ſententiæ fundamenta. Non primum, cui ut ſatisfaciamus, notandum eſt, dominium triplex eſſe. Primum abſolutum & plenum, quod tantùm Deus ut Dominus univerſalis in omnibus rebus obtinet: ſecundum verò nuncupatur medium, quod homo in ſuis rebus ad diſponendum de illis habet: tertium vocatur infimum, quod habet Rex in bonis ſubditorum ad diſpenſationem pro communi utilitate. Unde dicendum eſt, textus *in dicto cap. cùm ſecundum, cap. tua. de decim cap. cùm ex eo. de elect. lib. 6.* accipi de dominio pleno, & abſoluto: at verò in præſenti agimus de dominio medio; unde nihil impedit, quin in fructibus eccleſiaſticis Deus dominium abſolutum, beneficiarii verò dominium medium obtineant. Nec obſtat ſecundum fundamentum negativæ ſententiæ deductum ex auctoritatibus D. Hieronymi, Bernardi, & aliorum; nam textus illi procedunt tempore primitivæ Eccleſiæ, cùm bona omnia in communi poſſidebantur, ante diviſionem ſancti Simplicii, de qua *in cap. quatuor, cap de redditibus 12. q. 2.* quam temporum diſtinctionem, & varietatem illuſtravi *in cap 1. cap. 3. de præbend.* & noviſſimè juxta diverſitatem temporum, & provinciarum illuſtrat D. Joſephus de Retes *dicto cap 12.* Cùm enim adhuc bona, quæ in communi poſſidebantur, diviſa non eſſent, ſi ex eis Epiſcopi, aut clerici ultra ſibi neceſſaria percipiebant, furtum perpetrabant. Ad idem tempus referendi ſunt textus *in dicto cap. Epiſcopus 7. cap. duo ſunt*; nam cùm adhuc beneficia inſtituta non eſſent, non poterant clerici ex bonis ipſius communibus ultra neceſſaria ſibi accipere; poſtquam verò beneficia inſtituta fuerunt, veri domini ſunt fructuum ipſorum. Nec obſtat ultimum fundamentum, cujus duæ ſunt partes. Prima negat clericis facultatem diſponendi inter vivos: altera eandem facultatem negat morientibus; ſed non exinde deducitur, clericos dominium fructuum non habere. Sunt quippe clerici domini redditum ſuorum beneficiorum, ſed impediuntur de eis in prophanos uſus diſponere; quia facultas diſponendi de ipſis reſtricta fuit per ſacros canones, ita ut nec teſtamento, nec inter vivos de his, quæ ſuperſunt, diſponere poſſint, ut dicemus *in titulo ſequenti, cap. 1. cap. cùm in officiis.* Nec novum eſt, ut qui dominium alicujus rei habet, de ea diſponere non poſſit *ex principio, & toto titulo Inſtitut. quibus alienare licet*; quod contingit fideicommiſſario, qui ante reſtitutionem dominus eſt, *l. final. § ſin autem; C. communia de legat.* in ſervo, cui ſub conditione libertas relicta eſt, qui interim hæredis eſt, licèt ab ipſo alienari non poſſit, *l. generaliter, §. ſub conditione, ff. qui & a quibus, l. 1. §. in ſervis, ff. ad Syllanianum.* Unde rectè dominium fructuum beneficiorum ſtare poteſt penes clericos, licèt diſpoſitio limitata & reſtricta ſit per ſacros canones. Improbandus tamen eſt Navarrus *ubi ſupra*, qui cenſuit, clericos prophanè expendentes in vitâ fructus proprii beneficii, ad reſtitutionem teneri;

7. Reſpondetur fundamentis negativæ.

neri; nam si restituere deberent prædictos fructus, maximè quia res alienas, aut injustè possessas alienarent, vel in alios usus, quàm eos, ad quos destinatæ erant, consumerent; quibus ex capitibus restitutionis obligatio nasci solet, *cap. sicès aliena* 14. *q.* 6. Quod autem neutrâ ex his rationibus clerici teneantur, ex eo evincitur, quia fructus isti ratione dominii ad ipsos pertinent, ut probatum manet; & percipiunt eos justo titulo, videlicet divisionis, & adjudicationis, cujus fiunt participes mediante canonica institutione: nec eo casu, quo in prophanos usus expendunt, peccant contra legem justitiæ, sed tantùm contra legem charitatis, juxta quam strictiùs ipsi tenentur superfluum in pauperes erogare, quàm laici. Facit etiam, nam si ipsi contra justitiam peccarent, daretur actio Ecclesiæ, vel pauperibus ad rescindendam ipsam alienationem, & bona recuperanda, ut contingit fideicommissario in casu suprà relato: sed nulla actio competit Ecclesiæ, vel pauperibus ad recuperanda bona ita profusè expensa: igitur quia talis dissipatio non fit contra legem justitiæ, & per consequens non manet restituendi obligatio. Prosequuntur Sarmientus *ubi suprà*, Hurtado *de congrua sustent resol.* 1. *per totam.* Manet ergo, dominos esse bonorum, quæ intuitu Ecclesiæ acquisierunt, & nullo modo donationes, similesve alienationes ab eis factas irritari posse, licèt verum sit, eos mortaliter peccare contra præceptum charitatis, profusè dissipando, ut pluribus relatis docet Solorzanus *tom.* 2. *de jure Indiarum, lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 26. omninò videndus est D. Josephus de Retes *in aureo tractatu de donationibus, cap.* 12. *per totum.*

TITULUS XXVI.

De testamentis.

CAPUT I.

Gregorius (a) *Anthemio Campaniæ Subdiacono.*

QUorundam ad nos relatione pervenit, quod (b) Importunus (c) Attellanæ civitatis Episcopus, dum de hac luce (d) migraret, condito testamento in octo unciis totius (e) substantiæ suæ nurum (f) suam hæredem instituerit, & Ecclesiam suam in residuis (g) quatuor. Hortamur ergo experientiam tuam, ut solitâ inquisitione discutias, & quicquid Ecclesiæ ipsius esse (h) patuerit, à qualibet persona detineri nullatenus patiaris, nisi hoc solum, quod eum ante Episcopatus ordinem proprium habuisse constiterit. Quicquid verò vel ante Ecclesiæ ipsius esse cognoveris, vel in (i) Episcopatus ordine prædictum Episcopum acquisiisse, in ejusdem Ecclesiæ conservetur (j) dominio, ne quisquam exinde aliquid usurpare qualibet occasione præsumat. Clerum verò, plebemque ejusdem Ecclesiæ cum omni te volumus instantia commonere, quatenus præficiendum sibi sine dilatione aliqua (k) eligant sacerdotem, qui Clerum, plebemque, vel res Ecclesiæ ipsius cauta, regularique valeat observatione disponere. Pariter etiam Clerum, plebemque ipsius Ecclesiæ, vel quæ ei unitæ sunt, Cumanæ instantiùs commoneto, quatenus & ipsi omni morâ, dilationeque postpositâ aptum sibi eligere debeant sacerdotem, ne diu, & tali præsertim tempore, Pastoris proprii sint regimine destitutæ.

NOTÆ.

1. (a) *Gregorius.*] In hac sexta collatione textus hic tribuitur Gregorio IX. in aliis Gregorio III. sed malè, cùm auctor ejus sit Gregorius Magnus *lib.* 7. *epist. indict.* 5. *epist.* 52 ex quo regestro ita restituo integram, & epigraphen hujus textus. De Anthemio Subdiacono jam nonnulla notavi *in cap.* 3. *de elect.*

(b) *Importunus.*] Cui etiam, suppresso nomine dignitatis, rescribit idem Gregorius *libro.* 2. *epist.* 10.

2. (c) *Attellanæ.*] Attella civitas est Campaniæ; vulgò *S. Arpino*: habuit Ecclesiam Cathedralem D.D. Gonzal. in Decretal. *Tom. III. Pars I.* jam à primis Ecclesiæ sæculis: ex ejus Episcopis primus subscripsit Synodo Romanæ sub Hilario; & Felix tertiæ Synodo Romanæ sub Symmacho, ut refert Carolus à sancto Paulo *lib.* 1. *geograph sacr. fol.* 55.

(d) *Migraret condito testamento.*] Plerunque enim testamenta fiunt in ipso vitæ exitu. Concilium Salzeburg. tempore Martini V. *can* 28. Non obstante consuetudine, quæ potiùs est corruptela, ubi jura testamentorum factionem non prohibent. Etiam in lecto ægritudinis constitutus legare, disponere & ordinare potest de bonis sibi collatis à Deo piis locis, aut aliis; unde suprema contestatio dicitur *in l.* 20. §. *ult. ff. de*

testam. ultimum elogium, ultimus sermo, postrema vox, ut probat Brissonius *de verb. signif. verbo Testamentum.* Ea enim, quæ in testamento disponuntur, eo animo relinquuntur, ut post mortem habeant effectum: unde Consultus *in l* 1. *ff. qui testamenta*, testamentum ita diffinit, ut sit justa voluntatis nostræ sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult; morte enim testamentum confirmatur, nec antea viventis datur hæreditas, *l.* 1. *ff. de hæreditate*, *l.* 2. §. *interdum*, *ff. de vulgari*: confirmatur enim morte, *l.* 1. *C. de sacros. Eccles.* ibi: *Postquam jam velle non possunt*: procemium tituli 1. *partit.* 6. ubi Gregorius *glos.* 2. unde rectè arguebat D. Paulus ad Hebræos *cap.* 9. *vers.* 16. *&* 17. his verbis: *Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet dum vixit qui testatus est.* Quæ verba transcripsit Pontifex *in cap. cùm Martha, de celebrat. Missarum* & explicuit Lactantius *lib.* 4. *divinarum instit. cap.* 20. unde supervacua erat cautio illa testatorum, quâ disponebant, ut tunc demùm ille, aut ille hæres esset, cùm decederent, de qua Salvianus *de avarit. fol.* 126. ait: *Sed in testamento ipso providentissimè caves, & solicitè ac diligenter inscribis: Quando ego ex rebus humanis excessero, tunc mihi charissime hæres esto.* Notarunt Ritherursius *ibi*, Mancinus *de triplici juris collat. cap.* 22. Carranza *de partit. tit. de moriente*, & infrà dicemus *in cap. Raynuntius.*

4. (e) *Totius substantiæ.*] Id est patrimonii, census, seu fortunæ; passim enim in jure substantia accipitur pro censu, seu patrimonio, *l. cogi* 16. *ff. ad Trebellianum*, *l.* 51. *ff. de petit. hæredit. l.* 3. §. *nunc videamus*, *ff. de suspect. tut. l. in duplicibus*, *ff. ad leg. Falcid. l. Lucius*, §. *Ducius. ff. ad Trebellianum. l. Julianus, ff. qui & à quibus. l. Titia*, §. *Lucius, ff. de legat.* 2. Brissonius *de verb. signif. verbo Substantia.*

5. (f) *Nurum suam hæredem instituit.*] Quæ institutio duplici ex capite impugnari potest. Primò ex lege Voconia, quâ cautum fuit, ne quis fœminam hæredem faceret ultra quadrantem, sive ut Diocalius scribit *lib.* 56. ultra vigintiquinque millia sexterc. quæ quarta pars est bonorum ejus, qui census dicitur. D. ea De Augustinus *lib* 3. *cap.* 21. ibi: *Nolebant divites fieri fœminas. Intolerabilius nihil est, quam fœmina dives.* Et *l. qui concubinam* 29. §. *cùm ita, de legat.* 2. ex Quintiliano *declamat.* 264. probat Balduinus *ad eandem legem Voconiam*: ex Livio, Cicerone, & Gellio probat Covar. *in cap. Raynuntius, in princip. num.* 35. ad quam legem Voconiam observo spectare legem *codicillis* 18. §. 1. *de annuis legat.* ibi: *Sempronia soror ex triente*; & ibi: *Abstinuerat.* Secundò institutio hæc impugnari poterat ex eo, quia filii spurii hæredes instituti non possunt à clericis, *authent. ex complexu, C. de incest. nupt. l.* 10. *tit.* 13. *p.* 6. *l.* 10. *tit.* 5 *lib.* 3. *fori, l.* 10. *Tauri, l.* 6. *tit.* 8. *lib.* 5. *recopil.* Molina *lib.* 1. *de primog. cap.* 4. *num.* 45. & *lib.* 2. *cap.* 11. Peregrinus *de fideicom. art.* 11. *num.* 67. & *de jure fisci lib.* 3. *tit* 18. Castillo *lib.* 5. *controvers. cap.* 67. Borellus *de Magistr. lib.* 1. *cap.* 7. & *lib.* 2. *cap.* 2. & *de præstant. Regis, cap.* 30. *num* 30. Flores à Mena *q.* 16. Solorzanus *tom.* 2. *de jure Indiarum, lib.* 2. *cap* 17. *num.* 7. Valenzuela *consil.* 10. Sed per nurus personam hæreditas perveniebat ad filium spurium: Igitur sustineri non poterat institutio, *ex l. quare* 38. *ff. de bonis libert. l. si postulante* 67. §. *final, ff. ad Trebellianum, l. nec per se, C. de hæred. instit.* docuit latè Matienzo *in l.* 6. *glos.* 8. *num.* 27. *tit.* 8. *lib.* 5. *recop.* Quibus difficultatibus antequam satisfaciamus, sciendum est primis Ecclesiæ nascentis temporibus habentes filios fideles, non accusatione luxuriæ natos, potuisse in Episcopos eligi, & consecrari, juxta D. Paulum *ad Timotheum cap.* 13. ibi: *Filios habentem*; relatum *in cap.* 1. 26 *distinct.* & supponitur *in cap. sint manifestæ*, ibi: *Aut filios*; & *cap. Episcopus qui filios*, 12. *q.* 2. & aliis congestis ab Antonio Augustino *in epith. lib.* 4. *tit.* 25. & 37 Probant Barbosa *de potest. Episcop. 1. p. tit.* 2. *glos.* 4. Baronius *tom.* 1. *anno* 58. *num.* 13. Lemaistre *de instit. Episc. lib.* 1. *cap.* 6. Quod prohibitum fuit, ne filiorum amore bona Ecclesiæ dilapidarent, primò à Pelagio *in cap. Cathinensis* 17. 61. *dist* & successoribus, *in cap. priùs, cap. de Syracusanæ*, 28. *dist.* & à Justiniano *in Novella* 123. Sed mox antiqua consuetudo renovata fuit, ut constat *ex dicto cap qui filios* Similis etiam varietas circa eos, qui concubinam habuerunt, in Episcopos eligendos, contigit: primis enim temporibus eligi non poterant in Episcopos, qui aliquando concubinam habuissent; sed sequentibus sæculis id permissum fuit, *cap. final.* 51. *dist.* unde præsens textus exaudiendus est de Episcopo filium illegitimum habente: nam si filius esset legitimus, ipsum instituere hæredem; immò si nurum instituret, eo præterito, testamentum nullum esset, *l. inter cætera, cum vulgatis, ff. de liber. & posthumis*; nisi dicamus, filium legitimum, sed jam prædefunctum fuisse. Nec tunc obstat, quod de lege Voconia dicebamus; nam jam pluribus retrò annis abrogatam fuisse constat *ex* § *cæterùm, Instit. de legit. agnat. succeff.* & docuerunt Cujacius *lib.* 31 *qq. Papin. in l. in multis* 9. *ff. de statu homin.* Antonius Augustinus *de legibus cap.* 1. *de lege Voconia*, Balduinus *eodem tractatu.* Nec obstat alia pars ipsius difficultatis; nam licèt Episcopi, aut clerici non possent hæredes instituere filios illegitimos, poterant tamen instituere nurus, seu generos; nec talis institutio fraudis suspicione argui potest, ex ratione textus *in l. final. ff. de his quibus ut indign.* ibi: *Si gener socerum hæredem reliquerit, taciti fideicommissi suspicionem sola ratio paternæ affectionis non admittit.* Nec lucrum quod provenit ex hac hæreditate venit in considerationem; siquidem immediatè non capitur à patre, sed propter personam conjugis: & ita filii incapacitas non attenditur, argumento legis *si is qui* 6. *ff. de vulgar. l. si is qui, ff. de liber. legat. l.* 24. *ff. ad legem Corneliam de falsis*: docent Covar. *in* 4. *p.* 2. *cap.* 8. §. 1. *num.* 13. Antonius Gomez *in l.* 9. *Tauri, num.* 18. Parladorius *lib.* 1. *rerum quotid. cap.* 16. Larrea *decis.* 95 *per totam.* Valenzuela *consil.* 7.

6. (g) *In residuis quatuor.*] Plerunque enim testatores hæreditatem suam in duodecim uncias dividunt, & ita ad assem perveniunt, *l. interdum* 13. §. 1. *l. servus* 50. § *ult. ff. de hæred. instit.* § *hæreditas. Instit. eodem tit.* quæ divisio dicitur solennis *in d. l.* 13 §. 1. quia Romani semper uti solebant asse, ut probant Mariana *de ponder. cap.* 2. Vultejus, Balduinus, & alii Institutarii *in dicto* §. *hæreditas.* Duarenus *lib.* 2. *disput. cap.* 36. cujus moris rationem reddit Hieronymus Magius *lib.* 1. *Miscel. cap.* 15. Partes assis sunt, prima uncia, totius assis pars duodecima: sextans,

sextans, quasi sexta pars assis : tres unciæ appellantur quadrans, quasi quarta pars assis : quatuor unciæ triens, quasi tertia pars assis : quinque unciæ, quinquinx : sex, semis : septem, septunx : octo, bes : novem, dodrans : decem, dextans : undecim, deunx : duodecim, as. De eis Juvenal. *satyr.* 1.

Unciolam Proculejus habet, sed Gilo deuncem.

Uncia etiam in minutiores partes dividebatur, veluti in semunciam, cujus mentio fit *in l. Papinianus* 8. §. *quoniam, ff. de inoffic. l. item* 17. §. 1. *ff. de hæredib. instit.* Rursus semuncia in tres sextulas, & una sextula cum dimidia dicebatur sicilicus, cujus mentio fit *in l. liberto* 22. § *filia, ff. de annuis legat.* Unde Episcopus in præsenti casu de asse integro disposuit, nurum instituendo in octo uncias, Ecclesiam verò in reliquis quatuor.

7. (h) *Ipsius esse patuerit.*] Consonant textus *in cap.* 1. 12. *quæst.* 5. *cap. sint manifestæ* 12. *quæst.* 1. pro quorum jurium expositione Glossa *in dict. cap.* 1. Panormitanus *in cap. cùm esses, num.* 24. *hoc tit.* Bertachinus *de Episcopo, p.* 4. *cap.* 4 Barbosa *in cap.* 3. *column* 2. *de pecul. cleric.* docent, onus hoc probandi bona intuitu Ecclesiæ fuisse acquisita, non semper incumbere Ecclesiæ, aut hæredibus Episcopi, sed possessorem bonorum similium transferre onus probandi in adversarium, ut in aliis judiciis evenit : sed verius credo, semper onus hoc probandi incumbere hæredibus Episcopi ; quia à jure præsumitur, omnia bona ab Episcopis, vel clericis acquisita post consecrationem, intuitu Ecclesiæ fuisse quæsita, ut superiori titulo probavi ; unde ob hanc juris præsumptionem, quâ Ecclesia semper nititur, onus probandi incumbit hæredibus Episcopi. Ut autem omnis ambiguitas tollatur, in jure cautum est, ut Episcopus ante consecrationem teneatur facere inventarium omnium rerum quæ possidet, ut constet postea acquisita, intuitu Ecclesiæ fuisse quæsita, *cap. manifestæ, cap. sint manifestæ* 12. *quæst.* 1. Solorzanus *lib.* 3. *de jure Indiar. cap.* 11. *num.* 6. & non solùm Episcopum regularem, verùm & sæcularem debere inventarium hoc conficere, latè probat Parexa *de instrum. edit. tit.* 5. *resol.* 5.

8. (i) *In Episcopatus ordine.*] Ex his verbis apertè probatur, Episcopatum esse ordinem distinctum à Presbyteratu, & aliis gradibus sacris ; quod etiam probatur *ex can.* 1. 2. 68. *&* 69. *Apostolor. cap. Episcopus cùm ordinatur, 23. distinct. cap. Episcopi, cap.* 5. 64. *dist. cap.* 1. *vers. etsi in hoc, 32. distinct. cap. si servus* 54. *distinct. cap. illud* 77. *dist. cap. Diaconus, 93. dist. cap. quotiens* 5. ubi Glossa, *verbo Sui ordinis, de purgat. canonic* Quomodo autem id procedat in sententia eorum, qui tenent septem tantùm gradus dari in Sacramento Ordinis, exponunt Sebastianus Cæsar *de Eccles. hierarch. quæst.* 4. §. 3. Barbosa *de potest. Episcop. part.* 1. *cap.* 2. & 2. *part. alleg.* 1. *num.* 18. Hallierius *de sacris elect. section.* 1. *de numero Ordinum.*

9. (j) *Conservetur dominio.*] Immò hæc bona successori debent reservari, *cap. illud,* 12. *quæst* 2 *cap. præsenti. de offic. Ordin. lib.* 6. *cap. quia super, de elect. eod. lib. cap.* 4. *de constit. in* 5. *compil.* cujus verba dedi in calce textus *in cap.* 45. *de elect.* Igitur non Ecclesiæ viduatæ competunt. Hujus opinionis plures Doctores refert Solorzanus *de jure Indiar. lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 6. ubi varia congessit de spoliis Episcoporum : sed pro temporum, & provinciarum varietate textus hos exposui *in cap.* 4. *de offic. ordin. num.* 7.

(k) *Eligant.*] Temporibus enim Gregorii Magni electio Episcoporum spectabat ad Clerum cum collaudatione plebis, ut probavi *in cap.* 2. *de elect.*

COMMENTARIUM.

EX hac D. Gregorii epistola sequens communiter deducitur assertio : *Episcopus de rebus patrimonialibus testamentum facere potest ; de rebus verò intuitu Ecclesiæ acquisitis testari non valet.* Probant eam textus *in cap. Episcopus* 19. *cap. sint manifestæ, cap. manifesta* 12. *quæst.* 1. *cap. Episcopus* 34. 12. *quæst.* 2. *cap. placuit* 1. *cap.* 3. 12. *quæst.* 3. *cap. nulli* 1. *cap. obitum, cap fixum, cap. si Episcopus* 12. *quæst.* 5. *cap. cum multæ* 12. *quæst.* 8. *cap. relatum* 12. *hoc titul. cap. cùm dilectus, de jurepatron. cap. si quis Episcopus* 5. *cum sequent. de hæretic. cap.* 8. *hoc titulo, in* 1. *collect. cap.* 1. *de succes. ab intest. cap.* 3. *eod. titulo, in* 1. *collect.* Gregorius noster *lib.* 9. *epist.* 1. ibi : *Quicquid prædictus pater tuus Episcopatus sui tempore de proprio Ecclesiæ constiterit conquisisse, ne tollas, quia & sacrorum canonum legibus noscitur esse dissimum, ut in his, quæ Antistes Episcopatus tempore acquisiverit, non alius nisi sola succedat Ecclesia.* Concil. Hispal. *can.* 1. *&* 5. Agathense *can.* 33. Tolet. 9. *can.* 7. *&* 10. Concilium Francofordiense *can.* 41. *Et hæredes, vel propinqui Episcopi, res quæ ab Episcopo sunt adquisitæ, aut per comparationem, aut traditiones, postquam fuerit ordinatus, nequaquam post ejus obitum hæreditare debeant, sed ad suam Ecclesiam revertantur. Illæ autem, quas prius habuit, nisi traditionem ad Ecclesiam ex eis fecerit, hæredibus, & propinquis succedant.* Parisiense sub Ludovico *lib.* 1. *can.* 16. Carthag. 3. sub Siricio *can.* 3. Alemanicum sub Conrado celebratum anno 1225. *can.* 5. Oxoniense in Anglia, *can.* 27. quorum verba referunt Crespetius *in summa, verbo Testamentum.* Ant. Augustin. *lib.* 15. *epit. jur. tit.* 45. *authent. Licentiam, C. de Episcop. & cleric.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Garaña & Barbosa *in collect. & select.* idem Barbosa *de potest. Episcop. alleg.* 114. P. Gregorius *lib.* 3. *partit. titul.* 22. *cap.* 4. Borellus *tom.* 3. *decis. tit.* 20 Quintanaduenas *lib.* 2. *ecclesiasticon, num.* 19. Valenzuela *consil.* 98. Solorzanus *de jure Indiar. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 1. Covar. & Cujacius *in præsenti.* Turturetus *dissert.* 20. *jurid.* Montalvo *in l.* 3. *tit.* 5. *lib.* 1. *legum fori*, Hieronymus Garcia *in summa, tract.* 1. *difficult.* 4. *dub.* 1. FerroMantique *de different. cap.* 157. Luduvelius *de ultimis volunt. fol.* 19. *&* 194. Murga *tom.* 1. *disquisit. tract.* 4. *disquisit.* 5. D. Josephus de Retes *de donat. cap.* 12.

10. *Conclusio probatur.*

Sed adversùs hanc assertionem ita pro dubitandi ratione insurgo : Qui dominium rerum suarum perfectum habent, non solùm in vita, verùm & testamento de illis disponere valent, permittente lege decemvirali ita conceptâ : *Paterfamilias uti legassit super pecuniæ, tutelæve suæ rei, ita jus esto.* Cujus legis mentio extat apud Pomponium *in l. verbis* 120 *ff. de verb. signific.* Ulpianum *in fragment. tit.* 11. §. 14. Justinianum *in novel.* 22. *de nuptiis, cap.* 2. *& in princip. Instit. de lege Falcid.* & alios, quos refert Jacob. Gothofredus

11. *Impugnatur traditæ assertio.*

thofredus *ad ll. XII. Tabul. tabul.* 5. Sed Episcopi habent verum, & perfectum dominium bonorum, quæ intuitu Ecclesiæ acquisierunt, adeo ut si inter vivos ea dissipaverint, ad restitutionem non teneantur. D. Thomas *quodlibet* 6. *quæst.* 8. *art.* 12. ibi: *De aliis verò bonis, id est intuitu Ecclesiæ adquisitis, non committitur peccatum, nisi per abusum; sicut & de patrimonialibus dictum est.* Latè probavi superiore titulo, & fundat Villaroel. *tom.* 1. *regim. Eccles. p.* 1. *quæst.* 3. *artic.* 4. Igitur sicut de illis inter vivos disponere possunt transferendo eorum dominium, ita etiam & testamento. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex eo; nam is potest donare causâ mortis, qui testamentum facere valet, *l.* 1. §. 1. *ff. de tutel. & rationibus, l. filius* 7. §. *paria autem, ff. de donat. l.* 10. *C. qui testamenta.* Sed Episcopi donare possunt causâ mortis, *cap. ad hæc*, ubi dicemus, *infrà hoc titulo*: ergo & testamentum facere de ipsis bonis intuitu Ecclesiæ adquisitis. Fulcitur secundò hæc difficultas ex eo; nam si Episcopi testamentum valeret duntaxat pro rebus patrimonialibus, non verò pro rebus intuitu Ecclesiæ adquisitis, sequeretur, Episcopum decedere testatum pro parte, videlicet pro bonis patrimonialibus, & intestatum pro parte, videlicet pro bonis adquisitis intuitu Ecclesiæ; quod naturaliter inter se pugnat, *l. jus nostrum* 7. *ff. de reg. jur. l.* 1. §. *si ex fundo, l.* 13. §. 2. *l.* 35. *ff. de hæred instit.* Ergo testamentum ab Episcopo factum, aut debet sustineri pro omnibus rebus, aut pro omnibus infirmari.

12. *De his qui testamentum facere nequeunt.*

Quâ dubitandi ratione ita fulcitâ non obstante, vera est præsens decisio, cujus rationem Interpretes ex eo deducunt, quia cùm Episcopi non sint domini fructuum, quos percipiunt intuitu Ecclesiæ, ut docent plures, quorum nomenclaturam, & fundamenta retuli superiori commentario; ideo de eis testamentum facere nequeunt: sed cùm verior sit contraria sententia, quam latè in prædicto commentario probavi, videlicet verum dominium in eisdem fructibus Episcopos habere, hæc ratio sustineri non potest. Eâ igitur omissâ, ut veram assignemus, præmittendum est, omnes illos testamentum facere non posse, quibus aliqua lege speciali prohibitum est; unde testamenti factionem activam, esse de genere permissorum, vulgò docetur argumento textus *in l. metus* 13. §. 1. *ff. de procurat. l. cùm Prætor* 12. *ff. de judiciis, l.* 1 *ff. de testibus, l. hos accusare* 12. *ff. de accusat.* Quod agnovit Alfonsus noster *in l.* 13. *tit.* 6. *partit.* 1. ibi: *Todos aquellos aquien no es defendido per las leyes de este libro, pueden hazer testamento.* Docuerunt Duarenus *ad titul. qui testamenta cap.* 2. Donellus *lib.* 6. *comment. cap.* 5 Grassus *de succes.* §. *testamentum; quæst.* 20. *à num.* 1. Treut. *volum.* 2. *disputat.* 1. *thesi* 2. Pichardus *in rubric. de testam.* Hunnius *in Encyclop. titul. de testamentis*, Petrus Gregorius *lib.* 3. *partit. titul.* 22. *cap.* 4. Ludovelius *de ultimis volunt. in princip.* D. Josephus de Retes *lib.* 1. *opuscul. cap.* 22. Prohibitum tamen est testamentum facere aliquibus naturâ ipsâ, aliis lege civili, aut canonicâ. Naturâ prohibentur, qui voluntatem, aut sanam mentem non habent, ut impuberes, *l. quâ ætate* 5. *ff. de testam.* §. *præterea, Instit. quibus non est permissum*: docent plures relati à Narbona *de ætate, anno* 14. *quæst.* 46. Pinellus *lib.* 2. *select. cap.* 10. *num.* 53. in qua parte notandi sunt textus *in l. tam is, ff. de donat. causâ mortis, junctâ l.* 1. §. 1. *ff. de tutel. & ration. l.* 6. *C. de testam. militis*, Ulpianus *in fragm. titul. de testam.* §. *fœminæ, l.* 3. *C. quando provocare, l.* 2. §. *per contrarium, ff. de his quib. ut indig. l.* 10. §. *ultim. ff. de captivis, juncta l. lex Cornelia, ff. de vulgari, l. Stichum* 95. §. *additio*, ibi: *Pecunia ex testamento pupilli*; *ff. de solut. l. inviti* 19. *ff. de testibus*, juncto Cujacio *ad Papin. lib.* 1. *de adult. in l.* 2 *ff. de accusat. novel.* 6. *Leonis.* Similiter furiosus, §. *furiosus, Institut. quibus non est permissum, l. in adversa* 17. *ff. de testam.* Donellus *dict. libro* 6. *capite* 5. Circa quem notandi sunt textus *in l. nec fideicommissa* 30. *ff. de legat.* 3. *juncta l. Titia, ff. de inoffic. l.* 1. *ff. de suis & legit. hared. l.* 2. §. *in fine, de legitima succes. in collatione legum Mosaic. l.* 1. *ff. de bonor. possess. furios. l.* 12. §. *si impubes, ff. de instit. l. ultim. ff. de bonor. possess. l. pro parte, ff. de servit.* celebris locus Valerii Maximi *lib.* 7. *de testam. c.* 8. Lege civili prohibentur testamentum facere, primò prodigi, *l. is qui bonis* 18. *ff. qui testamenta*, §. *item prodigus, Institut. quibus non est permissum.* Donel. *in l.* 6 *ff. de verb. obl.* Notandi tamen sunt textus *in l. Imperator* 50. *ff. ad Trebel. l. Antistius* 62. §. 1. *de acquir. hæredit.* Secundò servi, *l. si filius, ff. qui testamenta*, ubi observandi sunt textus *in l.* 2. *C. de edicto D. Hadriani, l. in bello* 12. §. *Codicillis, ff. de captivis.* Ulpianus *in fragment. titul.* 20. § *servus, novel.* 38. *Leonis*, & elegans locus Plinii, quem exponit Cujacius *tractat.* 2. *ad Afric. in l.* 107 §. 1. *ff. de legat.* 1. Tertiò deportati, ultimoque judicio damnati, *l. ejus qui*, §. 1. *ff. de testamentis, l. qui, ultim. ff. de pœnis, l.* 6 §. *ejus, ff. de injusto rupto.* Quartò filius in sacris paternis existens, *l. qui in potestate* 6. *l. filius, ff. qui testamenta, princip. Instit. quibus non est permissum*: cui principio opponi possunt textus *in l post mortem, ff. de adopt. l.* 2. §. *undecunque, ff. ad Tertyl. l.* 6. §. 4. *de Senatulib. l.* 3. §. *idem* 9. *ff. de minor. l. filius* 18. *ff. ad leg. Falcid. l.* 1. §. *sed si filius, ff. de bonor. possess. contra tabul. l. Aristo, ff. de jure codicil. l.* 9. *&* 10. *ff. de injusto rupto, l. avus* 79. *ff. de jure dot.* juncto Gothofredo *ibi, l.* 1. §. 7. *ff. de tabul. exhib. l.* 9. §. *final ff. de liber. & posthum. l.* 1. §. *filius* 9. *ff. de separat. bonor. l.* 1. §. 17. *ff. ad Tertyl. l.* 2. §. 3. *ff. unde legit. l. ille* 13. §. 2. *ff. ad Trebel. l. si ad patrem* 10. *l. si pater* 15. *ff. de suis & legit. l. ultim.* §. *si filius. C. de bonis quæ lib.* Videndi sunt D. Josephus de Retes *dict. cap.* 22. Marc. Aurel. Galbanus *de usufructu cap.* 9. *&* 10. Lege canonica prohibentur testamentum condere, primò monachi, & cæteri religiosi, ut dicemus in textu sequenti: secundò usurarii manifesti, *cap. final. de usuris, lib.* 6. & Episcopi, & cæteri clerici de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis. De Episcopis agitur in præsenti, de cæteris clericis *in cap. cùm in officiis. hoc tit.*

13. *Traditur ratio decidendi.*

Unde jam apparet vera præsentis decisionis ratio; ideo enim Episcopi testamentum facere nequeunt de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis, quia hoc illis expressè prohibitum est sacris canonibus, ut constat *ex dict. cap. cùm in officiis*, ibi: *Quia antiquis canonibus constat inhibitum.* Et ex nostro Gregorio Magno *dict. lib.* 9. *epist.* 1. ibi: *Quia & sacris canonum legibus esse noscitur diffinitum, ut in his, quæ Antistes Episcopatus tempore acquisiverit, non alius, nisi sola succedat Ecclesia.* Concil. Hispal. 1. *can* 1. ibi: *Comperimus in canone, &c. cap. quia nos, cap. relatum* 12. *hoc titul.* ubi supponitur, hanc prohibitionem

à

à sacris canonibus provenire. Et si adhuc scisciteris, quanam ratione ducti Ecclesiæ PP. Episcopis inhibuerint testamentum facere de rebus intuitu Ecclesiæ acquisitis? Respondeo rationem hujus prohibitionis assignari *in dict. cap. cùm in officiis*, in illis verbis: *Cùm in officiis charitatis primo loco illis teneamur obnoxii, a quibus beneficia nos cognoscimus recepisse.* Quam ibi illustrabimus; inde cùm Episcopi non exiguos, sed amplos fructus ab Ecclesia percipiant, æquum est, ut cùm decedunt, non in alios, quàm in ipsam Ecclesiam conferant. Rectè ergo Ecclesiæ Patres Episcopis, quamvis dominis, prohibuerunt testamentum facere de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis. Nec novum, aut insolens est, ut qui dominium perfectum, aut irrevocabile bonorum habet, de eis in ultima voluntate disponere non possit, ut rogatus rem aliquam post mortem restituere: licèt enim ille dominus sit, *l. non dico 66. ff. de rei vind. l. arboribus 12. §. Julianus, vers. Namsi sint, ff. de usufructu, l. ultim. ff. de usufructu earum rerum, l. 1. §. servi, ff. ad Senatusconsul. Sillan. l. species 5. ff. de auro & argent. legat. l. statuliberum 9. ff. de statulib. l. generaliter 29. §. sub conditione, ff. qui & à quibus*, docent Pinellus *in l. 1. p. 2. num. 5. C. de bonis matern.* pluribus relatis Castillo *de usufructu, cap. 30. num. 20.* Molina *lib. 1. de primog. cap. 19. num. 4.* tamen de simili re disponere non valet, *l. quidam. 25. §. si quis filium, l. deducta 58. §. ultim. ff. ad Trebel.* Similiter & filiisfamilias, quamvis dominis peculii adventitii, non est permissum de eo testamentum facere, *l. penult. C. qui testamenta.* Sed cùm hæc prohibitio tota sit juris positivi, poterit Pontifex dispensare, & Episcopis licentiam concedere disponendi de hujusmodi bonis. Covar. *in dict. cap. cùm in officiis, num 20.* Sanchez *lib. 7. summæ, cap. 8. num. 48.* Nec talis facultas unico actu finitur, immò usque ad vitæ exitum eâ Episcopus uti potest. Sarmient. *de reddit. 4. part. cap. 4.* Barbosa *de potest. Episcopi alleg. 114. num. 26.* Fachineus *lib. 5. controv. cap 99.* Mancinus *sacri juris controv. dissert. 7. cap. 20* Secundæ partis præsentis assertionis ratio in promptu est; asserimus enim, Episcopos de bonis patrimonialibus testamentum facere posse; quia cùm quoad illa bona nulla prohibitio adlit, meritò tanquam cæteri patresfamilias de eis disponere possunt, *capite cùm dilectus, de jure patron.*

14. Dissolvitur dubitandi ratio

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa, cui facilè responderi potest ex suprà traditis; nam licèt verum sit, Episcopos esse dominos fructuum, quos intuitu Ecclesiæ percipiunt; tamen de eis in testamento disponere non possunt, quia id illis ex justis causis prohibitum est. Nec obstat augmentum difficultatis, argumento deducto à donatione causâ mortis: nam illi satisfaciemus *in cap. ad hæc, infrà hoc titulo.* Nec obstat ultimum augmentum hujus difficultatis, deductum ex eo, quod juxta præsentem decisionem Episcopus decedat testatus, & intestatus. Nam hæc bona acquisita ab Episcopo intuitu Ecclesiæ, non deferuntur ab intestato; sed potiùs occupantur ab Ecclesia proprio jure, ut contingit in possessore majoratus, aut eo qui bona tenetur restituere post mortem. Nam licèt de illis non disponat, de aliis tamen testamentum facere potest; nec ideo decedit pro parte testatus, & intestatus.

Sed præsenti assertioni obstat textus *in cap. Episcopus qui filios 12. quæst. 2.* ubi Patres Concilii Agathensis statuunt Episcopum filios, aut nepotes non habentem extraneos instituere non posse, sed Ecclesiam ipsam. Qui textus summè difficilis est; nam si accipiatur de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis, quomodo inter filios, & nepotes de eis disponere Episcopus valet? Si verò de bonis patrimonialibus, quomodo etiam inter extraneos de eis Episcopus non disponit? Cui difficultati ut satisfaciant Glossa *ibi*, Covar. *in præsenti, num. 4.* Jul. Clarus *verbo Testamentum, quæst. 27. num. 2.* Grassus *de succeff verbo Testamentum, quæst. 34.* affirmant, textum illum non continere præceptum, sed consilium, ita ut Episcopus bona patrimonialia possidens, filios autem aut nepotes non habens, ex honestate teneatur Ecclesiam propriam hæredem instituere. Sed hæc solutio apertè convincitur ex ipso canone 24. Concilii Agathensis, ex quo textus transcriptus est; ubi eisdem verbis utuntur Patres in eo canone, ac in aliis, in quibus præceptum injungunt. Cironius *in parat. ad hunc tit.* docet, quod licèt Episcopi de bonis patrimonialibus testamentum facere possint, attamen temporibus illius Concilii, si filios, aut nepotes non habebant, extraneos hæredes eos instituere non poterant, sed omnino Ecclesiam instituere debebant. Sed etiam hæc interpretatio rejicitur *ex capite sint manifestæ 12. quæst. 1. capite fixum 12. quæst. 5.* & ex præsenti textu, ubi liberè, & absolutè permittitur Episcopis disponere de rebus propriis intuitu Ecclesiæ acquisitis. Quare his sententiis omissis verius dicendum est, PP. Concilii Agathensis in eo canone neutiquam asserere Episcopum filios non habentem, Ecclesiam, non verò extraneos, debere hæredem instituere, sed tantùm affirmare, Episcopum non posse aliquid de rebus Ecclesiæ oblatis alienare, vel distrahere. Si verò aliquid distraxerit, distinguendum esse, ita ut si filios, aut nepotes hæredes habuerit, similes alienationes sustineantur, compensatione facta cum rebus ab Episcopo relictis; si verò filios, aut nepotes non habuerit, & extraneos hæredes instituerit, irrita sit omnino talis alienatio, nec prædicta compensatio admittatur. Quæ interpretatio sac lè deducitur ex ipso canone 33. ubi ita ajunt PP. *Episcopus, qui filios, aut nepotes non habens, alium quàm Ecclesiam reliquit hæredem si quid de Ecclesia, non in Ecclesiæ causa, aut necessitate insumpserit, quod distraxit, aut donavit, irritum habeatur; qui verò filios habet, de bonis quæ reliquit ab hæredibus ejus indemnitatibus Ecclesiæ consulatur.* Ex quibus verbis constat, in eo textu non agi de testamento ab Episcopo facienda de bonis propriis inter filios, vel inter extraneos; sed de rebus Ecclesiæ alienatis ab Episcopo, & quatenus compensatione factâ ex rebus propriis Episcopi Ecclesiæ consulendum sit; quo modo textum illum acceperunt Patres Concilii Spalensis 1. *can.* 1. his verbis: *Interea considentibus nobis in Ecclesia Spalensi sancta Hierusalem, breve muncipiorum Ecclesiæ, quos libertasse visus fuerat decessor tuus sanctæ recordationis Gaudentius Episcopus, vestri nobis Diaconès obtulerunt: & non solùm quos liberti reperat ibidem relegimus, sed etiam quos proximis suis de familiis Ecclesiæ donaverat in eodem brevi recensuimus adnotatos. Qua de re canonum instituta consuluimus, si talis libertas, aut transactio potuisset esse*

15. Exponitur cap. Episcopus 12. q. 2.

esse stabilis. Comperimus autem in canone, ut Episcopus, qui res proprias, exceptis filiis, & nepotibus, alteris, & non Ecclesiæ suæ dimiserit, quicquid de Ecclesiæ rebus aut donavit, aut vendidit, aut quoquo modo ab Ecclesia transtulit, irritum haberetur. Et ideò si res prædecessoris cui Gaudentii Episcopi Ecclesia vestra non possidet, liberi, qui ab eo facti sunt, non sunt absoluti. Cæterùm si res illius in compensationem Ecclesiæ vestræ deserviunt, illi prorsus maneant liberi; nam si (ut dictum est) præstitum de suis rebus non fecit Ecclesiæ, damnum utique inferre non debuit. Propterea ergo de uno consensu omnes significamus, magis humaniùs quàm securiùs cogitantes, ut hi, quos constat tali conditione fuisse libertos, in jure Ecclesiæ maneant, ut idonei; & peculium suum, non aliis personis, sed tantùm suis filiis derelinquant: ipsis quoque filiis, & nepotibus cum peculio ipsorum, quasi idoneis in jure Ecclesiæ permanentibus, in extraneam eis personam non liceat quippiam transmutare. Sed si qui eorum sine hærede discesserunt, peculium eorum vestræ profici at Ecclesiæ.

16. *Exponitur can 2. concil Lugdun. 1.* Secundò suprà traditis obstat textus *in can. 2. Concil. Lugdun.* 1. sub Pelagio II. celebrati, in illis verbis: *Ut testamenta, quæ Episcopi, vel Presbyteri, seu inferioris ordinis clerici, vel donationes, aut quæcunque instrumenta propriâ voluntate confecerint, quibus aliquid aut Ecclesiæ, aut quibuscunque conferre videantur, omni stabilitate subsistant.* Ex quibus verbis apertè liquet, testamentum Episcopi, etiam sine ulla solennitate conditum valere: igitur quia Episcopi liberè possunt testamentum facere, nullâ adhibitâ distinctione inter bona patrimonialia, & acquisita intuitu Ecclesiæ. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, verba illa exaudienda esse de testamento ab Episcopis, vel clericis facto de bonis patrimonialibus, non verò de bonis intuitu Ecclesiæ quæsitis; tantùm enim in eo canone agebatur de solennitate adhibendâ in testamentis ab Episcopis, vel Presbyteris conditis, & de instrumentis donationis causâ ab ipsis confectis; an videlicet solennitas legalis esset adhibenda? Et statuunt PP. quod quomodocunque Episcopi, vel Presbyteri testamenta condiderint, aut instrumenta donationis confecerint, ipsorum voluntas rata sit.

CAPUT II.

Idem (a) *Episcopo Caralitano.*

QUia (b) ingredientibus monasterium convertendi (c) gratiâ, ulterius nulla sit testandi licentia, sed res eorum ejusdem monasterii juris (d) fiant, apertâ legis diffinitione decretum est: Quod cùm penè omnibus notum sit, in magnam nos Graviniæ Abbatissæ monasterii sanctorum (e) Gravini atque Luxorii insinuatio admirationem perduxit, quæ Siricam monasterii sui Abbatissam postquam regendi suscepit officium, condito (f) testamento legata quibusdam asseruit reliquisse. Et dum de sanctitatis vestræ solicitudine quæreremus, cur res monasterio competentes ab aliis pertulerit detineri, communis filius Epiphanius Archipresbyter vester præsens inventus respondit, præmemoratam Abbatissam usque ad diem obitus (g) indui se monachica veste noluisse, sed in vestibus, quibus loci illius utuntur (h) presbyteræ, permansisse. Ad hæc replicabat prædicta Gravinia, hoc penè ex consuetudine licuisse, adeo ut Abbatissam, quæ ante suprascriptam Siricam fuerat, talibus usam fuisse vestibus allegaret. Cùm ergo de qualitate vestium nec nos mediocriter cœpissemus ambigere; necessarium visum est nobis, tam cum consiliariis nostris, quàm cum aliis hujus civitatis doctis viris, quid esset agendum de lege tractare. Qui tractantes responderunt: Postquam solenni more Abbatissa ab Episcopo (i) ordinata est, & in (j) monasterii regimine per annos plurimos usque ad vitæ suæ transitum præfuit, vestis qualitatem ad culpam fortè Episcopi respicere, qui (k) eam sic esse permiserit; non tamen potuisse monasterio præjudicium irrogare, sed res ipsius eidem loco, ex eo, quod illuc ingressa, & Abbatissa constituta est, manifesto jure competere. Et ideo quia ex dimissis illicitè rebus Xenodochium possessionem asserit indebitè retinere; his vos (l) hortamur affatibus, ut quia & monasterium, & Xenodochium ipsum in vestra est (m) civitate positum, omni curâ, ac studio providere debeatis, quatenus si possessio ipsa ex nullo præcedenti contractu, sed ex eo memoratæ Siricæ legato descendit, antedicto monasterio, postposito strepitu, vel excusatione (n) reddatur. Si verò ex alio fortè dicitur obvenisse contractu, aut fraternitas vestra inter partes cognitâ veritate, quod legalis suaserit ordo definiat, aut mutuo sibi consensu arbitros eligant, qui earum valeant allegationes discindere. A quibus quidquid fuerit statutum, ita vestra provisione servetur, ut nullum inter venerabilia loca jurgium remaneat, quæ magnoperè alternâ pacis sunt fovenda concordiâ. Alia igitur omnia, quæ ex testamento prænominatæ Siricæ detinentur, quippe quod nullum esse legali sanctione permittitur, necesse est ut juri monasterii fraternitatis vestræ solicitudine sacerdotali per

omnia

omnia studio reparentur : quia imperiali (o) constitutione apertè sancitum est, ut ea, quæ contra leges fiunt, non solùm inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint.

NOTÆ.

(a) *Idem.*] In prima collectione, *sub hoc titul. cap.* 3. & in hac sexta legitur tantùm, *Gregorius*; sed tam inscriptionem, quàm litteram textus restituo ex Regestro epistolarum D. Gregorii, ubi *lib.* 7. *indict.* 2. *epistol.* 7. reperitur hic textus, & ejus principium refertur à Gratiano *in cap. quia ingredientibus* 19 *quæst.* 3. De Episcopo hoc Januario, & ejus diœcesi nonnulla notavi *in cap. nisi cùm pridem, de renunc.* 1.

(b) *Quia ingredientibus.*] Cum effectu videlicet, & ingressu irrevocabili, qui contingit per professionem validam, ut communiter exponunt Doctores *in præsenti*, & *in authent. ingressi, C. de sacrosanct. Eccles.* quos sequitur Sotomayor *in relect. ad textum in dict. cap. quia ingredientibus* : sed perperam, nam textus *in dicta authentica ingressi*, ad quam respexit Gregorius in præsenti, procedit in monachis tantùm ingressis, ut apertè constat ex illis verbis : *Ingressi monasteria, ipso ingressu se, suaque dedicant Deo : nec ergo de his testantur, utpote nec domini rerum.* Et ex Novella 5. Justin. *cap.* 5. ex qua transcripsit Irnerius textum illum. Quare hæc verba : *Quia ingredientibus*, accipienda sunt juxta tempora Gregorii, de illis, qui ingrediuntur monasterium. Sciendum enim, olim non induisse habitum monachalem eos, qui annum probationis peragebant, sed cum vestibus propriis incessisse ; sed tunc demùm eas mutasse, cùm per ingressum profitebantur Religionem, *cap. super, de regularibus*, ubi dicemus : *in addit. Capitul. Caroli, capit.* 25. legitur : *Ipse verò ne tondeatur, nec vestimenta pristina immutet priùs, quàm obedientiam promittat.* Quare monachi ab eo instanti, in quo monasterium ingrediebantur, testamentum facere non poterant. Synodus 8. Constantinop. *can.* 6. ibi : *Monachi non debent habere proprium, sed omnia eorum monasterio adscribi. Dicit enim B. Lucas de iis qui credunt in Christum, & monasticam institutionem describunt, quod nemo quidquam eorum quæ aderant, proprium esse dicebant, sed erant illis omnia communia : & ideo iis, qui monachi esse volunt, priùs datur facultas de suis rebus testandi, ac disponendi, & quibuscunque velint personis, lege scilicet non prohibitis, sua transmittendi. Postquam enim monachi facti fuerint, omnium bonorum dominium monasterium habebit, & nullam de rebus propriis curam gerere, vel disponere eis permissum est.* Quia cùm ab eo die se, & sua monasterio obtulissent, testamentum facere ampliùs non poterant, *cap. ultim. de succes. ab intest.* Postquam tamen annus probationis peragitur à novitiis cum ipsis monachis, post tonsuram, & habitus mutationem non attenditur tempus ingressus, sed professionis ; ideoque ante solennem professionem liberè novitii de rebus suis disponere valent, ut latè probant Thomas Sanchez *lib.* 7. *in Decalogum, cap.* 3. Tamburinus, Pellizarius, & Diana congesti à Hieronymo Garcia *part.* 1. *polit. regul. tract.* 2. *difficult.* 6. Hurtado *de congrua sustent. tom.* 2. *libro* 6. *resol.* 10. *per totam.* Vivar. *de veteri monach. libro* 6. *capite* 3. *num.* 28. 2.

(c) *Convertendi gratiâ.*] Id est in monasterium à vita sæculari, & laxiori ad strictiorem transeundi causâ. Transitus enim laicorum ad monasticam vitam, conversio religionis causâ appellatur. Concil. Aurel. 1. *can.* 23 ibi : *Monachus in monasterio conversus, si pellici postea, vel uxori fuerit sociatus, tantæ prævaricationis reus nunquam ecclesiastici gradus officium sortiatur.* Synodus Turonensis 2. *can.* 16. ibi : *Si qui in monasterio conversi sunt, aut converti voluerint, nullatenus exinde habeant licentiam evagandi.* Gregorius noster *lib.* 7. *indict.* 1. *epist.* 12. Filesacus *lib.* 1. *select. cap.* 10. *fol.* 161. Notabimus infrà *in tit. de convers. conjug.* Sed quia & alii, qui castitatem in sæculo promittebant, dicebantur converti, Concil. Agath. *can.* 16. Arelat. 2. sub Sylvestro *can.* 1. Aurel. 5. *can.* 19. ibi : *Quæ in domibus propriis, tam puellæ, quàm viduæ, commutatis vestibus convertuntur :* tamen quia illi religiosi non fiebant, & testamentum facere poterant, ideo coujunxit Gregorius noster ingressum monasterii cum proposito conversionis, ut denotet non sufficere conversionem solam, quæ fit etiam in sæculo ; nec ingressum in monasterio sine conversione, cùm plures ingrediantur monasterium, non tamen monachi fiant, quia deest animus conversionis, ut illi, qui pœnitentiæ peragendæ causâ in monasteriis detruduntur ; de quibus agemus *in cap.* 1. *de regul.* 3.

(d) *Iuris fiant.*] Monasterium enim ipso jure consequitur dominium omnium bonorum, quæ monachus possidebat, nullo ab eo facto testamento, ut probant latè Gedeus *tom.* 1. *consil. consil.* 25. Hieronymus Garcia *dict. tom.* 1. *polit. regul. tract.* 4. *difficult* 5. *dub.* 5. Unde monasterium ut successor in universum jus tenetur solvere debita contracta ab ipso monacho, ut probat Olea *de cess. jur. titul.* 3 *quæst.* 9. *num.* 33. 4.

(e) *Gravini, atq; Luxorii.*] Monasterium hoc est in ipsa civitate Calaritana constructum ab ejus incolis in honorem istorum sanctorum, qui nati fuerant in ipsa insula, ut refert Bonfant. *libro* 12. *de Sanctis Sardin. capite* 27. *ad medium.* 5.

(f) *Condito testamento legata.*] Legatorum enim proprium est, ut testamento, vel codicillis testamento confirmatis relinquantur, *l. illud* 13. §. 1. *l. quidam* 14. *in princip. ff. de jure codicil. l. ab exhæredatis* 126. *ff. de legat.* 1. *l. filius* 20. §. 1. *ff. de legat. præst.* Ulpianus *titul.* 24. *de legat. in princip. l. impuberem* 22. §. *qui codicillos, ff. ad leg. Cornel. de falsis.* docent Valentia *ad titul. de legat. cap.* 3. *per totum.* Pichardus *eod. tract. cap.* 2. *num.* 22. in quo differunt legata à fideicommissis, quæ licèt donationes, & liberalitates sint, *l. unum* 67. §. *si de Falcidia ff. de leg.* 2. *l. non facilè* 6. *ff. si cui plus quàm per legem*, ab intestato tamen per epistolam, vel sine scriptura relinqui possunt, *l. & epistola* 22. *C. de fideicommis. l.* 2. *C. de codicil.* § *præterea*, §. *nondum. Instit. de fideicommis. hæredit.* & etiam codicillis ab intestato factis, Paulus *lib.* 4. *sentent. titul.* 1. §. *codicillos* 10 cujus differentiæ rationem exprimunt Ulpianus *tit.* 20. § *fideicommissum* 8. Gajus *lib.* 2. *instit.* § *præterea* & exponunt Cujacius *lib.* 29. *Pauli ad edict. in l.* 53. 6.

ff de

ff. de v. ſ. Hothomanus *lib. 6. obſ. cap. 5.* Petrus Faber *lib. 2 ſemeſtr. cap. 24.* Valentia *dict. cap. 3.* in quo etiam legata differunt è donationibus causâ mortis, quæ ab inteſtato factæ valent, *l. ſi filius* 20. §. 1. *de legat. præſtand. l. tam is* 25. *in princip.* & §. 1. *ff. de donat. causâ mort.* Schifordeg. *lib. 3. ad Fabrum, tract. 26. quæſt. 8.* Petrus Gregorius *lib. 28. ſyntag. cap. 14.* ex quo diſcrimine nonnulla notatu digna deducit Illuſtriſſimus Ramos *ad tit. de legat. in rubric. num. 6.* Huic principio, videlicet legata tantùm teſtamento relinqui poſſe, fideicommiſſa verò etiam ab inteſtato relinqui valere, opponi ſolent textus *in l. quæſtum* 91. §. *ſi quis Stichum, ff. de legat. 1. l. recuſare* 6 §. *Titius, ff. ad Trebel. l. 2. ff. de his, quæ in teſtamento delentur, l. 2. C. de bonis matern. l. 4.* §. *quiſquam, l. 6 ff ſi quis omiſſa causâ teſtamenti, l. ſtatuliberi* 29. §. *Quintus, ff. de ſtatulib. l. 1.* §. *interdum ff. ſi cui plus, l. ita tamen* 27. §. *quotiens, ff. ad Trebel. l. poſt emancipationem* 40. *ff. de legat.* 3.

7. (g) *Indui ſe monaſtica veſte.*] Quare aſſerebat, nullo modo monialem eſſe, cùm non geſtaret habitum monialium; certum enim eſt, omni tempore in Eccleſia diſtinctum fuiſſe habitum monachorum, & monialium à veſtibus communibus, & ſæcularibus, ut conſtat ex D. Auguſtino contra Fauſtum *lib. 6. cap. 9.* ubi ait, peccatum eſſe, ſi ſanctimonialis gerat indumenta nuptarum, vel nuptæ ſpeciem Virginum veſtibus deferant. D. Hieronymus *epiſt. 15. ad Marcellam*, ibi: *Tunicam juſtiorem induta ſe repente Domino conſecravit.* Unde Caſſianus integro libro monachorum veſtes deſcripſit, de quibus plura congeſſerunt Ephrenus *l. 5. diſquiſit. monaſt. tract. 1. per tot.* Jodocus Coccius *tom. 2. theſauri, lib. 4. articul. 6.* Ambianas *ad Tertul. de pallio*, Landtmeter. *lib. 2. de veter. mon. 2. p. cap. 4.* & nos de velis monialium dabimus plura *in cap. vidua, de regul.* Non tamen adeò deſideratur mutatio habitus, ut abſque novâ veſtis monachalis delatione quis monachus non efficiatur, *capite Porrectum*, ubi dicemus, *de regularibus.*

8. (h) *Vtuntur presbyteræ*] Presbyteræ, ſicut & Epiſcopæ, Diaconiſſæ, & Subdiaconiſſæ nomen in ſacris canonibus, & apud ſcriptores eccleſiaſticos, non unica in ſignificatione reperitur acceptum; illæ namque plerunque ſumuntur pro illis mulieribus, quæ à viris, qui ad Epiſcopatum, Presbyteratum, Diaconatum, vel Subdiaconatum promoti erant, ductæ fuerant, quæ dum ſenes eſſent, & caſtitatem promitterent, in ſæculo remanebant. Concilium Turon. 2 ſub Joanne III. *can. 3. & 20.* ibi: *Si inventus fuerit Presbyter cum presbytera, aut Diaconus cum ſua diaconiſſa: vel Subdiaconus cum ſua ſubdiaconiſſa, per annum integrum excommunicatus habetur.* Concil. Altiſſiod. *can. 20. & 21.* ibi: *Non licet Presbytero poſt acceptam benedictionem in uno lecto cum presbytera ſua dormire, nec in peccato carnali miſceri; nec Diacono, aut Subdiacono.* Concilium Rhemenſe ſub Gregorio *cap. 1. & 2.* ibi: *Si quis Presbyteram duxerit, anathema ſit.* Ex quibus canonibus lucem accipit, quod de Urſicino Presbytero refert Gregorius noſter *lib. 4. dialog. 20.* & habetur *in cap. Presbyter, 23. diſt. Ille enim* (ait Magnus Gregorius) *à tempore accepti Ordinis presbyteram ſuam, ut ſororem diligens, ſed quaſi hoſtem cavens, ad ſe propiùs accedere non ſinebat.* In eadem etiam ſignificatione accipitur decretum Zachariæ de Presbytera, Diacona, Nona, & Monacha. Dicebantur etiam prædictæ uxores, Relictæ Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi. Concilium Aurelian. 1. *can. 13.* Altiſſiod. *can. 22.* Epaunenſe *can. 32.* Nec defunctis viris poterant ad ſecundas nuptias tranſire, immò ut caſtitatem perfectiùs ſervarent, detrudebantur in monaſteriis, ut ibi ſecuriùs degerent. D. Baſilius *epiſt. 198.* ibi: *Ejice illam ex ædibus tuis, & trade in monaſterium; ſit illa cum virginibus, & tu inter viros miniſtra.* Notarunt Pamelius *ad Tertullianum de exhort. caſtit. cap 13.* Petavius *ad libros Epiphanii de expoſitione fidei*, Theophilus *tom. 4. lib. 4. ſect. 2. capite 1. fol. 556.* Alio etiam ſenſu presbyteræ, & diaconiſſæ accipi ſolent: presbytera enim idem eſt, ac ſenior vidua. Synodus Laodic. *can. 11.* ibi: *Non oportet eas, quæ dicuntur presbyteræ, in Eccleſia conſtitui.* Et *capite mulieres, 32. diſt.* Diaconiſſæ verò erant virgines, quæ ad nonnulla officia eccleſiaſtica ordinabantur, ut plura, quæ per viros, propter honeſtatem ſexus virilis, exerceri non poterant, per ipſas diaconiſſas exercerentur. Synodus Nicæna *can. 74.* D. Clemens *lib. 6. conſtit. cap. 17.* Epiphanius *lib. 3. hæreſi 29.* Concilium Arauſic. 1. ſub Leone, *can. 26.* Turoneníe 2. ſub Carolo, *cap. 21.* Aurelian. 2. ſub Vigil. *can. 18.* Chalcedon. *act. 15. can. 15. l. 9. C. de Epiſc & cler. novella 6.* §. *quanta ea munia*: refert Theophilus *tom. 12. fol. 300.* De illis plura congeſſerunt Vasquez *tom 3. in 3. part. diſputat. 245. cap. 3.* Cæſar *de Eccleſ. Hierarch. 2. p. diſputat. 9. §. 3.* Caſtillus *de hierarch. lib. 6. cap. 11. §. 2.* Villaroël. *tom. 1. de regim. eccleſ. p. 1. quæſt. 2. artic. 6.* Barboſa *lib. 1. jur. eccleſ. cap. 3.* Jul. Lavorus *var. lucubr. tit. 4. cap. 24. num. 28.* Creſpetius *in ſumma, verbo Diaconiſſæ*, Chriſt. Lupus *in can. 15. Concil. Chalced.* P. Zerda *in adverſ. cap. 151.* Ant. Auguſtin. *in epith. lib. 7. tit. 38. & 39.* Pancirola *ib. 1. var. cap. 82.* Claudius Eſpenceus *ad D. Paulum lib. 1. digreſſ. cap. 17.* Hallierius *de ſacris elect. 2. p. ſect. 4. §. 6.* Tamburinus *de jure Abbat. diſputat. 7. quæſt. 8.* Mornacius *in authent. Diaconiſſas, C. de Epiſcopis & clericis*, Cironius *ad titul. de ætate & qualit.* Baronius *anno 34. num. 287. & anno 57. num. 123. & anno 58. num. 55. & anno 179. num. 51. & anno 272. num. 8.* Turrianus *pro canonib. lib. 5. cap. 12.* Albaſpineus *lib. 1. obſ. cap. 2. & in notis ad Concil. Nicani can. 17. & Arauſicani can. 1.* De his ergo presbyteris accipi poteſt præſens textus. Sed quia temporibus D. Gregorii hujus textus auctoris tota inſula Sardiniæ per Præfectum Africæ regebatur, & in ea quamplures Græci habitabant, ut refert D. Franc. de Vico 3. *p. hiſt. Sardin. cap. 46.* dicet aliquis, presbyteras in præſenti accipi pro uxoribus Græcorum Presbyterorum, de quibus egi *in cap. 1. de cleric. conjug.* Sed verius credo, D. Gregorium ſenſiſſe de fœminis in gradum presbyteratum cooptatis, quæ ſimul cum ipſo gradu novam veſtem recipiebant, & ita quibusdam eccleſiaſticis functionibus dicabantur, quæ honeſtè per viros exequi nequibant; non tamen ſacrificia offerebant, ut Gentilium Veſtales, præter naturæ ordinem ſacerdotes & ſacrificium offerentes, quas reprehendit D. Clemens *lib. 3. conſtit. cap. 9.* à Veſtalibus enim ſacrificia peracta, teſtis eſt Tullius *orat. de Aruſpic.* & *pro domo ſua ad Pontif.* item Gellius *lib. 1. noctium, cap. 12.* & habetur etiam

apud

apud D. Hieronymum *epistol. 1. in Jovin.* Tertullianus *libro 1. ad uxorem, capite 6. & in calce libri de exhort. castit.* ubi de similibus apud alias gentes virginibus; & perspicuè apud Prudentium *libro 2 contra Symmachum.* Munia legitima presbyterarum & diaconissarum refert Theophilus *tom. 12. tract. de sobria frequent. mulier. fol.* 300.

9. (i) *Abbatissa ab Episcopo ordinata est.*] Idest benedicta, & cooptata in Abbatissam: sicut enim ad Episcopum spectat consecratio sanctimonialium, *capite de votis*, cum aliis, 20. *quæst. 1.* illustravi *in capite 1 de temporib. ordin.* ita & confirmatio, & ordinatio Abbatissarum. *Clement. attendentes, § statuimus, de statu monach.* Gregorius noster *libro 6 epistol. 12.* ibi: *Quam si digna huic monasterio judicata fuerit, etusdem loci Episcopus ordinet.* Et *libro 8. epistol. 43. Ut à vobis Deo protegente Abbatissa debeat ordinari.* Gregorius Turonensis *libro 9. histor. Franc. capite 42.* ibi: *Quam Abbatissam Agnetem Beatissimi Germani, præsentibus suis fratribus benedictio consecravit.* Tamburinus *de jure Abbat. dict. cap. 29. quæst. 5.* Hæc autem solennis benedictio, ordinatio non erat, ut constat aperte ex duabus epistolis 73. & 89. Carnotensis. Ejus consecrationis ritus refert Tamburinus *ubi supra.*

10. (j) *Monasterii regimine.*] Licèt enim Abbatissa ratione sexus incapax sit jurisdictionis spiritualis, ut probavi *in capite dilecti, de majorit. & obed.* tamen exercet quandam potestatem œconomicam, & maternam in monasterii regimine, & monialium correctione; unde in Concilio Parisiensi sub Ludovico, *libro 1. capite 39.* dicuntur matres spirituales: & in Concilio Aquisgran. 2. *part. capite 13.* matres religiosarum appellantur: & in Concilio Tutonensi 2. *can. 30.* admonentur seipsas, sibique commissas, quanta potuerint vigilantia custodire: & in Concil. Cabilonensi 2. sub Carolo, *can. 54.* docetur, monialium rationem in conspectu Domini eas reddituras esse: plura tradunt Hallierius *de sacris election. section. 2. §. 8.* Tamburinus *de jure Abbatisse, dict. capite 32.*

11. (k) *Qui eam sic permisit.*] Hæc verba exposui *in cap. cum magistrum, de elect.*

(l) *Hortamur.*] Idest præcipimus; licèt enim verba exhortationis generaliter non inducant præceptum, *capite quod præcipimus 14. quæst. 1. & 2. de pœnit.* tamen secus est si verba exhortationis sint adjecta rei, aut dispositioni, quæ ex sua natura solet necessitatem præ se ferre, ut post alios probat Covar. *in capite 1. hoc titul. numero 14.*

12. (m) *In vestra est civitate.*] Unde jure communi attento in ejus erat jurisdictione, *capite omnes 16. quæst. 7. capite monasteria 18. quæst. 2.* Probant Germonius *de sacror. immunit. libro 3. capite 4.* Bosquetus *ad Innocent. libro 1. epistol. 7.* Bignonius *in notis ad Marculfum, capite 1.* Crespetius *in summa, verbo Basilicæ 2.* Balboa *in capite 1. de foro competent. quæstion. 1. numero 1.* Savarus ad Sidonium *libro 4. epistola 15.*

13. (n) *Reddatur.*] Legata enim indebitè soluta repeti possunt, *l. 2. & 3. ff. de condict. indeb. l. fideicommissum, C. eodem titul. l. error, C. ad leg. Falcid.* Paulus *libro 3. sentent. titul. 6.* Nec obstat Ulpianus *in fragment. titul. de legatis, §. ult.* ibi: *Legatorum perperam solutorum repetitio non est*: Nam omissâ Cujacii solutione, ibi asserentis Consultum esse intelligendum de legatis relictis incertis personis, quæ soluta repeti non possunt, *§. incertis, Institut. de legat. § final. Institut. de oblig. quæ ex quasi contractu*: dicendum est, Ulpianum esse exaudiendum de legatis solutis per errorem juris; ea enim propriè dicuntur perperam soluta, & in illis repetitio nulla est, *l. regula 9. ff. de jur. & facti ignor. l. error. 9. C. ad leg. Falcid.*

(o) *Imperiali constitutione.*] Relata *in l. non dubium, C. de legibus*, quam latè exponunt Caldeira *lib. 2. de error. capite 1.* Vinius *libro 1. select. capite 1.* Hunnius *ad Treutl. volum. 1. disputat. 6. quæst. 54. & disput. 11. quæst. 2.*

COMMENTARIUM.

EX hac D. Gregorii epistola sequens communiter deducitur assertio: *Vitam monasticam, seu regularem professi, testamentum facere nequeunt.* Probant eam textus *in capite non dicatis 12. quæst. 1. capite perlatum 19. quæstion. 3. novella 5. 76. & 123. Justin. auth. Ingressi, authent. Si qua mulier, C. de sacros. Eccles. novella 5. Leonis*, Concil. Oxon. in Anglia, sub Stephano, tempore Honorii III. *can. 47. Quoniam non licet viris religiosis aliquid proprium possidere, qui se, & sua pariter in religionis ingressu dedicarunt, præsenti auctoritate definimus, ut nulla persona in regulari ordine constituta condere testamentum præsumat.* Et *l. 17. titul 1 part. 1.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa & Garanna *hic*, Barbosa *in select. ad hunc textum*, & *libro 1. juris eccles. capite 42. num. 205.* Basilius *de matrim. libro 7. capite 13. & quæst. 7. Schotast. capite 9.* Chopinus *libro 1. monast. titul. 3. numero 21.* Petrus Gregorius *lib 4. partit. titul. 8. capite 4.* Tamburinus *de jure Abbat. disputat. 28. quæstion. 2.* Benedict. Ægid. *in l. 1. part. 4. C. de sacros. Eccles.* Jacob. Durantius *qq juris, quæstion. 6.* Pichardus *in l. Gallus, in prælud. capite 1. num. 6.* Desiderius Heraldus *de auctorit. rei judic. capite 13. & 14.* Antoninus Augustinus *in epit. jur. libro 15 titul. 46.* Diana *part. 5. tract 3. resol. 128. & part. 3 tract. 2. resol. 75.* Tondutus *resol. canonic. capite 95.* Mornacius, Barbosa & Richierius *in dict. authent. ingressi*, Ritherursius *in dict. novella 5. & 123.* Hieronymus Garcia *tom. 1. polit. regul. difficult. 6.* Mancinus *libro 1. genial. capite 122.* Vivar. *de veteri monach. libro 2. capite 5.* Hurtado *de resid. tom. 2. resol. 11.* Bosquetus *ad Innocent. libro 1 epist. 95.* Gibalinus *tom. 2. de negot. lib. 5. cap. 8. articul. unic.* Thaddeus Pison. *libro 1. var. resol. de testamentis capite 8.* Borellus *tom. 3. decis. tit 20. num. 120.* 14. Conclusio probatur.

Sed hæc assertio ita illustrata difficilis redditur sequenti consideratione; nam si monachi testamentum facere non possunt, maximè quia bona non habent, ut de D. Augustino refert Possidius in ejus vita, ibi: *Testamentum nullum fecit quia unde faceret, pauper Christi non habebat*: cùm nemo possit testamentum facere, de rebus alienis, *l. conficiuntur 8. §. 3. ff. de jure Codicil.* Sed qui religionem ingrediuntur, possunt professionis suæ tempore aliqua bona sibi reservare, *cap. final. 18. quæst. 1. capite finali, qui cleric. vel* 15. Impugnatur traditia assertio.

vou. Ergo saltem eo casu de illis disponere valebunt, *ex l. verbis legis, ff. de V.S.* Unde Imperator Leo *in novella* 5. Monachis testari permisit de bonis acquisitis post monachatum; & sanctimonialem bona possidentem, posse testamentum condere, constat *ex l. generali, C. de sacros. Eccles.* Augetur primò hæc difficultas exemplo sanctorum monachorum, qui testamentum fecerunt, ut ex D. Basilio, & Antonio probatur *ex capite perlatum* 19. *quæst.* 3. & ex D. Hieronymo in vita sancti Antonii, *capite* 25. Et Divi Gregorii Nazianzeni testamentum refertur à Baronio *tom.* 4. *anno* 389. quod postquàm Græcè ediderat Brissonius, Jacobus Sirmondus cum duobus MM. SS. Vaticanæ Bibliothecæ collatum, Latinè donatum edidit, & post eos Caldeira *libro* 4. *var. capite* 4. Cæsarius Sancti Gregorii frater testamentum condidit apud Basilium *epistol.* 84. quæ est ad Sophronium, meritò celebrata à sancto Hilario, quam sanctus Hieronymus scribit Huychio absenti, quòd testamenti vice brevem scripsisset epistolam. Alia refert Theophilus *tom.* 15. *in heterod. spirit. part.* 1. *punct.* 4. Ergo non repugnat statui monastico, ut illum professi testamentum faciant. Augetur secundò hæc difficultas; nam si monachi, aut moniales testamentum facere non possent, nec cum testamento decedere valerent, quia illud perveniret ad casum, à quo incipere non poterat, argumento legis *pluribus* 100. §. 2. *l.* 2. §. *ex his, ff. de verb. oblig.* sed possunt cum testamento decedere, quod ante ingressum monasterii fecerunt, ut probant Covar. *hic* Phœbo *decision* 137. *per totam:* ergo quia testamentum post ingressum religionis facere possunt; nam licèt per talem professionem monachus statum mutet, non in deterius, sed in melius id facit: unde nullam patitur capitis diminutionem, ut aliqui minùs orthodoxè putabant.

16. *Monachus habetur pro mortuo.*

Quâ difficultate ita fulcitâ minimè obstante, verâ est præsens decisio, cujus rationem ut percipiamus, omissis quæ de professione tacita, & expressa dabimus *in capite vidua, de regul.* sciendum est, inter alios utriusque professionis effectus, quos recensent Barbosa *lib.* 1. *de jure eccles. capite* 42. illum præcipuum esse, ut qui eam fecerint, habeantur pro mortuis. Divus Basilius *in constit. monastic. capite* 20. ibi: *Qui enim mundo cum omnibus, quæ in mundo sunt, renunciavit, seque ipsum mundo crucifixit, mortuus est mundo, & omnibus, quæ sunt in mundo.* Cassianus *libro* 4. *institut.* ibi: *Abrenunciatio nihil est aliud, quàm crucis, ac mortificationis indicium, ideoque noveris hodierno die te huic mundo, & actibus ejus, & desideriis esse defunctum.* Unde deducunt Doctores, quod cùm in casum motis pactum conceptum est, in casu monachismi celebratum censeatur, ex *l. ultim.* §. *nam maritis, C. de Episcop. & cleric. novel.* 5. *Justin.* Quare cùm mortui sæculo sint, post professionem nihil peculiare acquirere, possidereve possunt, *capite* 2. ubi latè probabimus, *de statu monach.* nec ullo tempore actu, vel potentiâ dominium bonorum habere valent, *capite non dicatis* 12. *quæst.* 2. immò omnia, quæ tempore professionis habebant, monasterio acquiruntur, *dict. authent. ingressi*, exemplo illius, qui se dedit in adrogationem; nam cum capite fortunas suas in adrogatorem transfert, *l.* 11. §. *testamento, ff. de bonor. possess. princip. Justitut. de adquisit. per adrogationem.* Monachi ergo per professionem omnem substantiam suam in monasterium transferunt, nisi priùs de bonis disposuerint juxta formam præscriptam à Tridentino *dict. sess.* 25. *de regul. capite* 16. cujus expositionem prosequuntur ultra Barbosam *ibi*, & *in dict. authentic ingressi* & *dict. capite* 42. *numero* 224. Hieron. Garcia, & Hurtado *uti suprà.*

17. *Traditur ratio decidendi.*

Unde jam apparet vera decidendi ratio hujus textus, cujus prohibitio licèt ad legem civilem referatur in illis verbis: *Apertâ legis definitione decretum est*; tamen ipsa constitutio, civilis videlicet, *dict. authent. Ingressi*, causam suam habet à dispositione ecclesiastica, videlicet ab eo, quòd ingressus religionem, ut sæculo mortuus, nihil habet unde testamentum facere possit, cùm quoad omnia pro mortuo habeatur. Accedit, nam testamentum est voluntatis nostræ justa sententia, *princip. Institut. de testamentis*: sed monachus voluntatis expers est, ita ut nec velle, nec nolle habere dicatur, auctor vitæ sancti Fulgentii *capite* 27. ibi: *Illos quoque verè esse monachos dicebat, qui mortificati voluntati, parati essent nihil velle, nihil nolle, sed Abbatis tantummodo consilia, vel præcepta servare.* Daniel Monachus *in vita S. Joannis Climachi*, ibi: *Adeo verò perfectè mundo, propriisque voluntatibus mortuus erat, ut inexpertam rationis, & voluntatis animam quandam habere videretur, atque proprietate naturali omnino liberatam.* Unde nec eligere sepulturam possunt, *capite final. de sepultur. libro* 6. Tamburinus *de jure Abbat. disputat.* 34. *quæstion.* 1. Diana *part.* 5. *tractatu* 2. *resol.* 110. Religiosus enim post emissam professionem, voluntatem, noluntatémve non habet propter votum obedientiæ, per quod omne arbitrium proprium submisit superiori, *cap. non dicatis* 12. *quæst.* 1. *cap. luminoso, cap. Abbates* 18. *quæst.* 2. *cap ultimo, de testamentis, lib.* 6. D. Thomas 2. 2. *quæst.* 186. *per totam.* Ergo in nullo actu ejus voluntas exploranda est, cùm sit nulla. Baldus, & alii apud Jasonem *in l. servus* 62. *in fine, ff. de verb. oblig.* fusè Pater Sanchez *tom.* 2. *in præcept. decalog. libro* 7. *cap.* 6. & *de matrim. libro* 6. *disput.* 4. *ex numero* 11. Cevallos *communium contra communes, libro* 2. *cap.* 446. Barbosa *in collect. ad authentic. ingressi, C. de sacros. Eccles.* Stephanus Durantius *libro* 1. *qq. juris, quæst.* 7. & 8. Quare frustrà hac in parte comparatu Religiosus servo à Glossa *in capite final.* 16. *quæstion.* 6. & aliis apud Nicolaum Everardam *in locis legalibus, loc.* 5. *de servo ad monachum.* Quia in servo manet voluntas, quæ per servitutem subjecta non est, *l. cùm proponas, C. de hæredib. instit.* juncta *l. si id quod servus, ff. de condict. indeb.* At in religioso voluntas non datur, quam à se sponte propter votum abdicavit. Ex defectu ergo voluntatis, & bonorum religiosi vitam regularem professi testamentum facere non possunt: & cùm professus tacitè per immixtionem actibus professorum, quoad omnia pro professo habeatur, ut dicemus *in capite vidua, de regul.* ideò in præsenti specie Abbatissa, quæ tacitè professa

fessa reperiebatur, testamentum facere non potuit. Præsens assertio ampliatur, etsi Abbas monacho permittat, ut testametnum faciat, etsi testamentum illud condat ad pias causas. Sanchez *libro 6. summæ, capite 8. numero 3.* Item in monacho, qui facit codicillos, aut donat causâ mortis. Barbosa *dicto cap. 42. numero 110.* & in eo, qui testamentum antea factum velit revocare, aut mutare; secus verò si tantùm aliquid declarare velit, non verò de novo disponere. Diana *part. 3. tract. 2. resol. 75.* Ampliatur etiam præsens assertio, ut procedat in religioso in Episcopum electo, cui de nullis bonis testari licet. D. Thomas *2. 2. quæst 185.* Barbosa *de potest. Episcop. 3. part. alleg. 114. numero 022.* Araujo *tract. 3. quæst. 28. moral. dub. 3.* Procedit etiam in religiosis Equitibus Hierosolymitanis, qui cùm verè religiosi sint, non possunt testamentum condere, secus verò milites D. Jacobi, Alcantaræ, & Calatravæ; quia cum illis circa vota Religionis magna in parte dispensatum est, ut latè docent Barbosa *dict. cap. 42. numero 220.* Hurtado *ubi supra.*

18. Dissolvitur dubitandi ratio.

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam concessâ majori, minor propositio neganda est: nec ea probatur *ex dict. cap. final. qui clerici vel vovent.* Nam in ejus specie mulier, quæ castitatem promisit, non sibi reservavit proprietatem bonorum, sed tantùm usum cum superioris licentia, quod non repugnat voto paupertatis. Unde de superioris licentia poterat intra domum usum bonorum retinere, ut docuerunt Barbosa *dict. capite 42. numero 151.* Stephanus Durantius *quæst. 8* & in ejus commentario latiùs dicemus. Nec constitutiones Leonis *in dict. novel. 5.* nec Valentis & Valentiniani *in dict. l. generali*, attendi debent, cùm sint juris civilis sanctiones; cujus conditores non percalluerunt vim & effectum voti paupertatis quod emittunt monachi, & moniales, juxta quod redduntur inhabiles ad retinendum, vel acquirendum aliquid, quamvis modicum; & per consequens nec testamentum facere possunt, cùm non habeant bona, de quibus disponant. Nec quod de SS. Basilio, & Antonio dicebamus; nam Eremitæ, qui certam regulam non profitentur, Camaldulensem videlicet, Divi Augustini, vel similem, testamentum facere possunt. Abbas *in præsenti rubric. numero 6.* Sylvester *in summa, verbo Testamentum*: docent plures congesti à Ricciulo *lib. 2. cap. 4.* Si verò regulam aliquam profiteantur, de quibus *in cap. verè 16. quæst. 1. capite unic. de excess. Prælat. lib. 6. l. 12. titul. 12. partit. 6.* cùm paupertatis votum emittant, testamentum facere nequeunt. Frances *de compet. quæst. 83.* qui doctè probat, Eremitas profitentes aliquam certam regulam: & fixam normam vivendi sub obedientia alicujus superioris, gaudere fori privilegio. Unde fratres Tertii Ordinis Divi Francisci, quia paupertatis votum non emittunt, testamentum facere possunt. Difficilius est quod de D. Gregorio Nazianzeno dicebamus, qui verè monachus erat, coætaneus D. Basilii. Et licèt nonnulli apocryphum esse testamentum illud, quod ejus nomine circumfertur, existimaverint, ut refert Caldeira *dict. lib. 4. var. cap 4. in fine*, etsi tamen tanquam verum illud admittamus, non inde evincitur, monachos testamentum facere posse; nam ipse sanctus fatetur, eam dispositionem suæ ultimæ voluntatis, non recentem scripturæ tempore, sed veterem fuisse. *Jam enim*, inquit, *mentem meam manifestam feci* (tempore scilicet amissæ professionis,) *& meam omnem substantiam Catholicæ Nazianzi Ecclesiæ consecravi ad pauperum, qui sub ea sunt, Ecclesiæ ministerium. Ob eamque causam tres præfeci juxta hanc meam voluntatem pauperum curatores, tunc autem idem institutum servo.* Nec interest, quod nummos quosdam distribuit, & Gregorium Diaconum hæredem instituit; nam id facere potuit tanquam Episcopus, gratitudinis ministerii sibi præstiti, vel eleemosynæ gratiâ, ut explicat Vivar. *de veteri monach. lib 2. cap. 5. numero 16.* Nec obstat aliud difficultatis augmentum, quia verum & validum est, testamentum factum ante professionem regularem. Nec refert quod perveniat ad casum, à quo incipere non poterat; quia non est novum, ut quæ utiliter constituta sunt, persistant, licèt casus à quo incipere non poterant, contigerit, *l. in ambiguis, §. non est novum, ff. de reg. jur.* Unde qui testamentum fecit, si postea incidat in furorem, nihilominus testamentum sustinetur, *l filius 16. ff. qui testamenta, l. furiosum, C. eodem titulo.*

Superiori assertioni primò obstat textus *in can. 2 Concilii Lugdun. 1.* celebrati anno Domini 570. sub Joanne II. ubi postquam actum fuit de testamentis conditis ab Episcopis, & clericis, hæc subjiciuntur verba: *Statuentes, ut etiamsi quorumcunque religiosorum voluntas, aut necessitate, aut simplicitate aliquid à legum sæcularium ordine visum fuerit discrepare; voluntas tamen defunctorum debet inconcussa manere, & in omnibus dispositio custodiri.* Ex quibus verbis apertè constat, testamenta condita à religiosis absque debita solennitate, valere: ergo quia testamenta monachi facere possunt. Pro cujus textus expositione docet Basilius Legion. *libro 7. de matrim cap. 13.* quod licèt primis Ecclesiæ sæculis religiosi emisissent tria vota, castitatis, paupertatis, & obedientiæ; tamen antequam in Ecclesia solennitatem his votis præstitissent, etsi illicitè, efficaciter tamen eos de rebus propriis disponere potuisse, usquedum à nostro Gregorio prohibitum fuit illis testamentum condere; quod licet variis auctoritatibus intendat probare Basilius, id expressiùs suadetur ex Salviano *adversus avaritiam capite 3.* ubi dum invehitur in PP. qui filiis religiosis nihil relinquebant præter usumfructum, hæc profert verba: *More ergo illorum uteris, qui servos non bene de se meritos, quos civitate Romana indignos judicant, fuco Latinæ libertatis addicunt, quos scilicet jubent quidem sub libertorum titulo agere viventes, sed nolunt quidquam habere morientes; negato enim iis ultimæ voluntatis arbitrio, etiam quæ superstites habent, morientes donare non possunt. Ita ergo, & tu religiosos filios tuos, quasi Latinos jubes esse libertos, ut vivant scilicet quasi ingenui, & moriantur ut servi.* Ait ergo Salvianus, quod parentes, qui liberis religionem professis non relinquunt nisi usumfructum, habent ipsos eo loco, quo Domini servos suos libertos Latinos faciunt, cùm eo ipso, quod usumfructum tantùm illis relinquunt, adimant eis facultatem condendi testamentum.

19. Exponuntur can. 2. Concil. Lugdun. 1.

Juxta quem antiquum Ecclesiæ morem accipit idem Basilius canonem 19. Concilii Matisconi. 1. celebrati anno 558. & D. Augustinum *sermon.* 1. & 2. ubi supponit Sanctus, valuisse testamentum conditum à Januario monacho. Et eâ admissâ facilius defendi poterit testamentum Divi Gregorii Nazianzeni suprà relatum; sed ab ea discedit Vivar. *de veteri monach. libro* 2. *capite* 5. *numero* 9. & docet textum *in dict. can.* 2. exaudiendum esse de monachis jam professis, qui testamenta fecerunt antequam expresè, aut tacitè religionem ipsam profiterentur; quo casu cùm professionem adhuc non emisissent, licèt conversionis gratiâ ad monasterium accessissent, testamentum ab eis factum sustinetur. Sed neutra ex his interpretationibus admitti potest. Non prima Doctissimi Basilii; nam testamenti factio activa denegata est monachis, tum ob defectum bonorum, tum ob defectum voluntatis; qui defectus tam prioribus Ecclesiæ sæculis, quàm sequentibus statui monastico inerant: unde ob solennitatem ab Ecclesia votis adjectam, nulla incapacitas monachis quoad testamenti factionem fuit addita, quæ jam ex ipsa professione non proveniret. Nec secunda eruditi Patris Vivar. ut divinatoria admitti valet. Quare illis omissis verius credo, tam primis, quam sequentibus Ecclesiæ sæculis monachos testamenti factione caruisse: nec aliud deducitur *ex dict. can.* 2. *Concilii Lugdunensis*, in quo agitur de testamentis Episcoporum, Presbyterorum, & Clericorum, ut ex prioribus verbis constat. Unde verbum illud, *Religiosorum*, referendum est ad ipsos Episcopos, & Presbyteros, qui plerunque religiosi, & religiosissimi appellari solent. Nulla autem mentio fit in eo canone monachorum, aut sanctimonialium; unde non est ratio, quare quod in eo canone statuitur circa testamenta ab Episcopis, & Presbyteris condita, prottahatur ad monachos, qui testamenti factionem activam non habent.

20. *Exponitur textus in cap. si qua mulier 19. q. 3.*

Secundò opponi solet textus *in capite si qua mulier* 19. *quæst.* 3. ubi expresè asseritur, quod si qua mulier ingrediatur monasterium filios habens, etiam post ingressum licere ei bona propria inter ipsos dividere: igitur quia monialis licitè, & validè potest testamentum condere. Cui difficultati ut satisfaciat Navarrus *ad titulum de Regularibus*, *consil.* 2. asserit, prædictum textum, utpote deductam ex constitutione Cæsarea, videlicet ex authentica *Si qua mulier*, *C. de sacros. Eccles.* nullam auctoritatem habere; cùm similes Imperatorum constitutiones, quæ loquuntur de testamentis monachorum, non attendantur, ut de novella 5. Leonis, & constitutione Valentis, & Valentiniani, *in dict. l. generali*, *C. eodem titulo*, suprà retuli: quam solutionem rejiciunt Thomas Sanchez *libro* 7. *summæ*, *cap.* 9. *numero* 7. Menchaca *libro* 1. *usufrequent. capite* 5. Barbosa *in authentica Si qua*, *numero* 5. dum docent, constitutionem illam tacito Pontificis consensu esse approbatam: quæ doctrina difficilior est; nam ut suprà probavi in Apparatu ad hæc Commentaria, constitutiones juris civilis per Gratianum compilatæ in suo decreto, eandem auctoritatem habent, ac si in ipsis Pandectis juris civilis jacerent; quare admittenda est Navarri interpretatio. Et licèt constitutio illa esset approbata ab Ecclesia, adhuc dicendum est, in eo textu non permitti monachis, aut monialibus testamentum facere, sed tantùm bona filiis debita æqualiter inter ipsos dividere; quæ divisio non est testamentum, nec dispositio testamentaria, *l. filii* 16. *l. ultim. C. famil. erciscund. authentica si modò*, *C. eodem titulo*; docet Mancinus *libro* 2. *genial. capite* 112. unde non solùm testamento, verùm scripturâ privatâ fieri potest, *dicta authent. Si modo*. Et licèt codicillis non possit dari, aut adimi hæreditas, *l.* 2. §. *hæredis*, *ff. de jure codicill. l.* 2. §. 1. *C. de codicillis*, §. *final. Institut. eodem*; tamen codicillis potest pater dividere substantiam suam inter filios, *l. si filia* 20. §. *si pater*, *l. ex parte*, 32. *ff. famil. erciscund. l.* 20. §. *qui filius*, *ff. de adimend. legat.* licèt in specie textus *in dict. cap. si qua mulier*, non possit monialis aliquem ex filiis meliorare, ut docet Gregorius Lopez *in l.* 17. *titul.* 1. *partit.* 6. nec poterat filio populariter substituere, ut docet Barbosa *ibi*, *numero* 13.

21. *Exponitur cap. final.* 12. q. 1.

Deinde obstat præsenti assertioni textus *in capite final.* 12. *quæst.* 5. in illis verbis: *Quicunque ex gradu ecclesiastico sine testamento, & sine cognatione decesserit, hæreditas ejus ad Ecclesiam, ubi deservivit, devolvatur: similiter de sanctimonialibus.* Ex quibus deducitur, sancti moniales posse facere testamentum, siquidem ibi statuitur, quod si testamentum non fecerint, illis succedat monasterium. Glossa in eo textu, verbo *Sanctimonialibus*, quam sequuntur Turriscremata *ibi*, Gaxanna *in capite* 4. *numero* 8. *de statu monach.* existimat, in eo textu agi de quibusdam monialibus, quæ olim in Gallia, & Theutonia florebant; illæ enim ad instar canonicorum sæcularium vitam agebant. Et licèt in eadem domo habitarent, eandemque vestem deferrent; sub unaque Abbatissâ propriam regulam profiterentur; tamen propriis non renunciabant, & ut sæculares canonicæ degebant, de quibus *in capite indemnitatibus*, §. *supradicta*, *de election. libro* 6. *Clement. Attendentes*, *de statu monach.* Unde cùm sanctimoniales illæ proprium retinerent, nec professionem regularem emitterent, ideo poterant facere testamentum. Sed hæc solutio aperto divinationis vitio laborat; siquidem in eo textu nulla fit mentio illarum canonicarum, de quibus nonnulla notavi *in capite dilecta*, *de majoritat. & obed.* Deinde quia Glossa supponit, textum illum deductum esse ex Concilio Triburiensi, quod celebratum fuit in Gallia temporibus Arnulphi, anno 895. & in ipso Concilio nullo modo reperitur textus ille. Hac solutione omissâ Sotomayor *in capite Quia ingredientibus* 19. *quæst.* 3. existimat, textum illum procedere ante tempora Gregorii IX. cui tribuit præsentem textum, & textum *in dicto capite Quia ingredientibus*. Sed hæc solutio facilè convincitur ex traditis suprà in epigraphe hujus textus. Quare his sententiis omissis, verius dicendum est, textum illum esse intelligendum de Diaconissis, de quibus suprà egi: illæ enim cùm nullam professionem emitterent, nec religionem profiterentur, po-

terant

rerant testamentum facere. Quæ interpretatio adstruitur, & facilè suadetur ex eo, quia in toto illo canone non agitur de religiosis, aut regularibus, sed de sacerdotibus sæcularibus: & statim adjicitur, idem observari in sanctimonialibus. Igitur intelligendus est textus de Diaconissis sæcularibus. Deinde decretoriè probatur hæc solutio ex novella 131. Juliani, *cap* 18. ubi leguntur hæc verba. *Si Episcopus, clericus, vel cujuscunque gradus ecclesiastici ministerii, sine testamento, & sine cognatione decesserit, hæreditas ejus non ad fiscum, sed potius ad Ecclesiam devolvatur; & si Diaconissa fuerit, simili modo.* Igitur *in dict. cap. final.* sanctimoniales pro diaconissis accipi debent, ut jam notavit Gibalinus *de clausura, disquisit.* 1. *cap.* 3. §. 2. *conject.* 4.

22. Intelligitur cap. relatum 19. 91. Tandem superiori assertioni obstat textus *in cap. perlatum* 19. *quæst.* 3. ubi Gregorius noster refert Petronellam mulierem, dum monasterium ingrederetur, bona quæ habere potuit, licèt sibi jure competere potuissent, tamen monasterio donasse. Unde deducitur, vitam monasticam professam potuisse bona propria retinere, & illa donationis titulo in monasterium transferre. Igitur similiter & testamento de illis disponere poterat. Pater Vazquez 1. 2. *disput.* 165. *capite* 6. & Basilius *quæstion.* 3. *scholast. capite* 9. textum illum referunt ad tempora illa, quando monachi, etsi non licitè, validè tamen bona retinebant, & utiliter de illis disponebant. Sed eâ sententiâ omissâ, Vivar. *de veteri monac. lib.* 2. *capite* 5. alio modo Gregorium exponit, videlicet ut verba illa, *Licet sibi jure potuissent competere*, non ad Petronellam, sed ad monasterium ipsum referantur, præcipuè juxta verba illa, quæ sequuntur; *Etiam specialiter donationis titulo*: ita ut affirmet Gregorius, Petronellam res suas, quæ eo ipso, quod absque testamento monasterium ingrederetur, idest professionem emitteret, ipsi monasterio jure ordinario competebant, ex præsenti textu, & dicta authentica *Ingressi*; tamen easdem etjam specialis donationis titulo sponte contulisse. Sed hæc interpretatio opponitur verbis, & menti ipsius Gregorii; nam Gregorius, cùm adhuc nullam fecisset monasterii mentionem, ait Petronellam per exhortationem Agnelli Episcopi fuisse conversam, resque suas omnes, quas habere potuit, licèt sibi jure potuissent competere; tamen donationis titulo monasterio specialiter contulisse. Unde nullo modo relativum *sibi*, referri poterat ad monasterium, quod adhuc nec nominaverat. Quare eâ omissâ sententiâ verius credo, verba illa, *sibi jure potuissent competere*, referenda esse ad Agnellum Episcopum, cujus filia erat dicta Petronella, ut suadetur ex integra epistola, quæ extat in regestro Gregorii, *lib.* 3. *epistola* 6. in hæc verba: *Perlatum est ad nos, Petronellam nomine, de provincia Lucania genitam, per exhortationem Agnelli Episcopi fuisse conversam, resque suas omnes quas habere potuit, licèt sibi jure potuissent competere, tamen easdem monasterio, quod ingressa est, etiam specialiter donationis titulo contulisse; morientemque prædictum Episcopum, dimidiam partem substantiæ suæ Agnello cuidam filio suo, qui notarius nostræ esse fertur Ecclesiæ, atque dimidiam eidem monasterio reliquisse. Sed cùm propter irruentem Italiæ cladem ad Siciliam refugissent, dicitur eam sæpius nominatus Agnellus, corruptis ejus moribus, stupraſſe, atque sentiens gravidam, de monasterio seduxisse, resque ejus omnes, tam proprias, quàm eas, quas de parte patris ipsius habere poterat, abstuliſſe.* Unde Divus Gregorius referre intendebat, ipsam Petronellam bona omnia, quæ ex substantia patris habere poterat, licèt illa bona patri potuissent, & debuissent, dum viveret, competere, ex donationis titulo monasterio tradidisse, simul cum rebus propriis: unde nullo modo verba illa, *sibi jure potuissent competere*, sunt referenda ad Petronellam, sed ad Agnellum Episcopum ejus patrem, cujus mentionem proximè Gregorius fecerat.

CAPUT III.

(a) Idem *Januario Episcopo Caralitano.*

NOs quidem arbitramur, quod ad imminentiam expletionis piarum rerum; ipse te tuus satis ordo compellat. Sed ne zelum tuum cujuslibet interventus remissionis emolliat, de his etiam te specialiter judicavimus exhortandum. Pervenit siquidem ad nos, Stephanum vestrum de hac luce migrantem, supremæ (b) voluntatis elogio monasterium præcepisse fundari. Cujus desiderium à Theodosia honesta (c) fœmina hærede ejus, fertur quod hactenus dilatione protrahitur. Quam ob rem hortamur fraternitatem tuam, ut maximum de prædicta causa studium geras, atque nominatam fœminam commoneas, quatenus intra annale spatium monasterium, quod jussum est, debeat ordinare, & cuncta secundùm defuncti voluntatem sine altercatione constituere. Quod si intra prædicti temporis metam aliqua perficere negligentiâ, vel calliditate distulerit, ut sive in loco eo, quo constitutum fuerat, seu (d) certè ibi non poterit, & alibi placet ordinari, & dilatione interveniente negligitur: tunc volumus, ut fraternitatis tuæ ædificetur studio, ordinatisque omnibus, res atque redditus, qui relicti sunt, per te loco ipsi venerabili, sine imminutione aliqua socientur. Sic enim & ante tremendum Judicem tuum sententiam remissionis effugies, & se-

cundùm piissimas leges, dilatas defunctorum pias voluntates Episcopali supplebis studio.

NOTÆ.

1. (a) *Idem.*] Ita restituo inscriptionem, & litteram ex regestro D. Gregorii Magni, *lib.* 3. *epistol.* 10. ubi reperitur hic textus, & in prima collectione, *sub hoc titul. capite* 12. De hoc Episcopo nonnulla notavi *in capite nisi, de renunc.*

2. (b.) *Voluntatis elogio.*] Elogium in jure variis modis accipitur. Pro causa exhæredationis *in l. si posthumus* 14. *in fine, ff. de liberis & posthum. l.* 1. §. *idem ait, ff. de Carbon. edict. l.* 9. *C. de suis & legit.* apud D. Augustinum *lib. de communi vita cleric.* ibi: *Ambos exhæredavit, illum cum laude, istum cum elogio, & vituperatione.* Apud Ciceronem *pro Cluentio*, ibi: *Unum est etiam, quod maximè me conturbat, quod elogium recitasti de testamento Ignatii patris, hominis honestissimi, idcircò se exhæredasse filium, quòd is ob Oppianici damnationem pecuniam accepisset.* Sed frequentiùs pro testamento, & ultima decedentis voluntate accipitur, *l. ultim.* §. *sic quidem, C. de curat, furios. l. si quis* 33. *l. si quando* 35. *C. de inoffic. testam. l.* 2. *&* 3. *C. communia de manumiss. l. hac* 8. *cum sequent. C. qui testamenta*, & aliis.

3. (c) *Fœmina hæredе.*] Non erat ipsa Theodosia nominata ad exequendum testamentum, sed tanquam hæres tenebatur adimplere.

4. (d) *Seu certè ibi non poterit.*] Qua de re eidem scripserat idem Gregorius *lib.* 3. *epist.* 8. in hæc verba: [Theodosia religiosa fœmina in construendo monasterio voluntatem Stephani quondam viri sui complere desiderans, petiit à nobis, ut ad fraternitatem tuam nostras transmitteremus epistolas, quibus per commendationem nostram tuum faciliùs mereretur auxilium. Asserit siquidem hoc à suo conjuge constitutum, ut in prædio, quod appellatur Picenas, quod ad Xenodochii Thomæ quondam Episcopi jura pervenit, monasterium construi debuisset. Quia igitur in alienis hoc fundare rebus, licèt possessor permitteret, Dominus tamen videtur cum ratione refugere, petitionem ejus prævidimus annuendam, id est, ut in domo juris sui, quam Caralis asserit se habere, ancillarum Dei monasterium debeat Domino adjuvante construere. Sed quia prædictam domum suam dicit ab hospitibus, atque supervenientibus onerari, hortamur fraternitatem tuam, ut studeas ei in cunctis concurrere, devotionique ejus tuæ præbeas tuitionis auxilium, ut mercedis defuncti, atque ejus studii, tuus te concursus faciat & solicitudo participem. Reliquias verò, quas ibidem postulat collocandas, volumus ut à fraternitate tua sub debita veneratione condantur.]

COMMENTARIUM.

5. *Conclusio traditur & probatur.*

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Si hæres, vel ille, qui designatus est ad exequendam testatoris voluntatem, per annum negligens fuerit, executio devolvitur ad Episcopum.* Probant eam textus *in cap. ultim.* 13. *quæst.* 2. *cap. admonere* 16. *quæst.* 1. *cap. de laicis* 17. *quæst.* 2. *cap. si hæredes, cap. tua nos, cap. Joannes*, 19. *hoc tit.* Clement. unica *hoc tit.* Clement. *quia contingit, de relig. domib. cap.* 1. *hoc tit. in* 1. *collect.* Gregorius noster *lib.* 9. *epist.* 14. *&* 20. Concil. Ravennatense tempore Clementis V. *rubric.* 31. ibi: *Et executores post legitimum tempus, hoc est annum, nisi fuerint executi, ulteriùs se non possunt intromittere, sed Episcopi ordinarii ea exequantur.* Trident. *sess.* 7. *de reform. cap.* 15. & *sess.* 22. *capite* 6. & *sess.* 25. *cap.* 4. *l.* 6. *titul.* 8. *p.* 6. *l.* 25. *titul.* 9. *l.* 7. *tit.* 10. *ead. partit. l. nulli, C. de Episcop. & cleric. authent. hoc amplius, C. de fideicomm. l.* 5. *tit.* 10. *p.* 6. Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa & Garania, idem Barbosa *de potest. Episcop.* 3. *p. alleg.* 82. Petrus Gregorius *in cap. conquerente, cap.* 6. *de offic. ordin.* Robertus *lib.* 1. *rer. judic. cap.* 19. Fornerius *lib.* 6. *rerum, quotid. capite* 2. Carpio *de exequut. lib.* 1. *cap.* 21. *&* 22. Rousselius *lib* 6. *hist. jur. Pontific. cap.* 3. *num.* 9 Anton. August. *in epit. jur. lib.* 15. *tit.* 48. Gisanius, & Mornacius *in dict. l. nulli.* Tondutus *lib.* 1. *resol. canonic. cap.* 15. Valenzuela *consil.* 87. Antonius Gomez, & alii *in l.* 36. *Tauri.* Leon *tom.* 1. *decis.* 20. Hieronymus Garcia *tom.* 1. *polit. regul. tractatu* 8. *difficult.* 3. *dub.* 5. Pater Molina *de justitia tractat.* 2. *disputat.* 134. *num.* 5. Castillo *lib.* 8. *de aliment. capite* 7. *&* 54. ubi I. Paulus Melius, Ciarlinius *tom.* 1. *controvers. capite* 5. *num.* 11. Solorzanus *tom* 2. *de jure Ind. cap.* 24. *num.* 122. & *lib.* 4. *cap.* 7 D. Valenzuela *consil.* 124. *num.* 24.

6. *Impugnatur tradita assertio.*

Sed hæc assertio difficilis redditur ex sequenti consideratione; nam exequutores ultimarum voluntatum æquiparantur tutoribus. Glossa *verbo Ad liberos, in l. tutela* 16. *de tutel.* Baeza *de decima cap.* 19. *num.* 22. Carpio *de execut. lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 1. quia sicut tutores sunt dativi, & legitimi; ita etiam executores alii sunt dativi, videlicet in testamento designati, *d. l. nulli*; alii legitimi, ut Episcopi, vel eorum vicarii, *novella de sanctissimis titulis*, §. *si autem*: pluribus relatis docet Valenzuela *consil.* 87. *num.* 9. Sed existente tutore dativo non est locus legitimo, nec ille admittitur ad tutelæ administrationem, *l. intestato, ff. de legit. tut. l. si tutor*, §. *si duobus, ff. de tutelæ, & rationibus, l.* 2. *C. de testam. tut.* ergo similiter existente executore dativo Episcopus tanquam legitimus admitti non debet. Et hoc dubium non admittere docuit Paulus Castrensis *consil* 413. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex eo, quia Theodosia in præsenti specie, nec in mora erat, nec constitui poterat; siquidem à nemine conveniri valebat pro constructione monasterii; quia in judicio nemo audiendus est agendo, aut excipiendo, nisi ille, cujus interest, *l.* 3. §. 1. *l. stipulatio* 38. §. *ultim. ff. de verb. obl. l. ille à quo* 13. §. *si de testamento, ff. ad Trebel.* Sed in præsenti casu Theodosia erat hæres ex asse, nec habebat cohæredem, cujus interesset monasterium construi: ergo ex defectu personæ, & actionis Theodosia in mora constitui non poterat. Cùm enim plures sunt hæredes, invicem se convenire valent, *l. Quintus* 7. *vers Pomponius, ff. de annuis legat. l. hæ.* §. *idem. ff famil. erciscund.* Deinde ex alio capite Theodosia in mora non erat; nam dispositio construendi monasterium incertitudinem magnam continebat; siquidem testator non expressit ejus modum, aut formam, & per consequens talis dispositio ut incertitudinem continens, nulla erat, *l. Titia ff. de*

de legat. 2. l. 3. §. si quis insulam, ff. de eo quod certo loco: ergo si Theodosia non tenebatur præceptum illud adimplere, negligens dici non poterat, nec ob ejus negligentiam Episcopus monasterium construere poterat.

7. *Ultima voluntas adimplenda est.*

Quâ difficultate ita sulcitâ non obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, nihil aliud esse, quod magis hominibus debeatur, quàm ut suprema eorum voluntas, post quam jam aliud velle non possunt, exitum & effectum habeat, *l. vel negare 5. ff. qui testam. aperiantur. l. 1. C. de sacros. Eccles.* Unde scribit Plinius *lib. 2. epist. 16.* se propriam quandam legem sibi dixisse, ut defunctorum voluntates ut perfectissimas tueretur. Eusebius *lib. 4. de vita Constant.* scribit, generaliter sanxisse, quibuscunque modis expressa testantium judicia valere. Et Quintilianus *declamat. 318.* ait, nullum sanè majus esse solatium mortis, quàm voluntas ultra mortem. Tacitus *lib. 2. annal.* ibi: *Non hoc præcipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo quæstu; sed quæ voluerit, meminisse; quæ mandaverit, exequi.* Facit Cassiodorus *lib. 5. var. epist. 21. Vivat tibi perpetuis sæculis decedentium voluntas, transeant in posteros judicia parentum* Illustrat Spino *in specul. testam. 1. p. rubrica.* Unde testatores fidelioribus & charioribus amicis suarum voluntatum executionem commendabant, quorum mentio fit *in l. quidam, §. penult. l. si à pluribus, ff. de legat. 1. l. si quis Titio 17. ff. de legat. 2. l. alumnæ 30. ff. de adim. legat. l. alio herede 9. ff. de aliment. legat. l. Divus, ff. si cui plus, novella 131. Justin. novella 68. Leonis, novella Majorani de testam.* Illi plerunque dicuntur dispensatores, ut ex eadem novella Majorani notat Cujacius *tract. 7. ad Afric. in l. 107. ff. de legat. 1.* & nullo designato executore ultimæ voluntatis executio hæredi incumbit, *l. 7. tit. 10. partit. 6.* Carpio *de executorib. lib. 1. cap. 22. num. 9.* Illis autem executoribus aliquando testatores certum præscribunt tempus, intra quod suam exequantur voluntatem: quo casu tempus illud est observandum, *authent. hoc amplius, C. de fideicommiss. dict. l. nulli, l. 6 tit. 10. partit. 6.* Carpio *dicto lib. 3. cap. 1. num. 2.* Nullo verò termino assignato annus à jure datur ad exequendam testantis voluntatem, *dict. authent. hoc amplius* Et licèt eodem jure communi attento dubium sit, an à die mortis, an verò à tempore additionis hæreditatis currere incipiat annus; apud nos tamen cùm aditio hæreditatis non desideretur ad validitatem eorum, quæ in testamento relinquuntur, *l. 1. tit. 4. lib. 5. Recopil.* incipiet annus à die mortis testatoris, ut decisum extat *in dict. l. 6. partit.* ibi: *Fasta un anno despues de la muerte del testador.* Docet Carpio *dict. lib. 3. capite 1. num. 10.* Etiam sciendum est, morte, negligentiâ, vel impedimento executorum jus exequendi ultimas defunctorum voluntates devolvi ad Episcopum loci, ubi testator decessit, aut majorem bonorum partem obtinebat, ex juribus suprà citatis. An verò ad Judicem sæcularem æqualiter spectet pias defunctorum voluntates ad effectum perducere, quæri solet? Et ad ipsum etiam spectare, resolvunt pluribus relatis Carpio *dict. alleg. 82. n. 17.* & ita præventioni locum esse, sicut in aliis casibus mixti fori, fusè probant Leon *decis. 20. Valentiæ.* Peroyra *de manu regia tom. 1. lib. 1. cap. 16. per totum*; quia sicut laicus potest à testatore designari suæ dispositionis executor, ita & judex laicus propter ejus negligentiam, & impedimentum poterit exequi pias defunctorum voluntates.

8. *Traditur decidendi ratio.*

Ex quibus jàm apparet vera præsentis decisionis ratio; nam cùm Episcopus in concernentibus pietatem, & charitatis officia sit legitimus executor, & in laicos exerceat omnimodam jurisdictionem, *cap. 1. & 2. 87. distinct. cap. super quibusdam, de v. s.* meritò in præsenti deciditur ob negligentiam Theodosiæ in construendo monasterio, quod ædificari jusserat testator, executionem similis piæ voluntatis ad Episcopum devolvi; quod nec à jure Romanorum alienum est, nam apud eos testamentorum executio, quoad legata pia, & monumenta construenda, Pontifici incumbebat, *l. hæreditas 50. ff. de petit. hæredit.* ibi: *Hæredes ad monumentum faciendum tandem Principali, vel Pontificali auctoritate compelluntur, ad obsequium supremæ voluntatis.* Non tamen ex officio, sed ad partis petitionem, *l. Quintus Mutius 7. ff. de annuis legat.* Illustrant Guther. *lib. 3. de jure manium*, & *lib. 2. de jure Pontific. cap. 8.* Fornerius *lib. 6. rerum quotid. cap 2* immò & ipsas testamenti tabulas solebant Vestalibus tradere, aut in æde sacra custodiendas deponere, *l. cùm pater, §. donationis, ff. de legat. 1. l. 3. §. proinde, l. finali, ff. de tabul. exhib. l. 4. §. 4. ff. famil. erciscæ.* Unde Augusti testamentum Vestalibus condemnatum fuisse refert Suetonius *in Julio, cap 83* & *in Augusto, Cap. ultim.* Idem de Antonii testamento refert Plutarchus *in ejus vita.* Meritò ergo Gregorius in præsenti, atque Imperatores *in dict. l. nulli*, & *authent. hoc amplius*, statuerunt, pias defunctorum voluntates diligenter esse exequendas; & negligentibus earum executionem hæredibus, vel commissariis à testatore designatis, Episcopum debere eas ad effectum perducere, docent Carpius & Barbosa *ubi suprà*, Rousselius *dict. lib. 6. cap. 3.* Quis autem Episcopus proprius sit quoad hanc executionem, originis, vel domicilii testatoris, aut loci, ubi res sitæ sunt, explicant Martha *de jurisd. p. 2. cap. 10. num. 10.* Barbosa *de potest. Episcop. 3. p. alleg. 28. num. 15.* Baldus & Salicetus *in dict. l. nulli, C. de Episc. & cler.*

9. *Dissolvitur dubitandi ratio*

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam licèt verum sit, quod si hæres, vel commissarius à testatore designatus exequatur voluntatem testatoris, Episcopus non possit se immiscere; tamen si negligens sit, aut jure, vel de facto impediatur prædictam exequi voluntatem, tunc Episcopus potest eandem voluntatem ad effectum perducere; quia ob negligentiam, vel impedimentum hæredis, commissariive, talis facultas ab eis aufertur, & in Episcopum transfertur, ut si tutor dativus suspectus sit, qui temovetur, & alius administrat. Nec obstat primum augmentum ipsius difficultatis; nam licèt cùm testator aliquid fieri jussit, nulla exinde actio detur, quia præceptum hoc potiùs ad utilitatem scribentis, quàm ad alterius commodum pertinet, ut alibi ratiocinatur Consultus *in l Quintus 7. ff. de annuis legat.* officio tamen judicis cogi potest hæres, ut defuncti supremam voluntatem adimpleat, *l. hæreditas, ff. de petit. hæred.* ubi Faber, Goveanus *in l. 1. §. ultim. ff. ad leg. Falcid.* & quia publicè interest supremas defunctorum voluntates exitum habere, *l. vel negare, ff. quemadmod. testamenta*: ideo hodiè cuilibet de populo competit actio pro

exequendis ultimis defunctorum voluntatibus, *authent. de ecclesiasticis titulis*, § *si autem, dicta l. nulli, C. de Episc. & cleric. in fine*, ibi: *Universi, qui id quocunque modo cognoverint, vel in viri clarissimi Rectoris provinciæ vel in urbis Episcopi notitiam deferendi liberam habeant facultatem.* Docent pluribus relatis Carpio *dicto lib. 1. cap. 24.* Pinellus *lib. 1. select. cap. 11. num. 16.* Nec aliud difficultatis augmentum refragatur; nam supponendum est, in præsenti specie testatorem præscripsisse modum observandum circa locum, & formam monasterii: & licèt testator id non expressisset, nihilominus non ideò dispositio vitiabatur; siquidem adimpleri, & exequi poterat servatâ formâ, quæ in aliis monasteriis ejusdem Ordinis in usu esse solebat, ut in simili specie ait Consultus *in l. cùm pater 77. § vicos, ff. de legat. 2.* cujus explicationem prosequuntur Cujacius *lib. 8. respons. Papin.* ibi; Fornerius *lib. 2. rerum quotid. cap. 11.* Chesius *interpret. jur. cap. 4. num. 9.*

10. *Exponitur cap. Episcopus, 88. dist.*

Sed præsenti assertioni, & hucusque traditis obstat textus *in cap. Episcopus, 88. dist.* in illis verbis: *Episcopus tuitionem testamento um non suscipiat.* Ex quibus apertè deducitur, quàm alienum sit ab Episcopali statu, & dignitate executionem, seu tuitionem testamentorum admittere. Igitur nec negligente hærede, vel commissario à testatore designato Episcopus debet suscipere tuitionem testamentorum. Augetur hæc difficultas ex eo; nam licèt manum opus pietatis sit pupillos tueri, & defendere, nihilominus Episcopis prohibitum est tutorum munus exercere, *authent. presbyteros, in fine, C. de Episc. & cleric. Novella 123. cap. 5. authent. de sanctissimis Episcopis, §. ab eo autem:* quod adeò injustum, & illicitum visum fuit primis Ecclesiæ Patribus, ut testatorem Episcopum, aut clericum testamento suo filiis suis tutorem designantem, communione ecclesiastica privarent, nec pro eo Missæ sacrificium offerri sinerent. Concilium Afric. temporibus D. Cypriani celebratum, quod refert Baronius *anno* 257 D Cyprianus *lib. 1. epist. 9.* ibi: *Non licere clericis in testamento nominare tutores, aut curatores.* Cujus prohibitionis rationem expressit Leo Imperator *Novella 68.* his verbis: *Veteribus legislatoribus edicere visum est, ne monachi, aut quoscunque sacer ordo devinctos habet, tutorum officio fungantur. Intellexerunt enim, qui divino ministerio consecrati sunt, hos ab externarum rerum occupationibus & molestiis liberos esse oportere. Quantùm autem alendorum, aliorumque regendorum puerorum cura hominum animos distrahat, utque Deum debitè colere ne possint, impediat, nemo ignorat. Totâ enim plerunq; vitâ tutores laboriosis istis curis irretiti tenentur.* Quam transcripsit Alfonsus noster *in l. 14. tit. 16. part 6.* quæ ratio æquè militat in tuitione, seu executione testamenti: Igitur sicut Episcopus non potest designatus à testatore suscipere tuitionem testamenti, seu pupillorum; ita nec ob negligentiam hæredis, aut commissarij testamento designati, debet hujusmodi occupationi immiscerì. Cui difficultati ut satisfaciamus asserendum est, Episcopum posse non solùm ex præsenti juris dispositione executionem, seu tuitionem testamentorum suscipere; verùm & virtute designationis à testatore factæ. Nam cùm hoc officium circa pias causas versetur; inde est, ut ab Episcopo exerceri valeat, cùm ipsius officij proprium sit opus pietatem fovere, *dicta Novella 68. Leonis, cap. Ioannes, cap. penult. hoc tit.* Carpio *dicto lib. 1. de execut. cap. 3. num. 13.* Nec tunc obstat textus *in dicto cap. Episcopus 5. 88. distinct.* cui ut sttisfaciat Glossa *ibi*, affirmat in eo textu tantùm prohiberi, ne testamenta aperiantur coram Episcopo; quæ aperienda sunt coram judice sæculari, *ex l. repetita C. de Episc. & cleric. l. consulta, C. de testamentis.* Glossam sequitur Acuña *in eo textu.* Sed hæc solutio facile convincitur ex ipso canone, ubi non agitur de apertura tabellarum, sed de tuitione testamentorum. Quare hac omissâ sententiâ existimo, in eo textu prohiberi, ne Episcopus per se, & immediatè suscipiat tuitionem testamentorum; non autem prohiberi, quin per presbyterum, aut alium tertium eam suscipiat. Quæ interpretatio colligitur ex canone antecedenti ipsius Concilij Carthag. ubi Patres ita sanxerunt: Ut Episcopus gubernationem viduarum, & pupillorum, & orphanorum, non per seipsum, sed per Archipresbyterum, vel Archidiaconum agat. Et statim sequitur textus *in dicto cap. Episcopus*: igitur debet accipi juxta antecedentem, videlicet ut per se non suscipiant tuitionem testamentorum, sed per Archipresbyterum, aut Archidiaconum. Nec quod de tutela dicebamus, refragatur; nam verum est, Episcopum tutelam à testatore delatam exercere non posse: discriminis ratio in eo consistit; nam tutelæ administratio per plures annos, variaque, & prophana negotia exercetur; executio autem piæ voluntatis brevi tempore expediri, & adimpleri potest, ut notarunt I. Justelus *ad canones Eccles. univers. fol. 222.* Adhuc tamen & tutelam legitimam clerici exercere valent, *cap. final. 86. dist.* ibi: *Nisi forte qui legibus ad minorum ætatis tutelas, sive curationes inexcusabiles attrahuntur.* Et *cap. generaliter 16. quæst. 1.* quia tunc non tam voluntate, quàm necessitate curis sæcularibus immiscentur, cùm aliàs ab hæreditate repellantur, *l. quo tutela 73. ff. de regul. jur.* Rousselius *lib. 4. histor. jurisdict. Pontif. cap. 5.* & hodie sacerdotem posse designari executorem testamenti, probat Conradus Kling. *libro 5. locorum commun. cap. 32.*

CAPUT IV.

Idem (a) *Petro Subdiacono Siciliæ.*

INdicante. *Et infrà*: Cognovi autem Romano referente, quia (b) moriens uxor Redempti unam concham (c) argenteam nudis verbis dixerit venundari, & (d) libertis suis tradi; scutelam quoque (e) argenteam (f) monasterio cuidam reliquerit. In quibus utrisque voluntatem ejus per omnia volumus impleri, ne ex rebus minimis peccata majora (g) capiamus.

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) *Idem.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 13. & in ipso Regestro Gregorii, *lib.* 12. *epist.* 30. ubi de diversis rebus, & causis ad patrimonium Ecclesiæ Romanæ spectantibus agit D. Gregorius: & circa medium hæc leguntur verba. 1.

(b) *Mor. ens uxor*] Certum est, jure communi attento, mulierem absque mariti licentia testamentum facere potuisse: Ulpianus *in fragmentis*, *tit.* 22. §. *mulier.* Unde statutum disponens, ne uxor testamentum condat absque mariti licentia, nullum esse, post Paulum Castrensem, & alios docet Fragoso *de regim. Christ. Reipub. lib.* 4. *disput.* 7. *num* 8. 2.

(c) *Concham argenteam.*] Concha enim est vas in formam conchæ factum, de quo Paulus *lib.* 3. *sentent. tit. ultim.* Consultus *in l.* 7. *ff. de instruct. legat.* PP. Concil. Illiber. *cap.* 48. ubi plura adduxi. 3.

(d) *Et libertis suis tradi.*] Plerunque enim patroni libertis suis testamento alimenta, aliasque res relinquebant, *l. patronus* 35. *ff. de legat.* 3. *l.* 3. *ff. de aliment. legat.* quam me laudato explicat Don Josephus de Retes *lib.* 3. *de interdictis*, *fol.* 175. 4.

(e) *Scutellam quoque argenteam.*] Et ita certam designavit, non generaliter scutellam legavit, ut omnes antiquiores hîc supponunt, inde fusè tractantes, an in legato generali electio semper sit hæredis, vel legatarii? Quam quæstionem utmanus propriam hujus loci, omittimus: videndi sunt textus *in l. si quando* 109. §. *hæres*, *ff. de legat.* 1. *l. Titia* 38. §. 1. *ff. de auro & argento*, *l. cum quis* 38. §. *qui hominem*, *ff. de solut. l. si legatario* 22. §. 1. *ff. de fideicomm. libert. l.* 2. *ff. de option. legat. l. cum post* 69. §. *gener. ff. de jure dot. l. si à substituto* 45. §. 1. *l. sequens* 48. *l. cùm res* 47. §. *sed si Stichus*, *ff. de legat.* 1. *l. si quis* 2. *ff. de aliment. legat.* D. Martinus de Larreatigui *lib.* 5. *select. cap.* 2. Gomez *lib.* 1. *variar. cap.* 12. *num.* 32. Cujacius *tract.* 8. *ad Afric. in l. si hæres* 110. *de legat.* 1. Pinel. *lib.* 2. *select. cap.* 16. 5.

(f) *Monasterio cuidam reliquerit.*] Licèt enim olim Ecclesia, & ecclesiasticæ personæ aliquid ex testamento capere non valerent, *l.* 17. & 20. *C. Theodos. de sacros. Eccles.* tamen post Imperatorem Constantinum, & hæredes institui, & legata capere potuerunt, *l.* 1. *authent. ingressi*, *C. de sacros. Eccles. l. Deo nobis*, *l. si quis ad declinandam*, *C. de Episcop. & cleric. l. sancimus*, *C. de donat.* ut etiam sacerdotes Gentilium capere poterant, *l. annua* 20. §. 1. *ff. de ann. legat. l.* 1. §. *ad municipium*, *ff. ad legem Falcid.* Virgines autem Vestales, quia victu publico honorabantur, nihil ex alieno testamento capiebant. Gellius *lib.* 1. *noct. cap.* 12. Symmachus *lib.* 1. *epist.* 40, immò Diis, quibus capacitas speciali Senatusconsulto aut constitutione data erat, plerunque legabatur, qui referuntur ab Ulpiano *tit.* 22. *regul.* & à Paulo *lib.* 4. *sent. tit.* 3. In quo Ulpiani fragmento Cujacius legit, *Minervam Melitensem*, ubi legitur *Melienſem*. Hadrianus verò Turnebus *lib.* 7. *adverſ. cap.* 21. reponit *Ilienſem*, id est Trojanam, non insubtili conjecturâ, quasi legatum Ilienſi Minervæ speciali jure relinqui concederetur, quòd Romanos se oriundos à Trojanis agnoscerent: unde Romanos Æneadas appellatos, auctor est Justin. *in Novella* 47. Quapropter Ilienses aliis privilegiis donantur, quæ extant *in l.* 1. *ff. ad municip. l. non tantùm* 17. §. 1. *ff. de excus. tut.* Sed quamvis rectè hoc ita procedat, nihil vetat retinere communem lectionem, legereque *Melienſem*, cùm suspicari possit ita appellari à Melia urbe Cariæ, ut existimavit Fornerius *lib.* 2. *rerum quotid. cap.* 8. Sed jam ad rem: Cùm ergo in aliquibus, etsi pauciſſimis, tum Orientis, tum Occidentis monachis paupertatis monasticæ irrepsisset prævaricatio, Valentinianus Imperator anno 370. non Junior, ut voluit Molanus *lib. de piis testamentis*, *cap.* 34. sed senior, ut probat P. Theophilus Raynaud. *tom.* 12. *tract. mala è bonis Ecclesiæ*, *&c. cap.* 8. *num.* 7. sanxit ne etiam per subjectam personam monachi possent aliquid ex testamento capere, *in l.* 20. *C. Theodos. de Episc. & cleric.* cujus constitutionis conscius D. Ambrosius, impium judicans, pauciſſimorum avaritiam universo statui monastico præjudicium afferre, hæc ad Valentinianum Juniorem scribit *epist.* 31. *Nobis privatæ successionis emolumenta recentibus legibus denegantur, & nemo conqueritur; non enim putamus injuriam, quia dispendia non dolemus.* Et infrà: *Scribuntur testamenta templorum ministris, nullus excipitur prophanus, nullus ultimæ conditionis, nullus prodigus verecundiæ: soli ex omnibus clerico commune jus clauditur, à quo solo pro omnibus votum commune suscipitur, officium commune defertur: nulla legata, vel gravium viduarum nulla donatio; & ubi in moribus culpa non deprehenditur, tamen officium multâ præscribitur. Quod sacerdotibus Fani legaverit christiana vidua, valet; quod ministris Dei, non valet.* Unde conqueritur D. Hieronymus *ad Nepotianum, de vita cleric. cap.* 7. his verbis: *Pudet dicere: sacerdotes Idolorum, mimi, & auriga, & scorta, hæreditates capiunt; solis clericis, & monachis hoc lege prohibetur; & prohibetur, non à persecutoribus, sed à Principibus Christianis: nec de lege conqueror, sed doleo cur meruerimus hanc legem.* Notarunt Fornerius *lib.* 1. *select. cap.* 28. Vivar. *de veteri monach. lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 31. Ludovel. *de ultimis volunt. fol.* 77. & 350. Baronius *anno* 309. Pancirola *lib.* 2. *variar. cap.* 161. Valenzuela *contra Venetos p.* 3. *per tot.* Non ergo ea lege Valentinianus excludebat Ecclesias, vel cœtus ullos sacros aditione hæreditatum, sed tantùm privatas personas ecclesiasticas, vel monasticam profitentes vitam, qui privatas captabant hæreditates, ut de Antymo, & Sophronico antimonachis refert D. Hieronymus *ad Eustochiam*, *cap.* 22. & juxta hanc veram explicationem defendunt dictam constitutionem Baronius *anno* 370. *num.* 23. Theophilus *tom.* 12. *tract. mala è bonis Ecclesiæ*, *fol.* 47. De jure amortizationis apud alias gentes introducto agit Altesserra *de Ducibus lib.* 2. *cap.* 18. *per totum*; & ipsum impugnantes Valenzuela, Guevata & Zumel. *contra Venetos.* 6.

(g) *Peccata majora capiamus.*] Ex quibus verbis probatur opinio eorum, qui docuerunt, peccatum lethale esse non adimplere voluntatem testatoris, etsi non observatis juris solennitatibus eam declaraverit: quod etiam probari potest *ex cap. ultima voluntas* 13. *q.* 2. *cap. cùm esses*, *hoc tit. l. fideicommissum*, *C. de condict. indeb.* disputat latè Fragoso *de regim. Christ. Reipubl.* 3. *p. lib.* 5. §. 5. *num.* 151. Sed quare dicat Gregorius, ipsum peccata majora capere ex eo, quod legata non sol- 7.

solvantur, meritò dubitari potest. Existimo tamen Ecclesiam fuisse hæredem institutam, & ita ad eam onus solvendi legata pertinere; quod facilè suadetur tam ex inscriptione hujus textus, quàm ex prioribus verbis hujus epistolæ, compilatis ab Antonio Augustino *in epit. jur. lib. 15. tit. 48. cap. 6.*

COMMENTARIUM.

8. *Conclusio traditur, & probatur.*

EX hoc fragmento epistolæ D. Gregorii sequens deducitur assertio: *Legata debentur, quamvis nudis verbis relicta.* Probant eam textus *in cap. relatum, l. 11, cap. cùm esses, hoc tit.* Concilium Lugdun. 1. *can.* 2. ibi: *Si quorumcunque religiosorum voluntas, aut necessitate, aut simplicitate aliquid à legum sæcularium ordine visa fuerit discrepare, voluntas tamen defunctorum debeat inconcussa manere.* Probari etiam potest *ex l. final. ff. de rebus eorum, l. in testamento 38. ff. de fideicommiss. libert. l. penult. §. ultim. ff. de legat. 2. l. 3. in princip. l. conficiuntur 8. §. 1. ff. de jure codicil. l. filius 18. ff. ad leg. Falcid. l. 1. §. hoc autem, l. recusare 6. §. meminisse, l. Scævola 76. ff. ad Trebellianum, l. 3. C. eod. l. 2. C. de Codicil. l. cum 14. l. & in epistola 22. l. ex testamento 29. C. de fideicommiss.* Ex quibus probatur, fideicommissa quibuscunque verbis relicta deberi. Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa & Garranna, Cujacius & Covar. *hic*, Cironius *ad titul. de pact.* Petrus Gregorius *lib. 1. partit. tit. 25. cap. 5.* Padilla, & Giphanius *in l. ultim. C. de fideicommiss.* Antonius Augustinus *in epit. jur. lib. 15. tit. 48.* Canisius *in dicto cap. relatum*, Moron. *respons. 69.* Ferro Manrique *de differentiis utriusque fori, q. 4 n. m 31.*

9. *Impugnatur tradita assertio.*

Sed in hanc assertionem ita pro dubitandi ratione insurgo: Legata nonnisi testamento, aut codicillis testamento confirmatis relinqui possunt, *l. ab exhæreditati 126. ff. de legat. 1. l. illud 13. §. 1. in fine, l. quidam 14. in princip. ff. de jure codicil. l. legatum 36. ff. de legat. 2.* & non quibuscunque verbis, sed solennibus, *l. in legatis 21. C. de legatis, §. sed olim, Instit. eodem.* Nam illud discrimen versatur inter legata, & fideicommissa, quòd legata verbis directis, & legitimis; fideicommissa verò verbis precativis, & obliquis relinquuntur, *l. penult. ff. de legat. 1. cum proponebatur 64. ff. de legat. 2. l. nutu 21. ff. de legat. 3.* notat Valentia *ad tit. de legat. cap. ultim. num. 8.* Ergo legata in præsenti specie nudis verbis relicta non debebantur, & per consequens nec solvenda erant. Accedit nam ex alio capite legatum monasterio relictum inutile erat, videlicet quia monasterium est corpus incertum, collectivum, constans ex diversis capitibus: sed legatum relictum incertis personis, vel corpori incerto, non valet: quâ ratione municipium, seu collegium hæredem instituì non posse, docuit Ulpianus *in fragmentis, tit. 22. §. incertæ, Instit. de legat.* Ergo & legatum monasterio relictum ob legatarii incertitudinem in præsenti specie non valet.

10. *Traditur ratio decidendi.*

Quâ dubitandi ratione minimè obstante, vera est præsens decisio; nam cùm jus canonicum quoad obligandum inter nuda verba, & solennia nullum discrimen agnoscat, *cap. juramenti 22. q. 5. cap. pervenit, de fidejuss.* ideo legata relicta, tam verbis solennibus, quàm nudis, æqualiter debentur; verè enim hæres ea solvere debet, cùm is naturâ debeat, quem jure gentium dare oportet, cujusque fidem sequuti sumus, *l. cùm amplius, §. is naturâ, ff. de reg. jur.* Sed jus canonicum tantùm attendit an legata debeantur, non verò quo jure ea solvere hæres teneatur: ergo rectè in præsenti docet Gregorius, legata etiam nudis verbis relicta esse solvenda. Accedit, nam & jure civili, quo solennia verba legatis relinquendis præscripta fuerunt, cautum etiam fuit fideicommissa nutu, nudisve verbis relicta ab hærede deberi, & præstanda esse, *l. nutu, ff. de legatis 3. l. cùm proponebatur 64. ff. de legat. 2.* sive Græcis, sive Latinis verbis relicta sint, *l. fideicommissa 11, ff. de legat. 3.* Et eodem etiam jure attento legata minùs solenniter relicta, licèt per actionem civilem peri non possint; tamen cùm de voluntate constat, debentur naturaliter, neglectis ejusdem juris civilis scrupulositatibus, *l. final. ff. de rebus eorum, l. in testamento 38 ff. de fideicommiss. libert.* Plinius *lib. 2. epist. ad Antanum.* Jure enim gentium consistunt, unde hujusmodi legata ita relicta, semel soluta, repeti tanquam indebita non possunt, *l. 2. l. si veritas 23. C. de fideicommiss. l. fideicommissum 7. C. de condict. indeb. l 31. tit. 4. partit. 3.* quod proprium est naturalis obligationis, *l. final. in principio, ff. de jure jur. l. naturales 10. ff. de oblig. & act.* sed illud quod naturâ debetur, in foro conscientiæ solvendum necessariò est, ut probat Covar. *in cap. cùm esses, hoc tit.* igitur legata nudis verbis relicta debent præstari, ne (ut ait noster Gregorius in præsenti) si non solvantur, peccata majora committantur.

11. *Dissuadetur dubitandi ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa, pro cujus solutione, & præsentis textus interpretatione ibi, *nudis verbis*, varia adduxerunt Interpretes; aliqui enim existimarunt, in præsenti specie relicta fuisse legata non testamento, nec codicillis, sed coram legitimo testium numero, quinque videlicet Ita Abbas, Zabarella, Ancharanus *in præsenti*, Barbatia *num. 17.* Alii verò docuerunt, in præsenti casu legata relicta fuisse juxtà textus *in cap. cùm esses, cap. relatum, hoc tit.* videlicet coram duobus, aut tribus testibus. Barbosa in præsenti, *num. 4.* existimat Gregorium nostrum esse exaudiendum, cùm legata relicta fuerunt sine scriptura, ideoque referri in hoc textu, nudis verbis legata relicta fuisse. Sed his, & aliis solutionibus omissis, verius dicendum est, in præsenti specie uxorem Redempti testamentum fecisse, in eoque Ecclesiam hæredem instituisse, & postea cùm decederet, legata reliquisse nudis verbis, id est solennitate in verbis, aut in ipsa ultima dispositione non observatâ Quæ interpretatio ut faciliùs percipiatur, sciendum est, juris civilis conditores in omnibus actibus celebrandis certas præscripsisse formas in manumissionibus, emancipationibus, stipulationibus, testamentis, & similibus actibus, ut ex bonæ notæ auctoribus probant Brissonius *lib. 1. select. cap. 11.* qui eas magna sedulitate, & cum eruditione congessit in elaboratissimo illo opere de formulis. Revardus *lib. 4. var. cap. 9.* Doctor Valentia *tom. 2. illustr. tract. 3. cap. 2.* In legatis autem variæ fuerunt formulæ usitatæ pro diversitate legatorum. In legato vindicationis illæ: *Do, Lego, Capito, Sumito, Tibi habeto, l. si fundum 81. §. Titio, l. hujusmodi 84. §. quibus, ff. de legat. 1. l. in singulos 8. ff. de annuis legat. l. si ita 15. l. Sejæ 70 §. liberto, ff. de instructo, vel instrumento.* Ulpianus *in fragment. tit. 24.* Gajus *lib. 2.*

lib. 2. instit. tit 5. Paulus *lib.* 3. *sent. tit.* 6. Per damnationem verò ita legata relinquebantur. *Hæres meus damnas esto dare ; Dato , Facito , Hæredem meum dare jubeo : dicta l. hujusmodi* 84. §. 1. *& §. Stichum , l. ab omnibus* 104. *in principio , l. si hæres* 124. *ff. de legat.* 1. *l. filiæ* 22. *ff. de annuis legat. l. si hæres* 8. *ff. de tritico legat. l. filiæ* 28 *l. quibus* 40. §. 1. *ff. de condit. & demonstr.* Per sinendi modum ita relinquebantur : *Hæres meus sinito , vel damnas esto sinere Lucium Titium illam , vel illam rem sumere : l. qui quatuor* 30. §. 1 *ff. de legat.* 3. *l.* 2. *ff. de annuis legat. l. ei cui* 16. *ff. de liber. legat.* Per præceptionem ita legabatur : *Mævia rem illam, vel illam præcipito , sumito : l. ultima , ff. de dote præleg. l. pediculis* 32. §. *idem cùm quæreretur ff. de auro & arg.* Docent Institutarij *in* §. *sed olim, Instit. de legatis* , Valentia *ad tit. de legat. cap. ultimo , num.* 1. Legata igitur ita relicta solenniter , & solennibus verbis relinqui dicebantur ; quæ verò sine testamento , & solennitatibus relinquuntur , quia illis opponuntur , nudis verbis relicta dicuntur , ut nuda voluntas dicitur *inl.* 1. *ff. de testam , militis* ; quia opponitur solenni : & *in l. rem legatam , ff. de adimend. legat.* nudus consensus , quia adversatur solenni : & *inl. videamus , ff. de usuris* , nuda proprietas , quæ opponitur plenæ : & *in l. Iuris* 7. §. *sed cùm nuda, ff. de pactis* nudum pactum dicitur , quod opponitur solenni. Similiter igitur in præsenti specie legata nudis verbis relicta dicuntur , quia nec solenniter , nec solennibus verbis relicta fuerunt.

Nec obstat augmentum ipsius difficultatis ; nam licèt verum sit , olim temporibus adhuc Plinii Junioris municipia , civitates , collegia , legata capere non potuisse , ut corpora incerta, Plinius *lib.* 5. *epist.* 7. Ulpianus *tit.* 22. *in fragment* tamen primò Imperator Nerva permisit illis fideicommissa singularia , & universalia relinquere ; & postea Senatusconsulto Aproniano concessum fuit , ut à libertis propriis etiam directò hæredes instituì possent. Et tandem Imperator Marcus permisit illis , & omnibus collegiis licitis legare : juxta quam temporum distinctionem accipiendi sunt textus *in l. pater* 38. §. *fideicommissit* 6. *ff. de legat.* 3 *l. si. usus-fructus* 21. *ff. quibus modis usufructus amittatur , l. Julianus* 13. §. *idem Iulianus , ff. de action. empti, l. si quid relictum* 117. *l. civitatibus* 22. *ff. de legat.* 1. *l. quidam* 30. *l. cùm pater* 77. §. *vicos , de legat.* 2. *l.* 5. *l. fideicommissa* 11. §. *ult. ff. de legat.* 3. *l. annuam* 6. *l. libertо* 21. §. *Lucius, l.* 23. *cum sequenti , ff. de annuis legat. l. si. usus-fructus* 8. *l. legatum* 16. *l. quidam* 17. *ff. de usufructu legat. l.* 2. *l. cùm Senatus* 20. *ff. de rebus dubiis , l. municipibus , l. si juravisset , ff. de condit. & demonstr. l.* 1. §. *ad municipium* 4. *l.* 3. §. *ultimo, l. computationi* 68. *vers. Civitatibus, ff. ad legem Falcidiam , l. municipia* 12. *ff. ut in possess. l. legatam* 4. *l. Imperatores* 9. §. *ult. ff. de administr. rerum, l.* 3. §. *municipes , ff. de suis & legit. l. cùm alicui* 26. *ff. de negotiis gestis, l. ult. C. ut in possess.* quæ est pars legis ultimæ , *ff. de administr. rerum, l.* 3. §. *municipes , ff. de suis & legit. l. cùm alicui* 26. *ff. de negotiis gestis, l ult. C. ut in possess. l.* 1. *& 2 C. de incertis personis , l.* 9. §. *final. ff. de juris & facti ignor. l.* 9. *C. de paganis, l.* 3. *C. de compens. l.* 58. *ff de usufructu , l.* 1. *C. de Iudæis,* junctis Cuiac. *ad tit. C. de hæred instit.* Donel. *lib.* 6. *comment cap.* 17. Forner. *lib* 2. *rerum quotid. cap.* 11. *l.* 31. §. 1. *de inoffic. testam. l.* 2. *C. de divers. prad. lib.* 12.

Sed superiori assertioni obstat textus *in can.* 10. *Concilij Aurel.* 4. in illis verbis : *Quæcunque Ecclesiis à Pontificibus sub competenti , ac justo documento fuerint derelicta , ab hæredibus legitimis dignum est ut pro Dei contemplatione serventur* Ex quibus deducitur , non aliter relicta Ecclesiis deberi , quàm si justo & competenti documento fuerint data. Igitur si nudis verbis tantùm fuerint relicta , non debebuntur. Cui difficultati satisfaciendum est asserendo , quod licèt legata ex æquitate canonica debeant præstari , etiamsi verbis minùs solennibus relicta sint ; debent tamen justo , ac competenti documento relinqui , id est , ita publicè ; ut secundùm juris principia de veritate constare possit ; aliàs si ita relinquantur , ut de eis constare non possit, nec attento jure canonico debentur.

Exponitur Concil. Aurelian. 4. can. 10.

Dissolvitur augmentum difficultatis.

CAPUT V.

Idem *Bono* (a) *Episcopo Messano.*

Filius noster Faustinus vir eloquentissimus ad nos (b) veniens questus nobis est, quòd pater ejus quondam Petrasius aliqua vestræ Ecclesiæ (c) sepulturæ suæ gratiâ juris alieni relique it. Et quidem quid de hac re sæculi leges habeant , & ipsi nostis , & nos audivimus : quia hæres ad solvendum cogitur , si (d) auctor ejus, vel testator aliena legaverit. Sed quia fraternitatem vestram lege Dei , non autem (e) lege sæculi novimus vivere , valde mihi injustum videtur, ut calix (f) electrinus , & puer, qui (g) cujusdam Ecclesiæ, in possessione ejus positæ, diœceseos (h) Consentinæ Ecclesiæ esse perhibetur , à tua fraternitate teneatur. Cùm enim & vir reverendissimus Palumbus nunc Episcopus, tunc verò Archidiaconus, ita fuisse testatus est , vos omnino ejus fidei credere , & aliena restituere debuistis. Tabulam verò auream,quam prædictus vir moriens pariter reliquit , considerare , ut arbitror , debuistis, quæ esset summa ejus substantiæ , si quid esset unde hi , quos reliquerat , sustentari debuissent, & tunc pro sepultura ejus accipere : cùm secundùm nostrum institutum noveris nos illicitam antiquam consuetudinem à nostra Ecclesia omnino vetuisse, nec cuiquam assensum

assensum præbere, ut loca humani corporis pretio possint adipisci. Nam si Gentiles, ut arbitramur, viri Sichimitæ, Abrahæ pro Sara mortua, atque in loco proprio humanda sepulturam gratis obtulerunt, & vix magna ejus importunitate coacti sunt, ut pretium de loco sepulturæ perciperent; nos qui Episcopi dicimur, de humandis fidelium corporibus pensa quid facere debemus. Hoc ergo fraternitatis vestræ judicio committimus. Et hoc quoque nobis prædictus eloquentissimus vir questus est, Sisinium defensorem Ecclesiæ tuæ irrationabiliter juri suo mancipia competentia detinere. De quibus etiam judicio sanctæ memoriæ Maximiani Episcopi, ut ea detentator redderet, esse asserit definitum: sed eorum restitutionem hactenus voluntariè distulisse. Hortamur ergo fraternitatem tuam, ut si manifestè causa jam judicata est, quæ statura sunt, compleantur. Alioquin deputato defensore, ad fratris & Coepiscopi Secundini nostri partes hac judicium convenire: ut dum cujus sint juris mancipia, de quibus quæstio vertitur, ejus fuerit sententiâ declaratum, nec hic præjudicium, nec ille videatur injuriam sustinere.

NOTÆ.

1. (a) *Bono.*) Ita enim legitur in regestro D. Gregorii *lib.* 7. *indict.* 1. *epist.* 4. ex quo Regestro præsentem textum, & inscriptionem restituo: in prima autem collectione legitur *Donno*; unde magnum dubium est, an Episcopus hic Bonus appellaretur, & an esset Episcopus Messanensis, an Messenatensis Episcopus esset? Quod latè examinat D. Rochus Pirro *tom.* 1. *Siciliæ sacræ, in Ecclesia Messanensi*, *fol.* 287. qui doctè probat, ex aliis epistolis ipsius Gregorii Donnum, seu Bonum Episcopum hunc, non Messanensem, sed Messenatensem Præsulem fuisse. Messenatis est Ecclesia Cathedralis Italiæ; quæ sententia etiam probatur ex præsenti epistola, ubi agitur de Ecclesia Consentina, quæ est etiam in Italia, non longè à Messanensi: unde juxta ipsum Abbatem D. Rochum Pirro præsens inscriptio ita restituenda: *Donno Episcopo Massanensi.*

2. (b) *Ad nos veniens.*] Conquestus enim fuit coram Gregorio filius Faustinus, qui hæres fuerat patri suo, eo quòd legata à patre relicta solvere tenebatur ex bonis patris; non tamen mancipia, & alia eius bona detineri debebant per defensorem Ecclesiæ prætextu ipsorum legatorum.

3. (c) *Sepulturæ suæ gratiâ.*] Olim enim fideles solebant titulo exequiarum aliquam rem Ecclesiæ ubi sepeliebantur, relinquere; unde mortuaria, seu jus mortuariæ dicebatur, *cap. officii, hoc tit. cap. conquerente, de offic. ordin.* Testator, de quo in præsenti, reliquit sepulturæ suæ gratiâ rem alieni juris; & pro sepultura ipsa tabulam auream; quod postremum Gregorius improbat, quia sepulturæ causâ pretium, vel quid loco pretii recipi sacris canonibus prohibitum est, ut dicemus *in cap. ad abolendam, de sepultur.* & notavit Balduinus *in Novella* 43. *Justin.*

4. (d) *Si auctor.*] Propriè auctor dicitur testator respectu hæredis, quia ab ipso causam possidendi habet, *l. Pomponius* 13. § 1 *ff. de acquirend. possession.* ut etiam venditor respectu emptoris dicitur auctor, *l.* 4. *§. ultimo, ff. de action. empti*, Brissonius *de verb. signif. verbo Auctor.*

5. (e) *Lege sæculi.*] Immò Ecclesiastici etiam juxta legem sæculi vivere debent, siquidem in causarum decisionibus sæpe Ecclesia eis utitur, *cap.* 1. ibi: *legali provisione*; *de causa possess. cap.* 1. *de novi oper. nunc. cap. innotuit. de arbitr. cap.* 1. *cap de capitulis, cap quoniam.* 10. *distinct.* Sed respondendum est discrimen constituendo inter leges civiles, quæ sacris canonibus non opponuntur, nec aliquid animarum saluti contrarium jubent, aut permittunt; & inter eas, quæ Juri canonico adversantur, aut quid illicitum, vel inhonestum permittunt. Priores Ecclesia etiam amplectitur, de quibus in junibus proximè citatis? posteriores verò improbat, & respuit, de quibus in præsenti, & *in cap. final. de præscript. cap. pennlt. de secundis nuptiis*

6. (f) *Calix electrinus.*] Id est ex auro, & quinta parte argenti conflatus. Electri enim tria sunt genera. Primum, quod defluente medulla ex arboribus pinei generis, quasi gummi ex cerasis nascitur, densaturque rigore, vel tempore, aut mari; & cùm intumescens æstus ex insulis rapuit, in litora expellitur ita volubile, ut pendere videatur, & per vadum deterri: de eo electro plura Salmutis *ad Pancirolam tom.* 1. *memorab. tit.* 33. Secundum electri genus est metallum, quod naturaliter in scrobibus inveniri, & in pretio magno haberi, ex Plinio *libro* 33. *cap.* 4. notat Gualterius *ad Horatium lib.* 2. *carmin. od.* 3. Tertium est, quod quintâ parte argenti auro additâ conflatur, *de quo in §. sed cum ex aliena, Instit. de rerum divis.* quod electri genus apud antiquos fuit magna in æstimatione, unde electrina vasa legimus *in l. pediculis* 32. *§. Neratius, ff. de auro & argento*; & annulos electrinos apud Romanos in usu fuisse, probat Savarus *ad Sidonium, carmin.* 24. & Helenam apud Rhodos in templo Minervæ calicem electrinum consecrasse, ex Trebellio, & aliis probat Salmutius *ubi suprà.* Ex hoc igitur electro, videlicet auro, & quintâ parte argenti, conflatus erat calix in præsenti textu electrinus dictus: nam temporibus nostri Gregorij Magni jam pace Ecclesia redditâ pretiosa vasa in Missæ sacrificio deferebantur, ut probat Baronius *in Martyrologia, die* 7. *Augusti*, Sausay *in Panopl. sacerd. tit. de Calice*, Vicecomes *de ritibus Missæ, volum.* 4. *lib.* 6. *cap.* 5. Corjolanus & Vinius *in notis ad Zopherinum*, & nos dicemus *in cap. finali, de celebrat. Missarum.*

(g) *Puer cuisdam Ecclesiæ.*] Olim Ecclesiam mancipia ex donatione fidelium, vel simili titulo obtinuisse, iam latè probavimus *in cap.* 4. *de rerum permut.*

7. (h) *Consentina.*] Consentia, vel Cossentia, hodie *Cossenza* dicta, est urbs Italiæ, habens Ecclesiam

Ecclesiam Cathedralem, cujus Episcopus temporibus nostri Gregorii erat Palumbus, ut constat ex hac epistola, & epistola 47. hujus libri, *indict.* 2.

COMMENTARIUM.

8. AGgredimur expositionem textus, qui non solum antiquorum, verùm & neotericorum utriusque juris Interpretum ingenia vexavit; summè enim difficilis est, unde ejus sensum genuinum se ignorare fatetur Baldus *in l.* 1. *numero* 123. *C. de sacrosanctis Ecclesiis*; & Gregorium in eo aliquâ opinione deceptum fuisse, putavit Vinius *lib.* 2. *selectarum*, *cap.* 26. Sed ut verum ejus sensum percipiamus, supponenda sunt nonnulla juris Cæsarei principia! quæ circa legatum rei alienæ à testatore relictum supponi solent. Et primò sciendum est, per illam absolutam potestatem testatoribus concessam lege decemvirali, permissum etiam esse illis legare rem alienam, cùm vi, & effectu de proprio patrimonio disponere credantur, hæredem suum gravando, ut rem alienam à domino redimat, & legatario tradat; & si dominus vendere renuerit, ejus æstimationem præstet. Unde res alienas legari posse, semper constitit, *l. cùm servus* 39. §. *constat. l. si dominus* 71. §. 3. *l. ab omnibus* 104. §. *in testamento*, *ff. de legat.* 1. *l. non dubium* 14. §. *ultimo*, *l. qui quatuor* 30. §. *ultimo*, *ff. de legat.* 3. *l. alienus* 61. *ff. ad legem Falcidiam*, *l. cùm alienam* 10. *C. de legat.* §. *non solum*, *Instit. eodem titul. l.* 10. *tit.* 9. *part.* 6. Probant Grassus *de success.* §. *legatum.* Spino *in speculo testament. glossa* 8. *numero* 43. Gomez *libro* 1. *variarum*, *cap.* 12. *numero* 13. Fachineus *libro* 1. *controvers. cap.* 38. Cujacius *ad titulum C. de legat. columna* 8. & *libro* 17. *quæst. Papin. in dicta l. unum*, §. *si rem*, Donellus *libro* 8. *comment. cap.* 11. & *in dicta l. cùm alienam*, Arnoldus Vinius *libro* 2. *selectarum*, *cap.* 26. Valentia *tom.* 3. *illustr. tractat. de legat. cap. ultimo*, *numero* 4. Faber *lib.* 19. *conjectur. cap.* 10. Semper enim testator vult voluntatem suam ad effectum perduci, *l. si quando* 109. *ff. de legat.* 1. *l. quotiens*, *ff. de rebus dubiis*: & etiam publicè interest testantium voluntates exitum habere, *l. vel negare* 5 *ff. quemadmodum testamenta.* Nec hoc casu dici potest, testatorem de re aliena disponere, & eam in legatarium transferre, contra legem *conficiuntur* 8 *ff. de jure codicil.* aut dominum rem illam vendere cogi, contra textum *in l. invitum*, *C. de contrahend. emption.* cùm tantùm damnetur hæres ut rem redimat, aut ejus æstimationem legatario præstet. Et quia hoc dari non potest, si testator hæredem instituat ex aliena hæreditate, ideò licèt legari possit res aliena, non tamen hæres quis institui potest in hæreditate aliena. Illud autem olim proprium fuit legati rei alienæ, videlicet ut per damnationem relinqueretur; nam per vindicationem non aliæ res legari poterant, quàm illæ, quæ utroque tempore, testamenti, & mortis ex jure Quiritum in dominio testatoris fuerant. Ulpianus *in fragmentis*, *titul.* 24. Gajus *lib.* 2. *Instit. titul.* 13. Quod suadetur *ex l. qui quatuor* 30. §. *ultimo*, *ff. de legat.* 3. Ulpianus *in fragmentis*, *titul.* 1. §. *justa*, & *tit.* 22. §. *cùm servum* 8. juncta *l. Servius* 35. *ff. de manumiss. testament. l. servo* 9. *C. de testament. manumiss.* adeò ut si per vindicationem res aliena legaretur, inutile legatum esset, *l. si alienum* 49. *ff. de hæred. institut.* Sic intelligitur lex *servum filii* 44. §. 1. *de legat.* 1. cum Cujacio, & Duareno; favore enim libertatis solùm procedit, ut quæ directò relicta fuit, si ita non potest consistere, reducatur ad fideicommissi causam, *l. hærede* 19. §. 1. *ff. de fideicommiss. libert.* Postea Senatusconsulto Neroniano cautum fuit, ut legatum rei alienæ verbis directis, per damnationem relictum crederetur. Ulpianus *in fragmentis*, *tit.* 24. *vers. Per præceptionem.* Nec Senatusconsultum exæquavit legata, vel legatum vindicationis redegit ad naturam legati damnationis: sed quod minus pactis verbis relictum fuit, jussit ut perinde fuisset, ac si optimo relinquendi modo relictum esset, id est per damnationem, velut si sic relinquatur res aliena: *Rem illam lego.* Tunc enim ut valeat legatum, reducitur insolennis formula illa ad legatum pinguius damnationis: & hodie post Justinianum *in l. unica*, *C. commun. de legat.* rei alienæ legatum relinqui potest verbis vindicationis, illis videlicet, *do*, *lego*, ut docet Vinius *dicto cap.* 26.

9. Exponuntur verba juris.

Ex qua differentia lucem accipiunt nonnulla juris difficillima testimonia. Primò textus *in l. tantùm* 88. *ff. de verborum significatione*, ubi Celsus affirmat, prædium alienum legatum, quamvis pecuniâ hæreditariâ emptum, non credi ipsius testatoris fuisse. Ex quo textu deducunt Cujacius *lib.* 14. *observat. cap.* 36. Valentia *de legatis cap. ultimo*, *num.* 5. rem alienam legari non posse per vindicationem: sicut nec prædium illud, etiam ex pecunia hæreditaria emptum; quia non fuit in dominio testatoris utroque tempore: res enim nummis meis empta, non semper mea creditur, *l.* 6. *C. de rei vind. l.* 4. *C. communia utriusque jud. l. ultima*, *C. si quis alteri*; exemplis illustrat Fornerius *in dicta l.* 88. Unde rectè è contrario Celsus ibi respondet, pecuniam redactam ex rebus hæreditariis, credi ipsius testatoris; quia perinde est, ac si ipsam defunctus reliquisset, *l. si pecunia* 12. *ff. de legat.* 2. *l. hæredes* 25. §. *ultimo*, *ff. familiæ erciscund.* latè probat Castillo *lib.* 1. *controvers. cap.* 4. licèt non me lateat, aliter contra Cujacium textum illum exposuisse Gentilem *ibi.* Secundò ex eadem distinctione lucem accipit textus *in l. servum* 44. *ff. de legat.* 1. junctis Pichardo *in* § *non solum*, *Instit. de legat.* Pinello *lib.* 1. *selectarum*, *cap.* 5. *numero* 66. D. Josepho de Retes *cap.* 6. *numero* 15. Tertiò textus *in l. alienus* 61. *ff. ad legem Falcidiam*, juncto Cujacio *lib.* 14. *observ. cap.* 36. Quartò textus *in l. Pomponius* 13. §. *sed & legatario*, *in fine*, *ff. de acquirend. possess.* qui accipiendus est de legato per damnationem, cum eodem Cujacio *lib.* 25. *observ. cap.* 33. cui adjicio, rem alienam in fine dicti §. verè legari dici, cùm per damnationem relinquitur; quia tunc legatur validè, utiliterque: quo sensu apud Ulpianum *tit.* 24. § *per præceptionem*, optimum jus legati per damnationem dicitur; & in Novella Martiniani de testamentis clericorum, verè voluntates testantium pro validis ponuntur. Quidam autem ex Præceptoribus

meis non insubtiliter putabat, adverbium *verè*, aptius accipi posse pro bona fide, ut sumitur *in l. Sticho* 40. §. *Pamphilius*, *ff. de statulib.* ut sensus sit, accessionem temporum inter testatorem, & hæredem dari, si modò legatum verè, id est bonâ fide, sit acceptum à legatario. Nam si cum mala fide illud accipias, non continuantur tempora, *l.* 2. § *si eam rem*, *ff. pro emptore.* Ad legatum etiam damnationis pertinet textus *in l. cum verum* 16. §. *ultimo*, *ff. de fideicommiss. libert.* in cujus difficultate fluctuatunt Accursius, & Albericus. De legato autem per vindicationem relicto accipiendus est textus *in l. hæreditatem*, aliàs *computationi*, §. *ultimo*, *ff. ad legem Falcidiam*; ubi hæres contendebat rem legatam non esse hæreditariam, sed propriam ipsius; dubitaturque, an si probetur esse hæreditariam, verum sit, ut Macer (seu Maximus, ut Bertrandus vult *in vita Maximi*) loquitur, ejus quoque Falcidiam non posse retineri, id est non solùm deductionem vicesimæ, ad quam textus ille pertinet, ut ex epigraphe apparet, quamque hæredes ex legatis retinebant, ut fisco penderent; sed etiam retentionem Falcidiæ hæredi denegari, quasi id egerit, ut legatum intercideret, argumento ex lege *Falcidiæ* 24. *l. beneficio* 59 *ff. ad legem Falcidiam*, *l. rescriptum* 6. *ff. de his quæ ut indign.* Supponendum igitur est in ea specie, ut dubium procedat, rem illam legatam fuisse per vindicationem; nam si per damnationem relicta esset, non crederetur hæredem negare rem esse hæreditariam legati evertendi causâ; quia præterquam quod inficiatione teneretur in duplum, §. *ex quibusdam*, *Instit de obligat. quæ ex quasi contractu.* esset inepta probatio inficiationis; quia etsi constaret rem alienam esse, non ideo periret legatum per damnationem relictum; siquidem eo modo res aliena efficaciter legatur. De legato etiam rei alienæ per vindicationem relicto accipiendus est textus *in l Stichus* 39. *ff. de manumiss. testament.* ubi asseritur libertatem inutiliter dari eâ formâ: *Stichus servus meus*, *si eum hæres alienaverit*, *liber esto*: idemque esse dicendum de legato rei alienæ. Quæ comparatio ut vera sit, intelligendus est Paulus ibi de legato rei alienæ per vindicationem relicto, cùm simul agat de libertate verbis directis relicta, quæ servo alieno inutiliter datur. Ulpianus *in fragmentis*, *titulo* 22. §. *cùm servus* 8. *juncta l. Servius* 25 *ff. de manumiss. testament. l. servo* 9. *C. de testament. manumiss. l.* 2. §. 1. *ff. de jure codicil. l. si servus* 108. §. *si servus*, *ff. de legat.* 1. *l. generaliter* 24. § *si quis servo*, *ff. de fideicommiss. libert. l. si servo*, *ff. qui & a quibus*: & ita nec res aliena per vindicationem legari potest. Sed difficultatem non levem continet textus ille; nam post Senatusconsultum Neronianum, sicut legatum minùs pactis, id est legitimis verbis relictum præsumitur, quando per vindicationem res aliena legatur; ita libertas directò relicta servo, qui utroque tempore non fuit testatoris, flecti debet in fideicommissariam, *ex dicta l. generaliter* 24. § *si quis servo*, *l.* 5. *ff. de manumiss. testament.* ut contingit *in l. cùm maritus* 29. §. *ultimo*, *ff. de pactis dotalibus*; quam doctè exponit Illustrissimus D. Franciscus Ramos *in titulo de legat. in l.* 1. *numero* 18. ergo debebat in eo textu libertas sustineri ut fideicommissaria. Sed respondendum est, Paulum *in dicta lege* 39. referendum esse ad jus antiquum, quod procedebat tempore Plautii, ad cujus libros Paulus notas scripsit, Plautius autem floruit ante Senatusconsultum Neronianum, ut notarunt Balduinus *in principio Institut. de hæred. institut.* Antonius Augustinus *lib.* 1. *emend. cap.* 6. docuit D. Ramos, *ad titulum de vulgari*, *in principio*, *numero* 1. quamvis aliter textum illum accipiat Gentilis *in dicta l. tantùm* 88. *ff. de verborum signif.*

10. *De scientia vel ignorantia testatoris.*

Legatum igitur rei alienæ consistit, sed non semper ab hærede debetur, immò plurimùm interest, utrum testator sciens, an ignorans rem alienam legaverit; si enim alienam esse sciens legaverit, debebitur: si autem ignorans, non utique, *l. unum* 67. §. *si rem* 8. *ff. de legat.* 2. *l. cùm alienam* 10. *C. de legat.* §. *non tantum*, *Instit. eodem titulo.* In casu enim ignorantiæ non præsumitur testatorem velle hæredem suum onerare alienæ rei redemptione, *dicta l. unum*, §. *si rem*, *l. Sticho* 36. *ff. de usufructu legato*, *l. qui dotem* 16. *ff. de dote prælegata*; nisi res legata sit ipsius hæredis; tunc enim sive scierit, sive ignoraverit, legatum debetur, *dicta l. unum*, §. *si rem*: vel si legatum relictum sit personæ conjunctæ, veluti uxori, aut alicui ex cognatis: ex conjectura enim voluntatis testatoris legatum debetur, *dicta l. cùm alienam* 10. *l. Quintus Mutius*, *ff. de auro & argento*; vel si servo alieno libertas relicta sit, *l. Paulus* 39. *ff. de fideicommiss. libert.* Cùm autem res hæredis legatur, ejus dominium non transit in legatarium relictâ aviâ, *l. magis* 5. §. *si fundus*, *ff. de rebus eorum.* In dubio tamen, an testator scierit, vel ignoraverit, præsumitur testatorem ignorasse; ideò onus probandi transfunditur in legatarium, qui probare debet, testatorem scienter legasse rem alienam, § *& verius*, *Instit. de legat.* docet Beteta *in repetitione ad nostrum*, *folio* 12. Sed licèt hæc juris principia vera sint, illis tamen adversantur nonnulla juris testimonia. Primò textus *in l. cùm pater* 77. §. *evictis*, *ff. de legat.* 2 ubi docetur, filium cui pater rem alienam ut propriam legavit, non habere actionem contra alios fratres cohæredes: Ergo etiamsi testator conjunctæ personæ rem alienam legaverit, si ignorans legatum reliquerit, non debetur. Cui difficultati ut satisfaciant, varia adduxerunt Donellus *in dicta l. alienam*. Caldas *de emptione*, *cap.* 31. *numero* 12. Petrus Gregorius *lib.* 42. *syntagmatum*, *cap.* 32. *numero* 18 quibus omissis respondendum est cum Cujacio *in eo textu*, *lib.* 8. *responsorum Papin.* & *ad titul. C. de legat. column* 8. dicendo, in eo textu Papinianum non denegare actionem filio ad fideicommissi bona persequenda, sed tantùm asserere, quod si bona illi ex fideicommissi causa evicta sint, non habet actionem filius in cohæredes ob evictionem: quod ex eo procedit, quia regulariter hæres rei certæ de evictione non tenetur, *l. si à substituto* 45. §. *ultimo*, *l. si legati* 56. *l. si domus* 71. §. 1. *l. legatum* 116. §. *ultimo*, *ff. de legat.* 1 *l. hæres* 58. *ff. de evict.* Paulus *lib.* 5. *sentent. tit.* 11. Secundò adversatur textus *in l. Falcidia* 24. §. *ultimo*, *ff. ad legem Falcidiam*; ubi

ubi asseritur, fructus perceptos ex re hæredis legata non esse restituendos legatario, nec in quartam esse imputandos: ex quo textu sic insurgo. Si esset verum, rem hæredis legatam perinde deberi, ac deberetur, si esset ipsius testatoris, fructus in ea specie imputarentur in quartam, ut imputantur cùm res proptia testatoris legatur, *l. in quartam, ff. ad legem Falcidiam*: ergo non procedit idem jus in legato rei propriæ, ac in legato rei hæredis. Cui difficultati satisfacit Cujacius *lib. 26. observ. cap. 12.* asserendo, quod licèt legatum rei hæredis perinde debeatur, ac legatum rei propriæ; tamen reverà res legata aliena est, cùm testatoris propria non sit, argumento legis ultimæ, *C. unde vi.* Unde cum hæres eam possideat jure proprio, non jure hæreditario, non tenetur fructus ex ea perceptos restituere, aut in quartam imputare. Tertiò adversatur textus *in l. si tibi 86. §. si fundus, ff. de legat. 1.* ex quo constat, rem hæredis à testatore legatam non debere præstari integram ab hærede. Cui difficultati ut satisfaciamus, discrimen est constituendum inter casum, in quo testator unum hæredem ex pluribus, quos instituit, gravare voluit; & illum, in quo ab omnibus legatum reliquit. Primo casu ipse gravatus tantùm tenetur ad legati præstationem: secundo verò omnes. Et si quæras, pro quibus partibus? Respondeo, si nomine appellativo, hæredum videlicet, testator legatum reliquit, omnes pro portionibus hæreditariis tenentur; si verò nominibus propriis, pro portionibus virilibus, *l. turpia 54. §. ultimo, l. si posit 68. §. 1. l. si hæredes 124. ff. de legat. 1. l. legatorum 33. ff. de legat. 2. l. quotiens 23. l. nonnunquam 24. ff. ad Trebellianum.* Quâ distinctione intelligendi sunt textus *in l. sive 17. ff. de duobus reis, l. si mihi 49 ff. de usufructu, l. si qui duobus 15. ff. de legat. 2. l. fideicommissaria 23 § servum, ff. de fideicommiss. libert. l. quidam 14. ff. de jure codicil. l. epistolam 75. ff. ad Trebellianum, l. 1. §. Marcellus, ff. si cui plus quàm per legem, l. planè 34. §. inde, ff. de legat. 1. l. generali 32. §. 1. ff. de usufructu legat.* junctis Cujacio *lib. 3. ad Afric. in dicta l. quidam 14. & in l. 107. de legat. 1. & lib. 12. qq. Papin in l. nonnunquam 24. ff. ad Trebellianum*, Fabro *libro 11. conjectur. cap. 19.* Madera *animadvers. cap. 9.*

11. De re in quam testator aliquod jus habet.

Quæ hactenus diximus, procedunt in legato rei, quæ omninò aliena est: si autem propria sit pro parte, & aliena pro parte, vel testator aliquod jus in ea habeat, tunc eum legasse censetur tantùm partem, aut jus, quod in ea habebat, *l. si domus 71. §. finali, ff. de legat. 1.* ubi legatum prædii vectigalis tantùm constitit respectu dominii utilis, quod testator habebat, *l. quod 9. l. servus 98. ff. de legat. 1. l. uxor patri 20. C. de legat.* faciunt lex *fundus 24. ff. de instruct. legat.* lex *qui quatuor 30. §. qui fundum, ff. de legat. 3.* docent Zasius, & Duarenus *in dicta l. servi 5. §. ultimo, de legat. 1.* Mantica *lib. 9. conject. titul. 1. numero 12.* Gomezius *lib. 1. variar. cap. 12. numero 5.* Menochius *lib. 4. de præsumpt. cap. 118.* in dubio enim creditur, testatorem legare voluisse jus tantùm, quod in re habet, *dicta l. quod in rerum, §. finali*, Cevallos *lib. 1. commun. quæst. 747. numero 6.* Nec creditur testatorem hæredem suum gravare voluisse, ut redimeret alienam partem, *l. unum 67. §. si rem, ff. de legat. 2.* Vinius *libro 2. selectarum, cap. 26.* Nec huic principio obstabit si dicas, idem jus dari de parte ad partem, quod de toto ad totum; & appellatione rei totam rem contineri, *l. si dictum, §. 2. ff. de evict.* nec à verbis testatoris facilè est recedendum, *l. ille, aut ille 25. l. non aliter 69. ff. de legat. 3.* quia respondetur, à verbis, & argumentis recedit, quando constat aliter sensisse testatorem, cùm ejus mens potiùs quàm scriptura attendatur, *l. Labeo 7. §. 2. ff. de supellect. legat. l. ubi 21. ff. de rebus dubiis*: sed voluntas testatoris facilè in præsenti casu colligitur ex suprà traditis: ergo tantùm in jure, quod testator habet in ipsa re, legatum consistit. Nec etiam obstat principium deductum *ex l. si res obligata 57. ff. de legat. 1. l. prædia 6. C. de fideicommiss. §. sed si rem, Instit. de legat.* ubi docetur, hæredem rem pignori obligatam à testatore legatam luere debere: ergo non solùm tenetur præstare rem legatam eo modo, quo penes testatorem fuerat; sed integram, & liberam ab omni nexu. Quia respondetur, ex conjecturata mente testatoris rem pignori obligatam legantis, provenire, ut res ipsa luatur ab hærede; nam cùm æris alieni solutio incumbat hæredi, non legatario, *l. 1. C. si certum petatur*, non creditur testatorem scienter rem pignori obligatam legantem, voluisse à legatario, sed potiùs ab hærede lui. Nec huic solutioni obstat textus *in l. Mævius 66. §. fundo, ff. de legat. 2.* cujus interpretationem latiùs prosequuntur Valentia *ad titulum de legat. cap. 2. numero 30.* Gothofredus *animadvers. jur. cap. 20.* Vinius *lib. 2. selectarum, cap. 26.* Calatayud. *periphras. 20.* Nec textus *in l. cùm filius 76. §. 2. ff. de legat. 2.* De qua videndus Vinius *dicto cap. 26.* Nec similiter textus *in l. Juliano 68. ff. de legat. 3.* quem exponit Beteta *in præsenti, fol. 23.*

12. Opponuntur & respondentur varii textus.

Suprà traditæ tamen principali assertioni, videlicet legatum rei alienæ valere, opponi solent nonnulli textus. Et primò textus *in l. patrono 31. ff. de bonis libert.* in illis verbis: *Nihil profecit ei legatum, quia alienam rem legaverat libertus.* Ex quibus deducitur, legatum rei alienæ nullum commodum afferre: igitur quia inutile est. Cui difficultati respondendum est, in ea specie legatum non proficere, quia res aliena legata evicta fuit: & cùm hæres, ut suprà probavi, non teneatur de evictione, ideò quoad effectum legatum inutile est, nec eo casu patronus habet bonorum possessionem contra tabulas; quia agnoscendo illud qualequale legatum, approbavit voluntatem testatoris, & ita postea impugnare non potest. Deinde obstat textus *in l. hæredes 25. §. si testator, ff. famil. erciscund.* in illis verbis: *Ut eam partem, quæ testatoris fuit, alicui jubeat tradi.* Ex quibus constat, rem communem à testatore legatam adjudicari uni ex hæredibus: Ergo quia non valuit ejus legatum. Cui difficultati respondendum est, in eo textu rei communis legatum valuisse pro ea tantùm parte, quæ testatoris erat, juxta suprà tradita; & ideò Paulum affirmare, eam partem tradendam esse, legatario videlicet, non hæredi: nam si de hærede ageret Consultus, non affirmaret, rem tradendam esse, sed adjudican-

dicandam. Tertiò opponi solet textus *in l. si res* 52. *ff. ad Trebellianum*; ubi proponitur, Titio rem alienam fuisse legatam, & legatarium testamento suo dominum rei hæredem instituisse, eumque rogasse ut Mævio hæreditatem restitueret. In qua specie ait Papinianus, Mævium inutiliter legatum petere: igitur quia non valuit rei alienæ legatum. Cui difficultati variis modis satisfacere intendunt Accursius *ibi*, *verbo Legavit*, Cumanus, Immola, & alii antiquiores, Cujacius *lib.* 19. *qq. Papin. in eodem textu.* Donellus *lib.* 7. *comment. cap.* 25. Eorum tamen solutio plausibilior videtur, videlicet in specie illius textus fideicommissarium non posse petere legatum rei alienæ, quia fideicommissarius non potest habere plus juris in fideicommisso, quàm ipse hæres, qui rogatus fuit: sed hæres rogatus non poterat petere ipsam rem legatam, quia per aditionem hæreditatis confusæ erant actiones: & quia domino res propria legari non poterat, pervenit legatum ad casum, à quo incipere non poterat; & ita ut inutile, nec ab hærede rogato peti poterat, nec in fideicommissarium transmitti. Nec huic solutioni obstat textus *in l. plane* 34. §. *inde*, *vers. Plane*, *ff. de legat.* 1. ubi in eadem specie ferè contrarium probatur, videlicet legatum inutile non reddi, etsi perveniat ad casum, in quo incipere non poterat. Nam rectè satisfacit Cumanus *in dicta l. si res*, quem sequitur Cujacius *lib.* 6. *qq. Pauli*, *in l. in omnibus* 68. *ff. de regulis juris*, asserendo idcirco legatum in eo textu persistere, ne superveniens juris subtilis ratio voluntatem testatoris impediret, qui absolutè voluit partem illam ad legatarium pertinere: quæ ratio non aderat *in dicta l. si res aliena*; siquidem testator non expressit se velle, ut etiam res legata ad fideicommissarium perveniret. Etiam opponi solent textus *in l. servum* 44. § 1. *ff. de legat.* 1. *l. hæres* 58. *ff. de evict. l.* 9. §. *finali*, *ff. de suppellectil. legat. l. final. ff. de negotiis gestis*, *l. qui habebat*, 101. *ff. de legat.* 3. *juncta l. testatorem* 68. *eodem titulo*, *l. generaliter* 24. §. 1. *& 2. l. Paulus*, *ff. de fideicommiss. libert. l. qui uxori*, *ff. de auro & argento*, *l. ex facto* 17. §. *Julianus*, *ff. ad Trebellianum*, *l. qui solidum* 78. §. 1. *ff. de legat.* 2. *l.* 4. *ff. de usufructu legat. l. cogi* 16. §. *sed si servo*, *ff. ad Trebellianum*, *l. arbitrio* 18. § *si dominus*, *ff. de dolo*, *l. cùm filius*, §. *dominus*, *ff. de legat.* 2. *l.* 2. §. *data*, *ff. de opt. legat. l. Sticho* 36. *ff. de usufructu legat. l.* 108. §. *Stichum*, *ff. de legat.* 1. juncto Cujacio *ibi*, *tract.* 5. *ad Afric. l. licet* 15. *de dote præleg. l. quæsitum* 40. *de acquir. domin. l. verius* 21. *ff. de probat. l. Gajus* 39. *ff. de pignorat. action. l. ultima*, *ff. de castrens. pecul.* de quibus videndi sunt Goveanus *in l.* 1. *numero* 19. *ff. ad legem Falcidiam*, Cujacius *lib.* 14. *observat. cap.* 36. *& lib.* 25. *cap.* 33. & *lib.* 26. *cap.* 12. Faber *lib.* 6 *conject. cap.* 1. *&* 8. *& lib.* 14. *capite* 10. Pinellus *lib.* 1. *selectarum*, *cap.* 5. *numero* 70. Cujacius *lib.* 19. *qq. Papin. in dicta l. unum* 67. *l.* 13. §. *sed & si legatario*, *ff. de acquir. possess.* juncto Cujacio *lib.* 25. *observ. cap.* 33. *l.* 24. §. *ultimo*, *ff. ad legem Falcidiam*, juncto eodem *libro* 26. *observ. cap.* 12. *l. cùm pater*, §. *evictis*, *ff. de leg.* 2. juncto Fabro *lib.* 6. *conject. cap.* 1. *&* §. *si cui fund. Institut. de legat.* juncto eodem *lib.* 6. *conject. cap* 8. *l. unum* 67. §. *sed si fundum*, *de legat.* 2. juncto ipso *lib.* 14. *conject. cap.* 10. *l. sed si res aliena* 40. *ff. de legat.* 1. *finali*, *ff. de castrens. pecul.* juncto Pinello *lib.* 1. *selectarum*, *capite* 5. *numero* 70. *l. penult. ff. de dote præleg. l. fideicommissaria* 23. §. *servum*, *ff. de fideicommiss. libert. l.* 2. §. 1. *ff. de opt. legat. l. Mævius* 66. §. *fundo*, *l. cùm filius*, *ff. de leg.* 2. *l. qui testamento*, *ff. de manumiss. testam. l.* 14. §. *si avia*, *l. in computatione*, §. *finali*, *ff. ad legem Falcidiam*, *l. Sticho* 36. *de usufructu legat. l. hæres* 72. *ff. ad Trebellianum*, *l. Patrono* 31. *ff. de bonis libert. l. quo* 7. *ff. de manumiss. l. dotale*, *ff. de testament. milit.*

Sed an jure canonico attento legatum rei alienæ sustineatur, ut valet attento jure civili, controversum est? Et non valere, probari videtur ex præsenti textu, ubi Gregorius asserit, quod licèt ex lege sæculi teneatur hæres rem alienam legatario præstare; tamen non juxta legem sæculi, sed juxta legem Dei vivendum esse: unde deducitur legem sæculi, id est civilem, quæ permittit rei alienæ legatum, non observari jure canonico attento. Sed contrariâ sententiâ retentâ, quæ verior est, videlicet etiam jure Pontificio attento legatum rei alienæ valere, ut præsentem textum exponant, varia adduxerunt juris Interpretes. Accursius *in dicta l. cùm alienam*, *C. de legat.* Alexander *ibi*, *numero* 4. & plures relati à Covarruvia *in præsenti*, *numero* 6. existimarunt, jure canonico inspecto legatum rei alienæ inutile esse. Sed eorum interpretatio convincitur, tum auctoritate, tum ratione. Auctoritate textus *in cap. Episcopus* 12. *quæst.* 5. ubi legatum rei alienæ sustinetur, & debetur. Ratione, quia eadem ratio, quæ facit ut legatum rei alienæ secundùm jus civile subsistat, videlicet quia publicè expedit testatorum voluntates exitum habere; *l. vel negare* 5. *ff. quemadmod. testam. l.* 1. *C. de sacros. Eccles.* procedit etiam jure canonico inspecto, juxta quod etiam expedit testantium voluntates observari, *cap. ultimo*, 13. *quæst.* 2. *cap. cùm Marthæ*, *de celebrat. Missarum.* Ergo eadem vigente ratione, eadem debet esse utriusque juris dispositio, argumento legis *illud*, *ff. ad legem Aquiliam.* Accedit, nam lex permittens legatum rei alienæ, nullam injustitiam continet; siquidem dominus rei non ideò privatur ejus dominio, sed justo pretio accepto, si vult eam vendere, potest; aliàs hæres æstimationem, seu pretium præstando liberatur, *dicto* §. *non solùm*, *Instit. de legat.* & si lex civilis legare rem alienam permittens, injusta esset, improbaretur per Ecclesiæ Patres, ut *in cap finali*, *de præscript. cap. penult. de secundis nuptiis.* Nec audiendus est Tuldenus *ad titulum C. de legat. cap.* 5. qui asseruit, improbari à Gregorio Magno in præsenti legem civilem legatum rei alienæ admittentem; sed eam adhuc esse observandam, quia à Gregorio expressè abrogata non fuit. Refellendus etiam, immò & damnandus est Arnoldus Vinius *lib.* 2. *selectarum*, *cap.* 26. qui ausus fuit asserere, D. Gregorium errore deceptum fuisse, ut existimaret rei alienæ legatum ita sustineri, ut dominus eam vendere cogatur; qui juris lapsus valde alienus est à peritissimo nostro Gregorio Magno. Alii ut præsentem textum exponant, ajunt ideo legatum rei alienæ in eo improbari; quia legata erat res Ecclesiæ; quo casu legatum nullum est, quia ejus rei alienatio

13. *Varia præsentis textus interpretationes.*

tio in eo prohibetur, *cap. nulli 5. de rebus Eccles.* Unde cùm omnia ea, quæ prohibentur alienari, legari nequeant, *l. cùm servus 39.* aliàs lege *apud Julianum, §. finali, ff. de legat. 1. l. unum 67. §. 8. ff. de legat. 2. l. 10. ff. de auro & argento*; ideò legatum rei Ecclesiæ in præsenti textu relictum non valuit. Ita docuerunt Innocentius & Ancharanus in præsenti, Alexander, Jason, & Castrensis *in dicta l. cùm alienam*, Fachineus *lib. 5. controvers. cap. 28.* plures, quos laudat & sequitur Luna, & Arellanus *lib. 3. antinom. 5.* qui consequenter docent in præsenti casu, nec quoad æstimationem legatum valere. Sed etiam hæc interpretatio convincitur ex eo, nam legatum rei, cujus alienatio non impe[illegible]is, sed difficilis est, valet, *dicta l. apud [illegible]anum, §. finali*: ergo valere debet rei Ec[illegible]æ legatum, cùm ejus alienatio non impossibili judicetur; siquidem potest alienari adhibitâ solennitate, *cap. si exceptione 12. quæst. 2.* Deinde quia præsens decisio non in eo nititur, quod legata sit res Ecclesiæ; sed in eo, quod res aliena domino restitui debeat, ut constat ex illis verbis: *Aliena restituere debuisti.* Et ita interpretatio illa huic decisioni minimè congruit. Alii tandem docent, in præsenti casu ideo legatum non valere, quia legatus erat calix, qui in commercio hominis non est, *cap. vasa, de consecrat. dist. 1. cap. justum, de rerum permut.* Unde cùm legatum rei, quæ in commercio non est, inutiliter relinquatur, *dicto §. non solum*; ideò legatum in præsenti non valet. Sed etiam hæc sententia convincitur ex eo, quia licèt res, quæ non est in commercio, legari non possit, *l. cùm servus 39. §. finali, ff. de legat. 1.* Donellus *lib. 8. comment. cap. 11.* tamen si commercium habeat personæ, cui relinquitur, licèt aliæ non habeant, legatum subsistit, *l. sed & si 40. ff. eodem titul.* unde licèt calix in præsenti specie legari non possit laico, quia ejus commercium non habebat; tamen Ecclesiæ utique legari poterat. Unde cùm Ecclesiæ Messenat. calix legatus esset, ratio commercii non impediebat ipsius legati valorem.

14. Traditur vera interpretatio.

His igitur, & aliis interpretationibus omissis, dicendum est, discrimen à Divo Gregorio assignatum inter jus fori, & jus poli, non respicere ad eam partem, an legatum rei alienæ valeat nec-ne; sed ad jus fori, & poli in specie sibi proposita. Quod ut clariùs demonstretur, præmittendum est, testatorem, de quo in nostro textu, detinuisse calicem, & puerum Consentinæ Ecclesiæ, & eos legasse Ecclesiæ Messenat. Hæres statim res legatas tradidit Ecclesiæ Messenat. bona fide. Postmodùm cùm Ecclesia Consentina, in cujus dominio erant, ab eo tam calicem, quàm puerum peteret, ipse ab Ecclesia Messenat. tam calicem, quàm puerum repetebat. Ecclesia Messenat. restituere renuebat, allegans juris civilis dispositionem, juxta quam hæres tenetur legata etiam rei alienæ solvere, & legatarium ea possidentem non teneri hæredi restituere. Quibus perpensis Gregorius Magnus præmittens, quod licèt juxta legem sæculi prædicta Ecclesia Messenat. se defenderet quominus calicem, & puerum Ecclesiæ Consentinæ restitueret; tamen quia juxta canonicam, immò & divinam dispositionem aliena detinens ea restituere tenetur, *cap. in litteris 5. de rapt.* & quia hæres tenetur exonerare conscientiam defuncti, *cap. finali, de sepultur.* decrevit injustum esse, ut ab Ecclesia Messenat. res illæ detinerentur, cùm domino invito auferri non debeat quod suum est; & ita calicem, & puerum restitui debere Ecclesiæ Consentinæ. Quam interpretationem ut veriorem amplectuntur plures, quos refert, & sequitur Menchaca *de success. creat. §. 21. numero 11.* Beteta *in præsenti.* Unde constat, Gregorium in hoc textu non constituisse differentiam inter jus canonicum, & civile quoad legatum rei alienæ, & ejus valorem; sed tantùm in eo, quod cùm Ecclesia Messenat. retinens calicem, & puerum Ecclesiæ Consentinæ, se defenderet legibus sæculi, Gregorius docet non juxta eas leges, quæ permittunt rei alienæ retentionem; sed juxta legem Dei, secundùm quam aliena detinens restituere debet, præsentem casum esse decidendum: non tamen ideò Gregorius improbat rei alienæ legatum, ut si testator sciens eam legaverit, hæres teneatur eam redimere, & legatario præstare, aut ejus æstimationem solvere.

Huic commentario adjungi potest interpretatio textus *in cap. Episcopus 12. q. 5.* quam adduxi *in cap....*

CAPUT VI.

Ex Concilio (a) *Magocen.*

SI hæredes jussa testatoris non adimpleverint, ab Episcopo loci illius omnis res, quæ his relicta est, canonicè interdicatur, cum fructibus, & cæteris emolumentis, ut vota defuncti impleantur.

NOTÆ.

1. (a) *Magocen.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 11.* & post Concilium Lateran. *pag. 43. cap. ult.* Sed in nullo ex Conciliis Mogunt. hucusque editis textus hic reperitur: credo tamen in aliquo ex illis editum fuisse; siquidem in uno Concilio Mogunt. actum fuisse de testamentis, & ultimis voluntatibus, constat ex Concilio Mogunt. celebrato anno 1549. *cap. 97.*

COMMENTARIUM.

CONclusio, quæ ex hoc textu communiter deducitur ab Interpretibus, sic se habet: 2.

Conclusio traditur, & probatur.

Hæres non adimplens voluntatem testatoris privatur per Episcopum rebus sibi relictis. Probant eam textus *in cap. Salvator* 11. *quæst.* 1. *cap. licet universis, de voto.* Concilium Colonienſe celebratum anno 1536. *p.* 13. *cap.* 10. ubi cavetur, ut hæredibus, qui juſſa defunctorum non impleverint, ab Epiſcopo loci omnis res, quæ eis relicta eſt, interdicatur, cum ſructibus & emolumentis, *authent. hoc amplius, C. de fideicommiſſ. authent. de eccleſiaſticis titulis, §. ſi autem hæres, authentica de hæredibus & Falcidia, §. ſi quis non implens, collat.* 1. *l. ſi patroni filius, §. qui fideicommiſſam, ff. ad Trebellianum*, ibi: *Cur enim non videatur indignus, ut qui deſtituit ſupremas defuncti preces, conſequatur aliquid ex voluntate?* Et *l. Neſennius, ff. de excuſat. tut.* ibi: *Rectè ergo placuit eum, qui recuſat onus quod teſtator reliquit, & ab eo, quod petit, quodque idem dedit, repelli debere.* Et *l. tutor* 28. §. *quæ tutoribus, l. quid autem* 35. *l. amiciſſimus* 36. *ff. de excuſat. tut. l. qui tutelam* 28. *ff. de teſtam. tutel. l. ſi quis ſepulchrum, §. funus, ff. de relig. & ſumpt. l. ultima, ff. de confirm. tutor. l. ſi peculium, ff. de ſtatulib.* Paulus *lib.* 3. *ſentent. tit.* 5. *§. omnibus, l. ſi quis in ſuo, C. de inoffic. l. penult. C. de legat. l. cùm filio* 11. *ff. de legat.* 1. *l. final. titul.* 10. *partit.* 6. ubi Gregorius. Illuſtrant Sanchez *de matrim. lib.* 3. *diſput.* 15. *numero* 25. Molina *lib.* 2. *de primog. cap.* 14. *numero* 22. Carpio *de execut. lib.* 1. *cap.* 18. & *lib.* 4. *cap.* 3. Covar. & Cujacius *in præſenti*: idem Cujacius *ad Paulum dicto lib.* 3. *titulo* 5.

3. Impugnatur tradita aſſertio.

Sed hæc aſſertio difficilis valde redditur ex ſequentibus juris conſiderationibus. Prima naſcitur ex eo, nam Epiſcopus eſt executor legitimus ultimarum voluntatum, cùm cauſæ quæ exequi debent, ſunt piæ, *cap. tua nobis* 17. ibi: *In omnibus piis voluntatibus.* Et *cap. nos quidem*, ibi: *Defunctorum pias voluntates.* Et *cap. Joannes*, ibi: *Et piis locis*; *hoc tit. l. nulli, C. de Epiſc. & cleric.* ibi: *Derelictum pium defuncti propoſitum.* Tridentinum *ſeſſ.* 7. *de reform. cap.* 15. & *ſeſſ.* 22. *cap.* 6. & *ſeſſ.* 25. *cap.* 4. ibi: *Qui pro ſuarum animarum ſalute legata ea ad uſus pios reliquerunt.* Et *l.* 5. *titul.* 10. *partit.* 6. ibi: *Mandaſſe por ſu anima*: & *l.* 36. *Tauri, l.* 10. *tit.* 4. *lib.* 5. *recopil.* docent Matienzo *in dicta l.* 10. *recopil.* Carpio *de execut. lib.* 1. *cap.* 22. Igitur non rectè in præſenti generaliter, & indiſtinctè aſſeritur, hæredes non adimplentes voluntates teſtatorum, per Epiſcopum eſſe privandos rebus ſibi relictis in eodem teſtamento. Secunda militat adverſus noſtrum textum in illis verbis: *Ut vota defuncti adimpleantur.* Nam obligatio voti perſonalis eſt, nec ad hæredes tranſit. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 96. *artic.* 2. *ad* 4. docent Panormitanus *in cap. veritatis, numero* 3. *de jurejur.* Sotus *lib.* 8. *de juſtitia, quæſt.* 2. *artic.* 2. Igitur in præſenti ſpecie hæredes non tenebantur vota defuncti adimplere, & per conſequens non erant privandi hæreditate. Tertiò difficilis eſt præſens textus in illis verbis: *Omnis res, quæ eis relicta eſt.* In quibus docetur, hæredes non adimplentes vota teſtatorum, reddi indignos omnium rerum, quæ illis relictæ fuerant; nam hæredes cùm indigni ſunt, ex cauſis infrà referendis, privantur hæreditate; non tamen auferuntur ab eis prælegata, & ſimiles res ſibi relictæ, *l. cùm quidem* 12. *l. eum qui* 18. *§. ultimo, ff. de his quæ ut indign. l. qui filiabus* 17. *§. ultimo, ff. de legat.* 1. *l. miles* 75. *§. ultimo, ff. de legat.* 2. *l.* 4. *§. ſi quis ex unica, ff. de doli except.* Igitur non rectè in præſenti aſſeritur, ab hæredibus indignis non adimplentibus voluntatem teſtatoris, omnia illis à teſtatore relicta eripi & auferri. Accedit, nam hæres non tenetur adimplere voluntates ineptas defuncti, *l.* 5. *C. de his quibus ut indign. l. hæreditas* 50. *ff. de petit. hæredit.* Igitur indiſtinctè verum non eſt, voluntatem teſtatoris hæredem teneri adimplere. Accedit tandem, nam ſi in præſenti ſpecie hæredes privandi erant rebus ſibi relictis in teſtamento, priùs moneri, & citari debebant, *authent. hoc amplius, C. de fideicommiſſ. l. final. titul.* 10. *partit.* 6. ibi: *Siendo amoneſtado*; docent communiter repetentes *in dicta authent. hoc amplius*: Ergo non rectè in præſenti PP. Concilii Mogunt. aſſerunt, hæredes non adimplentes voluntatem teſtatorum, per Epiſcopum privandos eſſe omnibus rebus ſibi teſtamento relictis.

4. De variis indignitatis cauſis.

Quibus difficultatibus minimè obſtantibus vera eſt præſens aſſertio, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, variis ex cauſis hæredes reddi indignos hæreditatis, & illam ab eis, tanquam ab indignis per fiſcum eripi, & auferri; de quibus *in titul. ff. & C. de his quæ ut indign.* Prima eſt, ſi inultam reliquerint necem teſtatoris, de qua *in l.* 3. *l. ſi ideo* 7. *l. cum fratrem* 9. *cum duabus ſequentibus, C. de his quibus ut indign. l.* 5. *§ penult. & per totum, ff. ad Syllanianum, l* 1. *l.* 27. *l.* 29. *§. final. ff. de jure fiſci, l.* 14. *§. ſi pater, ff. de bonis libert. l. ſi ſervus* 50. *§. ſi quis* 2. *ff. de legat.* 1. *l. nec ſupina* 6. *ff. de juris & facti ignor. l. ſi filius* 23. *ff. de jurepatron. l.* 1. *C. ubi cauſa fiſcales, l.* 1. *C. in quibus cauſis in integ. reſtit. l.* 1. *& 3. l. minoribus, cum ſequent. de jure fiſci, l. item* 20. *§. hæc* 12. *ff. de petit. hæredit. l. his* 18. *§.* 1. *l. ex parte* 39. *ff. familiæ erciſcund. l. in ratione* 11. *§. ſi ſervus, ff. ad legem Falcidiam, l. ſi necem* 4. *l. filius* 42. *§. ultimo, ff. de bonis libert. l.* 4. *& penult. de jurepatron. l.* 3. *§. quod ſi, ff. de ſuis & legit.* Secundò indignus redditur hæreditate hæres, qui falsò & calumniosè teſtamentum impugnavit, *l.* 4. *&* 5. *l. tutorem* 22. *l. ſi teſtamentum* 24. *ff. de his quæ ut indign.* ad quam ſpeciem ſpectant textus *in l. Papinianus, §. meminiſſe, l. penult. §. ſi hæres, cum ſequent. ff. de inoffic. teſtam. l. ſi quis rogatus* 53. *§.* 1. *ff. de fideicommiſſ. libert. l. ſi teſtamentum* 6. *l. poſtquam* 42. *ff. de petit. hæredit. l. ſi pars* 9. *§. ultimo, ff. de inofficioſo, l. edicto* 13. *§. penult. l. Senatus* 15. *ff. de jure fiſci, l.* 14. *§. ſi patroni, ff. de bonis libert. l. inter* 54. *ff. de rei vindicat. l. Lucius, §. Sempronia, ff. de legat.* 2. *l. penult. ff. de except. rei judic. l.* 3. *§. conſequenter, ff. de liberat. legat. l. cùm quidam, de bonorum poſſeſſion.* Paulus *lib.* 4. *ſentent. titul.* 5. *§. ultimo.* Tertiò indignus eſt hæres, qui prohibuit teſtatori, ne mutaret teſtamentum; incidit enim in titulum, *Si quis aliquem teſtari prohibuerit*; in quo edicto notandi ſunt textus *in l. filius* 14. *§.* 1. *l. ſi quis patris* 26. *ff. ad legem Corneliam de falſis, l. penult. §. Sempronia, ff. de legat.* 2. *l.* 3. *§. ultim. ff. ad Trebellianum*, Paulus *lib.* 5. *ſentent. titul.* 12. *§.* 5. *l.* 3. *ff. de his quæ in teſtamento, l. quotiens* 9. *§. idem, ff. de hæred. inſtitut. l. curent* 22. *ff. de teſtibus, l.* 1. *§. ſi linum, ff. de bonor. poſſeſſ. ſecund. tab. l.* 1. *§. ſi parens* 3. *ff. ſi quis à parente, l. item* 14. *§. aliquando, ff.*

quod

quod metus causâ, l. unic. ff. quibus non competat bonor. possess. Quartò indignus redditur hæres, qui non habuit supremam defuncti voluntatem, *l. cùm quidam 12. ff. de his quibus ut indign. l. planè 34. ff. de legat. 1. l. militis, §. veteranus, ff. de testam. milit. l. penultima, §. 1. ff. de condit. instit.* Aut si testator nomen illius induxit, *l. cùm tabulis 16. §. ultim. ff. de his quæ ut indign. l. 2. §. ultim. ff. si tabulæ testam. l. si ita 8. §. is autem, l. qui ex liberis 11. §. testamento, ff. de bonor. possess. secundùm tabulas:* aut si inimicitias capitales cum ipso contraxit, *l. si inimicitia 9. ff. de his quæ ut indign. l. 3. §. ultim. ff. de adimend. legat.*

5. Traditur decidendi ratio.

Similiter etiam qui non paruit voluntati testatoris, immò eam neglexerit, redditur indignus ejus successione, *novella 1. Justiniani, authent. finali, C. de fideicommiss.* non tamen ut ab eo eripiatur hæreditas à fisco tanquam ab indigno: sed manet penes cohæredem, aut substitutum cum eodem onere. Quæ privatio justissimè introducta est, quia qui non vult subire onus, non decet sentire commodum, *cap. qui habet, de regulis juris in 6.* Unde qui non vult adire hæreditatem, ut fideicommissum restituat, compellitur adire, & privatur commodo quartæ partis, quæ illi ut hæredi competebat, *l. ille à quo 13. l. nam quod 14. § qui compulsus, ff. ad Trebell.* & tutor, qui se excusavit à tutela, privatur legato sibi in eodem testamento relicto, *l. 5. §. amittere. ff. de his quæ ut indign.* & qui designatus fuit ad exequendum testamentum, nisi illud exequatur, privatur legato sibi relicto, *authent. de hæredibus & Falcid. §. si quis.* Rectè ergo in præsenti textu decidit, quod si hæredes non adimpleant voluntatem testatoris, quam diligenter adimplere debent, ut exemplis probant Guillel. Benedictus *in cap. Raynutius, verbo Si absque liberis, de testam.* Carpius *lib. 4. de execut. cap. 3.* Rousselius *lib. 6. historiæ, cap. 3. numero 9.* per Episcopum priventur omnibus rebus sibi relictis: & sicut ab hærede indigno fiscus eripit hæreditatem cum fructibus, *l. 1. C. de his quæ ut indign.* ita & in præsenti casu hæres privatur, non solùm hæreditate, verùm & ejus fructibus. Hoc tamen procedit, nisi testator apertè caveat, ut hæres, vel legatarius non priventur rebus sibi relictis, etiamsi non paruerint voluntati testatoris, *l. sed hæc nimium, ff. de excusat. tut.* ibi: *Nisi evidenter expresserit, velle se dare, etiamsi tutelam non administraverit.* Et *l. 1. §. quamvis, ff. ubi pupil. edutari:* docet Carpio *dict. cap. 18. numero 42.* vel si eo casu minor pœna ab ipso testatore inflicta sit, quia ob eam cessat pœna legalis, hoc est privatio successionis. *Novel. 1. cap. 1.* juncta lege *non tantùm, §. 1. & §. Senatus. ff. de fideicommiss. libert. l. causam 20. §. puellam, ff. de manumiss. l. in testamento 27. ff. de condit. & demonstr.* prosequuntur alias exceptiones præsentis textus Covar. & Cujacius *in dict. novel. 1.*

6. Respondetur prima difficultati.

Nec obstat prima difficultas suprà pro dubitandi ratione adducta, pro cujus solutione sciendum est, satis controversum esse apud Interpretes, utrum Episcopus sit legitimus executor, transacto anno hæredibus, seu commissariis concesso ad implendam testatoris voluntatem, non solùm in legatis, & dispositionibus piis, verùm etiam prophanis? In qua quæstione indistinctè totius testamenti executionem ad ipsum spectare probant Glossa *in præsenti*, & *in cap. Sylvester 11. quæst. 1. & in cap. Episcopus 5. 88. distinct.* Hostiensis, Panormitanus, Barbatia, & Cardinalis *in præsenti*, quos sequuntur Covar. *in præsenti, numero 3.* Gutierrez *libro 3. practic. quæstion. 29. numero 14.* Gratianus *tom. 3. disceptat. cap. 563. numero 76.* Barbosa *alleg. 83. numero 15.* Hurtado *tom. 2. de congrua, lib. 6. resol. penult. subresol. 42* qui moventur primò ex præsenti textu: secundò ex eo, quia quælibet ultima voluntas pia dicitur, *l. 7. titul. 10. partit. 6.* ibi: *Para complir la voluntad de el testador, que es obra de piedad, è como cosa espiritual.* Faciunt Divus Augustinus *lib. 10. de civit. Dei, cap. 1.* Quintil. *declamat. 311.* ibi: *Libet scrutari etiam defuncti voluntatem, quâ nihil potentius apud nos, nihil nostro animo sacratius esse debet.* Symmachus *lib. 10. epist. 54.* qui alloquens Episcopos ait: *Oro vos justitiæ sacerdotes, ut urbis vestræ sacris reddatur privata successio. Dictent testamenta securi, & sciant sub Principibus non avaris stabile esse quod scripserint.* Igitur cujuslibet ultimæ voluntatis executio ad Episcopum spectat. Deinde, nam defensio viduarum miserabilium, quæ sunt destitutæ humano auxilio, ad Episcopum spectat, *cap. 1. 87. dist. cap. super, de v. s.* Sed nulla alia persona adeò destituta est, quàm defunctus, *cap. defensionis 87. distinct.* Ergo cujuslibet ultimæ voluntatis executio ad Episcopum spectat. Sed contraria sententia verior est, videlicet in legatis prophanis, & pro eorum solutione adeundum esse judicem sæcularem proprium hæredis scripti, coram quo à legatariis conveniendus est. Quam opinionem ex juribus suprà pro dubitandi ratione adductis, & aliis probant Glossa *verbo Decretorum, in cap. relatum, 11. hoc tit.* Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 17. numero 105* Matienzus, licèt sibi contrarius, *in l. 10. tit. 4. lib. 5. recopil. gloss. 7. num. 2.* Carpio *de executoribus lib. 1. cap. 22. num. 47.* Pereyra *de manu Regia part. 1. cap. 16. num. 13.* Nec eâ sententiâ retentâ obstant contraria fundamenta. Non primum deductum ex præsenti textu, qui exaudiendus est de piis testatorum dispositionibus, juxta alios textus suprà relatos, in quibus de piis causis semper agitur. Nec contrarium docet Alfonsus noster *in d. l. 10. partit.* qui generaliter non asserit, quamlibet ultimam voluntatem esse piam; sed tantùm agit de legato pro redemptione captivorum relicto, juxta legem *nulli, C. de Episcop. & cleric. authent. de Ecclesiast. titulis, §. si quis autem.* Ex quibus desumpta est dicta lex 10. Unde accipi debet de legato ad pias causas relicto. Nec obstat quod dicebamus de defensione miserabilium personarum; nam earum defensio ad Episcopum spectat, quatenus respicit utilitatem ipsarum: at in legatis prophanis non defunctorum, sed potiùs legatariorum utilitas vertitur; unde adeundus est Judex hæredis, ut ipsum cogat legata persolvere.

7. Respondetur secunda & tertia difficultati.

Nec obstat secunda difficultas ex natura & obligatione voti deducta; nam præterquam quod votum in præsenti non accipitur strictè pro promissione Deo facta, sed pro desiderio, & voluntate testatoris, ut plerunque in jure accipitur, *l. scripto, ff. unde liberi, l. in ratione 11. §. cùm quidam, ff. ad leg. Falcid. l. nihil interest, ff. de bonis libert.* etsi votum strictè accipiatur in præsenti, adhuc discrimen constituendum est inter votum reale, personale, & mixtum. Personale, videlicet jejunandi, peregrinandi, aut recitandi

citandi horas canonicas, cum persona extinguitur, nec ad hæredes transit: quare nullus successor tenetur illud adimplere, ex juribus suprà adductis. Votum verò reale, seu mixtum, veluti construendi Ecclesiam, eleemosynam faciendi, hæres tenetur adimplere, *l. 2. §. ultim. ff. de pollicit.* ibi: *Si forte qui decimam vovit, decesserit ante solutionem, hæres ipsius hæreditario nomine decimæ obstrictus est.* Voti enim obligationem ad hæredem transire, constat. Non tamen tenetur hæres votum adimplere vinculo religionis, sed exemplo aliorum onerum hæreditariorum; & tanquam æs alienum defuncti suscipere hæredes coguntur, & per excommunicationem compelli possunt illud adimplere, sicut alia opera pia exequi, *cap. tua 17. cap. Joannes 19. hoc tit.* docent Sylvester *in summa, verbo Votum*, Sanchez *lib. 3. summæ, cap. 13. numero 3.* Unde etsi in præsenti ageretur de votis adimplendis per hæredes, accipiendus erat de votis realibus, aut mixtis. Nec obstat tertia difficultas; nam verum est indistinctè, hæredem indignum hæreditate non reddi indignum legato; immò plerunque cui eripitur ut indigno hæreditas, similiter prælegatum, non solùm pro ea parte, quam capit jure hæreditario, sed quam capit jure legati, ut *in l. si sequens, §. ultim. ff. ad Syllanianum, l. duo 70. ff. de condit. & demonstr.* Quare an privetur hæres indignus simul hæreditate, & legato voluntatis, quæstio est, ut ait Papinianus *in l. cùm quidam, ff. de his quæ ut indign.* ita ut nec regula generalis tradi possit, sed secundùm varietatem casuum diversimodè est respondendum. In casu verò præsentis textus privatur hæres omni emolumento, quia æqualis ratio militabat, ut privaretur tam hæreditate, quàm prælegato. Prosequitur Cujacius *lib. 16. qq. Papin. in dict. l. cùm quidam.*

8. *Dissolvuntur aliæ difficultates.*

Nec obstat alia difficultas deducta ex lege *non oportet 5. C. de his quæ ut indign.* in illis verbis: *Non oportet ut indignis hæreditibus successiones auferri, prætextu quod in sepultura supremis judiciis, vel voluntatibus defunctorum obtemperatum non fuisset.* Ex quibus expresè deducitur, hæredem non privari hæreditate ex eo, quod non adimpleverit pias testatorum voluntates circa sepulturam. Cui difficultati ut satisfaciant DD. varia adducunt. Glossa, Cinus & Alexander, quos sequitur Molina *de primog. lib. 2. cap. 14. numero 16.* existimant, textum illum abrogatum fuisse per textum in authentica *hoc amplius, C. de fideicommiss.* & ità in eo textu jus antiquum jam abolitum referri. Carpio *dict. cap. 18. numero 37.* existimat, Imperatores in eo textu agere de hærede jam aditâ hæreditate, cui hæreditas non est auferenda nisi monitione permissâ. Et ita Imperatores non negare hæreditatem esse auferendam, sed tantùm desiderare, ut monitione præmissâ auferatur. Sed hæc interpretatio facilè refellitur ex eo, quod absolutè in eo textu statuitur hæreditatem non esse auferendam ab hæredibus ex eo, quod non parverint voluntati testatoris circa curam sepulturæ. Igitur id generaliter accipiendum est, monitione præmissâ, vel non. Quare his & aliis sententiis omissis, verùs dicendum est, in eo textu agi de voluntatibus testatorum ineptis circa eorum sepulturam, quas hæredes adimplere non tenentur, *l. servo 113. §. final. ff. de legat. 1. l. etsi 14. §. 5. ff. de relig. & sumptibus, l. quidam 27. ff. de condit. instit. l. Quintus 7. ff. de annuis legat.* plerunque enim simpliciores homines cavebant, ut omnia ornamenta sua cum corpore sepelirentur, *dict. l. etsi 14. §. 5. l. final. de auro & argento*; aut comburerentur, Livius *lib. 34.* aut pecuniâ simul cum eis in terram defoderetur, ut probat Fornerius *libro 1. rerum quotid. cap. 18.* sive ut eorum reliquiæ in mare projicerentur. Ovidius *libro 5. Fastor.*

Sæpe tamen patriæ dulci tanguntur amore,
Atque aliquis moriens hoc breve mandat opus:
Mittite mè in Tyberim, Tyberinis vectus in undis
Littus ad Inachium pulvis inanis eam.
Displicet hæredi mandati cura sepulchri;
Mortuus Ausoniâ conditur hospes humo.
Scirpea pro domino in Tyberim jactatur imago,
Ut repetat Grajas per freta longa domos.

Cujus præcepti varias afferunt causas Osualdus *lib. 8. comment. cap. 12. litera A.* Suarez *ad leg. Aquil. lib. 2. cap. 2. sect. 6. num. 9.* Amaya *lib. 1. obs. cap. 6. num. 5* D. Josephus de Salas *ad Petronium pag 278.* ad illà verba: *Descendit igitur.* Omnes enim ineptæ voluntates impunè omittuntur ab hæredibus, nec ex eo, quod non adimpleverint, debent privari hæreditate; *dict. l. servo 113. §. ineptas*, Donellus *lib. 8. comment. cap. 12.* Unde rectè ait Alexander *in dict. l.* hæredes privandos non esse hæreditate, eo quod voluntates testatorum, ineptas videlicet, non adimpleverint. Nec huic solutioni obstat textus *in l. militis 5. C. de relig.* in illis verbis: *Militis voluntatem, quam circa monumentum sibi faciendum testamento expressit, & pater, & mater ejus hæredum negligere non debent: nam etsi delatio hoc nomine prætenitis constitutionibus amota est, invidiam tamen, & conscientiam circa omissum supremum hujusmodi officium, & contemptum judicium defuncti evitare non possunt.* In quibus idem Alexander docet, hæredes adimplere debere testatoris voluntatem circa sepulturam: licèt aliis constitutionibus, videlicet *dict. l. 5. C. de his quæ ut indign.* delatio prohibita sit. Nam respondendum est, Alexandrum in eo textu agere de voluntate defuncti circa monumentum modicum construendum: licèt enim ineptæ voluntates defunctorum, videlicet nimis sumptuosæ, & superstitiosæ, adimpleri non debeant, tamen moderatæ, quæ modicam pompam in monumento, aut sepultura præscribunt, adimplendæ sunt, de quibus accipiendi sunt textus *in l. 5. C. de relig. l. 1. & 4. §. 6. ad leg. Jul. pecul. l. cuicunque, 5. §. idem 8. ff. de instit. actione, l. filius 19. ff. de in rem verso, l. multa, ff. de condit. & demonstr. l. hæreditas 50 ff. de petit. hæredit. novella 59. cap 6.* Unde etsi delatio hæreditatum ex ea causa, quod ineptas voluntates non adimpleverint, prohibita sit ab Alexandro *in dict. l. 5. C. de his quæ ut indign.* tamen si voluntas circa modicum monumentum, aut pompam funeris versetur, hæres adimplere eam cogitur, *dict. l militis, C. de relig.* quæ cùm loquatur de milite, laxiorem pompam circa finus admittit; siquidem in militum funere arma, & quæcunque ornamenta virtute sibi comparassent, equus, & similia deferebantur, ut funus Pallantis describens refert Virgilius *lib. 11. Æneid.* & noravi *in cap. final. de auctorit. & usu pallii.* Nec obstat ultimum augmentum dubitandi rationis, ubi dicebamus, ad hanc hæreditatis privationem necessariam esse moni-

monitionem : nam id verum est, ut docent Padilla *in dict. authentic. hoc amplius*, Matienz. *in l. 14. tit. 4. lib. 5. recopil. g/os. 1. num. 64.* Carpius *dict. capite 18. numero 22.* Sed supponitur in præsenti textu talem monitionem adhiberi debore, aliàs Episcopus injustè, & contra juris ordinem ipsum hæredem successione privaret.

9. Exponitur cap. licet, de voto.

Ex præsenti textu, & traditis pro ejus expositione, Doctores suprà laudati communiter accipiunt textum *in cap. licet, de voto*, ubi refertur, quod cùm Rex Ungariæ votum emisisset visitandi Hierosolymam in manu forti, idest cum exercitu & armis, ut eam ab inimicorum tyrannide eriperet; & infirmitate, & morte præventus, illud adimplere non potuisset, in ultimo elogio filio suo Andreæ sub paterna interminatione indixit, ut votum illud adimpleret. Et cùm filius simile onus à patre injunctum sponte acceptasset, & se impleturum denuò promisisset, & postea renuisset illud adimplere; Innocentius decrevit, ut votum à patre emissum adimpleat, aliàs sciat se regno, & hæreditate paterna esse privandum. Historiam refert ex Silvio, & Blondo Pancirola *lib. 2. var. cap. 240.* Ex quo textu constat, hæredem non adimplentem votum defuncti, privandum esse hæreditate, cujus decisionis rationem communiter repetentes *ibi*. & Doctores suprà citati ex eo reddunt, quia videlicet votum illud à Rege Ungariæ emissum, non personale, sed potiùs reale, aut mixtum fuit, quia non solùm industria, & labore personali erat implendum, verùm & magnis impensis, & sumptibus in belli expeditionem paratis: unde cùm obligatio realis adimplendi votum transeat ad hæredes, meritò juxta præsentem textum hæres non adimplens votum illud privatur successione paterna. Sed licèt hæc doctrina vera sit, non tamen ideo in eo textu filius privari poterat regno Ungariæ, quod illi non hæreditario, sed sanguinis jure deferebatur: nec etiam successione paternâ, quatenus legitimam jure naturæ sibi debitam comprehendebat, in qua nullum onus admittitur. Quare alia ratio est ipsius decisionis, videlicet, quod cùm filius non solùm sponte acceptasset onus à patre injunctum, verùm & se impleturum tale votum promisisset, ideo ob fractam fidem, & violatam propriam promissionem, potuit justè à Pontifice privari regno, & paterna successione, ut latiùs dicemus in ejus textus commentario.

CAPUT VII.

Ex Concilio (a) *Lateranensi.*

CUm in officiis charitatis primo loco illis teneamur obnoxii, à quibus beneficium nos cognovimus recepisse; è contra quidam clerici, cùm ab Ecclesiis suis multa beneficia perceperint, bona per eas acquisita in alios transferre præsumunt. Hoc igitur, quia antiquis canonibus constat inhibitum, nos indemnitati Ecclesiarum providere volentes, sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint, penes Ecclesias eadem bona præcipimus remanere.

NOTÆ.

(a) *Lateranensi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc titul. cap. 4.* & apud Antonium Augustinum *libro 15 epit. titul. 45* & in ipso Concilio Lateranensi *capite 15.* ubi reperiuntur verba in præsenti transcripta. De hoc Concilio nonnulla notavi *in capite 27. de rescriptis.*

COMMENTARIUM.

1. Conclusio traditur, & probatur.

EX præsenti Concilii Lateranensis canone sequens deducitur assertio: *Clerici de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis testamentum facere non possunt; de bonis vero patrimonialibus, proprio artificio, aut aliunde quæsitis disponere valent.* Probant eam textus *in capite 1. & sequent. 12. quæst. 1. capite 1. & sequent. 12. quæstion. 3. cap. 1. & per totam 12. quæst. 4. cap fixum, cum aliis 12. quæst. 5. cap. 3. de pignor.* Heraldus Episcopus Turon. *in suis capitulis, can. 44. Ut res, quas in sacris ordinibus acquisierint, propriis Ecclesiis derelinquant; hæreditaria verò juxta arbitrium propriæ voluntatis distribuant.* Tolet. Concil. anno 1324. tempore Joannis XX. *can. 5. Ut substantia Ecclesiarum, quæ solet per clericorum sobolem deperire, ad usus debitos conservetur, statuimus, quod nullus clericorum bona intuitu Ecclesiæ adquisita, filiis, vel filiabus suis det, vel conferat inter vivos, vel in testamento contra canonum instituta dimittat.* Et *l. sacrosancta 32. authentic. presbyteros, C. de Episc. & cleric. cap. 6. de hæreticis.* Concil. Toletan. 2. *can. 4.* Concilium Germanicum sub Conrado Cardin. *can. 5.* ibi: *Clerici de rebus Ecclesiæ nullum possunt condere testamentum.* Oxoniense in Anglia *can. 27.* Ratisbon. *can. 13.* quorum & aliorum verba referunt Crespetius *in summa, verbo testamentum 1.* Antonius Augustinus *in epit. lib. 15. tit. 45.* Illustrant ultra relatos in præsenti à Garanna & Barbosa, idem Barbosa *alleg. 115.* Salcedus *de lege polit. lib. 2. cap. 2.* Mancinus *sacri juris controv. dissert. 7. cap. 19.* Valenzuela *consil. 98.* Quesada *variar. quæst. 6. num. 25.* Cohelius *in not. Cardin. cap. 16. privil. 18.* Petrus Gregorius *lib. 1. partit. tit. 26. cap. 4.* Molina *lib. 1. de primog. cap. 10. num. 22.* Gutierrez *practicar. lib. 2. quæstion. 114.* Abulensis *in cap. 6. Matthæi, quæst. 24.* Boëtius Epon. & Cujacius *in præsenti*, Michaël Rousselius *lib 5. hist. juris Pontific. capite 4.* plures relati à Hieronymo Garcia *in summa. tract. 1. difficult. 4. dub. 3.* Fagundez *libro 6. de justitia, capite 10. num. 4.* Ferro Manrique *de different. utriusque fori, quæst. 93.* Gibalinus *de negot. tom. 2. lib. 5. cap. 8. articul. unico*, Solorzanus *tom. 2. libro 3. capite 19. num. 9.*

numero 9. Christineus Lupus *ad can.* 13. *Concil. Ephes.*

2. *Impugnatur, tradita assertio.* Sed hæc assertio difficilis valde redditur sequenti juris consideratione. Nam qui dominium bonorum suorum habent, de illis in testamento disponere possunt, *l. verbis legis* 120. *ff. de v. s. l. quoniam* 13. *vers. Et in postremis*, *C. de inoffic. testam. authent. ingressi*, per argumentum à contrario sensu, *C. de sacros. Eccles.* Sed clerici beneficiarii habent verum dominium omnium rerum, quæ intuitu Ecclesiæ adquisierunt, ut probavi suprà *in titulo de pecul. cleric.* Igitur de illis sicut de bonis patrimonialibus etiam in testamento disponere possunt. Cui dubitandi rationi adjungi possunt alia, quæ adduximus suprà *in cap.* 1. & dabimus infrà, *in cap. ad hæc*, *cap. relatum*, *hoc titulo.*

3. *Traditur ratio decisionis.* Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens decisio, cujus rationem communiter repetentes petunt ex defectu dominii in rebus intuitu Ecclesiæ acquisitis; quod plurimi clericis negarunt. Sed hæc sententia facilè refellitur ex traditis *in cap final. de pecul. cleric.* Quare eâ ratione omissâ verior assignanda est ex eo, quod cùm testamenti factio activa sit actus ex genere permissorum, Osvaldus *lib.* 6. *comment.* Donel. *cap.* 5. probavi *in cap.* 1. *hoc tit.* ideo clerici beneficiarii de prædictis bonis testamentum facere nequeunt, quia illis permissum non est, immò apertè prohibitum. Quam rationem expresserunt Ecclesiæ Patres in præsenti, ibi: *Quia antiquis Ecclesiæ canonibus*; ut *in cap relatum*, *cap. quia nos*, *cap. ad hæc*, *hoc tit.* ubi notanda sunt illa verba, *de jure testari non possunt*; quibus significatur, hanc prohibitionem lege humana introductam fuisse, non verò ex defectu dominii in ipsis testatoribus. Et si adhuc quæras rationem similis prohibitionis, eam reddunt Patres in præsenti textu, in illis verbis: *Cùm in officiis charitatis illis primo loco teneamur obnoxii, à quibus beneficium nos agnovimus recepisse*: idest, quod sicut clerici magna ex suis Ecclesiis percipiunt beneficia, post mortem debent eisdem Ecclesiis bona, quæ supersunt, relinquere; est enim quædam obligationis species, quæ dicitur antidoralis, juxta quam qui beneficium accepit, obligatur ad remunerandum, *l. sed etsi* 25. §. *consuluit*, *ff. de petit. hæredit. cap.* 2. Schifordeg. *lib.* 3. *ad Fabrum*, *tract.* 21. *cap.* 1. Fornerio *libro* 1. *rerum quotid. capite* 23. Hunnio *ad Treutl. volum.* 1. *disput.* 22. *quæst.* 28. Ergò cùm bona supersunt clericis post vitam, tenentur ea relinquere Ecclesiæ à qua illa acceperunt. In his Hispaniarum regnis generali consuetudine approbatâ *in l.* 13. *titul.* 8. *lib.* 5. *recop.* clerici omnes de rebus etiam intuitu Ecclesiæ adquisitis disponere valent; quam probant Matienzus & Azevedus *ibi*, Gutierrez 2. *practic. quæst.* 114. Flores de Mena *ad Gammam decis.* 315. Valenzuela *consil.* 98. Solorzanus *ubi suprà.*

4. *Dissolvitur dubitandi ratio.* Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt verùm sit, clericos beneficiarios veros dominos esse fructuum suorum beneficiorum; tamen testamentum facere non possunt. Nec novum, aut insolens est, ut qui dominus est, de bonis suis disponere non possit, ut contingit in filiisfamilias, qui licèt dominium habeant bonorum adventitiorum, *l. cùm oportet*, *C. de bonis quæ lib.* de his tamen testamentum facere non possunt, *l. ultim. §. filiis*, *C. eod. tit. l. penult. C. qui testamenta*: & ille, qui tenetur bona per fideicommissum restituere, licèt interim dominus sit, *l. finali*, *ff. de usufruct. earum rerum*, *l. species*, *ff. de auro & argento*; tamen de illis disponere non valent, *l.* 3. §. *res quæ*, *ff. ad Trebel.* ita etiam quamvis clerici domini sint fructuum suorum beneficiorum, tamen de illis disponere non valent.

Sed suprà traditus obstat textus in canone 7. Concilii Toletani 9. in illis verbis: *Quod si Presbyter, aut Diaconus sit, quos obiisse constiterit, non sine cognitione sui Episcopi rem ejus hæredibus adire licebit.* Quæ verba si accipias de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis, apertè probatur, testamentum de illis factum valere. Si verò accipias de bonis patrimonialibus, ad quid necessaria erat Episcopi cognitio, ut hæredes similia bona occupare possent? Pro cujus textus expositione dicendum est, Patres in eo canone agere de clerico, qui testamentum fecit de bonis patrimonialibus, ut constat ex illis verbis, *rem ejus*; quæ ad patrimonialia necessariò sunt referenda, non verò ad fructus beneficii; ideo autem desideratur cognitio Episcopi, nec possunt hæredes propriâ auctoritate bona occupare, ne occasione patrimonii defuncti hæredes occupent bona, quæ ad Ecclesiam spectant, ut constat ex illis verbis: *Ne passim hæreditatis adeundæ datâ licentiâ, de rebus Ecclesiæ aut non reddatur ratio plena, aut fraus non inveniatur illata.* Unde licèt Patres sinant clericis de bonis patrimonialibus disponere; tamen prohibent ne hæredes bona ipsâ occupare possint sine Episcopi cognitione, ex suprà tradita ratione.

5. *Exponitur concilium Tolet. 9. Can. 7.*

Ex suprà traditis exponendus est textus in Concilio Germanico celebrato sub Cardinale Conrado, *can.* 5. & extat apud Antonium Augustinum *in epit. juris Pontific. lib.* 37. *titul.* 25. *cap. finali*; & apud Crespetium *in summa, verbo Testamentum*, in hæc verba: *Sub anathemate prohibemus, ne de cætero clerici gratiâ testandi abutentes, cùm de rebus Ecclesiæ nullum possint condere testamentum, fructus beneficiorum ecclesiasticorum suorum suis, vel concubinis suis dimittant. Qui verò contra hanc inhibitionem venire præsumpserint, insignum suæ perditionis ecclesiasticâ careant sepultura; & quibus tales fructus legantur, eis careant ipso jure: qui autem testamentum tale manutenere voluerint, & per quorum manus personis illis fructus prædicti fuerint ministrati, ipso facto sciant se excommunicationis vinculo innodatos; & quamdiu fructus hujusmodi contrà hanc institutionem ipsis ministrati fuerint, Ecclesia ipsa sit sub interdicto posita.* Ex quo textu manifestè colligitur, clericos posse facere testamentum, sed simili facultate abuti, si fructus ex prædendis perceptos alicui legaverint, quia facultatem testandi illi tantùm habent de bonis patrimonialibus; de bonis autem, seu fructibus intuitu Ecclesiæ acquisitis disponere non valent, quia illis concessum non est, ex suprà traditis.

6. *Exponitur Concilium Germanicum.*

CAPUT

CAPUT VIII.

(a) Alexander III.

AD hæc præsentibus innotescat, quod clerici de mobilibus, quæ per Ecclesiam sunt adepti, de jure testari non possunt. Viventes tamen, & sui compotes, moderatè valent aliqua de bonis ipsis, non ratione testamenti, sed eleemosynæ intuitu erogare in ægritudine constituti.

NOTÆ.

(a) *Alexander III.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 5. ubi additur pars capitis *tua nos*: & post Concilium Lateranense *part.* 29. *capite* 8. legitur *Cenomanensi*. Unde cognoscitur in præsenti referri partem textus *in cap.* 1. *de clericis peregrinis*, ubi inscriptionem exposui.

COMMENTARIUM.

DIfficilis admodum profectò est præsens Alexandri constitutio, dum clericis prohibet testamentum facere ex bonis intuitu Ecclesiæ adquisitis; donare autem etiam in ægritudine modicas res permittit; nam primò talis constitutio ut invida tollenda est; siquidem permittit viventibus donare morientibus autem donandi facultatem adimit. Ideo enim lex Furia Caninia sublata fuit *in l. unic. C. de lege Furia toll.* §. *unic. Institut. eodem tit.* quia permittebat in vita totam servorum familiam manumittere, morientibus verò eam licentiam adimebat, ut referunt Panciro la *lib.* 2. *variar. cap.* 28 Olanus *lib.* 2. *paralip. cap.* 10. Antonius Augustinus *de legibus.* Circa quod caput 1. legis Caniniæ notandi sunt textus *in l. testamentum* 31. *ff. de manumiss. testam. l. Papinianus* 8. §. *quarta*, *ff. de inoffic. l. potestatis* 215. *ff. de v. s. l. si quis* 37. *ff. de condit. & demonstr. l. si quis* 31. *ff. de legat.* 2. *l.* 3. §. *planè*, *ff. de legit. tut. l.* 89. §. *rogo ff. de legat.* 3. *l. final. ff. de rebus dubiis*, *l.* 56. § 3. *ff ad leg. Falcidiam.* Deinde nam aut in præsenti agitur de donatione mortis causâ, aut de donatione inter vivos. Si de donatione mortis causâ, falsa est constitutio, cùm ille possit donare causâ mortis, qui & testamentum facere valet; *l. tam is* 25. §. 1. *ff. de donat. caus. mort. l.* 1. §. 1. *ff. de tutela & ration.* ergo si clericis non licet testamentum facere de bonis intuitu Ecclesiæ adquisitis, nec donare causâ mortis illis licebit. Accedit, nam aliàs aperta fraus fieret sacris canonibus, in quibus testamentum illis facere prohibetur, si in ægritudine possent donare ea bona, quæ in testamento non possunt relinquere; quam ob rationem constitutionem textus *in cap. quamquam*, § *ultim de usuris*, *lib.* 6 ad donationem causâ mortis protrahunt Glossa *ibi*, *verbo aliter*, Marienzo *in l.* 1. *titul.* 10. *gloss.* 2. *lib* 5. *Recopil.* Fachineus *lib.* 5. *controv. cap.* 62. Gratianus *tom.* 1. *discept. cap.* 79. *numero* 12. Faber *de error. decad.* 43. *error.* 8. ideoque ne fraus fieret legibus Juliis caducariis, Senatusconsulto, cujus mentio fit *in l. Senatus* 25. *ff. de donat caus. mort.* cautum fuit, ut omnes donationes causâ mortis ad exemplum legatorum caperentur: quod etiam ex identitate rationis ad alios casus protractum fuit *in l. Marcellus* 15. §. *ultim. l. & si debitor* 17. *l. illud* 37. *ff. de donat. caus. mort. l. cùm hi* 8. §. 1. *ff. de transact. l. circa* 66. §. *sicuti*; *ff. ad leg. Falcid. l.* 1. §. 1. *ff. si quid in fraud. patroni*, *l.* 1. §. *in mortis*, *ff. si cui plus quam per legem*, *l. & fideicommissum* 87. *ff. de legat.* 3. *l. unic.* §. *ultim. C. de caducis tollend. l. ut hæredibus* 50. *in princip. ff. de legat.* 2. *functa l. ei cui* 10. *ff. de donat. causâ mortis*, *l. quæ sub conditione* 8. § *& in mortis*, *ff. de condit. instit.* Igitur si prohibitum est clericis legare bona intuitu Ecclesiæ acquisita; nec donare causâ mortis illis licebit. Si de donatione inter vivos accipiatur Alexander in præsenti, frustra adjicitur taxativa illa, *moderatè*; nam cùm clerici veri domini sint fructuum suorum beneficiorum, liberè illos donare poterunt, cùm donatio effectus sit dominii, *l. sed etsi* 25 § *consuluit ff. de petit. hæredit. l. in re mandata*, *C. mandati.*

Cui difficultati ut satisfaciamus, præsentemque textum exponamus, sciendum est, retentâ opinione quam probavi *tit antecedenti*, videlicet Episcopos, Canonicos, cæterosque beneficiarios verè dominos esse fructuum suorum beneficiorum, possequè eos ad libitum inter vivos donare absque eo, quod teneantur ad restitutionem: quod etiam resolvunt Covar. *in cap. cùm in officiis* 7. *numero* 12. *hoc titul.* Diana *p.* 8. *tract.* 6. *resol.* 13. Pater Molina *de justitia tract.* 2. *disp.* 144. & sic quotidie in controversiis forensibus pronunciari pro donatariis Episcoporum, tradunt Molina *lib.* 2. *de primog. cap.* 10. *numero* 24. & ibi addentes, Solorzanus *tom.* 2. *de jure Indiar. lib.* 3. *cap* 20. *numero* 4. Noguerol. *alleg.* 26. *numero* 214. Barbosa *alleg.* 114. fusè Retes *de donat. cap.* 12. *per totum*: peccare tamen lethaliter hujusmodi Ecclesiæ Prælatos ita profusè donantes, ut docuerunt PP. Concilii Trident. *sess.* 25. *de reform. cap.* 1. propter obligationem charitatis, quâ strictiùs ipsi tenentur potiùs quàm laici omnia superflua in pauperes erogare. D. Thomas 2. 2. *quæst.* 284. *artic.* 7. Unde licèt sententia Navarri, quatenus ad restitutionem eos teneri docuit, communiter rejiciatur; quatenus tamen docet eos peccare lethaliter, nimis fusè sine causa donantes, communiter amplectitur, ut testantur Lessius *lib.* 2. *de justitia*, *cap.* 4. *difficult.* 2. *per tot.* Barbosa *dict. alleg* 114. Solorzanus *ubi suprà*, *numero* 22. Et licèt quoad Episcopos religiosos contrarium tenuerit Abulensis *in cap.* 30. *Numer. quæst.* 109. Sarm. *de reddit.* 1 *part. in defens. monit.* 11 *num.* 2. idem tamen circa donationes factas ab Episcopis religiosis, ac factas à secularibus, docuerunt Navarrus *de reddit. quæst.* 1. *monit.* 8. & *quæst.* 3. *monit.* 25. Soto *lib.* 7. *de justitia*, *q.* 4. *artic.* 2. & *lib.* 10. *quæst.* 5. *artic.* 7. Redoanus *de spoliis cleric. quæstion.* 3. §. *Et ex his*, *numero* 16.

Rodriguez

Rodriguez *tom. 2. qq. regul. quæst. 58. articul. 8.* Sa *verbo Episcopus, numero 11.* Azor *tom. 1. institut. lib. 12. cap. 7.* Sosa *in Episc. relig. num. 26.* D. Josephus de Retes *de donat. cap. 12. num. 34.* Circa donationes autem mortis causâ, licèt jure communi inspecto idem procederet in Episcopis, ac in cæteris beneficiariis, videlicet eos omnes causâ mortis donare non posse, ex eo quia ubi alicui prohibetur testamentum facere, & in eo de certis bonis disponere, ne præjudicium fiat illis, ad quos similia bona post mortem ejus perventura erant, etiam donare causâ mortis prohibetur, ut contingit in præjudicium fisci, quibus negatur testamenti factio activa; & ita quia æqualis prohibitionis ratio militat, utrumque simul, testari videlicet, & donare causâ mortis illis prohibetur, *l. 1. §. 1. ff. de tutel. & ration. l. filiis 7. §. ultim. ff. de donat. caus. mort. l. discretis 10. C. qui testamenta*: docent Fachineus *lib. 5. controv. cap. 25.* Osualdus *lib. 14. Donel. cap. 33. littera G.* Merillus *lib. 6. obs. cap. 7.* pluribus relatis Arias à Mesa *lib. 2. variar. cap. 39.* Unde filiusfamilias, cui ideo testari prohibetur, quia familiam non habet, ut explicant D. Josephus de Retes *lib. 1. opuscul. cap. 22. numero 8* ex consensu tamen patris potest donare. Hodie tamen cùm ex consuetudine generali, quam illustrabimus infrà *in cap. relatum*, clerici de omnibus bonis disponere possint, quocunque modo ea donare causâ mortis valebunt; Episcopi verò, quia testamentum facere nequeunt, ne donare causâ mortis poterunt. Deinde supponendum est, in præsenti textu Alexandrum agere de donatione inter vivos facta; nam licèt referat in ægritudine eam factam fuisse, non ideo talis donatio appellatur mortis causâ; tunc enim donatur causâ mortis, cùm in mortis casum, seu eventum res datur; ita ut in ejus defectum res donata redeat ad dominium donatoris. In summa cùm donator magis vult sibi habere rem donatam, quàm donatarius, & magis, ut eveniente casu mortis, potiùs donatarius habeat, quàm hæres, *l. 1. l. Senatus 35. §. 1. ff. de donat. causâ mort. l. 1. C. eod. tit. princip. Instit. de donat.* ubi plura Institutarii: latè docent Hermosilla *in l. 2. tit. 4. partit. 5. gloss. 1.* Donellus *lib. 14. comment. cap. 33.* Faber *de error. decad. 43. cum pluribus sequentibus*, & *lib. 7. conject. cap. 20.* Cujacius *lib. 17. Juliani, in l. si alienam 13. §. Marcellus, de donat. inter*, & *tract. 2. ad Afric. in l. in mortis 22. ff. eod. tit.* & *lib. 3. obs. cap. 17.* & *lib. 20. cap. 6.* & *lib. 10. cap. 18.* Fachineus *lib. 5. controv. cap. 22.* Gentilis *de donat. inter lib. 2. cap. 33.* & *lib. 3. cap. 34. cum sequent.* Duarenus *ad titulum de donat. cap. 1.* D. Mathias Guerra *in l. ubi ita donatur, ff. de donat. causâ mort.* In qua juris parte de donatione causâ mortis observandi sunt textus *in l. 4. l. sed si vir*, §. *quod legaturus, l. si vir 52. §. ultim. ff. de donat. inter, l. 9. §. ultimo, l. 10. l. 11. l. cùm hic 32. §. si maritus, ff. eodem, l. 3. in princip. vers. Julianus, ff. de liberat. legat. l. 3. l. 20. ff. de legat. præstand. l. nam si 17. ff. de condict. indeb.* juncto Costa *lib. 1. select. cap. 18. l. licet, C. de pactis*, juncto Pinello *lib. 1. select. cap. 10. numero 43. l. cùm pater 77. §. Mævio, ff. de legat. 2.* cum ipso Pinello *lib. 1. select. cap. 6. num. 32. l. si quid in fraudem patron.* juncto Cujacio *tract. 1. ad Afric. in l. 46. ff. eod. tit. l. 3. §. si debita, l. 8. §. sed & si mortis, ff. de bonis libert. l. servus 76. ff. de hæred. instit. l. mortis 15. ff. de manumiss. l. 24. §. pater, ff. de adimend. legat. l. 5. §. qui mortis, ff. de his quibus ut indign.* Unde licèt tempore ægritudinis fiat donatio, si tamen non in mortis eventum fiat, non mortis causâ, sed inter vivos appellatur, & talis præsumitur: textus singularis *in l. Seja*, §. *ultim. ff. de donat. causâ mort.* docent Covar. *in præsenti rubric. 3. p. num. 36.* Julius Clarus §. *donasse, quæst. 4. num. 3.* Petrus Barbosa *in l. quæ dotis, à num. 83 ff. solut. matrim.*

Quibus ita animadversis, non obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam multùm interest, an Episcopi, & alii beneficiarii in vita disponant de fructibus beneficii, an verò voluntatem suam in tempus mortis conferant. In primo casu valida est dispositio, quia sibi detrahit quod donat: at in secundo dispositio non valet, quia non sibi, sed Ecclesiæ, quæ in ea bona succedit, detrimentum infert. Nec ratio abrogationis legis Caniniæ huic casui adaptari potest, quia ut rectè docet Boërius Epon. *in præsenti, num. 3.* regula illa ad eos pertinet, qui bona propria perfectè, & absolutè habent, ut contingit in bonis patrimonialibus clericorum, non verò in bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis. Nec obstat augmentum difficultatis, nam retentâ suprà traditâ sententiâ, videlicet Alexandrum in præsenti agere de donationibus inter vivos, non refragatur taxatio illa, *moderatè, & eleemosynæ causâ donat*: nam omisso Molinâ *lib. 1. de primog. cap. 10. num. 40.* qui textum hunc accipit de bonis Ecclesiæ, non verò de rebus ejus intuitu acquisitis; omissâ itidem sententiâ Navarri *de redditibus quæst. 1. monit. 81.* quem sequitur Pater Molina *de justitia tract. 2. disput. 148. numero 6.* Solorzanus *tom. 2. lib. 3. cap. 10. num. 130.* dum non admittit argumentum à contrario sensu, in præsenti textu dicendum est, clericis in ægritudine constitutis tantùm modicas permitti donationes; quia aliæ censentur factæ in fraudem prohibitionis canonicæ, de non disponendo per viam testamenti de hujusmodi rebus, argumento legis *filiæ 59. ff. solut. matrim. cap. 2. de renunc. in 6. l. si filia 5. ff. de divortiis*; ideoque perinde haberi debent tales immoderatæ donationes, ac si factæ fuissent in testamento, *cap. de his, de sepulturis*: docent Covar. *hic, num. 1.* Sarmiento *4. p. de reddit. q. 14. numero 6.* Barbosa *dict. alleg. 114. num. 6.* si enim immodicæ donationes clericis de vita periclitantibus permitterentur, facilè de omnibus rebus etiam testamento non condito disponerent in fraudem prædictæ prohibitionis; quæ fraudis suspicio idem jus extorquet in donatione causâ mortis, ac in legatis observatur, argumento textus *in cap. sua, de procurat. cap. constitutus, de concess. præbend.*

3. *Expositio præsens textus.*

CAPUT

CAPUT IX.

Idem (a) *Vigilienſi Epiſcopo.*

QUia nos tua duxit prudentia conſulendos, utrum clerici de mobilibus, vel immobilibus poſſint condere teſtamentum, conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod licèt de his, quæ paternæ ſucceſſionis, vel cognationis intuitu, aut de artificio ſunt adepti, ſeu dono conſanguineorum, aut amicorum ſuorum, non habito reſpectu ad Eccleſiam, pervenerit ad ipſos, liberè diſponere valeant; de his tamen, quæ conſideratione Eccleſiæ ſuæ perceperunt, nullum de jure poſſunt facere teſtamentum.

NOTÆ.

1. (a) *Vigilienſi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 6. & poſt Concilium Lateran. *p.* 29. *cap.* 3. Vigilia urbs eſt Epiſcopalis Italiæ, cujus Præſul Maurus dictus martyrium ſubiit ſub Trojano, ut refert Carolus à Sancto Paulo *lib.* 1. *Geograph. ſacr. fol.* 59. & notavi *in c.* 8. *de ætate & qualit.* Commentarium hujus textus dedi ſuprà *in cap. cùm in officiis* 7.

CAPUT X.

Idem *Ubaldo* (a) *Oſtienſi Epiſcopo, & Archiepiſcopo & Canonicis Velletran.*

CUm eſſes, frater Epiſcope, in noſtra præſentia conſtitutus, diligenti nobis narratione propoſuiſti, talem in tuo Epiſcopatu conſuetudinem inoleviſſe, quod teſtamenta quæ fiunt in ultima voluntate ab iis, qui poteſtatem habent ſuper alios, penitus reſcinduntur, niſi cum ſubſcriptione VII. aut V. teſtium fiant, ſecundùm quod humanæ leges decernunt. Quia verò à (b) divina lege, & Sanctorum Patrum ſtatutis, & à generali Eccleſiæ conſuetudine id eſſe noſcitur alienum, cùm ſcriptum ſit: In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum; præſcriptam conſuetudinem penitus improbamus, & teſtamenta, quæ parochiani veſtri coram Presbytero ſuo, & tribus, vel duobus aliis idoneis perſonis in extrema voluntate de cætero fecerint, firma decernimus permanere, & robur obtinere perpetuæ firmitatis, ſub interminatione anathematis prohibentes, ne quis præſumptione qualibet hujusmodi audeat reſcindere teſtamenta.

NOTÆ.

1. (a) *Oſtienſi.*] In prima collectione, *ſub hoc titul. capite* 9. ita legitur: *Idem Hubaldo Hoſtienſi Epiſcopo, & Archiepiſc. & Canonicis Velletran.* poſt Concilium verò Lateran. *in appendice. part.* 5. *capite* 20. ita habetur: *Idem Hubaldo Epiſcopo Hoſtienſi, & Archipresb. & canonicis Velectur.* ſed ubique malè; legendum enim eſt: *Idem Humbaldo Hoſtienſi Epiſcopo, Archipresbytero, & Canonicis Vellitrenſibus*; quæ correctio facilè ſuadetur ex eo; nam temporibus Alexandri III. Humbaldus in rebus gerendis vir ſolertiſſimus regebat Eccleſiam Hoſtienſem, & Cardinalis creatus Legatus miſſus fuit in Angliam ad cauſam D. Thomæ Cantuar. ut refert Baronius *tom.* 12. *anno* 1167. & 1168. & tandem defuncto Alexandro III. Kalend. Septembris, anno 1181. ejus ſucceſſor creatus fuit, dictusque Lucius III. ut refert Baronius *ubi ſupra*, Ughellius *tom.* 1. *Italiæ ſacræ, fol.* 82. *numero* 41. Ludovicus à Sancto Carolo *in Biblioth. Pontific. in Lucio III.* & ita *Humbaldo*, non *Hubaldo*, legendum eſt: deinde non *Archiepiſcopo*, ſed *Archipresbytero*, legendum credo; quia Eccleſia Vellitrenſis nunquam fuit Metropolis, ſed tantùm Cathedrà Epiſcopali decorata; & ſcribitur tantùm, *Archipresbytero & canonicis*, quia jam à temporibus Eugenii III. per annum 1153. unita erat Vellitrenſis Eccleſia cum Hoſtienſi, ut referunt Baronius *dicto anno* 1153. Ughellius *dicto tom.* 1. *Italiæ, fol.* 58. qui Humbaldum, de quo in præſenti, refert inter Epiſcopos Hoſtienſes, ſimul & Vellitrenſes. De Hoſtienſi Eccleſia nonnulla notavi *in capite* 3. *de poſtul. Prælat.*

(b) *Divina lege.*] Non quia adſit aliquod præceptum divinum circa numerum teſtium, ſed ut duo tantùm, aut tres adhibeantur, ut probavi *in capite licèt* 23. *de teſtibus.* Nec Alexander in præſenti leges humanas majorem numerum teſtium in teſtamentis, & aliis ſimilibus actibus deſiderantes, quæ apud omnes

ferè gentes obſervantur, eſſe juri divino contrarias docet; tantùm enim Alexander hîc intendit improbare conſuetudinem illam, quæ in Vellitrenſi diœceſi Romanæ Eccleſiæ in temporalibus ſubjecta (ubi jus canonicum principaliter erat obſervandum) adversùs generales regulas ſacrorum canonum erat introducta; illa enim verba, *à divina lege*, profert Alexander III. quaſi dicat, ideo conſuetudinem, de qua in præſenti, non eſſe obſervandam; quia erat aliena à lege divina per SS. PP. ſtatuta, & generalem Eccleſiæ conſuetudinem receptam; non verò quia eſſet contra præceptum divinum introducta: docuit Cæſar *de Eccleſ. Hierarch. diſputat.* 1. §. 4. *num.* 11. licèt enim juxta jus naturale divinum ſufficiens ſit ad probationem duorum, vel trium teſtimonium? non tamen jus divinum ſtabilire intendit, tanquam neceſſariò certum, nec ita ut cenſeat plures non poſſe requiri in nonnullis cauſis. Quare niſi hominum malitia nimium excreſceret, duorum vel trium abundaret teſtimonium; ſed poſtquam labefactari cœpit humana fides, receptum fuit, ejusdem legis naturæ ſuggerente ratione, ut teſtimonia firmiora requirantur. Sotus *libro* 5. *de juſtitia, q.* 7. *art.* 3.

CAPUT XI.

Idem *Judicibus* (a) *Vellitr.*

RElatum eſt auribus noſtris, quod cùm ad veſtræ diſcuſſionis examen aliqua ſuper teſtamentis relictis Eccleſiæ cauſa deducitur, vos ſecundùm humanam, & non ſecundùm divinam legem in ea vultis procedere & niſi VII. aut v. idonei teſtes producti fuerint, omnino poſtponitis exinde judicare. Unde quia hujuſmodi cauſa de judiciis Eccleſiæ, non ſecundùm leges, ſed ſecundùm canones debet tractari, & his, divinâ Scripturâ teſtante, duo, aut tres idonei teſtes ſufficiunt: diſcr. v. p. A. ſ. p. m. quat. cùm aliqua cauſa ſuper teſtamentis Eccleſiæ relictis ad veſtrum fuerit examen deducta, eam non ſecundùm leges, ſed ſecundùm decretorum ſtatuta tractetis, & tribus, aut duobus legitimis teſtibus requiſitis; quoniam ſcriptum eſt: In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum.

NOTÆ.

1. (a) *Vellitr.*] Vellitra perantiquum, ac nobile Volſcorum oppidum, fuit Romanorum colonia, ut refert Livius his verbis: *Vellitras coloni ab urbe miſſi, & colonia deducta à Virginio, & Vetuſtio Conſulibus, anno ab urbe condita* 270. Jam primis Eccleſiæ temporibus fidem Catholicam ibi fundavit Epaphrodius, unus ex 72. diſcipulis Domini. Tam quoad temporalia, quàm ſpiritualia paret proprio Epiſcopo, qui ex conceſſione Summi Pontificis ibi exercet mixtum, & merum imperium. Jam à temporibus Eugenii III. unita fuit hæc Cathedra Epiſcopalis cum Hoſtienſi, ut refert Ughellius *tom.* 1. *Italiæ ſacræ, fol.* 58. Unde in præſenti Alexander reſcribit in negotio temporali judicibus Vellitrenſibus.

COMMENTARIUM.

2. *Concluſio traditur, & probatur.*

EX his duabus deciſionibus ſequens deducitur diſputanda aſſertio: *Teſtamentum factum coram parocho, & duobus teſtibus, valet, non obſtante contraria conſuetudine.* Non eſt ſimilis deciſio, quâ probari poſſit hæc concluſio; eam tamen illuſtrant ultra congeſtos in præſenti à Barboſa & Garaña, Fachineus *libro* 5. *controv. capite* 47. Oſvaldus *tibro* 6. *Donelli, capite* 7. *littera F.* Petrus Gregorius *libro* 3. *partit. titul.* 22. *capite* 5. Magdalenus *de numero teſtium in teſtam.* 2. *part. quæſt.* 1. Cujacius *in præſenti*, Eſcobar *de utroque foro, articul.* 2. §. 2. Wiſembachius *diſputat.* 17. *num.* 8. Pichardus & alii Inſtitutarii *in* §. *ſecum paulatim, Inſtitut. de teſtam.* Meyrerius *de teſtamentis libro* 4. *titul.* 6. Richierius *in authent. hac conſultiſſima, C. de teſtam.* Duarenus *ad tit. de teſtam. capite* 5. Bayo *in praxi,* 2. *part. quæſt.* 2. Gibalinus *de negot. tom.* 2. *libro* 5. *capite* 7. *articul.* 2. Borellus *tom.* 2. *deciſ. titul.* 5. *numero* 4. Coſta *in capite ſi pater, verbo In ſuo, num.* 9. *de teſtam. lib.* 6.

3. *Impugnatur tradita aſſertio.*

Sed hæc aſſertio difficilis redditur ſequenti juris conſideratione; nam inter alias ſolennitates, quæ pro forma ſubſtantiali ad valorem teſtamenti deſiderantur, præcipua eſt, ut ſeptem teſtes in eo interveniant, *l. ſi unus* 12. *l. hac, C. hoc titul. l. cùm tabulæ* 7. *ff. de bonor. poſſeſſ. ſecundum tabulas, l.* 2. *C. eodem titul. l.* 3 *ff. ſi tabulæ teſtamenti*, §. *ſed cùm paulatim, Inſtitut. hoc titul.* quorum præſentia deſideratur, ut ita voluntates teſtantium ſine ulla captione ſerventur, ut ait Conſtantinus *in l.* 1. *C. Theodoſ. hoc titul.* Ergo coram presbytero, & duobus teſtibus teſtamentum factum nullum eſt. Augetur hæc difficultas ex eo, nam in præſenti caſu non ſolùm hæc juris communis diſpoſitio urgebat, verùm & conſuetudo illi conformis, juxta quam non aliter teſtamentum valebat, quàm ſi factum eſſet coram ſeptem teſtibus; præcipuè cùm circa numerum teſtium in teſtamentis adhibendorum conſuetudo attendatur, *l. final. C. de teſtamentis*: textus ſingularis *in capite* 2. *de conſuetudine*: docet Burgos de Paz *in l.* 3. *Tauri, concluſ.* 4. *numero* 535. Igitur juxta talem conſuetudinem teſtamentum factum abſque legitimo teſtium numero, nullum erat. Deinde

de, nam hæc juris dispositio consuetudine firmata, non erat contraria juri divino, relato *Deuteron. capite* 19. *Matthæi capite* 18. & *in capite final.* 35. *quæst.* 6. *capite licet*, *capite in omni*, *de testibus*, his verbis: *In ore duorum, vel trium stat omne verbum.* Nam plerunque in jure hoc Pontificio major numerus exigitur, veluti septem, *in capite* 1. *& sequent. de purgat. canonic. in capite Præsul* 2. *quæst.* 4. quia ut ex Aristotele *libro* 1. & hîc refert Sotus *libro* 5. *de justitia, quæst.* 7. *articul.* 2. certitudo non est in omni materia similiter exquirenda: ergo cùm præsens consuetudo juri divino non esset contraria, & juri humano consona esset, dicendum videbatur, testamentum non observatâ ipsâ consuetudine factum, nullum esse. Accedit etiam, nam septem testes desiderantur in testamentis ob publicam utilitatem, ut ita securiorem exitum voluntates testantium habeant, §. 1. *Instit. de testam.* ibi: *Propter testamentorum sinceritatem, ut nulla fraus adhibeatur.* Et *l. final. C. de fideicommiss.* ibi: *Lex etenim, ne quid falsitatis incurrat, per duos forte testes compositum testamentum majorem numerum testium expostulat, ut per ampliores homines perfectissima veritas reveletur.* Et *l. jubemus* 29. *C. hoc titul. l. quoniam* 32. *C. de inoffic.* Igitur contra utilitatem publicam Alexander in præsenti statuere non debuit, ne in censuram Theodosii Imperatoris incideret, qui in Novella 2. de testamentis, *titul.* 8. appellavit præsumptionem posteritatis, quæ juris antiqui cautelam in testamentis condendis paulatim immutavit.

4. *Testamentum facto quo jure inducta.*

Quâ difficultate ita fulcitâ minimè obstante vera est præsens assertio, pro cujus expositione primò sciendum est, valde controversum esse, quo jure testandi facultas introducta sit? Et quamplurimi asserunt, testandi facultatem à jure gentium originem traxisse: docuerunt Osvaldus *libro* 6. *ad Donellum, cap.* 5. *littera A.* Covar. *libro* 3. *var. capite* 6. *numero* 7. Peralta *in rubric. de hæred. instit.* Pinellus *in rubric. C. de rescind.* 1. *part. capite* 1. *numero* 25. Antonius Gomez & cæteri Taurisiæ *in l.* 3. *Tauri*, Spino *in speculo*, 2. *part. rubrica, num.* 20. Benedictus Pinellus *libro* 2. *select. capite* 10. Mancinus *de triplici juris collat. capite* 47. Costanus *qq. juris capite* 6. omnium latissimè Gilkenius *in l.* 1. *in princip. C. de hæred. instit.* ubi pro utraque parte plura argumenta adducit, quorum ego ea tantùm referam, quæ plus ponderis habere videntur. Et hæc sententia primò probatur ex eo, nam id dicitur juris gentium, quod apud omnes gentes peræquè observatur, §. *jus autem*, *Institut. de jure naturali.* Sed testamentorum usus apud omnes ferè gentes invaluit, ut probavi *in capite* 2. *de consuet.* Igitur quia ab eo jure testamentorum usus provenit. Secundò quia nihil naturali rationi magis consentaneum est, quàm voluntatem domini volentis in alium rem suam transferre, ratam haberi, §. *per traditionem*, *Instit. de rerum divis.* præcipuè cùm hæc voluntas ultima est, *l.* 1. *C. de sacros. Eccles.* §. *unic. Instit. de lege Cainia.* Tertiò quia quod jure civili introductum est, pacto in contrarium facto remitti potest, *l. penult. C. de pactis*: at testamenti factionem nulla conventione amittere possumus, *l. pactum* 15. *C. de pactis*, *l. hæreditas, C. de pactis convent. l. ultim. de suis & legit. hæred.* igitur quia testandi facultas non est juris civilis, sed gentium.

Alii tandem contendunt, facultatem condendi testamentum à jure civili originem trahere: ita docuerunt Accursius *in l. ex hoc*, *ff. de justitia & jure*, Bartolus *ibi*, *numero* 5. Baldus *in l. decernimus*, *numero* 10. *C. de sacros.* Castrensis *in l.* 3. *ff. hoc titul. numero* 3. Balduinus *ad leges Romuli*, *capite* 26. *numero* 3. Alciatus *libro* 4. *pareg. capite* 25. & *in princip. legis Gallus.* Duarenus *ad titul. de testam. capite quid sit testamentum*, Faber *in jurisprud. titul.* 2. *princip.* 4. *illat.* & *libro* 4. *conject. capite ultim.* & *de errorib. decad.* 13. *error.* 1. & alii congesti ab Osvaldo *dict. capite* 4. *littera A.* qui moventur sequentibus juris fundamentis. Primo, nam dispositio, quæ fit tempore habili, si in tempus inhabile conferatur, inutilis est, *l. Stichus* 39. *ff. de manumiss. testament.* sed dispositio testamentaria confertur post mortem testatoris, *l.* 1. *ff. hoc titul.* quod tempus inhabile est, quia mortuus nihil disponere potest: ergo juxta rationem naturalem nemo testamentum facere poterat, nisi lex civilis permitteret. Secundo, quia cùm res devenit ad eum casum, à quo incipere non potuit, vitiatur, *l. existimo* 98. *l. pluribus* 140. §. *& si placeat*, *ff. de verb. obl. l. debitor* 82. *vers. Quod si vivo*, *ff. de legat.* 2. *l. quod pro parte* 11 *ff. de servitut. l.* 3. *in fine*, *ff. de his quæ pro non scrip. l. falsus* 43. §. *ultim. ff. de furtis*, §. *si servus*, *Institut. de noxat. capite ultim. de jurejur. in* 6. sed testamentum defuncto testatore pervenit ad casum, in quo incipere non poterat: ergo attentâ ratione naturali nullum erat, nisi lege civili confirmaretur. Tertiò, nam deportatus amittit ea, quæ sunt juris civilis, non verò quæ sunt juris naturalis, aut gentium, *l. sunt quidam* 17. *ff. de pœnis*, *l.* 3. *l. deportatus* 15. *ff. de interdict. & releg.* sed deportatus amittit testandi facultatem, *l. ejus* 8. §. *in insulam*, *ff. hoc titul.* Ergo quia testandi facultas juris civilis est. Quartò quia ea quæ sunt juris gentium, apud omnes gentes recipiuntur, §. *jus autem*, *Institut. de jure naturali*: sed testamentorum usus non est apud omnes gentes receptus; siquidem olim Athenienses testamentum non agnoverunt, ut refert Plutarchus *in Solone*: & de Danis idem refertur *in capite* 2. *de consuet.* & hodie omnibus testari non permittitur, ut probavi *in capite* 1. *hoc titul.* igitur quia testandi facultas non est juris gentium. Tandem, nam expressâ lege decemvirali patribusfamilias data fuit facultas disponendi de rebus propriis, *l. verbis legis* 120. *ff. de v. s.* igitur quia testandi facultas à jure civili provenit. Alii mediam eligunt sententiam, & asserunt testamentum quoad originem & usum esse juris gentium, quoad solennitatem verò esse civilis.

5. *Contraria sententia refertur.*

6. *Traditur vera sententia.*

In hoc Interpretum dissidio veriorem credo, sententiam, quam retuli *in dict. cap.* 2. *de consuet.* videlicet testamentorum usum apud aliquam nationem, seu gentem cum certa forma, & solennitate cœpisse; sed postea ab omnibus ferè gentibus receptum, & approbatum, specialibusque legibus confirmatum fuisse:

unde licèt attenta origine testamentum juris civilis esset, tamen quia communi gentium consensu receptum, & approbatum fuit, ideo juris gentium testamentum esse rectè dicitur, ut de acceptilatione ait Ulpianus *in l. an inutilis* 8. §. *ult. ff. de acceptil.* quam ita exponit Valentia *libro* 2. *illustrium, tract.* 3. *capite* 1. *num.* 46. Nec hac sententiâ retentâ obstant fundamenta secundæ sententiæ, in qua docetur, testamentorum usum omnino juris civilis esse, nec juxta rationem naturalem defendi posse. Non primum, pro cujus solutione præmittendum est, aliam habilitatem desiderari tempore dispositionis, aliam verò tempore executionis: nam tempore dispositionis non requiritur habilitas illa, quæ tempore executionis desideratur, *l. pater* 17. §. 1. *ff. de castrens. peculio*; sed illa, quæ necessaria est ad ipsam dispositionem, veluti quod testator sit sanæ mentis, sui juris, civis Romanus, & alia, quæ necessaria sunt ut disponens habilis dicatur tempore dispositionis: tempore verò executionis requiritur habilitas, quæ necessaria est ad ipsam executionem, non verò quæ necessaria est ad dispositionem; nam cùm hæc semel peracta fuerit, non indiget ampliùs habilitate. Unde si aliquis dum sanæ mentis esset, faceret testamentum, licèt postea furere incipiat, testamentum non vitiatur, §. *sed furiosi, Instit. quibus non est permissum facere testamentum*: nam cùm mentis integritas solùm requiratur ad formandam ipsam dispositionem testamenti, eâ semel formatâ ampliùs non requiritur. Unde facilè respondetur prædictæ difficultati; nam illud juris principium, quo docemur, dispositionem, quæ fit tempore habili, si ad tempus inhabile referatur, inutilem esse, procedit quando executio confertur in tempus inhabile respectu ipsius executionis, ut *in dict. l. Stichus* 39. *de manumiss. testam.* quo loco libertas ita data: *Stichus servus meus, si eum hæres alienaverit, liber esto*; inutilis pronunciatur, non quia legatum conferatur in tempus inhabile respectu dispositionis; sed quia effectus legati, id est manumissio, conferatur in tempus inhabile respectu ipsius executionis, eo quod directa libertas, de qua agitur, servo alieno dari non potest, *l. servo* 9. *ff. de manumiss. testam.* secus autem si executio conferatur in tempus habile respectu executionis; tunc enim licet inhabile sit respectu dispositionis, valet dispositio, ac proinde testamentum sustinetur, quamvis effectus ipsius conferatur post mortem: quia licèt hoc tempus sit inhabile ad disponendum; non tamen est inhabile ad hoc, ut quod semel legitimè dispositum fuit, exequatur, sed potiùs necessarium est: tum quia testamentum non nisi post mortem testatoris exequi potest, *l.* 1. *ff. de testamentis*: tum etiam, quia duo ejusdem hæreditatis in solidum domini esse non possunt, *l. si ut certo, § si duobus, ff commodati.* Necessarium ergo est, ut priùs testator moriendo amittat dominium, quàm ut hæredibus, & legatariiis acquiratur. Et si adhuc instes, amissionem dominii non solùm nocere dispositioni, verùm & executioni, veluti cùm quis deportatur, aut in adrogationem datur, quo casu testamentum antea factum irritum fit, *l. si quis filio* 6. §. *ejus, ff. de injusto rupto*: igitur etiam cùm testator per mortem amittat dominium, dicendum erat inutile reddi testamentum. Respondeo deportatione, vel adrogatione testatoris rumpi testamentum, non tam ob amissionem bonorum, quàm ob capitis diminutionem, quam patiuntur deportatus, dum civis Romanus esse desinit; adrogatus verò dum alterius potestati subjicitur; quia capitis diminutiones non solùm impediunt testamenti dispositionem, sed etiam ipsius executionem; nam ut testamentum exequatur, requiritur ut testator civis Romanus, & sui juris factus decedat: quod impedimentum cessat in eo, qui cum his qualitatibus decedit, ac proinde non est cur testamentum non exequatur. Deinde, nam multùm interest, an quis amittat dominium per mortem, an verò per sententiam Judicis, vel aliam similem causam: nam hoc posteriori casu ita dominium amittitur, ut simul alii acquiratur, ac proinde antiquus dominus non potest de eo disponere in præjudicium novi domini. Priori autem casu dominium quod quis amittit per mortem, nulli acquiritur, donec legis, vel testatoris dispositione alicui deferatur; ac proinde jure gentium permissum est decedentibus, ut de bonis suis possint disponere, cùm hoc in nullius præjudicium tendat, immò Reipublicæ expediat.

7. *Respondetur fundamentis contrariis.*

Ex dictis etiam infertur solutio secundi argumenti; sed ut faciliùs percipiatur, sciendum est, duas esse communes regulas, quæ sibi invicem adversari videntur. Prima asserit rem, quæ devenit ad eum casum, à quo incipere non poterat, vitiari: pro qua faciunt jura suprà citata; secunda verò regula docet, factum legitimè non vitiari, licèt ad eam casum deveniat, in qua non potuit inchoari: quæ probatur expresè *in capite factum* 73. *de reg. jur. in* 6. *l. in ambiguis* 85. §. 1. *ff. de reg. jur. §. ex contrario, Instit. de legat. l. verbis* 5. *in fine, ff. ad legem Falcid. leg. patre* 8. *ff. de his quæ sunt sui, l. oratione* 16. §. *ultimo, ff. de ritu nuptiarum l. ultima, ff. si tabulæ testam. l. is cui* 18. *l. qui testamento* 20. §. *ne furiosus, ff. qui testamenta, l.* 5. *l. si Gaudentius* 6. *C. de contrah. emption.* §. *furiosi*, §. *item prodigus*, §. *item surdus, Instit. quibus non est permissum.* Quare pro hujus difficilis conciliatione variæ distinctiones adduxerunt Petrus Faber, Revardus, & Gothofredus *in dict. l. in ambiguis*, §. 1. Donellus *in dict. l.* 140. §. *ultim. ff. de verb. obl.* Antonius Gomez *libro* 2. *var. cap.* 10. *numero* 21. Tiraquellus *in tract. cessante causa, limit.* 12. Cujacius *libro* 12. *respons. Papin in l. donationes* 31 *ff. de donat.* Ex quibus illa placuit, quæ ita distinguit: aut res sunt jam perfectæ, vel imperfectæ. Primo casu cum res sunt perfectæ, quia ad finem destinatum pervenerunt, non infirmantur, etsi contingat casus, à quo incipere non poterant, ut in exemplis quæ referuntur *in dict. l. patre, l. donationes* 31. *l.* 1. & 3. *ff. de donat. inter.* Secundo autem casu, scilicet cùm res imperfectæ sunt, nec finem destinatum acceperunt, vitiantur, & adhuc subdistinguendum est: aut casus superveniens impedit negotium ad finem perduci; & tunc vitiatur actus, ut si res promissa antequam tradatur, fiat sacra, *l. inter* 83. §. *sacram,*

cram, *ff. de verb. obl.* aut casus incidens non impedit negotium ad finem perduci, & tunc non vitiat actum, ut in testamento, quod ideo conditur, ut res ad hæredes, vel legatarios perveniant; ac proinde donec hunc finem consequatur, non potest simpliciter dici perfectum; unde si testatori adimantur bona, eo quod postea deportatus, vel adoptatus fuerit, vitiatur testamentum, quia hic casus impedit illud ad finem suum perduci: si verò testator moriatur, testamentum sustinetur; nam talis casus non impedit ejus executionem.

8. *Dissolvuntur alia argumenta.*

Nec obstat tertium fundamentum contrariæ sententiæ, cui variis modis satisfaciunt Interpretes. Bartolus *ubi supra*, existimat deportatum testari non posse jure Romano; posse tamen testari jure municipali: cui ferè consentit D. Nicolaus Antonius *lib. 2. de exilio, cap. 6. num. 12.* dum quærit rationem, quare jure gentium non defendatur deportati testamentum. Sed convincitur Bartolus ex eo, quia etsi deportatus sibi adquirere possit post confiscationem bonorum, *l. ea sola 97. ff. de reg. jur. l. 21. §. is qui bona, ff. mandat.* hæc tamen bona cùm decedit deportatus, fisco acquiruntur, *l. deportatus 15 ff. de interdict. & releg.* & ideo necessarium hæredem fiscum habet, *l. cùm ratio 7. §. ultim. ff. de bon. damnator.* ibi: *Quod si deportatus sit, quia civitatem amisit, hæredem habere non potest:* & adquisita fiscus accipit, *l. 2. C. de bonis proscript.* ibi: *Deportati, nec earum quidem rerum, quas post pœnam irrogatam habuerint, hæredem habere possunt, sed & hæ publicabuntur.* Gilkenius *in l. 1. C. de hæred. instit. num. 17.* existimat, deportato competere omnia, quæ sunt juris gentium, nisi aliquid specialiter adimatur, prout adimitur testamenti factio. Sed rectiùs respondendum est, deportato non auferri directò facultatem condendi testamentum, sed indirectò: quia auferuntur illi quædam, sine quibus testamentum fieri non potest: unde cùm deportatus non habeat civitatem, familiam, bona, larem, de quibus disponat; ideo testamentum facere non potest, ut latè docet D. Josephus de Retes *lib. 3. de interdict. excursu 5.* ubi exponit textum *in l. si mandavero 22. §. is cujus bona, ff. mandati.* & in illatione primæ agit de fideicommissis à deportato relictis, & codicillis ab eo factis. Nec obstat quartum; nam quoties dubitatur, an aliquid juris gentium sit, id æstimandum est ex usu, non efferatarum gentium, sed earum, quæ & rationem, & humanitatem aliquam retinent. Balduinus, & Vultejus *in princip. Institut. de jure natur.* Corrasius *in l. omnes, ff. de justitia & jure,* Cujacius *in l. 142. de verbor. signific.* Petrus Faber *libro 2. semestr. capite 1. pagin. 7.* & *cap. 2. pagin. 23.* nec enim perversæ aliquorum mentes divinam omnium consensionem pervertere possunt. Antonius Augustinus *libro 4. emend. capite 4.* quin immò, ut ego existimo, id quod naturalis ratio apud omnes gentes constituit, juris gentium erit, licèt à nemine observetur; nam quæ suâ naturâ justa sunt, hominum pravitate corrumpi non possunt; alioquin enim diceremus, jus gentium extinctum fuisse, cùm Deus aquarum diluvio terram absorbuit: siquidem eo tempore neminem lege naturali obtemperasse præter Noë, & eos, qui erant de domo ipsius, sacra pagina testatur *Genes. cap. 6. & 7.* ideoque licèt testandi facultas apud aliquos recepta non fuerit, non evincitur eam juris gentium non esse. Cui sententiæ non obest textus *in dict. §. jus autem, Institut. de jure natur.* quia illud verbum, *custoditur*, sic exponendum est, id est custodiri debet, prout alibi sæpissimè. Nec obstat quintum, quia lex XII. Tabul. non dedit, sed tantùm confirmavit testamentarias dispositiones, *l. lege obvenire 130. de v. s.* at is, qui confirmat, non introducit; sed id, quod ab alio introductum est, probat, *l. & quia 6. de jurisdict.* Itaque hinc potiùs apertissimè constat, testandi facultatem non fuisse introductam jure civili, sed tantùm confirmatam; etsi ratione hujus confirmationis possit etiam juris civilis dici, quemadmodum obligationes, quæ ex gentium juris contractibus nascuntur, *dict. l. ex hoc jure, ff. de justitia & jure,* civiles, & legitimæ appellantur, eo quod jure civili comprobatæ sint, §. 1. *Institut. de obligat. §. sed ista, Institut de action.* Ita Donellus *in rubric. C. hoc titul. numero 9. vers. Quod autem.* Nec obstat ultimum fundamentum secundæ sententiæ, quia respondeo, quibusdam personis justis ex causis non permitti testamentum facere, quas enumeravi *in capite 1. hoc titul.* non tamen inde evincitur, testandi facultatem omninò juris civilis esse.

9. *De solennitate testamenti.*

Deinde sciendum est, abolitis jam illis tribus testamenti generibus, procinctu videlicet, collatis comitiis, & per æs & libram, de quorum forma & solennitatibus agunt Gellius *libro 15. noctium, capite 17.* Theophilus, Viglius, & Vinius *in princip. Institut. de testam.* Corrasius *libro 5. miscel. capite 12.* Duarenus *ad titul. de testam. capite 5.* Revardus *de auctorit. prud. capite 11.* Osvaldus *libro 6. Donelli, capite 6. littera B.* Marcel. Donatus *ad Suetonium in August. capite 33. & 64.* Pinellus *libro 1. select. capite 18. numero 18.* D. Josephus de Retes *de imagin. vendit. capite ultim.* alia duo testamentorum genera in usu esse cœperunt: aliud in scriptis, aliud non scriptum, nuncupativum dictum, in quibus condendis diligens observatio solennitatum erat, adeò ut nimia, & misera diligentia à Consulto dicatur *in l. penult. in fine, ff. de legat. 2.* Plurimæ enim solennitates magnis vigiliis prudentum pro testamentis condendis inventæ, & statutæ fuerunt, ut constat ex ipsa rubrica Digestorum *Qui testamenta, & quemadmodum testamenta fiant, & ex l. si quaramus 4. ff. hoc titul. l. Lucius 88. §. ultim. ff. de legat. 2. l. testandi 13. C. hoc titul.* Quare ad instruendos testatores librum peculiarem de forma testamenti scripsit Paulus, ut apparet ex indice Consultorum Pandectis præfixo, atque in scriptione, quæ sola ex eo libro supereſt *in l. si plures 98. ff. de legat. 3.* Unde quemadmodum ad preces judici offerendas Romani utebantur Jurisperitis, ita quoque testamenta facturi plerumque Consultum testatores evocabant, *l. Lucius 88. §. Lucius, ff. de legat. 2.* quas scrupulosas observationes testatoribus immutare non licebat, *l. 1. C. Theodos. hoc tit.* Nam quò gravior est testamentorum auctoritas, eò major adhibenda est cautio, ne aut falsa testamenta supponantur, aut insani hominis verba pro testamento observentur; quod quidem, & alia plura

timeri poterant, ob hæredum fraudes : nam ut inquit Plutarchus *in libro de amore prolis*, arena, pulvis, aut pennæ avium varias voces edentium minore numero sint, quàm qui alienas hæreditates ambiunt. Quapropter Romani, ut horum fraudibus occurrerent, simulque succurrerent simplicitati plurium testatorum, nihil diligentiùs, quàm testamenta solennitatibus munire curarunt : hæ verò pro testamentorum, & temporum varietate variæ etiam fuerunt, ac proinde oportet ut paucis explicemus, quæ solennitates in unoquoque testamentorum genere præscriptæ fuerint, & olim, & nunc requirantur. Inter præcipuas autem solennitates omni tempore præcipua, potiorque fuit testium præsentia, de qua requisita tam in uno, quàm in alio testamento breviter agemus, & primò de testamento in scriptis.

10. *De numero testium.* Igitur postquam in desuetudinem abierunt testamenta collatis comitiis, & per æs & libram, Prætor qui curam habebat supplendi jus civile, edicto suo novam testamenti condendi formam introduxit, ut refertur *in princip. Instit. de bonorum possess.* & *de testamentis :* & cùm jure civili quinque testes in testamento per æs & libram in repræsentationem quinque classium comitiorum; & similiter alii duo, videlicet libripens, & emptor familiæ desiderarentur; ipse in locum earum septem personarum testes septem pro condendo testamento præscripsit. Et licèt quinque testes in testamento per æs, & libram tantùm adessent, non verò subsignarent, Prætor noviter introduxit, ut septem testes signarent. Osualdus *lib. 6. Donel. cap. 7. littera* F. Pichardus, & alii Institutarii *in §. 1. de testamentis.* Sed Prætorium hoc testamentum meliorem formam accepit ab ipso jure civili, quo cautum fuit, ut illi septem testes rogati, convocatique uno, eodemque tempore adessent, & subscriberent in testamento. Itaque testamentum hoc à jure civili, & Prætorio formam accepit : à jure civili rogationem, & subscriptionem testium; numerum verò & signacula testium à jure Prætorio, ut refert Justinianus *in §. sed cùm paulatim, Instit. hoc tit.* Sed paulò diligentiùs singula hæc exponamus. Primò ergo desiderantur septem testes, *l. cùm tabulæ 7. ff. de bonor. possess. secund. tabul. l. 3. ff. si tabulæ testamenti, l. si unus 12. l. hac consultissima. C. hoc titul.* adeò ut uno deficiente, testamentum nullum sit, etiam jure prætorio, *l. 3 ff. unde liberi, l. 1. & 2. tit. 1. partit. 6. l. 3. Tauri, l. 1. & 2. titul. 4. lib. 5. recopil.* nisi testator rusticus fuerit; ille enim coram quinque testibus testamentum facere potest, *l. final. C. hoc tit.* ubi Richerius; vel si pater inter liberos disponat, quo casu duo, aut tres sufficiunt, *dict. l. hac, §. ex imperfecto, authentic. inter liberos, C. hoc tit.* vel si coram Principe fiat; ipse enim supplet omnem solennitatem, *l. omnium 19. C. hoc tit.* Secundò desideratur ut testes sint rogati, & vocati ad ipsum testamentum condendum, *l. hæredes 21. §. in testamentis, ff. hoc tit. dict. l. hac 21.* & hæc est exceptio regulæ legis 11. *ff. de testib.* ubi ita legitur : *Ad fidem rei gestæ faciendam etiam non rogatus testis intelligitur.* Docuerunt Osualdus *dict. cap. 7. littera E.* Merillus *lib. 8 observ. c. 30.* Perez *ad tit. C. de testam. num. 9.* quod ita statutum esse creditur, ut testes magis intendant rei, quæ agitur, ne aliqua fraus, aut falsitas committatur : quæ solennitas etiam jure nostro Regio necessaria est, ut docent Burgos à Paz, & alii *in l. 3. Tauri, num. 550.* contrà Gomezium in eadem lege, *num. 24.* Immò etsi hæc solennitas à jure civili in codicillis non requiratur, *l. ultim. C. de codicil.* tamen jure Regio verius est, hanc solennitatem desiderari, ut docuerunt Gregorius Lopez *in l. 7. titul. 1. partit. 6.* Spino *in speculo gloss. 32. in fine*, Azevedo *in l. 2. tit. 4 lib. 5. Recopil. num. 24.* Gutierrez *lib. 2. practic. quæst. 36. num. 3.* Molina *de primog. lib. 2. cap. 8. num. 24.* Illud tamen notandum est circa hanc solennitatem, non præsumi testes fuisse rogatos nisi probetur per scripturam notarii, in qua fidem faciat testes fuisse rogatos, & adhibitos; aut ipsi dum subscribunt, testentur se vocatos fuisse, & rogatos, ut latè probant Marcha *de probat. tom. 3. conclus. 1354. per totam.* Azevedus *in dict. l. 2. num. 47.* Debent etiam esse testes præsentes per illud tempus, in quo conditur testamentum, quod debet esse continuum, *dict. l. hæres 21. §. ult. l. cùm antiquitas 28. C. eod.* ita ut videant testes testatorem, & ab ipso similiter videantur. Castillo *lib. 3. quotid. cap. 1. num. 75.* qui disputat, an lecti tegumentum, quod nos *Cortinam* dicimus, existens circa lectum testatoris, & impediens testes, ne illum videant, reddat testamentum nullum; quod non sine causa disputatur, sæpe enim loco testatoris alius suppositus fuit, qui testes fefellit, vocem, & nomen testatoris mentitus; nam Cicero *pro Cluentio.* refert quemdam à Julio subornatum fuisse, ut simularet se ægrotum, & testamentum facere velle, quasi esset Asinius. Debent etiam septem testes subscribere proprio chirographo, non vicaria manu, *l. penult. ff. hoc tit.* quam duram legem esse dixit Hothomanus *ibi*, excepto casu textus *in l. & ab antiquo 31. C. eod.* ubi jubetur, ut periti pro imperitis subscribant : forma autem subscriptionis, si credimus Cujacio *in l. ad textum, §. si quis, ff. hoc tit.* erat ea : *Ego Lucius Titius ut testis subscripsi, & Gaji testamentum obsignavi.* Cui similis est illa quæ proponitur *in l. 1. tit. 2. partit. 6.* his verbis: *So testigo de esse testamento, que le hizo tal home seiendo yo delante.* Illustrant plures congesti à Paz *in ll. Tauri, num. 81.* Hodie tamen sufficit ut testes nomen proprium tantùm subscribant, *dict. l. 3. Tauri.* Tandem testes debent signare annulo, aut proprio, aut alieno, non alio signo, *l. hæres 21. §. 5. ff. hoc tit. l. 5. ff. de bonor. possess. secundùm tab.* Donellus *dict. lib. 6. cap. 8.* Cujacius *lib. 14. observ. cap. 11.* Hothomanus *lib. 1. obs. cap. 20.* Bronchorst. *lib. 2. miscel. cap. 16.* hodie tamen ex jure nostro Regio non est necessaria, *l 3. Tauri*; sed tantum signum Tabellionis desideratur, *l. 2. titul. 4. libro 5. Recopil.*

11. *Qui testes esse nequant.* Non tamen omnes in testamentis testes esse possunt; aliqui enim ob naturæ vitium testes esse prohibentur. Hi sunt furiosus, prodigus, impubes, surdus, & mutus, *§. testes 6. cum sequentibus, 1. hoc tit. l. 9 tit. 1 partit. 6.* His adjicit Donellus *lib. 6. cap. 71.* Cæcum, quia subscribere nequit; cujus sententiam sequor, etiamsi demus cæcum subscribere posse : moveor, quia subscriptionem, quam fecerit, recognoscere non poterit, ac proinde ullam fidem non faciet. His etiam adnumerare possumus fœminas, quæ licèt in aliis testes esse possint, *l. 3. §. lege Julia, ff. de testibus*; tamen in testamento esse non possunt, *dict. l. hac consultissima 21.* quia fraudes

des, quæ in testamento inveniri possunt, non intelligunt. Donellus *libro 6. capite 7.* vel ob alias rationes, quas ibi congessit Osvaldus *littera H.* Verùm hæc sententia viginti casibus limitatur secundùm Menchaç. *lib. 2. de succes. creation. §. 12. cum sequentibus.* Regulariter tamen fœmina, ut dixi, testis esse non potest in testamento; etiam ex jure nostro regio, ut probatur *ex dict. l. 9.* & docent Burgos de Paz *in l. 3. Tauri, num. 47.* Azevedus *in dict. l. 1. num. 42.* & Matienzo *in ead. l. glos. 6. num. 3.* idemque est jure canonico, ut contra alios defendit Covar. *in cap. cùm esses, num. 14. de testamentis*, & Pichardus *in dict. §. testes, num. 18. cum sequentibus.* Dubium autem est, an fœminæ testes esse in codicillis possint? In qua quæstione existimo, jure civili posse, quia nullâ lege prohibitæ reperiebantur, secundùm Accurs. *in l. qui testamento, §. mulier, verbo, non poterit, ff. hoc tit.* & relatos à Pichardo *num. 21. in dict. §. testes:* jure autem Regio testes esse non posse, argumento textus *in l. 10. tit. 1. partit. 6.* & *l. 3. Tauri*, ibi: *En los codicillos intervenga la misma solennidad que se requiere en el testamento.* His etiam qui vitio naturæ testes esse nequeunt in testamento, annumerari possunt hermafroditi, id est homines duplicis, & ambigui sexus, ac bimembres, ut vocat Juvenalis *satyra 3.* hi enim si muliebria in illis prævaleant, testes esse non possunt, *l. 10. tit. 1. p. 6.* ex ratione legis *quæritur 10. de statu hominum.* Deinde ex variis causis alii testes esse prohibentur, veluti servi, qui tales sunt, *dict. l. hac dicta, l. qui testamento 20. §. servus:* nisi communi errore pro liberis habeantur, *§. sed cùm aliquis, Instit. hoc tit.* ex ratione legis *Barbarius, ff. de offic. Prætoris.* Latinum autem Junianum rectè testem adhiberi, posse, docuit Ulpianus *in fragm. tit. 20. §. junianus.* Monachos etiam ratione status sine superioris licentia testes esse non posse, docuerunt Didacus Perez *in l. 1. titul. 2. lib. 5. ordin.* Antonius Gomez *in dict. l. 3. Tauri, num. 28.* Sed verius est, quod licèt illicitè faciant hujusmodi actibus se ingerendo, non tamen ideo testamentum vitiatur, ut resolvunt Jul. Clarus *in §. testamento, quæst. 55. titul. 7. num. 5.* Covar. *in præsenti, cap. relatum, num. 5.* Azevedo *in l. 1. num. 59. tit. 4. lib. 5. recopil.* Molina *de justitia tract. 2. disput. 127. num. 10.* Deinde testes esse prohibentur illi qui damnati reperiuntur ob crimen famosum, *l. is cui 18. §. ult. ff. qui testam.* vel ob crimen furti, homicidii, vel aliud simile, *l. 9. tit. 1. partit. 6.* Similia autem crimina dicuntur ea, ex quibus infamia juris incurritur, ut docet Gregorius *ibi, verbo Semejante.* His accedit qui lege Julia repetundarum damnatus est, *ex l. 13. ff. de testibus:* nec contrarium probat Ulpianus *in l. qui testamento 20. §. eum qui 5. ff. qui testamenta;* nam omissis Donello *lib. 6. cap. 7.* Duareno *ad eum titulum, cap. 5.* Hothomano *lib. 1. observ. cap. 21.* Cujac. *in dicto §. eum qui*, qui ita emendat, *adhiberi non posse*; aliter textum illum exponit Osvaldus *in dict. cap. 7. Donel. littera L.* His etiam adjunguntur adulterii damnati, *l. Scio 14. ff. de testibus*; apostatæ, *l. 3. C. de apost.* & omnes qui quovis judicio improbi, & intestabiles esse jubentur, *§. testes, Instit. hoc titulo.* Intestabiles autem appellantur, qui inepti reddunturad testimonium dicendum, *dict. l. is cui 18. §. ultim. l. cùm 26. ff. hoc tit.* Illustrant Revardus *ad ll. XII. Tabul. cap. 10.* Balduinus *ad easdem leges, cap. 53.* Turnebus *lib. 26. adverss. cap. 14.* Connanus *lib. 9. comment. cap. 3. num. 2.* licèt minùs rectè Beroaldus *in notis ad Suetonium, in Augusto, cap. 56.* putaverit intestabilem dici qui testamentum facere non potest. Etiam prodigus, quia in pœnam testamentum facere prohibetur, nec etiam testis adhiberi valet, *dict. l. is cui 18.* quam eruditè exponit Fornerius *lib. 3. rerum quotid. cap. 23.* Alii tandem testes esse prohibentur, non in omnibus, sed in quibusdam testamentis, ut filius in testamento patris, & è contrà, *§. pater, Instit. hoc tit.* quem latè exponunt Goveanus *in l. 10. ff. de jurisdict.* Pinellus *lib. 1. select. cap. 1. per totum.* Nec hæres in testamento, in quo instituitur, potest esse testis, licèt legatarius possit esse testis, *§. sed nec hæres, Instit. eod.* ubi notandi sunt textus *in l. 14. ff. de rebus dubiis, l. 39. §. propositum, ff. de legat. 3. l. final. §. 3. C. communia de legat. l. in contractibus, ff. de v. s.* jnnctis Duareno *ad titul. de testam. cap. 6.* Cujacio *libro 9. observ. capite 37.* Pinello *ubi suprà.*

12. *De Testamento nuncupativo.*

Etiam postquam illa priora testamenta in usu esse desierunt, auctoritate prudentum introductum fuit testamentum nuncupativum, id est sine scriptura factum, absque eo, quod Prætor in ipso aliquid mutaret, vel adderet: quod facilè suadetur *ex l. 1. §. 1. ff. de hæred. instit. l. Divus 24. ff. de testam. milit. l. hæredes 21. §. ultim. ff. hoc titul.* & *in l. 2. C. de bonor. possess. secund. tab.* docetur testamentum nuncupativum jure civili firmum esse constitutum, quasi dicatur testamentum hoc nihil à jure Prætorio mutasse: & Imperator Valentinianus *in novella de testam. titul. 4.* separavit testamentum scriptum ut juris civilis, & Prætorii, à testamento nuncupativo jure tantùm civili introducto; non tamen ita in usu erat ac testamentum in scriptis: unde non ita frequens ejus reperitur mentio in Pandectarum libris, forsan ex eo, quia cupiebant testatores voluntates suas celari, nec eas publicari antequam ex hac luce migrarent, ut docet Valentinianus *in Novel. 2. de testam. titul. 4.* Circa ejus solennitates, exceptis signis & subscriptionibus, æqualiter in eo desiderabantur septem testes masculi, puberes, liberi, & rogati, cum cæteris qualitatibus, ac in testamento in scriptis facto, *dict. l. hac 21. §. per nuncupationem, C. hoc titul. l. si quis 18. in fine, C. de codicill. 8. ultim. Instit. hoc titul.* qui numerus testium à jure civili præscriptus fuit absque innovatione prætorii juris, *l. 2. C. de bonor. possess. secundùm tabulas*; & valde necessarius fuit, cùm voluntas à defuncto nuncupata hoc genere testamenti, aliter quàm testibus probari non possit, Imperator Leo *novel. 42.* ubi rationem probandi nuncupativum testamentum à veteribus hanc fuisse traditam ait, ut septem non indigni fide testes affirmarent, se audivisse cùm ita testator linguâ suâ de rebus suis pronunciaret. Unde nullo modo, aut statuto, aut consuetudine fieri potest, ut testamentum hoc sine testibus subsistat, licèt introduci possit, ut minor numerus desideretur, ut in testamentis militum, rusticorum, & parentum inter filios constitutum fuit *in l. ult. §. 1. C. de testam. Novel. 41. Leonis, l. 1. C. Theodos. hoc tit. l. 16. C. famil. ercisc.* nuncupativum enim testamentum etiam privilegiatum datur inter liberos, ut probant Wisem-

beeh. *disput.* 17. *num.* 31. Vinius *lib.* 2. *select. cap.* 18. licèt contrarium teneat post Martinum, Salic. & Fulgosium Faber *de error. decad.* 35. *error.* 4 & *decad.* 36. *errore* 9. Substantia ergo testamenti nuncupativi consistit in nuncupatione; quare etsi postea redigatur in scripturam, semper manet nuncupativum, *l. Pamphilo* 39. *ff de legat.* 3. §. 1. Tandem sciendum est, tot testes, tam in testamento in scriptis, quàm in nuncupativo, non desiderari ad probationem, quia ad eam duo, aut tres testes sufficiunt, *l. ubi numerus, ff. de testibus*; sed ad solennitatem. Covar. *in cap. cum esses, num.* 8. Antonius Gomez *in l.* 3. *Tauri, num.* 24. & 28. Unde apud varias nationes non æqualis testium numerus desideratur; In Batavia enim coram tribus testibus testamentum factum tenet, ut refert Vinius *lib.* 2. *select. cap.* 19. & de Saxonibus idem refert Richierius *in dicta l. hac* 21. *C. hoc tit.* Jure autem nostro Regio quid observetur, videamus. Et ut ab origine id repetamus, apud Gothos constat observatam fuisse constitutionem Theodosii, quæ extat *in l.* 1. *C. Theodos. hoc tit.* juxta cujus Codicis constitutiones Gothi regebantur ex constitutione Alarici II. ut jam notarunt Cujacius *in paratit. ad tit. C. de interdictis*, Cironius *lib.* 5. *observ. cap.* 1. Sahabedra *in chron. Gothic. cap.* 9. *pag.* 149. Postea Rex Alfonsus *in l.* 1. *tit.* 3. *lib.* 1. *ordin.* statuit, ut quinque, aut tres testes adhiberentur vicini ipsius oppidi, villæ, aut civitatis ubi testamentum fit. Quæ lex explicatur *in l.* 3. *Tauri, l.* 1. *tit.* 4. *lib.* 5. *recopil.* Et licèt *in dicta l.* 1. mentio fiat septem testium, pars illa non est Regis Ildefonsi, sed præcedentis, Philippi videlicet, ut in Glossa marginali notatur. Attentâ autem ipsâ lege primâ, si testamentum fiat coram Tabellione, debent adesse tres testes ipsius oppidi; si absque tabellione, quinque etiam vicini: si verò cum Tabellione fiat, & testes vicini non sint, septem desiderantur, aut quinque. Quoad praxin ergo hujus Regni discrimen est constituendum inter testamentum in scriptis factum, quod vulgò dicimus, *Cerrado*; & inter testamentum nuncupativum: nam in testamento scripto aliqua requisita juris civilis immutata sunt: siquidem apud nos non desiderantur signa testium, sed tantùm subscriptiones; & si aliqui ex testibus subscribere nesciant, alii pro eis subscribere valent, ita ut ultra subscriptionem Tabellionis septem subscriptiones reperiantur, Gomez *in dicta l.* 3 Spino *de testam. gloss.* 31. *num.* 29. In testamento verò nuncupativo, quod nos dicimus *abierto*, quinque testes, si vicini sint; aut tres cum Tabellione, si penuria testium detur, vel si sint exteri testes, septem requiruntur, *d. l. Tauri:* nec desideratur ulla scriptura, immò coram testibus nuncupata voluntas sustinetur, ut docent circa hunc numerum testium, & ejus qualitates varia dubia resolventes, Matienzo, & Azeved. *in d. l.* 2. Menchaca *de success. creat.* §. 25. *num.* 21. Gregorius Lopez *in l.* 2. *tit.* 6. *partit.* 1. Tauristæ *in d. l.* 3. Didacus Perez *in l.* 1. *ordin.* Flores à Mena *lib.* 1. *q.* 1. Illud tamen notandum est, tempore pestis prædictam solennitatem non desiderari; immò cùm minori conditum testamentum sustineri. Valenzuela *consil.* 124. *num* 13.

13. *Traditur ratio decidendi.* Quibus ita animadversis facilè apparet vera ratio præsentis assertionis; nam cùm ad probationem cujuslibet actus duo, aut tres testes sufficiant, juxta textus *in d. cap. in omnibus, cap. licèt*, & ibi tradita, *de testibus, l. ubi numerus, ff. eod. tit.* & major numerus tantùm ad solennitatem ob nimias juris civilis scrupulositates in testamentis desideretur, & jus Pontificium insuper habitis scrupulosis juris Cæsarei subtilitatibus, tantùm intendat defunctorum voluntates exitum habere, *cap. nos, cap. si hæredes, cap. indicante, hoc tit.* ideò Alexander in præsenti statuit, ut testamentum coram parocho, & duobus testibus factum, valeret, nec ex defectu solennitatis, videlicet majoris numeri testium testamenta corruerent; & cùm voluntates piæ, omni jure attento, fovendæ sint, *l. sunt, ff. de relig. l. hac* 22. *C. hoc tit.* ideò legata pietatis causâ relicta licèt duobus tantùm testibus sine præsentia parochi relicta sint, sustinentur, & præstari debent, cùm pietatis causâ multa introducta sint; quæ attento jure scripto non defenderentur, ut patet ex cuntulatis à Tiraquello *in tract. de privil. piæ causæ.* Et licèt testamenta minùs solennia invalida sint, etiam in foro conscientiæ, ut probant Vasquez *in opusc. de testamentis, cap.* 3. *dubio* 1. Suarez *lib.* 5. *de legibus, cap.* 24. *num.* 4. Valentia 2. 2. *disput.* 5. *quæst.* 6. *p.* 5. §. 1. *quæstiunc.* 1. contra Molinam *de justitia tract.* 2. *disput.* 81. Malderum *tract.* 1. *de justitia. cap.* 11. *dubio* 5. Comitolum *respons.* 7. *q.* 1. Reginaldum *lib.* 25. *num.* 105. Lessium *de justitia, cap.* 19. à *num.* 12. tamen relicta in illis piis locis, aut piæ causæ, semper debentur in utroque foro, ut probant Lessius, Comitol. & Molina *supra.* Covarr. *in cap. relatum* 1. *hoc tit.* Theophilus *suprà, fol.* 49. Justè ergo Alexander III. in præsenti statuit, testamentum coram Presbytero, & duobus testibus factum valere; & si ad pias causas fiat, id est, aliqua pietatis causâ in eo relinquantur, tantum coram duobus testibus factum subsistere. Prosequuntur Cujacius & Covar. *in præsenti.*

14. *Dissolvitur dubitandi ratio.* Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, in qua dicebamus, tam ex jure scripto, quàm ex consuetudine septem testes desiderari in testamentis. Pro cujus solutione examinandum est, an decisio præsentis textus sit correctoria juris communis, & procedat tantùm inspecto jure canonico? Et impius Duarenus *ad tit. de testam. cap. de effectu solennit.* asserere non erubuit, Alexandrum III. in præsenti correxisse jus civile, parum acutè illud divinum dicterium: *In ore duorum vel trium stat omne verbum*; in contrarium inducens; quem sequitur Wisembach. non magis orthodoxus *disp. de testam. num.* 8. Sed eorum sententiâ omissâ, veriùs dicendum est, solennitatem testium jure Cæsareo inductam in præsenti abrogatam esse non indistinctè, & absolutè, sed tantùm in terris subjectis Ecclesiæ quoad spiritualia, & temporalia, ut parebat provincia illa Velitrensis, ut suprà in inscriptione probavi. Vnde cùm provincia illa pertineat ad Romanam Ecclesiam etiam in temporalibus, rectè potuit Alexander III. statuere, ut testamentum coram parocho, & duobus testibus factum, valeret: nec ideò improbatur ab Alexandro consuetudo Hostiensis diœcesis, quia contraria esset juri divino, sed quia tendebat contrà Ecclesiæ dispositionem, quæ (divinâ auctoritate favente) admittit testamentum coram parocho, & duobus testibus factum in terris sibi subjectis quoad temporalia, ut doquerunt Covar. *in præsenti,*

senti, num. 12. Fachineus *lib.* 6. *controv. cap.* 47. Alciatus *in cap. novit, de judiciis, num.* 47. Nec tantùm testamentum ita conditum valet, & effectum sortitur in terris Ecclesiæ Romanæ subjectis, sed ubicunque, ut probat Arnoldus Vinius *lib.* 2. *select. cap.* 19. Christineus *tom.* 1. *decis.* 51.

15. Exponitur Concilium Tolosanum can. 10.

Adhuc suprà traditis obstat textus *in can.* 10. *Concilii Tholosani*, in illis verbis: *Volumus ut qui extremam voluntatem voluerit testamento firmari. sub testimonio fiat proprii confessoris, aut eo absente, sub præsentia Ecclesiasticæ personæ, testibus ordinatis, & accitis bonæ famæ, quos voluerit testator adesse.* Refert Crespetius *in summa, verbo Testamentum*, ut fieri, & tueri debeat. Ex quibus apertè deducitur, testamentum tantùm coram parocho factum, valere: Ergo frustra in præsenti desiderantur duo, aut tres testes simul cum parocho. Pro cujus canonis expositione sciendum est, in aliquibus provinciis Galliæ, ut executio & cognitio testamentorum spectaret ad judicem ecclesiasticum, cautum fuisse, ut sacerdotes, qui ægrotos in confessione audiebant, eos admonerent, ut coram Notario Curiæ Episcopalis, & ipso sacerdote testamentum facerent, ut constat ex Bochello *lib.* 3. *Decreti, tit.* 22. *cap.* 4. 5. & 6. & refert Rousselius *lib.* 6. *histor. jur. Pontif. cap.* 3. *num.* 15. immò etsi testator aliter disposuisset, sepulturâ ecclesiasticâ privabatur. Concilium Narbon. *can.* 3. ibi: *Quod si testator neglexerit evocare presbyterum, vel ecclesiasticam personam. ecclesiastica ipse sepulturâ privetur; & qui testamentum receperint sine præscripta solennitate, ab ingressu Ecclesiæ arceantur.* Refert Crespetius *ubi suprà.* Unde textus *in dicto can.* 10. accipiendus est juxta morem ipsius regionis; non verò inde deducitur, in aliis Provinciis idem jus esse observandum.

CAPUT XII.

Idem *Electo & Capitulo* (a) *Cassanen.*

RElatum est auribus nostris, quod quia statuimus in Lateranen. (b) Concilio, ut bona per Ecclesiam acquisita ad eam clericorum obitu devolvantur: dubitatis, an hoc sit de immobilibus tantùm, vel de mobilibus sentiendum? Responsóque nostro quæris edoceri, an præscripta bona in usus Episcopi, vel eorum, qui decedenti successerunt, de jure transeant, vel communi utilitati Ecclesiæ debeant applicari. Primò itaque breviter respondemus, quod generaliter bona quælibet per Ecclesiam acquisita, ei debeant post acquirentis obitum remanere. Nomine autem Ecclesiæ non solùm Episcopus intelligitur, vel successor clerici morientis, ubi est collegium clericorum; sed communis congregatio, quæ rerum illarum debet canonicam distributionem, aut curam habere. Ubi autem in loco decedentis tantùm (c) unus est ordinandus, is ea bona, sicut & alia ipsius Ecclesiæ (d) in timore domini dispenset. Licèt autem mobilia per Ecclesiam acquisita, ut diximus, de jure in alios pro decedentis arbitrio transferri non possint, consuetudinis est tamen non improbandæ, ut de his pauperibus, religiosis locis, & illis, qui viventi servierant, sive consanguinei fuerint, sive alii, juxta servitii meritum conferatur. Cæterùm quæ ex hæreditate, vel artificio, aut doctrina proveniunt, pro decedentis arbitrio dividantur. Quia verò nonnulli in diversis Ecclesiis beneficia possident, ita distinguimus, ut quæ habuerint, per æstimationem congruam dividantur.

NOTÆ.

1. (a) *Cassanensi.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. Cassanensis Ecclesia est in magna Græcia, cujus Prælato rescribit Alexander in præsenti: & quia adhuc non erat confirmatus, nec consecratus, sub nomine tantùm electi illi rescribit Pontifex, juxta ea quæ notavi *in cap.* 5. *de electione.*

(b) *Lateranensi.*] Relato *in cap. cùm in officiis, hoc tit.*

(c) *Unus est ordinandus.*] Hæc verba exposui *in cap. majoribus* 8. *de præbendis & dignitatibus.*

(d) *Ecclesiæ.*] Bona relicta ab Episcopo, cui debeantur, jam exposui *in cap.* 4. *de offic. ordin.* Circa fructus autem obtinuit, ut pro rata anni fructus dividantur inter defunctum, & successorem, ut latè probant Sarmientus *de reddit.* 4. *p. cap.* 6. Covar. *lib.* 1. *variar. cap.* 15. *num.* 12. Molina *lib.* 1. *de primog. cap.* 11. *num.* 4. Valascus *de partit. cap.* 36. *ex num.* 9. Cast illo *de usufructu cap.* 79. Escobar *de ratiocin. cap.* 20. *num.* 23. Garcia *de benef.* 2. *p. cap.* 1. *ex num.* 94. Baptista Costa *de ratione ratæ q.* 29. Eleganter Robertus *lib.* 3. *rerum judic. cap.* 4. *vers. Tertia opinio*: nisi aliud consuetudine introductum sit, ut probant Solorzanus *tom.* 3. *de jure Indiarum. lib* 3. *cap.* 5. *ex num.* 45. Noguerol *allegat.* 26. *artic.* 1. dixi *in d. cap.* 4.

COMMENTARIUM.

IN hoc textu etiam agitur de testamentis à clericis conditis ex bonis propriis patrimonialibus, & ex aliis intuitu Ecclesiæ acquisitis, juxta ea quæ adduxi *in cap cùm in officiis, hoc tit.* cujus declaratio in præsenti sit, illudque specialiter hîc cavetur, videlicet consuetudine introduci posse, ut clerici de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis in testamento disponere possint; quod quia generaliter in his Regnis observatur, immò & talis consuetudo approbata reperitur

in

in l. 13. tit. 8. lib. 5. recopil. examinandum venit, an talis consuetudo non solùm in foro exteriori procedat, verùm & in interiori securè observetur? Et talem consuetudinem improbarunt Navarrus *de reddit. 1. p. num. 81. & in apolog. 3. p. monit. 1. & 2.* Gregorius Lopez *in l. 53. tit. 6. gloss. 1.* moti ex sequentibus. Primò, quia hæc consuetudo gravamen Ecclesiæ infert, siquidem privat eam omnibus bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis, quæ defunctis presbyteris illi debentur, *ex cap. 1 infrà, tit. 1.* sed consuetudo, quæ infert gravamen Ecclesiis, improbatur, & non admittitur: ergo præsens consuetudo rejicienda est. Accedit, quia in specie non dissimili alia consuetudo improbatur *in cap. quia sæpe, de elect. in 6.* Deinde quia Alexander in præsenti approbat tantùm eam consuetudinem, quæ clericis de rebus mobilibus tantùm disponere permittit: ergo à contrario improbat generalem consuetudinem, juxta quam clerici de omnibus bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis testamentum facere possunt. Contrariam tamen sententiam, quam ut veriorem amplectimur, defendunt Matienzo, & Azevedo *in dicta l. 13. recopil.* Covar. *in dicto cap. cùm in officiis, num. 9.* Sarmient. *de reddit. 2. p. cap. 6 num. 1. & 4. p cap. 1. num. 7.* Gutierrez *lib. 2. practic. q. 14.* Valasco *de partit. cap. 35. num. 9.* plures, quos referunt Solorzanus *tom. 2. de jure Indiarum, lib. 3. cap. 10. num. 11. & 66* Valenzuela *tom. 1. consil. 98 num. 30.* Salcedo *de lege polit. lib. 2. cap 2.* quæ sententia probatur ex capite *præsenti, vers. Nisi, de offic. ordin. in 6. extravag. suscepti, de elect.* Joannis XXII. quam expendit Covar. *ubi proximè, num. 26. ex cap. cùm tibi*, junctâ communi interpretatione, *de verb. sign. extravag. postulasti, de præbend. & dignit. & ex cap. ad hæc 7. hoc tit. in 1. collect* cujus verba retuli *in cap. ad hæc 12. de præbend.* ubi Alex. III. jubet observari consuetudinem, juxta quam clerici, qui à Kalendis Martii usque ad Kalendas Novembris decedebant, fructus totius anni distribuebant, & de eis ad libitum disponebant. Nec hoc argumentum evitat Navarrus *in apolog. quæst. 3. monit. 8. num. 7.* prout optimè notavit Sarmiento *dicta 4. p. cap. 1. num. 12.* Accedit, nam omnia, quæ possunt concedi privilegio, possunt introduci consuetudine, *cap. 1. de privil. in 6. cap. super quibusdam, de verb. signif.* Sed Julius III. anno 1549. *in extravag. Cupientes*, quam refert Navarrus *de spoliis, §. 6. num. 1.* omnibus clericis in Curia degentibus permisit testamentum facere de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis: & hodie Presbyteri Cardinales virtute privilegii de omnibus bonis disponunt, ut refert Cohel. *in notit. Cardin. cap. 16. privil. 18.* Igitur & consuetudine introduci potest, ut clerici de omnibus bonis, etiam intuitu Ecclesiæ acquisitis testamentum faciant. Tandem, nam prohibitio, ne clerici de his bonis in testamento disponant, est juris positivi, ut suprà probavi *in cap. 1. & in cap. cùm in officiis*: Igitur in contrarium consuetudo præscribi potest. Quâ sententiâ retentâ non obstant contrariæ fundamenta. Non primum, nam cùm per hanc consuetudinem reducatur facultas testandi ad jus gentium, juxta quod unicuique licet de rebus suis disponere tam in vita, quàm in morte, inde facultate hac utendo clericus nullum præjudicium Ecclesiæ infert, cùm jus, quod illi competebat ad ea bona, juris positivi esset, & ita per contrariam consuetudinem abrogari posset. Nec etiam obstat textus *in dicto cap. quia sæpe*; nam magnum discrimen versatur inter hanc consuetudinem, per quam facultas testandi clericis conceditur; & eam, per quam bona decedentium clericorum Sede vacante Episcopali ad Capitulum, & ejus singulares personas devolvuntur; præsens enim consuetudo rationabilis est, illa autem irrationabilis. Nec etiam obstat præsens textus; nam Alexander III. consuetudinem testandi de bonis mobilibus approbando non improbavit consuetudinem generalem disponendi de omnibus rebus mobilibus, & immobilibus; nec poterat improbare consuetudinem nostri Regni, cùm posterior sit. Manet ergo, validè & licitè virtute prædictæ consuetudinis posse clericos disponere de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis, etiam in testamento; quod in Gallia, & aliis Regnis etiam observari probat Solorzanus *ubi supra.*

CAPUT XIII.

Idem *Altissiod.* (a) *Episcopo.*

CUm tibi de benignitate Sedis Apost. sit indultum, quod ordinatio (b) rerum clericorum ab intestato decedentium liberè in tua potestate, ac dispositione permaneat, volens omnem materiam scandali removere, quod aliquando inter te, & (c) tuos est subortum, super duobus nos consulere voluisti. Primò, an appellatio vocabuli clericorum, tam ad canonicos, quàm ad non canonicos extendatur. Secundò an illi qui in voluntate & dispositione alterius suam committunt ultimam voluntatem, nihil per se penitus ordinantes, vel determinantes, quid cui loco, vel personæ conferri debeat, dicantur decedere intestati. Primæ igitur consultationi tuæ duximus respondendum, quod appellatio clericorum non solùm alios, sed & canonicos comprehendat. In secunda verò dicimus, quod qui extremam voluntatem alterius dispositioni committit, non videtur decedere intestatus.

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) *Altissiodorens.*] Ita legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 1 & *in cap. cum tibi, de verb. sign.* in eadem collectione, ex quo ita hujus textus integram restituo, in præsenti enim Innocentius III. rescribit Guillelmo de Castro Silligniaco, qui mirè tam in spiritualibus, quàm temporalibus auxit ipsam diœcesim, variis ædificiis constructis, & reparatis, ut refertur in historia Episcoporum Altissiod. edita à Philippo Labeo *tom.* 1. *Biblioth. novissimæ, fol.* 405. Unde privilegium impetravit ab Innocentio III. ut de intestatorum bonis liberè disponeret, ut ita tot expensis in Ecclesiarum constructionibus, & donibus factis consulere possit, bona intestatorum clericorum ita piè, & utiliter impendendo. De Ecclesia Altissiodorensi egi *in cap.* 14. *de præscript.* Idem jus habuisse Parisiensem Episcopum, refert Cantiprat. *lib.* 2. *cap.* 45. ibi: *Audivimus de venerabili Guillelmo nato Albernia, Parisiensi Episcopo, quod cum nunciaretur ei quendam Canonicum Ecclesiæ Parisiensis intestatum decessisse*, &c. Et de Archiepiscopo Eborac. Matthæus Parisius *ad annum* 1181. *Qui adhuc vivens à Papa Alexandro privilegium impetraverat, ut si clericus suæ jurisdictioni suppositus, agens in extremis testamentum non conficeret, Archiepiscopus haberet facultatem injiciendi manus in bona defuncti.*

(b) *Rerum clericorum.*] Non patrimonialium; nam in eis ab intestato clerici habent suos hæredes consanguineos, & agnatos, *cap. cùm in officiis. cap. ad hæc. cap. relatum, hoc tit.* & illis deficientibus succedit Ecclesia, ut infrà dicemus titulo sequenti; non verò eorum, quæ intuitu Ecclesiæ acquisierant; nam in eis succedebat Ecclesia, *cap.* 1. *de succes. ab intest. cap. penult. de peculio cleric.* nec de eis poterat clericus in præsenti specie dispositionem alteri committere; unde privilegio concessum erat Guillelmo Episcopo Altissiod. ut eorum bonorum, in quibus Ecclesia jure communi attento succedebat, nullis adstantibus consanguineis liberam haberet administrationem.

(c) *Et tuos.*] Canonicos videlicet, qui intestatorum successionem sibi vindicabant.

(d) *Primo.*] Hæc prima consultatio refertur *in cap. cum tibi, de verb. signif.*

COMMENTARIUM.

3. NOtum est, ultimam testantis voluntatem in alterius dispositionem conferri non posse, *l. illa* 32. *l. ex facto, l. si quis ita, l. si quis Sempronius* 68. *ff. de hæred. instit. l. fideicommissæ* 11. §. *quamquam. ff. de legat* 3. *l. nonnunquam* 52 *ff. de condit. & demonstr. l. utrum.* 7. § *cum quidam* 5 *ff. de rebus dubiis. l. fideicommissaria* 46. *ff. de fideicommiss. libert. l.* 1. § *si ab ipso. ff. de collat. bonor. l penult.* §. *si patronus, ff. de bonis libert. l.* 11. *tit.* 3. *p.* 6. Illustrant Alciatus *lib* 2. *paverg. cap.* 32. Cujacius *lib.* 2. *observ. cap.* 2. Connanus *lib.* 10. *comment. cap.* 6. Robertus *lib.* 2 *recept. sentent. cap.* 11. Acosta *lib.* 1. *select. cap.* 21. Sarmient. *lib.* 2. *select. cap.* 11. Antonius Augustinus *lib.* 4. *emend. cap.* 10. Vinius *lib.* 2. *select. cap.* 25. Bronchorst. *enantioph. cent.* 3. *assert.* 48. cujus principii rationem ex diffinitione testamenti petendam esse ipsi existimarunt; nam cùm diffinitio diffiniti substantiam demonstret, *l.* 1. §. *dolum, ff. de dolo*, & testamentum sit voluntatis nostræ justa sententia, *l.* 1. *ff. de testam.* apparet, contra substantiam testamenti fieri, si alienæ dispositioni committatur. Duarenus *in dicta l.* 1. & *ad tit. de hæred. instit. cap. final. columna finali*, Segura *in repetitione legis cohæredi*, §. *cùm filiæ, ff. de vulgari*, Tiraquellus *ad ll. connubiales, glossa* 5. *num.* 5. *in fine*: quod explicuisse videtur Cajus *in dicta l. illa institutio*, ibi: *Testamentorum jura per se firma esse oportere*; hoc est, testamentorum dispositiones per se firmas esse debere, robut, & firmitatem à seipsis, & non ab alio accipere; nam lege XII. Tabul. quod quis de bonis suis disposuisset, confirmavit lex *verbis legis, de verb signif. princip. Instit. ad leg. Falcid.* potestas quippe hæc personalis ad alterum transferri non potest; etenim cùm quis ita disposuit: *Instituo quos Titius voluerit*; vel, *Instituo Sempronium, si Cajus voluerit*; Sempronius pendet ab aliena voluntate, taliter quod institutio vires, & firmitatem sumit à voluntate tertii, quo renuente nullus hæres institutus reperitur, & sic magis tertii, quàm defuncti testamentum esse videtur, ob idque à veteribus talis institutio improbatur. Prosequuntur Connanus *lib.* 10. *comment. cap.* 6. *num.* 3. Costa *in cap. si pater, t. p. verbo Pauperis, num.* 5. *de testam. in* 6. Corrasius 5. *Miscel. cap.* 13. Spino *in specul. testam. glos.* 5. *num* 2. Cujacius *lib.* 6 *respons. Papin. in dicta l. captatorias* 70 *ff. de hæred. instit.* Donellus 8. *comment. cap.* 15. Antonius Faber *decad.* 51. *error.* 4. Castillo 2. *controvers. cap.* 6. *num.* 22. Matienzo *in l.* 5. *tit.* 4. *lib.* 5. *recopil. glos.* 1. *num.* 2. Unde facilè deducitur, ultimam testatorum voluntatem in alterius dispositionem conferri non posse.

4. *De hæredis institutione.*

Quæ assertio primùm procedit in institutione hæredis, quæ adeò in voluntatem alterius conferri non potest, ut nec arbitrio, sive libero, sive justo conferri valeat; in quo sensu verbum *Arbitrio*, quo utitur Consultus *in dicta l. illa* 32. accepit Sarmientus *lib.* 2. *select. cap.* 6. *num.* 4. Quæ sententia non malè confirmari potest *ex l. filio* 17. *ff. de injusto rupto*, ubi si filius præteritus velit testamentum patris approbare, adhuc tamen attento juris civilis rigore nullius momenti esse supponitur; quod ex eo provenire existimant Faber *lib.* 9. *conject. cap.* 14. Osualdus *lib.* 6. *comment. cap.* 6. *littera C* ne alioquin ex arbitrio filii hæredis institutio pendeat. Cui doctrinæ objici solet, substitutionem esse secundam hæredis institutionem, & tamen ea ex voluntate instituti pendet, ut constat ex vulgari ejus formula ibi: *Titius hæres esto, & si Titius hæres non erit, Sejus hæres esto.* Sed respondetur cum Sarmiento *d. cap.* 6. *num.* 5. Osualdo *d. lib.* 6. *cap.* 32. *littera A.* substitutionis jus non pendere ex voluntate libera primi instituti, sed ex tacita, & à contrario sensu deducta, ut *in l. fideicommissa* 11. §. *si sic, ff. de legat.* 3. immò principaliter pendere ex testantis voluntate, & judicio; non enim aliter voluit testator substitutum hæredem esse, quàm si primò institutus facto, vel verbo hæreditatem non adierit; quomodo etiam exponendus est textus *in l. si quis* 68 *ff. de hæred. instit.* ubi docetur, posse fieri institutionem sub ea conditione, si Titius in Capitolium ascenderit; quia hoc casu institutio confertur in expressam voluntatem Titii, sed potiùs in velatam

latam, sub conditione videlicet, quæ pendet ex facto ipsius. Nec obstabit si instes, in Titii potestate esse ascendere, vel non ascendere; ac proinde nihil interesse inter hanc conditionem, *Si in Capitolium ascenderit*; & illam, *Si voluerit*, Nam respondeo adhuc institutionem propriè non pendere ex voluntate Titii, sed potiùs ex facto involuntario ipsius; quia ut rectè explicant Costa *lib. 1. select. cap. 21. num. 5.* Donellus *dicto lib. 8. cap. 15.* conditio, *si voluerit*, non nisi sciente, & volente impleri potest; conditio verò ascendendi in Capitolium facto, & ab eo qui ignoravit conditionem, impleri potest; quippe talis conditio in casum collata censetur. Nec contrarium probatur *in l. 2. ff. de condit. & demonstr.* ubi apertè docetur, conditionem ascendendi in Capitolium adimpleri non posse nisi ab sciente, non verò ab eo, qui per accidens ascendit. Nam respondeo cum Sarmiento *dicto cap. 6 num. 31.* textum illum procedere quando conditio adjicitur ipsi hæredi instituto, vel legatario; nam tunc scienter, & deliberatè ab eis impleri debet: nos verò loquimur quando hæc conditio ponitur in personam tertii, quia tunc, cùm casualis sit, sufficit ut casu adimpleatur. Adhuc tamen suprà tradita doctrina, videlicet institutionem hæredis in extraneam voluntatem poni non posse, limitanda est, cùm non ipsa constitutio, sed electio hæredis ponitur, veluti cùm testator dicit, *Institutio hæredem unum ex consanguineis, quem Titius elegerit*: nam cùm institutio directò fiat à testatore, electio rectè tertio committi potest; siquidem eo non eligente, omnes consanguinei admittuntur, argumento legis *si quis 17. §. 1. l. cùm quidam 24. l. cùm pater 77. §. hæreditatem, ff. de legat. 2.* & faciunt textus *in l. utrum 7. §. cùm quidam, ff. de rebus dubiis, l. fideicommissoria 46. §. ult. ff. de fideicommiss. libert. l. id quod pauperibus 24. l. nulli, l. si quis 38. C. de Episcop. & cleric.* docent Covar. *hic*, Acosta *in dicto cap. si pater, verbo Pauperes, num. 6.* Castillo *lib. 2. controv. cap. 6. num. 23.* Deinde limitatur prædicta doctrina cùm non ipsa institutio, sed portionum distributio tertio committitur; quod dispositionis genus consistere, probatur *ex l. cùm filius 76. §. pater, ff. de legat. 2.* Item cùm in vim declarationis institutio in alterius voluntatem confertur, dum tamen à testatore hæres ore proprio nuncupetur, *l. hæredes 21. ff. hoc tit.* veluti si testator dicat, *Instituo hæredem, quem scripsi in quadam schedula, quæ est apud Titium*: nam licèt declaratio Titio committatur, tamen institutio directò fit à testatore, & ita sustinetur, argumento legis *quoties 9. §. si quis nomen, l. hoc 29. l. nemo 58. leg. asse 77. ff. de hæred. instit.* docuit Covar. *in præsenti, num. 7.*

§.
De legatis in voluntatem alienam relictis,

Quoad legata licèt Christophorus à Castellione relatus à Cumano *in l. 1. ff. ae legat. 2. num. 5.* & Alciatus *ibi, num. 6.* existimaverint, ea relinqui posse in meram tertii voluntatem, ex eadem lege 1. accipientes textum *in dicta l. illa 22.* in illis verbis: *Testamentorum jura*, pro hæredum institutionibus, quæ ad caput testamenti spectant, *l. 3. ff. de his quæ in testamento, §. ante hæredis, Instit. de legat.* tamen rectè eos refellit Acosta *lib. 1 select. cap. 21. num. 9.* qui inter legata & institutiones nullam in hac parte versari differentiam docuit; sed cùm aliena voluntas variè dici possit, videlicet vel legatarii, vel hæredis, vel alterius extranei, de his tribus singillatim agendum est. Et quod attinet ad primum, nemo est qui nesciat, legatum, vel fideicommissum in voluntatem legatarii relinqui posse, veluti, *Lego Titio centum, si ipse voluerit: l. si ita 65. §. 1. ff. de legat. 1. l. 66. ff. de condit. & demonst. l. 30. tit. 9. partit. 6.* Cujus rei illa ratio est, quod cùm in legatarii potestate sit agnoscere, aut repudiare legatum, nec invitus ad id accipiendum cogi possit, idcirco quod tacitè inest, etiam expressâ conditione relinqui potest; quæ conditionis expressio faciet legatum conditionale, non purum, *d. l. si ita 65. §. 1. d. l. si ita 69.* Nec obstat si quis dicat, hujusmodi legatum ex eo purum videri, quod illa conditio, *si solverit*, tacitè à jure inest, *l. invito, ff. de regul. juris*; tacita autem conditio à jure, licèt à testatore exprimatur, nihilo magis facit legatum conditionale, *l. 3. ff. de legat. 1. l. servo 47. in fine, l. conditiones 99. l. aliquando 107. vers. Item, ff. de condit. & demonstr. l. hæredes, vers. Tractari, l. si dies, vers. Si sub conditione, l. si Titio 22. vers. Quædam, ff. quando dies legati cedat.* Nam responderi solet, conditionem, *si voluerit*, aliter exprimi, quàm à jure inest; nam à jure non inest, ut legatarius velit: nam etiam ignoranti acquiritur, *l. cùm pater 77. §. surdo, l. legatum 80. ff. de legat. 2. l. si tibi 86. §. cùm servus, ff. de legat. 1. l. si partem 19 ff. quemadmodum servitutes*: cùm eo ipso, quod non repudiatur, retrò legatarii fuisse intelligatur, *l. servum 44. §. 1. ff. de legat. 1. l. 1. §. sed utrum, ff. si quid in fraudem patroni*; expressa verò conditio, *si voluerit*, supervacua non habetur, cùm eâ adjectâ fiat, ut ignoranti legatum non quæratur, nec consistat antequam legatarius constituat se velle, exemplo hæredis sui, cui si conditio, *Si voluerit*, in institutione adjiciatur, institutio conditionalis ex eadem ratione fit, *l. jam dubitari 86. vers. Non absre, ff. de hæredib. instit.* licèt aliud sit in hærede extraneo, ex regula dictæ legis 3. *ff. de legat. 1.* atque ita docent Accursius *in d. l. aliquando, verbo Adierit*, Bartolus *in d. l. 3. num. 3.* ubi Jason *num. 3. & 8.* Alciatus *num. 8.* Cujacius *ad finem.* Donellus *lib. 8. comment. cap. 15. in princ. & c. 32. vers. Sæpe numero.* Sanchez *lib. 5. de matrim. disput. 1. num. 7.* Sed hæc interpretatio, licèt vulgò recepta, nec tuta satis, nec firma est, quamvis utcunque defendi posse, defendat Duarenus; nam convinci videtur, primò *ex d. l. si ita 65. §. 1. vers. Aliud*, in qua ostenditur, conditionem, *Si volet*, tacitè in legato contineri, alioquin si non inesset, non rectè posset legatarius illud repudiare. Deinde, nam si conditio, *Si volet*, tacitè non inesset ex eo, quod ignoranti quæritur legatum, utique hæc ratio vim suam haberet in legato damnationis: atqui quod ignoranti legatum quæratur, & quod rectâ viâ transeat, non nisi in legato vindicationis locum habet, *d. l. legatum 80.* cum suprà adductis: ergo aut fateri debent textum *in dicta l. si ita 65. §. 1.* in legato tantùm vindicationis accipiendum, quæ nimia restrictio est; aut dare debent rationem, quâ usi sunt, non satis esse adæquatam, cùm omnibus legatis non conveniat. Quare omissâ aliâ solutione Ripæ *in dicta l. 3. num. 35.* cui subscribunt Duarenus *ibi*, & Menochius *lib. 4. præsump. 201. num. 57.* quæ non ad rem institutam, sed ad jus transmissionis accommodatur, multò planiùs dici posse existimo,

conditionem

conditionem *si volet*, in legato expressam, amplius scontinere, quàm tacitam; nam tacita eam habet sententiam, *si voluerit*; expressa, si declaraverit se velle habere legatum; atque ita quod amplius habet, quàm antea non habebat, est declaratio voluntatis, quæ sola efficit legatum conditionale; atque ita alio modo exprimit, & alio modo inest; quod forsan veteres, & noviores hujus sententiæ auctores explicare voluere; sed vel verbis defecti, vel verbis redundantes suam sententiam non explicuerunt.

6. *Delegato relicto in voluntate hæredis.*

Succedit secundus casus, cùm legatum relinquitur in meram voluntatem hæredis, quod inutiliter relinqui notum est, *l. Senatus* 43. §. *legatum, ff. de legat.* 1. *l fideicommissa* 11. § *quamquam, ff. de legat.* 3. *l. fideicommissaria* 46. §. *quod si ita, ff. de fideicommiss. libert.* non ex ratione textus *in dicta l. illa institutio*; sed ex alia potiori, videlicet quia in voluntatem debitoris poni non potest, an obligetur, vel non, *l. sub hac* 80. *ff. de obl. & act. l. stipulatio* 17. *l. à Titio* 108. §. *ultimo, ff. de verb. oblig. l. hæc venditio* 7. *in principio, ff. de contrahend. empt. l. in vendentis* 23. *C. eodem, l.* 2. §. *Scævola, ff. de eo quod certo loco.* Sed licèt legati substantia, ipsumque præstare, vel non, in voluntatem hæredis poni non possit; tamen ejus accidentia, ut electio rei, *l. si quis à filio* 32. §. *si quis plures, ff. dr legat.* 1. vel personæ, *l. si quis servum* 8. §. *si inter duos, ff. de legat.* 2. *l. utrum* 7. §. *cùm quidam, ff. de rebus dubiis*, & tempus debendi, *l centesimus* 46. §. *penult. ff. de verb. oblig.* in hæredis arbitrio relinqui possunt. Quo modo accipiendus est textus *in l. uxorem* 41. §. *Scævolæ, ff. de legat.* 3. in cujus specie non legari substantia, sed accidens, videlicet tempus debendi, positum fuit, ut exponit ibi D. Josephus de Retes *lib.* 4. *opuscul.* Nec contrarium probat textus *in l. quodcunque* 45. §. *ultimo, ff. de verb. oblig.* ubi docetur, nullam versari differentiam inter stipulationem conceptam *Si voluero*; vel, *Cum voluero*; & utramque conceptionem pariter conditionem continere probat lex *si Titio* 22. *ff. quando dies legati.* Nam respondeo, illud procedere quoad inducendam conditionem, ita ut sensus sit, quod sicut stipulatio conditionalis est concepta sub illa formula, *Si volueris*; ita etiam si concipiatur sub illa, *Cùm volueris*. Cæterùm cùm agitur de imponenda obligatione in personam hæredis, aut promissoris, multùm interest; nam in conditione, *Si volueris*, tota dispositio pendet ex voluntate ipsius, cui imponitur; in conditione verò, *Cùm volueris*, sola temporis adjectio ex ipsius voluntate pendet: unde consequens huic doctrinæ est, legatum relictum, *cùm voluerit hæres*, intercidere, si legatarius decedat antequam hæres constituat se velle, nec ad legatarii hæredes transmitti, quasi in diem incertum relictum, *ex l. dies incertus, l. hæres* 79. *in principio, ff. de condit. & demonstr. l.* 4. *ff. quando dies legati*: ex diverso si ipse hæres decedat antequam præstare se velle dicat, tunc ejus hæres legatum solvere cogitur, *dicta l. fideicommissa* 11. §. *hoc autem, dicta l. uxorem* 41. §. *Scævola, ff. de legat.* 3. *l. servos* 20. *ff. de manumiss. testam.* quod favore ultimarum voluntarum receptum esse, notarunt Acosta *lib.* 2. *selectarum, cap. ult. num.* 8. Menochius *lib.* 4. *præsumpt. cap.* 90. & *in l. ult. ff. qui sine manumissione*, docetur, quod si servus venditus sit, ut manumittatur cùm emptor voluerit, moriente emptore libertas servo competit. Nec huic doctrinæ obstat textus *in l. centesimis* 46. §. *ultimo, ff. de verb. oblig.* ubi Paulus scribit, hanc stipulationem, cum promissor voluerit, ita inutilem esse, si antequam ipse constituat se velle, decedat; nam omissis solutionibus traditis à Bartolo *ibi*, Jasone *numero* 11. Acosta *dicto cap. ultimo*, Roberto *libro* 2 *recept. cap.* 12. Hothomano *libro* 1. *observ. cap.* 8. Sarmiento *lib.* 2. *selectarum, cap.* 6. *num.* 24. dicendum est, textum illum procedere in contractu stricti juris; in quo propter verborum rigorem ita demùm videtur promissor obligari; si vivus declaret se velle; quod secus est in contractu oneroso, de quo *in dicta l. ultima*; cùm credatur eam fuisse contrahentium intentionem, ut emptor omnino libertatem servo præstaret, tantumque tempus præstationis illius arbitrio relictum esse: unde dum velle potest, expectatur; ubi verò mors intercedit, quia cessat voluntas, in ultimo vitæ spiritu incipit libertas competere: etiam etsi in meram, & apertam hæredis voluntatem legatum relinqui non possit, tamen in obliquam, & ejus arbitrium relinqui valet, quia non de libero hæredis arbitrio; sed de arbitrio boni viri sensisse testatorem creditur, quo modo aliqui accipiunt textus *in l. si sic* 75. §. *ultimo, vers. Proinde, ff. de legat.* 2. *l. Lucius* 14. *ff. de fideicommiss. libert.* Sed de his infrà agemus.

7. *Exponitur l. fideicommissaria 46. ff. de fideicommiss. libert.*

His tamen valdè refragatur textus *in l. fideicommissaria* 46. *ff. de fideicommiss. libert.* ubi apertè docetur, valere libertatem servo relictam, si hæres voluerit, cùm contrarium dicendum esset juxta suprà tradita, & ibi Ulpianus ipse agnovit *in vers. Quod sit.* Quare aliqui docuerunt, Ulpianum se ipsum correxisse, & quod in principio proposuerat, in sequenti versiculo mutasse. Nec dissimilis omnino est interpretatio Connani, qui *libro* 10. *comment. cap.* 6. interrogativè legit textum illum usque ad versiculum, *quod si ita.* Sed his omissis sententiis, Cumanus *in l. illa* 32. *numero* 12. *ff. de hæred. instit.* cui suscribit Costa *lib.* 1. *selectarum, cap.* 22. *num.* 1. existimat textum *in dicta l. fideicommissaria* 46 *in principio*, accipiendum esse de fideicommissaria libertate, quam Ulpianus affirmat valere sub conditione si hæres voluerit; versiculum autem, *quod sic*, accipiendum esse de libertate directa, ut indicant illa verba: *Stichum liberum esse volo*; & hanc inutilem esse sub conditione, *si voluerit.* Cujus differentiæ illam rationem affert Costa, quod in libertate fideicommissaria hæres jura patronatus consequitur, §. *qui autem, Instit. de singulis rebus.* Quâ de causâ facilè creditur, hæredem libertatem præstaturum: quæ ratio cessat in directa libertate. Quam Cumani interpretationem, etsi plerique impugnent, acriter defendit Acosta *ubi proximè*, distinguens inter libertatem valere, & libertatem deberi: atque ita existimat libertatem fideicommissariam sub conditione, *si hæres voluerit*, valere quidem, non tamen deberi, quousque hæres constituat se velle: quo casu incipiet deberi, impletâ scilicet conditione; & in hoc casu expli-

candum esse affirmat, quod Ulpianus *in dicta l. fideicommissaria* 46. *in principio*, ait, pendere ex nutu hæredis; directam verò libertatem, si hæres voluerit, non solùm non deberi interim dum hæres non constituit se velle; sed nec valere, etiamsi hæres se velle declaret, quasi ab initio hujusmodi legatum omnino inutile sit. Sed quamvis hæc Costæ sententia subtilis sit, everti tamen videtur ex traditis à Sarmiento *dicto lib. 2. selectarum, cap. 6. num. 15.* quare alii asseruerunt, Ulpiani sententiam *in dicta l fideicommissaria* 46. *in princip.* cum duobus versiculis sequentibus, non aliam esse, quàm affirmare, valere libertatem collatam in voluntatem hæredis, legatarii, vel tertii, si modò voluntas in vim conditionis accipiatur, quasi ille versiculus, *quia conditio*, ad omnes tres casus præcedentes referatur: quod verò subjicit in versiculo, *quod si ita*, sic accipiendum est, ut si non in vim conditionis hæredis voluntas accipiatur, sed in plenum ejus arbitrium conferatur, tunc etiam libertas inutilis sit. Nec obstabit si objicias, legatum in hæredis arbitrium etiam in vim conditionis collatum non consistere, *ex dicta l.* 43. §. *legatum.* Quia responderi potest, id locum non habere jure singulari in libertate fideicommissaria, de qua in principio ipsius textus, quod innuere videtur Ulpianus in illis verbis: *Quamvis nihil aliud*, &c. & evincitur ex ratione legis *sub hac 7. ff. de oblig. & act.* quæ ratio cessat in libertate fideicommissaria; cùm enim libertas pietatis causâ relicta sit, facilè intelligi potest, hæredem præstare velle, argumento legis *cum is* 32. §. *mulier*, *ff. de condict. indeb.* Item ex alia ratione, de qua Acosta *ubi suprà.* Aliter Accursius in eodem textu, verbo, *quod si ita*, respondet, dum ait in initio illius textus tantùm proponi libertatem dari posse ita, *Hæres si voluerit, fidei tuæ committo, ut Stichum manumittas.* Sed non affirmari libertatem ita datam valere, usque ad versiculum, *quod si ita*, ubi Ulpianus expressè respondet, libertatem ita relictam non valere. Hæc tamen Accursii expositio sustineri non potest: tum quia divinatoria est; tum etiam, quia si libertas inutiliter datur per illam formulam, *si hæres voluerit*, consonum non erit affirmare in principio ipsius legis posse de eo dubitari. Sed his solutionibus omissis pro hujus textus expositione, & aliorum, in quibus de fideicommissis agitur, existimabam, quod licèt legata ex nutu & mera voluntate hæredis pendere non possint, nec in ejus voluntatem relinqui, tamen fideicommissa eo modo relicta, ut ex nutu mero hæredis pendeant, valere ex eo, quia in fideicommissis non militat ratio suprà adducta, nec deducta *ex dicta l. illa institutio*; imò potiùs juxta primævam naturam ipsorum, solutio eorum pendet ex nutu & voluntate hæredis, *princip. Instit. de fideicommiss. haredit.* Et licèt Imperator Augustus imposuerit necessitatem hæredibus solvendi ea, ut in eodem textu refertur, atque ita exæquata fuerint legatis, *l. 1. ff. de legat. 1.* tamen testator expressè ea relinquendo in meram voluntatem hæredis, fideicommissa reponit in pristinam naturam, nec eorum substantiæ aliquid contrarium disponit; tantùm enim remittit necessitatem ab Imperatore Augusto impositam; nec contra ipsius Imperatoris constitutionem disponit, sed ejus beneficio non utitur, apponendo conditionem, *si hæres velit.* Quare cùm naturæ fideicommissi non repugnet, immò consonum sit, ut ex nutu, & voluntate hæredis pendeat, ideò licèt legatum in voluntatem meram hæredis poni non possit, fideicommissum tamen ita relinqui valet, ut ex ejus nutu pendeat, ut *in dicta l. fideicommissaria* 46. in cujus principio ait Ulpianus: *Fideicommissaria libertas ita potest dari: Hæres si voluerit, fidei tuæ committo, ut Stichum manumittas, quamvis nihil aliud testamento potest valere ex nutu hæredis.* Ubi notanda sunt illa verba. *Ex nutu hæredis*, quæ propriam, & antiquam fideicommissorum conditionem redolent; & tunc rectè ait Consultus, ultra fideicommissa nihil aliud ex nutu hæredis pendere posse. Prosequitur Ulpianus *in* §. 1. & ait: *Planè & si ita, Si Stichus voluerit, potest ei libertas inscribi.* In quo §. agit de voluntate ipsius manumittentis; nam sicut filius invitus non emancipatur, *l. penult. C. de emancipat. liber.* Paulus *lib. 2. sentent. titul.* 25. ita nec servus invitus manumittitur. Quare legimus aliquos servos repudiasse libertatem sibi relictam, quorum exempla referunt P. Faber *in regula Invito, ff. de regul. juris*, Fornerius *lib. 4. rerum quotid. cap. 3. per totum*; & ita sicut legatum relinqui potest, si legatarius voluerit, ita & libertas, si Stichus velit. In §. 2. ait Ulpianus: *Sed si ita scriptum sit: Si Sejus voluerit, Stichum liberum esse volo, mihi videtur posse dici, valere libertatem, quia conditio potius est, quemadmodum si mihi legatum esset, si Titius in Capitolium ascenderit.* In quibus §§. mutat speciem, non solùm cùm libertas in tertii voluntatem relicta est, sed etiam incipit agere de libertate directò relicta, ibi: *Liberum esse volo.* Et licèt in eo casu videbatur dicendum, libertatem non valere, quia erat relicta in meram tertii voluntatem, ut de aliis legatis statim dicemus; tamen contrarium docet Ulpianus, quia favor libertatis hoc evincit, ut quemadmodum legatum relictum sub conditione, *Si Titius in Capitolium ascenderit*, valet, quia creditur illum ascensurum in Capitolium pietatis causâ, seu sacrificandi gratiâ, & ita legatum valiturum ipso ascendente in Capitolium; ita præsumitur favore libertatis Titium, in cujus voluntatem illa relicta est, optaturum potiùs ut servus ad libertatem perveniat, quàm ut sub duræ servitutis jugo permaneat. Et licèt in aliis actibus conditio illa non aliter adimpleri possit, quàm si Titius sciens animo implendi impositam conditionem declaret, ideoque vitietur dispositio, *dicta l. si ita* 65. § *illi si volet*, *ff. de legat. 1.* tamen ne libertates pereant jure singulari receptum est, ut in illa conditione, si Titius voluerit, voluntas Titii non consideretur ut causa efficiens dispositionis, sed ut quælibet alia conditio casualis, similis illi, si Titius in Capitolium ascenderit. Et quemadmodum illa impletur, sive sciens, sive ignorans Titius Capitolium ascendat; ita quoque & illa, *Si voluerit*, adimpletur, quomodocunque constet, Titium voluisse, sive sciat, sive ignoret conditionem. Quâ expositione admissâ facilè eo casu sustinetur libertas, cùm tunc dispositio

tio ex sola voluntate testatoris perficiatur, & conditio effectum tantùm dispositionis, sicut cæteræ conditiones, suspendat. Tandem *in* §. 3. retentâ eadem specie libertatis directæ, ait Ulpianus, quod si ita scriptum sit: *Si hæres voluerit*, non valebit, libertas videlicet directa, quia in voluntatem hæredis legatum, aut libertas directò poni non potest, ex ratione suprà expensa. Nec obstabit si dicas, etiam ob favorem libertatis eandem interpretationem hujus conditionis, *si velit*, admitti debere, sive apponatur in persona hæredis, sive in persona tertii: sed in persona tertii non vitiat libertatem, imò interpretatur, ita ut valeat: ergo & in persona hæredis. Nam respondeo, quod licèt illa interpretatio admittatur favore libertatis, quando confertur in libertatem tertii, non obstante regulâ dictæ legis illa institutio; non tamen admittitur quando confertur in voluntatem hæredis, quia eo casu non solum obstat dispositio dictæ legis *illa institutio*; sed altera, quæ non minorem vim habet, nempe quod non potest in voluntate debitoris esse, an debeat, *dicta l. utrum*, §. *cùm quidam*. *de rebus dubiis*: contra quam regulam impossibile erat, quod legatum valeret, & sic licèt in tertii voluntatem tacitam, & velatam conferri legatum possit, in voluntatem tamen hæredis inutiliter confertur: unde cùm libertatis fideicommissariæ naturæ contrarium non sit, ut pendeat ex nutu hæredis, ideò fideicommissaria libertas ita relicta, *Si hæres voluerit*, valet; directa verò non valet.

8. Explicatur l. Lucius 14. ff. de fideicommiss. libert.

Qua distinctione admissâ inter legata, & fideicommissa, exponendus est textus *in l. Lucius* 14. *ff. de fideicommiss. libert.* ubi libertas per fideicommissum relicta fuit sub ea conditione, si hæredi placeret. Et docet Modestinus, libertatem valere. Cujus textus difficultatem ut DD. communiter dissolvant, affirmant, textum illum esse accipiendum non de libero hæredis arbitrio, sed de arbitrio hæredis, quasi boni viri; quo modo legata in hæredis arbitrium relinqui possunt, *l. si sic* 75. *in principio*, *ff. de legat.* 1. *l. fideicommissa* 11. §. *quamquam*, *ff. de legat.* 3. idque significare docent verbum, *Placet*, quo utitur Modestinus, ut notarunt *ibi* Bartolus, Albericus, & Gothofredus. Sed hæc interpretatio præterquam aliena est à verbo *Placet*, quod simplicem & absolutam voluntatem exigit, non regulatam juxta boni viri arbitrium, apertè convincitur *ex l. cùm proponas* 8. *C. de fideicommiss. libert.* ubi docetur in eadem specie servum libertatem non consequi refragante uxore hærede instituta, cùm libertas relicta esset, si uxori placuisset. Et licèt ut hanc difficultatem effugiant Accursius, & alii, quos laudat, & sequitur Caldas *de nominatione*, 1. *p. quæst.* 5. *num.* 18. exaudiendum esse dicant textum illum adjectâ particulâ *maximè*, vel cùm uxor justam contradicendi causam habuit, *ex l. servos* 20. *ff. de manumiss. testament. l. cùm pater* 77. §. *rogo*, *ff. de legat.* 2. hoc tamen quàm alienum sit ab ejus textus littera, facilè quilibet agnoscet. Unde existimabam ex prædicta differentia legatorum, & fideicommissorum explicandum esse textum *in dicta l. Lucius* 14. nam cùm loquatur de fideicommissaria libertate, potuit relinqui in voluntatem hæredis, & ex ejus nutu pendere, juxta naturam fideicommissorum, & ita eo renuente libertatem non competere, *ex dicta l. cùm proponas*.

9. Exponitur 1 fideicommissa 11. §. fideicommissum, de leg. 3.

Ex suprà traditis exponendus etiam textus est *in l. fideicommissa* 11. §. *sic fideicommissum*, *ff. de legat.* 3. qui valde difficilis est ex eo, quod verba illa, *Nisi hæres meus noluerit*, in effectu significant, si hæres voluerit; nam cùm prædicta formula habeat in se duplicem negationem, unam inclusam in dictione *nisi*, & alteram in verbo *noluerit*, affirmativæ æquipollet, *l. duobus* 237. *ff. de verb. signif. l. quibus* 40. §. *quidam*, *ff. de condit. & demonstr.* Costa *lib.* 1. *selectarum*, *capite* 24. Unde textus ille probat, in voluntatem hæredis legatum conferri posse, contra hucusque tradita. Cujus textus interpretatio ea communis est, quod in ejus specie conditio non fuit adjecta substantiæ legati, sed resolutioni; nam legatum purum est, ademptio verò conditionalis, posita in voluntatem hæredis: ita Bartolus *in l.* 1. *de legat.* 2. *oppos.* 3. asserens legatum poni posse in voluntate hæredis extinctiva, non verò substantiva, quem sequuntur *in dicta l.* 1. Baldus *num.* 4. Alciatus *numero* 9. Peralta *numero* 57. Panormitanus *in præsenti*, *num.* 9. Covarruvias *numero* 10. Sed refellitur interpretatio hæc ex eo, quod sicut præstatio legati non potest pendere ex voluntate hæredis, *dicta l. Senatus*, §. *legatum*, *de legat.* 1. ita nec ipsius ademptio, *l. legata* 14. §. *quibus*, *ff. de adimend. legat.* docent Jason *num.* 2. Baldus *num.* 11. *in l. captatorias*, *C. de testament. milit.* Deinde quia etsi contractus, qui sub conditione resolvuntur, puri censeantur, *l.* 2. *ff. de in diem adject.* tamen legata, quæ sub conditione adimuntur, sub contraria conditione data intelliguntur, *dicta l. legata*, *vers. Nam purè*, *l. si legatum* 10. *ff. de adimend. legat. dicta l. quibus* 40. §. *quidam*: unde legatum ademptum sub conditione si hæres noluerit, censetur datum sub contraria, si voluerit, & per consequens valere non debet. Omissâ ergo hac solutione veriùs dicendum est, textum illum non loqui de legatis, ut voluit Cujacius; sed potiùs de fideicommisso, ut constat ex illis verbis: *Sic fideicommissum*; & ibi: *Quasi conditionale fideicommissum est*. Cùm ergo juxta suprà tradita fideicommissum in voluntatem hæredis poni possit, & ex ejus nutu pendere, rectè Ulpianus docuit, valere fideicommissum ita relictum, *Nisi hæres meus noluerit*. Nec obstabit si instes ex eadem lege, *in* §. *quamquam*, ubi Ulpianus docere videtur, fideicommissum in voluntatem hæredis conferri non posse; nam si rectè verba illius textus expendantur, non affirmant fideicommissum in voluntatem hæredis collatum non valere, sed potiùs non deberi, ut constat ex illis verbis: *Quamquam autem fideicommissum ita relictum non debeatur*, *si voluerit*, *&c.* Quibus signanter usus fuit Ulpianus; quia licèt tale fideicommissum valeat, cùm tamen ex nutu hæredis pendeat, *dicta l. fideicommissaria* 46. non potest dici deberi, & quod ab hærede possit extorqueri. Illustrant textum illum Robertus *lib.* 2. *sentent. cap.* 10. Menchaca *de succes. progress.* §. 27. *num.* 26. Padilla *in l.* 1. *de legat.* 2. *num.* 51. Petrus Faber

ber *in l. in personam* 22. §. 1. *ff. de reg. juris*, Osvaldus *lib.* 8. *Donelli*, *cap.* 15. *littera K.* Potest etiam non insubtiliter textus *in dicto* §. *sic fideicommissum*, explicari, si observemus quod regulariter dictio, *nisi*, est exceptiva, ponens contrarium præcedentium, *l.* 2. §. *finali*, *ff. de custodia reorum*: unde verba illa, *nisi hæres meus noluerit*, non æquipollent illi conditioni, *si hæres meus voluerit*; quia illa conditio, *nisi*, indicat negativam *non*, & affirmativam *sic*; quæ affirmativa dictio conditionem exprimit pro oratione sequenti; negativa verò respicit, & determinat præcedentem orationem: & ita cùm illæ duæ negationes extent supra diversa, & determinent diversa, non producunt affirmativam, *l.* 2. *ff. de in jus vocando*, *l. si vero*, §. *de viro*, *ff. solut. matrim.* Æquipollet ergo tantùm illi conditioni, *si hæres meus non contradixerit*; vel, *nisi hæres meus declaraverit se nolle*; ac per consequens valet, quia quod dicimus, legatum poni non posse in hæredis voluntatem, eo casu procedit, quo legatarius nullo modo potest consequi legatum, nisi hærede volente, & voluntatem suam exprimere, *dicta l. Senatus*, §. *legatum*: at in specie dicti §. *sic fideicommissum*, legatarius potest consequi legatum nulla præcedente voluntate hæredis; non enim ejus voluntas desideratur, ut legatum valeat, sed ejus contradictio, ut non subsistat; unde si hæres simul ac adierit hæreditatem, furere incipiat, & in furore decesserit, fideicommissum omninò debetur; quia nolle non potuit, ut *in l.* 2. §. *finali*, *ff solut. matrim.* Rursus si hæres decedat nullâ factâ contradictione, quia non appareret de contraria voluntate, legatarius consequitur legatum, ut *ex l. quam* 7. *in princip. ff. de peculio*, deducunt Costa *lib.* 1. *select. cap.* 24. Sarmient. *lib.* 2. *select. cap.* 6. *num.* 20. Adjecit insuper Ulpianus *in dicto* §. *sic fideicommissum*; quasi conditionale fideicommissum esse, quia secundùm verba non est conditionale, intrinsecus tamen redditur conditionale ex hæredis contradictione. Difficilior tamen est mens ejusdem Ulpiani in illis verbis: *Et primam voluntatem exigit*; ut notavit Cumanus *ibi.* Omissis tamen his, quæ vulgò circumferuntur, observo, quod licèt hæc conditio, quæ quodammodo est negativa, debeat habere tractum successivum usque ad mortem hæredis, *l. quicquid* 99. §. *final. ff. de verb. oblig.* intrinsecus tamen, inspectâ convertibili, seu æquipollenti, est affirmativa conditio, consistens in potestate hæredis, atque ita adimplenda est protinus, ubi aditâ hæreditate interpelletur per legatarium, argumento legis 1. §. *item* 8. *ff. ad legem Falcidiam*; juncta lege *si penum* 24. *ff. quando dies legati*; & ideò talis conditio exigit, & desiderat necessariò primam voluntatem, quia protinus ubi dicit se nolle, non potest ampliùs velle, *l. apud* 20. *ff. de optione legat.* vel si interpellatus nolit dicere se velle, aut nolle, habebitur pro volente, ex ratione, aut regula legis *jure civili* 24. *ff. de condit. & demonstr.*

10. *De legato in voluntatem tertii relicto.*

Succedit ultimus casus, cùm testatoris dispositio in extranei voluntatem confertur. Et quidem in expressam votuntatem conferri non posse, probatur expresè *in dicta l. illa institutio*, & aliis suprà adductis: illustrant Cujacius *in l. Senatus* 43. §. *legatum*, *ff. de legat.* 1. Donellus *lib.* 8. *comment. cap.* 15. Rodericus Suarez *de captatoria voluntate*, *num.* 1. Fachineus *lib.* 1. *controvers. cap.* 58. Duarenus *ad tit. de hæred. instit. cap* 3. *vers.* 6. Sarmient. *lib.* 2. *selectarum*, *cap.* 6. Corrasius *lib.* 5. *Miscel. cap.* 13. Costa *lib.* 1. *select. cap* 21. Carpio *de execut. lib.* 2. *per totum.* Vinius *lib.* 2. *select. cap.* 25. in velatam verò relinqui posse, ut si Titius in Capitolium ascenderit; quia eo ascendente purificatur conditio, & ignorans, aut renuens potest ascendere. Sed tunc obstat difficilis, licèt vulgò notus, Ulpiani locus *in l.* 1. *ff. de legat.* 2. in illis verbis: *In arbitrium alterius conferri legatum veluti conditio potest; quid enim interest, si Titius in Capitolium ascenderit, mihi legetur, an si voluerit.* Ex quibus deducitur, posse legatum in alterius voluntatem absolutè conferri: igitur quia ultima dispositio in extranei arbitrium poni potest. Cui difficultati variè occurrunt Donellus *dicto cap.* 15. & *in l.* 43. *ff. de verb. oblig.* Connanus *lib.* 10. *comment. cap.* 16. *num.* 3. Cujacius *lib.* 2. *observ. cap.* 2. Robertus *lib.* 2. *sentent. cap.* 11. Charondas *lib.* 1. *verosimil. cap.* 21. P. Faber *in l.* 22. *ff. de R. I.* Et communis sententia est, ut arbitrium à mera voluntate distinguatur; nam legatum relictum, si Titius voluerit, non valet, quia in meram Titii voluntatem confertur, *dicta l. illa* 32. *l. si quis Sempronius* 68. *ff. de hæred. instit. l. utrum* 7. §. *cùm quidam*, *ff. de rebus dubiis*, *l. nonnunquam* 52. *ff. de condit. & demonstr.* relictum autem sub ea conditione, si Titius arbitratus fuerit, consistit, quia non in meram voluntatem, sed in arbitrium confertur, *l. si sic legatum* 75. *in princip. ff. de legat* 1. *l. fideicommissa* 11. §. *quamquam*, *de legat.* 3. cujus distinctionis ratio ex eo proficiscitur, quod quando legatum ponitur in mera Titii voluntate, omnino pendet ab ejus dispositione; nam & si injustè dixerit, se nolle legatum præstari, ejus voluntati standum est, potestque iniquum æquo præferre, *l. cùm quidam* 24. *ff. de legat.* 2. Cæterùm cùm ponitur legatum in arbitrio tertii, non tam pendet ab ejus voluntate, quàm ab arbitrio boni viri, & ad idem recurritur, si malè, & injustè fuerit arbitratus; idque expresè Ulpianus docet *in dicto* §. *quamquam*, ibi: *Non enim plenè arbitrium voluntatis hæredi dedit, sed quasi viro bono.* Et *in dicta l. si sic legatur*, ibi: *Quoniam quasi viro potius bono, ei commissum est, non in meram voluntatem hæredis collatum.* Agnovit Alfonsus noster *in l.* 29. *tit.* 9. *partit.* 6. ibi: *Si entendiere mi heredero, ò en albedrio de mi heredero, vale la manda que assi fue dexada.* Et tibi: *Mas si el testador dixesse, mando à Fulano de mil maravedis, si quisiesse tal home, no valdria tal manda, porque es fecha à uno, è es puesta sennaladamente en albedrio de otro*: ubi Gregorius, & Covarruvias *in præsenti*, Donellus *dicto lib.* 8. *cap.* 15. ubi Osvaldus *littera F.* arbitrari enim in hac parte non est velle, sed re perpensâ à viro bono dicere, quid sit æquum, & voluntati testatoris magis consonum. Donellus *dicto cap.* 15. Cujacius *l.* 2. *observ. cap.* 2. Sed hæc distinctio licèt vera sit, non tamen convenit Ulpiano *in dicta l.* 1. siquidem de legato non in arbitrio, sed in voluntatem relicto loquitur, ut colligitur ex verficulo, *quid enim*; ubi Ulpianus rationem illius generalis sententiæ, quod in arbitrium alterius conferri potest, confirmat exemplis,

quæ

quæ ad meram voluntatem pertinent; nam hæ conditiones, *si in Capitolium ascenderit*, & *si voluerit*, non dependent ab arbitrio boni viri, sed à mera, & simplici voluntate, *dicta l. cùm quidam. dicta l. si quis Sempronium.* Nec obstat verbum illud, *arbitrium*; nam licèt mentio arbitrii à testatore facta pro boni viri arbitrio accipiatur, *dicta l. si sic legatum*, *dicto* §. *quamquam*; tamen Jurisconsulti eo verbo utuntur in suis responsis pro nuda & simplici voluntate, *dicta l. illa* 32. *dicta l. utrum* 7. §. *cùm quidam.* Quare hac omissâ sententiâ, & aliâ Rogerii, quam sequuntur Donellus *dicto lib.* 8. *cap.* 15. ubi Osvaldus *littera P.* dicendum est, Ulpianum *in dicta l.* 1. docere voluisse, in meram volantatem tertii legatum conferri per modum conditionis quandoque posse, quod evenit in conditione, *Si Titius in Capitolium ascenderit*, quæ licèt pendeat à mera Titii voluntate, non tamen vitiat legatum, *dicta l. si quis Sempronium, d. l. nonnunquam*; & ut ostenderet, talem conditionem in meram voluntatem conferri, subjicit, nihil interesse inter illam conditionem, & hanc, *Si Titius voluerit*, quoad voluntatem scilicet; quia utroque casu in voluntatem Titii legatum positum videtur; unde deducitur, mentem Ulpiani fuisse æquiparare solùm has conditiones quoad legandi modum, non quoad validitatem; nam quoad hoc constat diversas esse, *dicta l. si quis Sempronium, dicta l. si sic*, *dicta l. nonnunquam.* Præsenserunt *in dicta l.* 1. Cumanus, & Socinus; ex qua doctrina illud deducitur, quod licèt communis distinctio inter arbitrium, & meram voluntatem vera sit, tamen non convenit decisioni textus *in dicta l.* 1.

II. Exponitur l. Senatus, Legatum, ff. de legat. 1.

Adhuc suprà traditis obstat textus *in l. Senatus* 43. §. *legatum*, *ff. de legat.* 1. in illis verbis: *Legatum in alienam voluntatem poni potest, in hæredis non potest.* In quibus apertè docetur, testatoris dispositionem in extranei voluntatem conferri posse. Decius *in l. captatorias*, *num.* 9. *C. de testam. milit.* verba illa interpretatur ita, id est in alieno arbitrio boni viri, juxta proximè adducta. Sed hæc interpretatio non potest admitti: tum quia non convenit verbis illis, *in aliena voluntate*: tum etiam ex illis, *in hæredis non potest*, quæ non procederent si priora de boni viri arbitrio intelligerentur, cùm in arbitrium etiam hæredis, quasi boni viri, legatum conferri possit. Cæterùm si sic legatum, vel fideicommissum sit relictum, si æstimaverit hæres, si comprobaverit, si justum putaverit, legatum subsistit; quoniam quasi viro potiùs bono commissum est. Alii docuerunt, textum *in dicto* §. *legatum*, intelligendum esse de aliena voluntate tacita, velata, & conditionali, in quam conferri legatum potest, veluti si Titius voluerit. Ita senserunt Connanus *lib.* 10. *comment. cap.* 6. *num.* 3. Zasius *in dicto* §. *legatum*, Covar. *in præsenti*, *num.* 8. Sed hæc interpretatio difficilis etiam redditur ex eo, quod si prior pars dicti §. *legatum*, accipiatur de legato relicto in extranei voluntatem tacitam, & velatam, falsa redditur secunda pars, ubi docetur, in voluntatem hæredis legatum conferri non posse, cùm potiùs in hæredis voluntatem tacitam, & velatam utiliter conferatur, *l.* 3. *ff. de legat* 2. probat Robertus *lib.* 2. *sentent. cap.* 10. Quare his omissis sententiis, & aliis traditis à Genoa *in conciliat. legum*, *fol.* 376. dicendum est cum Accursio *ibi*, verba illa, *aliena voluntate*, exaudienda esse de legatario, qui alienus dicitur respectu hæredis, argumento textus *in l.* 1. ubi Glossa *verbo Extraneo*, *ff. de Carbon. edict.* unde cùm legatum validè relinquatur in voluntatem legatarii apertam, rectè in eo textus docetur, in ejus voluntatem legatum poni posse, in hæredis non posse. Etiam juxta suprà traditas distinctiones exponendi sunt textus *in l. penult.* §. *si patroni*, *ff. de bonis libert. l. si qui* 13. *ff. de acquir. hæredit. l. tutor* 20. *ff. de testam. tut. l. Theopompus* 14. *ff. de dote præleg.* junctis Osvaldo *lib.* 25. *Donelli*, *cap.* 5. *littera B.* Amaya *in l.* 2. *C. de iure fisci*, *l. si Pamphilo* 10. *l. filium* 21. *ff. de option. legat.* cum Larreategui *lib.* 5. *selectarum*, *cap.* 3. *l.* 5. *ff. de aliment. legat. l cùm tale* 72. § *si Titio*, *l. pater* 101. *ff. de condit. & demonst. l. rogo*, *l. si uxori*, *ff. quando dies legat. l. Thais*, §. 1. *ff. de fideicomm. ff. libert. l. servos* 20. *ff. de manumiss. testam.* juncto Cujacio *ibi*, *tract.* 1. *ad Afric. l. finali*, *C. commun. præd.*

Ex hucusque ita diffusè traditis apparet difficultas præsentis textus, dum in eo Innocentius III. ait, eum qui extremam voluntatem suam in alterius dispositionem commisit, non videri decedere intestatum. Cujus decisionis difficultatem variè explicant repetentes hîc, & alii laudati à Cenedo *collect.* 67. *ad Decretales*. Tiraquel. *privil.* 64 *piæ causæ*, Petro Gregorio *lib.* 42. *syntagmatum*, *cap.* 2. *num.* 4. Castillo *lib.* 2. *controv. cap.* 6. Fachineo *lib.* 5. *controv. cap.* 57. Sarmient. *lib.* 2. *select. cap.* 6. *num.* 33. Peregrino *de fideicommiss. artic.* 33. *à num.* 66. Fabro *de error. decad.* 51. *errore* 4. & 5. Ægidio *in l.* 1. *p.* 6. §. 1. *à num.* 1. *C. de sacrosc. Eccles.* P. Bajo-Arroyo *in repetit. ad hunc textum*: & Antonius Augustinus adeò gravem eam agnovit, ut aliis explicandam reliquerit *lib.* 4. *emend. cap.* 5. Sed ut ab antiquioribus incipiamus, Glossa *hic*, *verbo Dispositionem*, existimat benignè contra juris civilis regulas procedere præsentem decisionem, ut *in cap. cum esses*, *hoc tit.* Innocentius verò, cui ferè omnes antiquiores hîc subscribunt, teste Covarruvia *num.* 13. Peralta *in rubric. de hæred. instit. num.* 22. Mancino *genial. cap.* 110. existimat, ideò hîc testamentum valere, quia testator committendo voluntatem suam alienæ dispositioni, tacitè intelligitur eum hæredem instituisse, ut bona sua inter pauperes, vel in alios pios usus distribuat. Quæ interpretatio sustineri non potest, cùm omnino divinatoria sit. Aliam solutionem affert Sarmientus *dicto cap. 6. num.* 36. scilicet captatorias institutiones jure canonico permissas esse, & de his Innocentium in præsenti esse accipiendum. Sed hæc interpretatio in pluribus peccat. Primò quia verius est, dispositionem in alterius voluntatem collatam, captatoriam non dici, nec ad Senatusconsultum, quo captatoriæ voluntates improbantur, pertinere; nam captatoria dispositio illa dicitur, in qua quis alterius hæreditatem captat, sive aucupatur, veluti: *Titium hæredem instituam, si me hæredem instituerit*; ut *in l.* 1. *ff. de his quæ pro non scriptis.* Harmenopulus *lib.* 5. *promptuarii*, *tit.* 8. quod & ipsa nominis origo; seu vocis significatio ostendit; nam captatoria dicitur à verbo captare, quod est aucupari, ut *in l.* 1. *ff. si quis aliquem testari*, ibi: *Qui dum captat hæreditatem*

12. Refertur prima hujus textus interpretatio.

legitimam. Et *in l. si majores, C. de transact.* § *manet, Instit. de societ.* explicant Antonius Augustinus *lib. 4. emend. cap. 15.* Alciatus *lib. 2. parerg. cap. 51.* Cujacius *ad titulum Instit. de societ.* & *lib. 16. observ. cap. 11.* Corrasius *lib. 5. Miscel. cap. 13.* Duarenus *ad tit. de hæred. instit. cap. 3. & 7.* Pratejus, Brissonius, & Calvinus *verbo Captatoria.* Guibertus Costanus *lib. 1. qq. juris, cap. 7.* Costa *lib. 1. selectarum, cap. 21. num. 7.* Sarmient. *lib. 2. select. cap. 4.* Donellus *lib. 6. comment. cap. 19.* Faber *de error decad 51. errore 4.* Pinellus *lib. 1. select. cap. 10* in qua juris parte observandi sunt textus *in l. 34. C. de transact. l. adeo 59. ff. pro socio, l. filius 114. §. ut hæredem, ff. de legat. 1. l. stipulatio 61. ff. de verb. oblig. l. licèt, C. de pactis, l. uxorem 41. §. ejus, ff. de legatis 3. l. ex facto 17. in princip.* & §. 3. *ff. ad Trebellianum, l. 3. § 3. ff. de aliment. legat. l. testamento 11.* & *l. 14. ff. de condit. instit. l. 19. ff. de injusto rupto. l. 11. §. 21. l. 41. §. etiam 8. l. 68. §. 1. ff. de hæred. instit.* & hujusmodi captatoriæ institutiones, nec in testamentis militum sustinentur, *dicta l. captatorias 11. C. de testam. milit.* nam licèt in eis juris civilis solennitates remittantur, *l. 1. ff. de testam. milit.* non tamen remittuntur ea, quæ ad honestatem, & bonos mores pertinent, *l. si à milite 29. §. edictum, ff. de milit. testam.* ex qua ratione nec jure canonico etiam ob piam causam hujusmodi dispositiones approbari poterant, ut probat Covar. *hic, num. 13.* licèt contrarium teneat Antonius Augustinus *lib. 4. emend. cap. 15. in fin.* Constat ergo ex superioribus, plurimùm à captatoria dispositione distare, quæ alienæ commissa est voluntati. Nec contrarium probat Papinianus *in dicta l. captatorias*, nam verba illa, *In secretum alienæ voluntatis*, exponenda sunt, id est, in dispositionem testamento contentam; aliquando enim ultima dispositio appellatur secretum voluntatis, *l. 1. si quis tabulas, ff. depositi, l. 3. C. de codicil.* & rectè, cùm ultima voluntas secreta esse soleat usque ad disponentis mortem, *l. miles 75. §. final. ff. de legat. 2.* adeò ut qui vivi testamentum aperuerit, actione injuriarum teneatur, *dicto §. si quis tabulas*, & ob id puniri soleat, *l. si quis aliquid 38. §. qui vivi, ff. de pœnis.*

13. *Refertur alia interpretatio.*

Alii textum hunc accipiunt, quando in alterius voluntatem non confertur principalis dispositio, seu substantia testamenti, sed tantùm committitur electio hæredis incerti ex certis, vel sub certa demonstratione: quod fieri posse suprà probavi, & constat ex lege fideicommissaria, § *finali, ff. de fideicommiss. libert. l. utrum,* § *cum quidam. ff. de rebus dubiis* Sed etiam hæc interpretatio eodem vitio divinationis laborat; veram autem interpretationem tradit Abbas antiquus *hic*, quem, licèt non satis rem exponentem, commendarunt Ancharanus *num. 3.* Immola *num. 4.* Fachineus *dicto cap. 57.* Ii enim rectè affirmant, præsentis textus verum sensum petendum esse ex integra ejus littera, quam suprà retuli; ex qua constat, quod cùm Altissiodorensis Episcopus à Sede Apostolica impetrasset privilegium disponendi de rebus clericorum ab intestato decedentium, duo quæsivit ab Innocentio III. primum, an hoc privilegium ad Canonicos extenderetur? & affirmativè respondet Innocentius *in cap. cùm tibi, de verb. signif.* Secundò quæsivit, an eo privilegio comprehenderentur bona illorum, qui supremam voluntatem alterius dispositioni committunt? & Innocentius negativè respondit, quia intestatus non videtur decedere, qui suam ultimam voluntatem in alterius dispositionem committit; ideóque privilegio non esse locum. Dubitandi ratio nascebatur ex eo, quia præcipua testamenti pars est hæredis institutio, à qua testamentum vires capit, *l. 1. ff. de hæred. instit. §. ante hæredis, Instit. de legat.* & qui sine hærede decedit, ab intestato moritur, *l. 1. ff. de suis & legitimis, l. intestatus 64. ff. de verb. signif.* Sed in præsenti specie clerici nec hæredem instituerant, nec testamentum fecerant: igitur dicendum videbatur, ab intestato decessisse, & ita dispositionem bonorum ad Episcopum spectare. Contrarium tamen decrevit Innocentius, quia in simili casu defunctorum voluntates præcipuè attenduntur, *l. in conditionibus. ff. de condit. & demonstr.* idcirco latior in ultimis voluntatibus fit interpretatio, *cap. cùm dilecti, de donat. l. in testamentis, ff. de R. I.* ut testantis suprema voluntas effectum habeat, ob publicam utilitatem, cui convenit extrema hominum judicia exitum habere, *l. vel negare 5. ff. quemadmodum testam.* Summa ergo nixus æquitate Innocentius Episcopo Altissiodorensi negavit dispositionem bonorum eorum clericorum, qui in alterius voluntatem dispositionem suam reliquerunt, inquiens, non videri eos intestatos decedere. Quæ verba quandam improprietatem continent, *l. naturaliter 12. ff. de acquir. possess. l. 1. § dejecisse, ff. de vi & vi armat.* non enim illi intestati decedebant, ut privilegio Episcopo concesso locus esset, licèt hæredem ex testamento non haberent. Sic etiam si quis codicillos tantùm faciat, relicta in eis debentur, *l. conficiuntur 8. l. ab intestato 16. ff. de jure codicil.* & eorum respectu non videtur decedere intestatus, Salicetus *in l. final. C. famil. ercisc.* Nec obstabit si dicas, neminem posse testatum, & intestatum decedere, ex regula legis *in nostrum, ff. de R. I.* nam respondeo, regulam illam procedere in jure testandi, quod institutionem hæredis respicit; fieri enim non potest, ut quis sit hæres, & non sit rerum omnium dominus; quoad alia verò rectè potest quis testatus, & intestatus decedere: unde pater, qui filiis suis tutorem non dedit, quoad tutelam dicitur intestatus, *l. intestato 3. ff. de suis & legit.* Poterit etiam responderi in præsenti, Innocentium non affirmare testatoris voluntatem alterius voluntati committi posse, sed alterius dispositioni, seu ordinationi; ut si dicat testator, *Volo ut Titius nomine meo testetur*; vel, *Quod disposuerit Titius, ut testamentum meum observari volo*: quod genus dispositionis valere notum est, siquidem per eam tantùm declaratio voluntatis committitur, *l. si is 66. ff. de procurat. l. quem hæredi 25. ff. de rebus dubiis*; ut etiam in matrimonio voluntas per alium exprimi potest, *cap. final. de procurat. lib. 6.* & in electione ecclesiastica, licèt hæc electio non valeat: *Eligo quem Titius voluerit, cap. 2. de elect. in 6. cap. 2. de postulat. Prælat. eodem libro:* & tamen commissio facta ut Titius eligat nomine meo, valet, *cap. quia propter, de elect.* & ita similiter, *Instituo hæredem quem Titius voluerit*, non valet: at verò *Titius nomine meo testetur*, valet. Facit praxis apud nos recepta *ex l. 32. Tauri*; plerunque enim accidit, ut

ut qui nolunt, aut non possunt sua testamenta ordinare, amico fideli eorum ordinationem committant, qui nomine defuncti disponunt, servatâ formulâ ipsius legis 31. Tauri, quam post repetentes ibi latè exponit Carpio *lib. 1. de execut. testam.* quo casu excluduntur consanguinei, & illis deficientibus fiscus; quia qui simile mandatum dedit, non videtur decedere intestatus: unde cum virtute privilegii in præsenti casu Episcopus admitteretur ad bona defuncti ab intestato loco Ecclesiæ, quæ nullis extantibus consanguineis vocabatur ad successionem, ideo si tertius testetur, & disponat de bonis defuncti, excluditur Ecclesia, & per consequens Episcopus.

CAPUT XIV.

Idem *C. tit. Sancti Laurentii in Lucina Presbytero Card. Ap. Sed.* (a) *Legato.*

OFficii. *Et infrà*: Secundò quæsiisti, cùm quis in testamento relinquit Episcopo propriam portionem, & alia multa monasteriis, vel Ecclesiis, aliisque dimittit, utrum Episcopus ex illis (b) legitimam petere possit portionem. Adjicis autem, an cùm quis ex testamento in fraudem modicum constituerit (c) mortuarium, & alia dimiserit pro anima sua plura, nihilominus possit Episcopus exigere portionem de aliis à canone constitutam. Nos autem super his consultationi t. t. respondemus, quod si portionem illam cum conditione legavit Episcopo, ut esset eâ solâ contentus, & eam Episcopus acceptavit, quia per hoc aliis renunciasse videtur, de cæteris non possit exigere portionem: quod si eam ipse absolutè relinquit, portionem sibi debitam poterit nihilominus de cæteris vindicare. Si verò constiterit, quod in fraudem modicum constituit mortuarium, ut in cæteris Episcopus portione debita fraudaretur, quia fraus, & dolus alicui patrocinari non debent, Episcopus portionem ex illis poterit exigere à canone constitutam, salvis (d) indulgentiis Pontificum Rom. quæ quibusdam Regularibus sunt concessæ.

NOTÆ.

(a) *Lateran.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc titul. capite* 2. hanc tamen inscriptionem exposui *in capite officii, de electione*, ubi alias partes hujus Decretalis congessi.

1. (b) *Legitimam.*] Ita portio hæc Episcopo debita appellatur, quia à lege Ecclesiastica taxata est, sicut portio illa, quæ debetur filio in bonis paternis, dicitur legitima *in l. Papinianus*, §. *si quis morti, ff. de inoffic. testam. l. quæ nuper* 31. *C. eod.* Similiter portio debita patrono, quia à lege taxata est, legitima dicitur *in l. sin autem* 29. *vers. Ex duobus, ff. de jurepatron. l.* 3. §. *totius, l. si patronus* 19. *ff. de bonis libert.* Prosequuntur Schifordeg. *lib.* 2. *tract.* 13. *quæst.* 2. Mancinus *in tract. de legitima, quæst.* 1. *per totam.* Circa quotam autem partem hujus portionis, omissâ Glosâ *in præsenti*, dicendum est, quartam partem præscriptam esse, ut exprimitur *in cap. conquerente, de officio Ordin. cap. de quarta, de præscript.* exemplo quartæ portionis decimarum, & oblationum, quæ etiam Episcopo competit, *cap. conscisso* 12. *quæst.* 2. *dict. cap. conquerente*, ubi post antiquiores probat Abbas *num.* 2. *l.* 5. *tit.* 13. *partit.* 1. Covar. *in præsenti.* P. Gregorius *in dict. cap. conquerente*, latè Barbosa *de potest. Episcop.* 3. *p. alleg.* 86. licèt in aliquibus provinciis consuetudine introductum sit, ut tertia pars præsetur cum onere reparandi Ecclesiam, *cap. de his* 10. *quæst.* 1. *cap.* 1. 2. *&* 3. 10. *quæst.* 3. ad quam consuetudinem fortè respexit Pontifex *in cap. requisisti* 15. *hoc tit.* nec id mirum, cùm in canonica portione Ecclesiæ parochiali debita, sola consuetudo attendatur, *cap. certificari, de sepulturis.* Hæc autem canonica portio ex certis legatis non detrahitur, de quibus *in cap fin. hoc tit. cap. ex parte, d. v. s. Clement. dudum, de sepult.* latè docent Valascus *consult.* 105. Gutierrez *libro* 1. *canonic. capite* 35. *num.* 8. Barbosa *d.* 3. *part. alleg.* 75. *à n.* 43. *& alleg.* 86. *per totam.*

(c) *Mortuarium.*] Mortuarium est, quod titulo exequiarum Ecclesiæ relinquitur, ut probat Cironius *ad tit. de sepulturis*, ubi & nos dicemus: sed tunc difficilis est præsens textus; nam hæc portio ex mortuariis non Episcopo, sed Parocho debetur, *cap. certificari, cap. in nostra, de sepulturis*, ubi dicemus: ergo non Episcopo talis portio debetur. Agnovit difficultatem Nicol. Lemaistre *lib.* 2. *de juribus Episcop. cap. ultimo*, qui asserit hoc jus quartæ mortuariorum, quod debetur Episcopis, perantiquum esse, competereque ipsis ex eo, quod Episcopi olim plerunque funeribus præerant. Concil. Tribur. *can.* 15. ibi: *Ubicunque temporum, vel facultas locorum tulerit, apud majorem Ecclesiam, ubi Sedes est Episcopi, sepulturæ celebrentur.* Unde D. Dionysius *de Eccles. hierarch. capite* 7. refert moris fuisse mortuos ad Episcopum deferri, his verbis: *Sumentes mortuum ad Pontificem ducunt, quasi coronis donandum sacris; postea venerabilis Præsul precem super eo sacratissimam peragit: finita prece, osculatur Episcopus mortuum, & omnes post illum. Postquam omnes osculati sunt, infundit Pontifex mortuo oleum.* Unde deducit Lemaistre, Episcopo tanquam interessenti sepulturæ, deberi portionem illam. Sed hæc solutio sustineri non potest, cùm temporibus præsentis textus jam Parochiis divisis, Parochi præessent sepulturis, non verò Episcopi: quare dicendum est cum Petro Gregorio *in dict. cap. conquerente, num.* 5. diversam esse portio-

2.

nem, quæ debetur Episcopo, ab ea, quæ debetur parocho; nam Episcopo debetur quarta ex ipsa portione Parocho præstita, ut de quarta decimarum docetur *in dict. cap. conquerente. cap. de quarta, de præscript.* latiùs dicemus *in cap. cum super* 8. *de sepulturis.*

3. (d) *Salvis indulgentiis.*] Quibusdam enim monachis, tam Innocentius III. *in dicto cap. in nostra,* quàm alii Pontifices concesserant, ut ex legatis piis sibi relictis nullam portionem canonicam tenerentur præstare Episcopis, ut probat Rodriguez *in compend. regul. resol.* 18. *per tot.*

COMMENTARIUM.

4. *Conclusio traditur, & probatur.*

EX hac Innocentii Decretali sequens communiter deducitur assertio: *Legatum creditori relictum sub conditione, ut eo pro debito conteneus sit creditor, compensat ipsum debitum, nec ampliùs legatarius petere potest.* Probant eam textus *in l. si compensandi, ff. de hæred. instit. l. cùm ab uno, ff. de legat.* 2. *l. unicæ, §. sciendum, C. de rei uxor. action. l. si pars, §.* 1. *l. penult. & ultim. ff. de inofficios. testam. l.* 5. *in princip. ff. de his quæ ut indign. l. Imperator* 70. *§. si centum, ff. de legat.* 2. *l. parentibus* 8. *C. de inoffic. testam.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa & Garaña, Castrensis, & P. Barbosa *in l. si cùm dotem* 22. *§. si pater, ff. solut. matrim.* Faber *lib.* 17. *conject. cap.* 7. *& 9.* Costa *in cap. si pater, verbo legavit, de testamentis, num* 17. Schiordeg. *ad Fabrum lib.* 2. *tract.* 13. *quæst.* 10 Osvaldus *lib.* 8. *Donel. cap.* 9. *littera D.* plures quos laudat Arias à Mesa *lib.* 2. *var. cap.* 8. Castillo *de usufruct cap.* 46. *per totum, & de alimentis cap.* 18. I Paulus Melius *in ejus addit. cap.* 18.

5. *Impugnatur tradita assertio.*

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti juris consideratione; nam portio canonica, quæ debetur Episcopo, illi competit ut patrono, & superiori Ecclesiarum, ut probant Petrus Gregorius, & Barbosa ubi suprà: sed portio debita ob reverentiam patronalem, non potest minui quolibet prætextu, *l. si patronus* 20. *ff. de donat.* igitur non potest portio canonica Episcopo debita prætextu compensationis minui, etiamsi expressè compensationis gratiâ à testatore relinquatur, ut docetur *in cap. requisisti, hoc tit.* Augetur hæc difficultas ex eo; nam nemo potest rogari plus restituere, aut remittere, quàm illi relictum est, *l. filius, §. apud Marcellum, ff. de legat.* 1. *l. si legatarius* 8. *ff. de legat.* 3. *l.* 1. *§. si is qui, l. ex facto, §. non tantum, ff. ad Trebel.* ergo etsi Episcopus legatum agnoscat, non repelletur a supplemento, prout plus est in portione, quàm in legato. Accedit, nam testator legatum relinquendo Episcopo in compensationem portionis sibi debitæ, satis innuit velle tantùm compensationem admitti pro modo legati, cùm compensatio tantùm detur usque ad concurrentem quantitatem, *l. Titia* 34 *§. qui invita, ff. de legat.* 2. *l. quod bonis* 15. *§. cùm fideicommissum, ff. ad leg. Falcidiam, l. si constat* 4. *C. de compens. l. cùm aliter* 11. *ff. eod. tit.* ergo etsi compensatio admittatur usque ad concurrentem quantitatem, ad id tamen, quod supereſt in portione, Episcopus agere poterit.

6. *De legato à debitore creditori relicto.*

Quâ dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, debitorem posse legare creditori id quod debet, quando re, tempore, loco, aut causâ legatum emolumentum continet, aliàs legatum inutile est, *§. ex contrario, Institut. de legat.* ub. plura Institutarii, Cujacius *lib.* 10. *qq. Pauli, in l. debitor* 82. *ff. de legat.* 2. Faber *lib.* 4. *conject. cap.* 12. licèt in contrarium expendi soleant textus *in l. cùm quis decedens* 37. *§. codicillis, ff. de legat.* 3. *l. si dare* 25. *l. existimo. ff. de verb. obl. l. si cui* 49. *§. Julianus* 6. aliàs *l. si fidejussor, ff. de legat.* 1. *l.* 1. *§.* 10. *ff. ut legatorum, l. Aurelius, §. eum qui, l. cùm hæres* 14. *ff. de liberat. legat. l. cùm pater* 77. *§. si Titio, ff. de legat.* 2. *l. si mandavero* 22. *§. si hi* 3. *l. qui negotia* 34. *§.* 1. *ff. mandati, l. idemq;* 7. *ff. qui potiores, l.* 3. *C. arbitrium tutel. l. cùm pater* 29. *ff. de jure dot. l. pater* 7. *ff. de dote præleg. junctâ l. si filia* 20. *§.* 1. *ff. famil. erciscund. l. pater* 17. *§.* 1. *ff. de Castrens. pecul. l. Sulpitius* 49. *ff. de donat. inter, l.* 3. *C. de V. S. l.* 1. *§.* 1. *ff. de public. l. assignare* 7. *ff. de assignand. libert, l. quia in eum* 16. *ff. ad leg. Aquil. l. si in metallum, §. item si servo, ff. de his quæ ut indign. l. penult. §. ultim. ff. de verb. obl. l. si mater* 11 *§. eandem, ff. de except. rei judic. l.* 49. *§.* 6. *l.* 84. *ff. de legat.* 1. *l. unum* 67. *§. si duo, de legatis* 2. junctò Cujacio *ibi, l.* 6. *§. ultim. ad leg. Cornel. de falsis, l. Mævius* 66 *in princip. de legatis* 2. *l.* 3. *§. ultim.* & *l.* 4. *de lib. legat.* cui obstat lex 49. *§. si Titio, de legat.* 1. junctò Cujacio *lib.* 7. *qq. Papin. in l.* 71. *§. Titio, de cond. & demonstr. l. cùm hæres* 51. *ff. ad Trebell. l. pater* 17. *§.* 1. *de Castr. pecul. l. cùm quis* 37. *§. codicillis, de legat.* 3. Sed quia non idem debitum, nec debiti nomine testator idem legat, sed diversum expressè, vel tacitè, compensandi animo, quæritur an simul legatum, & debitum legatarius capiat, vel tantùm alterutrum? Ad quod difficilis responsio est: circa quam quæstionem sequentes casus sunt distinguendi.

7. *De compensatione legati cum debito.*

Primus casus est cùm expressè testator creditori suo legatum reliquit sub ea conditione, ut eo contentus sit; nam si legatarius agnoscat legatum, non potest jam debitum exigere, nec illud petendo auditur, & meritò; nam cùm creditor tale legatum agnovit, non potuit illam conditionem, seu onus, tanquam legati partem rejicere, argumento legis *si legatario* 22. *in princip. ff. de fideicommiss. libert. l.* 4. *l sed duobus* 5. *ff. de legat.* 2. *l. legatarius* 38. *in princip. ff. de legat.* 1. *l. si libertus* 41. *in princip. ff. de bonis libert.* adeò ut si legatarius retro agnitum legatum restituere paratus sit, audiri non debeat, *ex dict. l. Imperator* 70. *§. sciendum;* licèt aliud observetur in legatario minore, cui ætatis beneficio indulgetur, ut quod legati nomine percepit, postea reddere possit, *l. si minor* 33. *ff. de minor. l tutor* 26. *ff. de liber. legat.* in qua re turpiter labitur Antonius Faber *lib.* 17. *conjectl. c.* 7. *& 9.* & cum eo Schiordeg. *d. lib.* 3. *tract.* 13. *quæst.* 10. An verò si in eo casu amplius sit in debito, quàm in legato, legatarius ad supplementum agere possit, dicemus infrà in solutione rationis dubitandi. Huic casui similis est ille, cum creditor debitori legatum reliquit animo compensandi, licèt nulla expressè factâ compensationis mentione; tunc enim agnoscendo legatum, rejicitur à debito, *l. cùm pater, §. Titio, ff. de legat.* 2. *l. si debitor* 12. *ff. ad leg. Falcid. l. si compensandi* 6. *C. de hæred. instit.* Unde si maritus uxori legatum reliquerit, alterutro contenta esse debet, ut vel legatum ex testamento petat, vel dotem actione ex stipulatu repetat, *l. si filia* 20. *§. item Papinianus, ff. famil. erciscund.*

ercisc. fund. l. quod pure 6. ff. quando dies legat. l. 2. §. 1. l. penult. & ultim. ff. de dote præleg. illustrant Cujacius, & Giphanius *hic*, Faber *lib. 4. conject. cap. 9.* Schifordeg. *tract. 13. quæst. 4.* quo casu accipiendus est textus *in l. cùm ab uno 53 ff. de legat. 2.* junctis traditis pro ejus expositione à Pichardo *in §. si filium, num. 57. Instit. de offic. judic.* Cujacius *lib. 3. obs. cap. 16.* Faber *dict. lib. 4. conject. cap. 9. & 11.* Fachineus *lib. 2. controv. cap. 52.* Arias à Mesa *lib. 2. var. cap. 8.* Etiam ad ipsum casum referendus est textus *in l. cùm pater 77. §. qui dotale, ff. de legat. 2.* ubi fideicommissum datum animo compensandi cum dotali prædio fuisse docuerunt Castrensis *ibi*, Cujacius *libro 8. respons. Papin.* Petrus Barbosa *in l. si cùm dotem, § si pater 3. ff. solut. matrim.* Faber *libro 4. conject. capite 11.* Osualdus *lib. 8. comment. cap. 7. littera H.* Secundus casus contingit, quando debitor creditori simpliciter legatum reliquit; nullâ factâ debiti mentione. Circa quem casum discrimen constituendum est inter debitum voluntarium, & necessarium. Debitum voluntarium appellatur, quod inspecta origine ex debitorum voluntate, & expressa conventione contractum est; necessarium verò, quod ex necessaria causa, legis scilicet auctoritate potiùs quàm ex debentis voluntate cœpit. Igitur si voluntarius debitor creditori legaverit, compensatio cessat, & utrumque peti potest, quia donationum natura, quæ legatis inest, satis ostendit, testatorem potiùs voluisse exercere liberalitatem, quàm debitum legando solvere, *princip. Institut. de legat.* juncta lege 1. *ff. de donat.* Cæterum necessarius debitor compensandi animo legasse videtur, quia contractæ obligationis necessitas liberalitatis præsumptionem excludit, argumento legis rem 18. *ff. de adim. legat.* quam Bart. traditionem probant plures, quos refert & sequitur Barbosa *dict. §. si pater. à num. 2.* Menoch. *lib. 4. præsump. 109. & 110.* Robertus *lib. 2. animad. cap. 16.* Gomez *lib. 1. var. cap. 12. num. 27.* Caldas *lib. 1. forens. cap. 16. num. 1.* Gutierrez *de tutel. 3. part. cap. 5. à num. 2.* Castillo *de usufruct. capite 46. à num. 6.* Gonzalez *dict. cap. 31. à num. 2.* Gratianus 1. *tom. discept. cap. 134. à num. 16.* Marinis *tom. 1. decis. 349.*

8. Prosequitur & confirmatur prima sententia auctoritate Gratiani.

Quæ utraque distinctionis pars probari potest sequentibus juris principiis. Pro priori enim parte facit lex *creditorem 85. ff. de legat. 2.* lex *creditor 16. C. eod. tit.* alteraque apertè corroboratur *ex l. Titia 34. §. qui invita, in fine, ff. de leg. 2.* ibi: *præterea cùm putaverit se efficaciter, &c.* quibus verbis significat, quod si pater filiâ invitâ dotem legaverit, dotis, & legati compensationem fieri, quia quamvis adhuc genero dotem debeat, *l. qui hominum 34. § si gener, ff. de solut.* debitum tamen necessarium fuit, quasi sine patris voluntate contractum; nam ipse existimabat se dotem proprio jure, atque invitâ filiâ petere posse, ut doctè expendit Barbosa *in dict. §. pater, num. 7.* Pro eadem etiam parte adducit Robertus *dict. cap. 16.* textum *in l. pater 54. ff. ad leg. Falcid.* sed minus rectè, ut ostendit Schifordeg. *dict. tract. 13. quæst. 2.* faciunt etiam textus *in authent. præterea, C. unde vir & uxor, l. 7. tit. 13. petit. 6.* ubi cavetur; legatum conjugi relictum compensari cum quarta, quæ ex bonis defuncti conjugi superstiti, & inopi debetur, idque non aliâ ratione, quàm quia quartæ debitum necessarium est, ex juris dispositione: ut probarunt Barbosa *in dict. §. si pater, numero 2.* Gratianus 1. *tom. discept. cap. 120. num. 39.* unde probanda est suprà tradita distinctio, licèt ab ea discesserint Duarenus *in dict. §. si pater*, Corrasius *lib. 3. miscel. cap. 1.* Cujacius sub nomine Mercat. *lib. 2. cap. 16.* Faber *lib. 4. conject. capite 9.* Fachin. *dict. libro 5. cap. 33.* Schifordeg. *dict. tract. 13. quæst. 2. & sequent.* ex qua distinctione deducitur, legatum à marito uxori simpliciter relictum cum arrhis, non compensari, immò utrumque peti posse: Ratio est, quia licèt arrhæ ex legis dispositione ad mulierem spectent, *ex l. 15. Tauri*; tamen illarum debitum ex voluntate mariti promittentis provenit, & ita compensatio eo casu cessat, ut docuerunt Covar. *hic, num. 5.* Castillo *de usufructu, cap. 46. num. 9.* & alii laudati à Morquecho *lib. 4. de divis. bonor. cap. 11. num. 17.* nec etiam legatum uxori relictum compensatur cum sponsalitia largitate, quam jure nostro Regio mariti morte uxor lucratur, *ex l. 52. Tauri, l. 4. tit. 2. lib. 5. recopil.* Morquecho ubi suprà, *à num. 8.* Ex eadem etiam utriusque debiti distinctione sunt qui existimant deducendam esse rationem differentiæ, quæ olim versabatur inter actionem rei uxoriæ, & actionem ex stipulatu, casu quo maritus uxori, cui dotem debebat, legatum reliquerit; nam si mulieri sola rei uxoriæ actio competeret ad dotem recuperandam, alterutro contenta esse debebat, ut vel dotem suo jure, vel legatum ex testamento peteret, & unius electione ad aliud transire non poterat: ex edicto de alterutro à Prætore proposito *in l. ultim. C. Theodos. de testam.* de quo exaudiendi sunt textus *in l. filiæ 20. §. Papinianus 8. ff. famil. erciscund. l. 6. ff. quando dies legati, l. 53. de legat. 2. l. Lucius 78. §. maritus 14. ff. ad Trebel. l. 4. de collat. dotis.* Videndi sunt Cujacius *lib. 3. obs. cap. 16.* & *lib. 17. qq. Papin. in l. 51. ff. ad Trebel.* & *lib. 19. qq. Pauli in l. qui dotem 46. ff. solut. matrim.* & *in recit. ad leg. 2. de dote prælegat.* & *ad l. 8. §. si quidem uxori, de leg. præst.* Faber 4. *conject. cap. 9.* Valentia *lib. 3. illustr. ad tit. de legat. cap. 2. à num. 16.* Si autem mulieri actio ex stipulatu pro dote competeret, cessabat edictum de alterutro, & ideo mulier non tam legatum ex testamento, quàm dotem actione ex stipulatu petere peterat, ut innuitur *in l. unica, §. sciendum, C. de rei uxor. actio.* ubi hanc differentiam agnoverunt Giphanius, & Cujacius *lib. 3. observ. cap. 16.* Schifordeg. *dict. tract. 13. quæst. 4.* Præceptor D. Franc. Ramos *in l. unic. C. de rei uxoriæ*, quem suppresso nomine transcripsit Arias à Mesa *lib. 2. var. c. 7. & 8.* cujus differentiæ ratio non aliunde peti potest, quàm ex superiori distinctione; nam cùm obligatio, & actio rei uxoriæ sine voluntate mariti juris auctoritate ad æquitatem accommodata induceretur, necessarium debitum est, potiùs quàm voluntarium, si credimus Barbosæ *in dict. §. si pater, num. 4.* unde mirum non est, quod legati, & dotis compensationi locus esset: at in actione ex stipulatu, quia mariti voluntate obligatio contracta est, *l. continuus 137. §. 1. ff. de verb. obl.* debitum quoque voluntarium judicatur, & ideo compensatio cessat, vt notauit Costa *in dict. cap. si pater, 1. p. verbo Legavit, num. 19.* Gratianus 1. *p. discept. cap. 198. n. 13.* quæ ratio facit, ut etiam compensatio cesset in casu textus *in l. 2. C. de jur. dotium*, quam explicat

Menochius

Menochuis *de præsumpt. lib.* 3. *c.* 10. *n.* 11. & 12.

9. *Exponuntur diversi textus.*

Ex qua utriusque actionis differentia lucem accipit textus *in l. qui dotem* 46. *ff. solut. matrim* ubi Paulus proponit, maritum stipulanti uxori dotem promisisse, & postea legasse quædam sub conditione, ne dotem peteret; si enim non ex stipulatu, sed per actionem rei uxoriæ dos repetenda esset; supervacua esset adiectio illa, ut legato contenta esset, ut notavit Cujacius *lib.* 19. *qq. Pauli*. ibi: Quod autem adjicit Paulus, retentâ eadem specie mulieri adhuc dotis petitionem contra hæredes competere, si legata capere non possit, forsan propter legem Papiam, ita exaudiendum est, si de actione ex stipulatu agatur, non verò producendum est ad actionem rei uxoriæ, in qua legato agnito mulieri prorsus dotis petitio deneganda erat propter satisdationem, quâ eo nomine tenebatur uxor ex edicto de alterutro; quæ cautio cùm in actione ex stipulatu cessaret, idcirco Paulus docet, non videri mulierem propter agnitionem legati, quod capere non poterat, repudiasse actionem de dote, argumento textus *in l. mater* 16. *ad finem*. *ff. de inoffic. testam. l. si vero* 8. *ff. de operis libert.* Sed supra traditæ utriusque actionis differentiæ obstant textus *in l. cùm hæres*, §. 1. *l. Lucius* 78. §. *maritus*. *ff. ad Trebel.* ubi apertè docetur, edicto de alterutro locum non esse, cùm mulier à marito hæres ex parte instituta est, & rogata restituere hæreditatem; in qua specie docetur, mulierem posse quartam jure hæreditario capere, & etiam dotem; cùm ex edicto de alterutro, aut dotem, aut quartam capere deberet, præcipuè cùm in ea specie non actio ex stipulatu, sed rei uxoriæ tantùm competeret. *l. dotale* 13. §. *ultim. ff. de fundo dotali.* Cui difficultati ex Cujacio, & Schifordeg. respondet Arias de Mesa *dict. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 10. ibi: Ex eo, quod maritus uxori hæreditatis partem reliquit, & dotem prælegavit; satis constat, se velle mulierem utrumque capere, compensatione cessante ex edicto de alterutro; quod adeo verum est, ut idem procedat etiamsi actione rei uxoriæ dos peteretur, ut notat Cujacius *in dict. l. unic.* §. *sciendum.* unde apparet, Papinianum *in dict. l. cùm hæres*, rectè mulierem hoc casu cum alio creditore comparasse, taciteque innuisse extra hunc casum plurimùm differre mulierem ab alio creditore, quippe alius creditor semper in ratione Falcidiæ, & quartam, & debitum consequitur, *l. quod bonis* 15. §. *quod avus*, *l. qui fundum* 87. §. *si quis*, *ff. ad leg. Falcid. l. in imponenda* 6. *C. eod.* Prosequitur late Arias à Mesa *lib.* 2. *var. cap.* 10. ubi exponit textum *in l. cùm ab uno* 53. *ff. de legat.* 2. & juxta relatos casus accipiendi sunt textus *in l.* 1. *C. de crim. expil. l.* 7. *si vir & uxor*, *ff. de donat. inter*, *l.* 8. *vers. Cæterùm*, *de bon. libert. l.* 16. *de liber. causa*, juncto Fabro *lib.* 4. *conject. cap.* 9. *l.* 2. §. *necessaria*, *de administr. rerum*, *l. si peculium* 8. §. *sicut*, *de pecul. leg. l.* 9. & 10. *ff. de legat. præst.* ubi Cujacius, *l. sed si ideo* 75. *ff. ad leg. Falcid.* Costa *in cap. si pater*, 1. *p. verbo Legavit*, *de testam. in* 6. *l.* 28. §. *ultim. de donat. inter. l. servo* 69. §. *si testator*, *de legat.* 1. *l.* 6. §. *ultim. ad leg. Corn. de falsis*, *l.* 10. *de duobus reis*, *l.* 4 *C. qui potiores. l. Mævio* 41. §. 1. *de legat.* 2. *l. penult.* §. *ultim. ff. de aliment. legat. l. Paulus* 42. §. *ex his*, *cum l. antecedenti*, *de bonis libert. l. Titia* 34. §. *qui invitâ*, *de legat.* 2, *l. cùm hæres* 51. *ad Trebel.*

10. *Exponitur præsens textus.*

His suppositis ut ad nostrum textum accedamus, ex ponendum est, quo in casu ex supra relatis Innocentius loquatur? Et certè tres casus Pontifex proponit. Primus est quando testator legatum reliquit Episcopo ea conditione, ut portionem canonicam sibi debitam ex legatis relictis Ecclesiæ, seu monasterio non peteret; quo casu ex supra traditis pro expositione primi casus, si petat prædictam portionem, non auditur, etiamsi minùs consequutus sit per legatum, quàm illi debetur ex canonica portione, quia agnoscendo legatum tacitè renunciavit juri, quod ad quartam habebat. Nec contrarium suadetur *ex l. si quando* 35. §. *& generaliter*, *C. de inoffic. testam.* ubi docetur, filium simpliciter agnoscentem legatum à patre relictum cum onere, ut illud pro legitima haberet, non videri agnoscendo legatum renuncialle supplemento legitimæ. Cujus textus argumento idem in supplemento canonicæ portionis admittunt Hostiensis & alii in præsenti. Sed respondendum est cum Castrensi *in dict.* §. *ultimo*, quem sequuntur Mantica *lib.* 10. *de conject. tit.* 2. *num.* 19. Baëza *de decima tutoris*, *cap.* 5. *num.* 46. Gutierrez *de tutel.* 3. *part. cap.* 5. *num.* 73. multùm referre inter onus, quod ipso jure nullum est, & inter onus quod ipso jure consistit. Primo casu accipiendus est textus *in dict.* §. *ultimo*, ubi cùm onus in legitima ipso jure rejiciatur, *l. quoniam* 32. *C. eod. tit.* idcirco filius legati agnitione non intelligitur onus approbare. Secundo verò casu, quia onus ipso jure consistit, tunc is, qui simpliciter legatum agnoscit, tenetur onus amplecti, quo casu procedit præsens textus, ubi cùm onus Episcopo impositum efficax sit, idcirco legatum agnoscendo creditur supplemento portionis renunciasse. Nec tunc obstat textus *in cap. requisisti* 15. *vers. Secus autem*, *hoc tit.* ubi docetur, conditionem, ne canonicam portionem Episcopo præstaret Ecclesia, cui sub illa conditione legatum relictum est, nullius momenti esse: unde idem dicendum videbatur in conditione adjecta Episcopo, ne canonicam portionem accipiat. Sed in promptu diversitatis ratio inter utramq; conditionem occurrit ex eo, quod onus Episcopo impositum, ei soli præjudicium affert, & ita proprio facto renunciare valet, *ex l.* penult. *C. de pactis.* Cæterùm conditio, ne Ecclesia canonicam portionem suo Episcopo præstet, contra jus canonicum est, cui privato facto derogari non potest, ex regula legis *quod bonis* 15. §. 1. *ff. ad leg. Falcid.* Secundus casus ab Innocentio deciditur quando testator Episcopo legatum reliquit indistinctè; nullâ factâ compensationis mentione: & docet eo casu posse petere legatum, & portionem sibi debitam. Cujus sententiæ illa ratio vulgò afferri solet, quia cùm testator canonicæ portionis debitor non sit, ut apertè innuit Innocentius hîc *in princip.* & *in cap. sequenti*, hæc de causa legatum cum canonica portione non compensat: ita Abbas *hic*, *num.* 4. Covar. *num.* 4. Accedit, quia cùm legatum sit donatio, *l. legatum* 36. *ff. de legat.* 2. inde fit, quod cùm testator simpliciter legatum reliquerit, credatur non aliam mentem habuisse, quàm donationis conferendæ; & ita noluisse propter legatum canonicam adimere portionem, præsertim cùm legatum ex testatoris judicio, canonicam verò portionem Episcopus proprio jure assequatur, unde compensationi locus non est, ut in legato creditori indistinctè relicto

relicto etiam procedit, *dict. l. creditorem* 85. Tandem tertium casum proponit Innocentius, quo testator modicum mortuarium reliquit, ut in cæteris Episcopus portione debitâ fraudaretur. Et decidit eo casu adhuc Episcopum exigere posse canonicam portionem ex aliis rebus, ne alioquin dolus testatoris Episcopo noceat. Consonant textus *in cap. requisisti, cap. ultim. hoc titul.* non tamen satis liquet inter repetentes in præsenti, quomodo hic dolus probetur, ejusque exemplum congruum afferatur, ut videre est ex traditis à Joanne Andrea, & Anton. *numero* 13. Ancharano *numero* 5. Immola *num.* 15. Innocent. *num.* 1. Cardin. *quæst. 6. num.* 3. Covar. *num* 17. qui casum illum referunt, cùm testator fraudandi Episcopi causâ minùs legavit, quàm in portione canonica erat. Sed illis omissis dicendum est, Innocentium agere non de legato relicto Episcopo in fraudem portionis canonicæ, sed cùm testator mortuarium modicum reliquit, id est funeris causâ modicam quantitatem constituit, & alias res monasteriis, seu Ecclesiæ legavit, suppresso nomine mortuarii, eo animo, ut Episcopus quartam portionem ex eis non exigeret: quo casu rectè ait Innocentius III. ne ex dolo testatoris fraudetur Episcopus, ex illis rebus etiam titulo mortuarii non relictis canonicam portionem illi solvendam esse, ut etiam docetur *in cap. final. hoc tit.*

15. Dissolvitur dubitandi ratio.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta ex exemplo quartæ debitæ patrono; nam in præsenti specie nullum onus, seu gravamen injungitur Episcopo in portione sibi debita; sed tantùm legatum datur cum compensationis conditione. Nec obstat Episcopum gravari non posse plus remittere, quàm illi legatum est; nam respondeo discrimen esse constituendum inter legatum quantitatis cum onere amplioris quantitatis certæ, & inter legatum quantitatis cum onere speciei majoris pretii, vel incertæ quantitatis. Primo casu certum est, adhuc agnito legato legatarium non teneri ultra modum quantitatis legati, *dict. l. Imperator*, §. *si centum.* Secundo verò casu cogitur legatarius percepto legato rem propriam præstare, etsi majoris pretii sit, quàm quantitas relicta, *dict.* §. *si centum, vers. Enim verò.* Differentiæ ratio est, quod in priori casu, cùm quantitas certam habeat æstimationem, facilè apparet legatarium in plus quàm acceperit, onerari: secundo verò casu cùm species incertam, & variam habeat æstimationem, idcirco legatarius, qui legatum percepit, tenetur ad præstationem rei suæ, etsi majoris pretii: quia videtur tanti æstimasse, *l. sed si non servus, ff. ad leg. Falcid. l. si mihi* 97. *ff. de legat.* 1. explicat Faber *lib.* 17. *conject. cap.* 6. Quo modo intelliguntur textus *in l. civitatibus* 122. §. *ultimo, ff. de legat.* 1. *l. pœnales* 32. §. *ultim. ff. ad leg. Falcid.* & inde apparet præsentis textus vera sententia, in cujus specie ideo Episcopus semel legatum agnoscens, petere non potest portionem canonicam, etsi appareat in ea plus esse, quàm in legato; quia tempore legati percepti quantitas, quæ erat in canonica portione, erat incerta, quæ incertitudo æstimari debet ad instar oneris speciei; quo casu quia tanti videtur æstimari, idcircò non tam onus speciei, quàm onus incertæ quantitatis consistet, etsi in ea plus sit. Quæ interpretatio mirè probatur *in l. tutor* 26. *ff. de liberat. legat.* ubi onus remittendæ actionis tutelæ, quia incertum erat, facit, ut licèt legatarius per illam plus consequi posset quàm per legatum; si tamen post agnitum legatum illud onus subire recuset, doli mali exceptione rectè dicitur submoveri: docuit Arias à Mesa *lib.* 2. *variar. cap.* 8, *num.* 17.

CAPUT XV.

(a) Idem.

REquisisti de iis, quæ testator pro anima sua legat in ultima voluntate, qualiter sint inter Episcopum, & Ecclesias dividenda? Et quidem regulariter verum est, quod Episcopus debet de his secundùm diversas consuetudines tertiam, vel (b) quartam portionem habere. Sed considerandum est diligenter, utrum testator leget hoc modo: Relinquo (inquit) istud Episcopo; aut, Relinquo istud Ecclesiæ; vel Relinquo istud Episcopo, & Ecclesiæ; aut, Relinquo istud Episcopo, & relinquo istud Ecclesiæ. In primo casu distinguendum est, utrum relinquatur illud Episcopo ab extraneo, an à propinquo? Si ab extraneo, generaliter verum est, quod præsumitur esse relictum intuitu Ecclesiæ, non personæ. Unde Cathedralis Ecclesia canonicam de illo potest petere portionem, quemadmodum Episcopo competit sua portio, si aliquid ipsi Ecclesiæ relinquatur: & hoc utique verum est, nisi testator exprimat, quod velit illud esse tantùm Episcopi, non Ecclesiæ. In quo casu servanda est dispositio testatoris; secus autem, si exprimat, quod velit illud esse tantùm Ecclesiæ, non Episcopi; quia privata dispositio testatoris non potest generalem constitutionem canonis (c) immutare. Nec est contrarium, quod in (d) canone legitur, videlicet, quod Pontifices, quibus ab extraneis aliquid, aut cum Ecclesia, aut sequestratim dimittitur, aut donatur (quia hoc ille qui donat, pro redemptione animæ suæ, non pro commodo Sacerdotis probatur offerre,) non quasi suum proprium, sed quasi dimissum Ecclesiæ, inter facultates Ecclesiæ computabunt; quoniam hoc est verum, cùm testator ita sequestratim legat illud Episcopo, quod non exprimit, utrum velit ad

Episcopum

Episcopum tantùm, & non ad Ecclesiam pertinere. Si verò relinquatur illud Episcopo à propinquo, præsumitur esse relictum non intuitu Ecclesiæ, sed personæ, nisi fortè conrrarium probaretur; & de isto nihil potest Ecclesia petere in vita ejus. Quod si relinquitur Episcopo, & Ecclesiæ, de illo canonica inter ipsos est divisio facienda. Si verò istud Episcopo, & istud Ecclesiæ relinquatur, sive æqualia, sive inæqualia sint relicta, reducenda sunt ad divisionem canonicam faciendam inter Episcopum, & Ecclesiam Cathedralem, nisi ambo velint esse testatoris dispositione contenti; quam propter ultimæ voluntatis favorem satis decens est observare, ubi neque fraus (e) intervenit, neque dolus, nec quisquam nimium defraudatur debita portione. Secus autem, si aliquid legetur Episcopo, aliquid capellis, vel monasteriis, aut aliis piis locis: nam in hoc casu, quod legatur Episcopo, ejus est præcipuum cum Ecclesia Cathedrali: quemadmodum si cuilibet alii legaretur: & de illis, quæ his legantur, portionem canonicam nihilominus obtinebit; quoniam non est tanta communio inter Episcopum, & Capellas, vel monasteria, seu alia pia loca, quanta est inter ipsum, & Ecclesiam Cathedralem, cui est spirituali conjugio copulatus. Unde quæ acquirit Episcopus, non illis, sed isti tantùm acquirit. Illud autem est generaliter observandum circa eum qui potest propriam possidere prælationem, vel administrationem Ecclesiæ non habentem, quod si ei aliquid specialiter relinquatur, non solùm à propinquo, verùm etiam ab extraneo, intelligitur esse relictum non intuitu Ecclesiæ, sed personæ, nisi probatio (f) in contrarium appareat; & idcirco de illo non Episcopus, nec Ecclesia potest in (g) vita ejus sibi aliquid vindicare, & hoc intelligitur esse verum, cùm fraus minimè procuratur, quæ si detecta fuerit, patrocinari non debet.

NOTÆ.

1. (a) *Idem.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc titul. c. 3.* nullibi tamen exprimitur cui rescribat Innocentius; credo tamen legendum esse, *Idem eidem*; ita ut eidem Cardinali rescribat Pontifex ac in capite antecedenti.

(b) *Vel quartam.*] Juxta suprà tradita *capite antecedenti*, & adducenda *in cap. fin. hoc titulo.*

2. (c) *Immutare.*] Non enim omne præceptum testatoris obligat, immò si quid præcipiat testator, quod pietatem, quod existimationem, quod verecundiam, quod leges, quod honestatem, quod canones lædat, quodve derisorium sit, pro non scripto haberi debet, *l. conditiones 14. l. filius 15. ff. de condit. Instit. l. nemo 55. l. si quis inquilinos 112. §. ultimo, cum l. sequenti, §. ultim. ff. de leg. 1.* veluti si prohibeat legitimam liberis debitam præstare, *l. filium 24. C. famil. erciscund.* si prohibeat jus accrescendi, *l. si ita quis 74. ff. de hared. instit. l. 1. & 2. C. de testam. milit.* si jubeat se cum pretiosis ornamentis sepeliri, *l. servo 113. §. ultim. ff. de legat. 1.* & aliis casibus congestis ab Antonio Matthæo *in collegiis juris, disput. 22. per totam.* Item si testator prohibeat, ne Episcopus se immiscat executioni piæ voluntatis, Carpio *de executoribus lib. 1. c. 26. num. 34.*

(d) *Canone.*] *Cap. Pontifices 12. quæst. 3.*

(e) *Fraus intervenit.*] Juxta caput *officii, capite final. hoc tit.*

(f) *Probatio in contrarium.*] Cui tamen hæc probatio incumbat, jam exposui *in cap. 1. hoc tit.*

(g) *Vita ejus.*] Nec post mortem, si habeat consanguineos ab intestato venientes; aliàs Ecclesia succedit proprio Prælato, ut dicemus *in cap. 1* infrà titulo proximo.

Præsens textus etiam spectat ad eandem partem, portionis videlicet canonicæ debitæ Episcopo; & in eo varii casus proponuntur, in quibus debetur, vel non; datur fraus, vel committitur: quos quia sedulò retulit, & exposuit Cujacius in præsenti, consultò omitto.

CAPUT XVI.

(a) Idem *Episcopo* (b) *Tuscano.*

RAynuntius de Clera duas habens filias, Alterocham videlicet, & Adjectam, matrem insuper Cleram, & uxorem nomine Adelasiam, in extremis (c) positus condidit testamentum, Alterochæ filiæ puberi ultra dotem quam ei dederat, domum, & quendam hortum in eodem testamento relinquens: Adjectæ verò impuberi reliquit cætera (d) bona sua, adjiciens, ut Alterocha, & (e) soboles quam gestabat in utero, eidem impuberi succederent, si (f) absque liberis moreretur. Mortuo itaque testatore tutores (g) impuberis eam cum omnibus bonis eidem relictis à patre jure (h) Lombardo cuidam P. nomine tradiderunt, quæ (i) filium ex eo suscipiens, tandem sine liberis est defuncta: cujus bona idem P. maritus ejus superstes aliquanto tempore possedit in pace, qui cum alia muliere matrimonium contrahens, & filios suscipiens

suscipiens ex eadem, diem clausit extremum. Postmodùm inter (i) Alterocham, & filium ejus ex una parte, & filios ejusdem P. & Raynerium tutorem eorum ex altera, super bonis prædictis ejusdem Adjectæ suscitatâ materiâ quæstionis, cœperunt coram G. judice Tuscan. ad invicem litigare, coram quo Alterocha, & filius ejus bona quondam Raynuntii, tanquam ex causa (k) fideicommissi, vel substitutionis, sibi debita petierunt, tutore filiorum prædicti P. ex adverso dicente, quod obstabat illis annalis præscriptio, usucaptio pro dote, ac longi temporis silentium diuturnum. Insuper allegabant, quod de bonis illis tam tertia Cleræ matris testatoris, & tertia Adelasiæ uxoris ejusdem, quàm & quarta per Trebellianum nomine ipsius Adjectæ erant ante omnia deducendæ. Dictus verò judex supradictum Raynerium tutorio nomine pupillorum in restitutionem bonorum Raynuntii condemnavit, & tertiâ Cleræ primò deductâ, quam Adjectæ, ac viro suo (l) donaverat: de qua substitutione, quam fecit Raynuntius, non videtur aliquatenus cogitasse: deductâ quoque tertiâ Adelasiæ, quam ipsa P. vendiderat supradicto: præcepit etiam idem judex, de his rebus illas tertias deducendas, de quibus deduci poterant, secundùm Tuscanæ consuetudinem civitatis. Deduci præterea (m) quartam per (n) Trebellianum idem judex injunxit, cùm etiam quilibet extraneus restitutione gravatus, eam deducere potuisset: sed utraque pars ab illa sententia (o) provocavit. Cùm autem propter hoc partes ad nostram præsentiam accessissent, dil. fil. G. S. Mariæ in Porticu Diac. Card. concessimus auditorem: cùm autem coram G. Diac. Card. auditore à nobis concesso fuisset diutiùs litigatum, ipse de mandato nostro sententiam supradicti judicis, videlicet in eo, quod dixit tertiam Cleræ, & tertiam Adelasiæ integraliter deducendas, pronunciavit injustam, & ab ea legitimè provocatum, definiens sic illas tertias (p) deducendas, ut (q) legitima portio jure (r) naturæ debita Alterochæ, illa salva sit in utraque, ad cujus restitutionem dictum Raynerium condemnavit. In eo verò, quod quartam per Trebellianum idem judex censuit retinendam, sententiam confirmavit ejusdem, ita videlicet, quod fructus (s) de bonis ipsius, quos à tempore litis contestatæ percepit à prædictis P. & filiis ejus post mortem Adjectæ, computentur in ea; qui si sufficerint ad eam, & fructus ejus, eo nomine alia deductio nulla fiat, alioquin juxta quantitatem fructuum perceptorum computationis ratio habeatur. Quia verò pater Adjectæ ipsam in legitima non potuit (t) aggravare, (u) legitimam ipsam, videlicet ejus partis, quæ sibi debebatur, ab intestato deducendam censuit, & etiam tertiam retinendam; ita quod deductio fiat tantummodo de his rebus, de quibus secundùm Tuscanæ consuetudinem civitatis fieri consuevit. In eo autem, quod prænominatus judex condemnavit Raynerium nomine pupillorum ad residui restitutionem Alterochæ ac ejus filio faciendam, ipsius sententiam confirmavit. Nos igitur ejusdem Cardinalis sententiam ratam habentes, ipsam auctoritate Apostolica confirmamus.

NOTÆ.

(a) *Dem.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub tit. de sententia & re judicata*: sed minùs rectè præsens decisio sub eo titulo compilata erat, cùm tota ejus controversia circa successionem testamentariam versetur, & tantùm incidenter dicatur, sententiam in ea causa latam fuisse, & partim approbatam, partim reprobatam: quare rectiùs in hac sexta compilatione jacet sub hoc titulo *de testamentis*.

(b) *Tuscan.*] Alibi legitur *Tusculan.* ut Glossa marginalis notavit, & rectè; nam Tuscanensis Ecclesia, quæ erat in Italia, unita fuit Viterbiensi Ecclesiæ per Cœlestinum III. ut probat Ughellius *tom.* 3. *Italiæ sacræ*, *fol.* 306. unde non poterat præsentis causæ cognitio ab Innocentio III. committi Episcopo Tuscanensi, cùm jam ejus tempore non esset Ecclesia Tuscanensis: quare in præsenti inscriptione, & textu semper legendum est, *Tusculan.* Tusculum autem in prima Italiæ regione collocatum est in montibus, qui propiùs Albanum contingunt, quosque vulgus Tusculanos appellat, de quibus Martialis *ibi*:

Albanos quoque, Tusculanosque colles.

Non longiùs distat ab urbe, quàm duodecim miliaribus. Hinc Dionysius *lib.* 11. ait: *Ad Tusculum oppidum Latini nominis perveniunt, haud minùs centum stadiis à Roma dissitum.* Tusculana Episcopalis Cathedra perantiqua est, ut probat Ughellius *tom.* 1. *Italiæ sacræ*, *fol.* 261. Nicolao ejus Præsuli, & Ecclesiæ Romanæ Cardinali missa est præsens epistola: & quia urbs illa cum aliis adjacentibus, tam in spiritualibus, quàm temporalibus paret Romanæ Ecclesiæ, ut probat Cohel. *in notit. Cardin. c.* 15. *congreg.* 21. ideo hæc causa temporalis etiam inter laicos agitata disceptatur coram judice Ecclesiastico.

Casus præsentis textus ità contigit. Raynucius habens matrem, cui tertia pars bonorum ejus debebatur ex consuetudine civitatis Tusculanæ; item & uxorem, cui similiter alia tertia pars bonorum debebatur ob consuetudinem ipsius verbis; habens etiam duas filias, unam Alterocham (quam primam appellabimus) puberem; aliam Adjectam 2. *Species refertur.*

dictam (quam secundam dicemus) impuberem, testamentum fecit , & in eo primæ filiæ puberi dotem, quam illi tempore matrimonii dederat, domum , & hortum reliquit : secundam , quæ erat impubes, hæredem ex asse instituit, eique, si sine liberis decessisset, substituit primam filiam puberem , cum filio, quem in utero gestabat; & decessit. Tutores filiæ secundæ eam jam puberem , ut jussi erant in testamento , Petro nuptui tradiderunt , assignatis in dotem universis bonis , quæ habebat : sed ipsâ absque liberis decedente , & per consequens fideicommissi conditione adimpletâ, Petrus aliam duxit uxorem, ex qua filium suscepit ; & tertiam partem bonorum , quæ ex consuetudine ad matrem testatoris diximus pertinere , titulo donationis accepit ; aliam etiam partem tertiam , quæ ad uxorem testatoris spectabat , ob consuetudinem comparavit, & decessit. Postmodùm prima filia pubes testatoris, & filius , substituti dati , bona testatoris ex causa fideicommissariæ substitutionis sibi debita petebant à filio Petri. Tutores ejus petitionem repellebant , asserendo primò , bona titulo pro dote longo tempore fuisse possessa , & per consequens usucapta : secundò ex bonis testatoris duas tertias partes à matre , & uxore testatoris habuisse titulis donationis , & emptionis ; & ex alia tertia parte , quam petebant , quartam partem sibi competere ex Senatusconsulto Trebelliano : quibus auditis , & perpensis , judex apud quem causa disceptabatur , primò deductis omnibus his , quæ tutor deduci postulabat, reliqua, quæ supererant, restitui jussit ex causa fideicommissi filiæ primæ, & ejus filio ; à qua sententia utraque pars appellavit ad Innocentium III. Prima filia se læsam conquerendo in eo , quod duæ tertiæ partes, matris testatoris, & uxoris ejus, sibi restituere non jussisset : tutores filii Petri, quia ipsos damnavit in restitutionem bonorum , quæ supererant , cùm jam omnia essent legitimè usucapta. Pontifex judicem dedit Gregorium Cardinalem , qui in partem approbavit judicis à quo sententiam , in partem reprobavit. Emendavit in eam partem , quatenus jusserat duas tertias partes matris, & uxoris testatoris non esse restituendas , jussitque ut ex illis portionem legitimam , quæ ad primam filiam pertinebat , restituerent; quia donando, aut vendendo mater ejus , seu avia , illam prægravare non poterant. In partem approbavit jubendo , ut quæ superessent, restituerent, deductâ quartâ ex Senatusconsulto Trebelliano , in quam imputarentur fructus post contestationem litis percepti : adjecit etiam , ut deduceret & aliam quartam jure legitimæ sibi debitam. Quam Cardinalis sententiam Pontifex confirmavit ; sed quia in ea varia juris principia referuntur , & proponuntur , paraphrastico ordine textum percurramus.

3. (c) *In extremis positus condidit testamentum.*] Cùm enim voluntas hominis deambulatoria sit usque ad vitæ supremum exitum , *l. si quis* 22. *ff. de legat.* 1. usque ad illud tempus durat testandi facultas , *l.* 3. *ff. de adimend. legat. l.* 1. *C. de sacros. Eccles. l.* 25. *titul.* 1. *partit.* 6. nam sola corporis adversa valetudo consensum non tollit ; potest enim quis in extremis positus donare , & quomodocunque contrahere, *l. alumnæ* 30. §. *final. ff. de adimend. legat. l. Seja* 42. §. *cum pater , ff. de donat. causâ mort. l. si pater* 47. §. *quædam , ff. de fideicommiss. libert.* & hæreditatem adire , ut probat Baldus *in l. final.* §. 1. *C. de bonis quæ lib.* argumento textus *in l. avia , C. de jure delib.* facit textus *in l. ultim. ff. quando dies legat.* Sic similiter in ultimo vitæ tempore testamentum facere potest , & tale testamentum valebit , *l. Pamphilo* 39. *ff. de legat.* 3 §. 1. ibi : *In discrimine vitæ positum per infirmitatem.* Et *l. etsi* 5. ibi : *In discrimine vitæ constituta , C. ad Trebell. l. jubemus , C. de testament.* docent Richierius *in l.* 15. *C. eodem titul.* Carranza *de partu , cap.* 2. §. 1. *sectione* 1. licèt in articulo mortis positis permittendum non esse testamentum facere , doceat Gothofredus *in l. hac , C. eodem titul.* unde quod scribit Hothomanus *in princip. Institut. de testam.* perrarò testamenta à moribundis condi solita , verum non est , immò contrarium ex hoc textu , & similibus deducitur , & experientia docet : quod ex natura humanæ conditionis factum arbitror, quâ rarus est , nisi mortis metu admonitus, qui in testandi cogitationem deveniat : unde Valerius *libro* 7. *capite* 7. *in princip.* ait , testamentum esse actorum hominis , & præcipuæ curæ , & ultimi temporis ; nempe quia ex communi hominum more in tempus imminentis mortis differatur , ut notavi *in capite* 1. *hoc titul.* Prudentius tamen esse , non expectato vitæ discrimine testamentum condere , admonemur sacris in litteris , *Eccles. cap.* 33. *vers.* 34. & *cap.* 38. *Isaiæ.*

(d) *Reliquit cætera bona.*] Hîc disputant fusè Doctores , quomodo præteritis filiabus testamentum sustinetur , sed non rectè , cùm institutio præcessisset , & ita disputationem hanc omittimus : videndus est Covarruvias *in præsenti, §.* 1.

(e) *Et soboles quam gestabat in utero*] Difficile est quod hîc asseritur , videlicet , posthumum fuisse cum matre substitutum datum ; nam certum est , substitutionis , & institutionis causam æqualem esse , *l. mulier* 20. § *ultim. ff. de condit. institut.* sed posthumus alienus, ut est nepos, & maximè ex filia, non potest instituì, *l. posthumus* 6. *ff. de inoffic. testam. l. placet* 4. *cum l. sequenti , l. si quis posthumos* 9. *in princip.* §. 1. *l. filius* 28. §. *si quis eo tempore , ff. de liberis & posthumis* , cum aliis congestis à repetentibus *in l. Gallus , ff. de liber. & posthumis* , Gilkenio videlicet, Goveano , Boëtio Epon. Spanochio , Pichardo & Valentia, Fabro *libro* 9 *conject. capite* 2. Fachineo *libro* 10. *controv. capite* 41. Schifordeg. *lib.* 3. *tractatu* 16. *quæst.* 3. Carranza *de partu* . §. 1. *à numero* 119. Igitur substitutio posthumi in præsenti specie sustineri non poterat. Cui difficultati respondendum est, quod licèt principium illud procederet tempore medîæ Jurisprudentiæ , tamen post Justinianum posthumi institutio sustinetur , § *posthumus , Institut. de legat.* §. 1. *Institut. de bonor. possess.* Unde præsens textus accipiendus est juxta jus novum.

(f) *Si absque liberis moreretur.*] Cujus conditionis vim, & effectum exposui *in cap. in præsentia, de probat.*

(g) *Impube*

(g) *Impuberis.*] Nuntius filiæ tutores dedit, quia innupta erat, & per conſequens impubes, ut bona ejus adminiſtrarent, & præcipuè ſuo tempore illam nuptui collocarent; plerumque enim teſtatores hoc officium tutoribus injungebant, *l. tutor, ff. de ritu nupt.* aliquando indefinitè, non deſtinando ipſam certo marito; aliquando certas nuptias præfiniendo, *l. non eſt 66. ff. de ritu nupt. l. qui pupillam 7. ff. ad leg. Jul. de adult. l. pater 101. ff. de condit. & demonſtr. l. ſi patris 6 C. de interdict. matrim. l. 69. §. nuptiis, ff. de jure dot.* Hothomanus *de ritu nupt. capite 3.* Si pater non deſignavit, poteſt tutor ad libitum cui voluerit nuptui collocare, dum tamen ipſe, aut filius ejus illam in uxorem non accipiant, quia id Senatusconſulto prohibitum eſt, *l. non eſt 66. ff. de ritu nuptiar. l. ſi tutor 7. C. de interdict. matrim. l. libertum 64. l. non ſolùm 67. §. 2. l. 59. ff. de ritu nupt.* ne matrimonio contracto tutelæ adminiſtratæ rationes conturbentur: docent Franc. Hothomanus *de ritu nupt. capite 3.* Gutierrez *de tutel. 2. part. capite 12* adeo ut ſi tutor matrimonio pupillam ſibi adjunxerit, adulterii pœnâ coerceatur, *l. qui pupillam, ff ad leg. Jul. de adult.* in qua prohibitione notandi ſunt textus *in l. filium 28. §. ſi quis, ff. de liber. & poſthumis, l. tutor. 15. ff. de ſponſal. l. 4. & 17. C. de excuſat. tut. l. 17. cum l. nonnunquam 32. § ultim. ff. de adopt. l. 13. ff. de his quæ ut indign. l. unic. C. unde vir & uxor, l. uxori 27. ff. de uſufruct. legat. l. ſi concubina 17. ff. rerum amot. l. 4. & 6. C. de inceſt. nupt. cum l. ultim. C. de interdict. matrim. l. tutor, ff. de teſtam. tut.* Amplius etiam in præſenti ſpecie tutoribus teſtator injunxit, ut cùm filiam nuptui collocarent, dotem eidem aſſignarent; quod erat proprium officium tutoris, adeò ut olim fœminæ tutorem non habenti tutor daretur, ut promitteret, dicere, aut daret dotem. Ulpianus *titul. 12. regul.* ubi ait, ex lege Julia de maritandis ordinibus ei mulieri, quam ex illa lege nubere oportet, tutorem dari, ſi legitimum tutorem non habeat ad dotem dandam, dicendam, promittendam; & hic dicebatur ſpecialis tutor, *l. non tantùm, ff. de tutoribus, l. ſive generali, de jure dotium, l. mulier, C. eodem,* Antonius Hothomanus *de ritu nupt. cap. 28.* & ſimiliter aliquando præſcribebatur à teſtatore certa dotis quantitas: plerunque autem caſu juſſit teſtator, ut omnia bona dotis nomine darentur, quod plerunque in matrimoniis contingebat, *l. mulier 72 ff. de jure dot. l. 4. C. eodem tit.* quo caſu præſentia tantùm, & non futura comprehendi docuit Scipio Gentilis *de æſtimat. rerum, in fine.*

5.

6.

(h) *Jure Lombardo.*] Cujacius in præſenti exiſtimat legendum eſſe, *viro Lombardo*; quia ita legitur in quodam pervetuſto Decretalium exemplari, quod apud ipſum eſſe refert; motus etiam ex eo, quia non eſt ſpeciale jus apud Longobardos, quod præſenti deciſioni accommodari poſſit. Sed ut vulgarem litteram retineamus, ſequentia cogunt. Primum, quia ita legitur in dicta tertia collectione, & in aliis exemplaribus MSS. quæ præ manibus habeo. Deinde quia tam in nuptiis contrahendis, quàm in lucris conjugalibus communicandis, dotibus reſtituendis, & aliis ad nuptias pertinentibus, plura ſpecialiter ſunt cauta jure Longobardorum *lib. 2. titul. 1. legum ipſorum*; ex quo infrà aliqua dabimus: unde non incongruè in præſenti ſignanter exprimitur nuptias contractas fuiſſe ſecundùm jus Longobardorum.

(i) *Quæ filium ex eo ſuſcipiens tandem ſine liberis.*] Ideſt, licèt filium ſuſceperit, tamen ipsâ vivâ deceſſit, unde verè ſine liberis deceſſit: licèt enim conditio *ſi ſine liberis decedat*, deficiat, ſi gravatus ſuſceperit unicum filium, filiamve, *l. 1. C. de condit. inſert. l. jubemus 6. §. ſin autem, C. ad Trebel. l. non eſt ſine liberis 148. ff. de V.S. l. pater 101. §. 1. ff. de condit. & demonſtr.* probavi ſuprà *in capite in præſentia, de probat.* tamen ſi vivo ipſo hærede rogato deceſſerit, ita ut mortis tempore nullum ſuperſtitem habeat, conditio adimpletur, & eſt locus fideicommiſſo, *l. ex facto 17. § ſi quis autem, ff. ad Trebel.* nam qualitas liberorum adjecta verbo *Deceſſerit*, refertur ad tempus mortis, *l. 4. §. ſi extraneus, ff. de noxal.* unde in præſenti ſpecie licèt filia gravata ſuſcepiſſet unum filium, nihilominus cùm tempore mortis ſine liberis reperiretur, locus fuit fideicommiſſariæ ſubſtitutioni.

7.

(j) *Inter Alterocham, & filium ejus ex una parte.*] Ex his verbis colligitur, primam teſtatoris filiam ſimul cum filio bona poſtulaſſe, quod quidem difficile eſt ex eo, quod quando pater inſtituit filium, & nepotem ex eo, ordine ſucceſſivo inſtituiſſe creditur, ut patri primò, & eo deficiente, filio deferatur hæreditas, *l. Gallus, §. & quidam rectè, ff. de liber. & poſthumis.* Quod duplici ratione inductum creditur. Prima, propter neceſſitatem inſtituendi filium, quæ ceſſat in nepote vivente ejus patre: ſecunda, propter ordinem dilectionis, quia ſicut præſumitur pater plus diligere filium quàm nepotem; ita credendum eſt velle hæreditatem priùs filio deferri, & inde nepoti, ut docet Bartolus *in dict. §. & quid ſi tantùm, numero 4.* qui licèt pro hac ſententia adſtruenda adducat textus *in l. cùm pater 77. §. à te peto, ff. de legat. 2. l. hæredes mei 57. §. peto, ff. ad Trebel.* & ſi rectè perpendantur, ſuperiorem ſententiam non probent; non ideo tamen ab ea eſt diſcedendum, ut docent Mantica *libro 4. de conject. titul. 8.* Menochius *libro 4. de præſumpt. capite 70.* Ergo non rectè in præſenti admittuntur ſimul mater, & filius. Sed his non obſtantibus pro ſententia hujus textus, videlicet ſimul filium, & matrem admitti ad fideicommiſſum, faciunt textus *in l final. verſ. alia, C. de impuberum, & aliis, l. penult. §. inſtituto, ff. de leg. 2.* facit etiam textus *in l. ſi mulieri. ff. de uſufructu accreſc.* ubi docetur, quod ſi uſusfructus uxori, & liberis relinquatur, uxor, & liberi uſumfructum ſimul habent. Facit etiam textus *in l. ſi ego 26. ff. de acquir. hæredit.* ubi probatur, quod ſi extraneus ſimul cum filio inſtitutus ſit, in dimidiam partem illum vocari; unde docuerunt DD. idem procedere debere in nepte ſimul cum filio inſtituta. Docent, & defendunt hanc ſententiam Covarruvias *in præſenti, §. 2. per tot.* Faber *de error. decad. 33. errore 8.* Fachineus *libro 8. controv. capite 17.* quæ ſententia ſi retineatur,

8.

respondèri potest textui *in d. §. & quidam rectè*, quod institutio, de qua ibi, nullo alio modo sustineri poterat, quàm si Filius vivo testatore decessisset, & ideo facta censetur, ut admittantur ordine successivo, etsi adhuc contraria sententia potiùs placeat, pro qua facit textus *in l. final. C. de dotis promissione*, & eam defendit Nieto *in repetit. ad hunc textum.* Non obstat textus *in dict. l. penult. §. instituto, ff. de legat. 2.* ubi legatum filio, & nepoti relictum, æqualiter inter eos dividitur; quia respondetur ex voluntate testatoris in specie conjunctionem admitti, ut ex textus verbis expresè constat. Nec etiam obstat textus *in dict. l. si mulieri*; ideo enim ibi utriusque pariter accedit ususfructus, quia relictus per dictionem, *tum*, quæ magis copulat, quàm conditio, ut constat ex his quæ tradit Bartolus *in dict. §. & quidam*, & post eum Donellus *lib. 11. comment. cap. 18.* Nec adversatur textus *in dict. l. final. C. de impub.* ubi ideo admittuntur filii cum patre, quia verbis testatoris illis cautum est per dictionem illam *tum*, & quia vocati erant extranei testatoris, in quibus charitatis ordo, & instituendi cessat necessitas. Tandem nec contrarium probat præsens textus, & *in capite Raynaldus, infrà*; quia etsi in illis filii admissi fuissent cum matre, intelligitur non ad succedendum, sed ad litigandum, propter jus futurum, quod sperabant, ut probat Nieto *in præsenti.*

(k) *Ex causa fideicommissi, vel substitutionis.*] 9. Ex causa substitutionis peti non posse videtur, non ex vulgari, quia vulgaris substitutio exspirat per aditionem hæreditatis, *l. post aditam, C. de impuberum:* minùs ex pupillari, quia adveniente pubertate evanescit, *§. masculo, Institut. de pupillari*, sed utrumque in præsenti specie præcessit, hæreditatis videlicet aditio, & pubertas, cùm jam nupta, & filios habens decessisset: ergo ex substitutione peti bona non poterant. Sed respondetur de fideicommisso, seu ut aliqui volunt, de fideicommissaria substitutione sub conditione si sine liberis facta, hîc agi; licèt enim verum sit, fideicommissariam substitutionem propriè institutionem non esse, ut *ex l. quæ sub conditione 8. §. in fideicommissis, ff. de condit. instit. l tutores 39. §. hærede, ff. de administr. tut.* probant Faber *in Papinianea, titul. 12. princip. 7. illat. 32.* Goveanus *in rubrica de vulgari, numero 4. & 5.* Vultejus *in princip. Institut. eodem titul. numero 2.* Faber *libro 1c. conject. cap. 10. & de error. decad. 34. error. 2.* Osualdus *lib. 6. Donell. cap. 23. littera I.* Castillo *libro 2. controv. capite 21. numero 28.* Schifordeg. *lib. 2. tract. 6. quæst. 4. & 5.* Pichardus *ad titulum de vulgari, cap. 3. numero 3.* & à substitutione distingui fideicommissum, ejusque restitutionem ut rem diversam judicari, *§. ultim. Institut. de pupil. substit. l. recusare 6. §. Titius 5. ff. ad Trebel. l. ultim. §. sed quia 3. C. commun. de leg.* nihilominus tamen aliquando substitutio dicitur in latiori significatione, ut *in l. coheredi 41. §. quod si hæredem, ff. de vulgari, l. hæredes mei 57. §. cùm ita, & §. finali, ff. ad Trebell. l. eam quam 14. C. de fideicommiss. l. Scævola 76. ff. ad Trebel.* Manet ergo, præsentem textum accipiendum esse de fideicommisso, aut substitutione latè supra, ut Innocentius edocet, nec est cur ipsum peccasse in jure civili dicamus, ut nimis impudenter fecit Cujacius *in novella 92.* unde cavendum est ab Acosta *in cap. si pater, 1. p. verbo Hæredes, num. 14. de testam. lib. 6.* qui asserit, in præsenti textu factam fuisse substitutionem compendiosam; nam hæc sententia præsenti textui non adaptatur.

(l) *Donaverat.*] Quæ donatio quatenus valeret jure communi inspecto, seu speciali Longobardorum, exponit Jacobus Cujacius *in l. 1. C. de pactis, fol. 70.*

(m) *Præterea quartam per Trebellianum.*] Ex 10.
his verbis deducitur, tam matrem, quàm uxorem Raynuntii tertiam partem habuisse in bonis testatoris; quod difficile videtur, cùm Raynuntius reliquisset duas filias, & certum sit tam in successione testamentaria, quàm legitima primam causam esse filiorum, adeò ut illis existentibus nec mater, nec uxor admittantur, *authentica in successione, C. de legit. hæred. novel. de hæredibus ab intestato*, §. 1. quibus consonat lex 3. *titul. 13. partit. 6.* lex 10. *titul. 12. lib. 3 fori*, & lex 6. Tauri; idque naturali ratione suggerente, *l. scripto 7. §. ultim. ff. unde lib. l. cùm ratio, ff. de bonis damnat.* etsi olim mulier ducta per coëmptionem, in portionem virilem vocaretur. Ulpianus *in fragmentis, titul. 22* Revardus *ad ll. 12. Tabul. cap. 21.* quo ergo jure tam mater, quàm uxor Raynuntii in præsenti casu percepe-runt duas tertias partes bonorum ipsius testatoris? Quam difficultatem agnoverunt Glossa *in præsenti, verbo Tam tertia*, & omnes antiquiores, qui varia adduxerunt pro ejus solutione. Hothomanus *illustrium quæst* 37. existimavit, sententiam judicis in præsenti specie latam injustam fuisse, & falso niti fundamento: sed illum rectè refellit Fachineus *lib. 5. controv. cap. 11.* major autem, & supinus est error eorum, qui docuerunt; ex omnibus bonis Raynuntii tertiam partem deducendam esse matri, & aliam tertiam uxori Nec feliciùs Edmundus Meril. *lib. 1. observ. cap. 39.* præsentem textum accipit, ut eodem jure, quo uxor exigit tertiam partem bonorum mariti, etiam mater deducat aliam æqualem partem: idest sicut uxor tertiam partem conlaborationis etiam mariti detraxit ex bonis constante matrimonio quæsitis, ob consuetudinem Longobardorum; ita etiam mater aliam tertiam partem deduxit ex bonis quæsitis à patre ipsius Raynuntii constante matrimonio. Sed hæc interpretatio convincitur; nam pars hæc conlaborationis deducitur statim soluto matrimonio, *cap. 2.* ubi dicemus, *de donat. inter* Unde credi non potest, matrem Raynuntii post mortem viri sui expectasse filii mortem: quare his, & aliis omissis sententiis, verius dicendum est, uxori tertiam partem deberi, non bonorum mariti, sed conlaborationis, idest bonorum constante matrimonio acquisitorum, ob consuetudinem Longobardorum, quæ in aliis regionibus pro lege observabatur, ut apud Ripuarios *titul. 37. de dotibus*, ita cavetur: *Et tertiam partem de omni re, quam simul conlaboraverint, sibi studeat vindicare.* Et *in capitul. Caroli, lib. 4. titul. 9.* ibi: *Tertia conlaborationis.* Et *in l. Francica, capite 9.* ibi: *Volumus ut uxores defunctorum maritorum tertiam partem conlaborationis, quam simul in beneficio conlaboraverint, accipiant.* Hanc igitur tertiam partem uxor Raynuntii in præsenti specie exigit, mater autem aliam

aliam tertiam partem consequuta est, non virtute hujus consuetudinis, sed quia legibus Longobardorum non solùm filii, verùm & defuncti parentes admittuntur ad tertiam partem bonorum, *l.6. tit.14. lib.2. legum Longobard.* ibi: *Parentes proximi, aut hæredes uncias quatuor, quod est tertia pars.* Rectè ergo judex in præsenti casu jussit detrahere duas tertias partes: unam, quæ debebatur uxori virtute conlaborationis; alteram, quæ debebatur matri jure successionis: unde deducitur, in divisione bonorum Raynuntii aliam rationem esse ineundam, quàm vulgò assignant Interpretes in præsenti. Glossa enim ait, bona omnia in uncias 54. dividenda esse, ex quibus 18. hoc est tertia pars, ad matrem pertineant, ex reliquis 36. uxori 12. dentur pro tertia parte, reliqua bona ad filios spectent. Glossam sequuntur Fachineus *lib. 5. controv. cap. 1. §. denique*, Hothomanus *ubi suprà*. Sed hæc computationis ratio corruit ex suprà traditis, cùm de omnibus bonis mariti non deducatur tertia pars uxoris. Quare dicendum est, ex bonis acquisitis constante matrimonio, primò tertiam partem deduci uxori, tum ex omnibus bonis ipsius Raynuntii tertiam partem deduci matri, & reliquas partes ad filias spectare; non tamen uxorem admitti ad aliquam partem bonorum defuncti.

11. (n) *Per Trebellianum.*] A tempore legis decemviralis usque ad tempora Augusti fideicommissa adeò infirma erant, ut penderent tantùm ex pudore & verecundia hæredis rogati, ita ut si ipse vellet, præstaret, nec ulla necessitas solvendi erat, §. 1. *Institut. de fideicommiss.* Cujacius *ad Novel. 1. & lib.15. qq. Papin. in l. 11. ff. de his quæ ut indign.* unde naturaliter tantùm debebantur, quia obligatio naturalis ex pudore, & æquitate æstimatur, *l. Stichum, §. naturalis, ff. de solut. l. cùm amplius, §. is natura. ff. de reg. jur.* postea ab eodem Augusto statutum fuit, ut vires haberent, cogerenturque hæredes ad eorum præstationem, proprio constituto Prætore, qui de fideicommissis jus diceret, *dicto princip. Institut. l. 4. in fine, ff. quibus ad libertatem proclamare, l. 2. C. qui potiores.* Ulpianus autem *in fragmentis, tit. 25. §. fideicommissa*, dum scribit de fideicommissis cognitionem fuisse in Provinciis Præsidum Provinciarum, in urbe Consulum, aut Prætoris fideicommissarii, ita accipiendus est, ut de minoris pecuniæ fideicommissis Consules; de cæteris Prætores fideicommissarii cognoscerent. Quintil. *lib.3. Institut. cap 8.* ibi: *Non debet apud Prætorem petere fideicommissum, major enim prætoria cognitione summa est.* Facit textus *in l. penult. §. 1. ff. de jurisdict.* docent Cujacius *lib.21. observ. cap.* 34. Hothomanus *in d. princip. Institut.* immò & aliquando Imperatorem de fideicommisso magnæ quantitatis cognovisse, constat *ex l.26. ff. de probat.* Ammian. Marcel. *lib.2.* Sed etiam mutatâ naturâ fideicommissorum, nomen remansit, ut in aliis juris casibus contingere jam notarunt Donellus *lib. 7. comment. cap* 15. Fornerius *lib.2. select. cap.* 9. sed cùm per additionem hæredes rogati oneribus hæreditariis implicarentur, ita ut omnes actiones activæ, & passivæ in ipsos, & contra ipsos darentur, *l. 2. C. de hæredit. action.* quia qui semel hæres est, non potest desinere esse hæres, *l. et qui 88. ff. de hæred. institut.* ideò Æneo Seneca, & Trebellio Consulibus factum est Senatusconsultum Trebellianum, quo cautum fuit, ut legis ministerio omnes actiones in fideicommissarium transirent, *l.1. §. 1. l. restituta, §. eodem, ff. ad Trebel.* & sic fideicommissarius loco hæredis habebatur, *l.2. l. ex asse 28. l. postulante 44. ff. ad Trebel.* Sed quia adhuc satis prospectum non erat hæredibus rogatis, qui ob nullum, aut minimum lucrum recusabant hæreditatem adire, & sic fideicommissa intercidebant, aliud Senatusconsultum factum fuit Consulibus Pusione, & Pegaso, quo duo statuta fuerunt. Primum, ut hæredes ultra dodrantem restituere gravati, quartam partem sibi retinerent, ut hoc præmio quartæ invitati, hæreditatem adirent, *§. sed quia, Institut. de fideicommiss. hæredit.* Secundum, ut possent cogi hæreditatem adire, & restituere. Et quia hæc quarta inventa fuit ad exemplum Falcidiæ, solet quarta Falcidia appellari, *l. cohæredi 41. §. cum filiis, vers. Quod si, ff. de vulgari, l. Titia 86. ff. ad leg. Falcid. l. ita tamen 27. §. quid si Mævius, ff. ad Trebel.* & cùm Imperator Justinianus Senatusconsultum Pegasianum transfudisset in Trebellianum, ideò quarta Pegasiana dicitur Trebellianica in hoc textu, & *in cap. si pater hoc tit. lib. 6.* ad quod Senatusconsultum Trebellianum spectant textus *in l. si mulier 59. ff. de jure dotium, l. si post constitutam 22. ff. de constit. pecun. l. ultim. de transact. l. acceptis 93. ff. ad leg. Falcid. l. 8. §. ult. ff. de legat. 2. l. 29. ff. de testam. milit. l. 4. §. ultim ff. de bonis libert. l hæres 21. ff. de fidejuss. l. 15. §. 1. ff. ut legat. l. Stichum 95. §. aditio, ff. de solut. l. Plautius 43. ff. de condit. & demonstr. l. 1. §. hæc actio. ff. depositi, l. 23. & 24. ff. ad Syllan. l. 1. §. si prætextu, ff. quando actio de pecul.* Quare rectè in præsenti specie jussit Judex quartam deduci. Hæc tamen quarta hæreditatis est, non verò bonorum, *l. si legatus 30. §. 1. ff. ad Trebel. l. 1. & 2. C. eod. tit.* Costa *in dicto cap. si pater, verbo Trebellianicæ*, Faber *de error. decad. 11. error. 2.* Unde pro ea parte remanet obligatio æris alieni penes hæredem rogatum. Nec contrarium docetur *in l. etsi fine, C. ad Trebel.* ad cujus solutionem videndus est Carballo *in cap. Raynaldus, 1. p. numero 94. hoc tit.* Aliquando tamen hæc quarta deduci non potest, veluti si ejus detractionem testator prohibeat, *authent. sed cùm testator, C. ad leg. Falcid.* docent Donellus *lib.7. comment. cap.29.* ubi Osualdus *littera A.* Galbanus *de usufructu cap. 20. in fine*; aut si testator miles sit, *l. in testamento 12. C. ad leg. Falcid* cui ne obstet lex 1. *§. in filii, ff. ad Trebel.* videndus est Valentia *tom. 1. illustr. tract. 2. cap. 5.* vel si Princeps rogatus sit restituere, *l. ex asse, § ultim. ff. ad Trebel.* & in aliis casibus congestis à Menchaca *de succes. progress. §. 27. num. 21.* Petro Gregorio *lib. 42. syntagm. cap. 5. num. 8.* Peregrino *de fideicommissis artic. 3. num. 63.*

12. (o) *Ab illa sententia provocavit.*] Utraque pars appellavit à sententia inferioris pro ea parte, pro qua gravata erat, ut *in l. 1. & ultim. C. de appel. cap. 18. vers. Utraque, hoc tit.* appellavitque ad Romanum Pontificem, quia ut suprà notavi, Tuscanella quoad spiritualia, & temporalia paret Romanæ Ecclesiæ. Innocentius autem causæ cognitionem commisit Gregorio S. Mariæ in Porticu Cardinali Diacono, cui graviora negotia ipse delegabat, ut refert Spondanus *in continuatione Baronii, anno 1199. num 8.*

13. (p) *Tertias deducendas.*] In hac parte injustam

dixit judex sententiam, quia licèt duæ tertiæ partes deducendæ essent, non tamen integræ, sed ita ut portio legitima præstaretur Alterochæ, & pro ea parte rescinderentur tam donatio, quàm venditio. Et ut hoc juris principiis conveniat, supponendum est, donationem fuisse inofficiosam, & venditionem simulatam, sine pretio, donandi animo factam; tunc enim filia poterit revocare donationem pro parte suæ legitimæ, *l. 1. & per totum C. de inoffic. donat. l. 4. C. de contrahend. emption.* docent Vinius *lib. 2. select. cap. 33.* Raguellius *in l. 25. C. de donat. inter* Hunnius *ad Trentl. volumine 2. dissut. 20. quæst. 52.*

14. (q) *Ut legitima portio.*] Quæ variis nominibus appellatur: debita portio *in l. Papinianus, §. quoniam, ff. de inoffic. l. scimus, C. eodem*: portio legitima *in l. omni modo, l. quæ nuper, C. eod.* debitum bonorum subsidium *in l. si totas, C. de inoffic. donat.* quarta naturæ *in l. cùm ratio, ff. de bonis damnat. l. scripto, ff. unde liberi*: portio substantiæ apud D. Lucam *cap. 15* ubi ajebat filius Prodigus: *Pater da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit.* Sic & *l. si quis 33. C. de inoffic.* Illustrant Osualdus *lib. 19. Donelli, cap. 4. littera T.* Mancinus *de legitimæ, q. 1.* Merlinus *eod. tract. q. 1 lib. 1.*

15. (r) *Jure naturæ.*] Valde controversum est, an portio legitima debeatur filiis jure naturali, an verò civili? Et jure civili eam deberi, atque inductam fuisse, docent Gailius *lib. 2 practic cap. 22.* Rodericus Suarez *in l. quoniam, limit. 2 numero 2.* ubi Valdes *littera A.* Petrus Gregorius *lib. 44. syntagm. cap. 4.* Menchaca *de succes. creat. §. 20. num. 298.* Tellus Fernandez *in l. 10. Tauri, num. 4.* Costa *in cap. si pater, verbo Privare 33. p.* Sarmient: *lib. 2. select. cap. 4.* Faber *de error. decad. 14. error. 5. & decad. 74. error. 7.* Borel. *tom. 3. decis. titul. 14.* pro quibus faciunt sequentia juris principia. Primum, nam si legitima deberetur jure naturæ, non posset tolli aliquo in casu: sed plerunque non præstatur: igitur quia non provenit à jure naturæ. Probatur minor, primò in filiabus, quas olim Patres impunè præteribant, §. 1. *Instit. de exhæredat. liber* & in filiis justè exhæredatis, qui nec prætorio admittuntur ad successionem, *l. non putavit 8. ff de bonor. possess. contra tabul.* in filiis, qui ante Orphicianum non admittebantur ad matris successionem, *l. ex testamento, C. ad Orphic.* Deinde nam si deberetur jure naturali, non posset juramento remitti: sed validè cum juramento renunciari potest: ergo quia ejus obligatio non provenit à jure naturæ. Contrariam sententiam, immò legitimam jure naturali filiis deberi, docuerunt Donellus *lib 19. comment. cap. 4.* Cuacius *in Novella 18.* Vultejus *in §. penult. Instit. de inoffic.* Molina *lib. 1. de primog. cap. 1. numero 16.* Pichardus *in rubric. de hæredit. quæ ab intest. numero 61.* Spino *de testam. gloss. 17. numero 19.* Larreatigui *lib. 7 select. cap. 6.* Valascus *de partition. cap. 17. & 18.* pro qua sententia faciunt textus *in cap. si pater, hoc titul. in 6. cap. jus naturale, 1. distinct. l. cùm ratio, ff. de bonis damnat. l. scripto, §. ultim. ff. unde liberi, l. nam & si 15. ff. de inoffic. l. final. ff. quorum bonor. authent. de hæred. & Falcid. §. primum igitur.* Deinde nam legitima succedit loco alimentorum, ut latè probat Valentia 3. *tom. de liber. & posthum. cap. 1.* sed alimenta filiis naturali lege debentur, *l. 1. §. jus naturale, ff. de justitia & jure*, post Surdum, Laram, & Castillum probat Fragoso *tom. 3. de regim. Christ. Reip. lib. 4. disput. 1.* ergo & legitima. Tertia sententia est eorum, qui discrimen constituunt inter substantiam legitimæ, & ejus quotam partem. Quoad substantiam ajunt esse juris naturalis, quoad quotam verò partem esse juris civilis: ita docuerunt Cujacius *in Novella 18.* Vultejus *in §. penult. Instit. de inoffic.* Roxas *de succes. cap. 7. numero 7.* Covar. & alii, quos referunt, & sequuntur Valdes *ad Roderic. Suarez ubi suprà, littera A.* Pichardus *in rubric. instit. de hæredit. quæ ab intestato, numero 61.* Pacius Methodic. *ad Codicem, titul. 28. cap. 6 numero 30.* Quâ opinione retentâ non obstant prioris sententiæ fundamenta. Non primum, nam quamvis verum sit, patrem non teneri, mediâ Jurisprudentiâ attentâ, filias instituere, aut nominatim exhæredare, ideò licèt præteritæ fuissent, testamentum valebat; non ex eo dicendum est, legitimam fuisse sublatam filiabus, quia illæ succedebant præteritæ patribus jure accrescendi; & si fratres fuissent instituti in testamento, in quo præteritio filiarum continebatur, succedebant filiæ in virilem, seu æquam portionem, cum cæteris fratribus; & si extranei fuissent instituti, filiæ præteritæ dimidiam partem hæreditatis auferebant, ut constat ex Ulpiano *in fragmentis, titul. 22. §. scriptis*, Paulo *lib. 3. sentent. titul. 4. §. filio*, Cujacio & Theophilo *in § 1. Instit. de exhæred. liberor.* ubi videndus est Hothomanus, Gilkenius *in l. maximum vitium. C. de liberis præteritis.* Sed & illam differentiam inter præteritionem filiorum, & filiarum sustulit Justinianus *in l. maximum, C. de liber. præterit.* ubi eos, qui has differentias introduxerunt, meritò appellat naturæ accusatores, quasi naturam accusent, cur non omnes masculos generaverit. Nec obstat difficilis auctoritas *Numeror cap. 27.* quam pertransierunt juris Interpretes, aut ei non rectè responderunt. Sed ex Theologorum sententia respondendum est, apud Hebræos filios tantùm masculos vocatos fuisse ad possessiones paternas, quæ erant bona immobilia, non filias, ex eo, quod volebat Deus certitudinem familiarum conservari, propter Messiam, ad cognitionem veritatis; nam cùm Prophetæ dixissent, Dominum nostrum Jesum Christum nasciturum de tribu Juda, & semine David, ad convincendos Judæos unaquæque tribus & familia habuit distinctas possessiones, quæ non poterant vendi in perpetuum, aut alienari, ut constat ex Levitico, *cap. 25.* ideò Christo vivente fatebantur Judæi ipsum de tribu Juda ortum fuisse: cùm autem familia non posset conservari in fœminis, quæ sunt fines familiarum, & transeunt in familiam mariti, & earum filii maritorum, non ipsarum nomen sumunt, & sic possessio unius stirpis in aliam transibat, & confundebantur familiæ, meritò ad filias non pertinebat hæreditas patris, nisi in defectum filiorum: ad filios autem pertinebat, quia hi conservant familiam patris, & hæreditatem transmittunt ad posteros cum nomine familiæ. Quæ solutio colligitur ex his quæ tradit Abulensis suprà, *cap. 27. Numeror. q. 3. 4. & 22.* His addendum censeo, nullo modo potuisse filias Israël queri de hac justissima lege, quia propter rationes suprà adductas dicendum est, Domini esse terram, & omnes habitantes in ea, *Deuteron. cap. 10.* ibi: *Domini*

Dei

Dei tui cœlum, & terra, & omnia quæ in ea sunt. Quam terram dedit hominibus, *psalmo* 113. beneficii loco Judæis terram Promissionis, ut constat ex capite 4. & sequentibus Deuteronomii, & capite 9. ibi: *Nec dicas in corde tuo: Propter injustitiam meam introduxit me Dominus, ut terram hanc possiderem.* Datam tamen fruendam, quamdiu Dominus voluisset, ita ut in dominio Dei terra maneret, juxta illud Psalmi: *Domini est terra, & plenitudo ejus.* Videndus Donellus *lib. 2. comment. cap 4* Quare rectè potuit Deus, qui gratias terram Promissionis dedit, vocare filios Judæorum ad possessiones paternas, exclusis filiabus. Ex quibus satisfactum est superiori difficultati, circa quam hæc scribere volui; quia alii difficultate perterriti omiserunt respondere. Nec ex eo mihi imputari potest, quod in alienam messem falcem immiserim, cùm proprium sit eorum, qui jura interpretantur, omnium doctrinarum notitiam attigisse. Non obstat secundum argumentum, quo probatur legitimam posse tolli filio exhæredatione paterna, *d. authent. ut cùm, de appellatione cognosc §. aliud quoque capitulum, & §. causas, collat.* 8. Respondetur enim filios posse paterna hæreditate privari propter quatuordecim causas contentas *in §. causas*, quod ratione naturali sit, non solùm jure civili: nam cùm filii parentibus debitam reverentiam jure naturali exhibere teneantur, *l. veluti erga Deum 2. de justitia, & jure*, quos veluti Deos venerari tenebantur jure Romano, Fornerius *lib. 1. select. cap* 14 Connanus *lib. 2. controv. cap.* 13. *numero final.* latè Solorzanus *de parricid. crim. lib. 2. cap. 2. pag.* 109 & 110. summâ cum ratione factum est, ut filii erga parentes ingrati quacunque ex quatuordecim causis *in dicto §. causas*, expressis, possint exhæredari; vincit enim ratio ingratitudinis rationem alteram naturalem, quâ legitima debetur filiis in bonis parentum, & hæc veluti inferior illi cedit. Costanus *lib. 1. qq. juris, cap. 15. numero* 21. Pichardus *in rubric. Institut. de hæredit. quæ ab intestat. deferuntur, numero* 61. impius Bronchorst. *cent. 1. miscel. controv. adject.* 25.

16. Nec obstat tertium argumentum ex quo dicebamus, ante Senatusconsultum Orficianum non habuisse filios legitimam in bonis maternis, quo etiam præcipuo argumento movetur Antonius Faber *ubi supra*, cùm affirmaret, legitimam filiorum esse juris civilis, ideò in totum tolli posse lege, vel statuto. Quia respondetur, quod licèt filii ad hæreditatem maternam non vocarentur ex lege XII. Tabul. ex ea ratione, quia non erant sui hæredes, Ulpianus *in fragment. titul. 26. §. 7.* tamen vocabantur alio jure, prætorio videlicet, ex titulo *unde cognati*, ut constat *ex princip. Instit. de Senatusconsulto Tertylliano.* Prætor enim æquitate motus eos admittebat, *l. 2. ff. unde cognati*, Petrus Gregorius *lib. 45. syntagm. cap. 2. à num.* 3. Osualdus *lib. 9. Donelli. cap. 2. littera A.* donec factum fuit Senatusconsultum Orficianum anno Christi 161. ex quo admittuntur filii ad successionem matris, ut mater admittatur ex Tertylliano ad successionem filii, ut probavi *in cap. constitutus, de in integrum restit.* Nec obstat ultimum fundamentum deductum ex dicto capite *quamvis pactum*, cui respondent Bronchorst, & Costa *ubi supra*, in ea specie dotem filiæ obtinere locum legitimæ portionis, *d. l. quoniam*, & filiam dote acceptâ, licèt modicâ, renunciasse cum juramento hæreditati paternæ; ac proinde cùm non renunciasset in totum legitimæ, sed quotæ legitimæ, juramentum est observandum, siquidem legitima est juris naturalis, non verò quota legitimæ.

Manet ergo, legitimam filiorum quoad substantiam esse juris naturalis, non quia legitima sit debita efficaciter ex jure naturali, sed quia causa pietatis naturalis eam induxit, & quasi extorsit à jure hanc obligationis efficaciam; unde nec statuto, aut consuetudine in totum tolli poterit. Fachineus *lib. 5. controv. cap.* 32. Covar. *de matrim. 2. p. cap. 8. §. 6.* Molina *de primog. cap. 1. num.* 10. Borellus *ubi supra*, Sarmiento *lib. 2. select. cap.* 14. *num.* 6. Osualdus *d. cap.* 4. Donellus *duplici litera T.* Matienzo *in l. 2 gloss. 1. num. 3. lib. 5. recopil.* Similiter nec Principem eam in totum tollere posse, docuerunt plures relati à Valdes *ad Rodericum Suarez in d. l. quoniam, ampliat.* 10. unde cùm concedit facultatem instituendi majoratum, semper adjicit clausulam illam; *Dum tamen alimenta cæteris filiis relinquantur.* Molina *d. to lib. 2. cap.* 15. Potorit tamen portio legitimæ minui statuto, vel à Principe; quia cùm lege civili portio hæc taxata sit, alia lege augeri, vel minui valet. Molina *dicto lib. 2. cap. 1. num.* 11. Gomez *in l. 40. Tauri, num.* 47. Sed qua lege civili quota pars legitimæ assignata sit, satis dubium est. Goveanus *lib. 2. variar. cap.* 1. Duarenus *ad tit. de inoffic.* & Balduinus *in §. in quartam, Instit. eodem* taxationem illam à lege Falcidia provenire docuerunt. Donellus *d. lib. 19. cap.* 4 & Hothomanus *exercit. cap.* 4. legitimam ad exemplum legis Falcidiæ introductam esse ajunt. Concius *lib. 1. succes. cap* 3. Revardus *de auctorit. prudent. cap.* 2 & Hortensius *in princip. Instit. de inoffic.* putant eodem jure, quo introducta est querela, moribus videlicet, eodem jure introductam esse quotam legitimæ. Cujacius *lib. 3. observ. cap.* 8. hanc taxationem repetit à quadam constitutione D. Marci: sed meritò ab ea sententia discessit *in notis ad Paulum lib. 3. cap. ultim.* ubi agnoscit hanc quartam antiquiorem esse. Quod etiam ex Plinio probat Revardus *ubi supra*, unde credit Cujacius, fortassis quotam hanc ad legem Gliciam referri, de qua *in epigraphe legis 2. ff. de inoffic.* Wisembach. *d. stut.* 23. *numero* 3. ingenuè fatetur, se hoc ignorare, ego assentio Cujacio, quia licèt capita legis Gliciæ non extent, tamen in ea de legitima filiorum agi docuerunt Pancirola *lib. 2. var. cap.* 23. Cujacius *lib. 2. observ. cap* 21. & *lib. 3. cap. 8.* & *lib. 4. cap.* 14. Hunnius *ad Treutler. volum. 1. disput. 13. q. 1.* Avendanno *de metu lib. 2. cap. 9.* Didacus Perez *ad titul. de inoffic. testam.* Superest ut exponamus quænam, seu quota portio hæreditatis pro legitima filiis assignata esset? Et jure Digestorum, ac Codicis quartam partem ejus portionis, quam quis habiturus erat ab intestato, fuisse legitimam filiorum, constat *ex l. Papinianus 8. cum suis §§. ff. de inoffic. l. cùm quæritur 6. l. parentibus 8. C. eodem.* Sed postea jure novo authenticorum sancitum fuit, ut pater, qui unum, duos, tres, vel quatuor filios haberet, trientem, id est quatuor uncias illis relinqueret; si plures, sex uncias, id est semissem illis præstaret, *authent. de triente, §. 1. authent. novissima, C. de inoffic.* docet Faber *de error. decad. 11. errore 9.* Jure nostro Regio omnia bona tenetur pater filiis relinquere, ex-

17.

cepta

ceptâ quintâ parte, de qua disponere potest, *l. 28. Tauri, l. 12. titul. 6. lib. 5. recopil.* ubi exponunt Matienz. & Azeved. Jure verò Longobardorum, de quo in præsenti textu, si pater duas habeat filias, ut in præsenti casu, dimidia pars hæreditatis illis debetur, *lib. . tit. 20.* ibi: *Ut filiæ medietatem hæreditatis habeant.* Unde verba illa, *legitimâ portio*, referenda sunt ad dimidiam hæreditatis partem; & cùm legitima debeatur filiis, tam jure naturali, quàm civili, creditores respectu legitimæ dici possunt, siquidem illam extorquere valent ab invitis, nisi justis ex causis exhæredati reperiantur, *l. cùm ratio 7. ff. de bonis damnat.* creditores enim appellantur, qui debita extorquere possunt quocunque efficaci remedio à jure prodito, per quod obligatio naturalis ad effectum exactionis possit perduci, *l. creditores 10. ff. de verb. signif.* Sed nihilominus absolutè, & propriissimè filii creditores non sunt, quia hæc obligatio pietatis non adstringit bona parentum, nec majus vinculum inducit, quàm memoriæ, & miserationis filiis exhibendæ in morte, ut habeant undè se alant, nec ipsis præferantur extranei: sed reverentiæ paternæ datum est, ne filii vivis parentibus de bonis ipsorum soliciti sint, nec se præbeant acerbos creditores: sin priùs, esse voluntatem patris de rebus suis disponentis, instar legis *servat*; sin vultur expecta cadaver: verba sunt Ant. Roberti *lib. 3. judic. cap. 6.* quare filius queri non potest de donationibus à patre factis, nec de aliis alienationibus, *l Papinianus 8. §. quarta 9. ff. de inoffic. testam* quia hæc quæ proveniunt ex pietate, non ex jure, sed æquitate potiùs, quàm acerbitate mensuranda sunt, ut docent utrique Faber, Antonius *in Papin. titul. 3. princip. 2. illat. 3.* Petrus *lib. 2. semestr. cap. 1.* in quo à legitima patronis debita distat legitima filiorum, parentumque, quippe patronis datur Faviana, & Calvisiana ad revocandas alienationes in ipsorum fraudem factas à libertis, *l. 1. & final. ff. si quid in fraud. patron.* quia hoc est debitum rigorosum, & legale, ut quarta quæ impuberi adrogato debetur ex constitutione D. Pii, *d. l. ultim.* quæ æris alieni loco deducitur, *l. Papinianus 8. §. si quis impubes 15. ff. de inoffic.* magisque confiderunt vetera jura de pietate erga filios, parentesve, quàm de gratitudine erga patronos, aut amore erga impuberes adrogatos: cujus differentiæ alios effectus referunt Classici *in l. 1. §. si impubere 21. ff. de collatione bonorum*; Molina *lib. 1 de primog. cap. 16. ex numero 7.* ubi addentes; Alvar. Valasc. *de partit. cap. 22. numero 21.* Noguerol. *alleg. 27. numero 2. & 3.* unde non placet nimia æquiparatio, quam inter utramque legitimam facit Carballo *de una & altera quarta, 1. p. num. 5. & 6.*

18. (f) *Fructus de bonis ipsius.*] In hac parte approbavit Judex superior sententiam inferioris, quia potest partim illam approbare, & partim reprobare, *cap. cùm Joannes 10. de fide instrum. cap. Raynaldus, hoc tit. l. ultim. C. de jurepatron.* Disputant repetentes *in præsenti*, quæ legata, seu similes obventiones imputentur in quartam Trebellianicam: quod fusè etiam examinant Donellus *lib. 7. cap. 30.* ubi plures Osualdus, Carballo *in dicto cap Raynaldus, 4. p. cap. 3. per totum.* Sed nos de fructibus tantùm imputandis, vel non, breviter agemus: & circa hanc difficilem quæstionem, & ut dissidentia jura Doctores componant, varios casus distinguunt, ut constat ex traditis à Gomezio *lib. 1. variar. cap. 15. num. 13.* Peregrino *de fideicommiss. art. 49. per totum.* Cujacio *lib. 20. qq. Papin. in l. 3. §. nonnunquam, de usur & lib. 12. observ. cap. 10* Donello *ad tit. de usuris, cap. de fructibus, & lib 7. comment. cap 25.* Fabro *de error. decad. 11. error. 3. & lib. 7. conject. cap. 3. & 4.* Carballo *dicto cap. 3. num. 50* Primus est cùm fructus sunt percepti ante hæreditatis additionem: tunc enim augent hæreditatem, & veniunt in restitutionem, *l. ita tamen 27. §. . ff. ad Trebel. l. item 22. §. non solùm, ff. de petit. hæredit. l. 2. C. eodem tit.* cùm enim efficiantur unum simul cum hæreditate, tenetur hæres simul restituere. Costa *in cap. si pater, verbo Obliqua, hoc tit. in 6.* immò & si pendeant tempore additionis, veniunt etiam in restitutionem, *l. Centurio 15. ff. de vulgari, dicta l. ita tamen 27 §. 1. l. in Falcidiam 9 ff. ad leg. Falcid.* textus optimus, qui ex hoc principio lucem accipit, *in l. uxori 24 ff. de usufructu legat.* fructus enim pendentes pars rei censentur, *l. fructus ff. de R. V. l. Julianus, §. si fructibus, ff. de action. empti, l final. §. fructus, ff. quæ in fraudem.* Secundus casus est, cùm jam est hæreditas adita; & hæres simpliciter rogatur eam restituere; tunc enim fructus lucro hæredis cedunt, nec veniunt in restitutionem, *d. l. in fideicommissum; d. l. ita tamen, §. 1. dicta l. postulante 44. ff. ad Trebell.* docent plures relati à Carballo suprà, *num. 52.* qui ita exponunt textus *in l. 2. §. 1. ff. de petit. hæredit. l. item, §. item ff. eodem, d. l. ita tamen. §. si servum.* Hi enim fructus non hæreditati, sed ipsis rebus accepto feruntur; unde cùm hæres tantùm restituere teneatur quæ sunt hæreditaria bona; & fructus hæreditarii non sint; eos non restituit. Quod etiam procedit etsi testator dicat; *Quidquid ad te ex hæreditate perveniat, restituas: l. quod his verbis 83 ff. ad leg. Falcid l. hæredes mei 56 ff. ad Trebellianum*, Carballo *ubi suprà; numero 58* ubi exponit legem *Ballista 32. ff. ad Trebel.* sive adjiciat *Quicquid supererit ex bonis*; tunc enim tantùm fructus superflui debent restitui, *l. deducta 58. §. penult. ff. ad Trebel.* & tunc ne obstet lex 3. *§ nonnunquam; ff. de usuris*; videndus est Carballo *ubi suprà, numero 62.* Tertius casus est ubi fructus post moram percepti fuerunt; nam hæc hæredi nocet, *d. l. in fideicommissum, d. l. postulante 44. l. 3. in princip. de usuris*; & tunc fructus restituit, *dicta l. ita tamen, §. 1. l. uxori 24. ff. de usufructu legat. l. si quis 23. l. cùm res 43. §. ultim. ff. de legat. 1. l. patronus, ff. de legat. 3. l. Titia 87. l. si quis servum 84. ff. de legat. 2.* Donellus *dicto lib. 7. cap. 26.* Carballo suprà *numero 66.* & cùm per litis contestationem constituatur reus evidenter in mora, *l. item 20. § petitam. ff. de petit. hæredit.* fructus post litis contestationem percepti in restitutionem veniunt; ut docet Innocentius in præsenti; cui consonant textus *in l. 1. & 3. C. de usur. & fructibus, l. quæsitum 43. §. ultim. ff. de legat. 1. l. 37. tit. 9. partit. 6.* Et licet in præsenti textu legatur; *à tempore litis contestatæ*, non ideò negatur; & ante & post interpellationem constituti hæredem in mora; ut docetur *in l. si quis servo 86. l. Titia 89. §. usuras, ff. de legat. 2.* His suppositis circa præsentem quæstionem, an fructus imputentur in quartam, discrimen est constituendum inter eum casum, in quo fructus ab hærede percipiuntur ex judicio testatoris; & inter

inter eum, in quo percipiuntur ob negligentiam fideicommissarii, quia videlicet hæreditatem petere neglexit. Primo casu fructus percepti imputari debent, *l. deducta* 58. §. *ante diem*, *ff. ad Trebel. l. quod bonis* 15. §. *fructus*, *ff. ad legem Falcidiam*; nisi sint filii hæredes instituti, & rogati, *l. jubemus, in princip. & §. ult. C. ad Trebel.* Secundo verò casu fructus interim percepti imputantur, *l. mulier* 22. §. *si hæres*, *ff. ad Trebel.* ideò autem in præsenti casu Innocentius jussit fructus perceptos imputari, etsi filia rogata esset, quia moram commiserat, & tunc restituit fructus sicut quilibet extraneus, & per consequens eos imputare tenetur. Latiùs prosequitur Carballo *ubi suprà.*

19. (t) *Non potuit aggravare.*] Patrem non posse ullum gravamen, etiam temporis, vel conditionis apponere in legitima filiorum, docetur *in l. quoniam, l. omni modo* 30. *l. scimus* 36. *C. de inoffic. l.* 11. *tit.* 4. *partit.* 6. Illustrant Hothomanus *de quarta legitima*, Connanus *lib* 4. *comment. cap.* 10. Donellus *dicto lib.* 19. *cap.* 4. Jul. Pacius *in method ad Codicem, lib.* 3. *tit.* 28. *cap.* 6. Menchaca *de succes. creat. §.* 10. Costa *lib.* 1. *select. cap.* 13. *num.* 3. & 4. & *in §. & quid si tantum*, 4 *p. num.* 47. Molina *lib.* 2. *de primog. cap.* 1. plures Carballo *ubi suprà*, *num.* 551. Osvaldus *dicto cap.* 4. Donellus *duplici littera N.* Vinius *lib.* 1. *select. cap.* 22. Ratio est, quia legitima non ex judicio patris, sed ex legis provisione debetur; unde gravamen legitimæ impositum pro non scripto habetur, argumento legis *ab eo*, *C. de fideicommiss.* Unde non potest ususfructus legitimæ alii relinqui, ut contra Cæpollam defendit Arnoldus Vinius *lib.* 1. *select. cap.* 22. & cùm fideicommissum inter gravamina enumeretur, *l. cohæredi*, §. *si filiæ*, *ff. de vulgari*, inde ex legitima fideicommissum relinqui non potest: quod adeò verum est, ut si reciprocum sit, non subsistat, abrogatâ jam lege *si pater* 12. *C. hoc tit.* docent Rodericus Suarez *in dicta l. quoniam, ampliat.* 6. Petrus Gregorius *lib.* 44. *syntagm. cap.* 5. *num.* 18. Donellus *dicto cap.* 4. Sed hæc doctrina nobilem patitur exceptionem, videlicet nisi filius consentiat gravamini; tunc enim illud adimplendum est, *l. si quando*, §. 1. *C. de inoffic. l. multi*, *ff. de liber. & posthum. l. cum donationis*, *C. de transact.* quo modo vulgò accipitur textus *in cap. licèt*, *de voto*: docent Covar. *in cap. Raynaldus*, §. 2. Menchaca *lib.* 1. *de succes. creat.* §. 10. Valdes *in addit. ad Suarez, dicta ampliat.* 10. *littera H.* Antonius Gomez *lib.* 1. *variar. cap.* 11. *num* 31. Gutierrez *de juram.* 1. *p. cap.* 19.

20. Exponitur *si pater, hoc tit. in* 6. Sed suprà traditis primò obstat textus *in cap. si pater, hoc tit. in* 6. ubi ait Bonifacius, patrem qui filiam in re certa instituit, & filium in reliquis bonis, adjiciens, ut filiâ impubere decedente, filius sit hæres; et si filius ante eam ætatem decesserit, filiæ succedat; & si utrumque decedere contingat, ad pauperes universa bona deveniant, utiliter disponere, ita ut mortuis filiis pauperes admittantur ad omnia bona, nec eo casu matrem detrahere legitimam ex bonis filiorum, nec filios deducere partem, quæ ex lege conceditur illis in bonis patris: unde deducitur, posse filios privari legitimâ sibi debitâ per patrem. Cui difficultati respondendum est, ideò in ea specie substitutionem utilem esse quoad omnia bona, quia nihil per eam filiis adimitur, sed illis datur hæres, honórque adjicitur; unde non rectè ex hac causa de patre querunt, *l. Papinianus* 8. §. *si quis impuberi*, *de inoffic.* Donellus *lib.* 19. *cap.* 4. *Costa in dicto cap. si pater, verbo Debitæ, num.* 14. Nec potest mater de inofficioso agere, quia non filiorum, sed patris testamento excluditur; unde succedit regula *in dicta l. Papinianus*, §. *sed nec impuberi*; ideò licèt ab ipsis nequeat privari successione legitimæ, à patre excludi potest virtute substitutionis pupillaris, quæ testamentum patris continet; *l. patris & filii* 20. *de vulgari*, *l. in ratione* 11. §. *quod vulgò*, *ad legem Fal. idiam*; per quam substitutionem capiunt pauperes non solùm ea bona, quæ ex parte ad filios pervenerunt, sed etiam aliunde quæsita, ut contrà Menochium *lib.* 4. *de præsumpt. cap.* 38. defendit Fachineus *lib.* 4. *controv. cap.* 42. quia ad substitutos pupillares universa bona pertinent pupilli, *l. sed si plures* 10. §. *ad substitutos*, *ff. de vulgari*, ne aliàs partim testati, partim intestati decedant; obtinentque justè bona, quia ab eo illa accipiunt, qui disponendi facultatem habet. Nec huic interpretationi obstat quod in præsenti textu iisdem ferè verbis testator usus fuit in substitutione, quam fecit in favorem primæ filiæ, & non per fideicommissum dedisse creditur hæreditatem: ergo similiter *in dicto cap. si pater*, illa substitutio fideicommissaria judicanda non erat. Nam omissâ solutione eorum, qui volunt prædictam substitutionem in his juribus factam fuisse compendiosam, cujus effectus est, ut in vim directæ valeat intra tempora pubertatis, postea verò in vim fideicommissariæ; dicendum est, magnum discrimen versari, cùm testator ita disponit: *Filia impubes hæres esto, & si sine liberis decesserit, alia pubes in bonis succedat*; ac si dicat: *Filia hæres esto, filius hæres esto, eosque invicem substituo, & postremo decedenti Titius hæres esto*; ut *in dicto cap. si pater.* In primo casu unica tantum substitutio fieri potest, cùm alia filia pubes sit, alia impubes, nec sit facta reciproca substitutio; & ideò fideicommissaria facta creditur, quia utilior est testatori: in secundo autem casu compendio verborum plures substitutiones continentur, videlicet duplex, vulgaris, & pupillaris, *l. jam* 4 *ff. de vulgari*; & ideò in hoc casu id voluisse testator creditur, ut directò voluntas servetur. Nec absurdum sequitur ex eo, quod unum, & idem verbum *substituo*, aut *succedant*, modò trahatur ad substitutionem directam, modò ad obliquam, postquam placuit, quibuslibet verbis institutionem induci, *l. quoniam* 15. *C. de testamentis*; & per consequens substitutionem etiam, argumento legis mulier, §. *final. ff. de condit. instit.* quia voluntatem testatoris potiùs quàm verba inspicimus.

21. Exponitur *l. filiis* 25. *C. de inoff.* Etiam suprà traditis, videlicet, nullum gravamen, etiam temporis, vel conditionis, legitimæ filiorum apponi posse, obstat textus *in l. si liis* 25. *C. de inoffic. testam.* ubi conditionem à *si.* matre adjici posse, si pater filios emancipaverit, docetur. Igitur quia gravamen conditionis legitimæ filiorum apponi potest. Cui difficultati, omissâ sententiâ Gomezii *lib.* 1 *variar cap.* 11. *num.* 27. qui asserit decisionem illam sublatam esse per textum *in dicta l. quoniam*, placet sententia eorum, qui docuerunt, à legitima filiorum

subduci, & removeri onus, & gravamen, non autem conditionem emancipationis, de qua in eo textu; quia ea non oneroſa, ſed utilis eſt filiis, cùm mater, quæ de mariti moribus ſecus ſuſpicabatur, eam adjiceret, ut bona filiis conſervarentur, nec ea pater diſſipare poſſet: ex qua cauſa plerunque hæc conditio adjicitur, ut *in l. final. ff. de petit. hæredit. l. 3. §. ſi hæres, ff. de minor. l. penult. ff. unde liberi, l. Divi. ff. de jure codicil. l. mater, §. 1. ff. ſi quis omiſsâ cauſâ, l. avia, l. duos, ff. de condit. & demonſt. l. 3. C. de inſtit. & ſubſtit. l. final. C de donat.* quæ ſub modo, & aliis congeſtis à Cujacio *ad Afric. in l. 46. ff de hæred. inſtit.* Oſvaldus *ad Donellum lib. 9. cap. 15. littera G.* ubi autem conditio legitimæ adjecta filiorum commodum reſpicit, implenda eſt, ut in terminis hujus conditionis probat Juſtinianus *in l. ſi quis in ſuo 32. §. legis, C. de inoffi. teſt.* quæ novior conſtitutio eſt, quàm dicta lex *quoniam*, ut ex ſubſcriptione ejus conſtat.

22. (u) *Legitimam ipſam, videlicet ejus patris.*] Ultimo loco pro horum verborum expoſitione examinanda eſt illa ſatis vexata quæſtio, an videlicet filius gravatus fideicommiſſo, ſimul poſſit deducere duas quartas, legitimam videlicet ſibi jure naturæ debitam, & quartam Trebellianicam, ex Senatuſconſulto Trebelliano ſibi competentem? Et duas quartas poſſe deducere, probatur validiſſimis fundamentis. Primò ex præſenti textu, & *in cap. Raynaldus, infrà, hoc tit.* ubi deciditur, filium utramque quartam deducere poſſe: ſecundò *ex l. quoniam 67 ff. ad leg. Falcid.* ubi in ſimili caſu permittitur duplex quartæ deductio, Falcidiæ videlicet, & legis Juliæ. Cùm enim Titio plus legatum eſſet, quàm ei capere licebat, detrahitur priùs Falcidia, & poſtea id quod ipſe capere non poteſt: ergo ſimiliter in fideicommiſſi reſtitutione filius deducit priùs quartam ex lege Glicia, & poſtea aliam ex Trebelliano. Idem etiam docetur *in l. 3. §. 2. ff eodem tit.* ubi etiam duplex deductio Falcidiæ, & Trebellianicæ permittitur. Quartò probatur *ex l. quamquam 10. C. ad leg. Falcid* juncto Accurſio *ibi, verbo Falcidia.* Quintò facit Novella *39. cap. 1.* quam expendit Fachineus *lib. 5. controv. cap. 2.* Ratione etiam hæc ſententia valdè ſuadetur; nam quarta legitima debetur filio jure naturæ ut filio, altera debetur ut extraneo; quia rogatus eſt reſtituere hæreditatem: ſed quotieſcunque competit alicui duplex auxilium ex diverſis cauſis, utrumque locum habet, *l. qui non militabat 78. §. ult. ff. de hæred. inſtit. l. quotiens 91. ff de reg. jur.* & non eſt novum, unum, & eundem duplex commodum capere, *l. tutorem 22. ff. de his quo ut indign.* Deinde nam filius videtur capere legitimam ut quoddam debitum, *Novella de hæredit. & Falcid. in præfatione, §. 1. & cap. 1. §. 1.* unde ex reſiduis bonis poteſt deducere quartam Trebellianicam, *l. irritum 8. C. ad leg. Falcidiam, l. pater 14. ff eodem, l. unic. §. igitur, C. de rei uxor. action.* ubi deducitur debitum, & poſtea quarta Falcidia. Octavò facit lex *Papinianus, §. meminiſſe, ff de inoffic.* ubi fideicommiſſo gravatus, ſi de inofficioſo agat, tantùm perdit quod ratione legitimæ habiturus erat, non quartam Trebellianicam: ergo ſi querelam non propoſuiſſet, haberet & quartam legitimam, & Trebellianicam. Ultimò facit praxis plurium Tribunalium, in quibus receptum eſt, filium deducere duas quartas; & ita judicaſſe Senatum Subaudiæ refert Faber *in ſuo Codice, lib. 6. tit. 27. diffinit. 4.* Idem de Curia Friſiæ teſtatur Sanderus *lib. 4. tit. 7. diffinit. 6.* & de ſupremo Senatu Hollandiæ refertur *deciſ. 9. & 17. ejuſdem Senatus*: de Senatu Pariſienſi idem tradit Æneas Robertus *lib. 4. rerum judic. cap. 17.* & in judiciis quotidie obſervari docet Claudius Batandier *in tract. de legitima, artic. 13. num. 68.* & toto terrarum orbe in ſcholis, & judiciis receptam eſſe hanc ſententiam teſtatur Guido Papæ *quæſt. 52.* quibus argumentis moti Fachineus *lib. 5. controv. cap. 2.* Mangilius *de imput. quæſt. 1. num. 16.* Borellus *tom. 3. deciſ. tit. 17.* plures, quos refert & ſequitur Carballo *in cap. Raynaldus, 1. p. num. 47 hoc tit* Meyrerius *de teſtam. lib. 1 tit. 16. num. 16* contrariâ ſententiâ negant, filium deducere poſſe duas quartas, ſedtantùm unam, videlicet legitimam. Pro qua ſententia faciunt diſerta jura, & rationes apertæ. Primò facit lex *Jubemus 6. C. ad Trebel* ubi in præſenti ſpecie deciditur, filium unicam tantùm portionem, ſeu quartam deducere poſſe. Secundò facit textus, quem indiſſolubilem dicunt Doctores, *in l. filium quem, C. familiæ erciſc.* ubi filius gravatus tantùm deducit unam quartam; quod etiam docetur *in l. cohæredi, §. cùm filia, ff. de vulgari.* Faciunt textus *in l. liberto 21. §. 2. ff. de annuis legat. l. filium 24. C. famil. erciſc. l. quamquam 10. C. ad leg. Falcid.* ubi docetur in terminis hujus textus, quadrante dumtaxat retento, hæreditatem reſtitui. Probat & Juſtinianus *in Novella 1. cap. 1. §. 1.* ubi apertè ſolius legitimæ deductionem filiis concedit. Rationibus etiam firmatur hæc ſententia. Primò nam proprietas, & natura quartarum hæc eſt, ut unius deductio impediat, & excludat aliam, & altera in alteram imputetur, *l. mulier 22. §. 2. ff. ad Trebel. l. in quartam 91. ff. ad leg. Falcid. l. ſi quando 35. §. 2. C. de inoffic. l. 8. §. ſi quis 15. eodem tit.* & ubi ex alia lege quarta portio hæreditatis deducitur, Falcidia, ſeu Trebellianica ceſſant, *l. Papinianus 8. §. ſi quis impubes, & §. 9. ff. de inoffic. l. 1. §. penult. ff. ſi cui plus quam per legem*: ergo poſt deductionem quartæ legitimæ ceſſat Trebellianica. Deinde nam teſtatoribus conceſſum eſt diſponere de dodrante hæreditatis ſuæ, *l. 1. ff. ad legem Falcidiam*: ergo non licet facultatem illam minuere deducendò duas quartas. Facit etiam, nam quarta Trebellianica inventa fuit ad ſimilitudinem legis Falcidiæ, ut hujus portionis præmio invitati hæredes adirent hæreditatem, & fideicommiſſa reſtituerent, ut ſuprà probavi: ſed hæc ratio ceſſat in filio, qui habet portionem legitimam: igitur alia quarta ex Trebelliano illi concedi non debet. Tandem fulcitur hæc ſententia exemplo deducto à Patronis, quibus ſimiliter legitima portio in bonis liberti debetur, *princip. Inſtit. de ſucceſſ. libert.* dicemus *in cap. 2.* infrà proximo titulo: ſed patronus fideicommiſſo gravatus, tantùm unam quartam deducit, *l. 1. § interdum, ff. ſi cui plus quàm per legem*: ergo ſimiliter filius unam tantùm quartam deducit. Ultimò facit praxis Hiſpaniæ noſtræ, ubi hæc duplex deductio locum non habet, filiis hæredibus inſtitutis, & reſtituere rogatis hæreditatem, ut referunt Coſta ſuprà, *num. 5.* Gregorius Lopez *in l. 12. tit. 5. partit. 6.* Matienzo *in l. 1. gloſ. 19. tit. 4. lib. 5. recopil.* Parladorius *lib. 1. rerum quotid. cap. 11. num. 7.*

num. 7. Molina *lib.* 1. *de primog. cap.* 19. *num.* 8. Bronchorst. *enantioph. cent.* 3. *assert.* 67. Igitur filii duas quartas deducere non possunt.

23. *Traditur vera sententia.*

In hoc Interpretum dissidio pro vera sententia deducenda, varia adducunt Interpretes. Aliqui asserunt, discrimen constituendum esse inter eum casum, in quo filius rogatus est purè hæreditatem restituere; & inter eum, in quo rogatus est restituere sub conditione. Primo casu docent, non deducere nisi unam quartam, secundo verò legitimam, & Trebellianicam. Ita tenuerunt Peregrinus *de fideicom. artic.* 3. *num.* 51. Pichardus *in* §. *sed quia hæres, num.* 21. *Instit. de fideicommiss. hæredit.* Padilla, Caldas, Menchaca, & alii apud Carballum *d.* 1. *p. num.* 24. Mancius *de legitima, q.* 58. Christineus *tom.* 1. *dec.* 245. *per totam.* Sed eorum sententia refellitur; siquidem non facilè ratio differentiæ reddi potest inter utrumque casum, ut latè probat Carballo *ubi suprà* Quare alii existimant, discrimen constituendum esse inter jus canonicum, & civile; ita ut jure Pontificio inspecto, filius possit deducere duas quartas, ex præsenti textu, & *dicto cap. Raynaldus*, jure verò civili attento tantùm una quarta deduci possit. Ita tenuerunt plures relati à Carballo *suprà num.* 18. quibus addendi sunt Hothomanus *q.* 4. Donellus *lib.* 7. *comment. cap. ult.* Bachovius *ad Treutl. volum.* 2. *disput.* 14. *thesi* 2. Goveanus *in l.* 1. *C. ad legem Falcid. num.* 9. & 10. Tuldenus *ad tit. C. ad Trebel. num.* 4. Perez *ad eundem titulum, num.* 11. Arnoldus Vinius *lib.* 2. *select. cap.* 29 Bronchorst. *cent.* 3. *assert.* 67. Wisembach. *disput.* 23. *num.* 25. & *disput.* 24. *num.* 21. quorum sententiæ libenter adhæreo, cùm jus canonicum liberorum commodis semper prospicere curaverit, *cap. cùm haberet, de eo qui duxit in matrim.* Unde cùm agnoscerent Ecclesiæ Patres, filium quoad legitimam gravari non posse, statuerunt, ut gravati restituere hæreditatem, quartam legitimam jure proprio, aliam verò quartam ex Trebelliano deducerent. Nec eâ sententiâ retentâ obstant prioris opinionis fundamenta. Non textus *in d. l.* 67. *ad Falcid.* nam ibi hæres non deducit duplicem quartam, siquidem partem tantùm retinet jure Falcidiæ, partem verò ob vitium, & incapacitatem legatarii: in præsenti verò utramque partem suo jure habere contendit filius, quod jus civile non admittit. Similiter si nepos adrogatus, ab avo exhæredatus sit, non habet querelam inofficiosi, quasi non habeat legitimam, cùm obtineat quartam sibi debitam ex constitutione D. Pii, *l. Papinianus* 8. §. *si quis impubes, ff. de inoffic.* Cujacius *lib.* 8. *observ. cap.* 3. Nec etiam obstat textus *in dicta l.* 3. fatemur enim, in ea specie duplicem deductionem fieri; unam ex legatis, alteram ex fideicommissis: sed si assem spectemus, unius tantùm quadrantis deductio est. Nec etiam obstat textus *in dicta l.* 10. *C. eod tit.* quia in ejus specie non deducitur duplex quarta, sed filia, cui pater antea dotem dederat, fideicommisso gravata quartam ex Trebelliano deducit ex hæreditate, quia reverà tantùm ea quantitas reperitur in hæreditate, *l. sequens* 68. *ff. de leg.* 2. in qua dos non reperitur, *dicta l. pater* 14 *ad leg. Falcid.* Nec interest, quod dos imputatur in legitimam, *l. quoniam* 29. *C. de inoffic.* quia id procedit cùm agitur de querela inofficiosi testamenti proponenda; contrarium verò procedit, si non quæratur, an querelæ locus sit. Nec obstat etiam dicta novella 39. *cap.* 1. quæ si rectè perpendatur, potiùs probat nostram sententiam, ut considerat, & expendit Vinius *lib.* 2. *select. cap.* 29. Nec obstat sextum fundamentum *ex dicta l. tutorem* 22. nam textus ille procedit quando una eademque persona duarum vicem gerit; secus verò si pro una habeatur, ut filius, quia tunc unam quartam tantùm deducit. Accedit nam cùm in legitimam imputentur quæcunque capit filius jure hæreditario, sequitur ut quarta Trebellianica, quæ capitur jure institutionis, *ex l. ex tribus, l quoniam, C. de inoffic.* imputetur. Nec obstat septimum fundamentum, ubi dicebamus, legitimam deduci tanquam æs alienum; nam potiùs verum est, legitimam non dici propriè, & verè à patre deberi, cùm ad eam nulla competat actio filio, nec ejus respectu pater debitor dicatur; tantùm enim appellatur debitum naturale, *l. scimus* 36. §. *illud. C. de inoffic.* unde filius non est creditor respectu legitimæ. Nec obstat octavum, deductum *ex l. Papinianus*, §. *meminisse*: nam non valet argumentum à contrario sensu, quando absurdum sequitur in jure: unde licèt in ea specie non egisset filius de inofficioso, nihilominus unam tantùm quartam retinet; legitimam autem non amittit eo casu, quia jure legitimo eam capit, non verò ex judicio patris. Nec obstat tandem, quod dicebamus de usu & praxi diversorum tribunalium, in quibus observatur, quod filius duplicem quartam deducat; nam id procedit juxta jus Pontificium, quia secundùm illud duplicis quartæ deductio datur; at verò in Regno nostro, & aliis potiùs in hac parte attenditur jus civile, & observatur. Illud tamen notandum est, in his Provinciis, ubi jus canonicum receptum est, priùs deduci quartam legitimam, & postea quartam Trebellianicam, ut docuerunt Hothomanus *suprà*, Faber *decad.* 11. *error.* 9. quia cùm portio legitima fideicommisso gravari nequeat, in esse tantùm gravatus censetur hæres, & sic ex eo deducere debet quartam Trebellianicam. Osvaldus *dicto lib.* 7. *cap. ultimo, littera I.*

CAPUT XVII.

Gregorius IX.(a) *Nomon. Episcopo.*

TUa nobis fraternitas intimavit, quod nonnulli, tam religiosi, quàm clerici sæculares, & laici, pecuniam, & alia bona, quæ per manus eorum ex testamentis decedentium debent in usus proprios expendi, non dubitant aliis usibus applicare. Cùm igitur in omnibus piis voluntatibus sit per locorum Episcopos providendum, ut secundùm defuncti voluntatem universa procedant, licèt etiam à testatoribus id contingeret (b) interdici: mandamus quatenus executores testamentorum hujusmodi, ut bona ipsa fideliter, & plenariè in usus prædictos expendant, monitione prævia compellas.

NOTÆ.

1. (a) NOmon.] Legendum est *Noviodun.* Noviodunensis enim, sive Noviomensis, Belgarum urbs est propè Isaram fluvium: ab Antonino Noviomagus vocatur. Habet Ecclesiam Cathedralem B. Mariæ dicatam, cujus Præsules Comites Noviodunenses, & Pares Franciæ dicuntur, ut refert Chenu in serie Episcoporum ipsius Ecclesiæ. Gerardo Episcopo missa est præsens decisio cujus præclaræ animi dotes ita in epitaphio sepulchri ejus exprimuntur.

Quid generis, quid opum, quid mundi gloria vana?
Sors humana: super omnia vanus homo.
Novioni Præsul, Par Regni, nobilis hæres
Basochiæ, rutilans laude, Gerarde jaces.
Morum norma, bonis inhians, reprebans mala, mundus
Carne, manu, lingua, juris amator eras.
Tè talem, tantum brevis opprimit hora, subintrat
Invida mors, capit hæc fossula quinque pedum.
Transitus iste tuus sit vita perennis in ortum;
Transeat occasus, sit tibi vita Deus.

(b) *Interdici.*] Episcopus enim vetantibus ipsis testatoribus, possunt exequi eorum pias dispositiones, cùm id vergat in ipsorum testatorum favorem: nec potest testator jus hoc Episcopo diœcesano competens tollere. Petrus Gregorius *in cap. conquerente, cap. 6. num. 3. de offic. Ordin.* Carpio *de execut. lib. 1. cap. 26. num. 34.* Commentarium hujus textus dedi *in cap. nos 3. cap. si hæredes 6. hoc tit.* 2.

CAPUT XVIII.

(a) Idem.

RAynaldus Peponis filius, hæres ab ipso institutus hoc modo, ut patruis suis hæreditatem restitueret, si absque (b) filiis masculis moreretur, cum eis (mortuo Pepone) super quibusdam bonis hæreditatis ejusdem in (c) tres arbitros compromisit: quorum duo, mortuo reliquo (prout ex forma compromissi poterant) procedentes, taliter arbitrati fuerunt, quod neutra pars haberet licentiam transferendi quocunque modo in alium res prædictas, nisi in eorum filios masculos ex ipsis legitimè descendentes; & quod contra hoc fieret, non valeret. Porrò dictus R. prolem non habens, condidit testamentum, in quo medietatem partis suæ de rebus prædictis, quibusdam avunculis suis; aliam verò medietatem, & reliqua bona paterna uni ex patruis suis, & ejus filiis legavit, adjiciens ut bona, in quibus ex testamento, vel ab intestato dicti hæredes R. possent succedere, si venirent contra legatum dictis avunculis suis debitum, ad ipsos pro determinatis portionibus devenirent. Demùm eodem R. naturæ debitum persolvente, ac uno ex patruis hæreditatem adeunte, prædictam tum dicti avunculi adversùs eundem patruum, & filios ejus coram judice communitatis Urbevenat. (d) moverunt quæstionem, petendo pro rata, quæ eis contingit, legatum prædictum, & restitui eis, si contra ipsum illi venirent, quæcunque occasione testamenti ejusdem R. ad ipsos pervenerant, vel poterant pervenisse. Præfatus Judex ab illorum impetitione super legato ipsos absolvens, ad restitutionem aliorum bonorum sententialiter condemnavit eosdem. A cujus sententia cùm ambæ partes nostram audientiam appellassent, petente utraque parte dicti judicis sententiam infirmari, quatenus contra se fuerat promulgata; & quatenus pro se faciebat, executioni mandari, dilectus f. n. O. S. (e) Nicolai in carcere Tullianen. Diac. Cardin.

Cardin. lite coram ſe legitimè conteſtatâ, quoniam idem R. habebat in bonis quondam Peponis patris ſui tertiam partem debitam jure naturæ, in qua (f) gravari nequivit, nec non quartam Trebellianicam, quam quilibet extraneus reſtitutione gravatus deducere potuiſſet, propter quod in rebus prædictis avunculis legatis portiones eaſdem habuit R. præfatus, eaſque potuit in ultima voluntate legare, ac per hoc legatum tenuit uſque ad tertiam, & quartam præfatas, licèt ipſas non expreſſerit in legando, pronunciavit (non obſtante præmiſſo arbitrio, quod ne hoc legarum teneret, non poterat impedire,) judicem ipſum in eo, quod ſuper hoc dictum patruum in totum abſolvit, qui confeſſus eſt ſe pro medietate poſſidere prædicta, perperam judicaſſe, condemnavitque ipſum ad reſtitutionem medietatis tertiæ, & quartæ partis ipſius legati pro rata, quæ dictos avunculos de ipſo contingit, & in reſiduo præfati judicis ſententiam confirmavit. Cæterùm in eo, quod idem judex dictum patruum, & ejus filios totaliter in aliis, quæ in ſecundo articulo petita fuerant, condemnarat, malè ipſum pronunciaſſe decrevit, quia filii ejus contra voluntatem teſtatoris non inveniuntur aliquid commiſiſſe, cùm nihil de petitis reperti fuerint poſſidere. Verùm in portione, quam patruus habebat in bonis eisdem, in quibus ejus inſtitutio, & legatio, ac adjectio pœnæ tenebat pro rata eoſdem avunculos contingente, de prædicto legato confirmavit ſententiam judicis ſupradicti, eodem patruo & ejus filiis in reſiduo abſolutis, & ſalvo nihilominus ei ex jure inſtitutionis beneficio legis Falcidiæ in reſtitutione præfati legati, ſi intra tempus legitimum voluntati paruerit teſtatoris, cùm inventarium fecerit, & contra voluntatem teſtatoris lex Falcidia inducatur. Nos itaque ipſius Cardinalis ſententiam ratam habentes, eam auctoritate Apoſtolica confirmamus.

NOTÆ.

(a) *Dem.*] Gregorius videlicet IX. cui tamen reſcribat, non conſtat. Famoſam, celebremque eſſe præſentem Decretalem dixerunt Gloſſa, & Lanfrancus *hic*, Carballo in ſolemni commentario ad hunc textum.

(b) *Abſque filiis.*] Cujus conditionis effectus expoſui *in cap. in præſentia, de probationibus.*

(c) *Intres.*] Juxta adducta *in cap. 1. cap. uno, de arbitris.*

1. (d) *Urbevenat.*] Urbeventum, ſive Urbs Vetus, eſt civitas Italiæ, quæ in temporalibus, & ſpiritualibus ſubeſt Romanæ Eccleſiæ, ut refert Ughel. *tom. 1. Italiæ ſacræ, fol. 382.* Unde in præſenti caſu etſi negotium merè temporale eſſet, & diſceptaretur à judice ſæculari, communitatis Urbevenat. appellatum fuit ad Romanum Pontificem tanquam ad immediatum ſuperiorem.

(e) *Sancti Nicolai.*] Titulus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, Diaconalis eſt, ut refert Cohel. *in notit. Cardin cap 6.* 2.

(f) *Gravari.*] Juxta tradita in textu antecedenti, ex cujus paraphraſi præſens commentarium petendum eſt, poſt uberiores relectiones Covarruviæ, & Carballi.

CAPUT XIX.

(a) Idem.

JOannes (b) clericus, & P. laicus executores ultimæ voluntatis O. clerici S. Crucis, qui venerabilibus, & piis locis de bonis ſuis in ultima voluntate legavit, mandans inſuper ſatisfieri creditoribus per eoſdem, poſt mandatum ſuſceptum per Diœceſanum cogi debent explere ultimam voluntatem.

NOTÆ.

1. (a) *Dem.*] Gregorius videlicet IX. cui tamen reſcribat, ſeu de quo diœceſano Epiſcopo loquatur, non conſtat.

2. (b) *Joannes Clericus.*] An clerici poſſint teſtamento nominari executores ultimæ voluntatis, ſive ad præſtationem legati, ut *in l. 107. ff. de legat. 1.* dationem, ut *in l. 9. ff. de aliment. legat.* ſive diſtributionem, ut *in l. quidam 96. §. 5. ff. de legat. 1. l. 7. ff. ſi cui plus quam per legem*; ſeu ad nudum miniſterium, ut *in l. 17. ff. de legat. 2.* expoſui *in cap. nos 3. hoc tit.* ex quo commentario præſens petendum eſt.

CAPUT XX.

(a) Idem.

DE his quæ in (b) ornamentis, vel pro eis, seu fabrica, (c) luminariis, seu (d) anniversario, (e) septimo (f) vigesimo, tricesimo die, sive aliis, ad perpetuum cultum divinum legantur Ecclesiis, vel reliquis piis, locis, canonica portio (dummodo in fraudem non fiat, ut eâ Episcopus, seu Parochialis Ecclesia debeat defraudari,) deduci non debet.

NOTÆ.

1. (a) *Idem.*] Gregorius videlicet IX. qui præsentem constitutionem edidit circa portionem canonicam debitam Episcopo, motu proprio, non ab aliquo Episcopo consultus.

(b) *Ornamentis.*] De quibus egi *in capite* 1. *de pignor.*

(c) *Luminariis.*] Sive in cera, sive in oleo, de quibus aliqua notavi *in cap.* 1. *de offic. sacrist.*

(d) *Anniversario.*] Missarum usus in die anniversario depositionis defuncti, à temporibus Apostolorum originem ducit, ut prodit Divus Athanasius *in homilia de defunctis*, his verbis: *Universa enim hæc Apostoli, discipulique, Deum super sacrificia placantes, uti Deo gratum est, & sacrificia, & preces, & psalmorum cantum, anniversariasque defunctorum memorias observandas præceperunt.* Itaque dicebatur anniversarium, quia quotannis celebrabatur. Grimoldus Abbas *in lib. sacrament.* ibi: *Missa in anniversario unius defuncti: Præsta Domine, quæsumus, ut anima famuli tui, cujus anniversarium depositionis diem celebramus.* Hujus anniversarii meminerunt D. Clemens *lib. 8. constit. cap.* 48. ibi: *Peragatur dies tertius mortuorum in psalmis, in lectionibus, atque orationibus, propter eum, qui tertia die resurrexit: item nonus in commemorationem superstitum atq; defunctorum: etiam quadragesimus, secundum veterem formam. Mosem enim hoc modo populus luxit, nec non anniversarium pro memoria ipsius.* D. Gregorius Nazianz. *in oratione in funere Cæsaris fratris*, ibi: *Alia persolvimus, alia daturi sumus; anniversarios enim honores, & commemorationes offerentes.* Tertullianus *de corona militis, cap.* 3. ibi: *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus.* Et *de monogamia cap.* 10. ibi: *Pro anima ejus* (nempe mariti) *orat, & refrigerium interim postulat ei, & in prima resurrectione consortium, & offert annuis diebus dormitionis ejus.* Et *de exhortatione ad castit. cap.* 11. ibi: *Et jam repete apud Dominum, cujus spiritu postules, pro qua alias oblationes reddas.* Origenes *in librum* 3. *Job*, ibi: *Convocantur in anniversariis diebus memoriæ, vel parentum defunctorum, vel amicorum, seu quorumcunque, qui in fide discessissent, sacerdotes simul, & laici; atq; in eo cœtu, primùm quòd in fide discessissent, gratulantur, & sibi pium & tranquillum exitum quisque precatur.* D. Cyprianus *lib.* 1. *epist.* 9. alia Gazeus *ad Cassianum collat.* 19. *cap.* 1. Quin & apud Gentiles anniversaria sacra, ac solennia erant, ut interpretatur Festus, quæ certis temporibus, annisque fieri solebant, quæ Jurisconsulti solennia mortis nuncuparunt, *l. Mævia* 44. *ff. de manumiss. testam. l. libertis* 18. §. *ultimo, ff. de aliment. legat.* plura Gutherus *lib.* 2. *de jure man. cap.* 11. Kirmanus *de funeribus num.* 41. Rationem autem hujus anniversariæ commemorationis reddiderunt Albinus Flaccus *lib. de divin. offic. cap.* 43. ibi: *Anniversaria dies ideo repetitur defunctis, quoniam nescimus qualiter eorum causa habeatur in alia vita.* Amalarius *lib.* 3. *de Eccles. offic. cap. ultim.* ibi: *Anniversaria dies ideo repetitur pro defunctis, quoniam nescimus qualiter eorum causa habeatur in alia vita: sicut Sanctorum anniversaria dies in eorum honorem ad memoriam nobis reducitur super utilitate nostra; ita defunctorum ad utilitatem illorum, & nostram devotionem implendam.* De hoc etiam anniversario die egit Tertullianus *lib. de monogam.* adhortans viduam, ut annua die emortuali (sic enim cum Plauto vocavit recurrentis mortis obitæ diem) pro mariti dormitione curet oblationem per Sacerdotem. Apud eundem *lib. de coron. milit. cap.* 3. locus est, qui in hanc sententiam immeritò torsit nonnullos, ibi: *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus.* Quem expendit Theoph. *tr.* 15. *in Heter. spir. sect.* 1. *p.* 3. Illustrant Vicecomes *lib.* 4. *de Missæ ritibus, c.* 13. & 14. Gazeus *ad Cassianum collat.* 19. *cap.* 1. Jul. Lavorus *variar. lucubr. lib.* 2. *titul.* 15. *num.* 68. Omitto generalem anniversariam defunctorum commemorationem, cujus originem & rationem post alios tradiderunt Tamayo à Salazar. *die* 2. *Novembris, in Martyrolog. Hispan.* Corjolanus *in chron. anno* 1024. P. Herrera *in origine divini officii.*

(e) *Septimo.*] Non solùm apud Christianos, verùm & apud Hebræos, ac Gentiles in usu fuit defunctorum exequias diversis temporibus, & ritibus celebrare; apud omnes enim gentes defuncti corpus humatum, seu sepulturæ traditum est, aut combustum, juxta diversitatem nationum, quam illustrabimus titulo sequenti, à quo die incipiebat luctus, & perdurabat aliquando per septem dies; nam mortuo Jacob, ejus filii planctum fecerunt in area Achad septem diebus. Genesis *cap.* 50. quod tempus assignavit Rex Salomon in luctu faciendo pro morte filii sapientis, *cap.* 23. *Ecclesiast.* unde & Ecclesia consuevit per septem dies sacrificia pro defunctis offerre, *cap. nullus*, 44. *dist.* D. Ambrosius *in Theod. mon. & lib. de fid. resurrect.* Sanctus Augustinus *q.* 172. *in Genesim.* Petrus Damianus *opusc.* 32. *capite* 7. Cujus ritus rationes reddiderunt D. Ambr. *in orat. de fide resurrect.* his verbis: *Quia dudum dies mortis inter lachrymabiles aspectus debuit animum inclinare fraternum, qui totum tenebat; nunc quoniam die septimo ad sepulchrum redimus, qui dies symbolũ fraternæ quietis est.* Albinus *de divin. offic. c. de tertia, septima, & tricesima die*, ibi: *Dies septimus nihilominus officiis deputatur isdem, ut anima suo corpori reconcilietur; septenarius namq; numerus ex*

ex ternario constat, & quaternario; & ternarius animæ tribuitur, quaternarius corpori deputatur, propter quatuor notissimos, quibus constat, humores. Est ergo quasi quædam rixa corporis & animæ, quæ carne illiciente, eamque suis illecebris attrahente peccavit. Ut ergo anima suo corpori purificetur, holocaustum septima die peragitur. Aliam causam, seu rationem hujus mortis tradit Amalarius *lib. 3. de Eccles. offic. cap. 44.* his verbis: *Purgatio mortui hominis per sacrificium sacerdotis tertia die, & septima congruit naturæ humanæ. Constat homo ex anima, & corpore; anima tribus quasi quodammodo columnis erigitur, ut diligat Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente: corpus verò quatuor notissimè elementis subsistit. Peccatum animæ, quæ neglexit cultum Dei in cogitatione, in vita, & intellectu, humiliter confitendo offerimus Deo tertia die, ut ab his peccatis purgetur. Similiter peccatum quod per corpus gessit, cupimus purgare in quarto die, post tertium diem, id est septimo post mortem suam. Duobus modis committitur peccatum, aut faciendo ea quæ non debuimus facere; aut omittendo ea quæ debuimus facere. Usque ad septimum diem, in quo numero designatur universitas; omnia peccata quæ egit, & non debuit agere, deflemus, & pro his rogamus seorsum pro anima, & seorsum pro corpore.* Aliæ rationes adducunt Jul. Lavorus *lucubr. tit. 2. c. 15. n. 81.* Vicecomes *de ritibus Missæ lib. 3. c. 9.* Apud Gentiles etiam in usu fuit sacrificium novemdiale, quod fiebat nono die ab obitu, seu die, quo defunctus sepulturæ traditus erat. Apulejus *lib. 9.* ibi: *famque nono die vitè completis apud tumulum solennibus.* Et Horatius *in Epod.* ibi:

Novemdiales dissipare pulveres.

Donatus in Phormione: *In nuptiis septimus dies instaurationem voti habet, ut in funere nonus, quo parentalia concluduntur.* Plura Lipsius *ad lib. 6. Taciti*, in illis verbis, *novendialem eam cœnam dixisset.* Dorleans *ibi, fol. 528.* Baptista Pius *tom. 1. thesauri crit. c. 115.* Stuchius *de sacrificiis, fol. 151.* Hæredesque, & cæteri defunctorum propinqui intra illos novem dies in judicium vocari vetantur *in l. si ex re, §. illud, ff. de stipul. servor. authent. ut cum, de appellat. §. meminimus.* Ant. Perez *ad tit. C. de relig. num. 13.* Narbona *in horographia, hora 24. à num. 18.* & hi novem dies feriæ novendiales vocantur, quia nono post mortem die, completis ad tumulum solennibus, funeri finis imponeretur. Joannes Kirmanus *lib. 4. de funer. cap. 1.* Festus Pompejus *verbo Novendiales feriæ*, Osvaldus *lib. 23. Donelli, cap. 2. litt. X.* & intra novendiale, sive justorum persolutionem, piaculum contrahebat hæres hæreditatem adeundo. Festus Pompejus *verb. Verrias*, ibi: *Everriator est, qui accepta jure hæreditate, justa facere defuncto debet, qui si non fecerit, aut quid in ea re turbaverit suo capite luat.* Cujus piaculi mentio extat *in l. ait Prætor 7. §. in causæ 3. de jure delib.* Et ita capitalem pœnam contrahi docuit Ant. Silvius *lib. singulari ad leges Regias, cap. 25.* quare vix erat ex hæredibus unus, qui intrepido ausu hæreditatem adiret, cùm per illos novem dies funesta familia esset, ut colligitur *ex l. si ex re 28. §. ult. de stipul. servor.* ubi extat præclara Gothofredi nota. Hæc tamen pœna in mactationem anniversariam porcæ ante fruges, quæ ob id præcidanea appellabatur, commutata fuit, ut monent Turnebus *lib. 17. adverss. cap. 20.* Joann. Kirmanus *de funeribus lib. 4. cap. 1.* Jacobus Gutherus *de jure manium lib. 1. cap. 16.* De Missa die nona pro defunctis offerenda agunt Clemens Rom. *lib. 8. constit. cap. 42.* Sanctus August. *quæst. 172. in Genesim*, qui videtur id reprehendere; sed reverâ tantùm reprehendit abusum quorundam deflentium in eo ritu ad novendialia Ethnicorum. Jure igitur nihil labis in eo ritu agnoscit Alcuinus *lib. de divinis offic. §. penult.*

(f) *Vigesimo, tricesimo.*] Consonat caput *ex parte 3. de V. S.* sed vereor, ne in utroque textu legendum sit, *trigesimo, & quadragesimo*, cùm in sacris canonibus, & apud Sanctos Patres, tam diei trigesimi, quàm quadragesimi mentio reperiatur, *cap. nullus, 44. dist. cap. quia alii 13. q. 2.* Et diei tricesimi meminerunt D. Ambrosius *in orat. de obitu Theodosii*, ibi: *Sed in Deuteronomio scriptum est, quia planxerunt filii Israel Moysem diebus triginta, & consummati sunt dies luctus. Utraque ergo observatio habet auctoritatem, quâ necessarium pietatis impletur officium.* In testamento B. Ephrem hæc verba extant apud Surium *tom. 1. Cum trigesimum diem complevero, mei memoriam faciatis.* Albinus Flaccus *dict. cap. de tertia septima & tricesima die pro mortuis.* Amalarius *lib. 3. de Eccles. offic. cap. 44. & lib. 4 cap. 42.* Alcuinus *lib. de divin. offic. §. penult.* & diei quadragesimi meminerunt D. Clemens *lib. 8. constit. cap. 48.* ibi: *Peragatur dies tertius mortuorum in psalmis, in lectionibus, atq; orationibus propter eum, qui die tertia resurrexit. Item nonus in commemorationem superstitum, atq; defunctorum; etiam quadragesimus secundum veterem formam. Mosem enim hoc modo populus luxit.* D. Ambrosius *de obitu Theodosii*, ibi: *Ejus ergo Principis, & proximè conclamavimus obitum, & nunc quadragesimum celebramus, assistente sacris Altaribus Honorio Principe: quia sicut Sanctus Joseph patri Jacob quadraginta diebus humationis officia detulit, ita & hic Theodosio Patri justa persolvit.* Et cùm de his diebus, tertio, septimo, nono, trigesimo, & quadragesimo, plura eruditè cumulaverint Spondanus *de Cœmeteriis p. 3. lib. 1. cap. 16.* Vicecomes *tom. 2. de ritibus Missæ, lib. 4. ex cap. 6. usque ad 16.* Tamayo *in Martyrol. Hispan. die 2. Novembris*, Cohel. *in notit. Cardin. cap. 15. privileg. 40.* Jul. Lavorus *dict. cap. 15. ex num. 70.* Menardus *ad concord. regul. cap. 7. fol. 218.* de die vicesimo nullus est qui agat, unde credo legendum esse, *trigesimo; & quadragesimo.*

COMMENTARIUM.

POrtionem canonicam Episcopo deberi ex legatis piis, oblationibus, & aliis, quæ occasione funeris Ecclesiæ obveniunt, docetur *in cap. 1. cum sequent. 10. quæst. 3. cap. de his, cap. decretum 10. quæst. 1. cap. constitutum 16. quæst. 1. Clement. dudum, de sepult. cap. de quarta, de præscript. cap. conquerente, de offic. ordin. cap. dudum, de decimis, cap. cùm olim, de censibus, cap. ex parte, 31. cap. cùm inter, de V. S. l. 5. & 6. tit. 13. p. 1. cap. officii, cap. requisisti, hoc tit.* sicut apud Romanos Curia ex testamentis decurionis quartam vindicabat, *l. sancimus. C. de sacros. Eccles.* docent post Lapum, & Petrum de Ubaldis *in tract. de canonica portione*, Covar. *hic*, Barbosa *de potest. Episcop. 3. p. alleg. 86. & lib. 3. juris Eccles. cap. 19. per tot.* Solorzanus *de jure Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 22. num. 24.* Jul. Lavorus *lucubr. tit. 2. cap. 15.* Lemaistre *de jurib. Episcopor. lib. 2. cap. 2.* Corvinus *lib. 2. aphorism. jur. Pontif. tit. 37.* quæ

debetur

debetur triplici ex causa. Prima in recognitionem superioritatis, ut contingit in aliis juribus Episcopo competentibus, de quibus *in cap. conquerente, de offic. ordin.* Secunda ob communicationem, quæ inter Episcopum, & Ecclesiam sibi subjectam reperitur, *dict. cap. requisisti, vers. Secus.* Tertia ad curam, quam habet omnium Ecclesiarum suæ Diœcesis. Barbosa *dict. cap. 19. num. 2.* etsi aliqui docuerint, hanc canonicam portionem sublatam esse postquam jus cathedratici Episcopis datum est, & taxatum in Concilio Bracharensi relato *in cap. 1. 10. quæst. 3.* in illis verbis: *Placuit ut nullus Episcoporum cum per diœceses suas ambulant, præter honorem Cathedræ suæ, id est duos solidos, aliquid aliud super Ecclesias tollat.* Tamen contrarium rectè defendit Lemaistre *dict. cap. 2.* ideo enim in eo canone decernitur, quod Episcopi ab hac canonica portione se abstinerent, quia Ecclesiæ inopes reperiebantur, nec habebant unde possent expensis necessariis subvenire; quo casu certum est, canonicam portionem Episcopo non deberi, ex hoc textu, & similibus; post illum enim canonem adhuc in Hispania reperimus, tertiam partem oblationum Episcopos percepisse; siquidem in Concilio Toletano 4. celebrato era 671. sexaginta fermè annis post Concil. Brachar. *in can. 33.* mentio fit hujus canonicæ portionis: & in Concilio Toletano 7. *can. 4.* non prohibetur Episcopis tertiam partem oblationum tollere, sed tantùm ab iniquis exactionibus se temperare. Rursus Concilium Toletanum 9. *can. 6.* permittit ut Episcopus tertiam sibi debitam auferat, & det quod voluerit: in Concil. Toletano 16. relato *in cap. 3. 10. quæst. 3.* permittitur Episcopis tertiam illam partem tollere, modò Ecclesiis reparandis invigilent: refertur *in cap. 3. 10. quæst. 3.* Circa quotam verò partem hujus portionis canones non consentiunt. Quarta pars præfinitur *in cap. requisisti, vers. Et quidem.* Et regulariter quarta tantùm supponitur in juribus compilatis sub causa 10. *quæst. 3.* & aliis suprà adductis; immò in Concilio Aurelian. 1. *can. 15.* jubetur, ut Episcopus medietatem oblationum percipiat, ut refertur *in cap. antiquos 10. quæst. 1.* Et *in cap. de his, ead. causa & quæst.* tertia pars tantùm conceditur. Pro quorum canonum concordia dicendum est, ex oblationibus factis in Ecclesia ipsa matrice Episcopum dimidiam partem sibi vindicare; ex aliis verò factis inferioribus Ecclesiis, tertiam tantùm; unde textus *in dict. cap. antiquos*, ad primum casum; textus verò *in dict. cap. de his*, ad secundum referendi sunt, ut docet Lemaistre *ubi suprà.* Illud certum est, quod cùm hæc canonica portio, sit tota juris ecclesiastici, consuetudine minui, augerive potest, immò & in totum tolli, ut in his Regnis Hispaniæ, in quibus loco ipsius canonicæ portionis tantùm Episcopus percipit luctuosam, ut referunt Solorzanus, & Barbosa *ubi suprà*, qui de hac portione latè agunt: in præsenti tantùm proponitur exceptio hujus doctrinæ, videlicet ut canonica portio non præstetur de rebus relictis pro fabrica, aut luminaribus Ecclesiæ, nec de relictis pro anniversario, sacrificiisve dicendis septimo, nono, trigesimo, & quadragesimo die; quod etiam probatur *in cap. ex parte 31. de V. S.* nisi in fraudem canonicæ portionis Episcopo debitæ id fiat, id est, nisi oblationum nomine mortuariive, ea relinquantur, ut Episcopus canonica portione sibi debita privetur. Nec deducitur hæc portio ex legato relicto pro armis, equisve ad expeditionem Terræ sanctæ, *cap. in nostra 10.* ubi dicemus, *de sepulturis.* Jure etiam civili non deducebatur quarta falcidia ex legatis Diis relictis pro ornamentis templorum, & supellectili sua. Paulus *lib. 4. sentent. tit. 3.* ibi: *Lex Falcidia, itemque Senatusconsultum Pegasianum deducto omni ære alieno, Deorumque donis quartam residuæ hæreditatis ad hæredem voluit pertinere:* nisi legati relicti Diis commodum ad eorum Flamines perventurum esset; nam tunc Falcidia locum habebat, *l. 1. §. ad municipium, ff. ad leg. Falcid.* etsi textus illos aliter concilient Goveanus *in dict. §. ad municipium*, Cujac. *in notis ad ipsum Paulum*, Forner. *lib. 2. select. cap. 25.*

D. D. EMA-

D. D. EMANUELIS

GONZALEZ TELLEZ

Antiquioris vespertinæ sacrorum Canonum Cathedræ in inclyta Academia Salmanticensi proprietarii Interpretis.

ET IN PINCIANO S. INQUISITIONIS Tribunali Inquisitoris Apostolici;

COMMENTARIORUM IN LIBRUM TERTIUM DECRETALIUM GREGORII IX.

Additis Notis uberioribus ab Historia & Chorographia,

PARS SECUNDA.

TITULUS XXVII.

De succesionibus ab intestato.

CAPUT I.

Ex Concilio apud (a) *Altenen. habito.*

SED & hoc ibidem inventum est de Episcopis, presbyteris, & clericis, si hæreditatem à Domino Rege, vel ab alio Principe, vel amico suo, super hæreditariam sortem sibi devenerit, vel acquisierunt, donare eis liceat hanc cui voluerint, dum (b) vivunt, pro remedio animæ, ad Ecclesiam quamcunque elegerint, vel consanguineis suis, vel amicis. Sin autem antea obierint, quàm firmiter perfecerint, altari, cui serviunt, omnia perpetuò santificentur, & in jus tradantur. Similiter de presbyteris statutum est. Hildebertus Moguntiensis Archiepiscopus subscripsit. Robertus Trevirensis Archiepiscopus subscripsit. Adalwardus Fardinensis Episcopus subscripsit. Richwynus Argentinensis Episcopus subscripsit. Nostingus Constantiensis Episcopus subscripsit. Unewanus Poidarbrunnensis Episcopus subscripsit. Udalricus Augustensis Episcopus subscripsit. Bernhardus Halwartanensis Episcopus subscripsit, Rumaldus Minugardenowardensis Episcopus subscripsit. Eberis Mindunensis Episcopus subscripsit. Nec-non & Abbates cum cæteris sacri ordinis viris subscripserunt.

NOTÆ.

1. (a) *Altenen.*] *Althein*, legitur in prima collectione, *sub hoc titulo capite* 1. & apud Burchardum *libro* 1. *Decreti*, *capite* 227. Ex quo ita restituo præsentem textum. Concilium hoc celebratum fuit in Germania temporibus Conradi: ex quo Concilio, *can.* 37. qui ultimus est, siquidem post eum subscriptiones annectit Burchardus, deductus est textus hîc.

(b) *Dum vivunt.*] Etiam in testamento, quia de his bonis adventitiis clerici omni tempore disponere poterant, ut probavi *in cap. cùm in officiis*, *de testam.*

COMMENTARIUM.

2. Conclusio probatur. EX hoc Concilii Germanici canone sequens communiter deducitur assertio: *Clerico ab intestato decedente, nullis extantibus consanguineis, seu cognatis, succedit Ecclesia, in qua ministrabat.* Probant eam textus *in capite quicunque*, & ferè per totam 12. *quæstion.* 3. *capite si Episcopus*, *capite ultim.* 12. *quæstion.* 5. *capite cùm tibi*, *de testam. capite* 2. *de pœnis*, *capite* 3. *hoc titul. in* 1. *collect. l. si quis presbyter*, *auth. licentiam*, *C. de Episcopis & Clericis*, *Novel.* 131. *capite* 13. *in fine*, *l. unic. C. Theodos. de bonis cleric.* Consonant lex 4. *titul.* 21. *partit.* 1. lex 13. *titul.* 8. *libro* 5. *Recopil.* Carolus *libro* 5. *Capitul. capite* 175. & *in addit.* 3. *Ludovici*, *capite* 17. ibi: *Si quiscunque ex gradu Ecclesiastico sine testamento, & sine cognatione decesserit, hæreditas ejus ad Ecclesiam, ubi servivit, devolvatur: similiter de sanctimonialibus.* Illustrant ultra congestos *in præsenti*, à Barbosa, & Garanna *in præsenti*, Matienzo *in dict. l.* 13. Garcia *de tacito fideicommiss. numero* 42. Fornerius *libro* 4. *rerum quotid. capite* 7. Vighel. *in method. juris Pontific. fol.* 279. Noguerol. *allegat.* 75. *numero* 80. Donellus *libro* 9. *comm. capite* 1. ubi Osualdus *littera T.* Petrus Gregorius *libro* 45. *syntag. capite* 15. Canisius *in præsenti*, I. Gothofredus *in l. unic. C. de bonis cleric.* Solorzanus *tom.* 2. *libro* 3. *capite* 11. *numero* 13. Gibalinus *de clausur. disquis.* 1. *capite* 3. §. 3.

Sed hæc assertio difficilis valde redditur sequenti juris consideratione; nam in bonis vacantibus nullo existente legitimo hærede, fiscus succedit; *l. si hæredum* 10. *C. de inoffic. testam. l. penult. C. de cluso. præpos. sacri cubic. libro* 11. *l.* 1. §. *si quis in furore*, *C. de curat. furios. l. recusare* 6. §. *si fisco*, *ff. ad Trebell. l.* 1. *in princip. ff. de succes. edict. l.* 4. §. *eadem*, *ff. de fideicommiss. libert. l.* 1. §. 2. *ff. de jure fisci.* Rationem reddit Cassiodorus *libro* 6. *epistol.* 8. his verbis: *Quia Principis persona post omnes debet esse, nec optare solet acquirere, dummodo sint, qui relicta debeant possidere.* Facit Symmachus Theo- 3. Impugnatur contra.

dosio scribens *libro* 10. *epistol.* 55. ibi : *Statuerat receptus in cœlum germanus numinis vestri, cùm Marcianus dudum protector Aggariæ bona tanquam vacantia postulasset, ut si ea hæreditas scriptum successorem, vel legitimum non haberet, in jus fisci, tanquam Domino, jura concederet.* Nec tantùm in bonis vacantibus laicorum, verùm & in bonis clericorum id observatum legimus ; imperante enim Henrico II. tentavit Rogerus Eboracensis Archiepiscopus obtentu Pontificii privilegii jus antiquum desuetudine exoletum repetere, & clericorum intestatorum bona Ecclesiæ suæ adscribere : sed non solùm inane privilegium mansit ob Regis intercessionem, quin etiam moriente Archiepiscopo bona ejus fiscus occupavit, quasi vacantia : Refert Matthæus Parisiens. *in Henrico II. anno Christi* 1181. ibi : *Eodem anno Rogerus Eboracensis Archiepiscopus diem clausit supremum duodecimo Kalend. Decembris, qui adhuc vivens à Papa Alexandro privilegium impetraverat, ut si clericus suæ jurisdictioni suppositus agens in extremis testamentum non conficeret, & propriis manibus bona sua moriens non distribueret, Archiepiscopus haberet facultatem injiciendi manus in bona defuncti : & quoniam quod quisque juris in alterum statuerit, uti debet eodem, post mortem Archiepiscopi, quæcunque reperta sunt in thesauris ejus, justo sunt Dei judicio confiscata.* Nec solùm supremos Principes in bonis vacantibus clericorum succedere legimus, verùm & Comites, ut de Comitibus Flandren. refert Jacobus Mayer. *in Roberto Fris. annal. Belgic. anno* 1089. ibi : *Robertus Comes ex Syria reversus, resuscitavit quandam consuetudinem, quâ sacerdotio Flandrensi non licebat facere testamentum, sed cùm morerentur sacerdotes, omnium bonorum ipsorum Comites ipsi se fecerunt hæredes. grandis ob hæc inter sacrum cœtum, & comitem cohorta turbatio ; aditus Romanus Pontifex, ut ejus ope ab ea eximerentur servitute ; datæ ad Comitem litteræ Apostolicæ ab Urbano Pontifice.* Igitur non rectè in præsenti statuitur, intestatorum clericorum bona ad Ecclesiam, in qua ministrant, spectare.

4. *Intestatus quis dicatur.*

Quâ difficultate non obstante vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, intestatum propriè eum dici, qui cùm testamentum facere potuisset, non fecit, *l.* 1. *ff. de suis & legit. l.* 1. *ff. de veter. & milit. succes. l. intestatus* 64. *ff. de V. S. l. final. qui petant tut.* impropriè autem & ille intestatus dicitur, qui decessit testamento non facto, quia illud facere non potuit, *dict. l.* 1. *ff. de suis, l. Divus* 3. *l. hæredem* 7. *ff. qui petant tut.* qui verè intestabiles sunt, *l. is cui* 18. §. *final. ff. qui testamenta, l. cum lege* 26. *ff. eodem titul. l. ob carmen* 21. *ff. de testibus :* docent Connanus *libro* 9. *comment. capite* 5. *numero* 6. Matienzo *ad l.* 1. *titul.* 8 *gloss.* 3. *libro* 5. *recopil.* plures congesti ab Osualdo *dict. libro* 9. *capite* 1. Castillo *libro* 5. *controv. capite* 154. *per tot.* juxta quam improprietatem accipiendi sunt textus *in l.* 6. *C. de testament. milit.* ubi impubes intestatus dicitur. Etiam intestatus dicitur, qui testamentum quidem fecit, sed non jure, *l. non putavit* 8. §. *non quævis, ff. de bonor. possess. contra tab. l. quoties* 6. *ff. qui satisdare* : aut jure fecit, sed postea ruptum, irritumve factum est, aut destitutum ; quia nemo ex eo hæres extitit, *l. eam quam* 14. *C. de fideicommiss. l. si nemo* 9. *ff. de testament. tut. l. proximè* 3. *ff. de his quæ in testam. delent.* prosequuntur Institutarii *in princip. Institut. de hæredit. quæ ab intestato.* Unde cùm clerici possint de rebus suis patrimonialibus, aut adventitiis testamentum facere, juxta adducta *in capite cùm in officiis* 7. *de testam.* rectè intestati dicuntur in præsenti, si testamentum non fecerint, aut quod fecerint, ruptum, irritumve sit. Deinde sciendum est, quoad ipsa bona patrimonialia clericorum, & jure nostro Hispano, etiam quoad bona quæsita intuitu Ecclesiæ, eosdem gradus successionis dari in hæreditatibus clericorum, ac laicorum, ita ut suo ordine vocentur filii legitimi, parentes, agnati, & cognati, illique bona ab intestato juxta propriam gradum occupent. Divus Gregorius relatus *in capite* 3. *hoc titul. in* 1. *collect.* ibi : *Eupolus præsentium portitor Eusenum Agrigentinæ civitatis Episcopum suum fuisse asserit genitorem, quem quoniam intestatum asserit esse defunctum, ideo jamdicti Episcopi patris sui se promit substantiam adipisci. Proinde de rebus paternis, quas ante Episcopatum noscitur habuisse, jamdictus Episcopus, si eas in jure Ecclesiæ suæ quolibet modo non transtulit, ei quantùm portioni ejus legaliter sit competens, ut satisfieri possit, fraternitati tuæ immineat.* Unde in Concilio Valentino *can.* 3. cavetur, ne propinqui intestati Episcopi bona præsumant propriâ auctoritate occupare, ne fortè cùm hæreditariis rebus etiam aliqua ad Ecclesiam pertinentia usurpent. Excipiuntur tamen filii illegitimi clericorum, qui patribus suis succedere nequeunt, *capite* 1. *hoc titul. in* 5. *compil. l.* 22. *titul.* 3. *libro* 1. *ordin. l* 9. *Tauri, l.* 2. *titul.* 3. *lib.* 5. *ordin. l.* 6. *titulo* 8. *libro* 5. *Recopilat.* Quid tamen in bonis matris observetur, latè ibi exponunt Regnicolæ, & Pichardus *in dict. princip. Institut. de hæreditate,* §. 9. *per totum.*

5. *De bonis vacantibus.*

Secundò sciendum est, bonis vacantibus, cùm jam hæres, aut alius successionis jure dominus non speratur, *l.* 2. §. *ultim ff. ad Tertyl.* olim quidem ad popum cujusque successionem deferri ex lege Julia caducaria, ut Ulpianus scribit *in fragment. regul. titul.* 28. §. *intestati* 7. junctis non ignotis vulgò ad rem locis *in l. non est ambigendum* 12. *de bonor. possess. l. bona* 22. §. 1. *vers. Quod si nemo. ff. de captivis, l. ultima,* §. *si autem, C. de curat. furios. & si bona* 5. *C. de rebus author. judic. l. jubemus* 4. *C. de Præpos. sacr. cubic. libro* 12. *l.* 2. §. *ultim. ff. ad Tertyl.* & juxta communem interpretationem legis quidam 96. §. *quotiens, ff. de legat.* 1. sive ex Julia, Papiaque legibus, quibus ideo plurali legum appellatione hæc delatio bonorum vacantium tribuitur *in l. si vacantia* 5. *C. de bonis vacantibus libro* 10. & Papiæ Popeæ legi, apud Tacitum *libro* 3. *annalium,* juxta vulgarem expositionem illius loci : *Et lege Papia Popea præmiis indictis, ut si à privilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret.* Nimirum

quia

quia hoc, & alio capite legis Juliæ caducariæ, tanquam prioris, translato ab illa in Papiam posteriorem, ideo modò uni, modò alteri, & sæpe utrique legi hæc adscribuntur. Videndi Balduinus *de lege Papia pagina* 153. Nicolaus Lo-cenſis *libro* 8. *miſcel. capite* 13 Faber *libro* 9. *conject. capite* 16. & *in Papin. titul.* 2. *princip.* 5. *illat.* 3. Arniſeus *de juribus Majeſt. capite* 6. *de bonis caducis*, ut in exemplis legis Papiæ 23. *lege Jul.* 44. *ff. de ritu nupt. l. ſi libertam quis* 28. *C. de nupt.* Ulpianus *titul.* 16. §. *aliquando*, *l. ſancimus* 27. *C. de nupt.* juncto Ulpiano *titul.* 16. *in princip. verſ. Item ſi*, apud Suetonium *in Claudio*, *capite* 23. Lactantium *libro* 1. *de falſa relig. capite* 16. Itemque in alio ſimili exemplo quod colliges ex Ulpiano *in fragmentis*, *titul.* 19. §. *lege*, *l.* 1. *C. de infirmandis pœnis cœlib. juncta l. in fraudem*, *cum ſeq. ff. de his quæ ut indig. l. unic.* §. *quod autem* 12. *C. de caducis tollendis*, & in aliis exemplis deductis *ex* § *poſtea*, *Inſtitut. de ſucceſſ. libert. l.* 1. §. *interdum*, *ff. ſi cui plus quàm per legem*, *juncta l. ſi Patronus* 20. *ff. de donat. l. unica*, §. *& cùm lex*, *C. de caduc. tollend. l. liberorum* 220. *ff. de v. ſ.* Hæc autem bona vacantia, quæ delata populi ærario diximus, apud juris civilis auctores fiſco vendicari dicuntur, *l.* 1. *&* 2. *ff. de ſucceſſ. edict. l. filius* 114. §. *qui inteſtato* 2. *ff. de legat.* 1. *l. recuſare* 6. §. *fiſco*, *ad Trebel. l.* 4. §. *eadem* 17. *ff. de fideicommiſſ. libert. l. quod Divo* 50. *ff. de manumiſſ. teſtam. l. quamvis* 18. *ff. de uſucap. l.* 1. §. *an bona*, *cum* §. *ſequenti*, *l. eum qui* 41. *ff. de jure fiſci*, *l.* 1. *C. de donat. inter*, *l. ſi hæredum* 10. *C. de inoffic. l. ſi vacantia* 5. *C. de bonis vacant. libro* 10. *l. penult. C. de Præpoſitis ſacri cubic.* Et incorporationem, atque adminiſtrationem ſimilium bonorum pertinere ad Comitem rerum privatarum, ſive privati patrimonii Principis, ſupponitur *in l. ultim. juncta inſcriptione*, *C. de bonis vacant. libro* 10. & apud Caſſiodorum *libro* 6. *variar. capite* 8. Symmachus *libro* 10. *epiſtol.* 15. ejusque varietatis veteris juris rationem Cujacius *in dict. l. unic.* §. *quæ autem* 12. *C. de caduc. tol.* deducit ex eo, quia translatâ populi poteſtate in Principem per legem Regiam, translatum etiam fuit jus bonorum vacantium à populo in Principem, argumento *ex l.* 1. *ff. de conſtitut. Princip. l.* 1. §. *cùm enim*, *C. de veteri jure*; ſed minùs rectè, ut probat Magnus Præceptor Illuſtriſſimus D. Franc. Ramos *de acquir. hæredit. capite* 2. *numero* 2. nam poſt legem Regiam, quæ lata fuit ſub Octaviano Auguſto anno Urbis conditæ 729. ut ex Dione *libro* 53. probat noſter Amaya *libro* 1. *obſerv. capite* 1. *numero* 25. lata fuit lex Julia caducaria, ſive de maritandis ordinibus, quæ vacantia bona populo detulit anno 736. teſte eodem Dione *libro* 54. tum etiam, quia & poſteriorum Cæſarum, Jurisconſultorumque tempore diverſum fuit ærarium populi, & fiſci Principis, ut colligitur ex inſcriptione legis 1. *ff. de bonis damnat.* Paulo *libro* 5. *ſentent. titul.* 12. *juncta l. pacta* 72. §. *ultim. ff. de contrah. empt. l. cùm ſervus* 39. §. *ultim. ff. de legat.* 1. cum aliis congeſtis ab Amaya *in rubric. libro* 10. *numero* 10. Tum denique, quia etiam ſub Jurisconſultis, & novioribus Cæſaribus, vacantia bona ad populum, ſive Rempublicam, ejusque ærarium diſtinctum à fiſco, deferri ſolita eſſe, innuitur *in l. non eſt* 12. *ff. de bonor. poſſeſſ.* & fortaſſis ea ſunt, quæ caduca popularia vocantur *in l.* 2. *C. Theodoſ. de ſtudiis liberalibus urbis Romæ.* Quare veriùs dicendum eſt cum ſuprà laudato Præceptore, ideo vacantia bona interdum populo, ejusque ærario; interdum autem, & frequentiùs fiſco delata dici, quia diviſis ſub Auguſto inter Cæſarem, & Romanum populum, Senatumque Provinciis Imperii, ſimulque earum adminiſtratione, & vectigalibus, publicisque redditibus, ut ex Strabone *libro* 3. *&* 17. *in fine*, notat poſt plures Petrus Barboſa *in l.* 1. *part.* 7. *numero* 8. *ff. ſolut. matrim.* conſequens fuit emolumenta bonorum vacantium in provinciis Senatus, & populi, ærario publico deferri; & in provinciis Cæſaris, fiſco Principis: ſed quia Cæſares ipſi paulatim provincias omnes, & vectigalia, redditusque publicos ſibi uſurparunt, *l. ultim. C. de quadrien. præſcrip.* quamvis diverſas arcas, & Præfectos haberent, confunduntur tamen ſæpiùs fiſci, atque ærarii appellationes, tam quoad bona vacantia, *l.* 4. §. *ſi bona*, *ff. de fideicommiſſ. libert.* quàm quoad reliqua utriusque ærarii jura, *l. edicto* 13. *in princip.* & §. 1. *l. Senatus* 15. §. *Senatus*, *ff. de jure fiſci*, *l.* 2. §. 4. *ne quid in loco*, *l. cum hi* 8. §. *tranſactiones* 19. *ff. de tranſact. l.* 1. §. *ex illa* 9. *ff. ad leg. Cornel. de falſis*: quo modo intelligendum eſt quod de Nicienſibus refert Plinius *libro* 10. *epiſtol.* 89. ibi: *Nicienſibus*, *qui inteſtatorum civium ſuorum conceſſam vindicationem bonorum à D. Auguſto affirmat debitis vacare.*

Tertiò ſciendum eſt, poſterioribus conſtitutionibus certa corpora privilegium illud obtinuiſſe, ut fiſco præferrentur in bonis inteſtatorum, nempe ut decedente Decurione, Naviculario, Cohortali, Fabricenſi ab inteſtato, & ſine conſanguineis, Curia, vel Corpus ſuccederet, non verò fiſcus, *l.* 1. *C. de hæredit. Decur.* ubi ex Conſtantini conſtitutione naviculariі bona ſine hærede legitimo decedentis Corpus navicularіorum tanquam vacantia occupat. Navicularii, navarchi, aut naucleri erant navibus præpoſiti, navigationique inſervientes publico miniſterio, ad quorum collegii curam ſpectabat (argumento *ex l.* 1. *C. quod cujusque univerſ. nomine*,) publicas ſpecies frumenti, olei, & ſimilium Romam deferre, ideo ad Præfectum annonæ mittitur prædicta conſtitutio, *l.* 1. *ex toto titulo cum rubric. C. de navicularіis & naucleris publicas ſpecies transportantibus*, *libro* 11. Horum (inquam) Romæ collegium fuit, *dict. l.* 1. §. 1. *quod cujusque univerſ. l. ſemper* 5. §. *ultim. ff. de jur. immunit.* Eorum patrimonium obnoxium erat functioni publicæ navicularіæ, cùm ex obligatione obſtringerentur ad ſpecies annonarias deferendas, *l.* 1. *& paſſim C. de prædiis in omnibus rebus navicul. libro* 11. Eorum munus ſive officium appellatur functio, ideſt obnoxietas navicularia, *in l.* 1. *ff. de muner. & honor.* Quare ad alios navarchos non pertinent privilegia navicularіis conceſſa, quàm ad eos qui felici embola ſpecies iſtas Romam transportabant, *dict. l. ſemper* 5. §. *negotiatores*, & §. *Divus*, *l. qui naves* 3. *de vacat. & excuſ. mun. l. pro commoditate* 7. *l. venerandæ* 30. *C. Theodoſ. de navicularіis.* Non

§. *De corporibus & collegiis.*

nego rem navicularíam publicam esse, sive navium exercitium ad summam Reipublicæ curam spectare, ut dicitur *in l.* 1. §. *licet* 20. *de exercit. actione*, maximisque favoribus dignissimam esse, ut multi extollunt apud Solorzanum *de jure Indiarum. lib.* 1. *cap.* 8 *ex numero* 11. & *cap.* 16. *numero* 31. Lazarus Baifius *integro tract. de re navali*, Claudius Salmatius *in observ. ad jus Atticum, cap.* 27. quædam pro more rhapsodico Henric. Salmut. *in notis ad memorab. Pancirolæ*, *lib.* 1. *titul* 38. alios remissivè adducens Narbona *in l.* 12. *titul.* 10. *lib.* 7. *Recop.* quin potiùs fateor, multa privilegia eis qui maritimam navigationem exercent concessa esse per nostros Reges *in titul.* 10. *lib.* 7. *Recopil.* Sed error est huic nostro juri, & sæculo adaptare, quæ Romani, & Constantinopolitani Imperatores concesserunt: tum ex defectu potestatis, quia extraneæ illæ constitutiones nos non ligant: tum ex defectu usus, & accommodationis, quia plerunque diversis occurrunt jura necessitatibus: & navarchis, quibus Roma, & Constantinopolis indiguit, nos non indigemus: in quem errorem incurrunt, qui nescientes distinguere jus merum à constitutionibus; jurisque rationem à peculiari politica utriusque Imperii, obtrudunt nobis leges illas veteranas sine usu, & sine materia; unde meritò in dubium vocat Stephanus Nathen. *de justitia vulnerata p.* 1. *tit.* 1. *cap.* 2. an bono consilio Lotharius Imperator in usum, memoriamque reduxerit jus Romanum? Non quia perfectæ æquitatis imago, & fons non sit; sed quia plerisque illius juris malus usus est. Unde hodie decedente naviculario sine hærede, bona ad fiscum pertinent, non ad corpus navicularíorum. Olim etiam milite sine successore obeunte, deficientibus cognatis usque ad quintum gradum, bona legioni, sive vexillationi deferebantur, *l.* 4. §. *eadem* 17. *ff. de fideicommiss. libert. l.* 2. *C. de hæredit. Decur.* quæ est lex unica, *C. Theodos. de bonis milit.* quod jus ex rescripto Hadriani Imperatoris originem sumpsisse, non malè probat Hothomanus *lib.* 8. *observ. cap.* 8. Merillus *lib.* 2. *variant. ex Cujacio, cap.* 2. Osualdus *lib.* 9. *Donel. cap.* 1. *litteraT. ex l si quis filio* 6. §. *ejus qui deportatur* 7. *ff. de injusto rupto, l.* 4. §. 17. *ff. de fideicommiss. libert. l.* 2. *ff. de hæredit. Decur.* plura Cujacius *lib.* 16. *resp. Papin. in l.* 2. *C. de veter. & milit. succes. l. unic. C. Theodos. de bonis milit.* quæ extat *in l.* 2. *C. de hæredit. Decur.* ubi observandum est, separari legiones à vexillationibus, ut etiam *in l. final. C. de his qui non impletis stipendiis*, *lib.* 10 *l.* 9. *C. quando provocare non est necess.* & meritò, nam in vexillationibus Equites tantùm militabant. Vegetius *lib.* 2. *capite* 1. & 2. Quare non rectè Cujacius vexillationes numeros interpretatur *in dict. l. final. C. de his qui non impletis*, cùm numerorum nomen generale sit, *l. contra* 14 *de re milit.* Vexillationes autem auxiliares fuisse putat Steubechius *ad Vegetium dict. cap.* 2. Turnebus autem *lib.* 3. *adverss. cap.* 30. Emeritos veteranos asserit esse milites, qui exauctorati, sub signo tamen seorsim, donec præmia, & agros acciperent, tenebantur. Eodemque modo interpretatur locum Suetonii *in Galba, cap.* 20. *in lib* 5. *adverss. cap.* 2. De vexillationibus agit Pancirola *in notitia cap.* 32. & 34. Hæc bona dicuntur caduca legionis apud Ulpianum *in dict. l. ego* 4. § *eadem* 17. cujus littera elegantior, & purior est, quàm inversionem aut lecturam patiatur. Dixerat de caducis fisci, sive de bonis ut vacantibus fisco delatis, in quæstione, an tunc conserventur libertates, necne, ut ex mutatione personæ jus variatum videretur. Docuit ex æquo conservari libertates, si vacantia non fisco, sed legioni deferrentur. Verba ejus sunt: Quare etsi caducis legionis bona delata sint, idem erit probandum. Immeritò ergo Cujacius ad Ulpianum *titul.* 28. & *in l. unic.* §. *postremò*, *C. de caduc. tollend.* & *in dict. l.* 6. §. 7. *de injusto rupto*, quem sequuntur Pichardus *in lecturis ad titul. de acquir. hæredit. cap.* 5. *numero* 15. Valentia *ad eundem titul. cap.* 3. *numero ultim.* emendavit *caducariis legibus*, quem jam eo nomine taxavit Broëus *ad titulum de eo cui libertatis causa*. Nec feliciùs Haloander, Hugo à Porta, & alii veteres, à quibus noster Acosta *in* §. *cùm in bello, verbo Agnati, numero* 3. ita reposuerunt; *Si qua duci legionis*. Caduca enim legionis dicuntur bona vacantia militis legioni delata. Titus Arruntenus Paternus *lib.* 1. *militarium*, *in l. ultim. de jure immunit.* inter militiæ officiales, quorum longum catalogum ibi attexit, recensetdisque rationibus bonorum vacantium legioni librarios caducorum, qui scribendis, componendelatorum, præpositi erant: Cujacius *in parat. ad titulum C. de hæredit. Decur.* & illustravit cultissimus Ramirez de Prado *ad Martialem lib.* 4. *epigram.* 91. Aliud extat ejusdem Hadriani rescriptum, quod referunt, & illustrant D. Nicol. Antonius *lib.* 5. *de exil. cap.* 22. D. Josephus de Retes *lib.* 3. *analect. de interdict & releg. num.* 71. Habuerunt etiam jus in bona vacantia cohortales ejusdem provinciæ, cohortale sine hærede decedente, *l. si quis cohortali* 3. *C. de hæredit. Decur.* Cohortales in provinciis perpetui sunt qui ministrant Præsidibus, in eorum officiis ministrantes, de quibus *tit.* 58. *lib.* 2 *Codicis Justin.* & immunes sunt à functione navicularia, à solitudine vastaguæ, sive publicæ transvectionis tributorum, & specierum, & à curiali munere, ut officiis cohortis vacent: videndi sunt Bulengerus *de Imperio Romano, lib.* 6. *cap.* 29. Pancirola *in notit. Imperii Orient. cap* 9. Huic ergo corpori collegiatorum, sive conditionalium, bona vacantia deferebantur excluso fisco, & etiam corpori Scholæ Fabricensium, *l. penult. & ultim. C. de hæredit Decur.* & etiam Præfectianæ deferebantur bona Præfecti vacantia, *l. ultim. C. de apparit. Præfect. Præt. lib.* 12. Hodie tamen omnibus his corporibus fiscus præfertur, quia per leges Regias fiscus ad bona vacantia vocatur insuper habitis dictis privilegiis, ut docuerunt *in l.* 32. *Tauri*, Tellus Fernandez *numero* 4. Palacius Rubius *numero* 12. Et multò minùs fisco præferuntur alia corpora, seu collegia, quæ ad similitudinem suprædictorum ad bona vacantia admitti nonnulli DD. existimarunt: in primis enim Angelus *in l. si quis filio* 6. §. *ejus*, *de injusto rupto.* Baldus *in l.* 1. *C. de hæredit. Decur.* docent, quod si aliquis de collegio, vel de confraternitate aliqua decedat, vacantia bona ejus non fisco, sed confraternitati cedere: & Afflictis, Peregrinus, & alii, quos sequitur Mastrillus *de Magistr. lib* 3. *cap.* 10. *numero* 372. & 374. tenent, bona Rectoris, scholaris, seu collegiati, qui in numero, seu matricula scholæ, collegiive Doctorum relatus erat, ad ipsam scholam pertinere, excluso fisco. Bartolus quoque *in dicta l.* 1. ausus fuit affirmare, quod si no-

ſi nobilis de uno ſedili moriatur ſine hærede, cæteros nobiles de eodem ſedili poſſe occupare: & Baldus *in l. ſi qua illuſtris 5. numero 6. C. ad Orphic.* tenet expoſitis ante fiſcum ſuccedere hoſpitale Miſericordiæ. Meliùs dixerat Accurſius *in l. nutritoribus* 10. *C. communia de ſucceſſ.* hoc jus contra illum textum, & authenticam ſequentem moribus eſſe introductum. Sed quamvis pro his opinionibus multi ſint Auctores veteres, quos in unum congerunt Tiraquellus *in ſuo tract. Le mort ſaiſit le vif, 2. p. declarat. 15.* Maſtrillus *ubi proximè, ex numero 372.* Farinacius *in fragmentis, verbo Fiſcus, ex numero 10.* Amaya *in d. l. 1. ex numero 29.* Montalvus, & Didacus Perez *in l. 20. titul. 19* ego tamen hæc omnia, & ſimilia commentitia puto, & fictitia, neminemque fiſco præferri in bonis vacantibus præter conſanguineos, & uxorem aſſero, niſi fortè conſuetudine legitimâ introductum ſit, ut hoſpitale, vel quæ alia communitas præferatur, vel Baro, aut Dominus jurisdictionis; hoc enim jus conſuetudine induci poſſe, certum eſt, ut docent Roſental. *de feudis cap. 5 concluſ. 54.* & in variis caſibus Regnerus Sixtinus *de regalibus lib. 2. cap. 9.* Peregrinus *de jure fiſci, lib. 4. tit. 3.* Camillus Borellus *de præſtantia Reg. Catholici, cap. 14.* Amaya *ubi ſuprà numero 37.* Certè in Decurionibus, aliisque collegis, qui muneribus publicis obeundis ſunt mancipati, ultra communem rationem, quam ſuprà aſſignavi, & illa potiſſimùm facit, videlicet, ut qui ex adminiſtratione defunctorum collegarum fiſco manent obnoxii, ex eorum quoque patrimonio lucrum ſentiant, *Novell. 13. Theodoſii*, cujus principium extat *in l. ult. C. de hæredit. Decur.* argumento legis *ſemper 5. §. negotiatores, ff. de jure immunit.*

7. *Traditur ratio decidendi.* Unde jam apparet vera ratio præſentis deciſionis; nam cùm legibus ſæcularibus cautum ſit, ut Eccleſia in clericorum inteſtatorum bonis ſuccedat, *l. ſi quis presbyter 20. C. de Epiſcop. & cleric.* Theodoricus Rex *in ſuo edicto, cap. 6.* ibi: *Clericos, religioſasque perſonas inteſtatas deficientes, quotiens defuerit qui jure ſuccedat, locum Eccleſiæ ſecundùm leges facere debere præcipimus.* Ideò Eccleſia fiſco præfertur, & bona illa vacantia occupat, ut Curia, vel ſimile corpus occupat bona ſui collegæ; immò olim Eccleſiam in terris quoad temporalia ſibi ſubjectis, etiam adſtantibus cognatis inteſtatorum bona occupaſſe liquet ex D. Gregorio *lib. 1. epiſt. 42.* ibi: *Cognovimus* (inquit ad Petrum Subdiaconum Defenſorem patrimonii Siciliæ) *etiam, quod nonnullis conductoribus morientibus parentes ſui non permittunt ſuccedere, ſed res eorum ad uſus Eccleſiæ pertrahuntur: de qua re diffinimus, ut parentes morientium, qui in poſſeſſione Eccleſiæ degunt, hæredes ei ſuccedere debeant, nec aliquid eis de ſubſtantia morientium ſubtrahatur.* Ut etiam Conſtantinus ſtatuit, ut bona Martyrum ad Eccleſiam ſpectarent, teſte Euſebio *lib. 2. de vita Conſtant. cap. 21. & 36.* ibi: *Martyrum ſubſtantias juſſit genere proximos accipere; ſi nullus eorum fuerit, Eccleſias habere hæreditates.* Quem illuſtrat Merillus *lib. 3. obſerv. cap. 2.* Nec hoc jus ſuccedendi in bonis clericorum ab inteſtato decedentium, ratione deſtituitur; nam tam jure veteri, quàm novo uxor ſuccedebat ſponſo, nullis extantibus mariti conſanguineis, *l. 1. C. unde vir, l. final. C. Theodoſ. de legit. hæred.* ibi: *Niſi ille caſus emerſerit, ut nemo de propinquis ſucceſſionem mortui vindicare poſſit ex lege, cùm fiſco noſtro qualiacunque jura matrimonii præponamus.* Plura Borellus *de præſtantia Regis cap. 14. numero 19.* Oſualdus *lib. 9. cap. 1. littera K.* Amaya *in dicta l. unica, C. de bonis vacant. numero 31.* Sed Eccleſia ſponſa eſt propriì Prælati, ut latè probavi *in cap. inter, de translat. Epiſcopi*: igitur defuncto ejus ſponſo ab inteſtato, illi ſuccedit. Accedit, nam lex poſitiva æmula naturæ, & communem hominum ſenſum imitata, ſolet inteſtatorum hæreditates eisdem adjicere, quibus credibile eſt defunctum, ſi diſponeret, eas relicturum fore, *l. 3. l. conficiuntur 8 ff. de jure codicil.* ſed ſi clericus diſponeret, & agnoſceret propriâ cognatione deſtitui, hæredem reliquiſſet Eccleſiam, juxta adducta *in cap. cùm in officiis, de teſtam.* Igitur rectè ejus bona nullis extantibus conſanguineis Eccleſiæ deferuntur.

8. *Diſſolvitur dubitandi ratio.* Nec obſtat dubitandi ratio ſuprà adducta; nam licèt verum ſit, fiſcum bona vacantia inteſtatorum occupare, ex juribus ſuprà adductis, quibus non obſtant textus *in l. ſi hæredum, C. de inoffic. l. 6. §. certè, ff. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam. l. habere, ff. de evict. l. 1. C. de donat. inter, l. ultima, de ſucceſſ. edicto, l. 6. §. ſimpliciter. ff. ſi quis omiſsâ cauſâ teſtam. l. 1. §. ſed ſi morte, ff. quando actio de peculio* videndi ſunt Primarii noſtri *ad titul. de acquir. hæredit.* tamen id procedit, quando non præfertur fiſcus à Curia, corpore, ſeu aliqua communitate Unde cùm in præſenti caſu in bonis clerici ab inteſtato decedentis fiſco Eccleſia præferatur, ex auctoritatibus, & rationibus ſuprà adductis, ideò in præſenti docetur, bona clericorum inteſtatorum ad Eccleſiam ſpectare. Nec obſtat difficultatis augmentum deductum ex variis hiſtoricis; nam illi loquuntur de Principibus, qui potiùs invadebant clericorum hæreditates, quàm jure occupabant; nec oppreſſa Eccleſia jus proprium defendere poterat: unde ex ſimilibus factis non rectè argumentum deducitur contra ſuprà tradita, cùm invaſiones illæ potiùs violentæ occupationes, quàm legitimæ eſſent ſucceſſiones. Hucusque traditis opponi poteſt textus *in cap. Epiſcopus qui 12. q. 2.* cujus interpretationem dedi *in cap. 1. de teſtamentis.*

CAPUT II.

Ex Concilio (a) *Triburienſi.*

COncilio allatum eſt, quod quidam laici improbè agant contra Presbyteros ſuos, ita ut de morientium presbyterorum ſubſtantia partem ſibi vindicent, ſicuti de propriis (b) ſervis. Interdicimus itaque canonicâ auctoritate, ne hoc ulteriùs fiat; ſed ſicut liberi facti ſunt ad ſuſcipiendum gradum, & agendum divinum

officium, ita nihil ab eis (c) exigatur præter divinum officium. De (d) peculio verò sacerdotum nihil sibi usurpent, sed totum in quatuor dividatur partes: una Episcopo, altera altari, tertia pauperibus, quarta parentibus; & si non sunt idonei (e) parentes, Episcopus eam recipiat, & in usum Ecclesiæ diligenter distribuat; & si quis contra hoc facere præsumpserit, anathematizetur.

NOTÆ.

1. (a) *Tiburiensi.*] Ita etiam legitur *in 1. collect. sub hoc titul. cap. 2.* & ex eodem Concilio citatur textus hic à Burchardo *lib. 2. Decreti, cap. 206.* Carnotensi *p. 6. Decreti, cap. 281.* sed in canonibus editis à Binio, & Corjolano non reperitur præsens textus: sed cùm Decretistæ addant, *ex Concilio Triburiensi sub Arnulpho*, credendum est, potiùs canonem hunc periisse ex ipso Concilio, quàm esse alterius Concilii Triburiensis celebrati sub Conrado. De Concilio Triburiensi temporibus Arnulphi celebrato, jam nonnulla notavi *in cap. clerici, de vita, & honest. cleric.*

2. (b) *Sicut de propriis servis.*] Sed omne, quod servus acquirit, domino acquirit, etiam invito, & ignoranti, *l. acquiruntur, l. etiam invitis 32. ff. de acquir. rer. domin. §. 1. Institut. per quas personas nobis acquiritur*: ergo non rectè in præsenti refertur, dominos à servis suis tantùm partem eorum, quæ acquisierunt, posse vindicare. Abbas Panormitanus hîc *not. ab. 1.* post Hostiensem verba hæc non intelligit de servis in servitute decedentibus, sed de servis jam manumissis, & ita de libertinis, in quorum bonis etiam facto testamento certam partem patronus obtinet, *§. sed nostra, Instit. de succes. libert.* Sed Abbatem reprehendit Barbosa *hic num. 2.* ex eo, quod Patronus partem tantùm liberti obtinet, cùm testamentum ipse condidit; si verò ab intestato decedat, liberis non superstitibus, in universum jus succedit patronus; unde cùm in præsenti agatur de libertis ab intestato decedentibus, non partem, sed totum patrimonium patronus occupare debebat. Quare eâ sententiâ omissâ aliter respondit Barbosa, videlicet in relatis verbis non referri decisionem Pontificis, sed tantùm partis allegationem. Sed veriorem censeo Abbatis interpretationem, si observetur, præsentem textum non esse exaudiendum, nec intelligendum juxta jus Romanorum, quod postea illustrabimus; sed potiùs juxta leges noviores Longobardorum, & Wisigothorum, ex quorum Provinciis erant Episcopi, qui præsentem canonem ediderunt. Juxta leges autem eorum certam partem patronus ex bonis liberti vindicabat, *l. 17. tit. 14. lib. 2. legum Longobard.* ibi: *Et si aliquod in gasindio Ducis, aut privatorum hominum obsequio donum vel munus conquisierit, res ad donatorem revertantur; in alias verò res, sicut dictum est, si hæredes non dereliquerit, aut se vivo non judicaverit, patronus succedat sicut parenti suo.* Et *l. 13. titul. 7. lib. 5. legum Wisigoth.* ibi: *Si manumissus sine filiis de legitimo conjugio natis transierit, & ei patronus in libertate aliquid donaverat, aut forsan de ejus servitio discesserit, & aliò se contulerit, omnia ad patronum, sive ad ejus hæredes sine dubio revertantur. Quod si forsitan in terra ipsius patroni consistens, qui eum manumisit, aliquid de labore suo acquisierit, medietas acquisitæ rei exinde in patroni potestate consistat.* Unde sensus hujus textus est, quod Domini volebant à libertis in Ecclesia manumissis, ut presbyteri ordinarentur, certam partem bonorum vindicare, ut à servis propriis privatim manumissis ab intestato decedentibus; quod alienum erat à sacris canonibus, ut ex infrà dicendis apparebit.

3. (c) *Nihil ab eis.*] Id est non operas, non successionem, in quibus præcipuè jus patronatus consistit. Donellus *lib. 2. comment. cap. 17.* Faber *in Papin. tit. 5. princip. 2. illat. 8.* Cujacius *ad tit. C. de bonis libert.* nisi divinum officium pro operis promissum sit, juxta adducta *in cap. 3. de servis non ordin.*

4. (d) *Peculio.*] Id est bona ab ipso presbytero aliunde quæsita extra Ecclesiam; nam si intuitu Ecclesiæ bona illa fuissent acquisita, plenè, & integrè ad Ecclesiam spectabant, ex traditis suprà *in cap. final. de pecul. clericor.* ubi probavi, in his juribus peculium accipi pro bonis non intuitu Ecclesiæ acquisitis, sed extra, & aliunde obtentis.

5. (e) *Si non sint idonei parentes.*] Immò si indigni erant, fiscus ea bona eripere debebat, *ex l. 1. & per totum ff. de his quæ ut indign.* non verò Episcopus ea vindicare poterat. Abbas, quem sequitur Joannes Garsias *de tacito fideicommisso, num. 42.* existimat in præsenti parentes non fuisse indignos, sed incapaces; unde cùm portio competens incapaci, non ad fiscum perveniat, sed conjuncto acquiratur, inde Episcopo conjuncto in præsenti bona acquiri. Sed verius credo PP. in præsenti non agere de parentibus incapacibus ex lege civili, sed de non idoneis, id est publicis peccatoribus, parumque piis viris; illi enim quia idonei non sunt, nulla bona recipere debent.

COMMENTARIUM.

6. SIngularis est hæc Concilii Tribur. constitutio, & speciali ratione subnixa, quatenus ex bonis liberti in presbyterum ordinati, & ab intestato decedentis, jubet quatuor partes fieri, ita ut Patronus nullam habeat, immò una pars Ecclesiæ, alia Episcopo, pauperibus alia, & parentibus alia deferatur. Non est similis constitutio in utroque jure, civili videlicet, & canonico; immò utriusque juris sanctiones contrarium suadent. Primò enim si sacros canones attendamus, vel bona hæc quæsita fuerunt ab hoc presbytero ante manumissionem, & per consequens ante sacram ordinationem; vel postmanumissionem. Primo casu ea bona in potestate & dispositione domini sunt. Concilium Tolet. 1. *can. 2.* ut ex ipso citatur à Burchardo *lib. 2. Decreti, cap. 23.* Ivone Carnotensi *p. 6. Decreti, cap. 38.* ibi: *De rebus verò illorum, vel peculiari, qui à dominis propriis libertate donantur, ut ad gradus ecclesiasticos promoveri debeant, statutum est, ut in potestate dominorum consistat quicquid ante libertatem habuerunt, utrum illis concedere, an sibi retinere voluerint.* Secundo casu integrè, & plenè ad Ecclesiam bona spectant. Concilium Tolet. 4. *can. 74.* ibi: *De familiis Ecclesiæ constituere Pres-*

Presbyteros, & Diaconos per parochias liceat, quos tamen vitæ rectitudo, & probitas morum commendat, ea tamen ratione, ut antea manumiſſi libertatem ſtatus ſui percipiant, & denuò ad eccleſiaſticos honores ſuccedant. Irreligioſum eſt enim obligatos exiſtere ſervituti, qui ſacri ordinis ſuſcipiunt dignitatem. Quicquid autem talibus aut per libertatem conceſſum, aut ſucceſſione extiterit debitum, aut a quolibet quoquo modo collatum, non licebit eis quippiam inde in extraneas perſonas transmittere: ſed omnia ad jus Eccleſiæ, à qua manumiſſi ſunt, oportet poſt eorum obitum pertinere. His quoque, ſicut & cæteris Eccleſiæ libertis, accuſandi, vel teſtificandi adverſus Eccleſiam aditus intercluditur, ad quos ſi adſpiraverint, non ſolùm libertatis beneficio careant, ſed etiam honoris gradu, quem non dignitate naturæ, ſed tempore neceſſitatis promeruerunt. Ergo non debent bona liberti dividi in quatuor partes, ut in præſenti ſtatuitur. Juris civilis etiam diſpoſitioni præſentem canonem non convenire, facilè conſtabit, ſi juspatronatus quoad ſucceſſionem tantùm liberorum (quod ut à famoſiori juspatronatus dicitur *in l. quod ex liberta* 11. § 1. *ff. de oper. libert. l. libertus* 14. *ff. de tutore & curat.*) ab origine repetamus.

7. *Juspatronatus ex l. decemvirali.*

Sciendum igitur eſt lege XII. Tabul. ita cautum eſſe: *Si libertus inteſtato moritur, cui ſuus hæres nec extabit, aſt patronus, patronive liberi eſſent ex eadem familia, in eam familiam proximo pecunia ditor.* Refert, & probat Jacobus Gothofredus *in quatuor fontibus, tabul.* 5 Ait lex, *inteſtato*, ut ſignificet, ea lege liberam teſtamenti factionem datam fuiſſe liberto, ita ut impunè præteriret patronum, & extraneum hæredem inſtitueret. Ulpianus *titul.* 27. *regul.* §. 1. & *titul.* 29. *in princip.* Sequitur, *cui ſuus hæres non extabit*, ut agnoſcatur, inteſtati liberti hæreditatem deferri patrono, cùm ſui hæredes liberto non extant. Unde ex ea lege patronum ab inteſtato repellebant filii in ſacris exiſtentes, etiam adoptivi, necnon uxor ducta per coëmptionem. Ulpianus *tit.* 29. *regul. in collat. legum Moſaic. tit. ultim.* §. *penult. l. qui duos* 9. § 2. *ff. de rebus dubiis*, juncto D. Joſepho de Retes *lib.* 7 *opuſc. cap.* 5. *l. liberto* 17. *ff. de bonis libert.* juncto Arias à Meſa *lib.* 3. *variar. cap.* 2. *l.* 3. *ff. de juris & legit.* Ait lex, *patronus*; quo nomine licèt patronus maſculus tantùm comprehenderetur, tamen conſenſu prudentum ad fœminas patronas jus hoc porrectum fuit. Ulpianus *dicto titul.* 27. *l.* 1. § 1. *l.* 3. § *ſi duo* 4. *ff. de legitim. tut. dicta l. liberto* 17. *l.* 3. § *hæc, ff. unde legit.* Similiter illa verba: *Patronive liberi*; ad liberos patroni, patronæque non degeneres, ſed ex juſtis nuptiis ſuſceptos referenda ſunt, *l.* 1. & 3. *ff. de petit. hæredit.* Ulpianus *dicto titul.* 27. & 28. *l.* 3. § 1. *ff. de legit. tut. l. etſi* 6. § 1. *l. patronæ* 18. *l. filius* 42. *in princip.* & § *ultim. ff. de bonis libert. l. ſatis conſtat*, *ff. de jurepatron.* Immò & illis verbis comprehenduntur uxor ducta à patrono per coëmptionem, de qua exaudiebat textum *in l. quamquam* 62. § 1. *ff. de ritu nuptiarum*, *juncta l. ſi patrona* 13. *ff. eodem*: litteratiſſimus vir collega noſter D. Petrus de Ulloa in Granatenſi Senatu Regius Conſiliarius, *in aſſertionibus de ſucceſſione libertorum, cap.* 1. § 5. Item filii adoptivi à patrono, ut poſt Cujacium probat idem eruditus vir. Inde deducitur, attentâ ipſâ lege XII. Tabul. ſemper patronum inteſtatæ libertæ occupaſſe hæreditatem, quia illa ſuos hæredes habere non poterat, *l.* 4. *ff. de liber. & poſthum. l.* 13. *ff. de juris & legit.* proindeque, cùm tantùm ſui hæredes patronum excluderent, ſemper ad patronum libertæ ſucceſſio ſpectabat. Ulpianus *dicto titul.* 29. § 3. Subtiliter tamen illum caſum excipit perdoctus collega noſter *ubi ſuprà, cap.* 2. cùm liberta coëmptione nupta maritum ſimul, & dominum quæſiit. Mulier enim ita coëmpta in manum, poteſtatemque viri tranſibat, *l.* 4. *ff. de his, qui ſunt ſui, l.* 2. *ff. qui ſatisd. l.* 2. § *hoc autem, ff. de legat. præſtand. l. uxori* 18. *ff. ad leg. Corn. de falſis.* Paulus & Papin. *in collat. legum Moſaic. titul.* 4. unde maritus ab inteſtato jure peculii ejus bona occupabat, excluſo patrono. Nec obſtat quod ipſa teſtamentum facere poterat. Ulpianus *in fragment. titul.* 20. § *penult.* Nam novum in jure non eſt, ut qui teſtamentum facere poteſt, ſi ab inteſtato decedat, hæredem legitimum non habeat, ut de virgine Veſtali refert Gellius *lib.* 1. *noctium, cap.* 12. & in filiofamilias peculium caſtrenſe habente, notum eſt.

Succedit edictum Prætoris circa ipſum juspatronatus. Et cùm lege decemvirali tantùm filii ſui, etiam adoptivi patronum excluderent, jure Prætorio filiis emancipatis ſuccurſum eſt, & ad optivis jus in partem detractum, ita ut omnes filii legitimi, etiam emancipati, excluderent patronum, tam ex teſtamento, quàm ab inteſtato, §. *quâ de causâ, Inſtitut. de ſucceſſ. libert.* Si autem exhæredati erant, vel præteriti, vel ab hæreditate ſe abſtinebant, locum patrono faciebant, *l. etſi* 6. § 1. & 3. *ff. de bonis libert. l. ſive* 21. § 3. *ff. de jurepatron.* & ne in arbitrio eſſet liberti adoptionis commento fraudare patronum, filii adoptivi, etiam inſtituti, aut uxor coëmpta cum patrono, in æqualem portionem admittebantur. Ulpianus *dicto titul.* 29. § 2. cui ſententiæ ſubſcribit Hermogen. *in dicta l. ſive* 21. § 3. *ff. de jurepatron.* Etiam edicto ſuo Prætor facultatem teſtandi lege decemvirali libertis conceſſam taxavit, ſtatuens, ut libertus ſine liberis teſtatus, ſemiſſem bonorum patrono relinqueret, alioquin bonorum poſſeſſionem contra tabulas illi pollicebatur usque ad eam portionem ſemiſſem. Ulpianus *in fragmentis, dicto titul.* 29. § 1. *l.* 1. & 2. *ff. de bonis libert. l* 1. § *penult. ff. ſi cui plus quàm per legem, l. ſive patroni* 21 § *ex duobus, ff. de jurepatron.* idque innuit Suetonius *in Nerone, cap.* 20. dum inquit, Neronem conſtituiſſe, ut de libertorum defunctorum bonis pro ſemiſſe dodrans præſtaretur. Eoque referendus Quintilianus *in declamat.* cui titulus: *Avia teſtis*; dum pro liberto alloquente patronum ait: *Huic debeo munus, operas, teſtamentum.* Et Paulus *in l. & quia* 10. *ff. pro ſocio*, dum inquit: *Et quia plerunque vel à parente, vel à liberto quaſi debitum nobis hæreditas.* Cæterùm ſi filios habet, eosque inſtituat, aut exhæredet in ea cauſa, in qua per querelam juſtè agant de inofficioſo, ſine metu omittit patronum, *dicta l. ſive patronus* 21. § *naturales*, & § *ult. l. ſed cum patrono* 6. § 1. *ff. de bonor. poſſeſſ.* docent Cujacius *lib.* 3. *qq. Pauli, in l.* 26. *ff. qui potiores*, Goveanus *in l. ex aſſe* 52. *ff. ad leg. Falcid* tantùm enim voluit Prætor filios patrono præferri, adeò ut ſi ſimul cum filiis inſtituat patronum, aut à patrono legetur filiis exhæredatis liberti, gravetur rectè ſemis his legatis, *l.* 4. *de condit. & demonſtr. l. ex aſſe* 52. *ff. ad leg. Falc. l. ſi ejus* 64. §. *ult. ff. ad Trebel.* argumento textus *in l.* 1. §. *ſed*

8. *De eodem jure ex edicto Prætoris.*

ſi

si libertus, *ff. si quid in fraud. patron.* Hæc autem portio patrono debita semis bonorum est, *d. l.* 1. §. *penult. ff. si cui plus*, *l. debitor* 40. §. 1. *ff. de pignoratit. action*, *l. Julianus* 43. *ff. de bonis libert.* Hodie verò ex Justiniani constitutione, quæ extat in suo Codice, sub titulo *de bonis libert.* à Cujacio ex libris Basilic. restituta, triens dumtaxat est; unde in aliquibus locis Pandectarum, in quibus consulti loquuntur de hoc semisse, reposuit Tribonianus pro semisse, certam partem, ut *in l.* 1. §. *ultim. ff. de bonis libert. l. sed cum patrono* 6. *ff. de bonor. poss.* notavit Cujacius *lib.* 41. *Pauli ad edict. in l. illud* 4. *ff. de bonor. possess. contra tab. & in recit. ad l.* 6. *ff. de bonor. poss.* Hæc tam in libertis viris, quàm patronis procedunt; quid tamen eo edicto circa libertas, vel patronas auctum sit, seu immutatum, videamus. Et circa libertam nihil immutatum legimus; immò cùm liberta esset in perpetua tutela patroni, sine ipsius auctoritate testamentum condere non poterat; unde satis illi ita prospectum erat, cùm in ipsius perniciem alium hæredem non institueret. Ulpianus *in fragmentis*, *tit.* 20. §. *penult.* Cicero *in Topicis*, & *lib.* 7. *epist.* 21. *ad Trebatium.* Livius *lib.* 49. ibi: *Quin eò processerat consuetudine captâ, ut pœt patroni mortem, quia nullius in manu erat, tutore à Tribunis, & Prætore petito, cùm testamentum faceret, unum liberum instituerent.* Ulpianus *tit.* 11. §. 18. Circa patronam etiam Prætor nominatim nihil cavit: forsan semis ob reverentiam & verecundiam præstabatur, circa quam deterior patronæ, quàm patroni conditio fuerat, *l.* 8. *ff. de statu hominum.* Unde ipsa contra tabulas agere non poterat; quare fortassis *in l. si vero* 64. *ff. solut. matrim.* dicitur maritum uxoris negotium gerens, ejus voluntate servos manumisisse, nimirum ut per mediam mariti personam jura patronatus ampliora ex edicto Prætoris consequeretur. Illud etiam Prætor suo edicto addidit, videlicet ut cùm ex lege decemvirali patroni, patronæque, ac liberi eorum in potestate existentes vocarentur ad successionem intestati liberti, & etiam qui ex familia manumissoris essent, agnati videlicet patroni vocarentur, § 4. *Instit. de bonor. possess.* Ulpianus *tit.* 28. §. 7. non tamen illi vocabantur ut patroni, vel eorum liberi, sed tantùm eos Prætor invitabat ad successionem, liberto sine liberis ab intestato decedente. Ulpianus *in fragmentis*, *tit.* 18. §. 7. *l. liberti* 17 *ff. de bonis libert.* §. 4. *Instit. de bonor. possess.* Etiam eo casu cognati manumissoris vocabantur, non absolutè, sed tantùm si eos ita conjunctos manumissor inveniret, ut plus mille asses ab eo legati nomine capere possent. Ulpianus *tit.* 28. §. 7. hoc est ex personis illis essent, quibus manumissor ex lege Furia plus mille asses legare poterat; nam etsi lege Furia prohibitum esset plus mille asses legatario relinquere, *princip. Instit. de lege Falcid.* Cicero *pro Balbo*, & *Ver.* 3. tamen certæ personæ excipiebantur cognationis titulo, quibus licebat legare in infinitum; sicut & à prohibitione legis Cinciæ, quæ modum imposuit donationibus, certæ excipiebantur personæ, quibus sine modo donari licebat. Ulpianus *titul.* 1. *in princip.* & § 2. *l.* 4. *C. Theodos. de donat.* Tandem Prætor cùm lege decemvirali hæreditas liberti intestatò decedentis patrono deberetur, addidit, ut liberorum liberti etiam post manumissionem susceptorum, ab intestato, & sine cognatione decedentium bona manumissores perciperent, concessa eis bonorum possessione, cujus subobscurum extat vestigium apud Ulpianum *lib. singulari de legit. hæredit.* & *in tit.* 16. *collat. legum Mosaic.* Apertum tamen extat in constitutione Græca, quæ desideratur *in tit. de bonis libert.* & refertur *lib.* 49. *Basilic.* non enim servitutis sordes, nisi post tertiam generationem purgabantur. Unde *in l.* 9. *C. de adopt.* signanter docetur, patronum libertæ filiam adoptare non prohiberi; extraneum tamen infertur vetari eam adoptare, ob legis Visellæ prohibitionem, *l. si pater* 15. §. *final ff. de adopt. l. unic. C. ad leg. Visel.* Illustrat Amaya *in l.* 1. *C. si libertus.* Huic ultimæ parti edicti Prætoris conveniunt leges Francorum, & Longobardorum, ut videre est in Capitularibus Caroli *lib.* 6. *cap.* 208. *l.* 11. *titul.* 24 *lib.* 2. *legum Longobardorum.* Prosequitur Jus Prætorium Mesa *lib.* 3. *variar. cap.* 2. 4. 5. & 6.

Successit jus novum legis Papiæ, quo adauctum est jus patronorum; distinctione enim adhibitâ inter libertum centenarium, & non centenarium, ita ut qui centenarius non erat, quamvis unum dumtaxat filium haberet, impunè omitteret patronum in testamento, atque securus esset itidem ab intestato, §. *sed postea*, *Instit. de success. libert.* si verò centenarius esset, adhuc sub distinctione cautum fuit; nam aut filios tribus pauciores habebat, aut tres, & deinceps: si tribus pauciores, veluti duos, patronus vocabatur ad virilem portionem, tam ex testamento, quàm ab intestato: si unum, vocabatur in semissem; quo casu intelligendus est textus *in l. debitor* 40. §. 1. *ff. de pignorat. action.* junctis Cujacio *lib.* 3 *respons. Papin.* & Fabro *ibi*, *l. Latinus* 83. *ff. de legat.* 2. Si tres, aut deinceps, patronus omnino repellebatur, tam ex testamento, quàm ab intestato, *dicto* §. *sed postea*: Ulpianus ita accipiendus *in l. si verò* 64. §. 5. *ff. solut. matrim.* Quamvis enim jus duorum liberorum eximat libertum ab obligatione operarum, *l. qui libertinus* 37. *ff. de oper. libert.* non tamen à successione locupletioris liberti, forsan ex eo, quia libertorum divitiæ odiosæ sunt, quia malis artibus creduntur comparatæ ab eo, qui heri servus, hodie liber apparet, ut docet Ulpianus *in l. Prætor* 7. §. *præterea*, *ff. de injuriis*: facit Tacitus *lib.* 4. *annal. Pudet*, inquit, *referre libertinos*, *qui ditiores spectantur.* Hinc exponendum erat, quam summam efficerent centum millia sextertiorum, ex mente legis Papiæ, quæ centenarium vocat illum, qui centum millia sextertiorum habet. Sed omnia persequi institutum non patitur; videndi sunt post Budeum, Alciatum, & Georgium Agricolam Balduinus *ad tit. de success. libert.* Connanus *lib.* 2. *comment. cap.* 9. *num.* 12. Hothomanus *lib.* 4. *antiquit. Rom. de re nummar. cap.* 12. Antonius Augustinus *lib.* 2. *emend. cap.* 9. Cujacius *lib.* 19. *observ. cap* 31. Pancirola *lib.* 1. *variar. cap.* 66. Marcellus Donatus *ad Suetonium*, *in Augustum*, *cap.* 83. Circa libertas etiam, nec non patronas nonnulla specialiter ea lege cauta sunt. Circa libertas, ut si quatuor liberos haberent, liberè testamentum facerent; ita tamen ut pro numero superstitum virilis pars patrono deberetur. Ulpianus *in fragmentis*, *tit. final.* §. 3. postea tamen Senatusconsulto Orphiciano statutum fuit, ut in successione libertæ ab intestato decedentis, exclusone patroni

9. De eodem jure ex leg. Papia

trono libertæ filius, etiam vulgò quæſitus primum locum occuparet, *l.* 1. §. 9 *ff. ad Tertyl.* eoque referendus Paulus *in l. patronæ* 18 *ff. de bonis libert.* Circa patronam etiam cautum fuit, ut patrona jus idem aſſequeretur, quod habebat patronus, ex edicto, ſi ingenua duorum, libertina trium, felici fœcunditate mater acclamaretur: liberi autem patronæ ingenuæ eodem jure fruerentur, ſi trium liberorum jure mater honorata eſſet; patroni autem filiæ, ſi jus trium liberorum haberent. Ulpianus *dicto tit. final.* §. *patroni.* Eoque referendi ſint textus *in l.* 3. §. *ultim ff. ſi quid in fraudem patron.* Julianus *in l. qui libertinus* 37. *ff. de operis libert.* Verba ipſius legis Papiæ ita ex veteribus fragmentis Conſultorum reſtituit Jacobus Gothofredus *in l. Julia de maritandis, cap.* 24 *usque ad* 28. ad quæ legis Juliæ capita ſpectant textus *in l. liberto* 26. *ff. de bonis libert. l. ex aſſe* 52. *ff. ad leg. Falcid. l. ſi juravero* 14. *ff. de jurepatron. l. ſervi* 43. *ff. ad leg. Falcid. l. ſi patronum* 44. §. *final. ff. de bonis libert. l. ſi patronus* 20. *ff. de donat. l.* 1. §. *interdum, ff. ſi cui plus, l. virilis* 145. *ff. de verb. ſign.* pro quorum interpretatione videndi ſunt Cujacius *lib.* 5. *obſerv. cap.* 24. & *lib.* 5. *qq. Pauli. in l. ſi patronum* 44 §. *ultim. ff. de bonis libert.* Goveanus *in d. l. ex aſſe* 52. Faber *lib.* 1. *conject. cap.* 15. Balduinus *de lege Papia. pag.* 135. Bertrandus *de jure liberorum cap.* 1. Illuſtr. Præceptor D. Franciſcus Ramos *in erudit. tract. ad legem Papiam, cap. de ſucceſſ. libert.* ſubtiliſſimus Primarius noſter D. Joſephus Zamora *in* §. *ſed noſtra, de ſucceſſ. libert.* Varia ergo lege Papiâ circa ſucceſſionem libertorum cavebantur. Primum, ut ſuccederet patronus cum filiis eorum in virili portione, §. *poſtea, Inſtit. de ſucceſſ. libert.* Secundò cùm ex lege XII. Tabul. filii excluderent patronum, hoc procedebat in filiis liberti maſculi, non in filiis fœminæ; quia cùm non ſint in poteſtate, patronum non excludunt. Ulpianus *in fragmentis, tit.* 29. §. *in bonis, l.* 3. §. *ſi mancipiis, de ſuis & legitim l. unica, C. de libert. univerſit.* nec Prætoris edicto admittebantur; tamen ex lege Papia filiæ admittuntur, & cum eis patronus in virilem portionem, ſi jus liberorum quatuor liberta habeat Ulpianus ubi ſuprà. Tertiò etſi filia patroni admitteretur ut filia, ex lege XII. Tabul. *l.* 6. §. 1. *l.* 42. §. *ult. de bonis libert.* admittitur tamen ex lege Julia, ſi jus trium liberorum habeat. Ulpianus *ſuprà* §. *liber:* quo modo accipiendus eſt textus *in l.* 47. § 1. *de bonis libert.* Quartò licèt patrona ad ſucceſſionem liberti admitteretur ut patronus, ex lege XII. Tabul. *l.* 17. *de bonis libert. l.* 1 §. 1. *ff. de legit. tut. l.* 3. § *hoc autem, ff. unde legitimi, l.* 13. §. *penult. ſi quid in fraud. patron.* non tamen ex edicto Prætoris, *l.* 1. *C. de bon. poſſeſſ. contra tab.* Admittitur tamen ex lege Papia, ſi ingenua duos, libertina tres ſuſceperit liberos, *l. ſultanus* 37. *in fine, de bonis libert* Ulpianus *ſuprà.* Quintò ut patronæ filii, qui ex lege XII. Tabul. ſuccedunt inteſtato liberto, *l.* 22. *de jurepatron. l.* 28 *de bonis libert.* quamvis Prætoris edicto excludantur, admittuntur tamen ex lege Papia, ſi eorum mater ingenua tres, libertina quatuor ediderit filios, *l.* 42. *verſ. Paulus, de bonis libert.*

10. Exponitur §. *ſed poſtea, de ſucceſſ. libert.*

Sed antequam hinc abeamus, exponendus eſt Juſtinianus *in* §. *ſed poſtea, de ſucceſſ. libert.* dum docet, filio, filiave relictis, perinde deberi ſemiſſem ex lege Papia, ac ſi inteſtatus libertus ſine liberis deceſſiſſet: quod poſtremum aut falſum eſt prorſus, aut ſaltem obſcurum; nam ab inteſtato ſine liberis defuncto liberto, as debetur patrono, modò duodecim tabularum legem attendamus, modò legem Papiam, *l.* 3 *de ſuis & legit. l. filius* 114. § 1 *ff de legat* 1. *l ſed cùm patrono* 6. *ff. de bonor. poſſeſſ.* De lege Papia indicium præbet textus *in l. viralis* 115 *ff de verb. ſign* juncta ejus inſcriptione, quæ eſt Ulpiani *lib.* 10. *ad legem Juliam Papiam*, in quo libro, & ſequenti Ulpianus agit de ſucceſſione libertorum, ut conſtat *ex l. iis autem* 11. *l. ſi libertus* 16. *ff de jurepatron. l. Julianus* 37. *ff de bonis libert.* Conjectura eò ſpectat, ut credam, ex lege Papia patrono deberi ſolidum aſſem liberti defuncti ſine liberis; nam ut ibi docet Ulpianus, virilis partis appellatio ſolidam hæreditatem interdum comprehendit. Quæ ſententia, junctâ inſcriptione, illud probat, ut portio hæreditatis, quæ eſt virilis concurrentibus liberis, ſit ſolida illis deficientibus. Nec obſtat appellatio *virilis*, quia hæc interdum ſolidi interpretationem admittit, quem textum ex mente Ulpiani ita accipit Cujacius *ibi.* Cui principio illud eſt conſequens, falſum eſſe, patrono deberi ſemiſſem, filio, filiave concurrentibus, perinde ac ab inteſtato debetur, illis non concurrentibus. Quâ difficultate oppreſſus Cujacius *lib.* 3. *obſerv. cap* 23. & *lib.* 17. *cap.* 13 affirmat, pro verbo *Inteſtatus*, legendum eſſe, *teſtatus*: quæ interpretatio plauſibilior eſt, quàm alia Roberti *lib.* 2. *recept. cap.* 24 & *lib.* 2. *amm. adv. cap.* 25. quem reprehendit ipſe Cujacius ſub nomine Mercatoris, *ad dict. cap.* 25. Sed eis omiſſis aliter exponunt Primarii noſtri ſuprà laudati textum illum, & docent, quod Juſtinianus cenſet, patrono deberi ſemiſſem, liberto inteſtato ſine liberis defuncto, non quidem ex eo, quia ſolida hæreditas non deferatur, modò legem XII. Tabul. modò legem Papiam conſulas; ſed quia ſi debitam ſtrictè ſumpto verbo *debitam*) portionem ſpectes, hæc eſt omninò ſemis, nec ultra porrigitur debitæ, aut legitimæ portionis appellatio, quæ dumtaxat eſt relinquenda, nec fideicommiſſis oneranda, *l.* 2. §. *ultim. l. filius* 42. §. *ultim. ff. de bonis libert. l. quia autem* 6. § *ſi patronus, l præterea* 19. *ff. ſi quis omiſsâ causâ teſtam. l. dotalem* 61. *ff. ſolut. matrim. l.* 3. §. *ſi in teſtamento, ff. ſi quid in fraudem patron.* quibus in locis cùm conſtet, totam hæreditatem liberti patrono deferri, ideò expreſsè docemur, partem, ſive ſemiſſem deberi. Omnia hæc legis decemviralis, edicti Prætoris, & legis Papiæ diverſa compoſuit Juſtinianus ſua conſtitutione, quæ extat *in l.* 4. *C. de bonis libert.* §. *ſed noſtra, Inſtit. de ſucceſſ libert.*

11. *Explicatur præſens textus,*

Sed ut jam ad præſentem textum regrediamur, cùm hucusque tradita procedant tam ex jure Cæſareo, quàm canonico, difficilis eſt præſens canon, quatenus in eo bona liberti ab inteſtato decedentis dividuntur in quatuor partes, nullâ ex eis aſſignatâ patrono. Pro cujus difficultatis ſolutione ſciendum eſt, primis Eccleſiæ ſæculis fideles plerunque in Eccleſia ſervos proprios manumiſiſſe, ut in ea deſervirent; & ſi idonei eſſent, ad ſacros ordines promoverentur, ut probavi *in cap.* 1. *de ſervis non ordin.* & in ſimilibus libertis nullum jus patronatus manebat, quia tantùm officium divinum vice operarum promitti poterat, *cap. eo libentius, de ſervis non ordin.*

ordin. & manebat talis clericus tanquam libertus orcinus, cùm manumissus esset ut ordinaretur. In aliis autem servis à fidelibus pro redemptione animarum suarum in Ecclesia manumissis nullum etiam juspatronatus patronus retinebat, *l.* 54. *titul.* 35. *lib.* 2. *legum Longobard.* ibi: *Si quis servum, aut ancillam in Ecclesia, vel circa altare amodò liberum, vel liberam dimiserit, sic maneat ei libertas, sicut ei qui Fulfreal in quarta manu traditus, & Amundus factus est; nam qui Aldium facere voluerit, non eum ducat in Ecclesiam, nisi alio modo faciat qualiter voluerit, sive per chartam, sive qualiter ei placuerit.* Patrocinium tamen ita in Ecclesiam transibat, ut si aliquo casu revocaretur ita manumissus in servitutem, non in dominium pristini domini, sed Ecclesiæ recideret, *l* 1. *tit.* 18. *legum Aleman.* ibi: *Si ancilla dimissa fuit per chartam, aut in Ecclesia, & postea servo nupserit, Ecclesiæ ancilla permaneat.* Et si ita manumissi sine liberis decedebant, Ecclesia illis succedebat, *tit.* 58. *legum Ripuar.* Unde cùm servus, de quo in præsenti agitur, manumissus esset, ut sacris Ordinibus initiaretur, nullum patronum habebat, atque ita ejus successio nulli deferebatur à jure: sed quia non constabat bona ab eo relicta intuitu Ecclesiæ fuisse acquisita, aliàs Ecclesiæ competerent, juxta adducta in titulo *de peculio cleric* sed potiùs ab eo aliunde erant quæsita, & eis nisi manumissus esset in Ecclesia, patronus succederet; ideò quia propter privilegium talis manumissionis patronus non occupat ea bona, jubent patres, ut in quatuor partes dividantur, quarum prima Episcopo, secunda Ecclesiæ, tertia pauperibus, quarta parentibus præstetur. Nec obstat canon 2. Concilii Tolet. 1. quia ibi Patres agunt de bonis, quæ habebat libertus ante manumissionem, peculio videlicet, de quo ad libitum dominus disponere valet. Nec etiam refragatur alter canon 74. Concilii Tolet. 4. nam in eo agitur de libertis ex servis propriis Ecclesiæ manumissis, quibus Ecclesia succedit jure proprio, cùm ex propria familia manumissi essent, & intuitu ejus omnia quæsiissent.

CAPUT III.

Innocent. III. (a) *Nivernensi Episcopo, & N. Sancti Benigni Divotien. & N. Teloci Abbatibus.*

CUm dilectus filius N. Abbas de (b) Buxeria ad nostram nuper præsentiam accessisset, & pro causa, quam adversus venerabilem fratrem nostrum N. Episcopum (c) Eduen. habebat, ibidem diutiùs expectasset, tandem nuncius ejusdem Episcopi supervenit: quibus volentibus ad invicem litigare, venerabilem fratrem nostrum I. (d) Viterbien. Episcopum sancti Clementis Card. concessimus auditorem. Ipsis igitur in ejus præsentia constitutis, Abbas proposuit antedictus, quod cùm N. Archipresbyter de Alerio se, ac sua ad participationem orationum monasterio de Buxeria pietatis intuitu obtulisset, quibusdam rebus suis usui suo simplici reservans, de manu cujusdam fratris ejusdem cœnobii augmentationem (e) coronæ, in signum illius oblationis accepit: & quòd hanc concessionem hoc modo fecisset, & non suo nomine, sed nomine monasterii possideret, & monasterio quicquid acquirebat, acquireret, sæpe fuit in communi Capitulo protestatus. In hoc etiam publicè per viginti annos ferè idem Archipresbyter, nullo contradicente, vel reclamante permansit, ita quod per publicam famam id omnibus notum fuerat. Nam Abbas de Buxeria, qui pro tempore fuerat, & ipsi monachi, rebus ipsius, non secus quàm aliis rebus propriis monasterii, sciente Episcopo Eduen. qui pro tempore erat, & in nullo penitus reclamante, publicè utebatur. Id autem quod mente compoti dictus Archipresbyter fecerat inter vivos, in ultima voluntate mente sanus, licèt æger corpore, confirmavit. Cumque idem Abbas, & monachi res sic legitimè datas, & alias, quas Archipresbytero ipsi concesserant ad utendum, ad suum monasterium reducere vellent, prædictus Episcopus eis violentiam inferens, non solùm res (f) Archipresbyteri, verùm res ipsius monasterii occupavit, quas cùm in bona pace repeterent ipsi, ut inr bus illis ei posset grassandi materia plenior indulgeri, Sedem Apostolicam appellavit, in Octavis B. Martini proximè præteriti terminum appellationi præfigens. Econtra prædicti nuncius Episcopi allegavit, quod quando illa donatio facta fuit, Archipresbyter erat positus extra mentem, ita quod cùm interrogatus fuisset à monachis: Vis tu habitum susscipere monachalem? & respondisset: Volo; statim interrogatus ab alio: Vis tu esse asinus? respondit similiter: Volo; sicque prædicti monachi eum ad suum monasterium deportarunt: quod idem nuncius se obtulit probaturum. Præfatus siquidem Abbas, cùm ad assertionem partis suæ quosdam testes incontinenti produceret, nos ipsos recipi fecimus, & diligenter audiri, quorum attestationes cùm interloquendo decrevissemus publicari debere, quoniam super illis capitulis

pars

pars Epiſcopi nolebat teſtes producere, ſuper quibus idem Abbas teſtes produxerat, ipſæque fuiſſent in publico recitatæ, diſputatione ſuper atteſtationibus ipſis habita diligenti, multa fuere contra dicta teſtium allegata. Cùmque renunciatum fuiſſet à partibus, dictus Card. quæcumque fuerunt hinc inde propoſita nobis, & fratribus noſtris fideliter recitavit. Quibus auditis & cognitis ſufficienter intellexi-mus eſſe probatum, quod dictus Archipresbyter agens in extremis velut ultimam exprimens voluntatem, aſſerit ſe, ac ſua monaſterio de Buxeria contuliſſe. Unde cùm requiſitus eſſet ut conderet teſtamentum, reſpondit, ſe non poſſe (g) teſtari, quia ſe, & ſua contulerat monaſterio ſæpedicto. Et licèt unus ſolus teſtis dixerit ſe vidiſſe, quando præfatus Archipresbyter ſe, & ſua obtulit monaſterio; quia tamen alii teſtes dixerunt, ſe audiſſe ipſum Archipresbyterum in Abbatis præſentia confitentem, & quod prædictum eſt, non tanquam ſufficienter probantes, ſed tanquam vehementer (h) adminiculantes, aſſertionem Abbatis plurimùm adjuvabant. Quia verò pars Epiſcopi aſſerebat ſe velle probare quod dictus Archipresbyter in extremis laborans, tanquam phreneticus alienatus erat à mente, unde non valuit quod expreſſit: nos ſuper his, & aliis, quæ fuerunt hinc inde propoſita, cum fratribus noſtris diligenti deliberatione habitâ, cauſam ipſam vobis ſub hac forma duximus committendam, quod niſi prædictus Epiſcopus legitimè comprobaverit ſæpedictum Archipresbyterum ſuæ mentis (i) compotem non fuiſſe, cùm ultimam voluntatem expreſſit, ſuper impetitione monaſterii perpetuum ei ſilentium imponatur, & compellatur reſtituere monaſterio quæcunque de bonis ipſius Archipresbyteri, vel ettam monaſterii occupavit. Si verò legitimè comprobaverit prædictum Archipresbyterum, quæ ſuper ultima voluntate præmiſſa ſunt, alienarâ (k) mente dixiſſe, ad faciendam ei nomine parochialis Eccleſiæ, cujus adminiſtrationem geſſerat dum vixiſſet, reſtitutionem bonorum, quæ ipſius Archipresbyteri fuerant, monaſterium condemnetur, cùm idem Archipresbyter ab inteſtato deceſſerit: ipſique monaſterio ſuper impetitione Epiſcopi ſilentium imponatur. Nullis litteris obſtantibus, præter aſſenſum partium, &c. Quod ſi non omnes, &c. Tu frater Epiſcope cum eorum altero. Datum Romæ, &c. IV. Non. Jun.

NOTÆ.

1. (a) *Nivernen.*] Ita reſtituo inſcriptionem, & litteram hujus textus ex ipſis epiſtolis Innocentii III. editis à Cardinale Sirleto, *folio* III. Nivernenſis civitas Galliæ, provinciæ ſuæ caput, ita dicta eſt à Niveri fluvio, qui in Ligerim fluit, ut referunt Cæſar *lib.* 7. *cap.* 10. Papirius Maſonius *in deſcript. Franciæ*, *fol.* 31. Habet Eccleſiam Cathedralem dicatam D. Cyro, cujus Præſulum catalogum referunt Democares *in lib. de ſacrificio Miſſæ*, Chenu *in chron. Galliæ*, *fol.* 250. Fratres Sarmathani *tom.* 3. *Galliæ*, *fol.* 791. Guillelmo ejus Eccleſiæ Epiſcopo miſſa eſt præſens decretalis, de quo Fratres Sarmathani *tom.* 3. *Galliæ*, *fol.* 791.

2. (b) *Buxeria.*] Quod monaſterium eſt Ordinis Ciſtercienſis, olim dictum Trium-fontium, de quo hæc Robertus Claudius *in ſua Gallia* refert. [Buxeria cœnobium Ciſtercienſis Ordinis, diœceſis Eduenſis, olim Trium-fontium appellatum, juxta tria ſtagna ad Oſcarum fluvium, anno 1130. die 13. Martii fundatum eſt ab Illuſtriſſimis Burgundiæ Ducibus, ut nonnulli putant; ſed alii probabiliùs Nobiles Dominos de Somberone auctores illius exiſtimant.] Aliqua de ipſo monaſterio refert Manrique *tom* 1. *annalium Ciſtercienſ. anno* 1130. *cap.* 6. Fratres Sarmathani *tom.* 4. *Galliæ Chriſt. folio* 208.

3. (c) *Eduen.*] Edua urbs celeberrima eſt Galliæ, cujus populi clariſſimi Celtarum vocantur à Mela *lib.* 3. *cap.* 2. Auſonio *parental.* 4. Ejus civitatis meminerunt Govelinus *lib.* 2. *de rebus D. D. Gonzal. in Decretal.* Tom. III. Pars I. *Pii Secundi*, ibi: *In Burgundia ſunt Edui, Celtarum ferè omnium quondam Principes.* Tacitus *l. b.* 11. *annalium. Primi Edui Senatorum in urbe jus adepti ſunt, datum id fœderi antiquo.* Sidonius *lib.* 5. *epiſt.* 18. Aymonius *lib.* 1. *cap.* 5. Cæſar *lib.* 6. *de bello Gallico.* Etiam dicta fuit Auguſtodunum, ut probant Fratres Sarmatani *tom.* 2. *Galliæ Chriſtianæ*, *fol.* 25. Habet Eccleſiam Cathedralem D. Lazaro dicatam. cujus Præſulum ſeriem referunt Fratres Sarmatani *ubi ſuprà*. Chenu *in chron. Galliæ*, *fol.* 55. Galthero ejus Præſuli in præſenti reſcribit Innocentius.

(d) *I. Viterbien.*] Jannem videlicet Lombardum, qui creatus fuit Cardinalis tituli Sancti Clementis à Cœleſtino III. ut refert Ughellius *tom.* 1. *Italiæ ſacræ*, *fol.* 310. *num.* 10.

(e) *Augmentationem coronæ.*] Quod erat ſignum oblationis ſui, & rerum ſuarum, ut probat Cironius *ad tit. de donat.* non tamen ideò fiebat ita oblatus monachus, ut probavi *in cap. in præſentia*, *de probat.* ubi hæc verba illuſtravi. 4.

(f) *Res Archipresbyteri.*] Non intuitu Eccleſiæ acquiſitas? nam de illis Archipresbyter diſponere non poterat, unde ad Eccleſiam ſpectabant; ſed de propriis, & patrimonialibus, in quibus cùm non haberet cognatos ab inteſtato venientes, Eccleſia ſuccedebat, juxta ſuprà adducta *in cap.* 1. 5.

(g) *Non poſſet teſtari.*] Non quia monachus eſſet, juxta tradita *in cap.* 2. *de teſtament.* ſed quia non habebat bona, de quibus diſponeret, cùm omnia ſecum monaſterio obtuliſſet.

(h) *Adminiculantes.*] Non enim de uno, ſed 6.

de diverso deponebant, & ita adminiculantes dicuntur, & cum eis ita probavit Abbas oblationem; aliàs si unus testis tantùm de confessione oblationis deponeret, & alius testis de oblatione ipsa, non probasset sufficienter Abbas, ut exponit Costa *in l. si ex cautione, fol. 379. num. 2. C. de non numer. pecun.*

7. (i) *Compotem non fuisse.*] Quæ negativa convertitur in affirmativam, ut probavi *in cap. ad audientiam de probat.*

(k) *Alienata mente dixisse.*] Furiosus enim non potest facere testamentum, *l neque, C. de codicil. §. furiosi, Instit. quibus non est permissum facere testam.* Donellus *lib. 6. comment. cap. 5.* Sesse *tom. 1. decis. 56.* Rodericus Suarez *alleg. 1.* In qua parte observandi sunt textus *in l. 1. de suis & legit. hæred. l. 15. §. filius, & §. ultimo, ff. de inoffic. l. filium 60. ff. de acquir. hæredit. l. 17. §. si impubes, ff. de instit. act.* & alii, quos adduxi *in cap. 1. de testam.* 8.

TITULUS XXVIII.

De Sepulturis.

CAPUT I.

(a) Leo III.

NOs instituta majorum Patrum considerantes, statuimus, unumquemque in majorum suorum sepulchris jacere, ut Patriarcharum exitus docet. Nulli tamen negamus propriam eligere sepulturam, & etiam alienam. Dominus enim & magister alienam elegit ut propriam. Sed quia dignus est operarius mercede suâ, tertiam (b) partem sui judicii illi Ecclesiæ dari censemus, in qua cœlesti pabulo refici consuevit, ut juxta Apostolum sint consolationum socii, ut fuerint passionum: & sic demùm ubicunque libitum fuerit, eligat sepulturam. Aliter ne fiat, auctoritate Domini nostri, qui per Prophetas locutus est dicens: Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui, sub anathematis vinculo detestamur, & contradicimus.

NOTÆ.

1. (a) *Leo III.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 3.* & post Concilium Lateran. sub Alexandro III. *p. 43. de sepultur. cap. 2.* & ex epistola Leonis III. textum hunc citant Antonius Augustinus *in notis ad 1. collect. in dicto cap. 2.* Cironius *in parat. ad hunc titulum.* Nicolaus Lemaistre *de juribus Episcop. lib. 2 cap. ult.* Unde cum in aliqua ex epistolis ipsius Pontificis editis à Vinio *tom. 2. Conciliorum*, Baronio *tom. 9. anno 796. & 799.* non reperiatur, credo deductum esse ex aliqua epistola, quæ temporis injuriâ periit. Leo III. creatus fuit Pontifex die 26. Decembris anno 795. & Ecclesiam rexit usque ad annum 816. ut referunt Baronius, & Corjolanus *in eodem anno*, Ludovicus à Sancto Carolo *in Biblioth. Pontificia, verbo Leo tertius.*

(b) *Tertiam partem.*] De qua portione parochiali agemus *infrà, in cap. in nostra*, hoc titulo.

COMMENTARIUM.

2. *Conclusio traditur & probatur.* EX hac Leonis epistola sequens communiter deducitur assertio: *Unusquisque sibi potest eligere sepulturam ubicunque voluerit; decedens autem sine electione, in majorum suorum sepulchro est sepeliendus.* Probant eam textus *in cap. Ebron. cap. unaquæque, cap. ubicunque, cap. placuit, 13. quæst. 2. cap. ult. in princip. 16. q. 1. cap. 3. cap. de uxore, in princip.* & *§. 1. hoc tit. cap. nimis, §. 1. de excess. Prælat. cap. plerique, de pactis, cap. ut privilegia, de privileg. cap. cum quis, cap. is qui, cap. final. hoc tit. in 6. capite 1. de pactis, eodem lib. Clement. dudum, §. verùm, hoc tit. Clement. final. §. final. de pœnis*, cum aliis congestis à Crespetio *in summa, verbo Sepultura.* Consonat lex 5. *tit. 13. partit. 1.* Illustrant ultra laudatos in præsenti à Garaña, & Barbosa, idem Barbosa *lib. 2. juris Eccles. cap. 10. num. 10.* & *de offic Paroch. cap. 26.* Petrus Gregorius *lib. 1. partit. titul. 17. cap. 5.* & *lib. 2. syntagm. cap. 13. num. 6. & lib. 33. cap. 23.* Vigel. *in method. jur. can. fol. 451.* Tondutus *resol. canonic. cap. 115.* Valenzuela *consil. 18.* Basilius *de matrim. lib. 5. cap. 13. §. 2.* Parladorius *different. 66. §. 3.* Fragoso *de regim. Christ. Reip. 3. p. lib. 5. §. 17. num. 529.* Zerda *in Judith, tom. 1. cap. 8. vers. 1. fol. 391.* Cabreros *lib. 2. de metu, cap. 5. num. 85.* P. Mendo *de jure academ. lib. 3. quæst. 50.* Frances *de Eccles. Cathed. cap. 17.* Murga *tom. 2. disquisit. mor. tract. 8. disquisit. 1. cum sequent.* Altesserra *lib. 1 dissert. cap. 12.*

Sed hæc assertio difficilis redditur ex sequenti juris consideratione; nam sive testator eligat sepulturam

Impugnatur tradita assertio.

sepulturam, sive non eligat, intra Ecclesiam non est tumulandus, *cap. nullus* 13. *q.* 2. Concilium Brachar. 1. *can.* 18. ibi: *Corpora defunctorum nullo modo intra Basilicam Sanctorum sepeliantur, sed si necesse est, de foris circa murum Basilicæ.* Concilium Arelat. sub Carolo, *cap.* 21. Alia congerunt Antonius Augustinus *in epit. lib.* 26. *tit.* 10. Lindembrogius *in glossario, verbo Mortuos*, Savarus *in not. ad Sidonium, lib.* 3. *epist.* 12. Menardus *ad Sacram. D. Gregorii, fol.* 238. Ergo sive electâ sepulturâ, sive non, defunctus decedat, intra Ecclesiam non est sepeliendus. Augetur primò hæc difficultas, nam etsi admittamus jam temporibus Leonis III. catholicos defunctos intra Ecclesiam sepeliri, non tamen ideò in sepulchro majorum erant sepeliendi, sed potiùs pro personarum distinctione, ut si clerici sint, in Ecclesia ubi resident, *cap. ubicunque* 13. *q.* 2. si monachi, in proprio monasterio, *cap.* 1. 16. *q.* 1. si laici in Ecclesia Cathedrali, *ex eodem cap.* 1. Igitur non sunt necessariò tumulandi in majorum sepulchro. Secundò difficilis est præsens textus, dum supponit, dari sepulchra majorum, in quibus ratione illationis cadaverum parentum habeat quis dominium in eis; cùm certum sit in locis sacris, & religiosis, utpote exemptis ab hominum commercio, nullum posse dari dominium, *l. in tantùm*, §. *sacræ, ff. de rerum divis.* §. *nullius, Instit. eodem tit.* Igitur etiam in sepulchris, ubi sepulti sunt parentes, nullum datur dominium.

4 De diversis sepulturæ modis.

Quâ dubitandi ratione ita fulcitâ non obstante, vera est præsens assertio, pro cujus illustratione primò sciendum est, sepulturæ jure naturali corporibus debitæ, ut fusè prosequitur P. Faber *lib.* 2. *semest. cap.* 1. pro diversitate nationum usum varium fuisse: aut enim hominibus, vel animalibus devoranda defunctorum corpora objiciebant, vel alicui ex quatuor elementis commendabant, videlicet vel aëri exponebant, vel aquis immergebant, igne consumebant, aut terrâ condebant. Essedones populi Asiæ ad parentum funera vocati eorum cadavera edebant, honestius, & sanctius esse existimantes, ab hominibus, quàm à vermibus devorari; & ut hac ratione magnam pietatem ostenderent, seque illos juxta secum amare profiterentur. Herodotus *lib.* 4. Strabo *lib.* 11. idem referunt de Sidonibus Zenodotus *in collect. cent.* 5. *proverb.* 25. de Indis Herodotus *lib.* 3. de Ponticis D. Hieronymus *contra Jovin. lib.* 2. de aliis Tertullianus *contra Marcionem*: ex quibus illustrat Spondanus *de cæmeteriis sacris lib.* 1. *p.* 1. *cap.* 4. *num.* 1. Barcæi, gens Hesperia, cadavera vulturibus devoranda objiciebant, eo quod aves illas sacras existimabant. Refert Ælianus *lib.* 1. *histor. anim. cap.* 22. Idem tradit de Iberis Justinianus *lib.* 41. & de aliis Spondanus *dicto cap.* 4. *num.* 2. Alex. ab Alex. *lib.* 3. *genial. cap.* 2. Silius Italicus *lib.* 3. quem usum reprehendit Dausquejus *ad orat. de zona Basilii Seleuci.* Sic etiam Æthiopes defunctorum corpora in flumina projicere consuevisse, existimantes id optimum esse sepeliendi modum, tradit Diodorus Siculus *lib.* 3. *cap.* 1. cujus moris rationem illustrat Spondanus *d. cap.* 4. Alii defunctorum corpora aëri dissolvi cupientes, arboribus affigebant, ut Scythæ. Silius *lib.* 13. *Tabareni*, D. Hieronymus *lib.* 2. *contra Jovin.* illustrat Spondanus *dicto cap.* 4. Combustione etiam & igne cadavera consumenda esse, politiores gentes tenuerunt, ut Romani, & Græci, à quibus Galli, & Germani acceperunt, ut referunt Cæsar *de bello Gallico*, Tacitus *de more German.* Sidonius *lib.* 3. *epist.* 12. ubi Savarus, Ovidius *lib.* 3. *de funere Elpen.* ibi:

——— *pia membra dolentes*
Condimus, atque arsit funus splendentibus armis.

Romani maximè hunc morem observarunt ex ratione, quam reddit Plinius *lib.* 8. *cap.* 54. his verbis: *Ipsum cremare apud Romanos non fuit veteris instituti, terrâ condebantur: at postquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc institutum, & tamen multæ familiæ priscos servavere ritus.* Unde more Romano condi est sepulturæ post rogum, & cremationem mandare, ut ex Tacito, Laërtio, & aliis illustrant Salvagnus *ad Ovidium in Ibin. vers.* 151. Sophranis *de funere Hebræor. digress.* 2. *cap.* 1. Hebræos cadavera non combussisse, etiamsi dicantur combussisse, quia aromata super cadavera incendebant, bene prosequitur Sancinus *in cap.* 6. *Amos, versu* 10. & *in* 1. *Regum, cap.* 31. *vers.* 12. & ante eum Hieronymus Magius *lib.* 3. *miscell. cap.* 11. Humationis ritus, ut cæterorum antiquior, ita & quamplurimis gentibus acceptior fuit, & sanctioribus ritibus celebratus, quippe & naturæ conformior; siquidem si terra sumus, in terram revertamur, ut *cap.* 3. *Genesis* dicitur; per humationem enim redditur homo humo, ut divina loquitur Scriptura *Ecclesiast. cap.* 12. Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad eum, qui dedit illum. Quod apud Prudentium sic expressum legimus *hymn. in exeq. defunct.*

Spiritus simul & caro vivit;
Resciss a sed ista seorsum
Proprios revocantur in ortus:
Petit halitus æthera fervens,
Humus excipit arida corpus.

Itemque apud Lucretium *lib.* 2.

Cedit item retro de terra quod fuit antè
In terras; & quod missum est ex ætheris oris
Id rursum cœli relatum templa receptant.

Et apud Phocylidem his verbis latinè redditis *Poem. admonit.*

Spiritus usui à Deo datus est mortalibus, & imago Dei;
Corpus ex terra habemus, & omnes in eam
Resoluti pulvis sumus, cœlum verò spiritum recipit.

Sic & Euripides *in supplic.* cujus tamen versus apud Stobæum *serm.* 122. tribuuntur Moschioni, seu Menandro.

Sinite jam terrâ mortuos operiri,
Et unumquodque unde in corpus venit,
Illuc redire; spiritum quidem ad æthera,
Corpus verò in terram. Non enim possidemus
Illud proprium, sed quandiu hanc vitam incolimus,
Deinde restituendum est suæ parenti.

Et apud Xenophontem *lib.* 8. *de Cyro*, Cyrus filius inhibens ne ipsum in auro, vel argento, aliâve ulla re, præterquam in terra conderent, inquit: *Quid enim beatius, quàm terræ immisceri?* quæ pulchra omnia, bonaque omnia gignit, & nutrit. Plura Beyerlinch *tom.* 2. *Theatri, verbo Cadaver.* Joannes Andreas *de sepult. cap.* 8.

5. Secundò sciendum est, locum illum, ubi cadaver

Denominibus sepultura.

daver humatur, diversis nominibus appellari, nempe cæmeterium, polyandrum, monumentum, area, tumulus, mausoleum, sarcophagus, ergastulum, cœnotaphium, sedes, domus æterna, sedes sacra, quies, ut de singulis probant singillatim Franc. Maria Samuelius *in praxi de sepult. tract.* 1. *disput.* 1. *controv.* 3. Murga *tom.* 1. *disquisit. mor. tract.* 3. *in proœmio.* Et frequentius sepultura appellatur cœmeterium *in cap. consuluisti, de consecr. Eccles.* ubi hujus vocis etymologiam illustravimus. Polyandrum dicitur, quasi pollutum antrum, propter cadavera ibi sepulta, ut probat Jul. Lavorus de prisco funerandi more, *cap.* 6. *num.* 4. Monumentum dicitur etiam à monendo, *l.* 2. §. *monumentum, ff. de religiosis*; quia ut ait D. Augustinus *de cura pro mortuis*, non ob aliud, vel memoriæ, vel monumentum dicuntur ea, quæ insignia fiunt sepulchra mortuorum, nisi quia eos, qui viventium oculis morte subtracti sunt, ne oblivione etiam subtrahantur, in memoriam revocant, & admonendo faciunt cogitare. Area dicitur locus sepulturæ apud Tertullianum *in Scapulam*, *cap.* 3. ubi doctè exponit Georgius Ambian. & Baronius *anno* 203 *num.* 10. & *anno* 226. *num.* 7. Tumulus dicitur, quasi tumens humus, quæ elevatur sepulto homine, *capite* 10. *Job.* ibi: *De utero translatus ad tumulum.* D. Hieronymus *in Matthæum cap.* 10. Virgilius 3. *Æneid.* ibi:

Hostilem ad tumulum Trojæ sub mœnibus altis.

Mausoleum propriè est sepulchrum Principis, dictum à Mausolo Rege Cariæ, de quo Jul. Lavorus suprà, *num.* 12. Sarchophagus similiter dicitur sepultura à sarchophago lapide marmoreo, in quo primùm corpora condebantur. Ejus meminit D. Augustinus *lib.* 18. *de civitate Dei*, *cap.* 5. Ergastulum etiam à verbo Græco, quod significat quiescere, quia ibi corpora quiescunt. Cœnotaphium est locus vacuus, honoris tantùm causâ: à Græcis dicitur inane sepulchrum, ejus fit mentio *in l. vel quod* 6. *l. monumentum, ff. de religiosis:* plura de eo Jacobus Gothofredus *in diatrib. de cœnotaphio.* Sedes appellatur à Paulo *in l. si quis enim* 40. *ff. de relig. l. necdum* 10. *C. eodem*, ibi: Sine dum perpetuæ sedi corpus traditum sit, *l.* 3. *C. Theodos. de sepulchro violato.* Dicitur tandem domus æterna, *l.* 4. *C. Theodos. de sepulchr.* quia cadavera in eo in perpetuum conduntur. In Petronii Antigen. epitaphio ita legitur:

Hæc domus æterna est, hic sum situs, hic ero semper.

Seneca *in Octavio, act.* 4. Jacobus Gothofredus *in l.* 4. *C. Theodos. de sepulchro violato*, Gutherus *lib.* 2. *de jure manium, cap.* 20. Quam ob rem in antiquis lapidibus non rarò sepulchrum domus æterna dicitur, ut in sequentibus, quos refert Fornerius *lib.* 3. *rer. quotid. cap.* 6. In primo ita.

MANILIA PAULA
DE PARCIMONIO SVO
SIBI, ET ÆLIO
PAVLINO COMPARI SVO
DOMVM ÆTERNAM DO.

Itemque in illo.

Bis hic septeni mecum natales dies
Tenebris tenentur dictis æterna domus.

Quo tamen sensu apud nos, qui resurrectionem speramus, sepultura domus æterna dici possit, exponit Savarus *ad Sidonium, lib.* 2. *epist.* 8.

6. Tertiò sciendum est, quod licèt olim unusquisque in ædibus suis defunctos sepeliret, ut ex Cicerone tradit D. Isidorus *lib.* 15. *originum*, *cap.* 8. & 11. unde ortum ait Servius, ut domi Lares colerentur; tamen legibus XII. Tabul. cautum fuit, ne intra mœnia civitatis defunctorum corpora humarentur, comburerentúrve, his verbis: *Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito.* Ex Cicerone refert Jacobus Gothofredus *in quatuor fontibus, tabul.* 10 quam illustrant Silvius, Revardus, & Balduinus, Rosinus *lib.* 8. *antiquit. cap.* 6. & faciunt textus *in l.* 12. *C. de relig. l.* 6. *C. de sepulchro violato, in Theodos.* Paulus *lib.* 1. *sentent tit.* 21. §. 2. plura Pancirola 2. *var. cap.* 199. Gutherus *de jure manium lib.* 3. *cap.* 33. Joannes Andreas *de sepult. cap.* 5. Sophranis *in Davidem* 3. *p. cap.* 3. Savarus *ad Sidonium lib.* 3. *epist.* 12. Junius Polit. *q.* 110 Salmut. *ad Pancirolam lib.* 1. *tit.* 62 Raderus *ad Martiacum lib.* 1. *epigr.* 93. Ramirez *in Pentecont. cap.* 17. Zerda *in advers. cap.* 185. *num.* 91. Imperatorque Hadrianus teste Ulpiano apud Cælium Rhodigin. *lib* 17. *antiq. lect. cap.* 19. pœnam statuit aureorum quadraginta in eos, qui in civitate sepulchra fecissent, quam fisco inferri jussit; immò & in Magistratus id permittentes eandem statuit pœnam, jussitque locum publicari, & inde cadaver transferri: quam prohibitionem etiam ad urbem Constantinopolitanam protraxit Theodosius *in l.* 6. *C. Theodos. de sepulchro violato*, fuisseque id rationi consentaneum, probat sanctus Vedastus, qui ut refert Surius *in ejus vita*, sæpe sæpius repetebat, intra muros civitatis sepeliri neminem debere; quia omnis civitas locus debet esse vivorum, non mortuorum. Accedit etiam periculum, ne fœtore humatorum corporum vivi inficerentur. D. Isidorus *ubi suprà*; aut dum corpora urebantur, domus accenderentur, & ita occasione rogi urbs aliquando conflagraret. Paulus *lib.* 2. *sentent.* §. 22. eam rationem assignat, ne intra urbis ambitum Diis consecratum, funestum aliquid appareat: causas alias adducunt Lælius Giraldus *lib. de varrio sepeliendi ritu, non multum ab initio*, Joannes Kirmanus *lib.* 2. *de funeribus, cap.* 22 Gutherus *de jure manium lib.* 3. *cap.* 33. Hujusmodi autem lege Imperatores, Vestales, optimè de Republica meritos, claròsque viros, nonnunquam exemptos refert Cicero *ubi proximè*; nam & Publicolæ jus sepulchri intra urbem concessum tradit Dionysius Halicarn. *lib.* 5. idem de Vestalibus refert Servius *lib.* 2. *Æneid.* & de Trojano qui urbanam adeptus fuit sepulturam, hæc habet Eusebius Cæsar. *in chron. Trajanus morbo in Selinuente periit, sive ut alibi scriptum reperimus, apud Seleuciam Isauriæ, profluvio ventris extinctus est anno ætatis* 63. *mense* 9. *die* 4. *ossa ejus in urnam auream collata, & in foro sub columna posita; soluisque omnium intra urbem sepultus est* Plura Pererius *in cap.* 49 *Genesis, disput* 4. Savarus *ad lib.* 3. *Sidonii, epist.* 12 *verbo Campus.* Pancirola *lib.* 2. *var. cap.* 199. Gutherus *de jure manium lib.* 3. *cap.* 33. Sophranis *de funer. Hebræorum* 3. *p. cap.* 3. Salmuth. *ad Pancirolam lib.* 3. *memorab. tit.* 62. Raderus *ad Martialem lib.* 1. *epigr.* 93. Ramirez *in Pentecont. cap.* 17. Sed licèt extra urbem cadavera sepelienda ferrentur, non longè tamen à mœniis; unde Cicero *Tusc. q.* 5. *Est* (inquit de Roma) *ad portas Agraganas magna frequentia sepulchrorum.* Tandem Imperator Leo *in Novel.* 53. legem hanc abrogavit, mortuos

De sepultura extra urbem.

mortuos jubens nonnisi intra oppidorum mœnia sepeliri. Plura Jacobus Gothofredus *in l. 6. C. Theodos. de sepulchr. violat.* Mendoza *lib* 3. *Concil. Illiber. cap.* 4. *num.* 26. Amaya *lib.* 10. *obs. cap.* 6 *num.* 5.

7. *De sepulchris familiaribus* Quartò sciendum est, Romanis itidem sepulchra fuisse, vel propria singulis, vel communia pluribus. Communia erant Romæ extra portam Exquilinam cadaveribus sepeliendis destinata, quem locum puticulos Romani vocitabant, ut ex Varrone, Festo & Horatio notarunt Cælius Rhodigin. *lib.* 10. *lectionum, cap.* 17. Baronius *in Martyrol. die* 10 *Februarii*, & apud Hebræos fuisse plebi, ac peregrinis communia sepulchra, vulgò polyandria dicta, constat ex Jeremia *cap.* 2. *vers.* 19 *cap.* 26 *in fine.* & *lib.* 4. *Regum, cap.* 23. & apud D. Matthæum *cap.* 27. mentio extat sepulturæ peregrinorum, pro qua emptus fuit à Principibus sacerdotum ager figuli ex triginta argenteis traditis Judæ Sepulchra autem privata erant familiaria, vel hæreditaria. Familiaria, quæ sibi quis, familiæque suæ constituit: hæreditaria, quæ quis sibi, hæredibusque suis, vel quæ paterfamilias jure hæreditario sibi acquisivit. Unde in eorum epitaphiis passim litteræ hæ insculptæ leguntur. H. M. H. S. id est, hoc monumentum hæredes sequitur: vel H. M. H. N. S. id est, non sequitur: vel etiam H. M. H. E. N. S. id est, hæredes exteros non sequitur. Innumera exempla ex antiquis inscriptionibus tradit Gutherus *inscript. cap.* 17. & nonnulla explicat D. Josephus de Retes *in epitaph.* illustrata. Illud tamen discrimen versabatur inter sepulchra familiaria, hæreditariaque, quòd familiaria ad agnatos pertinebant, *l. jus* 8. *l.* 13. *C. de relig.* ad eosque, qui in familia erant, eorumque successores, licèt hæredes non essent, dum tamen in familia persisterent. Familiæ autem appellatione communi jure veniebant omnes agnati, qui ex eadem domo, & gente proditi fuissent, in quam & libertos humanitatis ratione adscisci moris erat; ita tamen, ut jus sepulchri in patronorum monumentis non haberent, nisi essent eis hæredes, quantumvis patroni monumentis suis inscripsissent, sepulchrum se fecisse sibi, libertisque suis, *l.* 6. *C. de relig.* Illustrat latè D. Josephus de Retes *ubi proximè.* Hæreditaria verò sepulchra patebant liberis utriusque sexus, aliisque hæredibus quibuscunque, etiamsi ex minima parte hæredes fuissent ex testamento, vel ab intestato, atque insuper bonorum possessoribus iis, quibus libertatis conservandæ causâ bona adjecta fuisse, *l. vel quod* 6. *l. si. quis fuit* 33. *ff. de relig. l. quia perinde* 42. *ff. ad Trebel. l.* 4. *§ is autem, ff. de fideicommiss. libert.* nisi fortè aliter justâ causâ testator aliquem excludisset, *dicta l. vel quod.* 6. vel omnino cavisset, ne quis eò inferretur, *l.* 3. *§. si quis in hæreditate. ff. de sepulchro violato*: observarunt Brissonius *lib.* 2. *select. cap.* 14. Antonius Bossius *in Roma subter. lib.* 2. *cap.* 26. Osvaldus *ad Donellum lib.* 4. *cap.* 1. *littera X.* Molina *lib.* 1. *de primog. cap.* 24. *num.* 4. Ramirez *ad Martialem lib.* 1. *epigr.* 115. & 117. & *in Pentecont. cap.* 17. & tunc usus omnium communis erat, & individuus, *l. fundus* 30. *ff. famil. erciscund.* quam explicat D. Joannes Suarez *ad leg. Aquil. lib.* 2. *cap.* 2. *sect.* 6. alia de sepulchris ex diversis gentium moribus & prisco funerandi ritu, congesserunt Joannes Meursius *in tract. de funer.* Kirmanus *de funer. Roman.* Gutherus *de jure manium.* Jul. Lavorus *de prisco sepel. more,* Lælius Giraldus *de funerandi ritu,* & alii relati ab Osvaldo *dicto lib.* 4 *comment. cap.* 1. Sophranis *de funere Hebræor.* Onufrius, Panuinus & Spondanus *de cæmeteriis,* Jul. Clarus, & Silvius *lib. singul. ad leges XII. Tabul. ex cap.* 22. Besoldus *tom.* 2. *polit. consider.* 3. *polit. de sepultura.*

8. *De sepulchris Christianorum.* Quintò sciendum est, Christianos primis illis temporibus, quibus Judæorum, vel Gentilium, inter quos vivebant, civilibus, ac politicis legibus tenebantur, etiam extra urbes defunctos sepelisse; sed pace Ecclesiæ datâ, ubi Christianæ religionis cultus publicè haberi poterat, non solùm intra ipsas urbes, verùm & intra Ecclesias cadavera condidisse, ut jam temporibus Marcelli Papæ usitatum fuisse constat ex Anastasio Biblioth. *in ejus vita,* ibi: *Constituisse in urbe* 25. *titulos, propter baptismum, & pœnitentiam eorum, qui converterentur ex paganis, & propter sepulturam Martyrum.* Nec solùm sancti Martyres intra Ecclesiam sepeliebantur, verùm & fideles laici, ut participes fierent sacrificiorum, & precationum, quæ in eis fierent, & meritis Sanctorum, quorum reliquiæ ibi quiescerent, adjuvarentur, ut piè edoctus Constantinus Magnus sano consilio, ac providâ dispensatione ut ait Eusebius *in ejus vita lib.* 4. *cap.* 60.) In Basilica SS. Apostolorum quam ædificavit, sepulchrum sibi constituit, eo quod speraret fore, ut defunctus quoque precationum, quæ ibi essent ad Apostolorum gloriam offerendæ, particeps efficeretur, sicque quamplurimùm utilitatis illorum memoriam animæ suæ conciliaturam. Non tamen locum hunc intelligas de ipso interiori templo, sed de limine, seu vestibulo; cùm tam Constantinus Imperator, quàm Theodosius, & Honorius ejus successores in porticu, & vestibulo Ecclesiæ sepulturam sibi elegerint, ut ex Chrysostomo, Evagrio, & Nicephoro referunt Spondanus *lib.* 1. *de cæmeteriis, p.* 3. *cap.* 14. *num.* 4. Sozomenus *lib.* 2. *cap. ult.* D. Chrysostomus *homil.* 26. *in* 2. *ad Corinth.* Fideles ergo sine discrimine in cæmeteriis, & Ecclesiis ipsis olim sepeliri constat ex Concilio Carthag. 4. *can.* 81. ubi jubetur, ut mortui pœnitentes afferantur Ecclesiæ, & sepulchris: & ex quæstione illa S. Paulini, qui interpellavit S. Augustinum, utrum prosit alicui post mortem, quod corpus ejus apud Sancti alicujus memoriam sepeliatur? Cui S. Augustinus respondens, eruditum librum de cura pro mortuis agenda composuit, ex quo citatur textus *in cap. non æstimemus,* 13. *q.* 2. ubi eleganter expressit Sanctus, quantùm prosit fidelibus sepultura intra Ecclesiam; quod & docuit S. Maximus Episcopus Taurin. *in Homil. in Natal. Sanctorum,* quæ est etiam apud D. Ambrosium *concione* 6. *de Sanctis,* ibi: *Ideo hoc à majoribus provisum est, ut Sanctorum ossibus nostra sociemus, ut dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat; dum illis Christus illuminat, à nobis tenebrarum caligo diffugiat: cum sanctis ergo Martyribus quiescentes, evadimus inferi tenebras eorum propriis meritis, attamen conscii sanctitate: & ideo veneremur eos in sæculo, quos defensores habere possumus in futuro; & sicut eis ossibus parentum nostrorum jungimur; ita & eis fidei imitatione jungimur. In nullo enim ab ipsis separari poterimus, si sociemur illis tam religione, quam corpore.* Et sanctus Ambrosius dilectissimum fratrem suum Satyrum sepeliens juxta Victorem Martyrem, memoriam ejus hoc celebravit tetrasticho:

Uranio Satyro ſupremum frater honorem
Martyris ad lævam detulit Ambroſius.
Hæc meriti merces, ut ſacri ſanguinis humor
Finitimas penetrans adluat exuvias.

Sed poſtea ob miros caſus à D. Gregorio *lib. 4. dialog. cap. 50.* quos etiam deſcribit Lucas Tudenſis contra Albig. *cap. 15. & 16. lib. 2. cap. 23.* relatos, quorundam pravorum hominum in Eccleſiis ſepultorum, qui inde divinitus ejecti ſunt, eccleſiaſticis legibus cautum fuit, ne quis in Eccleſia ſepeliretur, & toto orbe eum morem receptum fuiſſe, ipſa Conciliorum, & SS. Patrum decreta teſtantur. In Italia Pelagius II. *anno* 580. ita decrevit: *Item placuit, ut corpora defunctorum nullo modo intra baſilicam ſepeliantur, ſed ſi neceſſe eſt, foris circa murum baſilicæ.* In Hiſpania idem ſtatutum fuiſſe conſtat ex Concilio Brachar. 1. *can.* 18 ſuprà relato, ubi notavit Loayſa. In Germania idem cautum fuit in Concilio Tribur. *can.* 17. Mogunt. *can.* 42. relatis à Gratiano *in cap nullus, cum ſequent. 13. q. 2.* In Gallia ex Concilio Nannet. *can.* 6. relato *in cap. præcipiendum 13. q. 2.* Meldenſi *can.* 9. Theodulpho Aurelian. Epiſcopo ad fratres compresbyteros, ibi: *Antiquus in his regionibus in Eccleſia ſepeliendorum mortuorum uſus fuit, ut plerumque loca divino cultui mancipata, & ad offerendas Deo hoſtias præparata, cæmeteria ſive polyandria facta ſint; unde volumus, ut ab hac re deinceps abſtineatur, ut nemo in Eccleſia ſepeliatur.* Alia eccleſiaſtica edicta refert Suarez *tract. 2. de relig. lib. 3. cap. 8. num. 7.* Unde *in l. 2. C. de ſacroſ. Eccleſ.* Imperator Gratianus, & Valentinianus ſanxerunt, ut nemo Apoſtolorum vel Martyrum ſedem humanis corporibus exiſtimet eſſe conceſſam, ubi pro *humanis*, reſtituunt *humandis*, Mornacius ibi. P. Burg. *lib. 1. elect. cap. 6.* qui eruditè textum illum exponit. Illuſtrant hanc Eccleſiæ prohibitionem Baronius *anno* 226. *num. 7.* Conradus Kling. *lib. 4. locorum commun. cap. 53.* Vivar. *ad Marcum Maximum, in Sancto Joanne vindicato*, §. 11. Gibalinus *de ſimonia, q. 12. conſectar. 6.* Lemaiſtre *lib. 1. de juribus Eccleſ. cap. 16.* Petrus Gregorius *lib. 2. ſyntagm. cap. 13. & lib. 1. partit. tit. 15. cap. 3.* Barboſa *de jure Eccleſ. lib. 2. cap. 10. num. 16.* Lindembrogius *in gloſſar. verbo Mortuos*, Zerda *in adverſ. cap. 81.* Savarus *in notis ad Sidonium lib. 3. epiſt. 12.* Benedictus Hæphtenus *tom. 1. diſquiſit. lib. 7. tract. 1. diſquiſit. 2.* Menardus *ad Sacram. D. Gregorii. fol. 268.* Frances *de Eccleſ Cathed. cap. 17.* Murga *tom. 1. diſquiſit. mor. tract. 3. diſquiſit. 3. per totam.* Sed cùm eiſdem Eccleſiæ legibus aliquæ perſonæ excipe-rentur, quibus concedebatur ſepultura in Eccleſia, Concilium Mogunt. *d. can. 52.* ibi: *Niſi Epiſcopi aut Abbates aut digni presbyteri, vel fideles laici.* Triburienſe *d. can. 17.* ibi: *Niſi fortè talis ſit perſona juſti hominis, qui per vitæ meritum talem vivendo, ſuo corpore defuncto, locum acquiſivit.* Varia exempla refert Onuphrius *de ritu ſepeliend. Chriſt. cap. 7* Poſtea quod ab initio dignitatis, & virtutis causâ paucis conceſſum fuit, ita paulatim relaxatum eſt, ut omnibus, nullâ dignitatis aut ſanctitatis habitâ ratione, liceat in Eccleſiis habere ſepulchra, *cap. Eccleſiam, de conſecrat. diſt. 1. cap. ſicut antiquitus 17. q. 4. cap. ex parte. cap. cùm liberum. hoc tit.* Ampliùs & cœperunt ſepulchra eſſe familiaria, ita ut nullus, niſi ex familia, in eis ſepeliatur. Concilium Matiſcon. 2. *can. 17.* plura Murga *tom. 1. diſquiſit. mor. tract. 4. diſquiſit. 5.*

9. *Traditur ratio deſignandi.*

Quibus ita animadverſis ratio præſentis aſſertionis quoad primam partem, ubi docetur ecclesiaſticâ ſepulturâ electa à defuncto, ipſum in ea ſepeliendum eſſe, provenit ex vulgari principio, quo docetur, ſupremam teſtatoris voluntatem adimplendam eſſe, *l. 1. C. de ſacroſ. Eccleſ. l. vel negare 5. ff. quemadmod. teſtam. cap. final. §. quia ergo 13. q. 2.* Secundæ verò partis, videlicet defunctum, non electâ ſepulturâ decedentem, ſepeliendum eſſe in ſepulchro majorum, ex eo provenit, quia valde jucundum eſt ex hac vita decedentibus in majorum jacere ſepulchro, ut patet ex illa ingenti ſolicitudine Patriarchæ Jacob, qui proximus morti ita allocutus eſt filium Joſeph *Geneſis cap. 47. Si inveni gratiam in conſpectu tuo, pone manum tuam ſub femore meo* (quod genus juramenti erat, ut expoſui *in cap. & ſi Chriſtus, de jurejur.*) *& facies mihi miſericordiam, & veritatem, ut non ſepelias me in Ægypto, ſed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terra hac, condasque me in ſepulchro patrum meorum.* Et tandem in ipſo mortis articulo poſt præſtitam filiis ſuis benedictionem, *Geneſis cap. 49.* abſolutè illis præcepit dicens: *Sepelite me cum patribus meis.* Unde ait Cicero *lib. 1. de offic. Sanguinis conjunctio, & benevolentia devincit charitate homines; magnum eſt enim eadem habere monumenta majorum, iiſdem uti ſacris, ſepulchra habere communia. Et votum morientium eſſe cineres ſuos in patriam deportari, conſtat ex l. alumnæ 30. §. ab hæredibus, ff. de adimendis legat.* Hinc laudatur Philippus Macedoniæ Rex apud Juſtinum hiſtoricum *lib. 9.* dum ait: *E bello conſumptorum corpora ſepulturæ reddidit, reliquiasque funerum ut ad ſepulchra majorum veferrent, ultrò hortatus eſt*; us & Polybius retulit *lib. 5. hiſtor.* Sic Alexander Darii mortem proſequutus eſt, demptaque ſibi chlamyde corpus illius contexit, atque regio ornatum cultu ad matrem majorum ſuorum tumulo inferendum miſit. Quintus Curtius *lib. 5.* Sophocles *in Electra, ſcen. 6.* hoc doctè inſinuat dicens:

Impoſitum igitur ardenti rogo
Statim cremavimus, reductumque tenuem
In pulverem, atque vaſculo incluſum brevi
Ex Phocide hoc viri tulere, ut patrio
Partem ſepulchri adipiſceretur in ſolo.

Idem *ſcena 7.*

Feræ quæ ſubriperem nece, ut ſic mortuus
Hoc tempore hic ſaltem jaceret, patrio
Sortitus in tumulo locum.

Et pro maledictione habetur in ſepulchro majorum non ſepeliri: dictum eſt enim Prophetæ *3. Regum. cap. 13.* eo quod contra præceptum Domini comederat in Bethel: *Non inferetur cadaver tuum in ſepulchro patrum tuorum: d. cap. unaquæq; 13. q. 2.* Apud Abderites lege cautum erat, ut qui patrimonium prodegerat, ſepulchro patrio non humaretur, ſed externo, ut tradit Diogenes Laërtius *in Democrito*, Tiraquel. & Alex. ab Alex. *lib. 6. dier. genial. cap 14.* Unde Catullus *epigr. 63.* ad Manlium hoc ſentiens dicit:

Quem nunc tam longe, non inter nota ſepulchra,
Nec prope cognatos compoſitum cineres;
Sed Troiâ obſcœnâ, Troiâ infelice ſepulchrum
Detinet extremo terra aliena ſolo.

Ut enim ait Ovidius:

Molliùs oſſa cubant manibus tumulata ſuorum.

Qui & ideò optabat decedere in patria antequam in exilium mitteretur, ut refert *lib. 3. Triſtium, eleg. 3.*

Quantum

Quantum erat, ô magni, perituro parcere Divi!
Ut saltem patriâ contumularer humo.
Tam procul ignotis igitur moriemur in oris?
Et fient ipso tristia fata loco?
Sed sine funeribus caput hoc, sine honore sepulchri,
Indeploratum barbara terra teget?

Quomodo etiam apud eundem *epist.* 10. infelix Ariadna derelicta à Theseo in insula ait:

Ergo nec lachrymas matris moritura videbo:
Nec mea qui digitis lumina condat erit.
Spiritus infelix peregrinas ibit in auras,
Nec positos artus unget amica manus.

Et idem *epistol.* 11. *de Canace*, ad fratrem Macareum:

Tutamen ô frustra miseræ sperate sorori,
Sparsa precor nati colligo membra tui.
Et refer ad matrem, socioque impone sepulchro.
Urnaque nos habeat, quamlibet arcta, duos.

Et eadem etiam ratione apud Virgilium *Æneid.* 10. Maxentius ab Ænea lethale vulnus acceperus hoc tantùm rogat, ut consortem nati Lausi, quem paulò antè idem Æneas interemerat, concederet sepulchro: & mater Euriali ejus necem inconsolabiliter lugens, apud ipsum *libro* 9. *Æneid.* ait:

Heu terra ignota! canibus data præda Latinis,
Alitibusque jaces: nec te tua funera mater
Produxi, prensive oculos, aut vulnera lavi.

Sic & Catullus *carm. ad Manl.* de fratre apud Trojam mortuo, ait:

Quem nunc tam longè, non inter nota sepulchra.
Nec prope cognatos compositum cineres.
Sed Troiâ obscœnâ, Troiâ infelice sepultum
Detinet à nostro terra aliena solo.

Et Propertius *lib.* 3. *elegia* 5. *in naufragio Pæti*, dolet.

Quòd mater non justa pia dare debita terræ
Nequit, & cognatos inter humare rogos.

Et apud Quintilianum *declamat.* 11. *Dives ille, miser ego, nec ad cadavera (filiorum scilicet) accessi, non in sepulchra majorum meis manibus intuli.* Rectè ergo à Leone III. in præsenti juxta votum naturale, & communem naturæ legem statuitur, defunctum decedentem non electâ sepulturâ, in majorum sepulchro esse tumulandum, quia creditur juxta commune votum ibi sepeliri voluisse.

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa de sepultura in Ecclesia non concedenda, cui satisfaciendum est juxta distinctionem temporum suprà relatam. Nec augmentum primum ipsius difficultatis; nam textus ibi adduci procedunt quando defunctus, qui non electâ sepulturâ decessit, proprium sepulchrum non habebat, nec majorum suorum; tunc enim pro distinctione personarum sepultura decernenda est, juxta adducta de Romano Pontifice, Cardinalibus, Legatis, Archiepiscopis, Episcopisque à Julio Lauro *dict. tit.* 2. *lucubr. cap.* 11. Si ergo parochianus intestatus decesserit, ita quod nec sepulturam, nec sepulchrum proprium habeat, sepeliendus est in propria parochia, *cap. ex parte, cap. cùm liberum* 6. *cap. in nostra* 10. *de sepulturis.* Quæ tamen dicatur propria parochia quoad sepulturam, latè exponunt Barbosa *de offic. parochi cap.* 26. Basilius *de matrim. lib.* 5. *cap.* 13. §. 2. Nec obstat quod de sepulchri dominio expendebamus; nam dupliciter potest dici sepulchrum proprium. Primò quoad dominium, ut consideratur in aliis rebus prophanis; & hoc nullo modo dari potest, cùm sepulchra, ut loca religiosa, extra hominum commercium sint: secundò quoad usum, & jus sepeliendi, & hoc modo rectè sepulchrum proprium dicitur: quapropter jus sepeliendi legari, aliterque concedi potest *l. monumenta* 14. *C. de legatis*, *l.* 1. *tit.* 13. *p.* 1. longâ possessione acquiri, *l. monumentorum* 6. *C. de relig.* Balsamon *in nomocan. Photii, tit.* 2. *cap.* 2. *pag.* 49. Antonius Clarus *ad ll. Regias, cap. ultim.* Caldeira *lib.* 4. *variar. cap.* 9. probavi *in cap. ad aures, de præscript.* Unde pro usu sepulturæ remedia possessoria laicis competunt, sicut pro quocunque alio jure, quod possit possideri, *l.* 1. *ff. si servitus vendic. junctis l. si venditor* 10. *l. si quis sepulchrum* 12. *ff. de relig.* Ant. Clarus *lib. singul. ad leg. XII. tabul. cap. ultim.* Mindanus 2. *tom. de interdict.* Murga *tom.* 1. *disquisit. mor. tract.* 4. *disquisit.* 1. *cum sequent.* & de quotidiana praxi testatur Flores de Mena *ad Ant. Gammam decision.* 54. *numero* 3. unde hoc sensu sepulchrum proprium dicitur in præsenti.

10. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

CAPUT II.

(a) Leo Papa *omnibus Fidelibus per Dardaniam constitutis.*

RElatum est auribus nostris, esse quosdam perversè agentes, qui subvertere nituntur, atque dividere conantur Ecclesiæ unitatem, videlicet Abbates, monachos, qui non studio charitatis, sed zelo rapacitatis invigilant, atque seducere conantur sæculares, quos illaqueare possunt, ut res suas, atque possessiones, sive in morte, sive in vita monasteriis suis tradant, & (b) Ecclesiis, quibus subjectæ esse videntur, & à quibus baptismum, Pœnitentiam, Eucharistiam, nec non pabulum vitæ, cum lacte carnis acceperint, vel accipiunt, nihil de bonis relinquunt. Hunc denique fomitem discordiæ nos animadvertendo modis omnibus inhibere volumus, & ne amplius fiat, omnino prohibemus, considerantes non esse bonum, si illi, qui olim socii fuerant passionis, secundùm (c) Apostolum, sint immunes à societate consolationum. Et quia dignus est operarius (d) mercede sua, ideo præcipimus, atque mandamus, ut quicunque amodò monasterio converti voluerit, sive in morte, sive in

(e) vita, omnium rerum & possessionum, quas pro salute animæ suæ decrevit disponere, medietatem Ecclesiæ, cui ipse dignoscitur pertinere, relinquat, & sic in monasterio, prout libitum fuerit, eundi, convertendique habeat licentiam. Quicunque autem hujus edicti violator extiterit, gladio anathematis subjaceat.

NOTÆ.

1. (a) *Leo.*] Etiam Leoni tribuunt præsentem textum Carnotensis *part. 7. Decreti, cap. 150.* Anselmus *lib. 5. cap. 51.* Papiensis *in 1. collect. sub hoc tit. cap. 4.* Cujus tamen Leonis sit, non constat, siquidem cum alii Leoni III. alii IX. tribuunt; & cùm illi varias scripsissent epistolas, quibus caremus, certò non possumus assignare, quis ex Pontificibus hujus nominis sit auctor præsentis textus.

(b) *Ecclesiis.*] Parochialibus videlicet, ut infrà dicemus *in titulo de Parochiis.*

(c) *Apostolum.*] 1. *ad Corinthios, cap. 2.*

(d) *Mercede sua.*] *Matthæi cap. 19.* refertur *in cap. cùm secundùm, de præbend.*

2. (e) *In vita sive in morte.*] Glossa exponit, id est sive in ægritudine, sive in tempore mortis; sed perperam, nam casus ægritudinis satis illis verbis, *sive in morte.* comprehendebatur: quare verius credo, hæc verba accipienda esse uti sonant, videlicet sive sanus, sive in ægritudine constitutus, tempore mortis de rebus suis pro salute animæ suæ disposuerit. Nec tunc obstat textus *in cap. 2. de regularibus, in 5. compil.* ubi Honorius III. Abbatibus Cistercienſis Ordinis ita scribit: [Significastis siquidem nobis, quod in quibusdam partibus consuetudo detestabilis inolevit, videlicet quod cùm aliqui æmulantes charismata meliora, monasteria vestri Ordinis volunt causâ religionis intrare, ut ibi Domino famulentur, Capellani eorum donec ab eis priùs quæ mortuaria nuncupantur, extorqueant, prout à parochianis suis decedentibus consueverunt accipere, se illis temerè opponunt. Quare super hoc nostræ providentiæ remedium flagitastis. Volentes ergo abusum corruptelæ hujusmodi aboleri, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut capellanorum contradictione hujusmodi non obstante, liberas personas ad vos à sæculo fugientes liberè recipere valeatis.] Facit caput *audivimus, de simon.* nam pro hujus textus solutione sciendum est, olim non licuisse religionem ingredi absque prævio examine Episcopi proprii, *can. 40. & 41. 6. Synodi,* ubi vetant Patres quemquam in monasterium admitti, aut in eremum secedere, & anachoresin, sine prævia examinatione Episcopi. Synodus Nicæna ex Arabico, *can. 14.* Synodus Provincialis Constantinop. *can. 2.* Filesacus *in cap. quantò 7. §. 1. de offic. ordin.* nec absque consensu Plebani, eo quod jure parochiali ei obligati erant, *cap. 1. hoc tit. in 1. collect.* cujus verba dabimus infrà priori commentario. Innocentius III. *lib. 1. regestr. 13. epist. 166.* ibi: *Dilecti filii Abbas, & Conventus Cistercienſis, transmissa nobis petitione monstrarunt, quod quidam Rectores Ecclesiarum Provinciæ Lugdunensis ab eis, qui vivi & incolumes ad eorum Ordinem transeunt, sibi fieri exigunt testamentum; & in eos, quos iidem relinquunt in sæculo, propter hoc Ecclesiasticam exercent censuram, ac capitulum illud, quo eis à Sede Apostolica indulgetur, ut licitè liberos, & absolutos, à sæculo fugientes recipiant, interpretantes sinistrè, asserunt eos, licèt alias absoluti existant, & liberi, sine ipsorum licentia non posse ad Religionem transire pro eo, quod jure parochiali eis obligati tenentur. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus præsumptores prædictos à præsumptione hujusmodi, monitione præmissâ, per censuram Ecclesiasticam compescatis.* Et cùm legissent, sæculum relinquentes mortuos mundo esse, & monachismum morti comparari, Palladius *in Lausica, sect. 85.* ibi: *Vivis-ne, an es mortua? Credo in Deum me esse mortuam sæculo*; ab his qui ingrediebantur religionem, quartam mortuariorum exigebant; quod deinceps fieri prohibuerunt Innocent. & Honorius, & sub distinctione Alexander *in cap. de his, hoc tit.* Leo autem in præsenti agit de illis, qui tempore ingressus Religionis testamentum fecerunt, & pro salute animæ suæ de omnibus bonis disposuerunt: & statuit, ut medietatem teneantur relinquere Ecclesiæ parochiali, non quia ingrediuntur monasterium, sed quia disponunt in testamento de bonis propriis pro salute animæ suæ; quo casu portio parochialis solvenda est, ut infrà dicemus *in cap. nostra,* ubi commentarium hujus textus dabimus.

CAPUT III.

(a) Innocentius II. *Januensi Episcopo.*

FRaternitatem tuam ignorare non credimus, mortuorum sepulturas, & cæmeteria apud illas Ecclesias, & monasteria ex antiquo esse dispositа, in quibus religiosorum fratrum conventus sunt constituti, & orationes, atque Missarum solennia, tam pro vivis, quàm (b) pro defunctis frequentiùs celebrantur: unde ipsorum devotioni, & extremæ voluntati, qui apud hujusmodi Ecclesias sepeliri desiderant, minimè contradicendum est. Qui verò relictis antiquis Ecclesiis, & patrum, aliorumque parentum suorum sepulchris, contra consuetudinem Patrum veteris Testamenti, qui cum patribus suis sepulti esse leguntur, ad minùs religiosa loca se transferunt, irrationabiliter, & contra antiquam institutionem facere videntur. Unde si fortè P.

de

de Castello contra tam antiquam, & rationabilem consuetudinem aliquid de corpore suo sepeliendo mandasse dicitur, hoc non præjudicat rationi, & viribus carere debet. Quocirca per præsentia scripta mandamus, & p. mandando, quatenus corpus ipsius P. dilectis filiis nostris monachis (c) S. Stephani reddi faciatis, & cum suis fratribus sepeliri.

NOTÆ.

1. (a) *Innocentius.*] In hac sexta collectione textus hic tribuitur Innocentio III. sed perperam, cùm ejus auctor sit Innocentius II. ut habetur *in 1. compil. sub hoc titul. cap. 5.* ex qua litteram etiam restituo: & cùm Raymundus in compilandis Pontificum Decretis seriem temporum observaverit, non poterat Innocentii III. Decretalem compilare ante decretaAlexandriIII.quæ sequntuur *in hoc tit.* nec si Innocentii III. esset præsens textus, poterat reperiri in prima collectione; siquidem hujus Pontificis decisiones tantùm extant in tertia & quarta collectione. Innocentius II. antea Gregorius dictus, electus fuit die 14. Februarii, & coronatus Romanus Pontifex die 20. anno 1130. ut referunt in eo anno Baronius, & Corjolanus, Ludovicus à Sancto Carolo *in biblioth. Pontific. verbo Innocentius II.* Misit autem præsentem epistolam Januensi Episcopo, seu ut verius credo, Archiepiscopo; nam mortuo Sigefrido Januensi Episcopo anno 1129. Innocentius II. Januensem Ecclesiam in Metropolitanam erexit, & cùm D. Bernardus esset electus in Prælatum ipsius Ecclesiæ, eamque dignitatem respueret, electus fuit Syrus, qui Ecclesiam illam rexit per plures annos, ut refert Manrique *annal. Cister. anno* 1130. *cap. 6. in fine*: unde illi præsentem epistolam missam fuisse facilè cognoscitur.

2. (b) *Tam pro vivis, quàm pro defunctis.*] Missarum enim sacrificia non solùm pro vivis, verùm etiam pro fidelibus sine desperatione defunctis, qui non decesserunt excommunicati, offerri possunt *cap. non aestimemus* 13. *quæst. 2. c. animæ, eadem quæst. cap. sanè* 24. *quæst. 2.* cum aliis congestis à Crespetio *verbo Defunctis*, & per me *in cap. final. de testamentis.* Rationem reddit Ivo Carnotens. *epist.* 198. his verbis: *Quia incertus est status animarum post hanc vitam, non videtur otiosum, si pro his intercedimus, qui jam requie perfruuntur, ut eorum requies augeatur; & pro his qui locis purgatoriis deputati sunt, ut fidelium orationibus indulgentiam consequantur.* Probant & illustrant Gazeus *in notis ad Cassianum, collat. 2. cap. 5.* Theophilus *tom. 15. in Heterocl. p. 2. sect. 1. puncto 6.* Becanus *tom. 3. opuscul. tit. de sacrif. pro mortuis*, Petrus Gregorius *lib. 1. partit. tit. 23. cap. final.* Baronius *tom 1. anno* 34. Bellarminus *de purgatorio lib. 2. cap.* 15. Savarus *ad Sidonium lib. 2. epist. 8.* Ayala *de tradit. Eccles. fol.* 150. Pamelius *in notis ad D. Cyprianum, epistol. 51. num. 69.* Vicecomes *de ritibus Missæ, lib. 4. per tot.* P. Henao *de sacrif. Miss. tom. 1. disput. 17. sect. 3.* Nec contrarium statuitur *in cap. non oportet 29. de consecr. dist. 1.* in illis verbis: *Non liceat Christianis prandia ad defunctorum sepulchra deferre, & sacrificare mortuis.* In quibus docetur, non licere accedere ad sepulchra mortuorum sacrificandi gratiâ; nam pro illius canonis expositione sciendum est, tam Judæos, quàm Gentiles defunctis suis parentasse variis ritibus, & in feriis; inter quos præcipuum fuit epulum, cujus ritus apud Judæos mentio extat *in cap. 30. Ecclesiast. vers. 18.* ibi: *Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumpositæ sepulchro.* Et *cap. 4. Tobiæ*, legimus Tobiam seniorem filio jussisse panem, & vinum suprà sepulturam ponere: referunt Josephus *lib. 2. de bello Judaic. cap. 1.* D. Augustinus *in psalm.* 48. Apud Gentiles proprium fuisse parentationis epulas ad monumenta afferre, probatur ex Tertulliano *de resurrect. carnis, cap. 1.* ibi: *Defunctis parentant, & quidem impensissimo officio, pro moribus eorum, pro temporibus esculentorum, ut quos negant sentire quicquam, etiam desiderare præsumant.* Expressiùs *in lib. de anima, cap. 4.* Gaudentius *in tract. de lect. Exodi*, ibi: *Parentalia, unde malum idololatriæ extulit caput erroris; nam gulæ suæ causâ primùm cœperunt homines prandia mortuis præparare, quæ ipsi comederent. Post hæc ausi sunt sacrificia eis sacrilega celebrare, quamvis nec ipsi mortuis suis minùs sacrificant parentalia.* Duplex autem epulum erat; unum defunctorum, cùm ad eorum bustum epulas ferales cognati deferebant, quæ leviter degustatæ igni tradebantur; de quo epulo agunt Ovidius, Virgilius, Lucianus, & alii relati ab Spondano *lib. 1. de cameteriis, cap.* 17. Aliud erat epulum vivorum, quod amici & sanguine proximi ad sepulchra eorum, quibus parentabant, solebant inire, de quo plura adducunt Sophranis *de funere Hebræor. cap. 5.* Gutherus *lib. 2. de jure manium, cap. 12.* Spondanus *dict. cap. 17.* Pineda *in cap. 7. Ecclesiast. ad vers. 3.* Serarius *in cap. 3. Tobiæ, circa præcept. 7.* Cornelius *in cap. 30. Eccles. 2. p.* Kirmanus *de funer. lib. 4. cap. 4. 5. & 6.* Lælius Bisciola *tom. 1. horar. suc. lib. 11. cap. 4.* Sanctraellus *in post praxi medic. cap.* 46. quæ parentationes dicebantur humana sacrificia. Festus Pompejus *verbo Humanum*: quem morem parentandi à quibusdam superstitiosis Christianis diutiùs observatum fuisse in festo Cathedræ sancti Petri, immò & protractum ad Martyrum sepulchra, & Basilicas, exterminare curarunt D. Augustinus *homil. 15. de Sanctis*, & *lib. 8. de civit. Dei, cap. 27.* & *lib. de moribus Eccles. cap. 34.* & *epist. 84. ad Aardium.* Cyprianus *de duplici martyr.* Concil. Brachar. 2. *can. 69.* Carolus *in Capitularibus lib. 6. tit. 194.* Concil. Turon. 2. *can. 23.* Laodic. *can. 28.* Carthag. 3 *can. 30.* sexta Synodus Trullana *can. 74.* Hoc ergo genus sacrificii per parentationem cum epulis prohibetur *in dict. cap. non oportet*, non verò sacrificium Missæ, quod pro mortuis offerri posse, suprà probavi.

(c) *S. Stephani.*] Quod monasterium Ordinis est D. Benedicti in diœcesi Januensi.

COMMENTARIUM.

EX hoc textu sequens communiter deducitur disputanda assertio: *Eligens sepulturam in monasterio, aut loco religioso, ibi sepeliendus est; secus verò si in loco minùs religioso.* Probant eam textus *in cap. 1. cap. 2. cap. de his 4. cap. ex parte 5. cap. cùm liberum 6. cap. in nostra 10. hoc tit. cap. 1.* 3. *Conclusio traditur, & probatur.*

eodem

eodem tit. lib. 6. Clement. dudum, eodem tit. cap. privilegia, de privil. cap. 1. de pœnis lib. 6. cap. 2. hoc tit. in 1. collect. ubi ita ait Paschalis II. *Volumus, & juxta canonum statuta probabile nobis videtur, ut sicut morienti conceditur judicium rerum suarum facere cuicunque loco sibi placuerit, sic nimirum justum est sui corporis habere licentiam illud judicandi in quocunque loco voluntas ejus extiterit, sive in monasteriis, sive in aliis religiosis locis.* Illustrant ultra congestos à Barbosa & Garanna in præsenti, Jul. Lauorus *dict. tit. 2. lucubr. cap. 11.* Bruno Chassaing. *de privil. regul. tract. 2. cap. 7. propos. 3.* Murga *tom. 1. disquis. tract. 4. disquisit. 12.* & alii supra *in cap. 1. congesti.*

4. *Impugnatur tradita assertio.* Sed hæc assertio difficilis valde redditur. Primò in ea parte, ubi docetur, eligentem sepulturam in monasterio, ibi sepeliendum esse, ex eo; nam absque proprii Parochi licentia nemo in monasteriis sepeliri potest. D. Gregorius relatus *in cap. 1. hoc titul. in 1. collect.* ubi ait Pontifex: *Monachi corpora, tam vivorum, quàm mortuorum deferre ad Ecclesiam suam nequaquam audeant, nisi assensu, & petitione Ecclesiæ, quæ eis dum viverent consuluit, & consulendo servivit, ac ministravit. Quod si fecerint, ut invasores sanctæ Ecclesiæ, sub districti anathematis interpositione, quousque satisfaciant Ecclesiæ, fieri præcipimus.* Ergo etsi quis eligat sepulturam in loco religioso monachorum, ibi tumulandus non est, nisi consentiat proprius Parochus. Secunda pars assertionis, ubi docetur eligentem sepulturam in loco minùs religioso, in eo tumulandum non esse, impugnatur sequenti consideratione; certum enim est, ultimam defuncti voluntatem modis omnibus adimplendam esse, *cap. ultim. 13. quæst. 2. cap. nos quidem, cap. si hæredes, de testam.* quia publicè interest defunctorum voluntates exitum habere, *l. vel negare 5. ff. quemadmodum testamenta.* Ergo sive quis in loco religioso sepulturam eligat, ibi sepeliendus est, præcipuè cùm parum intersit, sepultura sit in loco religioso, vel non. D. Thomas *in 4. distinct. 45. quæst. 2. artic. 3.* Guillelmus Conventrensis *in elucidario ex sancto Anselmo*, ubi interrogatus an justis obsit non sepeliri in loco sacro, respondet: *Nihil prorsus; totus enim mundus est templum Dei, quod dedicatum est sanguine Christi; & sive in campo, sive in silva, vel in palude, vel in quovis loco sepeliantur, vel projiciantur, vel à bestiis, vel à belluis devorentur, semper in gremio Ecclesiæ confoventur.* Quos enim peccata deprimunt, non ad absolutionem, sed potiùs ad majoris damnationis cumulum eorum corpora in Ecclesiis tumulari docet D. Gregorius *lib. 4. dialog. 50. 51. & 53.* ubi id horribilibus exemplis confirmat, *cap. sacris, hoc tit. in fine*, ibi: *Cùm non obsit justis sepultura nulla, vel vilis; impiis tamen celebris, vel speciosa non prodest.* Sepultura enim, & funeris cura potiùs ad solatium vivorum, quàm ad subsidium defunctorum spectant, ut docetur *in cap. animæ 13. quæstione 2.* ergo sive quis eligat sepulturam in loco religioso, sive non, ejus voluntas semper adimplenda est. Faciunt exempla piorum virorum, qui extra Ecclesiam sepeliri voluerunt, ut Sanctus Vedactus, referente Albino Flacco *in ejus actis*; sanctus Ephrem, & Constantinus Magnus, sepulchrum extra, non intra sacras ædes sibi curantes. In vita S. Amati in fine ita legitur: *Jussit igitur fodi sepulchrum in ipso aditu Basilicæ Matris Dei.*

Quâ difficultate ita fulcitâ non obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, crescente in dies Christianâ religione, in cæmeteriis, deinde in porticu, tandem in ipsis Ecclesiis fidelium cadavera sepeliri permissum fuisse, *cap. ubicunque 13. quæst. 2. cap. sicut antiquitus 17. quæst. 4.* Unde jam diu invaluit, fidelium sepulturam posse concedi prope, vel intra Ecclesiam, ut suprà *in cap. 1.* probavi; non tamen permittitur supra, vel juxta altare, *cap præcipiendum 13. quæst. 2. cap non oportet 19. de consecr. dist. 2,* Concil. Nannet. *can. 11.* docet Ferrarienſis *in opusc. de non sepeliendis mortuis prope aras*; ita enim debent esse remotæ sepulturæ ab altaribus, ut Sacerdos dum Missæ sacrificiū celebrat, non cogatur pedibus insistere supra defunctorum corpora, Concil. Tribur. *can. 16.* docent Fuscus *de visitatione lib. 1. cap. 21. num. 15.* Redoanus *de simonia part. 3. capite 18. num. 19.* Potest tamen eligi sepultura in monasteriis, in quibus religiosorum, seu Canonicorum regularium conventus sint instituti, & sacrificia pro vivis, & defunctis frequenter offeruntur: nec potest parochus impedire similem electionem, ut latè probant Bruno Chassaing *ubi proximè.* Nec solùm in monasteriis religiosorum, verùm & in monialium Ecclesiis potest quis eligere sepulturam, dum tamen intra claustra, seu septa ipsius monasterii, sepultura non eligatur, quia cadavera virorum in monasteriis monialium deferri prohibitum est, *novel. 133 Justin. cap. 3.* docet Natta *volum. 2. consil. 432.* Murga *tom. 1. disquisit. tract. 4. disquisit. 12. ad finem, conclus. 7.* Deinde sciendum est, non solùm turpes testatorum voluntates observandas non esse, *l. quæ 8. §. 5. ff. de condit. instit.* verùm nec ineptas circa sepulturam, *l. servo 113. §. ineptas, ff. de legat. 1.* Donellus *lib. 8. comment. cap. 12.* uti si testator jubeat reliquias suas projici in mare, aut sepeliri cum vestimentis sericeis, margaritis, aut viriolis, *l. ultim. §. ult. ff. de auro & argent.* vel secum pecunias sepeliri. Hujusmodi enim ineptæ voluntates, ut derisoriæ rejiciuntur, *dict. §. ineptas.* Unde cognoscitur Diogenis insipiens voluntas, dum jussit ejus corpus inhumatum abjici, tantùm baculo juxta illud appositō. Stobæus *serm. 122.* Diogenes Laërtius *in vita ipsius.* Unde improbandus venit Saladinus, qui testamento condito omnem funeris pompam abdicavit, jussitque tantùm lanceâ præferri atri coloris obsoletam tunicam. Jovius *in Saladinum*, Bernegerus *ad Tacitum quæst. 141.* Licèt enim jus civile magnoperè voluntatibus defunctorum indulserit, tamen hujusmodi voluntates ineptas neglexit, *dict. l. servo 113. §. ineptas*, notavi suprà *in cap... de testamentis.* Tandem sciendum est, sanctum & pium esse sepulturam sibi in sacra æde curare, atque per eam valde juvari animas in Purgatorio existentes, nec non cadavera ipsa, ut variis argumentis probant Sanctarellus *in post-praxi medica, capite 27. & 28.* & quæ longa disputatione addensat Henricus Spondanus *lib. 1. de sacris Cœmeteriis, part. 3. cap. 14.* Theophilus *de martyrio part. 4. cap. 6. num. 7.* & constat ex Sancto Augustino, cujus liber de cura pro mortuis in hoc ferè negotio consumitur; & ex Sancto Paulino *carmine de obitu Celsi pueri*, quem

5. *De sepult. intra in monast. viis.*

quem ait curasse se inferri Basilicæ SS. Martyrum Complutensium.

Ut de vicino Sanctorum sanguine ducat,
Quo nostras illo purget in igne animas.

Nec ferè aliter S. Ambrosius in fratris Satyri Epitaphio ait, se illum ad lævam Martyris in templo tumulasse.

——— ut sacri sanguinis humor
Finitimas penetrans abluat exuvias.

Accedit, nam viventes ad Ecclesiam orationis causâ commeantes, dum incidunt in monumenta defunctorum, faciliùs excitantur ad orandum pro defunctis; quod est opus charitatis viventibusipsis perutile. Deinde commonefiunt mortis, & sui ex hac vita exitus, quâ nulla est salubrior cogitatio; & ob hanc causam maximè cæmeteria, vel in aditu urbium & castellorum locata fuisse, observat Sanctus Chrysostomus *serm. de fide & lege naturæ*; vel ferè in viis frequentatissimis, cujusmodi ferè erant Romana, quorum longam seriem exhibet Onuphrius *de ritu sepeliendi c.* 12. & apud ipsos Ethnicos, quod multis exemplis firmat Kirmanus *lib.* 2. *de funer. cap.* 22. Eandem rationem docuit Sanctus Gregorius *lib.* 4. *Dial. cap.* 50, ibi: *Quos gravia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis si in Ecclesia sepeliantur, quòd eorum proximi quotiens ad eadem sacra loca conveniunt, suorum, quorum sepulchra conspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt.* Etiam defuncti in Ecclesia sepulti magis juvantur illis Ecclesiæ sanctæ precibus moraliter semper durantibus, quas semper fundit pro iis, qui sunt in loco benedicto, seu consecrato. Unde improbandi veniunt, & damnandi Waldenses, quos Pilicdonius *tract. contra eos, cap.* 22. refert asseruisse, non plus referre sepeliri in loco sacro, quàm in prophano, v. g. in agro aut horto: quod etiam referunt Æneas Silvius *lib. de orig. Bohemorum, cap.* 35. Prateolus *verbo Pauperes de Lugduno, num.* 30. idemque sensisse videntur Albigenses, ut colligitur ex Luca Tudensi *lib.* 1. *contra eos, cap.* 22. quos refellunt Castro *adversùs hæreses, verbo Sepultura.* Theophilus Raynaud. *tom.* 15. *ad finem, fol.* 549.

6. *Traditur decidendi ratio.*

Unde jam apparet vera decidendi ratio hujus textus; nam cùm possit quilibet eligere sepulturam, tam in propria, quàm in aliena Ecclesia, potest eam eligere & in monasterio, aut alio loco religioso: sed cùm testator jubet in loco minùs religioso sepeliri, hujusmodi voluntas, tanquam inepta, & turpis respuenda est; interest enim non parum sepeliri in loco religioso, vel in prophano, ut docet D. Augustinus *de cura pro mortuis, cap.* 4. & latè probant Jul. Lavorus *tit.* 2. *lucubr. cap.* 14. Spondanus *de cæmeteriis lib.* 1. *p.* 3. *cap.* 14. & 15. cùm enim dæmonum incursiones frequentiùs circa sepulchra fiant, ut Evangelistæ docent, dum narrant dæmoniacos spiritus habitasse in sepulchris, D. Matthæus *cap.* 8. D. Lucas *eodem cap.* D. Marcus *cap.* 5. veneficosque, & magos circa sepulchra habitare testantur Lucanus *lib.* 6. Ovidius *in Medea*, ibi:

Per tumulos erat passim discincta capillis
Certaque de tepidis colligit ossa rogis.

Apulejus *lib.* 2. *Metam.* ideo cùm per sepulturam in loco religioso corpora ut in asylis quiescant, mediante ipsius loci consecratione, seu benedictione, inde justè Innocentius eligentem sepulturam in loco minùs religioso, non esse in eo sepeliendum ait, quia non creditur testatorem ita fuisse immemorem propriæ salutis, ut neglecto Ecclesiæ sepulchro, turpem sepulturam eligeret, contra commune fidelium votum.

Nec obstant dubitandi rationes suprà expensæ. Non prima, nam verum est, jure communi inspecto, monachos non posse admittere alienos parochianos ad sepulturam in suis Ecclesiis, nisi privilegium haberent à Romano Pontifice, aut de licentia proprii parochi, *cap. in nostra, hoc tit.* suprà probavi *in cap.* 2. notat Cironius *in cap.* 2. *hoc tit. in* 5. *compil.* Sed postquam privilegiis sibi ab Apostolica Sede concessis jus habent admittendi ad propriam sepulturam quoscunque, qui apud eos sepulturam elegerint, non possunt parochi, nec alii ordinarii illis hoc impedire, ut latè probat Bruno Chassaing. *ubi suprà.* Nec secunda difficultas obstat, nam licèt ultima voluntas testatoris servanda sit; id tamen procedit cùm juri conformis est, & bonis moribus non contraria, aut inepta; tunc enim eam adimplendam non esse, jam suprà probavi: unde cùm electio sepulturæ in loco minùs religioso juri conformis non sit, nec fidelium moribus consona, ideo in præsenti insuper habetur, & rejicitur. Nec obstat quod dicebamus de utilitate sepulturæ intra, vel extra Ecclesiam; licèt enim sepultura in Ecclesia, & locis religiosis non prosit defunctis ibi sepultis ex opere operato, hoc est, ex vi tantùm sepulturæ; tamen valde prodest ex patrocinio Sanctorum, qui in illis locis coluntur, & precibus ministrorum Ecclesiæ, & cæterorum fidelium, qui ibi conveniunt, ut sacrificium Deo offerant; unde tot precibus & suffragiis privari per sepulturam in loco minùs religioso, absurdum, & alienum est à moribus Christianorum. Quare rectè talis dispositio in præsenti ab Innocentio improbatur. Nec exempla ibi relata aliquid faciunt; nam si quis vellet, ut fecerunt illi Sancti viri, extra Ecclesiam sepeliri ex humilitate, arbitrans se indignum jungi communi loco sepulturæ cum Sanctis intra Ecclesiam conditis, aut quiescere intra locum, in quo Christi corpus adest, iste quoque piè faceret, dummodo aliam sacram sepulturam eligeret, exempli gratiâ in cæmeterio, non verò si in loco minùs religioso extra Ecclesiam, & ejus cæmeterium.

7. *Dissolvitur ratio dubitandi.*

Sed suprà traditis obstat textus *in cap. certum, de consecr. dist.* 1. ubi refertur, Megentiam nobilem fœminam corpora suorum defunctorum sepeliisse in propria possessione, & postea petiisse à Romano Pontifice, ut sibi liceret eo in loco orarium construere, ut divina officia, tam pro mortuis ibi sepultis, quàm pro vivis celebrarentur. Cui petitioni in partem annuens Pontifex, concessit illi, ut divina officia pro defunctis ibi sepultis possint celebrari, non autem pro vivis, hoc est, ut fideles divina officia ibi audirent. Ex quo textu expressè deducitur, posse defunctum sepeliri non solùm in Ecclesia, aut monasterio, verùm etiam in loco prophano, & minùs religioso, ubi divina officia non celebrantur. Cui difficultati satisfaciendum est asserendo, in eo casu defunctum non elegisse sepulturam in loco minùs religioso, sed nobilem illam mulierem cadavera tumulasse in oratorio à se constructo, ut sic faciliùs à Pontifice impetraret, ut ibi divina officia celebrarentur: cujus devotioni ut in partem Pontifex annueret, permisit divina

8. *Exponitur cap. certum de consecr. dist.* 1.

officia

officia defunctorum ibi celebrari, juxta peculiares, & proprios ritus, quos refert Vicecomes *volum. 2. de ritibus Missæ. lib. 4. cap. 21.*

9. *Intelligitur cap. 3. §. final. hoc tit. in 6.*

Secundò suprà traditis obstat textus *in cap. 3. §. final. hoc tit. lib. 6.* in illis verbis: *Si quis antiquâ dimissâ, novam etiam in loco minùs religioso elegerit sepulturam, electionem hujusmodi (licet jura super hoc videantur esse diversa) nequaquam volumus impugnari.* Ex quibus apertè deducitur, valere electionem sepulturæ in loco minùs religioso. Igitur non rectè in præsenti id negatur. Pro cujus textus interpretatione dicendum est, in eo decidi veterem antiquorum quæstionem, utrum videlicet in loco minùs religioso possit testator eligere sepulturam? In qua variæ fuerunt antiquorum sententiæ, ut ibi Glossa refert. Quidam negabant, moti præsentis textus auctoritate; sed perperam. Nam aliud est eligere sepulturam in loco minùs religioso, ut in oratorio, vel eremitorio, ubi non ita frequenter Missæ sacrificium celebratur; aliud verò in loco puro, & prophano. Primo casu electio sepulturæ sustinetur, *ex dict. capite 2. §. final.* secundo verò, cùm sit inepta voluntas, & moribus fidelium contraria, improbatur, quo casu procedit præsens textus.

10. *Exponuntur canon 14. & 15. Concil. Altissiod.*

Antequam hinc abeamus, exponendi sunt duo perdifficiles canones Concilii Altissiod. Primus est canon 14. ubi ita statuitur: *Non licèt in baptisterio corpora sepelire.* Qui difficilis est præcipuè si observemus, jam temporibus ipsius Concilii baptisteria fuisse intra Ecclesiam constructa, ut constat ex canone 18. ejusdem Concilii, & probat Vicecomes *de ritibus baptismi lib. 1. c. 34. & 35.* Quare ergo intra baptisteria corpora sepeliri non possunt? Hujus canonis interpretatio provenit, ni fallor, ex eo, quod in baptisteriis Martyrum reliquiæ condebantur, ut significaretur, etiam post mortem duraturam gratiam Dei, per baptismum infantibus traditam. Sic enim baptisterium discripserunt Prudentius.

Electus Christi locus est, ubi corda probata
Provehat ad cœlum sanguine, purget aquâ.
Hic duo purpureum, Domini pro nomine cæst,
Martyrium pulchrâ morte tulere viri.
Hic etiam liquido fluit indulgentia fonte,
Ac veteres maculas diluit amne novo.
Ante coronati scandebant ardua testes
Atria, nunc lotæ celsa petunt animæ.

Et Ennodius *epigram. 20.* quod scriptum est in plures Martyres, super quorum reliquias Agellus baptisterium condiderat; ipsos autem vivis coloribus fecerat in proximo pariete depingi, ut constaret omnibus, qui Christi testes illic sepulti erant:

Conditor Armenius, superûm qui dignus honore est,
Hic peperit fontem vivificantis aquæ.
Rapta sepulturis animavit corpora pictor,
Funera viva videns, mors erat in tumulos.
Illorum tamen iste locus complectitur artus,
Quos paries facie, mens tenet alma fide.

Ut ergo non confunderentur reliquiæ Martyrum cum cadaveribus defunctorum, jubent Patres, ne in baptisterio, ubi reconditæ sunt reliquiæ Martyrum, liceat defunctorum corpora sepelire. Alter est canon 15. ipsius Concilii, ubi ita legitur: *Non liceat mortuum supra mortuum mitti.* In quibus doceri videtur, nec etiam in Ecclesia licere mortuum supra mortuum sepelire. Pro cujus expositione Antonius Bossius *tom. 1. Romæ subter. cap. 20.* asserit, ex honestate tantùm prohibitum esse mortuum supra mortuum ponere; non ex superstitione illa, quam refert Tertullianus *de anima capite 4.* videlicet optandum esse defunctis, ut illis sit terra levis: sed propter quandam decentiam, & honestatem prohibitum fuisse mortuum supra mortuum mitti, quia plerùnque eveniebat, ut nondum marcidato cadavere, aliud supra poneretur, quod prohibuerunt PP. Concilii Matiscon. ibi: *Comperimus multos, nec-dum marcidatis mortuorum membris, sepulchro referare, & mortuos suos superimponere, vel aliorum (quod nefas est) mortuis suis religiosa loca usurpare, sine voluntate scilicet domini sepulchrorum: ideoque statuimus, ut nullus deinceps hoc peragat; quod si factum fuerit, secundum legum decreta superimposita corpora de eisdem tumulis rejactentur.*

CAPUT IV.

Alexander III. (a) *Spalensi Episcopo.*

DE his, qui in infirmitate, vel sanitate cum bonis suis ad religiosa loca se transtulerunt, nihil tibi, vel Ecclesiis, à quibus receperunt salutis pabula relinquentes, hoc tuæ prudentiæ volumus innotescere, quod si in ægritudine ipsa ad Religionem transeunt, dummodo de ægritudine decedant, de bonis suis ipsis Ecclesiis, à quibus assumpti fuerint, (b) canonica debet portio exhiberi. Si verò ad religiosa loca se in sanitate transtulerunt, de his, quæ locis ipsis conferent, cogi non possunt aliquid præscriptis Ecclesiis impertiri; quia liberum est eis tunc bona sua non religiosis locis, sed etiam quibuslibet personis privatis conferre.

NOTÆ.

1. (a) *Spalensi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 6.* ubi additur, *pars capitis continebatur*: post Concilium autem Lateran. *p. 49. cap. 6.* legitur tantum, *Lucius III.* Antonius Augustinus *in notis ad hunc textum*, existimat, integram clausulam extare *in cap. 5. qui clerici, vel vov.* & ita legendum esse *Hispalensi*; sed malè, cùm Hispalis Bœticæ Metropolis temporibus nostri Alexandri III. fuisset à Sarracenis occupata, usque-dum S. Rex D. Ferdinandus ab eorum oppressione illam liberavit: quare credo legendum esse, *Spoleten.* Spoletum enim

enim nobilis Italiæ urbs est, Romanorum Colonia, ut referunt Tit. Livius *lib.* 20. Volaterranus *lib.* 6. *in Geograph. fol.* 169. Theodoricus Gothorum Rex mirificè eam auxit, sed cladem magnam accepit à Friderico Oenobarbo, eo quod Alexandro nostro faveret, ut refert Tamayo *in Martyrol. Hispan. die* 1. *Januarii.* Metropolis fuit Vilumbrorum, ut probat Joannes Viterbiensis *lib.* 8. *antiquit.* etsi posteà à Gothis subversa fuerit, teste Blondo *decad.* 1. *libro* 7. *fol.* 91. Non me latet, fuisse in Vasconibus vetustam urbem Spalensem ad juga Pyrenæi, è cujus nomine Spalenses populos Plinius enumerat *lib.* 3. *cap.* 3. de quibus mentio extat apud Dextrum *in chron. anno* 308. ubi notarunt Vivar. *num.* 6. *fol.* 307. Roderic. Caro *fol.* 117. *littera B.* & fuisse in Vasconibus Navarræ, ubi hodie extat cœnobium in Ronca-Valle, credit Tamayo à Salazar *tom.* 3. *Martyrol. Hispan. die* 18. *Maji.* Sed cùm non constet, temporibus Alexandri III. eam urbem Cathedrâ Episcopali fuisse decoratam, potiùs retineo in præsenti *Spolet.*

(b) *Canonica debet portio.*] Juxta adducenda infrà *in cap. certificari, hoc tit.* ubi commentarium ad textum hunc dabimus. 2.

CAPUT V.

(a) Alexander III.

EX parte Canonicorum (b) Eburgensis Ecclesiæ nobis est intimatum, quod (c) Prior de Insula quendam parochianum eorum post (d) appellationem ad nos factam in Ecclesia sua sepelivit. Unde quoniam hoc Ecclesiasticæ institutioni contrarium esse dignoscitur, & à rationis tramite penitus alienum, ut quis falcem mittat in alienam messem: f t. per A. s. m. ut præfatum Priorem moneas, & districtè compellas, quatenus memoratis Canonicis prædicti parochiani sui (e) corpus restituat, & exinde pacificè, & (f) amicabiliter cum illis conveniat, aut in præsentia nostra se non differat exhibere.

NOTÆ.

1. (a) *Alexander III.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. nullibi tamen exprimitur, cui Prælato rescribat Alexander; credo tamen alicui Episcopo Scotiæ missam esse præsentem decisionem, cùm in ea Provincia sint Canonici Insulæ, & Eburgenses, de quibus in præsenti agitur.

(b) *Eburgensis.*] In sexta collectione legitur *Abrugen.* & Glossa marginalis emendat *Obargens.* seu *Obligen.* sed legendum credo *Ediburgen.* quæ Ecclesia est in Laudonia Scotiæ provincia.

2. (c) *Prior de Insula.*] Monasterium est canonicorum regularium in Scotia, sub nomine Insulæ: & etiam dicta Ecclesia Cathedralis, dicta Insularum, est canonicorum regularium, ut refert Pennotus *lib.* 2. *histor. canonic. regul. cap.* 36. *n.* 5. unde cognosci non potest de quo Priore agatur in præsenti.

3. (d) *Post appellationem.*] Quæ appellatio non fuit interposita, ne cadaver sepeliretur, sed ne monachi de Insula admitterent ad sepulturam defunctos suos. Sepultura enim prætextu appellationis differri non debet; fieret enim impedimentum sepulturæ, quod jure non licet, ut à simili probant textus *in l. ultim. de appellat. recip. cap. quafronte* 25. *de appellat.* Barbosa *ad Concil. Trident. sess.* 25. *de regul. cap.* 13. *num.* 8. Frider. Mindan. *de interdictis, tit.* 2. *num.* 26. Pichard. *in princip. Instit. de interdict. ex num.* 136. Lara *de capellanis lib.* 1. *cap.* 24. *num. ultim.* Salgado *de protect.* 2. *p. cap.* 9. *ferè per totum.* Nec etiam si post appellationem interpositam cadaver sepeliatur, inducitur attentatum, ut probant Lancellotus *de attentat. capite* 12. *limit.* 46. Salgado *de protect. dicto tom.* 2. *part.* 2. *capite* 9. *num.* 97.

(d) *Corpus restituat.*] Licèt cadaver non restituatur, quando non agitur ad ejus restitutionem, ut *in cap. in nostra, hoc tit.* vel quando dubium superest circa possessionem, aut proprietatem, ne defuncti vexatio detur, ut docetur *in cap. conquerente, de restit. spol.* tamen cum certò constat de Justitia spoliati in possessione, & proprietate, ut in præsenti, etiam corpus defuncti restituitur; quia licèt cadaver humatum in perpetua sepultura alio temerè transferre non liceat, tamen permittitur ejus translatio justâ interveniente causâ, & à judice approbatâ, *l.* 1. *C. de relig.* Et jure civili etiam translatio cadaveris permissu Principis admittebatur, *l. nemo humanum, C. eodem titul.* aut Pontificali decreto, *l. ultim. ff. de mortuo inferendo.* Cùm autem non perpetuæ sepulturæ causâ corpus humatum est, sed tantùm ad tempus depositum, impunè illud transferre licet, *l. si quis enim* 40. *ff. de relig. l. si nec dum* 10. *C. eodem, l.* 3. §. *non perpetuò, ff. de sepulchro violat.* & hoc sensu commendare corpus dixit Ulpianus *in l.* & *si quis* 14. §. *impensa, ff. de relig.* id est custodiæ causâ deponere. Nec necesse est pro *commendandum*, reponere *condendum*, ut aliqui voluerunt, quos justè reprehendit Fornerius *lib.* 3. *rer. quotid. cap.* 6. 4.

(f) *Amicabiliter conveniat.*] Quia licèt in rebus spiritualibus, aut illis annexis non admittatur pactio *cap. final.* ubi probavi, *de pactis*: non rejicitur tamen amicabilis compositio, *cap. nisi essent, de præbend. cap.* 4. *de pactis*, ubi notavi.

CAPUT VI.

Alexander III. *F.* (a) *Decano, & Magistro R. Rhemensi.*

CUm liberum sit de universis (b) constitutionibus Sanctorum Patrum apud religiosa loca in ultima voluntate sibi sepulturam eligere, canonicæ proculdubio obviat rationi, qui devotioni extremæ voluntatis decedentium in hac parte contradicere præsumit. Pervenit ad audientiam nostram ex conquestione Abbatis, & Fratrum (c) Sancti Martini (d) London. quod cùm Ptesbyter quidam corpus cujusdam mulieris, prout in ultima voluntate sua disposuit, ad Ecclesiam Sancti Martini sepeliendum deferret, monachi Sancti (e) Vincentii Lugdonen. corpus ipsius violenter rapere, & ad Ecclesiam suam sepelire minimè dubitarunt: & hoc idem de filio Randulfi Canis præsumpserunt, super quo utique vehementi sumus admiratione commoti, cùm iidem monachi, & Sanctorum Patrum constitutionibus contrairent, & privilegia prædecessorum nostrorum, & nostra, quæ prædicti Fratres de libera se habere sepultura proponunt, satagunt violare. Inde est quod f. t. p. A. s. m. quat. utraque parte apud vos convocatâ, rei veritatem super hoc inquiratis, & si ita invenietis esse, præfatos monachos monere curetis, & auctoritate nostra districtè compellere, ut ossa præfatæ mulieris, & filii prædicti R. & beneficia, quæ occasione sepulturæ ipsorum recepisse noscuntur, memoratis fratribus cum integritate restituant, & de cætero facere similia non præsumant.

NOTÆ.

1. (a) F *Decano.*] Ita legitur in secunda collectione, *sub hoc titul. capite* 2. id est, *Alexander III. Fulconi Decano, & Magistro Radulpho Rhemensi.* Is verò Fulco est, cui scribit ipse Alexander *in epistol.* 2. & 4. Radulphus autem is est, cui ipse misit epistolam 28. quæ extat apud Sirmundum ut notat Bosquetus ad Innocent. *libro* 1. *epistol.* 4. De Rhemensi diœcesi nonnulla notavi *in cap.* 2. *de appellationibus.*

(b) *Constitutionibus.*] Suprà congestis *in cap.* 3.

(c) *Sancti Martini.*] De hoc monasterio nonnulla adduxi *in capite intelleximus* 12. *de ætat. & qualit.*

(d) *London.*] Legendum est *Laudun.* Laudunensis enim civitas, vulgò *Laon*, est in Gallia, in Campaniæ & Picardiæ confinio posita: habet Ecclesiam Cathedralem B. Mariæ dicatam, suffraganeam Rhemensis, cujus Præsules Duces, & Pares Franciæ nominantur ut referunt Chenu *in chronol. Galliæ*, Fratr. Sarmath. *tom.* 2. *Galliæ Christ. fol.* 616. Ejus Ecclesiæ mentio fit *in cap.* 14. & 16. *de judic. cap.* 33. *de rescript. cap.* 17. *de præbend.*

(e) *Sancti Vincentii.*] Monasterium hoc Sancti Vincentii Martyris Ordinis est D. Benedicti diœcesis Laudunensis, Congregationis S. Mauri, à Brunichilde Regina fundatum, in quo resedisse 12. Canonicos refert Bosquetus *ad Innocentium libro* 1. *epist.* 4. in quorum locum Adelinus Laudunensis Episcopus substituit monachos duodecim è monasterio Sancti Benedicti super Ligerim sito evocatos, ut refertur *in Chron. Flodoardi, anno Christi* 921. De eo Fratres Sarmathani *tom.* 4. *Galliæ Christianæ, fol.* 944. Textum hunc exposui *in cap.* 8. *de restit. spol.* & ejus commentarium petendum est *ex cap.* 1. *hoc tit.*

CAPUT VII.

(a) Lucius III. *Episcopo Floren.*

DE uxore verò, utrum quemadmodum & vir liberam habere debeat sepulturam, videtur nobis quod nulla super hoc inter virum, & mulierem sit facienda distinctio, & in utroque, casu isto, æqualem esse credimus facultatem, cùm electio ista ad eum potiùs statum pertineat, in quo mulier solvitur à lege viri.

NOTÆ.

1. (a) L *Vcius III.*] Ita etiam legitur in prima compilatione, *sub hoc titulo cap.* 7. sed malè, cùm hujus textus auctor sit Urbanus III. ut legitur post Concilium Lateranen. *part. ultim. cap.* 63. & *in cap. literas, de conjug. leprof. cap.* 6. *de divortiis, cap. final. eodem titul. in* 1. *compil.* ubi extant aliæ partes ipsius textus, quæ sub uno capite ita habentur *in dict. cap.* 63. [Litteras fraternitatis tuæ debitâ benignitate suscepimus, quibus certiores de syncerite tuæ fidei,

fidei, & devotionis effecti, ad honorem tuum, & commodum abundantiùs provocamur. Verùm quia à nobis postulasti, utrum postquam desponsalia inter aliquas legitimas personas contracta fuerint, & antequam à viro mulier traducatur, alter eorum lepræ morbum incurrat, alter ad consummandam copulam maritalem compelli debeat, vel se possit ad secunda vota transferre: tuæ solicitudini respondemus, quod ad accipiendum eum cogi non debet, cùm inter eos matrimonium non sit consummatum. De illa verò, quæ viro suo labente in hæresim, ipsius consortium declinavit, utrum revertente illo ad Catholicam veritatem, ad redintegrandum matrimonium sit cogenda, videtur nobis, quod si mulier eâ dumtaxat intentione discesserit, ut lapsus in hæresim, tædio pariter, & confusione affectus, se ab errore suo converteret, ei, cùm reversus fuerit, est reddenda: quæ etiamsi reverti noluerit, compellatur. Si verò judicio Ecclesiæ sine spe matrimonii redintegrandi recesserit, ad recipiendum eum nullatenus eam dicimus compellendam. De uxore verò, utrum quemadmodum & vir, liberam debeat habere sepulturam, videtur nobis, quod nulla super hoc inter virum, & mulierem sit differentia; sed utrique (in casu isto) æqualem credimus esse facultatem, cùm electio ista ad eum potiùs statum pertineat, in quo mulier solvitur à lege viri. Utrum autem pater minores filios ubi magis voluerit, valeat sepelire, non invenimus à Sanctis Patribus diffinitum, & propterea terræ consuetudini decernimus relinquendum.] Florentia autem Etruriæ caput, & Metropolis est, magnorum Ducum inclyta sedes, de cujus origine, & amplitudine plura tradit Ughellius *tom* 3. *Ital. sacra*, *in princip.* Ejus Ecclesia Episcopalis tantùm fuit à temporibus Melchiadis usque ad Martinum V. qui absoluto Concilio Constantiensi Romam rediens, ex itinere divertit Florentiam, ubi cùm munificentissimè reciperetur, relaturus non impares gratias, Cathedrâ Archiepiscopali ipsam Ecclesiam decoravit die 2. Maji, anno 1420. unde cognoscitur, quare Urbanus III. in præsenti tantùm rescribat Præsuli Florentino sub nomine Episcopi.

COMMENTARIUM.

2. Conclusio probatur.

EX præsenti textu sequens communiter deducitur assertio: *Mulier etiam nupta liberè potest sibi eligere sepulturam ubi voluerit.* Probat textus ab specie *in capite is qui*, §. *mulier*, *hoc titul. in 6.* & per argumentum omnes citati superioribus commentariis. Illustrant ultra repetentes in præsenti, & *in dict.* §. *mulier*, Petrus Gregorius *libro* 9. *syntagmatum capite* 1. Parladorius *libro* 3. *different. quæstion.* 66. §. 1. Spondanus *de cæmeteriis part.* 1. *libro* 4. *capite* 7. pluribus relatis Barbosa *libro* 2. *juris Ecclesiastici*, *cap.* 10. *num.* 19. Tondutus *in resol. Canonic.*

3. Impugnatur conclusio.

Sed hæc assertio non leviter impugnatur ex sequentibus juris principiis; nam vir & uxor eodem lare victitant, *l.* 1. §. *si vir*, *ff. ad Syllanian. l. sed neque* 8. *ff. de usu & habit. l. penult. ff. de donat. inter.* Paulus *libro* 2. *sentent. titul.* 19. §. *vir absens*, & domus mariti lar matrimonii dicitur *l.* 1. §. *domum*, *ff. de liberis agnoscend.* Servius *ad illud lib.* 3. *Virgil. Et patriâ Andromachum iterum cessisse marito. Secundum jus loquutus est*, ait, *quia uxor domicilium viri sequitur.* Adde Gellium *libro* 13. *capite* 10. Artemidor. *libro* 2. *capite* 54. Augustinum *de civit. Dei libro* 6. *capite* 9. Sidonium *libro* 1. *epistol.* 5. & *libro* 2. *epistol.* 10. Et mariti bonorum sociæ sunt, atque participes. Illustrat Savarus *ad Sidon. libro* 5. *epistol.* 16. & nos *in capite* 2. *de donat. inter.* Et in una domo cohabitare debent, *l.* 4. §. 1. *ff. de usu & habit. l.* 111. *ff. de V. O.* Licèt magnates viri aliquando seorsim habitarent, *l. cùm status* 32. §. *si mulier*, *ff. de donat. inter vir. l. nihil* 15. *ff. rerum amot.* Fornerius *libro* 3. *rerum quotid. capite* 5. Unde proditum est, uxorem ejusdem civitatis cum viro incolam intelligi, *l. ultim.* §. 3. *ff. ad municip. l.* 1. *Cod. de mulier. & ubi*, *libro* 10. Tiraquellus *in l.* 1. *connub. numero* 28. Oswaldus *libro* 13. *Donelli*, *capite penult. litera M.* Sed sepultura defunctorum domus est, *l.* 4. *C. Theodos. de sepulchro violato*: illustravi suprà *in capite* 1. ergo injustum est ut mulier, quæ superstitis viri domicilium sequuta est, eodem mortui tumulo non contegatur, ut ratiocinatur Zasius *in l. penult. ff. de jurisdict.* Unde D. Hieronymus relatus à Gratiano *in capite Ebron.* 13. *quæst.* 2. ait: *Quod conjunxit unum conjugium*, *conjungat sepulchrum.* Quod & probatur exemplis primorum Patriarcharum, qui eodem sepulchro cum uxoribus conditi sunt, *Genesis capite* 25. & 49. Josuæ *capite* 14. & Tobiæ, qui filio suo præcepit, ut matrem sepeliret juxta ipsum in uno sepulchro, *capite* 4. & 14. *Tobiæ*: & Judith, quæ sepulta est cum viro suo, *capite* 16. *Judith*: fuisseque eam generalem Judæis consuetudinem, tam ex his constat, quàm quod etiam in actis Apostolorum legitur *capite* 5. Sapphiram voce D. Petri extinctam, sepultam esse apud virum suum Ananiam, eodem eventu paulò ante defunctum. Narrat & D. Chrysostomus *libro* 1. *de sacerd.* matrem suam ab ipso petiisse, ut corpus suum cum mariti ossibus conjungeret: & pariter D. Augustinus sanctam Monicam ipsius matrem magnâ curâ semper æstuasse de sepulchro, quod sibi provideiat, præparaveratque juxta corpus viri sui, narrat *libro* 9. *confes. capite* 11. idque pluribus exemplis Christianorum, & Gentilium firmari poterat. Illud tamen non omittam, quod refert Gregorius Turon. *lib.* 1. *Histor. Franc. cap.* 42. & *de gloria confess. cap.* 32. de duorum nobilium Arvernorum sepultura: cùm post perpetuam continentiam secretè in sancto conjugio ex pacto servatam, prior puella decessisset, ac peracto vir funeris officio puellam in sepulchro deponens, elevatis ad cœlum manibus arcanum panderet, dicens: *Gratias tibi ago*, *æterne Domine*, *quia hunc thesaurum sicut à te commendatum accepi*, *ita immaculatum pietati tuæ restituo: ad hæc puella mortua subsidens*, *sile* (*inquit*) *sile vir Dei*, *quia non est necesse fatearis nostrum*, *nemine interrogante*, *secretum.* Cùm verò post paululùm temporis vir quoq; migrasset è vita, sepultusque fuisset in loculo separato alterâ parte Ecclesiæ, factum esse, ut sepulchra divinitus in unum jungerentur: *Scilicet*, *ut quos teneret socios cœlum* (inquit Gregorius) *sepultorum hic corporum non separaret monumentum.*

tum. Secundò difficilis est præsens textus in ratione ab Urbano III. adducta, dum docet, uxorem posse eligere sepulturam, quia talis electio tunc sortitur effectum, cùm uxor non est; cùm soluta sit per mortem à lege viri, nec ampliùs detur cohabitatio: nam si dispositio fiat tempore inhabili, licèt effectus conferatur in tempus habile, adhuc non sustinetur: unde minor, qui propter ætatem manumittere non potest, si libertatem conferat in tempus, cùm major fuerit, libertas non competit, nec effectum habet, *l. si minor, C. de servis export.* ergo nihil interest, quod electio sepulturæ ab uxore conferatur in tempus habile, si dispositio fiat tempore inhabili. Accedit in terminis electionis sepulturæ, nam monachus, licèt post mortem liberetur ab obedientia sui Prælati; tamen non potest eligere sepulturam, *cap. final. hoc tit. lib. 6.* ergò similiter uxor licèt eligendo sepulturam conferat electionis effectum in tempus, in quo soluta est à lege viri, inutiliter sepulturam eligit.

4. *De his qui eligere possunt sepulturam.*

Adhuc tamen defendenda est præsens Urbani decisio, cujus rationem ut agnoscamus, sciendum est, quemlibet habentem legitimam ætatem, sive virum, sive fœminam, posse sibi eligere sepulturam, dummodo non prohibeatur à jure; electio enim sepulturæ est pars ultimæ voluntatis, *cap. contra* 13. *quæst.* 2. *cap. cùm liberum, hoc tit.* unde filiusfamilias, si pubes est, potest sibi eligere sepulturam, *cap. licèt, hoc tit. in 6.* & servus similiter potest eam eligere; quia quoad sepulturam personam habet, & non attenditur dominica potestas, *l. 2. l. 4. ff. de religiosis.* Unde intelligitur textus *in l. 3. §. si servus, ff. de sepulchro violat.* juncto Narbona *anno* 14. *quæst.* 47. Jul. Lavor. *dict. tit. 2. cap. 11. n. 146.* Sed an possit talis electio relinqui in alterius arbitrium, controversum est? Negant committi posse Geminianus *in cap. is qui, §. mulier. num. 6. hoc titulo, lib. 6.* Jul. Lavorus *dict. cap. 11. num. 6.* moti ex eo, quod mandatum morte finitur, *cap. gratum, cap. relatum,* ubi probavi, *de offic. deleg.* Ergo post mortem mandantis illud exequi non potest. Sed rectiùs affirmant Gutierrez *de juram. part. 2. cap. 4.* Carpio *de execut. lib. 2. cap. 24.* Murga *tom. 1. disquisit. mor. tract. 4. disquisit. 9. §. 10.* Quorum opinio suadetur *ex l. 38. Tauri, l. 17. tit. 4. lib. 5. recopil.* Nec fundamentum contrariæ sententiæ obstat; nam cùm mandatum hoc circa sepulturam conferatur post mortem mandantis, non finitur, *l. final. ff. de solut.* textus ab specie *in l. 14. ff. de relig.* unde tam in testamento, quàm inter vivos utiliter electio sepulturæ alterius arbitrio committitur. Deinde sciendum est, mulierem nuptam posse facere testamentum, & utiliter de omnibus rebus suis disponere, *l. si mater* 33. *de vulgari, l. 3. Cod. de inoffic.* Immò licèt jure civili uxor ducta per coëmptionem efficeretur filiafamilias, in maritique sacra transiret; nihilominus testamentum facere poterat. Ulpianus *in fragmentis, titul.* 20. *§. penult.* Oswaldus *libro 6. Donelli, cap. 5. litera B. D.* Josephus de Retes *lib. 1. opuscul. cap. 22.* Unde tot fragmenta testamentorum matrumfamilias in Pandectarum libris reperiuntur; jure tamen vetustissimo mulieres jus testamenti faciendi non habuisse, ex Gellio probare intendit Wisemb. *disput. 17. num. 16.*

5. *Traditur ratio decidendi.*

Unde jam apparet vera decidendi ratio præsentis textus; nam cùm electio sepulturæ inter ultimas voluntates connumeretur, ex adductis per DD. *in cap. ultim.* 13. *quæst.* 2. Joanne Andrea *in cap. 1. num. 3. hoc titul. lib. 6.* Julio Lavoro *dict. cap.* 11. & mulier etiam constante matrimonio possit condere testamentum, & quoad ultimam dispositionem pro patrefamilias habeatur; inde sicut maritus potest relicto sepulchro majorum sibi eligere sepulturam, ita & uxor relictâ mariti sepulturâ potest sibi aliam eligere. Accedit ratio ab Urbano in præsenti adducta illis verbis: *Cùm electio ista ad eum potiùs statum pertineat, in quo mulier solvitur a lege viri.* Licèt enim mulier constante matrimonio non possit de rebus propriis disponere, tamen sepulturam eligere valet; quia effectus talis dispositionis confertur eo in tempore, quo soluta est à lege viri. In his enim casibus, in quibus attenditur effectus, paria sunt aliquid disponere tempore habili, vel tempore inhabili, dummodo effectus conferatur in tempus habile, *l. quod sponsa, Cod. de donat. ante nupt. l. in tempus, ff. de hæred. instit.* Quæ ratio mirè confirmari valet ex eo, nam licèt constante matrimonio uxor viro, vel vir uxori donare sibi invicem non possint, *ex l. 1. cum vulgatis, ff. de donat. inter, l. mortis* 53. *ff. de donat. causa mort.* donare tamen sibi possunt in casum exilii, seu deportationis, *l. sed si mors* 13. *l. inter* 43. *ff. de donat. inter:* in casum divortii, *l. sed interim, §. final. cum duabus legibus sequentibus. l. Vitricus* 41. *ff. de donat inter.* Rationem reddit Consultus *in l. quia, ff. eodem titul.* his verbis: *Quia donationis eventus excurrit in id tempus, quo vir & uxor desinunt.* Quam explicat Gentilis *lib. 2. de donat. cap.* 33. Non ergo mirum est, ut sepulturæ electio ab uxore facta subsistat, cùm ejus effectus conferatur id in tempus, quo vir, & uxor desinunt esse. Accedit etiam, nam Romani cohabitationis conjugalis observatores agnoverunt, uxores posse in propriis sepulchris, & diversis à maritorum sepulturis tumulari, ut constat *ex l. alumnæ, §. ab hæredibus, ff. de adimend. legat.* & aliis juris locis, in quibus mentio fit sepulchrorum ab hæredibus uxorum constructorum.

6. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam omnia, quæ in ea afferebamus, procedunt, & locum habent constante matrimonio in vita ipsorum conjugum: at verò in præsenti deciditur casus, in quo jam solutum est matrimonium per mortem, & ita cohabitationis obligatio cessavit. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis; nam ut suprà dixi, *in capite cum esses, de testam.* aliquando actus prohibetur tantùm inspecto ejus effectu, aliquando etiam attenditur tempus, in quo dispositio fit, ut in casu libertatis à minore præstitæ, in quo attenditur tempus, quo relinquitur; & ideo inutiliter datur à minore. Idemque procedit in religioso eligente sepulturam; nam cum ipse testamentum facere non possit ex defectu bonorum, & voluntatis, ut probavi *in capite 2. de testam.* ideo non habet quod conferat post tempus mortis, & per consequens nec potest eligere sepulturam, nisi valde remotus sit à proprio monasterio, nam tunc eam eligere valet, *capite final. hoc titul. in 6.* Tamburinus *de jure Abbatiss. disput. 34. quæst. 1.* Diana

pari.

p. 5. tract. 3. resol. 110. Barbosa *de jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 43. *num.* 89. Chopinus *lib. 2. monastic. tit. 3. num. final.*

7. *Exponitur textus in cap. unaquæque 13. q. 2.*

Sed superiori assertioni obstat textus *in cap. unaquæque 13. quæst. 2.* in illis verbis : *Unaquæque mulier sequatur virum suum, sive in vita, sive in morte.* Ex quibus expressè deducitur uxorem sepeliendam esse necessariò in sepulchro mariti: siquidem docet D. Augustinus in vita, & in morte uxorem sequi debere maritum suum. Glossa ibi, *verbo in morte*, accipit textum illum de consilio, ita ut mulier debeat sepeliri in sepulchro viri sui, juxta antiquorum facta, & exempla; siquidem ut suprà retuli de Hebræis, semper uxores cum viris suis sepeliebantur: quod & apud Gentiles usitatum fuisse, constat ex traditis ab Strabone *lib.* 15. Valerio Maximo *lib.* 2. *cap.* 1. Philone Judæo *in lib. de Abrahamo*, Eusebio *de præparat. Evangel. lib.* 6. & apud Indos consuetudo est, ut vidua viva simul cum marito in rogum injiciatur; & cùm plures uxores sunt, in certamen veniunt, & quæ victrix evadit, læta cum viro in rogum mittitur. Propertius *lib.* 3. *eleg.* 13.

Felix Eois lex funeris una maritis,
Quos aurora suis rubra colorat equis.
Namque mortifero jacta est fax ultima lecto,
Uxorum fusis stat pia turba comis.
Et certamen habent lethi, quæ viva sequatur
Conjugium, pudor est non licuisse mori.
Ardent victrices, & flammæ pectora præbent,
Imponuntque suis ora perusta viris.

Illustrat Joan. Andreas *quæst. c.* 10. *de sepulturis.* De Thracibus idem refert Bernegerus *quæst.* 141. *ad Tacitum.* Verùm etsi hæc solutio sustineri possit, non incongruè dici potest, D. Augustinum accipiendum esse eo casu, in quo uxor sepulturâ non electâ decessit; nam tunc æquum est, ut in sepulchro viri sui sepeliatur; & si plures maritos habuit, in sepulchro ultimi, cujus domicilium, & honorem retinet, est tumulanda, *cap. is qui, §. mulier, hoc tit. in* 6. docent Didacus Perez *in l.* 1. *titul.* 3. *libro* 1. *ordin.* Gamma *decision.* 105. Jul. Lauorus *dict. cap.* 11. *num.* 134. quomodo etiam accipiendus est textus *in cap. Ebron. in fine* 13. *quæst.* 2. in illis verbis : *Quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulchrum, quia una caro sunt ; & quos Deus conjunxit, homo non separat.* Si verò mulier electâ sepulturâ decedat, tunc ejus ultima voluntas adimplenda est; quo casu procedit præsens textus.

§.

UTrum autem pater, quò magis voluerit, minores filiòs valeat sepelire, non invenimus à Sanctis Patribus diffinitum, & propterea terræ consuetudini decernimus relinquendum.

COMMENTARIUM.

8. CUm sepulturæ electio sit pars ultimæ voluntatis, ut colligitur *ex cap. placuit* 7. 13. *quæst.* 2. & docent Medicis *de sepulturis quæst.* 8. *n.* 2. Narbona *de ætate ad actus humanos, anno* 14. *quæst.* 47. inde provenit, quod sicut qui testamentum facit, debet esse pubes, *l. quâ ætate 5. ff. qui testamenta*; ita & qui sepulturam eligere vult, *cap. licèt, de sepulturis in* 6. docent plures congesti à Narbona *dict. quæst.* 47. Barbosa *lib.* 2. *juris Eccles. cap.* 10. *num.* 19. & *lib.* 1. *de officio Parochi, cap.* 26. *num.* 19. Diana 5. *p. tract.* 3. *resol.* 107. & 108. Murga *tom.* 1. *tract.* 4. *disquisit.* 8. §. 11. Nec interest, an talis pubes sit in potestate patris, vel extra; quia quoad sepulturæ electionem non attenditur patria potestas. Tum quia confertur hæc dispositio in tempus, in quo filius solutus est à patria potestate, ut de uxore proximè dicebamus. Tum quia quoad spiritualia patria potestas non inspicitur, *cap. final. de judiciis, lib.* 6. Si autem filius pubes decedat non electâ sepulturâ, & majorum sepulchra non sint, debet sepeliri in propria parochia, *cap. is qui, hoc tit. in* 6. Quærunt tamen Doctores, si pater, & avus sepulti sint in una Ecclesia, alii verò majores in alia, ubi sepeliendus sit filius? Et doctè probat Oswaldus *consil.* 25. quem transcribit Jul. Lavorus *dict. tit.* 2. *cap.* 11. *n.* 114. in sepulchro patris esse sepeliendum; si autem filius habeat patrem, & matrem diversa sepulchra habentes, filius sepelitur in sepulchro matris; cujus conditionem, non verò patris sequitur, *cap. final. de filiis presbyt. cap. licèt, de conjug. leprof.* quæ omnia procedunt, nisi aliter consuetudine introductum sit, videlicet ut pater pro filio sepulturam eligat, ut in præsenti §. docetur.

CAPUT VIII.

Idem (a) *Præposito, & Canonicis Faventinis.*

CUm super quodam capitulo, quod religionis (b) favore, &c. Inde siquidem est, quod præsentium auctoritate statuimus, ut si aliquem parochianorum vestrorum alibi contigerit eligere sepulturam, secundùm statuta Beati Gregorii, quarta vobis in testamentis portio reservetur.

NOTÆ.

1. (a) *Præposito.*] Textus iste in hac sexta collectione, & *in* 1. *sub hoc tit. cap.* 8. tribuitur Lucio III. sed malè, cùm ejus auctor sit Urbanus III. qui post Lucium Ecclesiam rexit ex anno 1185. usque ad annum 1187. quod facilè suadetur ex eo, quod post Concilium Lateran. *p. ult. cap.* 64. præsens textus refertur sub hac inscriptione, *Idem*, cùm textus præcedens sit Urbani III. Expressiùs id probatur *ex cap. certificari*, sequenti: ubi dum Clemens III. asserit, portionem canonicam aliquando tertiam, aliquando quartam fuisse taxatam, respiciens ad hunc textum ait, Urbanum quartam partem esse asseruisse; unde deducit Innocentius Cironius *in parat. ad hunc titulum*, auctorem hujus textus esse Urbanum III. De canonicis autem, & Ecclesia Faventina nonnulla adduxi *in cap.* 11. *de renunc.*

2. (b) *Religionis favore.*] Alexander enim III. anno 1168. monasterium Sanctæ Reparatæ, Ordinis Vallis Umbrosæ, civitatis Faventinæ, sub protectione Sedis Apostolicæ recepit, & inter alia privilegia quæ illi concessit, & refert Ughellius *tom.* 1. *Italiæ*, *fol.* 521. circa sepulturam à monachis concedendam ita cavit: *Sepulturâm quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepelire deliberaverint, nisi excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat, salvâ justitiâ matricis Ecclesiæ.* Unde credo, Urbanum in præsenti agere de prædictis monachis Sanctæ Reparatæ, & de privilegio religionis favore illis concesso ab Alexandro III.

COMMENTARIUM.

3. *Conclusio probatur.* COmmuniter ex hoc textu sequens deducitur assertio: *Si parochianus extra propriam Ecclesiam eligat sepulturam, debetur, portio quarta propriæ parochiæ de relictis Ecclesiæ ubi sepelitur.* Probant eam textus *in cap.* 1. *&* 2. *cap. certificari, cap. in nostra, hoc tit. cap. de quarta, de præscription. cap. officii, cap. requisisti, cap. final. de testam. cap. ex parte* 15. *de V. S. cap. cùm quis, hoc tit. in* 6. *Clement. dudum*, §. *verùm, hoc titul. extravag. inter cunctas, de privilegiis*, inter communes *extravag.* 1. §. 4. *de sepultur.* Concil. Ænahemense Angliæ, temporibus Joannis Pap. XVII. & Henrici secundi celebratum, *can.* 14. ibi: *Et si corpus aliquod extra suam parochiam quis posuerit, solvat nihilominus pecuniam (quod symbolum animæ dicitur) illi Ecclesiæ, cui corpus famulabatur vivens, & omnia, quæ Dei sunt, vel ad ipsum pertinent, accuratius, uti par est, pacem habeant.* Trident. *sess.* 25. *de reform. cap.* 13. Illustrant Petrus de Ubaldis *in tract. de quarta*, Jul. Lavorus *tit.* 2. *Lucubr. cap.* 17. plures congesti à Barbosa *in præsenti*, & *de offic. Parochi* 3. *p. cap.* 25. & *lib.* 3. *juris Eccles. cap.* 24. Basilius *de matrim. lib.* 5. *cap.* 13. Petrus Gregorius *lib.* 1. *partit. titul.* 15. *cap.* 4. & *in cap. conquerente*, *cap.* 16. *num.* 5. Gutierrez *lib.* 7. *de juram. cap.* 4. *num.* 1. Tondutus *resol. canon. cap.* 105. Vighel. *in method. jur. can. fol.* 451. Trullench. *de offic. Paroc. cap.* 13. Lemaistre *de juribus Episcoporum lib.* 2. *capite final.* Solorzanus *de jure Indiar. libro* 3. *cap.* 22.

4. *Impio.* Sed tradita assertio non leves patitur dubitandi rationes. Prima enim insurgit adversùs *primum conclusio.* eam dictionem, *quartam*, junctis illis verbis, *sui judicii*; in quibus probari videtur, quartam parochialem deducendam esse ex omnibus rebus relictis judicio testatoris; nam patribusfamilias à jure plenissima libertas concessa est disponendi de rebus suis, quo modo, & inter quos velint, quartâ tantùm Falcidiâ hæredi reservatâ, *l.* 1. *ff. ad leg. Falcid. l. verbis legis*, *ff. de V. S.* ergo non debet contra ejus voluntatem alia quarta præstari parocho ex rebus relictis judicio ejus. Augetur primò hæc difficultas, nam si præsentem decisionem accipiamus tantùm de legatis piis relictis pro anima testatoris, in majorem incidimus difficultatem; nam legata pia, & pietatis causâ relictâ, nullam patiuntur diminutionem, nec quidem legis Falcidiæ, *Novell.* 131. *Justin. cap.* 12. ubi Ritherursius, & Balduinus, Tiraquel. *de privil. piæ causæ cap.* 22. Antonius Gomez *lib.* 2. *var. cap.* 4. *num.* 17. Molina *de Justitia tract.* 2. *disput.* 213. Ergo si Falcidia non habet locum in legatis relictis pietatis causâ, multò minùs alia quarta deduci poterit. Augetur secundo hæc difficultas ex eo, nam si aliqua quarta funeralis deducenda est ex legatis piis à defuncto relictis, non à Parocho, sed potiùs ab Episcopo deduci debet, juxta textus *in cap. conquerente de offic. ordin. cap. de quarta, de præscript. cap. placuit, cum sequent.* 10. *quæst.* 3. *cap. requisisti, de testam.* ubi Covar. *cap. quoniam, de decimis, cap. olim, de censibus*; vel potiùs Ecclesiæ, ubi majorum sepulchra erant, præstari debebat, cùm in ea tumulandus esset defunctus, juxta tradita suprà *in cap.* 1. & ita illi quodammodo irrogatur injuria, *Clement.* 2. *hoc tit.* Ergo non rectè in præsenti docetur, parocho quartam deberi. Augetur tandem hæc difficultas ex eo, quia si certa portio bonorum ex quolibet defuncto parocho præstetur, suscitabitur avaritia Gentilium, qui defunctis vectigal imponebant, *l. final. Cod. de religiosis*, Xiphilinus *in Nerone*, observavit Cujacius *lib.* 11. *observ. cap.* 21. ne ergo cum Gentilibus in hac parte conveniamus, dicendum est, funeris occasione nihil pretio æstimabile Parocho præstandum esse.

5. *De quæ-stione hujus portionis.* Quâ dubitandi ratione ita fulcitâ minimè obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, canonicam portionem esse certam quantitatem, quæ Episcopo, vel Parocho ratione funeris præstatur; quæ ita appellatur, quia à sacris canonibus inducta est, ex rationibus infrà adducendis. De canonica portione parocho debita ex legatis, & aliis obventionibus ratione funeris, Ecclesiæ illi, in qua defunctus sepelitur, agendum est (nam de canonica portione Episcopo debita jam egi *in cap. finali, de testam.*) Et ut clariùs procedamus, singillatim examinandum est, quota portio ex prædictis obventionibus deducatur; cui, & à quibus, & ex quibus rebus præstetur. Quoad primam partem hæc portio pro distinctione temporum, & locorum varietate diversa fuit. Leo III. *in cap.* 1. *hoc tit.* tertiam partem esse decrevit; ipse Pontifex quasi mutato consilio *in cap.* 2. *hoc titulo*, dimidiam partem præstari jussit. Urbanus III. in præsenti quartam partem deducendam esse statuit, cujus sententia approbata fuit *in Clement. dudum, hoc titulo.* Innocentius III. infrà, *in cap. in nostra*, tertiam partem paro-

cho

cho assignavit: & quia hæc portio taxata est lege positivâ, ideo contrariâ consuetudine introduci potest, ut major, seu minor portio parocho præstetur, *cap. certificari, hoc tit. cap. antiquos 19. quæst. 1.* immò & in totum tolli, si consuetudo legitimè præscripta sit, ut docent Lavorus, Barbosa, & Trullench. *ubi suprà.* Igitur in hac parte consuetudo attendenda est, illique standum; & si Ecclesiæ propriæ certa consuetudo non sit, quod in Metropolitana Ecclesia observatur, attendi debet, *capite tua, de sponsa duorum*: & si adhuc non apparent, vicinarum Ecclesiarum consuetudo spectanda est, *cap. super eo, de censibus*: & si variæ consuetudines sint, quarta præstabitur, nisi aliud lege diœcesana cautum sit, quod principaliter attendi debet.

6. *Cui, & à quo hæc portio præstetur.* Deinde sciendum est, hanc portionem canonicam deberi Ecclesiæ parochiali, seu Parocho, à quo defunctus sacramenta recipiebat, & ubi divina officia audiebat, *cap. 1. hoc tit. cap. is cum quo, eod. tit. in 6.* non quia ab ea sepulturam dimisit, & in alia elegit: sed in compensationem laboris, quem suffert Parochus in administratione Sacramentorum; & ideo si quis decesserit à propria parochia animo redeundi, tantum recreationis; vel fructuum colligendorum causâ, & ibi decedat, quarta Ecclesiæ parochiali præstatur, *cap. 3. hoc tit. in 6.* Basilius *de matrim. lib. 5. §. 13. num. 2.* Idem procedit si ægrotus de propria parochia in aliam, veluti in domum consanguinei, seu amici, se deferri faciat. Barbosa *ubi suprà.* Aliquando tamen hæc portio non præstatur Parocho, veluti si Ecclesia parochialis alibi eligat sepulturam, vel si Ecclesia Cathedralis præscriptione, aut alio modo jus habet quæsitum retinendi prædictam portionem, vel quia tempore, quo Ecclesia parochialis erecta fuit, hoc jus sibi reservavit; in his enim casibus Parochus non habet jus petendi hanc portionem; illis autem exceptis, potest petere hanc quartam, vel condictione ex canone, vel actione ex testamento, ut post Jul. Lavorum docent Trullench, & Barbosa *ubi suprà.* Deinde sciendum est, prædictam canonicam portionem deberi ab Ecclesia illa, ubi quis relicta propriâ parochiâ sepelitur, sive sit regularis, sive exempta, sive non exempta, *Clement. dudum, §. verum, hoc titulo.* Trident. *dict. cap. 13.* Barbosa *ubi suprà, num. 10.* Trullench. *dict. capite 13. dub. 3.* quæ doctrina limitatur, nisi clerici, aut monachi, apud quos quis sepelitur, præscriptione exempti sint à solutione hujus portionis. Potest enim hæc liberatio præscribi 30. vel 40. annis cum titulo, vel immemoriali tempore sine eo, ut pluribus relatis docet Barbosa *ubi suprà, num. 16.* vel si Regulares, ubi sepultura electa fuit, privilegium habeant non solvendi dictam portionem; dum tamen in ipso privilegio expressè derogetur, *dict. Clement. dudum*; alias privilegium nullius est momenti. Similiter si monasteria erecta per 40. annos ante Concilium Tridentinum solvebant eam portionem, & postea privilegium exemptionis impetrarunt; tale enim privilegium nullius est momenti, ut decisum extat *in dict. cap. 13. Concilii Trident.* & variis Rotæ decisionibus firmat Barbosa *ubi suprà, num. 12. & 14.* Nec etiam privilegium concessum uni Religioni, alteri prodest, aut communicatur, ut docent Barbosa *num. 9.* Trullench. *dict. dub. 13.* Tandem sciendum est, hanc canonicam portionem esse deducendam ex omnibus illis rebus, quæ obveniunt Ecclesiæ ratione funeris, seu de omnibus oblationibus, quæ offeruntur in die sepulturæ, ut declaravit Pius V. in constitutione quæ incipit *Etsi mendicantium.* Item ex omnibus legatis piis ipsi Ecclesiæ relictis, *cap. 1. cap. in nostra, hoc titulo.* Debetur similiter de cereis, & candelis, quæ circa corpus deferuntur, de Missis in testamento assignatis, de armis, palliis, & aliis ornamentis, quæ in feretro deferuntur: tandem de omnibus funeralibus, quæ in prima, septima, nona, aut trigesima die ad Ecclesiam sepulturæ occasione deferuntur, quæ nos vulgò dicimus *offrendas*, ut latiùs prosequuntur Trullench, & Barbosa *ubi suprà.*

7. *Traditur ratio decisionis.* Quibus ita animadversis ratio præsentis assertionis, seu quare hæc canonica portio Parocho præstatur, ex eo provenit, quia qui fuerunt socii passionum, debent esse & consolationum, juxta Apostolum 2. *ad Corinthios, cap. 1.* Sed Parochus sustinet onus celebrandi divina officia, & administrandi sacramenta propriis parochianis, dum vivunt, *cap. 2. de parochis*; unde justum est, ut Parochus per electionem sepulturæ in alia Ecclesia debitis non fraudetur obsequiis; cum ille qui altari servit, de altari vivere debeat, *cap. cùm secundum, de præbend.* Rectè ergo ab Ecclesiæ Patribus statutum fuit, ut de legatis relictis Ecclesiis, ubi parochiani sepeliuntur, certa portio Parocho præstetur. Fulcitur hæc decidendi ratio ex eo, nam ut filius patri, & libertus patrono tenentur aliquam portionem bonorum illis relinquere in recognitionem obsequii, *l. nam etsi, ff. de in offic. princip. Instit. de succeff. libert.* parochiani etiam, qui filii dicuntur sacerdotum, à quibus sacramenta accipiunt, *cap. 9. cum duabus sequent. 30. quæst. 1.* debent saltem ex illis bonis, quæ pro salute animarum suarum relinquunt, aliquam portionem illis præstare, videlicet quartam, quæ portio in aliis testamentariis dispositionibus semper taxata fuit, ut in legitima filio relinquenda, *l. Papinianus, §. de quarta. ff. de inoffic.* in portione ex legatis pro hærede deducenda, *l. 1. ff. ad leg. Falcid.* in portione ex fideicommissis detrahenda, *l. 1. ff. ad Trebel.* in portione filio adrogato à patre præstanda, *l. finali, ff. si quid in fraudem patroni*; de quibus agit Wisembach. *disput. 24. in quadriga quartarum.* Rectè ergo Urbanus III. in præsenti portionem illam parocho præstandam ex relictis a defuncto pro salute animæ suæ, quartam partem præscripsit.

8. *Dissolvitur dubitandi ratio.* Nec obstant difficultates suprà pro dubitandi ratione adductæ. Non prima, nam licèt verum sit, testatorem posse pro libito disponere de omnibus rebus suis, tamen portio canonica, quæ parocho præstatur, non impedit hanc liberam dispositionem; quia non ex omnibus legatis à testatore relictis detrahitur, sed tantùm ex relictis occasione sepulturæ: & licèt legata pia non patiantur deductionem legis Falcidiæ, id procedit ob specialem pietatis rationem, quæ non militat in hac deductione portionis canonicæ, quæ æqualiter pia est. Nec obstat secunda difficultas deducta *ex dict. cap. de quarta, cap. conquerente*, ubi portio hæc spectat ad Episcopum. Nam omissâ solutione Beroii *in cap. Raynutius, num. 165. de testam.* qui existimat prædicta jura procedere quando Episcopus præscripsit

quartam portionem in aliqua parochia contra parochum ; & omissâ aliâ solutione Nicolai Lemaistre de juribus Episcoporum *lib. 2. cap. ult.* quam retuli *in cap. officii, de testam.* dicendum est quam Cironio *ad titulum de testam. & de offic. Ordinarii*, olim Episcopo debitam quartam portionem ex omnibus oblationibus factis Ecclesiis, & monasteriis sibi subjectis, & ex aliis piis obventionibus: quæ canonica portio diversa est à quarta parochiali, de qua in præsenti agitur. Nec obstat, quod de vectigali defunctis non imponendo dicebamus; nam hac portio non tam debetur ab ipsis defunctis, quàm ab Ecclesia, ubi eligunt sepulturam, ex rationibus suprà adductis.

9. *Exponitur cap. nos quidem 3. de testam.* Adhuc præsenti assertioni obstat textus *in cap. nos 3. de testam.* ubi refertur, quod quidam cùm ultimum elogium conderet, & uxorem hæredem instituere t, jussit monasterium ex bonis suis construi : & cùm uxor neglexisset exequi mariti voluntatem, jubet Gregorius, ut monasterium construatur, & omina illi relicta sine diminutione assignentur. Ex quibus ultimis verbis apertè deducitur, ex legatis piis monasterio relictis, nullam portionem parocho deberi, aut præstari; siquidem omnia sine diminutione illi solvi jubentur. Cui difficultati satisfaciendum est asserendo, in eo textu nullum legatum relictum fuisse funeris, aut sepulturæ causâ, nec ex legato relicto pro construendo monasterio, seu oratorio quartam portionem deberi, *cap. fin. de testam.* docet Fragoso *de regim. Christ. Reip. lib. 10. disput. 23. §. 4. num. 38.* Unde cùm nullum legatum in eo textu relictum esset sepulturæ causâ, ideò deductio portionis canonicæ locum non habet.

10. *Exponitur cap. in nostra, hoc titulo.* Secundò obstat textus *in cap. in nostra, hoc tit.* ubi in gravi controversia inter Rectorem Ecclesiæ parochialis, & Fratres Hospitalarios super deductione hujus portionis agitata, decidit ur, ut si aliquis apud ipsos Hospitalarios eligat sepulturam ; quarta ex oblationibus occasione funeris factis illi Parocho solvatur, ex cuius Ecclesia corpus extrahitur. Igitur canonica portio non debetur Ecclesiæ parochiali, ubi defunctus recipiebat sacramenta, sed Ecclesiæ in qua degebat testator. Etiam difficilis est textus ille, dum docet indistinctè ex oblationibus occasione funeris factis, quartam esse deducendam, siquidem ex relictis pro anniversario, seu sacrificiis offerendis die 7. 9. aut 30. potio canonica non deducitur, *cap. final. de testam.* Igitur non rectè in eo textu generaliter deducitur canonica portio ex oblationibus funeris causâ factis. Primæ difficultati respondendum est cum Basilio *lib. 5. de matrim. cap. 5.* asserendo ex illis verbis, *de cujus parochia corpora extrahuntur*, non deduci, portionem canonicam non deberi Ecclesiæ ubi defunctus Sacramenta recipiebat; nam verba illa frequenter in jure important parochiam domicilii, ubi defunctus divina officia audiebat, & Sacramenta recipiebat, *cap. certificari, hoc tit.* Accedit, nam verba illa apponuntur in facti narratione ; at verò in decisione Pontifex expressè jubet, quartam portionem præstari Ecclesiæ parochiali. Secundæ difficultati satisfacit Hostiensis in eo textu, *num. 6.* dum asserit, ex his, quæ relinquuntur pro anniversaria die, vel 7. 9. aut 30. quartam canonicam non deduci, *ex dicto cap. final. de testam.* ex oblationibus verò factis in ipso Missæ sacrificio quartam portionem deduci, *ex dicto cap. in nostra.*

11. *Exponitur cap. certificari, hoc tit.* Ex suprà traditis exponendus est textus *in cap. certificari 9. hoc tit.* ubi cùm consultus fuisset Clemens III. quomodo accipi debeant verba illa, *Salva justitia*, quæ adjici solent in literis Pontificiis, quibus conceditur monachis, aut religiosis personis admittere ad sepulturam alienos parochianos in suis Ecclesiis eam eligentes. Respondet, respectu quotæ patris varia prædecessorum suorum emanasse decreta ; siquidem Leo III. relatus *in cap. 1. hoc tit.* tertiam partem esse solvendam statuit: at verò Urbanus in præsenti, quartam deducendam esse censuit, & ita portionem illam esse solvendam, quæ ex consuetudine regionis attenta solvi consueverat. Qui textus difficilis est in illis verbis, *Salvâ justitiâ Ecclesiarum* ; in quibus, quid per justitiam Ecclesiarum intelligatur, non exprimitur; & si pro portione parocho debita ex mortuariis apponuntur, quomodo consuetudo aliquid immutare, seu minuere potest? siquidem quod potest fieri consuetudine, potest fieri præscriptione: sed præscriptio non admittitur contra quartam portionem, *cap. de quarta, de præscript.* ergo nec consuetudo. Pro cujus textus expositione sciendum est, jure communi attento, similes personas regulares non posse recipere fideles ad sepulturam in suis Ecclesiis, ut probavi *in cap. 3. hoc tit.* unde privilegia impetrabant à Romano Pontifice, ut illis liceret corpora defunctorum in propriis Ecclesiis tumulare, *cap. in nostra, hoc tit. cap. 1. de pactis lib. 6.* plura Bruno Chassaing. *ubi suprà* ; & in eis frequenter adjiciebatur clausula illa, *Salvâ justitiâ Ecclesiarum* ; eleganti stylo, & ratione: nam sicut exequiæ defunctorum appellantur justa, inde justa facere, & justa persolvere. Ovidius *lib. 2 Fastorum.*

Hanc quia justa ferunt, dixere feralia lucem.

Cicero *lib. 2. de legibus*, Arnobius *lib. 1. adversus gentes*, illustrant Gutheres *lib. 2. de jure manium, cap. 2.* Spondanus *de cæmeteriis lib. 1. p. 1. cap. 8. num. 1.* & luctus indictus tempore mortis, justitium appellatur. Cassiodorus *lib. 2. variar. epist 3.* ibi: *Indicto justitio juvenis nobilitate commendabilis.* Gregorius Turon. *lib. 6. cap. 30.* ibi: *Igitur celebrato justitio.* Illustrant Savarus *ad Sidonium in lib. 2. epist. 8.* Gutherus *lib. 3. de jure manium, cap. 29.* Sophranis *de funere Hebræorum, cap. 12. de publico luctu.* Sic similiter portio, quæ debetur ex relictis occasione funeris, justitia dicitur in epistola Gofridi Vindocinensis Abbatis, & apud Carnotensem ibi: *Pauperum corpora, si insepulta remanerent pro Ecclesiæ justitia, non ideò minùs haberent de gloria.* Innocentius III. *lib. 1. regestr. epist. 219. ad Decanum Ulyssipon.* ibi: *Receptâ à Templariis justitiæ legitimâ cautione.* In eo ergo sensu justitiâ Ecclesiæ acceptâ in prædictis privilegiis, rectè ait Clemens III. portionem illam consuetudine mutari, & tolli posse, quia licèt præscriptio circa quartam Episcopo debitam non admittatur, quia ea debetur ratione obedientiæ, seu subjectionis, ut *in dicto cap. de quarta*, probavi ; at verò portio parocho debita præstatur in remunerationem laboris ab ipso impensi in administratione Sacramentorum.

12. *Intelligitur cap. cùm liberum 6. hoc tit.* Tandem suprà traditis obstat textus *in cap. cùm liberum 6. hoc tit.* ubi cùm testator dimissâ Ecclesiâ parochiali, in alia eligeret sepulturam, nulla portio canonica præstatur Parocho, sed libe-

omnia

rum 6. hoc tit.

omnia, quæ funeris causâ relicta fuerunt, Ecclesiæ, ubi cadaver sepultum fuit, præstantur: ergo quia nulla portio ex relictis sepulturæ causâ parocho debetur. Cui difficultati, omissâ glosâ in præsenti, dicendum est textum illum procedere eo casu, quo testator in ultima voluntate apud aliam Ecclesiam dimissâ parochiali, ex devotione jussit se sepeliri, & clerici parochialis Ecclesiæ corpus ipsius violenter rapuerunt, & in sua sepelierunt Ecclesia; quo casu coguntur cadaver, & omnia sepulturæ causâ ab eis occupata integrè restituere Ecclesiæ, ubi testator elegit sepulturam: nec eo casu deducere possunt canonicam portionem, quam amiserunt propter violentiam circa ipsam sepulturam commissam, argumento textus *in cap. eum qui, de præbend. lib. 6. l. extat. ff. de eo quod metus, l. licitatio. §. quod illicitè, ff. de publicanis:* nam qui irruendo aliquid occupat, etiamsi ipsius sit, causæ suæ patitur jacturam, *cap. placuit 16. q. 6.* & illud quod quis habet, amittit, si improbâ temeritate assumit, *cap. sic docet 25. q. 2.* Cùm ergo in ejus textus specie clerici violenter corpus illud rapuerint, ut in eo, in quo peccarunt, puniantur, jubentur illud restituere cum omnibus rebus occasione funeris acquisitis.

CAPUT IX.

(a) Clemens III.

CErtificari voluisti à nobis, quomodo illa clausula, quæ in privilegiis nostris apponi de salva justitia solet illarum Ecclesiarum, â quibus mortuorum corpora assumuntur, intelligi debeat, & exponi. Cùm autem super hoc articulo diversa antecessorum nostrorum manaverint instituta, (b) Leone justitiam illam aliquando (c) tertiam partem, quandoque verò (d) mediam partem; & (e) Urbano III. quartam fore censente: nos tale præbemus in hac varietate responsum, ut, sicut Hieronymus inquit, unaquæque provincia in suo sensu abundet, secundùm rationabilem consuetudinem regionis, illa justitia circa medietatem, vel tertiam, aut quartam partem pro locorum diversitatibus attendatur.

NOTÆ.

(a) *Clement. III.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 3.* nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex.

(b) *Leone.*] *In cap. 1. hoc titulo.*
(c) *Tertiam.*] *In cap. in nostra; hoc tit.*
(d) *Mediam.*] *In cap. 2, hoc tit.*
(e) *Urbanus.*] Relatus *in cap. antecedenti*, ubi numero ultimo textum hunc exposui.

CAPUT X.

Innocent. III. (a) *Episcopo Claremont. & Abbati* (b) *Maurien.*

IN nostra præsentia constitutis dil. fil. Priore Ecclesiæ (c) Montis-Ferrandi, & B. procuratore Hospitalariorum Claromont. diœc. ven. f. n. Sabinen. Episcopum concessimus auditorem, coram quo idem Prior proposuit, quod prædicti Hospitalarii parochianos suos admittunt ad Ecclesiastica Sacramenta; & tam (d) excommunicatos, quàm interdictos, & quosdam alios, videlicet W. de Maceriis, & filium I. de Ventador infra annos legitimos (e) constitutos, receperunt ad ecclesiasticam sepulturam, propterea Ecclesia eadem damnum sustinuit plusquam V. millium solidorum: quare idem Prior humiliter supplicavit, ut ipsis Hospitalariis interdiceremus, ne de cætero talia in ejus præjudicium attentarent, & ad resarcienda damna, quæ exinde sustinuit, eos compellere dignaremur. Econtra prædictus proposuit procurator, quod tam ex privilegio, quàm ex indulgentia speciali, licet Hospitalariis omnes passim, præter excommunicatos, & interdictos, ad ecclesiasticam recipere sepulturam, qui apud illos elegerint sepeliri: fidei quoque commissa ultimâ voluntate relicta possunt licenter accipere, solutâ tantummodo quartâ parochiali Ecclesiæ, de cujus parochia mortuorum corpora assumuntur, præterquam de equis, & armis, quæ indulta sunt ipsis in subsidium Terræ sanctæ, de quibus quartam deducere non tenentur. Cùm igitur hæc, & alia, quæ coram ipso fuere proposita, idem nobis fideliter retulisset, auditis & intellectis attestationibus, & allegationibus universis, de consilio fratrum nostrorum talem duximus sententiam proferendam, quod prædicti Hospitalarii de cætero non recipiant parochianos Ecclesiæ suprædictæ ad ecclesiasticam sepulturam, nisi apud eos elegerint sepeliri; & tunc parochialis Ecclesia de oblationibus, lectis, & aliis, quæ defunctus pro anima sua in ultima dispositione reliquit, præterquam de equis,

equis, & armis, recipiat quartam partem, Hospitalarii residuum habeant, nisi dolo, vel fraude eorum defunctus inductus fuerit ad dispositionem hujusmodi faciendam: nihilominus ipsis Hospitalariis injungentes, ut de quarta parte quinque millium solidorum Priori satisfaciant memorato, cùm constet à parochianis Prioris illos solidos recepisse, nec sit sufficienter ostensum, quod eorum oblati, vel (f) commissi fuissent eisdem. Præterea duximus injungendum, quod nisi probaverint, quod W. Gaustafall, qui fuit interfectus in campis, apud ipsos elegerit sepulturam, universa, quæ ipsius intuitu receperunt, Priori restituant memorato, alioquin quartam partem solummodo restituere teneantur. Pro filio verò W. de Maceriis, & filio W. de Ventador, quos constat infra annos legitimos decessisse, eisdem injunximus, ut quæ sepulturæ eorum gratiâ receperunt, restituant universa.

NOTÆ.

1. (a) *Claromont.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. Claromontensis Ecclesia Galliæ suffraganea est Archiepiscopi Turonensis in Aquitania: prima inter perantiquas Galliæ civitates recensetur à Ptolomeo *lib.* 2. *cap.* 7. Cæsar. *lib.* 7. *de bello Gallico, cap.* 7. quos & alios referunt Fratres Sarmathani *tom.* 2. *Galliæ Christ. fol.* 520. Habet Ecclesiam Cathedralem dicatam Deiparæ Virgini, cujus historiam & Præsulum seriem referunt Chenu *in chron. Galliæ*, Fratres Sarmathani *ubi proximè*. Ejus Præsuli Roberto missa est præsens Decretalis, qui à fratre Comite Arverniæ detrusus fuit in carcerem, ut constat ex Innocentio III. *libro* 1, *epistol.* quod referunt Fratres Sarmathani *ubi suprà*.

2. (b) *Maurien.*] Quod monasterium est Ordinis D. Benedicti in ipsa diœcesi Claromont. jacet in solo amœnissimo juxta Ricomagum exstructum à Calminio Senatore Romano, cujus meminerunt sub nomine Musiacensis, seu Mausacensis, Gregorius Turon. *lib.* 4. *de gloria Confess.* Joannes Sabaro, quem referunt Fratres Sarmathani *tom.* 4. *Galliæ*, *fol.* 630. qui referunt ejus historiam, & chartam fundationis ipsius.

(c) *Ferrandi.*] Castrum est proximum Claromonti, de quo Sugerius *in vita Ludovici Grassi*, qui Claromontem pervenit: *Cum autem abortivo & oppositi civitati casus Montis Ferrandi exercitum applicaret.*

(d) *Excommunicatos.*] De quibus in Ecclesia non sepeliendis dicemus infrà *in cap. sacris.*

(e) *Infra annos legitimos.*] Id est quatuordecim: ætas enim quatuordecim annorum legitima appellatur, *l. cùm filio* 50. §. *ult. ff. de legat.* 3. §. *final. Instit. de Attiliano tutore, l.* 1. *C. si mater indemnit.* licèt non me lateat pro subjecta materia aliquando legitimam ætatem dici ætatem 25. annorum, *l. quæro* 32. §. *final. de testamentaria tutel. l. Paulus*, §. *Gaius, ff. de liberat. legat. l.* 1. *tutel. ff. de fidejuss. tut. l. ex duobus* 27. *ff. de negotiis gestis, cap. in veteri*, 77. *dist.* notant plures congesti à Narbona *de ætate, anno* 25. *q.* 2. Sed cùm in præsenti agatur de sepultura, & quoad ejus electionem annus decimusquartus sufficiat, *cap. licèt, hoc tit. in* 6. ideo annos legitimos exponimus, id est 14.

(f) *Oblati, vel commissi.*] Legendum existimo *conversi*; qui autem dicantur oblati, & conversi, exposui *in cap. in præsentia, de probat.*

CAPUT XI.

Idem *Archiepiscopo* (a) *Turon.*

EX parte parentum Nuethæ quondam juvenculæ nostris est auribus intimatum, quod cùm in crepusculo noctis nobilis vir N. dominus de Insula Bucardi, Turon. diœc. eidem juvenculæ posuisset insidias, volens eam opprimere, quam sollicitaverat sæpe de stupro, & ipsa (b) garcionibus, qui eam rapere nitebantur, super quendam pontem occurreret, tandem ipsa fugiens manus illorum, in amnem de ponte cecidit, & fuit casu submersa. Ipsa verò extractâ de amne, dubitaverunt Capellani ejusdem loci corpus tradere sepulturæ; & tu etiam requisitus duxisti super hoc responsum Apostolicum requirendum. Quocirca fraternitati tuæ per A. s. m. quat. cùm illa juvencula non sponte præcipitaverit se de ponte, sed fugiens manus illorum, qui eam, sicut superiùs est expressum, rapere nitebantur, casu cecidit, corpus ejus tradi facias ecclesiasticæ sepulturæ, præsertim cùm ex honesta causa fugisse noscatur, & cui (c) communicabatur viventi, communicandum sit jam defunctæ.

NOTÆ.

(a) *Turon.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. De Metropoli Turon. nonnulla notavi *in cap.* 5. *de temporibus ordin.*

1. (b) *Garcionibus.*] Garcio idem est ac puer inserviens: Petrus Blesensis *epist.* 102. ibi: *Interim exeunt de domibus hospitum garciones cibariis onusti, & ebrii, ut de superfluitate illorum pauperibus ingeratur cumulatior doloris, & tormenti materia.* Guillelmus Brito *lib.* 19. ibi:

Hanc præcedebat cum palma garcio.

Et *lib.* 11.

Circuit, atque alias se garcio vertit ad arces.

Expo-

Exponunt Voſſius *de vitiis ſerm. cap.* 1. Meurſius *in Gloſſario, verbo Garcio*, Zerda *in adverſ. cap.* 73. *n.* 24. Lipſius *centur.* 2. *epiſt.* 44. *ad Belgas*. Hinc apud nos Garciones dicuntur Juvenes non bene educati. Dorleans *in notis ad Tacitum, lib.* 2. *fol.* 193. exiſtimavit Innocentium in præſenti Garciones poſuiſſe pro everſoribus, dum ait: *Dicimus etiam Garçon pro Warſon, ab evertendo: nam juventus, quæ nobilitate viget, omnia evertit.*

(c) *Communicabatur.*] Ut ſequenti commentario dicemus.

COMMENTARIUM.

2. Concluſio deducitur & probatur.

EX hac Innocentii epiſtola ſequens deducitur aſſertio: *Qui non ſponte, ſed caſu in flumen immerſus occubuit, privari non debet eccleſiaſticâ ſepulturâ.* Probant eam textus *in cap. plaouit* 23. *q.* 5. Concilium Altiſſiod. *can.* 17. ibi: *Quicunque ſe propria voluntate in aquam jactaverit, aut collo ligato ſe ſuſpenderit, aut de arbore præcipitaverit, aut ferro percuſſerit, aut qualibet occaſione voluntariè ſe morti tradiderit, iſtorum oblata non recipiantur.* Nicolaus Pontifex *ad conſult. Bulgaror. cap.* 98. ibi: *Si ſit ſepeliendus, qui ſeipſum occidit; vel ſi ſit pro eo ſacrificium offerendum, requiritis? Sepeliendus eſt quidem, ne viventium odoratui moleſtiam ingerat: non tamen eſt, ut aliis pavor incutiatur, ſolito cum obſequiis more ad ſepulchra ferendus. Sed & qui ſunt, qui ejus ſepulturæ ſtudio humanitatis obſequuntur, ſibi, non illi, qui ſui extitit homicida, præſtare videntur.* Conſonant lex 1. & 2. *tit.* 7. lex 29. *tit.* 1. *partit.* 7. Illuſtrant ultra congeſtos à Barboſa *in præſenti*, & *lib.* 2. *juris eccleſ. cap.* 10. *num.* 49. & *de offic. Parochi, cap.* 26. P. Gregorius *lib.* 36. *ſyntag. cap.* 22. & *lib.* 4. *partit. tit.* 13. *cap. final.* Antonius Blaſcus *memorab. cap.* 2. Parladorius *different.* 16. §. 1. *num.* 17. Joannes Sanchez *in ſelect. diſput.* 36. *num.* 2. Æneas Robertus *lic.* 1. *rerum judic. cap.* 12. Diana *p.* 6. *tract.* 7. *reſol.* 47. Petrus Herodius *lib.* 1. *Pandect. tit.* 12. *cap. final.* Lara *de capel. cap.* 11. Spondanus *de cæmeter. p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 7. Torreblanca *de jure ſpirit. lib.* 13. *q.* 16. Coquæus & Vives *in notis ad D. Auguſtinum de civitate Dei lib.* 1. *cap.* 19. 21. 22. & 25. Grotius *de jure belli lib.* 2. *cap.* 19. *in notis.* Ambian. *ad Tertul. cap.* 4. *ad Martyras, obſerv.* 2. & *de animæ fol.* 1039. Gutherus *de jure manium lib.* 1. *cap.* 10. Mancinus *de triplici juris collat. lib.* 1. *cap.* 175. Didacus Perez *in l.* 19. *tit.* 19. *lib.* 8. *ordin.* Caramuel *in Theolog. Fundam. fundam.* 55. *num.* 1633. Joannes Sanchez *in ſelect. diſput.* 36. Murga *tom.* 2. *tract.* 1. *diſquiſit.* 8. Martinez à Prado *tom.* 2. *Theolog. Mor. cap.* 20. *q.* 1. Alciatus *lib.* 4. *parerg. cap.* 4. Petrus Faber *lib.* 1. *ſemeſtr. cap.* 10. Gutherus *de jure manium, lib.* 1. *cap.* 10. Guazinus *defenſ.* 39. *cap.* 2. Baſilic. *deciſ.* 3. *crimin.* Fr. Anton. à Matre Dei *prælud.* 1. *in ſacram. Script. digreſſ.* 7. P. Gibalinus *tom.* 2. *de negot. artic.* 1. *cap.* 7. *fol.* 655. Alteſſerra *hic.* Joan. Andreas *quæſt. de ſepul. cap.* 3.

3. Traditur ratio dubitandi.

Sed in præſentem aſſertionem ita pro dubitandi ratione inſurgi poteſt; nam fœmina, de qua in præſenti, abſque fuga, & jactatione in flumen pudicitiam ſervare poterat, etiam vim paſſa; nec aliquam culpam omnino rennens, & per vim oppreſſa contrahebat. *cap. presbyteros*, 50. *diſt. cap. in primis, verſ. Epiſcopi*, 2. *q.* 1. *cap. finali* 11. *q.* 1. *cap. eos, de conſecr. diſt.* 4. Ovidius *lib. Faſt.* ibi:

Quid facit invito pectore paſſa Jovem.

Probant Tiraquel. *de pœnis tempor. cauſa* 36. Avendanno *de metu lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 29. pudicitia enim cùm virtus ſit animi, ex defectu involuntario corporis non polluitur, *cap, ita ne* 32. *q.* 5. nec violentia libidinis alienæ aufert ſanctitatem propriam, *cap. propoſito* 32. *q.* 5. Igitur cùm fœmina, de qua in præſenti, etiamſi oppreſſa videretur à juvene Turonenſi, adhuc in anima pudicitiam ſervare poſſet, injuſte ſe morti tradidit, & caſui non permiſſo expoſuit, & per conſequens tanquam humicida ſui ipſius privari debebat eccleſiaſticâ ſepulturâ. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam etiam ob ſervandam caſtitatem non ſolùm propriâ perire manu, verùm nec partem corporis mutilare, aut abſcindere permiſſum eſt, *cap. ſi quis abſcidit* 55. *diſt. cap. ſignificavit, cap, ex parte, de corpore vitiat.* Ergo in præſenti caſu nec ob ſervandam caſtitatem licebat fœminæ in flumen ſe jactare, & per conſequens tanquam ſui homicida privari debebat eccleſiaſticâ ſepulturâ. Deinde adversùs rationem, quam aſſignat Innocentius illis verbis, *quibus non communicavimus vivis*, &c. obſtat; nam furibus, raptoribus, & decedentibus in torneamentis, dum vivunt, communicamus; & tamen illis defunctis communicare non poſſumus, *cap.* 2. *de furtis, cap.* 1. *de raptor. cap.* 1. *de torneam.* Igitur indiſtinctè vera non eſt ratio ab Innocentio aſſignata.

4. De his qui ſibi mortem conſciverc.

Quâ difficultate ita fulcitâ non obſtante, vera eſt præſens aſſertio, pro cuius expoſitione ſciendum eſt, nonnullos exiſtimaſſe, mortem tædio, vel impatientiâ doloris quemlibet ſibi inferre poſſe, ut refert, & diſſerit nimis Stoicè Lipſius *lib.* 3. *manud. ad ſtoicam diſciplinam, diſſert.* 22. & *ſequenti.* Et primò Stoici exiſtimabant, quod ſi quis ita morbo affligeretur, ut vitam ſibi ærumnoſam putaret, vel tædium aliquod vitæ haberet, poſſe, immò debere mortem conſciſcere, Epictetus *lib.* 1. *Arriani, cap.* 24. Seneca *epiſt.* 98. ibi: *Exerce te, ut mortem & excipias, & ſi ita res ſuadebit, accerſas; intereſt nihil, an illa ad nos veniat, an ad illam nos.* Apud eundem Senecam *epiſt.* 77. quidam Stoicus Marcellinum morbo non inſanabili correptum admonuit, ut ipſe ſibi mortem conſciſceret. Diogenes Laërtius *in Zenone*, eam Zenonis ſententiam fuiſſe refert, immò & Zenonem ipſum ſibi manus intuliſſe. Lactantius *lib.* 3. *de falſa ſapientia, cap.* 18.

Quod nimium laudas, Cheræmon Stoice, mortem,
Vis animum mirer, ſuſpiciamque tuum.
Hanc ſibi virtutem fractâ facit urceus ansâ,
Et triſtis nullo qui tepet igne focus.
Et reges, & cimex, & nudi ſponda grabati,
Et brevis, atque eadem nocte, dieque toga.
O quàm magnus homo es, qui fœce rubentis aceti,
Et ſtipulâ, & nigro pane carere potes!
Lingonicis agedum tumeat tibi culcita lanis,
Conſtringatque tuos purpura texta toros.
Dormiat & tecum, qui cùm modò cæcuba miſcet,
Convivas roſeo torſerat ore puer.
O quàm tu cupias ter vivere Neſtoris annos,
Et nihil ex ulla perdere luce voles!
Rebus in anguſtis facile eſt contemnere vitam,
Fortiter ille facit qui miſer eſſe poteſt.

Quod Proculejani admiſerunt, ut Neratius ex eorum ſchola prodidit *in l. liberorum* 11. §. 3. *ff. de*

ff. de his qui notant. infam. ibi: *Non solent autem lugeri, ut Neratius ait, hostes, vel perduellionis damnati, nec suspendiosi, nec qui manus sibi intulerunt, non tædio vitæ, sed mala conscientiâ.* Quod Hadrianus, & Antoninus Pius rescriptis confirmarunt, *l. 3. §. 4. & 5. ff. de bonis eorum qui ante sent. mort. sibi consciv. l. 6. §. 7. ff. de injust. rupt. irritoque fact. testam. Quod si quis tædio vitæ, vel valetudinis adversæ impatientiâ, vel jactationis, ut quidam Philosophi, in ea causa sunt, ut testamenta eorum valeant.* ubi Ulpianus sanè Stoicos perstringit, qui jactationis causâ mortem accersebant. Lucianus *de peregrino Philosopho* Seu potiùs Cynicos, eorum auctores, quos Ulpianus Philosophos appellat *in l. proponebatur 76. ff. de judiciis*, & probat latè Quevedo *in suo Epicteto.* Et Cynicis interdum nomen Stoicorum datum fuisse tradit Lipsius *in manud. ad Stoic. Philosoph. dissert. 13* Et eadem cum Stoicis dogmata habuerunt Cæi etiam, qui quia ob ætatem se inutiles esse credebant, coronati cicutam bibebant. Idem Thebani faciebant, ut magnam gloriam assequerentur; unde apud eos nata est paræmia: *Cur non suspendis te, ut apud Thebanos heros sias.* Circumcelliones etiam, qui ut hæretici damnati fuerunt, quia seipsos interimebant, de quibus *in cap. quidam 24. q. 3.* Eorum etiam errorem tenuit Petilianus, quem D. Augustinus *lib. 2. contra literas Petil. cap. 49.* & *lib. 1. de civitate Dei, cap. 17.* multis argumentis impugnat, cujus verba referuntur *in cap. tu dixisti, cap. si non licet 23. q. 5.* Philastrius *hæresi 37.* Omitto alios privatos, qui tædio vitæ, impatientiâ doloris, aut pro republica, ceu summam lætitiam habitam protraherent, manus sibi intulerunt, juxta consilium Plauti *in Penulo*, ibi: *Abi domum, & suspende te.* M. *Quamobrem?* A. *Quia nunquam audisti verba tot, tam suavia.* Ut fecerunt Curtius, teste Valerio *lib. 5. cap. 6.* Brutus referente Floro *lib. 1. cap. 19.* duo Decii, D. Augustinus *lib. 4. de civitate Dei, cap. 17.* & alii quos referunt Strabo *lib. 15.* Cælius Rhodig. *lib. 13. cap. 25.* Tiraquellus *ad Alex. lib. 2. cap. 25.* Ravis. Textorius *lib. 2. officinæ, cap. 98.* Gothofredus *in l. 3. §. 4. ff. de bonis eorum.* Et de sæviente in seipsum ob gravitatem ærumnarum impiè sensit Plinius *lib. 28. cap. 1.* ibi; *Ex omnibus bonis, quæ homini tribuit natura, nullum melius esse tempestivâ morte; in eoque id optimum, quod illam sibi quisque præstare potest.* Et id ex animositate provenire aliqui voluerunt, quos refellunt Mendoza *in viridario, problem. 9.* Fr. Antonius à Matre Dei *ubi suprà*, & constat ex Aristotele *lib. 3. Ethic. cap. 7.* Platone *in Pædone*, Macrobio *lib. 1. in somno Scipionis, cap. 13.* Sed contrarium rectiùs senserunt Philosophi, quos refert Theophil. *dicto cap. 1.* Quia cùm nullo jure homines vitæ suæ domini sint, & mors à divinâ prodeat voluntate, non licet sibi mortem consciscere, & sceleratâ, impiaque manu hoc opus destruere, injuriamque inferre auctori, qui illud suis membris integris plasmavit; nefasque esse existimarunt, ejus injussu de statione hujus vitæ discedere, ac vincula hujus carceris dirumpere. Cicero in somno Scipionis, ibi: *Nisi Deus is, cujus hoc templum est omne quod conspicis, istis te corporis custodiis liberaverit, in cœlum aditus tibi patere non potest.* Quare peccat iste contra dominium Dei, qui tantùm est dominus vitæ; & contra fortitudinem, & charitatem, ut probant latè Theoph. *lib. 3. sect. 3. cap. 1.* Gibalinus *dicto tom. 2. lib. 6. cap. 7. artic. 1.* Plinius Junior *lib. 1. epist. 1.* ibi: *Luctuosissimum genus mortis, quæ non ex natura, nec fatalis videtur. Æquo judicio*, ajebat Julianus, *timidus est, & ignavus, qui cùm non oportet mori, desiderat; & qui refugit, cùm sit opportunum*; teste Ammiano Marcellino *lib. 25.* Unde in eos, qui vivere abnuunt, nisi fortuna voluptates inconcussas præstet, invehuntur D. Augustinus *lib. 1. de civitate Dei, cap. 17. & 20.* Quintil. *declamat. 276.* Seneca *epist. 24. & 58.* Tacitus *lib. 2. annal.* Aristotel. *lib. 3. Ethic. cap. 3.* Heliodorus *lib. 7. histor.* Rectè ergo Platonici contra Stoicos docuerunt retinendum esse animum in custodia, nec injussu ejus, à quo datus est, posse dimitti; & juxta hanc sententiam rectè mors dicitur dimissio, & mori dimitti, ut videre est non tantùm *in cap. 11. D. Luca, vers. 29.* sed etiam *Genesis 25. vers. 2.* juxta Græcorum versionem. Themistius *de animo*, de Græcis agens inquit: *Eum qui moritur, ajunt dimitti, & mortem dimissionem vocant.* Apud Plutarchum *de consolatione*, legimus: *Donec Deus ipse nos dimittat.* Notavit D. Laurent. Ramirez de Prado *ad Luitprandum, fol. 295.* Hoc tamen: quod dicimus, nemini licere sibi mortem consciscere, procedit nisi omni procul dubietate semotâ, divinus agnoscatur impulsus, qui vitam repetat propriâ manu absumendam: quam causam etiam præsumptam excipiebant Hebræi; unde huc referunt Samsonis, & Samuëlis exempla. Referenda etiam sunt alia eorum, qui mortem sibi intulerunt, ne religionem catholicam ejurarent; & virginum, ne pudicitiam amitterent, quæ referunt D. Augustinus *lib. 1. de civit. Dei, cap. 26.* D. Ambrosius *lib. 3. de virgin.* Procopius *lib. 2. de bello Persico, cap. 11.* Eusebius *lib. 8. cap. 17.* Espenceus *lib. 8. de continentia, cap. 14.* Licèt id de aliquibus Sanctis viris falsò jactari probent Theophilus Raynaud. *de calumn. sect. 2. serie 3. cap. 20.* Fr. Antonius de Matre Dei *dict. prælud. 1. de scient. digress. 7. sect. 2.*

Licèt in eos, qui mortem sibi consciverè, §. Biothanatos dictos, ut probant Angelus Rocca *De suicidio in scholiis ad lib. Sacram. D. Gregorii*, Theophilus *seipsum necantibus, dicto cap. 1.* videatur nullam pœnam imponi posse, quippe mortem pro supplicio habent; tamen variis pœnis utroque jure statutis puniri notum est. Et apud Athenienses manus, quâ hoc peregissent, abscindebatur. Cæl. Rhodig. *lib. 5. antiquit. cap. 10.* Primò sepulturâ ecclesiasticâ privantur, ex juribus suprà adductis. Quintil. *declamat. 337.* ibi: *Aliquis conscientiâ turpis alicujus flagatii admissi priùs quàm prodatur, mori vult; dignus est ut insepultus abjiciatur, ut sic, qui patris imperium non exspectaverunt, priventur quasi matris gremio, terræ sepulchro.* Quod & apud Hebræos observari tradit Josephus *lib. 3. de bello Judaico, cap. 25.* & apud Romanos idem viguisse tradit Plinius *lib. 36. cap. 15.* Utopienses Sacerdotes, si quis mortem sibi consciverit, causâ non probatâ, à Senatu in paludem turpiter insepultum abjiciunt. Thom. Mor. *lib. 2. Utopiæ.* Et virgines Milesias hac pœnâ absterritas à voluntaria nece se abstinuisse, referunt Gellius *lib. 15. noctium, cap. 10.* Plutarchus *de mulierum virtute.* Unde Cedrenus *pag. 607.* refert circa mediam Constantinopolim locum fuisse ubi istorum cadavera projiciebantur. Plato *lib. 9. de legibus* statutum tradit, ut in illis locis eorum corpora conderentur, quæ de duodecim regionis partibus ultima,

ultima, deserta, innominataque fuissent, sic obscura, ut nec statuâ, nec scripto nomine sepulchra notarentur. Philostratus *in Heroicis*, ait: *Sepelierunt ipsum Ajacem, interim manente calchante, quia nefas esset sepelire eum, qui mortem sibi ipsi conscivisset.* Statius *lib.* 3. *Theb.* Mæonem, qui sibi vim intulerat, sic describit:

——Vetat igne rapi, pacemque sepulchri
Impius ignavis ne quicquam manibus arcet.

Apud infernos eorum animas sepeliri, docet Virgilius *lib.* 6. *Æneid.* & post fata eas cadaveribus magis, magisque vinciri, atque illis assiduè cohærere, circaque funus, sepulchraque vagari, ex variis referunt Joannes Brodeus *lib.* 5. *miscell. cap.* 11. D. Laurentius Ramirez de Prado *in Pentecont. cap.* 20. Unde nec illi lugeri poterant, *l. liberorum*, §. *non solent*, *ff. de his qui notantur infamiâ.* Quare Artemidorus *lib.* 1. *cap.* 5. protulit eorum, qui se interemerunt, nomina non referri in parentationibus. Cujus loci meminit Alciatus *lib.* 6. *Paverg. cap.* 27. An verò hæc Artemidori sententia generaliter accipienda sit, ita ut nomina eorum, qui se interemerunt, in parentationibus non dicantur, sive id fecissent conscientiâ criminis, vel in scelere deprehensi, sive ob tædium vitæ, dubitari solet. Cujacius *in l. in fraudem* 45. *ff. de jure fisci*, accipit Artemidorum de his, qui se interemerunt in ipso reatu; eodemque modo accipit Varronem apud Servium *lib.* 12. *Æneid.* dum ait, *suspendiosis justa non fieri.* Et probari apertè videtur *ex dicto* §. *non solent*, in illis verbis: *Nec qui manus sibi intulerunt, non tædio vitæ, sed malâ conscientiâ.* Quidam Primarius nostræ Academiæ distinguebat inter suspendiosos, id est eos, qui laqueo se interemerunt, & qui gladio, aut simili instrumento vitam finierunt: primos non lugeri, secundis verò justa persolvi docebat. Credo tamen indistinctè omnes illos, qui mortem sibi consivere, sive tædio vitæ, sive criminis conscientiâ, lugeri non posse, cùm nullus ex eis effugere valeat notam turpis animi; siquidem illius, qui ultra criminis conscientiam sibi fatum properavit, memoriam quodammodo læsam esse apud probos, & honestos viros, notum est; unde talis lugeri non poterat, ut etiam lugeri nequibat suspendiosus, qui licèt à carnifice laqueo suspenderetur, non lugebatur. Varro ubi suprà. Servius *ad Virgil. lib.* 12. *Æneid.* ibi: *Sanè sciendum, quod cautum fuerat in Pontificalibus libris, ut qui laqueo vitam finiisset, insepultus abjiceretur.* Rationem reddit Euripides *in Elena*, dum ait: *Turpes esse strangulationes sublimes.* Infame enim, & vilissimum hoc genus mortis est, unde tantummodo infamis conditionis homines eo plectuntur, *l. moris* 9. §. *sedet*, *final. ff. de pœn.* & hanc pœnam veluti gravissimam imponi jussit Dominus quibusdam Sacerdotibus idololatris, *Numer. cap.* 25. Illustrant Tiraquellus *de nobilit. cap.* 20. *num.* 113. Lucas de Penna *in l. quamvis*, *C. de decur. libro* 10. Nec contrarium probat Ulpianus *in dicto* §. *solent*, in illis verbis: *Non tædio vitæ*; nam cùm Ulpianus scholam Proculejanorum sequeretur, accipiendus est juxta Stoicos, qui credebant tædio vitæ, aut impatientiâ doloris cuilibet licere manus sibi conscîscere.

6. Referuntur alia pœna.

Privationi sepulturæ consequens est, ne pro his defunctis oblationes recipiantur: Concilium Altissiod. *dicto can.* 17. Aurelian. 3. *cap. final.* Cùm enim per oblationes quodammodo inter fideles detur communio, ideo qui communione Ecclesiæ secluſi sunt, etiam ab eis offerendis arcentur. Concilium Illiber. *can.* 28. ibi: *Episcopum placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere.* Ubi plura notavimus. Unde pro illis, quibus denegatur sepultura ecclesiastica, oblationes non admittebantur, *cap. de viro* 12. *quæst.* 2. *cap. miror* 17. *q.* 4. *cap. eos*, *de consecr. dist.* 4. *cap. in omnibus*, *de usuris*, *cap.* 2. *de raptor.* & in aliis juribus congestis ab Antonio Augustino *in epit. lib.* 15. *titul.* 23. Lantdmeter. *lib.* 2 *de veteri monach. capite* 40. Rosvveido *in notis ad epist.* 3. D. Paulini, Albaspin. *lib.* 1. *observ. cap.* 5. Aliquando tamen oblationes fiebant pro his, qui decedebant in pœnitentia, ut restituerentur communioni. Concilium Arelat. 2. *can.* 12. Concilium Vasense *can.* 11. Tolet. 12. *can.* 16. notarunt Albaspineus *lib.* 1. *observ. cap.* 10. Hæphtenus *in vita S. Benedicti*, *cap.* 23. *num.* 6. in expositione illorum verborum: *Hanc oblationem pro eis offerri Domino facite.* Et ulteriùs: *Excommunicati non erunt.* Nec etiam nomina ita defunctorum inter Missarum solennia recitabantur; ex ratione quam illustrabimus *in cap.* 5. *de hæreticis.* Testamenta etiam eorum irritari, bonaque eorum fisco applicari, probatur *ex l.* 6. §. 7. *ff. de injusto rupto*, *l.* 1. §. *si quis non metu*, *ad Syllan. l. parricidii*, *ff. ad legem Pompejam de parricid. l.* 3. §. 4. *ff. de bonis eorum qui sibi mortem*, *l.* 2. *C. qui testamenta*, Paul. *lib.* 5. *sentent. tit.* 22. §. 1. *l. cùm hic status* 32. §. *si maritus*, *ff. de donat. inter*, *l. ejus* 34. *ff. de testam. milit. l. in fraudem* 45. §. 2. *de jure fisci*, *l. penult. C. si. reus vel accusator*, *l.* 2. *C. ubi causa fisc.* Quod ita generaliter accipiendum non est in omnibus, qui sibi mortem consciverunt, sed tantùm in illis, qui conscientiâ criminis id fecerunt in reatu, id est postquàm rei postulati fuerint ex delicto, cujus pœna sit mors, aut capitis diminutio, & per consequens bonorum publicationem contineat; aliàs si impatientiâ doloris, tædio vitæ post contractum crimen, sed non capitale; aut capitale, sed nondum accusatus, quis sibi mortem conscîverit, nec bonorum publicationem patitur, nec testamentum ejus rumpitur. De primo ratio est, quia pro confesso, convicto, ac condemnato habetur, *l.* 6. §. *ejus*, *vers. Proinde*, *ff. de injusto rupto*, *l.* 1. *C. de bonis eorum*, *qui ante*, *l. factum*, *C. de accusat.* & ipsâ mortis festinatione de seipso sententiam tulit, *l. final.* §. *sic autem*, *ff. de bonis eorum.* Seneca *de consolat. ad Martiam*, *cap.* 22. Tertul. *in apolog. Tantùm auctori suo doloris incusserunt*, *ut in secessu inedia de semetipso judicarit.* Apulejus *lib.* 8. *metam.* Quintil. *declamat.* 299. Fornerius 6. *rer. jud. cap.* 21. Unde cùm damnati ex delicto capitali testamentum facere non possint, *l. ejus*, §. 1. *de testam. milit. dicta l.* 6. §. *irritum*, *l. qui ultimo*, *ff. de injusto rupto*, *l. quidam*, *l. quoad statum*, *ff. de pœnis*; ideò testamentum ejus rumpitur. In secundo verò, quia cessat hæc ratio, & testamentum defenditur, & bona non publicantur, ut docuerunt Amaya *in l. eorum*, *C. de jure fisci*, *ex num.* 72. Cujacius *in recit. ad textum in l. in fraudem* 45. §. *ejus*, *ff. de jure fisci*, & *in dicta lege* 6. §. *ejus*, *de injusto*, & *lib.* 11. *respons. Papin. in l. intra* 10. *ff. de diversis*; &

lib. 18. in l. 3. ff. de bonis eorum. Faber *lib. 7. conject. cap. 20.* Farinacius *in praxi, quæst. 128.* Ut ergo bona eorum, qui sibi mortem conscivere, fisco vindicentur, non fati celeritas, sed metus conscientiæ in reo attenditur; ideoque si antequam reus postuletur, decedat, bona non publicantur, quia etsi quodammodo delictum confiteri videatur, pro convicto tamen non habetur, quia non decessit in ipso reatu; & confessus tantùm habetur, qui confitetur in judicio. *l. 11. C. de confessis, l. quidam 30. ff. de donat. l. 4. §. item, ff. ad legem Iul. Majest.* unde venit explicandus Diocasius *lib. 57.* ubi ait, sæviente Tiberio in Senatores, plures ante judicium se interfecisse, ut bona eorum ad liberos pervenirent, nec à fisco occuparentur.

7. *Exponuntur si lex in libertinum, §. eadem, ff. de bonis libert. l. 6. §. ejus, ff. de injusto rupto.*

Quâ etiam distinctione accipiendi sunt textus *in l. si in libertinum 28. §. eadem, ff. de bonis libert.* ubi postquam Florentinus asserit, eripiendum non esse patronis jus illud, quod in bonis liberti habituri essent, si fortassis in libertum non animadverteretur, proponit idem servari in bonis ejus liberti, qui metu accusationis sibi mortem conscivit. Qui textus probat distinctionem suprà adductam, siquidem Consultus æquiparat libertum damnatum illi, qui metu accusationis mortem sibi conscivit. Illud tantùm difficile est, quod æquiparat Florentinus liberto damnato eum, qui metu accusationis sibi ipsi mortem conscivit, cùm adhuc ipse in reatu non esset: Igitur nullum datur discrimen inter eum, qui metu criminis, ne accusaretur; & inter eum, qui jam in reatu mortem sibi conscivit. Sed respondetur illa verba, *metu accusationis*, exaudienda esse metu accusationis non futuræ, sed præteritæ, aut ipsum libertum manifestè delictum commisisse; quo casu, si ne pœnam pateretur, mortem sibi conscivit, bona a fisco vindicantur patrono debitâ portione relictâ, ne in potestate ipsius liberti sit delictum perpetrando patronum debitâ portione privare. Quæ ratio etiam facit, ut libertus in adrogationem se dare nequeat, *l. 1. §. nepos, ff. si quis à parente*, ubi Cujacius, *l. pater, l. ult. ff. de adoption.* Oſvvaldus *lib. 2. Donelli, cap. 23.* Amaya *in l. unica, C. ad legem Visellam.* Secundò ex eadem distinctione explicandus est Ulpianus *in l. si quis filio 6. §. ejus, ff. de injusto rupto*: ubi postquam Consultus docuit, Decuriones, eorum filios, & nepotes, inconsulto Principe, ultimo supplicio damnari non posse, & docuit eorum testamenta, qui antequam sententia à Principe confirmaretur, decesserunt, valida esse; eam exceptionem adjicit, nisi mortem sibi conscivissent: nam eo casu testamenta irrita fieri. Cujus exceptionis eam assignat rationem: *Nam eorum, qui mori magis, quàm damnari voluerunt, ob conscientiam criminis, irrita constitutiones faciunt.* In quibus verbis illud notandum est, testamenta eorum, qui ob conscientiam criminis sibi mortem conscivere, irrita fieri ex constitutionibus Principum: unde infertur, primis Reipublicæ temporibus hoc observatum non fuisse. Cujus rei elegantissimum testimonium extat apud Valerium Maximum *lib. 9. cap. 12. de mortib.* ubi legitur, Licinium Macrum, virum Prætorium, reum repetundarum, sudario, quod fortè in manu habebat, ore, & faucibus coarctatis, incluso spiritu vitam finivisse; & legitur ejus bona non posse hastæ subjici, id est ærario applicari: & juxta traditam scholarum distinctionem accipiendi sunt textus *in l. 1. §. 22. cum sequent. ff. ad Syllan. l. 26. ff. qui testamenta, l. 45. §. ejus, de jure fisci*, Paulus *lib. 5. sentent. tit. 12. §. 1. l. final. ff. de bonis eorum, l. factum 11. C. de accusat. l. 8. ff. ad legem Pomp. l. 38. §. final. l. 39. §. 1. ff. de pœnis, l. 11. §. 3. ff. de his qui notant. infam. l. ejus 34. ff. de testam. milit. l. 8. ad legem Corneliam de sicar. l. 13. ff. ad leg. Aquiliam, l. 1. §. 21. ff. de ædilit. edict. l. 23. §. 3. eod. tit. l. 28. §. 1. ff. de bonis libert. l. 32. §. 1. de donat. inter, l. 4. & 5. Cod. Theodos. de tyron. l. 9. §. si ipse servus, ff. de peculio*, in illis verbis: *Naturaliter licet in suum corpus sævire.* Nam cùm juxta Cynicos, à quibus Stoici acceperunt, non solùm liceret bona sua profundere, sed & vitam propriâ manu absumere, Ulpianus, qui ex eorum Schola fuit, docuit naturaliter licere homini in suum corpus sævire, licèt juxta moralem vitam, & leges positivas suiipsius homicida puniendus sit. Videndi sunt Alciatus *lib. 4. Parerg. cap. 4.* Merillus *lib. 1. observ. cap. 23.* Petrus Faber *lib. 1. semestr. cap. 12.* Gutherus *lib. 1. de jure manium, cap. 22.*

Manet ergo, manus sibi inferentes, fatumque properantes, privari ecclesiasticâ sepulturâ in pœnam tam immanis delicti. Hoc enim genus mortis appellarunt informe Ecclesiæ PP. *in cap. scelerator, de pœnit. dist. 3.* Josephus apud Ægesippum *lib. 3.* ibi: *Informis lethi laqueum homines incurrunt.* Virgilius *lib. 12. Æneid.* 8. *Traditur ratio dubitandi.*

Et nondum informis lethi jam nectit ab alta.

Ubi Servius asserit, ideò informe genus hoc mortis appellari, quia qui laqueo vitam finierunt, insepulti abjiciuntur; adeoque fœdissimum, & indecorum fuit hoc mortis genus apud antiquos, ut nefas esset libare Diis vinum vitis, juxta quam homo laqueo penderet. Plinius *lib. 2. cap. 25.* qui eleganter hanc mortem vocat præposteram, quia scilicet includitur spiritus, cui debet quæri exitus; diciturque fœda, quia spiritus incluſus fœdissimâ expellitur viâ: unde in lege veteri maledictus fuit à Deo homo, qui pendebat in ligno. *Deuter. cap. 21.* refertur *in cap. si verò, §. tanquam, de pœnit. dist. 2.* Sed cùm in præsenti casu fœmina non sponte, sed ut à persecutoribus se liberaret, fugeret, indeque inconsultò in flumen projiceretur, ecclesiasticâ non privatur sepulturâ, quia potiùs casu, quàm voluntariè occubuit.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam etsi verum sit, fœminam in præsenti casu per vim præcisam oppressam, non peccare lethaliter, ex auctoritatibus suprà adductis; tamen exponebat se periculo peccandi posteà consensu accedente. Accedit, quia etsi per vim oppressa esset, tamen quoad Ecclesiam postea inter virgines non haberetur, *cap. illa, 32. q. 5.* ibi: *Illa autem fœminæ, quæ integritatem pudoris oppressione barbarica perdidere, laudabiliores erunt in humilitate, ac verecundia, si se incontaminatis non audeant comparare virginibus.* Notavit Germonius *lib. 3. sacror. cap. 10. num. 13.* Unde tutiùs in præsenti casu virgo existimavit pudicitiam servare, quàm mortis periculo se exponere. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis, deductum ex eo, qui ut servaret castitatem, se mutilavit; nam id procedit, quia alio modo servare castitatem poterat; quare meritò irregularis judicatur, tanquam 9. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

quam sui homicida, ut latè probavi *in cap.* 4. *de corpore vitiatis.* Nec obstat secunda difficultas, cujus solutionem dabimus sequenti commentario.

10. Exponitur cap. non est nostrum, 23. q. 5.

Suprà traditis obstat textus *in cap. non est nostrum* 23. *q.* 5. ubi ait D. Hieronymus: *Non est nostrum mortem arripere, sed ab aliis illatam libenter sustinere; unde & in persecutionibus non licet propriâ perire manu, absque eo ubi castitas periclitatur; sed persequenti colla submittere.* Et quibus deducitur, servanda castitatis causâ licere sibi mortem inferre: igitur in præsenti casu, sive sponte, sive casu fœmina se præcipitasset, cùm servandæ castitatis causâ id fecisset, nunquam ecclesiasticâ sepulturâ privanda erat. Pro cujus textus expositione Lessius *lib.* 1. *de justitia, cap.* 9. *dub.* 6. *num.* 23. & alii, quos refert, nec impugnat Lugo *tom.* 1. *de justitia, disput.* 10. *sect.* 1. *num.* 16. non reputant inconveniens dicere, quod Sanctus doctor in illa sententia fuerit, quæ ob custodiam virginitatis asserit, se occidere licere, Glossâ *ibi*, Turriserem. Barbosa *de dictionibus, dict.* 2. Cenus *post lib. qq. can. sing.* 2. *num.* 4. Joannes Major *in* 4. *disput.* 15. *quæst.* 19. existimarunt verba illa, *absque eo*, non esse exaudienda exclusivè sed incusivè, ut plerunque accipiuntur, *cap.* 4. *Canticorum*, in illis verbis, *absque eo, quod intrinsecus latet*: & *l. meminisse, ff. offic. Proconsul. l.* 1. *ff. de pignorat.* Sed his solutionibus omissis dicendum est, nemini licere se interimere, etiam ob servandam castitatem, ut docet D. Augustinus *lib.* 1. *de civitate Dei, cap.* 26. aliquando tamen id non turpe putari, quia factum fuit ex inspiratione divina, ut de Sancta Polonia, quæ se in rogum injecit, refert Eusebius *lib.* 6. *cap.* 33. & de aliis D. Ambrosius *de Virginibus lib.* 3. *cap.* 2. Sanctus Chrysostomus *homil. de SS. Verenico, & Prosdoce*, & *homilia de S. Pelagia*, ubi testatur, multas sacras virgines, ut persecutorum vim effugerent, pectora gladiis confodisse. D. Hieronymus *in Iovinianum epist.* 1. & de duabus fœminis in flumen projectis, idem narrat Procopius *lib.* 2. *de bello Persico*; & exemplum simile præsenti casui refert Bernardinus Scardeonius *lib.* 2. *antiquit. verbis Patav. class.* 14. ubi refert Elizabetham è ponte se præcipitasse, ut è manibus militum pudicitiam ejus attentantibus se eriperet. Cui Joannes Noventanus Patavinus hoc epitaphium posuit.

Euganeas in me referens virtute puellas,
Hoc jaceo indignè condita virgo loco.
Nam cùm me peteret lascivum miles ad usum,
Munera posse mori magna fuere mihi.
Disce, age, sit quanti conservans virgo pudorem.
Pro quo nihil timui perdere corpus aquis.

Tales enim fœminas inspiratione divinâ hoc fecisse creditur, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 64. *art.* 5. ubi Cajetanus? & alias Gentiles, quibus fidei lumen deficiebat, potiùs ignorantiæ, quàm desperationis causâ mortem sibi conscivisse credimus, ut de Lucretia refert & probat Ambianas *ad Tertul. cap.* 4. *ad Martyras, observ.* 2. & de Cleopatra idem tradit Grotius *lib.* 2. *de jure belli, cap.* 19. *in not.* ubi de virginibus Milesiis agit. Unde D. Hieronymus *in dicto cap. non est nostrum*, in illis verbis, *absque eo, ubi castitas periclitatur*; accipiendus est juxta exempla proximè relata, accedente videlicet inspiratione divina; tunc enim ob servandam castitatem, vel similem causam licet propriâ perire manu, ut docuit D. Augustinus *lib.* 1. *de civitate Dei, cap.* 26. Prosequuntur ipsius textus interpretationem Mesana *de difficilior. D. Hieron. locis, verbo Occidere sc.* Vellosillus *in advert. ad Hieronym. tom.* 5. *quæst.* 2. Theophilus *tom.* 4. *lic.* 3. *de vitiis, sect.* 3. *cap.* 1. qui dicta verba D. Hieronymi accipit ita, ut Sanctus in eis nihil affirmet, nec probet, licere ob castitatem servandam suimetipsius occisionem.

CAPUT XII.

Idem (a) *Vitrosiensi Episcopo.*

SAcris est canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communecemus defunctis, & ut careant ecclesiasticâ sepulturâ, qui priùs erant ab ecclesiastica unitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint. Unde si contingat interdum, quod vel excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum, vel alio casu in cœmeterio ecclesiastico tumulentur, si ab aliorum corporibus discerni poterunt, exhumari debent, & procul ab ecclesiastica sepultura jactari. Quod si discerni non poterunt, expedire non credimus, ut cum excommunicatorum ossibus corpora tumulentur fidelium, cùm licet non obsit justis sepultura nulla, vel vilis, impiis tamen celebris, vel speciosa non prosit.

NOTÆ.

1. (a) *Vitrosiensi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. sed legendum est *Nidrosiensi*, ut jam probavi *in cap. sacris, de his quæ vi*, ubi extat alia pars hujus Decretalis.

COMMENTARIUM.

EX fragmento epistolæ Innocentii III. hîc relato sequens deducitur disputanda assertio: *Excommunicati non sunt tradendi sepulturæ ecclesiasticæ; & si de facto intra Ecclesiam sepeliantur, exhumandi sunt, si discerni possint ab aliis fidelibus corporibus, alias ibi relinquuntur.* Probant eam textus *in cap. quicunque* 11. 13. *quæst.* 3. *cap.* 1. *cap. sanè*, 24. *quæst.* 2. *cap. consuluit, de consecr. Eccles. cap. quod in te, de pœnit. & remiss. cap. super*

2. Conclusio deducitur & probatur.

per quodam, de statu monach. cap. ad hæc 5. cap. ut privilegia, de privil. cap. à nobis, el 2. de sent. excomm. cap. Episcoporum, de privil. lib. 6. cap. quicunque, de hæretic. eod. lib. cap. is qui, eod. tit. lib. 6. Clement. 1. hoc tit. Alexander III. *epist.* 40. quæ extat inter eas, quas edidit Sirmondus, ibi: *Prohibeatis, ne quoslibet excommunicatos ad divina officia, vel sepulturam recipere audeant; & si quos excommunicationis vinculo innodatus sepelierunt, eos appellatione, & contradictione non obstante detumulare, & de cæmeterio ejicere non postponant.* Innocentius noster *lib. 1. regestr. 13 epist. 60.* ibi: *Faceremus de cæmeterio ecclesiastico exhumari.* Et *lib. 4. epist. 26.* ibi: *Cæmeteria verò, in quibus excommunicatorum corpora per suorum violentiam propinquorum sepulta fuerunt, reconcilianda erunt.* Consonant lex 14. *tit.* 10. lex 8. *tit.* 13 *p.* 1. Illustrant ultra congestos à Barbosa *in præsenti*, & *in cap. ad hæc 5. de privileg.* & *de jure Eccles. lib. 1. cap. 10. num.* 40. Felicianus Vega *in cap. intelleximus 7. num. 25. de judiciis*, Suarez *de censur. disput. 11. sect.* 4. Spontanus *de cæmeteriis, 1. p. lib. 4. cap. 7.* Gutierrez *lib. 1. canonic. cap. 1. num.* 30. larè Ricciulus *de jure person. lib. 4. cap. 6. n.* 45. Jul. Lavorus *tit. 2. lucubr. cap. 13. num. ult.* Bosquetus *in notis ad Innoc. III. lib. 1. epist.* 60. plures referens Gibalinus *de censuris disquisit. 7. p. 1. q. 2.* fusè Murga *tom. 2. disquisit. mor. disquisit. 3. per totam*, Teophilus *tom. 14. de litteris monit. lib. 2. cap 2. fol. 417.*

3. Impugnatur tradita assertio.

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti juris consideratione; certum enim est, crimina morte extingui, & per consequens eorum personas post mortem reorum cessare, *l. defuncto 6. ff. de public. judic. l. ex judiciorum 20. ff. de accusat. l. si pœna 20 ff. de pœnis, l. 1. ff. de privat. delict. l. constitutionibus 33. ff. de obl. & act. l. sicuti 38. l. pupillum 111. ff. de reg. jur. l. 1. & 7. C. si reus, vel accusator, cap. quorundam, 23 dist. cap. admonere 32. quæst. 2. cap. causam, el 2. qui fil. sint legitim.* plura Petrus Barbosa *in l. filius 15. ff. de judiciis.* Decianus *tract. crim. lib. 5. cap. 57.* Antonius Gomez *lib. 3. variar. cap. 1. num. 78.* Schifordeg. *lib. 1. ad Fabrum, tract. 10. per totum, & lib. 2. tract. 1. quæst. 9.* Vega *in dicto cap. intelleximus, num.* 27. Amaya *in l. 10. C. de jure fisci*: qui enim ex hac vita decedunt, quasi ad superius tribunal adducuntur. Glossa *in cap. 1. 26. q. 7.* & sic à judico humano eximuntur, *dicto cap. quorundam, 23. dist.* facit Optatus *lib. 6.* dum in Donatistas invehitur insepultos relinquentes Christianos ibi: *Si inter viventes fuerat certamen, odia vestra vel mors aliena compescat; jam tacet cum quo paulò antè litigabas; quid insultas funeri? quid impetis sepulturam?* Deinde quia in defuncto deest principalis ratio pœnæ infligendæ, quia, ut ait Consultus *in l. pœna, ff. de pœnis*, pœna constituitur ad emendationem hominum, quæ emendatio in defuncto deficit: ergo decedentes in excommunicatione non debent tam gravi pœnâ puniri, videlicet privatione sepulturæ ecclesiasticæ, aut si jam sepulti sunt, exhumatione; præcipuè cùm tam immanis sit privatio sepulturæ: unde de Gentilibus in Christianos sævientibus conquerebantur Tertul. *in apolog. cap. 37. Nec mortuis parcunt Christianis, quin illos de requie sepulturæ, de asylo quodam mortis, jam alios, jam nec totos avellant, dissecent, distraham.* Lactantius *lib. 5. divin. instit. cap. 11.* D. Ambrosius *epist. 3. contra Symmachum.* Augetur primò hæc dubitandi ratio ex eo; nam quilibet Catholicus habet jus, ut sepeliatur in sepulchro majorum, *cap. 1.* ubi probavi, *hoc tit.* sed excommunicatio non privat excommunicatum dominio rerum suarum, aut juribus sibi competentibus: igitur sepeliri poterit in sepulchro majorum. Secundò adversùs rationem illam ab Innocentio adductam: Quibus non communicamus vivis, non communicemus defunctis, sic insurgo. Cum mortuis nullum commercium, nullaque communio est, & inter animas à corporibus separatas, & vivos aliena conversatio est, ut probat Abulensis *ad D. Matthæum, cap. 25. quæst. 295.* ex sanctis Patribus probant Mendoza *q. 5. quodlib.* Martinus Delrio *lib. 2. disquisit. quæst. 26. sect. 1.* Mortuus enim non est homo, quia homo ex conjunctione animæ, & corporis subsistit, ut docet Innocentius noster *in cap. in quadam, vers. Sed adversùs, de celebrat. Missarum, Clement. 1. §. porrò, de summa Trinit.* ex D. Thoma & Aristotele probat Navarrus *in Manuali, prælud. 1. num. 11.* Ant. Gomez *lib. 3. variar. cap. 3. num. 32.* ergo non est ratio, quare credamus per sepulturam vivos cum defunctis communicare: unde excommunicationem post mortem non durare docuerunt Hostiensis *in cap. ad hæc, de privil.* Archidiaconus *in cap. illi qui 6. quæst. 1.* ergo non est ratio, quare excommunicati sepulturæ ecclesiasticæ non tradantur. Accedit etiam, nam si ratio ab Innocentio adducta esset vera, sequeretur, leprosos, cum quibus in vita non communicamus, *cap. 1. de conjug. leprosi. cap. 2. de Eccles. ædific.* non posse sepeliri in Ecclesia; & fures, raptores, & similes, cum quibus in vita communicamus, posse ecclesiasticæ sepulturæ tradi; cùm contrarium certum sit, *cap. 2. de furtis; cap. 2. de raptor. cap. unic. de torneam.* Ergo non est vera ratio adducta ab Innocentio. Tandem adversùs eam partem, in qua docetur, excommunicatorum corpora intra Ecclesiam sepulta exhumanda esse, obstat; nam defunctorum corpora semel sepulta non possunt exhumari, etiam ut in alium locum transferantur inconsulto Principe, *l. Divi fratres 39. §. 1. ff. de relig. l. 2. ff. de cadaver. punit.* probant Fornerius *lib. 3. rerum quotid. cap. 6.* Gutherus *lib. 2. de jure Pontif. cap. 9.* ergo non exhumandi sunt statim excommunicati. Accedit, nam tempore interdicti regulariter nemo intra Ecclesiam sepeliri potest, *Clement. 1. hoc tit.* sed si aliquis eo tempore in Ecclesia sepeliatur, exhumandus non est, Glossa *in cap. si civitas, de sentent. excom.* ergo similiter excommunicatus, si de facto in Ecclesia sepeliatur, non ideò est exhumandus.

4. De privatione sepulturæ.

Quibus difficultatibus minimè obstantibus vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, omnes defunctos tradendos esse sepulturæ, nisi specialiter prohibiti reperiantur sepeliri; pluribus enim in pœnam alicujus immanis sceleris commissi sepultura denegatur, quæ pœna non exilis, immò & gravis apud omnes nationes fuit; quare olim vix nisi Biotanathis, & parricidis imponebatur, ex Ægesippo, & Josepho probat Girald. *de var. sepel. ritu, pag.* 647. quia ex Platonis opinione insculptorum animæ per centum annos aberrare credebantur, nec Acheronte recipi: unde Virgilius ajebat:

Hæc omnis, quam cernis, inops, inhumataque turba,
Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenda Trans-

Transportare priùs, quàm sedibus ossa quierunt;
Centum errant annos, volitantque hæc littora circum,
Tunc demùm admissi stagna exoptata revisunt.

Tertullianus *de anima*, ibi: *Creditum est, insepultos non ante ad inferos redigi, quàm justa perciperent.* Unde jure Romanorum insepulta manebant cadavera eorum, qui proditorii, seu perduelles fuerant, *l. minimè 35. ff. de relig. l. liberorum, §. 3. ff. de his, qui notant. infam.* quod & de aliis nationibus idem probat Spondanus *de cœmeteriis lib. 2. p. 1. cap. 7.* Item insepulti jacebant parricidæ, *l. quod si nulla 10. ff. de relig. l. 9. ff. ad legem Pompejam*, latè illustrant Solorzanus *de parricid. cap. 22. & 23.* Fornerius *2. rer. quotid. cap. 16.* D. Joannes Ramos *eodem tract. d. lib. 2. cap. 7.* Item illi, qui sibi mortem conscivêrunt, ut probavi superiori commentario. Etiam sacris canonibus plures ob majora scelera sepulturâ privantur; nam licèt ævo sancti Chrysostomi neminem, quantumvis noxium, privatum esse sepulturâ, saltem post unum, vel alterum diem, ipse Chrysostomus testetur *sermon. 35. in 1. ad Corinthios*, contrarius tamen usus invaluit, ut cum multis docent Carillo *in bullam defunct. 2. p. cap. 4. §. 4. num. 50.* Spondanus *de cæmet. lib. 2. tota part. 1.* quare sepulturâ privari cœperunt infideles, Judæi, Hæretici, & Schismatici, *cap. Ecclesiam 27. cum seq. de consecr. dist. 1.* etiamsi post mortem detecti fuerint, *cap. sanè 24. q. 2.* item eorum defensores, & receptatores, *cap. sicut ait, de hæretic.* excommunicati notorii, & vitandi, ex hoc textu, & suprà citatis. Item interdicti nominatim, *cap. in nostra, hoc tit. cap. cùm in partibus, de verb. sign. Clement. 1. de hæretic.* & illi, quibus est Ecclesiæ ingressus prohibitus, *cap. is cui, de sentent. excom. lib. 6.* blasphemi, *cap. statuimus, de maledic.* monachi proprietarii, *cap. super, de statu monach.* raptores impœnitentes, *cap. super eo, cap. in literis, de raptor.* fures, & latrones, qui in furando occiduntur, *cap. 2. de furtis*, decedentes in torneamentis, *cap. 1. de torneam.* qui in duello, seu singulari certamine occisi fuerint. Concilium Trident. *sess. 15. de reform. cap. 19.* Concilium Frising. *anno 1440. can. 10. Præsenti constitutione duximus inhibendum universis clericis nostræ diœcesis, ne suspensos patibulo, decollatos, vel alios qualitercunque sententiæ mortis traditos in torneamentis, ludis publicis, spectaculis, aut alios occisos, vel subitò defunctos, qui non eodem anno confessi, vel aliàs in mortalibus peccatis morte præventi fuerint, vel non receperint Eucharistiæ Sacramentum, nisi de consilio Sacerdotum duxerint abstinendum, tradere præsumant ecclesiasticæ sepulturæ absque licentia nostra.* Incendiarii, qui odio, vel malo studio ignem apposuerunt, *dicto cap. in literis, de rapt.* item qui decimas à laicis acceptas Ecclesiæ non restituunt, *cap. prohibemus, de decimis*: qui absque causa abstinent à communione Eucharistiæ ultra annum, nisi signa contritionis ostenderint in morte, *cap. omnis, de pœnit.* exenterrantes cadavera, *extravag. detestabili, hoc tit.* inter communes: refert Joannes Major *in 4. dist. cap. 45. quæst. 4.* Tandemque omnes publici peccatores decedentes notoriè in ipso peccato, ut sunt usurarii, concubinarii, & meretrices, *cap. quibus. cap. non æstimemus 13. quæst. 2. cap. quia in omnibus, de usuris, cap. quanquam, eodem titul. in 6.* Et olim etiam ecclesiastica sepultura denegabatur illi, qui presbyterum tutorem designasset in testamento, *cap. neque, dist. 88.* & sanctimoniali irreligiosè viventi. Concilium Rhemense sub Eugenio III. apud Baronium *tom. 12. anno 1148.* omnes enim suprà relati, cum psalmis, & cantu juxta veterem Ecclesiæ morem, quem illustrat Theophilus *tom. 15. in Heterocl. p. ult. quæst. 4. fol. 539.* & oblationibus prohibentur ad Ecclesiam deferri, & clerici eos ad sepulturam suscipientes, excommunicationem incurrunt, sive exempti sint, sive non. *Clement. 1. hoc tit.* immò & exemptos excommunicatos sepelientes potest Episcopus punire, ut latè probat Gibalinus *de censuris disquisit. 7. quæst. 2. fol. 224.* de quibus omnibus prohibitis sepeliri in Ecclesia integrum tomum edidit Murga *tom. 2. disquisit. mor.*

5. *Cum quibus communicetur in morte.*

Deinde sciendum est, non esse in morte communicandum cum quibus non communicabatur in vita; & nefas esse cum illis communicare post obitum, cum quibus fas non erat preces effundere, *cap. quicunque 12. q. 3. cap. sanè 24. quæst. 2. cap. ad hæc 5. de privil.* juncta integrâ ibi: *Quoniam grave sit eis in morte communicare, quos dum viverent, Ecclesia à suo sinu pro suis excessibus segregavit.* Nec solùm oratione, verùm & sepultura cum defunctis communicatur; sepultura enim res spiritualis, seu actio spiritualis est; unde satis videtur cum defuncto communicare, qui illum sepulturæ ecclesiasticæ tradit: immò & per sepulturam infra eandem Ecclesiam inter eosdem defunctos communionem dari, latè probat Spondanus *de cæmeteriis lib. 4. p. 1. cap. 7. per totum*; & id suadetur nonnullis gravissimis exemplis. D. Gregorius *lib. 2. dialog. 23.* in miraculis Sancti Benedicti ait de duabus sanctimonialibus, quibus ipse sanctus ob linguæ intemperantiam excommunicationem comminatus fuerat; cùm ipsæ pristinis moribus nihil mutatæ, brevi diem obeuntes, sepultæ in Ecclesia essent, quotiescunque in ea Ecclesia Missarum solennia celebrarentur, atque ex antiquo more diaconus clamaret, *Si quis non communicat, det locum*; visas eas esse de sepulchris suis progredi, & exire, quousque à sancto Benedicto ab excommunicatione absolutæ fuerunt. Etiam refert Joannes Moschus *in Prato Spirituali. cap. 40.* Cosmam Abbatem Lauræ, virum singularis religionis, ac fidei, sepultum fuisse in monumento ubi sepultus fuerat quidam Episcopus occultus hæreticus, & singulis noctibus auditum fuisse clamantem, *Noli me tangere hæretice, ne appropinques mihi, inimice sanctæ catholicæ fidei.* Alia tradit Spondanus *ubi suprà.* Æquissimum ergo est; ut corpora eorum; quos peccata in baratrum detrudunt; longè segregentur à sepulchris eorum, quos pietas ad cœlum evehit; & ne communicemus cum mortuis; cum quibus in vita non communicabamus.

6. *Traditur ratio decidendi.*

Ex quibus jam apparet vera decidendi ratio ad nostrum textum; nam cum omnis communio prohibita sit cum excommunicatis jam à temporibus Apostolorum *in can. 11.* ibi: *Si quis cum excommunicato simul oraverit, communione privetur*; & *cap. sicut Apostoli, cum sequent. 11. q. 3.* Rectè statutum est, ne excommunicatum sepulturæ ecclesiasticæ tradamus, ita in divinis communicare non licebat: sepultura enim; si attendimus locum, si inspicimus divina officia; quæ in

in exequiis celebrantur, si orationes, quas fundit Ecclesia, consideramus, actio spiritualis est; unde non licet in ea cum excommunicato communicare, nec illi defuncto debet in Ecclesia ingressus permitti, cui in vita prohibitus erat. Pro cujus rationis illustratione expendo Marciani responsum *in l. 2. ff. de cadaveribus punit.* ubi ait Consultus, cadavera eorum, qui in insulam relegati, aut deportati erant, non posse etiam post mortem intra civitatem transferri, & sepeliri, quod & agnovit Ovidius *lib. 3. Tristium eleg. 3.*

Quantum erat, ô magni perituro parcere Divi!
Ut saltem patriâ contumularer humo.
Integer hanc potui nuper bene reddere vitam,
Exul ut occiderem nunc mihi vita data est.

Et licèt tempore Ovidii licuisse corpus defuncti relegati ab insula efferti, & in patriam sepeliri, existimet D. Nicolaus Antonius *de exilio lib. 1. cap. 15.* contrarium tamen, & rectè, docuerunt Albericus Gentilis *in lect. Virgil. cap. 2.* D. Josephus de Retes *ad l. 4. ff. de interdict. & releg. & in addit.* Nec contrarium docuit ipse Poëta *in vers. sequent.* ibi:

Ossa tamen facito parvâ referantur in urnâ,
Sic ego non etiam mortuus exul ero.
Non vetat hoc quisquam: fratrem Thebana parentum
Supposuit tumulo, Rege vetante, soror.

Nam ibi Ovidius tantùm intendit suadere conjugem, ut furtivè ossa sua in patriam reducat; unde ait, ut in parva urna ossa referantur, ut facilè furtim in patriam possint asportari: quod & suadetur exemplo Thebanæ sororis, quo utitur Ovidius, cujus historiam refert D. Josephus de Retes *ubi suprà.* Et hodie exulem non posse sepeliri in Ecclesia suæ patriæ, docent Samuellius *in praxi de sepult. tract. 2. disput. 1. controv. 6. conclus. 15.* Murga *tom. 2. disquisit. mor. disquisit. 24.* Rectè ergo in præsenti decidit, excommunicatum, qui relegato comparatur, *Tertul. de præscript. cap. 30.* quare excommunicationem exilium finitimum dixit Alex. I. *epist. 1.* apud Turr. *lib. 1. contra Magdeburg. cap. 7* ut D. Nicolaus Anton. *dicto lib. 1. cap. 7. num. 11. & cap. 13. nu. 14.* Illustr. D. Franc. Ramos *in syntagmate pro Episcop. Lusit. proposit. 3. num. 97.* non esse intra Ecclesiam sepeliendum. Exemplis aliarum religionum hoc etiam illustrat Spondanus, *de cæmeterus lib. 2. cap. 1.* facit mos Gentilium, apud quos quemcunq; iratus Jupiter vindicasset, fulmineque percussisset, ut Diis invisum, insepultus projiciebatur. Virgilius *lib. 2. Æneid.*

Jampridem invisus Divis, & inutilis annos
Demoror, ex quo me Divum pater, atque hominum Rex
Fulminis afflavit ventis, & contegit igne.

Immò etsi excommunicatus defunctus intra Ecclesiam sepeliatur, debet exhumari, tanquam injustè sepultus, ut contigit aliis, quibus jus sepulturæ denegatur, ut de quodam proscripto Senatus censuit apud Livium *lib. 48. ad finem*, ibi: *Senatus ossa ejus monitu Pontificum, tanquam loco sacro non rite posita, inde removit, quamvis & antè, & post multos eodem loco sepelierint.* Inde apud Lampridium *in Commodo*, illæ Senatus conclamationes: *Innocentes sepulti non sunt, parricidæ cadaver extrahatur.* Apud Quintilianum *declamat. 299.* extat declamatio sub hoc titulo: *Ossa eruta parricidæ.* Quam exhumationis praxim, tam apud Gentiles, quàm Catholicos receptam, latè illustrat Spondanus de cæmeteriis *lib. 3. p. 1. cap. 4. cum sequent.* Sed si cadavera excommunicati ab aliis fidelium discerni non possint, exhumari non debent, propter confusionem, cujus ratione plura permittuntur, quæ aliàs prohiberentur, *cap. cùm tu, de usuris, c. significasti, de homicid. cap. si duobus, de appellat. cap. quam magnum 23. q. 4. cap. cùm sit, de Judæis, cap. cum omnibus 81. dist.*

7. Dissolvitur dubitandi ratio.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; licèt enim regulariter crimina morte extinguantur, tamen pœna semel pro eis imposita durat etiam post mortem, *dicta l. 2. ff. de cadaver. punit.* unde cùm excommunicatio inflicta est in vita ipsius delinquentis, comitatur ipsum, & durat donec reconcilietur Ecclesiæ, præcipuè cùm excommunicatio liget animam, quæ immortalis est, non verò corpus: unde etiam post mortem potest durare; an vero possit & noviter imponi, dicemus *in cap. 5. de hæretic.* Nec obstat, deesse hoc casu rationem pœnæ; nam in privatione sepulturæ, licèt desit emendatio peccatoris, adest tamen exemplum, seu terror aliorum, qui dum vident decedentes in excommunicatione ab Ecclesiæ sepultura rejici, & omnibus suffragiis privari, arcebuntur à delictis, quæ habent excommunicationem annexam; & si forsan; in eam incidant, reconciliationem ante mortem eflagitabunt. Nec obstat augmentum primum ipsius difficultatis, quo moti Lutherani, Calvinistæ, & alii Novatores, existimabant, ob hæresim neminem privandum esse jure sepulturæ ecclesiasticæ; quos doctè refellit Spondanus in suo perdocto tractatu *de cæmeteriis sacris*, quem hujus erroris refellendi occasione, magnâ eruditione plenum in lucem edidit; is enim *lib. 4. p. 3. cap. 1.* ait, justè eos privari sepulchris majorum, nec ampliùs dici posse propria sepulchra; siquidem aut commercium, aut communio cum illis non est; quæ doctrina etiam ad excommunicatos sepulturâ privandos, etiam in sepulchris majorum, satis proptiè adaptatur. Nec obstat secundum augmentum ipsius difficultatis; quamvis enim revera corpus defuncti non sit capax communionis spiritualis, quia tamen eundem hominem repræsentat, & supponit in vivente fuisse jus ad sepulturam, quæ actio spiritualis est, tum propter divina officia, quæ in exequiis celebrantur, tum propter orationes, quas effundit Ecclesia; inde si non licuit orare cum vivo, quomodo cum eo defuncto licebit communicare? Quamvis enim non adsit anima, quæ tantùm dici potest excommunicatione ligata, adest tamen corpus, quod hujusmodi anima vivificavit, vas, & organum satanæ, per quod infelix anima scelera commisit, quæ excommunicationem meruerunt; corpus enim ipsam personam excommunicatam repræsentat: unde justè Ecclesia decrevit cum eo communicandum non esse per sepulturam ecclesiasticam. Nec obstat augmentum hujus difficultatis ex casu leprosorum deductum; nam licèt Abbas Panorm. in præsenti textu existimaverit, leprosos non esse admittendos ad sepulturam cum aliis fidelibus, ideoque *in cap. 2. de Ecclesiis ædific.* statui, ut leprosi habeant sibi specialem Ecclesiam cum cæmeterio; tamen contrarium communiter docetur à repetentibus in præsenti. Nec tunc obstat ratio ab Innocentio

tio hîc adducta; nam causa prohibitæ communionis cum leproso non est perpetua, sed temporalis, propter infirmitatem, quæ cessat per mortem; unde deficiente causâ prohibitionis, cessat prohibitio; causa enim est metus contagii, qui post mortem dari non potest; unde leprosi poterunt cum aliis fidelibus in Ecclesia sepeliri, nisi propter fœtorem, vel similem causam habeant cæmeterium proprium, quia tunc in eo debent sepeliri. Nec quod de furibus, raptoribus, & aliis dicebamus, obstat; nam cum illis prohibita non est communio in vita, propter spem pœnitentiæ, quæ cùm desit post mortem, ideo illi publici peccatores, qui impœnitentes decedunt, privantur sepulturâ Ecclesiasticâ. Nec obstat secunda difficultas suprà expensa; nam principium illud juris procedit, quando defunctorum corpora sunt perpetuæ sepulturæ ritè, & rectè tradita; tunc enim facilè non sunt exhumanda, & transferenda in alium locum: at verò cum injustè, & per violentiam sunt sepulta in loco alieno, & competenti, debent exhumari, & exteriùs projici, argumento textus *in l. is 7. ff. de relig.* unde cùm in præsenti casu corpora excommunicatorum fuissent sepulta in Ecclesia per violentiam propinquorum, & ita injustè, & in loco illis non competente; ideo jubentur exhumari, & extra Ecclesiam projici. Nec argumentum deductum ex casu fidelis sepulti tempore interdicti aliquid facit; nam nullibi legitur statutum, ut tempore interdicti sepultus exhumetur, nec id provenit ex natura interdicti; unde cùm pœnæ sint restringendæ, ideo pœna in præsenti non est protrahenda ad fideles sepultos tempore interdicti, ut docet Gibalinus *de censur. disquis. 2. 1. p. in fine.*

8. *Exponitur cap. nobis 28. de sent. excom.*

Sed superiori assertioni obstat textus *in cap. à nobis 28. de sent. excom.* ubi proponitur, Petrum excommunicatum, per aliquod tempus signis pœnitentiæ datis, sed ante absolutionem decessisse, quæsitum fuit, an sepeliendus esset in Ecclesia, & pro eo orandum esset? Cum quæstioni Innocentius III. respondit, illi succurrendum esse per absolutionis beneficium, sepeliendumque eum esse intra Ecclesiam, quia quoad Deum fuit absolutus, licèt quoad homines excommunicatus decessit. Ex quo textu apertè deducitur, decedentem in excommunicatione, cum quo in vita non communicabamus, sepeliri posse intra Ecclesiam, & per consequens cum ipso in morte communicari posse. Cui difficultati ut satisfaciat Barbosa *in capite ad hæc 5. de privil.* discrimen agnoscit inter excommunicatum decedentem datis pœnitentiæ signis, iam sepultum; & adhuc sepulturæ non traditum: primo casu non exhumandum, sed absolvendum esse affirmat; secundo verò casu non esse sepeliendum intra Ecclesiam. Sed hæc solutio apertè convincitur ex eo, nam si ille excommunicatus, quia pœnitentiæ signa dedit, non est exhumandus; quare etiam non est sepeliendus, cùm eadem ratio militet in uno casu, ac in alio. Quare hac solutione omissâ verius dicendum est, præsentis textus decisionem non habere locum, cùm excommunicatus absolutus fuit, vel in ipso mortis articulo, vel post mortem, quia dedit signa contritionis; excommunicatio enim, sicut alia quælibet censura, tamdiu confert suum effectum, quamdiu manet; tamdiu verò durat, quamdiu non tollitur per absolutionem, quæ potest impartiri vel in ipso mortis articulo, *cap. final. hoc tit.* vel post mortem, ante, vel post humationem. Gibalin. *de censur. pag. 1. disquisit. 4. quæst. 9. corol. 5.* Igitur cùm excommunicatus, qui signa pœnitentiæ in vita dedit, possit absolvi etiam post mortem, rectè *in dict. cap. à nobis*, docetur, ejus corpus posse in Ecclesia sepeliri, quia talis absolutio retrotrahitur ad tempus, in quo dedit signa pœnitentiæ, & per eam declaratur decessisse absolutum, atque intra gremium Ecclesiæ: quare cùm possint alii fideles cum eo in vita communicare, quid mirum, ut etiam post mortem per sepulturam cum eo communio detur? Et excommunicatum in foro interno absolutum, non verò externo, posse sepeliri in Ecclesia, probat Araujo *tit. 3. quæst. 31.*

Secundò suprà traditis obstat textus *in Clement. 1. hoc tit.* ubi traditur, eos, qui propriæ temeritatis audaciâ in cæmeteriis publicè excommunicatos, aut nominatim interdictos sepelierunt, ipso facto excommunicationis sententiam incurrere. Ex quo textu expressè deducitur, excommunicatos occultos impunè posse in Ecclesia sepeliri: ergo licet saltem occultos excommunicatos ad sepulturam admittere. Pro cujus textus expositione sciendum est, præsentis textus temporibus nullum excommunicatum majori excommunicatione (licèt absque ratione ad excommunicatos minori excommunicatione idem protrahat Glossa *in dict. Clement. 1.*) posse in Ecclesia sepeliri, & sepultum esse exhumandum; quod restrictum fuit per PP. Concilii Viennensis *in dict. Clement. 1.* ad publicè excommunicatos; ac tandem per Joannem XXII. *in Extravag. ad evitanda*, ad denunciatos, vel notorios clerici percussores. Cùm enim tantùm cum eis prohibita sit fidelibus in vita communicatio, ita etiam & in morte cum illis tantùm inhibita censetur, ut docent Gutierrez *lib. 1. canonic. part. 1. num. 30.* Suarez *de censur. disput. 12. sect. 4. num. 5.* Ricciulus *de jure person. lib. 4. cap. 60. num. 45.* Layman, Villalobos, & alii, quos sequitur Gibalinus *de censur. 2. part. disquisit. 7. quæst. 2.* Unde cùm temporibus Innocentii III. cum omnibus excommunicatis, denunciatis, sive non, communicatio fidelibus esset prohibita, ideo nullâ adhibitâ distinctione illis denegatur Ecclesiastica sepultura.

9. *Exponitur Clement. 1. hoc tit.*

Tertiò obstat textus *in cap. 2. de sacrament. non iter.* ubi cùm tempore cujusdam schismatis, (cujus historiam ibi retuli) nonnulli defuncti ab ipsis schismaticis fuissent in Ecclesia sepulti, & quidam clerici similiter schismatici, & degradati celebrarent Missæ sacrificium in ipsa Ecclesia, & cum ornamentis Catholicorum, quæsitum fuit ab Honorio III. an defuncti essent exhumandi altariaque denuò consecranda, & ornamenta benedicenda? Et respondet Pontifex, nec corpora esse exhumanda, nec altaria reconcilianda, aut vestimenta benedicenda. Ex quo textu ita conficio argumentum: Schismatici sunt extra communionem Ecclesiæ. D. Ambrosius *lib. 7. in Lucam, cap. 11.* ibi: *Omnes hæreticos, & schismaticos à regno Dei, & ab Ecclesia intelligi separatos*; & ideò non Dei, sed immundi spiritus omnes schismaticorum, & hæreticorum esse conventus, docuit D. Hieronymus *ad epistolam D. Pauli ad Titum, cap. 3.* ibi: *Inter schisma, & hæresin hoc interesse, quòd hæresis*

10. *Intelligitur cap. 2. de sacram. non iter.*

perversum dogma habeat, schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separet. D. Augustinus *de fide & symbolo, cap.* 10. ibi: *Quapropter me hæreticus pertinet ad Ecclesiam Catholicam, qua diligit Deum, nec schismaticus, quia diligit proximum.* Expressiùs Fulgentius *de fide ad Petrum, cap.* 38. ibi: *Non solum omnes Paganos, sed etiam omnes Judæos, hæreticos, & schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam finiunt vitam, in ignem æternum ituros.* Plura Spondanus de Cæmeteriis *part.* 1. *libro* 4. *capite* 2. & *libro* 1. *part.* 4. *capite* 4. Sed isti semel sepulti non exhumantur: igitur nec excommunicati exhumari debent. Cui difficultati respondendum est dicendo, in eo textu defunctos sepultos; non fuisse excommunicatos, vel schismaticos, sed fideles laicos, qui fuerunt sepulti ab ipsis schismaticis; unde dubitabatur, an defuncti sepulti essent exhumandi, non quia ipsi schismatici decesserant; sed quia tempore schismatis, & ab schismaticis fuerant sepulti; quo casu rectè ait Honorius, eos exhumandos non esse, quia cum eis communicabatur in vita; unde tanquam ritè, & rectè sepulti, non debent exhumari. Dicemus *in cap. consuluit, de consecr. Ecclesiæ.*

CAPUT XIII.

Honorius III. (a) *Magalonensi Episcopo*

ABolendæ consuetudinis, nec non abominabilis corruptelæ apud Montem Pessulanum vitium, sicut dicitur, inolevit, ut videlicet decedentibus non priùs permittatur effodi sepultura, quàm pro terra, in qua sepeliendi sunt, certum pretium Ecclesiæ persolvatur. Quia igitur id longè est à regula pietatis, & ab Ecclesiæ honestate, præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus cùm loci diœcesanus existas, inhibeas clerit

lib. 2. *Juris Eccles. cap.* 3. *num.* 27. Binsfeldius *in dict. cap. ad nostram, de simon.* Benedictus Pererius *in Genesim cap.* 13. *disput.* 1. *num.* 13.

3. *Impugnatur praedicta assertio.*

Sed hæc assertio difficilis valde videtur; siquidem omni in religione, Hæbraica videlicet, Gentilica, & Catholica, pretium pro sepultura justè peti, & recipi legimus. De Hebræis constat ex facto Abrahami, quod refertur *Genesis cap.* 17. ubi traditur Abrahamum jus sepulturæ sibi pretio comparasse ab Ephron, ipsumque quasi violenter coëgisse sepulturam sibi vendere; nam cùm Ephron illi gratis, & liberaliter sepulturam, aut locum inter sepulchra propria concederet, Abraham diligenter curavit, ut pretio accepto locus purus ad sepulturam sibi venderetur: unde deducitur, apud Hebræos receptum fuisse, pro loco sepulturæ pretium recipere. De Gentilibus id facilius probatur, siquidem Romani, qui in sepulchris, & locis ad sepulturam destinatis religionem agnoscebant, non improbant ptetium recipi pro ipsa sepultura, *l. funeris* 37. ibi: *Pretium pro sepultura, ff. de relig.* & locum jam religiosum vendere sinebant, *l. Quintus*, §. *Pomponius, ff. de annuis legat. l. si verò* 12. §. *final. ff. mandati, l. si hæres, ff. de condict. caus. dat. l. liberto*, §. *liberti, ff. de negot. gest. l. cùm in testamento* 202. *ff. de V. S. l. & si quis*, §. *hæc actio*, & §. *plerique, ff. de relig. l. quibus*, §. *final. ff. de condict. & demonstr.* in quibus agitur de pecunia data ad emptionem sepulturæ: & ex tali pecunia pro emenda terra ad sepulturam, vicesimam non deberi, docetur *in l. funeris* 37. *ff. de religios.* Expressiùs venditionem loci religiosi subsistere probatur *ex l. & liberi, ff. de contrab. emption.* ubi qui ignorans emit locum, ubi cadaver illatum erat, illum acquirit; & ex illa satis usitata clausula in sepulchris apposita, quâ cavebatur, ne ipsa venderentur, aut alio modo alienarentur, ut constat ex epitaphiis transcriptis à Güthero *de jure manium lib.* 4. *fol.* 409. Nec credi potest, tam diligenter testatores venditionem sepulchrorum inhibuisse, si jure ipso communi satis esset interdicta. Tandem apud Catholicos pretium pro sepultura exigi, usus quotidianus demonstrat; siquidem passim videmus Ecclesiam locum ad capellam, vel sepulchrum familiare construendum vendere, nec injustè, ne Ecclesia, sicut quilibet alius privatus, cogatur de suo facere beneficium, *cap. precariæ* 10. *quæst.* 2. ergo non rectè in præsenti docetur pro sepultura pretium recipi non posse.

4. *De sepulchris, & locis religiosis.*

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, sepulturam tripliciter sumi posse. Primò pro officio, quod impenditur corporibus humandis, *cap. dictum* 1. *quæst.* 1. de quo agemus *in cap. suam, cap. ad Apostolicam, de simon.* Secundò pro jure sepeliendi, seu assignandi locum in Ecclesia, quod competit Episcopo, & Parocho. Tertiò pro loco, in quo quis sepelitur, terraque in qua humatur, de qua in præsenti textu agitur, ibi: *Non priùs permittatur effodi sepultura, quàm pro terra*, &c. Ipse locus sepulturæ à Consultis aliquando appellatur purus, cùm adhuc cadaver in eo humatum non est, *l.* 1. §. *purus, ff. de relig. l. locum, C. eodem titul.* Docent Julius Lavorus *dict. tit.* 2. *lucubr. cap.* 7. Balsamon *in nomocan. Phocii, tit.* 4. Locus verò religiosus in jure civili dicitur is, in quo cadaver humanum illatum est, *l. in tantum* 6. §. *religiosum, ff. de rerum divis. l. cùm loca, l. cùm in diversis, ff. de relig.* §. *religiosum, Instit. de R. D.* Unde apud Romanos unusquisque locum religiosum faciebat mortuum inferendo in loco proprio, vel in alieno, consentiente domino, *l. cùm loca, l. si quis eo, ff. de relig.* plura Oswaldus *lib.* 4. *Donel. cap.* 1. Institutarii *in dict.* §. *religiosum:* non verò si invito domino in alieno loco quis mortuum inferat; ideo hæres locum non facit religiosum, mortuum inferendo in fundo legato, *l. si locus* 34. *ff. de religiosis.* Tunc autem religio loci incipiebat, cùm gleba injiciebatur solutis justis ter à sacerdote; & tunc, ut ait Cicero *lib.* 2. *de legibus*, & corpus humatum dicebatur, & sepulchrum vocabatur: facit Varro *lib.* 4. *de lingua Latina*, si ea mente cadaver illatum sit, ut ibi maneat perpetuò repositum, non si commendatum ad tempus, ut postea aliò transferatur, *l. si quis* 40. *ff. l. nec dum* 10. *C. de religiosis, l.* 3. §. *non perpetuo* 4. *de sepulchro violat.* & in hac parte observandi sunt textus *in l. ultim. ut in poss. legat. l.* 3. §. *in locis, ff. de jure fisci, l.* 28. *ff. communi divid. l.* 4. §. *non sit, ff. ad leg. jul. pecul. l. ultim. ff. de mortuo inferend. l.* 5. §. 12. *ff. de donat. inter, l. servitutes*, §. *servitus, ff. de servit. l.* 73. §. 1. *ff. de contrab. emption. l. penult. ff. de pactis, l. quod si locus, ff. de religiosis, l.* 5. §. *si libidinarius, ff. de instit. act. l.* 1. §. *& alias* 15. *ff. si quid in fraud. patron. l.* 30. *ff. famil. ercisc.* Non tamen totus fundus, in quo cadaver humatum est, religiosus fit, sed tantùm illa pars fundi, quam occupat cadaver; reliqua verò pars manebat prophana, & in commercio, *l.* 2. §. *sepulchrum* 5. *ff. de religiosis, l. si sepulchrum* 4. *l. locum* 9. *C. eod. tit.* quæ dicuntur modica loca *in l. hanc legem* 22. *l. in modicis* 24. *ff. de contrab. emption.* Igitur quamvis ampla pars terræ sepulchro esset destinata, ea sola censebatur religiosa, quatenus corpus humatum est; proindeque caverunt Romani, ne de terra frugibus apta, vivi, mortuive usurparent, ut ait Cicero *lib.* 2. *de legibus*, ibi: *Lex vetat ex agro culto, eove qui coli possit, ullam partem sumi sepulchro; sed quæ agri natura tantummodo possit efficere, ut mortuorum corpora sine detrimento vivorum recipiat.* Nihilominus tamen aliquod laxamentum habuit religio, & pedes in fronte, pedes in agro designabantur; quod spatium occuparet sepulchrum, veluti decem pedes in fronte, idest in latitudine; viginti in agro, idest longitudine, ut exposuit vetus Horatii commentator *ad lib.* 1. *satyr.* 8. ad illum versum:

Mille pedes in fronte, trecentum cippus in agrum.

Post quem notavit Brissonius *lib.* 2. *select. cap.* 15. Gothofredus *in dict.* §. *sepulchrum:* idem *ad leges XII. Tabul. cap. de religiosis*, Oswaldus *lib.* 4. *Donelli, cap.* 1. *litera H.* Cujacius *lib.* 10. *observ. cap.* 37. Ant. Clarus *ad leges XII. Tabul. capite ult.* Ramirez de Prado *in pentecont. cap.* 17. Jure verò nostro canonico locus religiosus non fit corporis humatione, sed Episcopi consecratione, aut benedictione; vel cum locus sepulturæ Christianorum destinatur, etiamsi nemo ibi sepultus sit, *cap. quæstui* 2. *cap. ad hæc, de relig. domib.* immò etsi apud nos Catholicus sepultus sit in loco prophano, non ideo dicetur locus ille religiosus, aut sepultura Ecclesiastica, ut docent Gratianus *p.* 1. *discept. cap.* 110. Spondanus *lib.* 1. *de camet. p.* 1. *cap.* 9. *&* 10. pluribus relatis

Barbosa

Barbosa *in dict. cap. ad hac:* docent, & notant differentiam hanc inter utrumque jus, idem Barbosa *in dict. cap. ad hac, num.* 4, Gregorius *in l.* 1. *glos.* 3. *titul.* 13. *part.* 1. Molina *lib.* 1. *de primog. cap.* 24. *num.* 38. Joan. Garsias *de expensis cap.* 8. *num.* 51. Spino *in speculo, gloss.* 2. *num.* 37. Spondanus *de cæmeteriis libro* 1. *part.* 1. *capite* 9. & 10.

5. *De religione sepultura, & ejus prohibita venditione.*

Deinde sciendum est, etiam apud Gentiles sepulturam semper religiosam habitam fuisse; credebant enim hominum ibi sepultorum animas circa sepulchra aberrare, & nonnunquam in illis residere, quas Semonum, sive Semideorum esse autumabant. D. Augustinus *lib.* 9. *de civit. Dei, cap.* 11. Martianus Capella *de nuptiis Philog. lib.* 2. Apul. *in lib. de Deo Socratis, in fine:* & omnes gentes sepulchrorum religionem habuisse commendatissimam probant Gutherus *de jure man. lib.* 3. *ferè per totum,* Lælius Gyraldus *de vario sepel. ritu, non procul ab initio,* Guichardus *de re funebri, lib.* 1. *cap.* 8. & *lib.* 2. *cap.* 5. unde eorum violatores, tanquam sacrilegos puniri, tum apud Græcos, quàm Romanos, fusè probat Spondanus *lib.* 1. *de cæmeteriis, 1. p. cap.* 9. & sepulchrorum sanctitatem testantur Cicero *lib.* 2. *de legibus*, dum legem antiquam ita conceptam refert: *Deorum manium jura sancta sunto.* Idem *lib.* 4. *de repud.* apud Nonium *verbo Sanctitudo*; dixit sanctitudinem sepulturæ jure Pontificio subsistere: & *in Philipp.* 9. sanctitatem sepulchrorum in ipso solo esse, quæ nullâ vi moveri, nec deleri possit. Et Martialis *lib.* 9, *epigr.* 31. dixit: *Sanctam urnam.* Catullus *carm.* 7. *ad Lesb.* vocavit: *Sepulchra sacra.* Seneca *ad Troadem, actu* 3. sic: *Tumulum sacrum*, & *sacram sedem.* Quintilianus *declamat.* 10. ait: *Sacratos morte lapides*; quia nimirum sepulchra Diis manibus data, dicataque, ab omni prophano usu sunt sejuncta. Consulti frequentiùs sepulchra loca religiosa appellant, quia propter aliquam sanctitatem à commercio remota, relegataque sunt, ut ex Masurio Sabino refert Gellius *lib.* 4. *cap.* 9. & ex Servilio Sulpitio Macrobius *lib.* 3. *Saturn. cap.* 3. & Ulpianus *in l.* 1. §. 6. dixit, interesse religionis monumenta exstrui, exornarique; & *in l. si sponsus* 5. §. *concessa, ff. de donat. inter.* donationem sepulturæ causâ factam, religionis gratiâ valere. Gordianus Imperator *in l.* 1. *C. de sepulchro violat.* sepulchrorum violatores incidere in crimen læsæ religionis docuit. Unde licèt loci puri venditio valeat, *l. si locum, ff. de religiosis*; sepulchri tamen venditionem jus religionis prohibet, *l.* 2. *l.* 9. *C. de relig.* Et Senatusconsulto etiam cautum fuit, ne locus sepulchrorum permutationibus polluatur, ideò ne loca religiosa alterius conversationis usum accipiant, *l. si quis sepulchrum* 12. §. 1. *ff. de relig.* & si locus religiosus pro puro vendatur, Prætor concedit in factum actionem ei, ad quem ea res pertinet, *l. ossa*, §. *si locus, ff. de relig.* & si quis contra hanc prohibitionem sepulchrum vendit, tam ipse, quàm emptor incidunt in crimen læsæ religionis, *l. sacrilegii* 6. *ff. ad leg. Jul. pecul. l.* 3. *ff. de sepulchro violat. l.* 5. *C. eod. tit.* docent Fornerius *lib.* 1. *select. cap.* 13. Savarus ad Sidon *lib.* 2. *epistol.* 12. Nec modò sepulchra vendi prohibentur: verùm etiam res, quæ ipsis insunt, aut conjunguntur. Audi Juliani impiissimi Imperatoris rescriptum *in l.* 5. *C. de sepulchro violato*, ibi: *Pergit audacia ad busta defunctorum, & aggeres consecratos, cùm & lapidem hinc movere, & terram solicitare, & cespitem vellere, proximum sacrilegio majores semper habuerint; sed & ornamenta, quæ dant tricliniis, aut porticibus, auferunt de sepulchris: quibus consulentes, ne in piaculum incidant contaminatâ religione bustorum, hoc fieri prohibemus, pœnâ manium vindice cohibentes.* Quem textum illustrat D. Joannes Suarez *lib.* 2. *ad leg. Aquil. cap.* 2. *sect.* 6. Jure etiam nostro Canonico, etsi locus purus, non benedictus, nec cæmeteriatus vendi possit, *capite aurum* 12, *quæst.* 2. tamen per benedictionem Episcopi religiosus effectus vendi nequit, ex hoc textu, & aliis suprà citatis, immò illum vendens pœnis simoniaci punitur; *cap. non satis*, cum aliis, *de simonia*; latè probat Murga *tom.* 1. *disquisit. mor. tract.* 4. *disquisit.* 4.

6. *Traditur decisio ratio.*

Quibus ita animadversis apparet jam vera ratio præsentis decisionis, si enim apud Gentiles tam turpis quæstus perpetuò visus est, qui ex re sepulchrali colligitur, & commercium sepulchrorum infame existimatum, quid mirum, si Ecclesia repetitis sæpiùs sanctionibus, terræ, quâ corpus operitur, venditionem, & sepulturæ mercimonia interdixerit: Accedunt aliæ rationes hujus prohibitionis, videlicet quia terra illa concessa putredini non debet vendi, & de alieno luctu aliquod facere compendium, ut ajebat Hincmarus Rhemensis *in epist. ad Episcopos Tornacenses*, & ex D. Gregorio referunt PP. Concilii Meldensis *can.* 72. ibi: *Nec pro loco sepultura* (ut verbis sancti Gregorii utamur) *pretium de terra concessa putredini quærere, & de alieno luctu velle facere compendium, aliquo modo quispiam tentet.* Aliam rationem assignant PP. Concilii Triburiensis *in cap.* 14. 13. *quæst.* 2. ibi: *Nam si daretur pretium pro sepultura, auri sacra fames mortalia sacerdotum pectora cogeret fas omne abrumpere, & denegare sepulturam illis, qui pretium unde solverent, non haberent & eruerent, mercantibus sacerdotibus, de humana morte compendium.* Unde Theodoricus, dum jussit marmora excipiendis cadaveribus destinata leviori pretio distrahi, sic Danieli Marmorario rescribit apud Cassiodorum *lib.* 3. *epist.* 19. *Hinc quibusdam veniunt ad pretium dolores, & miserabili sorte votorum crescit de humana morte compendium; ita tamen, quod non sit iniquitas sub hac occasione taxari, ne cogantur miseri inter acerba luctuum grata plorare dispendia facultatum, & nefanda devotione constricti, aut urgeantur patrimonia pro mortuis prodere, aut dilecta corpora vilissimis foveis potiùs dolentes abjicere. Sit modus in voluntate poscentium, quando ipsa miseratio pro ementibus facit.* Justè ergo improbatur consuetudo montis Pessulani non sinendi effodere sepulturam, nisi pretio priùs accepto, & rectè hujusmodi pecuniæ exactio damnatur. Apud Ciceronem etiam vetus est illa de Verre querela, quòd parentes pretium pro sepultura liberorum in Sicilia poscerent. Accedit ratio ex suprà traditis deducta; nam cùm sepultura sit res religiosa, & per consequens divini juris, *cap. quisquis* 17. *quæst.* 4. *capite consuluisti, de consecr. Eccles.* & quæ religiosa sunt, & divini juris, non possint vendi, nec pretio æstimari, quia extra commercium sunt, *capite ratio, de præbend. cap. non satis, de simonia*, §. *nullius, Instit. de rerum divis.* inde rectè statuitur in præsenti textu, ne pro sepultura pretium accipiatur, aut ipsa pretio æstimetur.

Nec

7. Nec obstat prima difficultas deducta ex facto Abrahami, quod latè exponunt D. Thomas 2. 2. *quæst.* 110. *articul.* 4. *ad* 3. Pererius *in Genesim tom.* 3. *in cap.* 27. Sophranis *de funer. Hebræorum, cap.* 5. Spondanus *de camet. sacr. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 5. Gibalinus *de simon. quæst.* 10. *consect.* 7. ex quibus dicendum est, Abrahamum non emisse sepulchrum primò & principaliter, sed terram communem, & prophanam ad sepulchrum faciendum: nec in ea specie Abraham, & Ephron aliquid in religionem commiserunt. Nec obstat, quod D. Hieronymus observat in illud caput 23. Geneseos, Ephronem post eam venditionem dictum fuisse Ephram, unde significabatur non fuisse virum consummatæ virtutis. Nam ideo non deducitur, simoniam commisisse; sed quia à statu perfectionis descendit ad statum imperfectionis, ita appellatur. Primò enim voluit dare gratis, deinde pretio vendidit, & ita cùm antea appellaretur Ephron, postea dictus fuit Ephram. Nec etiam solutionem traditam impugnat D. Gregorius relatus *in c. questa* 13. *quæst.* 2. ubi reprehendit Sanctus Doctor Januarium Sardiniæ Episcopum sepulturam vendentem, & illum objurgat exemplo Ephronis, qui nolebat pretium ullum à sancto Patriarcha recipere. Vel ergo terra Ephronis erat sacra, seu religiosa, sicut illa, quam vendebat Januarius; vel non: si non erat, minùs facit exemplum ad probandum quod Pontifex intendebat: si erat religiosa, vendi non poterat. Nam huic difficultati respondendum est, D. Gregorium in eo textu arguere à minori ad majus, comparando personam personæ, & locum loco, Ephronem videlicet Gentilem, Januario Episcopo Catholico; terram prophanam ab Ephrone venditam, loco jam sacro: & ita rectè arguit Sanctus, quasi dicat: Ille Gentilis nolebat suscipere pretium pro terra prophana, ex eo tantum, quòd Patriarcha illam destinaverat ad sepulchrum; tu Christianus, & Episcopus locum jam consecratum, & non tantùm cogitatione, verùm & cæremoniis Ecclesiasticis sepulturæ destinatum pretio vendis. Non ergo ex eo textu deducitur, Ephronem pretium accepisse pro sepulchro. Nec obstat secunda difficultas deducta ex variis juris civilis testimoniis, in quibus supponitur, sepulchri venditionem valere; nam licèt eo jure attento sepulchrum, seu quivis locus religiosus per se & principaliter vendi non possit, quia quæ extra commercium sunt, alienari non valent, ut latè probant nostri Vespertini Antecessores *inl. inter* 83. §. *sacram. de V. O.* tamen per accessionem cum universitate bonorum fundo vendito, sepulchrum in emptorem transit, *l. in modicis* 24. *ff. de contrah. empt. l. si mercedem* 53. §. 1. *ff. de action. empti, l.* 1. §. 1. *ff. defundo dotali, l.* 1. §. *& aliàs* 15. *ff. si quid in fraud. patron. l. pater* 38. §. *Julius, ff. de legat.* 3. *l. quædam* 62. *ff. de acquir. dom.* docent Donellus *lib.* 4. *comment. cap.* 6. & *lib.* 12. *cap.* 20. ubi Oswaldus *litera G.* Cujac. *libro* 6. *respons. Modest. in l. si fundus* 30. *ff. famil. ercisc.* & *lib.* 3. *respons. Papin. in l. ade* 73. §. 1. *ff. de contrah. emptione*, Connanus *lib.* 7. *comm. cap.* 7. *num.* 4. Gutherus *lib.* 3. *de jure manium, cap.* 5. Solorzanus *in polit. lib.* 2. *cap.* 18. Quod adeo verum est, ut vendito fundo, ubi sepulchrum extat, nisi illud excipiatur, in emptorem transeat, *dict. l. si mercedem* 53. §. 1. *de action. empti:* quò spectant leges illæ, quæ in venditionibus adjici solebant? *Si quid sacri, aut religiosi in fundo est, ejus nihil venit.* Quarum fit mentio *in l. hanc legem* 22. *l. pacta* 72. §. *ultim. l. ædes* 73. §. 1. *ff. de contrah. emption.* & apud Brissonium *lib.* 6. *de formulis.* Nec obstat quod dicebamus de cautionibus in ipsis sepulchris adjectis, ne alienarentur; nam duplici modo responderi potest. Primò asserendo, clausulam illam adjici, ne sepulchrum possit per se, aut simul cum fundo alienari; vel id specialiter caveri, quia cùm jure civili emptor ignorans locum religiosum esse, haberet actionem ex empto adversus venditorem, *l. officiis*, §. *quæ, ff. de contrah. empt.* ne hæc ignorantiæ causa daretur, expresè in ipsis sepulchrorum inscriptionibus cavebatur, ne sepulchrum illud, alienari posset. Nec tandem obstat quod dicebamus de quotidiano usu vendendi locum in Ecclesia pro Capella, seu sepultura construenda: nam licèt verum sit, Ecclesiam non posse vendere locum sepulturæ; tamen pro honoratiori loco pretium recipi potest, quod cedat ad sumptus fabricæ, & ministrorum sustentationem; quia tunc pretium non exigitur pro solo sacro omnino necessario ad sepulchrum sive pro jure sepulturæ Ecclesiasticæ, quatenus spirituale est, & gratis debitum Christianis omnibus; sed pretium est dignioris & honorationis loci in Ecclesia, juris que veluti proprietatis ad eum locum, quatenus temporale utcunque est, nec gratis cuicunq; laico debitum, ut docent plures relati à Barbosa *hic*, Diana *pag.* 2. *tract.* 15. *resol.* 57. Frances *de Eccles. Cathed. c.* 16. *num.* 89. Suarez *de relig. tom.* 3. *de simon. lib.* 4. *cap.* 14. *ex num.* 7. Garcia *de benef. 5. p. cap.* 9. *num.* 136. Lara *de anniversf. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 17. Gutierrez 2. *canonic. quæst.* 21. *num.* 148. Gratianus *discept. cap.* 110. & *cap.* 210. quia eo honore attenditur dumtaxat aliquid humanum, & non sacrum; & etiamsi remotè honor ille ex aliqua conjunctione cum re sacra derivetur, non tamen ex venditione talis loci dicetur vendi ejus sanctitas. Unde etiam poterit Ecclesia vendere jus, ut quis, ejusque familia tantùm in certo sepulchro sepeliatur, non autem ullus alius, ut docent Suarez *dict. lib.* 2. *de simon. cap.* 4 Laymàn. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. ultim.* Binsfeldius *in cap.* 41. *de simon. quæst.* 1. quia onus illud incumbens clericis non admittendi alium in eo loco, est pretio æstimabile, nec sacrum, sed temporale dumtaxat, accidentariò connexum cum spirituali. Potest etiam à privato vendi sepulchrum, quod propriâ pecuniâ, expensisque construxit, vel comparavit, quia non distrahitur religiositas loci, aut Episcopi benedictio, sed materialis rei valor, aut sumptus unà cum jure sepeliendi, quod non est religiosum, ut docuit cum sapientissimis Soto, & Suarez Barbosa *ubi proximè, num.* 7. Ignatius Lassarte *de decima benedictionis, cap.* 14. *num.* 5. Quod si ita esset, prout esse existimo, & res, quæ venit, est merè prophana, ut fundat P. Suarez, consequitur venditorem gabellam debere, si laicus est, quia nulla est ratio, existente venditione, quare non solvatur. Tamen contraria sententia placet, ne ex venditione juris sepulturæ gabella debeatur, cùm jure civili vicesima non deberetur ex pretio dato pro loco sepulturæ, *dict. l. funeris* 37. & ex aliis rationibus defendunt Parladorius *lib.* 1. *rer. quotid. cap.* 3. §. 3. *num.* 35. Gutierrez *lib.* 2. *de gabel. cap.* 9. *à num.* 36. & palinodiam veluti recantans Lassarte *ubi suprà.*

Respondetur difficultatibus.

Sed

8. *Exponitur cap. secundum 24. 23. q. 8.*

Sed superiori assertioni obstat textus *in can. 63. Concilii Meldensis*, relato *in cap. 2. 23. quæst. 8.* in illis verbis: *Nullus de agro Ecclesiastico, & manso, ac mancipiis, vel si quilibet pro loco sepulturæ aliquid largitus Ecclesiæ fuerit, neque de decimis, & oblationibus fidelium quemquam presbyterum aliquem censum persolvere cogat.* Ex quibus apertè deducitur, aliquid pro loco sepulturæ recipi posse. Cui difficultati respondendum est dicendo, quod licèt in præsenti textu, & aliis canonibus suprà relatis, prohibeatur aliquid exigere pro terra ipsius sepulturæ; non tamen prohibetur sponte oblatum à defuncti hæredibus, vel consanguineis recipere, *capite abhorrenda, cap. præcipiendum 13. quæst. 2.* Concil. Bituric. *can. 12.* ibi: *Nullus pretium pro sepultura accipiat, nisi quod fideles sponte dare, vel offerre voluerint.* Docet Jul. Lavorus *dict. tit. 2. cap. 10. num. 7.* unde cùm *in dict. can. Concil. Meldensis* agatur de eo, quod gratis pro loco sepulturæ datum est, ut constat ex verbo illo *largitus*, quod plenam denotat donationem, ideo supponitur à Patribus, illud sepulturæ causâ recipi posse, nec ex rebus ita donatis teneri presbyterum aliquem censum persolvere, sicut nec ex manso, & decimis Ecclesiæ, juxta adducenda *in cap. 1. de censibus:* quo modo etiam intelligendus est textus *in can. 2. Concilii Metensis*, in illis verbis: *De uno manso, & de terris pro sepulturæ datis, & pro quatuor mancipiis, vel eorum procreatione, nullus deinceps census exigatur, & pro sepultura nullum pretium detur.* Ut pretium videlicet, tanquam exactum, non verò gratuitò oblatum, & liberaliter donatum. Et hodie quamvis Parochi sepulturam vendere non possint, tamen subsidii gratiâ, & eleemosynæ titulo aliquid accipere possunt pro loco sepulturæ, plus minusve, prout est honoratior, & dignior, ut consuetudine generali receptum est, in sacraque Rota admissum referunt Garcia *5. p. de benef. c. 9. n. 117.* Diana *p. 1. tract. 15. resol. 57.* licèt similes pactiones periculosas esse agnoscant Molina *de primog. lib. 1. cap. 24. num. 40.* Gutierrez *de Gabellis, quæst. 9. num. 26.* qui rectè docet, ex similibus pactionibus gabellam non deberi, quia non sustinentur ut emptiones.

9. *Exponitur cap. ad Apostolicam, de simonia,*

Secundò præsenti assertioni obstat textus *in cap. ad Apostolicam, de simonia,* ubi cùm proponeretur Alexandro III. quosdam sacerdotes pro exequiis, & sepultura defunctorum, nec non pro benedictionibus nubentium pecuniam exigere, Pontifex hoc de cætero fieri prohibuit, jussitque, ut si consuetudine introductum sit, ut aliquid pro sepultura, seu benedictionibus nubentium detur, talem consuetudinem esse servandam, & laicos non debere excusari ab ejus præstatione, immò similes consuetudines ab omnibus observandas esse. Ex quo textu expresè deducitur, quod quamvis non possit jure ordinario aliquid exigi pro exequiis mortuorum, tamen si consuetudine contrarium sit introductum, eam esse observandam. Igitur non rectè in præsenti improbatur consuetudo exigendi pretium pro sepultura. Pro cujus textus expositione, omissâ quæstione, utrum consuetudine introduci possit ut pro Sacramentis, seu divinis Officiis celebrandis pretium exigatur? quam disputant Sahagun *in cap. final. de consuet. num. 133.* Hallierius *de sacris elect. sect. 7. artic. 4.* Chopinus *de sacra polit. lib. 2. tit. 7. num. 19.* Luna & Arellanus *in antinom. lib. 5. antinom. 3.* dicendum est, in præsenti textu non improbari ab Honorio consuetudinem, quâ introductum erat, ut ratione eleemosynæ, & gratuitò aliquid daretur pro loco sepulturæ, ex pia fidelium devotione, quæ rectè approbatur *in dict. cap. ad Apostolicam*, sed ea consuetudo in præsenti damnatur, improbaturque, juxta quam Parochi pretium exigebant, extorquebantque à parochianis invitis pro terra ipsius sepulturæ; quæ consuetudo ut simoniaca meritò improbatur ab Honorio: si autem ex pietate aliquid gratis offerretur, talis pia, & laudabilis consuetudo admittenda, & observanda erat, juxta textum *in dict. cap. ad Apostolicam*, ut apud Angelos tempore effossi sepulchri pecuniam præstari constat ex Concilio Enhamensi temporibus Joan. Papæ XVII. & Henrici II. celebrati, *can. 13. Luminarium census ter quotannis penditur, sed æquissimum est, ut animæ symbolum (quam pecuniam sepulchralem nunc vocant) semper dependatur, cùm sepulchrum sit effossum.*

Tertiò superiori assertioni obstat textus *in cap. aurum 70. 12. quæst. 2.* ubi D. Ambrosius inter alias causas, quas recenset, ob quas vasa Ecclesiæ, & alia bona possunt alienari, refert illam, ut emantur sepulturæ, & spatia laxata humandis fidelibus disponantur, ibi: *Nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis spatia laxata sunt.* Igitur si licet vasa Ecclesiæ distrahere, ut inde sepulchra emantur, prohibitum non est pretium accipere pro loco sepulturæ ut in præsenti docetur. Pro cujus textus expositione dicendum est, D. Ambrosium in eo principaliter agere, quibus ex causis res sacræ alienari possint: licèt enim talis alienatio utroque jure prohibita sit, *cap. non liceat 12. quæst. 2. l. sancimus 21. C. de sacros. Eccles.* probavi latè *in cap. nulli, de rebus Ecclesiæ:* tamen certis in causis permittitur, dum tamen sacra vasa priùs conflentur, & ad massam redigantur, ne illis sub sacra forma prophani homines ad prophanos usus abutantur, ut docent Gothofredus *in dict. l. sancimus*, Covar. *lib. 2. variar. cap. 16. num. 8.* politè, sed minùs piè differens Grotius *de jure belli, lib. 3. cap. 5. §. 2.* cùm autem inter alias causas enumerat D. Ambrosius emptionem loci ad sepulturam, accipiendus est cùm locus, qui alienatur, purus, & prophanus est, & emitur ad laxandum, & ampliandum Ecclesiæ cæmeterium pro humandis fidelium corporibus; quo casu alienatio licita est, cùm adhuc locus religiosus non sit, nec benedictione Episcopi sacratus.

10. *Exponitur cap. aurum 70. 12. §. 2.*

CAPUT

CAPUT IV.

Gregorius IX. (a) *Episcopo N.*

PArocho (b) tuo, qui excommunicatus pro manifestis excessibus, videlicet homicidio, (c) incendio, violenta manuum (d) injectione in personas Ecclesiasticas, Ecclesiarum violatione, vel incestu fuit, dum ageret in extremis, per presbyterum suum juxta (e) formam Ecclesiæ absolutus, non debent cæmeterium & alia Ecclesiæ (f) suffragia denegari, sed ejus hæredes, & propinqui, ad quos bona pervenerunt ipsius, ut pro eodem satisfaciant, censurâ sunt ecclesiasticâ compellendi.

NOTÆ.

(a) *Episcopo N.*] Cùm his epistolis Gregorii IX. careamus, non possumus inscriptionem veram restituere, agnoscereque cui Episcopo in ea rescribat Gregorius.

(b) *Parochianos.*] Episcopi subditos diœcesanos appellari parochianos, & diœcesim ipsam, parochiam, jam notavimus *in capite 2. de pecul. cleric.*

(c) *Incendio.*] De quo delicto agemus *in capite tua nos, de sentent. excommunicationis, capite 6. de raptor.*

(d) *Manuum injectione.*] De hac canonis censura egi *in cap. sacris. de his quæ vi.*

(e) *Formam.*] Præscriptam *in capite ex tenore, capite cùm desideres, de sententia excommunicationis.*

(f) *Ecclesiæ suffragia.*] Quæ accessoria sunt, seu comitantur ipsam sepulturam, ut notavi *in cap. sacris, hoc titul.* & latiùs dicam *in capite 2. de raptor.*

COMMENTARIUM.

1. Conclusio probatur.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Excommunicatus pro homicidio, incendio, vel simili delicto, in extremis pœnitentiam petens, & absolutus à presbytero sepeliri potest cum psalmis in cæmeterio ecclesiastico; hæredes tamen ejus damna illata ab ipso resarcire coguntur, pro eisque satisfacere.* Probant eam textus *in capite ad Apostolicam 20. de jurejur. capite in literis, de raptor. capite unic. hoc titul. in 4. collect.* Innocentii III. *lib. 2. regestr. 14. epistol. 74.* & *lib. 4. regestr. 16. epist. 49.* ibi: [Oblata nobis M. mulieris petitio continebat, quod cùm olim S. frater suus unà cum quibusdam aliis morti cujusdam interfuisset presbyteri, diabolo suadente, tandem reversus ad cor, humiliter suum recognovit excessum, & paratus ut iter arriperet ad Sedem Apostolicam veniendi, prævenient mortis articulo exequi non potuit quod intendit, juramento tamen promiserat, quod nostris staret super excessu sæpedicto mandatis. Unde nobis dicta mulier supplicavit, ut cùm illum non religionis contemptus, sed necessitatis articulus impedierit, quominus ad Sedem accesserit Apostolicam absolvendus, super absolutione, ac sepultura ipsius dignaremur misericorditer providere. Quia verò sicut in contumacia persistentibus rigidos esse nos convenit, sic humiliatis ad pœnitentiam negare gratiam Ecclesiæ non debemus. Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si prædictus S. dum adhuc viveret, satisfactionem condignam promisit, vel sufficiens de satisfactione mandatum, & aliàs manifesta in eo præcesserunt pœnitentiæ indicia, cum Psalmo pœnitentiali, Oratione Dominica, & aliis consuetis, defuncto absolutionis beneficium impendatis, tradi facientes corpus ejus ecclesiasticæ sepulturæ, dummodo contra terræ consuetudinem ex hoc grave non debeat scandalum generari. Quod si non omnes, &c. duo vestrûm, &c. Vos denique filii Abbates, &c. Datum Lateran. 3. Idus Maji, Pont. N. anno XVI.] Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa, Fachineus *lib. 9. comment. cap. 5.* Petrus Gregorius *lib. 1. partit. titul. 17. cap. 7.* Phœbo *decis. 131.* Joannes Sanchez *in selectis, disput. 3.*

2. Impugnatur tradita assertio.

Sed in præsentem assertionem, quæ duplicem continet partem, duplici insurgo dubitandi ratione. Prima militat adversùs priorem partem, ubi docetur, homicidam, incendiarium, seu publicum clerici percussorem, in extremis pœnitentiam accipientem, sepeliri debere in sepultura ecclesiastica; nam atrocium delictorum patratores insepulti remanent, quia illis denegatur omni jure sepultura, ut probavi suprà *in cap. sacris.* Nec interest, quod pœnitentiam petierint, si pro suis sceleribus puniuntur. Concil. Brachar. 1. *can. 34.* ibi: *Placuit de his, qui pro suis sceleribus puniuntur, ut nullâ pro illis oblatione commemoratio fiat, nec cum psalmis ad sepulturam deducantur eorum cadavera.* Refertur *in cap. placuit, 23. quæst. 5.* Igitur etsi homicidæ, incestuosi, incendiarii in extremis pœnitentiam efflagitaverint, & acceperint, non ideo debent eorum cadavera admitti ad sepulturam ecclesiasticam. Secunda difficultas militat adversùs eam partem, in qua docetur, hæredes teneri satisfacere pro damnis ab eorum auctoribus illatis; nam licèt hæredes teneantur creditoribus hæreditariis, ex contractibus, vel quasi à defunctis celebratis; non tamen ex eorum delictis tenentur, *l. unic. C. ut actiones ab hæredibus, l. ex contractibus 49. ff. de O. & A. l. 24. Cod. locati. §. non autem, Instit.* ubi plura Pichardus, *de perpet. & tempor.* Reatigui *lib. 3. select. cap. 4. num. 3.* Valentia 2. *tom. illustrium, tract. 2. capite 2.* Igitur non rectè in præsenti docetur, hæredes teneri satisfacere pro delictis à defuncto commissis.

3. Decaveri sepultura deneganda ob graviora scelera adduxi bus punitorum,

Adhuc tamen defendenda est præsens assertio, pro cujus expositione, omissis his, quæ de in

in cap. sacris, hoc tit. sciendum est, circa cadavera eorum, qui pro suis scelcribus puniuntur, sepelienda, vel non, specialiter, & variè cautum fuisse, tam lege veteri, quàm jure civili, necnon nostro Pontificio. Apud Hebræos enim expressè cautum erat, ne cadaver ultra diem in patibulo remaneret, *cap. 21. Deuteron. vers. 22.* ibi: *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, & adjudicatus morti, appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur.* Et *cap. 8. Josuæ, vers. 29.* ibi: *Regem quoque ejus suspendit in patibulo usque ad vesperam, & solis occasum, præcepitque Josue, & deposuerunt cadaver ejus de cruce.* Referunt Josephus *lib. 4. antiq. cap. 8.* & de bello Judaico *lib. 4. cap. ultim.* Carolus Sigonius *de republica Hebræor. lib. 6. cap. 8* P. Menochius *eod. tract. lib. 6. cap. 6. num. 15.* cujus moris varias rationes adducunt Interpretes: aliqui affirmant, ideo cadavera infra eandem diem sepelienda esse, quia Judæi credebant punitorum animas excruciari corporibus insepultis, ut probant Zerda *ad Tertullianum de anima*, Gregorius *in notis ad Petronium, capite 71. not. 8.* Mornacius *in l. obnoxios, Cod. de religiosis*, Durantius Casel. *libro 1. var. capite 4.* Pater Pinto *in spicileg. tract. 1. cap. 32. num. 12.* Sed hoc somnium merè esse agnoverunt D. Augustinus *lib. 1. de cura pro mortuis*, D. Thomas *in 4. dist. 25. art. 3.* Lorinus, & Cornel. à Lapide *in dict. capite 21. Deuter.* Alii docuerunt, cadavera punitorum esse humanda, quia homines Dei similitudinem referentes, diuque suspensi, ad ejusdem quodammodo injuriam cederent: ita Rabbi Salomon, & Abulensis *in dict. cap. 21.* P. Andreas Masius *in cap. 8. Josue, num. 28.* rationem reddit tam celeris sepulturæ: ne aër contaminetur: sed hæc expositio displicuit Cornelio *ubi suprà*, D. Laurentio Ramirez *in Pentec. cap. 17.* Quare veram rationem credo assignari *in ipso cap. 21.* ibi: *Quia maledictus homo, qui pendet in ligno, & nequaquam contaminabis terram tuam.* Punitorum enim sepultura potiùs in eorum execrationem, quàm pietatis officium concedebatur, quia ita damnatus maledictus dicebatur: & eo sensu de Christo Domino propter peccata nostra, ait Apostolus *ad Galat. 3.* sic: *De maledicto legis factus pro nobis maledictus.* Quò alluxit Tertul. *cap. 8. de patientia*, ibi: *Cùm vos maledixerint, gaudete: Dominus ipse maledictus in lege est, & tamen solus est benedictus.* Contaminabatur etiam terra pendentis aspectu, quia vitiorum memoria revocabatur, ut *ex cap. 18. Levit.* probat Lorinus *ubi suprà.* Unde ita damnati infra eundem diem sepeliendi erant, non in majorum sepulchris, ut probant Grethserus *de cruce lib. 1. cap. 27.* sed in certis cavernis, & foveis, damnatorum corporibus destinatis, de quibus agunt Ramirez de Prado, *dict. capite 17.* P. Pinto *in spicil. tract. 1. capite 32. numero 11.* Unde forsan Judæi rogarunt Pilatum, ut corpus Domini nostri, & cadavera latronum, qui cum eo crucifixi erant, tollerentur, ut refertur *Joannis cap. 19.* quia cùm è vespere ipsius diei inciperet festivitatis Sabbathi, non poterant post vesperam de crucibus deponi; & si ibi remanerent ultra diem, peccabatur contra legem suprà relatam.

4. *De jure civili Romanorum.*

Jure etiam civili Romanorum punitorum cadavera in ipsis patibulis remanebant, *l. capitalium, §. famosos, ff. de pœnis*, ibi: *Famosos latrones in his locis, ubi grassati sunt, furcâ figendos compluribus placuit, ut & conspectu deterreantur alii ab eisdem facinoribus, & solatio sit cognatis, & affinibus interemptorum eodem loco pœna reddita.* Ubi legendum esse *crucifigendos*, vulgò notatur, quia grassatores olim crucifigebantur. Paulus *libro 5. sentent. titul. 23.* ibi: *Inhonestiores*, ait, *pœnâ capitis vindicari placuit, humiliores verò in crucem tolluntur.* Petronius *in satyr. cap. 71.* ibi: *Imperator provinciæ jussit latrones crucibus affigi.* Apulejus *lib. 3. de Asino*, ibi: *Latronem istum miserorum pignorum meorum interemptorem cruci affigatis.* Sed cum Imperator Constantinus vetuisset crucis supplicium deinceps imponi, ut ex D. Augustino, Nicephoro, & Sozomeno probant Concius *lib. 1. succes. cap. 13.* Cujacius *libero 16. observ. cap. 1.* Petrus Faber *lib. 2. semestr. cap. 7.* Lipsius *lib. 1. de cruce, cap. 13.* Solorzanus *emblem. 73.* Reatigui *lib. 8. select. cap. 9.* Antonius Matthæus *ad titul. de pœnis*; ideo Tribonianus in responsis Consultorum, pro *crucem*, reposuit *furcam*, ut *in l. sacrilegii 6. ff. ad leg. Jul. pecul. l. moris 9. §. istæ, l. si quis aliquid 38. §. 1. ff. de pœnis, l. 3. §. is qui ad hostem, ff. de re milit.* Fornerius *lib. 4. rer. quotid. cap. 2.* Nonnunquam tamen corpora damnatorum sepelienda cognatis, & amicis Princeps concedebat, *l. 1. & 2. ff. de cadaver. punit. l. obnoxios, C. de religiosis*, Cassiodorus *libero 2. epistol. 2.* Posthumius Junior *declamat. 6.* latè illustrat Durantius Casaël. *lib. 1. variar. cap. 4.* quod indultum maximè dabatur, si natalis dies Imperatoris instaret. Philo Judæus *contra Isaacum*, de natalitiis Augusti agens, ibi: *Novi quosdam jam crucefixos, instante festo Augustorum de cruce depositos, & ad sepulturam ex more cognatis traditos.* Illustrant P. Faber *libero 2. semestr. cap. 9.* D. Laurentius Ramirez de Prado *in Pentecost. cap. 17.*

§. De jure Pontificio.

Jure verò Pontificio etiam ultimo supplicio damnatis sepultura ecclesiastica conceditur Concil. Wormat. *can. 80.* ibi: *Ultimo supplicio affectis sepultura non denegetur, si Domino peccata confessa fuerint, & pro eis Domino offerantur oblationes, & Missæ celebrentur.* Et *cap. quæsitum 30. 13. quæst. 2.* quod & antea placuit Carthaginensibus Patribus *in can. 2. Concil. Carthag. 1.* ibi: *Martyrum dignitatem nemo prophanus infamet, nec passiva corpora, quæ sepulturæ tantùm propter misericordiam ecclesiasticam commendari mandatum est, redigat.* Ubi per passiva corpora, non alia intelligimus, quàm eorum, qui ultimo supplicio affecti fuerunt: verùm quamvis sacri canones permiserint punitorum cadavera sepeliri, ut de patibulis tollantur, & sepulturæ tradantur, debet tamen præcedere Principis, vel judicis, qui sententiam tulit, licentia, ut docent plures relati à Cenedo *collect. 4. ad Decret. libro 3. variar. capite 14. libro 2. variar. num. 11.* Gamma *ubi suprà*, Sylvester *in summa, verbo Sepultura*; quia cadavera ipsa punitorum sine judicis auctoritate deponi ex patibulis non possunt. Unde milites olim constituebantur ad custodiam, juxta illud D. Matthæi, *cap. 17.* ibi: *Centurio verò, & qui cum eo erant servantes Jesum, viso terræ motu, & his, quæ facta sunt, timuerunt vehementer, dicentes, verè filius Dei erat iste.* Petronius *in Satyr. cap. 71.* ibi:

Proxi-

Proxima ergo nocte, cùm milites, qui cruces servabant, ne quis ad sepulturam corpora detraheret. Et *cap.* 72. ibi: *At miles circumspectus, dum residet, ut postero die vidit unam sine cadavere crucem, veritus supplicium, mulieri quid accidisset, exponit, nec se expectaturum judicis sententiam, sed gladio jus dicturum ignaviæ suæ.* De quibus militibus custodibus agunt Petrus Gregorius *lib.* 31. *syntag. cap.* 27. *num.* 9. & *cap.* 38. Baronius *tom.* 1. *annal. fol.* 167. Pinto Ramirez *Ministeg. tract.* 1. *cap.* 45. Petrus Faber, Lipsius, Grethserus, & Forner. laudati à Notatore Petronii *dict. cap.* 71. Abulens. *in cap.* 10. *Josue, quæst.* 94. Pater Magallonius in eodem textu, *annot.* 6. Nonnunquam enim non permittitur depositio ista ex patibulis ob publicum exemplum, juxta illud Quintiliani *declamat.* 274. ibi: *Quoties crucifigimus noxios, celeberrimæ eliguntur viæ, ubi plurimi commoveri hoc metu possint.* Omnis enim pœna, non tam ad delictum pertinet, quàm ad exemplum. Unde Imperatorem Augustum, qui ob humanæ conditionis memoriam damnatorum cognatis cadavera ad sepulturam concessisse refert Suetonius *in eo cap.* 10. aliquando id denegasse, ipse Suetonius refert his verbis: *Nec successum victoriæ moderatus est, sed capite Bruti Romam misso, ut statuæ Cæsaris submitteretur, in splendidissimum quemque captivum, non sine verborum contumelia sæviit, ut quidem uni sepulturam precanti respondisse dicatur, jam illum in volucrum potestatem fore.* Non ergo licet, attento jure etiam Pontificio, absque Judicis licentia punitorum cadavera sepelire, juxta textus *in l.* 7. *titul.* 13. *part.* 1. *l. final. tit.* 31. *part.* 7. immò clerici, vel monachi furtim, seu per vim corpora punitorum extrahentes, graviter puniuntur *in l. addicto* 6. *Cod. de Episc. aud.* & cadavera ita deposita, & in Ecclesiam asportata, immunitate ecclesiasticâ non gaudere, probavit eruditus vir D. Ludovicus de Egea *in tract. de cadaver. punit.*

6. De actionibus in hæredes dandis vel non.

Deinde sciendum est, hæredes ex contractibus defunctorum in solidum eisdem actionibus conveniri, quibus eorum auctores tenebantur; ad legata verò in testamento relicta solvenda, ex quasi contractu teneri, §. *hæres*, ubi Institutarii, *de obligationibus quæ ex quasi contractu*, licèt contractus pro quasi contractu ponatur *in l. penult.* §. *final. ff. de separationibus*; & etiam licèt *in l. unic. Cod. ut actiones*, dicatur obligationem legati oriri ex contractu, ea verba sunt referenda ad stipulationem, de qua ibi agitur, non verò ad obligationem legati. In hac tamen parte observandi sunt textus *in l.* 1. §. 5. *ff. de judiciis*, *l.* 35. *ff. de usufruct. l. postquam* 5. *ff. ut legatorum*, *l. si legati* 28. *ff. de pignor. l. final. ff. ut in possess. legat. l. fundum*, *ff. de condit. & demonstr. l. si communis*, *juncta l.* 13. §. *qui* 9. *ff. de acceptil. l. final. C. ad Trebel. l.* 3. §. 4. *ff. nautæ, caupones, l.* 60. §. *hæredem*, *ff. locati.* Ex delictis tamen defunctorum non tenentur nisi decedant jam pœnâ irrogatâ, ut *in l.* 3. §. *quod autem*, *ff. quod quisque juris, l. Gajus*, *ff. ad Syllan. l.* 8. *in fine*, *l.* 11. *l.* 13. *in fine*, *cum l seq. ff. de publican.* aut nisi lis contestata fuerit cum defuncto, ut *in l.* 12. *ff. de R. V. l. pœnales* 32. *ff. ad leg. Falcid. l.* 6. §. *fin. ff. de aqua pluvia*; vel nisi crimina publica sint, ut *in l. ex judiciorum* 20. *ff. de public. judic. l.* 2. *ff. ad leg. jul. repetund.*, *l. final. ff. de bonis eorum qui ante sententiam*, *l. final. ff. ad leg. Jul. majest. l.* 15. § 2. *ad Turpyl.* Valentia *tom.* 2. *illustr. tract.* 2. *capite* 2. aut nisi delictum proveniat ex contractu, ut *in l. Conductorem*, *C. locati*, aut nisi rei persecutionem contineat, ut probat Pichardus *in* §. 1. *Instit. de perpet. & tempor.*

7. Traditur decidendi ratio, & respondetur difficultatibus.

Quibus ita animadversis ratio præsentis decisionis ex eo provenit; nam, ut proximo commentario diximus, quibus communicamus vivis, communicare etiam debemus defunctis: & quia excommunicati in præsenti specie pro suis sceleribus, fuerant absoluti, atque gremio Ecclesiæ restituti, ideo cum psalmis, & oblationibus ad sepulturam ecclesiasticam recipi valent; sed quia satisfactione promissâ ipsi fuerant absoluti; ideo eorum hæredes tenentur pro damnis ab eis illatis satisfacere, & exonerare conscientiam illorum: quia hæc obligatio, licèt ex delicto proveniat; tamen rei persecutionem continet. Nec tunc obstat prima dubitandi ratio suprà adducta; nam verum est, regulariter omnes eos, quibus communio conceditur, ad sepulturam esse admittendos, nisi damnati sint ob graviora scelera, relata suprà *in capite sacris*; quo casu accipiendus est textus *in dict. cap. placuit*, nisi illum referamus ad casum, in quo qui pro suis sceleribus puniebantur, pœnitentiam non petierant. Nec obstat secunda difficultas, cui ut satisfaciant Interpretes, varia adducunt. Aliqui, quos refert Garanna *in præsenti*, discrimen agnoscunt in hac parte inter jus civile, & canonicum. Phœbo *decis.* 131. *num.* 43. docet, ideo hæredes in præsenti textu, & *in capite in literis, de raptor.* teneri pro defunctis satisfacere, quia cùm illi pœnitentes decessissent, & absoluti, necessariò supponendum est, tempore absolutionis eos promisisse satisfactionem; unde ex tali promissione hæredes rectè obligantur pro eis satisfacere, juxta legem 2. & ultim. *C. de hæredit. act.* Sed licèt hæc solutio vera sit, faciliùs responderi potest, si species hujus textus referatur ad casum litis contestatæ, vel cùm actio erat rei persecutoria; quo casu hæredes etiam tenentur ex delictis defunctorum.

Explicandus est textus *in cap.* 2. *de raptor.* cùm adductis in ejus notis.

TITULUS XXIX.

De Parochiis, & alienis Parochianis.

CAPUT I.

Ex Concilio (a) *Africano.*

SI Episcopus ex Donatistis ad Catholicam unitatem est conversus, æqualiter inter se dividant eas, quæ sic inventæ fuerint, nisi ambæ partes fuerint, id est, ut alia loca ad illum, alia ad alium pertineant: ita ut ille dividat, qui amplius temporis in Episcopatu habet, & minor eligat. Quod si fortè unus fuerit locus, ad eum pertineat, quem plebs elegerit: sed si antiqui Catholici suum voluerint, & illi suum, qui ex Donatistis conversi sunt, plurimorum voluntas paucioribus præferatur: si autem partes æquales sunt, majoris temporis Episcopo deputetur. Si autem ita plurima loca inveniuntur, in quibus ambæ partes fuerint, ut non possint æqualiter dividi; velut si impari numero fuerint, distributis locis, qui parem habent numerum, quicunque locus remanserit, hoc in eo servetur, quod dictum est, cum de uno loco superiùs tractaretur.

NOTÆ.

1. (a) EX *Concilio Africano.*] *Can.* 85. in Conciliis Latinè versis: in Græcis verò apud Aristinum, & Zonaram *can.* 119. in editione Tilii 120. in codice canonum Ecclesiæ Africanæ notis illustrato à Justello habetur canon hic ordine 118. in hæc verba: [Ita sanè, ut si Episcopus ex Donatistis ad catholicam unitatem conversus est, æqualiter inter se dividant eas, quæ sic fuerint inventæ, ubi etiam ambæ partes fuerint, id est, ut alia loca ad illum, alia ad alium pertineant; ita ut ille dividat, qui amplius temporis in Episcopatu habet, & minor eligat. Quod si fortè unus fuerit locus, ad eum pertineat, cui vicinior invenitur. Quod si ambabus Cathedris æqualiter vicinus est, ad eum pertineat, quem plebs elegerit. Quod si fortè antiqui Catholici suum Episcopum voluerint, & illi suum, qui ex Donati parte conversi sunt, plurimorum voluntas paucioribus præferatur. Si autem partes æquales sunt, majoris temporis Episcopo deputetur. Si autem ita plurima loca inveniuntur, in quibus ambæ partes fuerint, ut non possint æqualiter dividi, velut si impari numero fuerint, distributis eis locis, qui parem habent numerum, quicunque locus remanserit, hoc in eo servetur, quod superiùs dictum est, cùm de uno tractaretur loco.] Historiam hujus collectionis Canonum Ecclesiæ Africanæ ex Conciliis Melivitanis, & Carthaginensibus adduxi *in capite* 1. *de arbitris*, *capite* 1. *de judiciis*, & Donatistarum schisma, atque collationem cum Catholicis habitam retuli pro hujus textus interpretatione *in capite quoniam, de offic. ordin. capite* 1. *de præscript. capite* 1. *de majorit. & obed.*

COMMENTARIUM.

CUm Episcopi Catholici magnoperè curarent Episcopos Donatistas lucrifacere, & ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ trahere, ne eo prætextu, quod sedes proprias illi conversi non recuperarent, obdurati in schismate persisterent, varia circa diœceses eorum PP. in Concil. Carthag. celebrato anno 418. temporibus Honorii, & Theodosii statuerunt, ut Donatistas allicerent ad unitatem Catholicam. In præsenti canone statuerunt, ut si Episcopus ex Donatistis reversus fuisset ad unitatem Ecclesiæ, cùm alius Episcopus Catholicus in ejus diœcesi ordinatus erat, inter utrumque diœcesis divideretur, ita, ut retento Episcopali honore, uterque ministraret in propriis locis, ita ut pars diœcesis ad unum; pars ad alium pertineret, ut de Episcopis Arianis ad fidem Catholicam conversis statutū fuit in Concilio Toletano, ut retuli *in capite quoniam, de Offic. Ordin.* Licèt enim juris stricto rigore in una Cathedra duo simul Episcopi esse nequeant, Synodus Nicæna *can.* 8. quare cùm Episcopi hæretici ad unitatem Ecclesiæ redibant, Presbyterorum, aut saltem Coëpiscoporum honor illis tantùm servabatur, D. Cyprianus *libro* 1. *epistol.* 4. & *libro* 4. *epistol.* 2. probat Cironius *ad titul. de cleric. ægrot.* postea tamen PP. Latini cum Donatistis, & Hispani cum Arianis mitiùs pacti fuerunt, videlicet ut servato honore Episcopali, in eadem diœcesi cum ipsis ministrarent. Sed quia communio plerunque parit discordias, *l. cùm pater.* §. *dulcissimis. ff. de legat.* 2. *l. in re communi. ff. de servit. urban.* & nullum remedium ad eas sedandas aptius est, quàm divisio, *dict.* §. *dulcissimis*, unde Abraham *Genesis*, c. 13. ajebat:

2.

ajebat: *Ne quæso sit jurgium inter me & te, & pastores meos, & pastores tuos; fratres enim sumus: ecce universa terra coram te est, recede à me, obsecro; si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo; si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* Ideò PP. in præsenti statim plebem dividendam esse sanxerunt, certam formam divisioni præscribentes, videlicet ut unus ex Episcopis divideret, & divisione factâ, alter eligeret; si enim unus, idemq; dividendi simul, & eligendi potestatem sibi vindicet, iniquissima, immò & leonina divisio erit, quod agnovit Marcus Tul. *lib. 2. de Oratore*, ibi: *An ergo, inquit, oblitus es, Crasse, Antonium ita partitum esse tecum, ut ipse instrumentum Oratoris exponeret, tibi ejus distinctionem, atque ornatum relinqueret.* Tiberius apud Dionem ajebat: *Quanam id ratione fiat, ut idem dividat, qui & pariter eligat.* Seneca *lib. 5. de benefic. c. 16.* ubi dum provincias ut eligat, distribuit, ait: *Ut alter dividat, & alter eligat.* Constantinus etiam Imperator hoc privilegium singulari jure concessit uxori defuncti, quæ tacitum fideicommissum à se relictum detulisset, ut patrimonii dimidium ablatura, divisionem cum fisco celebraret, & portionem ipsa prior eligeret: notarunt Fornerius *libro 5. rerum quotid. capite 22.* Vinnius *libro 1. select. cap. 34.* Æquior ergo certè est illa divisionis forma, multorum populorum usu, & variorum auctorum testimoniis comprobata, ut alteri divisio, alteri electio concedatur, *l. 1. C. de his, qui se deferunt, libro 10. l. 2. Cod. de metatis, & epid. l. 2. Cod. quando & quibus quarta.* D. Augustinus *lib. 16. de civit. Dei cap. 20. Quando terrenorum aliquid partiendum est, major dividat, & minor eligat.* Illustrant ultra congestos à Barbosa *in præsenti*, Mancinus *de triplici juris collat. lib. 1. cap. 20.* Forner. *dict. cap. 22.* Stephanus Durantius *quæst. 37.* Bronchorst. *cent. 1. miscel. assert. 52.* Cujacius *lib. 13. obs. cap. 24. & in l. 2. Cod. quando & quibus*, Andreas Scotus *ad Senecam dict. controv. 3.* Gothofredus *in dict. l. 2.* Mynsingerus *lib. 4. observ. cap. 37.* Arnisæus, *de jure reip. 2. p. relect. cap. 2. sect. 8. num. 277.* Pineda *tom. 1. mon. lib. 2. cap. 2. §. 1.* & quoniam ætate provectiores præcipuè judicii maturitate pollent, ideo divisionis arbitrium eis plerunq; conceditur, junioribus autem ligendi facultas: cujus distinctionis æquitatem commendans D. Ambrosius *lib. 1. de Abrahamo, cap. 3.* inquit: *Firmior dividat, infirmior eligat, ne habeat quod conqueratur. Electionis enim suæ partem non poterit calumniari: non residet occasio resiliendi, cui datur optio eligendi.* Nec divisor gravatur; nam quo prudentior, eo cautior, ut nec indivisione circumscribatur, nec in electione fraudetur. D. Augustinus *lib. 16. de civit. Dei, cap. 20* idem factum Abrahæ referens, ait: *Hinc fortassis effecta est inter homines pacifica consuetudo, ut quando terrenorum aliquid partiendum est, major dividat, minor eligat.* Facit Seneca *lib. 6. declamat. 1.* ibi: *major dividat, minor eligat.* Unde Patres Ecclesiæ in præsenti jubent, ut antiquior Episcopus dividat, Junior verò eligat, ut nulla fraudis suspicio in Catholicos dari possit. Et licèt hanc divisionis rationem in judicio familiæ erciscundæ, aliisque controversiis in judicium deductis observari debere plures crediderint relati à Barbosa in præsenti; tamen rectiùs cum aliis existimavit Vinnius *dict. cap. 34.* hanc divisionis formam in pacifica bonorum possessione, id est extrajudiciali, observandam esse; nam ubi semel Judicis officium implorari cœpit, & causa in judicium deducta est, tunc omne id, quod in illo judicio continetur, cognitioni judicis relinquendum est, & ejus sententiâ decidendum; aut si satis diffiniri nequiverit, sorti committendum erit, *l. 4. & 5. ff. famil. erciscund. l. si duobus, C. communia de legat. l. 2. C. quando & quibus quarta pars, §. si familiæ, Instit. de offic. judic.* Prosequuntur Patres in præsenti canone alium casum, quando videlicet in diœcesi unus est locus, qui non accipit commodam divisionem: & docent ad eum Episcopum spectare, quem plebs elegerit, & rectè, cùm hujus Concilii temporibus in electionibus Episcoporum non parum attenderetur populi consensus, ut probavi *in cap. 2. de elect* Procedunt deinde PP. ad casum illum, cùm Catholici petunt suum Episcopum Catholicum, conversi verò à Donatistis suum conversum: & statuunt, tunc majorem partem præferendam esse minori, juxta adducta *in cap. 1. de his quæ fiunt à major.* & si partes æquales sint, locus antiquiori præstetur, quia firmior, & idonior creditur; ex suprà traditis: & licet aliquis dicat hoc casu Dei judicio, id est sorte, dubium hoc dirimi posse, ut in Concilio Aquisgran. *can. 5.* relato a Burchardo *lib. 3. Decreti, cap. 22.* in hæc verba: *Plures baptismales Ecclesiæ in una terminatione esse non possunt. Sed una tantummodo cum subditis capellis; & si contentio fuerit de terminatione duarum matricum, plebes utrarumque decernatur; & si non conveniunt, lis Dei judicio decernatur.* Id tamen procedit quando aliter negotium dirimi non potest: at verò in præsenti casu populi suffragiis controversia juxta regulas suprà traditas decidi potest.

CAPUT II.

Ex Concilio (a) *Nannetensi.*

IN (b) Dominicis diebus, vel festivis (c) presbyteri antequam Missam (d) celebrent, plebem interrogent, si alterius parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto Presbytero, ibi Missam velit audire; quem si invenerint, statim ab Ecclesia ejiciant.

NOTÆ.

1. (a) *Nannetensi.*] Ita legendum, ut habetur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. apud Burchardum *lib.* 2. *Decreti, cap.* 92. Carnot, *p.* 2. *cap.* 122. Licèt malè à Carnotensi citetur canon hic ordine 19. & à Burchardo 419. cùm sit canon 1. ipsius Concilii, ubi ita legitur: *Ut Dominicis, & festis diebus presbyteri antequam Missas celebrent, plebem interrogent, si alterius parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto presbytero ibi Missam velit audire; quem si invenerint, statim ab Ecclesia ejiciant, & ad suam parochiam redire compellant. Similiter interrogent, si aliqui discordantes sint, qui inter se litem implacabilem habeant; & si inventi fuerint, statim reconcilientur. Quod si renuerint pacem suscipere, ab Ecclesia ejiciantur, usquedum ad charitatem redeant. Non enim possumus vel oblationem ad altare offerre, donec prius fratri reconciliemur. His ita peractis sacerdotes Missarum solennia ritè peragant.* Et canone 2. ejusdem Concilii sic: *Ut nullus presbyter alterius parochianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, ad Missam recipiat.* De Concilo hoc Nannetensi nonnulla adduxi *in cap.* 1. *de cohabit. cleric.*

2. (b) *Dominicis.*] De antiquitate, & solennitate diei Dominici plura adduxi *in cap.* 1. *de feriis:* in præsenti tantùm supponitur, in ea die teneri omnes fideles in propriam parochiam convenire, Missæque sacrificio interesse, ut jubetur in Concilio Meldensi *can.* 35. in illis verbis: *Diebus verò Dominicis, & Sanctorum festis, vigiliis, & orationibus, & ad Missas cuilibet Christiano cum oblationibus est currendum, & tantummodo Deo vacandum.* Concil. Agathensi relato *in cap. Missas, de consecr. dist.* 1. ubi PP. graviter increpantes nonnullos fideles, qui ante sacerdotis benedictionem, cùm Missæ sacrificium offerebatur, ab Ecclesia exire consueverant, ita sanxerunt: *Missas die Dominico secularibus totas audiri speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictio sacerdotis egredi populus non præsumat.* Benedictio enim, de qua agunt Patres, dabatur à Presbytero in fine Missæ, ut ait Cæsarius Arelatensis, qui prædicto Concilio præfuit, *homil.* 12. ibi: *Ideo qui vult Missas ad integrum cum lucro animæ suæ celebrare, usquequò oratio Dominica dicatur, & benedictio populo detur, humiliato corpore, & compuncto corde debet se in Ecclesia continere.* Concil. Tolet. 4. *can.* 17. ibi: *Sed post oblationem dominicam, & consumptionem panis, & calicis benedictio in populum sequatur.* Valfridus Strabo *capite* 22. *de rebus Ecclesiasticis*, ibi: *Statutum est Aurelianensi Concilio, ut populus ante benedictionem sacerdotis non egrediatur de Missa.* Amalarius *lib.* 3. *de Eccles. offic. capite* 36. ibi: *Hunc morem tenet Sacerdos, ut post omnia Sacramenta consummata benedicat populo, atque salutet. Deinde revertitur ad Orientem Domini ascensioni.* Rabanus *lib.* 1. *de institut. cleric. capite* 33. *Post communionem ergo, & post ejusdem nominis canticum, datâ benedictione à Sacerdote ad plebem, Diaconus prædicat Missæ officium esse peractum, dans licentiam abeundi.* Plura de hac benedictione congesserunt Baronius *anno* 58. *numero* 88. Severinus *in notis ad dict. Concilium Agathense*, Menardus *ad Sacram. D. Gregorii*, *fol.* 28. Saussay *in Panopl. sacerd. p.* 2. *lib.* 2. *artic.* 7. ubi exponit difficilem canonem 47. ipsius Concilii Agath. Eandem obligationem audiendi Missam in diebus Dominicis præscribunt PP. Concil. Constantinop. 6. *can.* 8. his verbis: *Diei Dominici tanta debet esse observatio, ut præter orationes, & Missarum solennia, & ea, quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat.* Et paulò post: *Concurrendum etiam est cum oblationibus ad Missarum solennia.* Concilium Forojulienſe *can.* 13. Concil. Emerit. *can.* 19. Concil. Aurelian. 3. *can.* 18. Matiscon. *can.* 1. Triburiense *can.* 35. quorum verba refert Filesacus *de origine paroch. cap.* 5. Inde sacrificium Missæ appellatur Dominicum. D. Dyprianus *epistol.* 63. ubi de Missa agens, ait: *Nunquid ergo Dominicum post cœnam celebrare debemus?* Ex actis S. Saturnini, & aliorum Martyrum probant Zerda *in adverss. sacr. capite* 32. *num.* 10. Roma Subter. *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 31. plura P. Henao *tom.* 3. *de sacrif. Missæ, disput.* 30. *sect.* 3.

3. (c) *Presbyteri.*] Id est Parochi. Parochi enim in veteribus Ecclesiæ canonibus simpliciter presbyteri dicebantur. Concil. Emerit. *can.* 9. ibi: *Convenient in omnibus nobis hac manet sententia, quæ dignè custodiatur in provincia nostra. Placuit, ut quisquis ab Episcopo sanctum in potestate presbyteris ad distribuendum tempore opportuno acceperit Chrisma, nihil ab eis beneficii causâ tollere, aut petere præsumat.* Cancil. Carthag. 5. *can.* 36. *Presbyteri, qui per diœceses Ecclesias regunt, non à quibuslibet Episcopis, sed à suis; nec per juniorem clericum, sed omni anno, aut per seipsos, aut per illum, qui sacrarium tenet, ante Paschæ solennitatem chrisma petant.* Quem canonem ex Concilio Valentino Hispaniæ citant Burchardus *lib.* 4. *Decretalium, cap.* 76. Ivo Carnot. *part.* 1. *Decret. cap.* 270. & canon ille repetitus est in Concil. Vasensi, *can.* 3. Vormatiensi *can.* 60. Suessionensi temporibus Pipini, ibi: *Presbyter, qui in parochia est, in Cœna Domini rationem, & ordinem ministerii sui Episco reddat.* Et *cap. presbyter* 2. *quæst.* 5. *capite omnis presbyter, de consecr. distinct.* 4. Concil. Meldense *can.* 75. Epaun. *can.* 7.

4. (d) *Missam celebrent.*] Publicam videlicet; olim enim semel tantùm in hebdomada Missa publica celebrabatur. Justinus Matyr, qui sacra, & Christianorum cæremonias narrans, *apoleg.* 2. sic ait: *Die, qui Solis dicitur, omnes, qui in oppidis, vel agris morantur, unum in locum conveniant, commentariaque Apostolorum, vel Prophetarum scripta legantur.* Et in actibus Apostolorum, *cap.* 20. legitur: *Una autem Sabbathi cùm convenissemus ad frangendum panem.* Ubi per unam Sabbathi intelligi diem Dominicum, jam notavi *in capite* 1. *de feriis*; & per fractionem panis intelligi Missæ sacrificium, probat Vicecomes *volum.* 3. *de ritibus Missæ, lib.* 3. *cap.* 11. Post verò cùm de Centilium in Christianos odio non nihil remitti cœpisset, mos invaluit, ut omnibus festis diebus publicæ Missæ celebrarentur; quod accidit ante tempora Fabiani Papæ, à quo ita scriptum est *epist.* 1. *ad dilectissimos ubique Catholicæ Ecclesiæ comministros*, ibi: *Septem ergo Diaconos in urbe Roma per septem regiones civitatis, sicut à Patribus accepimus, habemus, qui per singulas hebdomadas, & Dominicos dies, atque festivitatum solennia cum subdiaconibus, & acolytis, ac sequacium ordinum ministris, injuncta sibi observant ministeria, & parati omni hora sunt ad

ad divinum officium, & quicquid eis injungitur, peragendum. Eo enim loco Fabianus non modò sacri diebus festis peragendi usum demonstrat, verùm etiam illum à Patribus, hoc est majoribus suis acceptum esse testatur. De hac Missa publica, & de ejus ritibus agit Vicecomes *dicto lib. 3. cap. 11.*

COMMENTARIUM.

5. Conclusio tradituretur & probatur.

EX præsenti Concilii Nannet. canone talis deducitur communiter assertio: *Parochi alienos parochianos diebus Dominicis & festivis ad Missarum solennia admittere non debent, immò eos abjicere.* Probant eam textus *in cap. nullus 5. 9. q. 2. cap. non oportet 36. de consecr. dist. 2.* canon 2. hujus Concilii suprà relatus. Concilium Rothomag. *can. 5.* apud Burchardum *lib. 2. Decret. cap. 61.* Carnot. *p. 2. cap. 121.* Concilium Cabilon. sub Carolo *cap. 19.* Tolosanum *can. 21.* apud Filesacum *de origine paroec. cap. 6.* Senonense temporibus Francisci I. *can. 12.* ibi: *Admoneant frequenter curati suos parochianos, ut intersint Missæ parœciali diebus Dominicis, & festis per hebdomadam occurrentibus: quod si legitimo cessante impedimento absque licentia sui curati per tres dominicos neglexerint interesse Missæ parœciali, denuncient statim promotoribus, ut pro mensura contemptus, vel offensæ puniantur.* Theodulphus Aurelian. Episcopus *in epist. ad parochos, cap. 45. & 46.* ibi: *Missæ, quæ per dies Dominicos peculiares à sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas populus à publicis Missarum solennibus, quæ horâ tertia canonicè fiunt, abstrahatur.* Innocentius I. *in epist. ad Decentium Episc. cap. 5.* refert Romanos fideles Dominicis diebus ad suos titulos, seu Ecclesias parochiales convenire solitos fuisse. Carolus Magnus *lib. 5. cap. 220.* ibi: *Ut omnis presbyter die Dominico cum psallentio circumeat Ecclesiam suam unà cum populo, & aquam benedictam secum ferat.* Quid autem per psallentium ibi accipiatur, exponit Filesacus *de orgine paroec. cap. 6.* Alia juris testimonia referunt Antonius Augustinus *in epit. jur. lib. 6. tit. 24.* Filesacus *ubi proximè.* Illustrant Barbosa *de potest. Episcop. alleg. 24. num. 18. & de offic. paroc. lib. 1. cap. 11.* Suarez *de sacram. q. 83. disput. 88. artic. 6. sect. 5. & de relig. 1. tom. lib. 2. de diebus festis, cap. 15.* Crespetius *in summa, verbo Missa diebus festis,* Azor *1. tom. instit. lib. 5. cap. 6.* Lantdmeter. *lib. 2. de veter. mon. cap 68.* Corvinus *lib. 2. aphorism. tit. 6.* Bruno Chassaing *de privil. regul. cap. 7. propos. 1.* Garcia *in summa, tract. 4. difficult. 5. dub. 6.* Frances *de Eccles. Cathedr. cap. 21. num. 51.* Altesserra *lib. 6. dissert. cap. 2.*

6. Impugnatur traditia assertio.

Sed in hanc assertionem ita pro dubitandi ratione argumentor: Præceptum omnibus fidelibus ab Ecclesia injunctum audiendi Missæ sacrificium Dominicis, & aliis festivis diebus, circumscriptum non est illi, vel illi Ecclesiæ, sed absolutè audiendi Missam, *cap. Missas, de consecr. dist. 1.* ibi: *Missas die Dominico secularibus totas audire speciali ordinatione præcipimus.* Concilium Triburiense *can. 31.* ibi: *Diebus Dominicis, & sanctorum festis ad Missas cuilibet Christiano cum oblationibus est currendum.* Et *cap. omnes, de consecr. dist. 1.* Igitur non debent parochiani cogi in illis diebus necessariò Missam audire in propria parochia, cùm rectè præceptum Ecclesiasticum adimpleant alibi sacrificium Missæ audiendo. Unde ferè in universali Ecclesia receptum est, ut fideles laici ritè, & rectè satisfaciant præcepto, in monasteriis, oratoriis, & aliis locis Deo consecratis Missam audiendo, ut cum pluribus Theologis Moralistis probat Hieronymus Garcia *dicto dub. 6.* Igitur non rectè in præsenti parochiani laici coguntur Missæ parœciali interesse. Augetur hæc difficultas ex eo; nam ejectio fidelis ab Ecclesia, non nisi ex magna, & gravi causa imponi potest, & pro lethali culpa, *cap. nemo, cap. nullus 11. quæst. 3.* Sed alienæ parochiæ interesse tempore, quo Missæ sacrificium offertur, peccatum lethale non est, ut manet probatum: Igitur non rectè statuitur, parochianos alienis Ecclesiis interessentes ab eis per Presbyteros ejici debere.

7. Parochi, & parochia acceptiones.

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, parochi, & parochiæ nomen valde antiquum esse, nec rectè confundi cum parœcia: quippe parochus idem est, ac diversorii dominus, qui nimirum peregrinantes parte commeatus juvat, præcipuè cum Reipublicæ causâ iter aggrediuntur, ut colligitur ex Horatio *lib. 1. serm. satyr. 5.* ubi ait:

Proxima Campano ponti, quæ villula tectum
Præbuit, & parochi qui debent ligna, salemque.

Ubi Prophirius notat: *Parochi copiarii dicuntur, id est ab exhibendo; hodie autem à copiariis præstantur hæc, nimirum lignum, & sal, his, qui reipublicæ causâ iter faciunt.* Acron etiam ad ipsum Horatium *lib. 2. satyr. 8.* ait: *Parochi dicuntur qui hospitibus publicè exhibent necessaria.* Idem appellantur Xenoparochi *in l. munerum, ff. de muner.* facit Nonius Marcel. *verbo Parochos,* dum ait: Parochus à Græco tractum est nomen, quòd vehicula præbeat: notarunt Vossius *lib. 1. de vitiis serm. cap. 11.* Alciatus *lib. 1. prætermiss. cap. 4.* Budæus *in annot. ad leg. 239. ff. de verb. sign.* Cornel. Vitel. *in annot. syllog. 3. cap. 7. tom. 1. Thesauri Critici, fol. 599.* Beyerlinch *in Theatr. verbo Parochia.* Altesserra *lib. 5. dissert. cap. 1.* Unde valde differt parochia à parœcia; est enim parochia præbitio, seu spatium, intra quod veteres illi parochi tenebantur peregrinantibus lauta ministrare; at verò parœcia est sacra vicinia, sive plurium domorum conglobatio, vel conventus eorum, qui sunt unius fani consortes: unde *in l. ædificia 8. C. de operibus publicis,* parœcumena dicuntur ædificia, quæ vicina sunt operibus publicis. Illustrant Filesacus *de origine parœc. cap. 1.* Zerda *in adverf. cap. 78.* Lemaistre *lib. 2. de bonis Eccles. cap. 9.* quare apud nos Ecclesia ubi plures parœci officia divina audiunt, dicitur parœcia in præsenti titulo, & *in l. 26. C. de episc. aud.* Parœciarum autem istarum imaginem quandam habuit antiquitas; nam cùm Roma in tribus novemdecim urbanas, & unaquæquæ tribus in decem curias esset distincta, nemo nescit unicuique curiæ suum fuisse templum & proprium sacerdotem. Marcus Varro: *Curiæ,* inquit, *duorum generum; & ubi curarent Sacerdotes res divinas, ut curiæ veteres; & ubi Senatus humanas, ut curia Hostilia, quam primus ædificavit Hostilius Rex.* In municipiis etiam sui fuerunt Sacerdotes; nam & alia habebant à Romanis sacra, & alios ritus: unde cùm è municipiis in urbem comigrarent, sacris municipalibus cogebantur renunciare, & Romanis ritibus uti, Festus Pompejus ibi: *Municipalia sa-*

era dicta sunt ea, quæ ab initio observabant ante civitatem Romanam acceptam, quæ observare eos voluntatem Pontifices, & eo more facere, quod adfuissent antiquitus. Sed ad parœcias Christianorum redeamus.

8. *Parœcia accipitur pro diœcesi.* Secundò sciendum est, primis Ecclesiæ temporibus parœciam accipi non pro vicinorum æde sacra, sed pro diœcesi, id est Episcopatu, ut *in can.* 14. 34. & 35. *Apost.* Concilium Nicæn. 1. *can.*16. Antiochenum sub Julio, *can.* 9. ubi docetur, Episcopum unumquemque habere suæ parœciæ potestatem: & *can.*21.cavetur, ne Episcopus ab alia parœcia, id est diœcesi, in aliam migret. Capitul. Caroli *lib.* 1. *cap.* 8.& è contrario diœcesis dicitur parochia, id est, Ecclesia, quæ à presbytero regitur, ut in Concilio Africano *can.* 2. & in Concilio Tolet. 12, *can.* 4, ubi statuitur, ut diœceses, quæ nunquam habuerunt Episcopum, non habeant. Concilium Agathense *can.* 54. Aurelian. 3. *can.*18. ibi: *De his verò clericorum personis, quæ de Civitatensis Ecclesiæ officio, monasteria diœcesis, vel basilicas in quibuscunque locis positas, id est sive in territoriis, sive in ipsis civitatibus, suscipiunt ordinandas, in potestate sit Episcopi, si de eo, quod antè de ecclesiastico munere habebant, eos aliquid, aut nihil exinde habere voluerit, quia unicuique facultas suscepti monasterii, diœcesis, vel basilicæ debet plenâ ratione sufficere.* Et *lib.*7. *capitul. cap.*49. ibi: *Nullus sacerdos in alterius civitate, vel diœcesi pœnitentem, vel sub manu positum sacerdotis, vel qui reconciliatum se esse dixerit, sine consensu, & litteris Episcopi, vel Presbyteri in parochia, Presbyter, aut Episcopus in civitate suscipiat.* Et *cap.*175. ibi: *Statutum est, ut facultates Ecclesiæ, nec non diœceses, quæ ab aliquibus possidentur sacerdotibus.* Illustrant Filesacus *de origine parœc. cap.*1. *per totum.* Lemaistre *dicto lib.*2. *cap.*14. Bossius *de vitiis sermon. lib.*3. *cap.* 32. Zerda *in adverss. cap.*26. *numero* 12. Frances *de Eccles. Cathed cap.*21. Sed præter hanc parœciæ acceptionem, altera, & propria est, juxta quam non tota diœcesis, seu ejus particula significatur, sed pro vicinis, & ejusdem Ecclesiæ accolis ponitur, & vulgò nos dicimus *Parochiam:* quo modo accipitur in præsenti titulo, & in Concilio Arelat. *can.*10. ibi: *De prædicatione providimus pro ædificatione omnium Ecclesiarum, & pro utilitate totius populi, ut non solùm in civitatibus, sed etiam in omnibus parochiis presbyteri ad populum verbum faciant.* Qui canon desumptus est ex Concilio Vasensi 2. sub Leone, *can.* 2. ubi PP. jubent, non solùm in civitatibus, verùm & in omnibus parochiis verbum Domini Presbyteros facere debere. In legibus Franc. *lib.*1. *capit.* 146. *Ut Presbyteri per parochias suas fœminis prædicent, ut linteamina altaribus præparent.* Et *capit.* 148. *Ut nullus Presbyter in alterius parochia Missam cantare præsumat, nisi in itinere fuerit.* Concilium Rothomag. *can.* 11. apud Carnot. *p.*5. *Decreti, cap.* 196. ibi: *Cum Episcopus suam diœcesim circuit, Archidiaconus, vel Archipresbyter eum præire debet uno, aut duobus diebus ad parœcias, quas visitaturus est, & convocatâ plebe annunciare debet proprii Pastoris adventum.* Concilium Tribut. *can.*26. *Relata est coram sancta Synodo querimonia plebium, eo quod sint quidam Episcopi nolentes ad prædicandum, vel ad confirmandum suas per annum parœcias circuire.* Concilium Ticinense temporibus Ludovici II. Imperatoris, *can.* 17. & alia infrà referenda. Parœciarum mentio obvia est apud SS. PP. & Ecclesiæ canones. Ex veteribus apud Innocentium *epist.* 8. *ad Florentium*, Leonem *epist.*85. *cap.*2. Pelagium *epist.* 2. *ad Crosconem.* Concilium Sardic. *can.* 6. & 13. Chalcedon. *action.* 1, & 13. Carthag. 3. *can.*42. Carthag. 4, *can.* 33. & 102. Brachar. 1. *can.* 2. Tarrac. *can.*8. Tolet. 4. *can.* 35. Tolet 9. *can.*2. Tolet. 16. *can.* 4. Vasense 1. *can.*3. Vasense 2. *can.* 2. Aurel 3. *can.*5. Aurel. 4. *can.*11. Aurel. 5. *can.*2. Lugdun. 2. *can.*2. Cabilon. 1. *can.*5. Altissiod. *can.*2.

9. *De parochiis urbanis, & rusticis.* Hujusmodi parœciarum, seu ut vulgò dicitur, Parochiarum usus invaluit priùs in agris, & extra urbes, quàm in ipsis civitatibus: quippe primis Ecclesiæ temporibus antequam adeo numerosa seges extaret sementis evangelicæ, primi illi Ecclesiarum conditores bifariam operam suam, & operæ ministros partiti fuerunt, in Urbem, & Urbis adjunctum territorium: atque intra muros quidem una sufficiebat Ecclesia ad synaxes, & sacros conventus habendos, ubi præerant Episcopi; extra urbem in pagis, & locis rusticis aliæ Ecclesiæ construebantur, quas Græci parœcias, Latini parochias dixere, & in eis Presbyteri, seu Chorepiscopi constituebantur. Postea tamen aucto fidelium numero, etiam in urbe diversæ fuerunt constitutæ parochiæ, quarum parochiarum, tam rusticarum, quàm urbanarum mentio fit in Concilio Agathensi, *can.* 22. ubi Civitatenses, seu diœcesani presbyteri vocantur velut distincti à presbyteris parochianis, qui extra civitatem degunt. In Concilio Antiocheno: *can.* 9. ubi de presbyteris in pagis, seu agris constitutis agitur; & in Concilio Mogunt. *can.* 45. docetur, dignum esse ut fideles donent filios suos ad scholas, sive ad monasteria, sive foras presbyter sit: quod repetitum extat *lib.* 4. *capitul. capit.* 95. In Synodo etiam Romana sub Leone IV. *can.* 39. forensium presbyterorum mentio fit; & in Concilio Tolet. 3. *can.* 20. clerici alii locales, alii diœcesani appellantur. In Concilio Agathensi *can.*21. statuunt Patres, ut nulli, nisi in civitatibus, aut parochiis solennes, & festos dies agant: quod etiam docetur in Concilio Aurel. 5. *can.* 8. ubi aperta est civitatis, & parochiarum distinctio; quam etiam confirmat Concilium Arvernense *can.* 14. qnod habetur apud Burchardum *lib.* 2. *Decreti, cap.* 131. & Ivonem *p.* 6. *cap.*306. in hæc verba: *Si quis ex Presbyteris, aut Diaconis, qui nec in civitate, nec in parochiis canonicus esse dignoscitur, sed in villulis habitans, in oratorio sanctè deserviens celebret divina mysteria, festivitates præcipuas, Domini Natalem, Pascha, Pentecosten, & si quæ sunt principales festivitates reliquæ, nullatenus alibi, nisi cum Episcopo suo in civitate teneat.* In Concilio Troslejan. *can.*6. disertè parochiæ rusticanæ nominantur: & *in* 6. *Synodo can.*25. ex versione Gentiani Herberti habetur, *parochias rusticanas.* Diversa tamen fuit causa instituendi parochias in urbe, ac in municipiis, sive pagis; nam in civitatibus parochias fecit necessitas, & populi frequentia; nam cum insignes civitates, quas solas Episcoporum sedibus assignant sacri canones, ut dicemus *in cap.* 1. *de privil.* unus Prælatus regere non posset, neque magnum populum unius sedis spatia includere, visum est Episcopis in legiones, & centurias populum dividere, & regiones civitatis certis limitibus describere, ut unicuique earum suus

sacerdos

sacerdos & curio præficeretur; in pagis verò, & locis rusticanis plerunque constituebantur, cùm domini prædiorum petebant ab Episcopis extruendæ parochiæ licentiam, ne familia, & municipes propter itineris incommoda rarò sacris interessent: quare & à possessione ubi parochia constituebatur, ipsa Ecclesia possessio dicebatur. D. Gregorius *lib.* 11. *epist.* 32. & 34. ubi refert Cosmam Monachum in possessione, quæ Juliana dicitur, ordinatum fuisse presbyterum. *In l.* 33. *Cod. Theodos. de Episcop. & cleric.* ita sanxerunt Imperatores Arcadius & Honorius: *Ecclesiis quæ in possessionibus, ut adsolet, diversorum, vicis etiam, vel quibuslibet locis sunt constitutæ, clerici non ex alia possessione, vel vico, sed ex eo ubi Ecclesiam esse constiterit, eatenus ordinentur, ut propriè captionis onus, ac sarcinam recognoscant, ita ut pro magnitudine, vel celebritate unuscujusque vici Ecclesiis certus judicio Episcopi clericorum numerus ordinetur.* Etiam ipsa parœcia territorium appellatur in Concilio Vasensi *can.* 3. Wormat. *can* 60. Aurel. 3. *can.* 19. Tolet. 4. *can.* 34.

10. *De dignitate & origine parochorum.*

Inquiramus nunc originum, & dignitatem Parochorum. Et eorum ordinem à jure divino provenire defendit Hallierius *in vindiciis censuræ, lib.* 4. *cap.* 1. §. 4. & *de hierarch. lib.* 4. *cap.* 6. *per totum.* Et successisse eos in locum 70. Discipulorum, docet Anacletus relatus *in cap.* 1. 21. *dist.* & confirmatur ex epistola Montani Archiepiscopi Toletani ad Episcopos, & Parœcos Palentini territorii, quæ habetur post Concilium Toletanum 2. *Revolvatur*, ait, *manibus vestris, Presbyteri sacratissimi, Numeri liber, in quo vestri officii in septuaginta seniorum personis auspicatur honor & invenietis, quorum negotiorum vobis prærogativa concessa sit: adjutores vos Dominus nostri laboris, secundos dignitatis gradu esse voluit.* Theodulphus Aurelian. *in epist. ad Parochos*, ibi: *Scitote Parochi vestrum gradum nostro gradui Episcoporum secundum, & valde conjunctum esse, sicut enim Episcopi Apostolorum in Ecclesia, ita nimirum Presbyteri cæterorum Discipulorum Domini vicem tenent.* Fulbertus Carnot. *epist.* 2. ibi: *Moses Dux Populis secundis adjutoribus, septuaginta viris videlicet de eodem populo sustentabatur, per quos forma Presbyterorum exprimitur, qui nunc in Ecclesia novitia Pontificale onus in se suscipientes, regendis populis invigilant.* Unde inter ipsa Ecclesiæ primordia parochias reperio, earumqee memoriam sacris codicibus consignatam: & divisionem earum cum suis limitibus jam olim Romæ factam fuisse constat ex Evaristo anno 100. teste Anastasio Biblioth. *in eo:* ac ne parochiarum ista divisio quicquam unitati christianæ opponeretur, néve qui presbyterorum regionalium curæ credebantur, viderentur esse ab Episcoporum potestate revulsi, quoties sacra mysteria R. Pontifex obibat, toties fermentum sacrum per omnes Ecclesias mittebat, ut per hanc communionem profiterentur omnes, se uni Episcopo tanquam patri adhærere, & hoc est, quod de Melchiade narrat Anastasius Biblioth. his verbis: *Hic fecit, ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* Verùm hunc morem elegantius exprimit Innocentius *epist. ad Decentium Episcopum*, ibi: *De fermento verò, quod die Dominica per titulos mittimus, sieperstitè nos consulere voluisti, cùm omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ, quarum Presbyteri quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum à nobis a ceptum per acolytos accipiunt, ut se à nostra communione maximè illa die non judicent separatos.* Et Concilii Laodicæni temporibus hunc morem perduraſse constat *ex can.* 14. ibi: *Sanctas oblationes ad vicem eulogiarum per festivitatem Paschalem ad alias parochias minimè mitti oportere.* Dionysius Papa 25. post B. Petrum, anno Christi 290. auxit titulos, seu Parœciarum numerum, & ipsis presbyteris assignavit cæmeteria ad curandum Martyrum sepulturam, ac fines, limitesque titulorum, sive parœciarum constituit: de qua re sic ipse *epist.* 2. *ad Severum Episcopum*, ibi: *Ecclesias singulas singulis presbyteris dedimus, parochias, & cæmeteria eis divisimus, & unicuique jus proprium habere statuimus, ita videlicet, ut nullus alterius parochiæ terras, terminos, aut jus invadat, sed unusquisque suis terminis sit contentus, & taliter Ecclesiam, & plebem sibi commissam custodiat, ut ante tribunal æterni Judicis ex omnibus sibi commissis rationem reddat, & non judicium pro suis actibus accipiat,* Originem Parochiarum, & earum divisionem in provinciis, tam Orientalibus, quàm Occidentalibus, prosequitur latè Filesacus *de origine parœc. cap.* 4. *per totum*: & de antiquitate Parochiarum in Hispania egi *lib.* 2. *Conciliі Illiber. c.* 45.

11. *Traditur ratio decidendi.*

Ex quibus facilè pervenitur ad rationem præsentis constitutionis; cùm enim jam retrò per plura secula ante Concilium hoc Nannetense parochiæ distinctæ essent, necessariò parochianos proprios debebat cognoscere quilibet Pastor, nec licebat uni parocho sacramenta alienis parochianis ministrare, *cap.* 2. 4. & 5. 9. *q.* 2. Gregorius VII. in Synodo Romana, *can.* 7. ibi: *Nullus presbyter parochianum alterius recipiat, nisi per necessitatem in baptismo, & in absolutione; & si quid charitative sibi oblatum fuerit, ex consensu illius, cujus parochianus fuerat, habeat, vel reddat.* Refert Antonius Augustinus *in epit. lib.* 6. *tit.* 22. quod etiam cavetur *lib.* 6. *capitular. Caroli, cap.* 164. ibi: *Ut nullus Episcoporum, vel presbyterorum parochiam alterius invadat, sed contentus sit gubernatione creditæ sibi plebis.* Et *lib.* 7. *cap.* 32. *Sit unusquisque Sacerdos, id est Parochus, concessis sibi contentus limitibus, nec in alterius parochia quidquam præsumat, ne usurpatione locus alieno* (sic lego non *alieni*, ut in excusis) *Sacerdoti in alterius concedatur injuriam.* Et *cap.* 141. *Statutum est, ut nullus Presbyter fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ de alterius Presbyteri parochia persuadeat, ut ad suam Ecclesiam, relicta propria Ecclesiâ conveniant.* Unde rectè in præsenti canone statuitur, alienum parochianum non debere admitti ad Missarum solemnia in diebus Dominicis; immò potiùs de Ecclesia ejici, ut ad propriam redeat Ecclesiam. Accedunt peculiares causæ, quare parochiani debeant Dominicis diebus in propria parochia residere. Prima, videlicet ut à proprio Pastore discant non modò quod verè, & sincerè credendum sit, verùm etiam quàm probè, & integrè vivendum; ideò Parochus his diebus suas oves rectâ, & sanâ doctrinâ, velut salutifero cibo pascit, & enutrit. Synodus Trullana *can.* 19. *Oportet eos, qui præsunt Ecclesiis, in omnibus quidem diebus, sed præcipuè Dominicis, omnem Clerum, & populum docere pietatis, & rectæ religionis eloquia.* Concilium Mogunt. *can.* 25. *De officio prædicationis, si forte Epi-*

Episcopus non fuerit in domo sua, aut aliâ aliquâ causâ exigente nos valuerit, nunquam tamen desit diebus Dominicis, aut festivitatibus, qui verbum Dei prædicet. Et in Concilio Vasensi 2. *ban.* 2. & Arelat. temporibus Caroli, *can.* 10. statuitur, ut non solùm in civitatibus, verùm in omnibus parochiis presbyteri parochi ad populum verbum faciant: quod prædicationis munus sæpe sæpius parochis injungitur in Capitularibus Caroli *lib.* 1. *cap.* 166. *Ut ipsi sacerdotes unusquisque secundùm ordinem suum prædicare, & docere studeat plebem sibi commissam.* Et *lib.* 5. *capit.* 102. *Ut sacerdotes populi sibi commissi curam habeant, & instanter de eorum animarum salute prædicent.* Et *lib.* 6. *capit.* 173. *Placuit ut fideles silentium in Ecclesia teneant, & devotè verbum Dei audiant.* Sed quomodo compelli possunt Pastores proprios parochianos docere, nisi ipsi adesse curent suis parochiis, saltem diebus Dominicis, dum Missa parochialis habetur? Concilium Senonense *anno* 1527. *can.* 11. & 12. Quare PP. Concilii Trident. *sess.* 24. *cap.* 4. ita cavent: *Moneat Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.* Secunda peculiaris causa est, ut his diebus fideles oblationes faciant ad altare: ut præcipitur *in cap. omnis, de consecr. dist.* 2. Notum est enim jure communi, & usu ac praxi majorum nostrorum, populum Dominicis, & cæteris festis diebus aliquid de suis rebus in Ecclesia offerre debere, ut docetur *lib.* 5. *capitul. capit.* 209. his verbis: *Hoc populo nuncietur, quod per omnes dies Dominicos oblationes Deo offerant, & ut ipsa oblatio foris septa altaris recipiatur.* Concilium Matisconense 2. *cap.* 4. Capitul. *lib.* 6. *capit.* 167. *Placuit, ut fideles oblationes eorum sacerdotibus quotidie, si fieri potest, in Ecclesia offerant; & si quotidie non potest, saltem Dominico die absque ulla excusatione fiat.* Et *cap.* 161. *Ut sacerdotes, id est Parœci admoneant viros, & mulieres, ut ad Basilicas luminaria, incensum, & buccellas, & primitias afferant, sive offerant, sicut scriptum est: Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum da pauperibus.* Capite sequenti sub finem idem scribitur, ubi pro *auferant*, legendum *offerant.* Concilium Cabilon. sub Carolo Magno, *cap.* 19. *Episcopi sanciunt, ut Episcoporum, & Abbatum coloni, & familiæ ipsorum ad eas Ecclesias deferant decimas suas, ubi infantes eorum baptizantur, & ubi per totum anni circulum Missas audiunt.* Nec alias Ecclesias intelligendas esse dixero, quàm Parœciales: notavi *in dict. can. Concil. Illiber.* Adjungam etiam & alia, quæ in Missa parochiali proferuntur, quæ omnes nosse oportet, veluti infantes expositos receptos esse, juxta canonem 9. Concilii Vasensis, & ea quæ dabimus *in cap.* 1. *de infantibus expositis.* Item ut festi dies, & sacri sciantur, quos inter Missarum solennia Parochus annunciare debet, & jejunia, ut docetur in Concilio Forojulensi *can.* 13. & *in cap.* 1. *de consecr. dist.* 3. quæ omnia credo impulisse maximos, & suorum salutis amantissimos Præsules Hispanos, Archiepiscopum videlicet Toletanum, & Episcopum Palentinum, atque Salmanticensem, ut orarent sacri Concilii Tridentini Patres, quatenus censerent, Missam parœcialem ex præcepto, & lege Ecclesiastica audiendam in parochia esse, ut refert Filesacus *de origin. Parœc. cap. final.* Et disciplinæ ecclesiasticæ rectè consultum putarem, si majorum consuetudini hac in parte staremus, populus enim hodie neglecto illo sacro conventu parœciali, faciliùs in effrænem ruit licentiam: & si jure divino, ut probavi *in cap.* 3. *de cleric. non resid.* Pastores tenentur diligenter cognoscere vultum pecoris sui, suosque greges considerare; quomodo cognoscent, quos nunquam in sua Ecclesia viderunt?

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam potiùs verum est, juris communis præceptum stare de audienda Missa diebus Dominicis, & cæteris festivis in propria parochia, ut ex juribus suprà citatis facilè constat, & post Hostiensem, Panormitanumque probat Azor *part.* 1. *instit. lib.* 7. *cap.* 6. licèt generali consuetudine sublatum sit; nam cùm varia privilegia concessa fuissent Religionibus, ut in earum Ecclesiis adimpleretur præceptum hoc, quæ referunt Hieronymus Garcia, & Chaissing. *ubi suprà*, cœpit tamen negligi Missa parochialis, exceptis illis oppidis, & pagis, ubi tantùm extat Ecclesia Parochialis. Sed an hodie possint Episcopi suscitare præceptum hoc juris communis, sub excommunicatione jubendo, ut intersint omnes fideles Missæ parœciali, disputant Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. disput.* 88. *sect.* 2. Gutierrez *lib.* 1. *canonic. qq. cap.* 30. *à num.* 14. Henriquez *lib.* 9. *summæ, cap.* 25. *num.* 9. Theophilus *tom.* 16. *in Heterocl. spirit. punct.* 2. *in fine*, & *tom.* 12. *fol.* 151. Diana *p.* 10. *tract.* 13. *resol.* 5. Leander *in præcept. Eccles. tract.* 2. *disput.* 1. *q.* 21. Trullench *de offic. Parochi, cap.* 6. Barbosa *eodem tract. cap.* 11. *num.* 15. & *de potest. Episcop. alleg.* 24. & *lib.* 1. *juris Eccles. cap.* 11. *num.* 34. Gibalinus *de censur. disquis.* 1. *q.* 2. *sect.* 7. *per totum*: qui omnes negativam tuentur sententiam ex eo, quia jam consuetudine contrarium introductum est, & variis privilegiis concessum, ut in monasteriis, & oratoriis adimpleatur hoc præceptum. Nec obstat augmentum difficultatis; nam cùm præceptum hoc audiendi Missam parochialem ex cautis suprà relatis ab Ecclesia injunctum esset, non leve, immò grave judicabatur; unde illud frangens, præcipuè ex contemptu proprii parochi, juste poterat ab Ecclesia abjici, & post contumaciam excommunicari. 12. Dissol. virum dubitandi.

Sed suprà traditis obstat textus *in can.* 63. *Concil. Agathens.* ibi: *Ut cives, qui superiorum solennitatum, id est Paschæ, & Natalis Domini, vel Pentecostes solennitatibus cum Episcopis esse neglexerint, cùm in civitatibus communionis, vel benedictionis accipiendæ causâ positos se nosse debeant, triennio à communione priventur Ecclesiæ.* Ex quibus verbis deducitur, non in omnibus festivitatibus, sed in majoribus solennitatibus ibi relatis, teneri fideles in Ecclesia residere: ergo non in diebus Dominicis, & festis etiam, sed tantùm in majoribus illis festivitatibus, nec in Ecclesiis parochialibus, sed in Cathedralibus eos adesse debere deducitur. Pro cujus canonis expositione sciendum est, quod licèt in diebus Dominicis, & aliis festivis Parochiani in Ecclesiis parochialibus, sive urbanis, sive rusticanis debeant Missarum solenniis interesse; tamen olim præcipuis festivitatibus tenebantur in urbe simul cum Episcopo eas celebrare, *cap.* 34. *de consecr. dist.* 1. Concil. Epaun. *cap.* 35. ibi: *De imitandis civibus ad certas solennitates. Cives Natalium superiorem noctem, Paschæ, & Nativitatis Domini solennitatem agant cum Episcopis, interest in quibus* 13. Expon. textus can. 63. Concil. Agath.

quibus civitatibus positus accipiendæ benedictionis desiderio non venerit expetendus. Concilium Aurel. *can.* 25. aliàs 27. ibi: *Nulli civium Paschæ, Natalis Domini; vel Quadragesimæ solennia in villa liceat celebrare, nisi quem infirmitas probabitur tenuisse.* Aurel. 4. *can.* 3. Cæsarauguſt. *can.* 4. 16. Kalend. Janu. usque in diem Epiphaniæ, *quæst.* 7. *Idus Januarii continuis diebus nulli liceat de Ecclesia se absentare in domibus, nec secedere ad villam, nec montes petere, nec nudis pedibus incedere, sed concurrere ad Ecclesiam: quod qui non observaverit, de suffectis anathema sit in perpetuum.* Concilium Arvernense *can.* 14. *Ut festivitates præcipuas. Dominum natale, Pascha, Pentecosten, & si quæ aliæ sunt, presbyteri, & cives natu majores celebrent in civitate cum suo Episcopo, non in villis.* Unde cùm *in dicto can.* 63. agatur de præcipuis Christi Domini festivitatibus; ideo jubetur fidelibus simul cum Episcopis, non in villis, & parochiis, earum celebritati interesse.

14. Exponitur Concil. Salguſt. can. 16.

Secundò opponi potest textus *in can.* 16. *Concil. Salegust.* ibi: *Decrevit quoque sancta Synodus, ut nullus Romam eat, nisi cum licentia sui Episcopi, vel ejus vicarii.* Ex quibus deducitur, etiam irrequisito Parocho posse parochianum peregrè proficisci; & per consequens in aliena parochia communicare, & Missarum solenniis interesse. Pro cujus canonis expositione sciendum est, quod licèt fideles, dum in ipsa parochia persistunt, urbana, sive rustica, contempto proprio parocho non possint in aliena parochia Missarum solenniis interesse; tamen dum peregrè proficiscuntur, in aliena parochia communicare valent. Ideo autem *in dicto can.* 16. *Concilii Salegust.* prohibetur fidelibus absque licentia proprii Episcopi, vel ejus Vicarii Romam adire, quia ad limina Sanctorum Apostolorum procedentes peregrinantes à populo commeatus exigebant, & ex peregrinatione suis exactionibus occasionem obtendebant; ideò crebræ illæ peregrinationes à Patribus prohibentur. Alia etiam fuit causa ipsius prohibitionis, quia videlicet nonnulli tantâ fiducia in omne scelus ultrò declives crederent omnia scelera sanctorum visitatione locorum elui, & prorsus obliterari, *can.* 18, ipsius Concilii Salegust. ibi: *Quia multi tantâ mentis suæ falluntur stultitiâ, ut aliquo capitali crimine inculpati pœnitentiam à sacerdotibus suis accipere nolint, in hoc maximè confisi, ut Romam euntibus Apostolicus omnia sibi dimittat peccata: sancto visum est Concilio, ut talis indulgentia illis non prosit, sed prius juxta modum delicti pœnitentiam sibi datam à suis sacerdotibus adimpleant, & tunc Romam ire si velint, ab Episcopo proprio licentiam, & literas ad Apostolicum de eisdem rebus deferendas accipiant.* Utrumque abusum expressêrunt PP. Concilii Cabilon. 1. *can.* 45. ibi: *Sunt nihilominus laici, qui putant se impunè aut peccare, aut peccasse, quia hæc loca oraturi frequentant. Sunt quidam Potentum, qui acquirendi census gratia, sub prætextu Romani, sive Turonici itineris multa acquirunt, multos pauperum opprimunt, & quod solâ cupiditate faciunt, orationum, sive sanctorum locorum visitationis causâ facere videri affectant. Sunt pauperes, qui vel ideò id faciunt, ut majorem habeant materiam mendicandi.* Illustrat Savarus *ad Sidonium lib.* 5. *epist.* 5.

CAPUT III.

(a) Hadrianus Papa.

NUllus Episcopus alterius parochianum judicare præsumat. *Et infrà*: Nam qui eum ordinare non potuit, nec (b) judicare ullatenus potuit.

NOTÆ.

(a) *Hadrianus.*] Sic etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 3 Ex decretis Hadriani citatur textus hic à Burchardo *lib.* 2. *Decreti, cap.* 39. Carnotensi *p.* 6. *Decreti, cap.* 140. & rectè; nam inter canones 72. ab Hadriano Papa adversùs falsos accusatores, & oppressores Pontificum, ac Episcoporum, in gratiam Ingelramni Episcopi Mediomatricum Romæ tunc degentis collectos, & editos anno Domini 785. reperitur hic canon ordine 161 in hæc verba: *Nullus Episcopus alterius parochianum præsumat retinere, aut ordinare absque ejus voluntate, vel judicare; quia sicut irrita erit ejus ordinatio, ita & dijudicatio: quoniam censemus nullum alterius judicis, nisi sui, sententiâ teneri; nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare ullatenus potuit.* In cujus canonis notis hæc subjicit Antonius Augustinus: [Hæc verba sunt Nicæni (hæc eadem verba sunt *cap.* 14. *Concil. Magunt.* sub Arnulpho, & *lib.* 7. *cap.* 308. *Capitul. in additis, cap.* 149.) Concilii *cap.* 26. attestatur Julius Papa *epist.* 2. *cap.* 6. sed desiderantur hæc verba post verbum (judicare) *salvâ tum in omnibus Apostolicâ auctoritate.*] Extat quoque de eadem re caput 16. Nicæni Concilii Græcè, & Latinè, ex quo est *dist.* 71. *cap.* 3. Burch. *lib.* 1. *cap.* 109. Ivo Carnot. *p.* 5 *cap.* 211. *Decreti* Nec dissimile est caput 35. Græcis, Latinis 36. Apostolor. Calixtus Papa *epist.* 2. latiùs, ex qua sunt tria Gratiani capita 9. *q.* 2. Burchard. *lib.* 9. *cap.* 39. & Ivo Carnot. *p.* 6. *Decreti, cap.* 14. ex Decretis Hadriani Papæ *cap.* 15. Ivo *p.* 5. *cap.* 100. & 101. & *p.* 14. *cap.* 72. *Decret.* ex Calixti epistola, Ansel. *lib.* 6. *cap.* 118. ex epistola Xysti omnibus Episcopis 119. & *cap.* 120. ex Cœlestini Gregorius IX. *sub titulo de parochiis, cap.* 3 Hadriano Papæ adscripsit Berna Papiens. 1. *collect. Decretal. lib.* 3. *tit.* 25. *c.* 3. Quod autem Ansel. Lucensis attulit ex Xysto, nos invenimus in epistola Xysti Minoris 2. ad Episcopos Hispan. cujus magna pars totidem verbis repetita est nomine Felicis II. ad omnes Episcopos. Addamus Syricium Papam *in epist.* 4. *cap.* 6. & similem Innocentii *epist.* 2. *cap.* 7. qui refert, hanc fuisse Concilii Nicæni sententiam. Ex hoc capite sumpsit Gratianus caput 2. *dist.* 7. Ivo 3. 5. 73. Panormit. Idem multis Conciliis proditum est, Antiocheno *cap.* 13. & 21. ex quibus sunt 9. *quæst.* 2. *cap.* 6. & 7.

Burchard.

Burchard. *lib.* 1. 71. & 108. Ivo *p.* 5. *cap.* 176. & 210. ex alia versione Sardicensi *cap.* 15. Græcis, Latinis 18. & 19. apud Gratianum *dist.* 71. *cap.* 1. Hujus Sardicensis canonis mentio fit *cap.* 5. *Concilii Carthag.* 1. & Concilii Tribur. *cap.* 28. & Aquisgran. *cap.* 55. Constantinop. œcumenic. *cap.* 2. Græcis, 2. & 3. Latinis, ex quibus est 9. *q.* 2. *cap.* 8. & 9. Chalcedon. etiam Generali, *cap.* 20. ex quo est *dist.* 71. *cap.* 4. & ex Ansel. alia editione *cap.* 97. *lib* 99. apud quem non malè quod Gratianus ait: *Alterius civitatis Ecclesiis ordinari*: legimus. *In alterius civitatis Ecclesia statutos fieri.* Quod etiam est in Triburiensi Concilio *cap.* 28. hoc *constitui* appellatur 21. *q.* 2. *cap.* 1. quod non ex 7. Synodo est, sed Constantinop. 7. *cap.* 17. apud Græcos, apud quos plura verba ejusdem canonis extant, & pro *constitui* est. Hactenus Græci. Hispanas Synodos de eadem re laudamus. Valentin. Concil. *cap.* 6. non solùm alienum clericum ordinari vetat, sed ut localem futurum se promittat, jubet; sic enim *residentem* appellat. Bracharen. 1. *cap.* 26. idem de ordinibus statuit. Addamus ex aliis provinciis. Ecleusis *cap.* 6. Arvern. *cap.* 10. Cabilon. *cap.* 13. Aquisgran. *cap.* 45. quò referuntur verba Nicæni Concilii *cap.* 16. Arausic. 1. *cap.* 8. & 9. Veneti *cap.* 10. Aurel 3 *cap.* 15. Adde hujus collectionis caput 28. quod hujus capitis esse pars videatur. Post hæc scripta invenimus Concilium Chalcedon. *cap.* 3. *action.* 6. ex quo emanavit caput 20. ejusdem Concilii: *Cleros*, inquit, *in Ecclesia constitutos non licere alterius civitatis Ecclesiæ deputati, sed permanere illic, in qua ministrare deputati sunt.* Quæ verba sunt *cap.* 20. Græcis, in quo additur tantùm dictum tertium caput.] Hac canonum collectio sub nomine capitulorum Hadriani edita fuit anno 785. ea autem excerpta est ex antiquis canonibus, Pontificum epistolis, & ex breviario Codicis Theodos. In ea verò aliqua apocrypha fuisse compilata refert Marcha *lib.* 7. *concord. cap.* 20. Prosequitur Ant. Augustinus, [Nullum alterius Judicis, nisi sui, sententiâ teneri, &c. Præter Nicæni *cap.* 76. verba refert Julius ex eadem Synodo *cap.* 34. *ejusdem epist.* 2. Item Callixtus *dicta epist.* 2. Xystus II. *dicta epist.* 2. ante Callixtum Zephirinus *epist.* 1 post Callixtum Fabianus *epist.* 3. ex qua est quæstio 6. *cap.* 3. totidem verbis Xystus III. *cap.* 3. *epist. ad Orientis Episcopos*; & ante Xystum Eusebius *epist.* 3. ab Apostolis, & eorum successoribus id esse constitutum ait, cujus verba refert Burchardus *lib.* 1. *cap.* 165. ex Ivone *p.* 5. *cap.* 275. *Decreti.* Eorum Pontificum verba nescio quomodo in constitutione Gratiani, & aliorum Imperatorum leguntur *lib.* 7. *tit.* 48. *cap. ult. Cod. Justin.* quo Zephyrinus est multis seculis antiquior (fuit enim Severi Imperatoris tempore) quod legibus seculi ait fuisse constitutum: eandem refert totam ex parte Gregor. *lib.* 11. *cap.* 54. *epist.* 52. *regestri.* Aniani verbis videntur nostri delectati, aut Anianus nostrorum PP. verbis 35. *l.* 4. *tit.* 14. *C. Theodos.* hujus thematis verbis utitur: eadem verba sunt *cap.* 14. *Magunt.* sub Arnulpho, & *lib.* 7. *cap.* 308. *Capitul.*] Hactenus Antonius Augustinus.

(b) *Nec judicare.*] Et sicut ordinatio injustè fit, *cap. Episcopus* 7. *q.* 1. ita & sententia ab incompetente Judice lata, est nulla, *cap. nullus.* 9. *q.* 2. excommunicatio quoque nulla est, *cap. novit, de offic. deleg. cap. à nobis* 28. *de sentent. excom. cap.* 12. *in fine, de pœnit. & remiss. cap. ultimo, de constit. lib.* 6. non enim licet Judicibus extra territorium suum jus dicere, *l. final. ff. de jurisdict.* dicemus *in cap. à nobis, de sentent. excom.* ne quidem ex interdicto, *l.* 3. *C. de interdictis*, nec ejus rei notionem præripere, quæ alterius examini & jurisdictioni est demandata, *l. final. C. de offic. Comit. sacr. Palat.* Rationem reddit Justinianus *in l. consulta, C. de testam.* his verbis: *Promiscuis actibus reum turbantur officia, si quod uni creditum est, alter subtrahat.* Commentarium hujus textus dedi *in tit. de temporibus ordin.* 2.

CAPUT IV.

Urbanus III. *de* (a) *Novoloco, & de Viget Prioribus.*

SUper eo verò, quod apud vos intelleximus dubitatum, an quod de finibus, & his, quæ finibus cohærent, non præscribendis statutum per canones esse dignoscitur, sit in parochiarum limitibus, sicut in provincialibus admittendum: illud vobis duximus respondendum, quod bene videtur in utroque servandum, si provinciarum fines legitimâ probatione, vel aliàs indubitatâ fide constiterit ecclesiasticâ ordinatione statutos.

NOTÆ.

(a) *Novoloco.*] Ita habetur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. ultimo*, post Concilium autem Lateran. *pag.* 38. *cap. ultimo*, legitur *Turgam.* Sed cùm in prima collectione addatur pars capitis *prout*, inde cognoscitur, in præsenti referri partem textus *in cap. prout* 4. *de dolo & contumacia*, ex quo præsens inscriptio restituenda est, & commentarium hujus textus petendum est ex traditis *in cap.* 3. *de probat. cap. quia* 9. *de præscript.*

CAPUT

CAPUT FINALE.

(a) Clemens III.

SIgnificavit nobis venerabilis frater noster (b) Anconitan. Episcopus, quod cùm post recuperationem civitatis Ancon. ad habitandum in ea se quamplurimi contulissent, qui quia ante generalem occupationem Terræ Sanctæ, & in aliis civitatibus Regni Hierosolymitani elegerant mansionem, & in ea residentiam fecerunt (c) aliquantam, & adhuc etiam residentin eadem, Prælati prædictarum civitatum eos ad solvenda sibi ecclesiastica jura compellunt. Quia verò transgredi non debemus (d) terminos à Patribus constitutos aut falcem in messem mittere alienam: f. v. m. quat. prædictorum locorum Prælatos, ut sibi nullam in prædictos Ancon. habitatores jurisdictionem usurpent, nec ab eis temporalia exigant, quibus spiritualia non ministrant, districtione quâ convenit compellatis: ita tamen, quod si de agris in eorum parochiis constitutis fructus percipiunt, & in ultra marinis partibus ratione prædiorum decimæ persolvuntur, deinceps eis ipsas decimas cum integritate persolvant; dicto verò Ancon. tanquam (e) diœcesano suo de cæteris respondere cogantur.

NOTÆ.

1. (a) *Clemens III.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. unic.* Et licèt in margine emendetur, *Cœlestinus III.* hæc correctio admitti non potest, siquidem ex temporis serie liquet. Clementis tempore civitatem Anconitanam possessam fuisse à Saladinis, nec adhuc per catholicos recuperatam: temporibus verò Cœlestini III. jam penes catholicos fuisse; unde restituenda est inscriptio ita: *Cœlestinus III.* Quod faciliùs patebit, si hujus textus historiam referamus, quæ ita contigit. Cùm enim Kalendis Maji anno 1287. & per mensem sequentem infeliciter à Guidone Rege Hierosolymitano, & fidelibus catholicis contra Saladinum Babyloniæ Regem captâ S. Cruce, quam portabat Rufinus Episcopus Anconensis, quam plures civitates occupatæ fuerint à Saladino, ut refert Baronius *anno* 1187. & 1191. cùm tamen Philippus Galliæ Rex perveniisset in Palæstinam, expugnavit civitatem Anconen. ut refert ipse Baronius *dicto anno* 1191. unde plures aliarum civitatum accolæ domicilium in Anconen. mutarunt, à quibus Rufinus Episcopus Anconensis decimas exigebat. Parochi verò eorum, ubi prædia possidebant, intendebant decimas ad eos spectare: consultus Cœlestinus III. à Rufino Episcopo Anconensi, sub distinctione respondit, ita ut decimæ prædiales integrè præstarentur parochis illis, ubi prædia excolebantur; personales verò Episcopo Anconensi, à quo sacramenta ipsi accipiebant; nec justè antiquos Parochos eas petere, cùm illis spiritualia non ministrarent. Ex quo Pontificis responso deducitur, decimas prædiales deberi parochis illis, in quorum territorio prædia excoluntur; personales verò illi parocho, ubi fideles habitant. & sacramenta percipiunt. Quam sententiam proximo titulo exponemus *in cap.* 3. & illustravi *in cap.* 2. *de transactionibus.*

2. (b) *Anconit.*] Malè; Ancona enim est urbs totius Piceni celeberrima, in littore maris Adriatici, à Siculis condita, portum habens insigni opere à Trajano exstructum, Græcorum colonia, cujus meminerunt Plinius *lib.* 3. *cap.* 13. Lucanus *lib.* 2.

Illic Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II. Unde cùm agatur in præsenti de civitatibus Hierosolymitanis, non potest de Ancon, civitatè intelligi; quare rectiùs legendum est *Acon*, ut Glossa marginalis emendat. Aco enim, sive Accho, urbs est à Regibus Syriæ Demetrio, & Ptolomeo frequentata: Ptolomaidis nomen sortita fuit: deinde Claudii Cæsaris colonia, nominè tantùm, non re effecta, ut Ulpianus ait *in l.* 1. *ff. de censibus*: nunc Acchon nomen retinet. Palæstinæ præcipuum emporium fuit: eâ, ut Strabo refert *lib.* 16. Persæ contra Ægyptios utebantur, & illam postea Alexander Syriæ Rex in Regni sedem elegit, ut refertur *lib.* 1. *Machab. cap.* 10. In Mahometanorum potestatem anno 638. delapsam, ac multis sæculis ab illis possessam, Balduinus hujus nominis primus Hierosolymorum Rex Genuensium auxilis recuperavit, & christianæ libertati restituit. Post multa tandem annorum curricula à Saladino Ægypti, & Syriæ Rege recepta, atque iterum à Philippo Galliæ, & Richardo Angliæ Rege post tertium obsidionis annum christianis reddita fuit. Denique anno 1291. à Sarracenis violenter expugnata, & incendio absumpta, postmodum à Mameluchis restaurata, illisque tandem expulsis, à Turcis subacta, Ottomanico Imperio addita est, cui adhuc paret, & tandem ex veteribus ædificiis supersest magnificum templum D. Joanni dicatum, ut latè refert Joannes Cotovicus *in itinerario Hierosolymit. lib.* 1. *cap. final.* Hujus civitatis Episcopus Rufinus consuluit Cœlestinum III. *præsenti.*

(c) *Aliquantam.*] Unde quoad spiritualia parochiani erant ipsius civitatis; quia quoad ecclesiastica munera, ut quis dicatur parochianus, sufficit, quod degat in aliquo loco, etiam absque animo permanendi; unde quoad sepulturam, matrimonium; & alia Sacramenta habetur pro parochiano; & vicino ipsius oppidi ubi degit. Sanchez *de matrim. lib.* 3. *disput.* 23. *num.* 2. Amaya *in l.* 7. *C. de incolis, num.* 101. Basilius *de matrim. lib.* 5. *cap.* 13. §. 2. quoad sæcularia verò munera non dicitur quis incola, seu vicinus, nisi constet de animo permanendi in eodem loco, *l. domicilium l. filii* 22. *ff. ad municip. l. in lege* 203. *ff. de verb. sign. l.* 2. *C. ubi Senatores, l. si cum* 28. §. *final. ff. de fideicommiss. libert.* & si de animo non constet, per

transcursum decem annorum ille præsumitur. Amaya *ubi suprà*, Sanchez *dicto lib. 3. disput. 33.* Alciatus *in l. pupillus 239. §. incola, ff. de verb. signif.* Parlador. *different. 163.* unde cùm in præsenti ageretur de re ecclesiastica, videlicet de decimis persolvendis, creduntur quoad eas parochiani, qui in Acchonensi civitate commorabantur, etsi animum permanendi ibi non haberent.

(d) *Terminos.*] Verba sunt capitis 19. Deuteron. ibi: *Non transibis terminos proximi tui, quos fixerunt patres tui in possessione sua.*

(e) *Diœcesano suo.*] Cum enim adhuc in ipsa civitate Acchon. noviter à Christianis recuperata parochię divisę non essent, Episcopus credebatur proprius parochus, & ita ipse decimas percipere debebat, ut docuit Barbosa *lib. 3. juris Eccles. cap. 26. §. 2. num. 15.*

TITULUS XXX.

De Decimis, & Primitiis, & Oblationibus.

CAPUT I.

Hieronymus (a) *super Ezechielem.*

DEcimam partem omnium frugum Leviticæ tribui populus ex lege debebat: rursus ex ipsis Decimis Levitæ, hoc est inferiorum ministrorum gradus, decimas dabant sacerdotibus. Erant quoque decimæ, quas pauperibus reddebant At verò primitiva, quæ de frugibus offerebant, non erant speciali nomine diffinita, sed offerentium arbitrio derelicta. Traditionem quoque accepimus Hebræorum, non lege præceptam, sed arbitrio Magistrorum inolitam, quod qui plurimum, quadragesimam partem dabant sacerdotibus; qui minimum, sexagesimam: & intra quadragesimam, & sexagesimam licebat offerri quodcunque voluissent. Quod igitur in (b) Pentateucho dubium derelictum est, hic specialiter diffinitur, propter sacerdotum avaritiam, ne amplius à populo exigant in primitiis offerendis, id est, ut sexagesima pars offeratur eorum, quæ gignuntur à terra. Si enim corus, qui Hebraicè vocatur Gomor, & à Septuaginta dicitur Gomor, xxx. habet modios, tam in aridis speciebus, quàm etiam in liquentibus: cophi quoque, & batus decima pars est cori: præcipitur quoque, ut sexta pars, tam cori, quàm cophi, quàm bati detur Sacerdotibus in primitiis offerendis, quæ de tribus modiis dimidium facit modium, perspicuè supputatur, quam sexagesimam partem primitiarum sacerdotes accipere debent. Hæc interim juxta literam, & Hebraicam veritatem, & sensisse sufficiat, & audisse.

NOTÆ.

1. (a) *Hieronymus.*] Ita etiam habetur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* verba ipsius sancti Doctoris extant in commentariis super Ezechielem, *cap. 46.* in expositione illorum verborum: *Et hæ sunt primitiæ*, &c. ubi ait: Et hic mutatis nominibus mensurarum in LXX. editione confusa sunt omnia, ut quid dicatur, non possit intelligi. Qui enim suprà pro ephi mensuram, & pro bato chænica dixerant, & pro coro gomor, pro sicło appendiculum; & hic pro ephi posuere mensuram, pro coro nunc gomor, nunc ipsum eorum; & in mensura olei pro bato, κοτυλὴν, id est cyathum. Dicamus igitur primùm juxta literam, δεκάτα, hoc est, decimam partem omnium frugum Leviticæ tribui populus ex lege debebat. Rursus ex ipsis decimis Levitæ, hoc est inferior ministrorum gradus, decimas dabat sacerdotibus; & hæc est, quæ appellatur, δευτερο-δεκάτη. Erant quoque aliæ decimæ, quas unusquisque de populo Israël in suis horreis separabat, ut comederet eas cùm iret ad templum in urbe Hierusalem, & in vestibulo templi, & Sacerdotes, ac Levitas invitaret ad convivia. Erant autem aliæ decimæ, quas pauperibus recondebant, quæ Græco sermone appellantur, πλουσιοδεκάται. At verò primitiva, quæ de frugibus offerebant, non erant speciali numero diffinita, sed offerentium arbitrio derelicta. Traditionem quoque accepimus Hebræorum non lege præceptam, sed magistrorum arbitrio inolitam; qui plurimùm, quadragesimam partem dabat sacerdotibus; qui minimum, sexagesimam. Inter quadragesimam, & sexagesimam licebat offerri quodcunque voluissent. Quod igitur in Pentateucho dubium derelictum est, hic specialiter diffinitur, propter sacerdotum avaritiam, ne amplius à populo exigant in primitiis deferendis, id est, ut sexagesimam partem offerant eorum, quæ gignuntur è terra, &c.]

(b) *Pentateucho.*] Circa scriptores librorum veteris

teris Testamenti, quidam certi sunt, quidam incerti; illud certum est, Moysem scripsisse Pentateuchum, seu quinque libros, qui vulgò libri Moysis appellantur; quorum primus dicitur Genesis, quia in eo describitur generatio cœli, & terræ, & aliarum rerum. Secundus Exodus, quia in eo describitur exitus filiorum Israël de Ægypto. Tertius Lexiticus, quia in eo describitur officium Levitarum circa tabernaculum, sacrificia, & alias legis cæremonias. Quartus Numeri, quia in eo numeratur multitudo filiorum Israël per familias suas. Quintus Deuteronomium, id est, lex secunda, quia in eo reperitur, & explicatur lex Domini, quæ fuerat data in monte Sina. Quæ tamen in fine Deuteronomii leguntur de morte Moysis, vel à Josuâ, vel ab alio addita sunt, ut docuerunt Becanus *in analog. cap.1. q.2.* Cornelius à Lapide *in comment. ad Pentateuchum, fol.23.* Fr. Joannes à S. Maria *in prologom. sacr. Scriptur.*

COMMENTARIUM.

3. IN præsenti textu nulla refertur constitutio ecclesiastica circa decimas, aut primitias, sed tantùm ut perfectè intelligantur constitutiones de decimis & primitiis, quæ sub hoc titulo compilantur, historicè agitur de præsenti capite de decimis, & primitiis, quæ præstabantur ab Hebræis in lege veteri. Et primò D. Hieronymus agit de decimis, secundo verò loco de primitiis; distinguuntur enim decimæ à primitiis, quia primitiæ sunt primi fructus, decimæ verò fructuum pars decima. Primitiæ offeruntur Deo in gratiarum actionem pro frugibus terræ; decimæ verò Levitis dabantur ad eorum sustentationem, ut statim dicemus; aliquando tamen promiscuè ponuntur primitiæ pro decimis, ut dum *Numerorum cap. 18. vers.26.* legitur: *Cum acceperitis à filiis Israël decimas, quas dedi vobis primitias.* Et *vers.28. Quorum accipitis primitias.* Utrobique enim primitiarum vox ponitur pro decimis. Circa decimas refert D. Hieronymus earum tria genera fuisse in lege veteri. Primum genus erat decimarum, quæ præstabantur à cæteris tribus Levitis; ne enim Sacerdotes, ac Levitæ in rerum temporalium cura nimis soliciti minùs diligenter divinis officiis incumberent, decrevit Dominus, ipsos nullam partem, nullamve possessionem inter alias tribus habituros, seipsum Dominum fore illorum hæreditatem, juxta illud *Numerorum cap.18. vers.20. Dixit Dominus ad Aaron, in terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars, & hæreditas tua in medio filiorum Israël.* In stipendium verò pro ministerio liberaliter illis concessit, primò ut haberent 48. urbes cum agris suis ad pastum jumentorum, *Numerorum cap.35. vers.1.* & ut præciperent primitias, & ut aliarum tribuum decimis alerentur, *Numerorum cap.18. vers.21.* ibi: *Filius autem Levi dedi omnes decimas Israël in possessionem pro ministerio, quo serviunt mihi in tabernaculo fœderis.* Dubium tamen est, an Levitæ communiter dicti, id est tota tribus Levi, ut complectitur Levitas propriè dictos Sacerdotes, & Pontificem; aut potiùs Levitæ strictè sumpti, quatenus distinguuntur à Sacerdotibus, & Pontifice, acceperint decimas ab aliis tribubus filiorum Israël. Et de tota tribu Levi accipiunt cum Josepho *lib.4. antiquit. cap.4.* ibi: *Et insuper à toto populo decimas annui fructus exegit,* Le-

vitis simul ac Sacerdotibus conferendas; & ex illis verbis Nehemiæ apud Esdram *lib.2. cap.10. vers.38. Erit autem Sacerdos filius Aaron cum Levitis in decimis Levitarum*; Rivera in suo libro *de templo lib.3. cap.4.* Becanus *in analog. cap.7. num.5.* Sed contrà tium rectiùs docuerunt Menochius *de Repub. Hebræor. lib.2. cap.4.* Abulensis *in d. cap. 18. Numer.* Nam verba Esdræ, & Josephi commodè possunt accipi decimarum decimis, quas Levitæ dabant Sacerdotibus, de quibus statim; per has enim Leviticarum decimarum fiebant participes. Ad secundum genus decimarum spectant decimæ, quas Levitæ ex decimis à populo receptis petebant. Levitæ enim ex his decimis, quas accipiebant ab aliis tribubus, iterum præstabant decimas summo Sacerdoti, seu Pontifici. *Numer. cap. 18. vers.26.* ibi: *Præcipe Levitis, atque denuncia: Cum acceperitis à filiis Israel decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id est, decimam partem decimæ, ut reputetur vobis in oblationem primitivorum, tam de areis, quàm de torcularibus: & de universis, quorum accipitis primitias, offerte Domino, & date Aaron sacerdoti.* Dubium tamen est, an decimæ hæ, quæ præstabantur à Levitis, darentur soli Pontifici, an omnibus Sacerdotibus? Lira, & Abulensis putant, soli sacerdoti dari, juxta illud *Numer. cap. 18. vers. 29. Date Aaron Sacerdoti*; Josephus autem existimat, non solùm Pontifici, sed generatim omnibus sacerdotibus præstari. Alii denique soli quidem Pontifici datas fuisse, sed ad distribuendum sacerdotibus, existimant, juxta illud *Numeror. cap. 18. vers.8. Locutus est Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi custodiam primitiarum earum*, id est, ut custodias, & distribuas filiis tuis Sacerdotibus, ut statim sequitur, ibi: *Omnia qui sanctificantur à filiis Israël, tradidi tibi, & filiis tuis pro officio sacerdotali.* Quò etiam spectat illud 2. *Esdræ cap. 10. vers.38. Levitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei nostri ad gazophylacium, in domum thesauri.* Quam sententiam sequitur Becanus *in analog. cap.7. q.6.* Tertium genus decimarum erat earum, quas singuli patresfamilias debebant quotannis apud se servare, & postea cum Levitis comedere in loco, ubi erat tabernaculum vel templum, idque tribus anni temporibus, nempe à Paschate, Pentecoste, & festo Tabernaculorum. De his accipiendum est illud *Deuteron. cap.14. vers.22. Partem separabis de cunctis fructibus tuis, qui nascuntur in terra per annos singulos, & comedes in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit, ut in eo nomen illius invocetur.* Tandem aliud genus decimarum erat, quas tertio ano singuli separare debebant in propriis domibus, & cum Levitis, peregrinis, pupillis, & viduis communicare, juxta illud *Deuter. cap. 14. vers. 28. Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quæ nascuntur tibi eo tempore, & repones intra januas tuas, venietque Levites, qui aliam non habet partem, nec possessionem tecum, & peregrinus, ac pupillus, & vidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent, & saturabuntur, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus.* Referunt Spondanus *in annal. sacr. anno 2574.* Menochius, & Becanus, *ubi suprà*, Abulensis *in Matthæum cap.23. q.145. & sequent.* Carolus Sigonius *de Republic. Hebræor. libr. 4. cap.15.* Petrus Cuneus *eod. tract.* Josephus Scaliger *in opusc. de decimis ex lege Dei.* Ex his decimis solutis de omni esculento hominis, poculentoque, item de bobus, capris, cæterisque animalibus; quæ sub pastoris virga transeunt;

primò delibabantur primitiæ, ſecundò theruma, tertiò decima. Primitiæ de ſpicis, uvis, & oleis duntaxat offerebantur (ut ſtatim dicemus) in corbe, id eſt de fructibus nondum trituratis in area, aut preſſis in torculari, & dicebatur ſolvi *de Tabal.* Theruma ſolvebatur de acervo, aut fructibus elaboratis, tradebaturque ſacerdotibus. *Deuter. cap.* 18. *verſ.* 4. cujus pars lege determinata non erat, moribus tamen certam fruitionem accepit, ſecundùm quos quando quadrageſima pars fructuum dabatur, dicebatur theruma magna, aut boni oculi; ſi verò dabatur quinquageſima, dicebatur mediocris, quando verò offerebatur, ſexageſima, quâ minor non eſſe poterat, dicebatur theruma minor, vel maligni oculi: ita Scaliger *ubi proximè.* Therumam coloni tenebantur Hieroſolymas deferre in ipſis ſpeciebus, condebaturque in apothechis templi *lib.* 2. *Paralip. cap.*31. in cujus verſu 13. traditur, cuſtodiæ therumarum præpoſitos fuiſſe Levitas ſpectatæ fidei; quas ſi non detuliſſent, coloni mittebantur, qui eorum nomine eas deferrent in Templum: miſſi Græco vocabulo Apoſtoli dicebantur, cautumque fuit, ne ex Gentibus, ſed ex populo mitterentur. Poſt primitias & therumas colonus de reſiduo decimam partem omnium fructuum dabat, quæ ſolvebatur Levitis: & dicebatur hæc, *Decate prote*, id eſt decimatio prima. De hac decimatione prima rurſus Levitæ decimas dabant ſacerdotibus, quæ dicebatur, *Decate deutere*, ſive decimatio ſecunda: dicebatur etiam theruma decimæ, ſive decima Levitarum, ut eſt apud Tobiam *cap.* 1. *verſ.* 7. *Numer. cap.* 18. quæ pars erat ſacrata, nec poterat abſumi, niſi in atrio Templi. Erat etiam præcisè Hieroſolymam deferenda, aut ſi longior via eſſet, diſtrahebantur ſpecies, pecuniaque inde redacta deſerviebat ad coëmendum Hieroſolymis victimas, oleum, frumentum, & inde epulum parabatur dictum *Chariſterion*, ſive mutuæ benevolentiæ, & charitatis, quo excipiebantur coloni, decimatores, & Levitæ. *Deuteron. cap.* 14. *verſ.* 24. Novem ergo reliquæ partes, tanquam prophanæ, quæ Levitis cedebant pro eorum ſuſtentatione, ubilibet ab ipſis poterant abſumi, vendi, & diſtrahi, etiam extra Hieroſolymam, *d. cap.* 18. *Numer. verſ.* 31. de quibus decimationibus prima, & ſecunda, ſi fides eſt Petro Galatino *de arcanis catholicæ verit. lib.* 1. *cap.* 5. magna cum cura egerunt Thalmudiſtæ; ſeptima enim ejus pars, & commentaria ipſius per novem capita de prima decimatione agebat, quæ pars *Maſſecheth Maſcerpiſin* dicebatur: octava verò pars, quæ dicebatur *Maſſecheth Maſcerſceni*, per tria capita exponitur ab Abulenſi ſuprà. De ſecunda decimatione, quæ Levitis remanebat, aliam diviſionem fecit Abulenſis *ubi ſuprà q.*140. *&* 149. ſed adductam ſequor, quam eſſe congruentiorem explicationi præſentis textus, dixit D. Joſephus de Retes *de donat. cap.* 11. *num.* 12.

4. *De primitus.*

Circa primitias dicendum eſt, eas valde differre à decimis; ſiquidem primitiæ ſunt primi fructus; decimæ autem ſunt decima pars fructuum & proventuum. Illæ immediatè offeruntur Deo in gratiarum actionem pro frugibus terræ: hæ proximè Sacerdotibus dantur ad ſuſtentationem, & ſtipendium pro miniſterio, quo ſerviunt templo. Soli Sacerdotes & Pontifex accipiebant primitias, & primogenita à filiis Iſraël. Deinde ſciendum eſt, quod primitiæ ſolvebantur ter in anno, ut notant Lyranus & alii. Primò in Paſchate, & novis ſpicis. Secundò in Penteceſte, de novis panibus. Tertiò in Septembri, in feſto Tabernaculorum, de novis fructibus. Nam illis tribus anni temporibus tenebantur omnes mares venire ad locum, quem elegerat Dominus, *Deuter. cap.* 16. *verſ.* 16. De primitiis ſpicarum, quæ in Paſchate offerebantur, intelligitur illud Levit. *cap.* 23. *verſ.* 10. ibi: *Cùm ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & meſſueritis ſegetem, feretis manipulos ſpicarum, primitias meſſis veſtræ ad Sacerdotem, qui elevabit faſciculum coram Domino, ut acceptabile ſit pro vobis altero die Sabbathi, & ſanctificabit illum.* Ritus autem offerendi deſcribitur *Levitic. cap.* 2. *verſ.* 14. his verbis: *Si autem obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino de ſpicis adhuc virentibus, torrebis igni, & confringes in morem farris, & ſic offeres primitias tuas Domino, fundens ſuprà oleum, & thus imponens, quia oblatio Domini eſt.* De primitiis panum, quæ offerebantur in Pentecoſte, intelligitur illud *Levit. cap.* 23. *verſ.* 15. ibi: *Numerabitis ergo ab altero die Sabbathi, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas uſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, id eſt, quinquaginta dies; & ſic offeretis ex omnibus habitaculis veſtris panes primitiarum, duos de duabus decimis ſimilæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini*, &c. Nomine primitiarum, cùm earum in ſacra pagina mentio fit, præcipuè intelliguntur primitiæ illæ, quæ collectis jam fructibus, tam ex meſſe, quàm ex uvis offerebantur menſe Septembri; & licèt harum primitiarum quantitas in lege Moyſis non fuerit definita; tamen ex conſuetudine, vel uſu majorum receptum erat, ut daretur inter quadrageſimam, & ſexageſimam partem; ita ut liberaliores primitiæ eſſent pars quadrageſima fructuum, ſtrictiores verò ſexageſima, ut tradit D. Hieronymus *in præſenti*, & referunt Abulenſis *in cap.* 18. *Numer. q.* 14. Maldonatus *in cap.* 45. *Ezechiel.* P. Menochius *de republica Hebræor. lib.* 2. *cap.* 16. eas Hebræi offerebant ex lana, *cap.* 18. *Deuter. verſ.* 4. & ex aliis fructibus, ut ait Iſidorus Clarius *in cap.* 15. *Numer.* ibi: *Dicunt verò Hebræi, ſe teneri ad ſeptem ſpecies primitiarum, nempe ad triticum, hordeum, uvas, ficus, olivas, malogranata, & dactylos palmarum.* Refert Novarinus *lib.* 5. *ſchediaſmatis, cap.* 13. Quam primitiarum præſtationem Eccleſia approbant, immò & præcepit *cap. Eccleſias* 13. *q.* 2. *cap. decimas, cap. revertimini* 16. *q.* 1. *cap decimas* 16. *q.* 7. Nicolaus *ad conſulta Bulgar. cap* 89. ibi: *Fruges novas, & rerum offerre primitias etiam veteribus moris erat.* Quod penè ab initio mundi Abel & Cain egiſſe legimus, junctis traditis à Baronio in apparatu, *num.* 9. & *anno* 1. *num.* 16. & *anno* 34. *num.* 52. & 239. & *anno* 44. *num.* 88. & *anno* 57. *num.* 28. Turrianus *lib.* 2. *pro epiſt. cap.* 14. Beyerlinch *verbo Primitiæ, tom.* 6. Joanne Dartis *de benefic. ſect.* 1. *cap.* 1. & *ſect.* 2. *cap.* 2. Fagundez, Tamburino, & Leandro *in quinque præcept. Eccleſ.* Barboſa *de officio Parochi cap.* 27. Lemaiſtre *de decimis lib.* 1. *cap.* 2. Alteſerra *lib.* 3. *diſſert. cap.* 3. & 8. Et conſuetudo vetus Eccleſiæ fuit, primitias novarum frugum benedicere in altari, ex inſtitutione Eutychiani Papæ, ut patet ex Pontificali Damaſi: ibi: *Hic inſtituit fruges fabæ, & uvæ in altari benedici.* Et in Concilio Carthag. 3. *can.* 3. frumenti, & uvæ mentio fit, quæ in altari benedicuntur

dicuntur: & in Synodo Trul. *can.* 28. ſtatuitur, ut primitię uvę, & frumenti offerantur in altari benedicendæ ſuâ peculiari benedictione; & *in can.* 3. *Apoſtolorum*, juxta vererem interpretationem cavetur: *Offerre non liceat aliquid ad altare præter novas ſpicas, vel uvas*; easque primitias offerri in certis diebus Dominicis, innuit S. P. Damianus *lib.* 4. *epiſt.* 16. ibi: *Poſt hanc illa feſtivitas ſequitur, quæ dicitur Novorum, cùm primitiæ ſcilicet de novis frugibus offeruntur.* Notarunt D. Thomas 2. 2. *q.* 86. *artic.* 4. Menardus *ad Sacram. D. Gregorii, fol.* 173. Sauſay *in Panopl. ſacerd. lib.* 2. *art.* 15. Et de hac benedictione novarum frugum nonnulla notavi *in cap. ... Concil. Illiber.* Apud Gentiles etiam primos fructus, frugumque primitias Diis offerri notum eſt. Plinius *lib.* 18. *hiſt. cap.* 2. ibi: *Non deguſtabant novas fruges, & vina, antequam ſacerdotes primitias libaſſent.* Et *lib.* 12. *cap.* 14. & 19. Maximus Tyrius *diſſert.* 14. *num.* 85. Agricolas ab hac religioſitate collaudat Porphidius *lib.* 2. *de abſtinent.* Audi Simplicium *in cap.* 38. *Epicteti. Externarum rerum, quas Deus dederit, primitias offero; nam jus, faſque poſtulat iis offerri primitias, qui dederunt; non quòd his egeat Deus (neque enim probitate noſtra eget, neque rectis de ſe opinionibus;) ſed nos per hæc pro ea menſura, quæ nobis convenit, illuſtrationis divinæ facti capaces Deum ſuſcipimus.* Ovidius *lib.* 2. *Faſt.*

Farra tamen veteres jaciebant, farra metebant;
Primitias Cereris farra referta dabant.

Tibullus *lib.* 1. *eleg.*

Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
Libatum Agricolæ ponitur ante Deo.

Apuleius *in apolog.* Horatius *lib.* 3. *od.* 22. Porphirius *in libel. de abſtin. animal.* Suidas *verbo Hermayon.* Et prima ſpolia ab ipſis Diis conſecrata fuiſſe, patet ex Virgilio *lib.* 7. *Æneid.*

Hæc ſunt ſpolia, & de Rege ſuperbo
Primitiæ.

Ovidio *lib.* 3. *Faſtor.*

Te memorant Gange, totoque Oriente ſubacto,
Primitias magno ſuppoſuiſſe Jovi.

Alia in hanc rem ex Ethnicis ſubminiſtrabunt Baſilius Legion. *q.* 4. *ſcholaſt. cap.* 3. Duarenus *lib.* 7. *de ſacris eccleſ. cap.* 1. Germonius *lib.* 1. *de ſacr. immunit. cap.* 14. P. Faber *lib.* 2. *ſemeſtr. cap.* 3. Lindembrog. *in not. ad Cenſor. de die natali, cap.* 1. *fol.* 16. Tiraquel. *ad Alex. lib.* 5. *cap.* 18. & *de primog. in præfat. num.* 69. qui notant Athenienſes primitias crinium Numini dedicaſſe Delphis: in quam rem alia dabit Caſtaldus *lib. de feſt. Græc. verbo Apaturia.*

CAPUT II.

(a) Paſchalis II.

NOvum genus exactionis eſt, ut clerici à clericis frugum decimas, vel animalium exigant; nusquam in lege Domini hoc præcipi legimus, aut permitti, non enim (b) Levitæ à Levitis decimas accepiſſe, vel extorſiſſe leguntur. Illi profectò clerici, qui à clericis ſpiritualium miniſteriorum labores accipiunt, decimas eis debent.

NOTÆ.

1. (a) *Paſchalis.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 7. & poſt Concilium Lateran. *pag.* 13. *cap.* 16. Paſchalis II. antea Renatus, ſeu Raynerius dictus, natione Tuſcus, patriâ Bledanus, monachus Benedictinus, creatus Pontifex die 12. Auguſti, anno 1099. & floruit usque ad annum 1118. ut referunt Baronius, & Corjolanus *in eis annis*, & plures relati à Ludovico à ſancto Carolo *verbo Paſchalis, in Biblioth. ſacra, fol.* 169.

(b) *Levitæ à Levitis.*] Conſonat Alexander III. *in cap.* 8. *hoc tit. in* 1. *collect.* ibi: *Illud etiam nos à tuæ petitionis affectu retrahere videtur, quod in veteri Teſtamento non recolimus nos unquam legiſſe, ut Levitæ Levitis decimas ſolverent.*

COMMENTARIUM.

2. CUm Paſchalis in præſenti juxta verba in hac ſexta compilatione tranſcripta ex dicta prima collectione affirmet, novum, & inſolitum eſſe exactionis genus à clericis decimas petere, & ſtatim affirmet clericos à clericis ſpiritualia accipientes, decimas ſolvere debere; in varias traxit ſententias repetentes in præſenti, & Theologos Moraliſtas infrà laudandos. Sed cùm in hoc textu, prout extat *in dicto Concilio Lateran.* nulla ſecundæ partis mentio reperiatur, ſed tantùm deciſio referatur & ejus ratio aſſignetur, ibi: *Illi profectò ſolvere laborum ſuorum decimas debent, quia clerici ſpiritualium miniſteriorum labores accipiunt.* Ideò hæc literâ retentâ tantùm hîc refertur prohibitio generalis, & abſoluta, ne frugum, vel animalium decimæ à clericis petantur. Tum quia in lege veteri Levitæ à Levitis decimas non exigebant. Tum quia illi debent decimas præſtare laborum ſuorum, qui à clericis ſpiritualia recipiunt. Quam Paſchalis conſtitutionem ut exponamus, ſciendum eſt quoad decimas prædiales, prædia triplicis generis, ac conditionis conſiderari; quædam enim ſunt propria, ac patrimonialia clericorum; quædam Eccleſię: & rurſus hæc eccleſiaſtica, vel ad dotem Eccleſiæ pertinent, vel ad incrementum aliquod ipſius dotis, quæ nimirum acceſſerunt Eccleſię jam fundatę, & conſtructæ. De primis, quæ titulo proprii patrimonii poſſident clerici, decimas perſolvere tenentur; quia cùm ſint potiùs tributa prędiorum, quàm perſonę, presbyteri debent eas præſtare parocho, in cujus territorio prędia ſunt: docent communiter repetentes *in præſenti*, D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 87. *art.* 4. Suarez. *de relig. tom.* 1. *lib.* 1. *de decimis, cap.* 17. quod etiam ad Pontificem. & Epiſcopos prędia poſſidentes protrahunt Borellus *in ſumma deciſ. tit.* 19. *de decimis, num.* 63. alii apud

Hunnium *in Encyclop. tit. de decimis, cap.* 2. Ex prædiis capellaniarum idem probant Valenzuela *consil.* 9. *num.* 3. Gutierrez 2. *canonic. cap.* 21. Barbosa *voto* 41. & *consil.* 42. *per totum.* Aliter enim eveniret, ut parochiæ maxima decimarum parte fraudarentur, si parochiani, qui in eis prædia possiderent, ad sacros ordines contingeret promoveri. Unde PP. Concilii Mogunt. relati *in cap. si quis* 16. *q.* 1. prohibent, ne clerici possint arbitrio suo decimas bonorum suorum in alias Ecclesias, nisi in eas, quibus jure competunt, transferre, ibi: *si quis laicus, vel clericus, vel utriusque sexus persona, proprietatis suæ loca, vel res alicui dare delegaverint, decimationum proventum priori Ecclesiæ legitimè assignatum inde abstrahere nullam omnino habeant potestatem.* Quoad ecclesiastica verò prædia, ea videlicet, quæ dotem Ecclesiæ constituunt, quia debent esse ab omni præstatione immunia, *cap.* 1. *de censibus*, etiam à decimarum solutione sunt exempta, *l.* 2. *tit.* 1. *p.* 1. ibi: *Fueras ende de las heredades, que han de las Iglesias do sirven.* Quod & probatur ex Concilio Mogunt. relato in Cabilonensi 2. *cap.* 19. apud Gratianum *in cap. quæsti* 16. *quæst.* 1. ibi: *Quæsitum est quidam fratres, quod essent aliqui Episcopi, & Abbates, qui decimas non sinunt dari Ecclesiis, ubi illi coloni Missas audiunt: proinde decrevit sacer iste conventus, ut Episcopi, & Abbates de agris, & vineis, quæ ad suum, & fratrum stipendium habent, decimas ad Ecclesias dari faciant; familiæ verò ibi dent decimas suas, ubi infantes eorum baptizantur, & ubi per totum anni circulum Missas audiunt.* Ex quibus verbis apertè constat, ibi non esse sermonem de prædiis patrimonialibus, seu secularibus Episcoporum; sed de his, quæ Ecclesia possidet ad clericorum suorum stipendium, & sustentationem, ut patet ex illis verbis: *Quæ ad suum, & fratrum stipendium habent*, Episcopi enim non habent patrimonialia bona ad suum, & fratrum stipendium, ut per se constat. Ad hoc autem dicuntur ecclesiasticas possessiones habere, quia illas sub sua cura, & dispensatione habent: docent D. Thomas 2. 2. *quæst.* 87. *artic.* 4. *ad* 1. ubi Cajetanus, & Aragon. Sotus *de justitia lib.* 9. *q.* 4. *artic.* 4. Nec aliud probant verba illa, *decimas ad Ecclesias dari faciant.* Ex quibus deduci videtur, Episcopos ipsos teneri ex ecclesiasticis prædiis decimas solvere; nam verba illa contrarium habent sensum, videlicet, ut faciant dari decimas ad Ecclesias suas. Ita enim addit Gratianus, & fortè ita invenit in antiquo Concilio, licèt nunc in Cabilonensi non legatur. Estque consonum casui, & decisioni Concilii; nam querimonia erat, quia Episcopi non permittebant colonos solvere decimas in suis Ecclesiis parochialibus, quæ, ut supponitur, erant distinctæ ab Ecclesiis Episcoporum, vel Abbatum. Decisio autem Concilii est, ut si possessiones sint ecclesiasticæ, & ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ deputatæ, Episcopi non solvant decimas prædiales parochiis colonorum, sed illas retineant pro suis Ecclesiis; ipsos autem colonos (quos nomine familiæ intelligit,) sinant in parochiis suis solvere decimas, utique vel personales, vel prædiales; quas ex prædiis conductis habere solent, si prædia sunt intra terminos suarum parochiarum constituta: quare in summario ipsius textus ita negativè legitur: *Non persolvant de propriis prædiis Abbates, & Episcopi decimas.* Quod summarium accipiendum est de prædiis ecclesiasticis, seu suarum Ecclesiarum; quod evidentiùs exprimitur ex canone Urbani II. refertur in notis Gregorian. post dictum caput *quæsti*, ibi: *Perlatum est ad sanctam Synodum, quod sint quidam Episcopi, & Abbates, qui colonos ad se pertinentes non sinant decimas dare ad Ecclesias ubi Missas audiunt, & infantes eorum baptizantur; proinde decrevit sacer iste conventus, ut Episcopi, & Abbates de vineis, & agris, ac frugibus, quæ ad suum, vel fratrum usum laborant, decimas sibi pro benedictione, vel hospitum susceptione habeant; familiæ verò ibi dent decimas suas, ubi per totum anni circulum Missas audiunt, & infantes eorum baptizantur.* De prædiis verò, quæ voto, & pietate fidelium Ecclesiis jam fundatis, & competenti dote instructis accedunt, decimas Ecclesiæ debent clerici, immò una Ecclesia alteri Ecclesiæ decimas persolvit, quando intra ejus fines, atque ambitus possessionem aliquam obtinet, ex prædicta ratione; quia videlicet cùm onus decimarum ipsis prædiis inhæreat, *cap. si quis laicus* 16. *q.* 1. transit in quemcunque possessorem, *cap. cùm non sit* 33. *dist. cap. ex litteris, de pignor.* Nec obstat quod per mutationem personæ mutetur rei qualitas, *l. locatio, §. ult. ff. de publican. l. qui procuratorem* 89. *ff. de acquir. hæred.* Illud enim procedit, quando qualitas inest rei propter personam, ut in dictis juribus, & *in cap. unic.* §. 1. juncto verbo *Semestre, de jurepatron. in* 6. secus tamen, si qualitas inhæreat rei ratione suiipsius; tunc enim ex mutatione personæ non mutatur, *Clement. unic. vers. Prioratus, de supplend. neglig.* resolvunt Peralta. *in l. cùm patroni, num.* 30. *ff. de legat.* 2. Gutierrez *lib.* 1. *practic. cap.* 3. *nu.* 13. At verò onus decimarum inhæret ipsis prædiis propter seipsa, *cap. pastoralis* 28. *hoc tit.* & ideò mutatione personæ qualitas rei non mutatur. Hoc tamen more Ecclesiarum tuebatur se Gofridus Windocinensis adversus Petrum Sanctonensem Episcopum; nam cùm salinarum omnium, quæ in ora maritima Olonensi sitæ sunt, decimę omnes datę essent cœnobio Windocinensi in dotem, & aliqua earum salinarum ad jus, & dominium pertinerent Sanctonensis Ecclesiæ, decimas ex iis persolvere cœnobio Windocinensi Petrus Sancton. Episcopus repudiabat, eo argumento fretus, quòd Ecclesiæ, præsertim majores, minoribus decimas non solverent. Quam rationem vehementer impugnat Gofridus Windocinensis *epist.* 41. *lib.* 3. ibi: *Insuper etiam decimas salinarum vestrarum, quas monasterium nostrum, patrimonium scilicet B. Petri, & ejus allodium per sexaginta annos pacificè noscitur possedisse, nobis auferris. Unde dilectionem vestram rogamus, ut quod aliter actum est, corrigatis, ne qui Apostolicâ præceptione nobis defensor constitutus fuerat, videatur persecutor; & sic lupus fiat (quod Deus abnuat) qui esse debuerat pastor. Nobis dictum est, quia dicitis, quod Ecclesia non debet decimam dare. Hoc verum est, ubi Ecclesia nihil habet in Parœcia alterius Ecclesiæ; ubi verò Ecclesia in alterius Ecclesiæ Parœcia possessionem aliquam habet, vel quidpiam, quod decimari debeat, illi Ecclesiæ decimam reddere debet, si illud ista possidere desiderat. Hoc tenet Italia. Hoc tenet Gallia; ibi enim novimus Ecclesias Ecclesiis decimas reddere, & majores minoribus, & minores majoribus, ubi altera earum possessionem obtinet in jure alterius.* Circa decimas personales discrimen constituendum est inter clericos Ecclesia-

cleſiarum Rectores, & inter illos, qui à propriis parochis ſacramenta recipiunt. Rectores nullo modo decimas præſtant, quia ſicut nemo ſibi ipſi obligari poteſt, ita nec ſibi ſolvere, *l. tutor 19. ff. ad Velle an.* docent Innocentius, & Joannes Andreas *in præſenti*, Covar. *lib. 1. var. capite 17. numero 8.* Moneta *de decimis cap. 5. num. 4.* Hunnius *de decimis capit. 2.* Barboſa *de offic. Parochi capite 28. §. 3.* Nec obſtabit, ſi objicias, poſſe privatam perſonam diverſo jure ſibi obligari, quemadmodum tutor, tanquam debitor pupilli, ſolvit ſibi ipſi tanquam tutori, *l. quotiens 9. §. item, ff. de adminiſtr. tut.* & Princeps poteſt filios ſuos legitimos efficere, non tanquam pater, ſed ut Princeps, *cap per venerabilem, qui filii ſint legit.* & Conſul, tanquam privatus, manumittere, vel emancipare filium, vel ſervum apud ſeipſum, tanquam Magiſtratus poteſt, *l. Conſul. ff. de adopt.* nam omnia ea procedunt, quia una, eademque perſona poteſt conſiderari diverſis reſpectibus: at verò parochus, ut præſtet decimas perſonales debet conſiderari ut laicus ſacramenta recipiens; & ut eas accipiat, debet conſiderari ut parochus, qui ſacramenta confert; quæ actio, & paſſio, cùm in eodem ſubjecto concurrere non poſſint, ideo nec ſibi ipſi parochus decimas ſolvere poteſt. Quoad alios verò clericos cùm ceſſet hæc ratio, & verè ſacramenta recipiant à propriis parochis, ideo illis decimas perſonales ſolvere debent, ut poſt D. Thomam docent Covar. & P. Suarez *ubi ſuprà.*

CAPUT III.

(a) Hadrianus *Vvigorn. Epiſcopo, & Herford. Epiſcopo.*

EX multiplici queſtione Willelmi Presbyteri de Cretona accepimus, quod cùm Eccleſiam de Cretane xxx. annis; & eo amplius pacificè poſſediſſet, monachi de (b) Brueria decimas univerſas, quas de terris cultis eadem Eccleſia à prima fundatione ſui ſemper percipere conſuevit, in hoc quadriennio ſibi, & Eccleſiæ penitus ſubtraxerunt, cum inter Abbatum de Brueria Vv. nomine, de conſenſu totius Conventus; & prædictum Presbyterum xx. annis, & eo amplius elapſis, talis interceſſiſſe dicatur (c) conventio ſcripto monachorum authentico roborata, quòd monachi prædicto Ptesbytero, & Eccleſiæ ſuæ in integrum de (d) blado, & univerſis leguminibus, quamdiu viveret, deberent perſolvere decimas, exceptis minutis decimis, quas idem Presbyter ob exaltationem Eccleſiæ monachorum quietas clamavit. Cumque conventio temporibus trium Abbatum præſcripti loci ſervata fuiſſet, Abbas illius loci ad præſentiam noſtrum accedens à nobis (e) privilegium obtinuit, in quo monaſterio ſuo indultum eſt, ut de laboribus, quos propriis manibus, aut ſumptibus excolit, nulli decimas ſolvere teneretur. Qui ſiquidem reverſus ad propria, tantam apud H. (f) Regem Illuſtrem Angliæ gratiam, & favorem invenit, quod Rèx totam terram illius villæ, in qua Eccleſia præfati Presbyteri ſita eſt, monaſterio ipſius in perpetuam eleemoſynam contulit. Quo facto prædictus Abbas univerſis ipſius villæ colonis expulſis, totam terram prædictæ parochiæ excolens propriis ſumptibus, Eccleſiæ debitos redditus ſubtraxit. Unde quia non fuit noſtræ intentionis per privilegium noſtrum prædictæ conventioni derogare: f. v. per A. ſ. m. atque p. quat. utraque parte apud vos convocatâ, rei veritatem plenius inquiratis: & ſi inter prædeceſſorem memorati Abbatis, & prænominatum Presbyterum, conſenſu monachorum talis conventio facta fuerit, & per annum ſervata eundem Abbatem, & monachos auctoritate noſtra moneatis, & diſtrictùs compellatis, ut eandem conventionem, vel compoſitionem, non obſtante privilegio, niſi (quod non credimus,) de tranſactione ipſa in eodem privilegio contineatur, oc. & ap. ceſſ. inviolabiliter teneant, & obſervent, vel exinde pacificè conveniant, & ſecundùm formam compoſitionis redditus ipſi ſolvant.

NOTÆ.

(a) *Hadrianus.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc titul. capite 17.* & poſt Concil. Lateran. *part. 13. capite 11.* nullibi tamen exprimitur, cujus Hadriani ſit præſens Decretalis; credo tamen juxta temporis ſeriem eſſe Hadriani IV. qui antea dicebatur Ottobonus, de quo plura Baronius, & Corjolanus *anno 1154.* quo ipſe Pontifex creatus fuit: Ludovicus à Sancto Carolo *in Biblioth. fol. 106.* & alii Biographi Pontificium.

(b) *Brueria.*] Monaſterium hoc Brueriæ eſt in Surreia, Angliæ Provincia, in Comitatu Oxonienſi, tituli Sanctæ Mariæ, Ordinis Ciſtercienſis, cujus fundationem refert Manrique *annal. Ciſtercienſ. anno 1148. cap. 19. num. 4.* 1.

(c) *Conventio.*] Quatenus compoſitio tranſactione ſuper decimis facta ſubſiſtat, expoſui *in cap. 2. de tranſact.*

(b) *Blado.*] Bladus, vel bladum idem eſt, ac ſemen fructuum, præcipuè frumenti, & deſignat quicquid in area teritur: unde imbladare, pro ſeminare; & imbladata, pro ſeminata, dicitur. 3.

Hovedenus *anno* 1198. agens de foresta Richardi I. ait : *Et videnda sunt in reguardo nova essarta, & vetera imbladata post ultimum reguardum, & quo blado, vel legumine imbladata sunt. Nova autem sarta erunt in manu Regis : si vetera sarta imbladata sunt de frumento, vel siligine, unaquæque acra dabit XII. denarios de illa vestitura.* Illustrat Joannes Vossius de vitiis sermonum *lib.* 3. *cap.* 26.

4. (c) *Privilegium.*] Cujus montio fit *in cap. ex parte* 10. *hoc. tit.* & *in l.* 4. *tit.* 20. *partit.* 1. ibi: *En este Concilio fue establecido, que les valiesse el privilegio ; que les otorgo ol Papa Hadriano, quanto en las heredades, que auian ganadas fasta aquel mismo Concilio.*

5. (f) *H. Regem.*] Henricum II. videlicet, cui Hadrianus noster concessit dominatum Hiberniæ, ut referunt Giraldus Cambrensis *lib.* 2. *expurgationis Hiberniæ, cap.* 6. ibi : *Henricus ab Hadriano Papa privilegium impetravit ejusdem auctoritate, & assensu, Hibernico populo tam dominandi, quàm ipsum in fide rudimentis informandi, per Joannem Sarisbariensem postmodum Episcopum Carnotensem Romam adhoc destinatum : idem Papa Regi annulum in investituræ signum præsentavit, qui statim cum privilegio in archivis Vvintoniæ repositus fuerat.* Parisius *anno* 1155. ibi : *Rex Anglorum Henricus nuncios solennes Romam mittens, rogavit Papam Hadrianum, ut sibi liceret Hiberniæ insulam hostiliter, & terram subjugare : quod Papa gratanter annuens, hoc sequens privilegium ei designavit. Hadrianus Episcopus servus, &c. Significasti nobis (fili in Christo charissime,) te Hiberniæ insulam ad subducendum populum legibus christianis, & vitiorum inde plantaria extirpanda velle intrare, de singulis domibus annuam unius denarij B. Petro velle solvere pensionem, & jura Ecclesiarum illius terræ illibata, & integra conservare : nos autem pium & laudabile desiderium tuum favore congruo prosequentes, & petitioni tuæ benignum impendentes assensum, gratum, & acceptum habemus, ut pro dilatandis Ecclesiæ terminis, vitiorum dissringendo discursu, pro corrigendis moribus, & virtutibus inserendis, pro Christianæ Religionis augmento insulam illam ingrediaris, & quæ ad honorem Dei, & salutem illius insulæ spectaverint, exequaris, & illius terræ populus te recipiat, & sicut Dominum veneretur.* Westmonasterienſis *anno* 1155. ibi : *Rex Anglorum nuncios solennes Romam mittens, rogavit Papam Hadrianum, ut liceret ei Hiberniam hostiliter intrare, & eam sibi subjugare; quod Papa Regi gratanter annuit, & super hoc privilegium destinavit.* Hovedenus *pag.* 528. Polydorus Vergilius *lib.* 3. *histor. Angliæ*, Richardus Smitheus *in floribus Angliæ*, *anno* 1155. *fol.* 264.

COMMENTARIUM.

EX hoc textu communiter deducitur, privile- 6.
gium super decimis impetratum non derogare compositioni præcedenti super eisdem decimis; nam licèt privilegium sit interpretandum ita, ut aliquid de novo conferat ultra id, quod jure proprio competit ei, cui conceditur, *c. in his, de privileg.* ibi : *Cùm autem eis nihil conferret memorata indulgentia, sine qua id liceret eisdem; mandamus quatenus interpretatione hujusmodi reprobatâ, ita quod dicti fratres ex indulgentia nostra videantur in hoc gratiam consequuti.* Et *cap. si Papa, eod. tit. in* 6. *cap. pastoralis ; in princip. de appel. l. si quando* 109. *ff. de legatis* 1. latè probat Rodericus Suarez *alleg.* 28. *per tot.* Tamen cùm jus speciale competit, aut ratione privilegii, vel compositionis, non censetur Pontificem velle cum detrimento ejus, cui competit, privilegium concedere, nisi ejus compositionis factâ mentione. Unde cùm in præsenti specie non solùm ex jure communi, verùm ex compositione plurium annorum lapsu firmata monachi de Brueria parocho decimas ex blado, & leguminibus deberent, privilegio noviter ab eis impetrato non creditur derogatum juri parocho ex conventione quæsito.

CAPUT IV.

(a) Idem *B. Cantuar. Archiepiscopo.*

COmmissum nobis à Deo dispensationis officium admonet multipliciter, & hortatur, ut universis Christi fidelibus, vel Ecclesiis debeamus utiliter providere, atque integra illis jura sua nos oportet, atque illibata servare. Pervenit ad nos, quod monachi de Boxle (b) Sanctæ Mariæ, in parochia cujus commorantur, decimas ex integro persolvunt, & eas reddere contradicunt. Ea propter f. t. per A. s. m. quat. prædictos monachos, ut ipsas decimas etiam de ipsis cultis, in quibus domus olim constructæ fuerant, præfatæ Ecclesiæ cum ea integritate persolvant, quâ prius quàm in eadem Ecclesia morarentur, solebant (c) persolvi, sine ap. ob. nostra auctoritate, compellas communi districtione : & sicut olim etiam de pascuis solvebantur decimæ, ita nunc de eisdem ad (d) frugum fertilitatem translatis, decimas volumus absque diminutione persolvi.

NOTÆ.

1. (c) *Idem.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 18. in sexta autem legitur, *Idem Thomæ* ; sed utrobique malè. Non *B.* quia temporibus Hadriani IV. nullus fuit Archiepiscopus Cantuarienſis hujus nominis : non *Thoma*, qui si textus hic est Hadriani IV. ut supponitur, qui decessit anno 1159. non potuit rescribere D. Thomæ, qui electus fuit in Archiepiscopum Cantuar. anno 1161. ut probat Smitheus *in floribus lib.* 7. *cap.* 6. unde vel legendum est *Alexandri*

xander III. B. Thomæ Cantuar. vel cùm in antiquis codicibus legeretur *idem T.* expressum fuit à Compilatoribus, & transcriptum, *idem Thomæ*; cùm transcribendum esset, *Theobaldo.* Theobaldus enim electus fuit in Archipræsulem anno 1138. & floruit usque ad annum 1161. cujus præclaras animi dotes refert, & illustrat Smitheus *ubi suprà, lib. 7. cap. 4.*

2. (b) *Boxle Sanctæ Mariæ.*] Legendum est, *Boxeliæ Sanctæ Mariæ.* Monasterium Boxeliæ, tituli Sanctæ Mariæ, est in diœcesi Cantuariensi, Ordinis Cisterciensis, de quo Nicolaus Arsfeldius hæc habet: *Boxeliæ titulo Sanctæ Mariæ fundato Guillelmus Comes Cantiæ, tempore Stephani Regis Monachi Albi.* De eo agit Manrique *tom. 2. annal. Cistercienf. anno 1146. cap. 12.*

3. (c) *Perfolvi.*] Aliàs si non extaret memoria talis solutionis, & omnino prædia illa essent ad culturam redacta per dictos monachos, decimæ ex eis non deberentur, *cap. ultim. de privil.* ibi: *Consultationi vestræ breviter respondemus, quod terra, de qua non extat memoria, quod aliquando culta fuisset, redacta per religiosos viros noviter ad culturam, perpetuò debet quoad immunitatem de non solvendis decimis novalium jure censeri.* Consentit Alexander IV. *in cap. 2. hoc tit. lib. 6.*

4. (d) *Ad frugum fertilitatem.*] Et meritò, nam si ex herba, & pascuis decimæ præstabantur, ex fructibus in eorum locum subrogatis decimæ solvi debent, *cap. cùm in tua, hoc tit.* argumento legis *certo generi. ff. de servit. rustic.* latè probant Barbosa *in select. ad hunc textum.* Sicut è contrario si ex fructibus terræ, frumento, vel simili decimæ solvebantur, & postea deseratur terræ cultura, ex fœno, seu herba decima solvetur, *cap. 6. hoc tit. in collect.* ibi: *Pervenit ad audientiam nostram ex conquestione B. Dolensis Archidiaconi, Rectoris Ecclesiæ de N. quod cùm Ecclesia ipsa de frugibus quarundam terrarum, quæ infra fines parochiæ suæ positæ asseruntur, decimas persolvere consueverint, nunc ad pratorum opus remanentibus eisdem incultis, decimæ de fœno, quod ab eis colligitur, eidem Ecclesiæ circumspectione, quâ convenit, providere renuunt: ideo d. v. p. A. s. m. quat. Ecclesiæ, de qua præmissus, fœni decimas, quod de terra provenit, à memoratis earum dominis per ecclesiasticam districtionem exsolvi sub. ap. ob, compellatis.*

COMMENTARIUM.

5. Conclusio traditur, & probatur.

EX hoc textu talis communiter deducitur conclusio: *Omnes parochiani, etiam religiosi, de prædiis propriis, ex quibus decimæ olim solvebantur, decimas præstare coguntur.* Quam conclusionem probant textus *in cap. alia causa 6. cap. cuncti 41.* cum aliis, *16. quæst. 1. c. plerique 7. de pactis.* Gregorius VII. *in Concilio Romano*, ibi: *Nullus Abbas decimas, & primitias, & reliqua, quæ secundum constituta canonum ad Episcopum pertinent, sine auctoritate Romani Pontificis, seu Episcopi consensu, in cujus diœcesi habitat, detineat.* D. Thomas *2. 2. quæst. 87. artic. 1.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa & Doctoribus de decimis scribentibus, Duarenus *lib. 1. de sacris, cap. 20.* Corrasius *de sacerdotio lib. 2. cap. 6.* Solorzanus *de jure Indiar. tom. 2. libero 1. cap. 21. num. 50.* Leander *in præcept. Eccles. tractatu 6. disputat. 6. quæst. 33.* Carrasco *ad ll. Recopil. cap. 6. §. 4. & 5. per totum.* Valenzuela *consil. 33. ex num. 72.* Pellizarius *in manual. regul. tom. 2. tractatu 8. cap. 7. sect. 4. quæst. 7. num. 171.* Hieronymus Garcia *tom. 1. polit. regul. tractatu 8. difficult. 3. dub. 2. punct. 4.* F. Ludovicus à Concept. *in examin. verit. mal. tract. 2. in princip.* & *cap. 1.* Suarez *tom. 1. de relig. cap. 19.* Fagundez *in præcept. Eccles. lib. 2. in 5. præcept. cap. 4.* Castropalao *oper. moral. p. 12. diffut. unic. num. 9.* Lemaistre *de decimis, lib. 1. cap. 11.* Barbosa *tom. 1. voto 41.* Valenzuela *consil. 3.*

Sed pro dubitandi ratione sic in præsentem assertionem insurgo: Decimæ præstantur parochis in compensationem laboris in administratione Sacramentorum impensi, ut infrà dicemus: sed non percipiunt monachi sacramenta à parochis, immò ab omni lege jurisdictionali, & diœcesana exempti sunt, ut probavi *in cap. licet, de offic. Ordin.* igitur non debent cogi decimas parochis persolvere. Augetur hæc difficultas ex eo; nam monachi Cistercienses, de quibus in præsenti agitur, exempti erant per nostrum Hadrianum Pontificem à solutione decimarum ex prædiis propriis manibus, & expensis cultis, ut constat *ex cap. antecedenti*, ubi notavi: igitur non rectè in præsenti idem Pontifex decrevit, ipsos monachos Cistercienses teneri de prædiis ab ipsis cultis decimas integrè persolvere. 6. Impugnatur tradita assertio.

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens decisio, in qua, & *in cap. ex transmissa, cap. à nobis, cap. tua nobis, cap. de cætero, cap. ex parte, cap. dilecti, cap. de terris, hoc titul.* agitur de personis, à quibus decimæ solvendæ sunt: quam partem præsentis tractatus ut plenè absolvamus, sciendum est, regulariter ad decimarum præstationem teneri omnes fideles, qui de manu sacerdotis Sacramenta recipiunt, si aliquo modo ab earum præstatione non sint exempti, *cap. ex transmissa 23. cum sequent. hoc tit. cap. ut decimæ*, cum aliis, *16. quæst. 2.* Concil. Cabilon. sub Carolo *can. 28.* Porojul. *can. 14.* Batonius *in apparatu, num. 9.* & *anno 44. num 88.* & *anno 57. num. 24.* & *anno 257. num. 13.* Turrianus *pro canon. lib. 5. cap. 9.* docent Suarez *dict. tract. de decimis, cap. 16.* Moneta *eod. tract. cap. 5. quæst. 1.* plures relati à Barbosa *de offic. Parochi, cap. 38. §. 3. num. 1.* Hunnius *in Encyclop. d. tract. de decimis, cap. 2.* plura jura in eandem sententiam congerunt Democharis *lib. 3. de sacrif. Missæ, cap. 25.* Anastasius Germonius *lib. 3. de sacrorum immunitatibus, cap. 19.* Theophilus Raznaud. *tom. 12. tract. mala è bon. Eccl. cap. 9. num. 12.* sive parochiani sint divites, sive pauperes, quia cùm decimæ ex justitia debeantur, *cap. parochiani hoc tit.* propter inopiam injustitia committi non valet, nisi necessitas adeo extrema sit, ut ab aliis temporalibus præstationibus excuset, *l. 4. §. inopes, ff. de muner. & honor. cap. licet, de censibus, l. omnes 4. Cod. de annonis, lib. 10.* faciunt lex *honor 14. §. de honoribus, ff. de muner. & honor.* latè docet Velasco *de privil. pauper. p. 1. quæst. 37. per tot.* Solorzanus *tom. 2. lib. 1. cap. 22.* & tunc debent suam egestatem parochis proponere, ut ita sinant illis decimas retinere, ut docuerunt Cevallos, Borellus, & alii relati ab Hunnio *dict. cap. 2.* Et quia de personis ecclesiasticis, quatenus teneantur decimas solvere, egi *in cap. 2. hoc tit.* & de Judæis, & Infidelibus dicemus *in cap. de terris, hoc tit.* superest, ut de laicis, & religiosis tantùm agamus. Laici ergo fideles omnes tenentur propriis Parochis decimas 7. Decimæ præstantur ab omnibus.

mas persolvere, quia Sacramenta ab ipsis recipiunt, *cap. ex transmissa 23. cum sequenti, hoc tit.* Suarez, Rebuffus, & Moneta, laudati à Barbosa *de offic. parochi c. 28. §. 3.* nisi specialiter sint à Pontifice ab hac obligatione exempti, *cap. 2. de Ecclesiis ædific.* Quoad Principes verò, supremosque Monarchas certum est, decimas debere; sed quia illi propriam capellam habent cum capellano, cui cura animarum committitur, idcircò ei Princeps decimas solvit, quia ab eo Sacramenta recepit; ideoque curio Regis dicitur *in l. 3. tit. 9. p. 2.* De Regibus Hispaniæ id referunt Abbas Pinaton *libro 4. histor. Sancti Joannis, cap. 20. in fine.* D. Ludovicus ab Exea *in l. unic. C. de palatiis, fol. 83.* De Regibus Galliæ idem tradit Lemaistre *lib. 2. de decimis, cap. 1.* De quibus capellanis regularibus exaudiendus est canon 22. Concilii Mogunt. ubi tres clericorum classes Patres constituunt, quorum alii sunt sub Episcopo, alii sub Abbate, & in servitio Domini Regis alii: unde constat, Reges secum clerum habuisse, suosque sacerdotes ab omni potestate Episcopi proprii exemptos, peculiarem parochiam constituentes, ad quam decimæ regiorum prædiorum spectabant, quas propterea nutu suo dispensabant, concedebantque vel ecclesiasticis, vel laicis; quod de cætero fieri ibi prohibent PP. & hortantur Principem, ut capellas suas, si fieri possit, deinceps viris ecclesiasticis committat: *Indignum est valde, ut qui in Regia dignitate cæteros Ecclesiæ filios auctore Deo præcellitis, negligentiùs quæ Dei sunt, exequi videamini: unde dignum erat, ut capellas villarum vestrarum laicis non committeretis, sed potiùs illis, qui & eadem sacrata loca religiosiùs tractarent, & vobis exinde adjuti obsequium debitum impenderent. Sed quia aliter causis intervenientibus res se habere dignoscitur, monemus, & hortamur, ut secundùm canonicam auctoritatem, nè (quod absit) periculum interdicti anathematis ex decimis præsumptis incurratis, si capellas vestras presbyteris, aut viris ecclesiasticis dederitis, & Dominicas decimas acceperint, sarta tecta Ecclesiæ, & luminaria exinde competenter provideant, & presbyteri parochianas decimas accipiant, & populi necessitatibus debitè invigilent. Si autem laici capellas habuerint, à ratione & auctoritate alienum habetur, ut ipsi decimas accipiant, & inde canes, aut gyniciarias suas pascant; sed potiùs Presbyteri Ecclesiarum eas accipiant, & inde restaurationem Ecclesiarum, & luminaria, & hospitum, ac pauperum receptionem exhibeant, & pro vobis, ac statu Regni vestri Domini misericordiam studiosè implorent.* Huic verò interpretationi adstruendæ seculi pravitas, & Magnatum ejus ætatis superbia non mediocriter conferunt, namque labente disciplinâ putabant Magnates ad similitudinem Regis decimas se posse concedere Ecclesiis, vel oratoriis in propriis possessionibus constructis. Hinc tot canonibus, & sanctionibus regiis cohibita fuit hæc decimarum translatio, ut in Capit. Ludovici Pii edito anno 828. his verbis: *Quicunque decimam abstrahit ab Ecclesia, ad quam per justitiam dare debet, & eam præsumptuosè, vel propter munera, aut amicitiam, vel aliam quamlibet occasionem ad alteram Ecclesiam dederit, a Comite, vel à misso nostro distringatur, & eiusdem decimæ quantitatem cum sua lege restituat.* Et *lib. 2. Capit. 36.* ibi: *Ecclesiæ antiquitus constitutæ, nec decimis, nec aliis possessionibus priventur, ita ut novis oratoriis tribuantur.* Refert Lemaistre *libro 1. de decimis, capite 1.* Novus notator Petri Blesensis *ad epist. 82.*

Ad monachos, religiososque viros accedamus. Et cùm primis Ecclesiæ temporibus illi ut laici Sacramenta à propriis parochis reciperent, *cap. Ecclesia*, cum aliis, *16. quæst. 1.* latè probavi *in cap. intelleximus, de ætate & qualit.* decimas, & oblationes ut cæteri laici illis præstabant, *capite quæsti 16. quæst. 1. cap. 7. de pact.* Gregorius VII. in Concil. Roman. *cap. 9. Nullus Abbas decimas, & primitias, & reliqua, quæ secundùm constituta canonum ad Episcopos pertinent, sine auctoritate Romani Pontificis, seu Episcopi consensu, in cujus diœcesi habitat, detineat.* De decimis illustris est locus Antiochi *homil. 120.* ubi asserit, decimas deberi à monachis ex duobus. Primò ex his, quæ aliorum beneficentiâ monasteriis donantur; secundò ex iis, quæ opere manuum sibi ipsis monachi comparant. Duraviteque hic mos pendendarum decimarum à monachis etiam posterioribus seculis, in eis præsertim regionibus, quibus pulsâ impietate nomen Christianum vigere cœpit; ideoque in legibus Hungaricis S. Ladislaus *Decretorum lib. 1. cap. 26.* statuit, ut Abbates de liberis suis darent decimationem Episcopis: & monasterium D. Martini in Pannonia non modò frugum, & pecorum, verùm & liberorum decimas quotannis offerre, refert Bonifacius *decad. 2. lib. 1.* & ex eo Bosquetus *ad Innocent. III. lib. 1. regestr. 13. epist. 199.* Quid autem sit dare decimationem de liberis, non satis constat. Lemaistre *dict. lib. 1. cap. 1.* existimat, liberos accipi pro hominibus justa servitute manumissis, quos sub conditione operæ monasteriis præstandæ domini manumiserant; aut accipi pro servis oblatis ad ministerium & famulatum monachorum. De oblationibus à monachis faciendis apertus est locus D. Hieronymi *epist. 1. ad Heliodorum*, ibi: *Clerici pascunt oves, ego pascor: illi de altari vivunt, mihi quasi infructuosæ arbori securis ponitur ad radicem, si munus ad altare non defero, nec possunt obtendere paupertatem.* Easdem oblationes detulisse sacerdotibus monachos, qui solitudinem incolebant, patet ex vita Nathaëlis apud Palladium *cap. 18.* in illis verbis: *Ille audivit vocem pueri, & aperto hostio cellæ, stans intus dicebat ei, quis es, & quid tibi vis faciam? Respondet dæmon: Ego sum hujus monachi minister, & fero panes, quoniam est agape tui noti fratris, & cras illucescente Sabbatho opus est oblationibus.* Illustrat Lemaistre *lib. 1. de decimis, cap. 12.* Itaque primis temporibus, cùm inter laicos versarentur monachi, tam decimas, quàm oblationes parochis faciebant; sed cùm postea cœpissent ad sacros ordines promoveri, & non solùm Sacramenta sibi administrare, verùm & in eorum collatione parochos juvare, ex prædiis quæ ob inopiam propriis manibus excolebant cœperunt eximi à decimarum præstatione; quæ exemptio nititur naturali æquitate, quia deficit fundamentalis ratio solvendi decimas, videlicet quia Sacramenta à parochis non recipiunt. Petrus Blesensis *epist. 82. ad Abbatem, & Conventum Cisterc.* ubi Richardus Cantuar. Archiepiscopus ait: *Non ponimus in cœlum os nostrum, nec de facto summi Pontificis disputamus; sed si Dominus Papa indulgentia speciali quandoque privilegiavit vos, dum Ordo vester in paupertate gaudebat, dum in ipsus egentium suæ tenuitatis viscera liberaliter effundebat, potuit tolera-*

De Regib. Hispan.

tolerari ad tempus, licèt in communem redundaret injuriam, quod causâ necessitatis fuerat introductum: nuncautem quando vestræ possessiones multiplicatæ sunt, etiam in immensum, privilegia hæc potius ambitionis, quàm religionis instrumenta censentur: quicquid indulgeant privilegia Ecclesiæ Romanæ, vobis expedire non credo, contra conscientiam vestram, quod alienum est, usurpare. Quid si à Sede illa publicum emanasset edictum, quod ubicunque inveneritis clericos, aut alterius habitus monachos equitantes, vobis liceret eos de suis evectionibus dejicere, & equos in usus proprios retinere? Quid interest equos rapiatis, an decimas? nisi quia decima res spiritualis est, & ideo enormius sacrilegium in decimis committitur, quàm in equis? Cùm Dominus præcipiat decimas solui, quis contra ejus præceptum potuit dispensare? Vbi divina, & humana justio sibi invicem contradicunt, obediendum est Deo magis quàm hominibus. Ac tandem ubi seriâ adhortatione ipsos ad eam immunitatem, aut ejurandam, aut temperandam invitavit, concludit hoc pacto. *Quod si pertinaces vos, & inflexibiles exhibetis, vinculo anathematis innodabimus universos, qui aliquid vobis dederint, aut vendiderint, unde jus decimationis obveniat; atque in cœlum clamabimus, & ad thronum summi judicis appellabimus, ne quis hujus vinculum excommunicationis absolvat. Principum etiam favorem in hoc plenissimè obtinebimus, ut gladio spirituali manus civilis assistat, ut quicquid contra Principale oraculum, venditum, aut donatum vobis fuerit, confiscetur.* Quo autem tempore cœperint hujusmodi immunitates, apud Interpretes adhuc non liquet; nam aliqui asserunt, à Paschasio Pontifice exemptionem hanc originem ducere *in cap. decimas 47. 16. quæst. 1.* ita Hunnius *de decimis cap. 2. num. 15.* Alii à Gregorio VII. ejus principium repetunt. Lemaistre *dict. lib. 1. de decimis, cap. 11.* Sed verius est, in Concilio Moguntino sub Paschali celebrato privilegium non solvendi decimas monachis concessum fuisse, *dict. cap. decimas, cap. questi 16. quæst. 1.* successit Gregorii VII. privilegium circa annos 1075. quod extat post Concilium Lateran. *pag. 13.* in hæc verba: *Statuimus ut monasteria ex suis prædiis nullo modo decimas solvere cogantur, quia si legitimè dandæ sunt orphanis, & peregrinis dandæ sunt. Indignum est enim, ut à clericis exigantur, qui propter eum, cujus sunt decimæ, pauperes ejiciuntur; nam pauperes Domini sunt, pauperum hæreditas pauperibus ejus eroganda est, illis videlicet, qui propter amorem illius, quæ poterant possidere, dimittunt. Magna ratione nititur dictum privilegium; nam monachi quicquid lucrantur, non sibi, sed communitati acquirunt, pro fratrum sustentatione, & residuum in pauperes expendunt: unde injustè ab eis decimæ exiguntur.* Quod non solùm in decimis personalibus, verùm & in prædialibus, & mixtis, constat *ex cap. licet 11. de decimis.* Post Gregorium VII. Hadrianus IV. circa annum Christi 1154. nonnullas edidit de monachorum decimis constitutiones, nempe cùm ex dicto Gregorii VII. & successorum Pontificum gratiâ quæcunque prædia à monachis arabantur, essent ab onere decimarum libera, is privilegium, ac libertatem ad sola novalia restrinxit, ut refert Alexander III. in Concil. Lateran. *pag. 13. cap. 3.* idem *in epist. ad Thomam Cantuariensem Archiepiscopum*, edixit, ut monachi persolverent decimas ex integro de agris, & prædiis, quæ olim culta fuerant, *cap. commissum, de decimis.* Ampliavit dicta privilegia Alexander III. statuens, ut nec de prædiis, seu nutrimentis propriis manibus cultis, verùm nec prediis aliis locatis decimas solverent, ut constat ex ejus Epistola ad Archiep. Eborac. quæ refertur post Concil. Lateran. *part. 13. cap. 3.* ibi: *De compellendis monachis albis, & nigris, & canonicis regularibus ad solvendas decimas de terris conductis, quas habent ad terminum, vel ad firmam, à nobis tua discretio postulavit: sed te, vel quemlibet alium audire, aut exaudire super hoc nulla ratione possumus, nisi manifeste vellemus obviare justitiæ, & prædecessorum institutis contraire, ne videamur religionem persequi, quam si fortè non habemus in nobis, in aliis diligere, & fovere tenemur.* Sed idem Pontifex agnoscens Religiones augeri, & pluribus possessionibus ditari, statuit, ut decimas solverent religiosi de agris conductis, ut habetur *dict. cap. 13. Concil. Lateran. cap. 2.* & Innoc. III. in Concil. Lateran. generali, *cap. 55.* absolutè monachis indixit, ut decimas præstarent de prædiis conductis, & noviter acquisitis, ibi: *Decernimus, ut de alienis terris, & amodò acquirendis, etsi eas propriis manibus, & sumptibus excoluerint, decimas persolvant Ecclesiis, quibus ratione prædiorum antea solvebantur, nisi cum ipsis Ecclesiis aliter duxerint componendum.* Immò idem Innocentius *lib. 4. epist. 85.* compescit hujus privilegii abusum in quibusdam monachis, qui vineas emebant, ut vinum ex eis collectum possent distrahere, & ita ait: *Extendentes ad turpia lucra manus vestras, multitudinem emitis vinearum, de quibus sibi* (id est Episcopo) *vel Ecclesiis suæ diœcesis decimæ solvi solent; quarum vinum licèt nequaquam in proprios usus expendatis, sed vendendum ad alias faciatis provincias deportari, decimas tamen sibi, vel ipsis Ecclesiis subtrahitis ex iisdem.* Et tandem illis comminatur in hæc verba: *Scientes vobis esse merito formidandum, ne propter clamores ejusmodi sacrum Concilium auctore Domino in proximo celebrandum privilegia vestra coarctanda provideat, vel etiam revocanda, cum privilegium mereatur amittere, qui concessâ abutitur libertate.* Quo autem ordine cœperint hæc privilegia communicari cæteris Religiosis, & monachorum Ordinibus, summorum Pontificum bullæ testantur. Urbanus enim III. anno 1187. exemtionem à decimis indulsit Hospitali fratrum Ordinis Crucigerorum, in civitate Bononiæ, in bulla, quæ incipit, *Cum antecessor tuus.* Cœlestinus III. eandem exemtionem concessit Congregationi monachorum Montis Virginis, bullâ quæ incipit, *Religiosam vitam.* Innocentius III. anno 1129. eodem onere liberavit fratres Ordinis Redemptionis Captivorum, bullâ quæ incipit, *Operante Patre.* Joannes XV. monachis Cassinensibus, ut constat ex chron. Cassin. *lib. 2. cap. 1.* Innocentius III. Camaldul. *lib. 2. epist. 12.* & Cistercienſibus *in cap. ad audientiam, hoc titul.* Prædicatoribus, & Minoribus *in capite nimis, de excess. Prælat.* idem indulsêre. Honorius III. anno 1216. eandem libertatem censuit esse communicandam Fratribus Prædicatoribus Ordinis Sancti Dominici, in bulla, cujus initium est, *Religiosam vitam.* Clemens IV. anno 1265. eandem exemptionem concessit fratribus D. Francisci. Quæ, & alia privilegia referunt Miranda *in manuali, tom. 2. quæst. 49. art. 12.* Barbosa *de offic. Parochi, dict. cap. 28. §. 3.* Pellizarius & Cruz *ubi suprà.* Hæc tamen privilegia tolerari posse ad tempus, ob paupertatem, ac

necessita-

necessiatem tantùm, non si multiplicatæ sint possessiones exemptorum : docuerunt P. Blesensis *epist.* 82. J. Satisbar. *lib.* 1. *de nugis Curial. cap.* 21. & *epist.* 92.

9. *De dubiis circa hæc privilegia.*

Sed circa prædicta privilegia nonnulla se offerunt dubia resolvenda. Primum circa personam, quæ possit ea concedere. Et dicendum est, Pontificem posse privilegium concedere, per quod quis eximatur à solutione decimarum, *cap. à nobis, cap. suggestum* 9. *cum sequent. cap. ad audientiam* 12. *hoc titul. cap. si de terra, cap. accedentibus* 15. *cap. dudum* 31. *de privil.* docet Barbosa *dict. cap.* 28. §. 3. *num.* 12. Episcopus autem dictam exemptionem concedere nequit per viam privilegii, quia sanctionibus Pontificiis, & Conciliaribus decimæ assignatæ sunt propriis parochis, *cap. Ecclesia, cum sequent.* 16. *q.* 1. nisi sint decimæ, seu decimarum partes illæ, quæ ad suam mensam spectant, *c. quia circa. de privil.* docent Moneta *de decimis, cap.* 5. *num.* 129. Rebuffus *eodem tract. quæst.* 5. *num.* 28. & 32. Secundum dubium vertitur circa prædia novalia, id est noviter ab ipsis monarchis acquisita, an ad ea privilegia exemptionis extendantur? Et ad illa protrahi debere, probatur ex sequentibus. Primò, nam privilegia, quæ à mera Principis liberalitate proveniunt, late sunt interpretanda, *cap. quamvis, de præbend. in* 6. ab specie probant textus *in cap. cum dilecti* 6. *de donat. cap. olim* 16. *de V. S. cap. quia circa* 22. *de privil.* sed prædictæ exemptiones à Summi Pontificis liberalitate, & beneficio proveniunt, *capite sedes* 15. *de rescript. dict. cap. quamvis :* igitur plenè debent interpretari, & ad novalia extendi. Secundò id probatur *in cap. ex parte*, 27. *hoc tit.* in illis verbis : *Cùm tibi, quod majus est, sit concessum, ut videlicet decimas de laboribus terræ parochiarum cum integritate percipias, de novalibus eas exigere satis potes.* Idem probatur *ex cap. quia circa, de privilegiis.* Sed adhuc contraria sententia defendenda est, quæ probatur *ex cap. tua* 25. §. *final. de decimis, cap. quid per novale, de V. S.* Et ex eo, nam privilegii, & præscriptionis eadem ratio est, *cap. duo sunt, de offic. Ordin. cap. super,* §. *præterea, de V. S.* Baldus *de præscript.* 5. *p.* 2. *quæst.* 26. Sed præscriptio non extenditur ad novalia, *cap. cùm contingat* 29. *hoc tit.* Igitur nec privilegium. Deinde quia privilegium non extenditur ad ea, quæ de novo accedunt, *Clement.* 1. *de censibus, l. si mandavero* 22. §. *is cujus, ff. mandati, cap. felicis, de pœnis, lib.* 6. *l. non modus* 12. *C. de servit.* Deinceps, nam omnia privilegia cùm concedantur contra jus commune, *cap. privilegia* 3. *distinct. cap. final.* 25. *quæst.* 1. & contra juris dispositionem operentur, *c. in his* 30. *de privil. l.* 2. *ff. ad municip.* odiosa sunt, & ita accipienda, ut minus lædant, *cap. quod dilecto, de consanguin. & affin. cap. licèt, de offic. Ordin. cap. veniens* 19. *de præscript. c. quamvis, de rescript. in* 6. *c. illa* 16. *de privil.* docent Covar. *lib.* 1. *var. cap.* 17. *num.* 13. Valascus *consult.* 58. *per totam :* nec extensionem aliquam recipiunt, *cap. petisti* 7. *quæst.* 1. etiam ex majoritate rationis, *l. si pupillorum*, §. *si Prætor. ff. de rebus eorum*, cum adductis à P. Barbosa *in l.* 1. *p.* 1. *num.* 19. *ff. solut. matrim.* & ab specie probant textus *in cap. ex multiplici, hoc tit. cap.* 2. §. 1. *eodem tit. in* 6. *cap. veniens* 19. *de præscript.* Retentâ igitur hac sententiâ, quam fusè probat Solorzanus *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 21. *num.* 26. non obstant contrariæ opinionis fundamenta. Non primum, nam illud procedit, quando privilegium interpretatur contra Principem concedentem; tunc enim plenissimè accipiendum est, *dict. cap. cùm dilecti.* Cæterùm si de tertii præjudicio agatur, strictè est interpretandum, cùm semper intelligatur concessum sine tertii præjudicio, *capite super eo, de offic. deleg. capite ex tuarum, de auctorit. & usu pallii, l. nec* 9. *C. de emancip. liber.* Alciatus *de præsumpt. regul.* 3. *præsumpt.* 11. non tamen adeo strictè sunt interpretanda privilegia, ut à propria verborum significatione recedatur, *l. cùm lege, ff. de testam.* & ab ea interpretatione, quæ ex mente concedentis colligi potest, *cap. quid per novale, de V. S. cap. quantò, de privileg.* Unde cùm exemptio à solutione decimarum tendat in præjudicium parochi, strictè est accipienda. Nec obstat textus *in dicto cap. ex parte*, pro cujus conciliatione cum capite *tua* 23. §. *final. hoc titul.* communiter DD. affirmant, textum *in dict. cap. tua*, procedere in concessione facta à laicis ; textum verò *in dict. capite ex parte*, in privilegio concessio ecclesiasticis personis, quod facilius ad novalia extenditur: ita docuerunt Cardinalis, Hostiensis, & Panormitanus *in dict. cap. ex parte*, & esse communem distinctionem dixerunt Covar. *lib.* 1. *var. cap.* 17. *num.* 13. Valasco *consult.* 58. *num.* 9. & videtur probari *ex l.* 23. *tit.* 20. *p.* 1. Rationem differentiæ ipsi assignant ex eo, quia decimæ à laicis retineri non possunt sine peccato, *cap. quamvis* 17. *cap. prohibemus* 19. *de decimis* ; & ideo privilegium laicis concessum, tanquam odiosum restringendum est. Sed hæc communis interpretatio sustineri non potest ex eo, nam sive privilegium concedatur laicis, sive religiosis percipiendi decimas, semper odiosum est, & restringendum, cùm præjudicet parocho proprio, cui jus competit ad eas, *cap. cùm in tua, hoc tit. cap. veniens, de præscript. cap. ad decimas, de restit. spol. lib.* 6. ac proinde semper strictè interpretandum est. Quare hac solutione omissâ verius dicendum est, textum *in dict. cap. ex parte*, procedere in privilegio concesso ei, cui jure communi decimæ debebantur, præscriptione tamen, vel alio modo jus ad eas amiserat ; quo casu privilegium favorabile est, argumento capitis *ab exordio*, 25. *dist.* cùm per illud regressus fiat ad jus commune, *l. si unus*, §. *pactus. ff. de pactis.* Quæ solutio adstruitur ex verbis ipsius textus, ibi : *De laboribus terræ parochiarum tuarum.* Ex quibus constat, privilegium illud concessum fuisse Rectori sanctæ Columbæ, in cujus territorio parochiæ illæ erant. Docuit post Barbosam *dict. cap.* 28. §. 3. Tondutus *resol. canonic. cap.* 101. *num.* 15. Nec obstat textus *in dict. cap. quia circa :* cui ut satisfaciat Tondutus *ubi suprà*, discrimen constituit inter religiosos exemptos ratione beneficii, aut ratione privilegii, ut si sint exempti ratione beneficii, cùm illa exemptio non repugnet juri communi, extendatur ad novalia ; secus verò cùm ratione privilegii exemptio contingit. Et primo casu accipit Tondutus textum *in dict. cap. quia circa.* Sed eâ solutione omissâ, verius dicendum est juxta suprà tradita, quod ideo extenditur in eo textu privilegium ad novalia, quia agebatur de ejus interpretatione contra ipsum concedentem, qui potuit legem apertiùs dicere, *l. veteribus* 40. *ff. de pactis* ; quia tunc nullum datur tertii præjudicium : docuit post Abbatem ibi. Covar. *lib.* 1. *var. cap.* 13. Tertiò dubitari solet, an prædicta privilegia non solvendi decimas extendantur ad illa

illa prædia, quæ monachi aliis tradunt excolenda? Et inspecto jure communi hoc dubium decisum videtur, videlicet colonos ipsorum prædiorum teneri decimas solvere, *cap. licèt, cap. nobis 24. hoc tit.* Inspectis verò ipsis privilegiis, discrimen est constituendum inter privilegia realia, & personalia; ita ut si privilegium sit personale, per quod eximantur religiosi à solutione decimarum, ipsorum coloni exempti non credantur: si verò sit reale, eximens bona, & possessiones, coloni non teneantur decimas persolvere. Azor *lib. 7. Instit. cap. 37. vers. Secundò quæritur*, Olea *de cess. jur. titul. 6. quæst. 3. num. 2.* Unde cùm religiosi mendicantes, & alia privilegia realia obtineant, in quibus non solùm ipsi, verùm & eorum prædia à solutione decimarum eximuntur, eorum coloni liberi erunt à decimarum præstatione, ut pluribus Rotæ decisionibus probat Puteus *decis.* 522. Circa prædia, quæ ipsi religiosi ab aliis accipiunt excolenda, habemus expressam juris decisionem *in cap. dilecti, hoc titulo*; ubi docetur, decimas præstare teneri, ut ex ipsis prædiis conductis, etsi manibus propriis excolant.

10. Traditur ratio decidendi. His animadversis ratio præsentis assertionis, quare videlicet omnes fideles teneantur propriis parochis decimas persolvere, duplex assignari potest. Prima, ut per hanc præstationem Christiani non minùs se gratos Deo ostendant, quàm legis veteris cultores. D. Chrysostomus *homil. 43. in epist. 1. ad Corinthios*; & ut abundet plus gratia nostra, quàm Scribarum, ut dicemus infrà, *in cap. cùm homines*, ubi agemus de origine hujus præcepti, & quo jure illud injunctum sit. Alia ratio deducitur ex adductis *in cap. cùm secundùm, de præbend.* nam si fideles Christiani accipiunt sacramenta, & alia spiritualia à propriis parochis, etiam debent temporalia illis præstare ad eorum alimoniam, cùm aliàs propriis stipendiis in Ecclesia deservire cogerentur: quare rectè ab Ecclesia præceptum est, ut omnes fideles teneantur decimas propriis parochis præstare: quod præceptum probant D. Cyprianus *epistola 34. in fine*, Chrysostomus *homilia 4. in epistolam Pauli ad Ephesios*, Divus Hieronymus *epistola 2. ad Nepotianum*, & alii Ecclesiæ Patres congesti à Crespetio *in summa verbo Decimæ*. Circa religiosos etiam idem servandum est, nisi privilegio ab hac decimarum præstatione exempti sint; unde cùm in præsenti textu adhuc temporibus Hadriani religiosi non fuissent exempti nisi à decimis eorum prædiorum, quæ propriis manibus noviter excolebant, non verò cùm jam olim prædia illa decimas debebant; ideò *in cap. 3. & 4. hoc titulo*, jubet Hadrianus, ut ipsi monachi de prædiis noviter acquisitis, & ex quibus antea decimæ præstabantur, decimas solvant.

11. Dissolvitur dubitandi ratio. Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, cujus prior pars procedit in decimis personalibus, quas etsi monachi olim, dum adhuc laici essent, propriis parochis persolverent, propter sacramenta ab eis recepta; tamen postquam sibi ipsis sacramenta administrare cœperunt, cessavit causa obligationis præstandi decimas personales: at decimæ prædiales cùm debeantur ut tributa realia ipsorum prædiorum, ut infrà probabimus *in cap. de terris*; ideò monachi ea possidentes decimas ex illis solvere coguntur, nisi privilegio reperiantur exempti. Secunda verò pars dubitandi rationis referenda est ad tempora Hadriani IV. istorum jurium; cùm enim ipse tantùm concessisset monachis Cisterciensibus, ut de prædiis propriis laboribus noviter cultis decimas solverent, & privilegium tantùm valeat, quantùm sonat, de prædiis noviter acquisitis, aut illis, quæ jam olim decimas pendebant, eas solvere coguntur.

CAPUT V.

Idem (a) *Cantuariensi Archiepiscopo, & ejus Suffraganeis.*

PErvenit ad nos, quod cùm (b) parochiani vestri decimas bonorum suorum consueverint Ecclesiis, quibus debentur, cum integritate persolvere; nunc autem laudabili consuetudine permissâ, quidam ex ipsis de lana, de fœno, de proventibus molendinorum, & piscariarum (c) ipsis Ecclesiis subtrahere non verentur. Sed quoniam institutioni (d) divinæ manifestiùs obviant, qui decimas ipsis Ecclesiis non persolvunt, f. v. p. A. s. p. m. quatenus parochianos vestros monere curetis, & si opus fuerit, sub excommunicationis districtione compellere, ut de proventibus molendinorum, & piscariarum, & fœno, & lana decimas Ecclesiis, quibus debentur, omni contradictione cessante, cum integritate persolvant.

NOTÆ.

(a) *Cantuariensi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* & post Concilium Lateran. *p. 4. cap. 2.* De Cantuariensi Ecclesia, & ejus Præsule nonnulla notavi *in cap. 2. de rescriptis.*

(b) *Parochiani.*] Diœceses appellari parochias, & ipsos fideles diœcesanos, parochianos, late probat Filesacus *de origine Parœc. cap. 1.* etiam

notavi *in capite* 2. *de parochiis*, *capite* 2. *de pecul. cleric.*

2. (c) *Piscariarum.*] In illis videlicet locis, in quibus piscatio in fructu est, ut in oris maritimis, & similibus locis, sicut in Corcyræorum regione contingebat; eos enim piscationis Thynnariæ etiam quotannis Jovi Olympico, & Apollini Delphico præstasse, auctor est Pausanias *in Phoc. pag.* 624. Immò plerunque piscatio ad privatos, seu communitates jure dominii spectat, ut probat, seu indicat syntagma, quod de juribus maritimis olim scripsit Sirius Metropolita Neocæsareensis, quod fortè non extat, sed laudatur à Theodoro Balsam. *in scholiis ad can.* 4. *Synodi Chalced. prope finem*; & constitutio Comneni seu bulla aurea *de prohibit. alienat. rerum*, apud eundem Balsamonem *in notis ad Synodum* 7. *can.* 12. *pagina mihi* 516. ex editione Gentiani Herberti & postea in Edmundo Bonefidio *in lib. juris Orient.* Gothofredo post novellas Justiniani, ad Leonis 9. & 10. Et etiam privilegio, aut consuetudine plerique exercent piscationem in flumine aliàs publico, ut referunt Ripa *in l. quominus, num.* 36. *de flumin.* Avendanno *de exequend. mandat.* 1. *part. cap.* 11. Covarr. *in regula Peccatum*, 2. *part.* §. 8. *num.* 11. Pinel. *lib.* 1. *select. cap.* 14. *num.* 18. Grotius *lib.* 2. *de jure belli, cap.* 4. §. 4. Lessius *de justitia lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 36. quam consuetudinem supponunt, & admittunt contra libertatem naturalem, juxta quam communis est omnibus aqua profluens, Marcus Lyclama *lib.* 3. *membran. eclog.* 9. Jacob. Wander. Graff. *de jure public. ad leg. de captivis*, 36. & 40. Seldenus *lib.* 1. *maris clausi, cap.* 14. & 15. quibus omnibus in casibus ex ipsa piscatione decima debetur, ex præsenti textu.

(d) *Institutioni divinæ.*] Hæc verba exponemus infra *in cap.* 32. §. *final.*

CAPUT VI.

Idem (a) *VVinton. Episcopo.*

NUntios, & literas tuæ fraternitatis eâ, quâ decuit benignitate, recepimus, & petitiones tuas ut licuit curavimus exaudire, sicut illius personæ, quam purâ in Domino, & ferventi charitate diligimus, & cujus commodis, & profectibus intendere volumus diligenter. Cùm igitur ad officium tuum spectent ea, in quibus præcepti nostri desideras nostrâ auctoritate muniri, tantò in his debuisti faciliùs exaudiri, quantò ipsam eorum specialiùs salutem respiciunt, de quibus in extremo judicio redditurus es rationem. Inde est, quod f. t. per A. f. p. m. quat. tam Comites, quàm Barones, nec non & (b) milites, & omnes alios de parochia tua moneas propensiùs, & inducas, & ap. cess. ecclesiasticâ districtione compellas, ut decimas Ecclesiis matricibus de suis bonis omnibus communi integritate persolvant. Præterea parochianis tuis de fœno, equitio, pomis, piris, apibus, & de omni fructu decimas solvere ecclesiasticâ districtione ap. cess. constringas.

NOTÆ.

(a) *VVinton.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc titul. capite* 3. & post Concil. Lateran. *part.* 4. *capite* 3. De Ecclesia Winton. nonnullâ notavi *in cap. cùm Wintonien-sis, de elect.*

1. (b) *Milites.*] Quibus olim permissum fuerat, ut decimas à prædiis ditionis suos in proprios usus converterent, propter expeditionem contra Saracenos, quoad bello mererent. Philippus in constitutione relata à Rigordo anno Christi 1187. ibi: *Qui alicujus terræ magnam justitiam habet, ejusdem terræ decimam habebit: miles crucem non habens, domino suo habenti eam, cujus erit homo ligius, dabit de suo proprio mobili decimam. & de feudo, quod ab ipso tenebit: si autem ab eo nullum tenebit feudum, de suo proprio mobili decimam domino suo ligio dabit.* Laici decimarum incubatores usurpationis vallandæ gratiâ persuasum voluerunt, decimam sibi beneficii nomine concessam à Romano Pontifice ob tuitionem Romanæ Ecclesiæ. Matthæus Paris. *in Henrico III, anno* 1240. ibi: *Item in Regno Francia multæ decimæ militibus ab Apostolicis Patribus concessæ creduntur, ut ipsi Romanam Ecclesiam tueantur; sed constat ab eis debitum suffragium esse denegatum, nec etiam constat eorum suffragium exercitui Domini Papæ fuisse adhuc contributum.*

CAPUT VII.

Idem *Exonien. &* (a) *VVigorn. Episcopis.*

CUm homines de Ottona secundùm generalem Anglicanæ Ecclesiæ institutionem de frugibus suis in Autumno IX. partibus sibi retentis decimas Ecclesiæ,

clesiæ S. Michaëlis, cujus parochiani sunt, sine diminutione solvere teneantur, antequam Ecclesiæ decimas ad eam spectantes persolvant, servientibus, & mercenariis suis de frugibus non decimatis debita totius anni pro servitio suo impendunt, tunc demùm de residuo decimam persolventes. Unde discretioni vestræ per A. s. p. m. quat. sub anathematis districtione illos cogatis, tam de frugibus, quàm de nutrimentis animalium suorum, sine fraude, & diminutione aliqua, in Autumno, sicut moris est, statim collectis fructibus, & aliis temporibus, prout debent, persolvant, atque de subtractis, & recentis dignam satisfaction emexhibeant.

NOTÆ

(a) *Vvigorn. Episcopis.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 4. & post Concil. Lateran. *p.* 4. *cap.* 4. De Exoniensi, & Vvigorn. Ecclesiis egi *in cap.* 9. *de rescriptis, cap.* 6. *de filiis presbyt.*

COMMENTARIUM.

1. *Conclusio traditur.*

EX his tribus decisionibus sequens deducitur disputanda assertio: *De omnibus fructibus, etiam piscationis, aut molendinorum, debentur decimæ non deductis expensis.* Priorem partem assertionis probant textus *in cap. ex parte*, 10. *cap. tua nobis, cap. ex transmissa, cap. pastoralis, hoc tit. cap. plerique, de pactis.* D. Thomas. 2. 2. *quæst.* 87. *art.* 2. Illustrant ultra congestos in præsenti à Garanna, & de decimis scribentes, P. Suarez *lib.* 1. *de decimis, cap.* 4. Hunnius *in Encyclop. tract.* 5. *de decimis, cap.* 5. Secundam partem probant textus *in cap. non est, cap. pastoralis, cap. tua nobis, hoc tit.* & illustrant plures congesti à Barbosa *in præsenti*, idem Barbosa *d.* §. 1. *num.* 34. & *lib.* 3. *voto* 96. Petrus Gregorius *lib.* 13. *de repub. cap.* 17. Petrus Barbosa *in l. fructus, ex num.* 16. *ff. solut. matrim.* Castillo *de tertiis cap.* 38. Fagundez *in* 5. *præcept. lib.* 1. *cap.* 2. Vaseus *in florib. verbo Decimæ, num.* 8. Solorzanus 2. *tom. de jure Indiar. lib.* 2. *cap.* 10.

2. *Traditur ratio decisionis.*

Sed in hanc assertionem, quæ duplicem continet partem, duplici insurgam dubitandi ratione. Prima nascitur ex eo, nam si ex omnibus fructibus terræ, aut maris decimæ essent solvendæ, non attenderetur, an licitè, vel illicitè essent quæsiti: sed ex quæstu illicito, & fructibus injustè perceptis decimæ solvi non possunt, *capite oblationes*, 90. *distinct. cap. de viro*, 12. *quæst.* 2. *capite miror* 17. *quæst.* 4. docet Hispanus *de decimis quæst.* 10. igitur indistinctè verum non est, ex omnibus fructibus decimas esse solvendas. Secunda pars assertionis etiam impugnatur ex eo, nam fructus non dicuntur propriè, nisi deductis expensis, *l. fructus, ff. solut. matrim. l.* 1. *Cod. de fructibus & litium, l. si à domino* 36. §. *final. cum l. sequenti, ff. de petit. hæredit. l. videamus* 38. §. *item* 14. *ff. de usuris, l. fructus* 7. *in princip.* & §. *impendi, ff. soluto matrim. l. ait Prætor* 10. §. & *fructus* 20. *ff. quæ in fraudem.* Plura Tiraquellus *de retract. lignag.* §. 15. Garsias *de expensis cap.* 1. *ex num.* 12. P. Barbosa *in dict. l. fructus, num.* 7. Osvvaldus *ad Donel. lib.* 20. *cap.* 7. Covar. *lib.* 1. *var. cap.* 3. Escobar *de ratiocin. tom.* 2. *comput.* 13. Castillo *de usufructu, cap.* 29. *numero* 26. Sed decimæ tantùm ex fructibus præstantur: Igitur ut illæ debeantur, necessariò prius deduci debent expensæ. Augetur hæc difficultas *ex l. fructus, ff. famil. erciscæ.* ubi cùm agatur de expensis deducendis, vel non, ait Consultus, nullum casum intervenire posse, qui hoc genus deductionis impediat. Igitur nec in decimarum præstatione talis deductio negari potest. Fulcitur secundò hæc dubitandi ratio ex eo; nam præstatio redecimæ, seu duplicis decimæ ex eadem re juri, & æquitati repugnat, ut probat Innocentius *in cap. cùm non sit, hoc tit.* Sed nisi deducatur quantitas seminis, ex qua decima soluta fuerat, iterum eadem res redecimatur, præcipè cùm plerumque contingat, non plures fructus nasci, quàm fuerit quantitas seminis. Ergo semper expensæ deducendæ sunt. Augetur tandem hæc difficultas, nam certum est, decimas personales non aliter debere persolvi, quàm deductis expensis; *cap. ex parte* 21. *hoc tit.* Igitur similiter prædiales decimæ, deductis expensis præstandæ sunt.

Adhuc tamen defendenda est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, decimam dictam fuisse a parte decima, quæ ex fructibus, & aliis rebus persolvitur, *cap.* 1. *cap. parochianos, hoc tit. l.* 1. *tit.* 20. *partit.* 7. inde decumanus ager appellatur ille, ex quo decima pars Imperatoribus solvitur. Cicero *lib.* 2. *de finibus*: notavit Canisius *ad hunc titulum, cap.* 1. hinc decimare legiones dicitur quando decima pars supplicio afficitur; cùm enim apud Romanos plures delictum perpetrabant, decimus eorum supplicio afficiebatur, ut sic metus ad omnes, pœna ad paucos perveniret. Tacitus *lib.* 4. *annalium*, Capitolinus *in vita Macrini*, Titus Livius *lib.* 2. *Cætera multitudo decimus quisque ad supplicium.* Tertullianus ad Scapulam: *Totam Carthaginem decimabis.* Suetonius *in Caligula, capit.* 48. *in Consilium iniit nefandæ atrocitatis, legiones, quæ post excessum Augusti seditionem moverant, contrucidandi; vixque a tam præcipiti cogitatione revocatus inhiberi nullo potuit modo, quin decimare velle perseveraret.* Ex Halicarnasseo, Platone & Appiano probant Mendoza *in virid. decad.* 1. *Saturn. capite* 1. Zerda *in adverss. capite* 113. *num.* 1. & hoc decimare, & decimationem militum appellabant, ut probant Baronius *in Martyrol. die* 22. *Septemb.* P. Herodius *libr.* 1. *Pandect. titulo* 7. Dorleans *ad Tacitum libro* 3. *fol.* 357. Beyerlinch. *in Theatro, verbo Decimæ.* Inde quia fructuum pars decima solvitur à fidelibus propriis Parochiis, decima absoluti vocatur. Et licet aliquando ex consuetudine, vel præscriptione major, seu minor pars, quàm decima solvatur, tamen semper attentâ origine decima dicitur, *cap. tua nobis, hoc tit.* latè probat Rebuffus *de decimis quæst.* 1. & 2. Valenzuela *consil.* 49. nam etsi verè decima pars fructuum non sit, inspectâ tamen origine,

3. *De decimarum nomine & origine.*

gine nomen retinet. Portionis hujus decimæ præstationem omni religione invaluisse, & eam fructuum partem, seu rerum acquisitarum quotam sacerdotibus fuisse solutam, pro comperto est. Siquidem Abraham adhuc in statu naturæ decimas Sacerdoti Melchisedech solvisse refertur *Genesis cap.* 14. & narrat D. Paulus *ad Hebræos cap.* 7. *Intuemini autem quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha.* Jacob etiam in Mesopotamiam profecturus decimas Deo vovit, ut traditur *Genesis cap.* 18. Rectè tamen Abulensis *in cap.* 23. *Matthæi, quæst.* 136. notat in eo statu decimas non solvi ex præcepto, sed ex voto; nec ex fructibus terræ præcisè, sed voluntariè ex rebus, de quibus promittebantur; nec fuisse Levitis applicatas, sed pro libito vovebantur, cui promissor mallet. Postea verò Deus populo suo legem tradens, jussit decimam fructuum partem sibi solvi, *Levitici cap.* 27. ibi: *Omnes decimæ terræ, sive de pomis arborum, sive de frugibus, Domini sunt.* Exodi *cap.* 22. *Omnes decimas tuas non tardabis Deo reddere.* Deuteron. *cap.* 12. *vers.* 6. & *cap.* 14. *vers.* 22. & *cap* 26. *vers.* 11. Unde conqueritur Dominus de peccato circa præstationem decimarum commisso apud Ezechielem *cap.* 20. *vers.* 40. Amos *cap.* 4. *vers.* 4. Malachiam *cap.* 38. *vers.* 10. & laudantur Tobias ob hujus præcepti observantiam, *Tobiæ cap.* 1. *vers.* 6. & Judæi 1. *Machabæorum* 3. *vers.* 49. Et quia ipsi exactissimè decimas pendebant, ideo Ecclesiæ Patres sæpè provocant eorum exemplum, cum de decimis præstandis agunt, ut D. Clemens *lib.* 2. *constitut. cap.* 34. D. Hieronymus *in cap.* 3. *Malachiæ*, D. Chrysostomus *homil.* 4. *in epist. ad Ephesios*, & alii, quos laudat Adam Contzen. *lib.* 6. *pol. cap.* 24. §. 1. Illustrant Theologi positivi *in dictis locis*, D. Thomas 2. 2. *quæst.* 87. *artic.* 1. Becanus *in analog. cap.* 7. *quæst.* 6. Spondanus *in annal. sacr. anno* 2574. *num.* 6. P. Menochius *de Republica Hebræorum lib.* 2. *cap.* 4. Apud Gentiles etiam receptum fuisse decimas Diis præstare, constat ex Diodoro Siculo *lib.* 5. Plutarcho *problem. cap.* 16. Herodoto *lib.* 1. Plinio *lib.* 18. *cap.* 2. & *lib.* 19. *cap.* 14. Xenophonte in oratione, quam edidit in Laudibus Agesilai, qui scribit ipsum duorum annorum spatio centum talenta & amplius Deo apud Delphos in decimam dedisse. Idemque refert oraculi jussu templum Dianæ construxisse, ubi & annuam decimam consecravit ex fructibus terræ: & præcipuè ex prædiis, ac spoliis hostium decimam Gentiles solvisse referunt Valerius Maximus *lib.* 1. *cap.* 1. Diogenes *in vita Solonis*, Diodorus Siculus *lib.* 11. ibi: *Populus Atheniensis dicavit Deo decimam partem, quam ex spoliis detraxerat.* Illustrat Petrus Faber *lib.* 2. *semestr. cap.* 3. & alia decimarum à Gentilibus exhibitarum exempla referunt Anastasius Germon. *libr.* 1. *de sacr. immunit. cap.* 14. *num.* 8. & *lib.* 3. *cap.* 19. *num.* 4. Philippus Thomasinus *de donariis cap.* 4. *pag.* 33. Beroaldus *ad Suetonium, folio* 356. Azor *tom.* 1. *Instit. libro* 7. *cap.* 23. *quæst.* 2. Baronius *anno* 57. *num.* 74. Avendanno *de metu lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 26. Quamquam negandum non sit, pleraque exempla, quæ ab eis afferuntur, non habuisse reverà rationem decimarum, sed simplicium oblationum, non ex justitia, titulo debitæ sustentationis sacris ministris debitarum, sed sponte ex voto ad aliquid impetrandum consecratarum. Quare legimus mercatores, propolas, aliosque lucris inhiantes, Herculi decimam vovisse, ut tanto heroë in societatem lucri vocato, faceret ut Numinum quoque interesset res suas, & commercia fœcundioti fortunâ promoveri. Constat *ex l.* 2. §. *si decimam*, *ff. de polliciț.* Et hanc portionem Herculeam veteres vocabant. Varro *lib.* 5. *de lingua Latina*, Cicero *lib.* 3. *de natura Deorum*, cujus portionis meminerunt Tertullianus *in apolog. cap.* 39. Festus Pompejus *verbo Decima*, & ex eis Gothofredus & Budeus *in dicto* §. *si decimam.* Apud Athenienses decimæ in quos usus insumerentur, colligitur ex epistola Pisistrati ad Solonem, interprete Sancto Ambrosio, ibi: *Denique Athenienſium singuli decimas frugum suarum separant non in usus nostros consumendas, verum sacrificiis publicis, commodisque communibus; & si quando bellum contra nos ingruerit, in sumptus deportandas.* Tandem apud Catholicos jam à primis Ecclesiæ seculis decimas solutas fuisse, constat ex veteribus canonibus congestis ab Antonio Augustino *in epit. jur Pontif. lib.* 70. *tit.* 7. & *libro* 15. *tit.* 16. Crespet. *in summa*, *verbo Decima*, de quibus decimis peculiares tractatus ediderunt Hispanus, Rebuffus, & Moneta, & Canisius, earumque materiam pertractarunt ex Jurisperitis Covarruvias *lib.* 1. *variar. cap.* 17. Gutierrez *lib.* 1. *canonic. cap.* 22. Petrus Gregorius *lib.* 2. *syntagmatum*, *cap.* 20 Germonius *ubi suprà.* Borellus *in summa decis. titul.* 19. Lemaistre *integro libro de decimis*, Barbosa *de offic. Parochi*, *cap.* 29. Altesserra *lib.* 3. *dissert. cap.* 9. Hunnius *in Encyclop. tit.* 22. ex Theologis cum Divo Thoma 2. 2. *quæst.* 87. Suarez *de relig. tom.* 1. *tractatu* 2. *de decimis*, Vasquez *in opusc. de benef. cap.* 1. Fagundez, Leander, & Tamburinus *in* 5. *Ecclesiæ præcept.* Azor *p.* 1. *Instit. lib.* 7. *cap.* 15. Sylvester, Basseus, & alii Summistæ *verbo Decima.* Illud notandum est, decimarum præstationem eatenus esse actum religionis, quatenus per decimas foventur ministri, à quibus exhibetur cultus Deo, quem exhibere non possunt, si sustentatione necessariâ destituantur. Quatenus tamen decimæ præstantur directe ipsis ministris, sic earum exhibitio est actus justitiæ commutativæ; justum quippe est, ut seminantibus spiritualia, reddantur temporalia, ut dicitur ab Apostolo 1. *ad Corinthios*, *cap.* 9. Meritò ergo in Concilio Constantiensi *sess.* 8. *artic.* 18. damnatum est delirium Wicleffi, qui referentibus Waldensi *lib.* 2. *doctrinæ*, *cap.* 64. Nicolao Harspfoldio *in histor. Wiclef. cap.* 2. contendebat, decimas esse meras eleemosynas, nec ullo jure sacerdotibus deberi; quod alii quoque nonnulli hæretici tenuerunt, ut Leutardus, referente Glabro *lib.* 2. *histor. cap.* 11. Idem sentiebat Joannes pecorum pastor, de quo Genebrardus *anno* 1453. Mussetus *lib.* 3. *Cosmogr.* quos refellunt Bellarminus *lib. de clericis*, *cap.* 20, Valentia 2. 2. *quæst.* 5. *distinct.* 6. Castro *adversùs hæreses*, *verbo Decimæ.* Et si Divus Augustinus *in Enchiridio*, *cap.* 76. & sanctus Chrysostomus *homil.* 74. *in Matthæum*, enumerent inter eleemosynas etiam decimas, sumunt latè eam vocem pro quacunque pia contributione, etiamsi ex justitia debea-

debeatur, cujusmodi est ista; quod D. Augustinus disertè agnoscit *serm.* 219. *de tempore*, & optimè quoque Clemens Romanus *libro* 2. *constit. cap.* 29. 31. & 38. comparans decimas eum tributis Principum, quæ ex justitia debentur.

Decimarum diffinitio & divisio.

4. Varias decimæ diffinitiones adducunt Doctores supra laudati. Aliqui ita diffiniunt: *Decima est omnium bonorum licitè quæsitorum quota pars Deo; ejusque ministris divinâ institutione debita.* Ita Rebuffus *de decimis, quæst.* 4. Moneta *cap.* 2. Alii ita, ut *Decima sit pars fructuum, ad quam petendam jus competat Parochis ratione administrationis Sacramentorum.* Barbosa *dict. capite* 28. *de offic. Parochi, num.* 3. Alii tandem ajunt: *Deinde est pars omnium eorum, quæ quis licitè quavis ex causa acquisivit, ministris Ecclesiæ resolvenda.* Canisius *de decimis cap.* 2. *num.* 5. Sed his omissis, & aliis traditis à Peteo Gregorio *lib.* 2. *syntagm. cap.* 21. Hostiensi *in præsenti titulo*, rectiùs ita diffinitur; ut decima sit? *Quota fructuum, vel lucri liciti portio Deo debita.* Deducitur *ex cap. parochianus* 14. *cap. tua nobis* 26. *hoc tit. cap. decimæ* 16. *q.* 1. Dicitur *quota fructuum*, loco generis, cùm aliæ fructuum similes partes solvantur Imperatoribus, & aliis personis, ut infra dicemus: quare autem Deus decimam partem, non verò majorem, nec minorem sibi reservaverit, disputant Doctores? Et nullam congruam posse assignari rationem, putat Tindarus *de decimis, num* 28. ex eo, quia in arbitrariis rationem quærere superfluum sit, Glossa *in l.* 1. *ff. de pactis*: quo casu accipiunt textum *in l. non omnium, ff. de legibus*, Menochius *de arbitr. casu* 82. *num.* 14. Corrasius *de jure civili in artic. redig.* Verùm D. Thomas *ubi supra*, Rebuffus *d. quæst.* 2. *num.* 8. rationem reddunt ex perfectione hujus numeri. Cætera verò diffinitionis verba loco differentiæ apponuntur, cùm illæ decimæ tantùm debeantur Deo in signum universalis dominii, *cap. tua, cap. cùm sit*, 33. *hoc tit.* Dicitur etiam pars fructuum, ut comprehendantur grana, & legumina, nec non fructus arborum, *cap. pervenit* 5. *hoc tit.* Dicitur etiam lucri portio, ut omnia lucra aliunde obvenientia comprehendantur, ut proventus molendinorum, *cap. pastoralis* 28. *hoc titul.* pensiones ædium, *cap. penult. de pactis*; & quicquid ex artificio, seu professione provenit, *cap. decimæ* 16. *quæst.* 1. & infrà dicemus. Circa divisionem decimarum sciendum est, decimas plerunque dividi in prophanas, & ecclesiasticas. Prioris generis variæ sunt species; aliæ enim dicuntur pœnales, aliæ tributoriæ, colonariæ aliæ. Pœnales dicuntur, quæ in pœnam inferuntur, ut decimæ, quæ ex jure civili in judiciis pecuniariis in usu erant; nam qui indebitam pecuniam ab alio dolo malo postulabat, decimam pecuniæ in controversiam adductæ pendebat fisco in pœnam litis temerè institutæ; & eodem modo, qui creditori legitimo debitam pecuniam negabat, eandem decimam ærario inferebat, postquam in lite succubuerat, §. *hæc autem, Instit. de pœna temere, authent. generaliter, C. de Episcop. & cleric.* Illustrant Cujacius *lib.* 7. *obs. cap.* 7. Theophilus *in dict.* §. *hæc*: Pancirola *lib.* 1. *var. cap.* 38. de qua decima accipiunt textum *in l.* 1. §. *proinde, ff. de variis & extraordin.* Pancirola *dicto libro* 1. *cap.* 33. P. Pitheus *lib.* 1. *advers. cap.* 18. Germonius *lib.* 3. *de sacror. immunit. cap. final. num.* 23.

Item apud Romanos lege Julia, & Papia cautum erat, ut si nullos filios conjuges susciperent, tantùm decimam partem ad invicem caperent: ibi: *Viro, & uxori inter se matrimonii nomine decimam capere jus esto.* Ulpianus *in fragmentis, tit.* 15. cujus legis decimariæ vestigia extant *in l. si quis solidum* 72. *de hæredibus instit. l. si is qui, ff. de vulgari. l.* 62. *&* 63. *ff. ad leg. Falcid. l.* 2. *C. Theod. de jure liber. l.* 2. *C. de infirmandis pœnis*: notavit Jacobus Gothofredus *in quatuor fontibus ad leg. Papiam.* Tributariæ decimæ sunt, quæ supremis Principibus præstantur ex pretio omnium rerum, quæ venduntur. *l.* 1. *&* 2. *tit.* 17. *lib.* 9. *recopil.* de qua integros tractatus ediderunt Gironda, Lassarte, & Gutierrez. Etiam decima tributoria præstatur ex metallis, quando ipsa in fundis privatorum reperiuntur, *l. inter* 17. *ff. de V. S. l. cuncti, C. de metallariis, lib.* 11. *l.* 4. *&* 5. *tit.* 13. *recopil.* & populi noviter subjecti olim Imperatori decimas præstabant, ut ex Strabone, & aliis docet Pancirola *libro* 3. *var. capite* 31. Unde apud Ciceronem *in Verrem*, agri Siciliæ Decumani dicuntur: notavit P. Gregorius *libro* 2 *syntagm. capite* 20. Item decima tributoria Regi nostro solvitur ex omnibus rebus, quæ transvehuntur ab hoc Regno, vel econtrà, *l.* 1. *titul.* 28. *libro* 9. *recopil.* Colonariæ decimæ dicuntur, quæ præstantur colonis ex fructibus agri ad colendum accepti. Appianus *lib.* 1. *belli civilis*, ibi: *Volentibus agros colere annua vectigalia publicè esse pendenda, seminum partem decimam.* Ex legibus colonariis congestis ab Harmenopulo, illustrat Lemaistre *libro* 1. *de decimis, cap.* 1. Etiam ex jure nostro Regio duplex decima præstatur. Prima judici executori, *ex l.* 1. *titul.* 3. *l.* 1. *titul.* 21. *lib.* 4. *recopil.* de qua egi *in cap. cùm ab omni, de vita & honest. cleric.* alia, quæ tutori solvitur propter laborem administrationis ex fructibus patrimonii pupilli, *l.* 2. *titul.* 7. *libro* 3. *fori*, de qua agit Gutierrez *de tutel.* 3. *part. per tot.* Sed ut ad decimas ecclesiasticas perveniamus, communiter dividuntur in prædiales, personales, & mixtas. Prædiales sunt, quæ ex fructibus prædiorum præstantur, de quibus *in capite ad Apostolicæ, cap. ex parte, hoc titul. cap.* 4. *cum sequent.* 16. *quæst.* 1. Personales sunt, quæ proveniunt ex artificio, & industria personæ, ut ex mercatura, piscatione, & venatione, *capite decimæ* 16. *quæst.* 1. *capite pastoralis, hoc titulo.* D. Ambrosius *sermon.* 33 Si autem fructus prædii in venatione consistant, ut sæpe contingit, *l. item si fundi* 9. §. *aucupiorum, ff. de usufructu, l. venationem* 26. *ff. de usuris, l.* 12. §. *in agro, ff. de instruct. vel instrum. legat.* tunc prædiales erunt etiam quæ præstantur ex negotio, aut artificio D. Augustinus *serm.* 219. *de tempore.* Mixtæ dicuntur, quæ proveniunt partim ex prædiis, partim ex industria, ut sunt decimæ fructuum, pecorum, & similium, quæ causâ prædii, ubi animalia pascuntur, prædiales sunt; pecora enim videntur pars ipsius fundi, *l.* 4. *ff. de servit. rustic. l.* 2. *C. de V. S.* Ratione verò custodiæ sunt personales, *capite commissum, dict. capite Apostolicæ, hoc tit.* Inter prædictas autem decimas nonnullæ dantur differentiæ. Prima, quod prædiales debentur etiam à Judæis, non verò personales ut dicemus infrà, *in capite de terris.* Secunda, nam perso-

nales decimæ debentur in ea Ecclesia, in qua quis recipit sacramenta, *dicto cap. ad Apostolicæ, versi. noveris, cap. questi sunt* 16. *quæst.* 1. quæ in Hispania generali consuetudine non solvuntur ex negotiatione, militia, & similibus, Solorzanus *tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 22. *n.* 41. prædiales verò illi Ecclesiæ debentur, in cujus territorio prædia sunt, *cap.* 18. *hoc tit. cap. final. de parochiis.* Tertia, nam personales debentur deductis expensis, *cap. pastoralis, hoc tit.* prædiales verò illis non deductis, ex præsenti textu. Aliæ etiam sunt decimæ extraordinariæ pro tempore, & causa aliquo modo indictę ab habentibus potestatem, ut decima, de qua *in Clement.* 2. *hoc tit. extravagant. unica, eod.* & decima pro subsidio Terræ Sanctæ, aut belli causâ, de qua *in cap.* 2. *hoc tit. in* 5. *compil.* & latè agit Rousselet. *lib.* 5. *histor. Iurisd. Pontif. cap.* 2. quam decimam belli gratiâ contra Sarracenos initi, sæpius Romanus Pontifex ex fructibus ecclesiasticis Regibus nostris concessit, ut referunt Spondanus *in continuat. Baronii, anno* 1275. P. Gregotius *dicto cap.*20

5. *De quibus rebus decimæ debeantur.*

Deinde sciendum est, decimas, tam prædiales, quàm personales, deberi ex omnibus fructibus, & proventibus, tam ex prædiis, quam ex hominis ministerio productis, & paratis, *cap. non est cap. nuncios, hoc titul.* Suarez *ubi supra, cap.* 34. Barbosa *dict. cap.* 28. §. 1. nam non est major ratio solvendi decimas ex una re, quàm ex alia. Deine quia si institutæ sunt ad sustentationem ministerorum Ecclesiæ, a qualiter illi egent decimis unius prædii, quàm alterius. Hebræi autem decimas solvebant ex omni esculento hominis, cujus incrementa sunt de terra: ex rebus tam natis ex area, quàm ex torculari, bobus, & ovibus, ac aliis animalibus, quæ sub pastoris virga transeunt, *cap.*17 & 23. *Levit.* Abulensis *in cap.* 23. *Matthæi. quæst.*145. Etiam hortensia, vel medicinalia quæque, modò esui hominibus essent, in hunc censum veniebant, veluti mentha, pulegium, ruta, origanum, anethum, & id genus alia quorum nomina nec dum in lege concepta erant, sed & in Evangelio, *Lucæ cap.*11. *versi.* 42. *Matthæi versi.* 3. *cap.* 23. ibi: *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum.* Ubi Chrysostomus explicat, decimas datis, ut justi judicemini. Hieronymus, decimas exigitis, etiam de minimis, curantes ut lex servetur in quantum vobis est utilis, cætera verò opera justitiæ parvipenditis. Utramque referunt Albertus Magnus, Tostatus & Lira: itaque requirebatur, quod hominis esculentum esset, quod de terra sumeretur, quod deponeretur in horreis, cellis, vel apothecis, ut ex Talmudicis notavi *in cap.* 1. *hoc tit.* Cùm ergo in lege veteri ex omnibus fructibus prædiorum decimæ solverentur, & in lege gratiæ ex omnibus fructibus solvi debeant, ne Christiani sint minùs liberales erga sacerdotes legis gratiæ, quàm Judæi erga suos Levitas; ideo debentur decimæ ex omnibus proventibus rerum, tam mobilium, quàm immobilium; exempli gratiâ ex omni grano, & vino, *c. quicunque* 16. *q.* 7. *c. non est, hoc tit.* ex oleo, pomis, & fructibus arborum, *cap. decimæ* 16. *quæst.* 1. ex leguminibus, *cap. ex multiplici, hoc titul.* ex fœno, *cap. pervenit, hoc tit.* & quod vulgò dicimus, *alacer.* Solorzanus *tom.* 2. *de jure Ind. lib.* 3. *cap.*21. ex proventibus molendinorum, *cap. ex transmissa, cap. pastoralis, hoc tit.* ex pensionibus domorum, *dict. cap. pastoralis, cap. plerique, de pactis:* ex pascuis, sive redditibus herbarum, vulgò *de hessas, cap. commissum, hoc titul.* ubi Abbas *num.* 2. Solorzanus *dict. cap.* 21. *nu.* 6. ex lacte, fœtu, & lana, *dicto cap. pervenit:* ex fructibus apum, *cap. nuncios, hoc tit.* ex omnibus animalibus rusticis, & urbanis, *cap. omnes* 16. *quæst.* 7. *dict. cap. quicunque:* ex piscibus, & avibus in propriis vivariis, & stagnis inclusis, *dict. cap. pervenit:* ex lino, cannabe, & fructu sericeo, vulgò *gusanos de seda.* Rebuffus *de decimis quæst.* 9. *num.* 11. Moneta *eod. tract. cap.* 4. Ferto Manrique *de differ. utriusque fori, quæst.* 151. Solorzanus *ubi suprà:* & si ex uno prædio duplices fructus percipiantur, vel loco unius seminis aliud seratur, ex omnibus decimę debentur. Valenzuela *consil.* 33. Apud Anglos lex erat, referente Joanne de Hoveden. *in suis annalibus, parte posteriori*, in hæc verba: *De omni annona decima Deo est reddita, & ideo reddenda: si quis gregem equarum habuerit, pullum reddat decimum; qui unam tantùm vel duas habuerit, de singulis pullis singulos denarios præbeat: similiter qui plures vaccas, decimum vitulum; qui unam, vel duas, de singulis vitulis singulos denarios; & qui caseum fecerit, dec decimam Deo. & si non fecerit, lac decimet.* Immò ex tempore à Catholicis decima solvitur; quare instituta est Quadragesima, *capite Quadragesima. de consecr. distinct.* 5. Concil. Troslejan. *can.* 6. Nicolaus ad Consulta-Bulgar. ibi: *Tempore Quadragesimæ, quo Deo carnis nostræ decimas damus, nisi voluptati est renunciandum.* D. Augustin. *serm.*219. ibi: *Et quod majus est, non rerum omnium & proventuum, sed & ipsarum dierum decimas Deo dare debemus.* D. Gregor. *in homilia*, apud Burchardum *lib.* 13. *Decreti, cap.* 1. Cornot. *pag.*4. *cap.*34. ibi: *Si per trecentos sexaginta quinque dies annus ducitur, & nos per triginta sex dies affligimur, quasi anni decimas Deo damus.* Illustrat Filesacus *de quadrag. cap.* 4. Benedict. Hæphtenus *disquisit. monast. lib.*10. *tract.* 8. *disquisit.* 1. Baronius *anno* 57. 136. & 173. Ayala *de traditionibus, fol.*243. Azor *tom.* 1. *instit. lib.* 7. *cap.*14. Menardus *in not. ad Sacram. D. Gregorii, fol.*50. Severinus Binius *in not. ad epist.* 1. *Theleshori*, Corjolanus *in can.* 69. *Apost.* Aloix *in notis ad vitam S. Dionysii, cap.* 2. Carrier. *tom.* 2. *Digest. fidei fol.* 536. Tandem ex omni negotio, & artificio decimæ præstantur, *dict. cap.* 10. ut ex captis in bello, ex fumis, ex lapidicinis, auri & argentei, vel aliorum metallorum fodinis; an verò ex hæreditate, vel legato decima debeatur, disputant Fagundez ubi suprà, *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 5. Moneta *dict. cap.* 4. *num.* 27. Barbosa *ubi suprà, num.*28. Hunnius *ubi proximè, cap.* 5.

6. *Decima integra probatur.*

Rursus sciendum est, decimas prædiales statim fructibus perceptis solvendas esse, ex præsenti capite, & ex lege 17. ibi: *Luego que sean cogidos*, adest *tit.* 20. *part.* 1. & tardiùs dare peccatum est, quia minùs solvit, qui tardiùs solvit. *l. ut si cui* 12. *in fine, ff. de V. S. l. final. Cod. de plus petit.* & ideo solvendæ sunt antequam petantur. Rebuffus *quæst.* 12. *de decimis, num.* 7. adeò ut ad horrea clericorum à laicis deferendas esse decimas, docuerit Glossa *verbo Horrea, in cap. revertimini* 16. *quæst.* 1. & *in cap. decimæ, verbo Horreum* 16. *quæst.* 7. quam sequuntur plures congesti à Covar. *lib.* 1. *var. cap.* 17. *num.* 8. Padilla *in l. post mortem, num.* 18. *Cod. de fideicom.*

Guti-

Gutierrez *lib. 2. canonic. cap. 21. num 43.* Franchis *decis. 124.* Azeuedo *in l. 4. tit 5. lib. 1. recopil.* quod intelligendum est cessante consuetudine contrariâ, quæ tempus, & modum præscribat ad decimarum præstationem, quæ servanda est, dummodo ex ea fraus non sequatur, *lib. 2. tit. 5. lib. 1. recop.* Unde improbanda est sententia Archidiaconi, & aliorum, quos refert Didacus Perez *in l. 1 tit. 5. lib. 1. ordin. num. 20.* qui docuerunt, decimas non deberi à Laicis, nisi à sacerdotibus petantur: quibus non suffragatur præsens textus, *in dicto cap. pervenit, hoc tit.* ubi monitio desideratur; nam ea requiritur ad hoc, ut decimas non solventes, excommunicari valeant, *dicto cap omnes 16. q. 7.* cùm monitione non præmissâ nemo excommunicari possit, *cap. sacro, de sent. excom.* non verò ut teneantur sub peccato morali, quod committunt decimas non solventes absque ulla interpellatione, argumento legis *magnam, C. de contrab.* docent Rebuffus *de decimis, q. 12. num. 8.* Azor. *pag. 1. Instit. lib. 7. cap. 35. num. 17.* Theophilus *tom. 12. tract. mala è bonis Eccles. cap. 9. num. 7.* Decimæ autem personales solvendæ sunt in fine anni, cùm particularis solutio non levia soleat incommoda afferre, *l. planè, ff. famil. ercisc. cap. ex litteris, de pignor.* docent Glossa *verbo Annus, in cap. revertimini 16. q. 1.* Abbas *in cap. pervenit, hoc tit.* Rebuffus *dicta q. 12. num. 4.* Etiam sciendum est, decimas solvendas esse in ea specie, in qua res solent esse juxta commune hominum commercium, & ita solvendas esse in grano, non in spica; in vino, non in uvis; in oleo, non in olivis, *cap. quicunque 16. q. 7. cap. non est, hoc tit.* & ex fructu apum solvitur decima in cera, & melle: Hostiensis, & Abbas *in cap. nuncios, hoc tit.* & ideò cùm controversum esset, an decima saccari solvenda esset ex ipsis cannis, ex quibus saccharum deducitur; an verò ex saccharo jam confecto, resolutum fuit à Rota in causa Cannarensi, solvendam esse ex saccharo, ut referunt Mohedanus *decis. 68.* & *152.* Marquesanus *de commiss. 2. p. cap. 4. num. 31.* Nec contrarium docetur in præsenti textu, ubi statuitur, decimam solvendam esse in specie, in qua colliguntur fructus, statim ipsis collectis: cujus argumento idem tenuit Speculator *ad hunc titulum, in fine, ex l. adeo quidem 7. §. cùm quis, ff. de acquir. domin.* Nam respondendum est cum glossa in præsenti, *verbo fructus,* decimas solvendas esse quantò citiùs fieri possit, nec ideò sequi, solvendas esse antequam species reducantur ad usum communem. Etiam animalium decimæ solvendæ sunt, quando non indigent lacte materno, ut earum solutio aliquod commodum afferat recipienti, & ne ex præmatura præstatione inutilis fiat, *l. si solaturus 39. de solut. l. stipulatio 38. §. inter, ff. de verb. oblig. l. solent. §. 1. de aliment.*

7 *Traditur ratio decidendi.*

Quibus ita animadversis, ratio prioris partis præsentis assertionis provenit ex eo, quia decimæ solvuntur, ut per earum præstationem recognoscatur Deus ut supremus Dominus omnium rerum, juxta illud psalmi 23. *Domini est terra, & plenitudo ejus.* In cujus dominii recognitionem Dominus decimas sibi reservavit, *cap. tua 26. cap. cùm non sit 33. hoc tit. l. 17. tit. 7. p. 1. l. 1. tit. 5. lib. 1. recopil.* Igitur si Domini est universa terra, ex universis fructibus ejus decima præstari debet. Deinde quia si decimæ ab Ecclesia præceptæ sunt, & assignatæ in clericorum, & pauperum sustentationem; unde plerumque appellantur alimenta pauperum, & tributa egentium animarum, *cap. decimæ, cap. quoniam 16. q. 1. cap. tua nobis, hoc tit.* inde ex omnibus rebus licitè acquisitis decimæ præstari debent, ut ita faciliùs Ecclesiæ ministri sustententur. Secundæ partis conclusionis ratio provenit ex eodem principio; nam Deus, tanquam Dominus universalis, in recognitionem dominii sibi reservavit decimas fructuum eodem modo, quo dominus est terræ, ac proinde nullis deductis expensis. Deinde, nam licèt fructus civiliter accepti, sumantur deductis expensis; attamen naturaliter appellantur eodem modo, quo nascuntur: sed præceptum solvendi decimas ex fructibus terræ, de fructibus naturaliter perceptis intelligitur: ergo decimæ non deductis expensis solvendæ sunt. Rursus, nam fructus, prout ex Dei beneficio proveniunt, sunt quicquid ex fundo nascitur: sed fructus omnes nascuntur in fundo sine expensarum deductione: ergo ex illis expensis non deductis decimæ debentur.

8 *Respondetur difficultatibus.*

Nec obstat prima difficultas suprà adducta, pro cujus solutione sciendum est, satis dubium esse apud Interpretes, an ex rebus illicitè acquisitis decimæ debeantur? In qua quæstione Hispanus *de decimis q. 3. & 10.* docuit non deberi, motus *ex cap. oblationes, 90. dist.* ubi statuitur, oblationes dissidentium fratrum recipi non debere, *cap. de viro 12. q. 2.* ubi non recipiuntur oblationes sacrilegi, *cap. miror. 17. q. 4.* ubi nec ejus, qui fugientem ad Ecclesiam extraxit, oblatio admittitur, *cap. quia in omnibus, de usuris,* ubi rejicitur oblatio usurarii & meretricis. Alii discrimen constituunt inter eos, qui ita res injustè, & illicitè acquirunt, ut dominium earum non assequantur, ut fures, raptores, & similes, qui decimas ex eis rebus non præstant; tum quia earum dominium non habent; tum quia non possunt dici acquisita, quæ restitutioni obnoxia sunt: & inter eos, qui licèt turpiter accipiant, tamen turpiter non retinent, *l. 4. §. sed quod meretrici, ff. de condict. ob turp.* & ex his rebus dicunt quod decimæ debeantur: ita Moneta *de decimis, cap. 4. num. 49.* Barbosa *ubi suprà, num. 32.* Sed prior opinio veritati propius accedit; siquidem non sine magno scandalo decimæ ex hujusmodi proventibus recipi possunt. Accedit ea ratio, ne dicatur Ecclesiam mercedem prostibuli recipere, ut Gentiles accipiebant tributum ex meretricio quæstu, ut referunt Suetonius *in Caligula,* Lampridius *in ejus vita:* ex quibus & aliis notarunt Roa *lib. 3. singul. cap. 13.* Avendanno *de metu lib. 2. cap. 41. num. 19.* Nec obstat secunda difficultas, deducta *ex dicta l. fructus, ff. solut. matrim.* nam omissis variis solutionibus, dicendum est, fructus vel considerari prout sunt lucrum, & respiciunt commodum usufructuarii, vel secundùm se, ut nascuntur ex arboribus, & terra. Primo casu accipiuntur sumptibus deductis, quia restitutio illud præstat quod abstulit læsio, *l. quod si minor, §. restitutio, ff. de minor. l. videamus, §. in Faviana, ff. de usuris:* quo casu accipiuntur textus *in d. l. fructus, l. 1. C. de fructibus & litium, l. si à Domino, §. fructus, ff. de petit. hæredit. l. fundus 51. ff. famil. ercisc.* unde sequitur, legatarium, cui legantur omnes fructus fundi, non eximi ab expensarum, quæ necessariæ sunt, præstatione, *l. final. ff. de usufruct. legat.* probat P. Barbosa *in d. l. fructus, ff. solut. matrim.* in secundo verò

casu, si fructus per se tantùm, & ut nascuntur, considerentur, deductioni expensarum locus non est; tunc enim non ut lucrum considerantur: unde cùm decimæ ex fructibus, prout ipsi nascuntur, debeantur, ideò non deductis expensis, solvendæ sunt. Nec obstat augmentum primum ipsius difficultatis; nam nunquam quantitas seminis redecimatur, cùm illa necessariò moriatur, ut fructum afferat, & sic totum quod nascitur, de novo provenit; unde ex omni ea quantitate decima semel præstatur. Nec interest, quod interdum propter sterilitatem, non ampliùs, quàm quantitas seminis colligatur; nam compensanda est ea sterilitas cum ubertate alterius anni, ut considerat P. Suarez *ubi suprà*. Nec textus *in dicto cap. ex parte* 21. refragatur; verum enim est, ex decimis personalibus impensas deduci, non verò ex prædialibus. Cujus discriminis rationes varias adducunt Doctores. Prima quia decimæ personales præstantur tantùm ex lucro, *dicto cap. pastoralis*: sed lucrum dici non potest, nisi deductis expensis: igitur antea expensæ deduci debent. Secunda quia debentur ex rebus acquisitis: sed quod erogatum est, acquisitum dici nequit: ergo ex eo decima non debetur. Tertia, & propria ratio nascitur ex suprà adductis *; nam cùm decimæ prædiales debeantur, quia Dominus dum Hebræis præceptum decimarum dedit, non respexit ad fructus civiles, sed naturales; ita cùm personales debeantur, tantùm ex lucro Ecclesia respexit ad fructus civiliter acceptos, quia jam jus civile vigebat; & sic ex lucro civiliter accepto decimæ præstantur. Nec obstat textus *in dicto cap. non est*; nam licèt indefinitè loquatur, & sic referri possit ad omnia præcedentia, *l. jam hoc jure, ff. de vulgari*; tamen ex necessitate materiæ, & ne sequatur jurium antinomia, restringendus est ad decimas tantùm prædiales, ob prædictas rationes, ut post Suarez & Barbosam docet Hunnius *ubi suprà*, *cap. de decimis*. Unde infertur, colonum partiarium nullo modo pro portione sua deducere expensas, *cap. tua nobis*, *hoc tit.* Moneta *in cap.* 6. Garcia *de expensis*, *cap.* 1. *num.* 21. Azor. *p.* 1. *Instit. lib.* 2. *cap.* 19. *q.* 4. ita tamen, ut nunquam de una, eademque re redecima debeatur, cum duplex decima omni jure repugnet. Innoc. *in cap. cum non sit*, *de decimis*. Unde dominus prædii locati, qui recipit mercedem locationis, decimam solvere non debet, cùm jam decima sit soluta ex fructibus, & præsumatur locatio facta salvâ decimâ. Barbosa *de offic. parochi cap.* 28. *num* 99. nisi præscriptione, aut privilegio contrarium introductum sit; tunc enim eorum ratione etiam redecima præstari valet, ut probat latè Barbosa *dicto* §. 1.

CAPUT VIII.

Idem *Monachis de* (a) *Neub.*

Dilecti filii nostri Abbas, & fratres Sanctæ (b) Crucis, transmisâ nobis quæstione demonstraverunt, quòd prædia, unde decimas, & in magna parte sustentationem habere consueverunt, conduxistis, & recepistis ad firmam. Unde quoniam iidem fratres ex hoc immoderatè, & enormiter gravantur, nec fuit intentionis nostræ, aut antecessorum nostrorum, ut de possessionibus, quas conducitis, decimas non debeatis persolvere: Universitati vestræ m. præ. ut eis de fructibus de prædiis, quæ conduxistis in parochiis suis, de quibus consueverunt decimas percipere, plenariè persolvatis, vel cum ipsis tam pacificè, & amicabiliter conveniatis, quod nulla inter vos debeat scandali malitia suscitari, & vos videamini ultra quàm vobis indultum est, manus extendere.

NOTÆ.

1. (a) *Neub.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & post Concilium Lateran. *p.* 13. *cap.* 2. Variè tamen emendatur à Glossa marginali, sed verè legendum est, *de Neubothel*: Monasterium enim hoc de Neubothel, est in regno Scotiæ, de quo hæc refert Nicolaus Arspheldius *in apparatu*, *num.* 26. *Neubothel*, *aliàs Neuthbotle*, *est in Regno Scotiæ*, *in Laudonia* (alii in Lonthiania) *Ordinis Cistercienſis: fundat sanctus David Rex*, *de quo mentio in literis Clementis III.* Ex Scriptoribus Scotiæ idem refert Manrique *annal. Cisterc. tom.* 1. *anno* 1140. *cap.* 14. *num.* 4. Unde cùm jam à temporibus Hadriani IV. ut retuli *in cap.* 3. *hoc tit.* Monachi Cistercienses exempti essent à solutione decimarum ex prædiis propriis laboribus, sumptibusve cultis; ideò intendebant in præsenti specie, etiam de prædiis ab aliis conductis, sed propriis manibus cultis, decimas solvere non debere.

(b) *Sanctæ Crucis.*] Monasterium sanctæ Crucis, vulgò Halyrudhovus, est in Laudonia propè Regiam, & Imburgum, ubi die festo Sanctus David Rex venationi intendens, à cervo percussus, dum cornu comprehenderet, Crucis imaginem, non cervi cornu vidit. Magnificentissimè conditum est, & D. Augustini Canonicis concessum anno 1113. ut refert Pennotus *lib.* 2. *hist. Canonicor. Regul. cap.* 36. *num.* 5. Istis autem Canonicis decimæ debebantur, ut parochis, quia Sacramenta ministrabant in propriis Ecclesiis, ut constat ex verbis sequentibus, ibi: *Non parochiis suis.* 2.

COMMENTARIUM.

Variis privilegiis monachos exemptos fuisse temporibus Alexandri III. à solutione decimarum ex prædiis propriis manibus, & sumptibus cultis, jam probavi *in cap.* 3. *hoc tit.* Unde ambigebatur in præsenti specie, an ipsi monachi virtute privilegiorum exempti essent à præstatione 3.

præstatione decimarum ex illis prædiis, quorum dominium non habent, veluti ex prædiis ab aliis conductis ? Et communis DD. opinio ita distinguit, ut si privilegii formula sit, quod non solvant decimas de prædiis suis, vel propriis, tunc teneri monahos ex prediis conductis decimas persolvere : si verò privilegii formula sit, quod non solvant decimas de prædiis, quæ habent, tunc nec de prædiis conductis decimas debere, quando prædia illa suis manibus, vel saltem sumptibus excolunt, juxta textus *in cap. decimas* 16. *q.* 1. *cap. ex parte, hoc tit.* nam si religiosi exempti agros conductos propriis manibus, vel sumptibus colant, fructus ex laboribus suis sunt percepti ; unde ex eis decimas præstare non debent. Sed cùm habeamus præsentem Alexandri III. decisionem, non est cur hac distinctione utamur ; Alexander enim expresè statuit, de peædiis à se conductis monachos decimas solvere debere, & rectè ; nam verba privilegii, de quo *in dicto cap.* 3. *cap. ex parte*, ibi: *Laborum suorum*, propria significatione comprehendunt tantùm prædia, in quibus dominium habent; pronomen enim illud *suorum*, dominium significat, *cap. quo jure* 8. *dist. l.* 2. *§.* 1. *ff. de relig.* ideò ad prædia conducta porrigi non possunt. Accedit ; nam hujusmodi privilegia ita interpretanda sunt, ut quantò minùs lædant jura parochialia. Barbosa *de offic. Parochi, cap.* 28. §. 3. *num.* 74. probavi *in cap.* 4. *hoc tit.* sed si ad prædia conducta privilegium hoc protraheretur, facilè conductis prædiis à monachis fraus fieret juri parochiali : quare ad ea privilegium non est protrahendum. Difficultas tamen non levis est circa prædia in emphyteusim accepta à monachis. Et etiam ex eis prædiis propriis manibus cultis decimas esse præstandas docuit P. Suarez *dicto lib.* 1. *de decimis*, *cap.* 19. *num.* 12 Sed contrarium, & rectiùs, docuerunt Covar. *lib.* 1. *var. cap.* 17. Gutierrez *lib.* 1. *canonic. cap.* 21. nam prædia emphyteuticaria verè & realiter propria censentur, saltem quoad dominium utile, *l.* 1. *C. de jure emphyt. l.* 2. *C. si ager vectig.* ergo cùm ipsa prædia pertineant ad dominium monachorum, & propriis sumptibus excolantur, erunt immunia à præstatione decimarum, etiam virtute talis privilegii : tum etiam, quia emphyteusis valde differt à locatione, §. *adeo, Instit. de locat. l.* 1. *&* 2. *C. de jure emphyt. l.* 28. *titul.* 8. *partit.* 5. sed in præsenti tantùm à prædicto privilegio excipiuntur prædia conducta : ergo non debet Alexander III. extendi ad prædia emphyteuticaria, cùm non ita facilè in fraudem juris perochialis possint prædia à religiosis in emphyteusim accipi, ac locari.

CAPUT IX.

Idem *Abbati & Fratribus de* (a) *Lorongio.*

SUggestum est nobis ex parte vestra, quod Abbas, & fratres monasterii de (b) Ursino, decimas à vobis auferre conantur, & alia damna, & gravamina vobis irrogare non cessant. Quia verò non decet honestatem vestram, sive religionem monasticam, litibus, & contentionibus intendere, d. v. p. A. s. m. consulimus, & hortamur, quatenus cum prædicto Abbate, & Fratribus super decimis ipsis, & aliis, unde inter vos est controversia, pacificè conveniatis, ne pro hujusmodi contentionibus fama vestræ Religionis valeat denigrari ; nam quando Romana Ecclesia ordini vestro privilegia dederat de decimis, ita erant ratæ, quod exinde nulli poterat de jure scandalum suboriri : sed nunc per gratiam Dei in tantùm sunt augmentatæ ac possessionibus ditatæ, quod multi viri ecclesiastici de Fratribus vestris apud nos (c) querelam sæpe proponunt.

NOTÆ.

1. (a) *Lorongio.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 9. in sexta autem habetur *Dolon.* sed utrobique malè ; legendum enim est *Dalon.* nam Dalonense monasterium est Ordinis Cisterciensis in diœcesi Lemovicensi, fundatum anno 1121. ut ex Auberto Mireo referunt Manrique *annal. Cisterciens. dicto anno* 1121. *cap. final. num.* 7. Fratres Sarmathani *tom.* 4. *Gall. Christ. fol.* 326.

2. (b) *Ursino.*] Forsan monasterium hoc Ursinense, seu Usservense, est Ordinis D. Benedicti, de quo hæc leguntur in Chron. Laufredi, edito à Philippo Labeo *tom.* 2. *Biblioth. fol.* 263. *Eo anno cœnobium Usercense nonas Maii, luna* IX. *hora noctis* I. *igne crematum est in diebus Richardi Abbatis.* Fundatum fuit in diœcesi Lemovicensi ab Hildegario Eoiscopo, ut referunt Fratres Sarmathani *tom.* 4. *Gall. Christ. fol.* 961. qui illud Uzercense appellant. Ad Abbatem enim & monachos hujus monasterii spectabant decimæ, de quibus in præsenti, forsan quia Ecclesiam parochialem regebant, aut privilegium ad eas percipiendas à Sede Apostolica impetraverant.

3. (c) *Querelam proponunt.*] Unde Richardus Canturiensis Archiepiscopus apud Petrum Blesensem *epist.* 82. acriter invehitur in ipsos monachos ex eadem causa, videlicet quia occasione exemptionis decimarum, cùm ampla prædia possiderent, jus parochiale admodum lædebatur. Verba Richardi retuli suprà, *in cap.* 4.

COMMENTARIUM.

4. CUm monachi Cistercienses exempti essent à decimarum solutione ex prædiis propriis laboribus, ac sumptibus cultis, & ampla prædia possidere cœpissent, magnum præjudicium irrogabatur parochis, ut propositum fuit in Concilio Lateranensi celebrato sub Alexandro III. ut refert Manrique *tom.* 3. *annal. Cisterc. anno*

anno 1179. *cap.* 3. Unde Alexander III. decrevit, hu usmodi privilegium revocandum esse, cùm cœpisset admodum esse damnosum: quod etiam docetur *in cap. quid per novale, de verb. sign. l.* 4. *in fine, l.* 5. *tit.* 20. *partit.* 1. & in quocunque privilegio regulariter observatur. *l. ex facto* 43. *ff. de vulgari*, ibi: *Iniquum fieri incipit privilegium Principis.* Et *cap. quanto, de censibus, l.* 1. §. *Trebatius, ff. de aqua quotid.* unde ajebat Tacitus *lib.* 3. *histor.* quod apud Sapientes cassa habebantur, quæ nec dari, nec accipi salvâ Republicâ poterant. Exemplum extat in actis Alphonsi, & Sancii apud Marianam *lib.* 12. *histor. Hispan. cap. ult.* & illustrat Grotius *lib.* 2. *de jure belli, cap.* 14. *num.* 12. Nec obstat regula *Decret. de regul. juris in* 6. ubi docetur, privilegium Principis perpetuum esse debere; nam id procedit, nisi adsit causa publicæ utilitatis, quæ suadeat revocationem privilegii, juxta casum hujus textus, & aliorum, quos addiscunt Glossa, & Pechius *in dicta regula Decet:* vel cùm privilegium concessum est ex causa onerosa; tunc enim revocari non potest, quia transit in vim contractus, ex quo Princeps etiam subditis efficaciter obligatur, *cap.* 1. ubi vulgò notatur, *de probat.* Illud tamen dubitari solet, an eo casu, quando apparet, ex tali exemptione Ecclesiam enormiter læsam esse, ut privilegium ipso jure amittatur, sit necessaria superioris revocatio? Quam quæstionem disputant Felinus *in cap. cùm accessissent, de constit.* Panormitanus *in præsenti, num.* 4. Et est communis antiquorum resolutio, discrimen esse assignandum: aut videlicet privilegium est insertum in corpore juris, aut non est insertum. in primo casu asserunt, quod superveniente enormi læsione Ecclesiæ, non revocatur ipso jure privilegium; secus tamen in secundo casu. Sed hæc distinctio sustineri non potest, *ex l. ex facto, ff. de vulgari.* ubi privilegium patri concessum, quod possit pro filio furioso restari, cessante furore, ipso jure revocatur, absque aliqua declaratione. Quare omissis variis sententiis, dicendum est, quod si ipsi privilegiato constiterit Ecclesiam enormiter læsam esse ex privilegio, eo ipso absque alia superioris declaratione amittere privilegium in foro interiori, adeo ut decimas, quas non solverit, teneatur in foro interiori restituere. ex celebri doctrina Glossæ *in cap. rescripta* 25. *q.* 2. Et ratio est, nam eo casu constat privilegiato de mente concedentis; & semper privilegium habet intrinsecè eam conditionem, videlicet si Ecclesia non lædatur enormiter. Si ergo in principio concessionis talis læsio impediret privilegii concessionem, multò magis si superveniat, faciet illud cessare; & eo casu non poterit privilegiatus tali privilegio uti in foro conscientiæ: at in foro contentioso non poterit Ecclesia parochialis propriâ auctoritate cogere Religiosos ad decimarum solutionem, sed necessaria est judicis sententia: at verò si enormitas læsionis liquidò non appareat, ita ut arbitrium superioris necessarium sit, tunc adeundus est Summus Pontifex, qui juxta rei qualitatem decernat, an privilegium eo casu locum habeat, nec ne; nam solus ipse, qui privilegium concessit, potest de ejus viribus cognoscere, ut probavi *in cap. cum venissent, de judic.* Id verò summè notandum est, quod si eo casu declaretur à summo Pontifice læsionem enormem esse, adhuc poterit ex ipsius voluntate sustineri privilegium quoad aliam partem: quod ab aliis Ecclesiæ Prælatis ex delegatione cognoscentibus fieri non potest; quia eo ipso, quod constiterit parochiam esse enormiter læsam, tenentur declarare privilegium in totum cessasse, ut in præsenti textu supponitur.

CAPUT X.

Idem (a) *Tarracon. Episcopo.*

EX parte tuæ fraternitatis noveris pervenisse ad nostram audientiam, quod albi monachi, & (b) nigri, & quidam alii religiosi viri Ecclesias tuæ jurisdictionis redditibus decimarum spoliare præsumunt occasione privilegiorum, quæ sibi Romana indulserit Ecclesia. Sanè tuam nolumus latere prudentiam, quod sanctæ memoriæ prædecessores nostri ferè omnibus Religiosis decimas laborum suorum concesserant: sed bonæ memoriæ prædecessor noster (c) Hadrianus solis fratribus Cisterciensis Ordinis, & Templariis, & Hospitalariis decimas laborum suorum indulsit: cætetis autem tantùm, ut de novalibus suis, quæ propriis manibus, & sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & de (d) hortis suis decimas non persolvant, concessit, quem super his imitati sumus, quia ii, quibus indultæ sunt decimæ de (e) novalibus suis, & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis, hac occasione decimas de aliis rebus Ecclesiæ suæ non debent, nec possunt subtrahere, vel sibi aliquid ulteriùs vindicare.

NOTÆ.

1. (a) *Tarracon.*] Ita etiam legitur in prima collectione *sub hoc tit. cap.* 10. post Concilium autem Lateran. *pag.* 13. *cap.* 5. habetur *Trecensi*; sed retinenda est communis litera, videlicet *Tarracon.* nam in ea Metropoli erant temporibus Alex. III. Templarii Hospitalarii, Monachi Benedicti, & Cistercienses: de Tarracon. nonnulla notavi *in cap.* 1. *de his, quæ vi.*

(b) *Albi Monachi & nigri.*] Nigrorum monachorum mentio fit à Flavio Dextro *in chron. anno* 419. ibi: *Canali in Lusitania monachi nigri ab anno* 394. In cujus commentariis Vivar. existimat eos fuisse discipulos S. Martini, qui ut Sulpitius Severus auctor est, plura construxit monaste- 2.

nasteria non solùm in Mediolan. Tarracon. verùm & in aliis Provinciis, & eos nigro habitu usos fuisse tradit P. Cluniac. *lib.* 4. *epist.* 17. Sed verè monachi nigri jam à septimo Ecclesiæ seculo dicti fuerunt monachi Benedictini, quia atris utebantur vestibus, & ita pro synonimis habebantur nigri monachi, & Benedictini, ut latè probant Yepes *tom.* 1. *chron. D. Benedicti, anno* 523. *cap.* 5. Benedictus Hæphtenus *lib.* 5. *disquisit. monast. tract.* 3. *disp.* 3. Cœpit autem hujusmodi nomenclaturæ ratio pro distinctione ipsorum, & Canonicorum Regularium Ordinis D. Augustini, qui albis utebantur vestibus, ut refert Joannes de Vitriaco *cap.* 13. *hist. Occid.* ibi: *Cùm igitur à priscis temporibus in partibus Occidentis duæ tantùm fuissent Regularium diversitates; monachi scilicet nigri sancti Benedicti regulam profitentes, & canonici albi secundum regulam B. Augustini viventes; postquam peccatis exigentibus, primo modica negligentes, paululum cadere cœperunt, tandem ad tantam dissolutionem plures Regularium conventus devenerunt, quod viri timorati, & prudentes, sub alio habitu, & aliis institutis Domino militaturi ab ipsis recesserunt.* Sed postquam Cistercienses habitum album induerunt anno Christi 1103. ut refert Manrique *tom.* 1. *eodem anno, cap.* 1. quoties in jure legimus monachos nigros, & albos, intelligimus monachos Benedictinos, & Cistercienses: notavit Bosquetus *ad Innocentium III. lib.* 1. *regestr.* 13. *epist.* 122. & nos *in cap.* 10. *de tempor. ordin.*

(c) *Hadrianus.*] *Cap.* 3. & 4. *hoc. tit.*

(d) *Hortis.*] Unde Pontifex *in cap. nimis grave, de excessibus Prælat.* damnat inter alios excessus Episcoporum, illum videlicet, quia à religiosis petebant decimas ex hortis propriis. Et licèt horti variæ sint acceptionis, quas tradunt Pater Serlogus *tom.* 3. *in Cantica, cap.* 5. *vers.* 1. *vestig,* 31. *num.* 1. Lorinus & Pineda *in cap.* 2. *Eccles. vers.* 5. ad ea verba: *Feci hortos & pomaria*; in præsenti tamen accipitur pro loco septo, & munito. Et licèt plerumque ad olera producenda colatur, juxta diffinitionem traditam à Georgio Beyerlinch. *in Theatr. vitæ hum. tom.* 4. *verbo Hortus,* ubi ait: *Hortus est locus munitus, & plerumque septus ad olera producenda, fructusque arborum voluptatis gratiâ comparatos,* Tamen ex quibuscunque fructibus in horto perceptis, veluti ex frumento, hordeo, vel aliis seminibus, decimæ non debentur, cùm absolutè religiosis indultum sit, ut ex hortis decimas non præstent. Quare nec genus fructuum, nec quantitas, seu modus terræ attendi debet.

(e) *De novalibus.*] Hæc verba, & textum exposui *in cap.* 4. *hoc tit.*

CAPUT XI.

(a) Idem.

LIcèt de benignitate Sedis Apostolicæ sit vobis indultum, ut de laboribus vestris, quos propriis manibus, vel sumptibus colitis, nemini decimas solvere teneamini: propter hoc tamen non est vobis licitum cuilibet de terris vestris decimas subtrahere, quas traditis aliis (b) excolendas. Relatum est siquidem auribus nostris, quod cùm terras quasdam, quas in decimatione dilecti filii nostri Thesaurarii Senonen. habetis, detis rusticis vestris excolendas, exinde decimas sicut debetis, non solvitis, nec facitis à rusticis ipsis exsolvi. Quoniam igitur quantò arctiùs vos, & Ordinem vestrum diligimus, tantùm minùs vos, & Ordinem vestrum volumus efficere quæ sunt honestati contraria, vel obvia rationi, aut ex quibus privilegiorum nostrorum tenorem transgredi videamini, cùm privilegium videatur amittere, qui permissâ sibi abutitur potestate: f. v. m. quat. de terris illis, quas in decimatione prædicti Thesaurarii propriis manibus non excolitis, sed rusticis traditis excolendas, decimas vobis usurpare nullatenus præsumatis, sed eas in propriis eidem Thesaurario faciatis cum integritate persolvi, sciturí pro certo, quod si præceptum nostrum contemseritis, nos ven. f. nostro Archiepiscopo Senon. dedimus in mandatis, ut rusticos, quibus in decimatione præfati Thesaurarii terras dederitis excolendas, ad solvendum decimas eidem Thesaurario ap. cess. districtè compellat.

NOTÆ.

1. (a) *Idem.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 11. ex qua literam textus restituo: post Concilium autem Lateran. *pag.* 13. *cap.* 6. legitur, *Fratribus Rhemensis Ecclesiæ*: sed cùm varia sint monasteria, tam Cistercienses Ordinis, quàm Benedictini, & aliorum in diœcesi Rhemensi, non facilè deprehendi potest, quibus fratribus rescribat Alexander hîc.

(b) *Excolendas.*] Juxta tradita suprà *in capite.* 4.

CAPUT

CAPUT XII.

(a) Idem.

AD audientiam noſtram noveritis peryeniſſe, quod quidam veſtrûm dilectis filiis noſtris fratribus (b) Ciſtr. Ordinis de laboribus, quos propriis manibus, aut ſumptibus excolunt, decimas exigere, & extorquere conantur; illud privilegii capitulum Apoſtolicæ Sedis pravâ interpretatione, ac malitiosè pervertentes, quo eiſdem Fratribus indulgetur, ne de laboribus, aut ſumptibus, quos propriis manibus excolunt, aliquis ab eis decimas exigere audeat. Aſſerunt enim, quod pro laboribus novalia intelligi debent. Unde quoniam Fratres præſcripti Ordinis benignitate Eccleſiaſticâ fovere volumus, & ne ullus contra eos materiam habeat malignandi, vel ipſos contra juſtitiam moleſtandi, quemlibet attentiùs providere: veſtræ f. per A. f. præc. m. quat. à prædictis Fratribus de laboribus ſuis, quos propriis manibus, aut ſumptibus excolunt, nullatenus decimas exigatis, nec à parochialibus veſtris exigi permittatis, vel quolibet modo extorqueri; nam ſi de novalibus tantùm intelligeremus, ubi (c) ponimus, de laboribus; de novalibus poneremus, ſicut in privilegiis aliorum quorundam ponimus.

NOTÆ.

1. (a) *Idem.*] Ita legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 3. poſt Concilium autem Later. *pag.* 13. *cap.* 8. habetur, *Conventrenſi Epiſcopo, & Officialibus ejus*; & rectè ſiquidem Conventrenſis Eccleſia eſt in Anglia, ut refert Polydor. Vergil. *lib.* 1. *hiſtor. Angliæ*, *in princip.* cujus Præſuli, & ejus Vicariis, qui Officiales in eo Regno dicuntur, reſcribit in præſenti Pontifex.

(b) *Ciſtrenſis.*] Legendum eſt *Ciſtercienſis*, de quo præclaro Ordine nonnulla adduxi *in cap. cum ordinem* 6. *de reſcript.* 2.

(c) *Ponimus.*] Juxta adducta *ſuprà in cap.* 4. ubi commentarium hujus textus dedi. 3.

CAPUT XIII.

Idem (a) *Brixienſi Epiſcopo.*

QUoniam à nobis tua ſolicitudo requirit, quid de decimis novalium tuæ diœceſis tibi ſit ſtatuendum: t. f. ſignificatione præſentium reſpondemus, ut ſi terræ illæ, quæ arabiles ſunt, intra certam alicujus Eccleſiæ parochiam fuerint, decimas earum, tuâ parte (b) retentâ, eidem Eccleſiæ facias aſſignari. Alioquin ipſas alii (c) Eccleſiæ ſecundùm diſcretionem à Deo tibi datam poteris deputare, vel ad opus tuum tenere: ita quidem, quod ſi quis in id contraire præſumpſerit, tu eum eccleſiaſticâ cenſurâ uſque ad dignam ſatisfactionem percellas; ſententias verò ſuper decimis à (d) Conſulibus datas, præſertim cùm Sanctorum Patrum inſtitutionibus obviant, irritas eſſe decernas, & eas omni contr. & ap. poſtpoſitâ revoces. Quod ſi (e) laicus aliquis à Sacerdotibus, vel clericis decimas de laboribus ſuis in tua diœceſi requiſiverit, eum ab exactione hujuſmodi prorſus ceſſare compellas, & laicos illos, qui à colonis tertiam, vel quartam partem laborum ſuorum ante ſolutionem decimarum recipiunt, decimam de (f) portione ſua, ſecundùm quod colonus de parte, quæ illum contingit, exſolvere conſueverit, abſque diminutione aliqua iis, quibus jure debentur, facias exhibere.

NOTÆ.

1. (a) *Brixienſi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 25. & poſt Concilium Lateran. *pag.* 50. *cap.* 40. De Brixienſi diœceſi jam egi *in cap: tuæ* 5. *de procuratoribus.*

(b) *Tuâ parte retentâ.*] Quarta videlicet, juxta textus *in cap. conquerente, de offic. Ordin. cap. de quarta, de præſcript.* quam exigere poſſunt à parocho, ſi decimæ jam ſint ſolutæ; à parochianis, ſi adhuc eas non ſolverint. Martinis *lib.* 1. 2.

reſol. cap. 81. licèt aliquando ratione propriæ parochiæ integras decimas Epiſcopus percipiat, *cap.* 1. *hoc tit. in* 1. *collect.* ubi noſter Alexander Mediolan. Archiepiſcopus ita ſcribit: *Querela venerabilis fratris noſtri Vercellen. Epiſcopi ad nos tranſmiſſa pervenit, quod quidam clerici in ejus diœceſi conſtituti decimas novalium, quæ ad jamdictum Epiſcopum pertinent, tenere proſua voluntate præſumunt: laici verò parochiani ipſius, cùm decimas quaſdam non ſine Creatoris offenſa percipiant, contendunt ſibi decimas novalium vindicare,*

in

in quo tanto offendunt gravius, quanto specialius decimæ ipsæ ad Episcopalem dispositionem respiciunt, super quibus constat, nihil laicis fuisse concessum. Quocirca f. t. per A. S. p. m. quat. laicos ad decimas novalium occasione, & excusatione postposità resignandas per excommunicationis sententiam ap. rem compellas; clericos autem moneas, & ecclesiastica districtione compellas, ut eas, quas detinent, memorato Episcopo sine mora, & difficultate in pace dimittant, ut sub examine tuo justitiæ non differant plenitudinem exhibere.

3. (c) *Alii Ecclesiæ.*] Quod procedit quando prædia illa novalia sunt nullius parochiæ, nec sub certa Ecclesia consistunt, aliàs decimę prędiales semper ad parochum, ubi prædia sunt, spectant, juxta ea quæ dabimus infrà *in cap. cum sint homines.*

4 (d) *Consulibus.*] Id est Judicibus secularibus, de quorum jurisdictione in præsenti specie meritò hæsitari poterat, cùm certum sit, causarum decimalium cognitionem ad Judicem ecclesiasticum spectare, *cap. finali, de rerum permutatione, cap. tua nos, §. finali, hoc titulo, cap. postulasti, de homicid. Clement. dispendiosam, de judic.* docent Gutierrez *lib. 1. practic. quæst. 26.* pluribus relatis Barbosa *de offic. Parochi, cap. 28. §. 4. num. 1.* Hunnius *in Encyclopedia, titulo de decimis, cap. 7.* Cùm enim decimæ spirituales sint, jusque eas percipiendi spirituale judicetur, non ad laicum, sed ad ecclesiasticum judicem spectat cognitio, *cap. 2. cap. quantò, de judiciis.* Et licèt docuerint Gailius *lib. 1. observ. cap. 38.* P. Suarez *dicto tract. de decimis, cap. 38. num. 16.* Borellus *in summa decis. tit. 19. num. 18.* Hunnius *dicto cap. 7.* judicium possessorium super decimis coram seculari judice disceptari debere; contrarium tamen docuerunt Covar. *practic. cap. 35.* Valascus *consult. 93.* Azor *pag. 1. instit. lib. 5. cap. 4.* alii, quos refert, & sequitur Barbosa *ubi suprà, §. 4.* Ansaldus *de jurisdict. pag. 2. titul. 4. cap. 4. & 5.* Fermosinus *in cap. 5. de foro compet. quæst. 4.* Leon. *tom. 1. decis. 3.* Quorum sententia verior est; nam possessio rei spiritualis, licèt videatur res temporalis, tamen Judex ecclesiasticus de ipsa debet agnoscere; quia cùm qualitas spiritualitatis absorbeat qualitatem temporalitatis, judicium spirituale manet. Similiter cùm causa decimarum facti est, Judicem laicum adiri posse ad cogendum laicum decimas solvere, existimarunt Salcedo *ad ll. Recopil. in l. 4. tit. 14. lib. 3.* Carrasco ad easdem leges, *cap. 6. §. 2.* Delbene *de immunit. Eccles. 2. tom. cap. 10. num. 34.* Tondutus *de prævent. 2. pag. cap. 25.* Escobar. *de Pontif. jurisdict. cap. 22. num. 90.* Castillo *de tertiis, tom. 7. cap. 12.* Germonius *lib. 3. de sacro, cap. 19.* sed etiam eo casu Judicem ecclesiasticum tantùm competentem esse, docuerunt Gutierrez *dicta quæst. 26. num. 11.* Olea *de cess. jur. tit. 6. quæst. 3. nu. 18.* An verò conductor decimarum virtute cessionis sibi factæ, vulgò *de recudimiento*, eodem privilegio ac Ecclesia uti possit, & convenire debitores coram Judice Ecclesiastico, disputat Olea *dicta quæst. 3. à num. 15.* Apud nos tamen cùm Ecclesia, vel conductor decimarum exigit novas, & insolitas decimas, laici ita gravati Regium Consilium, aut Cancellarias adeunt, ubi expediuntur Regiæ provisiones, & retinetur causa, ex *l. 6. tit. 4. lib. 1. recopil.* quam explicant Covar. *practic. cap. 35. num. 5.* Carrasco *dicto cap. 6. §. 2. num. 15.* Avendaño *de exequend. lib. 1. cap. 1. num. 32.* Valenzuela *consil. 114. num. 30. & consil. 146. num. 51.* Gutierrez *lib. 1. practic. quæst. 14.* Salgado *de retent. bullar. 1. p. cap. 6. num. 35.* Solorzanus *de jure Indiarum, tom. 2. lib. 4. cap. 3. num. 26. & lib. 1. cap. 22. num. 22.* Salcedo, & Olea *ubi proximè*: quam praxin in Gallia receptam defendit P. Marcha *lib. 4. concord. cap. 10.* Circa tertias tamen, quas nostri Reges possident ex privilegiis Sedis Apostolicæ, & alios possidentes decimas ex concessione Pontificia, non leve dubium est apud Interpretes. Affirmaut ad Judicem sæcularem pertinere tertiarum cognitionem innumeri relati à Carrasco *ad ll. Regias, cap. 6. de decim. §. 1.* Castillo *de tertiis, tom. 7. cap. 12. num. 2.* Barbosa *dicto §. 4. num. 3.* Moventur ex eo, quia cùm istæ tertiæ fuerint ex privilegio Pontificis separatæ ab illis decimis, & sint unitæ Regio patrimonio, censentut prophanæ, argumento textus *in l. 2. §. hoc interdictum, ff. ne quis in loco publico*; ac inde, quia sicut laicus ratione feudi competens est, etiam inter clericos, *cap. ex transmissa, cap. verùm, de foro competenti, cap. cæterum, de judiciis, l. final. tit. 2. p. 9.* ita ratione prophanationis tertiarum Judex laicus competens erit. Contrariam tamen sententiam defendunt Azor *lib. 7. Instit. mor. cap. 36.* Anastasius Germonius *lib. 3. de sacrorum immunit. cap. 19. num. 9.* quæ opinio ex eo fulcitur, nam credendum non est, Pontificem voluisse suo privilegio abdicare eam jurisdictionem à se, nisi expresè in ipsa concessione contineatur, argumento textus *in cap. ex parte, de Capel. monach.* Deinde quia de decimis etiam infeudatis laicis cognoscit Ecclesia, *cap. prohibemus, cum similibus, de decimis*: ergo de tertiis Judex ecclesiasticus debet cognoscere. In hac opinionum varietate, omissis traditis à Barbosa *in l. Titia, num. 44. ff. soluto matrim.* dicendum est, inspiciendam esse formulam concessionis decimarum, seu tertiarum; si enim Regibus, vel aliis laicis concedantur decimæ, vel aliqua pars earum cum facultate transferendi in successores, prout fuerunt concessæ tertiæ hujus Regni, censentur omnino separatæ à redditibus, & aliis decimis ecclesiasticis, & effectæ res merè prophanæ, & proprium laicale patrimonium, ex iis, quæ adducit Sarmiento de redditibus *in defension. monit. 54. & 64.* & ideò tunc de eisdem, tanquam de rebus laicalibus seculares Judices cognoscere possunt, Castillo & Carrasco *ubi proximè*, Escobar *suprà, cap. 22. num. 90.* Unde cùm ex concessione Alexandri VI. Gregorii X. & Clementis VII. tertiæ decimarum in Regnis Castellæ, nec non & jus percipiendi decimas in novo orbe Indiarum Occidentalium Regi spectent cum libera dispositione, ut probant Solorzanus *lib. 4. polit. Indian. cap. 1.* Azor *tom. 1. Instit. lib. 7. cap. 36. vers. 3.* Borellus *de præstantia Regis Catholici, capite 59. num. 7.* D. Joannes del Castillo *tom. 7. controvers. cap. 12.* Callixtus Ramirez *de lege Regia, §. 31. numero 3.* Herrera *decad. 1. lib. 8. cap. 10. & libro 6. cap. 19.* Salgado *de protectione Regia 3. p. cap. 10. num. 268.* Escobar *de purit. sangui-*

nis, quæst. 6. §. 4. num. 43. alii relati à Parexa *de edit. instrum tom. 1. resolut. 3. §. 5. numer. 53.* & ita pleno jure, & tanquam ex regalibus incorporatæ sunt Regiæ Coronæ, argumento capitis *generalis*, juncta Glossa *verbo Regalia, de elect. lib. 6.* docent Belluga *in specul. Princip. §. tractemus, num. 38.* Sesse *decis. 162. num. 23.* Cabedo *decis. 63. Lusit. tom. 2. num. 3.* Pereyra *de manu Regia, 1. p. concord. concord. 64. in not.* Castillo *ubi suprà, cap. 3. num. 30.* pluribus relatis Solorzanus *dicto cap. 1. num. 30.* facit lex 2. §. 25. *tit. 2. lib. 9. recopil.* ideò exuerunt naturam spiritualium bonorum, & manserunt prophanæ, ac temporales. Sotus *de justitia lib. 10. quæst. 4. artic. 3.* Pater Molina *de justitia, disput. 663. num. 10.* Sesse *dicta decis. 162. tom. 2. num. 19.* Gratianus *discept. 238. num. 19.* Cevallos *de cognit. per viam. viol. quæst. 25. num. 21.* Salgade *de retent. bul. p. 1. cap. 1. ex num. 441.* unde sequitur, causas super ipsis tertiis, seu decimis emergentes, disceptandas esse coram judice seculari, *dicta l. 2. §. 15. lib. 1. tit. 21. lib. 9. recopil.* Castillo *in l. 6. & 13. Tauri*, Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 18. num. 213.* Giurba *consil. 80. num. 31.* Felicianus Vega *in cap. qualiter, num. 9. de judic.* sive quæstio sit facti, sive juris, Covar. *practic. cap. 35. num. 2.* Cevallos *dicta quæst. 25. num. 23.* Barbosa *in l. Titia, num. 42. ff. solut. matrim.* Gutierrez *lib. 1. quæst. 14. num. 4.* Gratianus *suprà, num. 58.* Sesse 23. Barbosa *tom. 6. collect. cap. à nobis hoc tit. num. 4.* Fragoso *de regim. tom. 1. disput. 4. membro 7. num. 361.* etiamsi lis disceptetur inter personas ecclesiasticas. Suarez *in defensione fidei, lib. 4. cap. 14.* Olibanus *de jure fisci, cap. 11. & 14. num. 70.* Æneas Robertus *lib. 2. rerum judic. cap. 1.* Hieronymus de Leon *decis. 3. num. 30.* Etiamsi tertiæ penes communitatem resideant, vel personam ecclesiasticam, quia non inde amiserunt regaliorum naturam: & quoties agitur de re donata à Principe, cognitio spectat ad Judices seculares, *l 57. tit. 6. partit. 1. l. 6. titul. 1. lib. 4. recopil. l. 10. tit. 7. lib. 9.* probant Pereyra *de manu Regia cap. 37. num. 4.* Barbosa *in remiss. lib. 2. tit. 1. §. 15.* Antonius Faber *in suo Codice, titul. de privil. fisci, diffinit. 2.* Solorzanus *de jure Indiarum lib. 3. cap. 1. num. 53. & cap. 2. num 24.*

(c) *Laicus.*] Propter incapacitatem non habet jus decimarum, ut dicemus infra *in cap. prohibemus.* 5.

(f) *Portione sua.*] Quæ non fuerat decimata, aliàs redecimatio non admitteretur. 6.

CAPUT XIV.

Idem (a) *Rhemensi Episcopo.*

PArochianos verò tuos ad solvendas decimas (b) Ecclesiis, quibus eas debent, ecclesiasticâ debes severitate compellere, quia cùm decimæ non ab homine, sed ab ipso (c) Domino sint institutæ, quasi debitum exigi (d) possunt.

NOTÆ.

1. (a) *Rhemensi.*] In prima collectione, *sub hoc tit. cap. 14.* additur, *pars cap. de Diacono:* unde cognoscitur in præsenti referri partem textus *in cap. de Diacono 1. qui clerici vel vovent.* integra autem textus litera extat post Concilium Lateran. *pag. 28. cap. 12.* & *pag. 26. cap. 1.* in præsenti autem rescribit Alexander III. Henrico Magno filio Philippi Regis Galliæ, & Ludovici VII. fratri, Rhemensi Archiepiscopo, cui etiam scribit *in cap. 2. 5. 6. & 7. de appellat. cap. 7. de hæretic.* ut referunt Chenu *in serie Præsul. Rhem. num. 51.* Manriq; *tom. 3. annal. Cisterc. anno 1176. cap. 4. num. 5.*

(b) *Ecclesiis.*] Juxta distinctionem personalium, & prædialium, quam illustrabimus infrà *in cap. cùm sint homines.*

(c) *Ipso Domino.*] An ideo debeantur decimæ à jure divino, exponemus infrà *in cap. in aliquibus, §. illi.*

2. (d) *Exigi possunt.*] Quam tamen actionem proponere debeat Parochus, DD. non constat. Condictione ex canone ipsum agere debere, asserit Canisius ad hunc textum, *cap. ultimo*; quia cùm nulla actio specialis jure canonico detur, recurrendum est ad condictionem ex canone, ad exemplum condictionis ex lege, *l. unic. ff. de cond. ex leg.* Sed cùm in præsenti asseratur, decimas ut debitum exigi posse, certum est, competere actionem personalem, & necessariam non esse condictionem ex lege; imò sufficere factum in judicio proponere, *ex cap. dilecti, de judic.* Illud etiam verum est, & sæpe repetitum, decimas esse onera realia ipsorum prædiorum, & ideo in quemcunque possessorem transire, *cap. dilecti, cap. de terris, cap. pastoralis, cap. nuper, hoc tit.* ideoque possessorem fundi teneri ad decimas præteritas non solutas à suo prædecessore, docuerunt Garcia *de expensis cap. 11. num. 54.* plures relati à Barbosa *dicto §. 2. num. 11.* quorum sententia suadetur *ex l. Imperatores, ff. de publican. l. 5. §. finali, ff. de censibus, l. penult. & ultima, Cod. sine censu, vel reliquis,* ubi docetur, tributum ex prædio debitum, ut onus reale transire in novum possessorem. Etiam notandum est, in causis decimarum non servari juris ordinem, sed procedi de plano, & sine strepitu judiciorum, *Clement. 2. de judic.* intentariq; potest simul judicium petitorium cum possessorio, *cap. 2. & 3. de causa possess.* & licèt in quolibet judicio spoliatus ante omnia sit restituendus, *cap. 1. de ordin. cognit. cap. literas, cap. ex conquestu, de restit. spol.* tamen spoliatus per parochum è perceptione decimarum, quas intra ipsius parochiam possidebat, non aliter restituitur, quam si ostendat privilegium vel alium titulum, cujus virtute possidebat decimas ipsas: textus disertus *in cap.*

cap. ad decimas, de reſtit. ſpol. lib. 6. ibi: *Niſi evidenter docuerit.* Reſiſtit enim illi jus commune, & favet ſpoliatori; ſiquidem præſumit, poſt diviſionem parochiarum ad ipſos parochos tantùm pertinere. Covarruvias *dicto capite 17. num. 6.* Barboſa *dicto cap. 28. de offic. Parochi, §. 2. num. 43.* quæ doctrina procedit in laico poſſidente decimas virtute privilegii, & à parocho ſpoliato: ſed ſi ipſe ſpoliatus ſit ab alio laico, & intendat interdictum unde vi, ante omnia eſt reſtituendus, juxta juris communis regulas, ut docet Menchaca *uſufreq. cap. 89. num. 5.* Etiam proceditur in his cauſis appellatione remotâ, *cap. tua, 26. hoc titul.* Salgado *de regia protection. 3. p. cap. 2. num. 63.* Quæ ſententia probatur ex eo, nam in tributis Imperatori ſolvendis non admittitur appellatio, *l. abſtinendum, l. finali, Cod. quorum appellat.* ſed decimæ ſunt tributa debita Principi cœlesti, *cap. decimæ 66. 16. quæſt. 1. cap. tua, hoc titulo:* igitur ſimiliter in eis appellationi locus non eſt. Accedit, nam decimæ aſſignantur parochis pro alimentis, *cap. decimas, verſ. ſed tardiùs, 16. quæſt. 1.* ſed in cauſis alimentorum appellatio non admittitur, ut latè probat Salgado *dict. 3. pag. cap. 1.* Igitur nec in cauſis decimarum appellatio quoad effectum ſuſpenſivum admitti valet. Quæ doctrina procedit in caſu textus *in dicto cap. tua nos*, videlicet cùm reus, à quo decimæ petuntur, opponit conſuetudinem, vel præſcriptionem, & condemnatus eſt; ſecus verò ſi agatur cum perſona eccleſiaſtica, quæ intendit jus habere ad decimas; vel ſi quæſtio ſit inter duas Eccleſias æqualiter decimas vindicantes; vel ſi collector decimarum modum excedat; quia ab exceſſu poteſt appellari. Exceptis tamen his caſibus proceditur appellatione remotâ, & Judex eccleſiaſticus poteſt incipere à præcepto de ſolvendo, ut pluribus relatis probat Salgado ubi ſuprà, *num. 73.* Nec in eo judicio ulla admittitur compenſatio alterius debiti, ne eo prætextu decimarum ſolutio differatur, ut poſt Monetam, Rebuffum, & alios reſolvit Hunæus *in Encyclop. dicto tit. de decimis, cap. 9. in fine.*

CAPUT XV.

Idem (a) *Ambianenſi Epiſcopo.*

AD hæc donationem decimæ, quam Abbas ſancti S. de (b) Monſtrali cuidam loco conceſſit per ſucceſſionem tenendam [quoniam ſanctuarium de jure (c) hæreditario poſſideri non debet] viribus carere decernas, & laicum [niſi decimam ipſam ipſi Eccleſiæ liberè reſignaverit] vinculo excommunicationis adſtringas.

NOTÆ.

1. (a) *Ambian.*] Ita etiam legitur poſt Concilium Lateran. *p. 50. cap. 28.* & in prima collectione, *ſub hoc tit. cap. 27.* ubi additur, *pars cap. quoad Sedem*, ut cognoſcatur in præſenti referri ſecundam partem textus *in cap. 2. infrà, de frigid. & maleſ.* De Ambian. Eccleſia nonnulla adduxi *in cap. 37. de reſcript.*

(b) *De Monſtrali.*] Monaſterium hoc ſancti 2.
Salucii Monſtrolienſis eſt prope urbem Monſtrolium in Gallia, Ordinis D. Benedicti, ut referunt Mireus *in ſua Gallia*, Chopinus *de ſacra polit. lib. 1. tit. 4. num. 17.*

(c) *Hæreditario.*] Ut latè probavi *in cap. 1.* 3.
de præb. Commentarium hujus textus dabimus infrà *in cap. prohibemus.*

CAPUT XVI.

Idem (a) *Marſilien. Epiſcopo.*

DE terris, quæ Judæi colunt, tuæ prudentiæ reſpondemus, ut eos ad decimas perſolvendas vel poſſeſſiones penitus renunciandas, cum omni diſtrictione compellas, ne fortè occaſione illâ Eccleſiæ valeant ſuo jure fraudari.

NOTÆ.

1. (a) *Marſilien.*] Ita legitur in prima collectione, *ſub hoc titulo, cap. 28.* ubi additur, *pars capitis Quia ſuper his:* unde deducitur, in præſenti referri ſecundam partem textus *in cap. quia ſuper his, de Judæis.* De Marſilienſi Eccleſia nonnulla notavi *in cap. 6. de his quæ vi.*

COMMENTARIUM.

CIrca obligationem ſolvendi decimas à Judæis, 2.
vel infidelibus contraria videntur juris teſtimonia, variæque reperiuntur DD. ſententiæ; ſed pro vera reſolutione, & hujus textus expoſitione diſcrimen eſt conſtituendum inter decimas perſonales, & prædiales, perſonales enim non ſolvunt, qui baptizati non ſunt, *cap. ex transmiſſa, hoc titulo,* docent Suarez *dicto tract. de decim. cap. 16. nu. 4.* Fagundez *in 5. præcept. Eccleſ. lib. 2. c. 1. n. 4.* Ricciulus

de jure person. lib. 2. cap. 9. per totum. Si enim decimæ illæ præstantur ratione sacramentorum, & infideles nulla accipiunt Sacramenta, inde eas decimas solvere non tenentur. Accedit, nam obligatio solvendi decimas personales provenit à jure ecclesiastico, ut dicemus infrà *in cap. in aliquibus*, §. *final.* sed infideles præceptis Ecclesiæ non ligantur, juxta illud Apostoli 1. *ad Corinthios cap. 5. De his qui fóris sunt, quid ad nos.* Et *cap. gaudemus, de divortiis:* ergo non tenentur solvere decimas personales. Nec obstabit, si dicas, Judæos teneri præceptis juris divini; siquidem sub dominio, & potestate Dei sunt, ac proinde præceptis legis veteris de decimis solvendis eos obstringi. Nam respondetur, præceptum decimarum in lege veteri non fuisse positum à Deo universis, sed solùm habitantibus terram Cananæorum, propter populum Israëliticum, & Levitas; ac proinde eo præcepto non ligantur infideles, nec præcepto ecclesiastico, qui adhuc per baptismum januam Ecclesiæ non sunt ingressi. Unde infertur hæreticos omnino teneri ad decimarum præstationem; quia per baptismum ad Ecclesiam spectant, & ita apostasiâ ab hac obligatione eximi non valent, quia ex fide, quam in baptismo promiserunt, legibus Ecclesiæ obligati fuerunt. Circa prædiales decimas certum est, Judæos cæterosque infideles cogi eas præstare, *cap. quantò*, §. *final. de usur. cap. nimis, de excess. Prælat.* Capitul. Caroli Calvi anni 877. *cap.* 31. quod exponit Bosquetus *ad Innocentium lib. 1. epist.* 50. docent Azor, Vazquez, & Moneta relati à Barbosa *dicto cap.* 28. Decimæ enim prædiales, sunt onera ipsius prædii, & ab ipso prædio debentur; & ita prædia illa, quæ decimas pendebant antea, transeunt cum suo onere, argumento textus *in l. Imperatores, ff. de public.* Unde infideles decimas solvere non tenentur, simpliciter loquendo; sed quatenus respiciunt onera realia prædiorum; & hac ratione Judæi, cæterique infideles oblgantur ad solutionem decimarum, quoniam prædia ipsa habent inhærentem obligationem decimarum, & tanquam onus reale ipsius rei, necesse est ut ad omnes transeant, etiam infideles, ad satisfaciendum Ecclesiæ interesse, ut in præsenti textu docetur, præcipuè in illis verbis: *Ne fortè illa occasione Ecclesiæ valeant suo jure fraudari.* Quæ verba supponunt jus Ecclesiæ ad decimas persolvendas in tali fundo fuisse acquisitum. Unde deducitur, doctrinam hanc procedere respectu prædiorum, quæ possident infideles in terris Christianorum, aut quę eorum aliquando fuerunt; nam ex prædiis in propriis infidelium provinciis possessis decimæ non debentur ex eo, quod cessat in eis ratio juris quæsiti Ecclesiæ ad decimas ex illis prædiis percipiendas: juxta quam distinctionem exponendus est textus *in cap. finali, hoc tit. in 2. collect.* ubi Clemens II. ita decrevit: [Ad audientiam nostram, te significante pervenit, quod cùm Judæi cupiditate maxima, & damnabili parochianos Sancti Lauri pro parte magna occupaverint, adhuc residuum de die in dies occupare intendunt. Quia verò præscripta Sancti Lauri Ecclesia propter hoc magnam suorum bonorum jacturam incurrit, disc. v. p. A. s. p. m. quatenus nisi Judæi, qui in civitate Rothomagensium morantur, ad monitionem vestram, & decimas, & omnes proventus alios, quos de parochianis fidelibus, si ibi habitarent, consequerentur, prædictæ Sancti Lauri Ecclesię, & aliis, quarum parochias detinent occupatas, annis singulis sufficienter, ac congruè recompensare curaverint, omnes Christi charactere insignitos, sive virilis, sive fœminei sexus extiterint, qui Judæis obsequium exhibere, aut mutuò aliquid ab eis accipere, aut restituere jam acceptum, venditiones, aut locationes cum eis contrahere, seu quemlibet alium contractum inire, vel eis *Ave* dicere, seu habere colloquium, nisi de sua correctione, vel inexpertâ conversione allicere, ullâ præsumptione tentaverint, omni gratiâ, & timore postpositis, contradictione & appellatione cessante, anathematis vinculo adstringatis, cui etiam volumus sententiæ subjacere quemcunque, qui illis ad vestri elusionem mandati consilium suum, sive auxilium impenderit, aut favorem.] Et etiam accipiendus est Innocentius III. *lib. 2. epist.* in editione Colonię, ubi *lib. 2. fol.* 312. Episcopo Abulensi ita scribit: [Ex parte dilectorum filiorum Capituli Abulensis fuit in audientia nostra querimonia recitata, quod cùm homines tuę diœcesis in castris, & in ipsa civitate morantes, de tribus partibus frugum totius agriculturę suę, molendinorum etiam, & hortorum; & ruricolę de quarta parte parochialibus Ecclesiis, à quibus Ecclesiastica percipiunt Sacramenta, decimas solvere teneantur: licèt ministri Ecclesiarum ipsarum ferè nullos habeant redditus præter decimas, unde valeant sustentari, domini prædictorum hortorum, & molendinorum ipsa tradunt Sarracenis, in grave detrimentum Ecclesiarum, & præjudicium excolenda: qui nolunt Ecclesiis, sicut olim Christiani solebant, freti potentiâ, & favore illorum, à quibus illis excolenda traduntur, decimas exhibere. Volentes igitur ipsis Ecclesiis, & earum ministris super hoc, prout convenit, providere, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus nisi Sarraceni illi ad commonitionem tuam cum ea integritate, quâ Christiani solebant, prædictas decimas Ecclesiis voluerint exhibere, eis facias commonionem à Christianis super mercimoniis rerum venalium, & aliis penitus denegari: Christianos illos, qui talibus contra formam mandati Apostolici communicare præsumpserint, à sua præsumptione per censuram ecclesiasticam, appellatione remotâ, compescens. Datum Later. XII. Kal. Junii.]

CAPUT

CAPUT XVII.

(a) Idem.

QUamvis grave sit nimis,& divini dignum animadversione judicii habeatur, quod laici quidam, quod sacerdotum est, in ecclesiasticis rebus usurpant: majorem tamen incurrunt formidinem,& dolorem, quòd fomitem sui erroris dicuntur in ipso Clero aliquoties invenire,dum quidam Coëpiscoporum nostrorum, aliorumque Prælatorum, Ecclesiæ decimas, & Ecclesias ipsas disponere eis indulgent,& eos de via mortis impellunt, qui prædicatione eorum ad vitæ viam fuerant revocandi. De quibus dicit Dominus per (b) Prophetam: Populi mei peccata comedunt,ad iniquitatem provocant. Unde statuimus,ut si quis alicui laico in seculo remanenti Ecclesiam, decimam, oblationemve concesserit,à statu suo,sicut (c) arbor, quæ inutiliter terram occupat, succidatur, & donec emendet,dolore ruinæ suæ jaceat prostratus.

NOTÆ.

1. (a) *Idem.*] Ita etiam legitur *in cap.* 2. *hoc tit. in* 2. *collect.* & post Concilium Lateran. *pag.* 26. *cap.* 8. ubi refertur præsens constitutio, quæ edita fuit in Concilio Turon. *can.* 3. ex quo hæc verba refert. Ant. Augustinus *in epit. juris Pont. lib.* 10. *tit.* 9. *cap.* 1. & ita hæc constitutio propria est Concilii Turon. licèt ab Alexandro III. *in dict. cap.* 8. reperiatur transscripta.

(b) *Prophetam.*] Oseam videlicet, *cap.* 4.

(c) *Arbor quæ.*] Verba sunt SS. Lucę *cap.* 13. & Matthæi *cap.* 3. Commentarium hujus textus dabimus infrà *in cap. prohibemus.*

CAPUT XVIII.

Idem *Massilienſi* (a) *Episcopo.*

CUm sint homines in parochia unius Ecclesiæ, sicut asseris, qui terras in alia parochia alterius excolunt; tua discretio nos consuluit, cui Ecclesiæ de terris illis decimas solvere debeant,an ei,in cujus parochia sunt constituti; an illi,in qua divina audiunt, & ecclesiastica alia percipiunt sacramenta. Sanè cum hujusmodi quæstio temporibus prædecessorum nostrorum sæpius mota fuerit, nec ab aliquo terminata, aliis intuitu territorii, aliis personarum obtentu asserentibus debere persolvi; non est nobis facile super hoc certum dare responsum, cùm auctoritates Sanctorum Patrum etiam sint diversæ, & ideo in hujusmodi dubitatione ad consuetudinem duximus recurrendum, & attendendum etiam, si illæ Ecclesiæ in uno sint, vel in diversis Episcopatibus constitutæ. Quia difficile nimis videtur, ut una Ecclesia in Episcopatu alterius recipiat decimas, cùm ex hoc Episcopatuum fines confundi non immeritò videantur.

NOTÆ.

1. (a) *Massilienſi.*] Ita legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. in sexta autem non exprimitur Prælatus, cui rescribat Alexander. De Massilienſi diœcesi nonnulla notavi *in cap.* 6. *de his quæ vi.*

COMMENTARIUM.

2. IN præsenti textu agitur de parochiis, quibus decimæ præstandæ sunt, in qua parte ut Alexander III. hîc fatetur, diversa, licèt non contraria, sunt juris testimonia; nam Ecclesiis baptismalibus decimas præstari debere,probatur *in cap. quicunque* 44. *cap. de decimis* 45. *cap. statuimus* 55. 16. *q.* 1. *c. cùm contingat* 29. *hoc tit. cap. final. de parochiis, cap.* 1. *in fine, de verb. signif.* Et ratio idem suader; nam cùm decimę sint stipendia sacerdotum sacramenta administrantium, *cap. tua, hoc tit.* & hunc laborem parochi soli sustineant, illis solis decimæ debentur; unde vulgò docetur, parochum habere fundatam suam intentionem respectu omnium decimarum intra suę parochię limites existentium, *dicto cap. cùm contingat.* Valenzuela *consil.* 37. *per totum.* Barbosa *dicto cap.* 28. §. 2. qui rectè docet, ipsum semper manutenendum esse. Econtrario autem decimarum distributionem ad Episcopum pertinere, probatur *in cap.* 1. 16. *q.* 7. *cap. in sacris* 56. 16. *q.* 1. *cap. Episcopus* 23. *cum sequent.* 12. *q.* 1. & ipsum fundatam habere suam intentionem erga decimas, probat textus *in cap. dudum* 31. ibi: *Intentione tua de jure communi fundata, hoc tit.* & ipsi Episcopis certam partem earum deberi, docetur *in cap. quoniam* 13. ibi: *Tuâ parte retenta, hoc tit.* & eam portionem quartam esse, probatur *in*

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

cap. conquerente 16. *de offic. ordin. cap. de quarta, de præscript.* aliis etiam clericis, veluti Canonicis Ecclesiarum jus percipiendi decimas competere, probatur *in cap. ex parte* 21. *cap. ad hæc, hoc tit. cap.* 3. 16. *q.* 7. quia decimæ pro omnibus ministris Ecclesiæ institutæ sunt, *cap. non est* 22. *hoc tit.* ad exemplum legis veteris, juxta quam Levitis omnibus decimæ solvebantur, *cap. final. Levitici.* In hac jurium varietate dicendum est, decimas ex sua institutione ad Episcopum pertinere, ut eas inter clericos suæ diœcesis distribuat; nunc verò certis unicuiq; clericorum partibus assignatis, Episcopus habet jure communi quartam partium, & parochi, clericiq; in Ecclesia ministrantes, & Canonici Cathedralium Ecclesiarum eam partem, quæ suis beneficiis ex consuetudine adjudicata est: quod si non apparet, quæ pars ex consuetudine Parocho debeatur, quarta præstanda est, juxta antiquam divisionem, de qua *in cap. quatuor, cap. de redditibus* 12. *q.* 2. post quam divisionem Episcopus, & Parochus fundatam habent suam intentionem ad propriam portionem. Suarez *dicto tract. de decimis, lib.* 1. *cap.* 28. & 29. Rebuffus *eodem tract. q.* 7. Nomine autem Parochi accipimus eum, qui præest Ecclesiæ Parochiali nomine proprio. Josephus Ludovisius *decis.* 72. *num* 9. Circa parochias verò, quarum parochis decimæ debentur, discrimen est constituendum inter personales, & prædiales: personales enim debentur Ecclesiæ parochiali, in qua quis domicilium habet, *cap. ad Apostolicæ, hoc tit. cap. questi* 46. *cap. statuimus* 55. *cum sequent.* 16. *q.* 1. Fagundez *in* 5. *præcept. Eccles. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 1. Moneta *de decimis cap.* 7. *num.* 21. Ratio est, quia decimæ illæ debentur propter laborem impensum in administratione Sacramentorum, & ita parocho ea administranti debentur: & licèt aliquis causâ negotiationis, studiorum, aut voluptatis moram faciat extra patriam, decimas tamen in parochia propria solvit, *dicto cap. Apostolicæ, cap.* 3. *de sepultur. in* 6. quia domicilium non mutat, ex traditis à Barbosa *in l. hæres, §. final. ff. de judiciis, à num.* 94. Si verò quis duo domicilia habeat, attendi debet quod principalius est: si utrumque æquè principale sit (quod evenire potest, *l. dissumpto, §.* 1. *l. Libertus, l. ejus qui, §. Celsus. ff. ad municip.*) dividi debent decimæ pro rata habitationis. Suarez *dicto lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 1. Decimæ verò prædiales debentur parochiæ illi, ubi prædia sunt, *cap. cùm contingat, hoc tit. cap. ad decimas, de restit. spoliat. lib.* 6. *cap.* 24. *hoc tit. in* 1. *collect. cap. final. hoc tit. in* 5. *compil.* nec absurdum videri debet, ut decimas percipiat parochus, qui sacramenta non ministrat, licèt id adeò durum visum sit Alexandro in præsenti, ut casum hunc diffinire non ausus, consuetudini standum esse decreverit; nam respondetur, ad tollendam omnem ambiguitatem, & parochialium limitum confusionem, prudens consilium fuisse certos eis terminos dèsignare, & in eorum prædiorum decimis alimenta parochis tribuere; quia frequentius est, quemque habitare, ubi prædia possidet; leges autem ad frequentiores casus adaptantur, *l. nam ad ea. ff. de legibus.* Item æquale est in hoc jus omnium Ecclesiarum, quia quemadmodum parochianus iste ex sua parochia in aliam migrat, idem in hac accidere potest, ut docent Rebuffus *de decimis, q.* 6. *num.* 20. & *q.* 7. *num.* 10. Navarrus *consil.* 1. *de decimis, num.* 7. Suarez *dicto cap.* 21. *à num.* 4. Circa decimas autem mixtas, veluti quæ ex gregibus percipiuntur, quia prædialibus magis accedunt, cùm ex fructibus prædiorum alantur, debentur parochiæ illi, ubi pascunt: quod intelligendum est de animalibus mansuetis, sive extra domum alantur, ut oves, & armenta; sive intra domum, ut gallinæ, columbæ, & similes. Cæterùm si fera animalia sint, distinguendum est, an in nullius sint, an in alicujus dominio consistant. Priori casu decimæ ex eis perceptæ sunt personales, quia emolumentum rei totum ex hominis industria pervenit; veluti si quis piscatur, aut venatur in mari, flumine, vel nemore publico, in quibus nemo dominium habet, vel jus prohibendi piscationem, aut venationem: secundo verò casu cùm animalia, quæ capiuntur, in aliquorum dominio sint, decimæ eorum prædiales erunt, quia in fructu prædiorum sunt hæc animalia, *l. item si* 9. *§. aucupiorum. ff. de usufructu:* & ita horum animalium æstimatio non tota sumitur ex industria capientium, sed ex ipsis. Indè provenit, decimas animalium, quæ in nemoribus, aut stagnis includuntur, esse prædiales, & deberi parochiæ, in qua stagna, aut nemora sunt, argumento legis 3. §. *item feras, ff. de acquirend. possess. l. usufructuarium* 62. §. 1. *ff. de usufruct.* Idemque dicendum est de decimis columbarum, quæ columbariis includuntur, si earum pulli à dominio vendantur, argumento textus *in §. pavonum, Instit. de rerum divis.* nam si per venationem capiantur, erunt decimæ personales; quia tunc quasi nullius existimantur, ut capi possint. Idem dicendum est de cera, & melle; quia apes alveis inclusæ dominos habent, §. *apum, Instit. de rerum divis.* Idem de lapidum, ac metallorum fodinis, ac lignis dicendum est, videlicet ut si ex agris nullius percipiantur, decimæ personales sint; si verò ex prædiis propriis, prædiales judicentur, argumento textus *in dicta l. item si, §. etsi cum sequent.* docet Rebuffus ubi suprà, *quæst.* 8. *ex num.* 10. Suarez *dicto lib.* 1. *cap.* 34. *à num.* 6. Nec hucusque traditis obstat textus *in cap. nuntios, hoc tit.* cujus interpretationem, & alia, quæ huc spectant, adduxi *in cap. plerique, de pactis:* omnia tamen suprà tradita vera sunt jure communi attento; ex consuetudine tamen, aut præscriptione contrarium plerumque observatur, ut infrà latè dicemus *in cap. Apostolica.*

CAPUT

CAPUT XIX.

Ex Concilio (a) *Lateran.*

PRohibemus insuper, ne laici decimas cum animarum suarum periculo detinentes, in alios laicos possint aliquo modo transferre. Si quis verò receperit, & Ecclesiæ non reddiderit, Christianâ sepulturâ privetur.

NOTÆ

(a) *Lateran.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 23. & reperitur textus hic in ipso Concilio Lateran. celebrato sub Alexandro III. *cap.* 16. §. *prohibemus*, de quo Concilio nonnulla notavi *in cap.* 27. *de rescript.*

COMMENTARIUM.

1. Conclusio traditur, & probatur.

EX hoc canone sequens communiter deducitur assertio: *Laici decimas Ecclesiasticas retinere non possunt, nec injustè obtentas in alios transferre.* Probant eam textus *in capite decimas* 16. *quæst.* 7. *cap. final.* 10. *quæst.* 3. *cap. pervenit* 1. *quæst.* 3. *cap. ad hæc, cap. quamvis, hoc tit. cap.* 2. §. *sanè, hoc tit. lib.* 6. *cap. si quis presbyterorum, de rebus Eccles. cap. exhibita, de rer. permut. cap. cùm & plantare, de privil. extravag. Ambitiosæ, de rebus Eccles. l.* 22. *tit.* 8. *p.* 1. Varios canones adversùs hanc juris decimarum usurpationem per laicos collegit Roverius *ad hist. Sancti Joannis Recomaensis, num.* 172. Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa *de offic. Parochi cap.* 28. §. 2. Germanius *lib.* 3. *de sacror. immunit. c.* 19. Suarez *de decimis cap.* 17. Borellus *in summa decis. titul.* 19. *num.* 114. Duarenus *lib.* 7. *de sacris Eccles. cap.* 1. Marescottus *lib.* 1. *variar. cap.* 19. Durantius *qq. juris quæst.* 32. Lemaistre *de decimis, cap.* 8. *num* 9. & 10. Bosquetus *ad Innocent. III. lib.* 1. *epist.* 21. & *lib.* 2. *epist.* 29. Balboa *in lap. ad aures, de præscript.* Petrus Gregorius *lib.* 7. *syntag. cap.* 15. & *lib.* 1. *partit. tit.* 25. *cap.* 1. Carrasco *ad ll. recopil. cap.* 10. Castillo *lib.* 7. *de tertiis, capite* 11. Fachin. *lib.* 7. *controv. cap.* 77. Sesse *decis.* 162. *tom.* 1. Parexa *de instrum. edit. tit.* 7. *resol.* 9. Solorzanus *de jure Indiar. tom.* 2. *libro* 3. *cap.* 1. *num.* 30. Murga *tom.* 2. *disquis.* 1. *per tot.* Theophilus *tom.* 12. *tract. mala è bonis Eccles. cap.* 9. *num.* 16.

2. Impugnatur tradita assertio.

Sed pro ratione dubitandi, omissis quæ adduxi *in cap. ad aures, de præscript.* in præsentem assertionem ita insurgo: Aut in casu in hoc canone proposito laici detinebant decimas injustè, vel justè ex infeudatione ante Concil. Lateran. facta, de qua infra agemus. Si injustè detinebant, non solùm prohibendum erat illis, ne in alios transferrent, verùm & ne cum animarum periculo eas retinerent, & per consequens non rectè hîc docetur, decimas detinentes laicos non cogi eas restituere, sed tantùm prohiberi in alios transferre: si autem justè jure feudi eas retinebant, rectè poterant laici eas in monachos, aut in aliam Ecclesiam cum assensu Episcopi transferre, ut docetur *in cap. ad Apostolicam, de his quæ fiunt à Pralat.* Ergo non rectè in præsenti statuitur, non posse laicos decimas in alios transferre, cùm perinde illis permittatur eas detinere.

Quâ difficultate non obstante vera est præsens assertio, videlicet laicos non posse acquirere, seu retinere jus exigendi decimas; quia illud competit tantùm sacerdotibus, qui ministrant spiritualiâ: & cùm laici illa ministrare non possint, sunt incapaces juris decimarum, *cap. causam, de præscript. cap. quamvis, hoc titul. l.* 56. *tit.* 6. *part.* 1. D Thomas 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 3. docent Sotus *de justitia lib.* 9. *quæst.* 7. *articul.* 1. Covar. *lib. ... var. cap.* 17. *num.* 4. Rodriguez *qq. regul. quæst.* 44. *artic.* 4. Vazquez *in opusc. tit. de benef. cap.* 1. §. *unic. dub.* 7. Didacus Perez *in l.* 1. *titul.* 1. *lib.* 5. *ordin.* Rod. Suarez *alleg.* 28. Gutierrez *lib.* 1. *practic. cap.* 15. Facit exemplum legis veteris, juxta quàm tantùm permittebatur comedere panes propositionis Aaroni, & filiis ejus, *cap.* 27. *Levit.* ergo similiter in lege gratiæ jus percipiendi decimas tantùm sacerdotibus debetur; sicut etiam oblationes illi tantùm percipiunt, nec ullo modo laici eas percipere valent. Concilium Gangrense *can.* 8. & in Concilio Brachar. 2. *can.* 6. prohibentur laici construere Ecclesias, ut oblationes in eis factas, vel earum partem accipiant, ibid: *Placuit ut si quis basilicam non per devotionem fidei, sed pro questus cupiditate ædificet, ut quidquid ibidem pro oblatione populi colligitur, medium cum clericis dividat, eo quod basilicam in terra sua ipse condidit; quod in aliquibus locis usque modò dicitur fieri. Hoc ergo de cætero observari debet, ut nullus Episcoporum tam abominabili voto consentiat, ut basilicam, quæ non pro Sanctorum patrocinio, sed magis tributariâ conditione est condita, audeat consecrare.* Nec solùm laici decimas percipere nequeunt, verùm nec pro earum redemptione pretium exigere, ut cavetur in Capitulari 30. Ludovici Pij, his verbis: *De decimis, quas populus dare non vult, nisi quolibet modo ab eo redimantur ab Episcopis, prohibendum est ne fiat: & si quis contemptor fuerit inventus, & nec Episcopum, nec Comitem audire velit, si noster homo fuerit, ad præsentiam nostram venire compellatur.* Et cùm idem Princeps cognovisset, nonnullos datâ Comitibus, in solutione decimarum cessare, ita decrevit *lib.* 2. *cap.* 28. *Dictum est nobis, quod in quibusdam locis Episcopi & Comites ab incestuosis, & ab his, qui decimas non dant, vvadios accipiunt, & à Presbyteris pro quibusdam negligentiis, & inter se pecunias dividunt, quod penitus abolendum decrevimus.*

3. Laici sunt incapaces decimarum.

Ex privilegio tamen Romani Pontificis laicis competere potest jus, seu commoditas percipiendi decimas, *cap.* 2. *hoc titul. in* 6. quia Summus Pontifex ex justis causis potest eas, vel earum partem laicis concedere, ob ipsorum benemerita, & servitia in Ecclesiam impensa, *cap. à nobis* 24. *hoc. tit.* ubi plures congessit Barbosa, *cap. Hadrianus*, 63. *dist.* ut fecerunt plures Romani

4. De privilegio concessis nobilibus Regibus.

Præsules tertias concedendo nostris Catholicis Regibus, qui proprio sanguine, & maximis sumptibus Ecclesias à Sarracenis occupatas recuperarunt. Gloss. *verbo singulas*, *in dict. cap. Hadrianus*, Matienzo *in l. 1. tit. 10. lib. 5. recopil. glos. 21.* Parladorius *rerum quotid. cap. 3. num. 7.* Concessit enim Summus Pontifex ex tertia parte omnium decimarum duas tertias, & sic ex acervo in novem partes diviso, duæ partes à Rege nostro percipiuntur, ut constat *ex l. 1. tit. 21. lib. 9. recopil.* Castillo *tract. de tertiis, fere per tot.* Circa tempus verò hujus concessionis non satis constat: illud tamen certum est, usque ad tempora Alexandri VI. hæc privilegia à Regibus nostris contessa non fuisse perpetua, sed temporalia, in subsidium belli cum Sarracenis initi; nam constat, Henricum I. anno 1216. regiâ fide promisisse abstenturum se deinceps à perceptione decimarum, quas injustè occupaverat: & Honorius III. in sua bulla, quæ incipit *Ex parte tua*, data 17. Kalendis Aprilis, anno 1226. concessit Archiepiscopo Toletano medietatem earum tertiarum, quas potentiores Hispaniæ occupaverant; & Gregorius IX. in sua bulla, quæ incipit, *quantò charissimum* anni 1228. jussit Archiepiscopo Toletano, & omnibus Episcopis Castellæ, quatenus Ferdinandum IV. Regem Castellæ monerent, ut desisteret à tertiarum exactione, ut in ejus chronica refertur *cap. 2.* & illa bulla reperitur in Ecclesia Toletan. Post hæc Clemens V. per suam bullam, quæ incipit, *Olim claræ memoriæ*, concessit Alphonso IX. Castellæ Regi duas partes tertiæ portionis decimarum Ecclesiarum terræ sibi subjectæ usque ad tres annos; ita tamen, ut elapso triennio nec per se, nec per alium prædictas tertias exigeret, aliàs excommunicationis sententiam incurreret, ut refert Mariana *lib. 23. hist. cap. final.* Tandem Alex. VI. in sua bulla, quæ incipit, *Dum indefensa*, anni 1494. die 16. Februarii concessit Regibus Catholicis Ferdinando, & Elizabethæ, ut in perpetuum tertias decimarum Regni Castellæ, Legionis, & Granatæ licitè perciperent: & quoad tertias Regni Granatensis aliud privilegium concessit Innocentius VIII. ut referunt adducentes alia privilegia concessa tam Regibus Castellæ, quàm Aragonis, Parexa *de instrument. edit. p. 2. tit. 7. resol. 9. num. 50.* Borellus *de præstantia Regis, cap. 59. numero 7.* Calixtus Ramirez *de lege Regia*, §. 31. *numero 3.* plures congesti à Solorzano *tom. 2. de jure Indiar. lib. 3. cap. 1. num 11.* Sesse *tom. 2. decis. 162.* Castillo *de tertiis, cap. 2.* Escobar *de Reg. & Pontif. jurisd. cap. 22.* A prædictis ergo temporibus Reges nostri possident prædictas tertias, cum justo titulo, & bona fide; & cùm illæ jam sint incorporatæ Regiæ Coronæ, ut prophanæ, & sæculares judicantur: quare cùm sint merè temporales, in laicos etiam alienari possunt, ut probat Menchaca *illust. controv. c. 89.* Lassarte *de decima vendit. cap. 19. num. 35.* Garcia *de expensis cap. 9. num. 48.*

De laicis injustè decimas possidentibus.

5. Deinde sciendum est, olim laicos decimas occupasse variis ex causis, veluti quia cùm Reges decimas debitas propriis Capellis perciperent, eas in beneficium laici concedebant. Concil. Meldense *can. 75.* ibi: *Si capellas nostras presbyteris, aut viris ecclesiasticis dederitis, & dominicas decimas acceperint, sarta tecta Ecclesiæ, & luminaria exinde competenter provideant, & presbyteri parochianas decimas accipiant, & populi necessitatibus debitè invigilent: si autem laici capellas habuerint, à ratione, & auctoritate alienum videtur, ut ipsi decimas accipiant.* Lue in dies magis serpente, laici feudi nomine passim decimas occuparunt, & posteris transmiserunt. Ordericus Vitalis *lib. 5. histor.* ibi: *Avidi quippe possessores terrenorum, caducis inhiant, de summis, & divinis parum cogitant, adeoque quia plures vix aliquid pro spe superna, & nisi temporale commodum viderint, agere tentant, decimas quas Dominus ab Israelitis per Moysem sibi ad usum Sanctuarii, & Levitarum exegit, nostrates laici retentant, vel ministris Ecclesiæ, nisi magno redimantur pretio, reddere affectant.* Immò invalescente Procerum tyrannide consultò his Ecclesiarum Antistites decimarum partem in beneficium dedere, ut partis damno reliquam tuerentur, ut fecit Episcopus Racesburgensis cum Henrico Comiti Polaborum, de quo Helmoldus ait: *Porrò decimas terræ recognovit Episcopo; quarum tamen medietatem recepit in beneficio, & factus est homo Episcopi.* Eandem laicarum decimarum originem indigitat Fridericus I. in oratione habita in Concilio Principum apud Arnoldum Lubecensem: *Scimus autem decimas & oblationes à Deo sacerdotibus, & Levitis primitus deputatas; sed cùm tempore Christianitatis ab adversariis infestarentur Ecclesiæ, easdem decimas Prapotentes, & Nobiles viri ab Ecclesiis in beneficio stabili acceperunt, ut ipsi defensores Ecclesiarum fierent, quæ per se obtinere non valerent.* Krantzius *libro 1. Metrop. capite 2.* ibi: *Cùm non satis fiderent Patres sua jura à laicis Principibus tueri, dedisse arbitror partem decimarum Principibus in manu per speciem feudi & beneficii, malentes amittere dimidium, quàm totum: inde factum, ut à Principibus transierint in ministeriales, qui nunc militares appellantur.* Decimas etiam laicis propinavit ambitio, & gratia Antistitum. Lysiardum Parisiensem Archidiaconum hoc nomine notat Fulbertus *epist. 34.* quòd decimas, & oblationes altarium, stipem pauperum, Episcopo inconsulto sæculari militiæ traderet. Decimarum quoque infeudationes laicas propagavit sacræ in Sarracenos expeditionis necessitas sub Philippo Augusto, cujus adornandæ, & instruendæ gratiâ militibus permissum fuit, ut decimas è prædiis ditionis suæ suos in usus converterent, quoad bello mererent. Constitutio est Friderici apud Rigordum anno 1187. *Qui alicujus terræ magnam justitiam habet, ejusdem terræ decimam habebit; miles crucem non habens, domino suo habenti eam, cujus erit homo ligius, dabit de suo proprio mobili decimam, & de feudo quod ab ipso tenebit; si autem ab eo nullum tenebit feudum, de suo proprio mobili decimam domino suo ligio dabit.* Laici decimarum occupatores usurpationis velandæ gratiâ persuasum voluerunt, decimam sibi beneficii nomine concessam à R. Pontifice ob tuitionem Romanæ Ecclesiæ. Matthæus Paris. *in Henricum III.* anno 1240. *Item in Regno Franciæ multæ decimæ militibus ab Apostolicis Patribus concesse creduntur, ut ipsi Romanam Ecclesiam tueantur; sed constat ab eis debitum suffragium esse denegatum, nec etiam constat, eorum suffragium exercitui Domini Papæ fuisse adhuc contributum.* Sed fabulam expungit religio Romanorum Pontificum: reclamant tot decreta Gregorii VII. Innocent. II. Eugenii III. & Concil. Lateran. de decimis è laicis.

cis non possidendis. Ecclesia enim semper curavit hujusmodi decimarum concessiones laicis factas irritare, & rescindere: unde Lemaistre *lib. 1. de decim. cap. 10. per totum*, probare intendit, nunquam Ecclesiam permisisse infeudationem decimarum; quod verum est, si factam à Pontifice excipias, quia nullo unquam tempore licitum fuit Episcopis, etiam per titulum temporalem feudi, aut similem, laicis decimas concedere, *cap. 3. §. Ecclesias, de privileg. cap. cùm Apostolica, in fine, de his quæ fiunt à Prælat. cap. 2. §. sanè, hoc tit. in 6.* docent Covar. *lib. 1. var. cap. 17. num. 5.* P. Barbosa *in l. Titia, à num. 45. ff. solut. matrim.* Gutierrez *lib. 1. practic. quæst. 14. num. 5.* Azor *tom. 1. instit. lib. 7. cap. 36. q. 13.* Suarez *dict. lib. 1. de decimis, cap. 26. à numero 2.* Fachineus *lib. 7. controv. cap. 7.* Arias Amesa *lib. 3. var. cap. 13. num. 19.* Unde malè communiter Doctores prohibitionem hanc dandi in feudum decimas laicis ad Concil. Lateran. de quo in præsenti, & *in cap. 3. de privil.* & ad Synodum Clarmont. sub Urbano II. relatam *in dict. cap. decimas 39. 16. quæst. 7.* referunt; nam in eo capite aliud prorsus statuitur, ne scilicet monachi à laicis decimas, vel Ecclesia suscipiant sine Episcopi consensu. Et *in cap. 3. de privil. vers. Ecclesias*, id solùm probibetur, quod *in dict. cap. decimas* prohibitum erat, nempe ne religiosi decimas Ecclesiarum de manu laicorum reciperent sine Episcopi consensu; hoc tamen addito, quod Urbanus *in dict. cap. decimas*, solùm futuris negotiis legem dedit, ut ex verbis constat: at Alex. III. in Concilio Later. cujus canon. 9. extat *in dict. cap. 3.* non solùm prohibuit in futurum, sed addidit, ut religiosi dimitterent quascunque decimas à laicis accepissent *moderno tempore*; sic enim legendum est, non *aliquo tempore*, ut in vulgatis habetur, ut constat ex Antonio Augustino *in 2. collect.* & ex ipso Concilio Lateran. quæ verba non temerè accipi possent de tempore post prohibitionem Urbani II. *in dict. cap. decimas*; quod ad octuaginta annos plus minusve subit: nam Urbanus II. anno 1088. electus, duodecim annos Ecclesiam rexit: Alex. III. Lateran. Concil. ad annum 1178. congregavit: ergo illum id Urbani prohibitioni addidisse arbitror, ut prohibitionem Urbeni confirmaret, & gesta post ipsam Urbani prohibitionem rescinderet. Postmodùm Alexan. IV. *in dict. cap. 2. §. sanè, hoc tit. in 6.* eandem prohibitionem extendit hoc modo: laici ut prohibitioni prædictæ fraudem facerent, infeudationes decimarum simulabant, quasi sibi factus ab ipsis religiosis, quibus donare intendebant, ut sic postea extinctum feudum religioni quæreretur, ut ipsi laici possent in religiosos decimas transferre, ut in propriam Ecclesiam, absque Episcopi consensu, juxta textum *in cap. cùm Apostolica, de his quæ fiunt à prælat.* Has infeudationes simulatas Alexand. IV. rescindit *in dict. §. sanè*, & limitat *in vers. illas*, nisi talis infeudatio fuerit ante Concilium Lateran. facta, id est laicis ab ipsis religiosis; nam tunc non præsumitur in fraudem prohibitionis facta, quo tempore nec prohibitio fuerat, quæ fraudaretur. Sic novissimè accipio dictum §. *sanè*, ne aliàs dicamus, Alexan. IV. cum communi sententia Concilii Lateran. prohibuisse, ne decimas laici possidere possent in feudum, de quo nec ullum verbum in tota Synodo, nec in juribus adductis. Antiquiorem ergo esse hanc prohibitionem, ne laici decimas obtineant, credo. Carolus enim Calvus anno 876. *capitul. 10.* ita decrevit: *Res ecclesiasticas, tam mobiles quàm immobiles, nemo invadere, vel auferre præsumat; & quæ à Rectoribus Ecclesiæ ob timorem, vel favorem alicui libellario, vel emphyteuticario jure, dolosè, & cum damni detrimento Ecclesiæ amissæ videntur, ad pristinum jus revertantur.* Idem statuerunt Innocentius II. in Synodo Romana, *can. 7.* Gregorio VII. *in ead. Synodo*, ibi: *Decimas, quas in usum pietatis concessas esse canonica auctoritas demonstrat, à laicis possideri Apostolicâ auctoritate prohibemus; sive enim ab Episcopis, vel Regibus, vel quibuslibet personis eas acceperint, nisi Ecclesiæ reddiderint, sciant se sacrilegii crimen committere.* Cujus prohibitionis ratio ex eo provenit; nam qui feudum concedit, debet ipsius rei dominium directum habere, ut probavi *in cap. 1. de feud.* Sed Episcopi non habens directum dominum decimarum: igitur eas in feudum concedere non possunt.

6. *Traditur ratio dictionis*

His suppositis ratio præsentis prohibitionis Concilii Lateran. ex eo provenit, quia decimæ debentur parochis propriis in alimoniam, & eorum sustentationem; quia spiritualia administrant, & temporalia accipere debent: sed laici sunt incapaces ministrandi spiritualia: igitur decimas percipere non valent: unde nec beneficia ecclesiastica ipsos retinere posse, probavi *in c. sacros. 51. c. Messana 56. de elect.* Deinde argumentum ducimus ab oblationibus; nam oblationes magis pendent ex voluntate populorum, quàm decimæ: sed nec oblationes laici percipere possunt, aliàs hæretici, & sacrilegi judicantur. Concil. Gangrens. *can. 7.* ibi: *Si quis vult fructus Ecclesiæ oblatos, vel dare extra Ecclesiam præter Episcopi sententiam, vel ejus, cui cura eorum tradita est, & non cum ejus sententia ea velit agere, sit anathema.* Et clariùs *can. 8. Si quis dat, vel accipit fructus oblatos præter Episcopum, vel eum, qui est constitutus ad dispensationem beneficentiæ, & qui dat, & qui accipit, anathema sit.* Eandem sententiam firmat Symmachus Papa in 6. Synodo Romana, ibi: *Valde iniquum, & ingens sacrilegium esse, ut quæcunque vel pro remedio peccatorum, vel requie animarum suarum unusquisque venerabili Ecclesiæ contulerit, aut certè reliquerit, ab his, à quibus hæc maximè servari convenit, idest Christianis, & Deum timentibus hominibus, & super omnia à Principibus, & primis regionum in aliud transferri, vel converti.* Igitur nec decimas potiori jure Sacerdotibus debitas laici retinere possunt.

7. *Dissolvitur ratio dubitandi.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam in præsenti textu nulla mentio fit infeudationis, vel alterius tituli, ex quo laici decimas detinebant; immò priùs supponitur, eas injustè percipere, ut constat ex illo verbo, *detinentes*; quo veram, atque nudam detentionem significat, *cap. 2. §. sanè, hoc tit. in 6.* Et si injustes, quomodo si injustè detinebantur decimæ à laicis, tantùm à Patribus prohibetur earum translatio, non verò jubetur ut eas restituat? Respondeo ex justis causis, ad evitandum scandalum, tantùm in præsenti prohiberi prædictam translationem; non tamen inde sequi, detentionem permitti, sed tantùm tolerari, ut docent Rebuffus *de decimis quæst. 10. numero 22.* Balboa *in dict. cap. causam, num. 18.*

8. *Exponitur cap. cum*

Ex suprà traditis exponendus est textus *in cap. cùm Apostolica 7. de his quæ fiunt à Prælat.* ubi agitur cum

Apostoli-ca de his quæ fiunt

tur de decimis à laicis detentis : & asserit Innocentius III. quod laici eas detinentes sunt monendi, ut propriis Ecclesiis eas restituant ; & si fortè induci nequiverint, & maluerint ex diœcesani Episcopi consensu eas in aliam Ecclesiam transferre, translationem esse admittendam: & in calce textus concludit Innocentius, hoc procedere in decimis in feudum perpetuò datis. Ex quo textu expressè deducitur, laicos decimas injustè detinentes, cum consensu Episcopi posse eas in alium transferre, contra hucusque tradita. Deinde deducitur, etiam ratione feudi laicos injustè decimas detinere. Agnoverunt priorem difficultatem Azor *tom.* 1. *instit. lib.* 7. *cap.* 36. Suarez *dict. lib.* 1. *de decimis, cap.* 26. Balboa *in dict. cap. causam, num.* 26. Lemaistre *de decimis, dict. cap.* 10. Quibus omissis dicendum est, in eo textu laicos decimas injustè detinuisse, quia ut suprà dixi, Episcopi nunquam potuerunt laicis decimas infeudare ; & ita eos moneri, ut decimas propriis Ecclesiis restituant : & quia propter scandalum cogi non poterant, eas redderent, si maluissent alteri Ecclesiæ, quàm propriæ restituere, cùm consensu Episcopi talis translatio permittatur, quia rectiùs ab Ecclesia, etsi non propria, decimæ possidentur, quàm à laicis : & ita concessum est ad majora mala vitanda, damnaque Ecclesiæ illata reparanda ; nam licèt decimæ à laicis injustè detentæ restitui deberent illi Ecclesiæ, cujus fuerant ; si tamen hanc restitutionem laici facere noluerint, æquius est mutari decimas ab una Ecclesia in aliam, quàm à laicis retineri : quod etiam docetur *in cap. decimas* 16. *quæst.* 7. Nec ideo textus ille injustitiam aliquam continet, sed piam bonorum Ecclesiæ dispensationem concedit, ut vitium injustitiæ subtrahat, etiamsi restitutio fiat aliter quàm de juris rigore fieri deberet. Quod & eo exemplo firmari valet ; nam qui tenetur alicui centum restituere, si à creditore obtineat facultatem illa dandi pauperibus, sufficienter restituit. Sic ergo licèt decimæ injustè à laicis detentæ, propriæ Ecclesiæ restitui deberent, universalis tamen Ecclesia, quæ est veluti principalis creditor, potuit permittere, ut alteri Ecclesiæ restituantur : debet tamen Episcopi accedere assensus, juxta Synodum Melphitanam sub Urbano II. anno 1090. ibi : *Nullus laicus decimas suas, aut Ecclesiam, aut quicquid ecclesiastici juris est, sine consensu Episcopi, vel Romani concessione Pontificis monasteriis, aut canonicis offerre præsumat.* Alia dabimus in ejus textus commentario.

CAPUT XX.

Lucius III. (a) *Strigon Episcopo.*

AD Apostolicæ Sedis regimen, licèt immeriti, dignatione divinâ vocati, omnibus sumus Ecclesiæ filiis debitores, & pro scientiæ modo respondere cogimur consultationibus singulorum. Intelleximus autem ex literis tuis, quod quædam (b) consuetudo in Ungaria inolevit, ut multitudo populi plerumque de parochia unius Episcopi in diœcesim alterius transferatur ; in qua licèt per multa tempora moram habuerit, uterque tamen Episcoporum, tam is, cujus parochia relinquitur, quàm is, cujus parochiani sunt facti, decimationem requirit : unde & invidiæ, & contentiones oriuntur. Ideoque nos tua duxit fraternitas consulendos, cui potiùs decimæ sint reddendæ. Noveris igitur, quod si de artificio, vel negotiatione aliqua, & agricultura, quam infra terminos parochiæ, in qua moratur, exercet, vel aliis hujusmodi decimæ solvantur, æquum est ut illi Ecclesiæ reddantur, in qua ille, qui reddit, per totum anni circulum audit divina, & Ecclesiastica percipit Sacramenta : Apostolus enim dicit : Si vobis seminavimus spiritualia, &c Super decimis verò messium, vel fructibus arborum, si conluerint in alia parochia, quàm in ea, in qua habitant, quoniam à diversis diversa consuetudo tenetur, certum aliquod non duximus respondendum. Tu verò eligas in hoc casu, ex quo vel nullum, vel minus noveris scandalum generari.

NOTÆ

1. (a) *Strigon.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 29. & post Concil. Lateran. *pag.* 50. *cap.* 39. de Strigonensi Ungariæ Metropoli nonnulla adduxi *in cap. penult. de Postul. Prælat.* & commentarium hujus textus dedi *in cap. cùm sint homines.*

2. (b) *Consuetudo.*] Quæ totum facit in hac decimarum materia. Ut autem agnoscamus ejus vim, & auctoritatem quoad decimas, & earum præstationem, sciendum est, Joannem Andream, & Innocentium *in c. in aliquibus. hoc tit.* asseruisse decimarum obligationem à jure divino provenire, ideoque consuetudine mutari non posse. Quâ sententiâ omissâ, alii existimarunt, discrimen esse constituendum inter decimas prædiales, & personales, ita ut prædiales consuetudine tolli non possint, secus verò personales : ita Hostiensis *in cap. in aliquibus, hoc tit.* Turrecrem. *in cap revertimini* 16. *quæst.* 1. *artic.* 7. *num.* 12. & alii relati à Balboa *de præscript.* 5. *p. princip. q.* 7. qui accipiunt illa verba textus *in dict. cap. in aliquibus : Quæ debentur ex lege divina, & loci consuetudine probata* ; ita, ut priora verba referantur ad decimas prædiales, posteriora verò ad personales. Quæ sententia sustineri non potest duplici ratione. Prima, quia decimæ prædiales quoad quotam solo jure positivo debentur, ut dicemus infrà *in cap. in aliquibus* : igitur sicut lege positiva

positiva mutari potest quota decimarum prædialium, poterit etiam tolli consuetudine, cum non minorem auctoritatem habeat consuetudo, quàm lex positiva, *l. de quibus, ff. de legibus, l. 2. C. quæ sit longa.* Secunda deducta ex universali Ecclesiæ praxi, juxta quam consuetudo non solvendi decimas prædiales, vel eandem partem, observatur. Quibus sententiis omissis dicendum est, decimas personales, quæ omninò à jure positivo originem ducunt, posse in totum consuetudine tolli, Covar. *dict. cap.* 17. *num.* 8. Suarez *dict. lib. de decim. cap.* 12. Moneta *eod. tract. dict. cap.* 5. *quæst.* 4. & etiam per eam introduci posse, ut decimæ uni Ecclesiæ debitæ, solvantur alii, *dict. cap. cùm sint homines* Fagundez *in* 5. *præcep. Eccles. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 4. Castillo *de tertiis cap.* 2. *num.* 5. Faciliùs etiam per consuetudinem mutantur circunstantiæ loci, temporis, & mensuræ, ut post Suarium & Rebuffum docent Hunnius *in Encyclop. tract. de decim. cap.* 8. *in fine*, Felicianus Vega *in cap. clerici, num.* 43. *de Iudic.* Mantique *de different. quæst.* 151. Circa præstationem verò decimarum prædialium non ita constat apud Interpretes. Consuetudinem circa eam non admitti docuerunt Duarenus *de sacr. Eccles. ministr. lib.* 7. *cap.* 1. Rebuffus *de decimis quæst.* 13. & alii apud Hunnium *dict. capite* 8. Contrarium tenerunt Moneta *dict. cap.* 5 *quæst.* 4. Covar. *dict. cap.* 17. *num.* 8. Gutierrez *libro* 2. *canonic.* 21. alii quos referunt, & sequuntur Barbosa *de offic. Parochi, cap.* 18. §. 3. *num.* 64. Valenzuela *consil.* 114. & 147. Sed illis omissis dicendum est, consuetudine induci non posse, ut decimæ, tam prædiales, quàm personales, omnino non solvantur, cùm talis consuetudo repugnet juri divino, & sit irrationabilis; consuetudine tamen legitimè præscriptâ effici posse, laici eximantur à solutione decimarum, ubi decimæ necessariæ non sunt ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, vel ut minor portio quàm decima solvatur. Valenzuela *consil.* 103 & 144. & si circa solutionem sit difformitas, minorem partem deberi resolvit Marinis *lib.* 1. *resol. cap.* 81. ita ut ex quibusdam fructibus dumtaxat decimæ præstentur, quia aliunde manet congrua sustentatio parochi: hæc tamen consuetudo debet legitimè præscribi. Et ut cognoscamus, quando consuetudine, quando præscriptione hæc exemptio competat, exponendum est, in quo differat præscriptio à consuetudine; quod valde necessarium est, quia diversa adminicula in una, ac in altera desiderantur: & quidem varias inter præscriptionem, & consuetudinem differentias agnoverunt, antiquiores, quos referunt Balbus 1. *p. quæst.* 10. Molina *lib.* 2. *de primog. cap.* 6. *num.* 10. Cuyar. *in regula Possessor,* 2. *p.* §. 3. *num.* 3. Gutierrez *libro* 2. *canonic. capite* 21. *numero* 68. Menchaca *controv. capite* 83. *numero* 23. Parladorius *different.* 39. Suatez *dict. libro* 1. *de decim. cap.* 13. & *de legibus lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 10. Salas *eod. tract. quæst.* 97. *tract.* 14. *sect.* 1. *num.* 6. Matienzo *in l.* 1. *tit.* 7. *lib.* 5. *recopil. glos.* 6. *num.* 1. Nec mirum, si tot articulo in hoc torqueantur Interpretes, cum sæpe una pro alia usurpetur, & consuetudo quemadmodum præscriptio in usu consistat; sicque consuetudo præscripta dicitur *in cap. final. de consuet.* ex quorum Doctorum placitis primò constituo, quoties privatus ex longo temporis usu jus aliquod acquirit, præscriptionem esse, non consuetudinem: idemque erit, si jus universitati competat, in quo omnes consentiunt; quia consuetudo est lex non scripta: lex autem non potest à privato induci, sed vel à Principe, si scripta est, vel à populo, si consuetudinaria, *l. de quibus, ff. de legibus.* Secundò erit etiam præscriptio, si universitas contra privatum aliquid acquirat, quia non potest dici consuetudo, vel lex, quæ generalis non est, & omnes æqualiter obligat. Ergo non erit consuetudo, quæ privato jus adimit: & hæc conclusio est contra Panormitanum *in d. cap. final. num.* 20. qui docet consuetudinem esse quoties jus universitati acquiritur, sine illud trahatur ex publico, sive ex privato, per textum *in l. venditor* 13. §. *si constat, communia prædior.* quem sequuntur Balbus, & Gutierrez *ubi suprà*; sed malè, ut credo; quia quemadmodum consuetudo exigit universitatem ex parte inducentis, ita etiam respectu ejus, contra quem inducitur; quia lex omnes æquè tenet, nec in damnum privati instituitur, *cap. erit autem,* 4. *dist.* & ideo quo casu universitas jus adimit privato, præscriptionem esse rectè docent Covar. *dict. num.* 2. Parladorius *num.* 3. Matienzo *num.* 4. Salas *num.* 7. Suarez *dict. cap.* 1. *num.* 11. Nec obstat textus *in* §. *si constat*; quia respondetur primò, consuetudinem ibi generalem fuisse in favorem populi pro omnibus lapidicinis intra sua territoria,, aut terminos constitutis, non verò pro lapidicinis privati fundi. Secundò respondeo, per eam consuetudinem non adimi jus privato; quia non fuit inductum, ut gratis liceret lapides cedere, sed oblatâ eorum æstimatione, in quo jus privati non læditur. Tertiò responderi potest, consuetudinem ibi pro præscriptione accipi, quod frequens est; sed prima solutio verior est. Tertiò si universitas contra universitatem acquirat, majus dubium est, an sit consuetudo, vel præscriptio? Et communiter creditur consuetudo, ex Abbate, Balbo, & aliis suprà citatis. Sed contrarium verius credo ex nuper adductis, quia consuetudo solùm continet legem, per quam jus inducitur; non verò adimitur alii, quod suum est; id enim præscriptione efficitur: & ita dicitur consuetudo, per quam jus acquiritur uni, sed alii non aufertur, ut notant Balbus suprà, *num.* 4. Matienzo *num.* 3. Propriè igitur consuetudo tendit ad derogationem legis communis sine respectu ad alium; præscriptio verò ad acquisitionem juris alii competentis. Unde si collegium adversùs privatum, vel adversùs aliud collegium acquirat, non erit consuetudo, sed præscriptio; quia collegia leges ferre non possunt: & per consequens nec consuetudinem, quæ vicem habeat legis, inducere, ut notat Abbas *dict. num.* 20. Idemque erit dicendum de quibuscunque aliis communitatibus, quia solus populus potest veram consuetudinem inducere, *l. de quibus, ff. de legibus*: docet Suarez *dict. lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 8. & 10. Ex quibus apparet, quàm difficile sit, consuetudinem à præscriptione distinguere in hac materia decimarum; cùm enim jure communi diffinitum sit, quibus decimæ debeantur, quomodoque solvendæ sint, & quo loco præstandæ, semper ac aliquid per consuetudinem detrahitur juri communi in præjudicium eorum, quibus jus commune favet, ex proximè adductis præscriptio dici debet, non consuetudo; cùm uni tribuat, &

alii

alii adimat : quod plerisque juribus adversatur, in quibus observari jubetur consuetudo in solutione decimarum, *in cap. cùm sint, cap. in aliquibus, §. final. hoc tit.* in præsenti, & alibi sæpe. Unde dicendum puto, consuetudinem in decimis tunc induci, cùm universitas capax eam inducendi per tempus à lege diffinitum, & cum cæteris adminiculis, hoc, vel illo modo decimas solvere consuevit, licèt ex tali modo decimandi præjudicium aliis inferatur. Probatur quia consuetudinis substantia consistit in generali derogatione legis : sed si hæc lex huic, vel illi, vel certo hominum generi favorabilis sit, & ideo si generaliter in populo fuerit usitatum aliquid in materia decimarum, quod æquè ab omnibus observetur, erit dicenda consuetudo, quia illud principaliter agitur, ut juri communi derogetur ; damnum autem, quod huic, vel illi privato infertur, in consideratione non est, quia secundariò, & non principaliter intenditur in consuetudinis inductione. Ergò cùm jus decimarum per consuetudinem immutatur, ea intervenire debent, quæ ad inducendam consuetudinem desiderantur, ut scilicet rationabilis sit, & justa, non divino, aut naturali juri contraria, sed illud inducens, quod lege præcipi posset, ut post alios rectè explicant Lessius *de justitia lib. 2. cap. 6. num. 55.* Salas *eodem tract. disputat 19. sect. 5.* Suarez *dict. lib. 7. de legibus, cap. 6.* Item ut sit per tempus diuturnum observata, & legitimè præscripta. Quantùm autem temporis requiratur jure communi, non est diffinitum, licèt jure Regio decem, vel viginti anni requirantur, ut consuetudo legem civilem abroget, *l. 5. titul. 2. part. 1.* communiter tamen docetur, consuetudinem contra jus civile decennio præscribi, quia eo jure exigitur consuetudo longæva, *l. 1. 2. & 3. C. quæ sit longa consuetudo:* longum autem tempus censetur decem annorum, ex titulo Codicis *de præscrip. long. temp.* Quod si consuetudo sit præter jus canonicum, decem anni sufficiunt ; si autem contra illud, quadraginta desiderantur, quia adversùs ecclesiasticas res, aut personas non præscribitur minori spatio, quàm quadraginta annorum, ut docuerunt *in dict. l. de de quibus*, Jason. *num. 44. & 45.* Abbas *in dict. cap. final. de consuet. num. 11.* Covar. *lib. 1. variar. cap. 17. num. 8.* Gutierrez *lib. 2. canonic. cap. 21. num. 58.* Suarez *de legibus dict. lib. 7. cap. 15. num. 2.* Salas *eodem tract. disput. 19. sect. 4.* Parladorius *different. 39. à num. 8.* Salazar *de usu & consuet cap. 5. num. 1.* ex quibus constat, hanc esse communem doctrinam, & ex Lessio *dict. num. 45.* Ultra hæc duo requisita illud etiam desideratur, ut ab iis consuetudo inducatur, qui facultatem habent eam inducendi per actuum frequentiam, quæ ex adductis *in tit. de consuetudine* petenda sunt : bona autem fides, seu titulus, non exigitur in consuetudine, sed solùm in præscriptione ; quia horum loco subrogantur diuturnus populi usus, & scientia Principis, saltem præsumpta, ut post alios notat Balbus *dict. quæst. 10. num. 7.* Covar. *dict. vers. 10.* Salas *dict. disput. 19. sect. 5.* Suarez. *dict. lib. 7. cap. 1. n. final. & dict. lib. 1. cap. 13 a num. 7.* Sarladorius *suprà. num. 4.* D. Secundum hæc dicendum est, quod si dubitetur cui Ecclesiæ decimæ debeantur, v. g. quia non constat in cujus territorio prædium situm sit, standum erit consuetudini decennali, quæ in hoc casu sufficit, cùm sit præter jus : & ita intelligenda sunt tradita à Covar. *dict. num. 8. vers. 4.* non bene, ut videtur, percepta à Gutierrez *dict. num. 58.* ut notat Suarez *dict. lib. 1. cap. 22. num. 8.* Si verò certum sit, cui Ecclesiæ decimæ debeantur jure communi, non aliter ei per consuetudinem auferri poterunt, quàm si quadraginta annis præscripta sit. Ex quo falsissimum est quod tradit Abbas *dict. capite cùm sint, num. 6. Gloss. 3.* decimas prædiales adimi posse Ecclesiæ, in qua sita sunt prædia per consuetudinem decennalem ; quia, inquit, est præter jus ; sed fallitur, cùm certo jure diffinitum sit, ei Ecclesiæ has decimas deberi, & ideo Abbatem cum ratione reprehendit Suarez *d. c. 22. à n. 2.*

CAPUT XXI.

(a) Cœlestinus III.

EX parte dilectorum filiorum nostrorum Canonicorum Ecclesiæ tuæ nobis est querela proposita, quod quidem agricultores, cùm simul, vel diversis anni temporibus in eodem agro, vel horto diversa semina sparserint, non nisi de unius illorum seminum fructibus decimas illi persolvunt : qui etiam decimas de agrorum proventibus non curant exsolvere, nisi quibusdam deductis expensis, quas faciunt pro illis ad horreum, vel ad aream deportandis. Quia igitur per hoc Canonicis ipsis & Ecclesiæ Dei non modica irrogatur injuria, cùm Levitis absque expensis decimas sit in junctum impendi : m. quat. inquisitâ diligentiùs veritate, si rem taliter noveris se habere, agricultores illos, ut de omnibus dictorum prædiorum fructibus, nullis subtractis expensis, sed integras potiùs decimas, & absque diminutione persolvant, per censuram Ecclesiasticam omni cont. & ap. cess. compellas, & auctoritate nostrâ districtè inhibeas, ne talia de cætero aliquâ cupiditate, seu præsumptione attentent.

NOTÆ

NOTÆ.

Cœleſtinus III.] Sic legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc ipſo titul. capite 5.* nullibi tamen exprimitur Prælatus, cui reſcribat Pontifex; unde cognoſci non poteſt, de quibus Canonicis in præſenti agatur. Commentarium hujus textus dedi ſupra *in cap. 4.*

CAPUT XXII.

(a) Cœleſtinus III.

NOn eſt in poteſtate hominum, cùm plantant arbores, vel aliqua terræ ſemina mandant, quid eis fatio ſit, vel plantatio redditura, cùm juxta verbum Apoſtoli ad literam exponendum, neque qui plantat aliquid plenè faciat, neque qui rigat, ſed Deus, qui tribuit incrementum. Audivimus autem, quod quidam veſtrûm de vineis, olivetis, canna mellis, & frugibus non niſi primò deductis expenſis ſeminum, & laboris, vel agriculturæ decimas curant Eccleſiis exhibere. Reverà ſicut ſancti Patres in ſuis tradiderunt ſcripturis, de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, & negociatione, & de ipſa etiam militia, & de venatione, & de omnibus bonis decimæ ſunt miniſtris eccleſiæ tribuendæ, ita etiam ut qui his ſolvere neglexerint, eccleſiaſticâ debeant diſtrictione percelli. Præterea ſi quis decimas Deo non dederit, quæ ſunt tributa agentium animarum, & ex debito requiruntur, ad decimam partem, ut Auguſtinus docet, revocati meretur. Volumus igitur, & diſtrictè præcipimus, quod antequam deducatis de cunctis veſtris bonis collectis expenſas, ſalvis privilegiis (b) Romanæ Eccleſiæ, decimas Eccleſiis, ad quas pertinent, cum integritate debita perſolvatis.

NOTÆ

1. (a) *Cœleſtinus III.*] Ita legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc titul. capite 4.* nullibi autem exprimitur Prælatus, cui reſcribat Cœleſtinus; quod & in aliis epiſtolis ipſius Pontificis ſæpe contingit, ut jam notavi.

2. (b) *Romanæ Eccleſiæ.*] Summus enim Pontifex poteſt privilegium exemtionis à decimarum ſolutione concedere, *capite 2. de Eccleſ. ædif.* probavi latè ſuprà, *in capite 4.* Quod procedit duabus conditionibus concurrentibus. Prima, ut congrua ſuſtentatio miniſtris Eccleſiæ ſuppetat, aliàs nec conſuetudine, privilegio, aut præſcriptione obligatio decimarum minui, vel mutari valet. Secunda, ut adſit juſta cauſa concedendi ſimilem exemptionem. Cauſas autem minuendi obligationem decimarum ex veteribus Hiſtoricis refert Lemaiſtre *libro 1. de decimis, capite 5.* & jam adduximus *in capite 4. hoc titulo*, ex quo commentario præſens petendum eſt.

CAPUT XXIII.

(a) Cœleſtinus III.

EX tranſmiſſa querela B. Dolen. Archidiaconi Rectoris Eccleſiæ de N. intelleximus, quod cùm miles quidam molendinum quoddam ad ventum in terra quadam infra fines parochiæ ſuæ, de cujus terræ proventibus decimas ſolebat Eccleſia percipere memorata, conſtruxit, de ipſius molendini obventionibus decimas ei ſolvere contradicens, in ſalutis ſuæ periculum detinere non veretur. Quia igitur fidelis homo de omnibus quæ (b) licitè poteſt acquirere, ſine diminutione decimas erogare tenetur, diſc. v. p. A. ſ. m. quat. prædictum militem ad ſolutionem decimarum de obventionibus, quæ de opere dicto molendino ſibi proveniunt, ſine diminutione aliqua per cenſuram eccleſiaſticam, ſubl. ap. obſt. compellatis.

NOTÆ.

1. *Cœleſtinus III.*] Ita etiam habetur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. cap.* 7. ſed nullibi exprimitur, cui Prælato reſcribat Pontifex: unde cognoſci non poteſt de quo Archidiacono in præſenti agatur.

(b) *Licitè.*] Unde hiſtriones, meretrices ex turpi lucro non præſtant decimas, ut docuerunt D. Thomas 2. 2. *q.* 87. *de decimis, artic.* 2. *ad* 2. Sotus *lib.* 9. *de juſtitia, quæſt.* 4. *artic.* 2. 2.

CAPUT XXIV.

Innocentius III. (a) *Piſtorienſi Epiſcopo.*

ANobis tua fraternitas requiſivit, utrum ab illis decimas exigere debeas, qui poſſeſſiones dant, vel recipiunt ad (b) affictum, cùm alii ſe conentur per alios excuſare, quominus cogantur ad decimas perſolvendas. Cùm igitur quilibet decimas ſolvere teneatur, niſi à præſtatione ipſarum ſpecialiter ſit exemptus, ſ. t. duximus reſpondendum, quod à dantibus (c) poſſeſſiones, & recipientibus ad affictum, de fructibus, quos percipiunt, decimæ ſunt ſolvendæ, niſi ab eis aliquid oſtendatur, quare ab hujusmodi ſunt immunes.

NOTÆ.

1. (a) *Piſtorienſi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc titul. cap.* 1. & *in capite à nobis, de cohabit. cleric.* ubi extat alia pars hujus textus, & ibi præſentem inſcriptionem expoſui.

(b) *Ad affictum*] In hac ſexta collectione legitur, *ad firmam*; & rectiùs, juxta ea quæ notavi *in cap.* 7. *de locato.*

2. (c) *Dantibus poſſeſſiones, & recipientibus.*] Ita ut quisque pro parte fructuum quos percepit, debeat ſolvere decimas, ita ut ſi coloni partiarii ſint, tam colonus, quàm dominus quilibet pro portione ſua decimas perſolvat; ita tamen ut ex eisdem fructibus redecima nunquam ſolvatur, juxta legem finalem, *titul.* 4. *lib.* 1. *recopil.* docent Azor *part.* 1. *inſtitut. libro* 7. *cap.* 34. *quæſt.* 4. Barboſa *lib.* 3. *juris Eccleſ. cap.* 26. §. 1. *num.* 39. Valaſcus *de jure emphyt. quæſtion.* 30. *num.* 15. unde ſi fundus, ut regulariter fit, colonis locetur, non debent ex eisdem fructibus colonus, & dominus decimas præſtare, ſed tantùm unus debet eas perſolvere, ut poſt Monetam, Rebuffum, & alios docet Manrique *de differ. utriuque fori, quæſt.* 151. quo modo accipiendus eſt Gutierrez *libro* 1. *practic. cap.* 18. *num.* 19. qui docet decimas præſtandas eſſe tam à Colono, quàm à domino prædii conducti.

CAPUT XXV.

Idem (a) *Vercellenſi Epiſcopo.*

TUa nobis fraternitatis intimavit, quod quidam laici tuæ diœceſis, & alii plures Epiſcopatuum adjacentium decimas Eccleſiis, & clericis tuis perverſis machinationibus ſubtrahere moliuntur, & conceptæ perverſitatis, audaciam non curant ſatisfactione debita emendare. Quidam enim ex eis ſemen, & ſumptus, qui fuerint in agricultura, primitus deducendos, & de reſiduo impendendam eſſe decimam aſſeverant: alii verò de portione fructuum, quam à colonis accipiunt, partem decimæ ſeparantes, eam (b) capellanis ſuis, vel aliis clericis, ſeu Eccleſiis, aut etiam pauperibus conferunt, vel in uſus alios pro ſua voluntate convertunt: nonnulli clericorum vitam tam abominabilem deteſtantes, decimas eis ob hoc ſubtrahere non verentur: quidam inſuper aſſerentes ſe poſſeſſiones, & omnia jura ſua cum omni honore atque diſtrictu per Imperialem conceſſionem adeptos, decimas hujusmodi generaliter detinere præſumunt. Occaſione præterea veteris decimationis, quam aſſerunt ſibi conceſſam, aliqui decimas novalium ſibi non metuunt uſurpare. Verùm ſi ab eo, à quo bona cuncta procedunt, aſſertores hujusmodi debitum reſpectum haberent, jus eccleſiaſticum diminuere non contenderent, nec decimas (quæ tributa ſunt egentium animarum) præſumerent detinere. Cùm enim Deus, cujus eſt terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & univerſi, qui habitant in eo, deterioris conditionis eſſe non debeat, quàm Dominus temporalis, cujus ſtatutum debitum de terris, quas exhibet aliis excolendas, non quidem deductis ſumptibus, aut ſemine ſeparato, neceſſarium eſſe dignoſcitur cum integri

integritate persolvi, nimis profectò videtur iniquum, si decimæ; quas Deus in signum universalis dominii sibi reddi præcepit, suas esse decimas, & primitias asseverans, occasione præmissâ, vel excogitatâ magis fraude diminui fortè (c) valerent: cúmque Deo debita sit solutio decimarum, in tantùm ut ad eas clericis exhibendas, quibus eas ipse pro suo cultu concessit, laici, si moniti fortè noluerint, ecclesiasticâ sint districtione cogendi, prætextu (d) nequitiæ clericorum nequeunt eas aliis, nisi quibus ex mandato divino debentur, pro suæ voluntatis arbitrio erogare, cùm nulli sit licitum aliena cuicunque concedere præter domini voluntatem: quamquam per solicitudinem officii pastoralis clerici sint à sua nequitia coercendi. Et cùm de cunctis omninò proventibus decimæ sint reddendæ, sicut colonus de parte fructuum, quæ sibi remanet ratione culturæ, sic & dominus de (e) portione, quam percipit ratione terræ, decimam reddere sine diminutione tenetur. Porrò cùm laicis nulla sit de spiritualibus rebus concedendis, vel disponendis attributa facultas, Imperialis concessio, quantumcunque generaliter fiat, neminem potest à solutione decimarum eximere, quæ divinâ constitutione debentur; nec occasione decimationis antiquæ, licèt in feudum concessæ, decimæ sunt novalium usurpandæ, cum in talibus non sit extendenda licentia, sed potiùs (f) restringenda. Quoniam igitur pati nolumus, nec debemus, ut Ecclesiarum, & clericorum jura præsumptione qualibet minuantur, fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus, quatenus omnes, qui ratione personarum, aut etiam prædiorum decimas Ecclesiis, & clericis tuæ diœcesis exhibere tenentur, ad eas cum integritate reddendas, sublato appellationis diffugio, auctoritate Apostolicâ, per excommunicationis, vel interdicti sententiam compellendi liberam habeas facultatem. Præterea ut clericos tuæ diœcesis, de quibus fuerit auditorio tuo querela proposita de decimis antedictis, & fructibus perceptis ex eis, ad plenam sub tuo examine justitiam faciendam compellere valeas, non obstante (g) appellationis objectu in elusionem ecclesiasticæ disciplinæ, devotioni tuæ præsentis scripti paginâ duximus indulgendum. Decernimus ergo, &c. hanc paginam nostræ concessionis, &c.

NOTÆ.

1. *Vercellensi.*] Ita etiam legitur *in cap. 2. hoc tit. in. 3. compil.* & in epistolis editis Coloniæ à Sitleto *fol.* 414. ex quo regestro hujus textus literam restituo, ut cognoscatur, eandem epistolam in antiquis compilationibus 3. & 4. & in hac sexta divisam esse in præsentem textum, & sequentem, cùm simul uterque textus reperiatur in ipsa epistola. De diœcesi Vercellensi nonnulla notavi *in capite licet, de foro compet.*

(b) *Capellaniis.*] Quod supremis Principibus concessum esse probavi suprà. *in cap. 4.*

(c) *Valerent.*] Hanc textus partem de decimis solvendis non deductis expensis, exposui suprà *in cap. 7.*

2. (d) *Nequitiæ clericorum.*] Non enim ideò decimæ subtrahi debent à populo parochis propriis, quòd inhonestè & turpiter vivant; siquidem decimæ illis debentur propter laborem in administratione sacramentorum impensum, non verò propter vitæ probitatem, *capite fortè 3. 14. quæst. 5.* D. Hieronymus ad illa verba Matthæi *cap. 22. Reddite quæ sunt Cæsaris* inquit: *Porrò quod ait, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, id est nummum, tributum, & pecuniam: & quæ sunt Dei Deo, id est decimas, primitias, & oblationes. Tunc autem Cæsar Tyberius Tyrannus erat, sacerdotes infideles, avari, & in malo pertinaces, in mortem Domini jugiter meditantes; & tamen illis Dominus jubet decimas dare.* Et contra Wiclef. ita declaratum fuisse in Concilio Constantiensi refert Castro *adversùs hæreses, verbo Decimæ:* docent Rebuffus *de decimis dict. quæst. 7. num. 15.* Gutierrez *dict. cap. 21. num. 138.* P. Gregorius *lib. 13. de repub. cap. 17. num. 2.* nam & hoc casu clerici decimas suas faciunt, ne tenentur eas restituere, etsi perditè vivant, nisi crimen admittant, cujus ratione fructibus beneficii ipso jure priventur.

(e) *Portione, quam percipit*] Ex qua colonus decimas non præstiterat, alias redecimatio daretur, contra ea quæ adduxi supra, *in cap. à nobis.*

Divina institutione.] Hæc verba exponemus infra *in cap. in aliquibus, § final.*

(f) *Restringenda.*] Quia cùm privilegium hoc contra jus commune concessum esset, Restringi debebat, ut quantò minùs læderet jus parochiale, ut suprà probavi *in cap. 4.* ubi textum hunc exposui.

(g) *Appellationis objectu.*] Quia in his decimarum causis proceditur appellatione non obstante.

CAPUT XXVII.

Idem *Abbati ſanctæ* (a) *Columbanæ Senon.*

EX parte tua fuit propoſitum coram nobis, quod cùm tibi de laboribus terræ parochiarum tuarum, ſicut aſſeris, ſic indultum decimas cum integritate percipere, tibi dignaremur miſericorditer indulgere, ut de terris, quæ infrà parochias tuas rediguntur noviter ad culturam, de indulgentia noſtra exigendi decimas facultatem haberes. Cùm igitur tibi, quod majus eſt, ſit conceſſum, ut videlicet decimas de laboribus terræ parochiarum tuarum percipias, de novalibus eas exigere ſatis potes; quia ibi majus tibi conceditur, minus etiam in hoc caſu (b) conceſſum eſſe videtur.

NOTÆ.

1. (a) *Sanctæ Columbanæ.*] Ita legitur in tertia collectione, *ſub hoc titul. cap.* 3. ſed legendum eſt, *Sanctæ Columbæ*, ut habetur in hac ſexta collectione. Varia autem ſunt monaſteria ſub titulo Sanctæ Columbæ; unum in Italia, de quo egi *in cap. olim in cauſa, de reſtit. ſpol.* alia tria in Gallia. In præſenti agitur de monaſterio D. Benedicti prope Senonas conſtructo, de quo agitur in Concilio Tullenſi apud Saponarias anno 859. apud Carnot. *epiſtol.* 107. & Lupum Ferr. *epiſtol.* 10. De eo videndi ſunt Fratres Sarmath. *tom.* 4. *Galliæ Chriſt. fol.* 286. Odoni ejus Abbati reſcribit Innocent. in præſenti.

(b) *Minus conceſſum.*] Conſonat textus *in cap. viſis* 16. *quæſt.* 2. Nec contrarium probat textus *in cap. final. de translat. Epiſc.* ubi illi, cui conceditur transitus ad majorem dignitatem, non cenſetur conceſſus ad minorem; nam aliter conſideratur plus minusve in dignitate, quàm in transitu ad dignitatem; quia difficiliùs permittitur transire ad parem dignitatem, quàm ad majorem, ut docet Jul. Pacius *centur.* 10. *quæſt.* 81. 2.

CAPUT XXVIII.

Idem (a) *Helienſi Epiſcopo.*

PAſtoralis officii diligentia. *Et infrà:* Explicari præterea poſtulaſti, utrum quis poſſit de molendinis, & piſcariis neceſſarias expenſas deducere prius quàm ſolvat decimas ex eisdem, ſicut eſt in negotiatione conceſſum. Ad quod ſine præjudicio melioris ſententiæ reſpondemus, quod licèt circa res acquiſitas, vel factas de pecunia decimata, cùm ipſæ venduntur, credamus deducendas expenſas, & de reſiduo quaſi de lucro decimas perſolvendas, ut ſi vendatur domus, ager, vinea, clibanus, molendinum, grex, aut quælibet merces: expenſas tamen, quæ fiunt pro fructibus percipiendis ex illis, de quibus fructus proveniunt, non credimus deducendas, etiamſi fuerint decimatæ: quoniam ſalvâ decimâ efficiuntur eorum fructus, qui faciunt ipſas expenſas. Fructus autem ipſos alienare poſſe non credimus, niſi cum onere decimarum: nec pro reſtaurando detrimento quarumlibet rerum, ex quibus decimæ perſolvuntur, credimus deducendas expenſas de proventibus decimandis; quia penes dominum res permanent reſtauratæ, ut ſi pars aliqua moriatur armenti, deterioretur vinea, portio mercis depereat, vel totus clibanus deſtruatur.

NOTÆ.

(a) *Helien.*] Ita etiam legitur *in cap.* 4. *hoc tit. in* 3. *collect. & in cap. paſtoralis, de reſcript.* ubi alias partes hujus decretalis congeſſi, & præſentem inſcriptionem expoſui, & hujus textus commentarium dedi ſuprà *in cap. cum ſint homines.* 7.

CAPUT

CAPUT XXIX.

Idem *Episcopo* (a) *Belvacensi.*

CUm contingat interdum etiam in tua diœcesi, &c. *Et infrà:* Præterea requisisti, cùm aliqua prædia, de quibus Ecclesiis, aut personis ecclesiasticis decimæ solvebantur, ad Fratres Cistren. Ordinis donationis, vel emptionis vel alio titulo devolvuntur, an iidem Fratres de talibus prædiis ipsis Ecclesiis, vel personis decimas solvere teneantur. Super quo tibi tale damus responsum, quod cùm prædictis Fratribus à Sede Apostolica sit indultum, ut de (b) laboribus suis, quos propriis manibus, aut sumptibus excolunt, decimas nulli prorsus persolvere teneantur, de prædiis taliter adquisitis Ecclesiis, vel personis ecclesiasticis decimas solvere non tenentur, dummodo propriis manibus eorum, aut sumptibus excolantur. Cùm autem in quibusdam parochiis ad quasdam Ecclesias, vel personas ecclesiasticas ab antiquo pertineat perceptio decimarum, & de novo fiant novalia in eisdem, quæris à nobis, ad quem hujusmodi novalium decima incipiat pertinere. Unde inquisitioni tuæ breviter respondemus, quod cùm perceptio decimarum ad parochiales Ecclesias de jure (c) communi pertineat, decimæ quorumcunque novalium, quæ fiunt in parochiis earundem, ad ipsas procul dubio pertinere noscuntur, nisi ab ipsis, qui alias percipiunt decimas, causa rationabilis ostendatur, per quam appareat novalium ad eos decimas pertinere.

NOTÆ.

1. (a) *Belvacensi.*] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & *in cap. cùm contingat, de foro compet. c. cùm contingat. de jurejur.* ubi extant aliæ partes hujus decretalis & præsentem inscriptionem exposui.

(b) *Laboribus suis.*] Ut probavi *in cap.* 4. *suprà, hoc titul.*

(c) *De jure communi.*] Juxta adducta suprà *in cap.* 4.

COMMENTARIUM.

2. PRæscriptio circa jus decimarum dupliciter contingere potest. Primò cùm præscribitur libertas, seu exemptio eas non solvendi, de qua egi suprà *in cap.* 20. Secundò cùm præscribitur jus percipiendi decimas in aliena parochia, de qua egi *in cap. ad aures* 6. *de præscript.* Illud autem pro hujus textus expositione notandum superest, ad hoc jus decimarum acquirendum, sicut ad alia jura ecclesiastica, quadragenariam præscriptionem desiderari, *cap. de quarta, de præscript. cap.* 1. *eodem titul. in* 6. ubi statuitur, decimas in aliena parochia præscribi posse solùm spatio quadraginta annorum cum titulo; vel si desit titulus per id tempus, cujus initium memoriam hominum excedat, quod immemoriale dicitur; nam cùm huic præscriptioni resistat jus commune, quod prohibet decimas in aliena parochia percipi, ideo tam longæva præscriptio desideratur: docent Covar. *dict. lib.* 1. *var. capite* 17. *num.* 7. & in regula, *Possessor.* 2. *part.* §. 5. *numero* 2. Menchaca *illustr. controv. cap.* 87. Molina *de justitia tract.* 2. *disputat.* 75. Suarez *de decim. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 1. Castillo *de tertiis, cap.* 15. *num.* 32. Germonius *lib.* 3. *de sacr. cap.* 19. Nec obstat regula textus *in l. si sic constituta, ff. quemadmodum servit.* quatenus probat, in præscriptione discontinuæ servituris tempus duplicari debere: sed hoc jus percipiendi decimas discontinuum est: ergo non sufficit spatium quadraginta annorum, sed necesse est tempus illud duplicare. Pro cujus difficultatis solutione aliqui ex Interpretibus distinguendum putant inter jus civile, & canonicum, ita ut jure civili attento tempus duplicari debeat, secus verò inspecto jure canonico. Ita Innocentius *in dicto capite de quarta*; quem reprehendunt Covar. *dict. cap.* 17. *num.* 10. Padilla *in l.* 2. *num.* 8. *C. de servit. & aqua.* Quare Baldus *in dict. cap. de quarta, & in authent. quas actiones, C. de sacros. Eccles.* inquit, quod quando idem tempus in præscribendis rebus jure civili, & canonico statutum est, tunc illud duplicare non est necesse: sed in præscribendis decimis, & similibus rebus tempus quadragenarium tam jure civili, quàm canonico desideratur, ut *in dict. capite de quarta, & in dicta authent. quas actiones:* ergo tempus iliud duplicari non debet. Quem intellectum communem esse dixerunt Covar. & Padilla *ubi proximè.* Sed apertè convincitur; nam in præscribendis rebus contra privatos, idem tempus ab utroque jure, civili, & canonico statutum est, ut probat textus *in capite placuit, & ferè per totam* 16. *quæst.* 3. Omnes tamen consentiunt, in his rebus duplicatum tempus desiderari, quando jura discontinua sunt, *ex dict. l. si sic constituta:* ergo idem dicendum est in quadragenaria præscriptione. Eâ igitur solutione omissâ, ut veram assignemus, sciendum est, quadragenariam præscriptionem in favorem Ecclesiæ fuisse introductam illis in casibus, in quibus contra privatum minori tempore præscriptio currebat: quare si in aliis rebus, in quibus jura discontinua sunt, habeat locum temporis duplicatio; tamen in juribus ad Ecclesiam spectantibus non habet locum: nam

cùm in eis à jure canonico quadragenarium tempus desideretur, quod tempus ordinarium longè excedit, non est necesse, etiam in discontinuis rebus tempus duplicare, sed hæc taxatio quadragenarii temporis indistinctè sequenda est: non enim debet privilegium ultra proprios terminos extendi, *cap. sanè, cap. porrò, de priv. cap. petiisti* 7. *quæst.* 1. nam jus civile tempus duplicatum in discontinuis juribus exigit, quia priùs breve tempus exegerat: sed cùm jam fuisset in præscriptione rerum Ecclesiæ ejus favore satis prolixum tempus præscriptum, duplicari etiam in juribus discontinuis non debuit: sed Ecclesia suo privilegio etiam in eis contenta esse debet, nisi dicamus, jus percipiendi decimas non esse discontinuum; nam etsi simulata sint, quæ causam habent discontinuam; omnia tamen illa habere valent continuam possessionem, quæ solo animo retineri potest absque actuali incubatione, *l.* 3. §. *in amittenda, ff. de acquir. possess. l. licèt, Cod. eodem titul.* sic enim jus percipiendi decimas, quamvis causam habeat discontinuam; tamen continuam possessionem habere potest: semper enim qui hujusmodi jus percipiendi decimas habet, paratus est decimas percipere ex fructibus quocunque tempore collectis, absque aliqua suæ possessionis intermissione; unde eo casu sufficit tempus, quod ad aliarum rerum præscriptionem statutum est. Videndus D. Joannes del Castillo *de tertiis cap.* 15. *n.* 40. & *cap.* 21. ubi de præscriptione tertiarum contra Regem nostrum agit.

CAPUT XXX.

Idem (a) *Eidem.*

CUm in tua diœcesi quædam monasteria, & conventuales Ecclesiæ in multis parochiis majores decimas percipiant, & minutas, & de quibusdam fructibus annuatim perceptis decimæ non fuerint persolutæ, quæ tamen modò solvuntur: quæsivisti per Sedem Apostolicam edoceri, utrum decimæ fructuum prædictorum ad parochiales Ecclesias, quæ nec majores percipiunt, nec minutas, an ad monasteria, & illas Ecclesias conventuales, quæ nec decimas alias percipiunt ab antiquo debeant pertinere. Ad quod sic duximus respondendum, quod si fructus prædicti de illis tertis proveniunt, de quibus monasteria, seu conventuales Ecclesiæ aliquos percipiebant ratione decimarum proventus, eis proculdubio debentur decimæ fructuum eorundem, cùm in ipsis ab antiquo terra illa fuerit decimalis, & non debeat una, eademque substantia diverso jure censeri. Alioquin parochialibus Ecclesiis exsolvantur, ad quas de jure communi spectat perceptio decimarum. Sanè quia contingit interdum, quod aliquibus volentibus matrimonium contrahere, bannis, ut tuis verbis utamur, in Ecclesiis editis secundùm consuetudinem Ecclesiæ Gallicanæ, ac nullo contradictore publicè comparente, licèt fama privatim impedimentum deferat parentelæ, cùm ex parte contrahentium juramenta majorum de sua propinquitate, ut suspicionis tollatur materia, offerantur: quid tibi sit faciendum in casibus hujusmodi quæsivisti. Ad hæc taliter respondemus, quod si persona gravis, cui fides sit adhibenda, fraternitati tuæ denunciet, quod ii, qui sunt matrimonio copulandi, se propinquitate contingant, & de fama, vel scandalo doceat, aut etiam per te ipsum possis certificari de plano, non solùm debes juramenta parentum sponte oblata recipere, verùm etiam eos, qui contrahere sic nituntur, si monitis induci nequiverint, compellere, ut vel à tali contractu desistant, vel contra famam hujusmodi secundùm tuæ discretionis arbitrium juramenta exhibeant propinquorum. Alioquin si persona denuncians non extiterit talis, ut diximus, & de fama, vel scandalo non poterit edoceri, ad desistendum monere poteris, non compellere contrahentes. Si verò post contractum matrimonium aliquis appareat accusator, cùm non prodierit in publicum, quando banni secundùm præfatam consuetudinem in Ecclesis edebantur, utrum vox debeat suæ accusationis admitiri, meritò quæri potest. Super quo sic duximus distinguendum, quod si tempore denunciationis præmissæ is, qui jam conjunctos impetit, extra diœcesim existebat, vel aliàs denunciatio non potuit ad ejus notitiam pervenire, utputà, si nimiæ infirmitatis fervore laborans, sanæ mentis patiebatur exilium, vel in annis erat tam teneris constitutus, quod ad comprehensionem talium ejus ætas sufficere non valebat, seu aliâ causâ legitimâ fuerat impeditus, ejus accusatio debet audiri. Alioquin cùm rationabiliter præsumatur, quod denunciationem publicè factam idem existens in ipsa diœcesi minimè ignorarit, tanquam suspectus est proculdubio repellendus, nisi proprio firmaverit juramento, quod postea didicerit ea, quæ objicit, & ad hoc ex malitia non procedat;

pat; quia tunc etiamsi didicisset ab aliis, qui denuntiationis tempore siluerunt, claudi non deberet eidem aditus accusationis: quoniam etsi ab impetitione hujusmodi culpa de silentio tali contracta illos excluderet, iste tamen amoveri nequiret, cùm culpabilis non existat. Utrum autem si accusatore idoneo comparente, per tres, vel quatuor testes inter jam conjunctos parentela probetur, per depositiones eorundem posteriorum testium derogetur fidei sex, vel duodecim propinquorum, qui antiquiores tempore, ac præstantiores meritis ante contractum matrimonium in contrarium juraverunt; distinguendo personas, & gradus, à quibus directè ij, de quorum agitur copula; descenderunt; an primi posterioribus præferantur, non immeritò quæri posset? Quamquam ad aliud, & ob aliud jurarint illi, quàm isti; si tamen in secundo judicio priores personæ juratæ deponerent illa eadem, quæ primò dixerunt, absque dubio eorum testimonia prævalerent, nec eo possent prætextu repelli, quòd partes testificata didicerint, cùm talis exceptio locum non habeat in hoc casu. Datum Later. IV. Kalend. Novemb. P. N. anno XV.

NOTÆ.

1. (a) *Idem.*] Id est Belvacensi Episcopo, ut legitur in quarta collectione, *sub hoc titulo, cap. 2. & in cap. cùm in tua 44. de restibus, cap. cùm in tua 27. de sponsi.* & in epistolis Innocentii III. editis à Bosqueto *lib. 3. regestr. 15. epist. 182.* ex quo regestro literam hujus textus restituo.

COMMENTARIUM.

2. IN his duabus decisionibus agitur de præscriptione decimarum in aliena parochia, & docetur eam non extendi ad novalia: quod etiam docetur *in cap. 3. in 5. collect.* ubi honorius III. ita scribit. [Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod in parochia Ecclesiæ tuæ veteres percipis decimas integraliter, per hoc credens quod ad te debeant in eadem parochia novalium etiam decimæ pertinere: sed venerabilis f. n. Episcopus Novar. hujusmodi novalium decimas R. Canonico Novar. quasi hoc potuerit de consuetudine, quæ dicenda esset verùs corruptela, concessit; pro quo quidem ad quosdam ipse judices nostras literas impetravit, qui contra te iniquam diffinitivam sententiam protulerunt, à qua tu ad nos vocem appellationis emittens, aliis obtinuisti negotium delegari. A nobis ergo humiliter postulasti, ut de indulgentia nostra in parochia Ecclesiæ tuæ, in qua veteres decimas percipis, haberes etiam percipiendi decimas de novalibus facultatem. Cùm ergo perceptio decimarum ad parochiales Ecclesias de jure communi pertineat, per quod decimæ novalium, quæ fuerint in parochiis earundem, ad ipsas spectare noscuntur: tibi, & Ecclesiæ tuæ prædictorum novalium decimas indulgemus, ita quod ex hoc eidem Canonico quoad vixerit, si eum contra te obtinere contigerit, præjudicium nullum fiat; post ejus tamen decessum suprà dictæ decimæ ad tuam Ecclesiam devolvantur.]

CAPUT XXXI.

Idem *Vesprinen.* (a) *Episcopo.*

DUdum adversùs fratres (b) Hierosolym. Hospitalis sancti Stephani Alben. te proponente in nostra præsentia quæstionem, quòd ipsi decimas de laboribus rusticorum (c) suorum Vesprinen. Ecclesiæ debitas non permitterent tibi solvi, eosdem citavimus, præfigentes eis terminum Concilium generale, quo cum instrumentis, & rationibus suis nostro se conspectui præsentarent, tibi respondere parati. Comparentibus igitur te, ac ipsis statuto termino coram nobis, dil. fil. nost. G. tit. S. Martini Presbyt. Card. tibi, & ipsis concedimus auditorem, coram quo decimas omnium terrarum, quæ per rusticos Hospitalis in Vesprinen. diœc. excoluntur, & de Cyrogan. & de nova Curia Ecclesias, quæ per Hospitalarios detinentur, easdem tanquam ad te spectantes, intentione tua de jure (d) communi fundata petisti. Prior autem Hospitalis ejusdem in prædictis decimis, & Ecclesiis præscriptionem allegans, proposuit se tibi non teneri super his aliquatenus respondere: quod cùm per auditorem eundem ad nostram audientiam perveniisset, mandavimus quod idem Prior præscriptionis (e) titulum, quem allegarat, probaret. Qui tandem post deliberationem prælabitam coram ven. fr. n. Alban. Episcopo, qui post recessum memorati Cardin. de causa cognovit, inclytæ recordationis G. Regis, ac E. matris ipsius Reginæ Ungariæ concessionem allegavit, qui Ecclesiam sancti Stephani, ad quam tunc temporis, sicut asseruit, Ecclesiæ memoratæ spectabant, cum decimis, & pertinentiis suis concesserunt, ac in perpetuam eleemosynam Hospitali donationis titulo assignarunt: confirmationis bon. mem. Clementis Papæ præd. n. transcriptum exhibens,

per quod probare volebat, concessionem prædictam plenum habere vigorem; & asserens nihilominus, ipsam à fel. rec. Lucio Papa prædecessore nostro postmodùm confirmatam. Cæterùm ex parte tua fuit propositum ex adverso, quod decimis, & in Ecclesiis à Rege, & Regina donatis, præscriptionem non poterat opponere pars adversa, quæ nec à donatione ipsorum initium habere poterat, nec à confirmatione præfata tantum tempus effluxit, quod posset præscriptio consummari: & sic donationis Regis, ac Reginæ allegatus titulus nullus erat, cùm sacrilegii crimen incurrat secundùm canonicas sanctiones, qui Ecclesias, vel Ecclesiasticum aliquod beneficium de manu reciperet (f) laicali. Unde si contingat laicum in donatione Ecclesiæ talibus verbis uti: Do tibi Ecclesiam talem; nihil aliud concedere intelligitur, nisi jus patronatus tantùm, quod habet in ipsa, prout (g) constitutione à nobis edita continetur expressè. Contra confirmationem autem fuit hoc modo responsum, quod cùm confusè ipsa Ecclesia sancti Stephani cum omnibus decimis, & Ecclesiis, & aliis, quæ ad eam pertinent, confirmetur; jus Episcopale non tollitur, cùm de illo non exprimetur ibidem, sed tantùm debita decimarum portio intra parochiam Ecclesiæ sancti Stephani collatarum secundùm terræ consuetudinem, eisdem Hospitalariis reservetur: præsertim cùm petitæ à te decimæ in parochia sancti Stephani non consistant, quod de plano confessa est pars adversa. Econtrà verò fuit à parte altera replicatum, quod cùm spatio xxx. annorum tacueris, juri tuo tacitè renuntiasse videris. Sed & hoc pars tua visa est repellere, allegando, quod xxx. annorum taciturnitas non jure communi, sed in (h) privilegiis noscitur obtinere; unde jure communi, quod habet Episcopus in decimis, vel in Ecclesiis suæ diœc. nonnisi XL. annorum (i) taciturnitate privatur. Nos igitur his, & aliis, quæ hinc inde fuerunt proposita, pleniùs intellectis, cùm donatores prædicti conferre non potuerint aliis, quæ ipsi de jure non poterant possidere, & ex confessione partis adversæ liquidò nobis constet, petitas decimas, & Ecclesias intra parochiam sancti Stephani non concludi, etiamsi prædicta donatio teneat, quod per confirmationem prædicti Clementis super Ecclesia sancti Stephani, Hospitali cum decimis, & aliis ad se pertinentibus factam, etiamsi authenticum appareret, Episcopali juri nullatenus derogetur, de f. n. con auctoritate Apost. sententialiter prohibemus, ne fratres Hospitalis præsumant ulteriùs præpedire, quo minus decimas percipias memoratas, & pacificè possideas in futurum.

NOTÆ.

(a) *Estrin.*] Ita legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. quæ diœcesis est in Ungaria, sub Archiepiscopo Strigonienſi, ut notavi *in cap. exposuisti, de præbendis.* 1.

(b) *Hierosolym.*] De his Hospitalariis jam nonnulla notavi alibi.

(c) *Decimas rusticorum.*] Quas etiam privilegiati, & exempti persolvunt, ut suprà probavi *in cap.* 2.

(d) *De jure communi.*] Porbat Rota apud Pennam *tom.* 1. *decis.* 560. & plura adducit Solorzanus *tom.* 2. *de jure Indiarum lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 21. 2.

(e) *Titulum.*] Quia præscriptio non erat immemorialis, aliàs necessarium non esset docere de titulo, *cap.* 2. *de præscript. lib.* 6. plura de titulo necessario ad præscriptionem adduxi *in cap. si diligenti, de præscript.* 3.

(f) *Laicali.*] Latè probavi *in cap. Messana, de elect.*

(g) *Constitutione.*] *Cap. pastoralis, de donat.*

(h) *Privilegiis.*] *Cap. si de terra, de privil.*

(i) *Quadraginta annorum.*] Juxta adducta suprà *in cap. cum contingat.*

CAPUT XXXII.

Idem *in Concilio* (a) *generali.*

IN aliquibus regionibus quædam permixtæ sunt gentes, quæ secundùm suos ritus decimas de more non solvunt, quamvis censeantur nomine christiano. His nonnulli domini prædiorum ei tribuunt excolenda, ut decimis defraudantes Ecclesias majores, inde redditus assequantur. Volentes igitur super indemnitatibus his Ecclesiarum providere, statuimus, ut ipsi deinde talibus personis, & taliter sua prædia excolenda committant, quod absque contradictione Ecclesiis decimas cum integritate persolvant, & adid, si necesse fuerit, per cens. eccles. compellantur.

NOTÆ

NOTÆ.

(a) *Generali.*] Lateranensi videlicet, sub Innocentio III. celebrato, *ubi can. 54.* reperitur hic textus, & in quata collectione, *sub hoc tit. cap. 5.* de quo Concilio nonnulla notavi *in cap. 1. de summa Trinitat.*

COMMENTARIUM.

1. PRo hujus textus expositione sciendum est, nonnullas gentes etiam sacro baptismate ablutas in more habuisse decimas nullas præstare, aut saltem eas non integrè persolvere. Legimus enim apud Krantzium *lib. 4. Vvandal. pag. 101.* Holzatos, prius quàm in Ungariam terram incultam, atque ingratam transferrentur, & agros colere incipe rent, pactum iniisse cum Sacerdotibus, & Episcopis ejusdem regionis, ut ab omnibus decimis liberi essent, & tantùm aliquot mensuras grani pro unoquoque aratro penderent: & etiam Helmoldus Presbyter *in chron. Sclav. cap. 12.* refert, Sclavos certum tributum pro universis decimis solvisse Episcopis Aldeburgensibus, his verbis: *Dabatur Pontifici annuum de omni Vagirorum terra tributum, quod scilicet pro decima imputabatur, de quolibet aratro mensura grani, & quadraginta rectiuli lini, & duodecim nummi puri argenti.* Et cùm conquererentur clerici paupertate oppressi, auctoritate Ducis Sclavorum pactum initum fuit de augendo ipso tributo, ut refert idem Presbyter *lib. 1. cap. 92.* illis verbis: *Holzatenses necessitate constricti, præsente Duce cum Pontifice tale pactum inierunt, ut facerent augmentationem decimarum, & solverent de manso sex modios siliginis, & octo avenæ, illius (inquam) modii, qui vulgò dicitur Hemmethe.* Et ne succedentium fortè Pontificum paterentur angarias, rogaverunt hoc ducis, atque Pontificis sigillis confirmari. Immò apud Græcos valdè dubia est decimarum pensitatio; siquidem in tot canonibus, & Ecclesiæ constitutionibus à Gratiano compilatis in causa 16. *q. 1.* & à Raymundo in præsenti, nulla mentio fit decimarum Ecclesiæ Orientalis. Primis autem Ecclesiæ seculis decimas apud Græcos solutas fuisse, constat ex Origine, qui decimarum Ecclesiæ Alexandrinæ meminit *homil. 11.* & Isidoro Pelusiota, qui monachus fuit monasterii Montis Pelusiaci in Ægypto, vixitque temporibus Theodosii, qui *epist. 317.* Herminium Comitem ita alloquitur: *Præclarè Dominum honoras, cùm nobis fructuum tuorum primitias tribuis, decimamque partem ex ubertate terræ tuæ, & à quo eam accepisti, pendis.* Et in Ecclesia Antiochena eundem ritum decimæ sacro sacerdotum altaris ærario inferendæ, viguisse putat Interpres Chrysostomus *homil. 18. in cap. 8. act. Apost.* ibi: *Parumne est torcular benedici? parumne est ex omnibus frugibus ac decimis prius partem, ac decimam accipere? Ad pacem agricolarum hoc utile est.* Sed sequentibus seculis, etsi primitiarum mentio fit apud Scriptores Græcos, Epiphanium videlicet *hæresi 80.* Gregorium Nazianz. *epist. 80.* sanctum Antiochum in homilia, quæ extat *tom. 1. biblioth.* nullum tamen decimarum vestigium extat, & eam pensitationem cessasse Constantinopoli ex sterilitate diœceseos deducit Lemaistre *lib. 1. de decimis, cap. 6.* præcipuè cùm legamus frumenti transvectionem quotannis fieri ex Ægypto, quam felicem embolam Imperatores appellarunt: & penuriam rei frumentariæ in urbe Constantinop. suadet distributio quotidiana panis, quæ singulis diebus fiebat non solùm in pauperes, verùm & in honestiores personas, de qua *in l. quia, C. Theodos. de annonis civil. l. panis, l. universi, eodem tit. l. hac, C. de secundis nuptiis*; notavit Cironius *ad tit. de præbend.* Accedit, nam apud Græcos certa erant constituta tributa pro sacerdotum alimentis, ut constat ex novella 3. Justin. ex novel. 43. *de officin. & tabern.* & in bulla aurea Imperatoris Isaaci Comneni, hujus tributi summa ita taxatur: *Nomine Canonici à vico habente triginta fumaria nummus unus aureorum exigatur, argentei duo, aries unus, hordei modii sex, vini mensuræ sex, farinæ modii sex, triginta gallinæ: ab eo verò, qui fumaria viginti habet, dimidium aurei, argentum æquivalens duobus argenteis, agnus mediæ ætatis unus, hordei modii quatuor, vini mensuræ quatuor, gallinæ viginti: à vico denique decem habente fumaria, quinque argentei, agnus unus, hordei modii duo, gallinæ decem, quemadmodum, & in veterum exactorum sigillis scriptum est.* Sed cùm temporibus Innocentii III. Constantinopoli à Latinis capta, ut retuli *in cap. scriptum, de elect.* Sacerdotes Latini ritus Romanæ Ecclesiæ, cæremoniasque ibi intulerint, etiam decimas, cæterasque consuetudines piè observandas, ac religiosè colendas decreverunt, reluctantibus Græcis, & maximè Procerum, ac Nobilium in dignitate superbiâ. Illi enim non semel prohibuerunt hominibus suis, ne decimas penderent Romano more: eos verò angebat maximè Latinorum imperium, eo quod Latini cogerent Nobiles Græcos Ecclesiis restituere opes, & facultates ablatas; itaque cùm tanto tempore sese indociles præberent, & decimarum pensionem exhorrescerent, sæpe excommunicationis metus est illis incussus. Immò cùm ad bellum adversùs Michaëlitium quendam Græciæ res turbantem, & omnia ferro, igmque populantem, Proceres Achaiæ sese accingerent, non ante Dominicum corpus, & sanguinem, pacis, bellique præsidium salutare de manibus Sacerdotum ceperunt, quàm pollicerentur se decimam in posterum more Romano sacerdotibus soluturos, nec prohibituros ampliùs, quominus eorum servi, homines, ac vasalli eam præstationem Ecclesiæ ministrarent. Ita elicitur ex epistola 161. apud Innocentium, *lib. 1. regestr. 13.* ad Archiepiscopum Larisensem, & Episcopum Citonien. ubi de Achaiæ Nobilibus sic loquitur: [Canonicos (inquit) in nonnullis Ecclesiis includere non verentur excommunicatos, tam laicos, quàm clericos in sua pertinacia convovendo. Cumque dudum ad bellum contra Michaëlitium processuri recipientes corpus, & sanguinem Jesu Christi, omnes pariter promisissent, quin immò per votum obligaverint se solenne, quod de ipso prælio redituri decimas Ecclesiis suis solverent, & subditos suos, tam Græcos, quàm Latinos cogerent ad solvendum: at postmodùm efficere non curarunt. Quocirca fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus Latinos ejusmodi, ut Ecclesiis suis solvant, sicut ex communi jure, ac speciali quoque tenentur, &c. inducere procuretis, ipsos ad hoc, si opus fuerit, per censuram Ecclesiasticam appellatione remotâ, sicut justum fuerit, compellentes.] Et certè

Inno-

Innocentii III. temporibus decimarum jugum Græcia magnâ ex parte receperat, ut ex ejusdem epistolis liquet, quibus multæ contentiones sedantur ortæ inter Canonicos, & Episcopum de decimarum partitione. *Epist.* 44. sedatur ortum dissidium inter clericos, & Patriarcham Constantinopol. quòd nempe Patriarcha jussus à Legato Sedis Apostolicæ Cardin. Sancti Marcelli dare Canonicis quartam decimarum, per triennium eam retinuisset. *Epist.* 105. *lib.* 1. hortatur omnes Lariſienſis diœceſis, ut decimas ablatas Episcopis restituant. Eadem hortatione utitur *epist.* 108. *eod. lib. ad Imperatorem Constantinop.* cujus milites decimas Cittensis diœcesis occupabant. *Epist.* 62. lib. 4. componitur lis orta inter Episcopum Nitriensem, & Abbatem de Ægris in diœcesi Cenadiensi, super quodam jure decimarum; unde, ni fallor, in præsenti canone PP. respexerunt ad Latinos simul degentes cum Græcis, qui prædia excolenda illis locabant; unde Ecclesia decimis fraudabatur: quare justè, & rectè in præsenti statuitur, ut domini prædia sua locent illis personis, à quibus decimæ solvi consueverunt; id est, aliis fidelibus Latinis, qui semper decimas præstiterunt.

§.

ILlæ quippe decimæ necessariò solvendæ sunt, quæ debentur ex lege divina, vel loci consuetudine approbata.

COMMENTARIUM.

2. CElebris quæstio est, tam inter Theologos, quàm Canonistas, utrum decimarum obligatio sit juris naturalis, divinive, aut tantùm ecclesiastici? In qua quæstione, juris naturalis, divinique esse docuerunt antiquiores canonistæ, quos referunt & sequuntur Gutierrez *lib.* 1. *canonic. cap.* 22. Azeuedo *in lib. tit.* 5. *lib.* 1. *recopil. num.* 5. Rebuffus *de decimis, quæst.* 1. *num.* 11. Borellus *in summa decis. tit.* 19. *num.* 1. Germonius *lib.* 3. *de sacror. immunit. cap.* 19. Carrasco *ad ll. Recopil. cap.* 6. noviter Lemaistre *lib.* 1. *de decimis, cap.* 2. *&* 3. Castillo *tom.* 7. *controv. tit. de tertiis, cap.* 10. Dartis *de benef. sect.* 1. *cap. primo*, plura Solorzanus *tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 6. Qui nituntur sequentibus fundamentis. Primò, quia decimæ debentur Deo in recognitionem supremi dominii, *cap. tua nobis* 26. *cap. cùm non sit* 33. *hoc. tit.* D. Augustinus, seu quivis auctor est tractatus 20. *de rectit. Catholicæ converſ. tom.* 9. ibi: [Unusquisque de quali ingenio, vel artificio vivit, de ipso decimam Deo in pauperibus, vel Ecclesiis donet. Consideret quia omnia Dei sunt, per quæ vivit, sive terra, sive flumina, sive semina, vel omnia, quæ sub cœlo sunt, vel super cœlos; & si ipse non dedisset, nihil utique haberet: nam Deus qui dignatur totum dare, decimam de suo dignatur à nobis repetere.] Quam sententiam ipse Sanctus repetit *tom.* 10. *serm.* 219. Sed cultum illum Deo exhiberi jus naturale dictat: ergo decimarum obligatio juris naturalis est. Secundò, nam decimæ præstantur pro alimoniis sacerdotum, *cap.* 3. *Malachiæ*, *Numer. cap.* 18. naturalis autem ratio suadet, ut clericis spiritualia administrantibus alimenta præstentur, *cap. cùm secundum*, ubi probavi, *de præbend.* Ergo, &c. Tertiò, quia ante legem scriptam plerique in lege naturæ decimam, vel similem fructuum partem Deo, & ejus sacerdotibus obtulerunt, ut legitur *Genesis cap.* 4. 14. *&* 28. quod & Gentiles solo naturæ lumine instructos observasse suprà probavi *in cap.* 3. Deinde ex lege veteri decimas deberi sæpe repetitum legimus. *Exod. cap.* 22. *&* 29. *Levitici cap.* 27. *Numer. cap.* 18. *Deuteron. cap.* 12. & suprà illustravi *in cap.* 1. Et hanc obligationem lege evangelica firmatam fuisse, probatur ex eo, nam si hoc præceptum, ut proximè dixi, juri naturali congruit, continebitur lege divina; nam præter fidei & sacramentorum præcepta, quæ supernaturalia sunt, in nullo discrepant lex divina, & naturalis. Deinceps apud Lucam *cap.* 11. Dominus reprehendit Pharisæos charitatis opera omittentes, his verbis: *Væ vobis scribæ, & Pharisæi, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium & misericordiam: hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Et *cap.* 22. *Matthæi*, ibi: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquàm Scribarum*, &c. Et ibi: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Igitur cùm decimarum præstatio fuerit à Christo Domino in lege gratiæ commendata, earum obligatio juris divini est. Tandem apertiùs hæc sententia firmatur, & diffinitur ab Ecclesiæ Patribus, & Conciliis, ut fecerunt D. Clemens *lib.* 2. *constit. cap.* 19. *Quæ ex decimis & primitiis secundum mandatum Dei dantur, ut Dei homo consumat; voluntaria verò, quæ occasione pauperum offeruntur, rectè dispenset orphanis, viduis, afflictis, peregrinis, egentibus.* D. Ambrosius relatus *in cap. numquid eo* 16. *q.* 4. D. Augustinus *in cap.* 10. 16. *q.* 1. Urbanus II. *in cap.* 2. 16. *q.* 2 ibi: *Decimas omnino dare Deo non negligatur, quas ipse Deus dare constituit.* Gregorius VII. relatus *in cap.* 1. 16. *q.* 7. ibi: *Oportet nos decimas, & primitias, quas jure sacerdotum esse sancimus, ab omni populo accipere, quas fideles Domino præcipiente offerunt.* Alex. III. *in cap. parochianus, hoc tit.* ibi: *Cùm decimæ non ab hominibus, sed ab ipso Domino sint institutæ.* Innocentius III. *in cap. tua, hoc tit. Quæ divinâ constitutione debentur.* Honorius III. *in cap. final. hoc tit. in* 5. *compil.* ibi: *Cùm decimæ sint debitæ Domino, quas in signum universalis dominii sibi Dominus reservavit.* Ex Conciliis idem statuerunt Matiscon. 2. *can.* 5. ibi: *Leges divinæ consulentes sacerdotibus, ac ministris Ecclesiarum, pro hæreditaria portione omni populo præceperunt decimas fructuum suorum locis sacris præstare.* Concilium Mogunt. 1. sub Carolo, *can.* 38. *Admonemus, atque præcipimus, ut decimas Deo dari omnino non negligatur, quas Deus ipse sibi dari constituit; quia timendum est, ut quisquis Deo debitum suum abstrahit, nè fortè Deus per peccatum suum auferat ei necessaria.* Concilium Tribur. *can.* 13. Lateran. *in præsenti* §. Trident. *sess.* 25. *de reform. cap.* 2.

Contrariam sententiam, videlicet decimarum obligationem à jure ecclesiastico tantùm provenire, docuere omnes ferè Theologi cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 87. *artic.* 1. *quodlibet.* 2. *artic.* 8.

artic. 8. Sotus *lib.* 9. *de justitia, q.* 4. *art.* 1. Castro *adverſ. hæreſes, verbo Decimæ*, Toſtatus *in cap.* 23. *Matthei, quæſt.* 149. & recentiores Canoniſtæ, Covar. *dicto libro* 1. *var. cap.* 17. *num.* 2. Gutierrez *dicto cap.* 21. *num.* 7. Meneta *de decimis cap.* 1. *q.* 1. *&* 2. Menchaca *libro* 3. *illuſtr. cap.* 89. Duarenus *libro* 7. *de ſacr. eccleſ. miniſtr. cap.* 1. plures congeſti a Solorzano *ſuprà, num.* 45. alii à Cenedo relati *ad Decret. collect.* 66. *num.* 13. Pro quibus ſequentia faciunt fundamenta: nam ex lege divina ea tantùm tenemur ſervare; quæ à Chriſto Domino nobis præcepta ſunt: ſed de ſolvendis decimis nec in Evangelio, nec apud Apoſtolos ullum extat præceptum: ergo ex lege divina obligatio decimarum non provenit. Nec refragatur præceptum legis veteris; nam illud, ſicut cætera præcepta ipſius legis, poſt legem gratiæ ceſſavit, *cap. traslato*, ubi probavi, *de conſtit.* Secundò, nam quæ divini juris ſunt, contrario uſu, aut Pontificis privilegio tolli, ſive in parte minui non poſſunt, *cap. arctà* 9. *cap. memor.* 10. *cap. in ſede*, 11. 24. *q.* 1. *cap. propoſui, de conceſſ. præben. cap. litteras, de reſtit. ſpol.* Sed decimæ conſuetudine, & privilegio tolluntur, atque minuuntur, *c. cùm ordinem, de reſcript. c. dilecti, cap. ſuggeſtum, c. ex parte cap. ad audientiam, hoc tit.* unde in aliquibus regionibus non decima, ſed portio minor præſtatur. Concilium Turon. ſub Carolo *can.* 46. & in Eccleſiæ naſcentis exordio, unde Evangelii puritas maximè petenda eſt, qui monumenta antiquorum monaſteriorum requirat, nihil frequentius invenit, quàm milites decimas monachorum Eccleſiis devoviſſe: igitur non ex jure divino eas debebant. Nec deſunt qui ab his omnino diverſam ſequantur ſententiam, aſſerendo, diſcrimen conſtitui debere inter decimas prædiales, & perſonales: & docent, prædiales ex jure divino deberi, perſonales verò dumtaxat ex lege eccleſiaſtica: ita docuerunt Hoſtienſis *in ſumma hoc tit.* Henricus Boich. *in cap. pervenit, hoc tit.* Felinus *in cap. cauſam, de reſcript.* & dicit communionem eſſe Cardinalis in præſenti. Moventur ex eo; nam licèt præceptum morale legis veteris inveniatur de decimis prædialibus, non verò reperitur de perſonalibus: ergo ex jure tantùm eccleſiaſtico earum obligatio deſcendit. Eos ſequitur noviter Nicolaus Lemaiſtre *de decimis cap.* 2. *&* 3. & defendit decimas prædiales omnino provenire à jure divino, tam quoad ſubſtantiam, quàm quoad quotam: decimas verò perſonales tantùm juris eccleſiaſtici eſſe. Diverſam opinionem alii ſequuntur aſſerentes, in decimis duo eſſe diſcernenda, videlicet ſubſtantiam, hoc eſt obligationem alendi miniſtros Eccleſiæ, & taxationem, quotam, ſeu quantitatem decimarum. Quoad ſubſtantiam ajunt, decimas provenire à jure naturali, & divino; quoad quotam tamen, ſeu quantitatis taxationem, à jure eccleſiaſtico originem ducere. Ita docuerunt Suarez *dicto tract. de decimis, cap.* 9. *num.* 10. Covar. *dicto cap.* 17. *num.* 2. Azor 1. *p. Inſtit. lib.* 7. *cap.* 13. Fagundez *in* 5. *præcept. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 1. Leſſius *lib.* 2 *de juſt. cap.* 59. *dub.* 1. Barboſa *d. cap.* 28. *de offic. parochi*, Hunnius *in Encyclop. de tract. de decim. cap.* 1.

4 In qua opinionum varietate veriorem credo D. Thomæ ſententiam, videlicet decimas non deberi ex jure divino à Chriſto Domino promulgato, quod propriè jus divinum eſt: quâ retentâ non obſtant contraria fundamenta prioris ſententiæ. Non primum ex teſtimoniis veteris Teſtamenti; fatemur enim ſub ſynagoga fuiſſe decimas debitas ex jure divino; ſed illud jus jam ceſſavit, quare inde argumentum deduci non poteſt; quia nunc non probatur eſſe aliquid de jure divino ex eo, quod olim fuiſſet, ut optimè probat Toſtatus *ubi ſuprà*, maximè quia præceptum de decimis, ut decimæ fuerunt à Deo tam ſpecialiter conſtitutæ, non potuit eſſe morale, ſed ad ſummum judiciale, vel forſan cæremoniale, quæ jam ceſſarunt. Ergo prout tale fuit, ceſſavit etiam. Rurſus in quantum fuit morale, vel naturale, fuit quatenus reſpiciebat compenſationem debitam pro labore miniſtrorum deſervientium templo: ſed in hoc conceptu non potuit decima deberi magis quàm vigeſima, aut quinquageſima; nec magis deberi de fructibus, quàm de aliis obventionibus, aut emolumentis: ergo nec ut præceptum morale debuit reputari. Nec obſtant Chriſti Domini verba apud Matthæum *cap.* 23. Lucam *cap.* 11. quia in illis nihil aſſeruit conſtituendo obligationem ſolvendi decimas, ſed tantùm arguebat Judæos, qui ſub lege veteri vivebant, & tenebantur etiam de illis oleribus decimare; quia in minimis erant ſeduli, ut ſancti viderentur; & in maximis interioribus deficiebant; ideò dixit Dominus loquens de decimatione: *Hæc oportuit facere*; nempe de præterito, & ſub lege veteri; non tamen dixit, *oportet*, quod verbum poſſet importare præceptum, cùm de præſenti ſit, & futurum reſpiciat: ita toſtatus *dicta quæſt.* 149. Nec obſtant textus *in dicto cap. parochianos*, & alii ſuprà expenſi, nam in eis tantùm docetur, decimas fuiſſe inſtitutas jure divino; quod fatemur de ſua prima inſtitutione à Deo facta populo Hebraico: unde deducunt Eccleſiæ PP. in illis auctoritatibus decimas deberi, quaſi dicant, quia illi populo indictæ fuerunt decimæ ad ſuſtentationem miniſtrorum per ſummum Deum, qui eſt optimæ ordinationis optimus artifex, conſtat & juſtè ab Eccleſia imperari, non exorbitanter; & in Eccleſia eſſe poteſtatem eas percipiendi: ergo ab inſtitutione antiqua Dei deſcendit ad præceptum eccleſiaſticum, ex quo D. Thomas *quodlibet.* 2. *artic.* 8. & *quodlibet* 6. *artic.* 10. & *d. q.* 87. *artic.* 1. deducit hujuſmodi quotam augeri poſſe, vel minui, ſi ratio urgeat: non ergo dicendum eſt, decimas quantùm ad ſubſtantiam eſſe de jure divino, & in prædictis juribus decimas dici debitas de jure divino, ex duplici cauſa, & utraque non impropria. Prima quia olim de jure divino debebantur, à quo Eccleſia exemplum ſumpſit: ſecunda quia præbere ſtipendium miniſtris Dei juris naturalis eſt, ex traditis *in cap. cùm ſecundùm, de præbend.* quod appellatur etiam divinum, quia verſatur circa rem divinam, ut egregiè docet Covar. *lib. variar. cap.* 17. ad cujus mentem reducendi ſunt, qui poſtea ſcripſerunt; quorum longum agmen referunt Barboſa *de jure Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 16. *num.*... Solorzanus — *dicto cap.* 21. *ex num.* 44. Valenzuela *conſil.* 114.

CAPUT

CAPUT XXXIII.

Idem (a) *in eodem.*

CUm non sit in homine, quod semen serenti reddat, vel respondeat, quoniam juxta verbum Apostoli, neque qui plantat est aliquid, nec qui rigat, sed qui incrementum dat Deus; ipsum quidem mortificato semine plurimum fructum affert, nimis avarè quidam in decimis defraudare nituntur, census, & tributa, quæ interdum indecimata prætereunt, de frugibus primitus deducentes. Cùm autem in signum universalis dominii quasi quodam titulo speciali sibi Dominus decimas reservaverit: Nos & Ecclesiarum dispendiis, & animarum periculis obviare volentes, statuimus, ut in prærogativam dominii generalis exactionem tributorum & censuum præcedat solutio decimarum: vel saltem hi, ad quos census & tributa indecimata pervenerint (quoniam res cum onere suo transit) ea per cens. eccl. decimare cogantur Ecclesiis, quibus de jure debentur.

NOTÆ.

(a) *In eodem.*] Concilio videlicet generali Lateran. sub Innocentio III. *can.* 54. ubi reperitur canon hic: & in quarta collectione, *sub hoc tit. cap.* 6 & textum hunc exposui suprà *in cap.* 26.

CAPUT XXXIV.

Idem (a) *in eodem.*

NUper Abbas Cistercienſ. Ordinis in generali Capitulo congregati ad commonitionem nostram providè statuerunt, ne de cætero Fratres ipsius Ordinis emant possessiones, de quibus decimæ debeantur Ecclesiis, nisi fortè pro monasteriis de novo fundatis; & si tales possessiones eis fuerint piâ fidelium devotione collatæ, aut emptæ pro monasteriis de novo fundatis, committantur aliis excolendæ, à quibus Ecclesiis decimæ persolvantur. Ne occasione privilegiorum suorum Ecclesiæ ulteriùs prægraventur, decernimus, ut de alienis terris, & amodò acquirendis, etsi eas propriis manibus, aut sumptibus excoluerint, decimas persolvant Ecclesiis, quibus ratione prædiorum antea solvebantur, nisi cum ipsis Ecclesiis aliter duxerint componendum. Nos ergo statutum gratum, & ratum habentes, hoc ipsum ad alios regulares, qui gaudent similibus privilegiis, extendi volumus, & mandamus, ut Ecclesiarum Prælati promptiores, & efficaciores existant ad exhibendum eis de suis malefactoribus justitiæ complementum, ut eorum privilegia diligentiùs, & perfectiùs valeant observare.

NOTÆ.

1. (a) *Eodem.*] Concilio videlicet Lateran. *can.* 55. sub Innocentio III. celebrato, ubi habetur præsens textus, & in quarta collectione, *sub hoc tit. cap.* 7. Casus autem, seu causa hujus constitutionis ita contigit. Cùm monachi Cistercienses anno 1213. Capitulum generale celebrarent sub Arnaldo II. in eo recitatæ fuerunt Pontificis literæ super querelis ad eum delatis per diversos Episcopos, præcipuè per Quinqueecclesiensem: quibus literis Pontifex commonebat ipsos Cistercienses, immò comminabat abolitionem privilegii illis concessi super exemptione decimarum, ut constat ex epistola 85. ipsius Pontificis, *lib.* 16. ubi ita illis rescribit: [Venerabilis frater noster Quinqueecclesiensis Episcopus nobis intimare curavit, quod vos extendentes ad lucra turpia manus vestras, multitudinem emitis vinearum, de quibus sibi, vel Ecclesiæ diœcesis decimæ solvi solent; quarum vinum licet nequaquam in usus vestros expendatis, sed vendendum faciatis ad alias provincias deportari, decimas tamen sibi, vel ipsis Ecclesiis subtrahitis ex iisdem. Cùm igitur ex hoc Ordini vestro plurimùm detrahatur, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ab iis de cætero taliter desistatis, quod materia scandali auferatur, & super hoc de vobis clamor ad nos ulteriùs non ascendat, scientes vobis esse meritò formidandum, ne propter clamores hujusmodi sacrum Concilium auctore Domino in proximo celebrandum privilegia vestra coarctanda provideat, vel etiam revocanda, cùm privilegium mereatur amittere, qui concessâ sibi abutitur libertate. Datum Lateran. XII. Kalend. Junii, Pontif. nostri anno XVI.] Lectis hujusmodi literis Cistercienses statuerunt, modum esse ponendum libertati, sicut & avaritiæ; præscripseruntque decimas esse solvendas ex cunctis prædiis, quæ deinceps acquirerent, sive pretio empta essent, sive fidelium largi-

largitione donata; & omnia ea, aut reſpuenda eſſe, aut decimas ipſos ſoluturos: refert Manriq; *tom. 4. annal. Ciſterc. anno 1213. cap. 12.* Cujus conſtitutionis Capituli generalis Ciſterc. meminit Innocentius III. *in præſenti*, & ſtatuit, prædictam moderationem eſſe obſervandam, non ſolùm ab ipſis Ciſtercienſibus, verùm & ab aliis æquale privilegium exemptionis habentibus. Verba hujus textus refert Manrique *dicto tom. 4. anno 1213. cap. 12. & anno 1215 cap. 5. num. 6.*

COMMENTARIUM.

2. CUm in præſenti textu modus imponatur privilegiis exemptionis à ſolutione decimarum diverſis monachorum Ordinibus conceſſis, ita ut de prædiis noviter acquiſitis decimas ipſi exempti legitimis parochis exſolvant; & poſtea plura alia privilegia circa eandem exemptionem ipſi monachi, & alii Religioſi à Sede Apoſtolica impetraverint, vulgò quæri ſolet, an in ſimilibus privilegiis debeat fieri expreſſa mentio, & derogatio hujus textus? Et expreſſam ejus derogationem deſiderari docuerunt plures, quos ſequitur Barboſa in præſenti *num. 1. & de jure Eccleſ. lib. 3. cap. 26. num. 37.* Noguerol *alleg. 39. num. 24.* Gutierrez *lib. 2. canonic. cap. 21. num. 136.* Rota apud Tamburinum *tom. 3. de jure Abbatiſſ. deciſ. 94.* Larrea *alleg. 58. num. 2.* Solorzanus *tom. 2. lib. 3. cap. 21.* Qui moventur ex eo, quia cùm præſens conſtitutio Concilii generalis ſit, debet fieri ejus expreſſa derogatio, juxta communem ſententiam, quam tuentur plures, quos referunt, & ſequuntur Balboa *in cap. 1. de judiciis, num. 3.* Barboſa *ad Concilium Trident. ſeſſ. 1. cap. 1.* Fragoſo *de regim. Chriſt. Reip. p. 1. lib. 1. diſſ. 1. §. 7.* Sed contrarium, & rectiùs, docuerunt Menochius *conſil. 196. num. 9.* Rota apud Cavallerium *deciſ. 430.* & apud Seraphinum *deciſ. 331.* Frances *1. p. deciſ. 764.* Marqueſanus *de commiſſ. 2. p. pag. 424.* Nam verius eſt, etiam conſtitutionis conciliaris neceſſariam non eſſe expreſſam, & ſpecialem derogationem; ſed ſufficere clauſulam illam generalem, *non obſtantibus, & cætera*, ut docent plures congeſti à Barboſa *de clauſulis, clauſul. 82.* Baſilius *de matrim. lib. 8. cap. 17. §. 2. num. 29.* unde etſi præſens conſtitutio eſſet conciliaris, quod negandum eſt, juxta tradita *in cap. 1. de ſumma Trinit.* non deſideraretur ejus ſpecialis derogatio, licet in nonnullis privilegiis ad majorem ſecuritatem eam clauſulam derogatoriam hujſ textus adjectam legerim.

CAPUT XXXV.

(a) Gregorius IX.

INter dicimus univerſis perſonis eccleſiaſticis, ut decimas detentas à Laicis, ad alienas Eccleſias pertinentes, in pignus recipere ab eisdem laicis non præſumant.

NOTÆ

1. (a) *Gregorius IX.*] Qui motu proprio præſentem edidit conſtitutionem, intendens decimas à laicis occupatas virtute infeudationis Pontificiæ faciliùs recuperari; nam cùm laici eas præſcribere nequirent, *cap. cauſam quæ 7. de præſcript.* Eccleſiaſtici verò poſſint, ideò faciliùs Eccleſia poterat eas à laicis recuperare. Quæ fuit etiam ratio textus *in cap. in Lateranenſi 31. de præbend. cap. cùm Apoſtolica, de his quæ fiunt à Prælat. cap. cùm & plantare 3. de privil.* Ideoque prohibet Gregorius decimas pignori dari ſub ſpe redemptionis; quod plerunque fiebat à monachis, & perſonis, qui eas obtinere non poterant, ut probavi ſuprà *in cap. quisquis de elect.* pro expoſitione textus *in cap. 1. de uſuris:* & præſens commentarium petendum eſt ex adductis ſuprà *in cap. prohibemus.*

TITULUS XXXI.

De Regularibus transeuntibus ad religionem.

CAPUT I.

Ex Concilio (a) *Mogunt.*

DE clericis hoc ſtatuimus, ut ii, qui hactenus inventi ſunt, ſive in canonico, ſive in monachico ordine tonſurati ſine eorum voluntate, ſi liberi (b) ſunt, ut ita permaneant: & deinceps cavendum, ut nullus (c) tondeatur ſine legitima (d) ætate, ſpontaneaque voluntate, vel cum (e) licentia domini ſui.

NOTÆ.

1. (a) *Moguntinum.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. & verba hujus textus reperiuntur in ipso Concilio Moguntino temporibus Caroli Magni celebrato anno 813. ab Hildebaldo, quem Galli vocant magnum Eleemosynarium, qui fuit Archicapellanus Imperatoris: unde in principio ipsius Concilii pro Archiepiscopo legit Archicapellano Filesacus *in cap.* 9. *circa finem, de offic. Ordin.* Hæc Synodus celebrata fuit tempore Ricolphi Archiepiscopi Moguntini, die IX. Junii, anno 813. in claustro Basilicæ S. Albani, pro reformatione status Ecclesiastici, ut probat Severinus Binius *in notis ad dictum Concilium.* Ex cujus Concilii canone 23. ita restituo præsentis textus literam, prout jacet in editione Binii.

2. (b) *Si liberi sunt.*] Id est non servi, ita tonsurati; nam si servi absque propria voluntate, simulque licentia domini sui tonsurati erant, propriis dominis reddebantur, quia absque eorum manumissione ad ordinem clericalem, seu statum monasticum promoveri non debebant, ut latè probavi *in cap.* 1. *de servis non ordin.*

3. (c) *Tondeatur.*] De tonsura clericali, & ejus origine egi *in cap. si quis ex clericis, de vita & honest. cleric.* quare tantùm de tonsura monachorum in præsenti agendum est. Et constat, jam à primis Ecclesiæ seculis in usu fuisse monasticam tonsuram. Unde dum Dionysius describit ritus, cum quibus suo seculo ad statum monachorum admittebantur candidati, *part.* 2. *hierarch. cap.* 6. ait: *Moris fuisse post omnium abrenunciationem signi crucis consignatione à sacerdote tonderi cum invocatione Trinitatis, ac tunc demùm veste nova indui.* D. Augustinus *epist.* 147. *Per coronam nostram nos adjurant vestri; per coronam vestram vos adjurant nostri.* Et in Concilio Nicæn. ita cavetur: *Monachi alia habeant indumenta, & mores, quàm habent laici, ac caput tondeant in modum coronæ.* Concilium Tolet. 4. *can.* 17. ibi: *Nullus sub religionis habitu attondeat.* Et *can.* 55. ibi: *Non aliter & hi, qui detonsi fuerunt à parentibus, aut sponte suâ.* Epiphanius *hæresi* 80. Beda *lib.* 5. *de gest. Angl. cap.* 22. D. Gregorius *lib.* 9. *regestr. epist.* 44. *Volumus ut maritum suum illi, etiamsi tonsuratus est, reddere omni debeas excusatione cessante.* Beda *in Martyrol. die* XVIII. *Kalend. Febr.* ibi: *Comâ depositâ monachorum pater extitit.* Idem Kalend. Maji: *Comâ depositâ religionis habitum suscepit.* Socrates *lib.* 3. *cap.* 1. de Juliano Apostata ait, ipsum abrasa cute vitam monasticam simulasse: olimque monachis totum caput tondebatur, ut videre est in Theoria S. Germani Episcopi CP. Postea Græci attonsi fuerunt in modum crucis, ut liquet ex Græcorum Euchologio. Hodie qui choro deputati sunt, toto capite tondentur, excepto inferiori capillorum circulo, juxta antiquam formam clericorum, quæ statuitur in Concilio Tolet. 4. *can.* 46. Aquisgran. sub Ludovico, *cap.* 1. ex D. Isidoro *lib.* 2. *de Eccl. offic. cap.* 4. Gregorio Turon. *in vitis Patrum, cap.* 57. Varias hujus rasuræ causas afferunt Renatus Labarr. *ad calcem lib. Tertul. de corona militis.* Prosper Stellarius *in opere de Coronis, & rasuris:* ex quibus communes cum clericis illustravi *in cap. si quis ex clericis.* Optimam rationem adducit D. Hieronymus relatus *in cap. duo sunt* 12. *q.* 1. ex eo, quia per talem attonsionem religiosos omnium rerum secularium curam depositisse credatur. Facit Ivo Carnot. *sermone de sacror. ordin. excel. Si paupertatem, & humilitatem, quam præfert habitus corporis, & figura capitis in corde non habetis, timeo ne cum hypocritis sit pars vestra, & spes vestra ab æterna mercede sit vacua, qui non ut clerici, sed ut acephali in clericali militia sola quæritis lucra temporalia. Ad hoc quidem capillos in modum coronæ in summitate capitis raditis, ut & regnum spirituale, quo cæteris præeminetis, tali figurâ ostendatis, & curæ mortalis illecebras frequenter redeuntes sic amputetis de corde, sicut crines frequenter resurgentes abraditis de capite.* Alia etiam rasuræ ratio peti potest ex veteri ritu deponendi capillos olim in mari tempore procellæ, de quo prisco usu videndus Ferdinandus à Cordova *in multiplici Didasc. cap.* 22. Similiter enim religiosi fugientes à tempestate, in portu religionis se recipientes, dimittunt capillos in seculi maris procellis. Alium affinem ritum antiquum, quo capilli monacho resecti consecrabantur, refert Sanctus Aurelianus *in cap.* 4. *suæ regulæ*, ibi: *Si quis laicus tonsurandus est, de capillis illius in confessionem mittatur, ut ei in testimonium sit, hoc est, ut id sit monumentum, ac symbolum consecrationis, quâ se Deo addixit.* Confessionem in eo textu accipit Theophilus in Hiparco, sive de Religioso negotiatore, pro loco, in quo conditum jacebat alicujus Martyris corpus: quod intelligo non tantùm de communi loco, sive sacello, in quo sanctum corpus jacet; sed etiam de loco proprio, puta capsa, quâ reliquiæ concludebantur; nam eam quoque aliquando confessionis nomine donatam legimus, ut apud Anastasium Biblioth. in vita Hilarii, cùm ait, eum Pontificem construxisse ex argento confessionem S. Joannis Baptistæ, pensantem libras centum; quod nemo de templo, vel de sacello accipiat, sed tantùm de capsella, seu tabernaculo. Manet ergo, jam à primis seculis monachos attonsos fuisse; unde detonsus pro monacho, crebrum est apud veteres, & notavit Alemanus *ad histor. arcan. Procop.* beneque confirmatur ex eo, quod Sanctus Augustinus monachos comatos, atque crinitos, non attonsos cæterorum more, habet pro monstris. Probant antiquitatem hujus sacri ritus contra centuriatores, qui *centur.* 4. *cap.* 6. *pag.* 467. ut superstitiosam, & sacræ Scripturæ contrariam tonsuram monachorum improbarunt, Bellarminus *tom.* 1. *controv. lib.* 1. *cap.* 4. Lindembrog. *in Glossar. verbo Comam deponere.* Hurtado *de vero martyr. tract. penult. resol.* 6. §. 13. *fol.* 405. Zerda *in adverss. cap.* 42. *num.* 12. Sausay *in Panopl. cleric. part.* 1. *lib.* 1. Alemanus *ad Procopium, pag.* 6. *linea* 5. Loaysas *in can.* 6. *Concilii Tolet.* 6. Corjolanus *in breviario, anno* 167. Baronius *anno* 57. & 58. *num.* 54. Jodoc. Coccius *lib.* 4. *thesaur. fidei Cathol. artic.* 7. Hæphtenus *lib.* 5. *disquisit. monast. tract.* 9. Menardus *in notis ad concord. regul. cap.* 14. §. 10. Bravo *ad regulam D. Benedicti, cap.* 1. *num.* 22. Hallierius *de sacris elect. in apparat. de tonsura cleric.*

Circa attonsionem verò virginum Deo dicatarum non ita liquet; nam etiam crinibus dimissis eas consecrari, constat ex Optato Melivit. *lib.* 6. qui increpans Donatistas ait: *Spirituali sponsæ crinem solverant, jam cœlestes celebraverant nuptias. Quid est quod iterum crinem solvere eas coegistis?* D. Hieronymus *epist.* 48. ibi: *Moris est in Ægypti, & Syriæ monasteriis, ut tam virgo, quàm vidua, quæ se Deo voverint, & seculo renunciantes, omnia delicias seculi conculcaverint, crinem monasteriorum matribus offerant dissecandum, non intecto postea,*

contra

contra Apostoli voluntatem incessuræ capite, sed ligato, pariter & velato. Quod & de Tabenniotis refert Palladius; immò & Vestales, auctore Plinio *lib.16. cap.14.* incisos capillos ad arborem Lothos suspendebant, quæ capillaris arbor idcircò à Festo dicitur notarunt Landmeter. *lib. 1. de veteri mon. cap.103.* Raderus *in Martialem lib. 6. epigram. 17.* Prosperus Stellarius *lib.1. de coronis, cap. 6. pag. 25.* Hinestrosa *in diatrib. de barba & coma, p.1. num. 11.* Acunna *in cap. prohibete, 23. dist. num.5.* Semel tamen tonsæ Vestales in ingressu, postea alebant comam, ut notavit Lipsius *de Vestalibus cap.12.* Econtra verò virgines Deo devotas comam deponere non debere, statuitur *in can.16. Concilii Gangrens.* relato, *in cap. quæcunque, 30. dist.* ubi cavetur, ut si qua mulier propter eam, quæ vocatur exercitatio, id est ob vitam monasticam, tondeat comam, excommunicetur; & *in l. nulla 27. §. fœminæ. C. Theod. de Episcop. & cler.* ita Imperatores sanxerunt: *Fœminæ, quæ crinem suum contra divinas, humanasque leges instinctu persuasæ professionis abscideriut, ab Ecclesia foribus arceantur. Non illis fas sit sacrata adire mysteria, nec ullis supplicationibus mereantur veneranda omnibus altaria frequentare; adeò quidem, ut Episcopus, si tonso capite fœminam introire permiserit, dejectus loco etiam ipse cum hujusmodi contuberniis arceatur; ac non modò si fieri suaserit, verum etiam si hoc ab aliquibus exequi, factum denique esse quacunque ratione compererit, nihil sibi intelligat opitulari.* Sed verius credo, non fuisse omnibus Ecclesiis in tondendis virginum crinibus eundem usum, nec ubique fuisse sanctimonialibus comam abscissam, ut post Baronium *anno 57. num.92.* & in Martyrol. *die 20. Septembris*, notarunt Hæphtenus *d. tract.9. disquisit.6. per tot.* Pater Serlogus *in Cantica tom.3, vestig. 28. cap.4. sect.1. num.6.* Savarus *in not. ad Sidon. lib.5. epist.13.* Feloaga *in cap.1. de his, quæ vi, ration.2. num.15.* Nec obstat textus *in d. cap. quæcunque:* cujus interpretatio facilis est, si veram ipsius canonis causam, seu historiam repetamus. Increpant enim PP. Concilii Gangr. in eo canone, quasdam fœminas hæreticas, quæ Stachii Sebasteni fraudibus captæ, prætextu pietatis maritos relinquebant, & exuto crinibus capite, & fœmineis vestibus, corpore habitum induebant virilem, de quibus agunt Landmeter. *dicto cap.13.* Zerda *in adverss. cap.133.* Exagitant ergo PP. in prædicto casu similes fœminas, metuentes ne comam deponerent simulatione pietatis; non quia ex vera religione in sanctimonialibus abscissio illa comæ improbetur, ut latè docent pro ipsius textus expositione Acunna *ibi*, Avendanno *de metu lib.2. cap.43.* Feloaga *in d. cap.1. de his quæ vi*, Savarus, & Baronius *ubi proximè*, Vivar. *de veteri mon. tom.2. fol.55.* Nec refragatur textus *in d. l. nulli*; nam Imperatores in eo textu non loquuntur de virginibus sacris, quæ intra septa monasterii degebant; sed de his, quæ sæculo renuntiantes, manebant adhuc in eo, & tanquam devotæ monasteriis, tamen non inclusæ, comam deponebant: quod fieri de cætero Imperatores prohibuerunt, ex speciali causa, quam referunt Sozomenus *lib.7. cap.16.* Socrates *lib.2. cap.43.* Niceph. Calixtus *lib.9. cap.16.* & ex eis Baronius *anno 399.* docuerunt Corjolanus *in breviario, anno 235.* Menardus *in notis ad lib. Sacram. D. Gregorii, fol.213.* Bobius *in Roma Subter. lib. 4. tom. 2. cap. 37.* etsi aliter textum illum accipiat I. Gothofredus *in ejus comment.*

(d) *Ætate.*] De legitima ætate ad ordines egi *in cap. vel non est, de temp. ord.* De ætate verò ad professionem monasticam emittendam agemus infrà, *in cap. quia in insulis.*

(e) *Vel cum licentia.*] Licet ut servi sacris ordinibus initientur, non solùm licentia domini, verùm plena manumissio desideretur, ut probavi *in cap.1. de servis non ordin.* ut tamen in monasterio admittantur sufficit domini licentia, *l. servi 3. l. jubemus, autenthic. verum. C. de Episcop. & cler. Novel. de Monachis.* Illustrat P. Faber *lib.3. semestr. cap.17. ad finem.* Si autem dominus servum monasterio tradidit, ipse à monasterio discedere non potest, *cap.2. de condit. appos.* unde rectè Patres in præsenti disjunctivè statuerunt, quod nullus tondeatur absque spontanea voluntate, si liber sit; si verò servus, cum domini licentia, quæ olim sufficiebat, ut monachus fieret. 6.

COMMENTARIUM.

EX hoc Concilii Mogunt. canone sequens deducitur disputanda assertio: *Nullus tonderi debet nisi spontaneâ voluntate.* Probant eam textus *in cap. puella 20. q.2. cap. firma, cap. finali 20. q.3. cap. vidua 4.* ibi: *Sponte, hoc tit.* Concilium Autel. 3. *can.7. Episcopus, qui invitum, aut reclamantem præsumpserit ordinari, annali pœnitentiæ subditus Missas facere non præsumat.* Nicolaus Papa *ad consult. Bulgar. 87. Monachi cùm habitum induere, ac vitam remotam ducere non nisi à spondente divinitus exiguntur. Unde quisquis vim intulerit alicui, ut monachicum habitum, & vitam remotiorem, quam non optavit, nec elegit, assumat, id tanquam violans, peccatum evadere non valet, & quoniam quod agitur ex accipientis vero non venit, nec accipiens religiosum habitum inde mercedem habet, nec inferens crudelitatis suæ judicio carebit.* Et *cap 1. de his quæ vi.* D. Gregorius *lib.1. epist.19.* & *lib.2. indict.10. epist.16.* Symmachus Papa relatus *in cap. ubi ita 74. dist.* Leo, & Majoranus Imperatores *in l. edita, C. Theodos. ne quis invitus cler. ordin.* ibi: *Quia quamvis sanctum onus, ut volentibus patimur imponi; ita ab invitis jubemus arceri. nonnullorum enim persuasio sacerdotum reluctantibus onus istud imponit, ut improbitas mentis violentiæ intercedentis offensa ad odium piæ religionis instituat. Eo ergo licentiam hujus præsumptionis includimus, ut si quisquam probatus fuerit vi coactus sub contumelia publica clericatus officiis successisse spontaneis accusatoribus, vel si ipse voluerit allegare perpessam licentiam, commodemus apud Judices competentes hujusmodi admissa damnare.* Trident. *sess.25 de reform. cap.18.* Illustrant ultra congestos à Barbosa *in præsenti*, Hallierius *de sacris electt. sect.5. cap.1. pag.200.* Suarez. *tom.2. de relig. lib.6. c.3.* Vigel. *in meth. jur. can. fol.255.* Avendanno *de metu lib.2. cap.10. num.25.* Barbosa *lib.1. Juris Eccles. cap.43. num.38.* plures relati à Feloaga *in cap.1. de his quæ vi*, Osualdus *lib.15. Donelli, cap.38. littera G.* Antonius Augustinus *in epit. Juris, lib.9. tit.4.* Peyrinis, Tamburinus, & alii relati à Hieronymo Garcia *tom.1. polit. regul. tract.2. dub.3.* 7. *Conclusio deducitur & probatur.*

Sed hæc assertio ita illustrata difficilis valde est, sive referatur ad monachos, sive ad clericos; nam in plurib. Ecclesiæ canonibus legimus; reos majorum scelerum in monasteria detrudi, ibique veros monachos fieri. Concilium Tolet.8. *can.5.* ubi de his ita statuitur: *Ultimum quippe disciplinis manent subjectum.* Et *canon.6.* ibi: *Hic* 8. *Impugnatur assertio.*

qui ordinationem suam ignorat, omnino abjiciendus est, & arctâ pœnitentiâ in monasterio mittendus, ut omnibus diebus vitæ suæ in luctu, & fletu sub monastico habitu conversetur. Matiscon. 3. *can.* 16. *Trudi in cœnobiis, & ibi usque ad extremum vitæ permanere.* Idem probatur ex Urbano II. relato *in cap. mandamus* 19. *q.* 3. & transcripto ab Innocentio III. *in cap. intelleximus, de ætate & qualit.* in illis verbis: *Ne quis canonibus Regularis professus, nisi (quod absit) publicè lapsus fuerit, monachus efficiatur*: Ergo si lapsus fuerit, & in monasterium detrudatur, verè monachus efficitur. Idem colligitur *ex cap. admonere*, 33. *q.* 2. Et in monasteriis detrusos ob aliqua scelera, verè monachos remanere, nervosè defendit Hallierius *lib.* 3. *de Hierarch. Eccles. artic.* 4. §. 7. Igitur quia absque spontanea voluntate potest quis tonderi, monachusque fieri. Si ad clericos referatur præsens canon difficilior est; siquidem nihil ipsum obvium in sacris Ecclesiæ canonibus, & historiis, quàm invitos ad sacros Ordines, immò ad dignitatum culmen, Episcopatum videlicet, promoveri. D. Augustinus *epist.* 204. *ad Donatum*, ait: *Multi ut Episcopum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur, quæ nolunt.* Unde tot exempla legimus eorum, qui per vim, & reluctantes ordinati sunt, ex quibus aliqua referam. D. enim Marcus pollicem sibi truncavit, ut sacerdotium devitaret, teste D. Hieronymo *in prolog. super Marcum.* Ammonius monachus aures sibi præscidit, ne sacris initiaretur ordinibus, ut referunt Socrates *lib.* 4. *cap.* 18. Petrus Blesensis *epist.* 23. & 35. alii plures è latebris, & silvarum speluncis revocati fuerunt, ut coacti in Episcopos ordinarentur. De D. de Cypriano id refert Pontius *in ejus vita*, de Athanasio Sozomenus *lib.* 2. *cap.* 16. de Gregorio Nazianz. ipse refert *orat.* 1. *apologet.* 7. de Gregorio Magno Joannes Diaconus *in ejus vita*: de Chrysost. ipse *lib.* 1. *de sacerd. cap.* 3. & ut alios omittam, quos refert Hallierius *de sacris elect. dict. sect.* 5. *cap.* 1. §. 4. referam tantùm ordinationes SS. Pauliniani fratris D. Hieronymi, & Paulini. Primam narrat Epiphanius *epist. ad Ioannem Hierosolym.* extat inter epistolas D. Hieronymi ordine 60. his verbis: *Cùm igitur celebraretur collecta in Ecclesia villæ, quæ est juxta monasterium nostrum, ignorantem eum, & nullam penitus habentem suspicionem, per multos Diaconos apprehendi jussimus, & teneri os ejus, ne fortè liberari se cupiens, adjuraret nos per nomen Christi; & primum Diaconum ordinavimus, præponentes ei timorem Dei, & compellentes, ut ministraret: valde quippe obnitebatur, indignum se esse contestans. Vix ergo compulimus eum, & persuadere potuimus testimoniis Scripturarum, & propositione mandatorum Dei: & cùm ministraret in sanctis sacrificiis, rursus eum ingenti difficultate tento ore ejus ordinavimus presbyterum.* Ordinationem S. Paulini ipse refert *epist.* 6: *ad Severum*, in hæc verba: *Die Domini, quo nasci carne dignatus est, repentina vi à multitudine correptum, & presbyteratu initiatum invitum, eâ tamen conditione in Barchinonensi Ecclesia consecrari adductum, ut ipsi Ecclesiæ non allugaretur, in sacerdotium tantùm Domini, non etiam in locum Ecclesiæ dedicatum.* Igitur invitus, & omnino renuens potest quis tonderi, & in clericum ordinari: & in Concilio Carthag. relato à Gratiano *in cap. si qui, cap. placuit, cap. consuluit*, 74. *dist.* potestas datur Episcopis, ut clericos etiam renitentes ad altiores gradus promoveant: igitur à peritia canonica alienum non est, ut clerici inviti ordinentur.

Quâ difficultate sic fulcitâ non obstante, vera est præsens constitutio, cujus ratio, omissis quæ de vi, & metu adduxi *in cap.* 1. *de his quæ vi*, ex eo provenit: nam cùm votum metu gravi factum nullum sit ipso jure, ut probavi *in dict. cap.* 1. & tam in susceptione sacri ordinis, quàm tonsuræ monasticæ votum castitatis emittatur, ut probavi *in cap.* 1. *de cleric. conjug.* ideò nemo invitus, & contra propriam voluntatem tonderi debet: quare PP. Concilii Trident. magnoperè curarunt, ut circa ingressum monasterii nullus metus, immò nec ulla persuasio adhibeatur, quæ metum incutere possit, excommunicatione inflictâ in eos, qui contrà fecerint, *sess.* 25. *de regul. cap.* 18. & in capite sequenti statuitur, ut liceat intra quinquennium proclamare contra propriam professionem per vim emissam: quod decretum post alios exponunt latè Avendaño *de metu lib.* 2. *cap.* 10. *ex num.* 38. Garcia *dicto tom.* 1. *polit. regul. tract.* 2. *dub.* 2. facit etiam, nam gratum nequit esse Deo sacrificium illius, qui renuens illi dicatur, & contra voluntatem offertur: unde apud ipsos Gentiles victimæ offerendæ ducebantur, non trahebantur. Cicero *lib.* 1. *de divinat. Cùm censor populum lustraret, qui bonis nominibus ducerent, eligebantur.* Suetonius *cap.* 59. *Nonnulli Patrum fam. testamento caverunt, ut ad hæredibus suis prælato titulo victimæ in Capitolium ducerentur.* Plinius *lib.* 28. *cap.* 2. *Cur publicis lustris etiam nomina victimas ducentium prosperà legimus.* Agellius *lib.* 4. *cap.* 6. Si primis hostiis litatum non erat, aliæ post easdem ductæ hostiæ cædebantur. Julius Obsequens *lib. de prodigiis:* Taurus cùm ad immolationem duceretur, ob hæc ipsa corruit. Ovidius *eleg.* 12. *lib.* 3. *Amor.*

Ducuntur niveæ populo plaudente juvencæ.

Et Stat. Papin. *lib.* 4. *Thebaid.*

——— *armentaque fisti*
Atra monet: quæcunque gregum pulcherrima cervix
Ducitur.

Virgilius *lib.* 2. *Georgic.*

Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.

Quorum verborum proprietatem non modò Servius notat, verùm etiam Macrobius *lib.* 3. *Saturn. cap.* 5. cujus ipsa verba apponam: *Observatum est à sacrificantibus, ut si hostia, quæ ad aras duceretur, fuisset vehementiùs reluctata, ostendisset que se invitam altaribus admoveri, amoveretur; quia invito Deo offerri eam putabant: quæ verò lætisset oblata, hanc volenti Numini dari existimabant.* Plinius *lib.* 8. *natur. cap.* 45. *Hoc quoque notatum, vitulos ad aras humeris hominis allatos non ferè litare, sicut nec claudicantem, nec alienâ hostiâ Deos placari, nec trahente se ab aris.* Proinde Suetonius *in Julio, cap.* 59. ut Cæsarem nè religione quidem ulla à quoquam incepto unquam absterritum, vel retardatum ostenderet, exempli causâ subjicit eum, licèt immolanti aufugisset hostia, profectionem adversùs Scipionem, & Jubam non distulisse. Etenim tristis portenti loco habitum, si aut hostia ab ara profugisset, aut percussa mugitus reddidisset, aut in aliam partem corporis, quam oporteret, cecidisset. Festus *in verbo Piacularia auspicia* tradit: quod ex subjunctis testimoniis perspicuè apparet. Livius *lib.* 21. de Flaminio Coss. *Paucos post dies Magistratum iniit, immolantique ei vitulus cùm victus è manibus sacrificantium*

9. Traditur ratio decidendi.

sese

sese cum proripuisset, multos circumstantes cruore respersit. Fuga procul etiam major, apud ignaros quid trepidaretur, & concursatio fuit : id à plerisque in omen magni terroris acceptum. Plinius *lib.8.cap.45. Nec claudicante, nec alienâ hostiâ Deos placari, nec trahente se ab aris.* Unde nihil faustum, felixque se hostia traheretur invita, aut profuga retraheretur; immò dirum omen, si mugitum dedisset, aut vocem flebilem emisisset. Silius Italicus *lib.5.*

Nec rauco taurus cessavit flebile ad aras.
Immugire sono.

Ita etiam qui infantes Saturno immolabant, eos blanditiis demulcebant, ne quid triste resonaret, aut flebile. Minutius in Octavio : *Blanditiis, & osculo comprimente vagitum, ne flebilis hostia immolaretur.* Illustrant Ravisius Textor *lib.1. offic. cap.2.* P. Pinto *in spicil. tract.1. cap. 47. num.5.* Unde rectè in præsenti canone statuitur, ne quis invitus tondeatur in gradu monachico, vel sacri ordinis.

10. *Dissolvitur difficultas.*

Nec obstat difficultas suprà pro dubitandi ratione adducta, pro cujus prioris partis expositione sciendum est, olim in usu fuisse, ut clerici, aliæve personæ ecclesiasticæ in graviora crimina lapsæ, in monasteria, tanquam ergastula, pœnitentiæ peragendæ causâ detruderentur, modò ad tempus, aliquando verò in perpetuum: De detrusione ad tempus agitur in Concilio Lugdun. 1. Sub Sigismundo Rege Burgundionum, *can. 3. Quod si se Rex præcellentissimus ab Ecclesiis, vel sacerdotum communione ultrò suspenderet, locum ei dantes, ad sanctæ matris gremium veniendi sancti Antistites (quos fortè pœnitebat, quod Stephano incesti crimine polluto communicassent) in monasterio se absque ulla dilatione, prout cuique fuerit opportunum, recipiant, donec pacem integram ad charitatis plenitudinem conservandam Sanctorum flexus precibus pro sua potentia, & pietate dignetur.* Hispalense 2. can. 3. *Desertorem autem clericum cingulo honoris, atque ordinis sui exutum, aliquo tempore monasterio religari convenit, sicque postea in monasterio ecclesiastici ordinis revocari; nam non poterit intalibus pervagationis aboleri licentia, nisi fuerit in eis propter correctionem disciplinæ subsecuta censura.* Tolet. 7. cap. 3. *Presbyteri autem, quibus majoris honoris locus apud eandem Ecclesiam fuerit, cujus sacerdos obierit, si homines in solitudine pro exequiis, aut jam mortui, aut continuò Antistites morituri, ad commovendum Episcopum tardi inveniuntur, aut per quemcunque molestiam animi id negligere comprobentur, totius anni spatio ad pœnitentiam in monasteriis deputentur.* Sanctus Gregorius *lib.2. indict.6. epist. 62.* Joanni defensori; *Hi verò, qui eum contra Dei timorem, & canonum statuta condemnaverunt, excommunicati in monasterium ad agendam pœnitentiam sex mensibus mittendi sunt.* Et paulò post : *Episcopi verò, qui cum ordinare præsumpserunt, vel perversæ ipsius ordinationi præbuere consensum, iidem communione privati, sex mensibus ad agendam pœnitentiam in monasterio deputentur.* Concilium Narbon. *can. 5. Clericum suum seniorem increpantem, vel injuriâ afficientem ita punit, ut uno anno in monasterio sciat abjicere superbiam unde inflatur.* In perpetuum quoque in monasteria plures detrudi constat ex Concilio Agathensi *can. 50.* Epaun. *can. 22.* Aurel.3.*can.7.* Matiscon. 2. *can.16.* Tolet. 4. *can.44.* Tolet. 8. *can.3. & 7.* Tolet. 11. *can. 7.* Gregorius Magnus *lib.1. epist. 42. & lib.2. epist. 27.* Concilium Cabilon. 2. *can. 4.* Aquisgran. *can. 175.* Troslejan. *can. 14.* Lateran. generale sub Alexandro *can.11. cap. clerici, de excess. Prælat. cap. ut famæ, de sent. excom. cap. gaudemus de convers. conjug.* Carolus Magnus *lib.6. capit. 9. & 90.* quarum auctoritatum verba refert Hallierius de *Hierarch.Eccles.lib.3. artic.4. §.6.per totum*, *Novella, 123. cap.11.& 124. cap.10.* Concilium Hispal.2. *can.3. cap. nullus 11. q.1. cap. clerici 4. de excess.lib. Prælat.* cum aliis congestis à Gibalino *de clausura regul. disquisit.3. cap. 2. §. 2.* Cellotius *lib.7. de Hierarch. cap.6.* Lindembrog. *in glossar. verbo Monasterium pœnitentiæ.* Bosquetus *in not. ad Innocentium III. lib.1. regestr.3. epist.130.* Hurtad. *de resid.tom.2.resol.7.subresol.3.* Sed an hujusmodi pœnitentes verè efficerentur monachi, dubium, & magnum est? Affirmat Hallierius *dicto lib.3.§.6.* Econtra verò ipsos verè monachos non fieri, defendunt Gabalinus *dicto cap. 2. §. 2.* Cellotius *dicto lib. 7. §. 6. pag.636.* Petrus Faber *lib.3.semestr. cap.21.* Et rectè; nam in omnibus Conciliis proximè relatis nunquam affirmatur; ita detrusos verè monachos fieri ex tali detrusione; sed tantùm detrudi, & relegari, ut ibi pœnitentiam peragant sub habitu & regula monachorum, ita ut manifestè doceant, ira detrusis non injungi statum monasticum, aut regularem, ut constat præcipuè ex dicto Concilio Tolet.4. *can.28.* & Tolet.8.*can.6.* ibi : *Sub pœnitentiæ oneribus in monasterium relegari.* Ex *can.7. Monasterii claustris sub pœnitentia retrudi.* Cabilon. 2. *can.4. Agendæ pœnitentiæ causâ in monasterium mitti.* Hæc autem pœnitentia consistebat in inclusione, seu detrusione, ut in illis canonibus exprimitur; non enim poterant toto illo tempore ita detrusi exire à monasterio, quo tanquam carcere tenebantur. Secundò consistebat in censura, & rigore monasticæ disciplinæ, quam servare tenebantur etiam quoad exercitia graviora monastica, quamvis monachi non essent, & pro modo culpæ duris subeundis pœnis in monasterium detrudebantur : quare *in Concil.16. Altissiod.* jubetur, ut Abbas, qui mulierem in monasterio suo ingredi permisit, tribus mensibus in alio monasterio detrudatur pane & aquâ contentus. In Concilio Narbon.*can.6.* statuitur, ut Abbas ita agat cum clerico, aut honorato de civitate, qui ad monasterium fuerit deputatus, sicut ab Episcopo manifesta correptione fuerit ordinatus; quia ob hanc causam dirigitur, ut emendetur, non ut passim diversis ferculis saturetur. Manet ergo clericos ita detrusos verè monachos non fieri; nam cùm monachismus essentialiter petat tria vota, paupertatis, castitatis, & obedientiæ, cum sui traditione spontanea, ut infra dicemus *in cap. 4.* & omnia illa deficiant in reis peragendæ pœnitentiæ causâ in monasterio tantùm detrusis; ex tali detrusione monastica professio induci non potest.

11. *Dissolvitur alia difficultatis Pars.*

Nec obstat alia ipsius difficultatis pars; pro cujus solutione sciendum est, olim plerunque fideles ex reverentia & humilitate clericalem statum & ordinationem refugisse; eosque auctoritate Ecclesiæ adactos fuisse, ut ordinationi consentirent, D. Cyprianus *epist. 52. ad Anton.* qui tales esse describit, qui olim ad sacerdotium legitimè eligebantur; qualis ab ipso depingitur Sanctus Cornelius, qui nempe *Episcopatum ipsum nec postulavit, nec voluit, nec ut cæteri, quos arrogantiæ, & superbiæ suæ tumor inflat, invasit : sed quietus, & modestus, & quales esse consueverunt, qui*

ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore virginitatis conscientiæ suæ, & pro humilitate ingenita sibi, & custodita verecundia, non ut quidam vim fecit, ut Episcopus fieret; sed ipse vim passus est, ut Episcopatum coactius exciperet. D. Gregorius relatus *in cap. sicut* 1. *q.* 6. Unde Imperatores Leo, & Anthemius *in l. quamquam, C. de Episcop. & cleric.* de clerico ordinario ajebant: *Tantum ab ambitu debet esse sepositus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitus refugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi.* Existimabant enim, & rectè, primi illi fidei cultores, sacerdotium esse grave onus, quod vita, seu virtute angelica opus habet, juxta D. Chrysostomum *lib.* 2. *de sacerd. cap.* 7. sarcinam & periculosum ministerium, juxta D. Augustinum *epist.* 60. & 148. onus onerum, secundum Petrum Damianum *epist.* 20. onus gigantinis, vel ipsis quoque angelicis humeris formidabile, ut post D. Bernardum *epist.* 236. docuerunt Patres Concilii Trident. *sess.* 6. *cap.* 1. unde cautum fuit in Concilio Carthag. *can.* 31. relato à Gratiano *in cap. sicut*, 74. *dist.* ut clerici in minoribus gradibus constituti, ad majores ascendere cogerentur; & ita còm illis temporibus valde necessarii essent presbyteri, ex monachis, aut clericis in minoribus gradibus constitutis eligebantur aptiores: & licet resperuerent gradus sacros ex humilitate, & modestia, cogebantur tamen à propriis Episcopis eos recipere, de quibus accipi potest Innocentius III. *lib.* 1. *epistol. fol* 89. ubi Trecensi Episcopo ita scribit: [Clericos verò Ecclesiæ tuæ, quos necessitas postulaverit ad sacros Ordines promoveri, secundum privilegium M. prædecessori tuo, & successoribus tuis à felicis recordationis Alexandro P. prædecessore nostro indultum, liceat tibi, si idonei fuerint, nec de canonica poterint institutione repelli, ad eosdem ordines suscipiendos, secundùm canonum instituta compellere, vel si inobedientes fuerint, animadversionis ecclesiasticæ sententiâ cogere: nisi contra hoc alicui fuerit Sedis Apostolicæ auctoritate indultum, ut ad suscipiendos ordines non cogatur.] Quarum ordinationum exempla plura suprà retuli. Sed cùm Ecclesia agnosceret, periculosum esse eum ad superiores gradus suscipiendos cogere, qui se fortè vel ineptum officio, vel ordine indignum, vel etiam impedimento aliquo irretitum agnoscens, ordinationem refugiebat, eam facultatem ordinandi invitos ob utilitatem, & necessitatem ab Episcopis abstulit, & Summo Pontifici reservavit. Ivo Carnot. *epist.* 178. Unde, ni fallor, lucem accipit præsens Concilii Mogunt. canon: in eo agitur de clericis invitè ordinatis in presbyteros ex monachis, ut præ se fert ejus summarium in ipso Concilio, id est de clericis absque voluntate ordinatis, ex iis, qui in ordine monachico, vel canonico erant. Cùm enim eos Episcopi sacerdotali gradu aptos ex eorum conversatione cognoscerent, violenter ordinarunt: circa quos statuunt PP. ut si liberi sunt, id est ingenui, non ex servitute ad gradus ecclesiasticos vocari, ita permaneant; quia juxta usum, & praxim Ecclesiæ promoti sunt. Deinceps autem nullus ordinetur, nisi in legitima ætate, & spontanea voluntate; atque si servi sunt, cum plena domini voluntate, id est manumissi: & ordinati absque propria voluntate, ita permaneant; deinceps absque spontanea voluntate tonsurati prohibentur. Juxta quam interpretationem deducitur in præsenti canone, non de monachis, aut religiosis per vim in monachos tonsurandis agi, sed de clericis monachis, aut regularibus per vim ordinatis, ut facilè ex ipsius textus litera cognoscitur. Non me latet, textum hunc de filiis à parentibus monasterio oblatis accepisse Gibalinum *de clausura disquisit.* 3. *cap.* 2. §. 3. *num.* 16. Hallierium *de sacris elect.* 1. *p. sect. ult. in fine, fol.* 361. de quibus nos infrà agemus *in cap.* 4.

Primò suprà traditis obstat textus *in can.* 7. *Concilii Tolet.* 8. in illis verbis: *Septimæ assertionis accessu adiit cœtum nostrum tam inverecunda progressio, quàm ignobilis, ac detestanda præsumptio. Quosdam enim, aut eventu necessitatum, aut metu perculorum adeptos fuisse novimus ecclesiasticarum officia dignitatum: & quoniam cùm illis hæc imponerentur, id sibi fieri noluisse testantur, idcircò hæc spernere, atque ad pristina pertentant conjugia, moresque redire; tam nequiter cœlestia jura solventes, quàm promptè secularibus extant illecebris inhiantes.* Et statim: *Quia si majores impunè non deserunt, quod parvuli, vel nesciendo, vel nolendo percipiunt, quanto magis non convenit violare, quod pro mortis, aut pœnarum evadenda pernicie, occultâ Dei dispensatione dignoscitur obvenisse. Recedant ergo talium desideriorum impudorati fautores: & licet inviti perceperint, quod non merebantur habere, libenter tamen cœlestè retineant præmium, quod nolendo per terrena consecuti sunt necessitatis eventum: ut tamen inviti appetant bona diligere, quæ sponte videntur desides impugnare. Quod si quis post hoc perennis dispositionis edictum, non sinceriter sacris inhæserit cultibus, & abjiciens à se gratiam, quam accepit, relabi ad conjugia, moresque seculi attentaverit, vel eum redire constituerit, mox omni ecclesiastici ordinis dignitate privatus, verè ut apostata sanctæ Ecclesiæ liminibus, & societate fidelium habeatur prorsus exclusus, monasterii claustris, donec vixerit, sub pœnitenta retrudendus.* Ex quibus verbis apertè deducitur, clericos per vim, & absque propria voluntate ordinari posse, & ita ordinatos in gradu suscepto ministrare debere. Pro cujus canonis expositione sciendum est, plerumque non solùm ad vitam monasticam, sed etiam clericalem amplectendam nonnullos adigi metu sibi incusso, majus malum metuentes. Quod pluribus exemplis firmari valet. Et primò occurrunt Gallus, & Julianus Apostata fratres, qui Constantio adnitente, quo ipsis spem Imperii adimeret, ipsi verò abnuentes, ut affectati Principatus suspicionem excluderent, in numerum clericorum adscripti fuerunt, ut refert Sozomenus *lib.* 5. *hist. cap.* 2. Item Theodosius & Aclii filius, Constantis Imperatoris frater, ipsum metuens in Diaconum se fecit consecrari, ut referunt Theophanes, & Cedrenus *in vita Constantis.* Similiter Sanctus Clodoaldus filius Clodomiri Francorum Regis, ut imminentem sibi cædem effugeret, curavit se in clericum attonderi, & postea presbyter ordinatus, vitæ sanctitatis, & miraculorum gloriâ clarus floruit, ut refert Gregorius Turon. *lib.* 5. *hist. Franc.* Alia plura exemplia refert Hallierius *dicto cap.* 1. §. 6. *per totum.* de his ergo agitur *in dicto can.* 7. & justè à Patribus illi coguntur in gradu suscepto ministrare: tum quia illis in casibus metus non fuit ab extrinseco illatus, sed à seipsis incussus, & per consequens talis metus non attenditur, juxta adducta *in cap.* 1. *de his quæ vi.* Tum quia talis metus, licèt consensum extorqueat, non tamen il-

12. Expositio 7. Concilii Tolet. 8. in can. 7.

lud

lud impedit, & ita non reddit ordinationem omnino involuntariam, sed secundùm quid, ut docet Vazquez *tom. 1. in 3. p. disput. 246. cap. 3.* Gibalinus *de clausura disquisit. 3. cap. 2. §. 2. num. 6.* Eodem etiam modo intelligendus est textus *in cap. constituit 20. q. 3.* qui etiam reperitur *in cap. constituit 16. q. 7.* in cujus specie allectio, seu suasio non extorsit voluntatem tonsurati absolutè, sed secundùm quid; quare non reddit ipsam ordinationem involuntariam, atque ideo rectè ita tonsuratus cogitur in gradu suscepto persistere, & ministrare.

13 Exponitur Concil. Caesaraugust. 3. can. 5.

Secundò suprà traditis opponi potest textus *in can. 5. Concil. Caesaraugust. 3.* in illis verbis : [Licèt plenissimè in Concilio Toletano de Principum relictis institutum fuisset, ut nulli licitum esset superstitem Reginam in conjugio ducere, aut sordidis contactibus maculare, nec sequuturis Regibus, nec cuilibet hominum esset permissum; tamen nostri ordinis causa est, ut crebrissimè ad hæc aciem mentis nostræ condirigamus, quæ animæ intuemur exhibere profectum. Unde quia præteritis temporibus multas scimus, atque cognovimus Principum relictas, post eorum vocationem pro apice Regni, quem regendo in cunctis tenuerunt, nullam reverentiam honoris eis adhiberi à populis; sed passim (unicuique probatum est) diversas assumentes occasiones, non solùm latenter in eorum contrarietate insidias moliuntur, verùm etiam (quod veritati contrarium est,) procaciter verbis contumeliosis in conventu multorum eas afficiunt: &, quod omni religioni abominandum, atque horrendum est, de iis detrahere non sinunt, quas in caterva populi cernunt commorari. Proinde paternâ pietate commoti, atque condignâ circa tanto culmine providentes, per hujus decreti nostri paginam, non solùm quæ in prædicto Concilio exarata sunt de conjuge Principum, perenniter custodiri, atque firma stabilitate decernimus permanere; sed etiam ea, quę sunt conspicuò honestati necessaria modò advertere procuramus: ut servatas in omnibus sanctiones canonum totius Toletani Concilii, quæ de Principum relictis promulgatæ atque diffinitæ esse noscuntur, deinceps relicta Principis superiorem sententiam inlibato animo pudicè servans, statim accersito ab hoc seculo Principe, vestem secularem deponat, & alacri curiositate religionis habitum assumat. Quam etiam & confestim in cœnobio virginum mancipandam esse censemus, & ut ab omni turbine mundi remotâ, nequaquam cuilibet attribuatur, per quod aut contumelia tantæ potestati in publico ingeratur, aut subditam plebi hæsisse patescat, quorum antè dudum agnoscitur Domina fuisse : sed infra claustra monasterii jugi sedulitate persistens, atque sactimonialem vitam peragens, de regno temporali, opitulatione divina ad regnum æternitatis mereatur pervenire. Quicunque igitur superiores constitutiones, quæ salubri consilio à nobis diffinitæ esse noscuntur, violaverit vel exècrari quacunque factione pertentaverit, aut permiserit, noverit se excommunicationis percepturum sententiam, atque etiam exilii damnationis diuturno tempore incurrere jacturam.] Ex quibus verbis apertè constat, absque propria voluntate viduam Regis cogi monasterium ingredi, vitamque religiosam profiteri. Igitur quia absque propria voluntate potest quis tonderi. Pro cujus canonis expositione sciendum est, jam in Concil. Tolet. 13. *can. 5.* statutum fuisse in Hispania, ne quis audèret defuncto Rege viduæ superstitis thorum appetere : sed cùm adhuc ipsis viduis, immò & regno satis prospectum non esset, *in dict. can. 5.* additum fuit, ut vidua Regis in monasterio sanctimonialium habitum susciperet, & cum ipsis vitam religiosam peragaret; non tamen exinde deducitur, viduam ipsam renuentem verè monialem fieri, sed tantùm in monasterium detrudi, ut ita securior esset; ne quis posset ejus thorum regalem appetere : atque ita ex hac detrusione professionem vidua non emittebat, sed tantum habitum mutabat, ut vitam religiosam observaret. Cujus constitutionis rationem dabimus *in cap. final. de secund. nupt.*

14 Explicatur can. 21. Concil. Arausic.

Tertiò suprà traditis obstat textus *in can. 21. Concil. Arausic. 1.* in illis verbis : *Duo si præsumpserint ordinare Episcopum in nostris provinciis, placuit de præsumptoribus, ut sicut contigerit duos Episcopos invitum Episcopum facere, auctoribus damnatis, unius eorum Ecclesiæ ipse, qui vim passus est, substituatur, si tamen vitæ respondet; & alter in alterius dejecti locum nihilominus ordinetur. Si voluntarium duo fecerint, & ipse damnabitur, quo cautiùs ea quæ sunt antiquitus instituta, serventur.* Cujus canonis fragmentum extat apud Gratianum *in capite duos, 64. distinct.* Ex eo autem deducitur, Episcopum per vim ordinatum, in Ecclesia ordinatis ministrare debere; & per consequens in gradu suscepto per vim ordinatum persistere debere. Pro cujus canonis expositione dicendum est, in eo non agi de Episcopo per vim consecrato, sed de ordinato per vim à duobus, cùm à tribus consecrari deberet, juxta sacros canones, quos congessi *in cap. si Episcopus*, de temporibus ordin. Itaque in eo casu Episcopus ordinatus voluntariè adnuebat consecrationi, sed renuebat à duobus ordinari, contra sacros canones : quo casu statuunt PP. ipsum ministrare debere in Ecclesia unius ex ordinationibus, qui deponendus est in pœnam tanti excessus. Si autem ipse ordinatus sponte à duobus ordinari passus sit, & ipse damnabitur. Atque ita in eo canone Episcopus semper sponte electus, & ordinatus fuit : sed in primo casu renuens, & invitus à duobus Episcopis consecratus fuit ; in secundo verò voluntariè : & ita in primo casu in gradu suscepto debet ministrare; in secundo verò in pœnam tanti sceleris deponitur, Ecclesiaque propriâ privatur.

Etiam contra præsentem assertionem expendi possunt textus *in cap. 1. de his quæ vi, cap. 2. & 15. de vita & honest. cleric. cap. 2. de condit. appos.* quorum interpretationem adduxi in eorum commentariis.

CAPUT II.

(a) *Ex eodem.*

SI quis ante (b) annos legitimos (c) tonsuratus est sine consensu parentum suorum, etsi ipsi (d) parentes infra annum non reclamaverint ad (e) Principem, ad proprium (f) Episcopum, aut (g) ad missum Dominicum, in ipso clericatu permaneat: si verò post legitimos annos (h) per vim clericus factus est, & in infra annum ad supramemoratas personas minimè ipse reclamaverit, in clericatu permaneat, sicut is, de quo superiùs dictum est. Si verò præfatæ personæ infra annum reclamationem fecerint, ii, qui eos clericos fecerunt, ipsis sine parentibus eorum hoc per legem exsolvant, quod contra eos contraxerunt. Ille verò, qui ante legitimos annos tonsuratus est, utrum in eadem tonsura permanere debeat, nec ne, in potestate sit parentum. Si verò is, qui tonsuratus est, alicujus fuit servus, domino per legem (i) emendetur quidquid ejus servo contra eum contractum est. Ille verò qui tonsuratus, utrum in eadem tonsura permaneat, in potestate sit (j) domini sui. Si verò hi, qui liberi sunt, ante legitimos, & post legitimos annos hoc modo (sicut superiùs taxatum est) tonsurati sunt, & ad gradus ecclesiasticos pervenerint, in eisdem gradibus perseverare cogantur. Si verò servus, qui superiùs taxato modo tonsuratus est, ad gradus ecclesiasticos pervenerit, domino suo per legem emendetur, & ei redditus, in suo gradu permaneat. Hoc & de (k) velandis puellis observandum est.

NOTÆ.

1. (a) *EX eodem.*] Concilio videlicet Moguntino celebrato anno 813. cui interfuit Carolus Imperator, *can.*20. ex quo citatur textus hic à Burchardo *lib.*9. *Decreti*, *cap.* 3. Carnotensi *part.* 7. *Decreti*, *cap.* 26. Papiensi *in* 1. *collect. sub hoc tit. cap.*4. ex quibus Decretistis transcribo integram literam hujus canonis.

(b) *Annos legitimos.*] De ætate legitima ad ordines egi *in cap. vel non est*, *de temp. ord.* ad monachatum *in capite quia in insulis*, *infrà hoc titul.*

2. (c) *Tonsuratus.*] Cùm tonsurentur tam clerici, quàm monachi, ut probavi commentario antecedenti, promiscuè tonsura accipitur pro clericatu, & monachatu, ut *in cap. antecedenti*, & aliis ibi congestis. In præsenti agi de tonsura clericali facilè depromitur ex illis verbis, quæ sequuntur: *Ipse in clericatu permaneat.* Antiqui autem compilatores accipiendo tonsuram pro monachatu, canonem hunc compilarunt *sub tit. de regularibus*, cùm non semper tonsura statum monachicum significet, immò nec clericalem. Unde obiter exponenda est lex Salica, *titul.* 26. §. 2. & 3. in illis verbis: *Si quis puerum crinitum sine voluntate parentum totonderit IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. jud. si vero puellam totonderit IID. den. qui faciunt sol. LXII S. culpabilis judicetur.* Quæ verba aliqui ad clericatum retulerunt, juxta Gregorium Turon. *lib.*3. *hist. cap.*19. ibi: *Et sibi propriâ manu capillos incidens, clericus factus est.* Alii verò acceperunt ea verba de tonsione Christiana, quæ olim à Francis fiebat tempore baptismi, & susceptæ fidei, juxta Othonem Frising. *lib.*1. *annal. veterem*, *cap.* 16. ibi: *Carolus Francorum Princeps filium suum ad Luitprandum misit, ut more fidelium Christianorum ejus capillum primum attonderet, & pater illi spiritualis existeret.* Docuerunt Lindembrog. *in Glossar. verbo Totonderit*, Sausay *in Panopl. cleric. p.* 1. *lib.* 3. *cap. final. pag.* 138. Et apud veteres adoptionem fieri per tonsionem capillorum, probant Merillus *lib.*3. *observ. cap.*4c. Sahabedra *in chron. Goth. cap.*27. Pitheus *lib.*1. *adversf. cap.*1. & nos *in cap. unic. de cognat. legal.* Celebris locus extat in præfatione ad 8. Synodum, ubi Anastasius de Rege Bulgarorum scribit, quod ut suum erga Romanum Pontificem servitium testaretur, coram omnibus capillos suos apprehendens, abscissos tradidit Legatis Romanis hæc verba præfatus: *Omnes Primates, & cuncti populi terræ Bulgarorum cognoscant ab hodierno die me servum fore post Deum B. Petri, & ejus Vicarii.* Sed cùm in eo titulo agatur de delictis, & inter ea enumeretur attonsio, non potest referri ad tònsiones, de quibus Lindembrogius: quare credo in lege Salica tonsionem tantùm significare amputationem, seu dimissionem comæ: cùm enim apud Gallos & Gothos indecóra esset, ideo statuitur in eo §. ut si quis puerum invitis parentibus totonderit, puniatur.

3. (d) *Parentes.*] Licet jure civili quoad patriam potestatem pater tantùm attendatur, quia mater nullam in filios habet potestatem, *l. nulla* 3. *de suis & legit. hæred. l. peto* 69. §. *mater. ff. de leg.*2. *cap.*2. *de convers. infidel.* tamen cùm jure canonico quoad filios naturalis ratio attendatur, *cap. cùm haberet*, *de eo qui duxit in matrim.* & hoc jure attento utrique parenti reverentia debeatur; ideo in præsenti parentum appellatione, tam pater, quàm mater comprehenduntur, ut docuerunt Sanchez *libr.*4. *summæ*, *cap.* 18. *num.*16. Suarez *de relig. dict. tomo* 5. *lib.* 5. *cap.*2. Tamburinus *de jure Abbat. tom.*1. *disput.*6. *quæst.*2. Leo Pinel. *in repetit. ad hunc textum*, *num.*189.

(e) *Ad Principem.*] id est Pontificem, exponit Glossa hîc, quam sequuntur Balboa *in cap.* 8. *de foro compet. num.*12. Leo Pinel. *in præsenti*, §. 3. *num.* 190. quia Pontifex Princeps Sacerdotum dicitur, *cap. cleros*, *vers. Pontifex*, ibi: *Pontifex Princeps Sacerdotum*, 21. *dist.* junctis traditis ab Abrahamo Bzovio *de præstantia & offic. Pontificis.* Quo modo etiam accipiunt textum *in cap.* cor-

corpora, de consecr. dist. 1. ubi cavetur, ne liceat corpora defunctorum transferre de loco ad locum sine Principis licentia. Sed verius est, Principem, tam in præsenti canone Concilii Mogunt. quàm in *dict. cap. corpora*, quod deductum est *ex can.* 51. *ipsius concilii*, accipi pro Rege & Monarcha seculari; & *in d. c. corpora*, rectè prohiberi secundùm legitimas sanctiones, quibus cautum erat, ut corpora defunctorum nullo modo absque licentia Imperatoris transferre de loco in locum liceret, *l. ne mo* 14. *C. de relig. & sumpt. l. ossa, ff. de rer. divis.* Illustrat Gutherus *lib.* 3. *de jure man. cap.* 22. & 23. & ita Principem juxta juris communis principium in eo textu accipi pro seculari monarcha, docuerunt Tamayo à Salazar *tom.* 3. *Martyr. Hisp. die* 11. *Maij*, Germonius *de sacr. immunit. cap.* 8. pluribus exemplis fusè illustrans Ferrandus *in disq. reliq. lib.* 1. *cap.* 7. *fol.* 217. In præsenti etiam textu Princeps accipitur pro ipso Rege Galliæ, juxta morem illius temporis, illiusque Provinciæ; apud Francos enim olim absque consensu Principis aliquem in clericum ordinari fas non erat. Concil. Aurel 1. *can.* 6. De ordinationibus clericorum id observandum esse decrevimus, ut nullus secularium ad clericatus officium præsumat accedere, nisi aut cum Regis jussione, aut cum judicis voluntate. Ejus rei ratio redditur à Carolo Magno *lib.* 1. *Capitul.* 120. ubi idem quoque statuitur his verbis: [De liberis hominibus, qui ad servitium Dei se tradere volunt, ut priùs hoc non faciant, quàm à nobis licentiam postulent: hoc ideo, quia audivimus, aliquos ex illis non tam causâ devotionis hoc fecisse, quàm pro exercitu, seu alia functione Regali fugienda: quosdam verò cupiditatis causâ ab his, qui res illorum concupiscunt, circumventos audivimus; & hoc ideò fieri prohibemus.] Unde in formulis Marculfi, *cap.* 19. reperitur præceptum de clericatu, ut possit quis ad ordines ascendere, in hæc verba: [Si eis, qui se ad onus clericatus transferre deliberant, licentiam non negamus, retributorem Dominum exinde habere confidimus, quia scriptum est: Noli prohibere benefacere ei, qui potest; si vales, ei ipse benefac. Ille ad nostram veniens præsentiam petiit Serenitati nostræ, ut ei licentiam tribuere deberemus, qualiter comam capitis sui ad onus clericatus deponere deberet, & ad basilicam illam, aut monasterium deservire deberet: quod nos propter nomen Domini hoc ei gratante animo præstitisse cognoscite: Præcipientes ergo jubemus, ut si memoratus ille de capite suo bene ingenuus esse videtur, & in pulletico publico censitus non est, licentiam habeat capitis sui comam tonsurare, & ad suprascriptam Basilicam, vel monasterium deservire, vel pro nobis attentiùs exorare.] Et ita PP. in præsenti, dum de ordinatione clerici agunt, & reclamatione per parentes ejus facienda, docent, posse parentes ordinationem filiorum impugnare coram proprio Episcopo, vel Principe; quia etiam Princeps facultatem habebat concedendi præceptum de clericatu, vel illud negandi: & ita Princeps secularis ritè in eo casu aditi poterat.

(f) *Proprium Episcopum.*] Quis dicatur proprius Episcopus quoad clericatum, seu ordines conferendos, expositi *in capite* 3. *de temp. ordin.*

(g) *Missum Dominicum.*] Id est Vicarium Episcopi, ut exponunt Glossa, & repetentes *in præsenti*, Leo Pinellus *hic*, *num.* 197. sed perperam; missus enim dominicus in præsenti accipitur pro legato à Principe misso; quia in Gallia Legati à Principe per singulas mittebantur provincias, ut si quid Comites negligentiùs egissent, per eorum admonitionem corrigeretur, & pleraque negotia Regis nomine perficerent, aut ad eum referrent, ut dicemus *in cap.* 1. *de immunit. Eccles.* Unde PP. in præsenti statuendo ut parentes impuberis reclamare possent, & adire Principem, adjecerunt, *vel missum dominicum*, id est ejus legatum in illa provincia missum; nam sicut Principis præceptum ad clericatum suscipiendum desiderabatur, ita & judicis licentia sufficiebat, *ex dict. can.* 6. *Concil. Aurel.* suprà relato.

(h) *Per vim.*] Præcisam videlicet, de qua *in cap. antecedente.*

(i) *Emendetur.*] Juxta adducta *in cap.* 1. *de servis non ordin.* ubi adduxi distinctionem scientiæ, & ignorantiæ.

(j) *Domini sui.*] Quia absque ejus voluntate tonsurati in clericum, aut monachum servus non potest, ut probavi *in cap.* 1. *de servis.*

(k) *De velandis puellis.*] In quibus impuberibus non solùm parentum voluntas desideratur, verùm & si parentes non habeant, tutorum assensus accedere debet. Concil. Tribur. *can.* ibi: *Virgines, quæ ante XII. annos insciis mundiburdis suis sacrum velamen capiti suo imposuerint, & illi mundiburdi annum, & diem hoc tacendo consenserint, in sancto proposito permaneant; & si in prædicto anno, & die pro illis se proclamaverint, petitioni eorum assensus præbeatur, nisi forte Dei timore tactis cum eorum licentia in religionis habitu perseverent.* Ubi mundiburdi sunt tutores: nam mundum, seu mundiburdium tutelam significat. Carolus Magn. *in constit. pag.* 270. *De mancipiis palatii nostri & Ecclesiarum nostrarum nolumus mundum recipere.* In legibus Longobard. *lib.* 1. *tit.* 10. *ley* 1. legitur: *In suæ potestatis arbitrio*; id est sine mundo vivere. Et *in l.* 15. *tit.* 14. *Pro mundio puellæ tollant naturales filii tertiam partem.* Et in pœnitentiali Romano habetur: *Rapuisti uxorem tuam, & sine voluntate mulieris, vel parentum, in quorum mundiburdio tenebatur*, &c. Illustrant Bignonius *in notis ad Marculf. lib.* 1. *cap.* 24. Joan. Vossius *lib.* 2. *de vitiis serm. cap.* 12. 6.

COMMENTARIUM.

LIcèt circa clericatum, aut monachatum liberorum puberum levem, aut nullam parentes habeant potestatem, immò eos à clericatu, aut monachatu sine causâ retrahentes graviter peccent, excommunicationeque ligentur, Concil. Tolet. 3. *can.* 10. apud Gratianum *in cap. hoc sanctum* 32. *quæst.* 2. *Ut si quis propositum castitatis vidua, vel virgini impedierit, à sancta communione, & à liminibus Ecclesiæ habeatur extraneus.* Tribur. *can.* 24. *in cap. puella* 20. *quæst.* 2. *Si in fortiori ætate adolescentula, vel adolescens servire Deo elegerit, non est potestas parentibus prohibendi.* Tridentini *sess.* 25. *de regul. capite* 18. *l. non liceat* 9 *C. de Episc. & cleric. novel.* 123. *Justin.* Tamen circa impuberum filiorum clericatum, & monachatum magna fuit olim parentum auctoritas. De eorum potestate circa offerendos filios religioni, aut clericatui, agemus infra *in cap. cùm virum.* 7.

In

In præsenti canone tantùm referuntur diversi casus, in quibus parentes possunt retrahere filios à religioso, aut clericali statu, vota eorum relaxando. Sed antequam eos suo ordine recenseamus, sciendum est, vota monastici, vel ecclesiastici status à filiis impuberibus emissa, à parentibus irritari posse, *cap. puella* 20. *quæst.* 2. *cap. mulier* 32. *quæst.* 2. Concil. Tolet. 10. *can.* 6. D. Thomas 2. 2. *quæst.* 88. *artic.* 8. & 9. quod & lege veteri cautum fuisse constat *ex cap.* 3. *Numer.* ibi: *Si quis virorum voto Domino voverit, aut se constrinxerit juramento, non faciat irritum verbum suum, sed omne quod promisit, implebit. Mulier, si quippiam voverit, & se constrinxerit juramento, quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari, si cognoverit pater votum, quo pollicita est, & juramentum, quo obligavit animam suam, & tacuerit, voti rea erit; quicquid pollicita est, & juravit, opere complebit. Sin autem statim ut audierit, contradixit pater, & vota ejus, & juramenta irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quod contradixerit pater.* Ubi rectè Abulensis *quæst.* 2. 14. & 17. notat, quod licèt sacer textus agat de filiis fœminis, etiam de masculis est exaudiendus. Probant Petrus Herodius *in tract. de patrio jure*, Hallierius *de sacris elect. cap.* 7. *art.* 2. §. 2. *per tot.* Nec interest, an filii doli capaces sint, nec ne, ut probat ipse Hallierius. Nec in hac parte exæquatur votum sponsalibus, quæ revocari non possunt, si contrahentes doli capaces sint: quia præterquam quod in ipso canone, in quo impuberes ab sponsalibus arcentur, excipitur casus, nisi malitia suppleat ætatem, *cap. de illis, cap. final. de despons. impub.* sunt præterea graves, nec contemnendæ rationes, quæ sponsalium & votorum disparem esse rationem ostendunt; siquidem in sponsalibus contrahendis plures interesse solent, quibus contrahentium ingenia, animus, prudentia nota esse possint, & qui de his testificari possunt. At verò vota privatim apud unumquemque concipi, & emitti solent, nemine teste, aut conscio; qui si ad obligationem voti tunc temporis subeundam ob rationis defectum ineptus est, multò magis ad ingenii sui vires & firmitatem examinandam eodem tempore ineptus erit, ut considerant, & docent post D. Thomam 2. 2. *cap.* 88. *art.* 8. Glossa *in cap. ad nostram, hoc tit.* Panormitanus *in cap. postulasti, infrà.* Sylvester *verbo Religio, quæst.* 11. Hallierius *dict.* §. 2. *num.* 11. An verò parentum consensus omnino necessarius sit ad professionem monasticam emittendam, seu ordinationem suscipiendam, doctè pro utraque parte examinat Hallierius *dict. cap.* 2. §. 3. *cum sequentibus.* Qui optimis rationibus probat, liberos, quorum ope parentes non egent ad alimoniam, rectè posse absque parentum consensu sacris ordinibus initiari, aut vitam monasticam profiteri.

Quibus animadversis casus in præsenti decisos recenseamus. In primo ajunt Patres, quod si filius ante legitimos annos, id est impubes, sine consensu parentum suorum tonsuratus sit, & parentes intra annum non reclamaverint, filius in clericatu permaneat, quia præsumitur ipsorum consensus ex taciturnitate. Secundo casu agunt PP. de filio pubere, qui per vim tonsuratus fuit, nec infra annum reclamavit: & similiter ac in primo casu statuunt, ut in clericatu permaneat, propter consensum tacitum præsumtum: si autem retento eodem themate prioris casus parentes filii impuberis infra annum reclamaverint, illis damno emendato ab eo, qui filium tonsuravit, in voluntate parentum sit, an filius impubes tonsuratus in clericatu permaneat, nec ne: nam cùm tantùm parentum voluntas defuisset in tali tonsuratione, illâ accedente potest in clericatu persistere: at parentibus renuentibus filius revocatur à clero, & illis traditur. In tertio casu à filiis transeunt PP. ad servum, & docent, quod si servus ordinatus fuerit inscio domino in minoribus ordinibus, etiam damno domino emendato, in ejus potestate sit, an servus in gradu susceptо permaneat, vel non; quemcasum latè exposui *in cap.* 1. *de servis non ordin.* Prosequuntur PP. de filiis agentes, & docent, ut si filii impuberes, vel puberes ita tonsurati insciis parentibus, qui postea consenserint expressè aut tacitè per lapsum anni, & ita gradus ecclesiasticos, id est majores, quos sacros dicimus, susceperint, in eisdem gradibus persistere cogantur. Idem de servo inscio domino tonsurato docent Patres, videlicet emendato damno, id est soluta æstimatione servi, si ipse ad gradus ecclesiasticos, id est sacros pervenerit, in suo gradu permaneat; quia cùm sit jam consecratus, debet persistere in gradu susceptо, solutâ æstimatione domino, cui servus ita consecratus non est reddendus, ut in ejus servitio permaneat, contra sacros canones congestos *in dict. cap.* 1. *de servis non ordin.* Tandem concludunt PP. idem, quod de filiis masculis dictum est, procedere in puellis, ex juribus suprà citatis, & *capite puella* 20. *quæst.* 2. *capite mulier* 32. *quæstion.* 2. quorum interpretationem prosequuntur Azor *tom.* 1. *instit. libro* 11. *cap.* 17. *quæst.* 8. P. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 6. *cap.* 6. *numero* 6. Sanchez *libro* 4. *Summæ, cap.* 35. Narbona *de ætate ad actus humanos, quæst.* 18. *anno* 14. Et hæc est, ni fallor, vera explicatio præsentis canonis. 8.

CAPUT III.

Ex Concilio (a) *Toletano.*

Ut clerici, qui se fingunt habitu, & nomine monachos, & non sunt, corrigantur, ut veri monachi sint, vel veri clerici.

NOTÆ.

1. (a) *Toletano.*] Quarto videlicet, ex quo citant canonem hunc Burchardus *lib.* 8. *Decreti, cap.* 7. Carnot. *p.* 7. *Decreti, cap.* 31. Papiensis *in* 1. *collect. sub hoc tit. cap.* 5. Sed Antonius August. *in notis ad ipsam collectionem*, Barbosa *in præsenti*, Marquez *in origine Eremit. cap.* 11. §. 1. existi-

existimant, textum hunc deductum esse *ex can.* 52. *seu* 53. *ipsius Concilii*, ubi ita legitur : *Religiosi propriæ religionis, qui nec inter clericos, nec inter monachos habentur, sive hi, qui per diversa loca vagi fuerint, ab Episcopis, in quorum conventu commanere noscuntur, licentia eorum coerceatur, in clero, aut in monasteriis deputati, præter illos, qui ab Episcopo suo, aut propter ætatem, aut propter languorem fuerint absoluti.* Sed verum est, transcripta esse verba hujus textus *ex lib.* 1. *Capitul. Caroli, cap.* 77. ubi ita cavetur : *Ut illi clerici, qui se fingunt habitu, & nomine monachos esse, & non sunt, omnimodis videntur corrigendi, atque emendendi, ut illi veri monachi sint, vel veri canonici.* Quare si sententiam hujus textus attendamus, tribui potest præsens textus dicto Concilio Toletano 4. de quo egi *in cap.* 4. *de rer. Eccles.* Si autem verba ejus inspiciamus, auctorem habet Carolum *in dict. cap.* 77.

COMMENTARII M.

2. PRo hujus textus vera interpretatione sciendum est, jam temporibus Concil. Tolet. 4. quod celebratum fuit anno 633. & Caroli Magni, immò & pluribus retrò annis, fuisse in Hispania, & Gallia non solùm monachos, verùm & canonicos regulares, cum distinctione habitus, ut de monachis probant latè Vivar. *lib.* 2. *de veter. num, cap.* 13. *per tot.* Marquez *de orig. Eremit. cap.* 11. *per tot.* de cannonicis Pennotus *lib.* 2. *hist. canonic. regul. per tot.* Sed cùm nonnulli clerici amore laxioris vitæ aut amplioris æstimationis simulassent habitum monasticum, intendentes ex tali habitus mutatione pro monachis haberi, cùm verè monachi non essent; ut hunc abusum, seu errorem PP. Ecclesiarum Hispaniæ, & Galliæ condemnarent, sanxerunt, ut nullo modo clerici possent fictè deferre habitum monasticum, sed tantùm proprium habitum deferentes, ut Canonici vitam peragerent. Concil. Cæsaragust. quod celebratum fuit anno 380. ibi: *Item legit : Si quis clericus propter luxum vanitatemque præsumptam de officio sponte discesserit, ac velut observatorem legis monachum videri voluerit esse magis quàm clericum, ita de Ecclesia repellendum, nisi rogando, atque obsecrando plurimis temporibus satisfecerit, non recipiatur. Ab universis Episcopis dictum est : Ita fiat.* Aurel. 4. *can.* 5. *Providendum necesse est unicuique Episcopo, qualiter Canonici vivere debeant, nec non & monachi, ut secundùm ordinem canonicum, vel regularem vivere studeant.* Concil. Aquisgran. 1. sub Ludovico Imperat. *can.* 25. ibi: *Quia illorum habitum penitus usurpare non debent, à quorum proposito quodammodo distant; quia sicut & indecens est, ut arma militaria more laicorum gestent, ita nimirum inhonestum est, & valde indecorum, ut alterius propositi indumenta sibi imponant. Habitus namque singulorum ordinum idcirco in Ecclesia ad invicem discreti sunt, ut his visis, cujus propositi sit gestans, vel in qua professione domino militet, liquidò cognoscatur; nam & Domini lege vir muliebrem, & mulier virilem prohibetur induere vestem, ut uterque sexus sibi convenienti veste incedat; sicut enim turpe est virum vestem muliebrem, & muliebrem vestem virilem; ita vulde indecorum est, canonicum vestem monachicam induere : nisi tamen cum veste etiam propositum voluerit assumere.* Et *in cap. cùm causam* 27. *de elect.* jubetur, ut clerici non professi cujusdam monasterii, vel B. Augustini regulam in eadem Ecclesia constitutam profiterentur, & observarent, aut ipsam Ecclesiam dimitterent, & meritò; quid enim majorem confusionem posset inducere in Republica Christiana, quàm aliquem sibi usurpare habitum religiosi, & formam religionis simulare, ipsumque religiosum non esse, sed hypocritam, aut superstitiosum. Quare rectè in præsenti canone statuitur, ut clerici, qui fictè deferunt habitum monasticum, vel veri fiant monachi, vel ut canonici in sua regula permaneant.

Sed huic interpretationi obstare videtur vetus 3.
Ecclesiæ disciplina, juxta quam tam Episcopi, quàm presbyteri non poterant abjecto proprio gradu vitam monasticam profiteri, *cap. si quis Episcopum, cap. suggestum* 46. 7. *quæst.* 1. *cap. nemo* 16. *quæst.* 3. *cap.* 1. & 2. 19. *quæst.* 3. ergo non verè, nec fictè clerici in præsenti casu poterant habitum monasticum deferre; siquidem nec vitam monasticam profiteri valent. Pro cujus difficultatis solutione sciendum est, quod olim, dum adhuc monachi in laicorum statu erant, nec ad sacros ordines ascendere valebant, presbyteri etiam plebani non poterant vitam monasticam profiteri, & simul in gradu sacro permanere, ex ratione adducta in citatis juribus, quam illustrat Lemaistre *lib.* 3 *de monachis, cap.* 9. sed postquam monachi sacris ordinibus cœperunt initiari, in graduque sacro ministrare, etiam presbyteris permissum fuit vitam monasticam profiteri, *cap. unic.* 19. *quæst.* 1. cum aliis congestis ab Antonio Augustino *lib.* 9. *in epit. tit.* 30. Unde D. Benedictus *cap.* 63. *suæ regulæ* ita cavit : *Si quis de ordine sacerdotum in monasterio se suscipi rogaverit, non ei citiùs assentiatur; tamen si omnino perstiterit in hac petitione, sciat se omnem regulæ disciplinam servaturum, nec aliquid ei relaxabitur, ut sit, sicut scriptum est : Amice ad quid venisti?* Colligimus hinc primò, sancti Benedicti ævo sacerdotes & clericos, quamvis monachis ipsis excellentiori essent in Ecclesia gradu, pœnitentiæ tamen, aut perfectionis vitæ desiderio, ad monasterium convolare solitos. Quod quidem licere manifestum est ex Concilio Toletano 4. *can.* 49. ibi: *Clericis, qui monachorum propositum appetunt (quia meliorem vitam sequi cupiunt) liberos ab Episcopis in monasteriis largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.* Idem statuitur in Concilio Augustano *can.* 7. quæ Concilia cujusvis gradus clericos usque ad ipsos sacerdotes comprehendunt. In MS. exemplari monasterii S. Hadriani Gerardi in monte Lemma, *cap.* 60. sic exprimitur : *De Episcopis, qui in monasterio habitare voluerint.* Quod probat Rupertus Tuitiensis *in regul. S. Benedicti, lib.* 1. *cap.* 7. Ne verò absonam credas epigraphen, audi Petrum Venerabilem *lib.* 2. *epist.* 11. ibi: *Solebant clerici diversorum ordinum, canonici diversarum professionum, & ipsa Ecclesiæ cacumina, Episcopi dico, Pontificalem dignitatem pro abjecta monachorum vilitate commutare, & de summis Ecclesiasticorum honorum gradibus ad humilem se hujus propositi ordinem inclinare.* Vide autem apud Arnoldum Vvionlig. *vit. lib.* 2. *cap.* 58. elenchum Episcoporum, qui abdicato Episcopatu ordinem monasticum ingressi sunt : alterumque similem à Renato Chopino *monast. lib.* 2. *tit.* 1. *num* 2. Secundò considerandæ proprietas verborum Sancti Benedicti : *Si quis de ordine Sacerdotum in monasterio se suscipi rogaverit.* Non

autem

autem de omnibus promiscuè loquebatur : *Noviter quis veniens ad conversionem*, ait *in cap.* 58. Censentur enim clerici à sæculo conversi, cùm clericatum suscipiunt. Sic in Cabilonensi Concilio prohibetur *can.* 5. Ne sæculares, qui nondum sunt ad clericatum conversi, res parochiarum debeant habere commissas. Et in Concilio Arelat. 2. *can.* 2. decernitur, ne Pontifices Presbyteri, vel Diaconatus honorem conferre præsumant laicis, nisi anno integro fuerit ab eis promissa conversio. Prosequitur doctè Hæphtenus *lib.* 4. *disquisit. monast. tract.* 2. *disquisit.* 4.

CAPUT IV.

Ex Concilio (a) *Aurelian.*

(b) VIdua si sponte (c) velamen, quamvis non sanctum, (d) sibi imposuerit, & in Ecclesia inter velatas (e) oblationem Deo obtulerit, velit, nolit sanctimonialem habitum ulteriùs habere debet, licèt (f) sacramento confirmare velit, eo tenore, & ratione velamen sibi imposuisse, ut iterum posset deponere.

NOTÆ.

1. (a) *Aurelian.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. in hac sexta legitur, *Arelat.* sed in nullo ex Conciliis Arelatensibus, seu Aurelianensibus reperiuntur verba in præsenti transcripta, ut jam notavit Antonius Augustinus *ad* 1. *collect. hic*; licèt similem sententiam *ex can.* 3. *Concil. Aurel.* 1. referant Burchardus *lib.* 8. *Decreti cap.* 35. Carnot. *p.* 7. *cap.* 54. & Gratian. *in cap.* 16. 27. *quæst.* 1. Reperitur autem textus hic *in Concil. Mogunt. cap.* 6. in illis verbis : *Viduas autem velare Pontificum nullus attentet, prout constitutum est in Decretis Gelasii, cap.* 13. *quod nec auctoritas divina, nec canonum forma præstitit. Quæ si propriâ fuerit voluntate continentiam professa, ut in ejusdem Gelasii capitulo legitur, ejus intentio pro se reddat rationem Deo, quia sicut secundum Apostolum, si se continere non poterat, nullatenus nubere vetabatur; sic secum habità deliberatione promissam fidem pudicitiæ Deo decet custodire. Nos autem auctoritate Patrum suffulti in hoc sacro conventu sancimus, & liberè judicamus, si sponte velamen quamvis non consecratum, sibi imposuerit, & in Ecclesia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit nolit sanctimonialem habitum ulterius habere debet, licèt sacramento confirmare velit, eo tenore, & ratione velamen sibi imposuisse, ut iterum posset deponere.* Ex quo citant textum hunc Burchardus *lib.* 8. *Decreti, cap.* 36. Carnot. *p.* 7, *Decreti, cap.* 54. Gratianus *in c.* 8. 27. *q.* 1. & ea verba referuntur *in cap.* 25. *Concil. Tribur.* & præsens canon etiam reperitur *in Concil. Wormat. can.* 21. ibi : *Vidua quidem, quæ sacrum capiti velamen imposuerit, & inter cæteras velatas fœminas in Ecclesia oraverit, & oblationem cum illis obtulerit, si professa est in eodem habitu permanere, spondens nunquam religionis deponere velamen, à religionis observantia discedere non præsumat. Quod si præsumpserit, & ad id, quod sponderat, revocari non potest, à liminibus sanctæ Ecclesiæ segregetur, donec ad emendationis remedia confugiat.*

(b) *Vidua.*] Propriè illa dicitur vidua, quæ maritum habuit, & illum amisit, *l. malum* 242. §. *viduam, ff. de V. S. cap. vidua*, 34. *dist.* quasi vidua, id est sine duobus ; cùm particula *ve*, denotet privationem, ut docent Brissonius, Calvinus & alii Lexicographi, verbo *Vidua*, Gedeus, Fornerius & Gentilis *in dict.* ' *vidua*, Joannes Baptista *in adnotat. poster. c.* 54. Aliquando sumitur pro ea, quæ virum nunquam habuit, juxta illud Ovidii;

Ipsa domo vidua votis operosa pudicis
Torqueat in fatu ne vir ab hoste cadam.

Notavit Alciatus *in d.* §. *vidua*. Sed cùm verba debeant accipi juxta materiam, de qua agitur, *l. Labeo, ff. de supellect. legat. l. ut Alphenus* 87. *ff. de V. S.* ideo in præsenti textu, & aliis, ubi de velandis viduis agitur, vidua accipitur pro qualibet muliere non virgine, etsi per vim pudicitiæ florem amiserit, ut patet *ex cap. illæ autem*, 33. *q.* 5. *cap.* 1. 15. *q. ult.* quia licèt omne peccatum ex voluntate nascatur, & potuerit corruptione carnis per vim oppressæ mens invita non pollui; tamen quia non facile Ecclesiæ, quæ de interioribus non judicat, constare potuit exteriùsque manifestè apparuit corruptam fuisse; ideo illa virginibus non comparatur. Istarum viduarum duo genera olim fuerunt : aliæ erant seculares, quæ laicali in veste incedebant; aliæ continentes, & sub religioso habitu degentes, dictæ sanctimoniales. Concil. Tolet. 4. *can.* 55. relatum *in c. duo sunt* 27. *q.* 1. hæ sunt viduæ, quas D. Cyprianus *lib.* 1. *ad Quirinum*, vocat probatas. Tertul. *lib.* 1. *ad uxorem cap.* 4. subsignatas, voto firmatas, Deo dicatas, obligatasque ad viduitatis perseverantiam, castitatis propositum ex instituto, & professo sectatas. Quod vitæ institutum in viduis jam in lege veteri usitatum fuisse, probant Cedrenus, & Gregorius Nyssenus relati à Canisio *lib.* 1. *de B. Maria, c.* 12. Mendoza *q.* 2. *positiva*. Viduæ autem primis Ecclesiæ seculis continentiæ statum profitebantur, & in gradum vidualem cooptabantur, ut legitur apud D. Clementem *lib.* 8. *constit. c.* 25. ibi : *Vidua non ordinatur, sed cooptatur in gradum vidualem.* Pluribus Conciliorum canonibus illustrat Ambian. *ad Tertul. de velandis virginibus, c.* 9. *obs. ult.* Dicebantur tamen cooptari in gradum vidualem, quæ religiosam vitam profitebantur solenniter, ut distinguerentur ab illis, quæ propriis in dominibus degebant, quæ alebantur ex Ecclesiæ redditibus. Ambian. *ubi suprà obs.* 4. Nonnulla autem in viduis eligendis desiderabantur. Primò ætas provecta; juvenes enim non cooptabantur propter incontinentiæ suspicionem. Concil. Turon. *canon* 17. Clemens Romanus *lib.* 3. *cap.* 1. Tertul. *lib.* 1. *ad uxorem*, ibi : *Vidua habet aliquid operosius, quia facile est non appetere quod nescias, & aversari, quod desideraveris nunquam.* Unde viduas sexagenarias ordinandas esse jubet D. Basilius *ad Amphilochium c.* 42. ibi : *Vidua sexaginta annorum nata, si rursus cum viro habitare voluerit, boni communione non dignabitur, donec ab impuritatis perturbatione cessaverit : sed si ante sexaginta annos eam in numerum retulerimus, nostra*

nostræ est, non mulieris culpa. Idem statuitur in Concil. Mogunt. *can.* 26. Illustrat Narbona *de ætate, anno* 70. *quæst.* 9. Nec statim à viri morte eligebantur, sed elapso tempore. D. Clemens *lib.* 8. *constit. capite* 25. Unde legibus Longobard. cautum fuit, ne intra annum luctus religiosam vestem viduæ assumerent. Præterea non eligebantur ab Ecclesia, nisi vitæ, ac morum examine præmisso: quare D. Paulus ad Timoth. scribit, ut vidua eligatur non minor sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsequuta est: faciunt D. Clemens *libro* 3. *constit. capite* 3. Concilium Carthag. 3. *can.* 103. His peractis tempore cooptationis viduæ velum conversionis, quamvis non sacrum, propriâ manu de altari sumebant, *capite vidua, capite viduas* 27. *quæst.* 1. sicque velatæ in Diaconissas eligebantur, *can.* 19. *Concil. Nican.* Et primis Ecclesiæ seculis tantùm viduas in Diaconissas initiari, prodit Tertullianus *de velandis virgin.* & observat Albaspineus *in notis ad dictum canonem* 19. Varia erant istarum viduarum munia. Primum, inter fœminas, tam catechumenas, quàm baptizatas conversari. Divus Clemens *libro* 2. *constit. capite* 7. Secundò januis templi patentibus tantùm fœminis præesse. Tertium, effundere oleum super catechumenas, ne à Diaconis viderentur. Denique presbyteris baptizantibus ministrare, ut probant Vazquez 3. *part. in* 3. *part. disputat.* 245. *capite* 3. Jul. Lavorus. *lucubr. titul. de elect. capite* 24. Cæsar *de eccles. hierarch. capite* 9. §. 3. Barbosa *de jure eccles. libro* 1. *capite* 36. & tandem nuptiis fidelium assensum præstare. Unde intelligendus venit Tertullianus *de monogamia capite* 11. ubi cùm referret, quomodo celebraretur matrimonium in Domino, ait: *Id matrimonium non licet habere ab Episcopo monogamo, à presbyteris, & Diaconis ejusdem sacramenti, à viduis, quarum sectam in te recusasti.* Ubi difficile visum est illud, petere maritum à vidua. Sed ex suprà traditis de viduarum muniis exponendum est; olim enim cùm quis volebat matrimonium contrahere, non priùs uxorem ducebat, quàm Ecclesiam, id est Episcopum, sacerdotes, & viduas consuluisset, eisque conditiones futuri conjugii, statum, religionem, ac patriam exposuisset; nam fideles omne studium, ac diligentiam adhibebant, ne connubio Judæi, ac Gentilis polluerentur, ut pro ipsius loci interpretatione docuerunt Albaspin. *libro* 1. *observ. capite* 24. Ambianus *de monogam. capite* 11. *observ.* 1.

3. (c) *Velamen.*] *Velum conversationis*, legitur in hac sexta compilatione, sed mendosè; nam quamvis apud D. Gregorium conversatio sumatur pro vita religiosa, tamen utplurimum ea vox non nisi addito verbo, *sanctæ*, videlicet, aut *sacræ*, eam habet notionem: quare rectius in Conciliis suprà relatis legitur *velum conversionis*: conversio autem, ut patet ex toto *tit. de convers. conjug.* absolutè, & simpliciter tribuitur illis, qui soluto per viduitatem, aut ultrò dissociato conjugio quoad debitum renunciant seculo. Illud tamen perdifficile est, quod in præsenti canone supponitur, videlicet viduam velari posse; cum pluribus Ecclesiæ canonibus cautum sit, viduas velandas non esse, *capite de votis*, §. *vivis* 20. *quæst.* 1. *capite viduas, capite omnes* 27. *quæst.* 1. Concil. Carthag. 4. *can.* 12. Arausic. *cap.* 27. Tribur. *cap.* 25. Epaun. *cap.* 21. Turon. 2. *can.* 21. Turon. 3. *cap.* 23. cum aliis relatis à Crespetio *verbo Monialis vidua*: probant latè Germonius *lib.* 2. *de sacror. immunit. cap.* 10. Espenceus *lib.* 1. *de voto contin. cap.* 9. Baronius *in Martyrol. die* 7. *Maji*, Barbosa *libro* 1. *de jure Eccles. cap.* 44. *num.* 15. Cæsar *de Eccles. Hierarch. disputat.* 6. §. 3. Gibalinus *de clausur. regul. disquisit.* 2. *cap.* 2. §. 3. *consect.* 2. *& disquisit.* 3. *cap.* 2. §. 8. Ambianus *ad Tertul. de monog. capite* 11. *observ.* 2. & *de veland. capite* 9. *observ.* Hallierius *de sacris elect.* 2. *part. sect.* 4. §. 6. Feloaga *in capite* 1. *de his quæ vi, ratiocin.* 5. *num.* 44. Pro cujus difficultatis solutione sciendum est, quod inter alia, quæ à nuptiis carnalibus ad spiritualia conjugia usus Ecclesiæ transtulit, quæ celebri laconismo perstrinxit P. Serlog. *tom.* 3. *in Cantica, vestig.* 28. *sect.* 1. *num.* 6. ritus ille acceptus est, ut quemadmodum novis nuptis flamen imponebatur, quò faciem velarent, ut latè probant Pamelius & Zerda *ad Tertul. de velandis virgin.* Leo Pinel. *in dicurs. de los velos, cap.* 6. ita etiam fœminis tempore professionis, seu consecrationis, in signum matrimonii celebrati cum Christo, quod explicat & illustrat Theophilus *tom.* 2. *sect.* 5. *cap.* 1. *fol.* 424. velum imponebatur, quod multiplex fuit pro personarum, & actuum varietate. Quinque refert Acuña *in capite placuit*, 77. *dist.* & recensèt Barbosa *de jure Eccles. dict. cap.* 44. *num.* 15. Franc. Maria Florentinus *ad Martyrol. die* 19. *Novemb. exercit.* 15. Primum erat probationis, quod dabatur novitiis ante professionem. Secundum velum professionis, quo fœminæ castitatem solenniter profitentes ornabantur, de quibus Baronnius *anno* 57. Lantdmeter *lib.* 1. *de veteri mon. cap.* 11. Tertium erat velum consecrationis, quod dabatur olim virginibus in ætate vigintiquinque annorum, *cap. placuit* 20. *quæst.* 1. Quod differt valde à velo professionis; siquidem illud commune erat, tam viduis, quàm virginibus; hoc autem tantùm virginibus dabatur. Suarez *de relig. tom.* 4. *lib.* 1. *de verit. relig. cap.* 11. *num.* 15. Quartum erat velum prælationis, quod Abbatissis sexagesimo ætatis anno dabatur, *cap. juvenculas* 20. *quæst.* 1. licèt illud etiam virginibus dari possit, ut latè probant plura de his velis, eorum forma, & ritibus in impositione eorum observatis congerentes, Yepes *tom.* 3. *chron. D. Benedicti, anno* 629. Tambur. *de jure Abbatiss. disput.* 37. *quæst.* 1. Theophilus Raynaud. *in tract. de pil. cap.* 7. *per tot.* Cellotius *de hierarch. lib.* 6. *cap.* 11. Gothofr. *in l.* 12. *Cod. Theodos. de scenis*, Darris *ad Decret. in* 26. *quæst.* 1. Quibus suppositis præsens canon non est accipiendus de velo consecrationis, de quo in canonibus proximè adductis; sed de velo continentiæ, quod proprium erat viduarum, de quo accipiendi sunt textus *in cap. ultim.* 20. *quæst.* 1. *cap. viduas* 8. *cap. de viduis* 42. 27. *quæst.* 1. Concil. Epaun. sub Gelasio *can.* 21.

(b) *Sibi.*] Nam similes viduæ sibimet velum imponebant. Concil Tribur. *can.* 24. Tolet. 10. *can.* 5. observat. Filesac. *lib.* 1. *select. cap.* 10.

4. [c] *Oblationem Deo.*] Id est panem offerendum pro

pro consecratione Eucharistiæ. Inter alia enim munia viduarum sacrarum illud præceptum erat, ut panem mundum, & studiosè paratum offerrent ad consecrandam Eucharistiam, ut post Glossam in præsenti docet D. Joan. Otalora *de irregul. ex pœnit. excursu 5. num. 2.*

(f) *Sacramento.*] Id est juramento, ut exposui *in capite 1. de feriis.* Hoc tamen juramentum fuisse suppletorium, supponit Barbosa *in collect. & select. ad hunc textum*: sed absque ratione, cùm in præsenti tantùm agatur de vidua, quæ assertionem suam, videlicet velum accepisse eo animo ut deponere posset, juramento firmavit.

COMMENTARIUM.

6. *Conclusio traditur & probatur.*

EX præsenti canone sequens communiter deducitur assertio: *Novitia, quæ sponte se ingessit actibus professarum, exinde censetur professa.* Probant eam textus *in cap. omnes, cap. nec viduas 27. quæst. 1. cap. ad nostram 8. cap. ad Apostolicam 16. cap. consuluisti, cap. statuimus, hoc tit. cap. 2. de testam. cap. is qui, cap. constitutionem, hoc tit. in 6.* Clement. *eos, eod. tit.* Concil. Tolet. 4. *can. 56.* Forojul. sub Hadriano, anno 791. celebratum *can. 11. Item placuit de fœminis, cujuscunque conditionis, puellis scilicet, vel viduis, quæ virginitatis, sive continentiæ propositum spontaneè pollicentes, Deo mancipatæ fuerint, & ob continentiæ signum nigrum vestem, quasi religiosam, sicut antiquus mos fuit in his regionibus, induta fuerint, licèt non sint à sacerdote sacratæ; in hoc tamen proposito eas jugiter perseverare mandamus.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa, & à Garanna *in cap. 9. hoc tit.* Lezana *tom. 4. verbo Professio, num. 2. & 3.* Bartholom.. de Vecchis *in praxi Novit. disput. 14. dub. 7.* Novarius *in lucern. Regul. verbo Professio, num. 24.* Barbosa *in summa constit. Apostolic. verbo Professio, §. 2.* Tondutus *resol. canonic. lib. 1. cap. 14. num. 1.* Iranzo *de protest. consider. 55.* Garcia *in polit. regul. tom. 1. tract. 3. difficult. 4. dub. 2.* Vivar. de *veteri monach. lib. 2. cap. 6. num. 30.* Tamburinus *de jure Abbatiss. disput. 7. quæst. 1.* Chopinus *libro 1. monast. tit. 3. num. 6.* P. Gregorius *lib. 3. partit. tit. 2. cap. 5.* Basseus *in floribus, verbo Religio 4. num. 1.* Girago *de regim. regul. p. 1. dub. 12. numer. 75.* Auraujo *tract. 3. quæst. 26. mor. dub. 8.*

7. *Impugnatur tradita assertio.*

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Professio religiosa est quidam contractus onerosus ultrò, citroque obligatorius, quo professus se obligat ad serviendum religioni, secundùm ejus regulam; & econtrà religio se obligat ad retinendum eum, alendum, & tractandum juxta suum institutum. D. Bernardus *de præcept. & expens. cap. 7. Regularis professio, quâ se junior sponte submittit Priori, æque obligat & Priorem, fiuntque duo per unius sponsionem alterutri debitores, unus fidelis curæ, alter humilis obedientiæ.* Unde professionem pactum appellavit B. Ephrem *tom. 5. serm. de compunctione*, his verbis: *Semel abrenunciasti sathanæ, & angelis ejus: pactus autem es Christo coram multis testibus: at vide cuinam pactus sis, & ne parvipendas. Id porrò noveris, quod angeli in hora illa voces tuas, & facta tua, abrenuncationemque tuam describpserint, & in cœli usque ad horribilem diem conservant.* Et *tom. 1. serm. 1. O monache nosce, atque considera, quæ pacta, quæque vota cum Deo feceris, constituerisque.* Basilius *epist. 1. Ne transgrediaris pacta à te inita cum Deo, quæ professus es coram multis testibus.* Hieronymus ad Demetriadem *epist. 8. Nunc quia seculum reliquisti, & secundo post baptismum gradu iniisti pactum cum adversario tuo, dicens ei, renuncio tibi diabole, & seculo tuo; pompæ tuæ, & operibus tuis, pactum custodi, ne tradas te tortori.* Concil. Illiber. *can. 13.* relato *in cap. virgines 27. quæst. 1.* Sanctus Fructuosus *in cap. 18. suæ regulæ*, jubet, probatum novitium indui religionis vestibus, & adnotari in pacto cum fratribus, ut vivat inter monachos probatus & ipse monachus. Admorari autem in pacto, est professionem monasticam facere, & postea subscribere, ut patet ex ipso pacto regulæ S. Fructuosi subjuncto, cui ex ordine subscribebant omnes, qui ad religionem admittebantur; nam ad pacti calcem ita subjicitur: *Hæc sunt nomina; qui manu sua unusquisque subscriptionem, vel signum in hoc pacto fecit, id est, ille, vel illa.* Joannes quoque Damascenus *capite 22. in vita Barlaam, & Josaph.* monasticam professionem pactum vocat; inducit enim monachum ita loquentem: *Ne diaboli impetus instituti nostri constantiam inflectat, aliterque nobis, quàm pactis cum Deo à nobis initis consentaneum, est aut sentire, aut facere persuadeat.* Probat Sanchez *libro 6. summæ, cap. 9. num. 7.* Hinc sequitur, quod sicut aliæ reciprocæ obligationes nequeunt ex unius consensu consistere, sed duabus personis indigent habentibus potestatem seipsas, vel alias obligandi, *l. in omnibus ff. de O. & A. l. sicut, C. eodem titul.* ita ad valorem professionis requiritur, ut non solùm eam emittens se obliget, verùm etiam ut religio per suum Prælatum præstet assensum. Lessius *libro 2. de justitia, capite 41. dub. 7. num. 91.* Girago *de regim. regul. part. 1. cap. 4. num. 29.* sed in tacita professione non adest persona ex parte religionis, quæ acceptare possit ipsam professionem: ergo ex ejus defectu professio nulla est. Augetur primò, nam professio in scriptis facienda est. D. Benedictus *in sua regula, cap. 58.* ibi: *Quam petitionem manu sua scribat, aut certè si non scit literas, alter ab eo rogatus scribat, & ille novitius signum faciat, & manu sua eam super altare ponat.* D. Isidorus *in regul. monach. capite 4.* ibi: *Omnis conversus non est recipiendus in monasterio, nisi priùs ipse scripto se spondeat permansurum.* Concil. Tolet. 10. *can. 5.* ibi: *Omnes fœminæ venientes ad sacram religionem, pallio capita sua contegant, conscriptam, roboratamque professionem faciant: post quam scripturam non sinantur relabi ad prævaricationis audaciam.* Et *in can. 4.* ibi: *Viduæ quæ sanctæ religionis propositum obtimere voluerit, sacerdoti, vel ministro, ad quem aut ipsa venerit, aut quem ad se venire contigerit, scriptis professionem faciat, à se aut signo, aut subscriptione notatam, continentum se religionis propositum velle, & hoc perenniter inviolatè servare.* Cujus scripturæ rationes quatuor assignant PP. Primam B. Isidorus *capite 4. Regulæ*, his verbis: *Sicut hi, qui ad secularem promoventur militiam, in legionem non transeunt, nisi antè in tabulis conferantur; ita & ii; qui in spiritalibus castris cœlesti militiæ sunt signandi, nisi priùs professionem verbis, aut scriptis profiteantur, in numerum, societatemque servorum CHRISTI transire non possunt.* Secundam petunt

petunt ex proximè adductis, videlicet quia cùm professio sit contractus, ad ejus robur ad probationem scriptura desideratur, juxta textum *in cap. legum* 2. *quæst.* 1. Tertiam rationem præbet ipse sanctus Benedictus, ut si aliquando suadente diabolo consenserit, ut egrediatur de monasterio, professionis schedula in monasterio asservatâ, convinci possit. Quam etiam agnoverunt PP. dicti Concilii Tolet. 10. relati *in dict. cap. omnis* 20. *quæst.* 1. Quartam addit Smaragdus *in sua reg.* ut è monasterio ejectus, si postliminio reverti voluerit, ex chirographo professio facta comprobari possit: igitur nulla tacita professio admitti potest. Augetur secundo, nam si tacita professio valida esset, haberet omnes effectus expressæ professionis: sed non habet, siquidem tacitè professus, in Prælatum regularem eligi non potest, *cap. nullus* 28. *de elect. lib.* 6. *Clement.* 1. §. *cæterùm, de statu monach.* Garcia *dict. dub.* 2. Chopinus *dict. titul.* 3. igitur quia tacita professio non habetur pro vera professione. Fulcitur hæc dubitandi ratio ex eo; nam licèt professio tacita à jure præsumatur ex actibus statim referendis; tamen cùm novitius eos peragens non habet animum profitendi, atque id expressè protestatur, nulla tacita professio inducitur. Glossa *verbo Per annum, in cap. ex parte, hoc titul.* Iranzo *de protestatione, consider.* 55. sed in præsenti casu vidua juramento affirmavit per veli delationem animum profitendi non habuisse: igitur cogi non debebat in statu professarum perlistere.

8. *Professio regularis duplex.*

Quâ dubitandi ratione ita fulcitâ non obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, professionem regularem dupliciter emitti posse, expressè videlicet, & tacitè. Expressè, cùm Prælatus, seu minister Ecclesiæ legitimâ potestate præditus assistit, & verbis, vel externis nutibus vota profitentis acceptat, & vovens vota sua voce, vel scripto, aut nutu sufficienti nuncupat; cujus formam, & solennitatem ex veteribus PP. refert, & illustrat Hæphtenus *lib.* 4. *disquisit. monast. tract.* 5. *per tot.* Tacitè autem professio duplici modo emittitur. Primò per delationem habitus professorum: secundò per exercitium actus proprii professorum: per hæc enim conjunctim, seu separatim tacita professio inducitur, ut cùm quis assumit habitum professorum, & inter eos versatur animo perpetuò servandi vitam religiosam, *cap. ad nostram, hoc tit. cap. constitutionem, eod. tit. lib.* 6. vel cùm quis exercet actus proprios professorum. Quatuor tamen conditiones desiderantur, ut tacita professio inducatur. Prima, quod novitius deferens habitum, susceperit illum coram Prælato, seu superiore, & omnibus aliis simul. Menochius *de præsumpt. lib.* 6. *præsumpt.* 8. *num.* 9. Tiberius Decianus *libro* 3. *consil.* 18. *num.* 11. Gratianus *discept. cap.* 140. *num.* 37. Barbosa *lib.* 1. *juris Eccles. cap.* 42. *num.* 57. quare si quis per se sumeret habitum professorum, nunquam induceretur tacita professio. Gratianus *ubi suprà*, Bartholom. de Vecchis *in praxi novit. disput.* 13. *dub.* 8. Secunda, ut habitus deferatur in ipso monasterio; si quis enim deferret habitum extra monasterium, etiam perlongum tempus, non induceretur tacita professio. Innocentius, Felinus, & alii, quos refert, & sequitur Menochius *ubi suprà, numero* 15. Tertia, ut hi actus, per quos inducitur tacita professio, fiant non solùm sponte, sed scienter: ita ut novitius non ignoret eos ad solos professos spectare. Giragus *dict. p.* 1. *de regim. dub.* 12. *n.* 37. Addunt ferè omnes Doctores suprà laudati, utentem his actibus non debere etiam ignorare per illos tacitam professionem induci. Quartò oportet utentem his actibus habere animum emittendi professionem; nam si negativè se habeat, defectu animi, nunquam professus judicatur, Navarrus *in comment.* 4. *ad hunc titul. num.* 70. quem sequitur Barbosa *ubi suprà:* nec Concil. Trident. *sess.* 25. *de regul. cap.* 15. & 16. aliquid innovavit circa hanc professionem tacitam; & ita tanquam canon omissus remanet sub dispositione juris antiqui: in eo tantùm illum correxit, ut non inducatur tacita professio, nisi expleto novitiatus anno, & adimpletis sexdecim annis ætatis profitentis, Azor *p.* 1. *instit. lib.* 12. *cap.* 4. *quæst.* 6. Gratianus *tom.* 4. *discept. cap.* 640. Tamburin. *de jure Abbatiss. disput.* 6. *quæst.* 2.

His præjactis apparet jam ratio præsentis textus; nam cùm vidua non solùm velum accepisset, quod erat proprium professarum, juxta suprà tradita; verùm se immiscuisset actibus professarum, ut erat panem offerre ad sacrificium Missæ, tacitè professa præsumitur, *cap. quod interrogasti* 27. *dist.* D. Thomas *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 1. *artic.* 2. voluntas enim non minùs exprimitur verbis, quàm factis: unde sicut hæreditas adiri potest verbis expressis, ac solennibus; ita etiam factis, videlicet si ingeratur se hæres actibus, qui ab alio quàm hærede fieri nequeunt, *l. pro hærede* 20. *cum sequent. l. fuit* 24. *l. Julianus* 42. *l. Antistius* 62. *l. si quis* 72. *l. duo* 78. *l. Pannonius* 86. §. *ultim. l.* 87. *ff. de acquir. hæredit.* Unde cùm oblationes Deo facere tantùm professæ possint, novitia, quæ se ingerit simili actui, censetur ritè professa, nec statum regularem amplius deserere valet. 9. *Traditur decidendi ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, cui licèt aliqui satisfaciant asserendo, Deum præsentem esse, cui votum fit, ipsumque acceptare votum; verius tamen est, quod Deus non per seipsum immediatè, & palam ecclesiastica munia gerit, sed quod sicut in omni perficiendorum sacrorum rituum actu voluit fieri, ut in Ecclesia visibili ministri interessent visibiles; ita etiam in professione monastica ministrum visibilem, & mortalem interesse constituit, qui professionem monachi acceptans cogere possit eum, si aliquando resilire voluerit, ut promissis stet, & vota adimpleat. Quare dicendum est, quod cùm semper in Ecclesia professio tacita in usu fuisset, ut suprà relatis canonibus liquidò constat, eisdem viribus, ac expressa pollens; consequens est, ut in ea tacitè, & præsumptivè reperiantur omnia, quæ expressam & solennem reddunt: ergo sicut vota præsumpta dumtaxat in ea reperiuntur, & traditio ipso effectu demonstrata: ita & persona acceptantis non est expressè quærenda in ea, sed sub eodem involucro, & certa præsumptione, ut docuit Vivar. *lib.* 2. *de veteri mon. cap.* 6. *num.* 32. Nec obstat primum augmentum ipsius difficultatis; nam licèt novo jure cautum sit, ne tacitè professus in Prælatum eligi valeat, propter dubia, quæ exinde oriri possunt, *dict. cap. nullus, cap. indemnitatibus, de elect. lib.* 6. tamen jure antiquo etiam tacitè professus in Prælatum eligi valebat, cùm quoad omnia commoda, & in- 10. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

commoda ut professus haberetur, *cap.* 2. ubi notavi, *de testam.* Nec obstat aliud augmentum ipsius dubitandi rationis; nam quod in eo expendebamus, procedit facta protestatione ante, vel in ipsa professione; tunc enim professio sequuta, sive expressa, sive tacita, nulla est. Iranzo *dict. consid.* 55. at in præsenti casu vidua nullâ factâ protestatione velum sibi imposuit, & cum cæteris professis oblationem in Ecclesia fecit; unde licèt postea sacramento firmare vellet, se eo animo velum assumpsisse, ut deponere posset, non auditur contra professionem tacitè factam.

II. *Exponitur cap. ad nostram.* Sed suprà traditis obstat textus *in cap. ad nostram, hoc tit.* ubi ut ille, qui detulit habitum professorum censeatur professus, desideratur perseverantia per triennium in delatione ipsius habitus: ergo quia per ipsam delationem habitus professorum non inducitur tacita professio, nisi accedente temporis lapsu. Pro cujus textus solutione discrimen est constituendum inter eum casum, in quo novitius post tempus probationis ingerit se actibus professorum, aut eorum habitum detulit; & inter eum casum, in quo quis novitius non fuerat, sed in laicali habitu degens, suscepit habitum professorum. Primo casu non requiritur temporis lapsus, quia ex ipso actu induendi itum professorum inducitur tacita professio: secundo verò casu requiritur perseverantia per triennium. Unde cùm *in dict. cap. ad nostram*, qui deferebat habitum professorum non esset priùs in novitium receptus; ideo desideratur perseverantia per triennium, ut docuerunt Sanchez *lib.* 5. *summæ*, *cap.* 3. *num.* 24. Vivar. *de veteri monac. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 30.

CAPUT V.

Gregorius (a) *Anthemio Subdiacono.*

(b) JOannes frater, & Coëpiscopus noster directo per Justum clericum suum capitulari, inter alia plura hoc nobis noscitur intimasse, aliquos monachos monasteriorum in Surrentina diœcesi positorum, de monasterio in monasterium, prout eis libuerit, transmigrare, & à proprii Abbatis regula desiderio rei secularis abscedere: sed & quod non licere notum est, peculiaritati eorum singulos studere. (c) Si quos autem qualibet occasione à clericatu in monachicam conversionem venire contigerit, non liceat eis ad eandem, vel aliam Ecclesiam, quarum pridem milites fuerant, sua voluntate denuò remeare, nisi talis vitæ monachus fuerit, ut Episcopus, cui antea militaverat, sacerdotio dignum præviderit, ut ab eo debeat eligi, & in loco, quo judicaverit, ordinari. Propterea experientiæ tuæ præsenti jussione mandamus, ut nec monacho ulteriùs de monasterio in monasterium liceat migrare, nec eorum aliquem (d) peculiare quicquam habere permittas. Sed si quilibèt hoc præsumpserit, in monasterio, in quo ab initio conversatus est, & sub Abbatis sui regula, de qua fugerat, cum competenti coërcitione reddatur; ne si tantam iniquitatem fluxam, inemendatamque dimittimus, pereuntium animæ à Præpositorum anima requirantur. (e) Et quia aliquos monachorum usque ad tantum nefas prosiliisse cognovimus, ut uxores publicè sortiantur, eos omni habitâ vigilantiâ requiras, & dignâ coërcitione in monasteriis Abbatum, quorum monachi fuerint, retransmittas. Sed & de clericis ad monachatum venientibus, sicut suprà diximus, peragere non omittas. Ita enim Dei placabis oculos, & impletæ mercedis particeps invenieris.

NOTÆ.

1. (a) *Anthemio.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc titul. capite* 7. & apud Ivonem *part.* 7. *Decreti*, *cap.* 122. reperiturque textus hic prout in præsenti transcribitur, in regestro D. Gregorii, *lib.* 1. *indict.* 9. *epist.* 40. & ejus partes referuntur à Gratiano *in capite si quem* 32. 16. *quæst.* 1. & *in capite & quia* 27. *quæst.* 1. de D. Gregorio nonnulla notavi *in cap.* 2. *de constit. c.* 1. *de transact.*

(b) *Joannes.*] Episcopus videlicet Surrentinus, de cujus diœcesi egi *in cap.* 1. 2. *de relig. dom.*

(c) *Si quos autem.*] Verba, quæ sequuntur, extant *in cap. si quem* 32. 16. *quæst.* 1. & ea exposui *in cap.* 7. *de ætate & qualit.*

(d) *Peculiare.*] Hanc partem exponemus *in cap. cùm inter*, *de statu monach.*

(e) *Et quia.*] Hæc verba referuntur *in d. cap. & quia* 27. *quæst.* 1. & explicavimus *in cap.* 2. *qui clerici vel vov.*

COMMENTARIUM.

TExtum hunc communiter acipiunt repetentes, & Barbosa *lib.* 1. *juris eccles. cap.* 42. *num.* 42. Sanchez *lib.* 6. *summæ*, *cap.* 7. de monacho se transferente ad aliam Religionem; quod ei inconsulto Prælato facere non licet, ut dicemus infra *in capite licèt*: sed ni fallor, D. Gregorius in præsenti non prohibet hujusmodi transitum, sed potiùs monasterium proprium deserere, & ad alium ipsius Ordinis migrare sub diverso Prælato; quod prioribus Ecclesiæ seculis valde illicitum judicabatur, quia monachus sub eo Abbate, & in ipso monasterio, ubi stabilitatem promiserat, perpetuò manere debebat, nisi cum literis commendatitiis proprii Abbatis ad aliud monasterium ipsius

ipsius Ordinis mitteretur. Concil. Anglic. 1. referente. Beda *libro 4. hist. Angl. cap. 5.* ibi: *Ut monachi non migrent de loco ad locum, hoc est de monasterio ad monasterium, nisi per dimissionem proprii Abbatis; sed in ea permaneant obedientia, quam tempore suæ conversionis promiserunt.* Concil. Bituric. *can.* 23. apud Synodum Lemovic. *action.* 2. *Canonici, & monachi de monasteriis suis, ubi priùs titulati sunt, nisi causa rationabilis necessitatis, vel ædificationis animæ, vel Ordinem melius observandi, ad aliud monasterium non transeant propter adipiscendum aliquod ministerium, vel honorem, vel occupationem terrenam, absque consensu Episcopi sui, vel Abbatis.* Nicæn. 2. *can.* 22. *Monachus, vel sanctimonialis non relinquat suam habitationem, & discedat ad aliam: si autem id contigerit, ipsum ut hospitem recipi est necessarium, non tamen sine voluntate Præpositi sui recipiatur.* Synod. 7. *can.* 21. *Non oportet monachum, vel monialem proprium relinquere monasterium, & ad aliud se conferre.* Sed cùm recipi sine licentia novi Abbatis non possit, hinc in regulis PP. cautum reperitur, ut monachum, nisi Abbatis sui aut permissu, aut voluntate ad alterum monasterium commigrantem nullus Abbas aut suscipere, aut retinere præsumat, *cap.* 14. *reg. D. Benedicti*, quæ totidem verba sunt in Concilio Agathensi relato à Gratiano *in cap. monachum* 20. *quæst.* 4. qui transitus adeo accuratè olim damnabatur, tum ob rixas, contentiones, & jurgia, quæ inde oriebantur, ut exprimitur in regula Serapionis Macharii *cap.* 13. *Nec tacendum est, qualiter inter monasteria pacem firmam obtineant: non licebit de alio monasterio sine voluntate Patris fratres recipere. Quod si precatus fuerit ab eo qui præest, ut in alio monasterio ingrediatur, commendetur ab eo qui præest, ubi esse desiderat, & sic suscipiatur.* Clarius eandem causam explicat Ferreolus *cap.* 6. *Hinc enim*, ait, *plerunque non tantùm inter Abbates, sed etiam inter monasteria lites insanabiles oriuntur, dum unus nititur defendere quem recepit, alter revocare, quem perdidit; & ad extremum nisi reddatur illi petitori petitus, & isti restauratio recepti placaverit injuriam acceptam, fit ut non secundum Apostolum vincant in bono malum, sed utrinque mali vincantur uno malo.* Tum quia monachi stabilitatem tempore professionis emittebant, ita ut è monasterio non exirent. Divus Benedictus *in cap.* 58. *suæ regulæ*, ibi: *Suscipiatur in congregatione, sciens lege regulæ constitutum, quod ex illa die non liceat è monasterio egredi, nec collum excutere te sub jugo regulæ, quam sub tam morosa deliberatione licuit recusare, aut suscipere.* Quibus verbis stabilitatis votum quasi explicavit, nam mox subjungit: *Suscipiendus autem in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, de qua scilicet immediatè jam egerat, nisi ob majus bonum spirituale de licentia Prælati transiret.* D. Bernardus *epist.* 7. ibi:]Sed quæris forsitan, inquiens mihi: Quid ergo tu de stabilitate tua facis, quam apud Cistercium firmasti, & nunc alibi habitas? Ad quod respondeo: Ego quidem Cisterciensis monachus ibidem professus, ab Abbate meo, ubi nunc habito, missus sum; sed missus in pace, missus juxta consuetudinem, & communem institutionem.] Probant, & illustrant Benedict. Haæphtenus *lib.* 4. *disquisit. monast. tractatu* 6. *disquisit.* 4. *per tot.* Menard. *in notis ad concord. regul. fol.* 1008. Unde D. Gregorius in præsenti textu juxta disciplinam monasticam illius seculi prohibuit monachis ob lucrum temporale in aliud monasterium, ejusdem videlicet religionis, transire. Agere verò D. Gregorium de monacho transeunte propriâ auctoritate ad aliud monasterium ipsius religionis, evincitur ex eo, quia tempore D. Gregorii tantùm erant in diœcesi Surrentina monasteria ordinis D. Benedicti, ut refert Tamburinus *in serie Abbat. verbo Surrentina:* sed Gregorius in præsenti increpat monachos commorantes in diœcesi Surrentina, & se transferentes ad aliud monasterium: igitur de monacho transeunte ad monasterium ejusdem Ordinis accipiendus est. Accedit, nam si Sanctus Doctor ageret de monacho transeunte ad monasterium alterius religionis, distingueret, an ad strictiorem, vel laxiorem vitam cum Episcopi, vel Abbatis licentia transiret; sed tantùm affirmat Sanctus, eum monachum ut fugitivum retrahendum esse & restituendum priori Abbati: igitur quia agitur de monacho transeunte ad aliud monasterium ipsius Ordinis.

CAPUT VI.

Idem (a) *Eidem.*

SIcut regiminis locum Deo, ut ipsi placuit, disponente suscepimus; ita nos oportet de commissis nobis animabus esse solicitos. Comperimus autem in Insula Orphiaria, in qua situm B. Petri Apostolorum Principis (b) Oratorium esse dignoscitur, multos virorum cum mulieribus suis diversorum patrimoniorum, illuc pro necessitate feritatis barbaricæ refugisse; quod importunum judicavimus, ut dum alia refugiorum loca vicina sint, cur ibidem cum monachis debeant (c) mulieres habitare. Propterea præsenti jussione præcipimus experientiæ tuæ, ut à præsenti tempore nullam illic ulteriùs mulierem, sive ecclesiastici (d) juris sit, sive cujuslibet alterius, habitare, commanere vé permittas, sed refugium sibi, cùm (sicut prædictum est) tot loca vicina sint, ubi maluerint, ipsi provideant, ut omnis exinde mulierum conversatio submoveatur, ne si, quæ in nobis est, curam gerere desistamus, atque inimici laqueis obviare, nos exinde (quod absit) si quid adversi contigerit, culpabiles existamus. Præsentium itaque latori Felici Abbati mille quingentas plumbi libras, de quo in eadem insula agere dignoscitur, dare non differas: quod tuis post-

modum, cùm totius quantitatis summa noscetur rationibus imputetur. Ita ergo fac tu, ut ipse provideas, si in ejusdem insulæ fabrica expendi utiliter valent. Quia autem dura est in insulis congregatio monachorum, etiam puerosin ejusdem monasteriis ante decem & octo annorum tempora suscipi prohibemus. Vel si qui nunc sunt, tua eos experientia auferat, & in Romanam urbem transmittat. Hoc & in (e) Palmaria, aliisque insulis te per omnia volumus custodire.

NOTÆ.

(a) *Idem.*] Anthemio videlicet Subdiacono, ut habetur in ipso Regestro Gregorii, *lib. 1. epist. 48.* ex quo Codice restituo ita literam hujus textus.

1. (b) *Oratorium.*] Id est monasterium, ut ex verbis sequentibus constat; olim enim monasteria plerunque dicebantur oratoria; aut quia orationis gratiâ ibi monachi conveniebant. Gregorius *de Gloria confessorum*, ibi: *Quidam nomine Augustus de eleemosynis devotorum apud Brias vicum in honorem sancti Martini Antistitis oratorium ædificavit, & collectis secum paucis monachis, sub regula monasterii degens, semper orationi vacabat.* Idem *lib. 1. miraculorum sancti Martini, cap. 14* ibi: *In Castello regionis Italiæ, quo dicitur tertium oratorium B. Martini fundatum esse.* Et *in cap. 16.* hoc oratorium puellarum vocat, & Abbatissæ loci meminit. Eodem in libro de monasterio quodam virginum sic refert: *In porta Ambianensi, in qua quondam vir beatus pauperem algentem chlamyde discissa contexit, oratorium à fidelibus est ædificatum, in quo nunc puellæ religiosæ deserviunt ad honorem S. Episcopi.*

2. (c) *Mulieres habitare.*] Quod pluribus Ecclesiæ canonibus prohibitum est. Synod. Nicæn. 2. *can. 18. Ne suspicio detur exteris, inquit Apostolus, mulieres degere in Episcopiis, & in monasteriis, suspicionis plenum est. Si quis ancillam, vel liberam in eis locis habuerit ad aliquod ministerium, puniatur; si perseverat, deponatur; si verò in suburbanis mulieres sunt, & velint Episcopus, vel Præpositus illic aliquid agere, dum illic sunt, non liceat mulieribus degere, sed secedant.* Epaunense *can. 38. Monasteria puellarum non nisi probatæ vitæ, & ætatis provectæ ad quascunque earum necessitates, vel ministrationes laici permittantur intrare.* Turonense 2. *can. 17. Mulier intra sepia monasterii nullatenus introire permittatur: si Abbas in hac parte, aut Præpositus negligens apparuerit, qui eam viderit, & non statim ejecerit, excommunicetur.* Concil. Trullan. *cap. 47. Nec in virorum monasteria mulier, nec in mulierum vir dormiat, ut extra omne scandalum sint fideles, &c. Si quis secus fecerit, clericus, sive laicus, excommunicetur.* Concil. Turon. *cap. 29. Presbyteris, Diaconibus, cæterisque clericis infra claustra monasteriorum puellarum non sit concessum habitare, nec intrent monasteria, &c.* Cabilon. sub Carolo *can. 63.* Altissiod. *can. 26. Si quis Abbas mulierem in monasterio ingredi permiserit, aut festivitates aliquas ibi expectare præceperit, tribus mensibus in monasterio retrudatur, pane & aquâ contentus.* Refert Antonius August. *in epit. lib. 9. tit. 19.* Plura Theophilus *integro tract. de vitanda mulier. famil.*

3. (d) *Ecclesiastici juris sit.*] Ut sanctimoniales, & fœminæ Deo dicatæ: licèt enim olim monasteria duplicia essent, virorum videlicet, & fœminarum, ut probat Haæphtenus *disquisit. monast. lib. 1. tract. 1. disquis. 5.* tamen postea prohibita fuerunt hujusmodi monasteria, *cap. diffinimus, cap. pernicio-*

sam 18. q. 2. immò omnis familiaritas sanctimonialium cum monachis damnata fuit. Concil. Tarracon. *cap. 1.* ibi: *Religiosus, vel monachus, qui familiarius cum propinqua ejus curæ commissa conversatur in cella monasterii inclusus, pœnitentiæ lamentis incumbat, ubi singulari afflictione panis & aquæ victum ex Abbatis ordinatione recipiat.* Cabilon. sub Carolo, *c. 55. Abbatissa cum viris, clericis, sive laicis, horis incompetentibus non loquatur; sed quidquid masculis, clericis, sive laicis de rebus necessarius peragere debet, à prima hora usque ad vespertinam peragat: & hoc non cum singulis, sed coram pluribus.* Et cap. 56. *A vespera usque ad primam nec Abbatissa, nec alia sanctimonialium, cum quibuslibet masculis ullum colloquium habeant, nisi forte talis fuerit occasio, quam evitare non possint; & si necessitas incubuerit, id coram testibus facere non debebunt.* Et *can. 61. cap. diffinimus 18. quæst. 2.* Illustrant Anton. August. *in epit. juris Pont. lib. 9. tit. 22.* Zypeus *ad hunc tit. respons. 1.*

4. (e) *Palmaria.*] Insula hæc ultra Tyberina ostia est in mari Tyrreno. Varro *lib. 3. de re rust. c. 1.* Plinius *lib. 3. c. 6.* Ambrosius Calepinus *verbo Palmaria.* Ibi etiam sunt Pontia, & Pandatoria, & sunt insulæ miræ solitudinis, & sterilitatis. In Pontiam missus fuit exul Sylverius Papa à Belisario, ut refert Anast. Biblioth. *in ejus vita:* quæ tres insulæ erant in dominio D. Benedicti, ut probat Dartis *in cap. 20. q. 1.* D. enim Benedictus, & ejus discipuli non solùm solitudines, eremosque incolebant, verùm ut magis ab hominibus procul essent, inhabitatas insulas quærebant, ut ibi mari circumsepti, vitam in Christo ducerent absconditam, & ut aëre minùs salubri corpora magis castigarentur, & ut nimia corporis prosperitas, quasi vitis palmite luxurians, amputaretur. Unde satis constat ex historiis, plura & magnifica monasteria D. Benedicti in insulis ædificata fuisse, qualia sunt in Anglia Lindisfarnense, & Elienſe: in Francia Lerinense, & alia quæ enumerant Baronius *tom. 5. anno 398.* Yepes *in chron. Divi Benedicti, centur. 1. c. 3. anno 532.* D. Franc. Vico 3. *p. hist. Sardiniæ, cap. 18. num. 52.* Et Abbo Floriacensis in vita S. Edmundi Regis, & Martyris, apud Surium die 20. Novembris testatur Orientalem Britanniæ partem, quæ Aëstengle vocatur, aquis penè undique allui à Subsolano, & Euro Oceano; ab Aquilone verò immensarum paludum uligine cingi: eæ verò paludes, inquit Sanctus, præbent pluribus monachorum gregibus optatos solitariæ conversationis sinus, quibus inclusis non indigeant solitudine eremi: ex quibus sunt S. monachorum Patris Benedicti cœlibes cœnobitæ in loco celebri hac tempestate. De Italia Leo Hostiensis *lib. 3. cap. 5.* refert in Adriatico mari apud insulam Diomedis quodam nomine vocatam, extitisse monasterium Tremitense: quod 30. circiter milliaribus à terra distaret, cujus formam cùm Desiderius, qui postea Cassinensis Abbas fuit, & Pontifex Maximus Victor tertius inaudisset, impetratâ Abbatis licentiâ illuc perrexit; ibique satis

saris austeræ conversationi se tradens, non parvum tempus exegit : subditque deinde, quomodo idem Desiderius monasterium Maillæ construxisset. Monasterii præsentis in Palmaria Insula constructi meminerunt Yepes, & Victus *ubi proximè*. Unde dum Gregorius hîc agit de monsteriis in insulis constructis, non exaudiendus de insulis amplas provincias habentibus, ut Anglia, Sardinia, Sicilia, & similes ; sed de Insulis, in quibus unicus tantùm est locus solitarius, & mari circundatis intra augustum territorium, ut monasteria constructa in insulis Capraria, & Gorgonia, quorum meminerunt D. Gregorius *lib. 1. epist. 50.* & *lib. 4. epist. 19.* & *60.* Josephus Castald. *in notis ad Rutilium lib. 1. folio 97.* In illis autem propter pericula, solitudinem, & alias difficultates asperior vita erat, quare à Gregorio in præsenti ea dicitur durior congregatio monachorum, ut docuit P. Suarez *tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 3. num. 8.*

COMMENTARIUM.

IN præsenti textu, & *in cap. ad Apostolicam, cap. significatum 11. hoc tit.* agitur de ætate monachorum, seu religiosorum, quæ debet esse legitima, *cap. 1. hoc tit.* Unde exponendum est, quænam dicatur ætas legitima? Et in primis refallendus est error hæreticorum, præcipuè Lutheri *lib. de votis monasticis* ; qui negat, juniores posse admitti ad religionem, sed tantùm oportere viros post 70. aut 80. annos vitam monasticam profiteri. Calvinus etiam *lib. 5. instit. cap. 15. §. 19.* refert olim nefas fuisse ante annos 60. fœminas votum continentiæ emittere. Similiter confessio Augustana *artic. 27.* conqueritur, quòd pueri permittantur religionem ingredi : & expendunt verba illa Pauli 1. *ad Timotheum cap. 5. Adolescentiores viduas devita.* Poterat etiam adducere duos veteres Ecclesiæ canones : primus Synodi Rom. sub Sylvestro, ubi *in can. 10.* Pontifex prohibet velare sanctimoniales ante 72. annos. Secundus Beati Gregorii relatus *in cap. juvenculas 20. q. 1.* ubi Sanctus Doctor vetat sanctimonialem ante 60. annum consecrari. Sed verius est, nullam ætatem ineptam esse Deo se dedicandi, & ita non tantùm adultos, verùm & pueros ritè, & valdè posse ad statum Regularem admitti, ut probant D. Basilius *interrog. 15.* D. Thomas *2. 2. q. 189.* & *opuscul. 17. cap. 3.* Bellarminus *tom. 1. controv. lib. 3. de monachis, cap. 35.* Lessius *in opuscul. de statu vitæ eligendo*, Haæphtenus *disquisit. lib. 4. tract. 5. disquisit. 1.* Sanchez *lib. 4. summæ, cap. 18. numero. 5.* Cellotius *de Hierarch. lib. 7. cap. 6.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 1.* Tamburinus *tom. 1. de jure Abbat. disp. 6. q. 6.* Peyrinis, Vecchis, & alii congesti à Hieronymo Garcia *tom. 1. polit. regul. tract. 2. difficult. 2. dub. 5.* repugnat enim hæreticorum doctrina sacræ Scripturæ, sanctis Patribus, & rationi. Scripturæ, quæ ait *cap. 3. Thren. vers. 27. Bonum est viro cùm portaverit jugum ab adolescentia sua.* Et *cap. 22. Proverb. Adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Et Christus Dominus apud Matthæum, *cap. 19.* ait: *Sinite parvulos, & nolite prohibere eos ad me venire.* Quod exponens Origenes *tom. 2. tract. 7.* ait, quod discipuli Jesu priùs quàm discant rationem justitiæ, reprehendunt eos, qui pueros, & infantes offerunt Christo : Dominus autem exhortatur discipulos suos condescendere utilitatibus puerorum. Præterea is, cui Dominus apud Matthæum *cap. 19.* Lucam *cap. 10.* dixit : *vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me*; adolescens erat. Præterea opponuntur sectarii sanctis Patribus, videlicet D. Hieronymo, qui *epist. 22. ad Eustochium*, refert in cœnobiis fuisse suo tempore homines omnis ætatis, pueros videlicet, & senes. Et D. Ambrosio, qui *lib. 3. de Virginibus*, inquit : *Non ergo ætas reficitur florentur, sed animus examinatur, ac certè Theoclam non senectus, sed virtus probavit. Et hinc quid plura contexam, cùm omnis ætas habilis Deo perfecta sit Christi? Nec mirere in adolescentulis professionem, cùm legeris in parvulis passionem. An dubitamus, si eum usque ad continentiam sequatur adolescentia, quem usque ad mortem confitetur infantia ?* Cui consentit D. Augustinus *de sancta virginitate cap. 39. Sed respice agmina virginum, puerorum, puellarumque sanctarum. In Ecclesia tua eruditum est hoc genus ; illic tibi à maternis uberibus pullulavit ; nomen tuum ad loquendum linguam solvit ; nomen tuum velut lac infantiæ suæ suxit infusum : non potest quisquam ex hoc numero dicere : Qui priùs fuit blasphemus, & persequutor. Immò etiam quod non jussisti, sed tantummodo volentibus arripiendum proposuisti, dicens : Qui potest capere, capiat, arripuerunt, voverunt, & propter regnum cœlorum seipsos (non quia minatus es, sed quia hortatus es) castraverunt.* Et optimè D. Basilius disserens de ætate legitima monachorum, *in reg. fus. disp. interrog. 15.* ait : *Cùm Dominus dicat : Sinite parvulos venire ad me ; & Apostolus eum laudet, qui ab infantia sacras literas didicisset, idemque alio in loco præcipiat, educandos esse filios in disciplina, & correctione Domini : prorsus qui ad nos accedant admittendos nullum non ætatis tempus idoneum esse judicamus ; vel ipsius adeo teneræ, atque ineuntis, ut videlicet qui orbati parentibus sint, eos nostra parte sponte ipsi assumamus, & exemplo Job, parentes pupillorum simus : qui autem sub parentibus sint, eos ab ipsis ad nos adductos multis adhibitis testibus recipiamus, ut non demus occasionem iis, qui volunt occasionem.* Tandem Novatorum doctrina rectæ rationi adversatur; siquidem apud omnes compertum est, quod ut quisque in ullo rerum genere summus evadere possit, à teneris annis accipere debet, ut de Oratore aiebat Quintil. *lib. 1. instit. cap. 3.* & D. Thomas *opuscul. 3.* ita aiebat, qui futuri sunt clerici, mox à pueritia in clericatu erudientur: qui futuri sunt milites, oportet ut à pueritia in militaribus exercitiis nutriantur, sicut Vegetius dicit *in lib. de re milit.* qui futuri sunt fabri, illam artem à pueritia discunt : unde apparet, quàm rationi consonum sit, ut etiam pueri, & adolescentes ad religionis statum admittantur. Nec rectè expendunt Novatores locum illum Apostoli : *Adolescentiores viduas devita.* Siquidem Apostolus ibi non agit de voto continentiæ, sed de viduis, quas Ecclesia alebat ex propriis redditibus, quas tantùm sexagenarias alere jubet. Nec eorum favet errori dicta Synodus Romana, cui duplici modo satisfaciunt Bellarminus *dicto tom. 1. controv. lib. 2. de monach. c. 35.* Haæphtenus *disquisit. monast. lib. 4. tract. 1. disquisit. 1.* Primò asserendo locum esse corruptum, multòque minorem numerum reponendum esse pro 72. Secundo S. Sylvestrum in eo canone agere non de virginibus, sed de viduis ; & ideo asserere, eas diutiùs esse probandas, ut ad

vitam monasticam admittantur, ut probavi *in cap. vidua 4. hoc tit.* Nec tandem obstat textus *in dict. c. juvenculas*; nam ibi D. Gregorius agit, non de puellis ad monasterium admittendis, sed de juvenculis in Abbatissas non eligendis, nisi post sexagesimum annum, ut docuerunt de ætate Abbatissarum, tam ex novo, quàm veteri jure agentes, Barbosa *lib. 1. juris Eccles. cap 45. num. 17.* Julius Lavorus *variar. lucubr. tit. 4. de elect. cap. 24.* Narbona *de ætate, anno 40. q. 2.*

6. Manet ergo, nullam in antiquis Ecclesiæ canonibus præscriptam esse ætatem ad ingressum in monasterium; immò pueros plerumque monasteriis offerri, ut infrà *in cap. cùm virum*, probavimus; aut ipsos vitam monasticam amplecti consuevisse: hoc tamen discrimine adhibito, ut ante pubertatem voluntas parentum tacita, seu expressa desideraretur, juxta adducta suprà *in cap. 2.* post pubertatem verò ipsorum tantùm voluntas expectabatur. Superest, ut de ætate legitima ad professionem, & quænam ætas illi præscripta sit, agamus? Et certè pro temporum, & locorum varietate diversa statuta fuit. *In cap. 1. 20. q. 1.* absolutè docetur, quod tunc firma erit virginitatis professio, ex quo adultè docetur, quod tunc firma erit virginitatis professio, ex quo adulta jam ætas esse cœperit, & quæ solet apta nuptiis deputari, id est pubertas: unde Consultus *in l. 2. ff. de pollicit.* ait: *Voto autem PP. familiarum obligantur puberes sui juris.* Illustrat Narbona *de ætate anno 17. q. 17.* D. Basilius *epist. 2. ad amphilochium, cap. 7.* docet, votum virginitatis emittendum esse supra annum decimum sextum, aut decimum septimum. Synodus Trullana *can. 40.* permittit, professionem fieri anno ætatis decimo: utramque ætatem amplectitur Justinianus *in novel. 6. Leonis.* Pius Papa, & Martyr *in cap. virgines, eadem quæst.* ait, virgines non velentur ante 25. annos, nisi fortè periclitante virginalis pudicitiæ necessitate. Idem firmatur *in Concil. Carthag. 3. can. 4.* relato *in cap. placuit, eadem quæstione.* Arelat. 2. *can. 33.* Turon. 2. *can. 21.* At in Tribur. Concilio *can. 24.* virgo post 12. annum ad religionem admittitur: qui canon refertur à Gratiano *in cap. puellæ 20. q. 2.* Circa monachos etiam pubertatem ad professionem desiderari, constat ex omnibus canonibus, in quibus de filiis oblatis à parentibus agitur, quos dabimus infrà *in cap. cùm simus.* D. Gregorius *in præsenti*, plenam pubertatem, id est 18. annos exigit: cui consentiunt Patres Concilii Tolet. 2. *can. 1.* relati *in cap. de his, 28. dist.* Cœlestinus autem III. *in cap. cùm simus 14. hoc tit.* annos discretionis desiderat, id est pubertatem. Exponit Leo Pinel. *in cap. 2. hoc tit. numero 180.* Et *in cap. 1. hoc tit. Clem. ult. hoc tit.* ætas legitima desideratur, id est pubertas, quæ in masculis datur post 14. annos, in fœminis verò post 12. Hodie tamen post Concilium Tridentini *sess. 25. de regul. cap. 15.* in quacumque religione, tam virorum, quàm fœminarum, professio emitti non potest ante 16. annum expletum, ita ut professio antea facta nullius sit momenti: quod & docuerunt Leo Imperator Philosophus *in novel. 6.* ubi illum, qui sexdecim annos impleverit, tonderi permittit: & D. Basilius *in can. 18. ad Amphiloch.* professiones ab eo tempore factas probat, quo ætas rationis complementum habuerit. *Non enim*, ait Sanctus, *pueriles voces in his ratas esse oportet, & citra judicium pactas temerarias.* Et præcipites professiones tonsuræ monasticæ habitum ignominiâ afficere, docetur *in Synodo Constantinop. can. 2.* Prosequuntur Narbona, Leo Pinellus, alii suprà citati. Bruno Chassaing. *de Privil. regul. tract. 4. cap. 6. propos. 3.* Menardus *ad concord. regul. fol. 990.*

CAPUT VII.

Alex. III. (a) *Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis per Galliam constitutis.*

NOn est vobis dubium, aut incertum, quomodo fratres religiosi (b) Cistrensis Ordinis ea religione permaneant, & virtute, quòd ex institutione PP. & prædecessorum nostrorum ii, qui in eorum (c) monasteriis professionem faciunt, sine Abbatis sui licentia prohibentur de claustro discedere, & discedentes in aliis monasteriis recipi. Inde est, quod eandem institutionem nos non solùm amicam religioni, sed etiam rationi consonam solicitè conservare volentes, universitati vestræ p. A. s. p. m. quat. monachos, vel (d) conversos conscripti Ordinis post factam monasterii professionem sine licentia Abbatum suorum per Episcopatus vestros recipi nullatenus permittatis, & si qui ex eis fuerint, qui sine licentia Abbatum suorum de monasterio, in quo professionem fecerint, exire præsumpserint, & commonitia d sua monasteria celeriter non redierint, eos tamdiu ap. rem. censurâ ecclesiasticâ percellatis, donec ad monasteria unde exierint, regredi compellantur.

NOTÆ.

1. (a) *Archiepiscopis.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* ex qua litteram hujus textus transcribo.

(b) *Cistrensis.*] Legendum est *Cistercienses*, de quo præclaro Ordine, & privilegiis à Romana Sede illi concessis egi *in cap. 6. de rescript.*

(c) *In monasteriis recipi.*] Juxta tradita suprà *in cap. 5.*

(d) *Vel conversos.*] Circa quos major dubitatio erat, quia professionem solennem non emittebant, & assumebantur cum voluntate Episcopi; ita ut in eorum potestate semper essent, ut refert Manrique *annal. Cisterc. anno 1134. cap. 6.* quare Innocentius II. concessit privilegium Cistecienfibus, ne Episcopi possent retinere hujusmodi conversos, his verbis: *Porrò conversos vestros, qui monachi non sunt, post factam in vestris cœnobiis*

cœnobiis professionem nullus Archiepiscoporum, vel Abbatum sine vestra grata licentia suscipere, aut susceptum retinere præsumat. Refert Manrique *anno* 1137. *cap.* 1. *num.* 5. de conversorum gradu egimus *in cap. in præsentia, de probat.* & commentarium hujus textus dabimus infrà, *in cap. final.*

CAPUT VIII.

Alex. III. *Magistro Fidantiæ Canonico Civit.*

ADnostram noveris audientiam pervenisse, quod (b) Eremitæ de monte Foliano quosdam pueros intra biennium in tantùm (c) seduxerunt, quod quidam illorum suasionibus eorum assensum præbentes, ad Ecclesias ipsorum accesserunt. Qui cùm statim religionis habitum induissent, unus prædictorum puerorum T. nomine statim pœnitens, quòd habitum suscepisset, id quod fecerat, suis parentibus intimavit, qui ad locum ipsum morâ postpositâ accedentes, eum exinde traxerunt: & cùm non stetisset ibi, nisi per unam noctem, ut accepimus, præfati Eremitæ, & quidam alii eum non permittunt quandam puellam ducere in uxorem, quam ipse juravit in uxorem accipere, ac sicut dicitur, desponsavit. Quocirca d. t. p. A. s. p. m. quat. rei veritate inquisitâ diligenter, ac cognitâ, si tibi constiterit, quod præfatus T. ante consummationem XIV. anni habitum ipsum sine probatione susceperit, & susceptum habitum deposuit; aut si post XIV. annum habitum ipsum sine probatione susceperit, & infra triduum deposuit, eum ab impetitione prædictorum Eremitarum, vel aliorum in hac parte oc. & ex ap. cess. penitus absolutum; & eam quam juravit accipere in uxorem, liberè posse traducere in uxorem, si alia rationabilis causa non impedit, denuncies.

NOTÆ.

1. (a) *Lex. III.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 8. sed cùm triplex Ecclesia Cathedralis hujus nominis reperiatur, alia in Hispaniâ, vulgò dicta *Ciudad Rodrigo*, de qua egi *in cap. auditis, de præscript.* alia in Sardinia, aliaque dicta civitas Castellæ in Italia, non potest certò affirmari, de qua ex eis in præsenti agatur, & per consequens de quibus Eremitis præsens quæstio inciderit.

2. (b) *Eremitæ.*] Eremita latinâ dicitur homo degens in contemplatione, & perfectione, ut probat Ricciulus *lib.* 3. *lucubr. tit. de Eremitis*: & licèt valde differat eremita à monacho, ita ut jura loquentia de monachis non comprehendant eremitas, *cap. unic. in fine, de excess. Prælat. lib.* 6. ubi Geminianus *num.* 5. tamen Religiosi etiam habitantes in cœnobiis constructis in locis desertis, quæ suo vivendi modo profitentur separationem ab hominum communione, appellari cœperunt Eremitæ, *cap. cùm monasterium* 13. *de elect. cap. penult. de verb. sign. lib.* 6. tales fuerunt olim Religiosi Sanctorum Basilii, Augustini, & Benedicti, ut probant Ricciulus *dicto lib.* 3. *cap.* 1. Marquez *in orig. Eremit.* Hæphtenus *disquisit. monast. lib.* 2. *tract.* 7. *disquis.* 3. Unde eremitas in præsenti accipio, non pro eremitis tantùm, sed pro monachis in eremo degentibus, qui certam profitebantur regulam, juxta quam vivebant.

3. (c) *Seduxerunt.*] Ingressus in monasterium liber, spontaneusque esse debet, *cap. præsens, cap. final.* 20. *q.* 1. de coactione prorsus arcenda à regulari professione egi *in cap. hoc tit.* An verò dolus, qui dedit causam ingressui, & professioni reddat actum ullum, quæritur solet? Et aliqui affirmant, professionem efficacem esse, *ex cap. veniens, cap. ex parte, cap. dudum, de convers. conjug. cap. cùm dilectus, de his quæ vi*: quia læsus dici non potest qui se Deo conjunxit, *cap. illud* 20. *q.* 1. unde aiebat Apostolus ad Corinthios *cap.* 9. *Factus sum Judæis tanquam Judæis, ut Judeos lucrarer.* Et 2. *ad Corinth. cap.* 22. *Ego vos non gravavi, sed cùm essem astutus, dolo cepi vos.* Sed contrarium, & meritò, defendit Joannes Stephanus Durantius *qq. juris q.* 4. nam in jure vis, metus, & dolus æquiparantur, *cap.* 1. 15. *q.* 6. Igitur sicut professio metu facta nulla est, ita & quæ per dolum, & fraudem annullatur. Deinde quia dolus dans causam contractui bonæ fidei, illum ipso jure nullum reddit, *l. & eleganter. ff. de dolo*: sed professio contractus est bonæ fidei, *cap. viduas* 27. *q.* 1. Igitur dolus eam nullam reddit. Nec contrarium probatur *in dicto cap. veniens*; nam ibi mulier, quæ intendebat repetere maritum, non auditur quia adulterium commisit; aliàs si contrarium constaret, maritum repetere. Nec etiam obstat textus *in dicto cap. ex parte*; nam in ejus specie mulier, quæ velata fuerat, ex falsa causa credens sponsum leprâ percussum; nihilominus in religione permanere volebat & ita liberè consentiebat. Nec etiam favent contrariæ sententiæ textus *in dicto cap. dudum, dicto cap. cùm dilectus*; nam in eis non agitur de dolo, qui professioni causam dederat; sed de vana illusione, & inductione, quæ pro dolo non habetur.

COMMENTARIUM.

TExtus hic explicandus est ex notatis *in cap.* 2. & 4. *hoc tit.* Jubet enim in eo Alexander III. quod si impubes habitum susceperit monachalem, id est professionem emiserit ante XIV. annos, & habitum deposuerit, posse eum uxorem accipere; quia in ea ætate professionem emittere non valebat, juxta tradita suprà *in cap. quia in insulis*; & parentes poterant ipsum repetere, ut probavi suprà *in cap.* 2. Si autem pubes habitum

habitum ipsum induisset, & per triennium detulisset, non poterat amplius illum exuere, & ad seculum redire. Desideratur autem in præsenti casu delatio habitus per triennium; quia cùm nullâ probatione præcedente illum induisset, non poterat tacitè professus videri, ut eveniret, si jam ingressus monasterium habitum illum professorum induisset, ut probavi *in capite* 4. *hoc. tit.* ubi *num. final* textum hunc exposui.

CAPUT IX.

Idem (a) *Helienſi Epiſcopo.*

SUper eo, quod quæsitum est à nobis ex parte tua, utrum (b) sacerdotes, qui religionis habitum susceperint, & antequam essent vinculo professionis adstricti, ad priorem statum sunt (c) reversi, permittendi sint Ecclesias, & curam animarum habere: & an alii (d) clerici, si monasticum habitum ante oblatum (e) professionis libellum deseruerint, ad sacros Ordines promoveri, & ad gubernationem Ecclesiarum possint assumi, s. t. taliter respondemus, quod si austeritatem religionis, ad quam migrasse noscuntur, servare noluerint, ad minorem religionem cogendi sunt pertransire, nec ampliùs in Ecclesiis secularibus debent assumi, ne contra votum suum, quod Domino fecerunt, in animarum suarum periculum comprobentur venire. Verùm si ante susceptum habitum positi in probatione recedere voluerint, secundùm regulam B. Benedicti non videntur prohiberi ad priorem statum redire: sed videtur regula vestra præcipere, ut in eadem veste redeant, in qua veniunt.

NOTÆ.

1. (a) *Helienſi.*] In prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 9. legitur *Liernenſi*, & etiam *in cap.* 1. *de converſ. conjug. in eadem collect.* ubi extat alia pars hujus textus, legitur *Illaren.* post Concilium autem Lateran. *p.* 21. *cap.* 2. habetur, *Ereforդienſi:* sed legendum est, *Helienſi*, ut in hac sexta collectione legitur, de qua diœcesi egi *in cap. paſtoralis, de reſcript.*

(b) *Sacerdotes.*] Clericos posse vitam monasticam profiteri, probavi *in cap.* 3. *hoc tit.*

2. (c) *Sunt reverſi.*] Ob hoc periculum reditus ad seculum, tum ut eorum probetur constantia, jubet D. Benedictus *cap.* 6. *ſuæ regulæ*, ut non ita facilè ingressus ad vitam monasticam concedatur clericis ac laicis: notat, & illustrat Haæphtenus *lib.* 4. *diſquiſit. monaſt. tract.* 2. *diſquiſ.* 4. ubi de ritibus observatis apud veteres in admissione clerici ad monachatum agit.

(d) *Clerici.*] In minoribus gradibus constituti.

3. (e) *Profeſſionis libellum.*] Professionem in scriptis esse faciendum, supra probavi *in cap. vidua*, cujus formam ex Theodemaro Abbate refert Haæphtenus *d. diſquiſit* 4. in hæc verba: *In nomine Domini promitto me N. in ſacro monaſterio B. Martyris, ſive Confeſſoris N. ſecundùm inſtituta B. Benedicti coram Deo, & Angelis ejus, præſente etiam Abbate noſtro N. omnibus diebus meis in hoc ſancto monaſterio amodò, & deinceps perſeveraturum, & in omni obedientia quodcumque mihi præceptum fuerit, obediturum. Ego enim hanc promiſſionem à me factam manu propria coram teſtibus ſcripſi, & roboravi.*

COMMENTARIUM.

4. IN hoc textu, & *in cap. conſulti, cap. poſtulaſti, hoc tit.* agitur de illis, qui monasticam vitam deserunt, & nondum elapso probationis tempore, ante professionem, vel post ad seculum redeunt: & quæritur, an sinendi sint ad pristinum statum redire, & in gradu antiquo, si clerici erant, ministrare, vel omnino cogendi in eadem, vel alia laxiori religione perseverare? Et licèt hanc quæstionem ad hodiernam praxin, tam in foro interno, quàm externo doctè exposuerint plures relati à Barbosa *in præſens*, Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 1. *de eſſentia voti, cap.* 2. Sanchez *lib.* 4. *ſummæ, cap.* 1. *num.* 20. Tamburinus *de jure Abbat. tom.* 3. *diſput.* 9. *quæſt.* 8. Sanchez *de matrim. lib.* 7. *diſp.* 31 *in fine.* Portel. *in dubiis regular. verbo Novitius, num.* 29. Peyrinis, Lezana, & alii relati à Hieronymo Garcia *tom.* 1. *polit. regul. tract.* 2. *difficult.* 5. *dub.* 7. tamen pro ipsorum jurium illustratione, quid tam antiqui, quàm noviores canones circa hoc statuerint, exponendum est. Et primò scire oportet, eos, qui olim vitam monasticam profiteri cupiebant, probari primò ad portam monasterii per aliquot dies. Cassianus *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 3. ibid: *Ambiens quis in cœnobii diſciplinam recipi, non antè prorsus admittitur, quam diebus decem, vel eo ampliùs, pro foribus excubans, indicium perſeverantiæ, ac deſiderii ſui, paruerque humilitatis, ac patientiæ demonſtraverit.* Et S. Fructuosus Episcopus in sua regula, *cap.* 4. ibid: *Qui religionis obtentu monaſterium ingredi petunt, primùm ante fores tribus diebus, & noctibus excubent, & ex induſtria jugiter ab hebdomadariis exprobrentur.* S. Pachomius *art.* 26. *ſuæ regulæ*, ibid: *Si quis acceſſerit ad oſtium monaſterii, volens ſeculo renunciare, & fratrum congregari numero, non habebit intrandi poteſtatem, ſed priùs nuntiabitur patri monaſterii, & manebit paucis diebus foris ante januam.* Quam probationem servatam fuisse cum S. Simeone Stylita, refertur in ejus vita, *tom.* 1. *vit. PP.* Sequebatur tunc alia probatio in cella hospitum. Cassianus *inſtit. cap.* 7. ibid: *Suſceptus non ſtatim in congregatione fratrum commiſceri permittatur, ſed deputetur ſeniori, qui ſeorsum, aut longè à veſtibulo monaſterii commanens, habet curam peregrinorum, & audientiam deputatam, eiſque omnem diligentiam ſuſceptionis, & humanitatis impendit.* Quæ secunda probatio juxta ipsum Cassianum per

per integrum annum durabat, *dicto cap.* 7. ibid: *Cùm ibidem integro anno deserviens absque ulla querela suum circa peregrinos exhibuerit famulatum, imbutus per hoc prima institutione humilitatis, & patientiæ, admiscendus ex hoc congregationi fratrum, alii traditur seniori.* Isidorus tres assignat menses in regula monach. his verbis: *Qui renuncians sæculo ad monasterium venerit, non statim in cœtum deligendus est monachorum; vitam enim uniuscujusque in hospitalitatis servitium tribus mensibus considerari oportet, quibus peractis ad cœtum sanctæ congregationis accedet. Nec enim intus suscipi quemquam convenit, nisi prius foris positus, ejus humilitas, sive patientia comprobetur.* Tertia probatio fit in cella novitiorum, ubi regula prælegenda ei est tertiò, nimirum ut illâ ei bene cognitâ, prudenter deliberare, & etiam statuere possit, num illam servare, illique se obstringere velit: quare etiam indicatur illi libertas recedendi, si velit. *Legatur, inquit S. Benedictus, cap.* 28. *ei hæc regula per ordinem, & dicatur ei: Ecce lex, sub qua militare vis, si potes servare, ingredere; si non potes, libere discedas.* Eandem regulæ prælectionem novitio faciendam statuerunt Machariu s *in sua regula*, ibid: *Si quis voluerit ad monasterium converti, regula ei introeunti legatur, & omnes actus monasterii illi pateſiant.* Ferreolus *cap.* 5. *regulæ*, ibi: *Post hoc monasterii regula Abbatis jussione novitio legatur, ut in posterum nihil novum, nihil insitatum, aut si discessurus præterea, aut si permansurus agnoscat.* Sanctus Aurelianus *cap.* 1. ait: *Hoc jubente Deo in primis statuimus tenendum, ut si quis ad conversionem venerit, regula ei in salutatorio legatur; & si professus fuerit, se omnia impleturum, tunc excipiatur.* Salutatorium intelligit sanctum locum excipiendis hospitum, & secularium colloquiis deputatum. Frequenrior ejus usus in monasteriis Monialium reperitur: sic accipiunt PP. Concilii Matiscon 1. *can*, 2. cùm vetant ne clerici, aut laici puellarum monasteria extra salutatorium, aut oratorium ingredi permittantur. Sanctus Cæsarius quoque præscribit *in regul. sanctimon. cap.* 18. ibi: *Quæcunque ad conversionem venerit in salutatorio, ei frequentius regula relegatur.* Porrò eadem voce sacristiam, sive sacrarium significari scriptores non pauci nos docent. Cassiodorus *hist. tripartit. lib.* 10. *cap.* 30. ibi: *Inveniens* (Theodosius) *Antistitem in salutatorio residentem.* Eadem habet Paulus Diaconus *lib.* 13. Gregorius Magnus *lib.* 4. *epist.* 54. Maximano Episcopo scribens: *Procedens à salutatorio ad sacra Missarum solennia celebranda, peractis verò Missis, id in salutatorio rursus curabitis deponere.* Gregorius Turon. *lib.* 2. *cap.* 21. *Ipsi sacerdoti in ipso, quod modò salutatorium dicitur, mansio erat; atque ad gratias Deo tempore nocturno reddendas, ad altarium Ecclesiæ consurgebat.* Vide eundem *lib.* 7. *cap.* 22. latè illustrant Savarus *ad Sidonium lib.* 5. *epist.* 17. Gibalinus *de clausura regul. disquisit.* 1. *cap* 2. §. 15. qui locus probationis etiam pulsatorium dicebatur *can.* 73. *Synod. Aquisgran.* ibid: *Et ad monasteria venientes, primò in pulsatorio probentur, & sic recipiantur.* Observat Cironius *lib.* 4. *obs. cap.* 2. & notarunt Gibalinus *d. disquis.* 2. §. 14. Lantdmeter. *de veteri cleric. lib.* 2. *cap.* 5. De tempore hujus probationis, quòd vulgo dicitur novitiatus, infra agemus *in cap. ad Apostolicam.*

5. Secundò sciendum est, olim novitios probatos fuisse cum ipsis vestibus secularibus, nec eos, nisi expleto tyrocinii tempore habitum induisse. D Benedictus *in cap.* 58. *suæ regulæ*, ibi: *Mox ergo in oratorio exuatur rebus propriis, quibus vestitus est, & induatur rebus monasterii.* Smaragdus *in sua regula, cap.* 58. ibid: *Dixerunt enim, nisi expleto anno, nullus mutare habitum permittatur.* Cæsario Arelat. *cap.* 3. *regulæ. Sed uni ex senioribus tradita, anno integro in eo, quo venit, habitu perseveret.* Sanctus Fructuosus Episcopus *cap.* 18. *suæ regulæ*, ibi: *In monasterium sub regula introducatur, & annum integrum à cunctis fratribus ex industria convitiis comprobetur, & postquàm probatus in cunctis obediens fuerit, exuatur secularibus vestibus, & induatur monasterii rebus simplicibus.* Sanctus Ephrem *tom.* 2. *paræneſi* 17. *Frater*, inquit, *dignus es habitus sancto indumento monastico, ne extollaris adversus expectantes in futurum annum.* Concilium Aurel. 5. *can.* 19. *novel.* 5. *Justin. cap.* 2. *in addit.* 1. *capitul. tit.* 34. legitur: *Expleto autem probationis suæ anno, secundum quod regula præcipit, inde faciet; ipse verò nec tondeatur, nec vestimenta pristina mutet priùs quàm obedientia promittat.* Quæ verba reperiuntur in Concilio Aquisgran. *can.* 34. *cap. legem*, 53. *dist. cap. super eo, hoc tit.* D. Gregorio *lib.* 7. *epist.* 11. & in Synodo Romana, cujus acta reperiuntur *lib.* 4. *ejusdem regestr. cap.* 44. ibi: *Servos Ecclesiæ, & milites, qui ad Dei servitium converti voluerint, priùs in laico proventu.* Quem canonem ex eodem Gregorio retulerunt PP. Concilii Tribur. *can.* 29. & Bonifacius, ut ex ipso refert Gratianus *in cap. final.* 17. *q.* 2. Causam verò hujus moris eam crediderim, ut libertati novitiorum consulerentur, eoque minori cum nota monasterio egredi possent, quòd nunquam monasticum habitum detulissent; idque publicè ex eo constaret, quòd secularibus semper induti fuissent vestibus. Perseveravit autem, vel restitutus est hic mos in Ordine Cistercienſi tempore Sancti Bernardi. Ipse enim ad Robertum nepotem scribens, ita ait *epist.* 1. *Multis, si meministi, lachrimis diu expectatam impetrasti misericordiam, & quem satis desideraveras, ingressum obtinuisti. Post hæc per annum juxta regulam in omni patientia probatus, perseveranter, & sine querela conversatus, post annum sponte professus, tunc primùm sæculari veste relictâ religionis habitu suscepisti.* Posterioribus autem temporibus, cùm videretur multis inconveniens, ut qui integro tyrocinii anno cum monachis versabantur, iisdemque mancipabantur exercitiis, habitu ab iis distinguerentur, generaliter quasi recepta fuit ea quæ hodie viget consuetudo mutandi vestem in ipsa novitiatus susceptione; quod posterioribus Ordinibus commune est. Et probabili ratione non caret; nam monastici habitus gestatio ad nonnullam quoque austeritatem Ordinis, quam experiri debeant novitii, pertinet: laneis enim ad carnem indui, in vestibus dormire, contemptibilem sæculo deferre habitum, quis neget rigorem aliquem continere, quem meritò ante professionem novitius experiatur? Et jam olim ita Benedictinos fecisse, constat: Paulus enim Diaconus ait *in cap.* 58. *regul. S. Benedicti, apud Boerium: Si post duorum mensium curriculum, prælectâ sibi regulâ, novitius dicat, se stare velle, post istos duos menses debet radi. Nos autem* (verba sunt Benedicti Cassinensis) *de consuetudine moderna, utinam rationabili, in ipso ingressu probationis & radimus, & tonsuramus, & habitum induimus; non tamen benedictum. Et licet ista consuetudo non reprobetur à jure, tamen consultius videtur opinionem dicti Pauli sequi.* Subjungit porrò Boërius: *Et credo benefactum, si in initio proba-*

probationis tradantur ei vestes, tonsura, & clausura regularis, ut probetur per annum in eis, & aliis duris, & asperis observationibus Ordinis. Illustrant Vivar. *de veteri mon. lib. 2. cap. 6. num. 31.* Gibalinus *de clausura disquisit. 2. cap. 2. §. 3. num. 63.* Menardus *ad concord. regul. cap. 65. §. 1.*

6. Tertò sciendum est, tyrocinio expleto, novitium votis emissis induere habitum monasticum simul cum tonsura, à quo tempore, ut verè professus, non poterat deserere propositum, & religionem, nec ad seculum redire. Concilium Roman. sub Eugenio II. & Leone IV. *cap. 28.* ibi: *Qui semel se Deo voverunt, & habitum monasticum ostenderunt, vel comas totonderunt, regularem teneant vitam.* Et *cap. propositum,* ibi: *Propositum monachi proprio arbitrio, aut voluntate susceptum deserere non possunt absque peccato. 20. q. 3.* Concilium Tribur. *can. 26. Si monachus fugâ regularis disciplinæ elapsus propositum sanctitatis calcaverit, omnimodis coërcendus, & ab hominibus detestandus, atque omni onere est gravandus, ut saltem rubore verecundiæ confusus, & onere paupertatis afflictus, redeat, quem relictâ singularis vitæ professione inimicus tenebat: si autem tam irreverens, & pertinax est, ut ad monasterium reddire, & propositum monachi reluctaverit observare, impleantur super eum constituta, quæ de eo scripta sunt in sancto canone in Concilio Calced. cap. 4. Papæ Siricii IV. Leonis XXVI. quatenus retrusus ergastulo, decoqui possit pœnitudinis igne purgatorio.* Bituric. *can. 23.* apùd Synodum Lemovic. *act. 2. Qui voluntarii, & secundum regulam sancti Benedicti habitum monachi susceperunt, & postea voluntarii dereliquerunt, communione fidelium priventur usque ad dignam emendationem: & si Abbates, vel alii monachi volunt eos suscipere, maneant cum clericis in monasteriis, vel apud clericos in habitu monastico, & reverentia, atque abstinentia* Refert Antonius Augustinus *in epit. jur. lib. 9. tit. 31.* illustrat Balsamon *in can. 5. Synodi Constantinop.* Suscepto ergo habitu, quia tunc emittebat monachus vota substantialia, manebat ille obligatus religioni, non tamen reciprocè obligabatur ei religio, sed necesse illi erat alteram subire probationem, juxta Cassianum *lib. 1. Instit. cap. 6.* ibi: *Ut si quoddam ex eo murmurationis vitium, vel parvæ cujuslibet inobedientiæ culpam processisse deprehenderint, exuentes eum monasterii, quibus indutus fuerat, vestimentis, & antiquis revestitum, quæ fuerant sequestrata, depellant.* In hac secunda probatione videtur fuisse Abbacyrus apud Climacum *gradu 4.* qui interrogatus ex qua causâ contumelias pateretur quotidie, ita ut nonnunquam è mensa fugaretur à ministris, respondit: *Probant me PP. mei, utrum monachus esse cupiam; quam ego Patris, & aliorum intentionem intelligens, levissimè, & sine ulla molestia omnia tolero. Et ecce decimumquintum jam annum ego istud cogitans ago, sicut & ipsi dixerunt mihi, quando in monasterium intravi, quod usque ad trigesimum annum renunciantes probare solerent.* Similem ferè formam observat hodie Societas Jesu, quæ clericos suos post biennii probationem admittit ad votorum emissionem, quâ veri religiosi fiunt, ac obligati Societati: Non est tamen hæc obligatio reciproca; nam potest eos Societas dimittere absque injuria, etiamsi alia causa non subsit, quàm quod tractu temporis deprehendantur ejus instituto minùs convenire. Quam praxin juxta constitutionem Sancti Ignatii *p. 2. cap. 1.* & *in examin. cap. 1.* firmarunt Julius III. Paulus III. Gregorius XIII. & probant, ac defendunt Lessius *de justitia cap. 41. dub. 14.* Petrus de Ribadeneyra *in tract. ration. instit. cap. 13.* Pater Suarez *tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 3. cap. 3. num. 10.* & *cap. 9. num. 10.* Lantdmeter. *lib. 2. de veteri mon. p. 2. cap. 5.* Sanchez *in Decalog. tom. 2. lib. 6. cap. 9. num. 60.* Castropalao *tom. 3. disput. 2. punct. 3. num. 2.* Pellizarius *in man. reg. tom. 1. tract. 3. cap. 5. sect. 1. num. 4.* Peractâ igitur prædictâ ultima probatione, professio solennis emittebatur in scriptis juxta formam suprà relatam.

Quibus ita animadversis exponendus venit præsens textus, in quo consultus fuit Alexand. III. 7.
Primò de sacerdotibus qui expleto tyrocinii tempore habitum monasticum susceperunt, sed antequam professione reciprocâ essent obstricti, ad priorem statum revertì cupiebant, de quibus ait Alexand. III. quod si austeritatem Religionis, ad quam migrasse noscuntur, servare noluerint, ad minorem religionem cogendi sunt pertransire, nec ampliùs in Ecclesiis secularibus debent assumi, ne contra votum suum, quod Domino fecerunt, in animarum suarum periculum comprobentur venire. Quæ verba accipienda sunt juxta suprà tradita, de illis, qui expleto suæ probationis tempore habitum religionis cum emissione voti induerunt; qui licèt adhuc professione reciproca obstricti non essent, tamen deserere regularem vitam nequibant, contra votum emissum in susceptione habitus; sed ex indulgentia illis permittit Alexander, ut in alia laxiori religione votum implere, & degere possint. Idem tacitè respondit Pontifex de aliis clericis, qui monasticum habitum ante oblatum professionis libellum deseruerunt, id est qui peracto suæ probationis tempore, habitum induerunt, sed nondum solennem professionem scripto fecerant, ut reciprocam professionem emitterent. Inter quem casum, & priorem illud tantùm interest, quòd in priori de sacerdotibus habitum deserentibus; in hoc secundo de clericis adhuc Ecclesias habentibus, sed in minoribus gradibus constitutis agitur; ideo sub uno responso utrumque casum resoluti Pontifex, adjicit tamen: *Verùm si ante susceptum habitum positi in probatione recedere voluerint, secundum regulam B. Benedicti non videntur prohiberi ad priorem statum redire.* In quibus verbis expresse agit Alexander de novitiis, qui adhuc in vestibus laicalibus probabantur; qui cùm nullam professionem fecissent per susceptionem habitus, & voti emissionem, libere poterant ad seculum redire, quia nullo voti, aut professionis vinculo adhuc tenebantur. Et hæc ni fallor, est vera hujus textus interpretatio.

Sed cùm jam temporibus Innocentii III. in 8.
usu esse cœpisset in Ordinibus Mendicantibus didistinctio habitus novitiorum, & professorum, & solerent tempore ingressûs in religionem novitii induere habitum proprium ipsius Religionis; ideo consultus Innocentius III. *in cap. consulti, hoc tit.* de novitiis, qui habitum novitiorum receperunt, sed quia adhuc professionem non emiserant, volebant ad seculum redire; sub distinctione ita respondet: ut si cùm novitii, qui habitum susceperunt; proposuerunt absolutè vitam mutare vovendo in communi statum religiosum, tunc etiamsi professionem non emiserint, in ea, vel alia religione cogendos eos esse propositum, id est votum adimplere; si autem condi-

conditionaliter habitum susceperunt, ut si placuisset vita monastica, eam profiterentur; si verò displicuisset, ad seculum redirent, posse eos ad seculum redire, qui nullum votum in communi, aut particulari emiserunt. Quod facilius procedere in eo, qui in minori ætate habitum novitii suscepit, respondet idem Innocentius *in cap. postulasti, sequenti.* Ut autem in adultis omnis ambigendi collatio tollatur, an susceperint habitum novitiorum cum proposito, id est voto absoluto religionis; an verò conditionaliter, si placeat status monasticus, cavit Innocentius, ut novitius tempore susceptionis habitus protestetur, se cum absoluto proposito profitendi habitum in Religione non suscipere; quam protestationem insuper habuit, atque eâ etiam non factâ, posse novitium habitum jam susceptum deserere, & ad seculum redire, in similibus casibus decrevit Honorius III. *in cap. 1. hoc tit. in 5. compil.* his verbis: [Literas, quas super negotio Joannis scholaris Bonon. quod vestro duxeramus examini committendum, vestra nobis devotio destinavit, benignè recepimus, & earum tenore pleno concepimus intellectu, dil. fil. Magistro Petro procuratore scholaris ipsius, eum infra probationis tempus ab ordine Prædicatorum exiisse, firmiter asserente. Ideoque disc. v. mandamus, quatenus si vobis constiterit, memoratum I. nullâ factâ professione ab Ordine jamdicto infra tempus probationis exiisse, denuntietis ipsum ad observationem ejusdem, vel alterius Ordinis non teneri.] Et *cap. penult. in eadem collect.* [Dilectus filius I. Canonicus Sedun. in nostra proposuit præsentia constitutus, quod idem in monasterio de Senterio Cisterciensis Ordinis simpliciter, & sine quâlibet protestatione intravit: sed idem non valens asperitatem Ordinis sustinere, exinde infra tempus probationi præfixum exivit: unde postulavit à nobis, ut cùm ibi professionem non fecerit, super hoc ab ejus conscientia dignaremur totius dubitationis scrupulum removere. Ideoque mandamus, quatenus si vobis constiterit de præmissis, ipsum I. denuntietis ad prædicti Ordinis, vel alterius observantiam occasione hujusmodi non teneri.] Quod hodie post Concilium Tridentinum observatur, ita ut quicunque novitius tempore probationis, id est durante anno novitiatus, possit resilire, relictoque monachali habitu, ad seculum redire. An tamen ipsi, sicut validè, ita & licitè faciant deserendo statum susceptum; alii disputant.

CAPUT X.

Idem (a) *Ambian. Episcopo.*

SAnè de canonico, qui in Ecclesia (b) Aromanc. professionem fecerat, & ab ea fugerat, à quodam Abbate recepto in monachum, id tuæ f. significamus, quod si locus ubi nunc permanet, majoris est religionis, quàm Ecclesia Aromanc. ipsum in eodem loco cum pura conscientia remanere permittas, alioquin eum ad priorem Ecclesiam redire compellas.

NOTÆ.

(a) *Ambian.*] In prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 10. legitur *Abiatino*; sed malè, quia in ea adjicitur *pars capitis. Quoad Sedem*: unde deducitur, in præsenti referri partem textus *in cap. quoad Sedem 2. de frigidis*, cujus epigraphe est, *Ambianensi Episcopo*, de qua diœcesi egi *in cap. 17. de rescript.* Alia pars hujus textus extat *in cap. ad hæc, de decimis.*

(b) *Aromanc.*] Aromanchensis Ecclesia est in Provincia Rhemensi Canonicorum Regularium Ordinis D. Augustini, ut refert Pennotus *lib. 2. hist. canonic. Regul. cap. 33. num. 5.*

Commentarium hujus textus dabimus *in cap. licèt, infrà hoc tit.*

CAPUT XI.

Idem (a) *Belvac. Episcopo.*

SIgnificatum est nobis, & pro certo monstratum, quod Guiboldus nondum incipiens esse XIV. (b) annorum, timore magistri, qui cum literas erudiebat, habitum Religionis apud Ecclesiam de Resone suscepit, & inde, sicut puer, infrà annum exivit, & per seculi vanitates jam sex annis, & eo amplius vagabundus discurrit. Unde quoniam hujus rei veritas nobis non constat, f. t. per A. f. m. quat. rem ipsam diligenter inquiras; & si inveneris, quod non fuisset à parentibus oblatus, nec inceperit esse quatuordecim annorum, quando ad Religionem accessit, si in seculo voluerit remanere, eum ab illo voto professionis, quod fecit, auctoritate Pontificali absolvas, & absolutionem ejus, tam Ecclesiæ de Resone, quàm populo tuæ civitatis studeas publicare. Si autem à parentibus fortè fuerit oblatus, seu XIV annum compleverit, cùm Religionem intravit, sive post XIV. annum professionem à se factam ratam habuerit, eum ad eandem, vel ad aliam Religionem omni cum districtione compellas.

NOTÆ.

(a) *Belvac.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 11. ex qua restituo integram hujus textus. De Belvac. Ecclesia agemus *in capite* 3. *de foro competenti.*

(b) *XIV. annorum.*] Juxta adducta suprà *in cap.* 2. *cap. quia in insulis.*

CAPUT XII.

(a) Clemens.

CUm virum te prudentem in causis fore noverimus, & discretum, si in quibus dubitas, à nobis consilium solicitudine pastorali requiris, & tibi de jure canonico, quod possumus, respondemus, & prudentiam tuam dignis in Domino laudibus commendamus. Curasti siquidem tuâ nobis insinuatione proponere, utrum ea, quæ infra discretionis (b) annos à parentibus monasterio tradita est, & habitum religionis induens, benedictionem accepit, & exiens postmodùm, cuidam se militi copulavit, ex quo etiam prolem suscepit, ad monasterium redire cogatur, cùm illa asserat, postquam ætatem consentiendi habuit, dissensisse, & benedictionis munus invitam suscepisse commemoret. Super eo consultationi tuæ duximus respondendum, quod cùm juxta Concilii (c) Toletani censuram, monachum aut paterna devotio, aut propria professio faciat, quicquid horum fuerit allegatum, tenebit, revertendi ad seculum aditu penitus interdicto: non enim videtur illa monasticæ professionis à se posse jugum excutere, cùm eam non constet evidenter contradixisse, cùm benedictionem accepit, quam utique non nisi in ætate discretionis recipiunt, quæ velantur, præsertim si ratihabitione sequenti, etsi eam quandoque contradixisse constiterit, quod antè gestum est, roboratur. Nec obloquitur quod de sancti viri prædecessoris nostri (d) Leonis Papæ constitutione per contrarium sensum assumitur, ut puellæ, quæ coactæ parentum imperio virginitatis habitum susceperunt, ipsum possint sine prævaricatione deserere, cùm de ea possit intelligi, quæ in ætate nubili noscitur constituta: tunc enim quia liberum arbitrium habet in electione propositi, parentum sequi non cogitur voluntatem.

NOTÆ.

(a) *Lemens.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. nullibi tamen exprimitur Prælatus, cui rescribat Pontifex, quod & in aliis decisionibus ipsius Pontificis frequentiùs notavi.

(b) *Discretionis annos.*] Id est xij. annos, ut expositi suprà *in cap. quia in insulis.*

(c) *Toletani.*] Relati *in cap. monachum*, 20. *quæst.* 1.

(d) *Leonis.*] Relati *in cap. puellæ*, 20. *q.* 1.

COMMENTARIUM.

1. *Conclusio deducitur & probatur.*

EX his duabus decisionibus communiter talis deducitur assertio: *Impubes à parentibus monasterio oblatus, si post pubertatem non reclamaverit, non potest inde resilire.* Probant eam textus *in cap. addidisti* 2. *cap. monachum* 3. *cap. quicunque* 4. *cap. infans* 7. 20. *quæst.* 1. *cap.* 1. 20. *quæst.* 2. *cap clericus*, junctis ibi notatis, *de vita & honest. cleric.* Concilium Aurel. 5. *can.* 18. *Qui à parentibus detonsi fuerunt, aut sponte sua amissis parentibus seipsos religioni devoverunt, & postea habitum secularem sumpserunt, à sacerdote comprehensi, ad cultum religionis actâ priùs pœnitentiâ revocentur.* Concilium Wormat. sub Hadriano II. Pontif. & Ludovic. Pio Imperat. *can.* 2. *Si pater, vel mater filium, filiamve intra septa monasterii in infantiæ annis sub regulari tradiderit disciplina, non liceat eis postquam ad puberatis pervenerint annos egredi, & matrimonio copulari: hoc ergo omnino devitandum, quia nefas est, ut oblatis à parentibus Deo filiis, voluptatis frena laxentur. Igitur ut prædiximus, non liceat eis susceptum unquam habitum deserere; sed cuncti, qui tonsuram, aut religiosam vestem aliquando habuerint, in religionis cultu, habituque, velint nolint, permanere cogantur.* Et *can.* 22. & 23. Alexander III. post Concilium Lateranense p. 50. *cap.* 10. Concilium Toletanum 10. *can.* 6: cujus verba juxta traditionem Loaysæ ita transcribo: *Cùm hucusque dissolutæ operationis effectus interdum nutare fecerit honestæ constitutionis edictum, dum inconditè resolvi putatur, quod indissolubile sanctionis auctoritate tenetur; ideo quicquid ob vitium ex incerto currit, evidenter abjici debet, ut de cætero nihil superfit, quod in dubium nutetur. Ideoque si in qualibet minori ætate, vel religionis tonsuram, vel religioni debitam vestem in utroque sexu filiis, aut unus, aut ambo parentes dederint, scientibus nolentibus, aut nescientibus, si susceptum non mox visum in filiis abdicaverint, sed vel coram se, vel coram Ecclesia, palamque in conventu eosdem filios talia habere permiserint, ad seculum reverti habitum ipsis filiis quandoque penitus non licebit; sed convicti*

convicti, quod tonsuram, vel religiosam vestem aliquando habuerint, mox ad religionis cultum, habitumque revocentur, & sub æterna districtione hujusmodi observantiæ inservire cogantur, parentibus sane filios suos religioni contrahere, non amplius, quam ad decimum eorum ætatis annum licentia poterit esse. Gregorius Papa II. *epist.* 14. Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa Suarez *de relig. tom.* 3. *lib.* 6. *cap.* 3. Sanchez *de matrim. lib.* 4. *disput.* 18. Basilius *eodem tract. lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 10. *& q.* 3. *scholast. cap.* 5. Vasquez *in* 1. 2. *D. Thomæ, disput.* 85. *cap.* 6. *num.* 43. Yepes *tom.* 2. *chron. D. Benedicti, anno* 633. *cap.* 3. Antonius Augustinus *in epit. juris Pont. lib.* 9. *titul.* 10. Germonius *lib.* 3. *de sacror. immunit. cap.* 4. Barbosa *lib.* 1. *juris Eccles. cap.* 45. *num.* 13. Espenceus *de voto contin. lib.* 4. *cap.* 5. Gibalinus *de clausura regul. disquisit.* 3. *cap.* 2. §. 3. Hallierius *de sacris electt. sect.* 8. *artic.* 1. Hæphtenus *disquisit. monast. tom.* 1. *lib.* 4. *tract.* 1. *per totum.* Petrus Herodius *in tractatu de patrio jure, pag. mihi* 984. Leo Pinel. *in cap.* 2. *hoc tit.* §. 5. *per totum*, Bellarminus *tom.* 1. *controv. lib.* 2. *de mon. cap.* 36. Narbona *de ætate ad actus humanos, anno* 7. *quæst.* 17. & *anno* 14. *quæst.* 17. Avendaño *de metu lib.* 2. *cap.* 48. Cellotius *de hierarch. lib.* 5. *cap.* 8. §. 2. Menardus *ad concord. regul. fol.* 986. Bravo *ad regul. D. Benedicti, cap.* 59. Cabassutius *in notit. Concil. in Concil. Wormat.* Altesserra *lib.* 1. *dissert. cap.* 5.

2. Impugnatur tradita assertio.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem sic insurgo: Nemo obstringi debet votis monasticis citra propriam voluntatem, quàm præcisè exigit omne votum, vel juramentum, *cap. unic.* 30. *quæst.* 1. D. Thomas 2. 2. *quæst.* 98. *artic.* 4. docent Narbona *dicta quæst.* 17. *num.* 8. *&* 10. Sylvester *in summa, verbo votum* 2. *quæst.* 9. *&* 11. Vazquez *dicta disput.* 85. *cap.* 6. *num.* 43. Lessius *de justitia lib.* 2. *cap.* 4. *dubit.* 10. *num.* 66. Gutierrez *in authentica Sacramenta, num.* 14. Marquez *in Gubernat. lib.* 2. *cap.* 22. *in fine.* Sed velle non creditur, qui obsequitur imperio patris, vel domini, *l. nec filium, Cod. de nuptiis, l. velle, ff. de reg. jur.* ergo filii à parentibus religioni oblati virtute talis oblationis votis monasticis non manent obstricti. Augetur primò hæc dubitandi ratio; nam metus reverentialis parentum reddit nullam professionem filiorum, *cap. puellæ* 20. *quæst.* 1. *cap. præsens* 20. *quæst.* 3. metus enim reverentialis gravis censetur, ut probant Basilius *de matrim. lib.* 4. *cap.* 5. *à num.* 6. *& cap.* 11. *num.* 16. Pantoxa *in l.* 2. *num.* 1. *ff. de aleat.* Stephanus Durantius *qq. jur. quæst.* 4. Medrano *de consens. connub. cap.* 13. *numero* 10. *&* 11. Igitur multò magis reddit nullum actum in casu oblationis filii factæ à parentibus absque ejus voluntate. Secundò fulcitur hæc difficultas ex eo, nam inutilis est promissio, quâ quis spondet alium daturum, facturumve; quia de semetipso quisque promittere debet, ut obligetur, *l. stipulatio* 38. *in princip. l. si ita stipulatus* 97. §. 1. *ff. de verbor. oblig. l. si sine* 9. §. *alius* 3. *l. si filius* 19. *ff. de interrogat. l. eum qui* 5. §. *sed si quis ff. de constit. pecun. authent. si quando, C. eodem titulo, l. fluminum* 24. §. *quamquam, ff. de damno infecto. l. sicut* 65. *ff. de fidejuss.* §. *versa vice, Instit. de inutil.* ibi: *Videtur in ea causa esse ut non teneatur*; quia ita à jure receptum fuit, ut non aliter quis obligetur, quàm si de seipso promittat. Igitur virtute promissionis paternæ filius obstringi non debet ad amplectendam vitam religiosam. Augetur tertiò hæc difficultas ex eo, quia unicuique libera esse debet facultas, ut certum vivendi genus pro arbitrio eligat; non enim frustra natura ad singulos non solum status, verùm etiam singulas conditiones, artes, disciplinas, propensionem singulis indidit: proinde parentes jura pervertunt, qui filiorum suorum pro arbitrio conditiones longè præscribunt; Immo Dei ipsius gratiæ, ac vocationi injuriam faciunt, qui de ea, ut de re sua, & in potestate constituta disponunt, & quadam temeritate ad monasticum statum liberos, quorum nec indolem, nec animum norunt, parentes condemnant potiùs quàm vovent, ignorantes, quod Dominus ait apud Matthæum *cap* 19. de virginibus agens: *Non omnes capiunt verbum istud*: Immò cœlibatum nulla necessitate constringens, concludit ibi: *Qui potest capere capiat* Igitur parentes non possunt filios ita offerre religioni, ut necessitatem illis imponant, ut velint nolint vitam, quam non optant, profiteantur? nec potest vera esse religio, quæ religionis ordinem à Deo statutum pervertit. Hunc autem ordinem Deus præscripsit, ut non nisi volentibus perfectionis statum proponi voluerit? *Si vis* (inquit Dominus apud Matthæum *cap.* 19.) *perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes.* Quem ordinem sequutus Apostolus 1, *ad Corinthios cap.* 7. ait: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Irreligiosa itaque erit oblatio parentum, quæ filios religioni devincet. Nec solùm præsenti ratione adstruitur, verùm & Sanctorum sententiis firmatur. Divus enim Augustinus *epist.* 199. de filio à parentibus oblato ita ait: *Quid mirum, si pater communem filium nolebat hujus vitæ sustentaculis à matre nudari, ignorans quid in grandiuscula ætate facturus esset, monachi ne professionem, an ecclesiasticum monasterium, an conjugalis necessitatis vinculum: quamvis enim ad meliora excitandi, & commonendi sunt filii Sanctorum, unusquisque tamen donum habet à Deo, alius sic, aliùs autem sic.* D. Ambrosius *de exhort. ad virgines*, laudat Julianam, & ita alloquentem liberos suos introducit: *Necessitatem hujus vitæ, & tentationem hanc si vultis filii vitare, integritas corporis vobis expetenda, quam pro consilio suadeo, non pro imperio præcipio; solum enim suaderi potest, imperari non potest rei magis voti, quam præcepti: quod enim gratiæ est, non jubetur, sed desideratur; electionisque magis est, quam servitutis. Unde Apostolus de hoc consilium dat, præceptum Domini non habet, qui spadonibus in cœlo cæteris præstantiora promittit, sed negat hoc capere conditionis humanæ infirmitatem, ut virginitas omnibus pateat, solis ad capiendum facilis, quibus divina refulsit gratia, ut castrare se possint, quo regnum cœlorum adipiscamur, & Angelorum vitam exhibeant: hoc vobis suadeo, quo nihil pulchrius.* Accedit Tridentinum *sess.* 25. *de reform. cap.* 17. Igitur obligationem castitatis servandæ, quam nec Christus, nec Apostoli imperare voluerunt, parentes virtute oblationis liberis imponere nequeunt. Augetur tandem hæc dubitandi ratio argumento deducto à matrimonio; nam ex promissione patris, etiam juramento firmata, non tenentur liberi con-

trahere eas nuptias, quibus consensum ipsi minimè adhibuerunt *cap. si verum, cap. tua sanctitas*; 31. q. 2. ita fortiori ratione non obligantur ad monasticum statum, quem parentes pro ipsis voverunt. Dixi, *fortiori ratione*: tùm quia matrimonium in sua primæva natura habet naturam contractus, & ita faciliùs in eo potestas patria exerceri potest: tum quia perfectiora sunt opera, & per se difficiliora status monastici, quàm conjugalis.

3. *De oblatione parentum in lege veteri.*

Quâ difficultate ita fulcitâ non obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, tam in lege veteri, quàm nova gratiæ, moris fuisse, parentes suos liberos suos Deo vovere, & dicare; cujus rei exempla quamplurima habemus. In sacra pagina constat, Samuëlem Prophetam maternâ devotione Deo priùs oblatum, quàm huic mundo editum. *Postquam verò oblatus est, adduxit enim Anna mater ad domum Domini in Silo: puer autem erat adhuc infantulus.* Et *Reg. cap.* 1. *vers.* 24. triennem tunc fuisse Salianus, Gaspar Sanctius, aliique tradunt. Cui sententiæ favet Chrysostomus *tom.* 1. *homil.* 3. *de fide Annæ*, ibi: *Adduxit, ac reliquit* (Anna Samuëlem) *nec puer à mamma divulsus molestè tulit, cùm sciatis quam soleant indignari pueri, quoties à lacte depelluntur.* Et non longè post: *Primâ statim pueritiâ à mamma matris venit ad mammam spiritualem.* Samson etiam parentum voti tenax Nazaræus factus, toto vitæ suæ tempore à vino abstinuit, aliosque Nazaræorum ritus religiosè observavit, ut refertur *in cap.* 13. *Judicum.* His adjungo sacratissimam Deiparam Virginem Mariam, quæ, ut Nicephori verbis utar *lib.* 1. *Eccles. histor. cap.* 7. ibi: *Statim atque à lacte materno abhorruit, & mammam attingere noluit, promissionem mater adimplet, & in templum ascendens, juxta votum eam Deo consecrat, tertium tunc ætatis annum agentem. Et sacerdotes quidem tunc eam tanquam sanctius quoddam donarium susceperè; & puellam in sacrario fovendam esse dixere, ad antiqui illius Samuelis similitudinem.* Quam sacram historiam contra Centuriatores probat & defendit Hæphtenus *lib.* 4. *disquisit. monast. disquisit.* 3. His itaque exemplis, & documentis informati Christiani, eundem morem observarunt, quem pium, æquumque esse defendit Origenes *homil.* 11. *in Levit.* & nonnullis exemplis firmare possumus, veluti Gregorii Nazianzeni, cujus mater cùm masculâ prole careret, ejusque habendi cupiditate flagraret, promisit, si Deus ejus votis adnueret, filium Deo consecraturam: & cùm non longè pòst masculum enixa esset, illum statim Deo obtulit, ut refert Gregorius Presbyter *in vita Sancti Gregorii Nazianzeni.* Idem de aliis refert D. Hieronymus *in epist.* 15. *ad Marcellam.* Similiter Heliodorum puerum trium annorum monasterio oblatum fuisse, refert Theodoretus in Philotheo, & alia exempla puerorum, qui à teneris annis monasterio à parentibus oblati fuerunt, referunt Franc. Hallierius *ubi supra, fol.* 352. *num.* 3. Hæphtenus *dicta disquisit.* 3.

4. *De ritibus hujus oblationis.*

Ritus autem devovendi, ac consecrandi Deo filios impuberes expressit, præscripsitque D. Benedictus *cap.* 59. *suæ regulæ*, in illis verbis: *Si ipse puer minori ætate est, parentes ejus faciant petitionem, quam suprà dixi, & cum oblatione ipsam petitionem & manum pueri involvant in palla altaris, & sic eum offerant. De rebus autem suis, aut in præsenti petitione promittant sub jurejurando, quia nunquam per se, nunquam per suffectam personam, nec quolibet modo, & aliquando aliquid dent, & tribuant occasionem habendi. Vel certè si hoc facere noluerint, & aliquid offerre voluerint in eleemosynam monasterio pro mercede suâ, faciant ex rebus, quas dare volunt monasterio.* Ex quibus verbis apparet primò, parentes petitionem, promissionemque fecisse his verbis: *Ego talis promitto coram Deo, & Sanctis ejus pro filio meo de stabilitate suâ, & conversione morum, atque obedientiæ.* Lanfrancus *in stat. cap.* 18. & integram formam oblationis refert Smaragdus in hæc verba: *Dum legaliter sancitum, antiquitusque teneatur cautum cum oblationibus Domino parentes suos tradere filios in templo Domini Domino feliciter servituros, proculdubio hoc de nostris filiis faciendum nobis salubriter præbetur exemplum: æquum etenim est judicium Creatori nostro de nobis reddere fructuum, idcirco filium nostrum N. cum oblatione in manu, atque petitione palla omnino involuta, ad honorem Sanctorum, quorum hic reliquiæ continentur, & Abbatis præsentis trado coram testibus regulariter permansurum; ita ut ab hac die jam non liceat illi collum de sub regulæ excutere jugo, ejusdemque regulæ fideliter se cognoscat instituta servare, & Domino cum cæteris gratanti animo militare: & ut hæc traditio nostra inconvulsa permaneat, promitto cum jurejurando coram Domino, & Angelis ejus, quia nunquam per me, nunquam per suffectam personam, nec quolibet modo per rerum mearum facultates aliquando egrediendi ei de monasterio tribuo occasiones. Et ut hæc petitio firma permaneat, manu meâ eam firmavi, & testibus tradidi roborandam.* Hactenus Smaragdus. In cujus formula primò notandum est, oblationem filii à parentibus fieri simul cum alia re: quod & docuerunt Lanfrancus *de statibus capite* 18. Boërius in *dicto cap.* 59. *regul. D. Benedicti*, ibi: *Aliquid conferatur ad stipem templi, velut panem, aut vinum, vel lumen, vel utrumque cum puero offerant.* Quam oblationem juxta morem legis veteris, in qua mulier expletis diebus purificationis suæ offerebat in templo filium cum agno anniculo in holocaustum, & pullum columbæ pro peccato, *Levit. cap.* 12. exponit Hæphtenus *dicto lib.* 4. *disquisit.* 3. Deinde manus pueri offerendi altaris pallâ, seu syndone, quæ altare tegit, obvolvebantur. Lanfrancus *dicto cap.* 18. ibi: *Quâ oblatione à sacerdote susceptâ, involvant prædicti parentes manus pueri in palla, quâ altare coopertum est, & cujus pars anterius pendet, & tunc suscipiat eum Abbas.* Cui consonat consuetudo, quam apud suos servari refert Boërius *in dicto cap.* 59. *regul. D. Benedicti*, ibi: *Factâ receptione in Capitulo, habitu indutus per parentes, & amicos puer offeratur ad altare, & super ipsum genibus flexis, & capite inclinato duo fratres imponunt pallam, seu pallium, quod ante altare dependet.* Per quam symbolicam traditionem transferri possessionem, dominiumque cujusque rei, jam probavi *in capite* 2. *de consuet.* Tertiò sequebatur promissio parentum, quâ ut Lanfrancus *dicto cap.* 18. ait: *Promittebant, quod per se, aut à se suppositam personam susceptum Ordinem puer nunquam relinquat, nec se ei aliquid scienter daturos, unde puer (quod absit) perire possit: hanc promissionem priùs scriptam coram testibus verbis ibi prius edicam,*

edicant, & postea super altare ponant. Fiebat enim prædicta promissio coram testibus. Concilium Aquisgran. *can.* 36. *Ut puerum pater, & mater tempore oblationis offerant altari, & petitionem pro eo coram laicis testibus faciant.* Quæ verba reperiuntur *in addit. 1. capitul. tit.* 36. ex ratione adducta *in cap. final.* 20. *q.* 2. Ritum verò testificandi refert Ruthardus his verbis: *Ille* (pater) *debet respondere, dicens: Volo tradere filium meum Deo omnipotenti ad serviendum sibi in hoc monasterio.* Et paulò post: *Deinde debet dicere Abbas testibus: Auditis fratres, & videtis, quid iste dicat? Illi debent dicere: Audimus, & videmus.* Tandem expletis his, inquit Lanfrancus in statutis *cap.* 18. *Benedicat Abbas cucullam, exuensque pueruni cappâ, vel pedibus, vel aliâ hujusmodi chlamyde, dicat: Exuat te Dominus veterem hominem.* &c. *Dehinc ducatur ad radendum, & vestiendum, sicut nostri Ordinis consuetudo est. Cùm autem adultâ ætate facturus professionem fuerit, fiant & cætera, quæ superiùs debere fieri conversò jam diximus. Hoc enim quod modò factum est, iterari non oportet.* Hactenus ritus prædictæ oblationis, qui adeò diligenter observandi erant, ut ex eorum neglectu professio nulla redderetur. Unde Nicolaus Papa *in cap. præsens* 20. *q.* 3. decrevit Lambertum puerum à parente oblatum non teneri in monasterio permanere; quia pater inter cætera sub juramento declarasset, quod nunquam Lambertus regulam aliquam promisisset, nec ipse pater pallio (aliàs palla) altaris illum indutum obtulisset, nec à sacerdote, vel Abbate benedictione acceptâ vitam monasticam promisisset. Similiter D. Bernardus *epist.* 1. probat, Robertum nepotem suum, qui de Ordine Cistercienfi transierat ad Cluniacenses, apud quos puer fuerat oblatus, non teneri ad eos redire, eo quod illis magis promissus fuisset, quam donatus. Nec enim, inquit Sanctus, petitio, quam regula præcipit, pro eo facta fuit à parentibus; nec manus illius cum ipsa petitione involutæ pallâ altaris, ut sic offerretur coram testibus.

5. De effectu hujus oblationis.

Sed circa obligationem, quæ ex hac oblatione parentum in filiis oriretur, non consentiunt Doctores, tam Theologi, quam Canonistæ. Aliqui affirmant, filios à parentibus in infantia oblatos, posse ad seculum redire, nisi postea in legitima ætate oblationi de se ptidem factæ expressè, vel tacitè consenserint, retinendo scilicet habitum, vel munia professorum obeundo: ita docuerunt Barbosa *in præsenti*, & *in cap. significatum* 11. *num.* 3. *hoc tit.* Germonius *lib.* 3. *de sacror. immunit. cap.* 4. *num.* 23. Gibalinus *de clausura regul. disquis.* 3. *cap.* 2. *sect.* 3. *ex num.* 16. Leo Pinel. *in cap.* 2. *hoc tit.* §. 5. Lessius *de justitia, lib.* 2. *cap.* 40. *dubit.* 10. Hallierius *de sacris elect. sect.* 8. *art.* 2. *pag.* 356. Vasquez *in* 1. 2. *disput.* 165. *cap.* 4. *num.* 32. Turriscrem. & Boërius *in cap.* 59. *regul. D. Benedicti*, innuitque Antonius Augustinus *lib.* 9. *epit. tit.* 30. Moventur primò ex textu *in cap. illud* 10. 20. *q.* 1. ubi Marcellus Pontifex, qui floruit per annos 304. ita statuit: *Si in minori ætate filii monasterio oblati fuerint, vel sacram tonsuram, vel velamina susceperint, dignum quidem duximus, ut xv. anno à Prælatis moniti inquirantur, utrum in ipso habitu permanere cupiant, an non: si verò permanere professi fuerint, ulteriùs pœnitendi locum minimè amplecti possunt: sin autem ad secularem habitum reverti voluerint, redeundi licentia nullo modo denegetur, quia satis inutile est, ut coacta servitia Domino præstentur.* Secundò *ex cap. sicut, hoc tit.* ubi dicitur, quod sicut qui monasteria elegerunt, à monasteriis egredi non permittuntur, ita & hi, qui inviti, sine justæ offensionis & occasionis causa sunt intromissi, nisi volentes non teneantur; quia quod non petunt, non observant. Tertiò *ex cap. cùm simus* 14. *hoc tit.* in illis verbis: *Quod si dictus puer ad annos discretionis pervenerit, & habitum retinere noluerit monachalem, si ad hoc induci nequiverit, non est ullatenus compellendus, quia tunc liberum sibi erit eum dimittere, & bona paterna, quæ ipsi ex successione proveniunt, postulare.* Quartò *ex cap.* 1. 20. *q.* 1. ibi: *Firma tunc erit professio virginitatis, ex quo adulta jam ætas esse cœpit, & ea quæ solet ut apta nuptiis deputari.*

Contrarium tamen, immò primis Ecclesiæ seculis solam oblationem parentum constituisse filios verè monachos, ita ut ipsi non possent resilire unquam à professione monastica, ad seculumque redire, docuerunt, & probarunt Haæphtenus *disquisit. monast. dicto lib.* 4. *disquisit.* 4. Petrus Herodius *in tract. de patrio jure*, Cironius *in parat. ad hunc titulum.* Claudius Espenceus *lib.* 4. *de voto continent. cap.* 1. Basilius *quæst.* 3. *scholast. cap.* 5. quibus assentire videntur Manrique *tom.* 2. *annal. Cisterc. anno* 1117. *cap.* 1. *num.* 4. dum alium sensum non assignat dicto Concilio Tolet. relato *in dicto cap. monachum.* Yepes *tom.* 2. *chron. D. Benedicti, anno* 633. *cap.* 3. dum docent, attento dicti Concilii Toletani decreto, filios oblatos à parentibus religioni perpetuâ infamiâ fuisse notatos, si habitum deseruissent, nolentes eorum devotioni, ac oblationi stare, & parère. Quæ sententia verior est, & firmetur auctoritate, exemplo, & ratione. Auctoritate Conciliorum, & Patrum Ecclesiæ, quorum verba suprà retuli pro illustratione præsentis conclusionis. Exemplis relatis suprà ex sacra pagina. Nec etiam desunt prophana exempla; legimus enim apud Servium *lib.* 11. *Æneid. Ipse pater famulam voveo.* Ex quibus constat, jure etiam apud Gentiles parentes olim in filios habuisse potestatem auctoramenti, id est jus pro imperio devovendi, sive in victima, sive in sacerdotio, ut ex eodem loco observarunt Cironius *in præsenti*, Petrus Herodius *de patrio jure, pag.* 984. Et Cleas Sacerdos apud Plutarchum *in libro de Iside & Osiride*, ab infantia per parentes supponitur devota, dedicataque Deæ; quod antiquitatis monumentum nec latuit politissimum, & cultissimum Barclajum, dum Regem Meleandrum inducit pro sua potestate Argenidem filiam Palladis Sacerdotio præficientem, *lib.* 2. *suæ Argenidis*, forsanque eodem allusit Cæsar *lib.* 6. *de bello Gallico, cap.* 4. ubi Druidum (qui Gallorum Sacerdotes erant) privilegia recensens, multos parentes Diis filios suos tradidisse refert. Notavit Petrus Herodius *ubi suprà.* Rationibus etiam hæc sententia adstruitur; quemadmodum enim in susceptione baptismi parvulorum intercedit votum, & quidem solenne Religionis christianæ, quo adstringuntur baptizati per patres, seu patrinos, perpetuò tenere, & profiteri catholicam fidem; eodem modo, quos olim parentes religioni vovebant, illi obligabant per vota solennia, & substantialia, ut docuit Perezius *in d. cap.* 59. *Regul. D. Benedicti*

6. Contrariasententia refertur, & probatur.

nedicti. Et ficut pater olim illum, quem proprium vendidiſſet, in ſervitute manebat; ita & religioni oblatus tenebatur ſervare vitam monaſticam, & in monaſterio perſiſtere. Sed cùm deinceps SS. PP. Eccleſiæque Præſules agnoſcerent pravos effectus evenire ex hac ſubita filiorum oblatione, ſanxerunt poſt ſextum Eccleſiæ ſeculum, ne aliter filii oblati à parentibus cogerentur in monaſterio perſiſtere, quàm ſi poſt annos probationis tacitè, vel expreſsè oblationi parentum conſenſiſſent, hoc inſuper addito, ne ante diſcretionis annos ipſis liceret à religione reſilire, *cap. puellæ* 8. *cap. ſicut* 9. 20. *q.* 1. *cap. ſignificatum eſt*, *cap. cùm ſimus, hoc tit.* Unde jure noviori triplicem ſortitur effectum paterna oblatio. Primus eſt, ut ita oblati poſſint à monaſterio recipi, & retineri. Secundus, ut pater non poſſit amplius uti patriâ poteſtate ad eos revocandos, quia jam ceſſit juri ſuo, & quantùm in ſe eſt, per oblationem filios religioni donavit, ipſamque donationem acceptavit. Tertius eſt, ut neque ipſi ſuâ voluntate ante annos probationis egredi poſſint, quia in ea ætate non tam ſuâ, quàm patris voluntate reguntur.

7. Reſpondetur fundamentis contrariis.

Nec obſtant contrariæ ſententiæ fundamenta: non textus *in dicto cap. illud*; nam ut rectè notavit Haæphtenus *dicto lib.* 4. *diſquiſ.* 12. textus ille non eſt Marcelli Pontificis, nec illius tempore agi poterat de filiis oblatis à parentibus Religioni, cùm vix eſſent monachi intra clauſtrum vitam religioſam agentes; ſed Eremitæ tantùm in eremo ſecedentes. Unde cùm textus ille tranſcriptus ſit à Palea Gratiani diſcipulo, nec reperiatur apud alios Decretiſtas, videlicet Anſelmum, Carnotenſem, Burchardum, meritò ejus auctoritas negatur. Nec obſtat textus *in dicto cap. ſicut, ead. quæſt.* cui facilè reſpondetur, ſi obſervemus, textum illum in modum objectionis à Gratiano tranſcriptum, intelligendum eſſe de adultis parentum imperio coactis Religionem ingredi, ut ſatis ex ejus ſerie liquet. Nec tandem obſtat textus *in dicto cap.* 1. qui deſumptus eſt ex regula D. Baſilii, interprete Rufino. Quia reſpondetur, in eo agi de profeſſione illius puellæ, quæ in annis pueritiæ proprio arbitrio Deo offertur; quam oblationem non confirmat parentum conſenſus: non ergo in eo textu profeſſio cœperat ab oblatione parentum, ſed à propria profeſſione; unde quid mirum, ut legitima ætas deſideretur. Nec obſtant utriuſque juris principia, quæ pro dubitandi ratione expendebamus; quibus moti Eccleſiæ Præſules poſt ſextum ſæculum decreverunt, ultra oblationem parentum deſiderari in filiis voluntatem propriam, tacitam, vel expreſſam, ad veram profeſſionem emittendam in Religione. At verò primis Eccleſiæ ſeculis virtute oblationis tantùm paternæ filii monachi efficiebantur, quoniam pater, materve, qui jure naturalis poteſtatis filium Religioni offerebant, diſponebant de re ſua ad libitum proprium, nec promittebant alienum factum filii, ſed illum tanquam rem propriam Deo dicabant, ut docent Suarez *de Relig. tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 1. Haæphtenus *dict. tract.* 2. *diſquiſ.* 2. & 4. Petrus Herodius *de patrio jure*, *pag.* 984. ut jure civili etiam licuit ratione dominii ſervos in uſum templi dedicare, *l. ſervos* 35. *ff. de liber. cauſ.* ubi Cujacius, & Gothofredus, vel eos teſtamento manumittere ſub ea conditione, ut in templo deſervirent, vel à monumento non recederent, *l. libertis* 18. §. *ult. ff. de alim. legat. l. Titio centum. ff. de condit. & demonſtr.* quæ conditio, aut devotio ipſos ſervitio religionis obſtringebat, ut docuit Amaya *lib.* 1. *obſ. cap.* 6. *num.* 13. Nec tunc domini factum alienum promittebant, ſed de re propria diſponebant: ita etiam cùm filios parentes monaſterio offerebant, de re propria diſponebant: quare virtute talis oblationis illis primis ſeculis illi perfecti monachi fiebant. Verùm quia in his oblationibus ſiniſtra intentio, ſeu reſpectus humanus intervenire poterat, rectiùs poſterioribus Eccleſiæ canonibus hoc fuit correctum, non ſublatâ omninò parvulorum oblatione, ſed hac adjectâ conditione, ut niſi adveniente legitima ætate filii tacitè, vel expreſsè conſentiant, non cenſeantur profeſſi, immò ritè poſſint à monaſterio diſcedere.

CAPUT XIII.

Innocentius III. *N. Abbati* (a) *de Flore.*

POrrectum nobis ex parte tua petitorium continebat, quod I. Canonicus (b) Acherontinus infirmitate (c) gravatus, votum ut fieret monachus ſe aſſeruit emiſiſſe; unde metuens, ne voto decederet non completo, junctis manibus tibi ſe (d) reddidit in monachum, & in fratrem: alii quoque in abſentia tua ſeſe in Sacerdotum manibus monachos fieri devoventes, ſani ſancti ad vomitum redierunt. Et cùm familiares monaſterii tui antea extitiſſent, quia non fuerunt ad antiquam familiaritatem admiſſi, adverſarii facti ſunt pro amicis. Utrum ergo talium facta diſſimulare valeas, ne fiant deteriores; an compellendi ſint ad complenda promiſſa, per nos poſtulas edoceri. Nos ergo inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod cùm monachum faciat non (e) habitus, ſed profeſſio regularis, ex quo à convertendo emittitur, & recipitur ab Abbate, ut talis fiat monachus, & reddat Domino, quod promiſit, erit utique non immeritò compellendus. Datum Latoran. 3. Idus Januarij.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. (a) *De Flore.*] Tam in hac sexta, quàm in secunda collectione legitur tantùm, *Idem*; sed malè, cùm hujus textus auctor non sit Clemens III. sed Innocentius : unde reperitur inter epistolas ipsius editas à Sirleto, *pag.* 251. ex quo registro ita textum transcribo. Monasterium hoc Florense est Ordinis Cistercienſis, fundatum à Joachimo Abbate anno 1190. cujus situm, & fundationem his verbis describit Jacobus Silaneus *sect.* 23. *Placuit ergo, Deo disponente, in Albanetho, ubi propriè de Florè est nomen, vestigia premere : locus siquidem Floris amne duplici, à Meridie scilicet Albula; à Septentrione verò Netho alluitur, qui velut Jor, & Dan, à radicibus Libani manantes, Jordanem; ita Albanethum efficiunt. In Flore porrò duobus remanentibus, si quo modo, more pastorum inquam, magalia, ac casunculam, tugurium ve extruere daretur, pater Joachim ad Raynerium adhuc in petra manentem rediit : & mutui denique aspectus exhibitione lætantes, ubi primo in Flore constructum habitaculum sensere, se illuc conferre procurarunt.* Refert, & alia de hoc monasterio, à quo originem duxit Congregatio Florensis, Manrique *tom.* 3. *annal. Cistercienſ. dicto anno* 1190. *cap.* 6. adducit, & nos *in cap.* 2. *de summa Trinit.*

(b) *Acherontinus.*] De hac Ecclesia Cathedrali egi *in cap.* 53. *de testibus.*

2. (c) *Infirmitate gravatus.*] Utplerumque contingit, *cap.* 3. *de renunc. cap. ult. de succeſſ. ab inteſt.* immò & olim infirmi etiam Episcopi, seu presbyteri pœnitentiam sibi imponi efflagitabant, ac ultimo languore depressi benedictionem accipere sæpius optabant. Concilium Gerundense *can.* 9, ibi: *Ut qui ægritudinis languore depressus pœnitentiæ benedictionem, quam viaticum deputamus, per communionem accepiſſet*, &c. Concilium Tolet. 13. *can.* 10. Ex priscis canonibus constat in causa Gaudentii Valerienſis Episcopi, qui ægritudine urgente pœnitentiam per manus impositinem acceperat, & Synodum rogabat, an solita ministeria repetere posset : sancta Synodus diffinivit, ut stante priscorum canonum sanctione, quicunque Pontificum, vel Sacerdotum deinceps per manus impositionem pœnitentiæ donum acceperint, nec se mortalium criminum professione notaverint, tenorem retentandi regiminis non omittant; sed per Metropolitanum reconciliatione pœnitentium more suscepta solita expleant ordinis, vel cætera mysteriorum sibi credita sacramenta. Notavi jam *in dicto cap.* 3. *de renunc.*

3. (d) *Tibi se reddidit.*] Aliquando acceptatio professionis, seu receptio profitentis ad Abbatem tantùm spectat, aliquando ad eundem cum consensu fratrum existentium in monasterio, *cap. final. hoc titul. in* 6. *cap. conſulit, qui cleric. vel vov.* P. Gregorius *lib.* 3. *partit. tit.* 2. *cap.* 5. immò & recipi potest religiosus per sacerdotem de Abbatis, seu superioris licentia, *cap. ad Apoſtolitam, hoc tit.* ibi: *Per ſe, vel per alium*; & *cap. Gonſaldus* 17. *q.* 2. & si monasterium sit subjectum Episcopo, potest fieri professio in ejus manibus, vel alterius de ipsius licentia, ut probant Tamburinus *tom.* 3. *de jur. Abbat. diſput.* 6. *q.* 14. *num.* 4. Peyrinis *de Prælato q.* 3. *cap.* 1. *num.* 235. Sanchez *lib.* 5. *in Decalog. cap.* 4. *num.* 62. Hieronymus Garcia *tom.* 1. *polit. regul. tract.* 3. *difficult.* 2. *dub.* 8. Semper tamen ut titè, & validè professio emittatur, debet fieri in manibus Superioris, ut ab eo nomine totius communitatis acceptetur. Nec contrarium probatur *in cap. conſuluit, qui clerici vel vov.* ubi docetur, professionem posse fieri super altari. Nam supponendum est, eam statim à Prælato esse acceptandam. Quid autem mysterii in eo lateat, quod celebrante Abbate professionis chirographum altari imponatur, optimè exposuit Gregorius Magnus *lib.* 4. *in* 1. *Regum, cap.* 4. his verbis : *Nos velut ſolam accedentium vocem* (novitiorum) *audimus, cùm ſcimus quid exterius aſſerunt: ſed quales inter ſponſionis aſſertiones futuri ſunt, non videmus. Loqui ergo ea in auribus Domini debemus, ut ipſe ſponſionis verba ſuſcipiat, qui dum verba audit, corda diſcutit; & ex textu profeſſionis uſuras exquirit robuſti operis. Hoc namque novitiorum noſtrorum mentes audiant, & expaveſcant; quia videlicet, quod nobis dicunt, in auribus Domini loquimur; nam quod coram nobis promittunt, Deo offerimus, ut ipſe jam de manibus noſtris teneat quod exquirat. Cùm ergo ea, quæ novitii promittunt, Deo offerimus, quaſi chirographum quod nobis faciunt, illi damus.*

4. (e) *Non habitus, ſeu profeſſio.*] Consonant Honorius III. *in cap. final. hoc titulo.* Trident. *ſeſſ.* 14. *de reform. cap.* 6. B. Anselmus in carmine de mundi contemptu, ibi:

Non tonſura facit monachum, non horrida veſtis;
Sed virtus animi, perpetuuſque vigor :
Mens humilis, mundi contemptus, vita pudica,
Sanctaque ſobrietas : hæc faciunt monachum.
Hæc vos in cœlum (Monachi) *quadriga levabit;*
Si fiat in terris dignum ſalutis opus.
Nihil tonſura juvat, juvat aut veliſſima veſtis,
Si lupus es, quamvis jam videaris ovis.
Nam falli poſſunt homines, ſed fallere Chriſtum
(Qui nullum fallit) nemo poteſt hominum.
Ille quidem fucum ſimulatæ religionis
Damnat, & in reprobis moribus eſſe nequit.

Unde vulgò traditum est *Habitus non facit monachum.* Cujus proverbii locutionem ex Græcis derivatam fontibus, affirmant Cælius Rhodigin. *lib.* 3. *antiqu. lect. cap.* 12. & ex Plutarcho ea verba refert: *Non Philoſophum facit promiſſior barba, nec veſtis pertrita.* Et apud Aulum Gellium Herodes ait: *Video barbam, & pallium; Philoſophum nec dum video :* Nec dissimile est, quod ex D. Chrysostomo refert Gratianus *in cap. multi,* 40. *diſt.* Non cathedra facit Sacerdotem, sed Sacerdos cathedram : non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Unde Sancti PP. parum præsidii posuerunt in externo habitu. Sanctus Ephrem adversùs monachos vitiosè viventes ait: *Non putetis in cingulo, aut veſte longa conſiſtere perfectionem monachi; nam habitus abſque operibus nihil eſt.* Et *in ſerm. de vita monaſt.* D. Hieronymus *epiſt.* 22. *ad Euſtochium.* Illustrant latè Haæphtenus *diſquiſit monaſt. lib.* 5. *tract.* 8. *diſquiſ.* 5. Savarus *ad Sidonium lib.* 4. *epiſt.* 9. Theophilus *tom.* 16. *in Heterocl. ſpirit. ſect.* 5. *p.* 1.

COMMENTARIUM.

5. LIcèt tempus certum præscriptum sit ab Ecclesia ad professionem emittendam, ut suprà probavi *in cap.* 6. non solùm gratiâ novitii, verùm & in favorem monasterii, ut ille experiatur utrum monasteri, & regulæ onera subire possit, & monasterium agnoscat, num mores illius

conveniant vitæ, & professioni monasticæ: si tamen ante tempus probationi præfinitum is, qui converti desiderat, habitum suscipiat, & professionem emittat, Abbate per se, vel per alium professionem acceptante, cogendus est votum adimplere, etiamsi habitum professorum non susceperit, nec intra claustra monasterii per tempus probationis commoretur; quia nec habitus mutatio desideratur ad essentiam professionis, ut probant Castro Palao *tract.* 16. *punct.* 12. §. 4. *num.* 4. Barbosa *alleg.* 101. *n.* 108. Suarez. *de relig. tract.* 7. *lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 9. Nec etiam desideratur pro substantia professionis, ut novitius tempore probationis commoretur in ipso monasterio, ut probant Barbosa *dicta alleg.* 101. *num.* 28. Tambur. *de jure Abbat. tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 7. *num.* 16. Gibalin. *de clausur. disquis.* 2. *cap.* 2. §. 3. *conclus.* 7.

CAPUT XIV.

(a) Cœlestinus III.

CUm simus, &c. *Et infrà:* Sanè nuper auribus nostris est relatum, quod cùm C. miles lepræ morbo, Domino permittente est respersus, se cum filio suo discretionis annos nullatenus agente, ad quoddam monasterium cum bonis etiam suis, quæ à (b) monasterio ipse tenuerat, (c) contulisset, dictum filium suum habitum fecit suscipere monachalem. Cumque ipsi puero disciplina monastica propter asperitatem regulæ displiceret, infrà x. hebdomadarum spatium à monasterio & habitu susceptо taliter resiliens, (d) bona patris ab Abbatia illa cœpit cum instantia postulare. Et cùm super hoc ad diœcesanum (e) Episcopum quæstio delata fuisset, & coram eo aliquandiu disputatum, quia plerique sentire de rigore canonum videbantur, si consanguinei dicti pueri possent testibus comprobare illum, quando fuit oblatus, infra annos discretionis existere, ipsum tali voto nullatenus obligari, dictus Abbas ad Maguntinæ Sedis audientiam appellavit, & quidam ex consanguineis ejusdem pueri ad Romanam Ecclesiam appellationem, sicut ex literis Augustini Episcopi comperimus, transtulerunt. Ideoque discretioni v. significatione præsentium intimamus; quod si dictus puer ad annos discretionis pervenit, & habitum retinere noluerit monachalem, si ad hoc ipsum induci nequiverit, non est (f) compellendus. Quia tunc liberum erit sibi eum dimittere, & bona paterna, quæ ipsi rectè (g) successione proveniunt, postulare.

NOTÆ.

1. (a) *Cœlestinus III.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 5. nullibi tamen exprimitur Prælatus, cui rescribat Pontifex; illud tantùm liquet, casum in præsenti decisum contigisse in Germania, in diœcesi suffraganea Archiepiscopi Moguntini; siquidem ad ipsum Metropolitanum appellatum fuisse refertur.

(b) *Quæ à monasterio.*] In feudum videlicet.

(c) *Contulisset.*] Oblatione factâ, vel professione emissâ, ut *in cap. in præsentia, de probat. cap. final. de succes. ab intest.*

(d) *Bona patris.*] Non verò ea, quæ pater in feudum ab ipso monasterio acceperat, in quibus per ipsam professionem monasterium integrum jus recuperavit finito feudo.

2. (e) *Episcopum.*] Ad quem olim cognitio super nullitate cujuslibet professionis spectabat, ut sæpe sæpiùs in Decretalibus sub hoc titulo compilatis supponitur. Hodie tamen ex dispositione Concil. Trident. *sess.* 25. *de regul. cap.* 19. causa nullitatis professionis disceptari debet coram Episcopo diœcesano, & superiore ipsius monasterii, ubi nullitas professionis intenditur; quod pluribus sacræ Congregationis declarationibus diffinitum fuisse referunt Barbosa *in dict. cap.* 19. *Concil. num.* 22. Tambur. *tom.* 3. *de jure Abbat. disputat.* 6. *quæst.* 26. *num.* 3. Garcia *tom.* 1. *polit. regul. tract.* 3. *difficult.* 4. *dub.* 3. *punct. ult.* Brun. Chassaing. *de privil. reg. tract.* 4. *cap.* 6. *propos.* 7.

3. (f) *Non est compellendus.*] Quia licèt esse oblatus à parte religioni; tamen ex noviori jure, quod vigebat temporibus Cœlestini, filius ita oblatus poterat adveniente pubertate resilire, nisi jam tacitè, vel expressè fuisset professus, ut probavi suprà *in cap. cùm virum*, ubi commentarium hujus textus dedi.

4. (g) *Successione proveniunt.*] Dubium est tamen, & magnum apud Doctores, an post professionem patris in monasterio factam, ejus filiis debeatur legitima portio, perinde ac si jam ex hac vita migrasset? Et pro negativa sententia, quam defendunt plures congesti à Barbosa hic, faciunt primò textus *in authent. si qua, Cod. de sacros. Eccles.* quæ extat apud Gratianum *in cap. si qua* 19. *quæst.* 3. ubi disponitur, obeunte patre professo nullâ bonorum divisione factâ, filios tunc legitimam percipere debere: unde deducitur à contrario sensu, vivente adhuc patre, filios non posse eam petere. Secundò, quia legitima non debetur filiis, superstite patre, *l.* 1. §. *impuberi, ff. de collat. bonor. l. quotiens, ff. solut. matrim.* adeò ut nullo casu possit peti à filio vivente patre, *l.* 2. *C. si à parente quis fuerit, l. sed & si* 25. §. *Consuluit, ff. de petit. hæred.* Mancinus *de legitim. p.* 1. *quæst.* 15. Tertiò, nam poterunt filii præmori antequam pater monachus decedat; & sic bona ad monasterium pertinebunt. Quam rationem in non dissimili casu adducit Consultus *in l. Statius*, §. *Cornelio, ff. de jure fisci.* Deinde faciunt textus *in l. sed si mors* 13. *ff. de donat. inter vir. l. res uxoris, eod. tit.* ubi docetur, donationem factam à marito uxori, quæ non susti-

sustinetur, nisi mors sequatur, *l. cùm hic status* 32. *ff. eod. tit.* non confirmari morte civili, sed expectandam esse mortem naturalem. Facit etiam textus *in l. non vix, ff. de donat. caus. mort.* quibus addi potest textus *in l. fideicommissa* 11. §. *si cui, ff. de legat.* 3. ubi ait Consultus, filium, cui fideicommissum relictum erat sub hac conditione, si morte patris sui juris fieret, non esse admittendum adfideicommissum antequam mors naturalis patris contigerit, etiamsi emancipatione sui juris factus sit. Nec tunc obstare affirmant præsentem textum, quia illum accipiunt casu, quo pater jam erat mortuus, ut deducitur ex verbis jam relatis, *successione proveniunt.* Nam si adhuc pater in humanis esset, non posset agi de ejus successione, *l.* 1. *ff. de hared. vel act. vendit. l. qui superstitis, ff. de acquir. hared.* & patrem in præsenti specie decessisse, ex hujus textus integra deduci testatur Felinus *in cap.*
5. *in præsentia, num.* 56. *de probat.*

Contraria tamen sententia, cui tanquam veriori adhæreo, docet, deberi filiis legitimum ex bonis parentum statim, ac ipsi religionem sunt professi, ut apertè docetur in præsenti textu, in cujus specie si pater jam decessisset, nulla daretur dubitandi ratio, contra textum *in l. quod Labeo, ff de Carbon. edict. l. Domitius* 27. *ff. de testam.* & affirmat Corsetus *singul.* 162. *num.* 3. se integram hanc decretalem legisse, & perlegisse, nihilque in ea inveniisse, ex quo deduci possit, patrem jam defunctum esse. Facit etiam, nam professio monastica regulariter morti naturali æquiparatur, *cap. placuit* 16. *quæst.* 1. *l. Deo nobis, C. de Episc. & cleric.* ubi pactum de lucranda dote in casum mortis uxoris conceptum, verificatur in professione religionis; quia regulariter, quando idem effectus resultat ex utraque morte, dispositum in casu mortis naturalis, verificatur in casu mortis civilis. Quo modo vulgò accipiuntur textus *in l. si necem*, §. *si deportatus, ff. de bonis libert. l. actione*, §. *publicatione, ff. pro socio, l. in insulam* 42. *ff. solut. matrim. l. si decesserit, ff. qui satisd. l. sed si alia, in princip. ff. de bonis damnat.* ergo sicut defuncto patre filio debetur legitima; ita & eo mortuo civiliter per professionem. Quare hanc sententiam tuentur innumeri congesti à Barbosa *in præsenti*, Thomas Sanchez *lib.* 6. *in Decalogum, cap.* 10. *num.* 3. Mancinus *de legit. quæst.* 15. *num.* 15. Merlinus *eod. tract. q.* 25. Nec tunc obstant fundamenta contrariæ sententiæ; nam *in dict. authent. si qua mulier*, non asseritur, filium posse petere legitimam, professio patre; sed tantùm, quod si non fuerit ante mortem patris assignata portio, postea erit assignanda, ut docuit Fachin. *lib.* 2. *controv. capite* 13. Nec omnia alia fundamenta refragantur; nam supponimus, patrem professum pro mortuo haberi post professionem. Unde legitima à filio exigitur tempore habili, non verò *patre vivente.*

CAPUT XV.

Innocent. III. *Episcopo, & Capitulo* (a) *Tragurien.*

SIcut tenor vestrarum litterarum nobis aperuit, cùm P. lator præsentium in sacerdotali esset officio constitutus, & tantâ rerum temporalium indigentiâ laboraret, quod nec sibi, nec suis progenitoribus, seu fratribus, in necessitatibus propriis posset aliquatenus providere, proprii corporis laboribus & maris periculis multis se non dubitavit exponere, ut de suo labore, & acquisitione honesta suam, & suorum posset indigentiam relevare. Contigit autem post hæc, quod ipse longè à vestra civitate consistens, tam gravi cœpit ægritudine laborare, quod extra se positus, desperaret de vita præsenti: & dum in tali esset articulo constitutus, à quodam simplici monacho indutus fuit habitu monachali, & ad monasterium deportatus. Deinde paucis diebus elapsis, cùm jam esset in principio suæ convalescentiæ, deposuit habitum, & de licentia ejusdem loci Abbatis monasterium dereliquit, & cupiens (b) progenitorum indigentiis subvenire, à vobis suppliciter postulavit, ut posset, sicut priùs, in sacerdotali officio ministrare, & vobiscum pariter conversari. Quid autem super his vobis fuerit faciendum, sacræ Apostolicæ Sedis oraculo humiliter petitis edoceri. Nos igitur vestræ consultationi taliter duximus respondendum, quod licèt ista duo inter se repugnantia videantur, ut scilicet quisquam sit extra se positus, & de præsenti vita desperet; si tamen eo tempore, quo positus extra mentem asseritur, indutus fuit habitu monachali, cùm alienatus non sentiat, ac per hoc non valeat consentire, præfatum presbyterum denuncietis ab observatione monastici ordinis absolutum, nisi postquam mentis suæ factus est compos, voluntate spontaneâ professionem fecerit monachalem. Datum Laterani.

NOTÆ.

1. (a) *Tragurien.*] In hac sexta collectione, & in tertia, *sub hoc tit. cap.* 3. legitur, *Targilien.* sed inscriptionem, & litteram restituo ex ipso codice epistol. Innocentii III. Coloniæ edito, ubi *fol.* 15. epistola hæc reperitur. Tragurium est insula in mari Adriatico, adjacens Dalmatiæ, in qua est civitas ejusdem nominis: ejus meminerunt Ptolomeus *lib.* 2. Plinius *lib.* 4. *cap* 21. Olim habuit Ecclesiam Cathedralem, cujus Prælato in præsenti rescribit Innocentius.

(b) *Progeni-*

2. (b) *Progenitorum indigentiis.*] Licèt extrema neceſſitas parentum impediat ingreſſum filii in Religionem, etiamſi votum emiſerit, ut cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 189. *art.* 6. & *quæſt.* 101. *art.* 4. & *quodlibet.* 10. *art.* 9. docent plures, quos referunt, & ſequuntur Vecchis *diſputat.* 2. *dub.* S. Villalobos *part.* 2. *tract.* 35. *difficult.* 7. *num.* 8. Sanchez *lib.* 4. *ſummæ*, *cap.* 20. *num.* 3. Trullenc. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 23. Peyrinis *de Prælat. quæſt.* 3. *cap.* 1. *num.* 70. Caſtropalao *de ſtatu relig. tom.* 3. *diſput.* 1. *punct.* 7. §. 5. Machado *lib.* 5. *p.* 1. *tract.* 1. *docum.* 8. Bonacina *diſput.* 6. *de præcept. Decal. quæſt. unic. punct.* 5. *num.* 4. Barboſa *de jure eccleſ. libro* 1. *cap.* 4. *à numero* 20. tamen profeſſio ab ipſo emiſſa, valida eſt, etſi contrarium teneant Peyrinis, & Portel. Poteſt tamen Prælatus filio ita profeſſo permittere, ut extra monaſterium commoretur, ad ſublevandam parentum neceſſitatem, ut probat Gibalinus *de clauſ. diſquiſ.* 2. *cap.* 2. §. 3. *conſect.* 4. Unde in præſenti Innocentius inſuper habuit egeſtatem parentum ad irritandam profeſſionem à filio emiſſam.

COMMENTARIUM.

3. FUrioſum, ſeu ex ægritudine mente alienatum, inhabilem, atque incapacem eſſe profitendi Religionem, certum eſt, *cap. Gonſaldus* 17. *quæſt.* 2. *cap. final. de ſucceſſ. ab inteſt. cap. induciæ* 3. *quæſt.* 9. argumento legis *furioſum*, *ff. qui teſtamenta*, *l. furioſi* 40. *ff. de R. I.* Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 1. *num.* 5. & *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 53. Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 4. Tambur. *lib.* 3. *de jure Abbat. diſput.* 6. *quæſt.* 3. *num.* 2. Garcia *tom.* 1. *polit. regul. tract.* 1. *difficult.* 5. *dub.* 6. Nam cum profeſſio Religionis petat voluntatem plenam, & deliberatam, ut probavi *in cap.* 1. *de his quæ vi.* & fundat Avendaño *de metu lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 23. qui mente alienatus eſt, non poteſt eam emittere, ut in præſenti Innocent. decrevit.

4. *Exponitur Concil. Tolet.* 2. *can.* 2. Sed tunc graviter obſtat textus *in can.* 2. *Concil. Tolet.* 12. in illis verbis. [Etenim multos ſæpe conſpeximus, & in ſalute poſitos, ultimum deſiderantes pœnitentiæ fructum, & rurſus nimietate ægritudinis, ita loquendi, & ſentiendi perdidiſſe naturale officium, ut nulla illis cura ſalutis ſuæ videretur ineſſe; nullo etiam priſtinæ devotionis noſcerentur deſiderio anhelare: quorum tamen caſibus fraternitas condolens, ita talium neceſſitates in fide ſua ſuſceperit, ut ultimum illis tribuatur viaticum, quòd ſcilicet ſine fructu pœnitentiæ non videantur transire à ſeculo; ſi forſitan reſpiciente Deo ſaluti priſtinæ reformentur, agunt cautionibus vanis, & oppoſitionibus execrandis, qualiter à ſe tonſuræ venerabilis ſignum expellant, atque habitum religionis abjiciant, impudentiſſimè aſſerentes, ideo ſe nullis regulis eccleſiaſticæ diſciplinæ ſub hoc voto teneri, quia pœnitentiam nec ipſi petierint, nec ſcientes acceperint. Quorum impudentia procax, & obſtinata procacitas, nequaquam talia diceret, ſi qualiter ad vitam per ſacroſancti lavacri gratiam venerint, meminiſſent. Etenim parvulorum infantium vita originali peccato obnoxia, quæ nulli per ætatem diſcernendi, vel expetendi ſenſui aptior judicatur, niſi ſponſione fidelium baptiſmi accipiant ſacramenta, nullo ſenſu, nullâ etiam diſcretionis induſtriâ id appetere poſſunt. Unde ſicut baptiſmum, qui neſcientibus parvulis, ſine ulla contentione in fide tantùm proximorum accipitur; ita & pœnitentiæ donum, quod neſcientibus illabitur, abſque ulla repugnantia inviolabiliter hi, qui illud exceperint, obſervabunt. Si quis autem quolibet modo pœnitentiam accipiens, hoc ſynodale violaverit inſtitutum, ut verè tranſgreſſor paternis regulis ferietur. Nec enim iſta inſtituentes ſacerdotes quosque, ut paſſim, & licenter donum pœnitentiæ non petentibus audeant prorogare, abſolvimus; ſed hos, qui qualibet ſorte pœnitentiam ſuſceperint, ne ulteriùs ad militare cingulum redeant, religamus. Sacerdos tamen, qui non ſentienti, nec petenti auſu temerario pœnitentiam dederit; neque ſe exhortatu ejus, qui pœnitentiam accipit, manuum indiciis, vel quibuslibet aliis evidentibus ſignificationibus invitatum fuiſſe probaverit, unius anni excommunicationis ſententiæ ſubjacebit.] Ex quibus expreſsè deducitur, mente alienatum ob ægritudinis gravitatem, habitum monachalem recipientem, debere in ipſo monaſterio perſeverare, ſi poſtea convaluerit: igitur & in præſenti caſu, licèt clericus extra ſe poſitus habitum induiſſet monachalem, cogendus erat in eo perſiſtere. Hujus Concilii Toletani hiſtoriam referens Baronius anno 680. *num.* 64. tradit, in Hiſpaniarum Eccleſiis tunc temporis viguiſſe conſuetudinem, ut urgente ægritudine, cùm ſe quis proximum morti putaret, pœnitentiam peteret, quam etiamſi mente alienatus ab Epiſcopo accepiſſet, ulteriùs ad ſeculum reverti ipſi non licebat; ſed tenebatur in monaſterio permanere, etiamſi habitum minimè petiiſſet, ſed neſciens accepiſſet; & ita canonem illum juxta prædictum morem eſſe exaudiendum docet. Sed pro vera hujus canonis expoſitione dicendum eſt, in eo non agi de monacho, nec de habitu monachali: tantùm enim agunt Patres de pœnitentia ſolenni, & ægroto illam accipiente ab Epiſcopo, vel Presbytero. Quod ut faciliùs agnoſcatur, primò notandum eſt, olim pœnitentiam ſolennem plerumque ſuſcipi urgente mortis periculo. Leo Magnus *epiſt.* 92. *cap.* 12. Concil. Gerund. *can.* 9. Tolet. 6. *can.* 7. & 8. Tolet. 13. *can.* 10. Hinc ſubinde factum, ut plerique in morte pœnitentiæ habitum aſſumerent; & quia ille maximè cilicium erat, in illo moti vellent. Petrus Venerabilis *lib.* 1. *miracul. cap.* 4. Author vitæ S. Erigii Waſpincenſis Epiſcopi ejus obitum ſic deſcribit: *Nudato corpore ante altare ſancti Euſebii in cilicio, & cinere jacens, viaticum corporis, & ſanguinis Chriſti de manu Iſſi Epiſcopi accepit.* Unde poſterioribus ſeculis mos invaluit petendi veſtem religioſam in exitu vitæ, ut decedentes cum ea ſepelirentur. Deinde ſciendum eſt, inter alios ritus receptos, & uſitatos in ſuſceptione pœnitentiæ ſolennis, duos præcipuè fuiſſe adhibitos. Primum circa mutationem veſtis; profitentes enim ſtatum pœnitentiæ ſolennis, habitum religioſum induebant, Concil. Agath. *can.* 15. Concil. Tolet. *can.* 12. Concil. Tolet. 6. *can.* 7. ibi: *Si qui ingenuorum utriusque ſexus ſub nomine pœnitentis in habitu religioſo ſunt converſati, poſt hæc autem comam nutrientes, vel veſtimenta ſecularia ſumentes, ad id, quod reliquerant, redierunt*, &c. Probat Gibal. *de clauſur. regul. diſquiſit.* 3. *cap.* 2. §. 8. *num.* 46. ubi aſſerit, veſtem hanc diſtinctam fuiſſe à ſecu-

lari

jari materia, quæ vilis erat colore, qui luctum, & pœnitentiam designaret; & formâ, quæ modestiam omninò probaret. Secundùm circa attonsionem comæ: Concil. Agath. *dict. can.* 15. Tolet. 3. *can.* 12. & Tolet. 6. *can.* 7. Carolus Magnus *lib. Capitul. cap.* 52. Gregorius Turon. *lib. 6. hist. cap.* 28. ubi de quodam Marco referendario ita ait: *Subitò lateris dolore detentus, caput totondit, atque pœnitentiam accipiens, spiritum exhalavit.* Cujus rationem assignavit, & illustravit Gibalinus ubi suprà, *num.* 47 Quibus ita animadversis, apparet jam verus sensus dicti canonis 2. in ejus enim summario ita legitur: *De his, qui pœnitentiam non sentientes accipiunt.* Unde aperte constat, in eo canone agi de illis, qui ægritudine oppressi ultimum desiderantes pœnitentiæ fructum, nimietate ægritudinis ita loquendi, & sentiendi perdidere naturale officium, ut nulla illis cura salutis propræ videretur inesse: qui si attonsi fuerint, & habitum pœnitentiæ susceperint, etsi postea convaluerint, statum illum deserere non possunt, sed pœnitentiæ solennis tempus explere debent: non tamen illi inde fiebant religiosi; nam status pœnitentiæ solennis non erat monasticus, ut probavi suprà *in cap.* 1. Unde cùm de ipso fructu pœnitentiæ capessendo Patres agerent, rectè argumentum deducunt à baptismo; ita ut sicut in eo virtute promissionis parentum infantes religionem catholicam profitentur, & postea eam servare tenentur; ita etiam pœnitentes solennes, quia cùm perfecta mente essent, fructum pœnitentiæ appetentes illam efflagitarunt, licèt postea mente alienati eam susceperint, peragere coguntur per tempus legitimum, id est à sacris canonibus præscriptum. Sed quia ex hujusmodi pœnitentiæ susceptione improbi exitus sequebantur, in fine canonis statuunt PP. ne Sacerdotes donum pœnitentiæ non petentibus audeant dare.

5. Intelligitur can. 1. ipsius Concilij.

Ex proximè traditis exponendus est canon 1. ipsius Concilii Tolet. 12. in cujus calce refertur, & approbatur celebre factum Wambæ Regis Gothorum, quod etiam narrant Baronius *anno* 680. Hispani historici Luitprandus *in adverf. num.* 133. Basæus *in chron. anno* 681. Salmaticens. *in chron. Ervigii.* Jul. Tolet. *in hist. Wambæ*, Rodericus Tolet. *de rebus Hispaniæ lib.* 3. *cap.* 12. Alphonsus Carthag. *in Reg. Hisp. anaceph. cap.* 39. Marius Siculus *libro* 6. Franc. Tarraca *de Reg. Hispan. anno* 674. Roder. Sanctius *hist. Hispan. part.* 2. *cap.* 32. Chron. Regis Alphonsi *cap.* 51. Mariana *lib.* 6. *hist. Hispan. cap.* 14. Sahabedra *in chron. Goth. cap.* 76. Anno enim 680. cùm Rex Wamba repentè naturali ægritudine, seu ut alii volunt, potione illi datâ herbæ, quam vulgo dicimus *Esparto*, mente alienatus omninò fuisset, Episcopus Palentinus, Optimatesque Regni Regi ipsi fideles, cùm viderent eum semivivum jacentem, pietate commoti, & volentes pœnitentiam illi proficere, attonso capite habitum religiosum induerunt: sed cùm Rex paulùm ad se reversus agnovisset, se attonso capite, & habitu susceptо jacere, Ervigium successorem in Regno designavit, jubens Juliano Toletano Præsuli, ut ipsum in Regem Gothorum ungeret, eligens Regno cedere potiùs quàm sibi inscienti habitum impositum exuere. Superata ergo potionis vi memorabili exemplo maluit diadema deponere, quam habitum exuere: quare perrexit ad monasterium oppidi de Pampligua, diœc. Burgensis; & postea translatus ad monasterium de Arlanca, post septem annos vitam immaculatam finivit: quod factum approbavit Ervigius suâ lege speciali, atque laudarunt Patres *in dict. can* 1. Atque, ni fallor, in ejus confirmationem canonem secundum ediderunt, qui ideo non est facilè imitandus, aut sequendus. In qua facti narratione historici confundunt habitum Wambæ mente alienata indutum, cum habitu monachali à se postea susceptо in monasterio Pampliguæ, cùm juxta suprà tradita habitus ab Episcopo Palentino illi impositus, tantùm esset habitus pœnitentis. Postea tamen ipse pius Rex, summæ pietatis specimen edens, habitum monasticum sancti Benedicti in prædicto monasterio assumpsit, quem Episcopus illi dare non poterat; & ita nullo modo factum ipsius Episcopi, & Magnatum accipias de tonsura monastica, seu habitu monachali, sed de pœnitentię impositione, aliàs frustra Rex ad se reversus eundem habitum assumeret in prædicto cœnobio. Non me latet illis etiam temporibus moris fuisse, moribundos monasticâ induere cucullâ, in qua ultimum exhalarent spiritum, & sepulturæ traderentur, ut de Emanuele Comneno Imperatore Orientis refert Nicetas Coniates *lib.* 7. *annal.* In hæc verba: *Imperator morbo correptus, admotâ ad arteriam manu, & pulsu pertentato, cum alto suspirio femur percussit, & monasticum habitum postulavit. Quo dicto cùm, ut fieri solet, tumultus esset ortus, ministri spiritualem vestem nigro panno, omnis ornatus expertem, nescio ubi nacti mollibus & regiis vestibus detractis, & aspero illo divinæ vitæ indumento in spiritualem illum convertunt militem, & galea illum, thoraceque, in insignioremornatum, in cœlestis Imperatoris catalogum referunt. Sic igitur vita, & imperio cedit.* De Theodoro Lascari Junioris scripsit Nicephorus Gregoras *lib.* 3. *hist.* eum annum agentem ætatis sextum & trigesimum, cùm molestus, ac difficilis, & lethalis morbus invasisset, paulò ante mortem alacriter habitum monasticum induisse. Et de Andronico juniore refert idem *lib.* 9. quod cùm gravissimis doloribus cruciaretur, & mente alienaretur, atque id malum omnem medicorum artem superaret, & de vita illius postridie actum videretur, jurejurando adstantes adegisse, ut sibi monasticam cucullam induerent priùs quàm vitâ excessisset.

CAPUT

CAPUT XVI.

Idem (a) *Pisan. Archiep.*

AD Apostolicam Sedem, quæ disponente Domino, cunctorum fidelium est magistra, super diversis articulis quæstiones dubiæ referuntur: ut quod ab ea fuerit super earum solutione responsum, indubitanter ab omnibus teneatur. Ex parte siquidem tua nuper suscepimus quæstiones, quod cùm monachum fieri ante unius anni probationem regularis (b) institutio interdicat; monachi, & moniales in tua diœcesi constituti, tam clericos, quàm laicos utriusque sexus, sanos pariter, & infirmos religionis habitum volentes assumere, nutu (c) etiam aliquo professentes, interdum absque omni professione recipiunt, quandoque professionem illico facientes, unde multa mala noscuntur sæpiùs provenire: cùm (d) infirmi ad monasterium jam translati, & emissâ professione, postquam de infirmitatibus convaluerint, habitum religionis abjiciant, & ad propria revertantur. Contingit etiam tales in propriis domibus remanere, cùm monachi per eos dum vivunt, nolint sua monasteria prægravari. Sani etiam sic absque probatione recepti retrò aspicientes, matrimonia contrahunt, rejecto habitu regulari: de quibus si habitum religionis assumant ante unius anni probationem, vel temporis competentis, utrum factâ professione à talibus, vel omissâ, monachi debeant reputari: & si (e) conjugatus converti desiderans, sit recipiendus in monachum, nisi uxor perpetuam continentiam repromittat, certificari à Sede Apostolica postulasti. Nos ergo quæstionibus tuis taliter ex ordine respondemus, quod licèt tempus probationis à sanctis Patribus sit indultum non solùm in favorem conversi, sed etiam monasterii, ut & ille asperitates istius, & istud mores illius valeat experiri; quod utrinque diligenter est observandum, præsertim cùm ab utroque de reliquo certa notitia non habetur: quia tamen ante tempus probationis regulariter præfinitum, is qui converti desiderat, habitum recipit, & professionem emittit, Abbate per se, vel per alium professionem recipiente monasticam, & monachalem habitum concedente, uterque renunciare videtur ei, quod pro se noscitur introductum: ideoque obligatur per professionem emissam, pariter & acceptam, ad observantiam regularem, & verè monachus est censendus: quia multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent firmitatem. Prohibendum est tamen Abbatibus, ne passim ante tempus probationis quoslibet ad professionem recipiant: & si contra formam præscriptam quoslibet indiscretè receperint, (f) animadversione sunt debitâ corrigendi: cùm in subsidium fragilitatis humanæ spatium probationis sit regulariter institutum. Cùm autem vir & uxor una caro sint per copulam conjugalem effecti, nec una pars converti possit ad Dominum, & altera in seculum remanere, profectò non est alter conjugum recipiendus ad observantiam regularem, nisi relictus perpetuam continentiam repromittat: vitam quoque debet mutare, nisi fortè ejus sit ætatis, ut sine suspicione incontinentiæ valeat remanere. Datum Lateran. IX. Kal. Decembris.

NOTÆ.

1. (a) *Pisano.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. & in Regestro epistolarum Innocentii Coloniæ edito, ubi *fol.* 225. reperitur textus hic prout in præsenti transcribitur. Ubaldo Pisano Præsuli in præsenti rescribit Pontifex, de quo egi *in cap. cum quidam* 12. *de jurejur.* De Ecclesia Pisana nonnulla notavi *in cap.* 8. *de tempor. ordin.*

(b) *Regularis institutio.*] Apud varias religiones statuta, ut infrà probabimus.

(c) *Nutu etiam.*] Cùm Professio fieri debeat expressis verbis, immò & scripturâ confectâ, ut probavi suprà *in cap. vidua.*

(d) *Infirmis.*] Circa quos valdè dubium est, utrum post constitutionem Concilii Trident. *sess.* 25. *de regul. c.* 25. possint durante probationis anno solennem professionem emittere in ipsâ religione? Et circa ipsos novitios ex privilegio concesso à Pio 5. Fratribus Prædicatoribus Ordinis sancti Dominici, aliis Religionibus communicato, certum est illis ultimo languore depressis professionem posse dari, saltem ad lucrandam indulgentiam, ut docent plures relati à Barbosa *in præsenti, num.* 4. Lezana *tom.* 1. *c.* 24. *num.* 42. & *cap.* 25. *num.* 39. Diana *p.* 3. *tract.* 2. *resol.* 17. & *p.* 5. *tract.* 3. *resol.* 139. Hieronymus Gartia *p.* 1. *polit. regul. tract.* 2. *difficult.* 5. *dub.* 2. *punct.* 3. Circa seculares verò, qui ultimo languore depressi, in propriis domibus, & lectulis habitum suscipiunt regularem, an illis in ultimo vitæ spiritu professio dari possit? dil. putat latè Hieronymus Garcia *ubi proximè*, & funda

fundamentis pro utraque ſententia adductis judicium ſuum proferre anceps noluit, & potiùs negativæ ſententiæ adhærere videtur; & in re adeo gravi potiùs optarem à Romana Sede quæſtionem decidi, quàm ex opinionibus Interpretum reſolutionem quærere: piè tamen facere eos, qui in habitu monaſtico decedere cupiunt, in eoque ſepeliri, probat, & miris exemplis illuſtrat Haæphtenus *lib. 5. diſquiſit. tract. 7. diſquiſit. 2.* contra Eraſmum, qui hanc religioſam cæremoniam ut ſuperſtitioſam ſugillat.

(e) *Etſi conjugatus.*] Hæc ſecunda pars epiſtolæ reperitur *in cap. ad Apoſtolicam, de converſ. conjug.* ubi eam exponemus.

(f) *Animadverſione.*] Quia his temporibus Innocentii III. profeſſio durante probationis tempore valida erat, licèt injuſtè data; unde Abbas, qui eam acceptavit, puniendus erat, *cap. conſtitutionem, hoc tit. in 6.* Hodie tamen poſt Concilium Tridentinum, cùm profeſſio infra annum probationis emiſſa nulla ſit ipſo jure; ideo Prælatum pendente anno probationis profeſſionem de facto concedentem puniendum non eſſe pœnis ſtatutis *in dict. cap. conſtitutionem*, docuerunt Peyrinis *de Prælato quæſt. 3. cap. 1. §. 4. num. 98.* Sanchez *in Decal. lib. 5. cap. 4. num. 10.* Leſſius *lib. 2. de juſtitia, cap. 41. dub. 7. num. 59.* Vecchis *dict. cap. 11. dub. 6.* Tambur. *tom. 1. de jure Abbat. diſputat. 16. quæſt. 7. num. 14.* Garcia *ubi ſuprà.*

COMMENTARIUM.

4. DE habitu & loco, in quibus probandi ſunt novitii, jam egi ſuprà *in cap. ſuper eo 9.* De tempore ipſius probationis agit Innocentius in præſenti: pro cujus expoſitione ſciendum eſt, novitiatus, ſeu probationis tempus, ut appellatur *in cap. nuper 51. de teſtibus*, à ſacris canonibus eſſe ſtatutum, ut novitius diſciplinam, & vitam monaſticam experiri poſſit, & monaſterium ipſius mores, indolemque agnoſcere valeat; an videlicet idoneus futurus ſit, fratrumque indiſſolubili conſortio aggregari expediat. Accedit, quia hominem à laxiore vitæ ratione ſtatim ad ſtrictiorem, arctamque morum diſciplinam tranſire ſine medio, non carere periculo prodit D. Baſilius *in quæſt. 10.* fuſè; diſputat pulchrè P. Bleſenſis *epiſt. 13.* ibi: *Novitiorum clauſtralium mentes adhuc deſideriorum carnalium humoribus gravidæ, & tumentes non acceptantur in ſacrificio Domini, niſi priùs igne tribulationis torreantur; nec paleas priorum deponunt affectum, niſi per laborem, & abſtinentiam confringantur.* Facit Horatius in arte poëtica.

Verſati diu quid ferre recuſent
Quid valeant humeri.

Unde in Religionibus valde neceſſariam eſſe probationem, optimè docet D. Bernardinus Senenſis *tom. 2. ſerm. 24. artic. 2. cap. 1.* ibi: *Experientia teſte quidam ad religionem venientes, in principio videntur agni, & modico elapſo tempore ſunt lupi.* Non ſine magna experientia, & Dei lumine regulæ ſanctorum Patrum prudentiſſimè ſtatuerunt, quod ad Religionem venientes antea probarentur, an ad talem Religionem apti ſint, & idonei? Quis enim ædificator domus, vel navis materialis, non ſolerter, & providè perſcrutatur ligna, & lapides; & diu cum multis ſciſſuris, & tunſionibus parat, antequam in ædificio ponantur: nec ad hoc quoſcunque accipit, ſed ſolùm ſolidos, & ſuo artificio aptos; quantò magis in ſpirituali Religionum ædificio hoc ſervari neceſſe eſt? Latiùs utilitates hujus probationis proſequuntur Galletus *in opuſcul. Relig. cap. 5.* Gazeus *ad Caſſianum lib. 4. inſtit. c. 3.* Wadingus *ad opuſcul. D. Franciſci, cap. 20. n. 10.* Circa tempus autem hujus probationis, non tam adverſæ, quàm diverſæ reperiuntur Eccleſiæ conſtitutiones, & ipſarum Religionum leges. Primò enim tempus probationis antiquis videtur fuiſſe arbitrarium, & Abbatis judicio relinqui, an citiùs, vel tardiùs novitius ad profeſſionem admittetur, ut colligitur ex D. Baſilio *in regul. fuſiori, cap. 10.* & inſinuare videtur Sanctus Ephrem, dum *tom. 2. pareneſi 17.* docet ex novitiatu aptiores ad profeſſionem certo tempore admitti, relictis in ſequentem annum minùs idoneis. S. Fructuoſus Archiep. *cap. 20.* Quod ſi quilibet converſus bonis, ac puris moribus enitens, Abbatis, & aliorum fratrum ſpiritualium fuerit judicio comprobatus, pro merito & purificatione ſuæ conſcientiæ celeriùs poterit fratrum conſortio miſceri. Cæſarius Arelat. *cap. 3. Annum integrum in eo, quo venit habitu, perſeveret; de ipſo tamen habitu mutando ſit in poteſtate Prioris, & quomodo perſonam, vel compunctionem viderit, ita vel celeriùs, vel tardiùs ſtudeat temperare.* Eſſenos verò primos monachos, vel monachorum prodromos, Joſephus refert *de bello Judaico cap. 7.* per triennium novitios probaſſe, ibi: *Per annum integrum extrinſecus commoranti victum tribuunt. Poſt oſtenſionem autem conſcientiæ duobus annis aliis mores ejus probantur. Cumque dignus apparuerit, tunc demùm in conſortium aſſumitur.* Tabennenſiotæ ex regula Sancti Pachomii ab Angelis tradita, ut refert Palladius *in Lauſica, cap. 38.* tribus annis novitios probant, ibi: *Porrò qui ſemel ingreditur, nec poteſt cum eis ad triennium ſuſtinere certamen, non admittes, ſed cùm opera fecerit difficiliora, ſic prodeat in ſtadium poſt triennium.* Quibus conſonant textus *in cap. unic. 53. diſt. cap. ſi quis incognitus 17. quæſt. 4.* Juſtinianus *in novel. 5. collat. 1. & in l. ſervis, §. verùm, C. de Epiſcop. & cleric.* Synodus Conſtantinopol. 2. *can. 5.* Aurel. 5. *can. 19.* Plerumque tamen, & frequentiùs poſt anni probationem novitii admittebantur. Caſſianus *lib. 4. inſtit. cap. 7.* ibi: *Suſceptum, cùm integro anno ſuum circa peregrinos exhibuerint famulatum, imbutum per hoc prima inſtitutione humilitatis, ac patientiæ atque in ea longa exercitatione præcognitum admiſceri congregationi fratrum.* Quam probationem per anni circulum ſtatuit D. Benedictus, ut patet ex ipſius regula, & refert Alex. II. *in cap. Gonſaldus 17. quæſt. 2.* ibi: *B. Benedicti regula, & præcipuè patris, & prædeceſſoris noſtri S. Gregorii canonica inſtitutio interdicit monachum ante unius anni probationem effici.* Idem præſcripſerunt ſpatium S. Cæſarius *cap. 5.* Ferreolus *cap. 5. ſuæ regulæ*, S. Fructuoſus Archiepiſcopus *cap. 21.* Fructuoſus alter *c. 18.* Ternat. regula ibi: *Et niſi expleto anno nullus mutare habitum permittatur.* Quod etiam ab omnibus Ordinibus Mendicantibus ſervandum Bonifacius VIII. decrevit *in cap. conſtitutionem, hoc tit. in 6.* & Gregorius IX. firmavit in bulla Miniſtro, & Fratribus Minorum miſſa, quam refert Wadingus *annal. Minor. anno 10. num. 109.* notavit Menardus *ad concord. regul. cap. 65.*

§. Hoc tamen tempus probationis non erat adeò diligenter ſervandum, ut laxari, aut reſtringi nequiret, juxta mores,& devotionem ipſius novitii: unde D. Gregorius dum accepiſſet, nonnullos monachos parum religiosè viventes, ad biennium probationem ipſorum protraxit,ut refertur *in cap. monaſterii* 19. *quæſt.* 3. & è contrario ferventiori novitio anni probationem relaxari poſſe ſtatuerunt S. Fructuoſus *cap.* 21. *ſuæ regulæ*, ibi: *Quod ſi quilibet converſus, bonis, ac puris moribus emitens, Abbatis, vel aliorum fratrum ſpiritualium fuerit judicio comprobatus, pro merito, & puritate ſuæ conſcientiæ celeriùs poterit fratrum conſortiis miſceri, ſecundùm quod Abbatis, vel fratrum optimorum cenſuerit deliberatio faciendum.* Sic ille. Idem permittit regula S. Ferreoli *cap.* 5. *Si quis*, inquit, *veniat Religionem expetens monaſterium intraturus, niſi anni circulus, vel certè ſi Abbati viſum fuerit aliquantulum temperare, ante quam ſex menſes dierum numero compleantur, monachorum contubernio non jungatur.* Similiter regula Ternatenſis *cap.* 21. ibi: *Niſi expleto anno nullus mutare habitum permittatur; ſi petentis tanta fuerit compunctio, ſi hoc ſibi ſupplicatione aſſiduâ exigat non negari, quod uni fideliter poſcenti conceditur, non quaſi licitum habeatur.* Cæſarius quoque Arelatenſis, contrahi & extendi novitiatus tempus permittit *cap.* 3. ſic: *Vni ex ſenioribus tradita, annum integrum in eo quo venit habitu perſeveret. De ipſo tamen habitu mutando, vel lecto in ſchola habendo ſit in poteſtate Prioris; & quomodo perſonam, vel compunctionem viderit, ita vel celeriùs, vel tardiùs ſtudeat imperare.* Sed tempus hoc non erat ſimpliciter neceſſarium, ſed tantùm ſub ea conditione, niſi novitius,& Religio renuntiarent: unde profeſſio emiſſa pendente tempore probationis, valida erat, *capite conſtitutionem, hoc titul. in* 6. ibi: *Profeſſio expreſſè, vel tacitè fieri poteſt licitè intra annum.* Quo modo accipiendus eſt textus *in cap. officii, de elect.* Sed hoc totum abrogatum eſt conſtitutione Concilii Trident. *ſeſſ.* 25. *de regul. cap.* 15. ubi cavetur: ut in quacunque religione, tam virorum, quàm mulierem, nullus ad profeſſionem admittatur, ſi minori tempore quàm per annum in probatione perſtiterit: profeſſio autem antea facta nulla ſit. nullumq; habeat juris effectum. Unde hodie nulla admittitur hujus anni probationis laxatio, ſeu renunciatio. Plura pro ipſius capitis illuſtratione adduxerunt Sanchez *lib.* 5. *ſummæ, cap.* 4. *num.* 19. Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 12. Caſtropalao *tom.* 3. *diſput.* 1. *de ſtatu relig. punct.* 2. §. 1. Baſil. *de matrim. lib.* 9. *cap.* 9. *num.* 6. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 57. & *part.* 5. *tract.* 5. *reſol.* 18. Lezana *tom.* 4. *verbo Profeſſio*, Zypæus *ad hunc tit. reſponſ.* 3. Hieronymus Garcia *tom.* 1. *polit. tract.* 2. *difficult. per tot.* qui varios caſus in utroque foro reſolvit. Et an per annum probationis neceſſariò debeat novitius deferre habitum monaſticum, & habitare intra clauſtra monaſterii, latè examinat Gibalinus *de clauſura diſquiſ.* 2. *cap.* 2. §. 3. *ex num.* 61. Et an de momento ad momentum annus computari debeat, ita ut non admittatur parvitas materiæ, nec per horam, noviter & fusè diſputat Narbona *in Horograph. hora* 1. *n.* 49.

CAPUT XVII.

Idem (a) *Acconen. Epiſcopo.*

SIcut nobis ex parte tua propoſitum, quidam clericus, cùm ægritudine nimia laboraret, quaſi de morte ſecurus,& de recuperanda ſoſpitate deſperans, habitum canonicorum regularium petiit,& accepit, ea in ſuſceptione habitus exprimens, ac promittens, quæ ſolent in hujusmodi repromitti: ſed nec ad Eccleſiam transiit, utpote infirmitate gravatus; nec bonis ſuis uti ceſſavit. Poſtmodùm verò ſoſpitate receptâ poſt xv. annos, & ultrà, videntibus, & ſcientibus venerabili fratre noſtro Archiepiſcopo, & dilecto filio Priore,& Canonicis Eccleſiæ (b) Nazaren. à quibus habitum ſuſceperat regularem; tu, licèt eo tempore, quo habitum ſuſceperat, in Eccleſia Nazaren. Prioris ſolicitudinem exerceres, immemor eorum, quæ facta fuerant circa ipſum, in Acconen. eum Canonicum ſuſcepiſti. Quia verò quid ſuper hoc facere debeas, per noſtras expoſtulas literas edoceri, fraternitati tuæ duximus reſpondendum, quod ſi regularem habitum ſe poſtulante ſuſcepit, & ad obſervationem religionis (c) canonicæ ſuâ ſe profeſſione ligavit, ad reſumendum habitum eccleſiaſticâ eſt diſtrictione cogendus; cùm quod tanto tempore extra Canonicam manſit, non in excuſationem ejus, ſed in majoris transgreſſionis augmentum meritò valeat allegari. Dat. Later. x. Kalend. Januar.

NOTÆ.

1. (a) *Acconen.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc titul. cap.* 3. & in epiſtolis Innoc. Coloniæ editis, *fol.* 245. ex quo regeſtro reſtituo literam hujus textus. De Acconenſi diœceſi jam nonnulla notavi *in cap. finali, de ſepulturis.*

2. (b) *Nazaren.*] *Nazarethen.* legendum eſt. Nazareth pulchra quondam, & florens Galilææ civitas, Chriſti Domini in primis conceptione, educatione, ejusque matris B. Virginis Mariæ habitatione clariſſima, omni hodie ornatu, & cultu deſtituta, ac ſuis penè ruinis ſepulta, vix humilem, & abjectum refert pagum. Præter collapſas enim domos, arcus, murosque veluſtos

tuſtos, ac viles aliquot domunculas, Maurorum habitacula, nihil eſt quod cernas. Hæ in foveis ſtructæ, intus, & foris lapidibus ſine calce temerè ſepiuntur. Situm tamen habet pulcherrimum & amœniſſimum, poſita in colle montis cultiſſimi, & nitidiſſimi, ut refert Joann. Cotovicus *in itiner. Hieroſolym. lib. 3. cap. 6.* Habuit olim Canonicos regulares ſub B. Auguſtini regula, & habitu degentes, ut tradit Pennotus *lib. 2. hiſt. canonic. regul. cap. 41. num. 4.*

(c) *Religionis canonicæ.*] Ex his verbis facilè conſtat, Canonicos regulares verè eſſe religioſos; quod & latè probat Pennotus *lib. 1. hiſt. canonic. regul. ferè per tot.* & nos dicemus *in cap. 5. de ſtat. monach.*

COMMENTARIUM.

4. *Concluſio refertur & probatur.*

EX præſenti textu ſequens communiter deducitur aſſertio: *Qui adverſa valetudine captus, etiam de ſalute deſperans profeſſionem emiſit in aliqua Religione, in ea permanere cogitur.* Probant eam textus *in cap. ex tranſmiſſa, cap. quoad translationem, de renunc. capite porrectum, capite ſicut, capite ad Apoſtolicam, hoc titul. capite literaturam, de voto.* Petrus Damianus *opuſcul. 16.* ubi graviſſimè invehitur in Maurum Epiſcopum, eo quod auſus fuit aſſerere, eum qui in ægritudine poſitus habitum monaſticum ſuſcepit; ſi convaluerit, poſſe ad ſeculum redire. Probatque ex ſacris Canonibus, & Toletano Concilio, non deſeri ſine peccato, quod ſponte ſemel ſuſceptum eſt; & ita concludit: *Ecce juxta Galeſiani decreti ſententiam, quacunque occaſione, etiamſi nulla interveniat mora probationis, quisquis religioſo habitu ſemel induitur, funditus ſibi redeundi ad ſeculum licentia denegatur.* Et *cap. 6.* ibi: *Ægrotos pariter, & incolumes eadem regula comprehendit, quæ non ſolum voluntariè, ſed etiam violenter converſos, ultrò etiam deceptoris machinationibus perſuaſos, in eodem propoſito perſeverare decernit.* Illuſtrant ultra laudatos in præſenti à Barboſa, Suarez *tom. 2. de relig. lib. 1. de eſſentia voti, cap. 7. & 8.* & *tom. 3. libero 6. cap. 4.* Avendaño *de metu lib. 2. cap. 21. num. 42.* Baſilius *de matrim. cap. 29. num. 4.* Thom. Sanchez *in Decal. lib. 4. cap. 3. num. 4.* Lugo *de juſtitia tom. 2. de contract. ingen. diſputat. 22. ſect. 7. num. 113.* Balboa *in præſenti, num. 7. de probat.* D. Antonius Feloaga *in cap. 1. de his quæ vi, in rat. decid. ex num. 44.*

5. *Traditur dubitandi ratio.*

Sed pro dubitandi ratione in hanc aſſertionem ita inſurgo: Votum ex ſe petit voluntatem, atque voluntariam deliberationem, ut probat P. Suarez *dict. lib. 1. de voto, cap. 7.* unde neceſſariò debet intervenire voventis libertas: ſed hæc deliberatio deeſt in ægroto ultimo languore depreſſo, immò voluntaria redditur, quia niſi infirmus ægritudine urgeretur, votum non amitteret; potiùs enim de ſalute cogitans vovit, ut eam recuperaret, & ad ſeculum rediret, quàm ut adimpleret promiſſum: igitur cùm deficiat deliberatio voluntaria, ad eſſentiam voti neceſſaria, in præſenti caſu profeſſio nullius momenti eſt. Augetur hac dubitandi ratio, nam ut infirmentur actus humani propter metum, parum refert à quovis adhibeatur, dummodo is intercedat, *l. non intereſt, C. de his quæ vi:* ſed notum eſt, infirmitatem per ſe metum incutere, S. Leo *ſermone de paſſione Domini.* ibi: *Non enim poſſet Domino ſervus, & Magiſtro major eſſe diſcipulus, qui humanæ fragilitatis trepidationem non vinceret, niſi victor mortis ante timuiſſet.* Ergo licèt in præſenti caſu metus ab alio non incutiatur, cùm tamen verè adſit, profeſſio, nulla redditur. Facit argumentum, quod deducitur *ex l. 2. §. final. l. qui levandæ, ff. ad l. Rhodiam de jactu*, ubi docetur, quod ſi dominus levandæ navis gratiâ, dum navis vento, & criſpantibus undis jactatur, merces in mari projiciat, proprietatem earum non amittit, quia non animo derelinquendi jactavit. Igitur ſimiliter, cùm ægrotus languore depreſſus, anteactæ vitæ memoriâ deterritus, votum, aut profeſſionem emittit, non creditur dominium ſui ipſius alienaſſe, ſi convaluerit.

6. *De voto ex metu facto.*

Quâ difficultate non obſtante vera eſt præſens deciſio, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, quod licèt voluntas coacta, voluntas ſit, ut probavi *in cap. 1. de his quæ vi*, quia propoſitum voluntatis nunquam poteſt eſſe omnino coactum, juxta D. Thom. *1. 2. quæſt. 6.* tamen interdum per coactionem quandam moralem, quæ homini fieri ſolet per inflictionem alicujus mali, vel ejus comminationem, ut illius vitandi causâ vovendum, ſeu profitendum in aliqua religione inducatur, minuitur voluntas; quia homo ratione illius vult, quod alias nolit, ſi libet eſſet à tali metu. Unde circa votum emiſſum ex ſimili vi, aut metu, ſequentes caſus diſtinguendi ſunt. Primus eſt quando vis gravis infligitur directè ad extorquendum votum; quo caſu conſtans eſt principium, votum non valere, *capite non eſt 15. quæſt. 1. capite præſens 20. quæſt. 3. capite puellæ 20. quæſt. 1. capite ſi quid 14. quæſt. 5. cap. ultim. §. ex his 23. quæſt. 6.* Trident. *ſeſſ. 25. de regul. cap. 19.* latè probant pluribus relatis Avendaño *de metu lib. 2. cap. 10. à num. 16.* Valenzuela *conſil. 142. num. 7.* Stephanus Durant. *qq. juris quæſt. 4.* Feloaga *in dict. cap. 1. ratiocin. ultim. num. 2. & 3.* qui latè, & doctè proſequuntur alios caſus, in quibus ex metu non ita gravi, aut reverentiali votum emittitur. Secundus caſus eſt, cùm votum fit propter metum provenientem ex naturalibus cauſis, veluti ex gravi morbo, ex naufragii periculo, & ſimilibus; quo caſu certum eſt, votum factum ex quocunque metu proveniente à cauſa naturali, etiamſi graviſſimus ſit, non obſtare quominus validum ſit, obligetque ipſum voventem, ut docent cum D. Thoma *prima ſecundæ, quæſt. 6. articul. 6.* Theologi ſuprà relati, Suarez *dict. lib. 1. de eſſentia voti, capite 7.* Deinde ſciendum eſt, infirmitatem corporis per ſe non includere dementiam, vel mentem non ſanam, *l. ſenium, C. qui teſtamenta, l. 2. l. in adverſa, ff. eodem titul.* cùm quis poſſit corpore eſſe languens, & infirmitate opprimi, mente tamen ſanus: quare ita languore depreſſus poteſt teſtamentum, & alios actus legitimè facere, licèt proximus morti ſit, mortisque cogitatione turbetur, *l. hæc, §. at cùm humana, Cod. de teſtam.* etiamſi in extremis conſtitutus ſit, *l. Seja, §. final. ff. de donat. cauſa mort.* licèt ejus confeſſioni non ſtetur in alterius præjudicium, *l. 3. §. 1. ad Syllan. l. 4. ff. de inoffic. l. 39. ff. de pignor. l. 28. ff. ad Vellejanum,*

Hunnius *ad Treutl. disputat. 31. thesi 5. quæst. 45. num 6.*

7. *Traditur ratio decisionis.* Unde jam apparet vera ratio præsentis assertionis; nam quoties metus non est incussus gratiâ extorquendi votum, sive proveniat à causa naturali, sive libera, quantumvis gravissimus sit, non irritat votum, quia tunc à nemine impellitur vovens ad votum emittendum, sed sponte sua vovendi medium elegit: nam ille dicitur simpliciter, absoluteque velle, qui actu absoluto, & efficaci aliquid eligit hîc, & nunc, ut illud sua voluntate faciat, etiamsi simul habeat simplicem displicentiam, quâ nollet id facere, si absque illo incommodo posset: ita verò se habet, qui ex timore alicujus mali vult vovere; eligit enim hîc, & nunc hoc medium, tanquam sibi conveniens, vel necessarium ad finem vitandi malum. Hoc autem nihil impedit ad valorem voti; quia nec intentio illius finis reddit materiam illius voti malam, ut per se notum est; nec etiam excludit, quin illa electio sit per actum provenientem ab intrinseco appetitus, cum perfecta cognitione, & judicio omnium circumstantiarum occurrentium; in quo consistit, actum illum esse simpliciter voluntarium; unde constituit hominem simpliciter, & absolutè volentem: nam voluntas coacta, voluntas est, *l. si mulier, §. penult. ff. quod metus causâ.* Est denique actus ille liber, quia non obstante metu posset non fieri; unde confirmatur: nam si actus esset de se malus, libertas illa ad peccandum mortaliter sufficeret: ergo voluntas metu extorta sufficit ad obligandum Deo per votum; nam eadem est utrobique ratio, quam de peccatis attigit Augustinus *in cap. meritò 15. quæst. 1.* & *quæst. 24. in Numer.* dicens: *Peccata per metum commissa, non esse peccata nolentium, sed volentium*, quia licèt si peccans aliàs nollet peccare, quia peccatum secundùm se, ac simpliciter spectatum illi displicet; tamen hîc, & nunc liberè vult peccatum, ut medium utile ad vitandum malum, quod metu imminet. Hæc autem ratio æquè de voto procedit; nam voluntas, quæ sufficit ad obligandum hominem diabolo, sufficiet ad obligandum Deo.

8. *Dissolvitur dubitandi ratio.* Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam ut jam probavi, urgente ægritudine plena, & recta deliberatio dari potest, sufficiens ad votum emittendum, sicut ad alios actus humanos; & licèt ita ægrotus aliàs nisi infirmitate impellente forsan non voveret, tamen causa finalis fuit salus animæ, licèt impulsiva esset infirmitas corporis, metusque inde proveniens; qui cùm intrinsecùs infligatur à causa naturali, etiamsi gravissimus sit, non obstat quominus votum illâ occasione emissum valeat, & obliget argumento textus *in l. si mulier 21. ff. de eo quod metus*; ubi si mulier contra patronum suum ingrata facta, sciens se ingratam, cùm de suo statu pericliteretur, aliquid patrono dederit, vel promiserit, ne in servitutem redigatur, cessat edictum; quia hunc sibi metum ipsa infert: observat Glossa ibi, *verbo Quia*, & latiùs prosequitur Cardinalis Lugo *de justitia & jure tom. 2. de contract. in gener. disput. 22. sect. 7. num. 156.* Nec obstat argumentum deductum ab exemplo ejus, qui levandæ navis gratiâ res suas projecit in mare; ejus enim longè dispar est ratio. Nam qui levandæ onustæ navis gratiâ res projecit, non habet animum ipsas absolutè derelinquendi, nec ut amitteret, abjecit, sed ut medius inter metum, & spem, cujus affinem contrarietatem eleganter depinxit Ant. Muretus *lib. 12. var. lect. cap. 6.* navim levaret, ne tempestate depressa absorberetur, statim ac posset eâ cessante conquisiturus, & recuperaturus, ut expressere Consulti in suprà citatis juribus: qui verò ægritudine oppressus votum emisit, totum se Deo obtulit, nunquam ad seculum rediturus, etiamsi convaluerit; unde ex fine ipsius voci animum sese ipsum derelinquendi, ac nunquam recuperandi habuisse, notissima præsumptio est, juxta Ulpianum sic aptissime in proposito exponendum *in l. falsus 43. §. si jactum, de furtis*, cum Accursio, & Antonio Fabro *in dicto l. 2. §. final. ff. ad leg. Rhodiam, prope finem*: hancque fuisse Ulpiani mentem ipsemet explicuit Ulpianus ex Labeonis, & Cassii sententia *in l. si finita 15. §. si quis metu, ff. de damno infecto*: quem in hanc rem noviter produco, & à dissensu vindico, quo à cæteris peritis descivisse putatur.

9. *Expenditur textus in cap. Gonsaldus 17. quæst. 2.* Supra traditis adhuc obstat textus *in cap. Gonsaldus 17. quæst. 2.* ubi Gonsaldus Presbyter infirmitatis languore depressus monachum se fieri promisit? & tandem Alexander II. negavit, eum verè monachum factum fuisse: ergo quia professio emissa ægritudinis tempore nulla est. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, Summum Pontificem in eo textu negasse Gonsaldum monachum non esse ob metum ex ægritudine imminentem; sed quia per annum probationis vestem, & vitam monasticam non peregerat: unde ex eo textu rectè à contrario sensu deducitur, accedentibus aliis professionis solennitatibus, prætextu ægritudinis professionem ejus tempore emissam non vitiari, ut deducunt Suarez *dict. cap. 7. num. 7.* Feloaga *suprà, num. 50.* & alia pro ipsius textus interpretatione adduxi *in cap. ex transmissa, de renunciatione.*

10. *Expenditur textus in cap. in præsentia.* Deinde obstat textus *in cap. in præsentia, de probat.* in cujus serie supponitur, votum religionis factum ab ægroto deberi post convalescentiam innovari: igitur quia à principio nullum fuit ob ægritudinis metum. Cui difficultati respondendum est, ea verba, *Quod voti facti pœnitens*, &c. non esse Pontificis, sed partis allegantis, ut ibi notavi.

CAPUT

CAPUT XVIII.

Idem *Priori, & Conventui* (a) *Diluiomenenſi.*

LIcèt quibusdam monachis, & canonicis, nec non & Hoſpitalariis, & Templariis à Sed. Ap. ſit (b) indultum, ne poſtquam aliquis profeſſus fuerit apud eos, ad alium locum poſſit ipſis invitis, arctioris etiam religionis obtentu tranſire ut ſecundùm Apoſtolum unusquisque in ea vocatione permaneat, in qua dignoſcitur eſſe vocatus. Quia tamen ubi ſpiritus Dei eſt, ibi libertas; & qui ſpiritui Dei aguntur, non ſunt ſub lege, quia lex non eſt poſita (c) juſto: ea ratione videtur hoc illis fuiſſe conceſſum, ne quis ex temeritate, vel levitatè in jacturam, & ruinam ſui Ordinis, ſub prætextu majoris religionis ad aliam transvolaret, ſicut frequenter à multis conſtat eſſe (d) præſumptum: non quidem, ut ei transeundi licentia denegetur, qui eam cum humilitate, ac puritate duxerit poſtulandam, quâ non fictè, ſed verè ad frugem melioris vitæ valeat transmigrare. Talis ergo, poſtquàm à Prælato ſuo transeundi licentiam poſtulaverit, ex lege privata, quæ publicæ legi præjudicat, abſolutus, liberè poteſt ſanctioris vitæ propoſitum adimplere, non obſtante proterva indiſcreti contradictione Prælati; quia privilegium meretur amittere, qui conceſſâ ſibi abutitur poteſtate: cùm & Rom. Pont. qui ſupremam obtinet in Eccleſia poteſtatem, Archiepiſcopis, & Epiſcopis concedendi licentiam ex juſta cauſa petentibus ſine difficultate (e) concedat. Quocirca noverint univerſi, quibus hujusmodi privilegium eſt conceſſum, ſe ad concedendum transeundi licentiam taliter poſtulantibus de jure teneri; quia ſicut ſubditus à Prælato cum himilitate, & puritate debet transeundi licentiam poſtulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur: ſic profectò Prælatus ſubdito ſine difficultate, & pravitate qualibet debet transeundi licentiam indulgere, ne videatur propoſitum impedire divinitus inſpiratum. Si verò probabiliter dubitetur, utrum quis velit ad ordinem arctiorem, an laxiorem ex charitate, an temeritate transire, ſuperioris judicium eſt requirendum, ne fortè angelus ſathanæ in lucis angelum ſe transformet: illâ ſemper regulâ inviolabiliter obſervatâ, ut nullus absque licentia Rom. Pont. præſumat occaſione quacunque deſerere (f) Præſulatum: quoniam ſicut majus bonum minori bono præponitur, ita communis utilitas (g) ſpeciali utilitati præfertur: & in hoc caſu rectè præponitur doctrina ſilentio, ſolicitudo contemplationi, & labor quieti: ad quod utique deſignandum unigenitus Dei filius Jeſus Chriſtus, non de Rachele ſecundùm carnem natus eſt, ſed Lia: nec legitur eum in domum ſuam Mariam excepiſſe, ſed Martham. Unde quando poteſt Epiſcopus præeſſe pariter, & prodeſſe, non debet cedendi poſtulare licentiam, aut etiam obtinere. Cùm ergo dil. f. R. monachus veſter ad fratres (h) Ciſtercien. Ordinis transmigraverit, non ut Ordini veſtro aliquatenus derogaret, ſed ut apud eos vitam doceret arctiorem: diſc. v. per A. ſ. m. quat. ſuper eo, quod de corde bono, & conſcientia pura, & fide non ficta feciſſe dignoſcitur, eum nullatenus moleſtetis: quia charitas eſt fons proprius, cui non communicat alienus.

NOTÆ.

1. (a) *Diluiomenen.*] Ita legitur in tertia collectione, *ſub hoc titul. cap.* 4. in ſexta autem legitur, *Dimolienſi.* Gloſſa autem marginalis emendat, *Dubiolenſi*, ſeu *Dunolienſi.* Unde adeo corrupta manet hæc inſcriptio, ut non facilè cognoſci poſſit monaſterium, cujus Priori in præſenti reſcribit Innocentius.

(b) *Indultum.*] Quas conſtitutiones citat Hoſtienſis *hic.*

(c) *Poſita juſto.*] Hæc verba expoſui *in cap.* 1. *de conſtit.*

2. (d) *Præſumptum.*] Paucis enim bene ceſſit Ordinis proprii mutatio; immò ſæpe ſæpius infeliciter, ut docet D. Bernardus *in apolog. ad Guillel. Abbatem*, dum ait: *Scio nonnullos de aliis Congregationibus, & Inſtitutionibus, ad noſtrum Ordinem pervolaſſe, pulſaſſe, intraſſe, qui hoc quidem agendo ſuis ſcandala reliquerunt, & nobis nihilominus attulerunt: dum quantùm illos ſuâ temerariâ diſceſſione, tantò nos turbarunt ſuâ miſerâ converſatione: quoniam ſuperbè ſtreverunt quod tenebant, & temerè præſumpſerunt quod non valebant.* Quod & horribilibus exemplis probatur; nam Gerſon *epiſt. ad quendam Carthuſ. tom.* 1. *conſid.* narrat Joannem Borbonium Cœleſtinum, ſub diſtrictioris Ordinis obtentu receptum à Franciſcanis de Obſervantia, paulò pòſt abſceſiſſe, uxoremque duxiſſe, & ab ejus propinquis occiſum fuiſſe. Refert etiam Picardus *in notis ad epiſt.* 29. *Anſelmi*, Franciſcanum

quendam Bammetianum præpostero arreptum zelo expetiisse Capuccinos, ubi mox à dæmonio impetitus habitum, & funem abjecit. Alia referunt Thomas à Kempis 2. *p. serm. ad novit. serm.* 5. Haæphtenus *disquis. monast. lib.* 4. *tract.* 2. *disquis.* 6. *num.* 3. Menardus *in notis ad concord. regul. fol.* 1006.

(c) *Concedat.*] Ut probavi *in cap. quoad translationem, de renunc.*

(f) *Præsulatum.*] Juxta adducta *in cap.* 1. *de renunc.*

(g) *Utilitas specialis.*] Consonat D. Augustinus *lib.* 19. *de civit. Dei, cap.* 19. *Otium sanctum quærit charitas veritatis; negotium justum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipienda, atque juvanda vacandum est veritati; si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem: sed nec sic omnino veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas, & opprimat ista necessitas.* Videndus D. Thomas 2. 2. *quæst.* 182. *artic.* 1.

(h) *Cistercienses.*] De quo ordine nonnulla adduxi *in cap.* 9. *de rescript.*

COMMENTARIUM.

4. *Conclusio refertur & probatur.*

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Religiosis zelo sanctioris vitæ licet ad religionem strictiorem transire, petitâ licèt non obtentâ sui Prælati licentiâ.* Probant eam textus *in cap. non est nobis*, juxta communem intellectum, *hoc tit. cap. sane, hoc titul. cap. statuimus, cap. mandamus* 19. *quæst.* 3. *cap.* 1. 20. *quæst.* 4. *extravag. viam, hoc titul. inter communes.* Trident. *sess.* 14. *de reform. cap.* 12. & *sess.* 25. *de regul. cap.* 4. & 19. Illustrant ultra congestos à Barbosa *hic*, & *de jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 44. *num.* 76. Ricciulus *de jure person. lib.* 8. *cap.* 4. *cum sequent.* Balboa *in cap.* 3. *de jurejur. num.* 53. Azor *part.* 1. *Instit. lib.* 12. *cap.* 14. & 15. Hæphtenus *lib.* 4. *disquis. monast. tractatu* 2. *disquis.* 6. Scottia *in select. Pontif. constit. epit.* 30. *theorem* 79. Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 7. Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 3. *cap.* 8. Tamburinus *de jure Abbat. lib.* 1. *disputat.* 21. Rota apud Posthium *de manutent. decis.* 164. Stunica *de voto quæst.* 3. *num.* 30. Zypæus *ad hunc titul. respons.* 9. Araujo *in decis. mor. tract.* 6. *quæst.* 26. *num.* 28. Theophilus Raynaud. *tom.* 17. *de apost. à relig. capite* 1. Thom. Delbene *part.* 2. *de offic. Inquisit.* 236. *sect.* 252.

5. *Impugnatur tradita assertio.*

Sed hæc assertio difficilis valde redditur sequenti juris consideratione; nam monachum alienum recipere sine litteris commendatitiis proprii Abbatis, sacris canonibus est prohibitum. Concil. Agathense apud Gratianum *in cap. monachum* 20. *quæst.* 4. ibi: *Monachum nisi Abbatis sui aut permissu, aut voluntate, ad alterum monasterium commigrantem, nullus Abbas aut suscipere, aut retinere præsumat.* Quæ verba licèt non reperiantur in ipso Concilio, ut jam notavit Bosquetus *ad Innoc. lib.* 1. *epist.* 150. extant tamen alia eundem sensum exprimentia. Synodus 7 *can.* 21. ibi: *Non oportet monachum, vel monacham proprium relinquere monasterium, & in aliud se conferre; si hoc autem contigerit, ipsum hospitem recipi est necessarium: sed eum recipi sine mente monasterii Præfecti non convenit.* Igitur non licet religiosis sine sui superioris licentia etiam ad strictiorem religionem transire. Secundò difficilis est hæc Innocentii Decretalis, dum in ea deciditur, zelo sanctioris, & perfectioris vitæ licere transire ad strictiorem religionem, petita priùs à superiore licentiâ; nam ad commutandum votum evidenter in melius, nulla est necessaria superioris auctoritas, *cap.* 3. *de jurejur.* ibi: *Promissum non infringit qui illud in melius commutat.* Et *cap. scripturæ, de voto*; eâ ratione, quia evidenter commutatio fit in majus bonum, ut docuerunt Lessius *lib.* 2. *de justitia, cap.* 40. *num.* 87. Azor *tom.* 1. *instit. lib.* 11. *cap.* 18. *quæst.* 1. Cajetanus, Covar. Valentia, & alii, quos refert, & sequitur Balboa *in dict. cap.* 3. *de jurejur. num.* 48. igitur cùm evidenter religiosus transit ad sanctiorem, & strictiorem vitam, nulla necessaria est superioris licentia. Tandem pars illa præsentis decisionis, ubi asseritur, sufficere, quod petatur licentia à Prælato, licèt non concedatur, difficilis est; siquidem quando licentia petenda est ad actum celebrandum, non sufficit eam petere, nisi simul fuerit concessa, *cap. religiosus, de testam. in* 6. igitur si in præsenti casu erat petenda licentia superioris, expectari necessariò debebat.

6. *De transitu religiosi ad aliam religionem.*

Adhuc tamen defendenda est præsens Innocentii decisio, pro cujus expositione scire oportet, quod licet apud antiquos transitus monachorum de una religione ad aliam parum in usu esset, quia levitatis, morumque pravitatis indicium erat, unde D. Bernardus *de præcept. & dispens.* improbat transitum ad aliam religionem, etiam vitæ strictioris causâ, his verbis: *Secundo de religiosis ac bene ordinatis monasteriis nullus professorum, meo consilio, ne arctioris quidem vitæ desiderio, sine licentia sui senioris egredietur. Egressus tamen, si melius invenerit, & elegerit, meo nihilominus jam consilio non regrediatur ad inferius bonum, quod reliquerat, & contemserat præ meliori: præsertim si illud melius tale fuerit, quod ejus primæ professioni congruere videatur.* Cur autem ne strictioris quidem vitæ desiderio ad alium Ordinem transitum consulat, has ipse postea rationes subnectit: *Primò propter scandalum ipsorum, quos deserit. Deinde quia certa pro dubiis relinquere, tutum non est. Forsan enim hoc tenere potest, illud non poterit. Tertio suspectam habeo levitatem, quâ id sæpe quod facile voluimus antequam probamus, experti jam nolumus, uno prope momento id ipsum & cupientes, & respuentes, tam leviter, quàm irrationabiliter. Quales utique non paucos frequenter experimur, qui una vix horâ in una voluntate durantes, aurâ levitatis impulsi vagi, & instabiles, hac & illac velut ebrii nutant, mutantque pro experimento judicium; immò sine judicio fluctuantes, spe tumultuantes, tot de se consilia præsumunt, quot loca revisunt.* Accedit quod loci mutatio raro facit meliorem, juxta illud Horatii *epist.* 11.

Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt.

Quodque ut plurimùm falsâ mutationis loci consolatione propositâ, verâ animi levitate vocationem suam deserit monachus, & claustrum fugit.

Insolabiliter tamen istuc mens, animusque
Fert, & amat statuis obstantia rumpere claustra,
Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors;
Stultus uterque locum immeritum causatur inique:

Inquit

Inquit ipse *epist.* 14. Sed reverâ (ut argutè ipse subdit:)

In culpa est animus, qui se non effugit unquam.

Nec omittendus est Lucretius rem luculenter exponens *lib.* 3. *de rebus natur. in fine.*

Si possent homines proinde ac sentire videntur
Pondus inesse animo, quod se gravitate fatiget,
Et quibus id fiat causis cognoscere, & unde
Tanta mali tanquam moles in pectore constet,
Haud ita vitam agerent, ut nunc plerumque videmus,
Quid sibi quisque velit, nescire, & quærere semper
Commutare locum, quasi onus deponere possit.

Et post aliqua, quibus inquietum demutantis loca animum pingit, concludit:

Hoc se quisque modo fugit.

Verùm quia juxta ipsum D. Bernardum *dicto cap.* 20. duce spiritu libertatis licet transire de loco ad locum; ideo Ecclesia permisit transitum religiosis de una Religione ad aliam, ita ut licèt nullus ordo, seu monasterium integrè ad aliud inconsulto Romano Pontifice transire non possit, *cap. unic.* §. *firmatos, de relig. domib. in* 6. tamen privatus, sive vir, sive fœmina, studio perfectioris vitæ ad aliam Religionem transire possit, licentiâ petitâ à proprio Prælato, qui dum eam concedit, non debet absolvere religiosum ab obedientia. Concil. Salzeburg. tempore Gregorii X. *can.* 2. ibi: *Sed nec licitum sit Abbatibus, cùm nec unquam licuerit, monachos ad ordinem strictiorem transeuntes absolvere ab obedientia, quæ monachorum ossibus inseparabiliter est affixa.* Non tamen licet ad laxiorem sine licentia Romani Pontificis trasire. Trident. *sess.* 25. *de regul. cap.* 19. Ricciulus *dict. lib.* 8. *de jure person. cap.* 1. Sed si de facto transeat religiosus ad strictiorem religionem, non ideo creditur apostata, vel in excommunicationem incidit, ut pluribus relatis probat Gibalinus *de clausur. disquisit.* 2. *cap.* 2. §. 3. *num.* 24. Restituendus tamen est priori Prælato, donec cognoscatur, an strictior sit Religio, ad quam transire vult, *cap. non est, cap. Joannes, hoc tit.* Azor. *dict. lib.* 12. *instit. p.* 1. *cap.* 14. Zypæus *respons.* 19. *ad hunc tit.* In hoc tamen examine non attenditur utra Religio sit perfectior, sed quænam strictior sit. Ricciulus *dict. lib.* 8. *cap.* 6. Quæ tamen dicantur strictiores, asperioresve religiones, exponunt Barbosa *in præsenti*, Ricciulus *dict. cap.* 7. ad quam partem spectant textus *in Clement. ut professores, hoc tit.* extravagans Martini IV. *hoc tit. communes.* Trident. *sess.* 14. *de reform. cap.* 11. Et idem in monialibus transeuntibus ad alia monasteria statuitur in Concil. Augustan. *can.* 8. Sanctimonialis, quæ spontaneâ voluntate strictioris vitæ proposito se alligare voluerit, nulla re obstante, id quod bona intentione disposuerat peragendum ab Episcopo non impediatur. Resolvit Tamburinus *ubi suprà*: & quis dicatur superior quoad licentiam petendam, & alia dubia, quæ circa transitum regularium evenire solent, examinant, & resolvunt Azor, & Suarez *ubi suprà*, Martinis *allegat.* 105.

7. *Traditur decidendi ratio.* Ratio præsentis decisionis, quare videlicet religionis permittatur transitus ad strictiorem religionem, provenit ex zelo perfectioris vitæ, quo motus religiosus, & Dei inspiratione ductus, strictiorem appetit religionem; quo casu cùm divinæ inspirationi impunè resisti non possit, *cap. duæ sunt* 19. *quæst.* 2. ideo potest quis studio, & zelo perfectioris vitæ deserere propriam religionem & ad strictiorem transire: sed quia hoc facere debet cum humilitate, ideo priùs debet petere licentiam à proprio Prælato; & quia sæpe sæpius per indiscretam Prælati denegationem impediretur propositum sanctioris vitæ, *cap. Julianus* 11. *quæst.* 3. ideo sufficit eam petere, licèt non obtineatur, ut in aliis juris casibus plerumque contingere solet, *in cap. cùm olim, de arbitris.* Valde tamen attendenda est similis transitus causa, quæ plerumque simulatur ex studio, & zelo strictioris vitæ, cùm plerumque ex diaboli tentatione proveniat. Unde similes transitus reprehendens Petrus Blesensis *lib.* 9. *epist.* 19. ait: *Ranas, & muscas inquietantes penetralia cordis vestri, utinam addicere, vel potius exterminare brevi admonitione possem; Non ignoro apud Aristotelem dubitare de singulis non esse inutile; teneo autem apud Hippocratem, quod mutationes maximè generant morbos. Dicit Gregorius, quod plantæ, quæ sæpe transponuntur, radices non mittunt.* Et Anselmus *lib.* 1. *epist.* 29. eundem transitum increpans ait: *Quod si sibi videtur majora quædam, ac utiliora spirituali fervore appetere, quàm illi præsentis monasterii institutionibus liceat, æstimet aut se falli, sive præferendo paria paribus, sive minora majoribus, vel præsumendo se posse, quod non possit; aut certè credat, se non meruisse quod desiderat.* Plura pro improbandis hujusmodi mutationibus cumulavit Hæphtenus *lib.* 4. *disquis. tract.* 2. *disquis.* 6.

8. *Dissolvitur dubitandi ratio.* Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam in juribus ibi expensis non agitur de transitu monachi ex una religione ad aliam zelo perfectioris vitæ, sed de transitu de uno cœnobio ad alium ejusdem ordinis, ut jam notavi *in cap. non est* 7. *hoc tit.* quod casu sine literis commendatitiis proprii Prælati non potest monachus etiam petitâ licentiâ, sed non obtentâ, recipi in alio monasterio ejusdem ordinis, ex rationibus adductis *in dict. cap.* 7. Non obstat secunda difficultas; nam verum est, quemlibet posse propriâ auctoritate votum à se emissum in melius commutare, quod ex præsenti textu probatur. Siquidem in eo ait Innocentius, etiam renuente proprio Prælato posse religiosum transire ad strictiorem religionem, ut jam notavit Balboa *in dict. cap.* 3. *de jurejur. num.* 53. Debet tamen peti licentia à proprio Prælato, ne temerè, & ex levitate, & in obedientiæ contemptum transitus fiat; sed si legitimè petatur, & Prælatus renuat indiscretè eam concedere, tunc poterit religiosus ad strictiorem religionem trasire. Nec obstat ultima difficultas, cui satisfacit Morla *in empor. tit.* 12. *quæst.* 10. dum asserit, in præsenti speciale jus circa transeuntes ad religionem strictiorem constitui, quod in aliis casibus non observatur; nam ideo religiosus debet petere licentiam à proprio Prælato, ne ex obedientiæ contemptu, aut levitate animi transferat se; Prælatus verò tenetur eam justè petenti concedere: quare si neget, injustitiam facit; nam talis licentia non pendet ex ejus libera voluntate, sed ex boni, justique viri arbitrio, & ita si injustè denegetur, pro concessa habetur.

CAPUT XIX.

Idem *Præpoſito, & Decano, & Scholaſtico de Miren.* (a) *Colonien. diœc.*

VEniens ad Apoſt. Sedem G. mulier latrix præſentium ſimplici nobis inſinuatione monſtravit, quod cùm matrimonium cum E. de Herd. Colonien. diœc. in facie Eccleſiæ contraxiſſet, & diutiùs cohabitaſſet eidem, orta eſt diſſenſio inter ipſos, & ſic ſuadente humani generis inimico, quod deinceps alter non requiret reliquum, uterque corporaliter præſtitit juramentum. Hanc tamen vir ipſe cauſam divortii aſſignavit, quòd quandam ipſius mulieris amitam (b) cognoviſſet antequam eam duceret in uxorem: ſed licèt hoc aſſererent quamplurimi, non tamen fuit ſuper hoc Eccleſiæ facta fides. Cùm autem poſtmodùm ad ſecunda vota convolaſſet uterque, ſecundo viro viam univerſæ carnis ingreſſo, adhuc priore ſuperſtite viro dicta mulier ſe fecit in arcto (c) loco ad pœnitentiam agendam includi, ubi ſex annis in devotione peractis, audiens à quibuſdam diſcretis, & religioſis perſonis, quod ſic ſalvari non poſſet, ad Apoſt. Sedem acceſſit, humiliter poſtulans, & devotè, ut ei dignaremur impendere conſilium ſalutare. Nos igitur attendentes, quod illud fuit illicitum (d) juramentum, diſc. v. per A. ſ. m. quat. præfatum virum monere attentiùs, & inducere procuretis, eum ſi neceſſe fuerit, per cenſ. eccl. ap. rem. cogentes, ut eâ; quam ſuperduxit, exclusâ, præfatam recipiat mulierem, audituri poſtmodùm ſi quid fuerit quæſtionis, & illud debito fine appell. rem. deciſuri. Si verò contra matrimonium nihil fuerit oſtenſum, & vir ſeculo derelicto maluerit ad (e) regularem vitam migrare, vos ei ſuper hoc licentiam tribuatis, ut & illa ſic poſſit in ſuo, ſicut deſiderat, propoſito remanere.

NOTÆ.

1. (a) *Colonienſi.*] Ita legendum eſt, non *Colocenſi*, ut legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 6. nam in præſenti agitur de Colonienſi diœceſi Agrippina, ut notavit Chopinus *lib.* 1. *de ſacra pol. tit.* 3. *num.* 1. De Eccleſia Colonienſi nonnulla notavi *in cap.* 7. *de ætate, & qualit.*

2. (b) *Cognoviſſet.*] Quod ſi Eccleſiæ conſtaret, ſeparandi erant, juxta ea, quæ dabimus *in cap. ſuper eo, de eo qui cognovit conſanguin.*

(c) *Arcto loco.*] Monaſterio videlicet, juxta tradita *in cap.* 1. *hoc tit.*

(d) *Juramentum.*] Quia non fuit factum animo ſervandi caſtitatem, quod valeret, ut dicemus infrà, *tit. proximo*; ſed ex ira, & levitate, ut poſt Thomam Sanchez docet Barboſa *in præſenti.*

(e) *Ad regularem vitam.*] Et ita ex mutuo conſenſu religionem profiteatur, juxta textum *in cap.* 1. ubi commentarium hujus textus dabimus, *de converſ. conjug.*

CAPUT XX.

Idem *Abbati de Affligen.* (a) *& Magiſtro R. & G. Canonicis Trajecten.*

COnſulti ſumus frequenter à multis, utrum is, qui monaſterium eſt ingreſſus habitum ſumendo novitii, ſi ante profeſſionem emiſſam infra tempus probationis voluerit exire, licitè poſſit abſque apoſtaſiæ nota, vel noxa, præſertim cum debita morum correctione ad ſeculum remeare. Licèt autem ſuper hoc ſenſerint diverſi diverſa; nos tamen credimus diſtinguendum, utrum is propoſuerit abſolutè (b) vitam mutare, ut ſub habitu regulari omnipotenti Deo de cætero famuletur; an conditionaliter experiri obſervantiam regularem, ut ita demùm, ſi ſibi placuerit, profiteatur Ordinis diſciplinam; aut ſi forſitan non placuerit, moribus emendatus ad ſtatum priſtinum revertatur. In primo caſu debet, ut regulariter vivat, ad laxiorem ſaltem regulam pertranſire: in ſecundo poteſt in ſeculo, non tamen ut vivat ſeculariter, remanere: & ut quæ ſit ejus intentio, pleniùs agnoſcatur, propoſitum ſuum in principio proteſtetur. Hac ergo diſtinctione diligenti meditatione penſatâ, dil. f. Trajecten. Decanum inquiratis ſolicitè quæ videretis requirenda, & ſtatuatis canonicè, quæ videritis ſtatuenda.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. (a) *Affligen.*] Hæc inscriptio corruptè habetur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. final.* Affligenium enim potens admodum est monasterium, in Cameracensi olim diœcesi, nunc Malchilinensi situm; fundatum in honorem D. Petri ab Henrico III. Lobani Comiti anno 1086. ut referunt Aubertus Mireus *in orig. Benedict.* Bucelinus *tom.* 1. *German. sacr. fol.* 3. Fratres Sarmathani *tom.* 4. *Gall. Christ. fol.* 9.

(b) *Vitam mutare.*] Nam tunc censetur renunciasse anno probationis, & ita professionem emittere, ut docuit Gutierrez *lib.* 2. *cannonic. cap.* 22. *num.* 33. 2.

CAPUT XXI.

Ligonienſi (a) *Epiſcopo.*

(b) POstulasti per Sedem Apostolicam edoceri, quare contra Judæum procedere debeas, qui manus injecit in quendam Presbyterum violentas. Ad quod fraternitati tuæ breviter respondemus, quod si dictus Judæus tuæ jurisdictionis existit, ipsum pœnâ pecuniariâ punias, vel aliâ secundùm quod convenit, temporali, faciens percusso satisfactionem congruam exhiberi. Alioquin dominum ejus moneas, & inducas, ut passo injuriam, & Ecclesiæ ab eo satisfieri faciat competenter. Quod si dominus ejus id neglexerit adimplere, tu Christianis per censuram ecclesiasticam interdicas, ne cum ipso Judæo, antequam satisfaciat, persumant commercia exercere. Consequenter quæsisti, quid facere debeas de quodam captivo, qui se falsò Episcopum asserens, altaria consecravit, & alia plura exercuit, quæ ad officium pertinent Præsulatus. Ad quod tibi taliter respondemus, ut illa, quæ taliter egit, irrita nuncies, & ipsum perpetuo carceri facias mancipari, pane doloris, & aquâ angustiæ sustentandum. Tertiò quæsivisti, utrum illi, qui in annis (c) minoribus constituti, novitiorum habitum susceperunt, & infra annum postmodùm facta professione ad seculum sunt reversi, & ab Episcopis suis hoc scientibus ad sacros Ordines sunt promoti, sustineri debeant in illis Ecclesiis ministrare, in quibus fuerint ab eisdem Episcopis instituti. Nos ergo fraternitati tuæ breviter respondemus, quod propter hoc non sunt ab ipsis Ecclesiis amovendi, sed in eis possunt liberè ministrare, nisi fortè prudentia suppleverit in illis ætatem, ut saltem transire debeant ad regulam laxiorem; cùm ipsi absque protestatione religionis habitum assumendo, vitam præsumantur proposuisse mutare. Datum Lateran. v II. Idus Junii, Pont. nostri anno v.

NOTÆ.

1. (a) *Ingonienſi.*] In quarta collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. legitur *Legionensi*, sed tam inscriptionem, quàm litteram restituto ex Regestro epistolarum Innocentii edito à Bosqueto, ubi *lib.* 3. *regestr.* 15. *epist.* 126. teperitur textus hic. De Lingonensi Ecclesia egi *in cap.* 8. *de rescript.*

(b) *Postulasti.*] Hæc priora verba referuntur *in cap. postulasti, de Judæis*, ubi exponemus. 2.

(c) *Annis minoribus.*] De ætate ad professionem emittendam necessaria egi *in cap. quia in insulis*, suprà relato, ex quo commentario præsens petendum est. 3.

CAPUT XXII.

Honorius III. *Epiſcpo* (a) *Venetenſi.*

EX parte tua fuit propositum coram nobis, quod nonnulli sunt in diœcesi Venetensi, qui licèt pluribus annis gestaverint habitum monachalem, professionem tamen monasticam non fecerunt; undè cùm super eo quod habent proprium, & aliàs regulariter vivunt, à te, vel ab aliis arguuntur, non erubescunt dicere, se ad carentiam proprii, & continentiam, ac alias regulares observantias non teneri, cùm habitus nequaquam monachum faciat, sed professio potiùs regularis: quare super his Apostolicum postulasti remedium exhiberi, cùm inordinata vita prævaricatorum hujusmodi non solùm eis periculum, sed etiam scandalum inferat mentibus aliorum. Ideoque fraternitati tuæ mandamus, quatenus quoslibet tibi lege diœcesana subjectos, qui prædicto modo terras viis ingrediendo duabus, juxta Prophetam væ sibi, & perditionem acquirunt, ut postquam per (b) annum gestaverunt habitum monachalem,

nachalem, regulam quoque secundùm formam ordinis profiteantur & serveut, monitione præmissâ, per censuras ecclesiasticas appellatione remotâ compellas.

NOTÆ.

1. (a) *Venetensi.*] Ita legitur in quinta compilatione, *sub hoc tit. cap. ult.* ex qua ita restituo textum hunc. Guillelmo Præsuli Venetensi, qui fuit ab anno 1223. usque ad annum 1236. missa est præsens epistola, Venetensis civitas est in Gallia, cujus meminerunt Strabo *lib.* 4. Plinius *lib.* 4. *cap.* 18. Jobelinus *lib.* 3. *comment. de rebus Pij II.* Cæsar *lib.* 3. *cap.* 2. Habet Ecclesiam Cathedralem D. Petro dicatam; de qua agunt Fratres Sarmathani *tom.* 3. *Gall. Christ. fol.* 1156. Ejus Episcopo Guillelmo missa est præsens epistola.

(b) *Per annum.*] Ad probationem videlicet assignatum, de quo egi suprà *in cap. super* 9. 2.

CAPUT XXIII.

(a) Gregorius IX.

STatuimus novitios in probatione positos ante susceptum religionis habitum, qui dari profitentibus consuevit, vel ante professionem emissam ad priorem statum redire posse liberè intra annum, nisi evidenter appareat, quod tales absolutè voluerint vitam mutare, & in religione perpetuò Domino deservire; cùm quilibet renunciare valeat ei, quod pro se noscitur introductum. Nihilominus statuentes ad omnem ambiguitatem penitus amovendam, quod cùm in quibusdam locis religiosis novitiorum habitus non distinguatur ab habitu professorum, professionis tempore benedicantur vestes, quæ profitentibus conceduntur, ut novitiorum habitus à professorum habitu discernatur.

NOTÆ.

1. (a) *Gregorius.*] Qui præsentem constitutionem edidit motu proprio, ad decidendam quæstionem toties agitatam, an videlicet pendente probationis anno liceat deserere religionem, & habitum susceptum exuere? Quam ex novo, & veteri jure examinavi suprà *in cap.* 9. *hoc tit.* ex cujus commentario præsens petendum est.

CAPUT XXIV.

Idem (a)

NE religiosi vagandi occasionem habentes, salutis propriæ detrimentum incurrant, & sanguis eorum de Prælatorum manibus requiratur: statuimus, ut præsidentes Capitulis celebrandis secundùm statutum Concilii (b) generalis, seu Patres, Abbates, seu Priores (c) fugitivos suos, & ejectos de Ordine suo requirant solicitè annuatim. Qui si in monasteriis suis recipi possunt secundùm ordinem regularem, Abbates, seu Priores eorum monitione prævià per censuram ecclesiasticam compellantur ad receptionem ipsorum, salvâ Ordinis disciplinâ. Quod si hoc regularis ordo non patitur, auctoritate nostra provideant, ut apud eadem monasteria in locis competentibus, si absque gravi scandalo fieri poterit, alioquin in aliis religiosis domibus ejusdem Ordinis, ad agendam ibi pœnitentiam talibus vitæ necessaria ministrentur. Si verò hujusmodi fugitivos, vel ejectos inobedientes invenerint, eos excommunicent, & tamdiu faciant ab Ecclesiarum Prælatis excommunicatos publicè nunciari, donec ad mandatum ipsorum humiliter revertantur.

NOTÆ.

1. (a) *Idem.*] Gregorius videlicet IX. qui novam hanc constitutionem edidit pro religiosis fugitivis, & ejectis revocandis ad proprium monasterium: & licèt cum aliis Azor *pag.* 1. *instit. lib.* 12. *cap.* 17. *q.* 2. Sanchez *in Decalog. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 11. existimaverit, constitutionem hanc contrariâ consuetudine esse abrogatam; tamen confirmata & instaurata ea fuit lege novâ Urbani VIII. constitutioue editâ die 21. Septembris anno 1624. ubi dum de apostatis religiosis, & ejectis decretum edidit, ita cavit: *Præstremò censuit esse innovandam, & suæ beatitudinis auctoritate innovat constitutionem felicis record. Gregorii IX. relatam in cap. final. extra de regul. ac propterea declarat, eam constitutionem in his quoque vindicare sibi locum, servandamque esse, qui justè, diffinitiveque, ac juris ordine servato expulsi fuerunt, dummodo tamen in expulsis hujusmodi subsit spes evidens emendationis, ex literis saltem testimonialibus Ordinarii, cujus conscientiam in his litteris*

litteris concedendis sacra Congregatio seriò oneravit. Refert Barbosa *in præsenti, num final.*

2. (b) *Concilii generalis.*] Glossa *hic*, quam sequitur Hostiensis, existimat verba hæc referri ad Concilium Lateran. sub Innocentio III. celebratum, & relatum *in cap. in singulis, de statu monach.* Cironius *in parat. ad hunc tit. in fine*, ab hac Glossæ sententia discedit ex eo, quod in dicto Concilio Lateran. non agitur de religiosis fugitivis, & ita Gregorium IX. referendum esse ad Concilium Eborac. sub Cœlestino celebratum, ubi vetitum fuerat, ne occasione negotiorum, aut peregrinationis religiosus absque socio iter arriperet, teste Rogerio *in hist. Angliæ.* Sed eodem modo refellitur hæc Cironii sententia; nam in eo Concilio non agitur de monachis fugitivis perquirendis; nec fuit illud Concilium generale: quare non potest Gregorius referri ad Synodum illam. Credo ergo Gregorium respexisse ad Concilium generale, de quo *in dicto cap. in singulis*; non quia agatur in eo de monachis fugitivis perquirendis; sed quia statutum in eo fuit tempus celebrandi Capitulum à Regularibus, & formam in eo observandam Innocentius ibi præscripsit. Unde ait Grogorius in præsenti: *Statuimus, ut præsidentes Capitulis celebrandis secundùm statutum Concilii generalis*, &c. Non enim Gregorius expendit Concilium generale ad firmandam suam constitutionem, sed relativè; ut cùm Capitulum Regularium congregandum sit juxta formam præscriptam in dicto Concilio Lateran. generali, de fugitivis, & ejectis monachis perquirendis agatur: & ita libenter adhæreo Glossæ, & Hostiensi in præsenti.

3. (c) *Fugitivos.*] Fuga differt ab apostasia; nam fuga est recessus à monasterio, & obedientia, atque subjectione proprii Prælati, non tamen animo deserendi religionem, & manendi in seculo, sive ad illud redeundi; sed aliquamdiu vagandi quocunque prætextu, sive retento, sive abjecto habitu; nam *in l. quis sit fugitivus, ff. de ædilit. edict.* ille fugitivus dicitur, qui extra Domini domum fugæ causâ, quo se à Domino celaret, mansit: quam explicat Villota *de servis fugitivis, in princip.* Apostasia est recessus à Religione, & obedientia Prælati proprii, cum animo deserendi omnino institutum, & non redeundi ampliùs ad religionem, sive habitum retinendo, sive illum abjiciendo: quare licèt omnis apostasia à religione sit fuga, non tamen omnis fuga apostasia est. Ad fugam igitur requiritur iniqua discessio à conventu, & obedientia Prælatorum. ad apostasiam verò exigitur deinde animus deserendi religionem, & in seculo permanendi: quod discrimen agnoverunt Sanchez *in Decalog. lib. 6. cap. 8. num. 2.* aliis relatis Ferdinandus à Castro *tract. 16. disput. 4. punct. 16. num. 2.* Gibalinus *de clausur. regul. disquisit. 2. cap. 3. §. 1.*

COMMENTARIUM.

4. Conclusio deducitur & probatur.

EX hac Gregorii IX. constitutione sequens deducitur assertio: *Religiosi fugitivi, & ejecti annuatim sunt requirendi, & cogendi, ut ad claustrum revertantur.* Quæ conclusio probari potest ex Concilio Andegav. *can. 9.* ibi: *Monachi, qui cœptam observationis viam relinquunt, & absque epistolis, & absque certis negotiis, vel necessitatibus per regiones vagantur alienas, cognitâ districtione, si se non emendaverint, ab Abbatibus suis, vel à sacerdotibus ad communionem non recipiantur.* Vernense *can. 10.* ibi: *Ut monachi, qui veraciter regulariter vivunt, ad Romanam Sedem, vel alicubi vagari non permittantur, nisi obedientiam Abbatis sui exerceant. Et si talis casus evenerit (quod absit) quod ille Abbas sic remissus, vel negligens inveniatur, ut in manus laicorum ipsum monasterium veniat, & hoc Episcopus emendare non potuerit, & aliqui tales monachi ibidem fuerint, qui propter Deum de ipso monasterio migrare velint, propter eorum animas salvandas; hi per consensum Episcopi licentiam habeant, qualiter eorum animæ possint salvari.* Rhemense *can. 25. Ne monachi, aut canonici occasionem quærant vagandi.* Parisiense sub Ludovico, & Lothario *lib. 1. cap. 36. Multi ecclesiasticæ regulæ subjecti, propositi, & loci sui desertores effecti, passim quocunque eis voluntas suaserit, posthabitâ auctoritate canonicâ pergunt, & non solum ab aliis Episcopis, & Abbatibus, verùm etiam à Comitibus, & nonnullis aliis nobilibus viris recipiuntur. Quod quantum & à divina, & à canonica auctoritate discordet, in promptu est. Quod ne ulteriùs fiat, & ab Episcopis, & à cæteris ecclesiasticis Prælatis observandum.* Aurelian. *1. can. 19. Ipsi autem monachi, qui fuerint pervagati, ubi inventi fuerint, cum auxilio Episcopi, tanquam fugaces sub custodia revocentur.* Tolet. 7. *can. 5. Vult vagos ab Episcopis, seu Rectoribus monasteriorum, ex quorum congregatione fuerunt, vel in quorum vicinitate consistunt, in monasteriis omni modo deputari.* Synodus Constantin. 2. *can. 3.* apud Balsamonem: *Si qui præest monasterio, eos qui ei subjecti sunt, monachos non cum multa diligentia requirat, vel inveniens non recipiat, statuit sancta Synodus eum segregationi subjici.* Concilium Nicæn. 2. *can. 21.* Cæsaraugust. *can. 6.* Tolet. 4. *can. 52. Religiosi propriæ religionis, qui nec inter clericos, nec inter monachos habentur sive hi, qui per diversa loca vagi feruntur, ab Episcopis, in quorum conventu commorari noscuntur, licentia eorum coerceantur, ut aut in clero, aut in monasterio deputentur.* Salzeburgen. 1. tempore Gregorii X. *can. 2. Eisdem Abbatibus præcipimus, & mandamus, ut monachos fugitivos in seculo divagantes revocare procurent, & secundùm tempora Martini IV. determinamus, ut quicunque Prælatus monachum fugitivum, vel ejectum ad monitionem Episcopi, Rectorum, vel Visitatorum Ordinis non receperit, ex tunc sit à temporalium administratione suspensus, donec recipiat Monachum vagabundum.* P. Blesensis *epist. 88.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa, Bruno Chassaing. *de privil. regul. tract. 4. cap. 6. propos. 9.* Haæphtenus *disquis. monast. lib. 8. tract. 4. disquisit. 7. & 8.* Tamburinus *tom 3. de jure Abbat. disput. 8. q. 7.* Ferdinandus à Castro *tract. 16. disp. 4. punct. 19. num. 2.* Gibalinus *de clausur. disquisit. 2. cap. 4. §. 11.* Girago *de regim. regul. p. 2. dub. 29.*

Sed licèt hæc assertio erga religiosos fugitivos sustineri possit, & facilè procedat; tamen erga ejectos contraria videtur sacris canonibus, & ipsis regulis monachalibus; nam monachum incorrigibilem ejiciendum esse in perpetuum à monasterio, statuerunt Alexander III. *in cap. relatum 7. ne clerici, vel monachi.* Innocentius III. *in cap. cùm ad monasterium, de statu monach.* Honorius III. *in cap. ultimo, eodem tit.* Et suis sanctis regulis idem statuerunt S. Augustinus *epist. 109.* quæ est ejusdem Regulæ, ubi de monacho

5. Impugnatur hæc assertio.

nacho incorrigibili ita ait: *Etiamsi ipse non abscesserit, de vestra societate projicietur; non enim & hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestiferâ plurimos perdat.* Sanctus Benedictus *cap.* 28. de incorrigibilibus agens: *Tunc Abbas faciat, quod sapiens Medicus: si exhibuit fomenta, si unguenta exhortationum, si medicamina scripturarum divinarum, si ad ultimum ustionem excommunicationis, vel plagas virgæ, etiam si viderit nihil suam prævalere industriam, adhibeat etiam quod magis est, suam, & omnium fratrum pro eo orationem, ut Dominus, qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum fratrem. Quod si nec isto modo sanatus fuerit, tunc jam utatur Abbas ferro abscissionis, ut ait Apostolus: Auferte malum ex vobis. Et iterum: Infidelis, si discedit, discedat, ne una ovis morbida totum gregem contaminet.* Magister de eisdem agens, *cap.* 13. *Si placuerit Abbati, de monasterio expellantur.* Consonant Concilium Aquisgran. *can.* 134. Isidorus Pelusiota *lib.* 1. *epist.* 318. D. Basilius *interrog.* 57. *in reg. brevioribus*: quorum verba refert Gibalinus *d. cap.* 4. §. 8. Igitur si ejectio religiosorum ita conveniens est, & consona juris dispositioni, & regulis monachorum, non rectè statuit Gregorius in præsenti, monachos ejectos annuatim esse requirendos, & claustris, aut carceribus esse mancipandos.

6. *De clausura monachorum.* Quâ difficultate ita fulcitâ non obstante, vera est præsens Gregorii constitutio: pro cujus expositione sciendum est, monachis, & quibuscunque religiosis ritè, & legitimè professis prohibitum esse è monasterio exire invito, aut inconsulto Prælato. Concilium Turon. 2. *can.* 16. ibi: *Si qui in monasterio conversi sunt, aut converti voluerint, nullatenus exinde habeant licentiam evagandi.* Synodus Trul. *can.* 46. ubi cùm de clausura sanctimonialium ageretur, de monachis ita aiunt PP. Sed & viri, qui vitam monasticam persequuntur urgente necessitate, & ipsi cum benedictione ejus, cui regimen creditum est, procedant. Nec etiam prætextu peregrinationis Romanæ licet monacho è monasterio exire. Concilium Vernense *can.* 10. ibi: *Ut monachi, qui veraciter regulariter vivunt, ad Romanam Sedem, vel alicubi vagari non permittantur.* Et quia varii prætextus quærebantur à monachis, ut exirent è monasterio, ut omnes vagandi occasiones præscinderentur, etiam negotii peragendi prætextu, egressus è monasterio absque Prælati licentia denegatur in Synodo Mogunt. sub Carolo, *can.* 20. ibi: *Ut omnia necessaria intra monasterium exerceantur, ut non sit necessitas monachis, vel clericis vagandi foras, quia non expedit animabus eorum.* Meldense *can.* 57. *Ut monachi, quibus monasteriorum cura comissa non est, passim, & sine auctoritate palatium non adeant, nec in eo immorentur, vel ubi, & ubi discurrere, ac pervagari præsumant.* Synodus Romana sub Leone IV. *can.* 28, ne monachi à monasteriorum clausuris absque Abbatis, vel qui ab eo est constitutus, licentia, ad quodlibet opus exercendum egredi præsumant, *l.* 29. *C. de Episcop. & cleric. Qui in monasteriis degunt, potestatem inde exeundi ne habento.* Concilium Calced. *cap.* 4. Trullan. *canon.* 46. *l.* 1. & 2. *C. Theodos. de monachis.* Quæ omnia innovavit Trident. *sess.* 25. *de regul. cap.* 4. Cum licentia tamen proprii Prælati possunt etiam perpetuò extra monasterium degere. Quare cùm Alexander II. *in cap. juxta* 16. *q.* 1. præcipit monachis in clausтro morari, intelligendus est, nisi licentia Prælati præcedat; nam Pontifex ait, sequi se Chalcedonensis Concilii tenorem. Et *in can.* 4. *ipsius Concilii* ita legitur: *In quibus ordinati sunt locis, fortiter perseverantes, nec ecclesiasticis, nec secularibus negotiis se ingerant, vel communicent, propria relinquentes monasteria, nisi quandoque à civitatis Episcopo eis permissum fuerit.* Illa autem verba, quæ sequuntur *in dicto cap. justa*, ibi: *Ad normam S. Benedicti intra claustrum morari præcipimus*; rectè exponit Gibalinus ita, ut sensus Alexandri sit, ut præcipiat omnibus monachis morari intra claustrum, prout S. Benedictus in sua regula præscripserat, videlicet, ne etiam prædicationis, aut peregrinationis causâ monachis liceret extra monasterium vagari; cum licentia verò Abbatis liceret è monasterio exire: quo modo etiam intelligitur textus *in cap. placuit* 2. 16. *q.* 1. juncto ipso Gibalino *dicto cap.* 2. §. 3. *num.* 9. & plura de clausura Religiosorum congesserunt Navarrus *commentar.* 2. *de regular.* Suarez *de relig. tract.* 8. *lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 3. Tamburinus *de jure Abbat. tom.* 3. *disput.* 8. *q.* 6. *num.* 3. Araujo *tract.* 3. *q.* 27. *mor.* Bonac. *de clausur. q.* 2. *punct.* 1. Unde tot Ecclesiæ legibus cautum reperitur, ne monachi extra claustra vagentur. Concilium Meldense *dicto can.* 57. probat Gibalinus *dicta disquisit.* 2. *cap.* 2. §. 3. Et leges Imperiales censuerunt monachum refugam ab Episcopo, vel Præside, apprehensum in monasterium detrudi debere: si denuò fugiat, militiâ, aut honore, quo fungebatur, spoliatum, inter officiales Præsidis Provinciæ servire, *Novel.* 123. *Justin.* & si servilis fuerit conditionis, pristino domino restitui debere, *l. servi, C. de Episc. cler. novel.* 5. *Justin. cap.* 4. notarunt Balsamon *ad nomocan. Photii, tit.* 9. *cap.* 32. Menardus *in not. ad concord. regul. cap.* 20. §. 7. Indeq; è monasterio effugere, ut grave scelus, tam veteribus, quàm novis Ecclesiæ legibus vindicatur, & in antiqua monastica disciplina fugitivos sponte redeuntes post emendationem Prælati recipiebant in ultimo gradu, & si tertiò fugerent, non amplius eos recipiebant, juxta regulam D. Benedicti *cap.* 29. *Frater, qui proprio vitio egreditur, ac projicitur de monasterio, si reverti voluerit, spondeat prius omnem emendationem vitii, pro quo egressus est, & sic in ultimo loco recipiatur, ut ex hoc ejus humilitas comprobetur: quod si denuò exierit, usque tertiò recipiatur; jam verò postea sciat omnem sibi reversionis aditum denegari.* Illustrat Gibalinus *dicto cap.* 3. §. 3. *num.* 26. & disciplinam hanc consonam esse aliis regulis Sanctorum PP. defendit Hæphtenus *lib. disquisit. tract.* 4. *disquisit.* 8. & Menardus *ad concord. regul. fol.* 1034. de pœnis fugæ conjunctæ cum apostasia agemus *in cap. final. de apost.*

7. *De pœnis ejectionis.* Secundò sciendum est, ejectionem, seu expulsionem religiosi à monasterio adeo gravem pœnam esse, ut meritò ejus usus in dubium revocetur à D. Isidoro *cap.* 16. *regulæ*, his verbis: *Quamvis frequentium, graviorumque vitiorum voragine sit quispiam immersus, ne fortè qui poterat per diuturnam pœnitudinem emendari, dum projicitur, ore diaboli devoretur.* Facit etiam & illa ratio; nam cùm religiosus tradiderit se religioni cum tractu quodam reciproco professionem suam acceptanti, sicut religiosus nequit habitum exuere, religionemque abjicere; ita nec religio poterit religiosum invitum ejicere, cùm mutua

sit, & æqualis utriusque obligatio. Nec hæc pœna ejecto, aut religioni ejicienti commoda esse potest; nam ejectus multò liberiùs peccabit, immò in omnia se vitia præcipitem dabit: unde non ejus emendationi per ejectionem consulitur: nec etiam Religioni conveniens est pœna hæc, siquidem alii ut liberiùs vivant, incorrigibiles fiant, ut ita ejiciantur. Unde cautiùs esse monachos incorrigibiles carceribus mancipare, quàm ejicere de monasterio, docuerunt Cardinal. *in Clement. ne in agro*, §. *quia verò*, *de statu monach.* Abbas *in cap. cum ad monasterium*, *num.* 13. *de statu monach.* Hostiensis *in summa*, *tit. de pactis*, *num.* 4. Immola *in cap. cum in Ecclesiis*, *num.* 8. *de majori. & obed.* Angelus *in summa*, *verbo Abbas*, *num.* 18. Grassis *part.* 1. *decis. lib.* 3 *cap.* 5. *num.* 145. Sed contrarium, immò omni tempore in Ecclesia pœnam hanc ejectionis usitatam fuisse, constat ex canonibus suprà relatis, & veteribus regulis Sanctorum Patrum; atque ejus usum defendunt Gibalinus *dicto* §. 11. Hæphtenus *d. disquis.* 8. Chassaing. *dicta proposit.* 9. quoniam bonum commune religionis præponendum est particulari. Unde cùm utrumque non potest obtineri, minus, id est particulare, postponendum est bono majori, videlicet communi. Hoc autem fieri non potest, nisi ovis morbida alios suo pravo exemplo, & improbitate inficiens, expellatur, & caro resecetur, ut docet D. Hieronymus relatus *in cap. resecandæ* 24. *quæst.* 3. Alioquin illorum exemplo ad similia inducerentur, ut satis experientia docuit. Non tamen ipsi ejecti propter ejectionem liberantur à votis emissis tempore professionis; unde si ita ejecti contrahant matrimonium, præterquam quod invalidum est, puniri possunt ab Inquisitoribus hæreticæ pravitatis. Plura de ipsis expulsis, & eorum conditione tradunt Gibalinus, & Chassaing. *ubi suprà*, Bravo *in not. ad regul. D. Benedicti*, *cap.* 26. Thomas Delbene *part.* 2. *de offic. Inquisit. dubit.* 236. *sect.* 34.

8. *Traditur ratio decidendi.* Quibus ita animadversis ratio præsentis assertionis provenit ex eo, quod cùm fugitivi, & ejecti per fugam monasterium proprium privent utilitate & commodis, & quæ ex suis subditis habet, illudque suo discessu, ac divagatione infament, & aliis scandalo sint; ipsi verò in statu damnationis existant, debeantque Prælati communi bono religionis, & famæ consulere, religiosorumque saluti spirituali prospicere, conguntur fugitivos annuatim requirere, & revocare, si possint, atque tum pœnis, tum aliis modis illos emendare, ut in præsenti Gregorius constituit, qui circa fugitivos tria præcipit. Primum, ut superiores illos solicitè annuatim requirant: secundum, ut si in monasteriis recipi possint juxta ordinem regularem, Abbates & Prælati ad eos recipiendos compellantur, etiam per censuram ecclesiasticam, salvâ ordinis disciplinâ, hoc est, ut interpretatur Glossa, impositâ illis pœnitentiâ ex præscripto regulæ. Tertium, quod si disciplina regularis non patiatur eos in illorum consortium iterum recipi intra eadem monasteria, in locis competentibus, vel in aliis domibus ejusdem Ordinis, id est, in carcere, ad agendam pœnitentiam includantur.

7. *De pœna ejectorum.*

Nec jam obstat difficultas suprà adducta, quâ oppressi classici repetentes hîc, & Doctores suprà laudati, varias huic constitutioni assignarunt interpretationes. Communiter docetur, textum hunc intelligi de ejectis injustè, vel ex defectu potestatis in dimittente, vel ex defectu causæ, seu ordinis judicialis non servati, qui debent requiri, & in monasteriis detrudi: quod secus procederet, si justè & per sententiam diffinitivam ejecti essent: ita docuerunt Navarrus *ad hunc titulum commentarii* 2. *num.* 36. & *lib.* 3. *consil. tit. de regul. in* 1. *edit. consil.* 51. Rodriguez *tom.* 1. *qq. regul. q.* 30. Azor *lib.* 12. *instit. tom.* 1. *cap.* 17. alii relati à Thoma Sanchez *lib.* 9. *summæ*, *cap.* 9. *num.* 18. Præsentem constitutionem ut contrariam consuetudini negligit Ferdinandus à Castro *tractatu* 16. *disput.* 4. *punct.* 19. *num.* 2. quem & sequitur Gibalinus *dicta disquisit.* 2. *cap.* 4. §. 11. *num. final.* qui existimat, Gregorium in præsenti non agere de monachis ejectis absolutè, & in perpetuum, sed ad tempus duntaxat; qui nisi exacto tempore ad monasterium redeant, fugitivi censendi sunt, ideoque fugitivis comparantur, & simul cum ipsis requiruntur, & ad monasterium redire coguntur: puniendi tamen sunt in eodem monasterio, vel in alio ejusdem Ordinis, salvâ regulari disciplinâ. Sed hæc solutio prorsus divinatoria est, cùm generaliter Gregorius agat de fugitivis, & ejectis, nullâ adhibitâ distinctione inter ejectos ad tempus, vel in perpetuum. Quare omissis his solutionibus, pro vera hujus textus interpretatione sciendum est, olim Prælatos Religionum facultatem habuisse dimittendi monachos, etiam jam professos, cùm illis videbatur religionis ejectio expedire: unde D. Benedictus in sua regula, *cap.* 38. ubi agitur de professione monastica, statuit, ut illæ vestes seculares, quas novitius probationis tempore gestabat, & cùm emittebat professionem exuebat, diligenter asserventur, ne si ad seculum redeat, discedat in habitu religioso. Idem statuit D. Basilius *in Asceticis*, ubi innuit, olim discedere solitos monachos, facileque dimitti constituit ipse, *pag.* 336. *colum.* 2. *ad finem.* & *pagina* 339. *column.* 1. *circa medium*, & *in regulis fus. disput. interrog.* 28. 29. & 47. & *in regul. brevior. interrog.* 57. 61. 102. & 155. Id etiam probatur ex D. Gregorio *lib.* 2. *dialog. cap.* 5. ubi agens de quodam monacho, qui in ordine D. Benedicti facultatem discedendi efflagitabat, ita inquit: *Cumque enim vir Dei assiduè corriperet, & frequenter admoneret, ipse verò nullo modo consentiret in Congregatione persistere, atque importunis precibus, ut relaxaretur, innueret.* D. Augustinus *serm.* 1. *de commun. cleric. vit.* ibi: *Qui volunt habere aliquod proprium, quibus non sufficit Ecclesia Dei, maneant ubi volunt, ubique possunt, non eis aufero clericatum.* Quæ, & alia Sanctorum Patrum testimonia doctè expendens, hanc defendit sententiam Basilius Legionensis *quæst.* 3. *scholast. capite* 10. cùm autem Prælati hac facultate abutentes è monasteriis monachos ejicerent, quia postea per seculum vagabantur, statuit Gregorius, ut Prælati ipsos annuatim requirerent, & monasteriis manciparent: & postea Urbanus VIII. suprà relatus constitutionem hanc innovans statuit, ut tantùm ex gravissimis causis, dataq;

9. *Expenditur præsens textus.*

incorrigibilitate Prælati possent religiosos è monasteriis ejicere.

10. *Exponitur can. 21. Synod. Rom.* Sed suprà traditis obstat Synodus Romana sub Gregorio VII. *can.* 21. ibi: *Monachi, qui relinquunt suum habitum, vel absque licentia sui Abbatis vagantur, non recipiantur.* Ex quibus verbis expressè constat, monachos fugitivos, & vagantes non esse ampliùs recipiendos: igitur frustrâ annuatim requiruntur. Cui difficultati respondendum est, illa verba, *non recipiantur*, non esse referenda ad Prælatum proprium ipsius monachi fugitivi, sed ad alios Prælatos, sive Regulares, sive seculares, juxta textum *in cap.* 3. 20. *q.* 4.

TITULUS XXXII.

De Conversione Conjugatorum.

CAPUT I.

Alex. III. *Eliensi* (a) *Episcopo.*

PRæterea, utrum laicus uxoratus, qui præsentibus sacerdotibus, & monachis, ignorante Episcopo, de licentia, & permissione uxoris suæ monasterium ingressus, & fortè professionem fecit, uxore in seculari habitu remanente, nec ad religionem transeunte, aut perpetuam continentiam vovente, ab Episcopo suo possit ad thorum uxoris revocari, an illa compellenda sit ad observationem continentiæ pertransire? Dicimus, quod nisi uxor ad religionem transierit, aut castitatem perpetuò servare promiserit, vir debet, & potest ab Episcopo de monasterio revocari; quia cùm una caro sint effecti, non debet una pars in seculo manere, & altera ad religionem & castitatem transire. Verumtamen uxor monenda est, & propensiùs exhortanda, ut ad religionem transeat, & castitatem servare promittat.

NOTÆ.

1. (a) E*Liensi.*] In appendice Concilii Lateranensis, *p.* 5. *cap.* 4. legitur *Herefordensi*; sed in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. habetur, *Hiriensi*; & additur *pars capitis Super eo*; unde agnoscitur, in præsenti referri partem textus *in cap. super eo, de regul.* & ita legendum esse, *Eliensi*, ut jam in ipso notavi.

COMMENTARIUM.

2. EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Vir non potest religionem ingredi, uxore renuente, immò nec consentiente, nisi simul convertatur ad religionem, si juvenis est; aut castitatem in seculo promittat, si senex.* Probant eam textus *in cap. multorum, cap. Agathosa, cap. quia Agatho*, & ferè per totam 27. *q.* 2. *cap. si tu abstines*, & ferè per totam 27. *q.* 2. *cap.* 14. 32. *dist. cap. Episcopus*, 77. *distinct. cap. cùm sis, cap. uxoratus, hoc titulo, cap. cùm causa*, §. *præterea, de raptor. cap. lege* 2. §. *beatus, distinct.* 10. *cap. una sola, cap. quod Deo, cap. secundùm* 33. *quæst.* 3. Gregorius VII. in Synodo Romana anno incerto, *cap.* 20. ibi: *Si conjugatus vult monachus fieri, ex consensu mulieris fiat, ita ut illa fiat monacha, vel profiteatur castitatem; quia eo vivente monacho, nunquam habebit alium; similiter de muliere. Si quis istorum prævaricator fuerit mandatorum, excommunicationi subjaceat.* Refert Antonius Augustinus *in epit. jur. lib.* 9. *titul.* 11. Concilium Abrincense tempore Alexandri III. *can.* 10. *Vir ad religionem non transeat, uxore in sæculo remanente, vel conversi ambo vacandi operibus carnis tempus excesserint.* Illustrant ultra congestos à Haranna, & Barbosa *hic.* Idem Barbosa *de potest. Episcop. alleg.* 10. *num.* 45. & *de jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 126. & *cap.* 35. *num.* 12. & *cap.* 42. Basilius *de matrim. lib.* 9. *cap.* 11. 12. & 13. & *lib.* 10. *cap. final.* Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri mon. cap.* 102. Bellarminus *tom.* 1. *controvers. lib.* 2. *de mon. cap.* 37. Acuña *in cap. assumi, distinct.* 28. & *in cap.* 14. *distinct.* 32. & *in cap. Episcopus*, 77. *distinct.* Espenceus *lib.* 6. *de voto continentiæ, capite* 1. Azor *tom.* 1. *instit, lib.* 12. *cap.* 1. D. Nicolaus de Castro *in* §. 1. *Instit. de emptione, num.* 68. Tondutus *resol. canonic. cap.* 116, Wading. *ad opera D. Francisci, fol.* 246. Gazæus *in notis ad Cassianum, collat.* 21. *cap.* 9. fusè Thomas Hurtado *tom.* 2. *de resident. resolut.* 1. *per totam.* Cujacius *in Novella* 22. *Iustin.* Balboa *in cap. Gaudemus, num.* 178. *de divort.* P. Gregorius *lib.* 3. *partit. tit.* 2. *cap.* 4. Joannes Dartis *ad Decret. in* 27. *q.* 2.

3. *Impugnatur tradita assertio.* Sed pro dubitandi ratione expendam caput 9. collationis 21. Cassiani, in quo singulare Abbatis Theonæ factum narratur, qui dimissâ uxore etiam invitâ, & reluctante, ad Eremum, & monachatum se contulit, rationibus illis motus,

motus, quas refert Cassianus per hæc verba: [Cumque hujusmodi obsecrationibus jugiter persistenti conjux durissima non præberet assensum, seque diceret solatio maritali pro ætatis suæ flore penitus abstinere non posse, ac proinde si quid deserta ab eo criminis admisisset, illi potiùs adscribendum, qui conjugii fœdera dirupisset. Ad hæc ille, cùm diu conditionem naturæ prætendisset humanæ, quàm fragilem, & incertam; periculosumque esset carnalibus desideriis, & operibus diutiùs implicari, adjiciens adstruebat, non licere cuiquam ejus se boni extorrem facere, quod didicisset, majorisque esse noxæ despicere cognitam bonitatem, quàm incognitam non amare: proinde se jam reatu etiam prævaricationis involvi, si inventis tam præclaris, tamque cœlestibus donis, terrena, ac solida prætulisset. Ad omnem sanè ajebat ætatem, omnemque sexum perfectionis magnificentiam pertinere, & diversa Ecclesiæ membra ad conscendendam sublimium meritorum celsitudinem provocari, dicente Apostolo 1. ad Corinthios, cap. 9. Sic currite ut comprehendatis: nec propter lentorum, & segnium moras, paratos, atque alacres debere subsistere, cùm rectius sit, ut desides à præcurrentibus incitentur, quàm ut properantes à residentibus obligentur. Proinde statutum sibi dicebat, decretumque esse secundum illud Matthæi cap. 18. renunciare sæculo, ac mori mundo, ut vivere posset Deo: & si hanc beatitudinem nequeat obtinere, ut cum socia sua in consortium transeat Christi, malle se vel cum unius membri dispendio salvum fieri, & velut debilem introire in regnum cœlorum, quàm cum soliditate corporis condemnari, ut probatur ex Deuteronomii cap. 2. ex Matthæi cap. 19. & Exodi cap. 20. Adjiciebat autem etiam ista, dicens: Si Moyses pro duritia cordis dimitti permisit uxores, quare hoc non sinat Christus pro desiderio castitatis, præsertim cùm idem Dominus Lucæ cap. 14. & Matthæi cap. 19. inter cæteras affectiones (id est patrum, & matrum, ac filiorum, quibus omnem reverentiam, non solùm lex, sed etiam ipse præceperat exhiberi; tamen pro nomine suo, ac desiderio perfectionis non solùm contemnenda simpliciter, sed etiam odio habenda esse decernens,) conjungat eis similiter etiam uxorum nomen, dicens: Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, &c. In tantum ergo perfectioni, quam prædicat, nihil patitur comparari, ut illam quoque necessitudinem solvat patris, ac matris, quæ secundùm Apostolum ad Ephesios cap. 6. primum obtinet in repromissione mandatum. Honora scilicet patrem, & matrem (secundùm Matthæum, ubi suprà) quod est mandatum primum in repromissione, ut bene sit tibi, & sis longævus super terram; eamque despui pro suo amore præcipiat. Evidenter itaque sicut eos Evangelicus sermo condemnat, qui non interveniente adulterii crimine uxoria vincula dirumpunt, ita ob amorem Christi, & desiderium castitatis, his qui jugum carnale rejecerint, etiam centupla præmia repromittit. Quapropter si fieri potest, ut ad hanc optatissimam mihi partem, acceptâ tamen ratione flectaris, scilicet ut Domino servientes, pœnam gehennæ pariter evitemus, charitatem conjugii non refuto, immò etiam majore adhuc dilectione complector: agnosco enim, & veneror adjutricem meam Domini mihi sententiâ deputatam, & indirupto eidem fœdere charitatis in Christo cohærere non respuo, nec a me separo, quod Dominus mihi primæ statim conditionis lege conjunxit, dummodo sis & ipsa, quod conditor esse te voluit. Si verò non ad adjutorium esse volueris, sed in deceptionem, & adminiculum te non mihi, sed adversario malueris exhibere, atque ob hoc attributum putas conjugii sacramentum, ut te huic, quæ ingeritur, fraudans saluti, insuper etiam me à discipulatu retrahas Salvatoris: ita illam Abbatis Joannis, immo Christi ore prolatam sententiam viriliter apprehendam, ut me à spirituali bono nulla carnis avellere possit affectio. Qui enim, inquit, non odit patrem, & matrem, &c. Lucæ cap. 14. adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Cùm ergo his, atque hujusmodi verbis mulieris non flecteretur intentio, & in eadem obstinationis duritia permaneret: Si ego (inquit B. Theonas) te abstrahere à morte non possum, nec tu me separabis à Christo. Tutius est autem mihi cum homine, quàm cum Deo habere divortium. Aspirante itaque gratia Dei, diffinitionis suæ executionem instanter aggressus est, nec intepescere per aliquam moram desiderii sui passus est ardorem: nam confestim omni mundanâ facultate nudatus, ad monasterium pervolavit, ubi in brevi tanto splendore sanctitatis, & humilitatis enituit, ut beatæ memoriæ Joanne ad Dominum ex hac luce migrante, sanctoque Helia viro, qui haud minor decessore suo fuit, similiter decedente, tertius Theonas universorum prælectus judicio in Diaconiæ eis dispensatione successerit.] Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam vir caput est uxoris, ita ut omni jure, divino, civili, & ecclesiastico illi subdita sit, ut docet D. Augustinus *in cap. est* 33. *quæst.* 5. ibi: *Est ordo maritalis in hominibus, ut serviant fœminæ viris, filii parentibus.* Et *cap. hæc imago*, 33. *quæst.* 5. & *l. nulla, de suis & legit. l.* 4. §. *mulieris, ff. de usu & habit.* Unde fœminæ viros Dominos vocant, *l. Lucius* 88. §. 2. *ff. de legat.* 2. latè illustrant Pineda *de rebus Salomonis, cap.* 3. §. 9. Robertus *lib.* 1. *rerum judic. capite* 10. Schotus ad Senecam *lib.* 1. *controv.* 6. Cujacius *in l. in multis, ff. de stat. homin.* Marquez *in gubern. cap.* 31. §. 4. Tiraquellus *in l.* 5. *connub.* Mexia *de vera gloria, lib.* 2. *cap.* 1. Simanchas *lib.* 1. *de Republica, cap.* 1. Carballo *in cap. Raynutius, num.* 234. Gentilis *de bonis maternis, cap.* 1. Junius *politicar. quæst.* 13. Hunnius *ad Trentlerum, volum.* 1. *thesi* 4. *disput.* 2. Giurba Messan. *cap.* 3. Antonius Hothomanus *de ritu nupt. cap.* 23. Lælius Mancinus *lib.* 1. *de triplici juris collat. cap.* 9. Ergo sicut absurdum est, dominum, aut patrem servi, seu filii voluntatem exquirere ad ingressum religionis, ita & maritum consensum uxoris petere, ut convertatur ad religionem.

3. *Impugnatur tradita assertio.*

Quâ difficultate non obstante vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, conjuges posse vovere castitatem matrimonio adhuc rato, vel consummato. De voto matrimonio rato emisso agemus infrà *in cap.* 2. De 4. *Traditur ratio decidendi.*

voto emisso matrimonio jam consummato agit in præsenti Alex. III. & statuit, nisi consentiente uxore, & religionem similiter profitente, non posse virum religionem ingredi. Cujus constitutionis ratio provenit ex reciproca potestate, quam conjux habet in alterum conjugem: quare altero renuente, non potest statum mutare, privando conjugem jure quæsito; nam, ut ait D. Paulus *1. ad Corinth. cap. 7. vers. 4. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter & vir corporis sui potestatem non habet, sed mulier: nolite ergo fraudare invicem, nisi forte ex consensu, ut vacetis orationi.* Ubi D. Chrysostomus *tom. 4. homil.* hæc subjungit: *Quid hoc est? ne contineat, inquit, mulier invito marito, nec maritus nolente uxore. Et rectè dixit* (subjungit paucis interpositis) *nolite fraudare: fraudationem hic, & debitum superius appellans, ut dominii ostenderet incrementum; altero enim invito continere, est alterum privare; volente autem, minimè; non enim si me persuaso ex meis aliquid accoperis, dico me fraudari, aut privari: postquam enim copulatione conjugii, viri, ac mulieris unum corpus efficitur, ut ad primos mundi sponsos dixit Dominus Genesis cap. 2. versic. 24. in conjuge renuente castitatem profiteri remanet media pars eam profitentis; cujus individuæ societatis consideratio movit sanctum Gregorium, ut cuidam Agathosæ suum maritum jam monachum tonsuratum reddi præciperet, dummodò absque ejus culpa, aut consensu ab ea recesserit, ut religionem profiteretur; nam non potest, inquit Sanctus, quispiam conjugum ex parte ad Religionem converti, & ex parte in sæculo remanere.* Facit D. Hieronymus, seu mavis cum aliis, Paulinus Nolanus Episcopus *ad Celantiam matronam de institutione matrisfamilias*, ibi: *Periculosè promittitur, quod adhuc in alterius potestate est, nec est grata donatio, si unus offerat rem duorum*; aliàs enim facilè daretur occasio conjugi remanenti in sæculo adulterium perpetrandi. D. Augustinus ad Editiam *epist.* 199. ibi: *Nam si vir continere voluisset, & tu noluisses, tibi reddere debitum cogeretur; & illi Deus imputaret ad continentiam, si non suæ, sed tuæ cederet infirmitati.* Et *cap. secundum, 33. q. 5.* Rectè ergò docetur in præsenti, uxore non consentiente, non posse virum religionem profiteri; & si de facto ingrediatur, adeo professionem nullam esse, ut ipse discedere possit, & mortuâ uxore aliud inire conjugium, *cap. quidam, cap. placet, cap. accedens, hoc tit.* ubi dicemus. Ex his etiam provenit, ne pœnitentiam solennem, quia in ea castitas vovebatur, & quomodo status religiosus pro eo tempore profitebatur, nisi ex consensu conjugis conjugi olim non fuisse impositam, ut probavi *in can. Concil. Illiber.*

5. *Quid si consentiat conjux.*

Consentiente autem conjuge alius potest castitatem promittere, religionemque profiteri, ut probatur ex juribus suprà pro illustratione conclusionis adductis, & ex D. Basilio *in qq. fusè explicatis, quæst. 12.* ibi: *Eos, qui in conjugio matrimonii ad talem vitam accedunt, percunctari oportet, an ex consensu hoc faciant.* D. Gregorius *lib. 9. epist. 39. ad Theotist. Patriciam*, ibi: *Si verò utrisque conveniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare, quando certum est, quod omnipotens Deus, qui minora concessit, majora non prohibuit.* Quod etiam firmatur exemplis, & ratione. Exemplis eorum, quos rectè fecisse, eo quod ex consensu continentiam voverint, nullo modo negari potest, cùm miraculis claruerint, & ut Sancti ab Ecclesia venerentur. Primum exemplum est Deiparæ Virginis Mariæ, & sancti Sponsi ejus Joseph, inter quos verum conjugium intercessisse, constat ex Evangelio D. Matthæi *cap. 1.* ibi: *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Et ibi: *Joseph vir ejus.* Latè probabimus *in cap. super, de condit. appos.* & tamen ex mutuo consensu perpetuò continentiam servarunt. Unde B. Augustinus de consensu Evangelist. *cap. 1.* ait: *Hoc exemplo magnificè insinuatur fidelibus conjugatis, etiam servatâ pars consensu continentiâ posse permanere conjugum, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.* Aliud exemplum Amonis monachi, qui cum uxore virgine ex consensu semper virgo permansit, refert Palladius *in histor. Lausica, cap. 8.* Idem de sanctis Paulino, & Therasio refert D. Augustinus *epist. 32.* etiam sanctus Maturnianus, & sancta Maxima similiter vitam egerunt, teste Victore Uticensi *lib. 1. de persecut. Vandal.* Sanctus Eduardus Rex Angliæ, qui ob perpetuam castitatem cum conjuge servatam post centum à morte annis inventus fuit integer, adeò ut nec barba in sepulchro decidisset, referente Surio *tom. 2. Martyrologii.* Alphonsus II. Rex noster Legionis ob eandem continentiam dictus cognomento *el Casto.* Volaterranus *lib. 2. Antropolog.* Sanctus Henricus I. Imperator, & sancta Cunegundis, de quibus Krantzius *lib. 3. Saxoniæ, pag. 32.* Boleslaus cognomento Pudicus, teste Volaterrano *lib. 4.* Sancta Vettilia virgo, ut ex Blondo probat Gibalinus *de clausur. disquisit. 3. cap. 4. numero 8.* Sancta Anastasia virgo Romana apud piissimum, & doctissimum Aloysium de Granada *in Symbolo fidei, 2. p. cap. 20. pag. 213.* Quæ exempla adversùs spurcos hæreticos nostri seculi attulit doctissimus Bellarminus *tom. 1. controv. lib. 2. de monachis, cap. 37.* quem transcripsit Laurentius Beyerlinch. *in Theatro vitæ humanæ, verbo Matrimonium, pag. 323.* Aliaque exempla congesserunt Rosyweidus *in Onomast. verbo Continentia*, Raderus *1. p. Viridar. 17. Novemb.* Bozius *lib. 11. de signis eccles. cap. 6.* Spinellus *tract. de virgin.* Ludovicus Vives *in inst. christ. mulier. cap. 5.* Theophilus *tom. 4. lib. 6. sect. 2. cap. 7.* Espenceus *lib. 1. de contin. cap. 11. & lib. 6. capite 3.* Ratione etiam firmatur hæc assertio; nam divortium bonâ gratiâ, prout ajunt Consulti *in l. & ideo 62. ff. de donat. inter, l. sed si maritus 14 §. sed & si, ff. qui & à quibus, l. unic. §. penult. Cod. de rei uxor. action.* vel amicâ separatione, ut loquitur Tertul. *de monogam.* id est, cùm communi consensu solvitur matrimonium, interprete Anastasio *in l. si constante 9. Cod. de repudiis*, fiebat variis ex causis, quas refert Justinianus *in Novel. 22. cap. 4. Novel. 140. cap. 1.* inter eas enumeratur sacerdotii causâ, ut maritus possit Deo sacrificium offerre, divortium bonâ gratiâ admittebatur, *l. vitricus 60. §. 1. cum sequent. ff. de donat. inter.* ibi: *Divortii causâ donationes inter virum, & uxorem concessæ sunt; sæpe enim evenit, ut propter sacerdotium, vel etiam sterilitatem, vel senectutem, aut valetudinem, aut militiam satis commodè retineri matrimonium non possit; & ideo bonâ gratiâ matrimonium dissolvitur.* Quæ verba de sacerdotio Gentilium, apud quos sacerdotes cæteris dimissis uxoribus cœlibem vitam agebant, teste

teste Tertul. *lib. de monog.* accipiunt Cujacius, & Gothofredus *in novel.* 22 *cap.* 5. Revardus *lib.* 1. *conject. cap.* 2. Pancirola *lib.* 2. *var. cap.* 52. Sed eos refellit. D. Nicolaus de Castro *in* §. 1. *Instit. de emptione, & vendit. num.* 68. ex eo, quia generalia illa verba non debet restringi ad unum, vel aliud sacerdotium; quare ipse existimat, Tribonianum verba illa, *Ut propter sacerdotium*, apposuisse dum respiceret ad dictam Novellam 22. Justin. *cap.* 4. & ut Hermogenianum consonum Justiniano redderet, ea verba adjecisse. Sed his sententiis omissis verius dicendum est, textum illum referendum esse ad sacerdotium Christianorum, & legis gratiæ; nam cùm Hermogenianus floruisset temporibus Alexandri Severi, esset que Christianus, ut in ejus vita refert Joannes Bordandus *de Jurisperitis fol.* 130. dixit, propter sacerdotium divortium fieri posse bonâ gratiâ, id dissolvi matrimonium quoad thorum, & cohabitationem: quod genus divortii jure civili admissum, & malè productum etiam ad dissolutionem matrimonii quoad vinculum, *l.* 52. §. *final. C. de Episcop. & cleric. Novel.* 22. *cap.* 5. 117. *cap.* 12. 123. *cap.* 40. usitatum sequentibus seculis fuisse, constat ex veteri formula Marculfi *lib.* 2. *cap.* 30. Ultra consensum conjugis desideratur etiam pro distinctione ætatis, ut si juvenis est, in quo suspicio incontinentiæ dari potest, etiam religionem ingrediatur, *cap. Agathosa* 27. *q.* 2. *qui uxorem* 33. *q.* 5. *cap. cùm hi*, *cap. uxoratus*, *hoc tit.* amplius & licentia Episcopi desideratur, *cap. si vir* 27. *q.* 1. non quia aliàs nulla reddatur professio, sed quia illicita erit, non petitâ licentiâ ab Episcopo ut latè docet varios casus resolvens Thomas Hurtado *de resid. dicto lib.* 3. *resol.* 1. *per tot.* Si autem senex est, id est ejus ætatis, in qua nulla suspicio incontinentiæ adsit, votum castitatis emittere debet, ut in hoc textu docetur ibi: *Aut perpetuæ castitatis votum emiserit, cap. cùm sic, cap. uxoratus, hoc tit.* Sed si uxor adulterium commiserit propriâ auctoritate, potest vir religionem ingredi, ut probat Aravio *in decis. moral. tract.* 3. *quæst.* 26.

6. *Dissolvitur dubitandi ratio.* Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta ex facto Abbatis Theonæ, qui post lapsum quinquennii tempus, quo cum sua conjuge in matrimonio vixerat, ad monasterium, reclamante uxore confugit. Nam supponimus in eo peculiarem aliquam divinam inspirationem intervenisse, vel impellentem ipsum ad id faciendum, vel actum ipsum comprobantem; idque præter ordinem, & legem, ut haberemus quod miremur, non quod imitaremur. Nec fundamenta quæ adducit Theonas aliquid faciunt. Non quod de libello repudii expendit; nam potiùs verum est, Dominum nunquam permisisse uxorem dimittere, & aliam ducere, ut latè probavi *in cap. Concilii Illiber.* Minùs obstant verba illa, quibus Dominus patrem, matrem, uxorem, aut filios, aut agros relinquentibus centuplum promittit in hoc seculo, & in altero vitam æternam, quæ non ita sunt accipienda, inquit Chrysostomus *epist.* 89. *q.* 4. hunc locum enarrans, ut per eas nuptiæ intelligantur divellendæ, aut dirimendæ, nisi fortè cum utriusque conjugis consensu: & B. Augustinus, *In his, quæ Dominus dimittenda mandavit, etiam uxor commemorata est*, inquit: *quid sibi ergo volunt ista præcepta; non enim possunt inter se esse contraria, nisi quia occurrit aliquando necessitatis articulus, ubi aut uxor dimittatur, aut Christus: ut alia omittam, si ipsi uxori maritus displicuerit Christianus, eique proposuerit, aut à se divortium, aut à Christo. Hic ille quid eligat, nisi Christum, ut dimittat uxorem laudabiliter propter Christum? Ambolus quoque Christianis Dominus præcepit, ne quisquam uxorem dimittat, excepta causâ fornicationis; ubi autem quælibet ex eis persona infidelis est, consilium Apostoli attendatur, ut si fidelis consentit habitare cum viro infideli, vir non dimittat uxorem? similiter uxor fidelis virum, si cum illo habitare consenserit. Quod si infidelis, inquit, discedit, discedat: non esset servituti subjectus frater, aut soror in hujusmodi; id est, si infidelis noluerit esse cum conjuge fideli, hic agnoscat fidelis suam libertatem, ne ita se subjectum deputet servituti, ut ipsum dimittat fidelem, ne conjugem amittat infidelem. Hoc & de filiis, atque parentibus; hoc de fratribus & sororibus intelligitur, propter Christum omnes esse dimittendos cùm proponitur ista conditio, ut Christum demittat, si illos secùm esse desiderat.* Hæc eo loco August. In quibus verbis dilucidè exponit, quomodo intelligi debent illæ scripturæ, quibus admonemur, ut parentes, fratres, cognatos, uxores, insuper & animam nostram odio prosequamur. Nec obstat difficultatis augmentum; nam licèt caput uxoris sit vir, in conjugio tamen quoad potestatem corporis æqualis est conditio, nec vir corporis sui potestatem habet, sed uxor; ideo sine ejus consensu eam privare jure quæsito non valet.

CAPUT II.

Idem (a) *Salernit. Episcopo.*

VErùm post consensum legitimum de præsenti licitum est alteri, altero ita repugnante, eligere monasterium, sicut quidam etiam (b) Sancti de nuptiis vocati fuerunt, dummodo inter eos carnalis commixtio non intervenerit: & alteri remanenti, si commonitus continentiam servare noluerit, licitum esse videtur, ut ad secunda vota possit transire, quia cùm non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, & alter in seculo remanere.

NOTÆ.

1. (a) *Salernitano.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. & adjicitur, *pars capitis licet* : unde cognoscitur in præsenti referri partem textus *in cap. licet* 3. *de sponsa duor.* ubi extat integra constitutio, & refertur post Concilium Lateran. *p.* 56. *cap.* 1. De Salernitana diœcesi egi *in cap.* 1. *de offic. judic.*

2. (b) *Licèt sancti.*] Veluti sancta Thecla, quam ante matrimonii consummationem S. Paulus à nuptiis revocavit, ut referunt D. Ambrosius *lib.* 2. *de virginibus*, Epiphanius *hæresi* 78. Similiter S. Alexius prima nocte nuptiarum uxorem intactam relinquens peregrè profectus est, perpetuoque castam vitam duxit, ut tradit Simeon Metaphrast. *in ejus vita* ; qui idem refert de sanctis Euphrasia, & Cæcilia : & D. Augustinus *lib.* 8. *confess. cap.* 6. scribit, duos milites lectâ D. Antonii vitâ, relictis sponsis vitam monasticam professos fuisse : & D. Gregorius *dialog.* 3. *cap.* 14. refert Gregoriam virginem nuptiis jam constitutis ad monasterium Monialium confugisse Quæ & alia exempla referunt Bellarminus *tom.* 1. *lib.* 2. *de monach. cap.* 38. Espenceus *lib.* 6. *de voto contin. cap.* 4.

COMMENTARIUM.

3. *Conclusio refertur & probatur.*

EX hoc textu talis communiter deducitur assertio: *Matrimonio contracto, sed nondum consummato, potest alter conjugum etiam alio invito religionem ingredi, & remanens in seculo potest ad secundas nuptias transire.* Probant eam textus *in cap. desponsatus, cap. scripsit, §. ecce* 27. *q.* 2. *cap. ex parte* 14 *cap. ex publico, hoc tit. cap. commissum, de spons. extravag. antiquæ, de voto*, Trident. *sess.* 24. *can.* 6. Illustrant ultra congestos à Garaña & Barbosa *in præsenti*, idem Barbosa *lib.* 1. *de jur. eccles. cap.* 42. *num.* 10. Petrus Gregorius *lib.* 3. *partit. tit.* 21. *cap.* 6. Espenceus *lib.* 6. *de voto contin. cap.* 4. Bellarminus *de monachis lib.* 2. *cap.* 38. *per totum.* Tondutus *resol. canonic. cap.* 116. Hurtado *de resid. tom.* 2. *lib.* 3. *resol.* 3.

4. *Impugnatur præsens assertio.*

Sed pro dubitandi ratione ita in præsentem assertionem insurgo : Matrimonium consummatum per professionem regularem non dissolvitur, ut superiori commentario probavi, quia auctoritate humanâ non possunt separari, quos Deus conjunxit, juxta Evangelium D. Matthæi *cap.* 19. quod refertur *in cap. quos Deus* 33. *q.* 2. *cap.* 2. *de translat. Episc.* Sed eadem ratio militat in matrimonio rato non consummato, quod verum sacramentum est novæ legis, *cap. debitum, de bigamis, cap. ad abolendam, de hæretic.* Trident. *sess.* 24. *de matrim. cap.* 1. matrimonium enim ratum non differt à consummato ullâ substantiali differentiâ, quia copula carnalis actus quidam est conjugii, non ejus essentia. Igitur sicut matrimonium consummatum non potest dissolvi quoad vinculum per professionem regularem, ita nec ratum. Augetur primò hæc difficultas ex eo ; nam per contractum matrimonii quilibet conjugum acquirit potestatem in alium ad usus conjugii, juxta illud Pauli 1. *ad Corinthios cap.* 7. *Vir non habet potestatem sui corporis* : quod refertur *in cap.* 3. *hoc tit. cap. non debet, de consanguin. & affin.* sed sic est, quod qui non habet potestatem sui corporis, non possunt ad Religionem converti, *cap. manifestum* 33. *q.* 5. ergo matrimonio rato, licèt nondum consummato, non licèt uni ex conjugibus altero invito ad Religionem transire. Augetur secundò hæc difficultas, nam votum castitatis æquè solennizatur per susceptionem sacri Ordinis, ac per professionem regularem, ut probatur *in cap. unic. de voto, in* 6. sed per susceptionem sacri Ordinis non dissolvitur matrimonium ratum, & non consummatum, *extravag. antiquæ*, Joannis XXII. *de voto* : ergo nec per professionem regularem dissolvitur. Tandem fulcitur hæc difficultas, nam regula juris est, quod semel placuit, ampliùs displicere non posse, *cap. quod semel, de regul. jur. lib.* 6. *l. sicut, C. de obl. & act.* quod nemo potest mutare consilium in alterius præjudicium, *cap. mutare, de reg. jur. lib.* 6. *l. nemo potest. ff. eod tit.* ergo matrimonio ritè celebrato, non licet uni ex conjugibus altero invito mutare consilium, & religionem profiteri.

§. De matrimonio rato.

Quâ difficultate ita fulcitâ non obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione scien-dum est, matrimonium triplici modo posse considerari ; aliud enim est matrimonium legitimum, quod legitimo tantùm constat consensu, quale esse potest apud infideles, ut probavi *in cap. final. de transact.* aliud verò est ratum, sed non consummatum ; tale est matrimonium fidelium per verbâ de præsenti celebratum copulâ non secutâ : tandem consummatum dicitur post copulam secutam. Referunt hanc distinctionem Gratianus *ad cap. final.* 28. *q.* 1. Covar. 2. *p. de spons. cap.* 1. §. *unic. num.* 4. Circa matrimonium tantùm legitimum, & ratum, illud tantùm notandum est, quod vinculum matrimonii rati est longè firmius, quàm matrimonii legitimi ; quia constat duplici vinculo : alio naturali, quod respicit ipsam contractus naturam, & sic obligat conjuges ad individuam vitam, ut docetur *in princip. Instit. de patria potest.* altero sacramentali, quod consurgit ex matrimonio, in quantum est signum rei sacræ, & unionis Christi cum Ecclesia ; & hoc respectu strictiùs obligat. Abbas *in præsenti*, & *in cap. ex publico, hoc tit.* Cajetanus *opusc.* 27. *q.* 25. *vers. Quoad primum.* Contra verò matrimonium legitimum habet solum vinculum naturale, quia deficit in eo ratio sacramenti, licèt latè sacramentum appelletur *in dicto cap. final. de transact. cap. gaudemus, de divort.* Et licèt prædictum sacramenti vinculum detur tam in matrimonio rato, quam in consummato, diversimodè tamen in uno, atque alio viget. In priori enim dissolubile est, in secundo verò indissolubile pro tota conjugum vita. Cujus differentiæ ratio provenit ex eo, nam cùm hoc sacramenti vinculum non aliunde consurgat, quàm ex divina institutione, quâ matrimonium fuit institutum, velut signum unionis Christi cum Ecclesia, juxta illud Pauli *ad Ephes.* 5. *Sacramentum hoc magnum est in Christo, & Ecclesia* : & matrimonium ratum solùm significet unionem cum anima fideli per charitatem, *cap. debitum, de bigamis* ; rectè fit, ut sicut unio hæc est dissolubilis per peccatum lethale, ita sacramenti vinculum in tali matrimonio sit omnio dissolubile : secus autem in matrimonio consummato, quod sicut propter corporis commixtionem designat illam mirabilem, & indissolubilem unionem Christi cum Ecclesia, per carnis assumptionem, juxta illud Joannis : *Verbum caro factum est*

est, quod refertur *in dict. capite debitum* : ita planè vinculum sacramenti in eodem matrimonio manet omnino indissolubile ; æquum enim erat ut figura respondeat figurato , & docet hoc auctoritas illa Christi Domini, *quos Deus conjunxit , &c.* quæ verba non sunt intelligenda de matrimonio rato , sed solummodò de consummato : tum quia id facilè deducitur ex illis verbis : *Erunt duo in carne una.* Tum quia Summus Pontifex ita locum illum explicavit *in cap. ex publico, in fine, hoc tit.* cui summa fides est adhibenda ; *cap. quàm vetus 24. quæst. 1.* etsi nimis audenter Sotus *in 4. dist. 27. quæst. 1. artic. 4.* notaverit Pontificem , eo quod prædicta verba Christi Domini tantùm de matrimonio consummato acceperit.

6. Matrimonium ratum quomodo dissolvatur,

Quibus præmissis asserendum est contra Magdeburgenses , Kemnitium, & Erasmum , qui tenuerunt matrimonium ratum non posse dissolvi per professionem regularem , quos refellit Bellarminus *tom. 1. controv. lib. 2. de monach. cap. 38. per tot.* matrimonium ratum dissolvi etiam quoad vinculum per ingressum religionis , non ex ea ratione , quam aliqui adduxerunt , videlicet , matrimonium tantùm consummatum absolutè dici matrimonium , *ex cap. non est dubium , cum sequent. 27. q. 2.* & ita illud solum esse indissolubile lege divina ; nam licèt matrimonium ratum non dicatur perfectum perfectione accidentali, quæ consistit in ejus usu ad ipsius finem, hoc est ad prolem suscipiendam , *dict. cap. non est dubium*, qui textus ita est intelligendus ; tamen est perfectum perfectione essentiali , *l. nuptias , ff. de reg. jur. cap. cum locum, cap. cùm apud , hoc tit.* Proinde est indissolubile lege divina, ut docent Theologi *in 4. dist. 26.* Nec obstat textus *in cap. cùm Societas 27. quæst. 2.* ubi docet Leo Papa , societatem nuptiarum ita à principio esse institutam , ut propter commixtionem sexuum non habeant in se conjunctionis Christi , & Ecclesiæ sacramentum. Nam omissâ sententiâ Concij , qui expungit negationem , quem sequitur Covar. *de sponsal. 2. cap. 7. §. 4.* Gutierrez *lib. 1. canonic. cap. 17. num. 23.* dicendum est cum Germanio *lib. 2. animad. cap. 3.* illa verba esse referenda ad significationem unionis hypostaticæ Christi cum Ecclesia ; ut sensus sit , quod sine commixtione sexuum matrimonium non habet in se repræsentationem unionis Christi cum Ecclesia ; non tamen exinde deducitur , verum sacramentum non esse , ut Innocentius III. docuit *in dicto cap. debitum , de bigamis.* Quod jus ita dissolvendi matrimonium non solùm ab ecclesiastica institutione provenire, verùm & divina auctoritate niti, quâ privilegium hoc consensum est statui religioso, constat *ex dict. cap. ex parte, hoc titul. extravag. Antiquæ , de voto* : unde plures divinâ revelatione hoc jure usos fuisse , ex variis historiis referunt Espenceus *lib. 6. de voto contin. cap. 1.* Bellarminus *lib. 2. de monachis , cap. 38.* De sancta Thecla Epiphanius *hæres. 80.* de S. Alexio Metaphrastes *in ejus vita* : de Gregoria Virgine D. Gregorius *libro 3. dial. capite 14.* Requiritur tamen , ut matrimonium ratum dissolvatur per ingressum religionis , quod alter ex conjugibus profiteatur religionem approbatam , ut probat Basilius *libro 9. de matrim. cap. 6. per totum , qui cap. sequenti* agit de religiosis Ordinum Militarium , & distinguit inter Equites Melitenses Ordinis S. Joannis Hierosolym. & alios diversorum Ordinum ; ita ut per professionem emissam ab Equitibus Hierosolym. matrimonium dissolvatur , secus verò per professionem emissam in aliis Ordinibus Militaribus , quia in eis professionem emittentes , non absolutam, sed conjugalem castitatem promittunt ; quæ rectè stare potest cum matrimonio. Dissolvitur etiam matrimonium ratum per vota , quæ emittunt Tertiariæ S. Francisci collegialiter viventes ; secus verò si in propriis domibus degant , ut probant Sanchez *de matrim. libro 2. disput. 8.* Basilius *eod. tract. libro 9. cap. 6.* non autem dissolvitur matrimonium ratum per vota simplicia castitatis, etiam quæ emittuntur à Patribus Societatis Jesu post biennium novitiatus. Sanchez *lib. 2. de matrim. disput. 8.* Suarez *tom. 4. de relig. lib. 4. cap. 2.* Ratio est , quia hæc vota simplicia in Societate emissa constituunt quidem statum relgiosum, & personas ita vovenres inhabiles reddunt ad sic contrahendum , ut probabimus *in tit. qui clerici vel vov.* non autem inducunt professionem solennem , neque ab aliquo Pontificio decreto habent potestatem derimendi matrimonium ratum , ut contingit in ordine sacro , qui non dirimit vinculum contracti matrimonii , sed contrahendi. Circa tempus verò , intra quod conjuges facultatem habent ingrediendi religionem invitis conjugibus , extat expressa decisio textus *in cap. ex publico , hoc titul.* ubi asseritur intra duorum mensium spatium licere conjugi ad religionem transire ; quod bimestre computari debet à die contracti matrimonii , non à die solennis benedictionis nuptialis ; & currit de momento ad momentum. Basilius *dict. libro 9. de matrim. cap. 9.* Nec si alter ex conjugibus ingrediatur religionem , non potest in seculo manens statim ad aliud matrimonium transire ; sed expectare debet annum probationis à Tridentino præscriptum *sess. 25. de regul. cap. 25.* ut professio emittatur : & quia ex decreto ipsius Concilii nemo potest ante decimumsextum annum professionem facere , si conjux in anno pubertatis Religionem ingrediatur , debet alter expectare tempus illud, ut professio fieri possit. Henriquez *libro 12. summæ , cap. 5. num. 11.* & si pendente biennio , etiam per vim matrimonium fuerit consummatum , jam non potest dissolvi per ingressum religionis. Sanchez *lib. 2. de matrim. disput. 22.* Et quia de matrimonio rato dissolvendo agimus , non omittam , etiam illud dissolvi posse per summum Pontificem. Ratio est , quia Summus Pontifex habet potestatem ad ea omnia , quæ necessaria sunt ad conveniens regimen Ecclesiæ : sed dissolutio matrimonii rati sæpe expediens est : ergo competit ea facultas Pontifici. Probant rationibus , & exemplis Sanchez *lib. 2. de matrim. disputat. 14.* Lessius *lib. 2. de justit. cap. 40. dub. 19.* Diana *part. 8. tract. 1. resol. 62.* Ægidius Coninchæ *3. part. dist. 26. dub. 3.* Rebellus *lib. 2. de justit. 2. part. quæst. 15. sect. 3.* Suarez *de relig. tract. 7. lib. 6. cap. 17. num. 21.* Vazquez *1. 2. quæst. 165. cap. 7.*

7. Traditur dictiendi ratio.

Unde jam apparet ratio præsentis assertionis, quæ ex eo provenit, quia in matrimonio duo desiderantur , videlicet conjunctio animorum , quâ charitas significatur , & quæ consistit inter Deum , & animam justam ; & conjunctio corporum , quæ significat unionem Christi cum Ecclesia per assumptionem humanitatis , *dict. cap. debitum, de bigam.*. Unde cùm animorum conjun-

ctio spiritualis sit, commixtio autem corporum conjunctio corporalis, juxta textum *in cap. omne* 27. *q.* 2. sequitur, ut sicut conjunctio corporalis, id est commixtio, quæ fit per copulam matrimonialem, morte corporali tantùm dirimitur *c. licitè* 32. *quæst.* 7. docent Theologi *in* 4. *dist.* 27. *artic.* 5. Victoria *in summa, tit. de matrim q.* 304. Covar. 2. *part. de sponsal cap.* 7. §. 4. *num.* 8. ita etiam conjunctio animorum dissolvitur morte spirituali, per professionem regularem, quæ censetur mors spiritualis, *cap. placuit* 1. 16. *quæst.* 1. docet D. Thomas *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *in respons. ad* 1. *quæst.* & *in respons. ad* 3. Accedit, quia omnis obligatio potest commutari in bonum evidenter melius, si non sequatur tertii præjudicium considerabile, *cap. pervenit* 3. *de jurejur. cap. scriptum, de voto.* Constat autem, statum religiosum evidenter meliorem esse matrimonio. Insuper non sequitur tertii præjudicium, cùm persona conjugis illæsa maneat, & cum facultate contrahendi aliud matrimonium: igitur licebit utique conjugi, vel alteri ex eis, alio etiam invito, ad religionem transire: nec tunc dissolvitur vinculum matrimonii, tam humana, quàm divina auctoritate, ut docetur *in cap. scripsit* 27. *quæst.* 2. *cap. ex parte* 14. *hoc tiul.* & defendunt Covar. 2. *part. de sponsal. cap.* 7. §. 4. *num.* 6. Guttierrez *libro* 1. *canonic. capite* 17. *num.* 26. Matienzo *in rubric. titul.* 1. *libro* 5. *recopil. glos.* 1. *num.* 69.

8. *Traditur dubitandi ratio.* Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa, quam adeo difficilem agnoverunt Sotus *in* 4. *distinct.* 8. Joann. Major ibi *distinct.* 27. Espenceus *lib.* 6. *de contin. cap.* 4. ut docuerint, non posse congruam assignari, cur professione religionis dissolvatur matrimonium ratum, non verò consummatum. Vera ratio differentiæ provenit ex eo, quia in matrimonio consummato datur obligatio perpetuò cohabitandi, & etiam intervenit reciproca traditio, per quam uterque conjux tradit alteri possessionem sui corporis ad usum conjugii, ut ait Apostolus 1. *ad Corinth. cap.* 7. relatus *in cap. quidam, hoc tit.* Unde cùm corpus viri jam non sit in ejus potestate, quoad matrimonii finem, & econtra; & non possit Deo offerri in religionem per votum corpus, quod non est proprium offerentis, quia non est grata Deo oblatio rei alienæ, *cap. non est putanda* 1. *quæst.* 1. *cap. ex transmissa, de decimis*, Sotus *lib.* 9. *de justit. quæst.* 3. *artic.* 3. sequitur, matrimonio consummato non posse conjugem alio invito ad Religionem transire. In matrimonio verò rato licèt adsit quædam virtualis promissio, per quam conjuges acquirunt quoddam jus ad petendam possessionem alterius corporis ad finem matrimonii, nondum tamen habet ipsam possessionem, & ideo quilibet ex eis potest se Deo per statum religionis tradere, quia dominium sui corporis habet, argumento textus *in l. qui tibi, de his, qui à non dominis.* Quæ ratio expressè deducitur ex præsenti textu, ibi: *Cum nondum sint effecti una caro*; id est, non sit adhuc translata vera, & realis possessio: docent Theologi cum D. Thoma *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 1. *artic.* 3. Fortunius Garcia *in cap.* 1. *num.* 8. *de pactis.* Et probatur hæc differentiæ ratio exemplo venditionis; nam sicut venditio, in qua nulla traditio intercessit, solvitur per secundam, in qua traditio secuta fuit, *l. quotiens, C. de rei vindic.* ita etiam matrimonium ratum, in quo non est sequuta traditio, dirimitur per traditionem factam Deo in religionem. Nec obstat textus *in cap. final. de sponsa duor.* ubi docetur, quod contrahens de facto matrimonium cum secunda, superstite primâ conjuge, cum qua non fuerat matrimonium consummatum, licèt cum secunda sequatur copula, non ideo solvitur primum matrimonium. Nam respodetur, secundam illam traditionem fuisse illicitam, & injustam; quia facta talis fuerat ab eo, qui non poterat alteri mulieri ad finem matrimonii se tradere, *cap. gaudemus, de divortiis.* Nec obstat augmentum ipsius difficultatis deductum ab exemplo ejus, qui suscepit sacros ordines matrimonio adhuc rato; quo casu certum est, matrimonium non dissolvi, sicut per ingressum Religionis; quia hoc privilegium, ut videlicet dirimatur matrimonium, non est concessum æqualiter suscipienti sacros ordines, ac profitenti vitam religiosam: forsan ex eo, quia religiosi per solennem professionem seculo mortui censentur, *cap. placuit, in fine*, 26. *quæst.* 1. nullumque habent velle, aut nolle, cùm iuxta superioris arbitrium ita vivere debeant, ac si propria voluntate carerent, *cap. quorundam, cap. religiosos, de elect. in* 6. Insuper semetipsos velut holocaustum offerentes, in totum divino obsequio mancipantur, hujus seculi actibus, & exterioribus bonis renunciantes, *cap. cùm. ad monasterium, de stat. monach.* At verò clerici, quantumcunque in sactis Ordinibus sint constituti, remanent adhuc libere, habentque velle, & nolle, & suorum bonorum dominium retinent, mundoque mortui non sunt; unde cùm, ut suprà dixi, per mortem spiritualem dissolvatur vinculum matrimonii rati, quod tantùm spirituale est; & hæc mors spiritualis non contingat suscipientibus sacros ordines; ideo per susceptionem sacri ordinis non dirimitur matrimonium ratum, sicut per professionem religionis, ut docuerunt Glossa 2. in fine *in d. c. unic. de voto, in* 6. Durandus *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 2. *column.* 3. Sotus eadem *dist.* 27. *artic.* 4. Quod etiam procedit in promotione ad Episcopatum, licèt perfectior sit status Episcopi, quàm monachi, *cap. nisi cùm pridem, de renunc.* Nec tunc obstat textus *in cap. per tuas, de voto*: cujus solutionem tradit Garanna *in præsenti, num.* 9. Nec obstat ultimum augmentum deductum *ex dict. regul. quod semel*; nam textus ille procedit quoties quis temere vult recedere, & mutare consilium sine causa, & in alterius præjudicium: at verò conjux, qui relicto alio conjuge religionem profitetur, ex justa causa, zelo videlicet sanctioris vitæ id facit, & sine alterius præjudicio; siquidem potest conjux aliud matrimonium inire.

9. *Exponitur can.* 17. *apud Concil. Lateran.* Sed suprà traditis opponi videtur Alexander III. relatus post Concil. Arelat. *p.* 8. *can.* 17. in illis verbis: *Sanè quamquam muliere non desponsatâ, & à viro non cognitâ liceat ad religionem transire, aliam tamen virducere in uxorem non potest.* Ex quibus verbis expressè deducitur, matrimonium ratum, etiam per professionem in religione emissam non dissolvi; siquidem non licet remanenti in seculo aliud matrimonium inire. Verùm respondendum est, ea verba accipienda esse juxta principium ipsius textus. Agebat enim ibi Alexander de viro, qui contracto matrimonio rato secundas nuptias contraxit, nullâ professione emissâ in religione ab alio conjuge; quo casu rectè ait Alexander, quod licèt matrimonio adhuc

huc rato manente, liceat conjugibus ad Religionem transire; non tamen licet illis secundas nuptias contrahere, quia matrimonii vinculum adest interim dum alter ex conjugibus religionem non profitetur; & licèt favore religionis permittatur conjugi invito alio ad vitam religiosam transire, non tamen illi licet aliud matrimonium inire.

10. *Intelligitur cap. commissum, de sponsi.* Secundò præsenti assertioni opponi potest textus *in cap. commissum, de sponsi.* ubi cùm proponeretur Alexandro III. quod quidem fide datâ, & juramento firmatâ promisit, se quandam mulierem in uxorem ducturum, posteaque statuit religionem ingredi; docet Pontifex, quod ille debet fidem matrimonii adimplere, & postea si voluerit, ingredi. Ex quo textu constat, votum solenne religionis non irritare sponsalia de futuro contracta: ergo multò minùs dirimet matrimonium ratum. Pro cujus textus expositione Innocent. Felinus, & Panormit. ibi docent, textum illum procedere cùm juramentum præstitum est in gratiam alterius; quo casu commutatio non admittitur etiam in melius, nisi parte, cui juratum est, satisfactâ. Sylvester *in summa verbo, Matrimonium 7. quæst 5.* Covar. *de sponsi. 1. p. cap. 5. in princ. num. 11.* quos sequitur Garanna *in cap. 1. hoc tit. num. 7.* docent verbum illud, *tutius*, esse accipiendum de consilio, non verò de præcepto. Sed eos refellit Balboa, *in c. 3. de jurejur. 69.* & cum eodem Covar. & aliis rectè docet, in ea specie sponsum votum, non professionem emisisse, & tantùm deliberasse de ingressu religionis; unde cùm obligatio sponsalium adimpleri possit, & postea professio emitti, recte ait Pontifex, tutius esse promissionem juramento firmatam adimplere, & postea Religionem ingredi.

CAPUT III.

Idem (a) *Pisan. Archiepisc.*

QUidam intravit monasterium invitâ uxore: eadem ipsum (b) repetente, coactus est ad eam redire: eâ mortua quæris, an ipse cogatur ad monasterium redire, an aliam possit ducere uxorem? Quæstione tuæ taliter respondemus, quod votum non tenuit; unde ratione voti non tenetur ad monasterium redire. Ulteriùs verò non potest uxorem accipere; promisit enim, se non exigere, quod in potestate ejus erat; & ideo tenuit votum. Non reddere non erat in ejus potestate; sed in potestate mulieris. Unde (c) Apostolus: Vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier.

NOTÆ.

1. (a) *Pisano.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 3.* & post Concil. Lateran. *part. 5. cap. 2.* supplendaque est inscriptio, *Villano*, qui successit Balduino anno 145. & floruit usque ad annum 1156. ut refert Ughel. *tom. 3. Ital. sacræ, fol. 560.* de Metropoli Pisana nonnulla adduxi *in cap. 8. de tempor. ordin.*

(b) *Repetente.*] Quâ actione repeti possit, exposui *in cap. 1. de ordin. cognit.*

(c) *Apostolus.*] *1. ad Corinth. cap. 7.*

COMMENTARIUM.

2. SUprà *in cap. 1. hoc tit.* latè probavi, non posse conjugem matrimonio consummato, sine alterius conjugis consensu religionem ingredi; & professionem aliter emissam, nullam esse, posseque conjugem in seculo remanentem alium repetere. Unde in præsenti textu quæritur, an votum illud religionis, quod inutile fuit professione nulliter factâ, effectum habeat, ut defunctâ uxore, quæ eum repetit, teneatur ad religionem redire, at castitatem servare, ita ut si secundum contrahat matrimonium, lethaliter peccet? Pro cujus dubii solutione, & præsentis textus expositione sequentes casus sunt distinguendi. Primus est, cùm maritus, qui votum emisit, vel religionem professus est, invitâ uxore id fecit, quo casu mulier eum repetere potest, nec eâ defunctâ ad religionem redire tenetur, sed votum castitatis, quod in ipso ingressu emittitur, servare debet; & ita non potest aliud matrimonium contrahere, immo nec à prima uxore debitum perere; quia votum valuit, quatenus voventi præjudicare poterat, *c. placuit 12. hoc tit.* Et ita tenetur maritus castitatem servare, non autem paupertatem, & obedientiam, etiam soluto matrimonio, quia cùm matrimonio constante talis obligatio nasci non posset, nec mortua uxore convalescere valuit: quæ est vera ratio hujus textus, ut post Panormitanum, & Butrium hic docuerunt Basilius *de matrim. lib. 10. cap. final. num. 6.* Garanna *in cap. 1. hoc tit. num. 11.* Secundus casus contingit cùm maritus religionem professus est, non invitâ, sed ignorante uxore; quo casu idem dicendum est, ac in antecedenti, videlicet, professionem adeo nullam esse, ut nec defunctâ uxore teneatur vir ad religionem redire; quia tantùm simplex castitatis votum emisisse creditur. Garanna *dict. num. 11.* Basilius *lib. 9. de matrim. cap. 11. num. 4.* Et hic casus deciditur *in dict. cap. placuit, hoc tit.* Et ita exaudienda sunt illa verba ipsius textus; *Redire verò ad seculum in ejus potestate non erat, sed in potestate mariti.* Quorum verborum sensus est, quod propter maritum, qui ignarus fuerat professionis, mulier frustra religionem profitetur, quia cùm una caro vir & uxor sint, non potest pars una ad Dominum converti, aliâ in seculo remanente. Nec professionis nullitas pendet à revocatione conjugis, quia ipso jure nullius momenti est, ut docuerunt *in dict. cap. placuit*, Panormitanus, & Butrius, & alii congesti à Thoma Sanchez *lib. 7. de matrimon. disputat. 34. num. 14.* Nec contrarium probatur in illis verbis ipsius textus, *Et ideo quantum ad ipsam tenuit votum.* Non enim ibi docetur, votum solenne religionis valuisse. Quod contrarium docetur *in vers. Super quo*; sed tantum

tùm dicitur, teneri uxorem voto castitatis simplici, quod impedit debitum petere constante matrimonio, & eo soluto novum inire, ut ibi docent Hostiensis, & Butrius *num.* 1. Immo & aliquando evenire potest, ut secundum matrimonium licitè contrahere possit, videlicet si votum castitatis emittat dependenter à professione, & habitâ relatione ad ipsum statum religiosum, ut docet Sanchez *dict. disput.* 34. *num.* 3. Nec etiam obstant verba illa: *Consulcius, &c.* ipsius textus, ubi in hoc secundo casu professionis emissæ insçio conjuge, docetur, consultius, & congruentius esse ad monasterium redire; nam ibi consilium potiùs, quàm præceptum continetur, ut docuerunt Sanchez *suprà*, *num.* 11. Sylvester *verbo Divortium*, *quæst.* 16. *casu* 3. & firmatur *ex l.* 11. *titul.* 7. *part.* 1. Tertius casus evenit cùm professio ab uno ex conjugibus, altero sciente, & consentiente, emittitur; quo casu dicendum est, quod si alia requisita, videlicet professio alterius conjugis, si juvenis est; aut voti emissio, si senex, & Episcopi licentia accedant, juxta tradita suprà *in cap.* 1. adeo professio validè emittitur, ut nec impugnari possit ab alio conjuge, nec status religiosus unquam deseri ab ipso professente: si autem prædicta requisita non intercesserint, sed tantùm consentiente conjuge alius professionem emittat, licèt repeti possit à conjuge in seculo remanente, si non repetatur, eo defuncto, in religione persistere cogitur; immò si secundùm matrimonium contrahat, nullum est, *cap. ex parte* 9. *cap. consuluit* 10. *hoc titul.* docet Sanchez *dict. disput.* 33. *per tot.* Unde cognoscitur differentia, quæ versatur inter hunc casum, & duos proximè relatos; nam in illis professio omnino nulla est, quia nihil habet conjux, quod per eam in monasterium transferat; hoc autem tertio casu per professionem religionis obligatur, licèt possit repeti, revocarique à conjuge in seculo remanente, *dict. cap. ex parte* 9. *hoc tit.* repeti tamen potest ab ipso, etsi consensum professioni præstiterit, *ex cap. veniens* 16. *hoc. tit.* quia nisi alia requisita intercesserint, conjux consensum præstando non sibi præjudicat. Nec contrarium probatur *in cap. Agathosa* 21. 27. *quæst.* 2. ubi mulieri repetenti virum suum ad religionem conversum, duo opponuntur. Primò si cum ejus voluntate professionem fecit; secundò si ipsa se mutare permisit, quasi unum ex eis sufficit, ut mulier repellatur à viri petitione. Nam dicendum est, quod ut mulieri repetitio denegetur, duo illa simul concurrere debent, ut ait idem textus ibi: *sed si hoc repulerit*; ubi apertè ostenditur, duas illas conditiones, consensum videlicet mulieris, & promissionem castitatis, concurrere omnino debere, ut repetitio uxori denegetur: quo modo etiam exponendus est idem textus *in vers. si verò horum*; scilicet ut utrumque concurrat ad excludendum fœminam à petitione viri. Similiter etiam ex his accipiendus est textus *in cap. qui uxorem* 10. 33. *quæst.* 5. dum docet, quod qui uxorem velari permiserit, hoc est religionem profiteri, aliam non accipiat; sed similiter convertatur: rectè enim inquit textus aliam accipere non posse, quia primum matrimonium solutum non fuerat; sed ad uxorem reverti non prohibetur, licet tutius faciat si similiter convertatur, ut ita prior uxoris professio irrevocabilis maneat. Quartus denique casus evenire solet, cùm unus ex conjugibus adulterium commisit spirituale, vel carnale; quo casu innocens ad religionem rectè transire potest, *cap. Agathosa* 21. 27. *quæst.* 2. *cap. constitutus* 15. *cap. veniens* 16. *cap. ultim. de convers. conjug.* nam propter adulterium justè divortium fit, & à mutua cohabitatione repellitur adulter, *c. plerumque* 4. *de donat. inter*; quæ causa justa est ad separationem thori, juxta doctrinam Domini apud Matthæum *c.* 5. & 19. *c. dixit Dominus* 32. *q.* 1. *c. significasti*, *c. ex litteris*, *c. gaudemus de divort.* junctis traditis à Thom. Sanchez *lib.* 10. *de matrim.* & in hac separatione vir, & uxor æquale jus habent, ut contra Cajetanum *in dict. cap.* 19. Matthæi veriùs docent Bellarminus *dict. lib.* 1. *cap.* 14. Sanchez *dict. lib.* 10. *disp.* 3. *num.* 6. quod & probatur *ex cap. præcepit* 19. 32. *quæst.* 5. *cap. placuit* 32. *quæst.* 7. Propter infidelitatem quoque separantur conjuges à mutuo consortio, quia iniquum esset alterum cum altero habitare cum perversione à fide, quod gravissimum damnum est, *cap.* 2. *cap. de illâ*, *cap. quanto* 7. *de divortiis*, *cap. idololatria* 28. *quæst.* 1. Cùm ergo petere possint conjuges innocentes, ut his casibus separentur à mutua cohabitatione cum illo, qui in adulterium, hæresim, seu apostasiam à fide incidit, meritò jus habent profitendi in religione, aut emittendi votum castitati, absque eo, quod repeti possint à conjuge nocente, quia per adulterium spirituale, vel carnale amisit jus, quod habebat in alium conjugem ad cohabitandum, ut probat latè Tom. Sanchez *libro* 10. *de matrim. disp.* 3. *cum sequent. & disputat.* 15.

CAPUT IV.

Idem (a) *Exon. Episcopo.*

CUm sis præditus scientiâ litteratum, ignorare non potes, nec debes sanctorum Patrum institutioni obviare, ut vir uxore suâ in seculo remanente, aut uxor viro suo non assumente religionis habitum, debeat ad Religionem transire; quia cùm vir, & uxor una caro sint, sicut docet Apostolus, non potest unus ad Deum (b) converti, & alter in seculo remanere. Inde est, quod actoritate Apostolica prohibemus tibi, ne in Episcopatu tuo virum vel uxorem, nisi uterque ad Religionem migraverit, transire permittas: sed si voluerint ad Deum converti, uterque ad frugem melioris vitæ transeat. Verùm si uxor ita (c) senex est, & sterilis, quod sine suspicione possit esse in seculo, dissimulare poteris, ut vir eâ in seculo remanente, & castitatem promittente, ad religionem transeat.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. (a) *Exon.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 4. & post Concil. Lateran. *p.* 5. *cap.* 2. De Exonienſi Eccleſia nonnulla notavi *in cap.* 6. *de filiis presbyt.*

2. (b) *Converti.*] Converti, ſeu converſare, plerumque uſurpatur pro monachum fieri, ut *in Capitul. Caroli, lib.* 1. *capit.* 63. Gregorius Turon. *lib.* 9. *capit.* 33. de Theutario presbytero, ibi: *Nuper ex Referendario converſus presbyteri honorem accepit.* Et ſimiliter converſio ponitur pro tranſitu ad monaſterium in Concil. Arauſic. 1. *can.* 22. Arelat. 3. *can.* 1. *&* 2. Inde monachi, qui ex laicis facti fuerunt, appellantur converſi: plura de illis adducentes notarunt Gibalinus *diſquiſit.* 3. *de clauſur. cap.* 2. §. 6. *num.* 42. Zerda *in adverſ. cap.* 44. *num.* 29. Haæphtenus *tom.* 1. *diſquiſit. lib.* 3. *tract.* 1. *diſquiſit.* 8. Bignonius *ad Marculf. lib.* 2. *cap.* 38. Rither. *ad Salvianum fol.* 136. Stephanus Durantius *qq. jur. quæſt.* 6.

3. (c) *Senex.*] Quia incendia concupiſcentiæ, quæ in juvenibus plerunque dantur, ut probavi *in cap. cùm in juventute, de præſump.* ſenectute adveniente ceſſant: quare ætas illa venereis actibus inepta dicitur à Juvenali *ſat yr.* 10. Martiali *lib.* 12. *epigr.* 28. & Plato *lib.* 1. *de repub.* circa principium ait: *Senectute libidines reſtringi, & ea ætate libertatem à rebus venereis eſſe.* Cui conſentit Cicero *de ſenect.* illis verbis: *O præclarum munus ætatis! ſiquidem id aufert à nobis, quod eſt etiam in adoleſcentia vitioſiſſimum.* Faciunt textus *in cap. fraternitatis* 34. *diſt.* ibi: *Et ætas illius, de quo agitur, futuræ incontinentiæ ſuſpicionem auferre dignoſcitur.* D. Hieronymus relatus à Narbona ibi; *Senectus nos ab impudentiſſimis dominis liberat voluptatibus, gulæ imponit modum, libidinis frangit impetus.* Illuſtrant Acuña & Barboſa *in d. c. fraternitatis*, Velaſcus *de privil. pauper. quæſt.* 18. *num.* 51. Felonga *in cap.* 1. *ratioc.* 5. *num.* 12. Meritò, inquam conſtitutum eſt, ut in hac ſenili ætate exiſtente conjuge, quia incontinentiæ ſuſpicio ceſſat, altero in ſeculo remanente, & voto caſtitatis obſtricto, alter poſſit ingredi, & licitè religionem profiteri. Sed quænam ætas ſit hæc ſenilis, ut conjux poſſit in ſeculo remanere voto caſtitatis emiſſo, latè examinant poſt Thomam Sanchez, & Baſilium, Barboſa *tom.* 6. *in ſelect. ad hunc textum*, Narbona *de ætate ad actus human. anno* 70. *quæſt.* 9. qui reſolvunt, in fœmina ſufficere annum ſexageſimum; in viro autem deſiderari ſeptuageſimum, ut ita ob ſenectutem incontinentiæ ſuſpicio ceſſet. Non autem deſideratur tam longæva ætas, ſi conjux ſterilis ſit, ideſt aliquo languore, ſeu ægritudine prematur; ſiquidem cùm non minùs ægritudo, quàm ſenium ſeminis ſterilitatem inducat, ut probatur *in cap. ſicut*, & illic Gloſſa *verbo Debilitate*, 32. *quæſt.* 5. & ſimiliter ſuſpicionem incontinentiæ auferat, ut argumento legis *ſi pater* 15. §. *in adrogationibus*, *ff. de adopt.* docent Menochius *de præſumpt.* 47. Thomas Accius *de infirmit. legal. p.* 1. *cap.* 19. & ideo infirmitate laborans, venereis rebus, quamvis adoleſcens, ineptus creditur, *l. filium* 6. *ff. de his qui ſunt ſui, l. ſi quis poſthumos* 9. *ff. de liber. & poſth.* inde accedente valetudine, etiam non ſexagenaria fœmina, vel ſeptuagenarius vir, ſed minoris ætatis, liberè, & absque caſtitatis jactura in ſeculo remanere poterunt, ut reſolvunt cum aliis Acacius Ripol *reſol. jur. cap.* 8. *num.* 273. Diana 4. *p. tract.* 4. *reſol.* 73. Narbona *dict. quæſt.* 9. *num.* 11. Et ita rectè in præſenti Alex. decidit, ſenem, id eſt ſexagenariam; vel ſterilem, videlicet ita languore depreſſam, ut ſterilis credatur, poſſe in ſeculo remanere voto caſtitatis emiſſo, ut ejus maritus valeat ad Religionem converti, & in ea licitè, ac validè profeſſionem emittere. Sed tunc difficilis eſt textus hic, dum in eo conjunctivè exigit Pontifex, ut conjux, quæ in ſeculo manet, ſit ſenex, ſeu ſterilis ad copulam: pro quorum verborum expoſitione Cardinalis *in præſenti, num.* 1. *oppoſ.* 2. Hoſtienſ. *num.* 4. Covar. & alii, quos congerit Sanchez *libro* 7. *matrim. diſputat.* 32. *num.* 9. docent, in præſenti caſu ſolam ſenectutem non ſufficere, ut conjux, quæ in ſeculo remanet, poſſit continenter vivere, quia cohabitatio matrimonialis præceſſit; & ideo ſimul exigi, ut ſterilis ſit. Verùm hæc doctrina facilè convincitur ex proximè traditis, & *ex cap. cùm in juventute, de præſumpt.* ubi tantùm ex ſenectute Epiſcopi continentia præſumitur, etiamſi neptem habuiſſet, quæ ſupponit in juventute liberos ſuſcepiſſe, *l.* 10. §. 2. *ff. de gradibus*, *l.* 29. *ff. de liber. & poſth.* ergo etiam in præſenti caſu tantùm ex ſenectute caſtitas conjugis in ſeculo remanentis præſumitur. Quare eâ ſententiâ omiſſâ verius credo, copulativam, &, in præſenti accipiendam eſſe pro disjunctiva, argumento legis *ſæpe ff. d. v. ſ.* ita ut ſufficiat, quod conjux in ſeculo manens ſit ſenex, vel ſterilis ad copulam.

CAPUT V.

Idem (a) *Strigon. & Colon. Archiepiſcopis.*

CONjugatus ad monaſterium converti deſiderans, prohibetur ſuſcipi, niſi uxor ejus convertatur: nam cùm unum utrorumque corpus conjugii copulatione ſit factum, incongruum eſt, partem converti, & partem in ſeculo remanere: nec recipitur apud Deum illius viri converſio, cujus ſequitur conjugalis fœderis proſtitutio. Cùm igitur cœtus (b) clericorum longè præmineat cœtui monachorum, ut ita aliquando bonus monachus vix bonum clericum faciat, nullus conjugatorum eſt ad ordines ſacros promovendus, niſi ab uxore continentiam profitente fuerit abſolutus, ut fiat deinceps de carnali copula ſpirituale conjugium.

NOTÆ

NOTÆ.

1. (a) *Strigon.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 5. & post Concilium Lateran. *part.* 5. *cap.* 6. De Strigon. & Colocen. diœcesibus egi *in cap. finali, de postul. Prælat.*

(b) *Clericorum cœtus.*] Ut doctè, & fusè probat contra Cellotium Franciscus Hallierius *integro tom. de Hierarch. Eccles.* Commentarium hujus textus dedi suprà *in cap.* 1.

CAPUT VI.

Idem (a) *eidem.*

SAnè si conjugati consenserint ordinari, etiam uxoris voluntas priùs requirenda est, ut sequestrato mansionis cubiculo, religione promissâ, postquam pariter conversi fuerint, ordinentur. Quod si (b) in quibuslibet Ecclesiasticis gradibus provideriter, solerterque curandum est, ut in domo Dei nihil sit inordinatum, nihilque præposterum; multò magis laborandum est, ut in ejus promotione, qui supra omnes gradus continetur, non erretur. Inde est, quod f. v. auctoritate Apost. prohibemus, ne (c) uxoratum in Episcopum præsumatis ordinare, nisi uxor priùs professa continentiam sacram, (d) velamen sibi imponat, & religiosam vestem assumat. Nolumus enim, ut viri promotio uxore relictâ in seculo fieri perditionis possit occasio.

NOTÆ.

1. (a) *Idem.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 6. & post Concil. Lateran. *p.* 5. *cap.* 8. & quidem nescio, quo fine compilatores epistolam hanc diviserint, cùm eandem materiam contineat, & sub eodem titulo ejus partes reperiantur.

(b) *Quod in quibuslibet.*] Verba sunt Leonis relati *in cap.* 5. *dist.* 61.

(c) *Uxoratum.*] Olim enim plerumque, aut ob fidelium inopiam, aut ob præclaras animi dotes, eximiamque virtutem, etiam conjugati uxorem, filiosque habentes, non solùm ad sacros ordines, verùm etiam ad culmen dignitatum evehebantur, *c. ult.* 33. *dist. c.* 8. 34. *dist. c.* 1. *de testam. c.* 5. *de hæretic.* Probant Baronius *anno* 85. Barbosa *de potest. Episcop.* 1. *p. tit.* 2. *glos.* 4. Nec obstat fœminam corruptam consecrari non posse, ut probavi *in cap. vidua, de regul.* igitur nec vir corruptus in Episcopum consecrari valebit. Nam ratio hujus discriminis ex eo provenit, quia virgo consecranda Ecclesiam significat triumphantem, in qua nec macula, nec ruga est; Episcopus verò Ecclesiam militantem, in qua bonos, & malos contineri compertum est, *cap. penult.* 31. *dist. cap.* 21. 11. *quæst.* 3. docet Germonius *lib.* 3. *de saror. immunit. cap.* 10. *num.* 17. Unde Eepiscopus etiam in matrimonio, vel extra corruptus, ordinari, & consecrari valet, non verò corrupta in sanctimonialem consecrari potest. Sequentibus verò seculis, cùm major esset fidelium copia rejici cœperunt uxorati, quia credebatur facilè eos dissipaturos patrimonium Ecclesiæ, *cap. Catinenses* 62. ibi: *Qui nec uxorem habeat, nec filios, nec crimen aliquod canonibus contrarium.* Rationem assignat Pelagius *in cap. de Syracusana*, 26. *distinct.* illis verbis: *Quia per filios ecclesiastica solet dissipari substantia.* Consonat Justinianus *in authent. quomodo oport. Episc. collat.* 1. & *in authent. de sanctissimis Episcopis, collat.* 9. *titul.* 9. ibi: *Nec filios, aut nepotes habens, nec cognitos lege, nec odibiles.* Illustrat Turturetus *in paratitl. dissert.* 31. quare si aliquando ob sacerdotum penuriam filios habens in Episcopum eligebatur, tempore consecrationis inter alia, quæ in juramento promittebat, illud specialiter spondebat, se non alienaturum aliquid inconsulto Romano Pontifice, *c. ego.* ubi notavi, *de jurejurando.*

(d) *Velamen.*] Quodnam velamen possit viduis, & relictis à maritis dari exposui *in cap. vidua* 4. *de regul.*

COMMENTARIUM.

IN decretalibus hucusque compilatis à Raymundo actum fuit de uxoratis conversis ad religionem, & in ea professionem emittentibus, matrimonio consummato, vel rato manente; & quatenus uxor, si juvenis est, debeat non solùm consensum præstare, verùm etiam religionem ingredi: si verò senex est, castitatem tantùm in seculo promittere. In præsenti textu agitur de viro, qui ad sacerdotalem statum promoveri cupit, non verò ad religionem converti. Circa quem non eadem disciplina Ecclesiæ fuit; nam omisso casu, cùm adhuc matrimonium ratum est, quem exposui suprà *in cap.* 2. circa casum, in quo matrimonium consummatum est, qui in præsenti deciditur, sciendum est, non posse maritum ex antiquis Ecclesiæ canonibus invitâ uxore sacris ordinibus initiari, & ex noviori constitutione Bonifacii *in cap. final. de temporib. ordin lib.* 6. nec primâ tonsurâ: ipsâ verò consentiente, & castitatem promittente, licitè ad sacros ordines eum promoveri, ut probavi *in cap.* 1. *de cleric. conjug.* Sed an ultra promissionem castitatis desideretur etiam, ut uxor juvenis religionem profiteatur, ut in juribus antecedentibus? disputant Sanchez *de matrim. libro* 7. *disput.* 39. Espenceus *lib.* 6. *de voto contin. cap.* 6. Basilius *de matrim. lib.* 7. *cap.* 25. Acunna *in cap. Episcopus* 6. *dist.* 77. Hurtado *pe resid. tom.* 2. *lib.* 3. *resol.* 3. *fol.* 160. In qua quæstione verum est, non desiderari professionem ipsius conjugis, sed tantùm desiderari promissionem castitatis in seculis, sequestrato mansionis cubiculo, ut in præsenti textu docetur, & *in cap. volumus*, 28. *dist.*

dist. cap. Episcopus 6. 71. *dist.* unde tot sacris Ecclesiæ canonibus prohibitum legimus Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, accedere ad uxorem jam relictam, & sequestratam. Concil. Turon. 2. sub Joanne III. *can.* 14. *Episcopum Episcopam non habentem nulla sequatur turba mulierum.* Et *can.* 20. *Si inventus fuerit Presbyter cum sua Presbytera, aut Diaconus cum sua Diaconissa, aut Subdiaconus cum sua Subdiaconissa, per annum integrum excommunicatus habeatur.* Concil. Altissiod. *can.* 21. ibi: *Ne Presbytera cum suo Presbytero dormiat.* Et *cap. si quis rapuerit* 27. *quæst.* 1. quibus Conciliorum decretis lucem affert historia Ursicini Episcopi, qui à tempore accepti ordinis presbyteram suam ut sororem diligens, sed quasi hostem cavens, ad se propiùs accedere non sinebat, ut refertur *in cap. presbyter*, 32. *dist.* In eodem etiam sensu accipiendum est decretum Zachariæ Papæ de Presbytera, Diacona, Nona, Monacha nefario conjugio minimè copulandis. Vocabantur ergo Episcopæ, Presbyteræ, Diaconissæ, Subdiaconissæ, quæ nomine alio, relictæ Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi dicuntur in Conciliis Aurel. 1. *can.* 13. Altissiod. *can.* 22. Epaun. *can.* 32. & aliis. Debebant ergo olim uxores Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum castitem vovere antequam earum mariti sacris ordinibus initiarentur; itemque vel monialium cœtui aggregari, vel in Diaconissarum ordinem adlegi solebant: quod Synodus 6. *can.* 42. apertè ostendit ibi: *Uxor ejus, qui ad Episcopalem dignitatem promotus est, communi sui viri consensu priùs separata, postquam in Episcopum ordinatus est, ac consecratus, monasterium ingrediatur, procul ab Episcopi habitatione structum, & Episcopi providentiâ fruatur; sin autem digna visa fuerit, etiam ad Diaconatus dignitatem provehetur.* Exemplis etiam id illustrat Hallier. *de sacris elect. cap.* 2. §. 6. *fol.* 503. sed ex novo jure præsentis textus uxor Episcopi debet necessariò religionem ingredi, tum ob sanctiorem mariti vitam, tum ob ejus majorem dignitatem, Uxores autem relictæ, tam ab Episcopis, & Ptesbyteris, quàm à Subdiaconis, quia castitatem promittebant, etiam defunctis maritis ad secundas nuptias transire non poterant. Concil Aurel. 1. *can.* 13. *Si se quæcunque mulier duplici conjugio Presbyteri, vel Diaconi relicta conjunxerit, aut castigati separentur, aut certè si in criminum intentione perstiterint, pari excommunicatione plectantur.* Concil. Altissiod. *can.* 22. *Non licèt relictæ Presbyteri, nec relictæ Diaconi, nec Subdiaconi post ejus mortem maritum acciperet.* Epaun. *can.* 32. *Relictæ Presbyteri, sive Diaconi, si cuicumque nupserit, eatenus ab Ecclesia elongentur, donec à conjunctione illicita separentur.* Concil. Brachar. 1. *can.* 19. *Vidua Episcopi, Presbyteri, Diaconi, si maritum acceperit, nullus clericus, nulla religiosa cum ea convivium sumat, nunquam communicet, nisi moriens.* Tolet. 1. *can.* 18. Earum tamen matrimonium validum fuisse, quia votum castitatis ipsarum tantùm simplex erat, non verò solenne, rectè probat ex Concil. Tolet. 1. *can.* 16. Basil. *de matrim. lib.* 7. *capite* 25. *num. final.*

CAPUT VII.

Idem (a) *Brixiensi Episcopo.*

EX publico instrumento, quod nobis est præsentatum, & ex tenore literarum tuarum nobis innotuit, quod cùm venerabilis frater noster Veronen. Episcop. de mandato nostro causam matrimonii, quæ inter Agelaten. virum, & Matthemiam mulierem vertebatur, suscepisset fine canonico terminandam, auditis utriusque partis allegationibus, inter eos judiciali sententiâ matrimonium approbavit, & eidem mulieri præcepit, ut ad virum suum rediret, & exhiberet conjugalem affectum. Verùm cùm eadem mulier ad eum juxta sententiam prædicti Episcopi regredi nollet, de mandato nostro, sicut accepimus, fuit vinculo excommunicationis adstricta. Cœterùm, quia præfata mulier, licèt à præfato viro desponsata fuerit; adhuc tamen, sicut asserit, ab ipso non est cognita: f. t. p. A. s. p. m. quat. si prædictus vir mulierem ipsam non cognovit carnaliter, & eadem mulier, sicut ex parte tua nobis proponitur, ad religionem transire voluerit, receptâ ab ea sufficienti cautione, quod vel ad religionem transire, vel ad virum suum redire infra duorum mensium spatium debeat, ipsam contrad. & ap. cess. à sententia, quâ tenetur, absolvas. Ita quod si ad religionem transire maluerit, uterque restituat alteri, si qua (b) alter ab altero habuerit; & vir ipse, eâ religionis habitum assumente, ad alia vota licentiam habeat transeundi. Sanè quod Dominus in Evangelio dicit: Non licet viro uxorem suam, nisi ob causam fornicationis dimittere; intelligendum est secundum interpretationes sacri eloquii, de his, quorum matrimonium est carnali copulâ consummatum, sine qua matrimonium consummari non potest; & ideo si prædicta mulier non fuit à viro suo cognita, licitum est ei ad religionem transire.

NOTÆ.

(a) *Brixiensi.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.* 7. & post Concil. Lat. *p.* 5. *c.* 8. ex quibus collectionibus textum hunc transcribo. De Brixiensi diœcesi aliqua notavi *in c. tuæ, de procur.* *D. D. Gonzal. in Decretal.* Tom. III. Pars II.

(b) *Ab altero habuerit.*] Consonat Capitulare Ludovici *addit.* 3. *capite* 20. ibi: *Si sponsus vel sponsa intraverit monasterium, id quod arrarum nomine datum est, in simplum tantùm red-*

datur. Et jure etiam civili, cùm matrimonium consummatum erat, idem procedebat, ac si solutum esset matrimonium per mortem, *novel. 22. Justin. cap. 5.* ibi: *Breve solatium consequente eo, qui relictus est, ut præter restitutionem dotis, vel propter nuptias donationis retentionem id lucretur, de quo convenit in casu mortis.* Non autem lucratur, inquit Justinianus, id, de quo convenit in casum repudii; quia hæc conjugii dissolutio potiùs ad mortem accedit, quàm ad repudium, cùm religiosus mortuus mundo dicatur, *cap. placuit 16. quæst. 1.* De dote, lucris dotalibus, arris, & jocalibus restituendis soluto matrimonio rato, seu consummato, per ingressum religionis, agunt Tondutus *tom. 1. resol. benef. cap. 16. num. 7.* Zypæus *ad hunc tit. consult. 1.*

CAPUT VIII.

Idem *G. Priori, & Fratribus* (a) *S. Ioannis.*

VXoratum autem sine licentia propriæ uxoris inter vos nullatenus recipiatis, quæ integræ famæ, & opinionis ita existat, quod nulla marito (b) suspicio habeatur, eam ad secunda vota velle migrare, vel quod minùs continenter debeat vivere: quæ si, prout dictum est, talis extiterit, marito ejus in consortio vestro recepto, ipsa publicè in conspectu Ecclesiæ continentiam professa, in domo propria cum filiis suis, familiaque poterit permanere. Si autem talis fuerit, quæ suspicione non careat, voto continentiæ celebrato à secularium hominum conversatione se removeat, & in loco religioso, ubi Deo serviat, perpetuò commoretur. Nullus vestrûm audeat aliquam mulierem tonsurare, vel eam ad (c) habitandum secum assumat.

NOTÆ.

1. (a) *Sancti Joannis.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc titul. cap. 8.* ubi additur, *pars capitis ad petitionem*: post Concil. Later. *p. 5. cap. 9.* legitur *Alexand. III. Priori G. & Fratribus juxta disciplinam bonæ memoriæ Electi viventibus.* Et *in cap. ad petitionem, de regul. in 1. collect.* ubi extat prior pars hujus textus, legitur, *Alexander III. Cruciatis.* Quæ omnia mirè conveniunt, si observemus, congregationem Cruciatorum, seu Cruciferorum, sic dictam fuisse à cruce, quam religiosi manibus circumferunt; institutam à Sancto Cleto Pontifice anno Christi 83. quæ renovata fuit à sancto Cyriaco Episcopo Hierosolym. post inventam Christi crucem à sancta Helena Constantini Imperatoris matre, anno plus minusve 358. Item ab Urbano II. anno 1087. ab Alexandro III. & Cœlestino III. anno 1197. & ab Innoc. III. sed præsertim à Pio II. in Concilio Mantisano anno 1460. Hujus Pontificis decreto ferunt Cruciferi manibus cruces argenteas, & alicubi in pectore ex albo, & rubro panno. Utuntur etiam habitu cæruleo, & servant regulam sancti Augustini. Priscis seculis habuerunt plusquàm ducenta monasteria per Hispaniam, Galliam, & Germaniam, Dalmatiam, & Græciam; nunc intra Italiam continentur. Plura de his Cruciferis tradunt Marcus Ant. Boldus, & Benedictus Leo historici ejusdem familiæ. Baronius *tom. 1. anno 93. & in Martyrol. die 27. Aprilis*, Acuña *in cap. generalis 12. 54. dist.* Unde rectè inscriptio textus *in dict. cap. ad petitionem*, ita conpicitur, *Alexander III. Cruciatis.* Et à Pontifice approbatur, & commendatur eorum Religio per hæc verba: *Ad petitionem vestram, regulam, secundùm quam vivere debeatis, & omnipotenti Deo servire, duximus constituendam. In primis id statuentes, ut professionem majori Priori faciant omnes laici in manu ejus, se absque proprio victuros promittentes, & continentiam, in quantum permiserit divina gratia, servare. Qui quidem, & tam clerici, quàm laici, proprio Magistro, animarum suarum Rectori debitam in omnibus reverentiam promittant, nec alicui inter vos professo liceat ad alium Ordinem absque Prioris licentia ullo modo transire, nisi fortè ad Religionem migraverit arctiorem. Nullus absque majoris Prioris licentia hospitale audeat facere; nullus proprium habeat: si quid acquisierit, suo Rectori assignet: nullus vestrum alii vobiscum esse volenti crucem tribuat, sed per medium annum integrum vobiscum in probatione permaneat, & tunc majori Priori præsentetur, ut ab ipso, non ab alio crucem suscipiat.* Et *in dict. cap. 9. p. 5.* post Concil. Later. rectè habetur, *Priori G.* Giraldo videlicet, *& fratribus juxta disciplinam bonæ memoriæ Electi* (lege *Cleti*) *viventibus.* Quia fratres isti regulam à B. Cleto institutam profitebantur: Monasterium autem S. Joannis, cujus mentio hic fit, erat ipsorum Cruciatorum; unde facilè deducitur, in præsenti agi de ipsis religiosis cruciatis.

(b) *Suspicio.*] Juxta tradita *in cap. 1. hoc tit.* 1.

(c) *Habitandum secum.*] Juxta adducta suprà *in cap. 6. de regul.*

CAPUT

CAPUT IX.

Urbanus III. *Priori* (a) *S. Crucis.*

EX parte dilecti filii Abbatis sancti Petri de (b) Romandin ad audientiam nostram pervenit, quod cùm D. de Ter. in (c) infirmitate positus, consentiente uxore ipsius, votum vovens castitatis monachalem habitum (d) suscepisset, postmodùm ab infirmitatis ipsius liberatus angustia, & prædictam uxorem suam (e) retinuit, & aliam eâ defunctâ sibi temerè copulavit. Quia verò licèt prædictus D. uxore suâ remanente in seculo de jure ad religionem (f) nequiverit proficisci, eâ tamen sublatâ de medio, votum quidem factum sine salutis suæ periculo nequaquam potuit violare: m. quat. si verum est, quod asseritur, prædictum D. per excommunicationem compellas, ut eam mulierem sine dilatione dimittat, & ad suum monasterium (g) revertatur, de cætero sub regulari habitu Domino serviturus.

NOTÆ.

1. (a) *Sanctæ Crucis.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. Credo monasterium hoc esse canonicorum regularium Ordinis Augustini; quod extat in diœcesi Pictavensi, de quo Perinotus *lib.* 2. *histor. canonic. regul. cap.* 33. *num.* 17. Alia verò, & diversa est militia Crucesignatorum, quam profiteri poterant, & crucem assumere viri etiam invitis uxoribus, ut decrevit Innocentius III. *lib.* 4. *regestr.* 16. *epist.* 111.

2. (b) *De Romandin.*] Ramandui, Ptolomeo teste *libro* 2. *capite* 1. sunt populi sub Rothomago, quos Rothomanos esse Volaterranus scribit: hodie verò Mandui, aliàs Romandui dicuntur, ut ipse Volaterranus tradit. Apud eos est monasterium hoc Sancti Petri, Ordinis D. Benedicti, de quo nonnulla adducit Papirius Mason. *in descript. Gall. per flumina, fol.* 77.

(c) *In infirmitate positus.*] De valore professionis in ægritudine emissæ egi *in cap. sicut, de regul.*

(d) *Suscepisset.*] Et ita votum solenne fecit cum emissione professionis in ipso monasterio, aliàs si simplex votum esset, licèt non honestè, valide tamen mortuâ uxore cum alia matrimonium contraheret, ut suprà probavi *in cap. quidam* 5.

(e) *Retinuit*] Non tamen ipsa eum repetebat à monasterio, nec intendebat contra consensum jam præstitum cum ipso cohabitare, ut nonnulli in præsenti exponebant; unde ingentem difficultatis molem sibi imponebant, quam dissolvere intendit Garaña *in capite* 1. *hoc titul. num.* 3. 3.

(f) *Nequiverit.*] Quia cùm juvenis, non solùm consensum præstare, verùm & similiter religionem profiteri tenebatur, juxta suprà tradita *in cap.* 1.

(g) *Revertatur.*] Quia cùm solenniter professionem emisisset in ea, non poterat ipsam deserere, ut post repetentes in præsenti docet Basilius *lib.* 9. *de matrim. cap.* 12. nec ipse impugnare factum proprium; *ex l. post mortem, ff. de adopt.* docet Garaña *in dict. capite* 1. *num.* 4. & 5. 4.

CAPUT X.

(a) Cœlestinus.

CONsuluit nos G. sacerdos de Sancta Columba, utrum vir mercator, negotiationi, & uxori propter Deum renuncians, ad religionis habitum transiens, & in eo per annum, & amplius moram faciens, uxore suâ, postquam ad domum transierat regularem, de præsenti vita sublatâ, secularem habitum resumere valeat, quem dimisit, & aliam ducere in uxorem; vel si ductam ei liceat retinere? Cui consultationi taliter duximus respondendum, quod prædictus vir, nec habitum potest abjicere, quem assumpsit; nec aliquam sibi matrimonio copulare. Quod si contraxerit, matrimonium ipsum decrevimus dirimendum.

NOTÆ.

1. (a) *Coelestinus.*] Ita etiam habetur in secunda collectione, *sub hoc titul. cap.* 2. nullibi tamen exprimitur Prælatus, cui rescribat Pontifex, nec liquet, de quo monasterio in præsenti agatur. Varias in hoc textu agnoscunt difficultates repetentes hîc, Garaña *in cap.* 1. *hoc tit. num.* 5. Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disputat.* 34. Basilius *eod. tract. lib.* 9. *cap.* 11. *num.* 12. quas omnes facilè dissolves, si supponas, uxorem in præsenti specie consensisse, ut maritus monasticam

professionem emitteret; sed quia senex erat, ipsa in seculo remansit. Unde cùm professio undequaq; licita, & solennis esset, non poterat postea defuncta uxore contra votum ita solenniter emissum matrimonium contrahere, ut in textu antecedenti notatur.

CAPUT XI.

(a) Idem.

CHarissimus in Christo filius noster R. (b) Rex Illustris Suevorum Apostolatui nostro literis, & nuntio humiliter nunciavit, quod cùm esset adolescens, & dilecta uxor ejus juvencula, mutuâ fide voto contrahendi legitimi matrimonii se adstringentes, invicem consensum suum, accedente (c) voluntate parentum, arrarum donatione roboraverunt. Postmodum verò claræ memoriæ N. patre suo ab inimicis occiso, cùm per bellorum adversitatem undique premeretur, & habito cum hostibus suis congressu, victus, fugatusque fuisset; quia timebat, ne ipsa sponsa ab inimicis suis per violentiam raperetur, & alias similis ei non inveniretur in Regno, quam sibi posset matrimonialiter copulare: de suorum, & ejusdem sponsæ consilio factum est, quod in conventu habitum sanctimonialium monasticum sine proposito perpetualiter retinendi susceperit, & ibidem per aliquot annos moram fecit, ne quid ab inimicis in juriæ pateretur. Quam cùm pace redditâ, & obtento de inimicis triumpho, solenniter duxisset, cum grandi exultatione uxorem, & ex ea filios suscepisset, unum eorum de communi consensu, & electione Principum Sueviæ in Regnum sibi instituit successorem: procedente verò tempore, prædicta uxor gravi infirmitate correpta, cùm se de hac vita crederet decessuram, timore mortis inducta, continentiam vovit. Cumque Rex ipse nollet eam contristare, concessit ad (d) tempus; nunc autem se continere proponit non posse; & quod licitè posse fieri arbitratur, ad thorum uxoris suæ cupit redire: & ad reprimendas æmulorum suorum detractiones, & obloquia, petiit à nobis dari sibi in mandatis, ut uxorem suam auctoritate nostra maritali affectione pertractet, non obstante voto continentiæ incautè ab ipsa emisso; & ab eodem Rege ad tempus approbato. Verùm quia super his nos ad plenum non potuimus elicere veritatem, s. t. cognitionem eorum, & decisionem canonicam duximus committendam, per A. s. m. ut super his inquiratis diligentiùs veritatem; & si vobis constiterit, quod prædicta mulier primò fuit inter moniales recepta timore violentiæ, & rapinæ, & propositum profitebatur se habuisse nubendi, cùm inter eas moram faceret, præsertim cùm postmodùm in facie Ecclesiæ publicè Regi nupserit, & usque ad hæc tempora cohabitando, filios ex ea susceperit, eam denunciet is præfato monasterio non teneri; non enim factum illud contractum matrimonii potest dirimere, etsi fortè posset matrimonium contrahendum impedire. De alio verò ita solicitè discretio fraternitatis vestræ discutiat, quod si inveneritis eandem gravi infirmitate depressam, continentiam vovisse, & virum ejus ad tempus præbuisse consensum, maximè si non idem vir peræquè continentiam voverit perpetuam, eandem viro cohabitare faciatis, & invicem utrumque maritali affectione tractare.

NOTÆ.

1. (a) *Cœlestinus.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc titul. cap.* 3. nullibi tamen exprimitur, quibus Prælatis Pontifex rescribat.

(b) *Rex illustris Suevorum.*] Non accipias textum hunc de Suevis, & eorum Rege, quorum Imperium in Gallecia duravit per 174. annos, donec à Leo Vigildo Gothorum Rege eorum Regnum deletum fuit, & in Gothos translatum anno 585. ut referunt Sanctus Isidorus *in chron. Suevor.* Roderic. Tolet. *de rebus Hisp. lib.* 2. *cap.* 14. & *in hist. Suevor. cap.* 2. Ioan. Vascus *in chron. Hisp. anno* 584. Olaus Magnus *lib.* 16. *hist. Goth. cap.* 9. Sahabedra *in chron. Goth. cap.* 15. unde cùm ultimus eorum Rex Mirus dictus decessisset anno 584. non poterat temporibus Cœlestini III. reperiri Rex Richardus, de quo in præsenti. Agitur ergo in hoc textu de Rege Sueviæ, cujus Regnum est ultra quinquagesimum quintum Septentrionalis latitudinis gradum ad mille Italica milliaria, quâ latissimum est, usque ad septuagesimum secundum gradum extenditur; longitudine mille quinquaginta non extendit. Regnum fuit olim incolarum multitudine plenum: Regiam dignitatem electivam antea, postea hæreditariam fecit, ut plura adducentes de Suevis, & eorum nobilitate tradunt Cyriacus Spangemberger. Martinus Crusius, Ceilerus ejus gentis scriptores, & Bucelinus *tom.* 1. *German. sacra, fol.* 6. *& tom.* 3. *fol.* 12.

(c) *Voluntate parentum.*] De consensu parentum

parentum in nuptiis filiorum agemus *in cap.* 1. *de desponsi. impub.*

(d) *Concessit ad tempus.*] Aliàs si in perpetuum consensisset, non posset eam licitè repetere, ut probavi suprà *in cap.* 1. ex quo commentario præsens petendum est.

CAPUT XII.

(a) Idem.

PLacet nobis, & tuam prudentiam commendamus, quòd in causis dubiis Sedis Apostolicæ consilium requiris. Licèt enim præditus sis scientiâ litterarum, ad matrem tuam Rom. Ecclesiam idcirco devotè recurris, ut habitâ, super quo dubitas, responsione condignâ, quam in similibus servare formam debeas, evidenter agnoscas. Per dil. autem filium W. Decanum Cathalaun. Apostolatum nostrum solicitudo tua consuluit, utrum mulier, quæ credens (b) mortuum maritum, habitum religionis assumpsit, & eo reverso, de monasterio (c) educta fuit, post obitum viri sit ad observantiam regulæ compellenda? Super quo disc. tuæ sic respondemus, quod licèt votum ejus non tenuerit usquequaque, eatenus tamen fuit obligatorium, quatenus se poterat obligare: promisit enim intrando monasterium, se non exacturam carnis debitum, quod erat in potestate ipsius; redire verò ad seculum, in ejus potestate non erat, sed in potestate mariti: & ideò quantùm ad ipsam tenuit votum, quod post viri obitum tenere non desiit, cùm ad eum casum redierit, à quo poterat efficax habere principium. Consultius itaque dicimus, & ei congruentius ad salutem, prædecessoris enim felicis memoriæ Alexandri (d) Papæ vestigia imitantes, ut vanitatibus seculis derelictis, ad monasterium redeat, ubi bonâ ducta intentione professionem fecit, & habitum religionis accepit. Si verò ad hoc induci non poterit, invitam ipsam credimus non cogendam.

NOTÆ.

1. (a) *Idem.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 4. sed nec in ea exprimitur Prælatus, cui rescribat Pontifex, & forsan scripsit Episcopo Cathalaunensi, de qua Ecclesia egi *in cap.* 57. *de elect.*

(b) *Mortuum maritum.*] Et per consequens cum falsa causa, *argum. l. final. ff. de hæred. instit.*

2. (c) *Educta.*] Per maritum, qui jure eam repetebat, ex traditis *in cap.* 1. *hoc tit.* unde cùm professio nulla esset ex defectu consensus viri, ideo Cœlestinus ait, defuncto viro monendam eam esse, non cogendam, ut ad monasterium revertatur; quoad castitatem verò promissam tenetur soluto matrimonio eam servare, quia renunciando juri proprio, eam promittere valebat. Basilius *lib.* 9. *de matrim. cap.* 11. & *lib.* 10. *cap. final.* probavi *in cap. quidam* 3. *hoc tit.* ubi textum hunc exposui.

(b) *Alexand. III.*] Relati *in cap.* 1. *hoc tit.* Nec huic constitutioni adversatur P. Blesensis *epistol.* 19. ubi uxor, quæ falso rumore decepta, & mortuum virum existimans, professionem in monasterio emisit, & reverso marito egredi coacta fuerat, mortuo ipso viro non cogitur redire ad monasterium, ex ipsius Blesensis sententia; immò alteri nubere potest. Nam id accipiendum est, quando votum castitatis emissum est habitâ consideratione ad vitam, & professionem regularem; quia tunc cùm professio ipsa nulla sit, deficiente consensu ipsius viri, non solùm eo defuncto ad religionem redire non cogitur, verùm & ad secundas nuptias transire valet, juxta adducta suprà *in capite* 3. 3.

CAPUT XIII.

Innocentius III. *Archiepiscopo* (a) *Pisan.*

AD Apost. Sed. *Et infrà:* Cùm autem vir & uxor una caro sint per copulam conjugalem effecti, nec una pars converti possit ad Dominum, & altera in seculo remanere, profectò non est alter conjugum recipiendus ad observantiam regularem, nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat: nec vitam quoque debet mutare, nisi fortè ejus ætatis sit, ut sine suspicione incontinentiæ valeat in seculo remanere.

NOTÆ.

(a) *Pisan.*] Præsentem inscriptionem, & integram textus retuli, & exposui *in c. ad nostram. de reg.* & commentarium hujus textus dedi *in cap. 1. cap. cùm sis, hoc tit.*

CAPUT XIV.

Idem (a) *Lugdun. Archiepiscopo.*

EX parte tua nostris est auribus intimatum, quod cùm quædam mulier diœcesana tua (b) velum viduitatis coram duobus Abbatibus assumpsisset, benedictione solenni cum celebratione Missæ, ac Litania, sicut debuit, accedente, postmodùm quidam nobilis, qui sex mensibus antè proponebat se mulierem ipsam mediantibus (c) internunciis per verba de præsenti, (d) arrâ etiam interpositâ desponsasse, audito quod mulier ipsa velum assumpserit, misit ad eam, ut desponsationem factam carnalis copula sequeretur. Tu verò postquam fuit ad tuam audientiam res perlata, inhibere, curasti, ne ante discussionem negotii se carnaliter commiscerent: postmodùm muliere ipsâ in tua præsentia constituta, quæsivisti utrum consensisset in illum, & quare ab illo quæreret separari. At illa se in illum consensisse confessa, dixit quod audierat eum esse leprâ (e) percussum, & ob hoc ejus fuerat abominata complexus. Cùm autem postmodum per testes idoneos tibi fuisset plenior facta fides, quod ante susceptionem veli mutuus intervenerat inter ipsos per verba de præsenti consensus, Sed. duxisti Ap. consulendam, utrum veli susceptio impediat matrimonium inter ipsos. Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod etsi possit non inconsultè videri, quod ex quo matrimonium inter personas legitimas per verba de præsenti contrahitur, illis viventibus in nullo possit casu dissolvi, ut vivente reliquo, alter ad secunda vota transmigret, etiamsi unus fidelium, inter quos est ratum conjugium, fieret hæreticus, & nollet permanere cum altero sine contumelia Creatoris; nisi fortè secus fieret ex revelatione divina, quæ superat omnem legem, sicut à quibusdam Sanctis legitur esse factum. Nos autem à præd. nostrorum vestigiis in hoc articulo subitò declinare nolentes, qui respondere consulti, quod antequàm matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licet alteri conjugum, reliquo etiam inconsulto, ad religionem transire, ita quod reliquus ex tunc legitimè poterit alteri copulari; hoc ipsum tibi consulimus observandum in articulo prænotato, quamvis falsa sit (f) causa, propter quam ad susceptionem veli prædicta mulier est inducta, cùm sine qualibet tali causa id ipsum religionis obtentu facere potuisset. Porrò licèt prædicta mulier videatur in veli susceptione religionis habitum assumpsisse, si tamen velit in (g) domo propria permanere, quasi propositum castitatis in seculo servatura, nihilominus consummandum est matrimonium jam contractum, nisi se voto adstrinxerit ad observantiam regularem, in quo casu compelli potest, ut relicto seculo, religionis propositum exequatur.

NOTÆ.

1. (a) *Ugdunensi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. De Ecclesia Lugdun. plura adduxi *in cap.* 25. *de rescript.*

(b) *Velum viduitatis.*] De quo plura adduximus *in cap. vidua* 4. *de regul.*

(c) *Mediantibus internunciis.*] Notissimum est, inter absentes matrimonium contrahi posse, *cap. final. de procurat. lib.* 6. *cap. veniens* 5. *qui clerici vel vov. l. mulierem* 5. *ff. de ritu nupt.* Illustrant Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disputat.* 11. Basilius *eodem tract. lib.* 1. *cap.* 10. P. Gregorius *lib.* 1. *partit. tit.* 12. *cap. final.* Arias à Mesa *lib.* 3. *var. cap.* 43. licèt enim alia sacramenta corporalem præsentiam exigant, *cap. multi* 94. 1. *quæst.* 1. tamen cùm matrimonium sit contractus elevatus ad esse sacramenti, & inter absentes contractus celebrari valeant, *l. sed & socius* 17. §. 1. *ff. pro socio*, *l.* 6. *ff. de lege commissoria*, inde matrimonium inter absentes contrahi vajet, ut latiùs prosequitur Petrus Bajo Arroyo *in dict. cap. finali.*

(d) *Arrâ.*] Quod signum magnum est celebrati matrimonii, *cap. tenor*, *c. lator*, *de rejudic. c. final.* ubi dicemus, *de desponsi. impub. c. nostrates. c. fœmina* 30. *q.* 5. nam sicut ad firmandos contractus civiles arra intercedit. *l. quod sæpe* 35. *ff. de contrahend. emption. l ex empto* 11. §. *is qui vina*, *ff. de actionib. empti*, *l. cuicunque* 5. §. *item*, *ff. de institut. l.* 2. *C. quando liceat ab emptione. l. ex arrali* 3. *C. de action. empti*, *l.* 2. §. *Sabinus*, *ff. pro emptore*: illustrant pluribus relatis D. Nicolaus à Castro *in* §. 1. *de emption. & vendit.* D. Josephus de Retes *lib.* 2. *opusc. cap.* 1. Ofvvaldus *lib.* 13. *comment. Donel. lit.* Z. Sic etiam in matrimonio arrha traditur, cujus ritus alias rationes debimus *in cap. final. de desponsi. impub.*

(e) *Leprâ percussum.*] Unde constat, uxorem velum sibi imposuisse, quia existimabat lepram divortii

divortii causam esse, quod falsum esse probabimus infra *in cap. 3. de conjug. leprof.*

(f) *Quamvis falsa sit causa.*] *Cap. magnæ, de voto*, ubi dicemus.

3. (g) *In domo propria permanere.*] Nec tunc obstat textus *in cap. final. qui clerici, vel vov.* ubi proponitur, mulierem post desponsationem cujusdam Religiosi Sancti Augustini votum castitatis emisisse, eo adjecto tenore, ut in domo propria cum omni patrimonio remaneret; & cùm per biennium vitam monasticam servasset, postea matrimonium contraxit eo prætextu, quxd votum castitatis metu Regis & parentum emisisset. Consultus Innocentius III. decrevit, eam mulierem cogendam esse vitam religiosam peragere: Igitur quia per professionem in propria domo factam status religiosus amplectitur, & matrimonium contractum dirimitur. Nam respondendum est, quod in eo textu mulier, quæ professionem fecit, adhuc matrimonium non contraxerat, & ita rectè potuit votum castitatis emittere: at verò in præsenti textu matrimonium erat contractum, & ita sine consensu sponsi non poterat per votum castitatis dissolvi.

CAPUT XV.

Idem *Ruthensi* (a) *Episcopo.*

COnstitutus in præsentia nostra Hug. Vital. lator præsentium, humili nobis confessione monstravit, quod cùm esset in (b) acolytatus ordine constitutus, quandam puellam R. nomine in facie Ecclesiæ duxit in uxorem. Cumque aliquandiu cohabitassent insimul, & ipse eam carnaliter cognovisset, ortâ discordiâ inter eum, & amicos puellæ, coram te habito diligenti tractatu, prædicta puella fuit cuidam alii Vitali nomine copulata: & tu memoratum H. usque ad gradum sacerdotii ordinasti, & eidem Ecclesiam concessisti. Cùm autem eum sua conscientia remorderet, & de consilio quorundam religiosorum habitum (c) Cistercien. Ordinis assumpsisset, tandem Abbati suo omnia revelavit; qui eum commonuit diligenter, ut super hoc saluti suæ animæ provideret. Ideoque f. t. per A. s. m. quat. si res ita se habet, prædictam R. ut recedat à præfato Vitali, cui per adulterium est conjuncta, nec prædictum monachum impetat, quominus regulare votum valeat adimplere, per cens. eccl. subl. app. obst. cogere non omittas.

NOTÆ.

1. (a) *Ruthensi.*] In tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. legitur *Niclinen.* in hac verò sexta legitur *Rudenensi*; sed legendum esse *Ruthenensi*, jam notavit Manrique *tom. 3. annal. Cisterc. anno* 1210. *cap.* 8. *num.* 9. Rutheni enim sunt populi Galliæ Narbonensis, non longè ab Arvernis, & Sanctonibus, quorum meminerunt Cæsar *libro* 1. *de bello Gallico*, Strabo *libro* 4. Gregorius Turon. *lib.* 2. *hist. cap.* 36. & 37. Sidonius *lib.* 4. *epist.* 15. & *lib.* 7. *epist.* 6. Ruthena civitas habet Ecclesiam Cathedralem D. Stephano dicatam, cujus Præsuli Hugoni missâ est præsens decretalis, de quo agunt Fratres Sarmathani *tom.* 3. *Gall. Christ. fol.* 952. Chenu *in chron. Gall. fol.* 354.

(b) *Acolytatus.*] De quo gradu egi *in cap.* 2. *de offic. Archid.*

(c) *Ordinis Cistercienfis.*] In quo tamen monasterio non constat, quamvis esse videatur unum 2.
ex quatuor, quæ in diœcesi Ruthenensi Cistercium habet, nimirum Bonavallis, Locus Dei, Bellus-locus, & Bonacumba.

CAPUT XVI.

Idem *Episcopo* (a) *Patavien. & Abbati de Borun. Barderbergen. Patavien. diœc.*

VEniens ad præsentiam nostram dil. f. L. lator præsentium, nobis humiliter intimavit, quod cùm olim intrandi monasterium propositum concepisset, pluribus sacerdotibus, militibus, & aliis viris præsentibus apud uxorem suam precibus institit, ut super hoc suum impertiretur assensum, eisdem presbiteris primitus exoratis, ne præfatæ mulieri exponeretur, quod & ipsam oporteret derelinquere (b) seculum, si viro suo daret licentiam ad monasterium convolandi. Cumque ipsum mulier, ne ab ea discederet, vice mutuâ precaretur, ipse asserens, quod nisi ab ea possent super hoc obtinere licentiam, non solùm ei se inutilem redderet, sed etiam toti mundo: ipsa demùm tam ipsius, quàm multorum adstantium precibus, flectibusque devicta, caput ejus altari stipposuit (c) manu sua, qui ea præsente (d) tonsuratus ibidem, monasterium adiit, & finito probationis (e) tempore, professionem fecit solenniter mo-

nachalem. Illa verò in ſeculo remanens, inhoneſtos amatores admiſit; unde idem L. metuens ne ſuæ continentiæ illius incontinentia imputetur, an in monaſterio perſeverare debeat, à nobis conſilium poſtulavit. Quocirca mandamus, quat. ſi eſt ita, prædictum L. in monaſterio, quod intravit, abſque inquietatione cujuſquam perſeverare liberè permittatis. Licèt enim in hoc videatur non modicum deliquiſſe, quod (f) cautè aſſeruit, quia niſi ſibi eadem mulier conſentiret, tam ſibi, quàm toti mundo ſe inutilem redderet: & cùm presbyteros exoravit, ne prædictæ mulieri exponerent, quod eandem relinquere ſeculum oporteret, ſi fortè licentiam daret viro; ex quo tamen eadem mulier caput viri altari ſponte ſuppoſuit, & poſtmodum, ſicut aſſeritur, vixit incontinenter, ſuper revocatione ipſius non eſſet aliquatenus audienda, cùm ipſius intentio, ſi eundem fortè repeteret, exceptione poſſet commiſſæ fornicationis elidi, maxime cùm antequam fuerit fornicata, ipſum non duxerit repetendum.

NOTÆ.

1. (a) *Pataviensi.*] In tertia collectione, *ſub hoc titul. cap.* 3. legitur *Patavienſi*: at verò in hac ſexta legitur, *Pictavienſi*, nec ex textus ſerie cognoſci poteſt, utra littera verior ſit, immo epigraphe adeo corrupta eſt, ut nullo modo cognoſci poſſit, de quo monaſterio in præſenti agatur. De diœceſi Pictavienſi egi *in cap. ſuper* 20. *de reſcript.*

2. (b) *Derelinquere ſeculum.*] Quia juvenis erat, & ita non ſolùm votum caſtitatis emittere in ſeculo, verùm & ſimul religionem ingredi tenebatur, ut probavi ſuprà *in cap.* 1.

(c) *Manu ſua.*] Quaſi donans, ſeu offerens religioni, juxta tradita *in cap.* 2. *de conſuet.*

(d) *Tonſuratus.*] In formam monachi, juxta adducta *in cap.* 1. *de regul.*

3. (e) *Probationis tempore.*] Anno videlicet, juxta tradita *in cap. ad Apoſtol. de regul.*

(f) *Cautè.*] An profeſſio religionis emiſſa per captionem, ſeu dolum, valida ſit expoſui *in cap. ad noſtram, in fine, de regul.*

COMMENTARIUM.

4. IN his duabus Decretalibus exponitur caſus ille, in quo unus ex conjugibus adulterium commiſit; quo caſu certum eſt, profeſſionem in religione emitti poſſe ab innocente, invito eo, qui per adulterium cauſam divortio dedit, & culpâ ſuâ jus repetendi conjugem ad mutuam cohabitationem amiſit, ut in præſenti docetur, & probant Sanchez *de matrim. lib.* 10. *diſput.* 11. *num.* 2. & alii ſuprà laudati *in cap.* 3. *hoc tit.* Atque ideo adulterio conjuge ignorante, aut ſciente, ſimiliter profeſſio fieri poterit, *ex l. qui poteſt invitis* 26. *ff. de reg. jur.* quare nec illius conſenſus deſideratur, nec ut emittat caſtitatis votum, exigitur. Sanchez *ubi proximè* & *diſput.* 10. *num.* 5. Nec textus *in cap.* 1. *cap. cùm ſis* 4. *hoc titulo*, ubi conſenſus, & votum in remanente in ſeculo requiruntur, ad hunc caſum pertinent, ſed procedunt, quando matrimonium manet integrum, nullâ culpâ conjugum maculatum, ob quam divortium fieri debeat. Sanchez *dicto num.* 15. Quod ſi dubites, qualiter de infidelitate, aut adulterio debeat conſtare, ut propter eam cauſam liceat innocenti religionem profiteri, dicendum quod ad validitatem profeſſionis informiter ſatis eſt, ut hæc crimina admiſſa ſint, propter quæ ſeparatio matrimonii fiat quoad thorum; ſed in foro exteriori neceſſe eſt conſtare de crimine apoſtaſiæ, aut lata ſententia divortii, aut ea notorietate, quæ ſufficiat, ut liceat propriâ auctoritate divertere, nec aliter profeſſio juſtè emittitur, ut plenè explicat Sanchez *dicto lib.* 10. *diſput.* 11. 12. & 21. Hæc autem, quæ diximus in hoc quarto caſu, planè procedunt in conjuge innocente ad religionem tranſeunte; ſed in adultero, aut infideli aliud ſervandum eſt, quia ij ſi repeti poſſunt in matrimonium, non habent jus alios repetendi, quia cùm propter culpam eorum ſeparatio fiat, prodeſſe illis non debet, ut à matrimonii thoro liberentur, ſi innocens repetitionis jure uti maluit: ita Gloſſa *verbo Redire*, *in cap. ex litteris*, *de divortiis*; & alii, quos refert, & ſequitur Sanchez *dicto lib.* 10. *diſputat.* 10. *num.* 3. æquitati enim repugnat, adulterum infidelem ex delicto ſuo commodum conſequi, argumento legis *itaque* 12. *verſ. Sed furti. ff. de furtis.* Quæ ſententia ſine dubio admittenda eſt, quando res integra eſt, & ſtatus nullius conjugis eſt immutatus: at ſi res non ſit integra, multùm intereſt, an innocens religionem profiteatur, aut ſtatum incompatibilem cum matrimonio ſuſcipiat, veluti Ordines ſacros; & in hoc caſu adulter liberè poterit religionem profiteri, etiam irrequiſito conjuge: an verò ex parte innocentis nulla ſtatus mutatio interveniat, quo caſu adultero non licebit in præjudicium innocentis profiteri, niſi illo requiſito, aut non contradicente, ut contra Salicetum, & alios defendit Sanchez *dicta diſputat.* 10. *à numero* 12. Nec tunc obſtat textus *in cap. ex litteris* 5. *de divortiis*, ex quo colligitur, adulteram jus habere repetendi virum ad cohabitandum: ergo non licebit innocenti invita adulterâ religionem ingredi. Nam reſpondendum eſt, ideo in eo textu uxori adulteræ repetitionem concedi, quia vir ſimili adulterio matrimonium violavit; nam aliam duxit uxorem, & ita adulterium perpetravit: nam licèt per adulterium fiat ſeparatio, non tamen quoad vinculum conjugium diſſolvitur, *cap.* 1. & 2. *cap. placuit* 5. *cum ſequent.* 32. *q.* 7. *cap. gaudemus*, *in fine*, *de divort.* Trident. *ſeſſ.* 24. *de matrim. can.* 7. probavi latè *in can. Concil. Illiber.* Ubi autem uterque conjux adulterium commiſit, à jure divortii petendi uterque repellitur, amiſſâ mutui delicti compenſatione, *cap. penult.* & *ult. de adult.* Cùm enim civiliter mulier accuſatur de adulterio, causâ divortii, aut dotis lucrandæ, alterius adulterii mutua compenſatio admittitur, *l. viro* 39. *l. cùm mulier* 47. *ff. ſolut. matrim.* quod procedit etiamſi poſt divortium aliud adulterium ſequatur, *dicto. cap. ex litteris.* Quamvis ſi criminaliter agatur, compenſationi locus non ſit, nec poſſit mulier alio criminali

minali judicio experiri, *l.* 2. §. *ſi publico*, *l. ſi uxor* 13. §. *judex*, *ff. ad legem Juliam*, *de adulter.* unde cùm *in dicto cap. ex litteris*, etiam maritus adulterium perpetraſſet, non poterat ullus conjugibus alio invito religionem ingredi.

CAPUT XXVII.

(a) Idem.

ACcedens ad præſentiam noſtram I. mulier lachrymabiliter propoſuit coram nobis, quod cùm Vv. vir ejus (b) Elien. diœc. eam ſibi in legitimo matrimonio copulaſſet, & per xx. ferè annorum ſpatium eidem cohabitans, prolem ſuſcepiſſet ex ea, volens tandem idem vir habitum aſſumere monachalem, poſtulabat humiliter ab eadem, ut tam pio propoſito faveret ipſius: quæ propter multa verbera, & aliarum moleſtationum gravamina prædictus vir inferebat eidem, ſe ipſam aſſerens dimiſſurum, annuit votis ejus. Cùmque idem vir ad domum de (c) Vendon. Ciſtren. Ordinis accedens, ibi religionis habitum aſſumpſiſſet, mulier ipſa transferens ſe ad domum monialium, nullo ibi religionis habitu aſſumpto, vel voto emiſſo converſionis, permanſit ibidem, cui pro labore mánuum ſuarum eædem moniales vitæ neceſſaria miniſtrabant. Proceſſu verò temporis, cùm idem vir ad ſeculum rediens, religionis habitum reliquiſſet, & eadem mulier ſe inſtanter ab eo petere reaſſumi, ipſe illam recipere penitus contradicens, præter verba, quibus ſæpe affecit eandem, ſibi convitia plurima, & graves injurias irrogavit. Quocirca dil. v. per Ap. ſ. præc. m. quat. ſi res ita ſe habet, & dicta mulier illius ætatis exiſtit, ut de lapſu carnali illius meritò valeat dubitari, dictum virum ut eam recipiat, eique affectum exhibeat conjugalem, per cenſ. eccl. ap. rem. (d) cogatis.

NOTÆ.

1. (a) *Idem.*] Ita etiam legitur in quarta collectione, *ſub hoc tit. cap. unico*; nullibi tamen exprimitur cui reſcribat Innocentius, nec inter ejus epiſtolas editas à Sirleto, & Boſqueto reperitur textus hic.

2. (b) *Elienſi.*] Diœceſis eſt in Anglia, de qua egi *in capite poſtulaſti, de reſcriptis.*

(c) *Vendon.*] An legendum ſit *Vader*, ſive *Vender*, aut *Berutur*, non audet aſſerere Manrique *tom.* 2. *annal. Ciſterc. anno* 1148. *cap.* 16. *num.* 2. & *anno* 1150. *cap.* 11. *num.* 1. 3.

(d) *Cogatis.*] Quia conſenſus ab ea præſtitus nullus fuit, cùm ex gravi metu eſſet extortus, juxta tradita *in cap.* 1. *de his quæ vi.* 4.

CABUT. XVIII.

Honorius III. *Epiſcopo, Decano, & Theſaurario* (a) *Lingon.*

SIgnificavit nobis A. mulier, quod cùm ipſa R. militi viro ſuo coram Decano ſancti Quiriaci (b) Pruinenſis, vice bonæ memoriæ P. Archiepiſcopi (c) Senonenſis in hac parte fungente, licentiam conceſſerit Religionem intrandi, continentiæ tamen voto eidem injuncto, & recepta fide ab ipſa, quod (d) perpetuo contineret, idem Decanus poſt factam profeſſionem à milite antedicto in monaſterio, in quo habitum aſſumpſerat monachalem, aſſeruit ipſam debere religionem intrare, quamquam id primò non expreſſiſſet eidem, hoc expreſſo ipſa illi licentiam non dediſſet: ac eam ad hoc per venerabilem fratrem noſtrum Archiepiſcopum Senonen. fecit pluries commoneri, propter quod eadem de conſenſu dicti Archiepiſcopi noſtrum ſuper hoc conſilium imploravit. Quocirca mandamus, quatenus ſi eſt ita, & talis ætatis, qua ſuſpicio non poſſit haberi, ipſam votum continentiæ obſervantem intrare monaſterium compelli non permittatis.

NOTÆ.

1. (a) *Lingonienſi.*] Ita reſtituo inſcriptionem, & litteram hujus textus ex quinta compillatione Honorii III. cùm malè legatur in ſexta collectione, *Innocent. III.* De Lingonienſi Eccleſia nonnulla notavi *in cap.* 8. *de reſcript.*

(b) *Pruinenſis.*] Legendum eſſe *Pruvinenſis*, jam notavit Cironius *in præſenti*; quæ Eccleſia ſancti Quiriaci eſt Collegialis in diœceſi Senonenſi, ſub Decanatu Pruvinenſi.

(c) *Senonenſis.*] Petri de Corbolio, de quo egi *in cap.* 1. *de poſtul. Prælat.*

(d) *Perpetuò contineret.*] In domò propria, ſicut olim plures virgines, & viduæ caſtitatem profitebantur, ut probat Cironius hîc, & notavi 2.

in

in can... Concil. Illiber. In præsenti autem non agitur de ea professione, sed de continentia tantùm, quam conjux in seculo remanens vovere tenetur, si senex est; alioquin si juvenis sit, professionem emittere cogitur, juxta adducta *in cap.* 1. *hoc tit.* ex quo commentario præsens petendum est.

CAPUT XIX.

(a) Gregorius IX.

GAudeamus in Domino. *Et infrà*: Mulieres verò, quæ relicto maritali thoro, lapsu carnis ceciderunt, si mariti earum à te diligenter commoniti, eas ad frugem melioris vitæ conversas noluerint recipere propter Deum, in claustris cùm religiosis mulieribus studeas collocare, ut perpetuam (b) pœnitentiam ibi agant.

NOTÆ.

1. (a) *Gregorius IX.*] Ita legitur in hac sexta collectione; sed credo legendum esse, *Innocentius III. Tiberiad. Episcopo*, ut legitur *in cap. gaudemus, de divortiis: cap. gaudemus, qui filii sint legitimi*; ubi, ni fallor, extant aliæ partes hujus decretalis. Tiberias urbs est Galilææ, ab Herode condita, itaque appellata in honorem Tiberii: dicitur Tiberias lacus, teste Ptolomeo *lib. 5. cap. 16.* Habuit olim Ecclesiam Cathedralem, cujus Episcopus Joannes dictus subscripsit in Concilio Hierosol. ut refert Carolus à sancto Paulo *in Geograph. sacr. fol.* 316. & Prælato ecclesiastico præsentis causæ cognitionem commissam fuisse, jam notavit Germonius *lib. 1. animadvers. cap. 9.*

(b) *Ut perpetuam pœnitentiam.*] Non tamen 1.
ideo moniales efficiebantur, ut latè probavi *in cap. 1. de regul.*

CAPUT XX.

Idem *l. moniali monasterii de* (a) *Plauda.*

DUdum à C. laico motâ contra te (quam uxorem suam dicebat) materiâ quæstionis R. sanctæ M. in Cosmedin Diac. Cardin. dedimus auditorem. Coram quo dictus C. conquerendo proponens, quod indebitè recusabas eidem (cujus uxor eras per consensum de præsenti, & carnis copulam subsecutam) matrimonialiter adhærere, te sibi restitui postulavit. Ad quod fuit responsum, quod ipse pro animæ suæ remedio, pura, & spontanea voluntate, præsentibus duobus religiosis sacerdotibus, & adhibitis quinque testibus fide dignis, omni juri, quod in te habuerat, renunciavit omnino, resignando illud in manibus alterius ex sacerdotibus supradictis, qui in personam Ecclesiæ resignationem hujusmodi recipere procuravit: & quod idem C. se castitatem servaturum promisit, pauperumque Hospitalis de Ponte obsequio se devovit, promittens voto solenni omnia, & singula supradicta, & tribuens tibi licentiam ad monasterium transeundi: te versa vice similiter promittente, ac tribuente illi licentiam, & jus quodlibet resignante, sicut hæc omnia dicebantur per publicum instrumentum esse probata, manu B. notarii Aretinensis confectum. Verùm prænominatus C. proposuit, quod casu amisso instrumento præfato, illud in prima persona, quod priùs erat in tertia, insertis pluribus, in uno aliter quàm in alio, fuit ab ipso formatum; & cùm tibi iratus fuisset, sicut verba, & verbera indicabant, nondum calore (b) iracundiæ quiescente, quidam ipsum deceptoriè allexerunt, proponentes eidem, quod in Hospitali prædicto cibis ad libitum posset uti, ac proprium retinere; præfato B. sibi nihilominus promittente, quod non solùm ardorem, sed etiam appetitum libidinis extingueret in eodem: propter quod quicquid in hac parte feciisse dignoscitur, iratus, seductus pariter, & illectus, & sub spe promissionis, ac sub ea (c) conditione, vel modo, si posset continentiam observare, asseruit à se factum. Sed ad ista respondebatur econtrà, quod an tabellio in tertia persona instrumentum conficiat, vel in prima (dummodo non mutetur substantia veritatis,) nihil interesse videtur. Insuper quamvis aliquando spes memorato C. data fuisset, per quam ad hoc se proposuit inductum; eo tamen tempore, quo talia facta fuerunt, purè, simpliciter, ac voluntariè pro amore Dei, & remedio animæ suæ, solummodo ad votum, & ad alia supradicta noscitur processisse, propter quod à consortio secularium hominum debet discedere, vitamque mutare, cùm se illius ætatis esse proponat, ut sine suspicione incontinentiæ non valeat in seculo remanere. Nos itaque habito f. n. consilio, te ab

impeti

impetitione dicti C. ſententialiter duximus abſolvendam, perpetuum illi ſuper hoc ſilentium (d) imponentes.

NOTÆ.

1. (a) *Lauda.*] Forſan legendum eſt, *de Ploda*, quod eſt ditiſſimum cœnobium in Italia, juxta lacum Larij, ut refert Paulus Jovius *in deſcriptione ipſius lacus.*

2. (b) *Iracundiæ.*] Sed non extra mentem, aut judicio alienatus; quo caſu etiam votum tempore iracundiæ factum valet. Suarez *de religione tom. 2. lib. 1. de voto, capite 9.*

3. (c) *Conditione.*] Quæ ſi expreſſa eſſet, redderet actum conditionalem, ita ut ea deficiente, nullus eſſet, juxta tradita à Baſilio *lib. 3. de matrim. cap. 1.*

(d) *Imponentes.*] Cùm maritus conſenuit, caſtitatemque ſolenniter promiſerit, & obſequiis hoſpitalis ſe devoverit, juxta ſuprà tradita *in cap. 1.*

CAPUT FINALE.

(a) Idem.

MUlier, quæ in fide remanſit, poteſt nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo fuerat judicio Eccleſiæ ſeparata, ad religionem liberè convolare.

NOTÆ.

1. (a) *Idem.*] Gregorius IX. videlicet, qui præſentem conſtitutionem edidit motu proprio, abſque ulla relatione, ſeu conſulatione, cùm nulla Decretalis extaret in hoc titulo, quæ caſum adulterii ſpiritualis comprehenderet, in quo idem dicendum eſſe, ac de adulterio carnali, jam ſuprà notavimus *in cap. 3. De divortio* ob hæreſim infrà agemus *in cap. qnantò, de divortiis.*

TITULUS XXXIII.

De Converſione Infidelium.

CAPUT I.

(a) Cœleſtinus III.

LAUDABILEM, &c. *Et infrà*: Cæterum, quod interrogaſti de Sarracenis. qui dum in captivitate eſſent quarundam Chriſtianarum, viros earum (b) inſidiis, & machinationibus occiderunt, utrum quia poſtea per ipſas ad fidem chriſtianam converſi ſunt, eaſdem de jure accipere poſſint in uxores, vel ſi duxerint, ipſum conjugium teneat. Hic Tribuenſis (c) Concilii regulâ contenti ſumus, aſſerentis, quod ſi in mortem ipſorum virorum malitiosè fuerint machinatæ, licèt earum ſtudio ad eccleſiaſticam fidem acceſſerint; tamen nec eis adhærere debent, nec ſunt, ſi adhæſerint, tolerandi: non enim hîc diſpenſatio ſine periculo poſſet admitti, cùm tale damnum tali lucro Eccleſia compenſare non velit. Ad hæc Sarraceni quidam, qui in bello ſunt, Chriſtianos interfeciſſe notati; & chriſtiani ſimiliter Sarracenos, poſtea verò Sarraceni ad catholicam fidem à Gentilitatis errore converſi, uxores eorum, quos certamine bellico neci tradiderant, ſibi matrimonialiter copularunt, idipſum & Chriſtiani de Sarracenis mulieribus converſis ad fidem feciſſe noſcuntur; quæ tamen poſtquam priorum virorum morte compererunt veritatem, divortium inſtanter expoſcunt. Reſpondemus quoque in his, quod cùm nec Sarraceni, nec chriſtiani mortem alterutrorum procuraſſe noſcantur, matrimonium hujuſmodi inter prædictas perſonas licitè contrahi poteſt, & taliter copulati, cujuſcunque ſexus exiſtant, divortium poſt mortem conjugum poſtulare non poſſunt. Idem (d) ſi quidem juris erit in ſequenti caſu, quem proponere

ponere ſtuduiſti, cùm S. Chriſtiano viro propter odium uxoris Chriſtum negante, & ſibi copulante paganam, & ex ea filios procreante, Chriſtiana in opprobrium Jeſu Chriſti relicta eſt; tamen aſſenſu Archidiaconi ſui ad ſecundas nuptias convolavit, & filios ſuſcepit ex ipſis: non enim videtur nobis, quod ſi prior maritus redeat ad unitatem eccleſiaſticam, eadem à ſecundo debeat recedere, & reſignari priori; maximè cùm ab eo viſa fuerit Eccleſiæ judicio diſceſſiſſe; & teſte Gregorio, contumelia Creatoris ſolvat jus matrimonii circa eum, qui relinquitur odio fidei chriſtianæ. Quod autem mulier poſſit primo viro, qui ad fidem reverſus eſt, nolente, ad vitam monaſticam remeare; vel utrum ille reverſus ad eam, quam ritu Gentili ſibi conjunxit, & quæ propter eum ad fidem noſtram cum liberis ſuis eſt converſa, mortuâ primâ poſſit habere uxorem; & an filii ante converſionem geniti, obtentu nuptiarum, quæ poſt converſionem ritu eccleſiaſtico celebratæ fuerunt; & ſimiliter ſi filii illius, quæ de licentia Archidiaconi ſui marito priore vivente, ſed facto infideli, nupſit viro catholico, legitimi ſint habendi, tam regula, quàm doctrina Apoſtoli, quâ dicitur, Si infidelis diſcedit, diſcedat; non enim frater, aut ſoror ſubjectus eſt hujuſmodi ſervituti; quàm illud decretum memoratum Gregorij. Non eſt peccatum dimiſſo propter Deum, ſi alii ſe copulaverit; infidelis enim diſcedens, & in Deum peccat, & in matrimonium; & nihilominus, quod prædeceſſor noſter bon. mem. Alex. III. ita dixerit: Tanta eſt vis matrimonii, ut qui antea ſunt geniti, poſt contractum matrimonium legitimi habeantur: Nos in hujuſmodi dubitare non ſinit, quin in his, & liber aditus pateat ad religionem migrare volenti; & ille, qui ad fidem revertitur, eam, quæ converſa eſt ad fidem, defunctâ primâ ſibi licitè poſſit copulare: filii etiam in ſupradicto utroque caſu legitimi cenſeantur.

NOTÆ.

(a) *Coeleſtinus III.*] Ita etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit cap.* 2. & hanc inſcriptionem expoſui *in cap.* 1. *de except.*

(b) *Earum inſidiis.*] Unde impedimentum hoc eccleſiaſticum non infidelibus poſtea converſis, ſed fidelibus machinantibus in necem virorum impoſitum fuit; ſiquidem crimen, quod præceſſit Baptiſmum, non præſtat impedimentum matrimonio, aut ſacris Ordinibus, ut probavi *in cap.* 3. *de bigam. non ordin.* unde ſi ambo conjuges in præſenti ſpecie eſſent infideles, & poſtea baptizarentur, rectè poſſent contrahere matrimonium, ut docent Baſilius *lib.* 7. *de matrim. cap.* 45. *num. fin.*

(c) *Triburienſis.*] Relati *in cap. ſi quis vivente, 31. q.* 1.

2. (d) *Idem ſiquidem juris.*] Verba quæ ſequuntur, omiſit Raymundus, & rectè, cùm adeo gravis eorum difficultas ſit, ut Alfonſus à Caſtro *lib.* 1. *de hæretic. punit. cap.* 4. affirmarit, Cœleſtinum in præſenti non poſſe ab hæreſi excuſari, eo quod ſenſerit matrimonium diſſolvi inter fideles, ſi alter conjugum labatur in hæreſim, contra id, quod docet Innocentius *in cap. ex parte* 14. *de converſ. conjug.* Sed adhuc dicendum eſt, Cœleſtinum in præſenti loquutum fuiſſe juxta ſui temporis ſententias, quæ variæ erant circa divortium ob hæreſim faciendum: unde dum Innocentius III. *in cap. quantò, de divort.* ſtatuit ob hæreſim non ſolvi matrimonium, ait: *Licèt quidam prædeceſſor noſter aliter præſenſiſſe videatur.* Quæ verba exaudienda ſunt de Cœleſtino III. Unde conſtat, temporibus Cœleſtini doctrinam hanc ſub opinionibus adhuc fuiſſe, ut notavit Cæſar *de Eccleſ. hierarch. diſput.* 1. *q.* 1. §. 4. *num.* 11. qui cum integram hujus textus non perlegiſſet, dubitavit an Cœleſtinus III. aſſeruiſſet, quod Caſtro referebat.

Commentarium hujus textus dabimus infrà, *tit. de eo qui duxit in matrim. quam priùs pollut.*

CAPUT II.

Gregorius IX. (a) *Argentinenſi Epiſcopo.*

EX litteris tuis accepimus, quod quidam de Judaicæ cœcitatis errore ad Chriſtum verum lumen adductus, uxore ſuâ in Judaiſmo (b) relictâ, in judicio poſtulavit inſtanter, ut eorum filius quadriennis aſſignaretur eidem, ad fidem catholicam, quam ipſe ſuſceperat, (c) perducendus. Ad hoc illa reſpondit, quod cùm puer adhuc infans exiſtat, præter quod magis (d) materno indigeret ſolatio, quàm paterno, ſibique ante partum onerosus, (d) doloroſus in partu, poſt partum laborioſus fuiſſe noſcatur, ac ex hoc legitima conjunctio maris, & fœminæ magis (f) matrimonium, quàm patrimonium nuncupetur, dictus puer apud eam debet convenientiùs remanere. *Et infrà:* Cùm autem filius in patris poteſtate conſiſtat, cujus (g) ſequitur familiam, & non matris, & in ætate tali quis non debet apud eas remanere perſonas, de quibus poſſit eſſe ſuſpicio, quod ſaluti, vel vitæ inſidientur (h) illius; & pueri poſt triennium apud patrem non

non ſuſpectum ali (i)debeant, & morari, materque pueri, ſi eum remanere contingeret apud eam, poſſet illum adducere ad infidelitatis errorem, in favorem maxime fidei chriſtianæ reſpondemus, patri eundem puerum aſſignandum.

NOTÆ.

1. (a) *Regentin.*) Argentina, ſive Argentoratum, Argentuaria olim dicta, nobilis civitas eſt Germaniæ, Alſaciæ gemma, & anima: ejus meminerunt Ptolomeus, D. Hieronymus, & Ammianus Marcellinus: Epiſcopatus inſignis eſt, & nobiliſſimus totius Germaniæ prædicatur: Canonicos omnes Principes habet, ſive Comites, & Barones, inter quos recipi non poſſunt, niſi generi convenientes, ſummæque nobilitatis cenſeantur. Templum ſummum, ſive cathedrale opus, verè regium, dignumque ſumma admiratione. Habuit Argentina primum divini verbi ſatorem ſanctum Maternum D. Petri diſcipulum, ac deinde Epiſcopos verbo, & opere potentes, ut ſanctos Amandum, Arbogaſtum, Florentium, Arſoaldum, Juſtum, Maximum, ut refert plura de ipſa nobili urbe adducens Bucelinus *tom. 3. German. ſacræ, fol. 55.* Bertoldo Duci Theonis, ejusque Præſuli miſſa eſt præſens deciſio.

2. (b) *In Judaiſmo relicta.*] Quo caſu matrimonium diſſolvatur, notavi *in can. Concil. Illib.* & latiùs dicam *in cap. quantò, de divort.*

(c) *Perducendus.*] Juſta, pia, & ſalubris petitio: intendebat pater, ut ſibi filius traderetur erudiendus, atque catholica in religione inſtruendus, probisque ac chriſtianis moribus imbuendus, agnoſcens facilè filium ad ipſam perfidiam Judaicam, moresque Judæorum reverſurum, juxta illud D. Gregorii *homil. 20. In his omnibus patrum ſuorum carnalium vias ſequuntur, quaſi venenati, filii de venenatis parentibus nati.* Prudentius *lib. 1. contra Symmachum.*

Ut ſemel obſedit Gentilia pectora patrum
Vana ſuperſtitio, non interrupta cucurrit.
Ætatum per mille gradus tener horruit hæres,
Et coluit quidquid ſibimet venerabile cani
Monſtrarunt Atavi, puerorum infantia prima
Errorem cum lacte bibit.

Inde noſcitur magna præſumptio contra deſcendentes ex Judæis, ut probant Simanchas *de cathol. tit. 50. num. 11.* Solorzanus *tom. 1. de jure Indiarum lib. 1. cap. 8. num. 13.* Carenas *de offic. Inquiſit. p. 3. tit. 3. §. 5.* Tranſmira *de oblig. rebel. hæret. q. 4. cap. 9. num. 5.* Itidem quantùm recta educatio in puerili ætate ad virtutem ſervandam, animumque rectè inſtruendum faciat: *Educatio* (inquit Seneca *lib. 2. de ira*) *maximam diligentiam, plurimumque profuturam deſiderat: facile eſt teneros adhuc annos componere, difficulter reſcinduntur vitia, quæ nobiſcum creverunt.* Idem de conſolatione *ad Helviam, cap. 16.* & *Epiſt. 94. Altiùs præcepta deſcendunt, quæ teneris imprimuntur ætatibus; ſi præcepta nihil adjuvarent, omnis inſtitutio tollenda eſt; ipsâ naturâ contenti eſſe debemus. Erras, ſi exiſtimas nobiſcum vitia naſci, ſuperveneruntingeſta ſunt.* Et Ariſtoteles *lib. 2. Oeconom.* latè docet, liberos rectè educatos à parentibus, per ſanctos, & juſtos mores, bonos merito evaſuros. Et Plutarchus poſtquam ſpeciali libro de educatione liberorum diſſerit, in vita Themiſtoclis ait: *Themiſtocles, quoniam adoleſcens ferociſ, mutabilique ingenio videbatur, mirantibus multatos mores dicere ſolebat, aſperos, & indomitos pullos in bonos equos evadere, ſi quis illis adhibeat diſciplinam rectamque inſtitutionem.* Quare in ſanctis literis, & à Sanctis Patribus ſæpe ſæpius admonentur patres circa educationem filiorum, ut *in cap. 23. Proverb.* ibi: *Ne ſubtrahas puero caſtigationem: cùm percuſſeris eum virgâ, non morietur; tu virgâ percuties, cùm & animam ejus à ſepulchro eripies.* Et iterùm cap. 12. ibi: *Adoleſcens juxta viam ſuam etiam cùm ſenuerit non recedet ab ea.* Et *Eccleſ. cap. 7. verſ. 21. Filii tibi ſunt, erudi illos, & curva illos a pueritia illorum: curva cervicem ejus in juventute, & tunde latera ejus, dum infans eſt, ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ: doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.* Et D. Hieronymus *in epiſt. ad Salvianum* ait: *Non eſt parvi apud eum meriti filios bene educare, difficulter eraditur quod nudi animi perbiberunt; lanarum conchilia quis in priſtinum candorem revocet.* Et D. Cyprianus *lib. 2. epiſt. 1.* ait: *Quod ſemel imbibimus, difficulter deponimus, nec propoſitum noſtrum facilè mutatur.* Et D. Bernardus *epiſt. 113.* inquit: *O quàm compoſitum reddit omnem corporis ſtatum, nec non & mentis habitum diſciplina! cervicem ſubmittit, ponit ſupercilium, componit vultum, ligat oculos, moderatur linguam, frænat gulam, ſedat iram, format inceſſum.* Plura cumulant pro educatione liberorum Cardinalis Sadolet. *in lib. de educat.* Schoenborn. *lib. 1. polit cap. 8.* Solorzanus *tom. 1. de jure Indiarum, cap. 26. ex num. 63.* & *embl. 25.* & *lib. 2. polit. cap. 17. ad finem*, Creſolius *lib. 2. myſtag. cap. 3.* Valenzuela *conſil. 36.* Cupiebat ergo pater in præſenti ſpecie probis moribus, & in tecta diſciplina filios erudire, ut ſacris canonibus cavetur. Concilium Tolet. 17. *can. 8.* ubi Loayſas *cap. 1. 30. diſt.* Concilium Carthag. 3. *can. 14.* ibi: *Epiſcopi, & clerici filios ſuos non emancipent, niſi moribus, & ætati eorum conſuluerint, ut peccatis eorum non ipſi graventur.* Concilium Arelat. ſuo Carolo *can. 19.* [Ut parentes filios ſuos, & patrini eos, quos de fonte lavacri ſuſcipiunt, erudire ſummopere ſtudeant: illi quia eos genuerunt, & eis à Domino dati ſunt; iſti quia pro eis fidejuſſores exiſtunt.] Pariſienſe ſub Ludovico *lib. 3. cap. 25.* refert Antonius Auguſtinus *in epit. jur. lib. 10. tit. 18.*

3. (d) *Materno ſolatio.*] Nam filius per triennium ablactandus eſt à matre, quod adeo æquum viſum fuit Diocletiano & Maximiano, ut non aliter matrem de filii alimentis adversùs patrem audiendam reſcripſerint, quàm ſi priori vitæ triennio filium ablactaverint, & reliqua educationis officia exhibuerint, *l. nec filium, C. de patria poteſt.* Conſonant lex 3. *tit. 8. lib. 3. fori*, lex 3. *tit. 19. p. 4.* & triennium lactationis legitimum tempus fuiſſe apud omnes ferè nationes. probant Nicolaus de Lira *in lit. 1. Regum, cap. 1.* & ibidem Hugo Cardinalis, & Dionyſius, & *in cap. 21. Geneſis, verſ. 8.* Abulenſ. Cajet. Lippomanus, Serarius, & Sanchez *in lib. 2. Machab. cap. 7.* Gaſpar Sanchez *in lib. 2. Regum, cap. 1. num. 68.* Mendoza *in lib... Regum, cap. 1. verſ. 22.* Franc. Valeſius *de ſacra philoſoph. cap. 83* qui alle-

gat Gallenum *de tuend. valet.* aliquosque antiquos Medicos. Cùm autem triennium hoc desideramus, intelligimus duos annos completos, & tertium inchoatum, eo quod ex Patribus Gregorius Nicomed. Archiepiscopus *serm. de oblat. Virgin. in templ.* Cedrenus *in compend. histor.* Nicephorus *lib.* 1. *hist. c.* 7. affirmant Deiparam Mariam, quæ simul ac depulsa est à mammis, templo præsentata est, tertium nondum absolvisse annum ætatis: ex eis refert P. Sherlogus *tom.* 3. *in Cantica, vestig.* 36. *cap.* 8. *fol.* 534. & per illud triennium matres ipsas lacte nutrire debere liberos, non aliis nutriendos tradere, constat ex Tacito *de moribus German. cap.* 20. ibi: [Sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis, aut nutricibus delegatur.] Favorinus *apud Gellium lib.* 12. *cap.* 1. imperfectum, ac dimidiatum matris genus vocat peperisse, ac statim ab se abjecisse, nec aluisse. Illustrat Arnisæus *lib.* 1. *de Repub. cap.* 4. *sect.* 4. *num.* 15. & probant latè Tiraq. *de nobilit. cap.* 20. *num.* 80. Bernegerus *ad Tacitum q.* 115. Acuña *in cap. ad ejus* 5. *dist.* quare matrem saltem venialiter peccare, quæ proprio lactè filium non nutrit, nisi adsit justa causa, resolvunt Covar. *de sponsal.* 2. *p. cap.* 8. §. 6. *num.* 13. Rebuffus *ad ll. Gallicæ*, 3. *p. in præfat. tit. de consuet. num.* 47. unde Anna illa sanctissima Helcanæ uxor Samuelem filium propriis uberibus aluit, ut videre licet *ex lib.* 1. *Regum, cap.* 1. *vers.* 23. ubi plura congessit Mendosa *num.* 3. unà enim cum lacte morbos, & mores imbibere infantes solent. Hinc per nutricem ebriosam & ipse Tiberius ebriosus factus est, & Caligula omnium ferè, quos sol aspexit, pessimus tyrannidem suam, maleque compositos mores non ex parentibus, sed nutrice improba suxit: aliis exemplis illustrat Bernegerus *ad Tacitum, dicta quæst.* 115. & plures congessit Valeron. *de transact. tit.* 3. *q.* 1. ubi varia cumulavit de educatione filiorum, & pupillorum.

4. (e) *Doloroſus in partu.*] Consonat Justinianus *in l. assiduis, C. qui potiores*, ibi: *Quis enim earum non misereatur propter obsequia, quæ maritis præstant, propter partus periculum, & ipsam liberorum procreationem.* Nonius Marcel. ibi: *Enixæ dicuntur fœminæ intendi, hoc est conandi, & dolendi labore perfunctæ, vel quòd quibusdam periculis, quibus implicarentur, fuerint exsolutæ.* Quintilian. *declamat.* 338. ibi: *Alia est horum ratio, quos brevis transitus voluptatis fecit parentes; aliter amat, quæ peperit, quæ memoriam decem mensium, quæ tot periculorum, tot solicitudinum recordationes ad vos judices affert.* Sidonius Apollin. *lib.* 4. *epist.* 21. ibi: *Ut quidem Princeps in genere monstrando partis paternæ prærogativa; sed tamen multum est, quod debemus & matribus: pondera illorum, istorum somnia sumus.* Quem Sidonii locum Avitus *lib.* 6. *cap.* 8. ita expressit:

Semina quæ patris fuerunt, hæc pondera matris
Insligunt duros utero turgente dolores.

5. (f) *Matrimonium.*] Et quamvis pater matre sit præstantior sexu, & dignitate, *l. in multis, ff. de statu homin.* tamen hæc conjunctio non dicitur patrimonium, sed matrimonium; quod ex eo factum esse docet D. Augustinus *lib.* 19. *contra Faustum*, quòd non ob aliud debeat fœmina nubere, quàm ut mater fiat; unde proprium munus mulieris dicitur parere, quia ad hoc natura eam progenuerit, ut fœtus ederet, *l.* 2. *Cod. de indict. viduit.* & Ulpianus maximum, & præcipuum munus esse fœminarum respondit concipere, & tueri conceptum, *l. quæritur* 14. §. 1. *ff. de ædilit. edict.* ideoque Romani testabantur, dum matrimonium contrahebant, quærendorum liberorum causâ illud contrahere, ut colligitur *ex l. liberorum* 220. *vers. Præter, ff. de verb. sign. l. si vicinus* 9. *C. de nupt.* Ulpianus *in fragm. tit.* 3. *vers. liberis.* Illustrant Franciscus Hothomanus *de ritu nupt. cap.* 3. Cannanus *lib.* 8. *comment. cap.* 3. *in fine*, Covar. *in* 4. 2. *p. cap.* 1. *num.* 1. Petrus Gregorius *lib.* 9. *syntag. cap.* 1. *à num.* 2. & *lib.* 1. *partit. tit.* 12. *cap.* 2. Fornerius *lib.* 3. *rerum quotid. cap.* 29. Faber in Papin. *tit.* 9. *princ.* 2. *illat.* 5. Nec dissimili ex causa antiqui bona patrimonium appellarunt, quòd scilicet patrum munus præcipuè versaretur in quærendis, & parandis opibus, juxta illud Horatii *in arte poet.*

Conversis studiis ætas, animusque virilis
Quærit opes, & amicitias, inservit honori;
Commisisse cavet, quod mox mutare laboret.

Ob robur majus sexui concessum, & quia cum minori sexus, & pudicitiæ periculo inter homines conversentur, & negotiari facilius possint; nam ut ait Ovidius *epist.* 18.

Ut corpus tenerum sic mens infirma puellis;
Fortius ingenium suspicor esse viris,

Unde etsi major pars bonorum à matre obveniat, nihilominus totum patrimonium appellatur, *l.* 3. §. *bonorum, ff. de bonor. possess. l. si quis stipulatus* 112. *in fin. ff. de verb. oblig. princip. Instit. de rerum divis.* notavit Fornerius *lib.* 1. *rerum quotid. cap.* 18.

6. (g) *Cujus sequitur familiam.*] Filios enim esse in patris, non matris potestate, notum est, *l.* 3. & 4. *ff. de his qui sunt sui, vel alieni, l. illud* 4. §. *ad test. ff. de bonor. possess. contra tab. l. nulla; ff. de suis & legit. l.* 38. *in princip. ff. de furtis.* §. *fœminæ, Instit. de adopt.* Faber *in Iurisprud. tit. l.* 8. *princip.* 4. *illat.* 10. Balduinus *ad ll. Romuli, cap.* 17. Connanus *lib.* 2. *comment. cap.* 13. Revardus *ad ll.* 12. *Tabul. cap.* 3. & patris familiam sequuntur, §. *itaque, Instit. de legit. agnat. success. l. cùm legitimæ, ff. de stat. homin.* cujus etiam sequitur orginem, *l.* 3. *C. de mancip. & orig.* & illius gentilitia induuntur, *l. nomen, ff. de manumiss. testam. l. fœminæ, ff. de Senator. l.* 1. *C. de dignit. lib.* 12. *l.* 101. *C. Theodos. de Decur.* licèt quoad statum, & conditionem filius matrem sequatur, ut latè probavi *in cap. final. de servis non ordin.*

7. (h) *Insidientur illis.*] Supponit Pontifex, quod Ulpianus docuit *in l. si disceptatur, ff. ubi pupillus*, ibi: *In causæ cognitione vitandi sunt, qui pudicitiæ impuberis possunt insidiari.* Præcipuè cùm facilè parentum, immò & domesticorum mores in filios transeant, juxta illud Juvenalis *satyr.* 14. *Si natura juvet, velocius, & citiùs nos corrumpunt vitiorum exempla domestica.* Plinii *in Panegyr. Non tam imperio illi opus est, quàm exemplo.* Unde ajebat Poëta:

Ut viret in foliis haustus radicibus humor,
Ita patrum in filios abeunt cum semine mores.

D. Hieronymus *epist.* 15. *ad Lætam*, ait: *Nihil in te videat filia, quod si fecerit, peccet: mementote vos parentes virginis; eam magis exemplis doceri posse, quàm voce.* Juvenalis *satyr.* 14. ibi:

Nihil dictu ferum, visuque hæc limina tangant,
Intra quæ puer est; procul hinc, procul inde puellæ.

Notavi *in can. Concil. Illiber.* Mortuo autem pa-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tre, & matre ad ſecundas nuptias tranſeunte, apud quem debeant filii defuncti educari, ad praxim exponunt Leon *tom.* 2. *deciſ.* 201. Cabedo *tom.* 1. *deciſ.* 99. Valenzuela *conſil.* 36.

8. (i) *Ali debeant.*]Sicut in animalibus filiorum educationem, & eos alendi neceſſitatem inſtinctus, ſeu impulſus naturalis indixit; ita ſimiliter in parentibus obligationem alendi liberos ex naturali jure provenire certum eſt, *l.* 1. §. *jus naturale*, *ff. de juſtit. & jure*, *l. ſi quis à liberis* 5. §. *parens*, *ff. de agnoſc. liber. l.* 3. & 4. *ff. de alend. liber. l. vnic.* §. *taceat*, *C. de rei uxor. l. non ſolùm* 8. §. *ipſum*, *C. de bonis quæ lib. cap. jus naturale*, 1. *diſt. l.* 2. *tit.* 1. *p.* 1. latè probat Fortunius Garcia *in dicta l.* 1. §. *jus naturale*, Petrus Faber *lib.* 2. *ſemeſtr. cap.* 1. Valentia *tom.* 3. *tract.* 3. *de liberis & poſth. cap.* 1. dicemus *in cap. cùm haberet*, *de eo qui duxit.*

COMMENTARIUM.

9. REgulariter olim facto divortio, apud patrem morari, & educari liberi ſolebant, tum propter jus patriæ poteſtatis, tum ut ab eo alerentur; & ſi uxoris causâ divortium interceſſiſſet, maritus propter ſingulos liberos ex matrimonio ſcilicet communiter ſuſceptos, totidem ſextas partes dotis retinere poterat, non tamen plus quàm tres ſextas patres, id eſt unam ultra dimidiam partem dotis. Ulpianus *in fragm. tit.* 6. Paulus *lib.* 2. *ſent. tit. de dot. l. unic. C. de rei uxor. action.* Cicero *in Topicis*, ibi: *Si viri culpâ factum eſt divortium, etſi mulier nuntium remiſit, tamen pro liberis manere nihil oportet.* Ubi Boëtius. Illuſtrant Revardus *lib.* 4. *var. cap.* 13. Pichardus *in* §. *fuerat*, *num.* 70. *inſtit. de act.* Cujacius *ad Ulpianum*, *in dicto tit.* 6. Grotius *in floribus*, *ad tit. de divortiis*, Briſſonius *lib.* 5. *de formulis.* Petrus Barboſa *in l. poſt dotem* 40. *num.* 5. *ff. ſolut. matrim.* & differentias inter hanc retentionem, & alias ob res amotas, & ob mores, eruditè, ut ſolet, explicat eruditiſſimus Ramos *in ſchediaſm. ad leg. vinic.* §. *taceat*, *C. de rei uxor. act.* nec matri relinquebantur filii, niſi minores, cùm adhuc ſub mamma eſſent, *l. penult.* junctâ Gloſsâ ibi, *Cod. de patria poteſt.* Senſim poſtea inolevit, ut pro ſexu diviſio fieret, ut patri mares, matri fœminæ traderentur: ex juſtis tamen cauſis, veluti ob ſuſpectos patris mores, utriusque ſexus liberi, quantumvis exuberes, ſoli matri tradebantur ſine diminutione patriæ poteſtatis, *l.* 1. §. *ſi verum*, *l.* 3. §. *etiamſi*, *ff. de liber. exhib.* Poſtea Imperatores Dioclet. & Maxim. *in l. unic. C. divortio facto*, totum hoc negotium arbitrio judicis commiſere, qui æſtimare debet, quid utilius, commodiusque ſit liberis. Imperator Juſtin. *in authent. ſequenti*, poſt dictam legem unicam, hanc quæſtionem paulò exactiùs decidit, dum disponit, ut ſi patris culpâ divortium ſequutum ſit, & mater ad ſecundas nuptias non transierit, liberi apud eam educari debent impenſis patris: ſi verò culpâ matris ſolutum ſit matrimonium, apud patrem nutriantur impenſis matris locupletis: quam conſtitutionem explicant Cujacius, & Richierius ibi. Unde inſpectâ eâ conſtitutione, etiam ſecluſo fidei favore, in præſenti ſpecie filius educandus erat penes patrem; nam cùm ob culpam mulieris, quæ noluit converti ad fidem catholicam ſimul cum marito, ſequutum eſſet divortium, etiam quoad vinculum, ex notatis *in can. Concilii Illib.* & traditis *in cap.* 4. *de divort.* ideo penes patrem filius educandus, & alendus erat. Huic rationi juris aliam adjunxit Gregorius in præſenti, deductam ex fidei favore, cujus intuitu etiam in Concilio Tolet. 17. *can.* 8. relato *in cap. Judæorum* 28. *q.* 1. jubetur ut ab infidelibus ſervis Chriſtianorum filii auferantur, ne eorum perfidiæ involvantur, ibi: *Judæorum filios, vel filias, ne parentum ultra involvantur erroribus, ab eorum conſortio ſeparari decernimus.* Notavit Sahabedra *in chron. Goth. cap.* 19. proſequuntur Vazquez *tom.* 2. *in* 3. *p. diſput.* 155. *cap.* 4. Simanchas *de cathol. cap.* 29. Diana *p.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 12. Narbona *de ætate*, *anno* 7. *q.* 10. Quid obſervetur facto divortio ex alia cauſa, veluti lævitiæ, exponit Valenzuela *conſil.* 41.

TITULUS XXXIV.

De Voto & Voti Redemptione.

CAPUT I.

Alex. III. *Exon.* (a) *Epiſcopo.*

DE (b) peregrinationis quoque votis, an eleemoſynis redimi poſſint, vel aliud pro neceſſitate impleri, tibi reſpondemus, quod ab ejus, qui præſidet, dependet arbitrio, ut conſideret diligentias, & attendat qualitatem perſonæ, & cauſam commutationis, ſcilicet, an id ex infirmitate, ſeu affluentia divitiarum contingat; utrum peregrinatio, an recompenſatio melior fuerit, & Deo magis accepta; & ſecundùm hoc debet inde dispenſare.

NOTÆ.

1. (a) *Exonien.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & post Concilium Lateran. *p.* 35. *cap.* 3. ubi additur, *pars capitis Meminimus*, forsan quia refertur in præsenti pars textus *in cap. meminimus, qui clerici vel vov.* De Exoniensi diœcesi plura adduxi *in cap.* 6. *de filiis presbyt.*

2. (b) *Peregrinationis.*] Ad loca videlicet sacra, nec non reliquias Martyrum; omni enim tempore in Ecclesia usitatas invenio fidelium peregrinationes ad loca sacra, & sanctorum reliquias, inter quas præcipua fuit Hierosolymitana, quam valde commendat D. Hieronymus *epist.* 27. *ad Eustachium*, ibi: *Cujus enim gentis homines ad sancta loca non conveniunt?* Et magini fecit *in epist.* 19. *ad Paulum*, adducto D. Pauli exemplo, qui illuc sepulchri Dominici visendi causâ concessit, ut patet *ex epist.* 2. *ad Galatas*, & *cap.* 30. *Actuum Apostol.* Celebris etiam fuit peregrinatio ad limina Apostolorum, atque illuc ex omnibus provinciis concursum fieri, refert Nicolaus I. *epist.* 2. *ad Michaëlem Imperatorem*: & omni tempore celeberrima fuit peregrinatio Compostel. ad corpus D. Jacobi, de qua agitur *in cap. proposuit* 4. *de consecr. Eccles.* & in Gallia frequenter fiebant peregrinationes ad Ecclesiam sancti Martini Turonensis, & sancti Saturnini Tolosæ, ut constat ex Concilio Cabilon. sub Carolo *can.* 44. & 45. Plura de his peregrinationibus ad Martyrum reliquias congessit Ferrandus *in disquisit. reliq. lib.* 2. *cap.* 3. *art.* 6. *per totum.* Et de his peregrinis accipiendus est Fridericus *in constit. relata in cap.* 1. *de testam. in* 5. *compilat.* juncto ibi Cironio. Confluebant enim Christiani ad Sanctorum reliquias, velut ad oraculum, & controversiarum, & criminum detegendorum causâ, ut de templo B. Felicis narrat D. Augustinus *epist.* 137. ibi: *Elegi aliquid medium, ut certo placito se ambo constringerent ad locum sanctum se peregrinaturos. Multis notissima est sanctitas loci, ubi B. Felicis Nolensis corpus conditum est, quò volui ut pergerent, quia inde nobis fidelius scribi potest quicquid in eorum aliquem divinitus fuerit propalatum.* Sic etiam Eusebius *lib* 6. D. Hieronymus *de script. in Alex.* testantur, sanctum Alexandrum peregrinatum esse Hierosolymam ad videnda loca sancta. Alia de his peregrinationibus cumularunt Grethserus *lib.* 1. *de peregrinat. ex cap.* 2. *usque ad* 12. Theophilus *tom.* 15. *in Heterol. punct.* 9. *in principio.*

COMMENTARIUM.

3. *Conclusio deducitur & probatur.*

EX hac Alexandri decisione sequens deducitur assertio: *Voto possunt eleemosynis redimi, vel in aliud commutari; superioris intercedente auctoritate.* Probant eam textus. *in cap.* 1. 20. *q.* 3. *cap. magnæ, hoc tit.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa, & Garania Mondosius *tit. de* Bolboa *in cap. pervenit* 3. *de jurejur.* Diana *p.* 2. *tract.* 2. *resol.* 7. & 8. Lessius *lib.* 2. *de justitia, cap.* 4. *num.* 10. Layman *lib.* 4. *Theolog. Moral. tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 12. Escobar *de utroque foro artic.* 5. §. 18. *num.* 180. Manrique *de different. utriusque fori, cap.* 163. *num.* 21. Candidus 2. *tom. disquisit.* 25. *artic.* 1. *dub.* 6. *cap.* 8. Sanchez *in select. cap.* 14. *num.* 3. Castropalao *tom.* 3. *disput.* 3. *de voto*, Trullench. *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 3.

4. Sed hæc assertio difficilis valde redditur sequenti consideratione. Vel voti commutatio fit in rem evidenter meliorem, vel in æqualem, aut deteriorem: si fiat in meliorem, necessaria non est superioris auctoritas, *cap. pervenit* 3. *de jurejur.* si in aliud æquale cummutetur, id est ejusdem virtutis, & bonitatis, comutatio fieri non potest, quia aliud pro alio invito creditore solvi non valet, *l. mutuum*, §. *mutui*, *ff. de rebus creditis*, *l. si se*, §. *ait Prætor*, *ff. de re judic. l. item liberatur*, §. *qui paratus*, *ff. quibus modis pignus*, *l. promissor*, §. *final. ff. de constit. pecun.* Ergo si in deterius, aut minus commutetur, omnino talis commutatio improbatur, præcipuè cùm commutatio voti sit quædam novatio; per novationem autem non tollitur prima obligatio, quando secunda continet minùs quàm prior, *l. qui usumfructum*, *ff. de verb. oblig. l. si pupillus*, §. *qui autem*, *ff. de novat.* ubi Bartolus rectè id extendit, ut etsi interveniat nova persona, nihilominus non detur novatio, quando secunda stipulatio continet minus quàm prima: celebris textus *in l. eum qui*, §. *penult. ff. de verb. oblig.* igitur neutro ex his casibus defendi potest præsens assertio. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo; nam quælibet voti obligatio adimpleri debet in specifica forma, *cap. licèt*; *hoc tit.* ibi: *Solutio necessaria est*, ut contingit in juramento, in quo si quis juraverit solvere, non adimplet juramentum debitum compensando, quia per æquipollens non rectè adimpletur promissio Deo facta: igitur votum commutatione factâ, non per æquipollens, sed in specifica forma est adimplendum. Trullench. dubitatio.

5. Quâ difficultate non obstante vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, votum diversimodè accipi: aliquando pro voluntate sumitur, juxta illud Poëtæ: Primum.

Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Nonnunquam pro desiderio, unde vulgò dicimus, rem alicui pro voto evenisse, id est pro desiderio: quo modo accipitur *Psalmo* 49. ibi: *Immola Deo sacrificium laudis & redde altissimo vota tua*, id est desideria. Unde preces ipsæ, quibus desiderium nostrum explicamus, vota dicuntur, quo modo verba illa canonis Missæ, *vel qui tibi offerunt vota sua*, exponit Menardus *in notis ad Sacram. D. Gregorii, fol.* 14. Inde desiderium parentum, ut filii illis succedant, votum dicitur *in l. nam & si*, *ff. de inoffic. testam. l. unic. C. de his qui ante apertas.* Accipitur etiam pro voce, & suffragio, *in cap.* 1. *de elect. in* 6. in præsenti autem titulo accipitur votum pro promissione Deo facta, ad differentiam promissionis hominibus factæ, quæ dicitur stipulatio, vel pollicitatio, *l.* 1. *ff. de pollicit.* at verò quæ Deo fit, votum nuncupatur, *cap.* 23. *Deuteron. Proverb. cap.* 30. *l.* 2. *ff. di pollicit.* notavit Galbanus *de usufructu cap.* 5. Votum ita acceptum Cicero dixit esse sponsionem, quâ Deo obligamur; Theologi autem Moralistæ votum ita diffiniunt: *Votum est spontanea, & deliberata promissio majoris boni Deo facta*; quam definitionem explicant Stunica, & alii de voto agentes. Apud veteres, qui vota pro re aliqua à Diis impetranda faciebat, vovere, seu vota suscipere, & nuncupare vota dicebatur. Qui verò solvebat, persolvere, & signare vota: cujusmodi cùm passim extent exempla, satis erit Plinium audire *lib.* . *epist.* 10.

epist.10.ad Trajanum: *Solennia vota pro incolumitate tua, & suscepimus, & solvimus, precati Deos, ut velint semper ea solvi, semperque insignari.* Ad quod & illud Juvenal. *satyr.*10. spectat:

Propter quæ fas est genua incerare Deorum.

Nam cereas tabellas literis signatas, quæ votum explicabant, Deorum imaginibus affigebant. At qui votum suscepérat, nec dum voti compos persolverat, reus voti appellabatur. Virg. *lib.*5. *Æneid.*

Vobis lætus ego candentem in littore taurum
Constituam ante aras voti reus.

Hoc est, ut Servius interpretatur, voti debitor. Quem locum quoque enarrant Macrobius *lib.*3. *cap.*2. *Saturn.* Hæc vox (inquit) propria sacrorum est, ut reus vocetur, qui suscepto voto numinibus se obligat. Qui verò voto suscepto, assequutus id erat, pro quo voverat, nondum tamen soluto voto, damnatus voti dicebatur: quod clarè Livius *dicto lib.*27. demonstrat: *Deos omnes*, ait *Deasque precabantur, ut illis faustum iter, felixque pugna, matura ex hostibus victoria esset, damnarenturque ipsi votorum, quæ pro iis suscepissent.* Et *lib.*5. *Haud mirum id quidem esse, furere id civitatem, quæ damnata voti omnium rerum potiorem curam, quam religionem se eximendi habeat.* Et *lib.*39. scribit, se pro ægroto vovisse, ut primùm convaluisset, Bacchis eum se initiaturum: damnatum voti Deum benignitate absolvisse, sed id exsolvere velle. Virgil. *eclog.*5.

——— *Tibi sic vota quotannis*
Agricolæ facient, damnabis tu quoque votis.

Ubi Servius: *Cùm præstiteris*, inquit, *quæ homines te oraverunt, reddes illos obnoxios ad vota solvenda; nam sumus voti damnati, & obnoxii, antequam reddamus.* Ex quibus pater, Alex. ab Alex. *lib.*3. *Genial. cap.*22. perperam damnatum voti, interpretatum, qui voti compos, vota exsolvisset; quod præcipuè ex præsenti loco dignoscitur; nam Dictator voti damnatus, nondum eo soluto, dictaturâ se abdicavit, cui voto subsequenti anno satisfactum est. Plura congesserunt Brissonius *lib.*1. *de formul. fol.*113. Kochier *in face hist. centur.*2. *c.*34. Germonius *lib.*2. *de sacrorum immunitat. cap.*17.

6. *Deus in votorum apud varias religiones.*

Secundò sciendum est, vota Deo emittere, non solùm apud Catholicos, verùm apud Judæos, & Gentiles solitum esse. De Judæis constat ex legibus à Deo ipsis datis circa vota. Generalis refertur *cap.*23. *Deuteron. cap.*21. ibi: *Cùm votum voveris Domino tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus.* Unde vota emissa à Judæis passim sacra pagina refert, inter quæ difficile est votum emissum à Jephte *Judic. cap.*11. *vers.*30. quod post Theologos expositivos examinant, & illustrant Becanus *in analog. cap.*15. *fol.*330. Kochier *in face histor. centur.*2. *cap.*35. Apud Gentiles etiam magna votorum observantia fuit, ut probant latè Alex. ab Alex *lib.*2. *dier. genial. cap.*22. ubi Tiraquellus, Anastasius Germonius *lib.*1. *de sacr. immunit. cap.*17. Theophilus Raynaudus *tom.*4. *libro* 4. *sect.*3. *fol.*553. Beyerlinch *in Theatr. vitæ hum. verbo Votum*, Demster. *ad Rosinum lib.*1. *antiquit. cap.*15. Apud Romanos vota certis verbis concipiebantur, Livius *lib.*1. ubi inducit Romulum templum Jovi voventem his verbis: *Hic ego tibi templum Statori Jovi, quod monumentum sit posteris, tua præsente ope servatam urbem, esse voveo.* Macrobius *lib.*6. *Saturn. cap.*9. ibi: *Si ita feceritis, voveo vobis templa, ludosque facturum.* Latè illustrat Brissonius *de formulis*, *fol.*105. & plura vota à diversis gentilibus Diis facta refert Petrus Gregorius *lib.*13. *de repub. cap.*5. & plura de votis Gentilium, & eorum diligenti observantia, congesserunt Avendaño *de metu libr.*2. *cap.*21. Salas *ad Petronium linea* 12. *fol.*32. Antonius Silvius *de legibus lib.*1. *cap.*20. Stuchius *de sacrificiis, fol.*85. Mancinus *de triplici juris collat. cap.*53. Apud Christianos etiam jam à primis Ecclesiæ sæculis vota emissa fuisse facile constat ex antiquis Ecclesiæ legibus, quas infra *in hoc tit.* dabimus, licèt Mordicus Petrus Martyr *in lib. de votis & cœlibatu*, asseruerit, inter alia, vota tantùm pertinere ad Judæos, non ad Christianos, illo levi motus fundamento, quia voti sæpius mentio fit in veteri Testamento, nunquam verò in novo: quem doctè refellunt Bellarminus *tom.*1. *controv. lib.*2. *de monach. cap.*18. Becanus *in analog. dicto cap.*15. *num.*48.

7. *De voto-rum observantia.*

Deinde sciendum est, apud easdem gentes, apud quas vota emittere in usu fuit, magnæ semper curæ fuisse, vota ipsa solvere, & adimplere. De Judæis constat *ex dicto cap.*23. *Deuter.* ubi dum agitur de obligatione voti, legitur: *Si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum; si nolueris polliceri, absque peccato eris: quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, & facies sicut promisisti Deo tuo.* Erant tamen apud eos leges certæ de redemtione votorum, nam si laicus seipsum Deo obtulerat per votum, ut serviret in tabernaculo, aquam, & ligna pro sacrificiis portando, seu ad atrium verrendum, sarte templi tecta curando, poterat se redimere pretio à lege taxato, *Levit. cap.*27. *vers.*2. Deinde si quis animal Deo vovisset, redimere illud poterat solvendo pretium ejus à sacerdote taxatum, additâ quintâ parte pretii pro ipso sacerdote, *d. cap.*27. *Levit. vers.*11. quod idem procedebat, si quis Deo vovisset domum, vel agrum, *Levit. d. cap.*27. *vers.*14. & 16. Illustrat Becanus *in analog. dicto cap.*15. *num.*29. De Gentilibus constat, adeo diligenter vota Diis facta solvisse, ut statim post ea emissa Deo precarentur, ut rata essent. Ovidius *libr.*8. *Metamorph.*

——— *Durasque ad sydera supplex*
Cressa manus tollens rata sint sua vota precatur.

Latè illustrat Brissonius *lib.*1. *de formulis*, *pag.*112. Apud Catholicos vota esse diligenter adimplenda, constat ex variis Ecclesiæ canonibus congestæ à Gratiano *sub causa* 20. *quæst.*1. à Raymundo *in præsenti*: ab Antonio Augustino *in epit. jur. libro* 9. *tit.*2.

8. *De commutatione & redemptione.*

Tandem sciendum est, obligationem voti, vel in totum tolli, vel in aliud commutari. Tollitur irritatione, & dispensatione in totum, de quibus infra agemus. Mutatur per commutationem, & redemptionem, de quibus in præsenti agitur, juxta secundam partem præsentis rubricæ de voti redemptione. Commutatio fit, cùm res voto promissa in aliam commutatur; redemptio verò intelligitur facta, quando peregrinatio, vel simile opus promissum certa pecuniæ quantitate luitur: & per commutationem, & redemptionem vovens non liberatur à primo voto, sed materia voti mutatur, & virtute prioris promissionis tenetur ipsi communicationem adimplere; quia subrogatum semper sapit naturam subrogati, *l. si sponsus, ff. de donat. inter, l. duobus*, §. 1. *ff. de jurejur. cap. Ecclesia*, 3. *ut lite pend.*

pend. docet Stunica *de voto q.* 1. *num.* 5. Hanc votorum commutationem, seu redemptionem, exceptis votis R. P. reservaris potest quilibet Episcopus facere in sua diœcesi, sicut Pontifex potest in universo orbe. Ea autem vota, in quibus tantùm Pontifex dispensare valet, nec Episcopus commutare, aut redimere potest, ut pluribus relatis docent Sayrus *in Clavi Regia. lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 48. Sanchez *lib.* 4. *de matrim. disput.* 9. *num.* 3. Basilius *eod. tract. lib.* 8. *cap.* 8. Et in eisdem etiam casibus poterunt ratione jurisdictionis ordinariæ vota cummutare, Capitulum Sede vacante, Abbates jus quasi Episcopale habentes, Archiepiscopi in casibus, in quibus jurisdictionem ordinariam in subditos suffraganeorum exercere valent. Sanchez *dicto lib.* 8. *de matrim. disput.* 7. & *lib.* 4. *summæ, cap.* 38. Alii etiam ex jurisdictione delegata commutare vota possunt, ut confessarii virtute Bullæ Cruciatæ, aut jubilæi, de quibus plura tradunt Trullench. *in exposit. bullæ lib.* 1. *cap.* 3. P. Mendo *eod. tract. disput.* 25. *per totam*, Diana *p.* 1. *tract.* 11. *resol.* 41. qui varia dubia circa cummutationem votorum proponunt, exponuntque.

9. *Traditur ratio decidendi.* Quibus ita animadversis apparet vera ratio præsentis decisionis; nam cùm votum peregrinationis, de quo in præsenti, non esset ex reservatis R. Pontifici, rectè poterat Episcopus Exoniensis illud commutare, vel redimere. Et quamvis Cajetanus *in summa, verbo Votorum dispensatio*, existimet, eam proportionem esse servandam, ut votum reale necessariò commutetur in aliud reale, personale in personle, mixtum in mixtum, habitâ cujusque proportione: adhuc tamen verius credo, hoc non esse simpliciter necessarium, sed arbitrio commutantis posse fieri commutationem: quod apertè probatur *ex cap.* 2. *cap. magnæ, cap. quod super his, hoc tit.* ubi docetur, utroque modo votum commutari posse: debet tamen Prælatus modum in tali commutatione prudenter servare, sive in reali, sive in personali, sive in mixto; nam in reali, si causa commutandi oritur ex paupertate, non debet fieri commutatio in onus reale, sed in personale, cum prudenti æquiparatione: personale verò semper potest commutari in eleemosynam, cujus apud Deum magna est præstantia; in voto autem mixto ratio itineris habenda est, ut *in dicto cap. magnæ, de voto:* quam prudenter æquiparationem commendavit Alex. III. in præsenti, in illis verbis: *Ut consideret diligentiam, qualitatem personæ, & causam commutationis.*

10. *Dissolvitur dubitandi ratio.* Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam verum est, votum commutari posse in evidenter melius bonum, idque fieri posse sine Prælati auctoritate, ut defendunt Covar. *in cap. quamvis, p.* 1. §. 3. *num.* 4. *de pactis in* 6. Cordub. *quæst.* 149. Suarez *de relig. tom.* 2. *lib.* 6. *de voto, cap.* 8. *num.* 4. Balboa *in cap.* 3. *de jurejur. num.* 50. Quod ut faciliùs percipiatur sciendum est, hanc commutationem dupliciter fieri posse. Primò quando fit ex necessitate; secundò quando voluntariè fit. Primo modo contingit, quando id, quod melius est, fieri non potest votum exequendo, quasi duo illa incompatibilia sint: exempli gratiâ, si vovit quis peregrinari, & postea agnoscat pro illo tempore perfectius esse hospitali servire; quo casu commutationem fieri posse absque Prælati auctoritate certum est: nam ex voti materia sequitur necessariò, quod non impediat majus bonum: quæ doctrina etiam procedit in secundo casu, quando commutatio voluntaria est, cùm sit consentanea fini voti, qui est hominem promoveri ad majus bonum, & magis Deo gratum; nam etsi aliud pro alio invito creditore solvi non possit, *l.* 2. *ff. de rebus creditis*, cùm voti creditor Deus sit, moraliter creditur, ipsum majus bonum acceptare pro debito minoris voti. Pro qua doctrina faciunt textus *in cap. pervenit, de jurejur. cap. scripturæ, hoc tit. cap. licèt, de regul.* Si autem in æquale commutatio fiat auctoritate superioris, valida est. Nec tunc obstat, aliud pro alio dissolvi non posse; nam de consensu creditoris, & eo volente aliud pro alio solvi valet, *l.* 1. §. *an cùm. ff. de constit. pecun. l. item liberatur,* §. *qui paratus, ff. quibus modis pignus.* Unde hoc casu per Prælatum, qui auctoritatem commutationi præstat, explicatur Dei consensus, qui est tantùm creditor in hac obligatione: unde cùm consensu creditoris fiat commutatio, aliud pro alio rectè solvi potest. Nec obstat, quod de novatione expendebamus; verum enim est, quod non inducitur novatio, quando secunda obligatio est minor primâ; quia in dubio nemo creditur suum jactare, *l. cum de indebito, ff. de probat.* Sed cùm de creditoris voluntate expresè constat, nullum est inconveniens, ut procedat novatio, *l. final. Cod. de novat.* Nec tandem obstat, quod votum debeat adimpleri in specifica forma, sicut juramentum; nam verius est, juramentum posse impleri per æquipollens, quando per illum actum æquipollentem omnino sequitur idem effectus, ut docent Hostiensis, Innocentius, & alii congesti à Stunica *de voto q.* 5. *num.* 14. Nec contrarium probatur *in dicto cap. ad nostram*, cujus veram interpretationem adduximus in ejus commentario.

Sed adhuc præsenti assertioni obstat textus *in cap.* 1. *hoc tit. in* 5. *compil.* ibi: [Ecclesiæ Mediolanensis canonicus nobis humiliter supplicavit, ut cùm teneatur ex voto Beati Jacobi limina visitare, ac propter quandam occultam infirmitatem corporis, quâ laborat, sine vitæ periculo nequeat, sicut credit, tanti labores itineris sustinere, votum ipsum commutare in aliud dignaremur. Ideoque discretioni tuæ tenus providè indagatâ veritate, votum ipsum, si necessitas videbitur id exposcere, auctoritate nostra commutes in satisfactionem aliam competentem, proviso, ut sumptus quos esset facturus in via, convertat in opera pietatis, & laborem corporis redimat jejuniis, & orationibus solicitiùs insistendo.] Ex quibus apertè constat, Mediolanensem Archiepiscopum votum peregrinationis commutasse auctoritate Pontificis, non propriâ: ergo quia Episcopus ut ordinarius non potest votum peregrinationis commutare. Cui difficultati respondendum est, in eo textu agi de voto peregrinationis ad limina D. Jacobi in Compostella, quod unum est ex votis reservatis Romano Pontifici; unde ille tantùm ut ordinarius potest illud commutare, Episcopus verò, vel inferiores Prælati, tantùm ex delegata potestate. 11. *Expenditur cap. 1. hoc tit. in 5. compil.*

Ad redemptionem etiam voti spectat textus *in can.* 2. *Concil. Altissiod.* quem latè exposui *in can. Concil. Illiber.*

CAPUT

CAPUT II.

Idem (a) *Norvvicen. Episcop.*

VEnientis ad nos R. clerici narratione audivimus, quod cùm in (b) puerilitate constitutus fuisset, Hierosolymam se disposuit (c) profecturum. Cuidam quoque consocio, qui nihilominus sepulchrum Dominicum proposuerat visitare, fidem dedit, & suam ab eo recepit, quod sibi invicem (d) in via socii fideles existerent, & bonam societatem servarent. Quod itaque solicita mente revolvens, ad nos accessit, ut sibi super hoc nostrum auxilium aperiremus; nos autem ipsum gravi infirmitate laborare, sicut asserit, intelligentes, & quod in partibus Orientis ejus adventus parum utilitatis conferret, diligentiùs attendentes, præsertim cùm non sit licitum clericum infra sacros ordines constitutum arma sumere, vel sanguinis effusioni vacare, ipsum à voto, quod in ætate tenera facilitate potiùs, quàm ex (e) arbitrio discretionis promisit, absolvimus, & ad propria remittimus absolutum, ita (f) tamen, quod idem votum eleemosynis redimere debeat, & juxta consilium nostrum toto vitæ suæ tempore uni pauperum Christi, tam in victu, quàm in vestitu, dummodo ad hoc suæ facultates sufficiant, debeat providere.

NOTÆ.

1. (a) *Norvvicen.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. & post Concil. Lateran. *p.* 50. *cap.* 15. De Norwicensi Ecclesia egi *in cap.* 9. *de rescriptis.*

(b) *Puerilitate.*] *Pueritiæ ætate*, legitur in hac sexta collectione. Ut autem agnoscamus, quinam dicantur pueri, quænamque sit puerilis ætas, quando incipiat, quandoque finiatur, sciendum est, pueri appellationes varias esse, quas referunt Joannes Andreas, & alii *in cap.* 1. *de delict. pueror.* Primâ, quâ omnes servos, sive servientes, pueros appellamus: quo modo puer accipitur *in l. uxorem* 41. §. *testamento, ff. de legat.* 3. *cap. cùm pastoris* 5. 2. *quæst.* 7. *cap. si quælibet* 20. §. *Abraham* 22. *quæst.* 2. apud Varronem *lib.* 4. *de lingua Latina*: & hæc acceptio in comœdiis Terentii, & Plauti obvia est, & de his pueris accipit Fornerius textus *in l. pueri* 204. *ff. de verb. sign. l. si quid relictum* 117. *ff. de legat.* 1. *l. sin autem* 27. *ff. de R. V. l. uxorem* 41. §. *testamento, ff. de legat.* 3. *l. Mela* 14. *ff. de aliment. legat.* Alia acceptio pueri est, cùm puerum dicimus, ut contrarium puellæ; nam aliàs pueri appellatione puella continetur, ex duplici ratione adducta *in l. illa* 163. §. 1. *ff. de V. S.* Tertia denique acceptio est, cùm pueri nomine ætatem puerilem demonstramus, ut *in l. uxorem* 41. §. *testamento, ff. de legat.* 3. *l.* 1. §. *pueritiam, ff. de postul. l. in tabulis* 36. *ff. de statulib. cap. in veteri*, 77. *dist. cap. pueri* 120. 1. *quæst.* 1. *cap. pueri* 15. 22. *q.* 5. *cap.* 2. *& 3. de ætate & qualit. cap. vel non est, de temporib. ordin. cap. super* 35. *de præb. cap. tuæ* 25. *de sponsalibus, cap.* 1. *de delict. pueror.* Illustrat Fornerius *ubi suprà.* Quænam tamen ætas puerilis dicatur, dubium est, & quidem aliquando statim ac quis natus est, puer vocatur, *l. cùm non solùm* 8. §. *ubi autem puerilis, C. de bonis quæ lib.* unde puerpera dicitur, quæ adhuc in cunabulis est, *cap.* 1. 30. *quæst.* 2 Sed hi propriùs infantes dicuntur, quia adhuc fandi potestatem non habent, quales sunt qui lactant, seu illis paulò majores, *l.* 3. §. *admitti, l.* 1. §. *sufficit, ff. de administr. tut.* & horum ætas in septimum usque annum excurrit, *d. l.* 1. §. *sufficit, l. in sponsal. l. si infanti* 18. *C. de jure delib. cap. unic in princ. de desponsi. impub. lib.* 6. Isidorus *lib.* 11. *orig. cap.* 2. docent plures congesti à Barbosa in proœmio *lib.* 6. *Decret. verbo Præfectus.* Illi verò puerilitati proximi sunt, qui cùm fari incipiant, nullum tamen animi intellectum habent, nec quid agant, intelligunt, *l. servum.* 6. *ff. rem pupilli*, §. *pupillus, Instit. de inutil.* quales sunt, qui septimum annum excesserunt, octavumque attingunt: unde pueritia seu puerilis ætas incipit à septimo anno, & durat usque ad pubertatem, videlicet in masculis usque ad 14. annum, in fœminis verò usque ad ad 12. *l. argumento* 25. §. *muliebri, ff. de auro & argent.* docent Alciatus *in dict. l. pueri.* Quintil. Mandos. *de ætate minor. cap.* 4 *num.* 1. Franc. Hothomanus *de verb. jur. verbo Ætatis gradus.* Pater Azor 2. *p. instit. lib.* 6. *quæst.* 6. Menochius *de arbitr. lib.* 2. *casu* 57. *num.* 1. *&* 10. Farinac. plures referens *tom.* 3. *praxis crimin. quæst.* 92. *num.* 6. Fr. Ant. de Sousa *in aphorism. Inquis. lib.* 3. *cap.* 32. *num.* 11. Rodericus Acunna *in cap. veteri* 7. *num.* 23. 77. *dist.* August. Barbosa *in collect. ad proœm. lib.* 6. *num.* 26. & novissimè Paul. Zacchias *qq. medico-legal. lib.* 1. *num.* 7. *titul.* 1. *quæst.* 4. Scio enim etiam hac de re ancipites scriptorum calamos extitisse, ex quo aliquibus placuit Servii Tullii præscriptum insectantibus, cujus meminit Gellius *lib.* 10. *noctium, cap.* 28. pueritiam anno 17. terminari, inter quos præcipuum locum obtinent Bertachin. *littera P. verbo Pueri, vers.* 1. & *vers. Pueritia durat*, Hienym. Cagol *in l. quædam puella, num.* 2. *de jurisdict. omnium judicum.* Franc. Poletus *hist. fori Rom. lib.* 2. *cap.* 6 *in fine*, ubi inquit, quod pueritia pares annos numero habet annis prætextæ, qui exporriguntur ad decimumseptimum ex præscripto Servii Tullii, Oswaldus *lib.* 18. *Donel. cap.* 3. *litt. P.* Cardosius *in praxi, verbo Ætas, num.* 1. Calvinus *in lexico jur. verbo Ætatum gradus*, Asinius *de execut. cap.* 526. *num.* 16. qui quidem omnes in prædictam sententiam adducuntur Ulpiani velut manifesto testimonio, *in l.* 1. §. *pueritiam, ff. de postul.* ubi pueritiam diffiniens ad decimumseptimum annum durare,

scribit: quod etiam Marcello placuisse videtur *in l. Publius* 36. §. 1. *de condit. & demonstr.* Verùm contraria Doctorum opinio communis est, videlicet, pueritiam ultra 14. in masculis, & 12. in fœminis non progredi, ut probant Alciatus *in dict. l. pueri*, Narbona *de ætate anno* 8. *quæst.* 1. Lara *de vita hominis, cap.* 30. Paulus Zacchias *lib.* 1. *qq. medicolegal. tut.* 1. *quæst.* 4 & probatur ea sententia *ex l.* 5. *ff. de administr. tut. l. penult.* §. 1. *ff. de rebus eorum*, *l. in tabulis* 36. *ff. de statu. lib. l.* 3. §. *si duo*, *ff. de Carbon. edict.* ubi puer pro impubere apponitur. Unde colligitur, pubertatem ingressos, puerorum nomine minimè comprehendi, maximè cùm pueri ab impubertate dicantur, *cap. eos quos*, *de consecr. dist.* 4. pueri tandem dicuntur, qui in septimo anno sunt, *l. uxorem* 41. §. 4. *ff. de legat.* 3. & etiam puellæ, *cap. litteras* 4. *cap. duo pueri* 12. *de despons. impub.* aliquando in nono, vel decimo, *cap. ex litteris*, *eod. tit. cap.* 2. *de ætate & qualit. cap.* 1. *de delict. pueror.* in decimotertio anno, *cap. vel non est* 14. *de tempor ordin.* & denique ante annos 14. *c. pueri* 15. 22. *q.* 5. *cap.* 3. *de ætate & qualit.* & similiter puella dicitur, quæ 11. vel 12. annorum est, *c.* 2. 20. *quæst.* 1. *cap. continebatur* 6. *cap. ex litteris* 11. *de despons. impub.* unde puerilis ætas in præsenti accipitur pro ætate proxima pubertati.

2. (c) *Profecturum.*] Non peregrinationis gratiâ, sed ut militiæ nomen daret pro recuperanda terra sancta, ut facilè probatur si conferantur hæc verba cum illis ultimis: *Præsertim, cùm non sit licitum, clericum infra sacros ordines constitutum arma sumere.* Quæ expressè supponunt votum à puero in præsenti emissum fuisse assumendi crucem in bello Terræ Sanctæ tunc ingruente.

3. (d) *In via socii.*] Quæ obligatio cùm in consequentiam voti emissi contracta esset, solutâ principali obligatione, & ad hæc accessoria cessavit, ut jam probavit Garaña *in præsenti.*

(e) *Ex arbitrio discretionis.*] Cùm desideretur plena deliberatio ad votum emittendum, ea videlicet, quæ sufficeret ad peccatum mortale, ut communiter docent Theologi Scholastici *in* 4. *dist.* 28. & Expositores D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 88 P. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 1. *de essentia voti, cap.* 9. Moralistæ communiter de voto agentes.

4. (f) *Ita tamen quod idem votum.*] Nam cùm postea perseverasset in eodem proposito, licèt à principio votum dubium esset propter defectum discretionis, tamen ex perseverantia & ratihabitione validum, & obligatorium reddebatur: unde Pontifex, ut in eo dispensaret, redemptionem injunxit, juxta suprà tradita *in cap.* 1.

COMMENTARIUM.

PRo hujus textus expositione examinanda est illa satis vexata quæstio, quænam videlicet ætas desideretur, ut quis quolibet voto simplici, etiam religionis obligetur? In qua quæstione sunt qui existiment, pubertatem desiderari, ita ut ante eam ætatam propter judicii defectum votum validè emitti non possit: ita tenuerunt Sylvester *verbo Religio* 2. §. 15. Angelus *eodem verbo*, §. 6. Gregorius Lopez *in l.* 3. *verbo De edad, tit.* 6. *partit.* 1. alij relati à Comitol. *lib.* 2. *respons. moralium*, *quæst.* 7. quibus faciunt textus *in cap.* 1. 20. *quæst.* 1. ubi eadem ætas ad vovendam virginitatem desideratur, quæ ad contrahendum matrimonium requiritur: & textus *in l.* 2. *vers. Voto*, *ff. de pollicit.* ubi cavetur, voto solùm puberes patresfamilias obligari. Sed contrariam sententiam, immò septennium completum regulariter sufficere, ut tam vir, quàm fœmina, quocunque voto, etiam religionis obligari possint, tenuerunt plures, quos referunt, & sequuntur Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 5. Stunica *de voto quæst.* 3. *num.* 86. Narbona *de ætate, anno* 7. *quæst.* 17. *per totam.* Quæ sententia retinenda est, & facilè probatur ex præsenti textu, junctis proximè notatis; ex eoque, nam in ea ætate potest quis se obligare per peccatum, & homini per sponsalia, *cap. litteras, cum sequent. de despons. impub.* ergo similiter sufficit ea ætas, ut quis se obliget Deo per votum; præcipuè cùm ea deliberatio desideretur ad votum, quæ sufficit ad peccandum lethaliter. Nec contrarium probat textus *in dict. cap.* 1. 20. *quæst.* 1. quia in eo agitur de voto solenni professionis religionis, quod non nisi post pubertatem fieri potest, ut probavi *in cap. quia in insulis*, *de regul.* Nec etiam obstat textus *in dict. l.* 2. *ff. de pollicit.* nam ut rectè docuerunt Connanus *lib.* 8. *comment. cap.* 8. *ad finem.* Narbona *dict. quæst.* 17. *numero* 15. Consultus ibi agit de voto reali, quo aliqua pars bonorum Deo promittebatur. Unde ea ætas ac status desiderantur, in quibus possit paterfamilias pubes, idest post 25. annum, ut dicitur *in l. cum filia* 30. §. *Ego quidem*, *de legat.* 3. efficaciter obligari, & bona sua alienare: at verò in præsenti agit de votis personalibus, ex quibus nulla patrimonii diminutio sequitur. 5.

CAPUT III.

Idem *Magistro M. Abbati de* (a) *Vadsorden.*

LIteraturam tuam, & prudentiam jamdudum referente fama cognovimus, & saluti tuæ tanto attentiùs consulere debemus, & volumus, quantò personam tuam consideratione tuæ honestæ conversationis, & ritè ferventioris charitatis brachiis amplectimur. Relatum est autem auribus nostris ex parte tua, quod cùm ex quadam minutione brachii tui fuisses pavore mortis (b) perterritus, hæc verba tecum protulisti: Non diu hîc morabor, proponens in animo, quod religionis habitum esses aliquando susceptorus: sed propter frequentes infirmitates in superficie corporis, quæ plurimùm vitæ religiosæ districtionem impediunt; & quia indigentibus & transeuntibus

tibus hoſpitalitatem exhibes, & plura ſalutaria impendis; quod concepiſti olim in animo, opere nondum impleviſti, ac per hoc dubitas, ne pro facta fide voti in diſtricto debeas examine conveniri. Licèt autem prudentiam tuam latêre non credamus, quid canones in hujuſmodi ſtatuant; tibi tamen conſulenti reſpondemus breviter quod ſentimus, præſentium ſignificatione mandantes, quod ſi plus non eſt progreſſum in voto, quàm prædiximus, tranſgreſſor judicari non poteris, etſi non impleas quod dixiſti. Monemus autem prudentiam tuam attentiùs, hortamur, quatenus id facias, quod tuæ ſaluti ampliùs cognoveris provenire, & conditonis tuæ memor exiſtens, memoriter teneas, quod (c) Loth dum montis timeret aſcenſum, Segor civitatem parvulam petiit, & accepit.

NOTÆ.

(a) *Adforden.*] Ita legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc titul. cap.* 1. in ſexta autem legitur, *Madforden.* ſed non facilè conſtare poteſt, utra litera verior ſit, cùm nec de provincia ubi Magiſter hic degebat, conſtare poſſit.

(b) *Mortis perterritus.*] De metu hoc incuſſo ab infirmitate, & ejus effectibus egi *in cap. ſicut de regul.*

1. (c) *Quod Loth.* Ut refertur Geneſ. *cap.* 19. his verbis: *Quæſo, Domine mi, quia invenit ſervus tuus gratiam coram te, & magnificaſti miſericordiam meam, nec poſſum in monte ſalvari, ne forte apprehendat me malum, & moriar. Eſt civitas hæc juxtà, ad quam poſſum fugere, parva, & ſalvabor in ea: nunquid non modica eſt, & vivet anima mea? Dixitque ad eum: Ecce etiam in hoc ſuſcepi preces tuas, ut non ſubvertam urbem pro qua locutus es. Feſtina, & ſalvare ibi: quia non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc.* Idcirco vocatum eſt nomen urbis illius Segor: quod factum adeundi Segor, & recedendi à monte, ubi juſſerant Angeli Loth aſcendere, prætextu infirmitatis ita exponit Cornelius à Lapide, ibi: [Fuit hæc non prompta, ſed lenta, & moroſa obedientia Loth, ac ex parte culpanda, quòd nimis ſuæ infirmitati innixus, Angelo comiti, & divinæ providentiæ ſit diffiſus.] Unde cùm Magiſter, de quo in præſenti textu, infirmitatis corporalis prætextu, ut Loth, excuſaretur adimplere propoſitum ingrediendi religionem, doctè Alexander III. monet ipſum ne diffidat ob infirmitatem corporis, & montem, hoc eſt monaſterium, adire non recuſet, nec inde prompte vocationi divinæ non pareat, & reſpondet.

COMMENTARIUM.

2. ALiqui exiſtimant, ſolum propoſitum voluntatis ſufficere ad votum emittendum, quos refert Azor *tom.* 1. *inſtit. lib.* 12. *cap.* 12. *quæſt.* 5. quæ ſententia probari poteſt nonnullis teſtimoniis SS. Patrum, & Conciliorum, in quibus verbo propoſiti votum ſignificatur, ut in Concil. Tolet. 4. *can.* 55. apud Leonem Papam I. *epiſt.* 92. *cap.* 12. Innocentium II. in Synodo Rom. *cap.* 7. & refertur à Gratiano 27. *q.* 1. *in cap. ut lex, & in cap. conſulti, de regul,* etiam votum appellatur propoſitum. Quod probari etiam poteſt *ex cap. pervenit* 2. *de jurejur.* ibi: *Propoſitum, aut promiſſum.* Et votum aliquando accipitur pro ſola voluntate mutandi vitam, ut conſtat *ex cap. beneficium, cap. ſtatuimus, de regul. libro* 6. Contraria tamen ſententia, videlicet ſolum propoſitum voluntatis non ſufficere ad votum, verior, & communior eſt: illam docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 88. *artic.* 1. & *in* 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 1. atque ibidem communiter Theologi, Abbas *in præſenti*, Sylveſter *in ſumma, verbo Votum* 1. *q.* 2. Archid. *in c. qui bona* 17. *q.* 1. & probari poteſt *ex eod. c. qui bona*, & ex præſenti textu, ubi cùm conſuleretur Pontifex, an quidam maneret obligatus voto, qui verba hæc protulerat, *non diu hic morabor*, proponens animo ſe aliquando ſuſcepturum habitum Religionis, reſpondit Pontifex, quod ſi plus non eſt in voto proceſſum, tranſgreſſor judicari non poterit, ſi non impleat, quod dixit. Supponit ergo Pontifex, ſolum propoſitum vitæ religioſæ votum non inducere, aliàs tranſgreſſor judicari deberet, ſi non impleret quod dixit; quia faceret contra votum. Ratione deinde probatur eadem ſententia, quia votum eſt promiſſio, ut dixi ſuprà *in cap.* 1. Optimè autem ſtat, aliquem habere propoſitum, & voluntatem etiam firmam aliquid faciendi, abſque eo, quod promittat, & ſe obliget ad id faciendum; quia hæc duo diverſa ſunt, nimirum proponere aliquid facere, & velle ſe obligare, vel promittere. Ergo votum non conſiſtit in ſolo propoſito, & voluntate aliquid faciendi, quantumvis efficaci, cùm hæc poſſit ſtare abſque promiſſione. Secundò hoc ipſum probatur; quia votum inducit obligationem erga alterum faciendi, quod vovimus: ſed qui habet ſolum propoſitum, quantumvis firmum, aliquid faciendi, non habet obligationem niſi accedat promiſſio. Qua ratione conſtat experientiâ ipsâ inter homines, non eo ipſo, quod aliquis proponit facere aliquid, quod cedat in alterius utilitatem, vel obſequium, manere obligatum, quia potuit velle facere, & nolle ſe obligare: ergo propoſitum ſolum non eſt votum, cùm votum dicat obligationem. Et ſi quæras, in quo differat votum, & propoſitum aliquid faciendi, quod eſt materia voti? Reſpondeo, differre primò, quia propoſitum ſemper eſt voluntas faciendi aliquid in futurum; votum autem licèt regulariter ſupponat voluntatem faciendi, quod promittitur; poteſt tamen eſſentialiter conſiſtere abſque iſtâ voluntate, cum ſolo animo promittendi, & ſe obligandi. Secundo differunt votum, & propoſitum, quia verba, quibus concipitur votum, obligationem ſignificant faciendi id, quod vovetur: at verò verba, per quæ ſignificamus propoſitum, nullam involvunt obligationem faciendi id, quod proponimus, nec explicitè, nec implicitè, licèt ut pandamus propoſitum noſtrum, utamur his locutionibus, Faciam hoc, vel illud: Accipiam habitum hujus, vel illius religionis. Quare ex tali propoſito non inducitur voti obligatio, quia ut

hæc

hæc naſcatur, debet dari deliberata promiſſio, ut contingit in obligationibus hominibus faciendis; nam propoſitum ſimplex per ſe absque promiſſione non parit obligationem. Illud tamen magnum diſcrimen verſatur inter promiſſionem hominibus faciendam, & votum emittendum, quòd promiſſio hominibus verbis externis fieri debet, & acceptari ab illo, cui promittitur: votum verò actu interno mentis emittitur, quia ut legitur *libro* 1. *Regum*, *cap.* 16. Homines vident ea, quæ apparent; Deus autem intuetur cor. Unde rectè Alexand. in præſenti decidit, eum qui propoſuit religionem ingredi, non cenſeri voti tranſgreſſorem propoſitum non adimplendo; ſed quia votum plerumque à propoſito incipit, propoſitum ipſum pro voto ponitur in juris locis ſuprà pro prima ſententia adductis *in c. ſi quis virorum*, 70. *diſtinct.* apud D. Auguſtinum *epiſt.* 70. ibi: *Cùm ergo te eſſe in hoc propoſito gauderemus.* Quem ita accipit Pennotus *lib.* 1. *hiſt. canonic. regul. c.* 11. *num.* 5.

4. Sed eſto, in præſenti caſu propoſitum non adimplens non ſit voti tranſgreſſor, dubitari poteſt, an peccatum unum admittat? Et propoſitum non adimplentem peccare, docuit Gloſſa *in cap. qui bona* 17. *quæſt.* 1. & ejus ſententia probari poteſt ex illis verbis ipſius textus: *Qui bona agunt, ſi meliora agere deliberant, & poſt deliberata non faciunt, licèt in prioribus bonis perſeverent, in conſpectu tamen Dei ceciderunt.* Igitur ſi non adimplens propoſitum, apud Deum cecidit peccatum admittit; ſiquidem cadere in conſpectu Dei, nihil aliud ſignificat, niſi caſum in culpam. Secundò probatur, quia qui propoſuit aliquod facere bonum, & poſtea deceſſit à propoſito, ſaltem eſt inconſtans: ergo peccat in conſtantiam, & per conſequens committit aliquod peccatum. Tertiò tandem probatur, quia propoſitum, ut proximè dixi, explicatur his verbis: *Faciam hoc, vel illud.* Ergo ille, qui non mandat executioni propoſitum, mentitur, & conſequenter contra veritatem peccat. Leſſius *lib.* 2. *de juſtitia*, *cap.* 40. *dubit.* 2. exiſtimat, propoſitum inducere aliquam obligationem, ſaltem peccati venialis, ratione inconſtantiæ in re gravi, & hoc modo accipit Gloſſam *in dict. cap. qui bona.* Si verior eſt contraria ſententia, videlicet non adimplere propoſitum, quatenus propoſitum tantùm eſt, non eſſe peccatum veniale, quam tenuerunt Aragon 2. 2. *quæſt* 88. *in comment. ad artic.* 1. *prope finem*, Sotus *libro* 7. *de juſtitia*, *quæſt.* 1. *articul.* 1. Azor *tom.* 1. *inſt. libro* 11. *c.* 12. Suarez *tom.* 2. *de relig. libro* 1. *de eſſentia voti*, *c.* 2. quæ ſententia probatur unicâ, ſed validiſſima ratione; nam qui ſolùm proponit, non habet voluntatem ſe obligandi: nec nudum propoſitum, ut proximè dixi, aliquam inducit obligationem: ergo facere contra propoſitum, vel illud adimplere, non eſt peccatum, nec veniale. Conſequentia patet, quia ubi nulla eſt obligatio, nullum poteſt eſſe peccatum, nec veniale: quare hæc ſententia procedit, ſi id, quod proponimus facere, aliàs non ſit ſub præcepto; quia ſi ſub præcepto eſt, tenemur propoſitum adimplere, non quidem ratione propoſiti, ſed ratione præcepti. Nec hac ſententia retentâ obſtant contrariæ fundamenta. Non textus *in d. c. qui bona.* Nam reſpondetur D. Gregorium ibi ſolùm docuiſſe, eum qui non adimplet propoſitum rei melioris, cecidiſſe coram Deo à majori perfectione, quam poterat aſſequi adimplendo propoſitum; non tamen peccatum committere, quod verba ipſa ſignificant; non enim dixit Gregorius abſolutè, cecidiſſe in conſpectu Dei; ſed cecidiſſe à deliberatione. Ad ſecundum reſpondetur, conſtantiam, ſeu perſeverantiam in voto non eſſe diſtinctam virtutem ab aliis, ſed conditionem generalem, quæ reperitur in actibus omnium virtutum: unde tantùm obligat juxta obligationem uniuſcujuſque virtutis, & debitum voluntatis ut rectè notavit Cajetanus *in ſumma*; *verbo Inconſtantia.* Quare ſicut aliquis non tenetur ratione intemperantiæ v. g. ſemper jejunare, quando non eſt præceptum, vel obligatio jejunandi; nec ratione religionis ſemper facere, quod cedit in Dei cultum; ita nec tenetur perſeverare in propoſito faciendi aliquod bonum, ad quod non tenentur, nec ratione præcepti, ſive voti emiſſi, nec ratione virtutis: & conſequenter non perſeverare in propoſito, quando nulla eſt obligatio, nullum erit peccatum. Ad tertiam reſpondetur, verum eſſe, propoſitum explicari his locutionibus, *Faciam hoc*, *vel illud*: negandum tamen eſſe, mentiri illum, qui facit contra propoſitum; quia mentiri, ut docet D. Auguſtinus *libro de mendacio*, *cap.* 3. eſt contra mentem ire; ille autem qui habet propoſitum aliquid faciendi, non facit contra mentem dicendo, *Faciam hoc*; ac proinde non mentitur, quia prædictâ locutione ſolùm ſignificat, ſe facturum talem rem, quantùm eſt ex vi præſentis propoſiti, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 89. *articul.* 1. per illam enim ſimplicem aſſertionem non obligatur ad non mutandum propoſitum, niſi accedat promiſſio, votum, vel juramentum, ut docet D. Thomas *loco citato*: quare homines prudentes dicere ſolent, *Faciam hoc gratiâ tui, ſed fidem non obligo*: quo denotant, ſe habere propoſitum, & animum talem rem faciendi, quamvis nolint obligari ad non mutandum propoſitum. Unde ſi poſtea non faciant, non ſunt mentiti, propter dictam rationem. Unde in præſenti caſu Magiſter non ſolùm voti tranſgreſſor dici nequibat, verùm nec peccavit propoſitum tantùm non ſervando.

CAPUT IV.

Alexand. III. *Univerſis Abbatibus* (a) *Ciſtercien. Ordinis per Angliam conſtitutis.*

SCripturæ ſacræ teſtimonio declaratur, quod ſpiritualis homo propoſitum non mutat, cùm pro ſalute animæ ſuæ aliquid utilius meditatur. Inde eſt, quod veſtris juſtis

justis postulationibus inclinati, vobis indulsimus, quatenus si quis sepulchrum Dominicum, vel alia limina Sanctorum visitare proposuerit, & infirmitate, vel alia rationabili causâ occurrente, apud vos religionis habitum assumere, atque Deo servire voluerit, liberè eos recipere valeatis nec rei voti facti habeantur aliquatenus, qui temporale obsequium in perpetuam noscuntur religionis observantiam commutare.

NOTÆ.

1. (a) *Cistercien.*] Ita legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. ex qua inscriptionem, & litteram transcribo, & ni fallor ideo Raymundus omisit ea verba : *Abbatibus Cisterc. Ordinis per Angliam*, ne specialiter constitutio hæc referretur ad eos, qui Cisterciensium Ordinem profiterentur, non ad alios : nam cùm per compilationem in hoc volumine generalis ecclesiastica lex judicetur, inconsequens putavit eam dirigi specialiter Prælatis Cisterc. Angliæ. Ex eadem etiam causa, ut existimo, omisit verbum, *indulgemus*, ne crederetur in præsenti referri specialem indulgentiam, ut jam notavit Pater Suarez *tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 14. num. 6.* Etiam omisit verba: *Sepulchrum Dominicum*, &c. ut tolleretur ambiguitas, an Alex. III. tantùm ageret de votis incompatibilibus cum statu religioso ipso; an verò generaliter de omnibus esset exaudiendus, ut infrà dicemus.

COMMENTARIUM.

2. *Conclusio refertur, & probatur.* EX præsenti textu sequens deducitur assertio: *Omne votum commutabile est propria auctoritate in votum solenne religionis.* Quæ conclusio probari potest *ex cap. pervenit, el 2. de jurejur. cap. admonere*, juncta Glossâ *verbo Monasteriis, 33. quæst. 7. cap. desponsatam, cap. Agathosa, capite scripsit 27. quæst. 2. l. final. in fine princip C. de Episcop. & cleric. authent. de nuptiis, §. distrahuntur, in cap. final. 19. quæst. 3.* D. Thomas 2. 2. *quæst. 88. artic. 12.* Illustrant ultra congestos à Barbosa *in præsenti, & lib. 1. juris Eccles. cap. 42. num. 1.* Tamburinus *de jure Abbat. disput. 6. tom. 3. quæst. 27. num. 9.* Castropalao *tract. 16. disputat. 2. punct. 8.* Layman *lib. 4. summæ, tract. 5. cap. 10.* Diana *p. 3. tract. 6. resol. 65.* Garcia *tom. 1. polit. tract. 3. difficult. 3. dub. 2.* Bruno Chassaing. *tract. 4. cap. 6. propos. 1.* Petrus Gregor. *lib. 3. partit. tit. 2. cap. 7.*

3. *Impugnatur prædicta assertio.* Sed hæc assertio, omissis adductis suprà *in cap. 1.* difficilis redditur sequenti consideratione; nam votum simplex, & solenne æqualiter apud Deum obligant voventem, *cap. rursus, qui clerici vel vov. cap. si quid bonum, cap. viduas, 27. quæst. 1. cap. licet, hoc tutul.* sed votum religionis solenne non est commutabile propria auctoritate: ergo nec simplex. Augetur hæc difficultas ex eo, nam qui juravit matrimonium contrahere cum aliqua fœmina, si postea velit religionem ingredi, primam promissionem priùs tenetur implere, *cap. commissum, de sponsal.* ergo etiam votum antea factum debet priùs adimpleri. Augetur secundò, nam status Episcopalis perfectior est, quàm religiosus, *cap. nisi cum pridem, §. nec putes, de renunc. cap. si religiosus, de elect. lib. 6.* sed ille, qui promisit religionem ingredi, si eligatur Episcopus, priùs debet religionem ingredi, quàm consecretur in Episcopum, *c. per tuas, hoc tit.* igitur quia per statum perfectiorem non liberatur quis à votis jam emissis. Facit etiam textus *in c. qui post 5. de regul. lib. 6.* ubi qui emisit votum ingrediendi certam religionem, si in alia professionem emittat, pœnitentiæ subjicitur; & tamen eo casu votum simplex ingrediendi religionem commutavit in perfectius, videlicet votum solenne; nihilominus punitur: igitur quia non licet omne votum in solenne religionis commutare. Deinde contra rationem ab Alexandro adductam ita insurgo: Servitus constituit temporale obsequium, cùm servi per manumissionem, & alios plures modos liberi efficiantur, *l. 1. ff. qui sine manumissione, l. 1. ff. de manumiss.* sed temporale hoc obsequium in perpetuum religionis, propria auctoritate commutari non potest, *cap. generalis, cap. si servus, 54. dist.* ergo non omne votum, seu obsequium temporale est commutabile in perpetuum. Ne satisfacies si dicas, in hoc casu versari tertii præjudicium, & ita sine ejus voluntate commutationem hanc obsequii temporalis in perpetuum fieri non posse; nam etiam in votis expeditionis Terræ sanctæ, aut dandi certam eleemosynam quotidie, versatur tertii interesse: igitur nec per ingressum religionis commutari propriâ auctoritate possunt.

4. *Traditur dubitandi ratio.* Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens constitutio, cujus ratio assignatur ab ipso Alexandro III. in illis verbis: *Nec rei voti facti habeantur*, &c. Cùm enim votum solenne religionis sit adeo pefectum, ut omne aliud resolvat, *cap. voluit. 33. q. 5.* Glossa *in cap. monachum 20. quæst. 4.* adeo, ut in jure civili matrimonium consummatum per ingressum religionis dissolvatur, *authent. de nuptiis, cellat. 4 §. distrahuntur*; votum enim professionis religionis acceptabilibus est Deo cæteris votis, quia status religionis perfectior est aliis, Trident. *sess. 24. de reform. cap. 6. & 10.* dirigaturque ad charitatem, quæ est prima virtus, *cap. charitas 12. de pœnit. dist. 2.* D. Thomas 2. 2. *quæst. 184. artic. 1. quæst. 2.* inde sicut lumen stellarum à lumine solis, quod est majus, absorbetur; sic alia vota per votum solenne professionis cessant: & quia nemo debet impederi ad strictiorem, & perfectiorem statum transire, *cap. licet*, ubi probavi, *de regul.* ideo rectè docetur in præsenti, omne votum esse commutabile in votum religionis, & omnia vota antea emissa cessare per solennem professionem. Nec interest, quod votum sit compatibile cum ipso statu religioso, vel non, ut votum jejunandi certis diebus, aut recitandi officium divinum. Ratio est, quia illa vota, & similia sunt de operibus particularibus; professio verò religionis est de tota vita hominis; & ideo in illa cætera includuntur, tanquam particularia in universali; & quia sufficit profitenti religionem illius onus sustinere, disciplinamque, & vitæ institutum servare. Faciunt Anselmus *libro 3. epist. 33. Audivi, frater mi, quia antequam monachus fieres, in ægritudine vovisti te iturum ad sanctum Ægidium, & idcirco modò timidus. & nimis solicitus*

solicitus es de voto illo solvendo. Et paulò post: *Certus enim esse debes, quia cùm te ipsum Deo totum vovisti, solvisti omnia vota minora.* Idem *epist.* 154. Unde licèt in præsenti textu ageretur de voto peregrinationis, quod est incompatibile cum statu religioso, ut generalis respectu cujusque voti maneret constitutio, Raymundus omisit ea verba: *Proposuerit visitare*; & tantùm Pontificis constitutionem compilavit. Quo modo tamen hæc commutatio fiat, an ex natura rei, vel gratiâ juris Pontificii, docte exponit P. Suarez *dict. cap.* 14. *per totum*, & post eum Garcia *dict. dub.* 2. *per tot.*

5. *Dissolvitur dubitandi ratio.* Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, quia licèt votum simplex solenni æquiparetur, ut quemadmodum culpæ mortalis reus est, qui frangit votum solenne, ita & qui violat votum simplex; discrimen tamen versatur inter simplex, & solenne votum, quia solenne votum cùm sit perfectionis, non est commutabile in aliud nisi strictioris ordinis, *cap. licèt, de regul.* votum verò simplex cùm sit imperfectius, commutabile est in votum solenne religionis. Nec obstat textus *in dict. cap. commissum*, cujus interpretationem dedi *in cap.* 2. *de convers. conjug.* & latiùs dabimus in ejus commentario. Nec obstat textus *in dict. cap. qui post, de regul.* nam dicendum est, per solenne votum professionis factæ in religione commutari votum simplex strictioris religionis, ex præsenti textu; pœnitentia tamen illi injungitur, quia levitas animi, remissio aliqua, & tepiditas spiritus aderant, quibus retrahebatur ab ingressu strictioris religionis; undè licet in ejus textus specie licitè permaneat in religione laxiori; tamen pœnitentia illi injungitur, quia in strictiori religione votum emissum adimplevit. Nec obstat ultimum augmentum ipsius dubitandi rationis, cui respondendum est dicendo, in omni actu duo principaliter desiderari, scilicet voluntatem & potentiam, *l. non omnes ff. si certum petatur, l. cùm te, C. de donation. ante nupt.* unde licèt in servo voluntas sit ingrediendi religionem, deficit tamen potentia, quia obstrictus est Domino, cui personale obsequium præstare cogitur: quare ejus vota sunt nulla ex defectu potestatis, & irritantur à Domino; quare obsequium illud, etsi temporale, comutari non potest propria auctoritate in perpetuum religionis, ut docuit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 88. *artic.* 8. & ex eo Sotus *lib.* 7. *de justitia, quæst.* 7. *artic.* 1. Similiter etiamsi votum sit reale in favorem tertii emissum, à quo ejus obligatio sit acceptata, non commutatur per ingressum religionis, immò adhuc post professionem adimplendum est.

CAPUT V.

Innocentius III. (a) *Strigonien. Archiepiscopo.*

NOn est dicendus voti transgressor, qui quod vovit, de auctoritate Sedis Apostolicæ, justâ tamen ex causa distulerit adimplere. Sanè significavit nobis charissimus in Christo filius noster Henricus (b) Hungariæ Rex Illustris, quod cùm in regni (c) perturbatione consilium, & auxilium tuum sibi senserit hactenus profuisse, utilitati ejus non modicùm derogares, si Hierosolymam (sicut ex voto teneris) regno pergeres impacato. Cùm nobis igitur immineat de honore ipsius Regis, & statu Regni Hungariæ solicitè cogitare, fraternitati tuæ per Apost. scripta mandamus, quatenus non prius iter arripias Hierusalem adeundi, quàm Regnum ipsum fuerit tranquillitati pristinæ, faciente Domino, restitutum, vel super hoc receperis ab Ap. Sed. mandatum. Datum Later.

NOTÆ.

1. (a) *Strigon.*] Ita etiam legitur tertia in collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & in epistolis Innoc. Coloniæ editis, *fol.* 3. ex quo regestro ita restituo litteram, & inscriptionem hujus textus. De Strigoniensi diœcesi egi *in capite final. de postul. Prælat.*

2. (b) *Hungariæ.*] Hungaria, quæ nomen ab Hunnis, seu Ungaris populis ex Scythia profectis, qui eam incoluerunt, habere videtur, Pannoniam, & ultra Danubium Jarigum, & Dacorum regionem ferè omnem occupat, à Dravo fluvio ad Meridiem sumit initium; à Septentrione à Sarmatis, quos Colonos dicimus; ab Occasu Austriam habet, superioris quondam Pannoniæ caput: ab Oriente Mysiam, quam Retianam nunc appellant. Danubius maximus fluvius per medium interfluit, atque inter partes, nempe ulteriorem, & citeriorem scindit: Citerioris Hungariæ caput est Buda, regni sedes, ut post Ptolomeum, & Hortelium referunt Bonfidius, & alii scriptores, & descriptores illius regni.

(c) *Perturbatione.*] Mortuo enim Vela tertio Hungariæ Rege, Henricus, aliàs Hemericus ejus filius natu major in regno legitimè succesit; Andreas verò frater minor, de quo in præsenti textu, & sequenti agitur, conspiratione Magnatum, fratrem ejicere, & spoliare conabatur: ventum fuit ad arma, & acies utrimque prodierunt, de qua conspiratione Innocentius Abbati S. Martini ita scribit *lib.* 1. *epist. in edit. Coloma, fol.* 3. [Ex litteris, quas charissimus in Christo filius noster Henricus Hungariæ Rex Illustris ad Sedem Apostolicam destinavit, nobis innotuit, quod contra Serenitatem Regiam cum nobili viro A. Duce, fatre ipsius temerè conspirasti, cui etiam adhuc diceris inhærere. Cùm igitur felicis memoriæ Cœlestinus Papa prædecessor noster sub pœna excommunicationis universis in Hungaria constitutis curaverit inhibere, ne dicto Duci contra salutem Regiam consilium darent aliquod, vel juvamen: Nos tibi, quem publica fama contra ipsius prædecessoris nostri prohibitionem (sicut dicitur) venisse demonstrat, salutationis alloquium denegantes, ad nostram duximus præsen-

præsentiam evocandum, per Ap. tibi scripta mandantes, quatenus usque ad festum Exaltationis sanctæ Crucis proximè venturum, nostro te conspectui repræsentes, ad objecta sufficienter, & rationabiliter responsurus.] Unde his temporibus valde turbata fuerat ipsa Hungaria, ut referunt Æneas Silvius *in epit. decad. lib. 6.* Bonfidius, & alii, quos in sequenti textu laudabimus. Et cùm Henricus ope, & auxilio Strigoniensis Episcopi sedare discordiam intenderet, ipse Episcopus consuluit Innocent. III. utrum votum, quod fecerat Hierosolymam adeundi, posset differre interim, dum paci, & quieti regni Hungariæ intendebat. Cui respondet Innocentius in præsenti textu, ipsum non ideo transgressorem voti esse, eo quod ut sederentur discordiæ civiles, non poterat discedere ab Hungaria, & proficisci in Hierosolymam, ut in alio simili casu ipse Innocentius scribit *lib. 2. regestr. 14. epist. 133.* in hæc verba: [Dilectus filius nobilis vir Walterus, Dominus de Avesnis, transmissa nobis petitione monstravit, quod cùm affixo suis humeris signo crucis ad subsidium Terræ sanctæ voverit proficisci, & se ad iter peregrinationis accinxerit ad exequendum, B. Subdiaconus frater suus, Cantor quondam Ecclesiæ Laudunun. qui devastaverat, Dei timore postposito, & abjecto habitu clericali, hostiliter terram suam incendio multiplici, & rapinis, accinctus balteo militari ab ipso W. monitus assecurare voluit usque ad ejus reditum dictam terram. Sed ab eo recedens animo indignandi, eidem fratri, & ejus terræ graviter adversatur. Unde cùm ex discessu suo irreparabile damnum per ipsum B. sibi, ac ejus terræ timeat proventurum, nobis humiliter supplicavit, ut propter necessitatem hujusmodi, ad exequendum votum emissum, sibi, & familiæ suæ concedere dignaremur inducias competentes. Unde nos venerabilibus fratribus nostris Suessionen. & Melden. Episcopis, & dilecto suo Abbati Longi Pontis Suessionen. Diœc. nostris dedimus litteris in mandatis, ut auctoritate nostra dilationem exequendi votum peregrinationis prædictæ, quamdiu eis constiterit durare hujusmodi, absque dolo, & fraude, necessitatis articulum, concedant eisdem, ipsum, & familiam suam non permittentes supra hoc ab aliquo molestari. Ita quod eo cessante, ad nostrum consilium & mandatum reddat Domino, quod promisit, in terræ sanctæ subsidium properando. Et interim ad subventionem ipsius juxta possibilitatem suam, quemadmodum cum fratre Aimaro Thesaurario domus Militiæ Templi Paris. cui supra hoc scribimus, poterit convenire, competens mittat subsidium: cùm sicut pro certo didicimus, eo plus solito indigeat ipsa terra. Ne igitur occasione cautionis, quam recepistis ab ipso, cùm relaxastis excommunicationis sententiam, quam pro eo, quod votum non exequebatur emissum, tulistis in eum, mandatum nostrum valeat impediri: præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus permittatis, ut juxta præscriptam formam in ipso negotio procedatur. Datum Later. III. Idus Decemb. Pont. N. anno XIV.]

CAPUT VI.

Nobili viro A. (a) *Duci, de prosecutione voti Regis Hungariæ patris sui defuncti.*

LIcèt universis liberum sit arbitrium in vovendo, & necessitas in votis locum non habeat, sed voluntas; usque adeo tamen solutio (b) necessaria est post votum, ut sine propriæ salutis dispendio alicui resilire non liceat ab his, quæ sponte, ac solenniter repromisit. Accepimus siquidem, quod cùm inclytæ recordationis (c) B. quondam Rex Hungariæ pater tuus ageret in extremis, & de sua penitus convalescentia desperaret, votum, quo voverat Domino Hierosolymitan. provinciam in forti manu, & brachio extenso, corde tamen humili, & spiritu visitare, sub interminatione maledictionis paternæ commisit tuæ fidei exequendum: & tu intellectâ piâ voluntate parentis, assumpto crucis signaculo, te id impleturum sine dilatione qualibet promisisti. Verùm eodem patre tuo sublato de medio, cùm Hierosolymitanum iter te accipere simulasses, assumptæ peregrinationis oblitus, quam contra inimicos crucis dirigere debueras, in fratrem tuum, & regnum Hungariæ convertisti aciem bellatorum, & multa contra Serenitatem Regiam malignorum usus consilio commisisti. Nos autem, quos diebus istis ad Pontificatus officium (licèt immeritos) Dominus evocavit, tam paci Regni Hungariæ, quàm tuæ volentes saluti consulere, nobilitatem tuam rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, ac per Apostolica tibi scripta præcipiendo mandamus, quatenus postpositis cæteris solicitudinibus, usque ad festum Exaltationis sanctæ Crucis proximè venturum, debitum acceptæ Crucis exsolvens propositum iter arripias, & humiliter prosequaris. Ne si onus tibi à patre injunctum, & à te sponte susceptum occasione qualibet detrectaveris, paterna te reddas successione indignum, & hæreditatis emolumento priveris, cujus recusaveris onera supportare. Scitu rus ex tunc anathematis te vinculo subjacere, & jure quod tibi, si dictus Rex sine prole decederet, in Regno Hungariæ competebat ordine (d) genituræ, privandum, & Regnum ipsum ad (e) minorem fratrem tuum appellatione postpositâ devolvendum. Datum Later. IV. Kalend. Februarii.

NOTÆ.

(a) *A Duci.*] Andreæ legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. & in hac sexta, & ex epistolis Innocentii III. editis à Sirleto, *fol.* 4. ita restituo inscriptionem, & literam hujus textus.

1. (b) *Necessaria est post votum.*] Consonat in terminis ipse Innocentius *lib.* 4. *regestr.* 16. *epist.* 35. ubi Duci, & populo Venetorum ita scribit: [A memoria vestra non excidit, quàm solenni voto vos ad Terræ sanctæ subsidium adstrinxistis. Licèt autem propositum vestrum ad alia postmodùm declinaverit, votum tamen nihilominus in sua firmitate permansit, quia etsi cuique sit in vovendo libertas, est tamen necessitas in reddendo, cùm sit scriptum: Vovete, & reddite Domino Deo vestro. Quorum primum pertinet ad consilium, secundum pertinet ad præceptum. Cùm igitur opportunum tempus vobis immineat reddendi Domino vota vestra, universitatem vestram rogamus, monemus, & exhortamur in Domino per Apost. vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus vos taliter præparetis, quod non transgressores voti, sed executores diligentes inveniamini, & fideles. Pro certo scientes, quod si fortè divino timore postposito negligeretis efficere quod mandamus, grave vobis immineret salutis dispendium apud Deum, & infamiæ quoque opprobrium apud mundum, quemadmodum è contrario, si quod vobis injungimus, curaveritis adimplere, & laudem apud homines temporalem, & mercedem apud Deum merebimini sempiternam.] Ex Salomonis sententia ajebat Salvianus *de providentia pag.* 71. melius est non vovere, quàm post votum promissa non reddere: quam sapientissimi Regis sententiam his versibus expressit egregius Ecclesiastis Paraphrastes Jacobus Augustinus Thuanus.

Nec voti damnas obstrictam exsolvere differ
Religione fidem: quisquis temeraria vota
Nuncupat, ille Deo invisus. Quod voveris ergo
Redde Deo: melius longè est, & tutius illud,
Nihil vovisse Deo, quàm non persolvere votum.
Ergo memor linguæ effrænis preme cautus habenas,
Ne miserum infando caput obliget illa piaclo.
Non eis errorem turpi prætexere culpæ,
Casta Dei coram si præstes vota ministro,
Profuerit. Justa Deus incandescet ab irâ,
Et tua facta dabit vento rapienda fugaci.

Satius est enim non vovere, quàm votum factum non adimplere, *cap. scimus* 9. §. *quicunque* 12. *quæst.* 1. *cap. sunt quædam* 1. 17. *quæst.* 1. Bernardus *in tract. de præcept. & dispensat.* ibi: *Benedicti regula omnibus proponitur, imponitur nulli: prodest, si devotè suscipitur, non tamen si non suscipitur, obest.* Hoc enim voluntarium, non necessarium; attamen hoc, quod dico voluntarium, si quis ex propria voluntate semel admiserit, & promiserit, tenendum profectò, in necessarium sibi converti; quod & in contractibus procedere docetur *in l. in commodato*, §. *sunt*, *ff. commodati*, *l. sicut*, *Cod. de O. & A.* Illustrat Petrus Gregorius *lib.* 3. *de republ. cap.* 5.

(c) *B.*] Bella videlicet tertius Hungariæ Rex.

2. (d) *Ordine genituræ.*] Licèt successionem in Regnis esse juris hæreditarii, ex hæreditariæque successionis regulis æstimari debere censuerint Emmanuel Costa *de Regni successione* 3. *p. num.* 2. Garsias *de expens.* 3. *p. c.* 16. *n.* 5. Martha *de succes. legal.* 3. *p. q.* 1. *art.* 2. *n.* 59. Lara *in l. si quis à liberis*, §. *idem*, *n.* 136. Pelaez *de major.* 4. *p. q.* 1. Robles *de repræsentat. lib.* 3. *c.* 16. *n.* 30. Matienzo *in l.* 6. *tit.* 7. *glos.* 3. *lib.* 5. *recopil.* verius tamen est, successionem in Regnis specialiter ac propriè ex ordine genituræ, & sanguinis jure deferri, ut supponitur in præsenti, & *in c. intellecto* 33. *de jurejur. cap. grandi*, *de supplend. neglig. lib.* 6. quia neque ut hæreditas ex testamento Regis prædefuncti, neque ut ab intestato dividenda inter plures ejusdem gradus usque ad decimum; sed uni ex Regnorum lege, eique primogenito, aut proximiori, etiam ultra decimum gradum, & in infinitum, & quamvis ultimi Regis hæres non sit; nec exhæredationi, divisioni, aut aliis, quàm ipsius Regni oneribus obnoxia successio regni defertur solo genituræ, & sanguinis jure. Habet itidem adstipulatores post Glossam *verbo Dignitate*, *in cap. scripsit* 26, 27. *q.* 2. Baldum *in d. cap. unic. num.* 6. *vers. Et idem in regno*, *de feudo Marchiæ*, Joan. à Terra Rubea *tract.* 1. *contra rebell. conclus.* 11. & 12. Guill. Monferratum, Amedeum de Ponte, Mieres, & Peregrinum laudatos suprà, ex aliis Lupum, & Palac. Rub. *de retent. Regni Navarræ* 5. *p.* §. 6. *vers. Regnum quidem.* Ludovic. Molin. *de primog. lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 9. & *lib.* 1. *c.* 2. *n.* 10. & *cap.* 8. *n.* 2. & *c.* 9. *n.* 3. Gregorium Lopez *in l.* 4. *glos.* 1. *tit.* 15. *partit.* 2. Valenzuelam *consil.* 198. *in princ.* Molinam Theolog. *disc. disp.* 626. *n.* 8. & sequentibus. & *disput.* 627. *n.* 2, ex innumeris Castillum *lib.* 3. *controv. c.* 19. *n.* 117. Nigr. Cyriac. *tom.* 3. *controv.* 402. *n.* 8. & *seqq.* Robles *de repræsent. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 7. & plenè *lib.* 3. *c.* 16. Azor 2. *p. instit. mor. lib.* 11. *c.* 2. *q.* 13. Petrum Gregor. *lib.* 7. *de Republic. c.* 12. *n.* 1. Amiseum *lib.* 2. *de repub. cap.* 2. *sect.* 7. *n.* 6. Lusitan Joan. Salgad. de Araujo *de lege Regia Portug. disc.* 2. *n.* 44. & *seqq.* River *de succes. Portugal. p.* 1. *n.* 13. & *sequent.* ubi Tapia *in addit. litter.* S. Joan. Ant. Lanar. *consil.* 1. *num.* 23. & *sequent. lib.* 1. & extra controversiam etiam est, vel apud eos, qui neque hæreditario, nec sanguinis jure in Regnis succedi, sed tertio quodam, & regnorum proprio successionis genere asserunt, ut argumento *ex d. c. grandi*, post Purpur. *consil.* 429. *num.* 3. *lib.* 2. ait Zasius *consil.* 8. *num.* 10. *lib.* 1. Alex. Raudens. *tom.* 1. *consil.* 1. *n.* 150. & 153. Castro *in Portug.* 1. *p. c.* 1. *sect.* 1. Hug. Grot. *lib.* 2. *de jure belli c.* 7. *n.* 19. & 25. Et hanc successionem sanguinis, seu Gentilitiam, in Regnis successoriis esse juris gentium, latè probant P. Greg. *lib.* 7. *de repub. c.* 4. Mariana *lib.* 1. *de Regis instit. cap.* 3. Salcedo *lib.* 4. *de regim. Princip. cap.* 1. *num.* 16. Bodinus *lib.* 2. *de repub. cap.* 3. & *libro* 6. *capite* 5. pluribus relatis Illustr. Ramos *in Syntag. pro Episcopatibus Lusit. fol.* 2. *num.* 4.

(e) *Ad minorem fratrem.*] Cum aliàs ipse Andreas præferendus esset ut major ætate, quæ prælatio in Regni successione majoris natu inter alios ejusdem gradus, & sexus cœpit cum ipsis regnis ex præscripto naturalis rationis, & juris gentium. Perseus apud Livium *lib.* 40. *oratione de Regno Macedonico contra fratrem Demetrium*, ibi: *Regnare utique vis? huic spei tuæ obstat ætas mea, obstat gentium jus.* Et statim: *Cupit Regnum, & quidem sceleratè cupit, qui transcendere festinat ordinem ætatis, naturæ, moris*

Mari-

Macedonum, juris gentium: obstat frater major. Justinianus *lib.* 2. *capite* 10. Ex his Artamenes Maximus natu ætatis privilegio regnum vindicabat; quod jus, & ordo nascendi, & natura ipsa gentibus dedit, *l.* 2. *tit.* 15. *part.* 2. faciunt textus *in l. final. ff. de fide instrum. l. cùm pater* 77. §. *pater* 21. *ff. de legat.* 2. Illustrant Gamma *decis.* 385. Tiraquellus *de primog. quæst.* 4. *num.* 31. Illustr. Ramos *ubi proximè, num.* 7. Petrus Gregorius *lib.* 7. *de Rep. cap.* 5. Cyriacus *tom.* 3. *controv.* 402. Nec interest, an filius major natu sit ante adeptam dignitatem, seu Regnum, ut latè probat casu hoc Bellæ adducto Basil. Legion. *quæst.* 4. *schol. per tot.*

COMMENTARIUM.

4. ANtequam præsentis textus disputationem aggrediamur, ejus casus ex historicis Hungariæ repetendus est. Bella tertius Hungariæ Rex, votum fecit proficiscendi in Hierosolymam ut juvaret expeditionem pro recuperanda Terra sancta illis temporibus ab Innocentio III. optatam, & curatam: sed cùm infirmitate præventus illud adimplere nequiret, non propter perturbationem Regni, quæ tunc nulla præcesserat, ut voluit Pancirola *lib.* 2. *var. cap.* 290. Andreæ filio suo secundogenito onus adimplendi votum illud sub interminatione maledictionis paternæ injunxit; qui promisit votum illud impleturum: quare defuncto Bella, & succedente in Regno Hungariæ Henrico, seu Emerico ejus filio primogenito, ipse Andreas crucis signo assumpto, cum exercitu simulavit se Hierosolymam properare; at contra fratrem acies, armaque movit, ut conspiratione Magnatum illum ex Regno ejiceret, sceptrumque occuparet. Sed cum ventum esset ad arma, aciesque utrimque prodiissent, Henricus depositis armis, omnique destitutus comitatu, regale sceptrum manu gestans, per fraternas acies delatus, quærens quis tandem ille foret, qui Regio sanguini manum injicere auderet, Rex, & Victor simul acclamatus fuit. Hæc sciens Innocentius III. anno 1. sui Pontificatus, Jesu Christi videlicet 1200. præsentem epistolam scripsit Andreæ, hortans, monens, & jubens, ut votum à patre emissum, & à se promissum adimpleret usque ad diem Exaltationis sanctæ Crucis, aliàs ex ea die ipsum anathematis vinculo obnoxium subjacere, & simul hæreditate paterna esse privandum, jureque, si quod habiturus esset ad regnum, defuncto Henrico sine liberis. Andreas licèt ab Innocentio III. sæpe excitatus, varias excusationes proponens, valde remissus fuit; interim defuncto Henrico Rege, & paulò post diem functo Ladislao ejus filio, Rex Hungariæ coronatus fuit, & triennium assignatum ab Innocentio, ut prædictum votum adimpleret, ut constat ex epist. 222. *lib.* 3. *regestr.* 15. ipsius Innocentii, ibi: (Oblatis nobis ex parte tua petitionibus quantum cum Deo possumus, grato concurrentes assensu, ad exequendum votum, quo Domino promisisti te ad Terræ sanctæ subsidium profecturum, Serenitati tuæ triennium indulgemus, infra quod sic te studeas præparare, ut ad magni Regis obsequium, tu quasi Rex magnus magnificè proficiscens, dilationis incommodum subventionis commoditate restaures, & sequenti doceas apparatu, te non ad voti dilationem emissi, sed subventionem plenariam inducias postulasse. De Principibus verò tuis non præcessuris te in subsidium Terræ sanctæ nihil ad præsens providimus statuendum, cùm adhuc nihil certi de ipsorum proposito teneamus: sed cùm opportuno tempore fuerimus requisiti; necessarium consilium apponemus, &c.] Et tandem anno 1217. coactus ab Honorio III. & Joanne Cardinali Columnensi, profectus fuit Hierosolymam, ubi non per triennium, ut Blondus *lib.* 2. *decad.* 7. refert, sed vix trimestri tempore illic commoratus abscessit, ut tradunt Joannes Thurozius *in chron. Hungar. p.* 2. *cap.* 75. Petrus Ranzanus *in epit. rer. Hungaric. indict.* 5. Odoricus Raynald. *tom.* 13. *annal. ad annum* 1198. *num.* 11. Bonfidius *rer. Hungaric. decad.* 2. *lib.* 7. cujus intempestivi recessus causam Andreas Honorio III. scripsit ex eo, quia Regnum variis dissensionibus agitatum, diutiùs deserere nequiret: sed aliam causam fuisse præcipitati reditus, ex Bonfidio refert Spondanus *in continuat. Baronii, anno* 1217. *num.* 9. Decessit tandem Andreas anno 1238. postquam regnum tenuit post 32. annos, ut ex historicis Hungariæ refert Cironius *in notis ad textum in c. intellecto* 33. *de jurejur.*

5. Sed præsens Innocentii III. interminatio, seu sententia, difficilis valde redditur sequentibus juris principiis. Primo, quia cùm in legitima portione filio à patre debita nullum gravamen apponi posset, *l. quoniam, C. de inoffic.* quia portio illa non est lucrum testamentarium, sed quasi debitum patrimonium. *l. si quis legatum, §. finali*, ubi Glossa, *C. de codicil.* & non ex judicio testatoris provenit, sed legis providentia, *l. si ad rogatos* 22. *ff. de adopt.* non solùm civilis, verùm & naturalis, *l. cùm ratio* 7. *ff. de bonis damnat. l. scripto, ff. unde liberi, l. nam etsi, ff. de inoffic. cap. si pater, de testam. in* 6. igitur in præsenti, ex eo, quod Andreas parentis votum non solvisset, & onus illud à patre illi fuisset injunctum, privari non debebat successione paterna. Secundo, nam regnum jure sanguinis deferri, & non hæreditario, suprà probavi, & docent Gomez *in l.* 40. *Tauri, num.* 71. Peralta *in l.* 3. §. *qui fideicommissum, num.* 86. *ff. de hæred. instit.* Padilla *in l. unum* 67. §. *si de Falcidia, num.* 16. *ff. de legat.* 2. Acosta *in tract. de patr. & nepot. pag.* 52. Molina *lib.* 1. *de primog. cap.* 9. Mieres *eod. tract.* 2. *p. quæst.* 4. *illat.* 1. P. Molina *de justitia tract.* 2. *disputat.* 654. Alvarado *de conject. ment. lib.* 2. *cap.* 3. *ex num.* 28. Castillo *tom.* 5. *controv. c.* 89. *num.* 81. Fusarius *de substit. q.* 317. *num.* 15. Benedict. Pinel. *lib.* 2. *select. cap.* 8. *ex num.* 14. Garcia *de expensis, cap.* 16. *num.* 27. Parladorius *in sesquicent. diff.* 18. §. 7. & non ab ultimo possessore, sed à primo accipi, vulgò docetur *ex l.* 3. §. *quæ verò, ff. de interdict. l. hæredi*, §. *cùm filiæ, ff. de vulgari, l. unum* 67. §. *si de Falcidia, ff. de legat.* 2. *l.* 2. *tit.* 15. *partit.* 2. *l.* 9. *tit.* 7. *partit.* 7. igitur sicut exhæredare filium pater nequibat, nec Innocentius privare valebat ex eo, quod votum paternum non adimplesset. Quibus difficultatibus ut satisfaciant repetentes in præsenti, & alii congesti à Barbosa, & Garana hîc, Covar. *in cap. si hæredes, num.* 9. *de testam.* Quesada *diversf. qq. quæst.* 32. *num.* 14. Molina *de primog. cap.* 9. *num.* 6. Stunica *de voto quæst.* 4. *num.* 52. Cyriacus *tom.* 3. *controv. cap.* 402. *numer.* 26. varias adducunt interpretationes, inter quas novior, communiorque sententia docet, An-

dream ducem in præsenti casu tria diversa crimina perpetrasse, ob quæ tribus & separatis pœnis ab Innocentio III. puniri, vel fore puniendum comminari poterat. Primum fuit, non implere patris voluntatem, & onus ab eo injunctum negligere: cui respondet pœna privationis hæreditatis, quæ expressa est *in authent. hoc amplius, C. de fideicommiss. cap. si hæredes, de testam.* Alterum fuerat contemnere, nec solvere votum, quod fecerat, & cujus causâ assumpserat signum Crucis, ut Hierosolymam in manu forti, id est cum exercitu visitaret: cui respondet excommunicationis pœna. Tertium fuerat crimen læsæ majestatis in fratrem Hungariæ Regem; unde dignus erat privatione, non solùm earum rerum, quæ tunc possidebat, verùm & cujuscunque futuræ successionis, *l. quisquis, C. ad leg. jul. majest. l. 2. tit. 2. p. 6.* & ideo justè potuit Innocent. III. ipsum privare jure, quod habiturus esset si frater majus sine prole decederet. Sed hæc interpretatio profectò difficultates suprà adductas non dissolvit; nam licèt qui non obtemperavit voluntati testatoris, ejus successione reddatur indignus, *dict. cap. si hæredes*, cum ibi adductis; non tamen ideo privatur legitimâ portione sibi ut filio debita: & si ob crimen læsæ Majestatis privabatur Andreas jure succedendi in ipso regno, quomodo statim non declaratur incapax ejus successionis, sed tantùm eam privationem minatur Innocent. III. si votum usque ad Exaltationem sanctæ Crucis non adimpleverit? immò superstite adhuc ipso Innocentio III. Andreas coronatus fuit defuncto Ladislao Henrici filio, ut suprà retuli. Unde deducitur, privationem illam successionis Regni non comminari ab Innocentio III. ob crimen læsæ Majestatis in fratrem admissum, sed ob negligentiam in voti solutione.

6. Quare hac interpretatione omissâ dicendum est, filium privari posse successione paterna, nec querelâ inofficiosi ipsum impugnare posse patris dispositionem, si gravamini injuncto à patre ipse consentiat, posseque sub contraria conditione exhæredari, *l. non putavit 8. §. si quis sua manu, ff. de bonor. possess. contra tab.* argumento legis *multi non nota, ff. de liber. & posth. l. cùm donationis, C. de transact.* docent Covar. *in cap. Raynutius, §. 2. de testam.* Menchaca *de success. creat. lib. 1. §. 10. num. 529. ff. de condit. & demonstr.* Valdes *ad Roderic.* Suarez *in l. quoniam, ampliat. 10. C. de inoffic.* Unde cùm onus adimplendi votum in præsenti casu filio assentienti injunctum fuisset, ibi, *assumpto crucis signaculo promisisti*; ideo rectè potuit per Innocentium III. privari ipsa successione paterna, si patris voluntati non paruit, cui promisit expressè votum adimplere. Ita docuerunt Covar. *in dict. cap. si hæredes, num. 8. de testam.* Peralta *in l. 3. §. qui fideicommissum, ff. de hæred. instit.* Molina *lib. 1. de primog. cap. 5. num. 5.* Pereyra *de manu Regia cap. 14. num. 6. fol. 132.* Gregorius *in l. 4. gloss. 3. titul. 15. partit. 2.* Bened. Pinellus *lib. 2. select. cap. 8. num. 17.* Cyriacus *tom. 3. controv. 402. ex num. 24.* Huic privationi propter negligentiam adimplendi votum à patre emissum à se sponte susceptum, consequens erat interminatio anathematis, quâ censurâ plerunque Romanam Ecclesiam usam in supremos Principes contumaces, jure certum est, ut constat ex exemplis adductis à Corjolano *in breviario, anno 1523.* & ex suprà adductis *in capite novit, de judiciis.* Etiam consequens erat comminatio privationis Regni, seu juris ad illud, si Andreas contumax esset, & remisisset votum quod adimplere promiserat, solvere, *capite alias, cum sequent. 15. quæstion. 2. cap. venerabilem 34. §. unde, de elect. capite licèt, de foro compet. capite excommunicemus 13. §. moneantur, de hæret. cap. ultimo, de pœnis, capite ad Apostolicæ, de rejudic. libro 6. Clement. unic. de jurejurando, extravag. unic. vers. Sanè,* Joannis XXII. *ne sede vacant.* Probant, & variis historiis illustrant plures congesti à Barbosa *tom. 6. in select. ad textum in capite si Papa 6. 40. distinct.* Pereyra *de manu Regia, prælud. 2.* Diana *part. 1. tract. 2. resol. 122. & p. 10. tractat. 6. & in additis ad eandem partem tract. 1. resol. 5.* quibus addendi sunt Baronius *anno 751.* Antonius Augustinus *in epit. lib. 1. titul. 16.* Germonius *lib. 3. de sacror. immunit. capite 13. ex numero 39.* Coqueus *in Antimorn. fol. 21.* Leo *contra Waramundum, capite 10.* Zypeus *in hiatu Cassan. fol. 17. & 20.* Bellarminus *in prolog. lib. de potest. Papæ.* Solorzanus *tom. 1. de jure Indiar. lib. 2. cap. 22. ex num. 22. & cap. 23. & 24.* Salcedo *lib. 3. de regim. Princ. cap. 10. dissert. 36. & capite 19. dissert. 41.* Lantdmeter. *lib. 3. de veteri mon. cap. 3. §. Transeo,* Marius Cutellius *de Eccles. libert. lib. 2. quæst. 4. num. 72.* Cardinalis Jacobus, & Petronius *in concione ad Populum Francia,* quæ Latina extat *in continuat. hist. Tuani, lib. 8. ad annum 1615. pag. 490.* Illustr. Ramos *ad Alexand. VII. pro Episcop. Lusit. propos. 5. num. 22.* Unde cùm adeo gravis causa adesset in præsenti casu, videlicet violatio fidei patri datæ, & contumacia in non adimplendo votum expeditionis in Terram sanctam, ideo Innocentius III. comminatur privationem non solùm successionis paternæ, verùm & juris, si quod habiturus esset Andreas ad Regnum Hungariæ, defuncto fratre sine liberis. De obligatione adimplendi votum à defuncto emissum agit Marinis *lib. 1. resol. cap. 165.* qui ex aliis resolvit, successorem non teneri vota personalia adimplere, realia verò omnino, & ad id compelli posse per judicem ecclesiasticum.

❁

CAPUT VII.

Innocentius III. (a) *Trecen. Episcopo.*

MAgnæ devotionis indicium, & synceræ in Christo tuæ fidei esse credimus argumentum, quod ut novissima tua Domino consecrares, nec senectutis jam

iam imminentis incommoda, nec discrimina viæ, nec dubia fides, & inconstans inconstantia pelagi terruerunt, quin pro salute animæ tuæ ac libertate Trecen. Eccles. & devotione terræ nativitatis Domini Hierosolymitanas provincias te disponeres visitare. Cùm enim Trecen. Ecclesia (sicut ex tua relatione didicimus) contra ecclesiasticam libertatem indebitis gravaretur angustiis, & pressuris, nec per alium quàm per N. quondam (b) Campaniæ Comitem, tum in ultramarinis partibus constitutum, afflictionibus ejusdem Eccles. posse crederes de facili subveniri, confisus de liberalitate ipsius, quem si ad eum accederes, tibi super necessitatibus Eccles. tuæ credebas humiliter provisurum, præter concilium charorum tuorum ad ipsum proposuisti accedere, ac in signum peregrinationis, & devotionem terræ Orientalis, crucem Domini (c) assumpsisti. Licèt autem ut non vacuus in conspectu Domini appareres, sed aliquos tecum manipulos in aream Domini cum exultatione deferres, sermonem ad populum feceris, ut aliqui tecum assumpto crucis signaculo subirent itineris gravitatem, vix tamen unus inter omnes apparuit, qui verbum tuum reciperet, & impleret: tu verò ut laudabile propositum fine clauderes meliori, viam aggressus, cùm (d) Placentiam perveniss̃es, super morte ipsius Comitis tristes recepisti rumores: propter familiam tamen dissimulato mœrore, progressus in Thusciam quosdam familiares tuos obvios habuisti, qui te volebant invitum etiam ab itinere revocare, asserentes iter tuum nec tibi, nec ultramarinis partibus expedire; cum Gallicanis omnibus exinde redeuntibus terra illa defensanda in Theutonicorum manibus remansisset. Quamvis autem super morte ipsius Comitis immensam tristitiam concepisses, & (e) præcipuam intentionem tuam esse conspiceres jam frustratam, noluisti tamen sine consilio Apostolicæ Sedis, quæ disponente Domino cunctorum fidelium mater est, & magistra, ad propria remeare. Ingressus igitur postmodùm Urbem, & in nostra præsentia constitutus, intentionis tuæ propositum, ac statum Trecen. Eccles. nobis humiliter expressisti, nostrum, & fratrum nostrorum consilium cum devotione requirens. Venerabilis etiam frater noster (f) Senonen. Archiep. Metropol. tuus statum Trecen. Eccles. & dispendium, quod ex absentia tua incurrere poterat, semel, & iterum nobis per suas literas intimavit: propter quod disposuimus deliberare cum fratribus, an cum eadem Trecen. Eccles. misericordiam faceremus, te ad gerendam ipsius solicitudinem remittentes; an (sicut tenebaris ex voto) te iter arreptum perficere pateremur; & utrum horum, tam saluti tuæ, quàm terræ Orientali potius expediret. Et quidem tria præcipuè duximus in hoc negotio attendenda: quid liceat, quid deceat, quid expediat. Quid liceat secundùm æquitatem: quid deceat secundùm honestatem: quid expediat secundùm utilitatem. Sanè non videbatur contra votum, & tam laudabile propositum, licitum ut venires, cùm vox exclamet (g) prophetica: Vovete, &(h) reddite Domino Deo vestro: ut primum ad consilium, secundum verò ad Imperium referatur. Et in (i) Evangelio: Reddite quæ sunt Dei, Deo. Votum enim istud non est dubium esse Dei, cui te obligaveras vovendo. Sed nec decere quomodolibet videbatur, cùm sit scriptum in Evangelio: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est Regno Dei. Et in (j) Genesi uxor Loth, quæ retro respexit, in salis statuam legatur fuisse conversa. Et in actibus (k) Apostolorum Ananias, & Sapphira, qui abierunt retrorsum, sancto Spiritui mentientes, à conspectu Apostolorum Principis mortui scribantur successivè delati. Præterea non videbatur aliquatenus expedire, cùm ex absolutione tua, si fieret, scandalum posset laicorum mentibus generari, dicentium: Ubi est Deus clericorum? Et hoc exemplo credentium se ad voti observantiam non teneri, quod viderent per Ecclesiarum Rectores Apostolicæ Sedis auctoritate deponi, per quod grave dispendium terræ Orientali contingeret provenire. Quod enim agitur à Prælatis, facilè trahitur à subditis ad (l) exemplum: juxta quod Dominus inquit ad Moysem (m) in Levit. Si sacerdos, qui est unctus, peccaverit, facit delinquere populos. Verùm ætatis jam in te senescentis defectus; & canities, quæ vix labores, & dolores suos tolerare poterit, etiam in quiete, in contrarium allegabant; & Ecclesiæ Trecen. suspiria, cui vinculo pastoralis solicitudinis alligatus, sine ipsius assensu votum peregrinationis emittere forsitan non debueras; & dicti Metropol. tui, qui nos, ut Trecen. Eccles. misereremur, solicitè invitabat, instantia nos in partem contrariam non modicùm inducebant. Ipsum etiam, quod ex sui forma sanctum & honestum votum erat, ex persona voventis minùs licitum

rum videbatur: quæ licèt pennas habeat, quibus satagat advolare ita tamen adstrictæ sunt nexibus præsidentis, ut liberum non habeat absque ipsius permissione volatum. Cùm enim juxta sacrorum (n) canonum instituta clericus absque Episcopi sui licentia peregrinari non debeat, & Episcopus non minùs, immò potiùs Sedi Apostolicæ sit adstrictus, videri poterat, quod absque ejus generali, vel speciali licentia votum peregrinationis, quo te tamdiu absentares, emittere non deberes. Minùs etiam votum ipsum terræ Orientali videbatur expediens, quæ plus pugnatorum subsidium, quàm clericorum, quos & officium, & dissuetudo reddit imbelles, ministerium in instantis articuli necessitate requirit. Quamvis enim orationibus tuis, & aliorum terra illa vehementer indigeat, quia tamen jam impletum est verbum Dei dicentis: Venit hora, & nunc est, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem. Et infrà: Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare. Videri poterat, quod non minùs in Ecclesia tua, quàm in terra Orientali proficeres piis orationibus apud Deum in his, quæ pro liberatione ipsius justè, ac humiliter postulares. Et utinam cum Moyse posses in montem ascendere, ut te manibus extensis orante, Josue pugnans in solitudine Amalechitas in ore gladii superaret. Credebatur etiam quod terræ Orientali magis accederet, si quod in tuis, & tuorum clericorum procurationibus fueras impensurus, secundum alicujus religiosi arbitrium transferretur in subsidium bellatorum. Cùm igitur in lege veteri, in qua non minùs præceptum Domini obligabat, quàm votum hodie obligat in Ecclesia, primogenita, quæ Domino mandabantur offerri, quædam redderentur Domino, ut primogenita Levitarum; quædam redimerentur, ut aliarum tribuum, quædam (o) commutarentur in aliud, sicut primogenitum asini, quod ove commutabatur: ex hoc attendentes, quod votum etiam commutari possit in opus aliud pietatis, præsertim cùm bonæ memoriæ (p) A. Papa prædecessor noster votum peregrinationis etiam redimi posse, vel in aliud commutari (q) responderit requisitus: non curantes quid os iniqua loquentium loquatur, dum tamen non recedamus à tramite veritatis, cùm secundùm Apostolum gloria nostra sit testimonium conscientiæ nostræ: & scandalum non curantes, præsertim quia non in tenebris, sed in luce procedimus: de illius auctoritate securi, qui cùm audisset à discipulis, Nonne scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt? Respondit: Sinite illos, cæci sunt, duces cæcorum. Et juxta Apostolum: Si hominibus placerem, Christi servus non essem: tibi pro te, & sex famulis tuis de communi fratrum nostrorum, & tam Archiepiscoporum, quàm Episcoporum, & aliorum prudentium consilio, quos per Dei misericordiam nobiscum multos præsentes habuimus, licentiam concedimus votum peregrinationis taliter commutare, ut omnes expensas, quas fueras in eundo, morando, & redeundo facturus, alicui religioso committas in necessarios usus terræ illius sine diminutione qualibet transferendas. Sic enim & Orientali provinciæ, quæ plus tuis, quàm te in articulo necessitatis instantis indiget, tua subventione proficies, & Trecen. Eccl. tuâ præsentiâ, & regimine utiliùs providebis: ac per hoc animæ tuæ salubriùs consuletur, Laborem etiam laboribus recompenses, solicitiùs instando vigiliis, devotiùs vacans orationibus, & jejuniis fortiùs te exercens, ac super grege tuo vigilans solicitudine pastorali. Ad hanc autem indulgentiam tibi de benignitate Sedis Ap. faciendam id etiam specialiter nos induxit, quod iter tuum jam non videbatur ultramarinæ provinciæ fructuosum, à qua ferè omnes Galli remearunt. Et cùm pro salute animæ tuæ, ac libertate Trecen. Eccl. per prædictum Comitem assequenda præcipuè votum peregrinationis emiseris, eo sublato de medio, quia cessaverunt causæ, facilius (r) cessare potuit & effectus. Nulli ergo, &c. Datum Lateran. Idibus Martii.

NOTÆ.

1. (a) *Trecen.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc titul. cap.* 5. & in epistolis Innocentii III. editis Coloniæ, *fol.* 32. ex quo regestro ita restituo literam hujus textus. Episcopus hic Heruæus dictus Ecclesiam Trecen. rexit ex anno 1193. usque ad annum 1223. de eo agitur *in cap.* 25. *de præb. cap. dilecti* 55. *de appellat.* Ejus præclaram vitam exprimit epitaphium, quod in ejus sepulchro legitur, & referunt Fratres Sarmath. *tom.* 3. *Galliæ Christ. fol.* 182.

(b) *Campaniæ.*] Campania, campestris, & plana Provincia, unde illi nomen est, ut notavi *in cap.* 1. *de corpore vit.* dividitur in superiorem, & inferiorem: sub inferiori Tricasses, Joignii, Bassignii, Valages in superiore

petiore territorium Pertense collocatur. Primus Campaniæ Comes fuit anno 999. Hugo, vel Eudo, Theobaldi Blesensis filius è sorore Conradi II. Imperatoris. Comitatus autem hic Coronæ Franciæ primùm accessit sub Philippo Pulchro per connubium cum Joanna filia Henrici Comitis Campaniæ. Ex Philippo nati sunt Ludovicus, Hutinus, Philippus Longus, & Carolus Bellus, qui omnes successivè in Gallia regnarunt. Ludovicus autem unicam filiam reliquit, quæ successit in Regno Navarræ, non tamen in Comitatu Campaniæ, & Bryæ, quia Coronæ dicebantur annexi, quemadmodum postea anno 1361. Joannes Rex indissolubiliter univit, ut refert Altesserra *de Ducibus & Comitibus, cap.* 12.

(c) *Crucem Domini assumpsisti.*] Juxta morem fidelium, quem referam, & illustrabo in textu sequenti.

(d) *Placentiam.*] De qua urbe nonnulla adduxi *in cap. final. de juram. calum.*

(e) *Præcipuam intentionem.*] Cùm votum Episcopus suscepisset non solùm pro salute animæ suæ, verùm etiam ut consuleret Ecclesiæ propriæ apud Comitem Campaniæ.

(f) *Senonensis.*] Michaël videlicet, qui obiit anno 1199. De Ecclesia Senonensi nonnulla adduxi *in cap. 6. de constit.*

(g) *Prophetica.*] *Psalm. 75. vers.* 12. ibi: *Vovete & reddite Domino vestro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera.*

(h) *Reddite.*] *Matthæi cap.* 12. *vers.* 17.

(i) *Evangelio.*] *Lucæ cap.* 9. *vers.* 62.

(j) *Genesis.*] *Cap.* 19. *vers.* 26.

(k) *Actibus Apostolorum.*] *Cap.* 5. *vers.* 5. *&* 10.

3 (l) *A subditis in exemplum.*] Consonat caput 3. *hoc tit. in* 2. *collect.* Efficaciam exempli & imitationis superiorum in populis sibi subjectis, & quod magis illorum facta, quàm leges, & edicta in componendis, & corrigendis subditorum moribus operantur, satis probat Claudianus ibi:

—— Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, ut vita regentis:
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Qui ultimus versus jam in adagium transire videtur, ut constat ex nova eorum collectione apud Erasmum, & *cap.* 19. *Eccles.* legitur: *Secundùm judicem populi, sic & ministri ejus; & sicut Rector civitatis, tales inhabitantes in ea.* Faciunt Plato *lib.* 8. *de Repub.* Plerumque accidit ut ij, qui subsunt, mores eorum exprimant, sub quorum Imperio degunt. D. Chrysostomus *de sacerd. serm.* 3. *capite* 14. Solet enim civium multitudo suorum Principum mores tanquam exemplar aliquod intueri, & ab illorum ratione sese effingere. Cassiodorus *lib.* 3. *epist.* 12. *Publici decoris mater est mens regentis; & quale fuerit dominantis arbitrium, talem parit libertatis aspectum.* Facilius quippe (si dicere fas est) erraret natura, quàm dissimilem sui Princeps possit formare Rempublicam. Plura congessit Solorzanus *embl.* 29.

4 (m) *Levitico.*] *Cap.* 4. *vers.* 3.

(n) *Sacrorum canonum.*] *Cap. non oportet, de consecr. dist.* 5. Concilium Cabilon. sub Carolo, *can.* 44. Presbyteros Romam, sive Turonum absque licentia Episcopi sui pergere, decrevimus inhibendum: immò nec laicis licebat sine litteris proprii Episcopi peregrinari, *dicto cap. non oportet:* cujus prohibitionis rationem tradit, & illustrat Savarus *ad Sidonium lib.* 1. *epist.* 5. *vers. Priusquàm.*

(o) *Commutaretur.*] Juxta tradita suprà *in cap. hoc tit.*

(p) *A Papa.*] Alexander III. videlicet, transcriptus *in dict. cap.* 1.

(q) *Respondit.*] *Cap.* 15. *Divi Matthæi.*

(r) *Cessare debuit.*] *Cap. cùm cessante, de appellat.* Illustrat Balboa *in cap.* 8. *de jurejur.*

COMMENTARIUM.

EX hoc textu communiter deducitur, posse 5
Pontificem justâ ex causâ commutare votum peregrinationis ad Terram sanctam in eleemosynas, jejunia, & similia opera: quæ sententia licèt verissima sit, cùm Pontifex non solùm quodcunque votum possit commutare, verùm & relaxare; tamen in præsenti casu nullam commutationem fuisse necessariam, siquidem votum nullum erat, ex duplici causâ probatur. Prima quia votum Episcopi Trecen. invalidum erat, quia irrequisito Pontifice, & absque licentia proprii Metropolitani, non poterat Episcopus deserere propriam Ecclesiam, & tam longinquam peregrinationem vovere, ut docuerunt Sylvester *verbo Votum* 3. *q.* 1. *num.* 4. Azor *p.* 1. *instit. lib.* 11. *cap.* 16. *q.* 2. Filliucius *tract.* 26. *cap.* 6. *num.* 169. & hoc votum esse invalidum, quia materia est jure naturali, & divino prohibita, post Paludanum, Angelum, Sanchez, & alios docet Thomas Hurtado *tom.* 1. *de resid. resol.* 13. *num.* 5. Ergo Episcopus Trecensis nulla indigebat relaxatione, aut commutatione Pontificis. Secunda, quia cessante causâ propter quam votum emittitur, cessat ejus obligatio, ut post Suarium & Sanchez probant plures congesti à Barbosa *hic*, Balboa *in cap. si verò* 8. *num.* 75. *de jurejur.* Sed in præsenti specie cessavit causa peregrinationis, ut constat ex illis verbis: *Ad hanc autem indulgentiam tibi faciendum specialiter nos induxit, quod cùm pro libertate Trecensis Ecclesiæ per dictum Comitem assequenda præcipuè votum peregrinationis emiseris, eo sublato de medio, quia cessavere causæ, facilius potuit cessare & effectus.* Ergo si ex hac duplici causâ nullum erat votum in præsenti casu emissum ab Episcopo Trecensi, ad quid necessaria fuit Pontificis commutatio, seu relaxatio. Agnoverunt difficultatem repetentes in præsenti, Sanchez, Suarez, Azor, & alii relati à Barbosa *in collect. ad hunc textum:* quibus omissis Hurtado *ubi suprà, numero* 31. asserit, in præsenti casu necessarium fuisse commutationem, quia votum validum fuit, si non absolutè, conditionaliter, si Papa licentiam præbuisset: unde quia propter conditionem imbibitam obligatus fuerat, necessaria erat commutatio, ne scandalizarentur laici, & dicerent: *Ubi est Deus clericorum?* ex hocque exemplo crederent, quod non tenebantur ad voti observantiam. Quare cùm votum hoc validum esset sub conditione, si Papæ placuerit, tenebatur Episcopus requirere Pontificis consensum: & quia Innocentius non consensit, quia ex parte cessaverat causa voti, necessaria fuit commutatio obligationis Episcopi, quatenus ex sua parte votum implere tenebatur. Sed hæc interpretatio facilè refellitur; nam Innocentius III. nullam facit mentionem consensus à se præstiti, aut

præstandi tacitè, vel expressè; immò ex textus serie constat, Episcopum non solùm votum emisisse, verùm & iter arripuisse, Placentiamque pervenisse, nullâ expectatâ Pontificis licentiâ; nec Innocentius inde conqueritur, aut se consensisse tacitè, vel expressè innuit. Quare verius credo, Episcopum absolutè votum peregrinationis emisisse, nullâ habitâ relatione ad licentiam Pontificis tacitam, vel expressam. Quare eâ solutione omissâ ex historia illius temporis vera interpretatio præsentis textus petenda est. Temporibus enim Innocentii III. dum de expeditione in Terram sanctam solerter agebatur, non solùm laicos, verùm & Episcopos invitari ad eam expeditionem, constat *ex cap. non est, hoc tit.* & variis Innocentii epistolis, refertque Spondanus post Baronium *anno* 1199. *& sequenti*; unde eo tempore licitum erat votum in Hierosolymitanum subsidium facere & adimplere ab Episcopis, inconsulto R. Pontifice, ut docent *in cap. scripturæ, hoc tit.* Butrius *n.* 4. Abbas *num. ult.* Cardinalis, & alii relati à Thoma Sanchez *lib.* 4. *summæ, cap.* 2. Unde licitè, & validè juxta morem illius seculi potuit Episcopus Trecensis votum Hierosolym. emittere, tenebaturque illud adimplere, nisi à Pontifice justis ex causis, ut in præsenti casu contigit, fuisset commutatum. Pro secundæ difficultatis solutione varia adduxerunt relati à Barbosa *in præsenti*, Balboa *in cap. si verò, num.* 73. *de jurejur.* Trullench 2. *p. in Decal. lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 4. *num.* 12. Stunica *de voto cap.* 4. *num.* 104. distinguentes inter causam impulsivam, & finalem; ita ut in præsenti specie causa adeundi, videndique Comitem Campaniæ esset impulsiva, & non finalis; & ita eâ deficiente, adhuc persisteret obligatio adimplendi votum. Sed facilius responderi potest asserendo, in præsenti specie duplici ex causa Episcopum votum emisisse. Prima, præcipuaque ob salutem animæ propriæ: secunda, ut de libertate Ecclesiæ Trecensis ageret cum Comite Campaniæ. Unde licèt per mortem ipsius Comitis hæc secunda causa deficeret, prima tamen, præcipuaque, videlicet expeditio in Terram sanctam, adhuc vigebat. Unde necessariò propter eam votum implendum erat, nisi à Pontifice rationibus in præsenti adductis commutaretur: & ita apparet commutationem necessariam fuisse, rectéque ex hoc textu Doctores deducere, Pontificem posse commutare votum, etiam Hierosolymitanum, in jejunia, eleemosynas, & similia opera pia.

CAPUT VIII.

Idem *Cantuarien.* (a) *Archiepiscopo.*

QUod super his Sed. Apost. consulere decrevisti, quorum exequutio spectat ad officium pastorale, s. r. in Domino commendamus, sperantes, quod per responsionem nostram instructus, diligentiùs ea exequeris. Quæsisti sanè de his, qui in succursum Terræ sanctæ (b) signo crucis assumpto, propter infirmitatem, vel paupertatem, vel aliam justam causam votum peregrinationis non possunt utiliter adimplere, quid tibi sit faciendum, cùm per A. s. sine districtione receperis in mandatis, ut eos, & qui signum crucis assumptum abjecerunt, ad resumptionem ipsius, & executionem voti per cens. eccl. ap. rem. compelleres, non obstante aliquâ indulgentiâ, si qua fortè per surreptionem à prædec. nostro fuerat impetrata. Nos autem inquisitioni tuæ r. respondemus, quod debiles, & inopes magis illuc in defectum, quàm ad profectum accedunt; cùm isti pugnare non possint, & illi mendicare cogantur; nisi fortè sint Nobiles, & Magnates, qui suis secum expensis bellatores adducunt; vel artifices, & agricolæ, qui de laboribus suis sibi possunt acquirere necessaria, & Terræ subsidia ministrare, quamvis non multi talium propter brevitatem possessionum, & paucitatem inhabitantium sint opportuni. Verùm credimus distinguendum inter illos, qui temporalem; & eos, qui perpetuam impedimenti causam creduntur habere: quòd primis est indulgenda dilatio, secundis autem est redemptio injungenda; ac rerum facultate pensatâ, quas possent, aut quas facturi essent expensas, personarum præterea recompensato labore, in subsidium Terræ sanctæ transmittant, exequentes per alios, quod per se nequeunt adimplere. Rursus inter illos, qui pro defensione Terræ sanctæ votum peregrinationis emittunt, & eos quibus pro satisfactione suorum criminum iter peregrinationis injungitur, credimus distinguendum: quod circa primos plus Terræ sanctæ succursus; & circa secundos plus labor itineris secundùm intentionem voventis, vel pœnitentis debet attendi. Unde si quis hoc modo voventium est inutilis ad pugnandum, quamvis habilis ad eundum, melius est redimere votum, quàm expensas consumere: quod & de pœnitente, qui propter debilitatem non potest iter injunctum peregrinationis implere, sanè valet intelligi; non autem de illo, qui quamvis sit impotens ad bellandum, potens tamen est ad eundum. Super his autem diligens discretio est adhibenda, ne quid prece, vel pretio, amore, vel odio, sive occasione quacunque contra salutem animæ, vel utilitatem Terræ quomodolibet attentetur. Unde per viros religiosos, & providos dispen-

dispensationem hujusmodi volumus providere. De mulieribus autem hoc credimus observandum, ut quæ remanere noluerint, viros suos sequantur euntes. Cæteræ fortè nisi sint divites, quæ secum in suis expensis possint ducere bellatores, votum redimant, quod voverunt, aliis ad Terræ sanctæ subsidium singulis secundùm proprias facultates diligenter inductis.

NOTÆ.

1. (a) *Cantuar.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 5.* & *in cap. quod super, de majorit. & obed. cap. quod super, de fide instrum.* ubi extant aliæ partes hujus epistolæ, ut ibi notavi.

2. (b) *Signo crucis.*] Qui arma sumebant pro recuperanda Terra sancta, cruce insigniebantur, ut eo fidentiùs adversùs crucis hostes dimicarent, & ad omnia pericula crucis, & Crucifixi amore promptiores essent: quare qui nomen dabant illi sacræ militiæ, aut peregrinationem pro expeditione Terræ sanctæ faciebant, vulgò crucem sumere, seu accipere dicebantur. Guillel Tyrius *lib. 1. de bello sacro*, Petrus Diaconus *lib. 1. chron. cap. 11.* Otho Frising. *lib. 7. cap. 2. Hi omnes è diversis nationibus, & linguis in unum corpus adunati, crucem in vestibus portantes, crucis Christi discipulos verbo, & opere se fore prædicabant, ac crucis virtute confisi, contra inimicos crucis in Domino dimicaturi iter aggrediuntur.* Idem *lib. 1. de gestis Friderici, cap. 37. Cunctis, qui aderant, ex priore rumore excitatis, ad accipiendam crucem ultrò occurrentibus, tres accepere eadem hora crucem Episcopi, Henricus Ratisbonensis, Otho Frisingensis, Reginbertus Passaviensis, & Dux Noricorum Henricus, frater Regis, de ordineque Comitum, Nobilium, virorum illustrium innumerabiles.* Qui animû peregrinationis sacræ suscipiendæ habebant, in fronte, vel pectore signum crucis præferebant, qui autem in procinctu erant, inter scapulas retrò ponebant. Robertus monachus *lib. 2. histor. Hierosolym.* Bertholdus *in chron. ad annum 1006. Omnes quoque, qui se ad hoc iter devoverunt, signo crucis seipsos in vestibus notare fecit; quod etiam signum in ipsa carne notatum apparuit.* Neubrigen. *lib. 3. hist. Angliæ, cap. 22.* notarunt Juretus *ad epist. 173. Ivonis Carnot.* Bosquetus *ad Innocentium III. lib. 3. regestr. 15. epist. 197.* Crux que illa aliquando erat purpurea, à qua sacri milites cruce signati appellabantur, Carol. Sigen. *lib. 9. de Reg. Ital.* ibi: *Signum ejus expeditionis fuit crux è purpureo panno confecta, quam primus è Pontificibus Urbanus salutaris in signum expiationis indulsit vestibus super dexteram scapulam affingendam.* Unde qui profecti sunt in eam expeditionem, Crucesignati, & ipsa expeditio Cruciata vocata est. Inde etiam concionatores, qui Reges & alios Principes ad hoc sanctum bellum incitabant, crucem prædicare dicebantur. Concilium Lateran. sub Innocentio III. *in fine*: quam crucis signationem pro recuperatione Terræ sanctæ primùm cœptam sub Urbano II. referunt Wilhelmus Tyrius *lib. 1. cap. 14.* & Bertholdus *ad annum 1095.* ibi: *Omnes, qui se ad iter devoverunt, signo crucis in vestibus notari fecit in Concilio apud Claromontem.* Notavit Cironius *in cap. 1. de statu monach. in 5. compil.* Ipse etiam Urbanus in eodem Concilio omnes Crucesignatos, qui crucem assumpserant, sub peculiari protectione Ecclesiæ Romanæ accepit. Willelmus Tyrius *dicto lib. 1. cap. 15.* ibi: *Sub Ecclesiæ defensione, & BB. Petri, & Pauli protectione, tanquam veræ obedientiæ filios recepimus, & ab universis inquietationibus, tam in rebus, quam in personis statuimus manere securos.* Ordericus Vitalis post relatam Urbani orationem pro expeditione Terræ sanctæ. Idem Urbanus II. eandem tuitionem confirmavit *in can. 2. Concilii Claromont.* ibi: *Item placuit, omnia bona eorum, qui Hierosolymas pergunt, semper, & ubique esse salva in pace, & tregua, quousque redierint.* Firmavit etiam Concilium Lateran. sub Callixto II. anno 1122. *cap. 2.* ibi: *Eis, qui Hierosolymam proficiscuntur, & ad Christianam gentem defendendam, & tyrannidem Infidelium debellandam efficaciter auxilium præbuerint, suorum peccatorum remissionem concedimus, & domos, & familias, atque omnia bona eorum in B. Petri & Romanæ Ecclesiæ protectione, sicut à Domino nostro Papa Urbano statutum fuit, suscipimus. Quicunque ergo ea distrahere, vel auferre, quamdiu in via illa morantur, præsumpserint, excommunicationis ultione plectantur.* Idem postea constituit Gregorius Pontifex, ut refert Guill. Neubrig. *lib. 3. hist. Angl. cap. 20.* ibi: *Scilicet ut bona eorum, qui crucem acceperant, cum suis famulis, sub sanctæ Romanæ Ecclesiæ, nec non Archiepiscoporum, & Episcoporum atque aliorum Prælatorum Ecclesiæ protectione consistant.* Quare prætextu hujus tuitionis ecclesiasticę, si quæ de rebus ad Crucesignatos pertinentibus quæstio moveretur, Episcoporum erat cognitio, qui censuris invasores obstringebant, ut testatur Ivo Carnot. *epist. 173.* qui cùm diu inde disceptassent, non potuerunt in unam convenire sententiam, dicentes, novam esse institutionem de tuitione ecclesiastica impendenda rebus militum Hierosolymam proficiscentium, nec scire utrum hæc tuitio ad solas pertineat proprietates eorum, an etiam pertineat ad cæsamenta eorum; largæque indulgentiæ illis concessę fuerunt, *cap. excommunicamus, de hæretic.* Unde D. Bernardus *epist. 322.* ita hortatur ad hoc bellum suscipiendum Clerum, & populum Spirensem: *Habes nunc fortis miles, habes vir bellicose ubi dimices absque periculo, ubi vincere gloria, & mori lucrum: si prudens mercator es, si conquisitor hujus sæculi, magnas quasdam tibi nundinas indico; vide ne pereant. Suscipe signum crucis, & omnium pariter, de quibus corde contrito confessionem feceris, indulgentiam obtinebis. Materia ipsa si emitur, parvi constat; si dè voto assumitur, humero valet sine dubio regnum Dei: bene ergo fecerunt, qui cœleste signaculum jam susceperunt.* Plura de ipsius Cruciatis, & hac sancta expeditione congesserunt Grethserus *lib. 2. de cruce, cap. 58.* & *p. 2. lib. 2. cap. 10.* & *p. 13. de Cruciatis*, Beyerlinch. *tom. 6. in Theatr. verbo Peregrinatio*, Juretus *ad epist. 173. Carnot.* Baronius *anno 1095.* Mornacius *in l. 4. C. de prec. Imper. offer.* P. Marcha. *in not. ad Concilium Claromont. pag. 418.* & *in concord. sacerd. lib. 4. cap. 15.* & *lib. 5. cap. 21.* & in locum horum Crucesignatorum successerunt officiales, & ministri S. Officii, qui illorum privilegiis fruuntur. Bobadilla *tom. 1. polit. lib. 2. cap. 18. num. 35.* Carleval. *de judic. tom. 1. tit. 1. disput. 2. num. 427.*

CAPUT

CAPUT IX.

IN hoc textu tantùm proponitur explicatio antecedentis, seu potiùs pars ipsius est, ideoque eidem Præsuli in eo rescribitur, & tantùm aliqua dubia, quæ circa votum ultramarinum, & ejus commutationem, seu redemtionem oriri poterant, resolvuntur; quare illum omitto, per eadem tamen verba refertur in tertia compilatione, *sub hoc titul. cap.* 5. & ejus commentarium petendum est ex traditis *in cap.* 1. *hoc tit.*

CAPUT X.

Idem *Gebennensi* (a) *electo*

PEr tuas nobis litteras intimasti, quod cùm in (b) Gratianopolitana Ecclesia susciperidi habitum regularem votum solenniter emisisses, & postmodùm promisisses in (c) manibus Episcopi ejusdem Ecclesiæ, te infra duos menses postquam ab Apostolica Sede rediisses, ad quam eo tempore accedebas, votum quod emiseras, impleturum, ac termino ipso transacto, non curasses quod voveras adimplere, tandem existens in voti transgressione hujusmodi, vocatus fuisti ad regimen Ecclesiæ Gebennensis; super quo à nobis tuæ saluti postulas provideri. Nos igitur discretioni tuæ breviter respondendo consulimus, quatenus si tuam omnino sanare desideras conscientiam, regimen resignes Ecclesiæ memoratæ, ac reddas Altissimo vota tua. In hoc tibi gratiam facientes, quod si Capitulum ejusdem Gebennensis Ecclesiæ te postmodum canonicè duxerit eligendum, concedimus ut electionem recipias taliter de te factam. Datum Signiæ VI. idus August. Pont. nostri anno XVI.

NOTÆ.

1. (a) *Gebennensi.*] Ita legitur in epistolis Innocentii III. editis à Bosqueto *libro* 4. *regestr.* 16. *epist.* 93. ex quo restituo litteram hujus textus. Gebenna, seu Geneva, aliàs Gebena, est urbs Galliæ, in Provincia Viennensi, inter Arvernios, & Helvios montes, de qua Lucanus

—— quâ montibus arduasummis
Gens habitat cavâ pendens è rupe Gebennas.

Apud quam propter Lemanum lacum Rhodanus flumen intumescit, ut refert Papirius Masonius, *in descript. Gall. fol.* 357. Habuit olim Ecclesiam Cathedralem D. Petro dicatam, sed cùm civitas illa esset ab hæreticis occupata, Sedes Episcopalis translata fuit Annessium Sabaudiæ oppidum. Cùm ejus Episcopus postulatus esset in Archiepiscopum Ebredunensem, ut constat ex epistola 175. & 176. ipsius Innocentii *lib.* 3. electus fuit Episcopus, cui in præsenti rescribit Innocentius.

2. (b) *Gratianopolitana.*] Urbs Gratianopolis est in Gallia, juxta Voconios Allobrogum fines, antiquitus vocabatur Cularo, seu Cullarona, usque ad tempora Diocletiani & Maximiani, ut referunt plura de ea adducentes Joannes Chenu *in descript. Galliæ, fol.* 481. Papirius Mason. *in descript. Gall. fol.* 427. cujus Ecclesia erat olim canonicorum Regularium, ut refert Pennotus *lib.* 2. *hist. canonic. Regul. cap.* 33. *num.* 13.

(c) *Manibus.*] Gerondi videlicet, qui fuit primus Abbas Cluniacensis, demùm Episcopus Valentinus, & tandem Patriarcha Hierosolymitanus.

COMMENTARIUM.

PRæsens textus, quatenus in eo docetur, eum qui emisit votum religionis, & fuit negligens in eo implendo, Episcopum electum debere votum adimplere, renunciato Episcopatu, difficilis meritò visus est Interpretibus ex eo, quia ut suprà probavi *in cap.* 1. *hoc tit.* non est fractor, seu transmissor voti, qui illud in melius commutat, & perfectius bonum: unde cùm Episcopi status sit perfectior, quàm religiosi, ut latè probat Hallierius *in vindiciis, cap.* 8. *cum sequent.* videbantur in præsenti specie ritè & rectè votum impletum, si acceptavit Episcopatum, qui votum emiserat religionis, commutato ipso voto in statum Episcopalem. Pro cujus difficultatis solutione varia adduxerunt Garanna *in præsenti* Balboa *in cap.* 3. *de jure. jur. num.* 71. Sed illorum sententiis omissis dicendum est, Episcopum consecratum, seu confirmatum, non posse religionem ingredi inconsulto Romano Pontifice, propter vinculum matrimonii contracti inter ipsum, & Ecclesiam, *cap. nisi cùm pridem, de renunc.* probant Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 1. *cap.* 19. Stunica *de voto q.* 3. *ex num.* 3. Basseus *verbo Religio* 2. *num.* 1. Castropalao *tom.* 3. *oper. moral. tract.* 16. *disput.* 1. *punct.* 7. §. 1. Marquez *in orig. Eremit. cap.* 6. §. 6. Garcia *in polit. regul. tract.* 2. *difficult.* 2. *dub.* 2. Soza *in Episc. relig. fol.* 27. *num.* 92. Cellotius *de hierarch. lib.* 9. *cap.* 23. Electus verò potest religionem ingredi, quia adeo non est ligatus prædicto matrimonii vinculo: & si votum religionis fecit antequam promoveretur in Episcopum, non potest illud adimplere inconsulto Pontifice, si confirmatus, aut consecratus reperiatur, ex eadem ratione; si verò tantùm electus, ut in præsenti casu, reperiatur, re-

netur

netur votum adimplere ingrediendo religionem, quia acceptatio Episcopatus non est votum, neque ex voto ipsius electi fieri debet, juxta textum *in cap. in scripturis 8. q. 1. l. si in quemquam 39. C. de Episcop. & cler.* & ita ex parte acceptantis non adest votum de meliori, aut perfectiori statu; quare qui votum religionis emisit, non liberatur ab ejus obligatione, etsi in Episcopum eligatur; teneturque religionem ingredi, & si postea eligatur in Episcopum, aut rata habetur prior electio, potest confirmari, & consecrari in Episcopum; quia non est incompatibilis religiosus status cum Episcopali dignitate, ut probat Soza *in tract. de Episcop. religios.*

CAPUT XI.

Honorius III. *Salisbarienſi* (a) *& Bregadenſi Præpoſitis.*

POstulastis per nostras literas edoceri, an vobis professis ordinem regularem, quorum alter cruce signatus est, reliquus crucis charactere desiderat (b) insigniri, liceat vicesimam proventuum Ecclesiarum vestrarum, deputatam succursui Terræ sanctæ deferre vobiscum, ut per vos proficiat illius terræ succursui, qui parati estis personas vestras exponere servitio Jesu Christi; præsertim cùm multi exemplo æmulationis laudabilis provocati, ad currendum post vos viriliter accingantur, præliaturi prælium Domini contra gentes. Quia verò liberationi Terræ illius totis viribus aspiramus, disc. v. p. A. s. m. quat. si Ecclesiæ vestræ aliàs per absentiam vestram enormiter non lædantur, & vos utiles fueritis terræ Domini verbo pariter, & exemplo, quod conscientiæ vestræ duximus relinquendum, dimissis procuratoribus idoneis in Ecclesiis vestris, potestis, & tenemini votum peregrinationis adimplere, ac sic potest in usus vestros transire vicesima Ecclesiarum vestrarum deputata subsidiis Terræ sanctæ.

NOTÆ.

1. (a) *Alisbarienſi.*] Ita restituo epigraphen & literam hujus textus ex quinta compilatione Honorii III. ubi *in cap. 1. de statu monach.* reperitur præsens textus: adeò tamen corrupta est secunda pars hujus inscriptionis, ut cognosci non possit de quo Præposito in eo agatur. Cironius in ejus notis existimat, legendum esse *Readingensi.* quia urbs Reading. dicta est in Comitatu Barcheriæ, in diœcesi Salisbarensi Angliæ, de qua diœcesi nonnulla notavi *in cap. 28. de appellat.*

(b) *Insigniri.*] Juxta formam illustratam *in cap. quod super, hoc tit.*

2. (c) *Vicesimam.*] Juxta dispositionem Concilii Lateran. sub Innocentio III. celebrati, ubi de hujusmodi fructuum parte pro expeditione Terræ sanctæ assignanda ita cavetur: *Cupientes autem alios Ecclesiarum Prælatos, nec non clericos universos, & in merito, & in præmio habere participes, & consortes, ex communi Concilii approbatione statuimus, ut omnes omnino clerici, tam subditi, quam Prælati, vicesimam partem ecclesiasticorum proventuum, usque ad triennium conferant in subsidium Terræ sanctæ, per manus eorum, qui ad hoc Apostolicâ fuerint providentiâ ordinati, quibusdam duntaxat religiosis exceptis, ab hac prætaxatione meritò eximendis: illis similiter qui assumto, vel assumendo crucis signaculo sunt personaliter profecturi. Nos autem, & fratres nostri S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales plenariè decimam persolvemus: sciantque se omnes ad hoc fideliter observandum per excommunicationis sententiam obligatos, ita quod illi, qui super hoc fraudem scienter commiserint, sententiam excommunicationis incurrant.*

TITULUS XXXV.

De statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

CAPUT I.

Gregorius *Fortunato Episcopo* (a) *Neapolitano.*

THEODOSIUS Abbas monasterii sancti Martini, petitoriâ nobis insinuatione suggessit, quæ habetur in subditis, in domo quondam Martini ex ejus voluntate decessorem suum Andream Abbatem monasterium, in quo monachi habitare debeant, construxisse: & quia id in honorem B. Petri Apostolorum Principis,

Principis, & S. Archangeli Michaëlis postulat dedicari, dilectionem tuam præsentibus apicibus duximus adhortandam, quatenus ad prædictum locum cùm postulaverit, ingravanter accedas, venerandæ solennia dedicationis (b) impendens. Et quotiens necesse fuerit à presbyteris Ecclesiæ tuæ in loco sancto deservientibus celebrentur (c) sacrificia veneranda Missarum, ita ut in eodem monasterio nec fraternitas tua, nec presbyteri præter (d) diligentiam disciplinæ aliquid molestiarum inferant; aut si quid illic pro diversorum devotione commoditatis accesserit, sibi existiment vendicari; cùm monachis in eodem loco deservientibus debeat proficere quicquid à fidelibus offerri contigerit.

NOTÆ.

(a) *Neapolitano.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & in ipso Regestro epistolarum D. Gregorii *lib.* 7. *indict.* 2. *epist.* 15. ex quo transcribo præsentem textum. De hac percelebri urbe egi *in cap.* 2. *de constit.*

1. (b) *Dedicationis impendens.*] Quia nova monasteria sine Episcopi licentia ædificari non valent, *cap. quidam* 10. 18. *q.* 2. *cap. de monachis* 12. *cum sequenti, eadem quæst.* Antonius Augustinus *in epit. juris, lib.* 9. *tit.* 1. latiùs dicemus *in cap. final. de relig. domib. num. final.*

(c) *Celebrentur sacrificia.*] Adhuc enim prioribus annis Pontificatus Gregorii Magni monachi ad sacerdotii gradum non ascendebant, sed à presbytero per Episcopum in Monasterio constitutum sacramenta accipiebant, divinaque officia audiebant. D. Gregorius *lib.* 3. *epist.* 18. ubi cùm Mauro Abbati commendaret Ecclesiam sancti Pancratii, præcepit, ut peregrinum illuc presbyterum advocet, qui sanctissimam Deo hostiam immolet, eumque monasterii sumptibus alat, his verbis: *Ne remotis presbyteris, quibus Ecclesia ipsa fuerat antea commissa, vacare ministeriis videatur, idcirco hujus tibi auctoritatis tenore præcipimus, ut peregrinum illic debeas adhibere presbyterum, qui sacra Missarum possit solennia celebrare: quem tamen, & in monasterio tuo habitare, & exinde vitæ subsidia habere necesse est.* Referunt Yepes *tom.* 1. *chron. D. Benedicti, anno* 610. Hallierius *in vindiciis*, passim notavi jam *in cap. intelleximus, de ætate & qualit.*

2. (d) *Diligentiam disciplinæ.*] Consonat idem Gregorius *lib.* 2. *epist.* 59. ubi Episcopo etiam Neapolitano ita scribit: [Ad prædictum locum cùm postulaverint, ingravanter accedas, venerandæ solennia dedicationis impendens, ut quotiens necesse fuerit, à presbyteris Ecclesiæ in suprascripto loco deservientibus celebrentur sacrificia veneranda Missarum, ita ut in eodem monasterio nec fraternitas tua, nec presbyteri præter diligentiam disciplinæ aliquid molestiarum inferant; aut si quid pro diversorum devotione commoditatis accesserit, sibi æstiment vendicandum: sed sive aurum, sive argentum, sive prædium, sive vestimentum, omnibus modis constructio præfata possideat, cùm ancillis Dei in eodem loco deservientibus debeat proficere quicquid offerri ibidem contigerit.] Temporibus enim Gregorii M. omnia monasteria erant subjecta Episcopo, in cujus diœcesi constructa erant. Concilium Aurel. 3. *can.* 18. *De his clericorum personis, quæ de Civitatensis Ecclesiæ officio, monasteriis, vel diœcesi, vel basilicis, in quibuscunque locis positis, idest sive in territoriis, sive in ipsis civitatibus suscipiuntur ordinandæ, in potestate sit Episcopi, si de eo, quod antè de Ecclesia habebant, eos aliquid, aut nihil exinde habere voluerit, quia unicuique facultas suscepti monasterii, diœcesis, vel basilicæ debet plena ratione sufficere.* Vernense *can.* 5. ibi: *Monasteria, tam virorum, quàm puellarum, secundùm ordinem regulariter vivant; & si hoc facere contempserint, Episcopus, in cujus parochia esse videntur, hoc emendare debeat.* Arelat. sub Carolo, *can.* 6. *Providendum necesse est cuicunque Episcopo, qualiter canonici vivere debeant, nec non & monachi, ut secundùm ordinem canonicum, vel regularem vivere studeant.* Tullense *part. ultim. cap.* 9. ibi: *Congregationes canonicorum, & monachorum, ac sanctimonialium secundùm canonicam institutionem à propriis Episcopis strenuè visitentur, & eorum Religio, & habitus exquiratur.* Et *cap. qui verè* 12. 16. *q.* 1. Concilium Tolet. 10. *can.* 3. Mogunt. *can.* 20. & 21. Melden. *can.* 59. Ticinense 2. *can.* 9. Cabilon. *can.* 15. & 65. quorum catalogum refert Antonius Augustinus *in epit. juris lib.* 9. *tit.* 60. & 61. Et licèt aliqui existimaverint, Episcopos non omnimodam habere potestatem in monachos, nec posse de his, quæ contra regulam monasticam committebant, cognoscere, sed tantùm ea corrigere, in quibus citra monasticam disciplinam monachi peccarunt, moti auctoritate Concilii Tolet. 4. *can.* 50. ubi ita aiunt PP. *Quapropter monemus eos, qui Ecclesiis præsunt, ut ultra talia non præsumant, sed hoc tantùm sibi in monasterio vindicent sacerdotes, quod præcipiunt canones, hoc est monachos ad conversationem sanctam promovere, & Abbates, aliaque officia constituere, atque extra regulam facta corrigere.* Quæ verba etiam reperiuntur in canone 15. Concilii Aurelianensis: *Abbates pro humilitate religionis in Episcoporum dignitate consistant, & si quid extra regulam fecerint, ab Episcopo corrigatur.* Hæc tamen sententia prorsus aliena est à canonum, & Sanctorum Patrum mente, qui plenam potestatem Episcopo tribuunt in monachos, immò & disciplinæ monasticæ correctionem, *cap. monasteria*, 18. *q.* 2. Gregorius Magnus *lib.* 7. *epist.* 65. *Episcopus monachorum vitam competenti, regularique debet moderamine disponere, qui pro commissis eorum animabus compellitur reddere rationem.* Et *lib.* 3. *legum Longobar. tit.* 3. ita cavetur: *Et de monasteriis, quæ infra eorum parochiam sunt, vigilanter curent, ut canonici secundùm canones; regulares secundùm regulam vivant, & ubi aliter quàm ordo popposcerit, invenerint, emendare faciant; & si emendare nequiverint, nobis nuncietur.* Probat Bosquetus *ad Innocentium III. lib.* 1. *epist.* 7. Nec contrariæ sententiæ favent verba illa concilii Tolet. *Extra regulam*; nam idem significant, ac contra regulam, ut apud Arbitrum *in satyr. Dij, Deaque, quàm malè est extra legem viventibus! quicquid meruerunt, semper expectant.* Sed quia Episcopi dum monasteria disciplinæ causâ visitabant, potestate

testate sibi concessa abutebantur, plerunque quæ propria erant monasterii ab eo auferentes, ideò variis Ecclesiæ canonibus cautum fuit, ne Episcopi inquietare aut molestare monachos aliquo modo intenderent, *cap.* 1. 18. *q.* 2. Concilium Turon. 2. *can.* 7. *Episcopus nec Abbatem, nec Archipresbyterum sine omnium suorum compresbyterorum consensu de loco suo præsumat ejicere.* Concilium Anglic. *can.* 3. *Ut quæ monasteria Deo consecrata sunt, nulli Episcoporum liceat ea in aliquo inquietare, nec quicquam de eorum rebus violenter extrahere.* Refert Antonius Augustinus *in epit. juris, lib.* 9. *tit.* 62. ideo Gregorius in præsenti, & in epistola antecedenti jubet Neapolit. Episcopo, ut monasterium noviter constructum dedicet, & ibi presbyteros ad divina officia celebranda constituat. Inhibet tamen, illi ne extra diligentiam disciplinæ in ipso monasterio alia vindicet, præcipuè ne à fidelibus oblata auferre præsumat. De exemptione monachorum ab Episcoporum jurisdictione latè egimus *in c. grave, de offic. ordin.* ex quo commentario præsens petendum est.

CAPUT II.

Ex Concilio (a) *Lateran.*

MOnachi non (b) pretio recipiantur in monasterio, nec peculium permittantur habere: non (c) singuli per villas, & oppida, sive per quascunque (d) parochiales ponantur Ecclesias, sed in majori conventu, aut cum aliquibus fratribus (e) maneant: nec soli inter seculares homines spiritualium hostium conflictum expectent, Salomone dicente: Væ soli, quia si ceciderit, non est qui sublevet eum: si quis autem exactus pro sua receptione aliquid dederit, ad sacros Ordines non ascendat. Is verò qui eum receperit, officii sui suspensione multetur. Qui verò peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum, à communione removeatur altaris; & qui in extremis cum peculio inventus fuerit, & dignè non pœnituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres accipiat sepulturam: quod etiam de universis Religiosis præcipimus observari. Abbas autem, qui diligenter ista non caverit, officii sui jacturam se noverit incursurum. (f) Prioratus quoque, seu (g) obedientiæ pretii datione nulli tradantur, alioquin dantes, & accipientes à ministerio fiant ecclesiastico alieni. (h) Priores autem, cùm in Ecclesiis conventualibus fuerint constituti, nisi pro manifesta causa, & rationabili non (i) mutentur, videlicet, si (k) dilapidatores fuerint, si incontinenter vixerint, aut tale aliquid egerint, pro quo amovendi meritò videantur; aut si etiam pro necessitate majoris officii de consilio fratrum fuerint transferendi.

NOTÆ.

1. (a) *Lateranensi.*] Generali videlicet, celebrato sub Alexandro III. *can.* 3. ut etiam habetur *in cap.* 2. *hoc tit. in* 1. *collect.* & citatur textus hic *in cap.* 3. & 4. *de capel. monach.*

(b) *Pretio recipiatur.*] Hanc priorem partem exponemus *in cap.* 19. *de simon.*

(c) *Nec singuli.*] Monachi in duplici sunt genere. Alii simul in monasteriis degunt, qui ideo cœnobitæ, seu cœnobitæ appellantur, *l. addictos, C. de Episcop. aud. l.* 57. *C. Theodos. de appel.* quibus unum dormitorium, refectoriumque idem: alii seorsim agunt, & soli sunt, qui & Eremitæ dicuntur, *Novel.* 5. *Justin. cap.* 3. qui in silvestribus antris mancipati sunt, ut in solitudine impensiùs sanctitati vacent, *l. quidam* 26. *C. de Decur.* de quibus egi *in cap.* 2. *de testam.*

2. (d) *Parochiales.*] Olim enim postquam monachi sacris Ordinibus initiari cœperunt, non solùm in propriis monasteriis divina officia celebrabant, & sacramenta fratribus administrabant, verùm & parochialibus Ecclesiis præficiebantur, ut etiam parochianis laicis sacramenta administrarent, *cap. in parochia* 16. *quæst.* 1. Concilium Agath. *can.* 27. Pictaviense *can.* 5. Pelagius Papa *cap.* 2. 3. & 24. Carnotensis *epist.* 69. ibi: *Si qui ergo sunt in collegio vestro viri prudentes, & maturi, & igne tentationum examinati, quibus hoc onus imponi velitis, eos deducite ante præsentiam Episcopi, ut ab eo curam animarum suscipiant.* Notavit Bosquetus *ad Innocentium III. lib.* 1. *epist.* 7. Sed cùm inde daretur occasio divagationis, & disciplina monastica corrueret, statutum fuit, ne extra proprium monasterium monachi habitarent, *cap. nullus* 14. 18. *q.* 2. *cap. monachum* 3. 20. *q.* 4. Concilium Tolet. 7. *can.* 5. Immò & in ipsis Ecclesiis monasterio subjectis, non monachus, sed clericus instituatur, *cap.* 1. *de capel. monach.* Urbanus II. in Concilio Claromont. ibi: *Statuimus, ne in parochialibus Ecclesiis, quas tenent, absque Episcoporum consilio presbyteros collocent, sed Episcopi parochiæ curam cum Abbatum consensu sacerdoti committant.* Dicemus *in dicto. cap.* 1.

3. (e) *Fratribus maneant.*] Consonant textus *in cap. ad audientiam, ex parte, de capel. monach.* Clement. *Ne in agro*, §. *ad hæc, hoc tit.* quæ constitutio magnâ nititur ratione, nam monachus solus, teste D. Thoma relato à Cornelio à Lapide *in cap.* 4. *Exodi*, dæmon solitarius est, & auctore Seneca *epist.* 25. omnia mala nobis solitudo persuadet: ac magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Unde Justinianus *in novel.* 133. monachos sine testibus vivere scelus existimat: & Thomas Cantiprat. *lib.* 2. *cap.* 11. ait: *Quàm vera sit hæc sententia, Væ soli, ego novi, qui triginta annis vices Episcopi in diversis provinciis egi, qui in hoc articulo, quod religiosi soli vadant,*

dant, vel soli maneant in curiis, horrenda mala, horrenda scandala, horrendaque pericula frequenter audivi, quæ nunquam sustinuissent adjuncto socio, vel fecissent. Prosequitur Lantdmeter. *in comment. ad regul. D. Augustini, cap. 4. num. 25.*

4. (f) *Prioratus.*] Prioratus sunt cellæ monachorum extra monasterium, seu membra principalis monasterii, ubi pauci monachi à reliquis separati in una domo vitam agunt; instituti fuerunt, ut disciplina severior, & strictior, quæ in vita communi monasterii profiteri, & servari non poterat, immò nec conveniens erat, à paucis severioris disciplinæ, & vitæ amatoribus ibi servaretur, ut refert Yepes *tom. 2. chron. D. Benedicti, anno Christi 676. fol. 315.* ad minus autem debebant sex monachi ibi residere. Concilium Aquisgran. *cap. 44.* ibi: *Ut Abbatibus liceat habere cellas, in quibus aut monachi sint, aut canonici; & Abbas provideat, ne minus de monachis ibi habitare permittat, quam sex* Dicta Clementina *Ne in agro, hoc tit.* & Gregorius IX. in bulla ad Cluniac. & Nicolaus IV. ita statuerunt: *Ne in prioratu aliquo unus solus monachus commoretur; sed ei, qui solus est, unus, vel plures socii monachi adjungantur, si loci suppeditant facultates, aliquin monachus revocetur ad claustrum.* Benedictus XII. *in Benedict. cap. 25.* ibi: *Monachi autem in prioratibus, seu administrationibus cum dictis prioribus, seu administratoribus simul sint, & canonicas horas dicant, & in Missis celebrandis suas hebdomadas ordinatè, ac tractim, non syncopando, humiliter, & devotè, & horis competentibus, & cum nota, ubi fuerint tres vel quatuor, seu plures, facere teneantur.* Unde D. Bernardus *epist. 253.* commendat Abbatem Guarrinum, eo quod synagogas sathanæ, id est cellulas extra cœnobium, in quibus tres, vel quatuor fratres sine ordine, sine disciplina habitare solent, destrueret. Et Turriscremata *tract. 13. in regulam D. Benedicti*, ait in paucis prioratibus religionem annihilari, ibi enim vitio proprietatis appropinquatur, meritum obedientiæ minuitur, continentia facilè periclitatur.

5. (g) *Obedientiæ.*] Prioratus ipsi, seu cellæ, quæ majori, & principali monasterio parebant, ab ea subjectione obedientiæ dicebantur, de quibus Gregorius VII. *lib. 6. epist. 21.* ait: *Obedientias Ecclesiæ, cæteraque beneficia, quæ sine communi consensu fratrum acquisierat.* Ivo Carnot. *epist. 163. De monacho illo, quem in juramento constrinxisti, ne ultra illam administraret obedientiam, quam aliquandiu sibi usurpaverat per inobedientiam.* Earum mentio fit *in cap. cùm singula, de præbend. lib. 6. Clement. 1. de suppl. neglig. Clement. ne in agro, §. sanè, hoc tit.* apud Innocentium III. *lib. 2. regestr. 14. epist. 29.* ibi: *Omnes obedientiarum proventus.* Sed quia in his obedientiis, Prioratibus unus ex monachis præponebatur rerum administrationi, cautè in præsenti prohibitum fuit, ne talis administratio pretio concederetur, cùm exinde sequantur incommoda, quæ suprà ex Turriscremata retuli.

6. (h) *Priores autem.*] Qui Præpositi officio in monasteriis fungebatur, posterioribus seculis Prior appellabatur; unde Lanfrancus *in statutis cap. 3.* ait: *Servatâ in omni Abbatis reverentiâ, Prior, qui & Præpositus in regula nominatur, honorabilior est reliquis ministris domus Dei.* Et apud Cassinens. *cap. 65.* legitur: *Præpositus monasterii secundùm morem nostrum Prior claustralis vocatur.* Et meritò, nam Prioris nomen superiorem significat, *Novel. 112. Justin.* D. Benedictus *cap. 6. suæ regulæ. Si quæ requirenda sunt, à Priore cum omni humilitate, & subjectione reverentiæ requirantur.* Quare apud Carthus. Guillelmistas, Cœlestinos, Carmelitas, Heremitas, Augustinianos, Prædicatores, Præfecti, seu Superiores, Priores dicuntur, de quorum officio, & dignitate plura tradit Hæphtenus *disquis. monast. lib. 3. tract. 3. disquis. 2. & 3.*

7. (i) *Mutentur.*] Olim Abbates ab Episcopo in cujus diœcesi monasterium situm erat, deponebantur. Concilium Turon. *2. cap. 1. §. 7. Episcopus, nec Abbatem, nec Archipresbyterum, sine omnium suorum Compresbyterorum, & Abbatum consilio de loco præsumat ejicere.* Postquam autem religiones ab Episcoporum jurisdictione exemptæ sunt, Prælatorum Regularium destitutio ad superiorem ipsius religionis spectat, qui absque justa causa non debet inferiores Prælatos removere, seu deponere, *cap. nullam 18. q. 2.* docent latè Suarez *de relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 2.* Tamburinus *de jure Abbat. p. 1. disput. 3. quæst. 2.*

8. (k) *Dilapidatores.*] *Cap. si quis Abbu 18. q. 2. cap. dictum, 80. dist. cap. quoniam, dist. 100. cap. cùm ad monasterium, §. final. hoc tit.* ut contingit *in Prælatis secularibus, cap. final. 3. q. 2.* probatâ dilapidatione, aut suspicione manifesta, *cap. licèt Heli, cap. per tuas, de simon. cap. venerabilis.* ubi notavi, *de offic. deleg.* Petrus Gregorius *lib. 4. partit. tit. 7. cap. 5.* quod est intelligendum quando Prælati negligentia magna est, *cap. quicquid 1. q. 1.* Unde non probatur dilapidatio ex eo, quod monasterium ære alieno gravatum reperiatur, cùm ex justa causa id posset provenire. Tamburinus *dict. quæst. 2. num. 5.* Item deponi potest Abbas, si regulæ prævaricator reperiatur, id est, quod ei præjudicet, non autem observet. Tamburinus *ubi suprà, num. 8.* vel si illiteratus est, *cap. final. de ætate & qualit.* & ob similes causas, quas prosequitur Tamburinus *dict. quæst. 2.* Tandem si incontinenter vixerit, ex præsenti textu: unde in regula D. Benedicti hujusmodi incontinentes zonâ ad collum appensâ genibus flexis sisti jubentur ad portas refectorii, & meritò cingulo honoris exuebantur, sumpto more veterum, qui virgines corporis decus passas zonâ suspendebeant, & cùm nuptui dabant, solvebant zonam quæ nodus erat virginitatis, ut probat Cironius *in parat. ad hunc tit. in fine.*

CAPUT III.

Alex. III. *Universis Abbatibus, & Conversis Cisterc.* (a) *Ordinis.*

REcolentes qualiter hæc plantatio sancta, hæc vitis fructifera, hæc denique vinea Domini Sabaoth, sub primis Ordinis Patribus pullulavit, & palmites longè lateque

lateque producens, ad mortifera circumquaque venena pellenda protulit flores, & odores effudit, pervigili custodiâ custodiatis eorum in omnibus inhærere vestigiis, per quos cooperante Domino in deserto hujus mundi flos hujuscemodi plantatus est honestatis. Hi enim monasticæ frugalitatis contentissimi, optimum ponentes in paupertate principium, totius sufficientiæ assequuti sunt complementum, Ecclesiæ chari, Episcopis, & Prælatis accepti, atque in conspectu Regum, ac Principum famâ, & merito glorioso: nunc autem, quod dolentes dicimus, etsi non ab omnibus, neque in omnibus; à plerisque tamen, & in pluribus ab illa sancta institutione dicitur declinatum, in tantùm, ut aliqui ex vobis primæ institutionis obliti penitus, vel ignorantes, contra Ordinis vestri regulam villas, & molendina, Ecclesias, & (b) altaria possident, (c) fidelitates, & hominia suscipiunt, (d) justitiarios, & tributarios tenent, & omne studium adhibent, ut termini eorum dilatentur in terris, quorum conversatio debet esse in cœlis. Læditur hinc Ordo penitus, & vitiatur: nec est mutatio dexteræ Excelsi, quin immò potiùs de dextera transeunt in sinistram, qui cùm relicto seculo sub paupertatis habitu Deo militare decreverunt, in negotiis denuò secularibus implicantur. Inde est, quod vobis ab iis, qui foris sunt, contentiones, & litigia suscitantur, & Abbatibus in causis forensibus occupatis, plurimùm in commissis domibus & tepor Ordinis, & dissolutio nascitur charitatis: maximè quia charitas in paupertate plus proficit; & cupiditatis dedignata consortium, nisi illa restringatur, hæc tepescit. Ideo sanctum, ac venerabile collegium vestrum precibus & monitis, quibus possumus, exhortamur, quatenus domus (e) illæ quæ à prima sui origine in Ordine ipso sunt fundatæ, constitutis, & ordinatis terminis sint contentæ, nec velint inordinatè ad ea manus extendere, quæ sine laboribus, & periculis multis, & demùm sine criminibus, & magna confusione non poterunt retinere. Si enim relictis originalibus Ordinis institutis ad communia volueritis aliorum monasteriorum jura divertere, oportebit & vos communi jure censeri, quia dignum est, ut si qui similem cum aliis suscipiunt vitam, similem sentiant in legibus disciplinam. Cæterùm domus illæ, quæ ab aliis institutionibus ad vestrum Ordinem se transtulerint, vestris omnino se satagant usibus conformare, & relictis possessionibus, vel mutatis, quas institutio vestra non recipit, sic se in omnibus Religioni vestræ coaptent, ut quemadmodum se gaudent in societatem Ordinis, identitatemque habitus, & observantiæ regularis assumptas; sic etiam in paucitate secularium rerum se lætentur vestris institutionibus conformatas, quatenus inde & superno Conditori magis amabiles, & nobis, atque universæ Ecclesiæ meritò debeant fieri chariores. Sanè si super possessionibus ipsis in aliquo de monasteriis vestris Apostolicæ Sedis auctoritas dispensavit, à nullo vestrûm sumendum est inde exemplum, quia temerarium est, & indignum aliquem sibi suâ auctoritate præsumere, quod Romana Ecclesia alicui monasterio, certâ ratione inspectâ, singularibus voluit indulgere beneficiis.

NOTÆ.

1. (a) *Cistercienſis.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *ſub hoc tit. cap.* 2. ex qua integram hujus textus restituo. Cùm enim temporibus Alexandri III. per annos 1170. Cistercienſium in Lusitania, & aliis Hispaniæ monasteriis jam constructis cœpisset usus habendi, & possidendi vasallos, & illis ampla exemptionum privilegia Principes seculares concederent, oppida vicina deserebantur, eorum incolis confluentibus ad oppida, & castra monachorum Cisterciensis Ordinis: unde cùm his dominiis, & vasallis monasteria supra modum ditata cœpissent à primitivâ Cistercii disciplina degenerare, Alexander III. omnium Pater, sed specialis Cistercienſium, præsenti epistolâ periculi admonuit, prævenitque, ne divitiarum pondere opprimerentur, & pristinam disciplinam negligerent, ut refert Manrique *tom.* 2. *annal. Cisterc. anno* 1171. *cap.* 7. *num.* 5.

2. (b) *Altaria.*] Id est decimas, & proventus *D. D. Gonzal. in Decretal.* Tom. III. Pars II. Ecclesiarum, ut *in cap. quæsitum* 1. *q.* 3. Gofridus Vindocinensis *lib.* 1. *epist.* 12. *Redemptionem Ecclesiarum, quæ vulgari vocabulo altaria nuncupantur.* Concilium Claromont. *can.* 6. *Ut altaria congregationibus canonicorum, vel monachorum per personas data, mortuis personis libera redeant in manibus Episcoporum, nisi fuerint illis per eorum scripta, vel privilegia confirmata.* Carnot. *epist.* 12. *Maximè quod apud nos, qui altari non serviunt, de altari vivunt: à quo sacrilegio cùm eos abstervere velim monendo, increpando, excommunicando, altaria à me redimere volunt sub nomine personæ, sicut à prædecessoribus meis ex prava consuetudine redemerunt.* Cùm enim laici injustè detinebant decimas, oblationesque Ecclesiarum, ne sacramentorum celebratio à laicis Ecclesiarum possessoribus pendere videretur, inducta est nova quædam verborum distinctio, ita ut in una, eademque basilica pars una Ecclesia diceretur, quoad laicorum jura: & altare quoad juris spiritualis administrationem: quam corruptelam admodum reprehendit Abbo Floriac. anno 1003.

in apologia quam scripsit ad Reges Hugonem, & Robertum. Ejus hæc sunt verba relata ab Aimonio *de vita S. Abbonis Floriacensis Martyris*. [Certè, chariſſimi Principes, nec catholicè vivimus, ne catholicè loquimur, quando illam Eccleſiam dico eſſe meam, ille alteram dicit eſſe ſuam, ac veluti quædam jumenta, comparati jumentis inſipientibus, utrasque aliquando venales proponimus, propoſitasque ab aliis emere non formidamus. Eſt etiam alius error graviſſimus, qui fert altare eſſe Epiſcopi, & Eccleſiam alterius cujuslibet Domini, cùm ex domo conſecrata, & altari unum quoddam fiat, quod dicitur Eccleſia, ſicut unus homo conſtat ex corpore, & anima. Videte æquiſſimi Principes, quò nos ducit cupiditas, dum refrigeſcit charitas.] Alia dabimus *in cap. de capel. monach.*

(c) *Fidelitates & hominia.*] Id eſt homagia, & hominia, de quibus egi *in cap. nimis, de jurejur.*

3. (d) *Juſtitiarios.*] Et ita monachi Ciſtercienſes juxta priſcam ipſius Ordinis diſciplinam non poterant temporalem jurisdictionem habere: quod aliis monachis olim prohibitum non eſſe, facilè conſtat ex finalibus verbis hujus textus, ubi docet Alexander III. quod ſi ad Ciſtercienſes transferantur alterius Ordinis, ſeu Religionis monaſteria habentia villas, vaſallos, & ſimilia, debent hæc omnia, quæ Ciſtercienſibus non conveniunt, relinquere, aut commutare pro aliis rebus, ſeu poſſeſſionibus. Unde ſimilia bona non improbantur in aliis monaſteriis, ut probat Anguianus *de legibus lib. 2. cap. 17. num. 6.*

(e) *Cæterum domus illæ.*] Ex his verbis conſtat, 4
non ſolùm ſingulares monachos poſſe ad ſtrictiorem religionem transire, juxta tradita ſuprà, *in cap. licet, de regul.* verùm & monaſteria integra poſſe in alia migrare, novamque regulam profiteri: quod latiùs proſequuntur Sanchez *tom. 2. mor. lib. 6. cap. 7.* Ricciulus *lib. 8. de jure perſon. cap. 4. n. 25.* Tamburinus *tom. 3. de jure Abbat. diſput. 7. quæſt. 1. num. 14.* Barboſa *libro 1. de jur. Eccleſ. cap. 42. num. 50.* Hallierius *in vindic. fol. 489.*

CAPUT IV.

(a) Clemens III.

SUper quodam canonico Regulari, qui in articulo mortis agens, licèt à Priore ſuo commonitus, proprium, quod contra regulam latenter habuerat, noluit reſignare, & ſic diem clauſit extremum: quid ſcilicet de illo agendum ſit, cùm nihilominus fuerit inter alios fratres traditus ſepulturæ, nos duxiſti neceſſariò requirendos. Quia verò te ignorare non credimus, quid de talibus in regula B. Auguſtini habeatur ſtatutum, & quod ipſum in Synodo Lateran. conſtet inhibitum manifeſtè: inquiſitioni tuæ præſentibus literis reſpondemus, quod ille canonicus non tantùm fuit chriſtianâ ſepulturâ privandus, verùm etiam ſi ſine maximo ſcandalo potuerit fieri, de ipſa projici dignus eſt Eccleſia, & extra cæmeterium Eccleſiæ ſepeliri. Cùm ſicut in ipſa Synodo habetur expreſſum, nec oblatio pro eo facienda ſit, nec inter fratres debeat ſepulturam habere. Hoc autem cùm fortè contigerit, in ſimilibus eſt agendum.

NOTÆ.

1. (a) *Clemens III.*] Ita etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. cap. 6.* nullibi tamen exprimitur Prælatus cui reſcribat Pontifex, licèt conſtet agere de canonico Regulari Ordinis D. Auguſtini, & ſic apertè ex hoc textu probatur, non ſolùm monachos, verùm & canonicos Regulares paupertatem vovere; quod etiam probatur ex ſermone 1. D. Auguſtini de ſuorum clericorum vita, ibi: *Inter nos nulli licèt in ſocietate noſtra habere aliquid proprium.* Notavit Baſilius Legion. *quæſt. 3. ſchol. cap. 9. in principio.*

COMMENTARIUM.

Concluſio deducitur & probatur. 2. EX hoc textu, & *ex cap. 2. cap. cùm inter, hoc tit.* DD. communiter ſequentem deducunt aſſertionem: *Monachus, ſeu religioſus non debet aliquid peculiare poſſidere, alias ſi cum proprietate decedat, eccleſiaſticâ ſepulturâ privatur.* Probant eam textus *in cap. ſancimus, cap. Abbatibus 41. 12. quæſt. 2. cap. monacho 27. q. 1. cap. 7. de offic. ordin.* Concilium Altiſſiod. *can. 23.* ibi: *Si monachus in monaſterio adulterium commiſerit, aut peculiare habere præſumpſerit, aut furtum fecerit, & hoc Abbas per ſe non emendaverit, aut Epiſcopo, aut Archidiacono non intimaverit, ad pœnitentiam agendam in alio monaſterio retrudatur.* Vernenſe ſub Pipino *can. 11. De illis hominibus, qui dicunt, quod ſe propter Deum tonſuraſſent, & modò res eorum, vel pecunias habent, & nec ſub manu Epiſcopi ſunt, nec in monaſterio regulariter vivunt, placuit ut in monaſterio ſint ſub ordine regulari, aut ſub manu Epiſcopi ſub ordine canonico, & ſi aliter fecerint, & correpti ab Epiſcopo ſuo ſe emendare noluerint, excommunicentur, & de ancillis Dei eadem forma ſervetur.* Aquisgran. *can. 110. Eis, qui militant Deo, fugiendæ ſunt ex toto corde divitiæ; quas qui habere volunt, ſine labore non quærunt, ſine difficultate non inveniunt, ſine cura non ſervant, ſine anxia delectatione non poſſident, ſine dolore non perdunt. Apoſtolus autem Chriſti militibus dixit 1. ad Corinthios cap. 7. Volo vos ſine ſolicitudine eſſe: & radix omnium malorum eſt cupiditas, ſeu avaritia, quam quidam appetentes, erraverunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Aſt cenſus iſte terrenus eis, à quibus vituperatur, non eſt voluptatum materia, ſed dolorum. Quapropter expedit facultates Eccleſiæ poſſidere, ut inde vivant, qui non ſeculo, cujus gaudia fugitiva repudiant*

reputiant; sed Deo deserviunt, cujus ineffabilia bona desiderant: ideoque qui abstractis, atque renunciatis patrimoniis, sua Christo dedere, meritò de facultatibus Ecclesiæ subsidium accipiunt temporale, ut qui tanto mentis desiderio cœlestia appetunt, sic in hac peregrinationis via sumptibus Dominicis sustententur, quatenus ad ea, quæ contempserunt, minimè redire qualibet necessitatis causâ compellantur: & quia nihil sibi proprium reliquerunt, manifestum est, illos copiosius Ecclesiæ sumptibus, quàm canonicos, qui suis, & Ecclesiæ licitè utuntur indigere; unusquisque enim, ut ait Apostolus ubi proximè, proprium dominium habet à Deo. Concilium Mogunt. sub Rabano *cap.* 14. *Nullus monachorum aliquid proprietatis habeat, & res sæculares, quibus renunciavit, nullatenus sibi usurpet, nec parochias Ecclesiarum accipere præsumat sine consensu Episcopi: de ipsis verò titulis, in quibus constituti fuerint, rationem Episcopo, vel ejus vicario reddant, & convocati ad Synodum veniant.* Trossejanum *can.* 3. *Auditur, quod monachi nequaquam contenti communibus rebus, propriis, & lucris turpibus inserviant: quod vitium tanquam pessimum cancer, ne ultra proserpat, radicitus evellendum est.* Concilium Oxonienſe *can.* 49. *Quoniam non licet viris religiosis aliquid proprium possidere, qui se, & sua pariter in ipso religionis ingressu Domino dedicarunt.* Trident. *sess.* 25. *de reform. cap.* 20. Londin. anni 1075. ex regula B. Benedicti. & dialogo Gregorij: *Et antiquâ regularium locorum consuetudine, ut monachi ordinem debitum teneant. Si quis verò aliquid proprij sine licentia habere in morte fuerit deprehensus, nec ante mortem id reddiderit, cum pœnitentia & dolore peccatum suum confessus nec signa pro eo pulsentur, nec salutaris pro ejus absolutione hostia immoletur, nec in cœmeterio sepeliatur.* Alia plura Sanctorum Patrum decreta congesserunt Crespetius *in summa, fol.* 625. Antonius Augustinus *in epit. juris Pont. lib.* 9. *tit.* 4. Jodoc. Coccius *tom.* 2. *thesauri, lib.* 4. *art.* 3. Illustrant ultra congestos à Barbosa, & Garranna *in præsenti*, Bellarminus *lib.* 2. *de monachis, cap.* 20. Lælius Mancinus *sacri juris controv. disput.* 9. Robertus *lib.* 2. *rerum judic. cap.* 2. Landmeter. *lib.* 2. *de veteri mon. cap.* 4. & *cap.* 11. & *in comment. regulæ D. August. fol.* 19. Murga *tom* 2. *disquisit. mor. tract.* 1. *disquisit.* 6. *per tot.* Basilius Legion *q.* 9. *schol. cap.* 2. Cellotius *de hierarch. lib.* 7. *cap.* 5. & *lib.* 9. *cap.* 22. Araujo *in decis. moral. tract.* 3. *q.* 29. Theophilus Raynaudus *tom.* 17. *tract. de malè vvv. in relig. punct.* 2. Bravo *ad regul. D. Benedicti, cap.* 33. Tondutus *resol. canonic. cap.* 96. Lemaistre *lib.* 1. *de monachis. ferè per tot.* & *lib.* 2. *cap.* 12. Galletus *relig. opusc. cap.* 14. Bosquetus *in not. ad Innocentium III. lib.* 2. *cap.* 95. Fragoso *p.* 2. *de regim. Christ. Reipub. disput.* 24. §. 12. Souchetus *in notis ad epist.* 57. *Carnot.* Balsamon. *in can.* 6. *Synodi Carthag.* Spondanus *de cæmet. p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 4. Gazeus *in notis ad Cassianum, lib.* 4. *instit. cap.* 13. Hieronymus Garcia *tom.* 1. *polit. regul. cap.* 3. *tract.* 4. *difficult.* 1. qui innumeros refert, Turrianus *lib.* 2. *de votis monast.* Vivar. *de veteri mon. lib.* 2. *cap.* 6. Mendoza *lib.* 2. *Concil. Illiber. cap.* 30. Diana *p.* 3. *tract.* 3. *resol.* 100. Benedictus Haæphtenus *lib.* 4. *disquis. monast. tract.* 7. *disquisit.* 1. Scortia *in select. Pontif. constit. epitom.* 158. *theorem.* 398. Stephanus Durantius *variar. qq. q.* 7. & 9. Desiderius Heraldus *lib.* 2. *de auctorit. rei judic. cap.* 13. Bruno Chassaing. *de privil. regul. tract.* 4. *cap.* 5.

Sed pro dubitanti ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Paupertas præterquam repugnat juri divino, ad peccandum inducit, & majori, perfectiorique bono obstat: igitur non est ita exactè à monachis observanda. Antecedens probatur primò *ex cap.* 15. *Deuteron.* ubi ait Dominus: *Egenus, & mendicus non erit inter vos.* Secundò quia paupertas pauperem plerumque in discrimen peccati vocat, & hominibus spiritualibus valde nocet. *Proverb. cap.* 30. ibi: *Ne fortè satiatus alliciar ad negandum, vel dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & perjurem nomen Dei mei.* Et *Eccles. cap.* 27. *Propter inopiam multi deliquerunt.* Facit illud Theogn. 2. *Impugnatur prædicta assertio.*

Vah! misera paupertas: quid meis incumbens humeris
Dedecore tum corpus afficis, tum mentem nostram?

Majori etiam bono impedimentum affert, quia acceptissimum Deo opus excludit, hoc est eleemosynam. Igitur perfectioni monachali non convenit paupertas. Augetur hæc difficultas ex eo; nam prioribus Ecclesiæ sæculis, cùm vita sanctior, perfectiorque monachorum erat, eos dominium bonorum suorum retinuisse constat *ex l. generali, C. de sacros. Eccles. l. si quis, C. de Episcop. & cleric. Novel.* 5. *Leonis*, ubi statuitur, monachorum bona, qui non condito testamento decedunt, Ecclesiæ, vel monasterio esse donanda: ergo quia habebant monachi eorum dominium. Difficilis etiam est pœna in præsenti sancita in monachos proprietarios; nam si crimina morte extinguntur, *l. defuncto, ff de public. judic.* latè probant Antonius Gomez *lib.* 3. *var. cap.* 1. Pichardus *in* §. 1. *Instit. de perpet. & tempor.* non rectè cadaveri in præsenti imponitur pœna privationis sepulturæ.

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, inter substantialia Religionis, seu monachatus vota omni ævo paupertatem fuisse enumeratam: omitto paupertatis votum in lege veteri emissum, de quo agunt P. Sherlogus *tom.* 3. *in Cantica, cap.* 1. *vers.* 10. *vestig.* 2. Frater Josephus à Sancta Maria *in apolog. defens. hist. Prophet. princip.* 4. *per varios* §§. ut ad paupertatem sponte emissam a monachis, & cæteris religiosis, in lege gratiæ perveniamus: & constat exemplum Christi Domini, & SS. Apostolorum: sequentesque monachi Macharius, Amonius, Basilius, Benedictus, Augustinus, & cæteri Patriarchæ, primùm inseruere votum paupertatis suis regulis adeo strictum, ut monachi non solùm habere, retinere, accipere, verùm nec dicere aliquid proprium possent. D. Benedictus *cap.* 23. *suæ regul.* ibi: *Ne quisquam suum esse aliquid dicat.* D. Basilius *in regul. brevior. interrog.* 35. & 85. D. Isidorus *regul. monast. cap.* 19. ibi: *Monachi nihil peculiare sibi facere audeant, nec in suis cellulis quidquam, quod ad victum, vel ad quamlibet rem aliam pertineat.* D. Augustinus *cap.* 1. *suæ regulæ*, & ex eo regula Tarnatensis *cap.* 14. regula Ferreoli *cap.* 10. regula S. Fructuosi *cap.* 4. quindecim regulas SS. Patrum ad idem refert Benedictus Anianus *in compil. regul. SS. PP.* & Cassianus *lib.* 4. *instit. cap.* 13. ait. *In his monasteriis, in quibus aliqua remissius indulgentur, etiam hanc regulam strictissimè seruari, ut ne verbo quidem audeat quis dicere aliquid suum, magnumque sit crimen ex ore monachi processisse, Co-* 4. *De voto paupertatis.*

dicem meum, tabulas meas, graphium meum, tunicam meam, caligas meas; proque hoc digna pœnitentia satisfacturus sit, si casu aliquo per surreptionem, vel ignorantiam hujusmodi verbum de ore ejus effugerit. Exagerat idem regula cujusdam distincta ab illa, quæ est Servi Dei ad Sorores, ita statuens: *Qui dixerit, Meum est hoc, aut illud, peccavit coram Deo, nisi tantum per obreptionem sermonis; sed pro hoc ipso tamen veniam petat à Deo, & caveat de reliquo, & ne iterare audeat.* Hinc Sanctus Columbanus *in suo pœnitent.* ait: *Meum, & tuum dixit, sex plagis puniatur.* Unde constat, quando studio, & zelo viri illi monasticæ vitæ perfectionem, quæ ab omnimoda rerum omnium abdicatione nomen accepit, amplectebantur, & quantò ab hoc vitio proprietatis abhorrebant, ut non solùm facto, sed nec verbo quidem auderet quis dicere aliquid proprium, agnoscentes animos divina observatione devinctos, non decere patrimoniorum desideriis occupari, ut ajebant Imperatores *in l.* 104. *C. Theodos. de Decur.* nec malè ajebat P. Blesensis *opusc. de amicitia, cap.* 10. *Felicissimam vitam agerent homines, si hæc duo verba de medio tollerentur, Meum, & Tuum.* Quod dysticho hoc nescio quis expressit:

Si duo de nostris tollas pronomina rebus,
Prælia cessarent, pax sine lite foret.

Plura de paupertate religiosa, & ejus perfectione congesserunt D. Bonaventura, & alij *ad caput.* 6. *regulæ S. Francisci.* D. Thomas 3. *p. q.* 48. *artic.* 3. Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 1. Lezana *tom.* 2. *cap.* 6. *num.* 4. Thomas Sanchez *lib.* 5. *in Decal. cap.* 1. *num.* 9. Lugo *de justitia tom.* 1. *disput.* 3. *sect.* 4. *num.* 75. Garcia *tom.* 1. *polit. regul. difficult.* 2. *dub.* 2. Jodoc. Coccius *ubi suprà* Murga fusè *tom.* 2. *disquis. mor. tract* 1. *disquis.* 6. *per. totam.*

De pœnis Monachi Proprietarii.

5. E contrario proprietatem in monachis vitium iniquissimum appellavit D. Benedictus, cujus nomenclaturæ rationes varias adduxit, & illustravit Hæphtenus *lib.* 4. *tract.* 7. *disquisit.* 5. quia est radix omnium malorum. Cassianus de eo agens *lib.* 7. *instit. cap.* 6. ait: *Receptaculum est malorum, vitiorumque omnium radix, & inextricabilis nequitiæ fomes efficitur, dicente Apostolo ad Timoth. cap.* 6. *radix omnium malorum est philargyria, id est amor pecuniæ, cujus noxiam deinde & multiplicem sobolem describit. Pro hac non mendacij, non perjurij, non furti facinus admittere perhorrescit, non fidem frangere, non iracundiæ noxio furore suppleri: si quoquam à spe quæstus deciderit, non honestatis, non humilitatis modum transcendere pertimescit, fitque ei per omnia, ut aliis venter, ita huic aurum, & spes lucri pro Deo. Unde Apostolus ad Colossens. cap.* 3. *hujus morbi noxia venena prospiciens, non solum eam radicem esse omnium malorum, verùm etiam idolorum servitutem, pronunciavit dicens: Et avaritia, quod in Græco dicitur, quæ est simulacrorum servitus,* Ita & ille *cap.* 9. qui subdit: *Eo monachum rabia pertrahi, ut suæ professionis efficiatur desertor.* Quod & Basilius confirmat *constit. monast. cap.* 35. ibi: *Qui proprium aliquid habere studet, is sine dubio nihil aliud, quam disjunctionem, & defectionem à cæteris meditatur.* Audiendus quoque Magnus Gregorius *lib.* 10. *epist.* 22. infaustam stirpem hujus vitii perstringens. Si (inquit) *peculiaritas à monachis habetur, nec concordia, nec charitas in congregatione poterit permanere.* Concinit huic perfamiliaris amicus S. Leander *instit. virgin. cap.* 18. *Peculiare, quod in cœnobiis pro magno crimine habetur, tu pro grandi evita contagione. Adulterium certè est, quia conscientiæ bona integritatem usurpata rei pravitate maculat: furti crimen est, quoniam dum omnia, quæ habentur in monasterio omnibus sunt communia, habere sibi latenter præsumit, quod à cæteris ignoratur: fraus est manifesta, quia reponit in commune, quod possidet; sed exiguam parvitatem privatim occultat fraude: unum crimen, sed plura contagia: tantæ nequitiæ malum velut gehennæ evita præcipitium, & quasi iter cave ducens ad infernum.* Plura de malitia hujus peccati, & quando habeat rationem sacrilegij, tradit Hæphtenus *disquisit. monast. lib.* 4. *tract.* 7. *disquisit.* 5. *per tot.* Unde in monachos proprietarios variæ statutæ sunt pœnæ. Primo enim monitione præmissâ corripi debet coram cæteris fratribus, ex regula D. Benedicti *cap.* 33. ibi: *Quod si quisquam hoc nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel, & iterum; & si non emendaverit, correptioni subjaceat.* Quæ duplex monitio regularis dicitur *in cap. cùm* 6. *hoc tit.* & postea excommunicatur, vindictæque corporali subditur id est fustibus cæditur. Sanctus Columbanus *in suo pœnit.* ibi: *Operis peculiaris præsumptio centum plagis; possessio alicujus rei, quam non necessitas generaliter fratribus concesserit, amissione ejusdem, & centum plagis coërceatur.* Olim etiam monachi proprietarij è monasteriis ejiciebantur, *dicto cap. cùm* 6. vel in aliis pœnitentiæ peragendæ causâ detrudebantur. Concilium Altissiod. *can.* 23. ibi: *Si monachus peculiare habere præsumpserit, ad agendam pœnitentiam in alio monasterio detrudatur.* Novis constitutionibus Concilij Trident. *sess.* 25. *de regul. cap.* 2. monachus proprietarius activâ, & passivâ voce privatur, & juxta suæ Regulæ, & Ordinis constitutiones puniri jubetur. Benedictus XII. *cap.* 16. *Benedict.* inhabiles ad beneficium, prioratum, officium, aut quamlibet gubernationem eos reddit: tandem sepulturâ ecclesiasticâ privantur *ex cap.* 6. *hoc tit.* quam privationem sepulturæ forsan accepit Pontifex ex simili facto; quod apud Ægyptios olim contigit, ut refert D. Hieronymus *epist.* 22. *ad Eustochium.* Nistriæ enim cùm monachus centum solidos, quos lina texendo acquisierat, dereliquisset, sancto PP. qui aderant decernente spiritu defossus fuit cum iisdem suis solidis, cunctis conclamantibus, *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Solennis formula in proprietarios monachos usitata, quam primò D. Petrus Apostolus terribiliter protulit in Simonem Magum, *actuum Apost. cap.* 8. viguisseque deinceps hanc pœnam cum ipsa imprecatione, constat ex Cæsario *homil.* 10. *Domin. in Sexag.* ubi agens de Nicolao Abbate Hardenausensi ait: *Qui fratrem suum carnalem, suaque domus monachum propter unum obolum, qui inventus est circa eum cùm moreretur, extra cæmeterium sepeliri fecit, atque eundem obolum super ipsum jactari, cunctis clamantibus: Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Et *in chron. Carthus. lib.* 7. *cap.* 39. refertur, quod cùm monachus quidam Carthusianus ardens ad nummos plurimos juxta se clam congregasset, ac tandem justo Dei judicio in reprobum traductus sensum, nec sceleris sui pondus ipse ferre valens, nec per pœnitentiam deferre volens, in cella semet ipse suffocasset, Prior ac fratres monasterii nummos inventos super ipsum

in sterquilinio sepulturæ traditum projecerunt, clamantes: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Et rectè hæc pœna monachis cum proprietate decedentibus imponitur; nam cùm excommunicati sint, ut suprà probavi, & excommunicati sepulturâ ecclesiasticâ reddantur indigni, juxta tradita *in cap. sacris, de sepultur.* rectè in præsenti docetur, monachos proprium possidentes, extra Ecclesiam esse in sterquilinio sepeliendos.

6. Dissolvitur dubitandi ratio.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, quâ moti Hæretici varios, & contrarios errores circa paupertatem tenuerunt. Apostolici asseruerunt, paupertatem Apostolorum adeo necessariam esse, ut eam non profitentes salvari nequirent. Econtra Vigilantius Gallus docebat, meliùs facere eos, qui utuntur rebus suis, quàm illos, qui possessionibus venundatis semel omnia largiuntur. Desiderius Longobardus docuit, non esse licitum omnia pro Christo relinquere, nisi quis talem religionem profiteatur, quæ possessiones habet vel si talis sit, qui de labore manuum suarum vivere possit, ut refert Castro *adversùs hæreses, verbo Paupertas.* Guillelmus de Sancto Amore tractatum scripsit contra monachos mendicantes, quo persuadere intendit, paupertatem habitualem esse licitam, non autem actualem; hoc est, licitam esse animi promptitudinem ad relinquendum omnia pro Christo, cùm necessitas urget; illicitam verò esse paupertatem, per quam aliquis renunciat omnibus, quæ possidet, ut liberiùs Deo servire valeat. Joannes Wiclephus, dixit esse fatuos, & se periculo vitæ exponere religiosos paupertatem voventes, ut refert Thomas Waldens. *tom. 1. lib. 4. art. 1. cap. 16.* cui ferè consentiunt Lutherus, & Philippus Malanchton: quod doctè & feliciter debellarunt D. Hieronymus *contra Vigilantium*, D. Augustinus *epist. 89. & 106.* Bellarminus *tom 1. controv. lib. 2. de Monachis*, D. Thomas *in opusc. contra impugnantes relig. cap. 6.* Nec illis favet dicta auctoritas Deuteron nam in primis Thomas Waldensis *lib. 4. de antiq. fidei doctrin. tom. 2.* docuit verba illa non prohibitionem, sed permissionem continere, quia illis verbis Deus non prohibet, nec damnat paupertatem, sed pollicetur Judæis, si legem suam servaverint, inter eos nullum egenum, seu mendicum futurum: quam interpretationem verba sequentia illius capitis confirmant. Deinde D. Thomas 2. 2. *q. 187. artic. 5.* docet, quod in illis verbis non vetatur pia, & justa mendicitas, sed prohibetur, ne divites sint divitiarum suarum tenaces, ut eam ob causam plures egeni reperiantur inter eos, & mendicare cogantur. Nec obstat quod dicebamus, per votum paupertatis à monachis emissum impediri majus bonum, videlicet facultatem faciendi eleemosynam. Nam pro solutione sat esset referre verba D. Augustini contra Vigilantium *de Eccles. dogmat. cap. 71. tom. 3.* ubi ait: *Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare; melius est pro intentione sequendi Dominum insimul donare, & absolutum solicitudine egere cum Christo.* Respondet autem D. Thomas *dicta quæst. 186. artic. 3.* donum eleemosynæ quasi sacrificium esse; eum enim, qui eleemosynam dat, sibi aliquid, vel multùm retinere, juxta Gregorium *homil. 20. in Ezechielem*; votivam verò paupertatem, bonorumque omnium renunciationem, quasi holocaustum dici posse, quod majus sacrificio est; nam holocausti appellatione venit hostia, quæ tota & citra retentionem Deo consecratur, atque ob id extremo loco relatum fuisse in psalmo 50. *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, & holocausta.* Nec obstat primum difficultatis augmentum deductum ex dicta Novella 5. Leonis, cum similibus. Nam valdè controversum est inter DD. an votum paupertatis primis Ecclesiæ sæculis à monachis emissum solenne esset, ita ut nullum dominium penes ipsum profitentem vitam monasticam remaneret. Pater Vazquez 1. 2. *disput. 165. cap. 6.* Basilius Legion. *q. 3. schol. cap. 9.* docuerunt, veteres monachos dominii rerum suarum capaces fuisse. quousque novo jure solennitas votorum introducta fuit. Quibus accedit P. Suarez *tom. 3. de relig. lib. 8. cap. 7.* Contraria tamen sententia communior est, quam novissimè defendit Vivar. *de veteri monach. lib. 2. cap. 5. num. 10.* Sed verè hujus quæstionis solutio provenit ex alia, an videlicet vota castitatis, & paupertatis olim adeo solennia essent, ut irritarent actum in contrarium factum, matrimonium videlicet à Monachis contractum, seu testamentum ab eis conditum? Et qui tenent vota illa veterum monachorum solennia fuisse, necessariò admittunt monachos incapaces omnino manifesse dominij, seu alicujus proprietatis, & ita testamenta, contractusque, & alios alienationis actus ab eis celebratos, non solùm illicitos, verùm & invalidos, ac nullos fuisse. Qui verò admittunt solennitatem votorum novo jure introductam esse, in Synodo videlicet Romana celebrata anno 1139. (quibus assentior) necessariò fateri debent, si non licitè, validè tamen testamentum, & alios contractus veteres monachos potuisse celebrare, juxta quorum sententiam accipiendi sunt textus *in dicta Novella 5. Leonis*, & alij suprà citati, ut jam probavi *in cap. 2. de testam.* Nec tandem obstat ultimum augmentum dubitandi rationis; nam pœna hæc privationis sepulturæ, nonnullis in casibus utroque jure recepta, & statuta est, ut probavi *in cap. sacris, de sepultur.* ex rationibus in ejus commentario adductis.

7. Exponitur textus in cap. nolo, 12. q. 1.

Sed suprà traditis obstare videtur D. Augustinus *sermon. 2. de communi vita clericor.* relatus à Gratiano *in cap. nolo, 12. q. 1.* ubi ita Sanctus Doctor ait: *Certè ego sum, qui statueram, sicut nostis, tus in nullum ordinare clericum, nisi qui mecum vellet manere, aut si vellet recedere à proposito, rectè illi tollerem clericatum, quia desereret sanctæ societatis promissum, cœptumque consortium, Ecce in conspectu Dei, & vestro muto consilium: qui volunt habere aliquid proprium, quibus non sufficit Deus, & Ecclesia sua, maneant ubi volunt, & ubi possunt, non eis aufero clericatum.* Quæ verba de monachis intelligi debent, ne dicamus inter monachos, & clericos nullam olim fuisse differentiam, cùm constet clericos semper proprium possidere potuisse, ut constat *ex cap. clericos 1. q. 2.* ibi: *Clericos autem illos convenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum, aut propinquorum nulla suffragantur bona.* Igitur si ex sententia D. Augustini monachi possunt proprium retinere, non rectè asserimus monachos aliquid peculiare possidentes, excommunicandos, ac sepulturâ ecclesiasticâ privandos esse. Gratianus textum hunc accipit non de monachis, sed de clericis, & ideo D. Augustinũ affirmare, non ideo auferendum esse clericatũ ab eis, eo quod proprium habere velint.

velint. Gratianum sequuntur Marsilius *de reddit. eccles. 2. part. cap. 5.* Covar. *in cap. 1. num. 1. de testam.* Duarenus *lib. 2. de sacris eccles. ministr. cap. 1.* Joannes de Polemar. *in orat. habita in Concil. Basil. de civil. domin. cleric. pag. 398.* aliter textum illum exponit Basilius *de matrim. lib. 7. cap. 12. num. 4.* & *dict. quæst. 3. schol. cap. 9.* sed verius existimo, B. Augustinum in eo textu non tantùm de clericis loqui, sed de monachis. Construxerat enim ipse plura monasteria in Africa, ut constat ex Possidio in vita sancti Augustini, *cap. 2.* Baronio *anno 1391. num. 23. & 24.* & latè refert Marquez *in orig. Eremit.* Pennotus *lib. 1. hist. canonic. regul.* quare cupiens, ut monachi viverent secundùm statum & disciplinam illius sæculi, haberentque tantùm bona in communi, statutum illud fecit: de quibus monachis accipiendus est idem sanctus Doctor ralatus *in cap. non dicatis, cap. exemplum 12. quæst. 1.* Nec tamen omnes, qui ordinari vellent, existimarunt se necessariò hanc vitam servaturos *in serm. 2. de communi vita cleric.* Non quidem permittit, ut monachi bona habeant, quia hoc ipsemet in sermone *3. de communi vita cleric.* satis prohibuit: sed affirmat se mutasse propositum, quod habebat non instituendi nisi monachos, & jam velle ordinare clericos, quos non cogit in communi bona possidere; sed si velint, ut proprium retinere possint, Huic etiam conclusioni opponi solent textus *in cap. 2. de condition. appos. capite infirmante, qui clerici, vel vov. cap. veniens 19. de simon.* quorum veram interpretationem in eorum commentariis dabimus.

CAPUT V.

Innocent. III. *Ubaldo* (a) *Plebano S. Gabini.*

QUod Dei timorem præ oculis habeas, ex fructibus tuis colligitur evidenter, cùm opera, quæ facis, testimonium perhibeant veritati: unde totum in Domino propositum commendamus. Sanè sicut jamdudum auribus nostris insonuit, quondam ad frugem melioris vitæ transire desiderans, officium Plebani (b) resignasti, & coram fratribus (c) sancti Victoris Bononien. (d) promissionem de tua conversione fecisti, neque professionem solennem emittens, neque habitum religionis assumens. Sed nobilis vir Comes Albertus, & parochiani plebis ejusdem, attendentes, te laudabiliter præfuisse, ac de recessu tuo eidem loco jacturam non modicam imminere, desiderium tuum hactenus retardarunt, à ven. f. n. (e) Florentino Episcopo impetrantes, ut ministrares ibidem. Hoc etiam dil. f. noster P. Basilicæ duodecim Apostolorum presbiter Cardin. tunc Ap. Sed. Legatus, pensatâ utilitate plebis proponitur annuisse, quod jamdicti Comes, & populus à nobis ratum haberi simpliciter postularunt, præsertim cùm de licentia Prioris sancti Victoris Bononien. dignoscaris hactenus id fecisse. Licèt autem in (f) Lateranen. Concilio de monachis caveatur, ne singuli per villas, & oppida, seu per quascunque parochiales ponantur Ecclesias, sed in majori conventu, aut cum aliquibus fratribus maneant, ne soli inter sæculares homines spiritualium hostium conflictum expectent, Salomone dicente: Væ soli, quia si ceciderit, non est qui sublevet eum: quia tamen istud de canonicis regularibus specialiter non cavetur, qui etsi à sanctorum monachorum consortio non putentur sejuncti, regulæ tamen inserviunt (g) laxiori, & per antiquos (h) canones monachi possunt ad Ecclesiarum parochialium regimen in presbyteros ordinari, ex quo debent prædicationis officium, quod privilegiatum est, exercere; sic annuendum duximus postulatis, ut exercens plebani officium, si commodè fieri poterit, unum canonicum regularem tecum habeas ad cautelam, cujus in his, quæ Dei sunt, regularis observantiæ, tam consortio, quàm solatio perfruaris.

NOTÆ.

1. (a) *Plebano.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc titul. cap. 1.* Plebanus, qui etiam Archipresbyter ruralis, vel Curio, seu Decanus dicitur *in cap. ultim. de offic. Archid. cap. final. ne clerici, vel mon. cap. 1. eod. tit. in 6.* est qui habet sub se capellas, in quibus clerici perpetuò instituuntur, & illi subsunt, ab eoque sacramenta recipiunt; & ejus Ecclesia dicitur Plebania *in dict. cap. 1. ne clerici, vel mon. lib. 6.* Nec sufficit, ut quis Plebanus dicatur, quod altaria in Ecclesia propria habeat, & dentur in titulum; sed desideratur, ut sit Ecclesia Plebano subdita, & in ea perpetuò clerici instituantur, ut probat Cæsar *de Ecclesiastica hierarch. 3. part. disput. at. 13. §. 3.* An verò Plebani ultra jurisdictionem fori pœnitentialis dignitatem in Ecclesia habere dicantur, examinant Filesacus *de origine parœc. cap. 3.* Cæsar *ubi suprà.* Waldus ergo, de quo in præsenti, Plebanus erat Ecclesiæ S. Gabini habens sub se diversas Ecclesias. De ipso præclaro Martyre nonnulla congessit Baronius *Martyrol. die 19. Februarij.*

(b) *Resignasti.*] In manibus proprij Episcopi, juxta adducta *in cap. admonet, de renunc.*

(c) *Sancti Victoris.*] De hac Ecclesia canonicorum regularium nonnulla adduxi *in cap. cùm his, de majorit. & obed.*

(d) *Promissionem.*] Ob quam tenebantur vitam regula-

regularem profiteri, juxta adducta *in cap. porrectum, suprà de regul.*

(e) *Florentino.*] Petro videlicet, cujus etiam meminit idem Innoc. III. *in cap. 5. & 8. de donat.* ut notavit Ughel. *tom. 2. Ital. sacr. in Ecclesia Florent. num. 32. ad finem.*

(f) *Lateran.*] Relato *in cap. 2. hoc tit.*

2. (8) *Laxiori.*] Canonici enim regulares verè sunt monachi, monachorumque jure, & nomine ubique censentur, ut *in cap. præsens clericus 20. quæ. 3. cap. 2. de postul. cap. 4. cum sequent. de confirm. utili, cap. de regularibus 25. de simon. extravag. 1. de regul. inter communes*; quia æquè paupertatem, & obedientiam ac cæteri monachi profitentur, & similiter fugere debent quæcunque religionis statui palam repugnant, *cap. 4. hoc tit. cap. cùm in Ecclesiis 10. de majorit. & obed. cap. sicut 17. de regul. cap. final ne clerici vel mon.* Sed quia in aliis habent regulam laxiorem, ut constat *ex cap. sanè 10. de regul. cap. mandamus 19. quæst. 3.* ideo nonnullis in casibus receptum est, eos appellatione monachorum non venire. Legaufre *in parat. ad hunc titul.* Primis Ecclesiæ sæculis omnes ferè clerici erant canonici regulares, ut constat ex Concilio Turon. *can. 23.* Mogunt. *can. 9. cap. necessaria 12. quæst. 1.* ex Prospero *de vita contempl. lib. 2. cap. 9.* Clericatum assumpturi omnia sua aut parentibus reliquerunt, aut pauperibus erogarunt, ut probat Hallierius *in vindicias lib. 4. cap. 2. §. 2.*

(h) *Antiquos canones.*] Relatos *in cap. in parochia, cum sequent. 16. quæst. 1.*

COMMENTARIUM.

3. *Conclusio probatur.* EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Canonicus regularis potest præfici regimini Ecclesiæ sæcularis.* Quæ assertio probari potest ex Concilio Tridentino *sess. 14. de reform. cap. 11.* ubi PP. prohibent, canonicum regularem translatum ad alium ordinem assumi ad beneficium seculare, etiam curatum; nam econtrario videntur innuere, canonicum regularem non traslatum ad alium ordinem, posse eligi ad tale beneficium, quo modo illum textum intellexit, & adduxit Rota *in una Papiensi, die 6. Martii, anno 1578.* his verbis: *Fuit quæsitum, an canonico regulari cum licentia Superioris possit provideri de beneficio curato seculari? Et fuit conclusum, posse, per textum in cap. quod Dei timorem, de statu monach. & tibi Abbatem in summa.* Idemque sentire videtur Concil. Trident. *sess. 14. cap. 11.* dum vult, canonicum regularem translatum ad alium ordinem non esse capacem beneficii secularis curati: tacitè enim innuere videtur, non translatum esse capacem; & declaravit sacra Congregatio Concilii anno 1602. ibi: *Congregatio Concilii censuit, decretis ejusdem Concilii canonicum regularem non prohiberi obtinere beneficia curata secularia, nisi fuerit ex his translatis, de quibus habetur in decreto, cap. 11. sess. 14.* Probat Ivo Carnot. *epist. 93. adversùs Episcopum Lemovic.* dum inquit: *Quantum intellexi ex litteris ex vestra parte mihi nuper oblatis, graviter fert vestra fraternitas, quòd Lemonicensis Episcopus in Synodo agens interdixit omnibus regularibus clericis, & regimen parochiarum, & confessionem pœnitentium; qui rectius quidem fecisset, si omnes sacerdotes ad regularem vitam invitasset, quàm regulariter viventes à Dominicarum ovium custodia penitus removisset, quibus tantò plus displicet aliena malitia, quantò longiùs discesserunt à sua.* Illustrant ultra congestos à Barbosa, & Garanna *in præsenti*, plures congesti à Tamburino *tom. 3. de jure Abbat. disput. 9. quæst. 8.* ubi tradit, perdoctum consilium Vincentij Parancij, pro canonicis regularibus. Pennotus *lib. 3. hist. canonic. regul. cap. 72. per totum.* Valensis *de benefic. titul. 26. num. 3.* Joan Lepage *in Biblioth. Præmonstr. tom. 1. lib. 1. sect. 18. cap. 12.* Barbosa *lib. 1. juris Eccles. cap. 42. num. 49.* Solorzanus *lib. 4. polit. cap. 16. & tom. 2. de jure Ind. lib. 3. cap. 16. num. 1.* P. Mendo *de Ordin. Milit. disputat. 11. quæst. 4.* Lantdmeter. *ad regulam D. Augustini, cap. 4.* Dubal. *in vita sancti Norberti, cap. 18. cum sequentib.*

4. *Impugnatur hæc assertio.* Sed pro dubitandi ratione ita in præsentem assertionem insurgo: Indecorum est, minusque rationi congruum, ut homines disparis professionis, vel habitus præficiantur Ecclesiis, vel in eadem Ecclesia socientur, *cap. in nona 16. quæst. 7. Clement. 1. de elect.* ideo sæcularia beneficia sæcularibus; & regularia regularibus conferri debent, *cap. cùm singula, cap. cùm de beneficio, de præbend. in 6. cap. 1. de elect. eod. lib. cap. inter, de relig. dom. Clement. ne in agro, §. cæterùm, vers. sanè, hoc tit. cap. placuit 16. quæst. 1.* Trident. *sess. 14. de reform. cap. 11.* adeo ut regularia non novitiis, sed expressè professis conferantur, *cap. nullus, de elect. lib. 6. Clement. 2. de supplend. neglig* docent Navarrus *ad tit. de præbend. consil. 2.* Covar. *in cap. 2. de testam. num. 2. & 3.* Ergo canonici regulares non possunt præfici Ecclesiis sæcularibus, cùm sint verè religiosi, *cap. sanè 10. de regul. cap. 2. & 3. 19. quæst. 8.* Sanchez *de matrim. lib. 2. disput. 18. num. 7.* Azor. *tom. 1. instit. lib. 13. cap. 3.* Accedit nam religiosis ex vi suæ professionis non convenit regimen animarum, *cap. monachus, cap. alia 16. quæst. 1.* quia regularium est doceri, & pasci, non vero docere, ut ibi refertur: qvare Ecclesiæ parochiales eorum monasteriis unitæ non reguntur per monachos, sed per clericos sæculares. *cap. monachi, hoc tit. cap. 1. de capel. monach.* igitur minùs ritè poterunt assumi ad regimen Ecclesiæ sæcularis. Augetur hæc dubitandi ratio *ex cap. super eo, de regul.* ubi statuitur, quod monasterium ingressi, cujus professionis habitum susceperint, non possint ampliùs ab ea religione discedere, & sæcularibus Ecclesiis deservire: sed canonici regulares certam regulam professi sunt: ergo deserere nequeunt illam, & Ecclesiis secularibus præfici. Fulcitur secundò eadem difficultas *ex cap. ad audientiam, de capel. monach.* ubi Honorius III. scribit Archiep. Burdegal. ut jubeat omnibus Abbatibus sibi subjectis, ut revocent cunctos monachos solitariam vitam ducentes in quibusdam Prioratibus Ecclesiarum secularium, & in illis ipse Archiepiscopus seculares clericos instituat: igitur si clerici regulares jam præpositi Ecclesiis secularibus removentur ab eis, ex eo provenit, quia ipsi ad beneficia secularia eligi non valent.

5. *Probatur conclusio rationibus & exemplis.* Adhuc tamen defendenda est præsens assertio, firmiterque tenendum, canonicos regulares cum sui superioris licentia posse eligi ad beneficia secularia; quod non solùm auctoritatibus suprà congestis, verùm & validissimis juris rationibus firmatur. Prima deducitur ex eo, nam canonici regulares essentialiter sunt clerici, & à temporibus Apostolorum ad regendas Ecclesias insti-

instituti ; unde æquè ac seculares capaces sunt regiminis cujusque Ecclesiæ , etiam secularis. Quam rationem insinuavit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 189. *artic.* 8. & illustrat Pennotus *dict. cap.* 72. *num.* 1. Secunda , & potissima provenit ex eo, quia non repugnat tale regimen Ecclesiæ secularis canonicis regularibus , ex vi professionis illorum : tum quia illi hoc apertè exprimunt tempore suæ professionis , ut constat *ex lib.* 1. *suarum constit. cap.* 42. ubi hæc verba exprimuntur : *Et quod nunquam absque licentia Capituli generalis , vel ejus auctoritate fungentis aliquod cum cura , vel sine cura beneficium acceptabo , intus, vel extra ordinem nostrum, renunciando omnibus juribus & privilegiis , & consuetudinibus in contrarium mihi competentibus , vel quomodolibet competituris.* Unde jam olim, & nunc habitâ licentiâ à Superioribus collationes beneficiorum sæcularium plerumque fieri legimus apud Pennotum *dict. cap.* 72 & Dubalem *suprà*, qui pluribus exemplis hanc praxim firmant , & illustrant.

6. Dissolvitur dubitandi ratio.

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa ; nam licèt verum sit, beneficia regularia regularibus , & secularis secularibus conferri debere, tamen circa personas regulares, & quænam illæ dicantur , ut beneficia secularia obtinere non possint , non constat apud Interpretes , ut videre est apud Barbosam *in remiss. ad Concil. Trident. dict. sess.* 14. *cap.* 11. P. Mendum *de Ordinibus Milit. disput.* 13. *quæst.* 4. *per tot.* ubi de religiosis militaribus agit. Et licèt juxta principium illud canonici regulares , qui monachis in omnibus ferè æquiparantur , admittendi non essent ; tamen quia , ut ait Innocentius in præsenti, regulam laxiorem profitentur, non comprehenduntur supradictâ prohibitione , nec appellatione regularium , quoad hunc effectum, veniunt ; quod declaravit Innocentius III. in præsenti , qui consultus fuit , non ut dispensaret cum Plebano sancti Gabini , ut vulgò creditur ; sed ut exponeret , interpretareturque prædictam prohibitionem Concilii Lateran. relatam *in cap.* 2. *hoc titul.* Nec obstat primum augmentum dubitandi rationis ; nam illud procedit in monachis , qui olim ad sacros ordines non ascendebant , immò per clericos seculares regebantur , ut probavi *in cap.* 2. *suprà , hoc tit.* Canonici verò regulares ex sua institutione clerici sunt , & ita legitimi ministri sacramentorum ; quare illis rectè commendari potest regimen Ecclesiæ secularis juxta suam professionem. Nec etiam obstat textus *in dict. cap. super eo, de regul.* nam ibi agit Summus Pontifex de illis religiosis , qui post susceptum habitum professionis intendunt illum demittere, & in Ecclesia deservire, etiam in habitu clericali seculari ; quod omnino improbat Pontifex : at canonici regulares retento eodem habitu , & observatâ vitâ regulari , possunt Ecclesiis seculatibus præfici ; unde nulla est desertio proprii habitus , seu professionis. Nec tandem obstat textus *in dicto cap. audientiam* ; nam Honorius in ejus specie agit de monachis prohibitis in Concilio Lateran. relato *in cap.* 2. *hoc titul.* extra monasterium vivere : sed canonici regulares non comprehenduntur prædictâ prohibitione Concilii Lateran. ut Innocentius in præsenti declaravit : igitur Honorius III. non est exaudiendus de ipsis canonicis regularibus. Prosequitur latiùs Garaña *in præsenti* , qui opponit , & exponit textus *in cap. final. de capel. monach. cap. in parochia* 16. *quæst.* 1. *cap. quorundam* 6. 74. *distinct. cap. sicut* 3. *de simon. cap. ad nostram , de confirm. utili.* Hæc procedunt jure communi attento. Nunc examinandum venit , an inspecto juri novissimo Concilii Trident. liceat Canonicis regularibus beneficia secularia possidere ? Et non licere , probant Mandosius *in praxi signat. titul. de dispens. monach.* Ojeda *de incompatib.* 2. *part. cap.* 24. *num.* 2. Germonius *de indultis Cardin. §. regularis , num.* 46. Felinus *in cap. in nostra , de rescript. num.* 44. Fuscus *de visitatione libro* 2. *cap.* 15. *num.* 79. Barbosa *in præsenti* , & *in summa Apostol. collect.* 102. *num.* 9. Gonzalez *ad regulam* 8. *Cancel. glos.* 8. *num.* 53. Thom. Sanchez *lib.* 7. *summæ , cap.* 29. *num.* 71. Farinac. *ad Trident. sess.* 14. *cap.* 11. Riccius *in praxi , decis.* 159. *part.* 1. Garcia sibi contrarius *de benef. part.* 7. *cap.* 10. *num.* 9. Moventur auctoritate Concil. Trident. *dict. sess.* 14. *cap.* 11. ibi : *Si canonicorum regularium fuerit , ad beneficia secularia ecclesiarum curata omnino incapax existat.* Et declaratione Gregorii XIII. quam refert Thom. Sanchez *ubi suprà.* Contrarium verò, immò canonicos regulares hodie capaces esse beneficiorum secularium, tenuerunt Navarrus *ad titul. de præb. consil.* 9. *num.* 5. & *ad hunc titul. consil.* 11. Gratianus *discept. forens. tom.* 1. *cap.* 123. *num.* 22. Franc. Marcus 1. *part. decision. quæst.* 481. *num.* 6. & 1281. *num.* 2. Selva *de benef.* 3. *part. quæst.* 70. Bertachinus *de Episcopo part.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 39. Lambertinus *de jurepatron.* 1. *part. lib.* 2. *in princip. quæst. articul.* 19. *num.* 7. Hieronymus Garcia *tom.* 1. *difficult.* 5. *dub.* 5. *punct.* 1. *numero* 13. Tamburinus , & Pennotus *suprà*, Dubal. *ubi suprà* : quorum fundamenta congessit latè , & doctè D. Josephus Barro Salgado *in supplic. ad Magnum Philippum pro Canonicis regularibus.* In qua opinionum varietate credo, validè , & licitè posse canonicis regularibus beneficia secularia etiam curata conferri. Sed quia hæc quæstio adhuc decisa non est per Sedem Apostolicam , etsi sæpius disputata in sacra Rota, ne hujusmodi beneficia canonicis regularibus collata, ut vacantia impetrentur, optarem hujusmodi declarationem peti à Romano Pontifice.

CAPUT VI.

Idem *Abbati, & Conventui* (a) *Sublacen.*

CUm ad monasterium Sublacen. personaliter veniissemus. *Et infrà :* Firmiter inhibuimus, ne quis de cætero monachorum lineis (b) camisiis uteretur. Ad defectum autem hospitalitatis supplendum , mixturam unius molendini concessimus , ampliora pro

pro tempore conceſſuri ; ita tamen , quod ad neceſſitatem pauperum ſublevandam eleemoſyna (c) cellario conferatur. Nos autem præfatas Eccleſias, quæ clericis ſecularibus (d) in beneficium fuerant aſſignatæ, ad uſum revocavimus infirmorum, conceſſionem Hoſpitalis, quæ facta fuerat Epiſcopo Anagnino, irritam decernentes , & ſtatuentes, ne quicquam ulterius in beneficium concedatur , ſed Infirmarius diſponat de illis Eccleſiis prout ad neceſſitates infirmitorii magis noverit expedire. Prohibemus ergo diſtrictè in virtute obedientiæ, ſub obteſtatione divini judicii, ne qui de cætero monachorum proprium aliquo modo poſſideat : ſed ſi quis aliquid habet proprii , totum in continenti reſignet. Si verò poſt hæc proprietatem aliquam fuerit deprehenſus habere, regulari admonitione præmiſſâ de monaſterio expellatur, nec recipiatur ulteriùs, niſi pœniteat ſecundùm monaſticam diſciplinam. Quod ſi proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte ipſa, cum eo in ſignum perditionis extra monaſterium in ſterquilino ſubterretur, ſecundum quod B. Gregorius narrat in (a) Dialogo ſe feciſſe. Abbas tamen, & Prior frequenter inquirant , & diligenter explorent , ne quis fratrum proprietatem poſſit habere ; unde ſi quicquam alicui fuerit ſpecialiter deſtinatum , non præſumat illud accipere , ſed Abbati , vel Priori , aut Cellario aſſignetur. (f) In oratorio verò, (g) refectorio , (h) dormitorio continuum ſemper (i) ſilentium obſervetur : in (j) clauſtro quoque certis horis, & locis, ſecundùm antiquam conſuetudinem monaſterii laudabiliter obſervatam , ſed modò laudabiliùs obſervatam. In refectorio verò nullus omnino (k) carne veſcatur, nec in quibusdum (l) ſolennitatibus , ſicut aliquando fieri conſuevit , Conventus exeat cum Abbate, paucis ibi relictis , ut extra refectorium edant carnes ; cùm in illis diebus præcipuè regularis diſciplina ſit ſtudioſiùs obſervanda : ſed nec extra refectorium , niſi in infirmitorio , eſum carnium credant ſibi licere , quamquam ex indulgentia poſſit Abbas interdum aliquos fratrum , nunc hos, nunc illos , prout neceſſitas poſtulaverit, advocare , ipſosque ſecum in camera ſua meliùs , & pleniùs exhibere. Porrò debiles , & infirmi , qui munitione indigent, vel aliquâ medicinâ , non ſeorſim in cameris , ſed omnes in infirmitorio , quæ neceſſaria fuerint ſibi, tam in carnibus , quàm in aliis , recipiant competenter. Quod ſi quisque eorum debilis fuerit , aut etiam delicatus , ut non poſſit communibus cibis eſſe contentus, ſic ei provideatur ſine ſcandalo aliorum , ut ſi Abbas , vel Prior voluerit in refectorio miſericordiam facere ſpecialem , cibum aliquem competentem, non ante illum , ſed ante ſe faciat apportari , de quo ipſe faciat illi pittantiam pro ſuſtentatione naturæ. Tales autem ad agenda officia monaſterii deputentur , qui fideles ſint , & diſcreti ; nec alicui committatur aliqua (m) obedientia perpetuò poſſidenda, tanquam in ſua ſibi vita locetur ; ſed cùm oportuerit amoveri , ſine contradictione qualibet revocetur. (n) Prior autem præ cæteris poſt Abbatem potens ſit in opere , & ſermone, ut exemplo vitæ , verboque doctrinæ fratres ſuos inſtituere poſſit in bono , & à malo revocare, zelum religionis habens ſecundùm ſcientiam , ut delinquentes corripiat, & caſtiget ; obedientes verò foveat , & confortet. Abbas verò , cui omnes in omnibus reverenter obediant , quantò frequentiùs poterit , ſit cum fratribus in conventu , vigilem curam , & diligentem ſolicitudinem gerens de omnibus, ut de officio ſibi commiſſo dignam Deo poſſit reddere (o) rationem. Quod ſi prævaricator ordinis fuerit , aut contemptor , ſeu negligens , aut remiſſus , pro certo ſe noverit non ſolùm ab officio deponendum , ſed etiam alio modo ſecundùm regulam caſtigandum. Cùm offenſa non ſolùm propria , vetùm etiam aliena, de ſuis manibus requiratur : nec æſtimet Abbas, quod ſuper habenda proprietate poſſit cum aliquo monacho diſpenſare, quia abdicatio proprietatis , ſicut & cuſtodia caſtitatis , adeo eſt annexa regulæ monachali, ut contra eam nec Summus (p) Pontifex poſſit licentiam indulgere.

NOTÆ.

(a) *Sublacenſi.*] Ita legitur in tertia collectione, *ſub hoc titul. cap.* 2. Sublacenſe hoc monaſterium eſt Ordinis D. Benedicti in eremo *Sublago* dicto à tribus lacubus ibi ſimul confluentibus , ubi magnus Patriacha Benedictus anno Chriſti 494. cœpit vitam monaſticam profiteri , habitu ſuſcepto à S. Romano, qui cùm per tres annos latuiſſet in ſpelunca , & per 35. vitam ageret , poſtea ædificavit duodecim monaſteria quæ referunt Yepes *tom.* 1. *chron. D. Benedicti, cent.* 1. *anno* 510. Sandoval *in fundat. Divi Benedicti , in princip.* Secundum dicavit SS. Martyribus Coſmæ , & Damiano , quod poſtea dictum fuit monaſterium D. Benedicti , & Sanctæ Scholaſticæ , & eſt caput totius Abbatiæ Sublacenſis, quod tam Pontifices , quàm Principes ſæculares miris opibus ditarunt , cum jurisdictione ſpirituali , & temporali , ab omnique jurisdictione exemptum declararunt. Unde cùm hoc præcipuum eſſet monaſterium hujus præclaræ , & inclytæ

inclytæ religionis, & in quo ejus Patriarcha priora fundamenta posuerat, valde curarunt Summi Pontifices, ut accuratè pristina disciplina monastica in eo servaretur: quare Innocentius III. dum personaliter accederet ad ipsum monasterium, & agnovisset lapsum disciplinæ regularis in aliquibus rebus, omnia quæ in hoc textu recensentur, observare jussit, ut notavit Yepes *ubi suprà, fol.* 27. Unde constat, rescriptum hoc locale esse, ad monachosque Benedictinos tantùm pertinere, sicut ad ipsos, & eorum vitam tantùm spectant canones editi in conventu Aquisgranensi temporibus Ludovici Regis anno 827. quos publicè edidit Petrus Pitheus *in* 1. *addit. post libros Capitularium Franciæ*, & notis illustrarunt Yepes, & Benedictus Haæphtenus. Hujus institutionis mentio extat in canone 9. Concilii Avenionensis, celebrati anno 1209.

(b) *Lineis camisiis.*] Camisias inde dictas esse docet D. Isidorus *lib.* 12. *orig. cap.* 22. quod in camis eis utamur, ibi: *Camisias vocamus, quòd in his dormimus in camis, id est in stratis nostris.* Joannes Vossius *lib.* 2. *cap.* 4. vocem Gallicam esse probat: utcunque sit, illud certum est, camisiam accipi pro veste interula: tunica videlicet interiori, ut probat Bulengerus *lib.* 1. *opusc. cap.* 30. Et licèt primis temporibus monachi uterentur cilicio pro interiori veste; sequentibus tamen seculis, camisiæ laneæ, sive stamineæ successerunt, & prorsus lineæ interdictæ fuerunt monachis. Gregorius IX. & Nicolaus IV. Cluniacensibus expresè interdicunt his verbis: *Ne quisquam quovis in loco camisiis, aut linteaminibus lineis uti præsumat.* Id ipsum Benedictinis inhibuit Benedictus XII. *cap.* 26. *suæ Benedict.* ibi: *Vestiti autem jaceant Abbates, Priores, administratores, & monachi universi, tam infra, quàm ubicunque extra monasterium constituti, lineisque camisiis (cùm sint eis expresè prohibitæ) non utantur.* Idemque de Præmonstratensibus, Prædicatoribus, & Carmelitis refert Haæphtenus *lib.* 5. *disquis. monast. tract.* 3. *disquis.* 8. Descendit prohibitio hæc ex illo domini præcepto *Matthæi cap.* 10. ubi Apostolis suis Dominus præcepit, ne duas tunicas haberent: ubi tunicam laneam exponit Zacharias Papa *epist.* 7. *ad Pipinum Regem, & Episcopos Franciæ, c.* 1. §. *monachi*, ibi: *Monachi vero laneis indumentis juxta normam, & regulam monasticæ disciplinæ, atque traditionem SS. Patrum, sine intermissione utantur; si enim abrenunciantes ea, quæ seculi sunt, totâ se Deo intentione contulerunt, omnibus illicitis debent abstinere, ut quemadmodum corpore suo sustinuerint laborem, tantum remunerationis præmium percipere mereantur. Apostolis quippe divinum datum est mandatum, duas tunicas non habendi. Tunicas dixit, itaque laneas, non lineas.* Hactenus Zacharias. In quo illud singulare est, quod affirmat, per tunicas, laneas tantùm significari, non lineas, cùm regulariter tunica etiam linea dicatur, ut apud Isiodorum *lib.* 10. *orig. c.* 21. ibi: *Est tunica sacerdotalis linea corpori adstricta, & usque pedes descendens.* Hieronymus *in epist. ad Fabiolam*, de tunica talari ex lino confecta, ita ait: *Volo pro legentis facilitate abuti sermone vulgato; solent militantes habere lineas, quas camisias vocant, sic aptas membris, & adstrictas corporibus, ut expediti sint vel ad cursum, vel ad prælia, dirigere jacula, tenere clypeum, ensem vibrare, quocumque necessitas traxerit. Ergo & sacerdotes parati in ministerium Dei utuntur hac tunica, ut habentes pulchritudinem vestimentorum, nudorum celeritate discurrant.* Ubi sanctus Doctor, quam priùs camisiam dixerat, postea tunicam vocavit. Sed adhuc defendendum est, Zacharias Pontificem rectè exposuisse *in d. c.* 10. *Matthæi*, tunicas laneas esse debere, non lineas. Tunica enim secundùm Varronem *lib.* 4. *de lingua Latina*, à tuendo corpore dicitur; quo sensu tunicam accepit Paulus Jurisconsultus *in l.* 1. *ff. de contrahen. empt.* ibi: *Veluti si ego togam dedi, ut tunicam acciperem.* Dum ergo Dominus præcipit Apostolis, ut non peram in via, nec duas tunicas possiderent, illud præcipit, ne ampliùs quàm unum indumentum causâ tuendi corporis ferrent. Quod & præsensit Glossa interlinearis *ad d. c.* 10. *Matthæi*, ubi illa verba: *Duas tunicas*, sic explicat: *Nihil præter indumentum, quo contentus esse potest.* Laneum ergo debuit esse, non lineum, ne ridiculè affirmemus, Apostolos unico tantum lineo indutos habitu incedere debuisse. De qua tunica laneâ accipiendi sunt D. Bened. *in c.* 55. *regulæ*, ibi: *Dentur ab Abbate omnia, quæ sunt necessaria; ideòque cucullæ, & tunica, pedales caligæ.* D. Basilius *cap.* 12. *suæ reg. in fine*, ibi: *De numero autem indumentorum nihil possumus dicere, cùm manifesta definitione præscriptum sit, in qua dicitur, quod qui habet duas tunicas, det non habenti.* Nec tunc obstat canon 22. dicti Concil. Aquisgran. in illis verbis: *Abbas hoc omnino provideat, ut camisias duas, & tunicas duas, & cucullas duas, & cappas duas unusquisque monachorum habeat.* Nam quod de camisiis dicitur, intelligendum est de illis, quæ dabantur infirmis, non autem quia monachi dum valebant eis uterentur, laneæ enim vestes conveniunt pœnitentibus, & lugentibus, quales sunt monachi, *cap.* 2. *de homicid.* unde est, quod & probatur de quibusdam monachis apud Aventinum *lib.* 5. *annal Bojorum*, quod exlaneis, linei facti essent. Latè illustrat Haæphtenus *lib.* 5. *disquisit. tract.* 3. *disquisit.* 7.

(c) *Cellario.*] Cellaria annonæ publicæ apud Romanos dicebantur; nam cella propenu accipitur *in l.* 12. *C. de divers. offic.* unde & cella, locus celandis rebus aptus definitur *in l.* 41. *ff. de legat.* 1. inde cellaria denominata sunt annonæ apud Sulpitium Severum *lib.* 2. *hist. sacr.* & cellarienses species, *in l. penult. C. Theodos. de indul. debit.* & cellarius, qui curam, & rationem habet cellæ. Martialis *lib.* 11. *epigr.* 32.

Hinc cellarius experitur artes,
Ut condat vario vafer sapore.

De cellario & ejus officio egi *in c. unic. de studio.*

(d) *Beneficium.*] Feudum videlicet, ut exposui suprà *in tit. de feudis.*

(e) *In dialogo.*] *Lib.* 4. *c.* 55. causam suæ sententiæ reddens ait: *In quibus utrisque rebus, unam morienti, alteram verò voluit prodesse fratribus viventibus, ut illum amaritudo mortis à culpa solubilem faceret, & istos avaritiæ tanta damnatio terreret, atque à culpa prohiberet: quod ita factum est. Nam cùm idem monachus pervenisset ad mortem, atque anxiè se quæreret commendari fratribus, & nullus è fratribus ei applicari, & loqui dignaretur, ei carnalis frater cur ab omnibus esset abominatus indicavit, qui protinus de reatu suo vehementer ingemuit, atque in ipsa tristitia sua è corpore exivit, qui ita sepultus est ut dixeram.* Plura de pœnis monachi peculium habentis congessi suprà *in cap.* 2.

(f) *Oratorio.*] De quo agemus *in c. patentib. de priv.*

(g) *Refectorio.*] Refectorium est locus, in quo communi mensæ monachi, seu canonici accumbunt:

bunt : & quamvis refectio æquè de somno, atque de cibo dicatur, unde apud Cassianum *lib. 3. instit. cap. 8. Reficere corpora somno : Refectio noctis*; tamen ex communi usu refectio pro cibo sumitur; & sicut ab oratione oratorium dicitur, ita à refectione refectorium appellatur, ut in Synodo Aquisgran. *cap. 145.* ibi : *In refectorio pariter reficiantur.* Et *can. 123. In refectorio quotidie unà reficiantur, nisi fortè quæ necessitas abesse compulerit, & hoc non sine licentia Magistri fiat.* Meldensi *can. 53. Ut canonici in civitate, vel monasteriis, sicut constitutum est, in dormitorio dormiant, & in refectorio comedant.* Plura de ejus forma, & personis, quæ illuc ingredi valent, congesserunt Gibalinus *de clausura regul. disquisit. 1. cap. 2. §. 5.* Hæphtenus *in disquisit. monast.*

5. (h) *Dormitorio.*] Dormitorium communis locus est, ubi monachi, seu canonici quiescunt, extra quem olim nemini licebat dormire absque justa causa. Synodus Aquisgran. *can. 134.* novel. 4. & 133. Justin. Concil. Cabilon. 2. *can. 59.* Mogunt sub Rabano *can. 16.* D. Isidorus *cap. 23. suæ regulæ*, ibi : *Omnes divisis lectulis in una maneant cellula, singuli verò in singulis quiescant.* Synodus Aquisgran. *can. 136.* unde Synodus Turonensis 2. *can. 14.* sic statuit : *Nullus sacerdotum, aut monachorum colligere alium in lectulo suo præsumat, nec liceat monachis cellulas habere communes, ubi aut bini maneant, aut peculiares, ubi singulares reponi possint.* Prosequuntur alia de his lectulis, & dormitorio Hæphtenus *lib. 12. disquis. monast. tract. 1. disquis. 1. cum sequent.* Gibalin. *de clausur. disquis. 1. cap. 2.*

6. (i) *Silentium.*] Non semper, nec ubique esse loquendum omnibus, etiam docuit Divus Ambrosius *lib. 1. de officiis, cap. 10.* his verbis : *Sapiens ut loquatur multa prius considerat, quid dicat, aut cui dicat, quo in loco, quo tempore.* Monachis autem silentium semper commendatur, præcipuè in locis ab Innocentio in præsenti expressis, videlicet continuum in oratorio, refectorio, & dormitorio; certis verò horis in claustro, quia juxta antiquam monachorum consuetudinem, cùm studium, & lectio non in cellis, sed in claustro fierent, ibidem quoque certis horis loquutio indulgebatur. Joannes Mocius *in vita S. Odonis, lib. 1.* ubi de Cluniacensibus agens, ait : *Est & alius inter eos taciturnitatis modus; in incompetentibus namque horis nemo intra claustra ejusdem monasterii audeat loqui, nec se cum alio fratre jungere : quando verè duodecim celebrantur lectiones, nullus intra prædicta claustra præter ad capitulum sequenti die audet loqui.* Immò & has locutiones tempore Quadragesimæ prohibuit P. Venerabilis *num. 1.* his verbis : *Ut quadragesimali tempore additis ad silentium tribus diebus, hoc est 3. feria, & 5. & Sabbatho, quibus in claustris juxta morem pristinum locutio esse solebat, continuum per totam Quadragesimam silentium teneatur.* Ad quam consuetudinem respiciens Innoc. in præsenti statuit, silentium certis horis in claustris servari. Plura de silentio, præcipuè post Completorium à monachis servando, congesserunt Hæphtenus *lib. 6. disquis. monast. tract. 3. disquis. 7. usque ad 13.* Gazeus *in notis ad Cassianum lib. 4. instit. c. 17.*

7. (j) *Claustro.*] Claustrum est præcipua pars monasterii, à reliqua habitatione distinctum : unde in Concilio Turon. 3. *can. 24.* statuitur, *Ut Abbates solicitè provideant canonicis, ut habeant claustra & dormitorium.* Idem cavetur in Concilio Trosl. Gerbert. *can. 3.* & in eo olim monachi conveniebant ad lectionem, cui omnes adesse tenebantur. Concil. Meldense *can. 53. Tam sani, quàm infirmi canonici vestiantur, atque in claustris horis congruis degant, & sub custodia canonica lectionibus, & cæteris divinæ institutionis insistant officiis.* Et in Concilio Mogunt. sub Carolo, *can. 9.* jubetur, ut canonici clerici simul manducent, & simul dormiant, & in suo claustro maneant, per singulos dies primo mane ad lectionem veniant, & omnes simul audiant. Alia prosequitur Gibalinus *dict. disquis. 1. cap. 2. §. 3.*

8. (k) *Carne vescatur.*] Consonant caput monachi, *de consec. dist. 5.* Clement. 1. *hoc tit.* D. Hieronymus *epist. 22. Vivitur pane, leguminibus, & oleribus, quæ sale solo condiuntur.* Sanctus Ephrem *proverb. cap. 19. Insolentia, & immodestia est monacho vesci velle animalibus.* Ab omni enim ævo qui pietate colebant, à carnibus sibi temperarunt. Hinc Sanctus Chrysostomus, Theodoretus, Peterius, & alii censent, ante diluvium non interdictum, sed licitum fuisse esum carnium; ab eo tamen abstinuisse viros religiosiores, puta posteros Seth, eo quod Deus assignans homini cibum, expresè tantùm assignavit olera, non autem carnem, dicens : *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam.* Genesis *capite 21.* Laudat hanc abstinentiam Pythagoras apud Ovidium *lib. 15. Metamorph.*

At vetus illa ætas, cui fecimus Aurea nomen,
Fœtibus arboreis, & quas humus educat herbis :
Fortunata fuit, nec pollut ora cruore.
Tunc & aves tutæ movere per aëra pennas
Et lepus impavidus mediis erravit in arvis.

Facit Boëtius *lib. 2. de consol. metro 5.*

Felix nimium prior ætas,
Contenta fidelibus arvis,
Nec inerti perdita luxu,
Facili quæ sera solebat
Jejunia solvere glande.

Religionis titulo id factum Plato asserit *lib. 6. de legibus*, ibi : *A carnibus majores nostri abstinuerunt, tanquam pium non esset illas edere.* Sed quia regulâ D. Benedicti ita cavebatur : *Carnium verò quadrupedum omnino abstineatur comestio*; nonnulli crediderunt bipedum esum monachis non prohiberi, ut tradit Theodemarus Abbas Casinensis in hæc verba : *Sed de esu volatilium tam caute Pater noster prudentissimus in sua regula posuit, ut si vellent comedere monachi, cùm opportunum est, non subjaceant culpæ. Si autem eis à suo tale edulium non præbetur Abbate, ut quasi ex debito, non possunt requirere; multi tamen fratrum nostrorum nec volatilia comedunt.* Rabanus Maurus *lib. 2. instit. cleric. c. 27.* ibi : *Avium esum credo inde à Patribus permissum esse, eo quòd ex eodem alimento, de quo & pisces, creatæ sunt; nam in regula monachorum non invenimus aliarum carnium esum eis contradictum, nisi quadrupedum.* Sed verius est à D. Benedicto tam quadrupedum, quàm bipedum esum esse prohibitum, ut cavetur in Synodo Aquisgran. *can. 8.* ibi : *Ut volatilia intus, foriswe, nisi pro infirmitate, nullo tempore comedant, nec Episcopi ut edant, præcipiant.* Lantdmeter. *de veteri cleric. lib. 2. p. 2. c. 7.* latè probant, & defendunt Hæphtenus *lib. 10. disquis. monast. tract. 3. disquisit. 1. cum sequent.* Yepes *tom. 3. chron. D. Benedicti, anno 777.* Bravo *ad regulam ipsius sancti*

cap. 36. & nos dicemus *in cap.* 1. *de clerico venatore.*

10. (l) *Solemnitatibus.*] Natali videlicet Domini, & Paſcha. Synodus Aquisgran. *can.* 78. *Volatilia in Natali Domini, & in Paſcha tantùm quatuor diebus ſi eſt unde comedant, habeant. Si vero non fuerit, inde non requiratur per debitum: ſi autem Abbas aut monachi abſtinere ſe voluerint, in eorum ſit arbitrio.*

(m) *Obedientia.*] Seu Prioratus, juxta tradita *in cap.* 2. *hoc tit.*

(n) *Prior autem.*] Debet enim eligi unus eandem Religionem expreſsè profeſſus, qui præſit cæteris, de quo, & ejus officio egi ſuprà *in cap.* 2.

11. (o) *Reddere rationem.*] Conſonat D. Benedictus *cap.* 2. *ſuæ regulæ*, ibi: *Sciatque, quia qui ſuſcepit animas regendas, præparet ſe ad rationem reddendam.* Et *cap.* 63. *Cogitet ſemper, quia de omnibus judiciis, & operibus ſuis redditurus eſt Deo rationem.* Cujus oneris gravitatem exponit Hæphtenus *lib* 3. *diſquiſit. monaſt. tract.* 5. *diſquiſit.* 4. *ad finem.*

12. (p) *Pontifex valet.*] His verbis moti quamplures docti viri exiſtimarunt, Pontificem non poſſe dispenſare in voto ſolenni caſtitatis, ita ut monachus, vel Subdiaconus poſſint ritè, & validè matrimonium contrahere. Ita docuerunt Sotus *lib.* 7. *de juſtitia, quæſt.* 4. *articul.* 2. & *in* 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 2. *artic.* 2. *concluſ.* 2. Sylveſter *verbo votum* 4. *quæſt.* 5. Mandoſius *de ſignatura gratiæ verbo Commutatio, column. penult.* alii congeſti à Thoma Sanchez *lib.* 8 *de matrim. diſput.* 8. *num.* 6. Alii tamen, licèt in voto ſolenni caſtitatis diſpenſare non poſſe doceant, tamen in voto paupertatis diſpenſare valere tenuerunt. Ita Leſſius *libro* 2. *de juſtitia, cap.* 40. *dub.* 14. *num.* 112. Azor. *tom.* 1. *inſtit. lib.* 12. *cap.* 7. *q.* 2. Sed contrarium, immò tam in voto paupertatis, quàm caſtitatis poſſe Pontificem dispenſare, docuerunt Menochius *lib.* 2. *de arbitr. caſu* 421. Chopinus *de ſacra pol. lib.* 2. *tit.* 3. *num.* 22. Albertinus *de agnoſc. quæſt.* 23. qui refert Alexand. VI. dispenſaſſe cum Cæſare Diacono Cardinali, ut in uxorem duceret filiam Ducis Valentiniani. Acuña *in cap. de illis* 4. 32. *diſtinct. num.* 5. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 100. Stephanus Durantius *qq jur. quæſt.* 7. Araujo *tract.* 1. *qq. mor. quæſt.* 19. *per tot.* Thomas Delbene *p.* 2. *de offic. Inquiſit. dubit.* 236. *ſect.* 66. Rouſſelius *lib.* 1. *hiſt. Pontif. juriſdict. cap.* 5. Martinez à Prado *tom.* 2. *Theolog. moral. cap.* 31. *quæſt.* 14. §. 3. & alii plures, quos congeſſi *in can.* 13. *Concil. Illiber.* ubi præſentem textum expoſui.

CAPUT VII.

Idem *in Concilio* (a) *Generali.*

IN ſingulis Regnis, ſive Provinciis, fiat de triennio in (b) triennium, ſalvo jure diœc. Pontif. commune (c) Capitulum Abbatum, atque (d) Priorum Abbates propriospnon habentium, qui non conſueverint tale Capitulum celebrare, ad quod univerſi conveniant præpeditionem canonicam non habentes, apud unum de monaſteriis ad hoc aptum, hoc adhibito moderamine, ut nullus eorum plusquàm ſex (e) evectiones, & octo perſonas adducat. Advocent in hujus charitatis, vel novitatis primordiis duos (f) Ciſtercien. Ordinis vicinos Abbates, ad præſtandum ſibi conſilium, & auxilium opportunum, cùm ſint in hujusmodi Capitulis celebrandis ex longa conſuetudine pleniùs informati: qui absque contradictione duos ſibi de ipſis aſſocient, quos viderint expedire: ac ipſi IV. præſint Capitulo univerſo; ita quod ex hoc nullus eorum ſibi auctoritatem prælationis aſſumat; unde, cùm expedierit, providâ poſſint deliberatione mutari. Hujusmodi verò Capitulum aliquot certis diebus continuis juxta morem Ciſtercien. celebretur, in quo diligens habeatur tractatus de reformatione Ordinis, & obſervantia regulari: & quod ſtatutum fuerit illis quatuor approbantibus, inviolabiliter obſervetur, omni excuſatione, & contradictione, ac appellatione remotis, proviſo nihilominus, ubi ſequenti termino debeat Capitulum celebrari. Et qui convenerint, vitam ducant communem, & faciant proportionaliter ſimul omnes communes expenſas; ita quod ſi non omnes poterunt in eisdem, ſaltem plures ſimul in diverſis domibus commorentur. Ordinentur etiam in eodem Capitulo religioſæ, ac circunſpectæ perſonæ, quæ ſingulas Abbatias ejusdem Regni, ſive Provinciæ, non ſolùm monachorum, ſed etiam monialium ſecundum formam ſibi præfixam vice noſtra ſtudeant viſitare, corrigentes, & reformantes quæ correctionis officio viderint, & reformationis indigere: ita quod ſi Rectorem loci cognoverint ab adminiſtratione penitus admovendum, denuncient Epiſcopo proptio, ut illum amovere procuret. Quod ſi non fecerit, ipſi viſitatores hoc referant ad Ap. Sed. examen. Hoc ipſum regulares canonicos ſecundùm Ordinem ſuum volumus, præcipimusque obſervare. Si verò in hac novitate quicquam difficultatis emerſerit, quod per prædictas perſonas nequeat expediri, ad Ap. Sed. judicium absque ſcandalo referatur, cæteris irrefragabiliter obſervatis, quæ concordi fuerint deliberatione proviſa. Porrò (g) diœceſani Epiſcopi monaſteria ſibi ſubjecta ita ſtudeant reformare, ut cùm ad ea prædicti Viſitatores acceſſerint, plus in illis inveniant,

veniant, quod commendatione, quàm quod correctione sit dignum, attentissimè præcaventes, ne per eos dicta monasteria indebitis oneribus aggraventur, quia sic volumus superiorum jura servari, ut inferiores nolimus injurias sustinere. Ad hoc districtè præcipimus, tam diœcesanis Episcopis, quàm personis, quæ præerunt Capitulis celebrandis, ut per cens. eccl. appellatione remotâ compescant advocatos, patronos, Vicedominos, Rectores, & (h) Consules, Magnates, & milites, seu quoslibet alios, ne monasteria præsumant offendere in personis, aut rebus; & si forsitan offenderint, eos ad satisfaciendum compellere non omittant, ut liberiùs, & quietiùs omnipotenti Domino valeant famulari.

NOTÆ.

1. (a) *Generali.*] Lateranensi videlicet, celebrato sub Innocentio III. ubi *cap.* 11. reperitur textus hic, & in quarta collectione, *sub titul. de statu relig. cap.* 2. De hoc Concilio nonnulla adduxi *in cap.* 1. *de summa Trinit.*

(b) *Triennio in triennium.*] Consonant Concil. Trident. *sess.* 15. *de regul. cap.* 20. in illis verbis: *Regularium verò Capitula Provincialia, & Generalia, &c.* Probant utilitatem hujusmodi comitiorum Tamburin. *tom.* 3. *de jure Abbat. disp.* 1. Hieronymus Garcia *pol. regul. tract.* 6. *difficult.* 1. & nos aliqua dabimus dum de Concil. Provinciali celebrando agemus *in c. cùm olim, de accus.*

2. (c) *Capitulum.*] Capitulum in materia monastica, seu regulari accipitur pro illo loco, ubi monachi vel religiosi simul conveniunt; quo modo sumitur in Concilio Aquisgran. *can.* 69. ut ad capitulum priùs Martyrologium legatur. Et *can.* 70. ut ad Capitulum lectio tradatur: dictumque ita fuit juxta veriorem etymologiam, quia in ea exedra, seu monasterii parte capitulum aliquod regulæ legeretur. Notissimum enim est, manè, antequam monachi exirent ad laborem, olim aliquod regulæ capitulum illis fuisse perlectum, cujus moris meminit Smaragdus *in præfat. ad Diodorum Monachum*, his verbis: [Et quia mos est monachorum, ut regulam B. Benedicti ad capitulum legant quotidie matutinum, volumus ut iste libellus in eorum capitulo legatur vespertino.] Etiam expressè mentio fit in antiquit. Fulden. *lib.* 3. *cap.* 12. ibi: *Quàm manè, & in unum convenimus, & capitulum de regula cum fratribus legebatur.* Et quia in eodem loco ea, quæ ad cœnobiticum spectant regimen, solent tractari, hinc ipsa monachorum comitia, conventus, seu synodi, vocari cœperunt Capitula generalia, seu provincialia, ut probat Hæphtenus *lib.* 8. *disquis. tr.* 1. *disquis.* 1. Capitulum ita acceptum definit Joannes Andreas *in cap. capitulum, de rescript.* his verbis: Capitulum dicitur illa multorum religiosorum congregatio, qui certo aliquo, & determinato tempore ad aliquod peragendum conveniunt in uno. In aliquibus religionibus dicitur congregatio, in aliis, præcipuè Germaniæ, dieta, ut probat Lezana *tom.* 7. *cap.* 12. *num.* 1. Garcia *dict. tract.* 6. *dub.* 1. *difficult.* 1.

3. (d) *Priorum.*] Consonat textus *in cap.* 2. *hoc tit. in* 5. *compil.* ubi ita rescribit Honorius III. [Sanè nostris est auribus intimatum, quod cùm ante generale Concilium apud monasterium vestrum, fili Abbas, & Prior sancti Victoris, Abbatum, & Priorum Abbates proprios non habentium, vestro monasterio subjectorum, Ordinis vestri commune consueverit Capitulum celebrari, & per illud de suis claustris extirpari spinas, & tribulos vitiorum, & plantari virtutum gemina in eisdem, constitutione in eodem Concilio edita pro reformandi monasteriis monachorum, ut in singulis Regnis, sive Provinciis fieret de triennio in triennium, salvo jure diœcesanorum Pontificum, commune Capitulum Abbatum, & Priorum Abbates proprios non habentium, qui non consueverunt tale Concilium celebrare: & extensâ constitutione hujusmodi ad canonicos regulares, juxta sui Ordinis instituta servanda, quidam Abbates, & Priores monasteriorum, qui vestro monasterio sunt subjecti, Ordinis vestri, contempserunt ad hujusmodi Capitulum convenire, qui ex hoc non immeritò præsumuntur habere opera tenebrarum, ac sic ritus celebrandi commune capitulum, qui ex constitutione prædicta debuit fortiùs observari, in desuetudinem abiit, & in enervationem observantiæ regularis. Cùm igitur hujusmodi Capituli celebratio sit canonicæ institutionis custodia, eo quod in ipso prava in rectitudinem, & aspera in vias planas, evellendo nociva, & plantando salubria, dirigantur: disc. v. mandamus, quatenus convocatis Abbatibus, & Prioribus Abbates proprios non habentibus Ordinis vestri, monasterio vestro subjectis, & eos qui venire contempserint ad id, dummodo non sint impedimento canonico præpediti, monitione præmissâ per censuram ecclesiasticam, appellatione postpositâ compellentes, celebretis apud sanctum Victorem commune Capitulum more solito, & procedatis in eo, Deum habentes præ oculis, juxta constitutionem Concilii memorati, eadem censurâ facturi, quæ in eo deliberatione providâ fuerint ordinata, firmiter observari: ut autem quæ statuta fuerint magis teneantur memoriter, & serventur, volumus, & mandamus hujusmodi Capitulum annis singulis celebrari.]

(e) *Evectiones.*] De his evectionibus agemus *in cap. cùm Apostolus, de censib.*

(f) *Cisterc. Ordinis.*] Adeo enim piè, religiosè, 4.
& doctè Capitula Cisterc. celebrabantur, ut Episcopi, Principes, & alii Prælati ibi convenirent tempore Capituli, non solùm ut loca sacra visitarent, verùm ut sessiones, virosque admodum modestos venerarentur. Unde juxta ejus Ordinis normam cunctis Religionibus Capitulum celebrandum injungitur in præsenti Concilio; quod non solùm cæteræ Religiones observarunt, verùm & inter patrias leges transcripserunt, ut refert Manrique *tom.* 1. *annal. Cisterc. ann* 1119. *cap.* 6. *num.* 6.

(g) *Diœcesani Episcopi.*] Temporibus enim In- 5.
nocentii III. adhuc plura monasteria non erant exempta à jurisdictione Episcopi, & lege diœcesana, ut probavi *in cap. licèt, de officio Ordin.* Unde Episcopi ea visitabant. Concil. Moguntin. *c.* 20. quod refertur *lib.* 5. *Capitul. Caroli, c.* 78. ibi: *Missi per quæque loca directi, simul cum Episcopis*

uniuscujusque diœcesis perspiciant loca monasteriorum canonicorum, & monachorum, & puellarum, si in apto, & congruo loco sint posita, ubi commodum necessarium possit acquiri, quod ad utilitatem pertinet monasterii, sicut in sancta regula dicitur. Tullen. *p. ultim. cap.* 9. ibi: *Congregationes canonicorum secundùm canonicam institutionem à propriis Episcopis strenuè visitentur, & eorum religio, & habitus exquiratur, si vita & moribus sint probi, ac officio, & unanimitatis studio soliciti; à levissimis quoque, & pernicissimis actibus cauti. Subsidia illorum piâ Dominorum providentiâ exquirantur, & dispensentur.* Exemplum Episcopi vastissimam etiam diœcesim visitantis habemus in B. Athanasio; eum enim adiisse non tantùm Ecclesias, quæ in civitatibus erant, sed etiam monasteria in solitudinibus, constat ex actis S. Pacomii, ubi ritus, & honores, quibus recipiebatur, referuntur his verbis: *Cùm solenniter Athanasius superioris Thebaidæ circuiret Ecclesias, accidit ut ad loca Talennensium navigio perveniret; quod ubi Pacomius agnovit, statim cum universis monachis in ejus properavit occursum, omnesque gaudentes, & exultantes cum psalmis, & hymnis summum Christi suscepere Sacerdotem.* Expressiùs idem mos refertur in actis S. Eugeniæ *lib.* 1. *vit. Patrum*, ibi: *Quia mos est apud Ægyptum, quando circumeunt monasteria Episcopi, ut psallentium eos sequatur exercitus, supervenit Helenus Heliopolis Episcopus, & cum eo ampliùs quàm decem millia virorum psallentium, ac dicentium: Via justorum recta facta est, & iter sanctorum præparatum.* Probant Acuña *in c. nostratum* 85. *dist.* Germonius *lib.* 3. *de sacror. immunit. cap.* 9. Chopinus *lib.* 1. *monast. tit.* 2. *nu.* 12. Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri mon. part.* 2. *cap. final.*

(h) *Consules, & Magnates.*] Consonant caput *luminoso*, caput *Abbatem*, caput *quàm sit* 18. *q.* 2. Concil. Hispal. 2. *can.* 10. ibi: *Si quis sacerdotum quodlibet monasterium, aut vi cupiditatis spoliandum, aut simulatione aliqua fraudis convellendum, aut dissolvendum tentaverit, anathema effectus maneat, & à regno Dei extraneus, ne proficiat illi bonum fidei, vel operis ad salutem, qui tanta, & tam salutaris vitæ destruxerit tramitem.* Tolet. 4. *can.* 50. Cabilon. *cap.* 11. *Pervenit ad sanctam Synodum, quod judices publici contra veterem consuetudinem per omnes parochias, vel monasteria, quas mos est Episcopos circumire, ipsi illicitâ præsumptione videantur discurrere, & clericos, vel Abbates, ut coram eis compareant, invitos, atque districtos, ante se faciant exhiberi, &c. Si præsumptione, vel potestate quâ pollent, exceptâ invitatione Abbatis, aut Archipresbyteri, in ipsa monasteria, vel parochias aliquid fortasse præsumpserint, à communione sacerdotum eos convenit sequestrari.* Meldense *can.* 41. *Providendum est Regiæ Majestati, ut monasteria, quæ ab hominibus Deum timentibus in sua proprietate constructa, prædecessores illius causâ defensionis, & mundeburdii susceperunt, ut liberâ libertate, remotâ spe hereditariâ, de illorum propinquitate ibidem religio observaretur, & nunc in allodium sunt data, quapropter omnis exinde religio funditus est eversa, qualiter vota fidelium inconvulsa permaneant, ne voces eorum contra se ante Deum clamantes, adjuncto periculo de eorum perditione, qui in iisdem locis necessitate naufragantur condemnabiles sentiat.*

CAPUT VIII.

Honorius III. *Abbatibus, & monachis in* (a) *Lombardia, & Marchia* (b) *Tarvisina constitutis.*

EA, quæ pro religionis honestate, ac religiosorum salute providè ordinantur, Apostolico sunt munimine roboranda, ut suscipiantur devotiùs, & diligentiùs observentur. Cùm ergo per dil. f. Abbatem (c) Montisbelli, quædam capitula nobis fuerint præsentata, quæ ad castigandum transgressiones multiplices, & excessus, quos in quibusdam cœnobiis invenerat, videbantur pro salute & honestate vestra laudabiliter statuenda, nos ea examinari, & corrigi fecimus, & præcepimus ut inviolabilitèr observetis, quæ sigillis ven. f. n. H. Ostiensis, & N. Tusculanensis Episcoporum muniri fecimus ad cautelam. Ad hæc volumus, & præsentium auctoritate præcipimus, ut Visitatores ad generale Capitulum convocent Abbates, & Priores non habentes Abbates proprios, tam exemptos, quàm non exemptos, Lombardiæ & Marchiæ, qui non consueverunt hujusmodi Capitulum celebrare: providentes ut in ipso Capitulo generali, canonico impedimento sublato, eos qui contempserint, vel neglexerint convenire, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, ecclesiasticâ censurâ compellant, & usq; ad satisfactionem condignam sententiam, quam in eos ritè tulerint, non relaxent: eadem censurâ facturi, quæ in eodem Capitulo deliberatione providâ fuerint ordinata, firmiter observari: reddituri tam ipsi, quàm Visitatores, & alii, juxta cujuslibet ministerium, Domino, in cujus conspectu nuda sunt omnia, & aperta, in extremo examine rationem, si omnem solicitudinem, & diligentiam, quæ circa correctionem, & reformationem Ordinis, ac visitationem cœnobiorum impendendæ fuerint, neglexerint adhibere. Porrò cùm Visitatores secundùm statum generalis (d) Concilii ordinati à generali Abbatum Capitulo processerint ad visitationis officium exequendum, de statu monasterio-

rum,

rum, & observantiis regularibus diligenter inquirant, & tam in spiritualibus, quàm in temporalibus corrigant, & reforment quæ viderint corrigenda; ita tamen, quod monachos delinquentes per (e) Abbatem loci corrigi faciant, eisque injungi pœnitentiam salutarem, juxta B. Benedicti regulam, & Apostolica instituta, non secundùm normam pravæ consuetudinis, quæ quasi prolege in quibusdam Ecclesiis inolevit. Ipsi etiam Visitatores monachos, quos contumaces invenerint, & rebelles, juxta modum culpæ vice nostrâ regulari censurâ percellant, absque personarum delectu, non parcendo rebellibus ob suam pertinaciam, vel potentiam amicorum: quin ovem morbidam ejiciant ab ovili, ne inficiat sanas oves. Si verò Abbates in corrigendi juxta Visitatorum mandatum, & regularia instituta seipsis, suisve monachis inventi fuerint negligentes, proclamentur, corripiantur, & ita puniantur publicè in Capitulo generali, quod pœna ipsorum sit aliis in exemplum. Porrò si Abbas aliquis non exemptus fuerit à Visitatoribus nimis negligens inventus, & remissus, id loci Diœcesano denuncient sine mora, & per illum detur ei fidelis & providus coadjutor usque ad Capitulum generale. Quod si dilapidator inventus fuerit, vel alias meritò amovendus, per Diœcesanum, postquam hoc sibi à Visitatoribus denunciatum fuerit, amoveatur absque judiciorum strepitu à regimine Abbatiæ, ac monasterio provideatur interim administrator idoneus, qui temporalium curam gerat, donec ipsi monasterio fuerit de Abbate provisum. Quod si forsan Episcopus hæc adimplere noluerit, vel neglexerit, Visitatores, vel præsidentes in Capitulo generali defectum Episcopi Apostolicæ Sedi non differant intimare. Hæc eadem circa exemptos Abbates fieri præcipimus per Visitatores, vel præsidentes in Capitulo generali, depositione tantùm ipsorum Sedi Apostolicæ reservatâ; ita tamen, ut Abbate, qui amovendus videbitur, interim per Visitatores, vel in Capitulo præsidentes ab administratione suspenso, administrator idoneus monasterio deputetur. Illorum autem excessus, & alia, quæ visa fuerint intimanda Capitulo, præsidentes nobis denuncient per fideles nuntios & prudentes, quibus de communi contributione Abbatum, juxta cujuslibet facultatem sufficienter ministrentur expensæ. Sequentes autem Visitatores perquirant priorum Visitatorum vestigia diligenter, & eorum negligentias, & excessus referant sequenti Capitulo generali, & juxta culpam publicè debitam pœnam portent. Idem etiam de Abbatibus præsidentibus generali Capitulo præcipimus observari. Præcipimus etiam, ut in nullo monasterio ad præbendas de cætero recipiant Abbates, & monachos, & clericos (f) seculares; nec hi, qui jam recepti sunt, locum, vel vocem in capitulo, dormitorio, vel refectorio, seu claustro sibi vindicare contendant, seu monachorum cœtibus importunè se immiscere præsumant: sed beneficiis sibi concessis contenti, conversentur honestè, opportuna obsequia in monasteriis fideliter impendentes, nihilque ultrà in spiritualibus, aut temporalibus exigant in ipsis monasteriis, vel usurpent. Si qui verò talium à Visitatoribus inventi fuerint criminosi, per Diœcesanum in non exemptis, & per Visitatores, vel præsidentes in generali Capitulo in exemptis monasteriis beneficiis priventur eisdem. Hæc autem omnia in monasteriis, quæ non habent Abbates proprios, sed Priores, nec non in monasteriis monialium quoad articulos Abbatissis, & monialibus congruentes, præcipimus observari.

NOTÆ.

1. (a) *Lombardiæ.*] Ita etiam legitur in quinta compilatione, *sub hoc tit. cap.* 4 Lombardia duplex est, una Cis flumen Padum, alia trans Padum, quæ hodie propriè Lombardia vocatur à Longobardis, qui ibi sceptrum tenuerunt, ut notavit Cironius *ad hunc textum.*

(b) *Tarvisina.*] Tarvisium Italiæ urbs nobilis, & perantiqua est, de qua nonnulla adduxi *in cap.* 7. *de constit.*

(c) *Montisbelli.*] Monasterium hoc Ordinis D. Benedicti est incelebri Castro Marchiæ Tarvisinæ, ut refert Cironius *hic.*

(d) *Concilii.*] Relati in superiori textu.

(e) *Per Abbatem loci.*] Quando enim contra regulam peccatur, correctio præcipuè debet fieri per Abbatem, etiam visitante Episcopo, *cap.* 9. *cap. reprehensibilis* 26. *de appel.* in aliis verò sceleribus correctio spectabat ad Episcopum ante exemptionem monachorum, *cap. monasteria* 16. *q.* 2. docent Germonius *lib.* 3. *de sacr. immunit. cap.* 2. *n.* 70. Brito *de locato*, 2. *p. cap.* 1. *num.* 17. & suprà notavi *in cap. final. de regul.* De hac correctione Episcopis competente plura adduxi *in cap. grave, cap. licet, de offic. Ordin.* 2.

(f) *Clericos seculares.*] Juxta adducta *in cap. cùm Magistrum, de elect.*

TITULUS XXXVI.

De Religiosis Domibus, ut Episcopis sint subjectæ.

CAPUT I.

Gregorius *Victori* (a) *Neapolis Episcopo.*

NUNC ad hanc basilicam, quæ dedicanda est, illud debet disquiri, quis, id est cujus civitatis, antequam basilica, quæ nuper fabricata est, fundaretur, (b) baptizaverit incolas, ad cujus (c) consignationem sub annua devotione concurrerunt. Non enim terminis, aut locis convenit diffiniri, sed illius facere diœcesim, qui superiùs continetur, ut constet commanentes à quo fuerint lavacri regeneratione purgati. Et ideo fratres charissimi, amotis ambagibus, & omni circuitione remota, hæc vos modis omnibus convenit investigare, ut ille maximè ad consecrationem vocetur, cui per hunc modum, quem scripsimus, constat debere permitti.

NOTÆ.

1. (a) *Neapolis.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. Sed cùm inter epistolas sancti Gregorii non reperiatur hæc Decretalis, nec ejus ævo Archiepiscopus ullus Neapolitanus hujus nominis Victoris floruisset, satis constat, mendosam esse hanc inscriptionem. Antonius Concius Evangelia promisit indicanti locum, seu epistolam Pontificiam, ex qua transcriptus fuit textus hic. Antonius Augustinus in notis ad hunc textum fatetur, se hæc verba tantùm legisse in hac, & in prima collectione.

2. (b) *Baptizaverit.*] Ad Episcopum enim ut ministrum ordinarium solennitatis spectat baptismum propriis subditis temporibus debitis solenniter conferre, ut diœmus *in cap. unic. de cleric. non ordin. ministr.*

3. (c) *Consignationem sub annua.*] Licèt primis Ecclesiæ temporibus Confirmationis sacramentum statim post Baptismum administraretur, ut constat ex Theodoreto ad illa verba 1. Canticor. *Unguentum effusum nomen tuum*, ibi: *Si mysticè magis vis intelligere, sancti baptismatis mysterium recordare, in quo qui initiantur, spirituali chrismate inunctì, sub ea visibili specie invisibilem Spiritus sancti gratiam suscipiunt.* Ex Isidoro Hispalensi *lib.* 2. *de Eccles. offic. cap.* 26. ibi: *Quoniam post baptismum per Episcopos datur Spiritus sanctus cum manuum impositione.* Expressiùs ex Amalario, qui de hoc more *lib.* 4. *de eccles. offic. c.* 29. ita loquitur: *Nos verò præsente Episcopo simul baptizamur, & per impositionem manus Episcopi Spiritum sanctum accipimus.* Idem refert Rabanus Maurus *lib.* 1. *de instit. cleric. c.* 30. his verbis: *Novissimè autem à summo sacerdote per impositionem manus Paracletus traditur illi Spiritus Sanctus, ut roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum aliis idem donum, quod ipse in baptismate consecutus est.* Sed postmodùm sive parentum incuriâ, sive multiplici curarum onere, quo Episcopi in dies premebantur, mos invaluit, ut parochi baptismum ministrarent, & Episcopi certis per annum diebus suam diœcesim lustrarent, & à presbyteris baptizatos oleo confirmarent; quod usitatum fuisse septimo seculo Ecclesiæ, constat ex Beda, qui per ea tempora floruit, & in vita sancti Cuthberti Episcopi *cap.* 29. ita scribit: *Quodam autem die, dum parochiam suam circumiens monita salutis omnibus ruri, in casis, & viculis largiretur, nec non etiam nuper baptizatis ad accipiendam Spiritus sancti gratiam manum imponeret, devenit ad villulam cujusdam Comitis.* Sequentibus seculis crebrior ejusdem moris mentio reperitur; nam in Synodo Francica, quam refert Vicecomes *lib.* 1. *de ritibus Confirm. cap.* 5. ita statuitur: *Decrevimus quoque juxta sanctorum canones, ut unusquisque presbyter in parochia habitans Episcopo illi subjectus sit, in cujus parochia habitat, ut semper in Quadragesimæ rationem, & ordinem ministerii sui, sive de baptismo, seu de fide Catholica, sive de precibus, & ordine Missarum Episcopo reddat, & ostendat, & quandocunque jure canonico circumit parochiam ad populos confirmandos, presbyter semper paratus sit ad suscipiendum Episcopum cum collatione, & adjutorio populi, qui ibi confirmari debet.* In Synodo Cabilon. sub Carolo Magno, *can.* 14. ita legitur: *Cavendum sanè est, ne cùm Episcopi parochias suas peragrant, quandam damnosam erga subditos, seu erga socios tyrannidem exerceant. Observandum etiam modis omnibus, ut si quando eis peragrandæ parochiæ necessitas incumbit, in confirmandis hominibus, in inquirendis rebus emendatione dignis, in prædicatione verbi Dei operam dent.* In Synodo etiam Suessionensi ita cavetur. *Quando jure Canon. Episcopus circumit parochiam ad con-*

firmandum populum, Abbates, vel Presbyteri parati sint ad suscipiendum Episcopum in adjutorium necessitatis. Et Synodus Ticinensis *can. 15.* præcipit Episcopis, ut quando confirmationis administrandæ causâ dœcesim obeunt, caveant diligenter, ne presbyteris magni, & profusi sumptus occasionem præbeant, his verbis: *Statuimus etiam, ne Episcopi, quando pro confirmando populo parochias circumeunt, Archipresbyteros suos gravent.* Juxta quem antiquum morem intelligenda sunt verba hujus textus suprà relata.

COMMENTARIUM.

4. CUm Ecclesiæ, & omnes basilicæ debeant dedicari, consecrarique per Episcopum proprium, in cujus constituuntur diœcesi, D. Clemens *epist. 3.* ibi: *In aliis locis sacrificare, & Missas celebrare non licet, nisi in his, in quibus Episcopus proprius jusserit, aut ab Episcopo regulariter ordinatio, tenente videlicet civitatem, consecratus fuerit.* Et *cap. nemo, de consecr. dist. 1.* Concilium Wormat. *can. 6.* ibi: *Quicunque voluerit in sua proprietate Ecclesiam ædificare, & consensum, & voluntatem Episcopi habuerit, in cujus parochia fuerit, licitum sit.* Probant Vicecomes *tom. 3. de ritibus Missæ, lib. 2. cap. 23.* Barbosa *de potest. Episc. alleg. 27.* latè dicemus *in cap. 1. de consecr. Eccles.* & dubitaretur in præsenti casu, quis diceretur proprius Episcopus ad basilicam consecrandam, Gregorius respondit illum Episcopum debere Ecclesiam dedicare, qui antea incolas illius loci baptizaverat, & sacro chrismate confirmaverat; quia ille creditur proprius Episcopus loci, cùm sacramenta ipsa non nisi à proprio Episcopo administrentur, ut probavi *in cap. quanto, de consuet.* Et sic, qui ratione possessionis, seu præscriptionis actus illos Ordinis ibi exercebat, etiam dedicationem Ecclesiæ facere valet; quia dedicatio ipsa etiam ad potestatem Ordinis spectat.

CAPUT II.

Gregorius *Agapito* (a) *Abbati.*

NE rebus venerabilibus, vel cuilibet cultui desit obsequium, nostra debet solicitè cura prospicere. Quia igitur monasterium, quod in fundo Marciano provinciæ Campaniæ situm est, ita (b) hostilitate faciente, à congregatione funditus dicitur desolatum, ut ne unus exinde monachus, qui aliquam illic solicitudinem, vel curam debeat adhibere, remanserit: tuo illud monasterio cum omnibus rebus suis, vel quæ ei competunt actionibus, utile prospeximus uniendum, ut res ejus tenendi, vel à detinentibus vendicandi libera tibi sit, & sine aliqua dubietate licentia. In quod etiam studii tui sit monachos deputare, qui illic tempore, quo intervallum de hoste fuerit, & opus Dei celebrarè, & decenter debeant servire. Nec aliqua illud præsumas excusatione negligere, quòd ideo curæ tuæ, ut solicitudinem illic debeas adhibere, committitur. Ipsum autem monasterium sic tuæ nos ordinationi commisisse cognoscas, ut tamen jurisdictionem illic non Episcopus (c) Surentinus, in cujus civitate monasterium tuum est; sed (d) Nucerinus, cujus est diœcesis, habeat. Nam sic hujus loci ordinationem disponimus, ut tamen jura sua singulis Episcopis inviolata servemus.

NOTÆ.

1. (a) *Agapito.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 3.* & in ipsis epistolis D. Gregorii *lib. 9. epist. 67.* ex quo regestro litteram hujus textus restituo; nullibi tamen exprimitur, cujus monasterii esset Abbas, de quo in præsenti; sed tantùm ejus monasterium fuisse in diœcesi Surrentina, ubi cùm tria hujus Ordinis D. Benedicti sint monasteria, videlicet S. Renati de Surrento, Sancti Petri ad Crapulam, Archangeli de Publigiano, non liquet cui ex eis monasteriis unitum fuisset monasterium de quo in præsenti.

(b) *Hostilitate.*] Longobardorum videlicet, qui his temporibus totam ferè Italiam devastaverant.

(c) *Surrentinus.*] De diœcesi Surrentina nonnulla notavi *in cap.*....

(d) *Nucerinus.*] Nuceria etiam civitas Umbriæ est in Italia, prope fluvium Teniam, de qua, & ejus Præsulibus plura tradit Ughel *tom. 1. Italiæ sacræ, fol. 115.* & nos nonnulla adduximus *in cap. final. de renunc.*

COMMENTARIUM.

2. CErtum est, summum Ecclesiæ Præsulem posse unire Ecclesiam unius diœcesis Ecclesiæ, seu monasterio alterius Episcopatus, & per hanc unionem omnia jura competentia Priori Ecclesiæ transire in monasterium, cui unita est; quia accessorium naturam sequitur sui principalis, *cap. recolentes, de statu monach.* docent Gonzalez *in regul. 8. cancel.* Moneta *de commut. cap. 12. q. 1.* temen jurisdictio illius Ecclesiæ unitæ remanet penes proprium Episcopum, ut ita sua jura singulis inviolata serventur: quare in præsenti Gregorius docuit per unionem à se factam non violare jura prioris Episcopi.

CAPUT III.

Ex decretis (a) *Eugenii Papæ.*

DE Xenodochiis, & aliis similibus locis per solicitudinem Episcoporum, in quorum diœcesi existunt, ad easdem utilitates, quibus constituta sunt, ordinentur.

NOTÆ.

1. (a) *Eugenii.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. in cujus notis Ant. Augustinus asserit, se tantùm in his duabus collectionibus verba hæc legisse. Sed verè auctor hujus textus est Eugenius II. qui Synodum Romæ celebravit anno 826. in qua adfuerunt Episcopi 63. pro reformatione, & instauratione disciplinæ ecclesiasticæ; cujus canones referunt Baronius *anno* 876. *num.* 7. & *in can.* 24. *sub tit. de Xenodochiis*, & aliis similibus locis ita legitur: *Per solicitudinem Episcoporum, quorum diœceseos existunt xenodochia, procotrophia, nosocomia, orphanotrophia, eremocomia, & monasteria, tam monachorum, quàm sanctimonialium, ad easdem utilitates, quibus constituta sunt, ordinentur, &c. qualiter Deo vocantes, inopiâ, vel necessitatibus nullatenus occupentur, sed omni expulsâ curâ, puris in Dei servitio valeant mentibus permanere.* Eundem canonem postea innovavit Leo IV. in Synodo Romana, *can.* 23. unde constat, compilatores hujus textus summarium illud canonis de Xenodochiis, & aliis similibus locis, pro canone compilasse, & statim apposuisse priora verba ipsius canonis, satis immutata, ut brevitati consulerent.

CAPUT IV.

Urbanus III. (a) *Ariminensi Episcopo.*

LIcèt ad ea. *Et infrà:* Ad hæc super eo, quod quæsitum est, utrum hospitalis domus possit in seculare habitaculum commutari, duximus respondendum, quod si locus ille ad hospitalitatis usum, & pauperum provisionem fuerit, sicut moris est, auctoritate Pontificis destinatus, cùm sit religiosus, non debet mundanis usibus deputari: sicut de vestibus, & ligneis vasis, & aliis utensilibus ad cultum religionis per Pontificem deputatis, antiqua consuetudo indubitanter observat, & venerabilium Patrum edocent (b) sanctiones.

NOTÆ.

1. (a) *Rimin.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 4. ubi additur, *pars capitis Licèt*, ut cognoscamus, in præsenti referri partem textus *in cap.* 3. *de conjugio servor.* Ariminum antiqua civitas Italiæ est, caput olim Senonicæ Galliæ, à flumine ejusdem nominis Ariminum appellata, Augusta etiam Colonia dicta, ut plura de ea referens probat Ughellius *tom.* 2. *Italiæ, fol.* 406. habet Ecclesiam Cathedralem à Dionysio Pontifice consecratam, Deiparæ Virgini dicatam, cujus Præsuli Rufino dicto missa est præsens epistola.

(b) *Sanctiones.*] Relatæ *in cap. ut vestimenta, cap. vasa, de consecr. dist.* 1.

COMMENTARIUM.

2. *Conclusio deducitur & probatur.* EX his duabus decisionibus præsens communiter deducitur assertio: *Xenodochia, & similia pia loca sunt sub jurisdictione Episcopi, & non debent ad prophanos usus converti.* Probant eam textus *in cap. quod* 10. 18. *q.* 2. *cap. si quis* 3. 21. *q.* 2. *cap. inter dilectos, de donat. Clement.* 1. *hoc tit.* Concilium Aurel. 5. *can.* 15. ibi: [De Xenodochio, quod Rex Childebertus, & Ultrotha Regina in Lugdunensi urbe condiderunt, cujus institutionis oridnem subscripsimus, &c. quicquid præfato xenodochio, aut per ipsorum Regum oblationem, aut per quorumcunque fidelium eleemosynam collatum, aut conferendum est, in quibuscunque rebus, atque corporibus, nihil exinde ad se quolibet tempore Antistes Ecclesiæ Lugdunensis revocet, aut ad jus Ecclesiæ transferat, ut succedentes sibi per temporum ordinem sacerdotes, non solùm de facultate xenodochii ipsius, aut de consuetudine, vel institutione nihil minuant, sed dent operam, qualiter res, & ipsius stabilitas detrimentum, aut diminutionem aliquam non patiatur. Providentes, ut Præpositi semper strenui, ac Deum timentes decedentibus substituantur, & cura ægrotantium, ac numerus, vel exceptio peregrinorum, secundùm indictam institutionem inviolàbili semper stabilitate permaneat. Quod si quis quolibet tempore contra constitutionem nostram venire tentaverit, aut aliquid de consuetudine, vel facultate xenodochii ipsius abstulerit, ita ut xenodochium (quod avertat Deus) esse desinat, ut necator pauperum irrevocabili anathemate feriatur.] Concilium Cabilon. *cap.* 7. ibi: *Defuncto Presbytero, vel Abbate, nihil ab Episcopo auferatur, vel Archidiacono, vel à quocunque de rebus parochiæ, vel xenodochii, vel monasterii*, &c. Et Synodus Tullen. *p.* 2. *cap.* 14. ibi: *Ut hospitalia, peregrinorum*

norum videlicet, & aliorum pro remedio animarum receptacula, &c. ab omni usu, & libitu humanæ temeritatis absolutas in eos usus, quibus sunt constituta, pietatem prædecessorum vestrorum sequentes, sub patrocinio vestro dignum est ut vestro tempore, & vestra solicitudine restaurentur. Qui enim agapen pauperum, & sustentationem peregrinorum, & eleemosynam defunctorum defraudant, apud Sanctos Patres eorum necatores vocantur. Trident. *sess.* 22. *cap.* 8. Illustrant ultra congestos in præsenti à Garanna, & Barbosa. Idem Barbosa *lib.* 2. *juris Eccles. cap.* 11. Chopinus *lib.* 2. *de sacra pol. tit.* 5. Petrus Gregorius *lib.* 1. *partit. tit.* 16. *cap.* 1. & 2. Corvinus *lib.* 2. *aphorism. jur. Pontif. tit.* 25. Cæsar *de eccles. hierarch. q.* 2. *proœm.* §. 5. & *disput.* 14. §. 4. Espenceus *ad D. Paulum lib.* 2. *digress. cap.* 1. Ughellius *in method. jur. can. fol.* 321. Tondutus *resol. canonic.* 2 *p. cap.* 1. §. 11. Altesserra *lib.* 2. *dissert. cap.* 10.

3. *Impugnatur tradita assertio.*

Sed pro dubitandi ratione ita in præsentem assertionem insurgo. Xenodochia, & similia loca pia non sunt beneficia ecclesiastica, nec in titulum beneficii conferuntur. *Clement. per litteras, de præbend. Clement.* 2. §. *final. hoc tit.* immò nec sacra, aut religiosa loca sunt, nec pia dici possunt, immò potiùs privata loca censentur, & ita non gaudere privilegiis locis piis concessis, videlicet ut ad ea confugientes gaudeant immunitate ecclesiastica, & eorum bona non possint alienari sine solennitate præscripta alienationi rerum Ecclesiæ, docuerunt Bellamera *in dicta Clement.* 2. §. *final.* Antonius Chucus *lib.* 4. *instit. tit.* 8. *de visit. Prælat. à num.* 52. Redoanus *de rebus Eccles. in rubric. de his qui consentiunt alienationi, §. sed qui de bonis hospitalium,* Gutierrez *lib.* 1. *canonic. cap.* 35. *à num.* 18. plures apud Barbosam *lib.* 2. *de jure eccles. cap.* 11. ergo nullo modo xenodochia, & similia loca pia sunt sub jurisdictione Episcopi.

4. *De Xenodochiis, & similibus locis.*

Quâ difficultate non obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, interris, quæ ad pietatem, & causam religionis pertinent, esse hospitalia, in quibus opera misericordiæ, & pietatis exercentur. Hospitalis nomen generale est, complectens quamcunque hospitis receptionem, *cap. dilecti* 51. *de appell. cap. per tuas, de arbitr.* Theophilus *tom.* 17. *de amore cognation. tempor. fol.* 464. Ea autem loca diversa sortiuntur nomina, tum propter diversitatem regionum, tum quia humanæ naturæ multiplex, & varia est miseria, cùm in illis locis succurritur, ut docent Petrus Gregorius *lib.* 15. *syntagm. cap.* 18. Mariana *de Rege & regendi ratione lib.* 3. *cap.* 13. Xenodochia dicuntur loca deputata ad peregrinos, & pauperes iter facientes recipiendos, à Græco verbo *xeno*, quod latinè significat hospitem recipere, ut probat Suydas *eodem verbo*, & post eum Langleus *lib.* 6. *semestr. cap.* 1. Pancirola *lib.* 2. *var. cap.* 171. Procotrophia sunt loca, ubi pauperes debiles, qui labore proprio sui corporis alimoniam quærere nequeunt, qui dicuntur mendicantes invalidi *in rubrica C. de mendicantibus invalidis, lib.* 11. de quibus *in l. illud* 19. §. *hoc illud, C. de sacros. Eccles. l. si quis ad declinandum* 49. §. *ubi autem, C. de Episcop. & cleric.* recipiuntur. Orphanatrophia dicuntur ubi orphani, id est parentibus orbati, aluntur, *authent. Orphanotrophos, C. de Episc. & cler. auth. de ecclesiasticis, titul. collat.* 9. §. *final.* Benephotrophia dicuntur loca ubi infantes pauperes nuper nati, & expositi educantur, *dicta l. illud* 19. de quibus agemus *in titul. de infant. expos.* Nosocomia dicuntur loca, ubi ægroti, & infirmi curantur, *l. sancimus,* §. *sed Deo nobis, C. de sacros. Eccles.* Et sanctam Fabiolam Nosocomium instituisse, in quo ægrotantes colligeret, & miserorum corpora foveret, tradit D. Hieronymus *epist.* 30. Censum quem habere poterat, distribuit, dilapidavit, ac vendidit, & in pecuniam congregatum, usibus pauperum præparavit, & primo omnium Nosocomium, id est languentium villam instituit, in quo ægrotantes, & consumpta languoribus, atque inediâ miserorum membra refoveret, cujus meminit Baronius *tom.* 5. *anno.* 400. Ministri autem curam habentes hujusmodi ægrotantium, *Parabolani* dicebantur, *l. parabolani, l. placet, C. de Episc. & cler.* de quibus agunt Cujacius *in Novel.* 3. *Justin.* Germonius *lib.* 2. *de sacr. immunit. cap.* 2. Alciatus *lib.* 4. *disput. cap.* 9. Lælius Bisciola *tom.* 1. *horar. succes. lib.* 13. *cap.* 10. P. Theophilus *tom.* 16. *in Heterocl. spirit. sect.* 5. *punct.* 4. Corrasius *in l. in summa, num.* 7. *de statu homin.* Casaub. *in notis ad hist. August. fol.* 151. Duarenus *lib.* 1. *de sacris Eccles. cap.* 19. Petrus Gregorius *dicto cap.* 25. *num.* 15 Solorzanus *de jure Indiar. tom.* 2. *libro* 1. *cap.* 3. Vela *tom.* 1. *dissert.* 35. Canonerius *in prolog. ad* 7. *aphorism.* Nosocomiis conjungendæ sunt leprosariæ, ubi specialiter, & seorsim leprosi curantur de quibus *in dicta Clement.* 2. *de præb. cap.* 2. *de Eccles. ædific.* ubi plura dabimus: & etiam Gerontocomia, ubi pauperes senes aluntur; nam cùm senectus ipsa sit morbus, non malè Nosocomiis Gerontocomia junguntur. Gerontocomium Pelagium II. anno 590. in domo sua construxisse, ex Anastasio Biblioth. refert Baronius *tom.* 7. *eodem anno.* Tandem Eleemosynaria dicuntur loca eleemosynis faciendis deputata, *dicta Clement.* 2. *de præbend. dicta Clement. quia contingit, hoc tit.* Petrus Gregorius *ubi supra, num.* 31. Cæsar *de ecclesiastica hierarch. dict. q.* 2. *proœm.* §. 5. *num.* 28. Barbosa *dicto lib.* 2. *juris Eccles. cap.* 11. Frances *de Eccles. Cathed. cap.* 27.

5. *An prædicta loca religiosa sint.*

Circa prædicta loca illa principalis, præcipuaque quæstio disputari solet, an videlicet pro locis sacris, seu religiosis habeantur; & utrum in titulum beneficii conferri valeant? Et beneficia Ecclesiastica non esse, nec in titulum beneficii clericis dari posse, immò à laicis communiter possideri valere, deciditur *in Clement. quia contingit,* §. *ut autem, de relig. domib.* Nec etiam per litteras Apostolicas, per quas clericis de beneficiis provideri mandatur, posse de hospitalibus provideri, docetur *in Clement.* 2. *de præbend.* & ita hospitalia beneficia non esse, docuerunt Corrasius *de sacerd. p.* 1. *cap.* 3. *per totum,* Petrus Gregorius *de benef. cap.* 11. *num.* 6. Garcia *eodem tract. p.* 1. *cap.* 11. Azor *lib.* 3. *instit. cap.* 3. *q.* 5. Fabricius *de benef. tit. de Xenodochiis,* Guillelmus de Monte *in d. Clement.* 2. Quintanaduennas *lib.* 1. *ecclesiast. cap.* 1. *num.* 13. Chopinus *lib.* 1. *sacr. pol. tit.* 2. *num.* 7. & *lib.* 1. *monast. tit.* 1. *num.* 12. Sed adhuc pro exactiori expositione sciendum est, diversum esse quærere, an hospitalia sint loca religiosa, seu pia; an verò beneficia existant, & in titulum conferri possint? Et discrimen est constituendum inter xenodochia erecta cum Episcopi licentia, & constructa absque ejus auctoritate. Priora habentur pro locis religiosis, adeo ut ad ea confugientes gaudeant immuni-

tate

tate ecclesiastica, & bona similium hospitalium non possint alienari absque debita solennitate in rebus Ecclesiæ : docuerunt Covar. *in regula possessor*, 2. *p.* 2. *num.* 3. Costa *in cap. si pater, de testam.* 2. *p. verbo Ipsis pauperibus, n.* 4. *&* 10. Tiraq. *de privil. piæ causæ, privil.* 142. Selva *de benef.* 2. *p. quæst.* 11. *num.* 8. Germon. *de sacror. immunit. lib.* 3. *cap.* 16. *à num.* 28. Riccius 3. *p. collect.* 648. fruunturque iisdem privilegiis, ac Ecclesiæ : *novel.* 131. §. *penult. l. omnia* 33. *in fine, C. de Episc. & cleric.* quare donatio illis facta non eget insinuatione, *l. illud* 16. *C. de sacrosc. Eccles.* & quæcunque res ab illis ex causa lucrativa fuerint acquisitæ, à lucrativorum inscriptionibus sunt immunes, *l. sancimus, C. eodem tit.* De his agitur in præsenti capite *de Xenodochiis*, ibi, *solicitudinem Episcoporum*, & *cap. ad hæc*, ibi : *Auctoritate Pontificis.* Verùm etsi erecta sunt auctoritate Episcopi, pro beneficiis ecclesiasticis non habentur, si Rectori in perpetuum, vel ad ejus vitam in titulum non conferantur, aut solita sint conferri, *Clement. unic.* & ibi Gloss. *de rer. permut. cap. unic. de eo qui mittitur in possess. lib.* 6. Si verò absque Episcopi auctoritate erigantur, nec habentur pro locis religiosis, nec in titulum beneficii conferri valent, de quibus agitur *in dict. Clement.* 2. *de præb. cap.* 1. *de eccl. ædific. in* 2. *collect.* ubi ita Alex. III. scribit : *Si hospitale in aliquo loco absque oratorio feceritis, liberum erit vobis absque conscientia Episcopi, in cujus parochia fuerit, ipsam domum construere : quod si oratorum ibidem facere volueritis, id absque licentia Episcopi non faciatis, justitiâ in omnibus servatâ.* Latè prosequuntur Cæsar *de ecclesiast. hierarch. disput.* 14. §. 4. D. Ildefonsus de Prada in anæresi pro majori Collegio Ovetensi, *excurs.* 2. post librum Patris Mendi *de jure academico.* Semper tamen dicuntur loca pia, ut ab Episcopo visitentur, juxta Trident. *dict. sess.* 22. *cap.* 8. quia sufficit, ut ad prædicta opera pia exercenda erecta sint, ut loca pia dicantur, & ab Ordinario visitentur, nisi sint sub Regis protectione, ut prosequuntur Barbosa *dict. cap.* 11. Solorzanus *de jure Indiar. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 59. Manet ergo, hospitalia erecta auctoritate Episcopi, religiosa censeri; sine ejus verò auctoritate constructa, prophana judicari, ut resolvunt Covar. *lib.* 4. *var. cap.* 20. *num.* 3. & ibi Ufelius, Gambacurta *de immitat. eccles. libro* 4. *capite* 1. *num.* 2. Correa *in capite inter alia*, 2. *part. num.* 21. *de immunitat. eccles.* Baldus, & Bartolus *in dict. l. Orphanotrophos*, Valascus *consult.* 105. *per tot.* Tiber. Decianus *lib.* 2. *tract. crimin. cap.* 25. Gutierrez *canonic. quæst.* 35. Bobadilla *lib.* 2. *polit. cap.* 17. *num.* 39. & *cap.* 18. *num.* 139.

6. *Traditur ratio decidendi.* Ex quibus jam apparet vera ratio præsentis assertionis ; si enim xenodochia fuerunt erecta auctoritate Ordinarij, ut in præsentibus juribus, omnimoda jurisdictio Episcopi est, & institutio, ac destitutio Rectoris ad eum spectat. Si autem absque ejus auctoritate sint constructa, quia pia loca sunt, ab ipso visitari valent, ex traditis suprà *in cap. si hæredes, de testam.* Hujusmodi tamen xenodochia esse pia, & opera pia continere, facilè constat ; siquidem inter opera charitatis non minimum est hospites recipere. Unde in Concil. Matiscon. 2. *can.* 11. aiunt PP. *Hospitalitatis sectatores nos esse non solum Dominus, sed & Apostolus omnibus penè præceptis admonet.* Et in Synodo Tul. *canon. ult.* ita legitur : *Admonendi omnes, ut hospitalitatem diligant, nulli hospitium detrectent, nullam ab hospite (nisi forte sua sponte dante) erogationem recipiant.* Unde Plato *lib.* 12. *de legibus* statuit, ut in republica essent publica hospitalia pro peregrinis suscipiendis, juxta templa constructa : & Lucianus in Dea Syriæ refert, penes templum ipsius Deæ fuisse hospitale constructum, ubi omnes peregrini charitativè reciperentur. Plura de hospitalitate dedi *in cap.* 1. *de emtion. & vendit.* Cùm ergo omnia loca pia sint sub tuitione Episcopi, ideo in xenodochiis, & similibus locis suprà relatis Episcopi jurisdictionem habent, ut latè explicant Chopinus *d. lib.* 2. *sacræ pol. tit.* 5. *per tot.* Tondutus *d.* §. 7. Similiter ratiocinandum est circa confraternitates laicorum, quæ dicuntur opera pia ; & ideo Episcopus est judex competens earum, non solùm quoad visitationem, verùm & causas præcedentiarum, & quæ moventur circa officia earum. Martha *de jurisdict. casu.* 213. *num.* 4. Acacios Ripol. *variar. cap.* 1. *num.* 458. Capiblancus *de Baron. p.* 3. *num.* 59. Marinis *libro* 1. *resol. cap.* 117. Riccius, & alii, quos sequitur Frances *de competentiis quæst.* 77. & 78. etsi contrarium teneant quoad causas ipsarum confraternitatum Abbas *lib.* 1. *consil.* 31. Covar. *practic. cap.* 36. *num.* 8. Garcia *de benef.* 5. *p. cap.* 1. *num.* 604. *&* 607. Menochius *de recup. remed.* 15. *ex num.* 24. Salazar *de usu & consuet. cap.* 8. *conclus.* 20. *Parlador. lib.* 3. *different.* 9. §. 1. Perez de Lara *lib.* 2. *de capel. cap.* 1. Petrus Gregor. *libro* 3. *de republ. cap.* 2. *num.* 9. Rebuffus *de confrater. num.* 8. Aponte *lib.* 1. *consil.* 18. Gibalinus *tom.* 2. *scient. can. lib.* 5. *cap.* 8.

7. *Dissitetur de aliquibus.* Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa ; nam præterquam quod in præsentibus juribus agitur de xenodochiis auctoritate Episcopi constructis, ut ex ipsis verbis constat, licèt alia xenodochia absque Ordinarii auctoritate constructa, loca religiosa non sint, nec in titulum beneficii conferantur ; tamen loca pia existunt, & privilegiis concessis locis piis gaudent : quare ex veriori sententia in alienatione rerum ipsorum solennitas à jure præscripta alienationi rerum Ecclesiæ desideratur, ut defendunt Barbatia *in cap. nulli, num.* 2. *de rebus Eccles.* Menochius *de recuper. remed.* 2. *num.* 22. Gutierrez *canonic. quæst.* 35. *num.* 19. *&* 23.

8. *Explicatur textus.* Sed suprà traditis adhuc obstat textus *in Clement.* 2. §. *ut in autem, hoc titul.* in illis verbis : *Illi etiam, quibus dictorum locorum gubernatio, seu administratio committetur, ad instar tutorum, & curatorum juramentum præstare, ac de locorum ipsorum tam de bonis inventaria conficere, & Ordinariis, seu aliis, penes quibus subsunt loca hujuscemodi, vel deputandis ab eis, annis singulis de administratione sua teneantur reddere rationem.* Ex quibus constat, xenodochia non semper Episcopis, ut ordinariis Prælatis, verùm & aliis personis subjecta esse, & parere : ergo quia non semper xenodochia sunt sub tuitione, jurisdictione Episcopi. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, in eo textu non negari, xenodochia semper visitari posse ab Episcopo diœcesano, sed tantùm asseritur, quotannis rationem bonorum esse reddendam ordinariis judicibus, patronis, aut aliis personis, quibus ex fundatoris voluntate reddi debet ; non tamen eo casu, quo rationes summuntur à patrono, vel alia simili persona, impeditur Episcopus ea loca pia visitare, & cognoscere, an fructus, & cæteri

teri proventus juxta teſtatoris diſpoſitionem piè erogentur, ut probavi *in cap. ſi hæredes, de teſtam.* niſi hoſpitalia ſint ſub ſpeciali protectione Principis; nam tunc judex ſecularis ea viſitare poteſt, & eſt tantum competens in eorum cauſis. Trident. *ſeſſ. 22. de reform. cap. 8.* variis deciſionibus firmant Cabedo *de patron. Reg. cap. 42.* Cevallos *commun. 4. part. quæſtion. 897. & 982.* Solorzanus *lib. 3. de jure Ind. capite 3. ex num. 51.*

CAPUT V.

Innocentius III. (a) *Conſtantinop. Patriarchæ.*

INter quatuor. *Et infrà:* De monaſteriis quoque Græcorum in ſeculares canonicos convertendis ſ. t. reſpondemus, quod quamdiu per regulares viros, ſive Græcos, ſive Latinos remanere potuerint ordinata, non ſunt ad ſeculares clericos transferenda: ſed ſi regulares defuerint, propter eorum defectum in eis ſeculares clerici poterunt ordinari.

NOTÆ.

1. (a) *Conſtantinop.*] Ita etiam legitur in tertia compilatione, *ſub hoc tit. cap. 1.* integram autem epiſtolam retuli *in cap. cùm inter, de clericis peregrin.* ex qua hujus textus literam reſtituo.

COMMENTARIUM.

2. EX hoc textu communiter deducunt DD. beneficia regularia non eſſe clericis ſecularibus conferenda, vel econtrà; ad idque textum hunc expendunt Garcia *de benef. p. 7. cap. 10. num. 6.* Gonzalez *in regul. 8. Cancel. gloſſ. 8. num. 43.* Corraſius *de ſacerd. p. 1. c. 5. n. 7. & p. 3. c. 5. num. 13.* Azor *p. 2. inſtit. moral. lib. 3. c. 26. q. 5.* quos refert & ſequitur Barboſa *in præſenti, num. 2.* quod axioma expoſui ſuprà *in cap. quod Dei, de ſtatu monach.* Sed ex hoc textu id minimè probatur, nec rectè repetentes hîc præſentem Decretalem accipiunt de reformatione monachorum facienda per monachos, & in eorum defectum per clericos: agitur enim in præſenti de canonicis regularibus, qui frequenter appellantur monachi, & eorum Eccleſiæ monaſteria, *cap. relatum, de præbend. cap. quia tua 12. quæſt. 1. cap. præſens 20. quæſt. 3.* Unde Innocentius III. qui fuit Canonicus regularis Lateranenſis, *in cap. poſt translationem. de renunc.* Canonicos S. Frigidiani monachos appellat: latè probant Pennotus *lib. 1. hiſtor. canonic. regul. cap. 38. num. 4.* Dubal. *ad regul. D. Auguſtini, part. 1. cap. 1. num. 20.* Unde cùm Conſtantinopoli, & in ejus Patriarchatu eſſent plura monaſteria canonicorum regularium Græcorum, captâ Conſtantinopoli à Latinis temporibus Innocentii noſtri III. plures ex ipſis Eccleſiis regularibus deſtitutæ fuerunt Canonicis regularibus; unde inter alia conſuluit Innocentium III. Patriarcha CP. utrum poſſet propter inopiam canonicorum regularium, canonicos ſeculares in ipſis Eccleſiis apponere? Et reſpondet Innocentius, poſſe; & rectè, ut probat Moneta *de commut. cap. 11. concluſ. 13.* & juxta utriusque juris principia; nam quoties Respublica, vel Eccleſia idoneorum hominum penuriâ laborat, minùs idonei quandoque muneribus obeundis admoventur, quia utilius eſt honoribus præfici minùs idoneos, quàm omnino nullos, *l. 3. §. ſpurios, ff. de Decur.* unde cùm tantùm majores 25. annis ad Rempublicam gubernandam admitterentur, *l. 8. ff. de muner. & honor.* ob civium penuriam minores admittuntur, *l. 2. C. qui ætate, l. 1. C. qui, & adverſus quos.* Et licèt olim Romæ in ſuſcipiendis Magiſtratibus patres orbis, atque cœlibibus præferrentur, ob exhauſtam urbem tamen orbi aliquando admiſſi fuerunt: refert Dio *lib. 53. & 56.* faciunt textus *in l. ob penuriam 105. Cod. Theodoſ. de Decur. l. non perpetui, C. de Suſcept. Præpoſ. & Arcar. lib. 10. cap. 1. diſt. 23.* juncto Forner. *lib. 5. quotid. cap. 10.* unde licèt perfectior fuiſſet vita, ſeu profeſſio canonicorum Regularium, tamen ob eorum defectum canonici ſeculares admitti valent, *capite relatum 7. de præbend.* argumento capitis 4. *de regul. juris:* extra eum autem caſum neceſſitatis tantùm id Pontifici licet, ob prohibitionem juris, de qua *in cap. quæ ſemel 19. quæſt. 3. cap. pervenit, 8. quæſt. 2. cap. relatum 7. ne clerici vel mon.* quamvis è contrario Epiſcopus per ſe poſſit Eccleſiam ſecularem in regularem transferre, quia favorabilior eſt hæc mutatio, *cap. ſi Epiſcopus 12. quæſt. 2. cap. penult. de eccleſ. ædific.* Variis exemplis illuſtrat Chopinus *lib. 1. ſacr. pol. titul. 3.* & *libro 1. monaſt. titul. 3. num. 6.*

CAPUT VI.

Idem *Abbati*, & *Fratrib.* (a) *Cryptæ Ferratæ.*

COnſtitutus in præſentia noſtra Epiſcopus (b) Alban. in Eccleſia Caſtri, quod Pauli dicitur, in qua juspatronatus monaſterio veſtro recognoſcebat, à vobis jus Epiſcopale petebat, quoniam ſita erat in diœceſi Albanen. & ideo de jure (c) communi ei tenebatur in Epiſcopalibus reſpondere. Secundò quoniam in multis privilegiis Roma-

Romanorum Pontificum distinguentibus fines diœc. Alban. inter alias, in quibus Episcopalem jurisdictionem exercet, hæc Albanen. Ecclesia auctoritate Apostolicâ confirmatur. Verùm œconomus vester proposuit ex adverso, quod etsi Ecclesia sita esset in diœcesi Albanen. ei tamen non tenebatur in aliquo respondere, cùm Albericus quondam fundator de assensu felicis rec. (d) B. Pp. præd. n. monasterio Cryptæ Ferratæ sæpedictam Ecclesiam contulisset. Præterea bon. mem. (e) Dominicus Lavican. Episcopus, de quo non erat contentio inter partes, quod idem fuit Episcopus Alban. universas Ecclesias ad vestrum monasterium pertinentes in diœc. eadem sitas, & quicquid juris tam in monasterio vestro Cryptæ Ferratæ, quàm in eis habebat, in emphytevsim sub annua octo denariorum usualium pensione, quotquot annis dandorum in capite, per publicum instrumentum monasterio vestro concessit, ita videlicet, ut liceret Abbati, & fratribus ejusdem monasterii à quocunque vellent Episcopo, tam ordinationem (f) clericorum, quam consecrationem altarium in ipso monasterio & prædictis Ecclesiis obtinere, in quibus vobis tertiam mortuariorum indulsit. Item fel. rec. B. Pp. præd. n. quod ab eo factum fuerat, suo privilegio confirmavit, & ex certa scientia statuit in perpetuum observandum. Verùm etsi Ecclesia ipsa fuisset aliquando Ecclesiæ Alban. subjecta, monasterium tamen vestrum nihilominus legitima se poterat præscriptione tueri, cùm per XL. annos ipsam pacificè possedisset: quod per testes idem nisus est œconomus comprobare. Cæterùm œconomus Episcopi memorati ad objecta respondit, quod concessio fundatoris Alban. Ecclesiæ non nocebat, cùm fundator solùm juspatronatus monasterio concesserit memorato, & ipse super jurepatronatus vobis controversiam non moveret. Concessionem autem Episcopi Lavican. non tenere dicebat, utpote continentem simoniacam pravitatem. Cùm enim tertiam (g) mortuariorum monasterio concessisset eidem, & tam in ordinationibus clericorum, quàm altarium consecrationibus indulsisset, ei plenariam libertatem, sic videlicet, ut ea possent à quocunque mallent Episcopo sine contradictione cujuslibet obtinere, non est dubium, quin cùm spiritualia hæc existant, quoniam eo ipso, quod super his recompensationem certæ pensionis accepit, commisit vitium simoniæ. Unde contractus hujusmodi, velut simoniacus, nullam obtinet firmitatem. Confirmatio autem Ap. Sed. fuerat super hoc per subreptionem obtenta, cùm in eadem de pensione nulla mentio habeatur. *Et infrà*: Præterea nec insolitum est, nec novum, ut cùm Episcopi Ecclesias aliquas tam in spiritualibus, quàm in temporalibus concesserint piis locis, aliquid sibi servetur in eis nomine pensionis. Nos quoque cùm vel libertatis privilegium, vel protectionis præsidium aliquibus Ecclesiis indulgemus gratis, accipimus censum gratis oblatum, & in litteris nostris ad successorem nostrorum memoriam census exprimimus, & etiam quantitatem. *Et infrà*: Nos igitur auditis his, & aliis hinc inde propositis, œconomum monasterii vestri œconomo ejusdem Episcopi Eccles. Lavican. nomine in solutionem pensionis prædictæ, juxta ratam, quæ contingit prædictam Ecclesiam, & restitutionem subtractæ à XL. annis secundùm ratam eandem, per diffinitivam sententiam condemnamus, & eundem œconomum vestrum ab impetitione œconomi ejusdem Episcopi super aliis reddimus absolutum, perpetuum silentium imponentes illi. Licèt autem in instrumento concessionis prædicti Episcopi Lavican. expressa fuerit certa pœna, quam pars contractum non servans solveret observanti: cùm tamen utraque pars pervenisse contra illum, ex confessione propria convincatur, cùm & pars vestra Episcopo subtraxerit pensionem, & Episcopus procurationem exegerit ab eadem Ecclesia, sicut œconomus proposuit memoratus, utramque partem ab ea reddimus absolutam.

NOTÆ.

1. (a) *Ferratæ.*] Ita etiam legitur *in cap. 2. hoc tit. in 3. collect.* & *in capite constitutus, de pœnis*, ubi extat alia pars hujus Decretalis. Crypta Ferrata distat ab urbe Romana per decem millia passuum, & à planitie Romani agri per duo millia, extatque in eminenti planitie posita ad Orientem: ibi est monasterium ordinis D. Basilii immediatè subjectum Summo Pontifici, in quo Græco sermone, & ritu divina officia celebrantur, ut refert Bernardus Saccus *lib. 1. Sicinensis hist. cap. 7.* extat inter Auctores Italiæ illustratæ; de quo monasterio in præsenti agitur, & aliam litem inter Abbatem ipsius, & Episcopum Albanen. super institutione presbyteri in quadam parochia monasterio subjecta decidit idem Innocentius III. *lib. 1. regestr. 13. epist. 129.*

(b) *Episcopus Alban.*] Joannes videlicet, natione Lombardus, Episcopus Viterbiensis, ac Tuscanensis, qui creatus fuit Presbyter Cardinalis tituli Sancti Clementis à Clemente III. anno 1189. & ab Innocentio III. Episcopus Cardinalis Albanensis anno 1199. ut refert Ughellius in

in Ecclesia Alban. num. 37. De diœcesi Albanensi nonnulla notavi *in cap.* 4. *de tempor. ordin.*

(c) *Jure communi.*] *Ex c. omnes basilicæ, cum aliis* 16. *quæst.* 3.

(d) *B.*] Benedicti videlicet IX.

3. (e) *Dominicus Lavicanus.*] Aliqui legunt *Levitanum*, alii *Lucan.* alii tandem existimant Dominicum cognomento Levitanum dictum fuisse, ut refert Hostiensis *in præsenti.* Sed ut hæc verba, & illa sequentia, *fuit Episcopus Albanensis*, intelligantur, sciendum est, Lavicanam diœcesim esse in Tusculana regione, & ejus Ecclesiam unitam fuisse Tusculanæ diœcesi: unde licèt legatur per annum 1026. Dominicum Lavicanum Episcopum fuisse, ut refert Ughellius *tom.* 1. *Italiæ sacræ, fol.* 268. tamen periit nomen Lavicanæ diœcesis; quia ea translata fuit in Tusculanam, & ita postea Episcopi Tusculani appellari cœperunt: unde cùm iste Dominicus ex Episcopo Lavicano postulatus fuisset in Episcopum Albanensem, ideo in præsenti refertur, ipsum fuisse Episcopum Lavicanum, & Albanensem.

4. (f) *Ordinationem clericorum.*] Regulares enim debent recipere sacros ordines ab eo Episcopo, in cujus diœcesi situm est monasterium, *cap. si quis, d.* 58. quia ministerium ipsum pro titulo habetur, cui addicitur ipse clericus ordinandus. Concil. Chalcedon. *can.* 6. bulla Leonis X. quæ incipit *Dum intra*; & extat intra sessionem 11. Concil. Lateran. sub ipso celebrati, ibi: *Ut nullatenus eorum Ecclesiis, seu domibus, aut aliis eorum locis ab alio quàm à diœcesano Episcopo, vel ejus Vicario super hoc cum debita reverentia requisito, & absque rationabili causa contradicente, vel in ea diœcesi absente, ad dictos Ordines promoveri debeant.* Et ita declaratum fuisse pro expositione Concilii Trid. *sess.* 23. *de reform. cap.* 1. refertur à Barbosa his verbis: *Gregorius XIII. statuit, ut regulares suscipiant ordines sacros ab Episcopis in cujus diœcesi sunt monasteria, in quibus tunc degunt, vel dimissorias ab eis accipiant.* Probant Hallierius *de sacris elect. c.* 3. *art.* 8. §. 2. Henriquez *lib.* 10. *summæ, c.* 23. *n.* 4. Licèt enim in aliis clericis ordinandis triplex Episcopus proprius detur, videlicet originis, beneficii, & domicilii, ut latè probavi *in cap.* 3. *de tempor. ordin.* tamen erga regulares tantùm Episcopus domicilii attenditur, non verò originis, aut beneficii. Non originis, quia cùm per professionem mortui seculo dicantur, ut probavi *in cap. de regularibus*, eorum origo ampliùs repetenda non est. Non etiam adest Episcopus proprius ratione beneficii, quia religiosi per ipsam professionem redduntur incapaces cujuscunque beneficii, ut probavi *in c. quod Dei* 5. *de statu monach.* Quare Episcopus proprius ratione domicilii ille tantùm dicetur, in cujus diœcesi monachi degunt. Inde etiam infertur, quod cùm canonici regulares capaces sint beneficii secularis, ut probavi *in d. c. quod Dei*, inde ab Episcopo, in cujus diœcesi beneficium obtinent, ad sactos ordines promoveri valent.

5. (g) *Mortuariorum.*] De portione mortuariorum, seu ex mortuariis Episcopo debita, egi *in cap. officii, cap. final. de testam.*

(h) *Et ex certâ scientia.*] Unde non erat, cur quæreretur de justitia hujus conventionis, & an simoniaca esset, nec-ne, cùm per Romanum Pontificem ex certa scientia confirmata esset, ut jam notavi *in cap. final. de pactis*, ubi textum hunc exposuimus.

CAPUT VII.

Idem *Abbati, & Conventui* (a) *Farfen.*

CUm venerabilis f. n. I. (b) Sabin. Episcopus coram dil. fil. nostris R. tit. Sanctæ Anastasiæ presbytero, & P. sanctæ Luciæ ad Septem Sol. Diacon. Cardinalibus, quos sibi, & R. procuratori vestro concessimus auditores, Ecclesiam sancti Angeli de Cantia cum suis pertinentiis, & possessionibus petiisset, asserens ad se eandem, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus pertinere, allegavit ante omnia jus commune: quia cùm eadem Ecclesia constituta sit in diœc. Sabin. ut dicebat, sub ipsius debebat consistere potestate, juxta canonicas sanctiones. *Et infrà*: In temporalibus quoque ad se dictam Ecclesiam pertinere idem Episcopus nitebatur ostendere per publicum instrumentum, in quo continetur expressè, Joan. Sabin. Episcopum Hugoni Farfen. Abbati, & duabus personis post ipsum, Govaldo & Panavello cum suis pertinentiis jam dictam Ecclesiam locavisse pro annua IV. sol. Papiens. pensione, in assumptione B. Mariæ persolvenda. Sed pars vestra proposuit, instrumento prædicto nullam fidem penitus adhibendam, propter superlinearem scripturam, & (c) rasuram loco suspecto factam, ubi videlicet annotatio temporis recensetur. Fuit insuper ex ipsius parte propositum, quod cùm ab Ecclesia sancti Angeli nomine monasterii vestri multò tempore fuerit certa pensio Ecclesiæ Sabin. soluta, manifestè liquebat, ad eandem Ecclesiam, à qua locatio fuerat facta, jure proprietario pertinere. *Et infrà*: Ad hoc autem procurator respondebat prædictus, quod etsi quidam testes se vidisse deponant Ecclesiam sancti Angeli pensionem IV. sol. Sabin. Episcopo persolvisse; nullum tamen ex hoc vestro monasterio poterat præjudicium generari, cùm non appareat, pensionem ipsam ex parte monasterii fuisse solutam: & quamquam etiam testes asserant, se vidisse multoties prætaxatam pensionem exsolvi; non tamen ostenditur tanto tempore præstita, quod usque ad præscriptionem legitimam porrigatur. Item sicut ad rei proprietatem locatio facta non (d) sufficit, ita solutio, nec perceptio pensionis.

Et infrà: His igitur & aliis intellectus, quæ coram Cardinalibus ſupradictis pars utraque proponere procuravit; quia nobis conſtitit, ſupradictam Eccleſiam Sancti Angeli conſtitutam eſſe in diœceſi Sabin. de conſilio f. n. Epiſcopale jus in omnibus ſpiritualibus eidem Epiſcopo adjudicavimus in eandem, illis dumtaxat exceptis, quæ per authentica ſcripta eis dignoſcuntur eſſe ſubſtracta. *Et infrà*: Quia verò inſtrumentum prædictum, per quod Epiſcopus ſupradictam Eccleſiam prætendebat ſibi quoad ſpiritualia vindicare, ad faciendam ſuper hoc fidem invalidum cognovimus, utpote propter prædicta de jure ſuſpectum: vos ab impetitione ipſius, quoad temporalia ejusdem Eccleſiæ, duximus ſententialiter abſolvendos, eidem ſuper hoc ſilentium imponentes.

NOTÆ.

1. (a) *Arſen.*] Ita etiam legitur in quarta collectione, *ſub hoc titul. cap.* 1. & *in capite cùm venerabilis, de except.* ubi de hoc monaſterio nonnulla notavi; ibi enim proponitur alia ſimilis controverſia inter Epiſcopum Sabinenſem, & monachos Farfenſes; non tamen ideo textus ille pars eſt præſentis conſtitutionis, ut voluit Hoſtienſis in præſenti; quia diverſa eſt hypotheſis illius Decretalis.

(b) *ſ. Sabin.*] Joanne videlicet, de quo egi *in dict. cap. cùm venerabilis.*

(c) *Raſuram.*] Juxta textum *in cap. cùm inter, de fide inſtrum.*

(d) *Non ſufficit.*] *L. ad probationem, Cod. locati*, Cujacius *in l.* 20. *Cod. eodem titul.* poſſeſſio tamen probatur per iteratam ſolutionem penſionis.

CAPUT VIII.

Idem (a) *Lucen. Epiſcopo, Abbati de* (b) *Melon. & Petro Ioanni Archid. Aſtoric.*

CUm dilecti filii F. Aurien. Decanus, nuncius venerabilis fratris noſtri Aurien. Epiſcopi; & Magiſter Robertus monachus Cellæ novæ, & Abbatis ſui nuncius, ad Sedem Apoſtolicam acceſſiſſent, nos eis dilectum filium P. ſanctæ Mariæ in Via Lata Diacon. Card. conceſſimus auditorem, coram quo fuit ex Epiſcopi parte propoſitum, quod cùm idem Epiſcopus Abbatem ſibi lege diœceſana ſubjectum vocaſſet ad Synodum, ipſe non ſolùm non acceſſit ad ipſum, immò etiam ſancti Petri, & (c) ſanctæ Columbæ Prioribus, & Archipresbytero Caucy in Aurien. diœc. conſtitutis prohibuit, ne ad ipſius Epiſcopi Synodum accedere attentarent, licèt etiam vocarentur. Cumque dictus Epiſcopus, ut ſaltem humiliter Abbatem ad bonum obedientiæ revocaret, & vinceret in bono malum, ipſi mandaſſet, ut eum ad ſtatutum terminum in monaſterio expectaret, licèt Epiſcopus illuc, juxta quod promiſerat, acceſſiſſet, Abbatem tamen non reperit, & portas monaſterii clauſas invenit, nec ad monachos aditus eſt conceſſus: propter quod Abbatem ſuſpendit, & monaſterium interdixit. Verùm cùm nec propter hoc Abbas ipſe à ſuo contumaciæ propoſito reſiliret, nec latas in ſe, ac monaſterium ſententias obſervaret, in eum excommunicationis ſententiam promulgavit, quam dictus Epiſcopi nuncius à nobis petiit confirmari. Cæterùm nuncius partis adverſæ petitionem ejus non eſſe admittendam propoſuit: quia licèt monaſterium ipſum infra metas Aurien. diœc. ſit conſtructum, liberum tamen ſemper extitit, & ab omni jurisdictione, ac jugo Aurien. Eccleſ. à tempore ſuæ fundationis exemptum. Præterea etſi Epiſcopus aliquam in eo (quod verum non erat) jurisdictionem haberet; quia tamen Abbas de omni gravamine priùs ad Sedem Apoſtolicam appellarat, ſententiam in eum, & monaſterium poſtmodùm (d) latam, nullam idem nuncius obtinere aſſeruit firmitatem. Conqueſtus eſt etiam idem nuncius ex parte Capituli Cellænovæ, quod dictus Epiſcopus Abbatem eorum adeò circumvenit, quod contra immunitatem ipſius Eccleſiæ, ipſis neſcientibus, ei obedientiam repromiſit. Nos igitur ſuper prædictis per memoratum Cardinalem inſtructi, quia cauſa ipſa in noſtra non poterat præſentia terminari, utpote cùm nuncius monaſterii ſuper procuratione, vel ratihabitione literas non haberet, eam veſtro duximus examini committendam, diſc. v. per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus ſi vobis conſtiterit, Abbatem ipſum ad Sedem Apoſtolicam ſuper hoc, ante-

antequam Episcopus in eum suspensionis, vel excommunicationis, & in monasterium interdicti sententias tulerit, legitimè appellasse; vel monasterium esse à jurisdictione ipsius Aurien. exemptum, eo non obstante, quod Abbas ab Episcopo (sicut dicitur) circumventus, præter fratrum suorum assensum ei obedientiam repromisit, cùm fraus, & dolus ei patrocinari non debeant, sententias illas judicetis appellatione remotâ penitùs non tenere, alioquin faciatis eas per cens. eccles. inviolabiliter usque ad satisfactionem congruam observari. Quod si forsan Abbas ipse in exemptionis probatione defecerit, nec legitima se poterit præscriptione tueri, licèt probet se ante prædictas sententias appellâsse, nihilominus tamen monasterium ipsum Aurien. judicetis Ecclesiæ subjacere, in cujus diœcesi est fundatum. Similiter eo in appellationis probatione deficiente, si vobis de exemptione, vel legitima præscriptione constiterit, tam Abbatem, quàm monasterium ab ejusdem Episcopi, & Ecclesiæ ipsius super hoc impetitione penitus absolvatis, & faciatis quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari, in mandato Apostolico sine appellationis obstaculo procedentes. Quod si non omnes, &c. Datum Lateran. VII. Kalend. April.

NOTÆ.

1. (a) *Lucenſi.*] Ita restituo inscriptionem hanc ex epistolis Innocentii III. editis à Sirleto, *fol.* 28. & litteram hujus textus jam retuli *in cap. cum inter* 17. *de re judic.* Lucensis urbs est in Gallecia, colonia fuit Romanorum, & Regum Suevorum, & tempore Theodomiri Regis Archiepiscopali Cathedrâ decorata fuit, ut refert Loaysas *in notis ad Concil. Brachar.* 2. Hodie tamen est Episcopalis, suffraganea Archiepiscopi Compostellani. D. Roderico ejus Episcopo, qui fuit ex anno 1189. usque ad annum 1212. ut refert Ægidius Gonzalez *in theatro ipsius Ecclesiæ*, missa est præsens epistola. De Astoricensi diœcesi nonnulla adduxi *in c.* 17. *de rejudic.*

2. (b) *Melon.*] Monasterium hoc de Melon est in Gallecia, duabus leucis distans à Ripavia, in diœcesi Tudensi, ubi Minius fluvius dividit Galleciam à Lusitania: est Ordinis Cisterciensis, quod amplè ditavit Alfonsus Imperator, ut constat ex ipsa charta dotationis, quam refert Manrique *tom.* 1. *annal. Cisterc. anno* 1142. *cap.* 11. *num.* 4.

3. (c) *S. Petri, & S. Columbæ.*] Legendum est *Sanctæ Combæ*, quæ duo monasteria sunt Ordinis D. Benedicti, & parent monasterio Cellænovæ, ut refert Yepes *tom.* 5. *chron. D. Benedicti, anno* 935. *cap.* 7. unde Abbas Cellænovæ rectè inhibere poterat illis Abbatibus, ne ad Synodum diœcesanam accederent.

(d) *Postmodum latam.*] Ex traditis *in c.* 2. *de appel.*

(e) *Repromisit.*] Quo facto si verè exemptus erat, nec proprio monasterio, nec Sedi Apostolicæ præjudicare poterat, ex traditis *in cap. cùm tempore, de arbitr.*

4. Casus textus refertur. Acriter argitatum fuit temporibus nostri Innocentii III. super subjectione Celeberrimi monasterii Cellænovæ, Ordinis D. Benedicti, quod construxerat, & amplè dotaverat Froila frater S. Rusendi Episcopi Dumiensis, in Gallecia, in loco dicto del Villar, & à novo monasterio ibi constructo, dicto Cella Nova, idest monasterium novum. Construxit autem Froila illud, & liberaliter dotavit, ita ut immediatè R. Pontifici parêret, ut constat ex ipsa donationis charta, quam refert Yepes *tom.* 5. *chron. D. Benedicti, fol.* 427. Est & alia scriptura fundationis ipsius S. Rusendi, quam refert ibi idem Yepes. Cùm ergo tempore fundationis ipsius monasterii Cellæ novæ cautum fuisset, ut immediatè illud R. Pontifici parêret, Abbas ipsius monasterii vocatus ab Episcopo Aurienſi, ad Synodum venire renuebat: & causa commissa fuit his judicibus, videlicet Lucensi Episcopo, Abbati de Melon, & Archid. Astoric. & posita Tudensi Episcopo, & conjudicibus, ut constat ex alia epistola ipsius Innocentii, quam retuli *in dict. capite cùm dilecti* 17. *de re judic.* Et cùm ob desidiam ipsius Abbatis causam obtineret Episcopus Aurienſis, Ovetensis Episcopus ut tertius prædictum monasterium intendebat sibi parere: cujus oppositionis, petitionisque mentio fit *in dict. cap.* 17. *de re judic.* ubi notavimus.

COMMENTARIUM.

IN hoc titulo, & Decretalibus sub eo compilatis præcipuè agitur de jurisdictione Episcopi in loca religiosa, monasteria videlicet, hospitalia, & similia, juxta illam partem præsentis rubricæ: *Ut Episcopis sunt subjectæ*; In quibus jure communi fundatam habent jurisdictionem, cùm intera eorum diœceses constructa reperiuntur, *capite omnes* 16. *quæstione* 7. *capite monasteria* 18. *quæstione* 2. *capite decretum, capite noverint* 10. *quæstione* 1. *capite cùm personæ, de privil. libro* 6. nam cùm à principio sine Episcopi licentia construi, dedicari, seu consecrari non possent, *capite nemo, de consecr. distinct.* 1. *cap. quicunque* 16. *quæst.* 1. *capite quidam monachorum* 18. *quæst.* 2. Justinianus *in novell.* 5. & 67. *in princip.* & *novell.* 123. *cap.* 33. & *novel.* 131. *cap.* 7. meritò post dedicationem, & constructionem debent manere sub jurisdictione Episcopi, in cujus diœcesi talia loca reperiuntur. Hujusmodi autem religiosa loca subsunt diœcesano Episcopo, duplici jure; diœcesano videlicet, & jurisdictionis: illud consistit in cathedratico, synodatico, & procurationibus exigendis, de quibus egi *in capite conquerente, de offic. ordin.* Lex jurisdictionalis consistit in sacramentis conferendis, in causarum cognitionibus, & in coërcendis delictis, *cap. accedens*, 50. *dist. cap. interdicimus* 16. *q.* 1. *cap.* 1. 18. *quæst.* 2. ita ut nullus in illis locis, nisi Episcopus, possit altaria erigere, vel basilicas consecrare. Concil. Hispal. 2. *can.* 7. aut 5.

virgines benedicere. Concilio Wormat. *can.* 8. triplici autem modo possunt monasteria, & loca hæc religiosa à jurisdictione Episcopi eximi. Primò si per Sedem Apostolicam exempta sint, & Pontifici immediatè subjecta. Secundò si ab Episcopo proprio facta fuerit jurium Episcopalium renuntiatio de consensu Capituli, & Sedis Apostolicæ licentia, *cap. constitutus 6. hoc titul. cap. pastoralis, de donat.* Tertiò exemptio acquiri potest legitimâ præscriptione, *cap. constitutus, cum sequent. hoc tutul. cap. auditis* 15. *capite cùm olim* 18. *de præscript.* Prior exemptio valde odiosa est, immò non facilè concedenda, ut ait D. Bernardus *lib.* 3. *de consider. ad Eugenium cap.* 4. ubi eam rationem adjicit, ne monstrum facere videatur, membra aliter locando in Christi corpore quàm disposuit ipse. Unde talis exemptio ut juri communi derogans, strictè accipienda est, *cap. ultim. in fine, de filiis presbyt. lib.* 6. ne producatur ultra loca ipsa exempta, *cap. porrò* 7. *cap. petiisti* 20. *in fine, de privil.* & ideo monasterio exempto non statim parochiæ, vel capellæ illis subjectæ censentur exemptæ, *capite ex ore* 17. *de privil.*

CAPUT IX.

Idem *in Concilio* (a) *Generali.*

NE nimia religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de (b) cætero novam inveniat religionem, immò unam de approbatis assumat. Similiter qui volunt religiosam domum de novo firmare, regulam, & institutionem unam de approbatis accipiant. Illud etiam prohibemus, ne quis in diversis monasteriis locum monachi habere præsumat, neque unus Abbas (c) pluribus monasteriis præsidere.

NOTÆ.

1. (a) *Generali.*] Lateranensi videlicet celebrato sub Innocentio III. *cap.* 13. ubi reperitur textus hic, & in quarta collectione, *sub hoc tit. cap. final.* Occasionem autem huic constitutioni dederunt hæretici Waldenses, aliàs dicti Pauperes de Lugduno, qui temporibus Innocentii III. superstitiosum vivendi modum pro religioso invenerunt, jactantes se vivere secundùm Evangelicam doctrinam; & cùm petiissent ab Innocentio III. hanc vivendi formam sibi, & suis asseclis confirmari, & Innocentius renuisset eam confirmare, cœperunt se veros Christi discipulos esse jactare, & variis erroribus implicari, credentes posse eam novam vivendi formam, ut novam religionem instituere, & observare, ut refert Penna *ad Eymericum* 2. *p. Direct. quæst.* 14. Quare Innocentius III. in præsenti canone 13. Concilii Lateran. novitet statuit, non posse novam religionem, seu religiosam vivendi formam in Ecclesia institui absque speciali summi Pontificis licentia. Accedebat turba Ordinum, quibus populus non sufficiebat. Matthæus Paris. *ad annum* 1258. *Tot autem Ordines exorti sunt, quod hi hos, & è converso supplantant; nec sufficit ut consuevit, populus eos plebeis eleemosynis sustentare.*

2. (b) *De cætero.*] Unde religiones jam fundatæ temporibus præsentis constitutionis, etiam absque Sedis Apostolicæ licentia, everti non debere, probat Zypeus *ad hunc tit. consult.* 1. & 3.

3. (b) *Nec unus Abbas pluribus.*] Consonant Concil. Agathense *can.* 38. quod extat apud Gratianum *in cap.* 5. 20. *quæst.* 1. ibi: *Abbatibus singulis diversas cellulas, aut plura monasteria habere non liceat.* Et *can.* 57. apud eundem *in cap.* 4. 21. *quæst.* 1. *Unum Abbatem duobus monasteriis præsidere interdicimus.* Concil. Cabilon. *can.* 12. apud Ant. Augustinum *in epit. jur. lib.* 9. *tit.* 46. Savarus *ad Sidonium lib.* 7. *epist. ult. verbo Abbatis sit;* Exposui, & rationibus illustravi *in cap. de multa de præbend.*

COMMENTARIUM.

4. EX præsenti canone sequens communiter deducitur assertio: *Non licet novam religionem instituere sine speciali Pontificis licentia.* Probant eam textus *in cap. unic. hoc titul. in* 6. *cap. unic. de voto, eodem lib.* Illustrant ultra congestos à Barbosa, & Garsia *in præsenti*, Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 7. *cap.* 15. *cum sequent.* Basilius *Legion. lib.* 7. *de matrim. cap.* 11. & *quæst.* 3. *scholast. c.* 7. Lemaistre *lib.* 1. *de monachis, cap.* 12. Lantdmeter. *de veter. mon. p.* 2. *lib.* 2. *c.* 2. Petrus Greg. *de benef. c.* 13. & *lib.* 13. *de Repub. c.* 9. & *lib.* 3. *partit. tit.* 17. *c.* 3. Spino *in spec. testam. gloss.* 3. *in princip. n.* 4. Barbosa *de potest. Episc. alleg.* 26. Solorzanus *lib.* 4. *pol. cap...* Azor *tom.* 1. *instit lib.* 11. *c.* 24. Frances *in pastor. regul. p.* 3. *vota* 7. Petrus Herodius *lib.* 1. *pandect. titul.* 2. *cap.* 8. Marquez *in origine Eremit. cap.* 14. Bruno Chassaing. *de privil. regul. propos.* 13. Diana *part.* 11. *tract.* 2. *resol.* 25. Cellotius *lib.* 4. *de hierarch. cap.* 10. Gibal. *tom.* 1. *scient. can. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 90. Exponitur textus hic. Concilii instituere sine speciali Pontificis licentia. Probantur textus & probantur.

5. Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo, ad novam congregationem regularem erigendam, novumve monasterium construendum sufficit Episcopi diœcesani licentia, *cap. quidam* 18. *quæst.* 2. *cap. de monachis* 12. 18. *quæst.* 2. *cap.* 13. ibi: *Cellulas novas, aut congregatiunculas monachorum absque nutitia Episcopi prohibemus instituí.* Refert Antonius Augustinus *in epit. lib.* 9. *titul.* 1. & meritò, quia jure communi attento omnia monasteria, & eorum Prælati sunt sub jurisdictione, & dispositione Episcopi. Unde PP. Synodi Tul. *in can.* 40. & 41. prohibent quemquam in monasterium admitti, aut eremum secedere, & anachoresin profiteri, sine prævio Episcopi examine: latè probat Filesacus *in cap. quanto* 7. *de offic. Ordin.* ergo non rectè in præsenti statuitur, absque Pontificis speciali licentia non licere Tradunt variis limitandi.

licere novam Religionem instituere, aut profiteri.

6. *De approbatione religionum ex jure antiquo.* Quâ difficultate minimè obstante vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, aliud esse novam religionem instituere cum nova vivendi forma juxta peculiarem vitæ normam; aliud novum monasterium construere in aliqua diœcesi: sed sub regula religionis jam approbatæ, novam religionem instituere cum peculiari vivendi forma, hodie non licet absque expressâ R. Pontificis licentia; olim tamen aliud observabatur: nam triplici modo poterat nova religio approbari. Primo tacito consensu Pontificis scientis, & consentientis. Secundo expressâ approbatione ab ipso impetrata. Tertiò confirmatione ab Episcopo diœcesano petita. Olim enim ante præsentem constitutionem licuisse Episcopis in suis diœcesibus religionem approbare, docuerunt Azor *lib.* 11. *instit. cap.* 23. *quæst.* 5. Bellarminus *tom.* 1. *controv. lib.* 1. *de monachis, cap.* 4. Basilius Legion. *dict. quæst.* 3. *schol. cap.* 7. & *lib.* 7. *de matrim. cap.* 11. Marquez *in origine Eremit. cap.* 4. unde videmus, Florentissimas D. Basilii, Augustini, & Benedicti religiones multis seculis in Ecclesia viguisse sine aliquâ, quam legamus, Sedis Apostolicæ approbatione. Prima quod ego sciam, & monachorum, & canonicorum D. August. mentio facta est in Synodo Aquisgran. 1. anno Domini 818. *cap.* 113. & 114. & regulæ ejus mentio in Synodo Rhemensi sub Eugenio II. creato anno Domini 824. hoc est ferè quadringentis annis post obitum Augustini; & ab Innocent. II. *in can. perniciosam* 18. *quæst.* 2. hoc est in Concilio Later. sub eo Pontifice, quod nuper edidit Baronius *tom.* 12. *annal. anno Christi* 1139. & post Innocent. alii plures meminerunt. Basilii regulæ prima mentio fit in 7. Synodo generali sub Hadriano, anno 789. & ab Innocentio II. *can. citato.* Benedicti verò Regulæ meminit Gregorius *lib.* 2. *dial. cap.* 9. *anno* 590. hoc est annis quinquaginta post obitum D. Benedicti. Zacharias Pontifex anno 741. & Concil. Mogunt. anno 813. Synodus Rhemensis citata, Alex. II. & Innocent. II. & Alex. III. Pachomii, & Antonii, & Hieronymi regularum, quæ priscis seculis in Ecclesia viguerunt, nullam Pontificiam approbationem legimus; communi autem sensui opponeretur, & risu excipieretur, qui diceret toto eo tempore à fundatione usque ad approbationem expressam Sedis Pontificiæ religiones verè non fuisse, sed nomine tenus, cùm Gregorius X. *in dict. cap. unic. hoc tit. in* 6. absolutè religiones appellet suprà relatas, etiam ante Sedis Apostolicæ approbationem: quod etiam indicat Bonifacius VIII. *in cap. unico, de voto, lib.* 6.

7. *Traditur ratio decidendi.* Sed cùm Ecclesia majores causas judicio Romani Pontificis reservaverit, *cap. majores, de baptismo*, ubi notavimus, inter eas approbationes novarum Religionum reservaverit, & meritò, cùm una ex gravioribus Reipublicæ Christianæ causis sit, siquidem per eam introducitur nova vivendi forma, & observandi perfectionem Evangelicam, cùm novæ congregationes majoris perfectionis gratiâ instituantur: quare prius diligenter ipsa vitæ futuræ forma examinari, & perscrutari debet diligenter, ne sub prætextu majoris boni, & sanctioris vitæ hæreses oriantur, vel hæretici foveantur, ut de Waldensibus suprà retuli, & de aliis pluribus hæreticorum cœtibus refert Eymericus *ubi suprà*: quæ omnia ut sedulò, & diligenter examinentur, rectè statutum fuit in præsenti textu, ut nova religio, seu religiosa vivendi forma, non instituatur, nisi cum speciali R. Pontificis licentia: quod etiam firmavit Gregorius X. *in cap. unic. hoc tit. in* 6. Accedit, nam & apud Romanos, nec novum collegium, sodalitiumve religionis causâ congregari poterat inconsulto Senatu, *l.* 1. & 3. *ff. de Collegiis.* Tertul. *lib. de jejunio*, ibi: *Nisi fortè in Senatusconsultâ, & in Principum mandata coitionibus opposita delinquimus.* Illustrat Brissonius *de formulis lib.* 3. *fol.* 370. & *lib.* 1. *select. cap.* 14. Unde meritò ab Ecclesia statutum fuit, ne nova religio, seu vitæ monasticæ forma inconsulto Romano Pontifice instituï, & profiteri posset. Nec tunc obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam omnia jura in ea expensa procedunt ante præsentem Concilii Lateranensis constitutionem; antea enim, ut suprà dixi, Episcopi poterant novas religiones approbare, & confirmare, attamen postquam inter alias causas majores hæc approbatio Romano Pontifici reservata est, non possunt inferiores Prælati prædicta potestate jure communi sibi competente uti.

8. *Exponitur cap. unic. de excess. Prælat. lib.* 1. Hucusque egimus de nova religione non instituenda absque Pontificis auctoritate: nunc ut aliud membrum distinctionis suprà *num.* 3. adductæ prosequamur, sciendum est, quod licèt jure antiquo novum monasterium construi possit tantùm de licentia Episcopi; *cap. si quis vult* 16. *quæst.* 7. novo tamen jure; ne in præjudicium parochialium Ecclesiarum nova construantur monasteria; cautum fuit, ne nova monasteria ædificentur, aut antiqua in alia loca transferantur sine Romani Pontificis licentia, *capite unic. de excess. Prælat. lib.* 6. *cap.* 4. *de privil. eod. lib. Clement. Cupientes. de pœnis.* Novioribus autem constitutionibus aliud observandum præscribitur in nova monasteriorum constructione, aut mutatione, duobus in casibus. Primus est, cùm ædificantur monasteria seorsim ab aliis Ecclesiis, & monasteriis. Secundus est cùm ædificantur juxta alia monasteria. Circa primum extat decretum Tridentini *sess.* 25. *de regul. cap.* 3. ubi cavetur, ut monasteria erigantur cum auctoritate, & licentia Episcopi, in cujus diœcesi constituuntur: quo decreto sublatam esse constitutionem textus *in dicto cap. unic.* docuit Emanuel Rodriguez *tom.* 2. *qq. Regul. quæst.* 49. *art.* 3. sed meritò ipse refellitur à Barbosa *de potest. Episc. alleg.* 26. *num.* 4. quia verius est, utramque auctoritatem Pontificis, Episcopique necessariam esse; nec per Concilium abrogatum manere textum *in dicto capite unico*, ut declaravit sacra Cardinalium Congregatio, teste Farinacio *in declarat. ad dict. cap.* 3. quare Summus Pontifex solet aliquibus religionibus facultatem indulgere ad construenda ubique monasteria absque alia speciali licentia, ut eam concessit Jul. II. Religioni Minimorum, teste Emanuele Rodriguez *ubi suprà*; & Paulus V. Carmelitis Discalceatis, referente Barbosa *dict. num.* 4. qui adhuc in fundationibus novi monasterii indigent Episcopi licentia, juxta Trident. *dict. cap.* 3. quia per hujusmodi privilegium tantùm suppletur Pontificis licentia. Hoc etiam observatur in translatione veteris monasterii in alium locum, etiamsi ejus monachi exempti sint; nam adhuc irrequisito Epi-

Episcopo monasterium transferri non potest in locum non exemptum, ut latè probant D. Joan. Larrea *decis. 97. per tot.* Chopinus *lib. 1. monast. tit. 3. num. 9.* Frances *part. 3. Pastor. Regul. voto 6. per tot.* Hieronymus Garcia *tom. 2. polit. regul. tract. 11. difficult. 2.* Tondutus *tom. 1. resol. canonic. quæst. 23.* quod & in monasterio monialium transferendo resolvit Tambur. *de jure Abbatiss. disput. 33.* Circa secundum casum, quando monasteria ædificantur prope confinia aliorum ultra licentiam Pontificis, & Episcopi, de qua hucusque egi, exigitur etiam ut distent aliquantulum ab aliis monasteriis: quare Clemens IV. decrevit, ut intra trecentas cannas per aërem mensurandas, quarum singula contineat longitudinem octo palmorum, non liceat ædificare monasterium, vel antiquum mutare, vel etiam erectas Ecclesias in monasteria transferre prope conventus Fratrum Minorum: idemque Pontifex postea restrinxit prohibitionem hanc ad centum quadraginta cannas. Julius quoq; III. declaravit, restrictionem hanc non debere nocere Fratribus Minoribus, immò potiùs prodesse; & ideo non posse ædificari monasteria prope conventus ipsorum, nisi ultra trecentas cannas; ipsos autem posse ædificare post centum, & quadraginta: quorum privilegiorum tenorem referunt, & explicant Rodriguez *dict. quæst. 49. artic. 5.* Barbosa *alleg. 26. num. 6.* Miranda *in manuali Prælat. tom. 1. quæst. 33. artic. 1. conclus. 3.* idemque privilegium concessum esse Fratribus Prædicatoribus, & Carmelitis, refert Rodriguez *dict. artic. 3. prope finem.* De licentia etiam Regis necessaria ad novam monasterii constructionem agit Solorzanus *tom. 2. lib. 3. cap. 23. num. 18.*

TITULUS XXXVII.

De Capellis Monachorum, & aliorum Religiosorum.

CAPUT I.

Urbanus III. *in Concilio* (a) *Claromont.*

Congregato apud Claromontensem Urbem multorum Episcoporum Synodali (b) conventu, proposita est nobis à quibusdam eorum quæstio de Ecclesiis,, vel de ecclesiasticis possessionibus, à clericis, vel monachis usque in præsentiarum, inconsultis Episcopis, acquisitis. Nos autem usi saniori consilio eorundem Episcoporum, condescendentes pro tempore, providentesque Ecclesiasticæ paci, vel quia aliter absque inevitabili scandali periculo hujusmodi quæstio non poterat procedere: Apostolica auctoritate decernimus, ut ea, quæ de clericis, vel monachis, vel à quibuscunque personis, prout potuerunt, usque hodie fuerunt acquisita, rata perenniter, & inconcussa permaneant: hoc tamen tenore, ne inposterum inconsultis Episcopis talia præsumant. In Ecclesiis, ubi monahi habitant, populus per monachum non regatur, sed capellanus qui populum regat, ab Episcopo per consilium monachorum instituatur; ita tamen, ut ex solius Episcopi arbitrio, tam ordinatio, quam depositio, & totius vitæ pendeat conversatio.

NOTÆ.

1. (a) *Claromontensi.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc titul. cap. 1* ex qua inscriptionem, & litteram hujus textus transcribo. In hac sexta collectione legitur *Urbanus III.* cùm legendum sit *Urbanus II. in Concilio Claromont.* quod ejus tempore celebratum fuit, anno videlicet 1095. ut refert Bertholdus, & ex eo Carjolanus *in summa Concil. fol. 484.* in quo Concilio innovati, & transcripti fuerunt canones Concilii Hostiensis in eandem causam celebrati, de quo hæc refert Bertholdus transcriptus à Corjolano *in summa, fol. 482. In Galliarum civitate, quam Hostionem vulgariter dicunt, congregatum est generale Concilium à venerando Hugone Lugdunensi Archiepiscopo, Sedis Apostolicæ Legato, cum Archiepiscopis, & Abbatibus diversarum Provinciarum, 17. Kalend. Novemb. in quo Concilio revocata est excommunicatio in Henricum Regem, & in Guibertum Sedis Apostolicæ invasorem, & in omnes eorum complices. Item Rex Galliarum Philippus excommunicatus est, eo quod vivente uxore sua alteram superinduxit. Item simoniaca hæresis, & incontinentia sacerdotum sub excommunicatione damnata est. Item monachis interdictum est in eodem Concilio, ne parochialium sacerdotum officia in parochus usurpent.* Ex Synodo etiam 7. refert apud Arverniam habita. Et exemplari Augustini Thuani refert Juretus *in notis ad epist. 69. Ivonis*, hæc verba: *In Ecclesiis ubi monachi habitant, populus per monachum non regatur, sed capellanus, qui populum regat.*

gat, ab Episcopo constituatur, ita ut ex solius Episcopi arbitrio, tam ejus ordinatio, quàm depositio, & totius vitæ suæ conversatio pendeat. Etiam Stephanus Ballucius *in addit. ad Marcham, lib. 6. concord. Sacerd. & Imp. cap. 31.* edidit Concilium hoc Claromontanum ex vetusto C. M.S. monasterii Aianensis, ubi ita in ipso Concilio legitur: [Anno Dominicæ Incarnationis 1095. indict. 3. 14. Kalend. Decembris celebrata est apud Claromontem Alverniæ Synodus, præsidente Domino Urbano Papa, considentibus diversarum Provinciarum Archiepiscopis numero 12. cum Episcopis 82. Abbatibus innumeris.] Et *in can. 4.* ita cavetur: *Sanè quia monachorum quidam Episcopis jus suum auferre contendunt, statuimus, ne in parochialibus Ecclesiis, quas tenent absque Episcoporum consilio presbyteros collocent; sed Episcopi parochiæ curam cum Abbatum consensu sacerdoti committant, ut ejusmodi sacerdotes de plebis quidem cura Episcopo rationem reddant, Abbatibus verò pro rebus temporalibus ad monasterium pertinentibus debitam subjectionem exhibeant, & sic cuique sua jura serventur.* Unde credo, in prædicto Concilio Hostiensi præsentem canonem editum fuisse; sed cùm postea ejus Concilii canones transscripti essent in Concilio Claromont. sub Urbano II. celebrato, ideo textus hic citatur in hac prima collectione ex Concilio Claromont. in sexta verò collectione, ex Urbano II. quia ejus auctoritate Concilium hoc celebratum fuit. Etiam verba hujus textus ex septima Synodo apud Arverniam, quæ eadem est cum prædicta Claromontana, in antiquo exemplari Præsidis Thuani se legisse testatur Juretus *ad Ivonis Carnotensis epistolas.*

2. (b) *Conventu.*] De quo hæc refert Bertholdus apud Corjolanum *in summa, fol. 483. In Gallis ad Claromontem Synodus generalis a Domino Papa in Octava Sancti Martini congregata est, in qua tredecim Archiepiscopi cum eorum suffraganeis fuerunt, & ducentæ quinque pastorales virgæ numeratæ sunt. In hac Synodo Dominus Papa eadem statuta, edita in præterita Synodo Placentina confirmavit: insuper & Philippum Regem Galliarum excommunicavit, eo quod propriâ uxore dimissa, militis sui uxorem in conjugio sociavit.* Hæc etiam priora verba extant *in cap. congregato 16. q. 7.* alia notavit Vinnius *in notis ad ipsum.*

COMMENTARIUM.

3. TExtus hic communiter accipitur de Ecclesiis, quæ spectant ad monachos ratione juris-patronatus, in quibus tenentur presbyteros præsentare, ita ut eorum institutio, aut destitutio ex Episcopi arbitrio pendeat: juxta quam interpretationem doctam edidit relectionem Primarius noster Doctor Garaña. Sed ut juxta tempora Concilii Claromont. & morem tunc vigentem in Ecclesiis à monachis obtinendis illum exponamus, sciendum est, quod cùm olim monachi laicis sacramenta administrare, aut eos ad sepulturam admittere in propriis Ecclesiis non possent, *cap. interdicimus 10. cap. juxta 11. 16. q. 1.* plura Hallierius *in vindic. lib. 4. cap. 1. §. 2.* & ita quia sacerdotalia munera obire nequibant, decimas à fidelibus, & alios Ecclesiarum fructus percipere non possent, quæ tantùm parochis, & beneficiariis debentur, juxta suprà tradita *in tit. de decimis*, Parochi ex nimia devotione res proprias, & simul Ecclesias cùm jure exigendi decimas, percipiendi cæteros fructus ipsarum Ecclesiarum monachis tradebant: quare ipsi altari serviebant, monachi verò decimas, & cætera emolumenta percipiebant, nec ad hanc concessionem Episcopi consensus desiderabatur, cùm in vita ipsorum Parochorum non crederetur Ecclesiam de eorum possessione exiisse: sed quia ipsis defunctis deficiebat jus in monachis retinendi ipsas Ecclesias, cum jure decimarum, & aliarum obventionum introductum fuit, ut Ecclesias ipsas, quas altaria monachi nuncupabant, ab Episcopo, ad quem omnes Ecclesiæ suæ diœcesis spectant, redimerent, ita ut Vicarius (qui trito tunc vocabulo persona dicebatur) seu capellanus, in ipsis Ecclesiis ab Episcopo institueretur cum competenti stipendio, ita ut Episcopus pro tali redemptione censum annuum exigeret, & pro nova institutione vicarii certam quantitatem. Referunt Joannes Saresbarien. *Polycrat. lib. 7. cap. 17. Utique est insignis prudentiæ, si quis tot quocunque modo conquirit altaria, ut quasi ritu Memphitico quotidianas hostias novis possit altaribus immolare: nolunt tamen sacerdotio dominari, aut servire altario, qui de altario vivunt, ne ut populus arguit, dicam luxurientur; sed personatus quosdam introduxerunt, quorum jure ad alium onera, ad alium referantur emolumenta.* Huc etiam spectat quod scribit Gofridus Vindocinensis Abbas *in epist. 6. ad Andegavensem Episcopum*, qui se testatur interfuisse dicto Claromontensi Concilio, & interpretatur quid significet altarium redemptio. Sic igitur habent veteres membranæ: *Annunciastis (ut dicitur) presbyteris vestris, & personis Ecclesiæ vestræ, quod Dominus Papa Urbanus in Arvernensi Concilio præceperat, ut Episcopi annuum censum habeant à monachis pro redemptione altarium. Bene novit prudentia vestra, non esse bonum, quod Apostolica sinceritate disponitur per contrarium prædicari. Bene Domine, vos illi non adfuistis Concilio, & ego interfui, qui hujus rei cognosco veritatem. Redemptionem Ecclesiarum, quæ vulgari vocabulo altaria nuncupantur, beatus vir ille simoniacam pravitatem vocavit, & Apostolicâ auctoritate damnavit: illa tamen magica, & simoniaca pecunia aliquando in triginta, aliquando verò in quadraginta, aliquando etiam sexaginta annis solvebatur Episcopis. Qui autem redemptionem altarium (quæ in pluribus annis non nisi semel per vicarios fieri solebat) hæresim vocavit & condemnavit, sub nomine annui census pro redemptione vicariorum, sive altarium annuam pecuniam extorquere dedocuit, non præcepit: immò omnia, quæcunque Abbates, & monachi in Ecclesiis sub redemptione vicariorum tenuerant, ut quiete deinceps, & sine cujuslibet exactione pecuniæ possiderent, Beatorum Petri, & Pauli auctoritate firmavit. Nam si in pluribus annis non nisi semel (ut dictum est) per vicarios pecunia pro altaribus dabatur Episcopis, & pecuniam ipsâ Apostolicâ auctoritate probatum sit simoniam esse; singulis annis Episcopis pro vicariis altarium pecuniam dare quid est aliud, quàm plurimorum annorum simonia per annos singulos sub nomine annui census annuam simoniam exercere? Non est hæc doctrina christianæ fidei, sed exactio pessima, quæ simoniam multiplicat, & sanctæ Ecclesiæ violat castitatem. Pecunia itaque pro Ecclesiis sub palliata cupiditate extorta, quæ redemptio altarium dicitur, ab Apostolica Sede damnata, sive per vicarios rarius, sive pro vicariis frequentius, sub qualicunque nomine, vel occasione extorqueatur, simoniaca pravitas*

esse nullâ ratione dubitatur; illa tamen gravior, quæ sæpiùs agitur. Quapropter illam specialiter Christianus catholicus vitare, & Episcopus maximè detestari debet, ne fiat novissimus error pejor priore. Idem *in epist. ad G. Apostolicæ Sedis Legatum*, quâ de Episcopo Andegavensi conqueritur. *Decretum illud* (inquit) *quod idem Dominus Papa Urbanus in Arvernensi Concilio statuit contra simoniam, quæ sub nomine vicariorum Dei fieri solebat ab Episcopis, annullare machinatur. Redemptionem etiam Ecclesiarum, quæ in illo magno Concilio hæretica pravitas vocata est, ab Apostolica Sede damnata, licèt in pluribus annis non nisi semel per vicarios fieret, nunc sub nomine annui census, à simplicitate nostra extorquere conatur: & quia ego, & fratres nostri hoc esse scelus putamus, & ideo refutamus, divinum Ecclesiis nostris interdixit officium.* Ex quibus pendet interpretatio verborum Gregorii VII. *lib. 4. epist. 7.* ad Hugonem Diensem Episcopum. *Illud vero commune malum penè totius terræ, videlicet, quod altaria venduntur, & quod iste etiam in officio sui Archidiaconatus se fecisse non denegat, ne deinceps fiat, tam huic, quam cæteris omnibus interdico.* Hac de re multùm exarsit Ivo Carnot. *epist. 12. Maximè quod apud nos, qui altari non serviunt, de altari vivunt; à quo sacrilegio cùm eos absterrere velim monendo, increpando, excommunicando, altaria à me redimere volunt, sub nomine personæ, sicut à prædecessoribus meis ex prava consuetudine redemerunt.* Et ille census semel tantùm redemtionis tempore pendebatur, modò pro 30. 40. aliquando pro 60. annis, aliquando annuatim solvebatur, ut constat ex veteri testimonio, quod extat apud Aubertum Mireum in diplomate libertatis Ecclesiæ Melsinensis, in cujus fine hæc verba habentur: *Illud etiam superest memorandum, quod altare de Ubarnesion, ad mensam suprædictarum sanctimonialium, tali pacto concessi, ut mihi, & successoribus meis annuatim decem solidi persolvantur denariorum, pro restitutione personæ ipsius altaris alii decem.* Quam corruptelam tanquam simoniacam, immo ut hæresim damnavit Urbanus II. in Synodo Arvern. relata *in cap. quæsitum 1. q. 3.* ubi legendum esse, *salvo utique Episcoporum annuo censu*, jam notavit Balluzius *in addit. ad Marcham lib. 6. concord. Sacerd. & Imp. cap. 31.* & postea in Synodo Claramont. (ubi renovatæ fuerunt sanctiones Concilii Arvern.) relata in præsenti, & *in cap. congregato 16. q. 7.* damnavit etiam idem Urbanus II. in epistola ad Ingelianum Episcopum Laudunensem, quam ex C. M. S. edidit Juretus *in notis ad epist. 12. Carnot.* in hæc verba: *Quantò familiarius ab Ecclesia Romana diligeris tantò charius, quos ipsa diligit, fovere debueras, & amplecti: idcirco ab infestatione fratrum B. Remigii fraternitas tua cesset. & altare, quod in villa, quæ Corbiniacus dicitur, iidem fratres habuisse noscuntur, eis restituat. Etsi enim personas removimus, non tamen antiquæ possessionis jus monasteriis abstulimus. In illa siquidem personarum mutatione avaritiæ renovatio, & ecclesiasticarum rerum distractio contingebat.* Et ipso Concilio Claramont. *can. 6.* in cautum fuit: *Ut altaria congregationibus canonicorum, vel monachorum per personas data, mortuis personis libera redeant in manus Episcoporum, nisi fuerint illis per eorum scripta, vel privilegia confirmata.* Sublata igitur fuit per Urbanum II. prædicta Ecclesiarum redemptio, non tamen prohibitum fuit monachis ex antiqua possessione Ecclesias obtentas retinere, ut expressit idem Urbanus in epistola suprà citata, ibi: *Porrò altaria, quæ per 40. seu 30. annos monasteria possederunt, sicut in Synodo constitutum est, immota eis permanere volumus: nullam igitur de cetero eisdem fratribus de suprædicto altari molestiam inferas, salvâ tuâ Episcopali justitiâ.* Idem docuit ipse Urbanus II. in epistola Laudunensem Episcopum, relata à Jureto in epistola 12. Ivonis. Hinc factum est, ut Valdericus Noviomensis Episcopus privilegio suo dato anno 1103. in perpetuum confirmaverit Ecclesiæ Jotrensis altaria, quæ sub personatu plusquam tricennali possessione tenuerat. In illis autem Ecclesiis tenebantur monachi clericos præsentare, ut ab Episcopis instituerentur, ex præsenti textu: unde cœpit abusus, ut quotannis monachi clericos vicarios ad easdem Ecclesias præsentarent, & ita Episcopi non pro redemptione altarium, quæ jam ab Urbano prohibita erat, sed pro institutione annali ipsorum vicariorum annuum censum exigebant: quare Paschalis II. Urbani successor abusum illum omnino proscribere volens, graviter Ivonem Carnotensem, & Ranulfum Sanctonensem Episcopos increpat, eo quod ab exactione hac non abstinerent, in epistola quam ex C. M. S. ediderunt Souchetus *in notis ad dictam epistolam Ivonis*, Ballucius *ad Marcham dicto cap. 31.* in hæc verba: *Juxta Sanctorum canonum sanctiones, non ignotum vobis esse credimus, quid ultionis maneat ecclesiastici ordinis viros Apostolicæ Sedis decreta spernentes. Ipsi enim Arvernensi Concilio affuistis, in quo præsidente prædecessore nostro bonæ memoriæ Papa Urbano, considentibus Gallorum Episcopis, decretum est, ut altaria, quæ ab annis 30. vel 40. sub vicariorum redemptione monasteria possedisse noscuntur, quietè deinceps, & sine molestia monasteriis ipsis firma permaneant. Vos autem hujus simplicitati incongruas duplicitates innectitis, & personarum redemptionem mutatis nominibus extorquere conamini. Verum oportet nos hujusmodi versutias sinceritate veritatis Apostolicæ obviare. Præcipimus ergo, ut decretum illud omnino teneatur integre, nec super illud quicquam ulteriùs pro eisdem altaribus exigatis. Sane quod vobis dicimus, cæteris quoque Galliarum Episcopis erga suarum diœcesium monasteria præcipimus observandum. Datum Romæ 11. idus Martii.* Quod decretum præterea renovatum fuit in Concilio Pictavensi ab Joanne, & Benedicto S. R. E. Cardinalibus, Paschalis Legatis, *can. 6.* ut videre est *tom 7. Concil. Binii, p. 533* ex altero ibidem Concilio sub iisdem *can. 9. pagina 540.* notarunt Juretus, & Souchetus *in not. ad epist. 12. Carnot.* Bosquetus *in notis ad Innocentium III. libro 1. epist. 24.* Lemaistre *de juribus Episcop. lib. 2. cap. 5.* P. Marcha *in not. ad can. 2. Concil. Claromont.* Joan. Dartis *in cap. 4. 1. q. 4.* Altesserra *lib. 4. cap. 8.*

Sequentibus verò seculis cùm monachi cœpissent Missas publicè in suis monasteriis celebrare, & sacramenta non solùm fratribus, verum & cæteris fidelibus laicis administrare, cœperunt etiam in Ecclesiis propriis monasteriis annexis per monachum sacerdotem divina officia celebrare, *cap. 1. hoc tit. in 5. compil.* ubi Honorius III. Abbati, & conventui Aquinatensi ita scribit: *Quantò sinceriùs diligimus monasterium vestrum, & vestræ cupimus Religionis augmentum, tantò solicitiùs vestris volumus providere profectibus, & gravaminibus obviare. Ea propter dilecti in Domino*

mino filii, vestris postulationibus annuentes, auctoritate præsentium districtè inhibemus, ne quis pro eo quod quandoque ponitis aliquos vestros monachos sacerdotes, qui celebrent in capellis ibidem consistentibus, curam animarum non habentibus, audeat à vobis procurationes pro ipsis grangis extorquere. In Ecclesiis verò, ubi juspatronatus tantùm obtinebat, Episcopo præsentabant presbyterum, ut ab eo institutionem acciperet, *cap. 2. de suppl. neglig. cap. olim, de restit. spol. cap. de monachis, cap. 31. de præbend. Clement. 1. de jurepatron. cap. final. hoc tit. in 1. collect.* ubi Alex. III. ita monachis Cantuar. provinciæ scribit: *Inde est, quod universitati vestræ per A. s. p. m. ut in Ecclesiis, in quibus repræsentationem habetis, cùm vacuerint, diœcesanis Episcopis clericos idoneos præsentetis, qui illis de spiritualibus, vobis autem de temporalibus debeant respondere.* Et *cap. 2. hoc titul. in 2. compil.* ubi ita ait Clemens III. *Auctoritate Apostolica prohibemus, ne in Ecclesiis ad præsentationem vestram spectantibus ulli, nisi à vobis præsentati fuerint, ordinentur; sed si quos vobis non præsentantibus ordinari contigerit, ab Ecclesiis his per vosmetipsos auctoritate Apostolica amoveantur, & eorum ordinatio penitus irrita habeatur, nisi forte, quod absit, præsentationem clericorum vos contigerit malitiosè differre.* Nisi Ecclesiæ ipsæ ad monachos pleno jure spectent; quia tunc possunt ibi presbyteros ab Episcopo approbatos in eis Ecclesiis apponere, *cap 3. §. in Ecclesiis, de privil. cap. cum inter 13. de re judic.* prosequuntur latiùs Garaña *in præsenti*, Solorzanus *de jure Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 16. num. 35.* Barbosa *voto 50. per tot.* Altesserra *lib. 5. dissert. cap. 18.*

CAPUT II.

Innocentius III. *Archipresbytero, & Clericis* (a) *S. Cæciliæ.*

Dilectus filius M. syndicus Ecclesiæ vestræ in nostra præsentia constitutus, ab œconomo S. Laurentii de (b) Piscinula in (c) scrutiniis, baptismate, processionibus, capitulis, & similibus subjectionem postulans, possessorium, & (d) petitorium intentabat. Cùm enim Ecclesia S. Laurentii sit in parochia vestra sita, debet de jure (e) communi, sicut idem syndicus proponebat, Ecclesiæ vestræ in prædictis omnibus subjacere, nisi se posset vel speciali privilegio, vel legitima præscriptione tueri. Verùm nec privilegium exemptionis habet, nec præscriptionem pro se poterat allegare; cùm Ecclesiæ S. Cæciliæ illam præscripsisset, sicut per testes dicebat legitimè comprobatum. Præterea cùm olim coram bon. mem. Cœlestino P. prædec. n. super prædictis inter vestram, & prædictam Ecclesiam quæstio verteretur, Martinus ejusdem Ecclesiæ presbyter fuit sponte confessus, quod Ecclesiæ S. Cæciliæ scrutinium, & baptisma debeat, sicque ad proprietatem vestram justitiam recognovit. Cumque pars vestra testes sufficientes, & idoneos, qui se illum diversis temporibus ad capitulum vocasse, ipsumque venisse firmiter asserebant, in medium produxisset, eis jurare paratis, prædictus presbyter vocatum se ad capitulum iviſse est confessus. Unde prædictus prædec. n. Ecclesiam vestram capitulo, quo se conquesta fuerat spoliatam, salvo jure proprietatis Ecclesiæ Sancti Laurentii revestire curavit, sicut in his literis continetur. Per hoc ergo, & proprietatem quoad scrutinium, & baptisma, & processionem, quod capitulum, vester voluit syndicus comprobare. Ad hoc autem œconomus Sancti Laurentii ex adverso respondit, quod Ecclesia ipsa nullo medio ad Romanam Ecclesiam pertinebat. Cùm enim monasterium monialium fuerit, sicut ex multis scriptis authenticis edocetur; & generaliter servetur in Urbe, ut nullum monasterium tit. sit subjectum, incongruumque videatur, ut regulares secularibus supponantur: patet Ecclesiam ipsam liberam extitisse. Præterea usque hodie nos in ea institutionem, & destitutionem liberam exercemus, cùm & bon. mem. C. Pp. præd. n. dil. fil. M. scriptorem nostrum, Archipresbyterum in ea sine contradictione cujuslibet statuisset. Sic ergo Ecclesiam ipsam liberam, & in possessionem libertatis existere, dictus voluit œconomus comprobare. Cùm ergo pro eo habeat jus commune, in eo videlicet, quod universa monasteria Urbis ad Romanam Ecclesiam nullo pertinent mediante, affirmanti contrarium fides non est aliquatenus adhibenda, nisi super hoc privilegium induxerit speciale. Quod autem dicitur in parochia vestra sita, idem œconomus penitus denegavit; sed etsi verum hoc esset, sufficienter tamen se poterat prædicta ratione tueri. Confessio autem M. presbyteri super scrutinio, & baptismo eidem Ecclesiæ præjudicare non poterat, cùm super his lis contestata in ejusdem prædecessoris nostri præsentia non fuisset, sicut ex forma petitionis, & conclusionis apparet: hac etiam sententiâ non fuerat hactenus Ecclesia vestra usa, sed eam duxit usque ad hæc tempora supprimendam. *Et infrà*: Nos igitur auditis his, & aliis, quæ fuerant hinc inde proposita rationibus, & allegationibus, instrumentis, & attestationibus

nibus plenius intellectis, & cum fratribus nostris deliberato consilio, œconomum ejusdem Ecclesiæ sancti Laurentii syndico vestro in baptismo, scrutinio, & processionibus condemnamus: ita tamen ut per hoc Ecclesiæ Romanæ nullum præjudicium generetur, si quando fortè jus suum duxerit prosequendum: in institutione autem, destitutione, & capitulo œconomum ipsum ab impetitione syndici vestri prorsus absolvimus, syndico vestro super hoc silentium perpetuum imponentes.

NOTÆ.

1. (a) *Sanctæ Caciliæ.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit cap.* 1. Ecclesia hæc sanctæ Cæciliæ est Romæ trans Tyberim, ut patet ex alia epistola ipsius Innoc. III. *lib.* 4. *regestr.* 16. *epist.* 96. In ea ecclesia requiescunt corpora SS. Cæciliæ, Tiburtii, Valeriani, Lucii Papæ primi, & Maximiani. Fuerunt in eadem Ecclesia olim ædes sanctæ Cæciliæ, quas sanctus Paschalis Papa consecravit ad honorem omnipotentis Dei, ejusque Genitricis gloriosæ, SS. Petri, & Pauli, & B. Agathæ, & Cæciliæ, anno 300. indictione 15.

(b) *Piscinula.*] Forsan legendum est *Palisperna*; nam Ecclesia hæc Sancti Laurentii Palispernæ est etiam in Urbe intra palatia Decii Imperatoris, ubi passus fuit B. Laurentius, & olim erat monasterium monialium. 1

(c) *Scrutiniis.*] Baptismi videl. de quibus egi *in cap. his, de majorit. & obed.*

(d) *Possessorium, & petitorium.*] Quia utrumq; simul intendi valet, ut probavi *in cap.* 4. *de causa possess.*

(e) *De jure communi.*] Juxta tradita titulo antecedenti.

CAPUT III.

Honorius III. *Episcopo* (a) *Veneten.*

EX parte tua fuit propositum coram nobis, quod conquerentibus olim Abbate ac (b) conventu Rivensi, Venet. dicec. quod tu compellere moliebaris eosdem, ut instituerent plures monachos in quibusdam suis (c) Prioratibus tuæ dicec. in quorum singulis singuli monachi hactenus steterant, cùm pluribus facultates non suppetant eotundem: Nos Abbati (d) S. Albini Andegaven & collegis ejus per literas nostras dedimus in mandatis, ut de ipsorum locorum facultatibus inquirentes, in eorum singulis facerent plures institui monachos, si pluribus illorum sufficerent facultates: alioquin tibi auctoritate præsentium inhiberent, ne Abbatem, & conventum prædictos molestares super instituendis pluribus in eisdem: unde idem Abbas, & conventus occasione hujusmodi literarum asserunt sibi esse concessum, ut in singulis locorum ipsorum singuli monachi commorentur, si pluribus facultates non suppetant eorundem. Cùm autem id obviet (e) Lateran. Concilio, de quo nulla mentio est in literis antedictis, postulasti nostro edoceri responso, utrum nostræ intentionis fuerit per hujusmodi literas cum Abbate, & conventu prædictis contra ipsum Concilium dispensare. Nos ergo f. t. breviterrespondemus, quod tenoris hujusmodi literas non credimus à Sede Apostolica emanasse: quod si per occupationem forsitan emanaverint, nolumus per hoc derogari Concilio supradicto.

NOTÆ.

(a) *Venetensi.*] Etiam ita legitur in quinta compilatione, *sub hoc titul. cap.* 2. ex qua restituo integram hujus textus: in præsenti rescribit Pontifex Guillelmo Venetensi, de qua diœcesi nonnulla notavi *in cap.* 2. *de in integrum restit.*

1. (b) *Conventu Rivensi.*] Quod monasterium appellatur S. Gildæ, seu Gildarii, & est Ordinis D. Benedicti in agro Rivensi, dicec. Venetensis, ut referunt fratres Sarmath. *tom.* 4. *Gall. Christ. fol.* 487. quod construxit ipse Sanctus Gildas anno Christi 562. Sed ea parte Britanniæ minoris occupatâ à Normannis desolatum fuit monasterium usque-dum anno 1008. instauratum, & reædificatum fuit per Comitem Gaufredum, ut refert Yepes *tom.* 1. *chron. D. Benedicti, cent.* 1. *cap.* 2.

(c) *Prioratibus.*] De quibus egi *in cap.* 2. *de statu monach.*

(d) *Sancti Albini.*] Quod monasterium est etiam Ordinis D. Benedicti in diœcesi Andegavensi, cujus historiam scripsit Joannes Monachus *lib.* 1. *hist. Gaufredi Ducis Normanniæ.*

(e) *Lateran. Concilio.*] Relato *in cap.* 2. *de statu monach.*

COMMENTARIUM.

SUmmum Pontificem dispensare posse in legibus Concilii generalis, omnes Catholici affirmant: illud tamen apud ipsos non liquet, an tunc necessaria sit expressa mentio ipsius Concilii in ejus derogatione? Et plures docuerunt, desiderari expressam mentionem Concilii generalis, moti auctoritate hujus textus, & auctoritate textus *in cap. nonnulli.* 2

nulli de rescript, ita docuerunt Covar. *libro* 4. *var. cap.* 16. *num.* 13. Sanchez *de matrim. lib.* 4. *disputat.* 26. *num.* 6. Gonzalez *ad regul.* 8. *gloss.* 18. *num.* 103. Garcia *de benef. part.* 4. *cap.* 5. *num.* 25. Germonius *libro* 3. *de sacror. immunit. cap.* 21. Fragoso *tom.* 2. *de regim. lib.* 1. *disput.* 1. §. 6. *ad finem*, plures congesti à Barbosa *in remiss. ad Concil. Trident. sess.* 1. *cap.* 1. Moventur etiam ex eo, quia constitutio Concilii generalis magnâ cum deliberatione facta censetur, argumento capitis *prudentiam* 21. *de offic. deleg.* & omnes constitutiones Conciliares habent clausulam derogatoriam: unde non factâ ipsius Concilii mentione, gratia in contrarium concessa nulla est. Contrarium tamen, videlicet non esse necessariam derogationem specialem, sed sufficere clausulam generalem derogatoriam, videlicet, *non obstantibus quibuscunque constitutionibus*, rectiùs docuerunt Cenedus *collect.* 123. *ad Decret. num.* 3. Jul. Lavorus *lucubr. titul.* 4. *cap.* 19. *num.* 22. Balboa *in cap.* 1. *de judiciis*, *num.* 4. qui alios laudant. Nec contrarium probatur *in dicto cap. nonnulli*, in illis verbis: *Fecerit mentionem*; nam ea verba exaudienda sunt, non quia constitutio illa esset Concilii generalis Lateran. sed quia specialiter fuit cautum in canone illo de duabus dictis, ut ad ejus derogationem expressa, specialisque mentio desideraretur. Nec etiam favet Auctoribus contrariæ sententiæ præsens textus; nam in gratia impetratâ ab Abbate monasterii sancti Gildarii, nulla fiebat generalis, aut specialis derogatio Concilii Lateran. ibi: *De quo nulla mentio est*; unde si generalis derogatio adesset, rescriptum illud non vitiaretur. Nec obest si dicas, de stylo Curiæ frequenter in concessionibus Apostolicis apponi clausulam illam, *quatenus decretis Concilii Tridentini non adversentur*; quæ frustra apponeretur, si sufficeret clausula illa, *non obstantibus constitutionibus*. Nam Respondeo, eam clausulam adjici, quia specialiter vult Pontifex ostendere voluntatem suam circa firmitatem Decretorum Concilii Tridentini, ut non solùm generaliter, sicut alia, sed speciali modo videantur excepta, ut docent Suarez *de legibus cap.* 19. *num.* 6. Julius Lavorus *variar. Lucubr. titul.* 4. *de elect. cap.* 19. *num.* 25.

***

CAPUT IV.

Idem (a) *Burdegalensi Episcopo.*

AD audientiam nostram te significante pervenit, quod nonnulli (b) monachi lege tibi (c) diœcesana subjecti, in quibusdam Prioratibus habitant solitarii, contra statutum Concilii generalis: ideoque f. t. mandamus, quatenus ipsorum monachorum Abbates, seu Priores, ut vel ipsos ad claustrum revocent, facientes in ipsis Ecclesiis deserviri per clericos seculares; vel alios monachos eisdem (d) associent, cum quibus vitam possint ducere regularem, monitione præmissâ per censuras Ecclesiasticas appellatione remotâ compellas, proviso quod ad exemptos manum occasione mandati hujusmodi non extendas.

NOTÆ.

1. (a) *Burdegalensi.*] Ita etiam legitur in quarta compilatione, *sub hoc titul. capite final.* ex qua textum hunc transcribo. De diœcesi Burdegal. nonnulla notavi *in c.* 17. *de major. & obed.*

2. (b) *Monach.*] Sunt enim varia monasteria in ipsa diœcesi Burdegalensi, quæ refert Tamburinus *tom.* 1. *de jure Abbat. in serie Abbatiarum verb. Burdegalensis.*

3. (c) *Diœcesana.*] De lege diœcesana, & quæ sub ea comprehendantur, egi *in cap. conquerente, de offic. Ordin.*

(d) *Associent.*] Juxta textus *in cap. quod Dei timorem, de statu monach.* adeo enim Ecclesia abhorruit, ut monachi singuli, solique in Prioratibus, & Ecclesiis monasterio subjectis degerent, ut potiùs optaverit in eis præfici clericos seculares, quàm singulos monachos in singulis Prioratibus institui, ex ratione tradita *in dict. cap.* 2. ubi alia, quæ ad hunc textum spectant, adduxi. 4.

TITU-

TITULUS XXXVIII.

De Jure Patronatus, & Eccleſiis à laicis conceſsis.

CAPUT I.

Ex Concilio (a) *Mediolanen.*

DELATUM ad nos eſt, quod inter hæredes Eccleſiæ in (b) rebus propriis conſtitutæ dividantur, & tanta per eandem diviſionem ſimultas oriatur, ut unius (c) altaris quatuor partes fiant, & ſingulæ partes ſingulos habeant presbyteros, quod ſine (d) diſcordia & ſimultate nullo modo geri poteſt: unde nobis viſum eſt, quòd hujuſmodi Eccleſiæ inter hæredes dividi non debeant; & ſi in contentionem venerint, & ſimultates inter eos ſurrexerint, per quas ſacerdos ſuo ibi officio canonicè fungi non poſſit, præcipiatur ab Epiſcopo civitatis, ut nullo modo ibi Miſſarum ſolennia celebrentur, donec illi ad (e) concordiam redeant, & pari voto, atque concilio Eccleſia illa ſacerdotem canonicè habeat, qui liberè ibi ſuum (f) miniſterium peragere poſſit.

NOTÆ.

1. (a) *Mediolan.*] Ita legitur in hac ſexta collectione; in prima autem, *ſub hoc tit. cap.* 1. & apud Burchardum *lib.* 3. *Decreti, cap.* 42. Carnot. *p.* 3. *Decreti, cap.* 46. textus hic citatur ex Concilio Mediomatric. Et licèt nulli extent canones Synodi habitę à Carolo Magno in Mediomatricum civitate, de qua Sirmondus ad Capitularia Caroli, *cap.* 208. tamen quia in Synodo Cabilonenſi celebrata tempore ipſius Imperatoris anno 813. tranſcripti fuerunt plures canones editi in Synodis præcedentibus, ideo in canone 26. ipſius Concilii reperiuntur verba hujus textus, ex quo, & antiquis Decretiſtis ita ea reſtituo.

2. (b) *Eccleſiæ in rebus propriis.*] Hinc apparet, juſpatronatus in præſenti quæſitum fuiſſe ex donatione fundi ad Eccleſiam ædificandam: quo modo dominus prędii juſpatronatus conſequitur, *cap. Abbatem* 18. *quæſt.* 2. Lambertinus *lib.* 1. *de jurepatron. p.* 1. *libro* 1. *quæſt.* 7. *artic.* 2. Barboſa *de jure Eccleſ. libro* 3. *cap.* 12. *num.* 28. Mancinus *ſacri juris controv. diſſert.* 9. dicemus infrà *in cap. nobis.* Deinde deducitur, juſpatronatus Eccleſiæ appellari Eccleſiam ipſam, ſicut & beneficium ipſius Eccleſiæ, & Prælatura dicitur Eccleſia, *cap. præterea, capite conſuluit, hoc tit. c.* 3. *ne Prælati vices ſuas*: notant ferè omnes antiquiores hîc; ſi enim Eccleſia in præſenti acciperetur ſtrictè pro ipſa Eccleſia, daremus in ea ſucceſſionem admitti, contra adducta *in c.* 1. *præb.*

(c) *Altaris.*] Id eſt Eccleſiæ, plerumque enim Eccleſiæ altaria dicuntur, *capite quæſitum* 1. 3. *quæſt.* 3. & Eccleſia altare dicitur forſan ex eo, quod olim in unaquaque Eccleſia unum tantùm erat altare, ut probat Vicecomes *lib.* 3. *de Miſſæ ritibus, cap.* 29. & latiùs dicemus *in cap.* 4. *de conſecr. Eccleſ.*

4. (d) *Diſcordia.*] Certum enim eſt, quod ſicut vivere ſimul, & commorari, ita & eaſdem res communiter poſſidere difficile eſt, cùm rerum communio plerumque pariat diſcordias, *l. cùm pater* 77. §. *dulciſſimis, ff. de legat.* 2. *l. in re communi* 26. *de ſervit. Urban.* Illuſtrat Forner. *lib.* 3. *rerum quotid. cap.* 8. Unde nemo cogitur in communione permanere, *l.* 14. §. 2. *ff. communi divid. l. ult. C. eod. tit.*

(e) *Concordiam.*] Veluti ut alternis vicibus, cùm Eccleſia vacaverit, presbyterum præſentent, ut plerumque fit in his rebus, quæ individuæ ſunt.

5. (f) *Miniſterium.*] Hoc eſt Miſſæ ſacrificium, quod frequenter miniſterium appellatur. Suidas *verbo Lithurgia*, ibi: *Lithurgia propriè dicitur miniſterium.* Divus Jacobus in ſua Lithurgia, ibi: *Abſolvat exhibitionem ſacri hujus miniſterii.* Amphilochius in vita S. Baſilii: *Eamus ad peragendum ſanctum Dei miniſterium.* Metaphraſtes in vita SS. Petri, & Pauli: *Domino ſacrum obeuntes miniſterium.* Illuſtrat Vicecomes *vol.* 2. *de Miſſæ ritibus, lib.* 1. *cap.* 7.

CAPUT

CAPUT II.

Ex Concilio (a) *Triburiensi.*

QUæcunque Ecclesia à compluribus cohæredibus sit obsessa, concordi unanimitate undique procuretur, ne propter aliquas disceptationes servitium Dei minuatur, & cura populi irreligiosè agatur. Si verò contingat pro ea comparticipes dissidere, & sub uno presbytero nolle eam procurare; & propterea jurgia, & contentiones, tam inter ipsos, quàm inter clericos incipiant frequentari, quia juxta (b) Apostolum servos Dei non oportet litigare, Episcopus tollat inde reliquias, & sub magna cura honorificè collocet eas; atque ejusdem Ecclesiæ claudat ôstia, & sub sigillo consignet ea, ut sacrum ministerium nullus celebret in ea, antequam concordi unanimitate unum omnes eligant presbyterum, qui idoneus sit sacrosanctum locum procurare, & populo Dei utiliter præesse. Hanc autem habeant auctoritatem Episcopi, ut in nonnullis Ecclesiis nec constituantur presbyteri, nec expellantur illis inconsultis, & non consentientibus. In epistola beati Papæ Clementis legitur: Attendendum summoperè est omnibus presbyteris, & reliquis clericis, ut nihil absque Episcopi proprii licentia agant, non utique Missas sine ejus jussu quisquam presbyterorum in sua parochia agat. Similiter & reliqui populi, majores scilicet & minores, per ejus licentiam quidquid agendum est, agant. Animæ verò eorum ei creditæ sunt: ideo omnia ejus consilio agere debent, & eo inconsulto nihil.

NOTÆ.

1. (a) *Ribur.*] *Can.* 32. ex quo litteram textus restituo: etiam ex eodem Concilio citatur textus hic à Burchardo *lib.* 3. *Decreti, c.* 224. Carnotensi *p.* 3. *Decreti, c.* 283. Papiensi *in* 1. *collect. sub hoc tit. c.* 2. De Concilio hoc Triburiensi nonnulla notavi *in c. clerici, de vita & honest. cleric.*

(b) *Apostolum.*] 2. *ad Timoth. cap.* 2. & 1. *ad Corint. cap.* 6.

2. (c) *Tollat inde reliquias.*] Ex his verbis probat Gibalinus *de censur. disquis.* 7. *q.* 14. *n.* 1. ante tempora Alexandri III. in usu esse cœpisse in Ecclesia interdictum ecclesiasticum, & eam censuram non esse ab Alexandro III. inventam; quod infra probabimus *in c. quod in te, de pœnit.* In præsenti autem textu PP. Ecclesiæ Gallicanæ non solùm confirmarunt canonem Concilii Cabilon. suprà relatum *in c.* 1. verùm ut plerumque Legislatores faciunt, & probat Forner. *lib.* 1. *rerum quotid. c.* 17. addiderunt, ut tempore hujus interdicti, dum Missarum solennia & Ecclesia non celebrantur, reliquias auferret Episcopus, ostia clauderet, & suo sigillo signaret. Clauduntur enim ostia tempore interdicti, *c. quod in te, de pœnit. & remiss.* & signantur ab Episcopo, ut cognoscatur in eis divina officia non celebrari; unde legimus, baptisteria, cùm baptismus celebrari non poterat, signari ab Episcopo, in Concilio Toletano 17. *c.* 2. *de regul. fidei*, ibi: *Licèt in initio Quadragesimæ baptizandi generaliter non claudatur mysterium; tamen ecclesiasticæ consuetudinis ordo deposcit, & necesse est, ut ostia baptisterii in eodem die Pontificali manu, & annulo signata claudantur, & usque in cœnæ Domini solennitate nullatenus reserentur: ob id videlicet, ut & per signaculum Pontificium (excepto gravissimæ necessitatis obventu) in his diebus monstretur, per totum orbem non licere fieri baptismum, & sanctificationem: iterum Episcopali ad eam observatione reserata, signetur Dominicæ patere mysterium Resurrectionis, in quo ad vitam factus est aditus homini: ut quia per baptismum consepultus est in morte Christi, resurgat cum eo in gloria Dei. Quod quia in aliquibus Ecclesiis minimè hæc sancta consuetudo ab Episcopis custoditur, atque peragitur, ideo per hanc nostram sententiam sancimus atque decernimus, ut ita à totius Hispaniæ & Galliarum populis custodiatur, quatenus in prædicto die, initij videlicet Quadragesimæ, & ostia sancti baptisterij cùm laudum consummatione claudantur, & ab Episcopis suo cum signaculo obsignentur, ita ut nisi in cœnæ Domini celebritate, quando more solito altaria debent devestiri, eadem debeant ostia reserari. Inconveniens etenim res est, ut illic in prænemoratis Quadragesimæ diebus cunctis aditus pateat adeundi, ubi non licet debitum mysterium exerceri.* Quare cùm dissentientibus adhuc patronis Missæ sacrificium celebrandum non erat, ideo jubetur in præsenti canone, ut ostia claudantur, & signentur. Tolluntur autem reliquiæ in aggravationem ejusdem interdicti, ut alia etiam, licet minùs rectè, olim à quibusdam clericis adhibebantur in aggravationem ipsius censuræ, quæ de cætero fieri prohibentur *in cap. canonici, de offic. Ordin.* tantùm enim in præsenti permittunt PP. à Missæ sacrificio cessare, ostia Ecclesiæ claudere, & reliquias Sanctorum auferre, ut ita perterriti clamore eorum, qui Missæ sacrificio privantur, hæredes patroni, inter se conveniant de presbytero in eadem Ecclesia instituendo, & resipiscant à sua contentione, & discordia: qui etiam effectus, seu finis est censuræ interdicti, ut clamoribus populi superior, ob cujus causam indicitur, resipiscat à contumacia, & Ecclesiæ præceptis obediat: non autem reliquiæ in præsenti textu auferri jubentur, ut vindicta hæredum ita dissentientium, favore, & intercessione illorum Sanctorum, quorum reliquiæ non auferuntur, à Deo impetretur, ut nonnulli olim faciebant, de quibus in Concil. Tolet. 13. *can.* 7. ita cavetur: *Væ his, qui faciunt opus Domini fraudulenter, & desidiosè, propheticus sermo annunciat. Et si illi væ incurrunt, qui negligenter opus Domini faciunt, quod supplicium merebuntur, qui divinæ servitutis cultum, malitiâ intercedente, ab altari-*

altaribus Christi subducunt? Illos dicimus, qui obstinatæ mentis dolositate constisi, cùm aliqua eos molestia fraternorum jurgiorum pupugerit, insanâ illico temeritate abrepti altaria nudantes sacratis vestibus exuunt, luminaria subtrahunt, ac divinorum sacrificiorum cultum malitiâ intercedente subducunt. Et quod in hominibus se vindicare non possunt, injuriam Deo (quod pejus est) inferunt. Unde si hujusmodi pro fraterno odio homicidæ reatu adstringitur, pro contemptu divino quid pœnæ merebitur? Etenim juxta quod divinus sermo increpat: Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si quis autem peccaverit in Deum, quis pro eo rogaturus est? Facile ergo talium sacerdotum excessibus illa Domini sententia coaptabitur, quâ malitia percutitur sacerdotum. Dicit enim: Honorificantes me honorificabo; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Quicunque ergo sacerdotum, vel ministrorum deinceps causâ cujuslibet doloris, vel amaritudinis permotus, aut altare divinum vestibus sacratis exuere præsumpserit, aut qualibet alia lugubri veste accingi, seu etiam si consueta luminariorum sacrorum obsequia de templo Dei eduxerit, atque (quod pejus est) occasionem nutrierit, unde de templis Domini aut officia consueta desint, aut oblatio singularis sacrificii videatur in aliquo defraudari, si eum antea veræ pœnitudinis coram Metropolitano satisfactio non purgaverit, ignobilitati perpetuæ mancipatus, juxta superiorem sententiam Domini, & loci sui dignitate se noverit, & honore privari. Illis procul dubio personis ab hac ultionis sententia separatis, quæ aut contaminationem sacrorum ordinum, vel subversionem sanctæ fidei metuentes, aut hostilitatem, vel obsidionem perferentes, seu etiam divinorum judiciorum sententiam metuentes, tale fecisse contigerit, in quorum facto plus humilitas, quâ Deus placetur, quàm interni laboris dolositas declaratur. Qui abusus apud aliquos valde ignaros irrepsit ex facto Episcopi Aquensis, quod refert Gregorius Turon. *de gloria confessor. c. 71.* his verbis: *Denique condemnatus, spoliatusque sacerdos ad urbem rediit, atque postratus in oratione coram sepulchro Sancti, dicto psalmi capitulo, ait: Non hic accendetur lumen, nec psalmorum modulatio canetur gloriosissimæ Sanctæ, nisi prius ulciscaris servos tuos de inimicis suis, resq;; tibi violenter ablatas Ecclesiæ sanctæ restituas. Hæc cum lachrymis effatus, sentes cum acutis aculeis super tumulum projecit, egressusque, clausis ostiis, similiter in ingressu alias collocavit. Typus is erat derelicti penitus loci. Nec mora, corripitur pervasor à febre. Decumbit in lectulo, exhorret cibum fastidit, & potum profert æstuans juge suspirium. Cui etiamsi interdum ab ardore febris sitis accederet, aquam tantùm, nihil aliud hauriebat. Quid plura? in hac ægrotatione integrum ducit annum. sed mens prava non flectitur. Interea labitur cæsaries cuncta cum barba, & ita omne caput remansit nudum, ut putares eum olim sepultum, nuper erectum fuisse post funera de sepulchro.* Refert etiam Baronius *anno 579. n. 579. n. 16.* Verùm hæc, & similia Sanctorum facta admiranda potiùs sunt, quàm imitanda.

COMMENTARIUM.

3. *Conclusio traditur, & probatur.*

EX his duobus canonibus sequens communiter deducitur assertio: *Jus patronatus inter hæredes dividi non debet; & si propter eorum discordiam presbyter non præsentatur, cessatur à Missæ sacrificio, donec unus pari voto, & consilio eligatur.* Probant eam textus *in c. considerandum. c. si plures 16. q. 7. c. 3. hoc tit.* Consonat lex 10. & 12. *tit. 5. partit. 1.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Garanna & Barbosa, idem Barbosa *de potest. Episcop. alleg. 72. num. 70.* Lælius Mancinus *sacri juris controv. c. 9.* Petrus Greg. *lib. 17. syntag. c. 4.* & *de benef. c. 17. num. 5.* Filelacus *in cap. 4. de offic. Ordin.* Valenzuela *t. tom. consil. 63.* Duarenus *de sacris Eccles. ministr. lib. 5. cap. 4.* Moneta *de commutat. cap. 12. n. 134.*

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti juris considerationi; nam jus patronatus spiritualibus dicitur annexum *in c. quanto 3. de judic. c. de jure 16. hoc. tit.* sed in spiritualibus nulla datur successio hæreditaria, *cap. 1. de præbend. cap. consuluit, hoc tit. cap. ad hæc, de decimis, cap. Apostolica 8. quæst. 2.* Ergo jus patronatus nec insolidum, nec pro parte ad hæredes transire potest. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex eo, quia jus patronatus incorporale est, cùm tangi non possit, *l. 1. §. quadam. ff. de rer. divis.* ac per consequens individuum est, *l. 2. §. & harum, ff. de V. O.* sed individua insolidum competunt pluribus hæredibus, *d. l. 2. §. ex his, l. 4. §. Cato, l. stipulationis, §. quando ff. de V. O.* & tam activè, quàm passivè in solidum ad hæredes transeunt, *l. si via 26. ff. de servit. Rust. l. ult. de servit. legata, l. si unus 19. in fin. de Serv. Rust. l. hæredes 25. §. in ea, ff. famil. ercisc. l. fideicommissa 11. §. si in opere, ff. de leg. 3.* Valent. *tom. 2. illustr. tract. 4. c. 7. n. 30.* igitur si in præsenti specie supponitur jus patronatus transire ad hæredes, debebat transire in solidum. Tandem difficilis redditur hæc assertio ex eo, nam ecclesiasticum interdictum ex causa civili, vel ob delictum tantùm unius parochiani imponi non debet, *cap. 2. de his quæ fiunt à major. c. licet. 3. de pœnis*, Covar. *in cap. alma 2. p. §. 1. de sent. excom. lib. 6.* Suarez *de censur. disp. 36. sect. 1.* igitur ob discordiam patronorum in eligendo presbytero quoad regimen ecclesiæ, non debent prohiberi divina officia in ipsa Ecclesia.

4. *Impugnatur hæc assertio.* *Jus patronatus pro cujus expositione sciendum est, inter modos, quibus jus patronatus ecclesiasticum semel acquisitum, ad alios transfertur, præcipuum esse successionem; defuncto enim patrono jus patronatus non ad consanguineos, sed ad hæredes institutos pertinet, quia non jure sanguinis, sed jure hæreditario defertur, c. si plures, c. filiis 16. q. 7. Clement. plures, hoc tit. cap. significavit 41. de testibus, authent. de SS. Episcopis §. si quis 18. collat. 9. l. 8. cum sequent. tit. 15. partit. 1.* docent Lambertinus *p. 2. lib. 1. q. 2. art. 14.* Didacus Perez *in l. 1. tit. 6. lib. 1. ordin.* Covar. *lib. 2. var. c. 18. n. 6.* Duarenus *lib. 5. de sacris eccles. c. 4.* Costa *in c. si pater, verbo Trebellianicæ n. 4. de testam. lib. 6.* & ad filios, non ut filios, sed ut hæredes transit: unde si hæredes non sint, aut quia instituti non sint, aut quia instituti non reperiantur, aut quia hæreditate se abstinuerint, non admittuntur ad jus patronatus. Riccius *in praxi aurea, resol. 131.* Covar. *ubi proximè, n. 7.* etiamsi fuerint meliorati, atque meliorationem agnoverint, quia cùm titulus ille hæreditarius non sit, ut argumento legis *non amplius 26. §. cùm bonorum. ff. de legat. 1. l. ex facto. 35. §. unde. ff. de hæred. instit.* probant Tellus Fernandez *in l. 21. Tauri, n. 2.* Matienzo *in l. 5. tit. 6. lib. 5. recop.* non est sufficiens, ut jus patronatus filio meliorato deferatur. Spino *in speculo, gloss. 4. n. 45.* Moneta *de commut. c. 11. n. 134.* Nec obstat lex 21. Tauri, quæ est lex 5. *tit. 6. lib. 5. recopil.* ubi filii meliorati habentur pro hæredibus. Nam respondetur, in casu speciali ipsius legis haberi loco hæredum, videlicet quoad solvenda onera paterna; & in jure diversum censetur esse hæredem, aut haberi pro hærede, cum aliud sit esse tale, aliud haberi pro tali, *l. si maritus, §. 1. ff. ad leg. Jul. de adult. l. mercis ff. de V. S.* docuerunt Matienzo

Jus patronatus inter hæredes dividi non debet.

Jus patronatus transit ad hæredes institutos, non ut filios, sed ut hæredes.

Jus patronatus transit ad hæredes institutos pertinet, quia non jure sanguinis, sed jure hæreditario defertur.

*Jus patronatus transit ad hæredes institutos, non ut filios, sed ut hæredes

in d. l. 5. gloss. 4. Ca tillo *in d. l. 21.* unde textus *in d. c. filius*, in illis verbis: *Filius, & nepotibus, & propinquis*, &c. *constitutum*, ibi: *Ipsis conditoribus, aut certe propinquis eorum*, 16. *q. 7.* accipiendi sunt quando filii, vel alii propinqui hæredes instituti sunt, non verò si extranei instituti reperiantur, ut colligitur *ex d. c. filius*: ibi: *Ipsius tamen hæredibus.* Nam si extranei hæredes instituti sint, ad eos pertinet juspatronatus, non ad filios, ut docent Lambertinus *d. p. 2. q. 2. art. 1.* Molina *lib. 1 de primog. c. 8. n. 6.* qui resolvunt, quod si in fundatione Ecclesiæ à patrono reservatum fuit juspatronatus pro se, & filiis suis, id intelligitur factum, non ut filiis, sed ut hæredibus, ut post Bartolum, & Covar. resolvit Gratianus *lib. 3. discept. c. 577. n. 45.* quæ omnia cessant, si patronus eam adhibuit conditionem, ut in ipso jurepatronatus succederetur jure sanguinis; tunc enim tale jus erit familiare, & gentilitium, & ad proximiores consanguineos spectabit. Lambertinus *ubi suprà, artic. 2.* Selva *de benef. 3. p. quæst. 11. num. 5.* Noguerol. *alleg. 28.*

6. *Hæredes in stirpes non in capita succedunt.*

Secundò sciendum est, quod licèt juspatronatus ad hæredes pertineat, non tamen pertinet ad eos ut hæredes, sed quia sunt hæredes; id est, non pertinet pro portionibus hæreditariis, sed ipsi in stirpes succedunt. *Clement. plures, hoc tit.* Tiraquel. *de jure primog. q. 36. num. 3.* Gratianus *lib. 3. discept. cap. 521.* Quod licèt olim fuisset valde controversum, nam Tancredus, Bernardus, & Joannes Andreas in præsenti existimarunt quemlibet hæredem transire juspatronatus in solidum quoad omnia, tamen ex dispositione Clementis V. *in dict. Clement. plures*, prævaluit sententia Hostiensis asserentis, quoad jus præsentandi hæredes succedere in stirpes, ita ut plures hæredes unius patroni tantùm unam vocem obtineant: quæ doctrina juris principiis valde consona est; nam plures habentes causam ab uno, habentur loco unius, *c. pastoralis, de rescript. c. licèt 47. verb. statuimus, de testibus, l. si eum, §. qui injuriarum ff. si quis caut. l. filiæ 28. §. 1. de condit. & demonstr.* Sed hæredes unius patroni succedunt in unius vocem, & ipsum repræsentant, *authent. de jurejur. à moriente, collat. 5.* ergo unam tantùm vocem habere debent. Accedit, nam alias si ex duobus patronis unus decederet pluribus hæredibus institutis, extenuaretur vox superstitis patroni sine facto suo; quod admittendum non est, argumento textus *in cap. sedes 15. de restit. spol. l. 1. §. sed si, de Carbon. edict.* Expendi etiam potest pro hac sententia textus *in l. cui fundus 56. ff. de condit. & demonstr.* juncto Chesio *interpret. jur. c. 26.* ubi plures hæredes habentur loco unius. Hæc tamen sententia locum non habet in jurepatronatus familiari, ubi potiùs jure sanguinis, quàm hæreditario succeditur; quia cùm tanquam consanguinei admittantur, in capita succedunt. Gratianus *tom. 2. discept. cap. 218.* Tondutus *tom. 1. resol. canonic. c. 32.* qui latè disputat, quando gentilitium, seu quando hæreditarium dicatur juspatronatus. Nec prædicta doctrina procedit in jurepatronatus libertorum, ubi non hæreditario, sed sanguinis jure successio defertur; siquidem ad filios, non ut hæredes, sed ut liberos spectat, *l. filii 9. ff. de jurepatron. l. ut jurisjurandi 7. §. si liberi, l. si operarum 29. ff. de oper. libert. l. si patronus 12. §. ult. l. patroni filia 39. ff. de bonis libert.* Chumacero *select. jur. cap. 1.* Valentia *lib. 3. Illustr. tract. 3. num. 25. c. 4.* in qua parte observandi sunt textus *in l. cum sine 11. ff. de Carbon. edict.* juncto Merillo *lib. 1. obs. c. 20. l. 1. §. fin. l. 2. & 3. ff. de assig. libert.* juncto Pinello *lib. 1. select. cap. 8. num. 16.*

l. Paulus 47. §. finali, ff. de bonis libert. juncto Cujacio *lib. 3. qq. Papin. in l. 42. ff. eod. tit.*

Ex quibus provenit vera ratio prioris partis præsentis assertionis, nam cùm hæredes succederent in hac specie in locum unius patroni, unam tantùm vocem obtinebant, & ita injustè intendebant Ecclesiam dividere, & tot clericos præsentare, quot ipsi hæredes erant. Quod etiam procedebat, sive ex inæqualibus, sive ex æqualibus portionib⁹ essent instituti, ut docent Butrius, & Cardinal. *in præsenti*, Lambertinus *de jurepatron. lib. 1. p. 2. art. 24.* Facit textus *in l. vel quod 6. ff. de relig. & sumptibus:* ubi jura sepulchrorum æqualiter transeunt ad omnes hæredes, etiamsi unus ex eis ex minima parte fuisset institutus. Hoc etiam procedit, si plures sint hæredes unius patroni, & alterius pauci, veluti si unus patronus decem, alter duo relinquat; nam eo casu æqualiter unam vocem habent decem, ac duo. Barb. *de potest. Episc. alleg. 72. num. 70.* nec interest, an ex testamento, an ab intestato succedant; ex linea recta, an ex transversali proveniant: quia semper ex ratione suprà tradita plures hæredes tantùm unam vocem habent, & unum clericum præsentare valent. Spino *in specul gloss. 4. n. 62.* Gratianus *tom 3. discept. 521.* Didacus Perez *in l. 1. tit. 7. lib. 1. ordin.* Posterioris verò partis præsentis assertionis ratio ex eo provenit, nam cùm diuturnus defectus Rectoris in Ecclesia sustineri non debeat, ex adductis *in c. ne pro defectu 41. de elect.* ideo Episcopus modis omnibus cogere debet patronos, ut concordi animo, parique consilio ac voto in unum presbyterum consentiant, qui divina officia in ipsa Ecclesia possit celebrare, & interim ostia claudere, & signare, ut ita perterriti patroni ad concordiam reducantur.

7. *Traditur dubitandi ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam licèt juris attento rigore in patronatu Ecclesiastico successio dari non possit, tamen speciali favore, & gratiâ Ecclesia admisit in eo successionem hæreditariam, ut hac remuneratione laicos ad Ecclesiarum fundationem, & earum dotationem alliceret, ac invitaret, ut docuerunt D. Thom. 2. 2. *q. 110. art. 4.* Berojus & Panormitanus *in præsenti*, Covar. *practic. c. 36. & lib. 2. var. c. 12.* Didacus Perez *in l. 1. tit. 6. lib. 1. ordin.* & si adhuc scisciteris, quare ex eadem gratia, & ratione Ecclesia patronis non concessit successionem in beneficio ecclesiastico Ecclesiæ à se constructæ, seu dotatæ, ut concessit juspatronatus? Respondeo id provenire ex singulari discrimine, quod versatur inter beneficium, & juspatronatus; nam beneficium ita annectitur Ecclesiæ, & rebus spiritualibus necessariò, & consequenter, quod sine ministerio spirituali consistere non potest, & ab eo, tanquam à causa principali dependet, *cap. si quis objecerit 1. q. 3.* at juspatronatus accedit spiritualibus antecedenter, quia præsentatio præcedit beneficii institutionem, *c. decernimus 16. q. 7.* nec virtute præsentationis aliquod jus in re, vel ad rem habet præsentatus, sed tantùm petere potest, si dignus est, institutionem, per quam confertur beneficium ipsum, *c. quod autem, de jurepatron.* unde cùm in jurepatronatus accessio spiritualibus non ita propinqua sit, & immediata, ac in beneficio ipso, receptum fuit laicos sibi, & suis hæredibus juspatronatus reservare licere; non tamen sibi, aut suis hæredibus beneficium posse retinere. Nec hanc differentiæ rationem evertit textus *in cap. consuluit, hoc tit.* ubi Pontifex eadem ratione, quâ olim moti fuerunt sacri canones ad improbandam successionem in bene-

8. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

ficiis ecclesiasticis, scilicet, ne sanctuarium Dei jure hæreditario possideatur, *cap. plerique* 20. 1. *quæst.* 1. *cap. ad decorem, de instit. cap. ad hæc, de decimis*, movetur ad removendam successionem in jurepatronatus, ut constat ex illis verbis: *Cùm Sanctuarium Dei jure hæreditario teneri non possit, non decet ut clerici Ecclesias à parentibus fundatas propriâ auctoritate detineant, aut laici filiis, vel aliquibus aliis concedant easdem.* Ex quibus deduci videtur, nullum inter successionem beneficii & jurispatronatus constitui posse discrimen, cùm utraque prohibita sint, & eadem ratione prohibeantur. Nam respondetur, in eo textu nequaquam agi de successione jurispatronatus, cùm dubitari non posset post hos sacros canones à laicis possideri posse, *d. cap. filiis, cum sequent.* 16. *q.* 7. Agebatur enim in eo textu de quibusdam laicis, qui intendebant ratione jurispatronatus non solùm præsentationem ad beneficium, verùm & ipsas Ecclesias conferre, ac de his pro arbitrio disponere posse; quod justè improbat Pontifex, cùm patrono tantùm competat jus præsentandi ad beneficium; collatio autem ad Episcopum spectet, *cap. præterea, cap. cùm laici, cap. relatum, cap. finali, hoc tit. cap.* 3. *de privil. cap. ex frequentibus, de instit.* Unde docet Pontifex, patronum non succedere in Ecclesiis à se, vel majoribus constructis, ut in aliis bonis temporalibus; sed tantùm jus præsentationis habere.

9. *Responditur secunda difficultati.*

Nec obstat quod dicebamus, videlicet jus patronatus individuum esse, & per consequens unicuique ex hæredibus in solidum competere, quia licèt id verum sit, & facilè ex hoc capite deducatur; tamen non est ita absolutè accipiendum respectu omnium effectuum, qui ex patronatus jure proveniunt; sed tantùm respectu eorum, qui individui sunt, nam quid dividuum, vel individuum esse judicatur ex rebus, quæ in eo continentur; ita ut quoties res dividua sit, dividatur; quoties verò res ipsa dividi non potest, talis res individua dicatur, *l.* 2. §. *& harum. ff. de V. O.* Faber *lib.* 3. *conject. c.* 17. Gomez *lib.* 2. *variar. c.* 1. Valentia *lib.* 2. *illustr. tract.* 4. *c.* 1. igitur singuli hæredes patroni erunt in solidum quoad honorem processionis, de quo *in c. piæ mentis* 16. *q.* 7. & respectu alimentorum, quæ tempore egestatis patronis præstantur, *c. nobis* 25. *hoc tit.* nec non respectu defensionis Ecclesiæ, quæ patronis incumbit, *c. filiis* 16. *q.* 7. Ratio est, quia præsentatio honoris pro parte fieri non potest, cùm operetur tantùm præstatio respectu partis, quantùm totum respectu totius, argumento legis unicæ, *C. de ingrat. libert.* Deinde quia alimentorum præstatio, quæ patrono debetur, non potest pro parte fieri, *l.* 3. §. *final. l. pecuniæ, ff. de aliment. legat.* Surdus *de aliment. lib.* 9. *q.* 14. Sic etiam onus defensionis Ecclesiæ cuilibet in solidum competit, quia in facto consistit, quod individuum est, *l.* 2. §. *item si in facto, ff. de V. O. l. loci corpus*, §. *si fundus, ff. si servitus vind.* circa alium verò effectum jurispatronatus, videlicet præsentandi Rectorem ad ipsam Ecclesiam, non leve dubium est; nam videtur dividuam esse talem facultatem præsentandi, cùm ususfructus omni consideratione dividuus sit. *l. ususfructus* 5. *l. etiam* 43. *l. si mihi* 49. *ff. de usufruct. l.* 1. §. *si ususfructus, l. sed ususfructus* 81 *ff. ed leg. Falcid. l.* 1. *ff. de usufruct. accresc. l. communi* 7. §. *sed etsi, ff. communi divid.* cùm in fruendo consistat, & emolumentum rei contineat, *l. Mævius* 66. §. *fundo ff. de leg.* 2. Valentia *ubi suprà, c.* 7. Sed præsentatio Rectoris spectat ad fructus jurispatronatus, *c. consulationi, hoc tit.* Balboa *in c. cùm Bertholdus, de re judic.* igitur pro ea parte dividuum debet esse juspatronatus. Sed verius est, quoad præsentationem Rectoris esse etiam individuum juspatronatus, licèt non ita sicut quoad alios effectus; nam hæc facultas præsentandi in facto consistit: sed ea, quæ in facto consistunt, individua sunt, ut suprà probavi: ergo etiam hæc facultas. Deinde nam juspatronatus potiùs æquiparatur aliis servitutibus, quàm usufructui, ut defendit Azor *lib.* 3. *instit. c.* 20. *q.* 9. Sed omnes aliæ servitutes individuæ sunt, ut probat Valentia *ubi suprà*: ergo jus præsentandi individuum est. Hac tamen sententiâ retentâ, non inde asserendum est, ad quemlibet ex hæredibus transire in solidum juspatronatus, sed ad omnes simul; jus enim hoc transit ad hæredes sicut defunctus habebat, sed patronus tantùm habebat unam vocem: ergo & hæredes unam tantùm debent habere, licèt sint patroni in solidum, ut contingit in jurisdictione pluribus simpliciter delegata; nam ita transit in quemlibet, ut simul per omnes exerceri debeat, *l. duo ex tribus* 39. *de re judic. l. prudentiam* 21. *c. causam* 26. *de offic. deleg.* aliàs pro una voce patroni defuncti darentur tot voces, quot hæredes illi existunt. Nec obstat augmentum dubitandi rationis; nam in præsenti specie non prohibentur divina officia celebrari in Ecclesia jurispatronatus ob causam pecuniariam, vel delictum privati, sed ob discordiam patronorum, qui alio modo citra scandalum ad concordiam cogi nequeunt, nec alio modo ipsi Ecclesiæ provideri valet.

10. *Expenditur Clement. plures, hoc tit.*

Sed adhuc suprà traditis opponi potest textus *in Clement. plures, hoc titulo*: ubi statuit Clemens V. quod si patronus pluribus hæredibus relictis decessit, eos omnes unàm dumtaxat vocem habere; ut faciliùs autem Ecclesiæ vacanti provideatur, posse eos inter se pacisci, ut Rectores alternatim præsentent, vel plures Episcopo proponant, ut ab ipso unus eligatur, qui possit in Ecclesia ministrare. Et quo textu deducitur, dissentientibus patronis circa præsentationem, posse inter eos convenire, ut alternis vicibus Rectores præsentent: simulque depromitur, posse plures Rectores ab hæredibus unius patroni præsentari: quod apertè adversatur præsenti assertioni. Etiam difficilis est idem textus dum in eo docetur, incertam, & alternativam præsentationem valere, contra expressam decisionem textus *in c.* 2. *de elect. lib.* 6. ubi tales electiones nullius momenti esse asseritur. Pro cujus expositione sciendum est, in eo jus novum constitui à Clemente V. ut ita faciliùs provideretur Ecclesiis vacantibus: licèt enim in præsenti capite 1. asseratur juspatronatus esse individuum, tamen non negatur, usum, seu exercitium ejus esse dividuum, & ita alternis vicibus posse patronos Rectores præsentare. Nec quod de alterno usu ibi constituitur, novum est; siquidem *in l. quoniam* 34. *ff. de usufruct.* asserit Julianus, quod si duobus ejusdem nomnis ususfructus legetur, debent legatarii inter se convenire, ut alternis annis unus post alium usufructu fruatur, aliàs ad invicem se impedient: & *in l. cùm constet* 5. *ff. de aqua quotid.* affirmat Consultus, judicium communi dividundo dari inter plures, quibus aquam ducere ex fonte permissum erat, ut alternis temporibus, & mensuris ea servitute utantur. Idem in similibus casibus observatum legimus *in l.* 2. *in princip. & §. ult. l. si ususfructus, ff. quibus modis ususfructus, l.* 2. *ff.*

quando

quando dies usufruct. cap. ult. de præbend. in 6. l. si sic constituta, ff. quemadmodum servit. l. communi, §. cùm de usufructu, ff. communi divid. l. arbor, §. ult. l. si convenerit, in princip. ff. eod. l. & hæc distinctio, §. cùm fundum, ff. locati, l. & puto, §. usus fructus, ff. famil. ercis. & apud Senecam Tragicum in Thiestre legimus Thiestrem, & Atreum fratres, cùm ad concordiam reduci non potuissent, alternis annis regnasse: latè illustrat Tiraquellus *de primog. quæst. 17. oppos. 6.* Nec refragatur textus *in d. cap. 2. de elect. lib. 6.* nam textus ille procedit in electionibus, in quibus incertitudo personæ præstat impedimentum, quod non versatur in præsentatione; quia per electionem statim jus acquiritur: at præsentatio potest fieri de pluribus conjunctim, vel alternativè, quia ex ea nullum jus acquiritur, donec præsentatus institutus sit ab Episcopo: docuit Abbas *in cap. querelam 24. num. 6. de elect.*

11. *Exponitur cap. querimoniam, hoc tit.*

Sed adhuc suprà traditæ solutioni obstat textus *in cap. querimoniam, hoc tit.* ubi cùm agatur de præsentatione legitimè facta à patrono, revocata ab ejus successore, docetur hujusmodi vicissitudines Ecclesiarum fieri non debere à patronis: ex qua decisione Innocentius ibi deducit, non licere patronis alternis vicibus in præsentationibus Rectorum uti, idque prohiberi illo verbo *vicissitudines*, quod alternationem significat, ut constat ex Tito Livio *lib. 3. ab Urbe condita*; ubi dum refert apud Romanos Decemviros alternis diebus fasces habuisse, id postea appellat *vicissitudinem imperitandi:* unde Nicolius in appendice vocum barbararum Tullii, alternitatem in vicissitudinem vertit: igitur non rectè *in d. Clement. plures*, permittitur alternatio, seu præsentatio alternativa patronis. Agnoverunt difficultatem Glossa, & antiquiores in eo textu, qui docuerunt, vicissitudinem ibi significare permutationem, ut patronis non liceat inter se juspatronatus permutare: sequitur eos Lambertinus *de jurepatron. 2. p. lib. 1. quæst. 7. art. 36.* Sed facilè cognoscitur quàm aliena sit hæc interpretatio à quæstione, & decisione ipsius textus. Quare eâ sententiâ omissâ, dicendum existimabam, ibi vicissitudinem significare mutationem, ut apud Ciceronem *in Lucio, lib. 5.* ibi: *Nihil est apud delectationem lectoris, quàm temporum varietas fortunæque vicissitudines.* Et 1. *Tuscul.* ibi: *Tum vicissitudines dierum, atque noctium.* Terent. *in Eunucho*, ibi: *Omnium rerum vicissitudo est.* Unde cùm in ejus textus specie ageretur de mutatione Rectoris legitimè præsentati per successorem non facienda, eleganter dixit Pontifex, vicissitudinem, id est mutationem non permitti.

12. *Exponitur cap. quoniam hoc tit.*

Deinde suprà traditis obstat textus *in cap. quoniam 3. hoc tit.* ubi proponuntur plures hæredes unius patroni, qui varios Rectores præsentare intendebant: & jubetur Patribus Concilii Lateran. quod eo in casu ille presbyter ab Episcopo instituatur, qui à majori parte hæredum, præsentatus fuerit, & si id citra scandalum fieri nequeat, Episcopus instituat in Rectorem, quem maluerit, idque ipsum faciat, si ob controversiam inter Patronos ortam nullus ab eis præsentetur sacerdos. Ex quo textu duplex insurgit difficultas in præsentem assertionem. Prima, nam si ob dissensum patronorum certus non eligebatur Rector, quomodo Missarum solennia non interdicuntur, immò potiùs facultas datur Episcopo instituendi quem maluerit? Secunda, nam ad hoc, ut ob negligentiam patronorum præsentatio devolvatur ad Episcopum, semestre tempus expectari debet: ergo non rectè post quatuor menses in eo textu permittitur Episcopo institutio ipsius Rectoris. Primæ difficultati respondendum est, in eo textu diversum casum proponi, ac in præsenti deciditur; loquitur enim cùm altero omittente, alter præsentando possessionem jurispatronatus acquireret: quare loco ejus verbi, *dissensione*, legitur in Concilio Lateran. *defensione.* Controversia enim inter hæredes vertebatur circa juspatronatus, & interim omnes vacante Ecclesiâ ob defensionem juris proprii plures præsentare possunt, & tunc Episcopus debet instituere à majori parte præsentatum: præsens verò assertio procedit, quando hæredes nullâ lite motâ, cum omnes veri patroni essent, ob discordiam plures præsentabant; tunc enim remediis in præsenti relatis cogendi erant pari voto unum præsentare, juxta istos antiquos canones, antequam jus devolutionis inductum esset in Concilio Later. relato *in dicto cap. 3.* post quod elapso termino devolvitur jus præsentandi: & ita utendum non est remediis præsentis textus. Secundæ difficultati satisfaciendum est discrimen constituendo inter patronos laicos, & ecclesiasticos: si ad seculares pertineat juspatronatus, quadrimestri elapso Episcopus instituere potest quem maluerit; si vero ad ecclesiasticos spectet, semestre expectatur. Primo casu procedit textus *in dict. cap. quoniam*, ubi Raymundus transcripsit *infra quatuor menses*, cùm in Concilio Lateranensi legatur *infra tres menses*, respiciens ad Alexand. III. relatum *in cap. cùm propter, hoc tit.* Secundo casu loquuntur textus *in cap. eam te, hoc tit. cap. 2. de supplend. neglig.* ubi monachis patronis semestre conceditur ad præsentandum, quia juspatronatus illis competens ecclesiasticum censetur, *c. unic. §. final. hoc tit. lib. 6.* dicemus latiùs infrà *in dict. cap. eam te.*

13. *Exponitur cap. cum vos, de offic. ordin.*

Tandem obstat textus *in cap. cùm vos 4. de offic. ordin.* ubi refertur, in Metropoli Cantuariensi plerunque Ecclesiam juspatronatus vacare ex eo, quod minùs idoneæ personæ Episcopo præsentabantur, aut ob dissensum patronorum certus Rector non eligebatur; unde Alexand. III. jubet Archiepiscopo Cantuar. ut in similibus casibus in Ecclesia vacante œconomum constituat, qui possit ipsius Ecclesiæ fructus percipere, & successori reservare. Et quo textu deducitur, dissentientibus patronis non esse Missarum sacrificia in Ecclesia vacante interdicenda; sed potiùs œconomum esse constituendum ab Episcopo. Deinde difficilis est textus ille; nam ut proximè dixi, transacto semestri, potest Episcopus instituere Rectorem in ipsa Ecclesia, quem maluerit, *cap. eam te, c. cùm propter, hoc tit.* igitur non debet œconomum apponere, sed presbyterum ibi ordinare. Pro cujus textus expositione discrimen est constituendum inter eum casum, in quo lis tractatur inter patronos ipsos, aut extraneas personas; & inter eum, in quo discordia versatur inter laicos vindicantes juspatronatus, & Episcopum asserentem Ecclesiam liberam esse ab omni jurepatronatus. Primo casu potest Episcopus remediis in præsenti relatis cogere patronum ad consentiendum in unum, vel attento Concilio Later. transacto legitimo tempore ob eorum negligentiam instituere in Rectorem quem maluerit. Secundo verò casu tantùm œconomum apponere potest. Ratio est, quia

si tunc curreret tempus patronis ad præsentandum assignatum, sæpe simularet Episcopus causas negaretque juspatronatus illis competere, ut sic elapso termino à jure statuto, præsentatio ad ipsum devolveretur, ut jam in ejus commentario notavi.

CAPUT III.

Ex Concilio (a) *Lateran.*

QUoniam in quibusdam locis fundatores Ecclesiarum, aut hæredes eorum potestate, in qua eos Ecclesia usque huc sustinuit, abutuntur; & cùm in Dei Ecclesia (b) unus debeat esse, qui præsit, ipsi plures sine respectu subjectionis eligere moliuntur; & cùm una Ecclesia unius esse debeat Rectoris, pro sua defensione plurimos repræsentant. Quocirca præsenti decreto statuimus, ut si fortè in plures partes fundatorum se vota diviserint, ille præficiatur Ecclesiæ, qui majoribus juvatur meritis, & plurimorum eligitur, & probatur assensu: si autem hoc sine scandalo esse nequiverit, (c) ordinet Antistes Ecclesiam sicut meliùs eam secundùm Deum viderit ordinandam, & id ipsum etiam faciat, si de jurepatronatus quæstio emerserit inter aliquos, & cui competat, infra tres (d) menses non fuerit diffinitum.

NOTÆ.

(a) *Lateranensi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.* 4. & reperitur textus hic in Concilio Generali Lateranensi celebrato sub Alexandro III. *cap.* 17. de quo Concilio nonnulla notavi *in cap. nonnulli* 27. *de rescript.*

(b) *Unus debeat esse.*] Juxta adducta *in cap. majoribus, de præbend.*

(c) *Ordinet Antistes.*] Juxta facultatem sibi à jure concessam, de qua in sequenti commentario agemus.

1. (d) *Tres menses.*] Licèt in prima collectione ita legatur, & in ipso Concilio *dict. cap.* 17. tamen in aliis codicibus legitur *quatuor*, ut jam notavit Anton. Aug. *in not. ad dict.* 1. *collect.* & *in epit. jur. lib.* 15. *tit.* 6. *cap.* 2. & rectè, ut consentiat textus hic ipsi Alexandro relato *in cap. cùm propter, hoc titul.* Illud tamen discrimen notum est inter patronos ecclesiasticos, & laicos, quod si juspatronatus spectet ad laicos, quadrimestre tantùm tempus illis competit, *dict. capite cùm propter*; si verò ad Ecclesiasticos, semestre illis conceditur, *cap. eam te, hoc titulo*, ubi rationem hujus discriminis assignabimus.

COMMENTARIUM.

2. IN præsenti canone Concilii Later. statuunt PP. quod si patroni, aut eorum successores in ipso jurepatronatus plures Rectores præsentaverint ad Ecclesiam vacantem, non quia plures præsentare intendunt, & inter se non consentiunt, ut in commentario antecedenti; sed singuli singulos eligunt, ob defensionem juris proprii, qui dignior sit, & à majori parte patronorum præsentetur, instituendus est; quod & docuerunt Mantica *decis.* 86. *num.* 4. Rota apud Farinacium *tom.* 1. *decis.* 202. & 208. Tuschus *litter. P. conclus.* 145. Silva *de qualit. Prælat. num.* 58. & hodie in praxi recepta est præsens constitutio, etiam cùm nulla controversia mota est de jurepatronatus, sed plures sunt legitimi patroni; illis enim dissentientibus in præsentatione, ille præfertur, & instituendus est, qui à majori patre eorum præsentatus reperitur, ut probant Lambertinus *de jurepatron. lib.* 2. *p.* 1. *artic.* 3. *quæst.* 10. Thom. Sanchez *lib.* 2. *consil. cap.* 3. *dub.* 60. Riccius *in praxi. tit. de jurepatron. decis.* 188. Lara *lib.* 2. *de capel. cap.* 9. *num.* 38. Spino *in spec. gloss.* 4. *num.* 24. Alex. Ludovic. *decis.* 94. *num.* 10. Barbosa *lib.* 3. *jur. Eccles. cap.* 12. *num.* 71. & *alleg.* 72. *num.* 14. Major autem pars dicitur, veluti si decem patroni sint, & quatuor eligant Petrum, & tres Joannem, alii tres Antonium: Petrus licèt non habeat majorem partem omnium patronorum, habet tamen majorem partem respectu Joannis, & Antonii, & ita instituendus est. Lambert. *dict. lib.* 2. *p.* 3. *artic.* 2. *quæst.* 4. & in hac præsentatione facienda est comparatio numeri ad numerum. Vivianus *de jurepatron. lib.* 12. *p.* 2. *cap.* 12. non verò zeli ad zelum, ut in electionibus olim contingebat, ut probavi *in cap. quia propter* 1. *de elect.* & si præsentetur unus ex patronis, accedendo suæ præsentationi auget numerum, ut resolvit Rota apud Farinac. *decis.* 291. Hucusque tamen tradita non procedunt, si major pars eligat indignum; quia tunc est instituendus dignus præsentatus à minori parte, ut in electione canonicè facienda probavi *in c... de elect.* vel si statuto, aut consuetudine introductum sit, ut præsentatio non valeat nisi facta à duabus partibus ex patronis. Silva *de qualitatibus prælativis, n.* 63. Et quia sæpe sæpiùs testatores disponunt, ut ad capellaniam, seu beneficium præsentetur clericus à Rectore, & parochianis alicujus Ecclesiæ, quæri solet, an præferendus sit præsentatus à Rectore, & aliquibus parochianis, præsentato à majori parte parochianorum? Et certum est, eum præferendum esse, quia in eo casu duæ voces considerantur, quarum unam habet Rector, parochiani verò aliam, ut in casibus relatis *in l. interdum* 13. *ff. de hæred. instit. l. liber* 59. *§. Titius, ff. eodem l. si pater* 9. *ff. de vulgari, l. si quis Attio, ff. de usufruct. accresc.* Quare si Rectori accedat unus ex parochianis, ab eis præsentatus præfertur præsentato ab omnibus parochianis, ut sæpe sæpius decisum fuisse in sacra Rota refert Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancel. glos.* 3. *num.* 17. Gratianus *discept. cap.* 7. *num.* 14. Riccius *in praxi. tit. de jurepatron. decis.* 210. *n.* 2. Farinac. *p.* 2. *decis.* 308. Silva *de qualit. Prælat. à n.* 71. *usque ad* 74.

CAPUT

CAPUT IV.

Ex (a) *eodem.*

PRæterea quia in tantùm quorundam laicorum processit audacia, ut Episcoporum auctoritate neglectâ, clericos instituant in Ecclesiis, & removeant cùm voluerint: possessionem quoque, atque ecclesiastica bona pro sua voluntate plerumque (b) distribuant, & tam Ecclesias ipsas, quàm homines eorum taleis, & exactionibus gravare præsumant: eos qui amodò ista præsumpserint, anathemate decernimus esse feriendos: presbyter autem, sive clericus, qui Ecclesiam per laicos sine propria auctoritate Episcopi receperit, communione privetur, & si perstiterit, à ministerio ecclesiastico, & ordine deponatur.

NOTÆ.

(a) *Eodem.*] Concilio videlicet Lateran. celebrato sub Alexandro III. *cap.* 14. §. *præterea*; & etiam habetur textus hic *in* 1. *collect. sub hoc tit. cap.* 5.

(b) *Distribuant.*] Contra sacros canones relatos *in capite Eulalius*, 96. *distinct. cap. laicis* 24. 16. *quæst.* 7. *capite* 2. *de rebus Eccles.* ubi alios adduxi.

COMMENTARIUM.

1. *Conclusio traditur, & probatur.*

EX hoc canone sequens deducitur disputanda assertio: *Patroni non possunt clericos instituere absque Episcopi auctoritate, alias tam ipsi, quam clerici ab eis Ecclesias recipientes excommunicantur.* Probant eam textus *in cap.* 1. *&* 2. 63. *dist. cap. ut per laicos, cap. Ecclesias* 10. *quæst.* 7. *cap. constitutus, cap. per laicos, & ferè per totam* 16. *quæst.* 7. *cap. quisquis* 43. *de elect. cap. in Lateranensi* 31. *de præb. cap.* 3. *de privil. cap. cùm laici* 10. *cap. consuluit* 15. *cap. suggestum* 20. *capite relatum* 21. *cap. ult. hoc tit.* Gregorius VII. in Concilio Roman. anni incerti, *cap.* 1. ibi: *Ne aliquis clericus, vel monachus à laicis Ecclesias recipiat dono, vel pretio, nisi ab Episcopo.* Et *can.* 10. Urbanus II. in Concilio Claromont. *can.* 13. ibi: *Ut nullus ecclesiasticum aliquem honorem à manu laicorum accipiat.* Cabilon. sub Carolo *can.* 42. ibi: *Inventum est, quod multi arbitrii sui temeritate, & quod gravius est, ducti cupiditate, presbyteris quibuslibet absque consensu Episcoporum Ecclesias dant, vel auferunt; unde oportet, ut canonicâ regulâ servatâ, nullus absque consensu Episcopi cuilibet presbytero Ecclesiam det, quam si juste adeptus fuerit, hanc non nisi gravi culpâ suâ, & coram Episcopo canonicâ severitate amittat.* Concil. Mongunt. sub Carolo, *can.* 29. Tribur. *can.* 32. Wormat. *can.* 49. ibi: *Statutum est, ut sine auctoritate, vel consensu Episcoporum presbyteri in quibuslibet Ecclesiis, nec constituantur, nec expellantur; & si clerici laicos probabilis vitæ & doctrinæ Episcopis consecrandos, suisque in Ecclesiis constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione rejiciant.* Urbanus II. in Synodo Melfic. *can.* 8. ibi: *Interdicimus, ut nullus in clericali ordine constitutus, nullusque monachus, Episcopatus, aut Abbatiæ, aut cujuslibet ecclesiasticæ dignitatis investituram de manu laici suscipere audeat: quod si præsumpserit, depositione mulctetur.* Turon. sub Carolo *can.* 15. *Interdicendum videtur clericis, sive laicis, ne quis cuilibet presbytero præsumat dare Ecclesiam sine licentia Episcopi sui.* Wormat. *can.* 57. ibi: *Nullus laicus presbyterum in Ecclesiam mittere, vel ejicere præsumat, nisi per consensum Episcopi.* Plura alia juris testimonia congesserunt Antonius August. *tom.* 1. *lib.* 6. *tit.* 11. & *lib.* 10. *tit.* 10. *&* 11. & *lib.* 15. *tit.* 7. *&* 30. Crespetius *in summa, verbo Beneficia, pag.* 74. & nos *in cap. quisquis* 43. *de elect.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa, & Garanna, Bosq. *in not. ad Innoc. III. lib.* 3. *epist.* 192. Robertus *lib.* 3. *rer. judic. c.* 1. Petrus Greg. *lib.* 4. *var. tit.* 7. *cap.* 2. Lælius Mancinus *de triplici juris collat. cap.* 45. Valensis *de benef. lib.* 1. *tit.* 4. *num.* 5. Dartis *eodem tractatu, cap.* 6. Hallierius *de sacris elect. sect.* 8. *capite* 1. *articul.* 2. Quintanadvennas *lib.* 4. *eccles. num.* 21. Vigel. *in method. jur. can. fol.* 283. Solorzanus *tom.* 2. *libro* 3. *capite* 3. *num.* 39.

2. *Impugnatur prædicta assertio.*

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti juris consideratione; nam præsentatus legitimè à Patrono, sive velit Episcopus, admittitur ad beneficium, quia dum dignus est, tenetur Episcopus illum instituere in ipso, *cap. significasti, cap. pastoralis, hoc tit.* quod adeo verum est, ut si Episcopus alium instituat, institutio nulla sit ipso jure, *capite decernimus* 16. *quæst.* 7. *cap. ex insinuatione, hoc tit.* Nec contrarium probatur *in cap. illud, hoc tit.* ubi dicitur, talem institutionem esse irritandam; quia ut docet Garcia *de beneficiis* 5. *p. cap.* 9. *num.* 238. quem sequitur Valensis *eod. tract. tit.* 4. *num. final.* ea verba exponenda sunt, id est irrita est declaranda talis institutio: ergo in præsentatione ritè facta à Patrono frustra Episcopi consensus desideratur; siquidem ejus contradictio parum, aut nihil operatur.

3. *Patronus quis, & unde dicatus.*

Quâ difficultate ita fulcitâ non obstante vera est præsens decisio, pro cujus expositione sciendum est, patronum dici à patrocinio, auxilio, seu favore, quem impendit, & ita patronus accipitur pro illo, qui alterius est benefactor, & auxiliator. Horatius *lib.* 2. *epist.* 7.

Pol. *Me miserum, patrone, vocares,*
Terentius *in Eunuch, actu* 4. *scen.* 6.
Te mihi Patronum cupio.

Unde olim Patricij, qui à plebeis ad patrocinium eligebantur, Patroni dicebantur, de quibus plura Petrus Gregorius *lib.* 4. *syntag cap. ult.* Rosinus *lib.* 1. *antiquit. cap.* 16. Revardus *in l.* 12. *ff. de regul. jur.* Inde manumissor Patronus dicitur passim in utroque jure: similiter appellatur & Advocatus *in l. sancimus* 6. *C. advocat. diver.*

diverſ. jud. Procurator Cæſaris *in l. final. C. de advocat. fiſci.* Deſiderius Heraldus *lib. 2. de auctorit. rei judic. c. 5.* Sed de his patronis in præſenti non agitur, quia patronus in hoc titulo accipitur pro eo, qui Eccleſiam conſtruxit, dotavit, aut reædificavit, quibus modis acquiritur jus hoc patronatus, ut infra *in cap. novit*, dicemus.

4. *De origine hujus juris patronatus.* Secundò ſciendum eſt, quod primis Eccleſiæ ſæculis, quibus Eccleſiæ, baſilicæque primùm conſtructæ fuerunt, ea erat Epiſcopalis gradus auctoritas, eaque Epiſcoporum prudentia, ut in commune ſæpiùs de rebus Eccleſiæ, & ordinationibus clericorum conſulerent: ea totius populi Chriſtiani pietas, & humilitas, ut nemo aliquid in Eccleſia vellet habere peculiare, nemo ſpecialem ullam, niſi eminentioris virtutis prærogativam quæreret: ideoque nec patronorum Eccleſiarum, nec fundatorum ambitio privilegia extorquebat, nec ad Eccleſiarum conſtructionem, dotationemve privatis honoribus neceſſe erat excitare fideles; quare ſub finem quinti ſeculi Gelaſius Pontifex relatus *in cap. piæ mentis. 16. quæſt. 7.* excitatâ jam in fundatoribus Eccleſiarum hac ambitione, monendum reſcribit Julio Eccleſiam conſtruenti in hæc verba: *Ipſum procul dubio præter proceſſionis aditum, qui omni Chriſtiano debetur, nihil ibidem ſe proprii juris habiturum.* Et in capite ſequenti de alio fundatore ita cavet: *Ut nihil fundator ex hac baſilica noverit vindicandum, niſi proceſſionis aditum.* Quid tamen per proceſſionis aditum ibi intelligatur, exponemus infrà, *in cap. novit.* Et in Concilio Tolet. 4. celebrato anno 671. relato *in cap. noverint 10. quæſt. 1.* fundatoribus Eccleſiarum omnis poteſtas in rebus, quas eisdem Eccleſiis conferunt, denegatur. Et in Concilio Cabilon. 1 *can. 14.* habito anno 56. damnatur conſuetudo illa, quæ jam obrepere cœperat: *Quod oratoria per villas Potentum jam longo conſtructa tempore, & facultates ibidem collatas ipſi, quorum villæ ſunt, Epiſcopis contradicant, id eſt repugnent, quominus ab Epiſcopis regantur.* Et tandem concludunt Patres: *Ut in poteſtate ſit Epiſcopi, & de ordinatione clericorum, & de facultate ibidem collata, qualiter ad ipſa oratoria, & officium divinum poſſit impleri, & ſacra libamina, conſecrari.* Idem etiam cavetur in Concilio Aurel. 4. *can. 7.* Poſtea tamen cœpit concedi primò Epiſcopis in aliena diœceſi Eccleſias ædificantibus jus conſtituendi ibi presbyteros. Concil. Arauſic. 1. *can. 10.* ibi: *Reſervata ædificatori Epiſcopo hæc gratiâ, ut quos deſiderat clericos in re ſua videre, ipſos ordinet is, cujus territorium eſt, vel ſi ordinati jam ſunt, ipſos habere acquieſcat.* Unde paret juspatronatus (quod melius gratiam dicemus) eccleſiaſticum priùs in Eccleſia receptum fuiſſe quàm laicale; forſan quia laici minùs idonei judicabantur, ut de doctrina, & aptitudine presbyteri præſentandi judicarent. Poſtea jus hoc præſentationis laicis patronis conceſſum fuit primùm in oratoriis privatis; cùm enim illis concederetur, ut oratoria in agris propriis ad evitandam fatigationem familiæ ædificarent, Concil. Agath. *can. 21.* laici, qui in ſuis territoriis hæc oratoria conſtruebant, cum ea ſibi, & familiæ tantùm ædificarent, nec ibi populus conveniret, efflagitarunt, ut presbyteros in eis divina officia celebraturos eligerent: quod conceſſit Imperator Juſtin. *in novel. 123. cap. 18.* quam Conſule Baſilio Juniore, 10. Kal. Martii, anno 541. edidit, & Petro Præfecto promulgandam miſit, hujus jurispatronatus priora fundamenta jaciens his verbis: *Si quis Oratorii domum fabricaverit, & voluerit in ea clericos ordinare, aut ipſe, aut ejus hæredes, ſi expenſas ipſis clericis miniſtrant, & dignos denominant, denominatos ordinari: ſi verò indigni ab ipſis eliguntur, quos tanquam indignos prohibent ſacræ regulæ ordinari, tunc ſanctiſſimus Epiſcopus quoſcunque putaverit meliores, ordinari procuret.* Demùm ad acuendam, ſeu puniendam aliquorum Epiſcoporum negligentiam, ut ajunt PP. Concilii Tolet. 9. *in capite decernimus 16. quæſt. 7.* & fidelium pietatem excitandam, facultas illa præſentandi presbyteros ad quaſcunque Eccleſias, in quibus juspatronatus haberent, protracta fuit. Cujus poteſtatis antiqua veſtigia extant *in cap. Abbatem. 18. quæſt. 2.* & *in dict. cap. decernimus*, *in cap. monaſterium 16. q. 7.* ubi Leo IV. ita ſtatuit: *Monaſterium, vel oratorium canonicè conſtructum à dominio conſtructoris, eo invito non auferatur, liceatque illi presbytero, qui voluerit pro ſacro officio ipſius diœceſis, cum conſenſu Epiſcopi, ne malus exiſtat, commendare.* Et in Concilio Pariſ. 6. *lib. 1. cap. 22.* quod inſertum legimus in Capitul. Caroli *lib. 5. cap. 178.* in hæc verba: *De clericis verò laicorum, unde nonnulli eorum conqueri videntur, eo quod quidem Epiſcopi ad eorum preces nolint in Eccleſiis ſuis eos, cum utiles ſint, ordinare, viſum nobis fuit, ut in utriſque partibus pax, & concordia ſervetur, & cum charitate, & ratione utiles, & idonei eligantur, ut ſi laicus idoneum, utilemque clericum obtulerit, nulla qualibet occaſione ab Epiſcopo ſine certa ratione repellatur. Et ſi rejiciendus eſt, diligens examinatio manifeſtum facit.* Quod etiam cavetur in Concilio Wormat. *can. 49.* ibi: *Ut ſi laici clericos probabilis vitæ, & doctrinæ Epiſcopis conſecrandos, ſuisque Eccleſiis conſtituendos obtulerint, nulla qualibet occaſione rejiciant.*

Sequentibus vero Eccleſiæ ſæculis indubitatum fuit jus hoc patronatus laicorum, nempe ut fundatores Eccleſiarum, eorumque hæredes preſbyteros Epiſcopo in Eccleſia à ſe, vel à parentibus ſuis fundata inſtituendos præſentarent, ut ſuppo- nitur *in cap. 1. 2. & 3. hoc tit.* quæ præſentatio plerumque commendatio appellatur in Concilio Arelat. ſub Carolo, *can. 5.* ibi: *Ut laici omninò à presbyteris non audeant munera exigere propter commendationem Eccleſiæ, quia propter cupiditatem plerumque à laicis talibus presbyteris Eccleſia dantur, qui ad peragendum ſacerdotale officium ſunt indigni.* Mogunt ſub Carolo *can. 30.* ibi: *Ut laici omninò munera injuſta non exigant à presbyteris propter commendationem Eccleſiæ cuiquam presbytero.* Proſequuntur alia de origine, & progreſſu hujus jurispatronatus Fileſacus *in cap. cum vos 4. §. 2. de offic. Ordin.* Hallier. *de ſacris electt. d. ſect. 8. c. 1. art. 2.* Boſquetus *in notis ad Innoc. lib. 3. epiſt. 192.* Illud tamen notandum eſt, patronum excommunicatum, etiam laicum, non poſſe presbyterum præſentare, & inſtitutionem ab Epiſcopo obtalem præſentationem factam nullam eſſe, ut *ex cap. venerabilem 34. §. unde*, probat Illuſtriſſ. Ramos *pro Epiſc. Luſit. propoſ. 3. §. 2. num. 80.*

5. *De progreſſu ejus.*

Ex quibus jam apparet vera ratio præſentis deciſionis; nam cùm ex gratia tantùm conceſſum ſit patronis laicis jus commendandi, ſeu præſentandi presbyteros in Eccleſiis, in quibus obtinent patronatus, ut ab Epiſcopis, ſi digni fuerint, inſtituantur; nec facilè laici poſſint idoneitatem

6. *Tenor veræ deciſionis.*

neitatem ipsorum presbyterorum agnoscere, ideo non solùm prohibitum est patronis propriâ auctoritate presbyteros instituere, verùm etsi contrà fecerint, tam ipsi, quàm clerici ab eis Ecclesias accipientes, excommunicatione feriuntur: cujus censuræ conscientiâ adacti nonnulli patroni Ecclesias Episcopis restituerunt, de his donationes conscribentes, quarum exempla referunt Matthæus Paris. *in Willelm. II.* Ambrosius à Morales *in vita S. Eulogii, c.* 8. Accedit, nam nemo sine institutione canonica potest beneficium ecclesiasticum obtinere *c.* 1. *de R. I. lib.* 6. sed ea institutio ab Episcopo datur: igitur absque ejus auctoritate non potest præsentatus à patrono beneficium ecclesiasticum obtinere. Faciunt quæ de Ecclesiis non recipiendis à laicis concessi *in cap. quisquis* 43. *de elect.* Rectè ergo Alex. III. in præsenti statuit, patronum non posse propria auctoritate Ecclesiam concedere absque Episcopi institutione. Et licèt Episcopus teneatur præsentatum à patrono, si dignus est, necessariò instituere, ut dixi suprà pro dubitandi ratione; non tamen inde infertur, necessariam non esse Episcopi institutionem; siquidem etsi præsentatus idoneus sit, adhuc post præsentationem eget canonica institutione ab Episcopo obtinenda.

7. Exponitur Innocentii 3. epistola.

Ex hucusque traditis lucem accipit Innocent. III. *lib. 3. regestr. 15. epist. 192.* ubi Mathildi Comitissæ Flandrensi in hæc verba rescribit: *Et si precibus tuis favorem præstare secundum Deum benevolum intendamus, eas tamen, quas repellit justitia, nos admittere non debemus, cùm ejus locum, qui justus est, & justitiam diligit, licèt immeriti, teneamus in terris. Oblata quidem nobis ex tua parte petitio continebat, quod cùm in quodam loco tui dotalitii, Nepa nomine, ad honorem Dei Ecclesiam fundare proponas, & de bonis tuis sic plena manu dotare, quod Canonicis, qui Deo ibidem pro tempore servirent, necessaria vitæ non desint, juspatronatus, & præbendarum collationem in ea tibi, ac successoribus tuis reservari petebas. Quorum primum admittimus: secundum verò non duximus concedendum, cùm non expediat saluti concedi. Quia cùm ex devotione te asseras assumpsisse propositum in loco prædicto Ecclesiam construendi, acquires eo plus animæ, quo minùs in ea corpori reservabis. Unde devotionem tuam exhortamur in Domino, quatenus illud perficere studeas, quod ad tuam salutem, & ecclesiasticam pertinere dignoscitur honestatem. Datum Lateran. II. Nonas Januarii, Pont. N. anno quintodecimo.* Quibus in verbis vel agit Innocentius de collatione absoluta præbendarum facienda per patronum propriâ auctoritate, vel de præsentatione nuda per patronum facienda: & si de illa, quare decisionem suam non probat Pontifex præsenti canone, & similibus? si agit de præsentatione per patronum facienda, injustè illi, videlicet Comitissæ, & ejus successoribus prohibetur in ea Ecclesia à se constructa, juxta hucusque tradita; præcipuè cùm *in cap. final. de concess. præbend. c. dilecto. de testibus*, eidem Comitissæ concedatur præsentatio præbendarum in aliis Ecclesiis, in quibus jus obtinet patronatus; & in eadem specie præbendarum Regi Angliæ præsentationem competere supponitur *in cap. cum inter, de consuet.* igitur non rectè talis præsentatio Comitissæ, & ejus successoribus legitimis patronis ab Innocentio denegatur. Et si collatio absoluta Comitissæ prohiberetur, superflua est ea decisio, siquidem jam jure communi ex hoc textu, & aliis suprà expensis generaliter patronis erat interdicta. Bosquetus in notis ad ipsam epistolam utrumque admittit, ita ut Innocentius ibi prohibeat collationem præbendarum, ut in præsenti ab Alexandro prohibetur, idest concessionem propria auctoritate irrequisito Episcopo, ne videlicet præsentati à Comitissa virtute tantùm ipsius electionis admitterentur ad præbendas. Accipit etiam Innocentium de præ entatione nuda, & ait, eam denegari Mathildi, quia cùm esset conventualis Ecclesia, quæ fundabatur, propter honestatem electio ad ipsos Canonicos spectare debebat, juxta textum *in cap. novit* 25. *hoc tit.* ubi plura adduxit Barbosa. Sed licèt verum sit, in Ecclesiis conventualibus, & collegiatis non competere patrono jus præsentandi superiorem Prælatum, *cap. Massana, de elect.* nisi specialiter in ipsa fundatione id cautum sit, ut in casibus relatis ab Altesserra *de Ducibus, & Comitib. cap.* 9. tamen patronum posse in ipsis Ecclesiis ad præbendas præsentare clericos idoneos, constat *ex dict. capite cum inter. de consuet. cap. dilecto, de præb.* Quare dicendum est, in eo textu non prohiberi Comitissæ nudam præsentationem ad præbendas, sed collationem ipsarum in sua propria, & stricta significatione, irrequisito videlicet Episcopo; nam cùm per concessionem præbendarum nulla cura animarum Canonicis competat, ut in aliis beneficiis ecclesiasticis, de quibus in hoc textu, existimabam Comitissam posse eligere & propria auctoritate in ipsis præbendis clericos instituere. Quæ interpretatio facilè suadetur ex illis verbis: *Secundum verò non duximus concedendum, cùm tuæ non expediat saluti.* Exquibus deducitur, ex tali collatione ipsam peccatum incurrere; quia videlicet propriâ auctoritate, irrequisito Episcopo intendebat præbendas ipsas conferre, contra præsentem textum, & hucusque tradita. Et licèt juspatronatus spectet ad supremos Monarchas, tantùm ipsi possunt præsentare, non verò instituere in Ecclesiis vacantibus, ut doctè probant Cochier *in tract. de primariis precibus, in proœm. pag.* 3. Vivianus *in praxi juris patron. libro* 11. *cap.* 12. Solorzanus *libro* 3. *de jure Ind. tom.* 2. *num.* 40.

CAPUT V.

Idem (a) *Eborac. Archiep.*

QUod autem consulis, si clericus idoneus ad vacantem Ecclesiam præsentatus non fuerit ab Episcopo diœcesano admissus, & postmodùm alius idoneus præsentatus, & institutus ab Episcopo (b) possessionem tenuerit corporalem, an priore clerico Eccle-

Ecclesiam petente debebat posterior removeri, vel posterior priori præferri? dubium non est, quin casu isto melior sit conditio possidentis; quoniam antequam præsentatio diœcesanum Episcopum approbetur, ratum (c) non est, quod à patrono fuerit inchoatum. De cætero prudentiæ tuæ litteris præsentibus intimamus, quod si laici clericis, vel collegiis de concessionibus, vel donationibus instrumenta concesserunt in hæc verba, vel similia: Concessi, vel dedi Ecclesiam, & præsenti chartâ firmavi: si consensus Episcopi non (d) accesserit, nihil agi videtur; à laico enim Ecclesia donari non potest. Patronatum autem de auctoritate, & assensu Episcopi certum est à laico in eadem de jure conferri.

NOTÆ.

(a) *Borac.*] Ita etiam legitur post Concil. Lateran. *p. 3. cap. 15. & in 1. collect. sub hoc tit. cap. 7.* ubi additur *pars capitis relatum*, ut cognoscamus in præsenti referri secundam partem textus *in cap. relatum, de cleric. non resid.*

(b) *Possessionem teneret.*] Id est canonicam institutionem, ut exponit Covar. *lib. 3. cap. 16.* & probavi *in cap. ex frequentibus, de instit.*

(c) *Ratum non est.*] Juxta tradita superiori commentario.

(d) *Non accesserit.*] Si autem accesserit, valida est donatio, *cap. illud, cap. suggestum, hoc tit.* probavi *in cap. pastoralis, de donat.*

COMMENTARIUM.

1. *Conclusio traditur, & probatur.* EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Patronus laicus potest variare, & duos successivè præsentare.* Probant eam textus *in cap. cùm autem 24. cap. pastoralis, cap. final. hoc titul. Clement. plures, §. final. eod. tit.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa, idem Barbosa *de potest. Episcop. 3. p. alleg. 72. num. 151.* & *lib. 3. juris eccles. cap. 12.* Vivianus *de jurepatron. lib. 10. cap. 1. cum sequent.* Valensis *de benef. lib. 1. tit. 4. num 15.* Escobar *de puritate sanguinis, quæst. 7. num. 6.* Balboa *in capite cùm Bertholdus, numero 58. de judic.* Joann. Crotus *in repetit. ad hunc textum*, Mendo *de jure academ. libro 1. quæst. 30.*

2. *Traditur dubitandi ratio.* Sed in præsentem assertionem pro dubitandi ratione sic insurgo: Per præsentationem legitimè factam à patrono adquiritur jus præsentato ad ipsum beneficium, ita ut statim possit petere institutionem ab Episcopo, *cap. pastoralis, hoc tit.* ubi docent Glossa, & Abbas. Ripa *in rubric. de judic. num. 71.* Gomez *in regul. Cancel. tit. de non tollend. jure quæsit. quæst. 1.* Unde clausulam illam, Dummodo alteri jus quæsitum non sit; quæ apponi solet in collatione beneficiorum, comprehendere habentem tantùm præsentationem ad illud beneficium, docuerunt Gomez *ubi suprà*, Rebuffus *in eadem regula, gloss. 6.* & facit textus *in cap. super eo, de offic. deleg.* sed jus semel uni quæsitum, sine ejus voluntate auferri non valet, *l. 1. ff. si quid in fraud. patron. l. in diem 9. §. non autem, ff. de aqua pluvia:* ergo Patronus postquam semel præsentationem ad beneficium fecit, non potest amplius variare. Augetur hæc difficultas primò ex eo, nam cui competit electio, semel dumtaxat eligere valet, *l. apud 20. ff. de option. legat. l. servi elect. 5. l. hujusmodi 84. §. Stichum 9. de legat. 1. l. statuliberum 11. in fine, l. legatorum 33. in fine, ff. de leg. 2. l. 8. Cod. de inoffic. l. 17. Cod. de testibus, l. 4. §. 2. ff. de lege commiss.* igitur nec patronus mutare præsentationem potest. Augetur secundò hæc difficultas, nam si patrono laico variatio absolutè permitteretur, sæpe sæpiùs illi variare liceret: sed non potest nisi semel variare, ut argumento textus *in l. boves, §. hoc sermone, ff. de V. S.* docent Cevallos *commun. contra commun. quæst. 265. per totam*, Barbosa *d. alleg. 72. num. 161.* Escobar *de puritate dict. quæst 7. num. 62.* Ergo quia patronis laicis absolutè variare non licet.

1. *Quando juspatronatus si laicale.* Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, juspatronatus duplex esse; aliud ecclesiasticum, aliud seculare, seu laicum: juspatronatus ecclesiasticum dicitur, non quia clericis competat, ut vult Wamesius *tom. 2. cons. 470.* existimans naturam jurispatronatus ex qualitate, & conditione possidentis repetendam esse, ita ut laicale censeatur, si laicus illud obtineat: sed dicitur illud, quod competit Ecclesiæ, vel ratione Ecclesiæ alicui, sive clerico, sive laico, etsi originem habuerit ex patrimonio laici; nam sufficit postea quovis modo, sive testamento, aut donatione, translatum esse in Ecclesiam, Capitulum, seu Collegium Ecclesiasticum canonicorum regularium, aut secularium, vel alicui dignitati, aut beneficio ecclesiastico esse annexum, *cap. unic. §. verùm, hoc titul. in 6.* docent Covar. *practic. cap. 36. num. 5.* Valensis *de benef. lib. 1. tit. 4.* Valascus *2. p. consult. 163.* Garcia *part. 5 de benef. cap. 1. ex num. 553.* Vivianus *in praxi, p. 1. lib. 1. cap. 3. ex num. 3.* Barbosa *lib. 3. jur. eccles. cap. 11. ex num. 6.* Sanchez *lib. 2. consil. cap. 3. dub. 67.* quia penes communitatem ecclesiasticam non potest residere juspatronatus, quod non sit ecclesiasticum, ut probat Salgado *de protect. Regia, 3. p.* Unde quoties juspatronatus competit ratione dignitatis, officii ecclesiastici, vel administrationis bonorum Ecclesiæ, etsi laici illud obineant, ecclesiasticum dicetur. Jus verò patronatus laicale appellatur, quod alicui, sive clerico, sive laico competit ratione proprii patrimonii, non beneficii, vel Ecclesiæ. Covatruv. *dict. cap. 36. num. 2.* Flaminius *de resig. benef. lib. 2. quæst. 4. num. 40.* nec interest, quod patrimonium illud acquisitum sit intuitu Ecclesiæ, quia cùm ex generali consuetudine clerici de talibus bonis testari possint, & in illis eis ab intestato succedatur sicut in patrimonialibus, videtur clericus dotans, vel exstruens Ecclesiam sibi, suisque hæredibus, vel consanguineis juspatronatus ratione patrimonii reservasse, & ita laicale judicatur. Circa juspatronatus competens hospitalibus, collegiis, & similibus locis, distinguendum est juxta tradita *in cap. 4. de relig. dom.* ita ut si loca ipsa auctoritate Episcopi constructa, & erecta sint, ita ut loca religiosa, & pia dicantur, juspatronatus ecclesiasticum sit; si verò absque Episcopi licentia erecta sint, juspatronatus

natus laicale dicatur. Plures alios casus inde resolventes docent Lambertinus *de jurepatron.* 1. *part. lib.* 1. *articul.* 5. *quæst.* 1. Vivianus *eod. tractatu lib.* 1. *cap.* 3. Gregorius Lopez & Humada *in l.* 13. *tit.* 5. *partit.* 1. Vazquez *in opuscul. moral. tit. de benefic. cap.* 2. §. 1. Felicianus Vega *in cap. quantò, num.* 27. *de judiciis,* Salgado *de protect. Regia* 3. *part. cap.* 9. *ex num.* 10. Solorzanus *de jure Indiar. tom.* 2. *libro* 3. *capite* 3. *num.* 3.

4. *Quibus patronis licet variare.*

Secundò sciendum est, quod inter alias differentias, quæ versantur inter jusPatronatus ecclesiasticum & sæculare, ex quibus quadraginta octo refert Vivianus *dict. lib.* 1. *cap.* 3. illa præcipuè versatur, quod patronus laicus potest intra quadrimestre ante Episcopi institutionem variare, & alium simul, seu successivè accumulando præsentare: patronus autem ecclesiasticus id facere nequit. Cujus differentiæ rationes varias assignarunt Doctores suprà laudati. Aliqui docuerunt, quod præsentatio patroni ecclesiastici habet vim electionis, in qua non cadit variatio, quia statim electo acquiritur jus in re, seqvutâ electionis acceptatione, *cap. publicato*, ubi glossa, *cap. quod sicut, de elect.* quod secus procedit in præsentatione facta à laico, quia per eam nullum acquiritur jus. Vivianus *in dict. cap.* 1. *num.* 5. & 2. *p. lib.* 8. *cap.* 9. Sanchez *lib.* 2. *consil. cap.* 3. *dub.* 66. Valenzuela *consil.* 103. *n.* 4. Narbona *in l.* 20. *tit.* 1. *lib.* 4. *Recopil.* glossa 22. *n.* 32. Barbosa *lib.* 3. *juris eccl. c.* 12. & *alleg.* 52. *n.* 174. Sed hæc ratio facilè convincitur: tum quia nullo juris loco cavetur, præsentationem patroni ecclesiastici vicem obtinere electionis: tum etiam, quia etsi electionis vires haberet, non ideo jus in re produceret, sed ad rem tantum, ut probat Barbosa *de potest. Episcop. alleg.* 57. *num.* 197. Quare eâ ratione omissâ, verior, ni fallor, ea est, quod cùm patronum ecclesiasticum minùs deceat instabilitas, seu variatio, *Clement. unic. de renunc.* & aliunde plus temporis ei, quàm laico concedatur, ut maturè deliberet, quem eligat; & clerici faciliùs, meliusque possint noscere, ac invenire clericos idoneos, quàm laici, propter assiduam conversationem cum eis: ideo illi variare nequeunt, laici autem variare valent. Docet Lambertinus *ubi suprà dict. art.* 1. Laici igitur possunt variare, aut uno contextu plures nominando, ut Episcopus ex eis, quem malit, instituat. *Clement. plures,* §. *final. hoc tit.* aut diversis temporibus varios præsentando, *cap. cùm autem* 24. *c. pastoralis* 29. *hoc titul.* docet Lara *de capel.* 2. *part. cap.* 8. *num.* 9. ubi docet, Collegio, seu Universitati non licere variare, quod etiam tenuerunt Cevallos *commun. quæst.* 65. & 69. Gutierrez *de jur.* 3. *part. cap.* 13. *per tot.* Mendo *de jure academ lib.* 1. *quæst.* 30.

5. *Traditur ratio decidendi.*

Ratio præsentis assertionis ex eo provenit; nam cùm ante institutionem ab Episcopo factam ratum non sit quod à patrono fuit inchoatum, ideo ante ipsam institutionem pendente tempore concesso ad præsentandum, potest ipse variare, illis adstantibus conditionibus, videlicet ut prima præsentatio firma meneat, ei secundam accumulando, non verò abrogando. Garcia *de benef.* 5. *part. cap.* 9. *num.* 211. Escobar *dict. quæst.* 7. *num.* 55. & tunc præfertur primò præsentatus si dignus est, secundus verò indignus, etiam desideratur, ut primò præsentatus nullum aliud jus extra præsentationem acquisierit; nam si lis mota sit, & ita per contestationem jus illam prosequendi illi quæsitum sit, non potest patronus variare in ejus præjudicium, ut resolvunt Covar. *practic. cap.* 36. *num.* 7. Barbosa *dict. alleg.* 72. *num.* 162. Escobar *dict. quæst.* 7. *num.* 60. qui alia prosequuntur de hujusmodi variatione.

6. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam licèt certa, & generalis regula sit, quod in præjudicium juris quæsiti tertiò variare, aut quicquam statui non possit; ea tamen accipienda est in jure perfectè quæsito, & dum aliud à jure statutum non est, quia tunc censetur facta variatio juris auctoritate; & in prima præsentatione eam inesse conditionem, nisi aliud postea visum fuerit, secundùm permissionem iterum præsentandi. Quæ conditio cùm semper tacitè insit ex secunda præsentatione, nullum præjudicium primo præsentato fit, argumento legis *injuriarum* 13. §. 1. *ff. de injuriis*, pluribus relatis illustrat Barbosa *axiom.* 135. *num.* 8. Nec obstat primum difficultatis augmentum deductum *ex dict. l. servi electione,* cum similibus: nam ratio, quare legatâ optione, seu electione, semel dumtaxat legatarius eligere potest, redditur *in dict. l. apud* 20. in illis verbis: *Quia omne jus legati primâ testatione, quâ sumere se dixisset, consumpsit.* Quoniam res continuò ejus fit, simul ac dixerit, eam sumere: quam illustrat Pinellus *lib.* 2. *select. cap.* 16. Arias à Mesa *lib.* 2. *var. cap.* 28. quæ ratio cùm cesset in præsentatione facta à patrono laico, quia nullum jus perfectè illi quæsitum est, rectè admittitur variatio. Accedit nam in ultimis voluntatibus hæredi, aut legatario variare nonnunquam licet, *dict. l. servi* 5. Nec contrarium probatur *in l. Divus* 22. §. *licet, de usu & habit.* quia in ea specie habitatio totius domus fuerat legata; quare rectè poterat legatarius etiam post electionem unius partis ad aliam partem se transferre, eamque habitare; in contractibus verò ita demùm variare licet, si res integra sit, *l. si certarum* 17. §. *final. ff. de testam. milit.* Nec contrarium probatur *in l.* 66. *ff. de procurat.* ubi post electionem non licet variare, quia textus ille procedit lite jam contestata; tunc enim cùm non sit res integra, nec in contractibus variare licet. Tandem non obstat ultimum augmentum ipsius dubitandi rationis; nam licet patrono laico variare permittatur, non tamen illi hoc permittitur amplius quàm semel, ut tollatur confusio, seu processus in infinitum, quæ provenit ex actuum multiplicitate, & reiteratione, *l. qui bona* 13. §. *ultim. ff. de damno infect. l. fideicommissa* 11. §. *si quis* 18. *ff. de legat.* 3. Nec contrarium probatur *in dict. Clement. plures,* §. *final.* quia textus ille procedit, quando plures simul, non autem successivè præsentantur; quod & patrono ecclesiastico licere, docet Rochus à Cutte *verbo Honorificum, quæst.* 9. *n.* 34. veluti si alternativam præsentationem faciat, aut plures simul præsentet, ut ex eis Episcopus eligat magis idoneum; aut si idoneos omnes judicaverit, quem maluerit: non autem in eo textu docetur, posse patronum laicum sæpe sæpiùs variare, ut contra Spinum probat Covar. *dict. cap.* 36. & post eum Escobar. *de puritate dict. quæst.* 7. *num.* 63.

CAPUT

CAPUT VI.

Idem (a) *Exon. Episcopo.*

QUia clerici quidam vestræ jurisdictionis (b) advocatias Ecclesiarum, sicut accepimus, comparant, vel quocunque modo possint, acquirunt, ut postmodùm (c) filii, vel nepotes ad easdem præsententur Ecclesias; nos tamen pravam consuetudinem penitus eradicare volentes, nihilominus præsentium vobis auctoritate m. atque præ. ut ne id attentare præsumant, universis Ecclesiis jurisdictionis vestræ ulteriùs arctiùs inhibere curetis: & si presbyteri Ecclesiarum vestrarum advocationes acquisierint, eos advocationibus taliter acquisitis ap. rem. auctoritate Ap. (d) spolietis.

NOTÆ.

1. (a) *Exon.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 8. post Concil. autem Later. *part.* 15. *cap.* 14. habetur *Herefordiensi*, & *Abbati de Forde*; quæ inscriptio in hac sexta collectione est capitis sequentis, ubi eam exponemus. De Exoniensi Angliæ diœcesi nonnulla adduxi *in cap.* 6. *de filiis presbyt.*

2. (d) *Advocatias.*] Id est jus patronatus; quid tamen advocatia in sacris canonibus significet, & de ejus origine, & usu in Ecclesia agemus infrà *in cap. præterea*, ubi textum hunc exponemus.

3. (c) *Filii, vel nepotes.*] Certum est, patronum posse filium proprium, seu nepotem idoneum ad beneficium præsentare, *cap. consuluit*, ubi Glossa *verbo Auctoritate*, *hoc tit.* Lambertinus *de jurepatron. lib.* 2. *part.* 1. *quæst.* 8. *artic.* 12. Flamin. *de resign. lib.* 9. *quæst.* 17. *num.* 122. Velascus *de privil. pauper.* 2. *part. quæst.* 62. *ex num.* 25. quippe suffragium patris filiis prodesse solet, *l. illud*, *ff. quod cujusque universi.* Et quia hoc sacris canonibus non reperitur prohibitum, concessum creditur, argumento textus *in cap. cùm apud Sedem. de despons.* quamvis patronus seipsum præsentare nequeat, *cap. per nostras* 26. *hoc tit.* quia tunc non datur distinctio inter præsentantem, & præsentatum, *cap. final. de instit.* quando verò pater filium præsentat, adest diversitas personarum, cùm revera distinctæ sint, ut probat Riccius *in praxi fori*, *decis.* 195. & licèt fictione juris pro una accipiatur quoad acquisitionem virtute patriæ potestatis. §. *versa vice*, *Instit. de inutilibus*; & hæc potestas non attendatur in spiritualibus, *cap. final. de judiciis*, *lib.* 6. sicut nec aliàs in his, quæ sunt publici juris, *l.* 1. *ff. de auctorit tut. l. nam quod* 14. *ff. ad Trebel.* quare quoad fructus beneficiorum filium pro patrefamilias haberi, docuit Gratianus *tom.* 3. *discept. cap* 576. *num.* 6. ideo patronus potest filium proprium idoneum ad beneficium præsentare. Nec contrarium probatur in præsenti textu; nam procedit quando pater comparavit, vel alio modo acquisivit jus patronatus primò, & principaliter, ut filios vel nepotes suos ad ipsas Ecclesias præsentaret solo sanguinis amore ductus, & nullâ idoneitatis habitâ ratione; quod repugnat sacris canonibus relatis *in cap. grave* 29. *de prabend. cap. unic. vers. circa, ut eccles. benef. cap. tuam.* 10. *de ætate*, & *qualit.* & ita intenderet successionem admittere in beneficiis ecclesiasticis, contra ea quæ adduxi *in cap.* 1. *de præbend.* ideo ab Alexandro in præsenti improbatur similis abusus clericorum Exoniensis diœcesis, ut docuerunt in præsenti Butrius *numero* 6. Cardinalis, Abbas, & Rochus à Curte *de jurepatronatus*, *verbo Honorificum quæst.* 4.

4. (d) *Spolietis.*] Nec tale jus patronatus restituendum est venditori, ut probat Lotherius *de rebenef. libro* 2. *capite* 9. *num.* 67. ut ita hac pœnâ efficiatur etiam venditor, ut *in capite Salvator* 1. *quæstione* 3. *capite consulere. de simon.* nam quando quis privatur aliquo lucro contemplatione alterius, applicari debet illi, cujus contemplatione privatio fit. Glossa *in capite si diligenti*, *verbo Perdant*, *de foro compet.*

CAPUT VII.

Idem H. (a) *Eforden. Episcopo, & Abbati de For.*

EX litteris I. (b) Salesberien. Episcopi accepimus, quod defunctâ (c) personâ Ecclesiæ de Lauton, G. miles, qui villam, in qua Ecclesia (d) sita est, à monasterio de (e) Winton ad firmam tenebat, ad eandem vacantem Willelmum de Leicestra clericum prædicto Episcopo præsentavit. Post aliquantum temporis Abbatissa prædicti monasterii ad Episcopum veniens, ei Willelmum de Norale ad præscriptam Ecclesiam præsentavit. Episcopo autem nolente personam præsentatam ab ea recipere, tandem ad venerabilem fratrem nostrum Cant. Archiepiscopum Abbatissa accessit, & apud eum gravem querimoniam de Episcopo deposuit. Archiepiscopus, quia sibi visum erat, quod factum militis super præsentatione præfata nullius esset momenti,

prædicto

prædicto Episcopo in virtute obedientiæ injunxit, quod personam illam reciperet, & in possessionem induceret, quam Abbatissa decreverat sibi præsentandam. *Et infrà*: Restitutione autem factâ causam audiatis, ita quidem quod si vobis constiterit, quod præfato militi præscripta villa fuerit, non excepto jurepatronatus (f) ad firmam concessa, vel antequam de jurepatronatus inter Abbatissam, & militem controversia esset suborta, præfatus W. de Leicestra in præscripta Ecclesia per institutionem Episcopi ad præsentationem militis fuisset institutus, ei, dummodo aliàs idoneus sit, Ecclesiam ipsam adjudicetis, ita quod si Abbatissa obtineret adversùs militem, illi de temporalibus debeat respondere.

NOTÆ.

(a) *Forden.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. licet aliter legatur post Concilium Lateran. *p.* 15. *cap.* 5. De Efordiensi diœcesi Angliæ jam egi *in cap.* 2. *de temporib. ordin.* Monasterium Fordæ est Angliæ in Comitatu Boniensi, de quo in indice sacrarum ædium Angliæ ita legitur: *Fordæ in Comitatu Devoniæ, titulo sanctæ Mariæ fundatrix Adelica filia Balduini: est Ordinis Cistercienfis, anno* 1135. *capite* 9. *numero* 5.

(b) *I. Salesberien.*] Joannes videlicet Salisbariensis, de quo aliqua adduxi *in capite* 28. *de appel.*

(c) *Persona.*] Id est presbytero, seu parocho, qui persona in sacris canonibus dici solet, ut probavi *in cap.* 8. & 12. *de rescript.*

(d) *Ecclesia sita.*] Quam conjunctam cum villa retinebat; nam Ecclesiam ipsam per se laici ad firmam tenere non possunt, *cap.* 6. *ne cleric. vel mon.* ubi dicemus.

(e) *Monasterio de Winton.*] Quod est monasterium monialium Ordinis D. Benedicti in pago Wintoniæ, proximè Sarisberiam urbem, quod fundavit Ergerus Rex Angliæ, & in eo Editha ejus filia habitum susceptit, ut refert Virgilius *lib.* 6. *histor. Angliæ, fol.* 117.

(f) *Firmam.*] Firma quid significet, exposui *in cap.* 2. *de locato.*

COMMENTARIUM.

CUm jusjpatronatus antecedenter sit spirituale, 2.
seu spiritualibus annexum, ut probavi *in cap. quanto* 3. *de judic.* non potest per se, ut in capite antecedenti docetur; cum universitate tamen bonorum, titulo venditionis, donationis, seu simili, rectè in alium transferri potest ex præsenti textu, & *cap. cùm sicut, hoc titul. l.* 15. *tit.* 5. *p.* 5. & tunc præsentatio competit illi penes quem residet jusjpatronatus, ut pluribus exemplis illustrat Salgado *lib.* 3. *labyrinth. cap.* 5. Covar. *lib.* 1. *var. cap.* 13. Costa *in cap. si pater*, 2. *part. verbo Trebellianica, num.* 7. Lambertinus *de jurepatron.* 2. *p. lib.* 1. *quæst.* 5. *artic.* 11. Hermosilla *in l.* 15. *tit.* 5. *partit.* 5. *glos.* 4. & 5. Riccius 5. *part. collect.* 1731. Burgos de Paz *consil.* 31. *à num.* 14. Noalis *de transmissione. casu* 607. Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 24. Barbosa *lib.* 3. *jur. eccles. cap.* 12. *num.* 225. Olea *de cess. jur. titul.* 3. *quæst.* 8. *num.* 27. ideo cùm villa in præsenti specie fuisset titulo locationis ad longum tempus in militem translata, ex quo titulo dominium utile in conductorem transfertur, ut probavi *in cap. ad aures, de rebus Eccles.* ideo potuit miles tanquam verus patronus præsentare personam idoneam ad Ecclesiam, quæ erat in ipsa villa; quia jusjpatronatus ad ipsum tanquam ad verum Dominum spectabat, ut jam notavi *in cap. cùm Bertholdus, de re judic.*

CAPUT VIII.

Idem *H.* (a) *Winton. Episcopo.*

QUamvis simus *Et infrà*: Illud prætereundũ non duximus, super quo te intelleximus dubitare, quod si aliquis laicus Episcopo inconsulto Ecclesiam non (b) vacantem concedit alicui religiosæ domui, & postea cùm vacaverit, ad præsentationem ejusdem laici aliquis clericus ibi fuerit per diœcesanum Episcopum institutus; prior concessio secundam institutionem, quominus habeatur rata, & firma, non potest, nec debet aliquatenus impedire. Cùm illa concessio de jure nullius possit esse momenti: tum quia de re non vacante facta est: tum quia laicus sine auctoritate Episcopi nemini potest Ecclesias dare, licèt religioso loco patronatus jus conferendi liberam habeat facultatem. Si verò jusjpatronatus Ecclesiâ vacante religioso loco contulerit, & aliquis sine præsentatione fratrum ejusdem loci fuerit in ipsa Ecclesia institutus, ejus institutio secundùm rigorem juris est (c) irritanda.

NOTÆ.

1. (a) *Winton.*] In prima collectione, *sub hoc tit. c.* 10. reperitur textus hic prout in præsenti transcribitur; & alias ejus partes dedi *in cap. cæterum. de rescript.*

(b) *Non vacantem.*] Eo animo, ut vivente ejus Rectore ad locum religiosum pertineret, aliàs si ea mente, ut defuncto Rectore ad ipsos religiosos Ecclesia spectaret quoad proprietatem, valeret concessio de Episcopi licentia facta, *c. consultationibus. de donat.* ut jam exposui *in c.* 2. *de conces. præbend.* Regulariter autem patronus non potest ad beneficium nondum vacans aliquem præsentare, *cap. final. de conces. præbend.* pluribus relatis probat Solorzanus *de jure Indiar. lib.* 3. *cap.* 15. *n.* 56.

(c) *Irritanda.*] Quia durante tempore ad præsentandum patrono concesso, non potest Episcopus aliquem propriâ auctoritate in Ecclesia instituere, ut dicemus infrà, *in cap...*

D. D. Gonzal. in Decretal. *Tom. III. Pars II.*

COMMENTARIUM.

2. EX hoc textu communiter deducitur, patronum non posse juspatronatus quod obtinet, propriâ auctoritate in laicos transferre; posse verò loco religioso etiam inconsulto Episcopo, illud donare; quod etiam probatur *in cap. significavit 41. de test. c. unic. hoc tit. in 6.* & docent Rochus à Curte *de jurepatron. verbo Ipse, vel is à quo, quæst. 13. num. 32.* Lambertinus *eodem tractatu, 2. p. lib. 1. artic. 10. quæst. 1. princip. num. 4.* Barbosa *lib. 3. juris eccles. cap. 12. num. 244.* Garaña *in cap. consultationibus, num. 5. de donat.* Abbas Panormit. *quæst. 5. per tot.* Valensis *de benef. lib. 1. tit. 4. num. 2.* qui varias hujus discriminis rationes assignavit; quibus omissis illa videtur verior ratio, quod quando fit donatio jurispatronatus alteri laico, debet Episcopus priùs, agnoscere, an expediat Ecclesiæ patronum mutare, & an fraus aliqua simoniaca intercedat: quod non ita evenit in loco religioso, siquidem semper expediet Ecclesiæ illum potiùs, quàm laicum patronum habere. Nec obstat textus *in cap. cura 11. hoc tit.* in illis verbis: *Cùm laici non possint in alios, nisi jus quod habent, transferre.* Ex quibus deduci videtur, posse patronum jus quod habet, in alium transferre indistinctè, sive laicum, sive religiosum; nam ea verba non sunt accipienda de donatione jurispatronatus, sed de præsentatione ad Ecclesiam vacantem per patronum facta, ut in principio textus; unde ibi docetur, non posse laicum absque Episcopi auctoritate beneficium conferre virtute jurispatronatus, quia tantùm jus quod habet, videlicet, quod ex præsentatione acquiritur, dare potest; non verò ea verba sunt accipienda de donatione jurispatronatus, ut ibi latius dicemus.

3. Contrarium etiam, immò nec in religiosum locum posse laicum patronum jus illud transferre, probari videtur *ex cap. nullus, hoc tit.* ubi indistinctè statuitur, non posse laicum Ecclesiæ decimas, vel quodlibet aliud jus ecclesiasticum in locum religiosum transferre absque Episcopi licentia; quod etiam expresè docetur *in cap. 28. hoc tit. in 1. collect.* ubi ita ait Alex III. *Super eo verò, quod clerici, & religiosæ, sicut asseris, personæ, literarum intuitu, quas habent à laicis, sibi jus in Ecclesiis vindicant, hoc tibi volumus innotescere, quod ubi auctoritas Episcopi non accesserit, per litteras illas non possunt Ecclesias obtinere.* Ergo quia non laicis juspatronatus, quod habent, Religiosis locis donare. Sed omissis variis Interpretum solutionibus, credo in his juribus nullo modo agi de donatione jurispatronatus, sed potiùs de ipsa Ecclesia quoad proprietatem, seu quoad jus exigendi decimas virtute talis concessionis; passim enim in hoc titulo Ecclesia accipitur pro ipso beneficio, in quo jus præsentandi patronus habet: unde dum Alex. III. in illis juribus absolutè prohibet, ne Ecclesiam, vel aliquid juris ecclesiastici patroni in religiosos transferant inconsulto Episcopo, intendit statuere, ut si patronus Ecclesia vacante voluerit loco religioso eam donare, ut ita jus decimarum, & aliorum fructuum ad ipsum locum religiosum spectet, ut spectaret ad presbyterum præsentatum, & institutum ab Episcopo, id facere non potest inconsulto ipso Episcopo; quia tunc non donat juspatronatus, sed ipsam Ecclesiam, in qua habet juspatronatus: nec propriè juspatronatus dici valet quid juris ecclesiastici, cùm sit tantùm jus in spiritualibus antecedenter annexum. *cap. quanto 3. de judiciis.* Huic commentario adjungenda sunt, quæ adduxi *in c. cùm Apostolica, de his fiunt à Prælatis cap. consultationibus, cap. pastoralis. de donationibus.*

CAPUT IX.

Idem (a) *VVinton. Episcopo.*

QUerimoniâ Prioris, & fratrum de (b) Leuth. nobis litteris destinatâ audivimus, quod R. Herfod. Comes jus, quod idem Prior, & fratres in Ecclesia de Wic. ex donatione H. delati fundatoris Ecclesiæ suæ, & ipsius R. soceri habere debeant, coram bon. mem. I. quondam Wigor. Episcopo recognovit. Unde Episcopus postea jamdictus Priorem, & fratres nullo reclamante, aut contradicente exinde (c) investivit, quam illi deinde quietè, & pacificè possederunt. Demùm cùm inter præfatum Comitem, & C. uxorem suam, in cujus patrimonio Ecclesia illa consistit, divortium per ecclesiasticum judicium celebratum fuisset, eadem C. W. Pictavensi nupsit, qui Ecclesiæ præscriptæ fructus memorato Priori & fratribus subtraxit omnino, & eos in usus R. sacerdotis ejusdem loci sine Episcopali auctoritate convertit. Cùmque Postmodùm W. de medio sublato, præfata C. tertio viro W. de Mediran. esset matrimonio copulata, idem W. in ea, qua & W. temeritate persistens, jamdictum R. in Ecclesia prætaxata contra Priorem supra dictum manutenere, & fovere incepit dicens, quod id quod prænominatus Episcopus I. fecit super Ecclesia, quæ de uxoris suæ advocatione existit, dum erat in potestate illius viri, à quo postmodum separata fuisse dignoscitur, nullam deberet firmitatem habere, præsertim cùm matrimonium uxoris suæ, sicut asserit, integrè sibi restitutum non esset, nisi de Ecclesia illa suam possit adimplere voluntatem. Unde quoniam absurdum videtur omnino, & ab Ecclesia Dei penitus eliminandum, ut ad singulas patronorum secundùm humanam conditionem (d) vicissitudines, Ecclesiarum debeant ordinationes mutari, nec quod à supradicto H. taliter factum fuerit, alicui successorum lucuit revocare: & ideo

per

per A. ſ. præc. m. quat. rei veritatem diligenter, & ſtudiosè inquiras; & ſi ita inveneris eſſe, prout ſuperiùs eſt natratum, ſæpedictis Priori, & fratribus Eccleſiam prælibatam omni oc. & ap. ceſſ. reſtitui, & in pace facias poſſidere. (d) Viciſſitudines etiam hujusmodi Eccleſiarum ab (e) advocatis, vel aliis quibuslibet in tua diœceſi fieri de cætero nulla ratione permittas, ſed eorum præſumptionem usque ad dignam ſatisfactionem, dilatione ſublatâ, vinculo excommunicationis percellas.

NOTÆ.

1. (a) *Winton.*] Ita etiam legitur in prima collectione, ſub *hoc tit. cap.* 11. ex qua reſtituo præſentem textum. De diœceſi Wintoniensi Angliæ jam egi *in cap. cæterùm, de reſcriptis.*

(b) *Lauth.*] Legendum forſan eſt *Lautheſtoni*, quod monaſterium eſt Canonicorum regularium ordinis D. Auguſtini in Anglia, D. Stephano dicatum, quod conſtruxit Comes Cornuvalliæ anno 1150. ut refert Pennotus *lib. 2. hiſtor. canonic. regul. cap.* 37.

(c) *Inveſtivit.*] Quia videlicet H. Patronus præſentaverat Priorem ad prædictam Eccleſiam de Wic.

(d) *Viciſſitudines.*] Id eſt mutationes, ut expoſui *in cap. quod autem, hoc tit.*

(e) *Advocatis.*] De quibus agemus infrà, *in cap. præterea.*

COMMENTARIUM.

2. CUm repetentes ad hunc textum parum curaſſent de ejus integra, plura & prorſus aliena ab ejus deciſione docuerunt: ut autem verus ſenſus Alexandri III. percipiatur, caſus repetendus eſt. H. Comes Cornuvaliæ, fundator monaſterii Launth. cùm ſimul eſſet patronus Eccleſiæ de Wic. quæ erat in diœceſi Wigornienſi, eam donavit Priori, & Canonicis dicti monaſterii: & Joannes Epiſcopus Wigor. ipſos de prædicta Eccleſia inveſtivit: ſed cùm Conradam filiam ipſius Comitis in uxorem duxiſſet R. Comes Herefordenſis, Comes ipſe ratam habuit donationem factam à ſocero ſuo: ſed divortio facto quoad vinculum inter illum Comitem, & Conradam, ipſa ſecundo nupſit Comiti Pictavienſi, qui ſubtraxit decimas & fructus prædictæ Eccleſiæ de Wich. à dictis Priore, & Canonicis, & conceſſit R. cuidam clerico absque ulla Epiſcopi auctoritate; & cùm deceſſiſſet ipſe Comes Pictavienſis, Conrada tertiò nupſit Comiti de Mediran. qui eandem temeritatem ſequutus, R. fovebat, à Priore autem & Canonicis fructus ipſius Eccleſiæ de Wic. auferebat, allegans, quod cùm donationem ipſius Eccleſiæ feciſſet R. Comes Herefordienſis, & inter ipſum & Conradam divortium factum eſſet, dos debebat plenè reſtitui, juxta textum *in l. divortio 8. ff. ſolut. matrim.* & cùm jus quod habebat Conrada in ipſa Eccleſia ei integrum, & illibatum non reſtitueretur, plenè dos illi reſtituta non erat; & ita ipſe, ut maritus, intendebat juspatronatus ſimul cum dote ad ipſum ſpectare, & ita poſſe præſentare presbyterum ad ipſam Eccleſiam de Wic. Alexand. III. contrarium decrevit, videlicet nec per ipſum, nec per Comitem Pictavienſem potuiſſe revocari donationem factam ab H. Comite Cornuvalliæ, patrono ipſius Eccleſiæ; quia per mutationem perſonarum non debet legitimè præſentatus ad Eccleſiam à novo patrono, vel ejus ſucceſſore removeri; & rectè, nam præterquam, quod conceſſio Eccleſiæ de Wic. facta fuerat ab H. ejus patrono, etiamſi facta fuiſſet ab R. Comite, ejus genero, infirmari non debebat; nam certum eſt juspatronatus annexum alicui Caſtro in dotem dato, ad maritum pertineant, *l. de diviſione 5. cum ſequent. ff. ſolut. matrim. l. pro oneribus, C. de jure dotium*; & præſentatio ſit fructus jurispatronatus, Balboa & alii *in cap. cùm Bertholdus, de re judic.* Gutierrez 3. *p. de tutel. cap.* 29. *num.* 3 & juspatronatus transeat cum univerſitate bonorum, extra dubium eſt præſentationem ad maritum ſpectare, ut probant, & exponunt Petrus Barboſa *in l. Divortio* 8. §. *ſi vir, num.* 56. *ff. ſolut. matrim.* Lara *lib. 2. de capell. cap.* 3. *nu.* 20. Silva *de qualit. Prælat. num.* 75. *cum ſequent.* Si ergo maritus ut patronus in præſenti ſpecie donavit Eccleſiam de Wic. Priori, & fratribus de Launth. etiamſi poſtea ſequeretur divortium, ipſa donatio non erat infirmanda, quia divortio facto reſtituitur dos, non tamen fructus percepti; immò dividuntur pro rata temporis, per quod matrimonium duravit, *l. fructus* 7. §. *divortio*, aliàs *l. divortio* 8. *ff. ſolut. matrim.* Plura Pinellus *lib. 1. ſelect. cap.* 2. Unde cùm præſentatio ad Eccleſiam vacantem inter fructus jurispatronatus numeretur, ideo præſentatio facta à marito, pendente matrimonio, non debet infirmari: & ita rectè concludit Alex. ex mutatione perſonarum, quia videlicet juspatronatus mutetur, & ad alium ſpectare incipiat, non debet infirmari præſentationem factam à prædeceſſore, quia presbyteri legitimè præſentati, nec per ſucceſſores, nec per ipſos patronos removeri poſſunt, ut docent Lambertinus *lib. 1 de jurepatron. p. 2. artic. 36. num. 6.* & *artic. 12. quæſt. 1. p. 1.* Roch à Curte *eod. tract. verbo ipſe, num.* 27. Molina *lib. 1. de primog. cap. 24. num. ult.* Arellano *lib. 3. antinom. 6.*

CAPUT X.

Idem (a) *Eborac. Archiepiſcopo.*

INter cæteras. *Et infrà:* Cùm laici Epiſcopis neſcientibus, aut non conſentientibus, clericis Eccleſias concedunt, in quibus habent juspatronatus, & poſtea pœnitentiâ

ducti alios ad eas Ecclesias Episcopis repræsentant, & illi ad eorum repræsentationem in eisdem Ecclesiis ab Episcopis instituuntur, eorum debet institutio stare, & firmiter observari, qui auctoritate Episcopi sunt instituti; concessione priori, quæ nulla est, omnino evacuata. Non enim licet laicis clericos in Ecclesiis propriâ præsumptione ordinare.

NOTÆ.

(a) E *Boracen.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub. hoc titul. cap.* 12. & post Concilium Lateran. *p.* 15. *cap.* 1. & *in c. inter, de rescript.* ubi extat alia pars hujus decretalis. & commentarium hujus textus dedi *in cap.* 4. *hoc titul.*

CAPUT XI.

Idem (a) *Abbatib. & Priorib. & Clericis per Archiepiscopatum Eboracen. constitutis.*

CUra pastorali necessitate constringimur, & auctoritate injuncti nobis officii provocamur pro statu Ecclesiarum vigili studio satagere, & ne ultra juris ordinem alicui conferri valeant Ecclesiæ, attentiori solicitudine providere. Inde est, quod universitati vestræ per A. s. m. quat. ex donatione laicorum, nisi auctoritas diœcesani Episcopi, & consensus adsit, nullus vestrûm aliquas Ecclesias vendicare præsumat, vel retinere taliter acquisitas, nisi longâ fuerit præscriptione munitus, aut postea diœcesani Episcopi habuerit fortè consensum. Nos enim cùm laici non possint in alios, nisi jus, quod habent, transferre, hujusmodi concessiones viribus carere decernimus, & irritas penitus esse censemus.

NOTÆ.

1. (a) A *Bbatibus.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 13. & post Concilium Lateran. *p.* 15. *cap.* 12. in Metropoli enim Eboracensi sunt plura monasteria, tam monachorum, quàm canonicorum regularium, ut referunt Tamburinus *in serie Abbatum, verbo Eboracensis*, Pennotus *lib.* 2. *hist. canonic. regul. c.* 37.

COMMENTARIUM.

2. CUm certum sit juris principium, beneficium non posse obtineri sine institutione canonica, *cap.* 1. *de R. I. lib.* 6. nec patronum posse sine Episcopi institutione beneficium conferre, ex adductis suprà *in cap.* 4. difficilis profectò est præsens textus, dum in eo Alexander docet, legitimo temporis spatio posse presbyterum, qui Ecclesiam accepit à patrono laico, eam acquirere. Pro cujus textus expositione varia adduxerunt repetentes hîc. Covar. & alii, quos refert Garanna *in cap.* 1. *hoc tit.* Balboa *in cap. ad aures, de præscript. num.* 30. Acosta *de privil. credit. ampl.* 1. *num.* 56. communiter docent, in præsenti agi, non de concessione Ecclesiæ, sed de donatione ipsius juris patronatus facta à laico, in qua cùm desideretur Episcopi licentia, ex traditis suprà *in cap. illud*; ideo ut legitimè laicus illud jus retineret, præscriptione legitimi temporis acquiri potuit. Sed facilè hæc interpretatio convincitur primò, quia ut ex littera hujus textus constat, non jus patronatus, sed Ecclesiam ipsam patronos concessisse, seu concedere consuevisse in Metropoli Eboracensi, apertè deducitur; & eam non concessisse laicis ut vult post alios Garanna, sed potiùs Abbatibus, Prioribus, & clericis, cum quibus Pontifex loquitur, & quibus rescribit. Quare veriùs dicendum est, in præsenti textu agi de consuetudine, quæ invaluerat in Metropoli Eborac. juxta quam patroni concedebant Ecclesias ipsas, in quibus jus habebant patronatus, monasteriis manochorum, seu Canonicorum regularium, in perpetuum, quod facere nequibant sine consensu Episcopi *cap. consultationibus, cap. pastoralis, de donat.* ubi notavi: quo casu ut ipsa Ecclesia uniretur monasterio, non erat necessaria Episcopi institutio, sed tantùm licenta, seu auctoritas *dict. cap. consultationibus.* Unde ea deficiente tempore donationis à patrono factæ, talis concessio firma, & valida non erat, sed postea convalescebat, rataque habebatur, si monasterium per legitimum tempus Ecclesiam ipsam tanquam unitam monasterio possedisset, ut de aliis Ecclesiis à monachis in principio injustè obtentis, probavi *in c.* 1. *de capel. monach.* & docuit Heraldus Episcopus Turon. *in suis capit. can.* 79. ibi: *Qui Ecclesiam trecennari jure possiderit, nulli deinceps subtrahere liceat*: aut si postea accederet consensus Episcopi, *cap. suggestum, hoc tit.* quo casu ex nunc valere similem unionem, docuit Acosta *ubi suprà*. Non ergo in præsenti textu agitur de donatione facta à patrono laico ipsius juris patronatus; nam tunc cùm facta esset locis religiosis, ut ex epigraphe, & integra hujus textus constat, non erat necessarius Episcopi consensus, juxta tradita suprà *in cap. illud*; sed de concessione ipsius Ecclesiæ, ut perpetuò unita maneret ipsi monasterio: quo casu necessarius est Episcopi consensus, *dict. cap. consultationibus.* Quæ interpretatio facilè probatur ex ratione adducta ab ipso Alexandro, ibi: *Cùm laici non possint in alios, nisi jus, quod habent, transferre.* Agnovit ergo Pontifex jus patronatus rectè posse ipsos patronos in consulto Episcopo locis religiosis donare, quia illud jus ipsi habent: at verò Ecclesias, in quibus tantùm jus patronatus obtinent, concedere etiam religiosis locis non posse.

CAPUT

CAPUT XII.

Idem (a) *Lundon. Episcopo.*

SI verò aliquando ordinatio alicujus Ecclesiæ ad tuam institutionem spectat, & pro controversia laicorum de jurepatronatus inter se discrepantium malitiosè differtur: fas tibi sit de auctoritate nostra, nullius ap. vel contr. ob. in eadem Ecclesia personam idoneam instituere, ita quod ipsa repræsentaretur ab eo, qui juspatronatus evicit.

NOTÆ.

1. (a) *Undon.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 15. & post Concil. Lateran. *p.* 15. *cap.* 12. ubi textus hic tribuitur non Alexandro III. sed Lucio III. ut in hac sexta compilatione, in qua legitur *Lincon.* quod verius credo, & ita existimo auctorem hujus textus esse Lucium III. & in præsenti referri partem textus *in c. ad aures, de rescript. c. postremò, de appell. c. de rectoribus 3. de cleric. ægrot.* qui textus sunt ejusdem Pontificis, & in eis eidem Episcopo rescribitur.

CAPUT XIII.

Idem *dil fil.* (a) *Hosp. & Templ.*

CUm sæculum reliqueritis, ut Creatori vestro possitis in arce contemplationis placere, decet vos ab his, quæ sunt obvia rationi, abstinere, vel quæ reprehensioni subjaceant, aut vestram opinionem, & famam valeant denigrare. Inde est, quod universitati vestræ districtus per A. s. prohibemus, nec cùm ratione feudorum (b) emptorum, aliterve acquisitorum, vel etiam (c) alio modo juspatronatus in Ecclesiis parochialibus acquisieritis, in eis presbyteros, nisi per Episcopos instituatis, nec Episcopo jus parochiale minuere, aut auferre aliquatenus præsumatis: (d) excommunicatos quoque ipsius Episcopi, vel Archidiaconorum suorum contra authentica scripta Romanæ Ecclesiæ ad divina officia in capellis vestris recipere non audeatis.

NOTÆ.

1. (a) *Hosp. & Templ.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc titul. capite* 16. & post Concil. Lateran. *part.* 15. *cap.* 13. De Hospital. & Templar. nonnulla adduxi *in capite* 16. *de judiciis.*

2. (b) *Emptorum.*] Et ita cum universitate bonorum juspatronatus potuit in emptorem transferri, ut jam probavi *in capite ex literis, hoc titul.*

(c) *Alio modo.*] Donatione videlicet, præscriptione, aut permutatione, de quibus Valensis *lib.* 1. *de benefic. cap.* 4. Et plerumque juspatronatus spectare ad monachos, probavi *in cap.* 1. *de capel. monach.* 3.

(d) *Excommunicatos.*] Hæc verba omisit Raymundus in præsenti, ut minùs propria hujus tituli, vel quia ex Concilio Lateran referuntur *in capite cum & plantare, §. excommunicatos, de privil.* Commentarium hujus textus dedi suprà *in capite* 4. 4.

CAPUT XIV.

(a) Idem.

EX insinuatione dilecti filii nostri O. clerici accepimus, quod cùm frater suus ei juspatronatus, quod in quibusdam Ecclesiis in Lincon. & Salesberien. (b) Episcopatibus constitutis habebat, liberaliter (c) contulisset, easdem Ecclesias quidam presbyteri, & alii occasione fratris prædicti O. sine ipsius voluntate, & assensu occupaverunt per violentiam, & eas injustè detinent occupatas. Quia igitur nostra interest, ea quæ minùs ordinatè ab aliquibus subjectis attendantur, ad rectitudinis tramitem revocare, s. v. p. A. s. p. m. quat. rei veritate diligenter inquisitâ, & cognitâ, si ita,

si ita, sicut dictum est, esse inveneritis, memoratos presbyteros Ecclesiarum earundem detentores moneas, modisque omnibus inducas, ut easdem Ecclesias prædicto clerico sine mora, & difficultate restituant liberè, & pacificè (d) ordinandas, & nullam ei exinde molestiam ferant, vel gravamen. Quod si prædicti presbyteri commonitioni tuæ acquiescere fortè noluerint, tu ipsos excommunicationi; & terras, si quas habent, omni oc. & a p. cess. interdicto subjicias. Et in memoratis Ecclesiis divina facias cessare officia, quandiu a b aliquibus prædictorum auctoritate militum occupatæ detinebuntur: quod si nec sic earundem Ecclesiarum detentores resipuerint, ipsos ap. cess. ecclesiasticâ censurâ percellas.

NOTÆ.

1. (a) *Idem.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 17. & post Concil. Lateran. *p.* 15. *cap.* 14. nullibi tamen exprimitur Prælatus, cui rescribat Pontifex; sed inscriptio supplenda est *ex cap.* 2. *de filiis presbyt.* ubi refertur alia pars hujus textus, ut jam ibi notavi.

2. (b) *Episcopatibus.*] Angliæ videlicet, quos refert Carolus à sancto Paulo *lib.* 6. *geograph. sacr. per tot.*

(c) *Contulisset.*] Quod facere poterat propriâ auctoritate absque Episcopi licentia, secus verò si in laicum transferre intenderet, ut probavi suprà *in cap. illud.* 3.

(d) *Pacificè ordinandos.*] Quia ipse verus patronus erat, & absque ejus voluntate nemo, etiam vacante Ecclesiâ in ea ordinari valebat, *cap.* 1. §. *ædificatori*, 16. *quæst.* 5. *cap. quicunque*, §. *final. c. decernimus, cap. monasterium* 16. *quæst.* 7. *cap. illud.* §. *final. cap. novit*, §. *cæterùm*, *hoc tit.* cum aliis infrà referendis *in cap. eam te.* 4.

CAPUT XV.

Idem (a) *Andrensi Episcopo.*

Consuluit nos tua fraternitas, quid tibi faciendum sit de clericis, qui (b) Ecclesias constructas hæreditario jure sibi vindicant, nec tibi volunt exinde respondere; & de laicis, qui præscriptas Ecclesias filiis, vel (c) nepotibus suis dare nituntur. Cùm autem (d) sanctarium Dei jure hæreditario teneri non possit, & indignum sit penitus, & absurdum, ut quilibet auctoritate propriâ Ecclesias occupet, vel taliter occupatas detineat, non decet aliquatenus sustinere, ut in Episcopatu tuo, vel clerici Ecclesias à parentibus suis fundatas auctoritate propriâ detineant, aut laici filiis, vel aliquibus aliis Ecclesias ipsas (e) concedant.

NOTÆ.

1. (a) *Andrensi.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 18. post Concil. verò Lateran. *p.* 15. *cap.* 15. ubi reperitur hic textus, non exprimitur Episcopus, cui rescribat Pontifex: in hac sexta collectione legitur *Adrien.* Adria nobilis civitas est intra fauces Padi fluminis, in Transpadana Æmilia, ad mare, quod ab ejus nomine Adriaticum dictum est: Hetruscorum antiquissimæ gentis fuisse coloniam sexcentis annis ante Christum natum, referunt Varro, Livius, Plinius, & Strabo relati ab Ughellio *tom.* 2. *Italiæ sacræ*, *fol.* 396. habuit Ecclesiam Cathedralem jam à primis Christianæ religionis seculis; sed propter aëris intemperiem auctoritate Joannis X. summi Pontificis translata fuit Rhodigii. Ejus Ecclesiæ Præsuli Gabrieli, qui interfuit Concilio Lateran. sub Alexandro III. celebrato, missa est præsens Decretalis, cujus alia pars extat *in cap.* 2. *de frigid. & malef.*

(b) *Ecclesias.*] Neutiquam accipias in præsenti Ecclesiam pro ipso jure patronatus, in quo datur successio hæreditaria, ut jam notavi *in c.* 1. *hoc tit.* 2.

(c) *Filiis vel nepotibus.*] Quod facere possunt, ut probavi *in cap. quia clerici, hoc tit.*

(d) *Sanctuarium Dei.*] Ut jam latè illustravi *in cap.* 1. *de præb.* 3.

(e) *Concedant.*] Auctoritate propriâ, ut sæpiùs in hoc titulo repetitum legimus, nam præsentare ipsos Episcopo, ut ab eo institutionem accipiant, facere possunt, ut probavi suprà *in cap. quia clerici.* Nec in præsenti id prohiberi intenditur, sed tantùm ne patroni occupent Ecclesias propriâ auctoritate, in quibus jus obtinent patronatus; aut eadem auctoritate filiis, vel nepotibus concedant, ut facilè constat ex ratione adducta ab ipso Alexandro, in illis verbis: *Cùm autem sanctuarium Dei*, &c. & jam notavi *in c.* 1. *hoc tit.*

CAPUT

CAPUT XVI.

(a) Idem.

DE jure verò patronatus in præscripta capella, hoc tuæ discretioni mandamus, ut si prædictus R. ipsum comparavit, cùm inconveniens sit, & penitus inhonestum vendi jus (b) patronatus, contractum illum sub. ap. rem. irritum denuncies manere, ipsumque Apostolica auctoritate fretus non differas revocare.

NOTÆ.

(a) *Idem.*] In prima collectione, *sub hoc titulo cap.* 20. ita legitur; & post Concilium Lateran. *p.* 15. *cap.* 17. tantùm legitur *Idem*: sed in eadem appendice, *p.* 47. *cap.* 1. legitur ut in præsenti à Raymundo transcribitur: & forsan ad eandem causam spectat textus *in cap. ad aures* 19. *hoc tit.* in eadem collectione, ubi sub eadem inscriptione hæc verba leguntur: [Ad aures nostras pervenit, quod Robertus, & W. de Crotona juspatronatus Ecclesiæ emere non dubitavit, & Canonicis de Stodeleja tantas molestias intulit, persecutiones, & gravamina, quod metu, & dolo illius seducti, juri suo penitus renunciaverunt. Unde quoniam cùm juspatronatus connexum sit spirituali, nemini licitum est vendere illud, d. t. p. A. s. m. quat. utraque parte ante convocatâ, rei veritatem diligentiùs inquiras, & si ita esse inveneris, prædicto R. super patronatu Ecclesiæ, oc. & ap. rem perpetuum silentium imponas, & prædictis Canonicis jus, quod ibi habebant, si Prior eorum metu capitis, quod idem R. se abscissurum fide, ut fertur, firmavit, eidem renunciaverit, integrè facias restitui, non obstantibus litteris nostris (si quæ sunt) tacitâ veritate impetratæ.] De Cantuariensi Metropoli nonnulla notavi *in cap.... de rescript.* 1.

(b) *Juspatronatus.*] Primo & principaliter, quia est spiritualibus annexum, *cap. quantò* 3. *de judic.* Lotherius *de re benef. lib.* 2. *cap.* 9. Simul tamen cùm universitate bonorum alienari valet, ut probavi suprà *in cap.* 1. 2.

CAPUT XVII.

(a) Idem.

NUllus laicus (b) decimas, aut (c) Ecclesias, aut quidquid ecclesiastici juris est, sine concessione sui Pont. nec monasteriis, nec canonicis offerat: & si quis Episcopus improbitatis, & (d) avaritiæ causa consentire noluit, Romano (e) Pontifici nuncietur, & quod offerendum est, tunc de licentia ejus offeratur.

NOTÆ.

(a) *Idem.*] Nec in prima collectione, ubi *sub hoc tit. cap.* 21. reperitur hic textus; nec post Concilium Lateran. *p.* 15. *cap.* 18. exprimitur Prælatus, cui rescribat Pontifex: forsan legem generalem condere in præsenti voluit, & ita non ab aliquo Prælato consultus, sed motu proprio præsentem edidit constitutionem. 1.

(b) *Decimas.*] Juxta tradita *in cap. ad Apostolicam, de his quæ fiunt à Prælat.* 2.

(c) *Ecclesias.*] Idest beneficia ipsa, seu Ecclesias, ad proprietatem, non verò juspatronatus; quia illud sine Episcopi consensu locis religiosis donari potest, *cap. illud* 8. *hoc tit.* ubi textum hunc exposui.

(d) *Avaritiæ causâ*,] Forsan petendo redemptionem, seu pensitationem, de quibus egi *in Capite* 1. *de capellis monachorum.*

(e) *Romano Pontifici.*] Sed quare non est adeundus Metropolitanus immediatus superior, ut consensum illum præstet, vel Episcopum illum præstare cogat? Variè satis aciunt Doctores congesti à Barbosa hîc, sed placet sententia Sebastiani Cæsaris *de Eccles. hierarch. disput.* 5. §. 2. *num.* 21. quem suppresso nomine sequitur Barbosa *in præsenti*, videlicet, quod cùm consensus Episcopi in præsenti desideretur pro solennitate ipsius actus, *ex cap. consultationibus, de donat.* non potest suppleri per Metropolitanum, sed tantùm per ipsum Summum Pontificem, ut probat doctè ipse Barbosa: poterat tamen Archiepiscopus cogere ipsum Episcopum, ut consensum præstaret. 3.

CAPUT XVIII.

(a) Idem.

SIgnificasti. *Et infrà*: Cæterùm si Episcopi post promotionem suam præsentationes personarum ad Ecclesias à patronis earum pro Ecclesiis sibi commissis adepti fuerint, personæ idoneæ, quas ad eas vacantes repræsentaverint, sunt admittendæ.

NOTÆ.

1. (a) *Dem.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 22. & post Concilium Lateran. *p.* 15. *cap.* 19. legitur *Norvicensi Episcopo*; unde cognoscitur, in præsenti referri partem textus *in cap. significasti* 9. *de offic. deleg.* ubi extat integra Decretalis. Verba autem, quæ in præsenti referuntur, plenam lucem accipiunt ex Concilio Arausic. 1. *can.* 10. ubi ita sanxerunt PP. *Si quis Episcoporum in alienæ civitatis territorio Ecclesiam ædificare disponit, vel profundi sui negotio, aut ecclesiastica utilitate, vel pro quacunque suorum opportunitate, præmissâ licentiâ ædificandi (quia prohibere hoc nefas est) non præsumat dedicationem, quæ illi omnimodè reservatur, in cujus territorio Ecclesia assurgit: reservatâ verò ædificatori Episcopo hac gratiâ, ut quos desiderat clericos in re sua videre, ipsos ordinet is, in cujus civitatis territorio est; vel si ordinati jam sunt, ipsos habere acquiescat, & omnis Ecclesia ipsius gubernatio ad eum, in cujus civitatis territorio Ecclesia surrexit, pertinebit.* Concessum ergo fuit Episcopis patronis, ut etiam in Ecclesiis existentibus in aliena diœcesi possint præsentare presbyteros, & virtute hujus præsentationis debeant admitti à propriis Episcopis, in quorum territoriis Ecclesiæ illæ erant. Unde quod de Episcopis constituentibus Ecclesias in aliena diœcesi in dicto canone cautum erat, hîc protrahitur ad casum, in quo ad Episcopum jam consecratum juspatronatus in aliquibus Ecclesiis alienæ diœcesis pervenit; nam tunc etiam potest propriâ auctoritate in eis presbyteros instituere.

CAPUT XIX.

Idem *Abbati* (a) *S. Albani.*

COnsultationibus. *Et infrà*: De cætero si aliquis clericus ab ordinatio judice in Ecclesia aliqua institutus fuerit ad repræsentationem illius, qui ejusdem Ecclesiæ credebatur esse patronus, & postea juspatronatus alius evicerit in judicio; clericus qui institutus est, non debet ab Ecclesia ipsa propter hoc removeri, si tempore præsentationis suæ ille, qui eum præsentavit, juspatronatus Ecclesiæ possidebat. Si verò non possidebat juspatronatus, sed tantùm credebatur esse patronus, cum non esset, nec possessionem patronatus haberet, secundùm consuetudinem Anglicanam poterit ab eadem Ecclesia removeri. Donationes verò, vel concessiones Ecclesiarum, si quæ fiant privatis personis, viventibus illis, qui ipsas Ecclesias possident, nullius debent esse momenti: si religiosis fiant locis, ratæ debent haberi; ita quidem, quod personæ quæ jamdictas Ecclesias possident, sine ipsarum assensu eis in vita sua non debeant spoliari.

NOTÆ.

1. (a) *Sancti Albani.*] Ita legendum est, ut legitur *in cap.* 23. *sub hoc tit. in* 1. *compil.* & post Concilium Lateran. *p.* 15. *cap.* 20. & *in cap. consultationibus, de offic. deleg. cap. consultationi, de donat.* ubi extant aliæ partes hujus textus.

COMMENTARIUM.

2. EX hoc textu communiter deducitur, clericum præsentatum ab eo, qui est in quasi possessione jurispatronatus, non esse removendum ab Ecclesia, etsi evincatur juspatronatus à vero possessore: quod etiam probatur *ex cap. querimoniam, hoc tit. l.* 9. *tit.* 15. *partit.* 1 & docent Barbosa *lib.* 3. *juris eccles. cap.* 12. *num.* 183. Gutierrez *lib.* 3. *canonic. q.* 42. Mancinus *sacri jur. controv. dissert.* 9. *cap.* 8. Salgado *de protect. Regia.* 3. *p. cap.* 1. *num.* 160. Tondutus *de benef. p.* 2. *cap.* 4. §. 9. *num.* 11. & latè probavi *in cap. querelam. de elect.* Id tamen ita accipiendum est, si ipse bonæ fidei possessor erat; nam si cum mala fide juspatronatus possidebat, sicut non facit fructus suos, ita nec præsentare valet, ut docuerunt Lambertinus *de jurepatron. lib.* 2. *p.* 1. *q.* 3. *art.* 2. 3. & 7. Garcia *de benef.* 5. *p. cap.* 5. *num.* 69. Lotherius *lib.* 1. *de re benef. q.* 34. *num.* 28. Cabedo *de Patronatu Regio, cap.* 8. *num.* 2. & 7. Lara *de annuers. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 4. Salgado *de Regia protect.* 3. *p. cap.* 1. *num.* 160. Tondutus *tom.* 1. *resol. p.* 2. *de benef. cap.* 4. §. 9. Illustr. Ramos *pro Episcop. Lusit. propos.* 1. §. 1. *num.* 48. Commentarium hujus textus dedi *in d. cap. querelam.*

CAPUT XX.

Idem *Eborac.* (a) *Archiepiscopo.*

SUggestum est auribus nostris, quod cùm Ecclesiæ de Ochona, ac de Borales, Saiter, & de Land. de assensu Domini fundi, & auctoritate Eboracensis Archiepiscopi Ecclesiæ B. Petri Eborac. concessæ, & assignatæ sint in præbendam, Canonici de (b) Novoburgo concessionem illam attenuare, & irritare nituntur occasione donationis, quam sibi asserunt priùs factam fuisse. Unde quoniam licèt in donationibus Eccle-

Ecclesiæ requirendus sit, & expectandus patronorum consensus, Ecclesiæ tamen ipsæ, nisi auctoritas intervenerit Pontificalis, canonicè concedi non possunt: universitati vestræ significamus, quod prior concessio, si cum assensu patroni, & auctoritate diœcesani Episcopi facta est, aut ejus fuerit assensus postea subsecutus, posteriori concessioni præfertur: alioquin illa debet præferri, quamvis posteriùs facta sit, quæ consensu domini fundi, & Episcopi auctoritate fulcitur.

NOTÆ.

(a) *Boracensi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 25. & post Concilium Lateran. *p.* 15. *cap.* 23. De Eboracensi Metropoli nonnulla adduxi *in cap.* 4. *de rescriptis.*

(b) *Novoburgo.*] Forsan legendum est, *Neuburgo:* quod monasterium est in diœcesi Eborac. Canonicorum regularium Ordinis D. Augustini, constructum anno 1127. ut refert Pennotus *lib.* 2. *hist. canonic. regul. cap.* 37. *num.* 10. & commentarium hujus textus dedi *in cap.* 4. *cap. illud, hoc tit.*

CAPUT XXI.

Idem *Archiepiscopis, & Episcopis per Angliam* (a) *constitutis.*

RElatum est auribus nostris, quod nonnulli ambitione nimiâ tracti, occasione laicæ recognitionis, & potentiæ secularis, in seculari foro, non requisitâ Episcopi audientia, patronatus Ecclesiarum, & beneficia ecclesiastica sibi præsumunt in vestris parochiis vindicare. Quoniam igitur hujusmodi personæ non intrant per ostium, sed aliunde conscendunt, ac per hoc indigni sunt pastoris nomine, vel prærogativâ gaudere, f. v. per A. s. m. atque præc. quat. eos, quos noveritis patronatus Ecclesiarum, & Ecclesiastica beneficia prædicto modo adeptos, si commoniti minimè resignaverint, nisi præscriptione, aut Episcopali concessione muniti fuerint, sublato ap. diffugio ab officio reddatis, & beneficiis alienos: & si nec sic destiterint, vinculo anathematis innodetis, & usque ad dignam satisfactionem teneatis, & teneri faciatis adstrictos. Ad (b) hæc quoniam quidam laici Ecclesias tertis, & aliis possessionibus spoliant, ut sic viros Ecclesiasticos faciant coram seculari judice litigare: præsentium vobis auctoritate injungimus, ut id publicè sub interminatione curetis anathematis prohibere. Si quis autem prohibitionis vestræ contemptor extiterit, eum, si manifestum fuerit, ap. cess. excommunicationi subdatis, & usque ad dignam satisfactionem, sicut excommunicatos, faciatis attentiùs evitari.

NOTÆ.

1. (a) *Constitutis*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 27. & post concilium Later. *p.* 50. *cap.* 33. ex quibus codicibus ita restituo litteram hujus textus.

(b) *Ad hæc.*] Verba quæ sequuntur, exposui *in cap. cùm sit* 8. *de foro compet.*

COMMENTARIUM.

2. TExtus hic, prout compilatur à Raymundo in præsenti, levem, aut nullam difficultatem continet; siquidem omnino convenit suprà traditis *in cap.* 4. *hoc tit.* videlicet, patronum propriâ auctoritate non posse Ecclesiam concedere irrequisito Episcopo, nec clericum posse de manu ipsius eam accipere. Sed prout hic transcribitur ex dicta prima collectione, difficilis est in illis verbis: *Nisi præscriptione, &c.* quæ omisit Raymundus, siquidem ex illis deducitur, præscriptione acquiri posse licitè Ecclesiam absque ulla Episcopi institutione. Quare pro hujus textus expositione existimo, in eo agi de eadem consuetudine, seu potiùs corruptela, quæ invaluerat in Anglia, videlicet, quod patroni conferrent Ecclesias, in quibus habebant juspatronatus, cum ipso patronatus jure, irrequisito Episcopo; quam improbavit Alex. III. rescribens Abbatibus, Prioribus, & Canonicis Regularibus per Angliam constitutis, suprà *in cap. cura*, eamque etiam in præsenti reprehendit rescribens Archiepiscopis, & Episcopis Angliæ: unde præsens textus exponendus est juxta textum *in dict. cap. cura*, & ibi adducta, videlicet, ut in eo agatur de Ecclesiis concessis per patronos monasteriis, & locis religiosis, quas de jure concedere non poterant sine consensu Episcoporum, *cap. consultationibus, de donat.* Sed cùm hic consensus non pro institutione, sed pro solennitate desideraretur, ideo si monasteria ipsa, vel personæ religiosæ Ecclesias illas per legitimum tempus tenuissent eas præscriptione acquirebant, juxta textum *in d. cap. cura.*

CAPUT

CAPUT XXII.

(a) Idem.

EAm te decet. *Et infrà* : Illas autem Ecclesias, de quarum patronatu controversia fuerit, si intra sex menses postquam vacaverint, non fuerit controversia terminata, licitum tibi sit de persona idonea ordinare.

NOTÆ.

1. (a) [*Idem.*] Inscriptionem hujus textus exposui *in cap. eam te, de ætate & qualit.* ubi extat ejus prior pars.

COMMENTARIUM.

2. INter alias jurispatronatus ecclesiastici, & sæcularis differentias, illa notissima est, quod patrono ecclesiastico competit semestre ad præsentandum; patrono verò laico quadrimestre, *cap. quoniam, hoc tit. cap. unic. §. final. cod. tit. lib. 6. cap. quia, de conces. præbend. cap. licèt, de supplend.* pluribus relatis docent Salgado *de protect. reg. 3. p. cap. 11. num. 62.* Solorzanus *tom. 2. de jure Indiar. lib. 3. cap. 3. num. 48.* Unde textus hic accipiendus est de patrono ecclesiastico, ut post repetentes in præsenti docuit Valensis *lib. 1. de benef. tit. 4. num. 10.* Intra hoc autem tempus nulla potest in ipsa Ecclesia institutio fieri absque consensu patroni, *dicto cap. unic.* sed eo tempore elapso, quod incipit à die notitiæ vacationis, juxta adducta *in cap. litteras, de supplend.* quare priùs probari debet, ut resolvit Marinis *lib. 1. resol. cap. 300.* Episcopus in ea Ecclesia presbyterum ordinabit, *dicto cap. quoniam, 3. cap. si verò 12. cap. cùm propter 27. hoc tit.* Consonat lex 11. *tit. 15. partit. 1.* Probant ultra congestos à Barbosa & Garaña *in præsenti*, Lara *de capel. lib. 2. cap. 9. num. 38.* Illustr. Ramos *ad Alex. VII. pro Episc. Lusit. propos. 2. num. 1.* Luna & Arellanus *lib. 3. antinom. 7.* Valensis *de benef. dicto tit. 4. cap. 14.* nam cùm plurimùm intersit Ecclesias non diu vacare, ut probavi *in cap. ne pro defectu, de elect.* Summus Pontifex, qui ex gratia concessit patronis, ut possint præsentare clericos ad beneficia vacantia, potuit statuere, ut illis non præsentantibus, etiam propter discordiam inter eos ortam, pro ea vice amitterent jus præsentandi, ad Episcopumque devolveretur, *dicto cap. si verò 12. d. cap. cum propter*, probant Sanchez *lib. 2. consil. cap. 3. dub. 60.* Riccius *in praxi, decis. 188.* Ludovisius *decis. 94.* Vivianus *de jurepatron. p. 2. lib. 7. cap. 3. num. 7.* Spino *in specul. gloss. 4. num. 4.* Lara *lib. 2. de capel. cap. 9. num. 38.* Barbosa *lib. 3. juris Eccles. cap. 12. num. 71.* & *alleg. 72. num. 140.* & malè Guttierrez *lib. 1. canonic. cap. 28. num. final.* existimavit, durante lite inter electores non currere semestre, adducto capite 2. *de in integrum restit.* quod nihil probat. Et negligente monasterio, devolutio etiam fit ad Episcopum, Barbosa *alleg. 126. num. 66.* cum sua qualitate, Valenzuela *consil. 103. num. 42.* Si autem patroni legitimè sint impediti, quia illis non currit tempus, *dicto cap. quia, cap. final. de elect.* Episcopus aliquem ordinare non potest, juxta tradita *in dicto cap. litteras, dicto cap. quia*, ex quibus commentariis præsens petendum est.

CAPUT XXIII.

(a) Lucius III.

PRæterea, quoniam advocati Ecclesiarum in tantam noscuntur insolentiam prorupisse, ut sacerdotes, & alios ecclesiasticos viros pro suæ voluntatis arbitrio in Ecclesiis ipsis constituant, atque destituant, & jus advocationis donationis, vel emptionis titulo, aliisque pro sua voluptate contractibus etiam in alios transferre præsumant, (b) fodrum, (c) albergarias, (d) regium, similia, tanquam à propriis rusticis, ab ipsis ecclesiis extorquentes; & quod ministri Ecclesiarum eis inconsultis faciunt, juxta proprium arbitrium in irritum deducentes: præsenti decreto subnectimus, & auctoritate Apostolicâ firmamus, eos, sive Advocati, sive Patroni, vel Vicedomini, sive custodes, vel guardias habentes, seu alio quolibet nomine censeantur, à prædictorum gravaminum importunitate cessare nihilque in Ecclesiis, in quibus sibi aliquam de prædictis vindicant potestatem, præter antiquos, & moderatos redditus à locorum Episcopis institutos exigere, aut si aliud exegerint, excommunicationis sententiæ subjacere: contractus etiam, quos de alienatione advocationis, sive patronatus vel fecerint hactenus, vel facere in futuro præsumpserint, præsenti institutione cassamus, & eos vim aliquam decernimus non habere. Ne autem per appellationis obstaculum, aut in iis, quæ de hæreticis dicta sunt, aut Advocatorum coërcitione, quam diximus, præsentium deludatur auctoritas decretorum, totius appellationis remedium in præscriptis capitulis denegamus, nullam penitus audientiam cuilibet contra hæc appellationibus præbituri.

NOTÆ

NOTÆ.

1. (a) *Lucius III.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 19. ubi additur, *pars capitis ad abolendam:* unde cognoscitur, in præsenti referri partem textus *in cap. ad abolendam, de hæreticis*; nulli tamen Prælato rescribit Lucius, quia in præsenti novam edidit constitutionem, non alicujus consultationi respondens, aut litem decidens, ut ex ipsius verbis facilè constat.

2. (b) *Fodrum.*] Foderum, sive fodrum, est alimentum, sive pabulum, quod alicui solvitur; quo modo accipitur in diplomate Conradi I. Imperatoris, quod extat in legibus Longobard. *l.* 4. *tit.* 8. *lib.* 3. ibi: *Fodrum de castellis, quod nostri antecessores habuerunt, habere volumus.* Fridericus de pace Constantiæ: *Fodrum consuetum, & Regale, quæ solent & debent, præstabunt.* Sigonius *libro* 8. *de Regno Italiæ*, & *lib.* 7. *ejusdem operis*, ita ait: *Foderum summa quædam frumenti fuit, quam advenienti in Italiam Regi populi solvere tenebantur; pro quo sæpe etiam æstimata pecunia pendebatur.* Petrus de Vineis *lib.* 2. *epist.* 29. Viarum asperitas fodri confluentem interdicat. Guntherus *lib.* 8. *Ligurini, vers.* 570.

Ac primùm Ligures super hoc à Rege rogati,
Vectigal, portus, cudendæ jura monetæ,
Cumque molendinis, telonea, flumina, pontes,
Id quoque quod fodrum vulgari nomine dicunt,
Et Capitolitium certo sub tempore censum:
Hæc Ligures sacro tribuerunt omnia fisco.

Explicant Lindembrogius *in Glossar. verbo Foderum.* Vossius *de vitiis serm. lib.* 2. *cap.* 6.

(c) *Albergarias.*] Albergaria est hospitiorum præbendorum onus, ut exponit Boëtius Epon. *de regul. num.* 25. unde advocati ab Ecclesiis, & clericis extorquere intendebant hospitium.

(d) *Regium.*] Tributum videlicet, ut exponit Glossa *in præsenti*; nam jus Regalium plerumque Principes supremi in beneficiis ecclesiasticis exercent, ut probat Boëtius Epon. *tom.* 1. *qq. heroic. tit. de Regalibus, num.* 23.

COMMENTARIUM.

3. UT textus iste plenè intelligatur, aliqua præjacienda sunt de advocatiis, advocatis, & castaldis Ecclesiarum. Et primò sciendum est, quod cùm res Ecclesiæ armis, & ferro per ecclesiasticos non defendantur, obnoxiæ semper fuerunt injuriis. Inde factum, ut Ecclesiæ tutelæ Magnatum mediatè, vel immediatè se committerent, ut patronis, vel advocatis, ut habetur *lib.* 2. *epist. Gregor. VII.* aut custodiæ, vel ut aliqui barbarè loquebantur, mundeburdis, aut guardiæ nominis. Et quidem advocatiam, seu defensionem Ecclesiarum Cathedralium, & Regularium, ad Reges, & supremos Principes spectare, qui eas sub protectione Regia habent, testatur D. Bernardus *epist. ad Lotharium Imperatorem, epist.* 139. ibi: *Non est meum hortari ad pugnam; est tamen advocati Ecclesiæ arcere ab Ecclesiæ infestatione schismaticorum rabiem.* Idem *epist.* 243. ad Conradum Regem Romanorum, ibi: *Utrumq; interesse Cæsaris constat, & propriam tueri Coronam, & Ecclesiam defensare: alterum Regi, alterum convenit Ecclesiæ advocato.* Inde concepta formula apud Marculfum *lib.* 1. *cap.* 24. *de Mundeburde*, his verbis: [Rectum est, ut Regalis potestas illis tuitionem impertiat, quorum necessitas comprobatur. Igitur cognoscat magnitudo, seu utilitas vestra, quod nos Apostolicum, & venerabilem illum Episcopum, ut Abbatem Ecclesiæ, vel monasterii in honorem illius sancti constructi, cum omnibus rebus, vel hominibus, aut gassindis, vel amicis, seu undecunque ipse legitimo redibit mittio, juxta ejus petitionem, propter malorum hominum illicitas infestationes, sub sermone tuitionis nostræ visi fuimus recepisse, ut sub mundeburde, vel defensione illustris viri illius majoris domus nostræ, cum omnibus rebus præfatæ Ecclesiæ, aut monasterii quietus debeat residere, & sub ipso viro illo illustris vir ille causas ipsius Pontificis, aut Abbatis, vel Ecclesiæ, aut monasterii, vel qui per eum sperare videntur, vel undecunque legitimo redibit mittio, tantùm in palatio nostro sequi deberet. Propterea per præsens decernimus ac jubemus præceptum, ut memoratus Pontifex, aut Abbas sub nostro sermone, & mundeburde antedicti viri quietus residеat; & nec vos, nec juniores, aut successores vestri, vel quislibet eum de inquisitis occasionibus injuriare, nec inquietare, præsumatis. Et si aliquæ causæ adversùs eum, vel suo mittio surrexerint, quæ in pago absque ejus gravi dispendio definitæ non fuerint, in nostri præsentia relerventur. Quam præceptionem, ut firmior habeatur, propria manu subscripsimus.] Unde in Synodo Confluentina ita legitur: *Volumus, ut Ecclesiæ, & casæ Dei, & Episcopi, & Dei homines, clerici, & monachi, & nonnæ talem mundeburdem, & honorem habeant, sicut tempore antecessorum nostrorum habuerunt.* Reges autem hujusmodi advocatiam, seu custodiam in Ecclesiis, & monasteriis habeant, aut quia ea construxerant, vel quia privati fundatores, ut ipsa monasteria in tuto essent, advocatiæ, & tutelæ Principum ipsorum passim commendabant. Concilium Mendense *can.* 41. ibi: *Providendum est Regiæ majestati, ut monasteria, quæ ab hominibus Deum timentibus in sua proprietate constructa, prædecessores illius causâ defensionis, & mundeburdi susceperunt,* &c. Synodus Ticinensis *can.* 16. ibi: *Suggerendum est Beatissimis Imperatoribus, quia hi, qui monasteria, & xenodochia sub defensione sacri palatii posuerunt, ideo fecisse probantur, quòd à nullo melius quàm à summis potestatibus protegenda crediderint.* Sic Wifredus Comes Bituricensis, & Oda ejus conjux fundatores monasterii Stradensis, Pipini Regis tuitioni id credidisse celebrantur ab auctore vitæ Sancti Genulfi *lib. cap.* 8. his verbis: *Quibus ut se tempus obtulit opportunum, continuo de rebus eidem loco delegandis testamentum faciunt, Dominique Pipini Regis adeuntes præsentiam, vota suggerunt, & locum sibi rebus decretis per testamentum ejus potestati committunt, ut ipsius auctoritate, atque Francorum deinceps Regum providentiâ tueretur.* Sic eidem Pipino Regi monasterium sancti Galli, *cap.* 1. securitatis gratia tradidit Waltramus Comes, Ratpertus monachus: *Postea verò tempore præcedente, atque statu monasterii in melius proficiente, præfatus Waltramus eundem Abbatem Othmarum Pipino Regi præsentavit, ipsique Regi monasterium, quod adhuc hereditario jure in sua tenebat potestate, cum ipso pariter Abbate contradidit; eâ videlicet causâ, ut ipse Abbas, ejusque successores idem monasterium Regiâ auctoritate retinentes, nullius deinde violentiâ premerentur, sed tantummodo Regum jussionibus obediret.*

dirent. Nonnunquam etiam advocatia Regia inde progenita, quòd ipsæ Ecclesiæ, vel monasteria ultrò se Regibus in tutelam dederunt, ut Carolo Magno Laurishamense monasterium. Chronicon Laurishamense anno Christi 776. *Gundelandus igitur Abbas in juris sui quieta possessione, tum dictante justitiâ, tum Regiâ auctoritate confirmatus, Laurishamense monasterium cum omnibus ad illud pertinentibus in manus, & mundeburdem gloriosi Regis Caroli tradidit, quatenus privilegiis insigniretur Regalibus.* Ecclesiarum autem hæc advocatia adeo Coronæ Regiæ inhæret, ut Cathedralium, vel aliarum Regiæ fundationis patrociniùm cum universitate, id est concessione Ducatus, vel Comitatus, in quibus Episcopatus vel Regales Abbatiæ positæ erant, non transirent in alium. Hinc concessâ Neustriâ Hugoni Abbati, seu Carolo Simplici ante irruptionem Normannorum, non venére Episcopatus. Chron. Andegavense: *Iste itaque tractus, cùm & datus esset ad integrum cum Civitatibus, & Comitatibus, & Abbatiis, Castellisque, præter Episcopatus solos, qui in Regia Domini cura retenti sunt.* Eodem jure advocatiam Ecclesiarum Burgundiæ armata manu vindicavit Philippus Augustus adversùs Hugonem Ducem Burgundiæ. Igitur Reges Francorum prædictas Ecclesias in sua libertate semper custodire cupientes, quibuscunque Principibus terras custodiendas tradidissent; tamen Ecclesias sub potestate sua, & protectione retinere decreverunt, ne Principes, quibus terra custodienda à Regibus delegabatur, Ecclesias, vel clericos ibidem Domino servientes aliquibus angariis, taleis, vel aliis exactionibus gravare præsumerent. Varia exempla Imperatorum, Regumque, qui advocatias Ecclesiæ susceperunt, referunt Andreas Quercetanus *in histor. genealog. familiæ à Betuna, lib. 1. cap. 3.* Gibalinus *tom. 2. de negot. lib. 6. cap. 6. artic. 9.* M. Magerus *de advocat. armat. cap. 2.* Joannes Dartis *ad Decret. in 76. dist.* Theophalus Raynaudus *tom. 12. tract. mala è bonis Eccles. lib. 2. sect. 1. fol. 131.*

2. Hæc de supremis Principibus advocatis Ecclesiarum sufficiant, ut ad Duces, Comites, & alios inferiores advocatos Ecclesiarum perveniamus. Sciendum enim est, laborante Africana Ecclesia Donatistarum, aliorumque, quibus scatebat, hæreticorum tyrannide, rerum sacrarum, & privatarum direptione, nefariisque cædibus, tum sacerdotum, tum laicorum, ad petitionem PP. Synodi Carthag. 5. beneficio Principum in singulis Africanis Ecclesiis institutos fuisse defensores, ut hæreticorum sævitiam manu militari compescerent, & quieti Ecclesiarum consulerent. Hac de re sancitus fuit canon 22. in eodem Concilio, qui refertur à Gratiano *in cap. ab Imperatoribus 23. q. 3.* notarunt Balsamon & Zonaras *in can. 78. 81. & 100. Synodi Carthag.* Defensores hi diu permansére in Ecclesiis Africanis, ut constat ex Possidio *in vita D. Augustini, cap. 12.* De quare, inquit, ne pacis Ecclesiæ ampliùs impediretur profectus, defensor Ecclesiæ inter leges non siluit Cassiodor *lib. 2. var. cap. 30. & lib. 3. cap. 45. & lib. 9. epist. 15.* Nec non Ecclesiæ Cismarinæ defensorum tutelam sibi adscíverunt, inermem Episcoporum auctoritatem imparem expertæ adversùs Potentiorum injurias. Urbanus II. apud Gratianum *in cap. Salvator, 1. q. 3.* In Gallia, & Germania maximæ Ecclsiæ ob opum pingviorem censum, & Dynastarum frequentiam deprædationi obviæ, defensores, sive advocatos susceperunt. Concilium Magunt. *can. 50.* sub Carolo Magno: *Omnibus igitur Episcopis, Abbatibus, cunctoque Clerico continuo præcipimus Vicedominos, Præpositos, Advocatos, sive Defensores bonos habere.* Votis PP. annuit Carolus Magnus *lib. 5. capitul. cap. 31. & lib. 7. cap. 33. & lib. 3. cap. 62.* & legem dedit de advocatis, & defensoribus Ecclesiarum à Principe postulatis, ibi: *Defensores Ecclesiarum adversùs potentias sæcularium, vel divitum ab imperatore sunt poscendi.* Exinde ab Episcopis, & Abbatibus nobiliores Comites lecti, & à Principe postulati fuerunt in Advocatos, & defensores. Trithemius Abbas *in chron. Hirsangiensi* ita ait: *Sin autem aptum, & utilem advocatum undecunque, si placuerit, eligant: hic denique Abbate petente à Rege incipiat bannum legitimum*, &c. Idem in eodem anno Christi 1199. ex privilegio Urbani II. *Advocatum autem Imperatorem Romanorum, qui & noster advocatus est, præficimus; propter multiplices tamen ejus curas, & dispositiones liceat Abbati, & fratribus de familia de Calune eligere. si idoneus inventus fuerit, &c. Sin autem aliàs undecunque libet liceat alium eligere, qui etiam advocatus in præsentiam Abbatis, & fratrum juret in sacramento cum familiaribus suis, quod contra privilegia Ecclesiæ non veniat. Hic adductus in præsentiam Domini Imperatoris simili modo confirmet.* Eandem ob rationem etiam Ecclesiæ Cathedrales alium ab Imperatore acceperunt advocatum, vel potiùs subadvocatum, ut de Ratisbonensi Ecclesia refert Otho Frising. *lib. 1. de gestis Friderici, cap. 58. Mortuus tunc fuit in Comitatu Regis vir clarissimus Fridericus Ratisponensis Ecclesiæ advocatus.* Quin etiam Imperatoris ipsi advocatiam Episcopatuum in beneficium dederunt Ducibus, aut Comitibus, ut Fridericus I. Bertholfo Duci Zeringiæ, ut refert auctor supplementi Frisingensis *cap. 21.* his verbis: *Regnum Burgundiæ cum Archisolio Arelatensi, quod Duces de Zeringen. quamvis sine fructu, tantùm honore nominis, jure beneficii ab Imperio jamdiu tenuerunt, à Bertholfo Duce extorsit, præstitis sibi trium Episcopatuum advocatia cum investitura regalium, scilicet Lausanensis, Genuensis, Sedunensis.* De his advocatis, sive castaldis, aut defensoribus agitur *in cap. generali, de elect. cap. in quibusdam, de pœnis, l. 38. C. Theodos. de Episc. & cleric.* ubi Gothofr. Legibus Longobard. *tit. 10. cap. 1.* ibi: *cum Pontificibus, Abbatibus vel Custodibus Ecclesiarum.* Et de his plura adduxerunt P. Gregorius *lib. 2. partit. tit. 9. cap. 5.* Suarez *de relig. tom. 1. lib. 1. de simon. cap. 28.* Lambertin. *de jurepatron. lib. 2. p. 2. artic. 3. q. 4.* Cæsar. *de Eccles. hierarch. q. 2. proœmiali, num. 14.* Cironius *in parat. ad hunc tit.* Bosquetus *in notis ad Innocentium III. lib. 2. epist. 122.* Altesserra *de Ducibus cap. 6. per totum.* Cujacius *in lib. 5. feud. fol. 934.* Bignonius *in notis ad Marculf. fol. 588.* Kochiet *de advocatis lib. 1. q. 7.* Zypæus *ad hunc tit. respons. 1.* Burgundius *ad consuet. Flandr. tract. 8.* Lindembrog. *in Glossario, verbo Advocatus.* Solorzanus *tom. 2. lib. 2. cap. 1. num. 40.*

Deinde ut officium ipsorum advocatorum, munia, honores, & jura agnoscamus, sciendum est, Regiæ advocatiæ proprium fuisse, quod Ecclesiarum, quæ illâ fruerentur, causæ referebantur ad Palatium Principis, ut ex Marculfi formula, & Synodo Ticinensi suprà relatis constat. Quare causam de rebus monasterii Laurisha-

mensis

mensis adversùs Eymericum Comitem, deductam fuisse ad audientiam Caroli refertur in Chron. Laurishamensi. *Eymericus Comes filius Cancronis, mortuis patre & avia, cernens præfatum locum ex parvo & modico ad tantam rerum, & famæ provectum eminentiam, nitebatur eum sibi proprietatis titulo vendicare; cujus rei actione ad palatium delatâ, & allegatione utriusque partis auditâ, juxta legem Francorum definitum est, Gundelandum Abbatem jure possidere, quod sibi fuerat à fratre sine contradictione collatum.* Erat etiam aliud hujus advocatiæ argumentum, quòd Ecclesiarum causæ etiam apud Comites priores audiebantur, & in eleemosyna Regis, id est sine sportulis. Concil. Vernense *can.* 23. *Ut Comites, vel Judices ad eorum placita, primò viduarum, orphanorum, vel Ecclesiarum causas audiant, & definiant in eleemosyna Domini Regis, & postea alias causas cum justitia rationabiliter judicent.* Singulare etiam fuit hujusmodi Ecclesiarum jus, ne res alienari possent sine consensu Regio. Concil. Matiscon. *can.* 4. apud Burchardum *lib.* 3. *Decreti*, *c.* 172. ibi: *A Synodo decretum est, & Imperialis auctoritas denuntiat, ne commutationes rerum, vel mancipiorum Ecclesiasticorum quælibet persona sine licentia, & consensu Regio præsumat facere.* Synodus Suession. *can.* 12. ibi: *Ne commutationes rerum, vel mancipiorum quilibet Prælatus earundem rerum ecclesiasticarum sine licentia, vel consensu nostro facere præsumat.* Unde Flodoardus *lib.* 1. *histor. Rhemens.* refert, quod Ivo Rhemensis Antistes nonnullas res Ecclesiæ commutavit, sed impetrato rescripto Ludovici Pii, ib: *Sed & imperialia super eisdem commutationibus præcepta obtinuit.* Altesserra *lib.* 4 *Dissert. c.* 14.

6. Ut ad officium Advocatorum perveniamus, sciendum est, horum Advocatorum muneris fuisse res Ecclesiæ curare, tueri, in jure defendere, & usurpatas à Prædonibus vindicare. Concil. Mogunt. sub Carolo, *can.* 22. ibi: *Ut Monachi ad sæcularia placita nullatenus veniant, &c. nec ipse Abbas sine consilio Episcopi sui, & cùm necessitas exigit, tunc per jussionem & consilium Episcopi illuc vadat; nequaquam tamen contentiones, aut lites aliquas ibi movere præsumat; sed quicquid quærendum, vel etiam respondendum sit, per advocatos suos hoc faciat.* Adrevaldus *lib.* 1. *de miracul. S. Benedicti, c.* 26. de prædiis monasterii Floriacensis sitis in pago Aquitaniæ ita ait: *Advocatus verò una cum Rapanario monacho, ad locum cessionis terræ juxta morem legis adveniens* (lege enim Romana, qua ab antiquo utitur Aquitania, vindicatio fiebat in rem præsentem, *L.* 1. §. 1. *ff. si quis jus dicenti*, *l. non alias*, §. *sed si postulatur*, *ff. de judic.*) prædictam vineam adjus *S. Benedicti sua auctoritate revocare nitebatur.* Flodoardus *lib.* 3. *histor. Rhemens. cap.* 10. de Hincmaro ait: *Res quoque nonnullas, juraque Ecclesiæ, ac mancipia legibus per Advocatos evindicata recepisse reperitur.* Ekkoardus de casibus monast. sancti Galli, ibi: *Invadit loca lege Alemanica cum Advocato Episcopus, uti jus erat, homines fisci juramentis S. Othomaro vindicantes.* Quare tabulæ, & gesta inscribebantur Abbatis nomine, addito fratrum, & Advocati consensu. S. Bernardus *epist.* 229. ad Episcopum Hostiensem, & alios pro Abbate Latiniacensi ita scribit: *Jam de terris, & bonis Ecclesiæ quasi distractis, & alienatis, & datis ab eo cognatis suis, coram venerabilibus Episcopis Suessionensi, & Altissiodorensi, Comitequæ Theobaldo, Advocato utique monasterii satis responsum est & adhuc respondetur, sic illum dedisse suis, quomodo alienis, id est ad eundem consum vel consuetudinem.* Idem *epist.* 184. *ad Eugenium Pontif.* ibi: *Vetuniensis Decanus voluntate Episcopi, & assensu advocati bonam rem pro Ecclesia sua in Ecclesia eadem constituit; bonum est, ut vestra auctoritate firmetur.* Item donationum piarum acceptatio penes Advocatum erat. Ekkoardus de Conrado Imperatore *lib.* 4. *epist.* 43. ita ait: *Ille verò quicquid inibi regii fisci erat, totum in manum Advocati super aram ejus* (sancti Galli) *tradiderat, & sigillo suo roboraverat.* Denique statum Ecclesiæ tuentur Advocati. Petrus Cluniac. ad Gaufredum Carnot. Episc. ibi: *Dixit enim Ecclesiam Castriduni, quam Cluniacenses olim possedisse dicebatur, à Canonicis ejusdem Ecclesiæ, ab Advocato Ecclesiæ Vicecomite Vindocinensi, ab omnibus tandem, qui aliquid juris in ea se habere dicebant, tam precibus, quam vi justitiæ extorsisse, & vestræ Cluniacensi Ecclesiæ, cujus juris fuerat, reddidisse.*

Et cùm in initio pro pietate Magnatum talis ad- 7.
vocatia esset merè gratuita, nullis locis vel sacris facultatibus in compensationem datis, ut constat ex Molano *lib.* 2. *de Canon. cap.* 46. postea ea defensio facta est protectori quæstuosa, ut monstrant exempla, quæ collegit Roverius *in illustr. monasterii Reomaensis not.* 164. Pro prædictis ergò obsequiis, & officiis adscripta fuerunt certa stipendia Advocatis, ut refert Trithem. *in Chron. Irsang.* ubi de Advocato monasterii Irsaugensis ita ait: *Nullum autem servitium aliud jus, aut beneficium sibi pro hoc concedere cognoscat, nisi tertium bannum, & consuetudinariam justitiam, & legem quam cæteri advocati in aliis liberis monasteriis habent, super furis proterviam, & censuales, & cætera talia, & in illis trium placitorum diebus, in unoquoque unum maltum de frumento, & unum friscingum, & unum siclum de vino, & cætera ad hæc pertinentia.* Idem Trithemius *in Chron. Spanh.* Anno Christi 1325. ibi: *Denique ad petitionem præfati Comitis Joannes Willicho Abbas prædictum filium ejus Advocatum suum in villa monasterii, quæ Annen. dicitur, constituit, qui duodecim maldra avenæ, & totidem pullos ab incolis ejusdem villæ danda singulis annis pro feudo assignavit.* Sæpiùs eisdem Advocatis dabantur in beneficium certa prædia Ecclesiæ, quæ inde advocatiæ dicta fuêre. Valdricus Noviomensis *in Chron. Camerac. lib.* 2. *cap* 98. ibi: *Sub hac etiam specie ipse Herivardus advocatias aliquantarum villarum quasi pro defensione præsumpsit: sed plus quam inimicus prædo assiduis exactionibus devastavit.* Conradus de Favaria *de casibus monasterii sancti Galli. cap.* 8. ibi: *Cum advocatiæ, aliaque quamplurima feuda nostræ cessissent jurisdictioni.* Abbas Urspergensis *in Friderico I.* ibi: *Recipiendo nihilominus in Ecclesiis Ducatus marchias, comitatus, advocatias, monetas, telonea, cæterorumque regalium, quæ possident, sumant.* Et Regibus etiam dona annua pro advocatia mitrebantur, ut refert Ratpertus *de casibus monast. S. Galli. cap.* 8. ibi: *Præterea Rex piissimus Ludovicus in eadem charta conscribi jussit regia dona, sibimetipsi secundum consuetudinem aliorum monasteriorum pro securitate prædictorum quotannis ventura, id est duos cavallos, & duo scuta cum lanceis.* Et quidem melioribus sæculi gratuitam advocatiam Ecclesiis Regis impenderunt, sed posterioribus ejus nomine annonas Ecclesiis imponere non dubitarunt, ut prodit Abbas Urspergensis ubi suprà, *pagina* 311. ibi: *Narratur, quod olim præsidente Grimone Canonici Urspergenses elegerunt sibi*

in Rectorem quendam de fratribus suis hominem nullius intelligentiæ, aut valentiæ, adeo hebetis eloquentiæ, ut nec verbum de ore ipsius, nisi cum difficultate posset intelligi: cumque talis Prælatus coram inclytæ recordationis Imperatore Friderico comparuisset, ipse cum tota Curia sua spernit eundem odioque sui nobili viro Degenhardo de Helystein procuratori suo per omnia regalia prædia Sveviæ injunxit, quatenus personaliter accederet ad Ecclesiam Urspergensem, & de voluntate fratrum in prædiis ipsorum censum, extra Abbatiam, & Grangias, imponeret annuum, qui sibi pro advocatia, & defensione solveretur, ut videlicet quilibet mansus rusticanorum prædiorum solveret maltare unum avenæ, ut Officiales sui equis ipsorum ex hoc haberent annonam, & ipsa Ecclesia sine præjudicio omnis gravaminis Imperialem haberet defensionem. Immò aliquando pecuniarium subsidium ab ipsis Ecclesiis petebant, ut refert Guillel. Brito *lib.* 1. *Philip.*

Tempore cujusdam guerræ Rex prodigus æris,
Cùm res exigeret numerare stipendia multis,
Clerum Rhemensem petiit, scriptoque rogavit,
Ut sibi subsidium ferret, quo gratior illi
Adstantes vellet sumptus impendere gratis,
Ut solet Ecclesia Patronos sæpe juvare.

Et labente disciplina, res eò prorupit, ut ab Ecclesiis advocati, tanquam à propriis rusticis, & colonis crebriores annonas, & census passim extorquerent. Urspergens. *in Philip. Cæsar.* ibi: *Nomine advocatiæ Monachorum fundis annuum tributum indixit:* atque ita talis advocatia degeneravit in prædationem, ut constat ex Adrevaldo *lib.* 2. *de miraculis S. Benedicti, cap.* 24. Anonymo ei subjuncto *lib.* 4. *cap.* 6. & aliis, quos dinumeravit M. Magerius *de advocat. armat. cap.* 1. *à num.* 199. & Cochier *in vindiciis libert. eccles. part.* 2. *cap* 6. *à num.* 9. & *cap.* 8. quibus modum imposuerunt Eugenius II. in Synodo Rhemensi celebrata anno 824 *Canon.* 5. ibi: *Auctoritate Apostolicâ prohibemus, ut nullus Advocatus, præter jus & beneficium antiquitus aliquid sibi arripere, vel usurpare præsumat; quod si quis contra hoc attentaverit, Christianorum careat sepulturâ.* Et Lucius III. in præsenti, dum prohibet advocatis, ne quid ab Ecclesiis præter antiquos, & moderatos redditus ab initio institutos exigerent: unde Innocentius III. *lib.* 2. *regestr.* 14. *epist.* 123. increpat Comitem Nivernensem, quòd nimis gravaret monasterium Verreliacense, his verbis: [Abbas & Conventus Verreliac. suâ nobis insinuatione monstrarunt, quod cum nobilis vir Comes Nivernen. ab eorum monasterio pro ipsius custodia duas procurationes, in Pascha videlicet, & festo beatæ Mariæ Magdalenæ exigeret annuatim, & in receptione ipsarum ipsum monasterium enormiter aggravaret, maximâ militum & servientium multitudine constipatus: iidem mille quingentas marchas argenti super procurationibus illis ei tali conditione mutuò concesserunt, ut in unaquaque prædictarum solennitatum, si Verreliacum accederet, quinquaginta libris Altissiodoren. monetæ pro moderata esset procuratione contentus, nec plus pro illa posset exigere, donec ipsi monasterio redderet prætaxatam pecuniæ quantitatem. Verùm nunc, sicut dicitur, ut dictum possit monasterium in præfatis procurationibus aggravare, terræ suæ quæstam indixit pro eadem pecunia persolvenda. Cùm igitur jus suum in injuriam convertere non debeat idem Comes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus si forsitan sæpe dictum monasterium per immoderatam procurationem gravare voluerit, vos ipsius immoderantiam, gratiâ, odio, & timore postpositis, redigatis ad justum, sublato appellationis obstaculo, moderamen, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postpositâ compescendo.] Ubi Innocentius dixit quæstam quasi per vicos quæsitam, quia à singulis vicatim collecta illa exigebatur, ut exponit Bosquetus *in notis ad ipsam epist.* 123.

Tandem sciendum est, ipsos Patronos Ecclesiarum plerumque appellari Advocatos, ut *in cap. sequenti*, & suprà *in cap. quia clerici*: tum quia ipsi etiam defendebant Ecclesiam; tum quia plerumque ipsi patroni suæ potestatis fiduciam non habentes, advocatiam ipsarum Ecclesiarum ab ipsis Imperatoribus, seu Regibus obtinebant: ex Auberto Miræo probat Bosquetus *in not. ad dictam epistolam* 122. & ita Patronus, qui jure ordinario Advocatus natus ratione Jurispatronatus erat, efficiebatur Advocatus datus propter advocatiam à Principe impetratam. Præsentem autem textum accipio de Advocatis datis, textus verò *in d. c. quia clerici*, & *in cap. sequenti*, de Advocatis natis, id est, fundatoribus ipsarum Ecclesiarum, inter quos, & datos illud versatur discrimen, quòd advocatia data personalis est, nec ad hæredes transit; advocatia verò nata cum ipso Jure patronatus ad hæredes transit, juxta suprà tradita *in cap.* 1. *hoc tit.*

CAPUT XXIV.

Idem (a) *Norvvicensi Episcopo.*

CUm autem (b) Advocatus Clericum unum idoneum Episcopo præsentaverit, & postulaverit postmodùm, eo non refutato, alium æquè idoneum in eadem Ecclesia admitti, quis eorum alteri præferatur, in judicio Episcopi credimus relinquendum (c) si laicus fuerit, cui jus competit præsentandi. Verùm si collegium, vel religiosa (d) persona præsentationem haberet, qui prior est tempore, prior jure meritò videtur.

NOTÆ.

(a) *Norvvicensi.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. final.* ubi additur *pars capitis tua nos*; unde cognoscitur in hoc textu referri partem textus *in cap. tua nos* 11. *de jurejurand.* ubi præsentem inscriptionem exposui.

(b) *Advocatus.*] Id est Patronus, ut proximo Commentario dixi.

Laicum

2. (c) *Laicus fuerit.*] Qui variè potest, & ita unum post alium, præsentare, ut probavi suprà *in cap. 5.*

(d) *Ecclesiastica persona.*] Quæ variare non potest, & ita prima præsentatio posterior est, ut *in dict. cap. 5.* probavi. 3.

CAPUT XXV.

(a) Clemens III.

NObis fuit, &c. Præterea quæsivisti à nobis, si aliquis efficiatur solâ Ecclesiæ constructione patronus, vel si ad electionem Plebani sit cum Clericis admittendus, seu ab ipsa repellendus omnino, tametsi de longa consuetudine allegaverit se electioni interesse debere. In hujusmodi siquidem tale damus responsum. Quod si quis Ecclesiam cum assensu (b) diœcesani Episcopi construxerit, ex eo (c) Juspatronatus acquirit. Cæterùm in conventuali Ecclesia non electioni plebani faciendæ, sed jam factæ honestiùs patroni postulatur (d) assensus, nisi patronatus aliter de sua jurisdictione obtineat, ut partes suas debeat interponere electioni tractandæ. Secus tamen est in capella, in qua unus Presbyter instituendus à Patrono quandoque eligitur, & pro institutione habenda loci Episcopo (e) præsentatur. Pro fundatione quoque ipsi honor (f) processionis fundatori servatur: & si ad inopiam vergit, ab Ecclesia illi modestè (g) succurritur, sicut in sacris Canonibus est constitutum.

NOTÆ.

1. (a) *Clemens III.*] In secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. ubi reperitur textus hic, legitur *Alex. III.* sed malè; nam prior pars hujus textus, quæ reperitur *in cap. nobis fuit, de simonia*, tribuitur Cœlestino III. & ita dubium tantùm est, an Clemens, vel Cœlestinus III. sit hujus textus auctor? & credo Clementem III. esse; cui tamen Prælato rescribat, non constat: nec audiendus est Joan. Camus *in tabul. Cebet. Thebani*, qui vult textum hunc esse Clementis I. ut jam eum reprehendens notavit Turturetus *in sacell. sacr. cap. 1. num. 10.*

2. (b) *Diœcesani.*] Non enim licet Ecclesiam construere sive Episcopi proprii licentia. Concil. Chalcedon. *can.* 4. ubi cavetur, nullam Ecclesiam sine consensu Diœcesani construi debere: unde deducta est novella 118. Justiniani, *cap. nemo, de consecr. dist. 1.* ibi: *Nemo Ecclesiam ædificet antequam Episcopus civitatis veniat, & ibidem crucem figat, & atrium designet.* Concil. Wormat. ibi: *Quicunque voluerit in sua proprietate Ecclesiam ædificare, & consensum, & voluntatem Episcopi habuerit, in cujus parochia licitum sit.* Probat Bosquetus *ad Innoc. III. lib. 3. regist. 15. epist. 7.* & infrà dicemus *in cap. 1. de consecr. Eccles.* immò & apud Gentiles, si statua ponenda erat in alieno territorio, desiderabatur licentia municipii, seu loci, ubi erigebatur, ut notavit, & duabus veteribus inscriptionibus probavit Ambrosius à Morales *in antiquit. Hisp. fol.* 30. Ut ergo Juspatronatus acquiratur ex constructione Ecclesiæ, necessarius est consensus Episcopi, *cap. piæ mentis, cap. considerandum 16. quæst. 7.* licèt nihil interfit, quod postea superveniat. Selua *de benef. 1. p. quæst. 6.* Corras. *eodem tract. 4. p. cap. ultim. num. 25.* & in dubio præsumi interveniisse, probat Valensis *de beneficiis lib. 4. tit. 4. num. 18.*

3. (c) *Patronatus.*] Tribus modis Juspatronatus in Ecclesia acquiritur, constructione videlicet, dotatione, vel loci concessione, juxta versum illum vulgarem:

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II. Quibus munificentiæ modis Juspatronatus acquiritur, & Patronus fit quasi Dominus, vocaturque Dominus *in cap. Abbatem 18. quæst. 2. l. 1. C. de Colonis Thracens. lib. 11. l. unic. Cod. ne Colonus inscio Domino, eod. lib.* Et licèt non desint, qui docuerunt, ad acquirendum Juspatronatus tria illa copulativè desiderari, scilicet fundi donationem, constructionem, & dotem, ut tenuerunt Rochus à Curte *de Jurepatron. in princip. num. 3.* & *verbo Ecclesia, quæst. 2.* Gregorius Lopez *in l. 1. Gloss. 3. tit. 5. part. 1.* Moneta *de commut. ultimar. volunt. cap. 10. num. 202.* Garcia *de benef. part. 5. cap. 9. num. 44.* tamen contraria sententia verior est, videlicet ex sola constructione, vel dotatione, aut soli concessione acquiri Juspatronatus, ut pluribus relatis docent Barbosa *lib. 3. jur. Eccles. cap. 12. num. 61.* Canisius *in cap. 3. hoc titul.* Valensis *de benef. lib. 1. tit. 4.* Nec contrarium probat Concil. Trident. *sess. 25. de refor. cap. 9.* ubi ajunt PP. Juspatronatus acquiri fundatione, & dotatione Ecclesiæ; quia non ideo excludunt Juspatronatus, quod acquiritur ex constructione, sed potiùs illud comprehendunt sub verbo *Fundatione*, ut probatur ex ipso Concilio, *sess. 14. cap. 12.* Primo ergo modo acquiritur Juspatronatus constructione, sive quis Ecclesiam in proprio solo suis sumptibus ædificet, *cap. Abbatem 18. quæst. 2.* sive in alieno fundo, aut si Ecclesiam penitus dirutam reædificaverit, *cap. piæ mentis, cap. filiis 16. quæst. 7. cap. monasterium 16. quæst. 2. cap. 1. hoc titul. in 5. compil.* ubi Honorius III. Mariæ Imperatrici Constantin. ita rescribit: [Audito per te, ac alios fide dignos, quod monasterium Pacinacense Græcarum monialium tunc destructum, Domini diœcesani accedente consensu, de propriis bonis reædificaveris, & dotaveris, ac moniales easdem Ecclesiæ Romanæ, cui nullam exhibebant obedientiam, feceris obedire: tuis nos supplicationibus inclinari, auctoritate præsentium mandamus, ut super Jurepatronatus ipsius monasterii nemo te audeat temerè molestare.] Hoc tamen secundo casu, si alius jam erat Patronus, amittit Juspatronatus, quia Ecclesia reædificata nova Ecclesia

est, nec in ea servatur pristinum jus, argumento legis *qui res. §. aream, ff. de solut.* Barbosa *d. cap. 12. num. 31.* Secundò acquiritur juspatronatus, si ad Ecclesiæ constructionem fundus donetur, cujus plenum dominium in Ecclesiam transferatur, *d. cap. Abbatem, d. cap. piamentis.* Per dotationem tandem acquiritur juspatronatus, si ministris Ecclesiæ, & ejus luminaribus congrua dos constituatur, *d. cap. filiis:* ex simplici verò donatione, vel legato, nisi fiat pro dote tacitè, vel expressè, non acquiritur juspatronatus, quia simpliciter legans, vel donans, potiùs benefactor, quàm dotator dicitur: jus autem patronatus non benefactori, sed datori tribuitur *in d. cap. filiis*, ut docent Barbosa *ubi suprà, num. 50.* Valensis *d. tit. 4. num 18.* qui agit de præscriptione, & privilegio, & quomodo illis acquiratur juspatronatus: & licèt aliqui voluerint, fundationis, dotationis, aut constructionis tempore interponi debere cautionem de reservando jurepatronatus, ut aliquo ex illis modis acquisitum censeatur, argumento textus *in cap. significavit* 41. *de testibus*, verius tamen est, ad præsumendam hujusmodi reservationem satis esse, si consensus Episcopi Diœcesani probetur, quasi qui eum, antequam ullas expensas faceret, necessarium putavit, eo ipso cogitasse de nomine, & honore patronatus videatur, ut decisum fuisse in sacra Rota refertur *decis. 5. de jurepatronatus*, in antiquis.

4. Et rectè ex hac munificentia constructionis, fundationis, sed dotationis Ecclesiæ in remunerationem juspatronatus conceditur; nam eadem ferè ratione olim obtinuit, ut qui certamina ad civitatis, vel municipii decus, & oblectamentum instituerent, sibi, hæredibusque possent illud jus excipere, ut ludis præessent tanquam agonothetæ, cujus rei vestigium extat *in l. annuam, l. liberto 21. §. 3. ff. de annuis legat. in l. Septitia, ff. de pollicit.* Moris etiam fuit, si quis statuam in templo poneret, aut in foro collocaret, opusve publicum faceret, nomen donantis ibi inscribi, *l. Titia 38. §. final. ff. de auro & argent. l. 2. & ult. ff. de operib. publicis, Novell. 67. Justin.* Cicero 6. *in Verrem. Tacitus lib. 3. annal.* Suetonius *in Galba, cap. 2.* & si privatus in opere publico, quod publicâ pecuniâ factum erat, aliquam de suo addidisset summam, licebat ei titulum nominis, & inscriptionem adjicere, *l. ult. §. 1. ff. de oper. public.* quod demonstrant innumeræ antiquæ inscriptiones apud Brissonium *lib. 8. de form. pag. 728.* Grutherum *fol. 93. & 128.* & qui novam ædem, vel restitutam dedicassent, nomina eorum in illius fronte inscribebantur, ut hac immortalis memoriæ gloriâ homines ad templorum dedicationem allicerentur. Testis est Arnobius *lib. 6. adverf. Gentes*, ibi: *Templa*, inquit, *quæ tollis, sunt aureis & sublimibus elata fastigiis, auctorum inscriptionibus comprobantur.* Illustrat Brissonius *lib. 8. de formul. pag. 728.* Inde etiam PP. Ecclesiæ Hispaniæ, ut fideles ad Ecclesiarum constructionem allicerent, jusserunt eorum nomina in eminentiori Ecclesiæ loco figi, & æternæ saluti eorum consulentes, voluerunt, ut si fundatores superstites essent, eorum nomina ante altare tempore Missæ recitarentur, & pro eis oraretur: quod si jam decessissent, cum nominibus Defunctorum suo ordine recitarentur, *can. 19 Concil Emerit.* ibi: *Eorum nomina, à quibus Ecclesias constat esse constructas, vel quid iis Sanctis videntur, aut visi sunt contulisse, si viventes in corpore sunt, ante altare recitarentur tempore Missæ: quod si Defuncti, cum fidelibus recitentur suo ordine.* Rectè ergo Ecclesia juspatronatus constructoribus, & dotatoribus concessit, ut hoc præmio fideles invitati Ecclesiarum constructionem, & reædificationem curarent.

(d) *Assensus.*] De quo exaudiendi sunt textus *in cap. Abbatem, 4. 18. q. 2.* ibi: *In monasterio illum* 5
volumus ordinari Abbatem, quem sibi de sua congregatione, & monachorum electio, & possessionis Dominus popposcerit ordinari. Et *cap. decernimus 16. quæst. 7. cap. principali, 63. dist.* Notavi *in cap. Massana, cap. sacrosancta, de elect.* nisi aliter in ipsa fundatione cautum fuerit, videlicet ut præsentatio ad patronum spectet, ut in monasterio Augustodunensi, quo à Brunichilde Regina constructo, jus eligendi Abbatem Regi datum fuit, *cap. hinc est etiam 16. quæst. 1. cap. 1. de re judic. in 3. collect.* Innocent. III. *lib. 1. regestr. 13. epist. 21.* ibi: *Tertia verò pars integra persolvatur Ecclesiæ construendæ, quam idem Marchio competenter dotavit, ut in ea duodecim Canonici commodè possint cum suo Præposito deservire, qui pro tempore canonicè debeat præsentari per eum, ac successores ipsius.* Notarunt Bosquetus *ibi*, Altesserra *de Ducibus, & Comitibus, cap. 9.* Cujus autem licentia tunc desideretur, latè exponunt Tamburin. *de jure Abbat. tom. 2. disp. 7. quæst. 1. & 2.* Barbosa *de potest. Episc. p. 1. tit. 1. cap. 3.*

(e) *Præsentatur.*] Quem jurispatronatus effectum exposui *in cap. 4. hoc tit.*

(f) *Honor processionis.*] Consonant textus *in cap.* 6.
piamentis, ibi: *Præter processionis aditum, qui omni Christiano debetur, nihil idem ibi proprii juris habiturus. Et cap. Frigentius*, ibi: *Ut nihil fundator ex hac basilica noverit vendicandum, nisi processionis aditum, qui Christianis omnibus in commune debetur; 16. q. 7.* D. Gregorius *lib. 12. epist. 10. Enunciaturus ex more nihil illic conditori juris alterius jam deberi, nisi processionis gratiam, qua Christianis omnibus in commune debetur.* Quæ verba difficilia valde sunt; nam quid speciale per honorem processionis concedunt PP. Patrono? siquidem ajunt expressè, omnibus fidelibus hoc jus patronis commune esse. Glossa *in dict. cap. piamentis, verbo Processionis*, ea verba accipit, & exponit processionis aditum pro jure præsentandi presbyteros, quia Patroni habent jus præsentandi clericos, ut ab Episcopis instituantur. Sed hæc Glossæ sententia refellitur tum ex suprà adductis *in cap. 4.* ubi probavi, temporibus Gelasii, illius textus auctoris adhuc patronis factam non fuisse gratiam præsentandi presbyteros ad Ecclesias, in quibus juspatronatus habebant; tum quia aditum illum processionis omnibus Christianis esse communem, fatetur Pontifex: igitur non de hoc jure speciali patrono competenti loquitur. Quare eâ sententiâ omissâ, aliter verba illa exposuit Franc. Hallier. *de sacris elect. sect. 8. art. 2. §. 1.* supponit enim, processionem sæpius accipi pro prærogativa honoris; quo in sensu Licinus Rufinus *in leg. Imperator, ff. de donat. inter.* Imperatorem Antoninum constituisse refert, ut ad processum viri uxor ei donare possit: & Imperatores *in l. sancimus, Cod. de Consulibus*, procedendi verbo prærogativam exhibendi spectacula dixerunt; unde dum Gelasius aditum processionis Patrono concedit, exponit Hallerius, id est locum honoratiorem, & sedem in Ecclesia, prærogativamque accedendi ad oblationem in altari faciendam, juxta tradita suprà *in cap. 1. de vita & honest. cleric.* Unde cavetur *lib. 1. Capitul. Caroli, c. 148. Ut Episcopi* provideant, quem honorem presbyteri pro Ecclesiis suis Senioribus tribuant. Addit etiam Hallier. forsan prærogativam illam à Gelasio Patrono concessam in

eo

eo consistere, ut obviam ei ab omnibus fidelibus cùm primùm ipse ad ædem sacram accederet, procederetur; quam prærogativam Patronos aliquando vendicasse, constat ex eo, quod Theobaldus Comes Carnotensis ad monasterium S. Petri in Valle proficiscens, *Se* (inquit Fulbertus *epist.* 21.) *in monasterium recipi cum processione præmandat.* Inde Episcopum multitudine clericorum stipatum ad Ecclesiam procedere dicitur à B. Augustino *lib.* 22. *de civit. Dei. cap.* 8. Sidonio *lib.* 5. *epist.* 17. Sulp. Severo *dialog.* 2. *cap.* 11. notavi *in cap. auditis, de præscript.* Eandem Hallierii sententiam sequitur Alteserra *de Ducibus cap.* 17. *ad medium.* Cironius *in parat. Ad hunc tit.* aditum processionis accipit processu ad supplicationem, seu processionem solennem, cui omnes Christiani miscebantur, sed in varios cœtus distributi, ut probatur ex D. Gregorio *lib.* 11. *epist.* 2. *ubi: Erat Litania alia Clericorum, alia Monachorum, alia virorum, alia fœminarum, alia monialium, alia infantium, & pauperum.* Unde deducit Cironius, quod cùm Patroni fundatores Ecclesiarum intenderent peculiarem supplicationem, seu Litaniam ab aliis separatam habere, Gelasius eos in Litaniam cæterorum fidelium redegit. Sed neutra ex his expositionibus placet, nam temporibus Gelasii per annos 592. non ita pax Ecclesiæ data erat, ut publicis processionibus, & Litaniis uti liceret, & semper perobscurum est, quod Gelasius affirmat, Patrono aditum processionis concedi aliis fidelibus communem, unde nullum honorabilem gradum, aut honoratiorem sedem, vel graviorem locum illi concedit; sed id tantùm illi permittit, quod aliis fidelibus communiter conceditur.

7. Quare his sententiis omissis, ut quid in hac perobscura Gelasii epistola sententio, proferam, suppono processionem in ea epistola non accipi pro supplicatione; seu Litania, quam vulgò nos dicimus, *Procession*; sed pro collecta, seu synaxi in ipsa Ecclesia facienda; non pro incessu, seu deambulatione extra templum; sed pro accessu ad ipsam Ecclesiam, ut etiam accipitur *in Can.* 17. Synodi Laodic. ibi: *In processionibus Psalmos non connectere, id est, ex diversis versibus & sensibus libri unum canticum minimè conjungere, sed singulorum Psalmorum ordinabiliter fieri lectionem.* Nam ibi processiones non sunt solennes illæ deambulationes, seu lustrationes, quæ modò fiunt festi alicujus gratiâ, sive publicæ necessitatis causâ, quas vulgò vocat supplicationes, rogationes, processiones; sed conventus, & cœtus populi in Ecclesia, ut ex Græco textu ejusdem Concilii perspicuum est, *quod non oportet connectere Psalmos in conventibus.* Ubi vides in illa veteri interpretatione Concilii, processiones esse synaxes, id est, cœtus seu conventus: quod etiam ex sequentibus liquet: *Sed ad unumquemq; Psalmum interjecto spatio lectionem fieri.* Nam in ipsa Ecclesia, non verò inter eundum, lectiones fiunt. Quare optimè Theodorus Balsamon totum hunc Canonem explicat de conventu Ecclesiastico, in quo divina officia peraguntur: & ita accipiendus est locus epistolæ 81. S. Leonis Papæ ad Dioscorum Episcopum Alexandrinum: *Propter quod remeanti filio Possidonio Presbytero hanc ad fraternitatem tuam epistolam dedimus perferendam, qui nostris processionibus, at q; ordinationibus frequenter interfuit, & toties ad nos missus, quid in omnibus Apostolicæ auctoritatis teneremus, agnovit.* In hac enim epistola agitur de Missarum celebratione, & Clericorum ordinatione; & verbum *Procedere*, est ad Ecclesiam convenire, juxta antiquam loquendi formam S. Augustini *lib.* 22. *de civit. Dei, c.* 8. *Inde ad me curritur, unde fedebam, jam processurus.* Nempe in Ecclesiam. Unde paulò pòst subjunxit; *Procedimus ad populum, plena erat Ecclesia.* Ennodius in vitâ S. Epiphan. Ticinensis Episcopi: *Procedendum censuit omnibus in quolibet aëris errore maturius; ita ut vigiliarum formam lectoribus antecedens ad Ecclesiam præberet Episcopus.* Ubi vides, procedere esse ad Ecclesiam ire. Sanctus Hieronymus *epist.* 22. *c.* 1. ad Eustochium: *Rarus sit egressus in publicum, Martyres tibi quærantur in cubiculo tuo: nunquam causa deerit procedendi, si semper, quando necesse est, processura sis.* Redarguit virginem, quòd sæpius, quam par esset, ad templa Martyrum se conferret. In ea enim desiderabat raros excursus; cùm procedendi, ad Ecclesiam videlicet, causa deesse non posset, si quando necesse esset, nempe verbi Dei audiendi, aut Eucharistiæ sumendæ gratiâ, id faceret. De quâ processione accipiendus est Tertul. *lib.* 2. *ad uxorem*, in illis verbis: *Si procedendum est, nunquam magis familiæ occupatio obvenit.* Non enim agit ibi de circuitionibus illis, quæ vulgò processiones appellantur, quæ sanè tempore Tertulliani nondum erant in usu, cùm tunc Christiani in latibulis, & locis occultis sacra peragerent; Paganorum metu: quare Tertul. accipiendus est de processu, seu accessu ad Ecclesiam, juxtà alium locum ipsius Tertul. *de cultu fœminarum*, in illis verbis: *Vobis autem nulla procedendi causa, non tetrica, aut imbecillus aliquis ex fratribus visitatur, aut sacrificium offertur, aut eis sermo administratur.* Ubi procedere, esse ad Ecclesiam accedere, jam exposuerunt Menardus *in not. ad Sacrament. D. Gregorii, fol.* 178. Jacob. Ebeillon *lib. de processionibus, c.* 1. Theophilus *tom.* 15. *in Heteroël. punct.* 8. Hallucinantur enim, qui his locis Tertulliani solennes processiones nostratibus consimiles accipiunt, ut Ludovic. à Cerda *ibi* & *cap.* 9. *adverss. num.* 5.

8. Deinde sciendum est, olim Constructores Ecclesiarum in propriis prædiis, & possessionibus processionem hanc fieri, publicumque conventum, seu fidelium cœtum ambiisse, *cap. certum, de consecr. dist.* 1. ubi ita D. Gregorius Episcopo Sorano rescribit: *Certum est quidem, & nostris præceptionibus constitutum, ne quis in Ecclesia aut in Oratorio, quod Sedis nostræ non legitur permissione dedicatum, processionem publicam putaret impendi: nec conditores furtivis surreptionibus contra regularum statuta prosilirent. Sed quia Megecia spectabilis fœmina petitorii nobis oblatione suggessit, in possessionibus propriis suorum corpuscula condidisse, frater charissime, humanitatis intuitu, quòd priora statuta non maculet funeribus, & sepulchris, tantùm in comprehensis petitorio locis mysteria noveris pro solennitate præstanda: ut Defunctorum nomine solummodo divina celebrentur officia, publicâ frequentatione, & processione cessante.* Luitprandus *in vita ipsius Gelasii*, ibi: *Multi Constructores ædificabant, & sacris processionibus instituebant.* Et Imperator Justinianus agens de ipsis Patronis *in Novell.* 123. *c.* 32. statuit, ne laici faciant publicum processum. His ergo suppositis credo, sensum Gelasii esse, ut Julius, qui in possessione sua Ecclesiam construxerat, & consecrari desiderabat in honorem S. Aviti, post consecrationem ab Episcopo impensam, nihil proprii Juris in ea retineat, seu habeat, ultra aditum processionis, qui

omnibus Christianis in commune debetur, id est, quod sicut in aliis Ecclesiis, ubi Missæ publicæ dicebantur, omnibus Christianis patebat aditus processionis, id est, accessus ad synaxin, cœtum, seu conventum; ita & Julio ut Patrono competeret aditus processionis, id est accessus, & facultas procedendi ad synaxin, & Missæ sacrificium audiendum in Ecclesia in propria possessione constructa: notavi enim suprà *in capit.* 4. fideles plerumque in propriis possessionibus construxisse Ecclesias pro solatio proprio, & familiæ suæ, ut ibi à Presbytero Missæ sacrificium celebraretur. In ea ergo Ecclesia ita constructa concedit Gelasius Patrono aditum processionis, id est facultatem accedendi ad eam synaxis causâ, ut in aliis publicis Ecclesiis omnibus Christianis competit, & debetur: non tamen Patronus potest publicum processum in ea facere, *ex dict. capit. certum*; quia illi tantùm aditus patet procedendi ad ipsam Ecclesiam, ut aliis fidelibus in publicis Ecclesiis competit.

9. His animadversis pro expositione textuum *in d. cap. piæ mentis, dict. cap. Frigentius*, ut ad verba præsentis textus accedamus, nec in eis disertiùs expressit Alex. III. honorem processionis Patrono debitum; tantùm enim ait, pro fundatione Ecclesiæ Patrono honorem processionis servari; sed non exprimit modum, seu formam ipsius honoris, an videlicet, ut eo accedente ad Ecclesiam, cæteri fideles procedant, ut exponebat Hallierius: an verò ut in processionibus, seu supplicationibus publicis locus honoratior illi debeatur, ut omnes repetentes hîc, & scribentes de Jurepatronatus, congesti à Barbosa in præsenti exponunt. Existimabam ego, Alexandrum III. agnovisse difficultatem veterum Canonum circa hanc processionis prærogativam, & noluisse exprimere id, in quo consisteret aditus processionis; sed tantùm honorem processionis Patrono servari debere, juxta veteres Canones statuit. Hodie tamen non est recedendum à communi acceptione horum verborum, & juxta eam interpretationem honoratior locus præstandus est Patrono in processionibus, & cæteris actibus in propria Ecclesia, veluti ad thurificationem, pacem dandam, & similia. Illud non omittendum est, quod qui Juspatronatus in aliqua Ecclesia, aut capella acquisivit, non ideo jus sepulturæ privativè quo ad alios habet, ut docent Barbosa *lib. 2. jur. eccles. cap. 10. num. 9.* Murga *tom. 1. disquisit. tract. 4. disquisit. 11. per tot.*

(g) *Succurritur.*] *Cap. contrà, cum sequent. 16. q. 7.* Innocentius III. *lib. 3. regestr. 15. epist. 86.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa *in collect. & select.* Ferro Manrique *de præced. q. 34. num. 2.* Mazius *in patrocin. debit. q. 4. num. 95.* Solorzanus *de jure Indiarum, tom. 2. lib. 2. cap. 24. num. 105.* Costa *de remed. subsid. remed. 106. illat. 2.* Carleval, *de judiciis lib. 1. tit. 3. disput. 20.* Olea *de cess. jur. tit. 3. q. 8. num. 28.* Landtmeter, *de veter. cleric. & mon. cap. 2. lib. 2. p. 2.* Canisius *in præsenti.* 10.

CAPUT XXVI.

Innocentius III. *V. Rothomag.* (a) *Archiep.*

PEr nostras postulasti litteras edoceri, utrum clericus aliquis ad vacantem Ecclesiam, in qua jus obtinet patronatus, (b) seipsum, si idoneus est, valeat præsentare. Cùm igitur nullus se ingerere debeat ad ecclesiasticæ Prælationis officium, inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod nullus se possit ad personatum alicujus Ecclesiæ præsentare, quantumcunque idoneus sit, & quibuscunque studii meritis adjuvetur. Datum Romæ, &c. III. Idus Junii, P. N. Anno primo.

NOTÆ.

1. (a) *Rothomagensi.*] Ita etiam legitur *in c. 1. hoc tit. in 3. collect.* & in epistolis ipsius Innocentii III. editis à Sirleto, *fol. 116.* De Rothomag. Diœcesi nonnulla adduxi *in c. 24. de rescriptis.*

2. (b) *Seipsum.*] *Cap. final. de instit.* tum quia tanquam ambitiosus est repellendus, *cap. in scripturis 8. q. 1. l. si quemquam, C. de Episc. & Cleric.* tum quia inter præsentantem, & præsentatum realis debet dari distinctio, *d. cap. final. de instit.* si tamen plures sunt Patroni, potest unus ab aliis præsentari, & præsentationi de se factæ consentire. Glossa *in cap. consuluit, hoc tit.* imò etsi unicus sit, per liberam, & spontaneam institutionem Episcopi ab eo beneficium obtinere, preces emittendo, ut sibi provideat de tali beneficio, ut pluribus relatis docet Barbosa *in præsenti, num. 3.* Potest etiam Patronus filium proprium præsentare, ut probavi *in cap. quia clerici, hoc tit.*

CAPUT XXVII.

Idem *Conventrensi* (a) *Episcopo.*

CUm propter laicorum discordias non debeat Ecclesiis præjudicium generari, grave gerimus, & indignum, quod (sicut nostro est Apostolatui relatum) occasione dissensionis, quæ de Jurepatronatus vertitur inter eos, Ecclesiæ plus debito remanent Rectoribus viduatæ, quod in ipsorum grave dispendium noscitur redundare. Verùm quia secundùm Apostolum instantia nostra communis est omnium Ecclesiarum sollicitudo continua, volentes his, quæ præmisimus, ex debito Pontificalis officii obviare,

f. t. p.

f. t. p. A. ſm. quat. ſi de jurepatronatus quæſtio emerſerit inter aliquos, & cui competit, infra quatuor menſes non fuerit diffinitum, ex tunc Eccleſiam ipſam ap. rem. de perſona non differas idonea ordinare: ita quod illi ex hoc non debeat in poſterum præjudicium generari, qui jus evicerit patronatus. Datum Later. 3. Januarii.

NOTÆ.

(a) *Conventrenſi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 2. & in ipſis epiſtolis Innocentii editis à Guillelmo Sirleto, *fol.* 450. De Conventrenſi Diœceſi Angliæ egi *in c.* 2. *de reſcriptis*, & Commentarium hujus textus dedi ſuprà *in cap. eam te.*

CAPUT XXVIII.

Idem *Archid. Cancell. & Decano* (a) *Altiſſiodoren. Pariſien.*

CUm dilectus f. Magiſter Vv. de Picerei pro ſeipſo, & Magiſter H. de Fernemaco pro Decano de Ameli pro Eccleſia de Bardevill. invicem litigarent, illis dil. f. G. ſanctæ Mariæ in Porticu Diaconum Cardin. conceſſimus auditorem, in cujus præſentia idem magiſter proponendo monſtravit, quod cùm olim ven. f. n. (b) Oſtien. Epiſcopus legationis officio fungeretur in partibus Gallicanis, & Vv. de Montibus inſigniiſſet charactere clericali, dil. f. Archid. Carnoten. mandavit, ut Eccleſiam, quam in Archidiaconatu ſuo primò vacare contingeret, donationi ſuæ (c) reſervare curaret, inhibens, ne alicui conferret eandem, in qua diſpoſuerat eidem Vv. non habenti beneficium providere. Proceſſu denique temporis, cùm in morte O. quondam Decani Alneoli Eccleſia de Borovilla vacaſſet, idem Archidiaconus contra mandatum ejusdem Legati, tam ipſam, quàm ipſum Decanatum G. f. n. conceſſit, qui aliam Eccleſiam in eadem Diœceſi noſcitur habere. Quod cùm ad prædicti Legati notitiam perveniſſet, eos ad ſuam præſentiam convocavit, & de prudenti conſilio Archidiaconi facto caſſato, antedictam Eccleſiam ſic vacantem præfato Vv. conceſſit. *Et infrà:* Vacante verò quadam præbenda in Eccleſia S. Marci Carnoten. cui ipſum Magiſtrum G. contingebat de jurepatronatus, Epiſcopus piâ providentiâ, ſeu providâ pietate conſiderans, quod præbenda ipſa, cui cura animarum non erat annexa, magis ſæpedicto Vv. congrueret, quàm eadem Eccleſia de Brachavilla, quæ Paſtore aſſiduo indigebat, Eccleſiam ipſam vacantem eidem Magiſtro ad præſentationem dicti Archidiaconi, nullo contradicente conceſſit, & præbendam illam præfato clerico aſſignavit. Unde ipſe magiſter ſupplicabat, eandem ſibi Eccleſiam confirmari, utpote quam canonicè, ac etiam ad præſentationem veri patroni, ſe dicebat adeptum. Econtrà procurator Decani reſpondit, quod etſi dictus Legatus donationi ſuæ reſervari mandaverit primò in Archidiaconatu Carnoten. Eccleſiam vacaturam; circa tamen prædictam Eccleſiam hoc facere de jure non potuit, quia talis poteſtas ſibi minimè competebat, cùm præſentatio clerici ad illam Eccleſiam, non tanquam clerico, ſed (d) quaſi laico ratione patronatus, non jure Archid. pertineret. Unde cùm inhibitionem ipſius ob hoc idem Archidiaconus cuſtodire minimè teneretur, alium ad eandem Eccleſiam de jure potuit præſentare; ac præſentatio ejus debet, ex quo idonea facta eſt, firma cenſeri. Nos igitur his, & aliis, quæ coram eodem auditore fuere propoſita, nobisque relata, fideliter per eundem diligentiùs intellectis, attendentes, quod etſi præfatus Archid. memoratum Decanum, tanquam laicus ad illam præſentaſſet; quia tamen ipſe Decanus per diœceſanum Epiſcopum admiſſus non fuit, ſed alius ab eodem Archidiacono præſentatus, à diœceſano fuit Epiſcopo inſtitutus, juxta ſtatutum bon. m. (e) Alexand. PP. Prædeceſſoris n. non primus, ſed ſecundus jus eſt in eadem Eccleſia aſſequutus, etſi memoratus Archidiaconus præfatum præſentavit Decanum; quoniam in eo, quod tanquam clericus faciebat, ſuberat jurisdictioni Legati: unde quia poſtquam idem Legatus donationem ipſius Eccleſiæ ſibi decreverat reſervandam, ad eam tanquam clericus non potuit quempiam præſentare, præſentationem minùs canonicè factam fuiſſe decrevimus, & eâ penitus non obſtante, conceſſionem ejusdem Eccleſiæ factam Magiſtro Vv. altero pronunciavimus canonicam extitiſſe; caſſantes nihilominus, quod per Delegatos à ſupradicto Archiepiſcopo Senon. poſt ap. ad nos legitimè interpoſitam extitit attentatum, adjudicantes eidem Magiſtro præfatam Eccleſiam cum fructibus medio tempore perceptis ex ea,

plene, ac pacificè possidendam : prædicto Decano super hoc perpetuum silentium imponendo.

NOTÆ.

1. (a) *Altissiod.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. De Decano Altissiodorensi, & ejus jurisdictione nonnulla adduxi *in cap.* 14. *de præsumpt.*

2. (b) *Hostiensis Episcopus.*] Hugolinus videlicet Anagninus Comes, qui Innocentio III. successit, & Gregorius IX. dictus fuit.

(a) *Servaret.*] Legatus enim à latere potest reservare primum beneficium vacaturum, etiamsi ejus præsentatio spectet ad Patronum ecclesiasticum, ut probavi *in cap. licet, de offic. Legati*, ubi Commentarium hujus textus dedi.

(d) *Quasi laico.*] Quo casu Legatus etiam à latere non potest derogare Juripatronatus, nec beneficia talis Juspatronatus laicalis conferre; imò etsi à Pontifice super his beneficiis rescripta gratiæ impetrentur, retineri solent per judices sæculares, ut probant Chopinus *de sacra Polit. lib.* 1. *tit.* 4. Salgado *de retent. bullar.* 2. *p.* Salcedo *de lege Polit. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 26. Zypeus *ad hunc titul. consult.* 4.

(e) *Alexandri PP.*] *In c. quod autem, suprà hoc tit.*

CAPUT XXIX.

Idem (a) *Helienſi Epiſcopo.*

PAstoralis officii. *Et infra:* Cùm autem sæpe contingat, patronos Ecclesiarum laicos nunc unum, nunc alium ad vacantes Ecclesias præsentare, solicitè postulasti per Sedem Apostolicam edoceri, an clericus ad aliquam Ecclesiam à Patrono laico præsentatus, si diœcesanus Episcopus ipsum non duxerit admittendum, ex hujusmodi præsentatione aliquid juris assequatur in illa: & si fortè idem ad Sed. Ap. (b) appellaverit, & post appellationem ab ipso interpositam, idem Patronus alium curaverit præsentare, ac Episcopus secundò instituerit præsentatum, idem ab ipso meritò debeat amoveri. Nos igitur bon. m. (c) Alex. PP. Prædec. n. pro sua reverentia vestigiis inhærentes, qui inter præsentatos à laico conditionem possidentis censuit meliorem, dicimus, quod institutio præsentati secundo loco à laico Patrono robur obtinet firmitatis. Veruntamen constituimus, ut Episcopus, qui præsentatum idoneum malitiosè recusavit admittere, ad providendum eidem in competenti beneficio compellatur, quatenus (d) puniatur in eo, in quo ipsum non est dubium deliquisse.

NOTÆ.

1. (a) *Helienſi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 4. & *in cap. pastoralis, de rescript.* ubi alias partes hujus Decretalis congessimus, & præsentem inscriptionem exposuimus.

2. (b) *Appellaverit.*] Sed quomodo appellatione ritè interpositâ potuit admitti secunda præsentatio, nec ut attentata revocetur, contra adducta suprà *in cap.* 1. *de appell.* Respondetur, quod licèt hæc secunda præsentatio facta fuisset pendente appellatione, non tamen fuit celebrata contra appellationem, quia tunc primò præsentatus appellavit à denegatione institutionis, non verò petiit, ne secunda præsentatio fieret, ut docuit Balboa *in cap.* 1. *de appellat. num.* 48.

(c) *Alexander.*] *In cap. quod autem, hoc tit.* ubi Commentarium hujus textus dedi.

(d) *Puniatur in eo.*] *Cap. non est, de temp. ord. lib.* 6.

CAPUT XXX.

Idem (a) *Aurienſi Epiſcopo.*

POstulasti per Sed. Ap. edoceri, ut cùm Rectores parochialium Ecclesiarum quandoque quosdam præsentent ad suarum Ecclesiarum titulos ordinandos, utrum electio talium ad ipsos Rectores pertineat, vel etiam ad patronos: & si in his patronorum non est requirendus assensus, utrum jus illis salvum remaneat eligendi, ut cùm ipsas Ecclesias vacare contigerit, titulati hujusmodi non sint aliis præferendi. Ad quod f. t. b. respondemus, quod per intitulationem hujusmodi nullum Patronis præjudicium generetur, quin possint alios ad ipsas Ecclesias, cùm vacaverint, præsentare, nisi de patroni processisset assensu.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. (a) *Vrienſi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap. final.* De Aurienſi Diœceſi Galleciæ nonnulla notavi *in capit. cùm cauſa, de probat.*

COMMENTARIUM.

2. IN hoc textu agitur de intitulatione in Eccleſia Jurispatronatus, pro cujus expoſitione plura adduxerunt Covarr. & Lambert. congeſti à Barboſa in præſenti. Et breviter ſciendum eſt, nonnunquam Parochos, ſeu Rectores Eccleſiarum parochialium, ſinere, immò & poſtulare ab Epiſcopo, ut alius clericus tanquam ſocius ſecum ordinetur, & inſtituatur in propria Eccleſia; quo caſu, ne beneficium dividatur, conſtituitur certa portio clerico noviter ordinato ex fructibus ipſius beneficii ſolvenda, *cap. cùm non ignores* 15. *de præbend. cap.* 37. *de ſimon.* docet Quintanaduennas *lib.* 3. *Eccleſiaſticon, num.* 19. & jam notavi *in cap.* 2. *de præbend.* Dubitatur ergo ab Epiſcopo Aurienſi, an quando ad petitionem Rectoris Eccleſiæ parochialis Patronum habentis aliquis intitulatus, id eſt ordinatus erat mortuo Rectore, haberet jus aliquod ad ipſam Eccleſiam? Et reſpondet Innocent. III. illum nullum jus habere, immò Patronum poſſe præſentare, quem maluerit ad Eccleſiam parochialem vacantem, niſi Patronus conſenſiſſet ipſi inſtitutioni; quia tunc defuncto Rectore tenetur illam ratam habere, nec poteſt eam infirmare.

CAPUT XXXI.

Gregorius IX. *Archiep.* (a) *Eborac.*

TRanſmiſſæ ad nos tuæ litteræ continebant, quod cùm Capitulum Eboracen. Eccleſiam de Gameforde vacantem, in qua jus obtinent patronatus, R. clerico conceſſiſſent, ipſi poſtmodùm L. clericum tibi ad eandem Eccleſiam præſentarunt, poſt appellationem ab eodem R. ad Sedem Ap. interjectam. *Et infrà*: Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod cùm ex vi Jurispatronatus non conceſſio, ſed repræſentatio pertineat ad Patronum, præſentatum (ſi aliquid non obſiſtat Canonicum) inſtituere in ipſa Eccleſia poteris, utpote potiorem.

NOTÆ.

1. (a) *Boracenſi.*] De Metropoli Eboracenſi Angliæ egi *in cap.* 2. *de reſcript.*

COMMENTARIUM.

2. PRæſens Gregorii Deciſio ex ſuprà traditis, & ſæpius in hoc titulo inculcatis facilè exponitur. Supponit enim Pontifex, Juspatronatus ſpectaſſe ad Capitulum Eboracenſe, & ita eccleſiaſticum fuiſſe, & vacante Eccleſia de Gameforde Capitulum non præſentaſſe, ſed conceſſiſſe ipſam Eccleſiam R. qui cùm ab Archiepiſcopo non admitteretur, quia ab eo inſtitutionem non acceperat, ad Sedem Apoſtolicam appellavit: interim Capitulum agnoſcens virtute Jurispatronatus non conceſſionem, ſeu collationem, ſed tantum præſentationem ſibi competere, Lucium ab Archiepiſcopo inſtituendum præſentavit. In hoc caſu conſultus Gregorius decrevit ſecundum, Lucium videlicet, ut potiorem eſſe inſtituendum; nam licèt Capitulum ut Patronus eccleſiaſticus, ſi ſemel præſentaſſet Rodericum, non poſſet poſtea variare, ex traditis ſuprà *in cap. quod autem*; tamen cùm ipſum non præſentaſſet, ſed abſolutè ipſi Eccleſiam conceſſiſſet, conceſſio ipſa nulla fuit, & ſic non potuit impedire, quo minus Capitulum Lucium utiliter, & validè præſentaſſet: & quia ipſe in præſentatione primus erat, jubet Gregorius Archiepiſc. Ebor. ut ipſum tanquam potiorem inſtituat, rejecto R. ex traditis ſuprà *in cap.* 4. *hoc tit.*

TITULUS XXXIX.

De Cenſibus, Exactionibus, & Procurationibus.

CAPUT I.

Ex Concilio (a) *apud Guarmac.*

SANCITUM eſt, ut unicuique Eccleſiæ unus manſus integer abſque ullo ſervitio tribuatur, & Presbyteri in eis conſtituti, non de decimis, nec de oblationibus fidelium; non de domibus, nec de atriis, vel de hortis juxta Eccleſiam poſitis, nec de

de prædicto manso aliquod servitium faciant præter ecclesiasticum: & si quid amplius habuerint, inde (b) Senioribus suis debitum servitium impendant.

NOTÆ.

1. (a) *Warmac.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & apud Gratianum *in capit. sanctum* 25. 23. *quæst.* 8. Burchardus verò *lib.* 3. *Decreti, cap.* 52. Carnotensis *p.* 3. *cap.* 55. legunt, *apud Wormatiam*: etiam reperitur textus hic *lib.* 1. *Capitul. Caroli. capit.* 90. eisdem verbis, ac in præsenti: quæ omnia licèt sint diversa, non tamen sunt contraria, cùm plerumque Concilia Wormatiensia dicantur Guarmatiensia, à civitate Wormatia, seu Guarmatia, quæ est in Gallia ad Rhenum, sæpius subversa, & sæpius à Galliarum Regibus instaurata, quæ à Brunichilde Regina venustate illustrata, sedes Regum Galliæ effecta fuit, & Cathedra ejus Archiepiscopalis translata in Moguntiam. In ea ergo urbe varia Concilia celebrata fuerunt: quatuor refert Coriolanus in summa; & cùm ex Canonibus in eis editis plures transscripsisset Carolus inter sua Capitularia, ut refert Antonius Augustinus *in epit. juris Pont. in princip. titul. de collect. Canonum, cap.* 22. qui etiam *dialog.* 18. *in Gratianum, num.* 12. docet Concilia, maximè in Gallia, & Germania celebrata fontes fuisse Capitularium; inde præsens Canon, qui editus fuit in Concilio Guarmat. seu Wormat. reperitur inter Capitularia *lib.* 1. *cap.* 90. & Egbertus Archiepiscopus Eboracensis in suis excerptis ita Canonem hunc transcripsit: *Unicuique Ecclesiæ vel una mansa integra absque alio servitio attribuatur, & Presbyteris in eis constitutis, non de decimis, nec de oblationibus fidelium, nec domibus, nec de atriis, vel hortis juxta Ecclesiam positis, neque de præscripta mansa aliquod servitium faciant, præter ecclesiasticum; & si aliquod amplius habuerint, inde Senioribus suis secundùm patriæ morem debitum servitium impendant.* Excerpta hæc stant, & reperiuntur *tom.* 17. *Conciliorum, fol.* 493. in Regia editione, & in Concilio Meldensi *Canone* 63. ita Patres sanxerunt: *Ut secundùm canonicam auctoritatem, & constitutionem Domini Imperatoris Ludovici de agro ecclesiastico, & manso, ac mancipiis, quæ ipse suis capitulis constituit, vel si quilibet pro loco sepulturæ aliquid largitus Ecclesiæ fuerit, nec de decimis, & oblationibus fidelium cuiquam Presbytero aliquem censum persolvere cogat.* In quibus auctoritatibus eadem sententia proponitur, quam statim exponemus, & ferè per eadem verba in omnibus legitur, & statuitur.

2. (b) *Senioribus.*] Seniores dicuntur majores, nobilioresque Ecclesiæ, seu populi. De Senioribus Ecclesiæ agitur in actis purgationis Cæciliani, & Felicis post collationem Carthag. ibi: *Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Seniores plebis, Ecclesiasticos viros.* Et paulò post: *Maximus dixit: Loquor nomine Seniorum Christiani populi, & Catholicæ legis.* Eorum meminerunt D. Augustinus *lib.* 3. *contra Cresc. cap.* 56. ibi: *Peregrinus Presbyter, & Seniores Ecclesiæ Mutiscanæ regionis.* Et *epist.* 136. ibi: *Dilectissimis fratribus, clero, Senioribus, & universæ plebi Ecclesiæ Hipponensis.* Epistola synodalis Concilii Cabarsitani apud eundem Augustinum *in enarrat. in Psalmum* 36. sic: *Necesse nos fuerat Primiani causam, quem plebs sancta Carthaginensis Ecclesiæ Episcopum fuerat in ovile DEI sortita, Seniorum literis ejusdem Ecclesiæ postulantibus audire, atque discutere.* Optatus *lib.* 1. *Erant Ecclesiæ ex auro, & argento quamplurima ornamenta, quæ nec defodere terræ, nec secum portare poterat, quas fidelibus Senioribus commendavit.* Et paulò post: *Convocantur supra memorati Seniores, qui faucibus avaritiæ commendatam ebiberant prædam.* D. Ambrosius *in epist.* 1. *ad Thimoth. cap.* 5. *Synagoga, & postea Ecclesia Seniores habuit, quorum sine Concilio nihil agebatur in Ecclesia.* Tertull. *in Apolog. Præsident probati quinque Seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti.* Gregorius I. R. P. *lib.* 11. *epist.* 19. *Si quid de quocunque clerico ad aures tuas pervenerit, quod tenuitè possit offendere, non credas, sed præsentibus Ecclesiæ tuæ Senioribus diligenter est perscrutanda veritas.* Inde Seniores pro Episcopis, & Præpositis habentur in Concil. Tolet. 4. *Can.* 23. relato *in cap.* 1. 12. *quæst.* 1. *cap. porrò*, 84. *dist.* Concil. Matiscon. 1. *Can.* 5. ibi: *A Senioribus coerceatur.* De Senioribus laicis agitur *in Can.* 91. *Ecclesiæ Afric.* ibi: *Magistratus, vel Seniores locorum.* Novella Leonis, & Majorani *ad Basil. PP. titul.* 1. *Illustris sane, & præcelsa magnificentia tua omnium Provinciarum Rectores suis auctoritatibus admonebit, ut principales, vel Seniores urbium singularum, tam Curiarum, quàm reliquorum corporum.* Gregorius Turon. de Theodoro Massiliensi Episcopo loquens, ibi: *Ille epistolam, ut ajunt, manu majorum Childeberti Regis subscriptam protulit dicens: Nihil per me feci, nisi quæ mihi à Dominis nostris, & Senioribus imperata sunt.* Et *in collat. Carthag. cognit.* 1. *cap.* 5. *Universos etiam cunctarum Provinciarum Curatores, Magistratus, & omnis Ordinis viros, nec-non & actores, vel Procuratores, vel Seniores singulorum locorum pari admonitione convenio, quatenus in civitatibus, locisq; an quibus consistunt, utriusque partis Episcopos convenire, vel suggestorum confessione, vel sub cujuslibet scriptura documento extante festinent.* Et *lib.* 1. *Capitul. c.* 48. ibi: *Ut Episcopi provideant, quem honorem Presbyteri pro Ecclesiis suis Senioribus tribuant.* Et *cap.* 58. *Ut nullus Presbyter chartas scribat, nec conductor sui senioris existat.* Quibus opponuntur Juniores, populi, de quibus *lib.* 1. *Capitul. Caroli, cap.* 167. ibi: *Ut primò omnium Seniores semetipsos de ebrietate caveant, & eorũ Junioribus exemplum bonum sobrietatis ostendant.* Et *lib.* 3. *c.* 63. de vulgari populo: *Et unusquisque suos Juniores distringat, ut melius obediant, ac melius consentiant mandatis Imperialibus.* In legibus Alemann. *tit.* 78. *l.* 5 *Si coquus, qui juniorem habet, occiditur.* Gregorius Turon. *lib.* 5 *cap.* 26. ibi: *A Junioribus Ecclesiæ jussit bannos exigi pro eo, quod in exercitu non ambulassent.* Concil. Matiscon. 1. *can.* 8. Paris. 2. *can.* 13. Narbonense sub Recharedo, *cap. quicunque* 33. *quæst.* 2. plura de Senioribus, Junioribusque congesserunt Bignonius ad Marculfum *lib.* 1. *c.* 3. Justel. *in notis ad can.* 91. & 100 *Cod. Can. Ecclesiæ Afric.* Bosquetus *in notis ad Innoc. III. lib.* 2. *regestr.* 14. *epist.* 135. Georg. Ambian. *ad Tertull. c.* 39. *obser.* 2. Berrucius *de verbis feudal. verbo Senior.* Cujac. *lib.* 1. *feudor. tit.* 1. *fol.* 809. Lindenbrog. *in Glossar. verbo Junior.*

COMMEN-

COMMENTARIUM.

DIfficilis valde est textus hic, tam in verborum serie, quàm in sanctione: spectat ad jus antiquum Galliæ, ex cujus Provinciæ legibus tantùm explicari, & illustrari debet; & qui voluerit juxta jus commune aliarum gentium illum accipere, in miseros lapsus passim incidet. Prius ergo sciendum est, quid sit mansus integer, ex quo servitium aliquod præstandum non est, quod anxiè quærunt Cujac. *lib.* 1. *feud. titul.* 1. Boërius Epon. *in cap. non minus, num.* 61. *de immunit. Eccles.* Pennotus *lib.* 3. *hist. Canonic. regul. cap.* 2. *num.* 3. Filesacus *in cap.* 4. §. 2. *de offic. ordin.* Germonius *ad hunc titul.* & *de indult. Cardin.* §. *Pro qua, num.* 12. Bosquetus *ad Innoc. lib.* 1. *epist.* 21. Zerda *in advers. cap.* 77. & 185. *num.* 119. Sirmondus *ad Capitul. Caroli, fol.* 23. Lindembrog. *in Glossar. verbo Mansus*, Altesserra *lib.* 6. *Dissert. cap.* 11. Et mansus est certus agri modus, cum structura ad culturam, & mansionem necessaria, Henricus Imperator in diplomate apud Latium: *Unum regalem mansum cum omnibus suis pertinentiis, & utriusque sexus mancipiis, & terris cultis, & incultis, areis, pratis, pascuis, molendinis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, silvis, venationibus, saginationibus, cum omni utilitate, quæ aut describi, aut nominari potest, in proprium tradidimus.* Mansus integer, de quo hic, dicitur justis terræ mensuris completus, continet duodecim jugera terræ.

4. Dos igitur cujusque Ecclesiæ parochialis ad minus mansus erat, *cap.* 2. *de Jurepatron. in* 5. *compil.* Ausonius *lib.* 5. *histor. cap.* 10. ibi: *Volens etiam Imperator Carolus unamquamque Ecclesiam habere proprios sumptus, ne per hujuscemodi inopiam cultus negligerentur divini, inservit prædicto edicto, ut super singulas Ecclesias mansus tribueretur, unus cum pensatione legitima, & servo, atque ancilla.* Concil. Colon. sub Carolo Crasso, *Can.* 4. *Ne ex dote Ecclesiæ, id est, ex uno manso, & quatuor mancipiis census exigatur.* Metense *can.* 2. *De uno manso, & de terris pro sepultura datis, & pro quatuor mancipiis, vel eorum procreatione nullus census deinceps exigatur.* Licet aliquando pro facultatibus, & pietate fundatoris Ecclesiæ, duo, vel plures mansi assignarentur. Sanctus Stephanus Rex Hungariæ *lib.* 2. *Decret. tit.* 34. *Dotem parochialis Ecclesiæ sic constituit: Decem villæ Ecclesiam ædificent, quam duobus mansis, totidemque mancipiis dotent, equo, & jumento, sex bobus, & duabus vaccis, triginta quatuor minutis bestiis.* Quod verò mansum canones appellant, Concilium Valentinum Galliæ Coloniam vestitam appellat *can.* 9. ibi: *Seculares, & fideles laici, si condere basilicas voluerint in prædiis suis, sicut edictum piissimorum Augustorum continet, unam Coloniam vestitam cum tribus mancipiis donationis gratia eis conferant, moxque Episcoporum juri, & S. matris Ecclesiæ eandem basilicam submittant.* Notarunt Lemaistre *lib.* 2. *de bonis Eccles. cap.* 11. Filesacus *in cap.* 4. §. 2. *de offic. ordin.* Et certè tanta religione tenebantur veteres erga parochiarum sacerdotes, ut nefas esse crederent quicquam de integritate mansi prædii ecclesiastici deficere. Unde Archidiaconi Ecclesias lustrantes solebant, in primis sacerdotum commodis prospicere, & percunctari, num mansum integrum, & justam terræ portionem obtinerent. Quod si quid deesset, tunc certè parochiano ad supplendum justæ mensuræ congruentis cumulum adigebant. Patet ex capitul. Hincmari Rhemens. *tom.* 3. *Concil. Gall.* in quibus Archidiaconis imperat, ut inquirant de manso Ecclesiæ: *Si habeat mansum habentem bunniaria duodecim, præter cæmeterium & cortem, ubi Ecclesia, & domus ipsius continetur; aut si habeat mancipia quatuor.* Deinde sciendum est, varia olim fuisse mansorum genera: alii dicebantur tributales, alii indominicati, ingenuiles alii. Aimonius Monachus *lib.* 5. *histor. cap.* 35. ubi de tributo, quod Carolus Calvus Romam profecturus in universa Gallia pendi constituit, terram universam dividit in mansos ingenuiles, & indominicatos, his verbis: *Placitum generale Kalendis Junii habuit, ubi per capitula, qualiter Regnum Franciæ filius suus Ludovicus cum fidelibus, & regni primoribus regeret, usque dum Romam rediret, ordinavit, & quomodo tributum de parte Regni Franciæ, quam ante mortem Lotharii habuit, sed & de Burgundia exigeretur, disposuit, scilicet ut de mansis indominicatis solidus de unoquoque manso ingenuo, quatuor denarii de censu dominico, & quatuor de facultate mansuarii; de manso vero servili duo denarii de censu dominico, & duo de facultate mansuarii conferendo.* Itaque de mansis tributalibus cum agris tributariis non erit difficile eorum naturam assequi, & conjectari. Nempe mansi tributales sunt, quibus à Principe tributum erat impositum ad onera bellica, & sumptus Reipublicæ procurandæ. Tributorum autem originem referunt ad Carolum Magnum, qui fracta Longobardorum feritate, victis civitatibus tributum imposuit, quod maximè pendere cogerentur, cùm iter per Provincias Imperator faceret: ita Sigonius *de regno Italiæ, lib.* 4. *Feudatariis*, inquit, *civitatibus, Ecclesiis, ac monasteriis certa tributorum genera imposuit, foderum, paraturam, & mansionaticum appellata, quæ advenienti potissimum in Italiam Regi persolverent. Quæ deinde pro ipsius, & successorum ejus benignitate, aut ex parte levata, aut in totum remissa sunt.* Foderum autem, paratura, & mansionaticum erant certa tributa, ut exponit idem Carolus Sigonius *lib.* 7. *de Regno Italiæ, sub Othone Magno*: ubi agens de Longobardis, qui in tributis imponendis veteres Gallos imitati sunt, ait: *Tributa, quæ ille Fridericus à Francis instituta retinuit, fuêre foderum, paratura, & mansionaticum. Foderum summa quædam tributi fuit, quam advenienti in Italia Regi populi solvere tenebantur, pro quo sæpe etiam æstimata pecunia pendebatur: paratura sumptus, quem iidem in vias, pontesque fluminum, quà transiturus, aut quo aditurus Rex erat, reficiendos impendere: mansionaticum verò sumptus in tecta, &c.* quæ Regio exercitui in agro hospitanti necessaria præbere jubebatur. De fodro agitur *lib.* 3. *legum Longobard. tit.* 8. apud Fridericum *de pace Constant.* Petrum de Vineis *lib.* 2. *epist.* 29. De mansionatico *lib.* 2. *capit.* 17. De paratura extat septima formula Marculfi. Mansus indominicatus nihil aliud erat, quàm prædium aliquod insigne, ubi Nobilium domicilium erat: hodie dicimus, *Sennor de tal casa, ò lugar*: de eo Aimonius *lib.* 5. *cap.* 35. agit; Mansus verò ingenuilis dicebatur ille, quem dominus prædii colendum tradebat hominibus ingenuæ, seu liberæ conditionis; quibus unus præerat mansarius, qui certum censum, seu pensionem, sive nummariam, sive frumentariam domino prædii persolvebat: de quibus mansis

plura

plura tradit Lemaistre *de bonis Eccles. libr. 2. cap. 3.*

*6 His animadversis, jam apparet verus sensus præsentis Canonis: in eo jubent PP. Ecclesiæ Gallicanæ, ut unicuique Ecclesiæ unus mansus integer, id est instructus, & vestitus absque ullo servitio tribuatur, id est absque tributo, videlicet fodero, paratura, & mansionatico; quia mansus pro dote Ecclesiæ assignatus immunis erat à quocunque servitio. Concil. Meldense *Can. 63.* & in capitul. Heraldi Turonen. *cap. 40.* & in Canonibus Isaaci Lingonensis in præfatione cautum fuit, ne cuiquam servitio obnoxius sit mansus Ecclesiæ; & diserè ùs id statuerunt Carolus, & Ludovicus *lib. 5. capitul. cap. 45.* his verbis: *De uno manso ad Ecclesiam dato, de quo aliqui homines contra statuta sibi servitium exigunt, quicunque pro hac causa accusatus fuerit Comes, vel missus, hoc quod inde subtractum est, presbyteris cum lege sua restituere faciant.* Et sanctissimè quidem ita prospectum est, ne mansus, aut redditus Ecclesiarum parochialium ullo onere premerentur, nève ex earum dote ullum censum laici perciperent, qui temerè Ecclesiarum fundatores sæpiùs illum extorquebant. Concil. Troslejan. *can. 6.* Metense *can. 2.* Colonien*se can. 4.* Valentinum *can. 9.* bi: *Item, quia parochiales Presbyteri indignè à sæcularibus premuntur, nullaque reverentia sacerdotali gradui ab aliquibus servatur; & quia possessiunculæ, vel dotes basilicis collatæ irreverenter auferuntur, placuit, ut ipsi presbyteri sub Episcopis, quibus adjutores sunt, maneant, & sub matre Ecclesia libere, & quietè officium ecclesiasticum exequantur: dotes verò à fidelibus designatæ basilicis ad hoc, quod statutum est, ab eis vindicentur, nullaque redhibitio censûs inde à quolibet sæculari exigatur.* Imò & Episcopis, & Archidiaconis prohibebatur ex his mansis ullum servitium exigere, *capitul. 5. lib. 2.* ubi ita cavetur: *Ne verò Ecclesiæ illis commissæ in restauratione, aut luminaribus, juxta possibilitatem rerum ab illis negligantur, vestra nihilominus invigilare debet solertia, & sicut alios prohibetis, ne de mansis ad Ecclesiæ luminaria datis aliquid accipiant, sic & vos, & vestri Archidiaconi, de eisdem mansis nihil accipiendo aliis exemplum præbeatis; sed potiùs ad id, ad quod data sunt, servire concedatur, ut totum, sicut dictum est, in restauratione Ecclesiarum, & luminaribus vestra auctoritate, & studio cedere possit.* Ex manso igitur, id est propria dote Ecclesiæ non tenebatur Presbyter aliquod servitium domino mansi, qui illum pro dote assignavit, impendere, nec de decimis, & oblationibus in ipsa Ecclesia perceptis; sed tantùm spirituale, seu ecclesiasticum servitium illi præstare debebat. Concil. Troslejan. *can. 6.* ibi: *Quia mitis, & humilis magistri discipuli sumus, Presbyteris nostris humilitatis exempla, ac monita dare debemus, videlicet in quorum ditione suæ consistunt Ecclesiæ, congruum honorem, & obsequium impendant debitum, id est spirituale, atque ecclesiasticum: & hoc sine ullo typho, vel contentione, vel rebellione; salvo namque ministerii sui jure debent se gratiosos exhibere senioribus, & parochianis suis, de quorum oblationibus vivunt, & cum debita humilitate spiritualia eis obsequia ministrare.*

Hæc de mansis pro dote Ecclesiæ assignatis, & eorum immunitate ab omni servitio temporali: Sed quia Ecclesiæ ultra dotem plerumque alium mansum habebant, seu alia prædia, quæ erant veluti dotis incrementum, nec ita in subsidium necessitatis Ecclesiæ deserviebant mansi isti, si antequam Ecclesiæ traderentur, tributum exsolvebant, similiter & postea illud pendebant, ut Imperatores Carolus, & Ludovicus sanxerunt *lib. 4. Cap. cap. 37.* ibi: *Quicunque terram tributariam, unde tributum ad partem nostram exire solebat, vel ad Ecclesiam, vel cuilibet alteri tradiderit, is qui eam susceperit, tributum, quod inde solvebatur, omni modo ad partem nostram persolvat, nisi fortè talem firmitatem de parte Dominica habeat, per quam ipsum tributum sibi donatum possit ostendere.* Unde, ni fallor, apparet verus sensus præsentis Canonis; in eo enim nullo modo agunt PP. de aliquo servitio Episcopis, seu aliis superioribus Ecclesiasticis præstando, ut volebat Primarius noster Parexa *in repetit. ad hunc textum*: sed de tributo ex manso Ecclesiæ, vel aliis prædiis ab eo possessis solvendo seniori, id est pristino Domino mansi, vel Principi: & PP. sanxerunt, staturuntque Imperatores Carolus, & Ludovicus, quod unaquæque Ecclesia suum mansum integrum, id est instructum, ut suprà retuli, haberet, & Presbyteri in ipsis Ecclesiis constituti, nec de decimis fidelium, aut oblationibus, proventibusve ex domibus, areis, vel hortis, neque ex ipso manso aliquod servitium faciant temporale; sed tantùm ecclesiasticum, hoc est spirituale, ut in dicto Canone 6. Concilii Toslejan. sicut Patronus, qui à libertо sacris Ordinibus initiato non potest operas temporales exigere, spirituales verò petere valet, *cap. eo libentius, de servis non ordin.* si autem ipsæ Ecclesiæ alia prædia habent, ultra prædictum mansum, ex his tributum, quod pendere solebant Senioribus, id est Judicibus, aut Magistratibus, seu Dominis illius prædii, debitum servitium impendant; quia tunc prædia illa transeunt cum suo onere, nec similia prædia habent privilegium dotis Ecclesiæ. PP. enim, & Imperator privilegium hoc exemptionis concesserunt manso Ecclesiæ, quia necessarius est ad alimoniam Rectoris, & aliorum ministrorum Ecclesiæ, nec non ejus luminaria, & similia; non autem aliis prædiis, quæ pro dote Ecclesiæ assignata non erant, in quibus æqualis ratio favoris, & necessitatis non vigebat.

CAPUT II.

(a) Augustinus *super epistola ad Romanos.*

OMnis (b) anima sublimioribus (c) potestatibus subdita sit. *Et infra:* Et vos subditi esse debetis. Ideo enim tributa præstatis, quia hæc est probatio subjectionis.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. (a) *Augustinus.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. Sed hæc verba non reperiuntur inter Opera D. Augustini; extant tamen priora illa: *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita est*, in epistola D. Pauli ad Romanos c. 13. Illa autem: *Et vos subditi esse debetis*, exprimunt sententiam Glossæ ordinariæ, quæ ait: *Et ideo subjici*; & illa: *Ideo enim tributa præstatis*, sunt D. Pauli; tandem illa: *Quia hæc est probatio subjectionis*, sunt Glossæ interlinearis; unde Compilatores textum hunc ex ipsa D. Pauli Epistola, & ejus Glossa transcripserunt.

2. (b) *Omnis anima.*] Id est omnis homo, ut passim in sacra pagina anima sumitur, ut Actuum Apost. capit. 7. *Accersivit Joseph patrem suum Jacob, & omnem cognationem in animabus septuaginta quinque.* Exod. cap. 1. *Omnes animæ, quæ egressæ sunt de femore Jacob.* Ezechielis capit. 4. *Ecce anima mea non est polluta.* Jesaiæ capit. 49. *Ad contemptibilem animam.* Et passim.

3. (c) *Potestatibus.*] Id est Principibus, & Magistratibus, qui potestate regendi, & imperandi pollent. Ponitur enim Abstractum pro Concreto, videlicet potestatibus, id est potestate præditis, ut *in cap. final. de judiciis.*

COMMENTARIUM.

4. PRo hujus textus expositione sciendum est, apud Hebræos Judam Gaulianistam, seu Galilæum, cum suis sectatoribus in eo errore fuisse, videlicet solum Deum esse recognoscendum tanquam Principem, & Dominum; omnes verò Principes humanos, & per consequens omne Regnum Politicum esse respuendum, ut refert Josephus *libr.* 18. *antiquit. cap.* 1. & *libr.* 7. *de bello Judaico, cap.* 29. & 31. & tradit D. Hieronymus in epistola Pauli ad Titum, cap. 2. Quare calumniosè interrogarunt Judæi Christum Dominum nostrum, an liceret tributum Cæsari solvere? Ut si respondereret, tributum esse solvendum, juxta opinionem eorum infringeret legem libertatis per Moysen datam: Si autem solvendum non esse diceret, in Cæsarem peccaret. Et quia Christus Dominus, & ejus Apostoli origine erant Galilæi, & simul legem, quam prædicabant, appellabant legem perfectam libertatis, *Joannis cap.* 8. ibi: *Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis*; ideo Apostoli, & primi Christiani de hoc errore Gentibus suspecti fuerunt, ut constat ex Justino Martyr. *Apolog.* 2. Clemente Alex. *lib.* 4. *Strom.* qui refert inter alias causas, persecutiones Ecclesiæ hanc unam fuisse, quia videlicet per legem Evangelicam, quam audiebant esse libertatis, Regna, & Respublicas seculares, everti Gentiles credebant; unde Apostoli ut hanc erroris causam tollerent, sæpe sæpius prædicarunt Principibus esse obediendum, illisque tributum solvendum, ne in odium traheretur Christiana religio, aut Christiani abuterentur libertate fidei ad obedientiam Principibus negandam. D. Petrus *Epist.* 1. *Canon. c.* 2. ibi: *Subjecti estote omnes humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi tanquam præexcellenti.* Unde tot argumentis in præsenti epist. c 13. ad Romanos intendit D. Paulus probare omnem hominem obedire debere supremis Potestatibus, quibus ideo tributa præstant: quæ verba Apostoli sunt, & rectè exposuit Glossa ordinaria; quia tributorum præstatio probationem inducit subjectionis. Facit D. August. in præsenti epistola, dum ait: *Ideo tributorum, & census persolvendi meminisse Apostolum, quoniam nascentis Ecclesiæ initio libertati Christianæ minus adhærentes, quidam nulli hominum honorem deferebant, aut tributa pendebant; contra quod scriptum est ab eodem Apostolo ad Timoth.* 1. *cap.* 6. Et clariùs idem sanctus Doctor ostendit ad eandem Epistolam Pauli: *Si quis ergo putat, quoniam Christianus est, non sibi esse vectigal reddendum, aut tributum, aut non esse exhibendum debitum honorem eis potestatibus, qui hæc curant, in magno errore labitur.* Idem peccatum falsò primis Christianis insimulatum agnoscunt, & suis apologeticis impugnant Justinus Martyr *dict. Apol.* 2. *ad Antoninum*, Tertull. *in Apolog. adversus Gentes, cap.* 31. & 35. & *ad Scapulam cap.* 2. & *de idololatr. cap.* 15. & *adversus Gnost. c.* 14. Arnobius *lib.* 4. *adversus Gentes.* Ignatius *epist.* 10. *ad Smyrn.* & *in epist.* 2. *ad Antioch.* Irenæus *lib.* 3. *cap.* 24. Martialis Lemovic. *epist.* 2. *ad Tolosanos*; & post eos sub Cæsaribus Chrysostomus *ad epist.* 1. *Pauli ad Roman. cap.* 13. Ambrosius *lib.* 4. *ad Lucam, cap.* 5. Hieronymus *epist.* 4. August. *epist.* 5. & 54. & *ad Psalm.* 118. *concione* 31. & *in propositionibus ad epist. ad Roman. propos.* 13. Optatus Milevit. 3. *adversus Parmenianum*, Symmachus Papa *in Apolog. ad Anastasium Imp.* Fulgentius Ruspensis Episcopus *lib.* 1. *de mysterio Mediatoris Christi ad Trasimundum Regem*, Isidorus Pelusiota *lib.* 2. *epist.* 216. & sequiore sæculo, non sensu, Joannes Saresbur. *lib.* 4. *polycrat. cap.* 1. Nec est ratio, quare hæc verba D. Pauli referantur ad Clericos, ecclesiasticasque personas, cùm tantùm Apostolus agat generaliter de omnibus Christianis, qui licèt per Evangelicam legem liberati sint à præceptis veteris legis, non tamen exempti sunt ab obedientia Principibus præstita; & ita non potest textus hic expendi contra immunitatem clericis, ecclesiasticisque personis à tributis competentem, ut vulgò expendi solet: notarunt post alios Suarez *lib.* 4. *adverss. Reg. Angl. cap.* 1. & *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 9. Martha *de jurisdict. part.* 1. *cap.* 25. & *part.* 2. *c.* 6. Valenzuela *contra Venetos, p.* 4. *num.* 140. & 184. & ni fallor, hæc est vera & propria præsentis textus interpretatio. Generaliter verò Principibus esse obediendum, probatur *ex capit.* 22. *Exodi, vers.* 28. ibi: *Principi populi tui non maledicas*; ut agnoverunt Paulus *Actuum Apost. cap.* 23. *vers.* 5. Apostoli *in Can.* 84. PP. Concil. Tolet. 5. *Can.* 5. & *ex* 1. *Paralip. capit.* 16. & *Psalmo* 104. *vers.* 15. *Nolite tangere Christos meos*, &c. quo sæpe pro fide & obedientia Regibus debita utuntur PP. Concil. Tolet. 4. *Can.* 75. Tolet. 16. *Can.* 9. Probatur etiam ex D. Paulo 1. *ad Timoth. cap.* 3. & *ad Titum capit.* 3. *epist.* 1. *Petri, cap.* 2. *vers.* 13. *Can.* 84. *Apost. cap. Julianus* 94. *cap. qui resistit* 97. *cum seqq.* 11. *quæst.* 3. *cap. quæ contra*, 8. *dist. cap. magnum* 28. 11. *quæst.* 1. *cap.* 2. *de majorit. & obed.* Concil. Paris. sub Ludovic. *lib.* 2. *cap.* 8. Meldense sub Sergio *Can.* 2. Turon. 2. sub Carolo, *Can.* 1. Mogunt. sub Rabano *Can.* 5. Tolet. 4. *Can.* 75. Tolet. 6. *Can.* 17. Tolet. 7. *Can.* 1. & aliis congestis ab Antonio Augustino *in epit.* 3. *p. lib.* 35. *tit.* 2. Probant fusè Bellarminus *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 3. Solorzanus *de*

jure Ind. tom. 2. lib. 2. cap. 23. num. 77. Larrea *alleg. 63. ex num. 5.* Valenzuela *consil. 4. num. 79.* fusè & eruditè Illustr. Ramos *ad Alex. VII. pro Episc. Lusit. fol. 18. num. 81. cumsequent.*

CAPUT III.

Gregorius *Stephano* (a) *Chartulario.*

SCientes magnitudinem charitatis vestræ toto Dominum corde diligere, ob hoc ea, quæ in (b) massis de jure quondam Patricii viri piæ recordationis contra præcepta Dominica, contraque Canonum regulam commissa esse didicimus, ad ejus necesse duximus referre notitiam: quatenus hæc, quæ perpetrata sunt, corrigi debeant, & alii deinceps tentare non præsumant. Insinuatum igitur nobis est, in massa, quæ nuncupatur Marato, de Abbate monasterii sancti (c) Georgii, quod in eadem situm est, duos Monachos refugisse, & unum quidem ex eis jam conjugem accepisse, alium autem laicum effectum sæculariter vivere; cùm nec ex familia massæ homines ipsi esse liberi asserantur: & vel si secundùm conditionem debuissent agere, contra DEUM erat, ut post adeptum divini officii cultum, & sæcularem vitam, atque habitum remearent. Unde hortor, ut habita judicis æterni consideratione, Monachos ipsos retrudi sine dilatione faciatis, ne eorum exemplo, cum vestro, quod absit, peccato, cæterorum monasteriorum districtio dissipetur: sed magis ut magnitudinis vestræ solatio aliis Monachis spes gerendi talia submoveatur. Asserit autem prædictus Abbas, Presbyterum prædictæ massæ novas monasterio ipsi velle imponere consuetudines, quæ ex tempore conditi monasterii per triennale tempus hactenus non fuerunt: siquidem si quid DEO illic munificentiæ gratiâ à fidelibus viris (d) oblatum fuerit, portionem se asserit debere percipere. Quod magnitudo vestra studeat diligenter agnoscere: & si hoc ab initio non fuit, etiam labentibus temporibus aliud noviter imponi non concedat; quia maximè exiguæ substantiæ, & monasterium pauperum esse didicimus, & Abbatem ipsum hospitalem omnino esse, multorum attestatione didicimus.

NOTÆ.

(a) *Chartulario.*] Valde corrupta est præsens inscriptio, tam in prima, quàm in sexta compil. In prima legitur *ad Stephanum Castronem*; In secunda verò *Stephano Cantori*: sed eam, & literam textus restituo ex epistolis D. Gregorii *lib. 12. indict. 7. epist. 20.* Chartularius in utroque jure diversimodè accipitur: in jure Civili numerariis, actuariis, & scriniaris adjungitur *in titul. Cod. de numer. actuar. chartul.* à charta, vel chartula ita dicti, qui omnes rationes publicas tractabant; ideoque eorum officium in observatione rationum consistebat, *l. 11. Cod. de divers. offic. l. 25. Cod. de sacros. Eccles.* De his Cujacius *in l. 10. Cod. de numer.* Gutherus *lib. 2. de offic. dom. cap. 14.* Pancirola *lib. 1. var. cap. 27.* & *lib. 2. cap. 188.* Juretus *ad Symmachum lib. 9. epist. 23.* Buleng. *lib. 4. de Imper. Rom. cap. 10.* Zerda *in adverf. cap. 17. num. 5.* Amaya *in l. 3. Cod. de can. largit.* notavi *in cap. 8. de præsumpt.* Etiam officium Chartularii refertur à Leone, & Anthemio *in dict. leg. 3. C. de canone*, his verbis: *Chartularios, qui de cohortalibus officiis uniuscujusque Provinciæ largitionales titulos tractare constituuntur.* Et magni Chartularii mentio fit apud Curopalatem, & Chartularii Magistrorum equitum, & peditum *in l. 6. Cod. Theod. de divers. offic.* notarunt Grethserus *ad Codinum lib. 1. cap. 4.* Balsamon *in nomocan. tit. 8. cap. 1.* Lindembrog. *in notis ad Paulum Warfridum, lib. 2. de gestis Longob. cap. 1.* In ecclesiastica Politia Chartularii nomen longè minoris fuisse dignitatis, probat D. Rochus Pirro *tom. 1. Sicil. sacr. not. 3 num. 11.* Illud constat ex præsenti epistola, & aliis ipsius Gregorii, apud Latinos Chartularium de causis ecclesiasticis cognoviss, ut jam notavit Baronius *anno 591.*

(b) *Massis.*] Masse nomen, & appellatio, ut apud Gallos, & Germanos recepta fuit, ita Massæ vocabulum apud Latinos usitatum. Est autem conglobatio quædam, seu collectio possessionum, ac prædiorum: cujus nominis meminit Cassiodorus *lib. 8. epist. 33.* ubi Rex Athalaricus jubet conductores, ac Possessores mansarum prospicere, ne rustici in mercatores, aliosque peregrinos insiliant, qui ad natale S. Cypriani celebrandum Lucaniam confluebant. Et Ecclesiam Romanam varias massas habuisse, jam probavimus *in cap. 2. de pactis.*

(c) *Georgii.*] Monasterium hoc S. Georgii de Tiracola, seu Troculis, est in Sicilia, à Rogerio Comite amplè ditatum, cujus funtationem & privilegia refert D. Rochus Pirro *tom. 3. Sicil. sacr. fol. 61.*

(d) *Oblatum fuerit.*] Juxta adducta *in c. 1. de statu Monach.* & Commentarium hujus textus dabimus infrà *in cap. prohibemus.*

CAPUT

CAPUT IV.

Idem (a) *Constantino Episcopo.*

LIcèt multùm. *Et infrà*: Dixit quoque prædictus cæcus, quod ad collectas inter alios pariter compellatur: quod fieri non permittas, quia eum, quem cæcitas sua gravat, inhumanum est nimis in collectione affligere: cui debuerat ex collectis, si esset necessitas, misereri.

NOTÆ.

1. (a) *Constantino.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub tit. de restit. spol. cap.* 7. & inscriptionem exposui, ac historiam hujus textus retuli *in cap.* 2. *de restit. spol.* ubi etiam notavi, quare Pontifex in præsenti de causa collectarum temporali pronunciasset.

COMMENTARIUM.

2. LIcèt verum sit, cæcos, pauperes, miserabilesque personas à muneribus omnibus personalibus immunes esse, *l.* 2. *§. corporis, Digest. de vacation. muner. l. unicum, Cod. de eodem titul. lib.* 10. *l. unic. C. de superindict. l. forma*, §. *illam, Digest. de censibus, l. cura*, §. *deficientium*, & §. *inopes, ff. de muner. & honor. c. judicatum*, 89. *dist. l.* 1. *qui morb. lib.* 10. probant Solorzanus *tom.* 2. *de jure Ind. lib.* 1. *c.* 19. *num.* 28. Michelorius *in tract. de cæco, cap.* 23. tamen à realibus, quæ ratione prædii debentur, non sunt exempti, quia terra ipsa tributum, seu pensum pendet, argumento capitis *convenior* 23. *q.* 8. *cap. si quis laicus* 16. *quæst.* 1. unde præsentem textum de collectis personalibus, non verò de realibus accipit Michelorius *ubi suprà*. Sed verius credo, pietatis causâ tributum etiam reale cæco, similive miserabili personæ remitti debere, Gregorium in præsenti rescribere; non quia stricto juris rigore à tributo reali cæcus exemptus sit, ut jam notavit Parladorius *lib.* 1. *rer. quotid. c.* 3. *num.* 28. unde nimis impudenter Antibolus *in tract. de muner.* §. 2. *num.* 28. ausus fuit inscitiæ arguere nostrum Gregorium in præsenti, quasi ignorasset alias esse collectas reales, alias personales: nec etiam bene Prosdicimus *de different. leg. & can. num.* 144. differentiam constituit inter jus Civile, & Canonicum, quasi jure Civili attento cæcus in muris non sit à collectis realibus; secus verò inspecto jure Canonico.

CAPUT V.

(a) Paschalis II. *Comitissæ* (b) *Mathildæ.*

PErvenit ad nos, quod (c) Fraxinorensis Abbas Carpensem Ecclesiam fuerit depræda-tus, occasione videlicet cujusdam census, qui ad quid solvi debeat, ignoratur: de quo nimirum, cùm nos Archipresbyter interrogaret, quod rationabile videbatur, re-spondimus: Census enim ignorantiæ, nec divinis, nec humanis legibus invenitur. Oportet quippe, ut census omnes ad quid, & quomodo persolvi debeant, præsciatur. Mandamus ergo dilectioni tuæ, ut prædam ipsam Carpensi Ecclesiæ restitui facias, nec deinceps Fraxinorensem Abbatem, aut quemlibet alium eam inquietare permittas.

NOTÆ.

1. (a) *Paschalis.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 5. Paschalis II. antea Renatus, vel Raynecius dictus, natione Tuschus, patriâ Bledanus, Monachus Benedictinus, electus Pontifex anno Domini 1099. scripsit varias epistolas, quas refert Baronius *anno* 12. Vinius *tom.* 7. *Concilior.* cum decem Conciliis ab eo celebratis: plura de eo referunt Baronius *d. anno* 1099. Ludovicus à sancto Carolo *in Biblioth. verbo Paschalis II.*

2. (b) *Mathildi Comitissæ.*] Hæc Mathildis primò nupsit Godofredo, propter difformitatem Gibbero dicto; & eodem functo Welfoni Duci, non tam pro incontinentia, quàm pro Romani Pontificis obedientia, ut tantò virilius sanctæ Romanæ Ecclesiæ contra schismaticos posset subvenire. Unde Baronius *an.* 1089. refert hoc conjugio Henricum III. Imperatorem valde contristatum fuisse, eundemque Ducem terrorem fuisse schismaticis.

(c) *Fraxinorensi.*] Fraxinorense hoc monasterium, Gallicè *Ferne* dictum, est Ordinis D. Benedicti, Prioratus in Gallo-Brabantia, cujus initia Eremburgi piæ matronæ debentur anno 1099. Ejus Abbatiam regendam suscepit Fulgentius, de quo in præsenti, ut refert Aubertus Miræus *in cœnob. Belgiæ, cap.* 43. 3.

COMMENTARIUM.

ANceps quæstio est, tam apud Scholasticos, quàm Forenses Doctores, utrum census, etsi non constet de ejus emptione, seu causâ debendi, tantùm vitutre lapsus temporis, & repetitæ solutionis debeatur in futurũ? Et pro negativa sententia facit præsens textus, ubi expressè docet Paschalis, non posse monasterũ Fraxinorense petere cen- 4.

sum ab Ecclesia Carpensi, nisi causa ipsius census liquidò appareat; quia census ignorantia divinis & humanis legibus reprobatur: deinde quia tempus non est modus inducendi obligationem, *l. obligationum* 44. §. 1. *vers. Placet, ff. de O. & A. l. si interrogatione* 1. *l. adversus* 3. *l. creditor* 7. *C. de usuris, l. operis* 31. *ff. de oper. libert.* igitur si non constat de causa, seu emptione census, tempus per se non est sufficiens ad inducendam ejus obligationem, sicut sola cautio sine expressione causæ non sufficit ad producendam obligationem, *cap. si cautio, de fide instrum.* Quibus, & aliis fundamentis moti, negativam hanc sententiam tenuerunt Salazar *de usu & consuet. c. 9. à num.* 11. Faber *lib. 7. conject. cap.* 8. Schisfordeg. *lib.* 1. *tract.* 15. *per tot.* Corrasius *lib. 3. miscell. cap.* 15. Alciatus *in leg. si certis annis, num.* 10. *C. de pactis.* Contrarium tamen, ex continuata nempe præstatione census manere obligatum in futurum eum, qui longo tempore censum persolvit, probatur expressè *ex l. cùm de in rem verso, ff. de usur. l.* 1. *Cod. de fideicomm. l. litibus* 20. *Cod. de agricolis, lib.* 11. *l.* 3. *C. de apochis, eodem lib. l.* 1. §. 1. *ff. de itinere, actuque privato, cap. querelam, de elect.* Quorum jurium argumento affirmativam sententiam in solutione annuorum reddituum & Decimarum tenuerunt Menchaca *usufreq. cap.* 43. *num.* 30. Gaspar Rodrigez *lib.* 1. *de annuis reddit. cap.* 15. *num.* 5. Lara *de anniversf. lib.* 1. *cap.* 12. Avendanno *de censib. cap.* 15. Gilkenius *in dict. leg. si certis, num.* 1. Castillo *de tertiis, cap.* 3. *num.* 27. Flores de Mena *lib.* 1. *quæst.* 2. & *lib.* 2. *quæst.* 23. Giphanius *in d. l.* 1. *Cod. de fideicommiss.* Parexa *de instrum. edit. titul.* 7. *resol.* 10. *num.* 20. Gibalinus *de usuris, lib.* 4. *cap.* 6. *artic.* 5. Tapia *tom.* 1. *Catenæ, lib.* 4. *cap.* 11. *artic.* 2. Porro quarum opinionum conciliatione, & præsentis textus expositione sequences casus distingvendi sunt; Primus est, quando quis censum petit, & idoneè probat illum sibi jam antea solutum fuisse ex census impositione, quod instrumentis, aliisque legitimis probationibus ostendit: quo casu solutio continuata non tam inducit obligationem solvendi census in futurum, quàm illam probat: & actor non tantùm habet intentionem fundatam, sed etiam probationem probatam. Secundus casus contingit, cùm quis exigit censum, allegatque solutiones per longum tempus continuatas, veluti per decem, aut viginti annos; & simul titulum ac causam affert; quo casu, quamvis illa non probet instrumento aliquo, talis continuatio solutionum per decennium cum allegatione veri tituli inducit necessitatem solvendi inposterum, nisi errore, aut invaliditate tituli ac causæ probatum fuerit: quem casum latè examinant Rodriguez *dict. lib.* 1. *quæst.* 15. Cencius *quæst.* 81. *num.* 8. Duardus *de censibus, quæst.* 17. *num.* 30. Gibalinus *dict. artic.* 5. Tertius casus evenit, cùm ille, qui petit censum, affert tantùm continuatas solutiones 10. vel 20. annorum, non autem titulum, vel causam solutionis allegat; tunc enim ex iteratis solutionibus nullum jus exigendi censum acquiritur. Menchaca *illustr. quæst.* 84. Cencius suprà, *num.* 16. Duardus *num.* 14. Rodriguez *num.* 2. Si autem tempus longissimum sit, vel immemoriale, tunc præsumitur titulus, atque ideo inducitur obligatio solvendi censum. Cencius suprà, *num.* 26. Menchaca *illustr. c.* 84. *num.* 48. & in his casibus diutinæ solutionis, si negetur census, & ita quodammodo dejiciatur creditor à quasi possessione illum exigendi, competere remedium recuperandæ possessionis, argumento ex lege *Aquilius, Digest. de donat.* docuerunt Menochius *remed.* 1. *recuper. ex num.* 81. Tuschus *littera P. conclus.* 447. & *littera S. conclus.* 388. Mascard. *de probat. conclus.* 1388. Petrus Barbosa *in leg. si de vi, ex num.* 133. *Digest. de judic.* quorum sententia in praxi sustinenda est, quamvis in puncto juris falsa sit. Nec tunc obstant fundamenta negativæ sententiæ. Non primum ex præsenti textu, quia Paschalis in eo accipiendus est, cùm non constat de titulo, seu causa ipsius census, nec legitimum tempus elapsum est, ex cujus transcursu, sequutis repetitis præstationibus causa præsumi possit. Nec obstat, quod dicebamus, tempus non esse modum inducendæ obligationis; quod verum censeo, quando in solo temporis cursu creditor fundaret obligationem, non verò quando eam fundaret in consensu tot annis præstito; nam etsi ex eo non nascatur obligatio, nascitur tamen præsumptio certissima obligationis, quæ sufficiat, ut debitorem ad præstationem compellamus, cùm non probet contrarium, ut in præsenti; in qua probatione, si deficiat debitor, vincit præsumptio, ut egregiè docet nulli postponendus Cujacius *libr.* 29. *qq. Papin. in dict. leg. cùm de in rem*, & Gilkenius *dict. cap.* 4 *num.* 43. *& seq.* Lara *dict. lib.* 1. *cap.* 12. *numer.* 5. quos immeritò taxat Schisfordeg. *dict. tract.* 15. *quæstione* 5. absurdum existimans, ex præsumptionibus hanc rem esse definiendam; cùm tamen negare non possit in secunda parte dictæ legis *cùm de in rem*, præsumptionem interveniisse de dote, quia usuræ fuerunt solutæ, ut rectè notavit Lara *dict. num.* 5. & Flores *dict. lib.* 1. *quæst.* 2. *num.* 14.

CAPUT VI.

Ex Concilio (a) *Lateran.*

CUm (b) Apostolus se, ac suos propriis manibus decreverit exhibendos, ut locum prædicandi auferret pseudo-Apostolis, & illis, quibus prædicabat, non existeret onerosus: grave nimis, & emendatione dignum esse dignoscitur, quod quidam fratrum, & Coëpiscoporum nostrorum ita graves in procurationibus suis subditis existant, ut pro hujusmodi causa ipsa interdum ecclesiastica ornamenta subditi exponere compellantur, & longi temporis victum brevis hora consumat. Quocirca statuimus, quod (c) Archiepiscopi parochias visitantes, pro diversitate Provinciarum, & facultatibus Ecclesiarum XL. vel L. (d) evectionis numerum; Episcopi autem XX. vel XXX.

Cardina-

(e) Cardinales autem XXV. nunquam excedant: Archidiaconi verò V. aut VII. Decani constituti sub ipsis duobus equis contenti existant, nec cum canibus (f) venatoriis proficiscantur, & avibus; sed ita procedant, ut non, quæ sua sunt, quærant, sed quæ JESU CHRISTI quærere videantur: nec sumptuosas epulas quærant, sed cum gratiarum actione recipiant, quod honestè ac competenter illis fuerit ministratum. Prohibemus etiam, ne subditos suos taleis, exactionibusve Episcopi gravare præsumant. Sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquotiens supervenient, ut si manifesta & rationabilis causa extiterit, cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium postulare. Cùm enim dicat Apostolus: Non debent filii thesaurizare parentibus, sed parentes filiis, multùm longè à paterna pietate videtur, si præpositi subditis suis graves existant, quos in cunctis necessitatibus pastoris debent more fovere. Archidiaconi verò, sive Decani, nullas exactiones, vel taleas in Presbyteros, seu Clericos exercere præsumant. Sanè quod de prædicto numero evectionis secundùm tolerantiam dictum est, in illis locis poterit observari, in quibus ampliores sunt redditus, & ecclesiasticæ facultates. In pauperioribus autem locis tantùm volumus teneri mensuram, ut ex accessu majorum minores meritò non doleant se gravari, nec sub tali indulgentia illi, qui paucioribus equis hactenus uti solebant, plurium sibi credant potestatem indultam.

NOTÆ.

1. (a) *Lateran.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 6.* & reperitur textus hic in Concilio Generali Lateran. celebrato sub Innocentio III. *cap. 4.* & ut deductus ex eodem Concilio, citatur *in cap. 3. de excessibus Prælat. in 2. collect.* de eo Concilio notavi *in cap. nonnulli, de rescript.*

2. (b) *Apostolus se, ac suos.*] Hæc verba ex variis locis desumpta videntur, videlicet *ex c. 20. Actum Apost. ex epistola 1. D. Pauli ad Thessal. cap. 2. & epist. 2. cap. 3. & 2. ad Corinth. cap. 11.*

(c) *Archiepiscopi.*] Quatenus Archiepiscopi possint visitare Provinciam propriam, dicemus infrà, *in cap. sopite.*

3. (d) *Evectionis.*] Eleganter, nam evectio certum numerum equorum, seu veredorum continet. Symmachus *lib. 1. epist. 26. Accepi evectiones quatuor in manu, quantum commodas in excursus & recursus meorum.* Cassiodorus *lib. 6. form. 6.* evectiones simili potestate largitur. D. Paulinus *lib. 4. de vita S. Martini.*

Dicite, quid vestri velox evectio Regis
Efficiat tardante Deo?

Quarum evectionum obvia mentio extat *in l. 2. de in jus vocand. l. continuus* 137. *§. cùm ita, ff. de V. O. l. eos* 27. *§. final. ff. ad leg. Corn. de falsis, l. ult. §. penult. ff. de muner. & honor. l. 1. C. de commeat. lib. 11. l. 12. C. de curios. lib. 12. in tit. C. Theodos. de cursu public.* & de eis agunt Gutherus *lib. 3. de offic. domus, cap* 15. Corrasius *lib. 5. miscell. c. 12.* Pancirola *lib. 3. var. cap* 31. Revardus *lib. 2. var. cap. 15.* Solorzanus *tom. 2. de jure Ind. lib. 1. cap 12. num. 22.* Buleng. *lib. 2. de Imp. Rom. cap. 29.* inde etiam evectiones dicuntur litteræ, & diplomata, quibus adlecti, vel Legati ad cursum publicum utuntur, illisque viatica præbentur. D. Hieronym. in Hilarione: *Secretò ab Imp. evectionem petiit, causam ei indicans; & acceptis ad Consularem Palæstinæ litteris, cum ingenti honore, & comitatu gazam deductus est.* Sulp. Sever. *lib. 2. hist. Qua tempestate Hilarius quartum jam exile annum agens inter reliquos Episcopos per vicarium, ac Præsidem datâ evectionis copiâ adesse compellitur.* Notavit Savarus *ad Sidon. lib. 5. epist. 20. verbo Evectionem.*

4. (e) *Cardinales XXV.*] Sed quomodo, cùm Card. D. D. Gonzal. *in Decretal.* Tom. III. Pars II. dinalium major dignitas sit, & illi præexcellentiores omnibus Ecclesiæ Prælatis reperiantur, minor numerus evectionum illis permittitur, quàm Episcopis & Archiepiscopis. Agnovit difficultatem Lotherius *lib. 1. de re benef. cap. 8.* & docuit, evectiones in præsenti non æstimari, seu taxari juxta qualitatem, seu dignitatem visitantis, sed juxta latitudinem territorii, respectu locorum & personarum, quibus est impositum onus procurationis; atque ita Patres in præsenti non prohibere, quin Episcopus habeat in comitatu, quot velit personas, & equos, juxta statum, & dignitatem suam; sed tantùm ut curent, ne graventur illi, qui obligantur ad procurationem majoribus evectionibus. Verùm hæc docti viri sententia sustineri non potest; nam si non attentâ qualitate personæ, sed loci distantiâ evectiones erant æstimandæ, ad quid Archiepiscopis, & Cardinalibus; Decanis, & Archidiaconis evectiones habitâ gradus prærogativâ taxandæ erant, cùm Cardinalis non Episcopus tantùm suam parochiam, sicut Archidiaconus suum Archidiaconatum, & Decanus suum Decanatum visitent? Accedit, nam longinquitas itineris non petit majorem numerum evectionum. Quare hac sententiâ omissâ verius dicendum est, Cardinalium dignitatem temporibus Alexandri III. hujus textus auctoris non ita præexcellentiorem fuisse, ut Episcopalem superaret, usque-dum constitutum fuit, ut ex ipso collegio Cardinalium Pontifex eligeretur in præsenti Concilio Lateran. Quare olim nullus erat Episcopus, qui vellet fieri Presbyter Cardinalis, quia putabant descendere de majore ad minorem dignitatem, ut referunt, & probant Borellus *in summa decis. 1. p. tit. 6. num. 6.* Saravia *de jurisdict. adjuncta quæst. 1. num. 9.* Bobadilla *lib. 2. Polit. cap. 17. num. 15.* Solorzan. *de jure Ind. tom. 2. lib. 3. cap. 7. num. 3.* Unde cœpit augeri paulatim Cardinalium dignitas; & jam galero rubro illis concesso major profectò dignitas declarata fuit, ut probant Gomezius *in proœm. regul. Cancel. tit. Episcopi dignitas diminuta*, Cochlius *in notitiâ Cardin. cap. 8.* ubi variis Bullis probat, Cardinales subscribere post Episcopos, & ita cùm tempore hujus textus dignitas Cardinalitia non superaret Episcopalem, ideo habitâ dignitatis ratione, minor evectionum numerus conceditur Cardinalibus, quàm Episcopis.

(f) *Canibus venatoriis.*] Quos habere tam Episcopis, quam Clericis prohibitum est *in cap.* 1. & 2. *de cleric. venat.* ubi probabimus.

COMMENTARIUM.

5. LUstrari, & visitari Diœceses à propriis Prælatis, & superioribus, antiquissima consuetudo, & penè Ecclesiæ coætanea ast, more accepto ab Hebræis, & Gentilibus; in veteri enim lege id docuerunt facto suo Sacerdotes missi à Rege Josaphat *lib.* 2. *Paralip. cap.* 17. ibi: *Habentes librum legis Domini circuibant urbes Juda, & docebant populos.* Et visitationis apud Judæos usitatæ mentio exrat *in cap.* 30 *Exodi*, juxta ignoti Interpretis versionem, quâ utitur D. Ambrosius *epist.* 1. ibi: *Quod si acceperis computationem filiorum Israël in visitatione ipsorum, & dabunt singuli redemptionem animæ Domino, & non erit in eis ruina.* In novo Testamento habemus Principem Pastorum Christum Dominum, qui apud Matthæum *cap.* 4. circuit totam Galilæam, civitates omnes, & castella, docens in synagogis, & prædicans Evangelium. Et apud Lucam *cap.* 8. iter facit per civitates, & castella, prædicans, & evangelizans regnum DEI. Et de D. Paulo refertur *Actuum Apost. cap.* 15. quod perambulabat Syriam, & Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum. Et Magistratus Politicos visitationem usitasse, constat *ex leg. congruit, ff. de offic. Præsidis*, ubi refertur, Præsidem peragrasse Provinciam suam, ut eam ab omnibus malis repurgaret. Et de Philippo Tetrarcha Ituræ, & Trachonitidis refert Josephus *lib.* 11. *antiquit. cap.* 6 & 9. *Solitum iter facere cum paucis selectis comitibus, subsequente sella, in qua sedens jura redderet. Quare si quis ex occursu opem ejus invocaret, sine dilatione, mox ibi sellâ positâ residentem causam cognovisse, aut sontem damnasse, aut absolvisse innoxium.* His ergo exemplis moti Ecclesiæ PP. variis Canonibus statuerunt, ut Prælati Diœceses suas visitarent. Concil. Brachar. 2. *can.* 1. refertur *in cap. placuit* 10. *quæst.* 1. *cap. decrevimus, cap.* 11. *ead causa & q.* Concil. Carthag. *can.* 53. ibi: *Constitutum est in Concilio Hipponensi, singulas Provincias tempore Concilii visitandas esse.* Meldense *can.* 39. *Quorundam Episcoporum reprehensibilis, imò damnabilis consuetudo omnimodis corrigatur, qui plebes sibi creditas, aut rarò, aut nunquam per seipsos juxta ordinem Evangelicum, & Apostolicum, atque Ecclesiasticum visitant.* Tautin. *cap.* 1 *in fin. Hoc Concilio utiliori decretum est, ut si placet memoratarum urbium Episcopis, unaquæque de his viciniores sibi inter Provincias vindicet civitates, atque eas Ecclesias visitet, quas oppidis suis vicinas & proximas magis esse constiterit.* Trident. *sess.* 6. *c.* 3. & *sess.* 21. *de reform. c.* 8. referunt Crespetius *in summa, verbo Visitatio.* Ant. August. *in epit. jur. lib.* 4. *titul.* 63. & horum visitatorum mentio erat apud Gregor. *lib.* 3. *tit.* 63. *ad Maxim. Syracus.* ibi: *Visitatores Ecclesiarum, clericique eorum, qui cum ipsis per suæ civitatis parœcias fatigantur, aliquod laboris sui capiant te disponente subsidium.* Apud Joannem II. P. R. *in epistol.* 3. *ad Episcopos Galliæ*, quæ extat *tom.* 2. *Concil. Gall.* & *in cap. in singulis, de statu Monachorum.*

6. Præcipuum ergo Pastorum munus est visitare gregem, & lustrare populum suum ad confirmandos fideles, ad resecanda hæreseon initia, & ut per eos illis innotescant, quæ in Diœcesi innovanda, mutanda, temperandaque sunt, ut adimpleant, quod de illis refertur *Proverb. cap.* 27. ibi: *Cognoscent diligenter vultum pecoris, quem non visitant?* Et *cap.* 10. *Joannis*, ibi: *Vocabunt oves nominatim.* Ubi in illis verbis: *Cognosco oves meas*, ait Theophilactus: *Mercenarius nescit oves: quod contingit, quia non sæpe illas inviseret, ut cognosceret.* Plura tradunt Lantdmeter *lib.* 2. *de veteri cleric. cap.* 105. Aloix *in notis ad vitam S. Abrucii, cap.* 12. Acunna *in cap. non debere*, 80. *dist.* Altesserra *lib.* 2. *dissert. cap.* 9. & *lib.* 8. *c.* 5. Habent ergo visitandi curam omnes Prælati ecclesiastici, quibus jurisdictio competit cum administratione, *cap.* 1. *hoc titul. in* 6. veluti post Pontificem Cardinales in suis titulis, ex præsenti textu, Patriarchæ, & Archiepiscopi in suis Provinciis, ut dicemus infrà *in cap. sopita*: Episcopus in sua Diœcesi: Legatus à latere, cùm exofficio legationis suæ à Sede Apostolica visitatio injungitur: & Legatus natus in sua Provincia, *cap. accedentes, de præscript. cap. quia, de immunit. eccles.* & Legatus missus, si ei specialiter injunctum sit onus visitandi, ut sit urgens aliqua necessitas, expostulet visitationem, *cap. cùm instantia, cap. cùm nuper, cap. procurationes, hoc tit. cap. final. hoc titul. in* 6. Barbosa *de potest. Episcop. alleg.* 73. *num.* 20. & *alleg.* 119. *num.* 5. Archidiaconus etiam habet jus visitandi in Ecclesiis sibi subjectis, si illud longa consuetudine acquisierit, *cap. super eo, hoc titul. cap. mandamus, cap. dilecto, de offic. Archid.* Trident. *sess.* 24. *de reform. cap.* 3. quo modo accipiendus est præsens textus. Debet tamen Prælatus visitare tantùm semel in anno suam Diœcesin, *cap. decrevimus* 10. *quæst.* 1. *cap. conquerente, de offic. Ordin.* Trident. *dict. cap.* 3. nisi ex justa causa, & urgente delictorum necessitate censuerit, oportere pluries eam visitare, *cap. excommunicamus. § adjicimus, de hæretic. cap. visitandi* 18. *cum sequent.* 18. *quæst.* 2. docet Azor 2. *part. instit. lib.* 3. *cap.* 40. *quæst.* 1.

Qui visitare possint.

Consentaneum etiam Ecclesiæ Patribus visum fuit, ut Prælati pergentes per populum suum, tempore visitationis aliquod reciperent subsidium, *cap. cavendum* 7. *cap. inter* 8. 10. *quæst.* 3 *cap. cum ex officii. de præscript. cap.* 1. & 2. *hoc titul. in* 6. *Clement.* 1. *hoc titul. extravag. execrabilis*, Joan. XXII. *de censib. extravag.* 1. *de Decimis, inter communes*, D. Gregorius *lib.* 3. *epist.* 11. Maxim. Syracus. Episc. *Visitatores Ecclesiarum, clericosque earum, qui cum ipsis per non suas parochias fatigantur, aliquod laboris sui capere subsidiu debent. Justum namque est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium.* Et *lib.* 2. *epist.* 29. Felici Episcopo. Et *lib.* 11. *epist.* 16. Barbaro Episcopo. Innocent. III. *lib.* 1. *epistolarum, in editione Colonia, fol.* 147. in illis verbis: *Cùm igitur eidem Episcopo ob communem profectum visitanti communis procuratio debeatur.* Concil. Emerit. *Can.* 11. ibi: *Placuit, ut tam à Presbyteris, quàm ab Abbatibus, sive etiam Diaconis, Episcopo honor debitus impendatur, ut à nullo contumeliam pati videatur, & quandoque contigerit, eum juxta canonicam sententiam visitare suam parochiam, dignè eum suscipiant, & prout habuerint, aut ratio permiserit, illi præparent, quæ fuerint necessaria.* Concil. Brachar. 2. Tolet. 7. *can.* 4. Sed Concil. Parisiense sub Ludovico, & Lotario *lib.* 1. *c.* 31. videtur distinctionem adhibere

7. Deputatio

adhibere, ut si Episcopus habeat sua, suis contentus sit, & nihil præterea postulet, etiam dum diœcesin visitat; ubi per *sua*, non proprium Episcopi patrimonium intelligas, sed justam ex matricis Ecclesiæ redditibus, & fructibus portionem, alioqui si nihil rerum Ecclesiæ suæ habeat, ut loquitur Concilium, tum quârtam partem Decimarum, & reddituum ex oblationibus sibi vindicabat; sed postea indistinctè admissum fuit, ut Episcopo visitanti procurationes darentur. Ratio assignatur *in dict. cap. cùm ex officiis, cap. si Episcopus, de offic. Ordin. in 6.* scilicet, quod cùm visitantes spiritualia seminent ad utilitatem Ecclesiarum, quas visitant, meritò ab eisdem temporalia ad sustentationem percipiunt, ut ideo magis alliciantur ad visitandum, nec pertimescant difficultatem in victualibus de loco ad locum deferendis, aut in eisdem inquirendis, ut probat Barbosa *lib. 3. jur. Eccles. cap. 22. num. 7.* Hæc portio visitandi Prælato præstanda, procuratio dicitur, *dict. cap. conquerente, de offic. Ordin. dict. cap. 11. & 16. de præscript.* argumento legis *1. §. sed & patronos, ff. de offic. Præfect. Urb. l. si quis à liberis 5. ff. de liber. agnosc.* licèt aliâs procuratio accipiatur pro administratione alieni negotii, *leg. qui mittuntur, 35. §. item, ff. quibus causis major.* apud Ciceronem *lib. 3. de legibus*, ibi: *Quæro, quid re ipsa sit turpius, quàm sine procuratione Senator.* Et 1. Academ. *Sed etiam procuratio multis negotiis implicatum, & constrictum tenebat.* Plura de his procurationibus Prælato tempore visitationis præstandis congerunt Filesacus *in cap. conquerente 16. §. 20. de offic. ordin.* ubi Petrus Gregorius *cap. 17.* Barbosa *lib. 3. jur. eccles. cap. 22. & de potest. Episc. 3. p. alleg. 73.* Rousselius *lib. 5. hist. jurisd Pont. cap. 3.* Cresolius *lib 4. myst ag. cap. 18.* Lemaistre *lib. 2. de juribus Episcop. cap. 3.* Mornac. *in l. 1. Cod de offic. Præfect.* Altesserra *lib. 3. dissert. cap. 16. & lib. 4. cap. 4.*

8. *Explicatur præsens textus.* Sed ut presbyteris reverentiam in Prælatos visitantes, ita ipsis Præsulibus modestiam, ac continentiam circa expensas, & modicas procurationes suaserunt PP. unde Pelagius circa annum 570. Episcopos Diœceses visitantes admonuit, ne prandia enormia juberent fieri, sed secundùm mediocritatem uniuscujusque loci Episcopo ad consignationem venienti præparari convivium: & PP. Concilii Cabilon. sub Carolo, *can. 14.* statuerunt, compescendas esse iniquas Præsulum exactiones, atque oportere Episcopos in lucris animarum potius quàm in deprædandis, & spoliandis hominibus, & scandalizandis fratribus operam dare; ut etiam apud Romanos Consules, vel Legati provincias obeuntes, & lustrantes, nunquam ante Posthumium Consulem usque ad annum Urbis conditæ 581. in ulla re oneri, aut sumptui fuerant. Livius *lib. 2. decad. 5.* quam parcimoniam velut renovans Cicero de se prædicat *lib. 4. ad Atticum, cap. 19.* nullum in se sumptum, cùm Provinciam obiret, nec publicè, nec privatim factum esse, nec in quemquam comitum suorum. Quare cùm multi Episcopi diœceses lustrando clericos ad inopiam redigerent, ut de Joanne Ravennat. Archiepiscopo refert Sigonius *de Regno Italiæ, ad annum 861.* qui accusatus fuit in Synodo Romana sub Nicolao I. variis canonibus taxatum fuit, quid procurationis nomine parochi penderent, ut in Concilio Tolosano *can. 4.* ibi: [Ut in circuitione parochiæ Episcopi de cætero singulos presbyteros per singulas jacendo euntes Ecclesias, sicut hactenus, non prædentur, cùm scriptum sit, eosdem evangelizare debere, non turpis lucri gratiâ, ne vituperetur ministerium sanctum; sed considerent, & denuntient loca sibi, & populo convenientia, & illuc presbyteri, quotquot possibilitas, & moderatio providerit, plebes suas adducant, & ibidem Episcopi prædicent, confirment, & populi errata inquirant, ac corrigant. Iterum autem, quia Dominica voce datur licentia, ut, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant, licèt Paulus Apostolus nihil horum fuerit usus, presbyteri tale conjectum faciant, ut & Episcopi solatium habeant, & ipsi non graventur: quod ita nobis fieri posse videtur, videlicet, ut quatuor presbyteri ad locum, ubi quintus degit, & Episcopus residet, plebes suas de quatuor partibus adducere studeant, & unusquisque eorum decem panes, & dimidium modium vini, & frischingam de quatuor denariis, & pullos duos, & ova decem, & modium unum de annona ad cavallos, in subsidium, benedictionis gratiâ præsent Episcopo: & similiter quintus, in cujus domo Episcopus residet, faciat. Nec amplius ab eo exigatur, nisi fortè ligna, & utensilia in opus ministerii commodet. Quapropter Episcopus provideat, ne domus, aut sepes illius à ministris vastentur.] Apertiùs, & distinctiùs in Concilio Turonensi sub Lodovic. II. *cap. 15.* ibi: *Episcopi hujusmodi dispensa contenti sint, panes centum, frischingas quatuor, vini sextaria quinquaginta, pullos septem, ova quinquaginta, agnum unum, annonam ad cavallos modios sex, fœni corbes tres, mel, oleum, ceram, quod sufficit.* Concil. Tolet. 7. *can. 4. Cum Episcopus Diœcesin visitat, nulli præ multitudine onerosus existat, nec unquam quinarium* (alii legunt, *quinquagenarium*) *numerum evectionis excedat, aut amplius quàm una die per unamquamque basilicam remorandi licentiam habeat.* Notavit Sahabedra *in Chron. Goth. cap. 24.* quos veteres canones circa evectiones innotavit Concil. Later. *in præsenti.*

9. Etiam circa ipsas procurationes statutum legimus, ne Episcopi cessantes à visitatione, eas à propriis parochis redimant. Concil. Valent. Galliæ *can. 22.* ibi: *Ut de servitio presbyterorum erga Episcopos consuetudo, ut nobis videtur, valde reprehensibilis amputetur, ut scilicet, quoties Episcopus statuto tempore visitationem, & prædicationem per eosdem sacerdotes non exercet, nequaquam ab eis pro solito servitio pecunias exigat.* Id ipsum statuit Concil. Lateran. relatum *in cap. Romana, hoc tit. lib. 6.* Etiam cautum fuit à Bonifacio VIII. *in cap. felicis, eod. lib.* non licere visitanti, nisi unam procurationem recipere una die, sive locum unum visitaverit, sive plura, etiamsi locus quilibet ab illo visitatus sufficeret ad procurationem integram persolvendam: & in utroque textu id specialiter prohibitum fuit, ne liceret procurationes pecuniâ permutare, hoc est, loco victus & cibariorum nummariam pensionem sumere. Unde dum Concil. Brachar. 2. *can. 2.* Episcopo Diœcesin visitanti duos solidos tribuit, non est accipiendum ita, ut solidi præstentur pro visitatione, sed pro cathedratico, de quo egi *in dict. cap. conquerente*; quod etiam procuratio dicitur *in cap. cùm sit 10. de simon.* & notarunt jam Filesacus *in dict. cap. conquerente, §. 20. in fine*, Rousselius *histor. Pont. jurisd. lib. 5. cap. 3.*

§.

PRohibemus etiam, ne subditos suos talliis, & exactionibus Episcopi gravare præsumant. Sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquotiens superveniunt, ut si manifesta ac rationabilis causa extiterit, cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium postulare. Cùm enim dicat Apostolus, &c. *ut sup.*

10. IN præsenti §. agitur de charitativo subsidio, quod PP. Concilii vocant mediocre subsidium, de quo plura congessit Barbosa *lib. 3. juris Eccles. cap. 21. per tot.* Licèt enim Episcopus non possit novum censum subditis imponere, ut sequenti Commentario dicemus; potest tamen petere charitativum subsidium, justâ existente causâ, *cap. nullus 1. quæst. 1. cap. 3. de offic. vicar. cap. conquerente, de offic. ordin.* sicut à Principe sæculari ob necessitatem publicam aliquid superindicti nomine exigitur, *l. 1. Cod. de superindicto, lib. 10.* quia tunc non dicitur novus census, sed cessante necessitate usque nunc intermissus, *leg. Attilicinius, de servit. rustic.* Dicetur autem justa, si proprii redditus non sufficiant Episcopo, *cap. cavendum 10. quæst. 3.* si Ecclesia Cathedralis oneretur debitis, *cap. unic. § final. ut Eccles. benef.* si Episcopus pergit ad Pontificem, vel Regem, aut vocatur ad Concilium generale: si Regem, aut Nuncium Apostolicum in Provincia excipit: si in re Ecclesiæ propugnanda, aut defendenda sumptus fecit insignes, vel si in favorem totius Diœcesis redditus proprios impendit, vel ex alia justa causa, quæ relinquitur arbitrio superioris, Archiepiscopi videlicet, & Patriarchæ, *cap. clericus 11. quæst. 1.* vel summi Pontificis, *cap. penultim. de V. S.* Filesacus *in cap. 18. de offic. Ordin.* Lemaistre *libro 2. de juribus Episcop. cap. 3.* & tunc Episcopus non potest excedere taxam, extravagant. Benedicti XII. quæ incipit, *Unam sanctam, hoc titul.* notavit Parexa *in cap. 1. hoc tit. num. final.* & Solorzanus *tom. 2. de jure Indiar. lib. 3. cap. 12. num. final.*

CAPUT VII.

Ex (a) *eodem.*

PRohibemus insuper, ne ab Abbatibus, vel Episcopis, aliisve Prælatis novi census imponantur Ecclesiis, nec veteres augeantur, nec partem reddituum suis usibus appropriare præsumant: sed libertatem, quam sibi majores conservare desiderant: minoribus quoque suis bonâ voluntate conservent. Si quis verò aliter fecerit, irritum, quod egerit, habeatur.

NOTÆ.

1. EX (a) *eodem.*] Concilio videlicet Lateran. sub Alexandro III. celebrato, ubi *cap. 7. §. prohibemus*, reperitur textus hic, & *in cap. 7 hoc tit. in 1. collect.* ubi additur, *pars capitis cùm in Ecclesiæ*, ut cognoscamus in præsenti referri secundam partem textus *in cap. 8. de simon.*

COMMENTARIUM.

2. *Conclusio traditur, & probatur.* EX præsenti textu sequens communiter deducitur assertio: *Episcopi, & cæteri Prælati Ecclesiarum novos census in eis imponere, aut aliquam partem fructuum sibi reservare nequeunt.* Probant eam textus *in cap. Ecclesiis 9. significavit 13. cap. gravis 15. hoc tit. cap tua nos 11. de jurejur. cap. cùm Clericis 6. de pactis, cap. quod plerique, de immunit. Eccles. cap. 1. 10. quæst. 3. cap. 3. cap. nullus 120. 1. quæst. 1. cap. nulli 27. 12. quæst. 1. cap. nulli 62. 16. q. 1. cap. pastoralis 9 de his, quæ fiunt à Prælat. c. unic. vers. Omnibus, ut eccles. benef. cap. avaritiæ 10. de præbend. cap. de cætero 5. §. ultim. de transact. Clem. unic. de suppiend. neglig.* Concil. Tolet. 4. *Can. 51.* ibi: *Quod si aliquid in Monachos Canonibus interdictum præsumpserint, aut usurpare quippiam de monasterii rebus tentaverint, non deerit ab illis sententia excommunicationis.* Aurel. 1. *Can. 21.* Concil. Arelat. 3. *Can. 1.* Hispalense 2. *Can. 11.* Cabilon. *Can. 17.* ibi: *Inventum est quod in quibusdam locis presbyteri duodenos, vel quater denos denarios Episcopis in censum annis singulis darent: quod penitus abolendum esse decrevimus.* Nicæn. 2. *Can. 12. Can 35. alias 37. Apost.* Fecunt textus *in l. 1. 2. & 3 Cod. vectigalia nova institui, l. 1. Cod. de pascuis publicis, lib. 11. novell. 130. Justin. cap 3.* Illustrant ultra congestos à Barbosa & Garanna hic, Cujacius *in cap. 18. de judiciis, & in cap. avaritiæ, de præbend.* Antonius Augustinus *in epit. jur. lib. 4 tit. 70.* Gothofredus *in Can. 39. Apost.* Lotherius *lib. 1. de re benef. cap. 36. num. 4.* Rousselius, *lib. 5. hist. cap. 3.*

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti juris consideratione; nam sæpe sæpiùs legimus in jure, pensiones sæpe imponi beneficiis tantùm auctoritate Episcopi, *cap. 3. de offic. vicar. cap. per tuas, de donat. cap. penult. de V. S. cap. nisi essent 21. cap. extirpandæ, §. qui verò, de præb.* & in Legato à latere idem probat Cæsar *de Eccles. Hierarch. disput. 3. §. 2. num. 26.* Igitur inferiores Prælati possunt constituere novos census in Ecclesiis sibi subjectis. Augetur hæc difficultas ex eo, nam dum construitur Ecclesia, census, aut similes pensiones possunt constitui ab Episcopis, & aliis Prælatis, *cap. Eleutherius 18. quæst. 2. cap. scientes 3. hoc titul. cap. unic. ut Eccles. cap. cùm dilectus*

3. Impugnatur traditio affirm.

dilectus 8. *de consuet. cap. institutus* 6. *de relig. domibus*, docent Gigas *de pens. quæst.* 6. *num. ultim.* Rebuffus *in praxi, tit. de pacificis, num.* 111. Rochus à Curte *de jurepatron. verbo Utile, num.* 7. sed ipsa Ecclesia constructa manet sub jurisdictione Episcopi, *cap. omnes* 16. *quæst.* 1. Ergo ejus auctoritate potest novus census constitui, vel antiquus augeri.

4. *Census acceptiones.*

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, censum à verbo censeo derivari; quod Romæ significabat facultates æstimare, & in publicas tabulas referre; nec solùm facultates, sed etiam capita civium, & cujusque statum describere, juxta illud Ciceronis *lib.* 1. *de legibus*, ibi: *Censores populi, civitatis soboles, familias, pecuniasque censanto.* Et sic census est descriptio, & æstimatio patrimonii, & matricula universorum civium, qui tam Romæ, quàm in Provinciis degebant. Describebatur patrimonium tunc ad distinguendum ordinem Senatorum, Equestrium, & plebejorum, ut eleganter ait Budæus *in* 1. *part. annot. ad Pandectas, in leg. final. ff. de Senator.* Patrimonium æstimabatur, ut tributum persolveretur, Hispanicè *El padron, ò encabeçamiento: leg. quæ quisque* 64. *ff. de acquir. rer. domin.* ibi: *Quæ quisque aliena in censum deducit, nihilo magis ejus fiunt.* De hoc tributo patrimoniali interpretor textum *in l.* 2. *ff. de censibus*, cujus intellectum non assequitur Accursius; verius enim est, quod si æstimatio patrimonii pro solvendo tributo ex errore, vel vitio facta sit, talis æstimatio evanescit novis possessionibus, id est, dum tributarius novè & verè profitetur suum patrimonium. De hoc etiam tributo intelligunt legem *census, ff. de probat.* ubi Marcellus ait: *Census & monumenta publica potiora testibus esse Senatus censuit.* Sed verius est, in ea lege vulgari metaphorâ continens pro contento sumi, hoc est, censum pro libro, in quo patrimonium scribebatur, ut notat Felicianus suprà: quemadmodum aliàs simili etiam figurâ patrimonium ipsum, quod censebatur, census appellatur, juxta illud Ovidii 1. *Fastor.*

--- --- *Dat census honores,*
Census amicitias.

Et alibi.

Turpe thori reditus census augere paternos.

Sic accipio legem *cogi, ff. ad Trebell.* legem *liberto* 21. *§. final. ff. de annuis legat.* De personali censu intelligo legem ultimam, *ff. de censibus*, legem *generali* 32. *§. ult. ff. de usufruct. legato.* Et quoniam tributum, cui solvendo census agebatur, erat duplex, capitis, & patrimonii, *d. leg. final. de censibus*, *§. Divus Vespasianus*, ibi: *Sed tributum his remisit capitis; sed D. Titus, etiam solum immune factum interpretatus est*; de tributo capitis interpretor textum *in l. ætatem, ff. de censibus:* ad quem verò modum census describeretur, constat ex Ulpiano *in leg. forma censuali* 4. *ff. de censibus.* Sed obiter adverto, provinciales aliquos jure Italico gaudere, hoc est, immunitatem tributorum privilegio eis concessam esse, de qua loquitur textus *in leg. Colonia, l. final. de censibus*; unde in Hispania notum est nomen Nobilibus, qui sunt immunes à tributo, id est, *que no pechan*; quos ideo *hidalgos*, id est Italicos, seu jure Italico gaudentes appellamus, ut probat eruditè Covarr. *lib.* 4. *var. cap.* 1. *num.* 11. Præterea cùm non omnes patrimonia haberent, quibus censerentur, solo capite censebantur, quos Cicero *in oratione pro Flacco*, homines egentes, sordidos, sine honore, sine censu vocat; & paulò honestiori vocabulo proletarios, quòd solùm sobole Rempublicam juvarent, appellatos fuisse refert Aulus Gellius *lib.* 16. *Noctium, cap.* 10. Quin etiam census adjectivum nomen divitem significat, ut apud Ciceronem, *act.* 3. *in Verrem*, ubi notavit Asconius Pedianus: sic accipitur in lege Voconia, quâ cavebatur, ne qui census esset, plus cuiquam relinqueret legatario, quàm ad hæredes perveniret, *princip. Instit. de lege Falcid.* ubi notarunt Hothomanus, & Balduinus. Et licèt aliqui docti viri ad hanc census & tributi rationem referant textum *in l. etiam* 16. *ff. de probat.* falluntur; siquidem in ea agitur non de professione patrimonii, quæ Romæ apud Censores fiebat; sed de professione filiorum, quæ apud Præfectum ærarii per parentes fiebat, de qua agitur *in leg. cùm de ætate, l. Imperatores, §. final. ff. de probat. l. neque professio, Cod. de testament. leg. non nudis, Cod. de probat. l.* 1. *Cod. si minor se majorem:* & dicemus *in c.* 6. *de despons. impub.* Tandem census accipitur pro tributo, pensitatione, seu pecuniæ collatione, *l.* 2. *Cod. sine censu, vel reliquis.* Unde dum D. Matthæus, *cap.* 22. ait: *Licet censum dare Cæsari?* apud Joannem legimus: *Tributum dare Cæsari.* Optimus textus *in l.* 8. *tit.* 2. *partit.* 1. Inde census accipitur pro eo, quod annuatim præstatur, vel in recognitionem subjectionis, *cap. recipimus, de privil.* vel ratione fundationis, *cap. quoniam, de jurepatron.* vel ex aliis causis, de quibus *in hoc tit.* Hinc etiam vocatur census contractus, quo res alicui conceditur pleno jure, ita ut in accipientem transferatur directum & utile dominium, reservatâ concedenti aliquâ pensione annuatim persolvendâ in recognitionem pristini dominii: de quo contractu accipiendi sunt textus *in cap.* 1. *de in integrum restit. cap. constitutus, de relig. domib.* Denique paulatim translatâ significatione, census accipitur apud nos pro quodam contractu, in quo quis emit jus percipiendi ab alio pensionem ad certum terminum solvendam: Hispanè dicimus, *Juros, y censos*, de quibus peculiares tractatus ediderunt Eduardus, Felicianus, Avendaño, Gaspar Rodriguez, Cencius, & novissimè plura adduxerunt Leothardus, & Gibalinus *in suis tract. de usuris*, Salgad. *in labyrint.* passim.

5. *Traditur ratio decidendi.*

His præmissis ratio, quare non liceat Episcopo, Abbatibus, & aliis Prælatis novos census imponere Ecclesiis sibi subjectis, redditur in præsenti textu in illis verbis: *Sed libertatem, quam sibi majores conservare desiderant, minoribus suis bonâ voluntate conservent.* Quæ deducitur ex illa communi ratione, quod quis sibi fieri non vult, alteri ne faciat: quam eleganter assignavit Leo Papa *epist.* 2. *ad Anastasium Thessalon.* in hæc verba: *Sicut non vult gravis oneris sarcinam ferre, ita nec audeat aliis importabile pondus imponere.* Ratio autem hujus rationis, quare videlicet nec majoribus liceat novos census inferioribus imponere, aut veteres augere, ex eo provenit, quia horum censuum impositio nimis gravosa Ecclesiis est: quare similes impositiones sacri Canones semper improbarunt, *cap.* 1. *de consuet. cap. suggestum, de Decimis*; præsertim quia hujusmodi novæ impositiones ex avaritia provenire creduntur, quam sacri canones maximè detestantur, *cap. avaritiæ, de præb. cap. tua, de jurejur.*

Accedit

Accedit & alia ratio, quia videlicet ex tali censûs impositione alienatio rerum Ecclesiæ sequitur, & per consequens sine causa & debita solennitate fieri non potest, ut probat Garanna *in præsenti*.

6. *Dissolvitur dubitandi ratio.* Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam aliud est census perpetuos Ecclesiis imponere, aliud verò ad vitam Rectorum certam pensionem in favorem tertii constituere. Census perpetuos imponere ab Ecclesiæ Patribus, Episcopis, & cæteris Prælatis prohibetur; at verò quoad vitam Rectorum certam pensionem beneficiis imponere Episcopis permissum est ex justis causis, quas retuli *in cap. nisi essent, de præb.* & tradunt Lotherius *d. q.* 38. Tondutus *in tract. de pensionibus.* Nec etiam obstat augmentum ipsius difficultatis; nam præsentem Concilii Lateran. constitutionem, dum in ea prohibetur Episcopis, Abbatibus, & aliis Prælatis, ne Ecclesiis novos census imponant, sic accipiendam monent omnes repetentes, cùm scilicet novi census imponuntur jam constructâ Ecclesiâ; nam dum ipsa fundatur, census imponi posse, sive ab Episcopis, sive à Patronis, statuitur in juribus suprà citatis. Nec tunc obstat textus *in cap. Ecclesiis 9. hoc tit.* ubi docetur, non licere Episcopis censum imponere Ecclesiis, quas noviter de manibus laicorum eripiunt; igitur quia nec in ipsa fundatione potest ab Episcopo novus census imponi. Nam respondetur, tempore fundationis posse Episcopum censum imponere, sed *in dicto cap. Ecclesiis*, etsi Episcopus de novo Ecclesiam de laicorum manibus liberaverit, non ideo eam fundavit; quia ad hoc ex officio tenebatur, *cap. 2. de donat. cap. 3. de relig. domib.* & ita cùm ex debito officii teneretur Ecclesiam recuperare, non ideo poterat censum illi imponere.

7. *Exponitur textus in cap. nullus 24. 1 q. 1.* Ex suprà traditis accipit lucem textus *in cap. nullus 1. quæst. 1.* ubi D. Gregorius ait: *Nullus Episcopus gravamen, seu servile servitium ex usu contra Ecclesiasticam normam Abbatibus, seu clericis imponat.* Ubi difficilia sunt illa verba, *ex usu*; in quibus significari videtur, servitium consuetum, seu censum antiquum non posse ab Episcopo exigi: igitur non solùm novos census, verùm nec veteres exigere Episcopis ab inferioribus Prælatis licet. Augetur hæc difficultas *in cap. servitium 18. quæst. 2.* ubi Urbanus II. contrarium statuit his verbis: *Servitium, quod monasteria, aut eorum Ecclesiæ à tempore Gregorii VII. usque ad hoc tempus fecerunt, & nos concedimus.* Pro cujus difficultatis solutione Glossa ibi existimat verba illa, *ex usu*, non importare antiquam perceptionem census, aut servitii; sed significare idem ac, non assuescat gravamen, seu servile servitium Abbatibus, vel clericis imponere. Sed omissâ hac solutione dicendum est cum Turrecremata in eo textu, verba illa, *gravamen, seu servile servitium*, intelligenda esse de sordidis muneribus, de quibus *in leg. libertus 17. §. exigendi, ff. ad municip. l. 13. cum sequent. C. de excus. muner. lib. 10. l. 1. Cod. de privil. domus August. lib. 11. l. 15. & 18. C. Theodos. de sordidis muner.* quæ Episcopi exigere nequeunt etiam prætextu consuetudinis, *l. 2. Cod. de Episc. & Cleric.* etsi quando in pecunia consistunt, contrarium intendat Duarenus *lib. 2. de sacr. Eccl. ministr. cap. 4.*

8. *Exponitur c. præterea 8. hoc tit.* Deinde suprà traditis obstat textus *in cap. præterea 8. hoc tit.* ubi docet Alex. III. quod illi, qui Episcopo ignorante, auctoritate sua pensionem annuatim de Ecclesiis collusione factâ solvunt, aut recipiunt, eis personis defunctis, hi, qui per Episcopum, vel ministrum potestatem ejus auctoritate instituendi personas habentem, jus recipiendi canonem receperint, in receptionem pensionis non sunt aliquatenus audiendi, præsertim si Pontificis, aut alterius, qui de jure id facere potuerit, auctoritatem interveniisse non constiterit. Ex quibus ultimis verbis ibi: *Si de Pontificis, aut alterius*; apertè constat, tantùm presbyteris simplicibus prohiberi novos census imponere Ecclesiis, Pontificem verò, & Episcopos, eos ritè imponere posse. Agnovit difficultatem Glossa ibi, quæ existimat, interveniente justâ causâ rectè posse Episcopum, etsi non sibi, aliis tamen novam pensionem constituere. Movetur ex hoc nostro textu in illis verbis: *Suis usibus appropriare*; quæ significant prohibitionem hanc esse tantùm, ne Episcopus pensionem sibi constituat, aliis verò constituere non prohibeatur: quod & tenet Glossa *in Clement. unic. de supplenda neglig.* quam sequuntur Abbas, Innocentius, Anton. Cardinalis *in præsenti*, quasi præsens prohibitio respectu Episcopi, exemplo tutoris sit, qui etsi ad alienanegotia possit auctoritatem accommodare; sibi tamé auctor fieri nequit, *l. 1. l. pupillus 5. Digest. de auctorit. tut.* Quæ solutio refellitur tum ex generalibus verbis præsentis textus; tum ex eo, quia in qualibet census impositione alienatio vertitur: at Episcopus etiam justâ causâ interveniente non potest alienationem celebrare per se sine consensu Capituli, *cap. sine exceptione 12. quæst. 2.* cum aliis congestis *in capit. nulli, de rebus Eccles.* Igitur nec pro aliis Episcopus potest novum censum Ecclesiis imponere: Quare aliqui existimarunt verba illa, *Aut alterius, qui de jure id facere poterit*; intelligenda esse de Episcopo cum auctoritate Capituli. Sed nec hæc solutio placet, quia si de Episcopo, & Capitulo Alexander Pontifex ageret, non singulari nomine uteretur ibi, *Alterius*; sed plurali. Deinde hujusmodi auctores non explicant verba illa, *Collusione facta*; non enim creditur, quod collusione interveniente justa causa dari possit, cur Episcopus huic alienationi consentiret. Alii tandem existimarunt, textum illum procedere ante præsentem prohibitionem Concilii Lateran. in quo specialiter cautum fuit, ne Episcopi novos census, aut veteres augere possent. Sed etiam hæc solutio convincitur ex ordine hujus compilationis. Quare his solutionibus omissis, dum alius meliora affert, existimo *in dict. capit. præterea*, verba illa, *Collusione factâ*, vel ut vulgò legitur, *Illusione factâ*, significare transactionem factam inter possessorem Ecclesiæ, & alium tertium, qui eo pacto voluit obligare etiam post mortem suam Ecclesiam, quod facere non poterat sine auctoritate Episcopi, *cap. de cætero 5. de transact.* ubi docetur, transactione factâ ignorante Episcopo, & constituto censu, non durare ejus obligationem, nisi dum vivit, qui transegit; accedente verò Episcopi consensu deducitur, obligationem durare: quod etiam docetur *in dict. cap. præterea*, non enim simplices sacerdotes possunt Ecclesias, quibus præsunt, præsertim post decessum suum, constituere censuales, etiam ex causa transactionis: at verò accedente Episcopi auctoritate similem pensionem constitui posse: & ita textus *in d. capit. præterea*, loquitur in casu transactionis; nam

nam si de vera collusione ageret Alexander, ipsi contrahentes privarentur beneficio, *ex cap. cùm clerici 6. de pactis, cap. cùm clerici 11. hoc tit.*

9. Exponitur *cap. cum venisset, de restitut. spol.*

Deinceps suprà traditis obstat textus *in cap. cùm venisset 9. de restitut. spol.* ubi idem Alexand. III. statuit, licitam esse unionem cujusdam Ecclesiæ factam per Eboracen. Archiepiscopum Canonicis Sanctæ Trinitatis; & similiter validam fuisse reservationem pensionis ab ipso factam, ut constat ex illis verbis: *Et interim auctoritate ipsius Archiepiscopi, idem G. ipsis Canonicis annuam solveret pensionem.* Igitur quia Archiepiscopus potest novum censum Ecclesiis sibi subjectis imponere. Cui difficultati ut satisfaciant Gofredus, & alii antiquiores ibi, docent Archiepiscopum in ea specie non constituisse pensionem illam de novo solvendam ipsi monasterio, sed antea constitutam, & sibi debitam, transtulisse in monasterium, & juxta hunc intellectum, ejus textus casum referunt Baldus, & Abbas: sed ut jam notavit Hostiensis, ea interpretatio repugnat verbis illis: *Auctoritate ipsius*; quæ significant pensionem auctoritate Archiepiscopi de novo impositam fuisse, & ita putat, inferiores Pontifice posse ex justa causa constituere annuam pensionem ex redditibus Ecclesiæ aliis solvendam; quod & docuerunt Felinus *in cap. ad audientiam, 31. num. 2. de rescript.* Gigas *de pension. quæst. 6.* Rebuffus *in praxi, titul. de pacificis, num. 106.* Corrasius *de sacerd. 1. p. cap. 4.* qui expendunt textus *in cap. nisi essent 21. cap. extirpandæ, §. qui verò, de præbend.* eosque sequitur novissimè Tondutus *de pension. cap. 1.* Nec tunc obstat præsens Concilii Lateran. prohibitio, quia ut ipsi docent, procedit in censu perpetuo ipsis Ecclesiis imposito, non verò in pensione ad vitam Rectoris constituta, seu temporaria, de qua in dictis juribus, & *in cap. querelam*, post Concil. Lateran. *cap. 28.* Sed facilius, verusque exponetur textus *in d. cap. cùm venisset*, si ejus integram consulamus, ubi hæc verba leguntur: *Nos postmodum ipsam concessionem, scripto ipsius Archiepiscopi diligenter inspecto, auctoritate Apostolica duximus confirmandam.* Unde cùm auctoritate summi Pontificis pensio constituta esset, de ejus validitate ambigendum non est.

CAPUT VIII.

Alexand. (a) *Wigorn. Episcopo.*

PRæterea illi, qui Episcopo ignorante, auctoritate sua pensionem annuam de Ecclesiis quadam illusione solverint, sive receperint, eis defunctis, nisi ab iis, qui per Episcopum, vel (b) ministeriales ejus, auctoritatem instituendi personas habentes, jus recipiendi canonem receperint, in receptione pensionis non sunt aliquatenus audiendi, præsertim si Pontificalem, aut alterius, qui de jure id facere potuit, auctoritatem, & assensum non interveniisse constiterit. Non enim simplices sacerdotes, vel clerici possunt Ecclesias, quibus præsunt, auctoritate sua, præsertim post decessum suum, censuales efficere.

NOTÆ.

1. (a) *Wigorn.*] Ita etiam legitur post Concilium Lateran. *part. 28. cap. 9.* & in prima collectione, *sub hoc titul. cap. 8.* ubi additur, *pars capitis Meminimus*, ut cognoscamus in præsenti referri partem textus *in cap. meminimus, qui clerici vel non.* ubi extat prior pars hujus decretalis.

(b) *Ministeriales.*] Archidiaconum videlicet, vel Vicarium, de quibus egi *in cap. ea, de instit.* & textum hunc exposui Commentario antecedenti. 2.

CAPUT IX.

Idem (a) *Carnot. Episcopo.*

ECclesiis autem, quas de novo Episcopi de manibus laicorum eripiunt, præter (b) cathedraticum, juraque (c) omnia, quæ aliis Ecclesiis imponuntur, non videmus exactionem imponendam. Quin novis exactionibus decreto nostro prohibemus generaliter amodò Ecclesias prægravari.

NOTÆ.

1. (a) *Carnot.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc titul. cap. final.* sed rectiùs post Concil. Lateran. *p. 2. cap. 8.* habetur *Cenomanensi*, & dum in dicta prima collectione additur *pars capitis Tua nos*, facile cognoscitur, in præsenti referri partem textus *in cap. 1. de clericis peregrinis*, ubi legitur *Cenomanensi.*

(b) *Cathedraticum.*] Pensitatio hæc ita appellatur à cathedra, quia præstatur Episcopo ob honorem cathedræ. Concil. Brachar. 2. *can. 2.* Tolet. 7. *can. 4.* Cathedra autem in sacris canonibus significat principale munus Episcopi, *cap. non autem,* 2.

autem, cap. placuit, cap. si quis Episcopus 7. *semestr. cap.* 1. *fol.* 266. Parexa *in cap.* 1. *hoc tit. quæst.* 1. *cap. luminoso* 18. *quæst.* 2. docent ultra congestos *in d. cap. conquerente*, Duarenus *de sacris Eccles. lib.* 3. *cap.* 5. Langleus *lib.* 6.

(c) *Jura omnia.*] Quæ retuli *in dict. cap. conquerente, de offic. ordin.*

CAPUT X.

(a) Idem.

INnovamus. *Et infrà :* Nec quisquam alicui novas (b) pedagiorum exactiones sine auctoritate (c) Regum, & Principum consensu statuere, aut statutas de novo tenere, aut veteres augmentare aliquo modo temerè præsumat. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, & commonitus non destiterit, donec satisfaciat, communione careat Christianâ.

NOTÆ.

1. (a) *Idem.*] Alexander videlicet III. in Concilio Lateran. *can.* 22. ut notavi *in cap.* 2. *de treuga & pace*, ubi exposui priorem partem hujus canonis.

2. (b) *Pedagiorum.*] Pedagium propriè est tributum, quod exigitur pro transitu pedestri; sed latè pro qualibet exactione ponitur. Petrus de Vineis *lib.* 5. *epist.* 37. ibi: *Sine alicujus pedagii exactione ire, stare, & ad nostram Curiam redire securè, & liberè permittatis.* Urbanus V. Papa in Bulla de jurisdictione Camerarii, quæ extat *tom.* 1. *Bullarii*, ibi: *Olim siquidem felicis record. Bonifacius VIII. prædecessor noster, eos qui ab Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis, pro eorum rebus propriis, quas non negotiandi causâ deferunt, aut deferri faciunt, vel transmittunt, pedagia, seu guidagia suo vel alieno nomine exigere, vel extorquere, &c.* Illustrat Joannes Vossius *de vitiis sermon. lib.* 3. *cap.* 34.

(c) *Regum.*] Etsi non sint Reges, modò sint superiores. Illustriss. Tapia *tom.* 1. *catenæ mor. lib.* 4. *quæst.* 11. *art.* 2.

COMMENTARIUM.

3. TRibuta, vectigaliáve tantùm imponere potest Princeps non recognoscens superiorem, seu Respublica libera, *leg. vectigalia, ff. de publicanis, lib.* 1. *& 2. Cod. vectigalia nova :* probant Suarez *de legibus lib.* 5. *cap.* 14. Schönbornius *lib.* 4. *Polit. cap.* 25. quæ potestas adeo propria est Principis, ut absque speciali concessione non censeatur in alium translata. Covarr. *practic. cap.* 1. *num.* 10. Menochius *de arbitr. lib.* 3. *præsumpt.* 97. *num.* 41. Barbosa *in præsenti, num.* 3. Apud Romanos tamen, vigente eorum Republica, nefas fuit vectigalia instituì sine Senatus, populique auctoritate, teste Livio *lib.* 29. unde vectigal etiam in opera publica à Lepido, & Fulvio Censoribus indictum fuit; verùm auctore Senatu, ac populo, penes quem summum imperium erat. Idem Livius *lib.* 40. ibi: *Censoribus postulantibus, ut pecuniæ summa sibi, quâ in opera publica uterentur, attribueretur, vectigal annuum decretum est.* Eversa verò Republicâ, cùm in populi jura successerunt Cæsares, sancitum fuit, ne sine præcepto Principis nova vectigalia instituerentur, *d. leg. vectigalia.* Diocasius *lib.* 53. ibi: *Hæ verò leges omnibus ex æquo provinciarum Rectoribus factæ, ne quem delectum militum agerent, ne pecuniam supra modum, qui constitutus erat, exigerent, Senatus, Imperatorisve injussu.* Idem lege Francica cautum fuit *lib.* 3. *capitul. cap.* 12. ibi: *Placet nobis, ut antiqua, & justa telonea à negotiatoribus exigantur, tam de pontibus, quàm de navigiis, seu mercatu; nova verò, seu injusta, ubi vel funes tenduntur, vel cum navibus sub pontibus transitur, seu his similia, in quibus nullum adjutorium itinerantibus præstatur, ut non exigantur, &c. Si quid verò fuerit, unde dubitetur, ad proximum placitum nostrum, quod cum ipsis missis habituri sumus, interrogetur.* Et *lib.* 4 *cap.* 47. Unde inter jura regalia à Friderico relata *in cap. unic. quæ sunt regalia in usibus feudor.* primos apices regalium tenuit jus vectigalium: probat fusè Gibalinus *lib.* 2. *de negot. cap.* 2. *art.* 2. Hoc autem jus indicendi tributi, ut ex eodem *cap.* 1. constat, olim exercebatur quatuor ex causis, nempe pro dote filiæ primogenitæ, pro militia nati, id est equestris dignitatis accessione; pro transmarina expeditione, vel redemptione capti ab hostibus. Hoc jure Wisigothorum Regi nubente filiæ Chilperici Regis, eì à Francis oblata fuerunt munera, ut refert Gregorius Turon. *lib.* 6. *histor. cap.* 45. ibi: *Franci verò multa munera obtulerunt, alii aurum, alii argentum, nonnulli equos, plerique vestimenta, & unusquisque, ut potuit, donativum dedit.* Et Friderico II. Imperatori concessum fuisse subsidium ad collocandam primogenitam filiam, tradit Matthæus Paris. *anno Christi* 1244. ibi: *Tandem unanimiter, cùm nullo modo ad aliam formam possent flecti, concesserunt Domino Regi ad maritandam filiam suam primogenitam de omnibus qui tenent de domo Regis in capite, de singulis scutis viginti solidos solvendos, scilicet medietatem ad Pascha, & aliam ad festum sancti Michaëlis.* Pro militia filii Eduardo I. etogata fuit tricesima rerum à Clero, & plebe, ut tradit Matthæus Westmonasterienſis *anno* 1296. ibi: *Die autem crastina cinxit Rex filium suum baltheo militari in palatio suo, & dedit ei ducatum Aquitaniæ, &c. Pro hac autem militia filii Regis concessus est Regi trigesimus denarius à populo, & Clero: mercatores verò vicesimum concesserunt.* Pro militari expeditione solennis fuit Francis, & Germanis Regibus indictio, quam fodrum vocarunt: Otho Frisingen. *lib.* 2. *de gestis Friderici. cap.* 13. ibi: *Mos enim antiquus, ex quo Imperium Romanum ad Francos derivatum est, ad nostra usque deductus est tempora, ut quotiescunque Rex Italiam ingredi destinaverint, quoslibet de familiâ*

familiaribus suis præmittant, qui singulas civitates, seu oppida peragrando, ea quæ ad fiscum Regalem spectant, quæ ab accolis fodrum dicuntur, exquirant. Similiter liberandi Principis gratiâ, Clerum, & plebem conferre debere constat ex Innocentio III. *lib. 2. epist. 406.* & factum fuisse in Anglia pridem capto Richardo I. à Leopoldo Duce Austriæ, refert Rogerius Hoveden. *in Richardo I.* Sequentibus verò sæculis, & nostris, ex causis tributa imponi cœperunt, de quibus, & justitia in eis imponendis servanda plura politè, & politicè disseruit eruditus vir D. Joan. de Solorzano *embl. 82. & 83.*

4. Alii autem privati nova pedagia, seu vectigalia imponentes lege Julia de ambitu, & de vi publica tenentur, *l. unic. §. item is 2. ff. ad leg. Jul. de ambitu, leg. ultim. ff. ad leg. Jul. de vi public. l. penult. Cod. vectigalia, leg. unic. Cod. de superindict. lib. 10.* Sed adhuc Comites, & alii inferiores Principes novis censibus, & vectigalibus provinciales attererе non dubitarunt. Quare hac de re eos valde increparunt sacri Canones. Concilium Turon. 3. *can. 39.* ibi: *Admonendi sunt Domini subditorum, ut circa suos piè, & misericorditer agant, vel eos qualibet injusta occasione condemnent, non vi opprimant, non illorum substantiolas injustè tollant, nec ipsa debita, quæ à subditis reddenda sunt, impiè, ac crudeliter exigantur.* Immò non defuerunt Principes, qui adumbratam religionem in quæstu ponerent, & specie commeatus Romanæ, vel Turonensis peregrinationis pecunias à pagensibus exigerent. Concil. Cabilon. 2. *can. 45. Sunt quidam potentum, qui acquirendi census gratia sub prætextu Romani, sive Turonici itineris multa acquirunt, multos pauperes opprimunt, & quod solâ cupiditate faciunt, orationum, sive sanctorum locorum visitationis causâ se facere videri affectant.* Unde eò angustiarum redacti fuerunt infelices rustici, ut tributis exhausti, migrare compellerentur, & novas sedes quærere. Odo Cluniac. *in vita Geraldi Comitis Aurel. lib. 1. cap. 24.* ibi: *Aliquando enim non paucos ex ruricolis obvios habuit, qui derelictis coloniis suis in aliam provinciam transmigrabant; quos cùm recognovisset, & quônam cum sua supellectile tenderent, inquisitisset, responderunt, quod injuriati fuissent ab eo, cùm ipse beneficiaverat eos.* Joannes Saresbar. *lib. 6. Polycrat. cap. 1.* P. Venerab. *in apolog. Cluniac. lib. 1. epist. 28.* ibi: *Patet quippe cunctis, qualiter sæculares domini rusticis servis, & ancillis dominentur. Non enim contenti sunt eorum usuali & debitâ servitute, sed & res cum personis, & personas cum rebus sibi semper immisericorditer vendicant: inde est, quod præter solitos census, ter, aut quater in anno, vel quotiens volunt, bona ipsorum diripiunt, innumeris servitiis affligunt, onera gravia, & importabilia imponunt, unde plerumq; eos etiam solum proprium relinquere, & ad peregrina fugere cogunt; & quod durius est, ipsas personas, quas tam charo pretio, hoc est suo Christus sanguine redemit, pro tam vili, hoc est pecunia, venundare non metuunt.* Cæsarius Eisterbachensis *lib. 2. mirac. cap. 7. Vaccæ*, inquit, *ipsa sua inquietudine, & depastione nobiles, & advocatos temporis nostri designant, qui domos & agros subditorum hospitando depascunt, & per assiduas exactiones, quas in illos faciunt, in substantia recrescere non sinunt.* Hoc jure usus fuit Comes Tolosanus, ut pedagia, guidagia, salinaria, & alia hujusmodi in ditionis suæ finibus instar Regum exigeret. Quamobrem anathematis minis territus à Milone Legato Sedis Apostolicæ, de justi vectigalis modo Innocentium III. summum Pontificem consuluit, & ab eo rescriptum tulit, quod extat *in cap. super, de V. S.* Nec alio jure quàm consuetudine jus collectam exigendi evindicasse Abbatum sancti Germani de Pratis, auctor est Stephanus Tornacensis *epist. 147. Abbas*, inquit, *sancti Germani de Pratis per singulos annos in terra sua moderatam collectam habet, & habuit, jure consuetudinis censum sibi debitum & recipit, & recepit; & ecce quodam motu satellites Palatini prohibent hominibus, & hospitibus Ecclesiæ prædictæ, ne solvant, quod ipsi solverunt, & patres eorum. Unde factum, ut sæpius feudo exhæredati, id est mulctati sint Comites, & alii Domini principales ob malas consuetudines, id est, novas & improbas exactiones*, ut refert Robertus Montensis ad annum Christi 1166. *Willelmus Talavacius, Comes Sagiensis, & filius ejus Joannes, & item Joannes nepos ejus, filius Guidonis primogeniti sui, Comitis Pontini, concesserunt Regi Henrico castrum Alencejum, & Roccam Mabirit, cum eis quæ ad ipsa castella pertinent; & forsan ideo prædictas munitiones perdiderunt, quia malas consuetudines ipsi, & eorum intercessores diu ibi tenuerant, quas Rex Henricus statim meliorari præcepit.* Porrò jura Dominica, consuetudines ea ætas dictitavit, quòd plerumque haud alio titulo, quàm moribus niterentur. Gosfridus Vindocinensis *lib. 1. epist. 2. ad Paschalem II. Sunt enim* (inquit) *in partibus nostris quidam satis nobiles genere, sed multùm ignobiles actione; mihi quidem carne propinqui, at moribus, & vita longinqui: hi de rebus monasterii, cujus, licèt indignus, curam gerere videor, perversas quasdam exactiones, sive consuetudines extorquere laborant, quas prædecessores eorum longè ante per violentiam rebus ipsis impresserant.* Et Robertus Montensis *ad annum 1164.* Rotrocus Episcopus Ebroicensis, & Reinaldus de sancto Valerio in Normanniam recognoscere missi sunt jussu Regis per Episcopatus, regulares redditus, & consuetudines ad Regem, & ad Barones pertinentes. Et longè antè Synodus Meldensis *can. 19. Ut ab Ecclesiis vestræ ditioni subjectis indebitas consuetudines, & injustas exactiones de cætero non exactetis.* Unde PP. Concilii Lateran. ut radicitus extirparent hanc corruptelam imponendi pedagia, & similes exactiones à Comitibus, & aliis Principibus sæcularibus, statuerunt, ut alia pedagia nova exigentes, donec satisfaciant, communione careant Christiana, quam pœnam firmavit etiam Innocentius III. *lib. 2. regestr. 14. epist. 39.* In Bulla Cœnæ Domini §. 5. ita cavetur. *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris suis pedagia, seu gabellas, præterquam in casibus sibi à jure, sive ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis, imponunt, vel augent, seu imponi, vel augeri prohibita exigunt.* Prosequuntur post Capuam, Vivaldum, Sayrum, Marium Alterium, Sousam, Toletum *in exposit. Bull. Cœnæ*, Suarez *de censur. disput. 21. sect. 2. num. 42.* Fragoso *p. 2. de regim. Christ. Reipubl. disp. 3. lib. 5. §. 5.*

CAPUT XI.

Idem (a) *Cantuar. Archiepisc.*

CUm Clerici. *Et infrà:* Ad hæc quia sunt Clerici quidam, qui cum religiosis viris collusione factâ, citra auctoritatem Diœcesani Episcopi Ecclesias quas tenent, eis constituunt censuales, ut post decessum eorum Ecclesiæ per repræsentationem eorundem religiosorum virorum ad filios, vel nepotes Clericorum ipsorum possint transferri: præsentium auctoritate vobis præcipimus, ut si qui Clericorum vestrorum inventi fuerint facere talia, eos à præscriptis Ecclesiis sub. ap. rem. non differatis auctoritate Apostolica removere, ne de sua fraude, vel dolo fructum videantur reportare.

NOTÆ.

1. (a) *Cantuar.*] Ita etiam legitur *in cap.17. de simon. in 1. collect.* & *in cap. cùm clerici, de pactis*, ubi integram litteram hujus textus dedi, & similiter Commentarium invenimus suprà *in cap. prohibemus.*

CAPUT XII.

(a) Idem.

EA quæ de avaritiæ, & cupiditatis radice procedunt, & in speciem simoniacæ pravitatis erumpunt, penitus extirpanda sunt; & quæ de tribulis, & spinis procedunt, falce Apostolici moderaminis sunt resecanda. Audivimus (b) tamen, quod nummos pro Chrismate ab Ecclesiis ausu temerario extorquetis, quos diversis nominibus, nunc Cathedraticum, aliquando Paschalem præstationem, interdum Episcopalem consuetudinem appellatis. Quia verò simoniacum esse cognoscitur, & periculum generat animarum, per A. s. m. & m. præ. quat. ab Ecclesiis sub prætextu alicujus consuetudinis, vel prælationis præscriptos denarios ulteriùs nullatenus exigatis, pro certo scituri, quod si hoc ausu temerario præsumpseritis, periculum ordinis, & dignitatis vestræ poteritis non immeritò formidare. Nihilominus etiam vobis præsentium auctoritate injungimus, ut cùm Ecclesias ipsas visitaveritis, secundùm quod canones præcipiunt, visitationis officium exerceatis, nec Ecclesias visitatione vestra gravetis, ut eas magis intuitu informationis, & correctionis, quàm affectu comessationis videamini visitare. Cùm autem B. Petri denariorum collectionem per Archidiaconatus vestros feceritis, in collectione facienda prædictas Ecclesias, vel parochias gravare nullatenus præsumatis aliter, sive magis, quàm prædecessores nostri sanctæ recordationis Innocentius, & Eugenius Romani Pontifices fecisse noscuntur. Quod si temeritate qualibet id præsumpseritis attentare, id quod videmini habere, auferetur à vobis.

NOTÆ.

1. (a) *Idem.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub titul. de simonia, cap.* 15. ex qua litteram transcribo: post Concil. autem Lateran. *p.2. cap.5.* legitur *idem in Concilio Turonensi:* sed rectiùs emendavit Antonius Augustin. *in notis ad dictam 1. collect.* sic: *Idem Archidiaconis per Angliam constitutis*; nam de his in præsenti egi, ex verbis ipsius textus apertè constat.

(b) *Audivimus autem.*] Hanc priorem textus partem transcripsit Raymundus *in cap.16. de simon.* ubi eam exponemus.

COMMENTARIUM.

IN secunda parte hujus textus, quam in præsenti transcripsit Raymundus, agitur de censu, seu tributo, quod denarium D. Petri Latinè, Anglicè verò *Ramiscoth*, dicebatur, & olim pendebatur ex universis domibus Angliæ: pro cujus origine, & progressu sciendum est, Regem Inam Sancto-num, & magnæ Britanniæ Regum, decessorum suorum insignis devotionis æmulum, ut perpetuo pietatis munimento fidem suam erga Romanam Ecclesiam relinqueret testatam, universi regni domos singulas singulos denarios argenteos annuatim

Sancto

sancto Petro pendere statuisse, sic devincire populum suum studens, ut annui census pensitatione Dominum suum agnosceret sanctum Petrum, cujus & fidem firmam, illibatamque jugiter conservaret, & auxilium in necessitatibus invocaret, ut referunt de ipso Rege Ina agentes Spelmanus, *in Conciliis, pag.* 230. ibi: *Primus omnium Regum denarium ex singulis domibus regni sui B. Petro fertur concessisse, quod diu ab Anglis Rameseoët, Latinè denarius divi Petri vocabatur.* Candenus *in sua Britannia, pag.* 192. ibi: *Ina Rex cùm regnum vectigale Pontifici Romano, impositio in singulas domos denario fecisset, &c.* Magdeburg. *cent.* 8. *cap.* 1. *colum.* 3. ibi: *Inas Britanniæ Rex suum regnum ultro ei* (Papæ) *fecit tributarium.* Baldæus *cent.* 2. *cap.* 20. ibi: *Ethelbolfus eas insulæ partes, quas pater Imperio acquisierat, Pontifici Leoni IV. vectigales fecit, Inam, & Offam Reges prædecessores imitatus.* Olinsedus *lib.* 6 *Histor. cap.* 41. *Offa imitatus exemplum Regis Inæ fecit regnum suum subditum Ecclesiæ Romanæ per modum tributi.* Spedus *in histor. Britann. lib.* 7. *cap.* 30. *Offa Rex Romam profectus est, ubi imitatus exemplum Inæ, fecit regnum suum subjectum tributo.* Parcherus *in vitâ Britualdi*, ibi: *Ina primus concessit illud tributum, quod vulgò dicitur Peterpence, solvendum Ecclesiæ Romanæ.* Ex aliis idem referunt Baronius *anno* 54. Smitheus *in floribus Eccles. Anglic. lib.* 2. *cap.* 7. quod tributum postea auctum fuit ab Athulfo Rege per totius fere insulæ imperium. Unde in legibus Angliæ, & Statutis Willelmi Senioris, titulo de denario sancti Petri ita legitur: *Omnis, qui habuerit triginta denaritas vivæ pecuniæ in domo sua, de proprio suo, Anglorum lege dabit denarium sancti Petri, & Pauli.* Et colligi ante festivitatem sancti Petri ad vincula, notavit Idumay *in notis ad Innocent. III. lib.* 4 *epistol.* 173. Accidit autem illud mirandum, notandumque, quod ut confestim acceſſavit pendi vectigal hoc, hæresum alluvione Anglicana Ecclesia absorpta fuit, ut refert Baronius, & probat anno 782. & Albericus in lege *item illa, de constitut. pecun.* Cujacius *in cap.* 7. *de despons. impub.* & etiam de Polonia idem refert ipse Baronius *anno* 1045. Et quia collectores hujus tributi in ejus collectione fraudes nonnunquam admittebant, emanavit præsens Alexandri constitutio, & etiam Innocentius III. *lib.* 4. *regestr.* 46. *epist.* 173. de hoc denario D. Petri in hæc verba rescribit Tusculano Episcopo Apostolicæ Sedis Legato: [Cùm sicut vestra discretio plenè novit, singulæ domus totius Angliæ singulos denarios pro censu B. Petri annuatim nobis solvere teneantur, Prælati Angliæ, qui eum nostro nomine collegerunt, rem invito Domino contrectantes, majorem sibi exinde partem non sunt veriti retinere, cùm non nisi trecentas marchas nobis persolverint, & sibi mille, vel amplius usurparint. Ut igitur jus Ecclesiæ Romanæ servetur illæsum, discretioni vestræ præsentium auctoritate districtè præcipiendo mandamus, quatenus priùs recipientes ab eis denarium ipsum, prout hactenus exsolverunt, & eos ad id, si necesse fuerit, per censuram Ecclesiasticam appellatione postpositâ compellentes, firmiter postmodùm ex parte nostra injungatis eisdem, ut residuum cum integritate persolvant. Non enim videmus, quo jure valeant se tueri, cum nec concessionem possint ostendere à Sede Apostolica sibi factam; nec centenariam contra Romanam Ecclesiam præscriptionem probare, maximè si tempora schismatum subducantur. Si tamen de jure voluerint expetiri, præfigatis eis terminum competentem, quo per responsales idoneos nostro se conspectui repræsentent, quicquid juris super his habuerint, ostensuri, protestatione præmissâ, quod si judicio duxerint contendendum, nos, quicquid hactenus est subtractum, in ipso judicio repetemus. Datum Later. V. Kalend. Febr. P. N. anno XVI.] Alia dedit Altesserra *lib.* 3. *Dissert. cap.* 12.

CAPUT XIII.

(a) Lucius III.

SIgnificavit T. nobis Rector Ecclesiæ de Sultig. quod cùm à dil. fil. Abbate, & Monachis de Clanstig. ad regimen Ecclesiæ ipsius electus fuisset, de solvendo annuo censu trium marcharum, quem prædecessor ejus solverat, præstitit (b) corporaliter sacramentum: postmodùm ven. f. noster N. Bathanen. (c) Episcopus, in cujus Diœcesi Ecclesia ipsa consistit, ne ipsum censum monachis solveret, nisi priùs constaret, (d) quod Episcopali auctoritate fuisset impositus, in periculum Ordinis sui & sub indeterminatione anathematis interdixit. Unde prædictus Rector hinc perjurii reatum metuit, & inde timet inobedientiæ periculum imminere. Quocirca f. t. per A. f. m. quat. partibus ante præsentiam vestram convocatis, si tibi præfatum canonem de auctoritate Præsulis, non de novo impositum fuisse constiterit, Episcopo auctoritate nostra præcipias, ut prohibitionem sine dilatione relaxet. Si verò census sit de novo impositus, sive auctoritate Episcopi hoc factum fuerit, sive non, Abbates, & monachos, ut clericum à juramento (e) absolvant, ap. rem. ecclesiasticâ districtione compellas. Pati enim nec debemus, nec volumus, ut Ecclesiæ census novi exactione vexentur.

NOTÆ.

1. (a) *Lucius III.* Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex: ex ipsa autem secunda collectione textum hunc transscribo.

Electus fuisset.] Præsentatus videlicet, juxta tradita *in cap.* 1. *de capell. monach.*

(b) *Corporaliter sacramentum.*] De hac forma juramenti egi *in cap. final. de juram. calumn.*

(c) *Bathanen.*] Bathna, seu Bathana Ecclesia 2.
Episcopalis erat in provincia Osrhoëna, sub Patriarcha Antiocheno, cujus Episcopus Abrahamus subscripsit Concilio Constantinop. quinto generali, ut refert Carolus à sancto Paulo *in Geograph. sacr. fol.* 303.

(d) *Constaret.*] Quia non erat ita diuturnum 3
tempus elapsum, ut talem licentiam præcessisse præsumeretur, ut docuit Gilkenius *de præscript. 2. p. membr.* 1. *cap.* 5.

(e) *Juramento absolvant.*] Juxta tradita *in cap. 1. cap. debitores, de jurejur.*

CAPUT XIV.

Idem (a) *Ravennat. Episcopo.*

SOpitæ judicio Sedis Ap. quæstiones scripto ad memoriam perpetuam commendantur, ne per oblivionem processu temporis valeant suscitari. Ut autem habeat majorem sententia fortitudinem, Apostolici scripti munimine roboratur. Sanè cùm inter te, & monasteria Bonon. tam monachorum, quàm monialium, super procurationibus, quas ab eis exegeras, controversia verteretur, causam ven. f. n. H. Atinien. (b) Episcopo commisimus audiendam. Postmodum verò dilectus fil. N. Abbas sancti (c) Proculi aliorum omnium Procurator, sicut ex litteris, quas portavit, apparuit, & ipse in manu Episcopi jam dicti datâ fide firmavit, coram nobis, & fratribus nostris pro omnibus aliis monachis, sancti Damiani, & sancti Bartholomæi exceptis, qui super hoc quæstionem minimè referebant, diutiùs litigavit. Verùm nulla pro parte sua privilegia Romanæ Ecclesiæ, vel Ravennat. exhibuit, nec ostendit longâ consuetudine se munitum: sed tu firmiter ipsas in aliis monasteriis tuæ provinciæ asserens sine contradictione præstari, eas prædecessoribus tuis, in monasteriis Bonon. exhibitas, per testes idoneos probavisti. Inde utique fuit, quod deliberatione cum fratribus habitâ, vidimus intentionem tuam jure communi, & prædecessorum tuorum consuetudine adjuvari. Eapropter tuis justis petitionibus annuentes, monasteria supradicta de communi consensu fratrum condemnavimus ad procurationem, secundum facultates eorum tibi, tuisque successoribus exhibendam; & adjudicantes eam vobis in jam dictis Ecclesiis & monasteriis universis, sententiam, quam protulimus, nostrâ duximus, & fratrum nostrorum subscriptionibus roborandam.

NOTÆ.

1. (a) *Ravennat.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. & supplendum est, *Gerardo*, cui rescribit Lucius in præsenti, ut de eo agens præsentis litis historiam refert Rubeus *lib. 6. histor. Ravenn. fol.* 356. in hæc verba: [In sequenti anno postquam diu litigatum apud Pontificem, & Cardinales fuerat, ab eodem Pontifice decretum etiam est, uti Bononiensia, tam monachorum, quàm sacrarum virginum cœnobia, extra D. Bartholomæi, ac Damiani, certam pensionem quotannis procurationis nomine Archiepiscopis Ravennatibus persolverent: cùm D. Proculi Abbas cæterorum cœnobiorum Procurator nihil pro Bononiensibus, quod satis urgeret, apud Henricum Albanum Episcopum, cui Pontifex causam mandaverat cognoscendam, attulisset. Litteræ extant hac de re Pontificiæ III. Non. Jan. Veronæ datæ.]

(b) *H. Atinien.*] Legendum est *Henrico Albanensi*, ut ex Rubeo proximè relato constat. 2
Henricus hic de Castromarsiaco, natione Gallus, Abbas Clareval. ab Alexandro III. invitus consecratus est Episcopus, & Cardinalis Albanensis, ut refert Ughellius *tom.* 1. *Ital. sacr. fol.* 294. *num.* 36.

(c) *Sancti Proculi.*] De quo monasterio nonnulla notavi *in cap.* 1. *ut lite non contest.*

COMMENTARIUM.

ARchiepiscopum non solùm Ecclesias suæ 1
Diœcesis, verùm & subjectas suffraganeis suis, tam sæculares, quàm regulares visitare posse, in hoc textu supponitur & probatur *in cap. cùm ex officii, de præscript.* ubi cùm agat Innocentius de Senonensi Archiepiscopo, ait: *Cùm ex officii sui debito Senonensem provinciam visitaret.* Et *ex cap. cùm nuper, hoc titulo*, ubi Gregorius IX. confirmaturum se dixit excom-

excommunicationis sententiam, quam in eos ferret Beneventanus Archiepiscopus, qui ipsi visitanti provinciam suam procurationem ratione visitationis debitam persolvere nollent. Et Innocentius IV. *in cap.* 1. Bonifacius VII. *in cap. final. hoc tit. lib. 6.* præscribunt formam servandam ab Archiepiscopo, dum visitat Ecclesias suffraganeorum suorum: & *in cap. cùm ex eo, cap. nostro, de pœnit. & remiss.* supponitur, Archiepiscopum, dum visitat provinciam suam, posse confessiones subditorum suffraganeorum audire. Unde Ivo Carnot. *epist.* 182. Dainbertum Archiepiscopum suum Senonensem orat, ut Ecclesiam Carnotensem visitaret, ut de excessibus quorundam Clericorum plenius instrueretur, eosque corrigere posset. Et Gregorius IX. *in cap. penult. de arbitr.* Abbatissæ Jotrensi scribens statuit, quod cùm quæstio olim suborta esset inter Archiepiscopum Senonensem ex una parte, & monasterium Jotrense ex altera, super eo, quod idem Archiepiscopus asserebat monasterium illud Metropolico jure sibi parêre, procurationesque ab eo pro visitatione exigeret, & compromissum inter eos factum fuisset, illum ratum habuit. Idem etiam deducitur ex epistola 76. Stephani Tornacensis; & hanc potestatem visitandi propriam Provinciam in Archiepiscopis agnoscunt Marianus *de visitat. num. 7. vers. 3.* Riccius *de præmin. Archiepiscop. privil.* 16. Cæsar *de Eccles. Hierarch. disp. 5. §. 2.*

4. Contrarium tamen, immò Metropolitanum tantùm jus habere visitandi propriam Metropolim, quando suffraganeus negligens est, & ita ob ejus negligentiam devolvit jus visitandi ad Archiepiscopum, docuit Glossa verbo *Metropolitanus, in cap. 9. quæst. 3.* pro cujus sententia facit idem textus, ibi: *Nullus Primas, nullus Metropolitanus, nullusque reliquorum Episcoporum alterius adeat civitatem, aut ad possessionem accedat, quæ ad eum non pertinet, & alterius est parochia, nisi vocatus ab eo, cujus juris esse dignoscitur; aut quicquam ibi disponat, vel ordinet, si sui gradus honore potiri voluerit.* Moveri etiam poterat Glossa auctoritate octavæ Synodi sub Hadriano II. *actione* 10. *can.* 19. *in edit. Anastas. Biblioth.* quo canone sugillatur avaritia Metropolitanorum, qui sub obtentu visitationis proficiscebantur ad Ecclesias suffraganeorum suorum, & indebitas procurationes exigebant: *Universim siquidem definit hæc Synodus, nullum Archiepiscoporum, aut Metropolitanorum relinquere propriam Ecclesiam, & sub occasione quasi visitationis ad alias accedere, & potestate propria in inferiores abuti, & consumere redditus, qui apud illos inveniuntur ad Ecclesiasticam dispositionem, & alimenta pauperum: & exceptâ hospitalitate, quæ ex necessario transitu accesserit, iterum nihil aut exigere, aut recipere ex iis, quæ sunt Ecclesiæ, vel suffraganei.* Nam videtur illis in verbis Synodus jus visitationis faciendæ, aut procurationis prætextu visitationis exigendæ Metropolitanis omnino denegasse: & sanè similis visitationis rara exempla sunt primis Ecclesiæ sæculis: immò Nicolaus I. *in epist. ad Radulphum Archiepiscop. Bituric.* & Ivo Carnot. *epistol.* 83. & 85. docent, invitis Episcopis Provinciæ Metropolitanum in Ecclesiis comprovincialium nihil posse: quod & docuit Gratianus *in fine 9. quæst. 3.* & *in dict. cap. cùm ex officii*, docetur Archiepiscopum Senonensem sententiam excommunicationis protulisse in eos, qui tempore visitationis illi procurationes denegabant. Igitur quia jure communi attento id facere non poterant. In qua difficultate, immò & jurium antinomia credo cum Hallierio *de Eccles. Hierarch. lib. 4. artic. 4. §. 6.* non fuisse solitos Metropolitanos olim integræ alicujus Diœcesis suffraganei sui, nisi ob valde gravem causam, visitationem aggredi, sed duntaxat vel invitatos, seu ut scandalo aliquando, vel malo publico occurrerent, ad Ecclesias suffraganeorum accessisse: postea verò ut ordinariæ negligentiæ suffraganeorum moderamen imponeret Ecclesia, nec tamen illos negligentiæ notaret, Metropolitanis integram visitationem permisisse; ita tamen temperatâ eorum auctoritate, ut & utilis esse posset, & tamen suffraganeorum Episcoporum auctoritati minimè præjudicaret, sed eam corroboraret potiùs, quàm infirmaret: tandem Concil. Trident. eandem facultatem Archiepiscoporum visitandi Ecclesias suffraganeorum, *sess.* 27. restrinxit, statuens, ut non possint illi provincias eorum visitare, nisi causâ cognitâ, & probatâ in Concilio Provinciali.

CAPUT XV.

(a) Clemens III.

GRavis admodum, & correctione dignissima nuper querela in audientia est nostra proposita, quod salvâ conscientiâ sub dissimulatione transire non possumus. Cùm enim Ecclesiasticæ personæ Ecclesias quamplures in Simon. Diœcesi habeant, cùm eas vacare contigerit, non aliter quemquam ad ipsarum regimen volunt vocare, nisi aut novum censum in Ecclesiis illis imponant, aut veterem contra constitutionem Concilii (b) Lateran. augmentent; ad ipsius solutionem instituendum presbyterum juratoriâ quandoque, vel fidejussoriâ cautione cogentes: quandam etiam partem suis usibus reddituum applicare contendunt; unde sæpè contingit, ut diœcesano Episcopo excessus hujusmodi ignorante, vel eo minimè requisito, in Ecclesiis illis inducant pro suæ voluntatis arbitrio sacerdotes.

Quoniam igitur prædictas constitutiones Concilii pati nolumus; neque debemus aliquorum injuriâ violari, disc. v. per A. s. m. quat. cùm super hoc fueritis requisiti, partibus ad vestram præsentiam convocatis, quæcunque noveritis contra constitutionem prædictam super Ecclesiis illis, vel earum censu ab aliquibus à tempore constitutionis attentata, contradictione, & ap. cess. in irritum revocantes, ab augmentatione censuum Ecclesias penitus absolvatis, & ad statum debitum reducatis: presbyteros, quos super his juramenta illicita præstitisse noveritis, congruâ satisfactione impositâ, facientes absolvi, eos etiam, quos de cætero contra formam canonum super his venire noveritis, sine cujuscunque personæ acceptione, sub. ap. ob. censurâ canonicâ puniatis.

NOTÆ.

1. (a) *Lemens III.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 4. nullibi tamen exprimitur Prælatus, cui rescribat Pontifex.

2. (b) *Lateran. augmentent.*] Ex his verbis apertè deducitur, in Concilio Lateran. relato *in cap. prohibemus, hoc titul.* non fuisse aliquid noviter statutum circa novi census impositionem, quia jam illud veteribus canonibus, quos congessi pro confirmatione illius textus, prohibitum erat; sed tantùm circa augmentum census jam impositi: & in hac parte novum jus ibi statuitur deinceps observandum. Commentarium hujus textus dedi in eo textu.

CAPUT XVI.

Innocentius III. *Abbati, & Conventui* (a) *Bellævillæ.*

QUantò Creatori vestro sub Religionis habitu adstricti estis, tantò solicitiùs nos convenit providere, ne per immoderati oneris gravitatem aliquatenus possit in vobis monastici profectus ordinis impediri. Accepimus autem, vobis significantibus, quod ab ipso domus vestræ fundationis primordio de fundatoris voluntate processit, ut fratribus sancti Hirenæi procurationem unam annis singulis liberaliter exhiberetis, cùm terras, vel redditus non teneatis ab eis, propter quos hujusmodi procuratio ipsis debeat exhiberi. Verùm tunc temporis propter fratrum, & servientium paucitatem domum vestram exhibita procuratio non gravabat, cùm fines levium non excederet expensarum: sed nunc tantùm ibi excrevit numerus servitorum, & fratrum, quod ad faciendam procurationem vix modò quatuor marchæ sufficerent, quæ pro una sufficienter fieri consuevit. Ut igitur per Apostolicæ solicitudinis curam vestris possit in parte ista gravaminibus provideri, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ne ultra primam mensuram in procuratione ipsa sitis ulteriùs prædictis fratribus obligati, sed expensis illis, quæ sufficere consueverant, sint contenti, nisi fortè facultates Ecclesiæ vestræ in tantùm excreverint, quod sine gravamine, ampliato fratrum numero, ad solvendum debitum procurandi extendi possit quantitas expensarum. Nulli ergo, &c. Datum, &c.

NOTÆ.

1. (a) *Bellævillæ.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & in epistolis ipsius Pontificis editis Coloniæ, *fol.* 65. ex quo Codice ita restituo textum hunc. Bellavilla oppidum est juxta Ararim, in regione Bellojocensi, Diœcesis Lugdunensis, ut refert Papirius Masonius *in descript. flum. Gall. fol.* 390. Ab eo nomen accepit monasterium hoc Ordinis D. Augustini, conditum ab Humberto anno 1160. de quo agunt Fratres Sarmath. *tom.* 4. *Galliæ Christ. fol.* 144.

COMMENTARIUM.

2. CErtum est, auctis fructibus locati prædii censum debentis non augeri pensionem ipsius, *leg. final. Cod. de alluvion. leg. penult. Cod. de omni agro, lib.* 11. *l.* 2. *Cod. de fundis rei privatæ, eodem lib.* ibi: *Unaquæque villa cum eo onere, cui nunc habetur obnoxia, ad novi domini jura migrabit, ut si quid adjecerit sumptu, cura, vel solertia, quicquid mancipiorum, vel pecoris accreverit, capitationis, aut canonis augmenta non patiatur, sed solis dominis, hæredibusve dominorum sit cessura felicitas.* Et *lege si merces* 25. §. *vis major, ff. locati:* faciunt textus *in l.* 1. *Cod. in quibus causis coloni. lib.* 11. *leg. cùm satis* 23. §. 1. *vers. caveant, Cod. de agricolis, lib.* 11. Docent Valascus *de jure emphyt. quæst.* 16. *num.* 7. & *quæst.* 27. *in fine*, aliis relatis Amaya *in l.* 4. *Cod. de annonis & tribut.* & *in l. unic. C. de collat. donatorum, num.* 16. Rodriguez *de annuis reddit. lib.* 1. *quæst.* 12. *ex num.* 9. & nos *in cap. præter, de locat.*

Ratio

Ratio est, quia debet attendi æstimatio rei juxta tempus, quo onus, seu tributum imponitur à contrahentibus, vel testatore, *l. uxorem* 41. §. *testamento* 4. *l. nomen*, §. *filio*, *l. testatorem* 68. §. *prædiis*, *Digest. de legat. 3. l. si ita* 7. *Digest. de auro & argent. l. Aurelius* 28. §. 1. *l. final.* §. 1. *ff. de liberat. legat.* Menochius *de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 127. *num.* 1. & quamvis augeantur res, in quibus onera imposita sunt, non debet id cedere in damnum ejus, qui ad solutionem oneris, vel pensionis urgetur, cùm potuerit legem apertiùs dicere, qui onus imposuit, *l. quicquid* 99. *Digest. de V. O.* & in id, quod præsens erat, magis consensisse contrahentes verosimilius est, quàm in id, quod futurum, & incertum erat, *l. si ita* 7. *Digest. de auro & argent.* Accedit, quod nullum præjudicium sequitur illi, qui pensionem percipit ex augmento provenientem, imò majori securitate gaudet, ut solutio debitæ pensionis illi fiat: Quare æquum est, ut debitor DEI beneficio augmentum habeat, argumento legis unicæ, *Cod. de thesaur. lib.* 10. Tandem quia pensionis nomine aliquid amplius, quàm convenerit, reposci non debet, *l. legem* 16. *Cod. locati*: unde rectè ajebat Paterfamilias, de quo in Evangelio: *Amice, non facio tibi injuriam, nonne ex denario convenisti mecum?* Ex quibus valde difficilis redditur prior pars præsentis Decisionis, ubi jubetur, quod si augeatur numerus fratrum, & servientium monasterii sancti Hirenæi, à fratribus Bellævillæ majorem procurationem, id est cum amplioribus expensis, præstandam esse, cùm potiùs attendi deberet tempus contractus; & ita non rectè Innocentius affirmat, teneri fratres ipsius monasterii omnibus fratribus sancti Hirenæi procurationem dare, si absque præjudicio facere possint, cùm inde sequatur ex augmento proventuum conventus Bellævillæ augeri Procurationem præstandam fratribus sancti Hirenæi. Agnovit difficultatem D. Franc. de Amaya ubi suprà, *num.* 31. juxta cujus mentem dicendum est, in præsenti casu procurationis obligationem indefinitam, & indeterminatam esse, videlicet omnibus fratribus monasterii sancti Hirenæi; non tamen fuisse impositam certo prædio, & fructibus ex tali fundo percipiendis. Unde videbatur, aucto numero fratrum S. Hirenæi procurationem omnibus esse præstandam, cùm certus numerus eorum à Patrono expressus non esset; & sicut poterat augeri numerus, ita & diminui, & ita fratres Bellævillæ minorem procurationem solvendo liberarentur: sed quia auctis supra modum fratribus sancti Hirenæi, & eorum servitoribus, talis obligatio damnosa valde esse cœperat conventui Bellævillæ, ideo tunc restricta fuit, ita ut juxta antiquam formam tantùm pensio solveretur, argumento capitis *dilecti* 8. *cum sequent. de Decimis.* Sed quia auctis proventibus ipsius conventus Bellævillæ hæc ratio æquitatis, quæ diminutionem procurationis induxit, cessavit; ideo jubet Innocentius III. in præsenti, ut eo casu omnibus fratribus, & eorum servitoribus sancti Hirenæi, fratres Bellævillæ procurationem persolvant, quia non est ratio, quare juxta mentem fundatoris omnibus procuratio non debeatur. Prosequitur Amaya *ubi suprà*, qui ex hac doctrina plura in praxi utilia resolvit.

CAPUT XVII.

Idem *Primicerio, & Clero* (a) *Mediol.*

CUm instantia nostra quotidiana sit secundùm debitum Apostolicæ servitutis, omnium Ecclesiarum solicitudo continua, quoties ipsarum negotiis promovendis non possumus personaliter imminere, per fratres nostros ea expedire compellimur, quos à nostro latere destinamus: illius exemplum in hac parte secuti, qui discipulis suis in mundum universum transmissis, ipse in medio terræ salutem fuit personaliter operatus. Hinc est, quod cùm nuper dilectum filium B. tituli sancti Petri ad Vincula Presbyterum Cardinalem (b) Apostolicæ Sedis Legatum pro negotiis Ecclesiæ in Longobardiam duxerimus destinandum; & in civitatem vestram ingressus, procurationes à vobis exigeret, quæ consueverunt Apostolicæ Sedis Legatis, & Nunciis exhiberi: vos non attendentes, quod dicitur ab Apostolo: Si vobis spiritualia seminavimus, non est magnum, si carnalia vestra metamus: ne vos ad onus procurationis arctaret, nisi à Canonicis majoris Ecclesiæ se faceret antea procurari, Sedem Apostolicam appellastis: & sicut idem Cardinalis per suas nobis litteras intimavit, in aliis etiam non modicùm ei injurioſi fuistis. Propter quod dilecti filii Præpositus S. Nazarii, & A. Canonicus sancti Stephani Syndici, & Procuratores vestri, cum dilecto filio Abbate sancti Vincentii ad Sedem Apostolicam venientes, ut super his statueremus ordinem, & mensuram, ex parte vestra suppliciter postulabant. Licèt autem pro eo, quod prædicto Cardinali, vel potiùs nobis in ipso contumaciter resistentes; juxta verbum Dominicum: Qui vos recipit, me recipit; & qui vos spernit, me spernit: necessaria denegatis, non pro vobis, sed contra vos potiùs meruerint exaudiri; quia tamen paternam affectionem, quâ nobis est proprium de Romanæ Sedis clementia misereri semper, & parcere, quam offensi etiam deponere non valemus, de consilio fratrum nostrorum taliter in hujusmodi duximus respondendum. Quod cùm omnes Ecclesiæ Legatis, & Nunciis Apostolicæ Sedis procurationes impendere teneantur,

neantur, ab earum præstatione nullam prorsus volumus haberi excusatam, nisi fortè per speciale privilegium Sedis Apostolicæ (quod non credimus) sit exempta, etiamsi longissimo tempore procurationis obsequium non impenderit: cùm in talibus (c) præscriptio sibi locum nequeat vindicare, cùm nos à provisione pastoralis solicitudinis circa omnes Ecclesias nunquam omnino cessemus. Sanè in his exigendis eum modum & ordinem volumus observari, ut nulla Ecclesia, vel Prælatus se indebitè prægravari rationabiliter conqueratur. Si verò de communi collecta Legatorum, & nunciorum nostrorum duxeritis faciendas expensas, quod vobis non duximus inhibendum, ex hoc nobis, & nostris nullum præjudicium volumus generari, quo minus possint, à quocunque maluerint, procurationes sibi debitas postulare, ita quod si exactus ultra suam gravatus fuerit facultatem, sibi ab aliis restauretur. Nuncius tamen nostris necessariis exhibendis pareat, quicunque fuerit requisitus humiliter, & devotè: ita tamen, quod in fraudem nihil penitus attentetur, nec per communes ministros ad procurationis obsequium, si noluerint, recidere compellantur. Qui verò contumaciter eis duxerit resistendum, omni prorsus appellatione remotâ per ecclesiasticæ districtionis sententiam compescatur. Super injuriis autem dicto Card. irrogatis volumus, & mandamus, quatenus ei satisfactionem congruam impendatis, ad quam, si fortè contempseritis exhibere, ipse vos appellatione remotâ compellat. Datum Later. XII. Kal. Martii.

NOTÆ.

1. (a) *Mediolan.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc titul. cap.* 2. & in epistolis Innocent. Coloniæ editis, *fol.* 263. ex quo Codice ita restituo litteram hujus textus. De Primicerio egi *in cap. unic. de offic. Primic.* & de Mediolanensi Ecclesia nonnulla notavi *in cap. adeo 27. de rescript.*

(b) *Apostolicæ Sedis Legati.*] A latere missi, juxta tradita *in c. cum Apostolus, hoc tit.* ubi textum hunc exposui: & *in cap. accedentibus, de præscript.* 1

(c) *Præscriptio.*] Juxta tradita *in cap. cum ex officiis, de præscript.*

CAPUT XVIII.

Idem (a) *Zamoren.* & (b) *Salmantin.* (c) *Episcopo.*

EX parte ven. f. n. P. (d) Compostell. Archiepiscopi fuit propositum coram nobis, quod cum ii, qui vota B. Jacobi continuè persolverunt, ad communem terræ suæ (e) mensuram, cum qua videlicet emunt, & vendunt, ipsa persolverint hactenus, & persolvant, quidam, qui à (f) longis retrò temporibus ab eorum solutione cessarunt, nunc per vos Ap. Sed. auctoritate ad solutionem eorundem coacti, quandam mensuram (g) parvissimam, & ignotam, nec etiam communibus usibus deputatam exhibent, & ad eandem vota prædicta solvere moliuntur: unde (h) postulastis à nobis, ut super hoc vos certos reddere dignaremur, utrum ii, qui mensuram ignotam exhibent ad solvendum vota prædicta, sint ad communem suæ terræ mensuram, secundùm quod illi, qui eam persolverunt, continuè faciunt, cogendi. Cùm ergo non constet, ad quam mensuram antecessores eorum prædicta vota solverunt, credimus distingvendum, utrum habitatores regionis ipsius, qui ea continuè persolverunt, ad unam, & eandem mensuram hujusmodi vota persolvant, an ad varias, & diversas. Si enim communiter omnes una, & eadem mensura in solutione votorum utuntur, ad eandem & illi solvere sunt cogendi: quod si solutio per mensuras distingvitur varias, & diversas, & illi volunt solvere ad minorem, non sunt utique compellendi, ut ad majorem persolvant, quoniam cùm hujusmodi vota gratuita fuerint ab initio, benignius sunt à viris ecclesiasticis exigenda, ne tanquam exactores nimium videantur lucris temporalibus inhiare.

NOTÆ.

1. (a) *Zamorensi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c.* 3. id est Petro Episc. Zamor. de quo & ejus Diœcesi egi *in cap. dilectus* 5. *de supplend. neglig.*

(b) *Salmantin.*] Salmanticæ antiquitatem inde haurire possumus, quòd Ptolomæus vetustissimus Geographus ejus meminit in Veronibus ad confinia Lusitaniæ. Polienus etiam *in lib. de stratagem.* Sub Gothis Regibus civitas Episcopalis fuit, cujus Metropolis Emerita. Post devastationem Hispaniæ per Mauros factam, & post recuperationem illius Provinciæ ab eorum manibus Regno Legionensi cessit, & dignitati Episcopali restituta paret Compostellano Archiepiscopo, ut

ut notavi *in cap. 5. de supplenda.* Sed quod sine invidia dixerim, si Hispanis historiis fidem facimus, ex eo tempore incrementum maximum Salmantica accepit, ex quo liberalitas Alfonsi IX. ejusque filii Ferdinandi III. nepotisque Alfonsi X. egregiam, inclytam, & omnibus titulis nobilissimam Universitatem nostram constituxit, ditavitque; ex qua toto orbi Hispano lux sapientiæ fulgere incepit, tali indies incremento, ut Studium generale Alex. IV. Pontifex eam creaverit: & Clemens V. inter reliqua generalia enumeraverit *in Clem. unica de Magistris.* In ejus laudes divagantur nondum Auctores nostri Regni, verùm exteri. Extat & celeberrimum encomium sacræ Rotæ apud Franciscum Peñam *1. tom. decis.* 157. Videndi sunt congesti à Solorzano *in lib. de Plazas honorarias*, P. Mendo *lib. 1. de jure Academ. ex num.* 127.

2. (c) *Episcopis.*] Petro Zamorensi & Vitali Salmantino, quorum tempore celebratum fuit Concil. Salmantinum 2. Præside Card. n. Guillelmo tituli sancti Angeli, ad dissolvendum matrimonium contractum inter D. Alfonsum IX. Theresiamque: & quia Vitalis in ea Synodo adhæsit Regi, Innocentius *lib. 2. epistol.* 72. rescribens Archiepiscopo Compostellano ita ait: *Si verò aliquis vestrûm, fratres Episcopi, in hoc deliquit, excepto Salmantino, cujus correctionem Sedi Apostolicæ reservamus, tu frater Archiepiscope animadversione ipsum canonicâ non differas castigare.* Hujus epistolæ, seu alterius, super eadem votorum solutione meminit idem Innocentius in duabus epistolis, quarum prior missa est Tolet. & Bracharen. Archiepiscopis, & Suffraganeis eorum Aurien. & Legionen. Episcopis. Secunda verò dirigitur Magistris, & Fratribus Spatariis, & Religiosis per Hispaniam constitutis, quas edidit Cardinalis Sirletus *fol.* 361. quarum tenorem in præsenti transcribere necessarium duxi ad comprobandam ipsius voti obligationem, & antiquitatem, quam nostris temporibus quidam audenter negare non erubescunt, levibus ducti fundamentis, quos cum tanto Patrono feliciter debellavit quidam Advocatus Piucianus, seu quivis auctor est allegationis pro Archiepiscopo & Ecclesia Metropolit. D. Jacobi contra Lazarum Gonzalez de Azevedo. In prima epistola ita scribit Innocentius: [Querelam venerabilis fratris nostri P. Archiepiscopi Compostellani accepimus, quod ejus Ecclesiæ ad mandatum etiam Apostolicum vota beati Jacobi à Parochianis vestris non facitis, sicut debentur, exsolvi. Quoniam igitur ad servanda jura præscriptæ Ecclesiæ non decet vos existere negligentes, fraternitati vestræ per A. s. p. m. atque præcipimus, quatenus memorato Archiepiscopo, & Ecclesiæ suæ præscripta vota à parochianis vestris solvere de cætero faciatis. Alioquin venerabilibus fratribus nostris Zamoren. & Salmantin. Episcopis datum noveritis in mandatis, ut Parochianos vestros ad vota illa solvenda, sublato appellationis obstaculo, eccl. districtione compellant. Vos itaque sententiam, quam iidem Episcopi, vel eorum alter in eos propter hoc rationabiliter tulerint, usque ad dignam satisfactionem denunciari faciatis, & inviolabiliter observetis. Datum Lateran. II. Idus Julii.] In secunda verò ita rescribit: [Ad audientiam Apostolatus nostri transmissâ conquestione Ecclesiæ Compostellanæ pervenit, quod cùm per totam ferè Hispaniam auctoritate Principum, & Prælatorum favore, etiam Clerici, & populi Ecclesiæ beati Jacobi, ob reverentiam ipsius Apostoli census quidam certus, qui vota dicitur, de singulis paribus boum antiquitus fuerit constitutus, plerique vestrûm de terris vestris & hominum vestrorum eundem censum præscriptæ Ecclesiæ pro sua tantùm voluntate solvere contradicunt. Verùm quia valde periculosum est quibuslibet aliena tenere, nedum viris religiosis, qui perfectionis amore propria dimiserunt, per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus censum ipsum, secundum quod antiquitus statutus est, eidem Ecclesiæ cum integritate solvatis. Cæterùm si (quod non credimus) mandatum Apostolicum in hac parte duxeritis contemnendum, noveritis nos venerabilibus fratribus nostris Salamant. & Zamoren. Episcopis mandavisse, ut ad id per interdicti, & excommunicationis sententiam, sublatâ appellationis difficultate, sicut visum fuerit, vos compellant. Datum Lateran. VI. Idus Julii.]

3. (d) *P. Compostellani Archiepiscopi.*] Petri videlicet.

(e) *Mensuram.*] Quam vulgò dicimus *media fanega*, ut expressum fuit in Comitiis habitis Vallisoleti anno 1537. petitione 37. ibi: *Por privilegio antiguo, que todos los jugueros, que labran con juntas de vueyes, y mulas, an de pagar à la Iglesia de san Tiago media hanega de trigo de voto.* Quæ mensura satis expressa fuit in ipso voto illis verbis: *Quatenus de unoquoque jugo boum singulæ mensuræ de meliori fruge, ad modum primitiarum.* Unde cùm mensura, quæ pro primitia solvitur in his Regnis, sit *media fanega*, etiam juxta eandem mensuram voti obligatio procedit.

4. (f) *A longis retrò temporibus.*] Qui non ideo erant exempti ab hac obligatione; nam contra eam nulla præscriptio etiam immemorialis currit; quod præterquam decisum est à Cœlestino III. nostri Innocentii prædecessore, in bulla expedita anno 1195. illis verbis: *Pagina præsenti statuimus, ut cùm in lege contineatur humana, quod in tributis & publicis functionibus nulla præscriptio locum obtineat, & illa vota sunt quasi tributa, quæ Deo, & beato Jacobo Apostolo in Hispania statuit annis singulis persolvenda Rex Ranimirus, illa quæ tibi & Ecclesiæ tuæ in eis præscriptio objicitur, locum non habeat, aut vigorem*; id etiam juris rationibus probatur, quia contra votum nulla præscriptio currit, *cap. sicut, de regul.* Gregorius Lopez *in leg. 30. tit. 7. partit. 1.* quia est nutritiva peccati, aut saltem irrationabilis. Sylvester verbo *Votum 2. num.* 10. Navarrus *in manuali, cap. 12. num. 26.* latè hanc sententiam probat Pereyra *de manu Regia, tom. 1.* Quatenus tamen successores eorum, qui votum emiserunt, teneantur illud adimplere, expositi *in capit. ex parte, de constit.*

5. (g) *Parvissimam.*] Unde prorsus inanis reddebatur voti obligatio, sicut cùm fundus promittitur, aut legatur; ideo enim tale legatum non valet, quia hæres glebam dando liberatur; & similiter triticum stipulando, inutilis est stipulatio, *l. ubi autem 75. l. triticum, ff. de V. O.* Quare in præsenti voto adjecta fuit mensura, quæ pro primitiis in Hispania solvi solebat.

6. (h) *Postulastis à nobis.*] Episcopi videlicet regni Legionensis, Zamorensis scilicet, & Salmantinus, qui consuluerunt Romanum Pontificem de obligatio-

obligatione hujus voti, & ejus solutione; quia cognitio causarum hujus voti ad Judicem Ecclesiasticum spectat, ut probat doctè Pereyra *de manu regia, tom. 1. cap. 14.* ubi resolvit, nec per viam violentiæ judicem secularem adire posse; immò & noster Innocentius huic Petro Compostel. Archiepiscopo specialiter concessit, ut debitores hujus voti coram Rege Legionensi convenire possent, in epistola, quæ reperitur inter editas Coloniæ, *fol. 360.* in hæc verba: [Cùm sit regula juris, quâ dicitur, ut actor forum rei sequatur, preces ex parte tua nobis super hoc obtinendo porrectas, libenter admittimus, quod tam Canoni, quàm legali consonant æquitati: maximè cùm id, quod petis in favorem beati Jacobi & Compostellanæ Ecclesiæ debeat adimpleri. Innotuit siquidem nobis, quod quidam laici rustici de regno Illustr. Regis Legionen. super votis beato Jacobo persolvendis nolunt in præsentia ipsius Regis, qui ordinarius Judex eorum existit, quando conveniuntur, aliquatenus respondere. Unde petitioni tuæ gratum præstando assensum, ad exemplar felicis record. Cœlestini Papæ prædec. n. fraternitati tuæ præsenti paginâ indulgemus, ut tibi liceat rusticos ipsos, tanquam votorum debitores, sub examine prædicti Regis, quandoquidem tibi aliàs eorundem votorum solutio debita denegatur, super eisdem votis, remoto cujuslibet appellationis, vel contradictionis obstaculo convenire. Decernimus ergo, &c. Datum Lateran. III. Idus Julii.]

COMMENTARIUM.

7. (a) Antequam ad hujus textus expositionem accedamus, referenda est hujus voti historia, quam in dubium revocarunt Julianus del Castillo *lib. 3. hist. Gothor. discurs. 8.* Lobera *en las grandezas de Leon, cap. 5. ad finem*, Prudentius à Sandoval. *in hist. monast. S. Æmiliani*, §. 36. & voti ipsius chartam totis viribus evertere conatur Lazarus Gonzalez de Azevedo *in alleg. pro oppidis, & villis Regni Legionensis*; sed infeliciter, ut ex infrà dicendis apparebit. Cùm ergo Rex Ramirus I. turpissimum tributum centum puellarum Regi Maurorum Abderrameno præstari renueret, per ipsum in Ribogiam Barbarorum dominio subjacentem irruptio facta est. Abderramenus bello, & armis penitus intentus, innumerabili exercitu collato, Ribogiam advolat, castra castris collata sunt ad oppidum Alveldam, planitie ferè ad Clavijum continuata, loco in cacumine sito rupis Turcicæ: atrox, & læva pugna utrimque fuit, victoriâ in Mauros nimium inclinante, quo minus vincerentur nostri, nox effecit, tenebras pro muro opponens Maurorum ictibus. Ramirus imminutas numero copias, fatigatas, ac debiles, ad Clavijum traduxit, ubi pro temporis angustiis munito loco, & vulneratis curâ adhibitâ, noctem insomnem, dubium an pervigilem, inter spem metumque transegit. Summo manè beatus Jacobus illi apparuit, & vultu placido Regem sperare jubet, ipsum victorem fore, Barbaros vincendos, seque suis Hispanis affuturum in eo bello. Ramirus excitatus Præsules, Ducesque vocari facit, & Jacobi promissis certior redditus, instruere acies, irruere in hostes, & Christi inimicos jussit: stetit dictis gloriosus Apostolus, & in ipsa acie visibiliter apparuit equo insidens, Mauros sternens, pro nostris pugnans: inde Hymnus in his Apostoli festivitatibus cani solitus;

Tu, bella nos cùm cingerent,
Es visus ipso in prælio,
Ense quoque acerrimus,
Mauros furentes sternere.

In eo prælio septuaginta millia Barbarorum cecidisse Historici testantur, præter alios, qui fugâ lapsi sunt incerto numero: vestigia hujus belli hodie etiam invisisse apud Clavijum Mariana testatur, effossis passim stragibus armorum per ruricolas oppidanos illius loci; nos sacratiora annotavimus vestigia sancti Jacobi insignè referentia, vulgaria incolis, sed fortè ideo minùs observata, quia vulgaria. Vix ullus lapis in eo loco reperitur, qui non conchulæ formam præseferat, *veneras*, vernacula lingvâ Hispani dicimus. Et quod mireris, si in partes communatur, tot conchulas formabit, quot partes feceris. Rex insigni victoriâ lætus descendit è rupe, antrum sancti Prudentii devotus visitat, DEO, & Apostolo ejus gratias agit, & in eo sancti Prudentii templo cum Prælatis, Regnique Proceribus votum emisit, quo universam Hispaniam sancto Jacobo fecit vectigalem è singulis jugeris agri, vineæque mensurâ, ad modum primitiarum singulis annis persolvendâ: sed causam, & votum ipsum ab ipso Rege audiamus: ita pluribus exemplaribus ex ipso originali transcriptis publicè legitur: [In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Antecessorum facta (per quæ successores ad bonum poterunt erudiri) non sunt prætereunda sub silentio, verùm potiùs debent committi monumentis litterarum, ut eorum recordatione ad imitationem bonæ operationis invitentur. Eapropter ego Ranemirus Rex, & à DEO mihi conjuncta Urraca Regina, cum filio nostro Rege Ordonio, & fratre meo Rege Garcia, oblationem nostram, quam gloriosissimo Apostolo Dei Jacobo fecimus, cum assensu Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, & nostrorum Principum, & omnium Hispaniæ Christianorum, committimus observationi: ne fortè successores nostri, quod à nobis factum est, per ignorantiam tentent irrumpere; & etiam per recordationem nostræ operationis ad similiter operandum moveantur. Causas, quibus ad faciendum istam oblationem compulsi sumus, scribimus, ut ad notitiam successorum reserventur inposterum. Fuerunt enim in antiquis temporibus (circa destructionem Hispaniæ à Saracenis factam Rege Roderico dominante) quidam nostri antecessores pigri, negligentes, desides, & inertes Christianorum Principes, quorum utique vita nulli fidelium stat imitanda: hi (quod relatione non est dignum) ne Saracenorum infestationibus inquietarentur, constituerunt eis nefandos redditus annuatim persolvendos, centum videlicet puellas excellentissimæ pulchritudinis, quinquaginta de nobilioribus, quinquaginta verò de plebe. Proh dolor! & exemplum posteris non observandum, pro pactione pacis temporalis & transitoriæ tradebatur captiva Christianitas luxuriæ Saracenorum explendæ. Ex prædictorum Principum semine nos producti, ex quo per DEI misericordiam Regni suscepimus gubernaculum, divinâ inspirante bonitate prædicta nostræ gentis opprobria cogitavimus abolere, ac de tam digna cogitatione perficienda commu-

communicavimus consilium primo Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & religiosis viris; postmodùm verò universis nostri Regni Principibus. Accepto tandem sano, & salubri consilio, dedimus apud Legionem legem populis, & posuimus consuetudines per universas nostri Regni provincias observandas. Deinde universis nostri Regni Principibus edictum commune dedimus, quatenus quosque robustos, & ad præliandum fortes viros, tam nobiles, quàm ignobiles; tam equites, quàm pedites ab extremis nostri Regni finibus evocarent, & usque ad constitutum diem expeditionem facerent congregare. Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & religiosos viros, ut interessent, rogavimus, quatenus eorum orationibus nostrorum per DEI misericordiam augmentaretur fortitudo. Completum est itaque imperium nostrum: & relictis ad excolendas terras tantummodo debilibus; & ad bellandum minùs idoneis; congregati sunt cæteri, non de nostro imperio, sicut solent inviti, sed DEO ducente per DEI amorem spontanei. Cùm his ego Rex Ranemirus (de misericordia DEI potiùs, quàm de gentis nostræ multitudine confidens) peragratis interjacentibus terris, iter mei exitus direxi in Naxaram, ac deinde declinavi in locum, qui nuncupatur *Albella*. Interim autem Saracenti nostrum adventum (famâ præcone) cognoscentes, omnes cismarini in unum contra nos congregati sunt; transmarinis etiam per litteras, & nuncios in suum auxilium convocatis, invaserunt nos multitudine gravi, & in manu valida. Quid plura? quod sine lachrymis non recordaremur, peccatis exigentibus, multis ex nostris corruentibus, percussis, & vulneratis, conversi sumus in fugam: & confusi pervenimus in collem, qui Clavijium nominatur, ac ibi in una mole congregati, totam ferè noctem in lachrymis & orationibus consumpsimus, ignorantes ex toto, quid in die essemus postea acturi. Interea somnus arripuit me Regem Ranemirum cogitantem multa, & anxium de periculo gentis Christianæ. At mihi dormienti B. Jacobus Hispaniarum protector corporali specie est se præsentare dignatus. Quem cùm interrogassem cum admiratione, quisnam esset? Apostolum Dei beatum Jacobum se esse confessus est: cùm ad hoc verbum ultra quàm dici potest, obstupuissem, beatus Apostolus ait: Nunquid ignorabas, quod Dominus noster JESUS CHRISTUS alias Provincias aliis fratribus meis Apostolis distribuens, totam Hispaniam meæ tutelæ per sortem deputasset, & meæ commisisset protectioni? & manu propria manum meam adstringens, confortare (inquit) & esto robustus. Ego enim ero tibi in auxilium, & manè superabis in manu DEI Saracenorum, à quibus obsessus es, innumerabilem multitudinem. Multi tamen ex tuis, quibus jam parata est æterna requies, sunt instante pugna pro CHRISTI nomine martyrii coronam susceperi, & ne super hoc detur locus dubitationi, & vos, & Saraceni videbitis me constanter in albo equo, dealbatâ grandi specie vexillum album deferentem. Summo igitur manè facta peccatorum vestrorum confessione, & acceptâ pœnitentiâ, celebratis Missis, & accepta Dominici corporis & sangvinis communione, armatâ manu ne dubitetis invadere Saracenorum acies, invocato nomine DEI, & meo, & pro certo noveritis, eos in ore gladii ruituros. Et his dictis evanuit à conspectu meo visus desiderabilis DEI Apostolus. Ego autem pro tanta & tali visione vehementer è somno excitatus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & religiosis viris seorsim vocatis, quidquid mihi fuerat revelatum, lachrymis, & singultibus, & nimia contritione cordis eodem ordine propalavi. Illi ergo in oratione priùs provoluti, Deo & Apostolo pro tam admirabili consolatione gratias egerunt innumeras, ac deinde rem administrare (prout nobis fuerat revelatum) festinavimus. Armatâ itaque, & ordinatâ nostrorum acie venimus cum Saracenis in pugnam: & beatus DEI Apostolus apparuit, sicut promiserat utrisque, instigando, & in pugnam animando nostrorum acies; Saracenorum verò turbas impediendo, & diverberando. Quod quam citò nobis apparuit, cognovimus beatissimi Apostoli promissionem impletam, & de tam præclara visione exhilarari, nomen DEI, & Apostoli in magnis vocibus, & nimio cordis affectu invocavimus dicentes: Adjuva nos DEUS, & sancte Jacobe. Quæ quidem invocatio ibi tunc primò fuit facta in Hispania: & per DEI misericordiam non in vanum; eo namque die corruerunt circiter septuaginta millia Saracenorum. Tunc etiam eversis eorum munitionibus, eos insequendo, civitatem Calaforram cepimus, & Christianæ religioni subjecimus. Tantum igitur Apostoli miraculum post inopinatam victoriam considerantes, deliberavimus statuere Patrono, & Protectori nostro beatissimo Jacobo donum aliquod in perpetuum mansurum. Statutum ergo per totam Hispaniam, ac in universis partibus Hispaniarum, quascunque DEUS sub Apostoli Jacobi nomine dignaretur à Saracenis liberare, vovimus observandum: Quatenus de unoquoque jugo boum singulæ mensuræ de meliori fruge ad modum primitiarum, & de vino similiter ad victum Canonicorum in Ecclesia beati Jacobi commorantium, annuatim ministris ejusdem Ecclesiæ in perpetuum persolvantur. Concessimus etiam, & in perpetuum confirmamus, quod Christiani per totam Hispaniam in singulis expeditionibus, de eo, quod à Saracenis acquisierint, ad mensuram portionis unius militis glorioso Patrono nostro, & Hispaniarum Protectori B. Jacobo fideliter attribuatur. Hæc omnia donativa vota, & oblationes (sicut superiùs diximus) per juramentum nos omnes Christiani Hispaniæ promisimus annuatim Ecclesiæ beati Jacobi, & damus pro nobis & successoribus nostris canonicè in perpetuum observanda. Petimus ergo, Pater omnipotens, æternæ DEUS, quatenus intercedentibus meritis beati Jacobi, ne memineris Domine iniquitatum nostrarum, sed solativa misericordia nobis prosit indignis. Et ea quæ ad honorem tuum beato Jacobo Apostolo tuo dedimus, & offerimus de eis, quæ per te (ipso opitulante) acquisivimus, nobis, & successoribus nostris proficiant ad remedium animarum, & per ejus intercessionem nos recipere digneris cum electis tuis in æterna tabernacula, qui in Trinitate vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen. Vovimus etiam, & in perpetuum statuimus tenendum, quatenus quicunque ex genere nostro, vel aliorum descenderit, semper suum præstet auxilium ad prætaxata B. Jacobi Ecclesiæ donativa. Quod si quis ex genere nostro, vel aliorum, ad hoc nostrum testamentum

violan-

violandum venerit, vel ad implendum non adjuverit, quisquis ille fuerit, Clericus vel laicus, in inferno cum Juda traditore, & Dathan, & Abiron, quos terra vivos absorbuit, damnetur in perpetuum; & filii ejus fiant orphani, & uxor ejus vidua, & regnum ejus temporale accipiat alter, & à communione corporis & sanguinis Christi fiat alienus; æterni verò regni participatione privetur perenniter. Insuper Regiæ Majestati, & Ecclesiæ B. Jacobi per medium sex mille libras argenti pendat, & hoc scriptum semper maneat in robore. Nos etiam Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates, qui illud idem miraculum, quod Dominus noster JESUS CHRISTUS famulo suo illustri Regi nostro Ranemiro, per Apostolum suum Jacobum dignatus est monstrare, propriis oculis DEO juvante vidimus, prædictum ipsius Regis nostri, & nostrorum, & totius Hispaniæ Christianitatis factum in perpetuum confirmamus, & canonicè sancimus observandum. Si quis ad hoc scriptum, & Ecclesiæ B. Jacobi donativum irrumpendum venerit, vel persolvere renuerit, quisquis ille fuerit, Rex vel Princeps, rusticus, Clericus, vel laicus, eum maledicimus, & excommunicamus, & cum Juda traditore gehennali pœnâ damnamus in perpetuum cruciandum. Hoc idem successores nostri Archiepiscopi, & Episcopi faciant devotè annuatim. Quod si quis renuerit, omnipotentis DEI, Patris, & Filii, & Spiritus sancti auctoritate, & nostra damnetur, & excommunicatione, & potestate sibi à DEO traditâ reus teneatur. Facta scriptura consolationis, donationis, oblationis hujus in civitate Calaforra noto die octavo Kalend. Junii, æra DCCC. LXXII. Ego Rex Ranemirus cum conjuge mea Regina Urraca, & filio nostro Rege Ordonio, & fratre meo Rege Garsia, hoc scriptum, quod fecimus, proprio robore confirmamus.] Firmarunt privilegium hoc Romani Pontifices Paschalis II. Alex. III. Innocentius III. Honor. III. Alex. IV. in suis Bullis, quas refert Castel. *in hist. D. Jacobi, fol.* 254. necnon & Principes sæculares, Alfonsus VII. anno 1150. ut refert Morales 3. *part. histor. lib. 3. cap.* 52. D. Ferdinand. IX. æra 1342. Don Alfons. XI. & D. Petrus ejus filius, & D. Joannes II. anno 1427. Reges Catholici anno 1478. & referunt innumeri Historici. D. Rodericus Archiep. *de rebus Hispan. lib. 4. cap.* 13. D. Lucas Tudensis *cap.* 49. *histor. gener. Hispan.* 3. *part. cap.* 11. Frater I. Gil. de Zamora *illustrium personarum lit. R. verbo Ramirus I.* Episcopus Palentinus 3. *part. histor. Hispan. cap.* 10. Carthagena *in anaceph. cap.* 54. Volaterranus *lib.* 2. *Geograph. pag.* 27. Basseus *in Chron. Hispan. Anno* 825. Ambrosius à Morales *part.* 1. *lib.* 9. *cap.* 7. & 3. *part. lib.* 13. *cap.* 52. Illescas 1. *part. histor. Pontif. lib.* 4. *fol.* 240. Mosen. Diego de Valera *in Chron. Hispan.* Villegas *in vita S. Jacobi*, Marmol. *in histor. Africæ, lib.* 2. *cap.* 22. *fol.* 109. Garibay *in compend. histor. lib.* 9. *cap.* 18. Mariana *lib.* 7. *de rebus Hispan. cap.* 13. Taraffa *in vita ipsius Ranemiri I.* Fr. Alfonsus de la Spina *in fortal. fidei, lib.* 4. *de bello Sarracen. vers.* 39. Argot. de Molina *lib.* 1. *nobiliori, c.* 106. D. Franc. à Quevedo *in perdocta alleg. pro patronatu D. Jacobi, pag.* 587. & 589. Fr. Joannes Marieta *histor. Eccles. lib.* 1. *cap.* 7. Villadiego *in foro judic. in catal. Regum Hispan. anno* 843. Manuel Correa *in catalogo ipsorum Regum, in Ranim. I.* Modera *Monarch. Hispan. cap.* 8. Fr. Hieronym. Roman. 1. *part. Reip. lib.* 6. *cap.* 2. & 2. *part. lib.* 4. *cap.* 19. Marinæus Sicul. *de rebus Hispan. lib.* 7. *post princip.* Motta *lib.* 1. *Ordinis D. Jacobi, cap.* 1. & 5. Rocamora *in catal. Regum Hispan. num.* 844. Guardiola *in nobilit. Hispan. cap.* 34. Beuter. *lib.* 1. *histor. cap.* 31. Salinas *in histor. belli Clavijii.* Castel. Ferret. *in histor. D. Jacobi.* Yepes *in Chron. D. Benedicti, cent.* 1. *anno* 1181. *cap.* 7. qui refert aliam scripturam similis voti facti à Comite Ferdinand. Gonzalez D. Æmiliano, ubi ait, se votum illud nuncupare ad similitudinem voti concepti à Ranemiro. Illustr. Manrique *annal. Cisterc. tom.* 3. *anno* 1181. *cap.* 7. Alteserra *lib.* 4. *Dissert. cap.* 7.

Hucusque historiam, & originem hujus voti retulimus: nunc ad nostrum Innocentium accedamus. Cùm ergo obligatio hujus voti realis obligaret non solùm Regem ipsum, verùm etiam inposterum, & ejus Regnum, quia emissum fuit votum à Rege, & regni Proceribus pro universali Regno in Comitiis generalibus, præsentibus Prælatis, & Regni Proceribus; ideo successores & habitatores in ipso Regno in perpetuum tenentur ex ipsa obligatione reali votum exsolvere; quia licèt gens mutetur, semper tamen regnum durat, *l. proponebatur, Digest. de judic. l. sicut, §. final. Digest. quod cujusque univers. l.* 5. *titul* 9. *lib.* 1. *recopil. l.* 5. *tit.* 15. *part.* 2. Zypeus *contra Cassianum, lib.* 2. *cap.* 12. Joannes Seldenus *in mari clauso, lib.* 1. *cap.* 21. ex multis Valentia *lib.* 2. *illustr. tract.* 4. *cap.* 2. Inde hanc obligationem agnoscentes Episcopi Zamorensis, & Salmantin. consuluerunt Innocent. III. an agricolæ illi, qui per longum tempus mensuram tritici, ratione hujus voti, debitam non persolverant, cùm cogerentur eam præstare, deberent solvere majorem mensuram, ut in ipsa regione, videlicet regno Legionensi alii solvebant; an verò minimam solvendo liberarentur? Et videbatur, majorem mensuram eos solvere debere, quia licèt in dubiis, quod minimum est, sequamur, *l. quotiens* 20. *l. in obscura* 179. *Digest. de R. I. l. Mela* 13. *Digest. de annuis legat.* & cùm de mensura promissa non constat, ad minimam redigatur petitio, *l. si ita* 14. *l. cùm servus* 38. *§. Seja, Digest. hoc tit.* tamen favore Ecclesiæ, & piæ causæ generalis promissio latissimam recipit interpretationem, ut *in leg. Titia, §. semper,* & *§. Seja, Digest. de auro & argent.* ubi docetur, legatum relictum templo latè esse interpretandum, videlicet, ut si quis legavit Ecclesiæ calicem, non credatur, legatum fuisse calicem æneum, sed præstandum esse argenteum. Faciunt alia, quæ adducit Garanna in præsenti. Igitur & in præsenti casu major mensura præstanda erat. Sed adhuc Innocentius distingvit ita, ut si alii habitatores ipsius regionis, qui votum continuò exsolverunt, unam & eandem mensuram præstiterunt, eandem etiam illi, qui & in solutione cessarunt, solvere debebunt, argumento capitis *super eo, hoc titul. l. si servus* 50. *§. si numerus, Digest. de legat.* 1. quia casus dubii juxta regionis consuetudinem sunt decidendi, *l.* 6. *Digest de evict. l. quod si nolit* 31. *§. qui assidua* 20. *Digest. de adilit. edict. l. nummus* 75. *ff. de legat.* 3. *l.* 1. *§. ultim. Digest. de ventre inspic.* Illustrant pluribus relatis Osvaldus *lib.* 15. *comment. cap.* 1. *litter. F.* D. Joseph. Vela *tom.* 1. *Dissert.* 20. *ex num.* 27. Si verò diversas & varias mensuras antecessores eorum in eadem regione persolvebant, quia videlicet mensura vulgò media fanega,

es

ex tribus, aut quatuor modiis constabat pro diversitate locorum, tunc non ad majorem, sed ad minorem mensuram præstandam sunt cogendi ex benignitate, ne ecclesiastici tanquam exactores nimium videantur lucris temporalibus inhiare, aliàs jure stricto ad majorem mensuram præstandam cogendi erant, ut docet Covar. *in cap. 4. de testam. n. 5.* quia cùm in ipso voto exprimeretur mensura illa, videlicet quæ pro primitiis solvi consuevit; & illa mensura, vulgò media fanega, in aliquibus locis tribus, in aliis quatuor modiis constet, quatuor modios quilibet solvere cogendus erat.

CAPUT XIX.

Idem. (a) *Cæsarauguſt. Episcopo.*

CUm olim ad aures nostras tuam querimoniam destinasses, quòd te dil. fil. Abbas sancti Joannis (b) Præjacen. quartis decimarum, quas in Ecclesiis de Luna, & de Tausst. debes percipere, multipliciter defraudaret. *Et infrà:* His, & aliis, quæ coram prædictis judicibus, & coram nobis fuere proposita, plenius intellectis, cum nobis plena fides facta fuerit, quod Ecclesiæ sæpedictæ in tua sint diœcesi constitutæ, non solum per alia, verùm etiam per hoc ipsum, quod instrumentis compositionum continetur expressè, ut Abbas tibi tam de (c) quarta decimarum, quàm de cæteris (d) Episcopalibus rationibus debeat respondere? de consilio f. n. Abbatem Præmaten. ad integram solutionem quartæ omnium decimarum, in illis (e) factis deductionibus, & ad præstationem procurationum, & aliorum Episcopalium jurium in prædictis Ecclesiis condemnamus. Licet enim ex forma secundæ compositionis deductiones essent aliquæ faciendæ; quia tamen compositionem idem Abbas nullatenus approbavit, sed studuit multipliciter impugnare, ex ea non debuit beneficium consequi, cui renuntiasse tacitè videbatur. Absonum erat præterea, ut negaret suam Ecclesiam in tua diœcesi constitutam, super qua instrumenta prædecessoris tui ostendebat in jure monasterio fuisse concessa, per quæ jus Episcopale petebat expresse.

NOTÆ.

(a) *Cæsarauguſt.)* Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 4.* supplendumque est, *D. Ramoni de Castrotol*, qui ex anno 1199. usque ad annum 1216. tenuit ipsam Cathedram, & valde solicitus fuit de bonis, ac proventibus ipsius Ecclesiæ; unde ejus tempore Ecclesia illa mirè ditata fuit, ut refert Fr. Didacus à Murillo *in histor. Cæsarag. cap. 28. num. 9.* De ipsa Metropoli nonnulla notavi *in cap. 1. de his, quæ vi.*

(b) *Præjacen.)* Ita legitur in tertia collectione, in sexta autem legitur *Prilarensis*, sed legendum est *Pinnatensis*, quod percelebre monasterium S. Joannis, vulgò *San Juan de la Penna*, est intra fines veteris Comitatus Aragonici, in monte Vruelo ædificatum. A parvis initiis, è tenui scilicet anachoretica cella in celeberrimum totâ Hispaniâ monasterium, Pampilonensium, & Aragonensium Regum beneficio, & liberalitate pervenit, ut referunt plura de eo adducentes Joannes Bric. Martinez *in histor. ipsius cœnobii*, Yepes *tom. 3. chron. D. Benedicti, ad annum 818.* Arnaldus Ochenartus *in notitia Vasconiæ, lib. 2. cap. 7.* Fuit monasterium hoc magnificè ditatum à Regibus, & Episcopis Cæsarauguſt. & exemptum ab omni lege diœcesana, ut ex epistola Johannis IV. Regis Angl. probat Hieron. Blanc. *in com. rer. Arag.* Immò in duobus Conciliis Aragoniæ statutum fuit, ut omnes Episcopi ipsius Regni deberent assumi ex ipso monasterio, propter miram sanctitudinem, quæ in eo florebat. Abbas ipsius monasterii, de quo hîc agitur, erat frater Petrus de Sorbera.

(c) *Quartis decimarum.)* De quibus egi *in cap. conquerente, de offic. Ordin. cap. de quarta, de præscript.*

(d) *Episcopalibus rationibus.)* Id est juribus, de quibus egimus *in dicto cap. conquerente.*

(e) *In illis factis.)* Legendum est, *nullis factis*, ut legitur in sexta collectione; & rectè inde deducit Barbosa *voto 96. num. 25.* quartam decimarum, item subsidium deberi non deductis expensis. Videndus Xamar. *part. 2. rerum Indic. definit. 141.*

CAPUT XX.

Idem (a) *Spoletano Episcopo.*

OLim causam, quam adversus clericos plebis Rupinæ super (b) synodatico proponebas, ven. f. n. (c) Tudertino Episcopo, & dil. f. Abbati S. Petri montis Martan. commisimus terminandam, coram quibus fuit ex parte tua propositum, quod cùm iidem clerici olim prædecessoribus tuis tres in festo Nativitatis, & tres in festo Resurrectionis

ctionis Dominicæ pro synodatico solverint denarios Papien. nunc tantùm tres Luc. prò singulis denariis Papien. persolvebant, cùm duo Papien. valeant sex Luc. undelpetebas eos ad Papiensium solutionem nostrâ auctoritate compelli; cum etsi tu Lucen. ipsos primo anno receperis, semper tamen postmodum jus tuum fueris protestatus. Verùm pars clericorum proposuit ex adverso, quod etsi aliquando prædecessoribus tuis denarii Papien. pro synodatico fuerint persoluti, tamen à XLV. annis. *Et infrà*: Nos igitur Jacobo tuo, & Joanni presbytero adversæ partis procuratoribus dil. fil. n. P. Basilicæ XII. Apostolorum presbyterum Card. concessimus auditorem, quibus coram eo nihil volentibus, aut valentibus de novo proponere, quoniam fuerat renunciatum utrimque, cùm ipse gesta omnia in nostra, & fratrum nostrorum præsentia retulisset, intelleximus per testes tuos fuisse probatum, quod tempore bon. mem. Lotharii prædecessoris tui, & etiam post decessum ipsius denarii Papien. fuerant pro synodatico persoluti, & exinde tres Lucen. quorum duo valebant v. de iis qui hoc tempore sunt in usu, aliquandiu fuissent exhibiti: & quia tempore (d) Lotharii XXXIII. vel XXXIV. annorum spatium est elapsum, dicta etiam testium partis adversæ inspeximus, per quos voluit comprobare, quod à (e) XL. annis & infrà tres Luc. vel tres medaliæ in synodaticum solutę fuerint pro singulis Papien. cùm Papien. fuissent antea persoluti. Confessus quoque fuerat advocatus ipsius partis in jure, ac ejus confessio in scriptis redacta, nec correcta, vel revocata per clericos supradictos, quod iidem clerici (f) Henrici, & Lotharii prædec. tuorum temporibus tres Papien. pro synodatico solverent bis in anno, & exinde pro singulis Papien. tres Luc. Cùm igitur constet nobis ad plenum per testes utriusque partis, quod Papien. olim pro synodatico solvebantur, quod ex eo etiam sequeretur, quod Luc. soluti sunt postmodum pro eisdem, & cùm ex dictis testium tuorum, & confessione advocati alterius partis non revocata, postmodùm appareat evidenter, quod tempore Lotharii pro synodatico Papien. fuit moneta soluta, cùm ex utriusque partis attestationibus habeatur, quod à tempore Lotharii non nisi XXXVI. annorum ad plus tempus effluxerit, & per testes tuos sit legitimè comprobatum, quod tres Lucen. qui pro uno Papien. post mortem Lotharii solvebantur, v. vel VI. valebant ex illis, hodie sunt in usu: intelligentes ex hoc, quod per monetæ declinationem acciderit, ut usque ad tempus tuum Lucen. dati fuerint pro synodatico, sicut erant in usu: de consilio fratrum nostrorum procuratorem adversæ partis nomine clericorum plebis prædictæ, tibi ad solutionem denariorum Papien. vel æstimationis eorundem pro synodatico, per diffinitivam sententiam condemnamus.

NOTÆ.

(a) *Spolet.*) Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 5.* Spoletum antiquissima civitas Umbriæ est, Longobardorum Principum sedes diu fuit, inter Eulginiam, Interamnemque prope radices montium sita, de qua plura refert Ughellius *tom. 1. Italiæ sacræ, p. 2. fol. 162.* Habet Ecclesiam Cathedralem, cujus Prælato Benedicto missa est præsens decisio: de quo hæc refert Ughellius ubi supra, *n. 36.* qui Benedictus ab innocentio III. creatus est anno 1198. ad quem Innocentius litteras dedit, ut in decretalibus epistolis videre est.

(b) *Synodaticum.*) Synodus, seu synodaticum, plerumque pro eodem sumuntur, nempe pro certa pensione nummaria, quam presbyteri exsolvunt quoties Episcopi ad Synodum vocantur, olim quidem bis in anno, Quadragesimę videlicet tempore, ut constat ex Concilio Liptinensi sub Childerico, *can. 3.* anno 743. celebrato, ubi jubetur, ut presbyter semper in Quadragesima rationem, & ordinem ministerii sui, sive de baptismo, sive de fide catholica, sive de precibus, & ordine Missarum ipsi Episcopo reddat, & ostendat: & mense Majo juxta canonem 7. Concilii Altissiod. ibi.: *Ut medio Majo omnes presbyteri ad Synodum in civitatem veniant, & Kalendis Novembris omnes Abbates ad Concilium conveniant.* Quantum verò quilibet presbyterorum Episcopo solveret Synodi nomine, certum non erat, sed pro parochiarum conditione illustriores largius, angustiores levius vectigal Episcopi ærario inferebant, cujus præstationis rationes assignat le Maistre *lib. 2. de juribus Episcop. cap. 3.* Altesserra *lib. 4. dissert. cap. 6.*

(c) *Tudertino Episcopo.*) Rustico videlicet, de quo & Ecclesia Tudertina egi *in cap. 19. de jurejur.*

(d) *Lotharii.*) Qui floruit in eadem Ecclesiâ per annos 1155. ut refert Ughellius *in hist. ipsius Ecclesiæ.*

(e) *Quadraginta.*) Obligatio enim solvendi antiquam monetam præscribitur quadraginta annis contra Ecclesiam, & triginta contra alios; maximè si constet, aliquas solutiones fuisse factas de moneta currente, & secundum ejus valorem, quia ex illis solutionibus subsequutis præsumitur talem conventionem præcessisse, cùm ex præsenti in præteritum præsumatur, *l. ex persona, l. sive possidetis, C. de probat.* resolvit Canerius *tom. 2. var. cap. 6. num. 146.*

(f) *Henrici.*) Qui Ecclesiam rexit ex anno 1114. usque ad annum 1155. & si tempore hujus Præsulis denarii Lucenses solverentur, plus quàm quadraginta anni erant elapsi.

COM-

COMMENTARIUM.

4. DIfficilem, & lacinioſam hujus textus ſpeciem eleganter retulit D. Joſeph. de Retes *lib. 7. opuſc. cap. 1. in l. 1. ff. de contrab. empt. conſect. 2. num. 55.* à quo cùm plura didicerim in utroque jure, non erubeſco illam tranſcribere. Clerici plebis Rupinæ ſolvebant Epiſcopo Spoletano tres denarios Papienſes in feſto Paſchatis Nativitatis Domini, & totidem in feſto Paſchatis Reſurrectionis ſingulis annis. Hæc præſtatio tractu temporis ita immutata fuit, ut pro ſingulis denariis Papienſibus ſolverent tres denarios Lucenſes, ſive (quod idem eſt) novem Lucenſes ſingulis penſionibus; nam tres Lucenſes unum Papienſem faciebant. Talis tunc erat juſta proportio monetæ Lucanæ ad monetam Papienſem. Poſtea Reſpublica Lucana auxit valorem ſuorum denariorum, ſive minuit pondus metalli, & de duobus denariis fecit quinque denarios, ac ſi nos diceremus, *La moneda que valia un quarto, la ſubio à dos y medio, ò diez maravedis.* Unus itaque vetus denarius Lucenſis valere incepit duos denarios & alterius ſemiſſem. Manſit igitur nomen denarii Lucenſis, ſed defecit valor intrinſecus diminuto pondere. Defecit per conſequens proportio monetæ Lucanæ ad monetam Papienſem; quia aucto valore denariorum Lucenſium tres novi jam non efficiebant unum Papienſem, ſed ſeptem cum dimidio. Colligo rem geſtam ex integra epiſtola decretali, quam debemus Antonio Auguſtino, à quo eam tranſcripſi: Hic erat ſtatus vetus, novuſque rei monetalis apud Lucenſes. Clerici plebis Rupinæ tres Lucenſes denarios novos imminuti ponderis pro ſingulis Papienſibus ſingulis penſionibus pro ſynodatico ſolvebant Epiſcopo Spoletano, quos multis annis Epiſcopi receperunt decepti homonymia vocis, vel exiſtimantes omnium Papienſium denariorum ſemper fuiſſe eundem valorem. Sed compertâ diminutione monetæ Lucenſis, Epiſcopus, qui tunc temporis ſedebat, comparuit coram Romano Pontifice, petens, ut ſolverentur ſibi pro ſynodatico vel unus Papienſis, vel tres Lucenſes veteris ponderis, & qualitatis, non tres Lucenſes novi. Clerici plebis Rupinæ opponebant præſcriptionem Epiſcopo, allegantes à tempore Lotharii prædeceſſoris Epiſcopi adverſarii, uniformi præſtatione tres Lucenſes novos fuiſſe ſolutos, & receptos pro ſynodatico prædicto; & factâ ſupputatione temporis, ab eo tempore uſque ad diem judicii cœpti, quadraginta annos effluxiſſe contendebant, Epiſcopus Spoletanus præſcriptionem tentabat excludere. Cùm ergo ad annorum calculum deventum fuiſſet, conſtitit per confeſſionem partis clericorum Lothario denarios Papienſes ſolutos fuiſſe, non Lucenſes, à cujus obitu ad diem cœpti judicii triginta & ſex anni ad ſummum lapſi fuerant. Exclusâ ergo quadragenariâ præſcriptione, quâ ſolâ clerici plebis Rupinæ innitebantur, decrevit Pontifex, ut de cætero clerici præfati pro ſynodatico ſolverent Epiſcopo Spoletano tres denarios Papienſes, vel pro ſingulis Papienſibus tres Lucenſes veteres, vel ſeptem cum dimidio novos. Hactenùs ſpecies hujus textus: ejus deciſionem exponemus infrà *in cap. cùm canonici.*

CAPUT XXI.

Idem *Priori* (a) *S. Stephani.*

CUm ven. f. n. (b) Phanen. Epiſcopus, & tu in noſtra eſſetis præſentia conſtituti, & de quæſtione, quæ inter vos ſuper Eccleſia S. Stephani Phanen. vertebatur, velletis ad invicem litigare, dil. fil. I. tit. S. Priſcæ presbyterum Card. & I. ſanctæ Mariæ in Coſmedin, Diac. Card. vobis conceſſimus auditores, coram quibus allegando opponere curaviſtis, quod cùm prædicta Eccleſia S. Stephani quarundam monialium, quæ in ea videbantur ſub religionis habitu converſari, malitiâ faciente fuerit ferè ad deſolationem redacta, illas bon. mem. Cato Phanen. Epiſcopus auctoritate fel. rec. Eugenii Papæ p. n. ab Eccleſia memorata removit, & canonicos in ipſa inſtituit regulares, ſtatuens, ut ordo canonicus perpetuis in ea temporibus debeat obſervari, & eam ab omni exactione, tam ſua, quàm ſucceſſorum ſuorum, & Phan. Eccleſiæ prorſus abſolvit, retento ſibi & Eccleſiæ ſuæ uno cereo trium librarum ab ea annis ſingulis exſolvendo. *Et infrà:* Nos autem cùm dicti Card. ea quæ audierant, nobis fideliter retuliſſent, dicto inſtrumento diligenter inſpecto, reverâ cognovimus, quod præfatus Epiſcopus (c) ſpallas quas ab eadem Eccleſia, tam ipſe, quàm prædeceſſores ſui recipere conſueverant, Eccleſiæ præfata remiſit, & ſtatuit quod aliud ſervitium ei non imponeret, ſibi & Eccleſiæ ſuæ annuatim trium librarum cereo penſionis nomine reſervato. Quia verò viſitationi annexa eſt procuratio, cùm nemo ſuis ſtipendiis debeat militare, nec os bovi alligandum ſit trituranti, & Epiſcopus ratione ſpiritualis jurisdictionis, quam habet in ea, teneatur cauſâ correctionis præfatam Eccleſiam viſitare, nec intelligatur quaſi novum imponi quod ab ipſa fundatione de communi fuerat jure impoſitum, de conſilio f. n. decernimus, quod idem Epiſcopus cùm ad ipſam Eccleſiam cauſâ correctionis acceſſerit, moderatam ab ea procurationem accipiat (d) bis in anno, ſed nihil aliud præter penſionem, & procurationes præſcriptas idem Epiſcopus ab eadem Eccleſia exigere, vel extorquere præſumat.

NOTÆ.

(a) *Sancti Stephani.*) Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 6.* quod monasterium est Canonicorum regularium in ipsa diœcesi Pharensi, ut in hoc textu refertur.

1. (b) *Pharensi.*) in sexta collectione legitur *Phabensi*, sed malè, cùm in ipsa diœcesi nullum reperiatur monasterium S. Stephani, nec inter ejus Episcopos, quorum catalogum refert Ughellius *tom. 1. Italiæ sacræ*, refertur aliquis dictus Cato, cujus hîc fit mentio: unde existimabam legendum esse *Pharen.* Pharensis enim Ecclesia est suffraganea Iadertin. sub Patriarcha Gradensi: unde Innocentius noster *libro 1. epistol.* reprehendit Episcopum Pharensem, quòd ausus fuisset inconsulto Patriarcha Gradensi se transferre ad Ecclesiam Iadertinensem.

2. (c) *Spallas.*) Spalla accipitur pro membro, seu parte feræ, apri, cervi, seu similis animalis, ut apertè demonstrat noster Innocentius *lib. 3. regestr. 13. in epist. ad Abbatem sanctæ Mariæ Rotundæ*, dum refert, solutam fuisse spallam porci ob licentiam venandi, ibi: *Et quod ad Abbatis, & partium iustantiam sylvam venierant Ravennates, & qui venabantur in ipsa, reddebant eidem singulis annis spallam porci, & cultores agrorum decimas, & gregum pastores certos redditus exsolvebant.* In veteribus diplomatibus Abbatiæ Sancti Sabani, in Episcopatu Bigorritano, scriptura Comitis Raymundi ita inquit: *Concedimus in ipsa valle, ut si quis porcum singularem, sive cervum venando ceperit, quartam, sive spallarem sancto Sabino persolvat.* Etiam pars illa animalis dicitur frisinga, & ita procurationis nomine solitum Archiepiscopum Rhemensem exigere ab Abbate sancti Remigii frisingas, constat ex epistola 29. Alex III. edita à Jacobo Sirmundo: & plura de frisinga tradunt Cironius *lib. 1. observ. cap. 5.* Joan. Vossius *lib. 3. de vitiis serm. cap. 7.*

(d) *Bis.*) Licèt enim visitatio tantùm semel in anno fiat, tamen justis ex causis potest Provincia bis in anno visitari; unde cùm monastericum hoc Canonicorum regularium noviter constructum esset, ob relaxationem veteris monasterii monialium, poterat Archiepiscopus bis illud visitare, procuratione percepta, quæ non censetur remissa, etsi jura Episcopalia generaliter remittantur.

CAPUT XXII.

(a) Idem.

SUper eo, quod f. t. nos consulere voluit, ut quia tota ferè provincia Compostell. de novo est ad (b) jurisdictionem Ecclesiæ tuæ conversa, qualiter tibi provinciam, vel partem provinciæ visitanti obsequi debeat, & servire, nec-non & in procurationibus providere, te instruere dignaremur: f. t. duximus respondendum, quod illud observare tenetur, quod in vicinis provinciis observatur.

NOTÆ.

(a) *Idem.*] Innocentius videlicet Petro Compostellano Archiepiscopo, de quo egi *in cap. ex parte, hoc tit.* Etiam reperitur textus hic *in cap. 7. sub hoc tit. in 3. Compil.*

1. (b) *Ad jurisdictionem.*] Non quia recuperata esset à Saracenis, ut voluit Hostien. in præsenti; sed quia cùm jus Metropolitanæ Ecclesiæ ex Emeritensi Ecclesia in Compostellanam per Calixtum II. anno 1119. translatum fuisset, cujus translationis bullam referunt histor. Compostel. & Ægidius Gonzalez *in hist. Salmanticen. lib. 2. cap. 9.* Moreno de Vargas *in hist. Emerit. cap. 7.* & ex hac translatione magnæ ortæ essent controversiæ inter Compostellanum, & Bracharensem super diœcesibus Ulissiponensi, Elborensi, & Lamecensi, transactione postea fuerunt sopitæ, & ipsa transactio confirmata fuit per Innocentium III. aliis etiam locis, & monasteriis Compostellano assignatis, ut constat ex epistola ipsius Innocentii edita à Cardinale Sirleto, *fol. 356.* in hæc verba: [In eminenti Apostolicæ Sedis specula, disponente Domino constituti, &c. usque ad verbum *Assen.* ad exemplar prædecessorum nostrorum felicis record. Calixi, Anastasii, Alexandri, & Lucii Rom. Pont. Compostellan. Beati Jacobi Ecclesiam, cujus in ea venerandissimum corpus est positum, Apostolicæ Sedis privilegio communimus, & ob ipsius à Deo electi Apostoli reverentiam, Archiepiscopalis Cathedræ dignitatem, quam opulentissima quondam, & famosi nominis Emeritana civitas, priùs quàm peccatis exigentibus ab impia Saracenorum tyrannide possideretur, habuisse dignoscitur, præsentis scripti paginâ in perpetuum confirmamus, statuentes, ut eadem Emeritana civitas, si ad potestatem Christianorum, Domino donante redierit, Episcopum habeat, qui Compostellano Archiepiscopo, sicut Metropolitano suo debeat perpetuò subjacere. Omnem quoque Pontificalis officii plenitudinem, quam ipsius Emeritanæ Ecclesiæ Antistites antiquitus habuerunt, Compostellanæ Præsul Ecclesiæ semper obtineat, & quietè. Suffraganei verò Episcopi Emerit. Metropoli, qui per Lusitaniam Provinciam, vel modò sedes proprias obtinent, vel in futurum per Domini misericordiam obtinuerint, Salaman. videlicet, Abulen. Caurien. Civitaten. Placentin. Pacen. Oxonoben. & præterea Lamecen. & Egitanien. nec-non Ulysbonen. & Elboren. sicut in nostris sententiis continetur, Compostellano Archiepiscopo, cujus consecratio ad Rom. tantùm Ecclesiam spectat, obedientiam, & reverentiam, tanquam proprio Metropolitano prorsus exhibeant. Ipse autem consecrandi, ad sua Concilia convocandi, cum ipsis etiam ecclesiastica negotia terminandi, & eorum Ecclesias disponendi, auctoritate Sedis Aposto-

Apostolicæ liberam omnino habeat facultatem. Prohibemus autem, ut nulli Canonicorum ejusdem Ecclesiæ beati Jacobi, qui ad aliarum Ecclesiarum prælationem assumpti sunt, vel inposterum assumentur, honorem, vel præbendam, seu canonicatum in ipsa Ecclesia liceat retinere, sed alia idonea persona in locum ipsorum subrogetur, quæ ipsi Ecclesiæ deserviat, & ejusdem beneficium sortiatur. Illum etiam censum, qui Vota dicitur, quem Hispanorum Catholici Reges ex singulis boum paribus à flumine Pisorga usque ad mare Occidentale, & per totam Lusitaniam Provinciam, atque etiam in Toleto, & trans Serram annuatim persolvere pro salute totius terræ liberaliter statuerunt, eidem Ecclesiæ confirmamus, & omni modo interdicimus, ut nulli fas unquam sit eum ipsi Ecclesiæ qualibet occasione subtrahere. Obeunte verò te, &c. Præterea quascunque possessiones, &c. usque ad verbum *Vocabulis*. Civitatem ipsam Compostellanam cum Cauto suo, cum Ecclesiis, & monasteriis, infra eam, vel ejus territorium constitutis, cum omni jure, tam diœcesano, quàm regali, & cum terminis totius Episcop. videlicet cum Archipresbyteratibus de Mortacio, & de inter Ambospontes, de Montibus utrisque, de Taberiolis, & de Ciria, de Pilonio, & de insula Laonii, de utroque Coronato, de Dormian, & Superado, & Aranga, & monte Iaurino, quo modò dividitur, cum Partega de Pruciis, & de Bisaucijs, cum tota interjacente diœcesi, à Castello sancti Pelagii de Luco usque Transancos: monasteria quoque omnia, & conventuales, seu alias Ecclesias infra hos terminos constitutas, cum omni jure parochiali, & quæ intra regalia Beati Jacobi continentur, cum omni seu patronatus, seu alio jure, quod ad Reges pervenit, videlicet monasterium sancti Pelagii de Antealtaria, monasterium sancti Martini de Foris, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Sara, monasterium sanctæ Mariæ de Canogio, monasterium sancti Petri de Foris, monasterium sancti Justi de Luania, monasterium de Superado, de Azzuario, de Codeseda, de Mosonzo, de Ciniis, de Monteferro, de Borgondo, de Negoria, de Solandres, de Calavario, de Siavia, de Rivomalo, de Moriame, de Ozon, de Savarde, de Portuorio, de Nometi, de Civitio, de Briviis, de Meeis, de Dormian, de Calago, de Podio, de Lerze, de Armentaria, de Harcos, & monasterium sancti Joannis de Cavea, sancti Christophoti, sancti Vereximi, sancti Georgii, sancti Thomæ, de Pimario, & sancti Jacobi de Ermello: præterea regalem Capellaniam, & Cancellariam, quam bonæ memoriæ Alfonsus illustris Hispaniæ Rex Ecclesiæ vestræ concessit, & scripti sui paginâ roboravit: Castrum quoque quod vocatur Honestum, & Iriam, cum servis, & omnibus appendiciis suis, Castrum, quod vocatur Sancta Maria de Lanceata, cum Ecclesiis, & omnibus pertinentiis suis: Castrum, quod vocatur Ciria cum Ecclesiis & omnibus pertinentiis suis: Castrum, quod dicitur Citofata, cum Ecclesiis, & omnibus pertinentiis suis: Castrum, quod dicitur Cathobadi, cum pertinentiis suis: Castrum Daravum, cum villis, & Ecclesiiis, & omnibus pertinentiis suis: Castrum, quod dicitur Luparia, cum Ecclesiis, & pertinentiis suis: Territorium, quod vocatur Amaëa cum omnibus possessionibus, quas ibi habetis: Pistomarcos cum servis, & possessionibus, quas in eo habetis: Bissetium cum servis, quos ibi habetis: Dubriam cum possessionibus, quas ibi habetis: Lanias cum pertinentiis suis: Lucrosam cum servis, & pertinentiis suis: Montanos cum Ecclesiis, & possessionibus, quas ibi habetis: Coronatum cum possessionibus, quas ibi habetis: Ventosam cum insula de Laonio: Montes, quos quandoque Suarius Friolæ à vestra Ecclesia tenuit, cum altera medietate integros: Burgum de Ponte Veteri cum pertinentiis suis: Taueirolos cum Ecclesiis, & possessionibus, quas ibi habetis: Ripam Uliæ cum Ecclesiis, & possessionibus, quas ibi habetis: Deciam cum possessionibus, & Ecclesiis regularibus, & omnibus pertinentiis suis: terram de Superado integram cum pertinentiis suis: in eadem Decia monasterium sancti Laurentii de Carbonario, quod Ecclesiæ Compostellanæ secundùm juspatronatus adjudicatum est per sententiam dilecti filii nostri G. S. Angeli Diacon. Cardin. tunc Apostolicæ Sedis legati: medietatem burgi de Faro cum pedagio navium, & jure fisci: villas de Cecia in Nemancos, & de Oca in Bregantin, de Leiloio in Scia, de Auegundo Piaveladegio, Liure, & de Ruiis in Endis, de Tooure in Pruciis, cum Cautis, Ecclesiis & pertinentiis suis, & alias Ecclesias, seu possessiones, quas jure proprietatis extra fines regalium vestrorum per eundem Episcopatum habetis: In Episcopatu quoque Mindunien. Ecclesiam sancti Laurentii de Arbore cum Cauto, quod dicitur villa de Maures; & villam S. Petri cum Ecclesia sua, & Ecclesias de Rivo Averso, & sanctæ Euolaliæ Altæ, & de Radigosa, & sanctæ Mariæ de Turre, & sancti Martini de Palatiis, cum omnibus pertinentiis suis: In Episcopatu Lucen. villas de Recelli, & de Cesa: In Episcopatu Aurien. villas de Amarante, de Jovin. & de Vite, & de Villari Regis, & medietatem Souti de Parata: In Episcopatu Tuden. Cautum, quod dicitur de Molis cum omnibus Ecclesiis intra ipsum contentis, & monasterium de Cella, & villas de Lazorio, Baldranes, Lamala, & Nugaria: In Episcopatu Bracharen. villas de Cornelian. cum Ecclesiis suis, & Moaci, & Gandusi, cum montibus, exitibus, & pertinentiis suis: In valle Carceris hospitale, quod dicitur Anglorum, cum Ecclesia sua, & aliam Ecclesiam, quæ ipsi ex eadem parte superjacet, & villas de Tabladello, & de Parata: In Episcopatu Astoricen. villas de Cacavell. cum Ecclesia sua, & de Carnaliall. & Ecclesiam sancti Jacobi de Requeixo, de Sanabria: In Episcopatu Legionen. domos, quæ fuerunt Archidiaconi Thomæ: In ipsa civitate villam de Ledigos cum Ecclesia sua, & partem villæ de Furones, cum omni jure, quod habetis in Ecclesia: In ripa Estolæ villam Alexii, & villam Leandri, cum Ecclesiis suis, & juxta monasterium sancti Facundi villam Cerame: In Episcopatu Palentin. Ecclesiam sancti Michaëlis de Vallouria, & villam dictam Savugelo de Raaces cum pertinentiis suis, & omni jure regali, sicut Alphonsus illustris Castellanorum Rex Ecclesiæ Beati Jacobi eam donasse dignoscitur: In Episcopatu Oueten. in villa Olerxida omnes Ecclesias, & in Beneventō Ecclesiam sanctæ Mariæ de Ventosa: In Asturiis Ecclesias sancti Joannis de Cerreda, & villam Armillum cum hospitali quod est in strata, cum monti-

montibus, & omnibus pertinentiis suis: In Episcopatu Zamorensi villas, & Ecclesias de Arquilinis, & de Arcos, & Ecclesiam sancti Jacobi de Zamora; villas de Palatiis, & de Spino, & de Aldeola cum Ecclesiis suis: In Episcopatu Salmantin. villam de Munigno Asnar, cum Ecclesiis suis, & villam quæ dicitur Ecla, & villam Bilvestre cum jure regali, & Ecclesiam S. Martini de Ledesma, & alias Ecclesias, vel possessiones, quas in prædictis Episcopatibus habetis. In Episcopatu Caurien. Castrum, quod dicitur Altalaja, Pelagii videlicet, cum terminis suis, & Ecclesiam de Granata, quæ dicitur sancti Jacobi, cum domibus, & piscariis, & aliis possessionibus, quas ibi acquisistis: Ecclesias quoque, & possessiones, quas in Vasconia, in Italia, & in aliis partibus orbis per diversos Episcopatus habetis. Decernimus ergo, &c. salvâ in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate. Si qua igitur, &c. Dat. Lateran. per manum Raynaldi Acheruntini Archiepiscopi, Cancellarii vicem agentis, secundo idus Julii, indictione secunda, Incarnationis Dominicæ M. CXC. IX. Pont. verò Domini Innocent. III. anno II.]

2. Unde cum noviter omnes Ecclesiæ superiori epistolâ relatæ Archiepiscopo Compostellano fuissent assignatæ, consuluit Petrus Innocentium III. quomodo in eis procurationes tempore visitationis deberet exigere, & eas visitare. Cui consultationi respondit Innocentius in præsenti, quod illud jus debet observare, quod in aliis provinciis communiter custoditur; licèt enim cùm agitur de rebus ecclesiasticis infectorum Ecclesiarum Cathedralium, regula sumi debeat à Metropolitana Ecclesia, *cap. cum Ecclesia, de elect. cap. super eo, de cognat. spirit.* nisi de his agatur, quæ fidem, vel uniformem Ecclesiæ statum respiciunt; tunc enim Romana consuetudo servanda est, *cap. de his 12. dist.* argumento legis unicæ, *C. de Metrop. Beryt. 5. final. Institutæ de satisd.* ibi: *Necesse est omnes provincias caput omnium nostrarum civitatum, hoc est regiam urbem, illiusque observationem sequi*; velutiin Sacramentis, quæ administrantur prout Romana Ecclesia prædicat, & docet, *cap. ad abolendam, de hæreticis.* Tamen cùm dubitatur de consuetudine alicujus Ecclesiæ, Metropolitanæ vicinioris provinciæ consuetudo attenditur. Solorzanus *tom. 2. lib. 3. cap. 5. num. 65.* Quare cùm in præsenti casu proximior Provincia esset Bracharensis; juxta illius consuetudinem Compostellanus Archiepiscopus visitare debebat; ut docuit Cironius *ad tit. de consuet.*

CAPUT XXIII.

Idem *in Concilio* (a) *Generali.*

PRocurationes, quæ ratione visitationis debentur Episcopis, Archidiaconis, vel quibuslibet aliis, etiam Ap. Sed. Leg. aut Nunciis, absque manifesta, & necessaria causa nullatenus exigantur, nisi cùm personaliter visitationis officium impendunt. Evectionum, & personarum mediocritatem observent in Later. Concilio constitutam, hoc adhibito moderamine circa Legatos, & Nuncios, ut cùm oportuerit eos apud aliquem locum moram facere necessariam, ne locus ille propter ipsos nimium aggravetur, procurationes recipiant moderatas ab aliis Ecclesiis, vel personis, quæ nondum fuerunt de suis procurationibus aggravatæ: ita quod numerus procurationum numerum dictum, quibus moram hujusmodi fecerint, non excedat. Et cùm aliqua non sufficiet per seipsam, duæ, vel plures conjungantur in unum. Porrò visitationis officium exercentes, non quærant quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, prædicationi & exhortationi, correctioni & reformationi vacando, ut fructum referant, qui non perit. Qui autem contra hoc venire tentavent, & quod accepit, reddat; & Ecclesiæ, quam taliter aggravavit, tantundem (b) impendat.

NOTÆ.

1. (a) *Generali.*] Lateranensi videlicet celebrato sub Innocentio III. *can 33.* & etiam habetur textus hic in quarta collectione, *sub hoc tit. cap. 2.*

2. (b) *Impendat.*] Immò non Ecclesiæ, sed pauperibus restitutio facienda est, *cap. quia 8. de immunitat. Eccles.* ibi: *Pauperibus elargiri.* Pro cujus difficultatis solutione dicendum est cum Glossa *ibi*, Zabarel. *opposit. 1.* Panormit. *num. 6.* Boët. Epon. *numero 12.* casus omnino diversos esse, alium scilicet hîc, alium verò illic referri: hic enim agitur de visitatione Episcopali, quæ personaliter est facienda non sine magno Ecclesiæ visitatæ sumptu: illic autem agitur de exactione, quæ pro Legato Pontificis fit per Episcopum, non quidem visitationi incumbentem, nec suis procurationibus Ecclesiam onerantem; sed domi suæ manendo, minutum quid à singulis cleticis, quasi stipis instar, accipientem: unde evasit major summa in unum collecta, quam quæ Legato solveretur; ideoque in præsenti casu Ecclesiæ gravatæ duplum refunditur. At verò in dicto capite, quia simplum restituitur clericis, qui ampliùs gravati fuerunt in ea exactione, aliud verò simplum pauperibus erogatur, cùm non facilè in tot clericos refundi possit.

Commentarium hujus textus dedi *in cap. cùm Apostolus, hoc tit.*

CAPUT

CAPUT XXIV.

Honorius III. *de* (a) *Tyro, & de Josaphat Abbatibus.*

VEnerabili fratre nostro (b) Cenomanensi Episcopo accepimus referente, quòd cùm causa quæ inter ipsum ex parte una, & Abbatem, & Conventum de (c) Cultura Cenoman. Diœcesi. ex altera, super procurationibus, quas ab eis petit idem Episcopus, tam in capite, quàm in membris noscitur agitari, de consensu partium vobis fuerit ab Apostolica Sede commissa: dicti Abbas & Conventus ex eo frustrare intentionem ejusdem Episcopi moliuntur, quòd eorum monasterium in Cenomanensi villa situm esse dignoscitur, & ipsi procurationes se asserunt Episcopo hactenus non solvisse, quamquam exemptionis privilegium non ostendant, & eidem Episcopo competat jus commune. Volentes igitur ut finis litibus imponatur, disc. v. m. quatenus nisi dicti Abbas, & Conventus aliud rationabile ostenderint, & probaverint, propter quod ipsi Episcopo exhibere non debeant supradicta, vos eos ad exhibendum ea, sicut jus dictaverit, juxta priorem Apostolicarum litterarum tenorem ratione præviâ compellatis.

NOTÆ.

1. *Tyro.*] Ita legitur in quinta compilatione; *sub hoc titulo cap. 1.* Monasterium Sanctæ Trinitatis Tyri constructum fuit in Carnotensi diœcesi sub anno 1110. quâ ætate non modò vixit Ivo illius Episcopus, verùm & Tyroni quoque monasterii mentionem fecit *epist. 229.* Meminit ejus D. Bernardus *epist. 126.* & de eo nonnulla adduxit Chopinus *de sacra pol. fol. 59. & 350.* Aliud etiam monasterium Sanctæ Mariæ de Josaphat est Ordinis D. Benedicti, fundatum à Gofrido Episcopo Carnotensi anno 1120. ut notavit Cironius in præsenti.

(b) *Cenomanensi.*] Mauricio videlicet, qui postea fuit Archiepiscopus Rothomagensis anno 1231. & de diœcesi Cenomanensi nonnulla adduxi *in cap. 5. de rescriptis.*

(c) *De Cultura.*] Monasterium hoc Sancti Petri de Cultura est in suburbiis Cenomanensibus Ordinis D. Benedicti, constructum à Bertgrano Episcopo Cenomanensi anno 600. & amplè dotatum à Constantia Connani Comitis Britanniæ filia.

COMMENTARIUM.

2. OLim Monasteria non solùm quoad legem Diœcesanam, verùm & jurisdictionalem paruisse Episcopis propriis, latè probavi *in cap. licèt, cap. gravi, de offic. Ordin.* unde visitabantur ab Episcopis, ut non modò si quid ab ipsis Abbatibus, aut monachis contra regulam actum erat, emendaretur, verùm etiam quæ ad victum illorum pertinebant, ipsi providerent. Concil. Vernense *can. 20.* Concil. Arela. sub Carolo, *can. 8.* unde *in addit. 1. capitularium cap. 9.* cavetur, ut nullus Episcoporum monachis volatilia comedere præcipiat. Immò & in Gallia simul cum judicibus sæcularibus Episcopi Monasteria visitabant; unde conqueruntur Episcopi Gallicani in Concilio Cabilon. 1. *cap. 11.* quòd eo tempore judices publici contra veterem consuetudinem per omnes parochias, vel monasteria, quæ mos est Episcopos circuire, ipsi illicitâ præsumptione videantur discurrere; simul tamen cum Episcopis Comites, & Iudices Regios debere monasteria visitare, cavetur in Concil. Mogunt. sub Carolo, *can. 20.* ibi: *Dignum, ac necessarium est, ut missi per quaque loca directi, simul cum Episcopis uniuscujusque Diœcesis perspiciant loca monasteriorum canonicorum pariter, & monachorum, similiter puellarum.* Quod habetur *lib. 1. capitul. cap. 122.* & *lib. 5. cap. 78.* Sed quorsùm sæculares Magistratus unà cum Episcopis in visitandis monasteriis? Hoc certè non ad auctoritatem, & dignitatem Ecclesiæ minuendam à Christianissimo Principe statutum, rectè probat Filesacus *in cap. quanto 7. §. 4. de offic. Ordin.* sed ut habetur *lib. 2. capitul. cap. 25.* missi illi omnibus generaliter notum faciant, qualis sit eorum legatio, scilicet ad hoc esse se à nobis missos constitutos, ut si quilibet Episcopus, aut omnes ministerium suum propter quodlibet impedimentum implere non possent, ad eos recurrant, & cum eorum adjutorio ministerium suum adimpleant; & si talis causa fuerit, quæ per eorum admonitionem emendari non possit, per eos ad nostram notitiam deferatur. Ac, ut loquitur Concil. Arelat. sub eodem Carolo, *can. 17.* Quos sacerdotalis admonitio non flectit, ad justitiam regalis potestas ab improbitate coërceat; ita ut sæcularis potestas tantùm in adjutorium, & auxilium adhiberetur. Unde in Concilio Vernensi *can. 5.* ita statuitur: *Ut monasteria, tàm virorum, quàm puellarum, secundum ordinem regulariter vivant; & si hoc facere contempserint, Episcopus in cujus parochia esse videntur, hoc emendare debeat: quod si non potuerit hoc emendare, illi, quem Metropolitanum constituimus, hoc innotescat, & ipse hoc emendari faciat: quod si hoc nec ipse emendare potuerit, ad Synodum publicam exinde veniant, & ibidem canonicam sententiam accipiant; & si publicam Synodum contempserint, aut honorem suum perdant, aut excommunicentur ab omnibus Episcopis, & alius in eorum locum in ipsa Synodo constituatur.* Consentit Concil. Epaun. *cane 19.* Et his temporibus Episcopo visitanti monasteria procurationes persolvebantur, ut in præsenti docetur. Postquam tamen eximi cœperunt monasteria à lege diœcesana, & jurisdictionali, cùm Episcopi jus ea visitandi non haberent, per consequens

nec exigendi procurationes. Juxta quam temporum veritatem accipiendi sunt textus *in cap. dilecto, de offic. Archid. cap. constitutus 8. de relig. dom. cap. 7. de pœnis.* Unde apparet verus sensus præsentis textus, in ejus enim specie Episcopus Cenomanensis cùm visitaret monasterium Sancti Petri de Cultura, exigebat procurationes ab ipsis monachis; Abbas autem eas solvere renuebat, quia monasterium illud erat in ipsis suburbiis Cenomanensibus; unde in ejus visitatione nullas expensas faciebat, siquidem domi remanebat: atque ita cùm nullas in itinere expensas faceret, jus procurationes exigendi non habebat. Asserebat etiam jam à longo tempore procurationes solutas non fuisse; unde intendebat, eas injustè exigi ab Episcopo: sed cùm procuratio sit annexa visitationi, eo quod qui seminat spiritualia, debet percipere temporalia, ex traditis suprà *in cap. cùm Apostolus*; & hæc ratio æquè militet sive Ecclesia sit intra, vel extra urbem; & etiam quia solvitur à subjectione, ut eo etiam commentario probavi, inde rectè Honorius III. decrevit, monachos ipsos debere procurationem præstare, nec tempus longum, per quod eam non præstiterunt, illis suffragari, cùm circa procurationes visitanti præstandas non currat præscriptio, ut probavi *in cap. cum ex officii, de præscript.*

CAPUT XXV.

(a) Gregorius IX.

CUm nuper Archiepiscopus Beneventanus Beneventanam provinciam visitaret: *Et infrà:* Mandamus, quatenus cùm eundem Archiepiscopum sive auctoritate propriâ, sive nostra Beneventanam provinciam contigerit visitare, procurationes ratione visitationis debitas juxta facultates Ecclesiarum vestrarum exhibeatis eidem. Alioquin sententiam, quam ipse ritè tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino inviolabiliter observari.

NOTÆ.

1. (a) *Gregorius IX.*] Cùm non habeamus epistolas ipsius Pontificis, certò agnoscere non possumus Prælatos quibus in præsenti rescribit: tantùm ex textus serie colligitur, loqui cum subditis ipsius Archiepisc. Beneventani. Beneventum autem, vulgò *Benevento*, est Metropolis Italiæ, cujus Ecclesia olim erat Canonicorum regularium, ut refert Pennotus *lib. 2. histor. Canonic. regul cap. 29. num. 4.* Commentarium hujus textus dedi suprà *in cap. sopita.*

CAPUT XXVI.

(a) Idem.

CUm Canonicis majoris Ecclesiæ quandam summam pecuniæ pro pensione Ecclesiæ tuæ debitam aliquot annis persolveris, & iidem summam illam ex integro de meliori moneta exigant solvi sibi: Tibi damus nostris litteris in mandatis, ut Canonicos illos solutione prioris pecuniæ, vel si non sit in usu, æstimatione pensionis antiquæ facias manere contentos.

NOTÆ.

1. (a) *Idem.*] Gregorius IX. videlicet, nec amplius ex littera constat, videlicet nec de personis cum quibus loquitur Pontifex, nec de moneta juxta quam pensio solvebatur, aut regione ubi casus hic contigit: ex littera tamen à Raymundo relata apparet, quod quidam per aliquot annos persolvit Canonicis certæ Ecclesiæ Cathedralis annuatim quandam summam pecuniæ pro pensione illi debita; solvit videlicet mille regales monetæ minoris: pone quod solvit centum uncias argenti, quæ pendebant totam summam, videlicet mille regales, quia tunc temporis singulæ unciæ æstimabantur decem regalibus argenteis; sed cùm postea minutus fuisset valor unciæ argenteæ ad octo regales, vel vilis materia immixta veteri monetæ adempta fuisset, quo purior, & perfectior moneta maneret, Canonici illius Ecclesiæ intendebant exigere mille regales argenteos in nova moneta, scilicet centum viginti & quinque uncias signatas pro centum, quas olim exigebant: de quo casu cùm consultus fuisset Gregorius, respondit; Canonicos contentos esse debere monetâ antiquâ minoris ponderis, vel deterioris metalli, si inveniri possit, vel si in totum abrogata fuit lege Principis, reducendam esse novam ad proportionem, & æstimationem veteris, ut qui pensionem solvebat, non gravetur ad plusquàm ad id, quod solvebat tempore constitutæ pensionis in veteri moneta; sed si non est idem textus qui tribuitur Urbano III. *in cap. 3. hoc tit. in 2. collection.* valde similis est. Verba refero: [Querelam P. Presbyteri Sancti Petri accepimus, quod cùm Canonicis Debore certam summam pecuniæ pro pensione Ecclesiæ suæ aliquot persoluisset annis, iidem Canonici ab eo summam

summam illam ex integro de Parisiensi moneta exigunt sibi solvi; licet ea melior sit illâ, quam pro pensione prædicta solvere consuevit. Quia igitur in hoc idem presbyter contra justitiam gravatur: disc. v. per A. s. m. quat. si verum est quod asseritur, Canonicos illos antiquâ pensione cogatis, ap. cess. manere contentos.]

2. (b) *Pro pensione.*] Pensionis variæ acceptiones sunt: nonnunquam accipitur pro mercede habitationis ædium, ut *in l. lecta, § igitur, ff. de rebus creditis*: aliquando pro præstatione certis temporibus, & terminis divisa, *l. 3. ff. de annuis legat. l. 8. §. si annua, ff. de pignoratitia, l. defuncta 48. ff. de usufruct.* In hoc Canonico jure passim accipitur pro certa parte fructuum alicujus beneficii in alterius favorem reservata, ut *in cap. nisi essent*, & aliis congestis, *de præb.* In præsenti autem accipitur pro censu annuatim solvendo Ecclesiæ Cathedrali, ut etiam accipitur *in cap. 2. de his quæ fiunt à Prælatis*, ut ita accipiatur textus hic juxta rubrum sub quo jacet.

COMMENTARIUM.

3. *Conclusio traditur, & probatur.* EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Pensiones antiquæ juxta antiquam monetam sunt solvendæ; & si non est in usu, ad ejus æstimationem.* Quæ assertio probari potest *ex cap. olim, hoc tit. Clement. 2. de decimis, cap. 2. de maledicis. cap. querelam, de elect. l. si voluntate, C. de rescind. l. creditor, ff. de solut. l. penult. C. eodem tit.* & argumento deducto à mensuris ad pondera, seu nummos, *ex l. 2. ad finem, tit. 13. lib. 5. recopil.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa, Fachineus *lib. 2. contr. cap. 10.* Cevallos *commun. quæst. 219. num. 2.* Pirrus Maurus *de solut. cap. 27. per tot.* Alex. Ludovisius *decis. 41.* Felicianus *de censib. lib. 4. cap. unic. num. 28.* Faber *in lib. de variis nummis, cap. 4. ferè per tot.* & *cap. 11. num. 20.* & *cap. 21. num. 13.* plures ex moralistis apud Dianam *p. 8. tract. 7. resol. 18.* Ezpeleta *in tractatu patrio idiomate scripto*, cui titulus, *Resoluciones morales sobre las vaxas de la moneda.* David Argent. *in l. Paulus, ff. de solut.* Penna *decis. 5.* Robertus *lib. 1. rer. judic. cap. final.* Tondut. *resol. civil. cap. 3. 4. 5. 6. 7. & 8.* Corrasius *lib. 3. miscel. cap. 13.* Hothomanus *illustr. q. 15.* & *lib. 7. obs. cap. 11. & lib. 8. cap. 4.* Cancerius *2 tom. cap. 6.* Hermosilla *in l. 3. tit. 3. p. 5.* Valenzuela *consil. 3.* D. Jean de Larrea *alleg. 84.* & *decis. 12.* Noguerol. *alleg. 2.* Amaya *in l. unic. C. de collat. æris*, Basil. Legion. *de potest. Principis circa monetam, q. 3. & 4.* Marquez *in gubernat. Christ. lib. 2. cap. ult. §. 2.* D. Joseph. *de Retes lib. 7. opusc. cap. 1. consect. 2.* Guzman. *de verit. jur. verit. 12.* Marinis *tom. 1. decis. 333.* Bronchorst. *enantioph. cent. 2. assert. 17.*

4. *Impugnatur tradita assertio.* Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti juris consideratione; nam æstimatio monetæ est, non ex affectione hominum, sed ex voluntate Principis regulata, *l. 1. ff. de contrahend. emption.* unde licèt in aliis rebus propter affectionem, & æstimationem in litem juretur; in nummis tamen non admitti juramentum in litem, probat Ulpianus *in l. in nummis, ff. de in litem jur.* Ergo cùm tota substantia monetæ pendeat à voluntate Principis, satisfacit obligationi, qui debitam quantitatem in antiqua, vel nova moneta solvit, & per consequens in præsenti specie nihil intererat, an pensio solveretur in moneta pretiosiori, an in pejori, cùm semper eadem quantitas solvenda esset, sive in una, sive in alia specie. Accedit; nam casu, quo dubitatur de solutione facienda ad monetam antiquam currentem tempore impositionis census; vel ad novam, & usualem, discrimen est constituendum inter eum casum, in quo convenit inter contrahentes, ut certa moneta solvatur, aut nihil convenit inter ipsos. Primo casu necessariò antiqua moneta solvenda est, *l. creditorem 99. ff. de solut.* Si nihil convenit inter eos, usualis moneta debetur, *Clement. 2. de decimis.* Igitur non rectè in hoc casu docet Gregorius, pensionem solvendam esse juxta antiquam monetam; aut si ea in usu non sit, juxta novam æstimationem antiquæ esse faciendam.

5. *Diversi casus circa monetam proponuntur.* Quâ difficultate non obstante vera est præsens assertio, pro cujus expositione, præmissis, quæ de monetæ origine, & substantialibus requisitis adduxi *in cap. quantò, de jureiur.* sequentes casus sunt distinguendi. Primus est, & quidem facilis, cùm in ipsa obligatione pactum adjectum fuit, ut in eadem specie, ponè argento, vel auro, solutio fieret; tunc enim quia ex conventione contractus legem accipiunt, *l. 1. §. si convenit, ff. depositi*, pacto standum erit, ut nemine refragante docuerunt in quocunque genere debiti, videlicet sive ex mutuo, promissione, vel venditione, Carranza *de monetis 4. p. pag. 244.* Molina *de justitia disputi 312. vers. Prima*, Castillo *lib. 4. controvers. cap. 10. à num. 45.* Larrea *decis. Granat. 22. per tot.* Amaya *ubi suprà, n. 33.* Guzman *de evict q. 22. num. 22.* Siguenza *de clausul. lib. 1. cap. 11. num. 3.* Tondut. *99. civil. cap. 1.* ubi justitiam hujus pacti latè defendit. Vela *differt. 28. ad finem.* Secundus casus evenit cùm absolutè debitum contrahitur in argento, vel auro, & quæritur, utrum possit solvi in pecunia æreâ, vel è contrario? Et dicendum est, posse solvi in ære, quod debetur in argento, si talis æqualitas sit monetæ, ut olim in Hispania erat, ut centum regales cujuscumque monetæ, neque ex legali æstimatione, neque ex commerciali ejusdem valoris sint, *l. 6. tit. 12. lib. 5. recop.* docuerunt Parladorius *lib. 2. rer. quotid. cap. ult. 5. p. §. 17. num. 17.* Megia *in pragmatic. taxæ panis, fol. 130.* Gutierrez *lib. 2. practic. q. 179.* Morla *in empor. tit. 8. q. 13.* Valenzuela *tom. 1. q. 30. per tot.* Amaya *ubi suprà, num. 10.* Larrea *decis. 21. num. 56* Noguerol. *alleg. 2. num. 42.* nisi ex tali solutione æreæ monetæ pro argentea præjudicium sequatur creditori, ob ejus transportationem, vel similem causam: unde juxta eorum sententiam defendi potest, census impositos in moneta argentea, eo tempore, quo ullam æstimationem non habebat, vulgò *no tenia premio*, posse hodie redimi in pecunia æreâ; quia omnis solutio regulariter facienda est juxta monetam currentem tempore contractæ obligationis: sed eo tempore poterat creditor cogi accipere æream monetam pro argentea, & è contrà, *l. 6. tit. 21. lib. 5. recopil.* ergo cùm debitor in ipsa constitutione census habuisset jus solvendi æs pro argento, non debet illud amittere ex superveniente accidenti, videlicet quod argenti æstimatio aucta sit; aliàs si omnino cogeretur argentum reddere, plus solveret, & ita contractus usurarius redderetur, ut considerat Leothardus *de usur.* Sed adhuc contrarium defendit D. Josephus de Retes *de consect. 1. num. 45.*

Ex

Ex prædicta etiam sententia deducunt Salgado *in Labyrint. credit. 2. p. cap. 8. per tot.* Noguerol. *alleg. 2. à num. 42.* censum illo in tempore susceptum in argentea pecunia à possessore majoratus, qui habuerat facultatem regiam accipiendi mille ducata, non designatâ specie monetæ, rectè impositum censeri; quia tunc æqualis valoris, ac æstimationis erant omnes monetæ: igitur potuit possessor majoratus hanc, vel illam sumere, sine ullo excessu, vel defectu facultatis. Nec casus hic decisus est *in l. 19. tit. 21. lib. 5. recopil.* quia ibi agitur de eo casu, in quo in census constitutione, aut obligatione cautum fuit ut argentum solvatur; tunc enim beneficio illius pragmaticæ solutio fieri potest in ærosa pecunia cum præmio ad decem pro centum. Ut autem cognoscamus, à quo tempore cœpit in Hispania valor argenti augeri, vulgò *tener premio*, non est sequendus D. Franc. Salgado *in Labyrinth. 2. p. cap. 8.* ubi ab anno 1612. existimat, quod ob copiam monetæ ærosæ è regnis extraneis introductæ, cœpit vilescere hæc moneta, & augeri argentea; cum Basilius Legionensis in quæstione illa perdocta *de potest. Princip. circa monetam*, sæpius agat de valore aucto argenteæ monetæ: & eam publicè ediderit anno 1605. unde credo ab ipso anno, vel antecedenti valorem argenteæ monetæ excrescere cœpisse, atque ita census postea impositos in argento, non posse solvi in moneta ærosa; cùm jam diversa æstimatio esset utriusque monetæ.

6. *Prosequuntur alii casus.*

Huic casui consequens est alius tritus in tractatione mutationis monetæ, nempe si genus monetæ postea sit immutatum, veluti cùm novi, & currentes nummi cuduntur hodie leviores, seu impuriores, ac deteriores veteribus nummis, qui debiti erant: quod frequenter accidit ob ingruentes necessitates; nam Romæ primò as erat libralis, libramque, hoc est duodecim uncias pendebat. Deinde factus est sextantarius, sive redactus ad sextantis, seu duarum unciarum pondus. Tertiò factus est uncialis, unciam pendens. Deinde factus est seminuncialis, ut ex Plinio probat David Argente *in d. l. Paulus, fol. 135.* Idem contigit quoque in nummis aureis; nam ab initio ex auri libra Romana conflati fuerunt 48. vel 50. solidi; unde in Pandectis pœna libræ aureæ, & pœna 50. solidorum, idest aureorum, eadem est. Postea sub Constantino ex auri libra cusi fuerunt centum aurei, & postea sub Valentino 72. ut probant Gibalinus *de negot. tom. 1. lib. 2. cap. 4. artic. 8.* Hothoman. *de re nummaria, p. 3. cap. 2.* Budæus *lib. 3. de asse.* Quæritur ergo, an ille qui accepit centum asses librales, possit hodie exsolvere centum asses semiunciales; possitque reddere nummos veteribus debitis leviores, ac pondere diminutos. Aliud quoque exemplum erit, si nummi in ipsa materia, seu metalli puritate, vel bonitate decrementum acceperint, ut Romæ contigit, cùm Livius Drusus denariis ex purissimo argento excusis admiscuit octavam partem æris, atque etiam apud Salustium urgente inopiâ, & egestate publicâ, *argentum ære solutum est*, idest nummi, qui erant argentei, postea penè facti sunt ærei, ob pecuniarum inopiam; & etiam aurei veteribus deteriores, ac impuriores conflati, non ex auro coctissimo, & obryzo. Hinc quæritur, an pro veteribus, & probis nummis purissimis, olim creditis ac debitis, dari, & solvi possint hodie qui sunt ærosi, & deteriores? an è contrario ineunda sit ratio, vel æstimatio bonitatis intrinsecæ, quæ olim erat in nummis creditis, & debitis; & an creditori ea jactura sarciri debeat? Communis Interpretum sententia, quam sequuntur Æneas Robertus *lib. 2. rer. judic. cap. ultim.* D. Joseph. de Retes *ubi suprà, consectar. 2. per tot.* pro creditore affirmant, quia alioqui creditori fieret non levis injuria, argumento dictæ legis *Paulus ff. de solut.* Item quia aliud pro alio invito creditore non solvitur, *l. 2. ff. de rebus creditis:* & æquè bonum in substantia ipsa, & materia creditori reddi debet, *l. cùm quid, ff. eodem tit.* substantia verò, & materia nummorum hodie est aliâ deterior; quò pertinet lex *1. ff. de contrahend. emption.* Tandem quia intrinsecæ bonitatis imminutæ rationem esse habendam pro creditore docetur in præsenti textu, & *in cap. olim 20. suprà hoc tit.* Sed contrarium, videlicet immutatâ re nummariâ, vel in pondere, vel in materia, & substantia nummorum, hoc est in bonitate intrinseca, ut ajunt, quæ quidem vel aucta, vel diminuta sit, manente nihilominus eadem potestate, indicaturâ, seu valore imposito nummis, ita ut iidem cum veteribus hodiernis nummi censeantur, & appellentur, talis mutationis rationem non esse habendam docuerunt Marquez *in Gubernat. Christ. l. 2. cap. ultim. §. 2.* Basilius Legion. *ubi suprà, 3. & 4. p.* David Argente *in d. l. Paulus, fol. 137.* nam cives pecuniâ uti debent secundùm legem, formam, & quantitatem publicè datam, ex qua adeò pendet omnis nummorum potestas, & expositio, ut in nummis ipsa tantùm corpora, seu materiam nunquam inspiciamus, sed quantitatem, idest potestatem, seu valorem impositivum, atque formam, ut expressum est *in l. 1. ff. de contrah. l. si is qui nummos*, junctâ glossâ ibi, *ff. de solut.* quo sensu accipi debet lex *3. ff. de eo quod certo loco*, dum ait: *Pecuniarum unam, & eandem potestatem ubique esse.* Adde etsi mutetur nummorum substantia, argumento legis *cùm certum, ff. de auro & argent.* ubi argenti pretium ex præsenti tempore, seu ex valore currenti præstandum esse docetur. Quâ sententiâ retentâ, quam etiam tenet I. Faber *in tit. Instit. quibus mod. tol. obligatio*, non obstant fundamenta contrariæ sententiæ; nam hoc casu aliud pro alio non solvitur, siquidem mutatis nummis dumtaxat in bonitate intrinseca, cùm maneant eadem forma, auctoritas, qualitas, indicatura, & appellatio nummi, circa dubium est, manere eandem quantitatem; unde cùm debitor non fuisset corporum nummorum, sed quantitatis, liberatur solvendo eandem quantitatem in nummis intrinsecè diminutis. Nec obstat textus *in d. cap. olim*, cujus summarium vitiosissimum est; nam in eo textu simpliciter dicitur, Papienses denarios debitos solvi debere, vel eorum pretium, & æstimationem, in moneta currenti: itaque si nummus Papiensis antiquus valeat hodie sex Lucenses, tunc pro eo Papiensi nummo sex Lucenses dandi sunt. Hoc verò non pertinet ad præsentem disputationem de mutatione bonitatis intrinsecæ, nummorum; nulla enim ibi mutatio substantiæ, & qualitatis, & bonitatis in nummis Papiensibus fuit: quare rectè in eo textu deducunt plures congestâ Barbosa *in collect. & tom. 6. in select. ad illum textum*, Larrea *decis. Granat 24 num. 7.* Noguerol. *alleg 2. num.*

num. 78. pensionem esse solvendam in moneta currenti, juxta veterem materiam, & valorem, si constat qualis fuisset: non tamen ibi docetur, pretiosiorem monetam Papiensem necessario solvendam esse; sed ipsam, vel aliam ejusdem valoris, etiamsi intrinsecè vilior sit; quis enim dicet, apud Hispanos debitorem mille regalium, quos accepit *en calderilla, ò tarjas*, quæ est pretiosior moneta, seclusâ omni conventione, non liberari solvendo eandem quantitatem in moneta vulgò *gruessa, ò de la fabrica de molinos.* Unde Innocentius *in d. cap. olim*, tantùm jubet, ut eadem quantitas pensionis præstetur; nihil tamen refert, quod in hac, vel illa moneta solvatur, dum tamen ad valorem antiquæ coæquetur.

7. *Exponitur præsens Textus.* Nec etiam favet contrariæ sententiæ præsens textus, cujus summario non satis fideliutuntur Doctores; pro cujus interpretatione jam notavit David Argente *ubi suprà*, conferendum esse hunc textum cum capite *querelam, hoc tit. in 2. collect.* supra *num. 1.* transcripto, qui eandem hypothesin continet, licet diversum auctorem præ se ferat. In eo quæstio est de certa pensione, quæ præstari debebat in moneta currenti, & communi, nempe Turonensi; quæ quidem Parisiensi erat minor, seu debilior, tam in materia, & pondere, quam indicatura, & valore imposititio; tam in qualitate extrinseca, quam intrinseca. Canonici autem volebant sibi pensionem solvi in moneta Parisiensi, quæ tunc erat melior in bonitate intrinseca, & extrinseca; unde Urbanus III. decernit, injustam esse Canonicorum petitionem: quod etiam non expresso genere monetæ, eisdem verbis decernit Gregorius in præsenti, videlicet ut pensio solvatur juxta priorem pecuniam; & si ea in usu non sit, in moneta currenti, facta æstimatione prioris quoad quantitatem, non quod valorem intrinsecum. Manet ergo, nihil interesse, an quantitas debita solvatur in pretiosiori, an viliori moneta, cum eadem quantitas reddatur, quæ erat tempore contractus, juxta legem *Paulus ff. de solut.* & decisionem 592. Rotæ apud Pennam; nam in nummis corpora non inspicimus, sed quantitatem; & cùm de æstimatione rei in conventionem deductæ agitur, perpetuò attenditur tempus contractus, *l. Rutilia, ff. de contrah. empt.* sicut in evictione tempus evictionis, *l. bonitatis, ff. de evict.* Sensus ergo Gregorii IX. in præsenti est, ut eadem quantitas pensionis præstetur nunc, ac à principio constituta fuit; nihil tamen refert, quod in hac, vel illa moneta solvatur; dum tamen ad valorem antiquæ coæquetur.

8. *Dissolvitur dubitandi ratio.* Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam ut jam sæpius dixi, in præsenti non agebatur de bonitate, aut deterioratione monetæ; sed tantùm de majori pensione, quam Canonici exigere volebant; & Gregorius tantùm docet, ut eadem pensio solvatur ac instituta fuit à principio; nec augeatur, aut minuatur ex mutatione monetæ; non tamen, ut iidem nummi specificè solvantur, sed eadem quantitas in his, vel illis nummis. Prosequitur varios casus usu frequentes resolvens Tondutus *p. 1. resolut. civil. ex quæst. 1. usque ad 20.*

9. *Exponitur Clement. 2. de decim.* Sed superiori assertioni obstat textus *in Clement. 2. de decimis*, ubi Clemens V. statuit, quod cum alicui beneficiorum decima ad tempus conceditur, quod solvatur juxta consuetam taxationem valoris fructuum beneficii, & in moneta currenti, & usuali: ex quo textu expressè deducitur, in solutione pensionis attendi valorem monetæ currentis tempore solutionis, non verò constitutionis. Igitur non rectè in præsenti Gregorius docet, pensionem solvendam esse ad antiquam monetam. Cui difficultati respondendum est, in eo textu pensionem solvi juxta monetam currentem, quia concessio illa non habet respectum, aut relationem ad traditionem aliquam pecuniæ, seu aliquem contractum onerosum, cujus ratione creditor petere possit juxta antiquam pecuniam; unde eâ ratione cessante, necessario solutio fieri debet juxta monetam currentem, *cap. 2. de maledic.* Accedit & alia ratio; nam pecunia est quæ res æstimat, *l. ff ita 42. ff. de fidejuss.* sed decima in eo textu sumitur ab æstimatione fructuum per singulos annos, quæ necessario fit præsenti, & nova pecunia: igitur solvenda est illa ipsa nova, & currens pecunia, quæ fructibus designat valorem.

CAPUT XXVII.

(a) Idem.

AUctoritate præsentium inhibemus, ne quis pro eo quod (b) in Oratoriis, quæ in (c) grangiis vestris habetis, interdum aliqui vestrum celebrant, procurationes, quæ ratione visitationis debentur, à vobis exigere, vel extorquere præsumat.

NOTÆ.

1. (a) *Idem.*) Gregorius videlicet IX. non tamen constat cum quibus monachis loquatur, qui oratoria in grangiis habebant.

(b) *Oratoriis.*) De oratoriis monachorum agemus *in cap. patentibus, de privil.*

2. (c) *Grangiis.*) Grangia dicitur prædium, villa, & horreum. Hinc grangiarius pro villico. Cæsarius *lib. 6, miracul. cap. 23.* ibi: *Hæc apud nos ejusdem puto loci grangiarius recitavit.* Illustrat Johannes Vossius *de vitiis serm. lib. 2. cap. 8.*

COMMENTARIUM.

IN præsenti statuit Gregorius propter Oratoria privata à monachis in grangiis constructa, non deberi Episcopo visitanti procurationem. Consonant textus *in cap. 1. de capel. monach.* ubi Honorius III. Abbati, & conventui Aquitanensi

natensi ita rescribit : (Quantò sinceriùs diligimus monasterium vestrum, & vestræ cupimus Religionis augmentum, tantò solicitiùs vestris volumus providere profectibus, & gravaminibus obviare. Ea propter dilecti in Domino filii, vestris postulationibus annuentes, auctoritate præsentium districtè inhibemus, ne quis pro eo, quod quandoque in grangiis vestris ponitis aliquos vestros monachos sacerdotes, qui celebrent in capellis ibidem constitutis, curam non habentibus animarum, audeat à vobis procurationes pro ipsis grangiis extorquere.) Illustrant Azor *institut. moral. part. 2. lib. 3. cap. 42. quæst. 2.* Barbosa *lib. 3. juris Eccles. cap. 22. num. 15.* Ratio est, quia licèt hujusmodi loca Ecclesiastica sint, & ut talia subjiciantur Diœcesanis Episcopis, *cap. te de monachis 12. de præbend.* tamen quia nec habent titulum beneficii, nec beneficia annexa, nec redditus, aut proventus Ecclesiasticos, ideo procurationem non præstant, licet loca hæc ab Episcopis visitari possint, argumento *capitis 3. de religios. domib.* Nec etiam similia loca tenentur contribuere pro Seminario, ex dispositione Concilii Trident. *sessione 23. de reformat. cap. 18.* quia tantùm hospitalia erecta, si habeant beneficia annexa, vel redditus, aut proventus ecclesiasticos, tenentur illud persolvere, ut latiùs prosequuntur Barbosa *de offic. & potestat. Episcop. allegat. 77. num. 6.* Cabedo *decision. 204. Lusit. part. 1.* Riccius *in praxi fori Eccles. part. 4. resolut. 151.* Genuensis *in praxi Neapol. cap. 17. num. 2.*

TITVLVS XL.

De consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

CAPUT I.

(a) Alexand. III.

AD hæc si altare motum fuerit, aut lapis ille solummodo suppositus, qui (b) sigillum continet, confractus, aut enormiter diminutus extiterit, debet denuo consecrari : Ecclesia verò propter hoc nequaquam suam consuevit consecrationem reiterare, licèt id quidam canones innuere videantur: non tamen id facere prohibetur.

NOTÆ.

(a) A *Lexand. III.)* Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit cap. unic.* ubi additur *pars capitis Desinunt*, & in Glossa marginali emendatur *pars capitis Dum fuerit.* Sed cùm nullus textus sit in his collectionibus, qui ab his verbis incipiat; ideo agnoscere non possumus cui Episcopo Pontifex rescribat.

1. (b) *Sigillum.*) Id est operimentum reliquiarum distinctum ab ipsomet lapide, ut exponit Conink *de Sacramentis quæst. 83. artic. 3. dub. 2. num. 240.* quem sequuntur le Maistre *tractat. 5. cap. 6. num. 9.* & P. Henao *tom. 2. de sacrif. Missæ, disput. 24. sect. 3. num. 44.* reliquias enim Sanctorum in ipso altari recondere mos est antiquus Ecclesiæ ; immò sine reliquiis altaria consecrari nequibant olim, & de facto consecrata evertebantur, *cap. placuit 25. cap. non oportet 28. cap. Ecclesia, de consecrat dist. 1.* Synodus Nicæna *2. can. 7.* ibi: *Templa quæ consecrata sunt, si carent reliquiis Martyrum, reliquias accipiant : qui sine reliquiis consecrat templum, deponatur, ut qui Ecclesiasticas traditiones transgressus est.* Probant Anton. August. *in epit. jur. lib. 16. titul. 3.* Ferrandus *lib. 1. disq. reliq. cap. 3. sect. 1.* Scortia *de sacrif. Missæ lib. 3. cap. 12. num. 2.* Vicecomes *volum. 3. de ritibus Missæ, cap. 27.* Menardus *in notis ad lib. Sacr. D. Gregorii, pag. 201. & 202.* Rosweidus *in notis ad epistol. 11. D. Paulini*, P. Henao *de sacrif. Missæ, tom. 2. disput. 24. sect. 1.* D. Sancius de Avila *in venerat. reliquiar. lib. 3. cap. 1.* Hurtado *de vero martyrio resol. 43. §. 12.* Vivar. post Marcum Maximum *in S. Joanne vindic. §. 2.* Reliquiæ autem ipsæ reponebantur sub altari, ut patet ex Prudentio *in Martyribus Cæsaraugust.*

Hoc sub altari sita sempiterno
Lapsibus nostris veniam precatur.

Sancto Paulino *epist. 12. ad Severum*, ibi :

Pignora Sanctorum, divina gloria mensæ,
Velat Apostolicis edita corporibus.

Et infrà de Basilicæ fundandæ dedicatione :

Ecce sub accensis altaribus ossa piorum,
Regia purpureo marmore crusta tegit.

Et in ipsa forma consecrationis altaris edita à Ratoldo *in Sacram.* ibi: *Et tunc ponatur tabula, super quam faciat cruces quatuor ex oleo, & chrismate, & designentur per quatuor angulos cum cultro.* Et in Ordine Romano sic legitur: *Tunc ponat tabulam super reliquias, & det orationem hanc Oremus: Deus qui ex omni coaptatione Sanctorum, &c. Deinde liniat eum cum calce, quæ*

antea

antea fuerat præparata ; & postquam linitum fuerit, faciat crucem desuper cum chrismate, dicendo sicut prius : In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti : Amen. Pax tecum. Respondetur : Et cum spiritu tuo. Et mittat chrisma per quatuor cornua altaris, ipsa suprascripta verba dicendo, & crucem faciendo : & cantent antiphonam, Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt, & vivent nomina eorum in æternum cum gloria. Hæc in prima quidem dedicationis descriptione : sed in secunda paulò aliter in hunc modum : *Et accipiens tabulam, quæ super reliquias poni debet, antea confirmet eam subtus cum chrismate, dicendo : In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti ; & ponat tabulam super reliquias, & dicat hanc orationem : Oremus. Deus qui ex omni coaptatione Sanctorum, &c. Deinde liniat eam cum calce, quæ antea fuerat præparata ; & postquam fuerit linita, faciat crucem desuper cum chrismate dicendo ut suprà.* De hoc sigillo in præsenti agit Alexand. III.

COMMENTARIUM.

2. *Conclusio traditur, & probatur.*

EX hoc textu sequens deducitur assertio : *Si altare motum fuerit, aut lapis principalis confractus, denuo debet consecrari, non vero ipsa Ecclesia.* Probant eam textus *in cap. quod in dubiis 3. cap. proposuisti 4. cap. ligneis 6. hoc titul.* Illustrat ultra congestos in præsenti à Garanna, & Barbosa, idem Barbosa *alleg. 27. & lib. 3. juris eccles. cap. 3.* Pechius *de Eccles. reparand. cap. 37. & 38.* Corvinus *lib. 2. aphorism. juris Pontif. tit. 21.* Suarez *de sacram. disput. 81. sect. 5.* Cardinal. Lugo *eodem tract. disp. 20. sect. 2. num. 74.* Tamburin. *lib. 1. de sacrif. Missæ, cap. 5. §. 1. num 16.* Dicastillo, & alii quos congerit P. Honao *de sacrif. Miss. disput. 24. sect. 3.* Vighellius *in methodo jur. can. lib. 4. tit. 14.* Murga *tom. 1. disquis. mor. tr. 2. disquis. 6. per tot.*

3. *Impugnatur tradita assertio.*

Sed in hanc assertionem ita pro dubitandi ratione insurgo : Accessorium sequitur naturam sui principalis, *cap. accessorium, de R. I. lib. 6.* sed altare est principale, siquidem ejus gratiâ Ecclesia consecratur : igitur amoto altari, ita ut egeat novâ consecratione, etiam Ecclesia denuo consecranda est. Qua ratione motus sanctus Anselmus cùm sibi hæc quæstio proponeretur, existimavit in præsenti casu Ecclesiam denuò consecrandam esse, *lib. 3. epist. 159.* in his verbis : *De quo quidem neque in decretis, nec in canonibus memini me aliquid legisse, sed à quodam Episcopo audivi, quod in decretis Eugenii Papæ legitur, altare motum iterum esse consecrandum.* (reponendum est Higinii *in cap. si motum 19. de consecrat. dist. 1.*) *De his cum Domino Papa Urbano II. loquutus sum assistentibus quibusdam Episcopis : sed Papa dicebat tanquam privatus Doctor, mensam altaris motam, nec reconciliandam, nec iterum consecrandam, nec amplius altare reputandum. Alii verò dicebant, tantùm reconciliandam, nullam tamen auctoritatem ostendentes : in hoc autem omnes concordant, quod violato principali, tota Ecclesia cum altari iterum consecranda est ; nec Ecclesia consecranda est sine consecratione altaris, aut principalis, aut alterius in eadem Ecclesia. In his autem omnes concordant, cum quibus loquutus sum, exceptâ altaris mensâ. Ita si aliqua pars Ecclesiæ destructa reficitur, aut nova fit, altari immoto, aquâ tantùm ab Episcopo benedictâ aspergendum dicunt.* Augetur hæc difficultas ex auctoritate Ivonis Carnotensis, & ratione ab eo adducta *epistol. 80.* ibi : *De motione altaris, vel parietum Ecclesiæ, utrum iteranda sit consecratio, vel non iteranda, nihil scriptum in antiquis regulis reperi : in collectione autem Burchardi Wormatiensis Episcopi, & Concilio Meldensi cap. 5. ita scriptum reperitur : Altare, si motum fuerit, Ecclesia denuò consecretur ; parietes verò si moti fuerint, & non altare, salibus exorcizentur. Hoc capitulum, si diligenter attendatur, ad omnes inquisitiones vestras respondet : & quia de monachis Sancti Wandregisili rationes quas potui aliquando reddidi, easdem Religioni vestræ scribere curavi, quibus ita scripsi : Consuluit parvitatem meam vestra dilectio, utrum tabulæ altarium aliquando consecratæ, cùm translatæ fuerint, & super novam struem lapidum positæ, denuò sint consecrandæ. Quod nobis ex auctoritate, & ratione faciendum videtur, cùm canon dicat : Altare, si motum fuerit, Ecclesia denuò consecretur : quod si Ecclesia propter motionem solius altaris denuo est consecranda, quantò magis ipsum altare, quod motum est.* Faciunt textus differti *in cap. si motum 19.* ibi : *Si motum fuerit altare, denuo consecretur Ecclesia.* Et *cap. de fabrica 24. de consecr. distinct. 1. l. 19. tit. 10. partit. 1.* ubi expresse tuitur, moto altari, denuò consecrandam Ecclesiam.

4. *De antiquitate, & utilitate Ecclesiarum.*

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, templa, & similia loca Deo dicata ad sacrificandum & orandum dupliciter à Gentilibus, & Hæreticis impugnari. Gentiles odio Christianæ religionis ipsa evertebant, ut fecerunt Imperatores Titus, Diocletianus, & Julianus, ut referunt D. Augustinus *lib. 18. de civit. Dei, cap. 45.* Tacitus *lib. 21. annal.* Eusebius *lib. 8. histor. cap. 2.* Divus Hieronymus *in epist. ad Riparium.* Hæretici ea tanquam mala rejiciunt, ut fecerunt Manichæi, Petro-Bussiani, Albigenses, Waldenses, Wiclephistæ, & Anabaptistæ, docentes in templis non esse orandum, nec sacrificium offerendum, nec sacramenta conferenda : quorum verba refert Jodocus Coccius *tom. 2. thesauri fidei cathol. lib. 3. artic. 5.* Lutherani, & Calvinistæ tantùm admittunt templa ad usum concionis, ut referunt Castro *de hæresibus, verbo Templum.* Bellarminus *lib. 3. de cultu Sanctorum, cap. 1.* quorum fundamenta sequentia sunt. Primò, quod Deus ubique coli reverenter potest, & ab hominibus exoratus, eorum preces exaudit, ut constat variis exemplis sacræ paginæ relatis à Durantio *lib. 1. de ritibus Eccles. cap. 2. num. 5.* nam Deum oravit Job in sterquilinio, *Job cap. 2.* Moyses in medio mari, *Exod. cap. 15.* Ezechias in lecto, *cap. 38. Isaiæ :* Jeremias in luto, *cap. 38. Jeremiæ,* Jonas in ventre ceti, *cap. 2. Jon.* Daniel in lacu leonum, *cap. 14. Daniel.* tres pueri in fornace, *cap. 3. Daniel.* latro in cruce, *cap. 23. Lucæ :* Paulus in carcere, *cap. 16. Actuum Apost.* & alii alibi. Secundum, quia Deus spiritus est, *Joannis cap. 4.* & ejus majestas non debet parietum, & tectorum angustiis circumscribi ; ideò cœlum Dei sedes dicitur, & terra scabellum pedum ejus, *cap. 5. Matthæi :* & ut habetur *Actuum Apost. cap. 17.* non in manufactis templis habitat. Quapropter D. Basilius *in exhortat. ad baptismum,*

tiſmum, & pœnitentiam, ad hæc ſacramenta ſuſcipienda non locum, ſed affectum, & intentionem exigit. Tertium quod D. Joannes *in cap. 21. Apocalypſ.* loquens de Eccleſia Catholica ait: *Templum non eſſe in ea, quia Dominus templum illius eſt.* Quartum quia ad orationem non videtur templum eſſe aptum, & conveniens, juxta illud D. Matthæi *cap. 6. Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum:* & propter auctoritatem D. Pauli 1. *ad Timoth. cap. 2.* ibi: *Volo viros orare in omni loco levantes manus puras.* Quæ argumenta fruſtra adſtruunt contra templa catholica, & eorum uſum ad liberam Eccleſiarum conſtructionem, non ſine majeſtatis ſuæ diminutione; immò cum maxima veneratione Deus in Eccleſiis, templisque præcipuè quodam cultu adoratur, ut ait Durantius *dicto lib. 1. cap. 2.* & orationem in templo conſecrato fructuoſiorem eſſe probarunt Oliverius Bonarſius *lib. 3. de oratione, cap. 10.* Gilbertus Schevicavius *lib. 1. de Eccleſ. vit. cap. 26.* Jacob Alvarez *lib. 1. de orat. cap. 5. pag. 21.* Theophilus *de litteris monit. p. 2. cap. 5. num. 18.* conſtatque, nam in lege veteri ea ratione templum ſibi voluit Dominus ædificari, ut refertur *Exodi cap. 25.* de quo templo agitur *in cap. 2. de conſecrat. diſt. 1.* & probatur, quia populus Chriſtianus aliquando debet neceſſariò convenire ad res ſacras; neque enim coitio haberi debet ſeorſim à ſingulis fidelibus: & quamvis id fieri poſſit, non tamen expedit, quia hujusmodi conventus fidelium perutiles ſunt ad excitandam devotionem, & animorum unionem: ideo Eccleſiarum uſum commendarunt D. Paulus *1. ad Corinth. cap. 12. & 14.* & Eccleſiæ PP. *in cap. non oportet 42. diſtinct. cap. ſi quis objecerit 1. quæſt. 1.* in Synodo Trul. *can. 64.* & alii congeſti à Bellarm. *lib. 3. de Eccleſ. controv. 1.* Theoph. *tom. 16. in Heter. p. 2. punct. 8.* Suarez *3. p. in 3. p. ſect. 83. diſp. 81.* Unde facilè ſolvuntur argumenta adverſariorum. Nec enim obſtat primum; nam quamvis Deus ubique colatur, ſpecialiùs tamen in templis ei honor adhibetur, cùm templorum conſtructio ad cultum latriæ pertineat. Secundum facilè ſolvitur, ſi obſervetur, majeſtatem Deo debitam non minui ex eo, quod in templis colatur, & veneretur; immò potiùs augeri, & majori excellentiâ præſtari; & ideo quamvis baptiſmus, & pœnitentia validè conferantur extra Eccleſiam, decentiùs tamen in ipſa Eccleſia, quàm alibi, *Clement. unic. de baptiſm.* Nec obſtat, Deum ſpiritum eſſe, & in ſpiritu adorandum; nam etſi Deus ſit purus ſpiritus, & loco non ſit incluſus, homines tamen cum colentes corpore, & ſpiritu adorare debent. Nec etiam illis favet locus Apocalypſis, ibi: *Templum non vidi in ea.* Quia ea verba exponenda ſunt de Eccleſia triumphanti, in qua materiale templum non datur; non verò de Eccleſia militanti, in qua templa oportet conſtrui: quo modo locum illum accipiunt Beda, Rupertus, & Anſelmus, quos laudat, & ſequitur Bellarm. *d. lib. 3. cap. 4.* Quartum ſolvit Chryſoſtomus *homil. 30. contra Anomæos*, his verbis: *Orare, inquiunt, domi poſſumus: te homo decipis, & magno in errore verſaris; nam etſi domi quoque detur orandi facultas, tamen fieri non poteſt ut domi tam bene ores, quàm in Eccleſia.* Ideo orationi in templo factæ magna tributa ſunt à Deo beneficia *lib. 2. Regum, cap. 8. lib. 2. Paralip. cap. 6.* tum etiam quia piorum hominum frequenti conſenſu excitatur animus, & objecto aliorum exemplo ad Dei cultum magis erigitur: ut enim propiùs admoti titiones faciliùs ardent, iidem ſepoſiti langueſcunt: ſic in Chriſtianorum ampliora corona ſtudium pietatis accenditur; in ſolitudine contrà remittitur.

Secundò ſciendum eſt, inter Gentiles nonnullas fuiſſe nationes, quæ templa non agnoverunt, nec Diis ædificari ædes volebant, ut Sicionii, de quibus exclamat Arnobius *lib. 5. contra Gentes: Non omnibus Diis templa devota.* A quibus Athenienſes acceperunt, qui non ſolùm templa, verùm nec ſtatuas Diis erigebant. Statius *lib. 12. Thebaid.* Profanatur templorum origo.

Nulla autem effigies, nulla commiſſa metallo
Forma Deæ: mentes habitare, ac pectora gaudet.

Perſæ etiam conſtructionem templorum reſpuebant, ne majeſtas Solis, quem colebant, minueretur intra ædificii cancellos. Strabo *lib. 15.* ſeu ut ait Cicero *lib. 2. de legibus*, ibi: *Non eſſe parietibus includendos Deos, quibus omnia deberent eſſe patentia, ac libera, quorumque hic mundus omnis templum eſſet, ac domus.* De altis idem refert Majolus *dierum canicul. verbo Vaticinia, fol. 347.* Inter fideles verò jam primis Eccleſiæ ſæculis invaluit, ut ipſi communes domos haberent, in quibus convenirent ad orationem, & ſacrificium Deo offerendum: de quibus Philo Judæus ibi: *Eſt in ſingulis locis conſecrata orationi domus.* Et ab eo obſervarunt Euſebius *lib. 11. hiſtor. cap. 17.* Baronius *tom. 1. anno 57. à num. 98. & tom. 2. anno 211. num. 4.* Severinus Binius *in notis ad can. 5. Concil. Gangren.* Idem etiam conſtat ex eo, quia ſub Paulo Apoſtolo Eccleſiæ conſecratæ erant, ut ipſe oſtendit in epiſtola 1. ad Corinthios, *cap. 11.* ibi: *Aut Eccleſiam Dei contemnitis*; & à D. Marco Sancti Petri diſcipulo Alexandriæ Eccleſiam Sancti Petri nomine conſecratam fuiſſe refertur *in cap. ſacroſancta, §. ſecundò autem, 22. diſtinct.* & Nicephorus Calixtus *lib. 2. hiſtor. cap. 35. & tribus ſequent.* teſtatur, Philippum, Bartholomæum, Thomam, Matthæum, & Andream Apoſtolos ubique Chriſtianæ religionis jactis fundamentis, templa conſtruxiſſe. Idem de Simone, & Juda refert Euſebius *lib. 2. hiſtor. cap. 16.* & à D. Clemente Petri ſucceſſore Eccleſiarum conſtructio præcepta reperitur *in cap. Eccleſias 13. de conſecr. diſt. 1. cap. Eccleſias 16. quæſt. 3.* Illuſtrant, & plura de Eccleſiarum utilitate, & commendatione congeſſerunt Jodocus Coccius *tom. 2. theſauri, lib. 3. artic. 5.* Carrier. *lib. 2. digeſt. fidei, tit. de feſtis, q. 6.* Corjolanus *in can. 5. Concilii Gangrenſ.* le Maiſtre *de juribus Eccleſ. lib. 1. cap. 14.* Stuckius *de ſacrificiis Gentil. fol. 56.* Dartis *ad diſtinct. 1. de conſecrat.* Suarez *de ſacrament. diſput. 81. art. 2.* Villecomes *vol. 3. de ritibus Miſſæ, lib. 2. cap. 21.* Villaroël. *p. 2. regim. Eccl. q. 30. art. 1.* De diversis Ecclesiarum nominibus.

Deinde ſciendum eſt, hæc ædificia pro Dei cultu, & ſacrificiorum religione conſtructa variis nominibus ab Eccleſiæ Patribus appellari; ut templa, licèt antiqui Eccleſiæ Præſules abſtinuiſſent ab hoc nomine, propter reles abſtinuiſſent ab hoc nomine, propter recentem memoriam ſacrificiorum legis veteris, ne cum Judæis fideles commiſcerentur, ut obſervat

ſervat Durantius *lib. 1. de ritu Eccleſ. cap. 1. num. 7.* Appellantur etiam Oratoria ab eo opere, quod in eis exercetur, ut probant Baronius *dict. anno 57. num. 227.* Haæpthenus *diſquiſit. monaſt. lib. 7. tractat. 1. diſquiſit. 1.* Concilium, *l. 1. C. de SS. Eccleſ.* quia eſt convocatio fidelium; & hoc ſenſu D. Ambroſius *adverſ. Symmachum*, ſanctarum Virginum collegium appellat concilium virginitatis: & locus ubi plures martyres collecti ſunt, vocatur martyrum concilium in martyrologio Romano die 23. Junii. Unde leviter reſtituendus eſt locus Anaſtaſii *de Rom. Pontif. in Damaſo*, ubi legitur: *Hic multa ſanctorum corpora requiſivit, & invenit, quorum conchilia*, (lege *concilia*) Appellantur etiam baſilica *in can. 28. Synodi Laodic.* relato *in cap. non oportet, 42. diſtinct. cap. omnes baſilicæ 16. quæſt. 7. cap. omnes 3. cap. baſilica, 6. cap. Eccleſia 8. cap. baſilicam 10. de conſecr. diſtinct. 1. cap. ſi quis 9. diſt. 3.* vel propter regiam ſtructuræ magnificentiam, vel quia Deo Regi Regum in ea cultus exhibetur; nam domus Regiæ baſilicæ dicuntur, *l. 1. §. ultim. ff. de acquir. poſſeſſ. l. continuus 137. §. cum quis, ff. de V. O. l. baſilicam 21. C. de operibus publicis*, ut volunt Amalarius *lib. 3. de Eccleſ. offic. cap. 2.* Iſidorus *lib. 15. originum, cap. 4.* Walfridus Strabo *de rebus Eccleſ. cap. 6.* & hac notione ſacram ædem baſilicam appellat D. Auguſtinus *lib. 1. de civit. Dei cap. 4.* ibi: *Illud Junonis templum ſibi elegerat avaritia, & ſuperbia levium Græcorum. Iſtas Chriſti baſilicas miſericordia, & humilitas etiam immanium barbarorum, &c.* D. Paulinus *epiſt. 11. & 12.* Sæpiùs baſilicæ meminit Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus.

Hic dum baſilicas Deo dicatas
Et Chriſti ſubeunt verenda templa.

Iſidorus *lib. 15. etymol.* Amalarius *lib. 2. de officiis, cap. 2.* Aurel. Epiſcopus Arelat. *in regul. monach. cap. 14.* ibi: *Nullus laicus, ſive nobilis, ſive ignobilis, in baſilicam, ſive monaſterium.* Illuſtrant Malvenda *de Antichriſt. lib. 7. cap. 7.* Cironius *ad titul. de foro compet.* Baronius *anno Chriſti 57.* P. Zerda *in adverſ. cap. 133. num. 17.* Dorleans *ad Tacitum lib. 1. annal.* Illander *in notis ad Vitruvium lib. 5. architect.* Alciatus *lib. 1. prætermiſſ. verbo Baſilica*, Ramirez de Prado *in not. ad Luitprand. nota 102.* Aliter baſilica apud Gentiles accipitur, ut probant Baronius *in Martyrol. die 5. Auguſti*, Theophilus Raynaud *tom. 15. in Heter. ſpirit. part. 1. punct. 4.* Appellatur etiam Dominica, Concil. Laodic. *can. 28.* ibi: *Non decet agapas in Dominicis, vel Eccleſiis facere.* Neocæſar. *can. 5.* ibi: *Catechumenus ingrediens in Dominicum, in loco catechumenorum ſubſiſtat.* D. Cyprianus de eleemoſyna: *Qua in Dominicum ſine ſacrificio venit.* Rufinus *lib. 3. hiſtor. cap. 3.* ibi: *Hæc ſi vera eſſe credis, o Philoſophe, ſurge, ſequere me ad Dominicum.* Cyrillus Hieroſolym. *Catecheſi 18.* Zonaras *in can. 24. Synod. Trull.* Illuſtrant Durantius *lib. 1. de ritibus, cap. 1. num. 2.* Juſtel. *ad can. 15. Synodi Ancyr.* Theophilus Raynaud. *tom. 15. in Heter. ſpir. punct. 4.* Novarin. *in Agno Euchariſt cap. 107.* Zerda *in adverſ. cap. 19.* Quia in Eccleſia Dominus dominantium, & Rex Regum colitur. Dicitur etiam Eccleſia oraculum, ut probat, & vocem illuſtrat Theophilus *d. tom. 15. punct. 4 fol. 177.* appellatur etiam arx. Venantius *lib. 11. carmin. 11.*

Quam ſacer Antiſtes Vitalis condidit arcem,
Hanc ſacer Antiſtes propriam ſibi vindicat arcem.

Etiam Eccleſiæ dicuntur Martyria *in l. generali 13. C. de ſacroſ. Eccleſ.* In canone 20. Concilii Gangren. dicuntur etiam Memoriæ, Confeſſiones, Prophetea, Apoſtolia, ut probant Ferrandus *lib. 1. diſquiſ. reliq. cap. 3.* Gaſpar Barthius *lib. 1. adverſ. cap. 4.* Bulenger. *lib. 3. opuſc. cap. 4.* Tituli etiam dicuntur, ut probavi *in cap. 2. de præb.* & etiam appellantur ædes ſacræ, mutuato nomine à templis Romanorum, apud quos templum ædes ſacra dicebatur, *l. ſi in alia 7. ædes, ff. de offic. Proconſ. l. 4. §. ult. cum l. ſequenti, ff. famil. erciſc. l. ædes, ff. de contrahend. emption. l. 1. §. ſi in pecunia, l. 5. §. final. ff. depoſiti.* Denique communi voce dicuntur Eccleſiæ in omnibus canonibus à Gratiano compilatis *ſub diſtinct. 1. de conſecr.* & aliis innumeris congeſtis à Creſpetio in *ſumma, verbo Eccleſia.* Illuſtrant Frances *de Eccleſiaſt. Cathedral. cap. 15. per totum.* Turriſcrem. *lib. 1. de Eccleſia, cap. 2. num. 1.* Valenzuela *contra Venetos p. 2. num. 4.* non enim ſolùm Eccleſia accipitur pro collectione omnium fidelium ſub uno Præſule, *capite firmiter, de ſumma Trinitat.* ſed apud Cyrill. Hieroſolym. *catecheſ. 18.* aptè Eccleſia vocatur, quaſi dicas, convocatio propter omnium convocationem, & congregationem; ſumitur enim pro loco, in quo fideles ad orandum, & verbum Dei audiendum conveniunt: quam Eccleſiam corporalem appellat textus *in cap. ſi quis objecerit 7. quæſt. 3.* facit D. Auguſtin. *in Levit. quæſt. 59.* ibi: *Hoc quotidianus uſus obſervavit, ut in Eccleſiam prodire, & ad Eccleſiam confugere non dicatur, niſi qui ad ipſum locum, parietesque prodierit, atque confugerit, quibus Eccleſia continetur.* Quamvis Laurentius Valla *lib. 4. elegant. cap. 47.* ſcribat neſcire ſe, quo jure id fiat. Nobis enim ſufficerit, vocem hanc uſurpari non ſolùm à Sanctis Patribus, verùm à ſacra Scriptura; *cap. 6. Judith*; ibi: *Et per totam noctem intra Eccleſiam oraverunt.* Et *epiſt. 1. Pauli ad Corinth. cap. 11.* in verbis ſuprà relatis.

Deinceps ſciendum eſt; Eccleſias eſſe ædificandas ex præcepto Eccleſiæ, quia alibi quàm in locis Deo ſacratis Miſſæ ſacrificium offerri nequit, *cap. 1. cap. hic ergo 14. cap. nullus 15. ſiarum. cap. Miſſarum, cap. unicuique 33. cap. clericos 34.* cum aliis, *de conſecr. diſt. 1.* Concil. Cabilon. ſub Carolo, *can. 49.* & reperitur *lib. 7. Capitul. 51. in addit. Pariſienſ. ſub Ludovico, lib. 1. cap. 47.* & *lib. 2. cap. 11.* & *lib 3. cap. 6.* Metenſe *can. 5. In locis non conſecratis, id eſt, in ſolariis, ſive in cubiculis propter infirmos, vel longius iter, à quibusdam presbyteris ſacrificium offerebatur, quod omnimodis interdictum eſt.* Theodulphus *ad presbyteros Aurelian. cap. 11. Miſſarum ſolennia nequaquam alibi, niſi in Eccleſia celebranda ſunt, non in quibuslibet domibus; & vilibus locis, ſed in loco, quem elegerit Dominus, juxtà illud quod ſcriptum eſt Deuteron. cap. 12. Vide ne offeras holocauſta tua in omni locò, quem videris, ſed in locum quem elegerit Dominus, ut ponat nomen ſuum ibi.* Plura Antonius Auguſt. *lib. 13. epit. juris Pont. titul. 3.* Jodocus Coccius *tom. 1. theſauri, artic. 17. per totum*, faciunt textus *in authent.*

7. De neceſſitate Eccleſiarum.

authent. ut in privatis domibus, collat. 5. authent. de Eccleſiaſt. titulis, §. ſi quis in ſua domo, collat. 9. l. conventicula, Cod. de Epiſcop. & Cleric. junctâ expoſitione Balſam. *in nomocan. tit. 3. cap. 14.* Pancirola *lib. 2. variar. cap. 168. l. 4. & 5. titul. 10. partit. 1.* Illuſtrant P. Henao *tom. 2. de ſacrif. Miſſæ, diſput. 23. ſect. 1.* Salcado *in praxi, cap. 39.* Vicecomes *tom. 3. de ritib. Miſſæ, lib. 2. cap. 21. cum ſequent.* Andreas Sauſay *in Panopl. ſacerdot. part. 2. lib. 1. art. 2.* Petrus Gregorius *lib. 1. partit. titul. 21. cap. 6.* Pancirola *lib. 1. variar. cap. 72.* Baſilius *q. 2. ſcholaſt. cap. 2. in can. 3. Concilii Altiſſiod.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. allegat. 23.* Mendo in Bulla, *diſput. 16.* Gutierrez *lib. 1. canonic. cap. 30. num. 24.* Azor *p. 1. inſtitut. lib. 10. cap. 26.* Suarez *de Sacram. diſput. 81. ſect. 3.* unde mortale peccatum erit extra caſum neceſſitatis in loco non ſacro celebrare. Probat Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat. 23. num. 2.* Immò & Clerici extra loca ſacra celebrantes puniuntur pœnâ ſuſpenſionis, & excommunicationis, *in cap. nullus 15. cap. ſi quis 35. de conſecrat. diſt. 1. & in d. authent. de Eccleſiaſt. titul. §. ſi quis in ſua domo*, præcipitur, domum, in qua ſacra myſteria peraguntur ſciente domino, publicari. Ratio hujus Eccleſiaſtici præcepti deſumitur ex dignitate, & præexcellentia ſacrificii Miſſæ; nam in lege veteri ſacrificium offerre non licebat niſi in templo, & aris Deo dicatis, *cap. 12. Deuteron.* multò magis in lege Evangelica licere non debet offerre magnum Miſſæ ſacrificium veteri illo præfiguratum, niſi in loco ſacro. Quæ ratio adducitur *in cap. 2. cap. ſicut 11. de conſecrat. diſtinct. 1.* Et licèt omnes fideles privata oratoria habere poſſint, non tamen poſſunt Miſſam ibi celebrare, *cap. unicuique, 33. diſt.* quæ oblationis nomine ſignificatur *in can. 28. Concilii Aurel.* adducto *in cap. 2. de conſecrat. diſt. 1.* nam hoc ſacrificium vera, & perfecta oblatio eſt, *cap. nihil 8. de conſecrat. diſt. 1.* junctis traditis à Durantio *lib. 2. de ritib. cap. 2. num. 1.* D. Thoma *3. p. quæſt. 83. artic. 5.* Scort. *de ſacrif. Miſſ. lib. 2. cap. 13.* Unde publicè intereſſe Eccleſias conſtrui, valdeque laudandos fore Principes, qui Eccleſiarum conſtructioni invigilant, probant latè Valdes *de dignit. Regis, cap. 21. num. 2.* Valenzuela *contra Venetos p. 2. per tot.* Solorzanus *tom. 2. de jure Indiar. lib. 3. cap. 23.*

8. *Exceptiones ejusdem regulæ referuntur.*

Ab hac tamen generali regula nonnulli caſus in ipſis canonibus excipiuntur. Primus eſt, quando veniâ Epiſcopi in loco non ſacro celebratur, cujus arbitrio hujus præcepti diſpenſatio jure communi commiſſa erat, *d. cap. Miſſarum 12.* ibi: *Vel ubi ipſe permiſerit, cap. hic ergo 14.* ibi: *In quibus Epiſcopus juſſerit, de conſecr. diſt. 1.* Barboſa *d. alleg. 23. num. 6.* An verò hæc poteſtas ſublata ſit Epiſcopis per Trident. *ſeſſ. 22. de obſervand. & de vitand. verſ. neminem*, dum præcipit, quod non patiantur Epiſcopi hoc ſacrificium offerri extra Eccleſiam, & Oratoria ad divinum cultum dicata, & ab ipſis dedicata, quærunt Interpretes? Et ſublatam eſſe eam facultatem docuerunt Gutierrez *d. cap. 30. num. 25.* Azor. *d. cap. 26. q 3.* Contrarium tamen, immò eam poteſtatem ſublatam non eſſe, tenuerunt plures relati à Barboſa *d. cap. 23. num. 8.* ſed cùm conſtitutionibus Pauli V. & Urbani VIII. denegata ſit Epiſcopis hæc facultas, ut referunt Portel. *in reſponſ. regul. tom. 1. pag. 3. caſu 20.* Diana *p. 29. tract. 1. reſol. 42.* non eſt dubium, Epiſcopos non poſſe uti prædictâ facultate jure communi ſibi competenti, niſi in aliquibus caſibus, quos refert idem Diana *d. tractat. 1. reſolut. 44.* Alius caſus excipitur *in d. cap. 1. cap. 2. cap. ſicut 11.* ibi: *Summa exiſtente neceſſitate, de conſecr. diſt. 1.* cùm adeſt gravis neceſſitas, ob quam licet extra loca ſacra Miſſæ ſacrificium offerre: quod eſt accipiendum de communi neceſſitate, veluti ſi vetuſtate, igne, aut hoſtium impetu Eccleſiæ corruerint, licebit extra eas in tentoriis, aut ædibus privatis Miſſam celebrare, *cap. concedimus, eadem diſtinct.* vel ob infidelium timorem; unde olim fervente Gentilium perſecutione in carceribus, latebris, & privatis ædibus Miſſæ ſacrificium offerebatur, ut referunt Cornel. Papa *in epiſt. ad Lupicinum*, Divus Auguſtinus *contra Donatiſtas poſt collat. cap. 14.* Gregorius Turon. *lib. 2. hiſt. cap. ultim.* quæ Miſſa privata ad differentiam illarum, quæ publicè celebrantur, dicta eſt: de quibus Miſſis privatis plura confeſſerunt Suarez *contra Regem Angliæ lib. 2. cap. 6.* Claudius Eſpenceus *in tractat. de Miſſa publica, & privata*, Gibalinus *de clauſur. regul. diſquiſit. 1. cap. 2. §. 2.* Ambianas *ad Tertul. de exhort. caſtit. cap. 7. obſerv. 2. & de pudicitiâ cap. 3. obſervat. 3.* Corjolanus *in breviario anno 175.* Unde hodiè poterit in provinciis infidelium, aut hoſtium Eccleſiæ, in quibus templorum liber uſus non eſt, in privatis domibus, aut oratoriis celebrari. Tertia exceptio prædictæ regulæ naſcitur ex favore perſonarum ſpecialium, quibus nominatim conceſſum eſt, ut extra Eccleſiam poſſint Miſſam celebrare; quo in numero ſunt Epiſcopi, *cap. final. de privil. in 6. l. 4. tit. 10. p. 1.* nec intereſt, an ſint conſecrati, dum electi, & confirmati reperiantur. Felinus *in cap. eam te, verſ. 3. de reſcript.* quod etiam conceſſum eſt Fratribus minoribus, & prædicatoribus *in cap. in his 30. de privil. in cap. 2. de celebrat. Miſſar. in 5. compil.* videlicet, quod in altari viatico, quod ſecum deferant, poſſint celebrare ſine ullo parochialium Eccleſiarum præjudicio: quod privilegium fuit confirmatum à Sixto IV. Alex. VI. Gregor. XIII. & etiam conceſſum Patribus Societatis Jeſu, ut refert Barboſa ſuprà *num. 2.* utrumque tamen privilegium abrogatum eſſe per Tridentinum *d. ſeſſ. 22.* tenuerunt plures relati à Barboſa *ſuprà.* Sed contrarium, videlicet ſublatum non eſſe, defendit Bruno Chaſſaing. *de privileg. regul. p. 2. tractat. 8. cap. 1. propoſ. 1.*

Nec ſuprà traditis obſtat conſtitutio 4. Leonis, quæ extat poſt novellas Juſtin. ubi cavetur, licere omnibus Sacerdotibus in quibuslibet privatis ædibus Miſſæ ſacrificium offerre: quâ difficultate oppreſſi Gothofredus *ibi*, Fornerius *lib. 6. rer. quotid. cap. 6.* exiſtimârunt, eâ conſtitutione, veluti noviori, corrigi, & emendari conſtitutiones Juſtiniani, de quibus *in d. authentic. de Eccleſiaſtic. titul. §. ſi quis in ſua domo*: & *in d. authent. ut in privatis domibus.* Sed illis omiſſis dicendum eſt, Imperatorem Leonem in eo textu non præſcribere modum circa loca, in quibus eſt ſacrificandum, quod erat antea definitum, tam per ſacros Canones, quàm poſt Juſtinianum; ideoque dum in privatis domibus ſacrificium Miſſæ offerri permittit, ſubau-

9. *Expunitur novella 4. Leon.*

subaudiendus est in casibus à jure permissis, vel cùm licentia Episcopi adest : tantùm enim Leo explicat jus, quod observandum est circa personas, quæ possunt in privatis ædibus Missam celebrare, quod antea declaratum non erat ; docetque in locis permissis hoc jus competere omnibus clericis, non solùm illis, qui nominatim oratoriis adscripti sunt, & veluti ibi instituti ; sed etiam aliis clericis adscriptis majoribus Ecclesiis : nam eo quod oratorium Episcopi auctoritate constructum est, aut ab eo concessa est licentia ibi Missam celebrandi, quilibet presbyter potest in eo Missæ sacrificium offerre. Nec huic solutioni obstat textus *in cap. Clericos, de consecrat. distinct. 1.* ubi statuitur, clericos Missam celebrantes in oratoriis privatis sine licentia Episcopi, deponendos esse : quasi specialis licentia desideretur, non solùm ut in loco sacro celebretur, verùm ut clericus habeat facultatem celebrandi. Quia dicendum est, alium potiùs esse illius canonis sensum, ut scilicet præcedere debeat licentia Episcopi circa locum, ubi celebrandum est ; non tamen circa personam celebrantis, quia in loco permisso, seu per Episcopum deputato quilibet celebrare potest.

10. *De Ecclesiæ forma.* Hucusque non solùm pium, utilemque, immò & necessarium esse Ecclesiarum usum probavimus ; verùm quia loca sacra non facit privata auctoritas, sed solennis, & publica, *l. in tantum 6. §. sacræ, ff. de rer. divis.* unde & templa Gentilium certis adhibitis ritibus dedicari moris fuit, ut probant Brissonius *lib. 2. antiquit. cap. 2. & 3.* & *de formulis lib. 1. fol. 125.* Stuckius *de sacrif. Gentil. fol. 56.* Ambianas *ad Tertul. in apol. cap. 13. observat. 2.* formam, & leges dedicationis aræ satis eleganter expressit Lipsius *inscript. 8. fol. 18.* & ex eo illustrat D. Joseph. Pellicer. *ad Polyphemum Gongoræ, fol. 154.* Sic in constructione templorum religionis Catholicæ multa observantur, ut divinis usibus Ecclesiæ mancipatæ ab humano commercio eximantur. Primò enim desideratur, ut ab aliis ædibus distincta sint, & separata templa, nullis aliis parietibus contigua, sicut insulæ in medio maris sunt : quare Ecclesia insula appellatur à D. Cyril. *in comment. ad Isaiam, cap. 24.* D. Hieronymo *in eundem Prophetam, cap. 49.* qui docent, ad templa Catholica respexisse Isaiam in illis verbis : *In insulis maris gloriam Domini Dei.* Deinde observari oportet, ut Ecclesiæ construantur in modum navis ; quod ab Apostolis acceptum tradit D. Clemens *lib. 2. constit. cap. 57.* & *in epist. ad Jacobum fratrem Domini* : plura tradit Crespetius *in summa, verbo Ecclesia*, ideoque ipsa universalis Ecclesia allegoricè navis appellatur, ut probat Turriscrem. *lib. 1. de Eccles. cap. 33.* quia, ut ait D. Ambrosius *sermon. 11. de mirabilib.* inter mundi procellas Ecclesia quos suscipit, servat illæsos. Latè illustrat Theophilus *tom. 2. sect. 5. cap. 6. fol. 510.* & nos notavimus *in cap. inter, de offic. ordin. num. final.* Deinde receptum apud veteres invenio, ut altare Ecclesiæ ad orientem collocetur, janua autem ad occidentem, ut Apostolica traditione receptum tradunt D. Clemens *lib. 2. constit. cap. 57.* Justinus Martyr, *q. 118.* D. Augustinus *lib. 2. de serm. Domini in monte, cap. 9.* ibi : *Cujus rei significandæ gratiâ cùm ad orationem stamus, ad orientem convertimur.* Sanctus Joannes Damascenus *lib. 4. de fide orthodox. cap. 13.* Tertul. *in Apolog. cap. 16. Ad orientem suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocui ; capite nudo, quia non erubescimus.* Origenes *homil. 5. in Numer. Quid genua flectimus orantes, & quod ex omnibus partibus cœli ad solam orientis plagam conversi orationem fundimus.* Sidonius Apollin. *lib. 2. epist. 10.*

Ædes celsa nitet, nec in sinistrum,
Aut dextrum trahitur, sed arce frontis
Ortum prospicit æquinoctialem.

Oportuit enim templa eo situ erigi, quia antiquus Christianorum usus ferebat orare ad Orientem, ut significaretur, quod sicut ea ex parte lux corporea advenit, ita orantibus lucem de cœlo affulgere : quam rationem assignat Walfridus *de rebus Eccles. cap. 4.* quamquam Gregorius Nyssenus *orat. 5. in Orat. Dominic.* censeat, eam esse professionem peregrinationis nostræ, quâ remigrare satagimus ad Orientem, situmque in eo paradisum, à quo excidimus. Damascenus verò *d. cap. 13.* habitam censet rationem situs Christi in cruce, in qua pependit facie ad Occidentem obversa, ut bene asserit Molanus *lib. 4. de imag. cap. 4.* & jam olim Lucas Tudensis *lib. 2. contrà Albigen. cap. 12.* ac Hugo Hetherianus *lib. 1. de regress. ad infant. cap. 14.* & probat Theophilus *de sancto Latrone, cap. 6. num. 7.* Quasi ergo ad Christum cruci affixum facies obverterent, orabant antiqui facie conversa ad Orientem. Illustrant Joan. Dartis *ad dist. de consecr.* Cabassutius *in not. Concil. ad Concil. Chalcedon. diatrib. de veterum Ecclesiar. forma*, Durantius *lib. 1. de ritibus Eccles. cap. 4.* Bellarminus *lib. 4. de cultu Sanctorum, cap. 3.* Menardus *in not. ad Sacram. D. Gregorii, pag. 156.* Elias Schedius *de Diis German. cap. 30. fol. 372.* qui probat latè, etiam apud Gentiles templa ad Orientem semper construi : quod & docuerunt D. Isidorus *lib. 15. orig. cap. 4.* Vitruvius *lib. 4. architect. cap. 5.* Quæ omnia ita cavenda sunt si commodè fieri potest ; aliàs si propter loci incommoditatem ita Ecclesia construi non potest, de his curandum non est, ut notavit Bellarminus *d. cap. 3. vers. Alterum.*

11. *De licentia proprii Episcopi.* Deinde in Ecclesiarum constructione & dedicatione adhiberi debet Episcopi auctoritas, aliàs sine ea domus prophana semper erit, nec poterit ministeriis ecclesiasticis deservire, *cap. nemo 9. de consecr. dist. 1. cap. de monachis 12. junctò cap. quidam 30. 18. quæst. 2. cap. 1. capite constitutus, de relig. domib. cap. olim 14. de privil. authent. de monachis*, §. *illud, collat. 3. authent. de Eccles. tit.* §. *si quis autem, collat. 9. cap. penult. de præscript. l. 2. tit. 10. partit. 1.* & ab eo debet consecrari, ut ab ipso tantùm, vel ab his, qui Episcoporum vice funguntur, consecrantur res sacræ, ut constat ex variis auctoritatibus congestis à Balsamone *in nomocan. Photii, titul. 2. cap. 2. pag. 47.* Anton. Augustin. *in epit. jur. lib. 13. titul. 4.* probat Moscon. *de Majestat. Eccles. 1. part. cap. 8.* §. *2.* Bellarmin. *lib. 3. tom. 1. controvers. cap. 5. & 6.* Barbosa *de jure ecclesiast. lib. 2. cap. 2. & de potestat. Episcop. allegat. 27.* qui ad calcem ipsius operis refert formam consecrationis Ecclesiæ. Hallierius *de Episcopor. institut. lib. 2. cap. 4.* Unde Episcopus debet apponere primarium lapidem, locum altaris, & atrium designare, *l. finali, C. Theodos. de Pagan. novel. 5. Justin. capite 1. & nov. 123. capite 33.* & crucem figere,

re, *dict. cap. nemo*, *dict. novel. 5. & 67. cap. 1.* quæ crucis fixio dicitur Stauropegium *in dict. novel. 5. cap. 1.* Illustrant Grethserus *lib. 2. de cruce, cap. 14.* Germonius *lib. 2. de sacror. immunit. cap. 1.* & *lib. 3. cap. 1.* Meursius *in glossar. verbo Stauropegion*, Filesac. *in cap 7. de offic. Ordin. §. 1.* Zerda *in advers. cap. 127. num. 8.* quam dedicationem facere debet convocatis presbyteris. Concil. Auriac. *can. 10.* Gregorius Turon. *de gloria Confess. cap. 20.* Fortunatus *lib. 3. ad Felicem, de dedic. Eccles.* cum precibus ad id institutis recitatis, *dict. authent. de monachis, §. illud, dict. l. 2. partit.* ut etiam apud Gentiles in more fuit spatium illud, quod templo dicabatur, priùs solennibus sacrificiis lustrare. Episcopus debet esse proprius loci, ubi Ecclesia construitur. Concil. Auriac. *dict. can. 10.* ibi: *De dicatio illi omni modo reservatur, in cujus territorio Ecclesia assurgit.* Aurelian. *can. 1. & 3.* Wormat. *can. 1.* probant Savarus *ad Sidon. lib. 4. epist. 15.* Corjolanus *in not. ad can. 14. Apost.* Poterit tamen Episcopus munus hoc alii committere, ut probat Glossa *in dict. cap. nemo, verbo Veniat*, Azor *p. 2. Instit. lib. 9. cap. 3. quæst. 8.* Nec tunc obstant textus *in cap. de locorum 4. cap. præcepta 5.* cum tribus sequentibus, *de consecr. dist. 1.* ubi statuitur, Ecclesias non posse dedicari sine summi Pontificis licentia, seu Sedis Apostolicæ auctoritate; unde deducitur, non sufficere Episcopi consensum. Pro cujus difficultatis solutione varia adduxerunt Glossa, & Turrisrem. *ibi*, Suarez *de sacram. disput. 81. sect. 2. §. dico.* Sed dicendum est, ad constructionem, & dedicationem Ecclesiarum sufficere auctoritatem Episcopi diœcesani, *dict. cap. nemo, ead. dist. 1.* sed ad constructionem Ecclesiarum in universo orbe desiderari Pontificis licentiam, quia Episcopi tantùm in suis diœcesibus ipsam præstare possunt, ut docuerunt P. Gregor. *lib. 1. partit. titul. 4 cap. 9.* Germonius *lib. 1. de sacror. immunit. cap. 2.*

12. *De altari & ejus consecratione.*

Nec solùm Ecclesiæ publicè construi, & dedicari debent, verùm & altare consecrari oportet, nec aliter ibi Missæ sacrificium celebrari potest, *cap. nullus 25. cap. concedimus 30. de consecr. dist. 1.* latè probant Jodocus Coccius *lib. 6. thesaur. artic. 9.* Monchiacenus *de sacrif. Missæ, 2. p. cap. 10.* P. Henao *eod. tract. tom. 2. disput. 24. sect. 1.* Ab altitudine altare appellari, quasi alta ara, voluit Servius *ad lib. 2. Virgilii*, ad illud: *Nec quicquam altaria*: & confirmant Macrobius *lib. 3. Saturn. cap. 3.* Vitruvius *de architect. lib. 4. cap. 5.* unde ab altitudine tribunalis altare tribunal dici solet, *l. final. C. Theodos. de relat. l. 8. eodem C. de sicar. l. final. eod. C. de locat. fundor. novel. 4. Valentin. novel. Anthemii, de his qui se servis junxerunt.* Ara verò à rogationibus appellatur: licèt apud Gentiles illud discrimen daretur inter aram, & altare, quòd ara erigebatur Diis superis, & inferis; altare verò solùm superis. Macrobius *lib. 3. Saturn. cap. 2.* Illustrant Stuckius *de sacrif. fol. 64.* Mendoza *in virid. lib. 8. sect. 8. de forma aræ, & modo eam erigendi.* Plura adduxerunt Beyerlinck. in theatro, verbo *Altare*, Bulengerus *lib. 3. opusc. de templis, cap. 24.* Theophilus *tom. 4. lib. 4. sect. 3. cap. 1. fol. 359.* Lipsius *in notis ad Tacitum, lib. 1. not. 75.* D. Joseph. Pellicer. *ad Polyph. Gongoræ, pag. 152.* Altaria verò duplicis generis sunt, alia fixa, & magna, cum tota mensa sacrificiis destinata consecratur; alia verò minora, quæ vulgo *aras* dicimus, quæ ad minus capere debent calicem, & patenam, & desideratur ut sint lapidea, *cap. altaria 31. de consecr. distinct. 1. l. 12. titul. 10 partit. 1.* S. Gregorius Nyssenus *orat. in Christi baptismum: In hoc altari, sanctum, cui assistimus, lapis est suâ naturâ communis, nihil differens ab aliis cæteris, ex quibus nostris exstruuntur parietes, & pavimenta ornantur: sed quoniam Dei cultui consecratus est, & benedictionem accepit, mensa sancta est, altare immaculatum.* Illustrant Cironius *in parat. ad hunc tit.* Sausay *in Pan. sacerd. sup. fol. 478.* Joannes Dartis *ad dist. 1. de consecr.* P. Henao *dict. disputat. 24 sect. 1.* Non tantùm propter rationes mysticas, videlicet quod Christus, qui in altari consecratur, petra dicitur apud D. Paulum *epist. 1. ad Corinth. cap. 10.* & quia in sepulchro lapideo fuit reconditus, quas adducunt Glossa *in dict. cap. altaria*, D. Thomas *3. part. quæst. 83. artic. 3.* sed ut diu serventur illæsa, novaque non indigeant consecratione, ut observavit Turrisrem. *in eodem textu.* Nec obstat quod in lege veteri altaria lignea erant, *Exodi cap. 22.* aliquando aurea, *lib. 3. Regum, cap. 7.* nonnunquam terrea, *Exodi cap. 20.* Pineda *de rebus Salomonis lib. 5. cap. 8.* Quia respondetur, quod in lege gratiæ designari debuit materia communis, ex qua apud omnes gentes altaria erigerentur, quæ diuturno tempore sacrata manerent, & in quibus cum debita reverentia sacrificium offerri posset. Nec etiam obstat textus *in cap. concedimus, de consecr. dist. 1.* ubi docetur, sacramentum altaris confici posse in tabula, si necessitas adsit. Nam textus ille accipiendus est quando mensa altaris ex tabulis confecta habet lapideum altare mobile consecratum, ut hodiepassim contingit, & contra Molineum talem usum probat Sausay *in Panopl. sacerd. p. 1. lib. 1. cap. 1.* nam totum lapideum altare tabula dicitur *in cap. ligneis 6. hoc tit.* & ipsa ara tabella appellatur infrà *in cap. quod in dubiis.* Est ergo sensus prædicti canonis, ut in publica necessitate liceat extra Ecclesiam celebrare, si tamen subsit altare cum reliquis ad sacrificium necessariis. Frances *de Eccles. Cathed. cap. 5. num. 118.* Martinez à Prado *de Eucharist. quæst. 83. dub. 18.*

13. *De ritibus superstitiosis, & sacrilegis.*

Ecclesiarum verò, & altarium hanc consecrationem perrident hæretici, quasi vanam, & superstitiosam, videlicet Magdeburgenses *cent. 4. ipsius cap. 6.* Calvinus *lib. 3. instit. cap. 20. §. 30.* & sectarius alii apud Jodocum Coccium *dict. artic. 9.* quos doctè refellit Turrianus *lib. 2. pro canonib. cap. 19. & 20.* nec fundamenta alia confingunt, quàm quod sunt res inanimes, gratiæ Dei expertes, & quod ritu vano & superstitioso consecratio peragatur. Sed facile ipsi refelluntur, quia hic consecrationis usus concorditer receptus fuit, tam in lege naturæ, & veteri, quàm in lege gratiæ. In lege naturæ, nam ut habetur *Genesis cap. 28.* Jacob erexit lapidem, ut ibi sacrificaret, eumque consecravit fundens oleum desuper, & appellavit domum Dei. In lege scripta Moyses consecravit oleo sacro, aliisque cæremoniis tabernaculum, altare, & omnia vasa sacra. *Exodi cap. 40.* & *Numeror. cap. 7.* refertur *in cap. 2. de consecr. dist. 1.* & tradit Pecavius *de hierarch. Eccles. lib. 3. cap. 5.* Et in lege gratiæ est præcepta, & simul recepta consecratio Ecclesiarum, & altarium, *dict. cap. altaria, cap. Ecclesias, de consecr. dist. 1.* cum aliis congestis à Bellarmino *dict. lib. 3. cap. 5.* Solennitates autem, quibus

Eccle-

Ecclesiæ, & Altaria consecrantur, ut constat ex Fulberto *epist. ad Adeodatum*; P. Damian. *serm. 1. & 4. de Eccles. dedic.* Blesensi *serm. 36.* S. Bernard. *serm. 1. de Eccles. dedic.* S. Augustino *serm. 53. 55. & 252.* S. Victore *lib. 2. de sacram. p. 5. cap. 2. & 3.* quarum mysticam significationem recensere operosum potiùs quàm utile esset; referre tamen sat erit. Et quidem in consecratione templorum hæc interveniunt. Primò vicini Episcopi advocantur, saltem duo. Savarus *ad Sidonium lib. 4. epist. 25.* licèt unus sufficiat. Theophilus *tom. 16. in Heteroc. p. 2. punct. 8.* Secundò accenduntur duodecim candelæ in circuitu Ecclesiæ, juxta parietes templi. Tertiò Episcopus ter circuit templum, & cùm ad portam accedit, ter superluminare percutit baculo pastorali, & tunc ostium aperitur. Quartò ingreditur Pontifex templum. Quintò cinere consperso per pavimentum Ecclesiæ, baculo pastorali scribit Episcopus alphabetum Latinè, & Græcè, usque ad A. B. C. incipiens à cornu altaris sinistro usque ad partem ostii dexteram, & finiens in modum crucis à cornu altaris dextro usque ad partem ostii sinistram: debet autem admixtus esse cinis cum vino, sale, & aqua benedicta. Sextò unguntur oleo sacro cruces duodecim in parietibus depictæ, quarum tres respicere debent ad orientem, tres ad occidentem, tres ad septentrionem, & tres ad meridiem: quas cæremonias proponunt, & explicant Alfonsus noster *in l. 14. & seqq. tit. 10. p. 1.* Bellarminus *dict. cap. 3. §. quin ergo, & sequent.* Durantius *dict. cap. 24. num. 8.* Carrier. *tom. 2. Digest. fid. cap. 8.* Vicecomes *tom. 3. de Missæ ritibus, lib. 2. cap. 23.* Menardus *ad Sacram. D. Gregorii, fol. 194.* Frances *de Eccles. Cathed. cap 34. de dedic.* Turriscrem. *in cap. omnes, de consecr. dist. 1.* Antoninus *3. part. tit. 12. cap. 6.* Hugo à Sancto Victore *de sacram. 5. p. cap. 2. & 3.* Guill. Durantius *lib. 1. ration. cap. 7.* Joan. Dartis *ad dist. 1. de consecr.* In consecratione altarium plura alia interveniunt. Primò Episcopus incipit adjutorium petere à Domino: Secundò aquam benedicit: Tertiò aquâ ipsâ quinque cruces facit in altari; in medio unam, in cornibus reliquas quatuor: septies Episcopus altare circuit; deinde ponit reliquias cum tribus granis thuris: incensum in ipso altari cremat; altare ungit chrismate, deinde illud operit; & involvit lineis pannis, & tandem illud benedicit: quarum cæremoniarum rationem explicant Doctores suprà laudati; & Turriscrem. *in dict. cap. altaria*: unde descendit, templa sancta, & religiosa loca esse, veneratione, & cultu digna, quia consecrationis solennitate sacra efficiuntur, & sunt divinâ speciali virtute prædita, ab spiritibus immundis libera, & Angelorum ministerio sociata, ut probant Bellarminus *dict. cap. 5. vers. 3.* Suarez *de Sacram. disput. 81. sect. 2. §. Dico secundo.* Et quamvis gratiam Dei non suscipiant, quasi res inanimatæ, & irrationales; attamen per consecrationem assequuntur quandam spiritualem virtutem, quâ disponuntur, & redduntur aptæ divino cultui; suntque congruentiora ad illum finem aliis prophanis locis. D. Thomas *3. p. quæst. 83. artic. 3.* Suarez, & Durantius *suprà*. Sed licèt olim omnes Ecclesiæ consecrarentur, hodie autem similes consecrationes non sunt ita frequentes; sed earum loco successit benedictio; quia faciliùs Ecclesiæ benedicuntur, quàm consecrantur; & si fuerint pollutæ, facilius etiam reconciliantur, *cap. final. hoc tit.* Etiam olim altare consecrari potest absque eo, quod in eo reliquiæ includantur, quod olim fieri nequibat, *cap. placuit 26. de consecr. dist. 1.* probant latè Antonius Augustinus *in epit. jur. lib. 16. tit. 3.* D. Sancius de Avila *de vener. reliq. lib. 3. cap. 1.* Zerda *in advers. cap. 98.* Duceus *in not. ad epist. 22. D. Paulini, fol. 48. linea 1.* Menardus *ubi suprà*; Vivar. *post notas ad Marcum Maximum, in tract. de vener. Sanct. §. 1.* Ferrandus *lib. 1. disquisit. reliq. cap. 3. sect. 2.* & *cap. 9. artic. 1.* Quare altaria tantùm unctione Chrismatis, & benedictione sacrantur, *cap. altaria, de consecr. dist. 1.* Probat Schacus *de vener. Sanct. cap. 4. sect. 10.* Stuckius *in not. ad Arrianum, fol 75.*

Ex his apparet vera ratio præsentis decisionis; nam cùm altare, ubi sacrificium Missæ offertur, debeat esse consecratum; ex suprà traditis; & consecrationem retinere, *ex cap. proposuisti 4. hoc tit.* si eam non retineat, immò motum sit, vel fractum, ita ut veterem usum, & formam amittat, debet denuò consecrari. Idem etiam dicendum est de Ecclesia, nam novâ indiget consecratione, si ejus parietes incendio, aut terræmotu ceciderint, *dict. cap. Ecclesias 20.* latè probat P. Henao *tom. 2. de sacrif. Missæ, disp. 23. sect. 7.* quod non procedit, si Ecclesia reficiatur, parietes autem salvi maneant, *cap. ligneis 6. hoc tit.* & utrumque optimâ ratione; nam cùm destruitur locus, consecratio ipsa evanescit, *cap. si motum 19. de consecr. dist. 1.* Cùm autem locus salvus manet, licèt refectus, & aliis tabulis reparatus, non est ratio cur dicamus virtutem consecrationis amittere. Nec dici potest, omnem locum consecratum manere, quoties pars aliqua consecrata remansit, ut magis dignum accessione quadam trahat ad se minùs dignum, *cap. quod in dubiis, hoc tit.* quia hoc procedit quando res prophana sacræ commiscetur, ita ut discerni, & separari una ab alia non possit; cùm autem distingui potest, non intelligitur accessionis vice esse sacra: unde si motum fuerit altare, & ita amiserit consecrationem, illud tantùm consecrari debet, non autem Ecclesia, quæ sacra adhuc manet.

14. *Traditur ratio decidendi.*

Nec obstat dubitandi ratio deducta ex auctoritatibus Anselmi, & Ivonis; nam argumento formato ab Anselmo respondetur, durationem consecrationis in Ecclesia non dependere à consecratione altaris, cùm æquè principaliter se habeat, nec in hac parte datur quid accessorium; unde etiam moto, seu fracto altari, durat consecratio Ecclesiæ. Ratiocinio etiam Carnotensis respondetur, argumentum illud tantùm esse metaphoricum, seu mysticum, unde non est deducendum ad realem consecrationem altaris, vel Ecclesiæ: Nec tandem obstant textus *in dict. cap. si motum, cap. de fabrica*: pro quorum expositione dicendum est quoad primam partem, quæ habet, moto altari, Ecclesiam violari; in ea quæstione Pontifices dissensisse, & secundùm doctrinam antiquorum canonum Ecclesiam violatam censeri cùm violatur altare, *ex dict. cap. si motum*: sed canones noviores, quibus standum est, ab ea sententia discedentes, declarasse hunc violationis casum non extendi ad Ecclesiam, sed tantùm ad ipsum altare: unde in præsenti textu sic ait Pontifex, *licèt quidam canones aliud innuere videantur*, respiciens ad dictos canones *si motum*, & *de fabrica*, ut jam notavit Vazquez *3. p. in 3.*

15. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

in 3. part. disput. 233. quæst. 83. cap. 2. & ita juxta præsentem text. m dicendum est, quod si altare consecratum movetur è loco ubi consecratum est, & in alium transfertur, aut in sua forma mutatur, vel sigillum altaris mutationem sustinet, novâ indiget consecratione; non tamen ideo Ecclesiæ consecratio iteratur: ex translatione verò, seu mutatione altaris portatilis non datur ipsius violatio, *cap. concedimus 30. de consecr. dist. 1.* nisi ipsum frangi, aut major ex parte destrui contingat, juxta ea, quæ adducit P. Henao *tom. 2. disput. 24. sect. 3.* Quod attinet ad secundam partem, difficilior est sententia textus *in dict. cap. si motum*, quatenus dicit, quod si parietes mutantur, & non altare, sale exorcizetur Ecclesia; nam omnem consecrationem redintegrandam esse probat textus *in dict. cap. Ecclesiis.* Sed est dicendum, sententiam dicti capitis *si motum*, procedere quando non mutantur funditus parietes, sed major pars conseerata salva remansit, ut probat Glossa *ibi*, verbo *Mutatur*; nam si funditus everterentur, & denuò exstruerentur, integrè esset conficienda consecratio, *dict. cap. Ecclesiis*: immò addendum est, quod cùm major pars consecrata salva remanet, ex consilio tantùm fit reconciliatio, non autem ex præcepto. Unde exponendus est textus *in cap. ligneis 6. hoc tit.* dum ait, neque Ecclesiam, nec altare esse iterum consecrandum, si parietibus Ecclesiæ illæsis, & mensâ altaris modicam passâ fracturam, lignea ædificia Ecclesiæ consumpta fuerunt; non enim mutatione altaris Ecclesia violaretur, aut altare Ecclesiæ mutatione; sed reddendo singula singulis, ideo nulla est violatio altaris, aut Ecclesiæ in specie, quia neque in altari contingit casus violationis, quia modica fuit fractura, & ad violationem intervenire debet mutatio, aut fractura in majori parte: in Ecclesia quoque nulla intercessit violatio, quia parietes non mutantur, quod exigitur ad violationem, ex supra traditis. Non tamen est omittendum discrimen, quod in hac parte versatur inter jus civile, & ecclesiasticum; nam jure civili infimum etiam solum aræ ipsius templi consecrabatur, juxta duas formulas consecrationis, quas refert Brissonius *de formulis, pag. 115.* unde ædes sacræ manebant jure Romanorum Gentilium etiam post dirutum ædificium, *l. ædes sacra 73. ff. de contrah. emption.* §. *sacræ, vers. Locus, Instit. de rer. divis.* Seneca *de consolat. ad Helviam, cap. 13. in fine.* apud nos verò juxta sacros canones domus dedicatur, ut talis, & ut Ecclesia fiat; quare in forma ipsa consistit consecratio, eaque peremptâ, penitusque collapsâ, desinit locus sacer esse, *cap. de fabrica 24. de consecr. dist. 1.* unde usu evenire cernimus, ut ædificia, quæ olim sacris usibus erant dedicata, formâ veteri amissâ, vel penitus collapsâ, redigantur ad prophanos usus, & in privatorum dominio permaneant, quia exeruntreligionem: docent Azor. *instit. mor. part. 2. libro 10. cap. 26. quæst. 12.* Barbosa *de potest. Episcop. alleg. 27. ex num. 14.* Canisius *ad hunc titul.* aliàs consecratione manente, non potest locus ipse ad humanos usus transferri, *capite nulli 4. 12. quæst. 2. cap. semel. 4. 19. quæst. 3. cap. comperimus 2. 14. quæst. 6. cap. ligna 38. cum sequent. cap. vestimenta 42. de consecr. dist. 1. cap. semel. 51. de R. I. lib. 6.* & jure civili locus sacer prophanus fiebat, si ex lege, vel Senatusconsulto locus ipse alibi transferebatur, ut constat ex Plinio *lib. 10. epist. paulò post medium*; quo modo accipit textum *in l. intra 83 §. sacram. ff. de V. O.* in illis verbis: *Si res sacra lege aliquâ prophana fiat*, D. Joseph. Retes *in repetit. prælect. ad ipsum textum, num. 12.* Alio etiam modo apud ipsos solvebatur locus sacer religione, videlicet, si numina, quæ ibi colebantur, solenni carmine evocarentur, quod ex Macrobio, & Servio refert Brissonius *lib. 1. de formulis, pag. 63. & 64.* Illustrant P. Faber *lib. 2. semestr. cap. 4.* alii apud Osualdum *lib. 4. Donelli, cap. 1. lit. P.* cujus evocationis creditur extare vestigium *in l. sacra, §. illud, ff. de rer. divis.* quæ evocatio plerumque fiebat in oppugnatione urbium hostium, ut de Bejorum urbe narrat Livius *lib. 5.* & de Carthaginensibus carmen ipsum refert Macrobius *lib. 3. Saturn. cap. 15.* quia sacra loca ab hostibus capta prophana censebantur, nec victor eorum religione tenebatur, *l. cùm loca 36. ff. de religios.* superstitiosè enim ipsi credebant Deos sponte sua ab urbibus devictis aufugisse, ad victoresque se transtulisse: quod delirium illustrat Zerda *ad lib. 2. Æneid. Virgil. vers. 351.* Apud nos verò loca ipsa Deo dicata semper in iis casibus sacra manent, *cap. pastoralis 13. quæst. 1. cap. prima actione 26. quæst. 3.* docet de Joseph. de Retes *lib. 6 opusc. cap. 2.*

CAPUT II.

Idem (a) *Tornacensi.*

TUa fraternitas requisivit à nobis, utrum tibi dedicatione Ecclesiarum, tam diebus Dominicis, quàm privatis liceat celebrare? super quo tibi duximus breviter respondendum, quod in diœcesi (b) tua, tam Dominicis diebus, quàm privatis, tibi Ecclesiis dedicationes impendere licet.

NOTÆ.

1. (a) *Tornacen.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. de dedic. Ecclesiarum, cap. 1.* De diœcesi Tornac. nonnulla notavi *in cap. 7. de rescript.*

(b) *Diœcesi tua.*] Altarium, ac ædium sacrarum inaugurationes solis licet aggredi Pontificibus, in quorum diœcesi consecrantur, *cap. nemo, cap. his ergo 14. cap. nullus 25. de consecr. dist. 1. cap. 28. 7. quæst. 1.* Concil. Arausic. *can. 100.* ibi: *Dedicatio illi omni modo reservatur, in cujus territorio Ecclesia assurgit.* Aurel. *1. can. 1. 3. & 8.* ibi: *Pontifex si obierit, nullus Episcopus, &c. aut in civitate, aut per parochias altaria audeat consecrare; si fecerit, anno integro Missas facere non præsumat.*

Worm. *can. 1.* quod & in conſecratione perſonarum, & aliarum rerum ſimiliter definitur *in cap. 1. §. ad Epiſcopum, 25. diſt. cap. quamvis, 68. diſt. cap. quod ſedem 10. de offic. ordin. cap. penult. §. Chriſma, de præſcript.* Savarus ad Sidonium *lib. 4. epiſt. 15.* Ant. Auguſt. *lib. 4. in epit. tit. 48.* & notavi ſuprà *in cap. 1. de relig. domibus*; & ſi quidem ab alieno Epiſcopo contrarium temerè præſumptum fuerit, conſecratio quidem tenet in hoc, ut manente ſuo ſubjecto, nunquam deleri poſſit: quem ſacramentalem effectum appellavit D. Thomas 2. *2. quæſt. 39. artic. 3. in concluſ.* & ſic accipiendum eſt Anacleti decretum *in can. Epiſcopus in dioceſim, 7. quæſt. 1.* ſed temerè conſecranti, præter ejus, quod intereſt in civilem exactionem, perpetuò inſuper depoſitionis pœna ipſo jure irrogatur, ſi ſpectemus Concilii Antiocheni antiquam ſeveritatem, *cap. nullum, 9. quæſt. 2.* vel certè exercitii Pontificialium per annum ſuſpenſionis, ex Concilio Aurel. ſuprà relato, & Trident. *ſeſſ. 6. olere form. cap. 5.* & *ſeſſ. 14. cap. 2.* & *ſeſſ. 23. cap. 8.* immò Eccleſiam ipſam aliquando legimus divinitus everſam; nam Rodolphus Glaber refert, ventis, ac tempeſtate disjectam, & diſſipatam Eccleſiam monaſterii Lucanenſis in pago Turonico, quam Fulgo Andegavorum Comes exſtruxerat; cùm eam Petrus quidam Cardinalis contra voluntatem Hugonis Turonenſis Archiepiſcopi conſecrare meditaretur: quod ita refert Glaber monachus; & cùm multi per regionem factum comperiſſent, nulli venit in dubium, quoniam inſolens præſumptionis audacia irritum conſtituiſſet votum, ſimulque præſentibus, ac futuris, ne huic ſimile agerent, evidens indicium fuit.

COMMENTARIUM.

ECcleſiam conſtructam conſecrandam eſſe divinis precibus definitur *in cap. 1. cap. Eccleſias 13. cap. omnes, de conſecr. diſt. 1.* à D. Clemente *epiſt. 2. ad Jacobum*, Euariſto apud Burchardum *lib. 3. Decret. cap. 27.* & uſum illum invaluiſſe à temporibus Apoſt. tradunt Euſebius *lib. 4. de vita Conſtant. cap. 40.* & *lib. 10. cap. 3.* Theodor. *libro 1. cap. 30.* & docent Durantius *lib. 1. de ritibus Eccleſ. cap. 24.* Cochier *in face hiſt. cent. 2. cap. 89.* eamque perficere poſſe Epiſcopum, tam diebus Dominicis, quàm feriatis, in præſenti docet Innocentius, dum tamen Miſſæ ſacrificium offeratur, *cap. omnes 3. de conſecr. diſt. 1.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg. 27.* quam ipſe celebrare poteſt, vel alii presbytero committere; dum tamen Epiſcopus conſecrationis ritum expleat, *l. 18. tit. 10. partit. 1.* quia hæc facultas competit Epiſcopo ratione ordinis; & ita delegare non poteſt, ut dicemus infrà *in cap. aquam 9.* In noſtra verò Hiſpania contrarium, immò tantùm diebus Dominicis conſecrationes Eccleſiarum fieri poſſe, non ſine ratione ſtatutum fuit in Concilio Cæſarauguſt. *can. 1.* his verbis: [In ſanctum & ſatis venerabile Concilium reſidentibus nunciatum eſt nobis, quod aliqui Pontifices regulam veritatis prætermittentes, Eccleſias, quæ à fidelibus piâ devotione conſtruuntur, extrà diebus Dominicis conſecrent. Si ergo cùm quiſque noſtrum mortalium ad ſacerdotale promovetur officium, nullatenus patimur, ut in reliquis diebus, niſi tantùm Dominicis feſtivitatibus, ii qui honoris digni habentur officio, in ordine præficiantur Eccleſiaſtico, quantò magis ut deificata ſancta templa, quæ ab hominibus fidelibus cenſentur honorificanda, ſine diebus Dominicis perhibeantur conſecranda? cujusque ergo talium præſumptiones Pontificum non ſolùm Sanctorum Patrum cohiberemur prohibere ſententiâ, ſed propriâ deliberatione cenſemus, ut nulli penitus Pontificum in quibuscunque provinciis conſtitutis à modò liceat præter certis diebus Dominicis Eccleſias ſanctas conſecrare.]

CAPUT III.

Idem (a) *Nidroſienſi Epiſcopo.*

QUod in dubiis. *Et infrà:* Altare verò, in quo tabula, cui conſecrationis benedictio Pontificali miniſterio adhibetur, ſemota fuerit, vel enormiter fracta, debet non immeritò (b) conſecrari: nec negamus, quin oleum non conſecratum conſecrato poſſit oleo commiſceri.

NOTÆ.

(a) *Nidroſienſi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub tit. de dedicat. Eccleſ. c. 2.* & *in cap. quod in dubiis, de renunc.* ubi alias partes hujus decretalis congeſſi.

(b) *Conſecrari.*] Priorem hujus textus partem expoſui ſuprà, *in cap. 1.*

COMMENTARIUM.

IN ſecunda parte hujus textus docet Innocentius, oleum prophanum non conſecratum poſſe miſceri cum conſecrato, ad ſacramentum Extremæ unctionis adminiſtrandum: quod & de aqua benedicta docuit noſter Innocentius *lib. 4. de ſacro altaris myſterio, cap. 32.* ubi ait: *Aqua pura per aquæ benedictæ contactum efficitur benedicta.* Illuſtrant Trullench. *de ſacram. lib. 5. cap. unic. dub. 2. num. 3.* Decaſtillo *eod. tract. tom. 1. tract. 7. diſputat. 1. dub. 7. num. 74.* Diana *p. 11. tract. 3. reſol. 15.* P. Henao *tom. 2. de ſacrif. Miſſæ, diſp. 27. ſect. 10.* Barboſa *de jur. eccleſ. lib. 3. c. 3. n. 43.* Homobonus *in examine, tract. 4. quæſt. 97.* Grethſerus *lib. 2. de benedict. cap. 20.* Theophilus *tom. 16. in Heterocl. ſpirit. p. 5. in fine:* non tamen inde inferas, vinum non conſecratum admixtum cum conſecrato tranſire in ſanguinem Domini, ut aliqui arguebant, referente ipſo Innocentio *in capite cùm Marthæ, §. quæſiviſti, de celebratione Miſſarum*, illis verbis: *Quidam autem voluerunt adſtruere, quod ſicut aqua pura per aquæ benedictæ*

contactum

contactum efficitur benedicta; sic vinum per sacramenti contactum efficitur consecratum, & transit in sanguinem. Nam ratio differentiæ ex eo provenit, quòd vis convertendi vinum in sanguinem Christi non est concessa mixtioni, sed verbis consecrationis, quæ non operantur nisi quando proferuntur physicè, & circa materiam tunc præsentem: nec est simile in aqua benedicta, aut oleo consecrato, seu benedicto; quia illa benedictio nullam immutationem facit circa substantiam aquæ, sicut facit consecratio circa vinum, ut docuit D. Thomas *3. p. quæst. 77. articul. 8.* cujus sensus est, benedictionem aquæ, vel olei per preces, & orationes Ecclesiæ non immutare physicè oleum, seu aquam; sed solùm moraliter in ordine ad peculiares usus sacros, remanente substantia aquæ, vel olei; ideoque ex Ecclesiæ dispositione posse materiam illam extendi ad aliam aquam puram, vel oleum non consecratum commixtum consecrato. Quatenus tamen, & qua in parte remaneat sanguis Christi, exponunt Theologi, Gamacheus Doctor Sorbonicus *quæst. 77.* Gregorius de Valentia *disput. 6. quæst. 5. punct. 3.* Cardin. Lugo *de Eucharist. disput. 10. sect. 3. num. 41.* Barnal. *de sacram. disputat. 36. sect. 6. num. 53.* Vazquez *3. p. in 3. p. disput. 395. cap. 6.* Suarez *de sacram. disput. 54. sect. 2.* Henao *de Eucharist. disputat. 6. sect. 5.* Dubium autem est, utrum si oleo consecrato admisceatur major quantitas olei non consecrati, adhuc remaneat totum consecratum? Et affirmativam sententiam, videlicet manere consecratum, docuit Magister Hinojosa *in direct. decis. regul. fol. 49.* quæ sententia in recta Philosophia fundari potest; siquidem quando duo liquores, qui admiscentur, sunt ejusdem speciei, habentque qualitates valde similes ejusdem virtutis, & vigoris, ut duo vina alba, vel duo olea, ex admixtione nulla fit corruptio, nec resultat aliquod tertium, sed est unio, & continuatio illarum partium: & quamvis major quantitas superaddatur minori, cùm non habeant contrarietatem qualitatum, non miscentur per mutuam actionem & passionem, nec major quantitas destruit minorem; sed per divisionem partium quantitativarum, subintrans alter liquor illorum dividit per commotionem partes alterius; unde oleo non consecrato superaddito etiam in majori quantitate oleo consecrato, totum remanebit consecratum. Sed contrarium prorsus tenendum est, videlicet, quod si oleum id, quod additur, superet, vel etiam æquale sit, & confestim addatur, non remanet totum consecratum; si autem sensim fiat additio, semper censetur esse idem, quod immediatè ante fuit, ut docuerunt Joannes à Cruz *in direct. conscientiæ de Extrema unct. dub. 6. concluſ. 1.* Petrus de Ledesma *in summa, tract. de Extrema unct.* Trullench. *de sacram. libro 5. cap. unic. dub. 2. num. 3.* Diana *p. 11. tract. 3. resol. 15.* Apud Gentiles verò non solum accedente commixtione totum vinum sacrum fiebat, verùm etsi quid sacrificandi causâ de dolio demeretur, totum dolium sacrum fiebat. Arnobius *adversus Gentes lib 7. Mactus hoc vino inferio esto. Inferio, inquit Trebatius, verbum ex causa est additum, eaq; ratione profertur, ne vivum omne omnino, quod in cellis, atq; apothecis est conditum, ex quibus illud quod effunditur, promptum est, esse sacrum incipiat, & ex usibus eripiatur humanis.* Observat Meril. *lib. 2. observ. c. 5.*

CAPUT IV.

Idem (a) *Compostellano Archiepiscopo.*

PRoposuisti nobis in nostra præsentia constitutus, quod venientibus ad Ecclesiam B. Jacobi ex diversis (b) regionibus peregrinis, & volentibus aliis ab alteris per contentiones, & rixas altaris de nocte custodiam vindicare, homicidia contingunt interdum, & aliquando vulnera inferuntur: propter quod humiliter postulasti, ut aliomodo, quàm per (c) reconsecrationis beneficium dignaremur ipsi Ecclesiæ providere. Manente igitur Ecclesia, & altari, s. t. insinuatione præsentium innotescat, quòd ipsa reconciliari poterit per aquam cum vino, & cinere benedictam.

NOTÆ.

(a) *Compostellano.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub tit. de dedicat. Eccles. cap. 3.* id est, Petro Archiepiscopo, de quo egi *in cap. ex parte, de censibus.*

1. (b) *Regionibus.*] Ita legendum est, non *religionibus*, ut legitur in hac sexta compilatione; nam ibi confluunt peregrini, non solùm ex Hispania, verùm ex Gallia, Italia, & aliis nationibus, & plerumque pervigilant in eadem Ecclesia: unde rixæ, & contentiones plerumque oriuntur. Et quia aliquando injiciebantur manus violentæ in clericos, concessit noster Innocent. III. eidem Petro, ut possit eos absoluere ab excommunicatione ex tali violenta manuum injectione incursa, in epistolis editis apud Sirletum, *fol. 370.* [Ad nostram noveris audientiam pervenisse, quòd in diœcesi tua manus injicientes in clericos violentas, cùm à Sede Apostolica minimum sint remoti, propter ætatem, & infirmitatem illuc nonnunquam vix accedere valent absolutionis beneficium petituri. Ut autem excommunicatos hujusmodi ad nos non valentes propter impedimenta, quæ præmisimus, proficisci, & mulieres clericos verberantes absolvere tibi liceat in diœcesi tua, fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus: nisi fortè ipsorum excessus ita gravis fuerit, & enormis, quòd propter hoc censura sit Sedis Apostolicæ requirenda. Nulli ergo, &c.]

(c) *Reconsecrationis.*] Consecratum enim fuit templum hoc die 5. Maji anno Domini 868. à septemdecim Episcopis, & interfuit Ildefonsus Magnus Castellæ Rex unà cum conjuge Seme-

ni,

na, ut conſtat ex ſcriptura ipſius conſecrationis, quam edidit Caſtel. Ferrer. *in hiſt. S. Jacobi, fol. 460.* Commentarium hujus textus dabimus infrà *in cap. conſuluit.*

CAPUT V.

(a) Idem.

CUm ſis. *Et infrà:* Noveris igitur, quod plura in Eccleſia una altaria, & plures (b) Epiſcopos ſimul poteris conſecrare.

NOTÆ.

1. (a) *Idem.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub tit. de auctorit. & uſu pallii*: & *in cap. cùm ſis, eod. tit.* in hac ſexta compilatione, ubi extat prior pars hujus textus; nullibi tamen exprimitur Prælatus, cui reſcribat Innocentius, nec inter ejus epiſtolas editas à Sirleto, & Boſqueto reperitur hic textus.

(b) *Epiſcopos.*] De quorum conſecratione egi *in c. ſi Archiepiſcopus, de tempor. ordin.*

COMMENTARIUM.

2. (a) CArolus Molinæus rigidorum Calviniſtarum præcipuus ſignifer *libro 16. controv. cap. 17. pag. 1026. poſt medium*, poſtquam plura nefaria contra altaria, & eorum uſum expreſſerat, ſuo ex genio deſcribens primitivæ Eccleſiæ circa celebrationem ſanctæ Euchariſtiæ ritus, ait: *Unum quondam in qualibet Eccleſia erat altare tantùm, non autem incongrua altariolorum multitudo exſtructorum in templorum angulis, quemadmodum hodie in Romana Eccleſia licet conſpicere.* Sed fallitur Carolus Molinæus, cùm jam primis Eccleſiæ ſæculis legamus in una Eccleſia plura altaria erecta fuiſſe. D. enim Gregorius *lib. 5. epiſt. 43. ad Palladium Epiſcopum Sanctonenſem*, refert in una Eccleſia tredecim fuiſſe altaria, illis verbis: *Veniens lator præſentium Leuparicus preſbyter veſter inſinuavit nobis, fraternitatem veſtram Eccleſiam in honorem B. Petri, & Pauli Apoſtolorum, nec non Laurentii, & Pancratii martyrum conſtruxiſſe, atq; illis tredecim altaria collocaſſe, ex quibus quatuor nec-dum conſecrata comperimus remanſiſſe, ob hoc quod ſupraſcriptorum Sanctorum reliquias illic collocare Deo annuente diſponitis: & quia reliquias Sanctorum Petri, & Pauli, nec-non Laurentii, atq; Pancratii Martyrum cum veneratione præbuimus, hortamur, ut eas cum reverentia ſuſcipere, & collocare auxiliante Domino debeatis.* Quod teſtimonium contra Novatores expendebat Baronius *anno 596.* Idem probatur ex S. Paulino *natali 9. circa medium*, dum S. Felicis templum, & reliquias Sanctorum ita deſcribit:

Quos hîc ad Sancti juſtum Felicis honorem
Duxerat orandi ſtudium, non cura bibendi:
Nam quaſi contignata ſacris cœnacula tectis
Spectant de ſuperis altaria tota feneſtris,
Sub quibus intus habent Sanctorum corpora ſedem.

Latiùs probat Sauſay *in Panopl. ſacerd. p. 2. lib. 1. cap. 8. §. 4.* Impius Molinæus ut aſſertum ſuum fulciat, adducit Sancti Ignatii ad Philadelphenſes dictum, ibi: *Univerſa Eccleſia unum habet altare.* Sed totum integrum locum placet reponere, quo vera ſancti Ignatii ſententia cognoſcatur, & fraus Molinæi palam appareat. Sic igitur ait Sanctus loco citato: *Scribo ad vos, moneoque, ut unâ fide, unâ prædicatione, unâ Euchariſtiâ utamini: una eſt enim caro Domini noſtri Jeſu Chriſti, unus illius ſanguis, qui pro nobis effuſus eſt, unus item panis omnibus confractus; & unus calix, qui omnibus diſtributus eſt; unum altare omnis Eccleſiæ, & unus eſt Epiſcopus cum presbyterorum collegio, & diaconis conſervis meis. Quandoquidem eſt unus ingenitus Deus, & Pater; & unus unigenitus Filius Deus Verbum, & homo; unus Paracletus Spiritus veritatis, & una prædicatio, & fides una, & unum baptiſma, & una Eccleſia.* Unde cognoſcitur, ſanctum Ignatium agere de Eccleſia, non ut materiale ædificium eſt, ſed ut Chriſti corpus eſt myſticum: unde ait, unum Eccleſiæ calicem eſſe; quis enim dicet, in qualibet Eccleſia non dari plures calices? ergo fallitur apertè Molinæus dum altare ſpirituale accipit pro altari materiali; unum enim altare in Eccleſia eſt, id-eſt una fides; unde apud hæreticos plurima altaria dari docuit D. Hieronymus dum exponit caput 3. Oſeæ in illis verbis: *Viſitabo ſuper altaria Bethel, & amputabuntur cornua altaris, & cadent in terram*, ait: *Non unum altare, quod habet Eccleſia, ſed altaria hæreticorum plurima. Habent enim tot altaria, quot ſchiſmata.* Proſequitur Sauſay *dict. §. 4.* juxta quem antiquum Eccleſiæ morem conſtruendi plura altaria ſimul in una Eccleſia Innocentius in præſenti decrevit, plura altaria ſimul in una Eccleſia conſecrari poſſe, ſicut & una die plures valent ordinari Epiſcopi, & presbyteri.

CAPUT VI.

(a) Idem *Archiepiſcopo & Capitulo Biſuntin.*

LIgneis ædificiis Eccleſiæ veſtræ caſu quodam igne conſumptis, parietibus tamen illæſis, ac menſâ (b) principalis altaris in ſua extremitate modicam paſſa fracturam, quæſiviſtis per Sedem Apoſtolicam edoceri, ſi propter hoc ipſius altaris, vel etiam

totius

totius Ecclesiæ deberet consecratio innovari. Ad quod sic duximus respondendum, quod cùm parietes in sua integritate permanserint, & altaris tabula mota, vel (c) enormiter læsa non fuerit ob casum prædictum, nec Ecclesia, nec altare debet denuò consecrari. Datum Later. Non. Octob. Pont. N. (d) anno xv.

NOTÆ.

1. (a) *Idem.*] In hac sexta Compilatione tantùm legitur *Idem:* in quarta verò, *sub hoc titul. cap. 1.* legitur *Idem Archiepiscopo Bisuntino, Pont. anno XV.* id est Pontificatus Innocentii anno 15. Sed ita restituo inscriptionem & litteram ex epistolis Innoc. III. editis à Bosqueto *lib. 3. regestr. 15. epist. 164.* Bisuntina Imperialis Burgundiæ urbs est, ut referunt Krantzius *lib. 13. Saxoniæ, cap. 15.* De ea, & ipsius Ecclesia Cathedrali nonnulla notavi *in capite 14. de accusat.*

(b) *Principalis altaris.*] Quod nos dicimus summum, seu majus.

(c) *Enormiter læsa.*] Juxta suprà tradita *in cap. 1.*

(d) *Anno XV.*] Qui fuit Christi annus 1212.

CAPUT VII.

Idem (a) *Slevvicensi Episcopo.*

CÆmeteria verò, in quibus excommunicatorum corpora sepeliuntur per suorum (b) violentiam propinquorum, reconciliandæ erunt aspersione aquæ solenniter benedictæ, sicut in Ecclesiarum dedicationibus consuevit.

NOTÆ.

2. (a) *Slevvicensi.*] In hac sexta collectione legitur *Senonensi*, in quarta verò, *sub tit. de celebrat. divin. officii*, legitur *Sevicensi*; sed restituo inscriptionem, & litteram textus ex ipsa Innocentii III. epistola, quam integram dedi *in c. postulasti, de foro compet.*

(b) *Violentiam.*] An hoc in casu incurratur excommunicatio minor, communicando cum excommunicatis per vim, latè exposui *in cap. sacris, de his quæ vi.*

COMMENTARIUM.

2. CÆmeterium vox Græca est, absurdè tamen Lucas Tudensis *lib. 1. contra Waldens. c. 22.* Cæmeterium dictum ait eo quod sit Christiani corporis cineribus consecratum; quasi nihil aliud sit cæmeterium, quàm ciniterium, in quo cineres defunctorum terantur: quem meritò refellit Antonius Nebrissen. *in quinquag. cap. 12.* Nec magis appositè Durandus *in ration. cap. 5.* cæmeterii nomen deduxit à *cimeri*; idest dulci; ac *sterion*, idest statio, eo quod ibi dulciter stent corpora, vel quia ibi sunt cimices, id est vermes fœtentes ultra modum. Ridiculè ista dicuntur, cùm constet cæmeterium à Græco verbo κοίμαω, quod dormire significat, esse derivatum, ut bene vidit Belletus *de officiis cap. 159.* unde apud Athenæum *lib. 4. cap. 5.* domus, in qua hospites dormire soliti, dicta est à Cretensibus cæmerium. Facit Plinius *lib. 2. epist. 17.* & illustrat Bulengerus *lib. 5. opuscul. cap. 42.* Cæmeterii vox bellè quadrat loco, in quo jacent Christiani, qui ob spem gloriosæ resurrectionis, non tam mortui jacere, quàm dormire dicuntur, *Joannis cap. 11.* ubi Christus Dominus Lazarum dormire dixit: & D. Paulus *1. ad Corinthios cap. 15.* ait: *Christus surrexit à mortuis primitiæ dormientium.* Et *2. ad Thessalon. c. 4.* ubi Sanctus Hieronymus id observavit: itemque *epist. 29.* & pulchrè S. Augustin. *epist. 122.* ac S. Chrysostomus *homil. 21. ad populum*; & optimè de nomine cæmeterii oratione speciali D. Hieronymus *epist. 29. ad Theod.* quamquam nec repudianda est ea ratio, quam tradit Apollinaris in catena Græca, ad illud Job *cap. 3. Nunc sopitus tacerem, asserens mortem somnum dici, & à spe resurrectionis, & ex eo, quòd mors sit somni soror, & somnus gelida mortis imago*, ut illustrant fusè Theophilus *lib. 7. de virtut. num. 117.* Zerda *in adverss. cap. 180. num. 2.* unde meritò locus ille, in quo mortui sepeliuntur, cæmeterium dicitur, ut probant, & illustrant Baronius *anno 130. num. 1. & 2.* & *anno 175. num. 3.* & *anno 192. num. 3.* & *anno 226. num. 7.* & *anno 260. & 261.* & *in Martyrol. die 3. Januarii.* Azevedo *in leg. final. tit. 1. lib. 1. recop. col. 3.* Frances *de Eccles. Cathed. c. 26. de cæmet.* Murga *tom. 1. disquis. mor. disquis. 1.* Beyerlinck *in Theatro, verbo Cæmeterium.* Theophilus *tom. 15. ad finem, fol. 550.* & *de martyrio p. 4. c. 6. num. 7.* Spondanus *de cæmet. lib. 1. p. 3. cap. 13. num. 1.* Antonius Bozius *in Roma subter. lib. 1. de cæmet. cap. 1.* Zerda *adverss. dict. cap. 180.* Coriolanus *in breviario, anno 226.* Severinus Binius *ad epist. Calixti II.* Cochier *in vitæ histor. cap. 87.* & alii quos laudavi *in can. 35. Concil. Illiber.* Interdum etiam cæmeteria dicuntur areæ, Tertul. *ad Scapulam cap. 3. Polyandr.* D. Hieronymus *in cap. 1. Hieremiæ*, & *in cap. 10. Matthæi.* Tumbæ, catatumbæ, cryptæ arenariæ, acceptâ ab Hebræis consuetudine, quos in cryptis mortuos sepelisse, loculis in eis excavatis, docet exemplum Abrahæ, quod refertur *in cap. 23. Genesis*; & sepulchri Christi Domini, quod fuisse scissum in saxo, sive petra, tradunt D. Matthæus *cap. 27.* & Lucas *cap. 23.* quem morem sequuti Christiani cæmeteria tum Romæ, tum alibi in cryptis arenariis construebant; non verò in terram deorsum corpora reponebant, sed excavatis desuper loculis in lateribus cryptarum formices sustinentibus, ut fidem faciunt quæ Romæ refossa sunt, & exaravit Antonius Bosius *d. lib. 1. Rom. subter.* & ex D. Hieronymo probavi *in dicto can. 35. Concilii Illiber.* ubi notavi, in cæmeteriis

riis convenisse olim fideles ad sacros conventus, ad orandum, & sacrificium Missæ celebrandum: & quantâ frequentiâ fideles illuc accederent, describit Prudentius *hymno 4. de sancto Hippolyto.*

Mane salutatum concurritur, omnis adorat
Pubes: eunt redeunt solis ad usq; obitum.
Conglobat in cuneum Latios simul, ac peregrinos
Permixtim populos relligionis amor.

Et latè probat Spondanus *lib. 1. de cæmeter. sacr. p. 3. cap. 13.* ubi docet in cæmeteriis mysteria Sacramentorum, & sacras functiones in ipsis frequenter obiri.

3. Ut autem hæc omnia ritè peragerentur, cæmeteria, sicut Ecclesiæ, dedicabantur, consecrabanturque. Glossa *in cap. in Ecclesiis, verbo si terram 13. quæst. 2.* Innocentius & Abbas *in cap. abolendæ, de sepultur.* Conrad. Brunus *lib. 4. de cærem. cap. 2.* unde obtinuit, ut iisdem fermè, quibus Ecclesiæ, privilegiis, & immunitatibus decorentur, *cap. si quis contumax 17. quæst. 4. cap. Ecclesia, de immunit. Eccl.* & hanc consecrationem cæmeteriorum perantiquam esse constat ex Gregorio Turon. *de gloria Confess. cap. 106.* ubi agens de obitu B. Radegundis Francorum Reginæ, quæ in monasterio Pictavienſi à se constructo decesserat, ait se cùm ejus transitum audisset, eò accessisse absente Episcopo Pictavienſi; & cùm Abbatissam hortaretur, ut corpus sepulturæ traderet, respondisse Abbatissam: Et quid faciemus si Episcopus urbis non advenerit? Quia locus ille, in quo sepeliri debet, non est sacerdotali benedictione sacratus, ipsumque Gregorium rogatum à civibus eum consecrasse, probat Spondanus *dict. lib. 1. cap. 15.* Unde eisdem modis polluitur cæmeterium, ac Ecclesia. Immò violatâ Ecclesiâ violatum creditur cæmeterium, tanquam locus accessorius: non verò violato cæmeterio, violata creditur Ecclesia, ut probat Suarez *tom. 3. in 3. p. disput. 81. sect. 4.* Barbosa *de potest. Episc. 2. p. alleg. 28.* & *de jure Eccles. lib. 2. cap. 4. num. 19.* & *cap. 9.* Facit disertus textus *in cap. unic. hoc. tit. in 6.* & sicut excommunicati in Ecclesiis sepelire non possunt, ut probavi *in cap. sacris de sepult.* ita nec in cæmeteriis. Innocentius III. *lib. 2. regestr. 14. epist. 74.* ubi notavit Idumay.

COMMENTARIUM.

4. *Conclusio traditur, & probatur.* EX his tribus decretalibus sequens deducitur assertio: *St Ecclesia diruatur, & reædificetur, iterum est consecranda; si verò tantum violetur, reconciliari debet per aquam cum vino, & cinere benedictam, & interim non licet in ea Missam celebrare.* Probant eam textus *in cap. Ecclesiis 3. 68. dist. cap. si motum 19. cap. sicut 11. de consecr. dist. 1. cap. quia scelerata 24. de consecr. dist. 2. cap. ex tuarum, de privil. cap. final. hoc tit. cap. unic. hoc titul. in 6. cap. significasti, de adulteriis, cap. cum illorum 32. de sent. excom. cap. is qui 18. eod. tit. in 6.* Clemens III. relatus post Concil. Lateran. *p. 50. cap. 67.* ibi: *Ecclesias, quæ sanguinis, vel seminis sunt effusione pollutæ, civitatis clericis convocatis, cum processione, & aquæ benedictæ aspersione, prout in Ordinario habetur adscriptum, poteris emundare* (loquebatur cum Saguntino Episcopo.) Concil. Colonienſe 2. *p. 9. cap. 17.* cujus verba refert Crespetius *in summa, verbo Ecclesia, fol. 292.* Illustrant autem congestos à Garanna & Barbosa hîc, idem Barbosa *de potest. Episcop. alleg. 28. num. 31.* & *libro 2. de jure Eccles. cap. 4.* P. Henao *tom. 2. de sacrif. Missæ, disputat. 23. sect. 3.* Suarez *de sacram. disputat. 81. quæst. 83. sect. 4.* & *tom. 1. de relig. lib. 3. cap. 2.* Delbene *tom. 1. de immunit. Eccles. cap. 2. sect. 2.* Diana *part. 11. tract. 2. resol. 58.* & *tract. 3. resol. 21. & 23.* Peckius *de Eccles. repar. cap. 36.* Passerinus *integro tractatu de pollut. Eccles.* Murga *tom. 1. disquisit. tract. 2. disquisit. 1.*

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti juris considerationē; nam quemadmodum res semel Deo dicata ampliùs ab humanos usus converti nequit, *cap. quæ semel 19. quæst. 3. regul. semel 51. de R. I. lib. 6. cap. ad hæc 4. de relig. domib. cap. Apostolicos 13. 12. quæst. 2.* & ideo ligna Ecclesiæ non sunt in prophana ædificia convertenda, *cap. ligna 38. de consecr. dist. 1.* & ornamenta vetustate consumpta debent ad cinerem redigi, & in parietibus includi, *cap. altaris, de consecr. distinct. 1.* ita etiam Ecclesia constructa in alieno solo, *cap. quæst. 41. 17. quæst. 4.* Glossa verbo *Construxisse, in dict. cap. Apostolicos*, contra vulgare principium textus *in §. cùm in suo, Instit. de rer. divis.* Ergo nullo casu potest Ecclesia semel consecrata prophana fieri, ita ut novâ indigeat consecratione. Augetur hæc difficultas *ex l. ædes 73. ff. de contrahend. emption. §. sanè, Instit. de rer. divis.* ubi docetur, quod ædes sacræ, etiamsi diruta sint, manent sacræ: igitur Ecclesia etiam diruta manet sacra, nec iterum consecranda est. Etiam secunda pars præsentis assertionis, ubi docetur Ecclesiam violatam esse reconciliandam per aquam cum cinere, & vino benedictam, impugnatur ex eo; nam *cap. si motum 19. de consecr. distinct. 1.* docetur, Ecclesiam violatam diligentissimè esse expurgandam, & denuò consecrandam; & *in cap. Ecclesiis 20. eod. dist.* statuitur, simili modo consecrandam esse Ecclesiam pollutam sanguinis aut seminis effusione, ac si exusta sit. Igitur quia Ecclesia non solùm eo casu, quo penitus est destructa, reconsecrari debet, verùm etsi tantùm violata, seu pollutа fuerit. 5. *Traditur ratio dubitandi.*

Quibus difficultatibus minimè obstantibus vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, pollutionem Ecclesiæ, esse mortalem maculam, quâ locus sacer exuitur publicis actionibus, ibi: *Ecclesiastico jure peculiariter vetitis*; & quodam modo afficitur, ut ibidem jure ipso divinorum officiorum celebratio, & fidelium sepultura ante reconciliationem interdicantur; nullâ tamen in transgressores pœnâ eodem jure latâ: & licèt in hoc titulo promiscuè DD. utantur pollutione, & violatione; tamen differt pollutio à violatione, ut species à genere; violatio enim Ecclesiæ latiùs patet quàm pollutio: & licèt omnis pollutio sit violatio, tamen non omnis violato Ecclesiæ est pollutio; siquidem Ecclesia violatur per furtum, seu sacrilegium, cum ejus violenti effractione, ut probat Passerinus *p. 1. de pollut. Eccles. c. 3.* sed ut id faciliùs cognoscamus, modos quibus polluitur Ecclesia, breviter referamus. Et primò polluitur sanguinis effusione in ea factâ, *cap. Ecclesiis 20. de consecr. dist. 1. c. final. hoc tit. c. unic. eod. tit. lib. 6. cap. Ecclesiis 3. 68. dist. cap. ex tuarum, de privil. cap. cùm illorum 32. de sent. excom.* Concil. Colon. celebratum 6. *De pollutione, seu violatione Ecclesiarum.*

anno 1536. *cap. 9. p. 17. l. 20. tit. 10. partit. 1.* in quibus juribus nihil aliud ſtatuitur, quàm ſanguinis effuſione Eccleſiam violari: ſed id accipiendum eſt de injurioſa, & voluntaria effuſione, ut docent Suarez *dict. ſect. 4. §. 2.* Paſſerinus *de pollut. Eccleſ. part. 6. per tot.* P. Henao *dicta diſp. 33. ſect. 5. num. 48.* Murga *tom. 1. diſquiſit. tract. 2. diſquiſ. 2. per tot.* Unde effuſio ſanguinis per jocum accidens, etiam in magna quantitate non violat Eccleſiam; quia talis effuſio vacat omni injuriâ. Suarez *ſuprà*, Diana *part. 11. tract. 2. reſol. 58.* Illud autem quæri ſolet, an Eccleſia polluatur, ſi vulnus in Eccleſia inferatur, ſanguis verò effluat extra Eccleſiam, vel ſi intra Eccleſiam, in vas aliquod, ita ut pavimentum, aut Eccleſiæ parietes non contingat? Quo caſu dicendum eſt, per vulnus in Eccleſia illatum eam violari, *cap. propoſuiſti, hoc tit.* quia nihil intereſt, utrum ſanguis in ipſa Eccleſia effluat, an extra perfundatur; quia utroque caſu æqualiter Eccleſiæ injuria infertur vulnere illato, ex quo immediatè ſanguis perfundatur. Idemque dicendum eſt, ſi cauſa vulneris ab Eccleſia oriatur, extra illam tamen effectum habeat, veluti ſi lapis, aut lancea ab Eccleſia emittatur, ſed ictus fiat extra Eccleſiam, vel è contrario. Suarez *ubi ſuprà*. His conſequens eſt, Eccleſiam violari homicidio injurioſo intra ambitum Eccleſiæ commiſſo, *cap. ſi motum, de conſecr. diſt. 1. cap. propoſuiſti 4. hoc tit.* Nec intereſt, homicidium perpetretur per ſuffocationem, contuſionem, aut ſanguinis effuſionem, cùm prædicti textus diſcrimen hoc non conſtituant, & utroque caſu magnus horror ſequatur ex homicidio loco in ſacro admiſſo. Suarez *dicta diſp. 81. ſect. 4.* Paſſerinus ſuprà, *p. 5. cap. 7.* Henao *tom. 2. de ſacrif. Miſſæ, diſput. 33. ſect. 5.* Non tamen ſequitur Eccleſiæ violatio ex homicidio caſu admiſſo; quia voluntarium non eſt, & culpâ caret, *cap. qualis 25. cap. final. de homicid.* veluti ſi ædificium corruat, aut quid ſimile in Eccleſia contingat, unde hominum cædes ſequatur. Suarez *dict. ſect. 4. in principio*, Paſſerinus *dict. part. 5. cap. 8.* Idem procedit in homicidio juſto, quod propter neceſſariam vitæ defenſionem perpetratum fuit, quia injurioſum non eſt, *l. ut vim, ff. de juſtitia & jure, cap. 3. de homicid.* Paſſerinus *dict. p. 5. cap. 29.* Non tamen idem dicendum eſt in homicidio juſſu judicis facto, veluti ſi ſententiâ judicis intra Eccleſiam aliquis occidatur: nam quamvis juſta ſit ſententia quoad pœnam; eſt tamen injurioſa exequutio propter loci reverentiam. Similiter non violatur Eccleſia ſi homicidium fiat in locis ſubterraneis ſeparatis à corpore Eccleſiæ, aut in cubiculis conſtructis ſupra tectum Eccleſiæ; quia hæc omnia ſunt extra Eccleſiam. Docet Sanchez *lib. 9. de matrim. diſput. 15. num. 26.* Etiam deducit Suarez ubi ſuprà, *ſect. 4.* quod ſi vulnus intra Eccleſiam inferatur abſque ulla ſanguinis effuſione, mors autem extra Eccleſiam ſequatur, violationem non induci: quem ſequuntur Paſſerinus *dict. part. 5. cap. 2. & 5. per totum.* Diana *p. 6. tract. 6. reſol. 26.* Dicaſtillo *tract. 5. diſputat. 4. dub. 7. num. 114.* Henao *ubi ſuprà.* Vel ſi vulnus extra Eccleſiam inferatur, & eo percuſſus intra Eccleſiam moriatur. Paſſerinus *dict. p. 5. quæſt. 5.* Inde etiam deducitur, homicidio à ſeipſo cuique illato, violari Eccleſiam; quia injurioſum eſt ſi fiat ab homine ſanæ mentis, *cap. contingit, de ſent. excom.* A furioſo, vel ebrio factum, quia injurioſum non eſt, non violat Eccleſiam.

Deinde polluitur Eccleſia humani ſeminis effuſione in ea facta, *cap. ſi motum, cap. Eccleſiis, de conſecr. diſt. 1. cap. final. hoc titul. cap. unic. eodem titul. in 6. cap. ſignificaſti 5. de adult. l. 20. titul. 10. part. 1.* Henao ubi ſuprà, *num. 54.* Paſſerinus *de pollut. Eccleſ. p. 7.* Murga *tom. 1. diſquiſitionum, tract. 2. diſquiſ. 3. per totam*: quod procedit quando intra Eccleſiam facta fuit humani ſeminis effuſio peccaminoſa à quocunque, vel fideli, vel infideli, etiamſi contra naturam peccaverit: ſed ſi talis effuſio non ſit voluntaria, veluti quæ in ſomnis contingit, non eſt injurioſa Eccleſiæ, licèt aliquando à peccato non ſit immunis, juxta ea, quæ notantur *in capite final. 6. diſt.* ideoque per eam non polluitur Eccleſia. Suarez *dict. ſect. 4. §. 3.* per pollutionem autem voluntariam occultam licèt committatur ſacrilegium, tamen Eccleſiam non pollui, aliis relatis probat Mendo *in ſtatera, diſſert. 5. quæſt. 6.* quod agnoverunt Ethnici ipſi animadvertentes in polluentes templa uſu veneris. Plato *lib. 12. de legibus*, capite luendam noxam hanc decernit. Plura Tiraquellus *in l. 5. connub. num 107.* Deinde deſideratur, ut fiat intra ipſam Eccleſiam, nec ſufficiet intervenire in locis ſubterraneis ſeparatis à corpore Eccleſiæ, vel in turri ipſius. Sotus *in 4. diſt. 32. quæſt. unic. art. 3.* Corduba *in ſumma, quæſt. 12.* Circa copulam tamen conjugalem utrum per eam violetur Eccleſia, dubitant Interpretes, & diſputant ſuprà laudati, Sanchez *de matrim. lib. 9. diſputat. 15. per tot.* Gregorius Lopez *in dict. l. 20. partit.* Hoſtienſis *in cap. final. num. 3. hoc tit.* Et negativam ſententiam, videlicet non violari, docuerunt Gloſſa *in dict. cap. Eccleſiis*, *verbo Semine*, Gaſpar Hurtado *lib. 4. de ſacrif. Miſſæ, difficult. 7.* P. Franc. Amicus *eod. tract. diſputat. 33. ſect. 12. num. 337.* Baſilius *de matrim. libro 1. cap. 10.* Arriaga, & alii, quos laudat, & ſequitur Diana *p. 11. tract. 8. reſol. 34.* pro quibus faciunt textus *in dict. cap. ſi motum, dict. cap. ſignificaſti*, ubi docetur, adulterio pollui Eccleſiam, indeque deduci videtur, illicitum tantùm concubitum præſtare cauſam violationi: quod ita agnoviſſe videtur Rex Alfonſus *in dict. l. 20.* Sed frequentiùs recepta eſt contraria ſententia, videlicet omnem copulam, etiam conjugalem, polluere Eccleſiam, ut docuit Gloſſa *verbo Seminis, in cap. unic. hoc tit. in 6.* quam ibi ſequuntur Dominicus, & Francus, Turriſcrem. *in dict. cap. Eccl. num. 3.* & alii plures, quos referunt, & ſequuntur Sanchez *de matrim. d. diſp. 9.* Henao *ubi ſuprà, num. 63.* Paſſerinus *dict. p. 7. de pollut. Eccleſ. cap. final.* nam cùm generaliter caveatur *in dict. cap. Eccleſiis, cap. final. hoc tit.* quacunque effuſione ſeminis Eccleſiam violari, ſatis innuitur, per quemcunque concubitum, non ſolùm illicitum, & adulterinum, de quo jam cautum fuerat *in dict. cap. ſi motum, cap. ſignificaſti*, verùm & conjugalem, Eccleſiam pollui, propter loci reverentiam, etſi actus licitus ſit, ut de homicidio auctoritate judicis in Eccleſia facto ſuperiori numero dicebam. Evenire tamen poteſt, ut hæc copula conjugalis non violet Eccleſiam, veluti ſi habeatur à conjugibus, qui alibi habitationem, & mutuum congreſſum habere nequeunt, & vitare incontinentiam non valent, veluti ſi diu in

Eccle-

Ecclesia obsessi sint conjuges, ita ut non sit aditus ad loca prophana, & non possint se continere absque peccati periculo; nec attenditur utrum occulta sit cohabitatio, vel publica; quia in hac specie conjugibus prædicta copulæ prohibitio relaxatur, quia ut docet Sanchez *dict. disput. 15. num. 12.* concurrunt duo præcepta inter se contraria, quorum unum fundatur in honestate, & externa reverentia loci sacri, nec aliam habet adjunctam intrinsecam malitiam; aliud autem tendit ad tollendam causam peccati, & periculum incontinentiæ, quæ intrinsecè mala est; unde ob præceptum posterius, quo majus malum vitatur, fortius est, & prius superatur, argumento textus *in c. nervi, c. duo mala, 13. dist.* Extra hunc ergo casum illicita est copula conjugalis in Ecclesia, sive publica sit, sive occulta. Ex publica violatio Ecclesiæ inducitur: ex occulta peccatum sacrilegii committitur ob loci reverentiam. Cui doctrinæ consequens est, non licere sine peccato debitum conjugibus petere, vel reddere intra Ecclesiam, & utrunque æqualiter peccare, & notarunt Sanchez *dict. disputat. 5. num. 8.* Basilius *lib. 10. cap. 10.* & illustri miraculo in conjuges usos conjugio, in Ecclesiæ adhærente cella firmat S. Odo *lib. 2. collat. c. 11.* Nec obstat, quod qui votum emittit castitatis, absque peccato sacrilegii debitum petere nequit; & tamen illud impunè reddit, immò tenetur, ut docet idem Sanchez *lib. 9. de matrim. disput. 6.* quia magnum discrimen versatur inter hos casus; nam cùm prohibetur copula conjugalis in Ecclesia propter loci reverentiam, in ipsam actionem, ac veluti in rem ipsam dirigitur prohibitio: quare æquè peccat tam petens, quàm reddens. At verò cùm propter voti obligationem copula prohibetur, prohibitio ipsa est personalis, & ideo qui votum emisit, petere debitum nequit, quia juri suo renunciare potuit, sed in alterius præjudicium id efficere non valuit, nec debuit; & ideo absque metu sacrilegii conjugi petenti debitum illud reddere valet. An verò occulta effusio sanguinis, aut seminis polluat Ecclesiam, vel desideretur notoria, dubium est? Notoriam desiderari docent Suarez *tom. 3. in 3. p. disput. 81. sect. 4.* Vazquez *1. 2. disput. 98 num. 6.* Contrà, occultam sufficere tenuerunt Lessius *lib. 4. de virtut. cap. 3. num. 86.* Sanchez *lib. 9. de matrim. disput. 15. num. 11.* Salas *in 1. 2. d. sp. 31. num. 14.* Sed lis est fortasse de vocibus; nam quamvis verum sit, Ecclesiam per se, & ex natura talis facti, violari per effusiones prædictas occultas, non tenemur tamen abstinere à celebratione in tali loco quamdiu ea loci violatio occulta est, nec ita vulgatur, ut possit notoria censeri.

8. *Prosequuntur alii casus violationis.* Rursus violatur Ecclesia, si in ea sepelitur fidelis excommunicatus, *c. in consilium, hoc tit.* ex quo ita id docuerunt Suarez *dict. sect. 4. §. 4.* Passerinus *de pollut. ecclesiast. p. 8. per tot.* nam licèt in eo textu tantùm statuatur, reconciliandum esse cæmeterium, in quo excommunicatus sepultus est, & de Ecclesia nihil dicatur; tamen satis deducitur, idem jus observari circa Ecclesiam; nam cæmeterio non alia ratione reverentia debetur, quàm quia est sacrum, ut suprà notavi, aut accedit loco sacro, *capite unic. hoc titul. in 6.* Hoc autem ideo statutum est, quia excommunicatus à communione Ecclesiæ segregatus indignus est sepulturâ ecclesiasticâ, ut latè probavi *in cap. sacris, de sepultur.* Unde sicut injusta sepultura infidelis Ecclesiam polluit, ita & sepultura excommunicati. Hoc autem, ut rectè notavit Suarez *ubi suprà*, post extravagantem Martini V. *Ad evitanda*, procedit in excommunicato publicè denunciato, aut notorio clerici percussore; nam effectus prohibitæ communionis à jure communi suspenduntur illa constitutione. Etiam violatur Ecclesiâ, si in ea sepeliatur infidelis, aut paganus, *cap. Ecclesiam 27.* cum sequenti, *de consecr. dist. 1.* docent aliis relatis Diana *p. 11. tract. 8. resol. 22.* Henao *dict. tom. 2. de sacrif. Missæ, disput. 23. sect. 4.* Murga *tom. 1. tract. 2. disquisitionum Moral, disquisit. 4. per totam*: nam licèt in sepeliendis quibuscunque defunctis pium, & laudabile opus exerceatur, *capite 2.* cum aliis 13. *quæst. 2.* in Ecclesia tamen corpora fidelium defunctorum sunt tumulanda, *capite nullus 18. 13. quæstione 2.* alia autem infidelium cadavera deturpant, & fœdant Ecclesiam, & ab ea prorsus abjicienda sunt; & si fuerint sepulta in loco Ecclesiæ, ante ipsius ædificationem exhumanda sunt, & foris projicienda, radique debent lapides, & tigna, ut ibi Ecclesia ædificetur, *dict. cap. Ecclesiam 28.* Suarez *dict. sect. 4. §. 5.* ubi notat hoc etiam procedere, cùm pueri baptizati sepeliuntur in Ecclesia: sed si adhuc in uteris maternis cum matre sepeliantur, non violatur Ecclesia. Tandem licèt plures relati à Barbosa *dict. lib. 2. juris Eccles. cap. 4. num. 25.* existimaverint, violari Ecclesiam per consecrationem, aut benedictionem factam ab excommunicato non tolerato; contrarium tamen tenuerunt Suarez *dict. disput. 81. sect. 4. vers. Quartò violatur.* Gibalinus *de censur. disquis. 7. quæst. 5. propos. 1. conclus. 4.* P. Henao *tom. 2. de sacrif. Missæ, disp. 23. sect. 4.* & meritò, nam talis violatio non est expressa in jure: ergo nullo modo datur. Et si instes, Ecclesiam violari, si excommunicatus non toleratus sepeliatur in ea, ut proximè probavit ergo similiter violabitur Ecclesia per consecrationem, aut benedictionem factam ab Episcopo excommunicato non tolerato. Respondeo argumenta à paritate esse parum efficacia in subjecta materia pœnarum ecclesiasticarum. Hinc tu ipse negas violari Ecclesiam per excommunicati vitandi, aut schismatici celebrationem in ea, juxta caput *à nobis 2. de Sacram. non iter.* & per sepulturam hominis personaliter, nominatimque interdicti; quamquam argumentum à paritate videatur non minorem vim habere in duobus his casibus, si legeris Dianam *part. 11. tract. 8. resol. 12.* Si autem Ecclesiæ consecratæ, vel occupatæ fuerint ab hæreticis, à Catholicis reconciliari debent. Concil. Aurel. *1. can. 11.* ibi: *De hæreticis clericis, qui ad fidem catholicam plenâ fide & voluntate venerint, vel de basilicis, quas in perversitate sua Gothi hactenus habuerunt, id censuimus observari, ut si clerici fideliter convertantur, & fidem catholicam integrè confiteantur, vel ita dignam vitam morum, & actuum probitate custodiant, officium, quo eos Episcopus dignos esse censuerit, cum impositæ manus benedictione suscipiant, & Ecclesias simili, quo nostræ innovari solent, placuit ordine consecrari.*

Ultimò sciendum est, in Ecclesia, vel altari violato non licere divina officia celebrare antequam reconcilietur: est enim ipsi loco ob viola- 9. *In Ecclesia violata cele-*

brari non poteſt.

tionem, ſeu pollutionem impoſita quædam ſuſpenſio, *cap. final. hoc tit.* & ſi quis in Eccleſia polluta, vel altari violato celebraverit ſcienter ante reconciliationem, reus erit gravis peccati, & arbitrio Epiſcopi puniendus, *cap. is qui 18. de ſent. excom. lib. 6.* nullam tamen irregularitatem incurret, quia in jure expreſſa non eſt. Suarez *dict. ſect. 4. §. ſed quæres.* Hæc enim ſuſpenſio, quæ provenit ex violatione loci ſacri, non eſt impoſita perſonis, ſed locis violatis, ejusque conditionis eſt, ut nec ſit cenſura, nec effectum cenſuræ obtineat, ſed infert canonicum impedimentum, ne celebretur in Eccleſia ſub pœna gravis peccati, *dict. capite is qui 18.* nam ſi ſpeciali cenſurâ interdicti locus affectus eſſet, celebrans in eo maneret irregularis, *dict. cap. is qui 18. §. ult.* Henao *dict. diſput. 23. ſect. 3.* Notandum tamen eſt, ſolùm prohiberi propter violationem Miſſam, vel divina officia celebrare, non verò verbum Domini prædicare, & ſimilia, argumento textus *in cap. reſponſo, de ſent. excom.* notarunt Navarrus *in Manuali, cap. 27. num. 176.* Zerola *in praxi Epiſcopali, 1. part. verbo Pollutio, quæſt. 4.* Illud etiam omittendum non eſt, quod ſi pollutio Eccleſiæ contingat dum Miſſæ ſacrificium offertur, adhuc canone non cœpto, presbyter non debet eam proſequi, ſed potiùs dimittere; ſi autem poſt canonem violatio contigerit, proſequendum eſt ſacrificium, ut reſolvunt Suarez *d. ſect. 4. §. Secundò quæritur.* Sotus *in 4. diſt. 13. quæſt. 2. art. 3.* Ut ergo divina officia ritè peragantur, Eccleſia polluta reconciliari debet, ita ut ſi tantùm benedicta erat, per ſimplicem Sacerdotem reconcilietur, *cap. final. hoc tit.* ſi verò fuerat conſecrata, per Epiſcopum, ut infra dicemus *in cap. aquam:* reconciliatioque fieri debet aquâ cum vino, & cinere admixtâ, & certis precibus, quæ referuntur in Ordine Romano: & debet reconciliari expenſis ejus, qui eam violavit.

10. *Traditur ratio decidendi.*

His ſuppoſitis ratio præſentis aſſertionis ex eo provenit; nam cùm non ſolùm deſideretur ad officia divina ritè celebranda, ut locus ipſe conſecratus ſit, juxta adducta ſuprà *in cap. 1.* verùm etiam exigatur, ut poſt conſecrationem ab omni ſorde & macula ſervetur immunis; nam ſicut impuri homines repelluntur ab altaris participatione, *cap. ſicut 11. de conſecr. diſt. 1. cap. qui ſceleratè 24. de conſecr. diſt. 2.* nec licet niſi in ſacris, & puris veſtibus celebrare, & cum ſacratis, honeſtisque veſtibus, *cap. in ſancta, cap. veſtimenta, de conſecr. diſt. 1.* ita & circa templa, & altaria idem obſervandum eſt, ut ſint conſecrata, & ſanctitatem conſecrationis retineant, ex juribus ſuprà pro illuſtratione concluſionis adductis; nam cùm locus ſacer certis caſibus pollui poſſit ſuprà enumeratis, ut apud Romanos eveniebat, ſi res ſacra ab hoſtibus occupabatur, *l. cùm loca 36. ff. de relig. & ſumpt. funer. l. ſacra 9. §. 2. ff. de rer. diviſ.* Macrobius *lib. 3. Saturn. cap. 8.* illuſtrat Briſſonius *lib. 1. antiquit. cap. 2.* rectè in præſenti docetur, neceſſariam eſſe reconciliationem, ut in loco ſacro, ſeu polluto divina officia poſſint celebrari.

Nec obſtat prima difficultas ſuprà adducta; nam ex ea tantùm evincitur, quàm indecens ſit loca ſacra prophanari, vel maculâ conſpergi, cùm grave peccatum ex ſimili violatione, & prophanatione perpetretur, *dict. cap. in ſancta 41.* & pluribus exemplis probat Pechius *in dict. regul. Semel:* non tamen inde deducitur, facto Eccleſiam violari poſſe, & pollui, ut in caſibus ſuprà relatis. Nec obſtat augmentum ipſius difficultatis deductum *ex dict. l. ſi hæres 73.* quia dicendum eſt, templum deſtructum ſacrum manere, ita ut diſtrahi non debeat, nec in uſus prophanos converti; quia ſemel Deo dicatum fuit; ſed nihilominus conſecrationis virtutem amittit, ut in eo divina officia celebrari non poſſint, niſi denuò conſecretur; nam terræmotu non amittitur tota religio templi, ſed infligitur quædam ſuſpenſio, & violatio, utſuprà dixi. Nec obſtant textus *in dict. cap. ſi motum, cap. Eccleſiis*, quibus communiter reſpondetur, ibi verbum *conſecrationem*, accipi pro reconciliatione; ita ut ſenſus ſit, Eccleſiam homicidio, aut ſimili caſu violatam, eſſe reconciliandam. Sed quis non ſtatim agnoſcit, quàm aliena ſit hæc interpretatio à proprietate ipſius verbi, *conſecrationem*! Quare veriùs credo, olim Eccleſiam pollutam reconciliari, & poſtea iterum conſecrari, uſque-dum propter difficultatem convocandi Epiſcopos ad conſecrationem receptum fuit, ut tantùm ab Epiſcopo proprio Eccleſia polluta reconcilietur; quod facilè colligitur *ex cap. propoſuiſti, hoctit.* ubi Innocent. III. indulget Petro Archiepiſcopo Compoſtellano, ut poſſit Eccleſiam ipſam *pollutam* reconciliare absque eo, quod denuò conſecraretur: quam ſpecialem gratiam Innocentius non concederet, ſi jure communi non eſſet neceſſaria nova conſecratio, & reconciliatio ſufficeret.

11. *Reſpondetur, tur diſtinguendo.*

Sed ſuprà traditis obſtat textus *in cap. 2. de ſacrament. non iter.* ubi cùm agatur de ſchiſmate Waldemari, cujus hiſtoriam ibi retuli, conſultus fuit Honorius, an corpora ſchiſmaticorum ſepulta tempore ipſius ſchiſmatis, eſſent exhumanda? Et quia presbyteri degradati auſi fuerant in ipſis Eccleſiis celebrare, an Eccleſiæ eſſent iterum conſecrandæ. Et reſpondet Honorius, nec corpora eſſe exhumanda, nec Eccleſias reconciliandas: ergo quia non violatur Eccleſia, etſi in ea excommunicati ſepeliantur, ita ut novâ reconciliatione indigeat. Cujus textus expoſitio ex ſuprà traditis provenit; nam cùm Eccleſia polluatur tantùm in caſibus ſuprà relatis, & in illius textus ſpecie nullus ex eis adeſſet, licèt non leviora delicta admiſſa eſſent, ſiquidem degradati celebrarant in ipſa Eccleſia, & ſchiſmatici ſepulturæ defunctorum interfuerant, tamen quia ipſi defuncti catholici erant, nec à communione Eccleſiæ ſecluſi reperiebantur, ideo propter delicta ipſorum miniſtrorum non polluitur, aut violatur Eccleſia, nec novà indiget reconiliatione, quia ex his cauſis Eccleſia non violatur.

Expenditur textus in cap. 2. de Sacram. non iter.

CAPUT

CAPUT VIII.

Honorius III. *Reverendissimæ in Christo filiæ Illustri Reginæ* (a) *Vngariæ.*

CUm sicut ex relatione dilectorum filiorum Capituli (b) Oradiensis nobis innotuit, devotionis zelo succensa, eorum feceris Ecclesiam consecrari, profectò speramus, quod zelus ille, qui te ad ejusdem Ecclesiæ consecrationem induxit, te quoque ut & dotem ei conferas, debeat animare: & quidem cùm non sit Ecclesia, nisi de dote provisum ei fuerit, consecranda, eo liberaliùs ad dotandam prædictam Ecclesiam aperire manus munificentiæ tuæ debes, quo faciliùs potes id facere, & ad hoc fortiùs, tanquam ex debito, jam teneris.

NOTÆ.

(a) *Vngariæ.*] Ita restituo inscriptionem, & textum ex quinta compilatione Honorii III. *sub hoc tit. cap. unic.* ubi notavit Cironius, præsentem epistolam missam esse Gertrudi uxori Andreæ II. Hungariæ Regis, filiæ Bertholdi Ducis Moraviæ; vel Beatrici uxori secundæ dicti Andreæ.

(b) *Oradiensis.*] Legendum esse *Waradicensis*, jam notavit Cironius *in præsenti*. Waradin autem est civitas Episcopalis Hungariæ, suffraganea Archiepiscopi Golocensis.

COMMENTARIUM.

1. Conclusio traditur, & probatur.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Qui fecit Ecclesiam consecrare, tenetur eam dotare.* Probant eam textus *in cap. nemo, de consecr. distinct. 1. cap. piæ mentis 16. quæst. 7.* Concil. Brachar. *2. can 5.* relatum *in cap. placuit 1. quæst. 2.* Concil. Aurel. *4. can. 33.* ibi: *Si quis in agro suo, aut habet, aut postulat habere diœcesim, primum & terras ei deputet sufficienter, & clericos, qui ibidem sua officia impleant, ut sacratis locis reverentia condigna tribuatur.* D. Gregorius *lib. 2. epist 9.* ibi: *Timothea illustris fœmina petitoriâ nobis insinuatione suggessit, quod habetur in subditis, intra civitatem Ariminensem, in loco juris sui oratorium se pro sua devotione fundasse, quod in honorem Sanctæ Crucis desiderat consecrari: & ideo frater charissime, si in tuæ civitatis jure memorata constructio consistit, & nullum corpus ibidem constat humatum esse, perceptâ primitus donatione legitimâ, &c. consecrabis.* Heraldus Episcopus Turon. *in suis capitul. cap. 46. De ædificationibus Ecclesiarum, ut nullus antea fundamentum jaciat, donec Episcopus veniat, & in medio crucem figat, & sic acceptâ dote, construendi licentiam tribuat.* Concil. Wormat. tempor. Hadriani II. *cap. 3. cap. final. de jurepatron. in 5. compil.* ibi: *Cùm igitur sicut nostri est auribus intimatum, quædam Ecclesia regni tui, quarum omnium es patronus, non habere terram liberam asseratur, Serenitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attente, quatenus cùm indecens modis omnibus videatur, ut Ecclesiæ memoratæ competenti dote penitus sint expertes, ipsarum cuilibet saltem triginta passus terræ, juxta canonicas sanctiones in liberam eleemosynam extra cæmeterium à parte qualibet earundem ad domos clericorum faciendas ibidem liberaliter largiaris.* Synod. Valentina sub Lothario, *cap. 9. Sæculares, & fideles laici si condere voluerint basilicas in prædiis suis, sicut edictum piissimorum Augustorum continet, unam coloniam vestitam cum tribus mancipiis donationis* (aliàs dotis) *gratiâ eis conferant.* Carolus Magnus *in suis Capitul. cap. 229. Nemo* (inquit) *Ecclesiam ædificet antequam civitatis Episcopus veniat, & ibidem crucem figat publicè; & ante præsimiat, qui ædificare vult, quod ad luminaria, & ad custodiam, & stipendia custodum sufficiat: & sic factâ donatione, domum ædificet.* Imperator Justinianus *in novel. 67. Ut nullus ædificet*, ibi: *Qui nominis causâ ad opus sanctarum Ecclesiarum accedunt, deinde eas ædificantes, nequaquam curam ponunt, ut expensas eis quoq; exponant decentes, & ad luminaria, & ad observantium alimenta, & ad sacra mysteria vel ministeria, sed deserunt eas in nudis ædificiis constitutas.* Concil. Toletanum 3. *can. 15.* ubi Episcopis interdicitur Ecclesiam consecrare, nisi priùs dotis chartam confirmatam habuerint. D. Chrysostomus *homil. 18 in Acta Apostolorum*, ibi: *Quasi*, inquit, *ductâ uxore, vel sponsâ, vel dotatâ virgine, sic erga Ecclesiam affectus sis, dotem inscribi illi: ita tibi benedictionis præmium multiplicabitur.* Et *l. 2. & 3. titul. 10. partit. 1.* Illustrant ultra congestos à Barbosa, & Garranna *in præsenti*, Cironius *ad hunc textum*; le Maistre *lib. 1. de jurib. Eccles. cap. 7.* Canisius *in cap. 3. de jurepatron.* Gentilis *in notis ad apolog. Apulej. fol. 315.* Filesacus *in cap. 4. de offic. Ordin.* Balsamon *in can. 17. Concil. Nicæni 2.* Loaysa, Binius, & Corjolanus *in dict. can. 5. Concil. Brachar. 1.* Hunnius *in encyclop. tit. 1. cap. 2.* Lanetmeter. *lib. 2. de veteri mon. cap. 58.* Bignonius *in notis ad Marculfum, fol. 521.* Petrus Gregorius *lib. 1 partit. tit. 28. cap 9.* & *de benefic. cap. 15.* Bulengerus *lib. 3. opusc. cap. 40.* Antonius Augustinus *in epit. jur. lib. 15 tit. 15.*

2. Traditur ratio dubitandi.

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti juris considerationè; nam Ecclesiam nihil possidere posse, tam in communi, quàm in particulari, probari videtur ex Salviano *lib. 2. ad Eccles. Cathol. pag. 339.* ubi de divitiis Ecclesiæ loquens ait: *Impedimenta hæc, adjuncta onera, non subsidia; possessione enim, & usu opum non suffulcitur religio, sed evertitur.* Unde Christus Dominus dum in hoc sæculo vixit, nullam possessionem habuit, immò de crastino non esse cogitandum, verbo, & exemplo docuit. Igitur non rectè in præsenti adeo dos Ecclesiæ procuratur,

ut laicus, qui eam construxit, dotare cogatur. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo; nam constructio Ecclesiæ in præsenti casu ex liberalitate, & munificentia Reginæ Ungariæ cœpit: sed donare, aut majorem liberalitatem exercere nemo cogitur, *l. absenti, ff. de donat. §. 1. Instit. eod. tit.* Donatio enim actus merè voluntarius est, & nullo jure cogente fit, *l. donari, ff. de donat.* Seneca *lib. 3. de benefic. cap. 19.* ibi: *Beneficium id est, quod quis dedit, cùm illi liceret non donare.* Cicero *orat. 37. in Pisonem*, ibi: *Qui modus tibi frumenti æstimandi? Quæ honoraria? Si quidem potest vi, & metu exortum honorarium nominari.* Quintilianus *declamat. 7. Omnium beneficiorum ista natura est, ut non sit necessitas, sed potestas, quod in honorem alicujus initum est. Desinit privilegium vocari posse, si cogas. Cuncta (si videtur) jura procurrito, nusquam adeo pro nobis solicita lex est, ut quod præstat, extorqueat.* Ergo Reginâ Ungariæ non debebat cogi Ecclesiam jam constructam dotare. Accedit, nam si semper qui construxit Ecclesiam, eam dotare cogeretur, nunquam eveniret, ut unius, ejusdemque Ecclesiæ alius esset patronus ratione constructionis; & virtute dotationis alius, ut supponitur *in cap. piamentis 16. quæst. 7. cap. novit, de jurepatron.* ubi etiam probavi juspatronatus acquiri ex constructione Ecclesiæ, & ejus dotatione: ergo quia non semper qui construit Ecclesiam, eam dotare cogitur.

3. *De loco ubi Ecclesia construitur.*

Quâ difficultate ità fulcitâ non obstante, verâ est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, nonnulla necessariò observanda esse in Ecclesiæ constructione, & dedicatione antequam ab Episcopo consecretur. Primò locus, seu area Ecclesiæ construendæ destinata libera esse debet ab omni humano dominio, seu jure; ideoque forsan jure civili non licebat locum sacrum construere, nisi cum assensu Principis, *l. sacra loca, ff. de rerum divis.* nec locus sub conditione legatus dedicari propter spem dominii, *l. si locus sub conditione, ff. de relig.* nisi ut testator ipse sepeliretur; quo casu exaudiendus est textus *in l. ult. ff. ut in possess.* ergo antequam exstruatur Ecclesia, locus est ab omni prophana ditione eximendus, ita ut nec Princeps in eo ullam retineat potestatem. Unde legimus apud Ordericum Vitalem *lib. 3. hist. Eccles.* quod cùm locus exstruendæ Ecclesiæ S. Ebrulfi destinatus esset, nobiles Normanniæ omne jus, quod sibi in eum locum titulo dominii habere poterant, ejurarunt; quod & Dux confirmavit solenni diplomate: *Locum* (inquit Ordericus) *nominatum, communi consensu ita liberum tradiderunt ejus tutelæ, ut nec sibi, nec aliis quibuslibet aliquam adsuetudinem, aut redditum, præter beneficia orationum à monachis liceret, vel hominibus eorum exigere: Dux autem bonæ voluntati eorum gratanter acquievit, & testamentum de rebus, quas optimates sui sancto Ebrulfo dabant, confirmavit.* Inde etiam provenit, ut licèt regulariter nemo vendere rem propriam compellatur, *l. invitum, C. de contrah. emption. l. nec emere, C. de jure delib.* tamen religionis favore ut Ecclesia construatur cogitur dominus justo pretio accepto fundum distrahere, argumento textus *in l. si quis sepulchrorum, ff. de relig. l. Lucius, ff. de evict. l. in communes, C. de communi servo, l. item si verberatum, §. item si fortè, ff. de rei vendic.* docuerunt latè Covar. *lib. 3. variar. cap. 14. num. 7.* Cujacius *lib. 3. observ. c. 22.* pluribus relatis Hermosilla *in l. 3. gloss. 1. tit. 5. partit. 5.* Secundò desideratur ad Ecclesiæ constructionem, ut in ipsa area, ubi sacræ ædes construuntur, non sint sepulta defunctorum cadavera; immò si tumulata reperiantur, exhumentur, & extrà projiciantur, propter incertitudinem, an Catholici, Hæretici, vel Gentiles ultimum diem clauserint. Unde cùm sanctus Frodobertus Trecensis Episcopus rogaretur Ecclesiam construere in loco ubi corpora defunctorum jacebant, ante consecrationem jussit ea erui, & asportari, ut refertur in annalibus Trecensibus editis per Nicolaum Camuzatium, ibi: *Is ad prædictæ Basilicæ consecrationem à fratribus evocatus, diligentius percunctatur, utrum inter sacrandos parietes sepulta aliquorum cadavera tegerentur. Cumque comperisset inesse quamplurima, universa prius de templo eliminanda præcepit, contestans se non aliter consecrationis officium suscepturum.* Ita etiam D. Gregorius *lib. 1. epist. 22.* Surrentino Episcopo jussit consecrari monasterium S. Stephani, eâ conditione videlicet, si eo loco constructum sit, ubi nullum corpus fuerit humatum. Eandem conditionem apponit in consecratione oratorii per Timotheam matronam conditi, *lib. 2. epist. 9.* & *lib. 5. capitul. cap. 48.* ita cavetur: *Ecclesiam, in qua mortuorum cadavera infidelium sepeliuntur, sacrificare non licet: sed si aptà videtur ad consecrandum, inde evulsis corporibus, & rasis, vel lotis lignis ejus, readificetur.* Quin immò si locus ille fuisset commercio hæreticorum inquinatus, nefas erat Ecclesiam illic exstrui. Concil. Epaunense *can. 33.* ibi: *Basilicas hæreticorum, quas tantâ execratione habemus exosas, ut pollutionem earum purgabilem non putemus, sanctis usibus applicare despicimus: sanè, quas per violentiam nostrâ abstulerant, possumus revocare.*

Tertiò, cùm in ipsa Ecclesia sub altari principali condendæ essent Sanctorum reliquiæ, juxtà tradita suprà *in cap. 1.* & ibi ad divina officia celebranda necesse sit adscisci Sacerdotes, qui Martyrum reliquiis assiduo famulatu deserviant, & in ornandis ædibus sacris cultum, atque ornatum comparent; & quia inter ipsum Rectorem, & Ecclesiam conjugium spirituale contrahitur, ut probavi *in cap. inter, de translat. Episc.* non incongruè bona hæc dotem Ecclesiæ appellarunt SS. PP. suprà, *num. 1.* laudati; & Lucius *in epist. unic. in princip.* ibi: *Significastis vos à quibusdam non rectam fidem tenentibus, atque vestras Ecclesias suis dotibus spoliari.* Synodus Valent. sub Lothario *can. 9. Dotes à fidelibus designatæ basilicis, ad hoc, quod statutum est, vindicentur.* Tolet. 3. sub Recharedo, *can. 2.* ibi: *Ecclesia ex dote, quam largitus est, qui illam ædificavit, presbyterum habeat.* Colonien. sub Carolo Crasso, *can. 4.* ibi: *Nec ex dote Ecclesiæ, id est ex uno manso, & quatuor mancipiis census exigatur.* Trosleian. *can. 6. Dos Ecclesiæ libera omnino ab omni censu, & tributo perti-neat ad presbyterum.* Et *can. 3. Synod. 6.* & *lib. 6. Capitul. cap. 69.* in diplomate Ottonis I. ibi: *Dotem quoque Ecclesiæ, id est duas hobas possessas, & beneficium presbyteri in eodem loco deservientis.* Nec novè hâc voce utuntur Ecclesiæ PP. nam & Gentiles possessiones templorum dotes eorum dixerunt. Ovidius *lib. 10.*

4. *De dote Ecclesiæ tam.*

——— *Templisq; accedere dotem*
Hanc jussere meis Idest

Id est agrum Damascenum. Censorinus *de die natali*, ibi: *Et cùm agros, atque urbes, Deorum munere possiderent, partem quandam templis, sacellisque, ubi eos colerent, dicavere.* Alio sensu Optatus Milevit. *lib. 2. de schism. Donatist.* contra Parmenianum Ecclesiæ dotes nominat prærogativas, intelligens Ecclesiæ, ut exponit Henellius *de dotalit. cap. 1.* Qui ergo vult Ecclesiam ædificare, prius debet dotem assignare, & instrumentum dotale conficere, de quo Imperator Zeno ita sanxit *in l. 15. C. de sacros. Eccles. Si quis donaverit aliquam rem mobilem, vel immobilem, vel se moventem, aut jus aliquod personæ Martyris, aut Prophetæ, aut Angeli, tanquam ipsi postea oratorium ædificaturus, & donationem insinuaverit apud quos necesse est, cogitur opus, quamvis nondum inchoatum fuerit, perficere per se, vel per hæredes; & perfecto opere, dare ea, quæ donatione continentur.* Etiam constructâ Ecclesiâ dotem ipsam promissam tradere debet, in cujus traditione pro adipiscenda possessione rerum, olim quibusdam traditionibus symbolicis Ecclesia utebatur, ut retuli *in cap. 2. de consuet.* Et tandem chartam ipsius dotationis, ubi accuratè omnes possessiones, & res pro dote Ecclesiæ traditæ recensebantur, & inscribebantur: cujus chartæ exemplar ex antiquitatibus Aleman. refert le Maistre *lib. 2. de juribus Eccles. cap. 7.* & chartam dotationis Ecclesiæ Toletanæ ab Alfonso Castellæ Rege factæ, refert Loaysa inter Concil. Hispan. *pag. 197.*

4. *De modo dotis Ecclesiæ.*

Deinde sciendum est, quod sicut in dote nuptiali attenditur conditio contrahentium, quoad dotis modum, & quantitatem, *l. quæro, ff. de jure dot.* probabimus infrà *in cap. 1. de adulter.* ita olim non omnibus Ecclesiis dos æquà fuit; pro numero enim Sacerdotum, vel monachorum pinguior dos constituebatur, ut ex ea ministri omnes commodè ali possent, neque prophanis artibus operam dando cogerentur dignitatis suæ, & religionis majestatem dedecorare. Ita majorum suorum providentiam laudat Justinianus *in novella 3.* his verbis: *Deprehendimus eos, qui sacrosanctam aliquam Ecclesiam in hac alma urbe exædificaverunt, non solùm curam ædificii gessisse, sed etiam ut sacris ædibus, quas ipsi instituissent, sufficiens erogatio suppeteret, utique definirent; quod per singulas Ecclesias presbyteros versari conveniret, quot Diaconos, vel mares, vel fœminas; quot subdiaconos, & item cantores, simul & lectores, & ostiarios; adhæc ædis sumptum adjecisse.* Præterea peculiares redditus, qui instituto huic suo satis essent: nec multitudo fuit aliqua adjecta, cui exinde competens solutio fieri non posset. In Concilio Valentiniano Galliæ sub Lothario, *cap. 9.* ita legitur: *Ipsi sæculares, & fideles laici, si condere voluerint basilicas in prædiis suis, sicut edictum piissimorum Augustorum continet, unam colonicam vestitam cum tribus mancipiis dotationis gratiâ ei conferant, moxque Episcoporum juri, & sanctæ matri Ecclesiæ eandem basilicam submittant. Aliter verò nos Episcopos, earum consecrationem sciant non impleturos.* Colonica autem est villa, seu villula cum modo agri, quantùm colonus unus colere potest, nec admodum à manso distat, ut probavi *in cap. 1. de censibus.* Ut ad modum dotis Ecclesiæ redeamus, certè in Oratoriis ratio habebatur clericorum, qui illic erant instituendi; nam si fortè Sacerdotes assumendi erant, pinguiori reddi-

4. De dot. Eccles. rum.

tu dotabantur, quàm si inferioris gradus clerici, veluti Diaconi, aut Ostiarii. His enim sufficiebant mediocres sportulæ, quia illis nihil incumbebat oneris præterquam ædem sacram purgare, & candelis, ac luminibus moderari, ut definitum fuit in dicto Concilio Tolet. 3. sub Recharedo, *can. 2.* ibi: *Placuit Dei sacerdotibus, ne quisquam infra suam parœciam Dei aulam inquirat; & munificus ille, qui sanctam Dei ædificaverit Ecclesiam, quod ibidem pro suo hæredi largitus est, eodem loco presbyter secundùm priorum canonum instituta deserviens habeat: & si presbyterum ea facultas habere non permittit, vel Diaconus instituatur: certè si minor est census, ostiarius à Sacerdote sit electus, qui nitorem infra sinus sanctæ Ecclesiæ faciat, qui & sanctarum reliquiarum luminaria omni subsequenti nocte accendat.* Ex eo fortasse, quod aliquæ Ecclesiæ fundatæ essent, ut aliorum Ordinum, præterquam Ostiariorum ministerio non egerent, manavit forsan origo beneficiorum, quæ vulgò simplicia dicimus. Fuisse autem Ecclesias quasdam, quas non presbyteri, aut Diaconi, sed inferioris nominis, ac gradus clerici regerent, abundè liquet ex D. Gregorio *lib. 2. epist. 19.* ubi Ecclesiam S. Agnetis, quæ in via suburbana constructa erat, commendat curæ Leonis cujusdam acolythi, cui propterea assignat pensiones certarum domorum. In monasteriis verò pro numero monachorum dos constitui debebat. Qui autem numerus ad conficiendum monasterium sufficiat, canon 16. Synodi Trul. & ex eo le Maistre *d. lib. 2. cap. 8.* assignat. Si autem Ecclesia parochialis construatur, dos competens debet constitui saltem victui duorum, presbyteri, inquam, & clerici ad minus; quia non potest presbyter celebrare, & divina officia solus exequi, *cap. ut quisque, de vitâ & honest. cleric. cap. proposuisti, de filiis presbyt.* Expediret tamen, si fieri posset, duobus presbyteris parari necessaria, ut si fortè unus in casum ægritudinis incideret, alius vices ejus suppleret, *cap. illud 7. quæst. 1.* & aliquando placuit, ut dos tribus ministris sufficeret, *cap. ut quoque, de consecr. dist. 1.* Ultra etiam debet esse dos congrua ad onera Episcopalia solvenda, & hospitalitatem exercendam, *cap. de monachis, de præbend. cap. 2. de suppl. neglig. cap. de præb. in 6.*

Quibus ita animadversis apparet vera ratio præsentis decisionis; nam cùm in præsenti specie Regina Ungariæ fundâsset, construxissetque Ecclesiam, tacitè se obligavit ad ejus dotationem; siquidem juxta canones antiquos Ecclesia non potest consecrari sine congruâ dote; nec solùm ipse, qui construxit, tenetur eam dotare, verùm etiam hæres ejus ad ipsum compelli valet. Leo Imperator *novella 14.* ubi statuit, ut si quis ædificaverit monasterium, nec dotem sufficienter dederit, & moriatur ab intestato, relictis liberis; si tres sint liberi, monasterium, seu Ecclesia quadrantem bonorum ejus habeat; si ultrà plures reliquerit, in succedentes liberos connumeretur monasterium, & accipiat deducto ære alieno quantùm quisque acceperit: quod si defunctus mortuus fuerit sine liberis, relictis parentibus, dividatur substantia inter parentes proximos, qui unam partem; & monasterium, qui aliam partem dimidiam accipiant: si parentes non supersint, nec filii; sed tantùm agnati; hes bonorum ad

6. *Traditur ratio decidendi.*

monasterium perveniat, triens ad cognatos; si verò fundator testatus sit, & nihil reliquerit monasterio, ut Antistes loci sufficientem monasterio partem accipiat, reliquis juxta testamentum valituris. Immò Glossa in præsenti, verbo *Consecranda*, docet quod si Episcopus omittat exigere cautionem dotis, & sine ea Ecclesiam consecret, tenetur Ecclesiam illam dotare, ut tenetur providere de necessariis ei, quem sine titulo ordinavit, *cap. 2.* ubi probavi, *de præb.* Quod tamen Bernardus Glossator verum credit, dummodo Episcopus possit eam dotare de bonis propriis sine præjudicio propriæ Ecclesiæ, ne delictum ipsius noceat Ecclesiæ, cui præest, *cap. 3. 16. q. 7.* Tandem P. Gregorius *de benef. cap. 15. num. 3.* hoc verum existimat, si priùs discussæ fuerint facultates fundatorum, & fuerint inventæ non sufficientes; & eo casu in subsidium dandam esse in ipsum Episcopum actionem, argumento legis 3. §. *1. ff. si mensor falsum modum*, *l. fin.* §. *final. ff. de eo per quem factum fuerit.* Sed licèt Episcopus possit dotem exigere; non tamen aliquod munus pro ipsa consecratione petere valet, sed tantùm recipere, si sponte offeratur, *cap. 1. 1. quæst. 2. cap. ult. 1. q. 3.* Concil. Pictav. *can. 4. Nullus Episcopus pro sacris Ordinibus, vel pro Ecclesiarum benedictionibus munus accipiat.* Aquisgran. 2. sub Ludovico, *p. 1. cap. 5. Nullus Episcoporum dein-ceps pro dedicatione sanctæ Ecclesiæ aliquid exigere præsumat.* Refert Antonius Augustinus *in epit. lib. 4. tit. 47.* quo modo accipiendus est quod legimus apud Hermoldum *in Chron. Sclavor. lib. 3. cap. 21.* Episcopum omnibus bonis ac facultatibus exutum, fato, ac miseria temporum suorum, ex consecratione altarium, & cathedratico victitasse: *Hartuicus*, inquit, *Bremensis Episcopus necessitate compulsus ministerialium redditus Episcopales per triennium abjuravit, ut infrà tempus illud omnia ex integro solverentur. Episcopus verò ex his, quæ de cathedratico, vel consecratione altarium consequi poterat, victitabat.*

7. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, quâ moti Waldenses tenuerunt, Ecclesiam, aut ejus ministros, rerum temporalium, maximè immobilium, dominium obtinere non posse, & peccare Principes Ecclesias dotando. Quem errorem sequuti fuerunt Wielephus, & Lutherus, ut refert Arsfeldius *histor. Wicleph. cap. 2.* his verbis: *Omnes possessiones, non monachis modò, sed universo prorsus clero eripit, nec solidum aliquem, aut stabilem ei decimarum fructum reliquit. Dotare Ecclesiam est contrarium sacræ Scripturæ, & contra regulam Christi. Sylvester Papa, & Constantinus Imperator erraverunt Ecclesiam dotando. Papa & omnes Cardinales, & Clerici possessiones habentes sunt hæretici, & laici consentientes, Imperator, & seculares sunt seducti à Diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis: Sacerdotes Veteris Testamenti vivebant ex proprietario: Ecclesia non habuit dotem, vel possessionem rei immobilis ante Constantinum Magnum: non est sacrilegium auferre res Ecclesiæ datas, & Deo consecratas; immò debent Principes sub pœna damnationis auferre bona temporalia à Clero habitualiter peccante.* Istum errorem penè consepultum restituit Lutherus; nam cùm impii hæretici sectas suas stare non posse animadverterent, nisi Principum, & Magnatum patrocinio niterentur, existimarunt eos posse facili negotio in suas partes abduci, si ad Ecclesiæ prædam accerserent, persuaderentque posse Ecclesiam illis, quibus dotata est, bonis non solum impunè, verùm & religiosè spoliare. Qui error damnatus fuit in Concilio Constantiensi, & rectè, nam Ecclesiam à primis ejus sæculis bona propria, peculiareque patrimonium habuisse, constat ex D. Ambrosio relato *in cap. aurum 70. 12. q. 2. cap. quatuor 27. cum sequent. eadem q.* & suppellectilia pretiosa etiam persecutionis tempore Ecclesiam habuisse, ex D. August. & Optato refert Baronius *tom. 1. anno 57. num. 81.* & *tom. 2. anno 223. num. 3.* prædiaque possedisse constat *ex cap. nulli 27. 12. quæst. 1. cap. non liceat 12. q. 2. cap. 1. cap. si quis 6. cum sequent. cap. ad audientiam 9. cum sequent. de rebus Eccles.* probat Duarenus *de sacris Eccles. ministr. lib. 2. cap. 1.* Robertus *lib. 2. rerum quotid. cap. 2.* Quintanadvennas *lib. 1. Eccles. cap. 2. num. 8.* Lessius *de justitia lib. 2. cap. 4. dubit. 7.* Molina *eodem tractat. tom. 1. disput. 142.* Bellarminus *tom. 1. controv. lib. 1. de Eccles. cap. 5.* Joannes Pollemar. in oratione habita in Concilio Basileensi, quæ extat *tom. 4. Concilior. Binii, p. 1.* le Maistre *lib. 1. de jurib. Eccles. cap. 1.* fusè Valenzuela *contra Venetos 3. p. per totam.* Nec favet Waldensibus dicta auctoritas Lucæ *cap. 14.* quæ est accipienda de præparatione mentis, ita ut animo debeant omnes fideles paupertatem sectari; non de vera renunciatione, & abdicatione bonorum temporalium, ut ex D. Augustino *epist. 5. ad Marcel.* explicat Bellarminus *ubi suprà*; nam ut inquit Salvianus *lib. 1. ad Eccles. Cathol.* non sunt ipsæ divitiæ per se noxiæ, sed mentes malè utentium criminosæ. Et si de renunciatione temporalium bonorum locus ille acciperetur, non solùm præriperet Ecclesiis, & Clericis temporalis dominii obtinendi capacitatem, sed etiam omnibus fidelibus laicis: quod per absurdum est, ut jam notavit Joannes à Pollemar. *ubi suprà.* Nec exemplum Christi Domini, quod adversarii adducunt, pro eis facit; siquidem verius est, Dominum nostrum facultates aliquas, etsi tenues, possedisse, ut sibi, & suis victum pararet, ut declaravit Joannes XXII. *in extravag. 4. & 5. de V. S.* & notarunt Bellarminus, & Pollemar. *suprà.* Nec etiam revocare licet statum Ecclesiæ præsentis ad tempus illius nascentis, quo Prælati contenti eleemosynis fidelium collectas diebus tantum Dominicis faciebant, ut ait Socrates *lib. 7. histor. cap. 12.* constatque ex epistola 1. Pauli ad Corinth. *cap. 16.* & ex traditis à Leone Papa *serm. 2. 3. & 5.* Baronio *tom. 1. anno 44. num. 68.* Eo enim tempore tanta pecuniæ quantitas colligebatur, ut quæ supererat, in gazophylacium reponeretur. Baronius suprà, *num. 69.* Sed postquam charitas cœpit tepescere, eleemosynæ, & collectæ minùs fructuosæ fuerunt; quare justè cautum fuit, ut Ecclesia absque competenti dote non consecraretur. Inde obiter cognoscitur iniquitas constitutionis Diocletiani, & Maximiani *in l. collegium 8. C. de hæredib. instit.* quatenus odio Christianorum, ut notavit Robertus *d. cap. 2. fol. 124.* statuit nullum collegium hæreditatem capere posse, ut Ecclesiam arceret à bonorum temporalium dominio: quod etiam circa clericos cautum fuit *in l. ulla, C. Theod. de Episcop. & Cleric.* in quam invehitur D. Hieronymus *epist. ad Nepotianum*, his verbis: *Pudet dicere, Sacerdotes idolorum, mimi, aurigæ, & scorta hæreditates*

tates capiunt : solis clericis hoc lege prohibetur , & prohibetur non à persecutoribus , sed à Principibus Christianis, D. Ambrosius *ad Valentin. epist. 31. Nobis etiam privata successionis emolumenta recentibus legibus denegantur, & nemo conqueritur; non enim putamus injuriam , quia dispendium non dolemus.* Notavimus *in cap. 3. de testam.* Nec obstat augmentum primum ipsius dubitandi rationis; nam qui construit Ecclesiam , ut suprà probavi, tacitè obligatur ad ejus dotationem ; unde non tam liberalitas est hæc dotis constitutio , quàm debiti solutio , ut innuitur in ultimis verbis hujus textus ; facitque textus *in cap. 1. de donat.* Unde Regina Ungariæ in præsenti specie , quasi ex debito , virtute constructionis Ecclesiæ tenebatur eam dotare. Nec obstat ultimum augmentum difficultatis ; nam variis ex causis accidere potest , ut ejusdem Ecclesiæ alius sit Patronus ratione dotationis , alius constructionis causâ , veluti si ille , qui construxit Ecclesiam , inopiâ oppressus eam dotare non potuit , aut postquam dotavit , rebus ipsis in dotem datis amissis , alius novam dotem constituit: quibus , & in similibus casibus duo patroni dantur , alius ratione dotationis , alius constructionis causâ.

CAPUT IX.

Gregorius IX. (a) *Astoricensi Episcopo.*

AQuâ per Episcopum benedictâ, Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum non negamus , per Sacerdotes simplices hoc fieri de cætero prohibentes, non obstante consuetudine provinciæ Bracharen. (quæ dicenda est potiùs corruptela:) quia licèt Episcopus committere valeat quæ jurisdictionis existunt , quæ ordinis tamen Episcopalis sunt , non potest inferioris gradus clericis demandare. Quod autem mandantibus Episcopis super reconciliatione factum est hactenus per eosdem, mediocriter toleramus.

NOTÆ.

(a) *Astoricen.*] De Astoricensi Diœcesi , & ejus Præsulibus, jam nonnulla notavi *in cap. 17. de re judic.*

(b) *Aquâ per Episcopum benedictâ.*] Licèt aqua, tam ad administrandum baptismum, quàm piacularis, id est ad peccatorum remissionem , pro benedictione populi à Sacerdotibus benedicatur, ut latè probant de ea , & ejus effectibus agentes, Baron. *anno 44. num. 88.* & *anno 57. num. 10.* & *anno 132. num. 5.* Turrianus *pro canon. Apost. lib. 3. cap. 6.* & *lib. 5. cap. 4.* Joan. Dartis *ad dist 3. de consecr.* Marsil. Colum. *de aqua benedicta*, Osius *in confess. Polon. cap. 80.* Creditus Alanus *lib. 4. dialog. cap. 3.* Lindanus *Panopl. cap. 99.* Genebrardus *in Psalm. 150. num. 4.* Didacus Payva *lib. 4. orthodox.* Grethserus *de benedict. lib. 3. cap 4. & 5.* Turrianus *contra Magdeburg. lib. 3. cap. 6. & 9.* Theophilus Raynaud. *tom. 15. in Heterocl. ad finem , fol. 557.* & *tom. 16. eodem tractat. p. 2. punct. 5.* Durantius *lib. 2. de ritibus. cap. 21.* Bellarminus *tom 3. controv. lib 3. de Sanctis cap. 7.* Lucas Tudensis *lib. 2. contra Waldens. cap. 3.* Novarinus *lib. 6. aquæ nuptialis, cap. 123.* Serarius *lib. 1. opusculorum , cap. 6.* Forcatul. *in pen. juris civil. cap. 19.* Franc. Valens *in concord. jur. in proœm. 6. cap. 4.* Bosquetus *in notis ad Innoc. III. lib. 1. epist. 30.* Jodocus Coccius *lib. 5. thesauri, artic. 8.* Carrier. *tom. 2. fol. 532.* Sausay *in Panop. Sacerd. p. 2. lib. 2. cap. 6. per totum.* Tamen hæc aqua , quæ cum cinere miscetur pro reconciliatione, aut consecratione Ecclesiæ , tantùm per Episcopum benedicitur; unde ad distinctionem alterius aquæ vocatur hæc aqua *consecrata* , ut probant Antonius Marsil. *de aqua benedicta, cap. 5. num. 2.* Turrianus *pro canon. dicto lib. 3. cap. 6.* & *d. lib. 5. cap. 4.*

COMMENTARIUM.

EX hoc textu communiter sequens deducitur assertio : *Simplex presbyter non potest Ecclesiam consecrare , nec eam violatam reconciliare, etiam ex delegatione Episcopi.* Probant eam textus *in Concil. Tolet. 8. can. 7.* ibi : *Quâ de re nosse nos convenit , quod Episcopalis eminentiæ culmen non immeritò sacris omnibus esse summa percensuit , quæ cæteris Sacerdotibus exercenda prohibuit scilicet templorum Dei sacrationem chrismæ benedictionem , sacrorumque ordinum institutionem ; quæ tamdiu alter ordinata persistunt , quàm excellentissimè conferuntur ; quia & tanto ab eis singulariter impenduntur , quantò eidem summo culmini peragenda servantur.* Concil. Hispal. *2. can. 7.* ibi : *Nam quamvis cum Episcopis plurima illis (presbyteris) ministeriorum communis sit dispensatio , quædam novellis , & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint sicut & Presbyterorum , & Diaconorum , ac virginum consecratio ; sicut constitutio altaris , benedictio , vel unctio : si quidem nec licere eis Ecclesiam , vel altarium consecrare.* Wormat. *can. 8.* ibi : *Igitur presbyteris , quamvis cum Episcopis plurima mysteriorum communis sit dispensatio , quædam tamen auctoritate veteris legis , quædam novellis , & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint. Consecratio ergo virginum , & benedictio , vel unctio altaris à presbyteris minimè fiat : similiter non liceat eis Ecclesias consecrare.* Carolus *lib. 7. Capitul. cap. 159. cap. nullus , cap. nulli , de consecr. dist. 1.* Eandem potestatem consecrandi, & reconciliandi Ecclesias , Episcopis competere docuerunt Clemens *in cap. hic ergo , de consecr. dist. 1.* Leo *epist. 88.* Felix IV. *epist. 1.* Isidorus *epist. ad Ludifredum.* Illustrant ultra congestos à Cenedo *in collect. ad Decret. collect. 135.* Barbosa *hic*, & *de potest. Episcop. alleg. 28. num. 56.* & *lib. 1. juris Eccles. cap. 4. num. 28.* Vazquez *3. p. in 3. p. D. Thomæ, disput. 243. cap. 4.* Germonius *lib. 3. de sacror. immunit.*

2. Conclusio probatur.

munit cap. 2. num. 17. Hallierius *de hierarch lib. 2. de necessit. Episc. cap. 4.* & *in vindiciis fol. 182.* Petrus Gregorius *lib. 1. partit. tit 4. cap. 6.* Fachineus *lib. 12. controv. cap. 93.* Morla *in empor. tit. de jurisdict. num. 33.* Plures ex Moralistis refert P. Henao *tom. 2. de sacrif. Missæ, disput. 23. sect. 3.* Murga *tom. 1. disquisit. tractat. 2. disquisit. 11.*

3. *Impugnatur tradita assertio.*

Sed in hanc assertionem ita pro dubitandi ratione insurgo : Ea, quæ ratione ordinis competunt, sicut ea, quæ ratione jurisdictionis exercentur, delegari, & aliis mandari possunt, ut probatur *ex cap. suffraganei 10. de elect.* ubi Archiepiscopus consecrationem Episcopi suffraganei aliis suffraganeis validè & licitè committit : & similiter Episcopus reconciliationem pœnitentium, quibus ipse pœnitentiam injunxit, simplici presbytero committere valet, *cap. presbyter. cap. Aurelius 26. quæst. 6.* Igitur etiam Ecclesiæ consecratio, seu reconciliatio, simplici presbytero mandari valet. Augetur hæc difficultas *ex cap. altaria 32. de consecr. dist. 1.* ubi in Concilio Agathen. ita cavetur : *Altaria placuit non solum unctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari.* Igitur quia simplex Sacerdos potest Ecclesiam consecrare. Tandem si ratio adducta à Gregorio in illis verbis : *Quæ ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris ordinis gradus clericis demandare* ; vera esset, sequeretur Romanum Pontificem non posse consecrationem Ecclesiæ, seu ejus reconciliationem simplici presbytero committere, cùm verum sit, Pontificem posse eam facultatem simplici Sacerdoti delegare, ut probant Delbene *tom. 1. de immunit. Eccles. cap. 2. dubit. 2. sect. 10. num. 4.* Barbosa *lib. 1. juris Eccles. cap. 8. num. 15.* Illustr. Ramos *ad Alex. VII. pro Episcop. Lusit. princip. ult. §. 4. num. 15. in fine.* Igitur nec ratio à Gregorio adducta defendi valet.

4. *Traditur ratio decidendi.*

Adhuc tamen ut verissima, & juris principiis consona defendenda est præsens assertio ; nam inter alia munia præcipua, peculiariaque Episcoporum referuntur consecratio Ecclesiæ, & ejus reconciliatio, ita ut Episcopus tantùm possit ut ordinarius minister Ecclesiam consecrare, aut eam violatam reconciliare, *cap. nemo, cap. hic 14. de consecr. dist. 1. cap. proposuisti 4. hoc titul. cap. constitutus, de relig. dom.* probant DD. suprà relati : nam & apud Ethnicos Pontificii juris fuisse dedicationem templorum, latè ex variis probat Gutherus *lib. 3. de veteri jure Pontif. cap. 11. 12. & 13.* Sanè Aurelianus agens de Palmirenis : *Ego ad Senatum* (inquit) *scribam, petens ut mittat Pontificem, qui dedicet templum.* Aliud exemplum habet Livius *lib. 9.* Cùm de ædis Concordiæ dedicatione agit : & aliud Tacitus *lib. 4.* agens de Plauto Æliano Pontifice. Meminit hujus moris Justinianus *novella 13. cap. 7.* & *novella 67. cap. 1.* Sed ut ad nostram veram religionem regrediamur, quia Chorepiscopi, de quibus egi *in cap. quantò, de consuet.* qui erant in pagis, & villis, intendebant, saltem summâ exigente necessitate, Ecclesias consecrare, expresè sacri canones id illis prohuerunt in Concilio Barcinon. sub Recaredo, *cap. 2.* Parisiensi sub Gregorio IV. *cap. 27.* Meldensi sub Sergio II. *cap. 44.* Merensi sub Arnulpho, *can. 5.* & in epistola Montani post Concilium Tolet. 2. & in Capitul. Caroli, & Ludovici *lib. 1. capit. 19.* & *lib... cap. 168.* & *lib... cap. 119. & 284.* & *lib. 7. cap. 187 310. 318. & 328.* & ex epistola 86. Leonis Magni, signanterque adjectum fuit *in d. cap. nemo, cap. is 14. de consecr. dist. 1.* Ecclesiam esse dicandam, & consecrandam ab Episcopo civitatis, ut excluderentur Chorepiscopi, & alii in pagis, & villis degentes ; immò olim tantùm Summum Pontificem concessisse facultatem consecrandi Ecclesias, constat *ex cap. perlectis, 25. dist. cap. nemo, cap. nullus, cap. Ecclesiarum, de consecr. dist. 1.* & refert Baronius *anno 591.* Presbyteri ergo non possunt Ecclesias consecrare, aut reconciliare ratione proprii ordinis, & officii, nec etiam ratione delegationis ; quia licèt Episcopus possit committere, & delegare ea quæ sunt jurisdictionis, Morla *in empor. titul. de jurisdict. num. 33.* non tamen ea, quæ sunt ordinis, ut est reconciliatio Ecclesiæ consecratæ ; atque ita recte ex hoc textu deducunt communiter DD. Episcopum non posse committere simplici presbytero ea, quæ sunt ordinis.

5. *Dissimiliter dilatando ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta ; nam *in d. cap. suffraganei*, delegatio facta fuit personæ, quæ alias Episcopum consecrare poterat ratione proprii ordinis ; non autem simplici presbytero, quæ sunt ordinis Episcopalis ; sed Episcopo, quæ sunt ipsius ordinis, ut docuit Julius Pacius *centur. 10. quæst. 55.* Nec obstat textus *in d. cap. altare* ; nam ibi per benedictionem sacerdotalem non est intelligenda benedictio simplex presbyteri, sed Episcopi, qui etiam Sacerdos dicitur : textus *in cap. Episcopi verò si sacerdotali modo, 11. quæst. 3.* qui canon est Concilii ipsius Agathensis : ac textus *in d. cap. altaria.* Nec obstat augmentum ipsius difficultatis, cui respondendum est, in presbytero esse quidem consecrationem ; & licèt ea remota sit, sufficit tamen, ut illi tanquam personæ consecratæ possint per Romanum Pontificem committi Ecclesiæ consecratio, nec dicatur delegationem factam fuisse personæ consecratæ, ut docet Basilius Legion. *de Confirmatione cap. 3. num. 10.* In præsenti autem textu non Pontifex, sed Episcopus erat, qui delegabat simplici presbytero consecrationem, aut reconciliationem Ecclesiæ, cùm Episcopi ea, quæ sunt ordinis, non possint aliis committere, *cap. quamvis, 78. dist.* Quare in præsenti textu necessaria fuit tolerantia ipsius Pontificis, quia ipse, non verò Episcopus, poterat delegare Ecclesiæ consecrationem. Abbates similiter jus mitræ, & bacula habentes possunt reconciliare proprias Ecclesias aquâ per ipsos benedicta, ut pluribus relatis probat Murga *tom. 1. disquisitionum moral. tractat. 1. disquisitione 5.*

CAPUT

CAPUT X.

(a) Idem *eidem.*

SI Ecclesia non consecrata, cujuscunque semine fuerit, aut sanguinis effusione pollutâ, aquâ protinus exorcizatâ lavetur, ne divinæ laudis organa suspendantur. Est tamen, quam citiùs fieri poterit, consecranda.

NOTÆ.

1. (a) *Idem.*] Gregorius videlicet IX. eidem Episcopo Astoricensi.

COMMENTARIUM.

2. UT Ecclesia violetur, polluaturve, necessarium non est, ut sit consecrata, aut benedicta; sed tantùm destinata, & deputata ab Episcopo ad publicam Missarum celebrationem, ut docuerunt Azor *tom. 3. instit. moral. lib. 3. cap. 31. quæst 4.* P. Henao *tom. 2. de sacrif. Missæ, disput. 23. sect 3. num. 27.* Barbosa *lib. 2. de jure Eccles. cap. 4. num. 12.* Unde in præsenti textu jubetur à Gregorio IX. ut Ecclesia non consecrata, violata priùs reconcilietur, & postea consecretur; & eo casu potest Ecclesia reconciliari per simplicem presbyterum, quia adhuc non fuerat consecrata. Martha *de jurisdict. p. 2. cap. 17. num. 4.* ut hodie etiam Ecclesiæ, quæ tantùm sunt benedictæ, per presbyterum reconciliantur. De privilegiis autem regularium circa consecrationem Ecclesiarum, & earum reconciliationem, latè agunt P. Henao *ubi suprà*, Ægidius Vossius *tom. 1. oper. moral. tract. 6. per totum.* Murga laudatus proximo commentario.

TITVLVS XLI.

De celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & divinis officiis.

CAPUT I.

Ex (a) *Concilio Agathensi.*

PResbyter (b) manè matutinali officio expleto, (c) pensum servitutis suæ, videlicet Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperamque persoluat; (d) ita tamen, ut horis competentibus (e) juxta possibilitatem, aut à se, aut ab scholaribus (f) publicè compleantur. Deinde peractis horis, & infirmis visitatis, si voluerit, exeat ad opus rurale (g) jejunus, (h) ut iterum necessitatibus peregrinorum, (i) & hospitum, sive diversorum commeantium, infirmorum, atque defunctorum succurrere possit, usque ad statutam (k) horam pro temporis qualitate, Propheta dicente: Septies in die laudem dixi tibi. Qui septenarius (l) numerus à nobis impletur, si matutino, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vespertæ, & Completorii tempore nostræ servitutis (m) officia persolvamus: nam de nocturnis vigiliis idem ipse Propheta ait: Mediâ nocte surgebam, &c. Ergo his temporibus laudes Creatori nostro super judicia suæ justitiæ referamus.

NOTÆ.

(a) *Agathensi.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub tit. de suffragiis, cap. 1.* at verò apud Carnotensem *p. 6. Decreti. cap. 181.* Burchardum *lib. 2. Decreti, cap. 184.* Gratianum *in cap. presbyter, 95. dist.* habetur, *ex Concilio Nannet. can. 60.* & ex eo citat textum hunc Fiesacus *de origin. parœc. cap. 6.* Sed cùm tantùm canones 27. illius Concilii editi sint, fatendum est, canonem hunc non reperiri in eo Concilio, nec in Agathensi: ab illis autem verbis, *septenarius numerus*, deductus est textus hic ex regula D. Benedicti, *cap. 16.* ibi: *Unde ait Propheta, Septies in die laudem dixi tibi: qui septenarius numerus sacratus à nobis sic implebitur, si matutino, Primæ, Tertia,*

Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, Completorii, tempore nostræ servitutis officia persolvamus, quia de his diurnis horis dicit Propheta: Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi.

2. (b) *Presbyter.*] Presbyterum in præsenti rectè accipit pro parocho Filesacus *de origine parœc. cap. 6. fol. 623.* & inde probat veterem Ecclesiæ Gallicanæ morem recitandi horas canonicas, etiam in Ecclesiis parochialibus.

3. (c) *Pensum.*] Consonat Carnotensis *epist. 19.* ibi: *Rarò etiam canonicum pensum determinatis horis solvere non valemus.* Quod autem hîc PP. pensum vocarunt, prisci scriptores cursum appellabant: Sanctus Macharius *cap. 9. suæ regulæ*, ibi: *Cursum monasterii super omnia diligas.* Fortunat. *epigr. 10.*

Carmine Davidico divina poëmata pangens
Cursibus assiduis dulce revolvit opus.

Sanctus Bonifacius *epist. 17. Wigbertus Presbyter, & Mengingordus Diaconus regulam vestram vobis insinuant, & speciales horas, & cursum Ecclesiæ custodiunt.* Bandomina in vita sanctæ Radegundis *lib. 2. cap. 18.* ibi: *Stabat quandoque nocte ante cellulam suam, corde, & ore cursum decantans.* Observavit Juretus *in notis ad d. epist. 19. Ivonis*, & hujus vocis etymologiam latè illustravit Hæphtenus *lib. 7. disquisit. monast. tract. 2. disquisit. 1.*

4. (d) *Persolvat.*] Unde cognoscitur vetus mos Ecclesiæ recitandi horas canonicas, & primarias preces ante Missæ sacrificium: quod etiam innuit Odo Parisiensis Episcopus *in synodicis constit. cap. 5.* dum ministrum rem divinam procurare vetat priùs, quam divini officii horarias laudes, quæ matutinæ, & primæ dicuntur, ritè persolverit: Nulli, inquit, clerico permittatur servire altari malè ornato, & nisi in superpelliceo, aut cappa clausa. Nullus bis in die Missam audeat celebrare, aut cum duplici introitu, nisi in magna necessitate. Nullus antequam Matutinas dixerit canonicas, & Primam, præsumat aliqua necessitate celebrare Missam. Immò & hodie lethaliter peccare eos, qui non recitato matutinali officio Missæ sacrificium celebrant, docuerunt nonnulli, quos refert, & sequitur Francolinus *de horis Canonicis cap. 16. num. 28.* Sed hæc sententia communiter ab omnibus Moralistis rejicitur.

(e) *Horis competentibus.*] *Et signis designantibus*, legitur apud Burchardum, & Carnotensem, juxta morem antiquum Ecclesiæ convocandi clericos, vel monachos ad sonum campanæ debitis horis persolvendis: quem illustrabimus *in cap. Joannes, de homicidio.*

5. (f) *Scholaribus.*] Scholaris non uno, eodemque modo accipi solet in utroque jure, & apud bonæ notæ auctores, ut videre est ex congestis, & adductis à Baronio *in Martyrol. die 6. Februarii*; Acunna *in cap. Osius, num. 2. 61. dist.* Valesio *in notis ad Ammian. Marcel. fol. 32. & 35. lib. 4.* Joanne Vossio *lib. 3. de vitiis sermon. cap. 47.* Gibalino *de clausur. regul. disquisit. 1. cap. 2. §. 11. & cap. 9. §. 1.* Roswveido *in onomast. verbo Scholaris*, Grethsero *ad cap. 1. Codini*, Marcel. Donat. *ad Ammian. Marcel. cap. 76. tom. 6. thesauri critici*, Cresolio *lib. 3. mystag. cap. 27.* Ritherursio *ad Salvianum fol. 3.* In præsenti autem accipiuntur scholares pro psalmistis, qui erant in schola cantorum ad psallendum in Ecclesia: de qua schola plura adduxerunt Cironius *ad tit. de offic. Primicer.* Platina *de verbis obscuris, verbo Primicerius*, Menardus *in not. ad Sacram. D. Gregorii, fol. 62.* Filesacus *in cap. 15. §. de officio ordin.* Parochi enim olim tenebantur secum habere clericos juniores ad sibi ministrandum, & ut illis absentibus horas canonicas publicè in Ecclesia recitarent, *cap. nullus 11. quæst. 1. cap. no quisque, de vita & honest. cleric.* Concil. Valense *1. can. 2.* ibi: *Hoc enim placuit, ut omnes presbyteri, qui sunt in parochiis constituti, secundum consuetudinem, quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognovimus, juniores lectores quantoscunque fine uxore habuerint, secum in domo, ubi ipsi habitare videntur, recipiant, & eos quomodo boni PP. spiritualiter nutrientes, psalmos parare, divinis lectionibus insistere, & in lege Domini erudire contendant.* De quibus agunt Souchetus *ad epist. 285, Ivonis*, Bosquetus *ad Innocent. III. lib. 2. epist. 136.* & nonnulla adduxi suprà *in d. cap. ut quisque.*

6. (g) *Rurale.*] Artificiolum honestum victui quærendo, non tantùm non prohibitum, verùm & quandoque imperatum, præscriptumque clericis fuit, *cap. 1. cap. clericum 3. cap. clericus 4. 91. dist. cap. 8. & 14. de homicid.* Gregorius Turon. *in vitis PP. cap. 8.* de sancto Nicetio Episcopo ait: *Jam clericus in domo paterna residens, cum reliquis famulis manu propriâ laborabat.* D. Gregorius *lib. 1. dial. cap. 12.* Riculphus Episcop. Suession. in sua constitutione, quæ extat *tom. 24. Concil. can. 16.* ibi: *Monemus præterea, ut presbyteri sic ruralibus, id est terrestribus, & cæteris occupationibus inserviant, quatenus divinum officium non negligant, & scholares suos modestè distringant, caste nutriant.* Concil. Colon. *anno 1536. can. 30. Quibus non suppetit ex sacerdotio, honesto artificiolo victum quærant, sequuti D. Pauli exemplum.* Quod & jam propoluerant PP. Synodi Nicœn. *can. 15.* Epiphanius *hæresi 80.* fidem facit suo tempore sacerdotes solitos esse propriis manibus operari. Exemplis Apostolorum, & aliorum Sanctorum id illustrant, ac commendant Landtmeter *lib. 2. de veter. cleric. p. 1. cap. 51. & 2. p. cap. 6.* Baronius *anno 52. & 358.* Espenceus ad D. Paulum *lib. 2. digress. cap. 6.* Robertus *lib. 2. rer. judic. cap. 2.* Petrus Gregorius *lib. 2. partit. tit. 9. cap. 8.* Fragoso *de regim. Christ. Reipub. p. 2. lib. 10. disput. 22.* & jam notavi *in can. 19. Concilii Illiber.* Menardus *ad concord. regul. cap. 55. §. 5.* faciunt textus *in cap. 8. & 14. de homicid.*

7. (h) *Jejunus.*] Videlicet ut ita possit iterum Missæ sacrificium celebrare, ut sic subveniat necessitatibus peregrinorum, & commeantium, qui illud audire possint; item infirmorum, ut illis per modum viatici communionem præstare possit; tandem & subveniat defunctis, ut cum Missæ sacrificio sepeliri possint: & ita de hac subventione per iteratum sacrificium Missæ textum hunc accipiunt Antonius Ruvius *in assert. cathol. contra Erasmum, lib. 5. errore 9.* Margallus *in expos. hujus tituli*, Speculum conscientiæ *tract. 3. cap. 13. §. 9.* quos refert & sequitur P. Henao *tom. 1. de sacrif. Missæ, disp. 22. sect. 2.* idque important verba illa, quæ sequuntur: *Ut iterum, &c.* quæ satis innuunt, presbyterum, de quo in præsenti, antequam ad opus rurale exiisset, Missæ sacrificium celebrasse, eumque debere manere jejunum, ut iterum celebrando posset subvenire prædictis fidelibus,

libus, juxta ea, quæ infrà dicemus *in cap. ex parte.*

8. (i) *Peregrinorum, hospitum, sive diversorum commeantium.*] Olim enim advenientibus fidelibus, communionis gratiâ eis Eucharistiam fuisse participatam, probant Joannes Dartis *de Eucharistia cap. 8.* Claudius Espenceus *de adorat. Eucharist. lib. 2. cap. 4. per totum.* Unde ut presbyter possit ipsis corpus Domini administrare, jubetur in præsenti canone, ut si voluerit, exeat ad opus rurale jejunus, quia olim non solùm ad celebrandum Missæ sacrificium, verùm & ad ministrandam Eucharistiam jejunium naturale in ministro desiderabatur.

9. (j) *Defunctorum.*] Inter alias Ecclesiæ preces tempore sepulturæ fidelium jam à primis Ecclesiæ sæculis usque ad nostra receptas, & usitatas, præcipua fuit Missæ celebratio, ita ut absque Missæ sacrificio fas non esset cadavera Christianorum sepulturæ tradere. D. Augustinus *lib. 12. confess. cap. 12.* ubi dum de funere matris suæ sanctæ Monicæ agit, ita ait: *Cùm corpus elatum est, imus, & redimus sine lachrymis; nam nec in eis precibus, quas fudimus, cùm offerretur pro ea sacrificium pretii nostri, juxta sepulchrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in aliis precibus ego flevi, sed toto die graviter in occulto mœstus eram.* Possidius in obitu ipsius Augustini: *Nobis adstantibus, & videntibus, ac cum eo pariter orantibus, obdormivit in pace, & nobis coràm positis, pro ejus commendanda corporis depositione sacrificium Deo oblatum est, & sepultus est.* Fortunatus de obitu sancti Medardi apud Surium die 8. Junii: *Corpore sancto composito; & delato ad Ecclesiam; nocte illa exequialem cum multa devotione celebraverunt vigiliam; mane verò facto, cùm Episcopi, quibus interesse contigerat, suum defuncto celebrassent officium, &c. perventum est tandem ad sepulturam: Episcopi cum Abbatibus, peractis priùs quæ Dei erant; sanctissimum illud corpus terræ decentissimè commendant.* Et Paulinus recitans sepulturam Sancti Ambrosii; nec non S. Bernard. *in vit. S. Malac. cap. 18.* Gregorius Turon. *in obitu Sancti Galli Episcopi*, qui post obitum delatus in Ecclesiam donec comprovinciales ad eum sepeliendum convenirent, jacuit ibi per triduum, assiduò ipso adstante psallentis cum magna frequentia populi: Episcopis autem quarta die advenientibus, cum de Ecclesia levaverunt, & portantes in Sancti Laurentii Basilicam, ibi sepeliunt. Et de Lupicino Reeluso; qui psallentium turmis cum crucibus, cereis, atque odore fragrantis thymiamatis ad locum sepulturæ deductus, celebratis Missis, cum summo honore, gaudioque sepultus est. Itemque de Palladio Arverno; qui cùm se propriis manibus interemisset, sepulturæ mandatur, sed non juxta Christianorum cadavera positus, nec Missarum solennia meruit. Quin immò nec absque sacrificio fas fuisse sepulchrum operire, disertè docet in transitu S. Radegundis Reginæ idem Gregorius Turonensis *de gloria Confessor. cap. 106.* Facit Concil. Valentin. Hispan. *can. 4.* ibi: *Ut Episcopus, qui post mortem fratris* (hoc est alterius Episcopi) *ad eum sepeliendum solet invitatus accurrere, infirmum magis, & adhuc in corpore positum visitet, ut aut de revelatione consacerdotis gaudeat, aut recedentem à seculo post oblatum in ejus commendatione sacrificium Dei, mox sepulturæ tradat.* Diligentissime Victor Uticensis *lib. 2. de persecut. Vandal.* ubi populos catholicos in ea persequutione pulsis in exilium sacerdotibus sic lamentanter describit: *Quibus nos miseros relinquitis? Qui baptizaturi sunt parvulos fontibus aquæ perennis? Qui probis pœnitentiæ munus collaturi sunt, & reconciliationis indulgentia obstrictos, peccatorum vinculis soluturi? Qui nos solennibus orationibus sepulturi sunt morientes? A quibus divini sacrificii ritus exhibendus est consuetus.* Illustrant Vicecomes *volum. 3. de ritibus Missæ, lib. 4. cap. 7.* Spondanus *de cæmeteriis sacris, p. 3. lib. 1. cap. 16.* Unde ut defunctorum etiam necessitatibus presbyter subvenire possit; in præsenti docetur, ut jejunus exeat ad opus rurale; aliàs enim si post prandium aliquis fidelis sepeliendus erat, tantùm cum precibus, & orationibus tumulabatur. Concil. Carthag. 3. *can. 29.* ibi: *Ut sacramenta altaris non nisi à jejunis celebrentur, &c. Nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum, sive Episcoporum, sive caterorum, commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi qui faciunt, jam pransi inveniantur.* Si verò presbyter erat jejunus, poterat iterum Missæ sacrificium offerre pro tumulando defuncto, *cap. sufficit, de consecr. dist. 2.* Quod fecisse sanctum Hibertum Christianensem habent ejus acta apud Surium *die 7. Aprilis*, licèt ad alium casum canonem illum referat Dionysius Cisterc. *in 4. dist. 8. quæst. 3. art. 2. dub. 2.*

10. (k) *Statutam horam pro temporis qualitate.*] Ut hæc verba exponamus, sciendum est, horas diei, tertiam, sextam, nonam æstimari, & computari ab eo tempore, quo luce fruimur; licèt enim dies more Romano à media nocte incipiat, & in aliam mediam noctem decurrat, ut quod factum est sub spatio 24. horarum, eodem die factum intelligatur; *l. moræ, ff. de feriis*; notavi *in cap. litteris, de tempor. ordin.* attamen cum horam tertiam, sextam, nonam, & vesperam diei dicimus, aliter rem hanc accipimus, ita videlicet, ut totum id ipsum, quod sub luce decurrit, in quatuor æquales partes dividatur, quemadmodum & nocturnum tempus in quatuor vigilias partiri solet. Prima parte diei elapsa dicitur hora tertia, quia tres horæ decurrerunt, in nostra cumputandi ratione: secunda dicitur hora sexta lucis, quæ est meridies: tertia dicitur hora nona, quia est nona post lucem; tertia autem pomeridiana: quarta dicitur hora vespertina, quæ est ad occasum solis. Ita explicant Baronius *tom. 1. ann. 34.* Censorinus *de die natali*, Rosinus *lib. 4. antiq. cap. 5.*

11. Deinde sciendum est, Apostolorum ætate, & in sequenti nullam sacro conficiendo certam horam præfinitam fuisse propter sævas persecutiones, ut probant Vicecomes *volum. 3. lib. 3. de Missæ ritibus, cap. per totum:* sed pace Ecclesiæ datâ, & tyrannide ipsâ desæviente, ubi facultas fuit publicè celebrandi Missæ sacrificium, observari cœpit, ut non nisi statutâ horâ offerri posset. Theleſphorus enim *epist. 1.* relatus à Gratiano *in cap. nocte, de consecrat. dist. 1.* ita statuit: *Nocte sanctâ nativitatis Domini Missas celebrent; reliquis enim temporibus Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minimè sunt celebrandæ, quia in eadem horâ*

Dominus crucifixus est, & super Apostolos Spiritus sanctus descendisse legitur. Et licèt P. Vazquez *3. part. disputat. 232. cap. 3. num. 30.* affirmet verba illa non reperiri inter epistolas ipsius Pontificis, tamen hoc Thelesphorum statuisse testatur Damasus *in lib. Pontificali*, ubi de Thelesphoro ita ait: *Hic fecit, ut in natali Domini nostri Jesu Christi, noctu Missæ celebrarentur, cum omni alio tempore ante horæ tertiæ cursum nullus præsumeret Missam celebrare, quia eâ hora Dominus noster ascendit in crucem.* Similia refert Anast. Biblioth. in vita ejusdem Amalar. *lib. 3. de Eccles. offic. cap. 42.* ibi: *Memoratus Papa Thelesphorus scripsit, quo tempore primo diei liceret Missam celebrare. Legitur in gestis Pontificalibus, dixisse memoratum Papam, ut ante horæ tertiæ cursum nullus præsumeret Missas celebrare.* Consonat Vvalfridus *cap. 23. de Ecclesiast. rebus*: & Luitprandus *cap. 7. de vitis Pontific. Romanorum* ait: *Ante horam diei tertiam Missam celebri prohibuit.* Et usus ille celebrandi post horam nonam diutiùs in Ecclesia invaluit, ut constat *ex cap. & hoc, de consecrat. dist. 1.* cujus verba à Gratiano, Ivone, & Burchardo tribuuntur S. Augustino; sed sunt Theodulphi ad suos comprebyteros; *num. 45. & 46. Missæ* (inquit Aurelianensis Antistes Theodulphus) *quæ per dies Dominicos peculiares à sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas populus à publicis Missarum solennibus, quæ horâ tertiâ canonicè fiunt, abstrahatur, quia pessimus est usus apud quosdam, quod in diebus Dominicis, sive in quibuslibet festivitatibus, mox ubi Missam celebrare, etiamsi pro defunctis sit, audierint, abscedunt, ut per totum diem à primo mane ebrietati, & comessationi potiùs quam Deo deserviant. Admonendus est populus, ut ante publicum peractum officium ad cibum non accedat, & omnes ad sanctam matrem Ecclesiam Missarum solennia, & prædicationem auditurî conveniant, & sacerdotes per oratoria nequaquam Missas, nisi tam cautè, ante secundam horam celebrent, ut populus à publicis solennitatibus non abstrahatur: sed sive sacerdotes, qui in circuitu urbis, aut in eadem urbe sunt; sive populus (ut præduximus) in unum ad publicam Missarum celebrationem conveniant.* Et ex Concilio Aurelian. 3. *can. 14.* ubi ita statuitur: *De Missarum celebritate in præcipuis dumtaxat celebritatibus id observari debebit, ut horâ tertiâ Missarum celebratio in Dei nomine inchoetur, quo facilius intra horas competentes ipso officio expedito, sacerdotes possint ad vespertina officia, idest in vespertino tempore convenire; quia sacerdotem vespertinis officiis ab Ecclesia talibus præcipuè diebus nec decet deesse, nec convenit.* Sidonius Apollin. *lib. 5. epist. 17.* ibi: *Cultu peracto vigiliarum, quas alternante mulcedine Clerici, monachique psalmicines concelebraverant, quique in diversa fecessimus, non procul tamen, utpote ad tertiam præsto futuri, cum sacerdotibus res divinas facturi.* Ubi plura congessit Savarus, qui rectè notavit *in cap. non liceat 12. dist. 44.* horam tertiam sacram appellari, quia sacris missarum solennibus dicata erat: quod & docuit Durantius *lib. 2. de ritibus Eccles. cap. 7. num. 1.* Ex quibus auctoritatibus, non solùm Thelesphori sanctio probatur, verùm & ejus sanctionis ratio constat, quam latè, & doctè illustrat P. Henao *tom. 2. de sacrific. Missæ, disp. 21. sect. 3. num. 39. cum sequent.*

Cùm hæc ita sint, non defuerunt tamen certi, præfinitique dies, quibus meridie, aut vespere Missæ sacrificium celebraretur; nam in diebus jejunii, præcipuè quadragesimalibus, Missæ sacrificium non offerebatur, nisi ex hora nona, vespertino officio expleto, ut constat *ex cap. solent 50. de consecrat. dist. 1.* qui canon malè tribuitur à Gratiano Concilio Cabilon. cùm sit Theodulphi Episcopi Aurel. in epistola ad compresbyt. *n. 39.* Concil. Brachar. *1. can. 16.* Brachar. *2. can. 9.* Gerundense *can. 3.* P. Blesensis *sermon. 11. de Quadrag.* D. Bernardus *serm. 3. de Quadrag.* Ex quibus, & aliis id latè probant Zerda *in advers. cap. 138.* Albaspineus *lib. 1. obs. cap. 14.* Filesacus *de Quadrag. cap. 5.* Baronius *tom. 1. anno. 34. num. 61.* P. Henao *d. sect. 3. num. 44.* unde derivatum est ad hodiernum usque tempus, ut post horam novam recitatam cantetur Missa in diebus jejunii, & in Quadragesima dicantur Vesperæ mane antepranidium. Etiam in vigilia Paschæ resurrectionis Domini Missa nocte celebrabatur. Concil. Arausic *1. can. 2. cap. quod à Patribus 4. 75. dist.* latè probant Vicecomes *volum. 2. lib. 1. de Missæ ritibus, cap. 30. & volum. 3. lib. 3. cap. 6.* P. Henao *d. sect. 3. num. 46. cum sequent.* Unde tam obvia mentio Missæ matutinæ, & vespertinæ in antiquis Ecclesiæ canonibus: de quibus Missis latè egerunt Espenceus *de adorat. Eucharist. cap. de triplici Missa.* Vicecomes *d. lib. 3. cap. 29. & 30.* P. Henao *d. sect. 3. num. 49.*

(1) *Septenarius numerus.*] Hic septenarius numerus magna continet mysteria; siquidem Sancti Spiritus dona septem sunt, de quibus D. Joannes in Apocalypsi, *cap. 5.* ibi: *Vidi agnum habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt spiritus Dei.* De quibus Esaias *cap. 11.* loquens de Christo ajebat: *Requieverunt super eum spiritus septem.* Huc tendunt septem illi oculi super lapidem, de quibus Zacharias *cap. 3.* septem columnæ, de quibus legitur *Proverb. cap. 9. Sapientia ædificavit sibi domum, & excidit columnas septem.* Septem boves, qui videbantur ascendere de fluvio, *Genesis cap. 41.* septem spicæ, quæ pullulabant in culmo uno, in eodem textu: septem signacula *in lib. 1. cap. 5. Apocalyps.* septem sportæ repletæ fragmentis, *Matthæi cap. 15.* septem buccinæ, quarum usus erat in jubilæo, *Josuæ cap. 6. Filius hominis in medio septem candelabrorum, habens in dextera septem stellas.* Apocalyps. *cap. 2.* septem Ecclesiis scribit Joannes, & septem sunt Angeli earum, *cap. 1. Apocalyps.* In visione Ezechielis *cap. 40.* septem gradus erant ascensus atrii: Elisæus in purificando Nahaman dixit: Lavare septies in Jordane, *lib. 4. Regum, cap. 5.* Item septem animalia fuerunt in arcam immissa per Noë, *Genesis cap. 7.* propter sacrum quoddam mysterium, ut exponit Francisc. Georgius *tom. 1 problem. sect. 2. problem. 87.* & docuit D. Ambrosius *in cap. nuptias 32. q. 2.* Tandem septem sunt Ecclesiæ Sacramenta, & septem Psalmi pœnitentiales. Latè de mysteriis hujus numeri, & ejus mystica significatione egerunt S. Cyprianus *de exhort. Martyr. cap. 11. & lib. 1. testimoni adversus Judæos cap. 20.* Sanctus Augustinus *quæst. 42. in Deuter. & lib. 11. de civit. Dei, cap. 30.* S. Hilarius *in præfat. psalm. & in psalm. 118.* in illis verbis: *Septies in die* S. Basilius *homil.*

homil. 11. hexaëmer. S. Hieronymus *in cap. 4. Zachar.* S. Gregorius *lib. 1. moral. cap. 7.* Alex. Farra *in proœmio sui sept.* Marsilius Ficinus *in Platonem, dialog. 10.* Francisc. Alumnus Ferrariensis *in sua mundi fabrica, in lib. 9. quantit. verbo Septem.* Macrobius *in somnium Scipionis*, & Aulus Gell. *lib. 3. noct. Attic. cap. 10.* ac tandem plura de hoc numero disertè notant Martin. Cantiapetrens. *in hypotypos. lib. 6. capute ultimo.* Marsilius *de aqua benedicta, sect. 1. ex num. 85.* Alfonsus noster *in proœmio 7. partit.* Canonerius *tom. 1. ad 4. Aphorism. Hippocr. fol. 753.* P. Bungus *de myster. numer. in hoc numero.* Rectè ergo statutæ sunt septem horæ canonicæ, quarum peculiares rationes infrà assignabimus.

14. (m) *Nostræ servitutis officium.*] Divinum officium variis nominibus appellatur. Apud Græcos canon dicitur. Antiochenus *homil. 105.* ibi: *Psalmodia nostra canon appellatur, & quemadmodum colonus nisi dederit plenam, & bonam mensuram suam, in vincula conjicitur, & cruciatur; sic monachus, qui neglexit suum canonem, seu mensuram, cui adstrictus est, Deo quotidie persolvere, à Dei gratia excidit, & traditur inimicis suis.* Joannes Moschus *in Prato spirituali*, de Sancto Cosma ait: *Orto sole, cùm implesset canonem, sedebat legens in Sanctis Evangeliis usque ad collectam.* Dicitur etiam ordo psallentium. Concil. Narbonense *can. 2. Hoc quoque definitum est, ut in psallendis ordinibus per quemque psalmum gratia dicatur omnipotenti Deo.* Gregorius Turon. *de gloriâ confessor. capite 37.* ibi: *Qui cùm apud alios juxta regulas monasteriorum ordini, & lectioni insisteret.* Dicitur etiam collectà. Pachomius *in sua regula, articul. 2. Quando ad collectam tuba insonuerit per diem, qui una orationè tardius venerit.* Psalmodia etiam appellatur, item solennitas, synaxis, agenda, missa, ut probat, & exponit Haæphtenus *disquisit. monastic. lib. 7. tractat. 1. disquisit. 1.* vulgatissimo usu officium hoc dicitur *Horæ canonicæ*, quia definitis horis ex Ecclesiæ institutо recitatur. Et licèt nonnulli Interpretes, tam veteres, quàm recentiores, docuerint, peccatum esse lethale Missæ sacrificium offerre ante recitationem officii matutini, & Laudum, ut Navarrus, Graffis, Majolus, Francolinus, Durantius, Azor, Henriquez, & alii apud Sfortiam *lib. 2. de sacrif. Missæ, cap. 6. num. 4.* Cenedum *in quæst. pract. quæst. 3.* tamen contrarium, immò nullum peccatum incurri, probarunt Suarez *lib. 4. orat. cap. 24. à num. 6.* alii plures apud Scortiam *ubi suprà*, Theophilus *tom. 16. in Heterocl. spirit. sect. 1. fol. 12.*

COMMENTARIUM.

15. *Conclusio deducitur & probatur.*

EX hoc canone sequens communiter deducitur assertio: *Parochus tenetur debitis horis septem horas canonicas recitare.* Probat eam textus *in capite dolentes, hoc titulo.* Concil. Cabilon. 2. sub Carolo, *can. 59. Horas canonicas, matutinum videlicet, primam, tertiam, sextam, nonam, vespertinam, completorium pariter celebrent.* Aquisgran. sub Ludovico *à cap. 126. usque ad 130. cap. 2. de offic. custod.* D. Isidor. *lib. 1. de divinis offic. cap. 22.* Divus Clemens *lib. 8. constit. cap. 40. Preces vestras facite diluculo, tertiâ horâ, sextâ, nonâ, vespere, & in galli cantu. Diluculo gratias agentes, quoniam illuminavit nos Dominus expulsâ nocte, & inducto die. Tertiâ, quoniam illâ horâ Dominus sententiam Pilati accepit. Sextâ quoniam tunc crucifixus est. Nonâ quoniam omnia commota sunt, crucifixo Domino, perhorrescentia impiorum audaciam, & non ferentia ignominiam Domini. Vespere gratias agentes, quòd dedit nobis noctem diurnorum requiem. In galli cantu, quoniam eo tempore nunciatur adventus Domini ad exercenda opera lucis.* Alia juris testimonia, & Patrum sententias, quæ per argumentum adduci possunt, & in quibus agitur de horis canonicis, congesserunt Crespetius *in summa, verbo Horarum*, Antonius August. *in epit. juris lib. 19. titulo 13.* Iodocus Coccius *lib. 8. thesauri fidei cathol. artic. 9.* Illustrant ultra congestos hìc à Barbosa & Garanna, Petrus Gregorius *lib. 9. partit. titul. 20. cap. 2.* Baronius *anno 34.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. de horis canonicis, cap.* Lantdmeter. *lib. 2. de veteri cleric. cap. 61.* Corjolanus *in breviario, anno 556.* Cresolius *lib. 3. mystag. cap. 6.* Avendanno *de metu lib. 2. cap. 42.* Bescus *de statibus hominum, verbo Clericorum.* Narbona *in horograph. hora 1.* Tamburin. *de jure Abbat. disput. 15.* Acunna *in cap. proposuit, 82. dist.* & in hoc textu, 91. *dist.* Kochier *in face histor. cent. 2. cap. 80.* Haæphtenus *disquisit. monast. lib. 7. tract. 2. disquis. 2.* Ripa *de nocturn. temp. cap. 94.* Scortia *in select. epistol. 116. theorem. 315.* Turrian. *ad D. Clementem lib. 8. cap. 33.* Carrier *tom. 2. Digest. fidei cathol. fol. 573.* Beyerlinck. *verbo canonicæ horæ, tom. 2.* Conradus Kling *lib. 3. disput. cap. 46. per tot.* plures ex Moralistis, quos refert Garcia *in summa, tract. 2. difficult. 1. per tot.* Francolinus, & Bartholom. à Sancto Fausto *integris libris de horis canonicis.*

16. *Impugnatur traditа assertio.*

Sed pro dubitandi ratione ita in præsentem assertionem insurgo: Apud D. Lucam, *cap. 18.* dicitur, oportere semper orare, & nunquam deficere: & D. Paulus etiam ad Thessalon. *cap. 5.* ait: *Sine intermissione orate.* Unde ajebat Germanus CP. ad Episcopum Claudipoleos, 7. Synodo, actu 4. ante finem, in Ecclesiis diù, noctuque, & ut cum Psalmographo meliùs dixerim, vespere, & mane, & meridie benedicere Deum oportebit; maximè autem in divinis mysteriis, & in sacris officiis. Et *in cap. hi qui 6. 21. q. 3.* ait D. Cyprianus: *Hi qui in Ecclesiâ Domini ad ordinationem clericam promoventur, in nullo ab administratione divina avocentur, nec molestiis, & negotiis sæcularibus alligentur, sed in honore sportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari, & sacrificiis non recedant; sed die, ac nocte cœlestibus rebus, & spiritualibus serviant.* Igitur non tantùm per horas in præsenti enumeratas, verùm & continuò sine intermissione presbyteri debent orare. Deinde argui potest ex D. Clemente *lib. 7. constit. cap. 25.* ibi: *Ter die in hunc modum orate, præparantes ut digni sitis adoptione Dei Patris.* Quod & fecisse Danielem legitur *cap. 6. Danielis*, quem expendit Tertul. *adverf. physicos cap. 10.* & tradit Vinar. *de veteri mon. lib. 2. cap. 12. num. 24.* Igitur non septies presbyteri tenentur orare, ut in præsenti docetur.

17. *De origine horarum.*

Adhuc tamen defendenda est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, olim non solùm Ecclesiæ ministros, verùm & laicos,

rum canonicarum.

laïcos, tàm viros, quàm fœminas, convenisse in Ecclesia, ad vigilias & cœtus antelucanos, ad canendum Christo, & Deo, & ad confœderandam disciplinam: quod testatur totidem verbis Plinius, *2. in epist. ad Trajanum*, ubi refert, præter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud quàm cœtus antelucanos de sacris Christianorum comperiisse. Expressiùs Divus Ambrosius, sive Maximus, *sermon. 3. post primam Dominicam Quadragesimæ. Moneo*, inquit, *ut qui juxta Ecclesiam est, & sine gravi impedimento potest, quotidiè audiat Missam; & qui potest, omni nocte ad matutinum officium veniat. Qui verò longè ab Ecclesia manent, omni Dominica studeant ad matutinum venire, ideòque viri, & fœminæ, juvenes, & senes, præter infirmos.* Sozomenus *libr. 6. histor. Eccles. cap. 33. & 34. & lib. 2. cap. 8.* Theodoretus *libr. 2. cap. 13.* Ex quibus & aliis illustrat Zerda *in advers. cap. 184. num. 9.* & de horis matutinis solenni precationi destinatis etiam apud Gentiles agunt Arnobius *libr. 7. advers. Gent.* Apulejus *lib. 2. metamorphos.* Eusebius *lib. 3. præparation. Evangelic. cap. 2.* & de variis horis apud Ægyptios per sacerdotes recitatis agunt Porphidius *lib. 4. de abstinent. pag. 369.* sed de his horis, & vigiliis jam egi *in can. 26. Concil. Illiber.* In præsenti enim textu, & *in d. cap. dolentes*, agitur de horis canonicis publicè, vel privatim à clericis recitandis: circa quas prænotandum est, neminem latêre, ab ipsis Apostolicis temporibus horarum canonicarum cœpisse exordium; utpote de quibus expressè egerunt S. Clemens *lib. 8. constitut. cap. 40.* D. Cyprianus *lib. de oratione Dominica*, Athanasius *lib. de Virginibus*, Hieronymus *epist. 7. 8. 22. & 37.* Chrysostomus *homil. 59. ad populum.* Basil. tum *in instit. moral.* tum *in regulis fusis, num. 37.* Cassianus *lib. 3. de instit. collat. 7.* quorum, & aliorum verba refert Jodocus Coccius *suprà*, & notavit Ambianas *ad Tertull. de exhort. castit. cap. 10. observat. 1.* Et licet Polydorus Vergil. *lib. 6. de invent. rerum, cap. 2.* existimaverit legem Ecclesiasticam de his horis canonicis persolvendis à Pelagio I. seu II. latam fuisse, quod probare intendit *ex cap. Eleutherius, dist. 91.* verùs tamen credo, Pelagium, quod antea consuetudine antiqua observabatur, lege deinde latâ perpetuò observari jussisse, ut docuit Corjolanus *in Breviario 555.* Unde constat, audiendos non esse Panormit. *in præsenti, num. 3.* Antoninum *p. 2. tit. 9. cap. 12. §. 1.* Angelum *verbo hora, q. 6.* Tabienam *eodem verbo, q. 15.* Armil. *num. 11.* qui putant obligationem hanc provenire à jure divino: nam cæteri communi consensu affirmant, eam esse solùm de jure Ecclesiastico: & ratio est, quia nec ex Scriptura, nec ex Ecclesiæ traditione, neque ex Sanctorum Patrum testimonio colligitur, horas canonicas jure divino institutas fuisse: tum quia communiter appellantur horæ canonicæ, quia per sacros canones præscriptæ, & ab Ecclesia institutæ sunt ad laudandum Deum. Apud Clementem *lib. 8. constitut. Apost. cap. 30.* extat Apostolica constitutio hujusmodi: *Precationes facite manè, tertiâ, sextâ & nonâ horâ, & vespere, usque ad galli cantum.* Apud Basilium *in regulis disputatis, interrog. 37. & serm. 2. de instit. monachor.* ubi explicat illud Apostoli: *Sine intermissione orate.* Et illud: *Nocte & die laborantes*, sic habetur: *Neque verò quamquam hanc assiduè, atque adeò omnibus momentis adhiberi oportet, gratiarum actionem & lex ipsa præcipit, & nos eam vitæ necessariam, cum natura, tum ratione docuimus, propterea illa statis temporibus præscriptæ orationes negligendæ veniunt, quas observari in conventibus solenne est, & quotidianum.* Et deinde commemorat horam matutinam, tertiam, sextam, novam, vesperas, completorium, & mediam noctem. Cyprianus *in exposit. orat. Dominic. circa finem*, Hieronymus *ad Eustochium, epist. 22. de custodia virginit.* & *in epist. 28. ad eandem, de obitu puellæ.* Chrysostomus *homil. 59. ad populum*, Ambrosius *lib. 7. in Lucam*, Athanasius *lib. de virginit. sive exercit.* Hilarius *in psalmo 118.* docuerunt Sylvester *verbo Hora, quæst. 8.* Bellarminus *lib. 1. de bonis oper. cap. 19.* Toletus *lib. 2. cap. 4.* Azor *d. lib. 10. cap. 1. quæst. 7.* Suarez *d. lib. 4. cap. 23. n. 16.* & *cap. 27. num. 38.* Filliuc. *tom. 2. tract. 23. cap. 3.* Sed si dicas horas canonicas communiter appellari officium divinum, & ita à jure divino esse institutas: respondeo, horas canonicas appellari divinum officium, non à causa instituente, sed potiùs à materiali, & finali; quia divinas laudes continent, & ad Deum laudandum diriguntur, & ordinantur.

Secundò sciendum est circa numerum horarum non consentire Doctores. Pro septenario numero communior est sententia Canonistarum, & Theologorum, eamque sequuntur Suarez, Francolinus & alii suprà laudati; quibus accedit quod Isidorus Hispalensis *lib. de Eccles. offic. cap. 19* Vvalfridus Strabo *de divin. offic. cap. 15.* Rupert. *lib. 1. cap. 1.* & D. Basilius *lib. 1. de institut. Monach.* septem tantum enumerat horas, ibi: *Verùm quoniam apud eundem David legitur: Septies in die laudem dixi tibi super judicia justitiæ tuæ; tempora autem illa, quæ diximus, neutiquam septenarium orationis numerum conficiunt, bipartitò dividenda oratio meridiana est, quo perpetua nobis hac formula sit, septies per singulas dierum conversiones laudibus celebrandi.* Cassianus quoque *lib. 3. instit.* ex eodem Psalmo 118. deducit, septem esse horas canonicas, ibi: *Septem illas significat vices, quibus se monachorum pia devotio consolatur, matutinas, tertiam, sextam, nonam, lucernariam, completorios, nocturnos.* Sed octo esse horas defendunt Sanctus Antoninus *3. p. tit. 10. §. 4.* Archid. *in præsenti textu, 91. dist.* Quidam verò utramque sententiam conciliare volentes ajunt, nunc solùm esse septem, olim tamen, & maximè apud monachos, fuisse octo: ita Turrisrem. *in hoc textu, sub 91. distinct.* Azor. *d. tom. 2. libr. 10. cap. 1.* Sed verius Radulfus Tungrensis *libr. de canonicis observat. propos. 14.* ait: sæculares jungere vigilias matutinis laudibus, & abusivè utrumque appellare matutinas. Et ante eum Hugo Victorinus *lib. de Eccles. offic.* de octurnali agens officio sic scribit: *Hoc officium secundum usum monachorum oratione, sicut cætera, terminatur, in quo primariam servare videntur institutionem: nostra autem consuetudo humanæ infirmitati parcens, & labori, officio prædicto laudes matutinas continuat, & oratione una duo claudit officia.* Facit & præsens textus deductus *ex dict. cap. 16. regulæ Divi Benedicti*, ubi Sanctus post septem horas enumerat vigilias matutinas, ut diversas ab aliis, ut exponit Haæphtenus *libr. 7. disquisit.*

18. De numero horarum.

disquisition. tractat. 2. disquisit. 4. Cur autem his horis specialiter ut oretur ab Ecclesia introductum sit, varias rationes adducunt Sancti PP. Cassianus *lib. 3. instit. cap. 3.* inter cæteras eam reddit rationem, quòd in his horis ille Evangelicus Paterfamilias operarios conduxerit in vineam suam. Ita enim & ille primo mane conduxisse describitur, quod tempus designat matutinam nostram solennitatem. Deinde tertia, inde sexta, post hæc nona, ad extremum undecima, in qua lucernalis hora signatur. Aliam & pulchram adducit D. Cyprianus *de orat. Dominica, in fine :* sed illa præcipua assignari potest, quòd horæ divinis laudibus deputatæ, insignibus redemptionis nostræ mysteriis sint celebres : matutinæ laudes memoriæ resurrectionis Jesu-Christi consecratæ sunt. D. Cyprianus *ubi suprà*, ibi : *Nam & mane orandum est, ut resurrectio Domini matutina oratione celebretur.* Et Divus Hieronymus *ad illud Marci, cap. 16. Et valde mane una sabbathorum*, ait : *Ut tunc laudes Christi tota caneret secundùm exemplum harum fœminarum Ecclesia, quando genus humanum exemplum suæ resurrectionis animavit.* Prima quæ recitatur jam lucis orto sydere, Hugone Victorino teste *in speculo Ecclesia, cap. 3.* memoriam refricat mulierum venientium ad monumentum orto jam sole : cui aliam adjunxit rationem Rupertus *lib. 1. de divin. offic. cap. 2.* Tertiæ etiam mysterium assignat idem Rupertus dum ait, *cap. 3. Nam hac hora Dominus Jesus spinis coronatus, & linguis Judæorum crucifixus est.* Et Divus Clemens *lib. 8 constit. cap. 40.* ait : *Preces vestras facite horâ tertiâ, quoniam illâ horâ Dominus sententiam Pilati accepit.* Cui & aliam addunt deductam ex adventu Spiritus sancti, Divus Isidorus, & D. Cyprianus *ubi suprà.* Basilius *lib. 1. instit. monach.* Horâ sextâ, ut inquit Cassianus *d. lib. 3. cap. 3.* immaculata hostia Dominus noster, atque Salvator oblatus est Patri, crucemque pro totius mundi salute conscendens, humani generis peccata diluit. Nona exhibet nobis vitam nostram morientem : unde ait Rupertus *lib. 1. de divin. offic. cap. 5.* Nonâ horâ verè in laudem Dei clamamus, quando clamans Dominus Jesus voce magnâ emisit spiritum, latrone admisso in paradisum. Vespertina hora designat, Cassiano teste *d. lib. 3. cap. 3.* quod vespere à Domino Salvatore cœnantibus Apostolis traditur, cùm initiaret Ecclesiæ sacrosancta mysteria : cui addit Rupertus *d. lib. 1. cap. 6.* item in vespera sepelitur. Completorium, juxta eundem Rupertum ibi, *cap. 7.* quod jam egresso Juda pavere cœpit Jesus, & tædere. Nocturnæ autem vigiliæ Christi nativitatem apertè demonstrant, ut latiùs illustrantes prosequuntur Gazeus *in not. ad Cassianum dict. lib. 3.* Hæphtenus *dict. tractat. 2. disquisit. 5.* Menardus *ad concord. regular. cap. 34. §. 1.* Hinc exponendus erat difficilis canon 9. Concilii Toletani 1. cum Loaysa *ibi*, Gibalin. *de clausur. disquisit. 1. cap. 9. §. 2.* Menardo *ad Divum Gregor. fol. 61.* Gazeo *ad Cassianum*, Hallier. *de hierarch. folio 238.* Vivar. *de veteri mon. tom. 2. lib. 4. cap. 2. fol. 9.* Sed jam eum illustravi *in cap. 1. de cohabit. clerie.*

19. *Quibus constent*

Deinde sciendum est, quod istarum precum ratio ab initio Ecclesiæ distincta non erat, nec delectus habitus fuerat psalmorum, vel orationum; sed cuique liberum erat sibi orationes eligere, donec psallendi, & orandi certa forma præscripta est, ne diversitas generaret in Ecclesia confusionem, aut schisma. Theodosius enim Imperator Damasum Pontificem rogavit circa annum 380. ut divinum officium pro singulis horis disponeret. Damasus autem, qui magnam D. Hieronymi litterarum, & linguarum peritiam noverat, hoc totum negotium illi commisit litteris, quæ reperiuntur *tom. 1. Concilior.* ubi ita eum alloquitur Pontifex : *Peto charitatem tuam, ut Græcorum prudentiam ad nos dirigere fraternitas tua delectetur, quia tanta est apud nos simplicitatis indago, ut tantùm die Dominica Apostoli epistola una recitetur, & Evangelii capitulum unum dicatur; & nec psallentium mos tenetur, nec hymni decus in ore nostro cognoscitur.* D. Hieronymus Evangelia, & Epistolas distribuit, psalterium emendavit, scripturasque pro qualibet hora canonica ordinavit : quod opus Damasus anno 382. in Synodo Romana approbavit, & in omnibus Ecclesiis observandum decrevit. Consequenter Gelasius circa annum 494. cùm utriusque Testamenti libros eo quo nunc habentur ordine iterum recensuisset, & Manichæorum libris signi traditis, Doctorum scripta authentica à spuriis, & ambiguis declarasset, in Synodo Romana prosas, & hymnos canticis miscuit in officio, & deduxit ordinem lectionum, tum ex sacra Scriptura, tum ex homiliis SS. PP. per totum annum, ut refert Gratianus *in cap. sancta, 15. dist.* Harum precum codex breviarium dictum fuit, cujus nomenclaturæ rationem dedi *in cap. 2. de pignor.* Sed cùm labente tempore volumen hoc corruptum esset Gregorius VII. anno 1076. in Concilio Romæ habito illud restituit juxta priscam formam, ut liquet *ex cap. in die, de consecr. dist. 5.* Postea Aymonius Minister Generalis Ordinis D. Francisci, commissione Gregorii IX. breviarium cum Missali reformavit, ut ex ejusdem Pontificis bullâ constat, & referunt Vivar. *de veteri mon. lib. 4 cap. 4. artic. 7.* Radulf. Tungrens. *propos. 7.* Vvadmg. *annal. Minor. anno 1244.* Postea Concil. Trident. *sess. 2.* sub Pio IV. celebrata commisit delectis quibusdam Patribus considerare, quid facto opus esset de variis libris suspectis; idemque de Catechismo, Missali, & Breviario, quibus errores quidam irrepserant; quod cùm commodè ob varietatem librorum Synodus non posset dijudicare, præcepit, ut auctoritate Romani Pontificis id omnino terminaretur, & evulgaretur. Hinc est quod Pius V. loquens in Bulla affixa in Breviario, & Missali Romano de revocatione orandi ad pristinam regulam, dixit se exequi decreta Concilii Tridentini. Breviarium ergo dicitur restitutum, ut intelligas non esse novum : est autem editum à Pio V. anno 1568. cum hac clausula, ut in toto orbe servetur ab his, qui tenentur horas canonicas recitare, aliàs muneri suo non satisfacturis. Jubetque Papa omnibus Prælatis, ut hoc introducant, tam in choro, quam extra chorum; permittendo tamen ut breviaria non Romana antiquiora ducentis annis, computandis ab institutione istius (si tamen ab ipsa prima eorum institutione approbata fuissent à Sede Apostolica;) conserventur ad usum officii; quæ tamen possint mutari in hoc Romanum,

hora canonica.

iis omissis, si Episcopus, & universum Capitulum consentiant. Causa editionis hujus Breviarii cum abolitione omnium aliorum datur, ut scilicet tollatur orandi varietas. Recognitum dicitur hoc Pii Breviarium à Clemente VIII. anno 1602. quia ob incuriam Typographorum, & audaciam aliquorum erat depravatum. Denique Urbanus VIII. anno 1631. aliqua, quæ ex rudi Latinitate in hymnorum metris deflectebant ab elegantia, castigari, vel de integro condi fecit; eadem tamen, quoad licuit, servatâ sententiâ interpunctionum editionis vulgatæ Bibliorum, restituit in Psalmis, & Canticis: Patrum sermones, & homilias recognovit, cunctaque ita diligenter disposuit, expolivitque, ut Breviarium sit suis omnino numeris, seu perfectionibus absolutum.

20. *De materia officii divini.*

Materiam divino officio præscripsit Ecclesia ex psalmis, canticis, hymnis, lectionibus, responsoriis, versiculis, benedictionibus, absolutionibus, capitulis, invitatoriis, antiphonis, collectis, & orationibus. Prima pars divini officii est psalmodia, quæ in se summæ auctoritatis est, cùm sit scriptura canonica veteris Testamenti; nec enim alii psalmi in officiis Ecclesiasticis permittuntur, ut expressè cautum fuit in Synodo Laodic. *can. 59.* ibi: *Quod non oporteat plebeios psalmos in Ecclesia cantare.* Quem illustrant Spondanus *in epit. anno 60.* Cresolius *lib. 3. mystag. cap. 27.* Et in Concilio Brachar. 1. *can. 30.* prohibentur recitari in Ecclesia psalmi non canonici: quod intelligendum est tantùm de propriis psalmis, ut etiam prohibitum fuit recitare orationes non examinatas in Concilio Carthag. 3. *can. 22.* Milevit. 1. *can. 12.* ut refert Micrologus *in observ. Eccles. cap. 5.* Is autem usus recitandi psalmos in Ecclesia antiquissimus est, ut constat ex Dionysio *de hierarch. cap. 3.* ubi initium Missæ ita describit: *Sacerdos conversus ad divinam aram psalmos canere incipit, cantantque cum eo omnes Ecclesiastici ordines.* Eleganter D. Chrysost. *homil. 6. de pœnit.* ibi: *Cujus rei gratiâ præ cæteris veteris Testamenti, novique scripturis, librum David sic adamarunt omnes Christiani, atque hunc solum ore voluerunt versari.* Et infrà: *In Ecclesiis pernoctantium primus, & novissimus, & medius est David: diluculo quæruntur hymnorum modulationes, & primus, & medius, & novissimus est David: si pausæ in funeralibus, & primus, & medius, & novissimus est David.* Et tandem ipse Sanctus rationem reddit, quia in psalmis omnes perfectissimæ orationis affectus inveniuntur, & omnis generis petitiones omnibus statibus accommodantur, peccatoribus, justis, incipientibus, proficientibus, perfectis; & præsertim frequens recognitio humanæ fragilitatis, & necessitatis divini auxilii, ejusque postulatio continentur. Sed quia psalmorum usus antiquior est lege gratiæ, & quia eis etiam utuntur Judæi, speciali Dei providentiâ Ecclesia instituit, ut in fine cujusque psalmi gloria sanctissimæ Trinitati daretur per ea verba: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* D. Hieronymus *in orat. ad Damasum Pontificem*, quæ refertur inter gesta ipsius Damasi, *tom. 1. Concil.* ibi: *Ut in fine psalmi cujuslibet, sive matutinis, sive vespertinis horis, conjungi præcipiat Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.* Concil. Toletan. 4. *can. 13. & 14.* Vasense 2. *can. 5.* & circa modum recitandi psalmos est celebris canon. 17. Synodi Laodic. in illis verbis: *In processionibus non connectere, ideest ex diversis versibus, & sensibus libri unum canticum minimè conjungere: sed singulorum psalmorum ordinabiliter fieri lectionem.* Quem illustrat Menardus *in notis ad lib. Sacrament. D. Gregorii, fol. 177.* & nos leviter præstrinximus *in cap. nobis, de jurepatron.* Sequuntur hymni, qui licèt non sint compositi à scriptoribus canonicis, semper tamen habent auctorem aliquem gravem, ut Ambrosium, vel Hilarium. De eorum origine videndus est Aloix *in notis ad vit. SS. Eccles. Orient. in Sancto Hierotheo, cap. 3.* quorum mentio fit *in dicto* Concilio Tolet. & in Concilio Turon. 2. *can. 23.* Aliorum etiam auctorum hymnos cantari posse in Ecclesia statuitur: quod cautum fuisse propter hymnos compositos à Fornato de Cruce, post Baronium notarunt Grethserus *lib. 2. de cruce, cap. 33.* Aloix *ubi suprà*, Severinus Binius *in d. can. 23.* Idem dicendum est de Canticis, quamquam hæc majori ex parte ex Scriptura sacra sumpta sint. Tantùm Canticum *Te Deum laudamus*, ab Ambrosio, & Augustino compositum creditur, referente Dacio *lib. 1. chron. cap. 1.* Quarto loco lectiones sacras posuimus, quæ potissimùm in Matutinis leguntur: qui mos antiquissimus est, ut constat *ex cap. in nomine, de consecr. dist. 5.* ubi Gregorius Papa VII. allegat veterem consuetudinem, cujus etiam meminit Gelasius *in cap. sancta dist. 15.* ubi refert, has lectiones partim ex sacra Scriptura, partim ex homiliis Sanctorum desumi, atque etiam ex gestis Sanctorum: & in Concilio Carthag. 3. *can. 47.* Laodic. *can. 17.* docetur expedire, ut psalmi non dicantur continuè, sed aliqua lectio sacra interponatur. Post lectiones sequi solent responsoria, varii etiam versiculi, de quibus frequenter mentio extat apud Patres suprà citatos, & in fine uniuscujusque horæ dicitur oratio, quæ Collecta vocari solet, quia dum ab uno sacerdote nomine omnium adstantium dicitur, omnium orationes in ea colliguntur, *cap. convenit, de consecr. dist. 5.* Sequitur capitulum etiam in Laudibus, & aliis minoribus Horis, quod est lectio brevis, de qua eadem ratio est, quæ de aliis lectionibus, semperque ex scripturis sumitur: de quibus capitulis agitur in Concilio Agathensi relato *in cap. convenit, de consecr. dist. 5.* ubi priùs dicitur studendum esse, licut ubique fit, ut post antiphonas collectiones per ordinem ab Episcopis, vel Presbyteris dicantur; ita enim legitur in ipso Concilio, non collationes, ut legit Gratianus. Et postea additur in conclusione: Matutinarum, Vespertinarum, & Missarum post hymnos capitela de psalmis dicantur. Ubi Gratianus reponit *capitula.* Tandem antiphona est brevis sententia, quæ psalmo cantando præmittitur, quæ sæpiùs continet aut versum aliquem ejusdem psalmi, aut sententiam aliquam utilem in laudem Dei, *d. cap. convenit*: & Amalarius *lib. 4. de offic. Eccles. cap. 7.* ait: *Ideo antiphonam inventam esse, ut secundum illius modulationem, seu lymphoniam cantus totius psalmi sumatur, & ita totus Chorus illâ uniatur.* Antiphonis conjungi potest invitatorium, quod specialiter in principo Matutini præmitti solet. Prosequuntur alia de materia proxima divini

divini officii, Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. de horis can. cap. 2.* Herrera *de orig. divini offic. cap. 1. cum sequent.*

21. *Traditur ratio decidendi.* Unde apparet vera ratio præsentis textus; nam cùm officium divinum magnâ curâ ab Ecclesia sit dispositum, & per horas distributum, ex mysticis rationibus, & significationibus suprà adductis; & injunctum officium illud presbyteris, & aliis Ecclesiæ ministris, ut etiam populus possit in Ecclesia convenire ad lectiones, & alias orationes audiendas; ideo in præsenti docetur, ut parochus per se, aut scholarem horis competentibus divinum officium psallat, & postea, si voluerit, exeat ad opus rurale. Circa hanc autem obligationem recitandi horas canonicas plura congesserunt ex Moralistis Trullench. *in præcept. Decal. lib. 1. can. 7.* Fagundez *eod. tract. in præcept. 1. lib. 1. c. 32.* Castropalao *tom. 2. tract. 7. disput. 1. punct. 1.* Machado *lib. 2. p 3. tract. 1. docum. 1.* Fragoso *tom. 2. de regim. lib. 10 disp. 22.* Hieronymus Garcia *in summa, tractatu 2. per totum.*

22. *Dissolvitur dubitandi ratio.* Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa ex D. Paulo; non enim vult Apostolus sine intermissione esse orandum, ut non liceat intermissa oratione aliud aliquando operari: qui fuit error Adelphi, & Alexandri hæreticorum, qui authoritates illas Sanctorum Pauli, & Lucæ perperam accipientes, asserebant; nunquam esse operandum, sed semper orandum. Respondetur enim duplici modo: Primò cum sancto Nilo *in lib. Parænetico*, qui extat *tom. 5. biblioth. PP.* ubi differens de hoc præcepto orandi sine intermissione, inquit ex sacra Scriptura: *Ignavia multorum in arctum nos coegit quibusdam præceptis, quæ majora quam pro viribus, apparent; tum ut studium nostrum orandi quoad fieri possit, intenderet; tum ut occasionem elationis subtraheret, quasi subitâ ipse ultra faciendi, quam præceptum erat, præcipiendo aliquando aliquid, quod primâ fronte vires nostras superare videatur, quale est orare sine intermissione. Itaque Apostolus dum sine intermissione orare præcepit, quoad fieri potest, studium orandi intendere dumtaxat præcipit.* Secundò respondeo, quod præceptum Domini semper orandi quadamtenus sancta Mater Ecclesia credit se adimplere, cùm per suos ministros statis temporum intervallis publicâ laude Deum celebrat, ut docuerunt D. Augustinus *lib. de hæresibus, hæresi 57. epist. 121.* Glossa ordinaria *in dict. cap. 18. D. Lucæ*, Nicolaus I. *ad consult. Bulgar. quæst. 61.* quorum auctoritates congesserunt Stanislaus Osius *de cærem. cap. 91.* Thom. Bozius *de signis Eccles. lib. 9. cap. 12. num. 3.* & id docet expressè Sedulius *in epist. Pauli ad Roman.* ubi ita ait: *Dicendum est, eum semper orare, & non deficere, qui canonicis orationibus quotidie juxta ritum ecclesiasticæ traditionis, psalmodiis, precibusque consuetis Dominum rogare, & laudare non desistit.* Sanctus Eligius *homil. 11.* Beda *in cap. 18. D. Lucæ.* Nec obstat auctoritas D. Clement. *dict. lib 7. cap. 75.* nam dum Sanctus præcipit ter die orare, jubet orare quamfrequentissimè possimus; ita ut cùm rarissimè, ter saltem oremus: nec enim novum est, ut sub ternario numero multitudo contineatur, & hoc in honorem sanctissimæ Trinitatis constitutum, ut exponit Turrianus *ad D. Clementem d. lib. 7. cap. 25.*

CAPUT II.

Ex Concilio (a) *Triburiensi.*

QUidam etiam laïcorum, & maximè matronæ, habent in (b) consuetudine, ut per singulos dies audiant Evangelium: In principio erat Verbum; & Missas peculiares, hoc est de Sancta Trinitate, aut de Sancto Michaële: ideo sancitum est in eodem Concilio, ut ulterius hoc non faciant, nisi suo tempore, & nisi aliquis velit audire propter reverentiam Sanctæ Trinitatis, non pro alia devotione. Sed si voluerint, ut sibi Missæ (c) cantentur de eodem die, audiant Missas pro salute (d) vivorum, vel defunctorum.

NOTÆ

1. (a) *Triburiensi.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub tit. de suffragiis, cap. 2.* sed in Conciliis excusis non reperitur hic canon; refertur autem in Concilio Salegustadiensi celebrato anno 1022. tempore Benedicti Pontificis pro reformatione disciplinæ ecclesiasticæ, ubi *can. 10.* ita legitur: *Quidam etiam laicorum, & maximè matronæ, habent in consuetudine ut per singulos dies audiant Evangelium: In principio erat Verbum; & Missas peculiares, hoc est de Sancta Trinitate, aut de sancto Michaele; & ideo sancitum est in eodem Concilio, ut hoc ulterius non fiat, nisi suo tempore, & nisi aliquis fidelium audire velit pro reverentia Sanctæ Trinitatis, non pro aliqua divinatione; & si voluerint ut sibi Missæ cantentur de eodem die audiant Missas, vel pro salute vivorum, aut pro defunctis.* Hujus canonis meminerunt PP. Concilii Colonienſis I. tempore Pauli III. anno 1536. his verbis: *Mos inolevit non admodum improbandus, ut diebus Dominicis toto fermè anno officium Missæ, vel de sacrosancta Trinitate, vel de Spiritu sancto dicatur. Nobis satius videtur, ut quæ prisca Ecclesia singulis Dominicis peculiaria fecit, observentur: Quod si illorum loco alia usurpanda erunt, videtur quod de resurrectione Domini est dies Dominico magis convenire, quod dies illa potissimùm resurrectioni dedicata sit. Nec ignoramus, non absque causa in Concilio Triburiensi constitutum, ne propter Missas peculiares Missa, quam de feria vocamus, prætermittatur.*

(b) *Consuetudine.*] Superstitiose quidem; non quia credebant, non posse mori sine pœnitentia eo die, quo lectioni illius Evangelii interfuerant; sed quia optabant futura prædicere, aut occulta scire, & credebant audito Evangelio, se id assequuturas, ut ex ipso canone facilè constat, & 2.

notavit Herrera *de orig. Missæ lib. 3. cap. 26.* ubi miros effectus ex lectione hujus sancti Evangelii expertos refert: cui etiam sententiæ adhæret Landtmeter. *de veterib. cleric. mon. lib. 2. cap. 81. ad finem.* Etiam ob similem superstitionem prohibet Concil. Trident. *sess. 22. de sacrific. Missæ, cap. 8.* certarum Missarum numerum, his verbis: *Quarundam verò Missarum, & candelarum certum numerum, qui magis à superstitioso cultu, quàm à vera religione inventus est, omnino ab Ecclesia removeant, doceantque populum quis sit, & à quo potissimùm proveniant sanctissimi hujus sacrificii tam pretiosus, quàm cœlestis fructus.*

3. (c) *Cantentur.*] Licèt jam temporibus hujus Concilii in usu esset Missæ sacrificium publicè cantare, ut probat Vicecomes *volum. 2. de Missæ ritibus, lib. 5. cap. 7.* tamen in præsenti non accipias Missam cantare prout sonat, sed potiùs pro Missam dicere. Galli enim privatas Missas, privatimque recitatas etiam cantari dicebant, à solenniori, & digniori celebratione: quomodo accipit caput 28. Pœnit. Rom. *titul. 9.* in illis verbis: *Item qui jejunare non potest, & observare quod in Pœnitentiali scriptum est, faciat quod Sanctus Bonifacius constituit: pro uno die, quem in pane, & aqua jejunare debet, roget presbyterum, ut Missam cantet pro eo.* Filesacus *de confessione auriculari, fol. 676.* & intelligi potest textus *in cap. tanta, de simonia.*

4. (d) *Vivorum, & etiam defunctorum.*] Olim non solùm seorsim Missa offerebatur pro vivis, aut pro defunctis. Robertus Archidiaconus in vita Sancti Aiberti monachi, apud Laurentium Surium *tom. 2.* ibi: *Factus autem presbyter duas in die celebravit Missas, pro vivis alteram, alteram pro defunctis.* Sed & simul pro vivis, & mortuis simul salutaris hostia offerebatur. Albinus Flaccus *libro sacram.* ibi: *Missa pro salute vivorum, & requie mortuorum: Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul & mortuorum.* Observavit Vicecomes *de ritibus Missæ volum. 2. libro 4. cap. 1.*

COMMENTARIUM.

5. *Conclusio traditur, & illustratur.* EX præsenti canone communiter talis deducitur assertio: *Propter Missam peculiarem Missa propria de die non est omittenda.* Non est alia similis decisio in jure, quâ firmari possit: facit tamen Concilium Colon. *anno 1536. p. 2. cap. 7. Sunt in clero qui privatis quibusdam affectibus moti, vel testamento, vel ut vocant, fundationibus efficiunt ut nova festa præter Ecclesiæ auctoritatem solenniter subindè celebrentur. Quod interim fit ut preces horariæ, ac reliqua publicè recepta pro affectu cujuslibet facilè noventur, id quod nobis non probatur.* Illustrant ultra congestos in præsenti a Barbosa *de offic. Parochi p. 1. cap. 11.* Vicecomes *lib. 3. de Missæ ritibus, cap. 1.* Diana *p. 11. tract. 2. resol. 4.* Carolus Guicetus *de festis propriis lib. 4. cap. 21. quæst. 6.* Suarez *de sacram. disputat. 83. sect. 3.* & *disp. 88. sect. 3.* Portel. *in addit. verbo Missa, §. 8.* Dicastillo *de sacram. tom. 1. tract. 5. disput. 4. dub. 14.* Diana *2. p. tract. 14. resol. 30. cum sequent.* & *cap. 4. tract. 4. resol. 39.*

6. *Impugnatur tradita assertio.* Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Cuilibet privato sacerdoti liberum est Missam celebrare, vel non; nec tenetur diebus feriatis, aut festivis præcisè Missæ sacrificium offerre, ut probant Gabriel, Sotus, Caietanus, Victoria, & alii, quos referunt & sequuntur Fagundez *in primum Eccles. præcept. libro 3. capite 15.* Lugo *de Eucharist. disputat. 20. sect. 1.* Suarez *de sacram disput. 80. sect. 1. §. 2.* Sausay *in Panopl. sacerd. 2. p. lib. 1. artic. 2. §. 3. fol. 534.* Igitur multò magis liberum illi erit pro suo arbitrio hanc, vel illam dicere. Accedit, nam Missa votiva ea est, quæ non correspondet officio diei, sed pro voluntate dicitur, sive ipsius sacerdotis, sive ejus, ad cujus nutum celebratur, ut eam definiunt Gavantus *p. 1. tit. 4.* Guicetus *de festis lib. 4. cap. 21.* sed neglecto officio proprio ipsius diei, potie Missam votivam dici, ipsi probant. Ergo & in præsenti casu ob votum, & devotionem fidelium licitè celebrari poterat Missa de Sanctissima Trinitate, aut sancto Michaële, etiam diebus non propriis.

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, Missam aliquando significare diem festum, in quo celebratur; nam in Concilio Pistensi, *cap. 3.* legimus, iis qui furto, vel aliis sceleribus se obstrinxerant, pœnitentiæ, ac reconciliationis terminum sancti Remigii Missam, idest ejus celebritatem, præfinitam fuisse, ibi: *Communi placito constituimus, ut usque ad Missam S. Remigii, hoc est Kalend. Octobr. spatium habeant illi, qui in istis temporibus istas depradationes, & alia malefacta criminaliter, & publicè fecerunt, ut inde apud Dominum, & apud eos, quibus malefecerunt, se pacificent.* Et *lib. 2. cap. 18.* ibi; *De moneta verò unde jam per tres annos, & admonitionem fecimus, & tempus, quando una teneretur, & aliæ omnes cessarent, constituimus: hoc omnibus notum esse volumus, quoniam ut absque ulla excusatione citò possit emendari, spatium usque ad Missam sancti Martini dare decrevimus.* Et *cap. 20.* ibi: *Ut ubi pontes antiquitus fuerunt, & in his locis, ubi tempore genitoris nostri ipso jubente, diversarum necessitatum causâ facti, omnino absque ulla dilatione ab his qui eos tunc fecerunt, restituantur & renoventur, ita ut ad Missam sancti Andreæ renovati fiant.* Et quia præcipuè hoc sacrificium die Dominico offertur, Dominicum appellatur in auctoritatibus congestis à Cerda *in notis ad Tertul. ad uxorem, num. 37.* Bovio *tom. 1. Rom. Subter. lib. 1. cap. 31.* Nonnunquam etiam accipitur pro mercato, ut probat Vicecomes *lib. 1. de Missæ ritibus, cap. 1.* ponitur pro divino officio in Concilio Valentino, *can. 1.* pro ipsis precibus & collectis in Concilio Milevit. *can. 12.* pro re divina in auctoritatibus congestis à Savarone *ad Sidonium lib. 5. epist. 17.* Sed frequentiùs sumitur, ut hodie vulgò, pro ipso sacrificio. Quæ acceptio primis Ecclesiæ temporibus cœpit, siquidem D. Clemens *epist. 3.* ait: *In aliis locis sacrificare, & Missas celebrare non licet, &c.* Nec ita hoc sacrificium dictum est ab Hebraico verbo *Missah*, ut voluit post alios Corjolanus *in breviario, anno 34.* quam sententiam docte refellit Vicecomes *dict. lib. 1. cap. 4.* sed à dimissione, quia olim catechumeni ante consecrationem mittebantur, quasi eorum Missa finita, ut hodie in fine dimittitur populus per Diaconum. D. Isidor. *lib. 6. origin. cap. 16.* ibi: *Missa tempore sacrificii est, quando catechumeni foras mittuntur, clamante Levita: Si quis catechumenus remansit, exeat foras.* Et *inde Missa.* Et etiam Diaconus clamabat, qui non

Missa ut. mologia.

non communicat, det locum: probat Haæphtenus *in vita S. Benedicti, cap. 23.* Et ita fuit, ut nomen Missa, quod denotabat sacrificii finem, pro ipso sacrificio acciperetur. Concil. Carthag. *can. 84.* Rabanus Maurus *de instit. cleric. cap. 32.* Illustrant Gothofredus *in l. 3. C. Theodos. de proximis (omitibus*, Menardus *ad concord. regul. cap. 28. §. 7.* Bravo *in not. ad regulam S. Benedicti, cap. 17.* Lantdmeter. *lib. 2. de veteri mon. cap. 78.* Beyerlinch. *verbo Missa, tom. 7.* Dartis *ad dist. 1. de consecr.* Theophilus *tom. 6. in Acathist. §. 3. fol. 487.* Conradus Kling. *lib. 4. loc. commun. cap. 22.* Martinez à Prado *de Eucharist. quæst. 83. dub. 2. §. 1.* Covar. *lib. 4. var. cap. 22.* ubi Ufelius, Loaysa *in can. 1. Concil. Tolet. 12.* Baronius *anno 34. num. 59.* Vicecomes *ubi suprà, cap. 4. & 5.* Joan. Scortia, Antonius Monchiacenus, & Gaspar Cassalius *de sacrif. Missæ*, plures congesti à P. Henao *eod. tract. disp. 1. sect. 1. num. 4.*

8. *De diversis missis.* Secundò sciendum est, Missam debere cum horariis divini officii laudibus, de quibus egi proximo commentario, convenire; ideoque pro varietate dierum jam olim diversas fuisse præscriptas Missas legimus, ita ut Missa unius diei diversa esset à Missa alterius. Pelagius Pontifex II. *epist. ult.* ibi: *Sacrum ordinem Romanum, sacraque constituta nostrorum antecessorum solerter relegentes, invenimus has novas præfationes in sacro catalogo tantummodo recipiendas, quas longa retrò veritas in Romana Ecclesia hactenus servavit.* Ubi notanda sunt illa verba, *longa retrò veritas*; quæ hanc consuetudinem diversarum Missarum multò altiùs quàm Pelagii ferat ætas, repetendam esse demonstrant. Vigilius Pontifex *epist. 1. cap. 5.* inquit: *Ordinem precum in celebritate Missarum nullo nos tempore, nulla festivitate significamus habere diversum, sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare. Quoties verò Paschalis, aut Ascensionis Domini, vel Pentecostes, & Epiphaniæ, Sanctorumque Dei fuerit agenda festivitas; singula capitula diebus apta subjungimus, quibus commemorationem sanctam solennitatis, aut eorum faciamus, quorum natalitia celebramus.* Probat Vicecomes *lib. 3. de Missæ ritibus, cap. 2.* Unde non solùm unicuique diei Dominico propria Missa præscripta fuit, ut probat Vicecomes *dicto lib. 3. de Missæ ritibus, cap. 3.* verùm etiam diebus feriarum peculiares Missas præfinitas fuisse, constat ex Vvalfrido Strab. *de rebus Eccles. cap. 20.* ubi ita ait: *Alii omni Dominico, vel omni Sabbatho apud Orientem, & Hispanias, Missas facientes commemorationem passionis Dominicæ omni septimanâ, si facerent, sufficere credebant*, &c. Ex Pelagio suprà relato, & ex eo quia D. Hieronymus pluribus in locis sui Comitis, seu Lectionarii ejus rei meminit; nam cùm sibi proposuisset Lectiones, & Evangelia, quæ quotidie anno vertente recitanda essent, nobis aperire, diversa utique singularum hebdomadarum quartæ, & sextæ feriæ assignat: quod argumento est, earundem feriarum proprias Missas fuisse. Probat Vicecomes *dict. libro 3. capite 11.* diebus etiam quadragesimalibus peculiarem Missam fuisse statutam, constat ex Pelagio suprà relato, & ex Concilio Matisconensi, *can. 9.* ibi: *Ut à feria sancti Martini usque ad natalem Domini, secundâ, quartâ, & sextâ sabbathi jejunetur, & sacrificia quadragesimali debeant ordine celebrari.* Et Rupertus Abbas *de divinis officiis lib. 4.* cui titulum affixit de Evangeliis, & Epistolis feriarum quadragesimæ, in quibus sibi concordent, *cap. 14.* & sequentibus agit de omnibus feriis Quadragesimæ usque ad Dominicam 5. Etiam Adventus tempore peculiares Missas fuisse præfinitas, probat Vicecomes *dict. libro 3. capite 14. per totum.*

9. *De missis Sanctorum.* His præmissis de Missis diebus Dominicis, & feriis hedomadæ assignatis, deveniamus ad eas, quæ festivitatibus Sanctorum, seu eorum natalitiis celebrandis præfinitæ sunt. Et in earum anniversaria die propriam cujusque sancti Missam celebrari, constat ex D. Cypriano *epist. 34. ad Clerum, & plebem, qui* dum Cellerinam, atque Laurentium laudat, quòd martyrii palmam illustri triumpho promoverint, hæc inquit: *Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones, & dies anniversaria commemoratione celebramus.* Quæ quia satis apertè rem, quam agimus, ostendunt, in eorum explicatione nequaquam immorabor. Item *epist. 37. ad Cler.* mentionem faciens sacrarum tabularum, quibus consignabantur dies, ac nomina eorum, qui ob Christi testimonium collisò capite victores occubuissent, ita scribit: *Tertullus fidelissimus, & devotissimus frater noster, pro cætera solicitudine, & cura sua, quam fratribus in obsequio operationis impertit, scripserit, & scribat, ac significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt, ut celebrentur hic a nobis oblationes, & sacrificia ob commemorationes eorum, quæ citò vobiscum Domino protegente celebrabimus.* Quo testimonio nihil clarius, illustriusve afferri posse arbitror, cùm ritus ille Sanctis litandi, veluti penicillo expressus fuerit. Et S. Augustinus *lib. 8. de civitate Dei, cap. 26.* cùm probare instituisset cœlestia sacrificia, quæ Sanctos colendi gratiâ quotidie in Ecclesiis celebrantur, non Sanctis ipsis, verùm Deo offerri, in hunc modum loquitur: *Quis audivit aliquando fidelium, stantem sacerdotem ad altare etiam super sanctum corpus Martyris ad Dei honorem, cultumque constructum, dicere in precibus: Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane; cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & Martyres, & homines fecit?* Quæ verba, vel præsentem disputationem stabiliunt, vel nescio quid stabiliendæ satis sit. Multaque alia, tum ipse Augustinus, tum alii scriptores testimonia suggerunt, quæ quod in re perspicua versor, à me omittuntur. Non patiar tamen silentio præteriri [quod ad hanc quæstionem illustrandam pertinet] ipsas Missas de Sanctis anniversaria die celebrari solitas esse. Cujus probationem duco ex illis Tertulliani verbis suprà citatis, *annua die*: & Cypriani, *anniversaria commemoratione.* Nec desinam admonere, pervetus etsi fuerit Missarum de Sanctis in Ecclesia consuetudo; tamen quadraginta diebus pœnitentiæ dictis olim ejus generis nullam confecisse priscos religionis Christianæ cultores. Qua de re, ne dubitandi locus subsit, maximo est argumento, quod Concilii Laodicensis capite 52. legimus, ubi præcipitur, ne quis eo tempore nuptias, vel martyrum natalitia celebrare audeat; illius quippe hæc sunt verba: *Quod non oportet in quadragesima nuptias, vel natalitia celebrare.* Dicuntur verò *natalitia*, dies Sanctorum religioni consecrati, quòd illi ex angusto ærumnosæ vitæ curriculo in illa æternitatis immensa spatia educti, jucundè, ac beatè

beatè vivant cum Christo. Si verò tunc festos dies Sanctorum celebrare haud fas erat, multò minùs de Sanctis Missam conficere, cùm hic præcipuus sit cultus, quem illis Christiani exhibere possint. Eodem etiam pertinet, quod in S. Hieronymi comite, seu lectionario, nulla lectio; atque in B. Gregorii antiphonario nulla antiphona continetur ad ecclesiasticum quadraginta dierum officium spectans, quæ Sancti alicujus mentionem faciat; cùm omnium dierum alicui Divo sacrorum, qui in alia tempora incidunt, statas tum lectiones, tum antiphonas in iis expressas legamus. Atque ut apertius hoc sit, addam Martini testimonium relatum *in cap. non licet, 33. q. 4.* ubi ita cavetur: *Non licet in quadragesima natales Martyrum celebrare, sed tantum in sabbatho, & Dominica, pro commemoratione eorum oblationes offerre: sed natalitia, nec nuptias licet in Quadragesima celebrare.* Quæ verba illius moris adeo plena sunt, ut qui in dubium vocare velit, planè amens sit. Quem canonem latè exponit Filesacus de *Quadragesima cap. 13.* S. Vigil. Pont. *epistol. 1. capite 5.* in illis verbis: *Quotiens verò Paschalis, aut Ascensionis Domini, vel Pentecostes, & Epiphaniæ, Sanctorumque Dei fuerit agenda festivitas, singula capitula diebus aptas subjungimus, quibus commemorationem sanctam solennitatis, aut eorum faciamus, quorum natalitia celebramus.* Immò si duo Sancti in eadem die celebrandi erant, duplex Missa legebatur, ut probat Vicecomes *dict. lib. 3. cap. 7.*

10. *de missis votivis*

Ultra Missas istas suis diebus & temporibus statutas, erant aliæ votivæ, quæ ita dicebantur, quia pro sacerdotum voto recitabantur, de quibus Constantinus Presbyter in vita S. Germani Episcopi, titulo Altissiodor. *cap. 16.* ibi: *Sancti Episcopi Peregrinus, & Amator, priùs quàm discedant, Missas sunt votivas celebraturi.* Earum autem duo erant genera: aliæ certum diem habebant, aliæ verò quovis die celebrari poterant, prout sacerdotis voluntas, aut necessitas tulisset. Ad primum genus Missarum votivarum spectant Missa de Angelis, de Trinitate, de Sapientia, quæ feriâ secundâ celebrabantur, Micrologus *in observ. Eccles. cap. 60.* ibi: *Sciendum autem, quendam Albinum Magistrum Caroli Imperatoris, rogatu Bonifacii Archiepiscopi, ut ajunt, Missales orationes de sancta Trinitate composuisse, & in secunda feria de Sapientia, in tertia d Spiritu sancto, in quarta de Charitate, in quinta de Angelis, in sexta de Cruce, in Sabbatho de sancta Maria.* Prosequitur latè Vicecomes *d. lib. 3. ex cap. 16. usque ad 22.* Ad secundum genus Missarum votivarum pertinent Missæ pro aliqua necessitate, seu molestia instituta, veluti pro bello avertendo, paceque impetranda, pro frugibus terræ, pro pluvia postulanda, aut pro tempestate repellenda, de quibus agit idem Vicecomes *dicto libro 3. ex capite 22. usque ad 25.*

11. *traditur ratio decidendi.*

Unde apparet ratio præsentis textus; nam cùm ita sedulò Ecclesiæ PP. singulis diebus Missas proprias, & peculiares præscripserint, & statuerint, non licet sacerdotibus propriâ voluntate, aut pro audientium libito Missam proprii dici omittere, & aliam recitare horis canonicis incongruam, & non consonam. Unde D. Carolus in suis actis Ecclesiæ Mediolan. diligenter monet, ut cam quisque presbyter celebret Missam, quæ cum sacro penso divinarum laudum maximè congruat: quas constitutiones si in mentem revocarent nonnulli sacerdotes, nunquam eò temeritatis delaberentur, ut sacrum funebre, vel aliud simile, etiamsi nulla Ecclesiæ requirat necessitas, singulis fermè diebus celebrarent, turpi cupiditate celeriter absolvendi Missam, ut ad negotia sæcularia se convertant. An verò peccet qui neglectâ propriâ Missâ ipsius dici, aliam celebrat, disputant Moralistæ: & communiter placet, curandum esse, ne fiat; si tamen salvo contemptu, & absque animo introducendi novum ritum id fiat, peccatum veniale committit, propter violationem rubricæ Missalis. Tamburin. *de sacrif. Missæ lib. 2. §. 1. cap. 6.* Licèt eo etiam casu non improbabiliter teneant Suarez *de Sacram disput. 83. sect. 3.* nec peccatum veniale committi. Nec tandem obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam non rectè sequitur ex eo, quod quis non teneatur ad aliquid peragendum, illi licere illud facere quo modo velit; quis enim dicet: Non teneor die professo sacrificio Missæ interesse: ergo sedens, & incompositus, aut sine attentione interesse possum. Nec obstat augmentum ipsius dubitandi rationis; nam id procedit in Missis votivis, quæ ex justa causa dici possunt, omissis propriis ipsius dici, de quibus suprà egi. Non tamen inde infertur, pro libito celebrantis, vel audientium posse Missæ sacrificium mutari, ut etiam ex speciali privilegio ab aliquibus piis viris factum legimus; nam scribit Cantiprat. *lib. 2. Apum, cap. 29. num. 12.* sacerdotem, qui semper de Beata Virgine sacrum faciebat, cùm esset à S. Thoma Cantuariensi suspensus à Missæ celebratione, jussu Deiparæ fuisse restitutum, & devotioni suæ servire permissum. Simile est quod refert Sebast. Rovilart. *cap. 9. Parthenia, num. 30.* Rursus apud eundem Cantiprat. *lib 2. cap. 53. n. 14.* alius, qui semper pro defunctis sacrum faciebat, cùm æquè ab Episcopo juberetur ritui præscripto parêre, divino visu interveniente permissus est pergere. Affine est quod ex Petro Cluniac. referunt Auctor Lavacri conscientiæ *cap. 5.* Colvenerius *ad locum proximè adductum Cantiprat.* qui subdit, propter paucorum privilegia non esse recedendum ab ordinatissima dispositione Ecclesiæ.

Sed suprà traditis obstat textus *in cap. hoc attendendum, de consecr. distinct. 1.* qui tribuitur D. Gregorio *in libris Capitul. cap. 45.* ut refert Vicecomes *lib. 3. de Missaritibus, cap. final.* à Burchardo verò *lib. 2. decreti, cap. 54.* Carnotensi *p. 2. cap. 119.* citatur ex dictis D. Augustini: sed rectius jam notavit Filesacus *de orig pareæ. cap. 6.* textum illum esse Theodulphi Aurelian. Episcopi, qui floruit imperante Ludovico Pio, *in epist. ad presbyteros, seu parochos Aurel.* in illis verbis: *Et hoc attendendum est, ut Missæ peculiares, quæ in diebus, seu in quibuslibet festivitatibus à sacerdotibus fiunt, non ita publicè fiant, ut per eas populus Missarum solennibus, quæ horâ tertiâ canonicè fiunt, abstrahantur.* Ex quibus apertè deducitur, diebus Dominicis, & aliis festivis licere presbyteris peculiares Missas celebrare. Pro cujus textus expositione sciendum est, inter alias Missarum divisiones, illam præcipuè dari, quòd aliæ sint Missæ publicæ, in quibus publicè, & solenniter populus convenit; aliæ privatæ, seu peculiares, quæ à presbyteris sine plebis conventu celebrantur.

12. *Exponitur cap. hoc attendendum, de consecr. dist. 1.*

tur. Priores non nisi horâ tertiâ, & in Ecclesia parochiali, ubi populus diebus Dominicis, & festivis olim convenire debebat, juxta tradita suprà *in cap. ut Dominicis, de parochiis*, celebrari valebant, de quibus agitur *in can. 6. Concil. Africani*. ibi: *Non licere presbytero in publica Missa quemquam reconciliare.* Et eas vitandæ turbæ, & strepitus removendi causâ fieri prohibuit in monasteriis Gregorius Magnus in Concilio Later. celebrato pro quiete, & libertate monachorum, in illis verbis: *Missas quoque publicas in cœnobiis fieri omni modo prohibemus, ne in servorum Dei recessibus, & eorum receptaculis ulla popularis conventus præbeatur occasio, quia non expedit animabus eorum.* Facit Carnot. *epist. 108.* ibi: *Denique si causam hujus accusationis requiras, constat manifeste inde, quòd interdicente Sedis Apostolicæ decreto, non potest Turonensis Archiepiscopus in majori monasterio publicas Missas celebrare.* Peculiares verò Missæ, quia privatim dicebantur, idco jubet Theodulphus, ut tali horâ celebrentur, ut populus non distrahatur à Missa parochiali, ubi convenire debebat. Quod accuratiùs cautum fuit in Concilio Senonensi celebrato temporibus Francisci I. ubi *canone 15.* ita legitur: *Item ne populus distrahatur à Missa parochiali, & ab auditione mandatorum Dei Ecclesiæ, prohibemus ne in capellis ab antiquo etiam Episcoporum auctoritate fundatis aliæ Missæ celebrentur, quàm illæ quæ de fundatione extiterint; & si quæ sint missæ, quæ ex tenore fundationis dici debeant die Dominico, non dicantur nisi post Missam parochialem.* Non enim in dicto canone agit Theodulphus de Missis peculiaribus eo sensu, quo in præsenti Missæ peculiares accipiuntur pro diversis Missis ab statutis specialiter illis diebus; sed pro Missis privatis peculariter à presbyteris celebratis absque populi conventu, de quibus plura adduxerunt Suarez *adversus Regem Angliæ lib. 2. cap. 6.* Lantdmeter. *lib. 2. de veteri cler. cap. 82.*

Opponi etiam potest textus *in cap. significatum, de prabend.* junctis ibi adductis.

CAPUT III.

Innocent. III. (a) *Vvigornien. Episcopo.*

COnsuluisti nos, utrum presbyter duas Missas in eadem die valeat celebrare. Super quo tibi duximus respondendum, quod excepto die (b) nativitatis Dominicæ, nisi causa (c) necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam Missam solummodò celebrare.

NOTÆ.

(a) *Vigornienſi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap. 1.* de diœceſi Vvigornienſi nonnulla notavi *in capite 9. de elect.*

(b) *Die nativitatis Dominicæ.*] De cujus ſolennitate egi *in cap. final. de feriis.* Inter privilegia autem hujus magni diei illud præcipuum eſt, ut in eo tres Miſſæ à quolibet presbytero celebrentur, ut poſt D. Thomam 3. *p. quæſt. 83. art. 3. ad 2.* tradunt Sotus *in 4. diſt. 13. quæſt. 2. artic. 2.* Vazquez *3. p. in 3. p. diſputat. 232. cap. 5.* Suarez *in eadem parte, diſput. 80. ſect. 3.* Vicecomes *volum. 3. de ritibus Miſſæ, lib. 3. cap. 26.* Severus Binius *in notis ad Theleſphorum Papam, tom. 1. p. 2. Concil.* Salcedo *in praxi, cap. 35.* A quo tamen Pontifice hæc trium Miſſarum ſolennitas ſtatuta fuerit, non ſatis conſtat apud Interpretes. Severinus Binius *ubi ſuprà*, exiſtimat auctoritate Theleſphori Papæ; relatâ *in cap. nocte 48. de conſecr. diſt. 1.* id conſtitutum fuiſſe, quia in eo textu ait Theleſphorus: *Nocte ſanctâ Miſſas celebrent presbyteri.* Quibus verbis tres Miſſas celebrari poſſe vulgò receptum fuit; quia pluralis appellatio in tribus verificatur, *l. 1. ff. de optione legat. l. ubi numerus, ff. de teſtib.* Sed hæc ſententia non placet: tum quia ſimilis locutio etiam in ſingulari verificari ſolet, *l. 1. §. familia, ff. de vi & vi armat.* tum quia Theleſphorus *in dict. cap. nocte*, non tam ſolennitatem trium Miſſarum ſtatuit, quàm ut presbyteri in eadem nocte Miſſas celebrent, ut notavit Vazquez *dict. diſputat. 232. quæſt. 3. num. 31.* quod præceptum cùm imponeretur omnibus presbyteris, neceſſariò plurali verbo utendum erat. Nec in præſenti textu, ubi de eadem ſolennitate agitur, exprimitur numerus Miſſarum, nec auctor hujus ſolennitatis, ſeu conceſſionis. Quare verius credo, Theleſphorum Papam, qui Eccleſiam rexit ex anno 142. hanc ſolennitatem trium Miſſarum ſtatuiſſe, ut tradunt D. Gregorius *in homil. de natali Domini*, Vvalfridus Strabo *de rebus Eccleſ. cap. 21.* ibi: *Theſphorus IX. in ordine Romanæ Sedis Epiſcopus, in natali Domini tres Miſſas celebrari inſtituit.* Et licèt ea conſtitutio non extet; tamen ab eo tempore receptum eſt in Eccleſia, ut in hac magna ſolennitate tres Miſſæ à quolibet ſacerdote celebrentur. Hujus autem privilegii, ſeu ſolennitatis rationes duas afferunt Interpretes. Primam, ut ita per tres Miſſas tres mundi ſtatus ſignificentur. Primus legis naturæ, qui duravit à mundi creatione uſque ad Moyſem: ſecundus legis ſcriptæ, qui permanſit à Moyſe uſque ad Chriſti mortem: tertius ſtatus legis gratiæ, quæ à Chriſto Domino cœpit, & uſque ad conſummationem ſæculi permanebit. Hugo à Sancto Victore *lib. 3. de ſpecial. Miſſar. obſerv. cap. 5.* ibi: *Ante legem, & ſub lege Chriſtus in figura jam immolatur; unde ut per commemorationem figurarum veritas probabilior exiſtat, ſemel in anno ſcilicet in nativitate Domini, conſtituit Eccleſia intra natalis diei ſpatium ter Miſſam celebrari: primò in nocte, ſecundò ſub auroram, tertiò de die. Tempus ante legem quaſi nox fuit, nec lege, nec Prophetis, nec aliâ prædicationis lege illuſtrata. Tempus ſub lege quaſi aurora fuit, nec penitus carens lege, nec plenâ eam habens. Tempus gratiæ diei pleno comparatur. Prima Miſſa tempus ante legẽ, ſecunda tempus ſub lege commemorat, quia in utroque Chriſti immolatio in figurâ præceſſit: in tertia Miſſa verâ lux advenîſſe monſtratur, cùm dicitur: Puer natus eſt nobis.* Secundam rationem

tionem adducit D. Thomas *dict. 3. p. quæst. 73. artic. 2. ad 2.* quia triplex nativitas in Christo Domino considerari potest: Prima æterna, quia Verbum à Patre generatur, juxta modum quem exponit Bellarminus *tom. 1. controv. lib. 7. de Christo, cap. 9. & sequent.* Secunda carnalis, quia natus est secundùm carnem ex B. Maria Virgine. Tertia spiritualis, quia quotidie spiritualiter nascitur in cordibus justorum, quos illuminat vivâ fide, ut dicitur *in epist. 2. D. Petri cap. 1.* Christus nascitur tanquam Lucifer in cordibus nostris. Ad has igitur tres nativitates celebrandas cum debita gratiarum actione triplex sacrificium offerri à quolibet Sacerdote Ecclesia instituit, scilicet ut nativitas secundùm carnem celebretur per Missam, quæ mediâ nocte dicitur: nativitas spiritualis, quæ illuminat hominum corda, per Missam in aurora dictam significatur: denique generatio æterna per tertiam Missam, cui præscriptum est Evangelium D. Joannis, quod incipit, *In principio erat Verbum.* Diciturque die, propter illud Psalmi 109. *Splendoribus Sanctorum genui te.* Unde cognoscitur, quod olim, non quemadmodum nunc à plerisque sacerdotibus fit, una alias Missas subsequebatur, sed sicut in præcipuis Ecclesiis, quæ Canonicorum collegio insignitæ sunt, servari solet, una mediâ nocte, altera primâ luce, tertia summo die conficiebatur, ut probat Vicecomes *dict. lib. 3. volum. 3. cap. 27.* De his tribus Missis plura alia adducunt Diana *p. 11. tract. 4. resol. 43.* Tambur. *lib. 1. de Missa, cap. 6. §. 3. num. 6.* P. Henao *eod. tract. disp. 22. sect. 3.*

2. (c) *Causâ necessitatis.*] Nec tunc expressit Innocentius, an duas, vel tres, seu quatuor Missas dicere liceat; licèt consultatio Episcopi Vvigornienſis esset, utrum duas tantùm unâ die celebrare liceret: ideo placuit Didaco à Tapia *q. 11. de Eucharist. artic. 5.* Suario *de Sacram. disput. 80. sect. 3.* Petro de Ledesma *cap. 19. de Eucharist.* contra Gregorium Lopezium *in l. 50. tit. 4. part. 1.* & alios congestos à Cenedo *ad Decret. collect. 175. num. 4.* quod si suadeat causa necessitatis, fas erit celebrare non tantùm duas, verùm & tres, aut quatuor Missas, requisitâ quidem majori causâ ad tertiam, quàm ad secundam; ad quartam, quàm ad tertiam. Casus autem necessitatis, in quibus uni sacerdoti liceat in eadem die duas Missas celebrare, assignarunt Moralistæ, sed non omnes sunt amplectendi. Primò affirmant nonnulli, ob paupertatem sacerdotis licere illi in eadem die bis celebrare: sed satis expressè casus hic refellitur *ex cap. sufficit, de consecr. dist. 1.* ibi: *Qui verò pro pecunia, aut adulationibus secularium* (lege *oblationibus*) *una die præsumunt plures celebrare Missas, non existimo evadere damnationem.* Secundum casum assignant Moralistæ, cùm post peractum Missæ sacrificium advenit Princeps, Episcopus, aut multitudo peregrinorum in die festo. Sed etiam hunc casum rejiciunt post Vazquez Tamburin. *de sacrif. Missæ lib. 1. cap. 6. §. 3.* P. Henao *eod. tract. tom. 1. disput. 22. sect. 4.* Et certè casus hic metaphysicus est; nam si prædictæ personæ advenjunt antequàm sacerdos sumat species ipsas panis, & vini, facilius erit iterum recitare Missam, quàm aliam dicere: si autem post sumptas species, & ablutionem, quia sacerdos jam non est jejunus, non potest aliam Missam celebrare. Idem de casu, in quo ob necessitatem infirmi ultimo languore depressi, ut viaticum accipiant, concedunt antiqui secundam Missam celebrare, tenet Tamburinus *ubi suprà*: sed illum casum doctè explicat, & defendit P. Henao *ubi suprà.* Primus ergo casus, in quo ob necessitatem licet duas Missas celebrare in eadem die, datur cùm unus parochus regit duas Ecclesias diversis in locis; tunc enim in qualibet earum debet Missæ sacrificium in diebus festis celebrare. Concilium Emerit. *can. 19.* ibi: *In parochiis multæ sunt Ecclesiæ constitutæ, quæ à Fidelibus factæ, aut paucum, aut nihil de rebus videntur habere: sacerdotali ergo decreto presbytero uni plures extant commissæ; unde cavendum est, ne occurrente paupertate, ordo ibidem non impleatur Missæ: proinde salubri deliberatione censemus, ut pro singulis quibusque Ecclesiis, in quibus presbyter jussus fuerit ordinationem præesse, pro singulis diebus Dominicis sacrificium Deo procuret offerre.* Docuit Filescus *de orig. paræc. cap. final.* & exponit P. Henao *suprà*, *num. 3.* qui idem admittit, cùm adeo magnus est populi concursus, ut Ecclesia eum recipere non possit: ad quem casum probandum, licèt communiter adducatur epistola 81. Leonis I. cujus pars refertur *in cap. necesse 51. de consecr. dist. 1.* his verbis: *Ut autem in omnibus observantia nostra concordet, illudquoque volumus custodiri, ut cùm solennior festivitas conventum populi numerosioris indixerit, & ad eam tanta multitudo convenerit, quam recipere basilica simul una non possit, sacrificii oblatio indubitanter iteretur, ne his tantùm admissis ad hanc devotionem, qui primi advenerint, videantur hi, qui postmodum confluxerint, non recepti; cùm plenum pietatis, atque rationis sit, ut quotiens basilicam, in qua agitur, præsentia novæ plebis impleverit, totiens sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem, ut quædam pars populi suâ devotione privetur, si unius tantùm Missæ more servato, sacrificium offerre non possint, nisi qui primâ diei parte convenerint.* Verius tamen credo, Pontificem in eo textu agere de iterando sacrificio Missæ in eadem Ecclesia, sed non ab eodem sacerdote. Olim enim in una Ecclesia uno altari unica Missa tantùm celebrari poterat. Concil. Altissiod. *can. 10.* ibi: *Non licet super uno altario in una die duas Missas dicere.* Auctor libri Pontificalis de Pontifice Deusdedit ita ait: *Deusdedit constituit secundam Missam in Clero.* Ubi Scholiastes addit: *Quia tunc adhuc Græcorum non cantabatur in una Ecclesia, nisi forsan una Missa; quod magis ædificabat secundùm antiquos.* Quæ consuetudo apud Græcos diutiùs invaluit, teste Bartholomæo Georg. *in libello de ritibus Græcor.* ibi: *In magno numero sacerdotum, non nisi unus in eadem Ecclesia sacra Missarum obit; reliqui se pro ministris gerunt.* Et apud Moscovitas, referente Sigismundo, in templis unicum est altare, & in dies singulos unicum quoque sacrum faciendum putant; immò & apud Latinos in cœnobitarum Ecclesiis una tantùm Missa offerebatur, etiam tempore B. Francisci, ut constat ex epistola ipsius ad sacerdotes sui Ordinis, ubi ita ait: *Moneo præterea, & exhortor vos in Domino, ut in locis, in quibus morantur fratres, una tantùm celebretur Missa in die secundùm formam S. Romanæ Ecclesiæ. Si verò in loco plures fuerint sacerdotes, sit per amorem charitatis alter contentus audire celebrationem sacerdotis alterius.* Ubi notanda sunt verba illa *secundùm formam Romanæ Ecclesiæ*, quæ non ad universalem Ecclesiæ morem, sed ad singularem cœnobitarum ritum referre oportet. Quoniam

niam longè ante Sanctum Franciscum plerisque in Ecclesiis plures Missæ una die celebrari cœperant, ut exposuit Vicecomes *volum. 3. de ritibus Missæ, lib. 3. cap. 29.* Nec audiendus est Basilius Legion. *quæst. 3. scholast. in dict. can. 10. Concil. Altissiod.* qui canonem illum ad præsentem prohibitionem de duabus Missis non celebrandis ab uno Sacerdote in eodem die refert. Unde Leo Pontifex *in dicto cap. necesse*, ob multitudinem plebis dispensandum censuit, ut in una Ecclesia iteraretur sacrificium Missæ à diversis Sacerdotibus. Minùs audiendi sunt, qui justam causam celebrandi iterum ab eodem Sacerdote existimarunt, quando defunctus est tumulandus: nam licèt olim ex ea causa liceret iterare sacrificium Missæ, ut probavi *in cap. 1. hoc tit.* tamen mos ille, qui duravit usque ad tempora Sancti Norberti, teste Laurentio Landtmeter, *lib. 2. de veteri cler. cap. 82.* in desuetudinem abiit. Unde aut juxta veterem illum morem exaudiendi sunt Alfonsus Rex *in l. 54. tit. 4. part. 1.* D. Thomas *3. p. quæst. 80. artic. 10. ad 2.* ibi: *Sicut etiam in aliis diebus, in quibus occurrunt p'ura Dei beneficia, vel recolenda, vel expetenda, plures Missæ celebrantur in die, putà una pro festo, alia pro jejunio, vel pro mortuis, &c.* Vel accipiendi sunt de iterato sacrificio, non ab uno Sacerdote, sed à diversis. Prosequuntur alios casus æqualis necessitatis, vel similis Tambur. & Henao *ubi suprà*, Hieronymus Garcia *in summa tract. 3. difficult. 2. dub. 5.*

COMMENTARIUM.

PLures Missas eadem die celebrari ab uno Sacerdote, jure divino, aut naturali prohibitum non est, ut probat P. Vazquez 3. *p. in 3. p. disput. 232. cap. 5. num. 42.* Non enim repugnat naturæ sacrificii, ut sæpius ab eodem ministro offeratur, nec lege divina prohibitum est, ut repetatur. Quare olim propter Sacerdotum inopiam cùm pauci ad sacrum presbyteratus gradum ascenderent, quilibet in eodem die plures Missas celebrabat, ut constat ex Concilio Toletano 12. *cap. 5.* transcripto à Gratiano *in cap. relatum 11. de consecr. dist. 2.* ubi non reprehenduntur Sacerdotes, quia sæpiùs in die celebrabant, sed quia in omnibus Missis non communicabant: & in canonibus Concilii Triburiensis laudatur Leo Pontifex, quia septies, vel octies, noviesque eodem die Missam offerret; quod & refert Walfridus Strabo *de rebus Eccles. cap. 22.* dum inquit: Fidelium relatione virorum ad nostram usque pervenit notitiam, Leonem Papam, sicut ipse fatebatur, una die septem, vel novem Missarum solennia celebrasse. An tamen is Leo fuerit primus, vel tertius, examinat P. Henao *de sacrificio Missæ tom. 1. disput. 22. sect. 2.* & in Concilio Salegustad. celebrato anno 1022. *can. 5.* cavetur, ut unusquisque presbyter in una die non amplius, quàm tres Missas celebrare præsumat. Sed aucto deinceps paulatim presbyterorum numero, contrarius mos invaluit, videlicet ut uno die duntaxat una Missa celebraretur præterquam in præcipuis aliquot anni celebritatibus, *cap. sufficit, de consecr. dist. 1.* Odo Parisiensis *Synodic. constit. cap. 5.* ibi: *Nullus bis in die Missam audeat celebrare, aut cum duplici introitu, nisi in magna necessitate.* Idem cautum fuit in præsenti textu, & *in cap. tereferente, infrà hoc tit.* Concil. Londinense anno 1200. Oxoniense anno 1222. tempore Honorii III. celebratum: *Ad hæc duximus statuendum districtius, ne Sacerdos quispiam Missarum solennia celebret bis in die, excepto die Nativitatis & Resurrectionis Dominicæ, vel in exequiis defunctorum, videlicet cùm corpus alicujus in Ecclesia eodem die fuerit tumulandum; & tunc prior Missa de die, posterior verò pro defuncto celebretur.* Ripolense anno 1287. ibi: *Singulis presbyteris prohibemus, ut nisi unam Missam, aut duas, in casibus a jure concessis, in die cantare, aut legere cum sacrificii celebratione præsumat.* Ravennat. 2. temporibus Clementis V *rubric. 9. Cùm juxtà canonicas sanctiones unicuique Sacerdoti, quantumcunque digno, unam tantùm Missam in die sufficiat celebrare, & valde felix sit, qui Missam celebrat unam, districtius prohibemus, ne quis de cætero nisi unam tantùm in die celebret Missam, nisi in casibus à jure permissis.* Tolet. anno 1324. tempore Joan. XX. *can. 7. Nullus insuper absque causa necessitatis, excepto die nativitatis Domini, præsumat nisi unam Missam celebrare in die.* Tolet. anno 1324. apud Binium *tom. 3 p. 2. Cùm enim institutum sit sacrificium Missæ in memoriam Dominicæ passionis, Christus autem semel passus sit, non debet bis in una die ab eodem Sacerdote offerri.* Accedit, nam Sacerdotes suæ tenuitatis conscii, majori quàm par sit beneficio se ornatos existimare debent, si Dominici corporis semel in die conficiendi potestas illis sit. Illustrat Sausay *in Panopl. Sacerd. part. 2. lib. 1. cap. 10. artic. 2. §. 2.* Vazquez *3. p. disput. 232. cap. 5.* Suarez, & alii Moralistæ apud Henaum *dict. tom. 1. disput. 22. sect. 1.* Prado *de Eucharist. quæst. 83 dub. 16. §. 4.* Theoph. *tom. 16. in Heteroclita spirit. sect. 1. fol. 6.* Menard. *ad Sacram. D. Gregorii fol. 167.* Salcedo *in praxi, cap. 35.* Petr. Greg. *libro 1. partit. titul. 9. cap. 7.* & *lib. 4. titul. 6. cap. 2.* Landtmeter. *lib. 2. de veteri mon. cap. 82.* Corjolanus *in breviario, anno 140.* Cresolius *libro 3. Mystag. cap. 28. sect. 3.* Loaysa *in not. ad can. 5. Concil. Tolet.* Dartis *ad dist. 1. de consecr.* D. Fr. Alfons. Vazquez à Miranda, Abbas sanctæ Anastasiæ, *de supplicatione ad Sanctissimum pro tribus Missis dicendis in die commemorationis Defunctorum.* Fuisse verò olim usitatum ut non solùm in die natalis Christi Domini, de quo suprà egi, verùm in aliis festivitatibus, ut resurrectionis Domini, SS. Petri, & Pauli, Sancti Joannis plures Missæ celebrarentur, constat ex Strabone *de Eccles. offic. cap. 21.* ibi: *Romanorum usus habet duas, vel tres interdum unius solennitatis facere Missas, ut in nativitate Domini Salvatoris, & aliorum festis Sanctorum: & reverà non esse absurdum crediderim, si dum plures in una die faciendæ sunt Missæ, unus Sacerdos duas, vel tres necessitate, vel voluntate persuadente celebret potiùs quàm quasdam dimittat.* Ad hoc accedit, quod totius usus Ecclesiæ habet sæpiùs Missas agere pro vivis, pro defunctis, pro eleemosynis, & aliis diversis causis: quod etiam officia his attributa testantur. Et licèt auctor ibi peculiares Sanctorum dies non exprimat, in quibus plures Missæ celebrantur; tamen id ex aliorum testimoniis probandum est. Et primò in nocte resurrectionis Dominicæ duas Missas celebrari, ex Fortunato, & Albino Flacco probat Vicecomes *dict. lib. 3. cap. 28.* In comite autem, sive lectionario sancti Hieronymi, ubi diei sancto Petro sacræ mentio fit, Lectio una, Evangeliumque

legitur planè distinctum ab iis, quæ B. Pauli solennibus adscribuntur: quod evidenti argumento est, duas Missas eorundem Sanctorum natali die confici solitas esse. Cujus rei simile argumentum colligere licet ex B. Gregorii antiphonario, diversam Missæ antiphonam utrique Sancto præfinientis: quod ipsum facit liber Sacram. dum B. Petri Missæ orationem aliam, aliam S. Pauli enumerat. Idem S. Gregorius *eod. lib. antiphonar.* Missarum quæ die festo S. Joannis Apostoli conficiebantur, mentionem faciens, primam, & secundam nominat. Quare clarè significat, duas eo die Missas peractas esse. Gregorii verba hæc sunt: *Sancti in prima Missa antiphona: Ego autem sicut oliva, &c. In secunda antiphona: In medio Ecclesiæ.* Liber etiam Sacramentorum orationem unam, quæ albescente die; alteram, quæ plenâ luce recitabatur, enumerat, ad duplicem hanc ejusdem diei Missam alludens: *VI.* (inquit ille) *Kalend. Jan. id est XXVII. die mensis Decembris, natale Sancti Joannis Evangelistæ in primo mane: DEUS qui per os B. Apostoli tui Joannis, &c. In die: Ecclesiam tuam Domine. &c.* Quæ Gregorii testimonia ad utramque Missam demonstrandam pertinent. De Missa verò, quæ primâ luce offerebatur, præter Rodulphum Tungrensem *cap. 23.* meminit Amalarius Fortunat. *de Eccles. offic. lib. 4. cap. 2.* his verbis: *Similiter habemus officia constituta in festivitate Joannis Evangelistæ, & Joannis Baptistæ primo diluculo: qui utrique ex utero matris, id est ab accepto lumine hujus mundi, in semetipsis sacrificium singulare quoddam Deo obtulerunt. Joannes Evangelista obtulit ab initio hujus lucis virginitatis sacrificium. Joannes Baptista sacrificium abstinentiæ, qui nec vinum bibit, nec siceram, & Nazaræus permansit omni tempore.* Hæc ille, quæ ut Sancti Joannis Apostoli duplicem Missam ostenderemus, allata sunt in medium. Verùm si rectè considerantur, insuper declarant in B. Joannis Baptistæ natalitiis veteres sacram liturgiam Deo bis obtulisse. Ducimus autem argumentum ex eo, quod vox, *similiter*, copulanda est cum verbis superioribus, quels plures Christi nati Missas ostenderat, sicut eum consulentibus locum perspicuum est; & quia ibi appetentis diei Missam recenset, præterquam aliam quoque celebratam esse, adducor ut credam, tum propter Sancti illius dignitatem, & excellentiam, tum præcipuè quia solennioribus anni diebus horâ tertiâ Missæ celebrantur, ut alibi ostensum est. Sed cur conjecturas sequor dum aperta testimonia suppetunt? Innumeræ sunt auctoritates, ex quibus id elici, probarique possit. Sed ego illustrioribus tantùm immorabor. In Lectionario quidem S. Hieronymi, dum B. Joannis Baptistæ Missæ recensentur, hæc scripta sunt: *In vigilia S. Joannis Baptistæ Lectio Hieremiæ Prophetæ, &c. Evangelium secundum Lucam. Item alia lectio in prima Missa Esaiæ Prophetæ, &c. Evangelium secundum Lucam, &c. Item in die sancto lectio Esaiæ Propheta, &c. Evangelium secundum Lucam, &c.* Ordo Romanus de divinis officiis, ibi: *In natali S. Joannis Baptistæ ideo tres Missa celebrantur, id est una in vigilia ejusdem, duæ in die nativitatis ejus, quia tribus triumphis refulsit insignis, id est officio Præcursoris, Baptistæ ministerio, & quia Nazaræus ex utero matris permansit.* Probant, & ita explicant Yepes *in chron. D. Benedicti cent. 5. anno 955.* Baronius *in Martyr. die 24. Junii*, Vicecomes *de Missæ ritibus, dict. lib. 3. cap. 28.* etsi aliter prædicta testimonia accipiant Azor *tom. 2. lib. 1. cap. 25. quæst. 1.* Theophilus Raynaud. *tom. 10. tract. de gladio & pileo, fol. 590.* Hodieque in regno Valentiæ sacerdotes bis in die commemorationis Defunctorum Missam celebrare, refert Trullench. in eodem regno scribens, *lib. 3. de Sacram. cap. 8. dub. 10. num 5.* Sacerdotes ergo extra casus in jure permissos celebrantes graviter puniri per Inquisitores hæreticæ pravitatis, ad quos pertinet hujus delicti punitio, ex Alfonso de Leon. refert Hieronymus Garcia *de excellent. Sacerd. difficult. 2. dub. 5. num. 2.* Quintanadvennas *tom. 1. singular. tract. 4 singul. 10. num. 4.*

CAPUT IV.

Idem *Archiepiscopo* (a) *Bracharensi.*

COnsilium nostrum. (b) *Et infrà:* Insuper requisisti, utrum in diebus (c) professis, in quibus (d) ad honorem Sancti Spiritus, Beatæ Virginis, & Sanctæ Crucis celebrare contingit, Hymnus (e) Angelicus, (f) Symbolum, ac (g) Præfatio propria debeant decantari, præsertim cùm in partibus tuis in honorem Beatæ Virginis, in Sabbathorum diebus Missa solenniter celebretur. Ad quod utique respondemus, quod apud nos in diebus professis, cùm Missarum solennia celebrantur in honorem Beatæ Virginis, neque Hymnus Angelicus, neque Symbolum decantatur; licèt in Missa propria Præfatio decantetur, ut inter commemorationem, & solennitatem differentia ostendatur. Unde (h) Te Deum laudamus, regulariùs dimittitur, quàm dicatur in Laudibus matutinis.

NOTÆ.

(a) *Bracharensi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* De Bracharensi Lusitaniæ Metropoli plura adduxi *in cap. coram, de in integr. restit.*

(b) *Et infrà.*] Alia pars hujus textus extat *in capite consilium, de observ. jejun.*

(c) *Professis.*] Sicut festi dies dicuntur illi, qui Deo dicati sunt, ita professi appellantur illi, in quibus laborandum est. Macrobius *lib. 1. Saturn. capite 16.* ubi ait: *Festi dies sunt Dis dicati; professi hominibus, ob administrandam rem privatam, publicamque concessi.* Nonius Marcel.

Marcellus eos appellat à festivitate vacuos. Unde Plautus *in Aulul. action. 2. scen. 5.* ait: *Festo die si quid prodegeris, profesto egere liceat, nisi peperceris.* Vulgò nos ferias dicimus, ut jam notavi *in cap. 1. de treug. & pace*, & exponunt hujus vocis etymologiam Cironius *in cap. 2. hoc titul.* Vicecomes *de ritibus Missæ, volum. 3. libro 3. cap. 10.*

(d) *Ad honorem.*] Ex voto videlicet ipsius celebrantis, vel illius, qui audit: de quibus Missis votivis egi jam *in cap. 2. hoc tit.*

3. (e) *Angelicus.*] *Gloria* videlicet, ita dictus hic hymnus, quia per Angelos compositus, & decantatus fuit in natali Domini nostri JEsu Christi, *Lucæ cap. 2. vers. 14.* Ideo ab Apostolorum tempore semper in Missis festivis dicitur, *cap. nocte, de consecr. dist. 4.* tradunt Amalarius Fortun. *lib. 3. cap. 8.* Rupertus *lib. 2. cap. 21.* Omittitur autem in diebus feriarum, & vigiliarum, ne in diebus planctus, & tristitiæ, gloriæ memoria resonet; exceptis tamen vigiliis intercedentibus à Pascha Resurrectionis ad Pentecosten, ex ratione adducta *in lib. gemma animæ, lib. 3. cap. 85.* In Ecclesiis autem Bethlehemitanis, quia ibi ab Angelis decantatus fuit hic hymnus, in omnibus diebus, etiam feriatis dicitur: in Missis etiam votivis, cùm officium dicatur feriale, & in Laudibus omittatur *Te Deum laudamus*, non dicitur hic hymnus, ut in præsenti statuitur, & docent Herrera *de cæremon. Missæ lib. 2. cap. 6.* Suarez 3 *p. de Sacram. disput. 83 sect. 1.* Guietus *de festis Sanctorum lib. 4. de Missis votivis, cap. 22.* P. Henao *tom. 3. de sacrif. Missæ, disput. 28. sect. 32.* In domo autem Lauretana etiam in Missis votivis B. Virginis Mariæ dicitur hymnus hic ex privilegio, quod refert Herrera *ubi suprà.*

(f) *Symbolum.*] Cujus etymon, & auctores retuli in apparatu ad hæc commentaria. Dicitur in Missis solennioribus, quas enumerat P. Herrera *de cæremon. Missæ lib. 2. cap. 22.* unde in feriis, & aliis minoribus festivitatibus non recitatur: quare rectè in præsenti Innocentius docet, in Missis votivis symbolum hoc non recitari. 4.

(g) *Præfatio.*] Canticum hoc, quod dicimus *Præfatio*, jam à temporibus Apostolorum adjectum fuit in sacrificio Missæ, ut constat ex D. Clement. *lib. 8. constit. cap. 16.* & ex Liturgia S. Petri, quæ extat *tom. 1. Biblioth. Græco-Latin.* immò olim pro omnibus Missis diversa præfatio erat à piis viris composita: & quia hæretici aliquas præfationes corruperant, cautum fuit in Concilio Carthag. 3. *can. 23.* Milevit. *can. 12.* ut tantùm ea præfatio cantaretur, quæ ab Ecclesia esset approbata. Novem præfationes suo tempore usitatas fuisse refert Gelasius *in cap. inveni-mus, de consecr. dist. 1.* & temporibus Urbani II. per annos 1095. ex præfationibus compositis à Gelasio desumpta fuit præfatio B. Virginis Mariæ, quam refert Herrera *dict. lib. 2. cap 26.* Illud summè notandum est, quod licèt in Missis ferialibus, & votivis Hymnus Angelicus & Symbolum Apostolorum omittatur; tamen Præfatio in omnibus Missis recitari debet, ut cautum fuit in Concilio Vasensi 2 *can. 4.* ibi: *In omnibus Missis sive matutinis, sive quadragesimalibus, sive in iis, quæ pro Defunctorum commemoratione fiunt, sanctus, sanctus, sanctus eo ordine dicatur, quo ad Missas publicas dici debet.* 5.

(h) *Te Deum.*] Hæc verba non extant in dicta tertia collectione, verum autem est, hoc canticum à Sanctis Ambrosio, & Augustino compositum, non dici in officio feriali, quia hoc officium non lætitiam, sed luctum, & pœnitentiam continet. 6.

CAPUT V.

Idem *Clericis S. Petri de* (a) *Magdalon.*

EX parte vestra. *Et infrà:* Insuper postulastis, quomodo Sacerdos in Missa perfundere debeat, per litteras Apostolicas edoceri. Ad quod taliter respondemus, quod semper Sacerdos vino perfundere debet, postquam totum perceperit Eucharistiæ sacramentum, nisi cùm eodem die aliam Missam debuerit celebrare, ne si forte vinum perfusionis acciperet, celebrationem aliam impediret.

NOTÆ.

1. (a) *Magdalon.*] Ita legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c. 14.* in hac sexta legitur *Magalon.* sed cùm hæc epistola non reperiatur inter editas à Sirleto & Bosqueto, certò cognoscere non possumus quibus clericis Innocentius in præsenti rescribat.

COMMENTARIUM.

2. *Conclusio traditur, & probatur.* EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Sacerdos debet jejunus Missam celebrare, & si aliam missam est dicturus, non debet post sumptam Eucharistiam vinum perfundere in calice, & sumere.* Probant Concilium Oxoniense *can. 1.* ibi: *Si autem contingat duas Missas celebrare, statuimus ut presbyter postquam Dominicum Corpus sumpserit in altari, si in eodem die Missarum solennia ipsum celebrari oporteat, iteratò vinum calici infusum vel digitis superfusum sumere non præsumat.* Ut *cap 6.* ibi: *Jejunus hoc tit. cap. in sacramento, de consecr. dist. 1. cap aliquando, de consecr. dist. 2.* Concil. Trull. *can 29.* Concil. Hipponens. *can. 30.* ibi: *Ut à jejunis altaris sacramenta celebrentur.* Brachar. 2. *can. 10 Cognovimus quosdam presbyteros in hujus præsumptionis audacia retineri, ut Missas mortuorum etiam post acceptum merum, vel oblationem ausi sint consecrare: ideoque hoc præfixæ evidentis sententiæ admonitione servetur, ut si quis presbyter post hoc edictum nostrum in hac vesania fuerit deprehensus, hoc est, non jejunus, sed quocunque jam cibo præsumpto oblationem consecraverit in altari, continuò ab officio suo privatus, à proprio deponatur Episcopo.* Matisc. 2. *can. 6.* ibi: *Item decernimus, ut nullus presbyter confertus cibo, aut crapulatus vino sacrificio contrectare, aut Missas privatis, festisq;*

D.D. Gonzal. in Decretal. *Tom. III. Pars II.*

diebus concelebrare præsumat. Altissiodor. *can. 19. Non licet Presbytero, aut Diacono, aut Subdiacono post acceptum cibum, vel poculum Missas tractare, aut in Ecclesia, dum Missæ dicuntur, stare.* Tolet. 7. *can. 2. Nullus post cibum, potumque, quamlibet minimum sumptum, facere Missas præsumat.* Afric. sub Bonifacio I. *canon. 8. & 14.* Constantinop. 3. generale 6. *can. 19.* Altissiod. *cap. 29.* Brachar. 2. *cap. 10.* Salesgustad. sub Benedicto VIII. & Henrico II. *can. 4.* D. Clemens *epistol. 2. ad Jacobum fratrem Domini*, & *lib. 7. constit. cap. 37.* Carthag. 3. *can. 29.* Matiscon. 2. *cap. 6.* Tolet. 2. *cap. 2.* Eutychianus Papa apud Burchardum *lib. 5. Decret. cap. 25.* ibi: *Qui acceperit sacrificium post cibum, aut per aliquam modicam refectionem, nisi pro viatico, pueri tres dies, majores septem, clerici viginti tres dies pœniteant.* Concil. Mogunt. 4. *can. 33.* D. Basilius *homil. de jejun. tom. 1. pagin. 325.* ibi: *Impossibile absque jejunio sacrificium aggredi in mystica, quæ nunc est, & vera oblatione.* Ordo Romanus *titul. qualiter agatur. Concil. Provic.* ibi: *Nullus autem cantet Missam, nisi jejunus.* D. Chrysostomus *epist. ad Cyriacum Episcopum*, ibi: *Multa quidem adversus me confinxerunt, & dixerunt, quod ad communionem non jejunos receperim; & si quidem hoc feci, expungatur nomen meum de albo Episcoporum.* Et *cap. nihil 7. quæst. 1.* Plures SS. PP. auctoritates congesserunt Crespitius *in summa, verbo Eucharistia à jejunis.* Jodoc. Coccius *tom. 2. thesauri, lib. 6. artic. 19.* illustrant ultra congestos à Barbosa *hic*, Pamelius *in notis ad epist. 63. D. Cypriani, num. 46.* Landtmeter. *de veteri cleric. lib. 1. cap. 81.* Juttel. *in can. 41. Eccles. Afric.* Suarez *de sacram. disput. 68. artic. 8. sect. 3.* P. Henao *de Eucharist. disputat. 14. sect. 4.* Filesac. *de Quadrag. cap. 15.* Vicecomes *de ritibus Missæ, volum. 2. lib. 3. cap. 29. & volum. 3. lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 5.* Petavius *de hierarch. cap. 10.* Balsamon *in can. 19. Synodi 6. in Trul. & in respons. Timothei Archiep. fol. 1096.* Joannes Sanchez *in select. disputat. 42.* Lugo *de sacram. disputat. 15. sect. 2. num. 25.* Leander *de Sacram. Eucharist. tract. 7. disputat. 5. quæst. 13. & 14.* Hieronymus Garcia *in summa, tractatu 3. difficult. 5. dub. 2. punct. 3. num. 31.* perdoctus vir Fr. Joannes Martinez à Prado *de Eucharist. quæst. 80. dub. 10. capite 2.* Bellarminus *lib. 2. de Missa, cap. 14.* Theophilus *tom. 16. tract. 1. punct. 3. fol. 29.*

2. *Impugnatur tradita assertio.*

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Quælibet Domini nostri actio debet esse vitæ nostræ instructio, *cap. 4. de elect.* sed Dominus noster panem & vinum consecravit post cœnam, & dedit discipulis suis non jejunis: ergo & nos similiter facere debemus, præcipuè cùm in Missæ sacrificio specialiter Christi actiones repræsententur. Amalarius Fortun. *lib. 3. cap. 5.* Augetur hæc difficultas, nam adeo incompatibile est jejunium cum Eucharistia, & Missæ sacrificio, ut olim primis Ecclesiæ sæculis tempore jejunii nemini licuisset Eucharistiam sumere, unde usus Missæ vespertinæ invaluit, de qua egi *in cap. 1. hoc titul.* quæ ideo inducta fuit, quia sacrificium offerri, neque Eucharistia sumi poterat quando jejunium perseveranter observabatur, ut probat Albaspineus *lib. 1. observ. cap. 14. per totum.*

3. *De jejunio cessario ad*

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, Eucharistiam sumere ante omnem cibum *communis* vetustissimam esse Ecclesiæ traditionem; *non num.* enim à jure divino hoc provenit, sed ab ipsis Apostolis institutum fuit: quod probat D. Augustinus *epist. 118. ad Januarium*, ex eo quod Apostolus ad Corinthios scribens *epist. 1. cap. 11. vers. 34.* De eorum consuetudine miscendæ Eucharistiæ cum prophanis cibis ait: *Cætera cum venero disponam.* Unde deducit D. Augustinus, nullum tunc extare divinum præceptum: quare certum est, Apostolos instituisse, ut tantùm à fidelibus jejunis sacramentum Eucharistiæ susciperetur, & ita inter Apostolicas traditiones præceptum hoc communicandi cum jejunio naturali referunt Epiphanius *lib. 3. contra hæreses, in fine:* Nazianz. *orat. 40.* Chrysostomus *homil. 27. in primam ad Corinth.* Basilius *in epist. ad Cæsarem Patricium.* Isidorus *lib. 1. de officiis Eccles. cap. 18.* ibi: *Placuit Spiritui sancto per Apostolos, ut in honorem tanti sacramenti, os Christiani Dominicum corpus prius intraret, quàm cæteri cibi.* Et illud sæpius firmatum fuit variis Conciliis supra relatis, meminitque hujus præcepti Tertul. *lib. 2. ad uxorem, cap. 5.* in illis verbis: *Non sciet maritus quid secretò ante omnem cibum gustes; & si scierit, panem non illum credit esse, qui dicitur.* Etsi piâ simplicitate legamus apud D. Bernardum *de passion. Domini cap. 42.* veteres eremi PP. aliquando post cibum sacrificium Missæ obtulisse, ibi: *Legimus in vitis PP. qui hospitum spirituali charitate devincti tempus consuetum ciborum anticipaverunt: sed comedendo in charitate se nequaquam solvisse jejunium existimabant, ita ut etiam aliqui post talem refectiunculam Missarum celebrare solennia non timerent.* Quod quamvis nobis non conveniat trahere in exemplum, ut similiter faciamus, quoniam quidem ab eorum perfectione nimium separamur; eos tamen sine peccato talia fecisse confidimus. Debet autem hoc jejunium esse naturale, quod includit carentiam, seu abstinentiam ab omni cibo, & potu, seu re, quæ sumatur per modum cibi, aut potus: quare si quid sumatur per modum salivæ, aut si per modum respirationis aliquid attrahatur, non violat jejunium, ut docent plures alios casus resolventes Leander *ubi suprà*, Trullench. *lib. 3. de Sacram. c. 6. dub. 5.* Martinez à Prado *dub. 11.* Macedo *de clavibus Petri lib. 4. cap. 17.* qui plures casus circa hoc jejunium naturale resolvunt. Circa illum tamen communiter disceptatum, quando videlicet involuntariè, veluti se abluendo Sacerdos guttam sumit, notandum est responsum Timothei apud Balsam. *fol. 1066.* in hæc verba: *Si quis jejunans, ut communicet, os lavans, vel in balneo aquam bibit nolens, debetne communicare?* Resp. *Quia etiam invenit sathanas occasionem prohibendi eum à communione, frequenter hoc faciet.* Cujus responsi sensus est, posse quod hodie dici non valet, cùm sit contra adeo expressum Ecclesiæ præceptum. Quid verò de deguldiente chartam, granum, vel tabacum per os, aut nares, explicant Joan. Sanchez *in select. disp. 42.* Diana *p. 5. tract. 13. resol. 1.* Theophilus Raynaud. *tom. 16. in Heterocl. spirit. punct 3.* Cùm autem hoc præceptum naturale non sit, sed positivum, certum est, posse interdum propter gravem causam cessare; quia lex positiva non obligat tam strictè, quin aliquando cesset. Unde additur in *sess. 13. Concilii Constant.* nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis à jure, vel ab Ecclesia concesso. Et ita ab hoc generali præcepto excipiuntur

tur infirmi, qui statim communicandi sunt etiam post cibum, si de eorum periculo dubitatur, ne sine communione decedant, *l. 9. titul. 1. libro 1. recop.* unde *in capite presbyter, de consecr. dist. 2.* jubetur, ut presbyter infirmum statim communicet, ne sine communione moriatur. Faciunt Rupertus Tuiciensis *de divinis officiis lib. 10. cap. 18.* ibi: *Nec cuiquam hæc divina mysteria post cibum corporis traduntur, nisi urgeat ea, quæ retardari non potest, instantis necessitas mortis.* S. Hildegardis *visione 6. cap. 39.* ibi: *Hoc officium à Sacerdotibus in sacrificio, in jejunio ventris, & non in repletione ejus, celebrandum est, ne coagulatio escarum spirituale desiderium evacuet: quoniam prius etiam sumi debet spiritualis epulatio, & postea carnalis refectio: & quia etiam spiritus honorandus est, & caro refocillanda; nam hoc sacramentum spirituali desiderio, non carnali cupiditate accipiendum est. Et ideo in jejunio, & non super epulis percipi debet, nisi necessitate illa, si homo in hac opinione positus est, quod de mundo transiturus sit.* Utrum verò liceat pluries in eadem infirmitate per modum viatici communicare, disputant Trullench. *d dub. 5.* Martinez à Prado *dict. quæst. 80. dub. 11. §. 2. per totum.* Hic casus evenire potest tam laicis, quàm clericis. In clerico verò specialiter prohibitio hæc cessat, si infideles, aut Ecclesiæ hostes irreverenter irruant in altare, quo sacrosanctum Christi corpus servatur; aut si fluminis inundatio, aut ignis vis, vel quæ alia similis occasio intercedat. In his enim casibus licet clerico jam soluto jejunio sacramentum sumere, ut docent Suarez *de Sacram. 3. p. dist. 68. sect. 3.* Vazquez *3. part. in 3. disputat. 211. cap. 5. num. 57.* qui idem resolvunt de Sacerdote, qui loco vini aquam calici infundit, & post sumptam hostiam in sumptione calicis defectum agnovit: nam tunc tenetur vinum consecrare, & perficere sacrificium. Vel si postquam sacrificium inchoavit, meminit se jejunum non esse.

5. *Traditur ratio decidendi.* Ut ad rationem præsentis assertionis deveniamus varias adduxerunt rationes Baronius *anno 34. num. 61. & anno 57. num. 230.* & anno 201. *num 15.* Albaspineus *lib. 1. observ. cap. 15.* Azevedo *in l. 9. tit. 1. lib. 1. recop.* Theologi suprà laudati triplicem rationem hujus præcepti ecclesiastici assignant. Prima, ut in honorem tanti Sacramenti prius in os Christiani corpus Domini intraret, quàm cæteri cibi: Secunda propter significationem, ut scilicet detur intelligi, quod Christus, qui est res hujus Sacramenti, & charitas ejus, debet priùs fundari in cordibus nostris, juxta illud Matthæi *cap. 6. Quærite primùm regnum Dei.* Tertia propter periculum vomitus, & ebrietatis, quæ quandoque contingunt ex hoc, quod homines cibis inordinatè utuntur. Quibus ego addo aliam, quia videlicet intensiùs fidei arcana animos penetrare viribus carnalibus destitutos Ecclesia judicavit; quia, ut ait S. Paulinus *serm. 36.* quando caro tabescit jejuniis, anima puritate pingueścit; quantùm enim illi ciborum succus subtrahitur, tantùm huic justitiæ virtus augetur. Facit Petrus de Riga *in Aurora*, ibi:

Sed tempus non servat idem, quando celebravit
Hoc sacramentum vespere Christus homo.
At nos conficimus mensam præuntibus horis:
Cùm prius est sobrius, plus homo mente viget.
Sic opus est nobis, quoniam meditatio veri,
Nullaq; totalis actio debet agi.
Nevé rei desit reverentia debita tantæ,
Jejuno sacrum sumimus ore cibum.

D. D. Gonzal. in Decretal. *Tom. III. Pars II.*

Paschasius *lib. de Sacram. cap. 20. Quod jejuni communicamus satis providè, ut dum sobrietas flagrat in corpore, dum omnis fervor carnis conquieścit, & omnes animi sensus intelligentiæ, & discernendi ratione fortiùs vigent, illo priùs cibo interior noster homo inebrietur, quatenus deinceps quod præeminet in nobis, vegetatum cœlesti dulcedine illud regat, & gubernet.* Nicolaus *ad consult. Bulg. cap. 65.* Accedit usus Ecclesiæ in aliis Sacramentis recipiendis priscis sæculis usitatus; olim enim baptizandos etiam pueros debuisse esse jejunos, constat ex S. Augustino *epistol. 28. de jejunio parvulor.* D. Clemente *lib. 7. constit. cap. 23.* Cyrillo Hierosolym. *catechesi 3. mystag.* Gregorio Nazianz. *orat. 4. in sanctum lavacr.* Unde Laurentius Surius in vita Sancti Sebastiani ait: *Deinde abiit ad sanctum Polycarpum presbyterum, ubi ille persecutionis causâ latitabat, & narravit ei omnia quæ gesta erant. Quibus auditis sanctus Polycarpus gratias egit Deo, & unà cum eo venit ad domum Nicostrati Protoscriniarii; videnscque turbas credentium, salutavit eas cum omni gaudio, dicens: Beati vos omnes, &c. Quia ergo Dæmones omnes, qui filii tenebrarum sunt, contristantur; & omnes sancti Angeli, qui sunt lucis filii, gratulantur, accedat unusquisque, & det nomen suum hodierna die usque ad vesperam, præcurrente jejunio, ut festivum baptismatis sacramentum opportunum tempus inveniat.* Simile exemplum refert Simeon Metaphrastes apud eundem Surium in vita sancti Stephani Papæ & sociorum, *cap. 3.* ibi: *Cumque & ipsum, & ejus filiam catechismo instruxisset, jussit eos jejunare usque ad vesperam, quemadmodum Christianæ fidei canones, & ordo postulat. Cùm autem venisset hora vespertina, benedixit aquæ in eo loco, quem Pastoris titulum vocatum fuisse diximus. Itaque Nemesium in aquam demisit, & baptizavit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Illustrat Vicecomes *lib. 4. de ritibus Baptismi, cap. 13.* Similiter Confirmationis sacramentum debere jejunis conferri, constat disertè ex Concilio Parisiensi *lib. 1. cap. 33.* Aurel. *can. 3.* apud Gratianum *in cap. 6. de consecr. dist. 5.* ibi: *Ut jejuni ad confirmationem veniant.* Notavit Vicecomes *lib. 1. de ritibus Confirm. cap. 15.* Ibi tamen non præceptum, sed tantùm consilium contineri docuerunt Bonacina *de sacram. disp. 3. q. unic. punct. 2. n. 14.* Barbosa *de potest. Episcop. p. 2. alleg. 30. n. 12.* Narbona *de ætate ad actus human. anno 7. quæst. 4.* Covar. *lib. 1. var. c. 10. n. 5.* Vicecomes *de ritibus Confirm. lib. 1. c. 14. & 15.* Similiter pœnitentiam jejunis esse imponendam, constat ex Concilio Carthag. 4. *can. 80.* ibi: *Omni tempore jejunis manus pœnitentibus à Sacerdotibus imponatur.* Illustrat Isaacus Lingon. *cap 8. n. 16. & 17.* Otalora *de irregul. ex pœnit. excursu 4.* Ordinis etiam sacramentum jejunis, & temporibus jejuniorum esse administrandum, expresè cavetur *in can. 7. 75. dist. cap. 3. de tempor. ordin.* ubi plures congessi. Tandem omnia Sacramenta, Concilium Ravennat. 2. tempore Clementis V. *rubric. 6. Statuimus, quod omnia Sacramenta Ecclesiastica, quantum possibile fuerit, à jejunis ministrentur.* Et juramentum, quia etiam lato modo dicitur sacramentum, à jejunis esse præstandum, probavi *in c. 1. de testibus.* Rectè ergo Apostoli & eorum successores in augustissimo hoc Eucharistiæ Sacramento statuerunt, ut jejuni tantùm possint illud recipere: quod adeo observatum semper legimus, ut cùm primis

Ecclesiæ temporibus, quando supererant aliqua fragmenta panis consecrati, tradebantur pueris, quiâ ob sævas persecutiones custodiri non poterant, ut probabimus infrà, *in cap. 1. de custod. Eucharist.* tamen debebant pueri illi esse jejuni, ut possent ea percipere. Quod firmatur celebri exemplo, quod refert Evagrius *lib. 4. de Eccles. histor. cap. 36.* Immò & fideles olim jejunos Missæ sacrificio interfuisse, constat ex Concilio Altissiod. *in can. 19.* suprà relato, & ex auctore vitæ Sancti Walerici Abbatis, qui refert duos fratres ab ipso Abbate reprehensos fuisse, eo quod die, qui sancto Martino erat sacer, ante Missarum solennia potione sitim depulissent, ibi: *Contingit verò duos germanos ad illum venire feriis B. Pontificis Martini, quos ille objurgans dixit: Miror quâ temeritate ausi fueritis ante Missarum solennia bibere.* Ex sancto Bernardino Senensi *serm. 37. in Advent.* Vincentio Ferrerio *serm. unic. in Octavam Corporis Christi.* Quorum verba referunt P. Henao *tom. 3. de sacrif. Missæ, disput. 30. sect. 19.* Theophilus Raynaud. *tom. 16. in Heterocl. spir. punct. 2. fol. 20.* Vicecomes *volum. 3. de Missæ ritibus, lib. 2. cap. 5.* Rectè ergo in præsenti textu statuit Innocentius, ut si ob aliquam causam ex relatis suprà *in cap. consuluit*, presbyter duas, vel tres Missas celebraturus sit, post communionem non sumat vinum perfusionis; quia aliàs non manebit jejunus ad communicandum in secunda Missa: in casu tamen extremæ necessitatis olim licuisse non jejunis Missam celebrare, probatur ex Concilio Salegust. *can. 14.* ibi: *Decretum est etiam in eodem Concilio, ut presbyter aliquis post galli cantum æstivis noctibus bibens proximo die Missam non celebret; hiemalibus similiter, nisi necessitas cogat: quod nullo modo admittendum est.*

6. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

Nec obstat difficultas suprà adducta; quâ motus Lutherus in libro contra Regem Angliæ edito anno 1522. quem sequitur Calvinus *lib. 1. de Missa, cap. 14.* asseruit communionem licere, sive quis antea manducaverit, sive biberit. Sed facilè respondetur ex eo, nam ut docent omnes de institutione hujus Sacramenti agentes, causæ ob quas Christus Dominus illud instituit vesperæ, & post esum Agni, fuerunt propriæ, & peculiares illius temporis, & illius individuæ actionis; & ideo quoad hanc partem factum illud Domini nostri in exemplum adduci, ut docuerunt D. Cyprianus *epist. 63.* ibi: *At enim non manè, sed post cœnam mixtum calicem obtulit Dominus. Nunquid ergo Dominicum post cœnam celebrare debemus, ut sic mixtum calicem frequentandis Dominicis offeramus? Christum offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa ostenderet occasum, & vesperam mundi. Nos autem resurrectionem Domini manè celebramus.* Et ut Gelasius Cyrenus *lib. de duabus naturis* scitè dixit, ostendere voluit Eucharistiam non præberi ad cibandum corpus, quod jam fuerat satiatum expletis epulis: ac etiam D. August. *epist. 118. Salvator quo vehementiùs commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit altiùs infigere cordibus discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat.* D. Isidorus *lib. 1. de eccles. offic. cap. 18.* ibi: *Hoc sacrificium quod Christianis celebrare præceptum est, fit à nobis, quod pro nobis ipse Dominus fecit, quod non manè, sed post cœnam in vesperam obtulit. Sic enim Christum oportebat adimplere circa vesperam diei, ut Dominus horâ ipsâ sacrificii ostenderet vesperam. Proinde autem non communicaverunt jejuni Apostoli, quia necesse erat, ut Paschæ illudity-picum antea impleretur, & denuo ad verum illud Paschæ sacramentum transirent. Hoc enim in mysterio tunc factum est, quod primùm discipuli corpus, & sanguinem Domini nostri non acceperunt jejuni; ab universa autem Ecclesia nunc a jejunis semper accipitur.* Venerab. Beda *in cap. 22. Lucæ. Quod si quem movet, cùm cœnatis Salvator Apostolis sumum corpus, & sanguinem tradiderit, quare nos universalis Ecclesiæ consuetudine jejuni doceamur eadem sacramenta percipere, audiat breviter, ideo tunc cœnatos communicasse Apostolos, quia necesse erat Paschа illud typicum ante consummari, & sic ad veri Paschatis sacramenta transiri. Nunc in honorem tanti, tamque terribilis sacramenti placuisse Magistri Ecclesiæ, primò nos Dominicæ passionis participatione muniri, & spiritualibus epulis exterius, interiusq; sacrari, ac deinde terrenis dapibus corpus, & vilibus escis refici.* Nec obstat augmentum ipsius difficultatis deductum ex Missis vespertinis; nam in diebus jejuniorum olim sacrificium offerebatur adhuc fidelibus jejunantibus; & jejunium protrahebatur usque dum Missæ sacrificium offerretur; & ita ad vesperam jejunium solvebatur. Micrologus *de Eccles. offic cap. 49.* ibi: *Est ecclesiastica consuetudo, ut ad nonam reficiamur, cùm ad sextam Missam celebramus: ad vesperam autem cùm ad nonam sacrificamus.* Theodulphus ad Presbyt. Aurel. de jejuniis differens ait: *Auditis Missarum solennibus; sive vespertinis officiis, largitis eleemosynis, ad cibum accedendum est.* Et ita Missæ sacrificium, quod in aliis diebus horâ tertiâ offerebatur, in diebus jejunii usque ad vesperam protrahebatur, ut finitis divinis officiis jejunium solveretur, *c. solent, de consecr. dist. 1.*

Sed suprà traditis obstat textus *in can. 29. Synodi Carthag. 3.* in illis verbis: *Ut sacramenta altaris, non nisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo cœna Domini celebratur: nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi, qui faciunt, jam pransi inveniantur.* Ex quibus apertè deducitur, feria 5. in Cœna Domini sacrificium Missæ à non jejunis offerri posse. Pro cujus canonis expositione sciendum est, in Ecclesiis Alexandrinis, Africanis, & aliis consuetudinem invaluisse celebrandi Missæ sacrificium post epulum, ut de Ægypto, & Thebaide refert Socrates *lib 5. hist. cap. 21.* ibi: *Porrò de synaxi variæ consuetudines sunt; nam quamquam omnes ubique in orbe terrarum Ecclesiæ singulis septimanis vertentibus die Sabbathi mysteria celebrent, Alexandrini tamen, & Romani ex antiquatradatione istud sanè non recipiunt. At Ægyptii, qui Alexandrinis finitimi sunt, & ii, qui Thebaïdem incolunt, Sabbatho synaxim exequuntur illi quidem, sed non ut mos fert Christianorum mysteria participant: nam ubi epulati sunt, & variis cibariis se saturarunt, sub vesperum oblatione factâ mysteriis communicant.* Sozomenus *lib. 7. cap. 19.* Ex eis notarunt Vicecomes *volum. 2. de ritibus Missæ, lib. 2. c. 1.* Petavius *de hierarch. ubi suprà.* In Ecclesiis Africanis diutiùs inolevit mos celebrandi quintâ feriâ in cœna Domini post epulum, ut constat ex D. Augustino *epist. 118. ad Januarium*, ubi de feria 5. sanctiorishebdomadæ loquens ait: *Nec ideo putari debet injustum esse multis locis, ut illo die post refectionem offeratur; quia scriptum est idemtidem: Et calicem accipiens post cœnam, dicens, &c. Ipsam enim potuit appellare cœnam, quâ*

7. Expositio can. 29. Concil. Carthag.

quâ jam corpus acceperant, ut deinde calicem acciperent. Illud magis movere potuit homines, ut jam refectis die illa, vel offerrent, vel sumerent Eucharistiam, quod in Evangelio legitur: Cùm autem illi manducarent, accepit Jesus panem, & benedixit, cùm jam superius dixisset: Cum sero factum esset, recumbebat cum duodecim, & manducantibus eis dixit, quod unus ex vobis me tradet. Notarunt Zonaras, & Balsam. *in can. 29. Synodi 6.* Sed eam consuetudinem improbarunt PP. Concilii 6. in Trullo, *can. 29.* his verbis: *Carthaginensis Synodi canon dicit, ut sancta altaris non nisi à sobriis hominibus peragantur, excepto uno die in anno, in quo cœna Domini peragitur: tunc fortasse propter aliquas in iis locis occasiones Ecclesiæ utiles Patribus hac dispensatione usis. Cùm nihil ergo nos inducat, ut accuratam diligentiam relinquamus, statuimus, Apostolicas, ac paternas traditiones sequentes, non oportere in Quadragesima postremâ septimanâ, quintâ feriâ jejunium solvere, & totam Quadragesimam injuriâ afficere.* Ubi nihil aliud est jejunium solvere, quàm non jejunum ministrum lithurgiam agere, ut exponit Zonaras in illius canonis commentario, ubi causam talis abrogationis his verbis Latinè versis expressit: *Cùm reliquo toto anni tempore sacra altaris mysteria à jejunis hominibus celebranda esse, Patres olim Carthagine decrevissent, quintam nihilominus magnam, ut vocant, feriam, quòd solennis in ea cœnæ Dominicæ apparatus exhiberi soleat, excepere; sed eum quoque diem à sacrorum ministris jejunio transigi sextæ hujus Synodi PP. præsentis canonis constitutione jubent: habuerunt siquidem fortè divini PP. inquiunt, quæ sequerentur, ut in his locis decretum illud Ecclesiæ profuturum existimarent: nunc verò necessitatis omni excusatione sublatâ, sanctionibus Apostolicis, majorumque decretis negligentius obtemperare, ac unius diei violato jejunio, totam: quantum in nobis est, Quadragesimam deturpare, collectumque tot dierum spatio fructum effundere non oportet.* Quod verò de Apostolicis, Patrumque constitutionibus asserunt, in eo sexagesimumnonum canonem Apostolorum, & Laodicenæ Synodi quinquagesimum intellexere: notarunt Pamelius *ad D. Cyprianum epist. 63. num. 46.* Filesacus *de Quadragesima cap. 15.* Vicecomes *vol. 3. de rit. Mis. lib. 1. cap 9.* Novarinus *in Agno Euchar. lib. 5. cap. 58.*

8. Ex suprà traditis exponendus est textus *in cap. relatum 11. de consecr. dist. 2.* ubi PP. Concilii Toletani improbant abusum quorundam presbyterorum, qui dum in una die plures Missas celebrabant, tantùm in ultima corpus Domini sumebant, & jubent, ut in omnibus sacrificiis ab ipsis in eadem die oblatis semper communicent. Qui textus accipiendus est juxta

Explicatur cap. relatum 11. dist. 2.

suprà tradita, non sumptâ purificatione calicis in priori Missa. Error autem eorum Sacerdotum, ni fallor, proveniebat ex eo, quia credebant, per communionem in priori Missa acceptam, jejunium naturale violari, & ampliùs eos non manere jejunos, ut possent in secunda, aut tertia Missa communicare, discrimen non agnoscentes inter sumptionem corporis, & sanguinis Domini, & purificationem calicis per vini perfusionem. Licèt enim jejunium naturale ad communicandum necessarium violetur per purificationem calicis, siquidem tunc sumitur vinum non consecratum, licèt in parva quantitate, ut ante nostrum Innocentium III. docuit Joannes Belletus *in explicatione divinorum officiorum, cap. 51.* ibi: *Altera quæstio est, possitne Sacerdos celebrare secundam Missam in eo casu, quo in præcedenti, dum manus ablueret, aliquantulum aquæ degustavit? Certè enim & illud vetitum esse sciendum est.* Tamen per communionem Eucharisticam non frangitur jejunium naturale, quia corpus & sanguis Christi sub his speciebus non sunt cibus, & potus corporis, sed animæ, ut docuit Alfonsus Rex *in l. 50. tit. 4. partit. 1.* & exponunt Margallus *in hoc tit.* Diana *part. 11. tract. 6. resol. 15.* Araujo *3. p. quæst. 74. artic. 8.* & contra Paludanum, & Fagundezium, qui contrarium docuerunt, defendit P. Henao *de sacrif. Missæ tom. 2. disput. 22. sect. 4.* qui *num. 49.* inde exponit Tertullianum *in lib. de orat. cap. 14.* Cùm ergo per communionem Eucharisticam non violetur jejunium naturale, sed per sumptionem vini purificationis calicis, ideo PP. Concilii Tolet. *in d. cap. relatum*, reprehendunt Sacerdotes, quia in omnibus Missis à se celebratis non communicabant prætextu violati jejunii, jubentque ut in omnibus Missis corpus Domini recipiant, nullam tamen faciunt mentionem vini non perfundendi, aut purificationis non sumendæ; forsan quia adhuc in Ecclesia hæc perfusio non erat in usu. Inde etiam cognosci potest Græcorum Stercoranistarum stupiditas, qui credebant per communionem Eucharisticam solvi jejunium Ecclesiasticum, quos reprehendunt Algerus *lib. 2. contra Bereng. cap. 1.* ibi: *Non sunt observanda Græcorum hæreticorum, qui meritò Stercoranistæ vocantur, deliramenta, qui dicunt, participatione corporis, & sanguinis Christi solvi Ecclesiastica jejunia, & cœlestem escam, velut terrenam, indifferenter accipiunt.* Humbertus Cardinalis *contra Nicetam Pectoratum*, ibi: *Perfidi Stercoranistæ, qui putant fideli participatione corporis & sanguinis Domini quadragesimalia, atque Ecclesiastica dissolvi jejunia.* Refert Theoph. Raynaud. *tom. 16. in Heterocl. spirit. sect. 3. punct. 2. folio 407.*

CAPUT VI.

Idem (a) *I. quondam Archiepiscopo Lugdunensi.*

CUm Marthæ circa plurima satagentis officio, in cura regiminis pastoralis pro majori parte renuncians, in domo Domini quasi abjectus elegeris habitare cum illis, qui partem optimam elegerunt, sedentes ad pedes Domini cum Maria, ut in lege ejus jugiter meditentur, lippitudini Liæ Rachelis pulchritudinem præferentes: eam in te vigere credimus intelligentiam scripturarum, ut non solùm parvulis frangere possis panem, sed provectis etiam cibum solidum ministrare, ac nodos solvere difficilium quæstionum. Verùm quoniam in Primatu Apostolorum Principis Apostolicæ Sedis Magisterium recognoscens, ad eam credis majores causas Ecclesiæ referendas: consultationibus tuis, quas non ob commodum utilitatis terrenæ, cùm civilem non contineant quæstionem, sed animarum profectum, ut videlicet in lucem prodeant obscura scripturarum, novimus te movisse, libenter, quod nobis inspirat Dominus, respondemus. Quæsivisti, quis formæ verborum, quam ipse Christus expressit, cùm in corpus, & sanguinem suum panem (b) transubstantiavit, & vinum illud in canone Missæ, quo Ecclesia utitur generalis, adjecerit: quod nullus Evangelistarum legitur expressisse. Cùm enim in Evangelio sic legatur: Accipiens calicem, gratias agens benedixit, & dedit discipulis suis: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum: in canone Missæ sermo iste, videlicet: Mysterium fidei, verbis ipsis interpositis invenitur. Unde cùm non Evangelista Christum hoc dixisse testetur, miraris, quod aliquis asseverare tentaverit, eum aliquid plus dixisse, quàm aliquis Evangelistarum asseveret. Verùm si (c) formam ipsius canonis inspicias diligenter, præter hoc, de quo tua fraternitas requisivit, alia duo, videlicet: Elevatis oculis in cœlum, &: Æterni Testamenti, poteris in ipso canone reperire, quæ in textu Evangelico non leguntur. Sanè multa, tam de verbis, quàm de factis Dominicis invenimus ab Evangelistis omissa, quæ *Apostoli*, vel suppleviſſe verbo, vel facto expressisse leguntur. Paulus enim in *Actibus Apostolorum* sic ait: Meminisse nos oportet verbi Domini Jesu, qui dixit: Beatius est dare, quàm accipere. Hæc nullus quatuor Evangelistarum descripsit. Nullus etiam horum expressit, quod Paulus de Christo ad Corinthios scribens ait: Visus est plusquam quingentis fratribus simul: deinde visus est Jacobo: novissimè autem, tanquam abortivo, visus est & mihi. Ipsi etiam Evangelistæ mutuò inter se suppleviſſe leguntur, quæ ab eorum aliquo, vel aliquibus sunt omissa. Unde cùm tres Evangelistæ posuerunt: Hoc est corpus meum, solus Lucas adjecit, quod pro vobis tradetur. Et cùm Matthæus, & Marcus dicant: Pro multis, Lucas dicit: Pro vobis. Matthæus autem: In remissionem peccatorum, adjunxit. Cæterùm ea, quæ adduntur in canone Missæ, possunt ex aliis locis comprobari. Joannes enim in suscitatione Lazari Jesum sursum oculos levasse asserit, & dixisse: Pater, gratias ago tibi, quoniam audivisti me. *Et infrà:* Si tunc igitur in cœlum oculos levavit ad Patrem, cùm ad corpus exanime animam Lazari revocavit, probabilius esse videtur, quod tunc oculos levaverit ad Patrem in cœlum, cùm panem, & vinum in corpus, & sanguinem proprium commutavit. Cæterùm, sicut superius est expressum, cùm in textu Evangelico: Novi Testamenti, ponatur: hîc interponitur: Et æterni. Nam Vetus Testamentum, quod hircorum, & vitulorum fuit sanguine dedicatum, temporalia promittebat: novum autem, quod est Christi sanguine consecratum, promittit æterna. Et ideo testamentum illud fuit vetus, & transitorium: hoc autem novum est, & æternum. Vel ut utamur alia ratione, unde novum, id est, ultimum esse describitur: inde æternum, id est, perpetuum: novissimum etenim hominis testamentum immobile perseverat, quia testatoris obitu confirmatur, juxta quod Apostolus testamentum in morte asserit confirmatum: alioquin non valet, dum vixerit, qui testatur. Præterea non solùm Scriptura, sed etiam promissio dicitur testamentum, juxta quod ipse Apostolus scribit: Ideo Novi Testamenti mediator est, ut repromissionem accipiant, qui vocati sunt, hæreditatis æternæ. Sic ergo in ipso canone reperitur: Hic est enim sanguis meus, novi, & æterni Testamenti, id est, novæ, ac æternæ promissionis scilicet confirmator. Sicut Dominus repromittit: Qui manducat (inquiens) carnem meam, & sanguinem meum bibit, habet vitam æternam. Ex eo autem verbo, de quo movit tua fraternitas quæstionem, videlicet: Mysterium fidei, munimentum erroris quidam trahere putaverunt, dicentes, in sacramento altaris non esse corporis Christi, & sanguinis veritatem, sed imaginem tantum, & speciem, & figuram: pro eo, quod Scriptura interdum commemorat id, quod in altari suscipitur, esse sacramentum, & mysterium, & exemplum. Sed tales ex eo laqueum erroris incurrunt, quòd nec auctoritates

ritates scripturæ convenienter intelligunt, nec sacramenta Dei suscipiunt reverenter. Si enim quasi figura est sacramentum altaris, veritas esse negatur: ergo nec mors, nec resurrectio Christi (cùm figura sit) veritas est credenda: siquidem mortem, & resurrectionem Christi similitudinem, & imaginem esse Apostolus manifestat: Christus, inquiens, mortuus est pro delictis nostris, & resurrexit propter justificationem nostram. Apostolorum etiam Princeps Petrus sic in epistola sua scribit: Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Sic ergo tam mors Christi, quàm ejus resurrectio est exemplum, ut & nos peccato mortui, justitiæ jam vivamus. Quare, si non fuit veritas, quia fuit exemplum: ergo nec verè mortuus fuit Christus, nec verè à mortuis resurrexit. Sed absit à fidelium corde error iste, cùm Propheta de ipso testetur, quod verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Dicitur tamen mysterium fidei, quoniam aliud ibi creditur, quàm cernatur; & aliud cernitur, quàm credatur. Cernitur species panis, & vini: & creditur veritas carnis, & sanguinis Christi, ac virtus unitatis, & charitatis. Quod autem mysterium fidei dicitur in hoc loco, alibi secundùm Joannem spiritus, & vita narratur: nam spiritus est in mysterio, juxta illud: Littera occidit, spiritus autem vivificat. Fides, quæ est vita, secundùm quod legitur: Justus ex fide vivit, propter quod dicit Dominus ipse: Verba quæ loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt.

NOTÆ.

1. (a) *Quondam.*] Ita legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 5.* & in ipsa epistola, prout eam refert Manrique *tom. 3. annal. Cisterc. annal. 1202. cap. 1.* & anno 1202. scriptam fuisse epistolam hanc refert Ordericus Raynaldus *eodem anno.* De hoc Joanne ita legitur in tabulis Ecclesiæ Lugdunensis apud Jacobum Sebercium, Joannem Chenu, & Robertum Claudium: *Joannes I.* quibusdam *de Bellismanibus*, sed malè; rectius: *Joannes Bellismeus*, seu *Bellemensis*, erat enim filius Guillelmi Talnas, Domini Bellemensis, Alaconii, & Pontivensis, seu Pontivi Comitis, & B. Comitissæ Barenensis, seu de Barena, Guillelmi uxoris secundæ, qui cum ea divortium fecit, quia cognatam fuisse uxoris defunctæ proponeret: qua de re est caput *Porrò*, extra de divortiis. Et in tabulis Ecclesiæ Pictav. apud Chenu ita habetur: Joannes tertius homo doctus, & integræ vitæ, primò Episcopus Pictavensis, postea Narbonnensis Archiepiscopus electus anno 1181. tandem Archiepiscopus Lugdunensis à Lucio III. Papa creatus, & ejusdem in Francia Legatus: sed postea velut gloriâ mundi sauciatus, infulis depositis habitum monasticum in Clarevalle induit, ut de eo agens refert Rogerius Oveden. *part. 2. annal.* his verbis: *Renunciasse Archiepiscopatui, & monachum factum in Abbatia Clarevallensi, ad mortem usque cum maxima pietate, & devotione perseveravisse.* Unde Innocentius III. in principio hujus textus ait eum Marthæ sollicitudinem in Mariæ quietem mutasse.

2. *Refertur textus historia.* Sed ut historia, seu occasio hujus epistolæ Decretalis agnoscatur, sciendum est, jam anno Christi 1188. Gaufridum venerabilem Abbatem Clarevallensem consuluisse Henricum Cardinalem, ut per ipsum à Sede Apostolica responsum acciperet super difficili illa quæstione, an aqua cum vino in calice admixta converteretur in sanguinem Domini mediatè, vel immediatè. Epistolam ipsam consultationis Gaufridi referunt Baronius *anno 1188.* Manrique *d. tom. 3. annal. Cisterc. in eodem anno cap. 3.* Sed cùm nullum adhuc responsum dictæ consultationi daretur, & Joannes vir perdoctus degeret in ipso cœnobio Clarevallensi, ubi inter discipulos ipsius Gaufridi ipsa quæstio sæpiùs disputabatur, ipse veritatis agnoscendæ gratiâ, tam in eâ quæstione, quàm in aliis duabus, altera de verbis consecrationis calicis, de secreta pro B. Laurentio dici solita alia, consuluit Innocentium III. qui in præsenti illustribus quæstionibus sigillatim respondet. Primæ de verbis consecrationis calicis in principio suprà relato: Secundæ verò de conversione aquæ mediatè, vel immediatè in sanguinem Domini *in §. Quæsivisti:* Tertiæ de oratione hucusque dici consueta pro B. Leone *in §. 3.*

3. (b) *Transubstantiavit.*] Quæ transubstantiationis vox approbata fuit in Concilio Later. generali sub Innocent. III. ut ex eo constat, & notavit Corjolanus *in breviario, anno 1215.* Nec eam vocem SS. PP. incognitam fuisse, nec novellam in Ecclesia, constat ex sancto Cyrill. Hierosolym. ibi: *Quam aliquando in vinum commutavit; & non erit dignus, cui credamus, quod vinum, & sanguinem transmutaverit.* D. Ambrosio de iis, qui initiantur mysteriis, *can. 9.* ibi: *Quantis utimur exemplis, ut probemus, non hoc esse quod natura formavit, sed benedictio consecravit, majoremq; vim esse benedictionis quàm naturæ; quia benedictione ipsa natura mutatur.* Gregorio Nysseno relato à Bellarmino *in Apol. contra Regem Angliæ, cap. 8.* De ea agunt Petrus Damianus *epist. ad Blancam*, Petrus Cluniac. contra Petrobrusianos. Innocentius noster *in lib. de myster. Miss.* D. Bernardus, Bonaventura, & D. Thomas laudati à Corjolano *ubi proximè.*

4. (c) *Formam ipsius canonis.*] Canon pro mysticis precibus, quibus actio divina celebratur, accipitur; quæ divinæ actionis celebrior nuncupatio, quàm apta sit, proprio ipso & nativo significatu patet. Est enim regula, ordo, formula, ac ritus solennis, quo sacratissima hæc oblatio fieri debet; & quam vel prætermittere, vel mutare nemini licet; idcirco enim sic concepta hæc regula fuit, tam ex verbis Domini, quàm Apostolica traditione, & Ecclesiæ auctoritate, ac constanti usu, ut ex nullius penderet privato arbitrio. Circa auctorem ejus, & originem non consentiunt cum Catholicis hæretici: sed nos regulam certam habemus in præsenti, & in Concilio Trident. *sess. 22. cap. 4.* ubi de canone Missæ ita cautum est: *Et cum sancta sanctè administrari conveniat, sitq; hoc omnium sanctissimum sacrificium, Ecclesia Catholica, ut dignè, reverenter*

verenterque offerretur, ac perciperetur, sacrum canonem multis antè seculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maximè sanctitatem, ac pietatem quandam redoleat, mentesq; offerentium in DEUM erigat. Id enim constat, tum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, Sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus. Probant ab ipso Apostolorum Principe in sua liturgia canonem hunc fuisse appositum B. Isidorus *lib. 1. de Eccles. offic. cap. 15.* ibi: *Ordo autem Missæ, vel orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primùm à S. Petro est institutus, cujus celebrationem uno, eodemque modo universus peragit orbis.* Et non obscurè de ipso canone loquitur D. Paulus *epist. 1. ad Timoth. cap. 2.* ibi: *Sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis, vel penè omnis frequentat Ecclesia, ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorum, antequam illud, quod est in mensa Domini, incipiat benedici, cùm benedicitur, & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur.* Quam totam petitionem ferè omnis Ecclesia Dominicâ oratione concludit. S. Clemens *epistol. 2. ad fratrem Domini:* Linus Pontifex *in actibus sancti Petri*, Vigilius Papa *in epist. ad Eleutherium, cap. 5.* ibi: *Quapropter cùm ipsius canonicæ precis exitum dixerimus subter directum, quem Deo propitio ex Apostolica traditione suscepimus.* Probat latè Sausay *in panopl. Sacerd. p. 1. lib. 1. cap. 5.* & ut apertè cognoscatur, canonem, quo hodie utitur Ecclesia, esse compositum à sancto Petro ex liturgia ipsius, quæ extat *in biblioth. Patrum, in tom. 2. Græco-Latin. cap. 19.* illum transcripsit Herrera *de cæremon. Missæ lib 3. cap. 2.* Sed contrà primò objiciunt Novatores, quod si canon iste à Domino, & Apostolis fuisset institutus, ab Ecclesia fuisset communi consensu susceptus, & ubique servaretur: sed Ecclesiæ Orientales utuntur liturgiis Sancti Basilii, & S. Chrysostomi: Hierosolymitana S. Jacobi: Mediolanensis servat ritum Ambrosianum, & Hispania olim utebatur Liturgia Mozarabum. Ergo quia canon Missæ pro universali Ecclesia non fuit à S. Petro, & Apostolis institutus. Nam respondetur, liturgias eas esse quidem verbis diversas, sed rebus ipsis non dissonas, sed planè conformes, ut ipsas conferentibus facilè patebit: in singulis enim, & omnibus fiunt, sicut Apostolus præcipit *1. ad Timoth. cap. 2.* orationes, obsecrationes, postulationes, pro omnibus hominibus gratiarum actiones, maximè verò consecratio, oblatio, mortis Domini commemoratio, sanctorum memoria, & oratio pro defunctis. Unde liturgiæ illæ mirè conveniunt. Objiciunt etiam Novatores canonem Missæ fuisse à pluribus Pontificibus compositum, ut refert Polydor. Vergil. *lib. 5. de invent. rer. cap. 10.* his verbis: *Canonis partem: Te igitur, quæ deinde initium esse cœpit, Gelasius dedit, sicut ante eum Syricius: Communicantes, quod nunc tertio loco ponitur. Alexander I. qui Gelasium, & Syricium longo temporis intervallo præcessit, ob memoriam passionis Christi posuit: Qui pridie quàm pateretur, &c. Leo deinde adjecit: Hanc igitur oblationem, usque: Placatus accipias. Gregorius tres subjunxit: Postulationes, &: Diesq; nostros in tua pace disponas, &c. Ejusdem quoque primi Leonis est: Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.* Sed facilè respondetur, Gregorium, Leonem, Gelasium, & alios ea verba non de novo adjeciſſe, sed jam ab scriptoribus omissa instaurasse, & restituisse, ut docet Herrera *d. lib. 3. de cærem. Missæ, cap. 3.* & singula verba suis auctoribus referens, probat Sausay *d. lib. 1. cap. 5. in digressiuncula de can. Missæ.* Tandem opponunt locum D. Gregorii *lib. 7. epistol. 63.* ubi respondens querelis, quibus pulsatus fuerat, ob mutationes quasdam in forma liturgica, & nominatim quòd jussisset Orationem Dominicam mox post canonem recitari, sic scribit: *Orationem Dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent: & valde mihi inconveniens visum est, ut precem, quam scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, & ipsam orationem, quam Redemptor noster composuit, super ejus corpus, & sanguinem taceremus.* Ex quibus verbis deducunt primo, Apostolos tantùm ad Orationem Dominicam Missam celebrasse, id est oratione Dominicâ recitatâ tantùm consecrasse. Secundò quendam scholasticum auctorem fuisse hujus Canonis. Ergo non ab Apostolis, seu ut dicebamus, à liturgia D. Petri originem trahit. Pater Theophilus Raynaud. *de prima Missa cap. 4.* existimat, verè Liturgiam cum suo Canone ab Apostolis compositam fuisse, sed frequentiùs cum per tempus, & occupationes licebat, eos tantùm ad Orationem Dominicam celebrasse. Andreas Sausay *in Panopl. sacerd. p. 2. lib. 1. fol. 373.* credit distinctionem illam *solummodo*, irrepsisse in epistola D. Gregorii, & ab ejus contextura alienam esse. Sed veriùs dicendum credo cum Landtmeter. *lib. 2. de veteri mon. cap. 81.* ad solam Orationem Dominicam Apostolos consecrasse, videlicet antequam Canonem instituissent: nam postea non solùm Canonem, verùm & preces, quibus hodie Ecclesia utitur, in Missæ sacrificio effundebant. Sanctus Proclus *in libel. de tradit. divinæ liturgiæ:* ibi: *Postquam Servator noster in cœlum assumptus est, Apostoli priusquam per orbem terrarum dispergerentur, conspirantibus animis ad toto die orandum convertebantur, & cùm multam consolationem in mystico illo Dominici corporis sacrificio positam invenissent, fusissimè, & longâ oratione liturgiam decantabant. Hæc enim divina, unà cum docendi ratione conjuncta, cæteris rebus anteponenda existimabant, atq; majori, & alacriori rerum divinarum, & sacrificii sacrosancti desiderio flagrabant, & illud prolixè amplectebantur, quod in memoria semper haberent illud verbum Domini dicentis: Hoc est corpus meum, &c. Hoc facite in meam commemorationem, &c. Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Quare & contrito spiritu multas decantabant preces, divinum numen impensè orantes. Enimverò, tam ex Judæis, quàm ex Gentibus eos, qui recens illuminati erant, ea quæ ad gratiam consequendam faciebant, quæque facienda, quæque ante donum gratiæ omittenda, docentes, cùm ipsi essent umbra gratiæ, piè informarunt. Per has itaq; preces Spiritus sancti adventum expectabant, ut qui divinâ providentiâ sentiâ propositum in sacrificium panem, & vinum aquæ permixtum, ipsum illud corpus, & sanguinem Servatoris nostri Jesu Christi efficiat. Quis quidem religiosus ritus observatur ad hoc usq; tempus, & ad finem usq; seculi manebit.*

Secundæ difficultati, omissâ quæstione, Quisnam ille scholasticus esset? quam disputat Menardus

hardus *in notis ad Sacram. D. Gregorii, fol. 12.* Herrera *lib. 3. de caremon. Missæ, cap. 2.* dicendum est, D. Gregorium non asserere canonem Missæ compositum fuisse ab scholastico, sed potiùs precem, & orationem illam composuisse, & recitasse in ea parte Missæ unde mutabatur locus orationis Dominicæ; quam decrevit Gregorius juxta antiquam consuetudinem, esse post consecrationem recitandam. Ut stet igitur sancti Gregorii incontussa narratio, dicendum est, ipsum reperisse Orationem Dominicam inordinatè à quibusdam in sacrificio Missæ recitari, scilicet vel ante sacram oblationem, vel diu post sacrificatâ divini altaris munera, & sapienti ejus prudentiâ factum esse, ut loco congruo ipsa Domini oratio diceretur: videlicet non ante consecrationem Eucharistiæ, sed super ipsam oblationem, mox ac solennis canon fuisset terminatus, juxta antiquam Apostolorum consuetudinem, quæ sensim fuerat immutata. Pro expositione autem illorum verborum canonis: *Pro Pontifice N.* &; *Pro Rege N.* sciendum est, quod apud Gentiles sacerdotes publica vota pro salute Imperatorum suscipiebant, & persolvebant, ut constat ex Tacito *libro 4. annal.* ibi: *Pontifices, eorumque exemplo cæteri Sacerdotes, Neronem quoque & Drusum eisdem Diis commendarunt.* Plinius *lib. 10. epist. 12.* aliàs 8. à Trajano petens sacerdotium ait: *Rogo dignitatis, ad quam me provexit indulgentia tua, vel auguratum, vel septemviratum, quia vacant, adjicere digneris, ut jure sacerdotis precari Deos pro te publicè possim, quos nunc precor pietate privatâ.* Suetonius *in Augusto, capite 37.* & in Nerone *cap. 46.* Illustrat Theophilus Raynaud. *tom. 17. tractatu de amore cognat. temper. fol. 508.* Dies; quo vota concipiebantur pro salute Principis, fuit 3. Nonas Januarii, ut constat *ex l. 233. §. post Kalendas, ff. de V. S.* & Kalendis ipsis vota solvebantur, *l. 7. C. de feriis, l. 2. C. Theodos. eodem tit.* D. Ambrosius *sermon. 17.* Chrysologus *sermon. 155.* quem morem damnarunt PP. Concil. Altissiod. *cap. 1.* & de ejus luxu latè queritur Divus August. *epist. 64. ad Aurelium.* Illustrat Lipsius *in notis ad Tacitum, lib. 16. folio 440.* Brissonius *lib. 1. de formulis, pag. 100.* Gutherus *de jure Pont. lib. 4. cap. 13.* Cataneus *in notis ad Plinium, lib. 10. epist. 18.* Bulengerus *lib. 1. de Imp. cap. 35.* Altesserra *de Ducibus, lib. 2. cap. 17.* Non dissimilis mos invaluit inter Orthodoxos Sacerdotes jam ab Apostolorum temporibus; nam Paulus *1. ad Timoth. cap. 2.* pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, orare, votaque nuncupare jubet: D. Clemens *lib. 8. constit. capite 12.* ut in sacrificio corporis, & sanguinis Domini pro Regibus indesinenter oretur, præcipit. Idem admonet D. Ambros. *lib. 4. de Sacram. cap. 4.* & Arnobius *adversus Gentes.* Tertullianus *Apolog. cap 30. Precantes* (inquit) *sumus semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quæcunq; hominis, & Cæsaris vota sunt.* Inde in liturgia D. Basilii legitur: *Memento Domine piissimi & fidelissimi Imperatoris.* Sic in Concilio Arelat. 3. *can. 2.* statuitur, ut pro excellentissimo, & gloriosissimo Rege, & liberis ejus, omnes Episcopi, Presbyteri, Abbates, & Monachi in unum collecti, psalmodiam, & Missarum solennia, & Litaniarum officia omnipotenti Deo devotissimè soluant. Idem cavetur in Concilio Cabil. *can. 66.* Rhemensi *can. 40.* Mogunt. 2. *can. 1.* Emeritensi *can. 3.* Tolet. 16. *can. 7.* ibi: *Convenit, ut tam per omnes civitates, vel loca, in quibus sedes Episcoporum esse noscuntur, ad regni ejus ditionem pertinentes, quam etiam per eorundem Episcoporum diœceses, excepto passionis Dominicæ die, quando altaria denudata persistunt, nec cuiquam in eodem die Missarum licet solennia celebrare, cunctis aliis diebus quibus idem Dominus noster in hac vita superstes extiterit, pro cunctis ejus filiis, vel filiabus sacrificiorum Domino libamina dedicentur.* Et aliis congestis ab Antonio Augustino *in epit. jur. lib. 1. tit. 19.* Bellarmino *de sacram. lib. 2. de Missa, cap. 21.* Suarez *3. p. in 3. p. disput. 83. sect. 2.* Baronio *anno 200 num 6.* & *201. num. 29.* & *255. num. 42.* & *260. num. 21.* Spondano *in ejus epitome, anno 506. num. 1.* Sahebedra *in chron. Goth. in vita Egicæ:* cujus usus aliam rationem assignat Petrus Damianus *lib. 7. epist. 3. ad Henricum filium.* Has ergo preces pro Principibus, tum Ecclesiasticis, tum sæcularibus faciendas Ecclesia tradit, dum in canone Missæ ea verba posuit: *Una cum famulo tuo Papa nostro, Antistite nostro, Rege nostro.* Extatque de hac re Concilii Vasensis canon 4. circa tempora Leonis, ubi jubetur, ut nomen cujuscunque Papæ urbis Romæ in omnibus Missis recitetur: & Bonifacius Martyr *in cap. si Papa, dist. 4.* ait: *Pro cujus perpetuo statu universitas fidelium tantò instantius orat, quantum suam salutem post Deum ex illius incolumitate propensius impendere animadvertit.* Quo multò anterior Euvianus I. *epist. 1.* dilectissimis ubique Ecclesiæ Catholicæ comministris scribit in hæc verba: *Fraternitatis vestræ charitatem intimis obsecramus precibus, ut nostræ parvitatis in sacris vestris orationibus memores esse dignemini.* Cæterùm cùm Papa Missam celebrat, non dicit, *Una cum famulo tuo Papa nostro*; sed *una mecum indigno famulo tuo*; ut testis est Innocentius noster *in cap. 3. hoc titul. in 3. collect.* cujus sententia confirmatur ex Clemente *lib. 8. constit. cap. 12.* ubi Pontificis sacra peragentis hæc verba leguntur: *Adhuc obsecramus te pro me, qui nihil sum, qui tibi oblationem facio.* Et Sacerdotes, vel Diaconos omittentes preces istas, omni honore privari jubentur *in can. 13. & 14. Synodi Constantinop.*

COMMENTARIUM.

CIrca formam consecrationis calicis, an videlicet omnia verba in canone Missæ expressa sint substantialia, vel essentialia ad consecrationem; variæ sunt Doctorum, immò & scholasticorum sententiæ. Necessaria esse hæc omnia, aut æquivalentia alia: *Hic est calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; docuerunt cum D. Thoma *art. 2. quæstunc. 1. & in epist. 1. ad Corinth.* & *3. p. q. 78. artic. 3.* Henricus *in 4. dist. 8 quæst 2.* Paludanus *ibi, quæst. 3.* Capreolus *quæst. 1. artic. 1. concluf. 6.* Richardus *art. 3. quæst. 2.* S. Antoninus *3. p. Summæ, tit. 13. cap. 5. §. 4.* Sylvester *in summa, verbo Eucharist. 1. quæst. 6. num. 7.* Armilla *eod. verbo, num. 14.* Tabiena *num. 31.* & alii, quos refert, & sequitur fundamenta hujus doctrinæ expendens Thomas Hurtado *tom. 2. resol. moral. tract. ult. resol. 8. per tot.* Contraria tamen sententia;

tentia, videlicet non desiderari ad consecrationem calicis essentialiter omnia ea verba, docuerunt Cornejo *quæst. 78. artic. 3. dist. unic. dub. 1.* Franc. Longus *annot. 1. ad Eugenii decret. in Concilio Florent. §. tertium est.* Leander *p. 2. de sacram. tract. 7. disput. 9. quæst. 21.* alii plures, quos refert, & sequitur nervosè hanc sententiam fundans, & contrariæ fundamentis satisfaciens, P. Henao *de Sacram. Euchar. disput. 12. sect. 2. per tot.* quarum opinionum fundamenta trutinare longum foret. Illud tantum notandum est, Innocentium III. in præsenti nec affirmare, nec negare ea verba necessaria esse, sed tantùm ritè adjecta fuisse in canone Missæ, licèt in sacra pagina non legantur; congruenterque apposita fuisse, quia clausula illa: *Novi, & æterni Testamenti*, significat hunc esse sanguinem, quo Novum Testamentum firmatum est, juxta Apostoli doctrinam ad Hebræos *cap. 4.* & per illa verba, *Mysterium fidei*, indicari, hoc Sacramentum esse unum ex mysteriis fidei maximè reconditis, in quo aliud videtur, & aliud sub speciebus latet: vel quia in consecratione Sanguinis expresè significatur Christi passio, quæ est maximum mysterium, & in omnibus sacrificiis veteribus figuratum, & in hoc sacramento quoad rem oblatam verè, & realiter contentum, quoad ipsam verò effusionem sanguinis mirabiliter repræsentatum.

§.

QUæsivisti etiam, utrum aqua cum vino in sanguinem convertatur? Super hoc autem opiniones apud scholasticos variantur. Aliquibus enim videtur, quod cùm de latere Christi duo præcipua fluxerint sacramenta, redemptionis in sanguine, ac regenerationis in aqua, in illa duo vinum, & aqua, quæ commiscentur in calice, divinâ virtute mutantur, ut in hoc sacramento plenè sit veritas & figura. Alii verò tenent, quod aqua cum vino transsubstantiatur in sanguinem, cùm in vinum transeat mixta vino: licèt Physici contrarium asseverent, qui aquam à vino per artificium posse asserunt separari. Præterea potest dici, quod aqua non transit in sanguinem, sed remanet prioris vini accidentibus circumfusa; ita quod vini saporem assumit. Quod inde convincitur, quia si post calicis consecrationem aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non transit in sanguinem, nec sanguini commiscetur; sed accidentibus prioris vini commixtum, corpori, quod sub eis latet, undique circumfunditur, non madidans circumfusum: ipsa tamen accidentia vinum appositum videntur afficere; quia si aqua fuerit apposita, vini saporem assumit. Contingit igitur accidentia mutare subjectum, sicut & subjectum contingit accidentia permutare: cedit quippe natura miraculo, & virtus supra consuetudinem operatur. Sed neque inconveniens creditur, aut absurdum, si aqua in corpore Christi esse credatur, cùm legatur de ipsius latere processisse: illud autem est nefarium opinari, quod quidam dicere præsumpserunt, aquam videlicet in phlegma converti. Nam & de latere Christi non aquam, sed humorem aquaticum mentiuntur exiisse, non attendentes, quod de latere Christi duo fluxerunt sacramenta: & quod non baptizantur in phlegmate, sed in aqua, juxta quod Dominus protestatur: Nisi quis renatus fuerit in aqua, & Spiritu sancto, non introibit in regnum Dei. Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ asserit, aquam cum vino in sanguinem transmutari, ut expressiùs eluceat proprietas sacramenti. Nam cùm aquæ multæ sint populi multi, juxta quod alibi legitur: Beati, qui seminatis super omnes aquas: ideo vino aqua unitur, ut Christo populus adunetur: per hoc enim, quod suscepit ipse de nostro, & accepimus ipsi de suo, tam insolubili nexu conjugimur, ut qui est unum cum Patre per ineffabilem unitatem, fiat unum nobiscum per admirabilem unionem: ac per hoc ipso communiter mediante, cum Patre unum efficimur. Pater, inquit, sancte serva eos, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos. Non pro his rogo tantùm, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut & ipsi in nobis unum sint, & mundus credat, quia tu me misisti.

COMMENTARIUM.

1. IN hoc §. respondet Innoc. III. prædicto Joanni circa illam quæstionem, an aqua, quæ cum vino in calicem mixta offertur, convertatur mediatè vel immediatè in sanguinem Domini? Et propositis tribus sententiis, ut probabiliorem secundam amplectitur, quæ asserit, aquam vino mixtam in sanguinem Christi converti. Quam universi Theologi posteriores sequuti sunt. Ex quo videtur motus Baronius *anno 1192. numer. 24.* ut hæresim appellaret sententiam negantem aquam in vinum converti. Sed verè excessit à censura; quia Innocentius non approbavit prædictam sententiam ut fide certam, sed ut probabiliorem: & cùm dependeat ex Philosophico principio conversionis aquæ in vinum, quod in Philosophia non est certum, siquidem aliqui affirmant, aquam vino infusam, fradsit tempus sufficiens ad transmutationem, in vinum conver-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

verti, ut Petrus Garcia Primarius Complutensis *sen. 1. disput. 7. cap. 2.* pro se adducens Galenum *lib. 1. de elementis cap. ult.* & Philosophum *de generatione textu 34. 39. & 88.* & hanc fuisse Philosophi sententiam testantur D. Thomas *3. p. quæst. 77. artic. 8.* D. Bonaventura *in 4. dist. 11. dub. 3.* Albertus Magnus *in 4. dist. 11. artic. 9.* Alii verò negant, aquam etiam modicissimam in vinum converti, ut Philoponus *lib. 1. de generat. textu 84.* & ex modernis Theologis Koninch. & Lugo relati à Magistro Prado *lib. 1. de generat. quæst. 31. §. 4.* Consequenter prædicta secunda sententia non est certa secundùm fidem, nec certitudine conclusionis theologicæ deductæ ex una præmissa de fide, & alia lumine naturali nota; sed præcisè est opinio probabilior, ut eam declaravit Innocentius. Adeo tamen eam fusè disputant Theologi, ut juxta institutum nostrum eam in præsenti prosequi, & discutere esset actum agere, & granum mittere in acervum. Videndi sunt Alanus *lib. 1. de Euchar. cap. 13.* Salmeron. *tom. 6. in Evang. tract. 4. §. ad hæc*, Toletus *in Summa, lib. 2. cap. 25.* Ægidius Romanus *3. p. q. 74. artic. 8. dub. 1.* Bernal. *disput. 28. sect. 4.* Cardinal. Lugo *disputat. 4. de Eucharist. sect. 3.* Raynaredus *in Onomast. Eucharist. verbo Mixtum*, Dicastillus *tract. de Eucharist. disputat. 2. dub. 9. p. 2.* Paulus Aresius *in peculiar. opusc. de hac quæstione, sect. 7.* Pasqualigus *disp. 91. sect. 7.* Joannes Bapt. Scortia *de sacrif. Missæ lib. 1. cap. 4.* Diana *p. 3. tract. 4. resol. 49. & 5. part. tract. 5. resol. 56.* Basilius Pontius *in speciali opusc. de hac quæstione edito.* Manrique *annal. Cistercien. anno 1202. cap. 2.* Basseus *in summa, verbo Eucharistia, num. 14.* Raynaud. *in Onomast. Eucharist. verbo Mixtum.* P. Henao *de Eucharist. disput. 4. sect. 4.* Martinez à Prado *de Eucharist. dub. 10.*

§.

TErtio loco fraternitas tua requisivit, quare fuerit mutatum, quod in secreta B. Leonis, secundùm antiquiores codices continetur, sic videlicet: Annue nobis Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio. Cùm in modernis sacramentariis habeatur: Annue nobis quæsumus, ut intercessione Beati (a) Leonis hæc nobis prosit oblatio. Super quo respondemus, cùm sacræ Scripturæ dicat auctoritas, quod injuriam facit Martyri, qui orat (b) pro Martyre, idem est ratione consimili de Sanctis aliis sentiendum: quia orationibus nostris non indigent, pro eo, quod cùm sint perfectè beati, omnia eis ad vota succedunt: sed nos potiùs orationibus eorum indigemus, quos (cùm miseri simus) undique mala nostra perturbant. Unde quod in plerisque orationibus continetur: Prosit, vel proficiat huic Sancto, vel illi, talis oblatio ad gloriam, & honorem; ita debet intelligi, ut ad hoc prosit, quod magis, ac magis à fidelibus glorificetur in terris: licèt plerique reputent non indignum, Sanctorum gloriam usque ad judicium (c) augmentari; & ideo Ecclesiam interim sanè posse augmentum glorificationis eorum optare. Verùm utrum in hoc articulo locum habeat illa (d) distinctio, quâ docetur, quod defunctorum alii sunt valde boni, alii sunt valde mali; alii mediocriter boni, alii mediocriter mali: unde suffragia quæ fiunt à fidelibus in Ecclesia pro valde bonis, actiones sunt (e) gratiarum; pro valde malis, consultationes vivorum; expiationes verò pro mediocriter bonis; & propitiationes pro mediocriter malis: tua discretio investiget.

NOTÆ.

1. (a) B. *Leonis.*] Secundi videlicet *in lib. Sacram. D. Gregorii, pag. 122.* ubi legitur: *Ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio.* In codice autem Rodradi habetur: *Ut intercedente B. Leone nobis prosit oblatio.* Et in Missali Romano: *Ut intercessione B. Leonis:* ut notavit Menardus ad D. Gregorium ubi suprà, *fol. 167.* & indè deducit P. Vazquez *3. part. in 3. part. disputat. 127. cap. num. 22.* Ecclesiam nonnunquam ex justis causis mutasse aliquid ex pertinentibus ad accidentalia Sacramentorum, & hodie in oratione secreta oratur à nobis Deus, ut beata retributio sanctum Leonem comitetur.

2. (b) *Qui orat pro Martyre.*] Hæc verba non reperiuntur in sacra Scriptura; extant tamen apud D. Augustinum *sermon. 27. de verb. Apostol.* & *sermon. 107. cap. 2. & tract. 87. in Joannem.* Quare Bellarminus *tom. 1. contr. lib. 2. de Concilies, cap. 12.* ait, Innocentium in præsenti appellasse sacram Scripturam sententiam D. Augustini, ad differentiam prophanæ Scripturæ, ut etiam fecerunt D. Benedictus *cap. 13. suæ regulæ: Sicut dicit Scriptura, voluptas pœnam, & necessitas parit coronam.* Nec tamen uspiam comparet ea sententia in sacris Bibliis: & S. Valerius *in dictis de generibus monac.* apud S. Benedictum Amianensem, *cap. 3.* ait: *Scriptura testatur, quod omne peccatum, quod remissus, indisciplinatusque admisernt frater, ad negligentiam prorsus revertatur seriorem.* Et frustra hæc verba quærres in sacra Scriptura: & Magist. Sentent. *lib. 1 dist. 26. littera B.* nomen ipsum sacræ Scripturæ adhibet, ad designandum PP. scripta. Notarunt Molanus *in quodlibet trium qq.* Menardus *in not. ad concord. regul. B. Benedict. Amian.* Theophilus *tom. 13. tract. Anagnostas ad sacram mensam, cap. 8.* Aliter docent P. Henao *d. Eucharist. disp. 17. sect. 3.* Thomas Hurtado *de vero martyr. tract. 7. resol. 40. §. 7.* videlicet, Innocentium docere intendere, sententiam hanc inveniri implicitè in sacra Scriptura, sicut apud Joannem *cap. 7. vers. 38.* Christus Dominus tribuit scripturæ verba illa: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent*

fluent aquæ vivæ. Cùm tamen ea non legantur in veteri Testamento, sed sensus quem continent inde eliciatur, ut jam notarunt ibi Ribera, Tolet. & Franc. Lucas. Vera autem ratio hujus quasi effati, injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre: præter aliam minùs idoneam, excogitavit Carillo *in explicat. bullæ defunct. part. 2. cap. 13. num. 10.* deducenda est ex revocata in dubium certitudine gloriæ, quam Martyr consummatus patitur, si pro ejus sublevatione fundatur oratio, sicut funditur pro aliis defunctis.

3. (c) *Augmentari.*] Quod roboratur auctoritate D. Thomæ *1. p. quæst. 62. artic. 9. ad 2. & 2. 2. quæst. 13. artic. 4. ad 2. & in 4. dist. 5. quæst. 2. artic. 1. q. 6.* cujus sententiam communiter sequuntur Thomistæ. Sed *in addit.* sanctus Doctor *in 4. dist. 11. q. 2. art. 1.* ait, quod gaudium accidentale Beatorum crescit eis, de omnibus benefactis pro eis, videlicet de gratiarum actione: quam sententiam illustrat Thomas Hurtado *de vero martyrio resol. 43. §. 7.*

4. (d) *Distinctio.*] Quæ est D. Augustini *in cap. tempus 13. q. 2.* cui convenit Hildebertus Episcopus *in carmine de offic. Missæ.*

Perfectos, valdeque malos, nil vota suorum,
Nil impensa precum, nil holocausta juvant,
Nam nec justus eget, nec pessimus ista meretur:
In medio est veniam cui sacra mensa parat.

5. (e) *Gratiarum sunt actiones.*] Et eo modo nonnunquam dicitur offerri sacrificium pro Sanctis, videlicet in gratiarum actionem. D. Clemens *lib. 6. constit. cap. ultimo*, ibi: *Convenite in cameteriis ad legendos sacros libros, & canendos psalmos pro mortuis martyribus, & sanctis omnibus, qui sunt à sæculo defunctis ac pro fratribus vestris, qui in Domino mortui sunt.* Sanctus Cyprianus *epist. 34.* ibi: *Veri, & spirituales Dei milites, dum diabolum Christi confessione prosternunt, palmas à Domino, & illustri professione coronas meruerunt: sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quotiens Martyrum passiones, & dies anniversariâ commemoratione celebramus.* D. Chrysostomus *homil. 21. in acta: Quid tibi videtur, quod pro martyribus offertur, quod vocantur in illa hora: licèt Martyres sint, etiam pro Martyribus offertur. Magnus honor nominari Domino præsente.* Sanctus Epiphanius *hæresi 75.* Offerri enim potest sacrificium pro Sanctis, non quatenus propitiatorium est, & impetratorium, quasi pro his, qui jam beati sunt, aliquid, quod eis desit ad salutem, postuletur. Sed offerri potest sacrificium ipsum, ut est Lautreticum, & Eucharisticum, ad Deum cum eis adorandum, & pro his glorificandum, cujus gratiâ ad æternam gloriam per tantas victorias, & triumphos pervenerunt: quæ Dei dona sunt, & gratiæ, ac bonitatis ejus opera glorioſa. Et licèt sancti non sint capaces fructus satisfactorii, sunt capaces gaudii accidentalis. Docuerunt, & latiùs prosequuntur Hurtado *d. §. 7. per tot.* Bellarmin. *de Purgat. lib. 2. cap. 18.* Suarez *lib. 1. de orat. cap. 14. n. 4.* Andreas Sausay *in Panopl. sacerd. part. 2. lib. 1. art. 1. per tot.* F. Alfons. Mendoza *quæst. 6. scholast.* P. Henao *tom. 2. de sacrif. Missæ, disp. 17.* ubi exponit difficilem locum Missalis Muzar, ubi sacerdos offerens ita orat: *Item pro spiritibus pausantium Hilarii, Athanasii, Martini, Ambrosii, Augustini, Fulgentii, Leandri, Isidori,* Theophilus Raynaud. *tom. 16. in Heterocl. spirit. sect. 1. fol. 4.* & *tom. 5. p. 2. cap. 2. fol. 254.* 6.

(f) *Mediocriter malis.*] Hæc verba meritò difficillima visa sunt Bellarmino *lib. 2. de purgat. cap. 18.* Suario *tom. 3. in 3. p. disput. 78. sect. 3.* & *tom. 4. disput. 48. sect. 4. num. 9.* Theophilo Raynaud. *tom. 15. in Heterocl. spirit. sect. 3. punct. 1. quæsit. 1. fol. 432.* Nam cum certum sit, suffragia nostra inutilia esse valde bonis animabus, videlicet Beatis & Martyribus, ut proximè probavi; & etiam offerri non posse pro valde malis, videlicet in inferno existentibus, utlatè probant Salas 2. *2. tract. 13. disput. 15. sect. 3.* Sanderus *lib. 7. visibilis monarch. hæresi 46.* Jodocus Coccius *tom. 2. lib. 10. artic. 7.* Castro *adver. hæres. verbo Infernus,* Theophilus *dicto quæsit. 1.* pro mediocriter verò bonis, hoc est pro animabus detentis in purgatorio Missæ sacrificium ritè, & utiliter offerri posse, ut probavi *in cap. final. de testament.* inquirendum est, quinam sunt mediocriter mali, quibus prodesse possunt suffragia nostra, ut Innocentius ait? Bellarminus *ubi suprà*, suspicatur Innocentium III. memoriâ lapsum, quadrimembrem fecisse divisionem animarum, quæ apud D. Augustinum, cujus doctrinam in præsenti §. repræsentavit Pontifex, non est nisi trimembris, videlicet carum animarum, quæ beatæ sunt, & valde bonæ dicuntur; & damnatarum, quæ valde malæ in inferno cruciantur, & earum, quæ mediocriter bonæ sunt, & in purgatorio detinentur. Aliam adducit solutionem idem Bellarminus, quam & assignarunt Suarez, ac Theophilus *ubi suprà*, videlicet mediocriter malos appellari eos, qui supra reatum pœnæ, quo solo inquinantur, & cujus ratione detinentur in purgatorio, appellanturque mediocriter boni, retinent etiam culpam venialem; nam etiamsi verior sententia ferat, culpas minutas hinc exportatas in ipso puncto mortis obliterari quoad maculam; tamen non est id prorsus certum. Itaque potuit Innocentius opinari, ac proinde duo illa ultima membra divisionis, quam proposuit, spectabunt ad animas purgatorii, vel ut alii volunt, ad defunctos cum solo originali peccato.

CAPUT VII.

Idem *Rectoribus Rom.* (a) *Fraternitatis.*

DE homine. *Et infrà:* Quæsivistis à nobis, quid de incauto presbytero videatur, qui se sciens in mortali crimine constitutum, Missarum solennia, quæ non potest propter necessitatem quamlibet intermittere, pro sui facinoris conscien-

conscientia dubitat celebrare, arctatusque graviter à duobus, dum divinum exequi mysterium metuit, ne populum illum expectantem offendat, corpus Christi perficere perhorrescit, ne sumens ipsum indignè, judicium sibi manducet, & bibat: peractis cæteris circumstantiis, Missam celebrare se fingit, & suppressis verbis, quibus conficitur corpus Christi, panem, & vinum tantummodo purum sumit: ita credens per id, quod prætendit, populo satisfacere, ut per id, quod intendit, Deum non debeat provocare. Cùm ergo falsa sint abjicienda remedia, quæ sunt veris periculis graviora, licèt is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, ab hujusmodi Sacramento reverenter debeat abstinere, ac ideo peccet graviter si se ingerit irreverenter ad illud; tamen graviùs procul dubio videtur offendere, qui sic fraudulenter illud præsumpserit simulare, cùm ille culpam vitando, dum facit, in solius misericordis Domini manum incidat: iste verò culpam faciendo, dum vitat, non solùm Deo, cui non veretur illudere, sed populo, quem decepit, se astringat.

NOTÆ

1. (a) *Rom. Fratern.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 6.* Sed cùm hæc epistola non reperiatur inter editas à Sirleto, & Bosqueto, cognosci nequit, de qua fraternitate Romæ erecta agat Innocentius in præsenti. Illud in præsenti docetur, graviùs peccare sacerdotem, qui simulat consecrare, & exponit hostiam non consecratam adorandam populo, quàm illum, qui in peccato mortali offert sacrificium & consecrat. Quod & ad eum casum, in quo sacerdos peccatori intendit dare hostiam non consecratam pro consecrata, ad vitandum sacrilegium, extendit Joan. Sanchez *in selectis, cap. 35.* ubi textum hunc exponit. Et hanc Innocentii doctrinam post longum examen confirmant Petr. Joan. Oliv. *quodlibet. 5. quæst. 10.* Theophilus *tom. 16. in Heterocl. punct. 4. fol. 70.* & meritò, quia pejus est conari falsam reddere veritatem fidei, quod facit simulatè sacrificans; quàm indignè, sed verè celebrare. Atque pejus est simulato sacrificio horribiliter Deo illudere, quàm malè sacrificare. Continet præterea ea simulatio externam malè sacrificantis idololatriam erga purum panem, & excitationem totius Ecclesiæ ad similem turpitudinem. Similiter etiam nec poterit sacerdos ad celandum peccatum, & servandam famam occulti peccatoris, porrigere illi falsam hostiam? immò tenetur illum ad veram communionem eam publicè petentem admittere, *cap. placuit 6. quæst. 2. cap. si sacerdos 2. de offic. ordin.* Potest tamen ex probabili sententia, quam contra Joannem Sanchez defendit Theophilus *ubi proximè*, ad servandam similis peccatoris famam, conventione priùs cum eo habita, sacerdos veram hostiam ori peccatoris admovere simulando, nec reipsa illi Eucharistiam tradendo. Nec his omnibus obstat, posse confessarium pro servanda fama peccatoris simulare absolutionem pro sedando scandalo, quod oriri posset, si peccator ad pedes sacerdotis hærens discederet absque absolutione; nam cùm eo casu nulla detur illusio sacramenti, nec etiam periculum idololatriæ ex parte ministri, neque ex parte adstantium, potest tunc confessarius agnoscens indispositionem pœnitentis simulare absolutionem, ut ejus famæ consulant. Docent, & alios casus adducunt Vazquez *3. p. in 3. disput. 209. num. 41.* Suarez *tom. 3. in 3. disputat. 67. sect. 4.* Joannes Sanchez *ubi suprà.*

CAPUT VIII.

Idem (a) *Farrarien. Episcopo.*

IN quadam (b) nostra decretali epistola asseris te legisse, illud esse nefarium opinari, quod quidam dicere præsumpserunt, in Sacramento videlicet Eucharistiæ aquam in (c) phlegma converti: nam & de latere Christi, non aquam, sed humorem aquaticum mentiuntur exiisse. Licèt autem hæc magnos, & authenticos viros sensisse recenseas, quorum opinionem dictis, & scriptis hactenus es sequutus; ex quo tamen in contrarium nos sentimus, nostræ compelleris sententiæ consentire. Sed verbum Joannis Apostoli te multùm movere fateris, dicentis: Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis; & hi tres unum sunt: quamvis hoc ultimum in plerisque codicibus minimè habeatur. Quod dicis sic exponi ab omnibus, illos videlicet esse unum, idest de una, & eadem re; scilicet de humanitate Christi, testari. Porrò si vera fuit aqua, quæ fluxit de latere Christi, & non humani corporis humor, qualiter per illam probetur, quod Christus sit homo verus, non vides.

Gloſſa namque ſuper illum locum ſic ſe habet; Spiritus, id eſt, humana anima, quam emiſit in paſſione. Aqua, & ſanguis, quæ fluxerunt de latere Chriſti, quod fieri non poſſet, ſi non haberet veram carnis naturam. Sic ergo tam ex textu, quàm ex gloſſa proponis, per illam aquam probari, quod Chriſtus ſit verus homo; & ideo ſi dicatur, quod illa non extitit vera aqua, ſed aquaticus humani corporis humor; tam expoſitoris, quàm Apoſtoli verba intelligibilia tibi eſſe videntur: ſed dato, quod fuerit vera aqua, ſicut nos credimus, & fatemur, nec iſta, nec illa ſufficienter intelligis. Unde nobis humiliter ſupplicaſti, quatenus ad generalem utilitatem legentium, & nebulam de tuo corde tollendam, ſufficienter, & evidenter exponere dignaremur. Nos igitur ad tuæ ſupplicationis inſtantiam reſpondemus, quod quidam dixerunt, ſed erraverunt, Chriſtum non fuiſſe verum Deum, ſed adoptivum, ut miſeri Arriani. Alii Chriſtum non fuiſſe verum hominem, ſed phantaſticum, ut impii Manichæi, Sed adverſus has hæreſes Joannes Apoſtolus in epiſtola ſua loquitur dicens: Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus: & hi tres unum ſunt. Per hoc intendens oſtendere, quod Chriſtus ſit verus homo: nam ad eſſe hominis duo principaliter exiguntur, videlicet corpus, & anima, ex quorum conjunctione verus homo ſubſiſtit. Per hoc autem, quod in articulo mortis Chriſtus inclinato capite tradidit ſpiritum, de quo voce magna clamaverat: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum; manifeſtè probatur, quod ipſe ſpiritum habebat, non ſolùm vitalem flatum, ſed animam quoque rationalem, de qua prædixerat: Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem: & poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam. Per hoc autem quod unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit ſanguis, & aqua, probatur apertè, quod Chriſtus verum corpus habebat: nam de phantaſtico corpore, nec ſanguis, nec aqua potuiſſet exire; unde ille, qui vidit, teſtimonium quidem perhibuit, & teſtimonium ejus eſt verum: quia tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & ſanguis. Quod videlicet Chriſtus ſit verus homo ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens, probatur ex eo, quod ſpiritum vitalem emiſit ex vero corpore. Quod inde probatur, quoniam ex eo ſanguis exivit, & aqua. Rationalis quippe anima non poſſet vivificare niſi corpus humanum, ex quibus verus homo conſiſtit. Cæterùm, ſicut *verus fuit ſpiritus*, & verus ſanguis, ita proculdubio vera aqua; cùm Chriſtus ſit veritas, & à veritate omnis fallacia ſit penitùs aliena. Nam ſi non fuiſſet aqua, ſed phlegma, quod de latere Salvatoris exivit, ille qui vidit, & teſtimonium perhibuit veritati, profectò non aquam, ſed phlegma dixiſſet: nec in hoc verum regenerationis ſacramentum fuiſſet oſtenſum, cùm per ſacramentum Baptiſmi non regeneremur in phlegmate, ſed in aqua: neque per hoc poſſet vero probari argumento, quod in ſacramento Euchariſtiæ admiſcenda ſit aqua vino, ſi de latere Chriſti non aqua, ſed phlegma cum ſanguine profluxiſſet: ſed nec vera fuiſſet figura, quæ ſuper hac re præceſſit in veteri Teſtamento, quando videlicet Moyſes virgâ percuſſit ſilicem, & ex ea quidem non phlegma, ſed aqua manavit. Reſtat igitur, ut qualiſcunque fuerit illa aqua, ſive naturalis, ſive miraculoſa, ſive de novo divinâ virtute creata, ſive de componentibus ex parte aliqua reſoluta: proculdubio vera fuit, cùm naturaliter poſſit & compoſitum in componentia, & elementarium in elementa reſolvi: quemadmodum verus extitit ſudor ipſius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Cùm autem ad compoſitionem humani corporis quatuor elementa concurrant, videlicet terra, aqua, aër, & ignis; & ad vegetationem ejuſdem corporis quatuor humores conſimiles illis conveniant, videlicet ſanguis, & cholera, phlegma, & melancholia: ut veritatem humani corporis expreſſiùs demonſtraret, unum ex illis, & unum ex iſtis Joannes expreſſit; illaque potiùs ex illis, & iſtis, quæ magis miniſterio congruebant; ex elementis aquam; & ex humoribus ſanguinem: in quibus duobus duo maximè ſacramenta, Redemptionis videlicet, & Regenerationis elucerent.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. (a) *Errarienſis.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap. 6.* Hugoni videlicet, vel Roialdo, qui ambo floruerunt in Eccleſia Ferrarienſi temporibus Innocentii III. ut refert Vghel. *tom. 2. Italiæ ſacræ, fol. 376.* De Eccleſia Ferrarienſi aliqua adduxi *in cap. cum M. de conſtit.*

(b) *Quadam Decretali.*] Suprà relata *in cap. cùm Martha.*

2. (c) *In phlegma.*] Prima enim opinio in illa vexata quæſtione, de aqua vino in calice mixta convertenda immediatè, vel mediatè in ſanguinem Chriſti, antiquorum Theologorum fuit, vinum infuſum calici converti in ſanguinem, & aquam in humorem phlegmaticum, quem de latere Chriſti exiiſſe dicebant. Quæ opinio meritò damnatur ab Innocentio in præſenti, ut erronea, quia tria continet falſa: Primum, aquam non converti in vinum virtute ipſius; quod apertè adverſatur rectæ Philoſophiæ. Secundum, aquam nondum in vinum converſam, in humorem illum tranſire; nam quicquid convertitur in aliam ſubſtantiam, cùm fit conſecratio, virtute verborum convertitur. Verba autem ſolùm vim habent convertendi juxta veritatem ſignificationis, ut vera reddantur; nullum autem verbum conſecrationis denotat aliquid, ad cujus veritatem neceſſaria ſit converſio aquæ in humorem illum; ſiquidem illis ſolus ſanguis Chriſti ſignificatur. Tertius error eſt, ex latere Chriſti non fluxiſſe veram aquam, ſed phlegmaticum humorem, contra teſtimonium D. Joan. *cap. 5.* quod de fide eſſe, defendunt cum D. Thoma *3. p. q. 66. artic. 4.* & *q. 74. art. 7. ad 3.* Theologi *ibi*, Suarez *tom. 2. in 3. diſputat. 51. ſect. 1.* & *tom. 3. diſp. 45. ſect. 4.* Unde licèt hæc opinio à quibusdam Theologis teneretur, tamen ut improbabilem omiſit Innocentius *in d. cap. cùm Martha*, §. *quæſtioniſti*, dum aliorum opiniones probabiles refert.

CAPUT IX.

Idem (a) *In Concilio generali.*

DOlentes referimus, quod non ſolùm quidam minores clerici, verùm etiam aliqui Eccleſiarum Prælati circa (b) comeſſationes ſuperfluas, & confabulationes illicitas, ut de aliis taceamus, medietatem noctis expendunt, & ſomno reſiduum relinquentes, vix ad diurnum concentum avium excitantur, transcurrendo undique continuatâ ſyncopâ Matutinum. Sunt & alii, qui Miſſarum ſolennia (c) vix celebrant in anno, & quod deterius eſt, intereſſe contemnunt: & ſi quando his evidenter interſunt, chori (d) ſilentium fugientes, intendunt externis colloquutionibus laicorum: dumque auditum ad indebitos ſermones fundunt, aures intentas non porrigunt ad divina. Hæc igitur, & ſimilia ſub (e) pœna ſuſpenſionis penitus inhibemus, diſtrictè præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum (f) officium, nocturnum pariter, & diurnum, quantùm eis Deus dederit, (g) ſtudiosè celebrent pariter, & devotè.

NOTÆ.

1. (a) *Generali.*] Lateranenſi videlicet, celebrato ſub Innoc. III. ubi *cap. 17.* reperitur textus: & in quarta collectione *ſub hoc tit. cap. 2.* de quo Concilio nonnulla notavi *in cap. 1. de ſumma Trinit.*

(b) *Comeſſationes.*] Comeſſatio eſt convivium, ubi more temulentorum, & ebriorum jocatur, quæ omni jure exoſa eſt, ut probavi *in cap. à crapula, num. final. de vita & honeſt. Cleric.*

2. (c) *Vix in anno.*] Quam ſacerdotum negligentiam ſemper condemnatam legimus in Eccleſia, & à Principibus ſæcularibus. Concil. Tolet. 1. *can. 5.* relato *lib. 7. capitul. Caroli, cap. 161.* ibi: *Si quis Presbyter, vel diaconus, aut quilibet clericus Eccleſiæ deputatus, ſi intra civitatem fuerit, aut in quolibet loco, in quo Eccleſia eſt, & ad quotidianum pſallendi ſacrificium matutinis, vel veſpertinis horis ad Eccleſiam non convenerit, deponatur à clero.* Et *l. ſancimus 42. §. 10. C. de Epiſc. & cler.* Concil. Rhotomag. celebrato anno 1581. de presbyteris recens ordinatis ita cavetur: *Moneantur inſuper, ut intra ſemeſtre ſine alterius cujuscumque licentia Miſſam primam celebrent, & deinceps repetant, ſaltem omnibus diebus Dominicis, & feſtivis ſolennibus: ſi autem curam habuerint animarum, tam ſi frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant.* Rhemenſi *can. 8.* ita de Eucharistia: *Sacerdotes non diebus tantùm ſolennibus, ſed etiam Dominicis, ſæpiusque, ſi fieri poteſt, ſacrificent.* Concil. Aquenſi: *Curiatiter in hebdomada ſacrum faciant, aut eo etiam ſæpius, ſi vel loci conſuetudo, vel neceſſitas crebriorem divini ſacrificii uſum poſtulabit. Cæteris etiam clericis præcipimus, ut ſingulis menſibus.* Refert Joannes Filiac. *lib. 1. ſelect. cap. 18.* Tales enim ſacerdotes nulla ratione ita appellari poſſunt, quandoquidem verbi iſtius, *Sacerdotis*, notio alia non eſt, juxta D. Iſidorum *lib. 7. orig. cap. 12.* quàm ex actione myſtagogi; ita ut ſacerdos *à ſacrificando* vocetur. *Conſecrat enim, & ſanctificat*, ait S. Doctor, quidni eò ſpectat illud, quod docet B. Hieronym. *lib. 3. adverſus Pelag.* dum Miſſam vocat quotidianum corporis Chriſti ſacrificium; & certè non aliâ ratione B. Ambroſius *epiſt. 29.* ad Theodoſium Imper. ſcribit, *Presbyteris gradu functos meritò conqueri, quòd per innumeros annos à munere ſacro retrahantur, & curiæ deputentur.* Unde ſimiles ſacerdotes iguavos, & ſocordes peccare lethaliter, ex D. Thom. *in 4. lib. 3. diſt. 13. q. 1. art. 2.* docuerunt Valent. *3 p. de Euchar. q. 10.* Theoph. *tom. 16. in Heteroc. ſect. 1. in princip.* Vazquez *3 p. diſp. 232. cap. 1.* Sauſay *in Panopl. ſacerd. p. 2. lib. 1. cap. 12. & 3.* Thom. Hurt. *tom. 1. reſol. mor. cap. 7. per tot.*

3. (d) *Silentium.*] Quod in ſacris miniſteriis ſummè convenit, ne dum peraguntur divina officia, clamor

clamor aliquis, aut strepitus interturbet. D. Ambrosius *de virginibus*, ibi : *An quidquam est indignius, quàm oracula divina circumstrepi, ne audiantur, ne credantur, ne revelentur? Circumsonare sacramenta confusis vocibus, cùm Gentiles idolis suis reverentiam tacendo deferant?* Cæsarius quoque Arelat. magnas in eosdem jactat minas, dum *homil. 34.* ita scribit : *Qui in Ecclesia ineptis, & incongruis fabulis occupatur, quasi venenum, & gladium reliquis hominibus ingerere, vel præbere cognoscitur, dum verbum Dei nec ipse audit, nec alios audire permittit: qui enim talis est, & pro sua, & pro aliorum destructione in die judicii reddituru est rationem.* Facit Seneca *de vita beata*, ad Gallonem, ibi : *Et ipsam, & Deos professores ejus, & Antistites colite . & quando mentio sacrarum litterarum intervenerit, favete linguis. Hoc verbum, non ut plerique existimant, à favore trahitur, sed imperatur silentium, ut rite peragi possit sacrum, nullâ malâ voce obstrepente.* Quintilianus *declamat. 365. In templo verò, in quo verbis parcimus, in quo animos componimus, in quo etiam tacitam mentem nostram custodimus, pulsare velut in solitudine, velut in secreto quodam non est ferendum.* Et *in l. denunciamus, C. de his qui ad Eccles. confugiunt*, vota convenit celebrari. Plura Brissonius *de formulis lib. 1. pag. 8.* Mornacius *in d. l. denunciamus 4.* Gazæus *ad Cassianum lib. 2. instit. cap. 10.* Ferrarius *de ritu concionandi lib. 1. cap. 13.* Novarinus *lib. 2. schediasm. cap. 24.* Cresolius *lib. 3. mystag. cap. 22.* De reverentia, & modestia in Choro Ecclesiastico servanda, plura congessit Hurtado *de vero martyr. digress. 4. sect. 30.*

4. (e) *Pœna suspensionis.*] Quæ in præsenti non imponitur, sed comminatur, ut declaravit Honorius III. rescribens Decano, & Capitulo Compostel. *in cap. 3. de vita & honest. Cleric. in 5. compil.* his verbis : [Consuluisti tandem de clericis, qui chori silentium fugientes, intendunt externis colloquutionibus laicorum; dumque auditum ad indebitos sermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad divina: si quid de talibus in eodem Concilio noscitur institutum, canon fuit latæ sententiæ, vel ferendæ. Ad quod breviter respondemus, quod pœnam illa constitutio non infligit, sed potiùs comminatur, & exprimit infligendam, quæ meritò ad illos extenditur, qui quamvis in choro inter celebrantes existant, sermonibus tamen illicitis, & linguas, & aures involvunt, cùm non solùm in seipsis offendant, sed etiam aliis impedimento tales existant.]

(f) *Et divinum officium.*] De quo egi *in cap. 1. hoc tit.*

5. (g) *Studiosè.*] Seu sapienter, ut exponunt PP. sanctus Basilius in regulis brevioribus, *cap. 279.* ibi: *Quid est, psallite intelligenter? Prorsus quod est in cibis sensus cujusque cibi: hoc in verbis sacrosanctarum litterarum est intelligentia: guttur enim escas gustu dijudicat; mens autem intelligendo verba discernit. Si quis igitur ad vim verbi cujusque animo etiam ita simul afficiatur, quemadmodum gustatu ad qualitatem cujusque cibi, prorsus hic mandato illi satisfacit, quod est: Psallite intelligenter.* Itaque psallere sapienter est cum attentione canere, non solùm linguâ, verùm etiam corde, & animo, ut ex D. Bernardo *sermon. 7.* in Canticum, probat Haæphtenus *lib. 7. disquisit. tract. 4. disquis. 7.*

(h) *Et devotè.*] Consentiunt PP. Concilii Colon. *anno 1536. p. 2. cap. Non sufficerit autem preces istas horarias utcunque præmurmurasse, sed ut conciliari constitutione cautum est, presbyter ex intimo affectu, elevataque mente in solum Deum noctumum hoc, diurnumque suæ servitutis pensum exsolvat.* Sanctus Benedictus *in sua regula*, ibi: *Sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ.* S. Basilius *in admonit.* ibi : *Ne dissonans sit à sono vocis suæ sensus tuus, sed in lingua verba vigil intendat.* Et D. Ambrosius *lib. 6. de sacrament. cap. 8.* ibi: *Non de labiis tantummodo tua procedat oratio, animo totus intende ingredere, non te perfunctorium videat ille, cui placere desideras: videat, quia ex corde oras, ut te ex corde orantem dignetur audire.* S. Augustinus *cap. 9. suæ regulæ*, ibi: *Psalmis, & hymnis, cùm oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in voce.* Unde attentionem in canonicis horis persolvendis desiderari Sancti PP. inculcant, præcipuè D. Cyprianus *in lib. de orat. Dominica*, ibi: *Quando stamus ad orationem, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus, cogitatio carnalis omnis, & sæcularis abscedat, nec quidquam tunc aliud animus, quàm id solum cogitet, quod precatur.* Et rursus : *Quæ segnitia est alienari, & rapi ineptis cogitationibus, & prophanis, cùm Dominum deprecaris, quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quam quod cum Deo loqueris? Quomodo te audiri à Deo postulas, cùm te ipse non audias. Vis esse Deum memorem tui cùm rogas, quando tu ipse memor tui non sis? Hoc est, ab hoste in totum non cavere: hoc est, quando oras Deum, majestatem Dei negligentiâ offendere: hoc est, vigilare oculis, & corde dormire?* Hæc attentio autem variè considerari solet, quia attendere possumus ad verba tantùm, ad sensum verborum, sive litteralem, sive spiritualem, & mysticum, vel ad Deum nobis præsentem, Christumque horarum mysteriis repræsentatum, vel ad res quæ petuntur : verbi gratia castitatem, humilitatem, charitatem, divinam gratiam, æternam gloriam, ut post D. Thomam 2. 2. *quæst. 83. artic. 3.* docent Cajetanus *in summa, verbo Horæ, num. 9.* Bravo *ad regul. D. Benedicti, segmento 21.* P. Mendo *in statera, dissert. 7. q. final.* Prado *tom. 2. Theolog. moral. cap. 30. quæst. 8. §. 2.* Deinde attentio hæc duplex est; alia formalis, sive actualis; alia virtualis. Formalis dicitur cùm quis actu, & reipsa considerationem retinet circa unam ex quatuor jam enumeratis. Virtualis verò est, quæ censetur manere ex vi, & ratione propositi, quo quis se applicuit ad orandum, volens uno ex quatuor illis modis attendere. Quæ intentio moraliter perseverat, donec vel expresse, vel implicitè revocetur. Quibus suppositis juxta communem Moralistarum sententiam dicendum est, quamlibet ex prædictis attentionibus, etiam virtualem, sufficere ad implendum præceptum de horis canonicis, licèt saluberrimum sit per inferiorum attentionum modos, tanquam gradus quosdam, ad superiorem, divinamque contemplationem niti. 6.

Illud tamen in præsenti difficile est, quomodo actio interna lege positiva præcipitur, cùm actus interni per se imperari non possint à jure positivo, *cap. sicut tuis, cap. tua nos, de simonia, cap. si quando 15. q. 6. cap. consuluisti 2. q. 5. cap. Christiana 32. q. 5. cap. erubescant 32. dist. cap. cogitationis, cap. cogitatio, de pœnis. dist. 1.* Qui 7. Distinguitur inter actus interiores, quos imperare non possumus, & alios, quos imperare possumus.

canones etiam sacræ paginæ testimoniis firmantur; nam *lib. 1. Regum, cap. 16. num. 67.* legitur: *Homines vident ea, quæ patent, Deus autem intuetur cor.* Et *1. ad Corinth. cap. 4. vers. 5. Nolite ante tempus judicare, quousque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Rationem ex Aristotele *lib. 10. Ethicor. cap. ult.* reddit D. Thomas 1 2. *q. 100. artic. 9. in corpore*; videlicet illud solum cadere sub præcepto, ad quod faciendum lex cogere potest; nisi enim vis coactiva conjuncta sit cum potestate legislativa, inutilis sanè erit hæc potestas, & lex ab ea lata nihil efficiet, si cogendi vim non habeat: sed ad actus internos homo ab homine cogi nequit, quia solùm eo modo homo hominem cogere valet, quo cum eo agere more humano potest; quia humanus mos operatio est sensibilis, corporea, & externa. Nam spiritualis separata à materia sensibili, ad Angelos, vel ad animas separatas pertinet: latè probant Castro *de lege pœn. lib. 2. cap. final.* Bellarminus *tom. 1. lib. 4. de potest Pontif. cap. 20.* & *lib. 3. de laicis, cap. 11.* Suarez *lib. 3. de legibus, cap. 13. num. 2.* & *lib. 4. cap. 12. num. 4.* Sanchez *in Decal. lib. 6. cap. 2. num. 6.* Vazquez *1. 2. disp. 160. cap. 2.* Salas *de legibus tractat. 1. disput. 9. sect. 1. num. 3.* Azor *p. 1. instit. lib. 5. cap. 10.* Covar. *in cap. alma mater, p. 1. §. 11.* & *in regula Peccatum, p. 2. num. 7.* Gutierrez *lib. 2. canonic. cap. 13.* Franc. Valens *in concord. juris, 2. p. disput. 4. q. 1. sect. 5.* Igitur devotio, quæ spectat ad actum internum, non potest per Ecclesiam præcipi in præsenti clericis recitantibus horas canonicas. Huic difficultati ut satisfaciant Hostiensis, Abbas, Joan. Andreas, Ancharanus, & Butrius *hic*, Durandus *in 4. dist. 15. quæst. 12. num. 6.* Paludanus *ibidem, quæst. 5. artic. 2. conclus. 4.* Angelus *in summa, verbo Hora. num. 27.* Sylvester *eodem verbo, quæst. 11.* Rosella, & Tabiena *eod. verbo, §. 3.* affirmant, in præsenti quoad devotionem, & attentionem internam non dari præceptum, sed consilium; vel solùm Innocentium requirere in orante remotionem externi impedimenti, per quod interior devotio tollatur: quod colligunt ex illis verbis: *Quantum eis Deus dederit.* Hanc solutionem sequuntur, & latiùs explicant Lessius *de justitia lib. 2. cap. 37. num. 63.* Vazquez *d. disp. 60. cap. 5. num 27.* Franc. Valens *d. quæst. 1. sect. 7.* qui etiam aliis duobus modis responderi posse credit. Primò asserendo, attentionem necessariam esse ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ, quatenus oratio externa, ut est actus humanus, & liber, cum advertentia ex parte intellectus requiritur ab Ecclesia, hoc modo actum interiorem indirectè, & per accidens ab humano jure imperari. At in eo eventu non est actus interior per accidens conjunctus cum exteriori, sed per se, qui enim sine attentione de industria recitat per actum liberum humanum, non vult illam actionem humano more, & liberè fieri. Deinde respondetur, quod quotiescunque potestas humana præcipit aliquam externam operationem, quæ ut honestè fiat, certum aliquem modum, formamque requirit ex parte actus interioris, non per se requisiti, sed per accidens conjuncti, ad quem hæc potestas extendi non valet de jure naturali, suboritur obligatio adjungendi necessarium, ne per actum inhonestum præcepto satisfaciamus: nam legis materia semper debet esse honesta, & ut talis præcipitur. Unde dum Ecclesia jubet sacris ordinibus initiatum, vel beneficiarium horas canonicas recitare, cùm Ecclesia non possit jubere nisi actionem honestam, ex hujus præcepti impositione de recitatione externa, devota, & studiosa sequitur obligatio naturalis adjungendi attentionem ad illam externam orationem; siquidem honesta non est, si attentione careat: latè probant Thom. Bennus *de offic. inquis. p. 1. dubit. 13 sect. 14.* Mendo *d. q. final.* Et quandiu hæc attentio necessaria ad honestatem actionis tempore debito non conjungitur cum externa oratione, semper obligatio superest officium repetendi, quousque statutum tempus elabatur, ut latiùs prosequitur Franciscus Valens *dicta sect. 7.*

CAPUT X.

Honorius III. (a) *Eidem.*

SAnè cùm olim. *Et infrà:* Ne de cætero propter incuriam (b) sacerdotum in indevotos divina indignatio gravius exardescat, districtè præcipiendo mandamus, quatenus à sacerdotibus Eucharistia in loco (c) singulari, mundo etiam, & signato semper honorificè collocata, devotè, & fideliter conservetur. Sacerdos verò quilibet frequenter doceat plebem suam, ut cùm in celebratione Missarum elevatur (d) hostia salutaris, quilibet se reverenter (e) inclinet, idem faciens, cùm portat (f) presbyter Eucharistiam ad (g) infirmum, quam in decenti habitu, superposito mundo (h) velamine ferat, & referat manifestè, ac (i) honorificè ante pectus, cum omni reverentia, & timore, semper cum lumine præcedente, cùm sit candor lucis æternæ, ut ex hoc apud omnes fides, & devotio augeatur. Pælati autem hujus mandati graviter punire non differant transgressores, si & ipsi divinam, & nostram velint effugere ultionem. Vos autem sic observari faciatis prædicta, quod non efficiamini vindictæ participes, sed coronæ.

NOTÆ.

1. (a) *Eidem.*] Ita etiam legitur in quinta compilatione Honorii III. *sub hoc tit. cap. 1.* nulli- bi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex; & cùm in textu antecedenti, qui est *sub titul. de consecrat. Eccles. vel altaris*, rescribat Honorius Reginæ Ungariæ, hæc inscriptio non convenit

præsentis textûs litteræ, siquidem in eo agitur de sacerdotibus, & eorum Prælatis: unde credebam, priùs emanasse, editumque fuisse textum sequentem *in cap. cùm creatura*, qui missus est universis Ecclesiarum Prælatis, ut clericis. Unde rectè retineri poterat præsens inscriptio, si ita legatur: *Idem eisdem.* Eadem ferè tota verba reperiuntur in Concilio Salzburg. tempore Martini V. celebrato, *can. 10. Sacerdos verò quilibet plebem suam doceat diligenter, ut cùm in celebratione Missarum levatur hostia salutaris, quilibet Deo devotè flectat genua sua, vel saltem se reverenter inclinet. Idem faciens cùm eam portat presbyter ad infirmum, quam in decenti habitu, superposito mundo velamine ferat manifestè, ac honorificè ante pectus, cum omni reverentia, & timore, semper nolâ parvulâ, & lumine, nisi locorum repugnet distantia, vel temporis qualitas, præcedentibus, ut ex hoc fides, & devotio apud homines augeantur.*

2. (b) *Incuriam sacerdotum.*] Quam reprehendit D. Franciscus *lib. 1. epist. 13.* ubi universis clericis in hæc verba scribit: [Attendamus omnes clerici magnum peccatum, & ignorantiam, quam quidam habent super sanctissimum corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, & sacratissima nomina, & verba ejus scripta, quæ sanctificant corpus. Scimus quia non potest esse corpus, nisi priùs sanctificetur à verbo. Nihil enim habemus, & videmus corporaliter in hoc sæculo de ipso Altissimo, nisi corpus, & sanguinem, & realiter nomina, & verba, per quæ facti sumus, & redempti de morte ad vitam. Omnes autem illi, qui ministrant, tam sanctissima mysteria considerent intra se, maximè hi, qui indirectè ministrant, quàm viles sint calices, corporalia, ac linteamina ubi sacrificantur corpus, & sanguis Domini nostri; & à multis in locis vilibus relinquitur, miserabiliter potatur, & indignè sumitur, & indiscretè aliis ministratur. Nomina etiam, & verba ejus scripta aliquando pedibus conculcantur, quia animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt. Non movemur de his omnibus pietate, cùm ipse pius Dominus in manibus nostris se præbeat, & eum tractemus, & sumamus quotidie per os nostrum. An ignoramus, quia debemos venire in manus ejus? Igitur de his omnibus, & aliis, citò & firmiter emendemur: & ubicunque fuerit sanctissimum corpus Domini nostri Jesu Christi illicitè collocatum, & relictum, removeatur de loco illo, & in loco pretioso ponatur: & consignenter similiter nomina, & verba Domini scripta, & ubicunque inveniantur in locis immundis, colligantur, & in loco honesto debeant collocari. Et scimus quia hæc omnia tenemur super omnia observare, secundùm præcepta Domini, & constitutiones sanctæ matris Ecclesiæ. Et qui hoc non fecerit, sciat se coram Domino nostro Jesu Christo in die judicii reddere debere rationem. Hoc scriptum, ut meliùs debeat observari, sciant se benedictos à Domino Deo, qui ipsum fecerint exemplari. Dominus noster Jesus Christus omnes meos Dominos suâ sanctâ gratiâ repleat, & confortet.] Et ipsius Sancti suasu præsentem edidisse constitutionem Honorium III. credit Vvadingus *in notis ad ipsam epistolam, num. 17.*

(c) *Loco singulari.*] Hanc partem exponemus *in cap. anic. de Eucharist. custod.*

3. (d) *Elevatur hostia.*] Olim hostiæ elevatio fiebat tantùm manibus Episcopi, calicis verò manibus Diaconi, ut refertur in antiquo Ordine Romano, & notavit Menardus *ad lib. sacram. D. Gregorii*, & in Concilio Barcinon. celebrato anno 1560. jubetur, ne Diaconi soli calicem cum vino, aut patenam cum hostia tenentes, offerant in sacro Missæ sacrificio; sed id semper presbyter faciet, nisi propter senectutem, aut manuum infirmitatem. Dum elevatur hostia, campanæ pulsari debent, ut præsentes attentiores sint, & absentes ad orandum inclinentur. Cæsarius Eisterbachius *lib. 9. cap. 51.* ibi: *Vvido Cardinalis præcepit, ut ad elevationem hostiæ omnis populus in Ecclesia ad somitum nolæ veniam peteret, sicque usque ad calcis benedictionem prostratus jaceret.* Præcepit etiam idem Cardinalis, ut quoties deferendum esset ad infirmum, scholaris, sive campanarius per nolam illud proderet, sicque omnis populus, tam in stratis, quàm in domibus Christum adoraret. Qua de re extat constitutio Stephani Cantuar. Episcopi, in hæc verba: *In elevatione Christi pulsentur campanæ, ut populares, qui celebrationi Missarum non valent quotidie interesse, ubicunque fuerint, sive in agris, sive in domibus, flectant genua, indulgentias concessas à pluribus Episcopis habituri.* Simile extat Decretum Petri Patriarchæ Antiocheni anno 1367. apud Balsamonem: & in Concilio Tarraconensi celebrato anno 1406. ita cavetur: *Vetemporibus generalis interdicti, & cessationis divinorum, quando corpus Christi elevatur in qualibet Ecclesia, majus cymbalum in corporis Christi tribus vicibus, & aliis tribus vicibus in sanguinis ejusdem elevationibus pulsetur, ut populus ejusmodi signo admonitus oret genuflexo, & indulgentias acquirere valeat.* Ex Arnoldo idem probat Novarinus *in agno Eucharist. lib. 5. cap. 63.*

4. (e) *Inclinet.*] Genua flectendo; genuflexio enim in sacrificio Missæ jam olim recepta fuit. D. Clemens *lib. 8. constit. cap. 6.* ibi: *Et ante omnes respondeant pueri viri, & inclinantibus eis capita benedicat Episcopus ordinatus hujusmodi oratione.* Et *cap. 7.* ibi: *Deinde postquam se signaverint in nomine Dei Patris, per Christum ejus, seque inclinaverint, accipiant ab Episcopo benedictionem.* Plura Jodocus Coccius *tom. 2. thesaur. artic. 60.* & nos plura adduximus *in cap. 3. de feriis*, ubi expoluimus, quibus in diebus liceat de geniculis adorare. Etiam tunc fideles manus elevant. Tertul. *de spectaculis, cap. 13.* ibi: *Quale est de Ecclesia Dei in diaboli Ecclesiam tendere; illas manus, quas ad Dominum extuleris, postmodùm laudando histrionem fatigare?* Refert Novarin. *in Agno Eucharist. lib. 5. cap. 63.*

5. (f) *Presbyter.*] Cui jure ordinario competit dispensatio Eucharistiæ, & è cujus manibus omnes communionem recipere debent, ex rationibus adductis à D. Thoma *3. part. quæst. 82. art. 3. in corpore*, licèt olim ex delegatione Diaconi sacramentum hoc administrarent, præcipuè calicem, cùm fideles communicabant sub utraque specie, *cap. pervenit 1. cap. Diaconus, 83. dist.* Concil. Carthag. 4. *can. 38.* ibi: *Diaconus præsente presbytero Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogit, jussus eroget.* Arelat. *2. cap. 1.* Gelasius *in epist. ad Episcopos Lucaniæ, cap. 10.* ibi: *Sacri corporis prærogationem, sub conspectu Pontificis, seu presbyteri, nisi his arcentibus, jus non habeant exercendi.* Illustrant latè Hallierius *de hierarch. jurisd. lib. 3. §. 4. artic. 3.* P. Henao *de Eucharist. disput. 13. sect. 3.* Azor *p. 1. instit. lib. 10. cap. 23.* licèt potestatem consecrandi eos habere probari videatur ex canone 2. Concilii Ancyr. relato à Cresolio *in mystag.* ubi

ubi de Diaconis agit. Sed verè textus illi accipiendi sunt de hac dispensatione, quam olim Diaconi faciebant. S. Justinus *apolog. 2.* probant, atque illustrant Suarez *3. part. in 3. disp. 72. sect 2.* Bernal. *de sacram. disput 45. sect. 2.* Bulenger. *ad Casaubon. diatrib. 3. fol. 328.* Vvadingus *in notis ad epist. 2. D. Francisci,* Prado *de Euchar. quæst. 82. dub. 5. §. 2.* Circa deferendam tamen ad infirmos Eucharistiam, Odo Parisiens. *in capitul. de sacrament. altaris, can. 5.* ita cavit: *Non permittant presbyteri Diaconis deferre infirmis sacrosanctum corpus Domini, nisi in necessitate, cùm sacerdos absens fuerit.* De quibusdam presbyteris, qui Eucharistiam tradebant laicis, ut deferrent ad infirmos, ita cavetur in Concilio Rhemensi relato *in cap. pervenit, de consecr. dist. 2. Pervenit ad notitiam nostram, quod quidam presbyteri in tantùm parvipendant divina mysteria, ut laico, vel fœminæ sacrum corpus Domini tradant ad deferendum infirmis; quibus prohibetur, ne sacrarium ingrediantur, neque ad altare appropinquent, illis sancta sanctorum committuntur. Quod quam sit horribile quamque detestabile, omnium religiosorum animadverit prudentia. Igitur interdicit per omnia Synodus, ne talis temeraria præsumptio ulteriùs fiat, sed omnimodis presbyter per semetipsum infirmum communicet: quod si aliter fecerit, gradus sui periculo subjacebit.* Licet in hac parte legamus nonnulla exempla admiranda potiùs, quam imitanda, ut apud Eusebium *lib. 6. cap. penult.* Serapionis Alexandrini senis, qui cùm ægrotaret, misit puerum, à quo admonitus presbyter, & ipse infirmus, tradidit consecratam particulam eidem puero, cujus è manu sumpsit Eucharistiam Serapion, juxta presbyteri mandatum. Similiter & sanctæ Theoctistæ, quæ in deserto, ubi vixerat triginta quinque annos, venatore viso, petiit ab eo, ut in vase mundo sibi acciperet unum ex intemeratis donis corporis Domini nostri Jesu Christi; exacto tempore redit venator, acceptaque in pyxide parte divinæ carnis, eam tulit ad beatam, utque eam vidit, pronus in terra venerabatur. Et illa: Ne homo id feceris, divinum donum afferens: ne uras miseram, divina dedecore afficiens, & apprehensum tunica levavit. Ille è sinu eduxit pyxidem cum carne Domini. Cùm illa autem in terram cecidisset, divinum donum accepit, & lachrymis suffusa dixit: Nunc dimittis ancillam tuam Domine, quoniam viderunt oculi mei salutare tuum. Et laicos aliis hoc sacramentum administrasse, ex Dionysio Alex. & facto D. Benedicti, probat Haæphtenus *in ejus vita, prolog. 18. §. 14.*

6. (g) *Ad infirmum.*] Ut ministretur per modum viatici. Illud non vulgò notandum est, quod olim infirmus ungebatur sacra unctione antequam acciperet viaticum corporis, & sanguinis Domini, ut apparet ex Decreto Eusebii Papæ apud Burchardum *lib. 18. cap. 11.* & Ivonem *lib. 15. cap. 35. Sacerdos impleat omnia sicut suprà circa ægrotum pœnitentem scriptum est, id est orationes dicat, & ungat cum oleo sancto, & Eucharistiam ei donet.* Apparet etiam ex pœnitentiali Theodori apud Burchardum *lib. eod. cap. 14.* & Ivonem *lib. 15. cap. 36. Et ideo secundùm canonicam auctoritatem, ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus, & consolationibus sacra cum unmione viatici reficiantur.* Praxis videtur in vita Caroli Magni ex editione Pithei: *Oleo sancto inunctus* (Carolus Imperator) *ab Episcopis, & viatico sumpto, & omnibus suis dispositis, commendans Domino spiritum suum obiit in pace.* In vita sancti Othonis Archiepiscopi Babanbeogensis *lib. 3. cap. 45. Interea languor magis, magisque spiritum luctantem urgebat, ritèque dispositis omnibus, quæcumque post se victuris præstare potuit, supplici, & pura confessione præmissa, oleo illa, & placida, & sacra unctione sacri olei delibuta, propitiabile viaticum corpus Domini percepit.* Apud Arnoldum *lib. 3. histor. Sclavorum, cap. 3.* de obitu S. Henrici Episcopi Lubecensis: *Sic confortatus in Domino, convocatis fratribus dicebat se jam resolvi; & accipiens sancti olei unctionem, manus ipse porrigebat, pedes extendebat, cum psallentibus psallebat: sumptoque viatico Domini corporis dixit: O Rex gloriæ veni cum pace.* Et apud Theodoricum *lib. 4. vitæ Sanctæ Elizabeth, uxoris Ludovici Landgravii Turingiæ, cap. 5.* ubi agens de morte ejusdem, sic ait de Landgravio: *Videns igitur, quod sibi mortis periculum immineret, vocato Patriarcha Hierosolymitano, ab ipso sacræ unctionis sacramentum accepit, qui ut officium solenne hoc perageret, Episcopum de sancta Cruce cooperatorem assumpsit. Peractâ unctione sacrosancti corporis Domini Jesu Christi sibi viaticum tradiderunt, quod cum fide Catholica, & syncera devotione suscepit.* In vita S. Adalhcidis *lib. 1. cap. 16. Sumptis aliquantulum viribus corporis, muniri rogavit attentiùs ministeriis Ecclesiasticis. Tunc sacrâ olei unctione peracta, Sacramentum Dominici corporis humiliter, & devotissimè adorando percepit.* Id etiam videre est in vita S. Hugonis Abbatis Cluniac. apud Surium *April. 29.* ubi agitur de visione S. Godefridi Episcopi Ambianensis. *Rogaturque à fratribus ut Abbatem Hugonem oleo sancto inungeret: & Episcopali redimitus infulâ, Missas celebrans, Dominici corporis, & sanguinis ei viaticum ministraret.* Id statuunt constitutiones Riculphi Suessionensis Episcopi. *Item oportet ut presbyteri infirmos suos per confessionem, & reconciliationem oleo sancto perungant, & tunc eos communicent.* Hoc etiam constat ex vita S. Adalardi Abbatis Corbeiensis, apud eundem Surium Janu. 2. Illustrant Cerda *in adverss. cap. 22.* Menardus *in notis ad Sacram. D. Gregorii, fol. 334.*

(h) *Velamine.*] Superpelliceo videlicet, & stola, ut cavetur in constitutione Joannis Cantuar. 7.
Archiep. his verbis. *Ut sacramentum Eucharistiæ circumferatur cum debitâ reverentia ad ægrotos, sacerdote induto saltem superpelliceo, gerente orarium, ac lumine prævio in lucerna, cum campana.* Immò & Sacerdotes Eucharistiam accepturi debent accedere cum stola, *cap. Eucharistica 11. 13. dist. Sumpturus sacrum corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi accederet non aliter, quàm orario utroque humero circunseptus.* Concil. Herbipol. tempore Honorii IV. *Sanctissimum corpus Christi, cujus dignæ venerationi fragilitas humana non sufficit, cùm ad infirmos, vel ad mulieres vicinas partui, extra corpus Ecclesiæ deportatur, veneratione solita mandamus venerari, videlicet, ut presbyter indutus superpelliceo cum stola circa collum illud portet, nisi loci distantia, & temporis qualitas secus exposcat. Clericus verò præcedat cum campanella, & lumine tintinnando, ut obviantes donec sacerdos transeat genuflectant.*

(i) *Honorificè.*] In vase argenteo, seu aureo, 8.
Olim cùm communio sub utraque specie in usu erat, sanguinem in calice delatum fuisse constat ex D. Clemente *epist. 2. ad Jacobum fratrem,* ibi: *Clericus verò solus ad fœminæ tabernaculum non accedat, nec presbyter solus cum sola adjungatur; sed duobus adductis testibus visitet infirmam: calicem ad perferendum sanguinem Domini præparatum cum*

tota

tota ministerii munditia minister præparet, ne non bene lotus calix Diacono peccatum fiat offerenti.

9. (k) *Lumine præcedente.*] Concil. Illerdense celebratum à Cardinale Sabinensi nostri Honorii III. Legato anno 1219. ibi: *Sacra Eucharistia ad infirmos cum campana, & lucerna honorificè deportetur, & singulis octo diebus renovetur.* Si enim in signum supremæ Majestatis, tam apud Hebræos, quàm Romanos ignis coram Imperatoribus, & Regibus præferebatur; nam de Nabuchodonosore *in lib. Iudith. cap. 3.* legitur: *Quod honoratiores urbium simul cum populis exeant obviam Regi venienti, eum excipientibus cum coronis, & lampadibus, ducentes choros in tympanis, & tibiis.* Quem morem à Romanis usitatum fuisse innuit Herodianus *in vita Commodi Imperatoris*, ibi: *Commodum Cæsarem sorori suæ Lucillæ honores servasse; nam in theatris sella imperatoria sedebat, & ignis eam præcedebat.* De Julio Cæsare Suetonius *in eo, cap. 37.* ita ait: *Ascenditque Capitolium ad lumina 40. elephantis dextrâ, atque sinistrâ lychnos gestantibus.* De Zotico Principe Xiphilinus ait: *Lucernis quamplurimis relucentibus ingressus est palatium.* De Justino Principe in ludos Circenses prodeunte Corippus de ipsius laudibus *lib. 2. num. 8.* ait:

——— *Prænuncius ante*
Signa dedit cursor, positâ de more lucernâ.

Quem morem illustrant Justus Lypsius *ad lib. 1. annal. Taciti*, Demsterus *ad Rosinum lib. 1. fol. 66. ad finem*, Cochier *in face hist. centur. 1. cap. 20.* Roa *lib. 3. singul. cap. 26.* P. Faber *lib. 2. agonist. cap. 10.* Bulengerus *de Imper. Rom. lib. 2. cap. 16.* Lazius *de Rep. Rom. cap. 2.* Ex qua ratione probat Theophilus *tract. de Eucharist. cap. 5. ad finem*, ritum lampadis ardentis diu noctuque ante Eucharistiam. Est enim ignis appositus aut prælatus signum venerationis: inde ante archam Testamenti semper lucebat candelabrum. *Exod. cap. 5.* De sepulchris S. Felicis, S. Paulini, & aliis idem refert D. Hieronymus *epist. ad Riparium*, & contra Vigilantium. Inde magna cum ratione in præsenti jubetur, ante Christum Regem Regum, & Dominum dominantium lucernam præferri debere.

COMMENTARIUM.

10. IN præsenti textu id præcipuè intendit Honorius statuere, videlicet, ut reverenter sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum adoretur, non solùm cùm elevatur in Missæ sacrificio, verùm & cùm defertur ad infirmos: adorationem enim huic præclaro, & ineffabili Sacramento negarunt impii hæretici Albigenses, Beguardi, Pigardi, Calvinus, & Theodorus Baëza, quorum deliramenta refert Jodoc. Coccius *tom. 2. thesauri fidei cathol. artic.* Sed catholicam doctrinam circa hanc adorationem docuerunt Alex. I. *epist. 1. cap. 4. Nihil in sacrificio majus esse potest, quàm corpus, & sanguis Christi, nec ulla oblatio hac potior est, sed omnes hæc præcellit, quæ purâ conscientiâ Domino offerenda est, & purâ mente sumenda, atque ab omnibus veneranda: & sicut potior est cæteris, ita potius excoli, & venerari debet* D. Ambrosius *lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 12.* ibi: *Non mediocris igitur quæstio, & ideo diligentiùs consideremus, quid sit scabellum. Legimus enim Esaiæ cap. 66. Cœlum mihi thronus; terra autem scabellum pedum meorum. Sed nec terra adoranda nobis, quia creatura Dei est. Videamus tamen, ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus Jesus in carnis assumptione suscepit: itaque per scabellum terra intelligatur; per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus.* D. Hieronymus *in psalmo 98.* D. Bernardus *de cœna Domini ad Petrum presbyterum*, ibi: *Quid facis homo indigne? quid facis homo ingrate? Adora devotius, & recole frequentius in sacramento altaris salutem mundi pro te passam; vitam pro te mortuam, fortitudinem infirmatam.* Odo Parisiensis *in Synodicis constit. cap. 5.* ibi: *Frequenter moneantur laici, ut ubicunque viderint deferri corpus Domini, statim genua flectant, tanquam Domino Creatori suo, & junctis manibus quoad usque transierit, orent.* Pluribus Ecclesiæ canonibus, & SS. PP. sententiis probant Jodocus Coccius *d. tom. 2. lib. 6. artic. 7.* Bulengerus *ad Cæsaronum diatrib. 3. fol. 227.* Espencæus *lib. 2. de Eucharist. cap. 15. & 16.* Suarez *lib. 2. contra Regem Anglic, cap. 4. & tom. 3. in 3. p.* Socolovicius *in orat. de adorat. Eucharist.* Theophilus *tom. 6. cap. 5. ad finem*, Andreas Sausay *in Panopl. sacerd. tit. de adorat. Eucharist.* P. Henao *de Eucharist. disp. 15.* Quæ adoratio etiam ratione sulcitur; nam Christum Dominum, verum Deum, & hominem unica, & perfecta latriæ adoratione adorandum esse ab Ecclesia, definitum est in Concilis Ephesino, Chalcedon. & aliis, & docuit Cyrillus cum Conc. Alexandrino *in epist. ad Nestorium, de excommunic.* ubi ait: *Cum Verbum carni secundùm hypostasin unitum esse confitemur, unum adoramus Filium, ac Dominum Jesum Christum.* Unde ajebat D. Paulus *ad Philippenses epist. 2. In nomine Jesu omne genu flectatur.* Unde cùm de fide certissimum sit, Christum Dominum in sua specie visibili perfectissimo cultu adorandum esse; & etiam de fide certum sit, eundem Christum Deum hominem verè, & realiter esse in Eucharistia præsentem, nullus fidelis negare potest, Eucharistiam eodem perfectissimo cultu esse adorandam. Unde rectè in præsenti Honorius III. docet, non solùm sacramentum hoc, dum in Missæ sacrificio elevatur, verùm & cum ad infirmos defertur, esse ab omnibus reverenter adorandum: quod & firmarunt Catholici Reges nostri: Alfonsus *in l. 62. tit. 4. part. 1.* D. Joan. I. *in l. 3. tit. 1. lib. 1. recopil.* ibi: *Mandamos y ordenamos, que quando acaeciere que nos: ò el Principe, heredero, ò infantes nuestros hijos, ò otros qualesquier Christianos, vieremos que viene por la calle el sancto Sacramento del cuerpo de nostro Sennor, que todos seamos tenudos de lo acompannar asta la Iglesia de donde salio, è fincar los hinojos para le hazer reverentia, y estar assi astaque aya passado; que no nos podamos escusar por lodo, ni polco, ni otra cosa alguna. E qual quiera que assi no lo hiziere: que pague seiscientos maravedis de pena, las dos partes para los Clerigos que fueren con nuestro Sennor, y la tercera parte para la justicia, por que aga presa execucion en quien en la dicha pena.* Quam sanctionem illustravit Carrasco *ad l. 1. Recopil. cap. 1.*

CAPUT

CAPUT XI.

Idem (a) *Archiepiscopis, & Episcopis, & universis aliis Ecclesiarum Prælatis, & Clericis per Franciam Constitutis.*

CUm creatura non habeat quid pro meritis respondeat Creatori, sanè accepimus, sed minimè acceptamus, quod in partibus vestris multiplicatis anniversariis defunctorum, ex quibus ea celebrantibus commodum obvenit temporale, quidam in Cathedralibus, & conventualibus Ecclesiis, prætextu Missæ semel in die pro anniversario celebrandæ, sacra Missarum solennia, quæ ratione diei, vel festi solent solenniùs celebrari, culpabili negligentiâ prætermittunt, quasi non sint obligati Domino, & quasi Dominus fortè pro tantis obsequiis non sufficeret eis æqua vicissitudine respondere. Certè verendum est, ne qui tanta cum nequitia & negligentia laborare noscuntur, in obstinatam malitiam prolabentes, etsi non voce, quod est gravius, facto dicant: Quis est Dominus, ut serviamus ei? Cùm ergo Ecclesia Gallicana per Dei gratiam tanquam lucerna super candelabrum posita luceat aliis per exemplum, qui videntes opera ejus bona glorificant Patrem cœlestem, ne, quod absit, tantæ negligentiæ tenebris obumbretur, & alias consequenter obumbret, universitatem vestram rogandam duximus, & monemus per Apost. scripta v. m. quatenus universi, & singuli providè attendentes, quod servire Deo regnare est, nullum in vos torporem negligentiæ obrepere permittatis, quominus & pro anniversariis defunctorum, & pro (b) festo, vel feria, secundùm temporum congruentiam Missarum (c) solemnia & conventualiter celebretis, & faciatis conventualiter celebrari, ut sic quodammodo sine intermissione orantes, ab eo mereamini exaudiri, qui adest omnibus in veritate invocantibus nomen suum.

NOTÆ.

1. (a) *Archiepiscopis.*] Ita restituo inscriptionem, & litteram hujus textus ex quinta compil. Honorii III. edita à Cironio *sub hoc tit. cap. 2.* ubi reperitur hic textus, & ejus integram transcripsit ipse Cironius in append. ad ipsam compilationem.

2. (b) *Pro festo.*] Separatim lege, ut suprà in relatione; aliàs idem esset dies profestus, ac feria, juxta notata suprà *in cap. 4.*

3. (c) *Missarum solennia.*] Quia Missa conventualis non potest omitti, etsi dicatur alia, ut pluribus sacræ Congreg. decisionibus probant Barbosa *in summa Apostolic. collect. 477.* Zypeus *ad hunc tit. consult. 1.*

CAPUT XII.

Idem *Archiepiscopo* (a) *Sipontino.*

TE referente didicimus, quod in die cœnæ Domini de antiqua teneris consuetudine chrisma (b) conficere in Ecclesia Sipontina: sed cùm mane diei ejusdem ad Garganicam (c) accedas Ecclesiam, ut ibi, prout moris est, recipias peregrinos, (d) ipsius loci Clerus, & populus celebrare Missam in eadem Ecclesia Garganica priùs, quàm ad Sipontinam redeas, te compellunt. Super quo nostrum, & Apostolicæ Sedis consilium implorasti. Cùm autem chrisma eo die intra Missarum conficiatur solennia, & cuilibet sacerdoti, quacunque dignitate præfulgeat, unam in die celebrare Missam sufficiat, nam & felix valde est qui celebrat dignè unam: f. t. m. quatenus die prædicto in Ecclesia Sipontina dumtaxat, in qua teneris chrisma (e) conficere, Missarum studeas solennia celebrare.

NOTÆ.

1. (a) *Sipontino.*] Ita etiam legitur in quinta compilatione, *sub hoc tit. cap. 4.* Sipontium est civitas Archiepiscopalis regni Neapolitani, de qua Plinius *lib. 3. cap. 11.* A Sarracenis deleta fuit, & Cathedra translata fuit in Manfredoniam, ut notavit Cironius in præsenti.

2. (b) *Chrisma conficere.*] Chrisma enim, quod est materia remota sacramenti Confirmationis, debet consecrari ab Episcopo feriâ quintâ hebdomadæ sanctæ, ut constat ex epistola 2. Fabiani ad omnes Orientales Episcopos, qui cùm veterem Chrismatis eo die consecrandi consuetudinem ab aliquibus Episcopis negligenter omitti, multorum litteris accepisset, ut graviter par erat, molestè

molestèque ferens, eos non modò Romanæ Ecclesiæ, sed etiam Orientalis ritus violare demonstrat, quorum temerariam audaciam, atque præsumptionem, ut cohibeat, ex Christi Domini instituto, Apostolorumque traditione ad nos derivasse testatur his verbis: *In illa enim die Dominus Jesus postquam cœnavit cum discipulis suis, & lavit eorum pedes (sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt) Chrisma conficere docuit. Ipsa enim lavatio pedum significat baptismum, quando sancti Chrismatis unctione perficitur, atque confirmatur.* Quo loco intelligimus hanc consuetudinem à Christo humanæ libertatis vindice, & assertore præceptam, atque ab ipsis Christianæ Militiæ Ducibus traditam esse, ut mirandum non sit, si plerique rerum divinarum scriptores eandem suis scriptis testatam reliquerint. Auctor enim Ordinis Romani, quem hujus secundum testem adhibemus, *in die Iov. sanct. tit. de benedict.* in commixtione olei, & balsami ipsam consecrationem in hunc ferè modum prosequitur: *Oremus Dominum nostrum omnipotentem, ut hos ex diversis creaturarum speciebus liquores creatos sancta Trinitatis perfectione benedicat, & benedicendo sanctificet, &c.* Idem expressè cavetur in Concilio Toletan. *can. 6.* Vasensi 1. sub Leone, *can. 3.* Altissiod. *can. 6.* Vvormac. *can. 60.* Aquisgran. 2. *can. 8.* Melden. *can. 46. & in cap. quoniam, de sentent. excom. in 6.* statuitur, chrisma posse confici in die cœnæ, non obstante interdicto: nullus autem alius, nisi Episcopus, potest illud consecrare. Sylvester Pontifex in Synod. Rom. *can. 5.* ibi: *Nemo presbyterorum chrisma conficiat.* Leo *epist. 86.* Concil. Tolet. *1. can. 20.* probavi latè *in cap. quantò, de consuet.* Nec Episcopus alio die illud benedicere valet, quàm in quinta feria cœnæ Domini. Nec contrarium probatur *in d. can. 20. Concilii Tolet. 1.* relato à Gratiano *in cap. omni, de consecr. dist. 4.* ibi: *Episcopus omni tempore potest Chrisma conficere.* Nam ea verba accipienda sunt, non de omni tempore utcumque, sed accommodatè de omni tempore annali, quod ad conficiendum chrisma præscriptum est, ut exponunt Suarez *3. p. de sacrament. disput. 28. sect. 1.* Severinus Binius *in not. ad epist. Fabiani,* Herrera *de orig. divini offic. lib. 2. cap. 33.* Anton. August. *lib. 25. epist. tit. 7. cap. 3.* & inter alias cæremonias in consecratione chrismatis adhibitas, quas refert Vicecomes *de ritibus Confirm. lib. 1. cap. 20. 21. & 22.* Missæ sacrificium offerri usitatum fuisse, constat ex Ruperto Abbate *lib. 5. de divinis offic. cap. 18.* ibi: *Hujus verò Chrismatis olei consecratio habet officium per se. Primò exorcizatur, deinde ad Dominus vobiscum, & Sursum corda ejus benedictio inchoatur, finiturque per Dominum nostrum.* Ubi etiam quâ in Missæ parte chrismatis consecratio inchoaretur, & quâ desineret, apparet. Illustrat Vicecomes *d. lib. 1. cap. 22.* Unde licèt Episcopus Sipontinus, de quo in præsenti, consecrare deberet Chrisma in Ecclesia Garganica, quæ erat Cathedralis antiqua Sipontinæ unita; tamen consuetudine inductum erat, ut potiùs in Sipontina illud benediceret.

3. (c) *Garganicam.*] Mons Garganus olim Ecclesiam Archiepiscopalem habebat dicatam S. Michaëli Archangelo, ut notavit Cironius *hic.*

4. (d) *Recipias peregrinos.*] Hæc verba ex MS. codice restituit Cironius, & eam lectionem sequitur, licèt alibi legatur, *pœnitentes:* motus ex eo, quod pœnitentes tantùm in Ecclesia Cathedrali recipiebantur, & reconciliabantur: & peregrinos frequentasse hoc templum S. Michaëlis refert Baronius *in Martyrol. die 10. Maji.* Sed potiùs retineo vocem, *pœnitentes*; nam in peregrinationibus ad Ecclesiam Garganicam, aut alia similia loca factis, non legimus hanc peculiarem cæremoniam recipiendi peregrinos in die cœnæ Domini, aut hujus receptionis usum, vel finem: pœnitentes verò ea die recipi ab Episcopo ad reconciliationem, notum est, & nostet Honorius refert *in cap. non videtur, de offic. ordin.* ibi: *Non videtur Metropolitano licere, ut suffraganei sui jura minuat, nec immutet, nisi super eo antiquâ, & approbatâ consuetudine, vel speciali privilegio muniatur. Unde reputari potest indignum, ut in die cœnæ Domini, quo deberent in Ecclesiis suis Episcopi chrisma conficere, lavare, juxta exemplum Domini, pedes pauperum, & reconciliare publicè pœnitentes, ad Metropolitanam Ecclesiam quæ per quadraginta milliaria, & amplius à te distat, Chrisma ibidem cum Metropolitano tuo confecturus accedas: quamquam idem Metropolitanus, tam in tua, quàm in aliis Metropolitico jure sibi subjectis Ecclesiis, non ex speciali privilegio, vel antiqua, & approbata consuetudine, sed ex usurpatione potiùs hoc obtinuisse hactenus videatur. Hoc itaque olim in tua consecratione prudenter attendens, quod huic gravamini occurreres, fusti publicè protestatus. Volentes igitur ven. in Christo fr. tuo super gravamine providere, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut ad hoc, nisi speciale privilegium exigat, vel antiqua, & approbata consuetudo requirat, per usurpationem hujusmodi nullatenus tenearis.* Ubi conjunxit chrismatis confectionem cum ipsa reconciliatione pœnitentium. Idem mos reconciliandi pœnitentes in quinta feria cœnæ Domini, probatur ex Innocentio I. *epist. ad Decentium Episcopum Eugubinum, cap. 7.* ibi: *De pœnitentibus autem, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla intervenit ægritudo, quintâ feriâ ante Pascha eis remittendum Romana Ecclesia consuetudo demonstrat.* Referunt Burchardus *lib. 18. Decret. cap. 18.* Ivo Carnot. *part. 15. cap. 40.* ex B. Eligio Noviodunensi Episcopo *homil. 4. in cœna Domini,* ibi: *Ut igitur audivit vestra dilectio, hec omnis pedum lotio nostrorum peccatorum est purgatio; unde non incongruè hac ipsa die, sicut Ecclesia tenet consuetudo, pœnitentium fit reconciliatio; ut enim ante nos dictum est à Patribus, cùm tanta est plaga peccati, atque impetus morbi, ut medicamenta corporis, & sanguinis Domini differenda sint, auctoritate Antistitis debet se quisque ab altario removere ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari.* Eandem rationem expressèrunt PP. Synodi Cabilon. 2. *can. 47.* verbis illis: *In cœna Domini à quibusdam perceptio Eucharistia negligitur, qua quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus, exceptis his, quibus pro gravibus crimmibus inhibitum est, percipienda sit, ecclesiasticus usus demonstrat; cùm etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis & sanguinis Dominici sacramenta se conciliant.* Quæ postrema verba passivo significatu accipi debere jam notavit Filesacus *de Quadragesima can. 15.* & suadetur ex Ivone Carnot. *p. 2. cap. 30.* ubi ex decretis Soteris Papæ refertur hic textus, & habetur, *reconcilientur.* Idem expressè probatur ex forma ipsius reconciliationis descripta

scripta *lib. 7. capitul. cap. 143.* his verbis : *Omnes publicè pœnitentes quintâ feriâ ante Paschа , quæ est Cœna Domini , ad civitatem in cinere , & cilicio in præsentia Episcopi postrato vultu conveniant , & ibi ab Episcopo canonicè & ordinabiliter , sicut in Sacramentario, & in Romano Ordine continetur, reconcilientur , atq; dijudicentur , consolenturque , & prædicentur , quid deinceps agere , quidve vitare debeant , instruantur : atque insuper divinis precibus per manus impositionem ab Episcopo sanentur.* Concil. Agathense *can. 9.* ubi dum PP. ritus imponendæ pœnitentiæ in ipso Quadragesimæ introitu referunt, tandem addunt : *In sacra autem Domini cœna rursus ab eorum Decanis , & Presbyteris, Ecclesiæ luminibus repræsentetur.* Et Guillelmus Parisiensis Episcopus in Statutis synodalibus, *num. 9.* ait : *Presbyteri parochianos suos solenniter pœnitentes faciant venire in capite jejunii ad Ecclesiam Cathedralem , ut per Episcopum solenniter ab Ecclesia ejuciantur , & similiter in die Jovis proxima ante Pascha , ut per Episcopum Ecclesiæ reconcilientur.* Illustrant Philesacus *ubi suprà*, Herrera *d. lib. 2. cap. 31.* Cùm ergo in præsenti textu agat Honorius de his rebus , quæ in die Cœnæ Domini peragi , & obiri ab Episcopo solent, rectiùs legitur in præsenti ; *Recipias pœnitentes* , quàm *peregrinos* ; cùm circa peregrinos nullam specialem ceremoniam ea die in Ecclesia usitatam legamus.

3. (e) *Chrisma conficere.*] Quia ut suprà dixi , ad consecrationem chrismatis Missæ sacrificium desideratur ; quod in reconciliatione pœnitentium non ita requiritur. Unde Episcopus potiùs in Sipontina Ecclesia , ubi chrisma consecrabat ; quàm in Garganica , ubi pœnitentes recipiebat, Missæ sacrificium offerre debebat, nec duas Missas dicere poterat , ex suprà traditis *in cap. consuluisti. hoc tit.*

4. (f) *Celebrare.*] In feria quinta Cœnæ Domini possunt presbyteri Missæ sacrificium offerre ; an verò tantùm unica Missa in qualibet Ecclesia , in qua cæteri Sacerdotes communicent , debeat celebrari, disputant Francolinus *de horis canonicis cap. 30.* Lugo *de Eucharistia disputat 20. sect. 1. num. 14.* Suarez *de Sacram. disp. 80. sect. 2.* Azor *1. p. instit. lib. 10. cap. 24. quæst. 7.* P. Henao *tom. 2. de sacrif. Missæ, disput. 20. sect. 3.* Andreas Sausay *in Panopl. sacerd. p. 2. lib. 1. cap. 9.* qui standum esse consuetudini resolvunt. Vetus autem Ecclesiæ consuetudo fuit, ut in unaquaque Ecclesia Missa solennis à solo Sacerdote , qui præest, celebraretur, reliquis sacerdotibus , si in ea plures essent , sola communione contentis. Elicitur priscus ille mos ex ordine Romano ante annos fermè 880. edito , ubi *sub tit. de Cœna Domini* , hæc habentur : *Fractis autem oblatis communicent Presbyteri primò , postea Diaconi , & cæteri omnes , & ita perficiatur Missa.* Antea florebat Alcuinus , qui in libro, quem scripsit de divinis officiis , ex veteri Ecclesiæ politia, *cap. de Cœna Domini* , expressè scribit : *Dum cantatur antiphona Ad communionem , interim Clerum, & omnem populum communicare.* Cui consonat liber Sacramentorum sancti Gregorii , ubi expleta chrismatis consecratione , peractisque mysteriis , hæc rubrica subjungitur : *Pontifex vadit ante altare , & communicat omnis populus in ordine suo. Et verò hac die , quâ Christus Eucharistiæ sacrificium instituit , solus ipse sacrificavit, cæteri omnes , qui in mensa assidebant (quamvis tunc fuerint ab eo Sacerdotes ordinati) ipso porrigente divinum munus susceperunt. Ob reverentiam igitur Christi solius hac die celebrantis , & suis manibus discipulos communicantis , conveniens esse nemo pius , & prudens negaverit , ut ipsa die qualibet in Ecclesia unica liturgia celebretur ab uno, eoque primario Sacerdote , reliquis discipulorum instar assistentibus , & summâ modestiâ , & humilitate de ejus manibus suscipientibus corporis , & sanguinis agni immaculati (qui Pascha nostrum immolatus est) sacramenta veneranda.* Cæterùm & huic favet consilio id quod Marcus Francolinus *in lib. de horis canonicis , cap. 30. num. 4.* narrat suo tempore accidisse , scilicet Cardinalem Sabellium , Pontificis Vicarium in Urbe , quibusdam Sacerdotibus sacrificare volentibus in die Cœnæ Domini prohibuisse in ea die sacrificare. Porrò Parisiis contrarium morem usurpari conspicimus , & passim in Gallia : dicunt etiam in Hispania. At an procedat de facto , vel de jure , ipsi viderint , qui faciunt : excusari tamen censeo ex tolerantia Episcopi , qui videt , nec prohibet. Vazquez fatetur congruentius esse , ut eo die reliqui omnes Sacerdotes , præter Præpositum , aut qui ejus legitimè impediti vices gerit , à celebratione abstineant , & ad imitationem Apostolorum de manu illius , tanquam de manu Christi , Eucharistiam accipiant. Addit & monitum optimum , ubi usus prævalet , nimirum ut Sacerdotes singuli sacrum faciant feriâ 5. in Cœna Domini , ea die solum licere celebrare antequam Missa solennis finiatur , & corpus Christi in locum designatum recondatur : nam postea mox incipit officium Parasceves , cùm statim Vesperæ dicantur : & in Parasceve in memoriam mortis , & sepulturæ Domini à celebratione sacrificii sit abstinendum. Ita Vazquez *comment. in 3. p. D. Thomæ , disp. 232. cap. 2. quæst. 83. artic. 2.*

CAPUT XIII.

Idem *Archiepiscopo* (a) *Upsalensi.*

PErniciosus valde , sicut audivimus , in tuis partibus inolevit abusus , videlicet quod in majori quantitate (b) aqua ponitur in sacrificio, quàm de vino : cùm secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis , plus in ipso sit de vino, quàm de aqua ponendum. Ideoque f.t.m. quatenus hoc nec de cætero facias , nec in tua provincia fieri patiaris.

D.D. Gonzal. in Decretal. *Tom. III. Pars II.*

NOTÆ.

(a) *Upsalensi.*] Ita etiam legitur in quinta compilatione, *sub hoc tit. cap. 5.* Upsalensis Ecclesia est in Suecia ab Eugenio III. Archiepiscopali Cathedrâ decorata, ut refert Baronius anno 1148. cujus. Sedem tenebat temporibus Honorii III. Olaus VI. cujus vitam refert Joan. Magnus *in histor. Upsalensi, lib. 3. in princip.*

(b) *Aqua.*] Quia regiones illæ Septemtrionales vino carent, immò & aliunde exportatum vi frigoris continuò acescit, ut refert Cironius in præsenti.

COMMENTARIUM.

1. CIrca aquam vino miscendam in calice pro divino Missæ sacrificio celebrando duas hæreses damnavit sexta Synodus Trul. *can. 32.* alteram Hydroparactarum, qui aquâ solâ in calicis oblatione utebantur, de quibus Epiphanius *hæresi 42.* De Aquariis D. Augustinus *hæresi 44. ad Quodvultdeum*, & *de ecclesiast. dogmat. cap. 57.* i: *Non debet pura aqua inferri, ut quidam sobrietatis falluntur imagine; sed vinum cum aqua mixtum.* Qui hæretici sequuti fuerunt errorem Tatiani, qui vixit circa annum Domini 173. temporibus Marci Antonini Philosophi, qui asserebat, aquam tantùm in mysteriis adhibendam esse, docens vitem ex satana, & terra germinasse. Refert Baronius *anno 174. num. 3.* & *257. num. 9.* Alteram huic contrariam, Armenorum videlicet, qui circa annum Domini 640. docebant, nihil omnino aquæ vino miscendum esse in sacrificio Missæ; cujus erroris meminerunt Theophylactus *ad caput 19. D. Joannis*, Nicephorus Calixtus *lib. 18. hist. cap. 53.* Sed utraque hæresis facilè convincitur primò ex contextu Evangelistarum Matthæi, Marci, & Lucæ, qui omnes tradunt, Dominum nostrum vinum in calicem infudisse, ex Concilio Laodicen. generali sub Innocentio III. quod refertur *in cap. 1. §. una, de summa Trinit. ex cap. cùm Martha, §. quæsivisti, hoc tit.* Ex Concilio Carthag. 3. *can. 24.* ex Cypriano *lib. 2. epist. 3. ad Cæcilium*, sancto Chrysostomo *homil. 83. in Matthæum*, ubi sic ait: *Sed cujus rei gratiâ non aquam, sed vinum post resurrectionem bibit, perniciosam quandam hæresim radicitus evellere voluit eorum, qui aquâ in mysteriis utuntur, ita ut ostenderet, quia, & quando hoc mysterium tradidit, vinum tradidit, & jam post resurrectionem in nuda mysterii mensa vino usus est.* Secunda refellitur ex pluribus Ecclesiæ authoritatibus, in quibus definitur, aquam cum vino miscendam esse, juxta Domini exemplum, *cap. cùm omne, cap. in Sacramento, de consecr. dist. 2.* Concil. Hippon. *can. 25.* ibi: *In sacramentis aliud non offeratur, quàm panis, & vinum aquâ mixtum.* Aurel. 4. *can. 4. Nullus in oblatione sacri calicis, nisi quod ex fructu vineæ speratur, & hoc sine aqua mixtum, offerre præsumat, quia sacrilegium judicatur aliud offerri, quàm quod in mandatis sacratissimis Salvator instituit.* Altisiod. *can. 8. Non licet in altario in sacrificio divino mellitum, quod mulsum appellatur, nec ullum aliud poculum extra vinum cum aqua mixtum offerre.* Wormat. *can. 4. Cùm Magister veritatis verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret discipulis, panem tantùm, & calicem sub hoc sacramento præbuisse cognoscimus: ideoque præter panem, & vinum cum aqua mixtum aliud offerri non debet; calix enim Dominicus vino, & aqua permixtus debet offerri.* Tribur. *can. 19.* Alex. succ. tor Evaristi dixit: *Non debet enim, ut à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet, in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere ejus profluxit, ut videlicet per hoc indicet populos, qui secundùm Joannem aquæ sunt, à Christo, cujus sanguis in calice est, dividi non debere. Cujus rei veritatem in hac sancta Synodo confitemur, credimus, & confirmamus, ne ullus sine commixtione vini, & aquæ mysteria sacra conficiat.* D. Hieronymus *in Marcum, cap. 14.* Damascenus *lib. 4. orthodox. fidei, cap. 14.* S. Justinus Martyr *in dialog. Tryph.* & *apolog. 2. ad Anton.* D. Ambrosius *lib. 4. de Sacram. capit. 4.* referunt Baronius *anno 132. num. 7.* Anton. Augustin. *in epit. lib. 24. tit. 1.* Vicecomes *volum. 3. de ritibus Missæ, libro 2. cap. 16.* Quâ de causa Irenæus calicem vocat temperamentum; & prædictas hæreses damnavit Eccl. sia in dicta Synodo Trul. *can. 32.* Florentina in decreto fidei, *sess. ultim. §. Tertium.* Tridentin. *sess. 22. de sacrif. Missæ, cap. 7.* Gregorius VII. *lib. 8. regestr. epist. 1.* ibi: *Quoniam vestram Armenorum Ecclesiam à rectitudine fidei, quam ab Apostolis, & Sanctis Patribus traditam Universalis Ecclesia tenet, in quasdam pravas exorbitasse sententias nobis relatum est, profectò nimium paterni affectus compassione dolumus. Quorundam siquidem relatione didicimus, in celebrandis sacrificiorum salutiferis sacramentis, aquam vino penitus apud vos non admisceri, cùm nemo Christianus, qui sacra novit Evangelia, dubitet à latere Domini aquam cum sanguine emanasse.* Et licèt Platina, Lindanus, Polydorus Vergil. hanc mixtionem aquæ cum vino existimaverint ab Alexandro Pontifice in usu esse cœpisse; verius est, Christum Dominum in calice non solùm & aquam miscuisse, ut constat ex liturgia S. Jacobi, quæ extat *tom. 3. Biblioth. veterum PP.* ibi: *Similiter postquam cœnavit, accipiens calicem, & permiscens ex aqua, & vino, & aspiciens in cœlum, ac ostendens &c.* Ex Liturgia Divi Marci in illis verbis: *Postquam cœnavit accipiens calicem, factaque aquæ & vini mixtione, &c.* Suppetunt mihi præterea veterum testimonia, quæ Christum exemplo suo nostræ religionis cultores id docuisse declarant, ut S. Cyprian. *epist. 63. ad Cæcil.* qui vinum mixtum declarat, id est calicem Domini aquâ, & vino mixtum prophetica voce pronunciat, ut appareat in passione Dominica id esse gestum, quod fuerat antè prædictum. Et paucis interjectis: *Dominus adveniens, baptismi, & calicis manifestavit veritatem, cùm aquam illam fidelem, aquam vitæ æternæ præceperit credentibus in baptismo dari; calicem verò docuerit exemplo magisterii sui, vini, & aquæ conjunctione misceri.* Rursus ibidem: *Admonitos nos scias, ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis prior fecerit, ut calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur.* Theodoret. *dialog. 1. In mysteriorum traditione* (DEUS) *corpus panem appellavit, & sanguinem id, quod infusum, & commixtum est.* Joann. Damascen. *lib. 4. de fide Orthodox. cap. 14. Similiter accipiens calicem ex vino & aqua, tradidit illis dicens: Bibite*

Bibite ex hoc omnes, &c. Eusebii Lugdunensis *homil. 5. de Pascha. Hoc itaque Dominici sanguinis vinum aquâ esse miscendum, non solùm traditione Dominus, sed etiam genere passionis ostendit, ex cujus sacro latere sanguis, & aqua lanceæ illisione profluxit.* Ex Eugenii P. IV. decreto semel atque iterum à nobis citato. *Aqua autem ideo admiscetur, quoniam juxta testimonia SS. PP. atque Doctorum Ecclesiæ, pridem in disputatione adhibita, creditur ipsum Dominum in vino aquâ permixto hoc instituisse sacramentum.* Ex quibus illud efficitur, quod antè dicebamus, Dei Ecclesiam Dominico monito, & exemplo aquam vino semper admiscuisse. Quâ verò de causâ id factum sit, non obscurè colligi potest ex locis Sancti Cypriani, & Eusebii superiùs allatis, qui (si sapio) demonstrant, sanguinis, & aquæ, quæ ex Christi latere exierant, hac permixtione memoriam renovari. Atque hujus sententiæ veritas Alexandri P. auctoritate confirmatur, apud quem epistolâ ad omnes Orthodoxos hæc ratio usurpata est: *Non debet (ut à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet) in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum; quia utrumque ex latere ejus in passione sua profluxisse legitur.* Quæ si accuratè considerentur, amplius constabit, quod suprà probandum susceperam, aquæ admiscendæ auctorem Alexandrum non fuisse. Quia si ipse eum morem à Patribus, hoc est majoribus acceperat (sicut in ipso legitur) quî fingi potest illum instituisse? Sed hoc obiter. Ad rationem revertamur. Docuit verò illam præter citatos Scriptores D. Ambrosius *de Sacram. lib. 5. cap. 1.* dum inquit: *Quid sibi vult admixtio aquæ? Quia de latere Christi profluxit sanguis, & aqua.* Illustrat Durantius *in ration. lib. 4. cap. 30. num. 71.* Matthias Bredembachius *lib. 4. antiperipistheis, cap. 17.* Est alia præterea causa, cur in sacris mysteriis aquam vino adhibere perpetuò sancta Ecclesia consueverit? Aqua enim, ut divinis litteris edocti sumus, populum designat. Quare aqua vino admixta fidelis populi cum Christo capite conjunctionem significat. Quod ne in dubium vocari possit, ex antiquis monumentis testes excitabo eos, quorum fides optima, & spectatissima est. Incipiam à sancto Cypriano probatæ virtutis, atque doctrinæ Scriptore, qui *epist. 63. ad Cæcil.* disertis verbis hoc testatur inquiens: *Quando in calice aqua vino miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credit, copulatur, & conjungitur: quæ copulatio, & conjunctio aquæ, & vini sic miscetur in calice Domini, ut commixtio illa non possit ad invicem separari.* Et paulò pòst: *Sic autem in sacrificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis: si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo.* Sequutus est Jul. Papa I. cujus ex Gratiano, & Ivone decretum septimum extat in hæc verba: *Calix Dominicus juxta canonum præcepta vino, & aquâ permixtus debet offerri, quia videmus populum in aqua intelligi; in vino verò ostendi sanguinem Christi.* Quid Concilium Bracharense 3. nonne & ipsum id docuit? Scriptum est enim *cap. 1.* mutuatis à Julio verbis: *Calix Dominicus* (juxta quod quidam Doctor differit) *vino, & aquâ permixtus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi: in vino verò ostendi sanguinem Christi. Ergo quando in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur.* Et (ut cæteros prætermittam) Synodi Tribur. PP. Alexandri Pap. I. auctoritatem sequuti, *cap. 19.* ita caverunt: *Alexander successor Evaristi dixit: Non debet enim (ut à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet,) in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri; sed utrumque permixtum. Cujus rei veritatem in hac sancta Synodo confitemur, credimus, & confirmamus, ne ullus sine commixtione vini, & aquæ mysteria sacra conficiat: sed ut duæ partes sint vini, quia major est majestas sanguinis Christi, quam fragilitas populi: tertia aquæ, per quam intelligitur infirmitas humanæ naturæ.*

Nec contrarium probat textus *in cap. in sacramento 5. de consecr. dist. 2.* in illis verbis: *Non amplius in sacrificiis offeratur, quàm de uvis, & frumentis.* Ex quibus expressè deducitur, non aliud esse in mensæ sacrificio offerendum, quam id quod conficitur ex uvis & frumento; videlicet panem, & vinum. Ergo non debet adhiberi admixtio aquæ. Nam ut huic difficultati respondeamus, observandum est, oblationes, quæ primis Ecclesiæ temporibus à fidelibus fiebant ad altare, dum Missæ sacrificium celebrabatur, esse in duplici differentia. Aliæ enim fiebant tanquam de materia Eucharistiæ ad ipsum Missæ sacrificium offerendum, in quibus nihil aliud apponi poterat, quàm panis, & vinum, ex canone 3. Apostolor. *capit. didicimus, de consecr. dist. 3.* & aliis canonibus congestis ab Antonio Augustin. *in epit. jur. lib. 24. tit. 1.* Et hæc panis, & vini oblatio ad altare debebat ferri ab omnibus viris, & mulieribus in diebus Dominicis, in quibus ipsi communicabant, *cap. quotidie 13. de consecr. dist. 2.* quia indignum judicabant de aliena oblatione communicare, ut ex Divo Augustino *sermon. 215. de tempore*, notat Baronius *tom. 1. annal. anno 58. num. 87.* & ex aliis probavi *in can. 28. Concilii Illiber.* Aliæ etiam erant oblationes, quæ non fiebant de materia ordinata ad sacrificium, vel Eucharistiam consecrandam, sed ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ; & istæ fieri consueverant de frumentis, oleo, incenso, & aliis rebus, *dict. can. 3. Apost.* & si aliæ res offerebantur, non apponebantur in ipso altari: juxta quam Ecclesiæ disciplinam rectè statuitur *in dict. cap. in Sacramento*, ut in sacrificiis amplius non offeratur, quàm de uvis, & frumentis, videlicet in altari ad sacrificium Missæ, non quia PP. Concilii Carthag. negent aquam in Missæ sacrificio adhibendam esse. Docuerunt le Maistre *lib. 1. de decimis, capit. 4.* Corjolanus *in breviario, anno 120.* Menardus *in notis ad librum Sacrament. D. Gregorii, fol. 147. & 173.* Saussay *in Panopl. sacerd. p. 2. lib. 2. cap. 6. & 7.* P. Serlogus *tom. 3. in Cantica, vestig. 3. fol. 262.* 2.

Non tamen inde deducas, ut fecit Armacanus *lib. 9. quæst. Armen. c. 9.* referente Soto *in 4. dist. 9. q. 1. artic. 6. circa secundam conclus.* admixtionem aquæ esse de necessitate sacramenti; siquidem contrarium verum est, & probatur ex D. Cypriano *lib. 2. epist. 3.* Innocent. III. *lib. 4. de sacrif. Missæ, c. 32.* Rubrica Missalis Rom. *c. 4 de defectibus vini, n. 7.* ubi dicitur, quod si Sacerdos post consecrationem calicis agnoscat non fuisse appositam aquam, nullo modo apponat; quia non est de necessitate Sacramenti. Probant cum D. Thoma *3. part. quæst. 83. artic. 6. ad 4.* Bellarminus *de Eu-* 3.

chariſt. cap. 20. Vazquez 3. *p. in 3. diſput. 147. capit. 1.* pluribus relatis Leander *de Sacram. tract. 7. diſput. 8. quæſt. 4.* Martinez à Prado *de Euchariſt. quæſt. 74. dub. 9.* Henao *de Euchariſt. diſput. 4. ſect. 2.* Nullum enim extat præceptum divinum hujus mixtionis aquæ cum vino, ut perperam docuerunt Caſtro adversùs hæreſes, verbo *Euchariſtia. 7.* Henriq. *lib. 8. ſummæ, cap. 12. §. 4.* Granados *tract. 2. de Euchariſt. diſput. 3. n. 9.* P. de Ledeſma *eod. tract. cap. 14. n. 16.* Paſqualigus *diſp. 91. ſect. 6.* & probabile dicunt Vazquez *ubi ſuprà, diſput. 179, c. 2. num. 8.* Nunno *de Euchariſt. artic. 7. num. 2.* Contrarium enim, & rectiùs, docuerunt Suarez *in 3. p. de Sacr. diſp. 45. ſect. 2.* Leander *d. tract. 7. diſp. 8. q. 41.* Trullench. Araujo, & Lugo laudati à Martinez de Prado *in d. c. §. 2. num. 14.* Nec favet contrariæ ſententiæ D. Cyprian. à Gratiano relatus *in cap. in ſacrificando 2. de conſecr. diſt. 2.* ubi non ſolùm docet offerri non poſſe in ſacrificio Miſſæ aquam ſolam, vel vinum ſolum; ſed ait, quod ſi vinum tantùm quis offerat, incipit eſſe ſanguis Chriſti ſine Chriſto. Ex quibus verbis deducitur, conſecrationem vini ſine aqua nullam eſſe. Nam facilè textus hic exponitur, ſi obſervetur, in ipſa epiſtola D. Cypriani non reperiri ea verba, *ſine Chriſto*; ſed potiùs legi *ſine nobis*, in hunc modum: *Si vinum tantùm quæ offerat ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis; ſi verò aqua ſit ſola, lex incipit ſine Chriſto.* Quorum verborum ſenſus eſt, quod quando vinum ſolum ſine aqua offertur, non ſignificat paſſionem Chriſti profuiſſe nobis, hoc eſt, effuſum fuiſſe ſanguinem pro nobis, ſive in utilitatem populi Chriſtiani ſignificati per aquam, ut interpretatur Turriſcrem. *ibi.* Qui conſiderat verba S. Cypriani etiam prout jacent apud Gratianum, poſſe eodem ferè ſenſu accipi: nam per Chriſtum populus Chriſtianus deſignatur juxta Apoſtolum *1. Corinth. c. 12.* Unde nullo modo negat Cyprianus, conſecrationem vini ſine aqua valere, ſed tantùm aſſerit, non poſſe offerri convenienter, & ſalvâ plenitudine myſticæ ſignificationis. D. Thomas *3. p. q. 74. artic. 7. ad 1.* Eodem modo intelligendus eſt textus *in cap. cùm omnes 7. de conſecr. diſt. 2.* in illis verbis: *Non poteſt calix Domini eſſe aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi utrumq; ſibi miſceatur.* Quæ verba referenda ſunt ad neceſſitatem ex præcepto Eccleſiaſtico, ob prædictam ſignificationem. Nec etiam favet contrariæ ſententiæ canon 4. Concilii Aurel. 4. ubi poſtquam ſtatuerunt PP. vinum aquâ miſcendum eſſe ſecundùm Apoſtolicam traditionem, eam rationem adjiciunt: *Quia ſacrilegium judicamus aliud offerri, quàm in mandatis ſacratiſſimis Salvator inſtituit.* Ex quibus manifeſtè deducitur, hanc mixtionem aquæ cum vino, non ex humana, ſed divina inſtitutione provenire. Nam reſpondetur, quod cùm Dominus noſter aquam vino miſcuerit, & tali facto exemplum reliquerit Eccleſiæ, quæ illam mixtionem aquæ fieri ſtatim præcepit, lato modo appellatur hæc inſtitutio divina, quia exemplo Dominici facti ſtatuta fuit: quomodo etiam accipio textus *in cap. in ſacramento*, ubi hanc mixtionem traditionem divinam PP. Concilii Carthag. appellant, ut etiam D. Ambroſius *in proœm. libri de Spiritu ſancto*, pedum lotionem, Dominicam traditionem dicit, quia ad Chriſti exemplum in Eccleſia fieri ſolet.

Unde Pontificem poſſe diſpenſare, ut presbyter offerat Miſſæ ſacrificium absque admixtione aquæ, reſolvit Diana *part. 8. tract. 1, reſol. 12.* aqua autem, quæ miſcetur, debet eſſe in parva quantitate, ut in præſenti docetur, & ſupponit Innocentius *in cap. cum Martha, §. quæſiviſti, hoc tit.* ubi probabiliorem eſſe docet opinionem eorum, qui aſſerunt, aquam converti in vinum, & vinum in ſanguinem: quod fieri nequiret, niſi modica aqua immiſceretur, ut definitum fuit ab Eugenio IV. in Decreto de unione Armen. ibi: *Materia eſt panis triticeus, & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet.* Quo decreto derogatum credo canoni 19. Concilii Tribur. ſuprà relato, ubi cavebatur, ut tertia pars aquæ cum vino admiſceretur. Illuſtrant Vazquez ſuprà, *diſput. 177. cap. 2.* Lugo *de Euchariſt. diſput. 4. num. 38.* Leander *dict. diſput. 8. quæſt. 48.* Martinez à Prado *dict. quæſt. 74. dub. 9. §. 3. per totum.* Unde rectè improbat Honorius abuſum presbyterorum Upſallenſ. qui aquam in majori quantitate offerebant. Illud tamen in præſenti non omittam, Græcos aquam calidam vino olim permiſcuiſſe, ut refert Nicolaus Cabaſillas *in expoſitione liturgiæ*, ſic ſcribens: *Convocatis ad ſacram cœnam fidelibus, ipſe primùm eſt ejus particeps, & quotquot ſunt ejuſdem ordinis, & quicunque ſunt miniſtri altaris, aquâ calidâ prius in calicem injectâ, ad ſignificandum ſancti Spiritus ad Eccleſiam deſcenſum.* S. Germanus Patriarcha CP. *in theor. rerum Eccleſ.* ibi: *Diſcus lectica eſt, in qua corpus Domini componitur à Sacerdote, & Diacono, qui ſunt Joſeph, & Nicodemus. Aqua verò demonſtrat eam, quæ fluxit è latere Chriſti: at per calorem ſignificat fervorem ſancti Spiritus; per albedinem verò ſynceram fidem.* Accedit teſtis locuples auctor divinæ myſteriorum ante conſecrationem liturgiæ, quam *tom. 6. Biblioth. veterum. PP.* inſertam legimus. In ea enim ita ſcriptum eſt: *Cùm autem ſignaturus eſt panes, dicit: Et fac hunc panem, ſingulari numero, quemadmodum unus eſt Chriſtus; cumq; elevaturus eſt, omnes ſimul elevat. Sic partitur oblatum primum panem, & partem ponit in ſacrum calicem, & infundit aquam calidam, ut mixtus eſt.* Illuſtrat Vicecomes *volum. 3. de ritibus Miſſæ, lib. 2. cap. 20.*

CAPUT XIV.

Idem *Epiſcopo* (a) *Brixienſi.*

LItteras tuas recepimus continentes, quod cùm ſuper exceſſibus Magiſtri Mauri presbyteri Eccleſiæ ſanctæ Brigidæ Brixienſis, juxta debitum officii paſtoralis inquireres, (b) confeſſus eſt, quod cùm quadam die hoſtiam, & calicem non haberet, in pane (c) fermen-

(c) fermentato, & in scypho (d) ligneo, astante populo solennia celebrare præsumpsit; quare ipsum supposuisti perpetuo interdicto, consulens, ut in aliqua Ecclesia regulari mutaret in melius vitam suam. Postmodum autem illo coram ven. f. n. Ostiensi Episcopo, tunc Apostolicæ Sedis Legato, ut secum misericorditer ageret, supplicante, idem ad celebrationem divinorum presbyterum restituens memoratum, super suspensione beneficii causam sancti Salvatoris, & sancti Lucæ Præpositis Brixien. delegavit, qui ad beneficium restituerunt eundem. Deinde verò reversus de patribus transmarinis, intellecto quod prædicta Ecclesia per malitiam dicti Magistri multipliciter lædebatur, inquisitionis officium iterans, ex ejus confessionibus invenisti, quod idem sine (e) igne, & aqua sacrificare præsumpsit: quare quid de ipso agendum sit, nostro petiisti edoceri responso. Cùm igitur vel ex aperta malitia, vel ex nimia desipientia peccasse probetur, f.r.m. quatenus si præmissis veritas suffragatur, officio & beneficio, sub. app. obst. perpetuò ipsum prives.

NOTÆ.

(a) *Brixiensi.*] Ita etiam legitur in quinta Compilatione, *sub hoc tit. cap. 6.* & supplendum est, *Bertholdo*, qui temporibus Honorii III. Brixiensem regebat Ecclesiam. De Brixiensi Ecclesia egi *in cap. tuæ, de procurat.*

1. (b) *Confessus.*] Sed si confessus fuit excessus, presbyter hic non rectè pœnâ ordinariâ depositionis punitur; siquidem mitiùs punitur qui se defert, & sponte delictum fatetur, *cap. innotuit, de elect. l. quisquis, in fine, C. ad leg. Jul. Majest. l. 1. C. qui se deferunt, l. non omnes, §. final. ff. de re milit.* Tiraquellus *de pœnis temper. caus. 20. num. 1.* Seneca *lib. 10. declamat. 3. ubi confessio, ibi remissio.* Cui difficultati respondendum est, principium illud procedere in eo, qui sponte confessus sit, non verò in ipso judicio, metu probationum: unde cùm in præsenti casu Episcopus Brixiensis per inquisitionem procederet ad inquirendos excessus à Mauro presbytero admissos, etsi ipse de eis convictus in judicio illos fateretur, deponi debuit, cùm non minùs puniatur, qui in judicio confessus est, quàm convictus; immò justiùs, siquidem propria confessio est optima probatio, *l. cùm te, C. de probat. l. cùm à matre, C. de R. V. l. generaliter, C. de non numer. pecun. cap. per tuas, de probat.* probavi jam *in cap. 1. de confessis.*

2. (c) *Fermentato.*] Certum est, materiam remotam sacramenti Eucharistiæ esse panem, & vinum, *cap. non oportet 4. de consecr. dist. 2. cap. firmiter, §. una verò, de summa Trinit. cap. cùm Marthæ, hoc tit.* panemque debere esse coctum, compositum ex farina, & aqua, & farinam debere esse triticeam, *cap. in Sacramento, de consecrat. dist. 2.* Trident. *sess. 13. de Sacram. cap. 4.* veluti quæ conficitur ex *Candial, Rubion, Rojo, Alabes, Membrilla, Arisnegro, Tosera*, ut probant latè Moralistæ de hoc Sacramento agentes, congesti à Lugo *de Eucharist. disput. 9. sect. 9.* Trullench. & alii congesti à Hieronymo Garcia *in summa, tract. 3. dub. 4. puncto 3.* Unde farinam confectam ex grano non triticeo, non esse sufficientem materiam ad consecrationem, ipsi docent, veluti farina confecta ex leguminibus, fabis, ciceribus, castaneis, avena, hordeo, milio, maisio, lolio, farre, odica. Dubia autem materia est farina ex spelta, zeaipham, sive *centeno à millione*; in qua qui consecraverit, peccabit lethaliter. D. Thomas *3. p. q. 75. artic 3.* plures, quos referunt Leander *de Sacram. Euchar. disput. 18* Trullench. *eodem tract. lib. 2, cap. 1. dub. 1.* Garcia *difficult. 9. p. 1.* Utrum panis triticeus, qui pro materia remota sacramenti Eucharistiæ desideratur, debeat esse azymus, vel fermentatus, controversum est. Græci, ut Euthymius *in cap. 26. Matthæi*, Nicephorus Calixtus *lib. 1. hist. cap. 28.* censuerunt panem fermentatum consecrandum esse, adeo ut si consecratio fiat in pane azymo, effectum non habeat; ideoque Romanæ Ecclesiæ ministros azymistas vocant. Latini verò in pane azymo consecrandum esse docent; & hanc dissensionem utriusque Ecclesiæ agnoverunt Baronius *tom. 2. annal. anno Christi 198. §. 15.* Vazquez *3. p. in 3. disputat. 174. num. 1.* Vicecomes *volum. 3. de ritibus Missæ, lib. 2 cap. 9.* Calvinus, Kemnitius, & Lutherus existimant, quæstionem hanc parvi momenti esse, attamen opinionem Græcorum probant. Catholici Græci etiam in varias distrahuntur sententias, quas referunt Vazquez *d. disp. 174. cap. 2.* Espenceus *de adorat. Eucharist. cap. 8.* Bellarminus *de Eucharist. lib. 4. cap. 10. & 11.* Qui autem fermentati panis usum probant, sequentibus utuntur fundamentis. Primum est; nam translato sacerdotio cæremoniæ veteris legis sublatæ fuere, *cap. translato*, ubi probavi, *de constit.* Sed ex instituto veteris legis panis azymus in sacrificiis usitatus erat: ergo in lege gratiæ censetur interdictus. Secundum; nam juxta probabilem sententiam Christus Dominus Pascha celebravit, & instituit Sacramentum Eucharistiæ XIV. Lunæ primi mensis, id est Martii, primâ vesperâ illius diei, ut probat Basil. Legion. *in quodlibet de Agno typico, cap. 10. cum sequent.* eo autem tempore pane fermentato uti debuit, ut legis præceptum relatum *in cap. 23. Levit.* exequeretur: ergo in sacrificio Missæ pane fermentato, non azymo uti debemus. Denique *in cap. 4. Amos*, scriptum est: *Sacrificate de fermentato laudem.* Ergo quia in pane fermentato sacrificium Missæ offerendum est.

His tamen omissis sententiis, pro vera, & 3.
catholica doctrina agnoscenda sequentes conclusiones notandæ sunt. Prima est, quod tam panis azymus, quàm fermentatus sufficit ad conficiendum Eucharistiæ sacramentum, ut probatur expressè ex Eugenio IV. in Concilio Florentino, in decreto de unione Armen. §. *Item in azymo.* Leone IX. *in epist. 1. adversùs præsumptiones Michaëlis Archiepisc. CP. cap. 5.* & ex Catechismo Pii V. & aliis auctoritatibus congestis à Suarez *3. p. de Sacram. disput. 44. sect. 3.* Vazquez *dicta disput. 174. cap 3.* quod etiam firmatur rationibus. Prima, nam ex communi usu panis verus uterque dicitur, quia constat ex farina

frumenti coagmentata aquâ elementari : ergo sufficit ad materiam remotam hujus Sacramenti. Secunda, quia Christus Dominus in pane azymo consecravit; nam Pascha celebravit quando cæteri Judæi, ut constat *ex cap. 26. Matthæi, cap. 14. Marci, & 22. Lucæ:* & Sacramentum hoc instituit in postremis vesperis XIV. Lunæ, ut rectiùs probant Franciscus Ribera *lib. 5. de Templo, cap. 3.* Vazquez ubi suprà *disput. 172. cap. 3.* Suarez *dicta sect. 3.* Prado *de Eucharist. quæst. 74. dub. 6.* Eo verò tempore pane azymo uti debuit juxta præceptum relatum *Levitic. cap. 23.* quod Illustrat Novarinus *in Agno Eucharist. cap. 11. & 12.* Et certum est, Christum Dominum usum fuisse pane azymo in institutione hujus Sacramenti; siquidem illud instituit in ultima cœna, die videlicet XIV. Lunæ, & ab hac vespera incipiebat solennitas Paschæ diei sequentis; in qua quidem die à præcedente vespera prohibitum fuit Judæis quicquam panis fermentati in domibus habere. *Exodi cap. 12. vers. 7.* unde consequens est, Christum Dominum non fuisse usum in illa cœna pane fermentato, sed azymo, ut ratiocinantur D. Thomas *in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 2.* Innocent. III. *lib. 4. de myst. Missæ, cap. 4.* & eo argumento pro adstruendo Latinorum usu utuntur Leo I. & Gelasius, ut referunt Nicolaus I. *epist. 42.* Hadrianus II. *epist. 9.* quas refert Baronius *tom. 11. anno 1054. cap. 11.* Crespetius *in summa, verbo Eucharistia sub azymo:* qui Græcos hæreticos, ac schismaticos appellat, quia asserebant, Sacerdotes Latinos errare celebrando in pane azymo. Secunda conclusio est, quod etsi uterque panis idoneus sit ad consecrationem; congruentior tamen est panis azymus, quo utitur Ecclesia Latina, quàm fermentatus; tum quia Christus Dominus eâ materiâ usus fuit: tum quia ab Apostolis Ecclesia usum hunc accepit, & panem azymum sacris mysteriis destinavit, tàm Græcis, quàm Latinis, licèt postea serpente errore Ebionitarum Ecclesia Græca hunc morem omiserit. Epiphanius *hæresi 30.* Tandem, nam panis azymus rectiùs, & propriùs repræsentat mysterium, quod sub se continet; denotat enim puritatem & sanctitatem corporis Christi: item & puritatem, quam debent habere qui accedunt ad hoc sacramentum, juxta illud D. Pauli *1. ad Corinth. cap. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis.* Siquidem azymus nullam omnino patitur corruptionem, fermentatus verò hoc ipso, quod fermentatur, aliquo modo corrumpitur, & alteratur. Ex his assertionibus infertur, tam Græcis sacerdotibus, quàm Latinis permissum esse juxta Ecclesiæ suæ ritum consecrare, immò aliter consecrantem peccare lethaliter, & graviter puniendum esse, ex præsenti textu, & decreto Eugenii suprà relato: nec prætextu necessitatis, quia videlicèt Missa celebrari non possit, aut infirmus sine viatico decedat, non potest Latinus in pane fermentato, aut Græcus in pane azymo celebrare, ut resolvunt Vazquez, & Suarez *ubi proximè.* Deinde etsi controversum sit, an Sacerdos Ecclesiæ Græcæ, qui ad Latinam pervenit, vel è contra, in sacrificio Missæ observare debeat ritum Ecclesiæ suæ, an illius, in qua celebrat; & in ea quæstione teneat Ledesma *in 4. p. 1. quæst. 15. artic. 4. dub. 2.* ritum ejus Ecclesiæ esse observandum, in qua conficitur sacramentum, ex regula textus *in cap. illa consuetudo, 12. dist.* idque alii existiment procedere, sive is factus sit incola regionis illius, sive peregrinus adhuc maneat, quia statuta provinciæ ligant etiam forenses, & advenas. In hac tamen re duo casus separandi sunt. Primus est, ubi Clericus Ecclesiæ Græcæ in Latinam domicilium transtulit animo perpetuò manendi, & vivendi more Latino: quo casu in pane azymo debet consecrare, & in omnibus aliis observationibus ritum Ecclesiæ Latinæ adimplere; nam ejus Provinciæ mores quisque sequi debet, in qua ipse degit. Secundus est ubi clericus unius Ecclesiæ ad aliam venit negotii causâ, aut peregrinationis: quo casu etsi quoad observationem festorum dierum, & jejuniorum ejus consuetudinem sequi debeat, *d. cap. illa*, junctis his quæ adducunt Covarr. *lib. 4. variar. cap. 20. num. 8.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. de diebus festis, cap. 13.* quoad consecrationem tamen Eucharistiæ ritum propriæ Ecclesiæ debet observare. Vazquez *d. cap. 3.* Suarez *ubi proximè:* non autem dicitur illa propria Ecclesia, in qua quis obiter, & veluti per transennam degit; sed illa potiùs, cujus regulis, & legibus vivit. Prosequuntur latiùs Diana *3. p. tract. 6. resol. 99.* & *part. 10. tract. 16. resol. 39.* P. Henao *de Eucharist. disput. 4. in princip.* Martinez à Prado *d. q. 74. de Eucharist. dub. 7.* Macedo *de clavibus Petri, lib. 3. cap. 15.*

Superest tandem respondere argumentis suprà adductis, quibus suadebatur, in pane azymo consecrari non posse. Non enim obstat primum ex eo deductum, quia ritus Judæorum lege Evangelicâ sublatus instaurari videatur, *cùm dies celebrationis Paschæ mutaretur* tam à Græcis, quàm à Latinis, ne fiere XIV. Lunæ, ne ita conveniret Pascha nostrum cum Pascha Judæorum, ut notavit Vazquez *dicta disp. 174. cap. 4. num. 34.* Nam respondendum est cum Anselmo *in tract. de pane azymo*, Ecclesiam Latinam non ideo pane azymo uti, ut veterem legem & ejus ritus observet; sed potiùs ut imitetur Christum, qui in prædicto pane consecravit, alioquin nec fermentato uti posset, cùm & ille in sacrificiis veteris legis in usu esset, *cap. 7. & 23. Leviticì.* Nec adhuc obstat quod de mutatione Paschæ dicebamus; hæc enim mutatio, ut ait D. Ambrosius *epist. 83.* ideo facta fuit, ut jejunium celebraret Ecclesia feriâ sextâ, quâ Christus passus est in memoriam passionis illius; & ut festum Paschæ die Dominica celebraretur in memoriam resurrectionis; cùm ex tunc in perpetuam celebritatem consecrata fuerit: hoc autem fieri non posset, si in ipsa XIV. Lunæ festivitas prædicta celebraretur, cùm ob mutationem temporum in unam diem hebdomadæ uno anno incidat; in diversam verò in alio. Nec obstat auctoritas Amos, cui respondet Anselmus *ubi suprà*, conjungenda esse illa verba cum præcedentibus, ubi sic legitur: *Venite in Galgalam, & impiè agite, & sacrificate de fermento laudum.* Ita ut contineant ironicam alloquutionem, & in illis magis exprobretur mos sacrificandi in fermentato, quàm admittatur. Manet ergo, panem azymum in sacrificio altaris apud Latinos offerendum esse juxta formam præscriptam à PP. Concilii Tolet. *can. 6.* ibi: *Delatum est quod in quibusdam his partibus quidam Sacerdotum partim hobusdam his partibus quidam Sacerdotum partim hobusdam ignorantiâ implicati, partim temerario ausu provocati, non panes mundos, & ex studio præparatos supra mensam*

4

mensam Domini in sacrificio offerant, sed passim quo modo unumquemque, aut necessitas impulerit, aut voluntas coëgerit, de panibus suis usibus præparatis crustulam in rotunditatem auferant, eamq; super altare cum vino, & aqua pro sacro libamine offerant, &c. Temeritati huic, aut nescientiæ cupientes terminum ponere, id unanimitatis nostræ delegit conventus, ut non aliter panis in altaris Domini sacerdotalis benedictione sanctificandus præponatur, nisi integer, & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus; nec grande aliquod, sed modica tantùm oblata, secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat. Ubi panes mundos pro probis, & bonis PP. apposuerunt, ut Imperatores Valens, & Valentinianus *in l. 5. C. Theodos. de annon. civ. & pane gradili:* ibi: *Civis Romanus, qui viginti panibus sordidis, qui nunc dicuntur Ardmienses, quinquaginta uncias comparabat, tringinta & sex uncias in buccellis sex mundis sine pretio consequatur.* Quam explicat Samuel Petitus *ad jus Atticum lib. 4. tit. 10. fol. 385.* Unde meritò in præsenti beneficio privatur presbyter Latinus, qui in pane fermentato consecrare ausus fuit. Illud omittendum non duxi, quod licet in Ecclesia Latina panis consecrandus debeat esse azymus, benedicendum tamen, ut mittatur per parochias vice eulogiarum, panis fermentatus admittitur, quia ad probandam fidelium communionem sufficit hic panis fermentatus benedictus: de quo pane benedicto accipiendi sunt Innocent. I. *epist. 1. cap. 5.* ibi: *De fermento, quod die Dominico per titulos mittimus, superfluè nos consulere voluisti, cùm omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ, quarum presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcircò fermentum à nobis confectum per acolytos accipiunt, ut se à nostra communione maximè illa die non judicent separatos: quod per parochias fieri debere non puto, quia non longè portanda sunt sacramenta, nec nos per cæmeteria diversa constitutis presbyteris destinamus, ut & presbyteri eorum conficiendorum jus habeant, atque licentiam.* Damasus *in vita Melchiadis, apud Ivonem p. 2. Decreti, cap. 63.* ibi: *Melchiades fecit, ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur; quod declaratur fermentum.* Liber Pontificalis apud eundem Ivonem ibidem, in illis verbis: *Siricius constituit, ut nullus presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum; & ut Manichæi non participarent cum fidelibus communionem, quia ore pollute non liceret sanctum corpus Domini convexari; & ut conversus de Manichæis non communicaret usque ad ultimum diem, quo viaticum acciperet.* Quæ auctoritates accipiendæ sunt de pane benedicto, non verò de consecrato in sacrificio Missæ, ut notavit Severinus Binius *in notis ad vitam Melchiadis.*

5. (d) *Scypho ligneo.*] Scyphus vas ad potandum apud antiquos erat, de quo *in l. in rem, §. si quis, ff. de rei vindic. l. tigni, §. 1. ff. ad exhib. l. sed si meis, in princip. ff. de acquir. dom.* Virgil. 8. Æneid.

Et sacer implevit dextram scyphus.

D. Ambrosius *lib. 3. hexaëmer. cap. 8.* scyphum lilio similem fuisse scribit his verbis: *Considerate lilia agri, quatenus sit candor in foliis, quemadmodum stipata ipsa folia ab imo ad summum videantur assurgere, ut scyphi exprimant formam.* Olim lignei scyphi erant, postea aurei, & argentei, *l. Sejæ, ff. de auro & argent.* Scyphum pro calice acceperunt Plinius *lib. 32. cap. 2.* Suetonius *in Nerone, cap. 47.* & notavit Pancirola *lib. 1. var. cap. 58.* Sed ut excessum hujus presbyteri Brixiensis depositione dignum agnoscamus, præjacienda sunt aliqua de calicis materia, usu, & antiquitate in sacrificio Missæ. Et primò sciendum est, calicis vocem à materia, ex qua olim vasa conficiebantur, deductam esse, existimasse D. Isidorum *lib. 20. orig. cap. 5.* ibi: *Calices, & calathi, & cætera poculorum genera antea ex ligno facta, inde & vocata: Græci enim omne lignum Kalon dicebant.* At Varro hoc poculi genus ita dictum vult, quòd veteres eo aquam calidam biberent. Aliter ex festo etymon hujus vocis illustrat Sausay *in Panopl. Sacerd. lib. 8. cap. 1.* Utcunque sit, constat in sacris, & prophanis litteris accipi pro poculo majori, majorique vase. *Genesis cap. 40. vers. 11. & lib. 3. Regum, cap. 7.* apud Ciceronem *lib. 2. Tusc. cap. ult.* ibi: *Quid hic calix mulsi?* Plautus *scena 3. act. 4.* ibi: *Ollas, calicesq; omnes confregit, nisi quæ modiales erant.* Aliqui tamen calices parvi erant, unde caliculi nomen inolevit, quo & usus est Cato *de re rustica cap. 108.* ibi: *Vinum si voles experiri, duraturum sit, necne, polentam grandem, dimidium acetabuli in caliculum nostrum indito.* Frequentius in sacra pagina ponitur calix pro ipso potu, ut apud Isaiam *cap. 51. vers. 17. Bibisti de manu Domini calicem iræ ejus: usque ad fundum calicis soporis bibisti, potasti usque ad feces.* Et *cap. 25. Hieremiæ: Accepi calicem de manu Domini, & propinavi cunctis gentibus, ad quas misit me Dominus.* Et *cap. 10. Matthæi, vers. 42.* ibi: *Calicem aquæ frigidæ.* Et *Lucæ cap. 22. vers. 20. Hic calix novum testamentum est.* Ubi aperta metonymia est, quâ continens ponitur pro contento; nec enim vas ipsum Novum Testamentum erat, sed poculum ipsum; immò potiùs in calice contentus sanguis, licet Domini, Novum erat Testamentum. Unde apud Matthæum legimus *cap. 26.* Christum accepto calice, gratiisque actis dixisse: Hic est sanguis meus Novi Testamenti. In Christianorum tamen sacris obvia est calicis mentio apud primos Ecclesiæ PP. ut in Liturgijs sancti Jacobi, & S. Marci: D. Paulum *1. ad Corinth. cap. 10.* D. Clem. *lib. 8. cap. 15. & epistol. 2. ad Jacobum:* quorum, & aliorum SS. PP. verba refert Vicecomes *volum. 4. de ritibus Missæ, lib. 6. cap. 8.*

Hucusque de nomine, & antiquitate calicis: 6.
nunc ad ejus materiam accedamus. Et primis Ecclesiæ sæculis calices, & fictiles, & ligneos fuisse, auctoritatibus, & rationibus probatur; nam Ecclesia illis primis sæculis adeo paupertate premebatur, ut pretiosis calicibus comparandis illi facultates non suppeterent, & cavendum erat à Gentilium invidia, ob quam non licebat nova & sumptuosa sacrificii vasa conflare, ne eorum fama ad illos perveniret. Non tamen rectè his rationibus aliam adjungit Vicecomes *d. lib. 6. cap. 9.* quia videlicet Christus Dominus vinum consecravit, dum Eucharistiam instituit, in calice ligneo; nam potiùs fuisse ex pretioso lapide, agatha videlicet, probat Sausay *lib. 8. Panopl. Sacerd.* vel chalcedonio, quem in majori Ecclesia Valentinæ civitatis, vulgò *Valencia del Zid*, asservari tradunt Scolanus *decad. 1. hist. ipsius urbis*, Didacus Guzman *p. 1. de excel. sacrif. legis Evangel. cap. 11.* Salmeron *tom. 9. in Evangel.*

tract. 10. pag. 77. Barradas *tom. 4. in Evangel. lib. 2. cap. 11.* Fagundez *in 1. præcept. Eccles. lib. 3. cap. 21. num. 15.* Herrera *lib. 1. de cærem. Missæ, cap. 26.* Illescas *in histor. Pontif. lib. 5. cap. ultim.* Saulay *ubi suprà*, alii plures relati à P. Henao *tom. 2. de sacrif. Missæ, disput. 26. sect. 1. num. 7.* Auctoritatibus etiam idem firmatur Concilii Tribur. relati *in cap. vasa, de consecr. dist. 1.* & Radulfi Tungrensis *de canonic. obs. propos. 23.* ibi: *Ab initio siquidem, cum adhuc esset novella Ecclesia, Apostoli cum sanctificatione crucis, & oratione Dominica, prout in quibusdam scripturis veteribus reperitur, & in quotidianis vestibus, & ligneis calicibus celebrabant.* In vita S. Benedicti Amianensis legitur: *Vasa ad sacrificandum corpus nolebat esse argentea, siquidem primùm fuerunt lignea, deinde vitrea, sic tandem conscendit ad stannea.* Probant Baronius *anno 216.* Corjolanus *in Breviario, anno 203. & 813.* Sed abrogatus fuit usus ille calicis ligneï, sive propter sacramenti dignitatem, sive propter ligneæ materiæ raritatem, quâ sanguis imbibi poterat; & cœperunt usu venire calices vitrei, ut constat ex Tertul. *de pudicitia cap. 7.* ubi ait: *At ego pastoris ejus picturam haurio, quæ non potest frangi.* Quo loco alludit Septimius ad veterem morem, quo pastor ovem humeris gestans in calicibus pingebatur, ut ibi observavit Ambianas *observ. 1.* ex D. Hieronymo *epist. 4. ad Rusticum*, ubi de B. Exuperio Episcopo Tolosano agens ait: *Nihil illo durius, qui corpus Domini canistro vimineo; calicem portat in vitro.* Plura Baronius *anno 216. num. 13.* Novatinus *in Agno Eucharist. cap. 95.* Vitreum quoque calicem adhibebant S. Donatus, ac etiam S. Vinocus, ut in utriusque actis legimus. Epiphanius *hæresi 34.* & hoc instituisse Zephirinum, Damasus, & Platina in ejus vita tradunt, & refertur *in d. can. 18. Concilii Tribur.* ibi: *Zephirinus XVI. Romanus Episcopus patenis vitreis Missas celebrari constituit.* Et probarunt Severinus Binius *in notis ad ipsius vitam.* Corjolanus *d. anno 203.* Baronius *in Martyrol. die 7. Augusti:* licèt contrarium teneat Saulay *in Panop. Sacerd. dicto cap. 4. artic. 1. & 2.* eo levi fundamento motus, videlicet, quod si Zephirinus id statuisset, PP. Concilii Provincialis *in cap. ut calix, de consecr. dist. 1.* non statuissent contra Apostolicam legem, ne in calicibus vitreis Missæ sacrificium celebraretur, sed in argentiis; nam cùm jam antea id constituisset Urbanus, ut refertur *in d. can. 18. Concilii Tribur.* potuerunt PP. Synodi Rhemensis juxta Urbani constitutionem statuere, nè in calice vitreo Missæ sacrificium celebraretur. Omissis ergo calicibus vitreis, & ligneis, cœperunt usu venire argenti, & aurei, ut constat ex Prudentio in hymno Divi Laurentii, ibi:

Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroq; nocturnis sacris
Astare fixos cereos.

Itaque Damasus *in Pontific. de Sylvestro*, Constantini liberalitatem commendans refert, quod Basilicæ B. Petri donavit calices aureos tres, cum gemmis prasinis 45. pensantes singulos libras 12. metretas argenteas duas, pensantes libras ducentas: calices argenteos 20. pensantes singulos libras 10. Nec ita multò post Tertullianum, hoc est tempore S. Cypriani, qui sancto Laurentio æqualis fuit, sacra vasa argentea fuisse refert D. Ambrosius *lib. 2. offic. cap. 18.* Vasorum item aurei, & argentei mentio extat *in can. 63. Concilii Nican.* translato ex Arabicis: & apud Optatum *lib. 1. August. epist. 165.* Et Hormisda Pontifex *epist. 73.* ait: *Suscepimus calicem aureum, & gemmatum, patenam argenteam, & alium calicem argenteum.* Et Gregorius Turon. *lib. 3. hist. Franc. cap. 10.* ait: *Childebertus Rex inter reliquos thesauros ministeria Ecclesiarum pretiosissima detulit; nam 60. calices, 15. patenas, 20. Evangeliorum capsas detulit, omnia ex auro puro, & gemmis pretiosis ornata.* Illustrant Baronius *in martyr. die 7. Augusti, fol. 332.* Ambianas *ad Tertul. de pudicitia, cap. 6. obs. 1.* Severinus Binius *in notis ad Zepherinum.* Cassanate *ad Lactantium lib. 2. cap. 4.* Monchiac. *de sacr. Miss. lib 3. cap. 6.* Vicecomes *d. lib. 6. cap. 10. per totum.* Unde prohibiti fuerunt calices ex alia materia. Leo IV. in epistola per Provincias missa presbyteris legenda, ibi: *Nullus in ligneo, plumbeo, aut vitreo calice audeat Missam agere.* Innocentius IV. anno 1254. apud Bzovium inquit: *Unusquisque Sacerdos in aureo, vel argenteo solùm, aut saltem stanneo calice sacrificet.* S. Isidorus *in epist. ad Redemptum.* Concil. Covancense anni 150, *tit. 3.* statuit: *Ut Sacerdotes non sacrificent cum calice ligneo, vel fictili.* Londinense anni 1175. similiter decernit, ut non nisi in calice aureo, vel argenteo consecretur, prohibetque ne aliquis Episcopus stanneum calicem amodò benedicat. Unde in capitulis Hincmari, relatis *tom. 22. Concil. Regiæ edit. pag. 512.* jubentur presbyteri inquirere, quo ex metallo sit calix, & patena; aut quâ diligentiâ custodiantur. Et Petrus Damianus *epist. 20.* conqueritur, quòd nonnulli circa sacri altaris utensilia tantæ negligentiæ sunt, & tam segnis incuriæ, ut stanneos, vel etiam supparis cujuscunque metalli calices longo situ scabredinis inhorrescere patienter aspiciant. An verò hodie calices stannei, vel ex ære, vulgò *bronze*, ex cupro, Hispanè *cobre*, orichalco, Hispanè *laton*, ò *azophar*, possent ad sacrificium Missæ adhiberi, disputant Lugo *de Eucharist. disput. 20. sect. 4.* Martinez à Prado *quæst. 83. dub. 18. §. 4.* P. Henao *tom. 2. de sacrif. Missæ, disput. 26. sect. 1.* Christ. Lup. *ad can. 2. Concilii Ephes.* Amplius ultra congruum metallum desideratur in calice consecratio Episcopi cum chrismatis unctione, ut supponitur *in cap. sacratas 25. cap. non liceat 31. 23. dist. cap. in sancta 41. de consecr. dist. 1. cap. unic. in fine, de sacra unctione.* Apud D. Hieronymum *in epist. ad Theophilum Alex. Epis.* ibi: *In opere tuo utilitatem spectavimus Ecclesiarum, ut discant qui ignorant, eruditis testimoniis scripturarum, quâ debeant veneratione sancta suscipere, & altaris Christi ministerio deservire, sancta velamina, & cætera, quæ ad cultum pertinent Dominicæ passionis, non quasi inania, & sensus carentia, sanctimoniam non habere.* Latè probant Azor, Fagundez, & alii relati à Barbosa *de jure Eccles. lib 3. cap 2. num. 8.* Suarez, Lugo, & Tamburinus apud Henaum *d. disput. 26. sect. 4. num. 63.* qui resolvit, clericum calice non consecrato utentem in sacrificio Missæ, ab officio, & beneficio esse suspendendum; unde rectè in præsenti Honorius III. decrevit, presbyterum Brixiensem, qui tot excessus circa sacrificium Missæ admisit, deponendum esse ab officio, & beneficio.

(e) *Igne.*] Lampadum, cereorum, seu luminarium usum, non simpliciter ad tenebras pellendas,

lendas, sed ad celebritatem, ad lætitiam, ad religionem, tam Judæos, quàm Gentiles communem habuisse, latè probant Ælias Schedius *de Diis German. cap. 28. per tot.* Simon Majolus *dier. canicul. verbo Ignis, fol. 281.* Stuckius *de sacrif. Gentil. fol. 102.* P. Pinto *in Cantica lib. 1. cap. 2. vers. 11. fol. 161.* Kochier *in face hist. cent. 2. cap. 1. 18. & 58.* Salazar *in histor. Gadit. lib. 3. cap. 9.* Ambian. *ad Tertul. de idololatr. cap. 25. observ. 2.* Sherlogus *tom. 2. in cantica, vestig. 13. sect. unic.* Avendanno *de metu lib. 2. cap. 38.* Cassanete *in notis ad Lactantium, lib. 6. instit. cap. 2.* & supponitur *in can. 70. Apost.* dum ita cavetur: *Si quis Christianus oleum ad sacra Gentilium, aut synagogam Judæorum in festis eorum detulerit, aut lucernas incenderit, à communione excludatur.* A quibus non mirum, si in Ecclesiam Catholicam facilè usus luminarium dimanarit, & in sacrificiis, & divinis officiis lucernæ jam ab Ecclesiæ cunabulis adhibeantur, institutio ordine acolytorum ad luminaria accendenda, juxta Concil. Carthag. 4. *can. 6.* relatum *in cap. acolythus, 13. dist.* ibi: *Ut sciat se ad accendenda luminaria mancipari.* Eundem usum luminarium in Ecclesia jam à primis ejus sæculis probant Damasus Papa *in vita Sylvestri.* Cyrillus Hierosolymit. *orat. in occursu Domini*, ibi: *Læti hodie lampades ornemus, tanquam filii lucis; cæras veræ lucis Christo offeramus, quoniam lumen ad revelationem Gentium apparuit; ideo lumina ex homine supra nivem resplendeamus.* Nazianz. *orat. 40.* Gregorius Magnus *lib. 12. epist. 9. Utile judicamus eandem massam, quæ ad aquas salvias nuncupatur, cum omnibus fundis suis deputare luminaribus Ecclesiæ S. Pauli.* Gregorius Turon. *lib. 5. histor. Franc. cap. 11.* de Baptismo quorumdam Judæorum agens ait: *Flagrabant cerei, lampades refulgebant, albicabat tota civitas de grege candidato.* Idem *lib. 8. cap. 10.* de translatione cadaveris Clodovei, ibi: *Convocato igitur Episcopo civitatis cum Clero & populo, ac cæreorum innumerabilium ornatu, ad basilicam S. Vincentii detulit tumulandum.* Metaphrastes *die 14. Octobris*, ibi: *Præterea autem universus Clerus, & omnes magistratus linguis hymnos canentes, & quas manibus gestabant, lampadibus ea illustrantes; quæ tamen magis miraculis resplendebant, quàm lampadibus.* Venantius Fortun. *lib. 1. carm. 1.* Paulinus *natali 3. & 7.* quorum & aliorum verba refert Sherlogus *d. vestig. 11. sect. unic.* Faciunt etiam plura, quæ de luminaribus, & lampadum usu in Ecclesia recepto, contra Vigilantium, & alios hæreticos congesserunt Carrierius *tom. 2. Digest. fidei, folio 609.* Bovius *tom. 1. Romæ subterr. lib. 1. cap. 18.* Zerda *in advers. cap. 92.* Cresolius *lib. 3. mystag. cap. 21.* Bulengerius *lib. 2. opusc. cap. 11.* Becanus *in analog. cap. 13.* Crespetius *in summa, verbo Cereus, luminaria, & ignis*, Beyerlinch *tom. 6. verbo Sacrificium*, & nos *in cap. 35. Concilii Illiber. cap. 1. de offic. custod.* Sed licèt in divinis officiis in Ecclesia celebrandis semper lumen adhibitum esse legamus, hoc tamen in Missæ sacrificio semper præcedere, & adhiberi debere constat ex Concilio Tarracon. relato à Cironio in præsenti, his verbis: *Sacerdotes sanctum Missæ sacrificium sine duabus candelis cereis incensis, & in utraq; parte altaris positis, non peragant.* Concilio Frisingens. celebrato anno 1440. *titul. de celebrat. Missar.* ibi: *Ut nullus divina Missarum solennia sine luminibus celebrare præsumeret.* Ex Tertulliano *in Apolog. cap. 19.* ibi: *Post aquam manualem, & lumina.* Quem locum de lumine in Missa omnes Interpretes exponunt. Accedunt Micrologus *de Ecclesiastic. observ. cap. 11.* dum ait: *Juxta Romanum ordinem nunquam Missas absque divino lumine celebramus, non utique ad depellendas tenebras, cùm sit clara dies; sed potius in typum illius luminis, cujus Sacramenta ibi conficimus, sine quo in meridie palpabimus, ut in nocte.* Honorius Augustodun. *in gemma animæ*, ibi: *Lumen Spiritum sanctum significat.* Ideo cum lumine Missa celebratur, quia hoc sacramentum per Spiritum sanctum consecratur, & dignè hoc percipientes à Spiritu sancto illuminantur: lumen enim lætitiam significat. Quare in rubricis generalibus Missalis, §. 20. legitur: Super altare collocetur crux in medio, & candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc & inde in utroque ejus latere. Latè probant usum, & necessitatem luminis in sacrificio Missæ Vicecomes *volum. 4. de ritibus Missæ, lib. 2. cap. 24.* Anton. Monchiacenus *3. p. de sacrificio Missæ, cap. 10.* Scortia *eod. tract. lib. 2. cap. 14.* Hieronymus Garcia *in summa, tract. 3. difficult. 8. dub. 3.* Prado *de Eucharist. q. 83. dub. 19. §. 4.* P. Henao *tom. 2. de sacrif. Missæ, disput. 25. sect. 6.* qui disputant, an in lumine olei, ex adipe balenæ, ex tædis, resina, aut pice, vel ex sebo, Missæ sacrificium possit celebrari.

Textum hunc exposui *in cap. 2. de confessis.*

TITULUS

TITVLVS XLII.

De Baptiſmo, & ejus effectu.

CAPUT I.

(a) Alexand. III.

SI quis puerum ter in aqua (b) immerſerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen; & non dixerit: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: non eſt puer baptizatus.

NOTÆ.

(a) *Alexander III.*] Ita etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. cap. 1.* nullibi tamen exprimitur cui reſcribat Pontifex; rectè tamen Illuſtriſſimus Manrique *tom. 3. annal. anno 1176. cap. 6.* exiſtimavit reſcribere Alexandrum Pontio Epiſcopo Claromont. qui ex Abbate Clarevallenſi aſſumptus fuit ad eam Eccleſiam. Ut autem hoc faciliùs ſuadeatur, & præſentis Decretalis occaſio agnoſcatur, ſciendum eſt, morem illum in Gallia invaluiſſe, ut cùm in caſu neceſſitatis aliquis laïcus baptiſmum miniſtrabat, illa priora verba, *Ego te baptizo*, non proferret, forſan modeſtiæ causâ, ea miniſtris ordinariis, & ſacris reſervans: & ita tantùm infantes mergebant in aquam ea verba proferentes: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Quare cùm quidam laicus filium ita baptizaſſet, ex ea muliere ſuſceptum, cum qua contracturus erat matrimonium, dubitavit an impedimentum cognationis ſpiritualis matrimonium impediens inde contraxiſſet? Conſuluit proprium Epiſcopum, Pontium videlicet Claromont. qui duos egregios, & perdoctos viros tunc in Gallia florentes, Mauricium videlicet Pariſienſem Epiſcopum, & Stephanum tunc Abbatem S. Eburtii, mox ſanctæ Genovefæ, demùm Epiſcopum Tornacenſem conſuluit ſequentibus litteris, quæ reperiuntur inter epiſtolas Stephani Tornac. cum epiſtolis Joannis Sarisbar. in hæc verba: [Reverendis in Chriſto Dominis, & Patribus ſuis; Mauricio, Dei gratiâ Pariſienſi Epiſcopo; & Stephano, ſancti Eburtii Abbati: Pontius eadem gratiâ Claromontenſis Epiſcopus, ſalutem, & totius dilectionis obſequium. Vobis duobus ſpecialiter fidem noſtram ducimus referendam, quos ſpiritualis commendat affectus dilectionis, quem erga vos habemus; & ſpecialis intelligentia Scripturarum fructuoſos reddit, & commendabiles apud omnes. Homo iſte præſentium lator, quandam olim fœminam amabat, quam quidem deſponſaverat, ſicut ipſe dicit: ſed priùs, quàm eam acciperet uxorem, fœcundavit eam. Cùm igitur puer natus eſſet, nec poſſet ſtatim Sacerdos ad baptizandum eum congruè reperiri, pater ejus immerſit eum aquâ, dicens: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Et hæc eſt peſſima conſuetudo in terra noſtra, ut in talis neceſſitatis articulo dicant: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; nec totam exprimant verborum formam, quæ debet exprimi in baptiſmo: quod undaïzare vocant. Quærimus ergo, utrum iſtud Baptiſmus ſit, vel utrum puer poſtea debeat baptizari? utrum etiam homo iſte mulierem illam accipere valeat uxorem, quoniam boni *ſatis eſſe teſtimonii* perhibetur: & rogamus *dignationem* veſtram, ut per litteras veſtras de his omnibus certificetis nos. Valete.] His litteris acceptis Mauricius ſenex breviter quidem, ſed ſolidè reſpondit; neque ad utrumque dubium, ſed ad primum: quippe ſtatutâ Baptiſmi nullitate, noverat utrum reſultaret impedimentum: litteræ autem ejus, quæ immediatè ſequuntur, ita habent: [Reverendiſſimo Patri & Domino Pontio, venerabili Claromontenſi Epiſcopo: Mauricius Pariſienſis Eccleſiæ humilis Miniſter, ſalutem, & obſequii plenitudinem. Super quo Celſitudo veſtra noſtram conſuluit parvitatem, breviter reſpondemus: Quia in quem modum forma Baptiſmi tradi, vel recipi debeat, Scripturarum divinarum auctoritate, & Sanctorum Patrum teſtimonio traditum habemus in hunc modum, ſcilicet: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; & tanta eſt verborum vivacitas, ut nihil immutari, nihil innovari oporteat: niſi verè tota hæc verba ſimul â quocunque, & quacunque lingua proferantur, Baptiſmum eſſe non credimus. Quia ergo, ſicut litterarum veſtrarum teſtimonio cognovimus, præſentium lator in ſubmerſione filii ſui, Ego baptizo, ſiluit; & tantùm, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti protulit, Baptiſmus non fuit; & ideo puer ille baptizandus eſt, quia Baptiſmum nunquam ſuſcepit. Itaque de reliquo nulla ſupereſt quæſtio. Vale.] Ita Mauricius. Longiori epiſtolâ Stephanus reſpondit, contrariam partem adſtruens, opinionis captandæ, ſi cum Mauricio inciperet contendere; an veritatis ſtatuendæ causâ, dubium: certè in re nondum adhuc definita adeo ſubtiliter, ut Pontius perpenſis ejus ratio-

rationibus, auctoritatibusque, Alexandrum censuerit consulendum. Porrò ejus responsum in epistola, quæ est ordine quinta, ad veramque quæstionem (namque valor Baptismi præsuppositus secundæ locum dabat,) hæc habet verba: [Sanctissimo Patri, & Domino Pontio Claromontensi Episcopo, frater Stephanus de sancto Eburtio, salutem, & cum omni devotione reverentiam. Premit, fateor, imperitiam meam, & quærentis auctoritas, & novitas quæstionis. Accedit moles verecundiæ meæ, Pater, quòd in tanta consultatione vestra Domino Parisiensi me jungitis, camelo culicem, cedro carduum, Hylam Herculi comparantes. Scriba doctus in regno cœlorum proferre de thesauro suo nova, & vetera, quæstionibus vestris in profunditate sensus, & sublimitate scientiæ respondit, & cœleste oraculum suum facili vobis absolvit epistolâ. Felix lingua! Divinam ejus responsionem, ut Thebais Æneida longè sequor, & vestigia semper adoro. Moverer in contrarium, si absque sacris ejus apicibus mihi quæstio moveretur.] Hactenus Stephanus humiliter de se ipso: at de quæstione in contrariam partem decisa, seu decidenda, ut ipsi videbatur, ita subjungit: [Qui sacramentum instituit Baptismi, formam tradidit baptizandi. Ite, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Qui potestatem baptizandi sibi retinuit in hac forma, mysterium aliis concessit? Nemo dixerit, quia quod dicitur: Ite, docete omnes gentes, vel sacramenti obtineat substantiam, vel exprimat formam. Teneamus, quod sequitur: Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Nondum ibi legi: Baptizantes eos, & dicentes: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Si baptizare, intingere, & baptismus intinctio est, quid aliud sunt baptizantes, nisi intingentes? Intingens ergo cum intentione baptizandi, si proferat, quod Veritas jubet, id est: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; baptizasse videtur, & formam à Christo traditam compleviſse. Etiam hæreticos, si hæc tremenda verba protulerint, Catholicam formam tenuisse dicemus: Novatiani (inquit Innocentius) tremendis nominibus Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizant. Nec apud eos de unitate potestatis divinæ, hoc est, Patris, & Filii, & Spiritus sancti aliquando quæstio mota est. Sed & P. Augustinus de Ecclesiasticis regulis: Si qui, inquit, apud illos hæreticos baptizati sint, qui in sanctæ Trinitatis confessione baptizant, & veniunt ad Catholicam fidem, recipiantur quidem ut baptizati, ne sanctæ Trinitatis invocatio, vel confessio annulletur. Si ab hæreticis baptizati in confessione Trinitatis ab Ecclesia recipiuntur, ne Trinitatis invocatio, vel confessio annulletur: quare non baptizatus dicetur, qui à laico catholico dicente: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, tertiò mersus est? Nam si hoc non admittitur, confessio, vel invocatio Trinitatis, quæ sibi facta est, tanquam quæ nihil contulit, annullatur. Idem ad Orosium: Idem baptisma est, & hæreticorum, scilicet qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizant: & Ecclesiæ Catholicæ. Et ideo eos Ecclesia non rebaptizat, qui in nomine Trinitatis baptizati sunt. Et ipsa est profectò forma sacramenti. Ecce quia formam sacramenti hanc esse dicit, immergere scilicet, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: non additur: Ego te baptizo, vel immergo. Idem de unico baptismo: Nequaquam dubitarem, eos habere baptismum, qui ubicunque, vel à quibuscunque illud evangelicis verbis consecratum, sine simulatione, & cum aliqua fide accepissent. Vide, Pater, quia solis verbis, & evangelicis consecratur baptismus. Nusquam autem in toto Evangelio lego: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; sed tantùm: Baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Sed & Zacharias Papa Bonifacio Episcopo: In Synodo Anglorum decretum & firmissimè præceptum, & diligenter demonstratum esse dignoscitur, quod quicunque sine invocatione Trinitatis mersus fuisset, sacramentum regenerationis non haberet. Quod omnino verum est, quia si mersus in fonte baptismatis quis fuerit sine invocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti fuerit mersus. Non ait: Nisi qui baptizat, dixerit: Baptizo te in nomine Patris. Plura possem colligere, Pater, quæ in hac parte me movent, & motæ quæstionis solutionem promovent. Verùm quia timeo & prolixitatis argui, & procacitatis notari, parco chartulæ, parco & famæ meæ. Opiniones profundo, non assertiones: paratus, ut dixi, summi, & catholici viri Domini Parisiensis sequi vestigia, non tamen adactus in alicujus jurare verba. Clausulam tamen, quæ à baptizantibus solet, & debet dici, scilicet: Ego te baptizo, summâ reverentiâ deosculor, summo studio amplector. Eam mater Ecclesia sic induxit, ut esset de solennitate mysterii, non de substantia sacramenti. Nam si aliud dixerimus, absque medio confitebimur damnatos, quos in necessitatis articulo novimus à laicis baptizatos. Hoc enim solùm dicere solent, qui litteras ignorantes parvulos undaizant: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. In quibus verbis eandem virtutem inesse, quam in latinis syllabis idem significantibus, & credimus, & fatemur. Vehementer tamen arguendos, & pœnitentiâ afficiendos dixerim Sacerdotes, qui vel per negligentiam, vel per imperitiam aliquod omiserint de verborum solenni dignitate. Qui prætissis rationibus fidem adhibuit, baptizatum taliter: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, non iterum baptizabit. Itaque qui sic eum baptizavit, & spiritalis pueri pater, & matris ejus compater effectus est. Unde etsi uxor ejus priùs non erat, impediente compaternitate, judicio meo, cum ea non contrahet matrimonium, cum qua etsi priùs contraxisset, secundum quod Deus dedit Papa asserit, nullo modo sese in conjugio cum ea reciperet. Nec obloquitur, quod Joannes Papa Anselmo Episcopo scribit capitulo, Ad limina B. Petri; ibi namque de conjunctis, hic agitur de modò conjungendis. Et certè multa impediunt matrimonium contrahendum, quæ non dirimunt contractum. Nam & idem Papa in eodem capitulo rationem subdit, quare conjuncti ob talem causam non separentur. Quod fieri, inquit, nullatenus debet, dicente Scripturâ, à Domino junctam esse viro uxorem, & quos Deus conjunxit, homo non separet. Ubi planè loquitur de conjunctis, qui fortè aliter diceret de conjungendis. Valeat Sanctitas vestra.]

His contrariis responsis, utroque gravi, altero auctо-

auctoritate respondentis; altero, quod negari non potest, subtilitate, effectum est, ut Pontius neutri parti adhærens consuluerit Alexandrum Tertium, qui in præsenti textu respondit, hujusmodi baptismum nullum esse.

2. (b) *Ter in aqua immerserit.*] Trina mersio cum invocatione Patris, & Filii, & Spiritus sancti, in principio Ecclesiæ celebris, & à Sanctis PP. recepta fuit ad fidem sanctæ, & individuæ Trinitatis, unitatem, & distinctionem stabiliendam, *cap. si qui 79. cap. de trina, 80. de consecr. dist 4.* Vigilius *epist. 1. cap. 2.* ibi: *De renascentium trina mersione, de baptismo quoque solenniter adimplendo, similiter quid Apostolica vel sanxerit, vel observet auctoritas, in subjectis tua charitas evidenter agnoscat.* Dionysius Areopag. *Eccles. Hierarch. cap. 2.* ibi: *Ille quidem à Sacerdotibus secum ferentibus aquam adducitur ad Pontificis manum: Pontifex autem supernè adstans, cùm rursus per aquas sub Pontificis manu Sacerdotes eis, qui initiantur, inclamaverint nomen, ter illum Pontifex mergit, ac trinâ illius immersione, & mersione tres beatitudinis divinæ personas inclamans.* Athanasius *q. 174. Quod infantem ter in aquam immergimus, & ter educimus, mortem & triduanam Christi resurrectionem significamus.* Synodus CP. *can. 7. Eunomianos, qui in unam demersionem baptizantur, ad Ecclesiam venientes admittimus, sed postea baptizamus.* Cyrillus Hierosolym. *catech. 2.* Basilius Magnus *de Spiritu sancto, cap. 27.* Tertul. *de corona militis, cap. 3. Deniq; ut à Baptismate aggrediar, adituri contestamur, nos renunciare diabolo, & pompæ ejus, & angelis ejus: dehinc ter mergitamur.* Et *adversùs Praxeam, cap. 16. Et post resurrectionem spondens missurum se discipulis promissionem Patris, & novissimè mandans, ut tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, non in unum; nam nec semel, sed ter ad singula nomina in personas singulas tingimur.* D. Augustin. *homil. 91. de tempore: Quando in salutari lavacro tertiò Christiani merguntur, tunc Ægyptii, id est originalia peccata, vel actualia crimina, quasi rubro mari sepeliuntur.* Leo I. *epist. 4. cap. 3. Sepulturam triduanam imitatur trina demersio, & ab aquis elevatio resurgentis.* Et *cap. multi, de consecr. dist. 4.* Concil. Tolet. *4. can. 5.* Gregorius Magnus *in lib. sacram. de baptismo infantum*, ibi: *Deinde baptizat eum Sacerdos sub trina mersione, tantùm sanctam Trinitatem invocans, ita dicendo: Ego te baptizo in nomine Patris, & mergat semel; & Filii, & mergat iterum; & Spiritus sancti, & mergat tertiò.* Et *lib. 1. epist. 41.* Alia refert Jodocus Coccius *tom. 2. thesauri, art. 5. de baptismo.* Immò ex traditione Apostolorum diu id in Ecclesia servatum fuisse, videlicet ut qui ad fidei sacramentum accederent, ter in aqua mergerentur, constat ex S. Basilio *lib. de Spiritu sancto, cap. 27.* dum inquit: *Jam ter immergi hominem, unde est traditum? reliqua item, quæ fiunt in baptismo, veluti renunciare satanæ, & angelis ejus, ex qua scriptura habemus? Nonne ex privata & arcana traditione?* Sancto etiam Hieronymo *in dialog. adversùs Luciferianos: Exigis ubi scriptum in actibus Apostolorum? Etiamsi scriptura auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obineret: nam & multa, quæ per traditionem in Ecclesia observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt.* Et *ex can. 49. Apost. cap. si quis 79 de consecr. dist. 4.* ita cavetur: *Si quis Episcopus, aut presbyter non trinam mersionem unius mysterii celebret, sed semel mergat in baptisma-te, quod dari videtur in Domini morte, deponatur.* Immò & ex Christi præcepto trinam mersionem provenire, docuerunt Pelagius *in dict. cap. multi*, S. Joan. Chrysost. *homil. de fide in Patrem, & Filium*, ibi: *Omnibus mysteriis veluti sigillum imponens Dominus in tribus mersionibus aquæ unum baptisma discipulis suis tradit dicens: Euntes docete.* Sed postea cùm Arrianorum hæresis in pluribus regionibus, præcipuè in Hispania, grassaretur, multique propterea, quo tres naturas divinas in tribus personis esse demonstrarent, trinâ mersione uterentur, visum est Gregorio Magno, ut in Hispania sub unica tantùm mersione baptismus administraretur, ut constat ex epistola 41. ipsius Gregorii, relata à Gratiano *in cap. de trina, de consecr. dist. 4.* & constitutione Concilii Toletani 4. relata *in c. propter 85. de consecr. dist. 4.* Quarum constitutionum meminit Walfridus Strabo *lib. de rebus Eccles. cap. 26.* dum ait: *Alii trinam immersionem volunt in similitudinem triduanæ sepulturæ, ut in canonibus Apostolorum statutum habetur, & Romanorum consuetudo observat: alii unam, propter divinitatis unitatem contendunt, ut in Concilio Toletano plenissimè habetur, ubi etiam commemoratur, quod B. Gregorius interroganti super hac Leandro inter cætera, ita responderit, quia in una fide nihil officit Ecclesia consuetudo diversa.* Unde non est, cur reprehendat Alcuinus *epist. 69.* Hispanos, quòd unica tantùm mersione in baptismo uterentur; & oppressus prædictâ auctoritate D. Gregorii illam in dubium revocat: quem meritò refellit Hugo Menardus *in notis ad Sacram. D. Gregorii, fol. 101.*

3. Unde constans est Canonistarum, & Theologorum sententia, ad essentiam, & validitatem hujus sacramenti sufficere quamlibet ablutionem aquâ factam, sive per aspersionem, sive per immersionem, ut docent Corjolanus *in can. 59. Apost.* Loaysas *in dict. can. 5. Concilii Tolet. 4.* Granados *tom. 5. controv. tract. 4. de baptismo*, Durantius *de ritibus Eccles. lib. 1. cap. 19. num. 36.* Brissonius *in l. die Dominica, C. Theodos. de spectaculis, fol. 134.* Vicecomes *de ritibus baptismi, lib. 4. cap. 6.* Torreblanca *lib. 2 de jure spirit. cap. 3.* Pamelius *in notis ad D. Cyprianum, epist. 66.* Becanus *tom. 5. opuscul. controvers. 5. fol. 296. in parvis.* Nec contrarium docetur in Synodo CP. 1. *can. 7.* quatenus ibi Patres statuunt: *Eunomianos, qui in una demersione baptizantur, ad Ecclesiam venientes admittimus, sed postea baptizamus.* Nam ab Eunomianis baptizati jubentur baptizari, quia utebantur falsâ baptismi formâ, ut videre est apud Epiphanium *libro 3. hæresi 56.* Quare prædicta Concilii verba non comprehendunt Catholicos, qui verè de Trinitate sentientes, & rectâ baptismi formâ utentes, unica mersione baptizati sunt. Nec obstat, trinæ mersionis usum ex Domini præcepto, juxta Chrysostomum, & Pelagium suprà relatos, aut saltem ex traditione Apostolica, juxta D. Basilium, & Hieronymum suprà transcriptos, provenire: sed Apostolicæ traditiones omnino servandæ sunt, ut latè probat Ayala *de Eccles. tradit.* Azor *lib. 8. instit. cap. 4.* Canus *de locis Theol. lib. 4. cap. 6.* Nam respondetur, divinum præceptum non extare de trina mersione, sed de invocatione expressa Trinitatis pro forma Baptismi: ad quam referendi sunt Chrysostomus suprà relatus, & Pelagius *in dict. cap. multi*, omisso Turriano *in explan. Clementis lib. 6. cap. 16.* Nec quod de traditione Apostolica dicebamus, obstat;

obstat; nam traditiones in duplici sunt differentia, ut exponunt Ayala *suprà*, Vazquez 2. 2. *quæst.* 2. *artic.* 10. *dub.* 6. Aliæ enim sunt Divinæ, aliæ Apostolicæ, Ecclesiasticæ aliæ. Divinæ dicuntur, quas Apostoli ab ipso Christo Domino acceperunt, vel quas ipsi Spiritu sancto dictante constituerunt, tanquam electi Magistri, atque Rectores Ecclesiæ; quales sunt canones Apostolorum. Ecclesiasticæ verò dicuntur, quas usus, & consuetudo Ecclesiæ observat. Unde dicendum est, traditiones divinas ad jus divinum referri, & eandem cum illo habere auctoritatem, de quibus intelligitur D. Paulus 2. *ad Thessalon. cap.* 2. ibi: *Tenete traditiones, quas accepistis, sive per sermonem, sive per epistolas nostras.* Et declaratum fuit in Concilio Tridentino *session.* 4. Traditiones verò Apostolicæ eandem habent auctoritatem, ac sacri canones Apostolorum; & etiam Ecclesiasticæ traditiones eandem vim habent, ac constitutiones scriptæ. Unde cùm trinæ mersionis usus ex Apostolica, non verò Divina traditione proveniat, rectè ex rationibus suprà traditis immutari potuit. Nec tandem obstat *canon* 50. Apostolorum, relatus *in cap. si quis presbyter* 79. *de consecrat. distinct.* 4. Nam canon ille prolatus est contra eos, qui invocatâ tantùm Domini morte, sub unica mersione baptizabant: & tantùm in eo docetur, contra jus divinum esse, omissâ Trinitatis expressâ mentione, tantùm sub invocatione mortis Christi baptismum conferre: non verò ibi docetur, usum unicæ mersionis esse contra præceptum divinum. Quæ solutio facilè colligitur ex ratione, quam adducunt Apostoli in illis verbis: *Non enim dixit Dominus. In mortem meam baptizate; sed: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Illud tandem notandum est, olim in trina mersione semel duntaxat formam prolatam fuisse, ut probat Alcuinus *epist.* 81. sed quamlibet mersionem ad expressionem cujuslibet personæ factam, juxta Divum Gregorium *in lib. sacrament.* & Tertul. *suprà* relatos. Baptizandos verò interrogari ad singulas personas, liquet ex S. Ambrosio *lib.* 4. *de sacrament. cap.* 17. in illis verbis: *Interrogatus es, Credis & in Deum Patrem omnipotentem? Dixisti, Credo, & mersisti. Interrogatus es, Credis & in Dominum nostrum Jesum Christum, & in crucem ejus? Dixisti, Credo, & mersisti. Tertiò interrogatus es, Credis in Spiritum sanctum? Dixisti, Credo, tertioq; mersisti.* Nec interest ad valorem baptismi, ut mersionem sequatur emersio, ut quia urgente necessitate quis infantem morientem in flumen, aut puteum conjecerit, ut docent Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 20 *sect.* 3. Valentia 3. *p disp* 4 *q.* 1. *punct.* 2. Ægidius Koninch. 3. *p. q.* 66. *num.* 68. Vazquez 3. *p. in* 3. *disput.* 145. *cap.* 5. refragantibus Soto, Molano, & Henriquez apud Theophilum *tract. de sect. infantum, cap.* 7. *num.* 5.

(c) *Spiritus sanctus.*] Et ita tres personas esse explicitè appellandas, ut baptismus possit validè administrari, constat *ex cap. firmiter, de summa Trinitat. cap. si reverà, cap. multi, cap. in Synodo, de consecrat. dist.* 4. ex innumeris Patribus probant Vazquez 3. *part. disput.* 143. *cap.* 3. Gilbertus Schebicavius *lib.* 2. *de Trinit. cap.* 7. Scholastici cum Divo Thoma 3. *part. quæst.* 66. *articul.* 3. Bellarm. *de baptism. cap.* 3. ex Christi institutione: cujus institutionis ratio fuit, quòd docuerit Dominus, in ipso Ecclesiæ vestibulo, ac cæterorum sacramentorum janua, fieri explicitam, & distinctam propositionem verticis mysteriorum, tum quoad essentiæ unitatem, tum quoad personarum multiplicitatem. Nec obstat, Apostolos baptizasse tantùm in nomine Jesu, ut refertur *Actuum Apost. cap.* 2. 10. 11. & 19. Unde existimavit Divus Ambrosius *lib.* 1. *de Spiritu sancto, cap.* 3. Apostolos in solo Jesu nomine baptizasse, idque sufficisse; quia qui unum dixit, Trinitatem signavit. Convenit Sancto Ambrosio Nicolaus I. *cap. à quodam, de consecrat. distinct.* 4. Sed & Beda *in cap.* 10. *act.* Ambrosium refert, & unâ personâ expressâ reliquas eo ipso signari censet; atque adeo per unitatem nominis expleri mysterium profitetur. Præscivérat Sanctus Athanasius *in lib. de Trinitat.* ibi: *Nunquid prævaricatores mandati Salvatoris Apostoli effecti, & contra traditionem ejus baptizarunt tantam multitudinem? Non enim scriptum est, baptizasse eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; sed tantùm in nomine Domini Jesu. Nunquid ergo prævaricati sunt? Absit: nam licèt filii nomen tantummodo dicatur, habet tamen & Patrem, & Spiritum sanctum pronunciatum.* Similia legas apud Ferrandum *epist. ad Anatolium.* Adhuc tamen dicendum est cum sancto Cypriano *epist.* 73. Fulgentio *lib. de Incarn. & gratia Christi, cap.* 11. Beda *quæst.* 14. *variar.* baptismum in nomine Jesu collatum intelligi secundum Christi institutionem cum expressione trium personarum, ut apertè habetur *cap.* 19. *Act.* quia ut insigniter ait Facundus *lib.* 1. *pro tribus capitulis, cap.* 3. *Quod in nomine Domini Jesu hi, quos memoravimus, baptizati narrantur, non ex eo credendum arbitror, quia non in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizati sunt, ut etiam in ipsis servaretur verbis à Domino constitutis forma baptismi; sed quia hoc erat insinuandum, quod baptismo non fuerant baptizati, sufficere judicatum est, ad discretionem ipsius novi baptismi solum nomen Domini Jesu memorare.* Theophilus *tom.* 15. *in Heter. fol.* 5. Ant. Perez *in pentat. fidei, vol.* 4 *de R. P. cap.* 3. *num.* 76. Macedo *de clavibus Petri, lib.* 4. *cap.* 3.

In præsenti textu repetentes exponunt formam sacramenti Baptismi, quam nobis audientibus ex suggestu illustravit perdoctus, & semper colendus D. Martinus Lopez de Hontiberos, Archiepiscopus Valentinus *in tract. de bapt. art.* 3. à quo Doctor Garanna præsentem repetitionem transcripsit.

CAPUT III.

(a) Alexand. III.

DE quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: Non te rebaptizo; sed si nondum baptizatus es, ego baptizo te.

NOTÆ.

1. (a) *Alexand. III.*] Ita legitur in secunda collectione, *sub hoc titul. cap. 2.* nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Alexander, & forsan legendum est, *Idem eidem*; id est eidem Pontio Episcopo Claremont. Nam cùm in Gallia reperirentur plures baptizati, & dubii, an sub legitima forma, ideo rescripsit Alexander in præsenti, eos iterum baptizandos esse sub forma in præsenti præscripta.

COMMENTARIUM.

2. CErtum est, baptismum ritè collatum iterari non posse, ut expresè definitum est *in can. 47. & 49. Apost. cap. ostenditur, cap. hi, de quibus 38. cap. sive hæreticus 51. cap. quos 52. cap. non liceat 107. cap. rebaptizare 108.* cum quinque sequentibus, *cap. quamvis 117. cap. eos quos, de consecr. dist. 4. cap. final. hoc tit. l. 1. & 2. C. ne sanctum baptisma, cap. 2. de apostat.* Concil. Florent. *sub Eugenio IV. in decreto fidei, sess. ultim. §. 5.* Trident. *sess. 7. de sacram. can. 9. & 10.* D. Clemens *lib. 6. constit. cap 5.* Cyprianus *lib. 2. epist. 3.* D. Ambrosius *lib. 2. de pœnit. cap. 2.* Augustin. *epist. 203.* & *in lib. de hæresib. cap. 22.* plura juris testimonia congessit Augustinus *in epit. jur. lib. 22. tit. 27.* Illustrant ultra congestos à Barbosa, & Giranna *in præsenti*, Torreblanca *de jure spirit. lib. 2. cap. 4.* Gibalinus *de irregul. cap. 5. propos. 1.* Justelus *in can. 22. Eccles. Afric.* Pamelius ad D. Cyprianum *epist. 59.* Frances *in pastor. intern. part. 3. quæst. 2.* Beyerlinck *in theatr. verbo Baptismus.* Jac. Gothofr. *ad tit. C. Ne sanctum Baptisma*, Albaspin. *ad Optatum Milevit. cap. 9.* & nos dicemus *in cap. 2. de Apostatis*, ubi de pœnis, tam rebaptizantis, quàm rebaptizati agemus. Rationem adducunt D. Basilius *lib. de Spiritu sancto, cap. 15.* Damascenus *lib. 4. de fide, cap. 10.* D. Thomas *3. p. quæst. 66. artic. 1.* quòd cùm baptismus significet mortem, & sepulturam Christi; & Christus semel mortuus, & sepultus fuerit, sic etiam baptismus semel tantùm suscipiendus est, ne falsa sit sacramenti significatio: qui enim sæpius susciperet baptismum, significaret Christum sæpiùs crucifixum, aut saltem in significatione, & figura sæpe eum crucifigeret. Quare D. Augustinus *tract. 5. in Joannem*, asseruit, eum qui sæpiùs recipit baptismum, non minùs acriter Ecclesiam persequi, quàm persequebantur tyranni in sævis persequutionibus. Item quia cùm ex hoc sacramento detur character in anima, qui indelebilis est, non debet hoc signum iterari, ut contingit in sacramentis Confirmationis, & Ordinis.

3. Sunt tamen aliqui casus, in quibus baptismus iterari potest. Primus est, cùm certò constat in priori baptismo aliquid essentiale omissum fuisse; nam tunc non tam iterum administratur, quàm de novo confertur: ut si collatus sit ab hæreticis non sub debita forma, quo casu procedunt canon 6. Concilii Nicæn. cujus meminit Rufinus *lib. 1. cap. 6.* canones 7. & 8. Synodi Laodic. canon. 7. Constantinop. 2. Athanas. *orat. 3. contra Arrianos.* S. Basilius *epistol. 1. ad Amphiloch. cap. 1.* Augustin. *de hæres. hæresi 44.* Secundus est, quando dubium adest, an primus baptismus administratus esset, vel sit administratus ritè, & legitimè collatus: si enim dubitetur, an baptismus administratus sit, ita ut penitus ignoretur, an baptismus collatus esset, vel conjecturæ pro eo adsint, iterandus est baptismus, *cap. si nulla, cap. hi de quibus, de consecr. dist. 4.* Gregorius Magnus *lib. 12. indict. 8. epist. 31. Quotiens tam de baptismo aliquorum, vel confirmatione, quàm de Ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, & nec scriptis, nec testibus certa ratio habetur, utrum baptizati, vel confirmati, sive Ecclesiæ consecratæ sint, ut baptizentur tales, ac confirmentur, atq; Ecclesiæ canonicè consecrentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat: quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur ritè peractum.* Gregorius II. *epist. 8.* in fine. *Eos quisè dubitant fuisse baptizatos, an non, ut baptizentur, præcipimus.* Concil. Hippon. *can. 40.* Gregorius III. *epist. 1. ad Bonif. Archiep. cap 4. Eos etiam, qui se dubitant fuisse baptizatos, vel quia presbytero Jovi mactante, & carnes immolatitias vescente, baptizati sunt, ut rebaptizentur præcipimus.* Synodica Lucæ Patriarchæ CP. *cap 12. Cum enim infantes ex Christianorum regione à Scythis, & Agarenis bello capti essent, & empti à Romanis, dubitatum est, an oporteat venundatos rebaptizari? Dicebant enim nonnulli, quoniam ex Christiana regione capti sunt, præsumptio est, eos fuisse baptizatos in patria, ætate infantili, nec denùo rebaptizandos esse. Magis tamen placuit, eos debere baptizari, quòd nesciant, an in infantia fuerint baptizati, nec ulli inveniuntur, qui baptismum affirment. Eos autem qui ex infidelium regione capiuntur, indistinctè baptizandos esse statuum est: nisi testes profiteantur, eos post captivitatem fuisse baptizatos.* Leo I. R. P. *in epist. ad Rusticum Episcopum Narbonensem, in codic. can. Eccles. Rom. cap. 28. Si nulla extant indicia inter propinquos, aut familiares, nulla inter clericos, aut vicinos, quibus hi, de quibus queritur, baptizati fuisse doceantur, agendum est, ut renascantur, ne manifestè pereant, in quibus quod non ostenditur gestum, ratio non finit, ut videatur iteratum: nec temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis.* Refert Anton. August. *in epit. jur. lib. 22. tit. 24.* Si autem constet, baptismum administratum fuisse, sed dubitetur, an ritè, & legitimè, id est cum debita materia, & legitima forma collatus sit, eo casu sub conditione, id est sub forma præscripta in præsenti ab Alexandro baptismus iterari potest. Joan. Sanchez *in select. disp. 42.* Dicastillo *de sacris tom. 1. tract. 2. de baptism. disput. 1. dub. 7.* Quintana dvennas *in suis singul. sing. 1.* Frances *in Pastor. intern. disp. 2. q. 3.* Prado *tom. 1. de sacram. tract. 2. de baptism. dub. 8.* Sotus *in 4. dist. 8. art. 9.* qui justè reprehendit Parochos, qui ex levi causa, & inani dubio baptismum iterare præsumunt. Ex qua doctrina varios casus in praxi obvios circa filios expositos, & natos apud patres infideles, resolvit Frances Urrutigoyti *in Pastor. intern. p. 2. tract. unic. per tot.* Qui autem sciens ritè collatum fuisse baptismum, illum repetit sub conditione, peccat lethaliter, & irregularis manet, ac si purè illum iterasset. Majolus *de irregul. lib. 3. cap. 14. num 5.* Sayrus, Suarez, Ugolinus, & alii apud Gibalinum *de irregul. cap. 5. consect. 4.* Christ. Lupus *in can. 84. Synod. Trul.*

CAPUT

CAPUT III.

Innocentius III. *Arelat.* (a) *Archiepiscopo.*

MAjores (b) Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas intelligit, qui eum quærenti Domino, quem discipuli dicerent ipsum esse, respondisse notavit: Tu es filius DEI vivi; & pro eo Dominum exorasse, ne deficiat fides ejus. Hæc igitur te notasse solicitè conjecimus evidenter, qui ut hæreticos Ecclesiam impugnantes meliùs nostrâ munitus auctoritate repellas, quibusdam quæstionibus, quas contra Catholicos moverant, nos postulas respondere. Asserunt enim parvulis inutiliter baptisma conferri; quod nituntur tam ratione, quàm auctoritate probare. Illud primò, & præcipuè inducentes, quod cùm secundùm verbum Jacobi Apostoli dicentis in epistola sua: Charitas operit multitudinem peccatorum: & juxta testimonium Veritatis in Evangelio de peccatrice, quæ ipsius pedes laverat, perhibentis: Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum, non nisi per charitatem, & in charitate crimina dimittantur: parvulis, qui nec sentiunt, nec consentiunt, & charitatem non habent, quæ sentientibus, & consentientibus tantùm infunditur, peccatum non dimittitur in baptismo, & sic eis baptisma non confertur, quia non est talibus conferendum. In Evangelio quoque legitur: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui autem non crediderit, condemnabitur. Unde parvuli, sive fuerint, sive non fuerint baptizati, condemnabuntur, utpote non credentes. Ad id autem taliter respondemus, quod baptisma circumcisioni successit: absit enim, ut in illam damnatam hæresim incidamus, quæ perperam affirmabat, legem cum Evangelio, circumcisionem cum baptismo servandam; quoniam secundùm Apostolum dicentem ad Galatas: Si circumcidimini, CHRISTUS vobis nihil prodest. Cùm ergo circumcisio, tam adultis, quàm parvulis ex præcepto Domini conferretur, ne baptismus, qui successit in loco ipsius, & generalior tamen existit, cùm tam viri, quàm (c) fœminæ baptizentur, minoris videatur effectus, tam adultis est, quàm parvulis conferendus. Nam sicut olim sine distinctione qualibet Mosaïca lex clamabat: Anima cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo; ita nunc distinctè vox intonat Evangelica: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei, ab hac generalitate, nec sexum, nec ætatem excludens. Unde sicut anima circumcisi de populo suo non peribat; sic qui ex aqua fuerit, & Spiritu sancto renatus, regni cœlorum introitum obtinebit. Cautè tamen adnotandum, quantùm plus baptismus hodie conferat Christianis, quàm quondam Judæis circumcisio contulisset. Dictum est in fine prædictæ auctoritatis inductæ de veteri lege: Peribit de populo suo; in Evangelica verò veritate subjunctum est: Non introibit in regnum Dei. Quoniam etsi originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum cœlorum, quousque per mortem Christi fuit omnibus obseratum: sed per sacramentum baptismi Christi sanguine rubricati, culpa remittitur, vitatur periculum, & ad regnum cœlorum etiam pervenitur, cujus januam Christi sanguis fidelibus misericorditer reseravit. Absit enim, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipsis misericors DEUS, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem. Cæterùm ex vi litteræ satis patet, prædictas auctoritates intelligendas esse tantummodo de adultis, qui habent multitudinem peccatorum; cùm de parvulis non possent intelligi, qui prædicto tantùm originali tenentur. Similiter etiam illa alia auctoritas solvenda est: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c. cùm non possint credere parvuli, sed adulti: & ob hoc tota auctoritas hæc intelligenda est tantummodo de adultis, ne ad alios prima, & ad alios secunda clausula referatur: quamvis nonnulli concedant, quod parvuli credunt, non per usum, sed per habitum fidei, quam suscipiunt in baptismo: sicut & alia multa verba secundùm communem usum loquendi, non ad actum, sed ad aptitudinem referun-

referuntur. Illud ergo, quod opponentes inducunt, fidem, aut charitatem, aliasque virtutes parvulis, utpote non consentientibus, non infundi, à plerisque non conceditur absolutè, cùm propter hoc inter Doctores Theologos quæstio referatur, aliis asserentibus per virtutem Baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri; nonnullis verò dicentibus, & dimitti peccatum, & virtutes infundi habentibus illas quoad habitum, non quoad usum, donec pervenerint ad adultam ætatem.

NOTÆ.

(a) *Arelat.*] Michaëli videlicet, qui temporibus Innocentii III. Ecclesiæ Arelatensi præfuit. De Metropoli Arelatensi egi *in cap. 16. de offic. deleg.* In tertia autem collectione, *sub hoc titul. cap. 1.* ubi reperitur textus hic, tantum legitur, *Idem.*

1. (b) *Majores causæ.*] Consonant textus *in cap. omnis 3. 2. q. 6. cap. relatum 15. 11. q. 1. cap. 2. 18. dist. cap. multis 5. 17. dist. cap. 1. dist. 20. cap. ut debitus 59. de appel.* Felix Papa *epist. 3. in princip. Semper dubia, & majora negotia terminum ab hac sancta Sede à tempore Apostolorum, qui eam suis documentis instruxerunt, accipere consueverunt.* Jul. Papa *epist. 1.* ad medium: *Ad Sedem Apostolicam, quasi ad matrem, atq; apicem, omnes majores Ecclesiæ causæ, & judicia Episcoporum recurrant.* Damasus *epistol. 3.* ad medium: *Sedis Apostolicæ majores causæ reservatæ sunt, atque solidatæ.* Vigilius Pontifex *epist. unic. cap. 7. Ad sanctam Romanam Ecclesiam tam summa Episcoporum judicia, & negotia, atque querelæ; quàm & majores Ecclesiarum quæstiones, quasi ad caput semper referenda sunt.* Gregorius VIII. *lib. 2. regist. Quod majores causæ cujuscunque Ecclesiæ ad Apostolicam Sedem referri debeant.* Sixtus I. *epist. 1. Apostolicæ Sedis dispositione omnes majores Ecclesiarum causas canonum auctoritas reservavit.* Marcel. I. *epist. 1. ad Episcop. Antioch. A dispositione R. Ecclesiæ vos deviare non oportet, ad quam cuncta majora Ecclesiæ negotia (disponente gratiâ) jussa sunt referri.* Melchiades *ad Episcop. Hispan. DEI ordinatione ordinatum credimus, ut semper majores causæ ad B. Petri Sedem confluerent.* Alia juris testimonia congesserunt A. Augustin. *lib. 1. part. 1. titul. 10.* Fr. Anton. Perez *in Pentat. fidei, volum. de potest. Episcop. cap 5.*

2. (c) *Quàm fœminæ.*] Cùm circumcisio ad fœminas non spectaret, ut probat Læl. Bisciola *lib. 5. horar. success. cap. 14.* contra Strabonem, qui *lib. ultim. geograph. cap. 6.* ex Munstero refert circumcisionem acceptam à Regina Saba apud Ægyptios in usu esse.

COMMENTARIUM.

3. Circa baptismum parvulorum, seu infantium varii fuerunt non solùm hæreticorum, verùm & Catholicorum errores. Eos incapaces esse baptismi, censuerunt Pelagiani, contra quos scripsit D. Augustinus *lib. 4. contra epist. Pelag. cap. 22.* Idem docuerunt Henriciani, & Pseudo-Apostoli, ut refert D. Bernardus *epistol. 140.* & *homil. 66. in Cantic.* Idem tenuerunt Martinus Lutherus *lib. adversùs Cocleum*, Thomas Monetar. apud Buleng. *adversus Anabapt. lib. 2. cap. 1.* qui affirmabant baptismum validè non conferri, nisi adultis illis, qui trigesimum annum attigissent; quâ ætate Dominum nostrum baptizatum fuisse fertur. Quæ hæresis exorta est anno Christi 1527. ut referunt Joannes Cocleus *in actis Lutheri*, Bellarmin. *lib. 1. de baptism. cap. 8.* licèt jam similem hæresim suo tempore pullulasse referat D. Bernardus *d. epist. 240.* & *in Cantic. sermon. 66.* Calvinus *lib. 4. instit. cap. 16.* qui moventur sequentibus fundamentis. Primò, quia Dominus noster apud Matthæum *cap. 28.* præcipit primùm docere, & postea baptizare. Igitur parvuli, qui non possunt doceri, nec baptizari valent. Secundò ajunt, quod reprobi non sunt baptizandi: sed multi ex infantibus evasuri sunt: igitur cavendum est ne prophanetur sacramentum per nostram ignorantiam. Tertiò, quia non datur baptismus absque pœnitentia, *cap. 1. D. Marci, cap. 2. Actuum Apost.* at infantes pœnitere nesciunt: Ergo baptizari non possunt. Quartò, quia Dominus noster cùm esset annorum triginta, baptizatus fuit, ut constat *ex cap. 3. D. Lucæ*, ubi narrat Evangelista, baptismum Christi contigisse anno 15. Imperii Tiberii Cæsaris, quando ipse Jesus erat incipiens, quasi annorum 30. & ex canone 22. collectionis Martini Brachar. relato *in cap. 1. 78. dist.* probat Baronius *in apparatu*, & *tom. 1. anno 31. & 34. n. 61.* Ergo & omnes in ea ætate ad ejus exemplum baptizari debent. Quintò, nam baptismus est stipulatio bonæ conscientiæ. D. Petrus *epist. 1. cap 3.* Sed infantes stipulari, aut promittere non possunt, *l. 1. in princip. l. mulier 70. ff. de V. O. l. 1. §. furiosum, ff. eodem*, & §. *infans, Instit. de inutilibus*: Ergo nec baptizari. Tandem facit pro Anabaptistis textus *in cap. baptizandos, 58. de consecr. dist. 4.* ubi docetur, baptizandos oportere priùs dicere fidei symbolum: sed infantes illud recitare nequeunt: igitur nec baptizari.

Sed contrarium, immò parvulos infantes capaces esse baptismi, semper Ecclesia docuit: quod & sub anathematis denunciatione in contrarium tenentes definivit Concil. Trident. *sess. 7. can. 12. 13. & 14.* & probatur hæc catholica veritas tribus argumentorum generibus. Primum sumitur à sacra Scriptura: Secundum à testimoniis Ecclesiæ, & ejus usu: Tertium à rationibus. Ex sacra pagina probatur primò ex figura Veteris Testamenti; nam circumcisio præfigurabat baptismum adeo manifestè, ut baptismus à D. Paulo dicatur circumcisio, *epist. ad Coloss. cap. 2.* ibi: *Sed in circumcisione Christi, consepulti ejus baptismo.* Sed circumcisio dabatur infantibus, *Genesis cap. 17. Levit. cap. 22.* Igitur & baptismus, utarguit Innocent. *in præsenti.* Deinde ex necessitate baptismi apud D. Joan. *cap. 3.* præscripta, ibi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quibus verbis, tam adulti, quàm infantes comprehenduntur, ut communiter Ecclesiæ PP. docent, affirmantes, parvulos sine baptismo realiter suscepto, aut martyrio nequaquam cœlum ingredi posse: quod etiam totius Ecclesiæ communis consensus firmavit.

4

firmavit, siquidem nunquam pro parvulis sine baptismo decedentibus sacrificium obtulit, nec illos ad Ecclesiasticam sepulturam admittere consuevit; unde Ecclesia sæpiùs definivit, peccatum originale non posse parvulis per aliud remedium remitti, quàm per baptismum. Nec audiendus est Gerson *3. tom. serm. de nativ. consider. 2.* dum docet, parvulos solis orationibus parentum salvari posse: quam sententiam temerariam dixit Soto *in 4. dist. 5. quæst. unic.* nam ut rectè advertit Vazquez *3. p. in 3. disput. 151. cap. 3. in princip.* quamvis verum sit, DEUM posse id facere sine baptismo, cùm non habeat potentiam suam sacramentis alligatam; si tamen non constet peculiari revelatione, illud cum aliquo factum fuisse, temerarium esset dicere salvari potuisse contra legem communem. Etiam minùs rectè docuit Cajetanus *ad D. Thomam 3. p. q. 68. artic. 2.* parvulos sine tali baptismo, aut martyrio, quando eis baptismus conferri non potuit, salvari posse voto baptismi in fide parentum: quam opinionem temerariam dixit Catherinus *contra Cajetanum*; hæreticam Alfonsus à Castro *de hæresibus, verbo Baptismus, hæresi 9.* Igitur si adeo magna est necessitas baptismi, ut absque eo nemo salvari possit, quomodo denegari poterat hoc sacramentum tot parvulis, qui quotidie decedunt. Rursus hæc Catholica doctrina probatur ex locis illis, ubi refertur, baptizatas fuisse integras familias, ut *Actuum Apost. cap. 16.* ubi dicitur, *Lydia baptizata, & domus ejus*: & ibidem de custode carceris legitur: *Baptizatus est ipse, & omnis domus ejus continuò.* Et *epist. 1. ad Corinthios, cap. 1.* ait D. Paulus: *Baptizavi Stephani domum*; cùm in ipsis familiis necessariò plures essent infantes: igitur quia parvuli baptismi capaces sunt. Secundò expressis Ecclesiæ sanctionibus, & SS. PP. decretis relatis in Concil. Milevit. *can. 2. Placuit ut quicunque parvulos recentes ab uteris maternis baptizandos negat, anathema sit.* Extat *in cap. placuit 153. de consecr. dist. 4.* Concil. Gerundense *can. 5. Parvuli, qui nuper è materno utero editi sunt, si infirmi, ut assolet, fuerint, & lac maternum non appetunt, etiam eadem die, quâ nati sunt, si oblati sunt, baptizentur.* Theodulf. Aurel. *cap. 17. Si parvulus ægrotans ad quemlibet presbyterorum baptismi gratiâ de cujuslibet parochia allatus fuerit, ei baptismi sacramentum non denegetur.* Conc. African. circa tempora Bonifacii *can 76.* Brachar. 2. *can. 7.* Viennense *in Clement. 1. de summa Trinit.* docuerunt, & usum baptizandi infantes jam primis Ecclesiæ sæculis probarunt D. Clemens *lib. 6. constit. cap. 15.* B. Dionysius *de Eccles. Hierarch. cap. ult.* Justin. Martyr. *q. 56.* Syricius *epist. 1. ad Himerium, cap. 2.* Innocent. I. *epist. 26.* Leo I. *ad Episcop. Aquil. epist. 84.* aliàs 16. Gregorius Magnus *lib. 5. epist. 9. ad Joannem Caralit.* Ambrosius, Cyprianus, Augustinus, & alii congesti à Pamelio *in not. ad D. Cyprianum epist. 59. num. 2.* Illustrant Castro *adversus hæreses, verbo Baptismus.* Becanus *de baptismo, cap. 10. q. 1.* Baronius *anno 253. num. 16. & 259. num. 21.* Diana *p. 3. tract. 4. resol. 8.* Narbona *de ætate, anno 1. q. 8.* Bellarminus *tom. 2. contr. cap. 9. de baptismo*, Vazquez *3. p. in 8. disp. 154. cap. 1. & 2.* Gregorius de Valentia *4. p. tract. 1. de baptism. q. 3.* Ægidius *de Sacram. q. 68. artic. 9.* Vicecomes *de ritibus baptism. lib. 2. cap. 1.* Nunno, Suarez, & Aragon *ad D. Thomam 3. p. q. 68. artic. 9.* Ratione etiam probatur prædicta doctrina; nam baptismus necessarius est ad salutem omnibus habentibus peccatum originale, juxta D. Joannem suprà relatum: sed parvuli sunt participes ipsius peccati: igitur debent esse capaces baptismi, ne plus possit culpa, quàm gratia, contra sententiam Apostoli *ad Romanos cap. 6.* Prosequitur alias rationes Bellarminus *d. cap. 9.* Unde Ina Rex Saxonum occiduorum in legibus Ecclesiasticis, quæ habentur *tom. 17. Concil. Regiæ editionis, fol. 131.* ita *l. 2.* cavit: *Infans intra triginta dies postquam in lucem prodierit, baptizator: id si non fiat, ter denis solidis culpam pensator: sin prius vitam cum morte commutavit, quam sacro tingatur baptismate, rebus suis omnibus mulctator.*

Nec tunc obstant contrariæ sententiæ fundamenta. Non primum deductum *ex d. cap. 28. Matthæi*; nam ibi præscripsit Dominus ordinem, quem servare debebant Apostoli in conversione Gentilium, videlicet, ut priùs instruerent eos, deinde baptizarent, postremò monerent, ut ejus præcepta custodirent; siquidem ordo servandus est, cùm fieri potest, ut etiam ab Ecclesia diligenter servatur, cùm adulti ad fidem veniunt: at si vel propter incapacitatem hominum, vel propter aquæ defectum non possint servari omnia, vel non eodem ordine, certè præstat aliquid servare, quàm nihil, veluti si quis esset in deserto cum homine gentili jam moriente, ubi non esset aquæ copia, posset eum docere, & instruere ut crederet; nec peccaret contra illud præceptum divinum: *Docete baptizantes*; quia illud intelligitur cùm fieri potest. Quia ergo infantes sunt incapaces doctrinæ, sed capaces baptismi, mutatur in eis ordo præcepti, & priùs baptizantur, ne forsan decedant sine hoc unico præsidio, ac deinde cùm adoleverint, docentur. Nec obstat secundum argumentum; nam si illud probat, deducitur, nec adultos omnes esse baptizandos; siquidem ex eis plures reprobi evadunt. Nec obstat tertium argumentum; nam pœnitentia est necessaria in baptismo adultorum, de quo agebatur in dictis auctoritatibus D. Marci, & Actuum Apost. ob peccata actualia, quæ adulti commiserunt: originale peccatum non est materia pœnitentiæ, ideo non desideratur in eo, qui tantùm illud habet, de quibus adultis etiam accipiendus est textus *in d. cap. baptizandos, de consecr. dist. 4.* juxta veterem ritum recitandi symbolum à catechumenis, & nomen dandi; quem illustrant P. Faber *lib. 3. agonist. cap. 16.* Menardus *in notis ad lib. sacram. D. Gregorii, fol. 98.* Gazeus *ad Cassianum lib. 6. de incarn. cap. 3.* Nec favet contrariæ sententiæ exemplum Christi Domini; nam ut rectè respondit Nazianz. *sermon. in sanctum lavacrum*, non omnia, quæ Christus fecit, à nobis eodem modo peragi possunt, aut debent. Accedit nam Christus Dominus distulit baptismum ad annum trigesimum: tum quia non egebat ipse baptismo: tum quia non erat periculum; ne morte præveniretur. Adde etiam, quod Christus Dominus circumcisus fuerat in infantia. Nec obstat quintum fundamentum; verùm enim est, tempore baptismi stipulationem intervenire, quando quidem qui Christianæ militiæ nomen dat, rogatur, *Credis?* Et respondet, *Credo*: & iterum, *Abrenuncias?* Et respondet, *Abrenuncio.* Synodus Laodic. *can. 46.* Synodus 6. Constantinop. *cap. 7.* Concilium Turon. *cap. 18.* Plura Joseph. à S. Maria Carthus. *de cærem. bapt. cap. 18. & 21.* Inde etiam Tertul. *de spectaculis*, docet in baptismo sese

hominem DEO per sponsionem obligare : quâ phrasi utitur Catechismus Romanus *cap. 2. de sacram. Baptism. num. 2.* Considerat non malè malus alioquin Mystagogus Wisembach, *disp. 33. num. 3.* Unde exponit difficilem locum Tertul. *de fuga in persequut. cap. 12.* ibi : *Apud inferos emancipatio nostra est , & stipulatio nostra in cœlis.* D. Josephus de Retes *in repetit. prælect. de V.O. cap. 1. consect. 6. num. 32.* Et cùm infantes per se respondere nequeant , susceptores eorum, id est patrini , id faciunt eorum nomine, fidem profitendo, & promittendo. D. Joan. Chrysostomus *in Psalmo 44.* ibi: *Statim Sacerdos exigit ab infirma ætate pacta conventa, & assensiones, & minoris ætatis fidejussorum susceptorem interrogat.* Tertul. *de Baptism. cap. 18.* ibi : *Discat quisque fidem Apostolicam , quam professus est per ora gestantium in baptismo , cùm ad annos intelligibiles venerit.* Smaragdus *in explicat. epistolæ de Sabbatho Pentecost.* ibi : *Parvuli, quamvis necdum loqui possunt ; tamen pro illis & confitentur, & loquuntur , qui eos de lavachro fontis suscipiunt : nec immeritò dignum est , ut qui aliorum peccatis obnoxii sunt, aliorum etiam confessione , per ministerium baptismatis remissionem originalium percipiant peccatorum.* Illustrat Vicecomes *lib. 1. de ritibus Baptismi , cap. 35.* Quatenus tamen ex promissione susceptorum teneantur parvuli in adulta ætate eandem fidem ab eis promissam servare , exposui *in cap. cùm simus, de regul.*

6. Manet ergo , cujuscunque ætatis homines baptizari posse, & perperam Anabaptistas, eorumque asseclas , sacramentum hoc parvulis negasse. Fuerunt tamen alii , qui etsi infantium baptismum agnoverunt , existimarunt tamen infantes non esse baptizandos , nisi post octavum diem : de quibus D. Cyprianus *epist. 59.* ibi: *Quantùm verò ad causam infantium pertinet , quos dicitis , intra secundum , vel tertium diem, quo nati sunt , constitutos baptizari non oportere , & considerandam esse legem circumcisionis antiquæ , ut intra octavum diem eum , qui natus est , baptizandum , & sacrificandum non putares , longè aliud in Concilio nostro omnibus visum est.* Ex quibus verbis cognoscitur non solùm error existimantium baptismum differendum esse in octavum diem, verùm & fundamentum hujus erroris; cùm enim circumcisio , quæ erat typus , & figura hujus sacramenti , octavo die fieret , *Genesis cap. 17.* & *Levit. cap. 12.* Baronius *anno 175. num. 120.* & tunc nomen puero imponeretur, ut probatur exemplo Christi Domini , dum apud Lucam *cap. 2.* legitur: *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer , vocatumq; est nomen ejus Jesus.* Ergo ut respondeat veritas figuræ , debet baptismus administrari ipso octavo die. Accedit, nam Romani eundem morem sequentes, nomina imponebant filiis maribus nono die, fœminis octavo. Festus Pompejus *verbo lustricus* , Plutarchus *in problem. quæst. 102.* qui hujus moris anxiè inquirit causas. Macrobius *lib. 1. Saturn. cap. 1.* Polydorus Vergil. *de invent. rerum , cap. 4.* Alex. ab Alex. *lib. 1. dier. genial. cap. 8.* Illustrant D. Nicolaus de Castro *in l. unic. C. de capit. civium , num. 13.* D. Josephus de Retes *lib. 1. opusc. cap. 3. num. 2.* P. Faber *lib. 1. semestr. cap. 6.* Stuckius *in antiquit. conviv. lib. 1. cap. 16.* Beroaldus *ad Suetonium in Nerone, cap. 6.* Turneb. *lib. 3. adverss.* Cujacius *in l. 52. §. 1. ff. de legat. 2.* & *ad titul. Cod. de infirmand. pœnis cœlib.* Meril. *lib. 2. obs. cap. 33. & 37.* & *lib. 3. cap. 33.* Marcel. Donatus *in dilucid. ad Sueton. in Nerone , cap. 6.* Vicecomes *lib. 2. de antiquis baptismi ritibus, cap. 14.* Vigilius *in §. nominatim , Institut. de exhared. liberor.* Zerda *ad Tertul. in Apolog. annotat. 267.* Nec ante nonum diem filius vitalis credebatur , ex ratione adducta à Plutarcho *ubi suprà*; immò si ante ipsum diem decedebat , parentibus non proderat, ut ex lege Papia decimam bonorum capere possent : eoque referendus est Ulpianus *in lib. regul. titul. de decimis* , dum ait: *Quod communis filius , filiave post nonum diem amissus , unam decimam adjecit.* Quæ verba ut apprimè capiantur , obiter adnotandum est, lege Juliâ, & Papiâ constitutum fuisse , ut vir ex testamento uxoris , vicissimque uxor ex testamento mariti , non nisi decimam bonorum partem , & tertiæ partis usumfructum capere posset, ut testis est Ulpianus *eod. tit. de decimis.* Aliquando tamen ex ejusdem legis beneficio conjuges inter se non unam decimam tantùm , sed etiam duas , vel tres, & quandoque solidum capere poterant : duas decimas, si communem filium amisissent; tres, si duos; solidum , si tres , modò masculus post nonum diem , fœmina post octavum decederent. Unde in dicto fragmento Ulpiani legendum esse , *post nonum diem* , jam notarunt Gothofredus & Cujacius *ibi* , Brissonius *lib. 1. select. cap. 9.* Connanus *lib. 9. comment. cap. 4.* Et apud Gothos etiam, ut parentes filiis succederent, desiderabatur , ut aquâ baptismi lustratus , ultra decimum diem vitam ageret, *l. 17. tit. 4. lib. 4. legum Wisigoth.* Hodie tamen sufficit, ut sit baptizatus , & vivat per viginti quatuor horas , *l. 15. Tauri* , quæ est lex 2. *tit. 5. lib. 5. recopil.* immò & apud nos communi *totius populi* catholici consensu receptum est , ut elapso octavo nativitatis die, & solenniter baptismum infantes , & nomen accipiant , ut referunt Quintil. Mandosius *de ætate cap. 1. num. 16. & 17.* Tiraq. *in l. si unquam, verbo Susceperit, num. 16. C. de revocand.* P. Gregorius *lib. 9. syntag. cap. 9. num. 26.* Lara *de vita hominis , cap. 11. num. 7.* Narbona *de ætate, anno 1. q. 9.* Ergo ante octavum diem infantes baptizari nequeunt.

7. Sed prorsus verius est , baptizari posse infantem statim ac natus est , immò & dum in uteris maternis existit , si operâ obstreticis corpus ablui possit dum forma profertur. Validò enim tunc conferri baptismum , docuerunt Gabriel *in 4. dist. 4. q. 2. artic. 3. dub. 2.* Victoria *in summa, tit. de baptism. num. 32.* Suarez, & Ægidius *ad D. Thom. quæst. 68. art. 11.* Bonacina *de baptism. disp. 2. q. 2. punct. 3. num. 25.* Prado *tom. 1. de baptism. tract. 2. quæst. 68. dub. 8.* & probatur auctoritate, & ratione : auctoritate præsentis textus , ibi : *Nec sexum , nec ætatem excludens.* Et textus *in cap. neque quemquam, vers. Unde, de consecr. dist. 4.* Ratione, quia qui in utero est, post tempus formationis, & animationis est homo vivens , & animal , juxta Philosophorum sententiam , *l. 1. §. si quis proximior, ff. unde cognati.* Tertul. *in apolog. cap. 9.* Lactantius *de opificio Dei , cap. 17.* Amaya *lib. 3. obs. cap. 1. §. 3. ex num. 30.* qui enim in utero sunt, verè, si Philosophica principia inspicimus , in rerum natura sunt; quamvis in bonis non sint. Faber *in Paxin. tit. 4. princ. 3. illat. 3.* Licèt Stoici fœtum portionem viscerum matris esse putarent. Plutarchus *lib. 5. de placitis Philosophorum cap. 15. & 26.* Seneca *epist. ult.* ibi: *Maternorum viscerum latens*

omni-

onus. Juxta quorum scholam accipiendi sunt Papinianus *in l. 9. ff. ad leg. Falcid.* ibi: *Partus nondum editus homo non recte fuisse creditur.* Ulpianus *in l. 1. §. 1. ff. de ventre inspic.* ibi: *Partus enim ante quam edatur, mulieris portio est, vel viscerum.* Triphoninus *in l. Cicero, ff. de pœnis*, Marcel. *in l. 2. ff. de mortuo infer.* Sed apud Consultos talis pro homine non habetur, *l. 2. ff. de mortuo inferend. l. in falcidia 9. ff. ad Falcidiam.* Quare omnia jura in nativitatis tempus collata partui reservantur, *l. 3. cum aliis, ff. si pars hæreditatis*; & ideo dum in utero sunt, neque illis assignari libertus, *l. ultim. ff. de assig. libert.* neque potuit dari libertas, neque potuit competere, *l cum inter 14. C. de fideicommiss. libert.* Notavi *in can. Concilii Illiber.* Unde cùm fœdus post animationem contraxerit peccatum originale, *cap. regenerante 136. de consec. dist. 4.* & non sit aliud remedium præter baptismum, *cap. quisquis 137. cap. nulla 142. de consecr. dist. 4.* necessariò dicendum est, fœtum capacem esse baptismi fluminis, si aqua ad eum pervenire possit; vel sanguinis, si in odium Christianæ religionis occidatur, *cap. firmissimè 15. quæst. 1. cap. baptismi vicem, de consecr. dist. 4.* docent ultra suprà relatos Navarrus *lib. 3. consil. ad hunc tit. consil. ultimo.* Narbona *de ætate. anno 1. quæst. 2. num. 19.* Nec contrarium probant textus *in cap. quicquid, 35. dist. cap. si ad matris 114. de consecr. dist. 4.* Nam textus illi loquuntur de baptismo matris prægnantis, ita ut aqua minimè attingat fœtum in utero matris clausum, ut facilè constat *ex dicto cap. si quicquid*, ibi: *Si ad hoc sacramentum accipiendum gravidam necessitas cogat.* Et *ex dict. cap. si ad matris 114.* ubi disputatur, an maneat baptizatus infans, cujus mater baptizata est, aliquo mortis urgente periculo, cùm illum gestaret in utero. Denim Augustinus in utroque textu impugnat hæreticos, qui existimabant, baptismum matris diffundi etiam ad uterum, qui juxta Stoïcos pars viscerum matris est; & ideo negabant, mulierem prægnantem baptizari posse, quia simul fœtus baptizatus credebatur; & si postea baptizaretur, iterabatur baptismus. Contra quos ita sanxerunt PP. Concilii Neocæsar. *can. 6.* in hæc verba: *De prægnantibus, quod oportet eas baptizare quando volunt; nihil enim in hoc sacramento commune est partura, & illi qui de ejus utero fuerit editus; quia uniuscujusque in illa confessione libertas arbitrii declaratur.* Refelluntur etiam ex eo, quod infans in utero habet reverà distinctum corpus, distinctamque animam, *l. partum 26. ff. de V. S. l. si aliena 10. §. final. ff. de usucap.* cum aliis congestis à Carranza *de partu, cap. 2.* Merillo *lib. 1. obs. c. 16.* Unde peculiari benedictione benedici potest, ut variis exemplis firmat Rosveidus *in onomast. verbo Benedictio.* Nec etiam contrarium probat Isidorus relatus à Gratiano *in cap. qui in maternis, de consecr. dist. 4.* ubi ait sanctus, eum, qui in maternis uteris est, baptizari non posse; quia qui non est natus secundùm Adam, non potest renasci secundùm Christum. Nam omissis Greg. de Valentia *disput. 4. quæst. 1. punct. 2.* Layman. *2. tom. tract. de baptism. cap. 3. num. 2.* qui accipiunt Isidorum juxta terminos, textus præcedentis, in quo agebatur de baptismo matris prægnantis communicando fœtui, vel non; dicendum est cum Præceptore Archipræsule Valentiæ, Isidorum agere de fœtu informi, & imperfecto, ante animationem, cùm est tantùm spes animantis, aut puerperium, ut dicitur *in c. aliquando 7. c. quod verò 8. c. Moyses, 9. c. sicuti 10. 32. q. 2.* cui verè convenit ratio adducta à D. Isidoro videlicet, quod ipse, qui natus non sit secundùm Adam, hoc est ad peccatum originale, non potest renasci per gratiam secundùm Christum, quia ut ajebat D. Augustinus *epist. ad Dardanum*, nemo nascitur spiritualiter, nisi prius nascatur naturaliter; id est nativitate, quæ contingit per animationem fœtus, quæ fit plerumque in viris quadragesima die conceptionis, in fœminis octuagesima, ut pluribus relatis docet Narbona *de ætate, anno 1. quæst. 2.* Nec tunc obstat quod dicebamus de circumcisione, argumento deducto ab ea ad baptismum: nam cùm in pluribus differant inter se, non valet argumentum à circumcisione ad baptismum deductum. Circumcisio enim non fuit instituta ad tollendum peccatum originale, sed tantùm ut esset signum fœderis inter Deum, & Abrahamum ac posteros suos, *Genesis cap. 14. vers. 11.* & ut esset signum justitiæ per fidem acceptæ. D. Paulus *ad Romanos cap. 4. vers. 11.* Et ita circumcisionem non esse institutam in remedium peccati originalis, probant, & defendunt Bellarmin. *lib. 2. de Sacram. in genere, cap. 15. & 17.* Vazquez *in 1. 2. disput. 130. cap. 2.* Becanus *in analog. cap. 14.* Unde circumcisio non præfigurabat in omnibus baptismum, siquidem baptismus confert gratiam, fit per ablutionem, perficitur per invocationem sanctissimæ Trinitatis: quæ in circumcisione non contingebant, tantùm enim circumcisio præfigurabat baptismum in eo, quod sicut circumcisio erat signum secernens Judæos ab aliis, ita baptismus est signum, per quod Christiani ab infidelibus secernuntur: unde licèt circumcisio deberet die octavo nativitatis, non anteà fieri, propter infantis teneritatem; tamen diutiùs differri poterat, ut contigit in circumcisione Josuë, *capit. 5. versic. 6.* & ita baptismus potest administrari ante, vel post diem octavum, quantò citiùs, ne infans decedat cum peccato originali.

8. *Exponitur text. in cap. baptizari, 5. dist.*

Ex suprà traditis accipit lucem textus *in cap. baptizari, 5. dist.* in illis verbis: *Baptizari autem, vel enixam mulierem, vel hoc quod genuerit, si periculo mortis urgetur, vel ipsa hora eadem, quâ egignit, vel hoc quod gignitur, eadem quâ natum est, nullo modo prohibetur.* Qui textus accipiendus est non de prima generatione, sed de secunda, id est, nativitate ex utero matris; nam in utroque jure gignere idem est ac parere, *l. qui filiabus 17. §. 1. ff. de leg. 1. cap. si mulier 2. eadem dist. 5.* ubi verbum *genuerit*, extat pro *pepererit*: *c. ad ejus 4. ead. dist.* ubi sæpe sæpiùs idem probatur. Unde sensus Gregorii *in dicto cap. baptizari*, est, enixam mulierem eadem horâ, quâ peperit; & partum eadem, quâ editus est, si periculum mortis adest, posse baptizari, non expectato solenni baptismi tempore, ne morte præoccupatus hoc unico peccati originalis remedio privetur, ut docetur *in cap. ne quod absit 98. cap. placuit 111. cap. si qua 116. de consecr. dist. 4.*

§.

VErùm quidam ex hac ſolutione inveniſſe ſe credunt viam ad alias quæſtiones, argumentantes ex eo, quod dicimus, parvulis in baptiſmate peccatum originale dimitti, quod in adultis, dormientibus, vel amentibus peccatum, ſi baptizantur, ratione ſimili dimittatur. Cùm enim neutri ſentiant tunc, vel conſentiant, dicunt idem in ſimilibus judicandum. Hîc verò dicimus diſtinguendum, quod peccatum eſt duplex, originale ſcilicet, & actuale. Originale, quod absque conſenſu contrahitur; & actuale, quod committitur cum conſenſu. Originale igitur quod ſine conſenſu contrahitur, ſine conſenſu per vim (a) remittitur ſacramenti: actuale verò, quòd cum conſenſu contrahitur, ſine conſenſu minimè relaxatur. Sed adhuc quæritur, quare non ſaltem originale peccatum amentibus, & dormientibus in baptiſmo, ſicut parvulis, dimittatur. Ad hoc eſt taliter reſpondendum, quod Dominus, qui totum hominem ſanum fecit in Sabbatho, opus imperfectionis non novit, & ob hoc peccata non ex parte, ſed ex toto dimittit. Præterea pœna originalis peccati eſt (b) carentia viſionis divinæ: actualis verò pœna peccati eſt gehennæ perpetuæ cruciatus. Unde ſi primum dimitteretur alicui, altero non dimiſſo, talis non careret viſione DEI, propter originale dimiſſum; & cruciaretur in gehenna perpetuò propter reatum criminis actualis. Sed hæc tanquam impoſſibilia ſeſe minimè patiuntur; immò ſibi mutuò adverſantur. Interim verò quæritur, utrum hujusmodi dormientibus, & amentibus Sacramenti ſaltem (c) character in baptiſmate imprimatur, ut excitati à ſomno, vel ab ægritudine liberati, non ſint denuò baptizandi. Sunt autem nonnulli, qui dicunt, quod ſacramenta, quæ per ſe ſortiuntur effectum, ut (d) baptiſmus, & ordo, cæteraque ſimilia, non ſolùm dormientibus, & amentibus, ſed invitis etiam, & contradicentibus, etſi non quantùm ad rem, quantùm tamen ad characterem, conferuntur. Cùm non ſolùm parvuli, qui non conſentiunt, ſed ficti, qui quamvis non ore, corde tamen diſſentiunt, recipiant ſacramentum. Sed opponitur talibus, quod qui fuiſſent inviti, & reluctantes immerſi, ſaltem ratione ſacramenti ad jurisdictionem Eccleſiaſticam pertinerent. *Unde ad ſervandam* regulam fidei Chriſtianæ forent rationabiliter compellendi. Verùm id eſt religioni (e) Chriſtianæ contrarium, ut ſemper invitus, & penitus contradicens, ad recipiendam & ſervandam Chriſtianitatem aliquis compellatur, propter quod inter (f) invitum & invitum, coactum & coactum alii non abſurdè diſtinguunt: quod is, qui terroribus absque ſuppliciis violenter attrahitur, ne detrimentum incurrat, baptiſmi ſuſcipit ſactamentum; talis quidem, ſicut & is, qui fictè ad baptiſmum accedit, characterem ſuſcipit Chriſtianitatis impreſſum, & ipſe tanquam conditionaliter volens, licèt abſolutè non velit, cogendus eſt tamen ad obſervationem fidei Chriſtianæ. In quo caſu debet intelligi decretum illud Concilii (g) Toletani, ubi dicitur, quod qui jam pridem ad Chriſtianitatem coacti ſunt, ſicut factum eſt temporibus religioſiſſimi Principis (h) Siſebuti, quia jam conſtat eos ſacramentis divinis aſſociatos, & gratiam baptiſmi ſuſcepiſſe, & chriſmate unctos eſſe, & corporis Domini extitiſſe participes, oportet, ut fidem etiam, quam neceſſitate ſuſceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blaſphemetur, & fides, quam ſuſceperint, vilis, ac contemptibilis habeatur. Ille verò, qui nunquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec characterem ſuſcipit ſacramenti; quia plus eſt expreſsè contradicere, quàm minimè conſentire; ſicut nec ille notam alicujus reatus incurrit, qui contradicens penitus, & reclamans thurificare idolis (i) cogitur violenter. Dormientes autem, & amentes, ſi priùs quàm in amentiam inciderent, aut dormirent, in contradictione perſtiterant, quia in eis intelligitur contradictionis propoſitum (j) perdurare, ſi fuerint ſic immerſi, characterem nec ſuſcipiunt ſacramenti; ſecus autem, ſi priùs catechumeni extitiſſent, & habuiſſent propoſitum baptizandi. Unde tales in neceſſitatis articulo conſuevit (k) Eccleſia baptizare. Tunc ergo characterem ſacramentalis imprimit operatio, cùm obicem non invenit obſiſtentem.

NOTÆ.

1. (a) R*Emittitur ſacramenti.*] Antiqua fuit Origeniſtarum hæreſis, peccata per baptiſmum non tolli, ſed tantùm tegi, ut tamen morte detegerentur. Ita tenuit Proculus quidam Origeniſta, teſte Epiphanio *hæreſi 64.* quem errorem ſequuti fuerunt Meſaliani, ut Theodoretus auctor

auctor est *lib. 4. de fabulis hæreticor.* Idem delirium amplexi fuerunt innovatores veterum errorum. Lutherus *in antidoto Concil. Trident. sess. 5.* Kemnitius *in examine ejusdem Concilii* :. quos apertè refellunt Bellarminus *lib. 1. de baptism. cap. 13.* Franc. Valens *in concord. juris, p. 1. in c. 2. 23. dist.* & eam hæresim damnavit Trident. *sess. 5. de peccato origin.* asserens, per baptismum tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet. Item Florentinum in litteris unionis, ubi pro effectu baptismi assignat remissionem peccati cujuslibet, tàm originalis, quàm actualis; & hoc in symbolo Concilia Nicænum, & Constantinop. profitentur ibi: *Credimus unum baptisma in remissionem peccatorum.*

2. (b) *Carentia visionis.*] Nec contrarium probat D. Augustinus relatus *in cap. firmissimè, 83. de consecr. dist. 4. in princip.* & præcipuè in versiculo *Firmissimè*, ubi postquam tradiderat omnem hominem ex viro, & muliere conceptum, cum originali peccato nasci, id est concipi impietati subditum, & morti subjectum, subjungit, non solùm adultos homines ratione utentes, verùm etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, sive cùm de matribus nati sine sacramento baptismi de hoc sæculo transeunt, sempiterno igne puniendos. Nam accipiendus est Sanctus de pœna damni, & carentia visionis Dei; nam in sacra Scriptura, & apud Ecclesiæ Patres ignis nomine notatur pœna, aut vindicta gravis, quæcumque illa sit, *Psalmo 76. vers. 10.* ibi: *Igne nos examinasti*, id est verberibus, & flagris, ut optimè notat ibi D. Basilius *in Psalmum 139. vers. 11.* ibi: *Cadent super eos carbones ignis.* Ubi D. Chrysostomus ita inquit: *Carbones ignis, & ignem dicit supplicium, quod à superis mittitur.* Tradunt post alios Joannes Paiba *in doctr. sacr. Scrip. lib. 10. cap. 26. num. 1.* Granados *tom. 4. in 3. p. controvers. 2. tract. 1. disp. 1. num. 147.*

3. (c) *Character.*] Certum enim est, baptismi peculiarem effectum esse characteris impressionem in anima; nam licèt alia sacramenta tantùm conferant gratiam; baptismus tamen præstat gratiam, & præbet characterem. D. Chrysostomus *homil. 2. in epist. ad Ephesios*, ibi: *Porrò charactere Spiritus sancti nos insignivit.* D. Augustinus *lib. 6. de baptismo, cap. 1.* dicit in generali Concilio approbatum: *Satis*, inquit, *eluxit Pastoribus Ecclesiæ Catholicæ toto orbe diffusæ, per quos postea plenarii Concilii auctoritate originalis consuetudo firmata est, & ovem quæ foris errabat, & Dominicum characterem à fallacibus depræ datoribus suis foris acceperat, venientem ad Christianæ unitatis salutem, ab errore corrigi, à captivitate liberari, à vulnere sanari; characterem tamen Dominicum in ea cognosci potiùs, quàm improbari.* Probat variis sacræ paginæ, & SS. PP. testimoniis Bellarminus *lib. 2. de Sacram. c. 20. cum sequent.* Unde convincitur Kemnitius, qui *in 2. p. examinis Concilii*, Innocentium nostrum auctorem facit hujus vocis, *characteris*; cùm jam temporibus SS. Augustini, & Chrysostomi in usu esset: igitur peculiariter imprimitur character, quia per hoc sacramentum suscipiens efficitur novus homo distinctus ab aliis non baptizatis; accipit novam potestatem, & deputatur novo ministerio. Concil. Florent. *ubi suprà*, Trident. *sess. 7. can. 7.* Etiam audiendus non est Sotus *in 4. dist. 4. artic. 2. vers. Prima opinio*, asserens characterem hunc esse merum ens rationis, neque esse ullam prorsus rem, neque entitatem ab anima quoquo pacto distinctam: quem refellit P. Mendo *in statera, dissert. 9. q. 1. num. 17.*

(d) *Baptismus, & ordo.*] Non inde inferas, esse 4.
in Ecclesia alia Sacramenta, quæ per se non sortiantur effectum; cùm certum sit omnia sacramenta novæ legis per se effectum suum conferre ex opere operato. Concil. Constantinop. *1. in symbolo Milevit. cap 2.* Trident. *sess. 7. cap. 8. & 15.* latè probat Bellarminus *lib. 2. de sacram. cap. 7.* Ea verba præsentis textus *per se sortiuntur effectum*, referenda sunt ad peculiarem effectum characteris, non verò ad alios effectus; quia proprium est sacramenti Ordinis, Baptismi, & Confirmationis, characterem imprimere, *cap. ad abolendam, de hæreticis.* Quod ex eo provenit, quia per hæc sacramenta novus homo constituitur, novum statum, novamque potestatem recipit.

(e) *Religioni christianæ contrarium.*] Consonat 5.
textus *in cap. quia sincera, cap. sincera, cap. de Judæis, 45. dist. cap. ad fidem, 25. quæst. 3. cap. sicut Judæi, 15. de Judæis.* Nam certum est, neminem ad credendum compelli, nec ad religionem profitendam cogi, *d. cap. sicut Judæi 15.* ubi latiùs dicemus, *de Judæis.*

(f) *Invitum & invitum.*] Quod discrimen 6.
etiam agnoscit Alexand. III. *in cap. de muliere, de sponsal.* videlicet ut alia vis sit absoluta, alia conditionalis, ut exposui *in cap. 3. de his quæ vi.*

(g) *Toletani.*] Quarti videlicet, *can. 59.* relati *in cap. de Judæis, 45. dist.* cui interfuisse ipsum Sisebutum malè retulit Roder. Sanctius Episcopus Palentinus *in ejus vita*, cùm celebratum fuisset post eum sub Sisenando anno 681.

(h) *Sisebuti.*] Ivo Carnot. *p. 1. Decreti, cap. 276.* 7.
& *p. 13. cap. 94.* Burchardus *lib. 4. Decreti, cap. 82.* legunt *Sisenandi*: sed malè. Sisebuti enim tempore, id est anno Christi 613. Imperator Heraclius, mirus Astrologus, & Ariolorum vanitati deditus, cernens à circumcisis gentibus divino nutu Imperium esse vastandum, quod postea à Sarracenis, sive Mahometanis impletum fuit, ut referunt Aimoinus *lib. 4. hist. Franc. cap. 22.* Platina *de vitis Pontif. in Adeodato*, Joan. Mariana *lib. 6. de rebus Hisp. cap. 3.* Zamalloa *in compend. hist. Hisp. lib. 25. capit. 25.* Jacob. Bleda *in hist. Maur. lib. 1. cap. 12. pag. 36.* rogavit Theodoricum Legatum Sisebuti, ut ipsum Regem induceret, ut Judæorum gentem omnibus exitialem ex universa Hispania expelleret, ut referunt Mariana *d. lib. 6. de rebus Hispan. cap. 3.* Ambrosius de Morales *lib. 2. cap. 13.* Padilla *hist. Eccles. cent. 7. cap. 10.* Genebrardus *in chronol. anno 623.* Joannes Gothus *in hist. Goth. lib. 16. cap. 14.* Quod & Dagoberto Regi Francorum ipsum Imperatorem suasisse referunt Baronius *anno 614. num. 42.* Gregorius Turon. *in hist. Franc.* Aimoinus *lib. 4. ejusdem hist. cap. 22.* Sisebutus protinus sequentem legem tulit: *Cùm veritas ipsa petere, quærere, & pulsare nos doceat, prænonens, quod regnum cœlorum violenti diripiant, in nullo est dubium, quod ille indultæ gratiæ munus abhorreat, qui ad eam procedere ardenti animo non festinet. Proinde si quis Judæorum, de his scilicet, qui nondum sunt baptizati, aut se baptizare distulerit, aut filios suos, vel famulos nullo modo ad Sacerdotem baptizandos remiserit, vel se, suosq; de baptismo subtraxerit, & vel unius anni spatium post legem hanc editam quispiam illorum sine gratia baptismatis*

matâ transierit : Horum omnium transgressor, quisquis ille repertus fuerit, & centum flagella decalvatus suscipiat, & debitâ multetur exilii pœnâ : res tamen ejus ad Principis potestatem pertineant, qualiter si incorrigibilem durior ostenderit vita, perpetua in ejus, cui eas Princeps largiri voluerit, potestate permaneant. Extat *in l. 3. titul. 3. lib. 12. legum Wisigoth.* referunt S. Isidorus *in chron. Goth. æra 651.* ubi de Sisebuto ita ait: *Qui in initio regni sui Judæos ad fidem Christianam permovens, æmulationem quidem Dei habuit, sed non secundùm scientiam; potestate enim compulit, quos provocare fide ratione oportuit.* Lucas Tudensis *in chron. mundi*, Roderic. Toletan. *lib. 1. de rebus Hispan. cap. 17.* Alfonsus Carthagena *in anaceph. cap. 3.* Bassæus *in chron. anno 616.* Et licèt Sisebuti factum improbetur in præsenti canone 59. Concilii Tolet. tamen magnâ excusatione dignum est, ob rectum erga religionem catholicam zelum. Quo modo factum hoc Sisebuti exposuerunt Valentia *tom. 3. disputat. 1. quæst. 10. punct. 6.* I. Lipsius *lib. de una relig. adversus dialog. vers. Divinum illud.* Madera *in Monarch. Hispan. cap. 6 fol. 41.* Solorzanus *tom. 1. de jure Ind. lib... cap. 19. num. 86.*

8. (i) *Idolis cogitur.*] Unde excusari potest Marcellini factum, quod refertur à Baronio *anno 402. num. 12.* videlicet Marcellinum vi præcisâ coactum idolis thurificasse.

(j) *Perdurare.*] Unde deducitur, voluntatem interpretativam sufficere; qui enim actualem intentionem habuit, licèt postea in somnum incidat, aut furorem, nihilominus potest baptizari, aut Ecclesiæ reconciliari, *cap. qui recedunt 26. quæst. 6.* Licèt enim amentes, & dormientes voluntatem actualem non habeant, tamen censentur persistere in eadem voluntate, *l. si is qui animo 27. ff. de acquir. poss. l. 3. §. si servus, ff. de usucap.* Valentia *lib. 2. illustr. in duct. l. 3. §. si furiosus.*

9. (k) *Consuevit Ecclesia.*] Adhuc videlicet pendente tempore catechesis, aliàs si necessitas non adesset, expleri debet tempus catechesis, intra quod instruebantur in fidei mysteriis, *cap. baptizari, cap. de catechumenis, de consecr. dist. 4.* latè illustrat Vicecomes *de ritibus baptismi lib. 2. ferè per tot.* & nos *in can. Concilii Illib.*

COMMENTARIUM.

10. *Conclusio traditur, & illustratur.*

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio : *Si amentes antea petierint baptismum, possunt baptizari; inviti verò baptizati characterem non recipiunt.* Quam conclusionem probat textus *in cap. qui sincera, cap. de Judæis, 45. dist. cap. ad fidem 25. quæst. cap. qui recedunt 26. quæst. 6. cap. solet, cap. ægrotantes, de consecr. dist. 4. cap. sicut 15. de Judæis.* Alia juris testimonia congesserunt Antonius August. *in epit. jur. lib. 12. tit. 1. & 17. & lib. 22. tit. 8.* Crespetius *in summa, verbo Judæi.* Illustrant ultra congestos à Barbosa *in præsenti*, D. Thom. 2. 2. *quæst. 80. art. 8.* Suarez *de Sacram. 3. p. disput. 154. cap. 1.* Acunna *in cap. de Judæis, dist. 45.* Covar. *3. var. cap. 15.* Hallier. *de sacris elect. sect. 5. cap. 1.* Balsamon *in can. 48. Synod. Carthag.* Albaspin. *lib. 1. observ. cap. 9.* Avendanno *lib. 2. de metu, cap. 17.*

11. *Impugnatur tra-*

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo : Ad baptismum nullo modo desideratur voluntas ex parte suscipientis : ergo amentes, & dormientes, etsi antea propositum baptizandi non habuerint, baptizari valent. Antecedens probatur; nam infans nec judicium, nec voluntatem habet, *l. 1. C. de falsa moneta*; & omnia quæ vidit, ignorat, *l. ult. ff. rem pupilli, l. pupillus, ff. de R. I.* & æquiparatur furioso, §. *furiosus, Instit. de inutil. l. 2. ff. de jure codicil.* plura Petrus Faber, & Gothofredus *in l. in negotiis, ff. de R. I.* sed infans baptizari potest. Concil. Milevit. *can. 2.* Gerund. *can. 5.* Brachar. 2. *can. 7.* Clem. 1. *de summa Trinit.* probavi superiori commentario. Igitur etiam amentes, & dormientes, etsi antea baptismum non petierint, baptizari valent. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam dormiens quodammodo voluntatem, & judicium habet; siquidem ex delicto commisso tenetur, *l. si servus 27. §. 9. ff. ad leg. Aquil.* Ergo si ex delicto dormiens potest obligari, poterit etiam & baptismum recipere. Augetur tandem hæc dubitandi ratio *ex cap. qui recedunt, in fine 26. quæst. 6.* ubi agitur de reconciliatione eorum, qui cùm in gradu pœnitentiæ solennis essent, subitò obmutuerunt : & ajunt PP. Concilii Arausic. quod potuerunt reconciliari, sicut & baptizari, & circa amentes ita ajunt : *Amentibus etiam quæcunq; pietatis conferenda sunt.* Ergo si omnia, quæ sunt pietatis, amentibus conferri possunt, etiam baptismus illis administrari valet.

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est 12. præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, subjectum capax sacramenti baptismi esse quemlibet hominem viatorem, cujuscunque sexus, ætatis, vel conditionis, non baptizatum, habentem intentionem suscipiendi hoc sacramentum, sive veram, cùm jam rationis judicio fruitur; sive præsumptam, cùm ante rationis usum à parentibus baptismo traditur. Quam doctrinam pluribus Ecclesiæ decretis firmant, & SS. PP. testimoniis probant Bellarminus *tom. 2. controv. lib. 1. de baptism. cap. 8.* Becanus *eodem tract. cap. 10. quæst. 1.* Gregorius de Valentia *tom. 4. disput. 4. quæst. 3.* Summistæ, & Theologi Moralistæ de hoc Sacramento agentes, congesti à Martinez de Prado *tom. 1. de Sacram. tit. de baptismo, cap. de subjecto*; nam sicut omnibus est necessarius baptismus, juxta illud Divi Joannis *cap. 3. Nisi quis renatus fuerit*; quia omnes in Adam peccaverunt, D. Paulus *ad Romanos cap. 5.* & *1. ad Corinth. cap. 15.* ita omnibus convenit per januam Sacramentorum, videlicet baptismum, ingredi Ecclesiam, & regenerari. Deinde omnes PP. tam Ecclesiæ Latinæ, quàm Græcæ, hanc sententiam deducunt ex illis verbis Christi Domini apud Matthæum *cap. ultim. Docete omnes gentes, baptizantes eos.* In quibus Christus Dominus minùs absolutè docuit, quamcunque gentem esse capacem hujus sacramenti : igitur quilibet homo, cujuscunque ætatis, aut conditionis sit, capax est hujus sacramenti. Dixiquilibet homo, ut excludantur animalia, & alia insensibilia, quæ cùm peccatum originale non contraxerint, quod ex Adamo traducitur, Trident. *sess. 5. cap. 3.* & *sess. 6. cap. 3.* & expertia rationis sint, incapaces sunt hujus Sacramenti, ut de fœtis, & brutis etiam natis ex fœmina & animali, post D. Thomam docent Trullench. *lib. 2. de baptismo, cap. 1. dub. 6. num. 2.* Dicastillio, Candidus, & Bonacina relati à Leandro *de sacram. baptism. disput. 5. quæst. 2.* Circa monstrum verò non consen-

consentiunt Moralistæ, aliis affirmantibus capax esse baptismi, aliisque quamplurimis negantibus. Sed pro eorum conciliatione, atque hujus dubii resolutione dicendum est, monstrum pluribus modis considerari posse, aut genitum ex homine, & animali; & tunc baptizari non posse, rectè affirmat Henriquez *lib. 4. summæ, cap. 21.* licèt eo casu baptismum ritè administrari posse sub conditione si capax sit, teneat post Dicastillum, & Castrum Palaum Leander *ubi suprà, quæstione 3.* vel si genitum ex viro, & fœmina portentum, seu prodigium nascatur, ut si mulier contra formam generis humani vitulum enixa sit, de quo partu loquitur Consultus *in l. non sunt liberi 14. ff. de statu homin.* & tunc DD. communiter discrimen constituunt inter monstrum, quod caput ferinum habet; & inter illud, quod humanum caput habet, & cætera membra ferina: Primo casu monstrum baptizari non posse affirmant, secundo verò casu baptismum administrari posse docent. Ita Navarrus, Bonacina, & Comitolus relati à Leandro suprà, *quæst. 4.* ex ea ratione, quia caput principalis hominis pars est, *l. cùm in diversis 44. ff. de relig.* in hoc tamen casu differendum esse baptismum per aliquod tempus, ut meliùs cognosci possit monstri natura, proximè laudati DD. affirmant. Aliquando verò partus non prodigiosus, sed portentosus nascitur, cùm videlicet forma hominis non deest, sed in aliquo peccavit natura; quia servatâ humani partus formâ membrorum officia ampliavit, ut si cum tribus manibus, oculisve, aut si cum pluribus digitis partus edatur: de quo portentoso partu loquuntur Consulti *in dict. l. non sunt liberi, in fine, l. hoc tantum 38. l. quæret 135. ff. de S. V.* junctis traditis à Carranza *de partu, cap. 17.* Torreblanca *lib. 5. de jure spirit. cap. 8.* Arellano *cap. 8. de juris ratione, lib. 2. capit. 5. per tot.* & *lib. 2. singul. cap. 2.* D. Joseph. de Retes *lib. 1. opusc. cap. 1.* nam isti portentosi partus veri liberi sunt, *l. ultim. part. 23. partit. 4.* ubi de partu prodigioso, & portentoso ita ait Alfonsus Rex: *No deben ser contados fijos los que nacen de la muger, y no son figurados como homes, assi como si huuiessen caueca, ò otros miembros de bestia: mas si la criatura nace en figura de home, maguer aya miembros sobejanos, ò menguados, no le empece.* Portentosus ergo partus baptizari potest, qui homo est, licèt superflua habeat membra: & si nascatur cum duobus capitibus, ita ut certum sit, esse distinctas personas, quia dormiente uno capite, aliud vigilat, & movetur, seorsim singula membra baptizanda sunt; & si certò deprehendi non posset, duas esse personas, tunc absolutè baptizanda est pars illa, quæ ad unam animam pertinet; reliquæ verò partes sub conditione, non verò absolutè sunt baptizandæ, ut post Marsilium, & Vazquez docet Diana *p. 9. tract. 6. resol. 30. in fine.*

13. Diximus etiam hominem baptizandum debere esse viatorem, id est vinum, non defunctum; quia mortuus baptizari non potest. Concil. Carthag. 3. *can. 6.* ibi: *Cavendum est ne mortuos baptizari posse fratrum infirmitas credat.* Ubi hæresim Marcianistarum condemnari refert Baronius *tom. 4. anno 368.* & notavi *in can. 37. Concilii Illiber.* Nam cùm certum sit, animas à corporibus separatas justificari non posse, nec mereri, juxta illud Ecclesiastici *capit. 14. Ante obitum tuum operare justitiam, quia non est apud inferos invenire cibum.* Joannis *cap. 9. Venit nox, in qua nemo potest operari.* Lucæ *cap. 15. Jam non poteris amplius villicare.* Probat Bellarminus *de purgat. lib. 2.* Non contrarium docet D. Paulus *1. ad Corinth. cap. 15.* ibi: *Quid faciant hi, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt?* Unde deducebant Marcionistæ, & Cataphryges mortuos validè baptizari. Refert Baronius *anno 57. num. 164.* & *146. num. 12.* & *173. num. 4.* Turrianus *pro canonibus lib. 4. cap. 14.* Nam omissis variis interpretationibus adductis à Castro *de hæresibus, verbo Baptismus*, Sebast. Medices *eodem tract. & verbo*, Cornelius à Lapide *in eodem textu*, Ægido *de Sacram. disput. 11. dub. 1.* Vazquez *2. tom. 3. part. disput. 157. cap. 3.* dicendum est, apud Apostolum baptizari pro mortuis idem esse ac baptizari à mortuis, hoc est à contactu mortui eluendo & purgando se. Nam cùm *cap. 19. Numeror.* præcipitur, ut qui tangeret corpus mortui, immundus censeretur, donec abluere tur modo ibi præscripto, de quo ritu agitur *cap. 34. Ecclesiast. Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lavatio ejus?* D. Paulus ad adstruendam, & probandam carnis resurrectionem utitur prædicto argumento; non tamen loquitur D. Paulus de sacramento Baptismi, quod mortui recipere nec per se, nec per alios possunt, ut notavi *in dict. can. 37.*

14. *Traditur ratio decidendi.*

His suppositis ratio præsentis decisionis est, hominem invitum baptizatum baptismum non recipere; amentem verò, & dormientem, si ante somnum aut amentiam baptismum petierint, posse ritè, & validè baptizari: nam cùm in baptizando desideretur voluntas, juxta illud præceptum Domini: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*; ideo nemo renuens, & invitus baptizari debet. Faciunt D. Bernardus *sermon 66. in Cantica*, ibi: *Fides suadenda est, non imperanda.* Tertul. *ad Scapul.* ibi: *Non est religionis cogere religionem, quæ sponte suscipi debet, non vi.* Theodoric. apud Cassiodor. *lib. 2. var.* ibi: *Religionem imperare non possumus, quia nemo cogitur, ut credat invitus.* Dicemus latiùs *in cap. sicut Judæi, de Judæis.* Sed cùm quis petiit baptismum, licet postea in amentiam inciderit, semper præsumitur perseverare in eadem voluntate, juris interpretatione. Quare rectè in præsenti docetur, eum baptizari posse, si antea baptismum petierit. Unde dormiens retinet possessionem, *l. nunquam 31. §. si servus, ff. de usucap.* quia in eo non deficit animus, sed quiescit, ut ait D. Thomas *1. part. quæst. 48. artic. 3. in corpore*, & *in lib. de somno, & vigilia, quæst. 1. & 4.* Est enim brevis, & temporalis remissio animi, non defectio, teste Cicerone *lib. 7. de divin.* Similiter furiosi retinent possessionem ex juris æquitate, *l. 1. §. furiosus, leg. nunquam 31. §. si servus*, l. *justo 44. §. eum qui, ff. de usucap.* Giphanius *in l. si is qui 27. ff. de acquir. poss.* Valentia *ad illum titul. tract. 2. c. 6. n 9.* Facit Concil. Illib. *can. 45.* in illis verbis: *Qui aliquando fuerit catechumenus per infinita tempora, & nunquam ad Ecclesiam accesserit, si eum de Clero quisquam agnoverit voluisse esse Christianum, aut testis aliqui extiterint fideles, placuit ei baptismum non negari, eo quod in veteri homine deliquisse videatur.* Pro cujus canonis expositione plura in ejus notis adduximus.

15. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, pro cujus solutione, omissis traditis superiori commentario, dicendum est, verum esse in infantibus

fantibus non dari actualem voluntatem suscipiendi baptismum; dari tamen ex persona susceptoris, seu patrini, ut probavi in commentario antecedenti. Nec obstat augmentum ipsius dubitandi rationis, deductum *ex d. l. si servus 27. §. 9.* Nam omissâ difficultate, an in ejus textus specie detur actio utilis, an verò directa, quam examinat D. Joan. Suarez *lib. 2. ad leg. Aquil. cap. 2. sect. 2.* dicendum est, tunc dormientem ex delicto teneri, quando aliqua præcessit culpa, saltem in non præcavendo damnum; aliàs enim si nulla præcessit culpa, dormiens ex delicto non obligatur, ut latiùs prosequuntur Paulus Zacchias *lib. 2. qq. medicolegal. tit. 4. cap. 12.* Farinac. *in praxi, quæst. 98. ex num. 62.* Covar. *in Clement. si furiosus, 3. p. in princip. num. 7.* Gomez *lib. 3. var. cap. 1. num. 74.* unde cum in ea specie culpa præcessisset in non extinguendo igne, dormiens de incendio sequuto tenetur. Nec etiam obstat textus *in dict. cap. qui recedunt, §. fin.* nam omissâ solutione Glossæ ibi, *verbo Amentibus*, quæ asserit ibi PP. agere de hominibus amentibus ita natis, qui possunt ad opera pietatis admitti, dicendum est, textum illum esse accipiendum de amentibus illis, de quibus in præsenti textu agitur, qui ante amentiam baptismum petierunt: vel etiam textus ille accipi potest de illis operibus pietatis, quæ voluntatem, & consensum in suscipiente non exigunt.

16. *Exponitur canon 12. Concil. Neocæsar.*

Sed suprà traditis primò obstat textus *in can. 12. Concilii Neocæs.* ibi: *Si quis in ægritudine constitutus fuerit baptizatus, presbyter ordinari non debet; non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est, nisi fortè postea ipsius studium, & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas cogat.* Ex quibus deducitur, eum, qui in ægritudine baptizatur, non ex voluntate baptismum suscipere. Igitur non rectè dicimus, ex voluntate interpretativa baptismum ritè conferri illis, qui postquam petierunt baptismum, in ægritudinem, aut amentiam inciderunt. Pro cujus canonis expositione, qui eisdem verbis reperitur apud Gratianum *in cap. unic. 57. dist.* dicendum est, quod licèt illi, qui in ægritudine positi baptizantur, verum recipiant baptismum; tamen irregulares sunt, quia quodammodo urgente mortis periculo fidem susceperunt, qui appellantur grabatarii *in can. 8. Concil. Altissiod.* notavit Menardus *in not. ad lib. sacram. D. Gregorii, fol. 161.* clynici à D. Hieronymo, & Cypriano, quos refert, & explicat Spondanus *ad Baronium anno 254. num. 4.* Quare & de ipsorum baptismo aliquando dubitavit Cornelius Papa *in epist. ad Fabianum Antioch. Episcopum*, apud Eusebium *lib. 6. hist. Eccles. cap. 35.* notavi *in can. 37. Concilii Illib.* Unde Patres in eo canone in ægritudine baptizatum tantùm à sacris ordinibus removent, non tamen jubent ipsum iterum baptizari.

17. *Exponitur Concil. Toles. 8. can. 7.*

Secundò suprà traditis obstat Concilium Toletanum 8. *can. 7.* ubi cum agatur de Sacerdotibus, qui ad conjugia, moresque sæculi redierunt, & quomodo illi compescendi sint, ajunt PP. Hispaniæ, quod nullo modo possunt deserere votum jam emissum: quod probant exemplo eorum, qui jam baptizati sunt, qui fidem deserere non possunt, & hæc referunt difficilia verba: *Baptismatis inappretiabile donum est; semper, & sæpe non solum nolentibus, verùm & quod majus est, nescientibus impartitur.* Ex quibus expressè deducitur, nolentibus, & inscientibus sacramentum baptismi ritè ministrari: ergo quia ritè, & validè baptismus amentibus, dormientibus, immò etiam invitis ritè, & validè conferri potest. Cui difficultati respondendum est, verba illa, *nescientibus, & nolentibus*, referenda esse ad parvulos, & amentes; licèt enim illi nesciant, isti verò renuant pro tunc; nihilominus ex suprà traditis ritè illis confertur baptismus propter voluntatem, quæ saltem interpretativa adest in amente, & quæ suppletur per susceptorem, seu patrinum in parvulis. Unde tunc verum est, nescientibus, & amentibus gratiam baptismi conferri. Aliter explicat Barbosa *voto 37. num. 14.*

18. *Explicatur can. 48. Synod. Carthag.*

Tertiò hucusque traditis obstat textus *in can. 48. Synod. Carthag. 1.* in illis verbis, prout extant apud Balsamonem: *De iis, qui sunt infirmi, tur can. ut qui ita sunt infirmi, qui quidem pro se respondere 48. Synod. non possunt, tunc baptizentur, quando suâ sponte de se Carthag. testimonium proprio periculo dixerint.* Ex quibus constat, desiderari in ægroto, aut obmutescente voluntatem actualem suscipiendi baptismum: ergo non sufficit voluntas interpretativa, ut subitò obmutescens, vel in vitæ discrimine positus baptizetur. Augetur hæc difficultas ex canone 43. Concilii Carthag. 3. relati *in cap. ægrotantes, de consecr. dist. 4.* ubi asseritur, quod si ægrotantes per se respondere non possunt, aliorum testimoniis adjuvantur. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, in adversâ valetudine baptizari posse, si dum propriam voluntatem exprimunt, ore fidem profiteri, & promittere possint. Si autem propriam voluntatem exprimere nequeant, nec ante ægritudinem baptizari efflagitaverint, baptizari nequeunt, cùm nec interpretativa voluntas adsit: *si verò dum sanæ mentis fuerint, baptismum petierint,* licèt postea fidem expressè profiteri nequeant, si tamen adsint testes, qui referant ipsum ægrotantem baptismum petiisse, ritè baptismus conferri potest, cùm constat ex testium depositione de ipsius baptizandi voluntate, ut jam probavi *in can. 37. Concilii Illiber.*

19. *Exponitur can. 6. Concil. Carthag. 3.*

Quartò obstat canon 6. Concilii Carthag. 3. in illis verbis: *Cavendum est etiam, ne mortuos baptizari posse PP. infirmitas credat, quibus nec Eucharistiam dare licitum est.* Qui canon omni prorsus dubitandi ratione carere videtur, si ut suprà diximus, in suscipiente baptismum desideretur voluntas. Pro cujus canonis explicatione sciendum est, jam ipso Ecclesiæ initio, impium morem, seu errorem nonnullos invasisse baptizandi catechumenos ante baptismum mortuos, absconso aliquo sub lecto, ut refert S. Chrysost. *homil. 40. in epist. 1. ad Corinth.* in hæc verba: *Postquam catechumenus quispiam apud eos excesserit, sub lecto mortui absconso aliquo, qui vivit, accedunt ad mortuum, & alloquuntur, & rogant, velitne accipere baptismum: deinde illo nihil respondente, qui est absconsus interne, pro illo dicit, se velle baptizari: & sic eum baptizant pro eo qui excessit, ac si in scena luderent.* Cujus abusus meminit Apostolus *1. ad Corinth. cap. 15.* illis verbis: *Quid facient ii, qui baptizantur pro mortuis?* Quem locum fusè exponunt Basil. Legion. *quæst. 3. expos. cap. 5.* Theoph. Rayn. *tom. 15. in Heterod. sect. 1. punct. 11.* quem errorem secuti fuerunt Marcianistæ, ut probavi *in dict. can. 37. Illiber.* & eos optimè refellit S. Fulgentius *de bapt. Æthiop. cap. 9. Mortuos propterea non baptizamus, quia omne peccatum, sive originale, sive actuale, quia simul*

simul est animæ, carnique commune, nihil eorum dimittitur, si à carne sua anima separetur. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis, sive bonum, sive malum. Anima itaque sine carne nullâ ratione salvatur, quæ peccavit in corpore, nec credit eam esse in corpore: ac per hoc malum recipit, quod gessit in corpore; non bonum, quod in corpore constituta non gessit. Caro quoque sine anima non potest baptizari, quia nec remissionem peccatorum accipere, nam res quæ non vivit, sicut nec peccare, ita pœnitentiam peccati habere non potest. Notatum Zerola *in advers. c. 144.* Novatianus *lib. 1. sched. c. 9.* quem errorem ut damnarent PP. dictũ canonem edidere.

CAPUT IV.

Idem (a) *Metensi Episcopo.*

DEbitum officii pastoralis exsolvis, cùm in dubiis juris articulis responso Sedis Apostolicæ postulas edoceri. Sanè per tuas nobis litteras intimasti, quod quidam Judæus in mortis articulo constitutus, cùm inter Judæos tantùm existeret, in aquam seipsum immersit dicendo: Ego baptizo me in nomine Pa. & Fi. & Spi. san. Nunc autem quæris, utrum ille Judæus in devotione christianæ fidei perseverans debeat baptizari. Nos autem fraternitati tuæ taliter respondemus, quod cùm inter baptizantem, & baptizatum debeat esse discretio, sicut ex verbis Domini colligitur dicentis Apostolis: Baptizate omne gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; memoratus Judæus est ab alio baptizandus, ut ostendatur, quod alius est qui baptizatur, & alius qui baptizat: ad quod etiam designandum ipse Christus, non à se ipso, sed à Joanne baptizari voluit: quamvis si talis continuò decessisset, ad patriam protinus evolasset per (b) sacramenti fidem, etsi non propter fidei sacramentum. In baptismo quippe illa spiritualis generatio celebratur, quia nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non introibit in regnum cœlorum: & sicut in carnali generatione, quâ proles ex viro, & fœmina nascitur, alius est, qui carnaliter gignit, & alius, qui canaliter gignitur: sic & in sacramentali generatione, quâ soboles ex aqua & Spiritu sancto renascitur, alius debet esse qui spiritualiter generat; & alius, qui spiritualiter generatur. Sanè cùm corpus exteriùs, sive cor interiùs baptizatur, oportet ut utrobique paternitas, & filiatio valeant inveniri, quibus baptizatus, & baptizans ad invicem referantur.

NOTÆ.

1. (a) *Metensi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 3.* Theodorico videlicet Præsuli 57. ipsius Ecclesiæ: de diœcesi Metensi nonnulla notavi *in c 14. de cleric. non resid.*

(b) *Sacramenti fidem.*] Ut dicemus *in cap. 2. infra de presbyt. non bapt.*

COMMENTARIUM.

2. IN hoc sacramento, sicut in aliis legis Gratiæ, si Eucharistiam excipias, suscipiens eget ministro à se distincto; quia nemo seipsum baptizare valet, ut in præsenti dicitur, & docent plures congesti à Barbosa *in præsenti*; quia inter dantem, & accipientem debet esse realis distinctio, *cap. final. de instit. cap. per nostras, de jurepatron. l. jus dandi, & §. Prætor ff. de tut. & curat.* P. Gregorius *de elect. cap. 7.* Jul. Lavor. *variar. lucub. tit. 4. cap. 6. num. 18.* Quis autem sit minister ordinarius hujus sacramenti, exponemus *in cap. 1. de presbyt. non baptizato.* Dixi si Eucharistiam excipias, quia eam non solùm sacerdotes à seipsis recipiunt, verùm & laici sibi ipsis communionem dabant. Palladius *cap. 143. de Sylvania*, ibi: *Ecce ago annum ætatis sexagesimum, præter extrema manum mearum, (& hoc propter communionem) non pes meus aquam tetigit.* Cyrillus Hierosolym. *catechesi 5. mystag. Accedens ad Eucharistiam non expansis manuum volis accede, nec distinctis digitis, sed sinistram veluti sedem quandam subjicias dextræ, quæ tantum Regem susceptura est, & concava manu suscipe corpus Christi, dicens, Amen.* Ponebantur autem manus in formam crucis, ut expressè definitum in sexta Synodo, *can. 101* ibi: *Si quis voluerit synaxis tempore communicari purissimo Christi corpore, manus in crucis formam figurans, sic adeat, & suscipiat gratiæ communionem. Eos enim, qui pro manu vascula quædam aurea, vel ex alia materia construunt ad susceptionem divini doni, & per illa immaculatam communionem suscipere volunt, nullo modo admittimus, ut qui præferant materiam inanem homini Dei imagini.* Damascenus *lib 4. de fide orthodox. cap. 14. Ardenti cupiditate ad eum adeamus, manibusque in crucis formam compositis, crucifixi corpus suscipiamus.* Viri tamen cava, nudâque manu Eucharistiam excipiebant, fœminæ verò non nisi linteamine, D. August. *serm. 252. de tempore. Omnes viri, quando communicare desiderant, lavant manus suas; & omnes mulieres nitida exhibent linteamina ubi corpus Christi accipiant.* Concil. Altisiod. *can. 36.* ibi: *Non licet mulieri nuda manu Eucharistiam sumere.* Quod linteamen Dominicale appellatur *in can. 42. ipsius Concilii*, ibi: *Unaquæque mulier suum habeat Dominicale quando communicat.* Illustrant latè Rosvveidus *in Onomast. verbo*

Eucharistia, Zerda *in adverſ. c. 81.* Hæphtenus *in vita S. Benedicti, prolog. 18. §. 4.* Baronius *anno 57. n. 147. & 201. n. 19. & 254. n 54. & 255. n. 33. & 260. n. 11.* Stephan. Gratian. *tom. 3. diſcept. c. 412. n. 14.* Andr. Sauſay *lib. 1. de myſt. Galliæ Script. in Paulo, tit. 10.* Theoph. Raynaud. *tom. 12. fol. 295.* Menardus *in not. ad librum ſacram. D. Gregorii, fol. 390.* Buleng. *ad caput. 43. Caſaub. exercit. 3. fol. 218.* Vicecomes *volum. 4. de rit. Miſſæ, lib. 7. cap. 11.*

CAPUT V.

Idem (a) *Nidroſienſi Archiepiſcopo.*

NOn ut apponeres tibi ſcientiam, ſicut credimus, ſed ut per oraculum verbi noſtri tuorum ignorantiam ſubditorum meliùs erudires, Apoſtolicum tibi reſponſum fieri poſtulaſti, utrum parvuli ſint pro Chriſtianis habendi, quos in articulo mortis conſtitutos propter aquæ penuriam, & abſentiam ſacerdotis, aliquorum ſimplicitas in caput, ac pectus, ac inter ſcapulas pro baptismo ſalivæ conſperſione lenivit. Cùm igitur in baptismo duo ſemper, videlicet verbum, & elementum neceſſariò requirantur, juxta quod Veritas de verbo ait: Euntes in mundum univerſum baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; eademque dicat de elemento: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non introibit in regnum cœlorum; dubitare non debes, illos verum non habere baptismum, in quibus non ſolùm utrumque prædictorum, ſed eorum alterum eſt omiſſum.

NOTÆ.

1. (a) *Nidroſienſi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap 5.* De Nidroſienſi diœceſi egi *in cap. ſacris, de his quæ vi.*

COMMENTARIUM.

AQuam naturalem, & elementarem, eſſe materiam remotam baptismi, conſtat ex ſacra pagina, *Joannis cap. 3. verſ. 5. Marci cap. ult. verſ. 19. Actuum Apoſt. cap. 8. num. 35. cap. 30. verſ. 47.* D. Paulo *ad Hebræos capit. 10.* & *ad Epheſios cap. 5. verſ. 25. cap. 1. de ſumma Trinit.* D. Clem. *epiſt. 3. poſt principium*, ibi: *Baptizetur unusquisque aquis perennibus, invocato nomine trina beatitudinis.* Trident. *ſeſſ. 7. de ſacrament. can. 12.* Miraculis probat Beyerlinch *in Theatr. verbo Baptismus.* Quare damnati fuerunt hæretici Seleuciani, non aquâ, ſed igne baptizantes, ut refert D. Auguſt. *hæreſ. 19.* & Flagellantes, qui circa annum 1300. ſanguine ſuo ſe baptizabant. Varias rationes, quare Dominus noſter eam pro materia hujus ſacramenti præfinierit, adduxerunt ſcribentes de hoc Sacramento, inter quas illa non incongruè aſſignatur, quia videlicet aqua magnam habet proprietatem ad ſignificandam interiorem munditiam, ut conſtat *ex cap. 8. Job. verſ. 30.* Unde Gentiles credebant, leviora peccata aquâ fluviali, majora verò mari expiari poſſe. Tertul. *de baptiſm. cap. 3.* D. Hieronym. *epiſt. 2.* Cyril. Hieroſol. *catech. 3.* & alii apud Theoph. Raynaud. *de Agno cereo cap. 2. num. 15.* Penes veteres quisquis ſe homicidio infecerat, purgatrice aquâ ſe expiabat. Seneca *in Hercule Furente.*

——— *Licet jam tota teſtis*
Per meas currat manus, hærebit altum facinus.

Ovidius *lib. 2. & 4. Faſtor.* Virgilius *lib. 2. & 6. Æneid.* Scholiaſtes Sophocles ibi: *Mos erat antiquis, cùm mortem hominis, aut alias cædes patrabant, aquâ lavare manus in purgationem macula.* Macrobius *lib. 3. Saturn. cap. 1.* Virgilius *libro 2. Æneïd.* ubi Æneas cæde pollutus ſic ait:

Tu genitor cape ſacra manu, patriosque penates;
Me bello è tanto digreſſum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Et *lib. 6.* quem ex hoc ritu explicat Turnebus *lib. 11. adverſ. cap. 21.*

Idem, te ſocio, purâ circumtulit undâ
Spargens rore levi, ramoque felicis olivæ.

Et ex Ovidio 2. *Faſtor.* qui ad hoc etiam alludit in Faſtis.

Heu nimium faciles, qui triſtia crimina cædis
Flumineâ poſſe pellipoſſe putatis aquâ

Illuſtrat latè Antonius Sylvius *ad ll. 12. Tabul. cap. 14.* Durantius Caſel. *lib. 2. variar. cap. 1.* & 2. Tiraq. *de nobilit. cap. 31. ex num. 558.* Petrus Gregorius *lib. 36. Syntag. cap. 21.* Solorzanus *lib. 1. de parric. cap. 31.* D. Joan. Suarez *lib. 1. ad leg. Aquil. cap. 2. ſect. 9.* qui inde exponit *num. 20.* factum Pilati, quod refertur à D. Matthæo *cap. 27.* in illis verbis: *Videns Pilatus quod nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret, acceptâ aquâ lavit manus coram populo.* Itaque ad lacum, quem aquam Mercurii nominabant, antiqui accurrebant Romani, & ramuſculo quodam è lauro ſeſe invicem aſpergebant, & jam ſe mundos, & puros exiſtimantes, ad ſuam quisque redibat domum. Meminit hujus ritus Onuſtius Pambinus *in lib. de urbe Romana*, & illum probat ex Ovidio *lib. 2. Faſtor.* ibi:

Eſt aqua Mercurii portæ vicina Capenæ:
Si juvat expertis credere, numen habet.

Etiam in defunctorum exequiis ad expiandos homines, luſtrandas domos, purgandas veſtes, aquam adhiberi ſolitam teſtatur Propertius *lib. 4. eleg. 9.* ibi:

Dein quemcunque locum externa tetigere columbæ
Suffit, & purâ limina tergit aquâ.
Imperat & totas iterum mutare lacernas,
Terque meum tetigit ſulphuris igne caput.

Proſequuntur Vicecomes *lib. 1. de ritib. baptism. cap. 17.* Farnabius *ad Senecam ſuprà fol. 155.* fuſè Marſilius

Marsilius *de aqua benedicta sect. 3. capit. 7.* Rectè ergo in præsenti pro expiatione peccati originalis in parvulis, & actualis in adultis Dominus aquam ut necessariam materiam præscripsit.

2. Manet ergo ex institutione Christi Domini materiam remotam sacramenti baptismi esse aquam naturalem, idque contra varios hæreticos sæpe sæpiùs Ecclesia definivit *in capit. in quadam, de celebrat. Missar.* Concil. Florent. *in decreto de unione Armenor. de sacram.* §. *primum.* Trident. *sess. 7. de baptism. capit.* 2. & aliis pluribus canonibus congestis ab Ant. Augustino *in epit. juris, libro 22. titul. 10.* probant omnes Summistæ verbo *Baptismus*, Theologi cum D. Thoma *3. part. quæst. 66. articul. 3.* Bellarmin. *tom. 2. controv. lib. 1. de baptism. cap. 2.* Castro *adversus hæreses, verbo Baptismus.* Appellatione aquæ naturalis (quam alii elementarem edicunt) venit aqua maris, fluminis, paludis, ex parietibus profluens, resoluta ex sale, ex vaporibus densatis collecta, sive vera, sive miraculosa, qualis fuit ex latere Christi profluens, & quæ ex silice per Moysem percusso profluxit: nec distinguimus, an benedicta sit, vel non; licèt agnoscamus sacerdotem baptizantem extra necessitatem cum aqua non benedicta, trinaque infusione chrismatis consecrata, lethaliter peccare, ut contra Granados, & Quintanaduennas tenent Castropalao, & Hurtado, quos refert, & sequitur Diana *part. 9. tract. 6. resol. 33.* De qua benedictione aquæ agunt Josephus Vicecomes *lib. 1. de ritibus baptism. cap. 14.* Chartus. *de cærem. baptism. capit. 6.* Et si aqua accidentaliter tantùm mutata sit, dum aquæ usum retineat, sufficiens est ad baptismum ministrandum, veluti aqua jurulenta, tincta pulvere, melle, aut aliis rebus permixta, lixivium, ut docent D. Thomas *in 4. dist. 4.* Sotus *articul. 4.* Ægidius *de sacram. quæst. 66. art. 4. dub. 2.* Hurtad. Possevinus, & alii apud Leandrum *tom. 1. de sacram. disput. 1. de baptism. quæst. 9.* De glacie, nive, & gelu dubium est, cùm non sit aqua apta ad abluendum corpus baptizandi. Negant cum eis validè baptismum conferri, D. Thom. *3. p. q. 66. artic. 4.* Bonacina, Henriquez, Filliucius, & Ledesma apud Dianam *p. 5. tract. 3. resol. 3.* Affirmant Hurtado *de baptismo difficult. 2.* Leander *dict. tract. 2. de baptism. quæst. 7.* Sed verior est negativa sententia, dummodo in ipsa baptismi administratione, & applicatione materiæ nix resoluta non sit; unde quæri solet, an si resolvatur nix; non in manibus ministri, sed in ipso corpore baptizandi, baptismus ritè conferatur? Negat Tannerus *tom. 4. quæst. 4. disput. 1. dub. 2. num. 44.* Affirmat Suarez *3. part. in 3. part. disp. 20. sect. 2.* Credo tamen baptismum ita tempore necessitatis collatum valere, utpote cum materia probabili administratum. Ex dictis colligitur, non posse sacramentum baptismi administrari cum saliva, ut in præsenti textu docetur; nec etiam esse materiam aptam cervisiam, lac, vinum, sudorem, lachrymas, aquam ex vite, vel ex arboribus distillatam, liquorem herbarum, ex floribus, vel radicibus elicitum, ut sexaginta auctoribus relatis tenent Diana *5. part. tract. 3. resol. 2.* Nec etiam ulla urgente necessitate cum illis aquis administrari potest baptismus, ut de aqua rosacea contra Stephanum Bauny, & Chamerotam defendunt Lanfrancus *tom. 2. opusc. capit. 4. num. 2.* Diana *tom. 6. tract. 7. resol. 18.* Mendo *in statera, dissert. 9 quæst. 1. & 2.* ubi probat, neque urgente necessitate posse conferri baptismum cum aquâ rosacea, saliva, aut sudore. Prado *de sacramentis tract. 2. de baptism. dub. 3. §. 1.* Theophilus *tom. 16. in Heterocl. spirit. punct. 10. in princip.* Licèt Stephanus II. consultus in conventu Carisiaco in Francia habito, ut privatus Doctor responderit, baptismum cum vino collatum ratum esse, *can 11.* ibi: *Si in vino quis propterea quod aquam non inveniens, at omnino periclitantem infantem baptizavit, nulla exinde ei adscribitur culpa: infantes sic permaneant in ipso baptismo.* Habetur *tom. 17. Concilior. pag. 576.* etsi eadem sententia falsò adscribatur Syricio Papæ, ut probat Ant. Augustin. *lib. 1. dialog. 16.* In eo ergo canone respondit Pontifex ut privatus Doctor, non ex Cathedra: etsi Theophilus *tom. 10. in aurea coron. Rom. Pontif. verit. 7.* docuerit, necesse non esse admodum laborare pro responso illo, quod non est evidens à Pontifice manasse, vel quod absque truncatione referri non est exploratum; cùm ejus responsi fides unius dumtaxat Codicis MS. è monasterio quodam Gallicano assertione nitatur. De baptismo etiam cum arena collato ab Andrea Abbate agit Aloix *ad vitam S. Dionysii Episcop. Corinth. cap. 1.*

3. Diximus, aquam debere esse aptam ad abluendum corpus baptizandi, quia materia proxima hujus sacramenti est ablutio corporis, sive fiat per immersionem, sive per aspersionem, *c. 1. hoc tit.* quia utroque casu homo dicitur ablutus. D. Thomas *quæst. 66. artic. 7.* Hurtado *de baptism. disp. 1. difficult. 4.* Leander *eod. tract. disput. 3. q. 19.* Tenetur tamen minister servare usum propriæ Ecclesiæ, saltem sub peccato veniali, ut docet Leander *ubi proximè*: sufficitque unâ aquæ gutta, quæ possit per corpus diffluere, ut tenent plures, quos refert, & sequitur Diana *p. 5. tract. 3. resol. 3.* Circa minimam autem aquæ guttam non consentiunt Theologi, & Moralistæ. Sufficere ad conferendum baptismum, tenuerunt Henriquez *lib. 3. summæ, cap. 7. num. 2.* & *cap. 21. num. 4.* Vazquez *3. part in 3. disput. 145. cap. 4.* alii, quos sequuntur Diana *dict. tract. 3. resol. 4.* Pasqualigus *de baptismo dub. 74.* Negant Cambrana *de baptismo, capit. 1. dub. 4.* Suarez *de sacram disp. 20. sect. 2.* Valentia *tom. 4. controv. disput. 4. quæst. 1. punct. 2.* Layman. *lib. 5. summæ, tract. 1. cap 3. num. 1. conclus 3.* Dubiam materiam esse docuerunt Gaspar Hurtado *tom. 1. resol. moral. p. 1. §. 25. num. 323.* Theophilus *dict. tom. 16. fol. 145.* Macedo *de clavibus Petri, lib. 4 cap. 12.* Unde etiam hæsitatur, si quis baptizaverit signo crucis in fronte, aut alia corporis parte digito facto, aut linteo aliquo ma defacto, verum conferat baptismum. Negant Angelus *verbo Baptismus 3. num. 4.* Aureolus *in 4. dist. 3. quæst. 3.* Possevinus *de baptismo, c. 2. n. 4.* Sed rectius affirmant Paulus Comitolus *lib. 1. resol. moral. q. 12.* Bonac. *in ultima edit. de baptism. disput. 2. punct. 3. num. 14.* Leander *dict. tract. 2. quæst. 4.* Nihil tamen interest, quæ corporis pars aquâ abluatur, sive caput, *cap. post quam 28. de consecr. distinct. 4.* sive pectus, aut scapulæ. Sotus *in 4. dist. 3. artic. 7.* Circa alias verò, veluti pedem, manum, aut digitum, dubitant DD. Et baptismum conferri negant Sotus

dict. artic. 7. Suarez *disput. 20. de sacram. sect. 2.* Bonac. *suprà num. 24.* Ægidius, Granados, Torreblanca, & alii relati à Leandro *dict. tract. 2. quæst. 25.* Sed contrariam sententiam ut veriorem tenent Vazquez, Navarr. Ochagavia, Filliuc. Diana, & Hurtado, apud Leandrum *ubi proximè*: & probatur ex eo, nam si quamlibet ex iis partibus quis tetigerit, dicitur totum hominem tetigisse, *l. vulgaris 21. ff. de furtis*: ergo ablutio cujuslibet ex his partibus sufficiens erit ut homo dicatur ablutus. Observandum tamen est, cessante necessitate similem baptismum iterandum esse sub conditione, cùm administratum reperiatur sub materia dubia, ut pluribus relatis docet Hurtado *tom. 1. resolut. moral. tit. 1. §. 25. num. 359.* Frances *in Pastor. intern. part. 2. tract. unic. quæst. 3. num. 6.* Semper autem requiritur, ut aqua corpus tanget, saltem in capillis, aut ungue, ut docent Sotus *dict. artic. 7.* Vazquez *3. p. in 3. disputat. 145.* Filliucius, Valentia, Toletus, Suarez, & alii relati à Leandro *suprà quæst. 20. & 70.* Idem asserendum est de baptizatis in pelle secundina, aut umbilico, per quem fœtus matri conjungitur, & alitur; nam baptismus iterandus est sub conditione. Marchantius *de baptismo cap. 1. quæst. 1. casu 2.* Diana *dict. part. 5. tract. 3. resol. 4. & 112.* Si autem pars aliqua corporis mortua sit, & illa aquâ abluatur, baptismus invalidus est, quia pars sensibilis non est, nec à anima informatur. Desideratur etiam, ut ablutio fiat ab ipso ministro. De emersione verò, & an necessaria sit in baptismo, agit Hurtado *de sacram. tom. 1. tract. 2. de baptism. dub. 7.*

CAPUT FINALE.

Idem *in* (a) *eodem.*

LIcèt Græcos diebus nostris ad obedientiam Sedis Ap. revertentes fovere, ac honorare velimus, (b) mores ac ritus eorum, quantùm cum Domino possumus, sustinendo: in his tamen illis deferre nec volumus, nec debemus, quæ periculum generant animarum, & Ecclesiasticæ derogant honestati. Postquam enim Græcorum Ecclesia cum quibusdam complicibus, & fautoribus suis obedientiæ Sedis Ap. se subtraxit, in tantùm Græci cœperunt abominari Latinos, quod inter alia, quæ in derogationem eorum impiè committebant, si quando sacerdotes Latini super eorum celebrassent (c) altaria, non priùs ipsi sacrificare volebant in ipsis, quàm ea, *tanquam per hoc* inquinata, lavissent. Baptizatos etiam à Latinis ipsi Græci rebaptizare ausu temerario præsumebant, & adhuc, sicut accepimus, quidam hæc agere non verentur. Volentes igitur tantum scandalum ab Ecclesia Dei amovere, sacro suadente Concilio districtè præcipimus, ut talia de cætero non præsumant, conformantes se tanquam filii obedientiæ sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matri suæ, ut sit unum ovile, & unus Pastor. Si quis autem tale quid præsumpserit, excommunicationis mucrone percussus, ab omni officio, & beneficio Ecclesiæ suspendatur.

NOTÆ.

1. (a) *Eodem.*] Lateran. videlicet; cùm enim temporibus Innocent. III. Græci ad unitatem Ecclesiæ Rom. fuissent conversi, ut retuli *in cap. scriptum, de elect.* editus fuit præsens canon, ut damnaretur abusus eorum, qui baptizatos à Latinis iterum baptizabant. Sed quæret aliquis, cur præsens constitutio, cùm edita sit in Græcos, seu contra eos, eorum idiomate PP. Concilii usi non fuerint, cùm lex promulganda sit potiùs linguâ eorum, ad quos dirigitur, *authent. de non alienandis, §. nos igitur, ad finem*, ibi: *Hanc proposuimus, & non paternâ voce legem conscripsimus, sed hac communi, & Græca, ut omnibus sit nota, propter facilem interpretationem.* Et *l. unic. in fine, C. de veteri jure enucl.* Faciunt textus *in cap. si rector, 44. dist. cap. oportet 7. quæst. 1. cap. quoniam, de offic. Ordin. Clement. ne in agro, §. sanè, de statu monach.* nam legislator subditos legibus dirigere, non illaqueare intendit, *cap. 2. 27. quæst. 1.* unde lex non debet esse captiosa, *cap. erit, 4. quæst.* Franc. Valens *in concord. juris Pont. 2. p. sect. ult.* Facit ab specie textus *in cap. nomine, 74. dist.* Respondeo Patres Concilii præsentem constitutionem edidisse vulgari, & communi linguâ, Latinâ videlicet, quæ tam apud Græcos, quàm apud alias nationes facilè intelligitur, vel saltem exponi potest à pluribus in qualibet regione commorantibus. Et cùm Concilium hoc generale esset, & Romæ celebraretur, vulgari, & Latinâ linguâ constitutiones promulgandæ erant, tum ob Ecclesiæ Latinæ auctoritatem, tum quia in Concilio generali, ubi erant utriusque linguæ periti, hæc constitutio edita fuit.

(b) *Mores.*] Prorsus diversos à Latinis, de quibus integrum librum edidit Arcudius.

(c) *Altaria.*] Quia Latinos, tanquam hæreticos vitabant, talesque esse credebant, eo quod in baptismo utebantur formulâ vulgari: *Ego te baptizo &c.* ut infrà dicemus. Quod etiam contigit Donatistis, qui adhuc incredibili fastu, & immani odio Latinos persequebantur, ut altaria, in quibus ipsi catholici celebrabant, improbarent, & pro inquinatis haberent, ut refert Optatus Milevitan. *lib. 6.* ubi notavit Balduinus.

COMMENTARIUM.

INter ritus diversos, variosque Ecclesiæ Latinæ, & Græcæ, illum præcipuè usitatum, ac receptum legimus circa formam sacramenti Baptismi, videlicet quod Latini utuntur eâ formâ: *Ego*

Ego baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ut probavi *in cap. 1. hoc tit.* Græci verò utuntur ea formâ : *Baptizetur N. servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, ut constat ex Concilio Florentino in decreto de Sacramentis, *vers. Forma autem*, ubi docetur, per illam formulam verum confici sacramentum. Græci enim eâ forma uti cœperunt, ad tollendum quoddam schisma, quod jam primis Ecclesiæ sæculis cœperat apud Corinthios, qui existimabant, baptizatos pertinere ad eum, qui ipsos baptizabat, ac proinde unusquisque dicebat : *Ego sum Cephæ, ego sum Pauli*; quos reprehendit D. Paulus *cap. 1. & 3.* dicens : *Nunquid Cephas pro vobis mortuus est, aut Paulus?* Notavit D. Augustinus relatus à Gratiano *in cap. cum tantum 47. de consecr. dict. 4.* Quare ut occasionem hujus erroris Græci tollerent, uti cœperunt prædictâ formulâ, sed adeo pertinaci animo, ut crederent sub ea tantùm baptismum validè administrari, & ita credebant Latinos formulâ vulgari utentes hæreticos esse, ut notavit Bellarminus *de baptism. cap. 3. vers. Sextus fuit.* Et ita à Latinis baptizatos iterum baptizabant, & altaria, in quibus ipsi presbyteri Latini celebrabant, tanquam ideo polluta, reconciliabant, juxta textum *in cap. 2. de sacram. non iterandis:* quod improbant, & condemnant PP. in præsenti canone, Græcis de cætero prohibentes, ne baptizatos à Latinis iterum baptizare præsumant.

4. Sed prædicta forma Græcorum ab Ecclesia approbata in dicto Concilio Florent. non levem difficultatem continet; siquidem actio ministri necessariò exprimenda est, ut docetur *in cap. 1. hoc tit.* in dicto Concilio Florent. *ubi suprà*, in illis verbis : *Si exprimatur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sancta Trinitatis invocatione perficitur sacramentum.* Unde D. Thomas; *p. quæst. 66. artic. 5. in corpore*, postquam scribit baptismum evangelicis verbis conferri, subjungit: Ideo oportet, quod in ejus forma exprimatur causa, quæ duplex est; una principalis, aquæ virtutem exprimens, nempe S. Trinitatis expressio; alia instrumentalis, videlicet minister, qui sacramentum confert : ideo inquit Sanctus in forma baptismi utriusque mentionem fieri debere: sed in forma Græcorum non exprimitur actio ipsa ministri : ergo per eam non potest validè baptismus conferri. Cui difficultati ut satisfaciat Sotus *in 4. dist. 3. quæst. unic. artic. 5.* quem sequitur Cabrera *de sacram. quæst. 66. articul. 5. num. 16.* existimat, ad veritatem formæ baptismi non esse necessarium explicare actionem ministri activè, aut passivè, dummodo ea non negetur, ac proinde sufficere, si dicatur: *Baptizet te Deus, vel Christus*; sive, *Baptizaris à Christo, vel à Deo.* Et ita accipit formam Græcorum: *Baptizetur servus Christi*, subaudiendo à Christo, vel à Deo. Sed hæc sententia Soti communiter rejicitur ex eo, quia actio ministri non solùm debet non negari in forma baptismi, verùm & significari non ipsis formæ verbis, ut facilè probatur *ex dict. cap. 1. hoc titul. Concilii Florent. suprà relato.* Deinde quia explicatio illa formæ Græcorum, ut subintelligatur à *Deo*, vel à *Christo*, prorsus inepta est; siquidem ad Deum non spectat baptizare in nomine Patris, &c. Quare hac sententiâ omissâ, quam impugnat Vazquez *3. p. in 3. p. disp. 142. cap. 2. à n. 15.* Ochagavia *de sacram. quæst. 8. de baptism. à num. 4.* Gaspar Hurtado *disputat. 1. de baptism. difficult. 8.* Granados *tract. 5 de baptism. disputat. 5. num. 3. & 4.* dicendum est, in baptismi forma non solum actum baptizandi explicandum esse per verbum *Baptizo*, vel aliud æquipollens activè, vel explicite, ut declaravit Eugenius IV. exponens formam eorum in dicto Concilio Florent. in decreto de Sacram. *vers. Primum omnium*, ubi ad probandum, Græcos verum conficere sacramentum Baptismi, eam rationem reddit, quoniam cùm principalis causa, ex qua baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas; instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius Sacramentum, si exprimatur actus, qui per ipsum exercetur ministrum cum Sanctæ Trinitas invocatione perficitur sacramentum. Unde rectè Vazquez, Hurtado, & Granados suprà laudati asseruerunt, eum esse sensum formæ Græcorum : Baptizetur N. servus Christi à me, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et si adhuc instes, ex ratione suprà adducta, ob quam Græci uti cœperunt hac forma, & per eam Græcos intendere excludere omnem actum baptizantis. Respondeo Græcos ob prædictam rationem, & alias, quas refert Petrus Arcudius *in concord. Eccles. Occident. & Orient. lib. 1. cap. 8.* prædictâ formâ utentes, noluisse negare instrumentalem virtutem baptizantis, sed solùm principalem, quæ Deo competit : quippe in Græcorum forma explicatur etiam actus baptizantis, prout exercetur à ministro, tanquam instrumento Dei, ut declaravit Eugenius IV. *ubi suprà*, & docuit D. Thomas *d 3. p. quæst. 66. artic. 5.* Unde audiendus non est Innocentius *in comment. textus in cap. 1. hoc tit.* quem sequuntur Felinus *in capite quæ in Ecclesiarum, de constit.* Marcus Antonius *lib. 5. instit. tit. 2. de baptism.* Sylvester *verbo Baptismus 1. num. 7.* dum asserit, presbyterum Latinum administrantem baptismum cum forma Græcorum, nullum conferre sacramentum; nam licèt ita baptizans peccaret lethaliter, tamen certum est, illum validum sacramentum conferre, ut de presbytero Latino consecrante in pane fermentato, aut Græco in pane azymo, probavi *in cap. fin. de celebrat. Missarum.*

TITVLVS XLIII.

De Presbytero nondum baptizato.

CAPUT I.

Ex Concilio apud (a) *Compendium.*

SI quis presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur.

NOTÆ.

1. (a) *Compendium.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* & apud Burchardum *lib. 4. Decreti, cap. 74.* Ivonem Carnot. *part. 1. Decreti, cap. 268.* Gratianum *in cap. si quis 60. 1. quæst. 1.* & meminit Innocent. III. *infrà, in cap. veniens :* ideſt in Synodo habita in palatio Regis Caroli apud Compendium. Unde textus hic reperitur inter Capitularia Caroli *lib. 6. capit. 93.* in hæc verba : *Si quis presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, & ordinetur iterum, & omnes, quos prius baptizavit.* Illa autem verba : *Et omnes, quos prius baptizavit*, juſtè omittuntur in præſenti à Raymundo, licèt à Decretiſtis referantur ; quia baptizatus non accipit gratiam à miniſtro, ſed ab ipſo ſacramento; ideo à quocunque, etiam Judæo, vel Pagano adminiſtratus, dum ſub debita, & legitima forma, & cum intentione faciendi quod Eccleſia facit, iterari non debet: quod & cautum video in ipſis Capitularibus *lib. 5. capitul. 4.* ibi: *Si quis baptizatus eſt à presbytero non baptizato, & ſancta Trinitas in ipſo baptiſmo invocata fuit, baptizatus eſt, ſicut Sergius Papa dixit: impoſitione verò manus indiget. Gregorius Epiſcopus Roman. & Joannes Sacellarius ſic ſenſerunt.* Ubi pro Gregorio legendum eſt, *Georgius*, ut in ipſo Concilio Compendienſi habetur. Georgius hic, & Joannes Sacellarius fuerunt Legati Stephani Papæ ad Pipinum, quorum ipſe Stephanus meminit *in epiſtol. 8.* Codicis Carolini, quem edidit Grethſerus. Unde rectè Raymundus omiſit in præſenti ea verba : *Et omnes, quos ipſe baptizavit.* Quia illi nullo modo ſunt rebaptizandi, ex proximè dictis ; immò omnia geſta ab ipſo Presbytero non baptizato, ob publicam utilitatem ſuſtinentur, argumento textus *in l. Barbarius, de offic. Prætor.*

Commentarium hujus textus dabimus *infrà, cap. 3.*

CAPUT II.

Innocent. III. *Epiſc.* (a) *Cremonenſi.*

APoſtolicam Sedem conſulere decreviſti. *Et infrà :* Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus: Presbyterum, quem ſine unda baptismatis extremum diem clauſiſſe ſignificaſti, quia in ſanctæ matris Eccleſiæ fide, & Chriſti nominis confeſſione perſeveravit, ab originali peccato ſolutum, & cœleſtis patriæ gaudium eſſe (b) adeptum aſſerimus incunctanter. Lege ſuper octav. lib. Auguſt. de (c) civit. Dei, ubi inter cætera legitur : Baptismus inviſibiliter miniſtratur, quem non contemptus religionis, ſed terminus neceſſitatis excludit. Librum etiam (d) D. Ambroſii de obitu Valentiniani, idem aſſerentis revolve. Sopitis igitur quæſtionibus Doctorum, Patrum ſententias teneas, & in Eccleſia tua juges preces, (e) hoſtiasque Deo offerri jubeas pro presbytero memorato.

NOTÆ.

1. (a) *Remon.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc titul. cap. 2.* ſed ut notavit Ant. Auguſtin. *in notis ad hunc textum*, legendum eſt, *Innocent. II.* nam Decretales epiſtolæ Innocentii III. tantùm reperiuntur in tertia aut quarta collectione, juxta ea, quæ adduxi in apparatu ad hæc commentaria. Innocentius II. antea Gregorius dictus, monachus Benedictus, electus fuit in ſummum Pontificem die XIV. Februarii anno 1130. ut referunt Baronius, & Corſolanus *in eodem anno*, Ludovic. à S. Carolo *in Biblioth. Pontif. litt. I.* Cremona eſt in plaga occidentali, climate ſeptimo, ac regione ſalubri gaudet; ſed protendens obliquè in longitudinem à Me-

à Meridie ad Septentrionem, & in latitudine ab ortu ad occasum, spatio passuum circiter bis mille quingentorum : de cujus situ, & origine, & amplitudine plura tradit Andreas Scotus *in itenerario Italiæ, lib. 1. fol. 216.* jam olim Ecclesiâ Cathedrali decorata erat, siquidem Eustachius ejus Præsul subscripsit Synodis Romanis 3. & 6. sub Symmacho, ut refert Carolus à S. Paulo *in Geograph. sacr. fol. 62.*

2. (b) *Esse adeptum.*] Unde cognoscitur, falsam esse sententiam existimantium, non dari beatitudinem ullam usque ad finem mundi, & per consequens nec judicium particulare cujuslibet decedentis; quam expressiùs damnarunt Benedictus XI. in extravaganti relata à Castro *adversus hæreses, verbo Beatitudo.* Eugenio Papa in Concilio Florent. *sess. ult.* Eam refellunt latè Bellarminus *de Beatitudine lib. 1.* Serarius *lib. 1. contra Puvium, cap 1. & 2.* Theoph. Raynaud. *tom. 2. in tract. Christus Judex, cap. 6.*

3. (c) *De civitate Dei.*] Sententia, quam in præsenti innocentius Augustino tribuit, non reperitur in ullo ex libris 22. quos S. Doctor scripsit de civitate Dei; extat tamen *in lib. 4. de baptismo contra Donatistas. c. 22.* & refertur *in cap. baptismi vicem, cap. non dubito de consecr. dist. 4.* & citatur à D. Bernardo *epist. 77.* & etiam *lib. 1. de anima & ejus orig. cap. 11.*

(d) *B. Ambrosii.*] *In monodia Valentin. ferè in fine*, cujus verba statim dabimus.

4. (e) *Hostias Deo.*] Non levis controversia est apud Interpretes, immò & apud Ecclesiæ PP. utrum Missæ sacrificium pro catechumenis offerri possit? ac eorum animæ incruento hoc sacrificio juvari valeant? Negant ulla ratione prodesse hoc sacrificium catechumenis S. Chrysostomus *homil. 3. ad Philipp.* ferè in fine, verbis illis, post præmissam summam hujus sacrificii utilitatem erga defunctos, quam ab Apostolis edocta est Ecclesia. *Noverant* (Apostoli) *hinc multùm ad vitâ functos lucri accedere, multùm utilitatis. Eo enim tempore, quo universus populus stat manibus passis, ac cœtus sacerdotalis, & illud horrorem venerationis plenum incutiens sacrificium, quomodo Deum non placabimus pro istis orantes? Atque id quidem de iis, qui in fide discesserunt. Catechumeni verò neque hac dignantur consolatione, sed omni auxilio sunt destituti uno quodam excepto. Quare verò hoc licet pauperibus pro ipsis dare, atque hinc aliquid recipiunt refrigerationis. Vult enim Deus nos nobis mutuum auxilium offeramus. Ecquid enim aliud causæ sit, quamobrem pro pace, & bono mundi statu precari jusserit? quamobrem pro omnibus? Nam sic quidem inter omnes sunt etiam latrones sacrilegi, fures, atque alii sexcentis scatentes malis: & tamen pro omnibus precamur: erit enim fortasse quædam ipsorum conversio. Quemadmodum igitur pro viventibus istis precamur qui nihil à cadaveribus differunt, sta pro illis etiam precari licet.* Ejusdem sententiæ videtur esse S. August. *lib. 1. de anima & ejus orig. cap. 11.* Nam profitetur, sacrificium christianum pro nullis offerri, nisi baptizatis; nec agit dumtaxat de parvulis morte præventis priùs quàm lustrarentur fonte sacro. Nam quamvis is sit primarius eo loco D. Augustini scopus, contra fatuitatem contrariam hæretici, quem eo loco refellit; tamen initio capitis universalem doctrinam tradit in hunc modum: *Salva fide Catholica, & Ecclesiasticâ regulâ, nullâ ratione conceditur, ut pro non baptizatis cujuslibet ætatis hominibus offeratur sacrificium corporis, & sanguinis Christi, tanquam per hu usmodi pietatem suorum, ad regnum cœlorum, quò perveniant, adjuventur.* Contrarium tamen docuerunt D. Ambrosius in præsenti citatus, ubi agens de duobus germanis Imperatoribus, Gratiano, & Valentino, quos habebat charissimos, & ambo excesserant catechumeni, sic ait: *Beati ambo, si quid meæ orationes valebunt. Nulla dies vos silentio præteribit. Nulla inhonoratos vos meæ transibit oratio. Nulla nox non donatos aliqua precum mearum contextione transcurret. Omnibus vos oblationibus frequentabo. Quis prohibebit innoxios nominare? Quis vetabit commendationis prosecutione complecti? Si oblitus fuero te, sancta Hierusalem, hoc est sancta anima, & pacifica germanitas, obliviscatur me dextera mea.* Hanc sententiam D. Ambrosii amplectitur Innocentius *in præsenti*, & *in cap. debitum, de baptismo*, perperam repugnante Gennadio *lib. de Ecclesiæ dogm. cap. 73.* & defendit Theoph. *tom. 15. in Heterocl. punct. 3. quæst 2.* Omissâ distinctione inter catechumenos audientes, & competentes, quam agnoverunt Bellarm. *lib. 2. de missa, cap. 6.* Henriquez, *lib. 9. summæ cap. 15. num. 5.* Scortia *lib. 2. de Missa, cap. 2. num. 5.* Et licèt negari non possit, SS. Chrysost. & August, negasse offerri posse fructuosè hoc sacrificium pro catechumenis; tamen cùm habeamus pro contraria sententia declarationem Innocentii III. professentis, id esse conforme SS. PP. non est cur negetur hodie catechumenis hoc præsidium.

COMMENTARIUM.

VIrtute baptismi flaminis eodem modo, ac ratione fluminis hominem justificari, ac per 5.
consequens salvari posse docetur *in cap. 3 hoc tit.* & ita catechumenum in catechesi decedentem salvari, latè probavi *lib. 3. Concil. Illib. cap. 60.* ubi exponit Mendoza caput *catechumenum, de consecr. dist. 4.* Exibi adductis præsens commentarium petendum est.

CAPUT III.

Innocent. III *Ferrariensi* (a) *Episcopo.*

VEniens ad Ap. Sed. dil. filius lator præsentium, lachrymabili nobis insinuatione monstravit, quod cùm per singulos ordines usque ad gradum sacerdotii ascendisset, comperiit tandem pro certo, quod non fuerit secundum formam Evangelii baptizatus. Unde nos eum per ven. f. n. (b) Tuscul. Episcopum ritè fecimus baptizari; & cùm super ordinibus coram nobis fuisset diutiùs disputatum, quidam in eam de-

clinaverunt sententiam, ut cùm baptismus sit fundamentum sacramentorum, ante susceptionem baptismi non suscipiatur aliud sacramentum: quoniam ubi fundamentum non est, superædificari non potest. Porrò cùm quis non solùm per sacramentum fidei, sed per fidem etiam sacramenti efficiatur procul dubio membrum Christi; & qui Christum habet per fidem, etsi baptismum non habeat, habet utique fundamentum, præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Jesus, superædificari posse videtur, sicut salutifera opera, sic & quælibet Ecclesiastica Sacramenta, cum illud non sit generaliter verum: neque de novis, neque de veteribus sacramentis, quod baptismus sit fundamentum illorum: quoniam & sacramentum conjugii, & (c) Eucharistiæ à non baptizatis recipi potest. Præterea sacramentum Ordinis, non solùm Pontificalis, sed Sacerdotalis etiam, & Levitici, ex institutione sua præcessit baptismum, per quod forsitan videtur, quod ante baptismum hujusmodi ordines possent rite conferri, maximè his qui baptizati creduntur. Quia verò in Concilio apud Compendium legitur constitutum: Si quis presbyterorum ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur. Nos circa latorem præsentium in hoc dubitabili casu quod tutius est sequentes, mandamus quatenus ipsum per singulos ordines usque ad sacerdotium promovere procures, & permittas eum in sacerdotio ministrare, quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum; nec malè de sacramento sentitur, cùm illud non religionis contemptus, sed articulus necessitatis excludit. Et certè de illo, qui natus de Christianis parentibus, & inter Christianos est fideliter conversatus, tam violenter (d) præsumitur, quod fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probetur.

NOTÆ.

1. (a) *Ferrarien.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap unic.* Hugoni videlicet, qui Ferrariensem Ecclesiam rexit ex anno 1196. usque ad annum 1212. ut refert Vghellius *tom. 2. Italiæ sacræ, fol. 576.* De Ferrariensi Ecclesia egi *in cap. cùm M. de constit.*

(b) *Tusculan.*] Nicolaum videlicet. De Tusculana Ecclesia egi *in cap...*

2. (c) *Eucharistiæ.*] Materialiter, non fructuosè, exponunt repetentes hìc: sed verius est, etiam hæc verba afferri in vim disputationis pro opinione eorum, qui tenebant, baptizatos baptismo flaminis posse recipere alia Sacramenta, Conjugii videlicet, Ordinis, & Eucharistiæ, ut exposuerunt Lugo *de Eucharist. disput. 13. sect. 1.* Henao *eodem tract. disp. 14. sect. 4.*

3. (d) *Præsumitur.*] Licèt quis baptizatus non credatur, Alciatus *lib. 4. de præsumpt. cap. 1.* Acunna *in cap...* Tamen cùm inter catholicos natus & educatus est, creditur baptizatus, ut docent ultra congestos à Barbosa hìc, Gregorius Lopez *in l. 3. tit 4. part. 1. gloss. 4.* Alexand. Ambrosin. *de immunit. Eccles. cap. 7. de assassinis num. 3.* ideoque in Tribunalibus S. Inquisitionis talis in hæresim lapsus punitur. Cantera *qq. crimin. cap. 1. num. 5.* Carena *de offic. Inquisit. 2. p. tit. 1. de hæresi*, Vela *de delictis, cap. 14. num. 4.* Ricciulus *de jure person.*

COMMENTARIUM.

4. QUo modo cœlum baptismo aperiri dicitur *in cap. 3. §. sicut, §. sed adhuc, cap. penult. de baptism.* sic ad alia sacramenta veluti januam baptismum esse, constat *ex cap. præter, §. penult. 32. dist. cap. si quis confugerit 52. cap. si quis per ignorantiam 59. 1. quæst. 1.* & qui per eam ingressus Ecclesiam non est, ad ordines ascendere non potest, nec etiam alia sacramenta recipere. Concilium Florentin. *in decret. union.* ibi: *Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est; per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ.* Facit ratio adducta à D. Thoma *3. p. quæst. 35. artic. 3. in corpore*, his verbis: *Nihil potest aliquis recipere, cujus receptivam potentiam non habet: per characterem autem baptismalem efficitur homo receptivus aliorum sacramentorum; unde qui characterem non habet, nullum aliud sacramentum recipere potest; & sic character ordinis baptismalem characterem præsupponit: cùm enim baptismus sit generatio spiritualis, qui non est genitus in Ecclesia, quomodo poterit cum aliis fidelibus ad spiritualia concurrere.* Unde certa, & indubitata est sententia, quæ in præsenti Innocentio III. tantùm probabilis visa est, tum ob auctoritatem Concilii Florentini, tum ob communem consensum Theologorum, qui Innocentium sequuti sunt, asserentes, non baptizatum incapacem esse ordinationis, & cæterorum sacramentorum. Probat Hallierius *de sacris elect. cap. 3. fol. 522.* Nec obstant fundamenta contrariæ sententiæ ab Innocentio in præsenti expensa. Non primum, pro cujus solutione dicendum est, non baptizatum per fidem Christi membrum fieri, quantum ad adhæsionem interiorem Christo, quæ sufficit ad meritum, & privatum cujuslibet Christiani statum; non autem quantùm ad adhæsionem cum Christo exteriorem, & in ordine ad totum corpus Ecclesiæ, cujus omnia membra exteriori sacro signo in unum corpus Ecclesiæ, seu tesserâ aliquâ confœderantur, & spirituali signaculo per illud sensibile signum animæ impressum, jus ad reliqua sacramenta, & communia Ecclesiæ bona fortiuntur. Licèt enim quoad remissionem peccati originalis, & ut homo salvari possit, æquales sint baptismus fluminis, flaminis, & sanguinis; tamen

tamen in aliis differunt, veluti quia in baptismis flaminis, & sanguinis non datur essentia sacramenti; nam in eis nulla adest verborum forma, ut in baptismo fluminis: nec in baptismo flaminis adest signum externum sensibile, ut in fluminis baptismo, quod est Sacramentum, *cap. unic. §. una verò, de sacra unct. cap. ad abolendam, de hæreticis.* Trident. *sess. 7. de sacrament. can. 1.* Deinde quia baptismus fluminis, seu sanguinis non imprimit characterem, ut facit baptismus aquæ. Trident. *sess. 7. can. 9.* probat Hurtado *de vero martyrio tract. 7. resol. 40.* Deinceps quòd nec martyrium, nec contritio sunt janua Sacramentorum, sicut baptismus aquæ. Trident. *sess. 14. cap. 2.* nec excludunt necessitatem recipiendi baptismum aquæ si haberi potest, *cap. catechumenum 37. de consecr. dist. 4.* Unde *cap. 10. actuum Apost.* refertur, Cornelium justificatum postea recepisse baptismum: unde licèt per baptismum fluminis quis justificetur, non tamen ideo potest alia sacramenta recipere: nec etiam Eucharistiæ, aut matrimonii exempla in præsenti adducta quicquam faciunt; nam matrimonium cùm habeat naturam contractus, non ut sacramentum, sed ut contractus juris gentium, etiam apud Infideles datur. Eucharistia etiam materialiter, & de facto ab eis recipi potest; sed non licitè, & fructuosè, quod probat D. Basilius *homil. 13.* seu in exhortatione ad baptismum, illustri exemplo Israëlitici populi, qui neque aquam de petra bibere, neque cœlestem panem manducare potuit donec mare rubrum, baptismi figuram, pertransisset, ibi: *Nec unquam ille ex spirituali petra bibisset, nisi ex figura baptizatus fuisset: nec tibi aliquis veram potionem, nisi verè baptizato præbebit: panem Angelorum ille post baptismum manducavit; tu autem quomodo viventem comedes panem, nisi sumpto priùs hoc Sacramento?* Denique talium est, Diaconalem, vel Sacerdotalem ordinem priùs institutum fuisse, quàm baptismum; nam licèt aliqui Theologi Scholastici senserint, hoc sacramentum, quatenus & materiâ, & formâ constat, non fuisse ante resurrectionem institutum, quam sententiam probabilem esse sentit D. Thomas *3. p. q. 73. artic. 5. ad 4.* Cano *lib. 8. de locis, cap. 5.* & probat Rupertus *lib. 8. in Joan. cap. 3.* verior tamen sententia est, sacramentum baptismi ante Christi mortem institutum fuisse, immò & Apostolos eo tempore illum ministrasse, ut docuerunt Theologi cum Magistro, & ibidem D. Thomas *q. 1. artic. 5.* alii relati à Vazquez *3. p. in 3. disput. 140. cap. 3.* & declarat D. Augustinus *tract. 5. in Joannem*, dum docet, homines post baptismum Joannis susceptum, iterum baptismo Christi baptizatos fuisse: & ita Judam baptismum Christi suscepisse. Etiam id probatur *ex cap. 3. D. Lucæ, cap. 1. D. Marci*, ubi refertur, D. Joannem differentiam constituisse inter suum baptismum, & baptismum Christi, dum ajebat: *Ego quidem baptizo vos in aqua.* Et ut de Christo loquitur, ait: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne.* Quæ verba, *& igne*, adjecit ad denotandam gratiam, & virtutem interiorem baptismi. Illud tamen ex sacra Scriptura, aut aliqua Ecclesiæ definitione non liquet, quo tempore Christus baptismum instituerit. Illa tamen communior sententia est, quæ docet, hoc sacramentum fuisse institutum eo die, quo Christus Dominus baptizatus fuit, ut docent Magister *in 4. dist. 3.* D. Thomas communiter receptus *3. p. q. 66. artic. 2.* & idem colligitur ex D. Ambrosio *lib. 2. in Lucam, cap. final.* Hieronymo *in dialogo contra Luciferianos, n. 12.* Damasceno *lib. 4. de fide, cap. 10.* & suadetur ex eo, nam statim baptizato Christo, Joannes etiam ab ipso Domino baptizatus fuit, ut docet D. Hieronymus *super Matth. cap. 3.* ubi ait, Christum à Joanne in aqua solum baptizatum fuisse; Joannem verò à Christo in Spiritu: at baptismus in spiritu à Christo institutus est pro sacramento: ergo fatendum videtur, ab eo tempore baptismi sacramentum fuisse institutum; & ita non rectè arguebant, qui asserebant, Sacerdotalem, vel Diaconalem ordinem priùs institutum fuisse à Christo Domino, quàm baptismum: & per consequens manet pro comperto, non baptizatum invalidè sacramentum Ordinis recipere, & ita esse baptizandum, & denuò ordinandum.

5. *Exponuntur can. 19. Concil. Nicæni, can. & 14. Matiscon. 1*

Sed in hac parte exponendi sunt duo canones difficiles, nec vulgò noti. Primus est canon. 19. Concilii Nicæni, in illis verbis: *De Paulianistis, qui deinde ad Ecclesiam confugerunt, statutum est, ut ii omnino rebaptizentur: si qui verò tempore præterito in clericorum numero erant, si quidem à culpa, & reprehensione alieni visi fuerint, rebaptizati ordinentur à catholicæ Ecclesiæ Episcopo: si verò examinatio eos non esse aptos deprehendat, deponi eos oportet.* Ex quibus ultimis verbis deducitur, non baptizatos, & ordinatos esse baptizandos; & si quoad Ordinis exercitium eos non esse aptos Episcopus deprehendat, eos deponendos esse: igitur quia validè fuerant ordinati, aliàs quomodo deponendi erant? Cui difficultati Theodor. Balsamon. *in notis ad ipsum canonem duplici modo satisfieri posse existimat.* Primò depositionis nomen ibi accipiendo abusivè pro expulsione; non quia deponantur ab aliquo gradu, quem non habebant; sed quia repellantur ab eo, ad quem ascendere iterum volebant. Secundò ait posse ea verba accipi de depositione post baptismum, & iteratam ordinationem ab Episcopo Catholico faciendam; quo casu propriè & strictè depositio dari potest. Secundus est canon 14. Concilii Matiscon. 1. in illis verbis: *Ut Judæi à cœna Domini usque ad primam diem post Pascha, secundum edictum bonæ recordationis Domini Childeberti Regis, per plateas, aut forum, quasi insultationis causâ, deambulandi licentia denegetur, & ut reverentiam cunctis Sacerdotibus Domini, vel Clericis impendant, nec ante Sacerdotes consessum, nisi ordinati, habere præsumant. Qui hoc facere fortasse præsumpserit, à judicibus locorum, prout persona fuerit, distringatur.* In quibus dum docetur, ne Judæi ante sacerdotes consessum habere præsumant, nisi ordinati, videtur supponi, Judæos posse ordinari, & per consequens non præcedente baptismo sacramentum Ordinis recipi posse. Pro cujus canonis expositione existimo, in eo verbum illud, *ordinati*, non accipi pro initiatis majoribus, aut minoribus ordinibus ecclesiasticis, sed potiùs pro Judæis ordinatè consessum habentibus: & si dicamus eos gradu aliquo ordinatos esse, supponendum erat fuisse baptizatos.

TITU-

TITVLVS XLIV.

De custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum.

CAPUT I.

Innocentius III. *In Concilio* (a) *generali.*

STatuimus, ut in cunctis Ecclesiis Chrisma & Eucharistia sub fideli (b) custodia, clavibus adhibitis conserventur, ne possit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia, vel (c) nefaria exercenda. Si verò is, ad quem spectat custodia, ea incautè reliquerit, tribus (d) mensibus ab officio suspendatur: & si per ejus incuriam aliquid nefandum inde contigerit, graviori subjaceat ultioni.

NOTÆ.

1. (a) *Generali.*] Lateranensi videlicet, *can. 20.* ubi reperitur textus hic, & *in cap. 2. de baptismo, in 4. collect.* de quo Concilio egi *in cap. 1. de summa Trinit.* & hujus canonis meminit Concilium Frising. celebratum anno 1440. *can. 18. Item præcipiendo mandamus, ut secundùm constitutionem Lateranensis Concilii Eucharistia, & oleum sanctum sub fideli custodia, & reverentia debita, clavibus adhibitis conserventur, ne possit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia, & nefaria exercenda.*

(b) *Fideli custodia.*] *Sub sigillo*, dicitur *in cap. sanè, de celebrat. Missar.* Consonat D. Franciscus *epist. 13.* ibi: *Ut corpus Christi in loco pretioso ponatur, & consignetur.* Cujus obligationis ritum illustrat Cironius *in notis ad textum in d. cap. sanè.*

2. (c) *Horribilia, vel nefaria.*] Fideles olim Chrismate utebantur pro medela in suis infirmitatibus: quem morem à Sanctis Patribus didicerunt; nam aliqui sancti viri, qui dono curationum divinâ gratiâ præditi erant, ne sibi sanitatum solatia tribuerentur, sed divinæ virtuti, ac beneficio, infirmos oleo per sacerdotem benedicto inungebant. Sic feciſſe S. Hilarionem meminit in ejus vita S. Hieronymus. Idem de Simeone Stylita refert Theodoretus, & de Aphatre Anachoreta. Etiam ejusmodi oleo Proculum Christianum curasse Severum Imperatorem, testis est Tertul. *ad Scapulam*, nec non Severus Sulpitius *lib. 1. de vita S. Martini, & dialog. 3. cap. 2.* insignia miracula refert ab ipso B. Martino facta olei benedicti perfusione super infirmos. Sic sanctam Genovefam ægrotos sanasse, energumenosque liberasse ab infestatione dæmonum, in ejus actis legimus: suaque ætate testatur Palladius fuisse complures Sanctos Abbates, qui morbos oleo benedicto depellebant. Quare fideles pro medicina cœperunt uti chrismate: quem usum improbarunt Patres Concilii Arelat. 6. *can. 18.* ibi: *Presbyteri sub sigillo custodiant chrisma, & nulli sub pretextu medicinæ, vel cujuslibet rei donare præsumant.* Mogunt. *can. 27.* ibi: *Presbyteri sub sigillo custodiant chrisma, & nulli sub pretextu medicinæ, aut maleficii donare inde præsumant.* Pontific. Rom. *sub tit. de offic. quintæ feriæ in Cœna Domini*, ibi: *Jubet Episcopus presbyteris attentè, ut juxta canonum traditionem chrisma, & olea ab ipso Episcopo in ea die consecrata fideliter custodiant, & nulli sub pretextu medicinæ, vel maleficii tradere præsumant, aliàs honore priventur.* Rationem reddit D. Cyprianus *in serm. de unctione chrismali*, ibi: *Non hæc medendis corporibus est unctio instituta, &c. sed virtus divina potentiùs operatur.* Oleum verò non ab Episcopo, sed à presbytero benedictum, posse in usum medicinalem laicis concedi, censuit Ecclesia, juxta Innocentium I. *epist. 1. Decret. cap. 18.* ibi: *Oleo sancto posse uti non solùm sacerdotes, sed etiam laicos in suis, vel suorum necessitatibus.* Cui sententiæ subscripserunt PP. Synodi Vvormat. *can. 72.* ibi: *Sanè quoniam de hoc, sicuti de cæteris, consulere voluit dilectio tua, adjecit filius meus Cœlestinus Diaconus in epistola sua, sic esse à tua dilectione positum illud, quod in B. Apostoli Jacobi epistola est conscriptum: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & suscitabit illum Dominus: & si in peccatis fuerit, dimittentur ei. Quod non est dubium, de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quod ab Episcopo confectum non solùm sacerdotibus, sed omnibus, ut Christianis licet in sua, aut suorum necessitate ad ungendum.* Illustrant Beda *in cap. 6. Marci*, Schaccus fusè *in tract. de re unguentaria.* Alii etiam ad alios longè deteriores usus, & maleficia sacro ipso chrismate abutebantur, veluti ad fucro ipso chrismate abutebantur, veluti ad fucro ipso chrismate abutebantur, veluti ad fuc

deprehendi posse à multis putabatur. Pœnit Roman. *tit. 6. cap. 6.* Burchardus *lib. 19. Decreti, cap. 287.* ibi: *Bibisti Chrisma ad subvertendum Dei judicium.* Concil. Tribur. *can. 4.* apud Carnot. *p. 11. Decreti, cap. 51.* Synodus Turon. *can. 20.* & *lib. 3. Capitul. Caroli, cap. 55.* ibi: *Si presbyter chrisma dederit, ab Episcopo degradetur. & postmodùm à judice manum perdat, si propter judicium subvertendum hoc fecerit.* Notarunt Novarinus *lib. 5. schediasm. cap. 29.* Lindembrog. *in gloss. legum antiq. verbo Chrisma.* Etiam temerario ausu ab impiis hominibus aliquando Eucharistiam subreptam fuisse tradit S. Chrysostomus *epist. ab Innocent I.* quam allegat Nicephorus Calixtus *lib. 13. hist. cap. 19.* & refertur *in cap. significasti, el 2. de homicid.* & ad maleficia, & amatoria, ut *in cap. 3. de pœnit. & remiss. in 2. collect.* ibi: *De muliere, quæ ut nobis significasti, cupiens viri sui ampliorem amorem sibi acquirere, suscepto corpore Christi, & in ore retento, cùm viro osculum porrexerat, & ipsum trajicere cùm voluit, non potuit; sed postea versum est in carnem, cùm tangeret juxta dentes molares, & caro succrevit, & adhuc est in ore. Fraternitati tuæ non possumus sanius dare consilium, nisi quod eam inducas, & compellas, ut tanta per condignam pœnitentiam, & bona opera satagat expiare delicta. Nempe credimus, quod si verè contrita fuerit, & pœnitentiam egerit condignam, & tu pro ipsa ad eum oraveris, corpus Domini trajicere poterit, divinâ gratiâ suffragante.* Horrenda sunt quæ in hac parte referunt M. Delrius *lib. 3. disquisit. mag. part. 1. quæst. 3. sect. 1.* Bouguetus *lib. de sortiariis, cap. 60.* Petrus Mamorius *in flagello malefic. cap. 2. in fine,* Barthol. Spina *apolog. 3. de Lamiis, cap. 1.* Theophil. Raynaud. *tom. 6. tr. de Eucharist. cap. 6. num. 23.* Unde ita diligenter PP. Concilii Lateran. in præsenti cavent, ut fideliter sub clavi custodiatur, ne possit temeraria manus extendi ad Eucharistiam, vel Chrisma. Ea autem verba, quæ sequuntur in præsenti rubrica, *& aliorum sacramentorum*, accipienda sunt impropriè, & in lata acceptione pro oleo Extremæ Unctionis, & rebus, quæ sacramentorum usibus deputatæ sunt, de quibus *in cap. 2.* Chrisma enim, oleum, & similia, sacramenta non sunt, cùm non persistant, nec dentur in permanendo; sed tantùm sacramentalia.

3. (c) *Tribus mensibus.*] In Pœnit. Romano, *tit. 5. cap. 11.* de illis, qui non bene custodiunt corpus & sanguinem Domini, ita cavetur: *Qui non bene custodierint sacrificium, & mus, vel aliquod aliud immundum animal comederit illud, 40. dies pœniteant. Qui autem perdiderit illud in Ecclesia, aut pars ejus ceciderit, & non inventa fuerit, 30. dies pœniteat. Perfundens aliquid super altare de calice, quando offert, sex dies pœniteat, aut si abundantiùs, septem dies pœniteat.* Refertur *in cap. qui non bene, de consecrat. dist. 2.* Faciunt textus *in cap. si quis per ebrietatem, cap. si quis per negligentiam, eadem dist. 2.*

COMMENTARIUM.

4. EX hoc canone Concilii Later. sequens communiter deducitur assertio: *Eucharistia, & chrisma debent fideliter sub clavi custodiri, & contrà facientes graviter sunt puniendi.* Probant textus *in cap. tribus, de consecr. dist. 2. cap officium, de offic. Archipresb.* Concil. Turon. *2. can. 3.* ibi: *Corpus Domini in altari, non imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur.* Et *can. 4.* ibi: *Ut omnis presbyter habeat pyxidem, aut vas tanto Sacramento dignum, ubi corpus Dominicum diligenter recondatur ad viaticum recedentibus à sæculo, quæ sacra oblatio tantùm intincta debet esse in sanguine Christi, ut veraciter presbyter possit dicere infirmo: Corpus, & sanguis Domini proficiat tibi, &c. semperque sit super altare observata, propter mures, & nefarios homines: & de septimo, in septimum diem semper mutetur, id est, illa à presbytero sumatur, & alia, quæ eodem die consecrata est, in locum ejus subrogetur, ne fortè diutiùs reservata, mucida (quod absit) fiat.* Vvormat. *can. 5.* ibi: *Ut presbyter semper Eucharistiam habeat paratam, ut quando quis infirmatus fuerit, aut parvulus infirmus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur.* Bituric. *cap. 2.* ibi: *Quia corpus Domini per Ecclesias parochianas dicebatur nimiâ vetustate neglectum, statuerunt Episcopi in eodem Concilio, ut corpus Domini non plus servetur, quàm à Dominica in alteram.* Turon. *1. can. 20. Presbyteris injungendum est, ne sacrum chrisma foras conclave dimittant, ut à quolibet attingi possit.* Metense *can 3. Communi decreto statutum est, & hoc interdictum à sancta Synodo nimium laudatum est, ut cuncti presbyteri libros, & sacerdotalia vestimenta suo Episcopo in proxima Synodo ostendant, & ut chrisma suum sub sigillo, & sera semper custodiant.* Oxoniense *can. 16. Provideant Archidiaconi, quod diligenter juxta formam Concilii generalis, Eucharistia, Chrisma, & Oleum sanctum salva sub clavibus recondatur.* Colonienſe *3. p. 7. cap. 16.* Augustense *can. 18.* ibi: *Hostia vitalis pro infirmorum viatico in loco mundo, ac honorato, accenso ad eum perpetuo lumine servetur.* Trident. *sess. 13.* ibi: *Consuetudo asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam sæculum etiam Nicani Concilii agnoverit.* Heraldus Episcopus Turon. in suis Capitul. *can. 56. Ut presbyteri Chrisma, Oleum, & Eucharistiam semper habeant, ut parati inveniantur.* Concil. Ravennat. 2. tempore Clementis V. *rubric. 7. Statuimus quod Eucharistia, Viaticum, sive Corpus Christi, Chrisma, Oleum sanctum, & Oleum infirmorum sic devotè, tutè, & secretè custodiantur, & reponantur in locis, aut sacristiis ad hoc deputatis, & aptis, quod ad ea non possit manus nefaria accedere, seu sacrilega, & maximè mulierum.* Salzeburg. temporibus Martini V. *cap. 28. Statuimus, ut in cunctis Ecclesiis Baptismus, Chrisma, Oleum, & Eucharistia sub fideli custodia, clavibus adhibitis, asserventur, ne possint ad illa manus temerariæ extendi.* Illustrant ultra congestos à Barbosa, & Gra[illegible] præsenti, Crespetius *in summa, verbo Eucharistiæ asservatio.* Cironius *in parat. ad hunc titulum,* & *in notis ad textum de celebrat. Missar.* Barbosa *de potest. Episcop. alleg. 22.* Baronius *anno 57.* Majolus *dier. canicul. fol. 265.* Lantdmeter, *lib. 2. de veteri mon. cap. 75.* Buleng. *adversus Casaub. diatrib. 3. cap. 38.* Henao *de Eucharist. disput. 16.* Bellarm. *tom. 1. contr. lib. 2. de Eccles. cap. 3.* Sausay *in Panopl. Sacerd. p. 1. lib. 9. cap. 4.* Fagundez *in lib. 1. in 3. Decal. præcept. cap. 1.* Novarinus *lib. 5. de Agno, cap. 130.* Anton. Augustin. *in epit. jur. Pontif. lib. 23. tit. 5.* & *lib. 24. tit. 6.* Grethserus *lib. 2. de cruce, cap 33.* Turrianus *pro epist. Pontif. lib. 4. cap. 19.* Rosweidus *in notis ad epist. 12. D. Paulini, pag. 147.* Corjolanus *in not. ad can. 3. Concilii Turon. 2.*

Joan.

Joan. Dartis *in tract. de Eucharist. cap. 18. per tot.* Vicecomes *lib. 1. de Missa ritibus, cap. 24.* Conradus Kling. *lib. 4. disp. cap. 20.*

4. *Traditur ratio dubitandi.*

Verùm pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo, & intendam probare, ritum servandi Eucharistiam in præsenti titulo commendatum, alienum esse à facto Domini nostri, & à disciplina Ecclesiastica. Quoad factum Domini nostri ita profert Origenes, seu Cyrillus *in cap. 7. Levit. homil. 5. Dominus panem, quem discipulis dabat, non distulit, nec differri jussit in crastinum.* Ergo si Dominus instituit tantùm Eucharistiam, ut sumeretur statim, non verò asservaretur, non rectè ab Ecclesiæ Patribus jubetur custodiri. Quoad disciplinam Ecclesiasticam antiquam constat, jam ab Ecclesiæ cunabulis Eucharistiam non asservari, sed peracto Missæ sacrificio consumi. Unde D. Clemens *in epist. 2.* jubet, ut tot ponantur in altari holocausta, quod populo sufficere posse videantur: si quid autem supersit post communionem, non servetur in crastinum. Immò Isichius *lib. 2. in Levit. cap. 8.* refert morem Ecclesiæ fuisse comburendi id, quod superfit ex sacramento Eucharistiæ. Circa quem auctorem illud notavit Claudius Espenceus *lib. 2. de adorat. Eucharist. cap. 10.* quod sive is fuerit Isichius, sive Esytius, Presbyter Hierosolymitanus, & monachus, Gregorii Nazianzeni discipulus; sive Esychius Augustino contemporaneus, & Salonitanus Episcopus; sive Isytius Gregorii Magni synchronos, Episcopus Hierosolym. & scriptor Latinus, ignorare non potuit vel ille, quid de hujusmodi reliquiarum, tum asservatione, tum etiam cultu suus Præceptor senserit, neque quid antecessores observaverint, etsi postea in Ecclesia Hierosolym. id usitatum non fuisse referat Hubertus Cardinalis *in lib. contra Græcorum calumnias*, quem refert P. Henao *tom. 3. disputat. 29. sect. 26.* In Ecclesia etiam Constantinop. cùm plusculum de particulis Eucharistiæ reliquum esset, sacerdotes, pueros, Innocentes, ex eis, qui ad scholas, & ludum litterarium ibant, accersebant, eisque jejunis reliquias, quæ superfuissent, dabant absumendas. Quem quidem ritum confirmat vetus miraculum, quod referunt Niceph. Calixtus *lib. 4. cap. 86.* Evagrius *lib. 4. Eccles. hist. cap. 36.* his verbis: *Cùm puer admodum essem, & maximè à prima ætate in sacris ædibus versari studio haberem, contigit tale quiddam sub Menna quoque Patriarcha. Cum pueris ad id delectis puer quoque viri religione Judæi, vitro conficiendo vitam tolerantis, aggregatus est. Puer is ibi diutiùs ultra solitam horam moratus, domum venit, & causam tardioris reditus, parentibus diligentiùs eam inquirentibus, quod scilicet cum aliis pueris in æde sacra divinas partes edisset, renunciavit: pater re novâ auditâ, furore percitus fornacem, ubi vitrum conformabat, succendit, & puerum arreptum in eam, præjactâ flammâ suffocatâ, candentem conjecit. Porrò mater ubi puerum diutiùs non comparentem quæsivisset, & non invenisset, urbem omnem circuivit, perquàm acerbè plorans, atque lugens: & die tertio ad officinam mariti consistens, ingenti planctu seipsam lanians, prolixiusque ingemiscens, filium vocavit, atque ille maternâ voce agnitâ, responsum è furno dedit: tunc mater hostio furni fracto, cum miraculo maximo in medius prunis puerum stantem vidit, ita prorsus incolumen, ut nec capillum quidem flamma læserat: & ubi causam incolumitatis quæsivit, mulierem quandam illustrem, purpureâ amictam stolâ frequentiùs ad eum venisse, aquam sibi infudisse, & flammam ei appropinquantem extinxisse, cibum etiam cum esurisset, præbuisse, dixit. Hæc postquam Justinianus cognovit, puerum cum matre divino regenerationis lavacro adhibuit, Deoque dicavit. Patrem, qui Christianorum sacra suscipere non sustinuit, veluti parricidam, in furum arborem, proinde atque in crucem egit.* Hoc etiam miraculum referunt Greg. Turon. *de gloria Martyrum lib. 1. cap. 10.* Sigebertus Gemblacensis *ad annum Domini 552.* Odo Cancel. Parisien. *serm. in Dominic. 25. post Trinit.* nisi referamus eam consumptionem ad reliquias Eucharistiæ jam servatas, de quibus in Concilio Matisc. *2. can. 6.* ita cavetur: *Quæcunque reliquiæ sacrificiorum post peractam Missam in sacrario supersederint, quartâ, vel sextâ feriâ innocentes ab illo, cujus interest, ad Ecclesiam adducantur, & indicto eis jejunio, easdem reliquias conspersas vino suscipiant.* Referunt Espenceus *lib 2 de Eucharist. cap. 10.* Raynaud. *de Agnoscreo, cap. 14. dubit. 1.* P. Henao *tom. 3. de sacrific. Missæ, disp. 29. sect. 26.* Tandem augetur hæc dubitandi ratio ex canone 3. Concilii Cæsaraug. ibi: *Eucharistiæ gratiam si quis probatur acceptam in Ecclesia non sumpsisse, anathema sit in perpetuum.* Concilium Tolet. 1. *can. 14.* ibi: *Si quis autem acceptam à sacerdote Eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus propellatur.* Ergo quiâ non licet Eucharistiam servare, sed statim dum consecratur, consumi debet.

5. *De ritu servandi Eucharistiam.*

Quâ dubitandi ratione minimè obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, Calvinum, Petrum Martyrem, & Illyricum, censuisse tunc solùm panem & vinum esse sacramentum, dum comeditur; & bibitur; sicut aqua baptismi tunc solùm continet sacramentum, dum corpus abluit. Unde negant, servandam esse Eucharistiam, quasi hoc sacramentum non sit res permanens: quos doctè refellit Bellarminus *lib. 4. de Eucharist. cap. 1.* præcipuè ex veteri usu servandi Eucharistiam, quem ut probemus, supponimus à primis Ecclesiæ sæculis moris fuisse Eucharistiam in sacrario servare, ut facilè deducitur ex D. Clemente *lib. 8. constitut. cap. 13.* in alia editione *cap. 20.* ubi jubet, peractâ communione, quod superest de corpore Domini, reponi à Diaconis cum debita reverentia in pastophorio. Quid autem sit pastophorium, explicat D. Hieronymus *in comment. super Isaiam, cap. 22.* ubi ait, pastophorium significare tabernaculum, seu thalamum, ubi templi Præpositus habitat: & idem Sanctus *in epist. ad Rusticum*, laudat sanctum Exuperium Tholosæ Episcopum, eo quod ob inopiam voluntariam cogeretur Christi corpus in canistro servare. Et in Concilio Turonæ celebrato anno Domini 570. ut vult Binius *in ejus notis*, seu 567. ut probat Sirmundus *cap. 3.* cavetur, ut corpus Domini in altari non imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur. Pro cujus canonis intellectu prænotandum est, Eucharistiam olim plerunque in altari recondi in columbis aureis, vel argenteis super altari appensis: cujus ritus vetustissimum monimentum extat in vita S. Basilii ab Amphilochio Iconi scripta, ubi refertur, Sanctum Missam celebrasse, & panem in ea consecratum in

tres

tres partes divisisse ; quarum unam cum timore communicavit, alteram columbæ aureæ super altare pendenti imposuit. De his columbis, & earum in Ecclesiis usu extat sequens testimonium in 5. Synodo, *act. 1.* Quæruntur clerici, & monachi Antiocheni contra Severum ejus urbis non jam pastorem, sed lupum : *Nec sanctis ille pepercit altaribus, nec sacris vasis, ea conflans, & suis similibus erogans. Præsumptum est & hoc ab eodem, ô Beatissimi ; nam columbas aureas, & argenteas in formam Spiritus sancti super divina lavacra, & altaria appensas, unà cum aliis sibi appropriavit.* Relegit hanc quærimoniam in 2. Synodo Nicæna, *act. 5.* Antonius Monachus, ut refert Claudius Espenceus *lib. 2. de ador. Eucharist. cap. 5.* & plura de his columbis adducunt Rosweidus *in not. ad epist. 12. D. Paulini.* Sausay *in Panopl. Sacerd. lib. 9. cap. 4.* Novarinus *in agno Eucharist. lib. 5. cap. 55.* Baronius *anno 57. num. 152.* Item in turriculis, seu turribus pretiosis Eucharistia reponebatur, de quibus Gregoribus Turon. *de gloria Martyrum, cap. 86. Tempus ad offerendum sacrificium advenit, acceptaque turre Diaconus, in qua ministerium Dominici corporis habebatur, &c.* S. Remigius in suo testamento apud Flodoardum *lib. 5. hist. Rhem.* ibi : *Illud quoque vas aureum decem librarum, quod mihi sæpememoratus Dominus Clodoveus Rex donare dignatus est, tibi hæredi meæ Ecclesiæ suprà memoratæ* (Rhemensi scilicet) *jubeo turriculam & imaginatum calicem fabricari.* Ubi licèt aliqui legant, thuribulum ; tamen legendum esse turriculum, post Brissonium probat Sausay *d cap. 4.* Facit idem Flodoardus *lib. 2. cap. 6.* dum de Laudone Archiep. scribit: *Turrim quoque auream, quam ad votum suum fabricari fecerat, super altare posuit S. Mariæ Rhemensis Ecclesiæ, & patenas tres.* Postea cœpit servari corpus Domini in pyxide, ut hodie custoditur, quæ debet esse benedicta, ut latè probat Henao *de Eucharistia d. disput. 16.* Patres ergo Concilii Turon. *in d. can. 3.* docent, ut sacrosancta Eucharistia non in eodem cum reliquis imaginibus loco, in altari ponatur ; sed in peculiari, nempe sub cruce Domini : ut enim ipsa Domini crux in præcipuo altaris loco statuebatur tanquam omnium imaginum præcipua, ita par erat, ut ipsa etiam sacratissima Eucharistia præcipuum locum obtineret, sub ipsa videlicet cruce : docuerunt Corjolanus *in notis ipsius canonis.* Grethserus *de cruce lib. 2. cap. 33.* Landtmeter. *lib. 2. de veter. cleric. cap. 75.* Sausay *ubi proximè*, Vinius, & Sirmundus *ubi suprà.* Et non probabiliter conjectatur Binius in notis ad ipsum canonem 3. Felicem Episcopum Bituric. qui in illo Concilio subscripsit, ad sacratissimam Eucharistiam servandam curasse fieri instar turris vas aureum. Perelegans illud, quod Venant. Fortunat, celebravit, & descripsit subsequenti epigrammate ad Felicem Bituricens. in turrim ejus :

Quàm bene juncta decent sacrati ut corporis Agni,
Ingens margaritum ac aurea dona ferant:
Cedant chrysolitis Salomonia vasa metallis,
Ista placere magis ars facit, atq; fides:
Quæ data, Christe tibi Felicis munere, si essent,
Qualia tunc tribut de grege Pastor oves.
Et cujus tu corda vides, pietate coæquas,
Par vide merito qui dedit æra duo.

Commendatur etiam à Sancto Hieron. *epist. 4.* S. Exuper. Tolosan. Archiep. qui tempore exundantium barbarorum, ne istiusmodi vasa sacra illorum rapinæ cederent, ipsa in usum pauperum conflarat, canistro vimineo, & vitreo calice corpus Domini portans. Etiam non nisi de asservata in Ecclesia Eucharistia accipi potest illud execrandum scelus Donatistarum, quod ab Optato Milevit. breviter describitur his verbis : *Jusserunt Eucharistiam canibus fundi, non sine signo divini judicii ; nam iidem canes accensi rabie ipsos dominos suos quasi latrones sancti corporis reos, dente vindice, tanquam innotos, & inimicos laniaverunt.* Illustrat Novarinus *in Agno Eucharist. lib. 5. cap. 55.* Nec solùm sub specie panis, verùm etiam sub speciebus vini aliquando servatam fuisse in Ecclesia Eucharistiam patet ex epistola D. Chrysostomi ad Innoc. I. Papam, ubi ait : *Ingressis militibus in sacrarium, ubi sacra erant reposita, sanctissimum Christi sanguinem in militum vestes effusum fuisse.* Quia tunc forsan adhuc laici communicabant sub utraque specie : quem morem ita communicandi referunt, atque morem hodiernum defendunt Joan. Ragusinus in perdocta oratione habita in Concilio Basileensi, Suarez *adversùs Regem Angliæ, lib. 2, cap. 5.* Bosquetus *ad Innocent. III. lib. 1. epist. 149.* Espenceus *de adorat. Euchar. lib. 2. cap. 13.* Pamelius *in notis ad D. Cyprianum epist. 63.* Baronius *anno 570.* Missana *ad D. Hieronymum verbo Eucharistia*, Manrique *tom. 1. annal. Cisterc. anno 119. cap. 3.* Wadingus *ad epist. 15. D. Franc. num. 7.* Sed tum ob periculum effusionis, tum ob facilitatem corruptionis, Eucharistia tantùm sub specie panis servari cœpit : & ægrotis Eucharistia sub specie tantùm panis ministrabatur, ut constat ex vita S. Ambrosii à Paulino scripta, ex vita S. Basilii scripta ab Amphilochio, ex Dionysio Episcopo Alexand. apud Eusebium *lib. 6. hist. cap. 36.* Aliqui Sacerdotes panem sanguine Domini intinctum custodiebant, juxta canonem 9. Concilii Rhemensis, suprà relatum ; alii panem intinctum in sanguinem Domini servabant ; quam intentionem, ut abusivam, & Apostolicis constitutionibus contrariam damnavit Jul. I. *in epist. ad Episcop. per Ægyptum missa*, & Concil. Brachar. *3. can. 1.* apud Gratianum *in cap. cùm omne, de consecr. dist. 2.*

Similem etiam abusum improbatum lego *in can. 28. Conc. Clarom.* sub Urbano II. his verbis : *Ne quis de altari communicet, nisi corpus separatim, & sanguinem similiter non sumat, nisi per necessitatem, & per cautelam.* In cujus notis Binius ex Baronio notat, in eo canone damnari hæresim Berengarianam in eo capite, quo docebat, satis esse per unam speciem Eucharistiæ impleri figuram. Verùm hæc interpretatio meritò refellitur ab erudito Petr. Marcha *in not. ad dict. can. 28.* quia inter Berengarii hæreses similis non reperitur : quare vera ipsius canonis explicatio petenda est ex abusu illius sæculi, in quo quidam clerici fidelibus laicis Eucharistiam sanguine Domini intinctam porrigere non dubitabant, ut testis est auctor Micrologi, qui ante Greg. VI. tempora scripsit, *c. 26.* ibi : *Non est authenticum, quod quidam corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis populo distribuunt, nam Ordo Romanus contradicit.* Quæ forma non tantùm contraria erat ordini Romano, verùm & Christi institutioni, qui corpus seorsim à sanguine commendaverat, ut notatur in Conc. Bracharen. 3. anno 678. quod similem corruptelam damnavit *in can. 1.* unde sumptum est quod Julii epistolæ ad Ægyptios in

6.

collectione Isidori adscribitur, ibi: *Illud verò, quod pro complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis nec hoc prolatum ex Evangelio testimonium recipit, ubi Apostolis corpus suum & sanguinem commendavit; seorsim enim panis, & seorsim calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem aliis non præbuisse legimus, excepto illo tantùm discipulo, quem intinctâ buccellâ Magistri proditorem ostenderet, non quæ sacramenti hujus institutionem signaret.* Gliscebat in Occidente adeo hic abusus, ut Ivo Carnot. *in tract. de divinis offic.* cum tolerandum putaret in populi communione: *Non autem* (inquit) *corpore, & seorsum sanguine communicet, excepto populo, quem intincto pane, non auctoritate, sed summa necessitate timoris sanguinis Christi effusionis permittitur communicare.* Ut similem communicandi formam proscriberent PP. Concilii Clarom. statuerunt in dicto canone 28. ne quis communicet de altari, nisi corpus separatim, & sanguinem similiter sumat, id est *seorsim*, ut loquitur Concil. Brachar. sive *singulatim*, quemadmodum Ordericus sensum illius canonis expressit. Duplex autem casus excipitur in dicto canone; necessitatis videlicet, & cautelæ. Primus contingebat, si communio esset præbenda ægris, aut pueris; tunc enim ad juvandum esum panis, intinctio permittebatur, ut anno 1118. scripsit Paschalis II. Urbani II. successor ad Pontium Abbatem Cluniac. *epist. 32.* ibi: *Novimus enim per se panem, per se vinum ab ipso Domino traditum: quem morem sic semper in sancta Ecclesia conservandum docemus, atq; præcipimus, præterquam in parvulis, ac omnino infirmis, qui panem absorbere non possunt.* Secundus casus cautelæ eveniebat, cùm presbyteri, ne illis sanguinis effusio contingeret communicantium cœtu, solo pane intincto populum communicabant, non præbito poculo. Id egregiè docet Rodulphus Abbas sancti Trudonis, qui ea ætate vixit, his versibus, quos laudat Gropperus *de communione alterius specie, cap. 44.*

Hic & ibi cautela fiat, ne presbyter ægris,
Aut sanis tribuat laicis de sanguine Christi,
Nam fundi posset leviter, simplexq; putaret,
Quod non sub specie sit totus Jesus utraq;.

7. *De causis servandi Eucharistiam.*

Custodiebatur, asservaturque Eucharistia in Ecclesia variis ex causis, & pro diversis fidelium necessitatibus. Primò pro infirmorum communione, ne sine hoc sacro viatico decederent, *cap. presbyter. 2. dist. 93.* Conc. Turon. & Rhem. apud Burchard. *lib. 5. Decreti. c. 9. de decimis.* Joan. Dartis *de Euchar. c. 18.* Espenceus *de adorat. Euchar. lib. 2. cap 2.* Nec contrarium deducitur *ex cap. 1. de celebr. Missar.* ubi jubetur, ut presbyter jejunus exeat ad opus rurale, ut possit subvenire necessitatibus infirmorum. Quem textum, ut ibi retuli, exponunt Doctores, videlicet ut possit iterum celebrare, & ità Eucharistiam infirmis administret. Ergo quia non servabatur olim Eucharistia in Ecclesia infirmorum gratiâ. Pro cujus textus expositione jam ibi notavi, olim desiderari jejunium non solùm in celebrante Missæ sacrificium, & recipiente corpus Domini, verùm & in administrante: & ideo licèt Eucharistia servaretur pro infirmis administrandis; tamen ut ritè illis administrari posset, jubetur à Patribus Concil. Agat. ut presbyter, id est parochus, jejunus sit, ut possit necessitatibus infirmorum subvenire. Secundò asservabatur Eucharistia, ut ad Monachos, & moniales deferretur, teste Basilio *in epist. ad Cæsariam Patriciam: Omnes*, ait, *in eremo solitariam vitam agentes, ubi non est Sacerdos, communionem domi asservantes, à seipsis communicant.* Et *in novel. 123. Justin.* quæ super diversis Ecclesiæ capitulis inscribitur, inter cætera de monialibus sic habet: *Mulieribus quemcunque elegerint ipsæ, sive presbyterorum, sive Diaconorum, ut sanctam eis communionem deportet, religiosissimus Episcopus, sub quo sunt, quasi ductis sortibus attribuito, quem fidei rectæ, & honestæ esse vitæ cognoverint.* Illustrat Espenceus *lib. 1. de adorat. Eucharist cap. 5. per tot.* Fuit etiam olim Eucharistia asservata non solùm in usum modò viventium fidelium, verùm & mortuis quoque data, & cum eis consepulta. Amalar. Fortunatus *lib. 4. de Eccles. offic. cap. 42.* Amphiloc. *in vita S. Basilii, cap. 6.* ubi refert illum jam mori proximum Eucharistiæ consecratæ parte reverenter sumptâ, partem alteram secum sepeliendam reservasse; etsi de hoc facto dubitet Theophilus *tom. 15. in Heterocl p. 2. sect. 1. punct. 10.* D. Gregor. *lib. 1. dialog. cap 24.* ibi: *Puer quidam S. Benedicti sine ejus benedictione ad parentum, eorum quàm debebat amantior, habitaculum monasterio relicto perveniens, eadem die defunctus est: hus sepulto, toties foras corpore projecto, currentibus cum fletu monachis, vir Dei* (scilicet Benedictus) *manu sua communionem corporis Domini dedit, dicens: Ite, & hoc Domini corpus super pectus ejus cum magna reverentia ponite, & sic sepulturæ eum tradite. Quo facto susceptum ejus corpus terra tenuit, nec ultra projecit.* Et morem hunc præbendi mortuis Eucharistiam, non fuisse errorem ab hæreticis inductum, sed reverà permissum ab Ecclesia, docuerunt Mendoza *lib. 2. Concil. Illiber. in can. 58.* Claudius Espenceus *de adorat. Eucharist. cap. 7.* Menardus *in notis ad lib. sacram. D. Greg. fol. 247.* Rosweidus *in vita S. Basilii, fol. 167.* Albaspineus *lib. 1. obs. cap. 10.* Hæpthenus *in vita S. Benedicti, cap. 24. in fine*, Vivar. *de veteri monac. tom. 2. fol. 96.* Henriquez *lib. 1. summa, cap. 21. litt. D.* Licèt contrarium teneat, immò ex superstitiosa aliqua observatione ritum hunc cœpisse, Basil. Legion. *q. 2. schol. cap. 4.* qui capite sequenti duas assignat causas, ob quas Ecclesia olim sinebat mortuis Eucharistiam tradere. Primam ad extirpandam Gentilium superstitionem, juxta quam illi credebant, animas defunctorum tranare flumen illud Cocyti apud Tartaream regionem, vehique Acherontis rate, cui ut defunctus portorium solveret, ejus ori obolum imponebant. Juvenal. *satyr. 3.*

At ille
Jam sedet in ripa, tetrumq; novitius horret
Porthmea, nec speratæ cœnosi gurgitis alnum
Infelix, nec habet quem porrigat ore trientem.

Alex. ab Alex. *lib. 3. dier genial. cap. 7.* ubi ex Aristophane, Plutarcho, Luciano, Diodoro, & Plauto probat Tiraquellus. Expressiùs Apul. *lib. 6. Metamorph.* dum viam descendendi ad inferos ostendit, ibi: *Sed non hactenus debebis vacua per illas tenebras incedere, sed offas polentâ mulsâ concretas amplius habens gestare manibus, ac in ipso ore duas ferre stipas.* Et ut significaretur Eucharistiam, quæ vereèt pignus gloriæ, esse Christianis navem transvectionis in gloriam. Unde ut hanc Gentilium superstitionem Patres Ecclesiæ extirparent, sine-bant in os defuncti Eucharistiam apponere, ut docerent, eo viatico fideles in patriam cœlestem transvehi securiùs, quàm Gentiles. Aliam causam hujus perantiqui ritus assignat Basilius, ut ità

quieti

quieti cadaverum fidelium consuleretur, & dæmones ab ipsis sepulchris fugarentur. Nam cùm primis Ecclesiæ sæculis, dum extra Ecclesiam corpora defunctorum sepeliebantur, facilè à spiritibus immundis vexarentur, in usu esse cœpit, ut Eucharistia ori defuncti, aut supra pectus apponeretur, ut ita in pace quiesceret, nec à dæmone vexaretur, ut contigit in casu supra relato ex D. Gregorio, & aliis relatis à Franc. Georgio *lib. 2. problem sect. 2. problem. 79. & 80.* Postea tamen cùm sepultura fidelibus defunctis intra Ecclesiam permitteretur, & ritus superstitiosi Gentilium penitus inolevissent, prohibuerunt Ecclesiæ PP. amplius Eucharistiam mortuis dare in Concilio Altissiod. *can. 12.* ibi: *Non liceat mortuis, nec Eucharistiam, nec osculum tradi, nec velo, aut palliis corpora eorum obvolvi.* Concil. Carthag. *3. can. 6. Item placuit, ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur, dictum est enim à Domino: Accipite, & manducate; mortui autem accipere non possunt, nec manducare.* Sexta Synodus in Trul. *can. 63.* ibi: *Nemo cadaveribus mortuorum Eucharistiam impertiatur.* Concil. Hipponense *can. 5.* quod refert Crespetius *in summa, verbo Eucharistia non danda mortuis.* Nec audiendus est Albaspineus *lib. 1. observ. cap. 9.* qui causam datæ mortuis Eucharistiæ eam proponit, quia videlicet ipsi cùm fideles essent, excessissent ex hac vita sine communione Ecclesiastica, & ita illis defunctis porrigi Eucharistiam: quem refellit Theoph. *tom. 15. in Het. 2. p. sect. 1. punct. 16.* Deinde asservabatur Eucharistia ut daretur peregrè proficiscentibus; & ita Satyrus D. Ambrosii frater in magna tempestate Eucharistiam è collo suspendit ipsi datam ab initiatis, qui erant in navi, à quibus eam popposcit, ut patet ex eodem D. Ambrosio *de obitu ipsius Satyri, cap. 7.* & Beda *in Martyrol. die 15. Augusti*, refert Tharsicium Martyrem cum deferret secum Eucharistiam, & incidisset in Gentiles, maluisse sibi vitam eripi, quàm Eucharistiam, quæ è manibus Gentilium evolavit. Illustrat Espenceus *lib. 2. de adorat. cap. 7.* Deinde asservabatur Eucharistia pro illis diebus, in quibus non sacrificabatur, veluti Quadragesimæ tempore, excepto Sabbatho, & Dominica, & sacro Annunciationis die, in quibus fiebat sacrificium præsanctificatum: quare Eucharistia illa vocabatur præsanctificatorum, ut patet *ex can. 52. 6. Synod.* ubi notavit Balsam. Et de his sacrificiis præsanctificatis agunt Menardus *in notis ad Sacram. D. Gregorii, fol. 75.* Turrianus *pro canonibus 6. Synodi, fol. 69.* Filesac. *de Quadrag. cap. 13.* Vicecomes *volum. 2. de ritibus Missæ, lib. 2. cap. 9.* Rursus asservabatur Eucharistia, ut Presbyteri, & Diaconi per 40. dies à die suæ ordinationis ex ea communicarent, ut referunt Fulbertus Carnot. *epist. ad Finardum*, ibi: *Hostiam Sacerdos recens ab Episcopo promotus de manu ordinatoris susceptam quotidiano usu ad quadragesimum usq; diem minutatim consumebat.* Albinus Flaccus *de divin. offic. tit. qualiter Episcopus ordinetur in Curia*, ibi: *Ad communicandum verò Pontifex porrigit ei formatum, atque sacram oblationem, quam accipiens communicat super altare; catera verò reservat sibi usque ad dies quadraginta. Postmodum ex præcepto Apostoli communicat omnem populum.* Illustrat, & mysticas rationes hujus ritus refert Hallier. *de sacris electi. cap. 9. artic. 2. §. 3.* Tandem olim, & hoc ætate asservatur Eucharistia, ut ostendatur in processione, quæ etiam ante Urbanum IV. in plerisque Ecclesiis in usu erat, ut constat ex Concilio Brach. *3. can. 5.* & aliis relatis ab Anton. August. *lib. 4. epit. tit. 6.* Menardus *ad Sacram. D. Gregorii, fol. 184.* Espenceo *de adorat. Eucharist. lib. 2. cap. 4.* licèt festum peculiarem corporis Christi ipse Urbanus instituisset prope annum 1261. *in Clem. unic. de reliquiis, & venerat.* ut referunt plura de ea festivitate adducentes Sherlogus *tom. 3. in Cant. vestig. 305. cap. 7. sect. unic. num. 59.* Spondanus *in continuat. Baronii anno 1264. & 1311.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 1. de diebus festivis.* Herrera *de orig. divin. offic. lib. 2. cap. 8.*

8. *Traditur ratio decidendi.*

Quibus ita animadversis ratio præsentis assertionis facilè percipitur; nam cùm constet, tot ob causas olim, & hodie Eucharistiam debere in Ecclesiis parochialibus asservari, similiterque chrisma esse custodiendum, ut sacramentum Confirmationis ministrari possit, & nonnunquam homines ausu temerario tam Eucharistiam, quàm chrisma surripuerint ad nefaria, & horribilia opera, ut suprà in notis probavi; ideo tam diligenter PP. Concilii Lateran. in præsenti cavent, & statuunt, ut Sacerdos sub clavi, & fideli custodia chrisma, & Eucharistiam habeat, ne aliquis ad nefaria illis abuti possit; & si negligenter ea custodierit, pro modo culpæ puniatur suspensione, aut depositione. Fuit etiam injunctum ipsis presbyteris, ut frequenter hoc sacramentum renovare curarent octavo saltem die, *in c. presbyter, de consecr. dist. 2.* & ab Odone Cancellario Parisiensi *can. 21.* ubi rationem reddit, *ne vetustate aliqui ad indevotionem moveri valeant, aut errorem.* Ab Huberto Cantuar. Archiep. in suis Decretis, apud Rogerium & Hoveden. *in Joanne Rege*, ibi: *Renovetur hostia ipsa singulis diebus Dominicis.* Quare tempore interdicti, & in Ecclesia specialiter interdicta celebrari potest sacrificium Missæ ex hac causa, ut renovetur Eucharistia, *cap. permittimus, de sent. excom. lib. 6.*

9. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta ex facto Domini relato ab Origine, seu Cyrillo; nam verum est, Dominum nostrum non jussisse Eucharistiam à se consecratam differri in crastinum; sed non inde rectè infertur, non debuisse postea Eucharistiam asservari; multa enim Dominus per se non jussit, quæ postea per Apostolos disposuit, etiam circa sacramentum Eucharistiæ, ut sanctus Augustinus testatur *epist. 118.* nec Origenes hoc agebat, ut probaret, non posse Eucharistiam conservari; sed cùm docere vellet, placere Deo sacrificium laudis recens, & novum ac spirituale, non vetus, usus est exemplo Domini, qui Eucharistiam à se consecratam continuò manducari jussit, ut exponit Bellarminus *lib. 4. de Eucharist. cap. 5.* Accedit, nam in his homiliis Origenis, & Cyrilli, Rufinus qui eas vertit, plura adjecit, & sustulit, ut ipse testatur, & tradit Espenceus *lib. 2. de adorat. Eucharist. cap. 9.* Immò ipse Cyrillus Alexandrinus redarguit hunc primum emergentem errorem illorum, qui putabant Eucharistiam in sequentem diem non esse servandam; nam ad Colosyrium Episcopum Arsontem scribens, sic ait: Porrò alios etiam esse audio, qui mysticam benedictionem nihil ad satisfactionem proficere dicant, si quid ex ea fiat reliquum in alium diem: insaniunt verò, qui hæc asserunt; nec enim alteratur Christus, nec sanctum ejus corpus immutatur, sed benedictionis vis, & facultas, & vivificans gratia perpetuò

petuò in ipso existit. Nec obstat auctoritas D. Clementis; nam verum est, olim nonnunquam Eucharistiæ reliquias servari, nonnunquam custodiri prohiberi; cùm enim propter sævas Gentilium persecutiones fideles clam in cæmeteriis, & locis occultis convenirent ad Missæ sacrificium celebrandum, & in eo communicandum, non poterat publicè exponi, & asservari sacra Eucharistia, ne Christianæ Religionis inimici etiam eam apprehenderent, & conculcarent: quare illis persecutionum temporibus, pace adhuc Ecclesiæ non datâ, congruentius PP. existimarunt, ut reliquiæ Eucharistiæ, quæ supererant, potiùs infantibus jejunis traderentur, aut ignis purissimo elemento absumerentur, ne illis irrisio, aut irreverentia per Gentiles fieret, præcipuè cùm nulla injuria sacramento ex simili consumptione irrogaretur, cùm ignis operatio ad specierum modò externarum absumptionem, non verò ad rerum internarum, hoc est corporis, & sanguinis Domini læsionem tenderet: nam & Pius Pontifex relatus *in cap. super negligentiam de consecr. dist. 2.* ea super quæ aliquid Domini vel de sanguine stillasset, vel de corpore cecidisset, igne jussit exuri, & cineres intus altare recondi; cujus etiam nunc decreto, si quo casu ex sacramento reliquum sit, quod sumi non possit, utimur. D. Thom. *3. p. q. 83. artic. 6. ad 7.* Nec obstat textus *in d. can. 3. Concilii Cæsarang.* pro cujus solutione sciendum est, primis Ecclesiæ sæculis, quia frequentioribus persequutionibus prohibebantur fideles in Ecclesiis, aut cæmeteriis ad communicandum convenire, permissum illis fuisse Eucharistiam secum in domum deferre, cùm quotidie de vita periclitarentur, ut quotidie sumerent corpus Domini, & ut ait D. Cyprianus *epist. 56.* considerantes se quotidie sanguinem Christi sumere, & ipsi pro Christo sanguinem effunderent: & ita concessum fuit, ut cùm in Ecclesia, aut aliis locis abditis sacrificium Missæ offerretur, fideles, qui ad eam conveniebant, non tantùm ibi communicarent, verùm & particulas ex Eucharistia consecrata à Sacerdote acceptas domum ferendas sumerent; quas reverenter asservatas singulis diebus summo mane jejuni communicarent: quò respexit Tertul. *ad uxorem cap. 5.* dum ait: *Non sciet maritus, quid ante omne cibum gustes; & si sciverit, panem non illum credit esse, qui dicitur.* Cujus moris meminerunt Clemens Alex. *lib. 1. strom.* Basilius *in epist. ad Cæsar. Patric.* quæ habetur *tom. 6. Biblioth. SS. PP.* ibi: *Alexandriæ autem, & in Ægypto unusquisque ex laicis, qui illic degunt, maximâ ex parte communionem habet domi suæ.* D. Gregorius *lib. 3. dialog. cap. 36.* D. Hieronymus *epist. 50.* Justian. *novel. 123. §. in omnibus*, & alii congesti ab Espenceo *de adorat. Eucharist. lib. 2. cap. 4.* Basilius Legion. *q. 2. scholast. cap. 3.* Landtmeter. *d. cap. 75.* qui mos evanuit propter fraudes impiorum, & hæreticorum, qui ne detegerentur in Ecclesiis non communicasse, sacrum Domini corpus secum auferentes, polluebant, & prophanabant: contra quos cautum fuit in Concilio Tolet. 1. *can. 14.* & Cæsaraugust. 2. *can. 3.* ut qui Eucharistiam acceptam in Ecclesia non consumpsisset, anathema in perpetuum esset: quem doctè exponunt P. Henao *tom. 3. de sacrif. Missæ, disput. 29. sect. 27.* Cabassutius *in notis Concilior.* ibi: & mirus casus hostiæ à quadam muliere in archa inclusæ referetur *in cap. plenè 30. de decimis, in 1. collect.* his verbis: *Plenè nobis innotuit ex tuarum continentia litterarum quod cùm hostia quædam sacrata in arca cujusdam mulieris parochianæ tuæ concluſa fuisset, virtute Domini faciente, pars ferè media in corpus Christi manifestè conversa est, ita ut caro videretur, &c.*

Sed antequam manum à tabula suspendamus, exponendus est difficilis textus *in can. 9. Concilii Nannet.* in illis verbis: *Ut de oblationibus, quæ offeruntur à populo, & consecrationis superfunt, de panibus, quos offerunt fideles ad Ecclesiam, certè de suis, presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido, & convenienti, ut post Missarum solennia, qui communicare non fuerunt rati, eulogias omni die Dominico, & in diebus festis exinde accipiant: & illa, unde eulogias presbyter daturus est, antè in hac verba benedicat, &c.* Quem canonem citant Burchardus *lib. 5. Decreti, cap. 27.* Ivo Carnot. *p. 2. Decreti, cap. 37.* ex Decretis Pii Pontificis *cap. 4.* In eo illud facile non est, an agatur de Eucharistia, vel de pane benedicto à presbytero; siquidem de Eucharistia, ad quid jubetur, ut quod supersit, per parochias dividatur, & mittatur? siquidem ex suprà traditis servari potiùs debebat in Ecclesia. Pro cujus canonis expositione sciendum est, apud antiquos genus quoddam fuisse communionis per eulogias, ideo institutum, ut absentibus mitteretur pars aliqua, & societas esset cum Episcopo, & cæte is fidelibus, qui in civitate morarentur; nam cùm per vicos & pagos sparsi, & diffusi ex eadem non possent sumere communionem, cuperentque semper unionis Christianæ speciem quam possent maximam, retinere, diebus festivis ex matrice per parochias benedictus panis mittebatur, ex cujus perceptione communionem adesse inter omnes fideles ejusdem diœcesis intelligeretur: quod introductum fuisse à Melchiade refert Baronius *anno Christi 313. num. 52.* De his eulogiis *in can. 14. Concilii Laodic.* ita cavetur: *Sanctas oblationes ad vicem eulogiarum per festivitatem p. schalem ad alias parochias minimè transmitti oportere.* Quod ideo cautum fuit, quia ea die omnis populus non ex eulogiis, sed Eucharistia communicare debebat. Et *in can. 32.* ita legitur: *Quod non oporteat hæreticorum eulogias accipere.* Quia videlicet cum eis non dabatur communio, unde Episcopus excommunicatus eulogias dare non poterat, ut videre est apud Gregorium Turon. *lib. 8. histor. cap. 10.* panis hic fermentatus erat, ut probavi *in cap. final. de celebrat. Missar.* & à presbytero post Missam benedicebatur. Concil. Matiscon. *can. 50.* ibi: *Cautum est, finitâ Missâ à presbytero oblationes accipere.* Gregorius Turon. *lib. 5. histor. Franc. cap. 14.* ibi: *Post Missas autem petiit, ut ei eulogias dare deberemus.* Plura de hoc pane benedicto congessit P. Henao *tom. 3. de sacrif. Missæ, disput. 28. sect. 54.* De his Eulogiis, non verò de Eucharistia consecrata accipiendus est dictus canon. 9. Concilii Nannet. & de his eulogiis plura adduxerunt Albaspineus *lib. 1. observ. cap. 8.* Hæpthenus *in vita S. Benedicti, cap. 8. in princip.* & *tom. 1. disquisit. monast. lib. 4. tract. 7. disquisit. 4.* Bignonius *ad Marculfum lib 2. cap. 42.* Lindembrog. *in glossar. legum antiq. verbo Eulogiæ.* Buleng. ad Casaub. *diatrib. 3. cap. 33. fol. 172.* Filesacus *de orig. parœc. cap. ult. fol. 644.* Balsamon, & Justellus *in d. can. 32. Concilii Laodic.* Otalora *de irregul. ex pœnit. excursu 5.*

Ad exponendum.

CAPUT

CAPUT II.

Idem *in* (a) *eodem.*

RElinqui noluimus incorrectum, quod quidam clerici Ecclesias sic disponunt suppellectilibus propriis, & etiam alienis, ut potiùs domus laïcæ, quàm Dei basilicæ videantur; non considerantes, quod Dominus non sinebat ut vas transferretur per (b) templum. Sunt & alii, qui non solùm Ecclesias dimittunt incultas, verùm etiam vasa (c) ministerii, & (d) vestimenta ministrorum, ac pallas altaris, necnon ipsa corporalia tam immunda relinquunt, quod interdum aliquibus sunt horrori. Quia verò zelus nos comedit domus Dei, firmiter prohibemus, ne hujusmodi suppellectilia in Ecclesiis admittantur, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes, ad eas oporteat habere refugium: sic tamen, ut necessitate cessante res in loca pristina reportentur. Præcipimus quoque, ut (e) oratoria, vasa, corporalia, vestimenta prædicta, (f) munda & nitida serventur; nimis enim videtur absurdum, in sacris sordes negligere, quæ dedecent in prophanis.

NOTÆ.

1. (a) *Eodem.*] Concilio videlicet Lateran. *cap. 19.* & reperitur hic textus in quarta collectione, *sub tit. de immunit. Eccles. cap. 1.* nec malè, cùm præsens constitutio spectet ad immunitatem, seu reverentiam Ecclesiis debitam. Sed quia in secunda parte agitur de custodia vasorum, & vestimentorum Ecclesiæ, ideo à Raymundo compilatus fuit *sub hoc titulo.*

(b) *Templum.*] *Marci cap. 11.*

(c) *Vasa ministerii.*] Calicem videlicet, & patenam, de quibus egi *in cap. 1. de pignor. cap. final. de celeb. Missar.*

(d) *Vestimenta.*] De quibus egi *in cap. 2. de offic. custod. dicto cap. 1. de pignorib. cap. unic. de sacram. unction.*

2. (e) *Oratoria.*] Ita etiam legitur in ipso Concilio, sed ni fallor legendum est, oraria; nam si in præsenti agebat Innocentius III. de vestibus sacris, ut nitidæ, & mundæ essent, ad quid simul oratoria cum vestibus referre, & conjungere poterat? Lego ergo *oraria.* Orarium autem licèt aliquando accipiatur pro veste muliebri, seu virili, ut apud D. Paulinum *in vita S. Ambrosii*, ibi: *jactabant etiam turbæ virorum, ac mulierum oraria, vel semicinctia sua, ut corpus sanctum aliquatenus ab ipsis contingeretur.* Conc. Aurel. 1. *can. 28.* ibi: *Monacho orarium in monasterio, vel zonas habere non licet.* Nonnunquam tamen accipitur pro veste honesta sacerdotali. Synodus Mogunt. 1. *can. 21.* ibi: *Presbyteri sine intermissione utantur orariis, propter differentiam sacerdotii dignitatis.* Frequentiùs tamen apud veteres Ecclesiæ scriptores accipitur pro sacro indumento, quod stolam dicimus, ut in Synodo Laodic. *can. 22.* ibi: *Quod non oportet ministrum ferre orarium, nec etiam fores relinquere.* Et *can. 23.* ibi: *Quod non oportet lectores, vel cantores ferre orarium, & sic legere, vel canere.* Concil. Brachar. 1. *can 27.* ubi cum PP. abusum quendam Diaconorum arguerent, secus quàm oportebat orario utentium, ita statuunt: *Placuit, quia aliquanti hujus Provinciæ Ecclesiæ Diacones absconsis intra tunicam utuntur orariis, ita ut nihil differre à Subdiacono videantur, ut de cætero sicut decet, utantur orario.* Brachar. 3. *can. 3. Uromnis Sacerdos cùm ordinatur, orario utroque humero ambiatur.* Tolet. 4. *can. 39. Storaria duo nec Episcopo quidem induere licet, nec presbytero utique, multo minùs diacono, qui minister eorum est. Unum ergo orarium oportet Levitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, id est prædicat.* Ita vocem hanc exposuerunt Albinus Flaccus *de divinis officiis, cap. quid significent vestimenta*, ibi: *Orarium, id est stola dicitur, eo quod Oratoribus, id est Prædicatoribus concedatur.* Rabanus Maurus *de instit. cleric. cap. 19.* ibi: *Orarium dicitur, licèt hoc quidam stolam vocent. Hoc enim genere vestis solummodo eis personis uti est concessum, quibus prædicandi officium est delegatum.* Latiùs prosequitur Vicecomes *volum. 4. de ritibus Missæ lib. 2. cap. 18. & 19.* & nos *in cap. à multis, de ætate, & qualit.*

3. (f) *Munda, & nitida.*] Consonant textus *in cap. vasa 38. cum sequent. de consecr. dist. 1.* Gregorius VII. in Concil. Romano anni incerti, *c. 27. Vasa altaris, & panni, vel pallia nitida sint, & integra: & si fuerint vetusta, vel aliquo casu corrupta, religioso, & puro loco abscondantur, vel igne crementur.* Refert A. Augustin. *in epit. lib. 7. titul. 2.* Hujusmodi enim vestes in loco serâ munito recondi solebant. Concil. Rhemense apud Burchardum *lib 3. cap. 97.* ibi: *Expletâ Missâ calix cum patena, & sacramentorum liber cum vestibus sacerdotalibus, in mundo loco sub sera recondantur.* Et erant olim in Ecclesia quidam ministri, quibus sacrarum vestium curatio demandata erat. De quibus in Synodo Nicæna 1. *can. 63.* ibi: *Sit in unaquaque Ecclesia procurator, & cum eo alii, qui curam habeant proventuum, & reddituum Ecclesiæ; & deinde villarum, & sementis, & sumptuum, & vasorum auri, & argenti, & vestimentorum, & ornamentorum Ecclesiæ.* De eis egi *in cap. 2. de offic. custod.* & plura tradit Vicecomes *volum. 4. de ritibus Missæ, lib. 1. cap. 7.*

D. D. Gonzal. in Decretal. *Tom. III. Pars II.*

COMMENTARIUM.

4. GEntiles res, quas præcipuè ab hominum injuriis tutas servari volebant, in templis custodiendas, Sacerdotum, ædituorumque fidei commendabant: cujus moris exemplum occurrit in mensuris, ac ponderibus; quæ cùm olim in publicis locis asservari solerent, ne corrumperentur, *l. modios 9. C. de suscept.* veluti in Capitolio; unde Romanam amphoram Jovi sacratam olim fuisse refert Fanius his versibus:

Amphora sit cubus, quam ne violare liceret
Sacravêre Jovi Tarpeio in monte Quirites.

Justinianus in Ecclesiis servari præcipit *in novella 128.* notavi *in cap. 2. de empt. & vend.* Similiter testamenta, ut eorum securitati consuleretur, in templis deponebantur, *l. 4. §. ult. ff. famil. erciscund. l. 3. §. proinde, ff. de tabul. exhib.* Unde Augusti testamentum Vestalibus commendatum fuisse refert Suetonius *in Jul. cap. 83.* & *in August. cap. ult.* & Tacitus *lib. 1. annal.* Idem de testamento Antonii refert Plutarchus *in ejus vita:* ob eandemque causam pecunia, sicut in publicis deponebatur locis, *l. fidejussor 64. ff. de fidejuss. l. qui mutuam 56. §. 1. ff. mandati:* ita in æde sacra Saturni, Dianæ, vel Castoris deponebatur, *l. si reus 73. ff. de procurat. l. ait Prætor 7. §. sed etsi, ff. de minor. l. acceptam 19. de usuris, l. 1. §. sin autem, C. de communi servo, l. ultimo 20. §. 1. C. de agricolis.* Unde Juvenalis *satyr. 14.* ait:

Ærata nullus in arca nummus
Ad vigilem ponendi Castora nummi.

Et Herodianus *lib. 1.* scribit, Romanos in templo Pacis pecunias suas deponere solitos, quod moris & Hebræis fuisse deducitur *ex lib. 1. Machab. cap. 3. lib. 1. Regum, cap. 12. lib. 1. Paralip. cap. 9.* Athenienses in templo Delis solitos deponere publicas pecunias, referunt Thucydides *lib. 1.* Æmilius Probus *in Aristide*, & Cicero *lib. 2. de legibus* scribit, Alexandrum in Cilicia apud Solem in delubro deposuisse pecuniam, & Plautus in Bacchide inquit: *Nos apud Thotimum omne aurum deponimus, quia illic Sacerdos Dianæ Ephesiæ est, quin ipsa in æde Dianæ conditum est ibi.* Dio *orat. 31. Nostis haud dubiè Ephesios, apud quos multæ sunt pecuniæ, partim privatorum recondita in Dianæ templo, non solùm Ephesiorum, sed & hospitum, & omnium undecunque gentium: partim etiam populorum, Regumque. Deponunt autem omnes eò securitatis gratiâ, nemine unquam ausо locum afficere injuriâ, tametsi jam plurima bella gesta sint, civitasq; sæpiùs fuerit capta.* Macrobius *lib. 1. Saturn. cap. 8.* tradit, pecunias publicas solitas deponi in ærario, quod Romæ erat. Immò & deponebantur, aut in templo Pacis, juxta Herodianum *lib. 1.* aut in templis Saturni, Fidei, & Jovis Capitolini, ut ex Tullio, Plinio, Livio, & antiquo Persii interprete, tradunt Dorleans *ad lib. 1. annal. Taciti, pag. 34.* Picartus *decade 18. histor. polit. cap. 4.* Ferrandus Aduensis *lib. 1. explicat. juris ad leg. 1. Depositi:* latè illustrant Forner. *lib. 6. rer. quotid. cap 4.* Demsterus *ad Rosinum lib. 7. cap. 31. ad finem*, Sherlogus *tom. 3. in Cantic. vestig. 25. sect. 2.* Marcel. Donat. *ad Suetonium in Domitiano, cap. 7. tom. 6. thesauri crit. fol. 784.* D. Nicolaus de Castro *in §. 1. de empt. & vendit. num. 99.* Brodeus *lib. 4. miscel. cap. 17.* Revardus *lib. 1. variar. cap. 24.* D. Laurent. Ramirez *ad Martialem epig. 7.* Sed apud Catholicos ob reverentiam Ecclesiis debitam, sicut in illis non licet negotiari, seu tabernas ad cibos vendendos apponere, *can. 77. Synodi 6.* aut ullos accubitus, vel lectulos sternere, *c. nulli 41. dist.* plura Barbosa *voto 103.* nisi causâ summæ necessitatis, quo casu deficiente diversorio etiam jumenta in Ecclesiis introduci posse, docetur *in can. 89. 6. Synodi*; ita etiam nec deponere prophana suppellectilia clericorum, vel sæcularium in eis licet, nisi propter hostiles incursus, aut repentinum incendium; aliàs qui admittit hujusmodi res depositas in Ecclesia, peccat lethaliter, ut probat P. Suarez *tom. 1. de relig. lib. 3. cap. 6.* Tantùm enim vestimenta, & vasa Ecclesiæ ibi recondi debent, vel res prophanæ ingruentis belli causâ, ut supponit Greg. VIII. *in can. 32. Synodi Romanæ*, incerti anni, ibi: *Arca ab Ecclesia expellantur, nisi una ad vestimentum, & libros: sed si fortè difficilis guerra fuerit, illa, quæ in Ecclesia fuerint, nullum laïcis debitum reddant, sed Ecclesiis.* Refert Ant. Augustin. *in epit. jur. lib. 13. tit. 12. cap. 5.* ut usitatum narrant Gregorius Turon. *lib. 3. cap. 12.* Anton. Flor. *lib. 4. de mirac. S. Bened. c. 24.* Juxtà quem casum belli imminentis accipio canonem 60. Concilii Meldensis, ibi: *Ut hi, qui monasteria, atque sacra loca, vel Ecclesiæ infringunt, & Sacerdotes ac viros ecclesiasticos non solùm dehonorant, verùm & diverso, atque adverso modo affligunt, velut sacrilegi canonica sententiæ, quæ ex his decreta esse dignoscitur, subigantur.* Et *c. 1. de deposito.* Innoc. III. *lib. 1. epist. in edit. Colon. fol. 194.* ibi: *Verùm dum res sacra, & alia ibidem pro securitate deposita.* Tunc enim ob securitatem, cùm alibi non ita servari possint, in templis res prophanæ deponuntur. Quin & apud Gentiles legimus penes Virgilium *lib. 1.* in templum Junonis à Trojanis asportata, quæ ab incendio vindicari potuerant, quòd ibi salva futura arbitrarentur, etiam contra hostium quamcunque immanitatem.

Et jam porticibus vacuis, Junonis asylo
Custodes lecti: Phœnix, & dirus Ulysses
Prædam adservabant; huc undiq; Troia gazâ
Incensis erepta adytis, mensæq; Deorum,
Crateresq; auro solidi, captivaq; vestis
Congeritur.

Deinceps enim non humanum custodem fragilis potentiæ habituræ sunt res in Ecclesia depositæ, sed Deum ipsum vigilem, excubatoremque, qui sævissimis ulcisci modis nosset talium rapinam bonorum; fecitque multoties, nempe Juliano, & Felice Præfectis Antiochenam Ecclesiam, Aureum Dominicum nuncupatam, expilari non verentibus, Sozomeno referente *lib. 5. cap. 7.* Theodoreto *libro 2. cap. 11. & 12.* Nicephoro *lib. 10. cap. 29.* cum Guntario Genserici fratre, ut scribunt Procopius *libro 1.* Isidorus *de bello Wandalico:* & cùm superbissimus Tyrannus, notæque crudelitatis Alaricus esset urbe potitus, nihilque antiquius habuit, ut refert Paulus Orosius *lib. 7. cap. 39.* quàm ut dato præcepto mandaret, si qui in sancta loca, præcipuèque ad Apostolorum Petri, & Pauli basilicas confugissent, hos in primis inviolatos, securosque esse sinerent. Facit Anonymus Floriac. *lib. 4. de miraculis S. Benedicti, cap. 24.* ibi: *Ut verò moris agrestium est in adventu militum formidare, rustici omnia sua ad Ecclesiam convehunt, tam annonam, quam suppellectilem variam.*

Sed

5. *Exponitur cap. quisquis 21. 17. q. 4.*

Sed suprà traditis obstat textus *in cap. quisquis 17. quæst. 4.* in illis verbis: *Similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro.* In quibus Joannes Pontifex supponit, res prophanas in templis deponi posse; siquidem ait, eas auferentes sacrilegium committere. Difficilis est etiam textus ille, dum in eo docetur, committi sacrilegium auferendo non sacrum de sacro; nam tunc cùm auferatur res privata, tantùm furtum, non sacrilegium perpetratur, *l. 4. in princip. l. 9. in princip. l. 11. §. 1. ff. ad leg. Jul. pecul.* igitur non rectè Joannes in eo textu docet, sacrilegium committi. Pro cujus textus expositione dicendum est, Joannem Pontificem in eo textu referendum esse ad casum, in quo ob belli imminentis periculum, vel ob incendium, res privatæ depositæ essent in loco sacro, ut in præsenti permittitur; tunc enim si aliqua ex eis auferatur, sacrilegium committitur, ut docent Suarez *de relig. tom. 1. tract. 2. lib. 3. cap. 3.* Azor *p. 1. lib. 9. cap. 23.* Secundæ difficultati ut satisfaciamus sciendum est, tam inter Rhetores, quàm Jureconsultos controversum esse, utrum qui privatam pecuniam in æde sacra depositam abstulit, fur, an sacrilegus sit? In qua quæstione Severus, & Antoninus rescripserunt *in l. 5. ff. ad leg. Jul. pecul.* eum furti actione, non sacrilegii teneri; opus tamen fuit hac constitutione; nam Saturninus docuit *in l. aut facta 16. §. locus, ff. pœnis*, locus facit, ut idem vel furtum, vel sacrilegium sit, & capite luendum, vel minori supplicio. Et Cicero *libro 2. de legibus*, ait: *Sacrum, sacrove commendatum, qui clepserit, rapserive, parricida esto.* Et sanè quis potest id facere, ut sacrilegium non faciat, qui rem depositam in æde sacra aufert, cùm sit in fide, & tutela numinis, cui ædes est consecrata, Plautus *in Aulul. act 3. scen. 5.*

Nunc hoc mihi factu est optimum, ut te auferam
Aulâ in Fidei fanum: ibi abstrudam probè.
Fides novisti me, & ego te: cave sis tibi
Ne in me mutassis nomen, si hoc concredidero,
Ibo ad te fretus tuâ, Fides, fiduciâ.

Et mox.

Vide, Fides, etiam atq; etiam nunc salvam ut
aulam abs te auferam,
Tua fidei credidi: aurum in tuo luco, & fano
est situm.

Jam si animum delinquentis spectemus, non potest aliter judicari, nisi sacrilegium hoc esse, cum hac mente templum ingrediatur, ut seu sacræ, seu prophanæ fuerint res, eas harpaget. Æstimantur delicta animo, & causâ delinquendi, *dict. l. 16. §. causa, ff. de pœnis, l. verum est 39. ff. de furtis.* Postremò si Sopatro *in declam.* auscultamus, gravius est auferre res privatorum è loco sacro, quàm res sacras. Etenim qui rem sacram è loco sacro aufert, erga Deum injuria est: qui verò res privatorum è loco sacro aufert, & Deum violat, & homines: hos, quia res eorum aufert: illum quia fidem ejus apud deponentes suspectam reddit. Hit tamen argumentis non obstantibus sequimur constitutionem Severi, & Antonini, quâ Cassio Festo rescripserunt, furti actionem, non sacrilegii esse, si res privatorum ex æde sacra surreptæ sint, *d. l. 5.* Sequimur autem non idcirco, quòd argumenta superiora inepta, aut infirma sint, sed quòd disputandi ratione potentius rescriptum sit. Disputando enim Saturnini sententia obtineri facile posset: sed frustra disputes reclamantibus Cæsaribus, qui furti duntaxat actionem dederunt, non accusationem sacrilegii. Sunt quibus hæc responsio displicet, existimantes etiam disputandi ratione, atque argumentorum pondere Saturnino superiores Cæsares esse, aut certè Saturnini responsum restringendum ad eum, qui vi effracto fano res privatorum abstulit. Nam, inquiunt, si locus faceret sacrilegium, faceret etiam blasphemiam, si cui in loco sacro convitium dictum fuerit: at hoc nemo dixerit: quare nec illud asserendum est. Præterea ajunt, quod si locus faceret sacrilegium, sequeretur eum, qui thesaurum tollit de loco religioso sacrilegium facere, contrà textum *in l. 4. §. non fit, ff. ad leg. Jul. pecul.* igitur nec ille, qui è loco sacro rem privatam aufert. Sed horum sententia audienda non est, nec rectè illi arguunt: Locus facit sacrilegium: ergo etiam blasphemiam; non enim quemadmodum res commendantur fidei Numinis, ita homines in templo reperti, tanquam depositi, sacri habentur: nec etiam rectè inferunt: Qui thesaurum de loco religioso tollit, non facit sacrilegium: ergo etsi auferat rem privatam, sacrilegium non committit; nam thesaurus nullius est, & jure naturali occupanti conceditur: res autem aliena non potest sine crimine de loco sacro auferri. Docuerunt Anton. Matthæus *de criminibus ad leg. Jul. pecul. cap. 3.* Cujac. *lib. 3. obs. cap. 19.*

Opponi etiam potest præsenti canoni textus *in cap. per vestras, de donat. inter*, junctis per me adductis in ejus notis.

TITVLVS XLV.

De reliquiis, & veneratione Sanctorum.

CAPUT I.

(a) Alexand. III.

AUdivimus, quod quidam inter vos, diabolicâ fraude decepti, hominem quendam in potatione, & ebrietate occisum, quasi sanctum more infidelium venerantur, cùm vix pro talibus in ebrietatibus peremptis orare (b) permittat Ecclesia. Dicit enim Apostolus, quod ebriosi homines regnum Dei non possidebunt. Hominem ergo illum de cætero colere non præsumatis, cùm etiamsi per eum miracula plurima fierent, non liceret vobis pro (c) Sancto absque auctoritate Rom. Eccl. eum publicè venerari.

NOTÆ.

1. (a) *Alexander III.*] Ita etiam legitur *in capite unic. sub titul. de venerat. Sanct. in 2. collect.* nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex; facilè tamen id colligitur ex historia hujus textus relata à Baronio *anno 1181.* ubi refert, Arnulphum Lexoviensem Episcopum Alexandro III. retulisse ingentem dissolutionem monachorum cœnobii Gristani, qui inter alia impia scelera se mutuis vulneribus sæpe confligebant, ac nihilominus, ut miracula facere crederentur, & quibuslibet commentis sæcularium personarum frequentes invitarent accessus, sanitatis remedia per aquam certis carminibus incantatam promittebant. Tandem retulit Lexoviensis Præsul, procuratorem ipsius monasterii ebrium in refectorio super cœnam duos de fratribus cultello percussisse, eundemque ab eis in continenti pertica, quam casus obtulit, occisum fuisse. Quidnam tamen ad hæc rescripsisset Alexander, non constat, licèt extet prædicta epistola Episcopi Arnulfi. Unde conjectatur Baronius, quod cùm prædictus procurator in ebrietate occisus, martyris titulo impudenter ab illis monachis miracula affectantibus coleretur, Alexand. III. ne id fieret, rescripsisse in præsenti textu, & sic juxta hanc Baronii sententiam ita restituenda est præsens inscriptio: *Alexander III. monachis Gristanis*; quod monasterium S. Mariæ de Gristan dictum, est in diœcesi Lexoviensi, ut refert Tambur. *in serie Abbat. verbo Lexovien.*

2. (b) *Permittat orare.*] Siquidem illi excommunicati sunt donec emendentur. Concil. Mogunt. sub Carolo, *can. 46.* ibi: *Malum magnum ebrietatis, unde omnia vitia pullulant, modis omnibus cavere præcipimus; & qui hoc cavere noluerit, excommunicandum eum esse decrevimus usque ad emendationem congruam.* Plura de ebrietate congessi *in cap. a crapula, de vita & honest. clericor.*

(c) *Sanctum.*] Sanctus quis, & quatenus dicatur, etiam apud Gentiles, exponit Filesacus *lib. 1. select. cap. 4.*

COMMENTARIUM.

EX hoc textu sequens vulgò deducitur assertio: 3. Concilia
Nemo potest pro Sancto venerari, nisi ab Apostolica Sede fuerit beatus declaratus, quamvis miracula faciat. Probant eam textus *in cap. 2. hoc tit. cap. unic. hoc tit. in 6.* Trident. *sess. 25. de reform. cap. 2.* Illustrant ultra congestos a Barbosa, & Garanna *hic*, P. Gregorius *lib. 13. de repub cap. 24.* & *lib. 2. syntag. cap. 11.* & *libro 1. partit. tit. 14. cap. 3.* Sanchez *lib. 2. summæ, cap. 43.* Mendoza *lib. 3. Concil. Illib. cap. 48.* Volduc. *de Ecclesia post legem, cap. 13.* Cæsar *de Eccles. hierarch. disputat. 1. §. 4. num. 5.* Corjolanus *in breviar chronol. anno 1489.* Carrier. *tom. 2. Digesti fidei, fol. 1103.* Albaspineus *in notis ad Optatum, fol. 122.* Sausay *in apparatu ad Martyrol. Gall. cap. 22.* & *tom. 2. in Apolog. §. 3. 4. & 9. ad finem.* Vivar. *ad Marcum Maximum; in S. Joanne Eremita vindicato §. 3. 6. & 8.* Hurtado *de vero martyrio per pestem, resol. 43. §. 8.* Durantius *de rit. Eccles. lib. 1. cap. 5.* Torreblanca *de jure spirit. lib. 1. cap. 11.* P. Quintanadvennas *in sanctis Tolet. advert. 14.* Fortunatus Schaccus *de venerat. Sanctor. sect. 1. cap. final. in fine*, Marinis *alleg. 150.* Thom. Delbene *de offic. Inquisit. 2. p. dub. 234. sect. 1.*

Sed in præsentem assertionem ita pro dubitandi ratione insurgi potest: Ut defunctus pro sancto veneretur, sufficit ut publicè ad cultum, & venerationem exponatur. Synod. Francofor. celebrata temporibus Caroli Magni, *can. 42.* ibi: *Ut nulli novi sancti colantur, aut invocentur, nec memoriæ eorum per vias erigantur; sed hi soli in Ecclesia venerandi sunt, qui ex auctoritate passionum, & vitæ merito electi sunt.* Synodus Mogunt. *can. 51.* Et Episcopi auctoritas sufficit, ut publicè venerandus proponatur. Constat ex Capitul. Caroli, inter excerpta, cujus verba sunt: *De Ecclesiis, seu Sanctis noviter, & sine auctoritate inventis, nisi Episcopo probante, minimè venerentur,* D. Cyprian. *epist. 37.* ibi: *Denique & dies Sanctorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus.* 4. Traditur ratio dubitandi.

possimus. Et de examine super Sanctorum vita habito ab Episcopo, seu Metropolitano, plura D. Augustin. *in breviculo collationis, die 3. cap. 13.* Eusebius *lib. 3. hist. Eccles. cap. 14.* & *lib. 5. cap. 15.* & *lib. 8. cap. 20.* & *in cap. venerabili, de test.* Episcopi recipiunt testes de vita, & miraculis B. Mauricii: & *in cap. 2. de consecr. dist. 3. cap. final. de feriis*, docetur servandas esse eas festivitates, quas singuli Episcopi in suis diœcesibus cum Clero, & populo duxerint venerandas. Igitur non desideratur Pontificis auctoritas, sed sufficit Episcopi licentia, ut Sanctus publicè venerari possit. Accedit, nam Episcopus in propria diœcesi rectiùs agnoscere potest vitam, & miracula illius, qui in ejus diœcesi degit, quàm Pontifex, qui procul remotus per relationem tantùm merita, & mores defuncti agnoscere valet. Ergo potiùs ad Episcopum diœcesanum, quàm ad Pontificem Sanctorum canonizatio spectare debet. Augetur hæc difficultas ex eo; nam miracula facere, præcipuè post mortem, magnum præbet Sanctitatis argumentum, ut probatur ex litteris Alexandri III. datis Signiæ 4. Idus Martii, anno Domini 1173. pro canonizatione S. Thomæ Cantuar. Episcopi: *Redolet Anglia fragrantiâ, & virtute signorum, quæ per merita illius Sancti Cantuariensis Archiepiscopi, omnipotens Dominus operatur.* Et infrà: *His ergo auditis monumentis, & magnis miraculis, quæ jugiter per illius sancti viri merita fieri universitas narrat fidelium.* Et ex litteris Gregorii IX. datis Perusii anno 1228. pro canonizatione S. Francisci, ibi: *Vitam ejus sibi fuisse acceptam, & ipsius memoriam esse à Militanti Ecclesia venerandam, multis, & præclaris miraculis declaravit.* Probant latè Fortun. Schaccus *de venerat. Sanctor. sect. 6. cap. 7.* Smitheus *in floribus Anglia, in vita S. August. fol. 71. cum sequent.* Igitur si in præsenti specie ultra publicam expositionem accedebant miracula, rectè poterat ille ut Sanctus venerari, etsi Apostolica auctoritas non adesset.

5. *De publica approbatione defuncti venerandi.*

Quâ difficultate ita fulcitâ non obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, in nulla ex religionibus, Hebraica, Gentilica, & Catholica, absque prævia discussione, & solenni approbatione aliquem publicè venerari potuisse. In lege veteri hanc approbationem, & canonizationem ad effectum publicæ venerationis usitatam fuisse, probant Bellarminus *de cultu Sanctorum cap. 7.* Contelorius *de canoniz. Sanctor. cap. 3.* & probatur *ex cap. 44. Eccles.* ibi: *Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua, &c.* & ibi: *Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus.* Apud Romanos peculiari lege cautum fuit, ne quis ut Deus veneraretur, nisi à Senatu publicè approbatus. Tertul. *in Apolog. cap. 5.* ibi: *Ut de origine aliquid retractemus, ejusmodi legum vetus erat decretum, ne quis Deus ab Imperatore consecraretur, nisi à Senatu approbatus.* Eusebius *lib. 2. c. 2.* ibi: *Lex etenim erat antiquitus designata, ne quis apud Romanos Deus haberetur, nisi Senatus decreto, & sententiâ confirmatus.* Probant Ambianas *ad Tertul. ubi supra*, Textorius *lib. 1. officinæ, cap. 12.* De Athenienſibus idem probat Samuel Petitus *ad jus Atticum lib. 1. tit. 1. in princip.* In Ecclesia Catholica constat pervetustum morem esse, ut nullus, nec martyr quidem, absque alia prævia discussione, & approbatione inter Sanctos recenseretur, quos pietas Christiana more majorum colere consuevit. De ea enim re erat egregius locus Optati Milevit. *lib. 1. adverſ. Parmen.* dum ait: *Cùm correctionem Archidiacon Cæciliani ferre non posset, quæ ante spiritualem cibum, & potum os nescio cujus Martyris, si tamen Martyris, libare dicebatur; & cùm proponeret calici salutari os nescio cujus hominis mortui, etsi Martyris, sed nondum vindicati, correpta cum confusione trata discessit.* Quibus verbis planè Optatus significat, nefas fuisse Lucillæ potenti, ac factiosæ fœminæ Donatistarum venerari reliquias Martyris alicujus non vindicati, hoc est nondum probati, & recepti. Moris enim erat, ut cùm aliquis martyrio occubuisset, Episcopus, sub cujus ditione id accidisset, rem gestam scriberet ad Primatem Episcopum, à quo maturè adhibitis in consilium Collegis Episcopis, an inter Martyres esset recipiendus, decernebatur: cujus rei ritum, & ordinem refert D. Augustinus *in breviculo collat. die 3. cap. 13.* & ex eo Baronius *in martyrol. die 2. Aprilis.* Hæc autem discussio, & approbatio versatur circa duo defunctorum genera; quia, aut defunctus ob fidem Christi occisus, aut est mortuus confessor: & ad utrumque genus personarum beatificandarum desiderantur exactæ discussiones de vita, & moribus, & fama publica sanctitatis, exercitio virtutum, maximè theologicalium, si fuerit Confessor, de quo etiam examinantur miracula. In Martyribus autem non fit miraculorum inquisitio, & multò minor diligentia adhibetur: tantùm inquiritur fortitudo, & charitas, quâ mortem subiere, quam intulit tyrannus in odium fidei. Causa etiam, quæ martyrem facit, diligentissimè est inquirenda, ne ista negotiationibus implicita deturpetur; sed quod solùm fuerit Evangelii propagatio, fideique confessio, & mortis ex charitate Dei, juxta sententiam D. Hieronymi in Psalmum 115. Erat autem perneceſſaria hujusmodi de martyribus inquisitio, non tantùm ob prædictas causas, sed quoniam hæretici, atque schismatici aliquando pro Christi nomine à persecutoribus tormenta pati videbantur, & mortem, & quidem ipsi in ferè nascentis fidei exordiis, cùm omnia Martyrum sanguine redundarent, ut scribit Eusebius *lib. 4. hist. cap. 14. propè finem*, & *lib. 5. cap. 15.* & *lib. 8. cap. 20.* & S. August. *de Donatist.* sæpe testatur: quos omnes, ut alienos à fide, & communione catholica Dei Ecclesia respuere consuevit. Cùm ex sententia Cypriani, & Augustini, omniumque orthodoxorum, quicquid aliquis extra Ecclesiam patitur, non martyrium censendum, sed dicenda sit pœna perfidiæ. An verò incorruptio cadaveris argumentum præbeat sanctitatis, fusè examinat Theoph. *tom. 13. tract. de incorrup. cadav.*

6. *Beatificatio quatenus à canonizatione differat.*

Deinde sciendum est, Sanctos præcedente hac vitæ, & miraculorum discussione, beatificari, & postea canonizari: nec est confundenda beatificatio cum canonizatione; siquidem magnum discrimen versatur inter unam, & aliam. Beatorum enim cultus fidelibus permittitur, canonizatorum autem præcipitur; & propositio istorum ad fidei certitudinem spectat, non verò illorum; licèt enim canonizationem Sanctorum non omnino ad fidem pertinere, & ideo errori subjectam esse censuerint Glossa *verbo Sedi Apostolicæ, hoc tit. lib. 6.* Cano *lib. 5. de locis Theolog. cap. 5.*

cap. 5. vers. Praterea canoniz. contrarium tamen verius est, videlicet in canonizatione Sanctorum Pontificem errare non posse, ut defendunt Vivar. *ubi suprà*, §. 2. Diana *p. 11. tract. 2. resol. 15.* nam Pontifex in canonizatione alicujus Sancti ita loquitur : *Auctoritate Domini nostri JEsu Christi, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus, ac nostrâ, N. in cœlestem Hierusalem fuisse receptum, & æternæ gloriæ coronâ donatum, de fratrum nostrorum consilio declaramus, eumque tanquam Sanctum publicè, privatimque colendum esse decernimus, & definimus.* Ut ex Bullis variorum Sanctorum referunt Diana, & Vivar. *ubi suprà*, Cæsar *de Eccles. hierarch. disput. 1. §. 4. num. 8.* Carrier. *tom. 2. digest. fid. tit. de Pontif. Rom. fol. 1104.* Igitur cùm talis definitio fiat pro tota Ecclesia, quæ tenetur Pontifici obedire, errori non est subjecta. Non me latet quosdam olim Romanos Pontifices, priùs quàm definitionem canonizationis alicujus Sancti pronunciassent, publicè protestari consuevisse, suæ intentionis non esse aliquem exinde in Ecclesiam errorem inducere, ut refert Christoph. Marc. Arch. Corcir. *lib. 1. sacrar. cæremon. ad Leonem X. sect. 6. cap. 2.* ubi sub titulo *De his quæ fiunt in die canoniz.* ita habetur : *Pontifex antequam pronunciet, consuevit protestari in hanc formam, quam invenimus servatam à multis Pontificibus : Antequam ad pronunciationem veniamus, protestamur publicè apud vos omnes hic præsentes, quod per hunc actum canonizationis non intendimus aliquid facere, quod sit contra fidem, aut Ecclesiam catholicam, seu honorem Dei. Deinde altâ voce sedens cum mitra pronunciat in hunc modum : Ad honorem sanctæ, & individuæ Trinitatis decernimus, & definimus beatæ memoriæ N. in cœlesti Hierusalem inter Beatorum choros jam receptum.* Nam non inde rectè deducas, pronunciationem ipsam errori subjectam esse; nam simili protestatione usi fuerunt quidam timorati Pontifices usquequaque suammet potestatem non percallentes. Unde tale factum arguit tantùm timoratam eorum conscientiam, & exiguam suæ potestatis peritiam : unde sequioris ævi Pontifices ab ea protestatione deincepsabstinuerunt. Nec obstat sententia, quæ D. Augustino vulgò tribuitur, in illis verbis : *Multi in terris venerantur, qui in infernis cruciantur.* Nam præterquam quod locus ille non reperitur inter opera D. Augustini, exaudiri debet de hominibus impiis, qui honorantur in terris magnis sepulchris, cùm tamen animæ eorum crucientur in inferno; vel de corporibus fraude aliqua suppositis pro corporibus Sanctorum; vel tandem de Martyribus Donatistarum, qui ab ipsis hæreticis pro Sanctis colebantur, ut docuerunt Cano *dict. lib. 5. de locis, cap. penult.* Sylvester *in summa, verbo Canonizatio*, Bellarminus *tom. 1. controv. de Sanctor. Beatific. lib. 1. cap. 9.* Manet ergo, Ecclesiam non posse errare in canonizatione Sanctorum. Sed hoc Ecclesiæ judicium certum non est eâ certitudine, quæ sit infra certitudinem fidei divinæ; homini tamen cordato est tanta, ut non sinat eum nutare circa ejusmodi veritatem, ut post D. Thom. *quodlibet 9. art. 16.* docent August. Triumphus *in summa de potest. Eccles. quæst. 14. numero 17.* Joan. de Neapoli *quodlibet 2.* Corduba *lib. 4. quæst. 12.* Bannes *2. 2. q. 1. dub. 7.* Bellarm. *de Sanctor. beatitud. cap. 9.* Serarius *lib. 2. Litan. quæst. 11.* Suarez *de fide disp. 5. sect. 4.* Vazquez *in 1. 2. disput. 165. numer. 94.* Theoph. *de corona aurea, subnot. 2. verit. 8. & tom. 15. in Heter. p. 2. punct. 1.*

Indè provenit alia, & gravis differentia inter beatificationem, & canonizationem; nam canonizatio nunquam licuit Episcopis, beatificatio verò primis Ecclesiæ læculis ab illis fiebat. Cùm enim canonizatio opus clavis scientiæ sit, & usus ejus supremus, utpotè quo nova propositio sub fidei violatæ periculo ab universis fidelibus asserenda proponatur; decernere autem quæ ad fidem orthodoxam spectant, solis D. Petri successoribus reservatum sit, tantùm Pontifex potest Sanctos canonizare. Episcopi autem olim dum Martyres populo proponebant venerandos, inter Beatos recensebant eos, quandoquidem ovibus suis publicè colendos edebant, quos fidelis noverant, aut evidentiâ facti, aut constanti probatione, verè pro Domino, & ejus fidè occubuisse. Concil. Francoford. *can. 42.* ibi : *Ut nulli novi Sancti colantur, aut invocentur, nec memoria eorum per vias erigantur; sed hi soli in Ecclesia venerandi sunt, qui ex auctoritate passionum, & vitæ merito electi sunt.* Carolus Magnus *in appendic. 1. cap 19. De Ecclesiis, seu Sanctis novuer sine auctoritate inventis, nisi Episcopo probante minimè venerentur.* Illos etiam ita semel in Beatorum numerum relatos Romani Pontifices cùm universam Dei Ecclesiam in id conspirare cernerent, colendos publicè decernebant. Probat Dartis *de benefic. sect. 1. cap. 2.* Quo pacto multi illorum à peculiari cultu beatorum ad universalem Sanctorum transibant absque eo, quod probationes denuò conficerentur. Vivar. *suprà*, §. 5. Unde cognoscitur, malè repetentes in præsenti, & ferè omnes Doctores suprà *laudatos*, existimasse Alexandrum III. in præsenti textu Sanctorum canonizationem sibi reservasse, denegatâ ulteriùs ea potestate inferioribus Prælatis, cùm ut probatum manet, ex sua natura canonizatio ad Sedem Romanam spectet, nec fieri ullo modo potest ab inferiori Prælato, ut infrà in ratione decidendi latiùs probabimus. Nec in præsenti textu est aliqua clausula, quæ jus novum redoleat, aut usitatum improbet; nec de canonizatione Pontifex agit, sed tantùm prohibet, monachum illum in ebrietate occisum, quem alii monachi Martyrem prædicabant, pro Sancto venerari, etiamsi per eum miracula fierent. Ex qua prohibitione non rectè communiter deducitur, Alexandrum III. sibi reservasse canonizationem Sanctorum, & pro agnoscendis Sanctis canonizatis, vel non, valde perdocti viri curant de computatione temporis, in quo floruit Alexand. III. ita ut omnes Sancti, qui ante ipsum floruerunt, pro canonizatis habeantur; post ipsum verò Alexandrum III. non alii, quàm per Sedem Apostolicam canonizati. Notavit Vivar. *suprà* §. 6. Quisnam tamen Sanctus ritu solenni primus à Sede Apostolica canonizatus esset, liquidò non constat; legimus tamen Sanctum Suitbertum primum Episcopum Werdæ, qui Frisones, Hollandos, aliosque Germaniæ populos in fide catholica instituerat, anno Domini 803. per Leonem III. ad instantiam Caroli Magni solenniter Sanctorum Confessorum catalogo fuisse adscriptum, ut referunt Sancti Lugderus, & Marcellinus in ipsius Sancti vita, apud Surium *tom. 1.* Etiam Sanctus Udalricus Episcopus Augustanus canonizatus fuit à Joanne XV. anno 993. ut patet ex bulla ipsius canonizationis. Paschalis II. in catalo-

catalogum SS. retulit Petrum Episcopum Anagni anno 1110. ut constat ex ejus Bulla, quæ incipit, *Dominum:* & Innocentius II. anno 1134. 10. Kalendis Maji inter Sanctos recensuit Hugonem Episcopum Gratianopolis, in Bulla, quæ incipit, *Divinis.* Alexander III. solenniter Sanctum declaravit D. Bernardum Abbatem in Bulla, quæ incipit, *Contingit*, anno 1164. edita: & Eduardum Regem Angliæ in Bulla, quæ incipit, *Illius.*

8. *De solenni canonizatione.*

Rursus sciendum est, beatificationem, quam Episcopi olim in propriis diœcesibus faciebant Sanctos venerationi exponendo, Pontificem sibi reservasse, & meritò; nam aliquando ob segnitiem aliquorum contigerat, fures pro beatis coli, ut refert Severus in vita S. Martini *cap. 8.* his verbis: *Erat non longè ab oppido proximus monasterio locus, quem falsa hominum opinio, velut consepultis ibi Martyribus, consecraverat; nam & altare ibi à superioribus Episcopis constructum habebatur. Sed Martinus non temerè adhibens incertis fidem, ab his qui majores natu erant, presbyteris, vel clericis flagitabat nomen sibi Martyris, & tempora passionis ostendi: grandi se scrupulo permoveri, quòd nihil certi constans sibi majorum memoria tradidisset. Cùm aliquando ergo à loco illo se abstinuisset, nec derogans religioni, quia incertus erat; nec auctoritatem suam vulgo accommodans, ne superstitio convalesceret, quadam die paucis secum adhibitis fratribus ad locum pergit. Deinde super sepulchrum ipsum stans oravit ad Dominum, ut quis esset, vel cujus meriti, sepultus ostenderet. Tunc conversus ad lævam, videt prope assistere umbram sordidam, & trucem: imperat nomen, meritaque ut loqueretur: nomen edicit, de crimine confitetur, latronem se fuisse ob scelera percussum, vulgi errore celebratum: sibi nihil cum Martyribus esse commune, cùm illos gloria, se pœna retineret. Mira res? Vocem loquentis qui aderant, audiebant; personam tamen non videbant. Tunc Martinus, qui vidisset, exposuit, jussitque ex eo loco aliare, quod ibi fuerat, submoveri, atque ita populum superstitionis illius absolvit errore.* Jure ergo sibi Sedes Apostolica reservavit beatificationem tot injuriis, ac fraudibus expositam; à quo tamen tempore id factum fuerit, non constat. Ante Alexandrum III. cœpisse credit Vivar. ad Marcum Maximum *ubi suprà*, §. 6. Beatificatio igitur solennis, & canonizatio fit per Romanum Pontificem; non tamen in animo est prosequi omnia, quæ ad Sanctorum canonizationem spectant, de quibus integros libros ediderunt Contelorius, Fortunat. Scacchus, Angelus, Roc. Mallucius, Franc. Penna, quem prælo dedit Torres 2. 2. *Divi Thomæ. disp. 17.* Beyerlinch. *verbo Canonizatio, tom 2.* Conradus Kling. *lib. 4. locor. comm. cap. 42.* Tantùm referam ritum hodiernum canonizationis. Ritus hodiernus talis est: cùm pervulgatur famâ publicâ, & ex certis miraculis sanctitas alicujus defuncti propalatur, porrigi solet Sedi Apostolicæ ex parte Principum, vel Regum, vel communitatum humilis supplicatio, ut talem Sanctorum fastis adscribere dignetur. Ad hæc Papa de consilio Cardinalium committit per breve aliquos Episcopos, vel Prælatos, ut informationes diligenter instruant de sanctitate, & miraculis N. Præscriptum tenorem interrogatorium, juxta quem legitimi testes examinandi sint, legi ab Urbano V. 1163. emanatum, pro informatione super vita, & miraculis Beatæ Delphinæ, sicque in aliis fieri solitum est, præstito scilicet ab eis juramento veritatem dicendi super interrogationes, quomodo sciant, quo tempore, quo anno, quo mense, quo die, & quibus præsentibus, quo loco, ad cujus invocationem, & quibus verbis interpositis; & de omnibus eorum, circa quos miracula facta dicuntur, & si eos antea cognoscebant, & quot diebus antea viderunt ipsos infirmos, & fuerunt sani, & de quo loco fuerint oriundi; & verba testis cujuslibet plenè, & distinctè fideliter redigantur in scriptis. Informationes transmitti solent per deputatos hos commissarios ad Pontificem, quæ repræsentantur consilio Cardinalium, à quo ordinariè alios commissarios deputari resolvitur. Iterum revisuntur informationes, hasque Pontifex tradit Consulibus, & Consiliariis justitiæ suæ, ut constet de probatione, an sit sufficiens, & in forma: quâ pro tali habitâ, Papa iterum committit tres Cardinales, Episcopum, Presbyterum, Diaconum, ad verbalia singula examinanda, conferenda, & rigorosè discutienda, an sufficiant ad fidem certam faciendam, & omninò indubiam. Fit hujus examinis propositio in Consistorio: & dicitur primò de excellentia vitæ, & fidei puritate N. & consequenter de sufficienter probata narratione miraculorum ejus; sicque componitur historia de Sancto: deinde deliberatur, si præfata sufficiant ad canonizationem; hocque unanimiter asserto, Papa verificat, & approbat ex fine vitæ Sancti, & subsequutis miraculis historiam, seu legendam N. & concludit faciendam canonizationem: sic autem postea proceditur. Publicum celebratur Consistorium, & sedente Papa in mitra, Patronus Orator vitam, & miracula N. enarrat; & ideo nomine Principis, aut communitatis supplicat humiliter suam Sanctitatem, ut N. canonizet, decernatque à cunctis fidelibus pro Sancto haberi, & coli. Hinc Papa habet Consistorium secretum omnium Prælatorum Romæ, quos ad orandum enixè divinam Majestatem invitat, & ut sensum proprium in conscientia ingenuè aperiant: si unanimiter concluditur canonizatio, Papa diem assignat, & locum. Ipso die Pontifex in templo destinato genuflexus aliquantulum orat, deinde ascendit ad thronum, ibique Cardinalium, Prælatorum, Nobiliumque susceptâ reverentiâ, ad Cathedram contra Altare positam descendit, ibique præconizat Sanctum, cujus vitam, & miracula enarrat, invitatque adstantem cœtum ad orationem, ne DEUS permittat Ecclesiam suam errare in hoc negotio. Genuflectit ipse, Litaniam dicit sine commemoratione Sancti N. qua finitâ Procurator facit secundam instantiam, cui Secretarius respondet, orandum Deum. Post Papa intonat hymnum: *Veni Creator Spiritus*; quo decantato ascendit thronum; ibique dicit orationem, *Deus qui corda fidelium*; postque sedet. Tunc tertia vice Patronus, & cui ut plurimum adjunctus est, Cardinalis Promotor, seu Procurator, canonizationis tertiam faciunt instantiam, quibus Secretarius respondet, Sanctitatem suam piè credere, visum, & complacitum esse Spiritui sancto, ut prænominatus N. Sanctorum numero adscribatur. Hinc unus Prælatorum assistentium altâ voce legit sententiam summatim hæc continentem: Quod ad honorem Dei, & exaltationem fidei Catholicæ, & augmentum religionis, auctoritate Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus sancti, & Aposto-

Apostolorum Petri, & Pauli, de consilio Patrum sua Sanctitas declaravit N. esse Sanctum, & pro tali inscriptum catalogo Sanctorum, decernens celebrandum ejus festum tali die. Hoc facto Procurator, & Advocatus gratias referunt suæ Sanctitati ex parte Regis N. vel communitatis, & humiliter petunt diploma, seu Bullam concedi: quibus Papa signum crucis faciens respondet: Decernimus. Moxque ex jubilo commovetur populus, concrepant tympana, campanæ, tubæ, tormenta: interea Pontifex intonat *Te Deum laudamus*; qui à capella Pontificia decantatur: pòst Cardinalis Diaconus versiculum intonat, *Ora pro nobis sancte N.* cui respondetur, *Ut digni*, &c. Papa adjungit orationem propriam: mox Diaconus dicit, *Confiteor*, & addit, *atque Beato N. & omnibus Sanctis*. His peractis Papa intonat Tertiam, quam chorus decantat. Intereà ad Missam celebrandam paratur Papa, & specialis Missa appropriatur Sancto à Doctore Cathedræ, & ab ipso Pontifice, cum oratione singulari. Ad offertorium magnificæ oblationes præsentantur à Cardinali Promotore, & aliis, qui nomine Regis institerunt. Completâ Missâ conceditur Indulgentia plenaria, & Papa solenniter deportatur in Palatium præcedente Senatu Cardinalitio.

9. *Traditur ratio decidendi.*

Ex suprà traditis facilè cognoscitur ratio præsentis textus; cùm enim Sanctus canonizatus proponatur ab omnibus fidelibus adorandus, & nemo nisi Pontifex præsit cunctis fidelibus, qui est omnium ordinarius judex, *cap. cuncta*, *cap. per principalem 9. quæst. 3.* tantùm Pontifex potest Sanctos canonizare. Accedit quia solennis canonizatio est una de majoribus causis, quæ inter Christianos proponi potest, & per consequens ejus cognitio ad Pontificem spectat, ex juribus adductis *in cap. majores, de baptismo*. Deinde quia miraculorum approbatio inter fidei quæstiones recensetur: sed quæstio fidei ad Pontificem referenda est, *cap. quotiens 24. quæst. 1. cap. majores, de Baptismo*. Igitur tantùm per Pontificem canonizatus publicè venerari potest; unde cùm Monachus, de quo in præsenti, non fuisset per Pontificem inter Divos relatus, aut publicæ venerationi propositus, non poterat pro Sancto Martyre venerari, ut falsò cæteri monachi illum prædicabant. Nec aliquid interest, quod per illum miracula fierent, siquidem certum est, improbos homines, id est mortali culpæ obstrictos, sed fideles, posse dæmonia ejicere, aliaque miracula, quæ per virtutes significantur, edere: & non rarò edidisse, multis exemplis, & auctoritatibus Scripturæ compertum est; Saul enim postquam ab eo Dominus discesserat, Davidem innocentem persequens, cùm in cuneum Prophetarum venisset, facto super eum Spiritu Domini, cum cæteris prophetavit. Unde exiit proverbium: *Num & Saul inter Prophetas? 1. Regum cap. 19.* Prophetavit & Caiphas homo impius, quia Pontifex erat anni illius, *Joannis cap. 11. Matthæi cap. 10.* Idemque apertè colligitur ex illis verbis Christi Domini apud Matthæum *cap. 7. Multi dicent in illa die: Domine nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus?* Quibus non respondet ipsos mentiri, aut falsum dicere, quemadmodum responsurus esset, si non verè prophetassent, & dæmones ejecissent, aut vera miracula non fecissent; sed tantùm, *Non novi vos*; notitiâ scilicet approbationis, ut vocant Theologi. Apostolus denique *1. ad Corinthios, cap. 13.* satis ostendit, per fidem absque charitate miracula patrari posse, dum ait: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Immò Judæi, Pagani, Hæreticique vera miracula fecerunt; nam Balaam falsus aliquin, & infidelis Propheta, præclaram de Christo, ejusque ortu edidit prophetiam, ut probat D. Chrysostomus *homil. 25. in Matthæum*. Possunt itaque mali, & infideles invocato Christi nomine, aut divina virtute, dæmones expellere, aliaque miracula facere, si Deus eorum ministerio uti, aut cum ipsis, ut instrumentis, concurrere dignetur ad ipsorum, aut aliorum utilitatem, aut ad manifestandam suam gloriam, & virtutem, modò non id attentent, aut præsumant ad confirmationem sui erroris, aut falsi dogmatis: nam & Julianus Apostata signo crucis facto dæmones subitò effugavit, teste Gregorio Nazianz. *orat. 1. in Julianum*: & Theodoretus *lib. 3. hist. Eccles. cap. 3.* Sozomenus *lib. 5. cap. 2.* Epiphanius *hæres 30.* referunt de Josepho homine Judæo, quod necdum credens in nomine JEsu hominem à dæmonio obsessum liberavit. Faciunt textus *in cap. multæ, cap. teneamus, cap. prophetavit 1. quæst. 1.* latè probant Richard. Smitheus *in floribus Ecclesiæ Anglic. lib. 1. cap. 19.* Gazæus *ad Cassianum collat. 15. cap. 6.* Aloix *ad vitam S. Justiniani, cap. 2.* Zerola *in praxi, verbo miraculum, num 3.* P. Gregor. *lib. 13. de Republic. cap. 24. & 25.* Maldonat. *super Matthæum cap 7.* Martinus Delrio *lib. 2. disquisit. magic. quæst. 7.* Malvenda *de Antichristi, lib. 6. cap. 1. quæst. final. & lib. 7. cap. 15.* Borel. *de præstant. Regis, cap. 55.* Robertus *lib. 1. rer. judic. cap. 5.* Raphaël de la Torre *in 2. 2. quæst 9. artic. 2. disput. 4.* & *2. tom. de vitiis oppositis relig. quæst. 95. in prælud. disp. 2.* Torreblanca *de mag. lib. 2. cap. 11. & 26.* Suarez *de fide disput. 4. sect. 3.* Solorzanus *tom. 1. de jure Ind lib. 2. cap 3 num. 54.* Ideo miracula etiam vera non subministrare necessarium argumentum ad probandam veritatem doctrinæ, ex multis Patribus firmarunt Maldonatus *suprà*, Toletus *in cap. 9. Joannis, annot. 9.*

10. *Difficultas dubitandi.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; auctoritates enim in ea congestæ procedunt juxta antiquum Ecclesiæ morem, secundùm quem Episcopi poterant Martyres, & Confessores in propriis diœcesibus publicæ venerationi exponere: at postquam beatificatio Sanctorum Romanæ Sedi est reservata, Episcopi nequeunt aliquid circa venerationem defunctorum statuere. Possunt tamen Beatum semel pro aliis urbibus venerationi expositum, suorum etiam venerationi proponere, vel etiam quemlibet ex his, qui in Romano Martyrologio adscripti reperiuntur, etiam venerationi exponere; cùm illi omnes beatificati jam reperiantur, ut probat Vivar. *ubi suprà, §. 7. per tot.* Nec obstat augmentum deductum *ex dict. cap. venerabili, de testibus*: nam in eo textu Episcopi ex delegatione Pontificis tantùm recipiebant testes super vita, & miraculis B. Mauricii; non verò procedebant ad ipsam canonizationem, quam nec ex delegatione Pontificis facere poterant: quia potestas hæc definiendi infallibiliter tantùm Sedi Apostolicæ est concessa, & Romano Pontifici tantùm promissa assistentia Spiritus sancti; ita ut non possit errare in Decretis pro tota Ecclesia faciendis, ut docuerunt

cuerunt Aragon. 2. *2. quæst. 1. artic. 10.* Castro *de justa hæretic. punit. lib. 1. cap. 6.* Contelorius *in addit ad Castel. de canoniz. quæst. 3. artic. 2. num. 4.* Angel. Posius *de canoniz. cap. 4.* Hurtado *de vero Martyr. resol. 33. §. 8.* qui resolvunt, nec Concilium Provinciale, seu generale sine Pontificis interventione posse beatificationem, seu canonizationem facere. Nec tandem obstat augmentum deductum *ex dict. capite 1. de consecr. distinct. 3. capite final. de feriis*; nam textus illi procedunt juxta proximè tradita in sanctis Beatificatis jam, seu in Martyrologio Romano comprehensis; quorum festivitates indicere possunt in propriis diœcesibus, ut supra dixi. Nec tandem obstat, quod de miraculis expendebamus; nam licèt miracula magnum præbeant sanctitatis argumentum, non ideo infertur, ea facientes Sanctos esse, atque ita venerari posse absque approbatione Sedis Apostolicæ; siquidem ea miracula falsa esse possunt, ut supra probavi, aut ex causis naturalibus provenire: quare similia miracula accuratè examinantur à Cardinalibus sacræ Congregationis rituum, ut latè constat ex traditis per Paulum Zacchiam *libro 4. qq. Medico-legal. tit. 1. de miraculis*, & *tom. 2. consil. 10. cum sequent.* Carrasco *ad leges Recopil. cap. 5.* Hurtado *de vero martyrio, resol. 4.*

CAPUT II.

Innocent. III *in Concilio* (a) *Generali.*

CUm ex eo, quod quidam Sanctorum reliquias venales exponunt, & eas passim ostendunt, Christianæ religioni detractum sit sæpiùs; ne inposterum fiat, præsenti decreto statuimus, ut antiquæ reliquiæ amodò extra (b) capsam nullatenus ostendantur, nec exponantur venales: inventas autem de novo nemo publicè venerari præsumat, nisi priùs auctoritate Rom. Pont. fuerint (c) approbatæ. Prælati verò non permittant illos, qui ad eorum Ecclesias causâ venerationis accedunt, vanis figmentis, aut falsis (d) decipi documenris, sicut in plerisque locis occasione quæstus fieri consuevit.

NOTÆ.

(a) *Generali.*] Lateranensi videlicet, celebrato sub Innocentio III. ubi *capite 62.* reperitur præsens textus, & *in capite 2. de immunit. Eccles. in 4. compil.* de quo Concilio nonnullæ adduxi *in capite 1. de summa Trinit.*

1. (b) *Capsam.*] Capsa est articula, seu repositorium *l. 3. §. 1. ff. de supellect. legat.* Gregorius Turonensis *lib. 3. hist. capite 11.* ibi: *Nam sexaginta calices, quindecim patenas, viginti Evangeliorum capsas detulit, omnia ex auro puro, ac gemmis pretiosis ornata.* Camuladolensis *lib. 1. constit. capite 22. Nullus habeat capsam, aut quidpiam aliud in cella cum clavi ita obsirmatum, aut clausum, ut à Prælato valeat aperiri.* Eo etiam in sensu capsula pro repositorio, & thecula reliquiarum ponitur à Cæsario *libro 8. capite 67.* ibi: *Bernardus monachus reliquias Beatorum Joannis, & Pauli in capsula ad latus portabat.* Notavit Zerola *in adverf. capite 32.* Qui autem capsarii dicantur *in l. 3. §. ultim. ff. de offic. Præfect. vigil. l. 13. ff. de manumiss. vindict.* exponunt Cujac. *lib. 5. ibi, capite 8.* Poletus *lib. 2. hist. fori, cap. 4.* D. Laurent. Ramirez *ad Martialem lib. 4. epigr. 19.* Dorleans *ad Tacitum, fol. 87.*

2. (c) *Fuerint approbatæ.*] Quam approbationem majores nostri vindicationem dixerunt, ut constat ex Optato relato suprà *capite 1.* & ex his quæ refert S. Augustinus *in breviculo collat. capite 13.* fuitque planè necessaria ea vindicatio, ne facilè reliquiæ falsæ pro veris obtruderentur, ut defectu hujus examinis, vel malignitate impiorum aliquando ad tempus contingit. Exempla extant apud Sulpitium *in vita S. Martini, capite 8.* Turonensem *libro 9. hist. capite 5.* Glabrum *libro 4. histor. capite 3.* Neubrigen. *libro 5. capite 20. & 21.* quos refert Theophilus *tom. 15. in Heterocl. punct. 8. fol. 307.* In Concilio Tridentuno *sess. 25.* in decreto de Sanctorum reliquiis videtur hæc facultas concedi Episcopis, his verbis: *Circa reliquiarum venerationem nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente, & approbante Episcopo, qui simul atque de his aliquid compertum habuerit, adhibitis in Consilium Theologis, & aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati, & pietati consentanea judicaverit.* Synodus Pictavensis anno Christi 1387. celebrata, vetat corpora mortuorum de novo inventa adorari, & ipsa corpora pro sanctis coli, nisi ab Episcopis fuerint approbata. Tolosana anno 1590. ita decrevit: *Singulas diœceseos suæ reliquias viris spectatæ integritatis, & doctrinæ, prudentiaque conspicuis visitandas, notandasque quamprimum Episcopi committant, earumque nomina, numerumque ampliſſimis testimoniis obsignatum in libro, in Episcopali archivo diligenter asservanda describi curent, nullasque deinceps, quas ipsi præmissâ solicitâ inquisitione non approbaverint, populo venerandas proponi sinant.* Quas & alias constitutiones refert Bochellus *libro 4. Decretorum Eccles. Gallic. titul. 5* Unde Barbosa *de potest. Episc. alleg. 96. numero 1.* asserit, textum hunc derogatum esse per Concil. Tridentinum: quem etiam sequitur Hurtado *de vero Martyrio, resol. 43. b. 13.* licèt agnoscens magnam difficultatem, quare Episcopus possit reliquias

Martyris non vindicati, idest Sancti non canonizati, approbare; non autem veneratoni exponere novum Martyrem. Sed verius est, neque virtute Concilii Tridentini licere Episcopis approbare reliquias Sancti non canonizati, ut probant Suarez *tom. 1. in 3. part. quæst. 25. articul. 6.* & *disputat. 55. articul. 1.* Azor *tom. 1. instit. libro 9. cap... quæst. 8.* Sanchez *ad præcept. Decalog. libro 2. tom. 1. capite 43. numero 10.* & rectè, nam cùm Episcopis sit prohibitum aliquem inter Divos referre, ex traditis superiori commentario, consequens est, interdictam censeri approbationem reliquiarum sancti non Beatificati: & ita Concil. Trid. non tribuit Episcopis majorem potestatem, quàm de jure communi habent; sed præscribit formam servandam in probandis reliquiis Sancti canonizati noviter inventis; quam latiùs prosequuntur Ferrandus *in disquisit. reliquiar. lib. 2. capite 5. per tot.* Ricciulus *libro 1. lucubr. capite 23. cum sequent.* Circa hanc tamen reliquiarum probationem notatu valde dignus est canon 2. Concilii Cæsarauguſt. ubi statuitur, ut reliquiæ in quibuscunque locis de Arriana hæresi inventæ fuerint prolatæ à sacerdotibus, in quorum Ecclesiis reperiuntur, Pontificibus præsentatæ, igne probentur, ut tunc legitimæ censerentur, si ab incendio illibatæ remanerent. Idem gratiæ à divina benignitate, providentia, & potestate monachi Cassinenses olim sperantes in particula lintei, quo pedes discipulorum suorum Christus exterserat, experti sunt. *Etenim cùm plurimi* (inquit Leo Chronographus Cassinensis *libro 2. cap. 34.*) *fidem derogarent* (scilicet verum-ne, ac legitimum reipsa foret illud linteum, an adulterinum, quod se Hierosolymis Cassinum attulisse Monachi jactitabant), *illi fide præditi particulam ipsam ardentibus imponunt prunis, quæ mox in colorem ignis versa est, amotis tamen carbonibus ad pristinam speciem mirabiliter rediit.* Parem in Beatissimæ Virginis Deiparæ reliquiis integritatem recensetcontigisse S. Gregorius Turon. *libro 1. de gloria Martyr. capite 19.* Visumque abs se *hominem*, ait, *Joannem nomine, qui à Gallis leprosus abierat, & in ipso loco, quo Dominus fuerat baptizatus, ajebat se per annum integrum commoratum fuisse. Hic recuperata tandem sanitate, reliquias B. Mariæ à Hierosolymis accipiens, revertebatur in patriam; sed priùs Romam abire disposuit. Verùm ubi altas Italiæ solitudines est ingressus, incidit in latrones. Nec mora spoliatur indumentis, & ipsa quoque capsa, in qua beata gestabat pignora, capitur, existimantes enim inimici auri ibidem sestertias aggregatas, effracta clave omnia rimantur intentè. Sed cùm nihil in ea pecuniæ reperissent, extracta pignora in ignem projicunt, cæsoque homine discesserunt. Tunc ille semivivus exurgens, ut vel cineres exustorum colligeret pignorum, invenit super carbones accensos illæsas jacere reliquias, ipsumque linteum, quo involutæ erant, ita admiratur integrum, ut non putaretur prunis injectum, sed aquis absconditum. Colligitque cuncta cum gaudio, & viam, quam pergebat ingressus, usque ad Gallias pervenit incolumis.* Hactenus Antistes Turonensis. Venit in mentem, & stylum illibatæ medios inter ignes integritatis exemplum superiori non absimile, quod in sudario Christi exhibitum fuisse divinitus enarrat in hunc modum venerabilis Beda *libro de loc. sacros. capite 50. Sudarium capitis Domini post resurrectionem ejus mox Christianissimus quidam Judæus furatus, usque ad obitum cum divitiis sibi affluentibus habuit, qui moriturus interrogat filios, qui Domini sudarium? qui cæteras patris velit accipere divitias? Major thesauros rerum, minor eligit sudarium. Et mox illi decrescunt opes usque ad paupertatem; fratri autem cum fide crescunt & opes: quod usque ad quintam generationem fideles tennere. Hinc ad impios perveniens, artitias tantùm auxit, ut Judæis, & hoc multo tempore, donec per longa litigia, quibus Christiani Judæi se Christi, infideles verò se patrum suorum affirmabant hæredes, Maurias Sarracenorum Rex, qui nostrâ ætate fuit, judex postulatur; qui accensa pyrâ Christum judicem precatur, qui hoc pro suorum salute super caput habere dignatus est. Missum ergo in ignem sudarium velox rapiu effugiens evolat, & summo in aëre dantissimè quasi ludendo volucrtans, ad ultimum cunctis utrimque intuentibus sese leviter in cujusdam de Christiana plebe sinum deposuit.* Baronius *anno 678.* Hispaniæ ergo Patres, ne quid adulterinum circa reliquias admitteretur, statuerunt, ut reliquiæ igne probarentur, ut si ab incendio illæsæ remanerent, ut veræ, & legitimæ colerentur, ut docuit Baronius *anno 596.* Nec audiendus est Sahabedra *in chron. Goth. capite 15.* qui docuit, Hispaniæ PP. in eo canone tantum intendere, ut igne consumerentur reliquiæ apud Arianos inventæ; non autem, ut mediante ea probatione veræ à falsis separarentur, & dignoscerentur. Hoc enim probationis genus per ignem primis Ecclesiæ sæculis, etiam in negotiis sacris admissum fuisse probabimus infrà *in titul. de purgat. vulgari*; quam tamen explorationem circa sanctam crucem vetari in Capitul. Ludovic. dum in eo indefinitè prohibetur crucem probare, censuit Theophilus *tom. 15. in Heterocl. punct. 8. fol. 302.* quoad præsentem casum probationis reliquiarum videndus est Ferrandus *lib. 2. disquis. reliq. cap. 3. artic. 1.*

Decipi.] Fuerunt olim quidam clerici, ac monachi, qui execrandâ prorsus audaciâ ob avaritiam, quæstumque finxere miracula, & strophas, religionis nomen ementientes, & æstimantes quæstum esse pietatem, & falsas reliquias pro veris publicè exponentes, ut referunt D. Gregorius *libro 3. epistol. 12.* & *30.* ibi: *Quidam monachi Græci huc ante biennium venientes, nocturno silentio juxta Ecclesiam S. Pauli corpora mortuorum in campo jacentia effodiebant, atque eorum ossa recondebant servantes ibi dum recederent. Qui cùm deprehensi, & cur hoc facerent, diligenter fuissent discussi, confessi sunt, quod illa ad Græciam essent tanquam Sanctorum reliquias portaturi.* D. Augustin. *libro de opere monach. capite 28.* ibi: *Tam multos hypocritas sub habitu monachorum usquequaque dæmon dispersit circumeuntes provincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. Alii membra Sanctorum Martyrum, si tamen Martyrum, venditant; alii simbrias, & phylacteria sua magnificant.* Varios casus referunt

referunt Gregorius Turon. *lib. 9. hist. Franc. cap. 6.* Neubrigensis *lib. 5. cap. 20. & 21.* Manrique *annal. Cistere. anno 1171. cap. 3. num. 3.* Nec solùm falsas reliquias pro veris publicæ venerationi exponebant, verùm & miracula ementientes, Christi, & Sanctorum imagines ad majorem quæstum sibi comparandum, diabolico quæstu supponebant, ut exemplis suo tempore prolatis scribunt Nancel. *ad finem libri de risu*, Polyd. Vergil. *lib. 3. de prodig. sub finem*, Prosperus *in dimid. tempor. cap. 6.* quas impostruras gravi odio, atque execratione Ecclesiæ Patres semper prosequuti fuerunt. Concil. African. *can. 30.* Zacharias Pontifex in Synodo Rom. ubi Adelbertum nequissimum reliquiarum propolam his verbis damnavit: *Adelbertus, cujus nobis actus & nefaria commenta relata sunt, quia se Apostolum censuit nominare, & capillos, atque ungulas suas pro sanctuario exhibuit, seducens populos diversis erroribus & reliqua. Ab omni officio sacerdotali deponatur, agens pœnitentiam pro commissis. Sin autem in his erroribus perseveraverit, & amplius populum seduxerit, sit anathema, & eterno Dei judicio condemnetur.* Plura de hac sacrilega avaritia, & populi Christiani seductione adducunt Ferrandus *disquisit. reliq. lib. 1. cap. 9. ad finem.* Gibalinus *lib. 1. de univers. neg. tom. 1. consect. 4. cap. 4.*

COMMENTARIUM.

4. *Conclusio traditur, & probatur.*

EX hoc canone talis deducitur assertio: *Sanctorum reliquiæ venales exponi non debent, sed intra capsam, ad venerationem tantùm ostendi.* Priorem partem assertionis probant textus *in l. 3. C. de sacr. Eccles.* ibi: *Nemo Martyres distrahat*, ubi Harmenopulus vertit *Sanctorum reliquias*; quem sequuntur Gothofredus *ibi*, Petrus Gregor. *lib. 2. syntag. cap. 12.* Trident. *sess. in Decret. de reliq.* ubi Patres omnem quæstum circa imagines, & Sanctorum reliquias improbant. Synod. Turon. celebrata anno 1448. *can. 16.* ibi: *Prohibemus, ne ignotæ Sanctorum aliquorum reliquiæ, quæstus gratiâ per nostram provinciam deferantur: contrarium facientes, per locorum Ordinarios compescantur.* Constantiense *sess. 10.* Narbon. *can. ultim. l. 7. C. Theodos. de sepulchro viol.* quæ extat *in dict. l. 3.* & illi constitutioni occasionem dedisse Pseudomonachos Martyrum reliquias vendentes, de quibus D. Augustin. *de opere monach. cap. 28.* credunt Baronius *anno 386.* Pancirola *lib. 2. variar. cap. 162.* Illustrant Suarez *tom. 1. de relig. tract. 3. de simon. lib. 4. cap. 14. num. 24.* Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 43. num. 22.* Azor *p. 1. instit. lib. 9. cap. 8. quæst. 7.* Fagundez *lib. 1. in 1. Eccles. præcept. cap. 4. num. 29.* Hurtado *de vero Martyrio resol. 43. §. 13.* Ricciul. *lib. 1. lucubr. cap. 43.* Gibalinus *de simon. quæst. 12. consectar. 14.* Mornac. *in dict. l. 3.* Secundam partem, videlicet reliquias venerandas esse, probant caput *Venerabiles, de consecr. dist. 3.* Concil. Gangrense relatum *in cap. placuit, de consecr. dist. 1.* Concil. Romanum sub Sylvestro, Nicæn. 2. *act. 1. & 7.* Epaun. *can. 25.* Brachar. 3. *can. 5.* Meldense *can. 39.* Mogunt. 3. *can. 43.* Trident. *sess. 25. in Decret. de vener. Sanctor.* quorum verba referunt Crespetius *in summa, verbo Reliquiæ*, Anton. Augustin. *lib. 16. tit. 2. per tot.* Ricciulus *lib. 1. lucubr. cap. 18.* Illustrant ultra suprà congestos Ferrandus *in disquisit. reliquiar. lib. 1. cap. 8. & cap. 9. artic. 2. & cap. 10. artic. 2. & 2. p. cap. 5.* P. Gregor. *lib. 1. partit. tit. 18. cap. 3.* Ricciulus *lib. 7. lucubr. cap. 17. cum seq.* Hurtado *dict. resol. 43. §. 12.* Jacob. Gothofr. *in dict. l. 7.* Thom. Delbene *de offic. Inquisit. dubit. 234. sect. 11.* Menardus *in not. ad concord. regular. fol. 123.* Gibalin. *de negot. tom. 1. lib. 1. art. 3. cap. 4. consect. 4.* Theophil. Raynaud. *tom. 15. in Heterocl. punct. 8. fol. 315.*

Sed hæc assertio, quæ duplicem continet partem, duplicem etiam patitur dubitandi rationem. Prima nascitur ex eo; nam si reliquiæ publicè exponantur venerandæ, & adorandæ, quæstus, & majoris eleemosynæ assequendæ gratiâ, nulla simonia committitur, ut probant Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 43. num. 22.* Gibalinus *de simon. quæst. 12. consect. 4.* Petrus Baldel. *in Theolog. Moral tom... lib. 3. disput. 17. num. 22.* Castropalao *tom. 2. oper. moral. tract. 8. disput. 1. punct. 6. num. 17.* Diana *p. 10. tract. 16. resol. 73.* igitur quia licet quæstus causâ publicè reliquias exponere. Secunda assertionis pars continet eam dubitandi rationem, quam novatores, & reliquiarum impugnatores adduxerunt, ut earum venerationem improbarent. Primò adducunt caput 34. Deuteronomii, ubi refertur, Moysem sepultum fuisse in valle contra Phorger, ut nemo cognovisset sepulchrum suum. Cujus facti ratio ea communiter traditur, ne ab Hebræis adoraretur: ergo si Deus voluit sepulchrum Moysis latère, ne adoraretur, sequitur quod corpora Sanctorum non sunt adoranda. Secundò quia apud D. Matthæum, *cap. 22. vers. 24.* Lucam *cap. 11. num. 48.* Scribæ, & Pharisæi reprehenduntur tanquam hypocritæ, eo quod ædificabant sepulchra Prophetarum, & ornabant monumenta Justorum. Deinde quia nullum reperitur præceptum Christi Domini de reliquiis venerandis: ergo quia venerandæ non sunt.

5. *Impugnatur tradita assertio.*

Adhuc tamen defensanda est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, veneration-nem reliquiarum in lege Gratiæ jam à temporibus Apostolorum cœpisse, & pluribus miraculis comprobatam fuisse, contra hæreticos, qui semper curarunt eadem sacra pignora impugnare, & prophanare: qui verò primus omnium in Ecclesia Dei cultum sacrum reliquiarum ausus est impugnare, fuit Eunomius, nec alio certè, quàm satanico spiritu afflatus in hanc veritatem debacchatus est: quem perditissimus Vigilantius, & inde Claudius Taurinensis, ac demùm cæteri hæreticorum satellites sunt consectati: unde Gennadius *de eccles. dogmat. cap. 73.* ait: *Sanctorum corpora, & præcipuè Beatorum Martyrum reliquias, perinde ac Christi membra sincerissimè honoranda; basilicas eorum nominibus appellatas, velut loca sancta divino cultui mancipata, affectu pissimo, & devotione fidelissima adeundas credimus: si quis contra hanc sententiam venerit, non Christianus, sed Eunomianus, & Vigilantianus creditur.* Meminerunt hujus sacræ venerationis D. Basil. *homil. in 40. Martyres*, Nyssenus *orat. in sanct. Theodor. Martyrem*, ibi: *Quod si quis etiam pulverem, quo conditorium, ubi Martyris corpus quiescit, obsitum est, auferre permittat, pro munere pulvis accipitur, & tanquam res magni pretii, condenda terra colligitur.* Nazianz. *orat. 3. invectivâ*, in Julianum agens, *numero 30.* de Martyribus: *Quorum*, ait, *vel sola corpora idem possunt, quod animæ sanctæ, sive tangantur, sive honorentur.* Magnates

6. *De veneratione reliquiarum.*

auctor eruditus, qui scripsit ante annos 1200. *lib. 4.* contra Theosthenem. *Manifestum est* (inquit) *quod ossa Sanctorum non sunt mortua, sed plena virtute.* Emissenus homilia de sancta Blandina: *Ubi sunt, qui venerationem sacris Martyrum non esse deferendam corporibus?* August. *de Eccles. dogm. cap. 73.* ibi: *Sanctorum corpora, & præcipuè Sanctorum Martyrum reliquias, ac si Christi membra sincerissimè honoranda.* Unde *lib. 22. de civit. Dei cap. 8.* de reliquiis S. Stephani multa miracula operantibus plura dicit: legatur ibi Coqueus. Et *lib. 9. confess. cap. 7. de reliquiis SS. Martyrum Gervasii, & Protasii.* Et Hieronymus *adverss. Vigilant. cap. 2. de reliquiis S. Andreæ.* Et Sanctus Joannes Chrysost. *lib. contra Gentiles, de reliq. S. Babylæ Martyris:* & *homil. 66. ad populum.* S. Ambros. *epist. 85.* & *serm. 92. Quod si dicas mihi, quid honores in carne martyris jam resoluta, atque consummata? de qua jam Deo nulla cura est? Et ubi est illud charissimi, de quo ipsa Veritas loquitur per Prophetam, pretiosa inquit est in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Et paulò pòst: *Honoro ego in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices: honoro viventis memoriam, perennitatem virtutis: honoro per confessionem Domini sacratos cineres. Cur autem non honorant corpus illud fideles, quod reverentur, & dæmones, quod afflixerunt in supplicio & glorificant in sepulchro? Honoro itaque corpus, & Christus honoravit in gladio, quod cum Christo regnavit in cœlo.* Hæc egrigiè Sanctus Doctor, in quibus proposuit nobis omnia ferè Catholica motiva, quibus nitimur ad reliquias Sanctorum venerandas: quare ait August. *cap. 73. de Eccles. dogmat. Si quis contra hanc sententiam venerit, non Christianus, sed Eunomianus, & Vigilantianus creditur.* Quæ reliquiarum veneratio suadetur ex veteri Ecclesiæ cura circa sepulturam Sanctorum, & visitatione fidelium, ac vigiliis circa cæmeteria, & cryptas Martyrum, de quibus egi *in can. 35. Concil. Illiber.* Plura de hac veneratione reliquiis Sanctorum debita congesserunt Ferrandus *integr. disquisit.* Scribanius *de reliq.* D. Sanctius de Avila *integro tract. de venerat. reliq.* Suarez *adverss. Regem Angliæ lib. 2. cap. 10.* Baronius *anno 57.* Joan. Aurel. *lib. 1. de imagin.* Valdens. *lib. 3. tit. 22. cap. 164. & sequent.* Bellarm. *lib. 7. de Sanctis, p. 4.* Jodocus Coccius *tom. 1. thesauri lib 5 art. 16.* Castro *adverss. hæreses, verbo Reliquiæ,* Albert. Pius *lib. 1. contra Erasm.* Alanus Coppus *dialog. 3.* Vazquez *dialog. 3. de adorat. disp. 3. num. 78.* Matth. Bredembachius *lib. 4. antiperapistheis, cap. 27.* Joan. Dartis *ad dist. 3. de consecr.* Valentia *2. 2. disput. 6. quæst. 11. punct. 6.* Scortia *lib. 3. de Missa, cap. 12.* Christ. Lupus *ad 7. Synod. can. 3.* Theoph. *tom. 15. in Heterocl. p. 2. punct. 8.* Ricciulus *lib. 1. lucubr. ferè per tot.* qui, & dictus D. Sanctius de Avila fusè hanc venerationem viguisse in lege naturali, scripta, & gratiæ probant.

7. *Traditur ratio decidendi.*

His ita animadversis, apparet jam vera ratio præsentis assertionis; nam cùm veneratio debeatur Sanctorum reliquiis, non debent passim, & irreverenter ostendi; sed intra capsam, ut ita devotè venerentur à fidelibus: nec etiam debent venales exponi; nam si Gentilium votum semper fuit, ne reliquiæ suæ, aut suorum distraherentur, alienarenturve, *l. pater, §. Julius Agrippa, ff. de legat. 3.* ubi *pro majorem,* legit, *majorum,* Pancirola *lib. 1. variar. cap. 173.* quantò magis reliquiæ Sanctorum, quibus omnis veneratio debetur, debent ab omni commercio, & nundinatione esse immunes: licet tamen eas quolibet pretio redimere ab infidelibus, quia tunc non tàm emuntur, quàm ab injustis possessoribus vendicantur; & pecunia non tam pretium, quàm instrumentum redimendæ vexationis creditur; quia sicut Sanctus captivus apud hostes vivus redimi posset, ita & reliquiæ redimi valent, in quibus ejus memoria conservatur, *l. ossa, l. cùm corpus ff. de relig. & sumptib.* Unde legimus, piè, ac laudabiliter non rarò à Christianos erutas, vel potiùs redemptas fuisse Sanctorum glebas, sive reliquias, cùm periculum imminebat, ne à tyrannis, vel infidelibus turpitur, & impiè haberentur. Unde tunicam Christi Domini inconsutilem à Christianis redemptam refert Baronius anno Christi 54. & Paulus Diaconus *lib. 6. de gestis Longob. cap. 46.* refert quod Luitprandus audiens, quod Sarraceni depopulatâ Sardiniâ, etiam loca illa, ad quæ ossa Sancti Augustini Episcopi, propter vastationem Barbarorum olim translata honorificè fuerant condita, fædarent, misitèo, & dato magno pretio accepit, & transtulit ea in urbem Ticinensem; ubi ea cum honore tanto Patri debito condidit. Baronius etiam anno 725. refert, reliquias Sancti Ignatii Martyris pretio mediante sub Trajano Imperatore Antiochiam translatas anno Domini 111. & Henricum Germanorum Regem, non solùm aurum Rodulpho misisse, sed Sueviæ quoque partem illi dedisse pro lancea, quâ Christi latus perforatum fuit: & laudabilem Christianorum Principium in conquirendis, & redimendis Divorum Orientalium reliquiis ardorem, ac studium narrat Matthæus Paris. *histor. Angliæ anno 1191.* in hæc verba: *Expugnatâ Hierosolyma collegerunt omnes Christiani omnes reliquias Sanctorum, quas in locis sacrosanctis poterant invenire; & posuerunt eas in quatuor magnis eburneis capsis, quas Saladinus intuens, & quid in his contineretur, diligenter inquirens, jussit Baldach referri, ne Christiani de ossibus mortuorum gloriarentur ulterius, & crederent eos habere intercessores in cœlis, quorum ossa venerarentur in terris. Princeps autem Antiochenus, & Patriarcha, caterique fideles tanto thesauro nullo modo defraudari volentes, promiserunt sub juramento, se easdem reliquias redempturos quinquaginta duobus millibus byzantinorum.* Plura Theophilus *tom. 15. in Heterocl. punct. 8. fol. 315.* Et sicut possunt reliquiæ ab infidelibus redimi, ita & subtrahi absque vitio furti. Genuensis *in praxi, cap. 56.* Ricciulus *lib. 1. lucubr. cap. 43. num. 11.* an verò tempore belli possint reliquiæ à victoribus abstrahi, & occupari, dubium est? Affirmativè resolvit Ferrandus *disquis. reliq. lib. 1. cap. 8. artic. 3.* Sed contrarium meritò probat Diana *p. 10. tract. 16. resol. 74.* Suarez *de Eucharist. disp. 13. sect. 7. num. 14.* Valentia *2. 2. disp. 3. quæst. 16. punct. 13.* Castropalao *tract. 6. disput. 5. p. 4. num. 18.* Bonacina *disput. 2. de rest. q. ult. sect. 1.* Theophilus *tom. 15. in Heterocl. p. 2. punct. ult. fol. 320.* Posse autem aliquam insignem reliquiam, veluti velum B. Virginis, seu partem coronæ spineæ, impunè vendi, resolvit Hurtado *de vero martyrio, d. resol. 43. §. 13.* quia tunc non venditur res spiritualis, sed ejus antiquitas.

Nec obstat prima dubitandi ratio suprà adducta, pro cujus solutione sciendum est, dubium *Refunditur* versari, an quando eo tantùm fine lucrandi plu- *ratio dif-* res eleemosynas exponuntur reliquiæ, vera si- *ficultatis* monia incurratur, quamvis nullum pactum initum fuerit? Et affirmativè docent communiter

Repetentes

Repetentes *in præsenti*, Panormitan. *notab. 1.* Joannes Andreas *num. 2.* Ant. de Butrio *num. 4.* Ancharanus *num. 1.* Ugolinus *de simon. tabul. 1. cap. 38.* Azor 1. *p. instit. lib. 9. c. 8. quæst. 7.* Sed contrarium rectiùs docuerunt Doctores suprà pro dubitandi ratione adducti; quia falsum est, committi simoniam quoties in re, aut ex re aliqua spirituali intenditur tanquam finis principalis lucrum temporale, nisi intendatur tanquam pretium rei spiritualis; nisi enim pretii ratio intercedat, nec venditio, neque emptio dari valet. Nec sanè in communi hominum sensu eleemosynas ex reliquiarum ostensione quærere, est illas aut pretio æstimare, aut vendere: immò iste finis principalis eleemosynarum vix fuerit mortalis, quia est tantùm culpa pravæ ordinationis ad finem. Ea autem quando finis non est mortalis, non habet nisi malitiam venialem, ut docent Cajetanus 2. *2. q. 148. art. 2.* Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 3. num. 1.* Si autem primò, & principaliter reliquiæ vendantur, simonia committitur; nam illæ non aliunde sunt æstimabiles, quàm relatione ad sanctam animam, & quia membra hominis sancti fuerunt, unde recenseri non debent inter ea, quæ sunt antecedenter annexa spiritualibus, cùm ipsæ in se sint aliquid spirituale, ut probat Gibalinus *de simon. quæst. 12. conclus. 4.* Nec obstat secunda difficultas deducta ex fundamentis hæreticorum, quæ sicut ex sola impietate depromuntur, ita facilè dissolvuntur: fatemur enim Deum voluisse latere sepulchrum Moysis, ne à Judæis tanquam Deus adoraretur, & sic laberentur in idololatriam; non tamen ne Propheta, & Dei famulus adoraretur. Inter hæc autem discrimen hoc adest, quòd adoratio soli Deo debetur, veneratio verò debetur Sanctis, tanquam ejus famulis, ita ut veneratio in eorum persona Deo referatur. D. Thomas 3. *part quæst. 25. art. 6. ad 1.* Quod autem voluerit Deus corpus Moysis ex prædicta ratione latere, docuerunt Philo Judæus *lib. 3. de vita Moysis, ad finem.* Histor. Scholast. *Deuteron. cap. 20.* Theodoretus *in Deut. tom. 1. q. 43.* & ibi: *in cap. 23.* Cajetanus, & Oleast. Difficultas etiam deducta ex dictis locis Matthæi, & Lucæ variè à Patribus refellitur: placet expositio Cajetani *in Matthæum c. 23.* dum ait: Qui sepelit occisum, potest hoc facere vel ut mortuum honoret, vel ut compleat actum homicidæ. Sepeliit Enoch Adamum, ut illum honoraret: sepelit Cain Abelem, ut scelus lateret: Judæi autem etiamsi dicerent se ædificare sepulchra Prophetarum, ut eos honorarent, facto tamen contrarium indicabant, & propterea jure reprehenduntur, quòd sub specie religionis Prophetas insectarentur, prout docuit eventus; quia Christum ejusque discipulos perdiderunt. Nec tandem obstat, quod Hæretici expendunt, videlicet Christum Dominum nunquam reliquiarum venerationem præcepisse; nam non rectè arguitur: Christus Dominus hoc non præcepit: ergo à nobis faciendum non est; siquidem ubi actio suapte naturâ bona est, fieri debet ex præcepto generali, quo tenemur bonum operari: at reliquias colere actio est sancta, ut patet ex hactenus dictis: ergo etsi præcepta expressè à Christo non reperiatur, præcipuè cùm Ecclesiæ canonibus statuta reperiatur, observari debet, ut probat Ricciulus *lib. 1. lucub. cap. 10.*

TITULUS LXVI.

De observantia jejuniorum

CAPUT I.

Innocent. III *Clericis Sancti Petri, &* (a) *Magdalon.*

EX parte vestra fuit quæsitum à nobis, utrum si (b) nativitatem Domini, vel (c) assumptionem Beatæ Mariæ, vel festivitatem alicujus Apostolorum in secunda feria contigerit evenire, die Sabbathi præcedenti vigiliam debeat jejunari? & utrum in Beati Matthiæ Apostoli vigilia sit jejunium injungendum? Ad quod breviter duximus respondendum, quod die Sabbathi festivitates prælibatas secundæ feriæ precedenti, & (d) B. Matthiæ Apostoli debet vigiliâ jejunari.

NOTÆ.

(a) *Magdalon.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* & *in cap. ex parte, de celebr. Missar.* ubi extat alia pars hujus textus, ut ibi notavi.

(b) *Nativitatem Domini.*] De qua festivitate agemus infrà *in cap. final.* & nonnulla adduxi *in cap. ex parte, de celebr. Missar.*

(c) *Assumptione Beatæ Mariæ.*] Cujus festivitatis institutio non est juris divini, ut voluit Joannes Andreas *in capite licèt, de feriis*; sed ab ipsis Apostolis statuta fuit, ut probant Suarez *tom. 1. de relig. tract. 2. de Sanctis, cap. 8. num. 24.* Azor *p. 2. Instit. moral. lib. 1. cap. 20. q. 1. §. Caterum*, Acunna *in cap. final. 70. dist.* Herrera *de orig. divin. offic. lib. 2. cap. 60.* hujusque festivitatis mentio fit *in capite pronunciandum, de consecr. dist.*

distinct. 3. cap. conquestus, de feriis: & plura de hoc sacro mysterio piè, & docte congessit Tamayus à Salazar *tom. 4. in Martyrolog. die 15. Augusti.*

2. (b) *Beati Matthiæ.*] Ratio dubitandi ex eo proveniebat; nam cùm D. Matthias non fuisset à Christo Domino nostro in Apostolum electus, sed postea ab Apostolis in locum Judæ proditoris fuisset suffectus, ut probabimus *in cap. final. de sortileg.* à quibusdam ambigebatur, an pro Apostolo quoad omnia habendus esset? Et cùm in Apostoli locum esset suffectus, pro Apostoloque haberetur, ideo Innocentius in præsenti docet, in ejus vigilia jejunandum esse, ut in aliis Apostolorum vigiliis.

COMMENTARIUM.

3. *Conclusio traditur, & illustratur.* EX hoc textu sequens deducitur assertio: *Vigiliâ alicujus sancti occurrente die Dominico, jejunari debet in Sabbatho.* Non est similis decisio in jure, quâ ab specie probari possit hæc conclusio; per argumentum tamen firmari valet *ex cap. jejunium, cap. placuit, cap. ne quis, cum sequenti, de consecr. dist. 3. cap. post. Paschа, 76. dist. cap. sacerdos 26. quæst. 7. cap. si quis tanquam, cap. si quis presbyter, 30. dist.* Ex sancto Epiphan. *in compend. fidei exposit. num. 22.* ibi: *Qui pietati student, egregia quadam laudabili voluntate perpetuò (solis Dominicis, ac Pentecostes diebus exceptis,) jejunia sibi, ac vigilias imponunt.* Sancto Alexandro *in canones, cap. 15.* S. Ambrosio *epist. ad Episcopos Æmiliæ*, ibi: *Dominicam autem celebrare non possumus, quia Manichæos etiam ob istius diei jejunia jure damnamus.* S. Augustino *epist. 86. Die Dominico jejunare scandalum est:* & *epist. 119.* Gregorius II. *in capitul. ad Martinianum, aliosque suos in Bajoariam Legatos, cap. 10.* ait: *Ut fideles doceantur Dominicis diebus non licere omnino jejunare.* S. Ignatius *epist. ad Philip.* Tertul. *de corona milit.* & *in Apolog. cap. 16.* Damascenus *lib. de jejunio,* P. Damianus *opusc. 14. l. 6. tit. 23. p. 1.* Illustrant ultra congestos à Barb. & Garanna in præsenti, Haæphtenus *disquisit. monast. libro 10. tract. 7. disquis. 6.* P. Gregorius *lib. 1. part. tit. 28. cap. 3.* & *lib. 2 syntag. cap. 18.* Baronius *anno Christi 78. num. 73.* Acunna *in cap. de jejunio, 73. distinct.*

Sed præsens assertio difficilis valde redditur sequenti consideratione, nam jejunium quantò acceptum Deo sit, nemo est, qui nesciat, si quidem ait D. Ambrosius *de Elia, & jejunio,* quod jejunium est substantia cœlestis, vita Angelorum, radix gratiæ, & fundamentum castitatis: & D. Hieronymus *in epist.* illud commendans ait: *Solicitè advertendum est, ut quos saturitas de paradiso expulit, reducat esuries.* Aliis auctoritatibus probat Ant. Augustinus *in epit. lib. 22. titul. 1.* præcipuè si cum oratione conjungatur, juxta illud Tobiæ *cap. 12. Bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna.* Judith *cap. 2. Scitote, quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si permanseritis in jejuniis, & orationibus.* Unde ait D. Chrysost. *in cap. 6. D. Matthæi: Sicut nec miles sine armis aliquid, nec arma sine milite; sic nec oratio sine jejunio, nec jejunium sine oratione.* D. Augustinus *serm. 230. de tempore: Jejunium concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit; jejunium verbositatem non amat.* Plura Novarinus *lib. 6. aquæ nupt. cap. 98.* Sed dies

4. *Impugnatur tradita assertio.*

Dominicus specialiter orationi dicatus est, ut probavi *in cap. 14 de feriis*: igitur & jejunio aptus est, & per consequens si in eo occurrat vigilia alicujus Sancti, jejunari potest. Augetur hæc difficultas *ex capite utinam, 76. distinct.* ubi ait D. Hieronymus: *Utinam omni tempore jejunare possimus.* Igitur nihil interest, quod in die Dominico, vel alia die jejunium incidat. Et D. Paulum cum aliis etiam diebus Dominicis jejunasse, refertur *Actuum Apostol. cap. 15.*

5. *Dissolvitur & fundamentum.*

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, primis Ecclesiæ sæculis apud fideles hoc moris fuisse, ut in festivitatibus Domini nostri, & Sanctorum ejus ad gratiam promerendam, & impetrandam, aliquibus piis actionibus, & orationibus in vespere festivitatis Christiani exercerentur, veluti vigiliis, stationibus, & jejuniis; quæ ut omnibus innotescerent, inter concionandum stata jejuniorum, ac vigiliarum tempora nuntiari, probat Ferrarius *de ritu concionandi cap. 28.* & de his sigillatim agamus. Ad vigilias enim, tam clerici, quàm laici utriusque sextus accedebant, in Ecclesiis, seu Martyrum cæmeteriis continuâ in oratione pernoctantes. D. Basilius *in psalmo 114.* ibi: *Jam inde ex media nocte venientes, ad sacrum Martyrum templum, Deum ipsum Martyrum per hymnos laudantes sustinuistis usque ad hanc diem nostrum adventum expectantes. Vobis quidem igitur, & somni, & quietis, quæ in honorem Martyrum, & Dei adorationem impendistis, præsto est.* Plura de his vigiliis congesserunt Joannes Dartis *de pœnitent. cap. 22.* Durand. *lib. 3. de ritibus, cap. 4. & 5.* Francolinus *de horis canonicis, cap. 1. 2. 4. & 5.* Bernacius *lib. 1. de hor. can. cap. 20.* Herrera *de orig. divin. offic. lib. 2. cap. 17.* & nos adduximus *in can. 35. Concilii Illiber.* quæ huc repetere non licet. Ad stationes ergo deveniamus. Et sciendum est, stationis verbum castrense esse, seu à re militari traductum; nam milites, qui à loco ubi excubabant, progredi nequibant, stationes facere dicebantur, & in statione esse. Tertul. *in apolog. cap. 2.* ibi: *Latronibus vestigandis per universas provincias militaris statio sortitur.* Statius Papinius *lib. 12. Thebaid.*

Immisso casis statio horrida somno
Vigiles simul excitat illic.

Virgilius *lib. 4. Æneid.*

Succedunt, servantque vices, statione relictâ.

Itaque statio accipitur pro loco ad excubias agendas destinato, eo quod in eo cogantur milites stare, nec possint illum relinquere. Suetonius *in Tiberium*, ibi: *Stationes militum per Italiam solito frequentiores disposuit*; id est, loca plura, quibus milites starent. Hinc milites stationarii dicuntur *in l. 1. C. de cohort. lib. 22. l. 1. C. de irenarchis, lib. 10. l. 1. §. est etiam ff. de servis fugit. l. 1. §. quies, ff. de offic. Præfect. vigil.* Illustrant Pancirola *lib. 2. variar. cap. 266.* Bulengerus *lib. 6. de Imperat. cap. 32.* aliquando tamen statio accipitur pro loco ubi sistitur alicujus muneris causâ, ut *ut l. item apud Labeonem, §. convitium, ff. de injuriis, l. Fulcinius 7. §. illud, ff. ex quibus causis majores, l. ne quis 6. C. de dignit. lib. 12.* veluti administrationis fiscalis causâ, *l. 1. C. ne fiscus rem quam vendit, l. 5. C. de vectigal.* Illustrat Amaya *in d. l. 1. num. 1.* vel saltem

saltem confabulationis gratiâ, ut apud Juvenalem *satyr. 3.*

Convictus, thermæ, stationes, omne thearum.

Junctis Valesio *in not. ad Marcellinum, fol. 10.* Revardo *lib. 4. variar. cap. 7.* Brissonio *lib. 2. select. cap. 12.* Cujacio *lib. 1. observ. cap. 13.* Turturet. *dissert. 28. juridica.* Similiter ergo apud Christianos statio accipitur pro permanentia in Ecclesia usque ad certam horam, videlicet nonam: nam primis illis Ecclesiæ sæculis, diebus jejunii fideles in Ecclesia conveniebant, ibique usque ad horam nonam morabantur, orationi, & divinarum rerum contemplationi vacantes, corporaque jejuniis, & geniculationibus, lachrymisque exercentes. Denique horâ nonâ, Eucharistiâ acceptâ stationem solvebant. Tertul. *lib. 2. ad uxorem, cap 4.* ibi: *Si statio faciendæ est de die, maritus conducat ad balnea: si jejunia observanda sunt, maritus eodem die convivium exerceat.* Ubi appositè ponit stationem cum balneis, quia sicut Christiani manè conveniebant in Ecclesia, ut antelucanos cœtus celebrarent, stationemque inciperent; ita Gentiles summo manè ad balnea procedebant. Idem Tertullianus *in Apolog. cap. 42.* & *de corona militis*, ipsarum stationum meminit, ibi: *Cur stationibus quartam, & sextam Sabbathi dicamus.* Quem locum exponit Bosquetus *in notis ad Innocent. III. lib. 2. epist. 18.* In stationibus autem fideles orabant de geniculis, idest in genua provoluti; non autem stantes; nam quoties diebus mœroris, & tristitiæ, ut in diebus jejunii, orandum erat, toto corpore jacentes orabant; unde nec diebus Dominicis, nec à tempore Paschæ usque ad Pentecosten stationes habebantur. Tertul. *de jejuniis cap. 10.* ibi: *Die Dominica nefas dicimus de geniculis adorare; eadem immunitate à die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus.* Et *cap. 2. de feriis.* Oratio igitur jungebatur cum jejunio, quia ut ait Divus Cyprianus de operibus Christi, *efficax est oratio præcedente jejunio, & sacris jejuniis antecedentibus, non patitur postulatio devota repulsam.* Unde quia in ipso jejunii die statio tenebatur, jejunium aliquando appellatur statio. Tertul. *de anima, cap. 42.* ubi de jejuniis agens ait: *Daniel trium hebdomadarum stationè aruit victu.* D. Hieronymus adversus Jovinianum: *Saul* (inquit) *sicut in libro 1. Regum scribitur maledictus inquit, qui ederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar me de inimicis meis; & non gustavit omnis populus ejus, & tota terra prandebat, tantique fuit auctoritas stationis.* Illustrat Baronius *anno 57. num 198.* Discrimen tamen illud dabatur inter jejunium, & stationem; nam jejunium ex præcepto, statio ex devotione tenebatur, ut contra Pamelium probat Albaspineus *lib. 1. observat. cap. 16.* Solvebatur autem statio acceptâ communione corporis Christi, ideoque nisi peracto sacrificio Eucharistia non sumebatur, quia eâ acceptâ non poterant in statu mœroris, & genuflexionis permanere. Tertul. *in lib. de orat.* ibi: *Similiter de stationum diebus non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quòd statio solvenda sit accepto corpore Domini. Ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit, an magis Deo obligat? nonne solennior erit statio tua, si ad aram Dei steteris, accepto corpore Domini & reservato? Utrumque salvum est, & participatio sacri, & executio officii.* Prosequuntur Albaspineus *suprà*, Bosquetus *ad Innocent. lib. 2. epist. 18.* Stationes tandem à jejuniorum diebus sanctus Gregorius separavit, qui jussit, stationes in Dominicis diebus Adventus, & Quadragesimæ certis in locis fieri, ut refert Joan. Diaconus *in vita ipsius Sancti, lib. 7. cap. 18.* quam consuetudinem & hodie servari plerisque in locis refert Bellarminus *de jejun. lib. 1. cap. 22.* Franc. Maria Florent. *in notis ad Martyrol. exercit. 2.*

6. *De jejuniis vigiliarum.*

Tandem in his vigiliis majorum festivitatum fideles jejunabant: cujus jejunii formam, & leges ut exponamus, sciendum est, quod licèt jejunium aliquando metaphoricè accipiatur pro abstinentia à culpis, & vitiis, ut apud Isaiam *cap. 58.* ibi: *Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi, dissolvere colligationes impietatis?* Alexandrum *lib 6. stromatum*, D. Hieronymum *in Matthæum, cap. 7.* ibi: *Jejunium est non solum ab escis, sed à cunctis illecebris abstinere.* D. Augustinum *lib. 2. in Evangelia, quæst. 18.* ibi: *Sacra Scriptura docet generale jejunium non à concupiscentia ciborum tantum, sed ab omni lætitia temporalium delectationum.* Tamen in præsenti jejunium accipitur pro abstinentia à cibo, quod Græci νηστεία, idest inediam appellant, quod ita vulgò *definitur*: Jejunium Ecclesiasticum est *Abstinentia cibi, secundùm Ecclesiæ regulam assumpta.* Probant Petrus Gregorius *lib 2. syntag. cap. 18.* Fagundez *in 4. Eccles. præceptum, cap. 1.* Dicitur abstinentia cibi, quia alia quæ trajiciuntur ad stomachum, veluti pharmaca, & alia, quæ non sumuntur per modum cibi, jejunium non solvunt. Bellarm. *lib. 1. de jejun. cap 1.* Beyerlinch. *in theatro, verbo Jejunium, tom. 4.* nec etiam aqua, immò nec potio chocolatica, ut defendit Thomas Hurtado in speciali opusculo de potione edito. Olim tamen primis Ecclesiæ florentis temporibus jejunantes non solùm à cibo, sed potu abstinuisse, virginemque salivam jejunii constituto spatio conservasse, constat ex Tertulliano *de jejuniis, cap. 6. Ipsa natura enuntiabit, quales nos ante pabulum, & potum in virgine adhuc saliva exhibere consuevit.* Unde legimus in actibus S. Fructuosi Martyris, cùm ei poculum fratres offerrent, quo martyr recrearetur, immò & muniretur, constanter, cùm jejunasset, recusasse. Prudentius *in ejus natali*, ibi,

Jejunamus, inquit, recuso potum
Nondum nona diem resolvit hora.

Observavit Ambianas *ad Tertul. de jejun. cap. 10. obs. 4.* & ita jejunantes à vino abstinebant, nisi infirmitas aliud exposceret, ut probat Theodulphus *in suis capitul. cap. 40.* cui titulus est, A quibus abstinendum est, cùm jejunatur: & ita loquitur: *Abstinentia in his diebus omnium deliciarum esse debet; qui vino abstinere potest, magnæ virtutis est; qui autem infirmitate intervenente abstinere non potest, eo utatur.* Et quia nonnulli vino abstinentes variis potionibus illud imitabantur, eos reprehendit S. Gregorius Nyssenus *orat. de jejunio*, dum ait: *Multi vinum ingeniosè imitantur, suamque cupiditatem factitiis quibusdam potionibus consolantur.* Quæ verba non malè nostro sæculo ad potionem chacolaticam expendi poterant. Dicitur etiam in definitione, *secundum Ecclesiæ regulam*: ex quo patet, non quamcunque abstinentiam esse jejunium ecclesiasticum, sed illud quod secundùm regulam Ecclesiæ servatur, secundùm quam duo desiderantur: Primum,

ut qui jejunant, modò prandant, modò cœnent, semel dumtaxat in die reficiantur, *cap. sint 20. cap. Quadragesima, de consecr. dist. 5.* Viringius *de jejunio lib. 3. cap. 3.* Secundum ut ciborum delectu in ea comestione utantur. Bellarminus, & Fagundez *ubi suprà*.

7. *De unica cibi sumptione, & collatione.*

Igitur prima, præcipuaque lex jejunii consistit in unica comestione, quam ut exponamus, sciendum est, dubium esse, an veteres semel, aut bis cibum sumerent? Et semel tantùm cœnasse, suadetur *ex Servio ad lib. 4. Virgil.* ibi: *In usu non erant prandia.* Quem sequuntur Isidorus *lib. 2. etym. cap. 20.* ibi: *Est autem cœna vespertinus cibus, quem vespertinam antiqui dicebant: in usu non erant prandia.* Salvianus *lib. 1. de provid. Dei*, ibi: *Nunquid parcam illam agrestem vitam, quam cum gemitu, & dolore tolerabant, cùm viles, & rusticos cibos ante ipsos, quibus coxerunt, focos sumerent, eosque capere, nisi ad vesperam non liceret.* Expressiùs Cassiodorus *in psalmo 14.* ibi: *Antiquis mos erat semel cibum sumere.* Aimonius *concion. in Dominic. 2. post Trinit.* ibi; *Antiqui enim solummodo una vice comedebant.* Seneca *epist. 112.* Quare cùm perditos Romanorum mores sua tempestate notaret Silius Italicus *lib. 11. de merid. sympos*io, ait:

Medioque dierum
Regales epulæ, atque ortu convivia solis
Deprehensa.

Deque simili vitio Tacitus *lib. 1. annal. cap. 12.* ita ait: *Torpebat Vitellius, & fortunam Principatus inerti luxu, ac prodigis epulis præsumebat medio diei temulentus, & sagina gravatus.* Probant Salmutius *ad Pancirolam lib. 1. memorab. tit. 51.* Savarus ad Sidonium *lib. 6. epist. 12.* Bulengerus *lib. 1. de convivis, cap. 6.* Scherlogus *tom. 2. in Cantica, vestig. 8. sect. 2. num. 14.* Contrarium tamen, immò veteres sæpius in die cibum cepisse, probant Stuckius *lib. 1. antiquit. conviv. cap. 11.* Beoraldus *in annot. ad Servium*, §. *24.* Muretus *lib. 4. variar. cap. 12.* Lælius Bisciola *horar. succes. lib. 9. cap. 15.* Savarus *ad Sidonium lib. 7. epist. 14.* Rosinus *lib. 5. antiquit. Roman. cap. 26.* & de Romanis facilè probatur ex Plutarcho *lib. 8. sympos. cap. 6.* ibi: *Seorsim solebant prandere antiqui Romani, cœnare cum amicis.* De Græcis testis est Jul. Pollux *lib. 6. cap. 6.* De Italis Cicero *quæst. 5. Tuscul.* & expressè constat ex Valerio Maximo *lib. 2. cap. 1.* Sed dicendum est, veteres non semel, sed pluries in die cibum sumpsisse, videlicet jentaculum, prandium, merendam, & cœnam; sed non ita splendidè, & cum apparatu, ut in cœna: probat latè Demsterus *ad Rosinum d. lib. 5. cap. 27.* auctores enim prioris sententiæ, qui negant prandia apud veteres in usu fuisse, accipiendi sunt de cibo, quem antiqui non sumebant meridie, sed horâ nonâ, ideoque cœnam appellabant. Ex quibus omnibus constat jejunantes unam tantùm in die refectionem sumpsisse, quæ appellabatur cœna, ut constat ex D. Paulino *epist. 24. ad Amandum*, B. Augustino *sermon. 62. de tempore*, & aliis sanctis Patribus congestis à Bellarmino *d. lib. 1. de jejun. cap. 2.* Illustrant Fagundez *ubi suprà*, Covar. *lib. 1. variar. cap. 20.* Sed cùm nostrâ imbecillitate factum sit, ut ad meridiem cibum sumamus, consuetudine introducta fuit collatio serotina, quod verbum *collatio*, à monachis accepimus; solebant enim monachi post cœnam certâ horâ inter se de sacris Scripturis disputare, quam horam collationem appellabant Honorius Augustod. *lib. 2. in gemma animæ, cap. 63.* ibi: *Quòd religiosi ad collationem conveniunt, hoc à sanctis Patribus acceperunt, qui in vesperis solebant in unum convenire, & de Scripturis aliquid conferre, unde collationes dicebantur.* Smaragdus *cap. 42.* Collatio dicitur consessio, collocatio, vel confabulatio, ubi de scripturis divinis aliis respondentibus interrogationes conferuntur. De hoc collatione agunt S. Pachomius *in suâ regula, cap. 7.* Basilius *suæ regulæ cap. 54.* D. Benedictus *cap. 42.* ubi ita cavet: *Omni tempore, sive jejunii, sive prandii, si tempus fuerit prandii, mox ut surrexerint à cœna, sedeant omnes in unum, & legat unus collationes, vel vitas Patrum.* Concil. Mogunt. *can. 6.* plura Hæphtenus *disquisit. monast. lib. 9. tract. 5. disquis. 2.* Postquam igitur consuetudine, vel humana imbecillitate jejunium cœpit relaxari meridie, simul quoque à monachis mos admissus fuit, ad vesperam semel bibendi, & frustum aliquod panis sumendi; atque ut id ordinatè fieret, atque cum minori temporis dispendio, legi cœpit lectio collationis in refectorio eo tempore, quo levis illa cœnula peragebatur; atque hinc tam apud monachos, quàm sæculares usus obtinuit, ut refectiuncula illa collatio appellaretur, ne viderentur Christiani ad cœnam congregari, quam in die jejunii duplicare non licebat: modestiori vocabulo rem honestantes dicimus ad collationem convenire. Unde obiter intelligitur difficilis canon Concilii Nannet. relati *in cap. quando, 44. dist* in illis verbis: *Quando presbyteri per Kalendas simul conveniunt, post peractum divinum ministerium, ad necessariam collationem, non quasi ad plenam refectionem, sed quasi ad prandium, ibi ad tabulas resideant.* Ubi jubetur, ut sacerdotes post divinum ministerium peractum ad collationem, non quasi ad plenum prandium accedant; hoc est, tantùm ad refectiunculam, non verò ad convivium: jubetur etiam, ut persistant ad disputationem; & quia ex rebus, & articulis contentis in tabulis disputatio facienda erat, statuitur, ut resideant ad tabulas. Quem morem in Eccleesia per 400. annos servatum fuisse constat ex Concilio Aquisgran. *5. can. 123.* ibi: *Ad collationem veniant, ubi & hanc constitutionem, & aliarum scripturarum lectiones perlegant, & pro admissis veniam postulent, & sententiam pro qualitate delicti suscipiant.* Concilium Mogunt. temporibus Leonis III. celebratum anno 813. *cap. 9.* Concilium Colonienſe sub Conrado. Illustrant, & exponunt textum *in dicto cap. quando*, Filesacus *de Quadrag. cap. 6.* Hæphtenus *lib. 9. disquis. monast. tract. 1. disquis. 2.*

8. *De horâ hujus unicæ comestionis.*

Desideratur etiam, ut unica cibi sumptio fiat tempestivè, & horâ competenti; aliàs qui horam legitimam non servat, peccat lethaliter, ut docent Theologi cum D. Thoma 2. *2. q. 147. artic. 7.* alii congesti à Covar. *d. cap. 20.* Fagund. *suprà, d. cap. 3.* Quæ autem diei hora competens dicatur, in dubio est. Et nullam horam ab Ecclesia præfinitam esse voluerunt Angelus *in summa, verbo Jejunium*, Abbas Panormit. *in præsentis rubric.* Sed verius est, semper certam præfinitam fuisse horam ad solvendum jejunium, licèt pro temporis varietate diversa fuisset in hac parte Ecclesiæ disci-

disciplina. Nam primis sæculis usque ad quintum fideles jejunium protrahebant usque ad noctem, sive ut Tertullianus de jejuniis ait, usque ad auctoritatem demorantis stellæ: & ita ad vesperam nocte appropinquante solvebatur jejunium. Concil. Brachar. 1. *can. 16.* Brachar. 2. *can. 9.* Mogunt. 1. *can. 34.* Triburiense apud Ivonem *p. 10. cap. 15.* Cabilon. *in cap. solent, de consecr. dist. 1.* D. Athanasius *de virginit.* ibi: *Post communionem horæ nonæ comede panem tuum, gratias agens Deo super mensam tuam.* S. Benedictus *cap. 41 suæ regulæ*, ibi: *Quintâ, & sextâ feriis jejunent usque ad nonam.* D. Augustin. *lib. de morib. Eccles. cap. 39.* ibi: *Jejunia etiam prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus, quod est usquequaque usitatissimum; sed continuum triduum, vel amplius sæpissimè.* D. Bernardus *serm. 3. de Quadrag. Hactenus jejunamus usque ad nonam.* Paulinus, & Chrysostomus apud Bellarminum *d. cap. 2. de jejunio.* Cassianus *collat. 2. cap. 26. Ideoque commodum satis & utile horâ nonâ refectionis tempus indultum est.* Cabilon. *cap. 5.* Prudentius *in hymno S. Eructuosi.*

Jejunamus, ait, recuso potum:
Nondum nona diem resignat hora.

Alii relati à Rosvveido *in Onomast. verbo Nona*; probant Covar. *d. cap. 20. num. 14.* Cironius *ad hunc titulum*, Filesacus *de Quadrag. cap. 5.* Azor. *p. 1. instit. lib. 7. cap. 11.* Albaspineus *lib. 1. obs. cap. 14.* Savarus *in notis ad Sidon. lib. 6 epist. 12.* & *lib. 7. epist. 14.* Scortia *in select. theor. 20. epist. 90.* Salmutius *ad Pancirolam d. lib. 1. tit. 51.* Pamel. *ad Tertull. in apolog. cap. 39.* Theophilus *tom. 10. in Rosa Mediana. fol 468.* Narbona *horâ 9.* Gazæus *ad Cassianum collat. 19. cap. 16.* Menardus *ad D. Gregor. fol. 52. verbo Caput jejunii.* Aloix *ad vitam S. Abruci, cap. 7.* Et quia horâ nonâ jejunantes cibum sumebant, comestio illa non prandium, sed cœna dicebatur, ut apud Romanos, quia eadem hora, quâ epulabantur, cœna dicebatur. Horatius *lib. 7. od. 14.* Ex Isidoro, Aimone, & aliis suprà probavi. Postea autem communi consuetudine introductum est, ut horâ sextâ, id est meridie, jejunium solvatur, ut probant Covar. & Fagundez *ubi suprà*, qui docent, ex justa causa posse postponi, & præponi horam communiter receptam solvendi jejunium. De alia conditione jejunii, videlicet delectu ciborum, agemus infrà *in cap. 2.*

9. *De diversis Ecclesiæ jejuniis, & eorum origine.*

Si initium, & progressum jejunii requiramus, constat ab ipso mundi exordio originem trahere: siquidem dum Dominus primos parentes creavit, legem imposuit non gustandi de arbore boni, & mali; verùm ipsi voluntati potiùs, quàm Deo cesserunt, & pabulo potiùs, quàm præcepto annuentes, gulâ salutem universi generis vendiderunt: manducaverunt denique, & perierunt; unde licèt ex tunc jejunium Dominus non præcepisset; ostendens tamen unde fuisset peccati causa, reliquit facilè intelligendum remedium offensæ, innuens placituram illi abstinentiæ curam, à quo damnatam omnes comperiissent incontinentiæ culpam. Deinde ubi jam populus Judaicus post diluvium congregari cœpit, varia jejunia observavit; alia communia, seu publica; alia privata. Communia duplicia; aut stata, aut ordinaria, quæ ob minantem calamitatem indicebantur. De prioribus intelligitur illud Zachariæ 8. vers. 19. *Indicantur quatuor jejunia, videlicet jejunium quarti, & jejunium quinti; & jejunium septimi & jejunium decimi mensis.* Quæ servabantur à Judæis, ut docent D. Hieronymus, Rupertus in eundem locum. Torniel. *anno mundi 2545. num. 42.* Jejuniorum extraordinariorum exempla extant *Paralip. 2. cap. 20.* ubi Josaphat Rex indixit jejunium universo populo, quando Moabitæ veniebant contra illum. Et 1. *Esdræ cap. 1.* dum Esdras pro felicitate itineris, quando ex consensu Regis Artaxerxis à captivitate Babylonica profectus est in Hierusalem, jejunium indixit: & alia, quæ retuli *in can. 23. Concilii Illiber.* Solennia etiam jejunia Pagani observaverunt: hinc Horatius *satyr. 3. lib. 2.*

Jupiter ingentes, qui das adimisque dolores,
Mater ait pueri menses jam quinque cubantis,
Frigida si puerum quartana reliquerit illo
Mane die, quo tu indicis jejunia, nudus
In Tyberi stabit.

Ita Livius *lib. 36. Eorum prodigiorum causâ libros Sibyllinos ex Senatusconsulto Decemviri cum adissent, renunciarunt instituendum jejunium celebrari esse, & id quinto quoque anno servandum.* In lege Gratiæ varia jejunia instituta esse ab Ecclesia, probavi *in can. 23. Concil. Illib.* Et refert Aloix ad Sirincum *cap. 11.* Theophilus *tom. 10. in Rosa Mediana*, ubi fusè de jejunio in quadragesima agit: Turrianus *pro canon. lib. 1. cap. 3. & 4.* Et inter ea præcipua sunt jejunia, quæ in vigiliis majorum festivitatum servantur, de quibus in præsenti agitur.

His animadversis apparet ratio præsentis decisionis, quare videlicet cùm festivitas occurrit feriâ secundâ, jejunandum sit in Sabbato, non in die Dominico? Et duplex assignari potest. Prima deducta ex festivitate diei Dominici, & lætitiæ resurrectionis Dominicæ, quæ in eo celebratur. Quam rationem expressit Cassianus *collat. 21. cap. 20.* ibi: *Diem Dominicam custodimus, in qua majores nostri nec jejunium agendum, nec genu esse flectendum ob reverentiam resurrectionis Dominicæ tradiderunt.* Facit Tertull. *de coron. milit. cap. 3.* ibi: *Diebus Dominicis jejunare nefas dicimus.* Non enim festivitas tanti diei cum jejunio, & mœrore compati potest, ut ajebat P. Damianus *opusc. 55. cap. 5.* ibi: *Cum solennitate jejunium convenire non potest, & apud quorundam examen sub festivitatis præsentia jejunium vires non habet sed semper festivitas prævalet.* D. Thomas *2. 2. q. 147. art. 3. ad 3.* ubi ait: *Jejunia, quæ præcepto Ecclesiæ instituuntur, cùm sint magis jejunia afflictionis, quàm exultationis, non conveniunt in diebus lætitiæ.* Accedit, nam in die jejunii omni consolatione etiam spirituali fideles olim privabantur, ideoque non dabatur inter eos osculum pacis. Tertul. *de oratione*, ibi: *Sic & die Paschæ, quo communis, & quasi publica religio jejunii est, meritò deponimus osculum, nihil curantes de osculando.* Illustrat Albaspineus *lib. 1. obs. cap. 17.* Immò nec usque ad septimum Ecclesiæ sæculum, Eucharistiam accipere, nec adorare licebat usque ad horam nonam, quâ jejunium solvendum erat. Concil. Brachar. 1. *can. 9. & 10.* Brachar. 2. *can. 9.* refert Micrologus *cap. 49. de Eccles. obs.* & probat Albaspineus *lib. 1. obs. cap. 14.* cujus rei rationem assignant Balsam. & Zonaras *in can. 52. 6. Synodi in Trullo*; quia sacrificare Deo festivæ celebritatis est: unde hilaritas illa, seu lætitia, convenire non poterat cum mœrore jejunii, nec poterat unus idemque simul exultare lætitiâ, triumphare gaudio, ac lachrymis indulgere. Minùs enim honestum veteres judicabant, cum mœrore jejunii lætitiam susceptæ

10. *Traditur ratio decidendi.*

susceptæ Eucharistiæ conjungere ; non enim jejuniorum priscorum fidelium observantia consistebat in ciborum delectu, aut diminutione; sed in lachrymis, ac oratione; nam diebus jejunii perfecti omnes fideles manè ad Ecclesiam confluebant, horrido, cinereque consperſi sacco; & sic omni genere precum armati, cœlum ipsum oppugnabant, & ut ait Tertul. de oratione, *quasi manufacta cœlum tundimus, Deum rangimus.* Et ita cum hoc luctu, hisque lachrymis, Eucharistiam contabescere credebant. Albaspineus *ubi suprà.* Quare & Græci tempore Quadragesimæ, exceptis diebus Dominicis, & Annunciationis B. Mariæ tantùm, præsanctificato non utebantur sacrificio, *cap. non oportet 33. quæst. 4.* F lesacus *de Quadrag. cap. 33.* Aliam rationem præsentis assertionis assignat B. Ambrosius *epist. 83.* his verbis : *Dominica jejunare non possumus, quia Manichæos etiam ob istius diei jejunia jure damnamus.* Die enim Dominico Paulianistæ, & Montanistæ ex superstitione, Manichæi ex errore, Eustachiani ex contemptu jejunabant. Unde tot Ecclesiæ canonibus prohibitum fuit fidelibus diebus Dominis jejunare, ne viderentur cum hæreticis consentire. Concil. Gangrense *can. 18.* Carthag. *4. can. 64.* Cæsarauguſt. *cap. 2.* Brachar. 1. *can. 4.* Matiscon. 2. *can. 1.* Aquisgran. 2. sub Ludovico *op. ultima, cap. 17.* quorum verba refert Anton. Augustin. *in epit. jur. lib. 20. tit. 30.* Illustrat Acunna *in cap. si quis tanquam, 34. dist.* Bellarm. *de bonis oper. lib. 1. de jejun. cap. 13.* Azor *tom. 1. instit. lib. 2. cap. 27.* Sanchez *in Decalog. tom. 1. lib. 2. cap. 37.* Turrianus *contra Magdeburg. lib. 1. cap. 25.* Unde in præsenti rectè Innocentius statuit, quod si vigilia alicujus sancti incidat in die Dominica, in die Sabbathi jejunetur.

11. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta ; nam licèt jejunium conjungendum sit cum oratione, non tamen rectè stat cum festivitate diei Dominicæ : quare licèt jejunantes olim per totam noctem in vigilia, & statione essent orantes ; non tamen Ecclesiæ Patres censuerunt, jejunium stare posse, & concurrere cum alacritate, quæ in die Dominico celebratur, & recolitur. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis deductum *ex d. cap. utinam*, ubi D. Hieronymus ait, quod utinam omnibus diebus jejunemus, ut fecit D. Paulus, quem & nonnullos Sanctos sequutos fuisse, constat ex traditis à Lessio *de justit. lib. 4. cap. 2. num. 68.* nam jejunium in die Dominica non simpliciter, & absolutè est prohibitum, sed in odium Manichæorum, & aliorum hæreticorum, quos suprà retuli : unde si non errore, superstitione, aut scandalo, saltem sedandi motus carnalis, aut alterius periculi vitandi causâ, seu boni spiritualis gratiâ, ut feciſſe D. Paulum explicat D. Augustinus *epist. 86.* etiam die Dominico jejunari potest, ut facilè deducitur *ex cap. si quis 7. cap. final. 30. dist.* Probant Bellarminus *de jejunio cap. 23.* Theophilus Raynaud. *tom. 16. in Heterocl. spirit. p. 3. punct. 2. fol. 413.* Thomas Sanchez *lib. 2. summæ, cap. 37. num. 12.* Layman *lib. 4. summæ, tract. 8. cap. 2 num. 9.* Bonacina *de præcept. Eccles. quæst. 1. punct. 5.* Serarius *in cap. 7. Judith. quæst. 13. pronunc. 4.* Fagundez *in præcept. 4. Eccles. cap. 5. num. 2.* Rectè tamen cum aliis notat Sanchez, negari non posse, quin ad superstitiosum, & superfluum cultum spectet, vel studium singularitatis, die Dominico jejunare. Nec etiam proximè traditis obstat canon 64. collectionis Martini Bracharensis, in illis verbis : *Non licet quemlibet clericum die Dominica absentem esse ab Ecclesia, sed Missarum solennibus interesse, & jejunio.* Ex quibus ultimis verbis expressè deducitur, clericum debere in die Dominico jejunium observare: igitur quia eâ die licet jejunare. Pro cujus canonis expositione aliqui asseruerunt, loco illius verbi *jejunio*, legendum esse *jejunus*, ita ut sensus sit, quod sacerdos in die Dominico adsit Missarum solenniis jejunus, quia alio modo Missæ sacrificium offerre non valet, juxta tradita *in cap. ex parte, de celebrat. Missar.* Alii docuerunt, in eo canone clericis juberi, ne die Dominico ab Ecclesia absint causâ interessendi Missarum solenniis, & jejunio; ideſt causâ indicendi jejunium, si quod occurrat in hebdomada, juxta veterem morem ad nostra usque sæcula protractum indicendi jejunia à parocho in ipsa Missa parochiali diei Dominicæ, juxta Concil. Brachar. *2. can. 9.* Colonienſe sub Paulo III. *cap. 2. & 5.* Altissiod. *can. 2.* Trident. *sess. 25. de reform. cap...* Sed verius est ea verba, *& jejunio*, suppositа esse, nec reperiri in collectione Loaysæ; immò etsi retineantur, facilè exponi possunt juxta textum *in cap. 1. de celebrat. Missar.* ita ut Presbyter die Dominico in Ecclesia interesse debeat Missarum solenniis, & jejunio, ideſt in jejunio perſistendo usque ad præfinitam horam, ut necessitatibus peregrinorum, & infirmorum subvenire possit, juxta tradita *in d. cap. 1.*

Ex hujusque traditis *lucem accipit* textus *in can. 3. Concilii Gerund.* in illis verbis : *Item secundæ Litaniæ faciendæ sunt Kalend. Novemb. eâ tamen conditione servatâ, ut si iisdem diebus Dominica intercesserit, in alia hebdomadâ, secundum prioris abstinentiæ observantiam à quinta feria incipiantur, & in Sabbatho vespere Missâ factâ finiantur. Quibus tamen diebus à carnibus, & à vino abstinendum decrevimus.* Pro cujus textus expositione sciendum est, vetustissimum esse Ecclesiæ morem supplicationes publicas in calamitatibus, & populi pressuris facere, quas Græci Litanias, Latini Rogationes appellant. Concil. Aurel. 1. *can. 29. & 32.* Mogunt sub Carolo: in duplici autem erant differentia ; aliæ imperatæ, aliæ statæ. Imperatæ erant, quæ ratione ingruentis periculi, & urgentis necessitatis ad placandum Deum indicebantur. Apud D. Gregorium *lib. 7. indict. 2. epist. 70. ad Castorem*, mentio fit quatuor, aut quinque Litaniarum, quæ in Ravennatensi Ecclesia indictæ fuerunt; & ipse Pontifex urgente aliquâ necessitate non tantum Romanis, sed etiam exteris Litanias indicebat, ut apparet *ex libro 9. regestr. indict. 4. epist. 45.* Statæ sunt, quæ certis anni temporibus in universali Ecclesia observantur : & cùm hujus duplicis Litaniæ mentio in jure fit, alia dicitur major, alia minor. Major dicitur, non quia priùs instituta fuit, sed quia Gregorius Magnus majori cum solennitate eam instituit, ut ipse ait *lib. 12. epist. 12. & in princip. lib. 2. regestr.* ibi : *Solennitas annua devotionis nos, fratres dilectissimi admonet, ut Litaniam, quæ major ab omnibus appellatur, solicitis, ac devotis debeamus auxiliante Deo mentibus celebrare.* Cujus occasionem referunt Paulus Diaconus *lib. 3. de gestis*

Ejusdem Concil. Gerundens. can. 3.

gestis Longob. cap. 11. Gregorius Turon. *lib. 10. de gestis Franc. cap. 1.* Et cùm tempore Childeberti Regis Galliæ, & Mauricii Imperatoris accidisset diluvium in finibus Venetiarum, quo non legitur post Noë tempora majus, sequuta est atrox pestis, in qua occubuit Pelagius Pontifex Gregorii Magni prædecessor, qui ad placandum Deum instituit hujusmodi Rogationem, & ab eo tempore cœpisse usum apud Catholicos precandi salutem sub ea formula, *Dominus tecum*, sternutantibus vulgò *creditur*. Sed quam falsò, satis doctè probavit Pater Famianus Strada *in prolus. lib. 3. prælect. 4.* Minor Litania, seu Rogatio refertur ex Concilio Aurel. à Gratiano *in cap. rogationes, de consecr. dist. 3.* his verbis: *Rogationes ante Ascensionem Domini placuit celebrare, ità ut præmissum triduanum jejunium in Dominicæ Ascensionis solennitate solvatur.* Eam Rogationem instituit, seu jam obsoletam instauravit Sanctus Mamertus Viennensis Episcopus propter cladem à lupis, & aliis feris animalibus in partibus Galliæ illatam, ut constat ex Adone *in in chron. Sydonii lib. 7. epist. 1. ad Sanctum Mamertum*; de quibus etiam agitur in Concil. Mogunt. *can. 33.* Fuerunt & olim in Hispania aliæ Rogationes à die iduum Decembris ut constat ex Concilio Tolet. *can. 5.* Tolet. 6. *can. 2.* Brachar. 2. *can. 9.* & etiam Kalend. Novembr. de quibus *in d. can. 3. Concilii Gerund.* Deinde sciendum est, has Rogationes tribus continuis diebus magnâ populi consensione celebrari orando, jejunando, & psallendo, ita castè, & piè, ut in Concilio Moguntiaco sub Carolo Magno dicatur celebrandas esse, sicut Patres sancti nostri instituerunt, non equitando, nec pretiosis vestibus indutis, sed nudis pedibus, cinere & cilicio indutis: quare & Rogationum dies laicis denunciandos esse inter Missarum solennia statuit Concilium Lugdun. relatum *in cap. 1. de consecr. dist. 4.* Plura de his Rogationibus congesserunt Savarus *in not. ad Sidon. d. lib. 7. epist. 1.* Menardus *in not. ad lib. Sacram. D. Gregorii, fol. 155.* Loaysas *in dicto can. 3. Concilii Gerund.* Petrus Gregorius *lib. 1. partit. tit. 20. cap. 3.* Baronius *in martyrol. die 25. Aprilis*, Corjolanus *in breviar. anno 520.* Jodocus Coccius *lib. 3. thesauri, art. 7.* Antonius Augustin. *in epit. jur. lib. 21. tit. ult.* Covar. *lib. 4. variar. cap. 20. num. 16.* Conradus Brunus *de cœrem. lib. 5. cap. 1.* Guillelmus Durantius *in ration lib. 6. cap. 102.* Unde cùm jejunium in his Rogationibus per tres dies indiceretur, & in die Dominica jejunari non possit, ideo *in d. can. 3. Concilii Gerund.* statuitur, ut si incidat dies Dominica in Rogationibus mensis Novembris, transferatur jejunium in aliam hebdomadam, ex traditis suprà pro ratione præsentis decisionis. Ex eadem etiam ratione cùm Litania minor intercedat tempore Paschali prope ascensionem, ideo jejunium illius non tam præcepti, quàm consilii est; ideoque diuturnâ consuetudine receptum est, ut in his tribus diebus illius Rogationis, tantùm ab escis carnalibus fideles se abstineant, & cibis Quadragesimalibus utantur.

CAPUT II.

Idem (a) *Bracharensi Episcopo.*

COnsilium nostrum super quibusdam articulis requisisti, utrum in omnibus sit Apostolorum vigiliis jejunandum, cùm quidam asserant non esse jejunandum in omnibus, sed sex tantùm. Utrum etiam jejunandum sit in Adventu Domini; tamen sentiant diversi diversa, quibusdam dicentibus, sed paucioribus, jejunandum esse tunc temporis; pluribus verò se asserentibus ad hæc non teneri. Utrum insuper si festum illorum, quorum vigilias jejunamus, secundâ contingat feriâ celebrari, in præcedenti Sabbatho sint vigiliæ jejunandæ. Nos autem super hoc taliter respondemus, quod apud nos omnium Apostolorum vigiliæ in observatione jejunii celebrantur, præter vigilias Apostolorum Philippi, & Jacobi, & Beati Joannis Evangelistæ; quoniam illorum festivitas infra solennitatem (b) Paschalem; istius autem infra natalem Domini celebratur. Jejunium etiam apud nos in (c) adventu Domini agitur, & sanctorum vigilias, quorum festivitates oportet secundâ feriâ celebrari, jejunamus in Sabbatho præcedenti. De festivitate verò Beati Bartholomæi Apostoli, de cujus celebratione dubietas oritur apud (d) quosdam, tibi petenti consilium respondemus, quod in hoc tuæ regionis consuetudinem serves. *Et infrà:* Cùm autem quæ sit illis pœnitentia injungenda quæsieris, qui diebus quadragesimalibus, tempore illo, quo tantæ famis inedia ingruebat, quod magna pars populi propter inopiam annonæ periret, (e) carnes comedere sunt coacti: tibi breviter respondemus, quod in articulo tali illos non credimus puniendos, quos tam urgens necessitas excusavit; preces tamen ad Dominum pro illis, & cum illis, ne ipsis aliquatenus imputetur, quia bonarum mentium est ibi timere culpam, ubi culpa minimè (f) reperitur, effundas. Item de illis qui in Sabbatho juxta terrarum consuetudinem aliarum, propter debilitatem, quam in se sentiunt, carnes sumunt, quod in partibus tuis nullatenus fieri (g) consuevit, cùm hoc ab aliis molestè feratur, & oriatur in illis occasio detrahendi:

tale

tale tibi damus responsum, quod super hoc tuæ consuetudinem regionis facias observari, sic tamen quod debilibus, & infirmis propter hoc periculum non emergat. Præterea postulasti responsum habere de illis, qui in Quadragesima, (h) vel in aliis jejuniis solemnibus infirmantur, & petunt sibi esum carnium indulgeri, quorum quidam promittunt propter hoc eleemosynam se facturos; quidam verò propter necessitatem infirmitatis urgentis hoc à te sibi quasi ex debito concedendum requirunt. Super quo tibi duximus respondendum, quod cùm non subjaceat legi necessitas, desiderium infirmorum cùm urgens necessitas exigit, supportare (i) potes, & debes, ut majus in eis periculum evitetur.

NOTÆ.

1. (a) *Bracharens.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* & *in cap. consilium. de celebr. Missarum*, ubi extat alia pars hujus Decretalis: integram autem transcribo ex dicta tertia collectione, & præsentem epistolam scriptam fuisse ab Innocentio III. anno 1206. referunt Spondanus *in continuat. Baronii, eodem anno*, Orderic. Raynaldus *eod anno, num. 35.*

2. (b) *Paschalem.*] Quo tempore, sicut nec diebus Dominicis, jejunare non licet, *cap. scire debet, §. instar, cap. post Pascha, 76. dist.* ex rationibus adductis suprà proximo commentario. Nec contrarium docetur *in cap. statuimus 476. dist.* ubi Urbanus Pontifex constituit, ut jejunia quatuor temporum ita per annum distribuantur, ut primum initio Quadragesimæ, secundum in hebdomada Pentecostes, tertium in mense Septembris, quartum in Decembris, more solito fiat: ergo quia tempore Paschali jejunare non licet. Nam respondendum est, tempus illud paschale, intra quod jejunare non licet, computari à Pascha resurrectionis usque ad Pentecosten, ut docent Azor, & Fagundez *ubi suprà*. Unde post Pentecosten etiam in ipsa hebdomada jejunari potest, cùm jam non dicatur tempus Paschale. Nec huic solutioni obstat textus *in cap. de jejunio, 76. dist.* ubi asseritur, jejunium quatuor temporum non debere celebrari immediatè ante Pentecosten in ejus vigilia. Nam respondetur, ideo ibi prohiberi, ne in vigilia Pentecostes incipiat jejunium quatuor temporum, ne in una die duplex jejunium concurrat, unum vigiliæ, aliud verò de tempore; sicut in eodem textu cavetur, ne jejunium decimi mensis celebretur in Sabbatho præcedente nativitatem Domini; ne etiam duplex jejunium occurrat in eadem die, ut exponit Bellarminus *lib. 1. de jejun. cap. 23.*

3. (c) *In adventu Domini.*] Jejunium adventus Domini jam olim in Ecclesia celebrari consuevisse constat ex Concilio Matisc. 1. *can. 9.* Turon. sub Chariberto anno 567. ejus meminerunt S. Joannes Chrysostomus *homil 3. in epist. ad Ephesios*, Rabanus Maurus *lib. de instit. cleric. cap. 22.* his verbis: *Hac ergo auctoritate divinæ scripturæ Ecclesia morem obtinuit, & universale jejunium hac observatione celebrat. Quod tamen jejunium incipiens à nono mense in decimum extenditur, idest usque ad natalem. Congruâ itaque dispositione à Magistris Ecclesiæ hoc loco jejunium quadragesimale constitutum est, ut ante diem natalis Domini jejunio & abstinentia not castigemus.* Amalarius *lib. 3. de offic. Eccles. cap. 40.* Radulphus Tungrens. *propos. 16.* quod jejunium institutum fuit pro reverentia natalis Domini: varium tamen fuit pro temporum, & locorum diversitate. In Concilio Matisc. 1. celebrato anno 581. statuitur, ut à feria sancti Martini ad natale Domini, secundâ, quartâ, & sextâ Sabbathi jejunetur: Et *lib. 6. Capitular. Caroli, cap. 183.* cavetur, ut Sacerdotes admoneant, ut jejunia tria legitima in anno agantur, id est quadraginta dies ante nativitatem Domini, & quadraginta ante Paschа, ubi decimas anni solvimus: & post Pentecosten.

(d) *Quosdam.*] Natalem diem S. Bartholomæi plerique ponunt die 11. Augusti, ut Beda, 4.
Usuardus, Ado, & alii: Romæ autem 13. Kalend. Septembris celebrari consuevisse, referunt Baronius *in Martyrol. die 11. Augusti*, Menardus *in Sacram. D. Gregorii, fol. 175.*

(e) *Carnes comedere.*] Cùm diebus Quadragesimæ, & aliorum jejuniorum debeat servari delectus ciborum, ideo statutum est, ut jejunantes se abstineant à carnibus, certis ciborum generibus, *in cap. de esu, de cons. dist. 3.* 6. Synod. *can. 56.* Concil. Tolet. *8. can. 9.* Gerund. *can. 3. cap. statuimus, de consecr. dist. 4.* Mediolan. sub Carolo *tit. de jejunio.* Probant Bellarm. *lib. 1. de jejun. cap. 4.* Azor *d. lib. 7. cap. 10. quæst. 3. & 6.* Fagundez *in 4. præcept. Eccles. lib. 1. cap. 2.* Lessius *lib. 7. cap. 2. dubit. 5.* D. Thom. *2. 2. quæst. 147. artic. 8.* Covar. *lib. 4 summa. cap. 20. num. 15.* Henriquez *in summa lib. 3. cap. 13.* Viringus *lib. 3. de jejun. cap. 5.* Theophilus *tom. 10. in Rosa Mediana, fol. 465.* & *de galero & pileo fol. 491.* Ciaconius *de jejunio cap. 11.* Fileiacus *de Quadrag. cap. 3.* Ecclesia enim his diebus cibis ita delicatis, & lautis abstinere jussit, ut carnis luxuria frænaretur. Concil. Colon. sub Clemente VII. *decret. 7.* non quia cibos illos delicatos Ecclesia rejiciat, ut Saturninus, & alii hæretici execrati sunt, quos sequuti fuerunt Manichæi, Priscillianistæ, Marcionistæ, & alii, qui damnati fuerunt variis Ecclesiæ canonibus, præcipuè canone 30. Apostolorum. Synod. Ancyr. *can. 13.* Concil. Tolet. *in assert. fidei*, Brachar. 1. *can. 13. & 32.* Gangrense *can. 2.* & eos refellunt Turrianus *lib. 5. pro epist. Pontif. cap. 6.* Baronius *anno 57. num. 183.* Sever. Binius *in dicto can. 2. Concilii Gangrensis*, Savarus *in notis ad Sidonium, lib. 4. epist. 9.*

6. (f) *Minimè reperitur.*] Consonat D. Gregorius relatus *in cap. final. 5. dist.* Clemens *in Clement exivi de V. S.* Guntherus *lib. 2 Ligur. vers. 33.*

7. (g) *Fieri consuevit.*] Ecclesia enim Hispana in jejunio diei Sabbathi sequebatur Ecclesiam Romanam, ut probavi in canone 26. Concilii Illib. ubi plura de jejunio Sabbathi congessi.

8. (h) *Quadraginta dies.*] Apud Græcos etiam viget jejunium hoc Adventus Domini, uti constat ex Codino *lib. de offic. Palat. CP.* prout illum expendit Menardus *in notis ad Sacram. D. Gregorii, pag. 216.* Sed non ita apud eos antiquum est, siquidem nec tempore Theodor. Balsam. in usu erat, qui floruit anno 1191. & in canone 52. Sextæ Synodi ita ait: *Nota autem ex hoc canone, quod*

quod propriè est una Quadragesima. si enim alia esset, cautum fuisset, ne in illa fieret sacrum mysterium; sed per præsanctificata: quemadmodum quoq; cautum est, ne fiat in magni Paschæ Quadragesima.

(i) *Supportare potes.*] Qui enim sine causa jejunia Ecclesiæ non observant, peccant lethaliter, & graviter puniendi sunt, *cap. si quis eorum, dist. 30.* Concil. Tolet. 1. apud Burchardum *lib. 19. decreti. cap. 76.* ibi: *Quicunque in Quadragesimæ diebus esum carnium præsumpserit attentare, non solùm reus erit Resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab ejusdem diei sancta communione; & hoc illi cumuletur ad pœnam, ut in ipsius anni curriculo ab omni esu carnium abstineat, quia sacris diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam.* Concil. Mogunt. sub Leone III. *can. 35.* Colonienſe sub Paulo III. *p. 9. cap. 6.* plura Theophilus *in Rosa Mediana, fol. 470.* sed si adsit justa causa excusationis, veluti ætas, vel infirmitas, excusantur non jejunantes, ut latè probant Paulus Zacchias *qq. medico-legal. lib 5. tit. 1.* & *consil. 58.* fusè Joannes Sanchez *in select. disput. 54. per tot.* Narbona *de ætate, anno 60. quæst. 2.* In hac tamen parte severiores fuerunt Patres Ecclesiæ Orientalis quàm Occidentalis; nam in Orientali pueri, & viatores jejunare cogebantur; ægrotis verò non aliter esus carnium concedebatur, nisi licentiâ synodicè petitâ, ut constat ex D. Basilio *in orat. de jejunio:* & notarunt Balsamon *in can. 69. Apostolor.* Cironius *ad hunc titulum.*

CAPUT ULT.

Honorius III. (a) *Pargensi Episcopo.*

EXplicari per Sedem Apostolicam postulasti, utrum illis sit licitum, qui nec voto, nec regulari observantiâ sunt adstricti, carnes comedere, quando in sexta feria dies Dominicæ nativitatis occurrit. Ad hoc tale damus responsum, quod illi, qui nec voto, nec regulari observantia sunt adstricti, in feria sexta, si festum nativitatis Dominicæ ipso die contigerit venire, carnibus propter festi excellentiam uti possunt, secundùm consuetudinem Ecclesiæ generalis; nec tamen hi reprehendendi sunt, qui ob devotionem voluerint abstinere.

NOTÆ.

(a) *Pargensi.*] Ita legitur in quinta collectione, *sub hoc tit. cap. final.* sed ut ibi notavit Cironius, legendum est *Pragensi*, ut legitur in sexta collectione, de qua Ecclesia nonnulla notavi *in cap. 9. de exceptionibus.* Episcopo Biseſtislao missa est præsens decisio, & etiam ei rescribit Honorius *in cap. 2. de rebus Eccles.*

COMMENTARIUM.

1. ILluxit orbi felicissimus dies, quo de utero virginali B. Mariæ Verbum Dei prodiit caro factum. Verba sunt Concilii Toletani 10. *cap. 2.* quæ desumpta videntur ex testimonio D. Joannis *cap. 2.* prædicto à Prophetis, & Sibyllinis carminibus præcognito, ut observat Baronius *in apparatu ad annales, num. 28.* ut tanquam impostores damnandi sint Cardonistæ, qui filium Dei humanam carnem assumpsisse negabant, ut refert Castro *adversùs hæreses, verbo Christus, hæresi 2.* Et similiter rejiciendi sunt Manichæi, qui humanam Christi humanitatem negabant prope annum 277. ut refert Gualterus *in chron. sæcul. 3.* Nocte autem Christum Dominum natum fuisse, constat *ex cap. Lucæ, cap. nocte, de consecr. dist. 1.* die 25. mensis Decembris, ut probat latè Jacobus Grethserus *de die natali Domini, lib. 1. cap. 4.* Tamayus à Salazar *in Martyrol. Hispan. die 25. Decembris.* Unde corrigendus est locus D. Clementis *lib. 5. constit. Apost. cap. 13.* qui de hoc natali agens, ait: *Dies festos custodite fratres, inprimis diem natalem, qui celebratur à nobis die 25. noni mensis.* Ubi legendum est, *decimi mensis*; hic enim erat mensis Decembris juxta annorum computationem à Romulo institutam, & servatam usque ad Julium Cæsarem, ex traditis à Macrobio *lib. 2. Saturn. num. 22.* Rosino *lib. 4. de antiquit. Rom. cap. 1.* quibus autem Consulibus, quâ olympiade, quo anno à mundi creatione id factum sit, non facilè liquet, cùm in re adeo antiqua, & pervestuta omnes historiæ caligine refertæ appareant. Genebrardus natalem Domini diem protrahit ad annum creationis mundi 4089. sed ex receptiori PP. consensu refert Baronius *ubi suprà*, Christum natum anno creationis mundi 5199. olympiade 187. anno 2. idque probat latè Peresius *in Danielem lib. 11. q. 5.* & post eos Gualterus *in tabulis chron. sæculo 1.* In re certè tam lubrica, quod plures probant, verosimilius judicamus. Dies igitur hic natalis Domini, à qua universus orbis pace, & tranquillitate frui cœpit, magnâ debuit lætitiâ, & anniversariâ festivitate à fidelibus recoli, cùm legamus dies natales, hoc est, quibus quisque nascitur, *l. quâ ætate 5. ff. de testam. l. 3. §. minorem, ff. de minor.* jam olim celebrari solitos annuatim. Unde D. Augustin. *sermone 1. de tempore*, ait: *Considerate quæso, quando aliquis homo potens, aut nobilis, natalem suum, aut filii sui celebrare desiderat, quanto studio ante plures dies quicquid in domo sua sordium invenerit, ordinat emundari; quicquid ineptum, & incongruum, projicit; quidquid utile, & necessarium, præcipit exhiberi. Domum etiam si obscura fuerit, dealbat; pavimenta scopis mundat, & diversis respersa floribus adornantur: quicquid etiam ad lætitiam animi & corporis delicias pertinet, omni solicitudine providet.* Quem ritum religiosè coluerunt inprimis Persæ, ut tradunt Herodotus, & Athenæus: Romani, & pleræque aliæ gentes observarunt, ut referunt Censorinus *de die natali*, P. Roa *lib. 5. singul.* inscripto de die nata-

natali sacro, & prophano, *cap. 3.* Lyndembrogius *in notis ad Censorinum*, Pineda *de rebus Salomonis*, *lib. 1. cap. 14.* Faciuntque textus *in l. cùm quidam 25. ff. de annuis legat. l. cùm plures*, §. *cùm tutor*, *ff. de administr. tut. l. sed socer 31. §. 5. ff. de donat. inter.* De die natali sui Mæcenatis agit Horatius *lib. 4. carminum*, *od. 9.* De natali magnorum virorum Seneca *epist. 64.* De aliis Roa *d. lib. 5. cap. 16. & 17.* ubi notat, ad urbes & templa morem hunc protractum esse, ut anniversariis festis eorum initium celebretur: quæ cùm ita procedant in aliis natalitiis, multò majori ratione nativitas Salvatoris nostri, quæ gaudium attulit universo mundo, magnâ alacritate à fidelibus singulis annis recoli debet, ut pro tantæ largitatis beneficio, quod Deus hominibus contulit, gratias referant illi sempiternas. Unde provenit, ut plura privilegia veterum natalitiorum huic magnæ diei tributa sint, aliaque singularia huic festivitati concessa legantur.

2. Primum hujus diei privilegium in eo consistit, ut festivus sit, *cap. 1. de consecrat. dist. 3. cap. final. de feriis*, *l. omnes 7. C. eod. tit.* & ab omni opere servili vacuus, ab strepituque judiciorum immunis, ut docuerunt D. Clemens *lib. 5. constit. cap. 13.* suprà relatus Isidorus *lib. 1. de divin. offic. cap. 15.* ibi: *Natales dies Domini à Patribus votivâ solennitate institutus est.* Leo Magnus *in sermonibus de natali Domini*, D. Basilius, Ambros. & Nazianz. quos refert Bellarminus *tom. 2. controv. lib. 3. de cultu Sanctorum*, *cap. 13.* Unde ab ipsis Apostolis institutum hunc festum diem conjiciunt Azor *part. 2. instit. moral. lib. 1. cap. 9. quæst. 15.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. de diebus festis*, *cap. 5 num. 6.* Gualterus *in tabul. chronog. sacul. 1. fol. 5.* tantaque fuit hujus diei festivitas apud antiquos, ut in Concilio Agathensi *can. 64.* relato *in cap. si quis in Clero 29. 7. quæst. 1.* constitutum sit, ut clericus, qui ab Ecclesia abfuerit die solenni natalis Domini, per triennium suspendatur à communione. Hoc autem privilegium etiam veterum natalium fuisse constat, siquidem natales dies Principum feriati erant. Plato *in Alcibiade*, ibi: *Postquam verò natus est primogenitus, qui succedit in regno, primò quidem eum diem omnes, qui sub regno sunt, celebrant; atque ita in posterum quotannis natalem Regis diem sacris, ac festis omnis Asia colit.* Martialis *lib. 10. epigr.*

Linguis omnibus, & favete votis:
Natalem colimus, tacete lites.

Horatius *de natali Cæsaris:*

——cras nato Cæsare festus
Dat veniam, somnumque dies, impunè licebit
Æstivam sermone benigno tendere noctem.

Unde intelligendus est textus *in l. dies 12. C. de feriis*, ubi dum Imperatores Leo, & Anthemius prohibent ludos Circenses, aut quodlibet aliud spectaculum die Dominico exhiberi, hæc verba adjiciunt: *Et si in nostrum ortum, aut natalem solennitas inciderit, differatur.* Ubi verbum *natalem*, pro die proprio natalitio appositum fuerunt; ortum verò pro die inaugurati Imperii acceperunt, cùm eo die nasci veteres dicerent eos, qui novam dignitatem assequebantur. Cicero *in oratione pro reditu ad Quirites*, ibi: *A parentibus, quod necesse erat, parvus sum proceratus; à vobis natus sum Consularis.* Illustrat Turnebus *lib. 2. advers. cap. 4.* Sic & Imperii ortum dixerunt Imperatores *in l. omnes 7. C. eod. tit.* ideoque magnâ solennitate dies natalis Imperii celebrabatur, ut probat Buleng. *lib. 3. de Imper. Roman. cap. 3.* Lælius Biscola *lib. 3. horar. succes. cap. 11.* Prohibent igitur Imperatores *in d. l. dies*, ne ludi celebrentur in die sui natalitii, vel ortus Imperii. Utriusque etiam diei solennitatis mentio fit *in d. l. omnes 7.* in illis verbis: *Nostris etiam diebus, qui vel lucis auspicia, vel ortus Imperii protulerint.* Quæ constitutio extat *in l. 2. C. Theodos. de feriis*; *l. die Dominico*, *C. de spectacul.* ubi cavetur, his diebus quiescere lites, juraque eis velut sacris deferre. Sic enim legendum est *in d. l. 7.* non *differri*; notavit Gothofred. *ibi.* De hoc enim natalitio Principis accipiendus est textus *in l. sed etsi 28. §. si feria*, *ff. ex quibus causis majores*; adeoque feriatus, & solennis habebatur apud veteres dies natalis, ut legatum relictum pro eo celebrando, annuum & perpetuum intelligeretur, ex eo solùm, quod pro die natali relinqueretur, *l. cùm quidam 23. ff. de annuis legat.* quod non sine dubitandi ratione admissum fuit: tum quia in dubio creditur, voluisse testatorem legando minùs gravasse hæredem, *l. unum 68. ff. de legat. 2.* tum quia legatum non præsumitur annuum, aut reiterabile, sed unius tantùm præstationis, ut post Bartolum *in l. legatum*, *oppos. 1. ff. de annuis legat.* docuit Menochius *lib. 4. de præsumpt. præsumpt. 132.* argumento textus *in l. boves*, §. *hoc sermone*, *ff. de V. S.* at ob celebritatem diei natalitii potiùs creditur legatum annuum, & perpetuum. Cujacius *lib. 23. observ. cap. 7.* sicut etiam perpetuum legatum creditur relictum ad festum certaminis in honorem Apollinis faciendum, *l. penult. ff. de annuis legat.* præcipuè quia plerumque testatores cavebant ut dies natales eorum celebrarentur epulis, aut aliquibus distributionibus inter cives, aut Decuriones factis. Plinius *in epist. ad Can. Ruffum*, ibi: *Epicurus testamento cavit, ut dies ejus natalis, & parentum, fratrumque quotannis solenniter ageretur.* Cicero *lib. 2. de finibus*, ibi: *Rè tuta, Torquate, non doctorum hominum, velle post mortem epulis celebrari memoriam nominis sui. Quos quidem dies, quemadmodum agatis, & in quantam hominum facetorum urbanitatem incurratis, non dico: nihil opus est litibus. Tantùm dico, magis fuisse vestrum agere Epicuri diem natalem, quam illum testamento cavere, ut ageretur.* Ad quem legandi morem ref. fidi sunt textus *in l. civitatibus 112. ff. de legat. 1. l. sipurè 54. ff. de legat. 3. l. demonstratio*, §. *final. ff. de condit. & demonstr.* & inscriptio, quam ita xarafunt Hieronymus Magius *lib. 2. miscel. cap. 2.* Gutherus *de jure manium lib. 2. cap. 10.*

TRIB. MILIT.
LEGE XV. APOLLINARIS
EX LEG. V. MACEDONIC.
HIC LEGAVIT TESTAMENTO
MUNICIPIBUS. H. S. LXVI. C.
MONET.
UT EX REDDITU
QUOT ANNIS VIII. ID. NOVEMB.
DIE SUO NATALI
MUNICIPIBUS EPULUM,
ET CRUST. ET MULS. DARETUR.

Illustrant

Illustrant Roa *d. lib. 1. cap. 11.* Dorleans *ad Tacitum pag. 527.* Stuchius *de conviv. lib. 1. cap. 16.*

3. Deinde proprium erat hujus festivitatis natalis Domini, ut omnes fideles eo die sacram susciperent communionem, adeo ut intra Catholicos non haberetur, qui ea in die non communicaret, *cap. si non frequentius 16. cap. 19. & 21. de consecr. dist. 1.* Illustrant Suarez 3. *tom. de Sacram. disput. 69. sect. 3.* Vazquez *ad eandem 3. p. disput. 214. cap. 2.* Item ut in ea die quilibet Sacerdos tres Missas celebret, ut probavi *in cap. consuluit, de celebr. Missar.* Aliud etiam hujus magni diei privilegium est, ut annorum computatio fiat à Christo nato, juxta Dionysium Exiguum anno 532. quod introductum non fuisse usque ad annos 600. notavit Pancirola *lib. 2. variar. cap. 141.* In Hispania autem fuit specialiter hoc statutum in comitiis habitis Valentiæ *anno 1309.* ut refert Mariana *lib. 17. de rebus Hispan. cap. 2.* Deinde admissum in aliis comitiis Castellæ habitis in urbe Segobiensi anno 1373. idem Mariana *lib. 28. cap. 6.* Loaysa *in not. ad Concil. Illiber.* Deinde consensu totius orbis Christiani idem mos fuit receptus. Mariana *lib. 2. cap. 6.* unde abolita fuit ratio computandi tempora variè apud antiquos usitata; nam olim anni computabantur juxta tempus cujuslibet Regis, Ducisve, ut primus, secundus, tertius annus Regis David. Cœperunt etiam anni ab orbe condito, ut observat Jacobus Gordonus *in Chron. period. 60.* Gualterus *secul. 4. fol. 130.* & tempore, quo instituti fuerunt ludi in honorem Jovis Olympii, de quibus Pancirola *lib. 2. var. cap. 46.* Tertul. *de spectacul. cap. 11.* ubi Pamelius *schol. 180.* Quæ computatio fuit postea rejecta; tum quia difficilis erat, ut ait Genebrardus: tum quia absque idololatria retineri non poterat, cùm fuisset introducta in honorem idolorum. Quare eâ computatione rejectâ per indictiones anni numerari cœperunt. Solebant enim Cæsares quolibet decimoquinto anno tributum indicere, quod eâ ratione indictum dicebatur, de quo *in titulo C. de indict. lib. 12.* & apud Pancirolam *lib. 2. var. cap. 242.* fiebatque tributi indictio die 25. mensis Septembris, à qua anni computabantur hoc modo: indictionis Cæsaris annus 1. 2. 3. &c. usque ad 15. ut exposuerunt Baronius *tom. 3. anno 312. num. 167.* Eusebius *in chron.* Josephus Scaliger *lib. 5. de emend. tempor. cap. de indict.* Gualterus *ubi suprà.* Cœpit autem hæc computatio per indictiones ab anno 312. tam à Summis Pontificibus, quàm ab Imperatoribus, hoc habito discrimine, quod Imperatorum indictiones incipiebant à die 25. Septembris; Pontificum verò à die nativitatis Domini, ut refert Ciaconius *in Isag. de vitis Pont. cap. de indictionum ratione.* Fuerunt etiam aliæ temporis computationes apud Romanos, veluti per Consules, per eras, de quibus agunt Christoph. Rufinus *lib. 2. constit. cap. 77.* Baronius *in Martyrol. die 22. Septembris, & 23. Octobris*, Covar. *lib. 1. variar. cap. 12.* Unde constat, quantùm, qualeque sit hoc natalis Domini privilegium, ut omissis omnibus illis computandi rationibus ab ea die anni computari cœperint.

4. Tandem ut ad præsentem textum accedamus, in eo refertur aliud non leve privilegium, videlicet, ut si dies natalis Domini incidat in feria sexta, aut sabbatho, liceat eâ die fidelibus carnibus uti, cùm feriâ sextâ in memoriam passionis Domini jejunium ab Ecclesia indictum sit, *cap. jejunia 26. de consecr. dist. 3. can. 68. Apost.* D. Ignatius *ad Philipp. epist. 8.* Tertul. *de jejun. cap. 14.* S. Petrus Martyr, Episcop. Alex. *in suis canonibus*, ibi: *Non reprehendat nos quisquam quartam, & sextam feriam observantes, quibus nos jejunare secundùm traditionem præceptum est.* Cujus jejunii rationem assignat D. Augustinus *epist. 68. ad Casulam*, ibi: *Cur autem quartâ, & sextâ maximè jejunet Ecclesia, ea ratio reddi videtur, quòd consideratò Evangelio ipsa quarta Sabbathi, quam vulgò quartam feriam vocant, consilium reperiuntur ad occidendum DEUM fecisse Judæi. Deinde traditus est eâ nocte, quæ jam tendit ad sextam Sabbathi, qui dies passionis est.* Plura de hoc jejunio sextæ feriæ congesserunt Gazæus *ad Cassianum lib. 5. institut. cap. 24.* Gothofredus *in dissert. Philostorg. lib. 10. cap. 12.* Haæphtenus *disquisit. monast. lib. 6. tract. 7. disquisit. 1.* Postea verò consuetudine introductum fuit, ut jejunium quartæ feriæ omnino aboleretur, & ut in sexta maneret tantùm imperfectum, hoc est abstinentia à carne: unde privilegium diei natalis in præsenti relatum in eò consistit, ut si natalis Domini incidat in feriam sextam, propter diei festivitatem carnibus vesci liceat; nam etiam in veterum natalitiis non solùm Deorum, Principum, sed & Privatorum epulæ solennes erant. Apulejus *lib. 11 florid.* ibi: *Festivum celebravi natalem, sacrorum suaves epulas, & facetas convivia.* Martialis *epigr. 66.*

Sexcenti cœnant à te Justine vocati,
Lucis ad officium quæ tibi prima fuit.

Diocasius *lib. 54.* ibi: *Natalem Augusti Julius Antonii filius tunc Prætor celebravit circensibus, & venationibus: Senatum etiam, & ipsum Augustum ex decreto Patrum epulo excepit in Capitolio.* Illustrat Roa *d. lib. 5. cap. 11.* ut etiam consuetudine introductum est, ut in vigilia hujus magni diei collatio in quantitate excessiva fiat, & ex omnibus fructibus, ut referunt Azor *lib. 3. instit. moral. cap. 8. ante finem*, Cenedo *quæst. 4. canonic. num. 3.* Sed cùm privilegium hoc vescendi carnibus sit concessum in favorem fidelium, ipsi inviti eo uti non coguntur, nec erunt reprehendendi eo die jejunantes, argumento textus *in cap. utinam, 76. dist. Clement. 1. §. ita, de V. S.* Tandem in præsenti docetur, hoc privilegio uti non posse eos, qui regulari observantiâ, vel voto tenentur à carnibus abstinere, qui eas edere non valent; licèt aliqui contrarium senserint auctoritate Epiphanii contra hæreticos in fine dicentis: *In die Epiphaniorum, id est Apparitionis, & Adventus, quando natus est in carne Dominus, jejunare non licet, etiamsi contingat, quod sit feria quarta, vel prope Sabbathum.* Item auctoritate Leonis *epist. 93. cap. 4.* Qui Priscillanistas illo die jejunantes his verbis arguit: *Ut per omnia sint à nostræ fidei unitate discordes, & dies, qui à nobis in lætitia habetur, ab illis in afflictione ducitur.* Et etiam ex sententia B. Francisci, qui referente Pisano *conformit. fructu 8.* cùm hæc controversia mota esset, & F. Moricus Francisci discipulus jejunandum di-

ceret, respondit Sanctus: *Peccas frater Morice, diem Veneris vocans diem, quo magis est nobis puer Jesus: volo quod & parietes tali die comedant carnes, si fieri potest, vel de foris liniantur.* Quibus moti auctoritatibus aliqui Religiosi putabant licere carnibus vesci, cùm dies natalis Domini in feria sexta incidit: quos refellit Wadingus *in not. ad regulam S. Francisci, cap. 12.* ubi exponit prædictam Sancti auctoritatem: Si autem qui emisit votum abstinendi à carnibus die veneris, non cogitavit de eventu natalis Domini ea die occursuri, non tenetur abstinere à carnibus, ex sententia Molinæ *de justitia disp. 272.* Azorii *p. 1. instit. lib. 11. cap. 20. q. 3.* tametsi quoad hoc postremum dissentiant Sanchez *eap. illo 11. num. 61.* & Vazquez *1. 2. d. 30. cap. 4.* quorum sententiam tutiorem putat Suar. *lib. 2. de voto, cap. 20. num. 7.* Apud Græcos tamen Lucas Patriarcha in Synodo sub Emmanuele Comneno absolute, & absque ulla limitatione consultus ab Emmanuele Comneno Imperatore, respondit, virum nobilem, qui juraverat feriâ qualibet tertiâ jejunare, & carnibus abstinere, non teneri juramento, ac carnibus vesci permisit, eo quod non congrueret diei sancto Paschæ, quâ lætari convenit, abstinere carnibus, & servare jejunium, ut habetur apud Balsamonem *ad can. 29. epist. canonic. S. Basilii ad Amphiloc.* & notavit Theophilus Raynaud. *in tract. de gladio & pileo, fol. 591.*

TITVLVS XLVII.

De purificatione post partum.

CAPUT UNIC.

Innocentius III. *Armach.* (a) *Archiepisc.*

VOlens fraternitas tua per responsionem Apostolicam edoceri, humiliter à nobis expetiit, utrum mulieres statim post partum debeant Ecclesias ingredi, vel ab earum ingressu per dies aliquot abstinere. Licèt autem secundùm legem Mosaïcam certi dies determinati fuissent, quibus mulieres post partum à templi cessarent ingressu; qui tamen lex per Moysem data est: gratia, & veritas per JESUM CHRISTUM facta est: nos Sanctorum Patrum vestigiis inhærentes, taliter tibi duximus respondendum, quod postquam umbra legis evanuit, & illuxit veritas Evangelii, si mulieres post prolem enixam acturæ gratias Ecclesiam intrare voluerint, nullâ proinde peccati mole gravantur, nec Ecclesiarum aditus est eis aliquatenus denegandus, ne pœnam in culpam convertere videamur. Si tamen ex veneratione voluerint aliquandiu abstinere, devotionem earum non credimus improbandam. Datum Laterani.

NOTÆ.

(a) *Armach.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. unic.* & in epistolis Innocent. editis à Sirleto, *fol. 30.* ex quo regestro ita restituo litteram hujus textus. De diœcesi Armachana nonnulla notavi *in cap. quod sicut, de elect.*

COMMENTARIUM.

1. *Conclusio traditur, & probatur.*

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio. *Mulier post partum statim potest ingredi Ecclesiam, nec tenetur abstinere per aliquot dies, secundùm legem Mosaicam.* Probant eam textus *in cap. cùm enixa, cap. ad ejus, cap. si mulier, 5. dist.* Carolus, & Ludovicus *lib. 6. Capitul. tit. 204.* ibi: *Cùm enixa fuerit mulier, post quot dies debeat Ecclesiam intrare, Testamenti veteris præceptione didicimus, ut pro masculo diebus 33. pro fœmina autem 66. debeat abstinere: quod tamen, ut ait S. Gregorius, sciendum est, quia in mysterio accipitur; nam si hora eadem, quâ genuerit, actura gratias intret Ecclesiam, nullo peccati pondere gravatur. Voluptas etenim carnis, non dolor in culpa est. In carnis autem commixtione voluptas est, in prolis verò prolatione gemitus: unde & ipsi in primo matrimonio dicitur: In doloribus paries. Si itaque enixam mulierem prohibemus Ecclesiam intrare, ipsam ei pœnam suam culpam deputamus.* Heraldus Episcopus Turon. *can. 60. Mulier post partum statim ut voluerit, nisi forte sit adultera, intret Ecclesiam, ac DEO referat gratias.* Illustrant ultrà congestos in præsenti à Barbosa, & Garanna, Parladorius *lib. 3. rerum quotid. different. 5. num. 2.* P. Gregorius *lib. 2. syntag. cap. 1. num. 9.* Franc. Valens *in concord. jur. tom. 2. notat. 4. fol. 234.* Landtmeter. *lib. 2. de veteri mon. cap. 70.* Lindembrog. *in notis ad Censorinum, de die natali,*

tali, *cap. 11. fol. 23.* Acunna & Joannes Dartis *in 5. dist.* Becanus *in analog. cap. 14 quæst. 5.* Tapia *tom. 1. catena, lib. 4. quæst. 27. artic. 9.* & *cap. 28. art. ultim.*

2. *Impugnatur prædicta assertio.*

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti consideratione; nam sacratissima virgo Deipara Salvatorem nostrum huic mundo edidit absque ullo fluxu sanguinis, & sine secundinis, ut definitum fuit in 6. Synodo Trul. *cap. 80.* his verbis: *Absque ullis secundinis ex Virgine partum esse confitentes, ut qui sine semine constitutus sit; idque toti gregi annunciantes, eos, qui propter ignorantiam aliquid faciunt, quod non decet, correctioni subjicimus. Quare quoniam aliqui post sancta Christi Dei nostri nativitatis diem similam coquere ostenduntur, & eam sibi invicem impartiri, honoris videlicet prætextu secundinarum impolluta Virginis matris, statuimus, ut deinceps nihil tale fiat à fidelibus.* Et tamen legi purificationis paruit, ut refertur *cap. 2. Lucæ:* unde inter præcipuas, & majores festivitates B. Virginis, ejus Purificatio jam à temporibus Justiniani celebratur, ut constat ex Concilio Mogunt. sub Carolo *can. 36.* & referunt Amalarius *lib. 3. cap. 44.* Micrologus *cap. 48.* Rupertus Abbas *lib. 3. cap. 25.* & ex eis Beyerlinch. *in theatr. vitæ hum. litter. B. pag. 185.* Novarinus *in sched. sacr. lib. 8 cap. 20.* Baronius & Salazar *in Martyrol. die 2. Februar.* Menardus *ad Sacrament. D. Gregorii, fol. 41.* Solorzanus *in sua Candelaria, fol. 461.* Igitur fœminæ quæ ex partu corporis immunditiam contrahunt, debent per legitimum tempus purgari, & purificari. Augetur hæc difficultas ex eo, nam si hæc purificatio non esset necessaria, nec in lege gratiæ admissa, non institueretur, & ordinaretur ab Ecclesia peculiaris Missa dicenda cùm mulier quæ peperit, Ecclesiam ingreditur, pro ejus purificatione: sed specialis Missa pro eo die statuta est, ut constat ex nostro Innocentio *lib. 1. epist. 31.* ubi cùm transactionem inter Abbatem Lerinensem, & Episcopum Antipolitanum super Ecclesia S. Honorati referret, hæc adjecit verba: *Nec in desponsatione virginum, vel purificatione parientium Missas cantent, vel orationes, seu benedictiones exsolvant.* Igitur si est peculiaris Missa instituta pro purificatione mulieris, liquidò apparet, quod debet per tempus ab Ecclesia arceri, donec purificetur.

3. *De purificatione ex lege veteri.*

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, pro cujus expositione, præmissis quæ de præceptis legis veteris mortuis, & mortiferis adduxi *in cap. translato, de constit.* sciendum est, in lege veteri immunditiam legalem contrahi vel ex contactu rei immundæ, vel quia aliquis in se immundus erat. Ex contactu rei immundæ fiebant immundi: Primò qui tangebant leprosos, seminfluos, pollutos ex coitu, menstruatas, hæmorrhoissas, aut illorum, vel illarum vestes. *Levit. cap. 13. 14. & 15.* Secundò qui tangebant reptilia, aut alia animalia immunda, quibus non licebat vesci. *Levit. cap. 11. vers. 43.* Tertiò qui tangebant cadavera animalium immundorum. *Levit. cap. 11. vers. 24.* Quartò qui tangebant cadavera animalium mundorum, quæ sponte erant mortua. *Levit. cap. 11. vers. 39.* Quintò qui tangebant cadavera, aut ossa, aut sepulchra hominum mortuorum. *Num. c. 19. vers. 11.* Sextò qui ingrediebantur domum, vel tentorium, in quo jacebat mortuus. *Numer. c. 19. vers. 14.* & qui tangebant aquas expiationis, quibus expiabantur, *Num. c. 19. vers. 21.* In se immundi erant primò puerperæ: *Lev. c. 12. vers. 2.* Secundò leprosi. *Levitic. cap. 13. & 14.* Tertiò seminfluii. *Levit. cap. 15. vers. 2.* Quartò polluti ex coitu, sive legitimo, sive illegitimo. *Levitic. cap. 15. vers. 16.* Quintò menstruatæ. *Levitic. cap. 15. vers. 19.* Sextò hæmorrhoissæ, id est quæ multis diebus patiuntur fluxum sanguinis extra tempus menstruale. *Levit. cap. 15. vers. 25.* Nec omnes immunditiæ æquales erant, immò potiùs quædam graviores, quædam leviores: graviores erant illæ, quibus qui tenebantur, non solùm excludebantur à templo, & rerum sacrarum participatione, sed etiam hominum consuetudine, eo quod homines quoslibet, & cætera omnia, quæ contingebant, polluebant, & emundari debebant. Ejusmodi erant tria illa immundorum genera, *Numer. cap. 5.* qui ob immunditiam jubebantur excludi castris, vel civitatibus, videlicet leprosi, seminfluii, & polluti à mortuis: item & menstruatæ, quæ etsi civitate non excluderentur, domi tamen ita intrudebantur, ut cum nemine commercium haberent, nisi cum eo, qui cibum, & necessaria illis deferret; qui tamen ob hoc ipsum legaliter erat immundus. Et hæ quidem graviores immunditiæ communiter, & diuturniores erant, & difficiliùs tollebantur. Immunditiæ verò leviores, licèt arcerent à templo, & à rebus sacris; non tamen excludebant ab hominum consortio, eo quod per contactum non communicarentur aliis, & faciliori ritu tollebantur, nec per se diuturnæ erant. Præterea, qui leviori erant immunditiâ polluti, poterant saltem in atrium prophanum Gentilium, & immundorum ingredi, & sacris ibi interesse; quod prioribus non concedebatur. Quare Josephus *lib. 2. contra Appionem*, asserit ab eo fuisse mulieres exclusas.

4. *De purificatione ab his immunditiis.*

Nec omnes isti immundi purificabantur eodem modo; siquidem immundi ex contactu purificabantur aqua lustrali, de qua, & cæremoniis hujus purificationis agunt Becanus *in analog. cap. 15. q. 5.* P. Menochius *de repub. Hebræorum lib. 3. cap. 18.* & ut de præsenti purificatione tantùm agamus, sciendum est, ritum purificationis puerperæ præfiniri *cap. 12. Levit. vers. 2.* his verbis: *Mulier si suscepto semine peperit masculum, immunda erit septem diebus, juxta dies separationis menstruæ; ipsa verò triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ: sin autem fœminam peperit, immunda erit duabus hebdomadibus, juxta ritum fluxus menstrui, & sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ.* Ubi primò notandum est, generaliter mulierem, quæ masculum pepererat, immundam fuisse quadraginta diebus: eam verò, quæ fœminam, octoginta; sed non omnium dierum æqualem fuisse immunditiam: quæ enim masculum pepererat, primis septem diebus immunda erat juxta dies separationis menstruæ, id est ut ita recluſa esset, & à domesticorum consuetudine segregata, ut separatæ, recluſæ, & segregatæ erant menstruatæ. Quæ verò fœminam pepererat, primis quatuordecim diebus immunda erat eodem modo, quo separabantur menstruatæ, cæteris verò sexagintasex, non erat tam gravis immunditia, nec tam rigida separatio; manebat tamen in sanguine purificationis suæ, id est in purificatione sanguinis sui continebat se

domi, donec se perfectè sanguine, & sordibus partus liberaret; atque adeò trigintatribus illis, aut sexagintaquatuor diebus erat immunda. Et si quæras, cur diuturnius tempus fuerat præfinitum pro purificatione ejus, quæ fœminam ediderat; respondeo hoc constitutum esse ob diversitatem vacuationis, & purgationis mulieris. Prima enim purgatio à partu est sanguinis copiosiùs fluentis, & eo ferè modo, quo in menstruis: hæc in masculorum partu ad summum durat septem dies, & breviore etiam tempore, ut plurimùm absolvitur. Altera purgatio est aliorum excrementorum, cum modico sanguine paulatim defluentium. Hæc in masculorum partu cùm longissima est, per triginta dies durat, etsi paucioribus etiam diebus finiri soleat: in fœminarum verò partu durat utraque diutiùs, ut docent Hippocrates *de natura pueri*, Valesius *de sacra philosoph. cap. 18.* Itaque lex vetus longissima spatia accepit, quibus hæc perfici possent, etsi rarò, aut etiam vix unquam totum hoc spatium à Scriptura signatum occupent; id enim præscripsit Scriptura, tum ut à partu quiesceret paulò diutiùs. Primis autem diebus voluit arctiùs separari puerperas, eo quod iis diebus sit fluxus sanguinis, & ita ipsæ magis immundæ. Elapsis igitur his diebus purificationis pro discrimine sexus partus, puerpera veniebat ad atrium immundorum, ibique consistebat; nec etiam atrium mundorum ingredi poterat nondum purificata. Secundò offerebat turturem, vel pullum columbæ pro peccato. *Levit. cap. 12. vers. 6.* id est pro munditia legali; sic enim immunditia legalis contracta ex menstruis vocatur peccatum, *Levit. cap. 14. vers. 2.* & *cap. 15. vers. 30.* Deinde offerebat infantem Deo, eumque redimebat; tandem peractis omnibus in gratiarum actionem offerebat Deo agnum, vel turturem, aut pullum columbæ in holocaustum.

Traditur ratio decidendi.

Unde apparet vera ratio præsentis assertionis; nam cùm immunditia, quæ ex partu contrahebatur, esset legalis, & juxta cæremonias ipsius legis expiaretur, ut supra retuli, omniaque præcepta cæremonialia legis veteris, non solùm mortua, verùm & mortifera fuissent ut probavi *in cap. translato, de constit.* ideo in lege gratiæ nec hujusmodi munditia contrahitur, ut contrahebatur in lege veteri; nec expiatio desideratur, & sic statim ac mulier peperit, potest ingredi Ecclesiam, quia apud Catholicos prædictæ immunditiæ, aut expiationes susciari nequeunt, licet olim ad fores Ecclesiarum fontes essent, quibus ingressuri lavarentur. Eusebius *lib. 10. cap. 4.* Paulinus *epist. 12. ad Severum.*

Sancta nitens famulis interluit atria lymphis
Cantharus, intrantumque manus lavat amne ministro.

Non quia fideles crederent aquâ vitia purgari, sed ut ea lotione ad mentem purgandam excitarentur. Tertul. *lib. de oratione*, ibi: *Hæ sunt veræ munditiæ, non quas plerique superstitiosè curant ad orationem, tum etiam cum lavacro totius corporis.* Quod agnoscit Ovidius *lib. 2. Fast.*

Ah nimium faciles, qui tristia crimina mentis
Flumineâ pelli posse putatis aquâ.

Unde successit usus aquæ benedictæ, de quo egi *in cap. aqua, de consecr. Eccles.* sed si ex devotione enixa voluerit se abstinere ab ingressu templi, hoc illi permittendum est, cùm ex devotione fiat, propter quandam dicentiam, propter quam & vir cum propria uxore dormiens jubetur ab ingressu Ecclesiæ se abstinere *in cap. vir*, ibi: *Vir cum propria conjuge dormiens, nisi lotus aquâ intrare Ecclesiam non debet, sed nec lotus intrare statim debet. 33. quæst. 4.* Aliquando enim bonum est abstinere ab eo, quod licitè fit, *cap. aliud 11. quæst. 1. cap. quotidie, de consecr. dist. 2.* Sidonius *lib. 9. epist. 8.* ibi: *Esset quidem gloria, si nunquam uxori conjungeretur: quia bonarum mentium est ibi culpas agnoscere, ubi culpa non est.* Ut probavi superiori titulo *in cap. consilium.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam licèt Beatissima Virgo lege purificationis non teneretur, ut probat P. Menochius *ubi suprà*, Suarez *de vita Christi disp. 16. artic. 4. sect. 2.* cùm partus purissimus, omnique sorde immunis, & affluxu sanguinis liber esset, ut venustè expressit Sanazarius *lib. 2. de partu Virginis*, ibi:

Haud aliter quàm cùm purum specularia solem
Admittunt, lux ipsa quidem pertransit.

Tamen ejus legis præceptum adimplere humili destinatione curavit, ut eleganter expressit sanctus Methodius Martyr sub Decio, Episcopus Parisiensis in homilia, cui titulus *de concursu Domini*, ibi: *Et quidem propterea mater ipsius supra legem existens, se legi submittit. Quæ, pura cum sit, tempus tamen quadraginta dierum in pollutæ constitutum, præscitumque observat: sic legi obediens is quoque qui à lege liber erat; oblatio pro eo offertur, quasi nos sanctificavit.* Prosequitur latiùs Salas *de legibus disp. 23. sect. 6.* Unde instituta fuit ab Ecclesia festivitas Purificationis B. Mariæ, circa quam Historici non conveniunt, tam circa tempus hujus institutionis, quàm causam. Videndi sunt Baronius, & Salazar *in Martyrol. die 2. Februarii*, Beyerlinch *in theatro vitæ hum. lit. C. pag. 163.* D. Laur. Ramirez *in Pentecont. cap. 49.* Solorzanus *de Jure Indiar. lib. 2. cap. 24.* & *de juribus honorariis num. 462.* Nec obstat quod de Missa dicenda pro purificatione mulieris suprà dicebamus; nam licèt Missa propria dicatur, quando primùm post partum Ecclesiam ingreditur, non ideo deducitur, fœminam immundam fuisse per tempus lege Mosaïca præscriptum, & per illud tempus ab Ecclesia arceri debere.

7. Expenditur auctoritas Dionysii & Timothei

Sed hucusque traditis obstat Dionysius Alexandrin. *in epist. ad Basilidem*, quæ extat *in 3. tom. Biblioth. sacræ, can. 2.* in hæc verba: *De mulieribus autem, quæ sunt in abscessu, an eas sic affectas oporteat domum Dei ingredi, supervacaneum vel interrogare existimo. Neque enim eas existimo, si sint piæ, & fideles, sic affectas ausuras vel ad sanctam mensam accedere, vel corpus, & sanguinem Domini attingere. Neq; enim qui XII. annorum fluxum habebat, ipsum ad medicinam tetigit, sed solam ejus simbriam. Orare enim quomodocunque se habeat aliquis, & utcunque sit affectus, Domini memmisse, & auxilium implorare, non est reprehendendum. Ad sancta autem sanctorum, qui non animâ, & corpore prorsus mundus est, accedere prohibetur.* Refert etiam Balsamon *fol. 883.* Idem habet Timotheus Alexandrinus *in respons. canonicis, respons. 7.* quæ habentur *tom. 6. Biblioth. sacræ*, apud Balsam. *fol. 162.* ibi: Interrogatio: *Similiter catechumena dedit nomen suum, ut illuminaretur, & die baptismatis illi accidat quod solet mulieribus, debetne eo die baptizari, an differre, & quantùm differre?* Resp. *Debet differre donec purgata fuerit.* Interrog. *Si mulier sibi accidisse viderit, quod solet mulieribus, debetne ad sancta mysteria accedere, an non?* Resp. *Non.* Ex quibus

auctori-

auctoritatibus apertè constat, adhuc in lege gratiæ mulieres immunditiam contrahere ex menstruo, & partu, nec interim ad sacra mysteria admitti debere: ergo non rectè in præsenti docetur, mulieres, eo quod pepererint, non debere arceri ab ingressu Ecclesiæ. Pro cujus difficultatis solutione aliqui Theologi docent, hæc omnia, non ut ex præcepto necessario servanda, sed tanquam magis congruentia à Patribus proponi. Sed veriùs credo, lege aliquâ canonicâ universali Ecclesiæ Orientalis, non verò Latinæ, ut notavit Landtmeter. *lib. 2. de veter. mon. cap. 76.* hæc duo fuisse statuta; siquidem, ut refert Balsam. in illum canonem 2. Dionysii, Leo Imperator cognomento *Sapiens*, in sua novella 13. ita cavit: *Statuimus de mulieribus, quæ pepererunt, & de his, quæ naturali purgatione detinentur; si quidem earum vita à nulla alia morbosa affectione perturbatur, ut quæ non sunt quidem initiatæ, non sint illuminationis participes; quæ autem sunt in divinis ministeriis initiatæ, impolluta mysteria non participent usque ad quadraginta dierum terminum* (quatuor dierum legi vult Theophilus *tom. 16. in Heterocl. fol. 32.*) *Quod si morbus invaserit, & se vitam abrupturum minetur, ut sint omnino sacramenti participes.* Non quia Imperator hoc statuendi potestatem haberet, sed quòd jam statuto Ecclesiastico cautum erat, suâ etiam lege exprimere, & confirmare voluerit: immò & Dionysius supponit hujusmodi mulieres in Ecclesiam non admitti cum aliis, sed in accessu quodam Ecclesiæ esse, hoc est in loco solitario, ut explicat Balsamon ibidem. Et hac fortasse ratione introducta fuit consuetudo, ne mulier etiam post partum per aliquot dies Ecclesiam ingrederetur, ut in lege veteri præceptum erat: quam consuetudinem ita abrogavit Innocentius in præsenti, ut mulieres non possint ab ingressu Ecclesiæ prohiberi, sed liberum illis reliquerit ex devotione aliquandiu abstinere. Eodem modo, ut refert D. Augustinus *serm. 244. de tempore ad medium*, cavetur, ne mulieres post matrimonium, per 30. dies Ecclesiam ingrediantur, his verbis: *Per triginta dies Ecclesiam ingredi non præsumant.* Quod tamen contrariâ consuetudine jam abrogatum est; nam initio nascentis Ecclesiæ, cùm major esset fidelium devotio, pro majori sacramentorum reverentia congruenter satis hæ leges statutæ fuerunt, ut docet P. Vazquez *3. p. in 3. disput. 210. artic. 7. cap. 3.* & probavi *lib. 1. Concil. Illiber. cap. 6.* eodemque modo accipiendum est quod ex Pœnitentiali Theodori refert Carnot. *p. 15. Decreti. cap. 150.* ibi: *Ut mulieres menstruo tempore non offerant, nec sanctimoniales, nec laicæ: si fecerint, per tres hebdomadas pœniteant.* Et D. Clemens *epistol. 4.* in illis verbis: *Est sanè propria quædam nostræ religionis observantia, quæ non tam imponitur hominibus, quam propriæ ab unoquoque Deum colente causâ puritatis expetitur: de castimoniæ dico cautela, cujus species multæ sunt; sed primò ut observet unusquisque, ne menstruatæ mulieri misceatur.* Explicat Turrianus *lib. 5. pro canonib. Apost. cap. 1.* Græcique id tantâ obstirmatione tenuerunt, ut etiam periclitantes fœminas per tempus menstrui communicare nollent, ut constat ex damnatione Michaëlis Patriarchæ CP. per Humbertum Legatum Sedis Apostolicæ, apud Baronium *anno 1054.* Prosequitur Theophilus *d. tom. 16. fol. 32.*

TITVLVS XLVIII.

De Ecclesiis ædificandis, & reparandis.

CAPUT I.

Ex Concilio (a) *Mogunt.*

QUicunque beneficium Ecclesiasticum habent, ad tecta Ecclesiæ restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas omnino adjuvent, & nonam, & decimam reddant.

NOTÆ.

1. (a) *Mogunt.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 4.* Et ex hoc Concilio citant verba hujus textus Burchardus *lib. 3. Decreti, cap. 30.* Carnot. *p. 3. Decreti, cap. 35.* & reperitur textus hic in ipso Concilio *can. 42.* & inter capitularia Caroli *lib. 5. cap. 92.* & *lib. 7. in addit. cap. 32.* apud Ant. Augustinum *in epit. juris, lib. 13. tit. 2. cap. 19.* De hoc Concilio egi *in cap. 1. de regular.*

2. Ex hoc textu omnes Repetentes, & alii infrà pro illustratione conclusionis laudandi, deducunt, Clericos, seu Rectores Ecclesiarum beneficia possidentes teneri de fructibus ipsius beneficii Ecclesiam reparare, vel reficere. Verùm in præsenti canone non agitur de clericis, nec de beneficiis Ecclesiasticis: quare veram ejus interpretationem assignabimus, & post ea juxta communem assertionem omnium Doctorum conclusionem disponemus, & disputabimus. Sciendum autem est, beneficium sæpe sæpiùs pro feudo usurpari in legibus Aleman. *tit. 11. A Pastore Ecclesiæ per beneficium suscepit.* Bajubar. *tit. 1. cap. 10. Per beneficium præstare.* Concil. Meld. *can. 18. Ut præcepta illicita jure beneficiario de rebus Ecclesiasticis facta à vobis sine dilatione rescindantur.* Hinc-marus relatus à Bignorio *ad Marculf. lib. 2.*

cap. 5. Filesac. *in quer. fol. 853.* Unde Aymonius *lib. 5. de gestis Francor. cap. 44.* dum agit de Lotharingia, quæ antiquum fuit Regum Franciæ ex Carolomanica stirpe patrimonium, ait illam à Lothario in beneficium traditam Othoni Imperatori, hoc est in feudum. Verba sunt: *Dedit autem Lotharius Rex Othoni Regi in beneficio Lotharicum Regnum, quæ causa magis contristavit corda Principum Francorum.* Latè probavi *in cap. 1. de feudis.* Deinde sciendum est, horum beneficiorum, seu feudorum duo genera reperiri in antiquis legum, & historiæ monimentis. Aliud enim dicitur beneficium Regium; aliud beneficium Ecclesiasticum, Beneficium regium fuit prædium, agerve regii dominii, qui militibus, ac nobilibus utendus fruendus dabatur à Rege, ad obstringendam eorum fidem. Beneficium istud in mansis, servis, colonis, & servientibus erat constitutum. Unde qui beneficium regium habebat, illud colere tenebatur, ne incuriâ, ac negligentiâ beneficiarii sterile, ac inutile redderetur. Ita cavetur *in l. 1. tit. 8. lib. 3. legum Longobard.* ibi: *Quicunque suum beneficium occasione proprii desertum habuerit, is infra annum, postquam Comes, vel missus noster notum factum habuerit, ipsum beneficium amittat.* Beneficii verò Ecclesiastici mentio extat in eisdem legibus Longobard. & Capitularibus Caroli, & Ludovic. congestis *in cap. 1. de feud.* ubi de hujusmodi feudorum origine & progressu egi. Ex illis autem legibus, & Historicorum monumentis deducitur, eos ipsos, qui aliquid ex beneficio Ecclesiæ accipiebant, ad pura erga Ecclesiam officia præstanda fuisse obligatos. Quæ onera ad tria potissimùm capita refero, ad nonas, ad decimas, & ad sarta tecta. Quod ad nonas pertinet, certum est, eas persolvi, non ex quovis genere prædiorum, sed ex iis tantùm, quæ aliquis possideret ex beneficio Ecclesiastico, ut hac nempe nonarum præstatione solvens, feudatarium se, ac beneficiarium Ecclesiæ agnosceret, ut ex Concilio Valentino III. constat Galliæ celebrato temporibus Caroli Calvi *can. 10.* ibi: *Sed & de fiscis, & villis, quas constat dominio Ecclesiæ à fidelibus olim fuisse contraditas, & nunc potestati sæcularium traditas, voluntate eorum ordinari placuit, ut sicut edictis Principum jussum est, nonæ, & decimæ ipsis Ecclesiis, unde subtractæ sunt, fideliter persolvantur; & hi qui eas retinuerint, ut sacrilegos noverint, se ab Ecclesiæ luminibus pellendos.* Et antea per annum 813. conquesti fuerunt Præsules Galliæ antiquum morem persolvendi nonas à prædiis Ecclesiasticis multis in partibus sublatum: quâ de causa querelam ad aures Principis deferendam censuerunt in canone 46. Concilii Turon. celebrati sub Carolo Magno, ibi: *Nonas, ac decimas, quas quidam res Ecclesiasticas tenent, solvere Rectoribus Ecclesiarum ordinati sunt, ad luminaria, & stipendia clericorum multis in locis abstractas esse vidimus: quod sæpe jam missis vestris in publicis indicavimus placitis, sed inde hactenus aut prævum, aut nullum consequuti sumus effectum.* Quare idem Carolus Magnus, & ejus successores persolvendas esse nonas sæpiùs dixerunt *lib. 1. capit. 163.* ibi: *Ut qui Ecclesiarum beneficia habent, nonam, & decimam ex eis Ecclesiæ, cujus res sunt, donent; & qui tale beneficium habent, unde ad medietatem laborent, de eorum portione proprio presbytero decimas donent.* Unde apparet, fuisse aliquod beneficii Ecclesiastici genus, quod ad medietatem tradi-

tum erat, nempe colonus dimidium sibi, & dimidium presbytero arabat; quo casu nonas non persolvebat. Idem præceptum solvendi nonas repetitum fuit *lib. 2. cap. 21.* & de solvendis nonis ex regio beneficio, agitur seu feudo *lib. 5. cap. 150.* ibi: *De his, qui agros dominicatos propterea neglexerunt excolere, ut nonas exinde non persolvant, & alienas terras ad excolendum propter hoc accipiunt, volumus ut de tribus annis ipsam nonam cum sua lege persolvant.* Præter nonas illi, qui beneficium Ecclesiæ habebant, decimas quoque persolvebant, ut ex præfatis locis facilè constat. Tertiò Ecclesiæ præstare tenebantur sarta tecta, hoc est, qui aliquid ex beneficio Ecclesiæ possidebant, tenebantur ad Ecclesiarum labes, ac ruinas reficiendas, præsertim verò ad tecta: quod facilè probatur *ex dict. can. 46. Concilii Turon. 3.* ubi Patres conqueruntur Ecclesias ruere, & funditus labi, propter neglectam tectorum instaurationem ab his, qui beneficia Ecclesiastica possident. Similiter, inquiunt, & de restauratione tectorum nobis necessitas incumbit judicare, quia non tantùm domus monasteriorum, sed & ipsæ Ecclesiæ propter tectorum inopiam ruinas minantur. Concil. Meldense *can. 62. Hiqui ex rebus Ecclesiasticis nonas, & decimas persolvere, & sarta tecta Ecclesiæ secundùm antiquam auctoritatem, & consuetudinem restaurare debent, & hoc non solùm negligunt, verum & per contemptum dimittunt, atque clericos fame, ac penuriâ, ecclesiastica adsficia dissolutione annullari permittunt.* Legis Longobardicæ *lib. 3. tit. 3. l. 2.* extat decretum Caroli Imperatoris his verbis conceptum: *Præcipimus Comitibus, & omnibus fidelibus nostris, ut quicunque de rebus Ecclesiasticis beneficia habent, pleniter secundùm morem regionis nonas, & decimas ad ipsas Ecclesias donent, absque ulla diminutione, & dilatione, in quantum melius possunt, & juxta possibilitatem eorum, & quando necessitas exegerit, dent operas ad ipsas Ecclesias restaurandas, & adjutorium faciant.* Modum verò & impensas, quas in reficiendis Ecclesiis facere oportuit eos qui agrum Ecclesiæ occupassent, definit capitulare quadragesimum *lib. 4. Consideratum est, ut de frugibus terræ, & animalium nutrimine nonæ, & decimæ persolvantur. De opere verò, vel restauratione Ecclesiarum Comes, & Episcopus, sive Abbas, unà cum misso nostro, quem ipsi sibi ad hoc elegerint, considerationem faciant, ut unusquisque eorum tantum inde accipiat ad operandum, & restaurandum, quantum ipse de rebus Ecclesiarum habere cognoscitur. Similiter & vassi nostri: aut in commune tantum operis accipiant, quantùm rerum Ecclesiasticarum habent, vel unusquisque per se juxta quantitatem, quam ipse tenet: aut si inter eos convenerit, ut pro opere faciendo argentum donent, juxta æstimationem operis in argento persolvant, cum quo pretio Rector Ecclesiæ ad prædictam restaurationem operarios conducere, & materiam emere possit: & qui nonas, & decimas dare neglexerit, primùm quidem illas cum lege suæ restituat, & insuper bannum nostrum solvat, ut ita castigatus caveat, ne sæpiùs iterando beneficium amittat.* Unde facilè cognoscitur, in præsenti canone non agi de clericis beneficia Ecclesiastica ex institutione Episcopi possidentibus; sed de feudatariis prædictæ Ecclesiæ in beneficium, hoc est feudum, obtinentibus, qui debebant nonam, ac decimam præstare, & sarta tecta Ecclesiarum custodire, ut in præsenti cavetur: quo modo etiam accipiendus

plendus est canon 25. Concilii Arelat. 6. sub Carolo, in illis verbis: *Si quis beneficium de rebus Ecclesiæ habet, ad tecta ejusdem Ecclesiæ restauranda, vel ad ipsas Ecclesias ædificandas omnino adjuvet.* Videndus Dartis *ad 16. quæstione 1. ad finem.*

COMMENTARIUM.

3. *Conclusio traditur, & probatur.*

SEd licèt hæc, ni fallor vera sit hujus textus sententia; tamen juxta communem interpretationem talis deducitur disputanda assertio: *Habentes beneficium in Ecclesia, tenentur ad ejus reparationem contribuere.* Probant eam textus *in cap. Omnes, de consecr. dist. 1. cap. final. de his quæ fiunt à major.* Concil. Emerit. *can. 16. ad finem*, ibi: *Omnes verò supradicti presbyteri, qui virtutem habuerint, Episcopo suo placitum faciant, ut reparare Ecclesias sibi commissas intendant: quod si facere distulerint, ab Episcopo suo districti Ecclesias sibi creditas, ut ratio permittit, dignè reparent. Ecclesiæ tamen, quæ mundiales res nullas habent, solicitudine, intentione, & dispositione Episcopali, ut ratio permiserit, habeant reparationem.* Francoford. *can. 26. Ut domus Ecclesiarum, & tegumenta ab eis fiant emendata, qui beneficia exinde habent.* Concilium Tolet. 16. *in epistol. Regis Flavii Egicæ, column. 1.* Concil. Rom. sub Eugenio II. *can. 25.* ibi: *De destructis Ecclesiis, ut ab eis, qui eas possident, reædificentur; & si non sufficiant, à populo adjuventur.* Concil. Tullense *part. 2. cap. 11.* ibi: *Ut Ecclesiæ jaciantur, vel restaurentur in ædificiis ab iis, qui earum rebus utuntur, aut ab unoquoque tale ex earum familia præbeatur adjutorium, per quod, si fieri potest, reædificentur. Indignum est enim, juxta historiam, Domino per Prophetam reprobante, nos in domibus laqueatis habitare, & domos Dei esse desertas.* Tridentinum *sess. 7. de reform. cap. 8.* Consonat lex 11. *tit. 10. partit. 1.* Illustrant Lambertinus *lib. 3. de jurepatron. quæst. 7. articul. 2. num. 1.* Surdus *consil. 62. numero 23.* Barbosa *de jure Eccles. lib. 2. cap. 4. num. 5.* & *de potest. Episc. alleg. 64. num. 4.* & *de offic. Parochi cap. 13.* Salgado *de protect. regia, part. 3. cap. 5. num. 7.* Bobadilla *libro 2. polit. cap. 18. num. 136.* Riccius *in praxi aurea, resol. 476. num 4.* Valascus *consult. 179. num. 12.* Ant. Augustinus *in epit. jur. lib. 13. tit. 2.* Petrus Gregor. *lib. 1 partit. tit. 4. cap. 11.* Landtmeter. *lib 2. de veteri monach. cap. 36. per tot.* Tondutus *resol. canonic. cap. 38. & 39.* Abbas Parnomit. *quæst. 4.* Diana *p. 8 tract. 7. resol. 16.* Loaysas *in not. ad Concil. Tolet. 16. can. 6.* Solorzanus *lib. 4. polit. cap. 23.* Martha *de jurisdict. p. 2. cap. 48.* Thomas Sanchez *lib. 7. in præcept. cap. 29.* Moneta *de commut. cap. 11.* Frances *de Eccles. Cathed. cap. 13.* Villaroël. *p. 2. regim. Eccles. quæst. 20. artic. 1.* Solorzanus *tom. 2. lib. 3. cap. 23.*

4. *Impugnatur tradita assertio.*

Sed hæc assertio difficilis valde redditur sequenti juris consideratione, nam in divisione omnium bonorum Ecclesiasticorum facta à sancto Simplicio Ecclesiæ quarta pars assignata fuit pro fabrica, id est ipsius reparatione, *cap. quatuor, cap. de redditibus, cap. videntes, 12. quæst. 2.* & in Hispania erat tertia pars prædiorum pro reparatione Ecclesiarum ab Episcopo retinenda. Concil. Tolet. 16. *can. 5.* relatum *in cap. unio, 15. quæst. 3.* Concil. Brachar. 2. *can. 2.* extat *in cap. 1. 10. q. 3.* Concil. Emerit. *can. 16.* apud Gratianum *in c. 2. 10. q. 3.* Tarracon. *can. 2. in c. decernimus 10. quæst. 1.* notarunt Paponius *lib. 1. tit. 1.* Jacob Gothofr. *in l. 18. C. Theodos. de operib. publicis*; & in Ecclesiis plerumque sunt æditui, seu operarii, qui quartam illam portionem pro fabrica assignatam fideliter asservent, & diligenter expendant; probat Cæsar *de Eccles. hierarch. q. 2. proœm. §. 5. n. 16.* ut erant etiam æditui apud Gentiles, quasi ædium tutores, qui templa curabant, & reperabant, de quibus Aristotel. *lib. 6. polit. cap. final.* ibi: *Alia species curationis est circa rem divinam, seu Sacerdotis; & ædituicirca templa, ut conserventur, quæ sunt, & dirigantur ruinosa ædificia, & catera omnia, qua pertinent ad divinum cultum.* Plato *lib. 6. de legibus* eos vocat quæstores, & asservatores sacræ pecuniæ, ut refert, & explicat P. Gregorius *2. p. syntag. lib. 15. cap. 31. n. 2.* Igitur clerici non tenentur ex propriis fructibus Ecclesias reparare. Unde in Concil. Aurel. 3. *can. 5.* aliàs 7. apud Ant. Augustin. *in epit. lib. 13. tit. 2. cap. 12.* ita cavetur: *De oblationibus, vel agris, quos Dominus noster Rex Ecclesiæ suo munere conferre dignatus est, &c. definimus, ut in reparationibus Ecclesiarum, alimoniis Sacerdotum, &c. quicquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit, expendatur.* Accedit, nam reparatio Ecclesiarum potiùs ad Principem, quam ad clericos spectat, *cap. final. 96. distinct.* ibi: *Boni Principis, & Regis est Ecclesias contritas, atque scissas restaurare, novas ædificare.* Et *cap sicut. 23 q 4.* & refertur *lib. 1. Regum, cap. 12. & 22. Paralip. cap. 24.* quod Reges Joab, & Josias circa templi Salamonici restaurationem satagebant. Unde Ovidius *lib. 2. Fastorum*, vocat Imperatorem Augustum templorum inventorem, ibi:

Templorum positor, templorum sancte repertor.

Non quia ipse templorum inventor fuisset, sed quia templa destructa reparabat, ut refert Suetonius *in ejus vita, c. 30.* ibi: *Ædes sacras vetustate collapsas, aut incendiis absumptas refecit.* Quare Casaub. ibi apud Ovidium pro *repertor*, legit *refector.* Vel saltem reparatio ad populum spectat. Eugenius II. in Synodo Rom. *can. 25.* ibi: *Ecclesia, & quælibet pia loca adjacentia, &c. proprio dispendio restaurentur; non sufficiente verò, necessariò à populo plebis auxilientur.* Igitur nunquam ad clericos primò, & principaliter spectat refectio, & reædificatio Ecclesiarum.

Quâ difficultate ita fulcitâ non obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione scire oportet, omnia ædificia habere suam vetustatem, quam ætatem ædificiorum dixerunt Imperatores *in l. si quando, C. de operib. publicis*, Consulti *in l. vulgò 58. l. domus 60. ff. de legat. 1.* ubi ait Papinianus: *Domos hereditarias exustas, & hæredis nummis structas ex causa fideicommissi post mortem hæredis reficiendas viri boni arbitratu sumptuum rationibus deductis, & ædificiorum ætatibus examinatis.* Ita legitur in Holoandr. & Florent. Vulgò autem corruptè legitur, *ædificiorum quantitatibus examinatis.* Est ergo ætas beneficiorum vetustas eorum; unde Mamertinus in panegyrico Juliani dixit urbium mœnia renovata ab Imperatore, induisse juventutem; & Cassiodorus *lib. 1. variar. c. 25.* ait: *Quorum fabricis dedimus longissimam juventutem, ut pristina novitate reluceant, quæ jam fuerant veterno senectate fuscata.* Pari quoque ratione ornamenta urbium, ac decora marmorum senium tempore sentire dicimus, ut videre est *in l. 16. C. Theodos. de oper. public.* Ædes etiam dicuntur

5. *De ætate Ædificiorum.*

ætatis

ætatis senio concuti *in l. 15. eod. tit.* D. Gregor. *lib. 2. dialog. cap. 15.* ibi: *Ejusq; ædificia longo senio lassati.* Et Ovidius ait:

Canescunt turpi tecta relicta situ.

Et Ennodius Ticianensis *epist. ad Boëtium.*

Abjurant priscam te Præsule tecta senectam.

Quod & Agenus Urbicus *in comment. ad Julium Frontinum* ad arbores transtulit his verbis: *Alter è contrario similiter quæreret, ex similitudine ferè culturæ comparationem accipi, id est si silva, cujus sit ætatis, pars censuræ, & ætas arborum, ut solent relinqui, quas antemissas vocant, ut silvarum quoque ætatem sint pares.* Illustrant Juretus, & Broëus ad Cassiodorum *dict. epist. 25.* Fornerius *lib. 1. select. cap. 2.* Juretus *ad Symmachum epist. 5.* Nec ineleganter rei inanimatæ ætas dicitur, siquidem & legimus prædiorum dotes, & ingenia, in jure, *l. 2. §. 1. Seja, §. liberto, ff. de instructo vel instrumento, l. amissi 52. §. fideijussores, ff. de fidejuss. l. adules 35. §. quæsitum, ff. de ædilit. edict. l. si quis intra 7. C. de bonis proscript.* Et apud bonæ notæ auctores, Apulejum *lib. 9. de Asino: Acerrimo, gravique odore sulphuris juvenis inescatus, atque obnubilatus, intercluso spiritu diffluebat; utq; est ingenium vivacis metalli, crebras ei sternutationes commovebat.* Gellium *lib. 3. noctium, cap. 6. de palma*, ibi: *Ingenium hujusmodi ligni est, ut urgentibus, opprimentibusque non cedat.* Illustrat Fornerius *lib. 1. select. cap. 2.*

6. *De reparatione Ecclesiarum.*

Cùm ergo ædificia suam habeant ætatem, & durationem, indigent plerumque ut reficiantur, aut reparentur; ideo nec minor cura habenda est in eis conservandis, quàm construendis, ut eleganter ait Cassiodorus *lib. 1. var. epist. 25.* Reparari autem, seu refici dicitur ædificium, cùm in pristinum statum restauratur, *l. 1. §. deinde, ff. de rivis, l. 1. §. refecit, ff. ad leg. Jul. de vi public. l 3 reficere, ff. de itinere, actuque, l. 2. §. si quis ædificium, ff. de novi operis nunc.* ita ut forma veteri servatâ, reficiatur; ut etiam merces reparare dixit Scævola *in l. qui Romæ 122. §. Calimachus, ff. de V. O.* cùm earum loco, quas in aliquem locum importatas quis vendidit, alias comparat, aut eas aliis mercibus commutat: quasi iterum parare, seu comparare. Horatius *lib. 1. carminum, od. 31.*

Premant Calena falce quibus dedit
Fortuna vitem: dives & aureis
Mercator exsiccet cullullis
Vina Syra reparata merce.

Quo modo reparate exponit Duarenus *lib. 1. animadv. cap. 10. in l. qui dum 16. ff. de in rem verso, l. si unus 27. ff. de pactis*; & illustrat D. Joan. Ramos *in l. deprecatio, num. 46. ff. ad leg. Rhodiam.* Sed non ideo dicendum est, Ecclesiam ita reparandam esse, ut antiqua forma servetur, quia renovationis modus ex Episcopi pendet arbitrio, *cap. omnes*, ibi: *Episcopi providentiâ modus inveniatur: de consecr. dist. 1.* non enim ibi præcipitur absolutè ut Ecclesiæ reparentur, juxta antiquam formam; sed quod Episcopi providentiâ fiat reparatio, ut attendatur quorum expensis reparatio facienda est, & an juxta majorem, vel minorem formam. Dubium tamen est, an Episcopus possit virtute hujus arbitrii ampliare templum sumptibus eorum, qui ad reparationem tenentur? In qua quæstione sequentes casus sunt distinguendi. Primus est, cùm stipulatione aliquis obstrictus reperitur ad reparationem; quo casu dicendum est, non posse cogi ad ampliationem, cùm verbà stipulationis strictè accipienda sint, *l. quicquid, ff. de V. O.* ideo non videtur obligatus ad ampliationem faciendam, qui refectionem promisit, quia longè aliud est reficere, aliud ampliare, *l. usufructuarius 44. ff. de usufructu, l. quid tamen 10 §. 1 ff quibus modis usufruct.* Secundus casus est, quando fit ampliatio Ecclesiæ, non quia necessaria, sed tantùm utilis: quo casu similiter dicendum est, non posse compelli ad præstandos sumptus ampliationis eos, qui jure ordinario tenentur ad refectionem, ut resolvit Gratianus *tom. 1. discept. cap. 84. num. 21.* ea ratione, quia licèt res communis refici possit sumptibus sociorum, non tamen potest eis invitis ampliari, *l. parietem 8. ff. de servit. urban.* quibus consequens est, ut qui ad Ecclesiæ reparationem tenentur, impedire possint prædictam ampliationem, nisi caveatur pro futura reparatione loci ampliandi; nam irrogatur ei præjudicium propter futuras expensas reparationis ampliatâ Ecclesiâ. Pechius *de Eccles. reparandis cap. 2. num. 4.* Tertius casus, & difficilior est, quando ampliatio necessaria est propter populi multitudinem, quam antiqua Ecclesia capere non potest, ut in casu textus *in cap. præcipimus 53. 16. quæst. 1.* quo casu Pechius *ubi supra*, Ripa *respons. 14. num. 10.* Aufrerius *in decis. capel. Tolos. 449.* existimant onus incumbere illis, ad quos spectat necessitas reparationis pro modo facultatum suarum. Sed longè aliter distinguendum est; nam cùm hæc sit nova constructio, faciendæ est sumptibus ejus, cui incumbit Ecclesias construere, videlicet Episcopi, *cap final. hoc tit.* Reparatio verò Ecclesiæ ampliatæ spectat ad eos, qui ad reparationem veteris Ecclesiæ tenebantur, cùm ipsi specialiter obstricti sint ad Ecclesiam reficiendam, ex qua fructus percipiunt, vel sacramenta recipiunt.

7. *De personis quæ ad reparationem tenentur.*

Deinde agendum est de personis, ad quas spectat reparatio Ecclesiarum, & quarum sumptibus sunt Ecclesiæ reficiendæ. Et primò si portio redditduum fabricæ Ecclesiæ deputata sufficiat, ex eâ Ecclesia reficienda est, *cap. unic. c. decernimus 10. quæst. 3.* Quod si portio hæc non sufficiat, & Ecclesia sit Cathedralis, Episcopi, & Canonici, ex propriis fructibus tenentur eas reficere, *cap. final. de his quæ fiunt à major. part.* Lambertinus *de jurepatron. lib. 3. quæst. 7. artic. 2.* Borel. *consil. 2. num. 12.* Barbosa *de potest. Episc. alleg. 64. num. 4.* & *lib. 2. juris Eccles. cap. 4. num. 9.* olim reparabantur ab Episcopis extertiis Ecclesiarum parochialium, *dict. cap. unic. capite decernimus 10. quæst. 1.* Quid autem in Ecclesiis Indiarum observetur, explicat latè Solorzanus *dict. lib. 4 polit. cap. 23.* Si autem in Ecclesia parochiali sit Rector, & alii clerici beneficia in ea habentes, seu decimas possidentes, tenentur eam reficere pro portione, seu juxta quantitatem decimarum, quam percipiunt. Barbosa *de jure Eccles. lib. 2. cap. 4. num. 1.* Item commendatarii. Valascus *consult. 175. num. 20.* Salgado *de protect. reg. 3. p. cap. 5.* Item qui pensionem obtinent, Barbosa *de potest. Episcop. supra*: quos omnes judex superior cogere potest ad ipsam reparationem. Concil. Meldense *can. 62.* ibi: *Qui sarta tecta Ecclesiæ restaurare debent, & hoc negligunt, ab Ecclesiastica communione separentur.* Nec hoc casu admittitur appellatio, ut latè probat Salgado *dict. cap. 5.* quod si horum portiones non sufficiant ad necessariam reparationem, paro-

parochiani cogendi erunt sumptus exhibere; quorum interest templa habere, Concil. Mediol. 5. sub D. Carolo, *tit. 4. de Ecclesiis, & earum suppellect. p. 2. fol. 536.* ibi: *Quæ verò labentes, propeque cadentes, nullum censum habent, unde restituantur, civitatis, municipii, loci ve, ubi sita sunt, impensis instaurentur.* Pluribus relatis probat Cenedus ad Decret. *collect. 153. num. 1.* & an eo casu forenses teneantur contribuere; examinat Cabedo *p. 1. decis. 91. num. 9.* Tondutus *resol. canonic. cap. 38.* quod procedit, nisi aliter pacto, seu transactione conventum sit, ut probat Tondutus *resol. canonic. cap. 39.* vel nisi contrariâ consuetudine alius modus reparationi præscribatur, cui in primis standum est, ut docuerunt in præsenti Cardin. Joan. Andr. & Hostiensis: & hoc casu etiam inter parochianos judicem Ecclesiasticum esse competentem, probat Pereyra *de manu Regia, cap. 18. per tot.* Jure autem civili hujusmodi cura erat Proconsulis, *l. 7. §. 1. ff. de offic. Proconsul.* Omnia autem, quæ hucusque diximus, procedunt in reparatione necessaria, quæ fit propter vetustatem, aut fortuitam ruinam templi; sed si voluntariâ quorundam vastatione templum destruatur, cessant, estque facienda reparatio sumtibus ejus, qui Ecclesiam destruxit, *cap. quisquis 21. §. ult. 17. quæst. 4. cap. conquestus, de foro compet.* Pechius *ubi suprà, cap. 3.* pro cujus damni emendatione tacitam hypothecam concedit Ecclesiæ idem Pechius *cap. 4.* sed frustra, cùm nullâ lege Pontificia, seu civili hæc hypotheca inducatur, neque ullo alio idoneo argumento comprobetur; sed si bona everforis non sufficiant ad reparationem, recurrendum est ad fabricam, clericos, & parochianos, juxta ordinem suprà relatum.

8. *Traditur ratio decidendi.* Quibus ita animadversis apparet ratio præsentis assertionis, quare videlicet qui beneficium Ecclesiasticum possident in Ecclesia, teneantur ad ejus reparationem: quod ex mera æquitate provenit, quia cùm habeat emolumentum ex decimis & oblationibus Ecclesiæ, consequens est, ut teneantur onus reparationis subire: nec audiendi sint, si lucrum quidem amplectantur, onus autem ei annexum respuant; *l. unic. §. pro secundo, C. de caduc. tollend.* juxtà regulam *Secundum naturam, ff. de R. I.* & decimæ ipsæ transeunt cum eo onere reparationis; unde onus reale judicantur, argumento legis *sime; & Titium, ff. si certum petatur:* unde descendit, quod ad contributionem reparationis faciendam ex arbitrio clericorum standum est majori parti eorum, neque desideratur omnium consensum adesse, *cap. final. de his quæ fiunt à major.* quem textum frustra restringit Glossa *ibi*, ad eam speciem, ubi contributio fit ex bonis ad fabricam spectantibus; nam pertinet potiùs ad eum casum, in quo distribuuntur fructus clericorum ab Ecclesia percepti: & singularis ejus dispositio in eo consistit, ut quamvis ad ea, quæ ut singulis clericis nocent, oporteat omnium consensum expectare, *cap. quod omnes, de R. I. lib. 6.* ad expendendos tamen fructus beneficiorum in reparatione Ecclesiæ sufficit consensus majoris partis, ut noceat omnibus; quia cùm omnes fructus nomine Ecclesiæ percipiantur, & ex natura rei obligati videantur huic reparationi, expendi possunt ex consensu majoris partis, sicut fieri solet in his, quæ ut universis clericis competunt, *cap. 1. eod. tit. de his, quæ fiunt à majori parte:* & cùm sit necessaria reparatio, major pars minori præjudicat, argumento textus *in l. & suum 8. ff. de pactis.* Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam omnia in ea expensa sunt accipienda juxta distinctionem proximè adductam, & ordinem suprà præscriptum. Primò enim ex bonis fabricæ reparatio fit: Secundò ad eam tenentur beneficiarii, & Ecclesiarum Rectores, nisi Ecclesiâ patronum habeat, quia etiam ipse ad reparationem tenetur. Lambertinus *ubi suprà.* Tandem parochia nisi aliter usu introductum sit, ut concludit Diana *d. 8. p. tract. 7. resol. 16.*

7. *De persona quæ ad hanc reparationem tenetur.*

CAPUT II.

Ex Consilio (a) *generali.*

CUm dicat (b) Apostolus, abundantiorem honorem membris infirmioribus deferendum, è contra quidam quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi quærentes, leprosis, qui cum sanis habitare non possunt, vel ad Ecclesiam cum aliis convenire, Ecclesias, & cæmeteria non permittunt habere, nec proprii juvari ministerio Sacerdotis, quod quidem procul à Christiana pietate esse dignoscitur: de benignitate Sedis Apostolicæ constituimus, ut ubicunque tot simul leprosi sub communi vita fuerint congregati, quod Ecclesiam cum cæmeterio sibi construere, & proprio gaudere valeant presbytero, sine contradictione aliqua permittantur habere. Caveant tamen, ut injurioſi veteribus Ecclesiis de jure parœciali nequaquam existant; quod enim eis pro pietate conceditur, ad aliorum injuriam nolumus redundare. Statuimus etiam, ut de hortis, & nutrimentis animalium suorum decimas tribuere non cogantur.

NOTÆ.

(a) *Generali.*] Lateranensi videlicet sub Alexandro III. celebrato, ubi *cap. 23.* reperitur hic textus, & *in 1. collect. sub hoc tit. cap. 2.* & refert illud Joannes Hoveden. *part. poster. in suis annal.* & ex eo Novarinus *lib. 1. schediasm. cap. 10.* de quo Concilio egi *in capite nonnulli, de rescript.*

(b) *Apostolus.*] *1. ad Corinthios, cap. 12.*

COMMENTARIUM.

OMissis leprosorum acceptionibus, quas dabimus infrà *in cap. 1. de conjug. leprof.* 2.

pro

pro hujus textus expositione sciendum est, non solùm apud Gentiles leprosos extra civitatem ejici, quia hujusmodi morbum cœlitus immitti credebant, teste Herodoto *lib. 1.* sed etiam apud Judæos Dei jussu extra castra ejiciebantur, *Levitici cap. 13. & 14.* Unde hujusmodi morbi turpitudinem pluribus amplificat Nazianz. *orat. 30. in laudem Basilii:* & non modò omnibus odiosi erant Leprosi, sed etiam Deo quoque invisi existimabantur: expiabantur autem illi in lege veteri, & expiationis modus talis erat, ut præscribitur *Levit. cap. 14.* Postquam curata erat lepra, qui purificabatur, primò *offerebat duos passeres vivos pro se, quibus vesci licitum erat, & lignum cedrinum, vermiculumque, & hyssopum: & unum ex passeribus immolari videbit*, id est occidi, nec enim hoc erat propriè sacrificium, *in vase fictili super aquas viventes*, fontanas scilicet, aut fluviales. *Alium autem vivum cum ligno cedrino, & cocco, & hyssopo tinget in sanguine passeris immolati, quo aspergetillum qui mundandus est, septies, ut jure purgetur: & dimittet passerem vivum, ut in agrum avolet.* Deinde ipsimet leprosi lavabant vestes suas, radebant pilos corporis, & deinde lavabant seipsos. Postea die octavo si erant divites, offerebant agnum pro delicto, id est eo modo immolandum, quo fiebant sacrificia pro delicto; & agnum pro peccato, & ovem anniculam in holocaustum cum tribus decimis similæ, id est cum tribus gomor, sive asseronibus, & olei sextario. Si verò pauperes erant, offerebant agnum pro delicto, & duos pullos columbarum, unum pro peccato, & alterum in holocaustum cum tribus decimis similæ, & olei sextario. Tunc Sacerdos sanguine agni tingebat aurem illorum dexteram, pollicem dexteræ manus, & pedis, & ex oleo aspergebat septies coram tabernaculo, reliquum olei fundens super extremum auriculæ dextræ, & super pollices manus, ac pedis dextri, & super caput. Quem expiationis ritum mysteriis plenum exponunt post ordinarios *in dict. cap. 13. & 14. Levit.* P. Menochius *de republica lib. 3. cap. 18.* Becanus *in analog cap. 14. num. 5.* In lege autem gratiæ cùm dicat Apostolus, abundantiorem honorem membris infirmioribus deferendum esse, Ecclesia noluit leprosos ita miserabilem vitam agere absque aliquibus gratiis, & privilegiis. Quare in Concilio Aurel. 5. *can. 21.* ita cautum fuit: *Et licèt propitio Deo, omnium Domini Sacerdotum, vel quorumque hæc cura possit esse fidelium, ut egenis necessaria debeant ministrare; specialiter tamen de leprosis id pietatis causà convenit, ut unusquisque Episcoporum, quem incolam hanc infirmitatem incurrisse, tam territorii sui, quam civitatis agnoverit, de domo Ecclesiæ juxta possibilitatem victui & vestitui necessaria submini-strèt, ut non eis desit misericordiæ cura, quos per duram infirmitatem intolerabilis contingit inopia.* Et in Concilio Lugdun. sub Pelagio II. celebrato, *can. 6.* ita habetur: *Placuit universo Concilio, ut uniuscujusque civitatis leprosi, qui intra territorium civitatis ipsius, aut nascuntur, aut videntur consistere, ab Episcopo Ecclesiæ ipsius sufficientia alimenta, & vestimenta accipiant, ut illis per alias civitates vagandi licentia denegetur.* Et in Concilio Auxitano celebrato temporibus Bonifacii VIII. anno 1300. ita statutum fuit circa eos: *Excommunicamus, & excommunicatos Provinciæ denunciari præcipimus Barones, Consules, Bajulos, & quoscunque, qui reclusos reprobos rationepersonarum, vel patrimonii ipsorum ausi fuerint talliare, vel aliquid pro tallia exigere ab eisdem.* Refert Corjolanus *in addit. ad summam, fol. 73.* & in præsenti exemptio à decimis illis conceditur ex hortis, & nutrimentis animalium, non quia religiosi sint, ut antiqui Repetentes hìc existimarunt; aut quia eas debeant præstare proprio Sacerdoti, ut voluit Glossa; sed pietatis intuitu, ut in ipso textu docetur, exemptio talis illis conceditur, & quia cum aliis fidelibus propter contagium se immiscere nequeunt. Gregorius III. *epist. 4. ad Bonifacium Mogunt. Epise. Leprosis si Christiani fideles fuerint, Dominici corporis, & sanguinis participatio tribuatur.* Cum sanis autem convivia celebrare eis negatur, quod sub eisdem verbis repetit Concil. Wormat. *can. 31.* & Carolus Magnus *in suis constit. cap. 20.* interdicit Leprosis se immiscere populo Christiano, ideoque illis conceditur, ut habeant Ecclesiam propriam cum clerico, qui illis sacramenta administret. Nec tunc obstat textus *in can. 17. Concil. Ancyrani*, in illis verbis: *Eos qui rationis expertia animantia inierunt, & eosdem non solùm leprosos crimine hujusmodi factos, sed & alios ipso suo morbo replentes, præcipit sancta Synodus inter eos orare, qui spiritu periclitantur immundo.* Pro cujus canonis expositione sciendum est, duplicis generis esse leprosos; quosdam, qui à natura sic sunt infecti, aut ex aliquo accidenti, vel forsan situ regionis; ut enim unaquæque regio, ac clima suas habet proprias qualitates, & affectiones, ita & morbos; immò unus, idemque morbus in alio climate alia habet symptomata: de illis Leprosis agitur in præsenti textu, & Conciliis suprà relatis. Alii verò sunt, qui morbum hunc ex aliquo crimine contraxerunt, quos Ecclesia semper odio habuit in detestationem peccati perpetrati, de quibus *in dict. can. 17.* Unde cum in eo canone PP. agant de leprosis, qui cum animali concubuerunt, & inde leprosi facti fuerunt, quibus primis Ecclesiæ sæculis nulla venia indulgebatur, licèt postea mitiùs cum his contra naturam luxuriantibus se haberet Ecclesia, ut probat Albaspineus *lib. 2. observ. cap. 14.* ideo in eo canone jubetur, ut ipsi leprosi contra naturam peccantes cum brutis, inter hiemantes, & energumenos orare debeant, & in primo gradu, videlicet pœnitentum, extra portam Ecclesiæ, in vestibulo, vel juxta eam partem, in qua mendici convenire solent stipem collecturi, ut probat Tertul. *de pudicitia, cap. 14.* ibi: *Reliquias autem libidinum, furias impias, in corpora, & in sexus, ultra jus naturæ, non modò limine, verum omni Ecclesiæ tecto submovemus, quia non sunt delicta, sed monstra.* Docent Landtmeter. *lib. 2. de veteri mon. cap. 60.* Otalora *de irregul. ex pœnit. excurs. 2.* Hiemantes autem in eo gradu consistentes dicebantur, quia sub nullo tecto recipiebantur, immò pluviæ, & frigori expositi erant: licèt hujus vocis alias significationes adducant Balsamon in eo canone, Cironius *ad tit. de pœnit. & remiss.* Gibalinus *de clausur. disquisit. 3. cap. 2. §. 6. num. 32.* Sensus ergo prædicti canonis est, eos qui rationis expertia animantia inierant, & leprosi facti fuerant propter tale monstrum; & quia pecudes, & cætera animalia, quæ ad victum mactantur, contagio inficere poterant, ea edentes, inter hiemantes, seu eos, qui spiritu periclitantur immundo, id est energumenos, orare debere. Notarunt

tarunt Corjolanus *in not. ad Concil. Auxitan.* Zerda *in adverſ. cap. 146. num. 11.* Illud omittendum non eſt, veros leproſos crepitaculo ligneo ſemper eleemoſynas petiiſſe, ut conſtat ex Molano *die 14. Julii*, & Joanne Gerbrando, qui in chron. Belgic. *lib. 4. cap. 11.* ait: *Ante Comitis Amelii Curiam cùm tabulis leproſorum percuteret, Comes audiens dixit cuidam ſervo ſuo: Panem, & carnes accipe, & Romanum ſcyphum optimo vino imple, & defer illi infirmo.* Quia voce eleemoſynam petendo, aëris infectione contagium timeri poterat: unde forſan originem duxit, ut eleemoſynarii hoſpitalium S. Lazari, & Antonii, ubi hujusmodi leproſi curantur, tabulâ, aut campanulâ eleemoſynam petant.

CAPUT III.

Alexand. III. (a) *Eborac. Archiepiſc.*

AD audientiam noſtram noveris perveniſſe, quod villa, quæ dicitur H. tantùm perhibetur diſtare ab Eccleſia parochiali, ut tempore hyemali, cùm pluviæ inundaverint, non poſſunt parochiani ſine magna eam difficultate adire; unde non valent Eccleſiaſticis officiis congruo tempore intereſſe. Quia igitur parochialis Eccleſia ita dicitur in redditibus abundare, quod præter illius villæ proventus miniſter illius convenienter valeat ſuſtentationem habere: f. t. per A. ſ. m. quat. ſi res ita ſe habet, Eccleſiam ibi ædifices, & in ea Sacerdotem, ſub. ap. ob. ad præſentationem Rectoris Eccleſiæ majoris cum Canonico, de fundatoris aſſenſu inſtituas, ad ſuſtentationem ſuam ejus villæ obventiones Eccleſiaſticas percepturum. Provideas tamen, ut competens in ea honor pro facultate loci Eccleſiæ matrici ſervetur: quod quidem fieri poſſe videtur, cùm ejusdem villæ dominus xx. (b) acras terræ frugiferæ velit ad uſus presbyteri conferre. Si verò (c) perſona matricis Eccleſiæ virum idoneum præſentare diſtulerit, vel opus illud voluerit impedire, tu nihilominus facias idem opus ad perfectionem deduci, & virum bonum ceſſ. ap. diff. inſtituere non omittas.

NOTÆ.

1. (a) *Boracenſi.*] Ita etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. cap. 1.* de Metropoli Eboracenſi Angliæ nonnulla notavi *in cap. 4. de reſcript.*

(b) *Acras terræ.*] Acra apud Saxones, & Anglos idem eſt, quod apud Latinos ager; non tamen ſimpliciter agrum notat, ſed certam agri menſuram: quo modo Latini jugerum dicunt. Crebra vox eſt in Regum, & aliorum Principum donationibus. Sigebertus in chron. *ad annum 1201.* ibi: *Rogerius Torellus miles illuſtris, Vulcacinenſis territorii dedit Eccleſiæ Gemeticenſi in perpetuam eleemoſynam apud Giſeneas 16. & dimidiam acras terræ arabilis, & ſeptem acras nemoris.* Refert Voſſius *de vitiis ſerm. libro 3. cap. 1.* & nos *in cap...*

(c) *Perſona.*] Id eſt Rector, ut expoſui *in cap. ad aures, de reſcript.*

COMMENTARIUM.

2. PRo hujus textus expoſitione ſciendum eſt, Eccleſias ædificare, templaque conſtruere, ad pietatem, religionemque augendam magnopere expedire, *cap. final. 96. diſt.* & ideo pium opus exercere earum conſtructores docetur *in cap. pia mentis 26. 16. quæſt. 7.* & miris laudibus illos efferunt Alfonſus Rex *in l. 6. tit 10. partit. 1.* D. Auguſtinus *lib. 20 contra Fauſtum*, Epiphanius *lib. 1. hæreſi 69.* & alii, quos laudat Valenzuela contra Venetos *2. p. ex num. 6.* & ad templa exſtruenda gravi, & ponderoſa oratione hortatur fideles D. Chryſoſtom. *orat. 18. in Acta Apoſtol.* quare & laici admiſſi fuerunt ad juspatronatus ipſarum Eccleſiarum, ut alii invitentur ad hoc opus pium, & religioſum. Lambertinus *de jure patron. lib. 1. quæſt. 1. artic. 4.* Spino *in ſpecul. teſtam. gloſ. 3. num. 5.* Inde etiam cùm legata ad pias cauſas relicta integra, & ſine diminutione Falcidiæ præſtentur, *authent. ſimiliter, C. ad leg. Falcid.* ita etiam præſtatur integrè legatum relictum ad conſtructionem templi, *cap. nos 3. de teſtam.* Tiraq. *privil. 26. piæ cauſæ:* & licet incertæ perſonæ legari nihil valeat, §. *incertis, Inſtit. de legat.* futuro tamen templo relinqui legatum poteſt, ut in caſu legis ſervos *17. ff. de aliment. legat.* docuerunt Tiraq. ſuprà, *privil 56.* Valent. *num 27.* Unde juſtè feſtum indicitur propter ſolennitatem dedicationis, & conſecrationis novi templi, *cap. ſolennitates 16. cum ſequent. de conſecr diſt. 1.* quæ ſolennitas quot annis iteratur, Chriſto Domino exemplum præbente, cùm ipſe encenia celebravit, referente D. Joanne *cap. 10.* hoc eſt feſtivitatem dedicationis templi. D. Iſidorus *lib. 1. de Eccleſ. offic. cap 35.* ibit *Annuas feſtivitates dedicationis Eccleſiarum ex more veterum celebrari in Evangelio legimus, & meritò.* Defendunt hunc pium Eccleſiæ ritum contra Magdeburg. & alios novatores, Bellarminus *tom. 3. controv. lib. 3. de cultu Sanctor. cap. 5.* Durantius *lib. 1. de ritibus Eccleſ. cap. 24. num. 2.* Roa *lib. 5. ſingul. de die natali, cap. 5.* Quæ æquè procedunt in templis conſtruendis, & dedicandis ſub titulo Dei Optimi Maximi, quàm ubi dedicantur ſub titulo Sanctorum; nam hoc permiſſum eſſe facilè conſtat ex Concilio Gangrenſi *can. 20.* & *in epiſt. ad Epiſcop. Armen.* Concil. Carthag. 5. *can. 14.* quod idem de altaribus cautum eſt *in cap. placuit 26. de conſecr. diſt. 1.* & aliis relatis à Bellarmino *ſuprà, cap. 4.*

nec ideo cultus latriæ soli Deo debitus (qui in constructione templorum exhibetur, ut ait D. Augustinus *in lib. contra serm. cap. 22.*) Sanctis præstatur. Quo figmento hæretici suprà relati templa in honorem Sanctorum construi improbabant; sed malè, quia ad eum effectum Ecclesia in honorem Sanctorum dedicatur, non ut ipsis cultus latriæ præstetur, sed ut eorum commemoratio frequentiùs agatur. Unde cùm dicitur, hæc est Ecclesia S. Mariæ, intendimus significare: hæc est basilica Deo dicata in memoriam B. Mariæ: sicut cùm dicimus, hæc est Missa S. Mariæ, significare volumus, quod hæc est Missa Deo oblata in gratiarum actionem propter beneficia collata S. Mariæ.

3 Nec solùm fideles hortandi sunt ad constructionem Ecclesiarum, verùm & cogendi eas ædificare in his locis, in quibus aliàs commodè sacramenta administrari nequeunt: quo modo exaudiendum est præceptum Clementis Papæ, de quo *in cap. Ecclesias 28. 16. quæst. 7. cap. Ecclesias 13. de consecr. dist. 1.* Inde primò infertur, impiam, & irrationabilem esse constitutionem, aut consuetudinem, quæ templorum constructioni adversatur. Valenzuela *dict. 2. part. contra Venetos, num. ult.* & ideo esse improbandam authenticam *cassa, C. de sacros. Eccles.* immò P. Gregorius *lib. 1. partit. tit. 4. cap. 5. in fine.* Germonius *in assert. libert. Eccles. cap. 8.* docuerunt, prohibentem templa ædificare sacrilegium committere, ejusque pœnis esse puniendum. Inde etiam deducitur ratio constitutionis Justiniani relatæ *in authent. de Eccles. titul.* §. *si quis autem, collat. 9.* ubi statuitur, cogendum esse per Episcopum, & per civilem judicem perficere opus Ecclesiæ, seu loci religiosi, eum qui cœpit illud construere; & decedente ipso, hæredes ejus similiter teneri, ita ut constructio, quæ ab initio fuit voluntaria, semel cœpta efficiatur necessaria, argumento legis *sicut, C. de O. & A.* Ex eodem etiam favore constructionis Ecclesiæ provenit, quod quamvis invitus quis non cogatur rem propriam vendere, *l. nec emere, C. de jure delib. l. invitum 11. C. de contrah. empt.* Heraldus *lib. unic. emend. capite 26.* ubi exponit textus *in l. 9. ff. de act. rer. amot. l. 65. §. 1. l. 70. ff. de R. V.* Hermosilla *in l. 3. titul. 5. partit. 5. gloss. 1.* tamen ut Ecclesia ædificetur, aut amplietur, cogendus est dominus domum, aut aream suam distrahere. Hermosilla *ubi suprà*, Franc. Leo *tom. 1. decis. 90. Valentiæ.* Quæ sententia non est generaliter admittenda, ut pro cujuslibet Ecclesiæ constructione, aut ampliatione liceat dominis invitis prædia extorquere; sed sub hoc moderamine, ut sit pro ædificio, aut ampliatione moraliter necessaria Ecclesiæ Parochialis, seu Cathedralis, quam construi, aut ampliari non solum utile, verùm & necessarium est: tunc enim licet auferre à dominis prædia sua, refuso justo pretio, exemplo legis *si venditor, §. si constat, ff. comm. præd. l. item si verberatum*, §. *ultimo, ff. de R. V.* Si verò utilis tantùm, non verò necessaria fuerit constructio Ecclesiarum, citra Principis auctoritatem auferri à nullo domus sua debet. Covar. *libro 3. var. cap. 14. num. final.* Cùm enim regulariter institutum sit, dominum non cogi rem propriam tradere, desideratur necessitas fovendi religionem, ut publicus favor privatæ utilitati præferatur, juxta legem *si locus*, §. *cùm via publica, ff. quemadmod. servit. l. 2. ff. ne quid in loco publ.* propter utilitatem autem tantùm non licet absque rescripto Principis alicui rem propriam auferre.

Sed licèt adeo commendetur Ecclesiarum constructio, & magnopere expediat, tamen ita novæ Ecclesiæ construendæ sunt, ut inde aliis præjudicium non irrogetur, *cap. 1. & 2. de novi oper. nunc.* In constructione enim Ecclesiarum maximè attendendum est, ne inferatur damnum aliis parochialibus Ecclesiis, *cap. in his 30. de privil. l. 9. titul. 10. p. 1.* Guido Papæ *q. 260.* Zerola *in praxi, 1. p. verbo Ecclesia, quæst. 4. & 5.* Valenzuela *consil. 45. per tot.* idcoque novam parochiam intra limites antiquioris tantùm licebit construere ex justa causa, veluti si augeatur multitudo fidelium, qui in Ecclesiis jam constructis recipi non possint, *c. præcipimus 16. quæst. 1.* vel si una parochia habeat domos ita ab Ecclesia distantes, ut difficile sit, maximè in hyemie, imbribus, vel nivibus impedientibus, ad eam parochianos venire, vel deferri sepeliendos, vel baptizandos, ut probat Petrus Gregor. *de benef. cap. 12. num. 4.* unde rectè in præsenti textu permittitur novæ parochiæ erectio, ex eo, quod propter distantiam loci tempore hyemali commodè parochiani non poterant divinis officiis interesse: quam Alexandri Decretalem confirmavit Concil. Trident. *sess. 21. de reform. cap. 4.* ibi: *Novas parochias etiam invitis Rectoribus, juxta formam constitutionis Alexandri III. quæ incipit Ad audientiam, instituere possint.* Varia tamen in præsenti ab Alexandro præcipiuntur: Primò ut reservetur jus præsentandi clericum ad novam Ecclesiam Rectoris veteris Ecclesiæ, à qua fit dismembratio in compensationem damni illati, ut expressit Alfonsus noster *in l. 9. tit. 10. partit. 1.* ibi: *Por el menos cabo, que reciba esse la primera por los parochianos que le menguan, otorga el derecho, que los clerigos de ella puedan presentar al Obispo el que hubieren deponer en la Iglesia segunda, e otorgarles alnde mas de esto, que ayan en ella alguna renta, en manera de censo por conocimiento de mayoria.* Quod jus præsentandi latè exponunt Barbosa *in dict. cap. 4. Concil. Trident.* Valenzuela *tom. 1. consil. 45. per tot.* Salgado *de protect. p. 3. cap. 5. num. 37.* Secundò ut clerico ejusdem novæ Ecclesiæ assignentur pro ejus sustentatione oblationes pro modo parochiæ dismembratæ, quo nomine veniunt etiam decimæ, *cap. Ecclesia 43. cum sequent. 16. quæst. 1.* Lotherius *de re benef. lib. 1. quæst. 28.* qui resolvit hanc decimarum assignationem non esse necessariam, si commodè aliunde nova Ecclesia dotetur. Tertiò desideratur, ut competens honor in ea pro facultate loci matrici Ecclesiæ reservetur, id est annua aliqua pensitatio pro arbitrio Episcopi moderanda. Prosequuntur latiùs Lotherius, Salgado, & Petrus Greg. *ubi suprà.* Moncta *de commut. c. 11. num. 344.* Vasconcellos *libro 1. respons. cap. 13.* Altesserra *lib. 5. dissert. cap. 6.*

CAPUT

CAPUT IV.

Lexovienſi.

QUicunque Eccleſiaſticum beneficium habent, ad tecta Eccleſiæ reſtituenda, vel ipſas Eccleſias emendandas, omnino adjuvent, & nonam, & decimam reddant.

NOTÆ.

(a) *Lexovienſi.*] In prima collectione *ſub hoc tit. cap. 4.* legitur *Exonienſi*; ſed malè, ut ibi notavit Ant. Auguſt. cùm etiam *Lexovienſi* legatur poſt Concilium Lateran. *p. 29. capite 2.* de qua diœceſi egi *in cap. 8. de offic. ordin.* & Commentarium hujus textus dedi ſuprà *in cap. 1.*

CAPUT V.

(a) Urbanus III.

AD audientiam noſtram jam pridem pervenit, quòd tu in Eccleſia de Cologià, de qua in Epiſcopum vocatus, & electus fuiſti, regulares canonicos ordinare, & eorum inſtitutioni de bonis tibi collatis congruè velis providere. Inde ſiquidem eſt, quod tuum nos deſiderium, atque propoſitum multimodis laudibus commendantes, devotioni tuæ auctoritate Ap. indulgemus, ut juxta votum tuum canonicos regulares in Eccleſia præſcripta, ſi tibi in hoc Epiſcopus diœceſanus conſentit, ad honorem Dei, & Eccleſiæ tuæ, ſecundùm beati Auguſtini regulam valeas ordinare, & eos ibidem nullius contradictione, & appellatione obſtante inſtituere. Undè ſi clerici ſæculares in ea fuerint, qui adhuc ſupereſſe noſcantur, volumus ut eis, dum vixerint, ibi vel alibi neceſſaria ſecundùm conſuetudines provideantur. Licèt autem vicini tui nobis inſtantiùs ſupplicarent, quatenus in Eccleſiæ præſcriptæ jure confirmationis privilegium faceremus de canonicis: tuæ in hac parte devotioni de jure non poſſumus deferre, cùm nulli canonici adhuc ibidem exiſtant, quibus privilegium indulgeatur: eis utique cùm fuerint inſtituti, tam in his, quàm in aliis precum tuarum obtentu, in quibus cum Deo poterimus, libentiùs deferemus.

NOTÆ.

(a) *Urbanus III.*] In hac ſexta collectione tantùm legitur *Urbanus III.* in ſecunda autem, *ſub hoc titul. capite 4.* prout hìc tranſcribitur; ſed ita corrupta eſt inſcriptio, ut facilè cognoſci non poſſit, niſi emendemus *Trutonienſi*: quæ civitas Trutonia dicta, ſeu ſancti Trudonis, inſignis eſt inferioris Germaniæ civitas, ubi potentiſſimum eſt D. Benedicti cœnobium.

COMMENTARIUM.

TExtus hic non ſpectat ad ædificationem Eccleſiæ, ſeu ejus reparationem; ſed tantùm ad reformationem, ſeu profeſſionis canonicorum mutationem, de qua egi *in c. inter quatuor, de relig. domib.* Sicut enim canonici regulares conſentiente Epiſc. ſæculares fieri poſſunt, ita etiam ex ſæcularibus regulares fieri valent cum Capituli conſenſu, *c. ſi Epiſcopus 12. q. 2.* & invitis ipſis canonicis deſideratur reſcriptum Pontificis, ut docet le Gaufre *in parat. ad hunc tit.* & probavi jam *in dict. v. inter.*

CAPUT VI.

(a) Cœleſtinus III.

TUa non duxit, &c. *Et infrà*: Prætetea quia occaſione juramenti, quod de rebus Eccleſiæ non alienandis te aſſeris præſtitiſſe, in locis tui Epiſcopatus, in quibus populi habitantes oratoriis plurimùm videntur indigere (ne prætextu novarum Eccleſiarum commiſſa tibi Eccleſia deſtitui videatur) Eccleſias formidas erigere: fraternitati tuæ præſentium ſignificatione mandamus, quat. illius juramenti occaſione nullatenus prætermittas, quin populo indigenti ſuper baſilicarum conſtructione ſtudeas ſalubriter providere.

NOTÆ.

1. (a) *Cœleſtinus.*] Ita etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc titul cap. final.* nullibi tamen exprimitur cui reſcribat Pontifex, nec ubi integra epiſtola reperiatur. In præſenti autem fragmento tantùm docetur, juramentum de non alienandis rebus Eccleſiæ ab Epiſcopo præſtitum, ſeu generaliter illud reſpectu omnium ſuæ diœceſis Eccleſiarum, ſeu tantùm ſuæ Eccleſiæ Cathedralis, non impedire, quin infra alterius parochiam novam erigat Eccleſiam, etſi inde minuatur parochianorum numerus, atque perſonales ſaltem obventiones decreſcant; quia prædictum juramentum ad directas duntaxat, & eas quidem illicitas, vel non neceſſarias alienationes reſtringendum eſt, argumento textus *in capite ad noſtram 21. de jurejur. l. ultim. ff. qui ſatisd. cog.* de quo juramento egi *in cap.* ..

TITVLVS XLIX.

De Immunitate Eccleſiarum, cœmeterii, & rerum ad eas pertinentium.

CAPUT I.

Ex Synodo (a) *Ioannis Papæ.*

VT (b) in domibus Eccleſiarum, neque (c) miſſus, neque (d) comes, vel judex (e) publicus, vel miniſter, quaſi pro conſuetudine, nec (f) placitum, nec auſpicium vindicent: ſed in (g) publicis rebus domos conſtituant, in quibus placitum teneant, & ſecundùm antiquam conſuetudinem hoſpitentur.

NOTÆ.

1. (a) *Ioannis Papæ.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc titul. cap. 1.* nullibi tamen exprimitur ex qua Synodo tranſcriptus ſit textus hic; facilè tamen id apparet ex Baronio *tom. 9. anno Chriſti 904.* Severino Binio *tom. 3. part. 2. Concil. pag. 137.* qui referunt ſub Joanne Papa IX. Ravennæ Concilium celebratum fuiſſe, ut acta Stephani VII. contra Formoſum improbarentur, & damnarentur coram Lamberto Imperatore: & inter 12. canones in ea Synodo ſancitos, *can. 11.* hæc verba reperiuntur: *Ut in domibus Eccleſiarum, nec miſſus, nec comes, vel judex, quaſi pro conſuetudine, nec placitum, nec hoſpitium vindicent, ſed in publicis vicis domos conſtituant, in quibus placitum teneant, & ſecundum antiquam conſuetudinem hoſpitentur.* De hac Synodo alia notavi *in capite final. de offic. Archipresb.* nec eſt neceſſe in hoc canone ſupplere verbum *ſtatuimus*, ut fecit Gloſſa, cùm plerumque canones Concil. absque eo verbo proferantur, ut conſtat ex canonibus editis in Conciliis Cæſarauguſt. Valentino Galliæ, Arelat. 4. ſub Leone III. Rhemenſi 1. ſub Leone.

2. (b) *In domibus Eccleſiarum.*] Hoſtienſis in præſenti, *num. 1.* Panormit. *num. 3.* Sylveſter *verbo Immunitas 1. num. 3.* Azor *part. 1. lib. 9. cap. 9. quæſt. 7.* exiſtimant in præſenti appellatione domus Eccleſiarum, non tantùm ipſas Eccleſias ſignificari, verùm etiam domos privatas, quæ ad jus, & dominium Eccleſiæ pertinent, quia non tantùm Eccleſia ipſa, verùm etiam ejus domus præſenti immunitate gaudent. Quæ doctrina faciliùs admittetur, ſi ſciamus, jam à primis Eccleſiæ ſæculis inter alia bona immobilia, Eccleſiarum domos poſſediſſe: unde Gregorius Magnus *epiſt. 19. lib. 3.* redditus omnes ædis ſanctæ Agathæ, cui Leonem acolytum præfecerat, aſſignat in penſionibus domorum urbanarum, his verbis: *Ideo penſiones omnium domorum in hac urbe conſtitutarum, quas prædictam Eccleſiam temporibus habuiſſe Gothorum conſtiterit, annis ſingulis congregare non deſinas, & quantum in ſartis tectis, vel luminaribus, aliaque reparatione ejuſdem Eccleſiæ neceſſarium fuerit, erogare omnibus modis ſtudebis.* Hoc autem ſingulare notandum eſt, quod iis domibus, quæ ad Eccleſias pertinebant, tituli, & inſignia Eccleſiarum inſcribi ſolebant, hocque ritu Eccleſia poſſeſſionem domus acquirere credebatur: quare ipſe Sanctus Gregorius *lib. 1. epiſt. 63.* agnoſcens Petronii domum injuſtè à Conſtantino defenſore Eccleſiæ titulatam, jubet titulos dejici, & deponi, quos ignorantia Conſtantini præfixerat, his verbis: *Quoniam docti ſumus domum Petronii notarii S. Romanæ Eccleſiæ, cui Deo auctore præſidemus, à Conſtantino tunc defenſore irrationabiliter titulatam, experientia tua præſentis præcepti paginâ demandamus, ut omni excuſatione, vel dilatione omiſſâ, depoſito titulo eandem domum præſentium latrici Theodoræ relictæ antedicti Petronii ſine mora reſtituas.* Immò Eccleſia, ut Sacerdotum, ac Clericorum quieti conſuleret, domos illis comparabat, in quibus commodè degerent ad officii ſui partes pie &

& religiosè obeundas, ut constat *ex capite 2. de jurepatron. in 5. compil.* ibi: *Serenitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attentè, quatenus cùm indecens modis omnibus videatur, ut Ecclesiæ memoratæ competenti dote penitus sint expertes, ipsarum cuilibet saltem 30. passus terræ juxta canonicas sanctiones in liberam eleemosynam extra cœmeterium à parte qualibet earundem ad domos clericorum faciendas, ibidem liberaliter largiaris.* Et *l. 7. tit. 13. lib 1. recop.* & hæ domus dicebantur Ecclesiasticæ, sive domus Ecclesiarum. Earum meminerunt Eusebius *lib. 7. histor. Eccles. cap 24.* ibi: *Verùm cùm Paulus ex Episcopi domo, ejus Ecclesiæ propria, exire nollet, Imperator Aurel. de ea re rogatus sententiam sanctissimè quid agendum esset decrevit; præcepit enim, ut domus Ecclesiæ iis tribueretur, quibus Christiani Italiæ, & urbis Romæ Episcopi tribuendam præscriberent.* Gregorius Turon. *lib. 1. miracul. cap. 39.* ibi: *Mulier succensa libidine, operta peccati tenebris pergit ad domum Ecclesiæ per tenebras noctis: cumque observatâ omnia reperisset, pulsare fores Ecclesiasticæ domus cœpit, ac voces ejusmodi dare: Quousque Sacerdos dormis? Quousque clausa hostia non reseras.* Retert le Maistre *libro 1. de jurib. Eccles. capite 16.* De quibus domibus Ecclesiarum accipiendus est præsens textus.

3. (*) *Missus.*] Glossa in præsenti, pro *misso* exponit executorem, vel officialem: quam sequuntur Hostiensis, & Abbas *in præsenti.* Sed hæc Glossæ expositio admitti non potest; nam statim in eodem textu prout jacet in hac sexta compilatione ponitur *minister*, qui idem est, ac executor, *l. ordine 15. ff. ad municip. cap. novit 43. de appellat. cap. pastoralis, §. quia verò, de offic. deleg.* notatur *in l. ab executore 4. ff. de appel.* Verius ergo est, missum in præsenti significare Legatum directum à Principe pro qualicunque Ecclesiastica, aut publica utilitate, vel opportunitate, qui corrigeret quæ corrigenda essent. Flodoardus *in histor. Rhemensi*, ibi: *Tulpinum sequitur Ulfarius, qui à præfato Imperatore Magno Carolo missus dominicus ad recta judicia determinanda fuerat ante Episcopum constitutus super totam Campaniam.* Aymonius *lib. 5. cap. 1.* ibi: *Ad partem fisci nostri missi sui discurrentes dissolvere debeant.* Quo modo missi dominici accipiuntur in legibus Longob. *lib. 2. titul. 16. 18. & 29.* legibus Alaman. *titul. 21. 30. & 36.* capitul. Caroli *libro 1. tit. 122.* & *lib. 2. tit. 18.* & *libro 4. tit. 30. 32. & 44. lib. 5. cap. 19.* & aliis congestis à Lindembrogio *in glossar. legum antiq. verbo Missus.* Diversique erant hi missi dominici à missis discurrentibus, quorum munus erat mandata Principum deferre per provincias; notavit P. Marcha *lib. 4. concord. cap. 8.* Quater enim in anno in Gallia à Rege Legati mittebantur per Provincias, ut si quid Episcopi, aut Comites negligenter egissent, per eorum admonitionem corrigeretur, illisque quibus à Comite jus dictum non esset, ipsi dicerent, & pleraque negotia Regis nomine perficerent, aut ad eum referrent. Constitutiones quoque Principum, seu capitularium ab illis per Provincias transmittebantur, & annuntiabantur; qui ideo dicebantur missi, *cap. 2. de regul.* ut etiam Legati à Pontifice per Provincias directi, *legati missi dicuntur, cap. excommunicamus*, ubi notavi, *de offic. Legat. cap. 1. eod. tit. in 6.* notarunt Cironius *ad tit. de offic. Legat. & ad titulum de appel.* Leo Pinel. *in cap. 2. num. 197.* Inde etiam missaticum dicitur tractus ille, cui præerat missus, eratque is tractus nunc plurium, nunc pauciorum pagorum, ut accipitur in constitutionibus Caroli Calvi, *tit. 12. cap. 12.* ibi: *Ut unusquisque missus in suo missatico provisionem habeat, ut si aliquis de nostris fidelibus per missaticum suum transierit, aut ibi consistens, aut commanens, rapinas fecerit.* Ubi notavit Carolus Sirmondus, & S. Bonifacius Martyr *epist. 115. Postea verò contigit, ut Dominus Imperator patruelem meum Ricolf. miserit in missaticum super Elbam cum his inferiùs scriptis.* Illustrant Lindembrog. *in glossar. verbo Missaticum.* Vossius *de vit. serm. lib. 3. cap. 27.* Zerda *in adversar. cap. 155. num. 22.*

(d) *Comes.*] Pro temporis varietate varii generis fuerunt Comites. Ante Constantini tempora illi Comites appellabantur, qui Proconsules, Præsidesque in Provincias sequebantur officii gratiâ. Cornel. Fronto *de differentiis Latini sermonis*, ibi: *Comes iter facit, assecla sequitur potentiorem.* Cicero 1. *in Verrem*, ibi: *Comites illi tui dilecti manus erant tuæ, Præfecti, Scribæ, Medici, Aruspices, Præcones.* Præcipuum verò Comitum locum tenebant assessores Præsidum, qui eis in judiciis assidebant, de quibus *in l. 4. ff. de offic. assess.* ibi: *Defuncto Præside ante diem residui temporis, salarium deberi ait Comitibus.* Et *l. legati 12. §. Comites, ff. de vacat. muner.* ibi: *Comites Præsidum, & Præconsulum.* Et *l. 1. §. sed si, ff. de extraordin. cognit.* ibi: *Sed etsi Comites salarium petant.* Et *l. 5. ff. ad leg. Jul. repetund.* ibi: *In Comites quoque ex hac lege judicium datur.* Et *l. Senatusconsulto 16. ff. offic. Præsid.* ibi: *Senatusconsulto cavetur, ut de his, qui Provincias regentes, comites, aut libertini.* Et *l. 4. ff. de offic. assess.* ibi: *Diem functo Legato Cæsaris Comitibus residui temporis.* Et *l. 6. §. penult. ff. de pœnis, l. 41. §. 1. ff. de excusat. tut.* Illustrant Cujacius *lib. 4. respons. Papin. in l. diem functo, ff. de offic. Proconsul.* Gothofredus *l. in diem 4. de offic. assess.* Vivar. *ad Flavium Dextrum, pag. 32.* Baronius *in Martyrol. die 31. Maji.* A Constantino Comitis nomen omnibus Magistratibus datum fuit, qui sacrum Comitatum observabant, vel ex eo prodibant, quasi socii laborum; immò & honorarii tituli vice fuit, sine actu, sine administratione. De his Comitibus, tam primi, secundi, quàm tertii ordinis agitur *in l. unic. C. de Comitibus consist. l. 1. & 2. C. de Comitibus rei milit. l. unic. C. Theod. de comit. & arcar. l. 17. & 18. C. Theodos. de proxim. Comitum, l. 127. C. Theodos. de Decur. l. 9. & 10. C. Theodos. de suar. & pecuar.* Gothi etiam & Franci singulis civitatibus Comites exemplo Romanorum præfecerunt. Gregorius Turon. *libro 6. capite 41.* ibi: *Misitque ad Duces, & Comites civitatum nuncios.* Ipsi Comites in pace juri dicundo operam dabant. Gregorius Turon. *lib. 8. cap. 18.* ibi: *Gondovaldus autem Comitatum Meldensem super Uverpmum competiit, ingressusque urbem, causarum actionem agere cœpit.* Idem *lib. 10. cap. 6.* Unde in Concilio Vernensi *can. 23.* ita cavetur: *Ut comites, vel judices ad eorum placita primò viduarum orphanorum, vel Ecclesiarum causas audiant, & definiant in eleemosyna Domini Regis, & postea alias causas cum justitia.* Cabilon. 2. *cap. 21.* ibi: *Comitibus verò, & judicibus hoc summoperè observandum* 4.

est, ut jure judicent, & nequaquam in judicio munus, seu personam accipiant. Tribur. *can. 9.* ibi: *Si Episcopus Ecclesiasticum, & Comes saculare placitum eadem die condixerint, placitum Comitis postponatur.* In Concilio Tolet. 1. sub Recharedo mentio fit diversorum Comitum. Plura de his Comitibus, & eorum officiis ac jurisdictione tradunt Altesserà *de comitibus lib. 1. cap. 3. 4. & 5.* Zerda *in adverss. cap. 91. num. 9. & 21.* Crespetius *in summa, verbo Comes*, Bignonius *in not. ad Marculf. lib. 1. de formul. cap. 8.* Morla *in empor. tit. 2. q. 28. num. 2.* Ramirez de Prado *in fragment. adverss. Luitprand.*

5. (e) *Judex publicus, vel minister.*] In his verbis superfluum videtur verbum, *publicus*; constat enim, judices publicos esse, siquidem judex dicitur, quasi jus dicens populo, *cap. forus, §. judex, de V. S.* quique publica fungitur potestate, *l. 2. §. postea, ff. de orig. jur.* unde videtur abundare verbum *publicus*, quod deest in dicto canone apud Baronium, & Binium: nisi dicamus cum Hostiensi & Abbate, per illa verba, *judex publicus*, majores judices significari; & per verbum *minister*, judicem inferiorem, ut sic omnes Magistratus præsenti prohibitione comprehenderentur.

6. (f) *Placitum.*] Id est judicium civile, jurgium, seu contentionem forensem, *cap. placita 15. q. 4.* Concil. Ticinense sub Leone IV. *p. 3.* ubi PP. ipsius Concilii coram Imperatore conqueruntur, quod ministri Comitum propter frequentia jurgia populum nimis affligebant, & ajunt: *Quosdam ministros Comitum propter frequentia placita pauperiorem populum nimis affligere comperimus.* Et in Concil. Meldensi *can. 76.* ita cavetur: *Ut Regia Majestas observare præcipiat omnibus reipublicæ ministris, quod à divina auctoritate, & SS. PP. constitutione cautum esse dignoscitur, ut nemo Comitum, aut quisquam ex judiciaria potestate, post quartam feriam, quæ caput jejunii nominatur, placitum, seu malum tenere præsumat.* Illustrat Hothomanus *in Francogal. cap. 10. & 11.* moris enim erat olim sub dio causas agere, atque in portis civitatum: sed plerumque ob ingruentes pluvias, aut Solis ardores in templum juris dicundi causâ sese recipiebant Comites: quod prohibuerunt Ecclesiæ Patres in Concilio Ravennat. 2. tempore Clementis V. *rubric. 12.* ibi: *Cum domum Dei deceat sanctitudo, dicente Domino: Domus mea domus orationis vocabitur; & valde indignum sit, & devotioni cultus sit contrarium, quod in Ecclesiis fiant mercata, tractatus, & mercimonia laborum, & ponantur in eis vasa, & alia non deputata ad executionem, & obsequium divinorum: Statuimus & arctius prohibemus, ne de cætero in Ecclesiis fiant mercata, sive teneantur vasa sive mercimonia laicorum, nec judicialia tractentur temporalia, nec fiant in eis coadunationes vicinia, vel tractatus, seu publica parlamenta, nisi forte tempore guerrarum.* Necnon Imperator Carolus statuit, ut ipsi judices domos sibi constituerent, in quibus malum tenerent, non verò in Ecclesiis, *lib. 4. capitul. cap. 28.* ibi: *Malus tamen nec in Ecclesia, nec in atrio ejus habeatur.* Dicemus *infrà, in cap. 5.*

7. (g) *Publicis locis domos constituant.*] Ad Prætorium videlicet, quod propriè accipitur ubi jus dicitur, *l. penult.* aliàs finali, *C. de offic. Rector. provinc.* ubi Mornac. cui & Præsidum domus hærent, *l. 3. C. de oper. public. l. 3. C. de metal. lib. 12. l. ult. C. Theodos. de offic. omn. judic.* unde apud D. Joannem *cap. 18.* legitur, Judæos non fuisse ingressos Prætorium, ne contaminarentur, sed manducarent Pascha. Illustrant Pancirola *lib. 2. variar. cap. 191.* P. Faber *lib. 1. semestr. cap. 1.* De locis ubi Romani jus reddebant, agit Pollerus *lib. histor. fort, cap. 4.*

COMMENTARIUM.

EX hoc canone communiter talis deducitur assertio: *In domibus Ecclesiarum, in quibus Clerici degunt, non debent judices laici hospitium sibi vindicare.* Quæ assertio probari potest *ex cap.* 8. *Conclusio probatur & illustratur præterea 28.* ibi: *Albergerias*, junctâ ejus verbi notâ, *de jurepatron.* Concil. Salisburg. sub Martino V. *Sæculares, Ecclesiasticæve personæ, quacunque dignitate præfulgeant, Romanorum Regc, ejus conjuge, & filiis exceptis, Ecclesias, ecclesiastica-que bona, jura, & jurisdictiones, seu Ecclesiarum vassallos publicè occupare, aut invadere quomodolibet non præsumant.* Et *l. 1. in fine, C. de Episcop. & cleric.* quæ extat aliquibus verbis adjectis *in l. 8. C. Theodos. eod. tit.* cujus auctor est Constantinus, non Magnus, primus Catholicorum Imperator, ut Glossa existimavit; sed Constantinus Junior: nam textus ille Placido, & Romulo Consulibus emanavit. Hi autem non sub Constantino Magno, sed sub Constantino Junore floruerunt, *l. 51. tit. 5. p. 1. l. 27. tit. 3. lib. 1. l. 2. tit. 21. lib. 2. ordin. l. 7. tit. 3. lib. 1. recopil.* Illustrant ultra congestos à Barbosa in præsenti, Germonius *lib. 2. de sacror. immunit. cap. 15. n. 13.* Bocius Epon. *hic*, Sylvester *in summa, verbo Immunitas 1. n. 3.* Azor *p. 2. instit. mor. lib. 9. cap. 9. quæst. 8.* P. Suarez *tom. 1. de relig. libro 3. cap. 13. numer. 13.* Bonac. ad Bul. cœnæ Domini, *q. 19. punct. 3. §. 1. num. 5.* Corjolanus *in explicat. ipsius Bullæ, excom. 18. vers. 5.* Gregor. Lopez, & Didacus Perez *in dictis legibus partit. & ordin.* Altesserra *de Ducibus, libro 3. capite 16.* & *libro 6. dissert. cap. 17.*

Sed hæc assertio difficilis valdè redditur sequenti juris consideratione; nam munus hospitis recipiendi est patrimoniale, *l. 3. §. munus,* 9. *Impugnatur ff. de muner. & honor.* ibi: *Munus hospitis recipiendi, non personæ, sed patrimonii onus est.* Et *l. sunt munera, ff. de vacat. & excus. mun. l. 3. C. de muner. patr. lib. 10. junct. l. munerum, §. patrimon. ff. de muner. & honor.* sed à muneribus patrimonialibus nemo excusatur, *l. munera, §. patrimoniorum,* ibi: *Ab hujusmodi muneribus, nec Primipilarius, nec veteranus, aut miles, aliusve qui privilegio aliquo submixus est, nec Pontifex excusatur.* Ubi Glossa deducit: Ergo nec clericus, nec Ecclesia. Quæ sententia probatur *ex l. de his, C. de Episc. & cleric. l. 2. C. de muner. patrim. lib. 10.* Igitur domus Ecclesiarum tenentur recipere Judices, seu Legatos Principis; siquidem ab eo onere patrimoniali, quia non personæ, sed rei est, nemo excusatur, præcipuè cùm agitur de hospitio præbendo ministris Regiis: nam inter regalia jura illud præcipuum numeratur, ut non solùm Principi, verùm & ejus ministris, & consiliariis habitatio præbeatur, *l. 2. & per tot. C. de metatis, & epid. lib. 12. l. 1. & per tot. tit. 15. lib. 3. recopil.* docent Avendanno *in diction. verb. Huespedes.* Aviles *in cap. 8. Pratorum, verbo Dineros.* Mastrillo *de Magist. libro 3. cap. 10. num. 178.* Solorzanus *de jure honor. num. 416.* quo numero sequenti cum Otalora, & Gregorio Lopez resolvit, Ecclesiasticos ab hoc onere

onere exemptos non esse, nisi specialis immunitas illis concedatur: ergo ritè, & rectè Comites, & alii judices possunt hospitium sibi vindicare in domibus Ecclesiarum, etiamsi in eis clerici habitent. Augetur hæc difficultas ex eo, nam omnes fideles, maximè Ecclesiastici, tenentur hospitalitatem exercere, *cap. 1. cap. quiescamus, & per tot. 42. dist.* probavi *in cap. 2. de supplend. neglig. cap. 1. de emption. & vendic.* Ergo non debent eximi ab hospitio judicum, & aliorum Magistratuum.

10. *Immunitas qua, & quotuplex.*

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, cujus rationem ut assignemus sciendum est, immunitatem dici quasi muneris vacationem, exemptionem, seu libertatem à muneribus alioquì communibus; ita nimirum dictam, quasi expertem muneris, vel sine munere, idest onere: Munus enim præter donum significat etiam nunc onus, nunc officium sine dignitate, & honore, *l. munus 18. ff. de V. S.* quapropter immunitas Ecclesiastica ita definitur: *Est jus, quo loca, vel personæ Ecclesiasticæ à communi onere seu obligatione liberæ & exemptæ sunt.* Et ideo alio nomine vocari solet libertas, seu exemptio Ecclesiastica, *cap. adversùs, hoc tit.* docent Covar. *lib. 2. var. cap. 20.* Lupus *de libert. Eccles. p. 2 quæst. 11.* Suarez *de censur. disput. 21. sect. 2. num. 89.* Azor *tom. 2. lib 9. cap. 8.* Hæc autem immunitas, seu emunitas, ut voluerunt Pitheus *in Glossario*, Zerda *in adverss. cap. 91.* Ecclesiastica est triplex: Prima localis, quæ competit Ecclesiis, & aliis piis locis, de qua *in cap. inter alia, hoc tit.* Secunda personalis, quæ competit Ecclesiasticis personis, etiam in ordine ad causas, de qua *in cap. non minus, hoc tit. cap. clerici, de judiciis, cap. 1. de foro compet.* Tertia realis, quæ competit Ecclesiasticis rebus, seu bonis, de qua in præsenti textu agitur.

11. *Traditur ratio decidendi.*

Ideo autem in domibus Ecclesiarum judices, & sæculares Magistratus nequeunt hospitium quærere, aut sibi vindicare, quia hæc immunitas ab hoc patrimoniali munere præbendi hospitium, jam ab Imperatore Constantino concessa fuerat *in d. l. 1. de Episcop. & Cleric.* & in formula ipsa immunitatis Ecclesiasticæ relata à Marculfo *lib. 1. formul. cap. 3.* specialiter cavetur, ne Ecclesiæ villæ, aut possessiones mansiones, seu paratas præstent. Solebant enim subditi hospitio non modò recipere missos, & Legatos Principis, Comites, & eorum ministros, verùm & viaticum eis pro uniuscujusque dignitate præstare. Verba sunt: *Statuentes ergo, ut neque vos, neque juniores, neque successores vestri, nec ulla publica judiciaria potestas, quocunque tempore in villis ubicunque in regno nostro ipsi Ecclesiæ, aut Regiâ, aut privatorum largitate collatis, aut qui antea fuerint collaturi, aut ad audiendas altercationes ingredi, aut freda de quibuslibet causis exigere, nec mansiones, aut paratas, vel fidejussores tollere non præsumatis*, &c. Unde descriptum ferè privilegium monasterii Corbeiensis à Clotario datum, quod extat apud Sirmundum *tom. 1. Conc. Gall.* & ptivilegium Laurishamensis monasterii, quod auctorem habet Carolum Magnum *in Chronico Laurishamensi*; & tot alia, quæ passim occurrunt. Sed reverentia Regiæ emunitatis vix continuit Comites. Pauliacensem villam cœnobii Floriacensis crebrâ Arnusti Comitis metatione attritam luget Aymonius Floriac. *lib. 2. de miracul. S. Benedicti, cap. 5. Nam Arnustus quidam fuit vir sæcularis militiæ, clarus stipendiis, qui ab Archembaldo hujus loci Abbate beneficiario jure aliqua ex possessionibus monasterii sibi tradita possidebat: hic oblitus benefactorum, fidei quoque, quam sacramento Sancto spoponderat Benedicto, ac illi pro posse famulantibus monachis, Pauliacensis parochiæ prædium assidua exinanibat metatione.* Carolus Magnus *lib. 3. Capitul. cap. 39.* ibi: *De missis nostris discurrentibus, vel cæteris propter utilitatem nostram iter agentibus, ut nullus mansionem contradicere eis præsumat.* Ludovicus in Synodo Ticinensi, ibi: *Quando etiam Episcopos, Abbates, vel Comites, seu fidelium nostrorum quempiam in propria villa morari contigerit cum suis, in suis maneat domibus, ne sub obtentu hospitii vicinos opprimant.* Illustrat Bignonius *in notis ad Marculfum, lib. 1. cap. 4.* à quo munere, paratarum immunitas Ecclesiæ domibus competit, sicut etiam in regnis Hispaniæ à Regibus Catholicis concessum est, ut in domibus Clericorum sine consensu, & voluntate ipsorum hospitium aliquis quærat, *l. 27. tit. 3 lib. 1. ordm.* cum hac tamen limitatione, ut scilicet hæc immunitas non competat, quando Princeps ipse, vel ejus filii iter faciunt per aliquem locum, *l. 7. tit. 21. lib. 2. ordin.* unde cognoscitur differentia, quæ versatur inter Ecclesiam ipsam, & ejus domos; nam in Ecclesia nemo hospitium vindicare valet, non quia immunitas ab eo munere Ecclesiæ concessa sit; sed propter inhonestatem, ut exprimitur *in d. l. penult.* ibi: *Porque seria cosa muy fea, y deshonesta, que las Iglesias que son casas de Dios, &c.* in domibus autem Ecclesiarum hæc inhonestas non versatur, & ideo immunitas concessa fuit, quæ cessavit ex illa magna causa, videlicet supervenientibus Rege, Regina, vel eorum filiis, ut ex Concilio Salisburg. & dicta lege ordinamenti probavi. Magna autem cum ratione hæc immunitas non præbendi hospitium concessa fuit domibus Ecclesiarum, & Clericorum, nam similis immunitas competit militibus armatæ militiæ, *l. his oneribus, ff. de vacat. & excus. muner.* ibi: *Angariarum præstatio, & recipiendi hospitis necessitas, & militibus, & liberalium artium professoribus remissa sunt.* Medicis etiam, & legum Doctoribus, *l. Medicos, C. de profess. & med. lib. 10.* ibi: *Nec in Provinciis hospites recipere.* Grammaticis, Oratoribus, & Philosophiæ Præceptoribus, *in l. final. C. de Fabric. & Archiatris, in l. Fabricensium, l. Archiatros, C. de metatis.* Cubiculariis Principis *in l. 2. C. de Præpositis sacri cubic. lib. 12. Domus quoque eorum, vel in hac sacratissima urbe, vel in alia qualibet positas civitate ab omni hospitum cujuslibet dignitatis inquietudine vindicamus.* Decurionibus, & silentiariis, *in l. 3. C. de silentiariis, eod. lib.* Militantibus in sacris scriniis, *l. in sacris 9. C. de proximis sacror. eod. lib.* ibi: *Super domibus quoque, quas in provinciis possident, metatorum molestiis liberantur.* Si ergo omnibus iis hæc immunitas concessa est, multò magis domibus Ecclesiarum, & clericorum competere debet: & si habitent pater, fratresve cum filio clerico, immunes sunt ab hospitio præbendo, nisi ea præstatio nummaria pensione solvatur. Marinis *lib. 1. resol. cap. 167.* Si autem Ecclesia, aut persona Ecclesiastica acquirat titulo universali, vel particulari domum subje-

ctam hospitationi regiæ, vulgò *de casa y' aposento*, tenetur eandem hospitationem tanquam onus reale præbere, ut decisum fuisse sæpiùs in supremo regali Consilio refert Guzman *de evict. quæst. 7.*

II. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, nam munus suscipiendi hospites, de quo in præsenti agitur, non est, nec censeri potest patrimoniale, quia patrimonii munus tantùm est, & censetur illud, in quo sumptus petuntur, & erogantur, *l. 1. §. patrimonii, ff. de muner. & honor. l. final. §. patrimoniorum, ff. eod. tit.* ibi: *Patrimoniorum sunt munera, quæ sumptibus patrimonii, & damnis administrandis expediuntur.* Et hinc illa tantùm munera Philosophis remissa negantur, quæ sumptibus expediuntur, non verò alia, ut constat *ex l. in honoribus, §. Philosophis, ff. de vacatione & excusat. muner.* Quod autem in proposito, ut dicimus, suscipiendi hospites munus ab eis, qui ad illud tenentur, absque ullo sumptu expediatur, constat *ex l. devotum, C. de metatis, lib. 12.* ibi: *Solam sanè hospitalitatem sub hac observatione concedimus, ut nihil ab hospite, quod vel hominum, vel animalium pascuis necessarium creditur, postuletur.* Et *ex l. unic. de salgamo hospit. non præst. eod. lib.* quibus consonat lex *10. 12. & 19. tit. 15. lib. 3. novæ recop.* docuerunt Glossa *in l. 1. C. de Episcop. & Cleric.* Ægidius Thom. *in tract. de collect. §. Subjicio, num. 22.* Deinde quia etsi hoc munus recipiendi hospites esset patrimoniale, nihilominus tamen domus Ecclesiarum ab eo immunes deberent censeri, cùm speciali privilegio ea immunitas concessa sit à Constantino *in d. l. 1.* & ab eis etiam patrimonialibus muneribus illi omnes immunes sint, quibus id speciali privilegio concessum est. Textus disertus *in l. sunt munera, ff. de vacat. muner.* ibi: *Præter eos, quibus principali beneficio concessum est.* Ubi Glossa, Bartolus, & Alberic. *in rubric. ff. de mun. & honor.* Unde Petrus Antibolius *tr. de mun. §. 4. num. 30. vers. vel aliter*, concludit, quod speciale est in Ecclesia de clericis, ut non teneantur ad suscipiendos hospites in suis domibus, licet munus sit patrimoniale, propter speciale beneficium dictæ legis 1. sicut & sunt plures alii, qui speciali beneficio legis hoc munere reperiuntur exempti. Nec obstat textus *in d. l. sunt munera*, ibi: *Nec ullum aliud privilegium, l. final. ff. de muner. & honor.* ibi: *Qui privilegio aliquo subnixus est*: ubi doceri videtur etiam, nec virtute privilegii competere immunitatem ab hoc munere hospitem recipiendi; nam illa verba referenda sunt ad eos, qui alia privilegia generalia immunitatis habent, non verò speciale hujus immunitatis, ut Ecclesia, & clerici habent. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis, pro cujus solutione dicendum est, hospitalitatem dupliciter considerandam esse: Primò quatenus procedit ex æquitate, & liberalitate, quæ omninò arbitraria est, & in sola virtute consistit, de qua *in l. si verò, vers. Idem ait, ff. de iis, qui dejecerunt: l. & habet, §. hospites, ff. de precario, l. postliminii, §. in pace, ff. de captivis*; cujus symbolum describitur ab Aul. Gellio *lib. 5. noctium, cap. 13.* Alex. ab Alex. *lib. 4. dier. genial. cap. 10.* & effectus juris, qui ex ea resultant, tradunt Decius *consil. 8.* Menochius *de arbitr. casu 160. num. 19.* Tiber. Decianus *volum. 3. consil. 66. num. 36.* De hoc hospitio accipiendi sunt textus *in cap. 1. de emption. & vendit. cap. 2. de suppl. neglig. cap. de monachis, de prabend.* Secundo modo consideratur hospitium, quatenus tendit ad munus, & onus, de quo *in l. milites, §. munus hospitis, ff. de muner. & honor. l. 3. C. de muner. patrim. lib. 10.* à quo immunes sunt clerici *ex d. l. 1. C. de Episcop. & Clericis*, ubi Odofredus.

CAPUT II.

Gregorius *Agnello Episcopo* (a) *Terracinensi.*

PErvenit ad nos, quosdam illic, quod dici nefas est, (b) arbores colere, & multâ alia contra Christianam fidem illicitè perpetrare. Et miramur, cur hoc fraternitas vestra districtâ emendare ultione distulerit. Ea propter scriptis vos præsentibus adhortamur, ut hos diligenti investigatione perquiri, & veritate cognitâ talem in eis faciatis exercere vindictam, quatenus & DEUS placari possit, & aliis eorum ultio correctionis exemplum sit. Scripsimus autem & Mauro nunc Vicecomiti, ut fraternitati vestræ in hac re debeat adhibere (c) solatia, dummodo ad comprehendendos eos invenire excusationem aliquam non possitis. Quia verò comperimus multos se à murorum vigiliis excusare, sit fraternitas vestra solicita, ut nullum nec per nostrum, vel Ecclesiæ nomen, aut quolibet alio modo defendi à vigiliis patiatur, sed omnes generaliter compellantur: quatenus cunctis vigilantibus, meliùs, auxiliante Domino, civitatis valeat custodia procurari.

NOTÆ.

1. (a) *Terracinensi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* & integram hujus textus restituo ex ipso regestro D. Gregorii, ubi *lib. 7. indict. 1. epist. 20.* reperitur hic textus. Terracina civitas est Italiæ, in antiquo Latio littorali, quod hoc tempore vocamus Romanam Campaniam, prope mare, supra elatum collem sita est: fuit Colonia Romanorum, & ejus meminerunt Livius, Lucanus, & Frontinus, ut refert Ughel. *tom. 1, Italia, fol. 195.* Urbs est admodum civilis, jam Episcopali Cathedrâ ornata ab Apostolorum tempo-

temporibus, & inter Ecclesias Romanæ Provinciæ numeratur, ac immediatè Romano Pontifici pareat. Agnello ejus Episcopo, qui temporibus Magni Gregorii ex anno 566. usque ad annum 595. Ecclesiam eam rexit, missa est præsens epistola. Ejus historiam narrat Baronius *tom. 8. anno CHRISTI 589.* Cùm enim noster Gregorius Magnus eo anno, quo pax cum Agilulpho Rege Lombardorum, qui totam ferè Italiam devastaverat, diutiùs tractata, & sæpiùs impedita esset, tandem suggerente Theudelinda conjuge Agilulphi firmissima facta fuit, ut refert Walfridus *lib. 4. de gestis Longob.* & ne interim dum pacta iniebantur, sub velamento pacis aliquid infaustum ageretur, Gregorius suos in diversis locis positos, ut interim vigilarent, admonuit, dum *lib. 7. indict. 2.* ad Joannem Caralitanum in Sardinia Episcopum ita scribit: *Cognoscatis autem Abbatem, quem ad Agilulphum ante multum jam tempus transmisimus, pacem cum eo, DEO propitio (quantum nobis ab excellentissimo Exarcho scriptum est) ordinasse. Et ideo quousque pacta de confirmatione pacis ipsius conscribuntur (ne fortè hostes nostri in hac dilatione ad partes illas iterum velint accedere,) murorum vigilias, & sollicitudinem in locis omnibus facite adhiberi. Et confidimus in Redemptoris nostri potentia, quia adversariorum nobis incursus, vel insidiæ denuò non nocebunt.* Et iterum *lib. 7. epist. 20.* eundem monet, ut in locorum custodia invigilare solicitius curet, ne tempore fœderis consummato, pace nondum firmata, aliquid mali patiantur à Longobardis. Sic etiam in præsenti Agnellum Episcopum monet, ut Terracinam civitatem diligenter custodiendam curaret, ita ut nec homines Ecclesiastici à murorum custodia excusarentur. Quam curam Magni Gregorii circà temporalia defendit, & miris laudibus commendat Baronius ubi supra.

(b) *Arbores colere.*] De lucis, & eorum superstitione plura adduximus *in cap. 4. de transact.*

(c) *Solatia.*] Auxilium videlicet, quod vulgò dicimus brachii sæcularis, de quo eg. *in cap. 1. de offic. ordin.*

COMMENTARIUM.

DIfficile valde visum est juris Interpretibus, quod in præsenti jubet Gregorius, videlicet neminem, quantumvis Ecclesiastica persona sit, immunem esse à vigiliis murorum, sive excubiis tempore belli; siquidem clericis, & ecclesiasticis personis prohibitum est quocunque in bello arma sumere, militiæque nomen dare, *cap. eos qui 20. quæst. 3. cap. ex multæ, §. de Clericis, de voto*: probavi *in cap. final. de clericis conjug.* & *in cap. petitio, de homicid.* Accedit immunitas concessa personis Ecclesiasticis *in cap. non minùs, hoc tit. l. 2. C. de Episcop. & Cleric.* Nam licèt vigiliarum, & excubiarum onus ad omnes spectet, ut alia, quæ respiciunt communem præstationem; ab hac tamen communi regula eximi debent quicunque speciali aliquo privilegio exempti sunt, & per consequens ab hoc communi onere clerici immunes esse debent; nam quid illis immunitas proderit, si cum laicis communi regulâ æstimentur? quare ut Doctores textum hunc exponant, varia adduxerunt. Martha *de jurisdict. 4. p. centur. 1. casu 1. numer. 20.* post Panormitanum, Gregorium accipit non de clericis, sed de hominibus Ecclesiæ, & ejus servis, qui etsi aliàs immunes sint à muneribus personalibus, *cap. Ecclesiarum 12. quæst. 2.* tamen necessitatis tempore immunitate non gaudent. Alii accipiunt textum hunc de civitatibus, in quibus dominium temporale Ecclesia obtinet, ut erat civitas Terracina, quo casu æquum esse ajunt, clericos, & religiosos vigilias, & excubias agere pro ipsis muris costodiendis. Alii tandem præsentem textum restringunt ad irruptiones, & invasiones infidelium, Sarracenorum videlicet, vel similium hominum sceleratorum. Sed omissis his sententiis, placet doctrina Innocentii, Hostiensis, & Butrii in præsenti, qui accipiunt Gregorium plenius, & generaliter de cunctis clericis, & clericorum servis, vel personis Ecclesiasticis, in quovis improviso, subitaneo, seu repentino motu, atque communi totius populi periculo, si modò occurrat casus magnæ necessitatis, in quo sive de civitatibus agatur, quarum temporale dominium sit Ecclesiæ, sive de aliis, sivè de grassationibus, sive invasionibus fidelium, aut aliorum etiam latronum, semper enim his casibus tenentur clerici ad vigilias, & excubias faciendas, cùm nulla major sit pietas, quàm patriam defendere, *cap. fortitudo, 23. q. 3.* præcipuè cum his casibus detur periculum animarum, si civitas ab hostibus occupetur, *cap. igitur sæpe 3. quæst. 1. cap. placuit 26. quæst. 3.* & salus patriæ in discrimen versetur, cui omnes consulere tenentur, ac præcipuè clerici, *cap. 1. 87. dist. cap. dilecto, de sent. excomm. lib. 6.* nec privata immunitas saluti publicæ præponenda est. Sidonius *lib. 7. epist. 9.* ad Gracchum, ibi: *Parum in commune consulitis; & cùm in consilio convenitis, non tam cura publicis mederi periculis, quàm privatis studere fortunis. Oportet* (inquit Plinius *lib. 7. epist. 18.*) *privatis utilitatibus publicas, mortalibus æternas anteferre, multoque diligentiùs muneri suo consulere, quàm facultatibus.* Tacitus de Britannis agens; *in vita Julii Agricolæ*, ait: *Nihil aliud adversùs validissimas gentes pro nobis utilius, quàm quod in commune non consulant; rarùs duabus, tribusque civitatibus ad propulsandum commune periculum conveniunt; ita dum singuli pugnant, universi vincuntur.* Etenim si his casibus injusta esset clericorum immunitas, quâ securitas publica negligeretur, insuperque haberetur, ipsi potiùs exemplo, quàm vacationis immunitate publicam lederent disciplinam, ut ajebat Seneca *lib. 1. de clementia*, ibi: *Si sanis hominibus publica privatis potiora sunt, sequitur ut is quoque charior sit, in quem se Respublica convertit; quippe publicæ saluti curam privatæ quieti præponit.* Unde Romana plebs adversùs Senatores, qui se immunes à militia asserebant, his verbis indignabatur: *Patres militarent, Patres armâ caperent, ut penes eosdem periculà belli, penes quos præmia essent.* Ita textum hunc accepisse videtur Alfonsus Rex *in l. 32. tit. 6. p. 1.* ubi Gregorius: & notarunt plures congesti à Barbosa *in remiss. ad ordinat. Lusit. lib. 2. tit. 1. cap. 11.* Robertus *lib. 2. rer. judic. cap. 11.* Unde & ob eandem publicam utilitatem etiam Ecclesiasticos teneri ad viarum, & fontium, pontiumque refectionem, & pro locustis capiendis contribuere, resolvunt Robertus *lib. 2. cap. 3.* Narbona *in l. 57. gloss. unic. tit. 4. lib. 2. recopil.* Tamburin. *de jure Abbat. tom. 3.*

tom. 3. disput. 12. quæst. 4. Gibalinus *de irregul. cap. 4. difficult. ult.* Menchaca *lib. 1. usufreq.* Diana *p. 1. tract. 2. resol. 76.* Petrus Gregor. *lib. 1. partit. tit. 4. cap. 14.* Montalvo *in l. 1. tit. 4. lib. 1. fori*, Germonius *lib. 3. de sacror. immunit. cap. 12. num. 22.* Chopinus *lib. 3. de sacr. pol. tit. 2. in princ.* Marinis *tom. 1. decis. 36.* Quæ hucusque adduximus, procedunt tempore magnæ necessitatis, ubi adest periculum commune, aliàs Ecclesiastici non debent cogi ad vigilias, excubiasque faciendas, *cap. final. de censibus, in 5. compil.* ibi: [Gravi nobis ven. f. n. Bracharen. Archiepisc. quæstione monstravit, quod Rex Portugalen. non attendens, quod servus secundùm Apostolum suo domino aut cadit, aut stat, clericos, aut alios religiosos, tam in criminalibus, quàm in civilibus causis, respondere compellit coram judice sæculari: nec considerans, quod obsequiis adscripti divinis ab omni servitute debent esse prorsus immunes, angariis, & parangariis fatigat eosdem: nec his contentus, eos ad muros faciendos, vel reficiendos, necnon in expeditionem, & ad excubias, quæ illorum vulgari annundinæ, vel attalaia dicuntur, ire cogit invitos. Quia igitur tantam Dei, & Ecclesiæ injuriam nolumus, sicut nec debemus, æquanimiter sustinere, præsertim cùm charissimus in Christo filius noster Fredericus Rom. Imperator illustris generali lege sanxerit, ut omnes omnino Ecclesiæ, & Ecclesiasticæ personæ ab omnibus sæcularibus talliis, & exactionibus, angariis, & parangariis sint immunes, nec nisi coram Ecclesiastico judice valeant conveniri: disc. v. m. quat. prædictum Regem, ut ab omni clericorum, & aliorum religiosorum super his gravamine conquiescat, monere, ac inducere procuretis; alioquin tam ipsum, quàm alios ab hujusmodi temeritate desistere per censuram Ecclesiasticam appellatione remotâ cogatis.] Apud quem tamen sit jurisdictio cognoscendi de hac necessitate, an videlicet necessitas sit urgens, vel non, disputat Boëtius Epon. *in præsenti, numer. 11. & 12.*

CAPUT III.

Gregorius *Vitali* (a) *Defensori Sardiniæ.*

INdicatum nobis est, quod quidam Caralitanæ Ecclesiæ clerici disciplinam sui refugientes Episcopi, contra eum solatium tuæ (b) defensionis exquirant, atque per hoc illi, quod dici grave est, contumaces existant. Quam rem, *si ita est*, omnino durè suscepimus. Dicitur etiam, quod suæ actus deserentes Ecclesiæ, in aliorum se obsequiis, ac laboribus occupantes, ubi nomen dederunt militiæ inveniantur extranei. Experientiæ ergo tuæ denuntiamus, ut nihil deinceps tale aliquid facere præsumat: sed si cujusquam clerici, ut assolet, culpæ casus emerserit, in qua sibi petere debeat adjutorem, ad eundem Episcopum reverenter accede, & sicut causæ meritum cognoveris, non defensor culpæ, sed potiùs intercessor existe: ut hac provisione, & poscenti feras auxilium, & jura Præpositi non turbentur. Si qui verò sunt, qui justa poposcerint, eis per te auxilium Sedis Apostolicæ non est negandum. Sed tamen ita servandum est, ut uniuscujusque Episcopi reverentia, & Clericorum disciplina per defensionis tuæ experientiam minimè solvatur. Dictum est nobis etiam, quod rustici possessionis ejusdem Caralitanæ Ecclesiæ jura propria deserentes, in privatorum possessionibus culturam laboris exhibeant. Ex qua re agitur, ut possessiones Ecclesiæ, proprio in aliis occupato cultore, depereant, atque ad (c) tributa sua persolvenda idoneæ non existant. In qua re experientiam tuam volumus omnino esse solicitam, ne tale quicquam fieri posthac nostrâ auctoritate datâ tibi permittere debeas: sciturus quod si neglexeris, nostros exinde de minori tua sollicitudine contra te animos commoveri. Cognovimus etiam, quod monasteria servorum Dei, vel etiam fœminarum pro suo quisque libitu, & diversarum causarum executione perturbet: quod omnino non gratè suscipimus, tuamque experientiam ex hoc commonemus, ne quemquam hoc usurpare denuò acceptâ nostrâ auctoritate permittas: sed Episcopi loci ipsius, sub cujus degunt moderamine, curæ sit eorum causas, utilitatesque disponere. Valde enim est incongruum, ut omisso eo, alius quilibet eorum se causis admisceat. Sed ille eorum vitam competenti, regularique debet moderatione disponere, qui pro commissis eorum sibi animabus compellitur reddere rationem.

NOTÆ.

1. (a) *Vitali defensori.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* & in ipsis epistolis Gregorii *lib. 7. indict. 2. epist. 66.* ex quo regestro ita restituo integram hujus textus. De defensore, & ejus officio nonnulla adduxi *in cap. 1. de transact. cap. 3. de testibus.*

(b) *Defensionis.*] Inter munia, ministeriaque defensoris illud præcipuum erat, oppressos defendere,

dere, exceſſibusque Prælatorum reſiſtere : unde ajebat Baronius *tom. 7. anno 598. numer. 16.* quod proprium defenſorum officium erat pauperes, Eccleſiasque defendere, qui ideo mitti ſolebant, à Romano Pontifice per diverſas Provincias, quibus & alia negotia diverſi generis delegare conſueverant, ut patet ex formula ipſa hujus officii, quam his verbis refert noſter Gregorius *lib. 4. epiſt. 25. Eccleſiaſticæ utilitatis intuitu id in noſtro ſedit arbitrio, ut ſi nulli conditioni, vel corpori teneris obnoxius, nec fuiſti clericus alterius civitatis, aut in nullo tibi canonum obviant ſtatuta, officium Eccleſiæ defenſorum accipias, ut quicquid pro pauperum commodis tibi à nobis injunctum fuerit, incorruptè, & vivaciter exequaris, uſurus hoc privilegio, quod in te habitâ deliberatione contulimus, ut omnibus, quæ tibi à nobis fuerint injuncta, complendis, operam tuam fidelis exhibeas, redditurus de actibus tuis ſub D E I noſtri judicio rationem.* Sed quia ipſi defenſores ultra ſibi conceſſa aliena uſurpabant, fovendo ipſos delictorum perpetratores potius quàm defendendo innocentes, & primam cauſæ cognitionem ipſis Epiſcopis auferendo ; ideo Gregorius in præſenti reprehendit Vitalem defenſorem : cujus increpationis meminit ipſe Gregorius *lib. 7. epiſt. 67.* dum Januario Epiſcopo Caralit. ita ſcribit : *Dicitur, quod aliqui ex contumacibus veſtris clericis, ut defendi contra vos valeant, ad Vitalis defenſoris noſtri patrocinia convolarint. Unde ad eum ſcripta noſtra direximus, ne quemquam clericorum veſtrorum contra vos irrationabiliter deinceps audeat defenſare : ſed ſi culpæ caſus emerſerit, & gravis non eſt, ſed veniam mereatur, interceſſor apud vos magis accedere debeat, quàm defenſor.* Et hunc etiam exceſſum idem Gregorius reprehendit in Romano defenſore Siciliæ, *lib. 9. epiſt. 32.* in hæc verba : [Pervenit ad nos, quod ſi quis contra clericos quoslibet cauſam habeat, deſpectis eorum Epiſcopis, eosdem clericos in tuo facias judicio exhiberi : quod ſi ita eſt, quia valde conſtat eſſe incongruum, hac tibi auctoritate præcipimus, ut hoc deinceps facere non præſumas. Sed ſi quis contra quemlibet clericum cauſam habuerit, Epiſcopum ipſius adeat, ut aut ipſe cognoſcat, aut certè ab eo judices deputentur ; aut ſi fortè ad arbitros eundum eſt, partes ad eligendum judicem ab ipſo executio deputata compellat. Si quis verò vel clericus, vel laicus contra Epiſcopum cauſam habuerit; tunc te interponere debes, ut inter eos aut ipſe cognoſcas, aut certè te admonente ſibi judices eligant. Nam ſi ſua unicuique Epiſcopo jurisdictio non ſervatur, quid aliud agitur, niſi ut per nos, per quos Eccleſiaſticus cuſtodiri debuit ordo, confundatur ? Item nunciatum eſt nobis, quia quosdam clericos, qui à Reverendiſſimo fratre noſtro Joanne Epiſcopo, exigente culpâ in pœnitentiam miſſi ſunt, neſciente illo tuâ illos exinde auctoritate ejeceris: quod ſi verum eſt, rem te omnino inhoneſtam, & non leviter increpandam feciſſe cognoſcas. Eosdem ergo clericos Epiſcopo ſuo ſine mora reſtitue, & hoc de cætero cave committere: quia ſi neglexeris, noſtros te noveris non mediocriter motus incurrere.]

3. (c) *Tributa.*] Eccleſiæ ipſi, cujus poſſeſſiones colebant, quæ ita præſcribunt leges Bajuvariæ *tit. 1. l. 1. cap. 4.* [De colonis, vel ſervis Eccleſiæ qualiter ſerviant, vel qualia tributa reddant, hoc eſt, agrarium ſecundum quod habet, donet; de triginta modiis tres donet, & paſcuarium deſolvat ſecundum uſum provinciæ. Secundo andecingas legitimas, hoc eſt perticam decem pedes habentem, quatuor perticas in transverſo, quadraginta in longo, arare, ſeminare, claudere, colligere, & tradere à tremiſſe unusquisque accola ad duo modia ſationis, excolligere, ſeminare, colligere, & recondere debeat; & vineas plantando claudere, fodere, propaginare, præcidere, vindemiare. Tertiò reddant decimum faſcem de lino, de apibus decimum vas, pullos quatuor, ova quindecim reddant. Quartò parafredos donent, aut ipſi vadant ubi eis injunctum fuerit. Angarias cum carro faciant uſque 50. leucas, ampliùs non minentur. Quintò ad caſas dominicas, ſtabulare, fœnile, granicam, vel tuninum recuperandum pedituras rationabiles accipiant, & quando neceſſe fuerit, omnino componant : calcifurnium ubi prope fuerit, ligna, aut petras L. homines faciant : ubi longè fuerit, C. homines debeant exire, & ad civitatem, vel ad villam, ubi neceſſe fuerit, ipſam calcem trahant.] Illuſtrat le Maiſtre *de juribus Eccleſ. lib. 3. cap. 6.*

COMMENTARIUM.

EX præſenti textu ſequens communiter deducitur aſſertio: *Agricolæ prædiorum Eccleſiæ non debent deſerere culturam prædiorum, & ad alios agros colendos ſe transferre.* Probant idem Gregorius *lib. 10. indict. 5. epiſt. 27.* ibi : *Petrus, quem defenſorem fecimus, quia de maſſa juris Eccleſiæ noſtræ, quæ Vitellas dicitur, oriundus ſit, experientia tuæ bene eſt cognitus ; & ideo quia ita circa eum benigni debemus exiſtere, ut tamen Eccleſiæ utilitas non lædatur, hac tibi præceptione mandamus, ut eum diſtrictè debeas commonere, ne filios ſuos quolibet ingenio, aut excuſatione foris alicubi in conjugio ſociare præſumat, ſed in ea maſſa, cui lege, & conditione ligati ſunt, ſocientur, in qua re etiam & tuam omnino neceſſe eſt experientiam eſſe ſolicitam, atque eos terrere, ut qualibet occaſione de poſſeſſione, cui oriundo ſubjecti ſunt, exire non debeant. Nam ſi quis eorum exinde, quod non credimus, exire præſumpſerit, certum illi ſit, quia noſter conſenſus nunquam illi aderit, ut foris de maſſa in qua nati ſunt, aut habitare, aut debeant ſociari, ſed & ſuperſcribi terram eorum.* Et *l. 5. & 6. omnes 8 l ſi coloni 14. l. lutibus 19. l. cum ſcimus 21. §. illud, l. penult. §. 1. C de colonis Palæſt. cum ſequent.* Illuſtrat Cujacius, Tuldenus, & Petrejus *ad tit. C. de agricolis*, Valaſcus *de jure emphyt. 1. p. q. 37.* Dumoulin *lib 2. comment. cap. 9.* Petrus Gregorius *lib 18. ſyntag. cap. 23.* Connanus *lib. 2. comment. cap. 1.* Le Maiſtre *lib. 3. de juribus Eccleſ. cap. 4.*

4. *Concluſio traditur, & probatur.*

Sed pro dubitandi ratione in præſentem aſſertionem ita inſurgo : Agricolæ etiam adſcripti culturæ prædiorum liberi ſunt, & tanquam homines liberi judicantur, *cap. multorum 2. de Judæis, l. ne diutius 20. C. de agricolis, lib. 11.* authentica *adſcriptitios, C. de Epiſcop. & Cleric. l. 64. tit. 5. l. 18. tit. 6. part. 1. l. 6. tit. 22. partit. 4.* P. Gregorius *lib. 18. ſyntag. cap. 22.* Pancirola *lib. 2. variar. cap. 77.* Amaya *in l. 29. C. de Decur. lib. 10.* D. Nicolaus de Caſtro *in l. unic. C. de capit. civium, ex num. 21.* Solorzanus *de*

5. *Impugnatur tradita aſſertio.*

de jure Indiar. lib. 1. cap. 3. Faber *in Jurisprud. tit. 5. princip. 2. illat. 7.* Connanus *lib. 2. comment. cap. 10.* Diaz *de salariis, 2. p. numer. 30.* Igitur juxta eorum libertatem possunt discedere, & agriculturam deserere, atque aliunde se transferre.

6. *De diversis agricolis.*

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, agricolarum, quos nos ab ipsis agris colendis *Labradores* dicimus, *l. 5. tit. 20. partit. 2.* non unam esse conditionem: quippe Romani agros colebant, aut suâ manu, aut operâ conductitiâ, & mercenariâ. Nec manum suam terræ serendæ, & colendæ olim præbere dedignabatur victrix Romanorum simplicitas, ut ait Columella *lib. 1. de re rustic.* & ipsorum quoque Imperatorum manibus colebantur agri, si fas est credere, quod gauderet terra vomere laureato, & triumphali aratore, ut ajebat Plinius *in Panegyr.* Postea verò vilescente ruris disciplina uti cœperunt alienis operis, tam servorum, quàm personarum conditionalium, *l. si mancipia, ff. de fundo instructo, l. quæsitum, §. Alfenus, l. cùm de lanionis, §. si fundum, ff. eod. l. ex facto 35. §. rerum, ff. de hæred. instit. l. 65. ff. de legat. 1. l. ult. ff. de doli mali:* & inter ipsa mancipia rustica ruris causâ comparata, enumerabantur custos fundi, aut prædii villicus, molendarius, bubulcus, putatores, fossores, pastores, *l. si ita testamento, §. mulier, ff. de fund. instr.* Illustrant Carolus Sigonius *lib. 2 de antiquo jure Rom. cap. 6.* Brissonius *lib. 2. select. cap. 9.* Lipsius *lib. 2. elect. cap. 15.* Marcel. Donat. ad Suetonium *in Tiberium, cap. 8. tom. 6. thesauri crit.* Connanus *lib. 2. comment. cap. 10.* Guillel. Poluer. *lib. 5. select. cap. 10.* unde fluxit triplex agricolarum conditio, notata *in l. servos 12. C. de agricolis, lib. 11.* quorum alii omnino servi sunt, qui jussu & fide dominica colunt prædia, quibus semper adhærent, *l. si quis inquilinos 112. ff. de legat. 1. l. cum de lanionis 18. §. cùm de villico, l. Sejæ 20. §. 1. ff. de fund. instruct. l. 3. l. quemadmodum 7. C. de agricolis, lib. 11.* alii homines liberi, qui specialiter coloni appellantur, *l. 1. C. de prædiis Tamiacis, lib. 11.* qui capitationem non solvunt, & duntaxat pensionem certam præstant domino terræ, à qua discedere non possunt, quales sunt 30. annorum possessione quæsiti, *l. 5. & 6. l. omnes 8. l. si coloni 14. l. litibus 19. l. cùm scimus 21. §. illud, l. penult. §. 1. C. de agricolis, lib. 11. l. 1. C. de Colonis Palæst.* alii censiti, qui censibus, sive libris censualibus, quibus personarum, & bonorum descriptio continetur, simul cum prædiis, quæ haberent, adscribuntur, & pro capite tributum, sive capitis censum præstant, *l. 4. l. cùm scimus 21. cum sequenti, C. de agric.* Illustrant Ramirez de Prado *ad Martialem lib. 1. epigr. 62.* Arnisæus *lib. 2. de repub. cap. 3. sect. 9.* Unde & adscriptitii, & censibus obnoxii, & tributarii, sive adscripti vocantur, *l. si quis presbyter 20. C. de Episcop. & cleric. l. quicunque 10. C. de re milit. l. 1. C. de tyron. lib. 12. l. omnes 6. l. colonus 18. C. de agricol. l. 2. C. in quibus causis coloni, lib. 11.* ubi post Classicos Connanus *lib. 2. comment. cap. 10.* Cujacius *in rubric. C. de agric.* Valascus *de jure emphyt. 1. p. q. 37.* Donel. *lib. 2. comment. cap. 9.* ubi Oswaldus *litt. V.* Petrus Greg. *lib. 18. Syntag. cap. 23.* Schifordeg. *lib. 3. ad Fabrum, tract. 26. q. 6.* Faber *in Jurisprud. tit. 4. illat. 1.* Acunna *in cap. qui ex famulis, 56. dist.* Duarenus ad *tit. de servit. cap. 1.* Landtmeter. *lib. 2. de ver. cler. cap. 15.* Baëza *de inope debit. cap. 2.* Amicus *de potest. in se ipsum, cap. 17. num. 23.* Connanus *lib. 2. comment. cap. 10.* Husanus *in tract. de homin. prop.* Borellus *de præst. Reg. cap. 64. numer. 39.* Solorzanus *tom. 2. de jure Ind. lib. 1. cap. 3.*

Deinde sciendum est, olim Ecclesiam habuisse in patrimonio suo servos, colonos adscriptitios, casatos, & originarios. De servis, & mancipiis plura adduxi *in cap. 2. de servis non ordin. cap. 4. de rerum permut.* Colonos asquebatur Ecclesia, aut ex donatione fidelium, cùm ipsi fundum donabant Ecclesiæ, cum quo transibant coloni adscriptitii; aut emptione, si Ecclesia prædia de novo acquirebat, colonosque comparabat. Eodem modo casatos acquirebat; casati autem sunt proprie, qui se casæ, seu domui dedicarunt: quam ob rem sicut qui agros colunt, coloni dicuntur; ita qui casas, seu domos curant, appellantur casati, ut probat le Maistre *de jurib. Eccles. lib. 3. cap. 5.* ubi docet casatorum duo genera esse, ita ut alii dicantur vassalli casati, alii servi casati. Vassalli casati sunt homines, seu feudatarii deterioris notæ, qui cùm opus erat, pro Ecclesia militabant, Episcoposque sequebantur, & Ecclesiæ deserviebant, de quibus Carnotensis *epist. 28.* ibi: *Casati Ecclesiæ, & reliqui milites pene omnes, vel absunt, vel pace violata excommunicati sunt.* Unde in Capitularibus Caroli *lib 3. cap. 63.* jubetur, ut casati Comites, seu Dominos tuos prosequantur, his verbis: *De vassis dominicis, qui adhuc intra casam serviunt, & tamen beneficia habere noscuntur, statutum est, ut quicunque ex eis cum Domino Imperatore domi remanserit, vassallos suos casatos secum non retineat, sed cum Comite, cujus pagenses sunt, ire permittat.* Servi casati erant, qui domesticis obsequiis famulabantur, quorum conditio valde diversa erat à vassis casatis; nam vassi casati ingenui erant, ac servos proprios habebant, qui ad eorum nutum poterant manumitti, ut apparet ex veteri inscriptione, quam refert Juretus *ad epist. 28. Ivonis Carnot.* his verbis: *Ex beneficio S. †. per Joannem Episcopum, & per Alberium S. †. casatum factus est liber Lambertus, teste hac sanctâ Ecclesiâ.* Deinde vassalli casati non erant servi, sed his tantùm conditionibus tenebantur, quibus feudatarii hodie obstringuntur: at servi casati, ut ait Cujac. *ad titulum 2. de feud. pag. 485.* deterioris conditionis erant, domi, forisque ministrabant, aut rem familiarem curabant, vel ruri, vel in urbe: quapropter in alienam manum poterant pro arbitrio transferri, ut docet le Maistre *ubi proximè.* Meminerunt istorum casatorum extat *in l. si qui, C. Theodos. de bonis proscript.* ibi: *Plena descriptio comprehendat, quod sit ruris ingenium, quid aut cultum sit, aut colatur, &c. Quis adificiis, aut possessionibus ornatus, quotve mancipia in prædiis occupatis, vel urbana, vel rustica, vel quarum artium generibus imbuta teneantur, quove sint casarii, vel coloni.*

Unde apparet vera decidendi ratio hujus textus; nam cùm coloni, qui in perpetuum colonariæ conditioni se mancipabant, fierent servi glebæ, seu adscriptitii, non poterant culturam eorum prædiorum, quibus mancipati erant,

erant, deserere, & aliò se transferre, pari modo ac curiales, qui se curiæ devoverunt; qui ideo non poterant officiis, & functionibus curiæ renunciare, *l. cùm per alios, C. de colonis Palæst. lib. 11.* immò nec momento quidem temporis à prædiis se separare poterant, *l. 15. C. de agricolis*; & ideo domini similes colonos debebant in censum referre, & profiteri apud acta, vel censitorem, unà cum ipsis prædiis; quia pars prædiorum sunt, & veluti membra quædam fundi, *l. 4. §. 5. & 8. ff. de censibus.* Suffragantur Imperatores *in l. 7. C. de agricolis*, dum docent, quemadmodum originarios colonos absque terra, ita rusticos, censitosque servos vendi non licere, nec permutari, vel obligari; immò nec eos sine prædiis legari posse respondit Marcianus *in l. si quis inquilinos 112. ff. de legat. 1.* adeo autem prædio adscripti adhærent, ut etiam in sobolem conditionem suam transferant, nec ab ea conditione privilegio, dignitate, aut officio liberentur, sed nec census auctoritate, *l. 11. C. de agricolis, lib. 11.* tenentur enim semper inhærere suis prædiis, à quibus nec momento quidem temporis amoveri possunt; & si aliò migraverint, eos ad locum, ubi censiti, vel educati, natique sunt, Præses provinciæ redire compellet, *l. 6. C. eod. titul. de agricolis*: cogetque profugos, qui sine Domino vagantur, & agros deserunt, ad prædia sua redire, etiam per manus injectionem, sicut plerisque in locis nunc fit in animalia vaga, & errantia, *ex l. 1. C. Theodos. si vagum mancipium petatur.* Receptatoribus etiam colonorum præcipiet judex, ut fugitivos reddant, & præter temporis capitationem, etiam argenti 12. libras fisco inferant, *l. 12. Cod. eod. tit. de agricol.* Nec in hac parte ullum speciale jus obtinet Ecclesia, sed utitur communi jure, quod omnibus privatis in colonos, & adscriptitios competit: quare malè veteres compilatores, dum hoc jus retrahendi colonos fugitivos ad propriam culturam in præsenti epistola docuit Gregorius, textum hunc compilarunt sub titulo *de immunit. Eccles.* quasi in hac parte Ecclesia specialem immunitatem, aut peculiare privilegium contineret.

CAPUT IV.

Ex Concilio (a) *Lateran.*

NOn minus pro peccato, quod faciunt, quàm pro illorum detrimento, quod (b) sustinent, grave nimis esse dignoscitur, quod in diversis partibus mundi Consules Civitatis, & Rectores, nec non & (c) alii qui potestatem videntur habere, tot onera frequenter Ecclesiis imponunt, & ita gravibus eas, & crebris actionibus premunt, ut deterioris conditionis sub eis factum Sacerdotium videatur, quàm sub Pharaone fuerit, qui divinæ legis notitiam non habebat: ille quidem omnibus aliis servitutibus subactis sacerdotes suos, & possessiones eorum in pristina libertate dimisit, & de publicis eis alimoniam ministravit. Isti verò onera suaferè universa imponunt Ecclesiis, & tot (d) angariis eas affligunt, ut eis illud quoque, quod Hieremias deplorat, competere videatur: Princeps provinciarum facta est sub tributo. Sive quidem (e) fossata, seu expeditiones, seu alia quælibet sibi arbitrentur agenda, de bonis Ecclesiarum, & clericorum, & pauperum Christi usibus deputatis, cuncta volunt ferè compleri: jurisdictiones etiam, & auctoritates Episcoporum, & aliorum Prælatorum ita evacuant, ut nihil potestatis in suis videatur (f) hominibus remansisse. Super quo dolendum pro Ecclesiis, dolendum etiam est nihilominus pro ipsis, qui & timorem Dei, & Ecclesiastici ordinis reverentiam videntur penitus abjecisse. Quocirca sub anathematis districtione severiùs prohibemus, ne talia de cætero attentare præsumant, nisi Episcopus, & Clerus tantam (g) necessitatem, vel utilitatem inspexerint, ut absque ulla occasione ad relevandas communes utilitates, vel necessitates, ubi laïcorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda. Si autem Consules, aut alii de cætero ista commiserint, & commoniti fortè desistere noluerint, tam ipsi, quàm fautores eorum excommunicationi se noverint subjacere, nec communioni reddantur, donec satisfactionem fecerint competentem.

NOTÆ.

(a) *Lateran.*] Generali videlicet celebrato sub Alexandro III. ubi *cap. 19.* reperitur hic textus, ex quo ejus integram ita transcribo. Etiam reperitur *in 1. collect. sub hoc tit. cap. 4.* & de hoc Concilio nonnulla adduximus *in cap. nonnulli, de rescript.*

(b) *Qui sustinent.*] Episcopi videlicet, & cæteri Prælati Ecclesiastici; unde in Concilio Lateran. sub Leone X. anno 1521. *sess. 9. in fine*, & *§. Cùm à jure*, ita cavetur: *Prælati etiam præmissis absque Romani Pontificis licentia ultrò consentientes excommunicationis, & depositionis pœnam ipso facto incurrant.* Idem cavetur in Bulla cœnæ Domini, *cap. 18.*

(c) *Et alii.*] Judices videlicet sæculares, ac temporales, quos ex vulgi sermone Bonifacius VIII. *in cap. penultimo, hoc tit. in 6.* vocat Justiciarios, & Ballivos.

(d) *Angariis.*] Angarias appellant Imperatores, provincialibus impositam onerum vehendorum, bajulorumque necessitatem, *in l. 11. Cod. de sacrosanct. Eccles. l. 2. Cod. de Episcop.*

& clerici. l. 2. C. quibus munerib. lib. 10. quod fuisse patrimoniorum munus, possessionibusque, sive patrimoniis indictum, tradit Arcadius *in l. ult. §. patrimoniorum, ff. de muner. & honor.* Inde angariarum exhibitio *in l. 11. ff. de vacat. muner.* præbitio *in l. ult. ff. de muner. & honor.* præstatio *in l. 10. §. angaria, ff. de vacat. muner.* & angariariæ naves *in l. 4. ff. de veteranis.* Inde etiam angarii, qui onus illud deferebant. Joannes Brodeus *lib. 6. miscel. cap. 6.* Solorzanus *lib. 2. polit. cap. 13. & 14.* Angariæ ergo sunt præstationes, quæ extra ordinem provincialibus imponuntur in transvectione armorum, & annonæ militaris, aut in aliis necessitatibus, veluti cùm petuntur jumenta, plaustra, seu naves, *l. ult. C. de Fabric. lib. 11. l. 4. C. de veteran. lib. 12. l. nemo 20. C. de cursu public. lib. 12. cap. 1. tit. 12. quæ sint regal. in usib. feudor.* quorum præstatio munus patrimoniale est, à quo nec milites, nec alii excusantur, *l. ult. §. patrimoniorum, el 2. & §. penult. ff. de muner. & honor. l. sunt munera 11. ff. de vacat. muner.* quamvis cura exigendi has angarias à Provincialibus præbendas his, quibus Princeps jubet, personale munus esset; ideoque militibus, atque aliis remittitur, *l. ult. §. cursus, ff. de muner. & honor. l. ab his 10. l. angarios, ff. de vacat. muner.* quas ita expônit Cuiac. *in l. 2. C. de præscript. sacr. cubic. lib. 12.* Perangariæ ab angariis vix distinguuntur, *l. maximarum 12. C. de excusat. muner lib. 10. l. 3. C. de silentiar. lib. 11.* & utrasque hodie vocamus, *guias, levas de hombres, bestias ò carretas,* ut *in tit. 10. lib. 6. recopil.* Angariæ tamen per viam regiam cursus publici duci solebant, perangariæ verò per alios tramites transversos, *l. mancipiis 15. C. Theodos. de cursu public.* observarunt Cuiac. *in rubric. C. de cursu publico, lib. 13.* Pancirola *in notit. Imper. Orient. cap. 6.* & *lib. 6. variar. cap. 31.* §. *de angariis*, Bosquetus *lib. 1. epistol. 170.* Bulenger. *de Imperat. lib. 6. cap. 25.* Gilken. *in l. placet, num. 3. C. de sacros. Eccles.* quamvis aliter cum Accursio accipiat Oldrad. *de nobilit. part. 1. cap. 2. num. 23.* In jure tamen canonico pro quacunque impositione angariæ imponuntur. Ideoque angaria pro onere publico ponitur, ut apud Petrum Blesens. *epist. 102.* ibi: *Detestabile quippe est in monacho, ut sub quocunque coloris habitu, honore, aut titulo potestatis habeat feuda, servos, & ancillas, homagia, & fidelitates, atque ligantias, ut hominibus angarias, & perangarias, cæteraque onera publica functionis imponat.* Et *epist. 150. Nulli volens imponere citra liberam voluntatem alienæ servitutis angariam.* D. Gregor. *lib. 8. epist. 64.* ibi: *Quâ* (nave) *illuc veniente, hac tibi auctoritate præcipimus, ut ita eam in cunctis tuearis, atque ab omni angaria, vel onere exuere, excusareque festines.* Fulbertus Carnot. *epist. 110.* ibi: *Ut honesta Sanctorum PP. sequens vestigia, nos hujus pensionis angaria nullatenus obliget.* Ubi legendum esse *angaria*, jam notavit Zerda *in adversar. cap. 68. num. 8.*

(c) *Fossata.*] Fossatum est locus munitus, seu pro castris muniendis factus: nos dicimus *fosso*, de quo Modestinus *in l. 3. ff. de re milit.* ibi: *Qui à fossato recedit, capite puniendus est.* Plinius *lib. 18. cap. 21.* ibi: *Fossatum purgari, & extendi.* Robertus *in chron.* ibi: *Rex Henricus fecit fossata alta inter Franciam & Normanniam ad Prædones arcendos.* Vegetius *lib. 4 de re milit. cap. 16.* notavit Zerda *in adversar. cap. 6. num. 15.*

(f) *Hominibus remansisse.*] Quòd admodùm improbavit Theodoricus apud Cassiodorum *lib. 1. variar. epist. 29.* ibi: *Quamvis nullos velimus gravamen aliquod sustinere, quos videtur pietati nostra protegere (quia regnantis est gloria subjectorum otiosa tranquillitas;) tamen specialiter Ecclesias ab omni injuria reddi cupimus alienas: quibus dum æquabilia præstantur, misericordia divinitatis acquiritur. Et ideo Beatissimi viri Eustegii Episcopi sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ petitione permoti, præsentibus te affatibus admonemus, ut prædii vel honoribus illius Ecclesiæ intra Siciliam constitutis, tuitionem studeas salvâ civilitate præstare. Nec a quoquam cujuslibet nationis homine contra fas patiaris opprimi, quos de et divinitatis intuitu sublevari. Ita tamen, ut causis publicis, & privatis, quæ contra eos rationabiliter proponuntur, respondere non differant. Quia sicut nolumus eos ab aliquo prægravari, ita exceptos à tramite justitiæ non patimur inveniri.*

(g) *Necessitatem, vel utilitatem.*] An in casu necessitatis etiam inconsulto Romane Pontifice possint clerici, & Ecclesiasticæ personæ ad tributa pendenda simul cum laicis cogi; nostris temporibus docte, & acriter disputatum est, editis pro utraque parte juris allegationibus per Reg. Consiliarios, tunc fisci Patronos D. Andream & Rianno, & D. Antonium à Castro, aperdoctum, ac pium virum Illustr. D. Joan. à Palafox, Oxomensem Episcopum; quorum fundamenta transcripsit Fermosinus *in cap. Ecclesia B. Mariæ, quæst. 12. & 13. de constit.* & ideo ne actum agamus, hanc partem omittimus. 5.

COMMENTARIUM.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Clerici ad collectas, seu tributa solvenda cogi non debent, alias judices eos cogentes cum suis factoribus excommunicatis sunt.* Probant eam textus *in cap. adversus, hoc tit. cap. 1. cap. clericis, eod. tit. in 6. cap. final. de censibus, in 5. compil.* cujus verba retuli suprà *in cap. pervenit, cap Ecclesiarum 19. 12. quæst. 2 cap. quia cognovimus, 10. quæst. 3. cap. convenior, 23. quæst. 8. cap. pervenit, cap. secundùm canonicam, 86. dist. cap. penult. de Judæis, cap. noverint, de sent. excomm. Clement. præsenti, hoc tit.* Concil. Aurel. *4. can. 13.* Tolet. *3. can. 21.* Tolet. *4. can. 46.* ibi: *Præcipiente Domino nostro, atque excellentissimo Senando Rege id constituit sanctum Concilium ut omnes ingenui clerici pro officio religionis ab omni publica indictione, atque labore habeantur immunes.* Lateranense sub Leone X. anno 1521. *sess. 9. §. Et cum à jure.* Conc. Colon. celebratum anno 1536. *p. 9. cap. 20.* Mogunt. anni 1549. *cap. 76.* Benedictus XI. *in extravag. unic. hoc tit.* Trident. *sess. 25. de reformat. cap. 20.* formidanda Bulla cœnæ Domini *cap. 18.* Alia Ecclesiæ decreta referunt Crespetius *in summa verbo Exactio*, Jodocus Coccius *tom. 2. thesauri, lib. 8 art. 8.* Consonant lex *5. 6. & 9. C. de sacros. Eccles. l. 2. de Episcop. & cleric. l. 50. 51. 52. 54. cum tribus sequentibus, in 6. part. t. l. 1. & 10. tit. 3. lib. 1. ordin. l. 6. tit. 18. lib. 9. recopil.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Garanna, & Barbosa *de jure Eccles. lib. 1. cap. 39. §. 5.* Narbona *in l. 35. tit. 3. gloss. 4. lib. 3. recopil.* Carrier. *tom. 2. Digest. fidei, fol. 569.* Boetius Epon. *in præsenti*, Petrus Gregor. *lib. 2. syntag. cap. 1. & lib. 1. partit. tit. 4. cap. final.* Tondutius *resol.* 6. Contra traditur & probatur.

resol. canonic. cap. 30. Germonius *lib. 3. de sacr. immunit. cap. 15. num. 19.* & *cap. 17. num. 17.* Suarez *de censur. disput. 28.* & contra Regem Angliæ *lib. 2. cap. 9.* Tapia *tom. 1. catenæ mor. lib. 4. quæst. 11. artic. 6.* Valenzuela *contra Venetos p. 4. ex num. 130.* Botel. *tom. 3. decis. tit. 15. n. 106.* Beyerlinch. *in theatr. tom. 3. verbo Ecclesiastici*, Araujo *de statu civil. disput. 12. difficult. 2.* Jacob. Gothofr. *in l. 3. & sequent. C. Theodos. de Episcop. & cler.* Bellarminus *lib. 1. de clericis, cap. 28.* Theoph. Raynaud. *tom. 12. tractat. mala & bonis Eccles. sect. 2. cap. 2.* Castillo *lib. 3. controv. cap. 9.* Æneas Robertus *lib. 2. rer. judic. cap. 2.* P. Gregor. *lib. 3. de repub. cap. 7.* & *lib. 2. partit. tit. 9. cap. 10.* Columbus *de angelica hierarch. lib. 2. cap. 53.* Lantdmeter. *lib. 3. de veteri mon. cap. 1.* Vigel. *in method. jur. can. fol. 233.* Cironius *in cap. 2. & 4. de censibus, in 5. compil.* Juretus *ad Symmachum lib. 4. epist. 62.* Kochier *lib. 2. polit. cap. 10.* Messana *ad D. Hieronymum*, *verbo Tributum*, Tamburinus *de jure Abbat. disput. 21.* Corvinus *in aphorism. juris Pontif. lib. 1. tit. 9.* Fragoso *de regim. Christ. Reip. p. 1. lib. 2. disp. 4. §. 3.* Thom. Delbene *de immunit. eccles. cap. 1. sect. 1. dub. 2.* & *de Parlamentis cap. 5. sect. 24. usque ad 30.* Scortia *in select. epit. 29. theor. 77.* D. Joan. de Larrea *alleg. 57.* Hermosilla *tom. 1. in rubric. tit. 1. cap. 5. num. 13.* Pereyra *de manu regia, part. 2. cap. 38.* Didacus Perez *in l. 8. tituł. 2. lib. 1. ordin.* Azevedo *in l. 11. tituł. 3. lib. 1. recop.* Carleval. *de judiciis disput. 1. q. 16. sect. 1.* Schedius *de Diis German. lib. 2. cap. 17.* & *lib. 3. cap. 17.* Gibalinus *de censuris in synopsi, fol. 459.* Hieronymus Garcia *in summa tract. 1. difficult. 3. punct. 4.* Busæus *de statibus hominum, verbo Clericorum*, Gabriel de Bel. *de jure sacro cap. 2. §. 2. cum sequent.* Mancinus *lib. 1. de triplici juris collat. cap. 67.* Diana *p. 1. tract. 2. per tot.* & *p. 7. tract. 1. resol. 19.*

7. *Impugnatur Conclusio.*

Sed pro dubitandi ratione ita in præsentem assertionem insurgo : Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita est, *cap. omnis, de majorit. & obed.* sed subditi tributa solvunt suis superioribus, *cap. omnis, de censibus*, ubi notavi : igitur tam laici, quàm Ecclesiastici, cùm sint subjecti Principibus sæcularibus, ut sublimioribus potestatibus, tributa solvere debent. Accedit utilitas communis, immò necessitas tributorum ; quare vocantur nervi Reipublicæ : & ideo, quæ justè, & legitimè indicuntur, à vassallis esse præstanda, Juristæ, Theologi & Politici docent relati à Bobadilla *lib. 5. polit. cap. 5.* Valenzuela *consil. 99. per tot.* Solorzanus *tom. 2. de jure Indiar. lib. 1. cap. 13. num. 23.* & *cap. 18.* faciunt Cicero pro lege Manil. ibi : *Ornamenta pacis, & subsidia belli esse, dandamque operam, ut omnes intelligant, si salvi esse velint, tributa esse conferenda, & necessitati parendum.* Tacitus *lib. 4. histor.* ibi : *Neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, nec stipendia sine tributis haberi queunt.* Plura D. Joan. Solorzan. *embl. 82.* Igitur cùm tributa ita necessaria sint ad bonum commune, clerici, & Ecclesiasticæ personæ ad ea solvenda cogi debent. Augetur etiam hæc dubitandi ratio ex eo ; nam quælibet Domini nostri actio debet esse vitæ nostræ instructio : sed Christus Dominus tributum persolvit, dum Galilæam peragrans advenisset Capharnaum, cùm exactor tributorum de didrachmo persolvendo à Domino Beatum Petrum interpellavit, cui jussit Dominus noster piscari, & de statere invento in ore piscis, persolvi tributum pro se, & Petro, ut refertur *in cap. 17. Matthæi*, & refertur *in cap. magnam 11 quæst. 1.* & refert Baronius *anno 33. num. 30.* & *34. num. 10.* Igitur clerici, & cæteri Ecclesiastici exemplum Christi sectantes debent tributa persolvere.

8. *Immunitas à tributis an sit juris divini.*

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, pro cujus illustratione sciendum est, valde controversum esse, an hæc exemptio clericorum à tributis sit juris ecclesiastici tantùm, an verò à jure divino proveniat ? Et juris etiam divini esse, videtur probari ex præsenti textu, ibi : *Nimis de jure divino*, &c. *cap. quamquam, de censibus in 6.* ibi : *Cum Ecclesia, ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum non solùm jure humano, quin immò & divino à sæcularium personarum exceptionibus sint immunes.* Leo X. Concilio Lateran. *in bulla de reform. §. & cùm fructuum*, Concil. Salisburg. sub Piligrino Archiep. anno 386. Concil. Colonense celebratum anno 1530. *p. 9. cap. 20.* ibi : *Immunitas Ecclesiastica vetustissima res est, jure pariter divino & humano introducta.* Trident. *sess. 25. de reform. cap. 20.* ibi : *Ecclesiæ, & Ecclesiasticarum personarum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constitutam esse.* Defendunt Albanus *tract. de imm. Eccl.* Gutierrez *1. p. prax. q. 5. num. 3.* Thomas Delbene *tom. 1. de immunit. Eccles. cap. 5. dubit. 8. per tot.* Sed cum communi Interpretum placito dicendum est, exemptionem hanc verè juris positivi esse : sed quia valde conformis est juri divino, juris etiam divini dici, & lato modo ad jus divinum eam spectare. Unde in præsenti textu, & proximè relatis appellatur juris divini, quasi à radice, & origine initiativè ; hæc enim est phrasis, seu usus loquendi sacrorum canonum, in quibus jus divinum appellatur, quod habet originem à jure divino veteris Testamenti, ut testatur Covar. *lib. 1. variar. cap. 17.* Ita docuerunt Valenzuela *adversus Venetos 4. p.* Germonius *de sacror. immunit. lib. 1. cap 15. num. 18.* Gutierrez *de gabellis quæst. 92. num. 8.* Martha *de jurisdict. 4. part. cap. 54. num. 6.* Farinacius *de immunit. q. 8. num. 3.* Bonacina *tom. 2. disput. 10. §. 1. num. 3.* Guevara *pro Pontif. assert. lib. 1. §. 7. num. 31.* Diana, qui 30. auctores pro hac sententia refert, *p. 1. tract. 2. resol. 1.* Barbosa *in cap. quæ in Ecclesiarum, num. 2. de constit.* & *lib. 1. juris Eccles. cap. 39. §. 5.* Azevedo *in d. l. 5. tit. 3. lib. 1. recop.* Cabedo *decis. 8. p. 2.* Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 28.* qui omnes originem hujus exemptionis repetunt *ex cap. 27. Levit.* & *cap. 1. Numer.* ibi : *Tributum Levi noli numerare, nec pones summam eorum cum filiis Israël.* Et *cap. 3.* ibi : *Eruntque Levitæ mei.* Et *cap. 27. Genesis* ; ubi cùm tempore famis cunctorum Ægyptiorum terram sibi emeret Pharao, atque sub eadem fame suæ servituti cuncta subjiceret, sacerdotes possessionibus privare noluit. Verba sunt : *Subjecitque Joseph omnem terram, & cunctos populos Pharaonis, præter terram Sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis, quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur : & ideo non sunt compulsi vendere possessiones suas.* Ubi notandum, quod

non Pharao Rex idololatra, sed Joseph vir Dei, & Propheta Domini, qui ejus loco Imperium gubernabat, Dei inspiratione, aut jussu, fortasse in allusione legis scriptæ, & gratiæ sacerdotum, hanc immunitatem concessit sacerdotibus, non quia boni sacerdotes illi, ut volvit Comitolus *lib. 1. respons. 93. num. 7.* sed quia sacerdotes, ut expendit D. Joan. Chrysostomus *homil. 65.* ibi: *Audiant qui nunc vivunt, quantam olim sacerdotum curam habuerint, & discant, ut vel saltem partem habeant honorem his, quibus omne Dei ministerium creditum, & sacerdotio insigniti sunt; si enim errantes illi, & tantùm idolorum curam habentes idola coli, ita eorum ministros colerent, quantâ non condemnatione digni, qui nunc imminuunt, quod ad sacerdotum spectat cultum.* Probant etiam originem hujus exemptionis à jure divino *ex cap. 17. Matthæi*; ubi cùm Dominus Divum Petrum interrogasset, Reges Gentium à quibus accipiunt tributum, filiis suis, an ab alienis? Et respondisset Apostolus: Ab alienis. Christus dixit: Ergo liberi sunt filii; Filii autem Dei peculiares sunt sacerdotes. Quo in loco ita ait Divus Hieronymus: *Ille pro nobis crucem sustinuit, & tributa reddidit: nos pro illius honore tributa non reddimus, & quasi filii Regis à vectigalibus immunes sumus.* Sed hanc Divi Matthiæ auctoritatem paulò accuratiùs expendemus infrà in solutione dubitandi rationis. Apud Gentiles etiam eorum sacerdotes immunes fuisse ab omni tributorum exactione satis constat ex edicto Artaxerxis Regis Persarum, quod refertur *lib. 1. Esdræ, cap. 7. vers. 21.* his verbis: *Ego Artaxerxes Rex statui, atque decrevi omnibus custodibus arcæ publicæ, qui sunt trans flumen, ut quodcunque petierit à vobis Esdras sacerdos scriba legis Dei cœli, absque mora detis, usque ad argenti talenta centum, & usque ad frumenti coros centum & usque ad vini bathos centum; sal verò absque mensura. Omne quod ad ritum Dei cœli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cœli, ne fortò irascatur contra regnum Regis, & filiorum ejus. Vobis quoque notum facimus de universis sacerdotibus, & Levitis, & cantoribus, & janitoribus, nathineis, & ministris domus Dei hujus, ut vectigal, & tributum, & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos.* Expendit Petrus Menochius *de republ. Hebræorum lib. 1. cap. 5.* Sacerdotes etiam flamines idolorum immunes fuisse ab omni sordida præstatione, constat *ex l. 2. C. Theodos.* quoad modum civilium: & de aliis sacerdotibus probant Cujacius *lib. 8. observat. cap. 27.* Gutherus *de jure Pontif. lib. 1. cap. 28.* Germonius *lib. 1. sacram. cap. 13.* De Druidis Gallorum idem refert Cæsar *lib. 6. comment. belli Gallici*, his verbis: *Druides à bello abesse consueverunt, nec tributa unà cum reliquis pendunt, militiæ vacationem, omnemque rerum habent immunitatem. Tantis excitati præmiis, & sua sponte multi in disciplinam conveniunt, & à parentibus propinquis mittuntur.* Non tamen jure civili immunes erant ab angariis, quæ Principi expeditionis tempore præstabantur, *l. ult. §. patrimoniorum, el. 2. Digest. de muner. & hon.* ubi per Pontifices intelliguntur sacerdotes minores, qui Romæ, & in Provinciis sacerdotio fungebantur, *l. 1. ff. ad leg. Jul. de ambitu, l. 17. ff. de muner. & honor, l. 8. & 13. de vacat. muner. l. 10. C. de natur. lib.* notavit Guterus *lib. 1. de jure Pontif. cap. 30.*

Unde facilè apparet quantâ cum ratione Ecclesiæ Patres tot in canonibus statuerint clericos immunes esse ab omni tributo, gabellâve; nam ut Dionysius Carthusianus ait *ad caput. 47. Geneseos*, si Gentiles Reges, & Principes sic deferebant, & providebant sacerdotibus suis, quantò magis Christiani Principes hoc facere, atque ecclesiasticam libertatem defendere debent? Facit præcipua ratio, nam tributa solvuntur in signum subjectionis, *cap. 2. de censibus*; & in stipendium laboris, in exercenda suprema jurisdictione impenditur, ut notavit D. Paulus *ad Romanos cap. 13.* unde cùm clerici omnino exempti sint à jurisdictione sæculari, *cap. denique, 66. dist. cap. nullus, cap. Christiani 11. q. 1.* etiam à tributis præstandis liberi esse debent, ut considerat Suarez *lib. 4. adversus Regem Angliæ, cap. 24. num. 7.* Quare in præsenti in juribus supra adductis Consules, Rectores, aut alii quicunque Magistratus gabellas, seu tributa clericis imponentes excommunicantur, immò & eadem censurâ ligantur etiam tributa accipientes à clericis sponte dantibus, *cap. clericis, de immunit. Eccles.* Et quia Bonifacius VIII. agnovit suo tempore Principes Christianos avarè, & sine causa nova quotidie sacerdotibus imponere vectigalia, ita ut sine fine arbitratu suo decimam, vigesimamve partem proventuum sacrorum tributi nomine imponerent, ut refert Polydor. Vergil. *lib. 17. histor. Angl.* ideo ut immunitati Ecclesiæ consuleret, eadem censura eos innodavit in Concilio Lugdunensi relato *in d. cap. 3. 3. hoc tit. cap. quam, de censibus lib. 6.* Eandemque censuram repetitam legimus quotannis in Bulla cœnæ Domini, *cap. 18.* ibi: *Etiam à sponte dantibus.* Quomodocunque enim redoleant tributum solvere Principibus, excommunicatio incurritur; quia cùm hoc privilegium in favorem totius Cleri inductum sit, renunciari non potest, ex adductis *in cap. si diligenti, de foro compet.* docet Suarez *de censur. disp. 21. sect. 2. num. 99.* ubi rectè advertit, verbum illud *sponte*, non esse referendum ad absolutam, & omnino liberam voluntatem, quia laicis interdictum non est recipere ea, quæ ex libera & absoluta voluntate donantur; sed potiùs intelligi oportere de his, quæ titulo tributi, aut vectigalis, sine alia speciali vi, aut coactione exigunt, ut sic appareat tutam non esse opinionem Gironda *de gabell. 7. p. in princip. num. 3.* quam probare videtur Gutierrez *in eod. tract. cap. 87. num. 3.* existimantis gabellas, & vectigalia exigentem à clerico sponte solvente, excommunicationem non incurrere: cùm contrarium expressè cautum sit *in d. cap. 28. Bulla:* quam excommunicationem latè explicat Thom. Delbene *d. cap. 5. dub. 27. cum sequent.* Et quàm malè cesserit hujusmodi exactio tributorum ab ecclesiasticis Principibus sæcularibus, innumeris exemplis est proditum; meritò enim contestantur in hanc rem Pet. Blesens. *epist. 112.* Nunquam pauperum, nunquam Ecclesiæ spolia prosperos habuerunt eventus. Probat casus Emmanuelis Lusitaniæ Regis referente Osorio *lib. 9. de ejus gestis.* Concesserat Lec Pontifex decimationes fructuum Ecclesiasticorum in sumptus belli, quod in Africa gerebat; eam tamen concessionè remittere coactus est Emmanuel, postquam deprehendit, ex quo ea benignitate

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tate Pontificia usus fuerat, nihil sibi prosperè, omnia sinistrè cessisse. De Carolo VII. Galliæ Rege prodidit Meyerus *lib. 16. annal. Fland.* ibi : *Cùm Rex bello Normanico è quo Regni pars, & tranquillitas pendebat, valde urgeretur, essetque funditus exhaustus, suggestum illi fuit ab ecclesiastico homine, ut decimatione Ecclesiarum in eum finem institutâ, consuleret rebus suis. Negavit tamen Carolus tali consilio obtemperare, quòd pessimè cessisset Principum nonnullis ea decimationum indictio illegitima.* Nec omittendum est exemplum quod refert Gregor. Turon. *lib. 4. hist. Franc. cap. 2.* his verbis : *Clotarius Rex indixerat, ut omnes Ecclesiæ regni sui tertiam partem fructuum fisco persolverent ; cui licèt inviti, cùm omnes Episcopi consensissent, & subscripsissent, viriliter hoc B. Injuriosus restituens subscribere dedignatus est dicens : Si volueris res Dei tollere, Dominus regnum tuum velociter auferet. Quid iniquus est, ut pauperes quos debes tuo alere horreo, ab eorum stipe tua horrea repleantur ? Et iratus contra Regem, nec valedicens abscessit. Tunc commotus Rex timens etiam virtutem S. Martini, misit post eum cum muneribus veniam precans, & hoc quod fecerat, damnans, simulque rogans, ut pro se virtutem B. Martini Antistitis exoraret.* En quanta sit generositas, tametsi unici sacerdotis in bona causa : & idcirco P. Blesensis *epist. 21.* urgebat Decanum Rhotomagensem, ne per suam incuriam, & animi vilitatem sinceret Ecclesiam humiliari, & à dignitate sua excidere, subeundo decimationes, quibus tunc exsugebatur, specie assensus Antistitum non audentium adversus Regem loqui : & fortiùs quoque in eadem sententia persistit *epist. 20. & 112.*

10. *De diversis clericorum bonis.* Sed quia bona clericorum non unius generis sunt, ut cognoscamus, in quibus hæc immunitas à tributis Clericis competat, sciendum est, duo genera bonorum in clericis considerari ; quædam enim sunt ecclesiastica, intuitu Ecclesiæ ex ejus redditibus & proventibus quæsita ; alia verò secularia, quæ vel à parentibus, vel à consanguineis eis advenerunt, aut ea suâ industriâ, & labore clerici comparaverunt, ut constat ex D. Thoma *quodlibet. 6. artic. 12.* Sunt autem qui putant, in bonis intuitu Ecclesiæ quæsitis peculiarem rationem vigere, propter quam tributorum præstatione gravari nequeunt, scilicet quæ inter res sacras numerentur : verùm nullo modo sacra dici posse, rectè probat Suarez *ubi suprà, cap. 23. num. 7.* ea enim bona sicut alia patrimonialia, efficiuntur clericorum, ut jam probavi *in cap. 1. de pecul. cleric.* Tam bona igitur Ecclesiastica, quàm particularia clericorum exactioni tributorum minimè subjacent, *cap. ultimo de vita & honest. cleric. cap. quamquam, de censibus in 6. Clement. præsertim, eodem titul. authent. item, Cod. de Episcop. & cleric. l. 6. titul. 18. lib. 9. recopil.* licèt enim quoad bona privata clericorum hanc immunitatem negaverit Imperator Constant. *in l. 3. & 5. C. Theodos. de Episcop. & cleric.* & ejus tempore, ac Theodosii Junioris Ecclesiæ immunes non essent à tributis canonicis, *l. 15. 20. & 33. C. Theodos. de Episcop. & cler.* tamen eam concessit Emmanuel Imperator, ut refert Balsam. *in can. 4. Synod. 7.* probant plures congesti à Barbosa *tom. 6. in select. ad textum in cap. ex parte, num. 19. de constit.* bona enim patrimonialia veniunt in accessionem personæ clericalis, si ejus sunt ; accessorium verò ex suo principali dijudicandum est, *cap. accessorium, de R. I. in 6.* Accedit, nam bona Ecclesiæ sui naturâ temporalia sunt ; & tamen ex eo solùm, quia Ecclesiæ accedunt, privilegium sortiuntur, ne tributa pendeant, ut probavi *in cap. 1. de censibus.* Igitur idem de bonis clericorum dicendum est. Tandem nam etiam propter bona patrimonialia non potest clericus conveniri coram judice sæculari, *cap. si clericus laicum, de foro compet.* Igitur nec solvere tenetur tributa à sæculari Principe imposita. Non tamen ideo asserimus quoad omnia bona patrimonialia clericorum pro Ecclesiasticis haberi, sed tantùm quoad privilegia in jure expressa ; nam ea præscribuntur tempore ordinario, & ex eis decimas solvunt clerici, licèt de fructibus beneficii eas non persolvant, *cap. 2. de decimis*, ubi probavi : super eis compromitti potest in laicum, licèt de rebus Ecclesiasticis compromissum in laicum fieri nequeat, ut notavit Mancinus *genial. cap. 241. cum sequent.* Ideo bona, quæ ad ecclesiasticum perveniunt, quamvis essent tributaria, fieri libera, & mutare forum, docent Barbosa *lib. 1. de jure Eccles. cap. 39. §. 2.* Marinis *lib. 1. resol. 47.* & *allegat. 126.* & *decis. 217. tom. 1.* Azevedo *in l. 11. ex num. 8. tit. 3. lib. recopil.* quia tributa ordinaria non sunt realia. Molina *de justitia disput. 661. num. 4.* & *672. num. 3.* Nec valet statutum, per quod prædia quæ ad Ecclesiam, vel personas Ecclesiasticas cœperint pertinere, subjiciantur collectis. Beltraminus de Guevara *in propugnat. Eccles. libert assert. 1. §. 5. n. 8. pag. 56.* etsi contrarium mordicus Ecclesiasticæ libertatis probet Arnisæus *de immunit. bonor. eccles. cap. 4. num. 6.* Nec ei favet locus Capitularium *lib. 4. cap. 37.* ubi cavetur : *Quicunque terram tributariam, unde tributum ad partem nostram exire solebat, vel ad Ecclesiam, vel cuilibet alteri tradiderit, is qui eam susceperit, tributum, quod ex ea inde solvebatur, omni modo ad partem nostram persolvat.* Nam accipi potest de pensionibus, quæ debentur ex vi emphyteusis, aut feudi mixti, quod jus transit cum re, ut ex Panormit. *in cap. ult. de vita & honest. cleric. num. 12.* docuerunt Comitolus *lib. 1. cap. 94. num. 3.* Theophilus *suprà, cap. 3. num. 2.*

11. *De bonis clerici defuncti.* Solet tamen disceptari, an si clericus laico hærede scripto decedat, & jacente hæreditate bona ad satisfaciendum creditoribus, vel legatariis distrahantur, an ex eorum venditione decima debeatur ? Et sanè si laicus hæres institutus adierit, gabellam esse solvendam resolvit Lassarte *de decim. vendit. cap. 19. num. 4.* Cæterùm si nullus hæres clerico existat, difficilior hæsitatio est ; nam cùm defunctus sine hærede decedit, bona ejus nomine venduntur, *§. 1. Instit. quibus ex causis manumittere, §. 1. de hæredum qualit.* unde cùm clericus à solutione gabellarum sit immunis, dicendum videtur, ex venditione ejus nomine facta gabellam non deberi, præcipuè quia hæreditas defuncti personam repræsentat, *l. in eo 33. in fine, l. hæreditas 62. ff. de acquir. rer. dom.* Contraria verò sententia suadetur ex eo, nam hoc privilegium clericis concessum personale est, & ideo cum persona extingui debet, *l. qui tali, ff. solut. matr. cap. privilegium, de R. I. in 6.* nec potest in

hæreditate conservari, quia ea, quæ personalia sunt, & personam exigunt, per hæreditatem expediri nequeunt, *l. hæreditas, ff. de acquir. rer. dom. l. ususfructus, ff. de stipul. servor.* alioquin sequeretur, hæredem laicum adeuntem clerici hæreditatem, à gabellæ solutione immunem esse, cùm hæres defuncti personam sustineat, *l. hæredes, ff. de acquir. hæredit.* quod tamen absurdum esse constat *ex l. pater 28. ff. de rebus auctorit. judic. l. ex pluribus, ff. de administr. tut. l. 1. §. præterea*, junctâ glossâ ibi, verbo *Mixta, ff. de separat.* nemo enim est, qui nesciat laicum hæredem institutum à clerico post aditam hæreditatem gabellarum solutioni esse obnoxium, ut probat Gutierrez *de gabel. quæst. 88. num. 7.* nam bona quæ fuerunt clerici, aditâ hæreditate efficiuntur proprium patrimonium hæredis, *l. si plures, §. filio impuberi, ff. de vulgari, l. 1. §. veteres, ff. de acquir. possess.* Gomez *in l. 45. Tauri, num. 154.* Corratius *in l. frater, n. 48. ff. de condict. indebit.* Faber *de error. 2. p. decade 54. error. 4.* atque ita cùm ipsi laico hoc beneficium non competat, omnino ipse tenetur gabellam persolvere. Quâ sententiâ retentâ non obstat, bona clerici defuncti ipsius nomine distrahi; quia in hac immunitate principaliter clerici persona attenditur; ideo enim clericorum bona à solutione tributorum immunia sunt, ne eorum personæ graventur: quæ ratio cessat in præsenti casu, cùm ponamus clericum rebus humanis exemptum; tunc enim privilegium ei concessum ad bona, quæ ejus fuerunt, porrigi non debet, ut cum Decio *in cap. Ecclesiæ, num. 18. de constit.* notant Lassarte *de decima vendit. cap. 19. num. 47.* Gutierrez *ubi suprà, num. 5.* qui addunt, quod licèt bona nomine defuncti distrahantur, verè tamen venditio ab ipsis creditoribus fit, & ipsis potius quàm defuncto interest ex ea venditione gabellam non solvi. Nec etiam obstat hæreditatem hæredis personam sustinere; nam aut loquimur eo casu, quo certum est, neminem clerico defuncto hæredem esse, & tunc cessat persona illa imaginaria, quæ tamdiu durat, quandiu subest spes aliqua defuncto hæredem se futurum, *l. 1. ff. de A. & O.* junctis traditis à Cujacio *lib. 2. obs. cap. 31.* Donel. *lib. 19. comment. cap. 43.* ex quo eruenda est interpretatio ad textum *in l. hæres à debitore, §. quod si stipulator, ff. de fidejuss. l. Stichum, §. tametsi, in fine, ff. de solut.* aut loquimur eo casu, quo adhuc deliberat hæres scriptus; & tunc privilegium hoc, quod clerico concessum est, in ejus hæreditate conservari nequit, ex suprà traditis. Omnia autem, quæ hoc commentario adduximus circa exemptionem à tributis clericis competentem, locum non habent in eo, qui negotiationis causâ merces distrahit, *cap. quamquam, de censibus in 6. Clement. præsertim, eod. tit. l. 7. tit. 18. lib. 9. recopil.* Delbene *d. cap. 5. de immunit. dub. 3. sect. 2.* probavimus jam *in cap. final. de vita & honest. cleric.*

12. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam omnia, quæ in ea expendebamus, procedunt in laicis, qui subjecti sunt Principibus sæcularibus, qui ad solutionem tributorum omnino tenentur, ex rationibus ibi expensis, quæ in clericis non militant, cùm non pareant Principibus sæcularibus. Nec est invidendum Ecclesiæ, & personis Ecclesiasticis, si aliis laicis pugnantibus, tributis, & vectigalibus ad Reipublicæ munera oneratis, ejusmodi Ecclesiasticæ res, & personæ sua immunitate, & libertate potiantur, quamquam & ipsi in eadem Republica sint, in eodem loco, & quamvis in privilegiis, & utilitatibus publicis ex contributionibus succedentibus participent, & commoditate, defensione, & beneficio, quæ per tributa, & vectigalia indicta, & superindicta eveniunt, fruantur; siquidem quemadmodum Ecclesia, & personæ Ecclesiasticæ immunes sunt ab oneribus laicorum, & participant nihilominus commodis, & utilitatibus illorum; sic contrà personæ laicorum immunes sunt ab oneribus, militia, laboribus, & muneribus Ecclesiasticis; & nihilominus participes sunt cultus divini, orationum, & ministrorum earum: sic nutritur corpus Reipublicæ per temporalia corporalibus necessaria; per spiritualia verò verbo in anima: & ita onera compensantur in utriusque vitæ modis; nec ecclesiastici duplici onere, & ministerio, corporali, & spirituali sunt gravandi. *cap. quoniam 8. 10. dist.* præcipuè cùm Ecclesiastici satis sint onerati procurationibus, subsidiis, censibus, & aliis præstationibus, de quibus egi *in tit. de censibus.*

13. *De utilitate impositi bonum commune.*

Nec obstat, quod de utilitate communi ex solutione tributorum proveniente expendebamus: cujus difficultatis occasione examinandum venit, an clerici simul cum laicis in his, quæ pertinent ad utilitatem communem, contribuere teneantur? Et sanè si contributio æquè primariò, & principaliter respiciat commodum, tam clericorum, quàm laicorum, ab omnibus æquè fieri debet, veluti si flumen vicinos agros laicorum, & clericorum inundet, & pro aggeribus reparandis, & fluminis injuria avertenda aliquid expendatur: id namque ab omnibus erogandum est, vt notat Lessius *de justitia lib. 2. cap. 33. dub. 3.* Salas *de legibus quæst. 96. tract. 14. disput. 14. sect. 11. num. 115.* Arniseus *de immunit. bonor. Eccles. cap. 4. num. final.* sicut etiam omnes tenentur pro rata solvere collectam, quæ imponitur pro custodiendis gregibus, vel armentis, vel agris, *l. 12. tit. 3. lib. 1. recopil.* ubi Azevedo, Avendaño *in cap. Prætor. cap. 14. num. 13. 2. p.* Mexia *in pragmat. panis, conclus. 5. num. 43.* Salcedo *in praxi, cap. 55. vers. 4.* Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 18. num. 244.* Idem etiam locum habet, si animalia clerici vastaverint aliena, vel communia pascua, quia tenentur pro damno dato. Gregorius Lopez *in l. 24. tit. 55. partit. 7. verbo El gannado*; ubi docet clericos ad hujusmodi damna sarcienda per suos judices esse cogendos. Eum sequuntur Castillo *in l. 70. Tauri, num. 28.* Aviles *in capit. Prætor. cap. 17. glos. 1. num. 12.* Salas *de legibus d. sect. 11. num. 115.* quod verum esse sentit Salcedo *ubi suprà, vers. 7.* si pro damni emendatione controversia judicialis sit instituenda; secus verò discendum, si pœna exigenda sit de plano, sine strepitu, & figura judicii; tunc enim judex sæcularis ad pecorum capturam procedere potest, *d. l. 12.* & ita cum Baldo resolvit Avendanna *in d. cap. 14. num. 13.* nec aliud probandum est, si in occidendis, vel colligendis locustis, vel vermibus, de quibus *in l. ex conducto, §. si quavis, ff. locati*, vel aliis animalibus segetes vastantibus aliquid erogatur; nam cùm id in clericorum

corum quoque utilitatem cedat, etiam ad contributionem tenentur, ut ex Narbona, & aliis probavi *in cap. pervenit, hoc tit.* Idem de expensis pro munienda peste factis resolvunt Mexia *in dicta pragm. concluſ. 5. num. 41.* Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 18. num. 192.* Castillo *lib. 6. controv. cap. 9.* Verùm si contributio fiat pro iis, quæ principaliter pertinent ad communitatem, etiamsi eorum utilitas in singulos derivetur, non satis constat, an clerici simul cum laïcis contribuere teneantur; nam ad constructionem pontium, viarum, fontium, & murorum reparationem cogi posse, probant expresse textus *in l. ad instructionem, C. de sacroſ. Eccleſ. in l. abſit, C. de privil. domus Auguſt. lib. 11. l. final. C. quibus muner. lib. 10. l ultim. C. de annonis & tribut. eod. lib l. ultim. §. patrimoniorum, el. 2. verſ. ab hujusmodi, ff de muner & honor l. 2. C. de Prævoſit. ſacri cubic. lib. 12. l. 5. C. Theodoſ. de itiner. muniend. l. 21. C. de curſu public. lib. 12. l. 6. C. de oper. public. l. 1. C. de collat. fund. patrim. lib. 11.* Idemque jure Regio cautum videtur *in l. 5. tit. 6. partit. 1. in l. 10. tit. 31. partit. 3. in l. 11. tit. 3. lib. 1. recopil.* & apud Gallos *lib. 6. capitul. c. 107.* ibi: *Poſſeſſiones ad religioſa loca pertinentes, nullam deſcriptionem agnoſcant, niſi ad conſtructionem viarum, vel pontium, ſi intra eadem loca habuerint poſſeſſiones.* Exornant Bartolus, & Platea *in l. nullus, la 2. C. de curſu public. lib. 12.* Abbas *in cap. pervenit, n. 3. hoc tit.* Gilkenius *in dict. l. ad inſtructionem.* Thom. Delbene *de immunit. Eccleſ. p. 1. cap. 5. dubit. 17.* Æneas Robertus *lib. 2. ver. judic. cap. 3. per tot.* Hieron. Garcia *in ſumma. tract. 1. difficult. 3. dub. 2. punct. 6.* Mancinus *genial. cap. 245.* Flores de Mena *lib. 2. var. queſt. 2. num. 2.* Caballos *q. 897.* Avendanno *de exeq. mand. lib. 2. cap. 14. num. 19.* Collantes *in pragm. rei frument. lib. 3. cap. 15. num. 8.* Martha *de juriſd. 4. p. caſu 9. & 10.* Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 18. num. 291.* Quæ præstatio ad reparationem viarum, & pontium non censetur sordidum munus, qualia sunt relata *in l. in honoribus 8. §. Philoſophi, ff. de vacat. muner. l. maximarum 12. verſ. ſordidorum, cum legib. ſequent. C. de excuſ. mun. lib. 10.* nempe quoniam inscriptæ sunt, & dedicatæ titulis majorum Principum, hoc est Imperatoribus, qui in omnibus operibus publicis, veluti in viis, & pontibus adscribebantur, *l. 31. in fine, ff. de operib. public. l. qui judices, C. eod. tit.* Steubechius *ad Vegetium de re milit. lib. 4. in princip.* Unde ab hoc munere neminem dignitatis privilegio excusari, constat *ex l. 4. C. de privil dom. Auguſt.* quæ eisdem ferè verbis extat *in l. adminiſtrationes, C. de ſacroſ. eccl.* & plenius *in l. ult. C. Theodoſ. de itiner. muniend.* adeo ut divinæ quoque domus simili reparationi inservire debeant, hoc est, ut explicat Cujac. *in dict. l. 4.* domus Principis, & quæcunque ad eam pertinent, juxta rubricam inscriptam *de privil. domus Auguſt.* & acceptionem istam divinæ domus, de qua *in l. interveniente 12. ff. ad Tertyl. novel. 21. Theodoſii*, ibi: *Nec divinam domum, nec Eccleſiam;* & novellam Tiberii de divinis domibus, cum aliis congestis à Brissonio *de V. S. verbo Domus.*

14. Urget tamen præsens textus, in quo sub anathematis pœna prohibetur, ne aliqua onera ecclesiasticis personis injungantur, nisi Episcopus, & Clerus tantam necessitatem, utilitatemque aspexerint, ut absque ulla exactione ad sublevandas communes necessitates, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia existiment conferenda. Unde apparet, ecclesiasticas personas sine prævio Episcopi, & Cleri consensu, etiam in his communibus necessitatibus non teneri simul cum laïcis ad contributionem concurrere: & infrà *in cap. adverſus*, expresse asseritur, hæc subsidia humiliter, & devotè, & cum gratiarum actione à laicis esse recipienda: igitur quia ex justitia non tenentur cum aliis laicis etiam in publicis utilitatibus contribuere. Nec satisfacies si dicas, præsentem textum procedere in his tributis, quæ imponuntur à Consulibus, & Rectoribus civitatum, non verò in his, quæ ex regio decreto imponuntur; nam hæc expositio admittenda non est, quoniam expresse convincitur ex declaratione, quæ fit in bulla cœnæ Domini, ubi dicitur, prohibitionem, de qua suprà, locum habere in quibuscunque personis cujusvis præeminentiæ, dignitatisque, etiam Imperialis, & Regalis; & in illis verbis: *Innovantes decreta ſuper his per ſacros canones, tam in noviſſimo Lateranenſi, quam in aliis Conciliis generalibus edita*; respectu d textum præsentem, & *in dicto cap. adverſus*, exponendo potiùs quam supplendo eorum sanctionem, ut rectè notat Suarez *lib. 4. adverſ. Reg. Angl. cap. 26. num. 9.* Et facit textus *in cap. clericis, §. nos igitur, de immunit. Eccleſ. lib. 6.* ubi Regum, & Imperatorum expressa mentio fit. Textus *in cap. quamquam, de cenſibus, eod. lib.* ubi neque collegium, neque universitas, neque aliqua etiam singularis persona, cujuscunque dignitatis existat, aliquod tributum personis ecclesiasticis injungere potest. Ergo ut hujus articuli vera resolutio habeatur, dicendum est, clericum ad constructionem pontium, viarum, fontium, & murorum reparationem teneri; non quidem propter jura civilia, quæ Ecclesias, & personas ecclesiasticas huic oneri adscribunt, *dict. l. ad inſtructionem*, cum similibus, quia laici in hujusmodi personas nullam jurisdictionem exercere valent, *cap. Eccleſia*, cum ibi adductis, *de conſtit.* sed potiùs quia Ecclesia permisit, ut Ecclesiasticæ personæ eas contributiones solverent, ut dicitur *in l. 54. tit. 6. partit. 1.* ibi: *Tuvo por bien la ſanta madre Igleſia.* Et sanè æquissimum fuit, ut clerici adhibitis conditionibus, de quibus infrà, simul cum laïcis hujus contributionis onus subirent; nam his rebus communibus omnes indigent, & utuntur, atque ideo omnes debent simul contribuere, maximè quia hæc contributio nullam continet indecentiam, nec dignitati status sacerdotalis repugnat, ut probat Suarez *libro 4. adverſ. Reg. Angl. cap. 26. num. 2.* Unde deducitur, cum de hac contributione clericorum tractatur, nullam legum civilium rationem esse habendam, sed servandam esse formam præscriptam in hoc textu, & *in dict. cap. adverſus*, quibus dispositio textus *in dict. l. ad conſtructiones*, corrigitur, aut saltem temperatur, ut notarunt Abbas in præsenti, *num. 18.* & alii relati ab Aufrerio *de eccleſ. poteſt. regul. 2. fallentia 27.* Menchaca *lib. 1. controv. uſufreq. cap. 6. num. 4.* Proponuntur autem in hoc textu, & *in dicto cap. adverſus* nonnullæ conditiones ad hanc contributionem necessariæ, quarum prima est, ut laicorum non suppetant facultates; quod etsi jure regio restringatur ad bona communia (quæ vulgò *proprios* appellamus) ut in defectum eorum bonorum clerici contributionis onus simul cum laicis sentire debeant, *l. 20.*

tit. 32. partit. 3. l. 11. tit. 3. lib. 1. recopil. verius tamen est, eo demùm casu clericos cogendos esse contribuere, quo moraliter constet communia bona non sufficere, & singulos cives non posse sine magno gravamine solis suis sumptibus opus perficere, ut notat Suarez *ubi suprà, n. 15.* tunc enim verum est dicere, laïcorum facultates non suppetere, alioquin nullum esset privilegium clericorum, cùm laïci quoque contribuere non teneantur, nisi in defectum bonorum communium, ut advertit Lessius *de justitia lib. 2. cap. 33. dub. 3.* Salas *de legibus tract. 14. disput. 14. sect. 11.* Martha *de jurisdict. 4. part. centur. 1. casu num. 51.* qui *num. 2.* advertit ita definitum fuisse à Clemente VIII. in eoque viget differentiæ ratio inter contributionem, quæ fit directè, & principaliter ad utilitatem, tam clericorum, quàm laïcorum, in qua omnes æquè concurrere debent; & eam, quæ respicit primariò communem utilitatem, quamvis hæc utilitas in privatos derivetur; nam in hoc secundo casu clerici non aliter tenentur, quàm si laïcorum non suppetant facultates, ut ait Salas *ubi proximè.*

15. *Prosequitur expositio hujus textus, & in D. cap. adversus.* Secunda conditio in eo consistit, ut ad hanc contributionem non aliter perveniatur, quàm si Episcopus, & Clerus re diligenter pensatâ eam clericis existiment imponendam. Etiam additur *in dict. cap. adversus*, ut priùs R. Pontifex consulatur: Cleri autem appellatio, etsi regulariter ad diœcesanam Synodum referatur, tamen quoad præsens institutum attinet, accipitur pro Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, argumento textus *in cap. 1. de his quæ fiunt à Prælat.* Unde non priùs clerici tenentur ad hanc contributionem, quàm si Episcopus cum Clero existimaverit publicam utilitatem & necessitatem subesse, & nisi R. Pontifex priùs fuerit consultus. Non tamen inde existimes, totum hoc ex libero Episcopi, & Cleri arbitrio pendere; nam verbum illud *existiment*, non importat liberam voluntatem, sed rectum, justumque judicium, *l. 11. §. si fideicommissum, ff. de legat. 3.* docent Gregor. Lopez *in l. 54. titul. 6. partit. 1.* Guttierrez *lib. 1. practic. cap. 3. num. 8.* ubi resolvit. quod si in prædictis casibus Episcopus, & Clerus pronunciaverint, contributioni locum non esse, appellari posse ad superiorem. Tertia conditio est, ut contributio fiat sine aliqua exactione, videlicet, ut si ea approbata sit, tamen clerici ad illius solutionem per judices sæculares cogi non possint, ut docent Gutierrez ut suprà, *num. 10.* qui rectè reprehendit Cæpolam *tit. de servit. via, quæst. 26.* dum asserit, clericum compelli posse à judice sæculari reparare viam ante domum: cæterùm si contributio fiat pro his rebus, quæ principaliter pertinent ad publicam utilitatem, certum est, non posse judicem sæcularem clericos ad solutionem cogere, ut docent Salas *de legibus dict. sect. 11. num. 115.* Suarez *dict. cap. 26. n. 6.* & hanc sententiam de jure veriorem esse fatetur Flores à Mena *lib. 2. var. cap. 21. num. 225.* & cautiùs facturos judices sæculares, si observent consilium legis *54. tit 6. partit. 1.* quâ præcipitur, pro hujus contributionis exactione adeundum esse judicem ecclesiasticum, asserunt Azevedo *in l. 11. tit. 3. lib. 1. recopil. num. 5.* Tapia *lib. 4. caten. mor. quæst. 11. art. 21. num. 2.* Sanchez *tom. 1. consil. lib. 2. cap. 4. dub. 55. num. 2.* Anguianus *de legibus lib. 2. controv. 15. num. 14.* Diana pluribus relatis *1. p. tract. 2. resol. 42* facit lex *54. tit. 6. partit. 1.* Carleval. *tom. 1. de judiciis, disp. 2. num. 159.* Nec contrarium probatur in eadem lege, & *in l. 3. tit. 12. eod. lib. 1. recopil.* quibus doceri videtur, judices sæculares clericos ad solutionem tributorum compellere posse illis casibus, in quibus clerici ea solvere tenentur; nam etsi earum legum auctoritate plures admiserint eam sententiam, ut constat ex adductis à Gregorio Lopez *in l. 51. verbo Por razon, tit. 6. partit. 1.* Mexia *in pragmat. panis concluſ. 5. num. 7.* Cenedo *ad Decret. collect. 37. numero 4.* Azevedo *in d. l. 11. num. 5.* Avendanno *de exeq. 2. p. cap. 14. num. 13.* & praxi receptum asserit Flores de Mena *lib. 2. variar. cap. 21. num. 225. cum seqq.* ut si Episcopus nolit compellere, eos judex sæcularis compellat. Facilè tamen respondetur, textum *in dict. l. 2.* dum insinuare videtur *in verb. Salvo*, in his casibus, in quibus clerici tenentur contribuere, posse à laïcis compelli, intelligendum esse servato juris ordine, quomodo etiam accipiendus est textus *in illis verbis: A fallecimiento de proprios deben contribuir.* Etiam respondeti potest *in dict. l. 2.* non rectè deduci argumentum à contrario sensu, cùm sequatur absurdum, argumento textus *in l. conventicula, C. de Episcop. & cleric.* notat Gutierrez *lib. 1. practic. quæst. 3. n. 3.* at verò textus *in dict. l. 12.* loquitur de his rebus, quæ primò, & principaliter pertinent ad clericorum utilitatem: quo casu contributio nomen tributi non meretur; & ideo per judicem sæcularem exactio fieri potest.

Nec tandem obstat augmentum dubitandi rationis deductum ex dicto capite 17. Matthæi, ubi refertur, Christum *Dominum* solvisse tributum pro se, ac Petro. Cui communiter respondetur, Dominum nostrum immunem fuisse ab eo tributo, sed ut omnem scandali passivi occasionem tolleret, tributum solvisse, ut plurib. re atis docent Valenzuela *contra Venetos part. 4. num. 133.* Turriscrem. *de Ecclesia lib. 2. cap. 96.* P. Greg. *lib. 3. de repub. cap. 7. num. 11.* Alvar. Pelagius *de planctu Eccles. cap. 55.* Illud etiam notandum est, quod cùm tributum illud dicatur Didrachmum, non aliud esse videtur, quàm illud quod à Deo est imperatum *Exodi cap. 30.* Filiis Israël, nimirum ut viri omnes in vigesimo anno, & supra, pro redemptione, & propitiatione sua darent in usum tabernaculi dimidium sicli, quod est didrachmum; duo autem didrachma unum faciunt stateram, duo verò stateres unam unciam, ut exponunt D. Hieronymus *in Ezechielem cap. 4.* Epiphanius *de mensuris.* Refert Josephus *lib. 3. antiquit. cap. 9.* usque ad Vespasiani tempora perseverasse ejusmodi tributi solutionem; sed templo destructo, illud ipsum didrachmum ab omnibus Judæis solvitur ubique gentium habitantibus: quod & tradit Baronius *anno 33.* Cæterùm putarunt nonnulli, eo quod interrogaverit Dominus Petrum: *Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, à filiis suis, an ab alienis?* dictum didrachmum tributum esse, quod tunc Judæi Romanis persolverent. Sed verius est Dominum ea similitudine usum fuisse, unde optimè infertur: Sicut Reges Gentium à filiis tributum non exigunt, eadem ratione Dei filium immunem esse à tributo, quod Deo penditur ad usum templi.

16. *Expositio D. Matthæi.* 17.

Sed suprà traditis obstat Joannes IX. in Synodo Ravennant. *part. 2. cap. 8.* in illis verbis: *Ut* 17. *Expositio Synodi.*

pastim

pastus imperatoris ab Episcopis, & Comitibus secundùm antiquam consuetudinem solvatur; quod si novo tempore fiscus Comitalis in jus ecclesiasticum concessus est, augeatur stipendium Imperiale ab Ecclesia, juxta quod Respublicæ fuerint memoratæ. Ex quibus deducitur, Episcopos debere tributa ad pastum Imperatori præbere, ut Comites & alii sæculares persolvunt. Igitur quia immunes non sunt à tributorum solutione. Pro cujus canonis expositione dicendum est, in eo non agi de tributis, sed de hospitio, mansionatico, & paratis. Olim enim qui ad hospitium præbendum tenebantur Regi proficiscenti, non modò mansionaticum, verùm & paratas, idest alimenta, & alia necessaria familiæ Regis præbebant. Otho Frising. *lib. 2. de gestis Friderici, cap. 12.* Gregorius Turon. *lib. 6. cap. 45.* ex quibus, & aliis id probant P. Pitheus *in glossar. verbo Pastus*; Bignon. *in not. ad Marculfum, lib. 1. cap. 3.* Cùm ergo Episcopi, & clerici immunes sint ab hospitiis præbendis, non tamen sint exempti cùm Princeps proficiscitur, ut probavi *in dict. capite 1. hoc titul.* ideo in dicto canone 8. jubetur, ut tam Episcopi, quàm Comites præbeant Imperatori pastum, cùm videlicet iter facit; quia tunc debet hospitio recipi, etiam ab Ecclesiasticis. Altesserra *de Ducibus libro 3. capite 16.*

CAPUT V.

(a) Lucius III.

CUm Ecclesia Dei secundùm (b) evangelicam veritatem domus orationis esse debeat, non spelunca latronum, aut sanguinis forum: ne sæculares judices causas, ubi de sanguinis effusione, & corporali pœna agitur, in Ecclesia, vel cæmeteriis agitare præsumant, sub anathematis interminatione prohibemus: absurdum enim est, & crudele, ibi judicium sanguinis exerceri, ubi constituta est [c] tutela refugii.

NOTÆ.

1. (a) *Lucius III.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* nullibi tamen exprimitur causa hujus constitutionis: in ea agitur de judicio tantùm criminali intra Ecclesiam non disceptando, quia de judicio civili jam idem cautum fuerat *in cap. 1. hoc. tit.* ubi notavi, *verbo Placitum.*

2. (b) *Evangelicam veritatem.*] Quæ veritas per Prophetas prænuncia fuit, dicente Domino per Esaiam *c. 56. Domus mea domus orationis vocabitur.* Hieremiam *cap 7. Nunquid spelunca latronum facta est domus ista?* Per Davidem *psalm. 68. Zelus domus tuæ comedit me.* Quorum quidem locorum veritas evangelica clarè meminit in egregio illo, & mirabili facto Christi Domini, cùm ementes, & vendentes de templo ejecit; quod referunt omnes Evangelistæ. D. Matth. *cap. 21.* Marcus *cap. 11.* Lucas *cap. 19.* Joannes *cap. 2.*

(c) *Tutela refugii.*] *Cap. inter alia*, ubi dicemus *hoc titul.*

COMMENTARIUM.

3. *Conclusio traditur, & probatur.* EX hoc textu, & ex secunda parte textus *in cap. 1. hoc tit.* talis deducitur assertio: *Judices sæculares causas, præcipuè ubi pœna sanguinis, vel corporalis imponenda est, disceptare non debent in Ecclesia.* Probant eam textus *in cap. docet, in fine, hoc titul. in 6.* Gregorius VII. in Synodo Romana anni incerti, *can 12.* ibi: *Nullus judex laïcus, vel vicarius in Ecclesia, vel cœmeterio aliquam potestatem exerceat, vel aliquem distringat, aut capiat, aut furtum ibi requirat.* Arelat. sub Carolo *can. 22. Ut placita publica & sæcularia, nec in atriis basilicarum: nec in ipsis basilicis fiant, dicente Domino: Domus mea domus orationis vocabitur.* Turon. sub Carolo *can 39. Placita quidem sæcularia in Ecclesiis, vel in atriis Ecclesiarum à Comitibus, vicariisque usque modò multis in locis habita, ne ultra fiant interdicendum est cum auctoritate Domini, qui expulsis de templo negotiatoribus, asserunt domum Dei debere esse domum orationis.* Mogunt. *can. 40.* ibi: *Præcipimus, ut in Ecclesiis, aut domibus Ecclesiarum, vel atriis placita sæcularia minimè fiant.* Synodus apud Sanctum Medardum *can. 6. Ut in locis sacratis, diebus Dominicis, vel aliis solennitatibus judicia publica non exerceantur.* Palentinum anno 1322. *can. 17.* Colon. *3. p. 3. cap. 24. 25. & 26.* Ravennat. 2. sub Clemente V. *rubr. 12.* ibi: *Nec in Ecclesia judicialia tractentur, nec temporalia.* Trid. *sess. 22. tract. de sacrif. Missæ, in decret. de observand. & evitand.* Palentin. *in titulo de immunit. Eccles.* ibi: *Contra sæculares judices, qui causas in Ecclesiis audiunt.* Mediolan. 2. *tit. 2. dubit 23.* Aquileiense 1. *titul. de Ecclesiis, & pio in eis versandi modo, §. deambulationes.* Theodulf. *ad presbyt. Aurel. cap. 10.* ibi: *Non debere ad Ecclesiam ob aliam causam convenire, nisi ad laudem Domini, & ejus servitium faciendum: disceptationes verò, & tumultus, & vaniloquia, & cæteræ omnes actiones ab eodem sancto loco penitus prohibendæ sunt.* Illustrant Boërius Epon. *in præsenti*, Anton. Augustin. *lib. 3. tit. 16.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 3 cap. 4.* Azevedo *lib. 1. Curiæ Pis. cap. 5.* Barbosa *de offic. Parochi cap. 13.* Cironius *ad tit. de foro compet.* Chopinus *de jurisd. Andegav. cap. 45. num. 7.* Thom. Delbene *de immunit. Eccles. tom. 1. cap. 2. dubit. 2. sect. 2.* Hevia *in Curia Philip. 1. part. §. 5. in fine.*

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti 4.
considerationè; nam majori sinceritate, religio- *Impugnatur tradita assertio.*
neque judicia cuncta peragerentur in Ecclesia quàm in loco prophano, tanquam in ipsius Dei præsentia, qui licèt ubique sit præsens, in Ecclesiis tamen peculiarius, atque certius nobis exhibet suæ præsentiæ testimonium: qualis quidem præsentiæ divinæ cogitatio judici cuilibet apprimè est necessaria pro sententiis religiosissimè

mè ferendis: quare Justinianus *in l. rem non novam, §. 1. de judiciis*, voluit Judicem in causis cognoscendis, & in sententiis ferendis habere semper propositas, & permanentes ante se sacras Scripturas. Et apud Romanos usitatum olim fuit templis uti pro curia, ad negotia tractanda, ad causas, & lites definiendas. Titus Livius *lib. 3.* loquens de Annibale, & Capuanis ibi: *Egressus curia in templum Magistratus contendit, comprehenditque Decium Magium, atque ante pedes destitutum, causam dicere jussit.* Thucidides *lib. 1.* ibi: *Ærarium eis erat Delus, & conventus in eo templo fiebant.* Suetonius *cap. 7.* Vespasianum inducit Imperatorem post peractum sacrificium sedentem pro tribunali in templo Serapidis. Etiam apud eos Senatus habebatur in loco sacro, & non prophano. Gellius *lib. 14. noctium, cap. 7.* Alex. ab Alex. *lib. 4. dier. genial. cap. 12.* quod & Servius docuit exponens illud Virgilii 7. *Æneid.*

Tectum augustum ingens centum sublime columnis.

Et nisi (inquit) *in loco augusto Senatus consilium haberi non poterat.* Unde templum Vestæ non fuit augurio consecratum, ne illuc convenirent Senatus, ubi erant Virgines, veluti in templo Jovis Statoris, in æde Concordiæ, in æde Telluris. Appianus *lib. 2. belli civilis*, ibi: *Ex eo die, quo in æde Telluris convocati sumus, in æde Bellonæ.* Livius *lib. 49.* ibi: *Manlius Proconsulex Hispania redierat, cui postulanti à Senatu in æde Bellonæ triumphum, rerum gestarum magnitudo impetrabilem faciebat.* Probant Marcel. Donatus *in elucid. ad Suetonium, cap. 34.* Lopez *ad lib. 3. Valer. Maximi, cap. 3.* Greg. Lopez *in Monarch. Hispana, cap. 7.* P. Greg. *lib. 27. syntag. cap. 27. num. 16.* Rosinus *lib. 1. antiq. cap. 14.* Pancirola *lib. 2. var. c. 8.* P. Herodius *lib. 2. rer. judic. tit. 8. c. 1.* Borellus *de præstant. Reg. Cath. c. 60. n. 12.* Stephanus Garonas *de Senator. lib. 1. tit. 4. c. 12.* notavi *lib. 1. Concil. Illiber. cap. 9.* Accedit, nam absurdè judices sacris se immiscent, cùm prope divinâ sint judicum munia. Justinianus *Apolog. 2.* Unde & Jureconsulti dicuntur Justitiæ sacerdotes *in l. 1. ff. de justitia & jure*, Corippus Africanus *lib. 1. de laudibus Justin. minor.* ibi:

Quæstor Anastasius sancti pars magna Senatus,

Compositor morum, juris, legumque sacerdos.

Dum enim præsidebant ad judicandum, aliquam sibi sacerdotii sortem assumebant. Eleganter Cassiodorus *lib. 1. epist. 12. ad Eugenium officiorum Magistrum*, ibi: *Esto innocentiæ templum, temperantiæ sacrarium, ara justitiæ, absit à judiciariis mentibus aliquid prophanum: Pio Principi sub aliquo sacerdotio serviatur.* Quamvis aliam hujus nomenclaturæ rationem à pandendis mysteriis erudite assignet, & probet D. Josephus de Retes *lib. 8. opuscul. cap. 1.* Et Salomonem Regem in ipso templo locum construxisse ad judicandum, refertur *lib. 1. Paralip. cap. 7.* ibi: *Ædificavit quoque porticum solii, in quo tribunal est; & domuncula, in qua sedebatur ad judicandum, erat in medio porticu.* Refertur *lib. 3. Regum, cap. 7.* Igitur non rectè in præsenti statuitur, judices procul ab Ecclesiis debere jus dicere, nec intra Ecclesias, aut earum cœmeteria posse de causis civilibus, seu criminalibus agnoscere.

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens decisio, cujus ratio provenit ex veneratione Ecclesiis debita, & ab excessibus, qui in foro, & judicio illi contrarii passim occurrunt; magna enim templorum veneratio semper fuit, non solum apud Catholicos, verum & apud Gentiles, apud quos observatum legimus, utin templis, aut eorum januis nec loqui fas esset. Cœlius Rhodigin. *lib. 15. antiquit. cap. 23.* & satis apparet ex illis verbis D. Chrysostomi: *Ah non videtis, quot homines templi hujus vestibula osculantur! hi quidem pronis capitibus abjecti; alii verò manu contingentes, tum eamdem admoventes ori: quasi indignos se crederent, qui sacris postibus oscula figerent.* Et alibi: *Stemus trementes, & timidi, demissis oculis, erecta verò anima gementes, sine voce jubilemus corde.* Facit Seneca *lib. 7. natural. quæst. cap. 30.* ibi: *Si intramus templa compositi, si ad sacrificium accessuri vultum submittibus, togam obducimus, & in omne argumentum modestiæ fingimur.* Et de monachis Ægyptiis Cassianus narrat *lib. 2. instit. cap. 2.* quod etsi convenissent numero longè maximo, tamen eam silentii servasse legem, ut præt. r illum, qui psalmum decantabat, nemo audiretur, immò nullus omnino adesse putaretur. Et D. Ambrosius beatam Marcellam sororem *lib. 3. de virgin.* ita instruit: *Tu in ministerio Dei gemitus, screatus, tussis, risus abstine.* Alia dicti *in cap. dolentes, de celebr. Missar.* Si ergo adeo reverentia commendatur in Ecclesia, ut omnino silentium servandum sit, rectè in præsenti prohibetur judicia in Ecclesiis, seu earum cœmeteriis agitare, litesque disceptare. Accedit etiam, nam ex litibus plerunque perjuria, & similia peccata sequuntur, unde judicium ita describit D. Cyprianus ad Donatum: *Quæ detestari invenies, inter leges ipsas delinquitur, inter jura peccatur; innocentia nec illic, ubi defenditur, reservatur; sævit invicem discordantium rabies, & inter togas pace rupta, forum litibus mugit insanum; flagrant ubique delicta, & passim multiformi genere peccandi, per improbas mentes operatur.* Rectè ergo in præsenti prohibetur intra Ecclesias judicia exerceri, in quibus tot peccata admitti solent. Quod in judiciis criminalibus majori cum ratione procedit, quia absurdum est, ibi judicium sanguinis exerceri, ubi est tutela refugii constituta, *capite desinimus 1. quæst. 4.* quare sententiam à judice sæculari prolatam in quacunque causa civili, seu criminali, intra Ecclesiam, nullam esse docetur *in cap. decet, hoc tit. in 6.* Hoc autem procedit in actibus piis voluntariæ jurisdictionis; unde rectè in Ecclesia servus manumittitur, *l. 1. C. de his qui in Ecclesia manumit. can. 64. & 82. Codicis Eccles. Afric.* Ut enim olim in templo Feroniæ Deæ servi manumittebantur, ita postea ex Constantini constitutione in Ecclesia cum libertate civitatem Romanam consequuti sunt, ut de ipso Imperatore agentes referunt Sozomenus *lib. 1. histor. Eccles. cap. 9.* Cassiodorus *lib. 1. histor. tripart. cap. 9.* ibi: *Circa donationem melioris libertatis, quam civitatem Romanam vocant, tres posuit leges, decernens omnes in Ecclesia manumissos sub testimonio sacerdotum civitate Romana frui:* Nicephorus *lib. 7. hist. cap. 16.* Illustrant Fornerius *lib. 1. select. cap. 4.* Justel. *ad can. 64. Eccles. Afric.* & nonnulla adduxi *in cap. 1. de servis non ordin.* Samuel Petitus *ad jus Atticum lib. 3. tit. 2. fol. 235.* 6.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt Romani in templis coirent Senatus habendi. Distinguitur de templis.

5.

habendi gratiâ, ut defendit Marcel. Donatus *ubi suprà*; tamen in eodem foro, ubi res venales exponebantur, jus dicebant, *l. inter 83. §. sacram, ff. de V. O.* donec propter populi tumultum, plebisque concursum basilicæ constructæ sunt; in quibus Tribuni plebis jus dicebant, teste Plutarcho *in Catone minore*, ubi dum agit de Portia basilica, quam Cato major dedicavit, ait: *In ea Tribuni plebis audientiam dare solebant.* Et Prætores, Prætidesque jus dicere solere in suis prætoriis, probavi suprà *in cap. 1.* & licèt apud eos in basilicis, & templis Senatus haberetur, non ideo in nostris Ecclesiis omnipotenti Deo dicatis idem observandum esset, cùm eis ob præsentiam realem Christi Domini in sacro Eucharistiæ sacramento major veneratio debeatur.

7. *Exponitur decretum Julii Papæ.*

Sed suprà traditæ assertioni opponi potest decretum Julii Papæ in illis verbis: *Nullus in publico causam agat, nisi in Ecclesia.* Quod specialiter ab ipso Pontifice statutum fuisse refert Damasus in ejus vitâ: igitur causæ etiam sæculares non in foro publico, sed in Ecclesia sunt disceptandæ. Cui difficultati facilè responderi posset; admissâ sententiâ eorum, qui dixerunt, Episcopum, & judices Ecclesiasticos posse in Ecclesiis causas decidere, & terminare; *ex cap. præceptum 2. quæst. 2. cap. quâ fronte, de appellat.* immò olim Ecclesiam forum non habuisse; quare docent, quòd illis primis Ecclesiæ temporibus Episcopi in Ecclesiis tribunalia erecta habebant: sed quia contrarium verius est, videlicet Ecclesiam forum olim habuisse, & extra Ecclesiam Episcopos jus dixisse, licet frequentiùs lites in Ecclesiis decideréntur, cùm omnes ferè controversiæ jurejurandò finirentur super altare ad Martyrum reliquias, Gregorius Turon. *lib. 5. cap. 32.* ibi: *Tunc mitò placito ad basilicam martyris sancti conveniunt; elevatisque super altare manibus, juravit filiam non esse culpabilem.* Et ita extra Ecclesiam episcopum forum habuisse, probarunt Cironius *lib. 2. obs. cap. 4.* Filesac. *in cap. 1. §. 17. de offic. Ordin.* Respondendum ergo est, dicta verba Julii Papæ non esse in sensu litterali accipienda, ita ut causas nullus in publico agat; immò in Ecclesia; sed potiùs accipiendo Ecclesiam pro foro ecclesiastico; & tunc rectè statuit Julius, ut nullus clericus in publico, idest in judicio sæculari, causam agat, sed in Ecclesia, idest coram Episcopo in foro Ecclesiæ. Quo modo accipiendum etiam est decretum Sylvestri his verbis conceptum: *Idem constituit, ut nullus clericus propter quamlibet causam in curiam introiret, nec ante judicem cinctum causam diceret, nisi in Ecclesia, idest in foro Ecclesiæ.*

8. *Explicatur Concil. Tolet. 6. in initio.*

Secundò obstat textus in Concilio Tolet. 6. in ipso initio, in illis verbis: *Idque in Prætorio Toletano in Ecclesia sanctæ Leocadiæ virginis debitis sedibus collocatur.* In quibus dum refertur, Concilium illud celebratum fuisse in Ecclesia sanctæ Leocadiæ, supponitur in ea fuisse Prætorium Toletanum, & per consequens judices sæculares prætorium suum in ipsa Ecclesia habuisse: Pro cujus difficultatis solutione sciendum est, Prætorium variè, & pro diversis locis accipi: aliquando pro parte villæ latiùs ædificata, & patrisfamilias habitationi relicta, *l. plenum 12. ff. de usu & habit.* ibi: *Plenum autem usum debet habere, si & villæ, & prætorio relictus est.* Et *l. 2. ff. de servit. rustic. prad.* ibi: *Rusticorum prædiorum servitutes sunt utere altius tollere, & offi-*

cere prætorio vicini. Et *l. urbana 198. ff. de V. S.* ubi Gedeus Gentilis, & Forner. quo modo accipitur apud Martialem *libro 10. epig. 79.* ibi:

Ad lapidem Torquatius habet prætoria quartum.

Apud Suetonium *in Caligula, cap. 37.* ibi: *In exstructionibus villarum, & prætoriorum omni ratione posthabitâ nihil tam efficere concupiscebat, quam quod effici posse negaretur.* Unde D. Hieronymus *lib. 2. adversus Joan.* dolium versatile Diogenis eleganter Prætorium dixit. Etiam Prætorium accipitur pro Imperatoris domo, hinc que Præfecti Prætorio vocati, de quibus *in l. ultim. C. de offic. Rect. Provinc.* ubi Imperator Anastasius, non Leo (ut in vulgatis) ita rescripsit: *Nulli judicum, qui Provincias regunt, in civitatibus, in quibus sacra palatia, aut prætoria sunt, liceat iis relictis privatorum sibi domos ad habitandum velut prætoria vindicare.* Et *l. final. C. Theodos. de offic. judic. milit.* In his ergo ædibus Prætores, seu Præsides, habitare, aut jus dicere solebant, ut probant Gothofredus *in dict. l. ultim.* Panciróla *lib. 2. var. cap. 191.* Meursius *in glossar. verbo Prætorium:* & notavi *in cap. 1. hoc tit.* De Prætorii significatione aptissimè S. Eulogius *in memoriali Sanctorum, lib. 1. pag. 17. circa principium*, ubi de constanti, & valido martyrum ardore: *Et ita interriti* (inquit) *contra hostem publicum apertum veritatis erigentes vexillum, utpote ante fores Prætorii, & in ipso accessu palatii proferentes testimonium in dicem perditionis, confusionis, & ignominiæ.* Observarunt Cujacius *lib. 1. obs. cap. 28.* Pancir. *lib. 2. var. cap. 191.* De prætorio ita accepto exponendus est Tertul. *ad scapulam, cap. 3.* dum ait: *Claudius Hermeuianus in Cappadocia, cum indigne ferens uxorem suam ad hanc sectam transisse, Christianos crudeliter tractasset, soluisque in Prætorio suo vastatus peste, comesus vermibus ebullisset.* His suppositis dicendum est; Prætorium in dicto Concilio Toletano 6. accipi pro arce regiâ; & domo Regum Gothorum; ut exposuit Ambrosius à Morales 2. *p. hist. Hispan. lib. 12. cap. 23.* ubi agens de hoc Concilio Toletano 6. ait: *Celebrose en la Iglesia de sancta Leocadia, y parece era la del alcazar, porque se sennala en particular ser en el Pretorio de Toledo: y no ay que se pueda entender aqui por Pretorio, sino el alcazar, ò casa real aquien los Godos gente guerrera se puede creer llamaban assi, por el mismo nombre que los Romanos aquien ellos imitaban, nombraban en la guerra la tienda del general, y en paz usaban en alguna manera de este nombre, como en la sagrada historia evangelica, y en otras parte se vee: Y parece que para differenciarla de otra Iglesia de esta santa se le annadio este titulo.* Idem firmat Mariana *lib. 6. hist. Hispan. latino sermone scriptæ, cap. 6.* de hoc Concilio agens, ibi: *Ad D. Leocadiæ templum Prætorio vicinum (nunc arci Regiæ conjunctum est, veteris elegantiæ, & amplitudinis vestigia retinens) ante diem quintum idus Januarii salutis anno 637. conventus habitus est.* Demonstrarunt clarè Patres per illa verba, *in Prætorio Toletano*, quasi discrimen statuentes inter Ecclesiam Prætoriensém, quæ arci contigua est; & Prætoriensém, quæ in suburbio sita reperitur, & est tertia sanctæ Leocadiæ, de qua in Concilio Tolet. 17. ita legitur: *Deum in Ecclesia gloriosæ virginis, & confessoris Christi sanctæ Leocadiæ, quæ est in suburbio Toletano, ubi sanctum*

ejus

ejus corpus requieſcit, plerique Hiſpaniarum, & Galliarum Pontifices convenirent. Unde aliqui voluerunt celebratum fuiſſe dictum Concilium Tolet. 6. ut refert Mariana *dict. lib. 6 cap. 6.* hiſtoriæ Hiſpano idiomate evulgatæ, anno 1617. ibi: *Celebroſe el Concilio que fue ſexto entre los de Toledo en ſancta Leocadia Pratorienſe, que algunos entienden fue la Igleſia de la ſancta, que eſta juncta al alcazar, llamado en latin Praterio, y en ſu vejez mueſtra raſtros de ſu antiguo primor,*] grandes. *Otros quieren, que la Igleſia de ſancta Leocadia la Pretorienſe fueſſe la que eſta fuera de la ciudad, porque tambien las caſas de campo ſe llaman Pretorios.* Notavit eruditus D. Laurentius Ramirez *in notis ad chron. Luitprandi, numero 102.* Unde deducitur, Prætorium in dicto Concilio Tolet. 6. non accipi pro loco, ubi lites diſceptantur.

CAPUT VI.

Innocent. III. *Illuſtr. Regi* (a) *Conatiæ.*

INter alia, quæ nobis Regalis prudentia ſuis litteris intimavit, quid de illis fieri debeat, qui maleficia perpetrantes, confugiunt ad Eccleſias, ut pro reverentia ſacri loci debitas pœnas valeant evitare, ſolicitè requiſivit. Nos igitur tuis quæſtionibus reſpondentes, juxta ſacrorum (b) canonum inſtituta, & traditiones legum civilium ita duximus in hujusmodi diſtinguendum, quod (c) confugiens ad Eccleſiam, vel liber, vel ſervus exiſtit: ſi liber, quantumcunque gravia maleficia perpetrarit, non eſt (d) violenter ab Eccleſia extrahendus, nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam: ſed (e) rectores Eccleſiarum ſibi obtinere debent & membra, & vitam; ſuper eo tamen quod iniquè fecit, eſt legitimè puniendus: & hoc verum eſt niſi [f] publicus latro fuerit, vel nocturnus populator [g] agrorum, qui dum itinera frequentat, vel publicas ſtratas obſidet, ob transgreſſionis inſidias ab Eccleſia extrahi poteſt impunitate non præſtitâ, ſecundùm canonicas ſanctiones. Si verò ſervus fuerit, qui confugerit ad Eccleſiam, poſtquam de impunitate ſua dominus ejus clericis juramentum præſtiterit, ad ſervitium domini ſui [h] redire compellatur, etiam invitus, alioquin à domino poterit occupari. Tu ergo fili chariſſime, cum in regno tuo aliquid horum contigerit, juxta præmiſſam diſtinctionem ſic procedere ſtudeas, quod Eccleſiarum honor, & immunitas ſervetur illæſa, & malignandi facultas pravæ voluntatis hominibus auferatur.

NOTÆ.

1. (a) *Conatiæ.*] Ita legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap. 1.* in ſexta autem legitur, *Scotiæ*; & neſcio quæ inſcriptio verior ſit, cùm reperiantur temporibus Innocentii III. in Conatia, quæ eſt inſula Hiberniæ, Rodericus Rex adeo faſtu elatus, ut Regem ſe Hiberniæ nominaret, ut refert Polydor. Vergil. *lib. 3. hiſt. Angel. fol. 216.* & Alexander Scotiæ Rex: ſed retineo epigraphen *Conatiæ*, quia Anaſtaſ. Germon. *lib. 3. de ſacrorum immunit. cap. 16. num. 54.* teſtatur in Vaticano Codice legi *Conatiæ.*

2. (b) *Statuta canonum, & traditiones legum.*] Ad quas, cùm Eccleſiæ PP. de hac immunitate agunt, ſemper ſe referunt, *cap. ſicut 36. 17. quæſt. 4.* ibi: *Eccleſiaſtici canones, & lex Romana conſtituerunt.* Concil. Aurel. 4. *can. 29.* Aurel. 5. *can. 23.* Matiſcon. 2. *can. 9.* ibi: *Licèt reverendiſſimi canones, atque ſacratiſſimæ leges, &c.* Inæqualiter tamen, ita ut in hac immunitatis materia non attendantur leges ſæculares, nec juxta eas caſus dubii decidantur; ſed ſecundùm ſacros canones, quorum proprium eſt, cùm agitur de re merè eccleſiaſtica, fines, & modum dicere huic immunitati. Covar. *lib. 2. var. c. 20.* Queſada *qq. jur. cap. 1. num. 4.* unde audiendus non eſt Imperator Juſtinianus *in authent. de mandat. Princip. §. nunc autem, collat. 17.* dum ſtatuit, hac immunitate non gaudere adulteros, & virginum raptores, cùm circa hos contrarium ſit definitum *in cap. de raptoribus 3. 36. quæſt. 1.* & licèt moti auctoritate textus *in l. final tit. 1. partit. 1.* raptoribus virginum immunitatem hanc denegent Menochius *lib. 2. de arbitr. caſu 391.* Jul. Clarus *lib. 5. recept. ſentent. §. raptus, num. 2.* Ant. Gomez *in l. 80. Tauri, num. 36.* D. Joan. Vela *de pœnis delict. cap. 29.* Covar. *lib. 2. var. cap. 20. num. 8.* tamen obſervandam eſſe Eccleſiæ diſpoſitionem, de qua *in dict. cap. de raptor.* cum aliis reſolvit Pereyra *de manu regia part. 2. cap. 56.* & conſequenter cognitio hujus immunitatis ſemper ſpectat ad judicem eccleſiaſticum, ut infrà dicemus. Quare cautè procedant judices ſæculares, qui exiſtimant, cùm cauſa immunitatis defertur ad Regias Cancellarias, pronunciari ita poſſe: *haze fuerza en conocer, y proceder.* Quia hoc tantùm admitti poteſt in caſu notorio facti, videlicet cùm apertè conſtat, reum ad Eccleſiam non confugiſſe, ſeu ex ea abductum non fuiſſe: & cautè tam in hoc caſu, quàm in aliis immunitatis judices ſæculares pronunciare debent, vulgò *dando auto de leges.* Nam talis pronunciatio ſolùm fieri poteſt, quando procedit judex eccleſiaſticus contra reum laicum, & in negotio prophano; ſecus verò deficiente aliquo ex his requiſitis, ut docent Salgado *de protect. 1. p. cap. 1. num. 2.* & *cap. 2. num. 27.* & *de ſupplicat. 2. p. cap. 27. num. 59.* Vela *diſſert. 10. num. 70.* Covaruv. *practic. cap. 25. num. 3.* Parexa *de inſtrum. edit. 1. tom. tit. 2. reſol. 6. inſtrct. 2. n. 260.* Luna & Arellanus *lib. 2. ſingul. cap. 5. §. 4. à num. 48.*

num. 48. nam in dubio juris ad judicem Ecclesiasticum spectat cognitio, cujus sit jurisdictio, *cap. si judex, de sent. excom. lib. 6.* Covar. *suprà, num. 1.* Diana cum 26. Doctoribus laudatis *p. 7. tract. 10. resol. 5.* & *p. 4. tract. 1. resol. 64.* & *p. 5. tract. 1. resol. 23.* Parexa *d. resol. 6. n 259.* Ciarlinius *cap. 264. n. 15.* Valenzuela *consil. 42. n. 14.* Castropalao *tom 2. tract. 12. difficult. unic.*

3. (c) *Confugiens ad Ecclesiam.*] Beneficium hujus immunitatis conceditur confugientibus ad Ecclesiam, ut ex juribus proximè adducendis pro illustratione conclusionis liquidò constat; unde ipsi appellantur confugientes *in l. si qua per calumniam, C. de Episc. & Cler. l. præsertim, C. de his qui ad Ecclesiam confug.* in cujus paratitlis notavit Cujacius. Quo fit, ut eo privilegio non potiantur arrepti, & in Ecclesiam conducti, cùm in illis confugii ratio nulla sit, ut probat perdoctus vir D. Ludovicus de Exea in supremo Aragoniæ Senatu Regens egregius, *in speciali, & aureo syntagmate de cadaver. punit.* ubi eruditè probat, cadaver suspensi in patibulo in Ecclesia asportatum, ibique sepultum debere exhumari, & supplicio restitui, donec habitâ Magistratus licentiâ à patibulo deponatur. Similiter ea immunitate non gaudet, qui casu in Ecclesia reperitur, non animo fruendi ejus immunitate, argumento legis 2. *ff. de condit. & demonst.* etsi noviter contrarium defendat Frances *de compet. quæst. 98.* Nec ille, qui dum ad carcerem ducitur, per cœmeterium trahitur; nam cùm non sit in libertate confugiendi; non gaudet hoc privilegio. Oldradus *consil. 54.* Archid. *in dict. cap. sicut 17. quæst. 4.* Igneus *in l. 1. ad Syllan. col. 3.* Covar. *lib. 2. var. cap. 20. num. 5.* Bobad. *lib. 2. polit. cap. 14. num. 61.* Gutierrez *libro 3. practic. cap. 6.* Cutel. *lib. 1. quæst. 30. per tot.* Nec ille, qui non extrahitur, sed voluntariè Ecclesiam deserit; nam licèt scripto non posset quis renunciare huic privilegio; facto tamen ipso voluntariè ex ea egrediendo potest renunciare.

4. (d) *Violenter.*] Nec per dolum, & si ita abducatur, immunitate gaudet, ut post Gomezium, Farinacium, & Marium Italam tenet Diana *p. 1. tract. de immunitat. resol. 16.* licèt nonnullis perperam inductis legibus contrarium teneat Cutellus *contra Dianam cap. 16.* Unde qui blanditiis judicis allectus, promissâ securitate Ecclesiam deseruit, adhuc immunitate gaudet, ut cum pluribus resolvit Thom. Delbene *tom. 2. de immunit. cap. 16. dub. 24. sect. 17.* Barbosa *lib. 2. juris Eccles. cap. 3. num. 54.* Azevedo *in l 3. tit. 2. lib. 1. Recopil.* secus verò si tantùm blanditiis motus egressus fuit, ut resolvunt Delbene, & Cutel. *ubi suprà:* quia non debuit esse ita credulus, & facilè Ecclesiam deserere, argumento legis 1. §. *dolum 2. ff. de eo per quem factum.* Sed contrarium meritò resolvit Marinis *lib. 1. resol. cap. 178.* Si verò agnoscens januam Ecclesiæ frangi egrediatur, & à ministris sæcularibus extra Ecclesiam capiatur, restituendus Ecclesiæ est, quia non eo animo Ecclesiam deseruit, quia nollet uti privilegio asyli, sed coactus, ut probat Marinis *lib. 2. resol. cap. 197.*

5. (e) *Sed Rectores Ecclesiarum.*] Hæc verba deprompta sunt ex Concilio Magunt. *can. 39.* relato *in cap. reum 9. 17. quæst. 4.* ibi: *Sed Rectores Ecclesiarum, pacem, & vitam, ac membra ejus obtinere studeant; tamen legitimè componat quod iniquè fecit.* Quod etiam legitur *lib. 5. Capitul. Caroli, cap. 90.* ibi: *Si quis ad Ecclesiam confugium fecerit, in atrio ipsius Ecclesiæ pacem habeat.* Ubi notandum est verbum *pax*, quod solenne fuit in implorando Numinis auxilio. Virgilius *lib. 4. Æneid.* ibi:

Principio delubra adeunt, pacemq; per aras
Exquirunt.

Statius de ara Clementiæ Athen. *lib. 2. Thebaid.* ibi:

Huc victi bellis, patriaq; è sede fugati,
Regnorumq; inopes, scelerumq; errore nocentes
Conveniunt, pacemq; rogant.

Pax ergo *in dicto cap. reum*, generale nomen est securitatis, veniæque earum personarum, quæ postea exprimuntur, mortis videlicet, mutilationis, aut læsionis membrorum, ut notavit D. Nicol. Antonius *de exilio lib. 2. cap. 35. num. 12.* qui in ipso capite, & antecedenti latè, & eruditè probat in exilium damnatum, & refugam, id est illud frangentem, & ad Ecclesiam confugientem, abduci ab ea posse, & in exilii sui locum reduci: & ante eum docuerunt Baldus *in authent. cassa, C. de Episc. & cleric.* Decianus *lib. 6. tract. crimin. c. 26. n. 8.* Papon. *lib. 1. tit. 1. arresto 16.* Joannes à Cruce *ad Guidonem decis. 121.* Joannes Gallus *in suis placitis, tit. de his qui ad sacras ædes confugiunt.* D. Ludovicus de Exea *d. tract. de cadaver. punit. pag. 11.* quæ sententia ultra quam non adversatur alicui juris canonici, seu civilis testimonio, probatur ex eo, quia ideo hoc immunitatis privilegium Ecclesiis concessum est, ut rei ad eas confugientes immunes pœnarum corporalium redderentur, non verò, ut à cæteris pœnis pecuniariis, seu corpus non affligentibus eximerentur, ut ex præsenti textu constat, & ex Concilio Rhemensi sub Hadriano I. ibi: *Si quis fugitivum ab Ecclesia absque sacramento, quod ei jurandum est, ut de vita, tormento, truncationeque securus exeat, qualicunque occasione abstraxerit, communione privetur.* Claromont. sub Urbano II. anno 1095. *Quod si quis pro securitate Ecclesiæ, vel Crucis aliquod crimen peregerit, & ad Ecclesiam, vel Crucem confugerit, acceptâ securitate vitæ, & membrorum reddatur justitiæ.* Lege 16. *tit. 4. lib. 6. fori judic.* ubi Catholicus, & pientissimus Rex Chindasvindus ita sanxit: *De homicida ad Ecclesiam confugiente, consulto tamen Sacerdote, ac reddito sacramento, ne eundem sceleratum publicæ mortis pœnâ condemnet, Sacerdos cum sua intentione ab altari repellat, & extra chorum projiciat; & sic ille qui eum persequitur, comprehendat: cui ab Ecclesia ejecto non alias mortiferas inferat pœnas, sed in potestate parentum, & eorum, cujus propinquus occisus fuerit, contradendus est, ut excepto mortis periculo, quicquid de eo facere voluerint, licentiam habeant.* Consentiunt PP. Concilii Tolet. 6. *can. 12.* Tolet. 12. *can. 1.* Gregorius Magnus *in c. reos 6. 23. q. 5.* ibi: *Ut defendat eos Ecclesia, ne effusione sanguinis particeps fiat.* Ita immunitatem hanc Ecclesiarum acceperunt Oldradus *consil. 154.* Martha *de jurisdict. p. 2. c. 51. n. 15.* Remigius *de immunit. Eccles. præsupposito 3. à. 11.* Decianus *lib. 2. tract. crimin. c. 28. n. 27.* Gamma *decis. 52.* Gambacurta *de immunit. Eccles. lib. 4. cap. 33. cum duob. sequent.* Cutel. *eod. tract. quæst. 12. num. 2. 3. & 4.* Quod & agnoscens Theodoricus Rex Gothorum de Jovino quodam curiali, qui ob collegam in rixa occisum conscius facti sui intra Ecclesiæ septa refugerat, ita ait apud Cassiodorum *libro 3. variar. cap. 27.* ibi: *Hunc Vulcano insulæ perpetuâ relegatione damnamus, ut & sancto templo reverentiam*

tiam habuisse videamur : nec vindictam criminosus evadat in totum , qui innocenti non credit esse parcendum. Idem de Stilicone Comite erga Crescónium variorum delictorum reum judicante refert Paulinus in vita S. Ambrosii , his verbis : *Per idem tempus cùm Consulatus sui tempore Imperator Honorius in urbe Mediolanensi Libycarum ferarum exhiberet munus, populo illuc concurrente, data copia est missis militibus ab Stilicone Comite, hortatu Eusebii Præfecti , ut Cresconius de Ecclesia raperetur. Quem fugientem ab altare Domini sanctus Episcopus* (Ambrosius) *cum clericis, qui in tempore aderant, defendendum circumdedit. Sed multitudo militum, qua duces suos habebat de perfidia Arrianorum , prævaluit adversus paucos , atque ablato Cresconio exultantes ad amphiteatrum reverterunt , Ecclesia luctum non modicum relinquentes ; nam Sacerdos prostratus ante altare Domini factum diu flevit. Sed in tempore cùm revertissent , & renunciassent his , à quibus fuerant destinati milites , dimissi leopardi saltu celeri ad eundem locum , in quo sederant , qui de Ecclesia triumphabant , ascendentes , graviter laniatos reliquerunt : quod ubi vidit tunc Stilico Comes pœnitentiâ motus est , ita ut per multos dies satisfaceret Sacerdoti. Sed quia gravissimorum criminum erat reus , & aliter emendari non poterat , ad exilium destinatur , non multo post indulgentiam consequutus.* Idemque Eutropio contigisse jam ad mortem damnato , qui ad Ecclesiam confugit , referunt & illustrant D. Nicolaus Antonius *dict. lib. 2. de exil. cap. 34.* D. Josephus de Retes *libro 3. de interdictis , excursu 6. pag. 190.* Rectè ergo in præsenti Innocentius juxta veterem hujus immunitatis praxim docet, Rectores, id est Magistratus sæculares , debere confugientibus ad Ecclesiam vitam , & membra conservare, alias verò pœnas corporis non afflictivas illis imponere posse.

6. *Exponuntur cap. constituimus,17.q.4 cap. si vobis,23.q.8.*

Nec suprà traditis obstat textus *in capite id constituimus 34. 17. quæst. 4.* in verbis illis : *Sed ne alteris consignari , nisi ad Evangelia datis sacramentis , de morte , & debilitate , & omni pœnarum genere sint securi : ita ut ei , cui reus fuerit crimnosus , de satisfactione conveniat.* Quibus verbis moti Boëtius Epon. *in præsenti , num. 16.* Navarrus *in manuali , cap. 25. num. 19.* Suarez *de relig. tom. 1. lib. 3. cap. 12. numer. 6.* plures alii , quos refert , & sequitur Diana *part. 1. tract. 1. resol. 1.* & *part. 6. tract. 1. resol. 21.* existimarunt , confugientes ad Ecclesiam ab omni pœnarum genere esse immunes : sed certè textus ille id non probat ; nam accipiendus est de pœnis corporalibus , seu corporis afflictivis , juxta alios canones suprà relatos , præcipuè textum *in cap. de raptoribus 3. 16. quæst. 1.* docet , & probat D. Nicolaus Antonius *dict. cap. 35. num. 16.* Nec etiam obstat Concilium Sardic. relatum *in capite si vobis 28. 23. quæst. 8.* in illis verbis : *Sed quoniam sæpe contingit , ut ad misericordiam Ecclesiæ confugiant , qui injuriam patiuntur , & qui peccantes in exilium , vel in insulas damnantur , aut certè quamcunque sententiam suscipiunt ; ideo subveniendum est his , & sine dubitatione eis est petenda per Ecclesiam indulgentia.* Nam in eo textu non agitur de Ecclesiarum immunitate , sed de intercessione Episcoporum , aut aliorum ministrorum Ecclesiæ. Pro reis enim damnatis, Episcopos , clericos, ac monachos olim apud Imperatores , Magistratus, & cæteros judices intercessisse , notum est: cujus moris vestigia extant apud D. Augustinum *epist. 54.* S. Paulinum *in vita D. Ambrosii* , Carnotensem *epistol. 121. in l. addictos , C. Theod. de pœnis , l. addictos 57. eodem C. de appellat. l. officium , eodem C. quorum appellationes.* Illustrant Baronius *tom. 5. anno 398.* Forner. *libro 6. rer. quotid. capite 7.* Ut etiam apud Romanos solebant Virgines Vestales Imperatores , Magistratusque pro reis orare , ut constat ex Gellio *lib. 10. noctium , cap. 15.* Suetonio *in Julio, cap. 1.* probat Forner. *dict. cap. 7.* De ea ergo intercessione loquutum fuisse Osium in eo canone Concilii Sardic. docuit D. Nicolaus Ant. *libro 2. capite 34. num. 6. 21. & 22. & capite sequenti.*

(f) *Publicus latro.*] Consonant caput *sicut 17. quæst. 4.* ibi : *Publicus latro.* Gregorius XIV. in sua bulla, ibi : *Si fuerint publici latrones.* Et *l. 4. titul. 11. partit. 1.* ibi : *Latron manifiesto.* Et *l 3. titul. 2. lib. 1. Recopil. l. final. tit. 5. lib. 1. fori,* ibi : *Robador conocido.* Quis tamen dicatur publicus latro , ut hoc beneficio non gaudeat , apud DD. non constat , ut videre est apud Baldum , Salicetum , Cæpolam *in authent. Sed novo jure , C. de servis fugit.* Gomezius *3. var. cap. 10. num. 2.* Covar. *2. var. cap. 9. num. 7.* & *cap. 20. num. 3.* Decianum *lib. 6. tract. crimin. cap. 28.* Pegueram *decis. 40.* D. M. de Larreategui *lib. 8. select. cap. 9.* Ambrosin. *de immunit. cap. 2. & 3.* Corream *in præsenti , 3. p. ex num. 26.* Dianam *6. part. tract. 1. resol. 15.* Gambacurtam *lib. 5. cap. 11. 12. & 13. de immunit.* Aliqui docuerunt, publicum latronem eum dici , qui plura furta commisit , & consuevit sæpiùs in idem crimen incidere. Glossa *verbo Castigabitur , in authent, sed novo jure, C de servis fugitiv.* Alii per tria furta publicum & famosum latronem dici voluerunt, pluribus relatis Farinac. *de furtis quæst. 166. num. 9.* Covar. *lib. 2. variar. cap. 9. num. 7.* Azevedo *in l. 7. tit. 11. lib. 8. Recopil. num. 105.* Alii docent publicos latrones eos haberi , qui in itineribus viatores aggrediuntur , non solùm ut bona auferant , verùm & sanguinem effundant: quas & alias sententias refert , & refellit Narbona *in l. 20. tit. 1. lib. 4. Recopil. glos. 14.* qui *num. 17.* resolvit , publicos latrones eos esse judicandos, qui frequenter per vim in stratis , & viis publicis furantur , juxta legem 4. *tit. 11. part. 1.* & legem 18. *tit. 14. partit. 7.* Unde cæteri simplices latrones immunitatis hoc beneficio non privantur : & licèt in Hispania consuetudine introductum esset , ut etiam simplices latrones hac immunitate non gauderent, ut testantur Covar. *lib. 2. var. cap. 20. num. 13.* Jul. Clarus *lib. 5. sent. §. final. quæst. 30. num. 14.* Paz *in praxi , 5. p. tom. 1. cap. 3. §. 3. num. 70.* Flores de Mena *in addit. ad Gammam , decis. 171.* Martha *de jurisdict. 2. part. cap. 51. num. 23.* Ponte *decis. 14. num. 6.* Sanchez *libro 6. consil. cap. 1. dub. 8.* D. Martin. de Larreategui *lib. 3. select. capite 9. num. 5.* & in Regno Arragoniæ eandem consuetudinem vigere referat Bardaxi *in comment. ad forum , in rubric. de his qui ad Ecclesiam confugiunt :* tamen hæc consuetudo generaliter an in Hispania præscripta sit , meritò dubitat Narbona *dict. gloss. 14. numero 22.* qui refert in Pinciano Senatu bis pronunciatum fuisse, simplices latrones hac immunitate Ecclesiastica gaudere : & ita nisi legitimè probata hac consue-

consuetudine, simplicem furem non esse extrahendum ab Ecclesia resolvit Gutierrez *libro 1. practic. cap. 1. num. 20.* Si ergo furtum iteratum probatur, & accedente famâ justâ, quis oneratus reperitur crimine publici latronis, hac immunitate non gaudebit, ut probat Ambrosinus & Gambacurta *ubi supra*: etsi talis famosus, aut insignis latro dici nequeat, juxta textus *in l. capitalium 28. §. famosos, ff. de pœnis, l. constitutiones 16. ff. de appellat.*

(g) *Agrorum quidem itinera.*] Verba hæc transcripsit Innocentius *ex l. 1. C. quando liceat unicuique, l. 2. C. Theodos. ad leg. Cornel. de sicar.*

8. (h) *Redire compellitur.*] Consonant textus *in cap. metuentes 30. cap. uxor 31. cap. id constituimus 34. 17. quæst. 4. l. 3. titul. ultim. lib. 9. fori judic. l. 15. tit. 20. lib. 3. fori Castel. l. 3. titul. 11. partit. 1.* Concil. Epaun. *can. 39. Servus reatu atrociore culpabilis, qui ad Ecclesiam confugerit, à corporalibus tantùm supplicüs excusetur: de peccatis verò, vel quocunque opere placuit à Domino juramenta non exigi.* Aurel. 4. *can. 21. & 23.* Aurel. 5. *can. 23. De servis, qui pro qualibet causâ ad Ecclesiæ septa confugerint, si quid in antiquis constitutionibus tenetur scriptum, pro concessa culpa datis à Domino sacramentis, quisquis ille fuerit, egrediatur, veniâ jam securus.* Refert Antonius Augustinus *lib. 13. epit. jur titul. 17. l. si servus 4. C. de his qui ad Ecclesiam*, cujus integra extat *in l. superest 6. C. Theod. eod. titul.* ex qua non solùm supplenda, verùm & inscriptio emendanda est, ut ubi habetur, *ad Imperium*, legatur *ad Hierum*, ut notavit D. Nicolaus Anton. *dict. lib. 2. de exilio, cap. 35. num. 4.* & in ipso textu pro verbo *dimittatur*, repone *detineatur*; & pro illis *iracundiæ menti*, legendum est *iracundamentis*. Consonant etiam lex 6. *§. 5. C. Justin. de his qui ad Ecclesiam*, lex 3. *C. Theodos. eod. tit.* quæ est pars antiquæ constitutionis Arcadii, quam ipse edidit suggerente viro impio Eutropio contra immunitatem Ecclesiæ, & ad eam confugientes, ut ita faciliùs persequeretur conscios tyrannidis Rufini, præcipuè Pentadiam clarissimam fœminam conjugem Timasii quondam Consulis, qui Rufino consenserat, ut referunt Socrates *lib. 6. cap. 5.* Sozomenus *lib. 8. cap. 7.* Baronius *tom. 5. anno 398.* S. Prosper *p. 3. cap. 38.* quæ immanis constitutio cùm eodem anno, quo damnatus fuit Eutropius, abrogata esset, ideo decurtata fuit in ipso Codice Theodos. ut notavit D. Joseph. de Retes *lib. 3. de interdict. excursu 6. pag. 189.* Nec impietatem ullam continet hæc tam legalis, quàm canonica disciplina restituendi servos ad Ecclesiam confugientes Dominis in pristinam servitutem; siquidem hæc immunitas inducta est, ut ad Ecclesiam confugientes pœnis corporalibus, seu corporis afflictivis non afficiantur; non tamen ob simile asyli beneficium confugiens liberatur à servitute, seu obligatione reali, quâ tenebatur obstrictus. Synodus Aurel. 1. *can. 4. & 5.* notavit Bignonius *ad veteres form. cap. 22.* Unde juramento præstito servus Domino restituitur, nisi ejus sævitia timeatur, quia tunc cogitur bonis conditionibus servum vendere, *l. 2. ff. de his qui sunt sui:* docent Remigius Goni *de immunit. Eccles. fallent. 27. num. 6.* Ambrosius *eod. tract. cap. 13. num. 2.* Correa *in præsenti, 3. part. ex num. 6.* Boëtius Epon. *ad hunc textum, num. 50.* Giurba *decis. 300. crimin. n. 1.* Unde ex hac eadem ratione provenit, homines curiæ obnoxios, adscriptitios, & similes, de quibus egi suprà, *in cap. indicatum*, confugientes ad Ecclesiam causâ mutandi suam conditionem, & sui furtum committentes, ab Ecclesia extrahi, ne curiæ, agriculturæ, aut vastagæ fraus fiat, *l. 3. C. Theodos. de his qui ad Eccles. confug.* quam refert Baronius *anno 398. l. præsentis 6. §. hæc quidem*, & *§. sanè, eod. titul. in Justin. l. si quis cum aliis 12. C. de Episcop. & cleric. l. 56. & 104. C. Theodos. de Decur. novella 123. cap. 1.* Similiter remiges ad triremes damnati, è carcere, seu ab ipsis triremibus, vel dum ad eas transportantur, confugientes ad Ecclesiam, extrahendi sunt, nec hac immunitate gaudent, *l. 9. tit. 24. lib. 8. Recopil.* & exemplo servorum ad suum ministerium servile reducendi erunt: quamvis enim ad servilem statum ex ea damnatione non perveniant, post authenticum *sed hodie, C. de donat. inter.* ubi abrogatur regula Gaji relata *in l. qui ultimo 29. ff. de pœnis*; damnati tamen sunt ad serviendum personaliter: quare quodammodo videntur servi, ut docent Villadiego *in polit. cap. 3. numer. 25.* Lara *in l. si quis à liberis, §. sed utrum, num. 26.* Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 14. num. 73.* Hevia *in Cur. Philip. part. 3. §. 12. num. 49.* Gamma *decis. 359.* Sarpo *de jure asylorum cap. 5.* Antonius de Marinis *quotid. controv. lib. 1. resol. cap. 177.* Boerius *decis. 109.* quem in contrariam sententiam frustra vocat Bobadilla *dict. cap. 14. num. 53.* Pereyra *de manu regia, 2. part. cap. 50. num. 17.* Martha *de jurisdict. 2 part. cap. 51. num. 17.* Cutel. *de immunit. quæst. 40. per tot.* Cabedo *in arrest. Lusit. ad finem 2. tom. decis.* Guazinus *in defens. reor. lib. 2. capite 37.* Megala *in 3. part. D. Thomæ, cap. 2. quæst. 2. sect. 33.* fusè & doctè D. Josephus de Retes *in jur. alleg. pro praxi dictæ legis 9.* Adhuc tamen ad triremes damnatos gaudere immunitate, sæpe sæpius pronunciatum vidi in Pinciana Cancel. & docuerunt Giurba *consil 30. num. 12.* Lessius *de justitia lib. 2. cap. 31. dub. 5.* Tancredo *de relig. lib. 4. disp. 8. à num. 75. pag. 174.* Correa *in præsenti, part. 2. quæstione 4. num. 9.* Delbene *de immunit. tom. 2. cap. 16. dub. 10. sect. 9.* Lezana *tom. 3. in summa, verbo Immunitas, num. 16.* Novar. *in summa bullar. tit. de immunit. Eccles. num. 27.* Trullench. *in Decalogum lib. 1. cap. 11. dub. 3. numer. 29.* Diana *tom. 3. tract. 1. resol. 37.* & *tom. 4. tract. 1. resol. 47.* & *tom. 6. tract. 1. resol. 22.* Frances *de compet. quæst. 79. numer. 28.* Xamar. *2. part. rer. judic. defin. 129.* Idem statuendum videtur de militibus deserentibus militiam, ut resolvunt Baëza *de inop. debit. cap. 16. numer. 99. & 100.* Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 14. num. 74.* Hevia Bolan. *in Curia Philip. 3. part. §. 12. num. 46.* sui enim ipsius miles quodammodo furtum facit, *l. præsenti, §. sanè, C. de his qui ad Ecclesiam*, Maschardus Treher. *de infam. lib. 3. capite 15. num. 8.*

COMMENTARIUM.

EX hac celebri Innocentii Decretali sequens deducitur communiter assertio: *Reus criminis etiam immanis ad Ecclesiam confugiens, non debet ab ea extrahi, nec ex eo condemnari ad mortem.* Probant eam textus *in capite eos 6. 87. distinct.* ubi ex Concilio Arausic. *can. 5.* le- 9. Probatur conclusio.

gitur : *Eos, qui ad Ecclesiam confugiunt, tradi non oportere, sed loci sancti reverentiâ, & intercessione defendi.* Et *capite nullus, capite reum, capite id constituimus 17. quæst. 4. capite 1. 25. quæst. 2. capite de raptoribus 3. 36. quæst. 1. cap. 1. hoc titul. in 6.* Urbanus II. *in Synodo Claromont. cap. 29. & 30. Si quis ad aliquam crucem in via persequentibus inimicis confugerit, sit liber, ac si in ipsa Ecclesia permaneat: quod si quis pro securitate Ecclesiæ, vel prædictæ crucis aliquod crimen peregerit, & ad Ecclesiam, vel ad crucem confugerit, acceptâ securitate vitæ, & membrorum reddatur justitiæ.* Innocentius II. in Synodo Romana, *can. 12. Præcipimus, ut in eos, qui ad Ecclesiam, vel cœmeterium confugerint, nullus omnino manum mittere audeat: quod si fecerit, excommunicetur.* Eugenius III. *in Synodo Rhemensi, can. 14.* ibi : *Sancimus, ut in eos, qui ad Ecclesiam, vel cœmeterium confugerint, nullus manum mittere audeat; quod si fecerit, anathema sit:* Nicolaus *ad Consult. Bulgar. cap. 95. Si quisquam ad Ecclesiam confugerit, non illum, nisi suâ voluerit sponte, ab ea dicimus educendum. Denique si quondam latrones, & diversorum criminum rei ad asylum templi Romuli fugientes indemnitatem consequebantur, quantò potiùs ii qui ad templum Christi confugiunt, sunt delictorum remissionem suorum adepti: Debent etiam sibi à suspecto juramento præstito omni pristinæ securitati restitui.* Concil. Aurel. 4. *can. 21. Si quis necessitatis impulsu ad Ecclesiæ septa confugerit, & Sacerdote, vel Præposito Ecclesiæ prætermisso, atque contempto, eum quisque de locis sacris, vel altari, seu vi, seu dolo abstrahere, aut solicitare fortè præsumpserit, ut inimicus Ecclesiæ ab ejus liminibus arceatur, quousque juxta Pontificis districtionem digna pro indicta pœnitentia emendatio subsequatur; eo tamen, qui abstractus est, priùs Ecclesiæ restituto.* Concil. Matiscon. 2. *can. 8. 9. & 10.* Tolet. 11. *can. 12.* Tolet. 12. *can. 10.* Illerdense *can. 10.* Aurel. 4. *can. 21.* Coyacense in diœcesi Ovetensi habitum anno 1050. temporibus Ferdinandi I. Regis Castellæ. *Præcipimus, ut si quilibet homo pro qualicunque culpa ad Ecclesiam confugerit, non sit ausus aliquis eum inde violenter abstrahere, nec persequi infrà dextros Ecclesiæ, qui sunt triginta passus: sed sublato mortis periculo, & corporis deturpatione, faciat quod lex Gothica jubet: qui aliter fecerit, anathema sit, & solvat Episcopo mille solidos purissimi argenti.* Blentinum anno 1322. *can. 18.* D. Ambrosius *in orat. quæ ponitur lib. 5. epistol. post epist. 32.* Trident. *sess. 25. de reform. cap. 20.* D. Augustinus *serm. 5. de dedicat. Eccles.* ibi : *Si reverentiam matris Ecclesiæ agnoscimus, sciendum est, quod cujuslibet criminis reum à sacris liminibus abstrahendo, grandis injuria religionis, ac divinitatis offensa est, qualemcunque fugientem ad domum Dei, id est de sinu matris evellere, & arcam communis expugnare profugii.* Et infrà : *Sed fortè aliquis dicit: Locus sanctus criminoso patère non debet. Non ita est, hæc enim intractabilis animi argumenta non recipit Christus, qui pro impiis mortuus, confugientibus ad se claudi aditum misericordiæ non permittit: qui latroni fidem confitenti paradisi claustra patefecit, reum à sacris adytis non vult excludi.* Ina Rex Occiduorum Saxonum in legibus Ecclesiasticis, quæ habentur *tom. 17. Concilior. regiæ editionis, l. 4. Si quis rei capitalis reus ad templum confugerit, vitam potitor, & secundum jus, fasque compensator. Si quis verbera promeritus sani suffugium imploravit, et verbera remittantor.* Alia juris testimonia congesserunt Crespetius *in summa, verbo Ecclesiarum immunitas*, Antonius Augustinus *in epit. jur. lib. 13. tit. 17.* Consonant de jure civili Roman. lex 2. ferè per tot. *C. de his qui ad Ecclesiam*, lex placet, *C. de sacros. Eccles.* Ex jure Longob. lex 2. *tit. 25. lib. 1.* & *lib. 2. tit. 39.* Ex legibus Franc. *lib. 2. Capitul. tit. 5. 90. & 122.* De jure nostro Hispano lex 3. *titul. 2. lib. 1. Recopil.* lex 4. *tit. 11. partit. 1.* lex 7. & 8. *titul. 5. libro 1. fori Castel.* lex 16. & 18. *tit. 5. lib. 6. legum Wisigoth.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa, & *de jure Eccles. libro 2. cap. 3.* Basilicus *decis. 5. crimin.* Marin. *alleg. 78. cum sequent.* Serarius *in cap. 20. Josuæ, quæst. 10.* P. Herodius *lib. 1. Pandect. tit. 9. §. 1.* Baronius *anno 58. num. 145.* Revardus *lib. 4. var. capite 6.* Guazinus *in defens. reor. defens. 1. cap. 29. cum sequent.* Salmut. *ad Pancirol. 1. p. titul. 32.* Simanc. *lib. 8. de repub. cap. 40.* Anast. Germon. *lib. 1. de sacr. immunit. cap. 15.* & *lib. 3. cap. 16.* Cironius *ad tit. de rapt.* I. Gothofr. *ad tit. C. Theodos. de his qui ad Eccles. confug.* Besoldus *in delibat. jur. ad lib. 1. Pandect. fol. 53.* Christineus *tom. 1. decis. 55. & 56.* Boëtius Epon. & Correa *in repetit. ad hunc textum*, Remigius de Goni, & Ambrosinus *in pecul. tractatib. de hac immunit.* Montalvus *in d. l. 8. fori*, Balduinus, & Cujacius *ad novel. 17. Justin.* Corrasius *lib. 5. miscel. cap. 23.* Carrasco *ad l. Recopil. cap. 3.* D. Nicolaus Antonius *de exil. libro 2. capite 34. & 35.* Petrus Gregorius *lib. 1. partit. titul. 4. cap. 3.* & *de repub. lib. 13. cap. 22. & 23.* Avendanno *de immun. lib. 2. cap. 30. num. 18.* Thom. Bonnus *de immun. Eccles. tom. 2. cap. 16. dubit. 2.* Scortia *in select. epit. 29. theorem. 58.* & *epit. 152. theorem. 385.* Corjolanus *in not. ad Concil. Arausic. 1. can. 4.* P. Grethserus *de immunit. Eccles. lib. 2 per tot.* Hunnius *in encyclop. part. 4. titul. 1. cap. 5.* Luna, & Arellanus *lib. unic. singul. capite 5. §. 4. cum sequent.* Vasconcel. *lib. 2. respons. cap. 9.* Gibalinus *de censur. in synopsi, verbo Immunitas*, Mancinus *de triplici juris collat. cap. 77.* Pereyra plures referens *de manu regia tom. 2. cap. 50.* P. Salcedo *ad D. Thomam de regim. Princip. lib. 2. cap. 16. dissert 31.* Cutellus *contra Dianam lib. 1. quæst. 2.* Kochier *in face histor. centur. 1. cap. 79.* Villadiego *in legibus fori, in l. 1. titul. 3. lib. 9.* Gabriel de Bellis *de jure sacro cap. 4. cum sequent.* Clapmarius *de jurisdict. Imper. libro 4. capite 6.* Naten. *in justitia vulner. fol. 107.* Germonius *libro 2. de sacror. immunit. cap. 16.* Gatellianus Cotta *in memorab. verbo Asylum*, Suarez *de relig. tom. 1. libro 3. cap. 8.* Vighel. *in method. juris can. fol. 233.* Acunna *in dict. capite eos, 87. distinct.* Lindembrog. *in glossar. legum antiq. verbo Ecclesia*, Alemannus *in not. ad Procopium, pag. 15. linea 8.* Grethserus *ad Codinum lib. 1. comment. 3.* Cohel. *in not. Cardin cap. 25. congreg. 4.* Alteserra *hic.*

Sed hæc assertio ita illustrata difficilis redditur sequenti juris consideratione; nam Ecclesia mater, cultrixque justitiæ est, *cap. 1. de alienat. feudor. §. sed & diversum*, nec ullam societatem admittit cum iniquitate. D. Augustinus *in cap. ecce 23. quæst. 4.* ibi : *Quomodo ergo malos pro pace tolerabimus, à quibus exire & recedere jubemur, ne tangamus?* D. Ambrosius *in cap. justa 33. 23. quæst. 4.* & idem Sanctus ait *in cap. fur-*

Traditur ratio dubitandi.

titudo

tudo 23. quæst. 3.* Patriam tueri à Barbaris, & latronibus summa justitia est, nec quicquam majus est, quod Deo in sacrificium possitis offerre, quàm si id ordinetis, ut hi qui in suam, & aliorum perniciem debacchantur, competenti debeant rigore compesci. Idem docetur *in cap. qualiter 44. 23. quæst. 5.* & Imperator Theodosius dum statuit, ut etiam tempore quadragesimæ latrones supplicio afficiantur, eam rationem assignat: Cùm in hoc facillimè summi Numinis speretur venia, per quod multorum salus, & incolumitas procuratur. Et Seneca in Hercule Furente ajebat, quod nulla pinguior victima Deo mactari potest, quàm reus iniquus. Faciunt D. Gregor. *in cap si quos 47. 23. quæst. 4.* P. Damianus *opusc. 57. de Principis offic.* plura congesserunt Bobadilla *libro 2. polit. cap. 2. num. 55.* & *cap. 13. num. 38.* Arellanus *lib. singul. lect. cap. 5. §. 4.* Arnisæus *de juribus Majest. cap. 3. num. 201.* Igitur non debet Ecclesia reos præcipuè immanium delictorum ad se confugientes fovere, ac defendere, sed potiùs judicibus sæcularibus tradere, ut debitis subdantur pœnis. Accedit, quia publicè interest ob communem salutem, ut delicta puniantur, *l. ita vulneratus, ff. ad leg. Aquil. l. locatio 9. §. quod illicitè, ff. de publican. l. Stichum 95. §. 1. ff. de solut. l. si operis 14. C. de pœnis, l. per omnes 6. C. de defensor. civit. l. si à reo 70. §. final. ff. de fidejuss.* nam si noxii pœnam non timerent, innocentes semper pertimescerent. D. Ambrosius *in Psalm. 118.* ideo obrueretur innocentia, inquit Cassiodorus *lib. 4. var. epist. 35.* si relaxaretur audacia: ea propter idem Cassiodorus ait *lib. 2. epist. 14. Pietatis genus est in illos distringere, qui se sceleratis docentur actionibus miscuisse.* Idem *in Psalmum 36. Bene, atque cautè vivendi disciplina est; iniquitas quippe mortalium more putredinis sine fine vagaretur, si eam medicinalis increpatio minimè desecaret. Crescit enim multitudo peccantium, ubi veniæ spes datur, & facilè itur ad culpas, ubi est facilis ignoscentium gratia,* ut ait Arnobius *adversf. Gentes lib. 7.* Prosequuntur Fornerius *lib. 1. select. cap. 10.* ejus filius Radulf. Forner. *lib. 6. rer. quotid. cap. 17.* D. Joan. Solorzanus *embl. 70.* Naten. *in justitia vulner. cap. 5.* Ergo rei confugientes ad Ecclesiam non sunt ab ea defendendi contra publicam utilitatem, & populi salutem. Accedit etiam, nam si immunitas pœnæ confugientibus ad Ecclesiam concedatur, augebuntur delicta facilitate impunitatis confugiendo ad Ecclesiam, præcipuè cùm hodie tot templa reperiantur constructa in civitatibus, & villis: quare ob eam rationem Tiberium sustulisse jus asylorum, narrat Tacitus *lib. 3. annal.* in his verbis: *Crebrescebat Græcas per urbes licentia, atque impunitas, asyla statuendo: complebantur templa pessimis, & sævissimis, nec ullum satis validum imperium erat coërcendis seditionibus populi, flagitia hominum ut cæremonias Deorum protegentis.* Accedit tandem, nam asyla inventa fuerunt, & in eis securitas dabatur illis, qui non tam scelere noxii, quàm humana imbecillitate lapsi veniam, & miserationem potiùs quàm pœnam merebantur, & ut ait Justinianus *in novella 17. cap. 7.* non injuriâ afficientibus, sed injuriâ affectis, ut legit Harmenopulus *lib. 2. promptuarii, tit. 9.* & exemplis illustrat Grotius *lib. 2. de jure belli, cap. 21. n. 5.* Igitur illis miseratione dignis, non verò facinorosis jus asyli in Ecclesia concedi debet, ut eleganter differit Philo Judæus *lib. de specialibus legibus*, his verbis: *Homicidæ censendi sunt, non solùm qui interimunt, sed etiam qui quicquam conantur clamque, palamque ut interficiant, etiamsi non perpetraverint facinus: quod si metu, vel audaciâ vitiis contrarius irruere tentaverint impunitatis inveniendæ gratiâ, prohibendi sunt; sin autem jam surrexerunt, dedendi sunt ad supplicium cum hoc præconio: Hominibus nefariis in fano jus asyli non deberi.* Deinde difficilis est præsens assertio, dum in ea docetur, etiam patratoribus immanium, & graviorum scelerum jus asyli confugientibus ad Ecclesiam competere; nam homicidæ proditorii ab altari avelli jubentur *in cap. 1 de homicid.* & assassini impunè extrahuntur ab Ecclesia *in c. 1. de homicidio, lib. 6.* igitur quia illis, qui graviora scelera perpetrarunt, etiam confugientibus jus asyli non conceditur.

II. *De asylis apud Indæos.*

Hac dubitandi ratione forsan moti nonnulli Doctores etiam ex Catholicis, existimarunt usum asylorum non rectè introductum fuisse, & hanc immunitatem Ecclesiasticam nimis amplam esse, ut Henric. Salmut. *ad memorab. Pancir. lib. 1. tit. 32.* Ferrar. *in praxi*, Sarpus *lib. 1. de jure asyli.* Cæterum ille parum catholicè, isti verò minùs piè rem tractarunt. Covar. *lib. 2. var. cap. 20.* Mausius *in cap. 20. Josue*, hanc Ecclesiæ immunitatem aliquâ ratione taxant. Mausium refert, & ab hæresis nota defendit P. Salcedo *de regim. Princip. dict. dissert. 31.* & certè asylorum notio omnibus pervia est, sed non æquè intellecta ejus causa: quare ut eam plenè agnoscamus, hoc asylorum jus ab origine repetamus sigillatim de eo agentes, tam apud Judæos Gentiles, quàm Catholicos, Apud Judæos fuit asylum, ad quod confugere rei possent, nempe altare, & tabernaculum. Eò confugit Joab, qui occiderat Abner, & Amasam, ut refertur *libro 3. Regum, cap. 2. vers. 28.* ibi: *Fugit Joab in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris.* Sed eum Salomon de medio tolli jussit, eo quod meditatæ cædis reus, religione loci tutus non esset, juxta legem Exodi *cap. 21.* relatam his verbis: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, ab altari meo evelles, ut morte moriatur.* Tandem Demetrius Rex cùm sibi voluntates Judæorum conciliare studeret, illud inter cætera in loci, & gentis illius gratiam concessit, ut quicunque confugeret in templum, quod est Hierosolymis, & in omnibus finibus ejus, obnoxii Regi in omni negotio dimitterentur. Refertur *1. Machab. cap. 10. vers. 43.* & id propterea à Rege videtur indultum, ut hac ratione Judæis ostenderet, se illorum religioni favere velle, eamque sartam tectam conservare. Et ita templum apud Judæos pro asylo fuisse, docuerunt Abulensis *in capite 20. Josue, quæst. 3.* ubi Serarius & Andreas Mausius, Becanus *in analog. cap. 19. num. 3.* P. Menochius *de repub. Hebræor. libro 5. capite 6.* Marquez *in gubernat. Christ. libro 2. capite 32.* Coqueus *in not. ad D. Augustinum de civit. Dei, capite 14.* Pineda *de rebus Salomonis lib. 6. cap. 14.* D. Joan. Suarez *ad leg. Aquil. lib. 1. cap. 2. sect. 9. num. 9.* Gambacurta *lib. 1. de immunit. cap. 8.* D. Nicol. Anton. *de exilio cap. 6. lib. 1. ex num. 12. ad finem.* Etiam apud Hebræos cùm ob eorum duritiam permissum esset cuique, ut cæderet percussorem propinqui sui, cujus successor ipse erat, dixit Do-

minus Moysi, ut certas civitates pro refugio, & asylo statueret, ut illic servaretur occisor donec judicium ageretur; appareretque per accidens-ne, vel ex proposito, an ignorantia, casuve, seu ad sui tutelam hominem occidisset. Rem totam explicat Numerorum liber *cap. 35.* his verbis: *Ait Dominus ad Moysem: Loquere filiis Israël, & dices ad eos, quando transgressi fueritis Jordanem in terram Chanaam, decernite quæ urbes esse debeant in præsidio fugitivorum, qui nolentes sanguinem fuderunt, in quibus cùm fuerit profugus, cognatus occisi non poterit eum occidere, donec stet in conspectu multitudinis, & causa illius judicetur. De ipsis autem urbibus, quæ ad fugitivorum subsidia separantur, tres erant trans Jordanem, & tres in terra Chanaam, tam filiis Israël, quàm advenis, atque peregrinis, ut confugiat ad eas, qui nolens sanguinem fuderit, &c.* Urbes istæ Levitarum sex assignatæ fuerunt à Josue post Moysis decessum, ut traditur *Josue cap. 20.* tres ultra Jordanem contra Orientalem plagam Jericho, nempe Bosser, in deserto, de tribu Ruben; Ramoth in Galaad, de tribu Gad; Gaulon in Basan, de tribu Manasse. Cis Jordanem istæ, Cedes in Galilæa, in monte Nephtali; Sichem in monte Ephraim; Cariatharbe in valle Hebron. De his civitatibus ait Oleaster *in cap. 35. Numer.* has urbes oportebat non nimis amplas esse, nec parvas: non quidem parvas, ne necessaria ad vitam deficerent; non nimis magnas, ne ex frequentia nominum latere posset sanguinis occisi redemptor. Referunt & illustrant hoc jus asyli improprii apud Hebræos ob necem casu admissam Josephus *lib. 4. antiquit. cap. 7.* Philo Judæus *de specialibus legibus, cap. 6. & 7.* Isidorus Pelusiota *libro 3. epist. 108.* D. Ambrosius *de Abel, & Cain. lib. 2. cap. 4.* Christianus Andricomius *in theatro Terræ sanctæ*, Serarius, & Masius *in cap. 20. Josue*, Lorinus *in cap. 4. Deuter.* & *in dicto cap. 35. Numer.* Beyerlinch *in theatro vitæ hum. verbo Asylum*, & verbo *Refugium.* Novarin. *lib. 7. Schediast. cap. 17.*

12. *De jure asylorum apud Gentes.*

Asyli si non causam, saltem jus nationes omnes mundi acceptum referre debent Gentibus, nec est quod disputes, primusne invenerit Cadmus, an Hercules? Illud constat, Herculis Thebani liberos, vel ut se ab inimicis tutarentur, vel ut ad se alios protraherent, asylum, hoc est templum Misericordiæ collocasse. Servius *ad lib. 8. Æneid. Virgil.* ibi: *Postquam Hercules migravit de terris, nepotes ejus timentes insidias eorum, quos avus afflixerat, Athenis sibi primi asylum, hoc est templum Misericordiæ collocarunt, unde nullus possit abduci.* Historiam refert, & templum ipsum describit Statius Papin. *libro 12. Thebaid.* quem non gravabor totum appingere.

Urbe fuit mediâ nulli concessa potentum
Ara Deûm, mitis posuit Clementia sedem,
Et miseri fecere sacram: sine supplice nunquam
Illa novo: nullâ damnavit vota repulsâ.
Auditi quicunque rogant, noctesque, diesque
Ire datum, & solis numen placare querelis.
Parca superstitio: non thurea flamma, nec altus
Accipitur sanguis, lacrymis altaria sudant.
Mœstarumque super libamina serta comarum
Pendent, & vestes mutatâ sorte rebellâ.
Mite nemus circa, cultus, insigne verendo
Vittatæ laurus, & supplicis arbor olivæ.
Nulla autem effigies, nulli concessa metallo
Forma Deæ, mentes habitare, & pectora gaudet.
Semper habet trepidos, semper locus horret egenis
Cœtibus, ignotæ tantum felicibus aræ.
Fama est defessos acie post busta paterni
Numinis Herculeos sedem fundasse nepotes.
Fama minor factis: ipsos nam credere dignum
Cœlicolas [illegible] tellus quibus hospita semper
Athenæ
Ceu leges, hominemque novum, rituque sacrorum
Seminaque in vacuas hinc descendentia terras,
Sic sacrasse loco commune animantibus ægris.
Confugium, unde procul starent reque, minaque.
Regnaque, & à justis Fortuna recederet aris.

Ex Pausania, Aristophane, & aliis probant Samuel Petitus *libro 1. ad jus Atticum*, tit. 1. Germonius *dict. cap. 16.* Serarius *in cap. 9. Josue*, Theophilus *tom. 6. fol. 485.* & de Numine, cui ara hæc dicata esset, agunt Covarr. *lib. 2. var. cap. 20. num. 2.* Ramirez à Prado *in Pentecont. cap. 16.* Mariana *in opusc. pro edit. vulgata, cap. 6. in fine.* Spondanus *in epit. Baronii, anno 52. n. 3.* Marquez *in gubernat. Christ. lib. 2. cap. 32.* M. Fr. Joseph. de Aguirre *ludo 10. per totum.* Postea jus hoc asyli defluxit ad Romanos; nam Romulus, ut quamplures haberet Romani Imperii incolas asylum constituit, sacrum videlicet quemdam locum, inter collem, & Capitolium aperuit, quò quisquis confugeret, ab omni noxa liber esset, de quo Ovidius *lib. 3. Fastor.*

Romulus ut saxo locum circumdedit alto,
Quilibet huc, inquit, jam fuge, tutus eris.

Virgilius *lib. 8. Æneid.* Livius *lib. 1.* Juvenal. *satyr. 8.*

Et tamen, ut longè repetas, longeque revolvas,
Nomen ab infami gentis deducit asylo.

Ad quem Juvenalis locum alludens D. Augustinus *lib. de consensu Evangelist.* ait: *Nec enim possunt dicere pietatem, ac mores suos à Diis gentium, quas vicerunt, electos: nunquam hoc dicent si primordia sua recolant, facinorosorum asylum.* Lactantius *lib. 2. de divin. instit. cap. 7.* sic ait: *Romulus urbem conditurus, pastores, inter quos adoleverat, convocavit. Cumq; is numerus condendæ civitati parum idoneus videretur, constituit asylum, & passim confugerunt ex finitimis locis pessimi quique sine ullo conditionis discrimine.* D. Cyprianus *de idolorum vanitate*, ibi: *Populus de sceleratis, & nocentibus congregatur, & asylo constituto facit numerum impunitas criminum.* Postea aliis templis idem jus asyli datum est, ut referunt Cicero *in oratione pro domo sua*, ibi: *Hic aræ sunt, hic foci, hic Dii Penates, hic sacræ religionis cæremoniæ continentur: hoc perfugium est ita sanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas sit.* Romanos etiam asylum erexisse in templo Pacis, tradit D. Thomas *lib. 2. de regim. Princip. cap. 15.* Ælius Lamprid. *in vita Heliogabali*, sic de Heliogabalo scribit: *He fertur occiso Macrini factione patre (ut dicebatur) Antonio, in templum Dei Heliogabali confugisse, velauti in asylum, ne interficeretur à Macrino.* Idem quoque

quoquè, immò longè sanctius confugium præbuerunt Romani Cæsarum statuis, ut constat *ex l. apud 17. ff. de adilit. edict.* quam doctè exponit Samuel Petitus *ad ll. Atticas lib. 1. tit. 1. l. 2. ff. de his qui sunt sui, l. 1. l. 5. ff. de offic. Præfect. Urb. l. 28. §. 7. ff. de pœnis, l. 5. ff. de extraord. crimin. l. unic. C. de his qui ad statuas.* Brissonius *lib. 1. de V. S.* & plerique per calumniam illis utebantur, adeo ut essent, qui ut pœnæ exsortes se redderent, imaginem Cæsaris gestarent. Unde Tacitus *lib. 3. annal.* ait: *Incedebant deterrimi quique cum licentia impunè probra, & invidiam in bonos excitandi, arreptâ imagine Cæsaris.* Expressiùs scribit Philostrates *lib. 1. de vita Apol. Erat apud Aspendios asylum Tiberii, & statuæ, quæ sanctiores illis in locis, venerabiliores que, quàm Jovis Olympii simulacrum habebantur, ita ut impietatis damnatus quidam fuerit, quòd servum suum verberasset, qui drachmam argenteam Tiberii imagine signatam gestabat.* Facit lex *Senatusconsulto 38. ff. de injuriis*, Borellus *tom. 2. decis. tit. 36. num. 185.* Prosequuntur alia de hoc jure asyli apud Gentiles Joan. Kochier *in face hist. cent. 1. cap. 79.* Clapmarius *lib. 4. de jure domin. cap. 6.* Revardus *lib. 1. variar. cap. 6.* Corrasius *lib. 5. miscel. c. 23.* Arnisæus *lib. 1. de repub. cap. 3. sect. 8.* Ritherus. *ad Salvianum de gubern. Dei, ad pag. 159. fol. 173.* Salmut. *ad Pancirol. lib. 1. memorab. tit. 31.* Sarpius *lib. 1. de asyl.* Lipsius *ad lib. 3. annal. Taciti*, Cohel. *in not. Cardin cap. 15. congreg. 4.* Germon. *lib. 1. sacror. cap. 15.*

13. *De immunitate Ecclesiæ.*

In lege gratiæ sunt, fueruntque jam à primis Ecclesiæ sæculis asyla, Ecclesiæ scilicet, & altaria Deo consecrata, à quibus abducere confugientes non liceret. Primum statutum credo in Concilio Arausic. celebrato anno 341. *num. 4.* relato à Gratiano *in cap. eos qui, 87. dist.* & Gelasius Papa, qui floruit per annos 492. *in cap. fratre 17. quæst. 4.* refert nunquam antè ipsum Principibus sæcularibus licuisse reos ad Ecclesiam confugientes invitos extrahere: & in Concilio Aurel. 1. *can. 35.* celebrato anno 514. refertur jam ad antiquis Ecclesiæ canonibus fuisse statutum, ibi: *De hominibus adulteris, & furibus, si ad Ecclesiam confugerint, id constituimus observandum, quod Ecclesiastici canones decreverunt, & lex Romana constituit, ut ab Ecclesiæ atriis reos extrahere omnino non liceat.* Ex quibus verbis constat, canones de hac immunitate Ecclesiarum antiquiores esse ipso Concilio Aurel. 1. quod verò de lege Romana ibi dicitur, referri potest, vel ad constitutionem Honorii, & Theodosii, relatam *in l. pateant 2. C. de his qui ad Ecclesiam*, cujus historiam refert Baronius *anno 414.* & integra extat in actis Concilii Ephesini; vel ad secundam constitutionem Leonis relatam *in l. 6. C. eod. tit.* cujus historiam tradit ipse Baronius *anno 466.* firmata fuit hæc eadem immunitas in Concil. Matiscon. celebrato anno 588. *in can. 8.* ubi PP. ita sanxerunt: *Comperimus quosdam Pseudo-Christianos de sacrosanctis Ecclesiis, suæ religionis oblitos, fugitivos subtrahere; ideo censemus, ut quicunque culpa compellente, aut potentum importuna non sustinens, suæ gremium matris Ecclesiæ petierit, usque ad præsentiam Sacerdotis in eodem loco inconcusse permaneat, nulli permittens quolibet dignitatis gradu functo, fugitivo etiam in locis sacris violentiam inferre. Si enim mundani Principes suis legibus censuerunt, ut quicunq; ad eorum statuas fugerit, illæsus habeatur; quanto magis hi permanere debent indemnati qui patrocinium immortalis regni, & cœlestis adepti sunt?* Ad eundem canonem sanciendum Patres moti fuerunt ob miros, & diversos casus, qui variis in locis eo tempore contigerunt; & maximè ob eos, quos hoc eodem anno accidisse refert Gregorius Turon. *lib. 7. histor. Francor. cap. 21. & 22.* In Concilio etiam Mogunt. relato *in cap. sicut 17. quæst. 4.* dum firmatur hæc Ecclesiæ immunitas, excipiuntur publici latrones, & in præsenti textu etiam illis & nocturnis depopulatoribus immunitas denegatur. Successerunt constitutiones Innocentii VIII. qui anno 1485. hoc immunitatis privilegium non competere declaravit homicidis, incendiariis, depopulatoribus agrorum, Regis, & regni proditoribus: quam refert Bzovius *anno 1487.* & narrat Spondanus *in continuat. Baronii, anno 1485.* Tandem Gregorius XIV. his adjunxit assassinos, & homicidas proditorios in sua bulla, quam referunt Cherubinus *tom. 2. bullar.* Vincent. Tancredus *de virtute religionis, tract. 1. lib. 4. disp. 8.* & explicat Gambacurta: sed eam non esse in Hispania usu receptam, testantur Salgado *de supplicat. p. 1. cap. 2. sect. 3. num. 141.* Carrasco *ad ll. Recopil. cap. 3. §. 1. num. 20.* Hevia *in Curia Philip. 3. p. §. 11. num. 57.* Gutierrez *practic. lib. 1. q. 154. num. 4.* & agnovit Diana *p. 1. tract. 1. resol. 32.* Barbosa *de pension. q. 8. num. 48.* ait dispositionem illius bullæ non esse usu receptam in ea parte, quâ prohibet extrahi reos ab Ecclesia; in cæteris verò esse receptam. Videndi sunt Frances *de compet. quæst. 35. & 74. per tot.* Marinis *lib. 1. resol. 171.* Basilius *decis. 41.* Prædictos casus, & alios congerunt Interpretes, in quibus impunè confugiens ad Ecclesiam, ab ea extrahi potest, quos longum foret recensere. Videndi sunt Boetius Epon. *in præsenti*, Remigius de Goni, & Thom. Delbene *ubi suprà*; Frances *de compet. q. 79. 80. & 90.* Basilicus *decis. 9.* ubi agit de occidentibus Legatos; aut ministros Regios. Pereyra *d. 2. p. de manu regia, cap. 50.* Corrasco *ad ll. Recopil. cap. 3.* Diana passim *tract. 1. in 1. 2. 3. 4. 5. & 6. parte.* Suarez *de relig. tom. 1. lib. 3. cap. 11. & 12.* & circa personas, præcipuè infideles; hæreticos; & Judæos gaudentes, vel non hoc privilegio; Acunna *in cap. eos, 87. dist.* Ricciulus *de jure person. extra grem. cap. 12.* nec solùm hæc immunitas concessa est confugientibus ad Ecclesiam, verùm & ad crucem. Urbanus II. in Synodo Claromontan. suprà relata: probat Grethserus *de cruce lib. 1. cap. 64.* & meritò; nam apud Gentiles confugientes quoque ad signa militaria tuti erant ab omni læsione, forsan quia Imperatorum imagines illis plerumque annexæ erant. Tacitus *lib. 1. annal.* ibi: *Nec aliud periclitanti subsidium, quàm castra primæ legionis: illic signa, & aquilam complexus, religione sustinebatur.* Ammianus Marcel. *lib. 25.* ibi: *Fraudum conscius & noxiorum ad militaria signa confugit.* Idem etiam resolvunt Doctores de confugientibus ad Sacerdotem, dum defert sacrum corpus Domini nostri processionaliter, aut ad infirmos. Azevedo *in l. 2. tit. 1. num. 15. lib. 1. Recopil.* Perez *in l. 1. tit. 1. lib. 1. ordin.* Quod etiam Paganorum exemplo firmari valet; nam & Flamini Diali tantus honor olim delatus fuit; ut si ille, qui ad flagellandum ducebatur, supplex ad ejus pedes procubuisset, eo die verberari piaculum esset. Aul. Gellius *lib. 10. noctium, cap. 15.* Plutarchus *in problem.* quin & apud nos Cardinalis occursum ad liberationem rei damnato prodesse,

si pileum imponat capiti ejus, qui ad supplicium ducitur, referunt, & probant Baldus, & Paulus Castrensis *in l. adjectos, C. de appellat.* Bartholom. Cæpol. *cautel. 2.* Fornerius *rer. quotid. ubi suprà*, Roussel. *histor. juris Pont. lib. 2 cap. 10.* De Ecclesia verò, ac ejus ambitu, ac cœmeteriis agemus infrà *in capite Ecclesiæ, hoc titul. de immunit. Eccles.*

14. *Traditur ratio decidendi.*

His suppositis ratio præsentis assertionis, & hujus immunitatis provenit ex veneratione, quæ debetur Ecclesiæ, quia ejus honor læditur, si ille, qui confugit ad ipsam, violenter extrahatur. Accedit, nam si apud Gentiles ii, qui deposcebantur ad mortem ob scelus aliquod, si aram, si Dei simulacrum tenuissent, si denique Principis statuas, aquilas, signaque castrensia amplexi fuissent, se religione tutabantur, eosque inde abstrahere per vim piaculum erat; nonne æquum fuit vero Numinis nihilo minùs venerationis impendi à Christianis, quàm à Gentilibus vanissimis illis, commentitiisque Diis tribueretur? ut ajebat Nicolaus *cap. 95. ad consulta Bulgar.* suprà relatus pro illustratione conclusionis. Adde hoc esse divinæ Majestatis documentum, dum ejus ædes, & templa, in quibus D E U M veneramur, illiq e sacra facimus, apud nos sacrosancta adeò habentur, ut illa violari credamus, si qui ad ea confugerint, ut tuti esse possint, in loci sanctitate præsidium nostro vitio non invenerint. Tandem hæc immunitas pertinet ad rectam Reipublicæ gubernationem, ut post patratas cædes incitati vindictæ libidine animi eorum, quorum interest, priùs resideant, & componantur, atque ita consilio potiùs quàm impetu res peragatur. Rectè ergo tot Ecclesiæ canonibus suprà relatis statutum est, ne confugientem ad Ecclesiam quis audeat violenter extrahere. Hanc immunitatem variis, & miris prodigiis illustrat Theophilus *tom. 6. in Achatisto, fol. 485.* & confugientem ad Ecclesiam extrahens jure civili puniebatur capitali pœnâ, *l. præsertim, C. de his qui ad Ecclesiam:* docent Menoch. *de arbitr. lib. 2. capite 360. numero 68.* Farinac. *de carcerib. quæstione 28. numero 2.* & *in opusc. de immunit. capite 20. numero 309.* Tusch. *verbo Ecclesia, conclus. 4. numero 2.* Azor *2. part. lib. 9. cap. 9. quæstione 11.* licèt, ut notarunt Suarez *dicto tom. 1. de relig. libro 3. capite 13. numero 1.* Bonacina *de immunit. quæstione 6. §. 6.* hæc pœna abrogata sit consuetudine. Sacris canonibus punitur hoc crimen multâ triginta librarum examinati argenti, & judex potest eam pœnam augere, aut minuere pro delicti, & delinquentium conditione, *capite si quis contumax 17. quæst. 4.* excommunicatio infligenda est, & pœnitentia publica imponenda, *cap. sicut, cap. fratres, cap. definivit. 17. quæst. 4.* quas pœnas innovavit Gregorius XIV. *in d. sua bulla, §. 19.* hanc tamen censuram minimè reservatam esse Pontifici, sed à quolibet confessario tolli posse, docuerunt Diana *part. 1. tractatu 1. resol. 41.* aliis relatis Gibalinus *de censur. in synopsi*, *verbo Immunitas*, Castropalao *tract. 11. disputat. unic. punct. 12.* qui praxim tradit pro his locis, in quibus non est recepta bulla Gregorii.

15. Diffinitur hæc immunitas.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam ex hac immunitatis concessione non rectè deducitur, Ecclesiam delicta fovere; nam Ecclesia defendendo confugientes ad eam, non fovet peccata, sed concedit misericordiam delinquentibus, ut rectè notarunt Gutierrez *pract. lib. 3. quæst. 5. num. 9.* Germonius *lib. 3. de sacror. immunit. cap. 16. num. 15.* & licèt interfit Reipublicæ, ne delicta maneant impunita; etiam Reipublicæ interest, quod Ecclesiæ sint refugium confugientibus ad ipsas, ob honorem & reverentiam Deo debitam, quod est majus bonum in ordine superiori; nec exinde datur occasio delinquendi, sed potiùs sumitur à malitia hominum talis occasio. Unde cùm hæc immunitas sit statuta propter majus bonum, quod ipsa Ecclesia intendit, non debet prædicta occasio attendi. Etenim hujusmodi immunitatis est primò majestas, reverentia, & honor Ecclesiis debitus; Secundò misericordia Dei, *& benignitas Ecclesiæ.* Quod autem ex hac immunitate nonnulla incommoda sequantur, non propterea abolenda, aut reprobanda ea est, quia nulla in regimine Ecclesiastico, sive civili institutio, quantumvis bona, est, ex qua mali occasionem non arripiant scelera committendi. Quid enim melius, & sanctius, quàm misericordia Dei? & tamen impii abutuntur ea. Nec obstat augmentum dubitandi rationis deductum ex dicto capite 1. *d. homicid. in 6.* nam ut suprà dixi, licèt Innocentius III. in præsenti tantùm latrones, & agrorum depopulatores immunitate non gaudere dixerit; tamen ex aliis constitutionibus Pontificiis, & bulla Gregorii XIV. aliis etiam enormia delicta perpetrantibus hæc immunitas denegatur, ut referunt Barbosa *in præsenti*, Thom. Bennus *tom. 2. de immunit. cap. 16.* & in his casibus si judex Ecclesiasticus pronunciaverit, reum immunitate gaudere, à tali sententia appellari non potest: pluribus relatis docet Barbosa *libro 1. voto 8. num. final.*

CAPUT VII.

Idem *in* (a) *Concilio Generali.*

ADversus Consules, & Rectores civitatum, vel alios, qui Ecclesias, & Ecclesiasticos viros (b) talliis, seu collectis, & exactionibus aliis adgravare nituntur, volens immunitati Ecclesiasticæ Lateran. Concilium providere, præsumptionem hujusmodi sub anathematis districtione prohibuit, & transgressores, & fautores eorum excommunicationi subjacere præcepit, donec satisfactionem impenderint competentem. Verùm si quando fortè Episcopus simul cum clericis tantam necessita-

necessitatem, & utilitatem perspexerint, ut absque ulla coactione ad relevandas utilitates, vel necessitates communes, ubi laïcorum non suppetunt facultates, subsidia duxerint per Ecclesias conferenda, prædicta laïci humiliter, & devotè recipiant cum gratiarum actione: propter imprudentiam tamen quorundam Romanus Pontifex priùs consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere. Quia verò nec sic quorundam malitia contra Dei Ecclesiam conquievit, adjicimus, ut constitutiones, & sententiæ, quæ à talibus, vel de ipsorum mandato fuerint promulgatæ, inanes, & irritæ habeantur, nullo unquam tempore valituræ. Cæterùm quia fraus, & dolus alicui patrocinari non debet, nullus vario decipiatur errore, ut intra tempus regiminis sustineat anathema, quasi post illud non sit ad satisfactionis debitum compellendus. Nam & ipsum, qui satisfacere recusaverit, & successorem ipsius, nisi satisfecerit intra mensem, manere decernimus Ecclesiasticâ censurâ conclusum, donec satisfecerit competenter: cùm succedat in onere, qui in honore substituitur.

NOTÆ.

1. (a) *Generali.*] Lateranensi videlicet sub Innocentio III. ubi *cap. 46.* & in quarta collectione, *sub hoc tit. cap. 3.* reperitur textus hic. De hoc Concilio nonnulla notavi *in cap. 1. de summa Trinit.*

(b) *Tallias.*] Tallia nomen à talliando, id est incidendo accepit; quoniam de bonis illatio hæc velut abscinditur, & talliatur: inter genera exactionum eam refert P. Blesensis *epist. 102.* ibi: *Quid de talliis, & actionibus? quid de obventionibus placitorum, & cæteris improbis extorsionibus loquar?* Exponunt Lindembrogius *in glossar. verbo Tallia*, & Vossius *de vitiis serm. lib. 2. cap 18.*

COMMENTARIUM.

2. ARgumentum hujus textus prorsus idem est cum capite *non minùs*, *suprà hoc tit.* ubi refertur canon Concilii Lateran. cujus hîc meminit Innocent. III. nisi quod hîc plus additur cautionis contra Consules, vel Magistratus, vel Officiarios civiles, qui clericos exactionibus oneraverunt. Primùm ut clerici priùs Romanum consulant Pontificem, quàm in exactiones ullas hujusmodi, etiam voluntarias, atque spontaneas consentiant. Secundò ut constitutiones, & sententiæ laïcorum talium (qui nimirum propter vexatos clericos excommunicati fuerint, sicut in ipso fonte clariùs exprimitur) inanes, & irritæ sint, nec ullo tempore convalescant. Tertiò, ut excommunicatio talium laïcorum perduret etiam finito ipsorum officio, vel magistratu; quin immò, ut & successores eorundem simili involvantur excommunicatione, nisi intra mensem satisfecerint. Sed quia de hac immunitate latè egi suprà *in cap. non minùs*, *hoc tit.* in præsenti tantùm referam, quæ ab Innocentio specialiter adjiciuntur. Primò videlicet, ut clericis tributa imponi non possint, etiam ob communem necessitatem, absque consensu Summi Pontificis: quod etiam firmarunt Alex. IV. *in cap. 1. cap. clericis*, *hoc tit. in 6.* Benedictus XI. *in extravag. unic. hoc tit.* Bulla in Cœna Domini, §. 18. & ita docuerunt Lugo *tom. 1. de justitia*, *disput. 36. sect. 8. num. 127.* Gregor. Lopez *in l. 54. tit. 6. partit. 1.* Azevedo *in l. 1. titul. 3. lib. 1. recopil. num. 7.* Gutierrez *lib. 1. practic. q. 6. num. 3.* Azor *tom 1. mor. lib. 5. cap. 13. quæst. 8.* Bonacina *tom. 3. disput. 1. q. 19. punct. 3. §. 3. num 15.* Castropalao *tom. 1. tract. 12. disput. unic. punct. 11. num. 7.* Diana *p. 7. tract. 1. resol. 9.* Castillo *tom. 7. de tertiis*, *cap. 9. num. 50.* Illud etiam adjecit Innocentius III. in præsenti, ut videlicet ordinationes laïcorum excommunicatorum propter tributa imposita clericis irritæ sint; ac inanes, nec ullo tempore convalescant, sive detecta sit causa excommunicationis, sive non, ut exponit Boëtius Epon. *in præsenti, num. 12.* Tandem adjecit Innocentius, ipsos Magistratus sæculares etiam depositio officio non liberari ab excommunicatione jam incursa; immò conveniri posse propter vexationem factam Ecclesiasticis personis, etiamsi utilitas principaliter ad Rempublicam spectaret, ut explicat Boëtius Epon. *in præsenti, num. 33.*

CAPUT VIII.

Idem *in* (a) *eodem.*

QUia plerique Prælati, ut (b) procurationem aut servitium aliquod impendant Legato vel alii, plus extorquent à subditis, quàm (c) solvunt, & in eorum damnis lucra sectantes, quærunt prædam potius quàm subsidium in subjectis, id de cætero fieri prohibemus. Quod si quis fortè præsumpserit, & sic extorta restituat, & (d) tantumdem cogatur (e) pauperibus elargiri. Superior autem cui fuerit querela deposita, si negligens fuerit in hujusmodi executione statuti, subjaceat ultioni.

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) *In eodem.*] Concilio videlicet Lateran. generali, celebrato sub Innocentio III. ubi *cap. 34.* sub hoc summario, *de subditis non gravandis sub prætextu alicujus servitutis*, refertur hic textus, & in quinta collectione, *sub hoc tit. c. 4.*

(b) *Procurationem.*] De procurationibus, & à quibus præstantur, egi *in cap. procurationes, de censibus.*

(c) *Quam solvunt.*] Valde æquum est, Prælatos Ecclesiæ pro colligendis iis, quæ Legato Pontificis procurationis nomine penduntur, nullum debere lucrum sectari, cum ad hoc teneantur ex officio, & quidem jurato, *cap. ego N. de jurejur.* quare turpissimum est sub alieni subsidii prætextu lucrum quærere.

(d) *Tantundem.*] Et ita duplum refunditur, non quadruplum, vel triplum, quia licèt injusta sit hæc exactio, non tamen ullam rapinæ speciem continet.

(e) *Pauperibus elargiri.*] Hæc verba exposui *in cap. procurationes, de censibus.*

CAPUT IX.

Gregorius IX. (a) *Astoricen. Episcopo.*

ECclesiæ, in qua divina mysteria celebrantur, licèt adhuc non extiterit consecrata, nullo jure privilegium immunitatis adimitur. Quia obsequiis divinis dedicata, nullis est temerariis ausibus profananda.

NOTÆ.

1. (a) *Astoricensi.*] Contius, quem sequitur Boëtius Epon, *in præsenti, legit Senonensi:* nec facile cognosci potest, utra lectio verior sit. Si retineatur vulgaris inscriptio, quam & retinet Boëtius, *Episcopo* videlicet, de Astoricensi Prælato accipienda est, cùm Senonensis Ecclesia temporibus Gregorii IX. Archiepiscopalis esset, ut notavi, *in cap. 6. de constit.* De diœcesi Astoricensi egimus *in cap. 17. de rejudic.*

COMMENTARIUM.

2. IMmunitatem, seu jus asyli confugientibus ad Ecclesiam concedi, latè probavi suprà *in cap. inter alia*: unde in præsenti tantùm exponendum est, quibus Ecclesiis id jus asyli competat, & usque ad quem ejus ambitum. In hoc textu primò statuit Gregorius, Ecclesiam nondum consecratam per Episcopum juxta ritus suprà relatos *in cap. 1. de consecr. Eccles.* sed tantùm dedicatam, & benedictam, ut hodie in usu est, ut Missæ sacrificium possit celebrari, gaudere hoc jure asyli, & meritò; nam cùm quoad omnia Ecclesia tantùm benedicta basilica dicatur, *cap. 1. de relig. domib.* & in ea sacra mysteria peragantur, & divina officia celebrentur, meritò omnibus privilegiis Ecclesiæ fruitur, ut docuerunt Suarez *de relig. tom. 1. lib. 3. cap. 9.* Barbosa *de jure Eccles. lib. 2. cap. 6.* Sanchez *tom. 2. consil. lib. 6. cap. 1. dubit. 6.* Thom. Delbene *tom. 2. de immunit. cap. 16. dubit. 9. sect. 2.* Marinis *lib. 1. resol. cap. 178.* Nec interest, quod in ea sacrosancta Eucharistia asservetur, necne. Gambacurta *lib. 3. de immunit. cap. 4. & 5.* nec etiam desideratur, quod in ea Missæ sacrificium sit oblatum, ut probat Delbene *d. sect. 1.* qui *sect. 3.* idem resolvit de Ecclesia polluta, nec adhuc reconciliata: & *sect. 4.* idem tradit de Ecclesia interdicta: & *sect. 6.* idem resolvit de Ecclesia diruta sine superioris licentia: & *sect. 10.* idem probat de hospitali, seu oratorio Episcopi auctoritate constructo.

Secundò quoad ambitum Ecclesiæ sciendum est, non solùm Ecclesiam gaudere hoc jure asyli, verùm & ejus cœmeterium, ex quo sontes abstrahi non debent, ex decreto Innocentii II. in Synodo Rom. *cap. 22.* quare olim in cœmeteriis collocatæ erant cruces, quibus septa, & ambitus designabantur, ne quis terminos illos transgredi auderet. Anonymus *lib. 4. de miracul. S. Benedicti*, ibi: *Denique cruces aliquantulum excelsas per gyrum cœmeterii posuerunt, quas nemo suum persequens inimicum transgredi audeat.* Nec tantùm Ecclesia fruitur hac immunitate quoad internam partem, sed etiam quoad externam, videlicet totam fabricam, ita ut capellæ, balbæ, tectum, parietes, sacristiæ, & turres hoc jure potiantur; quia omnes hi loci in lata significatione Ecclesia dicuntur, *l. pateant, C. de his qui ad Ecclesiam confugiunt, cap. id constituimus 17. quæst. 4.* argumento legis *qua religiosis, ff. de R. V.* pluribus relatis probat Delbene *d. cap. 16. sect. 6.* etiam eodem privilegio gaudet Ecclesia quoad loca adhærentia, videlicet clausstrum, porticum, dormitorium, & similia loca. Delbene suprà, *sect. 7.* Idem dicendum est quoad confines, *cap. sicut, cap. quisquis 17. quæst. 4. l. præsertim, §. ex his, Cod. de his qui ad Ecclesiam.* In decreto Clotarii ad legem Salicam, *l. 13.* ibi: *Nullus latronem, vel quemlibet culpabilem, sicut summis Episcopis convenit, de atrio Ecclesiæ trahere præsumat.* Constitutio Theodos. Junior. & Valentin. *in l. pateant 3. C. de his qui ad Ecclesias confugiunt*, quæ integra reperitur ad Calcem Concilii Ephesini, & eam transcripsit I. Gothofr. *sub eodem tit. in Theod.* ejusque constitutionis historiam referunt Socrates *lib. 7. histor. Eccles. cap. 32.* Niceph. Calixt. *lib. 14. cap. 32.* Marcel. Comes *in Chron.* Baronius *anno 431. num. 3.* Supponendum enim est, jamà primis Ecclesiæ canonibus certum spatium præscriptum fuisse pro atrio, vel ambitu templi, ut refertur *d. cap. sicut*, ibi: *Sicut à sanctis Patribus est statutum, ut major Ecclesia per circuitum 40. passus habeat; capella verò, vel Ecclesia minores 30.* Et in Concilio Tolet. 12. *can. 10.* ante Nicolaum ipsius textus auctorem celebrato, ita statuitur: *His ipsis, qui Ecclesias petunt,* per

per omnia licitum in 30. passibus ab Ecclesiæ januis progredi, in quibus 30. passibus cujuscunque Ecclesiæ in toto circuitu defendatur: sic tamen, ut qui ad eam confugiunt, in extraneis, vel longè separatis domibus ab Ecclesia nullo modo obcelentur. Hunc ambitum passus Ecclesiasticos vocat Joan. Papa relatus à Gratiano *in cap. quisquis 21 17. q. 4.* Bosqueto ad Innocent. III. *lib. 1. epist. 164.* ibi: *Si quis infregerit Ecclesiam, vel 30. Ecclesiasticos passus, qui in circuitu Ecclesiæ sunt, &c.* Etiam hoc spatium canonicum dixit Innocent. III. in dicta epistola 164. ibi: *Patracensi Archiepiscopo canonicum spatium circa Ecclesiam relinquatur.* Et passus dextros dixerunt PP. Synodi 6. in Trullo, *can. 6.* Synod. Coyacen. ibi: *Prohibitum fuit violenter reum abstrahere intra dextros Ecclesiæ, qui sunt 30. passus.* Marculfus *formul. 1 o 4.* ibi: *Habet in longo dextros tantùm.* Notavit Cironius *in cap. 2. de jurepatron. in 5. compil.* Nec omittendum est, quod auctores finium regundorum de terminis ædium sacrarum à Gentilibus præfixis, & designatis referunt; siquidem ut ambitum loci sacri definirent, quatuor aras à quatuor mundi partibus humi defodiebant, ut si templs limites quærerentur, hi termini proderent quousque religio pertineret: ita enim habet Dolabella *de finibus*, apud Aggenum ibi: *Fines templares sic quæri debent, ut si in quadrisinioes positus, & quatuor possessionibus finem facis, & quatuor aras quæris, & ædes quatuor ingressus habet, ideo ut ad sacrificium quisque per agrum suum intraret: quod si desertum fuerit templum, & aras sic quæris, longè à templo quæris pedibus 15 & invenis vilia fundamenta aliqua: quod si inter tres, tres ingressus habet; inter duos, duos ingressus habet templum.* Et quia ambitus juxta veterem formam Ecclesiarum, quam referunt Baronius *anno 57.* Cironius *ad titul. de Eccles. ædific.* Gothofr. *in d. l. pateant*, Leo Alat. *de mensur. templor.* erat sub una contignatione, ut hodie videtur in monasteriis Carthusiensibus, & habemus hodie regulariter ambitum illum extra Ecclesiam, non sub eadem contignatione; & tam Innocent. in præsenti, quàm Gregorius in dicta bulla nullam ejus ambitus fecerunt mentionem, recessum videtur à jure antiquo, atque ita usus obtinuit, ut tantùm Ecclesia cum cœmeterio gaudeat hac immunitate, ut docent Farinac. *de immunit. Eccles. quæst. 17.* Sarpus *de jure asyl. cap. 4.* Covar. *lib. 2. var. cap. 20. num. 5.* Cutel. *de libert. Eccles. lib. 1. quæst. 27. num. penultim.* I. Gothofr. *in l. 4. C. Theodos. de his qui ad Eccl.* & circa cœmeteria latè fundant Barbosa *de jure Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 63.* Murga *tom. 1. disquis. tr. 1. disquis. final.* Frances *de compet. q. 76.*

CAPUT X.

Idem (a) *Toletano*, & (b) *Compostellano Archiepiscopo.*

IMmunitatem Ecclesiasticam. *Et infrà:* Nonnulli impunitatem suorum excessuum per defensionem Ecclesiæ obtinere sperantes, homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, vel earum cœmeteriis committere non verentur: qui nisi per Ecclesiam, ad quam fugerint, crederent se defendi, nullatenus fuerant combeat: & frustra legis auxilium invocet, qui committit in legem: mandamus quatenus publicè nuncietis tales non debere gaudere immunitatis privilegio, quo faciunt se indignos.

NOTÆ.

1. (a) *Toletano.*] D. Roderico videlicet, qui eruditus vir interfuit Concilio Lateran. sub Innocentio III. celebrato, & auctor fuit Chronicæ generalis Hispaniæ: rexit Toletanam Ecclesiam usque ad annum 1245. ut refert D. Roderic. de Pissa *in hist. Tolet. lib. 4. cap. 17.* De Toletana Primatiali Ecclesia egi *in cap. coram, de in integrum restit.*

2. (b) *Compostellano.*] D. Bernardo videlicet II. hujus nominis, qui electus fuit anno 1224. & floruit usque ad annum 1240. ut refert Ægid. Gonzalez *in theatr. Eccles. Compost. cap. 12.* & de ea egi *in cap. ex parte, de censibus.*

COMMENTARIUM.

3. REgulam generalem, videlicet confugientem ex quacunque causa ad Ecclesiam, ejus immunitate gaudere, probavi, & illustravi suprà *in cap. inter alia.* In præsenti tantùm proponitur exceptio illius regulæ, in eo videlicet, qui spe immunitatis in ipsa Ecclesia deliquit. Et docetur homicidam, seu mutilantem membrum in Ecclesia, aut ejus cœmeterio, immunitate non gaudere. Consonant Gregorius XIV. *in sua bulla*, ibi: *Qui homicidia, & mutilationes membrorum in Ecclesia, vel cœmeterio committere non verentur.* Justinianus *in novel. 117. cap. 15. §. quia verò*, ibi: *Non enim debent hujusmodi personæ in venerabil loco munimen habere, quem ipsi per scelus proprium despexerunt.* Ratio adducitur à nostro Gregorio; quia frustra Ecclesiæ auxilium invocat, qui in eam committit, *cap. in audientia 25. de sent. excomm. cap. quia frustra, de usur.* quæ phrasis usurpata est *ex l. auxilium 37. ff. de minor.* docent Suarez *d. tom. 1. lib. 1. cap. 9.* Barbosa *lib. 2. jur. Eccles. cap. 2. num. 102.* Tiber. Decian. *lib. 6. tract. crimin. cap. 28.* Basilico *decis. 5. crimin.* Boëtius Epon. *in præsenti*, Thom. Delbene *tom. 2. de immunit. dubit. 19. cum seqnent.* Cutel. *lib. 2. eodem tract. cap. 3. & 42* Marinis *lib. 1. resol. 170.* & *alleg. 80.* Nicolaus Vander. *singul. 61.* qui varios casus inde resolvunt de perpetrantibus alia delicta præter homi-

homicidium, & membrorum mutilationem in ipsis Ecclesiis; de mandante hæc delicta intra Ecclesiam; de occidente ex Ecclesia eum, qui extrà est, vel è contra: in quorum resolutione tam proni sunt Diana, & Thomas Bennus ad immunitatem concedendam, quàm Cutellus ad illam denegandam. Si integram Epistolam nostri Gregorii IX. præ manibus haberemus, facilè juxta eam casus illi deciderentur: dum hoc fragmento tantùm fruimur, credimus mentem Gregorii esse, ut ea immunitate non gaudeat, qui deliquit in Ecclesiis, vel eorum cœmeteriis, spe fruendi immunitate, & quasi Ecclesiæ securitate motus, quia tunc procedit ratio adducta à Pontifice: si autem homicidium committat in ipsa Ecclesia, & cœmeterio casu, & per accidens, nullâ habitâ consideratione ad securitatem, quam Ecclesia illi præstabat, sed potiùs dum se defenderet, etiam non servato moderatione inculpatæ tutelæ, non est dubium immunitate Ecclesiæ gaudere, ut doctè probant Sesse *tom. 2. decis. 14. per tot.* Sarpus *de jure asyl. cap. 5.* immò qui cum armis fugit in Ecclesiam, & ea retinet, immunitate non gaudet, *l. 4. C. Theodos. de his qui ad statuas confug.* Ubi Gothofr. Similiter si extra Ecclesiam, & ejus cœmeterium homicidium perpetravit, etiamsi cum spe confugiendi ad Ecclesiam, immunitate ejus gaudet, ut expresse decisum fuit ab Urbano II. in Concilio Claromont. suprà relato *in cap. inter alia.* Unde credo, juxta copulativam illam, &, quâ utitur Gregorius in præsenti, desiderari in homicida, aut mutilante in Ecclesia, aut cœmeterio, ut Ecclesiæ immunitate privetur, quòd spe, & animo utendi eo beneficio, & quasi securus delictum illud perpetraverit in ipsa Ecclesia, aut cœmeterio. Si autem seorsim, vel mutilaverit in cœmeterio, sive Ecclesia; tamen ea securitate non motus, vel extrà deliquerit, spe confugiendi ad Ecclesiam, semper ille immunitate gaudeat: & licèt Gregorius in præsenti tantùm de occidente, aut mutilante in Ecclesia, vel ejus cœmeterio egerit, idem dicendum est de aliis delictis, ex quibus immunitas Ecclesiastica competit, si extra Ecclesiam, & non ob ejus securitatem perpetrentur: & quoad mandantem homicidium, aut mutilationem, idem dicendum censeo, ac circa ipsum manu propria occidentem, vel mutilantem, quicquid Delbene, & Cutel. senserint.

TITVLVS L.

Ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotiis se immiscеant.

CAPUT I.

Ex Concilio (a) *Maguntino.*

PRovidendum necessariò est unicuique Episcopo, qualiter Canonici vivere (b) debeant, necnon & monachi, ut secundùm ordinem regularem vivere studeant, ut, sicut ait Apostolus, unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat, & ut à negotiis sæcularibus omnino abstineant. Multa sunt enim negotia sæcularia, de his tamen (c) pauca perstrinximus, ad quæ pertinet omnis libido, non solùm (d) in immunditia carnis, sed etiam in omni carnali concupiscentia. Quicquid plus justo (e) appetit homo, turpe (f) lucrum, (g) munera injusta accipere, vel etiam clarè pro aliquo sæculari (h) conquæstu (i) aliquem conducere: contentiones & (j) lites, vel rixas amare: in placitis (k) sæcularibus disputare, exceptâ defensione orphanorum, aut viduarum: conductores aut (l) procuratores esse sæcularium rerum: (m) turpis verbi, vel facti joculatorem esse, vel (n) jocum sæcularem diligere: aleas amare: (o) ornamentum inconveniens proposito suo quærere: in deliciis vivere velle: (p) gulam, & ebrietatem sequi: (q) pondera injusta, vel mensuras habere: negotium injustum exercere. (Nec tamen justum negotium est interdicendum, propter necessitates diversas, quia legimus (r) Sanctos Apostolos negotiatos esse. In regula S. Benedicti præcipitur providere, per quorum manus negotium monasterii transeat.) Canes, & aves sequi ad venandum. In (s) comessationibus & vino lautè nimis incumbere, superfluitatem in quibuslibet rebus nolle fugere. Quæ omnia ministris altaris interdicimus, hortantes eos servare illud Apostolicum: (t) Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcula-

sæcularibus : considerare quoque sententiam (p) Domini dicentis : Attendite ne graventur corda vestra in crapula, & ebrietate : moderari cibum, & potum, ut juxta (a) Apostolum sobrii sint, parati ad servitium Domini : ante se joca (y) sæcularia, vel turpia fieri non permittere, sed pauperes, & indigentes secum ad mensam habere, & (z) lectionem divinam ibidem audire, & sumere cibum cum benedictione, & laude Domini, secundum Apostolum dicentem : Sive manducetis, sive bibatis, omnia in laudem Dei facite.

NOTÆ.

1. (a) *Maguntino.*] Ex hoc etiam Concilio citatur textus hic à Burchardo *lib. 8. Decreti, cap. 90.* Carnotensi *p. 7. Decret. cap. 108.* Papiensi *in 1. collect. sub hoc tit. cap. 1.* & reperitur canon hic in Concilio Magunt. tempore Ludovici Regis celebrato anno 580. Præside Rabano Archiepisc. Mogunt. de quo in annalibus Francorum à Petro Pitheo editis ita habetur ; *Habita est autem Synodus ex voluntate, & præcepto ejusdem Serenissimi Principis in civitate Maguntina Metropoli Germaniæ, Præsidente Rabano venerabili ejusdem urbis Archiepiscopo, cum omnibus Episcopis, atque Abbatibus Orientalis Franciæ, Bajoariæ, & Saxoniæ : & illi quidem de absolvendis quæstionibus ecclesiasticè tractatum habuere.* Etiam reperiuntur hæc verba in Concilio Moguntino celebrato temporibus Leonis III. & Caroli Magni anno 813. *can. 14.* & *lib. 1. Capitul in addit. cap. 14.* Hanc autem, aliasve Provinciales Synodos non sine licentia Romani Pontificis celebratam fuisse constat ex Baronio *anno 852. num. 25.* Ex ipso Concilio textum transcribo, ut facilè conferat lector canonem hunc, prout jacet in hac compilatione, cum ipso Concilio ; & si diligenter singula singulis contulerit, agnoscet primùm in hac compilatione omissa fuisse aliqua, quæ non tam præcepti sunt, & legis Ecclesiasticæ, quàm concilii, & exhortationis. Deindeanimadvertit mendum irrepsisse dum pro *interdicimus*, legitur *contradicimus* ; & pro illis verbis, *negotia monasterii procurentur*, transcribi, *negotium monasterii transeat.* Aliaque studio fuisse mutata, tum ut brevior redderetur ipsa constitutio, tum ut efficaciùs exprimeretur quid PP. Concilii voluerint. Tam in Concilio autem, quàm in hoc textu pro illis verbis parenthesi inclusis, *nec tamen justum negotium est interdicendum* ; rectiùs, & aptiùs legi, *nec enim justum negotium est interdicendum*, ut sic his verbis ratio assignetur ejus, quod præcedit de injusto negotio non exercendo ; notavit Boëtius Epon. *in præsenti num. 3.*

(b) *Vivere debeant.*] Unde titulus hujus canonis est de clericorum vita, sive monachorum.

2. (c) *Paucâ.*] Nam recensere omnia negotia sæcularia dedecentia personas Ecclesiasticas, perdifficile est, nec etiam plenè recensentur in epistola adscripta Melchiadi Papæ, sed falsò, cùm in ea allegatur Synodus Nicæna, quæ post Melchiadem celebrata fuit. Quare eam tribuit Isidoro Mercatori Baronius anno 312. *num. 80.* in illis verbis : *Quæ sunt negotia sæcularia sancti canones manifestant, & inhibent, dum perspicuè docent, quod quidam, qui in Clero videntur electi, propter turpia lucra conductores alienarum possessionum fiant, & sæcularia negotia sub cura sua accipiant, Domini quidem ministerium parvipendentes, per sæcularium verò domos discurrentes, & propter avaritiam patrimoniorum solicitudinem sumentes. Decrevit namque supradicta sancta Synodus, nullum deinceps clericorum, aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se miscere, nisi propter curam pupillorum, orphanorum, aut viduarum.* Inter negotia sæcularia recensent PP. nonnulla, quæ devitanda sunt non solum à clericis, & monachis, verùm & omnibus. Referuntur tamen in præsenti canone, quia juxta ejus summarium agebatur de vita clericorum, & regularium reformanda, juxta coruptos mores Gremaniæ.

(d) *Immunditia carnis.*] De qua, & ejus detestatione, plura congessi *in cap. 4. de cleric. conjug.*

(e) *Justa appetit.*] De qua concupiscentia egi *in cap. num. 4. de constit.*

(f) *Turpe lucrum.*] Quod dicatur lucrum turpe, infrà exponemus *in cap. 6.*

(g) *Munera injusta.*] Accipiendo ea à subditis, vel dando ea superioribus : munera enim accipere, vel dare, pluribus sacræ paginæ testimoniis prohibitum est, quæ congesserunt Melissa *lib. 2. serm. 7. & 8.* Antiochus *homil. 9.* Petrus Damianus *opuscul. 35.* Sanè Job. *cap. 15.* contestatur ; ignem devoraturum tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt ; quem locum adversùs suos administros munera capientes, allegavit sanctus Joannes Eleemosynarius, ut scribit Leontius vitæ ejus auctor *cap. 4.* & David eos, in quorum manibus iniquitates sunt, à quibus longè averti cupit, *dexteram* ait *repletam muneribus.* Probant pleniùs acceptionis munerum malignitatem, qui de ea vitanda disserunt, Philo *de judicis officio*, Isidorus Pelusiota *lib. 2. epist. 182.* D. Augustinus *cap. 15. sua regulæ*, D. Bernardus *serm. 61. de modo bene vivendi*, Basilius, *cap. 1.* Esaiæ, ad illud, *diligunt munera.* Optimè creditus Ambrosius *in 1. ad Corinthios, cap. 6.* ad illud, *sed ego sub nullius redigar potestate*, notat Apostolos noluisse munera accipere, ne auctoritatem concessam sibi à Domino inclinarent ; non enim potest constanter argui ille, à quo accipitur, maximè cùm ideo promptus sit ad dandum, ut sibi humiliet Præpositum. Nonnulla adduxi *in cap. 1. de consuet.*

(h) *Conquæstu.*] In hac sexta collectione legitur *quæstu*, & in Conciliis editis à Surio *cum quæstu* ; sed retinenda est præsens littera. Conquæstare enim Gallicè est acquirere, seu Imperio addere, seu finibus ditionis adjicere. Thomas Vvalsinghamus *in annal. Britanniæ, pag. 573.* ibi : *Parati sunt recognoscere terras, quas tenent à Rege præfato, & tradere in manu sua, quas possunt, & residuas pro viribus conquæstant.* Joannes de Thuvrocz *in Chron. Ungar. p. 2. cap. 9.* ibi : *Constat itaque, non tantum septem capitaneos Pannoniam conquæstasse, sed etiam alios Nobiles, qui de Pannonia descendunt.* Illustrat Gerardus

rardus Voſſius *lib. 4. de vitiis ſerm. cap. 4.* Unde munera injuſta dare, vel accipere pro ſæculari conquæſtu, eſt aliquid dare, vel accipere pro ſæculari jurisdictione accipienda, vel concedenda, ſeu pro præfectura, aut aliqua ditione. Inter fœdiores enim negotiationes monachis ac clericis prohibitas præcipua eſt officiorum ſæcularium, ſeu ditionum venalitas. D. Thomas *opuſc. 21.* Cajetanus *in ſumma, verbo officiorum.* Azor *tom. 3. inſtit. lib. 8. cap. 7.* Rebellus *de juſtitia 2. p. lib. 9. quæſt. 18. ſect. 2.* P. Gregorius *lib. 43. ſyntagm. cap. 1.* Adam Contzen. *lib. 7. polit. cap. 22. n. 16.* P. Theophilus Raynaud. *in opuſc. de relig. negotiat. §. 1. per tot.*

(i) *Aliquem conducere.*] De qua negotiationis ſpecie agemus infrà *in cap. 6.*

(j) *Lites, & rixas amare.*] Unde litigioſi irregulares ſunt, ut latè probat Barb. *p. 1. de poteſt. Epiſcop. tit. 2. gloſſ. 14.*

5. (k) *Placitis ſæcularibus.*] Ideſt judiciis, ut probavi *in cap. 1. de feriis, cap. 1. de immunit. Eccleſ.* coram judice enim ſæculari non debent clerici, aut monachi tanquam advocati perorare, cauſasque defendere, niſi pro defenſione orphanorum, viduarum, vel ſuæ Eccleſiæ, ut probavi *in cap. 1. de poſtul.*

(l) *Procuratores.*] Ut ſequenti commentario probabimus.

6. (m) *Turpis verbi, vel facti joculatorem.*] Turpis facti, ſeu verbi joculator in jure, & apud bonæ notæ auctores ille dicitur, qui proprii corporis ſpectaculum in ſcena, aut ludo præbet, qui variis nominibus appellatur, Hiſtrio, Mimus, Pantominus. Gloſſa verbo *joculatores, in cap. 1. de vita & honeſtat. cleric. lib. 6.* quorum artem ignominioſam fuiſſe etiam apud Gentiles conſtat *ex l. 1. & 2. §. ait Prætor., ff. de his qui not. infam. l. ſi libertus 27. ff. de oper. libert. l. minimè 4. C. de Epiſcop. & cleric. l. 4. C. de ſpectacul.* Tertul. *de ſpectac. cap. 22.* ibi: *Manifeſtâ damnant ignominiâ, & capitis diminutione, arcentes Curia, Roſtris, Senatu, cæterisque honoribus omnibus ſimul, ac ornamentis.* D. Auguſtinus *de civit. Dei lib. 2. cap. 13. Homines ſcenici ab honore omni pelluntur.* Illuſtrant Leonardus Coqueus *ad eundem locum D. Auguſtini*, Dorleans *ad Tacitum lib. 4. annal.* P. Faber *lib. 2. ſemeſtr. cap. 12.* Revardus *lib. 3. varar. cap. 11.* Oſvaldus *lib. 8. Donel. cap. 7. litt. A.* Demſterus *ad Roſinum lib. 5. antiquit. cap. 6.* Amaya *in l. unic. C. de majuma:* & etiam notavi *in can. Concilii Illib.* Licèt Hiſtriones eo modo, quo apud nos comœdiæ recitantur, ab omni infamia immunes defendat Villalobos *in paradox. juris, cap. 9.* quare tam antiquis, quàm novis Eccleſiæ canonibus prohibitum eſt clericis joculatoriam artem exercere, immo & per annum eam exercentes, privilegio clericali privantur, *cap. maritum, 33. diſt. cap. clericum, 46. diſt. cap. cùm decorem, de vita & honeſt. cleric. cap. 1. eodem tit. in 6. clement. 1. eod. tit.* Illuſtrant Barboſa *de jure eccleſ. lib. 1. cap. 11.* Gregorius *lib. 4. part. tit. 8. cap. 6.* Lantdmeter. *lib. 2. cap. 52.* Acunna *in d. cap. clericum*, quæ pœna privationis privilegii Clericalis valde conſona eſt politiæ Romanæ; nam apud Romanos ſimiles joculatores ab honore omni arcebantur. Cicero *de repub.* ibi: *Quia & veteres Romani cùm artem ludicram, ſcenamque totam perducerent, genus id hominum non modò honore civium reliquorũ, ſed etiam tribu movere notatione cenſoria voluerunt.* Pro cujus perelegantis loci expoſitione ſciendum eſt, quod ſicut cives à cenſoribus in ordinem honoris cauſâ refebantur, ſic ab iisdem ignominiæ cauſâ ex ordinibus pellebantur: itaque ut tribum largiendo, plebeium; equum publicum aſſignando, Equitem; Senatum communicando, Senatorem faciebant: ita tribu amovendo, plebeium, equum adimendo, Equitem; Senatu abjiciendo, Senatorem notabant, ut referunt Sigonius *de jure Roman. c. 16.* P. Faber *lib. 2 ſemeſtr. cap. 12.* Unde patet ſenſus Ciceronis, ſcilicet, ut per exercitium hiſtrionis civis tribu amoveatur, ideſt omni privilegio Romanæ civitatis ſpolietur.

(n) *Jocum.*] Sæcularem ſcilicet, quia licèt æquè neceſſaria eſt animi recreatio, ac cibus, & potus, quia ſicut cibus caloris nativi detrimentum reparat, ita jocus intellectus, & memoriæ laxata inſtrumenta reficit, ut ex Philone docet D. Th. 2. 2. *q. 168.* tamen idem Sanctus, ut ludus licitus ſit, eas conditiones requirit: Prima ut ab eo removeantur operationes obſcœnæ, aut noxiæ: ſecunda, ut animo temperato fiat; cavendum enim ait S. Ambroſius, ne dum relaxare animum volumus, ſolvamus omnem harmoniam, quaſi concentum quendam bonorum operum. Tertia, ut ludus congruat perſonæ, loco, & tempori, ut probant, exponuntque Leſſius *de juſtitia lib. 4. cap. 4. dub. 13.* Lantdmeter. *lib. 2. de veteri cler. cap. 153.* Gibalinus *tom. 2. de negot. lib. 4. cap 9. art. 5.* 7.

(o) *Ornamentum.* Veſtem videlicet incongruam proprio gradui, ſeu miniſterio, ut probavi *in cap. clerici, de vita & honeſt. cleric.*

(p) *Gulam, & ebrietatem.*] Juxta adducta latè *in cap. à crapula, de vita & honeſt. cleric.*

(q) *Pondera injuſta.*] Juxta tradita *in cap. 2. de empt. & vendit.*

(r) *Sanctos Apoſtolos.*] Nam D. Paulum tentoria, ſeu tabernacula ædificaſſe, refertur *cap. 18. Actuum Apoſt.* & ipſe Apoſtolus *1. ad Corinth. cap. 4.* ajebat: *Laboramus operantes manibus noſtris.* Et ſanctos Apoſtolos ad opificia ſua, præcipuè piſcatoria, rediiſſe refertur *eod. cap. 18.* atque inter Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopos Spiridion Thremituntis in Cypro oves pavit, teſtibus Rufino, & Socrate *anno 325.* Hilarius Arelatenſis agros coluit, Gennadius *anno 445.* 8.

(ſ) *Regula S. Benedicti.*] Videlicet *cap. 57.* aliàs 64. ipſius regulæ, ubi poſt conſtitutam fratrum Opificum diſciplinam, additur: *Si quid verò ex operibus artificum venundandum eſt, videant ipſi per quorum manus tranſigenda ſunt, ne aliquam fraudem præſumant afferre.* Quæ verba aperte ſupponunt negotiationem illam, quâ res elaboratæ per proprios monachos, aut per artificium mutatæ revenduntur, licitam eſſe clericis, & monachis, exemplo Apoſtolorum, qui exercentes opificium aliquod vendebant, ut ſuprà retuli, ut ita ſine gravamine cujuſpiam vitam ducerent, & egenis de ſua tenuitate ſubvenirent. 9.

(t) *Comeſſationibus.*] Hæc verba omiſit Raymundus, forſan quia à Patribus Concilii Magunt. ſpecialiter improbatum, & damnatum fuit hoc vitium: tum quia illud erat Germanis familiare; tum quia ſufficiens erat prohibitio gulæ, & ebrietatis jam ſuprà relata. Cùm enim comeſſationes, & vinolentiæ, ſeu compotationes propria, & pecularia vitia eſſent illius gentis, lege univerſali in corpore juris relatâ retrehendi non debebant. Inde etiam deducit 10.

Boëtius

Boëtius Epon. in præsenti, in eodem canone clericos exhortari ad laudem Domini, seu gratiarum actionem peracto cibo: qualis hortatio aliis fidelibus necessaria non fuit, ait Boëtius; quia cùm Germani comessationibus, & compotationibus dediti negligentes essent in gratiarum actione post cibum sumptum, hac speciali monitione indigebant; immò cùm parum proficeretur his monitionibus, & synodalibus constitutionibus, Honorium III. indulgentias concessisse Germanis, qui post gratias Deo datas semel biberent, ut ita ad gratiarum actionem eos alliceret, & ad ulteriorem ingurgitationem non procederent. Sed cùm idem de Gallecis referat Victoria *in theatro Deorum, lib. 2. cap. 27.* & nullus alius (quem viderim) similia referat, aut probet, meram næniam, aut anilem fabulam esse credo.

11. (t) *Nemo militans Deo.*] *Epist. 2. ad Timotheum, cap. 2.* quâ Apostoli auctoritate etiam utuntur PP. Ecclesiæ Afric. *can. 16.* ibi: *Item placuit, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi non sint conductores, aut procuratores, nec ullo turpi negotio, & inhonesto victum quærant, quia respicere debent scriptum esse: Nullus militans Deo implicet se negotiis sæcularibus.*

(u) *Domini.*] Apud Lucam *cap. 21.*

(x) *Apostolus.*] *1. ad Timoth. cap. 3.*

12. (y) *Joca sæcularia, aut turpia.*] Veteres enim in conviviis cantus, tympanistrias, psaltrias, aliaque joca adhibebant. Quintil. *lib. 1. instit. cap. 14.* ibi: *Sed veterum quoque Romanorum epulis fides, ac tibias adhibere moris fuit.* Idem *lib. 1. cap. 3. Omne convivium scenis, & canticis strepit; pudenda dicta spectantur.* Arnobius *lib. 4. adverf. Gentes*, ibi: *Scribuntur Dii vestri in tricliniis cœlestibus, atque in chalcidicis aureis cœnitare potare, & ad ultimum fidibus, & vocum modulatione mulceri.* Seneca *epist. 84.* ibi: *In comessationibus nostris plus cantorum est, quàm in theatris olim spectatorum fuit.* Plura adduxerunt de his jocis, & saltationibus in conviviis adhibitis Stuchius *de conviviis lib. 3. cap. 20. & 21.* Salas *in notis ad Petronium, fol. 266.* Eâ de causa Trajanus à Plinio commendatur in panegyrico, quia hæc procul abdicavit à convivio suo, his verbis: *Neque enim aut peregrinæ superstitionis mysteria, aut obscena petulantia mensis Principis oberrat, sed benigna invitatio, & liberales joci, & studiorum honor.* Similiter Alexander Severus à Lampridio in ejus vita, ibi: *Marius quoque parum scitè convivium exornabat, neque histrionem ullum habebat.* Theodosius non solum sibi, sed etiam aliis lege lata psaltrias, atque voluptates illas lege interdixit, ut refert Victor, & Paulus Diaconus *in ejus vita*, & Claudianus *de mensa Stiliconis, in panegyr.* ibi:

Nullo citare convivia cantu,
Non pueri lasciva sonant.

Quæ cuncta procul à convivio Christianorum amanda sunt. Concil Turon. 1. *can. 3.* apud Burchardum *lib. 1. decret. cap. 226.* D. August. *apud ipsum lib. 2. cap. 134.* Sarisbar. *lib. 1. Polycrat. c. 6.* & *lib. 8. cap. 12.* maximèque à mensis clericorum, ut statim dicemus.

(z) *Et lectionem divinam.*] Per quam inter edendum sæpius sumit anima cibum, ut ajebat Sidonius *lib. 4. epist 9.* quare olim clericis, ut hodie religiosi faciunt, inter edendum sacra lectione pascebant animum. D. Cyprian. *lib. 2 epist. 2. in fine.* Concil. Tolet. 3. *can. 7. in cap. pro reverentia 11. 44. dist.* Afric. *can. 6.* Turon. *can. 23.* Anonymus *in vita S. Fulgentii, cap. 12.* ibi: *Mox enim, sicut moris est, in convivio sacerdotum de divinis rebus ortus est sermo.* Cassianus *lib. 4. instit. cap. 17.* Illustrat Savarus *ad Sidonium lib. 4. epist. 9.* 13.

CAPUT II.

Eugenius Papa (a) *Lucell. Archiepisc.*

SAcerdotibus autem, & clericis tuis denuncies publicè, ne ministri laicorum fiant, ne in rebus eorum procuratores existant. Quod si postmodùm fieri præsumpserint, & occasione ipsius administrationis propter pecuniariam causam à laicis capiantur, indignum est eis ab Ecclesia subveniri, per quos constat in Ecclesia scandalum generari.

NOTÆ.

1. (a) *Lucell. Archiepiscopo.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c. final.* & post Concil. Lateran. *p. 16. c. 15.* Eugenius Papa I. *Sarensi Episc.* quam litteram retinendam esse jam notavi *in c. 2. de cleric. ægrot.* Illud tantùm notandum duxi, legendum esse *Eugenius III.* non *I.* nam Eugenius I. nullam scripsit epistolam, Eugenius verò III. plures scripsit, & ita legendum est, *Eugenius III.* tam in præsenti, quàm *in dicto c. 2. de cleric. ægrotant, & in cap. 2. de apost.*

COMMENTARIUM.

2. Conclusio. EX hoc textu sequens communiter dedicitur assertio. *Clerici non debent esse ministri, & procuratores laicorum: quod si contrafecerint, & deprehendantur in fraude, non subvenitur illis ab Ecclesia.* traditur Probant eam textus *in cap. sed nec 4. cap. 1. §. 1. hoc & probatio. can. 6. Apost.* ibi: *Episcopus, aut presbyter, aut diaconus sæculares curas non assumat, alioquin deponatur.* Et *can. 81. Non oportet Episcopum, vel presbyterum conjicere se in publicas administrationes.* Et *can. 83. Episcop. aut Presbyter, aut Diaconus operam dans militiæ, & simul utrumque retinere volens, Romanam præfecturam, & sacram functionem, deponatur.* In hoc autem canone, & in Concilio Chalcedon. *can. 185.* non agitur de militia armata, aut militum præfectura, hoc est Magistratu, vel dignitate. Militare etiam dicuntur, qui munus aliquod, officiumve in palatio, aut comitatu Principis gerunt, & aliqua dignitate, aut administratione funguntur, *l. 1. C. de tabul. l. 1. 7 9. & 12.* tur.

c. de proximis sacr. scrin. D. Ambrosius serm. 7. *Non enim tantùm de his militantibus Scriptura loquitur, qui armata militia detinentur, sed quisquis militiæ cingulo utitur, dignitatis suæ miles adscribitur.* Cicero pro Muræna: *Nec solos nostro Imperio militare credimus eos, qui gladiis, clypeis, & thoracibus nituntur; militant causarum patroni, qui gloriosæ vocis consisi munimine laborantium spem, vitam, & posteros defendunt.* Lucanus *in panegyr. Pisonis*, ibi: *Tamen etsi bella quiescant, non perit virtus; licet exercere togatæ munera militiæ.* Manilius *lib. 2. Astronom.* Hoc quoque militiæ genus est civilibus actis compositum, *cap. pervenit, 86. dist. cap. perlatum 48. dist. cap. de præsentium 10. q. 1. cap. convenior 21. q. 3. cap. quia Episcopus 5. q. 3. cap. te quidem 11. q. 1. can. generaliter 16. q. 1. cap. denique 57. q. 1. Clem. religiosi, de procurat.* Synodus 7. generalis, *can. 10.* juncto Bosqueto *ad Innocent. III. lib. 2. epist. 62.* Concil. Abricense temporibus Alexandri III. *can. 12. Item clerici judices non ponantur ad jurisdictiones sæcularium potestatum administrandas: qui autem hoc præsumpserit, à beneficiis Ecclesiasticis arceatur.* Concil. Tolet. celebratum anno 1565. *can. 18.* ibi: *Qui in sortem Domini vocati sunt, & divinarum rerum ministerio, ac spirituali addicti militiæ, meminerint, juxta D. Paulum, se Deo, cujus signis militare decreverunt, placere non posse, si quid propter sui Ducis militiam agant, & sæcularibus negotiis vacaverint, quæ à divinis, ac spiritualibus distrahere frequentissimè solent. Prohibet igitur sancta Synodus clericos in sacris, & eos, qui beneficium Ecclesiasticum obtinent, laicorum esse œconomos, ac sæcularium rerum dispensatores, nec non in foro civili procuratores exceptis iis negotiis, quibus juxta canonicas sanctiones pietatis causa vacare justè possint: alioqui ab ordinario pœna suspensionis ab officio, & beneficio per sex annos puniantur.* Refert Salcedo *in praxi, cap. 57.* Consonat Carolus *lib. 5. Capit. cap. 107.* ibi: *Ut presbyteri curæ sæculares nullatenus exerceant, idest, ut nec judices, nec majores villarum fiant.* Illustrant ultra congestos à Barbosa in præsenti P. Gregor. *lib. 3. partit. tit. 18. cap. 5.* Vela *tom. 2. decis. 44. num. 75.* Salcedo *in praxi, cap. 75.* Vighel. *in meth. juris can. fol. 254.* Solorzanus *lib. 4. polit. cap. 18. ad finem*, Chopinus *lib. 2. monast. tit. 3. num. 13.* Barbosa *lib. 3. voto 89.* Martha *de jurisdict. 4. p. cent. 2. cap. 116.* Espenceus *lib. 2. digress. cap. 10.* Mancinus *sacri juris controv. dissert. 26.* D. Joannes de Larrea *alleg. 86.* Thom. Delbene *de Parlam. dub. 16. 17. & 18.*

3. *Impugnatur tradita assertio.*

Sed in hanc assertionem pro dubitandi ratione ita insurgo. Nihil aliud proprium est sacerdotum, quàm lites sopire, causasque judicare; unde legimus primis Ecclesiæ sæculis, cùm disciplina ecclesiastica admodum vigebat, & sanctitas ministrorum Ecclesiæ communis erat, Episcopos, & clericos sæculares causas inter laicos discepratas judicasse. D. Clemens *lib. 2. constit. cap. 49. 50. & 51. & epist. 1. ad Jacobum fratrem*: refertur *in cap. si qui ex fratribus 32. 11. q. 1.* ibi: *Si qui ex fratribus negotia habent inter se, apud cognitores sæculi non judicentur, sed apud presbyteros Ecclesiæ, quicquid illud est, dirimatur.* Ubi verbum illud, *fratribus*, interpretatur Glossa, idest, *Christianis*, & colligitur *ex cap. ad mensam 11. q. 3 cap. quæcunque 7. 11. q. 6. cap. presbyter 2. q. 5. cap. ecce cap. presbyter, 95. dist. cap. relatum 4. cap. placuit 43. 11. q. 1.* Concil. Carthag. *4. can. 23.* ibi: *Ut Episcopus nullius causam audiat absque præsentia clericorum suorum, alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi clericorum præsentiâ confirmetur.* Nec de solis clericis judicandis caput hoc intelligendum esse, facilè suadet D. Augustinus, qui concilio interfuit, quique laicorum lites vel ad fastidium usque se judicasse refert *in Psalmo 118. lib. de oper. monach. cap. 29. & homil. de pœnitentiâ, quæst. 50. cap. 12.* & *epist. 147. ad Proculejanum*, ait: *Et homines quidem causas sæculares apud nos finire cupientes, quando eis necessarii fuerimus, sic nos sanctos, & Dei servos appellant, ut negotia terræ suæ peragant: aliquando agamus & nos negotium salutis nostræ, & salutis ipsorum, non de auro, non de argento, non de fundis, & pecoribus, pro quibus rebus quotidie submisso capite salutamur, ut dissensiones hominum terminentur.* Et D. Ambrosius *epist. 24.* fatetur, se litis valde perplexæ cognitorem, ac judicem fuisse, Eò referendum videtur, quod *lib. 6. Capitul. cap. 243.* refertur his verbis: *Ut nullus Episcopus, vel quis infrà positus, die Dominico causas judicare præsumat, cæteris verò diebus, cohibentibus personis illa, quæ justa sunt, licentiam habeant judicandi, excepto criminali negotio.* Ubi pro inferiore Episcopi accipiendus est ejus vicarius, ut exponit Filesacus *in cap. 1. de offic. ordin. §. 18.* & laudatur à Nicephoro *lib. 2. Eccles. hist. cap. 39.* Epiphanius qui sacrorum Antistes erat, & civiles res tractabat. Igitur alienum non est à sacerdotali gradu forenses causas agere, & judicare. Et inde plura bona evenire ex eo, quod Ecclesiastici in Consiliarios eligantur, docuerunt Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 37.* Novarette *discursu Polit. 29.* Solorzanus *tom. 2. de jure Indiar. lib. 3. num. 73.* & *lib. 4. cap. 4. n. 42.* Menchaca *lib. 3. de success. creat. §. 30. num. 312.* Accedit, nam ut ajebat Philosophus Euphrates, referente Plinio *lib. 1. epist. 10.* ea est Philosophiæ, & quidem pulcherrima pars agere negotium publicum, cognoscere, judicare, promere & exercere justitiam. Unde septem illi Græciæ sapientes, non tam ex perfecta scientiarum notitia, aut studiosa illa desidia, sed ut ait Plutarchus in vita Themisc. ex rerum civilium administratione, & legum condendarum gloria nomen tantum, famamque immortalem consequuti sunt. Et Seneca *de tranquillitate animi*, ajebat: *Optimum est, ut Arthenedorus dicebat, actione rerum, & reipublicæ tractatione, & officiis civilibus se detinere.* Et D. Augustinus *in lib. de opere monach.* manachis scribebat: Non decet, ut in ea vita, ubi fiunt Senatores laboriosi, ibi fiant opifices otiosi. Igitur si clerici constituantur à laicis ministri, debent in eo ministerio deservire. Facit etiam judiciorum forensium ratio; Ideo enim inventa sunt judicia, ut quisque per viam juris legitimis actionibus, & remediis suum jus, ac sibi debitum consequatur; & ne cuiquam fas sit rei suæ consequendæ gratiâ per vim, atque injuriam sibi addictum ad vindictam munire, *l. nemo externus, C. de Judæis.* Facit tandem usus variarum gentium, apud quas sacerdotium cum officio politico jungebatur. Tacitus *de moribus Germ. cap 9.* ibi: *Agricola Britanniæ Præpositus est, adjecto Pontificatus sacerdotio.* Cujus instituti rationem Cicero reddit *in orat. pro domo sua ad Pontif. cap. 1.* ibi: *Præclarè à majoribus nostris institutum est, quod vos eosdem, & religionibus Deorum immortalium, & summæ reipublicæ præesse voluerunt, ut amplissimi, & clarissimi cives Remp. bene gerunt, ut amplissimi, & clarissimi cives Remp. bene gerendo, religiosissimi religiones sapienter interpretando,*

Remp.

Remp. conservarent, De Judæis, Athenienſibus, Ægyptiis, & aliis refert Bernegerus *ad Tacitum, q. 186.* Deinde adversùs eam partem præſentis aſſertionis, ubi docetur clericum miniſtrum, ſeu procuratorem laici fraude utentem in re pecuniaria, non eſſe defendendum ab Eccleſia, hoc eſt, ut communiter exponitur, privari privilegio fori, obſtat, nam generaliter verum eſt, clericum nullo ſuo facto, quantumvis illicito, & improbato, fori privilegium amittere, niſi ter à proprio Epiſcopo monitus, ab illo non deſiſtat, *cap. in audientia 25. cap. contingit 45. de ſent. excom. cap. final. de vita & honeſt. cleric. cap. 1. eodem tit. in 6. Clement. unic. eod. tit. l. 49. tit. 6. partit. 1.* Igitur abſque trina monitione in præſenti ſpecie clerici adminiſtrationi ſæculari ſe immiſcentes, fori privilegio privari non debent. Augetur hæc difficultas ex eo, nam clericus foro proprio renunciare non valet, *cap. ſi diligenti 12. de foro compet.* ubi latè probavi: ergo ex eo, quod clerici ſe immiſceant adminiſtrationi, ſeu procurationi laicorum, non debent amittere privilegium clericale quoad perſonas, aut quoad bona; ſi enim expreſſus conſenſus renunciandi non ſufficit ad amittendum privilegium fori, quia illud in favorem totius ſtatus clericalis eſt conceſſum, multò minùs eis nocebit tacitus, & præſumptus, cùm taciturnitas expreſſam voluntatem non inducat, ſed ſolùm conjecturam, ut patet *ex l. qui tacet 142. ff. de R. I.* cui quantum prævaleat expreſſa, nemo ignorat, & probat Conſultus *in l. ſi ſervus 50. §. fin. ff. de legat. 1.*

5. *Traditur ratio decidendi.*

Quâ dubitandi ratione ita fulcitâ non obſtante, vera eſt præſens aſſertio, cujus ratio provenit ex prohibitione tot Eccleſiæ legibus repetita, ne videlicet ſæcularibus negotiis clerici ſe immiſceant, *cap. 3. 88. diſt. cap. te quidem 29. 11. q. 1. cap. pervenit 26. 86. diſt. cap. quia Epiſcopus, cap. cum ſimus 5. q. 3. cap. clerici, cap. canonum 14. q. 4.* cum aliis infrà proximo commentario adducendis. Unde cùm per adminiſtrationem rerum ſæcularium à laico receptam clerici implicentur negotiis ſæcularibus, ideo in præſenti prohibetur ſacerdotibus, ut laicorum miniſtri fiant, aut procuratores in eorum cauſis conſtituantur, niſi ut pro eis intercedant, ut *in cap. per venerabilem, in princip. qui filii ſint legit.* ubi Barboſa *num. 2.* aut in Curia Romana, ut *in cap. cùm eſum, de ſimonia*, ubi notavit Binsfeldius, & *in cap. cùm dilecta 22. de reſcript.* facit exemplum militum armatæ militiæ, qui procuratores in judicio eſſe nequeunt, *l. militem 7. l. ſtipendia 9. C. de procurat.* ne propter privata negotia ab armorum exercitio diſcedant, & caſtra deſerant, *l. milites 31. C. locati, l. milites 2. C. de re milit. lib. 12. l. 5. C. de condict. ob cauſ. l. 54. ff. de procurat. §. 10. Inſtit. de except. l. final. C. Theodoſ. de commeat.* D. Ambroſius *lib. 1. offic. cap. 36. Is qui Imperatori militat, à ſuſceptionibus litium, actu negotiorum forenſium, venditione mercium prohibetur humanis legibus.* Ob quam etiam rationem, ne ab altari diſcedant, juſtè prohibetur in præſenti ſacerdotibus militiam cœleſtem ſectantibus, ne miniſtri laicorum fiant, aut procuratores in eorum cauſis conſtituantur, ne exinde forenſibus negotiis implicati, ab Eccleſia, cui inſerviunt, amoveantur. Unde meritò laudatur Silvanus Epiſcopus primùm Philopolitanus, pòſt Trojanus, à Socrate *lib. 7. hiſt. cap. 37.* Nicephoro *lib. 4. cap. 39.* eò quod clericos ſuos in cauſis litigantium, judicioque contendentium, & negotiis quæſtum ſectantes, ac veluti nundinantes animadvertens, ne quis ex Clero cauſam in poſterum judicaret, conſtituit, clericumque nullum judiciis accommodavit, ſed acceptos ſupplicantium libellos uni ex fidelibus laicis, quem ſtudioſum agnoſcebat, tradebat, audiendique munus committebat. Faciunt Sineſius *epiſt. 57.* ibi: *Civilem virtutem jungere cum ſacerdotio velle, eſt miſcere omnino non miſcenda.* D. Bernardus *lib. 1. de conſid. ad Eugen. cap. 5.* ibi: *Judicare de terrenis poſſeſſiunculis hominum, qui in cœleſtibus & angelos judicabunt?* Et paulò poſt: *Quænam tibi major videtur dignitas, & poteſtas, dimittendi peccata, an prædia dividendi? Sed non eſt comparatio: habent hæc infirma, & terrena judices: & Reges, & Principes terræ, quid fines alienos invaditis? quid falcem veſtram in alienam meſſem extenditis? non quia indigni vos, ſed quia indignum vobis talibus inſiſtere, quippe qui eſtis in potioribus occupati.*

6. *Diſſolvitur dubitandi ratio.*

Nec obſtat dubitandi ratio ſuprà adducta; verum enim eſt, primis Eccleſiæ ſæculis Epiſcopos cum conſenſu clericorum non ſolùm Eccleſiaſticas cauſas judicaſſe, verùm & ſæculares laicorum, ex conceſſione Imperatorum. Conſtantinus enim Magnus ſtatuit, ut à Judicibus civilibus ad Epiſcopos provocaretur. Sozomenus *lib. 1. cap. 9.* ibi: *Provocationes à civilibus judiciis ad Epiſcopos conceſſit, ſed & potiores eorum, quàm aliorum ſententias eſſe voluit.* Idem quoque conſtituit Imperator Theodoſius, & protraxit etiam ad primam inſtantiam ex unius partis arbitrio, *l. 1. §. quicunque, C. Theod. de Epiſcop. aud.* refertur *in cap. quicunque 35. 11. q. 1.* Idem firmavit Carolus Magnus relatus *in c. volumus 37. 11. q. 1.* & utriuſque mentionem fecit Innocent. III. *in c. novit. de judic.* & Reges Gothorum cauſas omnes Epiſcopis judicandas committebant. Concil. Tolet. 4. *can 30.* relatum *in cap. ſæpe 19. 23. quæſt. 8.* quod optimâ ratione tunc receptum erat, ut ſcilicet fideles à tribunalibus Paganorum judicum retraherentur, ob periculum ſubverſionis: quo modo accipit D. Paulum *1. ad Corinth. cap. 6.* in illis verbis: *Jam igitur omnino impotentia in vobis eſt quoad judicia*; Bronchorſt. *centur. 1. aſſert. 31.* Poſtquam verò omnes fidem Catholicam amplexi fuerunt, & cuncti judices catholici reperiebantur, cœperunt Eccleſiaſtici abſtinere ſe à cauſarum ſæcularium cognitione, niſi ab ipſis ſupremis Principibus in Senatores, & Conſiliarios eligerentur; nam ex Principis delegatione, aut nominatione omni tempore licuit etiam Epiſcopis & aliis presbyteris cauſas ſæculares judicare. Unde Sineſius *epiſt. 57.* præfecturam ſæcularem recuſans ajebat: *Non contemno Epiſcopos, qui in rerum negotiis verſantur; ſed magis miror eos, qui utrumque poſſunt: mea facultas non eſt duobus dominis ſervire; ſi verò ſunt aliqui, qui neque à conſenſu laduntur, poterunt ſanè & ſacerdotio fungi, & civitatum Præfecti eſſe.* Quâ de re extat elegans apologia Petri Bleſenſis pro clericis curialibus, *epiſt. 6.* ubi exponit, quo pacto in Anglia, quæ ad totius regni ſtatum ſpectare videbantur, clerici examinarent: *In domo Domini mei Cantuar. Archiep. viri literatiſſimi ſunt, apud quos invenitur omnis rectitudo juſtitiæ, omnis cautela providentiæ, omnis forma doctrinæ, ibi poſt orationem, & ante comeſtionem, in lectione, in diſputatione, in cauſarum*

decisione jugiter se exercent; omnes quæstiones regni difficiles, & nodosæ referuntur ad nos, quæ cùm inter socios nostros in commune auditorium deducuntur, unusquisque secundùm ordinem suum sine lite, & detractione ad bene dicendum mentem suam acuit, & quod ei consultius videtur, & sanius, de vena subtiliore producit. Et ita licitè clericos in Senatores, & Consiliarios eligi, docent pluribus relatis Bobadilla *in polit. lib. 2. cap. 17. num. 15.* Vela *tom. 2. dissert. 43. num. 4.* Barbosa *lib. 2. voto 89. ferè per tot.* Solorzanus *lib. 4. cap. 4. num. 39. tom. 2.* Nec quod dicebamus de utilitate judiciorum, obstat; nam etsi utilia judicia sint, possunt tamen & debent exerceri per eos, quibus prohibitum non est, ut clericis prohibitum reperitur ob specialem rationem suprà assignatam.

6. *Dissolvitur secunda difficultas.*

Nec obstat alia difficultas suprà adducta, pro cujus solutione varia adduxerunt Interpretes. Hostiensis in summa hujus tituli, *num. 4.* Aufrerius *in tract. de potest. secul. regul. 1. num. 25.* docent generalem monitionem, seu denunciationem in Synodo factam trinæ monitionis vim habere, ut *in cap. 1. de locato, cap. à nobis 21. de sent. excom.* & ita cùm præcederet in præsenti trina monitio, rectè clericus privilegio fori exuitur. Sed præterquam quod doctrina Hostiensis vera non est, ut probat Vela *d. dissert. 45. num. 33.* Eugenius in præsenti non loquitur de denunciatione in Synodo facienda, quia si de ea Pontifex sensisset, expressè juberet, ut denunciatio fieret in Synodo, quod non fecit; immò tantùm jussit præsentem constitutionem denunciari ab Episcopo Sarensi. Glossa *in præsenti verbo Ecclesia, versic. Intelligo 3.* docet in præsenti præcessisse trinam monitionem; sed malè, cùm ex illis verbis, *denuncies publicè*, deducatur, denunciationem in communi esse faciendam: trina verò monitio supponit singularem, ac personalem monitionem cujuslibet clerici, cùm in præsenti ageretur tantùm de denunciandâ constitutione generali: unde meritò Glossam reprehendit Panormitanus, licèt eam sequantur Jacob. de Grassis *p. 2. decis. lib. 3. cap. 2. num. 29.* Narbona *in l. 20. gloss. 20. tit. 1. lib. 4. recopil.* Aliter textum hunc exponit *in extravag. unic. num. 453. post medium, de vita & honest. cleric.* Martha *de jurisdict. 2. p. cap. 32. num. 34.* qui asserit publicam, & generalem admonitionem in hoc textu æquipollere trinæ, ob multitudinem, & incertitudinem clericorum sæcularibus negotiis se immiscentium, argumento textus *in authent. si omnes, C. si minor ab hæredit. cap. final. qui matrimonia accusare:* nam etsi ea doctrina sustineri posset, ubi Pontifex loco trinæ monitionis, quæ aliàs desideratur, ejusmodi generalem admonitionem subrogaret, ut accidit *in dict. extravag. unic.* in præsenti tamen non exigit illam generalem denunciationem pro trina monitione, sed ut præsens constitutio, quæ generaliserat, nota fieret, nec illius ignorantiam clerici diœcesis Sarensis prætendere possent; quod commune est omnium constitutionum, quæ de novo eduntur, ut in præsenti textu dicemus; quare talis denunciatio non in vicem monitionis assignatur. His ergo omissis sententiis dicendum est, in præsenti specie non agi de illa privatione privilegii fori, sed tantùm Eugenium statuere, ut si neglectâ hac constitutione clerici ministri, seu procuratores laicorum eligantur, & ob fraudem circa rem pecuniariam commissam causa discutiatur coram judice sæculari, qui de principali causa cognoscit, non defendantur per Ecclesiam: non quia privilegium fori amittant respectu aliarum causarum, sed tantùm quia causa illa fraudis admissæ circa rem pecuniariam omnino est discutienda cum causa principali coram sæculari judice. Ideoque tunc per Ecclesiam non defenditur, ut contingit in clerico tutore, seu curatore, sequestrumve accipiente à laico, ut latè docet alios similes casus resolvens Vela *dissert. 45. ex n. 67.* Nec obstat augmentum hujus secundæ difficultis, cui responderi potest, quod quoties clerici amittunt suo facto hujusmodi privilegia fori, & canonis, hoc non provenit ex eorum renunciatione, sed ex delicto: nec tunc hujusmodi privatio ad eorum voluntatem refertur, sed ad dispositionem juris, quod indignum judicavit illis ab Ecclesia subveniri, per quos constat in Ecclesia scandalum generari, ut ait Eugenius in præsenti; neque eâ pœnâ privationis fori afficiuntur suo arbitrio, sed lege Pontificia; nec facto suo absolutè, sed *propter factum suum* dependenter à jure, *ut* docuerunt Covar. *practic. cap. 33. num. 2.* Germon. *de sacror. immunit. lib. 3. cap. 15. num. 51.* P. Barbosa *in l. alia 14. §. eleganter, ff. solut. matrim.* Nec dissimile est, quod jure civili contingit in homine libero, qui ad pretium participandum se venundari passus est. Nam quamvis nemini liceat suâ privatâ conventione, vel pacto servum fieri, *l. conventio 37. ff. de liber caus. l. liberos 10. C. eod.* adeo ut etsi apud judicem servum se profiteatur, hujusmodi confessio libertati non noceat, *l. parentes 22. l. interrogatam 24. l. liberos 39. C. de liber. caus.* tamen si ignoranti patiatur se vendi ob pretium participandum, in pœnam hujusmodi delicti servus manet, *l. 1. & per totum ff. quibus ad libertatem, §. servi, Instit. de jure person.* Sic etiam clerici, quamvis propriâ conventione privilegio fori, aut canonis renunciare non possint, ex traditis *in dict. cap. si diligenti, de foro compet.* tamen admittendo delictum, ex quo talis privatio sequitur, privilegium amittunt, non tam propriâ voluntate, quàm juris dispositione.

CAPUT III.

Alex. III. *in Concilio* (a) *Turonensi.*

NOn magnoperè antiqui hostis invidia infirmata membra Ecclesiæ præcipitare laborat; sed manum mittit ad desiderabiliora ejus, & electos quoque nititur supplantare, dicente (b) Scripturâ: Escæ ejus electi. Multorum siquidem casum operari se reputat, ubi pretiosius aliquod membrum Ecclesiæ suâ fuerit calliditate detractum

ctum, & inde nimirum est, quod in (c) angelum lucis more solito se transfigurans, sub obtentu lugentium fratrum consulendi corporibus, & ecclesiastica negotia fideliùs pertractandi, regulares quosdam ad legendas leges, & (d) confectiones physicas ponderandas de claustris suis educit. Unde ne sub occasione scientiæ spirituales viri mundanis rursus actionibus involvantur, & in interioribus ex eo ipsò deficiant, ex quo se aliis putant in exterioribus providere: per præsentis Concilii assensum statuimus, ut nulli omnino post votum religionis, post factam in aliquo loco religioso professionem, ad Physicam, legesve mundanas legendas permittatur exire. Si verò exierint, & claustrum suum (e) infra duorum mensium spatium non redierint, sicut excommunicati ab omnibus (f) evitentur, & in nulla causa, si patrocinium præstare voluerint, audiantur. Reversi autem in choro, capitulo, mensa, & cæteris ultimi (g) fratrum existant, & nisi fortè ex misericordia Sedis (h) Apostolicæ, totius spem promotionis amittant.

NOTÆ.

(a) *Turon.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc. tit. cap. 2.* & post Concil. Lateran. *p. 27. cap. 2.* & reperitur textus hic *in can. 8. ipsius Concilii:* de eo Turonensi Concilio egi *in cap. majoribus, de præbend.* & præsentis canonis sanciendi causam referam infrà *in cap. super specula:* nunc integrum canonem ex ipso Concilio ita restituo.

(b) *Scripturæ.*] *Job. cap. 39. Abacuch cap. 1.*

(c) *Angelum lucis.*] Ut ait D. Paulus 2. *ad Corinth. cap. 11.*

(d) *Confectiones physicas.*] Idest medicas, undè plerumque Medici Physici dicuntur. Macrobius *lib. 7. cap. 15. Medicina autem Physicæ partis extrema pars est.*

(e) *Duorum mensium.*] Communiter repetentes in præsenti, & Germonius *lib. 1. animadv. cap. 3.* Vela *dissert. 45. num. 75.* existimant, duos menses in præsenti canone assignari, ut nulla ignorantia intendi possit ab ipsis monachis; quia regulariter quælibet constitutio noviter edita obligat post duos menses à die publicationis, *authent. aut factæ constitutiones, collat. 5. cap. noverit 45. de sent. excom. l. 2. tit. 15. lib. 8. ordin.* ubi Didacus Perez, Morla *de legibus quæst. 5.* Salas *eod. tract. disp. 12. sect. 2. num. 1.* de quo bimestri exaudiunt textum *in cap. 1. de concess. præb. lib. 6.* ibi: *Aut nisi post tempus, intra quod ignorare minimè debuisset:* nisi aliter cautum sit in ipsa constitutione, videlicet ut ex nunc obliget. Verùm pace tantorum virorum existimo in præsenti duos menses non assignari à Patribus Concilii Turon. ut nulla ignorantia prætendi possit à monachis; sed potius eos præscribi, ut religiosi, qui post hanc constitutionem solenniter editam, & promulgatam, juxta tradita *in cap. 1. de postul. prælat.* è monasteriis exierint ad audiendas leges, vel Physicam, & per duos menses ad monasterium non redierint, ipso jure ut excommunicati vitentur. Spatium ergo hoc duorum mensium monachis præscribitur, seu religiosis extra monasterium de gentibus, & leges, seu physicam audientibus, ut ad monasterium redire possint. Unde Ferdinandus Santarel. *de apostas. cap. 2.* Suarez *de censuris disp. 23. sect. 3. num. 15.* Sayrus *eod. tract. lib. 3. cap. 33.* Gibalinus *de censur. in synopsi, littera R. num. 7.* docuerunt, monachum, qui intra spatium duorum mensium mutaverit propositum audiendi leges, vel physicam, hanc excommunicationem non incurrere.

(f) *Evitetur.*] Unde hanc excommunicationem ipso jure incurri, præsentem constitutionem exponens declaravit Honorius III. *in c. final. hoc tit.*

(g) *Ultimus fratrum.*] Hoc genus pœnæ, seu pœnitentiæ probavi, & illustravi *in cap... de majorit. & obed.*

(h) *Apostolicæ Sedis.*] Licèt autem hæc dispensatio, ut ille promoveri possit ad altiores gradus, Pontifici sit reservata, non tamen absolutio ab excommunicatione, ut notavit Gibalinus *ut suprà.*

COMMENTARIUM.

EX hoc textu, & *ex cap. final. hoc tit.* ubi ipse innovatur, sequens deducitur assertio: *Religiosi professi, seu presbyteri, qui ad audiendas leges, vel Physicam scholas adierint, excommunicati sunt.* Probant eam textus *in c. super specula, de privil. cap. 1. hoc tit. cap. cùm de diversis, eod. titul. lib. 6.* Innocentius II. in Synodo Roman. *cap. 6.* ibi: [Prava consuetudo, prout accepimus, & detestabilis inolevit, quòniam monachi, & regulares canonici post susceptum habitum, & professionem factam, spretâ bonorum magistrorum Augustini, & Benedicti regulâ leges temporales, & medicinam gratiâ lucri temporalis addiscunt, &c. Ut ergo ordo monasticus, & canonicus Deo placens in sancto proposito inviolabiliter conservetur, ne hoc ulteriùs præsumatur, auctoritate Apostolica interdicimus.] Innocent. III. *lib. 1. epist. 144.* apud Sirletum *fol. 67.* Consonant textus *in l. 2. tit. 9. l. 28. tit. partit. 1.* Illustrant ultra congestos in præsenti à Barbosa, & Garanna, idem Barbosa *lib. 3. voto 88.* Suarez *de censur. disp. 23. sect. 4. num. 16.* Azor *tom. 3. instit. moral. lib. 12. cap. 13.* Haæphtenus *ad vitam S. Benedicti, lib. 5. tract. 8. disquisit. 7.* Thom. Delbene *de offic. Inquisit. p. 2. dub. 236. sect. 21.* Boëtius Epon. *in præsenti*, P. Greg. *lib. 4. partit. tit. 8. c. 10.* Martha *de jurisdict. 4 p. casu 168.* Lantdmeter. *de veteri cleric. lib. 2. cap. 69. & 107.* Gibalinus *de clausur. disquis. 2. c. 2. §. 5. & in synopsi littera R. num 7.* Gazæus *in not. ad Cassianum collat. 14. cap. 12.* P. Mendo *de jure academ. lib. 2. q. 30. & 31.* Mancinus *sacri jur. controv. disp. 27.* Iranzo *de profess. consider. 30.* Garcia *in summa, tract. 1. difficult. 2. dub. 2.* Suarez *de censur. disp. 23. sect. 3. n. 6.* 2. Conclusiò traditur, & probatur.

Sed pro dubitandi ratione ita in præsentem assertionem insurgo: Tam clericis, quàm monachis etiam coram judice sæculari permissum est postulare, *cap. 2.* ubi probavi, *de postul.* Ergo saltem ad eundem finem peritia juris civilis illis necessaria est, cùm absque illius juris scientia difficile, immò impossibile sit in forensibus causis patrocinium præstare. Accedit, nam tam clericis, quàm monachis licet artificium, vel opificium aliquod 3. Impugnatur tradita assertio.

honestum exercere, etiam sæculare, *c. 1. de celebrat. Missar.* ubi probavi: ergo multò magis illis licebit tam liberales, & præstantes artes, ut jus civile, & medicinam profiteri, cùm ex earum peritiâ non solùm suæ egestati, verùm & pauperibus possent subvenire. Augetur hæc dubitandi ratio primò, nam scientia sacrorum canonum clericis omnino necessaria est, ut probavi *in cap. cum in cunctis, de elect.* sed ad peritiam sacrorum canonum necessaria est juris civilis scientia, ut docuerunt Trocius, Farinac. & Menochius, & alii apud Barbosam *in cap. final. hoc tit.* Unde prodiit vulgaris parœmia: Leges sine canone valent parum; canones sine lege nihil. Romanus *singulari 654.* Immò ad studium sacræ Theologiæ civilem peritiam valde prodesse, post Dianam docuit Cutel. *de prisca libert. Eccles. q. 1. n. 72.* Ergo saltem ad hunc finem, ut rectiùs percipiantur sacri canones, & Theologiæ scientia, civilis peritia non debet prohiberi clericis, ac monachis.

4. *Traditur ratio decidendi.* Quâ difficultate non obstante vera est supra tradita assertio, cujus ratio exprimitur in præsenti textu, ibi: *Ne sub ea occasione spirituales viri mundanis rursus actionibus involvantur, & in interioribus ex ipso deficiant, ex quo se aliis putant in exterioribus providere.* Cùm enim monachorum vita procul debeat esse à negotiis sæcularibus, ut in præsenti titulo passim docetur; ideo illis adire scholas, ibique mundanas leges, & physicam audire prohibetur, præcipuè cùm illis magis conveniant studia Sacræ Theologiæ, & canonum. Ex eadem ratione hanc prohibitionem protraxit Honorius III. ad presbyteros, & alios clericos dignitates Ecclesiasticas obtinentes, in quibus etiam facit quod Justinianus docet *in l. repetita, C. de Episcop. & cleric. consulta, C. de testam.* his verbis: *Absurdum est enim clericis, immò etiam probrosum, si peritos se velint ostendere disceptationum esse forensium.* Unde justè in præsenti, & *in d. cap. final.* monachis, & clericis sub excommunicationis pœna prohibetur scholas adire, ibique leges, seu physicam audire. Peculiaribus tamen privilegiis nonnullis academiis concessum est, ut clerici etiam eas adire possint causâ discendi jus civile, ut nostræ almæ Academiæ Salmant. bullâ quæ refertur in ejus constitutione 27. ubi permittitur clericis, & beneficiatis per triennium juri civili operam dare. Idem studio Pisano concessit Innocent. VIII. in bulla, quam refert Mancinus *sacri juris controv. disp. 27.* Idem concessum fuisse Universitati Pictavienſi refert Baptista à Sancto Blasio *in rubric. Decreti, num. 78. tom. 1. repetit.* in quibus expressè derogantur præsens textus, & dicta constitutio Honorii III.

5. *Dissolvitur dubitandi ratio.* Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, pro cujus solutione sciendum est, valde controversum esse inter Doctores, an monachis, clericisque prohibitum sit studium juris civilis, ita ut non solùm publicè illud discere, legesque audire, verùm & legere, cathedrasque juris Cæsarei moderari prohibitum sit. Et etiam jus Cæsareum docere monachis, & clericis interdictum esse docuerunt Hostiensis, Joannes Andreas, & Ancharanus *in præsenti.* Idem Ancharanus *in cap. final. hoc tit. num. 3.* Calderinus *consil. 2.* Sylvester *verbo Excommunicatio 9. num. 6.* Rebuffus *in tract. de nominat. q. 5. num. 19.* Menochius *de arbitr. casu 425. n. 34.* Majolus *de irregul. lib. 2. cap. 1. num. 13.* Gambara *de offic. Legati, tit. de variis ordin. nomin. num. 288.* Mandosius *de signat. gratiæ, tit. de dispens. ad audiendas leges.* Moventur præsenti textu, ibi: *Ad legendas leges,* & ex identitate rationis; quia præ-dicta ratio, ne sæcularibus actionibus involvantur, æquè militat in legente, ac in audiente. Unde si eadem ratio militat, idem jus statui debet, *l. quadam, §. nummulario, ff. de edendo, cap. debitum, de bigamis, cap. nuptiarum 27. quæst. 1. cap. si enim 28. quæst. 1.* Accedit quia correlativa sunt audire, & docere: Ergo si prohibetur clericis, & monachis jus civile audire, prohibetur & per consequens illud docere, argumento legis finalis, *ff. de acceptil. l. 1. C. de cupressis, lib. 11. de final. C. de indicta viduit.* & ab specie lex *culpa 8. C. de mathem. cap. aliquanti 26. q. 5.* Sed contrariam sententiam, immò non esse prohibitum religiosis, & clericis legere jus civile, ac Physicam, probant plures, quos refert, & sequitur Barbosa *lib. 3. voto 88.* quibus adde Mancinum *sacri juris controvers. dissert. 27. per tot.* P. Mendum *de jure academ. q. 30. & 21.* pro quibus faciunt primò, quod permissum censetur omne, quod non invenitur prohibitum, *l. necnon, vers. Quæ clausula, ff. ex quibus caus. maj. l. mutus. §. cùm quæritur ff. de procurat. l. 1. §. final. ff. de testibus:* nec prohibitum judicari debet, quod nec sacræ scripturæ, nec positivæ leges prohibent, *cap. lex divina 27. q. 2.* & quod lex non dicit, nec nos dicere debemus, *authent. de non eligendis secund. nubend. §. optimi, collat. 1. l. dissentienti, C. de repud. l. illam, C. de collat.* & valet argumentum: Non est ita, quia jure cautum non reperitur, *cap. 2. ne Sede vacant. cap. Romana, de supplend. neglig. extravag. antiqua de voto,* Joannis XXII. sed non est aliqua constitutio Pontificia, in qua prohibeatur clericis, vel monachis docere jus civile, vel Physicam: igitur illis id prohiberi non debet. Quâ opinione retentâ non obstat præsens textus; nam in eo non agunt Patres de docentibus jus civile, sed de illud audientibus. Nec contrarium suadet verbum illud *Legendas*; nam accipiendum est pro *audiendas*, ut facilè ex textus seriè colligitur, & ita acceperunt Honorius III. *in cap final. hoc tit. in 6.* Alfonsus Rex *in l. 28. tit. 7. partit. 1.* ibi: *Physica, ni leyes no tuvo por bien santa Iglesia que aprendiesse ningun home de religion.* Et ibi: *Los unos que iban à aprender physica, porque pudiessen mantener los frailes en salud, y guarecerlos quando en fermassen en sus monasterios: è los otros las leyes, porque pudiessen amparar las cosas de sus mismos lugares.* Et ibi: *Que non aprendan ninguno de estos saveres, è si les demandassen licentia para ir à aprender.* Et *in l. 2. tit. 9. partit. 1.* ubi referens casus, in quibus incurritur excommunicatio à jure canonico imposita, ait: *La onzena es, si algun Monjè, ò Canonge reglar, ò algun clerico que sea de missa, ò otro que aya dignidad ò personaje, fue à escuelas para estudiar en physica, ò en leyes.* Unde de audientibus, non verò legentibus leges, exaudiunt hunc textum plures congesti à Barbosa *d. voto 88.* Mancinus, & Mendus *suprà.* Nec obstat militare eandem rationem in legente, ac in audiente, quod negandum est; nam qui scholas adit ad audiendas leges, id facit, ut rursus involvatur actionibus sæcularibus: sed ille, qui priùs scientiam acquisitam docet, non involvitur denuo, sed communicat aliis scientiam in se bonam, & necessariam ad regimen orbis terrarum. Quoad clericos illud etiam facit; nam ratio in præsenti textu adducta potiùs procedit in monachis, quàm in clericis, quorum vita laxior est, *c. alia 16. q. 1. c. nunquam, de consecr. dist. 5.* ibi: *Cùm illi* (presbyteri

byteri scilicet sæculares) *fruantur suis rebus, ministrant Eccl. adeunt balnea, unguenta non spernunt, & in omnium flore versantur. Ad quod & ante respondi, & nunc breviter respondeo, me in præsenti non de clericis disputare, sed monachum instituere.* Nec aliquid facit textus *in d. l. culpa:* nam procedit in scientia damnata, cujus studium æqualiter in audiente, ac in legente prohibetur. Manet ergo, quod licèt monachis, & clericis in præsenti prohibeatur audire leges, aut Physicam, non tamen illis prohiberi eas publicè docere, & multò magis illis prohibitum non esse privatim studere, & eas discere; unde facilè dissolvuntur suprà adducta pro dubitandi ratione.

CAPUT IV.

Ex Concilio (a) *Lateran.*

SEd nec (b) procurationes villarum, aut jurisdictiones etiam sæculares sub aliquibus Principibus, & sæcularibus viris, ut (c) justitiarii eorum fiant, clericorum quisquam exercere præsumat. Si quis autem adversus hoc venire tantaverit, quia contra doctrinam Apostoli dicentis: Nemo militans Deo, implicat se sæcularibus negotiis; sæculariter agit, ab ecclesiastico fiat ministerio alienus, pro eo quod officio clericali neglecto fluctibus sæculi, ut potentibus placeat, se immergit. Districtiùs autem decernimus puniendum, si religiosorum quisquam aliud prædictorum ausus fuerit attentare.

NOTÆ.

1. (a) *Lateran.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 3.* & quamvis Boëtius Epon. in præsenti affirmet, non reperiri textum hunc in Concilio generali Lateran. & ita tantùm auctoritatem habere ex eo, quia compilatus reperitur auctoritate Gregorii IX. in hoc volumine; tamen reperitur in ipso Concilio, ut jam notavi *in cap. 1. de postul.* ubi extat alia pars hujus textus.

2. (b) *Procurationes villarum.*] Hoc est gubernationes oppidorum, vel Rerumpublicarum civilium administrationes. Concil. Oxoniense tempore Honorii III. *cap. 7. Præsenti decreto sancimus, ne clerici beneficiati, aut in sacris ordinibus constituti, villarum procurationes admittant, videlicet ut non sint seneschalli, aut ballivi talium administrationum, occasione quarum laicis in reddendis rationibus obligentur, si & jurisdictiones exerceant sæculares, &c.* Concilium Londinense habitum anno salutis 1502. apud VVillelmum Malmesburiensem *lib. 1. de gest. Pontif. Angl.* ibi: *Ne quilibet cleri sint sæcularium præpositi, vel procuratores, aut judices sanguinis.* Hinc à Tribunali Romano rejectus quidam clericus, quòd jurisdictionem pro Comite Flandrensi exercuisset, de quo Stephanus Tornacensis *cap. 131. Jurisdictionem civilem usque ad rigorem, quam imperium mixtum quidam appellant, sub potestate Comitis Flandrensis procuratorio nomine diu exercuit; ubi ex officio qualitercunque susceptò tenebatur & innocentes absolvere, & noxios condemnare: neminem tamen, ut ipse confitetur, ad effusionem sanguinis ore proprio condemnavit sed confessos, aut convictos de crimine, Communia Ambianensis, ad quam judicium sanguinis spectat, secundum quod meruisset reus, judicandos exposuit, & plectendos.* Exponit Boëtius Epon. *in præsenti, num. 6.* Villæ enim plerunque ponuntur pro minoribus civitatibus, aut majoribus, ut *in cap. ex litteris, vers. Sic Episcopus, de excess. Prælat. cap. venerabili fratri, de censibus.* 3.

(c) *Justitiarius.*] Idest judex, quo modo regulariter accipitur apud Ingulphum, quem refert Joannes Vossius *de vitiis serm lib. 3. cap. 17.* ibi: *Præfectus provinciarum, quos antea vice Domini in duo officia divisit, idest in judices, quos nunc justitiarios vocamus; & in Vicecomites, qui adhuc idem nomen retinent.* Indeque pro judicis munere ponitur justitiaria in legibus Siculis *lib. 1. tit. 45. & 46.* apud Matthæum Parisium *anno 1188.* ibi: *Episcopus Dunelmensis habuit justitiariam à magno flumine usque ad Scotorum mare: Vvillelmus verò Elyensis obtinuit justitiariam à flumine prædicto ad plagam Australem; quod Hugo Dunelmensis Episcopus nimis molestè ferebat, tunc primò intelligens, quod Rex illum justitiarium fecerat, non zelo justitiæ, sed ut pecuniam ab eo extorqueret.* Specialiter verò justitiarius sumitur pro judice causarum criminalium, *in cap. ex litteris 5. de pignor.* ubi justitiarius appellatur minister Regius, qui cognovit de quodam delicto: & *ex Clement. 1. de pœnit. & remiss.* ubi postquam Patres Concilii Viennen. statuerunt, sacramentum pœnitentiæ ultimo supplicio damnatis non esse denegandum, ut fieri consueverat, hæc adjiciunt verba: *Justitiarios omnes, & Dominos temporales, ut ab hujusmodi desistant abusu, in Domino hortamur.* Notavit Glossa *in cap. Episcopus, hoc tit. in 6.* quo modo justitiarium in præsenti exponit Barbosa *voto 89. num. 66.* Commentarium hujus textus dedi suprà *in cap. 2.*

CAPUT V.

Idem (a) *Cant. Archiep.*

CLericis qui in sacris ordinibus constituti sunt, ex (b) Toletano Concilio judicium sanguinis agitare non licet. Unde prohibemus, ne aut per se truncationes membrorum faciant, aut judicent inferendas: quod si quis tale quid fecerit, (c) honore privetur, & loco. Jubemus etiam sub interminatione anathematis, ne quis sacerdos officium

officium habeat (d) Vicecomitis, aut (e) Præpositi sæcularis. Clerici qui comam nutriunt etiam inviti ab Archidiaconis suis tondeantur. Vestimento autem, & calcementis, nisi quæ honestatem & religionem deceant, uti non liceat. Si quis contra hoc venire præsumpserit, & commonitus emendare noluerit, excommunicationi subjaceat.

NOTÆ.

1. (a) *Cantuar.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 6.* & post Concilium Lateran. *p. 27. c. 4.* & verba hujus textus reperiuntur *in Concil. Tolet. 11. can. 16.* Agathensi *can. 20.* infrà decimus; invaluerat enim his temporibus abusus maximè in Anglia, quod Prælati Ecclesiastici ut justitiarii, & sanguinis judices se gerebant, ut ex Matthæo Paris. refert Cironius *in præsenti.* Quare cùm questi essent monachi S. Trinitatis apud Innocentium III. quòd Hubertus Cantuariensis Archiepiscopus contra ordinem dignitatis suæ justitiarium se Regis Angliæ, & sanguinis judicem gereret, Innocentius sub pœna interdicti Richardo prohibuit, ne hoc de cætero faceret. De Cantuar. Archiepiscopo egi *in cap. 2. de rescript.*

2. (b) *Toletano.*] XI. videlicet, quod Vitaliani quoque temporibus celebratum fuit anno Christi 660. ubi in canone 6. reperiuntur verba in præsenti transcripta: ex eo citantur à Rabano Mauro *in pœnit cap. 30.* Gratiano *in cap. 30. 23. q. 8.* licèt ex Concilio Maguntino ea citent Burchardus *lib. 1. Decreti, cap. 201.* Ivo Carnot. *p. 5. cap. 315.* ex collatione autem Garsiæ à Loysa ita transcribo: [His, à quibus Domini Sacramenta tractanda sunt, judicium sanguinis agitare non licet: & ideo magnoperè talium excessibus providendum est, ne indiscretè præsumptionis motibus agitari, aut quod morte plectendum est, sententiâ propriâ judicare præsumant, aut truncationes quaslibet membrorum quibuslibet personis, aut per se inferant, aut inferendas præcipiant. Quod si quisquam horum immemor præceptorum, aut Ecclesiæ suæ familiis, aut quibuslibet personis tale quid fecerit, & concessi ordinis honore privatus, & loco suo, perpetuo damnationis teneatur religatus ergastulo: cui tamen communio exeunti ex hac vita non neganda est, propter Domini misericordiam, qui non vult peccatoris mortem, sed ut convertatur, & vivat.

(c) *Honore privetur, & loco.*] Quibus verbis continetur privatio officii, & beneficii, quæ est depositio verbalis, non autem actualis, seu realis degradatio, ut jam exposuit Boëtius Epon. *hic, num. 17.*

3. (d) *Vicecomitis.*] Vicecomes apud scriptores posterioris ætatis accipitur pro Vicario Comitis; inde Vicecomitiam pro Vicaria posuit Ordericus Vitalis *lib. 5. histor. Eccles.* & hujus officii meminit Joannes VIII. in Concilio Trecensi, relato à Carnotensi *p. 3. Decreti, cap. 98.* ibi: *Omnibus Episcopis, Comitibus, Vicecomitibus, Centenariis, &c.* & *in epist. 102.* ad Mironem, probat Altesserra *de Ducibus & Comit. cap. 18. lib. 3.* Vicecomites exemplo Comitum in Gallia, & Anglia præfecturas in rem privatam convertebant, justitiamque administrabant, ac justitiarios designabant. Sarisbariensis *lib. 5. Polycrat. cap. 15.* ibi: *Nam de Vicecomitibus, & justitiis, quæ ut vulgari nostro utar, directæ dicuntur.* Matthæus Paris. anno 1175. *Et Vicecomitis agens vices laïcali se foro immiscuit.*

(e) *Præpositi.*] De Præpositis, tam sæcularibus, quàm ecclesiasticis, nonnulla adduxi *in cap. 1. de ætate & qualit.*

(f) *Invitis ab Archidiaconis.*] Verba, quæ sequuntur, exposui *in cap. 7. de vita, & honest. cleric.* & quia in eo reperiuntur, ide illa omisit Raymundus *in præsenti.*

COMMENTARIUM.

EX hoc textu, *junctis cap. final. infrà hoc tit.* talis deducitur assertio: *Clerici nec proferre, nec dictare sententiam sanguinis debent, nec quidquam aliud exercere, per quod ad effusionem sanguinis perveniatur.* Probant eam textus *in cap. 1. 15. q. 4.* ibi: *Criminalia negotia presbyter, clericus, &c.* Et *cap. sæpe 29. cap. his à quibus 30. 23. q. 8. cap. ad audientiam, de crimin. falsi. cap. in Archiepiscopatu, de raptor. cap. ex litteris, de excess. Prælat. 6. final. hoc tit. in 6.* Concil. Altissiod. *can. 33.* ibi: *Non licet Presbytero, nec Diacono ad trepalium, ubi rei torquentur, stare.* Et *can. 34. Non licet presbytero in judicio illo sedere, unde homo ad mortem tradatur.* Exoniense tempore Honorii III. *cap. 7. Auctoritate generalis Concilii districtè inhibemus, ne quis clericus beneficiatus, vel in sacris ordinibus constitutus, litteras pro pœna sanguinis infligenda scribere, vel dictare præsumat, vel ubi judicium sanguinis tractatur, intersit.* Matiscon. *2. can. 19. Cognovimus quosdam clericorum infractos ad foras reorum sententias frequenter accedere. Propterea prohibitionis eorum accessum hunc canonem protulimus, definientes, ut ad locum examinationes reorum nullus clericorum accedat, nec intersit atrio, aut fauciolo, ubi proreatus sui qualitate quisquam interficiendus est. Si tamen ex nunc aliquis eorum definita contemnens, illuc accesserit, aut interfuerit, defraudatus honesti honoris stola, illis gregibus examinatorum societur, quos divinis prætulit mysteriis.* Illustrant ultra congestos à Barbosa in præsenti, Boëtius Epon. *hic,* Epsenceus *lib. 2. digress. cap. 10.* Mancinus *sacri juris controv. differt. 26.* Martha *de jurisdict. p. 1. c. 48. num. 4.* Columbi *de Angelica Hierarch. lib. 5. c. 52.* Barbosa *lib. 3. voto 89.* Suarez *de censur. disp. 45. sect. 5.* Robertus *lib. 1. rer. judic. cap. 6.* Ant. Augustin. *in epit. jur. lib. 29. tit. 20.* Germonius *de sacror. immunit. lib. 3. cap. 13. in princip.* P. Greg. *lib. 4. partit. tit. 8. cap. 10. & tit. 15. cap. 3.* Petrus Bollo *in œconom canon. class 1. cap. 5. §. 2.* Balsam, *in can. 18. Synodi Constantin.* Diana *p. 11. tract. 2. resol. 63.* Gabalinus *de censur. in synopsi, verbo Judex, fol. 469.* Tapia *2. tom. Catena, lib. 5. quæst. 7. artic. 6.* Manrique *de different. utriusque fori, quæst. 198.* Crespetius *in summa, verbo Clerici non intersint sentent.* Theophilus Raynaud. *tom. 7. in tract. religioso loricato, fol. 200.* Dartis *ad 23. quæst. 1. cap. 4. 5. & 6.* 4. Conclusio traditur.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Nocentes debitis pœnis punire adeo Deo gratum est, ut simili vindictâ Domino minus placari dicatur *in cap. 16. & 21. cap. quali, in fine 23. quæst. 5. cap. si quos 23. quæst. 4.* quare crudelis non judicatur, qui nocentem condemnat, *cap. non est crudelis 23. quæst. 5.* immò pietatem 5. Traditur ratio dubitandi.

tatem exercet, *cap. reos, in fine 23. quæst. 5. cap. legi 23. quæst. 8. cap. final. de pœnit. distinct. final.* Unde D. Hieronymus *super Ezechielem lib. 2. & 4.* ait: *Qui malos percutit in eo, quod malis nocet, & habet vasa interfectionis, ut occidat, optimus minister Dei est.* Latè illustravi *in cap. inter alia, de immunit. Eccles.* Igitur clerici non ideo debent officio, & beneficio privari, eo quod nocentes condemnaverint. Accidit, nam Ecclesia potestatem habet utriusque gladii, spiritualis videlicet, & temporalis, ut ex Sanctis, Augustino, Leone, & Bernardo probat Germonius *lib. 3. de sacror. immunit. cap. 13.* Unde plerunque pœnam sanguinis infligit, ut *in cap. delatori, 5. quæst. 3.* ibi: *Delatori lingua capuletur.* Et *in cap. 1. de calumniat.* jubetur, calumniatorem verberibus affici. Item D. Gregorius similem pœnam statuit *in cap. quia justa 5. quæst. 6. cap. fraternitas 12. q. 2. & in cap. illi qui 5. quæst. 5. cap. 1. de deposito,* jubetur, ut veritas à reo diversis cruciatibus eruatur: ergo clerici, ut sacrorum canonum cultores, possunt eos executioni mandare, & per consequens sententiam sanguinis proferre. Augetur hæc difficultas exemplo sacerdotum veteris legis, qui gladio materiali utebantur pro excessibus vindicandis: eo namque usus est Samuel Propheta in Regem Agag *lib. 1. Regum cap. 15.* & Helias in quadringentos Prophetas Baal, quos cùm idolis servientes cœlestis ignis, assumptique holocausti miraculo superans confudisset, apprehendi jussit, apprehensosque, & ad torrentes Cison ductos, ad unum interfecit. Idem Helias jubens ignem è cœlo descendere, & semel, atque iterum quadraginta viros devorari faciens *lib. 4. Regum. cap. 1.* Hac etiam potestate usus est Eliseus ibidem, *cap. 4.* in pueros irrisores: Jojadaque sacerdos in Athaliam Reginam ita pronunciavit *lib. 2. Paralip. cap. 22. Educite eam extra septa templi, & quicunque eam sequutus fuerit, feriatur gladio: & juxta palatium interfecta est.* Sunt & alia ejusdem generis exempla, ex quibus apertè constat, sacerdotes gladio hoc in facinorosos homines usos fuisse: & ne quis dicat hoc tantùm contigisse sacerdotibus antiquæ legis, nonne Petrus Apostolorum Princeps, & Christi Vicarius in Ananiam, & ejus uxorem Sapphiram, quia partem pretii occultaverant, hoc gladio animadvertit, ut refertur *Actuum Apost. cap. 5.* Idem Sanctus auriculam Malco Principis Sacerdotum servo amputavit, *cap. 26. Matthæi.* Facit etiam exemplum Sacerdotum Gentilium; nam apud Germanos, si credimus Tacito *de moribus German.* Schedio *de Diis German. lib. 2. cap. 13. fol. 293.* nec animadvertere, nec vincire, nec verberare quemquam, nisi sacerdotibus permissum erat. Ergo alienum non est à sacerdotio, ut Sacerdotes etiam sententiam sanguinis proferant.

6. *Traditur ratio decidendi.*

Quâ dubitandi ratione ita fulcitâ non obstante, vera est præsens assertio, cujus ratio provenit ex eo, nam Ecclesia valde abhorret quamlibet sanguinis effusionem, ne ejus effusionis particeps videatur: quare suis ministris ita diligenter inhibet, ne sententias, per quas sanguis effunditur, aut membrorum truncatio sequitur, proferant, dictent, recitent, vel scribant, aut ubi exequuntur, interfint, ita ut de Magistratibus Ecclesiasticis dici non impropriè possit, quod Ausonius de Magistratibus municipalibus: *Quique suas rexere urbes, patrumque tribunal sanguine, & innocuas illustravere secures.* Ideo enim Ausonius tribunal purum sanguine, & innocuas secures vocat, quia licèt Magistratus municipales jus haberent deferendarum fascium, illis tamen fasces, & secures magis erant insignia Magistratus, quàm Imperii; aut certè honestamenta nominis potiùs, quàm insignia potestatis. Neque enim poterant jubere vinciri, virgas expediri, vel insontes lege agi. Nos idem de judicibus ecclesiasticis legere possumus; siquidem illis sententiam sanguinis ferre non licet. Clericos autem, & sacerdotes, qui extraordinariis criminum cognitionibus intersunt, Latinus Pacatus vocat Antistites nomine, reverà autem satellites, & carnifices: *Qui cùm judiciis capitalibus astitissent, cùm gemitus, & tormenta miserorum auribus ac luminibus hausissent, quum lictorum arma, quum damnatorum fræna tractassent, pollutas pœnali manus contactu ad sacra referebant, & cæremonias, quas incestaverant mentibus, etiam corporibus inquinabant.* Immo Tertull. *lib. de Idololatr. cap. 7.* quemcunque Christianum monet, ne judicet in caput alicujus, vel pudorem, neque damnet, neminem vinciat, aut torqueat. Unde Justinianus Imperator, teste Nicephoro, *lib. 10. histor. cap. 14.* Christianos hac excusatione à Magistratibus rejiciendos dicebat, quòd illi judicio capitali quemquam damnare nefas esse diceret. Romani etiam Magistratum ambire, aut suscipere Flamini Diali interdicebant, impium credentes Diis sacrificare, & auspicem esse divini cultus eum, qui damnationibus, & capitalibus suppliciis interfuisset. Plutarchus *in Rom. q. ult.* qui *problem. 113.* eleganti observatione docet, quare sacerdotibus juris dicendi potestas, criminumque cognitio sit adempta, ne scilicet capitali condemnatione, veluti cæde, & piaculo defuncti polluti, quique perpetuâ expiatione indigerent, sacras res contagione sua attrectantes violarent: credebant enim ipsi, quod judices etiam tunc cùm nocentissimos damnabant, inquinati manebant, unde contestationem faciebant, de qua D. Clemens *lib. 2. constit. Apost. cap. 52.* ibi: *Qui sententiam mortis in reum pronunciaturus est, sublatis manibus adversus solem se innocentem ab illius sanguine contestatur.* Illustrat Grethserus *lib. 1. de cruce, cap. 14.* quare cùm apud eos Pontifices non ferrent sanguinis sententiam, Titus Imperator ideo Pontificatum accepit, ut puras servaret manus, teste Suetonio *in ejus vita, cap. 9.* & cùm L. Cantilius scriba Pontificum, eo quod cum Florentia stuprum fecisset, à Pontifice Maximo eo usque virgis cæsus esset, ut inter verbera exspiraret, nefas id prodigii loco habitum refert Livius *decad. 3. lib. 2.* Unde rectè Ecclesia, quæ adeo sententiam sanguinis abhorret, ut neque in atriis Ecclesiarum eas proferre sinat, *cap. 6. de immunit. Eccles.* statuit, ut ejus ministri, id est clerici, procul essent ab hac sanguinis effusione, aliàs qui sententiam sanguinis dixerint, eos ab officio, & beneficio esse deponendos sanxit. Illi etiam irregularitatem contrahunt, ut supponitur potiùs, quàm noviter statuitur, *in cap. final. hoc tit.* Varios casus hujus irregularitatis referunt Diana *p. 12. tract. miscell. fol. 218.* Gibalinus *de irregul. cap. 4. difficult. 1. cum sequent.*

7. *De reis brachio sæculari tradendis.*

Unde consuevit Ecclesia cùm aliquis clericus ob enormia delicta per Episcopum proprium degradatur, & traditur brachio sæculari, intercedere pro eo, ne ad mortem damnetur, ut ita Ecclesia in effusione sanguinis particeps non fiat.

D. Au-

D. Augustinus *Epistol. 158.* ibi : *Pœna illorum, quamvis de tantis sceleribus confessorum rogo, ut præter supplicium mortis sit, & propter conscientiam nostram, & propter Catholicam consuetudinem commendandam.* Innocent. III. *epist. 130.* ibi: *Vestris curabitis intercessionibus defensare.* Facit textus *in cap. novimus, de V. S.* quod etiam servatur in hæreticis relaxandis judici sæculari, ut refert, & probat Baronius *anno 385.* Hodieque in ipsa sententia relaxationis exprimitur his verbis: *Y relaxamos la persona del dicho N. à la justicia, y brazo seglar, specialmente, à N. corregidor de esta ciudad, y su lugarteniente, à los quales rogamos y encargamos muy afectuosamente, como de derecho mejor podemos, se ayan benigna, y piadosamente con el.* Quæ clausula deducta est *ex dict. cap novimus,* & *ex l. 60. tit 6 partit. 1.* ibi: *Pero su Prelado debe rogar por el, que le aya alguna merced si quisiere.* Et hodie in usu est, quia juxta jus commune, & fori ecclesiastici stilum adhiberi cœpit, non quia necessaria sit ad effugiendam irregularitatis pœnam, cùm bullis Pauli IV. & Pii V. cautum sit, ut Inquisitores, Consultores, cæterique, qui in similibus causis judicandis assistunt, non solum in causis hæresis, verùm in qualibet causa criminali, quæ coram ipsis disceptetur, possint sententiam dicere; quâ rei damnentur ad quæstionem, seu torturam, aut alias pœnas condignas, etiam usque ad mutilationem membri, aut mortem naturalem, ut refert Penna *ad Eymericum p. 2. Directorii, com. 27.* & noviter probat & illustrat Araujo *in decis. moral. tract. 5. quæst. 5. per tot.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licet verum sit, bonum opus esse & meritorium justitiam ultionis exequi in improbos, & malos ad ultimum supplicium, si mereantur, condemnari; tamen omne quod bonum est, nisi benè fiat, & ab his, qui potestatem faciendi habent, malè fieri dicitur. Unde clerici, & Ecclesiæ ministri, qui contra mansuetudinem, & pietatem, quam profiteri debent, sententiam sanguinis proferunt in nocentes, licèt bonum ex se opus exerceant, improbè tamen faciunt; ideoque ab officio, & beneficio deponuntur, & si judices laici sunt, irregularitatem contrahunt: sed in ea Episcopum posse dispensare ex justa causa, defendit Araujo *tract. 2. 99. mor. quæst. 11.* Nec obstat augmentum ipsius difficultatis, nam licèt certum sit, in Ecclesia residere potestatem utriusque gladii, spiritualis videlicet, & temporalis, ita ut pœnas corporales per se judices Ecclesiastici infligere possint, de quibus agitur *in cap. ad audientiam, de crimine falsi, cap. 1. de calumniat. cap. 2. de clerico excomm. cap. in Archiepiscopatus, de raptor. cap. in Synodo, 63. dist.* pœnas autem illas, ex quibus sequitur sanguinis effusio per se infligere, & exequi non valent, sed per judicem sæcularem, ut suprà dixi. De pœna verberum, & ad quem numerum per judicem ecclesiasticum pervenire possit, latè agemus *ind. cap. 1. de calumn.* Dissolvitur dubium.

CAPUT VI.

Idem (a) *Lundon. Episcopo.*

SEcundùm instituta (b) prædecessorum nostrorum sub interminatione (c) anathematis prohibemus, ne monachi, vel clerici causâ lucri negotientur, & ne monachi, vel à clericis, vel à laicis (d) firmas habeant, neque (e) laici Ecclesias ad firmas teneant.

NOTÆ.

(a) *Lundon.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap 5.* De Lundon. Ecclesia egi *in cap. 6. de consuet. cap. 1. de renunc.*

(b) *Prædecessorum.*] Quorum auctoritates, & verba infrà dabimas in probatione conclusionis.

(c) *Anathematis.*] Gelasius *in cap. consequens dist. 88.* suspensione multat clericos negociationibus implicitos: quæ censuræ non sunt latæ sententiæ, sed ferendæ, ut latè probant Theophilus *in discept. de relig. negociat. §. 5. num. 88.* Gibalinus *de univers. negot. libro 1. articul. 2. cap. 3.*

(d) *Firmas.* Id est, possessiones conductas, ut exponit Boëtius *hic*, & notavi *in cap. de locato*, sive ut Theophilus ubi suprà exponit, id est, ne sub annuo censu prædia rusticana, vel fodinas, aut salinas, aliudve similiter frugiferum conducant, quia redemptio rei frugiferæ Gallicè hodie firma dicitur: est etiam hæc vox Anglica; unde quia Episcopus Lundonienſis ea usus fuit in consultatione, Pontifex per idem verbum responsum dedit. Consonat ipse Alexander relatus post Concil. Lateran. *p. 27. cap. 1.* ubi Cantuar. Archiepiscopo, & ejus suffraganeis ita scribit: *Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus universis monachis vestræ jurisdictionis inhibere curetis, ne villas, & Ecclesias ad firmam recipiant, vel receptas retinere præsumant. Quod si præsumpserint, eos Apostolica auctoritate freti, sublato appellationis remedio faciatis à præsumptione sua ecclesiasticâ districtione cessare.*

(e) *Ne laici Ecclesias.*] Immò laicis decimæ locari possunt, sicut & alia ecclesiastica prædia, *cap. 2. de locato.* Sed respondendum est, aliud esse locare fructuum, seu proventuum Ecclesiasticorum perceptionem; aliud verò locare jus ipsum decimarum, vel ipsas Ecclesias: illud permittitur, ut Ecclesiis utile, & honestum, ne clerici nimium rebus externis, & merè temporalibus involvantur; hoc autem prohibetur, ne laicorum dispositioni, gubernationique subjiciantur Ecclesiæ, juraque merè spiritualia; cùm absurdum esset pro annua pensione Ecclesiam, ipsisque jura diviti laico committi; cùmetiam clericis prohibeatur sub annuo pretio Ecclesias conducere *in capite quoniam, ne Prælati vices suas.*

COM-

COMMENTARIUM.

3. Conclusio traditur & probatur.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Non licet clericis, vel monachis lucri causâ negotiari, vel possessiones conducere.* Probant textus *in cap. non licet, 46. dist. cap. 1. 2. & 3. ferè per tot. 88. dist. can. 80. 81. & 82. Apost. cap. 10. 14. quæst. 2. cap. 3. 14. q. 4. cap. observandum 15. quæst. 2. cap. placuit 3. 21. q. 3.* Concil. Illiber. *can. 19.* Hipponense *can. 17.* ibi: *Episcopus, Presbyter, aut Diaconus non sint conductores.* Nicæn. 2. *can. 10. Non licet clericis curas sæculares suscipere, ut qui sint à canonibus prohibiti hoc facere.* Arelat. 2. *can. 14. Si quis clericus pecuniam dederit ad usuram, aut conductor alienæ rei voluerit esse, aut turpis lucri gratiâ aliquod genus negotiationis exercuerit, depositus à Clero à communione habeatur alienus.* Emeritense *can. 11.* Cabilon. 2. sub Carolo *can. 11. Ne presbyteri, nec diaconi, nec monachi villici fiant.* Rhemense *can. 30. Nemo sacerdotum vel monachorum negotiis illicitis se implicent.* Parisiense *lib. 1. cap. 29.* Meldense *can. 49. cap. pervenit, 86. dist.* Concil. Carthag. *1. can. 9.* ibi: *Non liceat laicis clericos nostros eligere apothecarios, vel ratiocinatores. Gratus Episcopus dixit, &c. Si injuriâ constitutiones Imperatoriæ clericos inquietandos putaverint, si defensio ecclesiastica nos non deridet, pudor publicus vindicabitur.* Forojul. *cap. 6. Placuit ut ad eas prorsus mundanas dignitates, quas sæculares viri, vel Principes terræ exercere solent, in venerationibus scilicet, vel in canticis sæcularibus, aut in resoluta, & immoderata lætitia, lyris, & tibus, & his similibus lusibus, nullus sub ecclesiastico canone constitutus ob inanis lætitiæ fluxum audeat fastu superbiæ tumidus quandoque præsumendo abuti, nisi fortè si hymnis, & spiritualibus canticis delectatur, de sacris videlicet scripturarum voluminibus dignè, compositè, honesteque compositis utatur. Ab his igitur non solum non inhibemus abstinere, verùm etiam conniventes licentiæ concedimus votum.* Agathense *can. 69.* Tarracon. *can. 2. & 3.* Aurel. 3. *can. 26.* Carthag. *1. can. 6. 8. & 9.* Aquisgran. *can. 93.* Vvormat. *can. 67. & 69.* Chalcedon. *can. 3.* Cabilon. 2. *can. 44.* Trosleian. *can. 3.* Colon. 3. celebratum sub Hermano postea lapso *p. 2. cap. 31.* ibi: *Quare multâ providentiâ olim vetitum est, ne clerici, vel monachi mercatores (taceamus fœneratores) sint lucri causâ.* Trevirense *anno 1549.* sub Joanne Archiep. *tit. de Religiosis*, ibi: *Statuimus, immò antiquorum PP. canones renovando mandamus, quod nullus monachorum pro lucro terreno de monasterio suo exire nefandissimo ausu, aut sæcularibus negotiis se immiscere præsumat.* S. Dionysius *cap. 6. hierarch.* ait: *Multa, quæ sæcularibus permittuntur, vetari Religiosis, seu monachis, ut sunt nuptiæ, in bello, aut negotiatione versari, & in aliis esse, ob quæ laicus non condemnatur.* Et *can. 16. Codicis Eccles. Afric. can. 18. & 185. Eccles. univers.* S. Cyprianus *lib. 1. epist. 9.* aliàs 66. ubi Pamel. S. Ambrosius *lib. 2. de officiis, cap. 21.* S. Chrysostomus *homil. 20. ex variis, in Matthæum.* S. Epiphanius *hæresi ultim.* S. Augustinus *psalmo 70.* Sanct Gregorius *homil. 17. in Evang.* P. Blesensis *epist. 17.* P. Cluniac. *lib. 1. cap. 20.* Theod. Studita *sermon. 9.* Novel. Valentin. *de Episcop. judic.* Alia juris testimonia congessit Antonius Augustinus *in epit. libro 6. titul. 50. & lib. 7. titul. 25. & lib. 8. tit. 39. & lib. 35. tit. 2.* Illustrant ultra congestos à Barbosa hic, & Garanna *in cap... hoc tit.* Petrus Gregor. *lib. 2. partit. tit. 9. cap. 8. littera E. & lib. 3. tit. 18. cap. 5. litt. M. & lib. 4. tit. 8. cap. 10. & de repub. lib. 4. cap. 6. num. 16.* Barbosa *lib. 1. juris eccles. cap. 40. à num. 83. & de offic. Parochi, cap. 6. num. 37.* Boëtius *Epon. hîc.* D. Joannes de Larrea *alleg. 86.* Renatus à Valle, seu verius credo, Theophilus *in discept. de relig. negotiat. §. 13.* Balsamon *in can. 3. Synodi Chalced.* Ambianas *ad Tertul. de idololatr. c. 11. obs. 2.* Corjolanus *in can. 7. Apost.* Cujacius *in l. 3. C. locati, & in l. 3. C. de commerciis*, Crescolius *lib. 3. myst ag. 2. 5. & 37. & lib. 4. cap. 14.* Frances *in pastor. regul. p. 2. cap. 16.* Gibalinus *de univers. negot. lib. 1. cap. 2. artic. 3.* Vighel. *in method. juris can. fol. 259.* Solorzanus *lib. 4. polit. cap. 18.* Diana *part. 11. tract. 1. resol. 10. & tract. 6. resol. 41.* Rever. P. Fr. Joannes Martinez *in discurs. polit.* Gothofr. *in l. 12. C. Theodos. de lustrali collat.*

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Sacris canonibus non solùm negotiatio clericis prohibita non est, verùm & sæpe sæpius præscriptâ, ut in Concil. Carthag. 4. *can. 52.* relato Gratiano *in capite clericus, 91. dist.* ibi: *Clericus quantumlibet verbo Dei eruditus, artificiolo victum quærat.* Et *in cap. clerici 1. quæst. 4. cap. nunquam, de consecr. dist. 5. l. 2. C. de SS. Eccles.* ibi: *Vel mercatura*; aliis congestis à Mornacio *in l. 2. C. de Episcop. & Cleric.* Ant. Augustin. *in epit. jur. lib. 8. titul. 21.* Roberto *lib. 2. rer. judic. cap. 2.* Gazeo *ad Cassian. lib. 2. instit. cap. 3.* Narbona *in horograph. num. 154.* Cellotio *lib. 5. de hierarch. cap. 5. §. 6.* & meritò, ne in calumniam incidant, quam olim Gentiles Christianis imponebant, eos infructuosos compellando, quos refellit Tertul. ibi: *Sed alio quoque injuriarum titulo postulamur, & infructuosi in negotiis dicimur. Quo pacto homines vobiscum degentes, ejusdem victus, habitus, instructus ejusdem ad vitam necessitatis? Nec enim Brachmanæ, aut Indorum Gymnosophistæ sumus, silvicolæ, & exules vitæ. Meminimus gratiam debere nos Deo Domino Creatori: nullum fructum operum ejus repudiamus: planè temperamus, ne ultra modum, aut perperam utamur: itaque non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris, cæterisque commerciis cohabitamus hoc sæculum: navigamus & nos vobiscum, & vobiscum militamus, & rusticamur, & mercamur. Proinde miscemus artes, operas nostras publicamus usui vestro. Quomodo infructuosi videamur negotiis vestris, cum quibus, & de quibus novimus? non scio.* Igitur non rectè in præsenti prohibetur clericis, & monachis negotiatio. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam mercatura, in qua datur præcipua negotiatio, non est aliquid ex objecto, illisve necessariò adjunctis, malum; immò res est conservationi generis humani commoda, & necessaria ad vitam agendam. Molina *de justitia tract. 2. disputat. 339.* Abulensis *in cap. 25. Matthæi, quæst. 123.* Igitur non debet prohiberi clericis, & religiosis, immò potiùs permitti; quippe illi magis sincerè, & absque adscititiis maculis illam exercebunt, & absque ullo status dedecore; ut faciunt nobiles, quorum nobilitati non officit mercaturæ exercitium, ut probant Straccha *de mercatura, part. 2. num. 17.* Adam Contzen. *libro 1. polit. cap. 9.* Tiraq. *de nobilit. cap. 33.* Accedit, nam sanctioribus Ecclesiæ sæculis monachos opificia sua distraxisse pretio legimus; sic enim

4. Impugnatur tradita assertio.

monachos Abbatis Aphronii exercuisse omnes artes, & ex opificiis venditis victum parasse, quod verò supererat, per mulierum monasteria, & carceres distribuisse scribit Palladius *in Lausica cap. 39.* De Palemone monacho idem legitur in Pachomii rebus gestis. Archebium triplicato sibi penso operis manuum, per annum dissolvisse debitum centum solidorum, quod mater contraxerat, scribit Cassianus *lib. 5. instit. cap. 38.* Unde Sanctus Basilius *regul. fusior. 37. & 42.* laborem in artificiis vendibilibus positum, ut suppetat monacho unde tribuat necessitatem patienti, mirè commendat. Item S. Augustinus *libro de opere monach. cap. 22. & 250.* valde probat, ut qui aliquando in sæculo opifices fuerint, admittantur in monasterium, ad ea lucrosa opera exercenda; nec est cur timeatur in clericis, ac religiosis negotiis implicatis effusio spiritus, aut evagatio mentis; nam S. Chrysostomus *homil. 35. in Genesin*, monachos hortatur ad collectionem animi in quantavis multitudine negotiorum, & ut doceat id non modò esse possibile, sed non multùm operosum, adducit exemplum Eunuchi, qui erat super omnes gazas Reginæ Æthiopum; & tamen etiam in itinere sacris studiis, & divinæ lectioni vacabat: & Hugo de Folieto *lib. 4. de claustro anima, cap. 36.* ajebat: Qui corporaliter popularibus turmis premitur, & tamen nullos curarum sæcularium tumultus sustinet, in corde non patitur, in urbe non est. Pulchrè S. Bernard. *serm. 40. in Cantica: Sola*, inquit, *indicitur tibi mentis, & spiritus solitudo; solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias quod multi suscipiunt, si fastidias quod omnes desiderant, si jurgia devites, si damna non sentias, si non recorderis injuriarum: alioquin nec si solus corpore es, solus es: videsne posse esse te, & solum cùm inter multos, & inter multos cùm solus es? Solus es in quantacunque hominum versaris frequentia.* Alia exempla prosequitur Roussel. *lib. 4. c. 3. num. 41.*

5. *Traditur ratio decidendi.*

Quâ dubitandi ratione non obstante defendenda est præsens assertio, quæ non levibus firmatur rationibus. Prima, & præcipua sæpe sæpiùs repetita, legitur in hoc titulo, videlicet, *quia nemo Deo militans, implicat se negotiis sæcularibus*, juxta Apostolum 2. *ad Timoth. cap. 2.* quem etiam locum in clericos negotiatores expendunt Gelasius *in epist. ad Episcop. Lucaniæ*, D. Augustin. *lib. 19. de de verb. Domini*, PP. Concilii Carthag. *3. can. 15.* Forojul. sub Hadriano I. *can. 5.* Ut autem liqueat, quâ ratione Apostolus feriat clericos negotiatores, expendendum est, quomodo discipulum alloquatur, nempe jubens, ut meminerit se esse Christi militem. Porrò nemo ex iis, qui militiæ nomen dederunt, possunt se negotiis sæcularibus immiscere nec prædia conducere, *l. tribuni 11. l. nemo 13. C. de re milit. lib. 12. l. si ignorans, l. ultim. C. locati, l. 1. C. de Præpos. agent. l. 5. C. de agentib. in rebus, l. 8. §. 5. ff. qui satisd.* Harmenop. *lib. 1. promptuarii, tit. 16. §. 3.* Synopsis Basilic. *lib. 20. tit. 1. l. 2. tit. 8. l. 2. tit. 12. part. 3. l. unic. C. negotiatores ne militent*; ubi Raguellius, & Linglois, *l. 5. & 8. C. de condict. ob turp. causam, novel. Justin. 126.* Vegetius *lib. 2. de re milit. cap. 19.* Rationem reddunt Theodosius, & Valent. *in novel. de offic. & mun. Præfect.* ibi: *Indigna, & pudenda armato homini negotiatio; mercimonia verò exercere, atque ergasteriis adhærere, longè à militiæ dignitate alienum.* Et *l. 5. cohortalis, in fine, C. de cohort. lib. 12.* nisi speciali licentiâ à Principe impetratâ *l. 3. C. in quibus causis milit. l. 3. C. Theodos. de immunit. conces.* Præesse etiam publicæ officinæ vile, & abjectum semper est habitum, *l. antepenult. C. de incestis nupt. l. 1. in princip. de natur. liber.* & ex diverso mercatoribus militia interdicitur, *l. unic. C. negotiatores ne militent.* Unde dum plures res absurdas sui sæculi recenset Sidonius *lib. 1. epist. 8.* ait: *Negotiatores militant, milites negotiantur, student pilæ senes, aleæ juvenes.* Illustrant Fornerius *lib. 2. select. cap. 3.* Acacius *lib. 2. de privil. milit. privil. 2. & 16.* Ayala *de jure belli lib. 3. cap. 4.* Pancirola *lib. 2. var. cap. 206.* Hunnius *in Encyclop. tract. 3. tit. 5. cap. 2.* Cujac. & Rither. *ad novell. 116.* Revard. *libro 1. conject. cap. 13.* Solorzanus *tom. 2. lib. 3. cap. 28. num. 39.* Gibalinus *tom. 1. de univers. negot. libro 1. artic. 2. cap. 1.* Observandi tamen sunt in hac parte textus *in l. final. C. de jurisdict. l. 9. §. 1. ff. de re milit. l. final. C. de Fabric. lib. 12. l. 2. C. de fund. limitroph. l. unic. C. in quibus causis milites*, ubi Vultejus, *l. 8. §. 1. ff. qui satisd. l. qui officii 62. ff. de contrab. emption. l. propter 25. §. 1. de excus. tut.* Si ergo ita negotiatio militibus armatæ militiæ prohibetur, quantò magis militibus militiæ cœlestis, hoc est clericis, prohiberi debet, ut ajebat D. Ambrosius *lib. 1. de offic. cap. 36.* ibi: *Si is, qui Imperatori militat à susceptionibus litium, actu negotiorum forensium, venditione mercium prohibetur humanis legibus, quantò magis, qui fidei exercet militiam ab omni usu negotiationis abstinere debet.* Secunda ratio provenit ex eo, quia clerici, & religiosi ratione propriæ professionis obstringuntur ad conversationem cum Deo, & cultum ei studiosè, ac perfectè deferendum: quæ vitæ ratio vix, ac ne vix quidem cohærere potest cum negotiatione, quia mens in partes infinitas distrahitur, & mergitur in desideriorum inutilium, & curarum profundum; idcirco enim, ut rectè notavit Sotus *lib. 6. de justitia, q. 2. art. 2.* negotiatio generale nomen sibi fecit proprium, dictaque est à negatione otii omnibus actibus communi, quia antonomasticè, & eminenti quodam modo otium negat, usque eò, ut ni caveatur, suffocet, & opprimat animum, & distrahat à conversatione cum Deo, & ministerio in ejus Ecclesia exhibendo, ut eleganter expressit D. Cyprianus *epist. 66.* ibi: *Scriptum est enim: Nemo militans Deo obligat se molestiis secularibus, ut possit placere ei, cui se probavit.* Quod cùm de omnibus dictum sit, quantò magis molestiis, & laqueis sæcularibus obligari non debent, qui divinis rebus, & spiritualibus occupati, ab Ecclesia recedere, & ad terrenos & sæculares actus vacare non possunt. Faciunt variæ auctoritates congestæ per Jacobum Simancas *lib. 2. de repub. c. 10. & 11.* Rectè ergo in præsenti, & tot canonibus suprà relatis prohibitum est clericis, & religiosis turpis lucri causâ negotiari, ne à proprio ministerio distrahantur; & cùm viri Deo mancipati sint, ne negotiis sæcularibus se immisceant, quod valde Dominus abhorret, ut agnovit Propheta Rex, dum *psal. 70.* ait: *Quia non cognovi negotiationem, introibo in potentias Domini.* Ita eum locum legunt vetus psalterium, Hieronymus, Augustinus, Arnobius, Cassiodorus *ibi*, nec non Gelasius *epistol. ad Episc. Lucaniæ*, D. Ambrosius *lib. 3. offic. c. 6.* alia deall *in can. 19. Concilii Illiber.*

6.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, Dissertio pro

tandi ratio. pro cujus solutione, & totius negotiationis, quæ clericis, & religiosis prohibetur, aut permittitur, cognitione, sciendum est, quis sit negotiator, quidque negotiatio? Et Auctor imperfecti operis in Matthæum *hom. 38.* ad illud *Ementes, & vendentes*, ait: Ergo ostende nobis quis negotiator; omnes enim homines videntur negotiatores: ecce qui arat, comparat boves, ut spicas vendat; & qui operatur lignum, comparat lignum, ut utensilia vendat; & linteonarius comparat linteamina, ut vendat; & fœnerator mutuat pecuniam, ut tollat usuras. Et quomodo antiqui Judæi, & Apostoli artificia laudaverunt, quia magis sunt sine peccato: sicut & Paulus fuit sutor tabernaculorum, & ipse mandat dicens: Curent & nostri bonis operibus præesse. Et Apostoli quidem, sicut legimus, piscatores fuerunt. Cui difficultati ita respondet idem auctor: *Ostendam qui non est negotiator, ut qui secundùm istam regulam non fuerit, intelligas omnes negotiatores esse: idest quicunque rem comparat, non ut ipsam integram, & immutatam vendat, sed ut opus faciat ex ea; ille non est negotiator, quia qui materiam operandi sic comparat, unde faciat opus, ille non rem ipsam vendit, sed magis artificium suum: idest qui rem vendit, cujus æstimatio non est in ea ipsa re, sed in artificio operis, illa non est mercatio.* Alias negotiationis formas tradit Medina *de restit. quæst. 31.* Ex quibus omnibus triplex negotiatio considerari potest. Prima simplex, ju cta quam emuntur necessaria, aut venduntur superflua, quæ latissimè negotiatio dicitur: secunda lucrativa, strictè accepta, quâ res non mutata, nec in aliam formam redacta venditur, quæ est præcipuè negotiatio: tertia etiam lucrativa, quâ res empta in eum finem mutatur in aliam formam, vel statum meliorem, & per se, aut per alium venditur cariùs ad quæstum faciendum, quæ est in medio quodam modo usurpata negotiatio, pressior quàm prima, & laxior quàm secunda. Juxta has negotiationis species exponenda est præsens difficultas: & prima negotiatio simplex, seu latissimè accepta, non prohibetur clericis, vel monachis, quia mercari per se, aut vendere sua superflua, non distrahit animum, aut impedit propria munia obire: nec superflua vendere strictè accipimus pro fructibus, quæ supersunt ex collectis in propriis fundis, verùm etiam quæ jam in usum suum, absque animo, & studio revendendi comparaverint; possunt enim clerici ea vendere, si agnoscant eorum inutilitatem, & quidem non eodem pretio quo emerunt, verùm & cariùs. Ita Abulensis *in cap. 15. Matthæi, quæst. 224.* Sà *in summa, verbo Clericus, num. 20.* Rebellus *2. p. de justit. quæst. ultim. num. 2.* Molina *de justit. disput. 342. concluſ. 2.* Gutierrez *de gabel. quæst. 93. num. 16.* qui id etiam admittit quando clerici, aut religiosi sibi necessaria emunt absque animo revendendi, sed postea occasio se offert revendendi cariùs; quia ea non est propriè negotiatio, ut docet Diana *p. 1. tract. 1. resol. 72.* & probatur *ex cap. canonum 14. quæst. 4.* nec his casibus debent clerici aut religiosi ullam gabellam solvere, *l. 13. C. Theodos. de lustrali collatione*, ibi: *Singuli quique, si per eos vernacula quæque vendantur, functione auratâ non teneantur: si verò emendi, vendendique compendiis ultro, citroque quæsitis familiaris rei amplitudo cumuletur, etsi militares sint, memoratæ præstationi nectantur.* Et *l. 36. C. Theodos. de Episcop. & clericis* ibi: *Quicunque catholicæ religionis clerici intrà eum modum, unde victus emendi, vendendique usum lege præfinitum exercent, ab auraria pensione habeantur immunes; ab his quoque, quos à publici laboris actu, & gradus clericatus, & (quod non minus est,) sanctior vita defendit, præcipimus temperari. Nec enim ullum eorum, qui excepti legibus probabuntur, subjacere patiemur injuriæ. Dat. prid. id Jul. Med. Post. Cons. Stiliconis, & Aureliani VV. CC.*

Secunda negotiationis species, cùm res videlicet emuntur animo revendendi, nullatenus formâ mutatâ, abhorret à statu clericali, seu religione, quia hæc est propriè negotiatio turpis lucri gratiâ facta, quæ tot canonibus suprà relatis prohibetur, ut agnoscunt Doctores suprà citati, cùm per eam inducatur animi distractio, & clerici implicentur negotiis sæcularibus. Nec interest, quod per se eam exerceant, an per alium, si ille tertius, per quem negotiatio exercetur, non sit nisi administer, nec habeat rationem concausæ principalis, ut docent Straccha *de mercatura 1. p. num. 26.* secus verò si habeat rationem causæ principalis, veluti si campsori dederit clericus pecuniam, ut societatem ineant mercatore conferente totam operam, clerico autem pecuniam abhibente, ut contra Molinam & Gutierrem resolvit Theophil. Raynaud. *in disc. de relig. negotiat. fol. 124.* Circa tertiam speciem, cùm mercibus mutatis negotiatio contingit, distinguendum est inter eam negotiationem, quæ repugnat statui clericali, & eam quæ clericos, seu religiosos dedecet. Ad primam spectat tabernas habere, ubi vinum, seu cibos suâ operâ mutatos vendant. *Clement. 1. de vita & honest. cleric. can. 9. Synod. 6.* vel si macellariis, seu lanis carnes vendant ex animalibus in hunc finem saginatis, & postea jugulatis. Ipsa autem animalia in propriis pascuis nutrita, quæ superflua sunt, rectè à clericis, vel religiosis venduntur, quia ea negotiatio illis non prohibetur. Medina *de restit. quæst. 30.* Saras *de emption. & vendit. disp. 2. num. 9.* Molina *tract. 2. de justitia, disput. 392.* Gutierrez *de gabel. quæst. 93. n. 51.* non autem possunt prædia locare, ut fructus inde perceptos vendant, ut probat Diana *part. 11. tract. 6. resol. 10.* ubi agit de clerico uvas emente, & vinum vendente: & *eadem part. tract. 6. resol. 41.* resolvit posse religiosos suis sumptibus, seu monasterii, libros à se compositos typis dare, & postea in diversas regiones vendere, absque eo quod dicantur negotiatores. Circa opificia verò propriæ manus clericorum, seu religiosorum, dicendum est justè venalia exponi, cùm illa honesta negotiatio sit, & potiùs in propriam alimoniam, aut saltem, ut otium vitetur, exerceatur; ut probavi suprà *in cap. 1.* Retinenda tamen est pietatis, & prudentiæ justissima distinctio, quam S. Basilius *cap. 6. constit. monast.* his verbis adhibet. Cæterùm in his se operibus exercere monachus debet, quæ ordinis ipsius decori conveniant, cujusmodi videlicet ea sunt omnia, à quibus cauponariæ artis, & impostoræ omnis absit suspicio; quæque nullæ longioris animi distractiones, aut improbi quæstus sequantur; sintque ejusmodi, ut manentibus intra tectum magna ex parte à nobis confici possint, ne operum laboribus contentiùs, quàm par sit, consectandis, animi in virtutis commentatione nervos, industriamque elidamus, in quo illud spectandum est, ut opus absolvatur,

7. Prosequitur eadem solutio.

& à quietè tantùm non discedatur : distinctiùs ad regulam 38. fusiorem id exponit. Juxta hanc ergo negotiationis distinctionem facilè exponuntur quæ adduxi pro dubitandi ratione.

CAPUT VII.

Idem (a) *Lundon. Episcopo.*

RElatum est auribus nostris, quod (b) monachi N. (c) sæculariter vivunt, & alios exemplo corrumpunt. Inde est, quod auctoritate Apostolica tibi (d) indulgemus, ut eos ad observationem monasticæ regulæ (e) appellatione remotâ compellas: & si tibi restiterint ausu temerario, eis (f) ejectis, fratres Cisterc. Ordinis in præscriptum monasterium inducas, ut (g) labores impiorum justi edant, & illi tum de rubore confusi, ad sui Ordinis observantiam revertantur.

NOTÆ.

1. (a) *Lundon.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit cap. 7.* & post Concilium Later. *p. 27. cap. 3.* ex quibus textum hunc transcribo, ut agnoscatur Raymundum partim plenius, partim significantius, prout universali legislatione oportebat, textum transcripsisse, dum omisit verba illa *Cistercienses Ordinis*; & addidit clausulam illam, *si non potest præscriptum monasterium in suo Ordine reformari*, ut notavit Boëtius Epon. *hic.* Alia pars extat *in cap. 3. de cleric. excom.*

2. (b) *Monachi N.*] Nomen monasterii à compilatoribus omissum fuit, adjectâ tantùm litterâ N. licèt malè *in dict. cap. 3. partit 27.* exprimatur *Natun.* & fortè omissum fuit monasterii nomen, ne illud hoc authentico testimonio notaretur in perpetuum; & etiam quia cùm hoc Alexandri responsum pro lege universali observandum esset; non erat conveniens, aut necessarium exprimere nomen ipsius monasterii.

(b) *Sæculariter vivunt.*] Negotiis sæcularibus impliciti; unde textus hic fuit compilatus *sub hoc tit.*

(d) *Indulgemus.*] Quia monasterium hoc erat exemptum à lege diœcesana, & jurisdictione Episcopi: unde nisi virtute delegationis non poterat Episcopus Londinensis illud visitare, monachosque corrigere, juxta tradita *in cap. licèt, cap. grave, de offic. Ordin.*

(e) *Appellatione remotâ.*] Quia à correctione non admittitur appellatio, *cap. 2. cap. reprehensibilis, de appel.*

(f) *Ejectis.*] Non intelligas monachos hos fuisse quidem ejectos è monasterio illo, non autem ab Ordine, motus ex eo, quod Alexander id se jubere dicit, ut illi rubore suffusi ad sui Ordinis observantiam convertantur; nam si ejicerentur ab Ordine, mandaret Pontifex, ut in alia monasteria detruderentur: quod verò conversionem ipsorum intendat, id etiam fit in ista projectione; cùm enim ità ejecti semper monachi remaneant, optandum est, ut hac pœnâ ad officium suum revocentur, & ita proprium monasterium recuperent. Docuit Gibalinus *de clausur. regul. disquis. 2. capite 4. §. 8. numero final.* De pœna hac ejectionis ob incorrigibilitatem egi *in capite final. de regular.*

(g) *Ut labores impiorum.*] Respexit Pontifex ad illud psalmi 10. *justi tulerunt spolia impiorum*; ubi agitur de Ægyptiis mari rubro submersis, & eorum spoliis Israëlitico populo datis. Facit textus *in cap. quicunque, 23. quæst. 7.*

CAPUT VIII.

Innocent. III. *Episcopo* (a) *Esculano.*

SIcut te accepimus referente, cùm ven. f. n. (b) Episcopus Hostien. olim per tuam transiens civitatem, tibi dederit in mandatis, ut Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, quos ibidem invenit passim tabellionatus officium exercentes, excommunicationis vinculo innodares, & eos qui ab illis publica reciperent instrumenta: tu licèt id feceris, ex mandato tamen Episcopi dicti dissimulasti postmodùm de Subdiaconis, donec qualiter contra ipsos, & alios in sacris Ordinibus constitutos deberes procedere, Sedem duceres Apostolicam consulendam. Quocirca fraternitati tuæ per A. f. m. quatenus clericis in sacris ordinis constitutis tabellionatus officium per beneficiorum suorum subtractionem ap. postp. interdicas. Datum Later. VI. Kalend. Decemb. Pont. N. anno XIV.

NOTÆ.

1. (a) *Esculano.*] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc titul cap. 1.* & in epistolis editis à Bosqueto *lib. 2. regist. 14. epistol. 129.* ex quo totum hunc restituto. Asculum, seu Esculum, perantiqua, ac nobilis Italiæ civitas est, in Piceno suprà fluvium Troentum: ejus memi-

neruns

nerunt Plinius *lib. 3. cap. 13.* ibi: *Colonia Asculi Piceni nobilissima.* Lucius Florus *lib. 1. cap. 18. Domitii Picenatis, & caput gentis Asculum.* Strabo *lib. 5.* eam per hæc verba describit: *In mediterraneo est Asculum Picenum, locus in quo mœnia condita, naturâ munitissimus, & montis circuitus jugis exercentibus inaccessis.* Ab aliquibus hæc civitas vocatur Asculum, ab aliis Esculum, ut ab ea quæ in Apulia est, discernatur; tametsi apud antiquiores scriptores Asculum ferè semper appelletur. Plura de ipsius magnitudine & cladibus ob factiones Guelforum, & Gibellinorum, congessit Vghellius *tom. 1. Ital. sacrâ, fol. 488.* Jam à temporibus Apostolorum Episcopali Cathedrâ decorata fuit, cujus Episcopo Petro hujus nominis primo missa est præsens epistola.

(b) *Episcopus Hostiensis.*] Hugolinus videlicet, qui anno 1227. ad Apostolicum fastigium evectus, felicissimo nomine Gregorius IX. dictus fuit.

COMMENTARIUM.

2. PRo hujus textus expositione præmittendum est, qui sint tabularii, seu tabelliones. Et tabularii apud antiquos dicti fuerunt calculatores, qui scilicet in tabula calculandi, & computandi artem pueros docebant, vel aliàs eam artem tenebant, *l. 1. §. ludi, ff. de extraordin. crimin. l. ult. ff. si mensor. falsum modum.* Etiam tabularii dicuntur, qui in publico tabulario ideò loco, in quo publicæ scripturæ custodiebantur, inserviebant: nam locus ipse, quem archivum appellant Impp. *in l. 30. C. de Episc. aud.* tabularium dicitur. Tertul. *in apolog. cap. 39.* ibi: *Antiquissima plurimarum gentium archiva veterès tabularium dicebant.* Cicero *de natura Deorum lib. 3.* ibi: *Sed exeamus è theatro, veniamus in forum, sessum ité prætor: quid? ut judicetur, qui tabularium incenderit.* Et in oratione pro Archia Poëta: *Hic tu tabulas desideras Heracliensium publicas, quas Italico bello incensas, tabularium interisse scimus omnes.* Et in oratione pro Rabirio. De peculatu facto de tabulario incenso agit Virgilius *lib. 3. Georg.*

Insanumque forum; aut populi tabularia vidit.

Livius *lib. 43* ibi: *Censores è templo in atrium libertatis ascenderunt, & ibi signatis tabulis publicis, clausoque tabulario, & dimissis servis publicis, negarunt se, &c.* Et eos tabularios servos publicos fuisse, patet *ex l. ultima, C. de servis Reip.* & Capitolinus in Gordian. tabularios servos publicos appellat, ibi: *Non scribæ, non servi publici, non censuales illis actibus interessent.* Quod etiam constat ex Livio proximè relato. Postea verò Arcadii, & Honorii constitutione sancitum est, ut nulli deinceps ad tabularii officium pateret aditus, qui obnoxius esset servituti. Hi autem ità huic conditioni erant addicti, & mancipati, ut non possent ad aliam aspirare militiam, & dignitatem; quod patet *ex l. scripturas, C. qui potiores in pign. hab.* & *l. 3. §. 7. 8. C. Theod. de num. act.* His tamen adversari videtur Taciti locus *lib. annal. 14.* ubi de Balbo Prætorio filiis orbo, & divite, cujus propinquus Valerius Fabianus subdit testamentum accitis Vicio Rufino, & Terentio Latino Equitibus Rom. & aliis minùs illustribus, qui testamenti tabulas obsignarent: Taciti hæc sunt verba: *Igitur Fabianus tabulariis, quos memoravi, & aliis minùs illustribus obsignat. Si itaque Vicium, & Terentium Equites & alios minùs illustres tabularios nominat, non ergo veritati consentaneum est, quod diximus cum Lucio, hosce fuisse servos, seu generis servilis.* Facilè dissolvitur difficultas, si à Corneliano textu mendum auferamus, & litteram genuinam legendam subdamus; namque postremâ editione, præsertim à Lipsio, & Vetrano recepta, ita habet: *Igitur Fabianus tabulariis, quos memoravi, &c.* Sicque patet Tacitum loquutum non de tabulariis publicis, sed de testibus testamentum obsignare solitis. Alii erant tabularii, qui civitatum, aut provinciarum chartas tractabant, ut constat *ex l. penult. C. de tabul. lib. 10. l. ult. §. hi quoque, ff. de muner. & honor.* & qui publicas rationes tractant seu supputant, *l. 1. l. missi, C. de exact. tribut. l. 2. C. de muner. & honor. l. 1. C. de immunit. nemini conced. l. 1. C. de censib.* Tabularii quoque sunt dicti, non solùm qui publicas tabulas obsignabant, ut contractuum scriptores, *l. 2. C. de eunuchis, l. contractus 17. de fide instrum. novel. 7. & 73.* sed & qui in rebus privatorum adhibebantur, ut subscriberent, vel stipularentur, aut fide publica firmarent, ut passim apud Jurisperitos, & præsertim *in l. si quis decurio, C. de pactis, l. 1. & 2. C. de tabul. lib 10.* De his tabulariis, seu tabellionibus in præsenti agitur, & statuitur, clericos in sacris ordinibus constitutos non debere hoc officium exercere; quod firmatur in 8 synodo Cabilon. 2. *can. 44.* ubi presbyteris inhibetur, ne Cancellariorum munus exerceant. Cujus prohibitionis rationem deducunt Abbas, Hostiensis & Boëtius Epon. *in præsenti*, ex conditione ipsius officii, & ejus ignobilitate. Sed malè, cùm tabellionum officium tam apud Romanos, quàm apud Græcos honestum esset, ut ait Cicero 3. *in Verrem, act. 8.* ibi: *Scribarum ordinem esse honestum, quod eorum hominum fides tabulæ publicæ, periculaque Magistratuum committantur.* Et Cassiodorus *lib. 12. epist. 21.* honorabile decus dixit tabellionum officium. Quoad Græcos in compert. o est, fuisse scribarum officium honorificum. Æmilius Probus, seu ut alii malunt, Cornel. Nepos *in Eumene*, ibi: *Apud Romanos revera sicut sunt, mercenarii scribæ existimantur: at apud Græcos è contrario nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, fide, & industriâ cognitâ, quòd nec esse est omnium consiliorum eum esse participem.* Plura de his tabulariis, seu tabellionibus tradunt Covar. *pract. cap. 19. num. 4.* P. Gregor. *lib. 47. syntag. cap. 41. num. 4.* Rosinus *lib. 7. antiquit. cap. 48.* Casaubon *in not. ad Capitol. in Opileo*, Bulengerus *lib. 6. de Imper. Roman. cap. 26.* Gaspar Barthius *lib. 50. adversar. c. 1.* Amaya *in l. si quis 34. C. de Decur.* Velascus *de priv. pauper. 1. p. q. 10.* Garzonius *in Theatro, tit. de notar.* Langleus *lib. 7. semestr. cap. 14.* Tiraq. *de nobilit. cap. 30. n. 9.* Marcel. Donat. *in elucid. ad Livium, & Tacitum*, in locis suprà relatis. Hunnius *ad Treutl. volum. 1. disp. 8. q. 48.* Gibalinus *de negot. tom. 2. lib. 6. cap. 3. art. 10.* Ea ergo omissâ ratione dicendum est, in præsenti textu prohiberi clericis in sacris ordinibus constitutis tabellionatus officium exercere, quia videlicet sæculare, & publicum munus est: unde instrumenta ab eis confecta, publica dicuntur *in novel. 44.* & forensia *in novel. 73.* Quare cùm clericis, ut sæpe sæpiùs in hoc titulo repetitum est, non liceat sæcularibus negotiis se immiscere, ideo & tabellionatus munus obire illis prohibetur. Consonant lex *15. tit. 19. lib. 2. ordin.* lex *10. tit. 3. lib. 1. Recopil.* probant Azevedus, *ibi.* Claudius Espenceus *ad D. Paulum lib. 2. digress. cap. 11.* Jacob Gothofr. *in l. 3. C. Theodos. de Decur.* Amaya

ubi suprà, num. 23. qui ex Valenzuela, & aliis latè probat, quod etsi prohibeantur clerici esse tabelliones, adhuc si officium exercuerint, instrumenta ab eis confecta mero jure valebunt. Alia ex ratione Decurionibus prohibetur illud officium exercere *in l. 3. C. Theodos. de Decur.* cujus pars extat *in d. l. 34. C. de Decur.* & ibi exponit Amaya. Possunt clerici etiam in sacris ordinibus constituti Notarii officium exercere in causis spiritualibus, de quibus causis accipiendus est textus *in cap. 2.* ibi: *Notarii gessit officium, 32. dist.* & ita fieri in diœcesi Placentina testatur Azevedo *in d. l. 10.* & in Compostellana ex Concil. Compostel. Salmanticæ celebrato anno 1565. Similiter in causis fidei clerici non tantùm admittuntur, verùm & cogi possunt Notarii officium exercere, *cap. ut officium, §. ad conscribenda, de hæret. lib. 6.* post Pennam & alios probat Acunna *in cap. 2. 32. dist.*

CAPUT IX.

Idem *in Concilio* (a) *Generali.*

SEntentiam sanguinis nullus dictet (b) clericus, aut (c) proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur, (d) interfit. Si quis autem hujus occasione statuti Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis aliquod præsumpserit inferre dispendium, per cens. eccl. compescatur: nec quisquam clericus literas dictet, aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas: unde in Curiis Principum hæc solicitudo non clericis, sed laicis committatur. Nullus quoque clericus (e) ruptariis, aut balliſtariis, aut hujusmodi viris sanguinis præponatur, nec illam chirurgiæ partem Subdiaconus, Diaconus, aut Sacerdos exerceat, quæ vel ad ustionem, vel [f] incisionem inducit. Nec quisquam [g] purgationi aquæ ferventis, vel frigidæ, seu ferri candentis ritum cujuslibet benedictionis, aut consecrationis impendat, salvis nihilominus prohibitionibus de [h] monomachiis, sive duellis antea promulgatis.

NOTÆ.

(a) *Generali.*] Lateranensi videlicet, celebrato sub Innocentio III. ubi *cap. 18.* refertur textus hic, & in quarta collectione, *sub hoc tit. c. 2.*

Sententiam sanguinis.] Hanc partem exposui suprà *in cap. 3.*

(b) *Nullus clericus.*] His verbis generalibus usi sunt PP. ut nulla ambigendi occasio daretur, an Alexandri constitutio relata suprà *in d. cap. 3.* protrahenda esset ad clericos in minoribus ordinibus constitutos.

(c) *Dictet, aut proferat.*] Dictat sententiam qui tanquam judex, consiliarius, vel assessor eam concipit; profert autem, qui eam pro tribunali, aut ubi jus dicitur, eam recitat, ut exponit Boëtius Epon. *in præsenti, n. 8.*

(d) *Aut interfit.*] Auctoritativè, videlicet executioni sententiæ quasi opem ferendo, *cap. ex litteris, de excess. Prælat. cap. pernicioſe, de pœnit. dist. 1. can. 33. Concil. Altisiod.* non verò prohibentur clerici comitari ipsum reum ex pietate pro ipsius animæ salute, ut probat Boëtius Epon. *hic num. 10.*

(e) *Ruptariis.*] *Rotariis* legitur in ipso canone 18. Concilii Later. & apud Innoc. III. *lib. 3. regestr. 15. epist. 41.* à rota, cujus nomine pars exercitus venit; unde Rotarii sunt milites ad eam cohortem, seu turmam spectantes, ut patet ex Niceta Choniate *lib. ult. de Imperio Balduini*, ibi: *Itaque partem exercitus, quæ utilitatis suæ causâ sequi vellet (Rotam ipsi vocant) ablegarunt, potestate datâ urbes, quæ defecissent, suo arbitratu tractandi. Ea cohors antegressa à nullo scelere, & à nullo piaculo abhorruit.* Guillelmo Neubrig. *lib. 2. de rebus Angliæ, cap. 27.* ibi: *Stipendiarias Brabantionum copias, quas rotas vocant, accersivit.* Et *lib. 5. cap. 15. Quippe Rex, qui stipendiariam militiam, quam rotas vocant.* Dicebantur etiam ruptarii. Innoc. III. *lib. 1. regestr. 13. epist. 92.* ibi: *Ad expellendum quoque ruptarios, & Brabantiones.* Matthæus Paris. in Henrico II. *ad annum 1174. pag. 128.* ibi: *Nunciatum est ei electam Regis filii sui militiam apud Dolensem urbem à Brabantiis & Ruptariis circumclusam.* Et *pag. 129. Sed priusquam veniret, hostium suorum maxima multitudo à suis ruptariis fuerat intrempta.* Notarunt Joan. Vossius *de vitiis serm. lib. 2. cap. 17.* Paul. Idumay *in not. ad Innoc. III. d. lib. 3. epist. 41.*

(f) *Incisionem.*] Per se videlicet; nam jubere possunt clerici, qui medicinæ artem exercent, incisionem facere, *can. 8. Synod. Constantinop.* ibi: *Quamobrem decrevit sancta Synodus, ut si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus castrare aliquem convictus fuerit, vel manu propriâ, vel suo jussu, is depositioni subjiciatur. Si sit autem laicus, segregetur, præterquam si morbus, qui alicui accidit, ad eum exsecandum, & castrandum coëgerit; quemadmodum enim Nicæna prima Synodi canon, eos qui morbo exsecti sunt, non punit, propter morbum; sic & nos nec sacerdotes, qui ægrotos castrari mandant, condemnamus; nec laicos, qui propriis manibus ad castrationem utuntur, reprehendimus; hoc enim morbi esse medelam, non autem creaturæ insidias fieri, vel opificum injuriâ affici, existimamus.* Probat Theophilus Raynaud. *tom. 7. de relig. loricato, fol. 200.* Quatenus tamen liceat clericis medicinam exercere, exposui *in cap. ad aures, de ætate & qualit.*

(g) *Purgationi.*] De qua latè agemus, Deo volente, *in tit. de purgat. vulgar.*

(h) *Monomachiis.*] Ut dicemus *in cap. unic. de cler. pug. in duell.*

CAPUT

CAPUT FINALE.

Honorius III. *Venerabilibus fratribus M. Patriarchæ* (a) *Antiochen. & universis Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis cæteris Ecclesiarum Prælatis, in Patriarchatu Antiocheno constitutis.*

SUper specula. *Et infrà* : Sanè licèt fallax sit gratia cæterarum scientiarum, & vana etiam pulchritudo, cùm frumentum electorum, & vinum germinans virgines juxta Prophetam sit bonum super omnia, & sit pulchrum ; quia tamen regulares quidam claustrale silentium, & legem Domini animas convertentem, & sapientiam dantem parvulis, quam super aurum, & topazion amare debuerant, respuentes, abeunt post vestigia gregum, & illicitè se convertunt ad pediſſequas amplectendas, quæ plausum desiderant populorum : contra hujusmodi præsumptores exeuntes ad audiendum leges, vel physicam, felicis memoriæ Alexander prædecessor noster olim instituit in Concilio Turon. ut nisi infra duorum mensium spatium ad claustra redierint, sicut excommunicati ab omnibus evitentur, & in nulla causa, si patrocinium præstare voluerint, audiantur. Reversi autem in Choro & Capitulo, & mensa, & cæteris ultimi fratrum existant, & nisi fortè ex misericordia Sedis Apostolicæ, totius spem promotionis amittant. Verùm quia nonnulli ex talibus propter quorundam opiniones diversas excusationes aliquas assumebant : Nos volentes ut tales de cætero ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, districtè præcipiendo mandamus, quatenus tam à (b) Diœcesanis, & Capitulo ipsorum, quàm & à cæteris Episcopis, in quorum Diœcesibus hujusmodi studeant, tales sub. appell. obst. excommunicati, & prædictis pœnis obnoxii publicè nuntientur. (c) Quia verò Theologiæ studium cupimus ampliari, ut dilatato sui tentorii loco finiculos suos faciat longiores, ut sit fides catholica circuncincta muro inexpugnabili bellatorum, quibus resistere valeat ascendentibus ex diverso : ad Archidiaconos, Decanos, (d) Plebanos, Præpositos, Cantores, & alios clericos (e) personatus habentes, nec-non presbyteros, (nisi ab his intra spatium præscriptum destiterint:) hoc extendi volumus, & mandamus, appellatione postpositâ, firmiter observari.

NOTÆ.

1. (a) *Antiochen.*] Ita legitur in quinta compilatione, *sub hoc tit. cap. unico*, ex qua restituo præsentem inscriptionem. De Ecclesia Antiochena nonnulla notavi *in cap. 1. de translat. Episc.* Tria reperiuntur fragmenta in hoc Decretalium volumine compilata Honorii III. cum hoc principio: primum in præsenti relatum: secundum *in cap. super specula, de magistr.* tertium *in cap. super specula, de privil.* & ad eandem epistolam Decretalem spectare voluit Cironius *in cap. super, de magistris.*

(b) *Diœcesanis.*] Episcopis videlicet, in quorum Diœcesibus monasteria ipsa sunt, aut ubi studio juris civilis operam dant. An verò hæc nunciatio Episcopis etiam in monachos exemptos concessa sit, disputat Boëtius Epon. *in præsenti, n. 4.* qui affirmativè resolvit.

2. (c) *Quia verò.*] Hæc verba non extant in dicta quinta compilatione; esse tamen nostri Honorii III. refert Bonifacius VIII. *in cap. 1. hoc. tit. in 6.* & in eis Pontifex studium sacræ Theologiæ commendat, quia cùm per annum 1137. libri Pandectarum juris civilis reperti fuerint à Pisanis in diruitione civitatis Melfitanæ, quæ est in Apulia, adhucque hodie magna cum veneratione Florentiæ asserventur, & Lotharius Imperator statuisset, ut abrogato Longobardorum jure, civile observaretur, & publicè doceretur, cœpit esse ejus professio apud omnes magna in æstimatione, ut referunt Balduinus *in proloq. ad Instituta, §. cùm verò.* Possevinus *in sua biblioth. cap. 17.* Unde & è contrario negligi cœpit studium sacræ Theologiæ cùm ferè omnes juris Cæsarei studium profiterentur, propter honorem ; aut physicam propter opes : unde in proverbium abiit : *Dat Galenus opes, & Justinianus honores.* Unde Honorius III. agnoscens præstantiam studii sacræ Theologiæ, atque ejus necessitatem, ideo præsentem edidit constitutionem, ut ipse in præsenti fatetur, & docuit Barbosa *voto 88. num. 24.*

(d) *Plebanos.*] Idest parochos, ut exposui *in cap....*

(e) *Personatus.*] Quid sit personatus, exposui *in cap. ad aures, de rescriptis.*

FINIS LIBRI III. DECRETALIUM.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



Ejusd. in III. t.
cretal.

Th 3
470 a

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


GV
4